



TOM. IV




TH 134/6





Ce volume contient les tomes 4 et 5 avec les tables, qui se trouvent à la page 867 du tome 4.

JOANNIS GERSONII

Doctoris Theologi & Cancellarii Parisiensis

OPERA OMNIA,

Novo ordine digesta, & in V. Tomos distributa;

Ad Manuscriptos Codices quamplurimos collata, & innumeris in locis emendata; quædam etiam nunc primùm edita:

Quibus accessêre

HENRICI DE HASSIA, PETRI DE ALLIACO, JOANNIS BREVICOXÆ, JOANNIS DE VARENIS Scriptorum coætaneorum, ac insuper JACOBI ALMAÏNI & JOANNIS MAJORIS Tractatus, partim editi partim inediti;

Necnon Monumenta omnia ad Causam JOANNIS PARVI *pertinentia.*

Operâ & studio M. LUD. ELLIES DU PIN, S. Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, & Philosophiæ Professoris Regii.

TOMUS QUARTUS,

CONTINENS

EXEGETICA & MISCELLANEA.




ANTWERPIÆ,

SUMPTIBUS SOCIETATIS.

MDCCVI.

M O N I T U M.



Tomus iste, in quo continentur Acta & Scripta adversùs Doctrinam Joannis Parvi Doctoris Parisiensis, qui scripserat; *Tyrannos per insidias à quibusvis privatis, nullo servato Juris, sive Divini, sive Humani ordine, & Confœderatione qualibet non obstante, interfici posse*, Gersonii Operibus non immeritò accensetur: fuit enim ille horum omnium author atque promotor. Ipse primus, nomine Universitatis, coram Rege Propositiones hujus reprobavit; ejus consilio, Episcopo Parisiensi & Inquisitori fuit injunctum, ut de iis Judicium ferrent; in eo Consessu Parisiensi totum ipse negotium exposuit, & gravissimam Sententiam dixit. Latâ à Judicibus Sententiâ, nè quid in eam adversarii molirentur effecit. Tandem in Concilio Constantiensi nihil non movit, ut dammatio Propositionum Joannis Parvi confirmaretur. Id, primùm suo, deinde Christianissimi Regis, & Universitatis Parisiensis, cujus erat Deputatus, nomine, non semel voce & scriptis postulavit. Plures in Concilio adversùs pestiferam Joannis Parvi Doctrinam Orationes habuit. Scripta non pauca Judicibus, & Concilio, ad eam configendam obtulit. Schedulis, Libellis supplicibus, Protestationibus, Appellationibus, aliisque Actis Judiciariis litem hanc prosecutus est, & ad extremam usque Synodi Sessionem huic negotio ardenter institit. Nihilominus tamen, post varias dilationes, nullum à Synodo Judicium obtinere potuit, & re infectâ, de suo, pro expensis Causæ 125 florenos Notariis solvit. Cumque eâ de causa Ducis Burgundiæ gravissimam indignationem incurrisset, solum, sub peregrini specie, vertere coactus est. Si quæras, cur terminata non fuerit in Concilio hæc Causa; respondet ipse Gersonius, in Dialogo qui editus est Operum hujus *Tom.* II *Part.* II. p. 386: ubi satis indicat, Ducis Burgundiæ authoritatem in causâ fuisse, ne damnaretur pestifera Joannis Parvi Doctrina. Ibi etiam rationem reddit, cur Causam hanc tam acriter prosecutus fuerit: ac demùm ostendit, non inutilem fuisse operam suam, quamvis Judicium solemne latum non fuerit.

„ Nonne, *inquit pag.* 388 satis videtur, pro triumpho veritatis, quòd nulla „ adversùs eam, post tot agitationes & pertractiones, lata est Sententia, quæ præ- „ sertim in rem transierit judicatam; quæ prætereà diceret, ea quæ veritatis erant „ læsa esse, protestantibus hoc ipsum per Litteras suas ad Christianissimum „ Franciæ Regem, tribus Cardinalibus, qui circumventi, prætensam tulerant „ Sententiam, super nullitate Sententiæ Episcopi Parisiensis: de quâ re latiùs „ alibi. Manet igitur in robore suo detestatio falsitatis, & hæreticæ pravitatis: „ manet approbatio tam solemnis Sacræ Theologicæ Facultatis in Universita- „ tate Parisiensi, cui centum & quadraginta unus Theologi se manibus pro- „ priis subscripserunt: manet similis approbatio præclaræ Facultatis Decretorum „ in eadem Universitate, quæ similiter in se tota pondus approbationis suæ de- „ dit sub Litteris Patentibus: manet authenticum valdè Parlamenti Regii De- „ cretum, vel Arestum, hujusmodi Doctrinæ, cum tota Propositione Joannis „ Parvi, capitaliter damnativum: manent deliberationes solemnissimorum Theo- „ logorum de diversis Studiis, quos perversa non subvertit affectio: manet de- „ nique Judicium Sacræ Synodi generalis integrum, quæ sub silentio, damna- „ tionem prædictarum Assertionum non reprobans, approbavit; juncto quòd „ in damnatione tam severa hujus Assertionis, *Quilibet tyrannus, &c*, voluit „ satis intelligi, alias hujusmodi, velut in sua radice, damnasse: quæ radix est; „ ut neminem alter occidat autoritate propriâ, quantumcumque sceleratum; „ neque jusjurandum propter incommodum temporale sui, vel suorum, „ violetur

Sic autem respuit deliberationes contrarias Mendicantium quorumdam.

„ Sed quid (*inquit Monicus* p. 489) de Deliberationibus quorumdam Mendican-
„ tium cum magno numero respondebis? quos dicunt, factâ in unum conven-
„ tione, se cuidam schedulæ subscripsisse, quam sigillaverunt Sigillis Generalium
„ de quatuor Ordinibus, ut prætendunt: ubi deliberant (sed in sacco & tenebris)
„ Assertiones istas non esse Judicio Fidei reprobandas; imò sentiendum esse, quòd
„ ad Fidei Judicium non pertinent. Neque enim in hanc insaniam aussi sunt
„ prosilire; ut apertè dicerent, quòd veræ sunt: gloriatur tamen adversa pars,
„ tamquàm eas deliberaverint veras esse.

Cui sic respondet Volucer. „ O si scires omnia, Monice, quæ circà Pro-
„ cessum talem emerserunt, nunc istis, nunc aliis viis; imò inviis, & exorbi-
„ tantiis, ebiberet spiritum tuum vehemens indignatio, qualia non prosequor,
„ ne Satyram, vel Tragædiam aggressus esse videar. Hoc unum scire potuisti,
„ quòd prædicta deliberatio conspirata, fuit tandem oblata coram toto Con-
„ cilio, tanquam hæreticalis, aut de hæretica pravitate vehementer suspecta,
„ sub protestatione solemni facta per Advenam nostrum; quam tunc, nomine
„ Regis & Ambassiatorum suorum, proposuit, de subscribendo se ad pœnam
„ talionis, si aliqui quantumcumque multiplicati, contrarium vellent sustinere.
„ Quinetiam Sacræ Theologiæ Facultas Parisiensis, dùm ad ipsam schedula
„ talis delata est, pro parte dicti Christianissimi Francorum Regis, suaque
„ deliberatio quæsita, reprobavit eam multiplici ac efficacissima ratione, sub
„ Patentibus Literis Sigillo suo munitis. Non igitur potest adversa pars gloriari
„ de pluralitate majori Theologorum, neque numero.

Quanta autem sit Monumentorum ad hanc Causam pertinentium, quæ nunc primùm publici juris facimus, utilitas, nemo est qui non videat. Celebris inprimis ac magni momenti Causa, quæ Ecclesiam & Politiam spectat, per plures annos acta enarratur. Eximia circà hanc Scripta, Magistrorum Sententiæ gravissimæ, Judicia tum Ecclesiastica, tum Civilia, quæ huculque in tenebris latuerant, prodeunt in lucem. Ex una parte cernere est Gersonium ejusque socios pro veritate fortiter decertantes: ex aliâ Martinum Porreum, Cochonium, aliasque venales animas, ad errorem excusandum vitilitigantes. Hinc Doctores Sacrarum Litterarum autoritate, SS. Patrum testimoniis, nec non Legis Divinæ ac Naturalis principiis innixi, homicidium omne propriâ autoritate perpetratum damnant. Inde Scholastici ac Leguleі quidam vanis subtilitatibus, frivolis rationibus, & spuriis Legum quarumdam allegationibus armati, unicuique pro libito, in eos, quos Reipublicæ noxios esse senserint, sævire permittunt. Ab illis defenditur innocentis Principis Memoria: ab his infanda cædes, quam totus Orbis exhorruit, asseritur, & à scelere vindicatur. Uno verbo, quâ in parte Veritas, & Justitia stent, nulli poterit esse ambiguum.

Hac fiducia freti, non solùm ea Monumenta publici juris facimus, quæ Gersoniana sunt; sed & ea, quæ ipsis adversa, ut totius hujus Causæ series pateat.

Porrò, Manuscripti Codices, è quibus eruta fuerunt istæc Monumenta, hi sunt. Manuscriptus Codex Colbertinus, continens Acta Concilii Pariensis integra, Librum Joannis Parvi, & sententias Theologorum in Concilio Constantiensi. Alii duo Codices ejusdem Bibliothecæ, num. 2537. & 2538. Codex Cælestinorum Avenionensium, nec non Codices nonnulli Bibliothecæ Victorinæ.

SERIES

S E R I E S

Eorum, Quæ in hoc QUINTO VOLUMINE

Continentur.

Acta & Monumenta omnia ad Causam JOANNIS PARVI pertinentia:

P A R S P R I M A,

Complectens Narrationem Cædis DUCIS AURELIANENSIS, *& eorum quæ insecuta sunt; nec non Librum* JOANNIS PARVI.

M O N I T U M.

SYNOPSIS Chronologica eorum quæ acta sunt in negotio JOANNIS PARVI.

P A R S S E C U N D A.

P A R S T E R T I A.

Series Eorum, quæ in Quinto Volumine Continentur.

SYNOPSIS

SYNOPSIS
CHRONOLOGICA
Eorum quæ acta sunt in Negotio Joannis Parvi.

Anni, Menses & Dies.] RES gestæ.

1407. 23. Nov. Regni Caroli VI. Francorum Regis 27. Ludovicus Dux Aurelianensis Parisiis occiditur, die Mercurii 23 Novembris, circà horam septimam pomeridianam.

24. & 25. Nov. Duobus diebus sequentibus Regium Consilium habetur, in quo agitur de cæde Ducis Aurelianensis. In posteriori Consilio, agnoscit Joannes Dux Burgundiæ, eam jussu suo perpetratam.

26. Nov. Die 26 Novembris, Consilium Regium habetur apud Ducem Bituricensem, à quo Dux Burgundiæ excluditur; qui statim Parisiis egressus, magnâ celeritate in Flandriam pervenit.

Ambianis, cum Ludovico Siciliæ Rege colloquium habet, ac justam fuisse Ducis Aurelianensis cædem contendit; Causam hanc defendente M. Joanne Parvo (*Petit*) Doctore Theologo Parisiensi, adjunctis aliis duobus pariter Doctoribus.

Rex vetat ne Dux Burgundiæ Parisiensem Urbem adeat; & Ducissam Aurelianensem cum filiis benignè excipit.

1408. Circa finem Februarii. Spreto Regis Mandato, stipatus militibus, Lutetiam Burgundiæ Dux ingreditur, & à Parisiensibus cum gaudio excipitur. Audito ejus adventu, Ducis Aurelianensis Vidua cum filiis Blesos aufugit.

8. Martij. Audientiam à Rege petit Dux Burgundiæ, quæ conceditur ei die 8 Martii. Ibi Joannes Parvus longa Oratione Causam hujus tuetur in Aulâ Palatii S. Pauli.

Dux Burgundiæ à Rege Litteras Abolitionis obtinet, & cum eo, & cum Regina reconciliatur.

5. Julij. Die 5 Julii, Parisiis egreditur, & Atrebatum contendit.

11. Augusti. Die Augusti mensis 11, Ducis Aurelianensis Uxor Lutetiam redit, & à Rege de nece mariti sui Judicium ferri postulat; necnon ejus memoriam à calumniis in illum à Duce Burgundiæ per Joannem Parvum intentatis vindicari.

Causam hujus perorat coram Rege & Consilio, in Castro Luparæ Abbas S. Dionyssi. Post longam deliberationem pluribus vicibus repetitam, Dux Burgundiæ nullâ habitâ ratione Litterarum, quas à Rege obtinuerat, proscriptus est, & hostis publicus declaratus.

At ille partâ de Leodiensibus rebellibus solemni Victoriâ Lutetiam ovans redit.

De compositione inter dissidentes agitur.

4. Decemb. Die 4 Decembris Aurelianensis Ducis Vidua moritur.

1409. Circa finem Martii. Ducis Aurelianensis Filii reconciliantur cum Duce Burgundiæ in urbe Carnutensi. Burgundus in Flandriam secedit.

Mense Julio. Sed citò Lutetiam regreditur, & Regni habenas suscipit.

1410. Mense Augusto. Factâ inter Ducem Borbonium & Bituricensem, ac Aurelianenses confæderatione, Burgundus ex pacto recedit.

1411. Joannes Parvus moritur.

Dissidia inter Factiones Burgundicam, & Aurelianensem.

1412. Indè Bellum civile.

1413. Pax tandem inter partes inita.

Seditio Parisiis excitatur: cui favere creditur Dux Burgundiæ. Eâ sedatâ, Dux Burgundiæ cum inferiorem se Aurelianensibus agnosceret, Lutetiâ discedit.

Tum Aurelianenses rerum potiti, nihil non moliuntur adversùs Burgundiæ Ducem, accenso in eum Regis animo. Hinc in librum Joannis Parvi instituta quæstio.

4. Septemb. Die 4 Septembris, Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis deputatur ab Universitate, ad agendam Causam apud Regem, & eodem die in Oratione, nomine Universitatis coram Rege habitâ, novem Assertiones Joannis Parvi damnat ac reprobat.

6. Septemb. Die 6 Septembris, refertur in Comitiis Universitatis sententia Joannis Gersonii de septem Assertionibus, eaque approbatur & confirmatur.

Alii quoque errores in iisdem Comitiis proscribuntur.

7. Octob. CAROLUS VI Rex Franciæ Episcopo Parisiensi, ejusque Officiali injungit, ut adjuncto sibi Fidei Inquisitore, & adhibitis in consilium Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoribus, ac Laïcis Universitatis, in errores Joannis Parvi inquirat.

30. Nov. Joannes Cuderti Licentiatus in Legibus, Officialis Parisiensis, Deputatus Gerardi de Monte-acuto Episcopi Parisiensis; necnon Petrus de Florendinis, Joannis Poleti Inquisitoris Generalis hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ Deputatis, habent Comitia in Aulâ Curiæ Officialitatis Parisiensis, ad procedendum circà negotium Joannis Parvi. Lectæ in ea prima Sessione Litteræ Regiæ; Deputatio Gersonii per Universitatem Parisiensem; Censura Propositionum Joannis Parvi, & aliorum errorum, approbata & confirmata in Comitiis Universitatis Parisiensis: quibus lectis, triginta Magistri Sententiam ferunt, Articulos legitimè reprobatos fuisse censent, & rem istam in Judicio debere tractari: atque ita conclusum.

4. Decemb. In secunda Sessione habita die 4 Decembris, cui adsuerunt Episcopus, & Inquisitor, sexaginta quatuor Magistri Sententiam tulerunt circà Propositiones Joannis Parvi. Quidam, Propositiones extemplò dammandas censuerunt; alii à damnatione abstinendum, aut saltem supersedendum; omnes ferè, schedulas mittendas à Doctoribus, priusquàm Sententia ferretur: atque ità conclusum.

A die 19. Dec. anni 1413, ad diem 5 Januarii anni 1414. Schedula Propositionum Joannis Parvi data omnibus Magistris qui Parisiis aderant; horum suffragia ex scriptis recitata, à die 19. Decembris,

1413. bris, ad 5 Januarii; ſeptuaginta novem Magiſtri ſententiam dixerunt. Omnes, paucis exceptis, Propoſitiones falſas & erroneas eſſe judicarunt: ex iis quadraginta ferè, nunc Judicio Epiſcopi & Inquiſitoris damnandas; aſt alii ſuperſedendum eſſe cenſuerunt, donec conſtaret eas eſſe ex libro Joannis Parvi fideliter excerptas. Ad id examinandum ſex-decim Magiſtri ſunt deputati: & quia nonnulli dixerant monendum eſſe ea de re Ducem Burgundiæ, miſſus eſt ad eum Petrus Floure, qui ea quæ agitabantur, ipſi exponeret. Interim facta eſt inquiſitio per teſtes de doctrinâ Joannis Parvi.

Deputatis dati Codices Libri Joannis Parvi, ut eos cum Propoſitionibus delatis conferrent, & ad Epiſcopum Pariſienſem ac Inquiſitorem referrent.

1414. A die 19. Januarii ad diem 7 Febr. Deputati convenientes, à die 19 Jannuarii ad diem 7 Februarii, ſchedulam Propoſitionum ex libro Joannis Parvi excerptarum, & cum delatis collatarum confecerunt. Eadem die 7 Februarii, ad Magiſtros ea tranſmiſſa eſt.

12. Febr. Deliberatio Doctorum circà Propoſitiones Joannis Parvi incepit die 12 Februarii. Quinquaginta quinque Magiſtri ſententiam dixerunt: ex iis duodecim tantùm ſuperſedendum eſſe à Judicio cenſuerunt, aut rem ad Curiam Romanam remittendam; cæteri Judicium ferendum.

23. Febr. Die 23 Februarii, convenerunt Judices duo, Epiſcopus, & Inquiſitor, cum Prælatis, Epiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, & Baccalariis: habita Oratio. Lecta deindè Acta judiciaria in hoc negotio confecta, ac lata Sententia, nomine Gerardi Epiſcopi Pariſienſis, & Joannis Poleti Ordinis Fratrum Prædicatorum Inquiſitoris generalis, continens cenſuram novem Aſſertionum Joannis Parvi, & damnationem ejus libri.

25. Febr. Die 25. ejuſdem Menſis, crematus eſt hic Liber in atrio Eccleſiæ Pariſienſis.

6. Martii. Litteræ Regiæ publicantur adversùs Librum Joannis Parvi.

16. Martii. Mandatum Regis emittitur, quô cavetur, ut publicetur condemnatio Joannis Parvi, de Juſtificatione Ducis Burgundiæ.

Burgundiæ Dux ab hac Sententia Epiſcopi Pariſienſis & Inquiſitoris appellat ad Sedem Apoſtolicam.

23. Martii. Cauſa committitur in Romanâ Curiâ Cardinalibus de Urſinis, Florentio & Aquileïenſi.

Mandat Rex ſuis Legatis ad Concilium Conſtantienſe, ne nomine Majeſtatis ſuæ confirmationem damnationis Propoſitionum Joannis Parvi in Concilio urgeant: ſed ſi quæſtio illa in Concilio moveatur, ut ſuo proprio nomine agant.

19. Nov. Litteræ Regiæ ad Univerſitatem, ut Legatos mittat ad Concilium Conſtantienſe, qui damnationis Propoſitionum Joannis Parvi confirmationem petant.

4. Decemb. Coram Rege, Dominis & Prœlatis, in Aula S. Pauli Joannes Gerſonius Orationem habet adversùs doctrinam Joannis Parvi.

27. Decemb. Litteræ Regis Patentes adhortatoriæ ad eam fugiendam datæ 27 Decembris.

1415. Res defertur ad Concilium Conſtantienſe.

26. Maij. Martinus Porreus Epiſcopus Atrebatenſis, & Petrus Cauchon Licentiatus in Decretis, Legati Ducis Burgundiæ, Litteras illius datas 15 die Maii, Concilio Conſtantienſi offerunt, ne in Concilio de damnatione doctrinæ Joannis Parvi agatur: è contra Gerſon Regis Franciæ & Univerſitatis Pariſienſis Legatus, ejuſque Collega Petrus de Verſaliis, inſtant nomine privato, ut Judicium ea de re à Concilio feratur, promittentes ei ſe futuros obſequentes. 1415.

Recitantur in Concilio Litteræ Joannis Ducis Burgundiæ. Purgat ſeſe à querelis Ducis Bavariæ, qui ipſum incuſabat; quòd ſcripſiſſet ad Sigiſmundum, quòd occidendus eſſet inſidiis ejuſdem Ducis. 4. Junii.

Joannes Gerſonius defert ad Concilium Propoſitiones Joannis Parvi. Epiſcopus Atrebatenſis quærit utrùm nomine proprio, an nomine Regis. Fatetur Gerſon ſe id facere nomine proprio, & proteſtatur de perſonis ſe nihil dicturum. Inſtat Atrebatenſis, ut ſecundùm Mandata Regis & Ducis Burgundiæ, altum ſit eâ de re ſilentium. Menſe Junio.

Poſt deliberationem quatuor Nationum, annuente Sigiſmundo Rege Romanorum, conſtituuntur Judices in hac materia.

Incipiunt Judices ea de re cognoſcere die 15 Junii. 15. Junii.

Inſtruitur Cauſa. 25. Junii.

Recuſatur ab Atrebatenſi Cameracenſis Cardinalis.

Inſtant Gerſon, aliique ut Judicium acceleretur. 20. Aug.

Multa hinc inde Scripta Commiſſariis exhibentur per reliquum annum. A Menſe Junio, ad finem anni.

Epiſcopus Atrebatenſis hoc ſolum in ſe ſuſcipit, Aſſertiones non eſſe Judicio Fidei reprobandas.

Initio Octobris, Promotor à Judicibus nominatur, cùm Gerſonius in Judicio tanquam pars ſtare renuiſſet.

Sententia Cardinalis Cameracenſis circà Propoſitiones Joannis Parvi, cum Reſponſione Atrebatenſis Epiſcopi.

Variæ Schedulæ exhibitæ, continentes varia judicia de Propoſitionibus Joannis Parvi.

Schedula data Doctoribus & Baccalariis qui aderant. 8. Novemb.

Certos facit per Epiſtolam Commiſſarios Fidei Carolus VI, Cauſam Joannis Parvi ſuam eſſe. 1416. 9. Janu.

Carolus VI jubet Procuratori ſuo in Curiâ Romanâ, ut intermiſſam proſecutionem de damnatione Propoſitionis Joannis Parvi reſumat. 10. Janu.

Interim die 15 Januarii, tres Cardinales Deputati à Pontifice ad hanc Cauſam judicandam, ad inſtantiam Joannis de Monte-juſtino Procuratoris Ducis Burgundiæ, in abſentiâ Epiſcopi Pariſienſis & Inquiſitoris, præſente eorum Procuratore Joanne Martineti, ſed Juriſdictionem illorum Commiſſariorum non agnoſcente, Sententia tanquam in contumaces lata eſt, quâ Judicium per eos latum irritatur. 15. Janu.

Scribit Univerſitas Pariſienſis ad Concilium Conſtantienſe, de damnatione Aſſertionum Joannis Parvi. 6. Febr.

Die 8 ejuſdem Menſis, Conſtantiæ, Cardinalis Cameracenſis exhibet ſchedulam Judicii à Concilio ferendi circà Aſſertiones Joannis Parvi. 8. Febr.

Petunt Procuratores Ducis Burgundiæ, ut ſententiæ Magiſtrorum, qui conſulti fuerant in hac Cauſa, Nationibus tradantur. 18. Febr.

Eadem die, Guillelmus Monnardi Caroli VI Regis Orator, & Simon de Teramo ejus Advocatus, interveniunt in hac Cauſa nomine Chriſtianiſſimi Regis, petuntque ad ejus proſecutionem admitti, & Cardinalem Cameracenſem aliis Judicibus adjungi; recuſatis Cardinalibus de Urſinis, Aquileïenſi, necnon Abbate Clarevallenſi & M. Urſino Taillenande.

Con-

1416. 21. Febr. Contrà hanc schedulam datæ exceptiones die 21. Februarii.

Carolus VI Procuratores instituit ad hanc Causam in Concilio prosequendam, Rememsem & Turonensem Archiepiscopos; & Joannem de Gersone, Jordanum Morini, Guillelmum Pulchrinepotis, & Petrum Versailles, Magistros in Theologia; Guillelmum Monnardum Licentiatum in Legibus, Joannem Campani Licentiatum in Decretis, & Simonem de Grandis Procuratorem in Curiâ Romana.

23. Martii. Oratores Ducis Burgundiæ obstant in Natione Gallicana, ne nomine Regis Franciæ hæc Causa suscipiatur.

11. April. Joannes Gersonius in publicâ Congregatione, nomine Regis defert Propositiones Joannis Parvi, & damnationem earum postulat.

Eadem die publicantur Vota 87 Magistrorum, quorum 20 pro parte affirmativa, eas scilicet Judicio Fidei improbandas; cæteri pro negativa.

16. April. Appellant Oratores Regis à Votorum publicatione.

Procuratores Regii, ac inprimis Joannes Morini, in Natione Gallicana negotium urgent, & queruntur de Judicibus Fidei.

21. April. Admittuntur à Judicibus Fidei ad hanc Causam agendam Oratores Regii. Ab hoc Decreto appellant Procuratores Ducis Burgundiæ die 21 Aprilis.

5. Maii. Longam Orationem habet in Concilio Joannes Gersonius, quâ totum negotium Joannis Parvi complectitur, & simul plura exhibet Scripta.

9. Maii. Legitur in Congregatione generali Epistola Universitatis, data 21 Martii.

10. Maii. Eadem Universitas, die 10 Maii Procuratores nominat, qui suo nomine urgeant damnationem Assertionum Joannis Parvi.

11. Maii. Lecta in Concilio Cardinalium Epistola Sigismundi Imperatoris, quâ Judicium Commissariorum, circà negotium Joannis Parvi irritari postulat: Et alia ad Cardinales, 13. Maii. registrata, data Parisiis die 6. Aprilis, quæ rem vehementer urget.

15. Maii. Respondent Regi Romanorum tres Cardinales, se Sententiam tulisse de consilio peritorum in utroque Jure, atque ita judicasse.

1. Quia Causa hæc, utpote Fidei, reservata erat Summo Pontifici, nec pertinebat ad Episcopum Parisiensem de ea cognoscere.

2. Quòd ab ipso non fuerint citati, quorum intererat.

3. Quià nemo comparuerat coram ipsis ex parte Episcopi & Inquisitoris. 1416.

4. Quia cùm appellaverint ab hac Sententia, debent expectare finale Judicium Concilii, cui se suamque Sententiam subjiciant.

Declarant tres Cardinales, qui Judices fuerant deputati à Sede Apostolica, se per suam Sententiam non approbasse Propositiones novem Joannis Parvi; nec de veritate, aut falsitate earum judicasse, & illæsum manere ea de re Judicium; sed visum esse iis, Judicium Parisiensis Episcopi & Inquisitoris irritum, quia ad ipsos non pertinebat de negotio Fidei judicare. 26. Junii.

Deputati in materia Fidei totum hoc negotium remittunt ad Synodum generalem. Mense Julio.

Appellat Dux Burgundiæ à Judicibus.

Cardinali Veronensi committitur istius Causæ inquisitio. Mense Augusto.

Senatûs Parisiensis Decretum adversùs Propositiones Joannis Parvi.

Appellat Procurator Regis ab iis quæ facta fuerant à Judicibus in negotio Fidei, ad Concilium generale. 17. Octob.

Rejicitur ejus Appellatio. 20. Octob.

Protestatio Oratorum Regis. 5. Nov.

Alia Protestatio Cardinalis Cameracensis. 7. Nov.

Censura Facultatis Decretorum Parisiensis adversùs Propositiones Joannis Parvi. 18. Nov.

Oratio Joannis Gersonii adversùs Doctrinam Joannis Parvi, incipiens *Nuptiæ factæ sunt* &c. 1417. 17. Jann.

Per Archiepiscopum Gnesnensem Parisiis allatus est Liber Joannis Falkenberg. Approbabat is sententiam Joannis Parvi, & jam tres excuserat Constantiæ libellos in ejus gratiam. 27. Jann.

Joannes Falkenberg ob Librum hunc in carcerem est conjectus. 8. 9. & 10. Febr.

Congregatæ hoc tempore frequenter Nationes & Cardinales Librum Falkenbergii examinantes, ut perniciosissimum damnarunt. 11. 12. & 15.

Galli & Poloni de Censura Joannis Parvi delata conqueruntur & protestantur. Hanc Protestationem habet Joannes Gerson in Dialogo. 1418. 21. Febr.

In ultima Sessione Concilii, Poloni petierunt iterùm damnationem Libri Joannis Falkenberg. 22. Aprilis.

Gerson quoque damnationem Propositionum Joannis Parvi urget, & scriptis protestatur.

Poloni cùm eis non satisfieret, ad Concilium generale proximè futurum provocant.

Joannes Gerson, & Notarii Concilii in Causis Fidei arbitros nominant, qui de debitis horum salaris statuant. 21. Febr.

Solvit Gerson 125 Florenos auri Notariis, pro expensis & salaris in hoc negotio. 26. Maii.

JOAN.



JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DOCTRINALIS EXPOSITIO SUPER SEPTEM PSALMOS POENITENTIALES.

Collat. ad MS. Codicem Victorin. 68.

PRÆFATIO.



VERA poenitentia velut scala quædam est, quâ homo peccator qui secundùm Evangelicam parabolam *descendit de Jerusalem in Jerico*; Luc. x. 30. rursùs in Jerusalem, hoc est, ad pacis visionem, ascendit: hujus verò scalæ septem sunt gradus, quibus correspondent Psalmi septem, qui dicuntur Poenitentiales.

Primus itaque gradus, est timor poenæ, à quo primus Psalmus Poenitentialis incipit: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*. Ps. vi. 1. Secundus, est dolor culpæ; hinc est qui in secundo Psalmo optando dicit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*. Ps. xxxi. 1. Et hunc peccatorum confessio ipsorumque remissio sequitur. *Delictum meum*, inquit, *cognitum tibi feci & injustitiam meam à te non abscondi*. Ibid. vs. 4. Et iterum: *Dixi confite-*

bor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Ibid. vſ. 5. Tertius gradus, est ſpes veniæ; hanc timor præcedit, qui rursùs in tertio Pſalmo clamat: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Pſ. XXXVII. 1. Et hunc dolor comitatur. *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Ibid. vſ. 8. Poſt hæc verò ſequitur ſpes: *Quoniam in te Domine ſperavi, tu exaudies me Domine Deus meus.* Ibid. vſ. 16. Quartus, est amor munditiæ; hanc non hominis justitia, ſed Dei miſericordia efficit. Unde quartus Pſalmus ait, *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* Pſ. L. 1. Ac deinde ſubdit: *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Ibid. vſ. 3. *Et* iterum: *Cor mundum crea in me Deus.* Ibid. vſ. 11. Quintus gradus, est deſiderium cœleſtis Patriæ: pro quo orat quintus Pſalmus. *Domine exaudi orationem meam.* Pſ. CI. 1. Præcedit autem contemptus præſentis vitæ: *Quia defecerunt*, inquit, *ſicut fumus dies mei.* Ibid. vſ. 4. Et iterum: *Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & ego ſicut fœnum arui.* Ibid. vſ. 12. Et hunc comitatur conſideratio æternitatis divinæ. *Tu autem Domine in æternum permanes*, &c. Ibid. vſ. 13. Et rursùs: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Ibid. vſ. 28. Et ex his conſequitur deſiderium habitationis ſupernæ, de qua concludendo ait: *Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.* Ibid. vſ. 29. Sextus gradus, est diffidentia virtutis propriæ: Et hanc juvat confidentia divinæ miſericordiæ, pro qua ſextus Pſalmus ſuſpirat dicens: *De profundis clamavi ad te Domine*, &c. Pſ. CXXIX. 1. Et meritò; quia ad cœleſtem Patriam pervenire propria virtute diffido: nam *ſi iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* Ibid. vſ. 3. Sed de copioſitate tuæ miſericordiæ confido: *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio.* Septimus gradus, est exultatio ſpiritualis lætitiæ; hanc aſſidua oratio efficit; ideò ſeptimus Pſalmus incipit: *Domine exaudi orationem meam: auribus percipe obſecrationem meam.* Pſ. CXLII. Per hanc, ex divinorum operum conſideratione, homo in Dei contemplationem aſcendit. *Meditatus ſum*, inquit, *in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.* vſ. 5. Unde tandem exultando concludit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* vſ. 10.

Nos ergo ſi in hanc terram cœleſtis Jeruſalem deduci cupimus, his ſeptem Pœnitentiæ gradibus aſcendere, & in his Pſalmis aſſidua devotione meditari debemus, exemplo beatiſſimi Auguſtini, de quo legitur: quòd ultima qua defunctus est infirmitate, hujuſmodi Pſalmos de Pœnitentia, quos ſibi juſſerat ſcribi, jacens in lecto contra parietem poſitus intuebatur, & legebat, & ubertim ac jugiter flebat. Ideò ex hujus Sancti Doctoris aliorumque ſententiis, ſuper Pſalmis Pœnitentialibus quaſdam orationes ſeu meditationes devotas componere dignum duxi; quibus ad pœnitentiam provocari, & per pœnitentiam in Dei contemplationem humanus animus valeat promoveri. Illud tamen in Exordio præmittendum est, quòd licet ſeptem affectus, quos ſeptem gradibus ſcalæ Pœnitentiæ appropriamus, dictis ſeptem Pſalmis, aptè decenterque (ut oſtenſum est) conveniant: tamen (ſicut dicit Hugo in Libello *de Oratione*) ſciendum est, hanc proprietatem in omnibus Pſalmis non eſſe, ut per totam ſeriem unus affectus attendatur; ſed ſæpe ex alio affectu tranſitur in alium, ſicut ex affectu timoris in affectum amoris, vel in ſpei affectum, vel conſolationis, ſecundùm quod mens orantis diverſis modis affici ſolet. Hoc autem qualiter per ſingulos Pſalmos cognoſcatur, licet non ſit hujus operis explanare; tamen quantùm ad propoſitum pertinet, ſatis ex ſequentibus apparebit.

MEDITATIO DEVOTA
SUPER
PRIMO PSALMO
POENITENTIALI.

Domine ne in furore. Pf. VI.



DOMINE Jesu Christe, future Judex seculi, qui bonos in cœleste Regnum tuum; malos verò in ignem æternum es missurus. Dum ego reus & indignus peccator horrorem futuri judicii tui considero, timens ac tremens ad te clamare compellor & dicere: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Pf. VI. 1. Sed væ mihi! quomodò immensam clementiam tuam ad furorem, quomodò infinitam misericordiam tuam ad iram provocare merui! Merui itaque & hoc sponte confiteor; alioquin coactus fatebor. Scio tamen Domine, te docente: *Quia tu semper idem es*, Pf. CI. 28. ideò tu in varios affectus non mutabilis es. De te quoque scriptum est: *Tu autem Domine virtutum* Pf. LVIII. 6. cum tranquillitate judicas. Furis ergo semper tranquillus, irasceris semper placatus. Non est furor tuus, non est ira tua in te & in tuo affectu; sed extra te est & in effectu tuo. Furor tuus pœna est Inferni; ira tua Purgatorii pœna. In Inferno quasi furendo arguis; in Purgatorio quasi irascendo corripis. In illo per justitiam arguis insolubiliter; in isto per misericordiam corripis salubriter, & tamen ab utroque opto eripi, ab utroque desidero & peto liberari dicens: *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c. Sed quo pacto, qua fronte, qua hcc præsumo audacia? Non utique de mea justitia; sed de tua misericordia. Ideo, *Miserere mei Domine.* Quare? *Quoniam infirmus sum.* Non meæ virtutis firmitatem; sed meæ vanitatis allego infirmitatem. Ego infirmus; tu Medicus. Ergo, *sana me Domine.* Hic adhibe quæ tu vis medicamenta: hìc ure, hìc seca, tu tantùm à furore tuo & ira, hoc est à futuræ vitæ pœna me libera. Nec à te, ô pie Medice! frustra peto ut sanes me, *quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.* Ossa loquor non corporis, sed animæ. Ossa animæ meæ, vires sunt animæ meæ; quia sicut in ossibus corporis, sic in viribus animæ consistit fortitudo. Vires animæ meæ memoria, intelligentia & voluntas, in quibus dum sanæ sunt, Sanctæ Trinitatis vera imago est & similitudo. Sed heu me! quoniam per peccatum infirmæ factæ sunt, ideò conturbatæ, hoc est, intra se & contra se invicem conturbatæ sunt. Et ideò *anima mea turbata est valdè.* Quia ergo non modicum, sed *valdè conturbata est anima mea*, quia valdè infirmata est omnis fortitudo sua; dum tibi morbum meum detego, dum Medico ægritudinis magnitudinem ostendo, oro ut sanes: *sed tu Domine usquequò?* usquequò Domine sanitatem differs? Non est dilatio ista crudelitas tua; sed ideò differs, ut, dum diù luctari permittis cum vitiis, ex hoc persuadeas animæ meæ in quæ mala se præcipitavit, & ut inde cautior sit. Nam ex difficultate & dilatione sanationis, fit diligentior custodia receptæ sanitatis. Vel ideò mihi perfectam differs curationem, quia imperfectam tibi offero orationem. Nam hìc nondum tam perfectè oro ut audiri merear, adhuc te loquente dicam: Ecce adsum. Quare hoc? Quia non satis perfectè animam meam converto ad te; sed nec hoc possum, nisi tu suppleas imperfectum meum. Ideò: *Convertére Domine & eripe animam meam*, hoc est, fac me ad te perfectè
A converti. Durum enim & laboriosum est mihi ad serenitatem & tranquillitatem divinæ lucis, à terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. *Eripe* ergo *animam meam*; peccatis scilicet ligatam & in sua conversione hostibus multis impeditam, tanquam inhærentem perplexitatibus hujus seculi & spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem. Ab his quoque malis eripiens, *salvum me fac propter misericordiam tuam*, non propter justitiam meam, quia peccatis & demeritis meis justa debetur damnatio; sed *propter misericordiam tuam*, per quam conversis ad te pia promittitur salvatio, te dicente: *Convertimini ad me, & ego revertar ad vos.* Zach. I. 3. Tu ergo qui aversus eras,
B & quem mihi aversum mea fecerat aversio, *convertere ad me*, qui ad te conversus sum: etsi parùm conversus, fac me converti perfectiùs, & sic: *Convertere Domine* à vindicta tua, *& eripe animam meam*, non solùm præsenti malitia; sed salvum me fac etiam à futuræ mortis miseria: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in Inferno autem quis confitebitur tibi.* O piissime Domine! non immeritò hìc festino mihi peccata dimitti, quoniam post mortem vel in Inferno non erit memoria tui aut confessio peccati, quæ scilicet utilis sit ad veniam; quia nunc est tempus conversionis, sed cum hæc vita transierit, tempus erit retributionis. Ut ergo ab illa æterna morte, ut ab illa inferni damnatione per pœnitentiam liberer: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per*
C *singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* O felix David qui has pœnitentiæ ærumnas per tot noctes utiliter sustinuit! Væ mihi misero, qui has una vix hora sustinere valeo aut non volo, & si quandoque *velle mihi adjacet*, quia tamen imperfectè volo, *perficere non invenio.* Rom. VII. 18. Tu ergo Domine da mihi *velle*, da mihi *perficere*, da mihi laborare non solùm *in gemitu cordis*; sed *lavare lectum meum lachrymis* corporis, nec lavare solùm exteriùs seu superficie-tenùs; sed etiam rigari intrinsecùs, ut fletus meus non solùm ad exteriora corporis, sed usque ad cordis intima perveniat ibique permaneat. Nec solùm Domine peto *lavari* aut lachrymis rigari *lectum* vel *stratum meum* corporale, sed etiam spirituale, scilicet interioris conscien-
D tiæ; & hoc *per singulas noctes*, id est per singula peccata ex ea orientia. Oriuntur quippe mihi alternatim dies ac noctes. Noctes patior, cum carne servio Legi peccati. Dies sentio, cum mente servio Legi Dei. O utinam fugatis noctibus peccatorum & abjectis tenebris vitiorum, oriantur mihi & illucescant clariùs dies virtutum & lumina gratiarum! Sed heu me miserum! *Quia turbatus est à furore oculus meus.* Heu heu & iterum heu, quia oculus mentis meæ vix potest ad ortum diei, & spiritualis luminis consurgere, & hoc *quia turbatus est à furore.* Nec solùm à furore tuo divino, tam futuro quem timeo, quàm præsenti quem sentio;

sentio; sed etiam à furore meo proprio quem gemo, hoc est à furiosa concupiscentia mea, à primo Parente transfusa, per quam, quamdiù sum in hac miserabili vita, licet non totaliter extinctus, tamen multipliciter turbatus est oculus. Et meritò; quia *inveteravi inter omnes inimicos meos*, scilicet inter omnia vitia mea & peccata mea, quæ verè inimici mei sunt, dum me ab amore divino separant & avertunt. Inter quæ inveteravi, dum per inveteratam consuetudi- A nem, me eis subjectum esse consensi. Sed tu Domine piissime, post laborem & gemitum, post imbres creberrimos lachrymarum, da mihi consolationis tuæ auxilium; ut dicere valeam: *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Da mihi optare ab operariis iniquitatis separari, non solùm à loco, sed animo, in quorum peccavi consortio; ut sic & tua in me correptio & mea in te consolatio innotescat; ut sic spiritus meus sentiat, quoniam vocem fletus mei exaudisti. Da mihi, Domine, ut iterum atque iterum exultans dicam: *Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.* Deprecationem meam pro peccatis deponendis, & orationem meam pro virtutibus adipiscendis. Sed non solùm Domine da mihi exaudiri pro me, non solùm pro me; sed etiam pro meorum proximorum salute. Nec solùm pro amicorum meorum; sed etiam pro inimicorum conversione; B ut exemplo viri perfecti dicam cum servo tuo David: *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei.* Erubescant, exemplo meo, de actibus suis malis, & conturbentur terrore judicii ad pœnitentiam, non leviter, sed vehementer cum gemitu forti, ut sic *Convertantur & erubescant valde velociter*, ne conversio sua & erubescentia pœnitentiæ suæ differatur damnabiliter: quia nisi in præsenti vita convertantur & erubescant; sed potiùs, ut ab iniquis fieri solet, pœnitentes irrideant, & suis irrisionibus infirmos erubescere faciant, tandem in finali judicio erubescent & erubescentes dicent: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam: ecce quomodò computati sunt inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est? Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis?* Sap. v. 4. 5. 8. Tunc ergo convertentur & erubescent; sed erit hæc conversio & erubescentia ad damnabilem confusionem: quia habere noluerunt pœnitentiam salutarem. Et hæc omnia fient valdè velociter; quia quan- C do minus de judicio speraverint & dixerint, *pax & securitas, tunc repentinus superveniet interitus.* I Thess. v. 3.

MEDITATIO DEVOTA SUPER SECUNDO PSALMO POENITENTIALI,

Beati quorum. Ps. XXXI.

DOMINE Jesu Christe, qui culpâ offenderis & pœnitentiâ placaris. Tu Magister optime, qui interiùs docens illuminator es cordium; da mihi intellectum, dà excæcato cordi meo & tenebroso in- D tellectui meo lumen tuum, quo culpabilem offensam plenè & perfectè valeam cognoscere. Da mihi culpam meam offensamque tuam taliter cognoscendo dolere, ut eam digneris misericorditer ignoscendo delere. Da mihi ergo, ut de illorum sim numero, de quibus per Prophetam tuum dicitur: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ps. XXXI. 1. O me beatum! si à te Domine remissæ sint iniquitates meæ; ita ut mihi dones indulgentiam ex gratia tua, cui debes vindictam ex culpa mea; ut mihi dones indebitam gratiam, cui justè reddere potes debitam pœnam. O igitur me beatum si tecta sint peccata mea! Quomodò tecta? Non ita tanquam in me sint ut vivant, non ita tanquam in me abscondita maneant; sed ita deleta ut tu Deus ea non videas, id est, non æternaliter punias. Te enim peccata videre, quid aliud est quàm peccata punire? sicut scriptum est. *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Ps. L. 11. Tu ergo ea peccata non vides, sed ab eis faciem avertis, quæ non animadvertis, id est, quæ non punis. Tu ea non agnoscis, quibus ignoscis. Tu ea tegis per gratiam, quæ non imputas ad pœnam. Ideo rectè subditur: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Sed cui non imputat? Certè ei non imputat, sed ignoscit, qui peccatum suum agnoscit, & agnitum non defendit; sed confitendo corrigit, nec meritum suum sibi, sed gratiæ Dei attribuit, de quo dicitur: *nec est in spiritu ejus dolus*, sed nec in ore ejus; quia se accusat cum sit peccator, & corde tenet quod ore fatetur: dolus enim est, si quis peccator justum se prædicet; qui verò se accusat, dolo caret. Talis erat Publicanus ille humilis qui dicebat: *Propitius esto Deus mihi peccatori.* Luc. XVIII. 13. unde sequitur: *Quoniam tacui inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Quoniam tacui quod non erat tacendum, scilicet confessionem peccatorum. *Inveteraverunt ossa mea.* id est defecit interior fortitudo mea, *dum clamarem tota die*, dicendo quod non erat dicendum, scilicet jactantiam meritorum. E contra verò si clamassem peccata & tacuissem merita, robusta & firma fuisset virtus mea. Tacui ergo & clamavi, tacui peccata, clamavi merita, tacui unde proficerem, clamavi unde deficerem. Tacui de peccatis confessionem, clamavi de meritis præsumptionem. Sana membra Medico ostendebam, vulnerata tegebam; & ideo non fui sanatus, sed inveteratus, hoc est in peccatorum meorum vetustate remansi; quia per culpæ meæ confessionem, gratiæ tuæ novitatem non quæsivi. Et ideo: *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.* O Domine, ô pie Medice, qui etiam percutiendo sanas; quia manus tua, id est vindicta, assiduè die ac nocte gravata est super me, ad humiliandum me superbum peccata tacentem, merita jactantem: ideo tandem conversus sum in ærumna mea, in miseria mea; hoc est, convertendo ad meipsum cognovi me miserum, dum configitur spina, id est dum compungitur conscientia mea. Sicut enim spina dorsi hominem sursum erigit: sic ratio vel conscientia, spiritum priùs ad terrena curvatum, ad superna resurgentem dirigit. Hac ergo de culpa sua compunctus peccator humiliatus ait: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.* Meritò quidem delictum meum; quia facienda omisi, & injustitiam meam, quia non facienda commisi: igitur confitendo aperui & detexi; aperui ut operires, detexi ut tegeres. Unde sequitur: *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* O magna utilitas confessionis peccati, maxima quoque benignitas miserentis Dei: quia ad solum confitendi propositum remittit peccatum: non enim dixi *confiteor*; sed dixi, *confitebor*, id est proposui confiteri injustitiam meam adversùm me; meipsum & non alium accusando, & statim tu, & non alius, remisisti impietatem peccati mei; & benè mei: quia quod peto, hoc meum est; quia autem à peccato resurgo, hoc tuum est. Absit ergo à me ut imputem peccatum meum tibi, & dicam: hoc Deus voluit, hoc fatum, hoc stellarum constellatio mihi fecit. Non est hoc confiteri injustitiam meam adversùm me; sed adversùm te, & te summè bonum de malitia accusare. Dicam ergo potiùs: *Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi.* Ps. XL. 5. Et ne putetur remissionem peccati parvum Dei esse donum; sed tanquam

quam magnum devotis precibus exposcendum, statim subjungitur: *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.* Omnis enim sanctus, hoc est per peccati remissionem sanctificatus, pro hac remissione orabit ad te; quia omnis sanctus eget auxilio gratiæ & gratuitæ remissionis tuæ. Sed quando orabit? *in tempore opportuno*, hoc est, in tempore vitæ mortalis, in qua est opportunum tempus remissionis; quia A post eam erit tempus retributionis: vel *in tempore opportuno*, hoc est, in tempore gratiæ per Christum revelatæ; de quo ait Apostolus: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.* Gal. IV. 4. Sed licet omnis sanctus in tempore opportunè oret: *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* Non enim eripit oratio sanctorum eos qui per obstinatam consuetudinem absorbentur, *in diluvio aquarum multarum*, hoc est, in multitudine effluentium carnalium deliciarum sicut voluptuosi; vel in multiplicitate variarum doctrinarum, sicut Philosophi; vel in varietate diversorum errorum, sicut hæretici; vel in vanitate frivolarum superstitionum, sicut Astronomi, qui omnia fatali necessitati, aut fortunæ cœlesti attribuunt; vel in numerositate ceremonialium observantiarum, sicut Judæi, qui antiquis observantiis carnaliter intellectis, salutem ascribunt. Hi, inquam, omnes qui sunt in hujusmodi profundo *diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt*: quoniam hæ aquæ diversæ sunt & amaræ, & à fonte veræ & dulcis aquæ, hoc est à Christo, qui fons est puræ veritatis, sunt remotæ. Quid ergo facturus sum, Domine, ut effugiam ab hoc tam periculoso diluvio aquarum multarum & approximem ad te? Certè scio, te docente, quòd *propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate*, Ps. CXLV. 18. ideò invocabo te, non solùm in voce corporis; sed in veritate cordis, hoc est in vera devotione cordis se humiliantis, & nihil de se præsumentis, & nil suæ potentiæ superbè tribuentis, & dicam: *Tu es refugium meum, à tribulatione quæ circumdedit me.* Tu solus & non alius, es mihi refugium à tribulatione hujus seculi, quæ undique circumdedit me. Tu ergo, *exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Ostende mihi viam quâ eripiar à diluvio aquarum multarum & à periculo circumstantium me malorum. Jam verò, Domine, qui non deseris sperantes in te, jam quia in te spero, & in hac spe gaudeo à te consolatus, audio te dicentem: *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris*: Ne aberres à via Dei, & ne quis noceat tibi, *firmabo super te oculos meos*, ut in via dirigam oculos tuos. Sic ergo, dato mihi intellectu, ipsoque à te instructo & in te firmato convertam me, humilis ad superbos & obstinatos, & eruditus ad stolidos & ignaros, & dicam: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Per equum signantur superbi erectâ cervice sua peccata defendentes: per mulum stolidi, quælibet peccatorum onera sine discretione portantes. Hi ergo si non corrigantur, sed velint fieri brutis animalibus similes, *quibus non est intellectus*: tu Domine, *In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Si enim non corrigantur & approximent ad te per pœnitentiam, dignum est ut corrigantur & constringantur à te per pœnam. Ideò equus freno, & mulus camo arceantur, id est majori & minori tribulatione, juxta culpæ exigentiam constringantur. Si verò freno non domentur & camo, restat ut duriori flagello castigentur. Ideò sequitur: *Multa flagella peccatoris*, & in præsenti vita, pariter & futura, *sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Nec immeritò in tua misericordia sperantem, & non in sua humana justitia confidentem *circumdabit*, id est circunquaque vallabit Dei misericordia; ne aliqua ex parte sibi noceat diaboli malitia. Magna ergo, Domine, magna est lætitia, magna exultatio, magna gloria sperantibus in te. Ideò dicitur eis: *Lætamini in Domino & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.* Qui sunt hi justi & recti corde? Hi sunt qui non in se; sed in Domino sperant, nec suæ, sed divinæ voluntati se conformant, sicut Christus docuit dicens: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis.* Matth. XXVI. 39. In capite ostendens quod futurum esse debebat in membris. Hi ergo non in se; sed in Domino lætantur, exultant, gloriantur: lætantur siquidem, tacita suavitate gaudentes; & exultant concitati animi gaudio ferventes; gloriantur fervore charitatis, extra se in Deum transeuntes. O utinam, Domine, utinam sic detur mihi, non in me, sed in te lætari, exultare & gloriari: ut sic humiliter capiti me conformans, veraciter efficiar membrum Christi!

MEDITATIO DEVOTA SUPER TERTIO PSALMO POENITENTIALI:

Domine ne in furore. Ps. XXXVII.

Domine Jesu Christe, cui nunquam sine spe veniæ supplicatur. Cùm plura duobus prioribus Psalmis de timore pœnæ ac dolore culpæ colloquendo prædiximus, & nunc aliqua de spe veniæ, tibi supplicando loqui proposuerim; semper tamen ad priora relabor, & pœnæ timore, ac culpæ dolore perterritus tibi iterum petere impellor: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Ps. XXXVII. 1. Ego siquidem de peccatis pœnitens, peccati conscius & inde graviter afflictus, ego in malis positus, pejora timens & inde lugens, multis modis crucior; sed cruciatus gratè amplector, tanquam minores meis demeritis, mecum piè actum reputans, si per eos liberer à pœnis æternis. Ideoque supplex oro, ut tu Domine arguas & corripias me; non in furore vel in ira, sed in pietate & misericordia: ita ut pœna mea sit, non ab ira ad æternam ultionem; sed à misericordia, ad piam correctionem. Sufficiant tibi, Domine, mala quæ patior in hac præsenti vita, ne in futura infligas pejora: *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Sagittæ tuæ sunt vindictæ tuæ, scilicet dolores corporis & animæ: quia sicut sagittæ intenduntur & deinde infiguntur; ita vindictæ tuæ intensæ fuerunt in Adam propter inobedientiam, & inde nobis infixæ sunt, propter originalem culpam & pœnam multiplicem: ipse enim hujus totius miseriæ fuit origo, nos propago. Sed væ mihi, cui sagittæ tuæ non ad modicum tempus, nec ad unicum vulnus infixæ sunt; sed diu & usque in finem seculi manent, & multis modis in corpore & anima vulnerant: & sic in sagittis meis *confirmasti super me manum tuam.* id est vindictam tuam, quam proh dolor! eo usque confirmasti super me, ut possim dicere: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ.* Porrò enim mortale corpus tot miseriis subditum, quod etiam cum sanum dicitur, non verè sanum fit; quod leviter læditur, & sæpiùs graviter infirmatur. Est autem hæc multiplex miseria carnis, nec à *facie iræ tuæ*, id est ab instantia vindictæ in Adam inchoatæ originaliter. Quid plura? *non est pax ossibus meis*, hoc est in interioribus meis viribus; sed est continua pugna ab infirmitate & rebellione carnis, & hoc *à facie peccatorum meorum*, quia hujus miseriæ meæ causa, non solùm est originalis culpa; sed simul causa sunt, actualia peccata mea. Unde meritò sequitur: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Quia enim iniquitates meæ, caput animæ

meæ, id est rectam rationem supergressæ sunt & elevaverunt caput meum superbum, contra te Deum meum; ideò tu Domine, aggravasti me gravi onere pœnarum, sed hoc, Domine, non tibi, sed mihi imputo: quia, *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Ideò enim iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & gravatæ sunt super me; quia cicatrices meæ, id est plagæ peccatorum meorum priùs per A Baptismum sanatæ putruerunt, cum jam peccato consensi, & corruptæ sunt, dum jam peccatum in actum produxi, & hoc totum *à facie insipientiæ meæ*; quia stultè gratiam baptismalem perdidi, nec ejus viribus sapienter usus fui. Et ideò: *Miser factus sum*, non una solùm, sed multiplici miseria, *afflictus & curvatus sum*, adeò dejectus ad terrena, ut me erigere non valeam ad superna. Et nisi tu, Domine, me erexeris, in hac miseria & curvitate mansurus sum, & hoc, *usque in finem*, id est usque ad mortem, *& tota die contristatus ingrediebar*, hoc est totâ vitâ in hac manens miseria hujus vitæ gradiens ambulabam, non inveniens sabbatum, id est mentis requiem quam optabam. Nec mirum: *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.* Heu me miserum! non immeritò sum contristatus, quoniam non solùm *non est sanitas in carne mea*, non solùm tentatus sum ab infirmitatibus & rebellionibus carnis, sed etiam *lumbi mei*, id est carnalitas & sensualitas mea vexantur *illusionibus* diabolicis, B nec solùm pecco per carnis infirmitatem, sed per diaboli fatigationem. Quid plura? Non solùm lumbi carnis meæ, sed etiam vires animæ meæ replentur illusionibus diabolicis: illusiones enim animæ infinitæ sunt, quæ aliquando vix orare sinunt, & ita non est in toto homine unde plena sit lætitia, plenum cordis Sabbatum, plena requies, donec anima illusionibus exuatur, & corpus sanitate immortalitatis induatur. Propterea clamat Apostolus: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Rom. VII. 24. Et ideò non immeritò *Afflictus sum*, corpore simul & anima; præfatis vexatus miseriis, & inde, *humiliatus sum nimis*; quippe quia priùs superbus eram nimis, & propterea, *rugiebam à gemitu cordis mei.* Gemitus corde & rugitus voce fieri solet; ego verò non voce, sed gemitu rugiebam, id est cum magno desiderio animæ consolationem quærebam, non in verbo oris mei, sed in gemitu cordis prorumpens. Est enim gemitus cordis, & gemitus carnis. Omnis gemitus qui de exterioribus est, carnis est: qui verò, pro Sabbato, id est pro spirituali C requie quam caro non obtinet, cordis est. Et quia hunc gemitum non homo novit, sed Deus, ideo: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus*, sed meritò exauditus, quia pius est, & non pro terrenis, sed pro cœlestibus. Sit ergo, Domine, *desiderium meum ante te*, id est tibi gratum & acceptabile, audi & exaudi desiderium meum cum gemitu meo, accelera, Domine, & exaudi citò: quia *Cor meum conturbatum est*, & pavore ac terrore concussum, & hoc ideò, quia *dereliquit me virtus mea.* scilicet virtus illa quam habui ante peccatum meum: si enim hæc mansisset, nihil terreret. Sed cur hæc dereliquit me? quia etiam reliquit *lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*, quia tu Deus meus, qui es *lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. I. 9. tu D qui es spirituale lumen oculorum meorum intellectualium, non es mecum per gratiam tuam, sed dereliquisti me, propter culpam meam. Sed hactenùs, Domine, tibi confessus sum mala quæ interiùs patior, nunc autem plango ea quibus exteriùs crucior. Nam, *Amici mei & proximi mei adversùm me appropinquaverunt & steterunt.* Hi, qui mihi esse debuerant ad humanum solatium, sunt mihi ad cumulum passionum. *Et qui juxta me erant*, tanquam amici & proximi, *à longè steterunt*, tanquam hostes & adversarii. Et meritò recesserunt à me; quia peccando recessi à te. Meritò perdidi humanam amicitiam; quia perdidi divinam gratiam. Non solùm crucior à persecutione hominum, sed à tentatione dæmonum, nam *vim faciebant qui quærebant animam meam.* Dæmones enim qui animam meam quærunt ad æternam damnationem, vim mihi faciunt per malignam tentationem, & non solùm per seipsos, sed per ministros suos de quibus dicitur: *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.* Hi qui amici & proximi esse debuerant, inquirebant mala mihi, meditando contrà me dolosa; & vana loquuntur, id est, falsa & deceptoria verba. Tales autem dolosi & mendosi, ministerium exercent diaboli, qui pater est mendacii. Ecce ergò quibus malis crucior, & his tamen, quia majora meruisse fateor, ideò injurias & opprobria sine murmuratione patior. Et hoc est quod sequitur: *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Nihil ad opprobria respondebam: *Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*, quia arguentes me non redarguebam, sed redargutiones patienter ferebam. Sed quare hæc omnia tam patienter sustinui mala? *Quoniam in te Domine speravi.* Ideò propter te patienter sustinui mala, quoniam non in me, sed in te speravi bona, & quia per patientiam pœnæ speravi veniam culpæ; ideò, *tu exaudies me Domine Deus meus*, dando liberaliter veniam culpæ, & consequenter gratiam & gloriam. O magna patientiæ virtus, cui datur venia peccatorum, & per veniam gratia meritorum, & per gratiam gloria præmiorum! O salutaris medicina, per quam in lætitiam mutantur tristia & adversa! Adhuc autem, Domine, ideò exaudies me, non de te desperando diffidentem; sed in te sperando confidentem: *Quia dixi ne quando supergaudeant mihi inimici mei.* Quia non ex superba præsumptione, sed ex pia spei devotione dixi: quòd tu Deus meus exaudies me. Et hoc dixi, ne inimici mei detractores mei, supergaudeant mihi, si videant me in te sperantem non proficere, sed deficere. Meritò enim cavent Justi, ne de lapsu eorum exultent iniqui. Ideò sequitur, *& dum commoventur pedes mei*, id est dum affectiones meæ labuntur in peccatum ex humana infirmitate, irrident impii, & *super me magna locuti sunt*, irridendo mihi, & super me magna scandala opprobriaque loquendo, ubi potiùs si essent pii, meæ deberent compati infirmitati, eamque excusando, humanæ miseriæ humanitùs misereri. Sed adhuc etiam, Domine, exaudies me: *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Sciens enim quod filium quem amas, etsi quandoque non suaviter, tamen semper salubriter flagellas. Ideò tua flagella paratus sum patienter suscipere, non contra ea murmurando, sed meipsum accusando; quia, *dolor meus in conspectu meo semper*, id est, dolor de peccato meo semper est in conspectu meo; semper de peccato meo doleo, dum peccatum meum contra me ipsum esse conspicio. Et hoc est quod sequitur: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo*, ipsam coram te contra me accusando, *& cogitabo pro peccato meo.* Ipsum in me cogitatione sollicita corrigendo, & à te tuaque miseratione solita curam medicinalem humiliter postulando. Sed dum medicinam tuam peto, ô pie Medice; ecce quid ad curam meam per te fieri permittitur. Ecce enim quid sequitur: *Inimici autem mei vivunt & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.* O salutaris, sed non suavis medicina! O mirabilis, sed medicinalis cura! per tuam namque permissionem, ad meam fit probationem. Fit, inquam, medicinaliter & salubriter quòd inimici mei prosperè vivunt in hoc mundo, ubi in adversitate laboro, & gemens rugio. Et quod gravius est, *confirmati sunt super me* in persecutione; & quod gravissimum est, *qui oderunt me iniquè*,

iniquè, mala reddentes pro bonis; non pauci, sed *multiplicati sunt*, & quotidie plures fiunt. De quibus subditur: *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.* Ipsi verò è contra sectantur iniquitatem. Sed quia hæc mala essent intolerabilia; nisi te juvante, & pio medicamine tuo confortante, mihi fierent salubria, ad curanda peccata: Ideò, *Ne derelinquas me Domine Deus meus.* Sed ut tu promisisti, quoniam in te speravi, libera me: quoniam cognovi nomen tuum, protege me; quia clamavi ad te, exaudi me, & mecum sis in tribulatione, eripe me & glorifica me. Et si fortè ad tempus me aliquando relinquere videaris, tamen *ne discesseris à me*, penitùs relinquendo me; sed potiùs *intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.* Adjuva me contra hostes in pugna; quia sine te qui es Deus salutis meæ, non potest esse in me salutaris victoria.

MEDITATIO DEVOTA
SUPER
PSALMO QUARTO
POENITENTIALI.

Miserere mei Deus. Ps. L.

Domine Jesu Christe cui est proprium misereri semper & parcere. Ego miser ad te misericordem accedo, & peccatorum catenâ constrictus, tuæ pietatis miseratione absolvi debeo. Ego multarum iniquitatum immunditiâ maculatus ad te fontem munditiæ confugio, & meam immunditiam per tuam misericordiam emundari supplico dicens: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam:* Ps. L. 1. Peto, Domine, magnam misericordiam tuam, quia sentio magnam miseriam meam. Peto magnam medicinam tuam, contra magnam plagam meam. Peto multitudinem miserationis tuæ, contra multitudinem iniquitatis meæ. Ideò sequitur: *Et secundùm multitudinem miserationum tuarum*, ab initio seculi exhibitarum, quæ superant multitudinem quamlibet peccatorum, *dele iniquitatem meam*, ut nullum remaneat in me peccati vestigium. Et hoc est quod subditur: *Ampliùs lava me ab iniquitate mea & à peccato meo munda me.* Peto, Domine, non solùm peccata deleri; sed ampliùs lavari & lavando purè mundari: ut non solùm culpam operis, sed etiam reatum voluptatis abstergas. Sed hoc peto, non propter aliquam justitiam quæ sit in me; sed propter *magnam misericordiam* quæ est in te, & multam miserationem quæ est à te. In te enim est misericordia naturaliter in affectu; & à te miseratio multipliciter in effectu.

Ut ergo misericorditer ignoscas, non justitiæ meæ meritum allegò; sed malitiæ meæ peccatum agnosco. Et hoc est quod dicitur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Non ergò peto, ut propter misericordiam tuam deferas justitiam tuam: scio justum esse, ut peccatum meum puniatur; sed ipsum punio, ut tu non punias; ipsum agnosco, ut tu ignoscas, *& peccatum meum contra me est semper*; quia peccatum meum non pono retrò, meipsum negligendo vel dissimulando, sed potiùs oppono contra meipsum, cognoscendo & accusando: ideò dico: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* Quid est tibi soli peccavi? Nonne peccavi, non solùm tibi, sed proximo? Nonne peccatum feci, non solùm contra te Deum meum, sed etiam contra proximum meum; sicut & David qui hoc dicebat; non solùm in te, sed in Bersabee per adulterium, & in Uriam per homicidium peccaverat? Sed hoc ideò dicitur, quia tu solus es qui das Legis Præceptum per cujus prævaricationem peccatur: *ut justificeris in sermonibus tuis*, hoc est, quia adeò justus & verax es in verbis tuis quæ præcipis, *ut justificeris*, id est, ut justus & verax inveniaris, *& vincas cum judicaris*, id est, superes eos in justitia, qui te ex superbia judicant contra Præcepta tua murmurando, & te in eis quasi rigorosum & injustum accusando. Non sic ego; sed ad te solum, tanquam ad justum Judicem confugio, qui non habes in te quod reprehendatur, sed solus existens qui omnes Judices ita vincis, ut in tui comparatione nullus justus aut verax reputetur, dicente Propheta Ps. CVI. 11. *Omnis homo mendax.* Tu ergò solus Deus verax.

Tu ergò, Domine, qui in tua veritate dixisti: *Quacunque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ezech. XVIII. 12. tu veraciter imple quod promisisti, *ut justificeris in tuis sermonibus* & convincas eos à quibus tanquàm immisericors judicaris. Tu ergò miserere, tu per misericordiam iniquitatem meam dele, tu eam delendo lava & munda me; quoniam de peccatis meis veniam postulans ingemisco, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* O magna miseria! quæ simul mecum orta est ab origine mea; ideo meritò ingemiscens peto ut cures & sanes hanc magnam miseriam meam, per tuam magnam misericordiam. Nec hoc ita dixerim, ut licitas nuptias condemnem, sed quia in omnibus trahitur iniquitas ab Adam: nam hoc opus castum propter bonum prolis, excusatur in conjuge, non habet culpam; sed origo peccati in prole secum trahit debitam pœnam. Ideò autem, Domine, non solùm actualem culpam meam, sed etiam originalem à parentibus traditam tibi humiliter confiteor: quia, *Ecce enim veritatem dilexisti.* Non enim in te refundo culpæ meæ iniquitatem; sed me accusando, fateor veritatem, quam tu, qui veritas es, diligis; ideò eam verè confitentibus peccata dimittis. Propterea, *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Mihi, inquam, confitenti veritatem secreta; tibi certa & nota divinæ sapientiæ, sed incerta & occulta humanæ insipientiæ manifestasti. Quomodò? Dicunt enim homines, sub quadam incertitudine, sicut dicebant Ninivitæ Jon. III. 9. *Quis scit si convertatur & ignoscat Deus?* Non ergò hoc novi sicut nec homines ceteri: non hoc novi per humanam scientiam; sed hoc certitudinaliter revelasti & manifestasti mihi per divinam Scripturam, te dicente per Prophetam: *Quacunque hora ingemuerit peccator; iniquitatem ejus non recordabor.* Ezech. XVIII. 12. In hac ergò promissione tua securus & certè dicere audeo: *Asperges me Domine hyssopo & mundabor.* Novi, Domine, te docente; quòd hyssopus herba est parva quantitate, sed magna virtute, herba humilis, sed medicinalis, cujus radix petræ inhærere dicitur, cujus virtus pulmonem purgat dum inflatur; in qua pœnitentiæ humilitas congruè designatur, quæ sæpè parva putatur in conspectu hominum, sed semper magna est ante conspectum tuum: & dum illi petræ adhæret, de qua dicit Apostolus 1 Cor. X. 14. *Petra autem erat Christus*, dum charitati Christi radix ejus affixa est, adeò medicinalis efficitur virtus ejus, ut per eam pulmonis inflatio, id est, superbiæ præsumptio & omnis quæ ex ea oritur culpæ inquinatio expurgetur. *Asperges* ergò *me* hac humilitate, & mundabor ab iniquitate; *lavabis me*, per humilem pœnitentiam, *& super nivem dealbabor* per salutarem gratiam, per quam peccatorum dealbatio fit, sicut scriptum est Isaiæ I. 18. *Si fuerint peccata vestra sicut vermiculus, velut nix dealbabuntur.*

In hoc ergò secreto sapientiæ tuæ, priùs mihi incerto

to & occulto, quod jam manifestasti mihi: *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.* Et meritò, dum audio promissionem tuam de remissione peccatorum, *auditui* cordis mei *dabis gaudium & lætitiam* de retributione præmiorum, *& exultabunt ossa humiliata*, hoc est, interiores vires meæ, quæ per culpam maculatæ, priùs conturbatæ sunt, nunc per pœnitentiam hyssopo humilitatis mundatæ, lavatæ & dealbatæ meritò exultabunt. Sed licet dederis gaudium, lætitiam & exultationem propter spem veniæ; non tamen deerit mihi salutaris quædam tristitia & spiritualis contristatio, propter timorem pœnæ & dolorem culpæ, ideóque ad te clamare non cessabo: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Quia peccata mea non pono retrò me, sed oppono contra me, nec ea negligendo, aut dissimulando habeo retrò dorsum meum, sed ante faciem meam; propterea non à me, sed à peccatis meis averte faciem tuam, quasi ea non agnoscendo, sed eis ignoscendo: & ita non solùm hoc, vel illud peccatum; sed generaliter, *omnes iniquitates meas dele.* Quibus deletis; *Cor mundum crea in me Deus.* Non peto ut ego homo, cor mundum faciam à me, sed ut tu Deus cor mundum crees in me; quia non est hoc opus hominis creati, sed Dei Creatoris. Et quia ante peccatum innocens fui, & per peccatum à rectitudine declinavi, ideò *& spiritum rectum innova in visceribus meis*, id est renova spiritum meum, faciendo eum rectum, quem à te recedendo feci obliquum. Nec cordis munditiam aut spiritûs rectitudinem peto mihi fieri solùm in mente, sed etiam in carne; & hoc est in visceribus meis, scilicet in lumbis vel renibus, in quibus sedes est voluptatis. Unde ad Beatum Job, de diabolo dicitur, quod virtus ejus est in lumbis & umbilico ventris: in utrisque ergo, anima scilicet & corpore remedium peto curationis. Ideò, *Ne projicias me à facie tua.* A peccatis meis faciem tuam averte; sed à facie tua ne projicias me. A peccatis faciem tuam avertis per remissionem, sed peccatores à facie tua projicis per reprobationem. Remissionem postulo; sed reprobationem pertimesco: propterea supplex oro, *& Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Jam enim quodammodò Spiritum sanctum tuum, hoc est Spiritus sancti donum habere confido; quia peccatum confitendo pœniteo: nam vera peccati confessio non est in homine ex seipso, sed ex Dei dono. Non ergo à me auferas spiritum hunc; sed per eum *Redde mihi lætitiam salutaris tui*, quam peccando amisi: lætitiam, inquam, salutaris tui, scilicet salutaris gratiæ Spiritus sancti, per quam non solùm est culpæ remissio, sed gloriæ retributio. Hanc ergo non solùm non auferas, sed redde & confirma, & sic, *spiritu principali confirma me.* Per hoc autem quod Propheta ter Spiritum nominavit, scilicet Spiritum rectum, & Spiritum sanctum, & Spiritum principalem, dicunt quidam quod in Deo Trinitatem voluerit ostendere. Et Spiritum rectum, Filium dicunt; Spiritum sanctum suo nomine intelligunt; per Spiritum principalem, Patrem accipiunt. Hoc verò & quidquid aliud quod ad Fidei & morum ædificationem dicitur, sine contradictione dici permittitur. Unde etiam non inconvenienter per hanc trinam Spiritus nominationem trifariam, Spiritus sancti gratiam intelligere possumus: ut per Spiritum rectum accipiamus gratiam quæ in septem virtutibus, tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus confertur, quibus anima dirigitur ad operandum rectè. Per Spiritum Sanctum, gratiam quæ in ejus septem Donis tribuitur, quibus anima juvatur ad operandum faciliter & expeditè. Per Spiritum principalem, gratiam quæ in octo Beatitudinibus donatur, quibus elevatur & quodammodò confirmatur ad operandum perfectè. Hac igitur multifaria spirituali gratia rectificari, sanctificari & confirmari meritò desidero. Et si hæc Spiritus tui beneficia recepero, tibi ingratus non ero: sed *Docebo iniquos vias tuas.* Qui prius fueram peccator, fiam prædicator; quia docebo verbo vel exemplo vias tuas quæ sunt misericordia & veritas, & sic, *impii ad te convertentur*, per me salubriter edocti de misericordia tua, quâ mihi per veniam parcitur, & de veritate tua, id est, justitia tua, quâ peccatum meum per pœnitentiam punitur. Sed ut sic iniquos docere & impios convertere valeam, *Libera me de sanguinibus*, id est de peccatis carnis & sanguinis, quæ de eorum

A corruptione procedunt. Libera me, inquam, ô Deus, qui es *Deus salutis meæ*, quæ longè est à carnis & sanguinis corruptione; quia caro & sanguis Regnum Dei non possidebunt, id est peccata quæ ab eis proveniunt. Alioquin nisi ab his priùs me liberaveris, mihi peccatori improperando dices: *Quare tu enarras justitias meas?* Psal. XLIX. 16. Sed si liberatus fuero, securus ero ab hoc improperio, *& exultabit lingua mea*, id est, exultando narrabit, *justitiam tuam.* Et tunc, *Domine labia mea aperies*, priùs per peccata clausa, *& os meum*, non solùm cordis, sed corporis, *annuntiabit laudem tuam*, videlicet quia me creasti, quia me creatum & genitum per Baptismum regenerasti, quia me regeneratum & in peccatis sæpe relapsum non reliquisti; sed pœnitentem ad te revocasti, & revocatum mundasti. Pro quibus beneficiis non vis tibi offerri sacrificia pecudum, sed hostias laudum. *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem*, sicut fiebat in veteri Lege; sed jam in nova Lege gratiæ, *utique holocaustis non delectaberis*: quoniam illa solùm erant umbra &

B figura Legis novæ, ideoque cessaverunt, adveniente veritate; quod in spiritu Prophetiæ sanctus David prævideraț qui hoc dicebat: quid ergo tibi offerendum? certè non sacrificium pecoris sed pectoris, scilicet spiritus contribulati & contriti ac humiliati cordis, quia, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Cor contritum pœnitendo, non obstinatum peccando; & humiliatum confitendo, non elatum me excusando, tu Deus qui cordis secreta conspicis, nunquam despicis, sed utique in eo, tanquam in spirituali sacrificio delectaris. Sed quia hoc acceptabile sacrificium non in Moysi Synagoga, sed in Christi Ecclesia est maximè offerendum; ideò de ea intelligendum est quod sequitur: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion*, hoc est, affectum bonæ voluntatis, id est, misericordiæ tuæ, ostende per effectum piæ benignitatis, id est, miserationis tuæ. Hoc inquam fac, *Sion*, id est militanti Ecclesiæ per Sion spiritualiter intellectæ: ut ex tuis vivis la-

C pidibus, scilicet Christi fidelibus, *ædificentur muri Jerusalem*, non terrenæ, sed cœlestis, id est, Ecclesiæ triumphantis. Orat ergo cor contritum & humile non solùm pro sua, sed pro totius Ecclesiæ salute, ut omnes fideles ejus finaliter ædificentur, & fiant muri in ipsa Jerusalem cœlesti firmiter permansuri. Cùm autem hoc factum fuerit, quod non nunc in præsenti seculo, sed in futuro erit, *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ*, post præsentis seculi consummationem, post finalis Judicii conclusionem: *acceptabis sacrificium*, non quidem imperfectæ *justitiæ*, scilicet pœnitentiæ quæ nunc est contriti & humiliati cordis, sed perfectæ justitiæ in gloria consummatæ, scilicet sacrificium laudis quæ tunc erit cordis, non quidem lugentis & gementis, sed lætantis & exultantis. *Tunc acceptabis, oblationes & holocausta*, non carnales, sed spirituales, id est spiritus & animas Sanctorum tecum in gloria assumptorum, qui erunt holocausta igne divino,

D hoc est charitatis fervore succensa vel accensa. *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Tunc imponent Angeli Sanctos, vel ipsimet Sancti & spiritus Beati offerent tibi seipsos super Altare tuum, scilicet Christum: in quo tanquam principali fundamento superædificat omne Sanctorum meritum, cui redditur æternum præmium, & in cujus passionis virtute superimponitur omne sacrificium tibi acceptabile. Super hoc Altare imponent & offerent vitulos. Non boves antiquos sub jugo peccati mugientes, sed vitulos novellos, scilicet

ao-

novos Sanctorum populos, sub innocentia novæ ætatis ab omni vetustatis servitute liberos, summaque libertate gaudentes. Tu ergo, Domine, da mihi ab hac spirituali Sion, ab hac Ecclesia Militante, in qua tanquam in via peregrinamur, ad illam cœlestem Jerusalem, ad illam Ecclesiam Triumphantem, ad quam tanquam ad patriam perducimur cum Sanctis tuis finaliter pervenire. Da inter muros civitatis hujus firmiter permanere. Da mihi inter cives ejus feliciter te videre, videndo amare, amando gaudere, & ita meipsum acceptum tibi sacrificium & holocaustum offerre.

MEDITATIO DEVOTA
SUPER
QUINTO PSALMO
POENITENTIALI

Domine exaudi Orationem meam. **Ps. CI.**

DOMINE Jesu Christe, qui es verus Rex gloriæ Rectorque sanctæ illius Jerusalem civitatis supernæ; cùm ea quæ de te & gloriosa civitate tua dicta sunt audio, nimirùm ad eam tecum pervenire desidero. Ideò postquam multa in præcedentibus Psalmis dixerim de timore pœnæ, de dolore culpæ, de spe veniæ, de amore spiritualis mundi; restat ut aliquid dicturus sim de desiderio gloriosæ civitatis Jerusalem, id est cœlestis Patriæ. *Non enim habemus hìc* (ut ait Apostolus Hebr. XIII. 14.) *manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, & ad eam festinanter ingredi debemus. Hanc itaque desiderans, ad eamque festinans, suspirando clamare & clamando suspirare compellor dicens: *Domine exaudi Orationem meam & clamor meus ad te veniat.* Ps. CI. 1. Congruit mihi Domine hujus Psalmi titulus: intitulatur namque *Oratio pauperis cum anxiaretur, & in conspectu Domini diffudit precem suam.* Ego namque pauper & inops in via præsentis miseriæ, ut fiam dives in Patria, cœlestis gloriæ, fervent i æstuantique desiderio anxior, & propterea anxius oro, precem meam in conspectu tuo humiliter effundo: ideò exaudi Orationem meam & clamorem meum. Jam enim propter animi magnam anxietatem Oratio crevit in clamorem, orans enim clamo. *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est.* Ps. CXIX. 5. Heu me, quia nimis afflictus sum in via & nimis elongatus à Patria. Et ideò: *Non avertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam.* Et insuper: *In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.* Quia, Domine, coram te oro, quia ad te clamo; ideò da mihi faciem tuam, da mihi aurem tuam, da faciem non iratam, sed placatam per clementiam, da aurem non indignatam contra me, sed ad me inclinatam per misericordiam. Dabis utique, Domine, & omninò libenter ac liberaliter dabis, nisi obstet mihi nubes peccatorum, quæ obsistit orationibus iniquorum. Unde per Jeremiam dicitur: *Opposui nubem ne transeat Oratio.* Thren. III. 44. Tu ergo rumpe nubem, effunde contra eam lumen vultus tui, & ita non avertas faciem tuam, nec declines aurem tuam à me, vel ab orationibus & meis clamoribus; sed à peccatis & iniquitatibus meis: & quia vehementer clamo & invoco te, ideò *velociter exaudi me*, quia jam non terrena, quasi terrenus, sed cœlestia, quasi cœlestis desidero. Cui desiderio promptus, adhuc te loquente dicam: ecce adsum. Nec immeritò tam instanter peto velociter exaudiri: *Quia defecerunt sicut fumus dies mei*; quia sicut fumus vento citò dispergitur, ita dies vitæ meæ velociter deficiunt & velut umbra fugiunt, *& ossa mea sicut cremium aruerunt.* Non solùm vires corporis deficiunt; sed etiam vires animæ meæ, quæ dicuntur ossa mea, quia in eis principaliter consistit interior fortitudo mea, sicut cremium arescentes contractæ sunt, vel sicut frixa in frixorio confrixæ sunt. Fortitudo quippe animi ex recordatione peccati, & timore judicii quasi frixa contrahitur: jam enim frigitur homo dum se timet arsurum in inferno.

Ecce ergo, Domine, ecce paupertatem meam pro qua anxior, ecce tribulationem quam patior, ecce qualiter percussus sum. *Percussus sum ut fœnum*, quia *omnis caro fœnum.* Isai. XL. 6. Et sicut fœnum viret, sed percussum facilè sentit ruinam; sic caro in juventute viret, senectute vel infirmitate percussa & morte succisa arescens deficit. Nec solùm percussus sum in carne, sed in corde, *& aruit cor meum*, sterilitate peccati. Sed unde hoc mihi? *quia oblitus sum comedere panem meum*, id est custodire Dei Præceptum, quòd est spirituale nutrimentum meum, de quo dicitur: *Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Matth. IV. 4. Heu me miserum! quia hunc panem verum qui de cœlo & ex ore tuo descendit, comedere oblitus sum. Quare oblitus? quia nimis ad terrena intentus, neglexi cœlestia. Et ideò: *A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.* Quia enim cœlestia oblitus & terrenorum memor, non pro spiritualibus, sed pro temporalibus gemebam, terrena nimium desiderans, non solùm corde gemebam, sed etiam voce: propterea à voce gemitus mei inordinati, *adhæsit os meum carni meæ*, id est, vox gemitus oris mei *adhæsit* carnali meæ affectioni, vel os principale inter ossa mea, id est, principalis fortitudo virium animæ meæ, adhæsit carni meæ, hoc est, ratio sensualitati consensit. Jam verò de me aliter, te propitiante fieri cupio. Jam enim non pro terrenis, sed pro æternis gemere concupisco, ut dicere valeam cum Propheta David: *Renuit consolari anima mea* in terrenis, *memor fui Dei & delectatus sum* Ps. LXXVI. 4. in æternis: utinam non oblitus, sed memor tui, utinam non oblitus sed memor æternorum bonorum tuorum, cum eodem Propheta dicam. *Annos æternos in mente habui*, ibid. 6. sed quomodò possunt hæc fieri? Fient utique, te juvante; sed propter tui tuorumque æternorum bonorum contemplationem, hujus seculi seculariumque & seculariter viventium hominum conversationem fugiam, ut eligam abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum, ut similis fiam sancto tuo David qui ait: *Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Et iterum: *Vigilavi & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* O magnum brevibus in verbis mysterium! Tres aves & tria loca hìc distinguuntur! Tres aves, pellicanus, nycticorax & passer. Tria loca solitudo, domicilium & tectum. Et dicitur pellicanus in solitudine, nycticorax in domicilio, & passer in tecto. Pellicano enim avi solivagæ & quæ in solitudine habitat, comparantur eremicolæ. Nycticoraci verò, quæ habitat in domicilio, assimilantur illi qui à publico populorum loco remoti, non in eremo vagi, sed in uno loco uniti vivunt, dicentes: *Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum.* Ps. CXXXII. 1. Passer autem solitarius & unicus in tecto, ille est qui hominum societate non egens, sed soli Deo vivens, & ad alta virtutum tecta fugiens, ubi à laqueis vitiorum tutus est, dicit: *Unam petii à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Ps. XXVI. 4. Nec solùm in domo, sed in altiori loco domûs scilicet in tecto, immò in ipso Domino meo. Ipse est ergo qui habitat in adjutorio Altissimi, & in protectione Dei cœli commorabitur. Ipse est qui non solùm pro se, sed pro aliis vigilat & pro omnibus vigilans orat, ut à mundi, carnis & diaboli laqueis, adjuvante protegenteque Deo liberentur. O utinam his avibus similis fiam, & ut tecum sim, separatus à seculi sollicitudine maneam, ne in

in tabernaculis peccatorum manens, cum perversis perversus efficiar; nam, *Tota die exprobabant mihi inimici mei*: perversi enim qui sunt inimici mei, & ideò inimici, quia perversi, continuè exprobabant mihi, famæ meæ detrahendo, *& qui laudabant me*, non corde, sed ore mihi publicè adulando, *adversùm me jurabant*, falsè & proditoriè conspirando. Sed quare hoc? *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* Per cinerem & fletum designatur status pœnitentium quos per- A versi sæpe irrident, cum eos ante laudarent, dum cum eis seculo fruerentur & perversè viverent. Cinerem autem tanquam panem manducare, nil aliud est, quàm peccatorum reliquias pœnitendo consumere: potum verò cum fletu miscere, est temporalem jocunditatem cum lachrymis spiritualis præsentiæ jungere. Vel potus iste intelligi potest desiderium cœlestis Patriæ, qui fletu miscetur, dum pœnitens pro illius dilatione non sine lachrymarum effusione tristatur. Sed unde mihi est fletus iste? Certè: *A facie iræ indignationis tuæ*: id est, ab instantia vindictæ tuæ in Adam inchoatæ; cum qua non ego solus, sed omnes qui naturam trahimus de propagine iniquitatis & de massa peccati nati sumus: propter quod dicit nos Apostolus naturâ filios iræ. *Ephes.* II. 3. Ex hujus ergo iræ indignatione procedit quòd, *elevans allisisti me.* Tu qui me altiùs elevasti, creando ad imaginem tuam, in quo me B omnia animalia superare fecisti, tu me graviùs allisisti, permittendo cadere in gravem actualis peccati culpam, quæ me trahit ad gravissimam æterni ignis miseriam, quam solus homo & nullum aliud animal timet; quia ipse solus super omnia elevatus animalia, beatæ vitæ æternæque gloriæ particeps est. Heu mihi, Domine, quod *allisisti me*, quia, *Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.* Heu mihi, quia dies vitæ meæ sicut umbra obscuri & vani, quasi inutiles transeunt, & declinando deficiunt. Et meritò, quia à te vero die declinavi, similes mihi facti sunt declinantes dies mei. *Et ego sicut fœnum arui*, sterilitate culpæ, propter defectum roris gratiæ. Sed quia ego allisus cecidi, jam de te confisus, per te cupio sublevari. Jam terrenus ego & temporalis, ac temporaliter declinando pertransiens ad te confugio, qui æternus es ac immutabilis, & immutabiliter durando permanes. Quia ergo, *Tu autem Domine in æternum permanes*, ideò tu æternus, me temporalem & velut umbra transeuntem, ad tuam æternitatem elevando salves & liberes, *& memoriale tuum in generatione & generationem.* C Quia memoria tua, quâ nostri memor es in misericordia tua, est omni tempore permansura, nec unquam deficiet illa promissio tua, *cum iratus fueris misericordiæ recordaberis.* Habac. III. 2. Et ideò: *Tu exurgens misereberis Sion.* Sion enim speculatio interpretatur, per quam militans Ecclesia vel fidelis anima intelligitur, quæ nunc Deum per speculum & in ænigmate speculari nititur. Ad hanc ergo te quærentem & ad te consurgere cupientem, tu exurgis; & quasi ei clementer occurrens, misereberis ejus, te sibi misericordem, adjutorem & sublevatorem exhibens. Misereberis, inquam, *quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* De quo dicit Apostolus: *Cùm venit plenitudo temporis.* Gal. IV. 4. *Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies salutis.* 2 Cor. VI. 2. Et verè misereberis Sion. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus.* Lapides Sion sunt fideles militantis Ecclesiæ firmi & stabiles in D Christiana Fide, & nihilominùs Spe solidi & persistentes in Charitate. Hi nimirùm placuerunt servis tuis, hoc est Sanctis Ecclesiæ Triumphantis, qui tibi in tua civitate cœlestis Jerusalem cum summa libertate serviunt; quia illa quæ sursum est Jerusalem Mater nostra, hoc est Triumphans Ecclesia Mater Militantis Ecclesiæ, Apostolo teste, *omninò libera est*, Gal. IV. 26. quia ibi Deo servire, regnare est. Hi ergo sancti tibi in Regno tuo servientes, & ideò liberi tecum regnantes, *terræ ejus miserebuntur.* Et meritò miserebuntur terræ Sion, id est, terrenæ miseriæ Militantis Ecclesiæ; nec solùm ei misericordes erunt, sed etiam ut tu miserearis orabunt. Cur ita? Quia eandem miseriam aliquando passi & experti sunt. Sed quid inde sequitur. *Et timebunt gentes*, quæ priùs timere nescierunt, *nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.* Quia videbunt majorem esse gloriæ tuæ, quàm superbiæ suæ potentiam, & hoc ideò: *quia ædificavit Dominus Sion*, id est, Ecclesiam suam ædificando magnificavit. Et ipsa quæ priùs coram Regibus & gentibus visa fuit in contumelia, *videbitur in gloria sua*: id est, quæ priùs ab eis superbis contumeliosè persequebatur, posteà ab humilibus his gloriosè honorabitur. Hæc, quæ olim futura esse prædixerat Propheta, quotidie Ecclesia impleri videt. Sed quare hæc omnia? Quia, *Respexit in Orationem humilium*, scilicet Christi fidelium, qui in ejus Fide humiliter orabant ut hæc suæ Ecclesiæ feliciter evenirent. Et ideò, *non sprevit precem eorum*, quia non singulariter pro se orabunt; sed generaliter pro salute omnium fidelium, quæ utique est Oratio perfectorum. Quia verò non decet ut tot tantaque beneficia à Deo Ecclesiæ collata, ab homine quasi ingrato sileantur; ideò, *Scribantur hæc in generatione altera*, ut Scripturæ commendata firmiter teneantur, non solùm in antiqua Lege Mosaïca, sed in generatione altera, scilicet nova generatione Christiana, *& populus qui creabitur*, id est Christianus populus quasi nova generatione in Christo regeneratus, *laudabit Dominum.* Et meritò laudabit. *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit.* Sed ad quid de excelso sancto cœlo prospexit & in ima terræ aspexit? Certè. *Ut audiret gemitus compeditorum*, hoc est, ut audiret & exaudiret gemitus humilium & pœnitentium, timore Dei & disciplina, quasi quibusdam compedibus ligatorum, de quibus Sapiens dicit: *Audi fili mi, & ne abjicias consilium meum, & injice pedem tuum in compedes ejus, & erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis.* Eccli. VI. 25. 30. Et, *ut solveret*, à nobis & vinculis peccatorum, *filios interemptorum*, scilicet fideles Christianos, spirituales filios Apostolorum & Martyrum, crudeli interemptione à gentibus & Regibus mortificatorum; ut his vinculis solutis, fidelium Ecclesia dicere possit: *Dirupisti vincula mea tibi sacrificabo hostiam laudis.* Ps. CXV. 17. Ad hoc ergo de cœlo prospexit & in terram aspexit, ut humilium Christianorum gemitus audiret & vincula solveret. Sed ad quid? *Ut annuncient in Sion*, hoc est, in Ecclesia militante, *nomen Domini*, & Fidem Christi à quo nominantur Christiani, *& laudem ejus in Jerusalem*, id est laudando & glorificando opera ejus quæ sunt in cœlesti Jerusalem, scilicet Ecclesia Triumphante, de qua dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei*, Ps. LXXXVI. 3. & hæc ita annuncient, ut annunciando proficiant. In quo? *In conveniendo populos in unum & reges ut serviant Domino.* Hoc est ut populos diversarum gentium, & Reges dispersorum populorum convenire faciat in unitatem Fidei Christi & morum fidelium; non ut serviant mundo, carni vel diabolo, sed ut serviant Domino Deo suo, de quo dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* Matth. IV. 10. Sed quid sequitur? *Respondit ei in via virtutis suæ.* Quis est qui respondit ei, quis hìc respondendo loquitur Domino? In superioribus versibus exprimitur, cui congruat responsio. Suprà enim commemorantur compediti & interempti Reges & populi Sion Jerusalem. Quod autem singulariter dicitur, *respondit ei*, non ad eos videtur posse referri qui pluraliter nominantur. Sed sciendum est quod hìc respondit unitas pro pluribus, id est tota Ecclesia quæ in Christo una est, pro cunctis fidelibus. Ipsa quæ unum est corpus, pro omnibus membris ejus respondit Domino.

Respon-

Respondit, inquam, gratias ei agendo, quòd eam prospicere, eam audire, eam à vinculis solvere, eam ad sui laudem nominis excitare, eam denique ex variis populis ad unius Dei servitutem congregare dignatus est. Respondit ergo ei, non voce, sed corde; non linguâ sed vitâ; non in via infirmitatis suæ, sed virtutis suæ, scilicet in Fidei firmitate, quæ Fides via est Patriam, & est virtus hujus viæ quæ in Patria non manebit, sed ejus obscuritatem evacuabit claritas gloriæ. Respon- A dit ergo Ecclesia Domino. Et quid dixit? *Paucitatem*, inquit, *dierum meorum nuncia mihi*, Respondendo ergò orat, quasi dicat: O Deus meus, nuncia mihi paucitatem & brevitatem dierum meorum, hoc est, quia dixisti quòd Ecclesia manebit, & tu cum ea eris usque ad consummationem seculi: fac me cognoscere & diligenter attendere, quam breve & exiguum est hoc tempus durationis meæ in comparatione æternitatis tuæ. Oro ergò, ut adveniat Regnum tuum, cupio hujus seculi finem, ut citò veniam ad Regni tui beatitudinem. Desidero dierum meorum brevitatem, ut citò transeam ad dierum tuorum æternitatem. Et ideò. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum.* Hoc est, ne finas me revocari à desiderio æternorum, ut hæream curæ temporalium *in dimidio dierum meorum*, scilicet dierum præsentium, qui medii sunt præteritorum & futurorum, qui omnes sunt dimidii & imperfecti, nisi addantur æterni. Et meritò B peto non revocari ad terrena, qui tendo ad æterna, quæ ideò sunt avidiùs appetenda; quia, *in generatione & generationem Anni tui*, sine fine & principio duraturi: ergo non sunt Anni tui sicut dies mei, quia Anni tui æterni, & dies mei exigui: Anni tui non transeunt sicut dies mei, sed semper manent; quia sunt æternitas tua, quæ nihil aliud est quàm substantia tua, nihil habens mutabile, nil præteritum, nil futurum. Et quia æternitate præcedis omnia quæ fecisti, ideò sequitur: *Initio tu Domine terram fundasti*, initio scilicet temporis, tu qui es sine tempore, sine initio, sine fine immutabiliter manens in æternitate, *& opera manuum tuarum sunt cœli.* Nec tamen falsum est quod alibi dicitur: Pf. XXXII. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt.* Nam quod verbo facis, hoc etiam manu, id est, virtute tua operaris: non est enim Deus destinctus corporeis membris, verbum autem Dei manus ejus. *Ipsi peribunt, tu autem permanes.* Tu enim semper stabilis dans cuncta moveri immutabili- C ter, *permanens*, id est, in tua æternitate perseveranter manes. Sed ipsi cœli qui in tempore verbo tuo firmati sunt, non sicut tu firmi erunt; sed jubente verbo tuo peribunt. Unde Petrus ait 2 Petr. III. 7. *Terra autem & cœli qui nunc sunt eodem verbo repositi, sunt igni reservandi.* De cœlis ergò terræ proximis, scilicet de regionibus aëris, constat quòd quantùm ad eorum qualitatem peribunt; sed de superioribus cœlis cœlorum non est certum: si tamen manserint, non in se, sed in Deo manebunt: quia solo Dei verbo perire possunt, *& omnes*, scilicet tam cœli quàm ceteræ res mutabiles etiam Angeli, *sicut vestimentum veterascent*, hoc est, quantùm in se est nisi eos servares verbo tuo, sicut vestis quæ vetustate consumitur deficerent. Unde sequitur: *Et sicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* Cælos qui corporalia & cuncta mutabilia operiunt verbo tuo moves, & sicut eos mutas localiter, ita solo verbi tui arbitrio, si volueris, totaliter mutabuntur & in nihilum redigen- D tur, *Tu autem idem ipse es.* Tu qui dixisti: *Ego sum qui sum*, *idem ipse es*, & licet omnia sint ex te & per te, & in te; non tamen sunt quod ipse es, qui es mutans, non mutatus; faciens, non factus; movens, sed immutabiliter manens, *&*, ideò, *Anni tui non deficient*, in generationem & generationem erunt & indesinenter manebunt: quia Anni tui æternitas tua sunt. Dum ergò, Domine, tuam immutabilitatem, dum tuam æternitatem & creaturarum omnium mutabilem, varietatem, vanamque vanitatem considero, nimirum ad te venire & tecum habitare desidero, nec à desiderio meo fraudari, aut spe mea frustrari, aut habitatione tua privari tristis diffido. Quare? Quia lætus audio quod sequitur: *Filii servorum tuorum habitabunt.* Jam mihi enim læta confidentia oritur, quia *filii servorum*, id est, sanctorum tuorum *tecum habitabunt*, scilicet boni Christiani, de quorum numero esse pio, qui filii sanctorum sunt non per carnalem propagationem, sed per spiritualem participationem, sicut è contra mali, filii sunt spirituum malignorum, sicut scriptum est: *Vos ex patre diabolo estis*, Joan. VIII. 44. non per generationem, sed per imitationem: vel filii sunt opera bona, sine quibus nullus habitabit in gloria. Qui ergò ibi vult habitare, non sit à bonis operibus sterilis, sed præmittat fœtus bonorum operum quos sequatur, ut intret in terram viventium. Sicut Joseph antecessit Patrem suum Jacob in Ægyptum, dicens ei & fratribus suis: *Ego præveni parare vobis escas*, Gen. XLV. 5. ita præcedant filii tui, id est opera tua, tibi parare escam refectionis æternæ. Quales filios præmiseris tales sequeris, & *semen eorum*, scilicet bonorum Christianorum vel meritoriorum operum, de quibus scribitur Pf. CXXV. 5. *Qui seminant in lachrymis*, scilicet hic in via, *cum exultatione metent in cœlesti patria.* Hoc inquam semen, de quo fructus gloriæ metitur, *in seculum dirigetur*, hoc est, in cœlum directum & erectum, in æternum ibi, tanquam in horreo servabitur. Da ergo mihi, Domine, da, & fac me ita hoc semen benè operando seminare, ut inde fructum gloriæ possim moriendo suscipere. Da & fac hoc semen ita in me per te fructificare, & ad te dirigere, ut in tua æternitate sine fine habitando valeam permanere.

MEDITATIO DEVOTA SUPER SEXTO PSALMO POENITENTIALI.

De profundis clamavi. Pf. CXXIX.

DOMINE Jesu Christe, fons & origo totius pietatis & gratiæ, dum ego sicut cervus ad fontes aquarum ad te venire desidero, tantò imperfectum meum ampliùs recognoscens, de me meaque propria virtute diffido. Ideò per auxilium misericordiæ tuæ refugium miseriæ meæ quærens, ad te clamando fugio dicens: *De profundis clamavi ad te Domine.* Pf. CXXIX. 1. Non solùm de exterioribus labiis oris, sed de profundis & intimis cordis lachrymis clamavi ad te. Quid clamavi? *Domine exaudi vocem meam.* Deinde aliis verbis idem repeto. *Fiant aures*, id est, auditus clementiæ *tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Nec frustra, sæpè & iterum atque iterum variis verbis eandem orationis devotionem explico; quia ad exprimendum mentis meæ affectum non sufficit organum meæ vocis, nec desiderium cordis satis potest depromere lingua carnis. Nec immeritò ad te clamabo *de profundis* cordis & vocis, qui me esse sentio non in uno solùm profundo, sed in pluribus profundis fluctibus, tam interioris quàm exterioris miseriæ, quamdiu sum in via hujus miserabilis vitæ. Nam qui sic de profundis clamat, de profundis surgit, nec ipse clamor eum diu in profundis esse sinit; quia vox hujus clamoris omne profundum penetrat, & ad Dei aures usque pervenit. E contra verò quidam valdè in profundo malorum sunt, qui nec ad te

te clamant, cùm se viderint quotidianis peccatis & iniquitatibus obrutos & oppressos; sed potiùs illos irrident qui eos ad te clamare monent, hoc est, profundum malorum, de quo Scriptura dicit: *Peccator dum venerit in profundum, contemnit*, Prov. VIII. 3. absit hoc à me Domine, sed ad te clamo de profundis cordis, omniumque interiorum virium, ut me clementer eripias de profundis iniquitatum, quia: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine qui sustinebit.* O magnum A profundum, ô abyssus multa profunda valdè nimisque periculosa! Ecce enim undique omnibus circumspectis nullum bonum, sed ubique malum videns, catervas scelerum meorum cernens, nimirum pavescens exclamo; O Domine, *si iniquitates observaveris*, id est ad vindictam æternam servaveris *Domine, quis sustinebit* te Judicem? Non tantùm ego solus non sustinebo, sed nec quis alius, quia nullus alius est, nisi seductus & veritate vacuus, qui se non cognoscat peccatorem. *Nam si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* I Joan. I. 8. Non ergo præsumam de mea justitia, sed de tua misericordia. *Quia apud te propitiatio est.* Si enim iniquitates sic observares ut earum Judex solus esse velles, & esse nolles misericors, utique nulla mihi esset spes, nulla consolatio. Sed ideò non despero, quia *apud te propitiatio est: & propter legem tuam*, Legem amoris & gratiæ, in qua das reis veniam, B *sustinuit te Domine*, patienter sperans, & sperando expectans tuam misericordiam. Et hoc, Domine, quia omnia nosti, non solùm tibi confiteor, sed etiam aliis, ut omnibus notum sit, manifestè dicens. *Sustinuit anima mea in verbo ejus.* Cujus ejus? In verbo ejus cujus verbum non fallit nec fallitur. Non in verbo hominis qui mendax est; sed in verbo Dei, qui verax est. Unde subditur, *speravit anima mea in Domino*, non in homine, sed in Deo speravit, qui verbo suo infallibili per peccatorum veniam Regni cœlorum gloriam repromisit. Speravit, inquam, *A custodia matutina usque ad noctem*: ideò dicit, à custodia seu vigilia matutina, quæ est principium diei, sperandum usque ad noctem; quia in Domino sperare debet anima à principio vitæ usque ad mortem. Nam *qui usque ad mortem perseveraverit, salvus erit.* Matth. X. 22. Sic ergo *speret Israël in Domino.* Non solùm speret unus solus, sed totus fidelis populus; quoniam non uni soli, sed multis dictum est. *Sperate in Domino omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra.* C Pſ. LXI. 9. Et meritò speret Israël scilicet omnis Ecclesia & congregatio fidelium in Domino. *Quia apud Dominum misericordia*, non magna solùm, sed maxima, nam, *copiosa* est *apud eum redemptio.* Sed quomodò verum est quod copiosa fuit redemptio tempore David, cùm nondum tempus redemptionis advenisset! Sanè semper copiosa fuit redemptio, sed ut ipse David propheticè innuit, hæc fuit *apud Deum*, hoc est, apud divinum secretum semper proposita semperque provisa, ac æterna prædestinatione disposita, sed non semper copiosè ac plenè apud homines exhibita; quia non tempore Legis naturæ, aut Legis Mosaicæ, sed tempore Legis gratiæ, de quo scriptum est: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.* Gal. IV. 4. Unde tandem impletum est, quod olim David prædixerat: *Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.* Nunc ergo, Domine, misericordiæ maximè opportunum tempus est, ut de D profundis fluctibus miseriarum ad te fontem misericordiarum clamando consurgam, & de me meaque propria virtute diffidens, de te tuaque gratia & pietate sperando confidam, & ad tuam clementissimam propitiationem confugiam. Dignum quoque & justum est, ut tibi, ô piissime Christe, gratias agam, apud quem est copiosa redemptio: ideò copiosa specialiter esse dicitur, quia tua in cruce Passio, tuique pretiosi sanguinis oblatio, non solùm pro unius aut paucorum hominum salute, sed pro totius Israël, pro totius Ecclesiæ, pro totius mundi, pluriumque, si forent, mundorum redemptione copiosè sufficere perhibetur. Per hujus ergo Passionis virtutem, per hujus sanguinis effusionem te deprecor, ut à peccatis meis & à pœnis quas pro his mereor me redimas, redemptumque ab eis eripias, & ereptum à malis meis, tecum in bonis tuis habitare concedas.

MEDITATIO DEVOTA
SUPER
SEPTIMO PSALMO
POENITENTIALI.

Domine exaudi. Pſ. CXLII.

DOMINE Jesu Christe, qui sperantes in te non deseris, clamantes ad te non despicis, qui quærentes te, non fugis, te desiderantes non respuis; sed de se diffidentes, in te autem confidentes consolaris. Tibi humiliter supplico ut mihi, qui in præcedenti Psalmo confessus sum diffidentiam virtutis propriæ, tua potenti virtute largiri digneris sobriam exultationem spiritalis lætitiæ, ad quam impetrandam suspirans dico: *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam.* Pſ. CXLII. I. Quod sæpè dixi, iterum repeto, ut orationis repetitio sit devotionis confirmatio. Nec me tædet sæpè iterare verba orationis, qui sæpiùs iteravi opera iniquitatis, nec peto exaudiri in mea justitia, sed *in veritate tua exaudi me, in tua justitia*, hoc est, tu qui verax es, & in veritate tua pœnitentibus veniam promisisti, exaudi me pœnitentem non in mea, sed in tua justitia, scilicet in misericordia tua quæ pœnitentes justificat. Peto enim justitiam misericordiæ quam exerces in præsenti seculo, non judicium illius justitiæ quam facturus es in futuro. Ideò sequitur: *Et non intres in judicium cum servo tuo.* Ego enim non sum dignus vocari amicus vel filius tuus, sed tamen servus tuus sum, qui misericordiâ indigeo ad te fugitivus redeo, pacem quæro. Non ergo in futuro intres mecum in districtum judicium, quia ego volo intrare tecum. Intrant in judicium cum Domino qui justitiam suam jactantes de ea præsumunt; quibus per Prophetam dicit Dominus: *Quid vultis mecum in judicio contendere? Omnes dereliquistis me.* Jerem. II. 29. Non sic ego, sed justitiam meam coram me esse nullam reputo, *quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quia & si apud se quis suo judicio justificetur, tamen omnis homo in hoc mortali corpore vivens non justificabitur in conspectu tuo, quia interiora & occulta hominis vides, in quibus nemo benè plenè justus aut mundus est tuo judicio, quantumlibet sanctus hominibus videatur. Ideo Paulus ait: I Cor. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Vel intelligi potest, *non justificabitur in conspectu tuo*, id est, tui comparatione non solùm omnis homo, sed nec omnis vivens etiam Angelus, quia solus Deus est in quem peccatum cadere non potest, *in cujus conspectu etiam astra non sunt munda.* Job. XXVI. 6. Non ergo intres mecum in judicium rigorosè, sed mecum piè ac misericorditer age. *Quia persecutus est inimicus*, id est, diabolus vel quisque alius adversarius, *animam meam*, & *humiliavit in terra vitam meam.* hoc est, quantùm in se fuit eam ut cœlestia relinqueret & terrena saperet inclinavit. Et iterum: *Collocavit me in obscuris*, id est, in peccatorum tenebris, *sicut mortuos seculi*, id est, sicut ceteros peccatores non spiritua-

tualiter viventes, sed seculariter in peccatis morientes. Ideò, *anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.* Sed ecce postquam tristia præcesserunt, læta sequuntur: postquam anxiatus fui & turbatus per multiplicem inimici tentationem, lætus factus sum per spiritualem Dei consolationem. Quia, *Memor fui dierum antiquorum*, scilicet dierum æternorum, hoc est, tuæ æternitatis divinæ, cujus memoria maxima causa est spiritualis delectationis & lætitiæ. A Unde scriptum est Ps. LXXVI. 4. *Memor fui Dei & delectatus sum*, nec solùm in diebus æternis seu rebus invisibilibus, sed etiam in creaturis temporalibus te æternum & invisibilem Deum contemplatus sum. Nam, *meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.* Quæsivi in operibus artificem, in creaturis creatorem, in rebus factis te earum mirabilem conditiorem. Creatura tua facta est mihi speculum, ut in ea te cognoscerem Deum meum; quia ut ait Apostolus Rom. I. 20. *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus & divinitas.* Et ideò, *Expandi manus meas ad te.* Quia in operibus tuis cognovi, quòd omnia bona sunt, & non à se, sed à te, tuæque bonitatis parcipatione bona existunt: ideo tibi gratias agens, *expandi* in oratione *manus meas ad te* tanquam ad bonorum omnium largitorem, & *anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Non solùm ad te expandi manus corporis mei; sed & omnes vires animi: & meritò, quia, *anima mea*, à te derelicta est, *sicut terra sine aqua.* Ideo debet se ad te expandere, & non sibiipsi, sed tibi adhærere, quia non seipsam, sed tu solus eam potes rore gratiæ irrigare: sicut autem terra sine aqua sterilis est, sic anima sine gratiæ tuæ pluvia fructum ferre non potest. Tu ergo, *Velociter exaudi me Domine*, citò dando pluviam gratiæ; quia sitivit in te anima mea, ideò si aquam dare longiùs differas, *deficiet spiritus meus*, à te tanquam sterilis derelictus. Et propter hoc, *Non avertas faciem tuam à me*, spiritum meum derelinquendo, & ab eo auferendo, vel ei differendo gratiæ tuæ donum: alioquin, *similis ero descendentibus in lacum*, hoc est, in profundum peccatorum. Sed potiùs: *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam.* Fac, inquam, mihi misericordiam tuam auditam, scilicet à Prophetis manifestatam in Scripturis. Fac me interiùs sentire quod exteriùs facis audire, & hoc fac mane; id est, citò & non tardè, *quia in te speravi.* Et ideo speravi, quia audivi: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Ps. CXLIV. 18. Et ut citò facias mihi misericordiam tuam: *Notam fac mihi viam in qua ambulem*, ut sit lucerna pedibus meis verbum tuum, ad rectè ambulandum in via Mandatorum tuorum; *quia ad te*, à quo tanquam à *patre luminum descendit omne bonum* Jac. I. 17. & qui *illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum* Joan. I. 9. ad te inquam & non contra te, *levavi animam meam.* Et ideo *Eripe me ab inimicis meis Domine ad te confugi.* Non à te fugi contemnendo & postponendo lucem tuam; sed ad te confugi quærendo & postulando eam, ideò, *Eripe me de inimicis meis, Domine*, scilicet à diabolo & ministris suis, qui tentant me ut ambulem in tenebris. Et ut ab eis eripias me, *doce me facere voluntatem tuam*, quia si non doces me, faciam voluntatem meam, non tuam, & sic deseris me Deus meus, dum ego te desero: ergo doce me, *quia Deus meus es tu.* Ad alium currerem si alium creatorem haberem: sed quia tu solus es Deus meus, ideò doce me ut magister meus, quod utique facies, quia *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ecce quia supra in memoria æternorum & in contemplatione tua & tuorum operum delectatus sum, ne magnitudo contemplationis extolleret me, ne superba fieret lætitia mea, lætis miscui tristia; sed jam post tristitiam convertor ad gaudium. Jam enim plenè spero quòd spiritus meus malus non perducet me in terram perversam infernalium pœnarum; quia, *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, in terram scilicet gaudiorum de qua dicitur: *Portio mea in terra viventium.* Ps. CXLI. 6. Et hoc non propter meritum meum; sed *propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua*, non in justitia mea. Ego enim me occidi per peccatum meum; sed tu me vivificabis propter nomen tuum, quòd est Jesus, & interpretatur Salvator. Ut rem nominis tui impleas, tu eris mihi Jesus, & me vivificando salvabis. Et sic, *Educes de tribulatione*, hujus seculi, *animam meam & in misericordia tua*, non in merito meo, *disperdes omnes inimicos meos.* Quos etiam inimicos tuos meritò dixerim, quia in me servo tuo, te Dominum meum, quantùm in se est, persequuntur, & gloriam nominis tui, cui & non mihi salutem meam attribuo, dicens: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Ps. CXIII. 1. Hanc inquam gloriam saluti meæ adversando auferre conantur. Unde convenienter subditur: *Et perdes omnes qui tribulant animam meam*, scilicet diabolum & omnes obstinatos: & meritò perdes me tribulantes, *quoniam ego servus tuus sum*, ad te in mea tribulatione recurrens, sicut servus humilis & fidelis vasallus recurrit ad Dominum.

B Ecce ergo hujus Psalmi aliorumque Psalmorum pœnitentialium læta conclusio. Ecce spiritualis lætitiæ exultatio, quam salutaris pœnitentiæ contristatio finaliter operatur. Unde qui per pœnitentiam affligitur tandem dicit, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ps. XCIII. 19.

ORATIO

Operis hujus conclusiva.

DA ergo mihi Domine, hos quos Pœnitentiales Psalmos Ecclesia tua nominat, & à pœnitentibus tibi psallendos esse prædicat, tam dignè ac devotè non solùm ore, sed corde pœnitendo psallere, ut per contristationem pœnitentiæ salutaris, exultationem consequi valeam lætitiæ spiritualis, ut post salutarem pœnitentiam tandem per spiritualem lætitiam exultando dicam: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ps. CXLII. 10. Da mihi, Domine, hunc septenarium Pœnitentialium Psalmorum esse remedium contra septenarium mortalium peccatorum, mihique C esse auxilium ad septenarium virtutum principalium, ad septenarium Donorum spiritualium, ad septenarium Beatitudinum, ad septenarium denique Petitionum in Oratione Dominica contentarum. Da mihi Domine in horum Psalmorum meditatione timorem pœnæ, dolorem culpæ, spem veniæ, amorem cordialis munditiæ, desiderium cœlestis patriæ, diffidentiam virtutis propriæ, exultationem denique spiritualis lætitiæ: de hoc enim septenario mentalium affectuum principaliter agitur in hoc septenario devotorum Psalmorum. His septem affectibus, quasi septem scalæ pœnitentiæ gradibus, ad vitam Patriæ cælestis ascenditur, quo me finaliter deduci, & feliciter ascendere, & tecum habitare, perenniterque regnare tu misericorditer præstare digneris. Qui vivis & regnas in secula seculorum. Amen.

D

FINIS.

TRACTATUS

J. Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

SUPER

CANTICA CANTICORUM,

Ad Fratres Ordinis Carthusiensis. Editus apud Lugdunenses. Anno Domini 1429.

Collat. ad MSS. Codices. Victorin. 180. 848. *Navarr. unum & M. Targny.*

AMO te sacer Ordo Carthusiensis, quoniam amas me proximum tuum, & ideò proximum, argumento Christi, quia fecisti in me misericordiam; amoris quoque tui probatio, operis est exhibitio: Tricenarium namque, post mortem meam indultum, priùs fieri placuit prævenire me vivente.

Meditatus sum mecum, si quam operis vicissitudinem vacua senectus mea posset afferre. Subiit mox animum petitio vestræ devotionis modò facta per nonnullos ex vobis, quasi vice omnium: quatenùs super Cantica Canticorum scriberet aliqua, qualiscunque studiositas mea. Inclinavi protinùs cor meum assentire, quia amo te: etenim amicorum vota sunt similia.

Verùm post tot à summis ingeniis dictata super eisdem Canticis, quid aut quale posset addere paupertacula, nullius vel tepidæ devotionis meæ, diù satis in dubio fuit animus: tandem confisus in auxilio precum vestrarum, decrevi novum aliquid, aut saltem novo modo scribere, sub præmisso themate. *Amo te.*

A*MO te.* Vox ista Petri est, ad Dominum ter interrogantem, tertiò repetita: *Domine tu scis quia amo te.* Joan. XXI. 16. Juxta quod verbum triplicatum possumus allegoricè, moraliter & anagogicè triplicem in creatura rationali amorem intelligere; liberum, arbitrarium, gratuitum: liberum concreatum, arbitrarium deliberativum, gratuitum superinfusivum. Dimisso iterum sermone de amore purè naturali vegetativo & animali, & habito tantummodò respectu ad amorem Dei, sicut habuit Petrus; dicens: *Amo te.* Est autem amor noster ad Deum triplex in genere, prout statim dictum est. Et hujus verbi *AMO* tres literæ signant in ænigmate. A, principium. M, medium. O, finis. Ex quo triplici amore habituali, tanquam triplici vita prima, resultat actus amoris perfectus & meritorius fruitivus Dei, de quo solo principaliter Cantica Canticorum sunt per anagogiam, id est sursum actionem, qualiter aguntur à Spiritu sancto, (quem hodierna die in filios adoptionis Christus effudit) ipsi filii Dei similes Apostolis.

At verò processus noster ut ordinetur ex notis, præmittet aliquas considerationes de quidditate amoris in speciebus suis, & hoc pro prima partitione. Proinde, secunda partitio continebit considerationes quinquaginta secundùm totidem dies Jubilei Pentecostes, quando Spiritus sanctus his diebus in linguis igneis apparens, *mentes carnalium in sui amorem*, ait Gregorius, *immutavit.* Amor siquidem ignis est, unde nominatur *Seraphicus*, quòd ardorem significat, & quinquaginta proprietates suas quasi totidem linguas igneas, quibus loquitur & se aperit, dispertitas ostendemus: tandem partitio tertia consummabit velut in cuspide pyramidis flammeæ universum amoris sermonem, ad primam & unicam proprietatem super illud: *Osculetur me osculo oris sui*, Cant. I. I. se reflectens.

Consideratio Prima.

De primo Amore libero nobis concreato.

Amor liber respectu Dei, naturaliter & indelebiliter insitus est, concreatus & insertus, dum conditus est ad A imaginem & similitudinem Dei, quæ consistit in mente, notitia, & amore. Sed quæret protinùs aliquis: quo pacto naturalis amor iste liber dici potest, & si liber quomodò naturalis? Est hìc alta & grata Doctorum perscrutatio, quorum præcipui invenerunt, quòd sicut in Deo amor prodictivus Spiritus sancti liberrimus est, qui tamen immutabiliter agit & necessariò, sic in creatura rationali vel intellectuali amor, primò insitus respectu Dei, quem aliqui *synderesim* vocant, licet quodammodò sit altior & specialior, qui constituit tertiam partem imaginis, nec aliud respicit bonum quàm Deum pro objecto & fine ultimo. Iste, inquam, amor licet invariabilis sit & indelebilis; nihilominùs spontaneus est & ultroneus, aliter quàm sit amor lapidis gravis ad suum centrum, & hoc ratione cognitionis intellectivæ conjunctæ sibi, prout est secunda pars imaginis oriens ex prima quæ est memoria, non quidem sensualis respiciens præteritum, sed mentalis complectens omnem temporis differentiam, immò su- B pergrediens. Est ergo amor iste ex natura sua spontaneus atque liber; quamvis in oppositam partem verti non posset.

Consideratio Secunda.

Amor iste Dei liber, fundamentalis est ad omnem affectionem alteram intellectualem, quæ propriè non dicitur passio, sed operatio proportionabiliter, sicut Deus unica operatione delectatur & nullatenùs passione. Itaque necesse est omnia reduci ad unum, & mutabilia ad immutabile & fixum; oportuit ergo omnes affectiones (quarum multas constat esse) variabiles reduci ad unam quietam & simplicem. Talis est amor naturalis Dei insitus animæ in constitutione imaginis suæ, quem dicimus esse convenientiam & coaptationem ad Deum tanquam ad finem suum ultimum, & quodammodò intelligibile centrum, in quo jugiter ma- C net, innititur & quiescit. Ex quo prætereà omnes aliæ affectiones quæ dicunt motum vel mutationem, sive in bono, sive in malo, sive in arduo; ut desiderium, fuga, spes, timor, audacia, ira, segnities oriuntur.

Consideratio Tertia.

Amor Dei iste liber non habet actum secundum, qui sequitur cogitationem & consilium, pro statu viæ, nisi prævia sensatione; quamvis semper sit in actu primo qui est (ut diximus) continuus, simplex & quietus. Posset hìc introduci tota materia de conceptibus & intentionibus cognitivis & affectivis, & specialiter de sex modis specierum, quæ sunt initium cognoscendi supra sensum intellectualiter. Nam quædam sunt abstractæ per phantasmata; quædam naturaliter D insitæ ex prima creatione, sicut species innata cognoscendi Deum & amandi; quædam sunt impressæ per substantias spirituales; quædam relictæ; quædam per collationem acquisitæ; aliæ per experientiam habitæ: sed de his non est hìc dicendum per singula, qualia tamen cognoscere multùm juvat ad amorem Dei peculiariter exercendum.

Consideratio Quarta.

Amor iste Dei liber & impressus, non causatur in voluntate rationali vel intellectiva ex amicabilibus quæ sunt ad se, sicut videtur dicere Aristoteles & Auctor de causis: sed è contra amicabilia ad se, oriuntur ex isto amore ad Deum. Hæc est consideratio Theologica, pulcherrima atque sanctissima, convincens omnes A peccatores esse prævaricatores instituti primitùs ordinis, dum ab amore Dei deflectuntur, arbitrio malo, ad amorem proprium vel alienum adversùs Deum, habentes cor distortum & injustum, nec conveniens & conjunctum cum prima & rectissima regula amoris sui liberaliter & naturaliter impressi. Sufficiat interim pro certificatione hujus considerationis Theologorum autoritas in hoc fundata: quòd Deus est super omnia propter se diligendus, dilectione arbitraria, quantò magis dilectione naturali & libera, quæ neque fallere vel errare potest, neque falli, cum regatur sicut impressa est, ab agente infallibili.

Consideratio Quinta.

Amor iste liber Dei habebit actum secundum in patria plenissimum, continuum, simplicem & jucundum, B qui dicitur fruitivus, sive fruitio vel osculatio, sicut ostendet tertia partitio. Sed in hac valle miseriæ vix habetur iste actus secundus nisi valdè interruptus, & per intervalla, propter curvitatem amoris libidinosi deprimentis. Docet hoc proh dolor valdè nimis experientia! Utrum verò amor iste liberalis ad Deum habuisset co nuè actum secundum, qui consistit in operatione, & hoc pro statu innocentiæ, immò etiam in Angelis prima sui conditione, vel etiam in Purgatorio nunc habeant animæ finaliter salvandæ talem actum secundum continuum, immò & de damnatis quæri posset; cum habeant remorsum conscientiæ vehementem, non solùm in habitu sed in actu, qui causatur, secundùm Doctores, ex repugnantia amoris proprii arbitrarii ad amorem naturalem & insitum Dei: lector advertat.

Consideratio Prima C

De secundo Amore.

Amor arbitrarius respectu Dei non habetur nisi prævio, vel simul concurrente prædicto naturali & libero amore. Perspicuum est; quia radix est hujusmodi amor omnium aliorum affectuum. Rursùs voluntas non fertur liberè, nisi præmoneatur objectaliter & cognitivè per intellectum sub ratione boni vel mali, convenientis vel disconvenientis; ex qua monitione protinùs oritur in voluntate actuali quædam complacentia vel displicentia naturalis, juxta sententiam Damasceni & verbum Beati Augustini, *quòd non est in potestate nostra quibus visis tangamur*. Ceterum post apprehensionem hujusmodi objectalem, voluntas se movet liberè, acceptando vel refutando vel suspensam se tenendo.

Consideratio Secunda. D

Amor arbitrarius respectu Dei distinguitur à libero naturali, propter considerationem duplicem animæ rationalis & suæ libertatis. Consideratur itaque anima rationalis vel in se essentialiter libera, vel ut actualiter deliberans. Si primo modo, sic sua libertas semper est æqualis & invariabilis & inauferibilis, ipsa permanente in esse; & sic accipitur à Doctoribus Bernardo & Anselmo, qui dicunt eam esse æqualem in omnibus, tam Angelis quàm hominibus, & potissimam sub Deo, immò quasi similem, quæ neque cogi potest neque minui, ipsa stante natura animæ. Si verò consideratur ut actualiter arbitrans, & se super se reflectens; tunc libertas hujusmodi variabilis est & impedibilis, neque æqualis in omnibus tam Angelis quàm hominibus, sed patitur servitutem tunc culpæ, nunc pœnæ & multæ miseriæ, immò ut turbato judicio rationis, tunc omninò tollitur & impeditur in actu suo ne deliberet. Fundatur autem super hac distinctione divisio spiritûs & animæ ex una parte, divisio præterea spiritûs & mentis ex altera, de quibus in metrico opere super *Magnificat* Dist. 2. latiùs tractatum est.

Consideratio Tertia.

Amor arbitrarius respectu Dei non habetur hìc in via, sicut nec intellectualis cognitio actualis, sine prævia cognitione sensuali. Tradit hoc Philosophus experientiæ vocem loquens, quamvis ignoraret hujus servilis colligationis & ordinis rationem, sicut nec peccati originalis transgressionem. Unde factum est, ut intellectus non posset actualiter ferri in Deum, nisi priùs doceretur per sensum dicta perinde sensualitas & vetus homo, quasi Mater & Pater interioris & novi.

Consideratio Quarta.

Amor arbitrarius respectu Dei determinatur & figitur ad unam partem, scilicet dilectivam in Beatis, sicut è contra necessariò declinat in odium Dei & invidiam in damnatis. Ista est communis traditio Doctorum; quamvis in assignando causas, videatur aliqua varietas super hujusmodi confirmatione in Beatis, vel obdurationem in damnatis. Sed resolutio finaliter cadit ad ordinationem Dei, & quia positi sunt in termino; neque est ampliùs locus meriti vel demeriti ullus: proinde non tolluntur ab hoc duplici statu multæ actiones arbitrariæ, respectu objectorum aliorum à Deo, sicut dæmones arbitrariè tentant homines, quibus arbitrariè Angeli subministrant.

Consideratio Quinta.

Amor arbitrarius respectu Dei ferri potest ad utramque partem dilectivè vel omissivè hìc in via; immò non videtur repugnantiam includere de potentia Dei absoluta vel suspensa de lege communi, quin voluntas arbitraria ferri possit oditivè in Deum clarè visum: posset enim apprehendi sub rationibus odibilibus, scilicet punitivi vel damnativi. Ex qua consideratione moti sunt aliqui dicere; quòd damnati forsitan in extremo judicio videbunt pro morula intuitivè Deum, non solùm in humanitate de qua constat; sed etiam in Divinitate, ad augendum odium, & consequenter supplicium suum magis. Sed non habet hoc communis Doctrina, quæ potiùs ut semper sequenda est, quoniam curiositatis est, non Doctrinæ, pietatis opinionibus extraneis delectari.

Consideratio Prima.

De Amore gratuito.

Amor gratuitus Dei actualis, dicit influentiam divinam gratis datam in anima, quæ formaliter reddit hominem gratum Deo & acceptum ad vitam æternam. Considerationis hujus materia latissima tradita est per Doctores; sed à multis experimentaliter non intellecta, supra quam ponatur ad præsens ista dictinctio. Quod amor gratuitus quadrupliciter habet considerari. Uno modo, prout est forma quædam absoluta, vel influentia, ef-

effectualiter à divina bonitate proveniens. Alio modo, prout respicit ipsum subjectum quod informat proportionabiliter, sicut albedo informans subjectum reddit album. Tertio modo, potest attendi in ordine ad Deum acceptantem illum qui habet gratiam ad vitam æternam. Quarto modo, prout ille amor gratuitus qui dicitur charitas, est universalis motor & principalis inter omnes & super omnes habitus in anima, per respectum ad finem ultimum, ad quem ipse dirigit, inclinat & movet, tanquam ad ultimum finem suum. Amor primo modo, est quædam res absoluta per se distincta ab aliis, quæ posset remanere per potentiam Dei, & nihil gratum reddere, ut si poneretur extra subjectum. Amor secundo modo, respectivè consideratus ad subjectum & ad influentem Deum, non videtur posse stare quin reddat subjectum formaliter gratum intrinsecè; quoniam iste est actus suus primus & formalis, sicut in aliis accidentibus absolutus. Amor tertio modo, reddit, de lege communi, subjectum suum acceptum ad vitam æternam: sed absolutè non repugnat, quin aliquis sit acceptus ad vitam æternam absque amore hujusmodi, vel etiam acceptus cum amore tali. Amor quarto modo consideratus, est omnium habituum & actuum laudabilium, meritoriorum & acceptabilium ad vitam æternam radix, forma & finis, sine quo finis ultimus non habetur, cui conjunctus est divinus amor increatus illabens animæ, purificans eam, illuminans, perficiens & acceptans.

Consideratio Secunda.

Amor gratuitus cognosci non potest inesse homini absque speciali revelatione, juxta illud Christi. *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quò vadat, sic est omnis qui natus est ex Deo.* Joan. III. 8. Causæ multiplices hujus ignorantiæ notantur à Doctoribus, sed præcipua est, quoniam interiores habitus non cognoscimus nisi ex actibus. Sunt autem actus habituum acquisitorum & infusorum similes; quod distinguere non sufficimus, sicut videmus colorem artificialem in facie non distingui faciliter à naturali, neque lumen à speciebus coloris.

Unde provenit ex actibus virtuosis gratia informatis duplex argumentatio; una moralis seu naturalis, altera gratuita vel supernaturalis, dum gratia scilicet augmentatur. Gratia verò magis movet influxivè generaliter, secundùm Legem æternam, quàm particulariter & inhæsivè secundùm particularem inhæsionem, qualiter inclinant habitus acquisiti, & inde magis percipiuntur: sed an sint gratuiti vel infusi, nescitur; propterea denique *Beatus vir qui semper est pavidus.* Prov. XXVIII. 14. Quoniam etsi cognosceretur creatæ gratiæ præsentia; tamen de perseverantia & de amore prædestinationis increato & æterno nescimus, sed speramus.

Consideratio Tertia.

Amor gratuitus Dei quamvis à prima origine non fuit in Adam, erat tamen tunc in eo amor Dei super omnia laudabilis, sed non meritorius vitæ æternæ. Sed pro tempore Legis currentis tale medium non occurrit; quoniam homo est in statu vel gratiæ vel culpæ. Similiter de Angelis in sua conditione primaria diceretur.

Consideratio Quarta.

Amor Dei habitualis gratuitus secundùm Ecclesiæ determinationem infunditur in Baptismo, qui reddit baptizatos dignos & acceptos vitâ æternâ. Colligitur inde, qualiter omnis baptizatus in Christo, cum exultatione debet dicere illud Isaiæ LXI. 10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis*, diversis habitibus virtuosis, *& indumento justitiæ circumdedit me* Christo, scilicet sole justitiæ. *Quotquot*, inquit Paulus, Gal. III. 27. *baptizati estis, Christum induistis.* Sequitur Isaiæ ubi suprà *tanquam sponsum decoratum corona*, quoad spiritum, *& tanquam sponsam ornatam monilibus suis*, quoad mentem vel animam superiorem, A *tunc enim apparuit signum magnum in cœlo* rationalis animæ, *mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Apoc. XII. 1. Colligitur inde positionis Magistri insufficientia, qui gratiam habitualem non posuit, sed increatam cum actuali creata: pueri enim baptizati, & dormientes, quomodò formaliter grati essent, quos constat actualem gratiæ motum non habere.

Consideratio Quinta.

Amor gratuitus habitualis infusus pueris baptizatis, reddit eos acceptabiles Deo, amibiles & gratos, nec non hominibus; ita reddere debet tanquam Angelos quosdam Dei. Colligerentur inde plurima documenta moralia, tam in laudem conservantium innocentiam baptismalem in se & in aliis, quàm in horrendum vituperium & damnabilitatem eorum qui innocentiam hujusmodi prostituunt in se vel in aliis, B *rursùs crucifigentes Christum, & ostentui habentes.* Hebr. VI. 6. Utrum verò baptizati qui nondum pervenerunt ad usum rationis, facere possint opera grata Deo & beneplacita? Putò quod sic, quamvis nondum meritoria; sed neque tunc demerentur: benè tamen peccant, quia peccare minùs dicit quàm demereri, sicut dicimus monstrum peccatum esse in natura, non tamen esse culpam aut detrimentum.

Consideratio Prima.

De Amore collecto.

Amor Dei resultans ex amore triplici, scilicet libero, arbitrio & gratuito, de quo deinceps habendus erit sermo, considerari potest sub multiplici triplicitate, juxta verbum Petri de amore ter repetitum: *Amo te, amo te, amo te.* Joan. XXI. Discurramus velut in super- C ficie, quia materia latè patet. Primus amor itaque est incipientium, proficientium & perfectorum. Secundus est amor secundùm veniam & gloriam etiam hîc inchoatam. Tertius est amor secundùm hominem animalem, rationalem & intellectualem. Quartus est amor secundùm vestigium, secundùm imaginem, & secundùm similitudinem deiformem. Quintus est amor secundùm purgationem, illuminationem & perfectionem. Sextus est amor secundùm tropologiam, allegoriam & anagogiam. Septimus est amor secundùm desponsationem spiritûs cum ancilla, cum libera & cum Domina. Octavus est amor secundùm triclinium animæ, inferius, medium & superius. Nonus est amor secundùm adolescentulas & concubinas, secundùm Reginas & ad unicam columbam. Decimus est amor secundùm triplex cœlum, infimum, medium & tertium. Undecimus est amor secundùm triplicem hierarchiam, infimam, mediam & supremam. D Duodecimus est amor Angelicus, Cherubicus & Seraphicus. Et ita de triplicitatibus talibus multis refluentibus in eandem sententiam.

Consideratio Secunda.

Amor Dei resultans ex amore triplici scilicet libero, arbitrario & gratuito, & concurrens in actum secundum, laudabilior est quàm si quilibet stet in actu primo vel habitu tantummodò. Perspicuum est, quia poten-

potentia quælibet juncta suo actui laudabili & bono, perfectior est, & fini suo conjunctior, quàm in habitu solo manens, quasi sopita vel somnians. De quo triplici actu amoris simul conjuncti respectu Dei, composita sunt anagogicè per Patrem, pulcherrimæ & amorosissimæ feminarum Mariæ Salomonem Cantica Canticorum. Similiter & alia plurima quæ contemplata est mens sua sapienter, nominatim de duplici modo desponsationis anagogicæ & moralis, seu tropologicæ. Prima desponsatio cantatur per epithalamium Cantici Canticorum. Altera per epithalamium capituli ultimi Proverbiorum, cujus initium est: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. XXXI. 10. Constituuntur in prima Deus & anima, tanquam sponsus & sponsa se mutuò zelantes, unicus ad unicam, & unica ad unicum, de quo gloriatur sponsus. *Una est*, inquit, *columba mea, perfecta mea, una Matris meæ, electa genitricis suæ* Cant. VI. 9. Constituuntur in alia desponsatione spiritus Deiformis & Sapientia, tanquam sponsus & sponsa, magis per tropologiam & allegoriam, tanquam in vita activa, quàm per anagogiam in contemplativa. Discernitur ex hoc præcipuè varietas hujus duplicis desponsationis & epithalamii correspondentis, quoniam una spectat ad incipientes & proficientes generaliter: altera propria non nisi perfectorum, & in anagogicos excessus sese rapientium *de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu*, 2 Cor. III. 18. prout in secunda partitione dicetur.

Consideratio Tertia.

Amor expositus in Canticis Canticorum, fruitio Dei vel osculatio oris nominatur aptissimè, non solùm habitualis & tepida, sed actualis, fervens & extatica, & præcipuè seraphica, cujus est immediatè ferri in Deum, quamvis ex parte animæ concurrat multitudo habituum & influentiarum. *Omne* prætereà *datum optimum & donum perfectum descendens à Patre luminum &c.* Jacob. I. 17. Quæ omnia tanquam virtus univoca (tradente Dionysio) replent & restituunt & convertunt ad congregantis Patris unitatem & Deificam simplicitatem, ubi tunc apex vel seraph mentis ineffabili & ignoto Deo ineffabiliter & ignotè conjungitur, ignotè quidem, quia infinitè & immensè; cùm virtus cognoscentis & actus prout & natura sint finiti. Sed de hoc posteriùs tangamus. Interim per rememorationem paucula de sponsatione morali seu tropologica Spiritus deiformis cum divina sapientia dicemus, quorum consideratio præcedere debet tanquam via ad desponsationem anagogicam necessaria. Osculum sponsi vel osculatio, est dignissima impressio cujusdam suavitatis & intimæ consolationis per illapsum secretum in animam. Petitur autem atque conceditur ad faciliùs tolerandum præsens exilium, dum sponsa peregrinatur à sponso. Osculum autem, est illa suavitas & intima consolatio, jocunditas & exultatio quomodocunque fiat aut sentiatur in anima, secundùm portionem virginalem & supremam, quæ mens dicitur, vel apex mentis condivisa ad spiritum, prout ad alia cognoscenda, vel diligenda, vel ordinanda sub Deo deflectitur, quoniam soli Deo cohæret & intendit tanquam objecto & fini ultimo & soli sponso, qui solus sibi & totus est desiderabilis & amicus. *Talis*, est, inquit, *dilectus meus, & ipse est amicus meus filia Jerusalem.* Cant. V. 16. Dicitur autem amicus, tanquam amoris custos, & addit super amorem simplicem communicationem secretorum & mutuam readamationem, cujus est proprium omnia esse communia. Et in statu præsenti Deus gerit amicitiam erga animam sanctam, quia communicat sibi seipsum & amorem suum, & dona sua ad fruendum & utendum & universaliter pertractandum, quantùm ipsa rationabiliter voluerit & potuerit accipere plus vel minus pro varietate statuum in quibus est constituta: super hoc erit tertia partitio.

Consideratio Quarta.

Amor Dei resultans ex amore triplici, scilicet libero, arbitrario & gratuito, sufficiens est ad salutem, & fruitio dici debet in quocunque fuerit, idiota vel simplici, secundùm quem amorem licet unicuique habenti decantare illud epithalamium quasi morale & practicum: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov.
A XXXI. 10. sed non ita de altero. Vidit hic ipse Salomon qui discripsit priùs desponsationem viri Deiformis cum Sapientia, quàm animæ per anagogiam cum Deo: scivit enim quod nec Philosophos quosdam latuit, quoniam ad beatam vitam tria præparabant; studium Sapientiæ, fastidium præsentis vitæ, & desiderium alterius vitæ.

Primum docetur in parabolis, in quibus inseritur hoc epithalamium. *Mulierem fortem quis inveniet?* Traditur alterum in Ecclesiaste, de varietate rerum. Subjungitur tertium in Canticis Canticorum. Ceterum ad tria hæc, maximè ad duo prima subservit universitas Scripturarum & creaturarum, quasi Libris & doctrinis innumeris.

Notatæ sunt plures & à pluribus speciales quædam industriæ, quædam communes, quædam magis appropriatæ pro utraque desponsatione, sicut Scripturas primò inspicere, & earum saltem quid nominis intelligere, intellectas ad brevia quædam reducere,
B breviatas ex se vel aliis memoriter recondere, reconditas memoriter meditando ruminare, ruminatas tandem dirigere & unire. Prætereà notatæ sunt secundùm exiguitatem nostram duodecim pridem industriæ ad Theologiam Mysticam adaptandæ. Quibus omissis omnibus aut præsuppositis (latiùs enim patent) proximemus ad Cantica Canticorum, & de necessitate vel commoditate expositionis eorum ultra ceteras Scripturas divinitùs inspiratas, illud unum præmittamus.

Consideratio Quinta.

Amor Dei resultans ex amore triplici, scilicet libero, arbitrario & gratuito, sicut in genere multiplices habet gradus & differentias, prout in consideratione tertia tangebatur, sic in speciali amor seraphicus multiplicatur in diversis, nedum pro statu patriæ
C sed viæ, pro gratiarum & exercitationum varietate. Quidam fuerunt ex gratia singulari (ut Paulus & æstimo quod Maria) qui rapti sunt aliquando ad nudam divinæ essentiæ visionem, ubi tunc non indigebant theophaniis Scripturarum, Canticorum vel verborum, de quibus nihil ad præsens. Alii fuerunt (si tamen adhuc sunt novit Deus) qui etsi non viderint aut videant Deum per essentiam; nihilominùs ad intelligentiam puram & perspicuam perducti sunt, quasi similiter ab Adam pro statu innocentiæ, qui vidit Deum in speculo claro & lucido divinitùs inspirata in imagine sua, similitudine & gloria, qualiter & luci-diùs viderunt Angeli pro statu viæ suæ. Quod si Adam viderit etiam Deum in ænigmate per vestigia creaturæ & in vestigiis; hoc fuit propter necessitatem directivam sensualitatis suæ. Tales qui sunt hujusmodi jam in suis contemplationibus & amoribus seraphicis, non indigent exercitio quocunque pro illo
D tunc ad fruendum Deo per osculationem ejus, immò fastidium eis esset omnis creatura, sicut in persona Magdalenæ quærentis Deum dicit Origenes. *Quæro Creatorem, fastidio est mihi omnis creatura.*

Tales videbatur Philosophus commendare in principio Metaphysicæ: dicens eos non egere apologis, quales expetunt homines grossioris intellectûs, in quibus perspicuitas & luciditas suorum intellectuum, immixta est cum materiali grossitie plùs, minùs; ut in Prophetis minus, plus in naturaliter hebetibus, aut morionibus & stultis. Mediocriter autem sicut in hominibus pluribus laicis & literatis: quo-

quoniam certè paucissimorum est & fuit, dicente Platone, & ceteris, perspicuitas intellectûs atque mentis, per quam conjungitur tanquam in supremo suo Angelis & intelligentiis: quæ portio quamvis sit superior in homine, tamen potiùs denominatur homo à ratione, rationalis; quia sibi propria est, quàm ab intellectu, intellectualis, sed nec à sensu propter imperfectionem nominatur sensualis. Alii sunt qui etsi videant, intelligentiam habent, nihilominùs impeditam, nec solidam contuitionem veritatis irreverberatam. Indigent prætereà fulcimento quodam symbolicarum similitudinum vigorantium ad persistentiam & continuationem: propter tales maximè composita sunt Cantica Canticorum cum similibus anagogicis manuductionibus.

Tradita est insuper Theologia mystica Dionysii, quæ per abnegationes omnium, magis quàm affirmationes incedit. Conjunxit autem Vercellensis velut in unum tres istos status hominum, in expositione sua Cantici Canticorum breviter & accommodè apud eruditos in Libris & doctrina Dionysii; non ita pro ceteris, neque pro ignorantibus suas tot præcisas allegationes, more Juristarum, quæ vix correctè scribuntur aut notantur. Sistit insuper in solo sensu anagogico Dei & animæ; nihil immiscendo de allegorica desponsatione Christi & Ecclesiæ; quamvis unum proficiat ad alterum, dùm se mutuò non confundant. Interest enim tàm Ecclesiæ universalis, quàm animæ singularis cantare jugiter Deo tanquam sponso, corde, verbis, & opere. *Amo te. Amo te. Amo te.*

Finit prima partitio quasi procemialis in Cantica Canticorum.

SECUNDA PARTITIO.

AMO te. Quid obsecro resonant aliud Cantica Canticorum, quàm istam ex intimò & toto corde vocem? *Amo te.* Quare præmittendum est quòd amor fruitivus Dei maximè Seraphicus, quia non potest pro statu viæ sæpe, diù & multùm consistere in illa puritate actuali; indiget ad exercitium suum similitudinibus & symbolis uti creaturarum; maximè cum dicat Dionysius: Impossibile nobis relucere divinum radium, nisi sacris & archetypicis exemplaribus vel symbolis circunvelatum, quemadmodùm pura lux materialis sine coloris admixtione non videtur. Propterea compositus est Liber Canticorum sub tropis & similitudinibus ad hujus fruitivi amoris exercitium, sub typo nuptiarum. Studuerunt in his exponendis summa & divina ingenia, nunc per partes, prout materia quam tractabant exigebat; nunc integraliter per Homelias, per Sermones, per Postillas, per distinctiones, per Glossas ordinarias, secundùm quadruplicem sensum vicissim permixtum. Posterior unus Abbas Vercellensis statuit insistere circa sensum anagogicum per simulitudinem ad supremum amorem creatum, qui est in Seraphin, coarctans se ad animam rationalem ad Deum, secundùm supremam (quantùm potest elevari) animæ portionem, quam appellat *seraph* vel *seraphin*, id est, Hierarchiis animæ exemplariter ad cœlestes ordinatis; fundamentum capiens ex decimo capite Dionysii cum expositionibus suis, qualiter ipse Bonaventura paucissimis verbis complexus est in Itinerario suo cap. IV. Porrò amor fruitivus & extaticus, vel anagogicus & Seraphicus, quia consistit in experimentali perceptione conjunctionis animæ cum supremo objecto suo & fine Deo, nullatenùs tradi potest per doctrinam, maximè cum à solo Deo purè, gratis, & super omnem industriam infundatur. Videtur potiùs insistendum in expositione Canticorum & similium, doctrinaliter & scholasticè, tradendo quid nominis terminorum, & exponendo symbolicas significationes eorum, quàm in declamationibus & exhortationibus moralibus sine fine, quæ nequeunt, ut diximus, amorem fruitivum infundere. Sed habito vel cognito quid nominis terminorum ex Theologia scholastica, debet exercitium intrinsecum remitti ad interiorem mentis perscrutationem, cooperante gratia Dei, quæ non datur communiter se non exercentibus & ingratis, in quibus Dei gratia vel nulla est, vel in vacuum accepta; sed jam utique nulla est, si in vacuum recipitur, quia non minùs horret vacuum gratia quàm natura. Dicuntur verò Cantica Canticorum per excellentiam vel antonomasticè; quia sola in eis ratio cantandi est amor purè gratuitus, non deliberatio ab hostibus ut primum illud Canticum: *Cantemus Domino, gloriosè.* Exod. XV. Non à visitatione & redemptione Dei sicut illud: *Benedictus Dominus Deus Israël.* Luc. I. 68. & ita de reliquis suo modo: sed in his Canticis sola cantandi ratio, est ipsa cantatio se exercens in amore, non qualiscunque, sed divino & supremo qui Seraphicus jure dicitur, eò quòd ad ejus similitudinem sit exemplatus. Dicitur nihilominùs amor sponsæ, quoniam talis amor castus & zelotes & summus esse debet, quali ipsum nomine, pro qualitate materiæ duximus in sequentibus appellandum. Placuit igitur, duce Spiritu sancto, verarum ope precum coarctare sermonem, & aptare principaliter ad sensum anagogicum de amore sponsæ: quod ut sinceriùs fiat & absque involucris similitudinum, expediens esse censui conditiones vel effectus & signa vel proprietates hujus amoris sub quinquaginta Considerationibus quasi totidem scintillis aut linguis igneis annotare.

Veruntamen ne videamur nimis à litera exorbitare, studuimus istas amoris proprietates ab involucris & fumis, literæ quadam exagitativa deputatione in emicationem deducere. Hic enim modus tractandi proximior est scholastico quàm rhetorico stilo, quali hactenùs utique studuimus; permixtione quidem factâ: quàm accommodè vel utiliter, judicet Lector, sed benignus.

Gratus insuper accipiat pro succincto quasi procemio in auxilium memoriæ de eadem versuum elegiacorum, in qualibus nunc oblectat se otiis senectus mea, studii memor puerilis.

Isti versus respiciunt sensum anagogicum, videlicet animæ & Dei, & nihil aliud resonant nisi Amo te. *quæ ex fiducia amici causari solet ut reametur: ut patet.*

Osculetur me   quia melior   oleum trahe me
Oscula poscit amor, delectat, lenit & ardet,
in cellaria   nigra sum sed formosa.
Ingreditur cellas, pulcher & ipse niger.
pugnaverunt   in meridie,
Oppugnatur amor, desiderat alta tenere.
si pro non
ne vagari   si ignoras.   equitatui.
Esse vagus refugit, doctus equesque Dei est.
cum esset rex   fasciculus   sicut columbarum   en lectulus noster flo.
Gratis amor, cor habet simplex, lectulus extat
Secundo capitulo.
Floridus, est fructus dulcis in ore suo.
vinariam   amplexabitur me.
Potat amor, languet, complexibus hæret amici,
ecce iste venit   en dilectus   dilectus meus mihi.
Quo se cumque rapit, hunc videt, audit, habet,
Tertio capitulo   tenui eum   sicut virgula.
Quærit amor quod amet, tenet sublimat in sublima, surgit.
en lectulum.   ferculum facit   in diademate.

Aut

Aut cubat aut fertur, aut diadema gerit.

tota pulchra Quartum capitulum. in uno oculorum.

Pulcher amor totus; per singula membra videndo.

per totum residuum quarti capituli.

Vulnerat, & miris deliciis redolet.

surrexit. Quinto capitulo.

Dormit, ego dormio.

Surgit amor, liquefit, passus quoque vulnera languet A

& ipse est amicus meus.

Dilectum laudat, jactat amicitiam.

una est columba. Sexto capitulo.

Uni jungit amor soli perfectus, est & par.

ut sol & luna. ut castrorum acies ordinata.

Auroræ nitidus, ordine terribilis.

nescivi. per quadrigas Christi spontanei per admirationem. revertere quater dicitur.

Nescit amor, vehitur, cubatur, crebro vocatur

Septimo capitulo per totum, prope finem.

Pareat ut veniens, laus sibi multa datur.

Visit amor vineas, hortos & poma reservat.

Octavo capitulo. Quis mihi det.

Oscula vult pueri, fortis amor quasi mors.


Ceterum fiet reductio in hac partitione secunda ad sympsalmatis decachordum, cum diapsalmate totiens interposito juxta decadem versuum & pro numero dramatum totidem ab expositoribus notatorum; quatenùs Cantica Canticorum resonent secundùm psalterium decachordum David Regis & juxta Canticum filiæ Mariæ pulcherrimæ feminarum. Denique tertia partitio colliget omnia sub amoris osculo sancto; quatenùs O revolvet ad A, intelligibili quodam gyro?

SYMPSALMA I.

HOC EST

Concordia Psallentium in Canticis.

Prima Proprietas.



OSCULA *poscit amor.* Exilit hæc amoris ignei proprietas ab hac particula. [*Osculetur me osculo oris sui* Cant. I. I.] Oportet (ut jam notavimus) nos hoc loco scholasticis Theologiæ & Philosophiæ regulis uti, maximè dùm quærimus ad intelligentiam communem Cantica Canticorum traducere, aut saltem quod credulitatem secretissimorum sensuum & castissimorum, quos includit fumus literalis & quasi carnalis, nullus abhorreat; neque scandalum fœdæ carnalitatis quis incurrat. Puderet referre quid expertus audivi; offenderet enim pias aures. Oportet præterea supponere tradita per alios & alibi & à nobis pluribus locis repetita & exposita nominatim in opere super *Magnificat*, cum adjuncto collectorio quasi septem sportarum ad duodecim priores, de viribus animæ, de conceptibus ejus, & super omnia de hymno & verbo gloriæ, conformiter ad divinum Dionysium. Quicquid enim principaliter allaturi sumus, hoc unum penè resonat aut explanat mysterium. Si qua denique, ut fit, conjungantur alia, spectant potiùs ad amorem incipientium vel proficientium, quàm duntaxat perfectorum; nisi pro quanto cognoscere debet & expedit, fortis mulieris exemplo, semitas domus suæ quas perfectus amor consideravit ut perveniret ad artem, quoniam mens amat arte manens. Oportet rursùs inter doctrinas de passionibus animæ hoc spiritualiter attendere, quòd apud Theologos amplior est acceptio passionum, sicut amoris vel amationis & consequentium inde, quàm apud Aristotelem naturalis habeat traditio: ipse enim nullas nisi in irascibili & concupiscibili sensuali censuit propriè reponendas passiones, sicut nec in Deo vel Angelis. Nos autem sequentes Augustinum cum ceteris Theologis, ponimus omnia nomina passionum, nedum in ratione humana nedum in ejus mente & Spiritu, nedum in Angelis & Beatis sed in ipso etiam Deo glorioso, omni tamen imperfectione seclusa: dicimus enim Deum delectari & gaudere, sicut & beatum esse. Quemadmodùm igitur amor seraphicus (cujus assignare nitimur proprietates, signa vel effectus) ponitur in apice seu vertice mentis intellectualis; sic audacia quam amor parturit in osculi petitione, cum Spe & ceteris illic collocatur, & hoc stabilitum sit ad omnia sequentia. Constat igitur quòd amor non qualiscunque, sed fervidus & familiaris, causat de amico vel amato fiduciam. Experimur etiam hoc in brutis, nedum faciliter, sed cum difficultate domesticabilibus ex ferocitate, ut leo; vel ex timiditate, ut lepus. Contrahunt enim ex longa conversatione benevola eis audaciam conversandi cum propriis Dominis & domesticis suis, immò & cum brutis alterius speciei quos natura creavit adversas, sicut sunt canis & cattus, & vulpes & lepus. Nunc ad propositum puto jam lector intelligat, ex quanta fiducia B oscula poscit amor. [*Osculetur*, ait, *me osculo oris sui.*] Pulchra est hoc loco & prolixa devoti Bernardi deductio apologizantis ad animam, quæ petit osculum oris ab illo tali & tanto *qui respicit terram & facit eam tremere.* Ps. CIII. 32. De quo Job: *Semper*, inquit, *tanquam tumentes fluctus super me Deum timui, & pondus ejus ferre non potui.* Job. XXXI. 23. Talia sunt plurima ad repressionem audaciæ, de qua unus Patrum jubebat: *Nunquam in omni vita tua assumpseris fiduciam.* At verò Discipulus ille quem diligebat Jesus, tota libertate audet dicere. *Timor non est in charitate, quoniam perfecta charitas foris mittit timorem.* 1. Joan. IV. 18. Sed nonne seraphica charitas sponsæ nostræ perfecta est? Nonne jam per experimenta plurima facta est tota domestica? Nonne numeranda est inter cives Sanctorum & domesticos Dei, cujus exemplo Pauli, *conversatio est in cœlis*, Philipp III. 20. quæ totiens admissa est, nec repulsa ad oscula pedum dilectorum. Deinde gradatim familiariùs ad oscula manuum, quidni tandem aliquando sumat audaciam C in fervore spiritûs sui dicere: *Osculetur me osculo oris sui.* Sic amorosa Christi illa Magdalena post unctionem pedum, post remissionem peccatorum, præsumpsit effundere unguentum pretiosioris liquoris sub typo fragrantissimæ devotionis, super caput ipsius discumbentis. Matth. XXVI. 7. Caput autem Christi Deus qui per devotionem singularem osculari dicitur ore ad os, quia nullum interponitur medium creaturæ separativè, ut dicitur.

Cantat unus ex sæculi hominibus: *Audacem faciebat amor.* Si bonitas caduca & aliquando pessimè æstimata, rapit ad se amorem alienum, ut audeat & præsumat; quid de illa fornace immensa bonitatis & benevolentiæ æstimandum esse putabimus? Quid, inquam, nisi illud Dionysii à Paulo divinitùs edocti: *Benignus Jesus venientes ad se, totus totos deosculatur.* Tractum est hoc ex Evangelica adolescentioris filii parabola revertentis. *Audemus* (in- D quit Apostolus) 2. Cor. V. 8. *& bonam fiduciam habemus magis peregrinari à corpore & esse præsentes ad Deum*, quæ præsentia Dei quid aliud est, quam osculatio oris sui? Semper ex adverso præsumit sæva turbata conscientia, nec audet oculos sursum attollere, quantò minùs osculum oris postulare. Multùm dilexit Petrus, ideo multùm præsumpsit. *Domine*, inquit, *si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Matth. XIV. 28.

Sentio me latiùs effluere quàm proposita brevitas flagitabat. Sed neque finis fuerit, si voluero cuncta pro-

prosequi quæ dictantis animo vel occurrunt, vel materiæ proxima sunt, vel fortassis à lectore quærenda sunt. Ecce dilatationis materia magna nimis. Quærerent enim confestim nonnulli, nec ab expectatione sua confundi putabunt. Edissere nobis, si expositor es plenarius, quid osculum, quid os, quid osculans, quis osculatus, qualis osculatio? Dic quæ sunt oris duo labia, in osculante simul & osculato? Sed neque terminus hic erit inquisitionis, fiet processus ad omnes symbolicas significationes, quas textus Canticorum decurrit universus; de uberibus, de unguentis, de cellariis & tabernaculis Cedar, de pellibus Salomonis, & ceteris in hunc modum. Sed jam prætacta est nostri super his causa silentii: plus itaque suscepimus umbras & fumos excutere quàm discutere. Sanè distinctiones & magistrales Sermones, Homeliæ præterea Sanctorum copiosissimè pro incipientibus & proficientibus hæc docebunt. Sed nunc perfectis (quamvis imperfectus) debitor sum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus. Venient ultima duo Sympsalmata pro minùs expertis.

Ponit Hugo tres in contemplatione processus, instar ignis, qui cùm accendi quæritur, primò fumosus est sine flamma, deinde cum fumo flamma miscetur, tandem purus & quietus ignis est in carbone. Gradum hunc tertium tenet igneus amor sponsæ, qui foris exilit, scintillat & emicat, nec inter fumos litteræ grossos & inquietos volutatur. Denique quia non de singulis omnia simul dici possunt, etiam quæ sunt accommoda; transeat sermo noster gradatim ad reliqua. Unus itaque solet passus in Scripturis mutuò ceteros exponere; immò quodlibet verbum potest intelligibiliter loqui cum altero: quoniam est ignea Lex scientiam habens vocis, & omnium linguis loquens: dum enim Spiritus sanctus afflat; sic fugiunt phantasmata, dantur charismata, spirant aromata, sic resonant idiomata.

Secunda Proprietas.

Amor delectat. Exilit hæc ignea linguæ particula ex sequentibus verborum symbolis. [*Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Cant. I. 2.] Siquidem ista delectant utentes. Invenitur enim dictum apud Sapientem per insipientem mulierem. *Veni inebriemur uberibus* Prov. VII. 18. Vinum quoque lætificat cor hominis & odoribus atque unguentis cor delectatur. Prætereà delectatio sortitur hoc nomen à similitudine lactentium puerorum, quasi dulcis lactatio: causatur autem ab amore, immò non nisi ab amore vel amatione delectatio. Hinc illud populare: *Jamais homme n'en aura joye si d'amour ne vient.* Gaudium nisi de amore nullum esse potest. Est itaque delectatio perceptio convenientis conjuncti. Amor autem non est nisi convenientia & adaptatio rei ad suum conveniens. Porrò nullum est objectum convenientius sponsæ quàm ipse Deus summum bonum, ad quod capiendum & possidendum facta est. Quare superest, dùm sibi conjungitur, inhæret & unitur tanta propinquitate, quanta sunt os & os osculantia se mutuò, quòd causatur ex hac unitionis perceptione delectatio, non qualiscunque, sed in suo genere suprema, quia superius esse bonum non potest; proptereà quietatur, gaudet & lætatur in hac unica operatione, nullum aliud objectum petens, quamvis ipsius continuationem possessionemque securam amare non cesset. Neque tamen est motus propriè dictus, qui est actus entis in potentia, cùm habeat amor id quod actualiter requirit, sicut esuriens id edens quod habet semper in præsentia, caret motu fastidii: consequitur amor ex hac delectatione illud de Psal. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ps. XXXVI. 4. Et rursùs: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei & delectatus sum, & exercitatus sum:* Psalm. LXXVI. 4. Alia litera, *Garrivi & defecit spiritus meus, bona siquidem defectione in salutare Dei.* Et hæc delectatio spiritualis, si Antonio credimus, sola est ratio vincendi inimicum. Ceterum fit per amorem animæ conjunctio ad Deum cum perceptione, multis modis, sicut contingit Deum multipliciter contemplari. Sed loquimur hic de conjunctione per pondus charitatis, quæ mota ab infinito amore, facit supermundanum & immensurabilem & absolutum puræ mentis excessum, sicut ait Dionysius. Tunc cognitio per speculum & ænigma quodammodò deseritur foris, & subA intrat amor usque ad interiora velaminis, ubi posuit Deus tenebras latibulum suum. At verò nunquam remanet absque cognitione: quod si foret ita, ipse nihil perciperet. Et cum nequeat oriri delectatio sine perceptione convenientis conjuncti, ubi tunc sua delectatio esset? Responderent aliqui, quòd amor est formaliter sua cognitio. Adderent aliqui quòd est formaliter sua delectatio. Videtur Vercellensis consona loqui super Cantica ad hanc positionem. Sed consonantius ad Philosophiam & Doctores dicimus, quòd sicut intellectus & voluntas sunt distinctæ potentiæ, sic cognitio & volitio vel amor distinguuntur, disjungitur dico; non ita tamen, quin circunincidant se mutuò; & hoc solerter advertere est & utile. Proficit in hac parte speculatio de modo connexionis virtutum Cardinalium cum prudentia, & Theologicarum cum gratia, & Donorum omnium geneB raliter & Beatitudinum cum charitate, si non informes & imperfectæ, nec veræ virtutes debeant reputari: itaque circunincidunt se mutuò, ut quælibet virtus alterius denominationem sortiatur. Dicimus enim cum Apostolo, quòd *Charitas est patiens & benigna &c.* I. Cor. XIII. 4. quòd temperantia est prudens, justa, fortis & è contra: similiter quòd Fides sperat & diligit, & è contra. Non aliter in re nostra dicit Aristoteles de voluntate, quòd ipsa est *appetitus intellectivus* vel *intellectus appetitivus.* Sic de actibus ipsarum potentiarum licet dicere, quòd amor est cognitivus & cognitio amorosa, dum ordinat ad amorem, non sistens in nuda speculatione veritatis. Exemplum materiale: manus & oculus concurrunt ad scribendum; oculus videt manum & maC nus movet calamum: non tamen virtus visiva est virtus motiva calami, nec manus est oculus; sed quodammodò circunincidunt se propter connexionem in una actione scribendi. Solvitur ex his facta dubitatio, quoniam amor dirigitur à cognitione in prima sui generatione. Certissimum quippe est, quòd voluntas non fertur in prorsùs incognitum, cum objectum suum sit conveniens vel apparenter ostensum. Non autem fertur aliqua potentia in non suum objectum, ut olfactus in sonum. Veritas est satis annotanda pro universitate dictorum & dicendorum, præcipuè de amore sponsæ, quòd voluntas quæ solùm habet pro objecto suo ultimo bonum summum & optimum, quæ sola insuper est universalis motor in regno animæ, seu toto microcosmo, dùm fuerit per dilectionem & ductionem intellectûs applicata ad objectum suum, tunc sufficit se ipsam movere liberè per actum amoris elicitum. Sufficit prætereà movere vires alias per habitus earum imperativè; quo fit ut vis cognitiva quæ priùs movebat objectaliter voluntatem præsentando objectum, nunc D ordine quasi converso, movetur liberè imperativè & arbitrariè ab ipsa voluntate. Exempli gratia in proposito. Memoria animæ intellectivæ fœcunda speciebus intelligibilibus acquisitis & abstractis ex phantasmatibus sensibilibus æstimativè, quam Commen. nominat intellectum passivum; memoria, inquam, ponit in acie intellectûs speciem repræsentantem Deum, non quidem nudè sed quasi speculum & in ænigmate. Intellectiva virtus formabit simile verbum de Deo, & illud naturaliter objiciet potentiæ volitivæ. Quo processu habito, novus poterit liberè & arbitrariè inchoari, quia movebit se voluntas dilectivè, non

non in cognitionem præsentatam intùs per intellectum, sed in rem extra vel quasi extra existentem, scilicet Deum. Non enim amat voluntas cognitionem hujusmodi Dei tanquam ultimum finem, sicut neque potest esse finis ejus: amat enim Deum ipsum immediatè, & se fert in ipsum & amplectitur & osculatur, & uberibus suis hæret, & in ejus fragrantia delectatur, licèt non videat oculo ad oculum vel facie ad faciem Deum. Deinde voluntas conjuncta fini suo ultimo Deo, præcipit arbitrio proprio & imperat intellectui, quasi dicendo: *Veni, vide, gusta & senti quàm dulcis est Dominus.* Ad cujus elucidationem ampliorem accedit amoris ignei lingua tertia.

Tertia Proprietas.

Amor lenit. Colligitur ista proprietas amoris ex his verbis: *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Cant. I. 3. Constat per oleum designari conditionem lenitivam quam attribuit amori increato, non sine creato, canens in Ecclesia: *Quando venis, corda lenis.* Est insuper oleum in condimentum dulcedinis & suavitatis, & mitigativum doloris. Unde Petrus II. Ep. II. 3. *Si tamen gustastis quoniam suavis est Dominus.* Et Apostolus concordat Hebr. VI. 5. *Gustaverunt*, inquit, *bonum Dei verbum.* Et David clamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine!* Psalm. XXX. 20. Et rursùm: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Psalm. CXLIV. 7. Samaritanus quoque ad curam vulnerati oleum apposuit. Prosequamur inchoata declarantes, quæ & qualis sit cognitio percipiens Deum ut optimum, conveniens & conjunctum, ex quo amor non est formaliter perceptivus cognitionis, quasi in eo vel cum eo sit formaliter perceptio, sicut & delectatio. Alioquin neque delectaretur si non perciperet, neque quiesceret aut frueretur Deo, si non delectaretur in eo. Istud est consideratione dignissimum, cujus ignorantia multos in amore Dei figere se volentes solet conturbare. Loquor expertus per tot Annos.

Quamvis autem multa dixerimus super *Magnificat*: nihilominùs faciens Deus gratiam pro gratia, & paulatim secundùm tempus & locum & modum beneplaciti sui dona sua multiplicans, dat in dies ferri magis *à claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu* II. Cor. III. 18. qui amor est dans experiri illud Davidicum Ps. CXVIII. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Familiaris itaque convictus ostensor est secretorum amicitiæ, quia & Christus Verbum & Sapientia Patris, medius accedit loquens linguis nedùm hominum, nedùm Angelorum, sed arcanorum Patris, quæ non licet homini loqui. Fortassis illa sunt arcana quæ divinus Dionysius à Paulo discere non potuit, nec ipse scribere vel docere nisi per silentium, sed eis revelavit Deus per Spiritum sanctum ea quæ nec *oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* I. Cor. II. 9. Stultus esset lector si quæreret, & ego præsumptor insanus si conarer altiora vel altiùs quam ipsi, exponere secreta cœlestia. Planè dùm etiam atque etiam rumino verba Pauli, verba subinde Dionysii super hac sapientia quæ in mysterio abscondita est; miranda & miseranda apparet hebetudo intellectûs nostri, non intùs, sed foris hærentis ad eorum doctrinam: ipsorum quippe verba, si velamen & obscuritas auferatur à corde, cognoscuntur apertissima esse, de quibus ambigere minùs est fas quàm de ipso materiali sole, ut jure dixerit Boëtius: *Hanc quisque poterit negare lucem. Candidos Phœbi radios negabit.* Oritur æstas hodie, Urbani festo, quando sol viridior est, & plus fulgidus & fervidus. Venit in memoriam Baptisma Valeriani insignis Ceciliæ virginis sponsi: libenter enim diei cujuslibet occurrentia speculari soleo mysteria. Vidit ipse Valerianus senem candidis indutum, cum Libro aureis literis scripto, in quo legit ista Pauli verba. Ephes. IV. 5. 6. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Valerianus interrogatus à sene si crederet, illicò respondit, nihil verius dici posse. In quibus tamen universa Dionysi. Theologia notata est. Nam in hoc quòd *unus est Deus & Pater omnium*, notatur Theologia de Trinitate & unitate divina, non enim esset paternitas in divinis, si non esset Trinitas, cujus fontale principium est Pater, *à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Ephes. III. 15. Ceterum cùm additur, *qui super omnes est*, datur intelligi Theologia mystica, quæ per excessum infinitum super omnes habet sciri. Porrò cum Deus esse dicitur *per omnia*, symbolicam ex omnibus & in omnibus concipimus Theologiam. Denique cùm subjunctum est, *& in omnibus nobis*, Theologia signatur procedens ex propriis & intelligibilibus positivè, qualiter fit in divinis nominibus tàm per causam quàm per excellentiam, non attendendo si fuerit infinita; quoniam in hac excellentia per infinitatem, mysterium Theologiæ per abnegationem collocatur. Additur præthereà triplex habitudo quam habet Deus ad nos ultra ceteras irrationales creaturas, scilicet per imaginem naturalem, per gratiam & per gloriam. Prima siquidem habitudo est ad Deum, nedùm ut principium causativum, sicut in omnibus est per essentiam, potentiam & præsentiam, sed etiam sicut ad principium objectivum, ratione imaginis quæ Dei capax est facta. Deinde, sicut ad principium inhabitativum, ratione similitudinis & reformationis per gratiam. Tertiò, sicut ad principium glorificativum, sub quo comprehendi potest habitudo hypostaticæ unionis in Christo, & maternæ dignitatis in Maria. Potest, æstimo, secundùm triplicem hanc similitudinem reddi ratio una, cur toties in Scripturis conjunguntur hæc tria: *Dominus, Deus, noster.* His ex incidenti transcursis, redeamus ad causam lenitatis amoris, qualem habuit Apostolus noster Remigius, de quo legitur: quòd bonitatem & benignitatem mansuetissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis, quoniam *Deus in Fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Habemus certè in amore sponsæ objectum convenientissimum Deum, habemus conjunctionem ipsius ad sponsum per osculum intimum, & per inhæsionem ad sedem amoris pectus suum, quod notatur in uberibus, & per legitimam olei lætitiam, juxta illud: *Unxit te Deus oleo lætitiæ* Psalm. XLIV. 8. Superest assignare cognitionem perceptivam; quoniam delectatio & lenitas est perceptio convenientis conjuncti. Difficultatem auget verbum Hugonis: *Amor*, inquit, *intrat ubi cognitio forisstat.* Illud insuper de quadam Homilia: *Possumus figere desiderium, ubi non est fas inferre obtutum.* Item, quòd *magis cognoscimus de Deo quid non est, quam quid est.* At verò loquatur jam quarta ignei amoris lingua, cujus proprietas est.

Quarta Proprietas.

Amor ardet. Colligitur hoc ex fervore desiderii sponsæ ad sponsum: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. I. 4. Mirus vero ardor & inextinguibilis fragrantia. Certè sponsa, concesso jam oris osculo fidenter postulato, velut ab absente, suscepta fuerat ad ubera sponsi; *quoniam meliora* dixit ea *vino, fragrantia unguentis optimis*, experta loquitur & delectata. Nam & subjungit, *oleum effusum nomen tuum.* Nunc ex satietate & uberum plenitudine, velut insatiabiliùs æstuans clamat: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Jure dixit de amore Seraphico Dionysius, quòd *est superfervidus & holocaustè purgativus, quoniam & seraphin, interpretatur ardens.* Est quidem in Angelis ardor iste, est in singulis etiam Beatis, quibus est una vox lætantium, & unus ardor cordium: propterea dicuntur lapides igniti, precipuè tamen & in excellentia Seraphicus Ordo possidet

sidet hunc ardorem. Propterea nec ipse à scientia sicut Cherubin, nec Cherubin ab ardore nominatur, quamvis absque ulla dubitatione & Seraphin cognoscat: & Cherubin ardeat; sic & voluntas cognoscit per intellectum & ardet per voluntatem intellectus.

Dicamus idcircò de ardore sponsæ, quòd non absque cognitione: alioquin delectabilis esse non posset & lenis ei sponsus suus Deus, ut opponebatur. Omnis utique delectatio fit ex perceptione, & omnis A perceptio sine dubitatione est cognitio, non qualiscunque, sed experimentalis & practica, est præsens quasi per sensum ens vel existens, quæ differt dupliciter à cognitione solùm speculativa & disjunctiva seu declarativa.

Primò, quia respicit principaliter bonum, sed speculativè verum; aut, si magis philosophicè dixerimus, respicit planè verum, quia verum est objectum intellectûs, sed non sistit in sola ratione veri; immò prout consonè vel conformiter aut confessè se habet ad appetitum boni protenditur. Ex qua distinctione sumitur illa altera de intellectu practico & speculativo.

Differt secundò perceptio experimentalis & practica à speculativa, in ordine & origine; quia necesse est perceptionem sequi comparationem appetitûs, præ- B sertim volitivi, & ab eodem causari; propterea rectè vocatur hujusmodi perceptio oculus voluntatis vel amoris sui maximè eliciti, quoniam inde causatur nec aliter oriretur. De ejus efficacia dicendum erit inferiùs super illo Cant. 4. 9. *Vulnerasti cor meum sponsa in uno oculorum tuorum.* Eliciamus exinde pulcherrimam de cognitione experimentali scintillam veritatis, respectu amoris sponsæ ad Deum sponsum. Violentior & vehementior est ista perceptio ad trahendum post sponsum, quàm speculativa. Ratio jam tacta est ex ordine literæ, & patet exemplo jam inducto de Scriptura, quam scribit manus ad directionem oculi. Si enim ostenderet oculus voluntati scribentis tantummodò speculativè quædam exemplaria literarum, sub quadam obscura generalitate; voluntas non ita traheretur & alliceretur ad scribendum, sicut fiet ex pulcherrima scriptura sua quam C producet, quam protinùs insuper ostendet percipiens oculus; quoniam oculus videt voluntatem scribentis, sicut voluntas movet oculum ad videndum literas quas format, mediante manu, sed ex imperio suo. Sentiens igitur vis affectiva seu motiva pulchritudinem egregiam in literis seu picturis quales alibi non viderat, quia non scripserat; trahetur ampliùs ad continuandum scripturam, præcipiens tunc oculos permanere in hac sua operatione directiva, ut permaneat & delectetur in vi motiva sua; quoniam ex dictis duobus consurgit & oritur vehementior delectatio, quæ secundùm Aristotelem & experientiam tenet operantem in operatione. Facile erit ex hac una similitudine considerare sensibiles alias innumerabiles, & ex illis ascendere ad perceptiones & motiones rationis & mentis, quales plurimi, non habentes exercitatos sensus spirituales non advertunt, nisi fortassis in formis & involu- D cris phantasmatum, sicut ex sola & simplici fide & spe de Deo in solo ænigmate, propter quales fortè putant aliqui dictum illud quod inductum est de cognitione Dei, quòd magis cognoscitur quid non est, quàm quid est.

Quinta Proprietas.

Amor ingreditur cellas. Introduxit (inquit sponsa) *me Rex in cellaria sua* Cant 1. 3. Cui congaudent & applaudunt illæ de quibus bis dixerat: adolescentulæ. *Adolescentulæ*, inquit, *dilexerunt te.* ℣. 2. Et se rursùs connumerans eis *Curremus in odorem unguentorum tuorum. Lætabimur*, inquiunt, *& exultabimus in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Recti dicunt. *Amo.* Consonè loquitur Discipulus ille quem diligebat Jesus: Odor tuus Christe, in me excitavit concupiscentias æternas. Ipse quidem Christus Rex est, de quo pulcherrima mulierum Mater sua fas habet dicere: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit dominus* Gen. XXVII. 27. sine cujus odore non curritur; quia nemo venit ad Patrem nisi tractus à filio, sicut nec ad filium *nemo venire potest nisi pater suus traxerit eum* Joan. VI. 44. Sunt aliqui sortiti animam bonam, quos etiam à puero notavimus anhelare ad divinos odores, & ad cœlestia desideria naturali quodam instinctu suspendi, nondum habentes rationis usum plenum. Habent alii curvas in terris animas & cœlestium inanes, instar pecorum.

Discipulus Patris unius in eremo conquestus est eidem cum admiratione, quòd unus ex fratribus apostataverat. *Mirare*, inquit, *potius fili, quo pacto remanet aliquis, cum nullus hìc remanere possit, si non venerit specialiter à Deo, non humano solùm consilio tractus.* Exemplum addidit de vario genere catulorum, quorum aliqui per odorem bestiæ prosequuntur eam infatigabiliter, dum alii quamvis exercitati per clamorem, statim desistant, nec alios comitantur, quia odorem venaticum non hauriunt naribus. *Christi bonus odor sumus*, dicebat Apostolus 2. *Cor.* II. 15. sed non omnibus ad vitam, quemadmodùm Judas, quando domus repleta est ex odore unguenti, non cucurrit, sed lapsus est. Tales notati sunt, ab adolescentulis dicentibus ad sponsam: *Recti diligunt te.* Noverat esse nonnullos qui rectis eam oculis aspicere non poterant, nec odorem optimum ejus ferre, nigram quoque spernebant & fuscam. Porrò quid egerit sponsa quam introduxit Rex in cellaria sua, satis colligitur ex lætitia & exultatione adolescentularum suarum in uberibus suis super vinum carnalis lætitiæ, aut sapientiæ per industriam acquisitæ. Collegit itaque ex divini saporis thesauris atque cellariis doctrinas uberes pietatis. Est enim infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, participes effecti sunt amicitiæ Dei. Quæ verò sint hujusmodi doctrinæ pietatis, prout nominat Apostolus, post dicemus; si prius aliqua de sexta amoris proprietate tetigerimus; adaptaverimus & Cantichordum, hoc est ad canticum cordis omnia quæ dicta sunt & dicentur super hujusmodi Canticis Canticorum.

Sexta Proprietas.

Amor pulcher & ipse niger. Nigra inquit, *sum sed formosa filia Jerusalem.* Cant. 1. 4. Abstractum pro concreto, & femineum pro masculino frequenter accipimus; quoniam sicut sponsi & sponsæ unus est spiritus, ita vox communis est. *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol* ℣. 5. Quid pulchritudo sponsæ, nisi sua ad Deum syncera dilectio? Quid nigredo sua vel fuscedo, nisi timorata & reverens humiliatio? Sua quippe pulchritudo, sua quoque quantumcumque pura & fervida dilectio, nec non cognitionis claritudo, quid est in æstimatione sua, dùm comparatur ad illum solem justitiæ, de quo subjungit reddens causam sui timoris in nigredine vel fuscedine vel pallore notati? *quia*, inquit, *decoloravit me sol*: Et ita decoloravit ut in caliginem & tenebras tota ruat. Nunc in transcursu solo; quoniam alibi latissimè, & pluries in utraque lingua tractavimus, fiat applicatio Cantichordi novi ad hoc Epithalamium, secundùm proprietates sex in hoc duplici primo notatas, conformiter ad notulas & vocem ejusdem Cantichordi, quæ sunt hæ, secundùm quas omnis doctrina pietatis quæ hauritur in cellariis suis, cantari potest in harmonia cordis, gaudium, mœror, spes, timor & pietas. Est autem pietas, prout hìc accipitur, Amor consurgens ex affinitate, omnis autem affinitas procedit ab ipso patre luminum, *ex quo omnis paternitas*, secundùm Apostolum Ephes. 3. 15. *in cœlo & in terra nominatur.* Repetitio. *Oscula poscit amor. Delectat*: ecce gaudium. *Lenit*: ecce dolorem per indirectum qui lenitur. *Et ardet*, id est,

est, desiderat vehementer, ecce spem. Ingreditur cellas *pulcher, & ipse niger*, ecce timorem in nigredine seu pallore, qui est timenti color aptus. Effectus enim timoris est pallor, propter spiritus confluentes ad cor.

Fiat hîc diapsalma, hoc est pausatio psallentium in Canticis pro recreatione cantantium, quatenùs etiam possit ipsa doctrina pietatis diligentiùs inspici; quoniam *pietas ad omnia valet*, 1. Tim. IV. 8. quæ Canticorum omnium in cordibus nostris radix est, exemplar & finis: prout uberrimè, utinam fructuosè: tractata per nos de Canticis manifestant. A. *gaudium*. E. *spes*. I. *pietas*. O *timor*. U. *dolor*.

SYMPSALMA II.

Prima Proprietas.

OPPUGNATUR *amor. Filii*, inquit, *matris meæ pugnaverunt contra me*. Cant. 1.6. Pendet hæc sententia juxta sensum unum ex immediatè præcedenti, ubi causam reddit sponsa suæ nigredinis dicens: *quia decoloravit me sol*, sol videlicet justitiæ, permittens me tribulationis & tentationis ardoribus exponi. Contra quod dicitur in Psalm. CXX. 6. *Per diem sol non uret te.* Juxta quem intellectum filii matris suæ pugnantes contra eam acciperentur in sinistram partem, vel de perversis Ecclesiæ filiis vel de dæmonibus qui per creationem sunt deitatis Matris omnium filii: vel certè de Adam & Eva, quorum filii nequam, sunt tyrannici motus concupiscentiæ originalis, quorum lex repugnat legi mentis qui divertunt animam verbigenam ad infimas, ad infames vineas tot desideriorum, quibus obniti non semper potest. Sicut enim totiens conqueritur Apostolus: *Rom.* VII. Amor sponsæ vineam propriam cœlestis desiderii assiduo fervore custodire non prævalet. Inde pallor ille timoris, & fuscæ nigræque decolorationis; quia velle bonum sibi adjacet, posse autem non invenit. *Rom.* VII. 18. juxta votum.

Sunt alii sensus per anagogiam, & in bonam partem de filiis Ecclesiæ cœlestis quos Angelos intelligit amor sponsæ, qualis fuit ille Angelus qui pugnavit in lucta contra Jacob: aut certè per allegoriam de Ecclesia Gentium, si coarctetur, ut cœpimus, Canticum nostrum ad amorem sponsæ, & quid secundùm doctrinam pietatis resonent hæc & sequentia perscrutemur. Non enim frustra dixit amor sponsæ priùs: *Introduxit me Rex in cellaria sua*, Cant. 1. 4. sed illic edocta, *Eructavit verbum bonum, dicens opera sua* & vota eidem *Regi* Psalm. XLIV. 1. quoniam facta est lingua sua calamus scribæ velociter scribentis. *Psalm* XLIV. 2.

Secunda Proprietas.

Amor igitur *desiderat alta tenere*: *Indica mihi* (inquit sponsa) *quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Cant. 1.6. Attendat pietas quemadmodùm citò nomen Regis, quod est excellentiæ & dignitatis deflexit sensim in nomen pastoris. *Ubi pascas* inquit. Scimus attribui pastoribus amatoria carmina, ubi simplicitas libera & campestris sine dolo versatur, ubi nec arrogantia dominatur. Et quoniam ex hac proprietate pendent non modicum præcedentes & sequentes; consideremus quid sibi velit amor, quid desiderat alta tenere, & tam alta, ut notitiam de sponso suo Deo meridianam audeat postulare. Constat ex doctrina pietatis hausta in sapientiæ cellariis, quadruplicem in genere notitiam esse amoris divini. Meridianam de se & apud se, ubi est qui est ens purum super se reflexum. Meridianam secundò notitiam dicimus de Deo, sed extra se in creatura beata. Tertiò matutinam in ipso de creaturis. Quartò vespertinam in proprio genere, videndo creaturas per speculum & in ænigmate, maximè pro statu viæ, vel in speculo, & fortassis in ænigmate quodam vestigiorum etiam in patria. Vult amor sponsæ soli intendere quem ex toto corde non diviso, non disperso diligit. Petit idcircò præsentiam sponsi jugiter agnoscere, cujus gregi uni causa subditur in sequenti proprietate.

Tertia Proprietas.

Amor esse vagus refugit, dicens: *Ne vagari* hoc est vanè agi, *incipiam post greges sodalium tuorum*, Cant. 1. 6. quicquid enim divisionem ab unitate separante recipit aut nutrit, horret & amor tanquam unicè dilectæ contrarium. Præterea sodales hoc loco & greges similiter & tabernacula pastorum in partem intelligimus uni ovili, uni pastori contrarium accipi.

Quarta Proprietas.

Doctus est amor sponsæ, ut altera denotat amoris proprietas, & hoc sciens sponsus; sed ne superbiat sponsa, immò cognoscat qualiter & unde donum istud acceperit, dicit in altera proprietate. *Si ignoras te, &c.* ℣. 7. Et jungit pro quinta proprietate.

Quinta Proprietas.

Amorem eques Dei, qui vehit, scilicet & vehitur *Equitatui meo*, ℣. 8. *&c.* Blandiens ergo sponsus neque cum austeritate indignabundus abjiciens. *Si ignoras te*, ait, *ô pulcherrima mulierum*, *si* pro *non* intelligens, *Egredere & abi*, hoc est, egredieris & abibis vagabunda post vestigia gregum in dispersione hac illacque discorditer errantium, & illic pasces hœdos sensuum tuorum qui ponendi sunt à sinistris sub varietate pastorum tabernacula sibi multiplicantium in falsitate & vanitate. Quod ne feceris aut factura sis *equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea*, ℣. 8. quia gratiam contemplationis quæ te de curribus Pharaonis eripiat, quæ persecutrices curas perdere te volentes perdat, largitus sum. Dedi præterea ut essent *pulchræ genæ tuæ sicut turturis*, in honestate conversationis, & collum tuum quod mihi te conjungit, sit *sicut monilia*. ℣. 9. *Nos quoque murenulas aureas*, quæ sunt sententiæ pietatis aureæ, *faciemus tibi vermiculatas argento*, ℣. 10. eloquentiæ; quoniam *eloquia mea eloquia casta sunt, argentum igne examinatum, probatum terra purgatum septulum*. Ps. X. 1. 7.

Sint hæc interim pro concordia & sympsalmate secundo contexta absque præjudicio sententiarum, quas esse multiplices alias non me latet: fiat recursus ad petitionem & desiderium sponsæ ex amoris fiducia loquentis, *Amo te*. *Indica mihi*, per amorem tuum quo amas me, *ubi pascas, ubi cubes in meridie*. ℣. 6. Accipiantur sequentia quasi pro diapsalmate ad illustrationem Canticorum. Dicamus hîc cum Petro, *Matth.* XVII. 4. de cujus filia charissima Petronella hodie meminit Ecclesia. *Bonum est nos hîc esse*, non *ut faciamus tria tabernacula*: Matth. 17. 4. *Nesciebat enim quid diceret*, sed ut levantes oculos nostræ considerationis neminem videamus nisi solum Jesum qui per effectus varios & instinctus quærit à sponsa, *Amas me?* Cui quæstioni semper benè conscia sponsa respondet: *Domine tu scis quia amo te*. Cui Dominus respondet: *Pasce agnos meos*. Joan. XXI. 15. 16. 17. Et per agnos hîc fortassis intelligimus non incongruè idem quod adolescentulas, de quibus supra in alio sympsalmate quæ statum incipientium vel animalium & imperfectorum significant & tenent: sicut per filias Jerusalem nos in gloria consummatas animas vel Angelos intelligimus, à quibus sponsa consolationem petit & accipit mutua & varia collocutione frequenter exhibita. Itaque cognoscentes adolescentulæ quoniam introduxit Rex sponsam in cellaria sua. Ita enim revelavit eis; congau-

gaudent mox & dicunt, *exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum* Cant. I. 3. Plus enim delectat ancillas sponsæ adolescentulas lac doctrinalis pietatis stillantis ex uberibus suis; quàm vinum scientiæ cujuslibet secularis vel humano studio torculatum. Constituamus igitur ante considerationis oculos adolescentulas nunc has, nunc illas, pro desiderio, paulatim ad notitiam sponsi pervenire satagentes, & se monilibus aureis vermiculatis argento quantùm fas est ornare cupientes, postulare per amorem mutuum sponsi & sponsæ multiplices sibi quæstiunculas indicari.

Prima quæstio. Amor sponsi summus. Nunquid potest totus totaliter diligi & à diligente haberi? Responsio per distinctionem. Concurrunt enim ad dilectionem tria, dilectus, & diligens, & habitudo diligentis ad dilectum. Itaque Deus si est totus desiderabilis quia totus bonus, ita est de se totus & totaliter diligibilis, quia finis ultimus est. Diligens verò anima potest tota & totaliter diligere, videlicet ex tota se, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex toto intellectu & ex omnibus viribus suis: alioquin non perciperetur si non posset impleri, quod fiet maximè dùm venerit quod perfectum est in patria, ubi dicuntur comprehensiones esse, quoniam apprehendunt secundùm totum posse suum, totum nosse, totum velle. Proinde tertiò si fiat collatio diligentis ad dilectum, sic dilectus Deus solus à se totaliter diligitur & comprehenditur, sicut solus habet æternalitatem, solus lucem immensam & inaccessibilem inhabitat, solus nulla cognitionis finitate circunscribi potest, solus in æterna Trinitate sua pleno & infinito tonitruo magnitudinis resonat in secula seculorum, loquente qualibet persona ad alteram, *Amo te. Amo te. Amo te.* Amor quid amat cùm Deum amat? Responsio conformiter ad Augustinum quærentem, *Quid amo, dum Deum amo?* Amo quemdam sonum quem non capit tempus, quemdam odorem quem non spargit flatus, quemdam saporem quem non minuit edacitas, quemdam amplexum quem non divellit societas. Amor nunquid cognoscit diligendo Deum quid est Deus? Responsio per distinctionem cujus ignorantia multos turbat. Aut enim quæritur de cognitione quidditativa Dei perfecta, singulari & aspectiva, seu definitiva, & hoc quodammodò verum est quòd nescit viator quid est Deus, immò nec comprehensor, nisi cognitione & dilectione actuali finita formaliter; sicut essentia, virtus & operatio finitæ sunt. Si verò quæritur de cognitione & dilectione quidditatis Dei, sub generalibus attributis appropriatis sibi per quid nominis, descriptivè & per excellentiam superabundantis affirmationis, qualia significant omnia nomina immensitatem dicentia explicitè vel implicitè; constat quòd nedum cœlo intuitivè, sed etiam in via abstractivè cognoscitur quid Deus est, immò pro regula. Quantùm quisque cognoscit de Deo quod est, tantundem ipse novit quid est; si perfectè, perfectè; si imperfectè, imperfectè. Neque enim sunt audiendi qui dicunt, nihil de Deo cognosci, si non cognoscatur omnis ejus proprietas, hoc saltem in negationibus habet instantiam. Verissimum quippe est quòd Deus non est lapis vel asinus. Quantùm verò scitur de Deo quid non est (cum privatio cognoscatur per habitum) scitur tantumdem de Deo quid ipse est. Amor nunquid immediatè diligit Deum dicendo sibi veraciter, amo te toto corde, amo te tota anima, amo te tota mente, amo te toto intellectu, sine deceptione; tota voluntate, sine contradictione; tota memoria, sine oblivione; tota virtute, sine defectione; ex omnibus viribus, sine discrepatione; Denique propter te sinceriter & unicè? Responsio per considerationes efficacem excellentiam hujus orationis, *Amo te. Amo te. Amo te* designantes. *Amo te* verbum est & canticum propriissimè conveniens & æternaliter Trinitati: Unde hoc *Verbo Domini cœli firmati sunt*, & hoc *spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Psalm. 32. 6. Ipse enim dixit de qualibet creatura in esse producta: *Amo te*, & facta est. Suum enim amare creaturam, est suum facere. Itaque quantùm vult creaturæ esse & benè esse, tantùm dicit eidem & per effectum, *Amo te. Amo te*, vox est vel oratio in qua & per quam sicut in ænigmate cognoscitur Deus unus in Trinitate, & trinus in unitate; dixit amor noster Jesus, quòd *jota unum aut unus apex non præteribit à lege*. Matth. v. 18. Fuerunt qui præterea ex litteris scripturæ tanquam seminariis & elementis veritatum conati sunt ut Joachim intelligere, id est, intus legere, multa etiam usque ad prophetias de occultis & futuris, sed in multis fefellit istum audacior curiositas quam satis erat ad doctrinam pietatis. Dicamus ergo cum sobrietate, quod in hac dictione *Amo*, signatur principium, medium & finis secundum tres ejus literas. Est enim præcipuum in creaturis vestigium secundùm Pythagoricos, *principium, medium & finis*, quod Peripatetici plus specificaverunt dicentes: in re qualibet esse tria, quæ sunt *natura, virtus & operatio*. Theologi verò particulariùs & diffusiùs assignant in vestigiis beatissimam Trinitatem. Reperitur namque in omni re *unitas, veritas, & bonitas*. Reperitur modus, species & ordo. Reperitur mensura, numerus & pondus, reperitur in magnitudine longum, latum & profundum. Et ita per singulas rerum conditiones nominatim in re nostra. Itaque dixit Christus, referente Joanne in Apocalypsi. I. 8. *Ego sum Alpha & Omega*: principium & finis. Jungitur aptè M. pro medio, Ego, inquit, in medio sum, &c. & Joannes, *medius vestrum stetat*, Joan. I. 26. &c. Rursùs hæc litera duplicata, juxta morem antiquum scribendi complectitur apices quatuor lineales, per quos in ænigmate cognosci potest vestigium Trinitatis simul cum misterio Crucis sic E. Scripserunt inde quidam quòd hujusmodi dictio E non sine sancti Spiritus instinctu præposita est in Canone Missæ & subjunctum. Clementissime Pater, quod est nomen omnis amoris originale fundamentum, à quo sumit Oratio Dominica exauditionis suæ ausum. *Amo te* vox est universaliter cujuslibet creaturæ. Sua laus insuper, suum canticum, sua jubilatio, virtus, honor, & exultatio, psalmus, organum & adoratio. Felix es ô creatura rationalis, quæ capax facta es audire simul & intelligere per omnia generaliter in Deo & in creatura, istam jocunditatis vocem: *Amo te*. Infelix ex adverso creatura rationalis, quæ discordat à tali cantico perversa voluntate, cui non placet ideo canticum amoris & pacis, quia nec dat gloriam Deo in excelsis, nec in terris habet pacem bonæ voluntatis. Propterea jure dixistis O adolescentulæ, *recti diligunt te*, non iniqui, non distorti & roprobi: *hoc cognovi*, dicit Ecclesiastes VII. 29. quod *fecerit Deus hominem rectum & ipse miscuit se infinitis quæstionibus*, per curiositatem, instabilitatem & cupiditatem. Primum in rationali, secundum in irascibili, tertium in concupiscibili. *Amo te*. Vox est erumpens ab ore pietatis paternalis in omnes universaliter generationes. Præsupponitur hîc ex aliis quòd pietas est amor consurgens ex affinitate. Unde juxta diversos gradus affinitatis diversificatur amor pietatis, ut Patris ad filium & è contra, viri ad uxorem & è contra, civium ad civitatem aut patriam, propinquorum, domesticorum & consanguineorum ad invicem. Constat autem ex Apostolica sententia *Ephes.* III. 15. quòd *ex Deo patre omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur*, & ex consequenti quælibet proximitas aut affinitas in omnibus generationibus cœli & terræ, nedum in hominibus de quibus dixerunt quidam poëtarum: *Ipsius etenim genus sumus*, quod verbum fecit Apostolus *Act.* XVII. 28. confirmando Catholicum; confirmat Petrus Christianis loquens: *Vos estis genus electum*. I. Petr. II. I.

Amo te. Vox est tam efficax, vivax & sonora, ut ad aures Dei, quæ sunt ejus immensa virtus cognoscitiva, generaliter & immediatè pertingat. Sciebat amor noster Jesus, quòd *omnia dedit ei Pater in manus*. Joan. XIII. 3. Di-

Dicebat alibi: *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Joan. VI. 37. *Ad locum* quoque suum *unde exeunt flumina, revertuntur.* Eccl. I. 7. dicente Salomone, & physicam sententiam confirmante commemoratam à Boëtio: *Repetunt proprios quaque recursus, redituque suo singula gaudent, nec manet ibi ulli traditus ordo, nisi quod fini junxerit ortum, stabilemque sui fecerit orbem.* Et rursùm altero metro: *Quia non aliter durare queant, nisi converso rursus amore refluant causa qua dedit esse.* Constat quòd reditus iste fit per amorem, sicut altero metro dicit: *Deformis quas lege benigna ad te conversas reduci facis igne reverti:* Quis autem ignis sit iste, constat ex Dionysio de Angelica hierarchia in fine: & eodem Boëtio, quòd est amor communis insitus naturæ, de quo sic exclamat: *O felix hominum genus si vestros animos amor quo cœlum regitur regat.* Constat ex istis veritas considerationis respondens inquisitioni, *Si Deus immediatè amatur?* Perspicuum est ita esse. Nihil quippe medium inter Deum & creaturam. Sed fortè particularior erat intentio de amore libero creaturæ rationalis. Dicemus consequenter, si priùs addiderimus ad præmissa de vivacitate hujus vocis, *Amo te.* Amo te, tantæ vivacitatis vox est & efficaciæ, quia neque mors neque infernus illam opprimere valeat aut tollere. Habet infernus horrendos gemitus pœnarum ex horribilioribus clamoribus vitiorum; nihilominùs resultat ex illis cum justitia & natura simul cum misericordia, carmen pulcherrimum & summè harmoniacum auribus piis & bonæ voluntatis. Habet locum tenoris severitas justitiæ. Habet locum contra tenoris bonitas naturæ. Habet locum discantus suavitas misericordiæ. *Fortis* igitur *ut mors dilectio & dura sicut infernus æmulatio. Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam,* Cant. VIII. 6. 7.

Amo te, si profertur à creatura rationali Deo suo toto corde, tota anima & tota mente per pietatem Fidei, Spei & Charitatis, ipsa conjungitur immediatè Deo suo; quo dicente, *Amo te*, ipsa facta est: quo patiente, ista amorosiùs reparata. Coarctatur hæc propositio ad amorem liberum & pium: & possumus ipsum per tres gradus distinguere, juxta multiplex ternarium, quod priùs notatum est; de quibus sufficit ille communis ternarius, *incipientium, proficientium, & perfectorum*, prout aliqui sunt animales, aliqui rationales, aliqui spirituales, secundùm quos loquitur Hugo, dicens nonnullos in Ecclesia contentari simplici Fide Christiana, non investigantes rationem: quærunt alii cum Fide rationem ad solamen suum & aliorum ædificationem; transcendunt alii ad simplicem intelligentiam creditorum & eorum quæ per rationem didicerunt. Et si probaverimus de primis quòd possunt immediatè Deum diligere, perspicuum satis de reliquis. Et in primis si volumus uti consuetudine generali de causalitate Dei, quod in omni actione sua concurrit immediatè ad omnem effectum, secundùm triplex genus causæ, processus non erit ambiguus de amore pio & libero. Dicit autem Parisiensis Articulus, quod *prima causa sic est remotissima quòd etiam propinquissima, sic generalissima quòd etiam singularissima.* Damnatque positiones oppositas, quæ si forsan aliquando visæ fuerint disputabiles, tamen veritas ista per posteriores certissimis demonstrationibus comperta est nullatenus esse dubitabilis. Unde vermiculus æquè particulariter & immediatè producitur à Deo sicut Angelus; quamvis in hoc sit differentia quòd ad productionem vermiculi concurrunt aliæ causæ particulares cum Deo, non sic cum Angelo dum creatur: Uno siquidem amore penitùs invariabili producitur vermiculus quo & quali productus est Angelus, sicut eodem verbo de omnibus ipse *dixit & facta sunt.* Ps. CXLVIII. 5. Erat autem istud dicere Dei, idem penitus quod amare, dicere videlicet practicum appropriatum Spiritui sancto non speculativum tantummodò, quod interius proprium est Verbi Dei. Accipimus ergo amorem Dei pro fervore

actuali, & similiter amorem sponsæ ad sponsum pro fervore se actualiter exercente. Constat namque animam quamdiu est in charitate, conjungi habitualiter & immediatè Deo, scilicet actu primo. Possumus consimiliter ratione ita sentire de fervore quem dicimus actum secundum & productum à fervore Dei, qui per Spiritum sanctum agit in filios Dei. *Amo te*, vel A *Osculor te*, dictum veraciter à sponsa sponso suo Deo, jungit eam immediatè sibi suaviter & quietè, ut dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, Cant. II. 16. *inter ubera mea commorabitur*, I. 12. *& dextera illius amplexabitur me*, II. 6. & VIII. 3. Consonè ad illud de Benjamin adolescentulo in mentis excessu: quæ mens Pauli quem nunc recolimus amantissimum Domini, habitabit confidenter in eo, tanquam in thalamo tota die meditabitur, & inter humeros illius requiescet brachiis, scilicet suspensis & innexis ad collum. Qua in re notandus est processus redeundi in Deum, ut innotescat qualiter tandem & ubi fiat quies. Constat in primis non esse quietem in viribus vegetativis propter necessarios & assiduos in nutriendo, vegetando, & augendo motus & alterationes. Constat insuper quòd nec in viribus animalibus sensuum exteriorum, sed nec interiorum, propter varias objectorum & necessarias immutationes. Constat ampliùs quòd nec in viribus rationalibus, & quæ obedibiles rationi, quæ sunt rationalis, irascibilis, & concupiscibilis, propter discursus vagos B & varios quibus agitantur.

Constat ampliùs quòd nec in portione vel vi intellectiva, quæ naturaliter movetur ab objectis, quæ sunt phantasmata aut species intelligibiles, etiam si negotietur intellectus circa prima principia, quæ sunt infallibilis & invariabilis veritatis. Superest igitur si debeat esse quies & finis motus in sponsa, quòd quæratur in voluntate sua, cujus est solius principaliter dicere Deo sicut objecto & fini suo ultimo: Amo te, maneo in te, & tu in me, sicut promittit Christus fruenti se sacramentali manducatione. Dicit autem mansio finem motus & quietem.

Tali modo redit ultimus amor charitate formatus ad primum quietum naturaliter, quamvis liberaliter insitum circulo quodam ubi est principium, medium & finis, quasi triplicato verbo, *Amo te.*

Denique constat istic esse quietem in amando, in cognoscendo, in memoriter retinendo, secundùm habitum etiam in via, nisi sponsæ voluntas averterit faciem ab oculo sponsi & ab amplexu, peccando se subtraxerit. Porrò de fervore actuali dilec- C ctionis pro tempore viæ non potest ita dici, obstante mortalitatis necessitate multiplici. Unde oppugnatur amor interiùs & exteriùs ponitur in vineis sensuum, & vineam propriam actualiter non custodit. Hinc gemebundus & anhelus ad patriam exclamat, Cant. I. 6. *Indica mihi quem diligit anima mea ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne* quando tam miserabiliter & jugiter *vagari incipiam*, & cetera quæ superficialiter prætacta sunt.

SYMPSALMA. III.

Gratus amor cor habet simplex, cui lectulus extat Floridus, est fructus dulcis in ore suo.

GRATUS, inquam, quia *Cùm esset Rex in accubitu suo*, dicit amor sponsæ: *Nardus mea dedit odorem* D *suum*, I. 11. ubi secundùm dividentes Cantica per dramata decem inchoat secundùm drama, paulò post tertium, *ecce tu pulcher.* ℣. 15. Deinde quartum, *Sicut malus.* II. 3. Quintum, *vox dilecti.* 8. Sextum, *dilectus meus mihi.* II. 16. Septimum, *egredimini.* III. 2. Octavum, *veniat dilectus.* V. 1. Nonum, *vox dilecti pulsantis.* V. 2. Decimum, *quis mihi det?* VIII. 1. Est autem ratio divisionis, inchoatio locutionis sponsæ ad sponsum cum responsione sponsi. Sed ordinem cœptum tenentes per Sympsalmata decem secundùm totidem metra nostra per amoris proprietates, cùm murænulis aureis doctrinæ pietatis.

Rememoremur inprimis quemadmodùm sponsa quæsierit: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas ubi cubes in meridie*, Cant. I. 7. Et intelligamus petitionem sponsæ benigniter, quoad aliud exauditam. Indicavit enim Christus quem diligit, quemadmodùm pascit & cubat in meridie ardentissimæ Passionis suæ, rememoratæ per Eucharistiam. In quo accubitu cùm esset pacificus, gloriatur sponsa, ℣. 12. quòd *nardus* suæ devotionis dederit *odorem suavitatis* per desiderii fervorem ad hoc sacrificium, quod est in odorem suavissimum Domino; ipse enim idem est sacrificans, Sacrificium, & cui sacrificatur, *In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, Coloss. I. 19. hoc est perfectè & secundùm omnem virtutis dimensionem integraliter, sicut Apostolus intellexit, & Martinus vocans Deum corpus. Amor subinde post experientiam suavitatis sentit validam fuisse vocationem sponsi dicentis: Matth. XI. 28. *Venite ad me qui laboratis & onerati estis*, & cetera quæ sequuntur, qualia notantur singillatim in amorosissimo hoc verbo sequenti sponsæ: Cant. I. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Attende in fasciculo lenitatem, in myrrha suavitatem. In eo quod est dilectus, mitis est; in eo quod dignatur esse suus, humilis corde. Porrò datur sibi, id est, pro se ad refectionem, & inter ubera ponitur ut jugum connectens & commoratur ut quietans. Est igitur Christus venienti ad se dilectæ, post tot labores & onera tentationum & tribulationum *jugum suave & onus leve*, Matth. XI. 30. mitis quoque & humilis corde, reficiens denique & quietans. Ad quod spectat quod addit sponsa: Cant. I. 13. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Siquidem in botro cypri & vineis Engaddi refectio suavis accipitur: simplicitas proinde laudatur in sponsa per oculos columbinos, ℣. 15. quos dirigit ad sponsum, quoniam *ubi amor, ibi oculus.* Pulchritudo quoque duplex exprimitur in amica, quæ reciproca vicissitudine laudat in dilecto quod ℣. 15. *pulcher est & decorus.* Subinfert denique quasi verecunda in similitudine petens osculum. *Lectulus noster floridus*, ibid. laudans domum totam ex tignis & lequearibus virium fortium esse compositam, ℣. 16. quatenùs appareat inde lectuli floridi, id est, conscientiæ requies securior. Dilectus adjungit non adversativè; sed confirmativè, ad verba sponsæ dicentis *lectulus noster floridus*, nimirum quia *ego flos campi & lilium convallium*, Cant. II. 1. Tu verò *amica mea sicut lilium floriferum*, ℣. 2. omnes filias excedens sicut lilium spinas exuperat in decore. Subjungit proinde amor sponsæ *sicut malus inter ligna sylvarum*, ℣. 3. fertilis scilicet inter infructuosa, sic amicus meus inter filios, quòd per experientiam se cognovisse demonstrat dicens ibid. *Sub umbra illius quem desiderabam sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cursim ista pro textu litterali de proprietatibus amoris dicta sint, latior aliquanto de amore fruitivo fiat sermo. Amor fruitivus vel amorosa fruitio, si propriè sumatur, includit tria principaliter, præsupponens cognitionem Dei saltem ex simplici fide. Primum, est libera motio voluntatis in Deum tanquam finem ultimum, & hoc ex pondere charitatis creatæ simul & increatæ. Alterum, est perceptio talis unionis cum Deo. Tertium, est consequens ad hæc duo & ipsa perficiens, quòd est delectatio, quæ describitur perceptio convenientis conjuncti, sicut ista pluries exposuimus; sed repetimus ad eliciendam descriptionem succinctam amoris fruitivi, quòd est pertractio libera finis ultimi satians & quietans. Pertractio ponitur quasi pro genere, quoniam usus & fruitio habent actionem circa objectum suum, & suo modo tenent & pertractant ipsum. Et hæc sub aliis verbis significat Augustinus dicens, de *frui & uti*; quòd *est sumere aliquid in facultatem voluntatis.* Et quia propriè sola voluntas utitur aut fruitur, propterea jungitur libera, ad hoc quasi genus pertractio. Deinde pro differentia fruitionis ad usum subditur finis ultimi. Rursùs quia finis ultimus continet omne bonum, subjungitur satians & quietans.

Amor fruitivus sic descriptus convenit omni & soli qui fruitur etiam ipsi Deo, quoniam pertractat liberè se circa finem ultimum delectabiliter &
A quietè. Consonat Augustini descriptio. *Fruimur rebus cognitis, quibus mens propter se delectata quiescit.* Accipitur autem fruitio latiùs aliquando prout extenditur ad usum liberum, immò & magis impropriè prout brutis conveniret. Sed stet ista proprietas & attendamus quale quantumque sit habere Deum in libera facultate voluntatis, ut pertractet eum faciens de eo sicut voluerit. Quis in hac parte vim amoris dignè laudaverit? Quis dignationem divinæ pietatis in ministerio nobis datam satis admiratus fuerit? Qua in re dicebat fructus vitæ, Luc. XXII. 27. *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Et rursùm pollicetur, *quod præcinget se, & servos quos invenerit vigilantes, faciet discumbere, & transiens ministrabit eis*, dicens: Luc. XII. 37. *Comedite amici & bibite*, Cant. V. I.

Amor fruitivus habet immediatè Deum nedum pro objecto circa quod versatur, sed etiam pro proprio & immediato fine ultimo ad quod inclinat & in-
B clinatur. Singularis hæc proprietas est ipsius charitatis, ex qua sumitur excellentia voluntatis. Sunt aliæ duæ virtutes Theologicæ, Fides & Spes circa Deum tanquam proprium & immediatum objectum, sed non sub ratione finis ultimi, quod est summum bonum; quoniam Fides respicit Deum sub ratione veri primi, & Spes sub ratione summi ardui, quæ duo non habent finis ultimi rationem. Porrò virtutes Cardinales, Dona & Beatitudines, vel habent pro objecto immediato res alias à Deo, sicut temperantia moderatur passiones concupiscibiles, & fortitudo passiones irascibiles, & pœnitentia respicit peccatum. Similiter & luctus, & justitia humanos actus. Aut si tendant in Deum inclinativè, non tamen immediatè & per se motivè, sed solùm mediante Charitate, quæ dat eis vitam pondus & decorem. Amor fruitivus omnem
C usum licitum terminat & movet ad finem ultimum. Prætereà connectuntur omnes actus meritorii cum habitibus suis ad amorem fruitivum. Unde tam utentes, quàm fruentes habent ex sententia dicere: *Fructus ejus dulcis gutturi meo*, Cant. XI. 3. Quocircà patet laus & præcellentia Charitatis; quia propter quod unumquodque tale & illud magis, potior quoque bonitas est per essentiam, quàm per participationem. Amor fruitivus dicens Deo: *Amo te*, & ab eodem audiens: *Pasce agnos meos*, Joan. XXII. 15. plus obsequitur & obedit quàm aliqua virtutum; quoniam per ipsum omnia referuntur in Deum & serviunt ei, dùm assumuntur in facultatem voluntatis aut operantis, ut bona nostra; aut approbantis, ut bona aliena; aut tolerantis, ut propriæ pœnæ & aliena culpæ; aut detestantis culpam propriam. Potest igitur omnium esse bonus usus objectivè, vel per se, si bona sunt approbanda, vel per accidens, mala detestando perpe-
D trata, respuendo oblata, tolerando illata. Neque tamen ideo bona sunt, quia finis usus bonus est. Intelligitur quippe Maxima talis, de usu bono per se, non solùm per accidens. Amor fruitivus totus liberalis est atque gratuitus; quamvis possit habere oculos ad mercedem, sed non intentione principali & ultimata motione. Motio siquidem charitatis duplex est. *Una complacentiæ & benevolentiæ*; *altera desiderii & concupiscentiæ.* Et hoc secundò modo dupliciter. Aut sistendo circa finem ultimum, aut referendo ad ipsum actu vel habitu, mediatè vel immediatè, & hoc secundò modo motus Charitatis qui est concupiscentiæ, licitus est; quemadmodùm volo mihi Deum, & amorem suum opto: præthereà proximis meis Deum dari, sicut mihi desidero fieri.

Porrò

Porrò totum hoc finaliter propter amorem amicitiæ & complacentiæ circa Deum. Salvatur ex hoc, quemadmodùm spes non est culpabiliter vel simoniacè mercenaria, neque timor sanctus est servilis, neque generaliter quivis actus virtutum imperati & formati ab ipsa charitate. Sed hoc perfectè & purè facere difficile est, similiter & discernere. Amor fruitivus fructuosior est ceteris paribus, quàm virtutum quarumlibet usus. Ratio, quia propter quod unumquodque tale & illud magis; sed fructus essentialis præmii de quo loquimur, non venit aliis virtutibus nisi per charitatem. Purior est insuper & fini suo proximior. Additum est, ceteris paribus, quia non omnibus fas est intendere solum amori fruitivo elicito immediatè & duntaxat circa Deum, immò necesse est alias virtutes, Dona & Beatitudines assumere propter actus hierarchicos duos, qui sunt *purgare & illuminare*, propter ignorantias & peccata circa se, si fuerit infectus, & circa alios quibus ex officio debitor est: non enim licet talibus nec expedit soli vacare contemplationis quieti, sed neque possibile est faciliter & feliciter à talibus istud agi. Oportet vacare volentem Deo priùs experiri illud quod præmittitur: *Arcum conteret & confringet arma*, scilicet vitiorum, & adversantium *scuta comburet igni* charitatis. Ps. XLV. 10. Si quis autem fuerit liber à jugo vitiorum & hominum servitute, quales erant Eremitæ, fructuosior est exercitatio sua circa Deum ut sic, quàm circa proximum, quamvis idem actus amoris elicitus immediatè circa Deum, sit ratio sufficiens boni usus, nedum circa proximum, sed circa quodcumque creatum: ita enim Beatus uno actu simplici fruitivo Dei, simul utitur benè toto mundo, ut sit idem actus diversimodè consideratus, usus & fruitio, rectus & reflexus. Unus est omnimodus, non tamen essentialiter infinitus. Amor fruitivus crebriùs in exercitio debet accipi respectu boni, quàm intellectus speculativus respectu veri. Esset hîc perscrutatio grandis super eminentia duplicis hujus potentiæ rationalis, quoniam Aristoteles & sequaces etiam Theologi sicut sanctus Thomas, videntur intellectûs præferre dignitatem. Alii verò magis sequentes Augustinum & Christianam pietatem, certissimis rationibus voluntatem anteponunt, sicut Dominus Bonaventura, qui propterea ex doctrina & vita pietatis circa charitatem cognominatus est Seraphicus: Solius itaque cultura intellectûs speculativi quantumcumque subtilis cadit in illud Apostolicum: *Scientia inflat*. Cultus verò voluntatis in amore meretur illud quod additur: *& charitas ædificat*, I. Cor. VIII. 8. quæ sedens sub umbra illius quem desiderat, fructum gustat, immò fructus spirituales duodecim dulces gutturi suo.

SYMPSALMA. IV.

Potat amor, languet, amplexibus hæret amici.
Quo se cumque rapit hunc videt, audit, habet.

INTRODUXIT, inquit, *me rex in cellam vinariam, &c.* usque in finem capituli secundi. Potat amor introductus *in cellam vinariam*, potat fructum dulcem gutturi suo, potat sobriam, sicut hymnizat Ecclesia ebrietatem spiritûs, & hoc de calice illo Psalmistæ gloriantis. *Et calix meus inebrians quam præclarus est*: Ps. XXII. 5. unde iterum. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*, Ps. XXXV. 9. Et in Canticis istis: *Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi.* Cant. V. I. At verò quia dixit Apostolus, Eph. V. 18. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria*, ad quod refertur illud ejusdem, Rom. XII. 3. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Subjungit amor sponsæ, suam significans sobrietatem in ebrietate: *Et ordinavit in me charitatem.* Cant. II. 4. Amor siquidem etiam Dei si non fuerit ordinatus, si fuerit zelus Dei fervidus, sed non secundùm scientiam; multiplicem sæpiùs perniciem operatur, ubi tamen arbitratur obsequium se præstare Deo, sicut alibi deductum est de impulsibus & tentationibus, & iterum poterit hîc aliquid cursim tangi.

Est autem ordinatus amor, seu Charitas, ut diligatur Deus super omnia ex toto corde &c. Qua in re mirum videtur si amor Dei possit esse nimius, cum modus ejus sit esse sine modo, prout notat nomen ebrietatis, quasi extra briam seu mensuram, quoniam ex verbis Dionysii, *Mysticus amator per immensurabilem & absolutum puræ mentis excessum, ad superessentialem divinarum tenebrarum radium omnia deserens, & ab omnibus destitutus ascendit.* Utique si mentis excessus est immensurabilis, ipse est immensus & sine mensura vel bria, & ita verè ebrius. Et hoc planè confitemur, sed non æquè possumus loqui qualiter in hac ipsa ebrietate spiritûs, idem spiritus ineffabilibus & ignotis ineffabiliter & ignotè conjungitur & unitur. Quo super mysterio multa balbutiendo garrivit insipientia nostra, in *De verbo & hymno gloriæ*, & super illo Christi. Joan. VI. 56. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.* Tractatu nono super *Magnificat.* Verùm quantò plus bibitur hæc ebrietas spiritûs cum sobrietate piæ meditationis, tantò crescit sua manifestatio, & de manifestatione sua superadmirabilis infinitatio, miro quodam & vix intelligibili mysterio, quod ex manifestatione nascitur ebrietas, & ex obscuritate percepta clarificatio major venit. Ad quod spectat totus ille Sermo divinissimus hora Cenæ per quatuor capitula Joannis, qui tunc supra pectus Domini recumbens introductus est in cellam vinariam, ubi cum ordinata charitate hausit ebrietatem spiritûs ad intelligendum istius vim Sermonis. In quo videtur quasi nugatoriè, nobis ignaris, totiens repetere Christus de circumincessione trium personarum ad invicem in identitate essentiæ. De circumincessione prætereà per quandam participationem analogam trium personarum in electis & electorum ad invicem, & in eis ut & *Deus sit omnia in omnibus*, I. Cor. XV. 28. & ipsi electi sint *consummati in unum.* Joan. XVII. 23.

Et quoniam nostrum hactenus studium fuit concordare Theologiam hanc mysticam cum nostra scholastica: tentemus hîc pauca dicere, saltem ut non lateat penitus quid nominis terminorum. Sane tota vel præcipua causa difficultatis ad intelligentiam scholasticam in hac parte videtur esse propter omnimodam finiti ad infinitum, creaturæ scilicet ad Creatorem improportionem & æquivocationem, qualem elucidare volentes diversi Doctores, diversos sibi terminos invenerunt. Possumus sine præjudicio ad duos & usitatissimos terminos totum resolvere, ut dicamus quòd omnis comparatio actualis Dei ad creaturam, est dumtaxat sicut comparatio causæ ad effectum, & effectus ad causam, sumpta causa in illa amplitudine de qua in Centilogio *De causa finali* tractatum est; ut videlicet creatio & conservatio & transsubstantiatio & vitalis immutatio objectalis, referantur ad causam efficientem maximè vel formalem, aliter quam Aristoteles explicaverit; quoniam efficientiam Dei qualem tradit veritas Fidei, ponens creationem de nihilo & rerum creaturarum potentiam totaliter obedientialem ad potentiam Dei activam, sicut in miraculis supra naturam, præsertim in admirabili Eucharistiæ Sacramento constat fieri. Prosequentes igitur, subjungamus conformiter ad Philosophos, quòd universaliter proportio est causæ ad effectum & è contra: alioquin unum non dependeret ab altero nec fieret, sicut nec effectus gereret similitudinem suæ causæ, sicut gerere tradunt Philosophi, qui insuper multùm ponunt ad rem nostram, modum unum essendi, id est principalem causæ in effectu & è contra. Si igitur Deus,

Deus, immò quia verè Deus est causa universalis & simul immediata omnium visibilium & invisibilium effectuum, consequens est ipsum esse in quolibet effectu suo, & vice versa, quilibet effectus ejus in ipso est; sed tamen in diversis & sub diversis gradibus. Vidit hoc Aristoteles, quamvis obscurè & imperfectè, dicens: *A prima causa omnibus datum, esse & vivere*, his quidem clariùs, his vero obscuriùs. Sed divinus ipse Joannes de verbo Dei: Joan. I. 34. *Quod* A *factum est*, inquit, *in ipso vita erat*: cujus verbi pertractatio universalis latior esset quàm hæc brevitas exposcit. Sufficiat explicatio pro re nostra de amore Dei, præsertim extatico per gratiam & gloriam, ut intelligamus quomodò per amorem fiat circumincessio Dei cum creatura amante, & è contra, quamvis Deus sit infinitus & creatura finita. Quomodò propterea fiat hæc causalis circumincessio vel intimatio valde sublimiùs in creaturis diligentibus Deum quàm in ceteris, sicut nihil in rebus creatis sublimius & perfectius est quàm amator Dei, nec actio divinior quàm amare Deum. Perspicuum est per deducta, quòd in omni amore creato Deus est sicut causa in effectu, veruntamen quia amor Dei convenit perfectiori creaturæ, Deus idcircò dicitur esse perfectus in actu amoris, quàm in aliis effectibus. Anima B verò producens & eliciens actum amoris, est in amore suo sicut causa in effectu, & è converso, quamvis Deus supernaturaliter operetur. Ecce igitur amorem quasi nexum mutuum Dei cum anima diligente tanquam opus ab utroque productum totaliter non pars ab uno, pars ab altero, neque priùs aut posteriùs in ordine productionis, quamvis Deus prior sit ordine perfectionis.

Rursùs ex istis elicitur veritas à Dionysio posita de amore Dei tàm activè quàm passivè, quòd videlicet extasim quandam facit. Recipit enim Deus nomen amoris, sicut probat idem Dionysius per Ignatium totum ignitum dicentem: *Amor meus crucifixus est.* Cui consonè theologizans gloriosa Martyr Felicula coætanea Beatæ Petronillæ, dum tortores dicerent: *Nega te Christianam, & dimitteris. Non negabo*, ait. *Nunc cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus est.* Sed & Philosophi dixerunt amorem C deorum eos fecisse fœcundos in productione rerum. Deus siquidem infinitus, dùm ex amore producit finitam creaturam, exuit quodammodò suam infinitatem diligendo rem finitam, quamvis actu infinito. Ceterum, vice versa, rationalis creatura finito actu diligendo Deum objectaliter infinitum, ponitur extra terminos omnis creaturæ, cum nulla sit infinita. Ecce super admirabilem extasim in utroque amore, Dei scilicet & creaturæ, cujus intelligentia requiritur penè in singulis verbis hujus Libri Canticorum & Evangelii Joannis cum Theologia Dionysii & Epistolis Pauli & hymnis. Propterea nimis unquam nequit vel exerceri meditando, vel repeti perdocendo hic illapsus, hæc circumincessio, hæc ebrietas spiritus. Unde consurgit sequens conditio: *Languet amor.* Intelligimus sponsam in exitu *cellæ vinariæ* quasi temulentam nescire cum Petro quid diceret, nec exprimere cum quibus & ad quos vel quas loqueretur. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cant. II. 5. vel ut alia littera habet, *quia vulnerata charitate ego sum.* Habet itaque amor spiritualis & sanctus sua D vulnera, suum languorem, suam mortem, suam vitam pro varietate statuum & vicissitudinum, & pro similitudine quadam ad amorem carnalem, quo laborant philocapti, quamvis longè dissimiliter. Ubi notandum est, quòd dum sumus in corpore *quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*, Sap. IX. 15. Unde consurgit pro dissolutione quæstionis motæ, quòd amor Dei potest hìc in via nimius esse: modumquoque recipit & mensuram.

Habet certè amor Dei considerari dupliciter. Primo modo secundùm se: alio modo secundùm circumstantias diligentis, in ordine ad objectum. Si primo modo, constat quòd amor in se finitus est, mensuram habens, numerum & pondus, sicut & condita quælibet creatura. Si secundo modo, sic debet amans circumstantias apponere, quemadmodùm in actibus aliarum virtutum, ut exerceatur quando oportet, ubi oportet, quantùm & qualiter oportet, propter alligationem cum corpore, quod per excessum periclitari contingeret, aut notabiliter lædi.

Porrò juxta tertium modum qui respicit objectum, Deum scilicet qui est totus & infinitè diligibilis, excessus & nimietas in diligendo nequit fieri, neque modum oportet apponi, sicut nec in laude ejus, quia juxta verbum Ecclesiæ sumptum ab Ecclesiastico: *Major est omni laude nec laudare sufficis.* Consurgit igitur languor amoris vel ex parte corporis quod affligitur, vel ex parte mentis cujus desiderium non impletur. Qua super re rursùs attendenda est distinctio circa diligentes Deum. Quorumdam enim dilectio etsi terminetur ad Deum sicut ad finem & objectum: veruntamen exercetur quasi per solum sensum ex cognitione sensibilium, quemadmodùm circa mysterium Incarnationis, Nativitatis, Passionis & Crucis, circa vitas, Imaginesque Sanctorum, ex quibus piè recogitatis, inspectis vel imaginatis & auditis, tales recipiunt veras & proprias passiones sensuales, cum motu reali cordis & corporis, sicut pateret enumerando per singulas passiones ex amore sensuali trahentes originem. Tales sunt utplurimùm simplices & devoti in Religionibus vel sæculo de statu incipientium quos animales dicimus. Colliguntur signa dilectionis talium per comparationem ad amorem carnalium vehementem; ex cujus consideratione nonnulli totum decursum textualem Canticorum exponere voluerunt.

Sunt alii multò rariores quos propriè spirituales & perfectos nominamus, dicentes cum Apostolo 2. Cor. V. 16. *Etsi Christum secundùm carnem cognovimus, non jam tamen eum secundùm carnem cognoscimus* Isti transcendentes omnia sensibilia & intelligibilia creata, in sola Dei simplicissima bonitate, veritate & æternitate defigunt mentis amorem vel affectum, pro quibus & ad quos sermo totus de mystica Theologia cognoscitur institutus, immò tales proprium etiam deserunt mentis affectum vel amorem, desertione prorsùs ineffabili, qui fieri non potest, si non supernaturaliter attraxerit & elevaverit Deus, & omnia supermundane, quæ mundana sunt explicaverit. *Partitis*, inquit Dionysius, *alteritatibus & concupiscentiis, curisque conclusis & supermundanè explicatis, in divinam monadem congregamur.* Contingit nihilominùs regressum vel descensum, seu redundantiam fieri ad sensualem portionem, ubi propriè dictæ causantur passiones ex dilatatione vel constrictione cordis, non interrupta totaliter anagogica mentis ad Deum unione per quandam gloriam & jocunditatem in apice mentis affecta, ubi aliquando post languorem amoris, sequitur mors quædam spiritualis, quæ potiùs vitalis dicenda est; quoniam labitur in amplexum sponsi, totam se deserens ipsa sponsa, sicut ex sequenti proprietate datur intelligi: *Læva ejus sub capite meo, & dextera ejus amplexabitur me.* Cant. II. 6.

Accipiamus hìc ad lævam pertinere quodcunque creatum vel finitum, dextera verò sit æternitas ipsa: quo convenienter præsupposito, mox intelligemus doctrinaliter totum amplexionis hujus mysterium, de quo per Sapientem amplexu dictum est: *Glorificaberis ab ea* (Sapientia videlicet increata) *cum eam fueris amplexatus*, Proverb. IV. 8. Separatur hìc quasi pretiosum à vili, æternum à temporali, immensum à finito, tanquam si consideretur Deus absque ullius creaturæ societate esse solus, non quidem in aliquo phantasiabili loco; sed in æternitate sua, sicut ante mundi creationem, neque præcessit tempore, sed æter-

æternitate, neque nunc est extra cœlum localiter, sed æternaliter. Cum igitur quicquid est cognitionis in sponsa, quicquid amoris formalis, totum sit finitum; totum spectabit ad lævam & dextra sola sponsi amplexabitur sponsam, quæ tamen pertinet ad lævam. Propterea necesse est quòd nihil sit medium inter eos; sed manebunt duo extrema; Deus superior, non loco sed æternitate; & sponsa inferior, cum omni quod in ea, vel circa eam finitè positum est. Ecce quòd amor sponsæ formalis unitus est actualiter ideali amori sponsi, cui fuerat ab æterno solùm potentialiter vel aptitudinaliter ordinatus, nulla facta penitus mutatione in amore æterno sponsi, sed in sponsa, propter relationem actualem ad sponsum nihil ponentem in eo, sed in sponsa; sicut creatio actualis non in Deo, sed in creatura sese tenet, ut noviter adveniens. Denique Deus modo noviter diligit & amplexatur sponsam, non mutatus in aliquo vel innovatus, sed in amore actuali sponsa novitatem accipit, quæ Deum facit formaliter amando suum esse amorem objectaliter, volente ita Deo causaliter, & anima effectualiter recipiente, immò & coagente cum Deo; verum equidem est quòd amans alterum, facit illum esse suum, maximè dùm fit amor reciprocus, qualis est in Deo dicente: *Ego diligentes me diligo.* Prov. 8. 17. Et iterum: *Qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Joan. XIV. 21. Consurgit exinde ratio vera amicitiæ inter Deum & hominem sanctum, qualis esse non potest in irrationalibus creaturis: qualis amicitia tantò delectabilior est, quantò magis percipitur ejus exercitatio, qualem non curaverunt Philosophi *qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt,* &c. Rom. I. 21. De quorum numero segregarentur, utinam theologizantes aliqui, qui confitentes se nosse Deum, factis negant, & in exercitatione speculativa tantummodò vani, insipientes & aridi conversantur; quos in cella vinaria positos, neque charitas ordinat, neque dextera complexatur, neque postremò dormiunt spiritualiter aut quiescunt, *habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* 2. Tim. III. 6. Quo contra sequitur de sponsa Cant. IX. 7. *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis nec evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Felix sapor qui sub adjuratione tali, per talem fit & ad tales: hæc est optima pars Mariæ, quæ præfertur solicitudini Marthæ, quamdiu permiserit sponsus, quæ potentior est impetrare vacando, quàm alia laborando: proinde solet adjuratio fieri per res valde diligibiles, quales sunt in figura capreæ cervique camporum filiabus Jerusalem. Quid enim plus amabile civibus cœlestibus (qui per *filias Jerusalem* hîc & priùs accipiuntur) quàm acutissimo intuitu & saltu perpeti per latitudinem camporum cœlestium liberrimè conversari. Sentiens sponsa tali se libertati dimissam laudat efficaciam vocis sponsi. *Vox*, inquit ℣. 8. *est dilecti mei*, Deinde quia somnus sponsæ non est iners & oppressus, sed in eo cor maximè tunc vigilat, prout infra notatur, quocunque se diverterit sponsus, videt, audit, & habet vigilantissimus amor sponsæ secundùm hoc tres amoris hujus proprietates hîc positas: prima ibi, *ecce iste venit saliens in montibus*, &c. ibid. secunda: *En dilectus loquitur* &c. tertia, *dilectus meus mihi.* Ibid. Videt sponsi alacritatem, audit ejus allocutionem, habet cum eo intimitatem, tripudiat & inspicit alacriter, alloquitur & invitat amicabiliter, intimatur sibi se dans totaliter.

Sunt in hoc loco sicut & in Scripturæ totius expositione memoriter habendi figurales & tropici locutionum modi à Rethoricis & Grammaticis traditi, quos insequitur Tyronius in suis septem Regulis; quoniam hîc frequenter illud quod est sponsi, attribuitur sponsæ & è contra propter unitatem spiritûs. Neque præterea sexus attenditur; quia sanctus amor sine genere est, sicut apud Isaiam Christus gloriatur, dicens: *Tanquam sponsum decoratum corona, & tanquam sponsam ornatam monilibus suis.* Isaiæ. LXI. 10. Sic & illud quod est causæ attribuitur effectui quem fecit. Sicut dies vel Deus ipse dicitur lætus quia lætificat, vel tristis, quia contristat. Quia in re dum vicissitudines actionum sponsa tribuit sponso, ut quod *venit saliens in montibus & transiliens colles* Cant. II. 8. cum similibus, accipiendum est per efficientiam, non per inhærentiam vel proprieta-A tem. Sic *respicere* dicitur sponsus *per fenestras & cancellos* ℣. 9. id est fenestras reticulatas, Gallicè *trelis*, quia respicere facit. Sic prætereà loqui, quia facit audire, seu cognoscere per effectum ea quæ sunt sponsi.

Possumus autem sub compendio colligere moraliter quædam signa quibus ostendit sponsa quietem suam placere sponso, potiùs quàm turbari eam circa plurima; quamvis accipiant nonnulli sponsam hoc loco vocari ad actionem pro regimine subditorum. Nos absque præjudicio prosequamur adjurationem sponsi pro gratissimo otio quod sponsa tribuit beneplacito suo. Ex hoc primo, quia videt in se agilitatem alacrem ad currendum viam Mandatorum Dei, per sublimia & lata meritorum exercitia, tanquam vires suæ similes sint capreæ hinnuloque cervorum transilientium, nunc montes, nunc colles, nunc camporum planicies perspicaciter & liberè: est enim contemplatio liber & perspicax mentis intuitus in res perspiciendas circumquaque diffusus.

B Jungitur idcircò signum secundum quòd *dilectus stat post parietem respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* c. II. 9. Parietem hîc intelligimus vitæ præsentis incolatum & obstaculum, ne dilectus patenter & clarè *facie ad faciem* videatur. Tot quoque sunt parietes quot obstacula prohibentia visionem: tot verò fenestræ & cancelli per quos respicit sponsus effectualiter, quia respicere facit, quot fuerint species illuminationum *desuper à Patre luminum*, ad quarum susceptionem disponit otium sanctum.

Additur tertium signum in excitatione blanda sub appellatione amicæ, columbæ & formosæ. *Surge*, inquit ℣. 10. *propera amica mea*, quia secretorum meorum conscia. *Formosa mea*, quoniam in te est proportio numerosa donorum cum gratiæ colorantis vel illuminantis suavitate. *Columba mea*, quia per Spiritum sanctum meum simplex effecta. Sequitur septuplex commoditas ex tempore & loco, unde possit & debeat amor sponsæ properare post dilectum, ostenC dendo sibi pulchritudinem faciei cum vocis sonora dulcedine per accessum *in foraminibus petræ & caverna maceriæ.* Cant. II. 14. tanquam in abditis & solitariis habitaculis, in quibus sola cum solo, unica cum unico delitiosè quiescat. Incedendo priùs per septem itinera quæ sunt intentio, meditatio, contemplatio, dilectio, revelatio, gustatio, operatio. Qualiter aptè prosequitur Liber cujus initium est: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Sumuntur ex istis alia septem signa beneplacitæ vocationis.

Et quartum in ordine est emollitio cordis priùs gelidi quod amori nequibat intendere, neque se sursum ferre: *Jam hyems transiit* ℣. 11.

Deinde pro quinto signo *imber abiit & recessit.* quia per meditationem fortem prohibitæ sunt stillare tot graves & multiplices vagantium desideriorum & fluctuantium curarum cum phantasmatibus pluviosis exundationes.

Rursùs pro sexto signo *flores* gratissimi veritatum diD vinitùs apparentium, *in terra*, cordis emicare vernareque cernuntur per contemplationem.

Ceterum pro septimo signo, *tempus putationis*, seu resecationis *advenit*, quatenùs humor amorosus à radice cordis egrediens non dispergatur inutiliter per spuria germina, vel superfluitatem ramusculorum unitatis curiosæ, non per sollicitudines occupationum etiam aliundè tolerabilium, non per locutiones & operationes quæ non prosunt, aut ita prosunt sicut anagogica dilectio. *Si desieris* (inquit Dominus per Isaïam LVIII. 13. 14. *extendere digitum in opere & loqui quod non prodest*, concluditur tandem, *cibabo te hereditate patris tui Jacob.*

Vox turturis ℣. 12. Additur pro octavo signo, quia solitudinis amica, & gemitum dans pro cantu, vernum insuper tempus advenisse denuncians, quale est tempus amantium, apta est ad supermentales excessus figurandos.

Ficus protulit grossos suos ℣. 13. ad suavitatis indicium ponitur pro nono signo, quale manifestatur præcipuè in Eucharistiæ libera, frequenti & devota sumptione, semotis omnibus impedimentis alienis, ex quibus spirituales sensus vel acetantur, vel multipliciter à spiritali degustatione desipiunt. Habetur Tractatus in hac re nonus super *Magnificat*. Denique florentes vineæ dant odorem bonæ conversationis per exercitia spiritalia meritoriæ actionis in secreto cordis, ubi possunt elevativè spiritales, immò & corporales spiritaliter ad proximos exerceri, fructuosiùs revera plerumque quàm per actiones illorum qui soliciti sunt & turbantur erga plurima, fiant.

Porrò quid sibi velit hæc jussio ℣. 15. *Capite nobis vulpeculas parvulas qua demoliuntur vineas, vinea nostra floruit*. Grandis esset ad exponendum materia, quæ sub paucis dat intelligi quamlibet occultam profectuum spiritualium demolitionem viris spiritualibus quantumcunque profecerint insidiantem, quales sunt blasphemiæ sordidissimæ vix credibiles à malignis vulpeculis immissæ, tàm carnis quàm spiritûs. Qua super re Tractatus pridem editus est in vulgari, & apud Patres & Doctores remedia tradita sunt.

Decipiunt aliundè fallaces vulpeculæ tentationum, dum fingunt se mortuas; sed proximantes incautas arripiunt aviculas, quæ tunc (sed tardè) sentiunt vulpeculas carnales & similes in seipsis adhuc malè vivere usque ad demolitionem quandoque totalem & virtuosi cujuslibet germinis mortificationem. De qualibus accipitur maximè illud Apostoli Heb. VI. 4. *Impossibile est eos*, id est, difficillimum, *qui gustaverunt bonum Dei verbum & prolapsi sunt &c.* Vix enim tales ad spiritualia revertuntur; effecti fœtentes abominabiliter, sicut ovum semi fotum dum frigescit. Amor postremò dilectæ non respondit dilecto illuminanti, vocanti, blandienti, circunstantias insuper accommodas enumeranti, quousque sensit, jubente sponso, vulpeculas parvulas captas esse. Tunc in spe secura jubilans, neque vocem integrare sufficiens protulit interruptè: *Dilectus meus mihi & illi.* Cant. II. 16. Mille, immò infinitæ possunt fieri suppletiones: sufficiat hîc una. *Dilectus meus mihi*: loquitur in aure mentis. *Amas me*, & ego, respondeo illi: *amo te.* Subdit, *pasce oves meas, pasce agnos meos*, Joan. XXI. 16. 17. quorum mihi grandis est numerus cum familia multa nimis, sicut moraliter in Job ostendit Gregorius. Inter quos simul *pascitur dilectus inter lilia*, candida meritorum, *donec aspiret dies* æternitatis *& inclinentur umbra* caliginis status præsentis: quod ut celeriter adveniat, *cupio enim dissolvi* Philipp. I. 23. *Revertere dilecte mi*, Cant. II. 17. ad divinitatis gloriam, *super montes Bethel*, in cœlestibus trahens me tecum in alacritate pernici, *similis* in hoc factus *caprea hinnuloque cervorum.* ℣. 17. Liceat illic ex sententia dicere voto perenni: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. I. 1.

SYMPSALMA V.

Quarit amor quod amat, tenet in sublimia surgit,
Aut cubat, aut fertur, aut diadema gerit.

AMOR hortatur per Psalmistam. *Latetur cor quarentium Dominum & confirmamini, quarite faciem ejus semper.* Ps. CIV. 3. 4. Primum in oculo. Alterum in amplexu. Tertium in contemplando. Est itaque juxta quod prætactum est, primus actus amoris tàm naturalis liberi quàm gratuiti superinfusi simplex & continuus. Actus verò secundi quos dicimus fervorem amoris, sunt quidem continui in patria. Sunt autem in via frequenter heu! nimis interrupti, compellente necessitate corporis, seu fragilitate aut impietate spiritûs istud faciente. Præthereà necesse crebrò repetere quod crebrò deseritur. Amor igitur sese recolligens dicit: Cant. III. 1. *In lectulo meo per noctes.* &c. Lectulus hîc accipitur sæpius pro quiete conscientiæ, quæ non admittit alterum quam Deum, coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat. Noctes possunt ad literam intelligi, quia sunt contemplantibus aptiores. Sunt insuper noctes umbræ creaturarum. Sunt quoque tribulationes intùs aut exteriùs ex peccatis aut pœnis contribulantibus exurgentes. Dicebat unus ex amatoribus: *Factus sum sicut nycticorax in domicilio.* Ps. CI. 7. Scandala nycticorax si prodit mox tolerabit; mox aliisque dabit, scilicet aviculis diurnis: tutiùs ergò latet. Hæc similitudo est solitarii posita per Anselmum pro seipso, dùm ad Episcopatûs prodiret actiones. A Beato similiter optata est & laudata Gregorio, nobis autem ore simul & animo sæpiùs recensita. Amor idcircò dicit in nocte *quæsivi quem diligit anima mea.* Cant. III. ℣. 1. Satis est ab amore notificatus ille qui quæritur sub hoc epitheton *quem diligit anima mea. Quæsivi illum, & non inveni.* Cur obsecro non invenit? quia non erat tunc tempus aut locus beneplaciti sui. Sciebat commoditates ampliores quas ex dilatione sponsa susciperet; quarum multas Tractatu secundo *De Theologia mystica* pridem notavimus, & in vulgari *De mendicitate*, ubi formam insecuti sumus de mendicantibus per vicos & plateas satis amplè, quæ forma sub paucis hîc tangitur. *Surgam*, ait, ℣. 2. plus animi fervore quam corporis agitatione, *& circumibo*, non passibus corporis sed spiritûs, civitatem cujus participatio ejus in idipsum, de qua gloriosa dicta sunt, quæ libera Mater nostra per vicos, quos dicimus esse ordines Angelorum, & plateas generaliter omnium mansionum cœli. *Quæsivi, & non inveni*, ibid. Deo in melius disponente.

Amor subjungit: ℣. 3. *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Est civitas quæ occidit Prophetas, in qua vidit Psalmista Psal. LIV. 10. 11. *contradictionem & iniquitatem: super cujus muros sunt iniquitas & dolus*, vigiles habens & custodes, malignos spiritus, totum per antiphrasim; quia ibi nec est civium unitas, neque malignorum custodia, sed subversio. Si forsitan, ut aliquando res se habent, fervor amoris offenderit in hanc civitatem quærendo dilectum, si se cum suis ostenderit Sathanas in Angelum lucis transformatum; si præthereà nescius amor Christi præ ebrietate quæsierit: *Num quem diligit anima mea vidistis?* ℣. 3. Si denique nihil sibi respondentibus pertransierit, & paululùm post dilectum invenerit, sive potiùs in meliorem partem civitas accipitur de cœlesti vel supercœlesti Jerusalem: sunt pro utroque Doctorum sententiæ, prout in quinto capite. ℣. 7. *Percusserunt me & vulneraverunt me*, &c.

Amor hic si pro bona civitate steterit & custodibus ejus, animadvertendum est quòd si Deus solus det gratiam & gloriam cum primis actibus suis, nihilominùs secundos actus quos exercitia dicimus & operationes actuales, cooperantur & adjuvant in via simul & patria cives cœlestes, quos dicit Apostolus *Heb.* I. 14. omnes administratorios spiritûs, quibus attribuit Dionysius tres actus Hierarchicos, *purgare, illuminare re, perficere.* Nominantur autem in his Canticis *filia Jerusalem*, quas alloquitur frequenter amor fervidus aliquando sub hoc nomine, aliquando sub determinatione, ut ibi *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, Cant. II. 5. petens haud dubium solamen ab ipsis anxii amoris vulnerati charitate in cella vinaria pietatis.

Amor voti compos subdit. *Tenui eum nec dimittam*, ℣. 4. det aliquid simile cum Psalmista: in abundantia

tia sua. *Non movebor in æternum* Ps. LXI. 7. Et rursus: *Juravi & statui custodire judicia justitiæ* Psal. CXVIII. 106. *Donec introducam illum* Cant. III. 4. Non prorsus introduceret, nisi simul introduceretur. Domus autem Matris suæ, divinæ scilicet sapientiæ dicitur anima ipsa, secundùm latitudinem capacitatis suæ universam; cubiculum verò genetricis suæ, est eadem anima, secundùm apicem sublimissimum & simplicissimum mentis suæ, ubi genitrix sua sapientia idealiter sibi quodammodò propria, quæ per creationem Mater est omnium viventium, sola requiescit, ubi mens amat arctè manens, cum qua non communicet alienus, solus cum sola moratur zelotes sponsus adjurans ut priùs, & zelans pro quiete sponsæ: *Adjuro vos*, &c. ℣. 5. Amor quò quietior in communi cubiculum tenet dilectum, eò jugiter in sublimiores theorias ascendit: quod admirando filiæ Jerusalem dicunt ℣. 6. *Quæ est ista?* &c. Aut certè intelligamus sponsum ab amplexibus experientiâ semotum ad tempus, unde mens devota compungitur ad pium & humilem affectum qui per virgulam fumi ex aromatibus designatur. Amor rursùs in lectulum pacifici Salomonis admittitur cum custodia Angelorum, id est virtutum omnium, Cardinalium & supernaturalium, quarum numerus per sexaginta fortes designatur contra timores nocturnos insidiantium vitiorum ex dæmone, mundo & carne.

Amor iterum tanquam vehiculum & ferculum pacifici Salomonis, defert ipsum per sublevatæ mentis actum, qui gradatim consurgit à columnis infimis per ascensum purpureum in mediis charitate constratum usque ad reclinatorium aureum sublimis & quietissimæ charitatis.

Amor denique decoratur diademate per Matrem sapientiam, quale diadema sibi dedit, & eo *circumdedit in die desponsationis & lætitiæ cordis sui* Cant. III. II. Hanc diem rationabiliter intelligimus horam qua per Baptismi gratiam factum est illud de Isaia LXI. 10. *Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me Dominus vestimentis salutis*, virtutum omnium cœlitus infusarum, *& indumento justitiæ*, Christo scilicet qui est sol justitiæ, *circumdedit me*, sicut in Apocalypsi XII. I. *Visa est mulier amicta sole, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Sequitur concorditer ad præmissa, *tanquam sponsum decoratum corona, & sponsam ornatam monilibus suis.* Est aliud in hac excitativa voce Cant. III. II. *Egredimini filiæ Syon & videte*, quod altiùs scrutandum est, præstante eo qui dixit: Joan. X. 9. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur & egredietur & pascua inveniet.* Egressus iste ponitur à Doctoribus, desiderabilis visio pacifici Salomonis Christi, secundùm humanitatem; ingressus verò secundùm divinitatem: propter quæ duo dicitur Liber *scriptus intus & foris*, & utriusque hominis corporalis & spiritualis refectio. Ceterùm filiæ Sion etsi possint intelligi cives Angelici Jerusalem, qui desiderant aspicere Regem Salomonem Christum, totum desiderabilem intus & foris: convenienter etiam viatores homines & comprehensores accipiuntur, quos exhortatio talis & ad meritum excitat & ad præmium invitat; quoniam visio, est tota merces cum amore qui visionem ad se trahit. Ubi amor, ibi oculus. Et quoniam amor vulnerat, subsequitur ipsa manus, vis activa, ubi vulnus, ibi digitus. Cor denique sociatur, quoniam amor est infinitus thesaurus hominibus, sicut & Mater sapientia, *Mater*, inquam, *pulchræ dilectionis. Ubi vero thesaurus, ibi & cor.* Luc. XII. 34. Porrò quæ sit Mater Regis Salomonis *quæ coronavit eum*, & quo diademate *in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Concordant Judæi per Regem Salomonem in Canticis istis accipi Deum sponsum Synagogæ, sed Incarnationem ejus negant, quam Doctores Catholici concludunt ex hoc loco, ostendentes oportere per Matrem illius non aliam quam Mariam Dei Genitricem denotari, & consequenter Synagogam de qua corporaliter natus est Christus *de semine David secundùm carnem.* Rom. I. 3. Desponsatio proinde & coronatio Salomonis accipitur Dei Incarnatio & unio cum humanitate in unitate suppositi Verbi quando *Verbum caro factum est.* Joan. I. 14. & circumdedit mulier virum, coronando ipsum diademate carnis cum universitate virtutum. Synagoga verò coronavit eum diademate spinarum, quando formavit & desponsavit sibi Ecclesiam, & dotavit de latere ipsius dormientis, quando exivit sanguis & aqua ad Sacramentorum constitutionem. Sed quomodo fuit ista *dies lætitiæ cordis ejus*, sive referatur ad Matrem sive ad Salomonem desponsatum? Fuit quidem dies illa amaritudinis & tristitiæ secundùm infirmitatem carnis, sed summæ lætitiæ secundùm promptitudinem spiritûs, quando consummatum est desiderantissimæ Redemptionis nostræ totum opus.

Amor igitur ad nullum grandius, nullum admirabilius, nullum amicabilius spectaculum poterit invitare devotas animas filias Sion speculandum, videndum & amandum, dicente Apostolo manifestè: I. Tim. III. 16. *Magnum est pietatis sacramentum quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, quoniam videmus* (ut alibi ait Heb. II. 9.) *Christum propter passionem gloria & honore coronatum.*

At verò grandis oritur hic inter Doctores quæstio. Utrum sine Passione & morte Crucis Christus fuisset gloria & honore coronatus, & per Incarnationem Ecclesiæ desponsatus, hoc est quærere terminis usitatioribus: Nunquid Adam non peccante Dei filius fuisset desponsatus cum humanitate? Sunt ad utramque partem gratæ simul & devotæ rationes, quas ad compendium ponit Dominus Bonaventura in princ. III. præmissa distinctione, quòd de Incarnatione est loqui dupliciter. Est enim Incarnatio carnis assumptio. De carne autem assumpta est loqui vel quantùm ad substantiam, vel quantùm ad defectum passibilitatis. Si secundo modo, constat quòd homine non peccante carnem mortalem non sumpsisset. Si primo modo, probabile esse dicit & ampliùs consonum rationi, quòd præcipua ratio Incarnationis fuit perfectio multiplex surgens ex dignitate illius operis. Incarnatio enim facit ad perfectionem hominis. & per consequens ad perfectionem totius universi, in hoc quòd complementum dat humano generi quoad naturam, gratiam, & gloriam. In Incarnatione enim est consummatio modorum educendi homines in esse & ad perfectionem agentis, in hoc quòd homo qui est ultimus, conjungitur suo principio, unione qua sub Deo nulla est major, & secundùm gratiam omnia corporis mystici membra, ratione plenitudinis veritatis & gratiæ in capite Christi. Facit iterum ad perfectionem meriti & oblationem completissimi Sacrificii. Nullum enim donum potest placabilius offerri Deo, quæ tamen oblatio non respicit statum solius naturæ lapsæ; sicut nec meritum pro statu vitæ, nec præmium pro statu gloriæ, si natura mansisset sine culpa. Denique completus est totius naturæ appetitus, dùm per opus Incarnationis nobilissima idoneitas quæ erat, in natura humana secundùm quam unibilis erat divinæ complementum accepit, & ex consequenti quælibet creatura, cum qua humana quodammodò participat.

Sed neque videtur quin nobilissima anima Christi principaliùs fuerit intenta formari ad sui glorificationem, quàm occasionaliter ad lapsorum reparationem. Proportionaliter de anima Mariæ, immò de tota electorum Ecclesia quæ tale caput sibi conforme in natura poscebat habere. Amor pietatis & nimiæ charitatis divinæ cum autoritatibus Sanctorum, piissimum movit animum hujus Doctoris Bonaventuræ declinare ad alteram partem: quòd si

non

non fuisset excessus prævaricationis in humano genere, non fuisset excessus nimiæ dilectionis in Incarnatione: veruntamen pace salva tam honorati dilecti Doctoris, præmissa positio nihil derogat pietati Fidei vel devotioni fidelium; sed accumulat quodammodò, accendit & firmat.

Consideremus itaque juxta modum intelligendi humanum, de impartibili & summa non unica, sed una divinitate, signa quædam in hac materia, non ut quidam subtilizare volentes signant in ipsa re quæ Deus est signa naturæ. Concipiamus igitur nostro concipiendi modo grosso, quales sunt cogitationes hominum distantes in infinitum à cogitationibus Dei. Cogitemus Deum in æternitate sua quæ nunc eadem est, quæ fuit ante mundi constitutionem. Proposuit secundùm consilium voluntatis suæ, & bonitatis communicare se creaturis ad extra, maximè rationabilibus & intellectivis. Proposuit tunc, velut in primo signo formare naturam Angelicam, quod & fecit in creatione cœli & terræ. Sic secundum signum, lapsus Angelorum, quem vidit perpetuò deferendum, neque raparandum per eosdem Angelos. Sit tertium signum, formatio hominum ad perfectionem universi, & velut occasionaliter ad reparationem lapsus Angelici. In quo signo videtur rationabiliter astruendum naturam humanam quæ nunc in Christo est, ut perfectissimam fuisse prævisam & prædestinatam ad gloriam hypostaticæ unionis cum carne impassibili. Sit quartum signum, prævisio lapsus humani cum prævisione & proposito reparandi. Sit quintum signum, modus reparationis qualem nunc credimus & videmus. Quibus sic imaginabiliter phantasiatis, potiùs quàm intellectualiter in Deo positis; videamus si pietas & nimia charitas Dei & benedictissimi Filii sui salvatur, dum dicimus: quòd filius Dei prædestinatus ad gloriam, suscepta carne impassibili, juxta tertium signum, suscepit passibilem, juxta quintum signum. Nonne fuit hic excessus nimiæ charitatis quia fuerat nimius excessus iniquitatis: unde canit Ecclesia: *Quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina, crudelem mortem patiens, ut nos a morte tolleres. Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra superes*, &c. Dicit Evangelium: *Matth.* XVII. 3. quod in Transfiguratione Christi apparuerunt Moyses & Elias loquentes ei de excessu quem facturus erat in Jerusalem: talis enim fuit excessus pietatis & misericordiæ, ut justitiam ipsam tanqnam ream damnaret ad mortem, mortem autem Crucis, consentiente justitia, quæ rursùs nunquam in excessu tali consentiet; sed dum acceperit tempus justitias judicabit.

Salvat ista positio, qua ratione dixerat Apostolus *Eph.* v. 32. matrimonium Evæ & Adæ nondum peccantium fuisse *Sacramentum magnum in Christo & Ecclesia*, etiam si absque peccato permansissent. Fuisset ergo Christus cum Ecclesia; quamvis in habitudine altera & statu immortalitatis, sine passione mortis, sine mortuorum suscitatione, sine damnatione iniquorum, qui facti sunt quasi pro nihilo ultra prædestinatos ad gloriam & salvandos.

Adam etiam non peccante, amor nimius increatæ charitatis ad homines per mysterium & desponsationem Incarnationis Filii Dei, cum humana natura fuisset ostensus ad grande spectaculum, & si non in pretium redemptionis ex quo nullus peribat, tamen valuisset ad gratissimam oblationem Deo de Filio proprio, ad mutuam communicationem membrorum sub uno capite connexorum: rursùs ad sursum actionem per contemplationem & ad meritum, denique ad perfectam fruitionem & completam ad præmium. Utrum verò dies desponsationis & coronationis Filii Dei fuisset ab initio seculi, Adam stante vel in termino vel citra terminum, sicut modò fuit in novissima hora; quamvis dicatur Agnus fuisse occisus ab initio seculi *Apoc.* XIII. 8. scilicet in figura Abel & præscientia Dei. Si præterea Lucifer vidisset, Verbum incarnandum, videns invidisset, peccasset & odisset. Si proinde filius incarnatus conversationem habuisset corporalem cum hominibus, vel sacramentalem, vel utramque. Si præterea carnem sumpsisset ex Virgine Maria vel per creationem humanitatis, aut alio modò; videtur super his & similibus transeundum potiùs quàm curiosè scrutandum; cùm super his nihil tradi-

A derit Scriptura pietatis, nisi fortè quantùm pia mens ex traditis conjecturare potest, ad devotionis augmentum. Sed neque audiendi sunt qui mysterium Incarnationis per rationes necessarias se putant vel conantur concludere. Tunc enim manifestiùs fuisset Angelis ab initio demonstratum, propter perspicuitatem ingenii, cùm dicat Apostolus: Coloss. I. 26. *Mysterium hoc à seculis absconditum.* Quoniam ex solo Dei præordinantis arbitrio, non ex connexione causalitatis necessariæ, pro perfectione mundi vel aliter, omnia generaliter quæ extra fecit Deus, purè contingenter effecta sunt. Qua super re parvulus effectus est Dialogus pro intellectu Sanctorum quorundam in hac parte loquentium, tanquam oportuerit Deum necessariò carnem assumpsisse. Postremò quam utilis & admirabilis sit egressus filiarum Sion, devotas animas

B significantium, ad videndum per contemplationem Regem Salomonem Christum in diademate quo coronavit eum mater sua, Maria scilicet, vel Synagoga, hæc diademate carneo, ista spineo; per multos moraliter & sapienter uberrimè tractatum est.

SYMPSALMA VI.

Pulcher amor totus, per singula membra videndo.
Vulnerat & miris delitiis redolet.

Amor sicut constat nullis dimensionibus corporis; nullis quoque membris distinguitur, sicut nec anima rationalis, quantò minùs ipse Deus. Nihilominùs

C doctrina pietatis nobis infantibus quasi balbutiendo condescendens, utitur similitudinibus corporeis. Deus præterea quamvis sit simplicissimus, accipit nomina ab omnibus rebus. Sic anima rationalis quæ quodammodò est anima, tanquam imago illius qui creavit omnia; sic insuper amor ejus liber, assimilans eam Deo, sortiuntur ab omnibus rebus nomina per symbolicam transumptionem, non per proprietatem. Amor idcircò cum amante describuntur sub multa varietate troporum, ut vel sic habeatur manuductio ad invisibilia qualicumque modo & absque fastidio capienda. Ceterùm ne fortassis hebes aliquis hæreret in similitudinibus quasi propriis, providit doctrina pietatis dare similitudines statim aspectu primo stultas ad literam neque ullatenùs credibiles, ut quòd capilli sponsa sint sicut greges caprarum, & dentes sicut greges tonsarum &c. *Cant.* IV. I. 2. qualis improprietas mox inducit non hærere, sed intelligere, hoc est intus legere sensum altiorem & proprium.

Amor rursùs commendatur hîc à sponso de mul-

D tiplici pulchritudine & efficacia & voluptate satis convenienter ad finem præcedentis sympsalmatis. Unde septimum inchoat drama: Cant. III. II. *Egredimini & videte* &c. Est autem in speciali quadruplex hoc loco per repetitionem insinuata amoris pulchritudo cum quadam admiratione. *Quàm pulchra es amica mea*! Cant. IV. I. hoc est dicere, amor meus repetit: *Quam pulchra*: triplicat *oculi tui columbarum*. Concludit quartum nobis incomprehensibile *absque eo quod intrinsecus latet.*

Amor ut in prima partitione latiùs expositum est; unus est naturæ rationalis, alius industriæ, tertius gratiæ, quar-

quartus gloriæ. Quàm pulcher primus qui factus est ad imaginem Dei & similitudinem. Quàm pulcher secundus tanquam actus ex primò progrediens: dùm vero superinfunditur gratia, fit simplificatio longè pulchrior instar columbarum. Quantæ verò sit pulchritudinis formositas amoris per gloriam expolita & perfecta intrinsecùs, latet omnes præter Deum, quoniam ipse pulchritudo est amoris objectalis *qui lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum* A *vidit, sed nec videre potest* 1. Tim. 6. 16., modo quo se videt actu infinito.

Amor sponsæ continet motum, sensum & delectationem, satietatem circa Deum sponsum totum desiderabilem. Quotquot igitur similitudinibus symbolicis fiat in his Canticis & aliis circumlocutio de suis conditionibus intrinsecis, omnia resolvuntur ad istas spiritales & paucas: alioquin littera occideret, si non vivificaret spiritus. Collaudatio siquidem sensuum carnalium sponsæ refertur ad cognitionem intellectualem, quæ non multiplicatur per organa visûs, auditûs, olfactûs, gustûs & tactûs. Collaudatio prætereà motionum & discursuum sponsæ, refertur ad actionem liberam voluntatis, quæ nec pedes habet, neque linguam, neque manus. Collaudatio de- B nique pulchritudinis & placibilitatis oculorum variorum, quibus incitatur ad sensum & motum delectabiliter ipsa voluntas cum intellectu suo, refertur ad bonitatem finis ultimi Dei, circa quem movetur, sentit & delectatur: sicut vice versa, quidquid pulchritudinis & placibilitatis seu diligibilitatis miratur in sponsa, totum refertur ad unicam & radicalem pulchritudinem charitatis, cum suis virtutibus tanquam ramis, quæ requiritur & sufficit ut placeat sponso & dicat Cant. II. 16. *Dilectus meus mihi*, supple sufficit: *& ego illi* sufficio, prout infra dicetur: Cant. VI. 8. *Una est columba mea* &c.

Amor sponsæ probatur delectabilis ex multis quæ sponsus operatur & laudat in ipsa. In quibus dicit se delectari, juxta illud Prov. VIII. 31. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, non formaliter, sed causaliter; quia facit effectualiter delectari, ut est illud Psal. CIII. 31.: *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Quæ consideratio cum præcedente summè notanda est & jugi- C ter retinenda, ne littera nos decipiat; ne præterea necesse sit singillatim exponere significationes symbolicas terminorum quæ per expositores alios discussæ sunt, & in scintillas spirituales evolutæ.

Sunt autem plura quæ delicias amoris spiritualis reddunt commendabiles præ voluptate carnis. Dignitas, puritas, connaturalitas seu conformitas, intimitas præterea, continuitas, securitas: iterum mediocritas, vel æquabilitas, stabilitas & sanitas, postremò satietas. Amor sponsæ diliciosus est, quia dignus & nobilis, purus & generalis, seu conformis amori primo fontali, cujus imago est & gloria. Unde pro regula: laus amoris creati gratuiti maximè, est laus increati gratiam hanc infundentis, ita quod unus & idem amor est Dei & animæ; sed Dei ut agentis, animæ verò ut recipientis & cooperantis ad actum. Quemadmodùm verecundus eodem rubore coloratur à verecundia causaliter, & ab ipsa rubedine formaliter. Nullus enim est qui nesciat delectationem in amore carnali non habere dignitatem neque nobilitatem, neque connaturalitatem conformem menti, quæ est altior D facta, quàm ut in solis infimis delectetur. Nihilominùs per similitudinem ad notam mulieris pulchritudinem allicientem & delectantem objectaliter, accipitur formositas mentis invisibilis cum circumstantiis delicias augentibus, sicut laudatur hîc amor sponsæ, cujus esse cantat sponsus oculos colombinos & simplifices, capillos mundos, prolixos, subtiles, ex alto defluentes, dentes candidos & mundos, nec infertiles, labia insuper compressa, non tumida nec pallida, sed sicut vitta coccinea apta crines comprimere & ornare. Eloquium prætereà elegans, eloquium dulce, quia lex clementiæ in lingua ejus. Genas quoque rubicundas ex intimo vigore. Collum forte, rectum & stabile, ubera grata neque tumentia, quasi mons myrrhæ & collis thuris. Denique concludit Cant. IV. 7. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.* Invitatur simul venire de cœlesti conversatione, quæ similis est monti Libani, cujus interpretatio notat candidationem, ut coronetur æterna plenæ felicitatis jocunditate, devictis ex omni parte contradictionibus hostilibus, quæ notantur in *Amana*, *Sanir & Hermon* secundùm interpretationes suas. In leonibus insuper & pardis.

Amor proinde tantæ virtutis esse prædicatur, ut in uno oculorum suorum, & in uno crine colli sui, vulneravit cor Omnipotentis, quod utique cor vel nullum, vel non vulnerabile constat esse. Sed hæc omnia per similitudinem dicta sunt, non proprietatem, prout & cetera quæ repetuntur & adducuntur in deliciis sponsæ, qualia sunt pulchritudo mammarum & uberum, cum odore unguentorum super omnia aromata. Labia insuper quasi favus distillans. Sub lingua quoque mel & lac, & odor in vestimentis sicut odor thuris, quia vestimenta conversationis honestæ, redolent sacrificium cœleste. Et quoniam plurimùm confert ad delicias, speciositas, amœnitasque locorum; laudatur, soror & sponsa sicut hortus conclusus, ℣. 12. securus ab incursibus vastantium bestiarum. Et sicut fons signatus, non perturbatus; cujus horti cum fonte, sunt emissiones tanquam paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, & universaliter cum omnibus aromaticis arboribus & lignis Libani; ex quibus fertilitas virtutum, donorum, beatitudinum cum fructibus spiritûs insinuatur, concludendo continuam, indefectibilemque gratiarum mundissimam & insuperabilem copiam ex alto cum impetu, cui nihil palustre potest obstare venientem.

Amor insuper miras habet delicias ex intimitate objecti, continuitate subjecti, securitate spei. Itaque secura mens sicut juge convivium; quali securitate gaudebat Apostolus. *Certus*, inquit, *sum quia neque mors, neque vita* &c. Rom. VIII. 38. Continuitas præterea vel invariabilitas subjecti intelligibilis plurimùm confert ad stabilitatem delectationis, quo contra subjectum delectationis libidinosæ vel carnalis in continua mutatione jocunditatem eandem continuare non potest, quo fit ut variata dispositione sensus organici, varietur effectus, ut cadat in fastidium vel abominationem, quod modò causabat delectationem, sicut in cibis & potibus & venereis, in odoribus & cantilenis. Quòd si delectationes spirituales recipiant transmutationem circa divina & perpetua, hoc non est de per se subjecto animæ, sed de per accidens ex connexione ad corpus pro tempore vitæ. Sed ponamus qualiter erit in gloria corpus plenè obsequens esse rationi nec passionabiliter discrasiabile, gaudium animæ de Deo etiam in ænigmate viso & amato esset perpetuum. Amor postremò serenitatem conciliat, sanitatem confert, affert satietatem: contra sunt in amore carnali, turbiditas, infirmitas, insatiabilitas. Ratio diversitatis, est conformitas boni amoris ad primam regulam charitatis ad Deum in bono amore, difformitas autem in malo. *Quis* autem *restitit Deo & pacem habuit?* Job. IX. 4. Sed *neque pax impiis*, ait Dominus Isaï. XLVIII. 22., sed *hominibus bonæ voluntatis* Luc. 2. 14. Est autem bona voluntas tua dicens ex sententia Deo: *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Super qua conformitate, maximè ad voluntatem permissionis quæ magis indignatio est & privatio quàm volitio vel positio, quædam alibi notata sunt in vulgari.

SYMPSALMA VII.

Dormit amor, liquefit, passus quoque vulnera languet.
Laudat dilectum, jactat amicitiam.

AMOR loquitur Cant. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, sed velut in diapsalmate recogitemus ordinem. Collaudata fuerat præcedenti sympsalmate multipliciter sponsa, usque in finem quarti capituli, ubi concluserat sponsus optabundus immò imperiosus, *Surge*, hoc est discede, *Aquilo* Cant. IV. 16. quasi ligans aquas ventus gelidus, deliciis contrarius amorosis, *& veni Auster* ibid., calentes spirans auras, *perfla hortum meum* ibid, qui proculdubiò simul est hortus animæ, de quo in Isaïa LVIII. 11. *Et eris sicut hortus irriguus, & sicut fons aquarum* sapientiæ salutaris, *cujus non deficient aquæ vivæ: salientis in vitam æternam* Joan. IV. 14. consonè ad textum priùs expositum Cant. 4. 16. *& fluant aromata illius*, quo perflante discedunt phantasmata, dantur charismata, resonant idiomata, voces diversas intonant &c.

Amor dehinc sponsæ congratulans lætus & assentiens. Incœpit octavum drama dicens & optans: *Veniat dilectus meus in hortum suum* Cant. v. 1. efficienter, meum tamen effectualiter vel in effectu.

Porrò finis invitationis est, ut *comedat fructum pomorum suorum* ibid. id est comedere faciat, timore nunc & pluries exposito. Respondet dilectus applaudens & blandiens. *Veni in hortum meum*: ibid. præveniens votum tuum, *soror mea*, & ex affinitate paterna secundùm divinitatem, & materna secundùm humanitatem, *sponsa* mea, in Fide & Charitate, *in misericordia & miserationibus, in judicio & justitia in sempiternum* Osee. II. 19. 20. *Messui*, colligens, *myrrham meam* Cant. v. 1. bonæ operationis, quæ sicut electa dat suavitatem odoris, quoniam ab omni fœtore vanæ gloriæ putrescentisque luxus aliena est, *cum aromatibus meis* ibid., virtutum & donorum suavissimis. *Comedi*, quia comedere te feci, *favum cum melle meo* ibid. quoniam ex humanitate mea & divinitate cibus procedit amoris, similiter & potus vini deitatis cum lacte humanitatis. Sequitur proinde quasi generalis nimiumque liberalis invitatio: *comedite amici & bibite*, quia mensa sapientiæ parata est, *& inebriamini charissimi* ibid. Sic plus est esse charissimum quam duntaxat amicum, ita majus est inebriari quam solùm bibere. Tunc intelligendum est sponsam tanquam verè charissimam in deliciis, prout infra laudatur, obdormisse præ ebrietate spiritûs & dixisse quod sequitur in nono dramate Cant. v. 2. *Ego dormio & cor meum vigilat*. Amor incipit hic septimum sympsalma, dormire se dicens & cor suum vigilare. Felix soporatus cum tali vigilia. Quantùm putas differat à somnio veteris hominis & carnalis? Fumant ex corde & stomacho usque ad cerebrum ubi est sedes proxima sensus communis, qui vocatur ab Aristotele primum sensitivum: fumant, inquam, exhalationes quæ ex frigiditate cerebri repercussæ fiunt graves, & grossitie sua opilant vias sensuum, quo fit ut spiritus animales sensitivi, qui sentiri dant instrumentaliter transire non possunt. Fiet prætereà quies & cessatio sensualium operationum fatigatarum ex vigilia: neque jam res videntur, sed vel nihil vel earum simulachra quandoque somniare contingit. Fit denique confortatio spirituum naturalium & vitalium. Amor verò novi hominis somnium patitur & somnium ex illuminationibus desuper advenientibus, quando veræ res aspiciuntur aut sentiuntur, æternæ scilicet & phantasiæ rerum mutabilium cessant illudere. Reverà nonne temporalia si conferantur æternis, illa potiùs simulachra rerum dicenda sunt quàm veræ res? Cessant autem hujusmodi temporalia cogitari, quando dormit amor per contemplationem: sed cor mentis vigoratur ut vigilet ad inspiciendum sempiterna dilecti secreta, quibus alloquitur dilectam audire potentem, quia dormit à terrenis, & vigil est ad Domini cœlestis adventum. *Vox*, inquit, *dilecti mei pulsantis*, ibid. Sic in Apocalypsi protestatur: Cap. III. ℣. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso. Aperi*, inquit, *mihi*, Cant. v. 2. blandiens ex quadruplici nomine totaliter amoroso satis
A exposito vel exponendo. *Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea* ibid. dehinc intelligendum est cur vocet & pulset? Nimirum ut ferventior per exercitium suscitetur amor qui notatur aliquantisper ex otio tepescere. Proptereà transfigurat in se teporem istum dilectus, dicens, *quia caput meum plenum est rore* ibid. qui utique frigidus est, & *cincinni mei*, capilli scilicet cogitationum intentionum crispantes & in altum recurvi pro desiderio cœlestium, *guttis noctium*, quæ tamen rori similes sunt, aut ros ipse. Consonant hinc intelligentiæ nostræ & si multiplex altera sit responsio amore dormitantis & quasi somniculosè, pigreque vigilantis. *Expoliavi me tunicâ meâ*, curarum forensium, *quomodò induar illâ? Lavi pedes meos*, affectionum à luto & pulvere phantasmatum, *quomodo inquinabo illos*, ibid. v. 3. ambulando rursùs per vias terrestium? Amor, quia non satis excitatus à voce videtur, tangitur à manu. Sensit hoc
B amor ipse jam factus alacrior ex tremore displicendi, cum sollicitudine complacendi. *Dilectus*, inquit, *meus misit manum suam*, quæ est vis operativa intima, *per foramen*, ℣. 4. occultum animæ penetrans & illabens usque ad ventrem qui inferiùs amoris sedem habet. *Surrexi*, proximior in amando, *ut aperirem dilecto meo* ℣. 5. nedum vocanti jam & pulsanti, sed interiùs operanti. *Manus mea*, quatenùs essent puriores ad amplexum sponsi, *stillaverunt myrrham primam*, ibid. coinquinationis expulsivam, *& digiti mei*, discretionis, tenentes prolem ob similem causam ne corrumperetur operatio, *pleni myrrha probatissima*, probata ex industria virtuosæ pœnitentiæ & veniæ, probatior ex consecutione gratiæ; sed probatissima ex certa spe gloriæ. Vel probata per fidem, probatior per spem, probatissima per charitatem. *Pessulum ostii mei* quod aliter nominatur vectis *verruel* gallicè, *aperui dilecto meo*, ℣. 6. quia rigorem omnem ostium mei consensus obcludentem amovi. *At ille declinaverat atque transierat* ibid. ita vulgò dicitur: *Qui non vult dum potest, non poterit cum volet*. Nunquid non justa est talis ingratæ tarditatis mulctatio? quæ tamen convertitur & cooperatur in bonum futuræ sollici-
C tudinis amplioris. Amor itaque etsi dicat, pessulo amoto, apertoque ostio, quod dilectus declinaverat atque transierat, nihilominùs multum confitetur vocem, pulsum & tactum dilecti valuisse. *Anima mea*, inquit ibid. *liquefacta est ut dilectus locutus est*. Non excludit pulsum cum tactu quorum vehementior virtus esse solet quàm solius vocis. Quid autem sit ista animæ liquefactio conjecturamus ex materiali, qualis fit in nive, qualis in cera recenti ad solares radios; quoniam fit separatio partium heterogenearum ab homogeneis, & è contra, & quod remanet non se continet jam sub terminis propriis, sed alienis, ut in continente vase seu loco. Fit per contrarium in multis obduratio, quæ cedere nescit agenti, se penetrare conanti. Non secus amor igneus, maximè spiritalis & cœlestis facit liquescere cor pium ut tenerum sit & penetrabile ad nutum dilecti ingredi cupientis & ad omnem formæ impressionem satis aptum. Contrarium verò sæpè facit effectum ignis carnis. Exemplum de Manna quod liquefiebat ad solem & ad ignem dura-
D batur: *Cor* autem *durum male habebit in novissimo*. Eccl. III. 27. Porrò durities ista quomodò causetur & quid est illud Apostoli: Rom. IX. 18. *Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, non mediocris est quæstio. Siquidem Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur per aversionem ab eo & peccatum; sed desertione facta cadit homo in profundum & con-

tem-

temnit. Contemnenti verò Deus non dat gratiam, sed resistit. Ac proinde non emollitur cor nec liquefit ad gratiæ susceptionem; tandem pœna damnationis infligitur & obduratio confirmatur. Causa igitur obdurationis est voluntas avertens, & hæc incitat; voluntas resistens, & hæc continuat; culpa promerens, & hæc confirmat; A Deus gratiam non dans, & hæc non liberat; Deus justè puniens, & hæc ordinat.

Amor patitur vulnera: *Invenerunt me custodes*, inquit, *qui circumeunt civitatem* ℣. 7. civitas etsi possit in bonum accipi cum custodibus suis, Angelis & Prælatis, quorum bonæ sunt percussiones & vulnera sanctæ compunctionis, amoto pallio vanitatis. Attamen custodes isti qui circumeunt, intelligi possunt de pestifera gente illius sathan, qui circumit terram & perambulat civitatem peccatricem, in cujus medio sunt iniquitas & dolus, & Babylonica confusio. In quo sensu si textus præsens accipitur, consequenter sponsa zelans amorem sponsi incurrit ut sit inter currendum, in aspectu confusionis horribilis, quia videt iniquitatem & contradictionem in civitate, *Ps.* LIV. 10. quid vulneretur sentiens cum Apostolo: 2. Cor. 11. 29. B *Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror?* Sic enim Pentapolis peccatrix affligebat nequissimis operibus animam justi Loth, non flagellis corporalibus. Est autem apud Isaïam *pallium laudis* quod dandum erat pro *spiritu mœroris*, Isaïæ LXI. 3. nunc autem ex adverso concipit zelus amoris spiritu mœroris, sublato pallio laudis. Nam quomodò cantaret Canticum Domini in terra Babylonis aliena? *Ps.* CXXXVI. 4. Amor prætereà quoad proprietatem alteram languet exclamans: ℣. 8. *Adjuro vos*, fortis obsecratio, *Filiæ Jerusalem*, supernæ civitatis, *si inveneritis dilectum*, immò quia vobiscum est, *ut annuncietis ei*, qui novit omnia, *quia amore langueo*. Sanè quia læditur amor & honor ipsius, nequeo non languere; quoniam nullum valeo præstare remedium, zelus enim domus suæ comedit me. Et quia tot mala quæ video tollere non valeo, cum languore tolero & gemo. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est*, & *habitavi cum habitantibus Cedar* Psal. CXIX. 5. tenebrarum harum, neque patet vobiscum celer in- C gressus ad dilectum. *Cupio enim dissolvi & esse cum Christo*. Philipp. 1. 23. Cupio civitatem turbidam deserere corporis mei ut libera fiat mihi pertractatio summi boni satians & quietans. Est igitur causa languoris mei ex unicò amore suo duplex; quoniam læditur à prævaricatoribus, neque mihi plenè possidendus citò datur. Fiat utinam languor iste mihi in mortem, qualis est illa justorum. Amor sponsæ quo ferveat ampliùs & feliciter langueat, perflatur interrogationibus filiarum Jerusalem quasi nesciarum, ut est illud. Gen. III. 9. *Adam ubi es?* vel potiùs illud ad Mariam amore languentem. *Mulier quid ploras?* Joan. XX. 13. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Amas enim per amorem, *ò pulcherrima mulierum*, *qualis est dilectus tuus*, *quia sic adjurasti nos*. Cant. V. 9. Respondens protinus amor pro conditione sua, laudat dilectum ex vivaci colore: quia *candidus & rubicundus*, ℣. 10. ex singulari decore, *electus ex millibus*; ex ornato vertice, *caput ejus aurum optimum*, ℣. 11. cujus *comæ* sunt *sicut elatæ palmarum*, fortes scilicet, in altum dilatatæ cogitationes, sicut exaltatur cœlum à terra, cogitationes autem hominum vanæ sunt. Et D quoniam abditissimæ sunt cogitationes Dei, neque comprehendi possunt dicuntur, *nigræ sicut corvus*. Ceterum commendantur oculi sapientiæ ejus ex columbina simplicitate mundissima & lectea. Et quoniam profunda fluviorum scrutantur, *habitant juxta fluenta* ℣. 12. Scripturarum *plenissima*. *Genæ illius* ornamenta faciei formosæ ac redolentes, *sicut aureolæ aromatum* ℣. 13. *consitæ a pigmentariis*. *Labia ejus* quibus enarrat scientiam, *labia* sunt *distillantia*, moderatè & absque ulla putrefactionis labe *myrrham primam*, ut est illud cum similibus: Matth. v. 3. *Beati pauperes spiritu*, *& mites*, *& qui lugent*, & qui non habent hîc consolationem suam, *sed flent & esuriunt*. *Manus*, virtutis executivæ, sunt *tornatiles*, per agilem æquabilitatem; *aureæ* per sapientiam, *plenæ hyacinthis* v. 14. cœlicæ conversationis. *Venter*, qui vim vel memorativam vel generativam spiritualiter significat, *eburneus* est, per candorem castitatis non urentis, & per saphyrorum pretiosorum distinctionem in cœli donis. *Crura illius*, ℣. 15. usque ad pedum firmitatem signant vias gressuum divinorum, secundùm misericordiam & veritatem, sub typo columnarum marmorearum, sunt *super bases aureas* inflexibiliter *stabilitæ*. *Species ejus*, ibid. candorem puritatis odoriferæ gerit, *ut Libanus*, *& electus* est inter alios, *sicut cedri*, proceritate sunt imputribilitateque laudabiles. Commendatur *Guttur illius suavissimum*, ℣. 16. in vi spirativa, sonativa & distributiva ad inferiora corporis membra. Et quid per multa fieret morosa dinumeratio, *totus desiderabilis*. ibid. Amor ad extremum, quia sublimius ascendere non poterat subjungit: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem*, ibid. Dilecto dicit amationem ex electione, sed amicitia addit reamationem & mutuam communicationem. Rursùs quia sponsus sumitur à sponsa, nedum propter communicationem sed ad filiorum generationem; ubi fundatur communicatio naturæ secundùm originem filii vel filiorum à Patre. Prætereà uxor in eodem gradu videtur esse ponenda quantùm ad amorem benevolentiæ cum filiis, secundùm quam communicationem magis diligitur filius quàm Pater; quia filius est aliquid ejus non autem Pater: præsumit igitur sancta fiducia multùm de Deo dilecto, ipsa diligens sponsa cum addit: *Et ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem*, quia diligit & diligitur & in secretis communicat. Plùs denique videtur dictura fuisse, si junxisset, & ipse frater meus. Quid prætereà, si dixisset, & ipse est sponsus meus? Quid demum, si velut excedens audaci verbo conclusisset, ipse est filius, & puer & minister? nonne dixisset talia conformiter ad sponsum sic loquentem & laudantem, nedum sponsam pulcherrimam & immaculatam, sed omnem generaliter qui fecerit voluntatem Patris sui qui est in cœlis. Sanè suffecit ei fortassis laudatio non proprii, sed alieni oris, sponsi & suorum Pastorum & Doctorum quasi paranymphorum inter sponsam & sponsum, qui sponsam vocant *Verbigenam*, seu *Deigenam*, & ita Dei Matrem. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Bernardus cum similibus, quorum scripta patent & ratio certa convincit ex dignissima cohabitatione sponsi cum sponsa, & ejusdem per gratiæ semen fœcundatione, non ab altero, nec de altero quàm de seipso, ut audeat dicere sponsa insuper adventum Spiritus sancti: Et in obumbratione virtutis Altissimi, *filius meus es tu, ego hodie genui te* Ps. 2. 7. in die desponsationis meæ, & lætitiæ cordis mei *Cant.* III. 11. Quid hoc mirabilius? Vel dicere Deo: Cibus meus tu, ego hodie comedi te.

SYMPSALMA VIII.

Jungit amor soli solus, perfectus, & est par Auroræ, nitidus, ordine terribilis.

AMOR unus & unicus, simplex, perfectus & electus insinuatur cum dicitur circa medium sexti capituli: ℣. 8. *Una est columba mea*, simplificata videlicet per Spiritum sanctum, *perfecta mea*, cui nihil deest eorum quorum esse particeps debet. Quæ prætereà juncta est mihi perfectè & fini suo. Tunc enim perfectum est unumquodque cum finem ultimum suum fuerit assecutum, sicut ex opposito, omne illud vanum est quod fine suo caret. Proptereà vani sunt omnes homines in quibus non est sapientia quæ ipsorum finis statuta est. Sequitur: [*Una est matris suæ, electa genitrici suæ* ibid.] Mater & genitrix sponsæ, rectè intelligitur eadem increata sapientia, cujus filia est mens ana-

anagogicè sursùm acta. *Nam qui spiritu* sapientiæ *aguntur, hi filii Dei sunt* Rom. VIII. 14. *Viderunt illam filiæ & beatissimam prædicaverunt, reginæ, & concubinæ laudaverunt eam* Cant. VI. 8. Pendet hæc pars ab illa præcedenti, *Sexaginta sunt reginæ, & septuaginta concubinæ & adolescentularum non est numerus*, ℣. 7. quæ hìc possunt intelligi filiæ nuncupari. Sequitur vox admirantium. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* ℣. 9. ? Hæc pro textu præsentis octavi sympsalmatis transcursa sic conjungamus ad præcedentia, tanquam pro diapsalmate.

Amor fidenter ausus est dicere post descriptas dilecti proprietates, *& ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.* Cant. V. 16. Subjungunt ad incendii formentum crementumque petitionem. *Quo abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum, quo declinavit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?* ℣. 17. Non itaque petunt propter se quem liberè possident in Jerusalem cœlesti, sed ad sponsam, ideo jungunt *tecum*. Respondet amor in principio sexti capituli: *Dilectus meus descendit in hortum suum*, qui est in subcœlesti Jerusalem quoad universos & singulos quos gratia facit esse quasi paradisum B in benedictionibus, *ut ibi pascatur in hortis, & lilia colligat, ad areolam aromatum*, quæ omnia sunt benedictiones meritorum, quibus pascitur dilectus, & quæ colligit quando remunerat. Amor rursùs quasi delectatus confabulatione prolixiori ad filias Jerusalem, narrat in ardore simplicis cordis laudes suas sibi priùs attributas à sponsa cum redditione multiplici. Et ita procedit hujus totus capituli sexti & septimi contextus, quasi sua sit alternata narratio, usque ad principium octavi, vel paulò ante; ubi decimum & ultimum drama incipit per collationem, nominatim ad dilectum & ipsius responsionem. Nos autem ex ipsis tria partiti sumus sympsalmata sub triplici versu novissimo.

Amor igitur colloquium habens cum filiabus Jerusalem, quæ vicem gerunt paranymphorum inter sponsum & sponsam; non ut instruat eos, sed ut desiderio suo satisfaciat & doceatur, continuat responsionem ad interrogationem factam, immò diffusa verbositate sæpius interrupta dilatat eam. *Ego*, inquit, *dilecto meo*, intendo, *& dilectus meus*, intendit *mihi, qui pascitur inter lilia*, Cant. VI. 2. candidorum merito- C rum ab eo mihi magnificè collatorum, ex quibus me collaudat, dicens ℣. 3. *Pulchra es, amica mea, & decora sicut Jerusalem*, ad cujus exemplar formata sum atque pacifica. Quod si fidenter dixerim priùs, *& iste est amicus meus*, Cant. V. 16. nolite mirari, quoniam me dignatur totiens amicam nominare, cujus judicio & dono virtutum suarum dicor; *terribilis ut castrorum acies ordinata* Cant. VI. 9.

Amor iterum continuat narrare verba dilecti ad eam. *Averte*, inquit, *oculos tuos a me*, quorum unus est discretivus seu speculativus, alter experimentativus seu practicus, *quia avolare me fecerunt*. Cant. VI. 4. Dicitur in Psal. LXIII. 8. *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus*. Hoc verbum esse potest præsentis intelligentiæ de avolatione dilecti, qui sublimior semper apparet, quo videri sollicitudine quæritur ampliori, *ponit enim tenebras latibulum suum*. Ps. XVII. 12. Sequitur laus capillorum, dentium & genarum, prout supra quarto capitulo.

Sequitur denique materia præsentis sympsalmatis jam aperta: *Sexaginta sunt reginæ* &c. Cant. VI. 7. usque *descendit in hortum* &c. ℣. 10. Fœcundus est iste textus in sententiis, si deberent singula discurri: quæ omnia reducuntur ad unitatem amoris & multiplicitatem ejus. Unitas objectalis multiplicitas formalis est: unitatem expressit Apostolus cùm totiens dixit: *Unum corpus, unus spiritus, una spes vocationis, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium* Eph. IV. 4. 5. Et iterum: *Unum corpus, & unus panis sumus* I. Cor. X. 17. Et universaliter in Evangelio Joannis per totum. Et quid potest compendiosius dici quam illud Apostoli I. Cor. VI. 17. *Qui adheret Deo unus spiritu est*. Quinimò illud Christi de manducante & bibente carnem & sanguinem suum sacramentaliter: *In me manet, & ego in eo* Joan. VI. 57. Ceterum notati sunt status varii in adolescentulis, concubinis, reginis. Illustrationes insuper variæ in aurora, luna & sole. Conclusa sunt tandem omnia in ordine, seu coordinatione charitatis, A quoniam priùs dictum erat: *ordinavit in me charitatem*. Cant. II. 4. Nunc iterum repetitur, & postmodùm quantùm valeat ordo charitatis & amoris dicendo, *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cant. VI. 9.

Amor si ordinatus sit, nihil fortius & inimicis terribilius est. Consistit autem ordo amoris ad Deum, ad se, ad proximum. Derivatur insuper ordo iste ab ordine tam supercœlesti Beatissimæ Trinitatis, quàm cœlesti Angelicæ dignitatis. Et iste ordo subcœlestis dicitur monasticus in homine singulariter; ecclesiasticus in politia spirituali; politicus in regimine temporali, de quibus non est hìc dicendum per singula, nisi quòd generalis ista potest regula dari, quòd nihil absque ordine alicubi pulchrum est, nihil placens, nihil stabile. Sunt à Beato Dionysio traditæ (sicut creditur revelante Paulo) Cœlestes Ordinum Angelicorum hierarchiæ, sunt ad exemplar earum traditæ subcœlestes hierarchiæ, tres monasticæ in eodem homine secundùm metaphoram, sicut loquitur Aristoteles & per tropologiam, sicut loquitur Theologus, junctâ simul anagogiâ. Tradita est hierarchia subcœlestis ecclesiastica per allegoriam, maximè junctâ tropologiâ. Tradita est etiam subcœlestis hierarchia temporalis, maximè per tropologiam incedens. Porrò hierarchia subcœlestis monastica & ecclesiastica, magis spectat ad sympsalma præsens & duo sequentia. Qua in re posset introduci tota traditio Dionysii *De Angelica hierarchia*. Cap. X. cum expositionibus suis. Tradunt enim quòd in homine quolibet novem Officia vel Ordines cœlestium Angelorum reperiri debent. Infima hierarchia secundùm naturam, media secundùm industriam, tertia & suprema secundùm gratiam. Multi super hoc Ordine & hierarchiis multa tradiderunt, pro suo quilibet sensu & ingenio. Denique redeunt omnia in unam de portionibus animæ humanæ sententiam cum suis habitibus & actibus cum relatione; præterea ad formalem objectorum rationem, quoniam bonum est objectalis ratio solius Dei, & finis ultimus est, & hæc in arce reponitur, ubi mens amat, arce manens unica, unicum, sola solum Deum. Proinde ratio superior habet pro objecto se ipsam, & res spirituales abstractas, sicut Angelos subsequitur inferior ratio, deducens ex superioribus principiis conclusiones scibiles, & ex inferiori sensualitate sensationes experimentales sensuum exteriorum & interiorum: circa quas sensationes & ex quibus, inferior hierarchia constituitur sicut ex ratione inferiori media, & ex superiori suprema.

Prima per naturam, secunda per industriam, tertia per gratiam, junctâ industriâ. Super quas omnes collocatur mens in arce Sion, tanquam imago & gloria & similitudo quædam Beatissimæ Trinitatis. Amor ordinatus habet in qualibet hierarchia quandam speciem Trinitatis, secundùm majus & minus. Hierarchia siquidem mentis in arce Sion tanquam su- D percœlestis imago, imò & deificatio purè gratuitè sigillata, signata & tracta, habet Deum, nedum pro causa vel principio efficiente, quemadmodùm res omnes habent; nedum pro causa vel principio formante, vel objectaliter & vitaliter immutante, quemadmodùm capaces sunt omnes creaturæ rationales secundùm memoriam, intelligentiam & voluntatem, per diversas illuminationes & participationes gratiarum gratis datarum, quales sunt Prophetiæ, Dona sanitatum, Dona linguarum, & abbreviato verbo, omnes gratiæ præter gratiam gratum facientem & acceptantem ad vitam æternam; verumetiam per eandem gratiam gratum

tum facientem, sanctificantem & inhabitantem, quæ reddit mentem sponsam Dei, charissimam filiam, sororem, coheredem, amicam, & commensalem, immò audacissimo cum pietate verbo Matrem, unde *Verbigena*, vel *Deigena* nominatur. Post istam quasi supercœlestem hierarchiam, sunt in homine, sicut in microcosmo seu minori mundo reperibiles aliæ omnes hierarchiæ figuraliter tàm cœlestes quàm subcœlestes, spirituales & temporales. Cujus rei consideratio manifesta esse potest perscrutanti Trinitatem, invenibilem esse in omnibus his hierarchiis antedictis. Nunquid non habet sensualis hierarchia memoriam, notitiam & amorem, respectu objectorum philosophicè cognoscibilium & amabilium? sicut in Logicis, Moralibus & Physicis, per infallibiles Leges & regulas in quibus velut Theophaniis & ænigmate videtur Trinitas Deus. Nunquid non portio rationis superior memoriam habet, notitiam & amorem respectu sui? quoniam sibi maximè præsens est. Comparatur etiam secundùm memoriam, notitiam & amorem substantiarum spiritualium & immaterialium quæ sub Deo sunt æternitatis participes. Amor si consideretur psallere Cantica Canticorum conformiter ad prædictas hierarchias se vicissim coaptando, nunc ad illam quasi supercœlestem, nunc sigillatim vel conjunctim ad alias velut cœlestes vel subcœlestes, spirituales vel temporales; manifestum est quam latitissima sit Canticorum materia, vel exponendo vel exercendo.

SYMPSALMA. IX.

Nescit amor, vehitur, turbatur, crebro vocatur.
Pareat ut veniens laus sibi multa datur.

AMOR nescire se dicit; similiter ad Ps. LXXII. 21. pluries nominatim ibi. *Quia inflammatum est cor meum & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum & nescivi.* Per ignorantiam autem cogitur incircumvelatè Deus, secundùm Dionysium. Sic amor sponsæ postquam confabulando narraverat filiabus Jerusalem ex persona sponsi: Cant. 6. 10. *Descendi in hortum meum ut viderem poma convallium*, quæ sunt merita humilium; *& inspicerem si floruisset vinea*, quæ per Baptismum de Ægypto translata est, *& germinassent mala punica*, sanctarum intentionum: subjunxit in persona sua, *nescivi, anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab* ℣. 11. Aptissimè quidem per Aminadab (qui spontaneus interpretatur) accipitur Christus, *qui voluntariè genuit nos*, secundùm Jacobi verbum c. 1. 18. Cujus quadrigæ sunt Evangelicæ quatuor doctrinæ, quibus evecti fideles conturbaverunt mundum bona conturbatione, quando *conturbatæ sunt gentes* per pœnitentiam, *& inclinata sunt regna*. Ps. XLV. 7. per fidei subjugationem, vocantibus Apostolis & successoribus suis, & piè clamantibus quater, juxta quatuor Evangelia, ℣. 12. *Revertere, revertere Sunamitis*: id est captiva, *revertere, revertere ut intueamur te*, hoc est, ut reversam & conversam diligamus te. Nam ubi amor, ibi oculus; & ita videre diligere est. Amor sponsæ continuò convertit alloquium cœptum cum filiabus Jerusalem; non quidem verborum strepitu, sed solita meditatione. Convertit, inquam, ad laudem Ecclesiæ de gentibus tàm universalis quàm singularis; quoniam unitas nectit omnem, ut etiam remanet cujuslibet salva singularis proprietas. Nihilominùs placet in hoc sympsalmate sermonem facere super universali & per allegoriam, quatenùs solers lector animadvertat ita potuisse fieri per universum decursum jam peractum, principaliter secundùm anagogiam cum illuminatione Philosophica; quemadmodùm in sequenti & ultimo sympsalmate convertetur oratio ad tropologiam, quasi pro adolescentulis, sicut magis aptatur ad concubinas & reginas; & præcedentia texuntur de illa quæ unicè perfecta est & electa, virgo, filia, soror, sponsa quasi Mater honorificata & quodammodò deificata. Est autem sensus ille allegoricus dicendus in hoc Libro propriè literalis tanquam ab Autore Salomone principaliter intentus, ubi voces aliud loquuntur, sed res literam significant, quemadmodùm de lignis Libani quæ constituerunt sibi Regem.

A Amor nominari potest tripliciter, conformiter ad actum triplicem hierarchicum. Nam est amor purgativus, cui servit tropologia & moralis scientia. Est amor illuminativus cui servit allegoria & speculativa Theologia. Est amor perfectivus, cui servit anagogia & practica Theologia. Dictum est hactenùs principaliter de amore perfectivo, secundùm anagogiam & practicam Theologiam, jungendo speculativam aliquando. Dicendum est in hoc nono sympsalmate præcipua intentione de amore illuminativo, per allegoriam aut per speculativam. Decimum verò sympsalma deserviet maximè amori purgativo, secundùm tropologiam & moralem scientiam. Sic enim debitum solvere conabimur, nedum perfectis & sapientibus, sed minus perfectis qui proficiunt aut proficere desideranter incipiunt.

Amor illuminativus conatur per allegorias, ex narratione sponsæ ad filias Jerusalem, sub persona dilecti, Ecclesiam de gentibus commendare sub nomine
B *Sunamitis*, quæ captivitatem sonat, qui sensus per expositores copiosissimè & quasi principaliter tractatur in hoc toto Canticorum Libro. Docet hoc Glossa ordinaria ex eorum dictis particulariter excerpta. Vocatur quoque osculatio oris, Incarnatio Christi, similiter desponsatio & amplexio cum similibus. Dicuntur *Adolescentulæ*, simplices de Ecclesia; dicuntur, *concubinæ* & *reginæ* Prælati minores & majores benè fœcundantes & regentes Ecclesiam. Dicitur Unica, Columba, Perfecta tota universalis Ecclesia ad unum Pastorem Christum, & ejus unicum in terris Vicarium Pontificem Summum simplificata. Dehinc pluralitas pastorum & sodalium & tabernaculorum & oppugnationum refertur ad hæreticos.

Porrò *Lectulus floridus* cum similibus, spectat ad contemplativos, sicut egressio sponsæ ad exteriores vineas & hortos, trahitur ad activos, præsertim prælatos & Rectores Ecclesiæ majores & minores & Doctores: adeò quòd tota ferè connexio corporis mystici Ecclesiæ significata, per actus corporis veri tra-
C ducitur ad istos: nunc nomine oculorum, quoniam illuminant; nunc per choros castrorum, quia lætificant & defendunt in concordia quasi chori, nunc laudatur sub admiratione quasi filia principis, & pulchritudine gressuum; quoniam sunt calciati & præparati ad evangelizandum pacem prout loquitur Isaias: LII. 7. *Quam speciosi pedes evangelizantium bonum.* Rursùs ipsi eidem comparantur *capillis*, quoniam adhærent Christo capiti immediatiùs & sunt ordinati, *sicut greges caprarum quæ apparuerunt de Galaad.* I. Cant. VI. 4. id est de acervo testimonii Scripturarum de quibus Christus: Joan. V. 36. *Testimonium*, inquit, *perhibent de me.* Comparantur denique *dentibus* conterentibus cibum spiritualis doctrinæ sub unitate ordinata prout est, *grex ovium quæ ascenderunt de lavacro* Cant. V. 5. Baptismi vel Pœnitentiæ non sine multiplici fructu, sed *gemellis fœtibus*, propter geminam Dei & proximorum charitatem.

Comparatur insuper sua conversatio, quæ per *genas*
D figuratur, cortici per humilitatem pallenti *mali punici*, continentis in se grana doctrinarum rubicunda per charitatem, sub ordine mirabili sententiarum, quæ dicuntur hîc occulta genarum vel ipsius Ecclesiæ.

Comparatur juncturis feminum & monilibus, umblico & crateri tornatili, qui nunquam indiget poculis: *Cant.* VII. 1. 2. 3. & seq. Ventri quoque & acervo tritici vallato liliis, & duobus uberibus, duobus insuper gemellis hinnulis capreæ, propter vim genitivam spiritaliter atque nutritivam. Comparatur collo & turri eburneæ, propter vim sustentativam & castam, oculis rursùs &

 pisci-

piscinis in Hesebon, *quæ sunt in porta filiæ multitudinis*, Cant. VII. 4. propter vim spiritaliter inspectivam, & aquis doctrinarum fœcundam, instar piscinarum. Dicuntur subinde, *nasus*, propter vim olfactivam spiritaliter, unde percipiunt insidias hostium, sicut à turre Libani fit corporaliter, qua respicit contra Damascum. Dicuntur, *caput*, propter universalem vim regitivam & influxivam spiritalium sensuum & motuum, sicut à Carmelo monte nutrimenta corporaliter accipiuntur.

Porrò, *comæ capitis* hujus spiritalis sunt *sicut purpura Regis*, rubicunda & præcipua propter charitatis nitorem *quæ juncta est canalibus* à superna Jerusalem fluentibus. Denique laus totius Ecclesiæ ab ipsis sumitur, quoniam per eos, *pulchra est & quam decora & charissima in deliciis*, cujus altitudo *assimulatur palmæ*, quoniam & ipsi Prælati cum Doctoribus *sunt similes uberibus & botris* propter vim nutritivam, nunc in lacte simplicioris doctrinæ, nunc in vino subtilioris.

Dicit propter istos sponsus, quòd ascendet *in palmam*, per gratiam, & apprehendet *fructus ejus*, per remunerationem, *& ubera tua*, loquitur ad sponsam, *sicut botri vineæ* Cant. VII. 8. Causa dicta modò, *& odor oris tui*, à quo sonat prædicatio, *erit, sicut odor malorum*. Ibid. *Odor*, inquam, *vita in vitam bonis, & in mortem malis*. 2. Cor. II. 16. *Guttur tuum*, significans vim gustivam, *est sicut vinum optimum* Cant. VII. 9. ex efficacia. Subjungit postremò sponsa quasi secum reputans & loquens, *vinum* non dubium quoniam bonum, *dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum:* causaliter intellige, quia potare facit & ruminare.

Amor increatus, abyssus amoris, fons, fluvius & flumen, cujus derivatio est ipsius vocatio: cur ab initio vocatio, cur ab initio vocatam & electam Synagogam velut arentem deseruit & repudiavit, superinfusa & desponsata gentium Ecclesia. Pendet ista quæstio ab ordine divinæ providentiæ, quæ charitatem ordinavit in effectibus suis, quos utique dicere possumus amores suos; quoniam suum dicere, amare est. Amavit & facta, *vidit* insuper *cuncta quæ fecerat*, quo oculo nisi amoris? *& erant valdè bona* Gen. I. 31. valde ergo amabilia, quoniam bonum & amabile convertuntur. Propterea res unaquæque tantùm habet de amabilitate, quantùm Deo amanti placitum est. Cesset ergo superba curiositas mortalium super hujusmodi quæstiunculis. Cur? Respondet Propheta. Psal. CXXXIV. 6. *Quæcunque voluit fecit*. Respondet & pro seipso. *Miserebor cui miserebor, & clemens ero in quem mihi placuerit*. Exod. XXXIII. 19. Repudiata est Synagoga priùs electa: demeruit priùs ita fieri, dicente Propheta ad Deum. Psal. LXXII. 27. *Quoniam qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes qui fornicantur abs te*. Elongata est, periit, fornicata est, dispersa est & repudiata, & Ecclesia gentium gratis electa, sub typo Vasthi superbæ & Hester gratiosæ.

Amor æternus qualem dicendus est plus diligere, vel præscitum in gratia nunc existentem, sicut Synagoga fuit; vel prædestinatum odiosum peccato actuali, qualis erat Ecclesia gentium futura? Responsio fit per distinctionem; quoniam secundùm præsentem justitiam plus amavit Synagogam reprobam tunc existentem in gratia, sed simpliciter plùs Ecclesiam gentium tunc existentem in culpa, ne glorietur stulta præsumptio omnis carnis in conspectu suo. I. *Cor*. I. 29.

Amor increatus quos amasse plus existimandus est vel Angelos vel homines? Quos insuper inter homines vel Christum vel totam Ecclesiam, quos rursùs in Ecclesia, vel Matrem suam vel Joannem cui commissa est in custodia, vel Petrum cui suæ commisit regimen Ecclesiæ, quem plus subinde dilexit vel Joannem vel Petrum? Rursùs si Deus ab æterno dilexit mundum creandum, cum omnibus quæ in eo sunt, vel ex tempore? Et quodlibet dicatur, si plùs dilexit unam creaturam quàm aliam, cum in actu dilectionis suæ infinito non videatur inveniri posse plus vel minus. Sed videtur è contra, si omnia dilexit æqualiter, cùm non fallatur in dilectione, sunt omnia æqualiter bona. Ampliùs, si diligit omnia, & nihil odit eorum quæ fecit, quo pacto creaturæ suæ quas fecit, quotidie deficiunt, corrumpuntur, intereunt, moriuntur, nedum morte temporali, sed (quod horribilius est etiam solo cogitatu) moriuntur æternâ.

Prætereà si diligit omnia, cur non omnibus dat salutem, cur non prosperitatem, cur non delicias, cur malis prospera, cur bonis adversa? Cur multa tolerat, immò laudat, in creaturis irrationabilibus? Superbiam in equo, invidiam in cane, iram & ferocitatem in leone, avaritiam in cornicula, segnitiem in bubone, luxuriam in sue vel hirco, gulam voracem in lupo, & ita de similibus; qualia tamen velut odiens reprobat in hominibus punit, & damnat: tales sunt quæstiones super provido & ordinato amore Dei, sine numero. Pro quibus sit hæc unica conclusio, quòd amor Dei in se unicus est invariabilis & immotus, sive comparetur ad homines salvandos, sive ad damnandos, sive coaptetur ad creaturas irrationales: attamen multiplex, varius dicitur amor æternus relatus ad effectus, secundùm quos dicitur recipere majus & minus in amando, prout creaturæ suæ plùs recipiunt vel minùs de perfectione in essendo. Aliquibus contulit solum esse, aliquibus vivere, quibusdam sentire, nonnullis ratiocinari & intelligere. Superaddit autem electis suis benè vivere & lætari cum beneplacito gratiæ suæ, quos fecit capaces & participes imaginis & gloriæ suæ, per memoriam sui intelligentiam æternorum, cum merito hîc in via in osculo sancto oris sui sub spe beatificationis in gloria. Neque est qui dicere possit, *cur ita facis?* qui omnia quæcunque voluit fecit, facit & faciet in secula seculorum.

SYMPSALMA X.

Visit amor vineas hortos & poma reservat.
Oscula vult pueri, fortis amor quasi mors.

AMOR *visitat hortos. Veni, dilecte mi, egrediamur* &c. Cant. VII. 11. Reservat poma dilecto, vult osculari fratruelem suum infantem, quia *Sugentem ubera matris, quis mihi det te fratrem meum* &c? Cant. VIII. 1. Denique, *fortis ut mors dilectio*. ℣. 6. Et si quatuor istas amoris proprietates ultimas, quasi totidem linguas igneas vel scintillas aut sub similitudine fontis quasi totidem rivulos, juxta quos canitur decimum & postremum sympsalma Canticorum, possemus adaptare præcedentibus, secundùm anagogiam & allegoriam: nihilominùs placet appropriare per tropologiam amori purgativò, quasi pro adolescentulis, quarum non est numerus. Plures siquidem sunt imperfecti quàm perfecti vel diu proficientes. Competit adolescentulis adhuc lac sugere cum infante Jesu, quem introduxit fratrem suum sugentem ubera matris suæ, quæ hîc accommodè multùm intelligitur Virgo Maria. Juvat intentionem nostram; quia deinceps per totum capitulum nulla fit mentio de dilecta sub appellatione sponsæ, sed soror appellatur & dilecta, de qua subjungitur ℣. 8. *soror nostra parvula est & ubera non habet*, quasi nondum sit apta viri connubio.

Amor purgativus & perfectivus differentes habent conditiones, sicut & personæ, quibus conveniunt incipientes & perfectæ multùm distant. Sicut præthereà diversificantur in triclinio cordis inferius & superius habitaculum, aut potiùs arx sublimissima super ipsum triclinium, de quo plurima supponuntur hîc declarata super Cantica Canticorum Mariæ, specialiter Tractatu secundo. *Et exultavit spiritus meus*, Luc. I. 47. & in opere metrico super idem *Magnificat* vicibus repetitis.

Amor purgativus in adolescentula Sunamite, dum in-

inchoat tempus amantium adhuc parvula, nedum apta numero concubinarum vel Reginarum, donec adoleverit ætas, & uberibus intumuerit, converti debet ad considerationes humanitatis Christi, maximè dùm infantulus erat sugens ubera ad literam Matris Mariæ, vel per allegoriam Matris Ecclesiæ. Ita fatetur Bernardus se egisse in novitiatu super illo: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Cant. I. 12. Et aliorum sine numero A sunt exempla, altera (quod sequens ad ista est) quæ passiones sensuales veraciter fiunt in concupiscibili & irascibili sic amantis & se afficientis per pietatem & gaudium, spem, timorem, tristitiam: deosculatio præterea non quæritur immediatè fieri ad caput Christi quod est Deus, ubi est os ejus divinum, sed ad pedes humanitatis, quærendo veniam; vel ad manus spiritûs in petendo & reddendo gratiam, ut per primum osculum declinet à malo, per secundum faciat bonum, quousque dignetur dilectus tenere manum dexteram ejus, & deducere, hoc est delectabiliter ducere & cum gloria suscipere, ut jam perfectus amor dicat: *Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Psal. LXXII. 20. Denique convenit huic amori purgativo vita activa, consistens principaliter in refrenatione vitiorum cum assuefactione virtutum moralium: quibus præsuppositis; quasi pro diapsalmate loquatur jam textus noster, & ab eo sumamus quæ requirit amor iste. B

Amor purgativus quem novitium dicimus, qui protenditur ad omnes Christianos, literatos & idiotas, imperfectos, proficientes & perfectos, potest rememorationem suam ad paucissima reducere, magis per interjectiones suspirando, quàm per subtilia speculando. Supponamus ex ancilla Theologiæ Grammatica, quòd interjectio est pars orationis significans mentis affectum voce incognita; addi poterat gestu incognito: primum propter aures disciplinæ capaces; alterum propter oculos gestuum cognitores. Diximus ista; quia nulla pars orationis efficacior est ad movendos affectus quàm interjectio, tradente Hugone & experientia teste. *Gestus sunt ad oculos, voces ad auditum.* Exempla sunt in sensibilibus manifesta, qualia videmus transferri per devotos simplices in orationibus suis ad Deum coram imaginibus Cru- C cifixi, aut jacentis Christi in præsepio, vel adorati inter Magos, vel præsentati in Templo, vel fugientis in Ægyptum, vel revertentis, vel inventi in Templo, vel descendentis in Nazareth. Simplicium itaque Fides, etsi non potest ad rememorationem altitudinis sapientiæ Dei pertingere per subtiles intellectûs meditationes, fiat quod dicit Dionysius, ad congregantis patris unitatem & deificam simplicitatem unio vel unitio. Ad quod faciendum simplex Fides, & erigens Spes, & amplexans amor sufficiunt magis affectualiter suspirando quasi per interjectiones, quales sunt, *ô utinam!* quàm per intelligibiles alias speculationes, quæ non sunt in hominis arbitrio, sicut interjectiones affectionis: nihil enim magis in potestate nostra est quàm desiderium vel voluntas. Ceterum practica patet in istis latissimè per omnem lectionem, meditationem & orationem, immò cogitationem, ut confestim suspiret amor novitius ad Deum quocunque D proponatur sibi, vel in speculo, vel in ænigmate interiùs vel exteriùs, intelligibiliter vel sensibiliter, ut dicat cum Psalmista: *Diligam, te Domine, fortitudo mea,* Ps. XVII. 2. vel adhuc succinctiùs cum illo qui recogitans dictum Apostoli: *Gal.* IV. 6. Quòd *quia sumus filii Dei, misit Deus in corda nostra spiritum filii sui clamantem: Abba Pater.* reflexit se super se. Quid postulas dum dicis, *Abba Pater?* Respondit sibi ipsi suspirabundus in alta: *Te.* Adhæsit in isto *Te*, nihil ultra petens, quia neque quid peteret ultra patebat. Composuerunt sibi multas pro multitudine divinarum inspirationum visitationes, responsiones hujusmodi brevissimas conformes affectui pietatis; ut illud: Ubi Jesus ibi Maria. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. II. 16. *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Act. VII. 59. Et ita de qualibet petitione orationis Dominicæ, sicut dicendo cum suspiratione interjectiva. *O pater, ô noster, ô qui es in cælis,* & celatis ineffabilibus & ignotis. *O sanctificetur nomen tuum* sanctificans & sanctificandum. *O adveniat regnum tuum,* regnum omnium seculorum, ut sis omnia in omnibus, & regnes in me, quia regnare debes. *O fiat voluntas tua,* præceptiva, prohibitiva, consultiva, cohibitiva, & voluntas beneplaciti tui, *sicut in cælo & in terra.* Avertas autem faciem tuam à voluntate permissionis tuæ, quoniam indignatio est contra vitia, non eorum volitio: propterea rogamus. *Converte nos Deus salutaris noster, &* convertendo nos *averte iram tuam*, cadere non permittens nos *à nobis.* Ps. LXXXIV. 5.

Amor novitius potest in rememoratione pro omni subtilitate & scientia fixos habere & hærentes oculos spectantes ad Incarnationem Domini nostri Jesu Christi, qui per Evangelia digesti sunt, & in pictis vel sculptis imaginibus ostenduntur satis conformiter ad Apostolum. *Nihil*, inquit, *judicavi me scire inter vos, nisi Jesum Christum & hunc crucifixum.* I. Cor. II. 2. Similis est ratio vel potior de rememoratione circa Eucharistiæ Sacramentum. At verò diceret fortè aliquis quòd in picturis & imaginibus repræsentatur Deus sub formis sensibilibus, quæ occasionem dant errori; sicut in figuratione sanctæ Trinitatis. Respondemus cum illo qui dixit: *Pictoribus atque Poëtis, quodlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Quoniam ut pictores fingiunt illa quæ ad rei veritatem aliter se habent vel habuerunt; ita scriptores nedum Poëtici, sed Prophetici & Evangelici & morales multa dicunt sub parabolis & figuris, aliter quàm res se habeat, nisi coaptemus signa rerum cum rebus. Sufficiet igitur amori novitio, pro omni subtilitate exercitium in desiderio Catholicæ vitæ præsentis cum suspirio ad æternam, quasi dicendo. *Quis mihi det te fratrem* &c. Cant. VIII. I. cum similibus ascensivis, protensivis & unitivis interjectionum affectibus: ut *O Abba Pater,* ô diligam te, ô osculer te, ô amem te.

Amor novitius sciens ab Apostolo quòd *Oportet accedentem ad Deum credere quod Deus est, & quod se quærentibus remunerator est,* Heb. XI. 6. accipit Fidem & Spem per quas dirigitur & erigitur ut dicat: Cant. VII. 10. *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Unde dotata charitate, quia diligentes se diligit, convertitur ad orationem, sciens illud: *Sine me nihil potestis facere.* Joan. XV. 5. Et *quia nemo venit ad patrem nisi* &c. Joan. XIV. 6. adjungit Fidei, Spei & Charitati orationem, ut approximet Deo secundùm doctrinam Dionysii. Et quia oratio sæpiùs arida est, nisi lactetur & foveatur, adjungit lectionem secundùm doctrinam pietatis quam continent universæ Scripturæ Canonicæ, & sanctæ devotioni congruentes. Et hanc significat sub metaphoris variis ad lectionem & meditationem aptis, ut per agrum, in quo est thesaurus regni cœlorum, in quo per allegoriam dicitur exisse Jacob & Isaac ad meditandum. Comparat & Libros villis & vineis & malis punicis, unde suscipit flores & fructus sanctorum desideriorum, ut incipiat doctrinæ lac in uberibus quæ dare possit dilecto. Conjungit ad extremum Fidei, Spei, Charitati, orationi, lectioni & meditationi gratiarum actionem, quæ in odore mandragorarum spirantium in sportis sensuum suaviter & ad fœcunditatem valentium designatur.

Amor novitius subinde notat proprietatem alteram ante penultimam in ordine quinquaginta, & secundam in hoc sympsalmate, sine qua nullus, aut exiguus in doctrina pietatis profectus accrescit. Et hæc est rememoratio seu non obliviosa retentio perfectorum. Et hoc observasse denotat ubi subsequitur. Cant. VII. 13. *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi,* super bonitate & adjutorio memoriæ sensualis intrinsecè. Multi multa tradiderunt. Seneca in Epistolis, Tullius in Rethorica nova, tradens artem quandam

dam pro Rethoribus: composuerunt alii certas abbreviationes sententiarum, vel ex aliis compositas tradiderunt memoriæ: figuras nonnulli protaxerunt quemadmodùm fecimus Canticichordis, & alibi de pennis columbæ, de psalterio & aliis musicis. Traduntur hac intentione in Mathematicis figuræ theorematum; non ut ibi maneat hærens imaginatio: alioquin dicente Augustino. *Facilius est in terra navigare, quàm per hujusmodi figuras scientiam acquirere.* Alioquin prætereà reddetur homo faciliter phantasticus & ineptus ad intelligibilia. Sint igitur figuræ paucæ & ordinatæ ad adjutorium phantasiæ ministrare debentis intellectui phantasmata clara, serena, ordinata, tranquilla ad intelligibiles species abstrahendas, secundùm quas intellectus & voluntas jam valeant dimissis vel quasi sopitis phantasmatibus negotiari circa rationem, intelligentiam & amorem divinorum.

Convenit hoc modo rememorari parabolicos sermones Scripturæ sacræ, particulares insuper historias de rebus singularibus. Nam cùm scientia, secundùm Aristotelem, sit de primis per se universalibus & necessariis; nunquam habetur scientia de prædictis per reductionem ad intelligibilia, & universalia, propter quæ sensibilia & particularia inducuntur tanquam pro exemplis manuducentibus à sensibus in intellectum. Sic enim omnia literaliter posita de historiis, reducuntur ad universalem Dei providentiam, nec aliud nituntur ostendere; aut ad moralem & divinam instructionem sub universalibus regulis, ut quòd *Lya* significat vitam activam, & *Rachel* vitam contemplativam, sicut *Martha* & *Maria*, *Petrus* & *Joannes*, & ita de similibus suo modo, secundùm quæ scientia concluditur vera & certa, quòd fieri nequit innitendo imaginationi & memoriæ sensuali.

Amor novitius concepto fervore spiritûs ex doctrina pietatis & assidua ruminatione ipsius, jam oscula vult pueri Christi. *Quis mihi det*, inquit, *te fratrem meum*, per conformitatem humanitatis, *sugentem ubera matris meæ*, per dignationem nimiæ charitatis, *ut inveniam te solum foris*, ne turba pudoris turbationem inducat, *Et deosculer te*, per sincerum & sanctum devotionis affectum in pignus dilectionis & arram speratæ desponsationis, *& jam me nemo despiciat*, Cant. VIII. 1. velut indignam te tanto amore. *Apprehendam te*, ℣. 2. non propriis viribus, sed dignanter apprehensa à te, *& ducam*, ducta à te, *in domum matris meæ*, quæ est universalis Ecclesia, fideles in te regenerans, *& in cubiculum genitricis meæ*, quod est aliqua specialis & arctior Religio quàm sola universalis sub te Abbate Christo, ubi observer, orner & erudiar in novitiatu meo placentior esse tanquam sub Aggeo eunucho in triclinio feminarum: *ibi me docebis*, quoniam tu Deus scientiarum Dominus es, *&* edocta & spiritualibus epulis referta de manu tua, *dabo tibi poculum ex vino conditum, & mustum malorum granatorum meorum:* ibid. non quo tu vescaris vel inebrieris, sed ego per te. Dicam quoque, ex sententia in experientia spiritûs & devotione *Læva ejus sub capite meo*, per spei sustentationem, quatenùs in pace in idipsum dormiam & requiescam. Donec dùm tu Domine singulariter constitueris me *& dextera* charitatis tuæ *amplexabitur me*, ℣. 3. te protegente & custodiente in me tranquillum hunc devotionis statum à conturbatione hominum & contradictione linguarum per ministerium filiarum Jerusalem, quibus digneris ita mandare & dicere: *Adjuro vos filiæ Jerusalem ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* ℣. 4. Quinetiam dicant cum admiratione: ℣. 5. *Quæ est ista quæ descendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum*, nimirum ego sum monita per te per os Isaiæ suadentis: Cap. L. 10. Ut *qui ambulaverit in tenebris & non est lumen ei, speret in Domino, & innitatur super Dominum Deum suum.* Ceterum gratias ago dilecte mi; quia dicis & ita fecisti: ℣. 5. *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Arborem malum intelligo Crucem tuam, ibi corrupta est & violata Mater mea sapientia tua, quæ bonorum omnium Mater est & genitrix in virtute, ex morte culpæ suscitans me. Audio denique & obedio dum præcipis: *Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* ℣. 6. Sed obsecro fiat in me experimentaliter causa quæ subjungitur: *Quia fortis est ut mors dilectio.* ibid. Amor novitius sic dixisse seu optasse putetur, sub typo dilectæ Sunamitis adolescen-A tulæ.

Nunc pertractetur ultima proprietas amoris, quæ conveniens est in quocunque qui verè dilexerit: Fortis amor quasi mors. Mortificatio siquidem fit carnalium desideriorum in bonis, dùm crescente charitate minuitur & moritur cupiditas. Zelus insuper, vel *æmulatio* Christi dilecti quàm *dura* fiat tam activè quam passivè, *sicut infernus*, ibid. Docuit hoc sua mors in cruce, ex quo factum est illud. Osee XIII. 14 *O mors ero mors tua, & morsus tuus ô inferne.* Docuit hoc idem, zelus & æmulatio tot Martyrum pro dilectione Christi, in quibus fuerunt lampades ignis, *&* lampades ignis atque flammarum: in quibus prætereà *aquæ multæ* populorum & tyrannorum, *non potuerunt extinguere charitatem*, *nec flumina* superirruentium tribulationum & exundantium supra modum, *obruerunt illam.* Cant. VIII. 7. In quibus denique facto de-B clamaverunt. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicit eam*, ibid. immò nec animam propriam dilectione facit chariorem, proclamantes cum Apostolo: Rom. XIV. 8. *Sive vivimus sive morimur Domini sumus.* Amor proinde novitius ne contemnendus sed erudiendus videretur à Christo, commendatur humilitas ejus, sagacitas & virtuositas, usque in finem capituli & Libri contra vanum timorem & noxium teporem. *Soror nostra*, loquitur Christus, velut ad filias cœlestis Jerusalem, *parvula est*, per sui reputationem, *& ubera non habet*, ℣. 8. excrescentia per tumorem. *Quid faciemus sorori nostræ in die* tentationis, *quando alloquenda est* variis hæreticorum astutiis, aut hostium ceterorum in salutibus crebris. Respondent ad tuitionem parvulæ sororis. *Si murus*, est cardinalium virtutum & donorum constitutus ad custodiam ejus, *ædificemus super eum propugnacula argentea*, ℣. 9. per collationem do-C ctrinarum eloquentiâ fulgentium. *Si ostium est*, per quod ingredi possit hostis, *compingamus illud tabulis cedrinis*, ibid. hoc est imputribilibus responsionum sententiis. Porrò gratus amor Sunamitis nostræ Abysac, confitetur se jam impletum esse quod proponitur faciendum. *Ego*, inquit, ℣. 10. *murus* clausus scilicet undique ad defensionem virtuosam, ne subintret hostilis invasio, & *ubera mea sicut turris*; ad constantem & sagacem eorundem hostium desuper impugnationem. Ex quo virtutum ornatu resistendo & agendo, *facta sum coram dilecto meo, quasi pacem reperiens*, ibid. quia *cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet*, Luc. XI. 21. neque timori cedit mundano, diabolico vel humano, non quidem propria virtute, sed illius qui custodit & custodibus tradit. Propterea sub typo vineæ subditur de nostra Sunamite: *Vinea fuit pacifico in ea*, ℣. 11. subaudi, pace, de quo modò dictum est, *ex quo facta sum coram illo quasi pacem reperiens:* ℣. 10. quæ vinea habet oculos, qui sunt potentiæ & vires ipsius animæ cum habitibus & actibus suis, *tradidit* pacificus Christus *eam custodi-D bus* Angelicis, & Doctoribus seu Prælatis, & hoc quidem non sine mercede, quoniam *vir affert pro fructu ejus mille argenteos*, qui sunt totidem actus boni vel meritorii in numeri perfectione designati. Confirmans rursùs ipse Christus custodiam adolescentulæ suæ sub præmissæ vineæ typo dicit ℣. 12. *Vinea mea coram me est.* per complacentiam & custodiam. Deinde protinus sermonem convertit ad eandem: *Mille* argentei supple, sunt illius qui est tibi pacificus. Remunerationes perfectæ reddentur eis qui sunt, *tui pacifici*, rogantes quæ ad pacem tuam sunt & efficaciter laborantes, *& ducenti* argentei, quasi perfectio-

fectioris numeri: *his qui custodiunt fructus* ejusdem vineæ, ne perdantur aut demoliantur. Sequitur: *Vox dilecti.* Cant. v. 2. Christi *Quæ habitas in hortis*, VIII. 13. doctrinalis pietatis & virtualis operationis, *amici auscultant te*, qui sunt omnes zelantes profectum salutis tuæ, *fac me audire vocem tuam*, non clamore verborum exteriorum, sed piorum desideriorum. Amor novitius respondet, vel ex humilitate verecunda indignam se reputans loqui dilecto sub præsentia amicorum. *Fuge dilecte mi*, ℣. 14. sicut Petrus: *Exi a me Domine*, Luc. v. 8. vel si altiora sentiamus de ea, dicemus hanc responsionem ex fiducia procedere, & per insinuationem, osculum & amplexum dilecti postulare in petitione secreti ad altiora secretioraque loca, quàm sint horti cum amicis. Ita enim priùs optaverat, ℣. 1. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris & deosculer te, & nemo me despiciat* vel respiciat? sperans à dilecto fugiente super montes aromatum posse se sursum trahi amoroso quasi suspirio blanda susurravit in amicorum præsentia: ℣. 14. *Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum*, per alacrem amoris & sursum agentis hilaritatem, *super montes aromatum*, montes æternos, à quibus mirabiliter illuminas, ubi est secretum solitudinis, serenum luminis, cubiculum pacis, latibulum caliginis, *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, Cant. II. 14. ubi sunt deserta seculorum & speciosa deserti, regio pacis & lucis & terra viventium, deserta, invia, inaquosa carnalibus, ubi est desiderium collium æternorum, ubi loqueris ad cor in multitudine magna dulcedinis amantibus te, abscondens *eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, & in abscondito Tabernaculi tui à contradictione linguarum* Psalm. XXX. 21. illuc ad extremum tracta & posita sola cum solo, unica cum unico, quid aliud expectem, quid orem, quid insinuem à dignatione dilecti mei, nisi illud ab initio: Cant. I. I. *Osculetur me osculo oris sui?*

Finit Joannes de Gerson super Cantica Canticorum *Frater Joannes Prior Cœlestinorum Lugduni, de completione hujus operis & morte fratris sui, adjunxit quod sequitur.*

COMPLEVIT iste Doctor elevatus hoc opus egregium *super Cantica Canticorum* apud Lugdunum Galliæ. Anno Domini 1429. Die Sabbati 9. Mensis Julii. Duodecima verò die ejusdem Mensis, Anno ætatis suæ 66. inter verba orationis spiritum Deo devotè reddidit; & dulcibus nunc (ut piè creditur) amplexibus & osculis dilecti sponsi perfruitur, de quibus in his ultimis suis Canticis tanta & tam sublimia, mira subtilitate & affectûs suavitate, dulci gutture velut olor parata modulatus est. Vale, mi Domine & frater, & unici tui Germani Cœlestini quondam tibi chari in hoc cœno relicti, curam apud Dominum piam agere non desiste.

FINIS.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,
MONOTESSARON
SEU
UNUM EX QUATUOR EVANGELIIS.
Collat. ad MS. Cod. Vict. 68.

MONITUM.

POST *Veteres Scriptores primus Joannes de Gerson quatuor Evangelistarum historiam ipsis eorum verbis connectendum suscepit. Quod opus ad imitationem Ammonii* Monotessaron *sive* Unum ex quatuor Evangeliis *inscripsit. Opus sanè arduum & difficile, ei præsertim qui nullum hujus generis opus prævium haberet. Nam longè facilius fuit iis qui post ipsum Harmonias aut Concordantias Evangelistarum scripserunt, invento & perfecto a Gersone operi quædam addere, nonnulla immutare, ac demùm quædam illustrare & in commodiorem ordinem digerere. At qui primus Evangelistarum verba collegit, comparavit & in ordinem digessit; is Herculeo sanè labore defunctus, maximaque debetur ipsi industriæ suæ laus. Scripsit istud opus Joannes de Gerson tempore tumultûs & belli, ut ait in Prologo, ac proindè post Concilium Constantiense, cùm inter Delphinum & Burgundionem Ducem sævum ac internecinum bellum grassaretur, quo tempore exul erat Auctor. Extat ista Concordia in Bibliotheca Victorinæ Codice* Dc. 8. *nunc* 68. *ad quem collata est & multis in locis emendata.*

PROOEMIUM
IN CONCORDANTIAS EVANGELISTARUM,
Collectas per Venerabilem Magistrum Joannem de Gerson Cancellarium Parisiensem, quas intitulavit Monotessaron, *aut* Unum ex quatuor.



EVANGELIUM latum esse & magnum, & rursùs concisum, divinus Bartholomæus dixit, Dionysio, in de mystica Theologia, teste. Cujus ratio multiplex nostræ congruens intentioni potest elici, dùm aliquid proloqui volumus super *Unum ex quatuor*, nuper edita compilatione. *Verbum* quidem quod *in principio erat apud Deum*, est unum & multiplex, prout de Spiritu sapientiæ tradit Sapiens, unum in essentia, multiplex in effectu. Est unum rursùs apud nos, progrediendo per viam negationis resolutoriæ, omnimodum verò per viam attributoriæ positionis. Est prætereà unum & efficax cuilibet accommodè se coaptans, & loquens verbum Evangelicum, & *penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem spiritûs & animæ &c.* Hebr. IV. 12. ut spiritus, à quadam animalitatis concretione solutus, liber & expeditus, fas habeat circumquaque in circuitu levare oculos suos, ubi videt & affluit, & miratur, & dilatatur cor suum. Ubi rursùs est juxta Philosophicum dictum intellectus adeptus quidam. Insuper habetur innocentiæ status, ubi visus fuisset Deus in libro creaturæ totius, claro contemplationis intuitu. Denique, verbum quod erat in principio immensum, fecit Deus abbreviatum,

viatum, dum *Verbum Caro factum eſt.* Joan.1.14. Imò ſi profundè ſpeculamur, Verbum iſtud unum quod *erat in principio apud Deum.* Ibid.2. dici poteſt, tàm in creatione rerum, quàm in Incarnatione, quodammodò multiplicatum, juxta metaphyſicalem de creatis intellectibus conſiderationem, qui quantò ſunt imperfectiores, & à prima verbi luce diſtantiores, tantò magis plurificantur, pluribus egentes ſpeciebus & actibus, quàm perfecti. Et certè ſic experimur in humanis intellectibus, quòd præſtantiores, tàm ingenio naturali, quàm exercitio doctrinali, ſub paucioribus conceptibus plura, majoraque ſub univerſalitate cognoſcunt. Sunt qui ad paucula verba, putà ad Orationem Dominicam, conſiderationes velut innumerabiles, per multa ſeptenaria Petitionum, Donorum, Virtutum, Beatitudinum, Sacramentorum, Dotum, & ſimilium, ſub omni facultate reſolvunt: & tanquam in Libro legentes, & in ſereno monte conſtituti, collectam rerum magnitudinem, quaſi ſub uno ſolis radio, contemplantur.

Cur iſta dicimus? Nimirùm quia dignum eſt & ſalubre Chriſtianis, præſertim ſtudioſis in Theologia, quæ multa eſt ſecundùm præfatum Bartholomæum & minima, ut ponant ſibi reſolutionem & ordinem ad pauca, quoniam habet omnis veritas ad unum vel pauca reduci. Quid erit illud unum vel paucum convenientius accipiendum, quàm Evangelium? Ita enim narratum eſt de theologizante Cecilia, quòd ſemper Evangelium Chriſti gerebat in pectore ſuo: cujus exemplo nunquid non eſt utile ſapientiæ ſectatoribus, ut ſuum omne ſtudium referant ad Evangelicam unitatem? Prorſus erit hoc ad memoriam utile, & ad pietatem proficiens, cùm in eo reconditus ſit cultus Dei præcipuus: cùm ſit prætereà in autoritatis arce locatum. Proinde talis reductio habebitur faciliter, ſi verbis ſingulis, ſi propoſitionibus, ſi ſententiis pondus ſuum detur, cum inquiſitionibus & ſolutionibus dubiorum, ſicut edocent Theologici tractatores: & hoc ſive fuerit doctrinis practicis, ſive ſpeculativis intendendum. Vide totam materiam de Trinitate, locum invenies congruum, ubi dicitur: Joan. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Materiam de creatione rerum ibi, *omnia per ipſum facta ſunt*, verſ. 3. Materiam de incarnatione, ibi, *Verbum Caro factum eſt*, verſ. 14. Materiam de gratia. *& habitavit in nobis*, ibid. Poſtremò de gratia Sacramenti, ibi, *vidimus eum plenum gratiæ & veritatis.* ibid.

Quiſque igitur voluerit, vel legere vel ſtudere, quaſi ſaluberrimum & ſolidiſſimum divinæ Legis fundamentum, oſtenſa eſt ibi via latiſſima, qua progrediatur, & omnia quæ alibi vel audierit vel ſtuduerit, velut in unum principium reducat, colligat & reponat. Ita enim Theologiam egregius Doctor Bonaventura in ſuo Breviloquio totam inchoavit, mediavit, & finivit à primo principio, quod ſine dubio eſt illud quod *In principio erat apud Deum.* Joan. 1. 2. *Ego* (inquit Jeſus) *principium, qui & loquor vobis.* VIII.25. Et in Apocal.1.8. *Ego ſum α & ω, principium & finis.* Quis dignè laudaverit Aureolum, qui totam ſub paucis concluſionibus Bibliam, præcipuè quatuor Evangelia, mira ſubtilitate compegit. Nonne ſanctus Thomas, totam penè Theologiæ practicam (prolixioribus licet verbis) in Secunda Secundæ concluſit? Quam Summam, ſi tantò quæreret impendio Theologicorum ſobria ſtudioſitas, quantò conteritur in ſupervacuis multorum, heu vana curioſitas! haberent profectò Theologi, unde quorumdam ſapientium in oculis ſuis inſultatio (phantaſticos appellans Theologos) retuſa ceſſaret.

Conatus eſt noſtrâ ætate unus ex Theologiæ Profeſſoribus, notare ſemitam per quam novus Theologiæ diſcipulus haberet pergere. Sed dum etiam atque etiam recogitavit, tot invenit ingeniorum varietates, tot prætereà pro diverſitate finium multiplicitates mediorum, pro loco, pro tempore, & ſocietate, denique pro occurrentibus exercitiis, nunc in iſtis Doctoribus, nunc in illis, ut vix aut nuſquam valeat uniformis regula conſtitui. Veniebat rursùs in animum cudere quædam nova Opuſcula ſuper *Unum ex quatuor*, ſed repreſſit modeſtior conſideratio, & pauculis annotationibus voluit eſſe contenta. Proſpice quot & quanta pateant à ſummis ingeniis elaborata ſuper Evangelia, per Gloſſas Ordinarias interlineares, per Margines, per Homilias, per Poſtillas, per Determinationes, per Concordantias magiſtrales, per Sermones, & thema-

themata, per compilationes, nunc ſummatim, nunc cum ingenti coacervatione ex aliorum dictis, quis cuncta dinumeret? Conſultius idcirco viſum eſt relinquere proprium cuilibet ſtudium, laborem, ordinemque quærendi, quàm Gloſſas iterùm ſuper Gloſſas addere, quæ nec ſufficerent curioſis, & negligentes vel onerarent, vel non ſatis inſtruerent. Veſcendus eſt panis, nedum materialis, ſed doctrinæ, in ſudore vultus noſtri. Mos iſte non virorum eſt, ſed infantium, non poſſe, vel nolle cibum recipere, niſi aut præmaſticatum, aut minutatim diſciſſum. Vanitas quoque nonnullorum ex Scriptoribus myſticè notatur ab Eccleſiaſte, Cap. VI. 2. quoniam diebus ac noctibus non ceſſant, & ſua ſummo labore quæſita dimittunt homini extraneo & otioſo, qui vel non utitur, vel in ſuperbia abutitur derelictis. Quid proderit, oro, cæcis, vel averſis oculis, ſi digito (ut ajunt) lux ipſa monſtretur. Ceterum, ſi non inſpicitur Auguſtinus in ſuo *De doctrina Chriſtiana*, ſi Hugo in Didaſcalico, ſi documenta ſummatim notata ab Auctore *De virtutibus & vitiis*, ſuper modò docilitatis, tàm in Doctore, quàm in diſcipulo: quid habet exiguitas præſentiùm ſperare Scriptorum, ut legi modò digna putetur, ne dixerimus imitari (quamquam minùs inutile ſit nova, quàm nulla ſectari) dum optima quæque vetera per negligentiam intereunt? Nunquid non hæc eſt cauſa non infima, cur opiniones totiens, & ſecundùm Ariſtotelem infinities repetuntur & revolvuntur, quia nimis eſt faſtidioſum cor humanum, quodam inſatiabili pruritu nova ſemper appetens, & vetera, ſeu quæ ab aliis dicta ſcriptaque cognoverit (etiam meliora) faſtidiens. Cur aliunde, ſi non ex hoc, tot Lecturarum ſuper Sententias, & alibi prægrandes ſarcinæ? Nonne ideò, quia quod in una parte alter tractavit, idem mox in alteram ab illo retorquetur, dùm tritam alterius ſemitam pudet ſequi, & placet contentionibus intendere? Nihilominùs, quiſquis exercitationis gratiâ voluerit in hac compilatione nova, quæ dicitur *Unum ex quatuor*, novam expoſitionis ſemitam invenire, vel progredi, vel oſtendere, non culpamus. Neque enim paucior eſt ſpiritualium, quàm corporalium guſtuum varietas. *& ſuus cuique mos eſt, nec voto vivitur uno.* Alterius poſtremò natura gaudet, donec venerimus ad illud unicum *Verbum, quod erat in principio apud Deum*, Joan. I. 2.

PROLOGUS.

EVANGELICOS Canones compoſuit Euſebius Cæſarienſis in Græco, quos Hieronymus, Damaſi rogatu, Latinis tradidit, referens de Ammonio Alexandrino, quòd ediderit *Unum ex quatuor*: & ipſum ſe dicit Euſebius imitatum. Sed vitio ſcriptorum & propter varias tranſlationes Evangeliorum, contextus illius Ammonii (Hieronymo teſte) falsò fœdèque laceratus inveniebatur. Ut igitur maneret Evangeliorum integritas, nihilominùs notum fieret ſtudioſis in quibus Evangeliſtæ conveniebant, & in quibus non, inventa eſt Canonum prædicta compoſitio, quæ jam penè receſſit ab uſu: fortè propter novam in Evangeliis (prout & in aliis ſacræ Scripturæ Libris) per Capitula quotationem. Ut autem labor Veterum tantus non ex toto periret, placuit tradere modum, quo poſſet quilibet ſtudioſus uti præfatis Canonibus, in Libris etiam non habentibus eos, vel ipſos noviter inſcribere fas haberet. Procedunt autem Canones Evangeliorum per Concordantias, nedum reales vel hiſtoricas; ſed quandoque per vocales, ubi conſtat non eſſe eandem doctrinæ vel hiſtoriæ narrationem, ſicut de Paſcha, ſicut de filio Reguli, & de ſervo Centurionis, ſicut de cæco ſanato in ingreſſu Jerico, & de cæcis in egreſſu ſanatis; & apertiſſimè in piſcatione Petri, quando fuit vocatus ad ſequelam, & de piſcatione quam exercuit poſt Reſurrectionem, quando *manifeſtavit ſe iterum Jeſus*, Joan. XXI. conſtat enim non eandem, ſed diverſam piſcationem fuiſſe, & ita de plurimis, quod expedit cognoſcere, ne diſſonantia difficilis & impoſſibilis ad concordandum textualiter oriri videatur.

Utrum verò Liber * Ammonii *Unum ex quatuor*, reperiatur uſquam apud Latinos, igno-

* Extat in Bibliotheca Patrum Harmonia Evangelica quæ nomen præfert Ammonii: aſt ea non eſt opus Ammonii quod quatuor Evangeliſtarum verba ipſa continebat, ſed Hiſtoriæ Evangelicæ Breviarium. Eſt & alia Harmonia Evangelica Tatiani nomine inſcripta, quam Baronius Ammonii eſſe putavit, quæ eadem videtur eſſe quam ſecutus eſt Zacharias Chryſopolitanus Epiſcopus, qui XII. Eccleſiæ ſæculo in Ammonii Harmoniam Commentarios ſcripſit.

ignoro. Egregius autem Doctor Augustinus, Librum edidit præclarissimum de consensu Evangelistarum, in quo modum exorsus est componendi *Unum ex quatuor*; cui nuper exordio, datum esse credimus in reliquis, Auctore Domino, complementum: quod opus eò facilius poterit incorruptum servari, quàm in principio nascentis Ecclesiæ, quò suscepta multiplicataque est unica Evangeliorum Hieronymi translatio. Sed heu nostra hac ætate misera! quis leget hæc? Quis studebit? Quis transcribet? Cernis & sentis, frater Christianissime, quantus modò bellorum plusquam civilium horror circum tonat, quanta succrescit hæreseum infelix pullulatio, quantùm insuper, prævalente iniquitate, refriguit charitas; quemadmodum rursùs, sacræ Legis studium intermissum, ne dicamus irritum. Verùm, consolatur nos pollicitatio Christi dicentis *In mundo pressuram* imò pacem *habebitis*, Joan. XVI. 33. de qua loquitur ad Dominum Propheta, dicens: *Pax multa diligentibus Legem tuam*, Psal. CXVIII. 165. Et iterum: *Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de Lege tua docueris eum* Ut quid ita? *ut mitiges ei a diebus malis, &c.* XCIII. 12. 13. Hinc de Sapientia gloriatur alius, quòd *erit allocutio tædii sui*, Sap. VIII. 9. quia *non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium*. Ib. v. 16. Hanc amplectamur, frater charissime, ut tanquam altera Sunamitis, suo calore vivido castoque nostram refoveat in misericordia uberi senectutem. Denique juxta verbum Hieronymi se consolantis & inducentis hymenæum, canamus nobis & musis, imò Deo & Angelis, si aures surdæ fuerint ceterorum. Sive, ut Epicurus amico loquitur, *Duo nos, magnum satis theatrum sumus*. Aut certè *sedebit solitarius & tacebit, quia levavit se supra se*, Thren. III. 28. *Nunquam minùs solus, quam cum solus*, nec magis actuosus, quàm cum otiosus. Siquidem *Regnum Dei, intra nos est*, Luc. XVII. 21. quod prorsùs esse quis dubitet amplissimum, compellens ibi Rationes & Canones omnium seculorum? Ubi Deus *omnia in omnibus*, 1. Cor. XV. 28. in quo hîc, & nunc, & jugiter deambulemus animo. Vale Frater.

PROOEMIUM
SUPER
UNUM DE QUATUOR:
Cujus Titulus esse potest
TETRAMONUM, vel MONOTESSARON.

UNUM *ex quatuor Evangeliis* componere, divinus aperuit Augustinus, qui Libro suo *De consensu Evangelistarum*, subtilissimo quidem & operosissimo, compingit sub una serie narrationis Evangeliorum verba, usque ad tempus, quo prædicare & baptizare Joannes exorsus est; quatenùs hoc exemplo, sive ut à me factum est, inquit, sive alio modo, commodiùs fieri possit, videat unusquisque, & in ceteris talibus locis fieri posse, quod hîc factum esse perspexerit. Tentamus ergo continuare prout inchoaverat. Visus est protinùs labor vix explebilis, maximè propter ordinis rerum gestarum incertitudinem. Marcus enim (teste Hieronymo) non ordinem rerum gestarum, sed ordinem Leviticæ electionis complexus est. Lucas similiter in multis. Joannes verò seorsùm plura posuit ab aliis, prætermissa pauca iterans quæ tradiderant. Cùm igitur triplex sit ordo narrationis literalis, unus rei gestæ, alter anticipationis, tertius rememorationis, prout Spiritus sanctus voluit, nunc ad hunc, nunc ad illum ordinem movere Scriptores: (non enim refert juxta traditionem Augustini, quibus verbis vel ordine, eadem sententia vel veritas nota fiat) sufficiat probabilis collocatio facta sine præjudicio aliter vel sentientium, vel scribentium; non etiam tali ausu temerario, quin intemeratum velimus manere quadruplicis Evangelistæ narrationis sacramentum. Quis enim nesciat Spiritum Christi potuisse sub uno eodemque penitùs verborum sententiarumque contextu tradidisse gestorum suorum verborumque salutarem historiam? Sed cum magno sacramenti mysterio, sibi placuit, sub quadam concordissima (si ita dici possit) dissonantia, mentes fidelium commovere ad humiliorem, vigilantioremque, nec

non multipliciorem investigationem veritatis, palamque fieret, quatuor Evangelistas, non mutua conspiratione, sed divina inspiratione fuisse locutos. Nec offendat (petimus) aliquem, si contextus quatuor Evangeliorum in unum compactus, non potuit sonoritatem suam custodire, ab omni prorsùs specie nugacitatis, & cujusdam apparentis dissonantiæ alienam, quia sola textûs verba ponere, miscendoque custodire cura fuit. Denique, dabunt illustrationem glossæ Doctorum, præsertim Augustini, Libro prætacto, quamvis pauculas annotare, quasi marginales glossulas, studium fuit, obtestatione præmissa, ne Scriptores eas textui misceant, neque quotationes capitulorum, & Evangeliorum annotationes omittant vel confundant. Sit ipsa merces increata Dei sapientia, pollicens & dicens; *Qui me elucidant, vitam æternam habebant.* Eccl.xxiv.31.

Dividitur autem præsens opus in tres partitiones, & quælibet in suas Rubricas & Historias, juxta variam materiæ qualitatem. Partitio prima, continet originem & ingressum Christi usque ad progressum suæ Prædicationis, ibi: *Anno decimoquinto, &c.* Luc.III. 1. ubi est secunda partitio, usque ad egressum suæ Passionis & Resurrectionis ibi: *Prima autem die azymorum*: Luc.xxii.1. ubi ponitur tertia & finalis partitio. Sequitur Tabula continens centum & quinquaginta Rubricas; quæ Tabula, etiam per se utilis erit ad cognoscendum in quibus conveniant, & in quibus Evangelistæ non conveniant.

Denique superadduntur Rubricellæ sub quatuor principalibus Rubricis; ne Lectoris memoriam sua magnitudine confunderet. Qui Lector advertat plures quàm hîc Concordantias in Canonibus Evangeliorum reperiri, quarum plurimæ sunt tantummodò vocales, videat si cor habeat ad illa.

CIRCA lecturam istarum Concordantiarum considerandum, quòd litterà M. posita significat quòd Matthæus illam dictionem ponat sequentem: M. similiter quando R. ponitur, intelligendum est de Marco: ubi L. Lucam significamus: eodem modo ubi J. ponitur, intelligendum est de Joanne. Unde si aliquando de literis prædictis duæ vel tres vel quatuor conveniunt, considerandum quòd literæ illorum Evangelistarum in scriptis concordant. Ex quo eliciuntur duo; primum, quod literæ adjunctæ dictionibus inter duo puncta computantur ad dictionem præcedentem, & ad illud quod tali dictioni adjungitur: Secundum, quòd Lector continuè debet istas Concordantias legere, & in legendo nihil attendere dictiones positas inter puncta, & sic habebit unum continuum Evangelium omnium Evangelistarum.

Augustinus: „Inter omnes divinas auctoritates quæ Sacris Literis continentur, meritò Evangelium præcellit.„ Hieronymus: „Evangelia Legis impletio sunt, & in his præcepta & exempla vivendi plenissimè sunt digesta.„ Chrysostomus: „Sicut enim in domum ubicumque fuerit positum Evangelium, non audebat accedere diabolus, multò magis animam intelligentias habentem tales & circumferentem non tanget unquam, neque superveniet ei dæmon, neque peccati natura. Attendamus igitur, dilecti, Scripturis, & si nullum aliud, Evangelica saltem nobis circunstudiosa fiant, & hæc præ manibus habeamus. Confestim enim expandens Librum, si permanseris usque ad finem, omnia respues mundana, omnia deridebis quæ hîc sunt: & si dives fueris, nihil reputabis divitias; si inops, non confunderis in inopia, non rapies, non avarus eris, sed concupitor eris magis inopiæ, & despicies divitias: si verò hoc fiet, omnia exterminabis mala.„ Et iterum.„ Quid unquam Evangeliis æquale fiet? utique Deus conversatur in terra, homo ascendet in Cœlum, & facta est omnium una permixtio. Angeli cum hominibus chorum faciebant, homines Angelis communicabant, & aliis cœlestibus supernisque virtutibus. Et erat videre antiquum repentè prælium dissolutum, Deum hominibus reconciliatum, diabolum confusum, dæmones fugientes, mortem peremptam, Paradisum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio sublatum, errorem lapsum, veritatem reversam, pietatis sermonem ubique seminatum & vegetatum, cælestem conversationem in terræ regione plantatam, supernas virtutes familiariter nobiscum loquentes, & ad terras sæpe Angelos ventitantes, ex hisque omnibus spem firmari certissimam futurorum. Hæc ille.„

TABU-

TABULA
CONTINENS CENTUM QUINQUAGINTA
RUBRICAS.

RUBRICÆ PARTITIONIS PRIMÆ.

RUBRICÆ PARTITIONIS SECUNDÆ PRINCIPALIS.

De Prædicatione Joannis. De progressu Prædicationis Christi.

58 *De*

131 *De ædificio Templi, & comminatione eversionis Jerusalem.* M.24.R.13. & L.21.
132 *De signis Judicii.* M.24.R.13.L.17.& 21. [& 22.
133 *De vigilia & oratione.* M.24.R.13.L.12.
134 *De decem virginibus, & de decem talentis, & de modo Judicii.* M.29.
135 *De modo Christi in docendo.* L.21.
136 *De obstinatione Judæorum.* J.22.
137 *De festo diei Azymorum appropinquante.* [M.26. R.14. L.22. Joan.13.

RUBRICÆ TERTIÆ PARTIS,

De egressu Passionis, & Resurrectione Christi.

138 **D***E missione Petri & Joannis prima Azymorum, quem Joannes vocat* Ante diem festum Paschæ. *M.*26. [*R.*14. *L.* 22. *J.*13.
139 *De ablutione pedum.* J.13.
140 *De Sacramenti Eucharistiæ institutione.* [M.26 R.14.L.22.
141 *De Prædictione negationis, & quæstione Discipulorum.* M. 26. R. 14. L. 22. [Joan.13.
142 *De Sermone Domini post Cenam: Et continet multas rubricellas pro multitudine doctrinarum, ubi per totum de mysterio Trinitatis.* J.14.15.16. & 17.
143 *De oratione Jesu & sua captione.* M.26. [R.14. L.22.J.18.
144 *De missione Jesu ad Annam, & prima negatione Petri.* M.26.R.14. L.22.J.18.
145 *De missione Jesu ad Caipham.* M.26 R.14. [J.18.
146 *De secunda & tertia negationibus Petri.* [Ibid.
147 *De tertia conventione Judæorum, & traditione Jesu Pilato.* M.27. R 14. & 15. [L.22. & 23.J.18. & 19.
148 *De deductione Jesu ad crucem, & ejus crucifixione.* M.27. R.15. L.23.J.19.
149 *De irrisione Jesu in cruce, & de verbis ejus, & signis post mortem.* Ibidem.
150 *Dei sepultura Domini.* Ibidem.
151 *De Resurrectione Domini per totum: & continet multas rubricellas pro multitudine apparitionum & gestorum.* M.28. R.16. [L.24. Joan.20. & 21.

RUBRICELLÆ VIGINTI,

Sub magna rubrica trigesima, de Sermone Domini in monte supra annotata.

1 **B***Eatitudinum enumeratio.* M.5. L.6. *Et hoc post Apostolorum nominationem.*
2 *Apostolorum commendatio & Legis impletio.* M.5.
3 *Consiliorum super Legem veterem additio: Et primò ad illud,* Non occides. *M.*5.
4 *Superadditio ad illud:* Non Mœchaberis. [M.5.
5 *Superadditio ad illud:* Non perjurabis. *M.*5.
6 *Judicialium evacuatio vel moderatio.* M. 6. [L. 6.
7 *Inimicorum dilectio.* M.6. L.6.
8 *Hypocrisis detestatio, & commendatio eleemosynæ.* M.6.
9 *Qualiter orandum.* M.6. L.11.
10 *Qualiter indulgendum.* M. 6.
11 *Qualiter jejunandum.* Ibidem.
12 *Qualiter thezaurizandum.* Ibidem.
13 *Qualiter intentio dirigenda.* Ibidem.
14 *Qualiter nimia sollicitudo vitanda, & in providentia Dei spes ponenda.* M.9. L.12.
15 *Qualiter miserendum, nec judicandum, nec improbè arguendum, nec porcis, nec canibus sanctum dandum.* M.7. L.11.
16 *Qualiter instanter & fiducialiter orandum.* [Ibidem.
17 *Præceptum universale Legis, & angustia portæ salutis.* M.7.
18 *Qualiter habenda sit notitia falsorum Prophetarum à fructibus eorum.* M.7. L.6.
19 *Qualiter colendus Deus, non ore solùm, sed operum efficacia.* Ibidem.
20 *Qualiter operatio miraculorum non salvat, sed stabilis in Christo permanentia.* Ibidem.

RUBRIÇELLÆ DUODECIM,

(Sub magna Rubrica CXLI. de Sermone Domini post Cenam) sumptæ juxta divisionem Evangeliorum, quæ leguntur in Ecclesia; ex quatuor Capitulis, scilicet 14. 15. 16. & 17.

1 **N**ON turbetur cor vestrum. *J.* 14. *finis*: hoc faciam.
2 Si diligitis me, Mandata mea servate. *Ibidem finis:* meipsum.
3 Si quis diligit me. *J.* 14. *finis*: sic facio.
4 Ego sum vitis vera. *J.* 15. *finis.* impleatur.
5 Hoc est præceptum. *J.* 15. *finis:* det vobis.
6 Hæc mando vobis. *J.* 15. *finis:* habuerunt me gratis.
7 Cùm venerit Paracletus. *J.* 15. & 16. *finis:* dixi vobis.
8 Vado ad eum qui misit me. *J.* 16. *finis:* annunciabit vobis.
9 Modicùm & jam non videbitis me. *J.* 16. *finis*: tollet à vobis.
10 Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem. *Joan.* 16. *finis:* à Deo existi.
11 Sublevatis oculis in Cœlum dixit: Pater venit hora. *Joan.* 17. *finis*: ad te venio.
12 Sublevatis oculis in Cœlum, *& sic dixit:* Pater sancte serva eos. *J.* 17. *finis*: & ego in ipsis.

RUBRICELLÆ UNDECIM,

Sub magna Rubrica CXLVI. De Passione Domini.

1 *FIT tertia conventio, & datur Jesus Pilato.*
2 *Judas se suspendit.*
3 *Jesus accusatur, & Pilatus interrogat.*
4 *Herodes Jesum spernit.*
5 *Barrabas requiritur.*
6 *Jesus flagellatur.*
7 *Jesus iterùm interrogatus non respondet.*
8 *Uxor Pilati monet Pilatum.*
9 *Barrabas iterùm requiritur, & datur.*
10 *Præses lavat manus.*
11 *Jesus illuditur in Prætorio.*

RUBRICELLÆ DUODECIM,

(Sub Rubrica magna CLI. De Resurrectione Domini) sumptæ juxta divisionem Evangeliorum, quæ leguntur in Ecclesia, paucis immutatis.


1 MARIA Magdalena, & Maria Jacobi & Salome. *R.* 16. *finis:* sicut dixit vobis.
2 Una Sabbati Maria Magdalena venit. *J.* 20. *finis:* à mortuis resurgere.
3 Maria stabat ad monumentum foris. *J.* 20. *finis:* hæc dixit mihi.
4 Et mulieres exierunt. *M.* 28. *R.* 16. *L* 24. *J.* 20. *finis:* factum fuerat.
5 Duo ex Discipulis Jesu ibant. *Luc.* 24. *finis:* fractione panis.
6 Stetit Jesus in medio Discipulorum. *L.* 24. *finis:* in omnes gentes.
7 Cùm esset sero die illa. *J.* 21. *finis:* habeatis in nomine ejus.
8 Manifestavit se Jesus Discipulis suis ad mare. *J.* 21. *finis:* à mortuis.
9 Dixit Simoni Petro Jesus. *J.* 21. *finis:* testimonium ejus.
10 Undecim Discipuli abierunt in Galilæam, *Matth.* 28. *finis:* ad consummationem seculi.
11 Recumbentibus undecim Discipulis. *R.* 16. *finis:* sequentibus signis.
12 Eduxit autem eos foras. *L.* 24. *R.* 16. *Joan.* 21. *finis:* sunt libros.

FINIS.

PRIMA

PRIMA PARS
PRINCIPALIS.
DE ORIGINE ET INGRESSU CHRISTI.
& primò
DE ÆTERNA CHRISTI GENERATIONE. *Joan.* 1.

CAPUT I.



IN PRINCIPIO erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes. *a* Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognovit. In propria venit: & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum: dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. *b* Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à Patre: plenum gratiæ & veritatis.

a Fit hîc præoccupatio de missione Joannis: quæ postmodum latiùs explicatur.

b Hic præoccupatio fit de Incarnatione verbi, quæ postmodùm latiùs explicatur.

☙ PROOEMIUM LUCÆ.

QUONIAM quidem multi conati sunt ordinare rerum narrationem quæ in nobis completæ sunt, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter tibi ex ordine conscribere, optime Theophile: ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es veritatem.

Secundò de Annunciatione Joannis Baptistæ & Conceptione ejusdem. Luc. 1.

CAPUT II.

FUIT in diebus Herodis *a* regis Judææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia: & uxor illi de filiabus Aaron: & nomen ejus Elizabeth. Erant autem ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eò quòd esset Elizabeth sterilis: & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum Sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum secundùm consuetudinem Sacerdotii: sorte exiit ut incensum poneret ingressus in Templum Domini. Et erat omnis multitudo populi foris orans horâ incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris Altaris incensi. Et Zacharias turbatus est videns: & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus. Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium: & vacabis nomen ejus Joannem. Et erit gaudium tibi & exultatio: & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: & vinum & syceram non bibet. Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum: parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum: Et unde hoc sciam? Ego enim sum senex: & uxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi Evangelizare. Et ecce eris tacens & non poteris loqui usque in diem quo hæc fient: pro eo quòd non credidisti verbis meis quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in Templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos. Et cognoverunt quòd visionem vidisset in Templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. Et factum est ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus: & occultabat se Mensibus quinque dicens: quia sic fecit mihi Dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

a Tres fuerunt Herodes. Unde versus:
Ascalonita necat pueros Antipa Joannem.
Percutit Agrippa Jacobum, dat carceri Petrum.

De Annunciatione Christi ad Mariam per Gabrielem. Lucæ 1.

CAPUT III.

IN Mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazaret, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset turbata est in sermone ejus: & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Dominum: Ecce concipies in utero & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David *a* Patris

a Hic patet quòd Maria fuit de genere Sacerdotali & Regali. Vide qualiter in Postilla.

tris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua: & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit Angelus ab illa.

De Visitatione Elizabeth per Mariam. Et Canticum Magnificat. *Lucæ* 1.

CAPUT IV.

EXURGENS autem *a* Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Judæ, & intravit in domum Zachariæ: & salutavit Elizabeth. Et factum est ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth: exultavit infans in utero ejus & repleta est Spiritu sancto Elizabeth & exclamavit voce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit &c. usque Abraham & semini ejus in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.

a Probabile est quòd priùs Maria & Joseph convenerunt celebri cultu nuptiarum, & quòd de licentia Joseph vel fortè ipso ducente Maria iverit ad montana, revelato priùs ipsi Joseph Incarnationis mysterio, quamvis Origenes & ejus sequaces secùs dicant.

De ortu Joannis & circuncisione ipsius. Et Canticum Zachariæ: Benedictus Dominus Deus. Israël. *Luc.* 1.

CAPUT V.

ELIZABETH autem impletum est tempus pariendi & peperit filium. *a* Et audierunt vicini & cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa: & congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater ejus dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam, quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit dicens: Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illicò os ejus & lingua ejus, & loquebatur Benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes: Quis putas puer iste erit. Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, & prophetavit dicens: Benedictus dominus Deus Israël, &c.

a Hìc fit præoccupatio juxta communiorem opinionem, quæ ponit Mariam fuisse in circuncisione Joannis in die octavo.

De Genealogia Christi. Et apparitione Angeli ipsi Joseph. Matth. 1.

CAPUT VI.

LIBER generationis Jesu Christi filii David filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naason. Naason autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Iesse. Iesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aza. Aza autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit *a* Oziam. Ozias autem genuit Joatham: Joatham autem genuit Achaz. Achaz
A autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis: Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Elyachim. Elyachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achym. Achym autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. Omnes ergo generationes ab Abraham usque ad David, XIV. Et à David usque ad transmigrationem Babylonis, XIV. Et à transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes XIV. Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, *b* antequam convenirent, inventa est
B habens in utero de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus cùm esset justus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis appparuit ei dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium: & vocabis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem. Ecce virgo in utero habebit & pariet filium: & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Exurgens autem Joseph à somno: fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam: & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus
C Jesum.

a Tres hìc omittuntur reges.

b Conventio hæc recipitur pro celebri cultu nuptiarum qui factus est postquam Joseph invenit Mariam concepisse de Spiritu sancto: & per Angeli præceptum accepit eam conjugem priusquam appareret prægnans, & utero tumescente, post reditum de montanis; quia tunc non fuisset honorabiliter facta celebritas conjugii.

De Edicto Augusti. Nativitate Christi. Annunciatione per Angelum ad pastores. Lucæ 2.

CAPUT VII.

FACTUM est autem in diebus illis: *a* Exiit Edictum à Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem & Joseph
D à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem cùm essent ibi: impleti sunt dies ut pareret, & peperit filium suum primogenitum: & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in deversorio. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis supra gregem suum. Et

a Hìc fuit præoccupatio quæ postmodùm explicabitur loco suo, cùm de circuncisione dicetur.

Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno, & dixit Angelus illis: Nolite timere, ecce enim Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus in civitate David: & hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est ut discesserunt ab eis Angeli in Cœlum: pastores loquebantur ad invicem, transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & invenerunt Mariam & Joseph & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

De Circuncisione Christi. Lucæ II. *Et adventu magorum.* Matth. II.

CAPUT VIII.

ET postquam consummati sunt dies octo, ut circuncideretur puer: vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, prius quàm in utero conciperetur. M. Cùm natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis: ecce magi ab Oriente venerunt Jerosolymam dicentes: ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est & omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi: sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Juda nequaquam es minima in principibus Juda, ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis magis: diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Qui cùm audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam gavisi sunt, gaudio magno valdè. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem: per aliam viam rereversi sunt in regionem suam.

De Oblatione Christi in Templo. Luc. II.

CAPUT IX.

ET postquàm impleti sunt dies purgationis Mariæ secundùm Legem Moysi: tulerunt Jesum in Jerusalem ut sisterent eum Domino: sicut scriptum est in Lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur: & ut darent hostias Domino, secundùm quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem cui nomen Simeon: & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini: & venit in spiritu in Templum. Et cùm inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundùm consuetudinem Legis pro eo: & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit Deum & dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace, &c. usque plebis tuæ Israël. Et erant pater ejus & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo, & benedixit illis Simeon: & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius: ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Azer, hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua. Et hæc vidua erat usque ad annos LXXXIV. quæ non discedebat de Templo, jejuniis & obsecrationibus serviens Deo nocte ac die, & hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de eo omnibus qui expectabant redemptionem Israël. Et ut perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientiâ, & gratia Dei erat in illo.

De fuga in Ægyptum. Occisione innocentum. Et de regressu ex Ægypto. Matth. II.

CAPUT X.

CUM Magi recessissent: ecce *a* Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum & esto ibi usque dum dicam tibi: futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum illum. Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus ejus à bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios suos & noluit consolari: quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce apparuit Angelus Domini in somnis Joseph in Ægypto dicens: Surge & accipe puerum & Matrem ejus, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens accepit puerum & Matrem ejus & venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illò ire. Ed admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ: & veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam: Quoniam Nazareus vocabitur.

a Probabile est quòd Angelus iste fuerit Gabriel: & quòd in omnibus mysterium Incarnationis concernentibus: quoties introducitur Angelus apparuisse, ipse fuerit: sicut fuit apud Danielem, & ad pastores, & ad magos & qualiter ad Joseph & in agonia Christi, & resurrectione & in Ascensione.

De inventione Christi pueri in Templo à Parentibus ejus; Lucæ II. *Et de habitatione Joannis in deserto.* Lucæ I.

CAPUT XI.

ET ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cùm factus esset Jesus annorum duodecim: ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi: consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem: & non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos: & non invenientes, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Et factum post triduum:

invenerunt illum in Templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia & responsione ejus: & videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos? Quid est quod me quærebatis? an nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse; Et A ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditis illis. *a* Et mater ejus conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo, & Jesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud Deum & homines. Puer autem [Joannes] crescebat & confortabatur spiritu: & erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

a Prius positum est hoc à Luca: sed hic repetitur pro continuatione sequentium.

SECUNDA PARS
PRINCIPALIS
HUJUS LIBRI.

De Processu Prædicationis Christi.

Rubrica duodecima de Prædicatione & Baptismo Joannis in deserto. M. 3. R. 1. L. 3.

CAPUT XII.

ANNO autem quintodecimo imperii Tyberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam: Tetrarcha autem Galilææ Herode: Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis & Lysania Abilinœ Tetrarcha; sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha. Factum est verbum Domini super Joannem filium Zachariæ in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis prædicans L. R. Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, M. & dicens: pœnitentiam agite appropinquabit regnum cœlorum: Initium R. Evangelii Jesu Christi Filii Dei, M. L. sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ecce M. mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te. M. Hic est enim qui dictus est per Isaïam Prophetam dicentem. M. L. vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus: Omnis L. vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei. Ipse M. R. autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem ejus erat locustæ & mel silvestre. Tunc exibant ad eum M. Jerosolymitæ universi, & M. omnis Judæa, & M. omnis regio circa Jordanem: & baptizabantur ab eo in Jordanis flumine confitentes M. R. peccata sua. Videns M. autem multos Pharisæorum & Saducæorum venientes ad Baptismum suum, & turbas qui exibant ut baptizarentur ab ipso, dixit M. eis: Progenies geniminia L. viperarum M. L. quis ostendit L. vobis fugere à ventura ira: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis L. velitis M. dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: Jam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor quæ D non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Et L. interrogabant eum turbæ dicentes. Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: qui habet duas tunicas, det unam non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil ampliùs quam quod constitutum est vobis faciatis. Interrogabant autem eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo & cogitantibus omnibus iu cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus. Respondit Joannes dicens omnibus: Ego M. quidem L. R. aquâ baptizo vos in pœnitentiam M. Qui autem post me venturus est, fortior me est: cujus non sum dignus calciamenta portare, & procumbens solvere R. L. corrigiam calciamentorum ejus. Ipse M. vos R. L. baptizabit in Spiritu sancto, & R. igne L. cujus M. L. ventilabrum in manu ejus: & permundabit & purgabit. L. aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igne inextinguibili. Multa L. quidem & alia exhortans evangelizabat populo. Et factum R. est in diebus illis: venit Jesus à Nazareth Galilææ in Jordanem M. ad Joannem ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Jesus dixit ei. Sine modò: sic enim decet nos adimplere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. Factum L. est autem dum baptizaretur omnis populus: B & Jesu baptizato à Joanne in Jordane. R. Confestim. M. ascendit de aqua. Et L. eo orante, ecce M. aperti sunt cœli: & vidit R. cœlos apertos, & Spiritum sanctum Dei M. corporali L. specie descendentem M. sicut columbam, & venientem super se & manentem R. in ipso: & M. ecce vox de cœlis facta R. L. est dicens. M. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Tu R. L. es filius meus dilectus: in te L. complacuit mihi.

De Genealogia Christi, secundùm Lucam. L. III.

CAPUT. XIII.

ET ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta ut putabatur filius Joseph, *a* qui fuit Heli; qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, qui fuit Matathie, qui fuit Amos; qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Matathie, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit, *b* Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Thosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit C Jesu, qui fuit Heliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Elyachim, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jesse, qui fuit Obeth, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naason, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, qui fuit Ragau, qui fuit Phalech, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit *c* Caynan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Matusalem, qui fuit Enoch, qui fuit Jareth, qui fuit Malalehel, qui fuit Caynan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

De

a Quomodo Joseph duos habet patres scilicet Heli legalem, & Jacob carnalem: quære in postillis.

b Salathiel ut ait Matthæus fuit filius Jechoniæ naturalis, sed filius Neri adoptivus: Matthæus autem describit generationem Christi carnalem: Lucas magis Spiritalem.

c Iste Caynan fuit Pater Sale legalis vel pater adoptione; Arphaxad verò fuit Pater naturalis ipsius & uterque pater hic ponitur, quamquam in translatione nostra Geneseos X. nullus medius ponitur inter Sale & Arphaxad, & LXX. Interpretes Caynan ponunt medium.

Lucas Christi generationem ascendendo describit: Matthæus descendendo, quia per Christum ascendimus ad Deum & ipse ad nos descendit ut ad æterna reduceret.

De Jejunio Christi & tentatione. M. 4. R. 1. Luc. iv.

CAPUT XIV.

JEsus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Jordane: & statim R. Spiritus expulit eum in desertum: ductus M. à Spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo. Et agebatur L. à Spiritu in desertum. Et erat R. in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentabatur à sathana: & L. nihil manducavit in illis diebus. Eratque R. cum bestiis. Et a M. cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, consummatis illis postea M. esuriit. L. Et accedens M. tentator diabolus L. dixit M. illi: Si Filius Dei es, dic M. ut lapides isti panes fiant. Dic L. lapidi huic ut panis fiat: Et M. respondit ad illum Jesus. Scriptum est enim, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei L. quod procedit M. de ore Dei. Tunc assumpsit illum diabolus in sanctam civitatem: & duxit L. illum in Jerusalem: & M. statuit L. illum supra pinnaculum Templi, & dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia Angelis suis mandavit de te, ut conservent L. te: & quia in manibus M. tollent te; ne forte offendas ad lapidem pedem tuum: Ait illi Jesus: rursùm scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Et reduxit L. eum diabolus. Et M. iterùm assumpsit eum in montem excelsum valde & ostendit ei omnia regna mundi Orbis L. terræ in momento temporis, & gloriam. M. eorum, & ait L. M. ei: tibi L. potestatem dabo hanc universam & gloriam M. eorum quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa. Hæc omnia tibi dabo, & erunt tua omnia, si M. cadens coram me adoraveris me. Tunc dixit illi Jesus. Vade M. sathana. Scriptum M. L. est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et consummata L. omni tentatione, diabolus recessit ab eo usque ad tempus. Tunc reliquit M. eum: & ecce Angeli accesserunt & ministrabant M. R. illi. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Glilæam.

a Secundùm narrationem Lucæ Matthæus hîc proeoccupat: & incertum est quis fuerit ordo rei gestæ. Vide in Postillis.

De Testimoniis Joannis de Christo. Joan. I.

CAPUT XV.

JOannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: qui prior me erat. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus gratiam pro gratia. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam. Unigenitus Dei Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit. Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est & non negavit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum quid ergo? Helias es tu? Et dixit: non sum. Propheta es tu? Et respondit, non. Et interrogaverunt eum: Quis es ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto: dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogaverunt & dixerunt ei: Quid ergo baptizas si tu non es Christus; neque Helias, neque Propheta? Respondit Joannes dicens eis: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus non sum dignus ut solvam ejus corrigam calciamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem ubi erat Joannes baptizans. Altera die vidit Joannes Jesum ad se venientem, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, qui prior me erat & ego nesciebam eum: sed ut manifestaretur in Israël. Propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de Cœlo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me in aqua baptizare ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

De Vocatione Andreæ, Petri, Philippi & Nathanaël. Joan. I.

A

CAPUT XVI.

ALtera autem die stabat iterùm Joannes & ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem dixit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum: conversus autem Jesus videns eos sequentes se, dixit eis: quid quæritis? Qui dixerunt: Rabbi, quod dicitur interpretatum Magister: ubi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt illo die. Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant à Joanne, & secuti fuerant eum. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit. Tu es Simon filius Jona? tu vocaberis Cephas: quod interpretatur Petrus.

B

In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaïda civitate Andreæ & Petri. Invenit Philippus Nathanaël & dicit: quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ invenimus Jesum Filium Joseph à Nazareth. Et dicit Nathanaël: à Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: veni & vide. Vidit Jesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo. Ecce verè Israëlita in quo dolus non est. Dicit ei Nathanaël: unde me nosti: Respondit Jesus & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret cùm esses sub ficu vidi te. Respondit ei Nathanaël & dixit: Rabbi, tu es Filius Dei: tu es Rex Israël: Respondit Jesus & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis: majus his videbis. Et dicit eis. Amen, amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes

C

& descendentes supra Filium hominis.

De mutatione aquæ in vinum. Joan. II.

CAPUT XVII.

ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Chana Galilææ: & erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem Jesus & Discipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dixit Mater Jesu ad eum. Vinum non habent. Et dixit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel trinas. Dicit eis

D

Jesus: Implete hydrias aqua: & impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte Architriclino: & tulerunt. Ut autem gustavit Architriclinus aquam vinum factum, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam. Vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est: tu autem servasti vinum bonum usque adhuc. Hoc fecit initium signorum Jesus in Chana Galilææ, & manifestavit gloriam suam & crediderunt in eum Discipuli ejus.

De

De primo adventu ejus ad Pascha: *Et* Solvite Templum hoc. *Joan.* II.

CAPUT. XVIII.

POst hoc descendit in Capharnaum ipse & mater ejus & fratres ejus & Discipuli ejus, & ibi manserunt non multis diebus, & prope erat *a* Pascha Judæorum. Et ascendit Jesus Hierosolymam, & invenit in Templo vendentes boves & oves & columbas & nummularios sedentes: & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo. Oves quoque & boves & nummulariorum effudit æs: & mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc: & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Recordati verò sunt Discipuli ejus quia scriptum est. Zelus domus tuæ comedit me: Responderunt ergo Judæi & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis? Respondit Jesus & dixit eis: Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo ei Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud. Ille autem dicebat de Templo corporis sui. Cùm ergo surrexisset à mortuis: recordati sunt Discipuli ejus quia hoc dicebat· Et crediderunt Scripturæ & sermoni quem dixerat Jesus. Cùm autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo: multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

a Colligitur ex Evangelio Joannis quòd Christus fuit ad minus ad triplex Pascha: licet alii Evangelistæ de unico solum faciunt mentionem, & inde venit apud aliquos confusio, ponentes hoc Pascha cum ultimo.

De Nicodemo. Joan. III.

CAPUT. XIX.

ERat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine princeps Judæorum: hic venit ad Jesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Dixit ad eum Nicodemus: Quomodò potest homo nasci cum sit senex? Nunquid potest in ventrem Matris suæ iteratò introire & renasci? Respondit Jesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei: quod natum est ex carne caro est: & quod natum est ex Spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuò. Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus & dixit ei. Quomodò possunt hæc fieri? Respondit Jesus & dixit ei: Tu es magister in Israel & hæc ignoras; Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodò si dixero vobis cœlestia credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicabitur, qui autem non credit, jam judicatus est: quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus: qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

De querela, quod Jesus baptizat. Joan. III.

CAPUT XX.

POst hæc venit *a* Jesus in terram Judæam & Discipuli ejus, & illic demorabatur cum eis & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon Juxta Salim: quia aquæ multæ erant illic: & veniebant multi & baptizabantur. A Nondum enim fuerat missus Joannes in carcerem. Facta est ergo quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæis de purificatione: & veniebant ad Joannem & dixerunt ei: Rabbi qui erat tecum trans Jordanem cui tu testimonium perhibuisti. Ecce hic baptizat & omnes veniunt ad eum. Respondit Joannes & dixit: non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cœlo: ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd dixerim: ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui: qui desursum venit super omnes est: qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur: qui de cœlo venit, super omnes est: & quod vidit & audivit, hoc testatur, & testimonium ejus nemo accepit. Qui autem acceperit ejus testimonium signavit, quia Deus verax est: quem enim misit Deus, B verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

a Non per se, sed per Discipulos suos, ut dicitur infrà.

Do incarceratione Joannis. M. 14. *R.* 6. *L.* 3.

CAPUT XXI.

HErodes L. autem Tetrarcha cùm corriperetur à Joanne de Herodiade uxore Philippi R. fratris sui: quia duxerat eam: & L. de omnibus malis quæ fecit Herodes. Dicebat M. enim illi Joannes. Non licet tibi habere R. uxorem fratris tui. Adjecit L. & hoc Herodes super omnia, tenuit M. Joannem & alligavit eum & posuit M. L. eum in carcerem propter M. Herodiadem uxorem fratris sui, quia duxerat eam. C Herodias M. autem insidiabatur ei & volebat occidere eum: nec poterat. Herodes autem metuebat Joannem: sciens eum virum sanctum & justum: & M. volens eum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebat: & custodiebat R. eum: & audito eo multa faciebat: & libenter eum audiebat.

De Judæa relicta à Christo, & de Samaritana. M. 4. *R.* 1. *L.* 4. *J.* 4.

CAPUT XXII.

CUm autem M. audisset Jesus quòd Joannes traditus esset: & ut J. cognovit quod audierunt Pharisæi, quòd Jesus plures Discipulos facit & baptizat quàm Joannes: quanquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus: secessit. M. Reliquit J. Judæam & abiit. Et L. regressus est in virtute spiritus: L. R. venit in Galilæam M. R. L. J. Oportebat J. autem eum transire per Samariam. Venit ergo Jesus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus quoque fatigatus ex itinere sedebat sic supra D fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus. Da mihi bibere. Discipuli autem Jesus abierant in civitatem ut cibos emerent. Dicit ergo mulier illa Samaritana: Quomodò tu Judæus cùm sis, à me bibere poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coütuntur Judæi Samaritanis. Respondit Jesus & dicit ei: Si scires donum Dei & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo & dedisset tibi aquam vivam. Dicit

ei

ei mulier: Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Unde ergo habes aquam vivam? Nunquid tu major es Patre nostro Jacob qui dedit nobis puteum istum, & ipse ex eo bibit & filii ejus & pecora ejus? Respondit Jesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterùm. Qui autem biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo fiet in eo fons aquæ salientis in A vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum & veni huc. Respondit mulier & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Jesus: Benè dixisti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes non est tuus vir, hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine ut video quia Propheta es tu. Patres nostri adoraverunt in monte hoc: & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi oportet adorare. Dicit ei Jesus. Mulier crede mihi, quia veniet hora quando nec in monte hoc neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex Judæis est. Sed venit hora & nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum: Spiritus est Deus & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit qui di- B citur Christus. Cùm ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et continuò venerunt Discipuli ejus & mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit quid quæris aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier & abiit in civitatem & dicit illis hominibus: Venite & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate & veniebant ad eum. Intereà rogabant eum Discipuli dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Dicebant ergo Discipuli ejus ad invicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Jesus: Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei qui misit me, ut perficiam opus ejus. Nonne vos dicitis: quia adhuc quatuor Menses sunt, & messis venit? Ecce ego dico vobis: levate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt C jam ad messem, & qui metit mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat & qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, alius est qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis. Alii laboraverunt & vos in labores eorum introistis. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret: & mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt propter sermonem ejus. Et mulieri dicebant: quia jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim vidimus & scimus, quia hic est verè Salvator mundi. Post duos autem dies exiit inde & abiit in Galilæam. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit: quia Propheta in sua Patria honorem non habet. Cùm ergo venisset in Galilæam excepe- D runt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die Festo. Etenim ipsi venerant ad diem Festum.

De filio Reguli. Joannis IV.

CAPUT XXIII.

VENIT ergo iterùm in Chana Galilææ ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum & rogabat eum ut descenderet & sanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Jesus, & ibat. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei & nunciaverunt, dicentes: quia filius ejus viveret. Interrogabat autem horam ab eis in qua meliùs habuerat. Et dixerunt ei: quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo Pater quod illa hora erat in qua dixit ei Jesus: filius tuus vivit, & credidit ipse & domus ejus tota. Hoc iterùm secundum signum fecit Jesus, cum venisset à Judæa in Galilæam.

De Libri traditione ipsi Jesu, & ejectione ejus extra Civitatem. Et relicta Nazareth venit Capharnaum. M. 4. Marc. 1. L. 4

CAPUT XXIV.

ET fama. L. exiit per universam regionem de illo: & ipse docebat in Synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus: & venit Nazareth ubi erat nutritus: & intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere: & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ & ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me: sanare contritos corde, & prædicare captivis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem: prædicare Annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum dedit ministro, & sedit & omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris: & omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore illius, & dicebant: Nonne hic est filius Joseph. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura te ipsum. *a* Quanta audivimus facta in Capharnaum: fac & hìc in Patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in Patria sua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Israël, quando clausum est cœlum Annis tribus & Mensibus sex: quando facta est fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Helias, nisi in Sarepta Sydoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Heliseo Propheta, & nemo eorum mundatus est nisi Naamam Syrus: & repleti sunt omnes in Synagoga irâ hæc audientes, & surrexerunt & ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas eorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Et relicta M. civitate Nazareth descendit L. venit M. & habitavit in Capharnaum civitate L. Galilææ maritima M. in finibus Zabulon & Neptalim: ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon & terra Neptalim via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Exinde cœpit Jesus prædicare Evangelium R. regni, dicens: Quoniam impletum est tempus. Pœnitentiam M. agite & credite R. Evangelio: appropinquabit M. R. enim Regnum cœlorum.

De

a Colligitur ex hoc jam Christum antea multa fecisse signa quæ Lucas se non narrasse sciebat: fecit enim multa quæ non sunt scripta.

De vocatione secunda Apostolorum ad familiaritatem. L. 5.

CAPUT XXV.

Factum est autem cum turbæ irruerent in eum ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth: & vidit duas naves stantes secus stagnum. Piscatores autem descenderant & lavabant retia. Ascendens autem in unam navim quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. Ut cessavit autem loqui, dixit Simoni: Duc in altum & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis ejus qui erant in alia navi ut venirent & adjuvarent eos. Et venerunt & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine: stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant in captura piscium quam cæperant. Similiter autem & Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis: & ait ad Simonem Jesus: Noli timere, ex hoc jam eris homines capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt illum.

De tertia vocatione ad sequelam. M. 4. R. 1.

CAPUT XXVI.

Ambulans M. autem Jesus & R. præteriens juxta M. mare R. Galilææ, [a] vidit duos M. fratres, Simonem M. R. qui vocatur Petrus & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare: erant enim piscatores: & R. ait M. illis Jesus: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum: at M. illi continuò relictis retibus & navi, secuti sunt eum. Et M. progressus M. inde pusillum vidit, M. R. alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus in navi, cum Zebedæo Patre eorum reficientes, componentes R. retia M. eorum. Et M. statim R. vocavit eos. Illi M. autem R. statim relictis retibus & Patre M. R. suo Zebedæo in navi, cum mercenariis suis, secuti. M. R. sunt eum.

[a] Non est improbabile dicere vocationem istam esse eandem cum præcedenti, licèt alio modo fiat narratio: non tamen contrario; quamquam fileatur hìc de captura piscium.

De expulsione immundi dæmonii & sanatione omnis languoris. M. 4. R. 1. L. 4.

CAPUT XXVII.

Et ingrediuntur Capharnaum. Et statim Sabbatis ingressus in Synagogam M. R. ibi docebat eos & stupebant super doctrina ejus. Erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ, quia L. in potestate erat sermo ipsius. Et in Synagoga R. eorum erat homo L. R. dæmonium habens immundum. Et exclamavit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Jesu Nazarene. Venisti L. ante tempus perdere L. R. nos. Scio enim quòd sis Sanctus Dei: Et comminatus R. est ei Jesus, & increpavit eum dicens: Obmutesce L. R. & exi ab illo, & [b] discerpens illum spiritus immundus: & exclamans voce magna exivit ab eo. Et L. cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illi nocuit, & factus est pavor in omnibus. Et R. mirati sunt omnes: ita ut conquirerent inter se & colloquebantur. L. ad invicem dicentes. Quidnam R. est hoc? Quænam doctrina hæc nova? Quod est hoc verbum? Quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus: & exeunt & R. obediunt ei. Et processit rumor ejus statim, & L. divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis, R. in omnem regionem Galilææ. Et circumibat M. Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam: & obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curavit eos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa & Decapoli, & de Jerosolymis & de Judæa, & de trans Jordanem.

[b] Augustinus dicit Libro ultimo quod non nocuit discerpens, id est membra non debilitavit sicut aliquando solet.

De socru Simonis. M. 8. R. 1 L. 4.

CAPUT XXVIII.

Surgens autem Jesus R. L. de Synagoga L. & protinùs egredientes venerunt in domum Simonis R. & Andreæ L. & introivit Jesus R. cum Jacobo & Joanne. Decumbebat autem & socrus Simonis, & tenebatur L. magnis febribus. Et M. cum venisset Jesus in domum Petri vidit socrum ejus jacentem & R. febricitantem, & statim dicunt ei de illa L. & rogaverunt eum pro illa. Et stans super illam, imperavit febri: & accedens M. tetigit manum ejus, R. elevavit eam apprehensa manu ejus, & continuò dimisit eam febris, & M. surrexit & ministrabat L. M. R. eis. Vespere R. autem facto, cum occidisset sol L. omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. Afferebant ad eum omnes malè habentes & multos M. R. dæmonia habentes. Et erat omnis civitas congregata ad januam. Et ille singulis manus imponens curabat eos multos R. qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat, & spiritus M. immundos verbo. Et omnes malè habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras ipse portavit. Exibant L. autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es Christus Filius Dei. Et increpans, non L. R. sinebat ea loqui: quia sciebant eum esse Christum. Et R. diluculo valdè facto die surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. Et L. turbæ requirebant eum, & R. prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant. Et cum invenissent eum dixerunt ei: Quia omnes quærunt te, & dixit illis: Eamus in proximos vicos & civitates ut & ibi prædicem, [a] ad hoc enim veni. Et L. venerunt turbæ ad Christum, & detinebant eum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei: quia ideo missus sum. Et R. erat L. prædicans in Synagogis eorum: & in omni Galilæa & dæmonia ejiciens.

[a] Fuit inter Prædicationes istas Sermo Domini in monte.

De vocatione Matthæi, quæ secundùm Augustinum facta est ante Sermonem Domini in monte. M. 9. R. 2. L. 5.

CAPUT XXIX.

Et L. post hoc exiit, & cùm transiret inde, egressus R. rursùs ad mare: omnisque turba veniebat ad eum & docebat eos. Et cum præteriret vidit L. M. Jesus R. publicanum [b]: nomine Levi Alphei. R. Matthæum L. sedentem. R. L. in telonio & ait illi: Sequere me: Et L. relictis omnibus surgens L. M. R. secutus est eum.

De

[b] Repetitur postmodùm vocatio Matthæi, ut commemoretur prandium quod fecit ei.

De electione duodecim Apostolorum, & Sermone Domini in monte Thabor, qui continet multas rubricellas pro multitudine doctrinarum. M. 5. 6. 7. *Capitulis per totum. R.* 3. *L.* 6. 11. *&* 12.

CAPUT XXX.

FACTUM L. est autem in diebus illis exiit, ascendit M. in montem orare, & erat L. pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit ad se quos voluit ipse R. Discipulos quos voluit ipse, & venerunt ad eum & fecit ut essent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare, [a] & dedit illis potestatem curandi infirmitates & ejiciendi dæmonia, quos L. & Apostolos nominavit, Simonem quem cognominavit Petrum & Andream fratrem ejus, & Jacobum Zebedæi. R. & Joannem fratrem ejus. Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui. Philippum L. R. & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Jacobum Alphei & Simonem qui vocatur zelotes Chananeum. R. Judam L. Jacobi Thadeum R. & Judam. L. qui fuit proditor, qui R. tradidit eum. Et L. descendens Jesus de monte, cum illis stetit in loco campestri, & turba Discipulorum ejus & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa & Jerusalem & maritima & Tyri & Sydonis, qui venerant ut audirent eum & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat illum tangere, quia virtus de illo exibat: & sanabat omnes. Videns M. autem Jesus turbas [b] ascendit in montem. Et cum sedisset accesserunt ad eum Discipuli ejus, & L. ipse elevatis oculis in Discipulos suos, & M. aperiens os suum docebat eos dicens. [b] Beati M. L. pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. Beati mites M. quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati [c] mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati eritis cùm vos oderint homines, & cum separaverint vos & exprobraverint & ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Beati estis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me. Gaudete in L. illa die & exultate. M. quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic M. enim L. persecuti sunt & Prophetas qui fuerunt ante vos L. secundùm hæc enim faciebant Prophetis Patres L. eorum. Veruntamen væ vobis divitibus qui habetis consolationem vestram. Beati pauperes, quia vestrum est Regnum Dei. Beati qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis. Væ cum benedixerint vobis omnes homines. Secundùm enim hoc faciebant pseudo Prophetæ Patres eorum. Vos estis M. sal terræ. [d] Quòd si sal evanuerit, inquo salietur: ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum: ut luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis. Nolite [a] putare quoniam veni solvere Legem aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex

A non præteribit de Lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de Mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum. Dico enim vobis: quia nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis: [b] Non occides. Qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo *racha*, reus erit concilio, qui autem dixerit fratri suo *fatue*, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad Altare, & recordatus ibi fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè adversarius tradat te Judici, & Judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi: non exibis inde donec

B reddas novissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis: [c] Non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam: jam mœchatus est eam in corde suo. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & projice abs te, expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem: Quicunque dimiserit uxorem suam, exceptâ causâ fornicationis facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Iterum audistis quia dictum est antiquis. [d] Non perjurabis. Reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò. Neque per cœlum, quia thronus Dei est. Neque per terram, quia scabellum pedum ejus est. Neque per Jerosolymam quia civitas est magni Regis. Neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo

C vester, est est, non non: quod autem his abundantius; à malò est. [e] Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo. Sed M. si quis L. te percusserit in dexteram maxillam præbe illi & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum etiam tunicam noli prohibere. Et M. qui vult tecum judicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne avertaris. Et qui aufert L. quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Audistis M. quia dictum est. [f] Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite M. L. inimicos vestros, benefacite his

D qui oderunt vos: benedicite maledicentibus vobis. Et M. orate L. pro persequentibus & calumniantibus vos, ut M. sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si enim M. diligitis L. eos qui vos diligunt: quam M. mercedem habebitis? quæ vobis L. est gratia? Nam & pecca-
cato-

[a] Probabile est quod fuerit idem Sermo quem Matthæus & Lucas narrant sicut hic connectitur. Nihilominùs probabilis est altera pars quod fuerint distincti pro diversis temporibus locis & personis: non enim mirabile est, si Christus pluries similia fecit, dixit & docuit. Et hoc per totum hujus narrationis contextum: ubi similia conjunguntur: habeatur annotatum.

[b] Vel unde priùs descenderat ut dicit Lucas: vel imaginandæ sunt duæ partes montis, una bassior alterâ.

[c] Si quis voluerit profunditatem & ordinem totius Sermonis illius cognoscere; recurrat ad postillas.

[d] Apostolorum commendatio.

[a] Legis impletio. [b] Consiliorum super Legem additio veterem & primò ad illud: *Non occides.* [c] Additio super illud: *Non mœchaberis.* [d] Additio super illud: *Non jurabis.* [e] Judicialium evacuatio & moderatio. [f] Inimicorum dilectio.

catores se diligentes diligunt, nonne M. & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm quid ampliùs facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Si L. bene feceritis his qui vobis benefaciunt, quæ est vobis gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt. Et L. si mutuum dederitis his à quibus speratis accipere: quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fenerantur ut recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos vestros & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote M. ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. [a] Cùm ergo facis eleemosynam, noli ante te tuba canere sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. [b] Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut eleemosyna tua sit in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. [c] Et cum oratis non eritis sicut hypocritæ tristes, qui amant in Synagogis & angulis platearum stantes orare ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Orantes autem nolite multùm loqui sicut ethnici faciunt, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis: scit enim Pater vester quid opus sit vobis antequam petatis eum. Sic enim orabitis, Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra, panem nostrum supersubstantialem M. quotidianum L. da M. nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos & malo. Amen. [d] Si enim dimiseritis hominibus delicta eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Cùm autem jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. [e] Tu autem cùm jejunas unge caput tuum & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. [f] Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. [g] Si oculus tuus fuerit simplex, & totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Nemo M. potest duobus Dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ. [h] Ideo dico vobis, ne M. L. solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, aut corpori vestro, quid induamini. Nonne anima vestra plus est quàm esca: & corpus plusquàm vestimentnm? Respicite M. volatilia cœli, quia non serunt neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Considerate corvos quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos, quantò magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si L. ergo neque quod minimum est potestis: quid de vestimentis & de ceteris solliciti estis? A Considerate M. lilia R. agri, quomodò crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur: coopertus M. est sicut unum ex istis. Si autem fænum agri quod hodie est, cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. Et L. nolite in sublime tolli. Hæc M. L. autem gentes mundi L. quærunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum Dei & justitiam M. ejus, & M. hæc L. omnia adjicientur vobis. Nolite M. ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit enim diei malitia sua. [a] Estote L. ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Nolite judicare, & non judicabimini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini, dimittite & dimittemini. Date & B dabitur vobis, mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem M. quidem. L. mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat L. autem & illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere, nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum. Perfectus autem erit omnis si sit sicut magister ejus: Quid M. L. autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodò dicis fratri tuo: Frater: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo? [b] Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. [c] Nolite M. sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos. [d] Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus pa- C nem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si petierit piscem, nunquid serpentem porriget ei? Aut si petierit ovum, nunquid scorpionem porriget illi? Si ergo vos cùm sitis mali nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester qui in cœlis est dabit spiritum bonum petentibus se? Omnia M. ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines ita & vos facite illis. [e] Hæc est enim Lex & Prophetæ. Intrate per angustam portam: [f] quia lata porta & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. [g] Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? D Non L. est enim arbor bona quæ facit fructus malos. Neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam. [e] Bonus homo de bono the-

[a] Hypocrisis detestatio.
[b] Commendatio eleemosynæ.
[c] Quomodò sit orandum.
[d] Quomodò sit indulgendum.
[e] Qualiter jejunandum. [f] Qualiter thesaurizandum.
[g] Qualiter intentio dirigenda. [h] Qualiter sollicitudo nimia tollenda & spes in Dei providentia dirigenda.

[a] Qualiter miserendum nec judicandum. [b] Non improbè arguendum. [c] Non porcis & canibus Sanctum dandum.
[d] Qualiter instanter & fiducialiter orandum.
[e] Præceptum universale legis & angustia portæ salutis.
[f] Contendite intrare per angustam portam: vide intra capit. 98.
[g] Falsorum Prophetarum notitia, scilicet à fructibus.

thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum: Ex abundantia enim cordis os loquitur. Sic M. omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Om- A nis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. [a] Quid L. autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico. Non M. omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illo die Domine, Domine. [b] Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos. Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Omnis L. M. qui venit ad me & audit sermones meos & facit eos, ostendam vobis cui sit similis. Similis est homini ædificanti domum, qui L. fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram. Et M. descendit pluvia, & venerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam & non cecidit, fundata enim erat supra firmam L. petram, & M. omnis L. qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis est viro stul- B to qui ædificavit domum suam super arenam sine L. fundamento, & M. descendit pluvia & venerunt flumina & flaverunt venti & irruerunt in domum illam, in quam L. illusus est fluvius, & continuò cecidit, & L. facta M. est ruina domus illius magna. Et M. factum est cùm consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. M.

[a] Qualiter Deus sit colendus: non ore tantum sed operum efficacia.

[b] Qualiter operatio miraculorum non salvat, sed stabilis in petra Christo permanentia.

De leproso sanato. M. 8. R. 1. L. 5.

CAPUT XXXI.

CUM R. [c] autem descendisset Jesus de monte secutæ sunt eum turbæ multæ, & L. Factum est cùm esset in una civitatum, & ecce M. leprosus ple- C nus lepra, videns Jesum, veniens adorabat eum deprecans R. & genu flexo, & procidens L. in faciem, rogabat eum dicens. Domine L. M. R. si vis potes me mundare. Jesus R. autem misertus ejus extendens M. R. manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & confestim mundata est lepra ejus, & R. comminatus est ei, statimque ejecit illum, & dixit illi. Et præcepit L. ei. Vide L. M. R. nemini dixeris: sed vade ostende te principibus Sacerdotum & offer pro emundatione tua munus M. quod præcepit Moyses in testimonium illis. Et R. egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem. Perambulat L. autem magis sermo de illo, & conveniebant turbæ multæ ut audirent illum & curarentur ab infirmitatibus suis, ita R. ut jam non posset manifestè introire in civitatem: sed foris in desertis locis esse: ipse L. autem secedebat in desertum & orabat, & R. conveniebant ad D eum undique.

[c] Colligitur ex hoc loco & aliis pluribus, quòd Evangelistæ non semper secuti sunt ordinem rei gestæ: sed usi sunt regula de præoccupatione & rememoratione: videtur autem Matthæus sæpius sequi ordinem rei gestæ.

De Servo Centurionis. M. 8. L. 7.

CAPUT XXXII.

CUM L. autem implesset omnia verba sua ad aures plebis, intravit L. M. Capharnaum. [a] Centurionis L. autem cujusdam servus malè habens erat moriturus qui erat illi pretiosus. Et cùm audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum rogans eum ut veniret & sanaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum rogabant eum solicitè dicentes ei: Quia dignus est ut hæc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificavit nobis. Jesus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos. Accessit M. autem ad eum Centurio, & rogans eum dixit. Domine, puer meus jacet in domo paralyticus & malè torquetur. Et ait illi Jesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio ait illi: Domine noli vexari. Non M. L. enim sum dignus ut sub tectum meum intres, propter L. quod & meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te. Sed M. L. tantùm M. dic M. L. verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego sum homo sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alii, veni & venit, & servo meo fac hoc, & facit. Audiens M. autem Jesus miratus est. Et conversus L. sequentibus M. L. se dixit: Amen M. dico vobis, non inveni tantam Fidem in Israël. Dico autem vobis quod multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Jesus Centurioni: Vade & sicut credidisti fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora. Et reversi qui missi fuerant domum, invenerunt servum qui languerat sanum.

[a] Considerandum est hîc quòd Centurio fecit utrumque, misit Judæos & amicos, & quòd ipse secutus est.

De filio viduæ suscitato. Lucæ. VII.

CAPUT XXXIII.

ET factum est deinceps. Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naym, & ibant cum illo Discipuli ejus & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis: ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ. Et hæc vidua erat & turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere, & accessit & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum Matri suæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, & omnem circa regionem.

De duobus volentibus sequi Christum. M. 8. L. 9.

CAPUT XXXIV.

VIDENS autem Jesus turbas multas circa se, jussit Discipulos ire trans fretum. Factum L. est autem ambulantibus illis in via, accedens M. unus Scriba ait illi: Magister M. L. sequar te quocunque ieris Et dixit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Ait L. autem ad alterum: Sequere me. Ille autem alius M. de Discipulis ejus ait illi. Domine M. L. permitte me primùm ire & sepelire Patrem meum: Jesus M. autem ait illi: Sequere me, & dimitte M. L. mortuos sepelire mortuos suos: tu autem

 vade

vade & annuncia Regnum Dei. Et alter ait: Sequar te Domine: sed primùm permitte mihi renunciare his qui domi sunt. Ait autem ad illum Jesus: Nemo mittens manum ad aratrum & respiciens retro, aptus est Regno Dei.

De quietatione maris, ad jussum Christi. M. 8. R. 4. L. 8.

CAPUT XXXV

IN R. illo die cum sero factum esset, ait Discipulis suis: Transeamus contra, & dimittentes turbam assumunt eum, ita ut erat in navi, & ipse L. ascendit in naviculam, & R. aliæ naves erant cum illo, & M. ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum Discipuli ejus. Et L. ait ad illos: Transeamus trans stagnum, & ascenderunt. Navigantibus autem illis obdormivit, & M. ecce motus magnus factus est in mari, & L. descendit procella venti magni R. in stagnum L. & R. fluctus mittebat in navim: ita M. R. ut navicula operiretur fluctibus. Et L. compellebantur fluctibus & periclitabantur: ipse M. verò dormiebat, & R. erat in puppi super cervical dormiens, & M. accesserunt ad eum Discipuli ejus & suscitaverunt eum dicentes: Magister R. non ad te pertinet quod perimus, Domine R. Præceptor L. M. salva M. nos, perimus. Tunc surgens imperavit ventis & mari, & comminatus est vento. Increpavit L. ventum & tempestatem aquæ & dixit R. mari: Tace, obmutesce, & cessavit ventus, & M. facta R. est L. tranquillitas magna. Dixit L. autem eis: Ubi est Fides vestra? Quid M. R. timidi estis modicæ M. Fidei? nec R. dum habetis Fidem? Porrò M. homines mirati sunt & timuerunt R. timore magno, & dicebant ad alterutrum. Quis putas est iste? Qualis M. est hic? quia L. ventis M. R. & mari imperat & obediunt ei.

De duobus dæmoniacis curatis. M. 8. R. 5. L. 8.

CAPUT XXXVI.

NAVIGAVERUNT L. autem & R. venerunt trans fretum maris in M. regionem R. L. Gerasenorum quæ est contra Galilæam, & M. tunc cum venisset Jesus & cum L. egressus esset ad terram, occurrerunt M. ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes sævi nimis, ita ut nemo transire posset per viam illam. *a* Statim R. occurrit ei de monumento homo in spiritu immundo, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat. Qui R. domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis illum quisquam potuit ligare quin sæpè catenis & compedibus vinctus dirupisset catenas & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare. Et semper die ac nocte in monumentis erat, & in montibus clamans & concidens se lapidibus. Videns autem Jesum à longe cucurrit & adoravit eum. Et L. procidit ante illum. Et *b* M. ecce ambo clamaverunt voce L. magna dicentes M. Quid nobis & tibi L. Jesu R. M. Filii Dei Altissimi? Cur M. venisti huc ante tempus torquere nos? Adjuro R. te per Deum. Obsecro L. te, ne me torqueas. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine, multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus. Et ruptis vinculis agebatur à dæmonio isto in desertum. Dicebat R. enim illi Jesus: Exi spiritus immunde ab homine. Interrogavit L. R. autem illum Jesus dicens. Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio R. L. mihi nomen R. est, quia multi sumus, quia L. dæmonia multa intraverunt in eum. Et R. deprecabatur eum multùm ne se depelleret extra regionem. Et R. rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. Erat M. autem non longè ab eis grex porcorum multorum circa R. montem, pascens in agris in monte L. Dæmones autem rogabant illum dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum, ut in eos introeamus, ut L. permitteret eis in illos ingredi, & permisit illis. Et concessit M. eis statim Jesus. Et ait M. illis Jesus: Ite. At illi exientes abierunt, L. exierunt ergo dæmonia R. & spiritus immundi L. ab homine M. L. & introierunt M. R. L. in porcos. Et. M. ecce magno impetu abiit totus grex per præceps L. in stagnum. *a* Et R. præcipitatus est in mare ad duo milia, & suffocati L. sunt in mari, & M. mortui sunt in aquis. Quod L. ut viderunt factum pastores M. qui R. pascebant L. eos fugerunt M. R. L. & venientes nunciaverunt M. L. in civitatem. R. & in agros & in villas. L. hæc omnia M. & de his qui dæmonia habuerant. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu. Exierunt L. autem videre quod factum est, & convenerunt ad Jesum, & R. vident illum qui à dæmonio vexabatur, à quo L. dæmonia exierunt, sedentem L. R. ad pedes L. ejus vestitum R. & sanæ mentis & timuerunt. Nunciaverunt L. autem illis & hi qui viderant quomodò sanus factus esset à legione, & de porcis. R. Et viso M. eo rogaverunt L. M. R. eum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut M. transiret R. à finibus eorum, & L. descenderet & ab ipsis quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens in navim reversus est. Cumque L. R. ascenderet navim, cœpit illum deprecari qui à dæmoniis vexatus fuerat, ut esset cum illo. Jesus autem non admisit eum, sed ait illi: Vade & redi in domum tuam ad tuos, & nuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus R. sit tui. Et L. abiit per universam civitatem, & R. cœpit L. prædicare in Decapoli R. quanta sibi fecisset Jesus, & R. omnes mirabantur. Et cum ascendisset Jesus in navim & rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Factum L. est autem cùm redisset Jesus trans fretum, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

a Communiter tenetur quòd eadem est historia, quamvis Lucas & Matthæus non faciunt mentionem nisi de uno dæmoniaco qui erat famosior.

b Additur ambo, quia fit reditus ad narrationem Matth.

a Glos. Idem est hìc stagnum & mare.

De paralytico sanato. M. 9. R. 2. L. 5.

CAPUT XXXVII.

ET M. ascendens in naviculam transfretavit & venit in civitatem suam, & iterum R. intravit in Capharnaum post dies. Factum L. est autem una dierum, & ipse sedebat docens, & R. auditum est quòd in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet, neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Et erant Pharisæi sedentes & Legis Doctores qui venerant ex omni castello Galilææ & Judææ & Jerusalem. Et virtus Domini erat ad sanandum eos. Et M. ecce offerebant paralyticum jacentem in lecto, qui R. à quatuor portabatur. Et L. quærebant eum inferre & ponere ante eum, & non invenientes qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt super tectum, & R. nudaverunt tectum ubi erat & patefacientes submiserunt L. R. eum in lecto in medium ante Jesum. Videns M. R. autem Jesus Fidem illorum, dixit paralytico: Fili homo L. M. confide, remittuntur L. M. R. tibi peccata tua. Et ecce M. R. quidam de Scribis R. erant illic sedentes & cogitantes in cordibus suis: quid hic sic loquitur blasphemias. Et L. cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi dicentes intra se. M. Quis L. est hic qui loquitur blas-

blasphemias? M. R. quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Ut autem cognovit Jesus in Spiritu R. sancto cogitationes L. M. eorum, respondens L. dixit ad illos: ut L. M. R. quid cogitatis mala M. in cordibus vestris? quid est facilius dicere paralytico, R. dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge tolle grabatum R. tuum & ambula? Ut autem sciatis quoniam filius hominis habet potestatem in terra A dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi L. R. dico surge, tolle lectum tuum & vade in domum tuam. Et L. confestim coram illis surgens, tulit lectum suum in quo jacebat, & abiit coram omnibus in domum suam. Et stupor apprehendit omnes & magnificabant Deum & glorificaverunt M. qui dedit potestatem talem hominibus: & L. repleti sunt timore magno dicentes, quia vidimus mirabilia, & R. nunquam sic vidimus.

De convivio in domo Matthæi. Et quare non jejunant Apostoli. M. 9. R. 2. L. 5.

CAPUT XXXVIII.

FECIT L. autem ei convivium magnum Levi in domo sua M. Et factum R. est discumbente eo in domo sua, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Jesu & Discipulis ejus. Erant B R. enim multi qui sequebantur eum. Et M. videntes Pharisæi R. & Scribæ quia manducaret cum publicanis & peccatoribus murmurabant L. dicentes ad Discipulos ejus. Quare R. M. cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit R. Magister vester: & L. manducatis & bibitis? Et respondens Jesus ait illis. Non L. egent R. M. qui sani sunt medico; sed qui malè habent. Euntes. M. autem discite quid est, quia misericordiam volo, & non sacrificium. Non M. enim R. veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam L. Et R. erant discipuli Joannis & Pharisæi jejunantes. Tunc M. accesserunt ad eum dicentes: quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter & L. obsecrationem faciunt discipuli Joannis similiter & Pharisæorum; tui autem edunt & bibunt, & non M. jejunant R. Et M. ait illis Jesus. Nunquid possunt filii sponsi & nup- C tiarum R. quamdiu cum illis est sponsus jejunare & lugere? M. R. Quanto L. M. R. tempore habent secum sponsum non possunt jejunare. Venient autem dies quando auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt in diebus illis. Dicebat L. autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à vestimento novo mittit in vestimentum vetus. Nemo R. enim assumentum panni rudis assuit vestimento veteri, alioquin aufert supplementum novum a veteri. Tollit M. enim plenitudinem ejus à vestimento, novum L. rumpit & pejor M. & major R. scissura fit, & L. veteri non convenit commissura à novo: neque M. mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres & vinum effundetur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & R. mitti debet, mittendum L. est ut utraque conserventur. M. Et L. nemo bibens vetus statim vult novum, dicit enim ve- D tus melius est.

De suscitatione filiæ Archisynagogi. Et de hæmorroyssa. M. 9. R. 5. L. 8.

CAPUT XXXIX.

HÆC M. illo, loquente ad eos, ecce Princeps unus de Archisynagogis R. nomine Jairus, cui L. nomen Jairus, & ipse Princeps Synagogæ erat. Et cecidit ad pedes Jesu rogans eum. Videns R. eum accessit, M. procidit R. ad pedes ejus & deprecabatur eum multum. Et adorabat M. rogans L. ut intraret domum suam, quia unica filia erat illi ferè Annorum duodecim & hæc moriebatur, adorabat M. eum dicens: Domine filia mea modò defuncta est, in extremis R. est, sed M. veni R. impone manum tuam super eam, ut R. salva sit & vivat. Et M. surgens Jesus sequebatur eum & Discipuli ejus, & R. turba multa. Et contigit L. dum iret, à turbis comprimebatur. Et M. ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur duodecim Annis, quæ R. fuerat multum perpessa a medicis pluribus & erogaverat L. omnem substantiam suam, omnia R. sua, nec quicquam profecerat, nec L. ab ullo potuit curari, sed magis R. deterius habebat. Cùm audisset de Jesu, venit in turba retro & tetigit M. R. L fimbriam vestimenti ejus. Dicebat M. R. autem intra se: si tetigero tantùm vestimentum ejus salva ero. Et L. confestim stetit fluxus, & R. siccatus est fons sanguinis ejus, & sensit corpore quòd sanata esset à plaga. Et Jesus statim agnoscens in semetipso virtutem quæ exierat de illo, conversus ad turbam ait: Quis L. me & R. vestimenta mea tetigit? Negantibus L. autem omnibus, Petrus & qui cum illo erant dixerunt: Præceptor, turbæ L. R. te comprimunt & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit? Et L. dixit Jesus: aliquis me tetigit: nam & ego novi virtutem de me exisse. Et R. circumspeciebat videre eam quæ hæc fecerat. Videns L. autem mulier quia non latuit eum, timens R. & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum & pedes L. ejus, & ob quam causam tetigerat eum indicavit coram omni populo, & quemadmodùm confestim sanata sit. Et R. dixit ei. At M. Jesus conversus & videns eam dixit: confide filia, fides tua te salvam fecit. Vade L. R. in pace, & esto R. sana à plaga tua. Et salva M. facta est mulier ex illa hora. Adhuc R. eo loquente L. venit quidam ad Principem Synagogæ dicens ei, veniunt R. ab Archisynagogo dicentes: quia filia tua mortua est, quid ultra vexas Magistrum? Noli L. vexare illum. Jesus audito hoc verbo respondit Patri puellæ: Noli timere, tantummodò R. crede & salva L. erit, & veniunt in domum Archisynagogi & cùm venisset Jesus in domum Principis non M. admisit quemquam se sequi nisi Petrum & Jacobum & Joannem fratrem Jacobi. Et vidit tumultum & flentes & ejulantes multùm & tibicines M. Flebant L. autem omnes & plangebant illam. At ille dixit: nolite flere quid R. turbamini & ploratis? Recedite M. non est mortua puella, sed dormit, & deridebant eum L. scientes quòd mortua est, ipse R. verò ejectis turbis assumit Patrem R. L. & Matrem puellæ, & qui R. secum erant, ingrediuntur ubi puella erat jacens, & manum puellæ tenens clamavit, & L ait R. illi: Thabitacumi, quod est interpretatum puella, tibi dico surge. Et L. reversus est spiritus ejus & surrexit continuò, & R. ambulabat, & L. jussit illi dare manducare, & R. obstupuerunt stupore magno L. Parentes ejus, quibus præcepit vehementer R. ne L. cui dicerent, quod factum nemo R. illud sciret. Et M. exiit fama hæc in universam terram, & R. egressus inde abiit in patriam suam: & sequebantur eum Discipuli ejus.

De duobus cæcis illuminatis. Et de muto dæmoniaco. M. 9.

CAPUT XL.

[a] ET transeunte inde Jesu secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili David. Cum autem venissent domum, accesserunt ad eum cæci, & dixit eis Jesus. Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: utique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: secundùm fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est eis Jesus dicens: Videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt illum per totam terram illam. Egressis autem illis ecce obtulerunt illi

[a] Solus Matthæus hæc narrat de cæcis secundùm Augustinum.

illi hominem mutum, habentem dæmonium, & ejecto dæmonio locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit sic in Israël. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

De admiratione turbarum super doctrina Christi. M. 13. R. 6.

CAPUT XLI.

ET facto Sabbato cœpit in Synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina ejus dicentes: Unde huic hæc omnia & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manum ejus efficiuntur? Nonne iste est fabri M. filius? Nonne M. R. Mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joseph Simon & Judas, & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt, & scandalizabantur in illo. Jesus autem dixit illis: Non est Propheta sine honore nisi in Patria sua & in domo sua & in cognatione sua. M. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem R. nec poterat ullam virtutem ibi facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus curavit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.

De jussione facta Discipulis rogare Dominum mittere operarios. M. 9. R. 6.

CAPUT XLII.

ET M. circumibat R. Jesus omnes civitates & castella in circumitu R. docens M. in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem. Videns autem turbas misertus est eis, quia erant vexati & jacentes, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dixit Discipulis suis: messis quidem multa, operarii autem pauci: Rogate ergo Dominum M. messis ut mittat operarios in messem suam.

De missione duodecim Apostolorum. M. 10. & 11. R. 6. L. 3.

CAPUT XLIII.

CONVOCATIS Discipulis suis L. duodecim M. Apostolis, cœpit R. eos binos mittere: dedit L. illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, R. M. & spirituum immundorum M. ut eos ejicerent M. L. curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum hæc sunt nomina. Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus: Philippus & Bartholomæus: Jacobus Zebedei & Joannes frater ejus: Thomas & Matthæus publicanus; Jacobus Alphei & Thadæus: Simon Chananæus & Judas Iscariothis qui tradidit eum. Hos duodecim misit Jesus prædicare regnum Dei & sanare infirmos, præcipiens eis & dicens: In viam gentium non abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad oves quæ perierunt domûs Israël. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquabit Regnum cœlorum: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite, gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum neque argentum. Et præcepit R. eis ne quid tollerent in via, nisi [a] virgam tantùm. Et L. ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam neque in zona æs, neque L. duas tunicas habeatis, neque M. calciamenta, sed R. calciatos sandaliis. Dignus M. est enim operarius cibo suo. In quamcumque autem civitatem aut castellum aut domum L. intraveritis. Interrogate M. quis in ea dignus sit, & ibi manete, & inde L. ne exeatis. Intrantes M. autem domum salutate eam dicentes: Pax huic domui. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet super eam pax vestra. Si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur. Et quicumque non receperit vos neque audierit R. vos M. & sermones vestros: R. L. & A exeuntes R. M. foras de domo vel civitate excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium L. super illos. Amen M. dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die Judicii quam illi civitati. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & Reges ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & Pater Filium, & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aB liam: Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat filius hominis, non est Discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum, sufficit Discipulo ut sit sicut Magister ejus, & servo sicut Dominus ejus. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus. Ne ergo timueritis eos, nihil enim est opertum quod non revelabitur, & occultum quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta, & nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs eum timete qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse væneunt & unus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coC ram Patre meo qui in cœlis est. Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem in terram, non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim hominem separare adversùs Patrem suum, & filiam adversùs Matrem suam, & nurum adversùs socrum suam, & inimici hominis domestici ejus. Qui amat Patrem suum aut Matrem plus quàm me, non est me dignus: Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam, & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam. Qui recipit vos me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet. Et qui accipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque dederit potum uni ex istis minimis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine Discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Et M. factum est cùm conD summasset Jesus verba hæc, præcipiens duodecim Discipulis suis, egressi L. circumibant per castella evangelizantes, & curantes ubique prædicabant R. ut pœnitentiam agerent: dæmonia multa ejiciebant & ungebant oleo multos ægros, & sanabantur. Transiit M. autem Jesus inde, ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum.

[a] Virga sumitur hîc à Marco & Luca diversimodè. Marcus prout significat mysticè potestatem accipiendi necessaria. Matthæus autem & Lucas ad litteram vel mysticè, ne innitantur rei cuilibet vel potestati aut autoritati temporali.

De

De interrogatione Joannis : Tu es qui venturus es? M. 11. L. 7.

CAPUT XLIV.

ANNUNCIAVERUNT L. autem Joanni discipuli ejus de omnibus his. Joannes M. verò cum audisset in vinculis opera Christi, L. convocavit M. L. duos de discipulis suis mittens ad Jesum, M. ait L. dicens illi: M. L. tu es qui venturus es, an alium expectamus? L. cum autem venissent ad eum viri dixerunt: Joannes Baptista misit nos ad te dicens: tu es qui venturus es? In ipsa autem hora curavit multos à languoribus suis & plagis & spiritibus malis, & cæcis multis donavit visum. Et M. respondens Jesus ait illis: Euntes renunciate Joanni quæ vidistis & audistis, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus L. cum discessissent nuntii Joannis M. L. cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre, arundinem vento agitatam? sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, & qui L. in pretiosa veste sunt & in deliciis, in domibus Regum sunt. Sed M. quid existis videre, Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquàm Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est? Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen, dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem major est in Regno Dei, major est illo. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Joannem Baptistam prophetaverunt. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est. Qui habet aures audiendi audiat: & L. omnis populus audiens & publicani justificaverunt Deum baptizati Baptismo Joannis. Pharisæi autem & Legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsis non baptizati ab eo. Ait autem Dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus, & cui similes sunt? similes sunt pueris sedentibus in foro & loquentibus ad invicem & dicentibus. Cantavimus vobis tibiis, & non saltastis, lamentavimus & non plorastis, Venit enim Joannes Baptista neque manducans panem: neque bibens vinum, & dicitis, dæmonem habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis, ecce homo vorax M. & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus, & justificata L. est sapientia ab omnibus filiis suis.

De Pharisæo qui rogavit Christum manducare cum eo: & Maria Magdalena. L. 7.

CAPUT XLV.

ROGABAT autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix; ut cognovit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retrò secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus & unguento ungebat. Videns autem Pharisæus qui vocaverat eum; ait intra se dicens: Hic si esset Propheta sciret utique quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Jesus dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam feneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon dixit. Æstimo quia is cui plus donavit. At ille dixit ei. Rectè judicasti. Et conversus ad mulierem dixit Simoni· Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intravit non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos: propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm: cui autem minùs dimittitur, minùs diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se. Quis est hic qui etiam peccata di-
A mittit? Dixit autem ad mulierem. Fides tua te salvam fecit, vade in pace.

De occisione Joannis. M. 14. R. 6.

CAPUT XLVI.

CUM L. autem dies opportunus accidisset. Herodes natalis sui cænam fecit Principibus & Tribunis & primis Galilææ. Cumque intrasset filia ipsius Herodiadis & saltasset in medio M. & placuisset R. Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quid vis, & dabo tibi. Et juravit illi, quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium Regni mei. Quæ cum exisset dixit Matri suæ, quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum festinatione ad Regem petivit præmonita M. à Matre sua.
B Volo R. protinùs inquit M· da mihi hîc in disco caput Joannis Baptistæ. Et contristatus est Rex, & propter jusjurandum & propter simul discumbentes noluit eam contristare, sed misso spiculatore præcepit afferri caput Joannis in disco, & dedit illud puellæ, & puella dedit Matri suæ. Quo audito Discipuli ejus venerunt & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud ac M. sepelierunt in monumento R. & M. venientes nunciaverunt Jesu. Quod cùm audisset Jesus, secessit in naviculam in locum desertum seorsùm.

De Probatica piscina. Joan. 5.

CAPUT XLVII.

POST hæc erat dies Festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam. Est autem Jerosolymis Probati-
C ca piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaïda, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum: Angelus autem Domini secundùm tempus descendebat in piscinam & movebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam, post aquæ motionem, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Erat autem ibi quidam homo 38. annos habens in infirmitate sua: hunc cùm vidisset Jesus jacentem & cognovisset quia jam multum tempus haberet, dixit ei. Vis sanus fieri? Respondit ei languidus. Domine hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dùm venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula: & statim sanus factus est homo, & sustulit grabatum suum & ambulabat. Erat autem Sabbatum in illa die: dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat. Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit,
D tolle grabatum tuum & ambula. Interrogaverunt autem eum, quis est ille homo qui dixit, tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus autem declinavit à turba constituta in loco. Posteà invenit eum Jesus in Templo & dixit ei: Ecce jam sanus factus es: jam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat: Abiit ille homo & nuntiavit Judæis: quia Jesus esset qui fecit eum sanum, propterea persequebantur Judæi Jesum: quia hoc faciebat in Sabbato. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi in-

interficere: quia non solùm solvebat Sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus: & dixit eis. Amen, amen dico vobis, non potest Filius à se quicquam facere nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit Filium & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & majora his demonstrabit ei opera ut vos miremini: sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat, nec enim Pater judicat quemquam sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Amen, amen dico vobis: quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam: & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam. Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei judicium facere: quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt in resurrectionem Judicii. Non possum ego à meipso facere quicquam, sed sicut audio judico, & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Si ego testimonium prohibeo de me ipso testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium ejus quod perhibet de me. Vos misistis ad Joannem & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio: Sed hoc dico ut vos salvi sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. Ego autem habeo testimonium majus Joanne, opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit, & qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me. Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis, & verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini Scripturas quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognovi vos: quia delectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodò potestis vos credere qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis? Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses in quo speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit: Si autem illius litteris non creditis: quomodò verbis meis credetis?

De Herode dicente Joannem surrexisse & miracula facere.
Matth. 14. R. 6. L. 9.

CAPUT XLVIII.

AUDIVIT L. autem Herodes Tetrarcha famam M. de Jesu & omnia L. quæ fiebant ab eo: manifestum R. enim factum est nomen ejus & hæsitabat L. eo quod diceretur à quibusdam, quòd Joannes surrexit à mortuis: à quibusdam verò quòd Elias apparuit, ab aliis autem quòd Propheta unus de antiquis surrexerit. Et ait Herodes, Joannem ego decollavi, quis est iste de quo ego talia audio? & quærebat videre eum. Et M. ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo, quem R. ego decollavi Joannem hic à mortuis surrexit.

De reditu Apostolorum ad Christum. R. 6. L. 9.

CAPUT XLIX.

ET L. reversi Apostoli convenientes R. ad Jesum renunciaverunt ei omnia quæ egerant & docuerant, & ait illis: Venite seorsùm in desertum locum & requiescite pusillùm: & assumptis L. illis secessit seorsùm A in desertum locum qui est Bethsaïda. Erant R. enim qui veniebant & redibant multi, & nec spatium manducandi habebant.

De quinque panibus & duobus piscibus.
M. 14. R. 6. L. 9. J. 6.

CAPUT L.

ET ascendentes R. in navim abierunt trans mare L. Galilææ quod est Tyberiadis, in desertum R. locum. Quod M. cum L. audissent turbæ, secuti sunt eum. Et viderunt eos abeuntes & cognoverunt multi, & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos. Et exiens vidit turbam B multam Jesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, & excepit L. illos & loquebatur illis de regno Dei, & R. cœpit illos docere multa, & curavit M. languidos eorum. Sequebatur L. autem illum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus, & ibi sedebat cum Discipulis suis. *a* Erat autem proximum Pascha dies Festus Judæorum: Vespere M. autem facto accesserunt ad eum Discipuli ejus dicentes: Desertus est locus & hora jam præteriit, dimitte turbas, ut euntes in castella L. villasque quæ circa sunt divertant, & inveniant escas ut emant R. cibos quos manducent, quia in loco L. deserto sumus. Jesus M. autem dixit eis: Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Cum L. sublevasset ergo oculos Jesus & vidisset quia multitudo maxima venisset ad eum, dixit ad Philippum: C Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum, ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt ut unusquisque modicum quid accipiat. Et R. dixit eis: Quot panes habetis? Ite & videte. Dixit ei unus ex duodecim Andreas frater Simonis Petri. Est puer unus hîc habens quinque panes hordeaceos & duos pisces: sed & hæc quid sunt inter tantos? nisi L. fortè nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. Dicit J. ergo Jesus. Facite homines discumbere per convivia L. quinquagenos. Erat autem fenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri quasi numero quinque millia in partes R. per per centenos & quinquagenos. Accepit J. ergo Jesus panes, & intuens R. in Cœlum benedixit & fregit. Et cum gratias J. egisset, dedit R. Discipulis suis ut D ponerent ante eos. Discipuli M. autem dederunt turbis. Similiter autem & de piscibus distribuit discumbentibus quantùm volebant. Ut autem impleti sunt L. omnes & saturati dixit Discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleverunt duodecim R. cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus quæ superfuerant his qui manducaverant. *b* Manducantium M. autem fuit numerus quin-

a Videtur hoc esse secundum Pascha alterum à primo jam dicto, & ab illo quo fuit occisus.

b Sicut Augustinus hîc notat: Si non fieret per eundem Evangelistam mentio de secunda refectione septem panum; videretur esse inter Evangelistas contradictio, quasi narrarent contrariè unam & eandem refectionem, & hoc videlicet pro concordantia talium, ut dicantur pluries facta, quæ non nisi semel videntur esse narrata.

quinque millia virorum: exceptis mulieribus & parvulis: & R. statim coëgit Discipulos suos ascendere in navim ut præcederent eum trans fretum à Bethsaïda, dùm ipse dimitteret populum. Illi ergo homines cùm vidissent quod fecerat signum dicebant: Quia hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. Jesus autem cum cognovisset quòd venturi essent ut raperent eum & facerent eum regem: fugit in montem iterum ipse solus orare. Vespere autem facto solus A erat ibi.

De ambulatione Christi supra mare. Matth. XIV. R. VI. *&* Joannes VI.

CAPUT LI.

UT autem J. sero factum est descenderunt Discipuli ejus ad mare. Et cùm ascendissent navim veniunt trans mare in Capharnaum & tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jesus. Mare autem vento magno flante exurgebat. Navicula M. autem in medio mari jactabatur fluctibus. Erat autem ventus contrarius eis: & vidit eos laborantes in remigando. Cum L. ergo remigassent stadia quasi vigintiquinque aut triginta circa R. quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: & volebat præterire eos. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare putaverunt phantasma esse: & clamaverunt præ timore M. B Omnes R. enim viderunt eum & conturbati sunt. Statimque M. Jesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam. Confidite R. ego sum. Nolite timere: Respondens M. autem Petrus, dixit: Domine si tu es, jube me venire ad te super aquas. At ipse dixit: Veni. Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquas ut veniret ad Jesum. Videns autem ventum validum timuit. Et cùm cœpisset mergi clamavit dicens: Domine salvum me fac: & continuò Jesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitasti? Voluerunt J. ergo eum recipere in navim. Et M. cùm ascendisset in naviculam, cessavit ventus & R. multò magis intra se stupebant, non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum excæcatum. Qui M. autem in navicula erant, venerunt & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es: & J. statim navis fuit ad terram ad quam ibant: & M. cum transfretassent, venerunt in terram Genezareth: C & R. applicuerunt. Cumque egressi fuissent de navi, continuò cognoverunt eum: & percurrentes per universam regionem illam cœperunt in grabatis eos qui malè habebant transferre ubi eum audiebant esse: & quocumque introibat in vicos vel in villas aut civitates, in plateis ponebant infirmos & deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

De Prædicatione Eucharistiæ. Joan. VI.

CAPUT. LII.

ALTERA autem die turba quæ stabat trans mare vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una. Et quia non introisset Jesus cum Discipulis suis in navim: sed soli Discipuli ejus abiissent. Aliæ verò supervenerunt naves à Tiberiade juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agentes Deo. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non erat ibi neque Discipuli ejus, ascenderunt in naviculas & venerunt a Capharnaum D quærentes Jesum: & cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi quando huc venisti? Respondit Jesus & dixit: Amen, amen dico vobis quæritis me, non quia vidistis signa; sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis vobis dabit, hunc enim Pater signavit Deus. Dixerunt ergo ad eum. Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondens Jesus dixit eis: Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ei: Quod ergò tu facis signum ut videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto sicut scriptum est: Panem de Cœlo dedit eis manducare. Dixit ergo Jesus. Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum. Panis enim Dei est qui descendit de Cœlo: & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ei: Domine semper da nobis hunc panem. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Sed dixi vobis: quia & vidistis me & non credidistis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras: quia descendi de Cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Hæc est autem voluntas ejus qui misit me Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo: sed resuscitem illud in novissimo die. Hæc est enim voluntas Patris mei qui misit me: ut omnis qui videt filium & credit in eum habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis qui de Cœlo descendi. Et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus Patrem & Matrem. Quomodò ergo dicit hic quia de Cœlo descendi? Respondit ergo Jesus & dixit eis: Nolite murmurare invicem. Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me, traxerit illum: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt Manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis de Cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur: ego sum panis vivus qui de Cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodò potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me & ipse vivet propter me. Hic est panis qui de Cœlo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri Manna in deserto & mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo ex Discipulis audientes, dixerunt. Durus est hic sermo & quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc Discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat priùs. Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui erant credentes & quis traditurus esset eum: & dicebat propterea dixi vobis: quia nemo potest venire ad me nisi ei datum fuerit à Patre meo. Ex hoc multi Discipulorum ejus abierunt retrò: &

a Augustinus dicit quòd Capharnaum est juxta stagnum Genezar, quod dicitur mare.

& jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes & nos credimus & cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? Dicebat autem de Juda Simonis Iscariotis: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

De missione septuaginta duorum Discipulorum. L. 10.

CAPUT LIII.

POST hoc autem designavit Dominus & alios LXXII. & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum quo erat ipse venturus & dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta: & neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illam pax vestra: Sin autem ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum: & in quamcunque civitatem intraveritis & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: & curate infirmos qui in illa sunt: & dicite illis: Appropinquabit in vos regnum Dei. In quamcunque autem civitatem intraveritis & non receperint vos exeuntes de plateis ejus dicite: Etiam pulverem qui adhæsit pedibus nostris de civitate vestra, extergimus in vos. Tamen hoc scitote, quia appropinquabit regnum Dei. Dico vobis quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati.

De maledictionibus civitatum in quibus prædicaverit Christus. M. 11. L. 10. R. 4.

CAPUT LIV.

TUNC M. cœpit exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus: quia non egissent pœnitentiam. Væ L. tibi M. Corozaym, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ in vobis factæ fuerunt, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Veruntamen dico M. vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die Judicii quàm vobis. Et tu Capharnaum: nunquid usque ad Cœlum exaltaberis? usque ad infernum descendens, L. demergens: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt? fortè mansissent usque in hunc diem. Veruntamen dico vobis: quia terræ Sodomorum remissius erit in die Judicii quam tibi. Qui vos L. audit me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Et R. veniunt ad domum & convenit iterùm turba: ita ut non possent neque panem manducare. Et cùm audissent sui Discipuli exierunt tenere eum: dicebant enim quoniam in furorem versus est.

De dæmonio muto, & de peccato in Spiritum sanctum. M. 12. R. 3. L. 11.

CAPUT LV.

OBLATUS M. est Jesu dæmonium habens cæcus & mutus: & L. erat ejiciens dæmonium & illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus. Curavit M. autem eum ita ut loqueretur & videret: & admiratæ L. sunt turbæ: & dicebant M. Nunquid hic est filius David? Pharisæi autem & & Scribæ R. qui ab Jerosolymis descenderant audientes M. dixerunt: quoniam R. Beelzebub habet, & L. in Beelzebub Principe demoniorum ejicit dæmonia. Alii tentantes eum signum de cœlo quærebant ab eo. Et R. convocatis eis ipse L. ut vidit cogitationes eorum in parabolis R. dicebat illis: Quomodò potest

A sathanas sathanam ejicere? Omne L. regnum in seipsum divisum, desolabitur: & domus supra domum cadet: & R. non potest stare regnum illud: & omnis M. civitas vel domus divisa contra se, non stabit. Si L. autem sathanas in seipsum divisus est: quomodò stabit regnum ipsius? Si R. sathanas consurrexerit in seipsum dispertitus est & non poterit stare, sed finem habet: quia dicitis in Beelzebub ejicere me dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt. Porrò si in digito Dei Spiritu M. Dei ejicio L. dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Nemo R. potest vasa fortis ingressus in domum diripere: nisi priùs fortem alliget. Si L. autem fortior eo superveniens vi-

B cerit eum, universa vasa ejus auferet in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet, quomodò potest quisquam in rare in domum fortis & vasa ejus diripere nisi priùs alligaverit fortem & M. R. tunc domum ejus diripiet. Qui non est mecum, adversùm me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Amen R. dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ quibus blaspemaverunt, qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant spiritum immundum habet. Quicumque M. dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum. Aut facite arborem malam & fructum ejus malum. Siquidem ex fructu arbor cognoscitur: Progenies viperarum quomodò potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus

C homo de thesauro bono profert bona, & malus homo de thesauro malo profert mala. Dico autem vobis, quoniam de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Cum M. autem L. immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi, & veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Factum L. est cùm hoc diceret: Extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimmò: Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.

De Matre Jesu & Fratribus quærentibus loqui ei. M. 12. R. 3. L. 8.

CAPUT LVI.

D

ADHUC M. eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus & fratres ejus foris stabant, quærentes loqui ei. Non enim poterant adire præ turba, & R. miserunt ad eum vocantes eum: & sedebat circa eum turba. Dixit M. autem ei quidam: Ecce Mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te L. videre. At M. ipse respondens dicenti sibi ait: quæ est Mater mea? & qui sunt fratres mei? & R. circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant, & M. extendens manus suas in Discipulos suos dixit. Ecce Mater mea & fratres mei: quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei

mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & Mater est. Mater L. mea & fratres mei sunt hi qui verbum Dei audiunt & faciunt.

De petentibus signum de cœlo. M. 12. L. 11.

CAPUT. LVII.

TUNC M. responderunt ei quidam de Scribis & A Pharisæis: dicentes. Magister volumus à te signum videre. Concurrentibus L. autem turbis cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est. Generatio M. mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Jonæ Prophætæ. Nam L. sicut Jonas fuit signum Ninivitis, ita erit Filius hominis generationi isti, sicut M. enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plusquam Jonas hic. Regina Austri surget in die Judicii L. cum viris generationis hujus M. cum generatione ista & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquam Sa- B lomon hic. Nemo L. lucernam accendit & in abscondito ponit neque sub modio: sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit, si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit, vide ergo ne lumen quod in te est tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris iluminabit te.

De Discipulis quibus dæmonia subjiciebantur. M. 11. L. 10.

CAPUT LVIII.

REVERSI L. sunt autem omnes LXXII. Discipuli C cum gaudio dicentes: Domine etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem & ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & super scorpiones, & super omnem potestatem inimici, & nihil vos nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur. Gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. In ipsa autem hora exultavit Jesus in Spiritu sancto, & M. respondens L. dixit: Confiteor tibi Pater domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea parvulis. Ita Pater quia sic placuit ante te, omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et L. nemo M. scit qui sit Filius, nisi Pater, neque qui sit Pater nisi Filius & cui voluerit Filius revelare. Et conversus ad Discipulos ait: Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis quia multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt; & audire quæ auditis & non audierunt. Venite ad me omnes qui laborati & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum D meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

De Samaritano curante vulneratum. L. x.

CAPUT. LIX.

ET ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: in Lege quid scriptum est? quomodo legis? At ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Dixit illi: Rectè respondisti, hoc fac & vives. Ille autem volens justificare seipsum dixit ad Jesum, & quis est meus proximus? Suscipiens autem Jesus dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jerico, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto. Accidit autem ut Sacerdos quidam descenderet eadem via & viso illo præterivit, similiter & Levita, cum esset secus locum & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum & videns eum, misericordiâ motus est, & appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum & curam ejus egit. Et altera die protulit duos denarios & dedit stabulario, & ait: curam illius habe, & quodcunque superogaveris ego cum rediero reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit, qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade & tu fac similiter.

De ministerio Marthæ Luc. x.

CAPUT LX.

FACTUM est autem dum irent, & ipse intravit in quoddam Castellum[a], & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit & ait. Domine non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha Martha sollicita es & turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

De Doctrina Orationis. Luc. 11.

CAPUT LXI.

ET factum est cùm esset in loco quodam orans, ut cessavit, dixit unus ex Discipulis ejus ad eum: Domine doce nos orare, sicut & Joannes docuit discipulos suos. Et ait illis: Cùm oratis dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, si quidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos: Quis vestrum habebit amicum & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens dicat: noli mihi molestus esse. Jam enim ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit: propter improbitatem autem ejus surget & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis.

[a] Probabile est quòd hoc fuerit repetitum & duæ petitiones tunc prætermissæ.

De traditionibus Pharisæorum reprehensis à Christo. Luc. 11.

CAPUT LXII.

ET cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se, & ingressus recubuit:

Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere. Quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum. Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod intus est fecit? Veruntamen quod super est date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

De confricatione granorum Sabbatis. M. 12. R. 2. L. 6.

CAPUT LXIII.

FACTUM *a* L. est autem iterum R. in illo tempore M. Sabbato L. secundo: primo cum transiret Jesus per sata, M. R. L. Discipuli M. ejus esurientes, cœperunt progedi & evellere spicas & manducabant R. confricantes manibus. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis. Quid facitis quod non licet in Sabbatis? & M. videntes dicebant Jesu. Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet facere Sabbatis. Et R. ait illis. Nunquam legistis quid fecerit David quando necessitatem habuit, & esuriit ipse & qui cum eo erant, quoniam intravit in domum Domini sub Abiathar Principe Sacerdotum, & panes propositionis sumpsit L. R. M. & manducavit & dedit eis qui cum ipso erant, quod non licet manducare M. L. nisi solis Sacerdotibus & M. dedit eis qui cum ipso erant. Aut M. non legistis quia in Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo major est hic. Si autem sciretis quid est, misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Et dicebat R. eis. Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbatum. Itaque R. L. M. Dominus est Filius hominis etiam Sabbati.

a Patet in hac rubrica variam esse tàm præoccupationem quàm rememorationem, & hoc ex quotatione capitulorum, nec habetur rei gestæ certus ordo, prout refert ad notitiam veritatis vel salutis.

De sanatione manus aridæ. M. 12. R. 3 L. 6.

CAPUT LXIV.

ET M. cum inde transisset factum est & in alio Sabbato ut intraret in Synagogam & doceret: & erat ibi homo & manus ejus dextra erat arida. Observabant autem eum Scribæ & Pharisæi si in Sabbato curaret, ut invenirent causam unde accusarent eum. Ipse enim sciebat cogitationes eorum, & M. interrogabant eum, dicentes. Si licet in Sabbatis curare, ut accusarent eum. Et R. ait homini habenti manum aridam. Surge & sta L. in medium, & surgens stetit, & ait ad illos Jesus. Interrogo vos, si licet in Sabbatis benè agere an malè, animam salvare an perdere? At R. illi tacebant. Ipse M. autem dixit eis. Quis erit ex vobis homo qui habeat unam ovem, & si ceciderit hæc in Sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam. Quantomagis est homo melior ove? Itaque licet Sabbatis benefacere, & circumspiciens R. eos cum ira contristatus super cæcitatem eorum dixit homini: Extende manum tuam, & extendit, & restituta est manus illi sanitati M. sicut altera: Ipsi L. autem repleti sunt insipientia & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent de Jesu. Exeuntes M. autem Pharisæi consilium faciebant statim R. cum Herodianis adversùs eum quomodò eum perderent. Jesus M. autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi & curavit eos omnes, & præcepit eis ne manifestum eum facerent, ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam Prophetam dicentem. Ecce puer meus electus quem elegi dilectus meus in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nunciabit. Non contendet neque clamabit, neque aliquis in plateis audiet vocem ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet donec ejiciat ad victoriam judicium, & in nomine ejus gentes sperabunt. Jesus R. autem cum Discipulis suis secessit ad mare, & turba multa à Galilæa & Judæa secuta est eum, & ab Jerosolymis & Idumea & trans Jordanem & quæ circa Tyrum & Sydonem multitudo magna audientes quæ faciebat & venerunt ad eum, & dixit Jesus Discipulis suis ut in navicula sibi deservirent propter turbam ne comprimerent eum. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut eum tangerent quotquot habebant plagas. Et spiritus immundi cum illum videbant procidebant ei, & clamabant dicentes. Tu es Filius Dei, & vehementer comminabatur eis ne manifestarent eum.

De quatuor parabolis in mari. M. 13. R. 4. L. 8. & 13.

CAPUT LXV.

ET factum *a* L. est deinceps, & ipse iter faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum Dei & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocabatur Magdalene de qua septem dæmonia exierant, & Joanna uxor Cusæ procuratoris Herodis & Susanna & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis. In M. illa die exiens Jesus de domo sedebat secus mare, & cœpit iterùm docere ad mare, & M. R. congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet in mari R. & omnis turba in littore M. circa R. mare super terram erant. Cum L. autem plurima turba convenirent & de civitatibus properarent ad eum, locutus L. est, & docebat R. eos in parabolis multa & docebat illis in doctrina sua per similitudinem. Audite R. ecce M. exiit L. qui seminat *b* seminare semen suum seminans R. ad seminandum & L. dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & venerunt R. volucres cœli & comederunt illud. Et aliud L. cecidit supra petram, ubi R. non habuit terram multam & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ. Et quando exortus est sol exæstavit, & L. natum aruit, quia non habebat humorem, & M. eo R. quod non habebat radicem. Et L. aliud cecidit inter spinas & simul exortæ spinæ ascenderunt R. & creverunt M. & suffocaverunt L. illud, & fructum R. non dedit. Et L. aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum ascendentem R. & crescentem aliud M. centesimum, R. aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Hæc L. dicens clamabat. Qui habet aures audiendi audiat, & R. cum esset singularis accedentes M. Discipuli interrogaverunt eum hi qui cum illo erant duodecim parabolam exponere, quæ L. esset hæc parabola, & M. dixerunt ei. Quare in parabolis loqueris eis? Quibus L. ipse dixit. Quia M. vobis datum est nosse mysterium regni Dei L. cælorum, M. ceteris L. autem qui R. foris sunt omnia in parabolis fiunt, & M. illis non est datum. Ideo in parabolis loquor eis, ut R. videntes videant & non videant & audientes audiant & non intelligant: R. neque convertantur ut dimittantur eis peccata: quia M. videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt ut adimpleatur in eis Prophetia Isaïæ dicentis. Auditu audietis & non intelligetis, &

a Quamvis connectantur dicta trium Evangelistarum: nihilominùs possunt intelligi variis temporibus fuisse repetita; sicut supra de Sermone Domini in monte notatum est.
b Parabola prima.

& videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum enim est cor populi hujus & auribus graviter audierunt & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis & auribus audiant & corde intelligant & convertantur & sanem eos & dimittantur R. eis peccata. Vestri M. autem beati oculi qui vident, & aures vestræ quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ videtis & non
A
viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt. Et R. ait illis. Nescitis parabolam hanc. Et quomodò omnes parabolas cognoscetis? Vos. M. ergo audite parabolam seminantis. Est L. autem hæc parabola. Semen est verbum Dei, qui R. seminat, verbum seminat. Qui L. autem secus viam ubi R. seminatur verbum, hi L. sunt qui audiunt, & R. cum audierint, confestim venit sathanas & tollit L. verbum de corde eorum ne credentes salvi fiant. Omnis M. enim qui audit verbum regni Dei & intelligit, venit malus & rapit quod seminatum est in corde: Nam L. qui supra petram, hi sunt qui cum audierint, statim R. cum gaudio suscipiunt illud, & L. hi radices non habent in R. se, quia temporales sunt; quia ad tempus credunt, deinde
B
orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur; & L. in tempore tentationis recedunt: Quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus seculi M. istius & fallacia divitiarum & voluptatibus L. vitæ euntes, & circa R. reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocantur L. & non referunt fructum. Qui autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes verbum suscipiunt R. L. & retinent L. & fructum afferunt in patientia. Et facit R unum M. aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, porrò aliud tricesimum. Et dicebat R. illis: Nunquid venit lucerna ut sub modio ponatur aut sub lecto? Nemo autem accendit lucernam & operit eam vase, & subtus lectum ponit, sed supra candelabrum ut intrantes videant lumen. Non est enim occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur & in palam veniat. Si R. quis habet aures audiendi audiat. Et dicebat illis: Videte ergo L. quomodò & quid R. audiatis. In qua mensura mensi fueritis, reme-
C
tietur vobis & adjicietur vobis. Qui M. L. R. enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet & quod habet & putat L. se habere, auferetur ab eo. *a* Aliam parabolam M. proposuit eis dicens. Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminavit semen bonum in agro suo. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus & superseminavit zizania in medio tritici & abiit. Cum autem crevisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem servi Patris familias dixerunt ei. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo habet zizania? Et ait illis. Inimicus homo fecit hoc. Servi autem dixerunt ei. Vis imus & colligimus ea? Et ait. Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem. Et in tempore messis dicam messoribus. Colligite primùm zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in hor-
D
reum meum, & dicebat R. eis. Sic est regnum Dei, quemadmodùm si jaciat homo sementem in terram, & dormiat & exurgat nocte & die & semen germinet & increscat dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum fructum in spica; & cum ex se produxerit fructum statim mittit falcem, quoniam adest messis. *b* Aliam M. parabolam proposuit eis & R. dicebat. Aut cui assimilabimus regnum Dei? Aut

a Parabola secunda.
b Parabola tertia.

cui parabolæ comparabimus illud? & cui L. simile esse æstimabo. Simile est M. regnum cœlorum grano sinapis quod accipiens homo seminavit in agro, & L. misit in hortum suum. Quod R. cum seminatum est in terra minimum M. quidem est in omnibus seminibus quæ R. sunt in terra, & cum natum fuerit, & M. creverit, majus est omnibus oleribus. Ascendit. R. in arborem magnam L. & fit M. arbor, & R. facit ramos magnos, ita M. ut volucres cœli veniant & habitent in ramis ejus, & R. possint sub umbra ejus habitare, & volucres cœli requieverunt in ramis ejus. *a* Aliam M. parabolam locutus est eis, & L. iterum dixit. Cui simile regnum Dei æstimabo. Simile M. L. est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum. Hæc M. omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas. Et talibus R. multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire verbum. Sine parabola autem non loquebatur eis, ut M. impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum & eructabo abscondita à constitutione mundi. Seorsum R. autem Discipulis suis disserebat omnia. Tunc M. dimissis turbis venit in domum & accesserunt Discipuli ejus ad eum dicentes. Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens ait: qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus, bonum verò semen, sunt filii regni, zizania autem sunt filii nequam. Inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus: messis verò, consummatio seculi est; messores autem sunt Angeli. Sicut ergo zizania colliguntur & igni cumburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos & colligent de regno ejus omnia scandala, id est eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

a Parabola quarta.

De tribus parabolis in domo. M. 13.

CAPUT LXVI.

SIMILE est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo abscondit & præ gaudio illius vadit & vendit universa quæ habet & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: Inventa autem una pretiosa margarita abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cùm impleta esset, educentes & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione seculi. Exibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: etiam. Ait illis. Ideo omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini Patri familias qui profert de thesauro suo nova & vetera. Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde & veniens in Patriam suam docebat eos in Synagogis eorum, ita ut mirarentur & dicerent. Unde huic sapientia hæc & virtutes?

De reprehensione traditionis Judæorum. M. 15. R. 7. *&. L. consonat supra. c.* 11.

CAPUT LXVII.

TUNC M. accesserunt & R. convenerunt ad eum ab Jerosolymis M. Scribæ & Pharisæi, &

&. R. cum vidissent quosdam de Discipulis ejus communibus manibus & non lotis manducare panem, vituperaverunt. Pharisæi autem & omnes Judæi nisi crebrò lavent manus non manducant, tenentes traditiones Seniorum, & à foro redeuntes nisi baptizentur non comedunt. Et alia multa quæ tradita sunt illis servare baptismata calicum, urceorum & æramentorum & lectorum. Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ dicentes. Quare M. Discipuli tui transgrediuntur & R. non ambulant juxta traditiones Seniorum? Non M. enim lavant manus suas cùm panem mauducant, sed R. communibus manibus manducant panem. Ipse M. autem respondens ait illis. quare & vos Mandatum Dei transgredimini propter traditionem vestram. Relinquentes R. enim Mandatum Dei tenetis traditiones hominum & baptismata urceorum & calicum, & alia similia his facitis multa, & dicebat eis. Bene irritum fecistis Mandatum Dei ut servetis traditionem vestram. Nam M. Deus dixit, & R. Moyses. Honora Patrem tuum & Matrem, & qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Si dixerit homo Patri aut Matri corban, hoc est donum quodcumque ex me tibi proderit M. & non honorificabit Patrem suum aut Matrem suam, & R. ultra non dimittitis eum quicquam facere Patri suo aut Matri, rescindentes verbum Dei M. & irritum fecistis verbum Dei M. R. propter traditionem vestram quam tradidistis, & multa similia hujusmodi facitis. Hypocritæ. M. benè prophetavit de vobis Isaïas dicens. Sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem ipsorum longè est à me. In vanum autem & sine M. causa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Et convocatis iterum R. ad M. se turbis dixit. Audite me omnes R. & intelligite: Non M. quod intrat in os coinquinat hominem. Nihil R. est extra hominem introiens in eum, quod possit eum inquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem. Si quis habet aures audiendi audiat. Et cum introisset in domum à turba, accedentes M. Discipuli ejus interrogabant R. eum parabolam, & M. dixerunt ei. Scis quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalisati sunt. At ille respondens ait. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Respondens autem Petrus dixit ei. Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit. Adhuc & vos sine intellectu estis sic R. & imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, omne M. quod in os intrat non R. potest eum coinquinare, quia non introivit in cor ejus, sed in ventrem vadit & in secessum emittitur purgans omnes escas. Dicebat autem quoniam quæ de homine exeunt illa coinquinant hominem, quæ M. autem procedunt de ore, de corde exeunt & ea coinquinant hominem. Ab intus R. enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt: homicidia M. adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, avaritiæ, R. nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & hæc M. sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.

De Chananæa. M. 15. R. 7.

CAPUT LXVIII.

ET M. egressus inde surgens R. secessit M. & abiit R. in partes M. in fines R. Tyri & Sydonis, & ingressus M. domum, neminem voluit scire & non potuit latere. Et M. ecce mulier Chananæa statim R. ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum egressa M. *a* à finibus illis intravit & clamavit M. dicens ei. Miserere mei Domine Fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes Discipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait. Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël. At illa venit & adoravit eum & procidit R. ad pedes ejus. Erat enim
A mulier gentilis Syrophenissa genere, & rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus dicens. M. Domine adjuva me. Qui respondens ait. Sine R. M. priùs saturari filios. Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus. At illa respondit & dixit illi: etiam M Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum, & comedunt R. de micis sub mensa puerorum. Tunc M. respondens Jesus ait illi. O mulier magna est Fides tua, fiat tibi sicut vis, propter R. hunc sermonem vade, exiit dæmonium de filia tua, & sanata M. est filia ejus ex illa hora: & R. cum abjisset domum suam invenit puellam jacentem super lectum & dæmonium exisse.

a Videtur R. dicere quòd Christus sanaverit in domo filiam,
B sed contextus iste concordat eum cum Matthæo.

De surdo & muto sanato: & multis aliis. Matth. 18. *R.* 7.

CAPUT LXIX.

ET R. iterùm exiens de finibus Tyri venit per Sydonem secus M. mare Galilææ inter R. medios fines Decapoleos, & adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum, & imponens illi manum & apprehendens eum de turba seorsùm, misit digitos suos in auriculas ejus & expuens tetigit linguam ejus. Et suspiciens in cœlum ingemuit & ait. Ephpheta, quod est adaperire, & statim loquebatur rectè, & præcepit eis, ne cui dicerent: quantò autem eis præcipiebat tantò magis plus prædicabant, & de eo ampliùs admirabantur dicentes: Benè omnia fecit, & surdos fecit audire & mutos loqui. Et M. ascendens in mon-
C tem sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ habentes secum mutos & claudos, debiles, cæcos, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus & curavit eos; ita ut turbæ admirarentur videntes mutos loquentes & claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant Deum Israel.

De secunda refectione turbæ ex septem panibus & paucis piscibus. M. 15. R. 8.

CAPUT LXX.

IN diebus R. illis. Cùm turba multa esset cum Jesu nec haberent quod manducarent, convocatis Discipulis suis ait illis. Misereor super turbam, quia ecce jam triduò sustinent me & perseverant M. mecum, nec habent quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via, & R. si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via, quidam enim ex eis de longè venerunt: responderunt ei Dis-
D cipuli, unde illos poterit quis saturare panibus in solitudine? unde M. nobis panes in deserto tantos, ut saturemus turbam tantam? Et R. interrogabat eos, quot panes habetis? qui dixerunt, septem, & paucos M. pisciculos. Et præcepit turbæ ut discumberent super terram, & R. accipiens M. septem panes & pisces, gratias agens fregit & dabat Discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ & dederunt M. populo, & habebant pisciculos paucos & ipsos benedixit, & jussit apponi. Et mauducaverunt omnes M. & saturati sunt. Et sustulerunt R. quod superaverat de fragmentis septem sportas plenas. Erant autem

tem qui manducaverant R. quasi quatuor millia hominum, extra M. parvulos & mulieres & demisit R. eos, & dimissâ M. turbâ ascendit in naviculam R. cum Discipulis suis, & venit L. in fines Magedon partes R. Dalmanutha.

De Judæis iterum petentibus signum de Cœlo & de fermento Pharisæorum cavendo M. 16. R. 8.

CAPUT. LXXI.

ET exierunt R. & accesserunt M. ad eum Pharisæi & Saducæi tentantes ut rogarent eum & R. cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab eo ut M. signum de cœlo ostenderet. At ille respondens ait illis. Facto vespere dicitis; serenum erit, rubicundum est enim cœlum: & manè, hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis: Signa autem temporum non potestis. Et ingemiscens R. spiritu ait. Quid generatio ista signum quærit! Generatio M. mala & adultera signum quærit. Amen R. dico vobis. Non dabitur generationi huic nisi M. signum Jonæ Prophetæ. Et relictis illis ascendit in navem, & abiit trans fretum, & cùm venissent Discipuli ejus trans fretum obliti sunt panes recipere, & R. nisi unum panem non habebant secum in navi. Et præcipiebat eis dicens. Intuemini M. R. & cavete à fermento Pharisæorum & Saducæorum, & fermento R. Herodis. At M. illi cogitabant intra se dicentes, quia panes non accepimus. Quo R. cognito, ait illis Jesus: quid M. cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? nondum R. cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes & non videtis, & aures habentes non auditis. Nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque millia hominum M & quot cophinos fragmentorum R. plenos tulistis? Dicunt ei duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia hominum M. & quot R sportas fragmentorum tulistis? Dicunt ei septem & dicebat eis, quomodò nondum intelligitis, quia M. non de pane dixi vobis? Cavete à fermento Pharisæorum & Saducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducæorum.

De cæco sanato, qui videbat homines velut arbores ambulantes M. 8.

CAPUT. LXXII.

ET veniunt Bethsaïda, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret, & apprehensa manu cæci eduxit eum extra vicum & exspuens in oculos ejus impositis manibus suis interrogavit eum si quid videret, & aspiciens ait. Video homines velut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus & cœpit videre, & restitutus est ita ut clarè videret omnia, & misit illum in domum suam, dicens. Vade in domum tuam. Et si in vicum introieris nemini dixeris.

De interrogatione Christi: Quem me dicunt homines esse? M. 16. R. 8. L. 9.

CAPUT LXXIII.

ET ingressus R. est Jesus & Discipuli ejus in castella. Venit autem in partes Cæsaraæ Philippi. Et factum L. est cùm solus esset orans & Discipuli ejus cum eo, & R. in via: M. interrogabat Discipulos suos dicens. Quem R. dicunt homines esse Filium hominis. Quem: L. me esse dicunt turbæ? Qui responderunt illi dicentes. Alii M. Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, alii R. quasi unum de Prophetis, alii L. quia Propheta unus de prioribus surrexit. Tunc R. dixit illis Jesus. Vos M. autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus di-
A xit. Tu es Christus filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei. Beatus Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis. At L. ille increpans eos comminatus R. est eis & præcepit M. Discipulis ut nemini dicerent de R. illo quod ipse esset Christus. Exinde cœpit Jesus docere. R. eos & ostendere M. Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam & multa pati, & R. reprobari L. à R. summis Sacerdotibus, à Scribis M. & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere, &
B R. palam verbum loquebatur, & assumens M. eum Petrus cœpit illum increpare dicens. Absit à te. Non erit tibi hoc: qui R. conversus videns Discipulos comminatus est Petro dicens. Vade retro post M. me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

De Cruce bajulanda post Christum M. 16. R. 8. Et consonat L. infra 14. & L. 9.

CAPUT. LXXIV.

ET vocatâ R. turbâ cum Discipulis suis dicebat ad omnes. Si quis vult post me venire, & R me sequi, abneget M. L. semetipsum, & tollat Crucem suam M. R. L. quotidiè & sequatur me. Qui M. enim voluerit L. animam suam salvam facere perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam & inveniet M. eam. Quid enim prodest homini si universum mun-
C dum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, semetipsum L. perdat & detrimentum sui faciat? Aut M. R. quam dabit homo commutationem pro anima sua. Filius M. enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera sua. Qui R. enim me confessus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice, filius hominis confitebitur eum cùm venerit in gloria Patris sui cum Angelis suis. Nam L. qui erubuerit me & sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, & Patris & Sanctorum Angelorum. Et R. dicebat L. illis. Amen verè L. dico vobis. Sunt M. quidam R. L. de hîc stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum R. Dei venientis in virtute, filium M. hominis venientem in regno Patris sui.

De Transfiguratione Domini. M. 17. R 9. L. 9.

CAPUT LXXV.

D a FACTUM L. est autem post hæc verba ferè dies octo, post M. dies R. sex. Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum & Joannem fratrem ejus & duxit illos in montem excelsum seorsum solos R. ut oraret, L. & transfiguratus M. est ante illos. Et L. facta est, dum oraret, species vultus ejus altera, & resplenduit M. facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba & candida, splendida R. nimis velut nix, & qualia fullo non potest candida facere super terram. Et M. ecce duo L. viri apparuerunt M. eis Moyses & Elias cum eo loquentes visi L. in majestate, & dicebant excessum

a Regula Ticonii de temporibus hîc habet locum. Marcus enim non nominat primum & ultimum diem; quia fuerunt imperfecti.

excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem. Petrus verò & qui cum illo erant gravati erant somno. Et evigilantes viderunt Majestatem ejus, & duos viros qui stabant cum illo: & factum est dùm descenderent ab illo, respondens M. Petrus dixit ad Jesum. Domine præceptor L. Rabbi R. bonum est M.R. nos A L. hîc esse: si vis M. faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum. Non R. enim sciebat quid diceret. Erant enim timore exterriti. Adhuc L. autem illo loquente, ecce M. nubes lucida obumbravit eos & timuerunt L. Illis in nubem intrantibus, & M. ecce venit vox R. de nube dicens. Hic est Filius meus dilectus M. charissimus R. in quo M. mihi benè placui, ipsum audite. Et audientes Discipuli ejus ceciderunt in faciem suam & timuerunt valdè, & accessit Jesus & tetigit eos, dixitque eis. Surgite, nolite timere, & L. dùm fieret vox levantes M. oculos & circumspicientes R. neminem M. viderunt ampliùs R. nisi Jesum tantùm secum & inventus L. est Jesus solus. Et M. descendentibus L. illis de monte præcepit illis Jesus dicens. Nemini dixeritis visionem donec Filius hominis à morte resurgat, & R. verbum continuerunt apud se conquirentes quid esset cùm à mortuis resurrexerit. Et tacuerunt L. ipsi, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex illis quæ viderant. Et intetrogaverunt M. eum Discipuli ejus & dicebant. Quid ergo dicunt Scribæ & Pharisæi R. quia Eliam oportet venire primum. Qui respondens B ait illis: Elias M. quidem venturus est. Dum venerit R. primò restituet omnia, & quomodò scriptum est in Filium hominis ut multa patiatur & contemnatur. Dico M. autem vobis, quia Elias jam venit & non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt, sicut R. scriptum est de eo, sic M. & Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.

De spiritu muto quem non potuerunt curare Discipuli Christi. M. 17. R. 9. L. 9.

CAPUT LXXVI.

FACTUM L. est autem in sequenti die descendentibus illis de monte & veniens R. ad Discipulos suos, occurrit illis turba multa, & R. vidit turbam magnam circa eos & Scribas conquirentes cum illis, & confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est & expaverunt, & M. cum venisset ad turbam C accurrentes R. salutabant eum & interogavit eos. Quid inter vos conquiritis? Et L. ecce respondens R. vir L. unus R. de turba, accessit M. ad eum genibus provolutus ante eum exclamauit L. dicens. Magister R. attuli ad te filium meum hùc habentem spiritum mutum, qui ubicunque apprehenderit eum illidit eum, & spumat & stridet dentibus & arescit. Domine M. miserere filio meo, quia lunicatus est & malè patitur. Nam sæpe cadit in ignem & crebrò in aquam. Magister L. obsecro respice filium meum, quia unicus mihi est. Et ecce spiritus apprehendit illum, & subitò clamat & elidit & dissipat eum cum spumat, & vix discedit dilanians eum & obtuli M. eum Discipulis tuis rogavi, L. & dixi R. ut ejicerent eum, & non potuerunt curare M. eum. Respondens Jesus ait. O generatio incredula, D infidelis L. & perversa, usquequò ero apud vos & vobiscum? M. quamdiu vos. R. patiar? Afferte M. hùc illum ad me, adduc L. hùc filium tuum. Et R. attulerunt eum, & L. cùm accederet & vidisset R. illum statim spiritus turbavit illum & elisit L. eum dæmonium & dissipavit, & R. elisus in terram volutabatur spumans: & interrogavit Patrem ejus quantùm temporis est, ex quo ei hoc accidit. Et dixit ille. Ab infantia, & frequenter eum in ignem & in aquam misit ut eum perderet, sed & si quid potes adjuva nos misertus nostri: Jesus autem ait illi. Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti, & continuò exclamans Pater cum lachrymis aiebat. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Et cùm vidisset Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo & increpavit M. L. eum Jesus dicens R. surde & mute spiritus. Ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum, & exclamans & multùm discerpens eum, exiit ab eo dæmonium M. & factus R. est sicut mortuus ut multi dicerent, quia mortuus esset. Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum & surrexit, & curatus M. est puer, in illa hora sanavit L. puerum, & reddidit illum Patri suo. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei, omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat dixit ad Discipulos suos. Ponite in cordibus vestris sermones istos. Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum, & R. cùm introissent domum Discipuli ejus accesserunt M. ad eum secretò & dixerunt ei. Quare nos non potuimus curare eum? Dixit illis Jesus propter incredulitatem vestram. Amen dico vobis: si habueritis Fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hinc & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc R. autem genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.

De Scenopegia & prædicatione Passionis Christi. M. 17. R. 9. L. 9. J. 7.

CAPUT LXXVII.

ET R. inde profecti prætergrediebantur, & J. ambulabat post hoc Jesus in Galilæam, nec R. volebat quemquam scire. Non J. enim volebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi interficere. Erat enim in proximo dies Festus Judæorum Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres ejus. Transi hinc & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant opera quæ tu facis. Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipse in palam esse, si hoc facis manifesta teipsum mundo. Nec enim fratres ejus credebant in eum. Dixit ergo eis Jesus. Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt. Vos ascendite ad diem Festum hunc, ego autem non ascendam ad diem Festum istum, quia tempus meum nondum impletum est. Hæc cùm dixisset ipse mansit in Galilæa. M. Conversantibus autem eis in Galilæa R. docebat Discipulos suos, & dixit illis Jesus. L. Ponite vos in cordibus vestris sermones istos M. R. L. Filius hominis tradendus est in manus hominum & occident eum, & occisus R. tertia die resurget, at L. illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud, & L. timebant R. eum interrogare de hoc verbo, & contristati M. sunt vehementer. Ut J. autem ascenderunt fratres ejus tunc & ipse ascendit ad diem Festum non manifestè, sed quasi in occulto. Judæi ergo quærebant eum in die Festo & dicebant. Ubi est ille? & murmur multum erat de illo in turba. Quidam enim dicebant, quia bonus est. Alii autem dicebant, non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de eo propter metum Judæorum. Jam autem die Festo mediante ascendit Jesus in templum & docebat & mirabantur Judæi, dicentes. Quomodò hic litteras scit cum non didicerit? Respondit eis Jesus & dixit. Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit: an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, & injustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis Legem, & nemo ex vobis facit Legem? Quid me quæritis interficere? Respondit ei turba & dixit: dæmonium habes, quis te quærit interficere? Respondit Jesus & dixit

dixit. Unum opus feci & omnes miramini: propterea Moyses dedit vobis circuncisionem, non quia ex Moyse est sed ex Patribus, & in Sabbato circumciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in Sabbato ut non solvatur lex Moysi, mihi cur indignamini? quia totum hominem sanum feci in Sabbato. Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis. Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognoverunt Principes quia hic est Christus: sed scimus hunc unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. Clamabat ergo docens in Templo Jesus & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis, & à meipso non veni, sed est verus qui misit me quem vos nescitis. Ego scio eum, & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. De turba autem multi crediderunt in eum & dicebant: Christus cum venerit nunquid plura signa faciet, quam quæ hic facit? Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc. Et miserunt Pharisæi & Principes ministros ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis Jesus. Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me, quæretis me & non invenietis, & ubi ego sum, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Judæi ad seipsos. Quò hic iturus est, quia non inveniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit? Quæretis me & non invenietis, & ubi sum ego, vos non potestis venire. In novissimo autem die magno Festivitatis stabat Jesus & clamabat, dicens. Si quis sitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me (sicut dicit Scriptura) flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant. Hic est verè Propheta. Alii dicebant. Hic est Christus. Quidam autem dicebant. Nunquid à Galilæa Christus venit? Nonne Scriptura dicit, quia ex semine David & de Bethleem castello ubi erat David venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super illum manus. Venerunt ergo ministri ad Pontifices & Pharisæos, & dixerunt eis illi. Quare non adduxistis eum? Responderunt isti. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur. Responderunt ergo eis Pharisæi. Nunquid & vos seducti estis? Nunquid aliquis ex Principibus & Pharisæis credidit in eum? sed turba hæc quæ non novit legem maledicti sunt. [a] Dixit Nichodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis. Nunquid lex nostra judicat hominem: nisi audierit ab ipso priùs & cognoverit quid faciat? Responderunt & dixerunt ei. Nunquid & Galilæus es? Scrutare Scripturas & vide quia Propheta à Galilæa non surgit. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

[a] Nota quòd Nichodemus jam venerat.

De muliere deprehensa in adulterio. Jo. 8.

CAPUT LXXVIII.

JEsus autem perrexit in montem Oliveti & diluculo iterum venit in Templum: & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio & dixerunt ei. Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio. In Lege autem mandavit nobis Dominus hujusmodi lapidare: tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsùm, digito scribebat in terra. Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se & dixit eis. Qui sine peccato vestrum est, primus in illam lapidem mittat. Et iterùm se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, unus post unum exibant, incipientes à senioribus, & remansit solus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Jesus dixit ei. Mulier ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit. Nemo Domine. Dixit autem Jesus. Nec ego te condemnabo, vade & jam amplius noli peccare.

De verbis Christi in Gazophilacio. J. 8.

CAPUT LXXIX.

ITERUM ergo locutus est eis Jesus dicens. Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi. Tu de te testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Respondit Jesus & dixit eis. Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum, quia scio unde venio & quò vado, vos autem nescitis unde veni aut quò vado. Vos secundùm carnem judicatis, ego autem non judico quemquam, & si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater, & in Lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater. Dicebant ergo ei. Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus. Neque me scitis neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est in Gazophylacio docens in Templo, & nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus.

De alio Sermone Christi propter quem voluerunt Judæi eum lapidare. J. 8.

CAPUT LXXX.

DIXIT ergo iterum eis. Ego vado & quæretis me, & in peccato vestro moriemini, quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Judæi. Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis. Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de mundo hoc. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non crederitis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dixerunt ergo ei. Tu quis es? Dixit eis Jesus. Principium & qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & judicare, sed qui me misit verax est, & ego quæ audivi ab eo hæc loquor mundo, & non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. Dixit ergo eis Jesus. Cùm exaltaveritis Filium hominis tunc cognoscetis quia ego ipse sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor: & qui misit me mecum est, & non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei facio semper. Hæc illo loquente multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei Judæos. Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei. Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam: quomodò tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Jesus. Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum servus est peccati, servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo Filius vos liberaverit, verè liberi eritis: scio quia filii Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem loquor, & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum facitis. Responderunt & dixerunt ei. Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum,

sum, quam audivi à Deo, hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera Patris vestri. Dixerunt ergo ei. Nos ex fornicatione non sumus nati, unum Patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Jesus. Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi & veni, neque enim à meipso veni, sed ille me misit: quare loquelam meam non cognoscitis, quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & Pater ejus. Ego autem quia veritatem dico non creditis mihi. Quis ex vobis arguet A me de peccato? Si veritatem dico quare non creditis mihi. Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Judæi & dixerunt ei. Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, dæmonium habes? Respondit Jesus & dixit: ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Judæi. Nunc cognovimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ, & tu dicis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum. Nunquid tu major es Patre nostro Abraham qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, quem tu teipsum facis? Respondit Jesus. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, & non cognovistis eum, ego autem novi eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax, sed scio eum & sermonem ejus servo. Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est. Dixerunt ergo Judæi ad eum. Quinquaginta Annos nondum habes & Abraham vidisti? Dixit ergo eis. Amen amen dico vobis: antequam Abraham fieret ego sum. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se & exivit de templo.

De Cæco nato. J. 9.

CAPUT LXXXI.

Et præteriens vidit hominem cæcum à nativitate. Et interrogaverunt eum Discipuli sui. Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes ejus ut cæcus nasceretur? C Respondit Jesus. Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera ejus qui misit me donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari, quamdiù sum in mundo, lux sum mundi. Hoc cùm dixisset expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei. Vade & lava in natatoria Syloë, quod interpretatur missus. Abiit ergo & lavit & venit videns. Itaque vicini & qui viderant eum priùs, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alii dicebant, quia hic est. Alii autem nequaquam: sed similis ejus est. Ille verò dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei. Quomodò aperti sunt tibi oculi? Respondit: Ille homo qui dicitur Jesus lutum fecit & unxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatoria Syloë & lava, & abii & lavi, & video. Dixerunt ei. Ubi est ille? Ait, nescio. Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem Sabbatum quando lutum fecit Jesus, & aperuit oculos ejus. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodò vidisset. Ille autem dixit eis. Lutum posuit mihi super oculos & lavi & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam. Non est hic homo à Deo qui Sabbatum non custodit. Alii dicebant. Quomodò potest homo peccator hæc signa facere? & schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum. Tu quid dicis de eo qui aperuit tibi oculos tuos? Ille autem dixit, quia Propheta est. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus qui viderat, & interrogaverunt eos dicentes. Hic filius vester est quem vos dicitis quia cæcus natus est, quomodò ergo nunc videt? Responderunt ergo eis parentes ejus & dixerunt. Scimus quia hic est filius noster & quia cæcus natus est: quomodò autem nunc videat, nescimus, aut quis aperuit oculos ejus, nos nescimus, ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes ejus quia timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret, propterea parentes ejus dixerunt, ætatem habet ipsum interrogate. Vocaverunt ergo rursùm hominem qui cæcus fuerat, & dixerunt ei. Da gloriam Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille. Si peccator est, nescio. Unum scio: quia cum cæcus essem, modò video. Dixerunt ergo illi. Quid fecit tibi: quomodò aperuit tibi oculos? Respondit eis. Dixi vobis jam & audistis. Quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis Discipuli ejus fieri? Maledixerunt ei & dixerunt: tu Discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus. Hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo, & dixit eis. In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est & voluntatem ejus facit; hunc Deus exaudit. A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati: nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Responderunt & dixerunt ei. In peccatis B natus es totus & tu doces nos, & ejecerunt eum foras. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras, & cùm invenisset eum dixit ei. Tu credis in Filium Dei? Respondit & dixit: quis est Domine ut credam in eum. Dixit ei Jesus. Et vidisti eum & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait. Credo Domine, & procidens adoravit eum. Et dixit ei Jesus. In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant, & audierunt ex Pharisæis qui cum ipso erant & dixerunt ei. Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Jesus. Si cæci essetis non haberetis peccatum. Nunc verò quia dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.

De Sermone Christi: Ego sum Pastor bonus. J. 10.

CAPUT LXXXII.

Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium: sed ascendit aliundè, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, hic pastor est ovium: huic ostiarius aperit & oves vocem ejus audiunt & proprias oves vocat nominatim & educit eas, & cùm proprias oves emiserit, vadit ante eas & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen amen dico vobis, quia Ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur: & ingredietur & egredietur & pascua inveniet. Fur autem non venit nisi ut furetur & mactet & perdat. Ego veni ut vitam habeant & abundantiùs habeant. Ego sum Pastor bonus, bonus pastor dat animam suam pro oviD bus suis; Mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit, & lupus rapit & dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater & ego cognosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Pastor, propterea me Pater diligit: quia ego pono animam meam,

meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. Dissentio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex his: Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Alii dicebant, hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

De solutione didragmatis. M. 17. R. 9.

CAPUT LXXXIII.

ET R. venerunt Capharnaum M. & cum venissent Capharnaum accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum & dixerunt ei. Magister vester non solvit didragma? Et ait. Etiam. Et cùm intrasset in domum, prævenit eum Jesus: dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt Tributum vel Censum; a filiis suis an ab alienis? Et ille dixit. Ab alienis. Et dixit ei Jesus. Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos. Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.

De contentione Discipulorum, quis eorum videtur esse major, & de doctrina Christi. M. 18. R. 9. L. 9.

CAPUT LXXXIV.

IN illa M. hora intravit L. in eos cogitatio, quis eorum videretur esse major. At Jesus videns cogitationes cordis eorum, cum R. domi esset interrogabat eos, quid in via tractabatis? At illi tacebant. Si quidem in via inter se disputaverant quis esset illorum major. Accesserunt M. Discipuli ad Jesum dicentes. Quis putas major est in regno cœlorum; Et R. residens vocavit duodecim, & ait illis. Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus & omnium minister. Et M. advocans Jesus parvulum accipiens R. apprehendit L. & statuit M. eum secus se in medio M. eorum. Quem R. cùm C complexus esset, ait illis. Amen M. dico vobis. Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Et R. quicunque me susceperit, non solum me suscipit, sed eum qui misit me. Nam qui minor L. est inter vos omnes hic major est. Qui M. autem scandalizaverit unum de pusillis istis minimis qui in me credunt, expedit ei, bonum R. est ei magis, ut M. suspendatur mola asinaria in collo ejus & demargatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. Si M. autem R. manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te. Bonum R. est tibi debilem vel claudum M. introire in vitam, quàm duas manus vel duos. M. pedes habentem mitti & ire in gehennam, ignem M. æternum inextinguibilem R. ubi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Et si pes tuus scandalizat te, amputa illum, bonum est tibi claudum intrare D in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur: & ignis non extinguitur. Et M. si oculus tuus scandalizat te: erue eum & projice abs te. Bonum R. est tibi lusco cum M. uno oculo vitam intrare, regnum R. Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. Bonum est sal, quod si sal insulsum fuerit in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Videte M. ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est, venit enim filius hominis salvare quod perierat. Quid vobis videtur. Si fuerint alicui centum oves & eraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in deserto, & vadit quærere eam quæ erraverat. Et si contigerit ut inveniat eam. Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quàm super nonaginta novem quæ non erraverunt.
A Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

De correptione fraterna. M. 19. R. 10. L. 12.

CAPUT LXXXV.

ATTENDITE vobis: si M. autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe, increpa L. illum inter M. te & ipsum solum. Si audierit te & pœnitentiam L. egerit: dimitte illi, lucratus M. es fratrem tuum. Et L. si septies in die peccaverit in te, & septies in die ad te conversus fuerit dicens, pœnitet me.: dimitte illi. Si M. autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum testium vel trium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic
B Ecclesiæ. Si autem & Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terrram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint. fiet illis à Patre meo qui in cœlis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit. Domine, quotiens peccabit in me frater meus & dimittam illi: usque septies: Dixit illi Jesus: non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

De servo nequam, cui omne debitum dimissum fuerat M. 18.

CAPUT LXXXVI.

IDEO assimilatum est regnum cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem milia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus venundari, & uxorem ejus & filios & omnia quæ habebat & reddi. Procidens autem servus ille rogabat eum dicens. Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit & misit eum in carcerem donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè, & venerunt & narraverunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum Dominus suus & ait illi. Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui sicut & ego tui misertus sum. Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus; quoadusque redderet universum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

De illo qui ejiciebat dæmonia, & non sequebatur Christum. R. 9. L. 9.

CAPUT LXXXVII.

RESPONDENS L. autem illi M. Joannes dixit. Præceptor L. Magister R vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur te nobiscum. Et ait ad illos Jesus. Nolite prohibere. Nemo est qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. Qui R. L. enim non est adversùm vos, pro vobis est. Quisquis: R. vobis potum dederit calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

De adventu Christi in fines Judææ, & quod Discipuli non timeant eos qui occidunt corpus: Nec vult Christus dividere hereditatem. M. 18. *& supra* 10. R. 10. L. 12.

CAPUT LXXXVIII.

ET M. factum L. est cum consummasset sermones istos Jesus, inde exurgens migravit M. à Galilæa & venit in fines Judææ trans Jordanem & secutæ sunt eum turbæ multæ. Et convenerunt R. iterum turbæ ad eum & curavit M. eas ibi, & L. sicut consueverat iterum docebat eos. Multis autem turbis circunstantibus ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad Discipulos suos. Attendite à fermento Pharisæorum: quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur: quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aure locuti estis, in cubilibus, prædicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus: & post hoc non habent ampliùs quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita vobis dico, hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt asse M. dipondio L. & unus ex illis non est in oblivione coram Deo: non M. cadit R. in terram sine Patris vestri voluntate? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores M. pluris L. estis vos. Dico L. autem M. vobis, quicunque me confessus fuerit coram hominibus, & Filius hominis confitebitur eum coram Angelis Dei, qui autem negaverit me coram hominibus denegabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: si autem in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur ei. Cum autem inducent vos in Synagogas & Magistratus & Potestates, nolite soliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis, Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere. Ait autem illi quidam de turba. Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem. Et dixit ei: homo quis me constituit Judicem & divisorem super vos. Dixitque ad illos: Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet.

De divite habente fructuum abundantiam: & ne Discipuli solliciti sint. L. 12.

CAPUT LXXXIX.

DIXIT autem similitudinem ad illos dicens. Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se dicens. Quid faciam quòd non habeo quò congregem fructus meos? a Et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea; & dicam: anima mea habes multa bona posita in Annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit A autem illi Deus. Stulte hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti cujus erunt? Sic est qui sibi thezaurisat: & non est in Deum dives. Dixitque ad Discipulos suos. Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori vestro quid induamini: anima enim plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum. Considerate corvos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum & Deus pascit illos: quantò magis vos estis pluris illis? quis autem vestrûm cogitans potest ad staturam suam adjicere cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt: non laborant neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fœnum quod hodie in agro est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. B Veruntamen primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro vobis dare regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quò fur non appropiat neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Dicebat autem ad turbas. Cùm videritis nubem orientem ab Occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit. Et cùm Austrum flantem dicitis quia estus erit & ita fit. Hypocritæ faciem cœli & terræ nostis probare. Hoc autem tempus quomodò non probatis? Quid autem & à vobismetipsis non judicatis quod justum est? Cùm autem vadis cum adversario ad Principem in via: da operam liberari ab illo: ne fortè trahat te ad Judicem, & Judex tradat te exactori: & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, quia non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

a Multa quæ hîc ponuntur, posita sunt supra sententialiter vel etiam in verbis in sermone in monte.

De Galilæis occisis & de ficulnea. Luc. 13.

CAPUT XC.

C ADERANT autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Et respondens dixit illis. Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed si pœnitentiam non egeritis, similiter omnes peribitis. Sicut & illi octodecim super quos cecidit turris in Syloë & occidit eos. Putatis quia & ipsi debitores fuerunt præter omnes homines habitantes in Jerusalem? Non, dico vobis, sed si non pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Dicebat autem hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens D fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ. Ecce Anni tres sunt ex quo veni quærens fructum in ficulnea hac & non invenio. Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi. Domine dimitte illam & hoc Anno, usque dum fodiam circa illam & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

De

De muliere incurvata. Luc. XIII.

CAPUT XCI.

ERAT autem in Synagoga eorum docens Sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis Annis decem & octo, & erat inclinata: nec omninò poterat sursum respicere. Quam cùm videret Jesus, vocavit ad se & ait illi. Mulier, dimissa es ab infirmitate tua & imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem Archisynagogus, indignans quia Sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ. Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo venite & curamini, & non in die Sabbati. Respondit autem ad illum Dominus & dixit: Hypocritæ unusquisque vestrûm Sabbato non solvit bovem suum aut asinum à præsepio & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit sathanas, ecce decem & octo Annis non oportuit solvi à vinculo isto in die Sabbati: Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus, & omnis populus gaudebat in universis quæ gloriosè fiebant ab eo.

De interrogatione Judæorum: an liceat uxorem dimittere. M. 19. R. 10. L. 16.

CAPUT XCII.

ET. M. accesserunt Pharisæi tentantes eum atque dicentes: Si licet homini dimittere uxorem quacumque ex causa? At R. ille respondens ait. Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt. Moyses permisit Libellum repudii, scribere & dimittere. Qui M. respondens ait illis. Non legistis quia qui fecit hominem ab initio creaturæ R. masculum M. R. & feminam fecit eos Deus. Et dixit, propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem & adhærebit uxori C suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit: homo non separet. Dicunt R. illi. Quid M. ergo Moyses mandavit dari Libellum repudii & dimittere? quibus respondens Jesus ait illis: Quoniam M. R. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, & scripsit vobis præceptum istud. Ab initio M. autem non fuit sic. Et R. in domo iterum Discipuli ejus interrogaverunt eum. Et ait illis. Dico M. autem vobis, quia M. R. quicunque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mœchatur: & R. adulterium committit super eam, & R. qui L. dimissam à L. viro duxerit, mœchatur. Et si uxor dimiserit virum suum & alii nupserit, mœchatur. Dicunt M. ei Discipuli ejus. Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de Matris utero sic nati sunt, & sunt eunu- D chi qui facti sunt ab hominibus, & facti sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum, qui potest capere capiat.

De parvulis oblatis. M. 19. R. 10. L. 18.

CAPUT XCIII.

TUNC M. oblati R. sunt ei parvuli infantes L. ut tangeret L. eos & manus M. imponeret & oraret. Quod L. cum viderent Discipuli increpabant L. M. illos, & comminabantur R. offerentibus. Quos cùm vidisset, indignè tulit: Jesus L. autem convocans illos dixit M. eis R. Sinite M. R. L. parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium est enim regnum cælorum R. & Dei. Amen dico vobis, quisquis non acceperit regnum Dei ut A puer, non intrabit in illud. Et complexans illos, & imponens manus super eos benedicebat illos, & M. cùm imposuit eis manus, abiit inde.

De filio prodigo. L. 15.

CAPUT XCIV.

ERANT autem appropinquantes ei publicani & peccatores ut audirent illum: Et murmurabant Scribæ & Pharisæi dicentes. Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam dicens. Quis ex vobis homo qui habet centum oves, & si perdiderit unam ex illis: nonne B dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat donec inveniet illam? Et cum invenerit illam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Dico vobis quòd ita erit gaudium in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentiâ. Aut quæ mulier habens dragmas decem, & si perdiderit dragmam unam, nonne accendit lucernam & everrit domum & quærit diligenter donec inveniet eam? Et cùm invenerit, convocat amicos & vicinos dicens: congratulamini mihi, quia inveni dragmam quam perdideram. Ita dico vobis gaudium erit Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Ait autem. Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis Patri. Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregrè pro- C fectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè: & postquam omnia consumpsisset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, & abiit & adhæsit uni civium regionis illius, & misit illum in villam suam ut pasceret porcos. Et cupiebat ventrem suum implere de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In se autem reversus dixit. Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, & ego hîc fame pereo, surgam & ibo ad Patrem meum & dicam illi. Pater, peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis, & surgens venit ad Patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater suus & misericordiâ motus est, & occurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Dixitque ei filius. Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem Pater ad servos suos. Citò proferte stolam D primam & induite illum, & date annulum in manu ejus, & calciamenta in pedes ejus, & adducite vitulum saginatum & occidite & manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat & revixit, perierat & inventus est: & cœperunt epulari. Erat autem filius ejus senior in agro. Et cum veniret & appropinquaret domui, & audivit symphoniam & chorum, vocavit unum de servis & interrogavit quæ hæc essent. Isque dixit illi. Frater tuus venit & occidit Pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. Indignatus est autem & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens Patri suo dixit: ecce tot Annis servio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer; sed postquam hic filius tuus qui devoravit

vit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti ei vitulum saginatum. At ipse dixit illi. Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & revixit, perierat & inventus est.

De adolescente quærente, quid faciendo vitam æternam possideret. M. 19. R. 10. L. 18.

A

CAPUT. XCV.

ABIIT M. inde Jesus: & R. cùm ingressus esset in via. Et ecce M. unus Princeps R. præcurrens R. accedens M. genu R. flexo ante eum, interrogabat L. & rogabat R. illum dicens. Magister M. bone R. quid L. boni M. faciendo L. vitam æternam possidebo? Dixit ei Jesus. Quid M. me interrogas de bono: Unus est bonus Deus, nemo R. L. bonus nisi solus Deus. Si M. autem vis ad vitam ingredi, serva Mandata. Præcepta R. L. nosti? Dixit M. illi. Quæ? Jesus autem dixit illi. Non M. homicidium R. L. facies. Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Ne R. fraudem feceris. Honora M. R. L. Patrem tuum, & Matrem tuam. Diliges M. proximum tuum sicut teipsum. Dixit illi adolescens. Hæc M. omnia R. custodivi L. à juventute mea. Quid M. adhuc mihi deest? Jesus R. autem intuitus est eum, & dilexit eum. Quo L. audito. Jesus ait. Adhuc unum tibi deest. Si vis M. perfectus esse, vade & M. vende R. L. omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni & sequere me. Cùm M. autem audisset adolescens verbum, contristatus in verbo abiit M. R. tristis M. & mœrens R. Erat M. R. enim habens multas possessiones & dives L. valde. Videns autem Jesus tristem factum, ait Discipulis M. suis R. quàm R. L. difficile qui pecuniam habent, in regnum Dei intrabunt. Amen M. dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Discipuli R. autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursùs respondens ait illis: Filioli quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Et iterum M. dico vobis facilius M. R. L. est camelum per foramen acus transire quam divitem in regnum cœlorum R. in regnum L. Dei. Auditis M. autem his Discipuli, mirabantur valde. Quidam R. qui L. hoc audiebant, magis admirabantur dicentes, M. R. L. ad seipsos R. & L. quis M. potest salvus fieri. Et intuens R. M. illos Jesus ait illis. Apud M. homines hoc impossibile est, sed apud Deum omnia possibilia sunt: quæ L. impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

B

C

De interrogatione Petri. Ecce nos reliquimus omnia: quid ergo erit nobis? M. 19. R. 10 L. 18.

CAPUT XCVI.

TUNC M. respondens Petrus, cœpit R. ei dicere. Ecce M. nos R. reliquimus M. omnia & secuti sumus te, quid M. ergo erit nobis? Respondens R. Jesus ait eis: L. amen M. dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in generatione cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ: sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim Tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum R. L. vel fratres aut sorores aut Patrem aut Matrem aut uxorem aut filios, aut M agros R. L. propter M. nomen meum, propter R. me & propter Evangelium & L. propter regnum Dei, centuplum M. accipiet, multò L. plura nunc R. in hoc L. tempore domos, fratres & sorores,& se & Matrem & filios & agros cum persecutionibus, & R. in seculo futuro vitam æternam possidebit M. Multi autem primi erunt novissimi, & novissimi primi.

D

De operariis in vineam missis. M. 20.

CAPUT XCVII.

SIMILE est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis. Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa horam sextam & nonam, & fecit similiter. Circa undecimam verò exiit & invenit alios stantes, & dicit illis. Quid hîc statis tota die otiosi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant: acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt quòd plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversùs Patrem familias dicentes: Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei & æstûs. At ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est & vade. Volo autem & huic novissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est: quia ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi sunt enim vocati, pauci verò electi.

De interrogatione facta Christo, si pauci fiant salvi? & quòd Herodes quærat eum occidere. Lucæ 13.

CAPUT XCVIII.

ET ibat per civitates & castella docens & iter faciens in Jerusalem. Ait autem illi quidam: Domine si pauci sunt qui salvantur? ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt. Cùm autem intraverit Paterfamilias & clauserit ostium, incipietis foris stare & pulsare dicentes: Domine aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis. Tunc incipietis dicere, manducavimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti; & dicet vobis: nescio vos unde sitis. Discedite à me omnes operarii iniquitatis, ibi erit fletus & stridor dentium, cùm videritis Abraham & Isaac & Jacob & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras, & venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei. Et ecce sunt novissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant novissimi. In ipsa autem die accesserunt quidam Pharisæorum dicentes illi? Exi & vade hinc. Herodes vult te occidere. Et ait illis. Ite & dicite vulpi illi. Ecce ejicio demonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Jerusalem.

De

De hydropico sanato & de exhortatione Christi ad humilitatem. L. XIV.

CAPUT. XCIX.

ET factum est cum intraret in domum cujusdam principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos dicens: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanavit eum ac dimisit. Et respondens ad illos dixit. Cujus vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad hoc respondere illi. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos: cum invitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco: ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo, & veniens qui te & illum vocavit dicat tibi: da huic locum, & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade & recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi: amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.

De vocandis pauperibus ad convivium, & parabola de cena magna. Luc XIV.

CAPUT C.

DICEBAT autem & ei qui se invitaverat. Cùm facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne fortè & ipsi te reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Hæc cùm audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducat panem in regno Dei. At ipse dixit. a Homo quidam fecit cenam magnam, & vocavit multos. Et misit servum suum horâ cenæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes se excusare. Primus dixit illi. Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam, rogo te habe me excusatum. Et alter dixit. Juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum. Et alius dixit. Uxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reversus servus nunciavit hæc domino suo. Tunc iratus Paterfamilias dixit servo suo. Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. Et ait servus? Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo. Exi in vias & sepes & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabit cenam meam.

a Si fuerit hæc eadem parabola cum ista quæ ponitur infra Matth. 22. c. Gregorius reliquit sub dubio, dictum quod mavult alieno intellectui vel sensui credere quàm contentioni deservire, & dat modum concordandi: si dicatur eadem vide.

De odiendis parentibus propter Christum. Luc. XIV.

CAPUT CI.

ERANT autem turbæ multæ cum eo, & conversus dixit ad illos: Si quis venit ad me & non odit Patrem suum & Matrem & uxorem & filios & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non

A potest meus esse Discipulus, & qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse Discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quam posuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus committere bellum adversus alium Regem, nonne sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit in quo condietur; neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

De villico iniquitatis. Luc. XVI.

CAPUT CII.

B DICEBAT autem & ad Discipulos suos. Homo quidam erat dives qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius, & vocavit illum & ait illi. Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se, quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Convocatis autem singulis debitoribus Domini sui dicebat primo, quantùm debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam & sede citò scribe quinquaginta. Deinde alio dixit. Tu verò quantùm debes? Qui ait. Centum coros tritici. Ait illi. Accipe litteras tuas & scribe octoginta. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter C fecisset, quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est. Et qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod vestrum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo servus potest duobus Dominis servire: aut enim unum odiet & alterum diliget: aut uni adhærebit & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi qui erant avari & deridebant illum. Et ait illis. Vos estis qui justificatis vos coram hominibus. Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Lex & Prophetæ usque ad Joannem. Ex eo regnum Dei e- D vangelizatur, & omnis in illud vim facit. Facilius est enim cœlum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere. Omnis qui dimittit uxorem suam & ducit alteram, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit mœchatur.

De divite epulone. Luc. XVI.

CAPUT CIII.

HOMO quidam erat dives qui induebatur purpurâ & bysso, & epulabatur quotidie splendidè & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis & nemo illi dabat,

bat, sed & canes veniebant & lingebant ulcera ejus. Factum est autem ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ; mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno. Elevans autem oculos cùm esset in tormentis vidit Abraham à longè Lazarum in sinu ejus. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hîc consolatur, tu verò cruciaris, & in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est: ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo te ergo Pater ut mittas eum in Domum Patris mei (habeo enim quinque fratres) ut testetur illis ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent.

De petitione Discipulorum & ut augeatur eis Fides. Luc. XVII.

CAPUT CIV.

ET dixerunt Apostoli Domino. Adauge nobis Fidem. Dixit autem Dominus: si habueritis Fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis. Quis autem vestrûm habens servum arantem, aut oves pascentem, qui regresso de agro dicat illi statim, transi, recumbe, & non dicat ei para quod cenem, & præcinge te & ministra mihi donec manducem & bibam, & post tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ sibi imperaverat? Non puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

De Encæniis quando voluerunt Jesum lapidare Judæi. Joan. X.

CAPUT CV.

FACTA sunt autem Encænia in Jerosolymis, & hyems erat. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis, si tu es Christus: dic nobis palam? Respondit eis Jesus: Loquor vobis & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego agnosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest eas rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judæi ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod horum opus me lapidatis? Responderunt ei Judæi: Propter bonum opus non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Jesus. Nonne scriptum est in Lege vestra: Quia Ego dixi dii estis. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura, quem Pater sanctificavit & misit in mundum: vos dicitis quia blasphemat, quia dixi Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quia Pater in me est & ego in Patrè. Quærebant ergo eum apprehendere, & exivit de manibus eorum. Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum ubi erat Joannnes baptizans primùm & mansit illic, & multi venerunt ad eum & dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Joannes de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum.

Incipiunt præambula Passionis Domini. De suscitatione Lazari. Joan. XI.

CAPUT CVI.

ERAT autem quidam languens Lazarus à Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororum ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem Jesus Martham & sororem ejus Mariam & Lazarum. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde posthæc dicit Discipulis suis, eamus in Judæam iterùm. Dicunt ei Discipuli. Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare & iterùm vadis illuc? Respondit Jesus. Nonne duodecim horæ sunt diei. Si quis ambulaverit in die non offendit, quia lucem hujus mundi videt. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. Hoc ait. Et post hoc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno exsuscitem illum. Dixerunt ergo Discipuli ejus. Domine, si dormit salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus. Illi autem putabant quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit Jesus manifestè: Lazarus mortuus est, sed gaudeo propter vos ut credatis, quia non eram ibi; sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didimus, ad condiscipulos: Eamus & nos & moriamur cum eo. Venit igitur Jesus & invenit eum quatuor dies in monumento jam habentem. Erat autem Bethania juxta Jerosolymam, quasi stadiis XV. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha autem ut audivit quia Jesus venit, occurrit ei. Maria autem domi sedebat. Dixit autem Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus. Resurget frater tuus. Dicit ei Martha. Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dicit ei Jesus: ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet, & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi. Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. Et cùm hæc dixisset, abiit & vocavit Mariam sororem suam silentio dicens: Magister adest & vocat te. Illa autem ut audivit, surrexit citò & venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed adhuc erat in illo loco ubi occurrerat ei Martha. Judæi igitur qui erant cum ea in domo & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum ut ploret ibi. Maria ergo cùm venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus & dixit ei. Domine si fuisses hîc frater meus non fuisset mortuus. Jesus autem ut vidit eam plorantem, & Judæos qui venerant cum ea plorantes, fremuit spiritu, & turbavit

bavit semetipsum & dicit: ubi posuistis eum? Dicunt ei. Domine, veni & vide, & lachrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi: ecce quomodò amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt. Non poterat hic qui oculos cæci nati aperuit, facere ut & hic non moreretur? Jesus ergo rursùm fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca & lapis A superpositus erat ei. Ait Jesus: tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus qui fuerat mortuus: Domine, jam fœtet, quatriduanus enim est. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis oculis dixit: Gratias tibi ago Pater quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi ut credant quia tu me misisti. Hæc cùm dixisset voce magna clamavit: Lazare veni foras, & statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis. Et facies illius sudario erat ligata. Dicit eis Jesus. Solvite eum & sinite abire. Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam & viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos & dixerunt eis quæ fecit Jesus.

De conspiratione facta contra Jesum & ejus egressu in Effrem. Joan. XI.

B

CAPUT CVII.

Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Consilium & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem. Unus autem ex ipsis Cayphas nomine, cùm esset Pontifex Anni illius dixit eis: vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex Anni illius prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Jesus autem jam non in palam ambulat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem quæ dicitur Effrem, & ibi morabatur cum Discipulis suis: & ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha ut sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Jesum & colloquebantur ad invicem in Templo stantes. Quid putatis quia non venit ad diem Festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi Mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum. C

De ascensu Jesu in Jerusalem. M. 20. R. 10. L. 18.

CAPUT CVIII.

a Erant R. autem in via ascendentes Jerosolymam, & præcedebat illos Jesus, & stupebant & sequentes timebant, & ascendens M. Jesus Jerosolymam assumpsit iterum R. duodecim M. R. Discipulos L. suos secretò, cœpitque R. eis dicere quæ essent ei ventura: Et M. ait R. illis. L. Ecce nos D ascendimus Jerosolymam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur M. L. enim principibus Sacerdotum & Scribis & Senioribus R. & condemnabunt M. R. eum morte & tradent M. R. illum gentibus ad illudendum, & flagellandum & crucifigendum. Et L. conspuetur R. & postquam flagellaverint occident eum, & M. tertia R. L. die resurget, & ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

De decem leprosis sanatis in via. Luc. XVII.

CAPUT CIX.

Et factum est dùm iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam, & cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè & levaverunt vocem dicentes: Jesu Præceptor miserere nostri. Quos ut vidit dixit: Ite ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Jesus dixit: Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi. Surge vade, quia Fides tua te salvum fecit.

De non receptione Christi per Samaritanos. Luc. IX.

CAPUT CX.

Factum est autem dùm complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem, & misit nuncios ante conspectum suum. Et euntes intraverunt in civitates Samaritanorum, ut pararent illi & non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. Cùm autem vidissent Discipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, si vis dicimus ut ignis descendat de cœlo & consumat eos sicut & Elias fecit, & conversus increpavit eos dicens. Nescitis cujus spiritûs estis, Filius hominis non venit animas perdere sed salvare, & abierunt in aliud castellum.

De petitione filiorum Zebedæi. M. 20. R. 10.

CAPUT CXI.

a Tunc M. accessit ad eum Mater filiorum Zebedæi cum filiis adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Et R. accedunt ad eum filii Zebedæi Jacobus & Joannes dicentes: Magister volumus ut quodcunque petierimus facias nobis. At ille dixit eis. Quid vultis ut faciam vobis? Et dixerunt. Da nobis ut unus ad dexteram & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. Ait M. illi Mater. Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam & unus ad sinistram in Regno tuo. Respondens M. R. autem Jesus dixit eis. Nescitis quid petatis. Potestis M. R. bibere calicem quem ego bibo R. bibiturus M. sum aut Baptismo R. quo ego baptizor baptizari. At M. illi R. dixerunt ei. Possumus. Ait illis Jesus. R. M. Calicem quidem meum bibetis, & R. Baptismo quo baptisor baptizabimini: sedere R. autem ad dexteram vel sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre M. meo. Et audientes M. R. decem, indignati sunt de duobus fratribus Jacobo R. & Joanne. Jesus M. autem R. vocavit eos ad se, & ait illis. Scitis M. R. quia M. Principes gentium hi R. qui videntur principari gentibus dominantur eis, & M. qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita M. R. erit inter vos: sed M. quicunque R. inter M. vos voluerit major R. fieri, sit M. vester minister.

a Quamvis sub uno contextu ponantur sequentia quasi fuerit unicus ascensus Christi in Jerusalem: tamen probabilius est fuisse diversos cursus & recursus Christi in quibus facta sequuntur ut magister Nicolaus de Lyra notat.

a Potuit utrumque fieri quòd & mater peteret & filii; vel dicuntur petiisse quia Matrem moverant ad petendum: ideo Dominus respondit eis.

ster. Et R. quicunque voluerit inter vos primus esse, erit M. R. vestrum M. omnium R. servus M. R. sicut M. Filius R. hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare redemptionem pro multis.

De illuminatione cæci & de Zachæo & decem mnis.
Luc. xviii. & xix. R. 10.

CAPUT CXII.

FACTUM L. de c. xviii. est autem cùm appropinquaret Jesus Hiericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans, & cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quòd Jesus Nazarenus transiret. Et clamavit, Jesu fili David miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse verò multò magis clamabat. Fili David miserere mei. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se, & cùm appropinquasset, interrogavit illum dicens: Quid vis ut faciam tibi? At ille dixit. Domine, ut videam. Et Jesus dixit illi. Respice, Fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo, & veniunt R. Hierico. Et L. de c. xix. ingressus perambulabat Hierico, & ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipse dives, & quærebat videre Jesum quis esset & non poterat præ turba, quia staturâ pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret illum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & suscepit illum gaudens in domum suam. Et cùm viderent, omnes murmurabant dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum. Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum. Quia hodie domui huic salus facta est, eò quòd ipse sit filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat. Hæc illis audientibus adjiciens parabolam dixit, eò quòd prope Jerusalem esset, & quia æstimarent quod confestim Regnum manifestetur, dixit ergo: *a* Homo quidam nobilis abiit in Regionem longinquam accipere Regnum & reverti. Vocatis autem decem servis suis dedit illis decem mnas, & ait illis: Negotiamini dum venio. Cives autem ejus oderant illum, & miserunt legationem post illum dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est cùm rediret, accepto Regno jussit vocari servos quibus dederat pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge serve bone, quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens supra decem civitates. Et alter venit dicens: Domine mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit dicens: Domine, ecce mna tua quam habui repositam in sudario, timui enim te quia homo austerus es, tollis quod non posuisti & metis quod non seminasti. Dixit ei. De ore tuo te judico, serve nequam. Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum usuris utique exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam & date ei qui decem mnas habet, & dixerunt illi: Domine, decem mnas habet. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur & abundabit. Ab eo autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc & interficite ante me. Et his dictis præcedebat ascendens Jerosolymam.

a Consonat ista parabola cum illa de talentis. infra M. 24.

De duobus cæcis in egressu Hierico sanatis.
Matth. xx. R. 10.

CAPUT CXIII.

A ET egredientibus M. illis ab Hierico & proficiscente R. eo & Discipulis ejus, secuta M. est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quòd Jesus transiret & clamaverunt dicentes: Domine, miserere nostri, Fili David. *a* Filius R. autem Thymei Barthymeus cæcus sedebat secus viam mendicans. Qui cùm audisset quia Jesus est, cœpit clamare & dicere: Jesu Fili David, miserere mei. Turba M. autem increpabat eos ut tacerent, R. at ille multò magis clamabat, & comminabantur ei multi ut taceret, & comminabantur R. multi. At M. illi magis clamabant dicentes: Domine miserere nostri, fili David. Et R. stans M. Jesus jussit eum vocari M. vocavit eos, & vocabant R. cæcum dicentes ei. Animæquior esto, surge vocat te. Qui projecto vestimento suo exiliens venit ad eum. Et ait M. Jesus. Quid M. vultis ut faciam vobis? Dicunt. Do-
B mine Rabboni R. ut M. aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Jesus tetigit oculos eorum. Jesus autem dixit. Vade, Fides tua te salvum fecit, & confestim M. viderunt & secuti sunt eum.

a Marcus nominat hunc solum quia famosior erat: vel non esset improbabile dicere quòd alia sit Historia Marci, alia Matthæi, sicut diversis vicibus potuit Jesus egredi de Hierico & sanare nunc duos nunc verò unum cæcum. Ideo suppleat hìc intelligentia lectoris modum loquendi, nunc ad unum: nunc ad duos.

De alabastro unguenti. M. 26. R. 14. J. 12.

CAPUT CXIV.

JESUS J. ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam ubi fuerat Lazarus *a* mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cenam ibi R. M. & cùm esset in Bethania M. R. in domo Simonis Leprosi &
C J. Martha ministrabat: Lazarus verò erat unus ex discumbentibus; Et R. cùm discumberet veniens M. R. mulier M. accessit ad eum J. Maria accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi & unxit pedes Jesu; & extersit capillis suis pedes Jesu, & R. fracto alabastro effudit super caput ipsius recumbentis, M. & domus repleta est ex odore unguenti. *b* Erant R. autem quidam indignè ferentes intra semetipsos Discipuli M. & dicentes. R. Ut quid perditio hæc unguenti facta est? Dixit J. ergo unus ex Discipulis suis Judas Ischariotis, qui eum erat traditurus: Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis? Poterat R. enim unguentum istud venundari multo M. R. plus quàm trecentis denariis & dari pauperibus. Dixit J. autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, & ea quæ mittebantur portabat, & fremebant R. in eam. Sciens M. autem Jesus ait illis. Sinite R. illam ut in diem sepulturæ
D meæ servet illud. Quid molesti estis M. huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis R. poteritis eis benefacere, me M. R. autem J. non semper habebitis, quod habuit R. hoc fecit, prævenit ungere corpus meum in sepulturam: mittens M. enim hæc, unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum

a Non est hæc historia de qua Lucas scripsit, c. vii. & tres Evangelistæ loquuntur per rememorationem dum hoc referunt primo die azymorum.

b Potest salvari hoc quòd solus Judas murmurabat per modum quo dicuntur plures aliquid facere, quando unus ex eis malè facit vel quia solus malè movebatur: alii piè.

dum me fecit. Amen M. dico R. vobis, ubicumque prædicatum fuerit Evangelium hoc in toto mundo & quod fecerit, narrabitur in memoriam ejus.

De sessione aselli. M. 21. R. 11. L. 19. ʒ. 12.

CAPUT CXV.

COGNOVIT J. erga turba multa ex Judæis quia illic esset & venerunt non propter Jesum tantùm, sed ut Lazarum viderent quem suscitavit à mortuis. Cogitaverunt autem principes Sacerdotum ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Judæis & credebant in Jesum. *a* In crastinum autem turba multa quæ convenerat ad diem festum, cùm audisset quia Jesus venit Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum & processerunt obviam ei. L. Et factum, L. est cùm appropinquasset Jesus M. R. Jerosolymis & venisset L. M. Betphage L. R. & Bethaniam L. M. R. ad montem qui vocatur Oliveti R. Olivarum M. R. L. tunc misit duos Discipulos suos dicens illis: ite in castellum quod contra vos est, in quod L. introeuntes statim invenietis asinam alligatam & pullum L. R. asinæ alligatum cum ea, cui nemo unquam hominum sedit, solvite & adducite illum. Et L. si quis vos interrogaverit, quare solvitis? Et dicetis ei, quia Dominus opem ejus deside- B rat, & necessarius R. est, Dominus M. his opus habet, & confestim dimittent eos. Hoc autem factum est ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam R. dicentem. Dicite Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum filium subjugalis. Et invenit Jesus asellum & sedit super eum sicut Scriptum est: Noli J. timere filia Syon: ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognoverunt Discipuli ejus primùm, sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc scripta erant de eo, & hæc fecerunt ei. Euntes M. autem Discipuli fecerunt sicut præcepit eis Jesus, & R. invenerunt pullum alligatum ante januam foris in bivio, & solverunt eum. Solventibus L. autem illis pullum dixerunt domini ejus ad illos: quid solvitis pullum? At illi dixerunt sicut R. præcepit eis Jesus, quia L. Dominus eum necessarium habet R. & dimiserunt eis, & adduxerunt M. asinam & pullum, & imposuerunt super eos vesti- C menta sua & eum desuper sedere fecerunt. Eunte L. autem illo plurima turba straverunt vestimenta sua in via, alii autem ramos de arboribus cedebant & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant dicentes. Osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini, & R. benedictum quod venit Regnum Patris nostri David, Osanna in excelsis. Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus dicentes. Benedictus J. qui venit in nomine Domini, pax in cœlo & gloria in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël. Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum à mortuis, propterea & obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse D hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit, & quidam L. Pharisæorum de turbis dixeruut ad illum: Magister, increpa Discipulos tuos. Quibus ipse ait. Dico vobis quia, si hi tacuerunt, lapides clamabunt.

a Sequuntur hîc Evangelistæ diversas translationes illius quod habetur Zachariæ 9. Prout enim voluit Spiritus Sanctus translationem septuaginta venire ad gentes, ita voluit ut transferret, & hoc videlicet pro satisfactione omnium in quibus LXX. defecerunt ab Hebraïca veritate.

De fletu Jesu super civitatem & ejectione vendentium. M. 21. R. 11. L. 19.

CAPUT CXVI.

UT L. appropinquavit videns civitatem, flevit super illam dicens. Quia si cognovisses & tu, A & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ. Et R. introivit Jerosolymam. Et cum M. intrasset commota est universa civitas dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant. Hic est Jesus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus *a* in Templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in illo L. de Templo M. & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, & non R. sinebat ut quisque transferret vas per Templum. Et docebat eos dicens. Nonne R. M. Scriptum est. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis R. gentibus? Vos M. autem R. fecistis eam speluncam latronum. Et accesserunt M. ad eum cæci & claudi in Templo & sanavit eos. Videntes autem principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo & dicentes: Osanna Filio David, indignati sunt & dixerunt ei: audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis. Utique: nunquam legistis? Quia ex ore infantium Deus & lactentium perfecisti laudem. Et L. erat quotidie docens in Templo. Principes autem Sacerdotum, & Scribæ, & principes plebis quærebant illum perdere & non inveniebant quid faceret ei. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

a Hæc fuit ejectio secunda, licet historia scholastica videatur cum hac miscere primam de qua scribit J. 2. miscet historiam de Nicodemo.

De Gentibus quærentibus videre Jesum, & de prædicatione ejus. ʒ. 12. Et egressu ejus in Bethaniam. M. 21. & R. 11.

CAPUT CXVII.

ERANT J. autem gentiles quidam ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat de Bethsaïda Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus & dixit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Jesu. Jesus autem respondit eis dicens: Venit hora ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Nunc anima mea turbata est & quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo, & clarificavi & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat dicebat tonitruum factum esse, alii dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit Jesus & dixit: Non propter me vox hæc venit, sed propter vos. Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. hoc autem dicebat significans qua morte erat moriturus

turus. Respondit ei turba: Nos audimus ex Lege, quia Christus manet in æternum, & quomodò tu dicis oportet exaltari Filium hominis? Quis est Filius hominis? Dixit ergo eis Jesus. Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadit. Dùm lucem habetis credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus, & abiit & abscondit se ab eis. Relictis M. illis & circumspectis R. omnibus cùm jam vespera esset hora exiit in Bethaniam cum duodecim foras M. extra civitatem, ibique mansit & docebat eos de Regno Dei.

De ficulnea arefacta. M. 21. R. 11.

CAPUT CXVIII.

ET alia M. die R. cum exiret à Bethania mane M. revertens in civitatem esuriit. Cumque R. vidisset à longè ficum secus M. viam habentem R. folia, venit ad eam M. si quid R. fortè in ea inveniret. Et cùm venisset ad eam nihil invenit nisi folia tantùm, non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit illi? Nunquam M. ex te fructus nascatur in sempiternum. Non R. ampliùs in æternum ex te quisque fructus manducet. Et arefacta M. est continuò ficulnea. R. Et cum vespera esset facta egrediebatur de civitate Et cum manè transirent viderunt ficum aridam factam a radicibus. M. Et videntes Discipuli, *a* mirati R. sunt dicentes: Quomodò continuò aruit? Et recordatus Petrus dixit ei. Rabbi. Ecce ficus cui maledixisti aruit. Respondens autem Jesus ait. Habete Fidem Dei. Amen M. dico R. vobis, si habueritis Fidem & non hæsitaveritis, non solùm de ficulnea facietis, sed & si monti huic dixeritis: tolle te & jacta te in mare, ita fiet. Propterea R. dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & venient vobis. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversùs aliquem, ut & Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra. Quòd si vos non dimiseritis: nec Pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra.

a Dicit Augustinus quòd tertia die mirati sunt, ita quòd secunda die scilicet lunæ, ficulnea fuit arefacta & non Dominica, sicut aliqui dicunt.

b Et *ly* continuò, refertur ad diem precedentem.

De questione Baptismi Joannis. M. 21. R. 11. L. 20.

CAPUT CXIX.

ET R. veniunt rursùm Jerosolymam & M. cum venisset in Templum, factum R. est una dierum, docente illo populum in Templo & evangelizante, convenerunt & accesserunt M. ad eum docentem principes Sacerdotum & Scribæ L. cum senioribus populi M. dicentes: In qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem ut ita R. facias? Dic L. nobis. Respondens M. Jesus R dixit: L. Interrogo vos & ego unum sermonem, siquidem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Joannis unde erat? de cœlo an ex hominibus? Respondete R. mihi. At M. illi R. cogitabant L. intra se dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet nobis, quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habent Joannem sicut Prophetam. Et respondentes Jesu dixerunt? Nescimus. Ait illis & ipse. Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

De duobus filiis quorum unus facit voluntatem Patris. Matth. 21.

CAPUT CXX.

A QUID autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens, Nolo. Postea autem pœnitentiâ motus abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens ait: Eo Domine, & non ivit. Quis ex duobus istis fecit voluntatem Patris? Dicunt: Primus. Dicit eis Jesus. Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei. Venit autem ad vos Joannes in via justitiæ & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea ut crederitis ei.

De Judice iniquitatis & de Pharisæo & Publicano. Luc. XVIII.

CAPUT CXXI.

B DICEBAT autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere dicens: Judex quidam erat in civitate quadam qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum dicens: Vindica me de adversario meo, & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se. Et si Deum non timeo, nec hominem revereor; tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo eam ne in novissimo veniens sigillet me. Ait autem Dominus. Audite quid Judex iniquitatis dixit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia citò faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens putas inveniet Fidem super terram? Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam justi, & aspernabantur ceteros, parabolam istam dicens. Duo homines ascenderunt in Templum ut orarent, unus Pharisæus & alter Publicanus. C Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus, gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, publicani, adulteri, velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo; quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

De parabola locata vineæ agricolis. M. 21. R. 12. Lucæ XX.

CAPUT CXXII.

ALIAM M. parabolam audite. Cœpit R. autem ad plebem dicere parabolam hanc: Homo M. D quidam R. L. erat M. Paterfamilias qui plantavit vineam, & R. sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular: lacum R. fodit & ædificavit M. turrim, & locavit eam agricolis colonis L. & profectus est peregrè M. R. multis L. temporibus. Cùm M. autem tempus fructuum appropinquasset in L. tempore vindemiæ, misit M. R. L. servos suos ad agricolas cultores L. ut de fructu vineæ darent illi: & M. acciperent ab agricolis R. fructus M. ejus. Et agricolæ apprehensis servis ejus alium cæciderunt & dimiserunt R. L. va-

vacuum & inanem L. alium M. occiderunt, alium verò lapidaverunt. Iterum misit alios servos plures prioribus, & fecerunt eis similiter, in capite R. cædentes L. vulneraverunt R. & contumeliis affecerunt & addidit alterum mittere, qui & illum vulnerantes ejecerunt. Novissimè M. autem adhuc R. habens unum filium charissimum dixit L. dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum, & illum M. R. misit ad eos, novissimè dicens, quia fortè verebuntur L. filium meum, cùm hunc viderint. Quem L. cùm M. vidissent coloni, cogitaverunt intra se & dixerunt R. adinvicem: Hic M. est L. heres R. venite occidamus eum & habebimus hereditatem, ut L. nostra sit hereditas. Et M. apprehensum R. L. eum ejecerunt extra vineam & occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Veniet R. L. & perdet colonos. *a* Malos M. malè perdet & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Quo L. audito dixerunt illi. Absit. Ille autem respiciens eos dixit: quid ergo est hoc quod scriptum est R. nec M. scripturam hanc legistis. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud & est mirabile in oculis nostris. Ideo M. dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus L. ejus. Omnis M. qui ceciderit super lapidem istum, conquassabitur, super quem autem ceciderit, comminuet & conteret eum. Et cum audissent principes Sacerdotum & Pharisæi parabolas ejus, & cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, & L. mittere in illum manus, in illa hora timuerunt populum, quia M. sicut Prophetam illum habebant, & relicto eo abierunt.

a Hoc est intelligendum dixisse Christum vel aliquis de Judæis: illud autem quod sequitur, absit, dixerunt alii, vel ipsi omnes intellectâ parabolâ Christi.

De veste nuptiali. L. 22. *Consonat.* M. *supra* 14. *cum glossa* 3.

CAPUT CXXIII.

ET respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini Regi qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios servos dicens: Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt & abierunt alius in villam, alius ad negotiationem suam. Reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumelia affectos occiderunt. Rex autem cum audisset iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit. Tunc ait servis. Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis vocate ad nuptias. Egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intravit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodò huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus & manibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

De tributo reddendo Cæsari. M. 22. R. 12. L. 20.

CAPUT. CXXIV.

A

TUNC M. abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone, & L. observantes miserunt insidiatores quosdam R. ex Pharisæis discipulos M. suos cum Herodianis L. qui se justos simularent, ut eum caperent in verbo, L. sermone & traderent principatui & potestati Præsidis. Qui R. venientes interrogaverunt L. illum dicentes: Magister M. R. scimus quia verax es & rectè L. dicis & doces, & non M. est tibi cura de aliquo, & R. non curas quemquam. Non M. enim L. respicis personam hominum, neque R. vides in faciem: sed L. in veritate M. viam Dei doces. Dic ergo nobis quid tibi videtur. Licet L. M. nobis R. dare tributum Cæsari an non dabimus? R. Considerans L. autem dolum illorum, sciens versutiam eorum, & cognitâ M. Jesus nequitiâ eorum ait. Quid R. me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. Afferte R. mihi denarium L. ut videam. At M. illi R. obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus M. est imago hæc & superscriptio ejus? Cujus L. habet imaginem & superscriptionem? Et respondentes L. dixerunt ei: Cæsaris M. R. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, & L. non potuerunt reprehendere verbum ejus coram plebe. Et M. audientes mirati sunt omnes R. super eo, & mirati L. sunt in responso ejus, & tacuerunt, & relicto eo R. abierunt.

B

De muliere septemvira. M. 22. R. 12. L. 20.

CAPUT. CXXV.

C

IN illo M. die accesserunt ad eum Saducæi qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogaverunt eum dicens: Magister, Moyses dixit & R. scripsit L. nobis. Ut R. si L. cujus M. frater mortuus fuerit dimiserit uxorem & filios non reliquerit, ut M. frater R. ejus L. ducat uxorem illius & suscitet semen fratri suo. Et erant ergo apud nos septem fratres. Et primus uxore ducta defunctus est sine L. filiis, non R. relicto semine, & non M. habens semen reliquit uxorem fratri suo. Similiter secundus accepit R. eam & mortuus est sine L. filio, & nec R. iste reliquit semen, & tertius similiter M. accepit L. eam usque M. ad septimum, & R. acceperunt eam septem & non L. reliquerunt semen, & L. mortui sunt. Novissima M. R. omnium mortua est & mulier. In resurrectione ergo eorum cujus erit uxor: siquidem septem habuerunt eam uxorem. Et respondens Jesus ait illis. Nonne ideo erratis nescientes Scripturas neque virtutem Dei? Filii L. hujus seculi nubent & traduntur ad nuptias. Illi verò qui digni habebuntur

D

seculo illo & resurrectione ex mortuis non nubent neque M. nubentur R. neque L. ducunt uxores, neque enim ultra mori poterunt. Æquales M. R. enim Angelis sunt, & M. sicut Angeli Dei in cœlo, & L. filii sunt Dei cum sint filii resurrectionis. Quia verò resurgent mortui de R. mortuis M. quod resurgant & Moyses L. ostendit secus rubum sicut dixit Dominum Deum Abraham, Deum Isaac & Deum Jacob. Non R. legistis in Libro Moysi, super rubum quomodò dixerit illi Deus quod M. dictum est à Deo dicente vobis. Ego sum M. R. Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob. Deus L. M. autem R. non est mortuorum sed viventium. Omnes enim vivunt ei. Vos

R.

R. ergò multùm erratis. Et M. audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus. Respondentes R. autem quidam Scribarum dixerunt. Magister, bene dixisti: & L. ampliùs non audebant eum quicquam interrogare.

De dilectione Dei. M. 22. R. 12. *de quo &* L. 10.

CAPUT. CXXVI.

PHARISÆI M. autem audientes quòd silentium imposuit Saducæis convenerunt in unum. Et accessit R. unus de Scribis Legis M. Doctor qui R. audierat illos conquærentes, & videns quod benè illis responderit interrogavit tentans M. eum. Magister, quod est Mandatum magnum R. primum M. in Lege omnium? Respondit R eis Jesus M. quia primum omnium Mandatum est. Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, hoc M. est R. primum & maximum Mandatum. Secundum simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum, majus R. horum aliud Mandatum non est. In his M. duobus Mandatis tota Lex pendet & Prophetæ. Et R. ait illi Scriba: Magister, benè in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter ipsum, & ut diligatur ex toto corde & ex tota mente, & ex toto intellectu, & ex tota animæ & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam seipsum majus est omnibus holocautomatibus & sacrificiis. Jesus autem videns quòd sapienter respondisset ait illi. Non longè es à regno Dei.

De quadam interrogatione Pharisæorum. Et alia interrogatione: cujus est Christus filius? M. 22. R. 12. L. 17. *&* 20.

CAPUT CXXVII.

INTERROGATUS L. autem à Pharisæis quando venit regnum Dei? Et respondit eis & dixit: non venit regnum Dei cum obscuratione, neque dicent: ecce hìc aut ecce illìc. Ecce enim regnum Dei intra vos est. Congregatis M. autem Pharisæis interrogavit eos Jesus dicens: quid vobis videtur de Christo, cujus, Filius est? Dicunt ei, David. Et R. respondens Jesus dicebat docens in Templo. Quomodò ergo dicunt Scibæ Christum filium esse David, cui ipse David dicebat in Spiritu sancto. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Quomodò ergo David in spiritu, in L. Libro Psalmorum vocat M. eum Dominum, & R. unde quomodò L. est filius ejus. Et nemo M. poterat respondere ei verbum. Et R. multa turba libenter eum audiebat, neque M. ausus fuit quisquam eum ampliùs ex illa die interrogare.

De doctrinis Pharisæorum audiendis. M. 23. R. 12. Luc. 20.

CAPUT CXXVIII.

TUNC M. audiente L. omni populo M. Jesus locutus est ad turbas & ad Discipulos suos, & dicebat eis R. in doctrina sua. Super M. Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite; secundùm verò opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant enim onera gravia & importabilia & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus. Attendite L. & cavete R. à Scribis. Dilatant M. enim philacteria sua & magnificant fimbrias. Volunt L. R. in scholis ambulare, amant M. R. L. autem primos recubitus in cenis & L. conviviis, primas M. L. cathedras in Synagogis, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & M. salutationes R. L. in foro qui R. L. devorant domos viduarum sub obtentu R. prolixæ orationis, simulantes L. longam orationem, hi accipiunt damnationem majorem, & R. prolixius judicium. Amant M. vocari ab hominibus Rabbi, vos autem nolite vocari Rabbi. Unus est enim Magister vester. Omnes autem vos fratres estis, & Patrem nolite vobis vocare super terram L. unus est enim Pater vester qui in cœlis est. Non vocemini Magistri, quia Magister vester unus est Christus. Qui major est vestrum erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

De væ multiplici. M. 23. L. 11. *&*. 13.

CAPUT CXXIX.

VÆ M. a vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui comeditis domos viduarum longa oratione orantes, propter hæc amplius accipietis judicium. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam ut faciatis unum proselitum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Væ vobis duces cæci qui dicetis, quicunque juraverit per Templum, nihil est. Qui autem juraverit in auro Templi, debet: stulti & cæci, quid enim majus est aurum, an Templum quod sanctificat aurum? Et quicunque juraverit in Altari nihil est, qui autem juraverit in dono quod est super illud debet. Cæci. Quid enim majus est, donum, an Altare quod sanctificat donum? qui ergo jurat in Altari, jurat in eo & in omnibus quæ super illud sunt. Et qui jurat in Templo, jurat in illo & in eo qui habitat in ipso. Et qui jurat in cœlo, jurat & in throno Dei & in eo qui sedet super eum. Væ M. vobis Scribæ L. & Pharisæi hypocritæ qui decimatis mentam & anetum, rutam L. & cyminum M. & omne L. olus & relinquitis M. L. quæ graviora sunt Legis, judicium & misericordiam & Fidem & Charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Duces M. cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ L. vobis Pharisæi qui diligitis primas cathedras in Synagogis & salutationes in foro. Væ vobis qui estis ut monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes supra nesciunt. Respondens autem quidam ex Legisperitis ait illi: Magister, hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. At ille ait & vobis Legisperitis væ qui oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi uno digito non tangitis sarcinas. Væ M. vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat illud quod deforis est mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia. Sic & vos quidem à foris apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Væ M. vobis L. Scribæ & Pharisæi hypocritæ qui ædificatis sepulchra Prophetarum, Patres L. autem vestri occiderunt illos, & ornatis M. monumenta justorum. Et dicitis, si fuissemus in-

a Quamvis ista reponantur sub uno contextu dicta per Evangelistas, potest tamen dici quod diversis temporibus fuerunt prædicta.

in diebus Patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, & L. profectò testificamini quòd consentitis operibus Patrum vestrorum, quia M. filii eorum estis qui Prophetas occiderunt, quoniam quidem L. ipsi eos occiderunt. Vos autem ædificatis eorum sepulchra, & M. vos impletis mensuram Patrum vestrorum. Serpentes genimina viperarum quomodò fugietis à judicio gehennæ? propterea L. & sapientia Dei dixit. Ecce M. ego L. mitto ad vos Prophetas & Apostolos L. & sapientes M. & Scribas & M. ex illis L. occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem ut veniat super vos & inquiratur L. omnis M. sanguis justus, sanguis L. omnium Prophetarum qui effusus est super M. terram à constitutione L. mundi, à generatione ista, à sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii M. Barachiæ, quem occidistis, & L. periit inter Templum & ædem R. & Altare. Ita dico vobis requiretur ab hac generatione. Amen M. dico vobis venient hæc omnia super generationem istam. Væ vobis Legisperitis qui tulistis clavem scientiæ & ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis. Cùm hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti graviter insistere & os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore ejus ut accusarent eum. Jerusalem L. XIII. quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas suas, & avis L. nidum suum sub pennis, & M. noluisti L. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodò donec veniat L. M. hora cùm dicetis. Benedictus qui venit in nomine Domini.

De vidua duo minuta offerente. R. 12. L. 21.

CAPUT CXXX.

ET R. sedens Jesus contra Gazophilacium aspiciebat eos qui mittebant munera sua in Gazophilacium, quomodò R. turba jactabat æs, & multi divites jactabant multa. Cùm venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta quod est quadrans. Vidit L. autem Jesus pauperculam illam viduam mittentem æra duo minuta, & convocatis R. Discipulis suis ait illis: Amen verè L. dico vobis, quoniam R. L. vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in Gazophilacium. Omnes enim ex eo quod abundat illis miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod illi deest, & R. de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

De ædificio Templi & comminatione eversionis Jerusalem. M. 24. R. 13. Luc. XXI.

CAPUT CXXXI.

ET egressus M. Jesus de Templo ibat. Et R. cùm egrederetur, accesserunt M. Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationem Templi. Et quibusdam L. dicentibus de Templo quòd bonis lapidibus & donis ornatum esset. Ait R. illi unus ex Discipulis suis. Magister, aspice quales lapides & quales structuræ. Ipse M. autem respondens ait illis: Videte hæc omnia, & R. magnas ædificationes. Amen M. dico R. L. vobis, venient L. dies in quibus non M. relinquetur R. L. hîc lapis super lapidem qui non destruatur. Sedente M. R. autem eo super montem Oliveti contra Templum, accesserunt M. ad eum Discipuli ejus secretò, & R. interrogabant eum separatim Petrus & Jacobus & Andræas & Joannes dicentes: M. Dic nobis Præceptor L. quando hæc erunt, & R. hæc fient. M. quod R. L. signum adventus tui & consummationis seculi? Et R. quod signum L. cùm hæc fieri incipient & consummari? R. Et M. respondens R. L. Jesus dixit: Videte ne quis vos seducat, multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent & L. tempus appropinquabit. Nolite ergo ire post illos. Audituri
A M. enim estis prælia & opiniones præliorum. Cùm autem R. L. audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Videte M. ne turbemini, oportet M. R. enim primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis. Surget gens contra gentem, & Regnum adversùs Regnum, & terræ motus magni erunt per loca & pestilentiæ & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Hæc M. autem R. omnia initia sunt dolorum. Videte R. autem vosmetipsos. Sed L. ante hæc omnia injicient vobis manus suas & persequentur, tunc M. tradent vos in tribulationem, & occident vos. Tradent R. L. enim vos in Consiliis & Synagogis suis vapulabitis, & ante Reges & Præsides stabitis propter me, propter L. nomen meum. Continget autem vobis in testimonium illis R. & eritis M. odio omnibus gentibus prop-
B ter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi: & invicem tradent & odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, *a* refrigescet charitas multorum, qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo mundo, & in omnes gentes, primùm oportet prædicari Evangelium in M. testimonium omnibus gentibus. Et tunc veniet consummatio. Et R. cùm duxerint vos tradentes, ponite L. in cordibus vestris non præmeditari quemadmodùm respondeatis. Nolite R. præcogitare quid loquamini, sed quod datum fuerit vobis in illa hora id loquamini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. Ego L. enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. Tradet R. autem frater fratrem in mortem, & Pater
C filium, & consurgent filii in parentes, & morte eos afficient. Trademini L. enim à parentibus & fratribus & amicis & cognatis, & morte afficient ex vobis & eritis L. R. odio omnibus hominibus propter nomen meum, & L. capillus de capite vestro non peribit. Qui R. autem sustinuerit usque in finem, hic salvus erit. In patientia L. enim vestra possidebitis animas vestras. Cùm M. ergo R. videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco Sancto, ubi R. non debet, qui M. R. legit intelligat cùm L. autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem tunc scitote quia appropinquabit desolatio ejus: tunc M. R. qui L. in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui R. in tecto, non descendant aliquid tollere de domo sua, & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam, & L. qui in medio ejus sunt discedant, & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies ultionum hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem M. R. L. prægnantibus & nutrientibus in il-
D lis diebus. Orate M. R. ne fiat fuga vestra hyeme vel Sabbato: erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladii & captivi ducentur in omnes gentes, & Jerusalem calcabitur à gentibus donec impleantur tempora nationum.

a Hoc videtur tangere pœnas peccatorum novissorum temporum.

De signis Judicii. M. 24. R. 13. L. 17. & 21. Actuum XII.

CAPUT CXXXII.

ET L. ait ad Discipulos suos. Venient dies quando desiderabitis videre unum diem Filii hominis, & non videbitis. Erit M. enim tunc tribulatio magna. Erunt L. autem dies illi tribulationis, & tales quales non fuerunt ab initio mundi L. creaturæ quam condidit Deus usque nunc, neque fient. Et nisi ab- A breviati fuissent L. abbreviasset Dominus dies illos, non fuisset salva omnis caro, sed propter electos quos elegit Dominus, abbreviabit dies M. abbreviabuntur dies illi. Et dicent vobis L. Ecce hîc, ecce illîc. Tunc M. si R. quis vobis dixerit. Ecce hîc est Christus aut illîc; nolite credere, nolite R. ire neque sectemini. Surgent M. R. enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, & portenta R. ad seducendos, si fieri potest, etiam electos, ita M. ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi. Ego prædixi vobis omnia, vos ergo videte. Si ergo M. dixerint vobis. Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere. *a* Nam L. sicut fulgur exit M. ab Oriente coruscans L. de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt fulget & apparet M. usque in Occidentem: ita L. erit Filius hominis & adventus M. in die L. sua. Ubicumque M. fuerit corpus, illuc B congregabuntur & Aquilæ. Primùm L. oportet illum multa pati & reprobari à generatione hac. Statim M. R autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo. Es erunt L. XXI. signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ supervenient universo Orbi. Et M. virtutes L. cœlorum, & R. quæ sub cœlo sunt movebuntur. M. R. L. Et tunc M. apparebit signum Filii hominis in cœlo, & M. tunc R. L. plangent se omnes tribus terræ. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna R. L. & gloria R. & majestate L. M. & mittet M. R. Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos à quatuor ventis à C summis cœlorum usque ad terminos eorum, à R. summo terræ usque ad summum cœli. Ab M. arbore R. fici discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit. & folia nata, cognoscitis R. quia in proximo sit æstas. His L. autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquabit redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem. Videte ficulneam & omnes arbores, cùm producunt jam ex se fructum, scitis quia prope est æstas. Ita M. & L. vos R. cum videritis hæc fieri, scitote quia propè M. est & in januis & ostiis R. regnum, L. Dei. Amen L. M. R. dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Attendite L. autem vobis, ne fortè graventur corda vestra crapula & ebrietate & curis hujus vitæ, & superveniat super vos repentina dies illa. Tanquam enim laqueus supervenient in omnes qui sedent super D faciem omnis terræ. De M. die autem R. & hora illa nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque R. Filius, nisi solus Pater. •Sicut autem L. 17. fuit in diebus Noë: ita erit in diebus adventus M. Filii hominis. Sicut enim erant ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, edebant & bibebant & uxores ducebant, & dabant ad nuptias usque ad eum diem in quo intravit in Arcam Noë, & non cognoverunt donec venit diluvium & tulit & perdidit L. omnes: M. ita erit adventus Filii hominis. Similiter L. sicut factum est in diebus Loth, edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant. Qua die autem exivit Loth à Sodomis, pluit Dominus ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit: secundùm hoc erit qua die Filius hominis revelabitur. In die illa qui fuerit in tecto & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa. Et qui in agro similiter non redeat retrò. Memores estote uxoris Loth. Quicunque quæsierit animam suam salvam facere, perdet eam. Et quicunque perdiderit eam, vivificabit illam. Dico L. vobis M. In illa nocte erunt duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum in L. mola, una assumetur, & altera relinquetur. Duo in agro: unus assumetur, & alter relinquetur. Respondentes dicunt illi: Ubi Domine? Qui dixit illis. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Vigilate L. 21. itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

De vigilia & oratione M. 24. R. 13. Lucæ. XII.

CAPUT CXXXIII.

VIDETE R. vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit. Sicut enim homo qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujuscunque operis & janitori præcepit ut vigilaret. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domûs veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Sint L. lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur à nuptiis, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati sunt servi illi quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes. *a* Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit & ita invenerit, beati sunt servi illi. Vigilate M. ergo, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit. Hoc M. autem L. scitote, quoniam si sciret Pater familias quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis Filius hominis veniet. Ait L. autem ei Petrus: Domine ad nos dicis hanc parabolam; an ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore, in tempore L. tritici mensuram. Beatus L. M. ille servus quem cùm venerit Dominus invenerit sic facientem. Amen M. L. dico M. vobis, super omnia bona quæ possidet constituet eum. Si M. autem L. dixerit malè ille servus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conservos suos pueros L. & ancillas, & edere & inebriari: manducet autem & bibat cum ebriosis. Veniet L. M. Dominus servi illius in die qua non sperat, & hora qua nescit: & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus hypocritis M. ponet. Ibi erit fletus & stridor dentium. Ille L. autem servus qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit & non fecit secundùm voluntatem ejus, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognovit & fecit digna, plagis vapulabit paucis. Omni autem cui multùm datum est, multùm quæretur ab eo, & cui commendaverunt multùm, plus petent ab eo.

Ignem

a Possunt hæc intelligi dicta diversis vicibus.

a Possunt hæc intelligi posita per rememorationem.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur. Baptismo habeo baptizari, & quomodò coarctor usque dùm perficiatur. Putatis quia pacem veni dare in terram, non, dico vobis, sed separationem. Erunt ex hoc quinque in una domo divisi, A tres in duos, & duo in tres. Dividetur Pater in filium & filius in Patrem suum. Et Mater in filiam, & filia in Matrem. Socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

De decem virginibus & de decem talentis, & de modo Judicii. M. 25.

CAPUT XXXIV.

TUNC simile est regnum cœlorum decem virginibus quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. B Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dùm autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam. Sicut enim homo peregrè proficiscens vocavit servos suos & tradidit illis bona sua, & uni dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiit & fodit in terram pecuniam Domini sui. Post multùm verò temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem C cum illis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta dicens. Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque talenta superlucratus sum. Ait ille Dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem & qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, & congregas ubi non sparsisti, & timens abii & abscondi talentum tuum in terram. Ecce habes quod tuum est. Respondens autem Dominus ejus, dixit ei. Serve D male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi, oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis, & veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. Tollite igitur ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo: Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Cùm autem venerit Filius hominis in majestate sua & omnes Angeli ejus cum eo: tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me: nudus eram & cooperuistis me: infirmus eram & visitastis me: in carcere eram & venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem & pavimus, sitientem & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem & collegimus, aut nudum & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere & venimus ad te? Et respondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis: Tunc dicet & his qui à sinistris ejus erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim & non dedistis mihi manducare, sitivi & non dedistis mihi potum, hospes eram & non collegistis me, nudus & non operuistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi dicentes: Domine, quando vidimus te esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

De modo Christi in docendo Luc. XXI. *& de obstinatione Judæorum.* Joan. XII.

CAPUT CXXXV.

ᵃERAT L. autem in diebus docens in Templo, noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti. Et omnis populus manicabat ad eum venire in Templo audire illum. Cùm J. autem tanta signa fecisset coram illis non credebant in eum, ut sermo Isaïæ impleretur quem dixit. Domine, quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaïas: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum ut non videant oculis & intelligant corde, & convertantur & sanem eos. Hæc dixit Isaïas quando vidit gloriam ejus & locutus est de eo. Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei. Jesus autem clamavit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat, & si quis audierit verba mea & custodierit, ego non judico eum. Non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die, quia ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi Mandatum dedit quid dicam & quid loquar. Ego scio quia Mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor.

ᵃ Et potest hoc intelligi positum hîc per rememorationem, quando sequitur ad ea quæ Christus dixit, Ante sex dies Paschæ.

De Festo Azymorum appropinquante. M. 26. R. 14. L. 22. J. 13.

CAPUT CXXXVI.

a APPROPINQUABAT L. autem dies Festus Azymorum qui dicitur Pascha. Erat R. autem Pascha & Azyma post biduum. Et M. factum est cùm consummasset Jesus sermones hos omnes dixit Discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes Sacerdotum & seniores in atrium principis Sacerdotum qui dicitur Caïphas, & consilium fecerunt. Et R. quærebant L. summi Sacerdotes & Scribæ, quomodò eum dolo tenerent & occiderent, timebant L. verò plebem. Dicebant M. R. autem, non in die Festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Intravit L. autem sathanas in Judam qui cognominatur Iscarioth, unum de duodecim. Tunc M. abiit R. L. unus de duodecim ad principes Sacerdotum & summos. R. Sacerdotes, ut proderet eum illis. Et L. locutus est cum principibus Sacerdotum & Magistratibus quemadmodùm illum traderet illis, & ait M. illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Qui R. L. audientes gavisi sunt, & promiserunt & pacti L. sunt pecuniam illi dare. At illi constituerunt ei triginta argenteos, & spopondit, & M. exinde R. L. quærebat oportunitatem ut eum opportunè R. traderet sine L. turbis. Ante J. diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

a Hæc est dies Mercurii ante diem Veneris sanctam.

PARS TERTIA PRINCIPALIS HUJUS CONTEXTUS.

De egressu Passionis & Resurrectionis Christi.

De missione Petri & Joannis prima die Azymorum, quam Joannes vocat ante Festum Paschæ. M. 26. R. 14. L. 22. J. 13.

CAPUT CXXXVII.

a PRIMA M. R. autem die Azymorum, quando R. Pascha immolabatur, in qua L. necesse erat Pascha occidi: accesserunt M. Discipuli ad Jesum, & dicunt M. R. ei: Quo vis eamus & paremus tibi ut manduces Pascha? Et mittit duos ex Discipulis suis Petrum L. & Joannem dicens: Euntes parate nobis Pascha ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ite M. in civitatem R. ad quemdam M. Ecce L. introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum R. & quocumque introireit L. in domum in quam intrat L. R., & dicetis Patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Tempus M. meum propè est, apud te facio Pascha, cum Discipulis meis ubi R. est refectio mea? Ubi L. est diversorium? ubi L. R. Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse ostendet cenaculum magnum stratum, & ibi parate nobis. Et R. abierunt Discipuli ejus, & venerunt in civitatem. Euntes L. R. autem, invenerunt sicut dixit illis Jesus, & paraverunt Pascha. Vespere R. autem facto venit cum duodecim, b & L. cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

a Hæc enim dies Jovis in cujus vespere fiebat esus agni, & hæc vocatur prima dies Azymorum.
b Hic fuit esus agni.

De ablutione pedum. Joan. XXIII.

CAPUT CXXXVIII.

A ET cenâ factâ, cùm diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariothis, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit & ad Deum vadit. Surgit à cena & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus & dixit ei? Quod ego facio tu nescis modò, scies autem posteà. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Non tantùm pedes, sed & manus & caput. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat namque quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cùm recubuisset iterum
B dixit eis. Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo qui misit illum. Si hoc scitis, beati eritis si feceritis ea.

De Sacramenti institutione. M. 26. R. 14. J. 22.

CAPUT CXXXIX.

a ET M. discumbentibus R. eis & manducantibus, ait Jesus: Desiderio L. desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis,
C quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei. Cenantibus M. autem illis, accepit Jesus panem, L. & accepto pane gratias egit & benedixit M. & fregit M. L. deditque Discipulis suis & ait: Accipite M. & comedite, hoc M. est L. corpus R. meum quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquàm cenavit accipiens M. L. & accepto calice M. R. L. gratias egit, & dedit illis dicens: Accipite L. & dividite inter vos & bibite M. ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti. Hic L. est calix novum testamentum in meo sanguine M. R. qui pro multis L. pro vobis M. R. L. effundetur M. in remissionem peccatorum. R. Amen M. R. L. dico autem vobis, quia non bibam amodò de hoc genimine vitis usque in diem illum cum illud bibam novum vobiscum in Regno Patris mei R. Dei. L. Et biberunt ex eo omnes.

D a Videtur intelligendum quòd cena agni fuerit alia cena vel eadem discontinuata per pedum lotionem, ut intelligitur per dictum Joannis.

De Traditione negationis Petri, & quæstione Discipulorum M. 26. R. 14. L. 22. J. 13.

CAPUT CXL.

TUNC M. L. dixit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, quia scriptum est: Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

læam. Respondens autem Petrus ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Et M. ait illi Jesus: Priusquam *a* R. Gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Amen M. dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me es negaturus. At R. ille amplius loquebatur: Et M. si R. oportuerit me mori tecum te non negabo. Similiter & omnes Discipuli dixerunt. Non J. de omnibus vobis dico. Ego scio quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum, panem meum, levabit contra me calcaneum suum. Amodò dico vobis priusquam fiat, ut cùm fuerit factum, credatis quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit, qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Cùm hoc dixisset Iesus, turbatus est in spiritu M. Edentibus autem illis R. discumbentibus illis & manducantibus J. protestatus est & dixit: Amen J. R. dico vobis, quia unus ex vobis me tradet qui R. manducat mecum. L. Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. R. At illi cœperunt contristari. J. Aspiciebant ergo ad invicem Discipuli hæsitantes de quo diceret. Et M. contristati R. valde cœperunt dicere: sigillatim L. inter se quærere & dicere ei singuli M. R. Nunquid ego sum Domine? At ille respondens ait: Unus R. ex duodecim qui M. intingit R. mecum manum in paropside M. in catino R. hic me tradet. Filius quidem hominis vadit sicut definitum est M. R. scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Respondens M. autem Judas qui tradidit eum, dixit. Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi. Tu dixisti. Erat J. ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu quem diligebat Jesus. Innuit ergo huic Simon Petrus & dixit ei: Quis est de quo dicit? *b* Itaque cùm recubuisset ille super pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est? Respondit Jesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simoni Iscariothis. Et post buccellam tunc introivit in eum satanas. Et dicit ei Jesus: *c* Quod facis fac citiùs. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Judas quòd dixisset ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem Festum: aut egenis ut aliquid daret. Cùm ergo accepisset ille buccellam exivit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exisset, dixit Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo, si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum, quæretis me, & sicut dixi Judæis, quò ego vado, vos non potestis venire. Et vobis dico modò. Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus, Domine quò vadis? Respondit Iesus: Quò ego vado, non potes me sequi modò, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus. Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te pono. Respondit Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset qui eum traditurus esset. *d* Facta est autem & contentio inter eos quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit an qui ministrat: nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum sicut qui ministrat: Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & A bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super Thronos judicantes, XII. tribus Israël. Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce sathan expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Qui dixit: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo & pera & calciamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram, sed qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me, & cum injustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me finem habent. At illi dixerunt: Ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est.

B

De Sermone Domini post cenam, ubi per totum de mysterio Trinitatis. Joan. 14. 15. 16. 17.

CAPUT CXLI.

ET ait Discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum, & si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio ad vos & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum & vos sitis, & quò ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis, & quomodò possumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad Patrem nisi per me. Si cognovissetis me, & Patrem meum utique C cognovissetis, & amodò cognoscetis eum & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me. Philippe, qui videt me videt & Patrem meum. Quomodò tu dicis, ostende nobis Patrem. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor: Pater autem in me manens ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre & Pater in me est, alioquin propter opera ipsa credite. Amen amen dico vobis: qui credit in me opera quæ ego facio ipse faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam, ut glorificetur Pater in filio: si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me Mandata mea servate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec D scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, & vos vivetis. In illo die vos cognoscetis, quia ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet Mandata mea & servat ea, ille est qui diligit me, qui autem diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum: Dicit ei Judas, non ille Iscariothis: Domine, quid factum est quia manifestaturus es teipsum nobis, & non mundo? Respondit Jesus & dixit ei: Si quis diligit me, ser-

a Intelligenda est trina negatio Petri velut una negatio continuata, quæ incœpit antequam gallus cantaret, & sic intelligunt Evangelistæ trinam negationem factam antequam gallus cantaret, sed consummata ante secundum galli cantum: ut ponit Marcus, nec repugnat quod Christus utrumque dixerit, nunc ut Marcus ponit, nunc ut alii ad majorem exaggerationem. *b* Intelligendum est quod Joannes propinquus Jesu inclinavit faciem suam ad faciem Jesu ipsum familiariter & silenter interrogans, cui Christus submissè respondit. *c* Dixit hoc permittendo non jubendo nec scelus approbando.

d Hoc potest intelligi elevatè vel depressè.

sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me Patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pa- A cem meam do vobis, non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia dixi vobis, vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cùm factum fuerit credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam, sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut Mandatum dedit mihi Pater, sic facio. *a* Surgite eamus hinc. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis, manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego *Joan. xv.* sum vitis, & vos palmites, qui manet in me B & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis: in hoc clarificatus est Pater meus ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei Discipuli. Sicut dilexit me Pater & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea: si Præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est Præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem C dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat, ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: Non est servus major Domino suo, si me persecuti sunt, & vos persequentur, si sermonem meum servaverint, & vestrum servabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non D habent de peccato suo. Qui odit me, odit & Patrem meum. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt & oderunt me & Patrem meum: sed ut impleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Cùm autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. Absque synagogis facient vos, sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, & hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me; sed hæc locutus sum vobis, ut cùm venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum; sed ego veritatem dico vobis. Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de justitia verò; quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me: de judicio autem; quia princeps hujus mundi jam judicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis. Modicùm & jam non videbitis me, & iterum modicùm & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex Discipulis ejus ad invicem: Quid est hoc quod dicit nobis, modicùm & non videbitis me, & iterùm modicùm & videbitis me, quia vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit nobis, modicùm? Nescimus quid loquitur. Cognovit autem Jesus quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, modicùm & non videbitis me, & iterùm modicùm & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cùm autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterùm autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, & in die illo non rogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Usque modò non petistis quicquam in nomine meo: petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hæc in proverbiis locutus sum vobis: venit enim hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annunciabo vobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exivi. Exivi à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad Patrem. Dicunt ei Discipuli ejus: ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est opus tibi, ut quis te interroget. In hoc cognovimus qui à Deo existi. Respondit eis Jesus: modò creditis. Ecce venit hora & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquitis, & non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum. Hæc locutus est Jesus, & sublevatis in cœlum oculis dixit, Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis: ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super

a Secundùm aliquos non explicat Evangelista quò iverit Dominus & dixerit sequentia, quia nondum transierat torrentem Cedron. Nec erat hymnus dictus, nisi velimus uti regulâ vel anticipationis vel rememorationis.

super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum, claritate quam habui priusquàm mundus esset apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum servaverunt, & nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi dedi eis, & ipsi acceperunt & cognoverunt verè, quia à te exivi & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et jam non sum in mundo: & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos. Cùm essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, quos dedisti mihi ego custodivi & nemo ex eis periit nisi Filius perditionis, ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum, & ego pro ipsis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro his autem rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut & ego Pater in te, & tu in me: ut & ipsi in nobis unum sint, ut mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem quam tu dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti. Pater quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi & hi cognoverunt quia tu me misisti, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, ut dilectio quâ dilexisti me in ipsis sit & ego in ipsis.

De Oratione Jesu & sua captione. M. 26. R. 14. L. 22. J. 18.

CAPUT CXLII.

HÆc J. cùm dixisset Jesus & M. hymno R. dicto exierunt in montem Oliveti, & L. egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Olivarum J. cum Discipulis suis trans torrentem M. R. Cedron, tunc venit cum illis in villam R. prædium M. R. cui nomen Gethsemani. Secuti L. sunt autem eum & Discipuli ejus. Et cum pervenisset ad locum. J. ubi erat hortus in quem introvit ipse & Discipuli ejus. Sciebat & Judas, qui tradebat eum locum, quia frequenter convenerat Jesus illùc cum Discipulis suis, & M. dixit R. Sedete hîc donec M. vadam illuc M. & orem L. & dixit illis orate ne intretis in tentationem. R Et assumit Petrum & Jacobum & Joannem secum M. Assumpto autem Petro & duobus filiis Zebedæi, cœpit M. contristari & mœstus esse, pavere R. & tædere. Tunc M. ait R. illis: Tristis est anima mea usque ad mortem, sustinete hîc & vigilate mecum: & L. ipse avulsus est ab eis quantum est jactus lapidis. Et progressus M. R. pusillùm procidit M. in faciem suam super R. terram & orabat, ut, si fieri posset transiret ab eo hora. Et dixit: Abba Pater omnia possibilia sunt tibi: transfer hunc calicem à me: sed non quod ego volo, sed quod tu. R. orans dicebat: Mi *a* Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed
A sicut tu. Et venit ad Discipulos suos, & M. invenit R. eos dormientes, & dixit Petro sic: Simon R. dormis? Non M. potuisti R. unâ horâ vigilare mecum? vigilate & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundò abiit & oravit eundem sermonem dicens. Pater M. mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit M. R. iterùm & invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati & ignorabant R. quid responderent ei. Et relictis M. illis iterum abiit & oravit eundem sermonem. Et positis L. genibus orabat dicens: Pater, si vis transfer calicem istum à me: veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat. *b* Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in ago-
B nia prolixiùs orabat, & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cùm surrexisset ab oratione & venisset ad Discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia, & ait illis: Quid dormitis? dormite jam M. R. & requiescite. Sufficit R. surgite L. & orate, ne intretis in tentationem. Ecce M. appropinquabit R. hora & Filius hominis tradetur in manus peccatorum, surgite eamus. Ecce qui me tradet, propè est. Judas J. ergo cùm accepisset cohortem à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis, & M. adhuc R. Jesu loquente, ecce Judas Iscariothis unus ex duodecim & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi M. à principibus Sacerdotum & Scribis R. & Senioribus M. R. populi. Dederat autem traditor eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est tenete eum, & ducite R. cautè, & L. antecedebat eos, & appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. Et M cùm venisset R. statim accessit ad eum & ait: Rabbi R. Ave M. Rabbi: & M. osculatus R. est eum. Dixit M. ei Jesus: Amice, ad quid venisti? Juda
C osculo Filium hominis tradis? Jesus J. itaque sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dixit eis Jesus: ego sum. Stabat autem & Judas qui tradidit eum cum ipsis. Ut ergo dixit eis Jesus, ego sum: abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogavit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire, ut impleretur sermo quem dixit, quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. *c* Tunc M. accesserunt & manus M. R, injecerunt in Jesum & tenuerunt eum. Videntes L. autem hi qui cum ipso erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? Respondens autem Jesus ait: Sinite usque hunc. *d* Simon M. R. ergo Petrus habens gladium eduxit eum & percussit Pontificis summi R. Sacerdotis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. J. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut
D bibam illum. Omnes M. enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim Legiones Angelorum? Quomodò ergo implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri. At L. cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. Et respondens Jesus M. in illa hora dixit turbis R. ait illis L. & ad eos qui venerant ad se principes Sacerdotum

a Potest intelligi quod Christus bis ita dixit.

b Probabile est quod fuit Gabriel.

c Intelligendum est postquam Judas osculatus est Jesum, quia præcesserat regressus ad turbam ad quam Jesus processit.

d Intelligendum est quòd non expectata responsione Christi, Petrus percussit.

tum *a* & Magistratus Templi & Seniores, tanquam M. L. ad latronem exiistis cum gladiis & fustibus comprehendere me, cùm quotidie L. fuerim vobiscum in Templo, & sedebam M. docens & non M. me R. tenuistis. Non extendistis manus in me, sed hæc est hora vestra & potestas tenebrarum. Hoc M. autem R. totum factum est ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc M. Discipuli R. relicto eo omnes fugerunt. Adolescens R. autem quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo & tenuerunt eum. Et ille relicta syndone nudus profugit ab eis. Cohors J. autem & Tribunus & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum; & tenentes M. L. ligaverunt eum & adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Cayphæ qui erat Pontifiex Anni illius. Erat autem Cayphas qui consilium dederat Judæis, quia expedit unum hominem mori pro populo. Et convenerunt R. in unum omnes Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi & Seniores.

a Supervenerant fortè aliqui cum turba vel post. Vel ideò dicuntur principes venisse, quia miserunt suos.

De missione Jesu ad Annam, & prima negatione Petri. M. 26. R. 14. L. 22. J. 18.

CAPUT CXLIII.

SEQUEBATUR J. autem Jesum Simon Petrus & alius Discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo alius Discipulus qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum R. Et cùm esset Petrus in atrio deorsum R. M. venit una ex ancillis J. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria summi R. Sacerdotis cùm vidisset Petrum calefacientem se: L. & eum fuisset intuita sedentem ad lumen: Ait & M. tu cum Jesu Nazareno R. Galilæo eras. Nunquid J. & tu ex Discipulis es hominis istius? Et hic L. cum illo erat. At M. ille R. negavit L. illum coram omnibus dicens: Mulier L. non novi illum. Non J. sum, neque R. scio, neque novi quid dicas. Stabant J. autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Et R. exivit foras ante atrium, & gallus cantavit. Pontifex J. ergo interrogavit Jesum de Discipulis & de Doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga & in Templo quò omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quæ locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quid dixerim ego. Hæc cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem benè, quid me cedis? Et misit eum Annas ligatum ad Caypham Pontificem.

De missione Jesu ad Caypham. M. 26. R. 14. L. 22. J. 18.

CAPUT CXLIV.

AC M. illi tenentes Jesum duxerunt illum ad Caypham principem Sacerdotum ubi Scribæ, Seniores & Pharisæi convenerant. Petrus M. R. autem sequebatur eum à longè usque in atrium principis Sacerdotum, & ingressus intrò sedebat cum ministris, ut M. videret finem. Accenso L. autem igne in medio atrio, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum & calefaciebat se ad ignem. Principes autem Sacerdotum & omne Consilium quærebant falsum testimonium contra Jesum ut eum morti traderent, & non inveniebant cum multi falsi testes accessissent, & R. convenientia testimonia non erant, R. & quidam surgentes M. Novissimè autem venerunt duo falsi testes, & R. falsum testimonium ferebant adversùs eum dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem. Ego dissolvam Templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manu factum A ædificabo. Hic M. dixit: Possum destruere Templum Dei & post triduum reædificare illud. Et R. non erat conveniens testimonium illorum. Et exurgens summus Sacerdos M. princeps Sacerdotum in medio interrogavit Jesum dicens. Non respondes quicquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacebat & nihil respondit. Rursùs summus Sacerdos interrogavit eum & dixit ei: Adjuro M. te per Deum vivum ut dicas nobis si es Christus Filius Dei benedicti. R. Dixit illi Jesus: Tu dixisti, Ego R. sum. Veruntamen M. dico vobis; amodò videbitis M. R. Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: blasphemavit, quid adhuc egemus testibus & desideramus R. testes? Ecce M. nunc R. audistis blasphemiam, quid vobis videtur? qui R. omnes M. condemnaverunt eum reum esse mortis. Et L. viri qui tenebant eum, illudebant B ei. Tunc M. expuerunt R. L. in faciem ejus & velaverunt L. eum cædentes L. eum colaphis R. & L. interrogaverunt M. eum dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit; & R. ministri eum alapis cædebant, & alia multa blasphemantes dicebant in eum.

De secunda & tertia negatione Petri M. 26. R. 14. L. 22. J. 18.

CAPUT CXLV.

EXEUNTE M. autem Petro januam, rursùs R. cùm vidisset illum alia. M ancilla R. cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. Hic M. erat cum C Jesu Nazareno, & L. post pusillum alius videns eum dixit: Et tu ex illis es; erat J. autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei, nunquid & tu ex Discipulis ejus es? Et iterum negavit cum juramento, quia non novi hominem, & M. post R. pusillum, intervallo L. quasi horæ unius, rursus M. R. qui astabant M. accesserunt ad eum R. M. & dicebant Petro: Verè ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela M. tua manifestum te facit. Dixit J. unus ex servis Pontificis cognatus ejus, cujus Petrus abscidit auriculam, nonne ego te vidi in horto cum illo? Ille R. autem cœpit anathematizare, detestari M. & jurare M. R. quia R. nescio hominem istum quem dicitis. Et continuò L. adhuc eo loquente iterùm R. gallus M. R. cantavit L. J. & L. conversus Dominus respexit Petrum. Et M. recordatus L. R. est Petrus verbi Domini sicut dixerat, quòd priusquam gallus cantet bis, R. ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè.

D

De tertia conventione Seniorum & traditione Jesu Pilato. M. 27. R. 14. & 15. L. 22. & 23. J. 18. & 19.

CAPUT CXLVI.

MANE M. autem facto, ut factus L. est dies: Consilium M. inierunt omnes *a* principes Sacerdotum

a Intelligendum est quòd bis convenerunt in domum Cayphæ reservato ibidem & à servis custodito non sine contumeliis & flagellis.

tum & Seniores populi adversùs Jesum, ut eum morti traderent. Et adduxerunt L. eum in Consilium suum dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis. Si dixero vobis, non credetis mihi, si autem & interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes. Tu ergo es Filius Dei, qui ait. Vos dicitis quia ego sum. At A illi dixerunt. Quid adhuc desideramus testimonium, ipsi enim audivimus de ore ejus? Et surgens omnis multitudo eorum, & R. vincientes M. Jesum duxerunt illum ad Pilatum à Caïpha in Prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo ad eos Pilatus foras & vinctum M. adduxerunt & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Tunc videns Judas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus retulit xxx. argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus populi dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt, quid ad B nos? Tu videris. Et projectis in Templo argenteis recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum: propter hoc vocatus est ager ille Aceldemach, hoc est ager sanguinis usque in hodiernum diem. *a* Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt xxx. argenteos pretium appretiati quod appretiaverunt à Filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Jesus autem stetit ante Præsidem. Et J. dixit Præses: quam accusationem affertis adversùs hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ego eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm Legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo Judæi: nobis non licet interficere quemquam, ut Sermo Jesu impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus. Cœperunt L. XXII. autem illum accusare dicentes: hunc inve- C nimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse. Pilatus ergo interrogavit eum dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens ait: Tu dixisti. Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant dicentes: commovit populum, docens per universam Judæam incipiens à Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quòd de Herodis Potestate esset, remisit eum ad Herodem qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Jesu gravisus est valdè. Erat enim ex multo tempore cupiens videre eum, eò quòd audierat multa de illo, & sperabat signum aliquod ab eo videre fieri. Interrogabat ergo illum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat. Stabant etiam principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus autem convocatis principibus Sacerdotum & Magistratibus & plebe dixit ad illos: Obtulistis mihi hominem hunc quasi avertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam invenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis, sed nec Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Intravit ergo iterum in Prætorium Pilatus, & vocavit Jesum & dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid Judæus ego sum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Dixit itaque Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium præhibeam veritati. Omnis qui ex veritate est, audit vocem meam. Dixit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, ad Judæos iterùm exivit & dixit eis: Ego nullam causam invenio in eo. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? L. Exclamavit autem simul universa turba dicens, tolle hunc & dimitte nobis Barrabam. J. Clamabant omnes rursùm dicentes: Non hunc sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro, qui L. erat propter seditionem quamdam factam in civitate, & homicidium missus in carcerem. Iterùm ergo Pilatus locutus est ad illos: volens dimittere Jesum. At illi succlamabant dicentes: Crucifige! crucifige illum. Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum & dimittam. Tunc J. XIX. ergo Pilatus apprehendit *a* Jesum & flagellavit & milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circundederunt eum, & veniebant ad eum & dicebant: Ave Rex Judæorum, & dabant ei alapas. Exiit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum: & dicit eis Ecce homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos & crucifigite. Ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos Legem habemus, & secundùm Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit, & ingressus est iterùm in Prætorium, & dicit ad Jesum. Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ei Pilatus: Mihi non loqueris, nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes Potestatem adversùs me ullam, nisi tibi esset datum de super, propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et ex inde quærebat Pilatus dimitere eum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus ergo cùm audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro Tribunali in loco qui dicitur Licostrotos, Hebraicè autem Golgotha. *b* Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta. Et dicit Judæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant dicentes: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. *c* Et R. XV. accusabant eum D summi Sacerdotes in multis M. & cum accusaretur à principibus Sacerdotum & Senioribus populi nihil respondit. Pilatus R. autem rursùs interrogavit eum

a Quamvis hæc Prophetia sit magis in Zacharia, nihilominùs venit in mente Jeremiæ propter aliquam similitudinem quorumdam verborum hîc positorum cum verbis suis, & non curavit mutare quoniam omnes Prophetæ uno spiritu locuti sunt, tanquam si unus Scriptor diversis calamis conscriberet.

a Videntur etiam plures fuisse flagellationes Christi, ut ista quæ facta est ad satisfaciendum Judæis veluti quædam punitio, altera verò juxta Legem Romanorum secundùm quam prius flagellabatur occidendus.

b Probabile est Jesum crucifixum inter tertiam & sextam horam, & quia medium participat extrema. Marcus ponit tertiam, alii sextam vel quasi sextam.

c Intelligendum est multa fuisse facta & dicta & per Pilatum & Judæos, quorum aliqua narrat Evangelista aliter alia, & aliquando talia quæ videntur esse simillima, sicut potuerunt.

eum dicens: Non respondes quicquam, vides in quantis te accusant M. non audis quanta adversùm te dicunt testimonia M. R. Jesus autem ampliùs nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus Præses M. vehementer L. R. Per diem autem Festum solebat dimittere illis unum ex vinctis quemcunque petissent. Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum seditiosis vinctus erat, qui in seditione fecerat homicidium. Et cùm ascendisset turba cœpit rogare sicut semper faciebat illis. Congregatis M. ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Barrabam an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent summi R. Sacerdotes. Sedente M. autem eo pro Tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens: Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem Sacerdotum & Seniores persuaserunt populis & concitaverunt R. turbam ut M. peterent Barrabam: Jesum verò perderent. Respondens autem Præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barrabam. Dicit illis Pilatus. Quid ergo faciam de Jesu qui dicitur Christus? R. Quid vultis faciam Regi Judæorum: M. dicunt omnes crucifigatur. R. at illi iterùm clamaverunt crucifige eum L. instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur & invalescebant voces eorum M. R. Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes, crucifigatur. Videns autem Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, acceptâ aquâ lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis. Et respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos & super filios nostros. Adjudicavit L. fieri petitionem eorum. J. Tunc ergo tradidit eis illum M. L. dimisit illis M. Barrabam L. eum qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem quem petebant M. L. Jesum verò *a* flagellatum M. J. tradidit L. voluntati eorum M. J. ut crucifigeretur. Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in Prætorio congregaverunt ad eum universam cohortem, & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus, & genuflexo ante eum illudebant dicentes: Ave Rex Judæorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamidem & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigeretur. Pilatus R. autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabam, & tradidit eis Jesum flagellis cæsum ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt Jesum intrò in Atrium Prætorii, & convocant totam cohortem & induunt eum purpurâ, & imponunt ei plectentes coronam spineam, cœperunt salutare eum dicentes: Ave Rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpurâ, & induerunt illum vestimentis suis.

a Hæc flagellatio videtur eadem cum præcedenti.

De eductione Jesu ad crucem & ejus crucifixione.
M. 27. R. 15. L. 23. J. 19.

CAPUT CXLVII.

SUSCEPERUNT J. autem Jesum & eduxerunt eum & bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè Golgotha. Et cum ducerent eum, M. exeuntes invenerunt R. quemdam prætereuntem M. hominem nomine M. R. L. Symonem Cyrenæum venientem de villa Patrem R. Alexandri & Rufi. Hunc M. angariaverunt apprehenderunt M. R. ut tolleret crucem ejus, & L. imposuerunt illi crucem portare post Jesum. Sequebatur autem illum turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus dixit: Filiæ Jerusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus, cooperite nos, quia si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo ut interficerentur. Et M. venerunt R. & perducunt eum M. R. L. J. in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. *a* Et dederunt ei vinum myrrhatum M. R. bibere M. cum felle mixtum, & cùm gustasset, noluit bibere, & non R. accepit. Ibi L. crucifixerunt eum J. M. R. L. cum eo alios duos L. M. R. latrones, unum à dextris & alterum à sinistris, hinc J. & hinc, medium autem Jesum. Et R. impleta est Scriptura quæ dicit: & cum impiis deputatus est. Jesus L. autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. M. Et sedentes servabant eum & imposuerunt super caput ejus causam ejus scriptam. Scripsit J. autem & Pilatus L. titulum causæ R. ejus, & posuit super crucem, super caput M. ejus. Erat L. autem superscriptio scripta super illum litteris Græcis, Latinis & Hebraïcis: Hic M. est Jesus Nazarenus L. Rex M. R. Judæorum L. J. Hunc L. ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia propè civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus, & erat Hebraïcè, Græcè & Latine scriptus. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: noli scribere Rex Judæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi scripsi. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem. Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit, ut Scriptura impleretur dicens. Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem, & milites quidem hæc fecerunt: erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.

a Bis datum est, vel hæc est præoccupatio per M. R. & L.

De irrisione Jesu in cruce & de verbis ejus & signis post mortem. M. 27. R. 15. L. 23. & J. 19.

CAPUT CXLVIII.

PRÆTEREUNTES autem blasphemabant eum, moventes capita sua & dicentes. *a* Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas, salva te ipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes Sacerdotum R. Summi Sacerdotes M. R. illudentes, ad alterutrum cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce ut videamus, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si vult, dixit enim, quia Filius Dei sum. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei & conviciabantur R. L. stabat populus expectans, & deridebant illum Principes cum eis dicentes: Alios salvos fecit, seipsum salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes illi & dicentes: si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. *b* Unus autem ex his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens. Si tu es Christus, salvum fac te ipsum & nos. Re-

a Ultra glossam prædictam videatur Augustinus, qui refert hoc dictum R. ad crucifixionem linguarum, & ita ponitur hic per rememorationem.

b Potuit sic fuisse in principio, scilicet unus conversus est. Vel est modus loquendi quo factum unius refertur ad plures.

Respondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem justè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Erat autem ferè hora sexta. Stabat J. autem juxta crucem Jesu Maria Mater ejus & soror Matris
A ejus Maria Cleophe & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Jesus Matrem & Discipulum stantem quem diligebat, dixit Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo, ecce Mater tua: & ex illa hora accepit eam Discipulus in sua. A M. sexta R. L. autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, & obscuratus est sol. Et M. circa R. horam nonam exclamavit Jesus voce magna dicens: Heli, Heli, lamazabatani, R. quod est interpretatum M. hoc est, M. R. Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes dicebant: Heliam vocat iste. Et continuò currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit M. arundini R. calamo dabat ei M. potum M. R. bibere. M. Ceteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Helias liberans eum R. ad deponendum eum. J. Postea sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit, sitio. Vas ergo positum erat aceto ple-
B num. Illi autem spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cùm ergo accepisset Jesus acetum, dixit consummatum est. Et L. clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens expiravit R. L. & inclinato J. capite tradidit & emisit M. spiritum. Et M. ecce R. velum Templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. Et M. terra mota est, & petræ scissæ, & monumenta aperta sunt. *a* Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, resurrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in civitatem sanctam, & apparuerunt multis. Centurio autem R. qui ex adverso stabat M. L. videns L. quod factum erat & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, & quia sic clamans expirasset, timuerunt valdè, dicentes, verè Filius Dei erat iste. Et glorificavit L. Deum Centurio dicens: Verè hic homo justus erat, R. filius Dei erat L. & omnis tur-
C ba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longè. Erant M. autem R. & ibi mulieres multæ de longè aspicientes L. M. quæ secutæ eum erant a Galilæa L. hæc videntes M. R. inter quas erat Maria Magdalene & Maria Jacobi minoris & Joseph mater, & Salome & mater filiorum Zebedæi. Et cùm essent in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei, & aliæ multæ quæ simul ascenderant cum eo Jerosolymam.

a Dubium est an modò vel die Resurrectionis resurrexerint, & si rursus obierunt.

De sepultura Domini. M. 27. R. 15. L. 23. J. 19.

CAPUT CXLIX.

D JUDÆI J. ergo quoniam Parasceve erat ut non remanerent in cruce corpora Sabbato. Erat enim magnus dies ille Sabbati, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites & primi quidem fregerunt crura & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterùm alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Post hæc autem. Cum M. R. sero autem factum esset, quia R. erat Parasceve quod est ante Sabbatum venit M. quidam homo dives ab Arimathia, nomine Joseph, nobilis R. decurio, vir L. bonus & justus. Hic non consenserat consilio & actibus eorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. Et M. Discipulus J. erat Jesu, occultus L. autem propter metum Judæorum, M. L. hic accessit R. & audacter introivit ad Pilatum & petiit J. rogavit ut tolleret M. R. L. J. corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset, & accersito Centurione interrogavit eum si jam mortuus esset, & cùm cognovisset à Centurione, donavit & jussit M. Permisit J. Pilatus M. reddi corpus Jesu. J. Venit ergo & tulit corpus Jesu M. & accepto corpore Joseph R. mercatus sindonem & deponens eum L. depositum M. R. L. involvit syndone munda. M. Venit J. autem & Nicodemus qui venerat ad Jesum nocte primùm ferens mixturam myrrhæ & aloës libras quasi centum. Acceperunt ergo corpus Jesu & ligaverunt linteis illud cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus est hortus, & in horto monumentum novum. Et M. posuit eum Joseph in monumento suo novo quod excidit in petra, In L. J. quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo R propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. Et advolvit M. Joseph saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Maria R. autem Magdalene & Maria Joseph M. & altera Maria erant ibi R. aspiciebant ubi poneretur, sedentes M. contra sepulchrum. Et L. dies erat Parasceves & Sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres quæ cum ipso venerunt de Galilæa viderunt monumentum, & quemadmodùm erat positum corpus ejus. Et revertentes paraverunt aromata & unguenta, & Sabbato quidem siluerunt secundùm Mandatum. Altera M. autem die quæ est post Parasceven convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium. Ne fortè veniant Discipuli ejus & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis; & erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis, illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

De resurrectione Domini per totum. Et continet multas rubricellas pro multitudine gestorum. M. 28. R. 16. L. 24. & J. 20. & 21.

CAPUT CL.

VESPERE M. autem Sabbathi quæ lucessit in prima Sabbati venit Maria Magdalena & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de cœlo. Et accedens revolvit lapidem & sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: & vestimenta ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes: & facti sunt velut mortui. R. Cum transisset Sabbatum Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum. Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. L. portantes quæ paraverunt aromata R. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respici-

piciẽtes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè. L. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu M. Respondens M. autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quòd Jesum qui crucifixus est quæritis, non est hic, surrexit enim sicut dixit. Et introëuntes R. in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris coopertum stolâ candidâ, & obstupuerunt, qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum, non est hic: Ecce locus ubi A posuerunt eum, sed ite, dicite Discipulis ejus & Petro, quia præcedet vos in Galilæam ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Et L. factum est, dum mente essent consternatæ de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum autem timerent & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis. Non est hic, surrexit. Recordamini qualiter locutus est vobis cùm adhuc in Galilæa esset dicens, quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum & crucifigi, & tertia die resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus. L. Et egressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim & ceteris omnibus R. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaserat eas enim tremor & pavor & nemini quicquam dixerunt, timebant enim. Una J. xx. autem Sabbati Maria Magdalene venit mane cùm adhuc tenebræ B essent ad monumentum. Et vidit revolutum lapidem à monumento. Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum & ad alium Discipulum quem diligebat Jesus, & dixit eis: tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Exivit ergo Petrus & ille alius Discipulus quem diligebat Jesus, & venerunt ad monumentum. Currebant ergo duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita & sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introivit, & ille Discipulus qui venit primus ad monumentum & vidit & credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum è mortuis C resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos Discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conversa est retrorsum, & vidit Jesum stantem & non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: mulier quid ploras, quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti illum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam? Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei: Rabboni, quòd dicitur Magister. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Vade autem ad fratres meos & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Et M. mulieres exiverunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare Discipulis suis. Et ecce Jesus occurit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt & tenuerunt D pedes ejus & adoraverunt eum. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere. Ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cum abiissent ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem & nunciaverunt principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum Senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes: Dicite quia Discipuli ejus nocte venerunt & furati sunt eum, nobis dormientibus, & si hoc auditum fuerit à Præside nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi acceptâ pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem. Surgens R. autem Jesus mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalene de qua ejecerat septem dæmonia. Et R. illa vadens nunciavit his qui cum eo fuerant lugentibus & flentibus. Venit J. enim Maria Magdalene annuncians Discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. At R. illi audientes, quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt. Erant L. autem Maria Magdalena & Joanna, & Maria Jacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. Quæ regressæ à monumento nunciaverunt hæc omnia illis XI. & ceteris omnibus. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat. R. Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam L. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum LX. ab Jerusalem, nomine Emaüs, & ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur in via & secum quærerent, & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis. Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes: Et respodens unus, cui nomen Cleophas dixit: tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt. De Jesu Nazareno qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. Et quomodò tradiderunt eum summi Sacerdotes & Principes nostri in damnationem mortis & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus qnod ipse esset redempturus Israël. Et nunc super hæc omnia, tertia dies est quo hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non invento corpore ejus venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non invenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ: Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquaverunt castello quo ibant, & ipse se finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies, & intravit cum illis. Et factum est cum recumberet cum illis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dùm loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem. Et invenerunt congregatos XI. & eos qui cum ipsis erant, dicentes quia surrexit *a* Dominus verè & apparuit Simoni, & ipsi narrabant quæ gesta erant in via & quomodò cognoverunt eum in fractione panis. Et R. illi euntes nuntiaverunt ceteris. Nec illi crediderunt. Dùm L. hæc loquerentur, Jesus stetit in medio eorum, & dicit eis. Pax vobis, ego sum, nolite timere. Conturbati verò & conterriti existimabant se spiritum videre. *b* Et dixit eis: Quid turbati estis & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pe-

a Patet hîc quod apparuerat Simoni.

b Intelligendum est non de omnibus sed de aliquibus; inter quos Thomas fuit, qui egressus, propterea non vidit illo die Christum cum aliis, in quinta apparitione.

& pedes meos quia ego ipſe ſum: palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piſcis aſſi & favum mellis. Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis, & dixit ad eos: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt implere omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas: & dixit eis, quoniam ſic ſcriptum eſt, A
& ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicare in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jeroſolyma. Vos autem eſtis teſtes horum, & ego mittam promiſſum Patris meis in vos. Vos autem ſedete in civitate quoad uſque induamini virtute ex alto J. Cum J. ſerò ergo eſſet die illa una Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ ubi erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jeſus & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gaviſi ſunt ergo Diſcipuli, viſo Domino. Dixit ergo eis iterum Jeſus: Pax vobis. Sicut miſit me Pater & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet, inſufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didimus, non erat cum eis quando venit Jeſus. B
Dixerunt ergo ei alii Diſcipuli: vidimus Dominum. Ille autem dixit. Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et poſt dies octo iterum erant Diſcipuli ejus intùs, & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas & dixit ei: Dominus meus & Deus meus. Dicit ei Jeſus: Quia vidiſti me Thoma credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum quæ non ſunt ſcripta in Libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis quia Jeſus Chriſtus eſt Filius C
Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. Poſteà manifeſtavit ſe iterùm Jeſus ad mare Tiberiadis, manifeſtavit autem ſic: Erant ſimul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didimus, & Nathanaël qui erat à Chana Galilææ & filii Zebedæi & alii ex Diſcipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcari. Dicunt ei: venimus & nos tecum. Et exierunt & aſcenderunt in navim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem jam facto, ſtetit Jeſus in litore, non tamen cognoverunt Diſcipuli quia Jeſus eſt. Dixit ergo eis Jeſus: Pueri nunquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei, non. Dixit eis: Mittite in dextram navigii rete & invenietis. Miſerunt ergo rete, & jam non valebant trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo Diſcipulus ille quem diligebat Jeſus Petro: Dominus eſt. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunicâ ſuccinxit ſe. Erat enim nudus & miſit ſe in mare. Alii autem Diſci- D
puli navigio venerunt, non enim longè erant à terrâ, ſed quaſi cubitis ducentis trahentes rete piſcium. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum & panem. Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc. Aſcendit autem Simon Petrus, & traxit rete plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis Jeſus: Venite prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum. Tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt. Et venit Jeſus & accepit panem & dabat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc jam tertiò manifeſtatus eſt Jeſus Diſcipulis ſuis cum reſurrexiſſet à mortuis. Cùm ergo prandidiſſent dicit Simoni Petro Jeſus: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine tu ſcis, quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannes diligis me? Ait ille: Etiam Domine tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit tertiò, amas me? Et dicit: Domine tu omnia ſcis, tu ſcis quia amo te. Dicit ei, paſce oves meas. Amen amen dico tibi, cùm eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cùm autem ſenueris, extendes manus tuas & alius te cinget & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et cum hoc dixiſſet, dixit ei: ſequere me. Converſus Petrus vidit illum Diſcipulum quem diligebat Jeſus ſequentem, qui & recubuit in cena ſuper pectus ejus & dixit: Domine, quis eſt qui tradet te? Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Jeſus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Exivit ergo ſermo iſte inter fratres, quia Diſcipulus ille non moritur. Et non dixit Jeſus quia non moritur. Sed ſic eum volo manere, quid ad te? Hic eſt Diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. *a* Undecim M. autem Diſcipuli abierunt in Galilæam in montem ubi conſtituerat illis Jeſus. Et videntes adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jeſus locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. Docete eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Noviſſimè R. autem *b* recumbentibus. xi. apparuit illis Jeſus, & exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis: quia his qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eos nocebit: Super ægros manus imponent & benè habebunt. Eduxit L. autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus ſuis; benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis & ferebatur in cœlum. Et R. Dominus quidem Jeſus poſtquam locutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei. Et L. ipſi adorantes regreſſi ſunt Jeruſalem cum gaudio magno. Et erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum. Illi R. autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sunt J. autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula: nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt Libros.

Probabile eſt multos alios ibi fuiſſe ab xi. ſicut Apoſtolus loquitur quòd apparuit pluſquam quingentis fratribus ſimul. in quibus aliqui potuerunt dubitare, vel non crediſſe illis qui videbant.

b Videtur apud Lucam hæc apparitio fuiſſe facta in die Paſchæ: ubi vigilanter intendatur aliorum ſimul Evangeliſtarum narratio ſupplementum eorum quæ Lucas omiſit, non ex ignorantia, ſicut patet. *Actuum* 1. ubi narrat ſe præbuiſſe vivum in multis argumentis per dies quadraginta.

F I N I S.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

LECTIONES DUÆ

PERUTILES


SUPER MARCUM.

MONITUM.

Hæ Lectiones ad commendationem propositi nostri & voti multùm faciunt, & valent. Scriptæ in secessu; ut patet ex his verbis Lectionis secundæ. Placuit itaque paternæ Providentiæ supremæ Majestatis, me per aliquot jam tempora in deserto tribulationis & cujusdam solitudinis collocare.

Collat. ad Codd. MSS. Victorin. 699. *& Navarr. unum.*

LECTIO PRIMA.



ICUT scriptum est in Isaïa Propheta : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te, Marc. I. 2. Textus præsens hodiernæ lectionis secundùm diversas punctuationes & postillarum sententias ad præcedentia & subsequentia variè coaptatur: nam quia autoritas ista, *Ecce ego mitto Angelum meum*, non de Isaïa sed de Malachia, *Malach.* III. I. sumpta est, referri posse dixerunt quidam hanc particulam *sicut scriptum est in Isaïa Propheta*, ad illud quod immediatè præmittitur, tanquam in ejus confirmationem atque fulcimentum, ut sit sensus. *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei*, id est qui fuit Filius Dei. Et quasi parum sibi, absque Prophetico testimonio, istud posuisse, addidit, *sicut scriptum est in Isaïa Propheta*. Potest enim ab hoc Propheta trahi Christum fuisse Deum, atque Dei Filium, vel quia vocatus est *Emanuel*, Isaïæ VIII. 8. & LIII. 8. *Generationem ejus quis enarrabit ?* De æterna ejus à Patre productione B dictum est, & ex primo Capitulo & aliis ibidem elicitur.

Dissolvitur hoc modo impia Porphyrii hæretici blasphemia, quâ nisus est probare Evangelistam nostrum damnare mendacii; quia illud quod dictum est, neque tamen coarctat talis objectio ut ad hanc expositionem fugiamus. Constat itaque Prophetas omnes uno & eodem Spiritu suas contexuisse Prophetias, ac proinde quod unus posuit (quia non tàm ipse quàm Spiritus sanctus loquebatur) potest ab altero (qui similiter est Spiritus sancti instrumentum) intelligi quodammodo dictum seu positum, & si non explicitè, tamen implicitè. Dicunt igitur alii vel iidem aliter, duas in textu particulas à duobus Prophetis excerptas.

Prima est Malachiæ tàm sensu quàm verbis. Secunda est Isaïæ (quæ cum prima similem satis explicat A sententiam) ubi dicitur *Vox*. Et quoniam Isaïas principalior fuit atque famosior & legentibus notior, quia insuper finis plerumque rem totam denominat; placuit Evangelistæ nostro, qui etiam brevitati studebat, non duos Prophetas, sed unum & hunc majorem nominare.

Et sub hoc sensu recepit Ecclesia, sive originale Marci Evangelium sic habuerit, ut tenet Beda in commento, sive à quibusdam non rectè scribentibus additum fuerit, quemadmodùm sensisse videtur Hieronymus super Psalmos. Incipit igitur secundùm hunc expositionis modum Evangelista noster suam texere rationem: ubi notandum occurrit quod ait in Commento. Scripturus, inquit, Evangelium Marcus congruè primò ponit omnium testimonia Prophetarum qui hoc futurum præcinebant ut eo cunctis vera & sine scrupulo dubietatis sustinenda quæ scriberet, intimaret; quo hæc à Prophetis Spiritu sancto impletis anteà præscita & prædicta esse monstraret, simulque uno eodemque Evangelii sui principio, & Judæos qui Legem ac Prophetas susceperant, ad suscipiendum Evangelii sacramenta quæ ipsorum Prophetæ prædixerant instituit. Et gentiles qui per omnia Evangelii præconia ad Deum venerant, ad autoritatem quoque Legis & Prophetarum suscipiendam venerandamque provocaret.

Hic instruimur dicta nostra sacrarum Scripturarum testimoniis roborare, quia parum ignitum est, & minus efficax verbum quod non incaluerit & fulcitum fuerit ab eloquio Dei quod est ignitum vehementer, & nisi vivificatum fuerit à sermone ejus qui est *vivus & efficax*, secundùm Apostolum, *& penetrabilior omni gladio ancipiti*, Hebr. IV. 12. Non tamen æstimo curiositatem in allegationibus hujusmodi consectandam; sed quousque prosunt studiosis & ædificant charitatem: alioquin cumulus ille truncatarum autoritatum malè congestus, & informis congeries allegationum suæ origini non convenientium quid proficit, quid nisi

nisi fortassis ostentationem operatur? Sed neque sunt inculpabiles qui prophanis postpositis, Lectionibus Sacris, toto ore personant, totis viribus amplectuntur, sicut scriptum est per Isaïam Prophetam. Non in Philosophis, non in Poëtis & fabulis, sed in Propheta. Ubi propter hæc eliditur impia Manichæi blasphemia, quâ sic delirare ausus est, ut diceret Prophetas Veteris Testamenti à Deo tenebrarum missos esse. Quod si verum esset, sicut non est, nunquam veritatis A Notarius Evangelista noster eundem vocasset in testimonium narrationis suæ. Nihil enim roboris habet verbum illius qui pater est mendacii. Sed in hoc loco convenienter essent improbandi qui Prophetas veros aut constellationibus imputant, quemadmodùm Avicenna, Albumasar & alii nonnulli; aut qui execrabiliori deliramento Prophetas fabulantur magicam artem exercuisse, tanquam medium adipiscendi præcognitionem occultorum: verùm super his olim latiùs tractabimus, si Deus annuerit.

Nunc audiamus quid in Isaïa Propheta scriptum est: *Ecce*, inquit, *Ego mitto Angelum meum.* Non dubium quin Joannem Baptistam, qui ut Beda ait, Angelus vocatur non societate naturæ, juxta hæresim Origenis, sed officii dignitate: quo nomine rectè appellari potest *homo* ille qui *fuit missus a Deo ut testimonium perhiberet de lumine*, Joan. I. 6. 7. & venientem in carne Dominum mundo nunciaret, quia Ange- B lus nuncius appellatur. In hoc quod præmittitur, *Ecce*, notatur ex demonstratione grandis & insolita novitas. In hoc quod subjungitur, *Ego mitto*, datur intelligi ex majestate mittentis Dei, missi magna dignitas. Dehinc præsens pro futuro ponitur, quia inconcussa erat tanquam de præsenti fieret certitudo demonstrationis atque stabilitas. Joannes insuper non quicunque, sed Angelus suus, scilicet Dei. Attende proximitatem cùm ait, *ante faciem tuam*, ut ejus puritas, integritas & sanctitas commendarentur. Postremò officium ejus honorificum designatur, *qui præparabit viam tuam ante me.* Quam viam si fortè quæsieris. Respondet Chrysostomus, & inferius datur intelligi. „ Via Domini quâ ad homines ingreditur, pœnitentia est, per quam Deus ad nos descendit, & nos ad illud ascendimus. Unde Angeli ascendentes, descendentesque memorantur super Filium hominis. „

Hæc est fœcunda loquendi materia: hoc unum C tantùm ad præsens dilatemus quopactò Joannes Angelo similis perhibetur. Et primò si virginitas Joannis antenditur, subdit illud Hieronymi ad Paulam & Eustochium, quòd *semper Angelis est cognata virginitas, & quod in carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cœlestis.*

Converte oculos Fidei ad virtutes Joannis, non unam tantummodò, sed qualemlibet Angelorum Hierarchiam videbis in eodem figurari. Inflammavit itaque eum charitas ut esset similis Seraphin, quin etiam alios in amorem divinum exardescere suis Prædicationibus admonuit. Si sapientiam ejus attenderis, nunquid Cherubin parem dices? Si spiritualem in executione virtutum potentiam, nonne consimilem ipsum Potestati designabis. Si pacatissimam animi sedem, nunquid Thronos in ipso reperies? Fuit enim vis ejus concupiscibilis inflammata per charitatem, vis rationalis illustrata & edocta per sapientiam, vis irascibilis per potentiam & virtutes roborata. Charitas imperabat, consulebat sapientia, potentia confirmabat. Hic est supremus ternarius Hierarchicus, benè velle, D scire & posse, hæc Trinitatis supercœlestis imago, potentia, sapientia & bonitas seu voluntas.

Porrò in Joanne fuit tanquam in Dominationibus ultimitas subjectionis & jocundissimæ ac fidelissimæ servitutis ad Deum, liberaque magnificentia omnium subjecta, alteri prorsus adversa. Fuit præterea sicut in Principatibus, ita & in Joanne eminentia incorruptibilis rectitudinis in suo regimine, eminentia etiam invincibilitatis tanquam in Potestatibus. Porro ultimitas quædam virtuositatis eum similem reddidit Virtutibus. Denique providentissima cura quàm in præparatione viæ Domini ad homines exhibuit, ostendit quàm rationabiliter Archangelis & Angelis comparetur. Qua in re Christus infallibilis Autor veritatis Prophetiam hanc textûs nostri ad Joannis commendationem inducebat Matth. XI. 10. Marc. I. 2. & Luc. VII. 27. *Hic*, inquit, *est de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam tuam ante te.*

Quocircà non penitùs absurdè videri posset aliquibus quòd charitas infusa, & sapientia, ceteræque virtutes enumeratæ, abundantius à Joanne participatæ sunt quàm ab Angelis. Nam quantò potentia naturalis debilior in se est & minorem habens capacitatem, tantò ad ipsius elevationem & dilatationem quamdam spiritualem virtus infusa copiosius exigatur. Quod autem Joannis utpote hominis inferior Angelis natura sit, perspicuum est. Ad quod forsan tendit illud Christi *Luc.* VII. 28. ubi cum dixisset? *Non surrexit major inter natos mulierum Joanne Baptista*, addidit: *Qui autem minor est in regno Cœlorum, major est illo*, Matth. XI. II. quamquam autem & de gratuitis id intelligi poterit. Neque enim charitas viæ, seu virtus altera, virtutibus patriæ coæquatur. Et de Joanne quidem glorificato nunc loquimur, quem ad supremum ordinem sublimatum neminem arbitror Doctorum ambigere. Huic sententiæ suffragatur illud Hieronymi, ubi prius. *In carne Angelicam gloriam quærere, majoris est meriti quam habere, cum alius nititur obtinere cum gratia, quod habet Angelus à natura.*

Addo aliud non prætereundum, quemadmodùm nonnulli Joannem esse in prima Hierarchia supremum sic venerari conantur. Ruina, inquiunt, Angelorum ab hominibus reparatur, & consentaneum est rationi, ut sedem superioris loci vacantis per dejectionem & apostasiam Luciferi illi contulerit Altissimus, quo *inter natos mulierum nemo surrexit major.* Si igitur Lucifero dum stabat supremam in ultimo ordine sedem Gregorius attribuit; supremam illam nunc obtinet is quem in ipsius locum successisse innuit veritatis assertio.

LECTIO SECUNDA.

VOX *clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*, Isaiæ XL. 3. Magna est Prophetiarum inter se concordia, & concors in diversis etiam Prophetis sententia: eodem quippe spiritu docente locuti sunt, & ad unum finem qui Christus est, respexerunt. *Finis* enim, *Legis*, secundùm Apostolum, est *Christus*. Rom. X. 4. Quamobrem *Act.* III. 24. dicebat Petrus de Christi tempore, quòd *Omnes Prophetæ a Samuële & deinceps qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos.* Itaque non operosum est intueri quantùm inter se conveniant, hoc verbum *Isaïæ* XL. & illud præmissum de *Malachia.* III. Illic; Joannes dicebatur mitti ante faciem Christi ad parandum viam ejus: hîc; Ecce, inquit, ego: quasi jam missionis suæ executor ait. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, &c. Sed cur Joannes vox dicatur & non verbum, Beda aperit. „ Constat, inquit, quòd unigenitus Dei Filius Verbum vocatur Patris, Joanne attestante qui ait: *In principio erat Verbum*, &c. Joan. I. I. Ex ista nostra locutione cognoscimus, quòd prius vox sonat ut verbum postmodùm possit audiri. Joannes ergo vox à Propheta dicitur, quia verbum præcedit. Adventum itaque Dominicum Joannes præcurrens vox dicitur, quia per ejus ministerium Patris Verbum ab hominibus auditur. „ Hæc ille.

Unigenitus siquidem Dei Filius per modum Verbi per-

perfectissimi & sententiosissimi à Patre in æterna generatione producitur, in quo Pater dicit seipsum, qui & exemplar est formosissimum omnium ad extra producibilium. Quia igitur Verbum hoc in sua majestate absconditum per Joannem revelatum est hominibus, A ipse non absque ratione vox dicitur quæ per exterius signum prædicationis, interius signat mysterium generationis. Hinc præco Judicis, hinc lucerna ardens & lucens, hinc nuncius vel Angelus, hinc præcursor appellatur. Hæc officia tunc suscepit & peregit dùm viveret, prædicando; nunc illud idem in suis devotis operatur suis meritis & orationibus, ad Christi gratiam notitiamque suscipiendam, salubriter inspirando.

Vis nosse Verbum quod apud Patrem manet absconditum, quod lucem habitat inaccessibilem? Dices volo, converte preces ad Joannem, hic nempe vox est Verbi & index ejus & præco. O vox delectabilis & pereunti mundo superexcellenter amabilis. Voces priores erant luctus & gemitus pro calamitatibus & angustiis, aut erant insani phreneticorum risus inter pestiferas voluptates & in puncto desituras & abituras in infernum delectationes. Hæc vox fuit pœnitentiæ salutaris, vox doctrinæ & libertatis, vox turturis post imbrem, vox confringens cedros, id est superbos Pharisæos. B Sed vox dulcis & suavis, humiles alliciens, vox absque balbutiæ mendacio, vox absque raucedinis simulatoriæ vitio, deinceps vox per omnem modum virtuosæ resonationis, canora, vivax & jocunda, vox ad postremum fortis, vehemens & audibilis, quoniam vox non est quæcunque, sed *Vox clamantis.*

Obsurduerant nempè Judæi quos alloquebatur, & obturaverunt aures suas instar aspidis surdæ, ut non audirent vocem incantantis sapienter. Nil propterea mirandum si vox clamosa ad eos mittebatur. Clamosa dico, non tàm strepitu & aëris verbratione exteriori, quàm propter latentem energiam in ipsius vivæ vocis actu reconditam. Sciebat enim dictum esse Prædicatori cuilibet: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*, Isaïæ. LVIII. 1. Qualiter fiat? Respondeo quòd per vitæ meritum & per vim interioris gratiæ & fervidæ charitatis, ex quibus redditur quodammodò vox ipsa vivax, ardens & fortis & lucens, & pro sui intelligibilitate clamosa.

O quàm multi nostræ ætatis vel non clamant, facti C *canes muti non valentes latrare*, Isaïæ. LVI. 10. vel si clamor forsan est in voce, plus ad aures corporis demulcendas vel exasperandas exhibetur, quàm ad aures cordis expergiscendas, instruendas & levandas proficiat.

Dissimilis vox Joannis quæ *vox* est *clamantis*, à qua *commota sunt superliminaria cardinum*, prout de Seraphin apud Isaiam scriptum est, *Isaiæ* VI. 5. Superiora cardinum, mystico intellectu, in homine superiores partes accipere possumus, quæ sunt ratio & voluntas: & hæc superliminaria à voce clamantis commoventur, dùm ad benè agendum virtuosa concussione Spiritus sancti impelluntur, & sancto castoque timore contremiscunt.

Notandum quòd *ly*, *clamantis*, potest referri ad Christum, cujus clamor triplex reperitur in Scriptura: in resurrectione Lazari, in expiratione, & dùm invitaret sitientes ad aquas spirituales. D In triplici enim deserto clamavit; in utero Virginis, in mundo literali, & in mundo mystico seu morali animæ rationalis; scilicet quoniam alia magis placet expositio, hanc non prosequor. Audivimus igitur de voce Joannis & ejus formatione clamosa: audiamus de loci qualitate, *Vox clamantis in deserto.* Est autem multipliciter intelligere hoc desertum: & primò secundùm literalem sensum, locus est materialis ultra Jordanem, mysticè verò est ipse populus Judæorum, quemadmodùm Bedæ & Hieronymi verba declarant. *In deserto* (inquit Beda) *Joannes clamat, quia derelictæ ac destitutæ Judææ solatium redemptionis annunciavit.* Et Hieronymus: *Clamabat ad Judæos surdos, propter peccata longè positos, ita desertos indignatione clamoris dignos.* Deserti quippe erant à Spiritu Dei, sicut domus vacans & scopata, & deserti à Propheta, Lege & Sacerdote.

Possumus deinceps forsan desertum aliud invenire ubi Joannis vox clamantis audita est, & hic est Limbus Patrum ad quem moriens Joannes descendit, ut eum inferis nunciaret, quem in terris positus indice monstraverat. Et quoniam suberit locus ad loquendum amplius de deserto, transeo ad id quod sequitur, *Parate viam Domini* &c. Parat viam Domini qui benè docet & prædicat. Sed si vitiosè distortèque vixerit, non rectas facit semitas ejus. Parabant viam Domini Scribæ & Pharisæi, de quibus ait Christus Matth. XXIII. 3. *Quæ dicunt facite.* Sed ex eo quod additur. *Et quæ faciunt, nolite agere.* Conclusio, quod non rectas faciebant semitas ejus.

Quod si quis interrogat quæ est via Domini? Respondeo illam esse quam Propheta incurrisse gratulabatur cum diceret, Psal. CXVIII. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* De qua Isaias XXX. 21. *Hæc est via* Domini, *ambulate in ea*, non declinantes ad dexteram per indiscretum fervorem, neque ad sinistram per remissum torporem. Et benè ait Propheta, cucurri. Non est pigritandum cùm dies sit parva & dieta magna, nec sit infra Paradisum mansio secura.

At verò notandæ sunt conditiones viæ Domini, quoniam eis cognitis melius ipsa parabitur. Habet siquidem mundus viam suam, & hæc est lapidosa & undique spinis, vepribus urticisque curarum mordacium & sollicitudinum animas nostras suis aculeis lacerantium atque dissipantium respersa; quamquam aurea à quibusdam argenteaque videatur. Per eam ambulantes suscitant sibiipsis pulverem importunum oculis spiritalibus, & serenitatem mentis perturbantem; ne quo labatur interitu valeat intueri. Habet caro viam suam, & hæc herbosa jucundaque nitet introëuntibus eam; sed latet anguis in herba, anguis scilicet dolorosæ pœnitudinis, anxietatis, sed & lutosa colluvione tota intus respergitur. Habet dæmon viam suam quæ est tebræ & lubricum, & præruptis circumquaque cautibus pompaticorum statuum vallata, ubi superbi tolluntur in altum ut lapsu graviori ruant. Et Propheta. *Allisisti eos dum allevarentur*, Ps. LXXII. 18. Habet autem Dominus viam suam, hæc est munda, decens & pulchra. Proverb. III. 17. *Via ejus via pulchra.* Et Isai. XXXV. 8. *Erit ibi semita & via sancta & non transibit pollutus per eam.* Et in Psalmis: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit*, Psal. C. 6. Et insuper. Via ista via æquitatis & justitiæ, quam Sapiens expostulabat. *Eccli.* XVII. 20. Da nobis Domine viam justitiæ. Et ne ab ea divertemus monebat Propheta. Psal. II. 12. *Apprehendite disciplinam ne pereatis de via justa.* Et præterea: *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus* Psal. CXVIII. 30. Summo autem studio animadvertendum est quòd alibi per eundem Prophetam dicitur. *In via*, ait, *in qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi*, Ps. CXXXIX. 6. Et rursùs *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Ps. CXLI. 4.

O quot laqueos! quàm multiplicia scandala ponit adversarius noster in via hac quâ ambulamus, & ne deprehendatur spiritus virtutis, obvolvit. Ambulat aliquis per viam justitiæ, protenduntur ei confestim duo laquei, unus ad dexteram quatenùs rigorem severitatis crudeliter exerceat; alius ad sinistram, ut in degenerem secordiam, per nimiam misericordiam timidus prolabatur.

In via humilitatis absconditur laqueus stultæ dejectionis & desperationis pessimæ. In via autem magnanimitatis, laqueus est vanæ præsumptionis, & detestabilis superbiæ. Si viam frugalitatis introgressus fueris, abscondet ilicò diabolus sordidæ tenacitatis laqueum. Si rursùs ad liberalitatem gressus tuos converteris.

verteris, non deerunt prodigæ consumptionis insidiæ. Solitudinis & contemplationis via si à te quæritur, cave phantasticas illusiones obumbratas specie quadam visionum altarum seu revelationum, vel consolationum insolitarum, qualibus anima nonnunquam turpissimè delusa & derisa detinetur. Quod si activa magis placuerit, vide ne curis hujus seculi debriatus, in omnia corruas inimici vincula, laqueos & retia. Ne prætereà illud scandalum incurras, si non prosperè cuncta successerint, de quo Hierem. XII. I. *Quare via impiorum prosperatur.* Sic in singulis facile est inspicere quo ampliùs sollicitudinem geramus ad parandum viam Domini, & laqueos inimici ubilibet protensos declinandum.

Et profectò nullum aliud consilium est salubrius, nullum prorsùs aliunde refugium, quàm ut parvi simus in oculis nostris, & humiliemur sub potenti manu Dei, ut timidi semper ac pavidi inveniamur. Verissimum siquidem est oraculum illud divinum quod audire meruit Antonius. Qui dùm vidisset in spiritu tot laqueos, & suspirans expavisset dicens: *Quis hos evadet?* Responsum est: *Humilitas.*

Quippe humilitas tàm gracilis est, tàm extenuata, & tàm nihil habens quo teneri valebit, ut frustra jaciatur rete vel laqueus pro comprehensione ipsius. Sic minuti pisciculi maculas retis transiliunt, & deprehenduntur grossiores. Sic secundùm Poëticam fabulam Antheus ab Hercule nunquam victus est, dùm terræ hæsit, sed per inane levatus continuò strangulatus interiit. Quàm accurata & profunda æstimatione comprehenderat hoc Jeremias Propheta: *Scio Domine quia non est hominis via ejus, nec viri est qui ambulet & dirigat gressus suos.* Jerem. X. 10. Quippe *Est via quæ videtur homini justa, & novissima ejus ducunt ad mortem*, ut sapiens ait. *Prov.* XIV. 12. Erubescant igitur Pelagiani superbi & ingrati gratiæ Dei, & respicientes audiant, quia *non est hominis via ejus*, &c.

Qualiter ergo obediemus voci clamantis: *Parate?* Certè per humilitatem ostendens, quæ gratiæ mater est, quomodò sancti sanctæque omnes. Hinc est illud, *Dirige domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.* Psal. V. 9. Et iterùm: *Deduc me domine in via tua.* Psal. LXXXV. 11. Et Tobias ad filium: *Consilia tua in ipso permaneant, & pete ab eo ut vias tuas dirigat.* Tob. IV. 20. & similia. Hoc modo parate viam Domini, viam regiam & liberam, viam arctam quæ ducit ad vitam, ne fortè vobis verum fiat illud Prophetæ: *Dimisi eos secundùm desiderium cordis eorum, &c.* Psal. LXXX. 13.

Quinetiam facite rectas semitas ejus. Quomodò rectas? quia nimirùm in circumitu impii ambulant, sed rectitudo pios decet.

Recurvè atque retrogradè instar, cancri, illi viam peragrant, qui ad seipsos amore proprio tracti continuò reflectuntur, & quocumque pergunt gressibus affectionum, extra semetipsos non longè exeunt, quia circa palum proprii commodi colligati sunt catena quadam amoris & cupiditatis, quemadmodùm ursos ligare solent histriones, aut sicut equi circa molam assidua agitatione convolvuntur. At econtra pii & justi recto itinere tendunt in Deum & magis ac magis ipsum intrant, amorisque pedibus ad ipsum, sine quavis retorsione ad semetipsos facta, gradiuntur: aliqui viam ad Præcepta referunt, semitas ad Consilia. Per viam generaliter omnes incedere & eam parare necesse est; semitæ autem perfectos recipiunt aut quodam compendio ad perfectionem introducunt. Vel si viam Domini & semitas ejus ad idem spectare dixerimus, adjuvabit nos pro hac expositione Gregorius qui Præcepta Domini & multa esse dicit, & unum: multa in diversitate operis, unum in radice charitatis, quoniam *finis Legis dilectio.* 1. Tim. 1. 15.

Si paraverimus igitur viam Domini quæ est charitas, tunc rectas faciemus semitas ejus, adimplendo justè dignéque Præcepta. Vel parare dicitur viam Domini quis, faciendo quod in se est per Attritionem; sed postquam infusa est gratia jam rectas facere potest in ejus virtute semitas Dei. Fac igitur interim quod potes parando viam Domini, ut tandem possis, eo miserante, rectas facere semitas ejus. Vel ut prædictum est parare viam Domini ad Prædicatores respicit, & rectas facere semitas ejus communiter ad omnes, sed oportet Prædicatorem priùs in seipso rectas facere semitas Domini, quàm inefficaciter progredi audeat ad parandum viam ejus circa alienos. Alioquin comparabitur cancro, qui cum reptando retroque incedendo hac atque illac oberret (dicitur in fabulis) alium cancrum monuisse ut rectè incederet. Cui quid aliud respondendum erat, quàm ut prior rectum iter ostenderet? Si ductor gregis aries non rectas faceret semitas suas, gregi cetero qualiter viam parabit? Ducet potiùs in præcipitium & ruinam, quemadmodùm *si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt* secundùm dictum veritatis. *Matth.* XV. 14. Et hæc est proh dolor causa non mediocris, quare tot populi deserunt iter verum, & ambulant per vias tenebrosas, difficiles & asperas. Ductor nempe rarus est qui rectas faciat ante eos semitas, sed *sicut populus, ita & Sacerdos*, & utinam non deterior, turpior & perditior Sacerdos quam populus.

Hinc Joannes qui vox erat clamantis in deserto ad parandum viam Domini, priùs in seipso rectas fecit semitas. Castigavit corpus suum & in servitutem redegit, ne cum aliis prædicaret & ipse reprobus efficeretur, ne quod docebat verbo, dissiparet exemplo, ne pleno ventre de jejuniis disputaret. Et certè difficile est, immò impossibile ut qui viam virtutis benè operando nunquam ingressus est, nunquam expertus est scientiam declinandi pericula viæ, circunspiciendique insidias, efficaciter doceat illos quod nescit, nec didicit quidem: proferet fortassè verba plurima de virtutibus, quasi cæcus de coloribus, vel pica garriens disputabit; sed longè aliter docentur lecta vel audita, aliter ea quæ operibus & experientia cognovimus.

Propterea venit Joannes viam pœnitentiæ docturus homines. Hæc est prima veniendi ad Deum post lapsum via, illam primitùs strenuè fortiterque peragrari: & priusquam doceret iniquos viam Domini, providit ne iniquos haberet in proprio corporis regno servos; & qui libertatem à peccato docebat, ipse liber & Rex haberetur. Qualiter oro per doctrinam aliis rectè præsidebit, qui servituti & sordidissimæ servituti subjacet, & mancipium corporis effectus est priùs?

Insuper Joannes priùs hausit ore cordis aperto fluenta gratiæ cœlestis quàm satageret in alios loquendo diffundere; & qui alios ad amorem æternæ felicitatis succendere venerat, prius in se per sanctæ meditationis studium, & vehementiam desiderii cœlestis feliciter exarsit.

Quo circà resumo conclusionem aliàs positam quòd vita Joannis fuit Angelica & inter viatores post Christum & Matrem ejus perfectissima. Deducetur ista conclusio tùm ex sublimitate prophetandi, tùm ex austeritate vivendi, tùm tertiò ex multiplicitate merendi. Itaque Prophetia Joannis mirabilior fuit quàm aliæ, certior & clarior. Mirabilitatem vide: tùm puer infans adhuc in utero sextum Mensem agens sic illustratus in rationabili virtute, ut præsentiam noviter concepti Salvatoris & agnosceret, & gestibus exultationis, quia verbo non poterat, nunciaret; nec ipse tantummodò prophetavit; sed & prophetandi spiritum utrique Parenti contulit. Inde est Canticum illud Ecclesiæ:

Ventris obstruso recubant cubili
Senseras Regem thalamo manentem.

O pulchrum stupendumque spectaculum? videre hinc virginem circundantem virum, secundùm vaticinium Jeremiæ, cap. XXXI. 22. hinc sterilem gestantem in utero prophetantem jam puerum. Jesus puer

erat omnium qui unquam extiterunt corporalibus lineamentis minor: alioquin vel tumuit statim uterus virginalis post nunciationem Angeli, vel non vivificatus & formatus repentè Christus cum Maria respondit. *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, Luc. I. 38. & utrumque falsum est. Nam quamvis Maria cum festinatione ascendisset in montana post Angelicam visionem, dicta est nihilominùs Mater Domini. *Et unde mihi* (inquit Elizabeth) *ut veniat Mater Domini mei ad me*. ℣. 43. Et si Mater, jam tunc erat filius. Porrò Joannes hunc & talem puerum non corporali visione, sed illustratione prophetali cognovit, salutavit, adoravit.

Et hæc est singularis & supra modum mirabilis Prophetia, cui par in alio hominum nulla reperta est, propterea quoad hoc major Joanne nemo surrexit, qui in deserto etiam uteri sterilis vox clamantis inventus est. Attendamus insuper claritatem certitudinemque Prophetiæ suæ, dùm jam ex utero natus prodiit, & venientem ad se Dominum digito demonstravit.

Ceteri tantùm (cantat Ecclesia) *cecinere vatum*
Corde præsago,

ut in illo quoque deserto *Vox clamantis* existeret.

Denique Joannes moriens Patribus illum sedentibus in tenebris nunciavit, quod quali lingua, qualive sermone factum est, non parva est quæstio. Qualiter etiam vixit ipsa Joannis anima cum ceteris in Limbo justorum, & an aliorum scientiam, Fidem, Spem & Charitatem ceterasque virtutes sua denunciatione adauxerit, aut utrum sua præsentia clarifica eosdem illustraverit, grata est, sed parum à doctis tradita est materia. Et de locutione siquidem communis est difficultas de Angelis, de animabus separatis, salvatis seu damnatis, qualis est hæc. Idcircò pro nunc sufficit aperire quod mihi probabilius faciliusque videtur cum paucis & quibusdam Antiquorum.

Imaginor igitur quamlibet substantiam separatam liberam esse, tàm quoad motionem objectalem sui & eorum quæ in ea sunt, quàm etiam quoad receptionem influxus seu motionis cujuslibet extrinsecæ objectalis; ita ut ratione primi, quælibet posset dici tabula quædam literis plena seu Liber inscriptus, quæ tabula & qui Liber pro libitu nunc aperiuntur, nunc clauduntur, nunc parùm, nunc multùm; & dùm aperitur à libero arbitrio Liber substantiæ hujus separatæ, ipsa dicitur loqui; dùm clauditur, est in ea silentium. Voco autem claudere hic & aperire non propriè, ut in materialibus fit, sed similitudinariè, dum motio objectalis intentionum existentium in substantiis separatis suspenditur à voluntate, vel dùm rursùs ab eadem extra agere seu radiare permittitur. Et taliter quidem imaginatur locutio substantiarum separatarum, quæ nihil aliud est quàm manifestatio libera & intelligibilis sui vel eorum quæ in eis sunt; quæ locutio tantò est vehementior & clamosior, quantò intelligibilior atque apertior. Juxta quod Joannes meritò *Vox clamantis* vocatus est.

Simile per omnia quoad auditionem intelligere possumus, ponendo libertatem in recipiendo per aures mentis motiones hujusmodi objectales; quemadmodùm si esset speculum usquequaque politum respectu cujuscumque radiationis luminosæ super ipsum incidentis. Hoc modo Joannis anima loqui potuit in limbo, & sic audiri ipse *Vox clamantis in deserto*.

Et quoniam sancti Patres incolæ Limbi deserti, & benè deserti & à felicitate alieni, cupidè multùmque de sua liberatione certum aliquid audire sitiebant, interrogabant, non ambigo, Joannem noviter è terris ad eos descendentem, si quid boni nuntii, si quid sperandæ liberationis afferret? at qui non avaro silentio subticuit Joannes, non locutionibus eorumdem aures clausit, utpote qui præco Judicis venientis, & solis Lucifer orientis, & nuntius Salvatoris jam apparentis, & vox clamantis fuerat ordinatus: Ego, inquit, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*, Isaiæ XL. 3. *Quia veniens veniet, & non tardabit*. Habac. II. 3. Jam in terris visus, & cum hominibus conversatus est, jam à me cognitus est, prædicatus, baptizatus, & indice demonstratus.

Ad hanc vocem nova lux oriri visa est in deserto illo inferiori sedentibus in tenebris, & in umbra mortis, gaudium quoque, lætitia & tripudium. Jam minus tædet eos exilii sui, quantò minorem cognoscunt spei suæ dilationem, nam magis & magis per sanctas affectiones parant in seipsis viam Domino, & per ignita desideria charitatis rectas faciunt semitas ejus. Plures sciscitantur à Joanne de celeritate & mysterio redemptionis suæ, de conditionibus Redemptoris, de forma modoque redimendi, nec satiantur interrogationibus; sed quod plurimùm delectat audire, ut sæpiùs iteretur expostulant.

Quid agit Joannes *Vox clamantis in deserto?* Respondet ad singula, confirmat Fidem, Spem corroborat, Charitatis fervorem exsuscitat. Neque tamen ista dixerim, quòd Sanctos Patres post obitum ignorem fuisse positos extra merendi statum, sed quomodò in scientia & quibusdam aliis perfectionibus noviter acquisibilibus proficere potuerint, & etiam profecerint non video. Ponunt quippe Doctores absque ulla absurditate gloriam Beatorum accidentalem plerumque majorem fieri tàm in cognitione, quàm in dilectione ac delectatione, quantò minus absonum videri debet si nondùm salvati, nec terminum felicitatis adepti in cognitionibus quibusdam, amoribus & dilectionibus proficere potuerunt. Sed & de pueris absque Baptismo decedentibus, apud nonnullos excellentes non improbabile prorsùs videtur eos in Philosophia & aliis quibusdam Artibus & cognitionibus posse instructiores fieri temporum successione diuturna, & experientiarum multitudine coadjuti. Sic etiam Enoch & Elias non ita otiosè vivunt, ut in tanta ætatis longævitate nihil novum cogitent vel addiscant

Sed revertamur unde digressi sumus, ubi diximus Joannem in Prophetia ceteros excessisse, quod ex prædictis reor esse perspicuum; si tamen aliquas prius objectiones quæ adversùs ea fieri possunt, absolverimus. Et quo pacto (dicit aliquis) Joannes prophetasse dicitur illud & de eo quod ante suos oculos positum cernebat? Videbat Jesum, tangebat & audiebat, & tu mihi dicis quod illum esse Joannes prophetabat, non enim est Prophetia nisi occultorum & à sensibus humanis alienorum. Sed acutè cogitemus quid Joannes sensu viderit, & quid non viderit, & exindè quid & quemadmodùm prophetaverit cognoscemus.

Erant in homine Jesu plurima corporeis sensibus & experimento cognoscibilia; ut quòd homo erat ambulans, docens, cum publicanis & peccatoribus manducans, & ad hæc cognoscenda non erat opus Prophetico spiritu. Alia latebant plurima & maxima, ut quòd talis esset Deus, Mediator constitutus pro redemptione & reconciliatione peccatorum, quòd agnus esset pro sacrificio consummato immolandus & similia, ad quæ cognoscenda & publicanda hominibus Joannes non nisi spiritu superplenus attingere valuisset. Tale est illud. *Qui post me venit, ante me factus est*, Joan. I. 27. & *Ecce agnus Dei*, ℣. 29. & cetera hujusmodi. Occurrunt alii dicentes non debere Joannem arguere mendacii. Alioquin si mendax, quomodò perfectus? Ipse enim interrogatus: *Tu quis es?* ℣. 19. & an *Propheta es tu?* Respondit, *non sum*. ℣. 21. Quod si ex humilitatis affectu quis eum sic respondisse contenderit, videat quomodò humilitatem veram cum vitio mendacii connectet. *Quæ enim participatio lucis ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Belial?* ait Apostolus. 2. Cor. VI. 14. 15. Fateor planè Joannem non quæsisse humilitatem per mendacii culpam. Absit hoc ut Catholicorum quispiam sic delirus inveniatur qui hoc dicat.

Verax

Verax igitur fuit Joannes, modo quo negavit se Prophetam, negavit dico non simpliciter, sed ad intentionem quærentium. Scriptum erat in Lege Dei, Deuter. XVIII. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam.* Interrogaverunt ergo Judæi Joannem an Propheta esset, non quicunque, sed qualem Lex ipsa pollicebatur affuturum. *Et confessus est & non negavit*, Joan. I. 20. quia non erat ille Propheta promissus in Lege. Christus itaque, non Joannes fuit Propheta ille quem ibidem Moyses venturum prophetavit: cujus Præcursor & Angelus Joannes extitit, ut quemadmodùm Isaïas olim ante prænunciaverat, dicens: *Vox clamantis.*

Ubi liceat attendere, quantæ dignitatis Joannes fuerit atque autoritatis, ut etiam à Propheta tali de eodem fieret Prophetia & suæ Prædicationis clamor tantò ante proderetur; quin etiam Joannes illud esse prophetatum de seipso non humana, sed Prophetica instructione cognovit. Intravit enim puer desertum ubi de Libris Isaïæ, aut aliis ab homine nequaquam instructus est.

Hic oritur difficultas non mediocris de modo cognoscendi veras Prophetias, & de modo distinguendi eas ab illusionibus & divinationibus dæmonum, qui aliquando transfigurant se in Angelos lucis, secundùm Apostolum 2. *Cor.* 11. 14., & de cautelis se habendi, ne homo in talibus seducatur: sed ad præsens dicta sufficiant.

Sequitur: *Fuit Joannes in deserto*, Marc. I. 4. ubi de hoc & de Joannis perfectione quoad austeritatem vitæ & meritorum multitudinem videbimus, Domino concedente, Prophetiam Joannis I. 19. cum quæritur. *Tu qui es? Ego vox clamantis &c. dirigite viam domini.* ℣. 23. *Et egrediebantur ad eum Jerosolymitæ universi, & omnis regio Judææ & baptizantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua.* Marc. I. 5. 6. *Et erat Joannes vestitus pilis camelorum, & zona pelliçea circa lumbos ejus, & locustas & mel silvestre edebat.*

Jam per aliquot dies Joannem in deserto tenuimus; dum enim scrutari pia curiositate conatus sum, quid ageret Joannes & solus & in deserto: dum præterea super hoc admirationem aliquorum carnalium, turba tumultuque gaudentium, contentare satagerem, inductus sum referre quo pacto verum esset de eodem Joanne & sibi similibus eremicolis in contemplatione suspensis: *Nunquam minus solus quam cum solus.* Hoc apud Ciceronem dixisse celebratur Scipio superior Africanus.

Hac occasione in materiam contemplationis incidi latissimam utique & nunquam funditus exhauriendam, ut in ipsa explicanda semper sit ultra quicquam invenire, & veniendum cum Jerosolymitis & omni regione Judææ: tandem hinc ad Joannem in Jordane prædicantem & baptizantem; sed tandem egrediendum est ab hoc deserto contemplationis, materiæ silentium incidendum, quatenùs subsequens Evangelii nostri textus loquatur. Spero enim, Deo propitio, me super hac materia contemplationis certè pulcherrima & subtilissima quædam posteriùs locuturum, atque non tàm ex nostra quàm aliorum sententia, neque tàm magistrali locutione quàm collocutione familiari, non demùm polito curiosoque sermone, sed quotidiano loquendi more & extra lectiones ordinarias inter audire volentes proposui disserere.

Placuit itaque paternæ providentiæ supernæ majestatis, me per aliquot jam tempora in deserto tribulationis & cujusdam solitudinis collocare, ubi quale manna contemplationis in deserto solitudinis veri Israëlitæ comedunt, & si non pleno ore comedere, degustare tamen datum est, ut saltem ejus odorem ex aliorum eructatione qui manna cibi se repleverant, potui aspirando sentire: verùm quid textus noster dicat audiamus.

A *Egrediebantur*, inquit, *ad eum*, non dubium quin ad Joannem Baptistam *Jerosolymitæ universi & omnis regio Judææ.* Ad hoc verbum stupet Logica, & Logicæ tractatores vel scandalizantur vel inculpant locutionis hujus formam. Neque enim æstimandum est parvulos, imbecilles, aut infantes in cunis, immò nec Jerosolymitas omnes adultos ad Joannem egressos fuisse, quanto minùs omnem Judææ regionem. Igitur Logicæ virtus & sermonis proprietas videntur falsitatis arguere Evangelistam Marcum qui hoc universali sermone usus est.

Objectio ista non huic loco duntaxat, sed innumeris sacræ Scripturæ locutionibus adversa est. Pro qua dissolvenda notandum summoperè arbitror, etiam juxta Philosophi sententiam, quòd duplex est Logica; quædam inserviens scientiis naturalibus ac purè speculativis, quæ usitato nomine, & quasi antonomasticè Logica nominatur, & quæ ad omnium methodorum principia viam habere describitur ab Hyspano, quæ sermocinalis à quibusdam nominatur. Porrò altera est Logica, quam appropriato vocabulo Rhetoricam dicimus, quæ principaliter ancillatur, servit & adminiculum præstat scientiis moralibus, politicis & civilibus, ad intellectum practicum spectantem. Habet autem utraque Logica hujusmodi suas regulas in B loquendo, modos insuper proprios quibus docemur, erudimur & discimus verum à falso discernere.

Prima respicit Logica potissimè sermonis proprietatem alienam à metaphoris & quibuslibet transsumptionibus, explicando adæquationem rei ad intellectum, & juxta regulam suppositionum, ampliationum & appellationum, vim locutionis aut sermonis strictissima præcisione dijudicando. Hæc Logica exulat à se & abdicat omnem ferè figuratam locutionem, omnemque locutionis ornatum, & quantùm potest proximiùs & breviùs conceptibus interioribus correspondet, quatenùs veritas per eas in speculativis scientiis præcisior atque lucidior habeatur.

At verò Rhetorica, quam Logicam alteram dicimus, potissimè figuris & tropis atque schematibus utitur, coloribus quoque & floribus non tàm necessariis, quàm decoris locutionem suam exornat. Ceterum vulgari usitatæque locutioni plurimùm condescendit, quærens ex sua quadam tùm familiaritate, tùm spe-C ciositate, ut auditorum affectus impellat quo vult, & vel in iram vel indignationem, odium vel amorem concitet audientes. Dicta est idcircò Logica hæc necessaria ad scientias morales, quia ad affectus concitandos generandosque si boni sunt, aut ad sedandos aut compescendos seu tollendos, si mali reperiantur Logica præcedens non sufficit. Illa enim inquit tantummodò veritatem in rebus, prout veritas est adæquatio rei intellectæ ad intellectum speculativum, ista autem prout est adæquatio quædam ad affectum seu practicum intellectum.

Dicamus ergo; dum quæritur de veritate propositionis alicujus secundùm vim vocis, aut proprietatem sermonis, aliter judicandum est & requirendum est in speculativis scientiis ad quas deservit Logica prior, aliter in moralibus atque politicis ubi Rhethoricam vigere docuimus. Et quisquis istas Logicas duas vellet confundere, ita ut Rhetoricam in speculativis, D & Logicam priorem in practicis scientiis exigeret, ille in absurdissimos ineptissimosque errores corrueret totus. Hinc est quod à Tullio in Rhetorica veteri & aliis politizantibus irridentur & inculpantur illi qui secundùm Logicam priorem intuntur Leges atque communes hominum locutiones interpretari. Vocantur siquidem tales verbosi, Sophistæ, garruli, de solo nomine controversiam nectentes, inciviles denique & cervicosi, phantastici, & ad nullum civile seu politicum negotium, regimen atque consilium idonei, usque adeò ut vix ipsi qui tales sunt loqui quicquam audeant, vix aliquid audire possunt, quod non statim calumniandum, aut negandum, aut dis-

distinguendum esse contendant. Sed fallit eos planè ignorantia præmissæ distinctionis inter Logicam atque Rhetoricam, & quia Logicam primam introducere satagunt, ubi ea non opus est.

Illi ex adverso non parùm aberraverunt, qui dum speculativa veritas sola conquiritur, Rhetoricos loquendi modos principaliter secuti sunt: innumeris itaque & infinitis vinculis dum se nituntur absolvere, semet constrinxerunt. A Neque tamen nego quin vicissim Logica una, alterius opem quandoque requirat; & quin pari quodam sensu ad veritatis unius inquisitionem plerumque concurrant. Sed quando, ubi & qualiter hoc fit, non cujuscunque, sed sapientis & artificis est istud discernere, & cujus insuper qui utramque perfectè cognoverit; & qui sciverit secundùm materiæ exigentiam, cognitos inferre sermones. Hinc fit ut aliqui carentes Logica priori, reperiuntur in Tractatibus aut doctrinis parùm resoluti, sed rudes & indigesti; sicut è contra dictum est quòd soli Logicæ innitentes Sophistæ sunt, leves & garruli, & in civili cunctatione parum aut vix tolerabiles inventi, immò ad Prædicationes aut deliberationes positas rarò videntur elevati, quia nec in illorum exercitationes seipsos tradiderunt. Juxta hoc non operosum est objectionem prætractam dissolvere, dicendo quòd nullo B modo in historicis narrationibus, sicut nec in Prophetiis & documentis moralibus exigitur vel attenditur veritas dictorum, conformiter ad strictas regulas prioris Logicæ: sed sufficit quòd modus loquendi communis cui maximè se conformat Rhetorica servetur, ubi figuratè locutiones tropicæ & transsumptæ per parabolas & similitudines admittuntur & amplius quam reliquæ. Et hoc est quod quidam non irrationabiliter dicunt, quòd Theologia suam habet Logicam & modum loquendi proprium, & quòd in ea nihil esse falsum de virtute sermonis debet admitti, immò dictum hujusmodi tanquam irreligiosum, impium & blasphemum à Catholicis auribus rejici congruit. Si quis verò dixerit oppositum, & rectè sensit ille; duntaxat ad vim loquendi prioris Logicæ oculos convertebat, quamvis non usquequaque rationabiliter. C

Hinc est quod egregius doctor Augustinus tùm in locis plurimis, tùm specialiùs in Libro *De Doctrina Christiana* regulas pro expositione sacræ Scripturæ dedit, & ab aliis datas collaudavit; inter quas una est per synecdochen, ubi pars pro toto sumitur. Alia per hyperbolem, ubi veritas ad exaggerandum exceditur. Alia ubi locatum pro loco accipitur; secundùm quas regulas textus noster à falsitate defenditur. Nam dicendo, *Egrediebantur ad eum Jerosolymitæ universi*, similis est locutio sicut cum dicimus: Omnis populus vel totus mundus vadit ad tale spectaculum. Dicitur enim hoc non per præcisionem, sed ad rei magnificationem adaugendam. Similisque est locutio cum subditur: *Et omnis regio Judææ*, nisi quod ultra hoc locus pro locato, regio scilicet pro habitantibus regionem ponitur: & in talibus juxta quorumdam explicationem attenditur sensus, non quem verba faciunt, D sed pro quo fiunt.

Juxta prædicta sumitur consideratio moralis, quòd Prædicatores in Sermonibus publicis detestando vitia & collaudando virtutes, autoritatem habent utendi locutionibus transsumptionis, secundùm regulas quibus Scriptura exponitur, & juxta licentiam Rhetoricæ Artis, ita ut quandoque dicatur aliquid universaliter vitiosum, quod pro paucis aut non omnibus potest verificari: vel aliud tale pronunciatur, quod de virtute & regula Logicæ prioris esset falsissimum, & scandalosum, & injuriosum.

Non habeo hîc exempla multa curiosè scrutari vel adducere; legantur omnes Prophetæ qui fuerunt quidam sermocinatores invehentes in vitia & vitiosos arguentes: attendatur Prædicatio Christi, Joannis Baptistæ, Pauli, Stephani Prothomatyris, & aliorum; revolvantur Sermones & Epistolæ Doctorum, reperietur quasi ubilibet licentia talis loquendi universaliter, ut diximus. Isaias dicit I. 9. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Et paulò post: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* ℣. 13. Scriptum est: *Quid vultis mecum judicio contendere, omnes dereliquistis me dicit Dominus.* Jerem. II. 29. *Omnis quippe domus Israël attrita fronte est & duro corde.* Ezech. III. 7. Christus & Joannes Pharisæos inculpabant generaliter. Christus vocans eos hypocritas, sepulchra dealbata, superbos & avaros *Matth.* XV. 7. XXIII. 23. 27. & *Luc.* XVI. 14. & *Matth.* III. 7. progeniem viperarum. Et *Act.* VII. 51. dicit Stephanus. *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & patres vestri, ita & vos.* Apostolus denique vocat Galathas insensatos, *Galat.* III. 1. & in Cretensibus approbat dictum Poëtæ. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, pigri ventres.* Tit. I. 12. Primò etiam vocat Apostolus Poëtam hunc Prophetam: Et apud gentiles Poëtæ pro Prophetis & Vatibus atque Theologis habebantur, & ad Poëses eorum sicut metaphoricas locutiones veritatem continentes, occultas tamen, attendebant. Tales sunt in Scripturis generales, in docendo locutiones innumeræ.

Ex his sequitur alia consideratio, quòd inciviliter agerent, immò insipienter, & contra Artem propriam Clerici, qui locutiones hujusmodi morales, in quibus fortè tangerentur, vellent generaliter inculpare, aut utentes eis molestare, nisi forsan ubi manifesta & particularis injuria (quæ magis esset detractoria & contumeliosa, quàm ad ædificationem valens) deprehenderetur, quòd si fieret coram quibus non oportet. Quod ubi & quando contingit non est possibiliter per Artem docere, sed tunc agendum est ut sapiens judicabit & prout edocebit unctio. Constat enim quòd plerumque fit sermo generalis ad Principes, qui sciunt se & statum suum graviter increpari, & tangi in modis loquendi generalibus, tolerant tamen. Qua igitur fronte & temeritate, nollent Clerici de isto vel illo statu super eorum vitiis generaliter morderi vel culpari: Ista prorsùs esset Pharisaïca conditio, qui reprehendere, non reprehendi quærebant.

Tertiam addo considerationem contra illos qui in locutionibus moralibus ponunt captiosos loquendi modos (in Logica priori servatos) licet veros. In quibus tamen est falsitas aperta, aut scandalosa juxta locutiones usitatas & secundùm Rhetoricam in materia tali servandam. Exempli gratia, ponetur una indefinita quæ apud morales æquivalet universali; quæ tamen indefinita de vi Logicæ vera erat apud Rhetoricum & politicum falsissima. Propterea non imprudenter condemnatæ sunt aliquæ propositiones tanquam Articuli erronei aut revocandi, in quibus tamen erat veritas de vi vocis & Logicæ prioris, ut ista: Ecclesia manens Ecclesia potest errare, Deus & creatura nihil sunt, & similes multæ, & aliæ etiam quæ in Philosophia fuissent receptæ ut veræ, vel saltem probabiles; sicut sunt Articuli qui de Fide loquuntur contra meritoria. Et maximè consideratio hæc locum habet ubi audientes non sunt triti vel usitati tales locutiones audire vel admittere; sed vulgares sunt aut puri Morales, Legistæ vel Canonistæ. Et sanè imprudenter agunt, ne dicam impudenter, qui coram talibus in actibus publicis talem Logicam puram adducunt, aut Philosophiam seu Metaphysicam, præsertim ubi materia talis, quæ nihilominùs mores respicit & apud eos scandalum. Observandum est enim illud Gregorii. *Juxta mores auditorum formetur sermo Doctorum.* Hujus oppositum creberrimè fieri dicitur in Anglia, & proh dolor! nisi provideatur invalescet in Francia: quàm verò aperta esset & lata fenestra ad errores & scandala seminandos talis permissio, liquet ex præmissis, & experientiæ vox conclamat.

De-

Denique cur ob aliud appellantur Theologi nostri temporis Sophistæ & verbosi, immò & phantastici; nisi quia relictis utilibus intelligibilibus pro auditorum qualitate, transferunt se ad nudam Logicam, vel Metaphysicam, aut etiam Mathematicam, ubi & quando non oportet; nunc de intensione formarum, nunc de divisione continui, nunc detegentes sophismata Theologicis terminis obumbrata; nunc prioritates quasdam in divinis, mensuras, durationes, instantia, signa naturæ, & similia in medium adducentes, quæ, & si vera atque solida essent sicut non sunt, ad subversionem tamen magis audientium, vel irrisionem quàm rectam Fidei ædificationem sæpe proficiunt.

Sed detinuit ecce nos aliquandiu modus loquendi Evangelicus, spero tamen non prorsus inutiliter: ad rem accedentes, videamus quantæ autoritatis atque dignitatis, immò virtuosæ attractionis Joannes Baptista fuerit, quoniam *Ad eum egrediebantur Jerosolymitæ universi, & omnis regio Judææ*, tàm valida erat tàm efficax sua solitudo, sua vivendi austeritas, sua demùm sinceritas, & libertas prædicandi. Da mihi aliquem de occupatis & accursis solitarios irridentibus, qui per omnes totius ætatis suæ discursus & sudores anxios tantumdem proficiat quantùm solitarius iste manens in deserto fructificavit. Mirari & colere solent homines, præsertim simplex vulgus eos viros quos in vita sublimes & sibimet austeros aspiciunt, ob hoc maximè quòd nulla cupiditatis aut ambitionis nota resperguntur, nulla proinde contra eos fallendi suspicio, aut mentiendi suboritur, quando despiciunt quicquid terrenum est, quicquid utile vel jocundum. Ex opposito Prædicatores nostri temporis, quia talibus inhiare vehementer, populariter & ardenter cognoscuntur, fit sermo eorum in opprobrium, fit de mendacio aut prava intentione suspectum. Dicunt confestim eis auditores voce vel animo, *Medice cura teipsum*. Luc. IV. 23. Vidimus nostra ætate & nuper, quemadmodùm unus propter hujusmodi vitæ austeritatem penè incredibilem in suis Sermonibus multitudinem aggregabat, cui vitæ suæ & zelo, si scientiam & discretionem humilem sociasset (quam utinam sociasset) fecisset utique fructum multum; sed verum est illud Bernardi *Zelus sine discretione præcipitat*. Discretio autem esse non potest absque humilitate, nec humilitas in complacentia sui, & innitendo propriæ prudentiæ conservatur.

Denique difficile est, & plus divinum quam humanum, & non absque diuturno virtutum exercitio acquisibile, ut in duobus his servetur humilitas, in solitudine scilicet & prædicatione. Cur ita? Quoniam solitudo facit hominem leviter ceteros occupatos dijudicare, & eis se præponendum æstimare. Prædicatio autem ubi est applausus, concursusque populorum verba dicentis in cœlum ferentium, pertentat gravissimè atque periculosissimè Prædicatoris animum ut gaudeat, ut sibi complaceat, ut postremò in linguis hominum famam suam foris ponat, se æstimet magnum aliquem esse, qualem se audit à ceteris: ac proinde, contemnit ab aliis edoceri, moneri, vel eorum duci consilio: ruit propterea in temeritatem quamlibet, improvidus loquitur, non jam ex ratione, sed furore; non ex humilitate, sed elatione; non quod dictat ratio, sed quod succensa indignatio; non quod verum, sed quod audientibus placitum; non oportunè, sed semper importunè; non quasi monens, sed quasi potenter imperans. Qui rursùs libertatem atque fortitudinem zeli sanctorum imitatricem esse, si lingua maledica carpat omnes clam & palam in superiori dignitate constitutos: nec attendit si populum inde subverteret, & ad rebellandum animabit, sed si complacebit eisdem tota sollicitudine considerat. Ceterùm cum invaluerit hujusmodi prædicationis favor & fervor effrenis, vix adhibere remedium permittet plebs indocta, quando signis extrinsecæ sanctitatis, quæ interiùs corrupta est, attendit, & quicquid adversum dicitur, ad injuriam refert & odium.

Ab hac mentis elatione & indiscretione prædicandi longè fuit Joannes, juxta inferius dicenda; quoniam secundùm auditorum qualitatem sermonis linguam variavit, & non ad seditionem, sed ædificationem, ad humilitatem & pœnitentiam, singulos pro capacitate cohortans.

A Sequitur. *Et baptizabantur ab eo.* Qualis iste Baptismus extiterit olim dicebatur, & super hoc remitto vos ad ea quæ tractantur à Magistro & Doctoribus IV. *Sententiarum*. *Confitentes peccata sua.* Quemadmodùm Joannis Baptismus non erat Sacramentalis, sic nec ista confessio. Erat tamen utrumque & Baptismus & confessio præparatorium quoddam & introductivum ad vera Sacramenta Baptismi & Confessionis posteriùs instituta. Hæc autem confessio vel fiebat fortassis in generalitate quadam, quemadmodùm Ecclesiæ mos habet fieri in publico ante ingressum Missæ: vel fiebat de publicis in publico, more Judæorum in suis conventibus: vel si secreta erat & particularium expressiva, proficiebat ad humiliationem & consilii susceptionem, & pœnitentiæ agendæ cognitionem. Hinc perpenditur Baptismum Joannis non habuisse virtutem peccatorum sacramentaliter deletivam. Quæ ratio est? Quia sive baptizandi, sive baptizati, neque confessione altera, neque pœnitentia aliqua, pro præteritis delictis, aliquatenùs eguissent. Idcircò præterea non parificantur in omnibus Baptisma Joannis, & Confessio cum Baptismate Christi, & ab eo instituta Confessione. Baptismus enim Christi Confessionem non exigit postmodùm de peccatis anteactis, neque priùs antè Baptisma conferri potest hujusmodi Sacramentalis Confessio: alioquin non esset Baptismus Sacramentorum janua, quod falsum est.

B

Sed oritur incidens quæstio. Nunquid Prælatus alicujus noviter baptizati jubere posset, ut se submitteret ipse Confessioni Sacramentali, obedientiæ causa? Æstimo quod non, quoniam non est aliquis obligatus confiteri sacramentaliter, nisi qui de peccato mortali sibi conscius est: & hæc obligatio non Jure humano, sed divino consurgit. Si ergò aliquis de peccato suo apud Deum satisfecerit, juxtà Præceptum ejus datum, & regulas institutas; non potest iterùm per institutionem purè humanam ad satisfaciendum rursùs tali Præcepto invitus astringi. Constat autem quòd baptizatus satisfecit Deo de peccatis præteritis, sic quòd non habet aliud Præceptum divinum adimplendum, pro deletione hujusmodi peccatorum. Prælatus verò non habet jus obligandi qualemcumque ad Confessionem sacramentalem, nisi quatenùs hoc à Jure divino descendit: alioquin posset instituere quòd quilibet quantumcumque immunis à peccato confiteretur sacramentaliter, totiens quotiens sibi complaceret.

C

Summa igitur & cardo hujus rationis est, nullus obligatur idem peccatum bis confiteri sacramentaliter: quod quàm absurdum sit videt nemo. Opponet forsan aliquis, de batizato verè contrito post peccatum: ille immunis est à peccato, nihilominus obligatur per Ecclesiam confiteri. Respondeo quòd non per Ecclesiam, sed ex Præcepto divino, talis ad Confessionem semel fiendam de peccatis post Baptismum commissis (& non ante) tenetur: propterea, quousque satisfecerit, aut firmiter tempore & loco satisfacere proposuerit, hujusmodi Præceptorum manebit obligatio, à qua poterit absolvi, & non aliter, semel confitendo.

D

Juxta hæc aperitur via ad sciendum, si semel confessus posset iterùm ad Confessionem sacramentalem suscipiendam arctari. Sed quia alibi ventilatur, & adhuc sub Judice lis est, ea prætermitto quæ dici poterant, quæcumque præscripseram. Totam insuper hanc Confessionis materiam, quamvis utilem, satis & à textu nos-

nostro non abhorrentem, remitto ad quartum Sententiarum pro præsenti & ad scripta Doctorum.

Objicietur iterùm de illo quem in mortis articulo absolvit simplex Sacerdos, super casibus Papæ reservatis; obligabitur enim talis absolutus, si convalescat, iterum Papam adire, & Absolutionis beneficium recipere. Fateor hîc cum Durando, & aliis quibusdam Doctoribus, involutissimam, & vix enodabilem tangi materiam, de modo se habendi in Confessione casuum hujusmodi reservatorum, quia difficillimum salvare videtur qualiter (juxta usum Ecclesiæ) non dimidiatur Confessio, quæ per duos adimpletur: dum scilicet apud Pœnitentiarium solum referuntur casus reservati. Hanc pro nunc difficultatem non incipiam enodare: tantummodò, pro quanto ad præsens spectat dubium quod movimus, dico quòd homo in articulo mortis, aut aliàs verè sacramentaliter absolutus, non potest absque consensu proprio, obligari rursùs per hominem sacramentaliter eadem peccata confiteri. Detur oppositum: jam Confessio prior sacramentalis, suum plenum effectum operata non fuisset, quia non absolvisset hominem à Præcepto Dei, quòd est de semel confitendo peccatum commissum. Nolo tamen negare, quin de consensu proprio, iterum possit homo Sacramentum Confessionis super eisdem peccatis iterare, & ad hoc spontaneè obligari. Non nego etiam quin publica peccata aut etiam reservata possit iterùm referre alteri post Confessionem sacramentalem, & ad hoc forsan obligari potest quatenùs pœnitentiam salutarem cum discretione majori percipiat; illud tamen non assero.

Aliud fundamentum tangit Durandus ad confirmandum prædicta. Supponit itaque pro regula, quòd nunquam Prælatus Ecclesiæ, vel alius Judex potest circa illud Præceptum jubere, nisi circa illud quod ad Forum suum publicum potest deduci si non fiat: alioquin potest Prælatus ferre præcepta super occultissimis cogitationibus sibi remediandis, vel super illis quorum transgressionem punire non potest, neque sciret: & ita frustra Lex hujusmodi ferretur ab illo, quoniam executio per eum impleri non valeret. Occultissimum autem omnium est Confessio sacramentalis, de qua constare non potest nisi per unicum qui confitetur, & hoc etiam si velit. Quocircà dicit idem Doctor Ecclesiam non jubere fieri Confessionem semel in Anno nisi per indirectum; quia scilicet præcipit recipere Eucharistiam, ad quam ritè suscipiendam debet seipsum probare homo, juxta Præceptum Apostoli ab Ecclesia sic interpretatum, quòd de mortalibus exigitur Confessio. Exemplum in Horis dicendis & intentione habenda simile poneretur.

Scotus fundamento alteri innititur, ait quippe quod nemo tenetur aut obligari potest peccatum suum occultum & secretum facere publicum, sic quòd de Foro Dei cui prius soli subjacebat, transeat quantùm ex natura facti; in Forum publicum. Sed constat, inquit, quòd dicens peccata sua duobus Sacerdotibus, facit illa esse publica quantùm est ex natura facti; quoniam in ore duorum peccatum illud posuit qui testificari possent, quamvis non sine peccato, contra eum: juxta quorum testimonium potest sententiare publicus Judex, nec impediret Sententiam Judicis, quòd Sacerdotes duo peccant Confessionem revelando, quoniam si dedi in secreto bonæ fidei aliquod peccatum meum duobus extra Confessionem, proculdubio peccabunt si me prodant apud Judicem; nihilominùs condemnabitur caput meum.

Secundùm illud datur via ad dissolvendum rationem, quam Dominus Ar(Mac.) insolubilem sibi reputabat ad probandum quòd stante Decretali *Omnis utriusque sexus*, quilibet confessus Privilegiatis, iterum tenebatur proprio Sacerdoti confiteri; non, inquit, propter defectum Sacramenti, ut dicebat Magister Joannes de Poliaco, sed propter aliud.

Supponit primò quòd Confessio sacramentalis potest pluries super eisdem peccatis salubriter iterari. Supponit secundò quòd duæ affirmativæ propositiones non repugnant ad invicem, sic quod posterior institutio positiva priorem revocet, si simul in affirmatione stare possint. Supponit tertiò, quòd Decretalis *Omnis utriusque sexus*, sit propositio affirmativa & sub obligatione posita. Supponit quartò ex prædictis, quòd licentia data de confitendo Privilegiatis ex A quo affirmativa est, non tollit Præceptum priùs factum de confitendo semel in Anno.

Ex quibus concludit propositum, ut æstimat & exemplificat de Missâ audienda die Dominica. Si, inquit, daretur Præceptum alicui quòd Missam semel audiret in Parochia sua quolibet die Dominico, nihilominùs daretur sibi postmodùm licentia, quòd posset audire Missam in locis aliis, concessio secunda non revocaret præcedens Præceptum. Ex quo simul stare potest quòd iste duas Missas audiat, & ad unam obligatur, & solùm licentiatur ad aliam. Sed diligens inspector præmissorum reperiet, rationem hanc non esse indissolubilem, neque exemplum pro se penitùs esset validum quòd adducit, etiam supposito quòd non esset Decretalis expressè determinans semel confessum sacramentaliter non rursùs ad Confessionem obligari, qualis tamen esse dicitur.

Concessa itaque suppositione prima, quòd iterari sa- B lubriter potest Confessio sacramentalis, si tamen semel est rectè facta de licentia illius qui jus habet, non potest iterùm cadere sub Præcepto purè humano, sicut nec noviter institui super invitum, sicut ex præmissis arbitror esse perspicuum: & quia aliter loquens in infinitas absurditates corrueret, in illam nominatim quòd baptizatus adultus potest invitus obligari per Prælatum peccata dimissa confiteri, immò millesies confiteri: non enim repugnarent Baptismus & subsequens sacramentalis Confessio, sicut nec duæ sacramentales Confessiones. Si quis dicat quòd Baptismus habet effectum plenissimum deletionis peccatorum à pœna & culpa. Ita respondeo primam & unicam Confessionem habere potuisse & habere similiter quòd per omnia completa sit; nihilominùs ad augmentum gratiæ poterit iterari, quamvis non Baptismus, propter characterem, secundùm Doctores, in eo susceptum.

C Exinde perfacile est diversitatem invenire inter exemplum positum de Missa audienda & Confessione; quia Missam audire positivum est Jus, licet in divino fundatum, & ideo potest ad plures Missas per Ecclesiam obligari, sic quòd unâ auditâ, remanebit astrictus ad alteram. Unica autem Confessio cadit sub obligatione divini Præcepti; quâ expletâ, non remanet ad Papam Jus ad alteram Confessionem super eisdem obligandi, sicut post auditionem unius Missæ potest ut priùs ad alteram ferre Præceptum; quia suæ possibilitati subjacet, dum ratio subest, numerum Missarum audiendarum restringere vel ampliare, immò & tollere. De Confessione autem longè dissimiliter, quia Juri divino obligatio principaliter innititur.

Fatendum est igitur quòd Papa non potest dare licentiam Privilegiatis ut Confessiones audiant, & ita ad Curatos eundum erit: sed ex quo licentiam præ- D stitit ex consequenti relaxationem, præsupposito Jure divino, ne peccata eadem rursùs confiteri sacramentaliter invitus aliquis teneretur. Denique oppositum asserere de Papa vel Ecclesia est dicere populos innumerabiles per eorum Confessiones hactenùs fuisse seductos, involutos & deceptos; quia vel noluerunt Confessionem factam Privilegiatis esse sacramentalem, quod hactenùs creditum est esse falsum, vel si Sacramentalis fuit, indubitanter non habent ab hujusmodi confesso rursùs exigere ut Præcepto divino de semel confitendo, cui obedivit, iterum nolens obtemperet, nolens dico; quia volens ultrò potest. Porrò-

rò secus est de contrito qui ad Confessionem potest obligari, quia nondum à Dei jussione semet absolvit.

Sed videamus unde subortum est in Joanne quòd sic *egrediebantur ad eum Jerosolymitæ universi & omnis regio Judææ, & baptizabantur ab eo confitentes peccata sua.* Marc. I. 5. Statim subjungitur ratio; quoniam virtus sua pertrahebat in admirationem populos, in reverentiam & amorem; & erat odor bonus vitæ in vitam. A *Erat* (inquit subsequens textus) *Joannes vestitus pilis camelorum*, ℣. 6. ubi Joannes de virtutum quatuor Cardinalium possessione simul & ornatu implicitè commendatur. In vestitus asperitate temperantia notatur: *Erat vestitus pilis camelorum*, quæ tunica erat cilicina & rudis & aspera. *Et zona pellicea circa lumbos ejus.* Ibid. In lumborum succinctione notatur fortitudo, *succinge sicut vir lumbos tuos* dicit Scriptura. *Job.* XL. 2. In mellis comestione prudentia commendatur. *Mel comedet* dicitur de Christo *ut sciat reprobare malum &c.* Isaiæ. VII. 15. Demum in aliorum eruditione & suiipsius, respectu Christi, humiliatione, conspicitur justitia, *& prædicabat dicens: Veniet fortior me post me.* Marc. I. 6. 7.

At verò hæc materia collaudationis uberior est quàm ut nunc totam valeamus exprimere, simul & difficultates plurimæ morales secundæ præ cæteris includuntur. Una est de abstinentia & appropriatè de B observatione Carthusiensium, quam difficultatem olim à Domino Cameracensi in hac cathedra motam nondum ad calcem dissolutionis deductam esse cognovi; sed me deducturum, Deo propitio, proxima lectione. Altera quoque de superfluo atque pompatico vestitu, an sit tolerabilis in Prælatis & viris Ecclesiasticis. Reservatis igitur istis, ad sequentia regrediamur paulisper, & statim finis ad præcedentem textum & aliud mysticum seu morale ad contemplationem attinens eliciamus.

Per Joannem nullum aptiùs quam contemplativum virum moraliter accipimus. Hic Joannes manet in deserto quodam, non tàm materiali quàm spirituali dùm sedet solitarius & elevat se, supra se quâ sublevatione supernâ super cunctam hanc confusam rerum fluctuantium & exundantium multitudinem attollitur, hanc subtus deserit, quâ derelictâ profectò manet in deserto quodam mentis secretissimo & abditissimo, solis denique expertis agnito & pervio. An- C non benè reliquerat mundum & habitabat in deserto, qui dicebat? *Mihi mundus crucifixus est & ego mundo.* Galat. VI. 14. Qui prættereà à seipso etiam desertus clamat. *Vivo ego jam non ego, vivit* &c. Galat. II. 20. Et rursùs. *Sive mente excedimus Deo*, 2. Cor. V. 13. inquit. Hoc qualiter fiat datur posse experiri, secundùm Beatum Bernardum non exprimi nec doceri potest, sed haberi: fit hoc non per investigationem curiosam, aut per studium quantumcunque vehemens, neque per scrutinium scripturarum. Ibi enim defecerunt scrutantes scrutinio, sed obtinetur per fortem contritionem spiritus humiliati, secundùm beatum Dionysium ubi amplius lachrymæ prosunt quàm literæ, Spiritus sancti unctio quàm lectio, & oratio quàm ratio docent.

Non est tamen respuenda usquequaque lectio vel doctrina; quia etsi non manifestet quid est tale desertum quod nemo novit nisi qui incolit, animat ta- D men ad quærendum & viam qualibuscunque signis administrat. Hoc fecit elevatus doctor Gregorius præcipuè in Moralibus. Hoc piissimus Augustinus in Confessionibus & Soliloquiis. Hoc devotus Bernardus super Cantica. Hoc Venerabilis Hugo, & Richardus de sancto Victore in suis operibus variis. Hoc denique multùm compendiosa & sententiosa brevitate tradidit Bonaventura in Libello quem appellat *Speculum amoris*: & in alio quem intitulat *Itinerarium mentis in Deum.* Item Guillielmus Parisiensis, in Rhetorica divina & similes alii: eos potius quàm me hortor audiatis & advertamus quid sequitur.

Dum Joannes iste contemplativus noster est in deserto quodam mentis invio & à fluxu carnalitatis inaquoso, *egrediuntur ad eum Jerosolymitæ universi & omnis regio Judææ*, Marc. I. 5. Regio ista Judææ atque Jerosolymæ, ad literam terra est promissionis fluens lacte & melle. Et proculdubiò non aliter efficitur homo totus regio promissionis fluens lacte piæ devotionis, & melle saporosæ eruditionis, quàm in contemplatione: nam extra eam potiùs est sæpe homo regio quædam egestatis, ut Augustinus loquitur in confessionali. Est regio plena monstris, feris & belluis vitiosarum cogitationum, & serpentibus horridis atque pestiferis venenatarum & inficientium cupidinum. In qua demum regione neque pluvia est, aut ros devotæ affectionis, neque viror herbarum florentium, aut fructus plantarum ramificantium per virtuosam operationem, neque decor est neque species per cœlestem conversationem.

At verò ubi Joannes est in deserto mentis prædicto, solitarius in contemplatione; ubi comedit manna absconditum; adjacet circumquaque regio Judææ, regio scilicet glorificationis cujusdam & decor confessionis, regio insuper Jerosolymæ, regio visionis pacis, sic enim Judæa & Jerusalem interpretantur. Hujus regiones speciosissimæ & uberrimæ habitatores, sunt cogitationes sanctæ & affectiones piæ quæ sunt revera Jerosolymitæ vel pacificæ, & propter confessionem laudis & glorificationem Judææ regionem inhabitare merentur.

O certè pulcherrimum obstupendumque spectaculum, videre Jerosolymitas tales universos & omnem Judææ regionem egredi ad Joannem in deserto hoc habitantem. Vadant alii spectatum colles altissimos alii silvas & flumina, alii longè patentes campos, alii maria fluctibus altis intumescentia, alii theatrales ludos aut monstra milleformia. Placeat aliis cœlum cernere & omnem ejus ornatum, decoramque militiam: nihil prorsùs tale, nihil dignum comparatione ad præfatum spectaculum poterit usque inveniri. Etenim ibi videre est qua forma, quove ordine egrediuntur Jerosolymitæ tales universi & omnis regio Judææ ad Joannem in deserto.

Gratum prorsùs inspicere est omnes inclytos in vestitu deaurato, in fimbriis aureis, in varietatis circumamictu egredi à recessibus abditis, quos etiam habet mystica regio Judææ. Egrediuntur à memoria, egrediuntur ab intelligentia, egrediuntur à voluntate, egrediuntur insuper tanquam sponsus & sponsa à quodam triclinio capacissimo trium virium, rationalis, concupiscibilis & irascibilis. Egrediuntur demùm ab æstimativa, à phantasia, à sensu communi, ab omnibus denique locis patentibus quinque sensuum. Egrediuntur non ut videant vanitatem exterius ad instar Dinæ, sed ad Joannem in deserto. Noli numerum velle sciscitari; quoniam innumerabilis est, ita ut fas sit dicere, *millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, Dan. VII. 10. quoniam egrediuntur Jerosolymitæ universi. Sed quid agunt dum veniunt? Utique baptizantur ab eo, quia purificantur magis & magis cogitationes & affectiones tales pacificæ. Et quæ fortassis vel minima peccata per negligentiam aut surreptionem aut vanitatis permixtionem admiserint, illa confitentur. *Confitentes*, inquit, *peccata sua*, Marc. I. 6. vel certè ideo confitentes peccata, quia dimissa sunt, & inde sacrificium laudis offerunt se mutuò cohortantes & hymnidicè canentes. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Ps. CV. 1. Et rursùs *Misericordia Domini quod non sumus consumpti*, Thren. III. 22. & similia.

Studeamus documentum, & sapientes fieri studeamus, & enitamur tale nobis intus formare spectaculum & conventus. Affirmo, quisquis tale sibi fa-

fabricare meruerit, non magnoperè vagabitur exterius ad videndum vanitatem, implebit quoque jocundus illud Satyrici. *Tecum habita.* Non erit solus qui tam numeroso ordinatoque stipabitur comitatu, qui prætereà regnum Dei intra se stabiliverit ab omni conturbatione semotum. Ceterum non habet aliud super homines, immò vix super bruta, qui non taliter ascenderit ad cor altum, ut sit taliter Joannes alter in deserto, modo quo præfati sumus. Hæc vita perficiatur, semper nescio quid erit quod ista vita non erit; juxta dictum Augustini. Nunquam alibi melius experitur homo illud quod de sapientia pronunciat Sapiens. *Ingrediens*, inquit, *domum meam conquiescam cum illa; non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* Sap. VIII. 16.

At verò si delectat nos ad illud spectaculum divinum pertingere, & benè disponi in multis; ut prius in paucis vexemur necesse est. Joannem quippe moresque suos imitari conveniet, de quo subdit Evangelista quòd *erat Joannes vestitus pilis camelorum & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas, & mel silvestre edebat.* Marc. I. 16.

Circa quem locum finem faciens expositioni litterali, & plurima pertransiens quæro. Utrum vita Joannis fuerit Angelica & inter homines perfectissima? Quod non. Vita Joannis fuit innaturalis, quia solitaria: homo enim secundùm Philosophum, id est politicum, naturaliter est animal civile. Unde & conversatio Domini Jesu Christi quæ est nostra instructio, fuit communis & non solitaria. Et confirmatur, quia Joannes non insecutus est corporaliter Christum in terris conversantem, ergo non fuit perfectus. Consequentia tenet per illud quod ostendit Christus juveni, *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me.* Matth. XIX. 21. Oppositum patet ex dictis & allegatis super litteram.

Quæstio ista principaliter est ad investigandum de vita solitaria seu contemplativa quam tenuit Joannes, & de comparatione ejus ad activam. Ponam notabilia & eliciam conclusiones.

Notandum quòd uno modo vita contemplativa seu activa à quibusdam accipitur pro ipsa anima, quæ est vita prima, & ita non est differentia inter istas duas vitas in eodem homine, nisi reducamus ad hunc sensum quòd anima vivens vitâ speculativâ aliter se habet quàm dum vivit vitâ activâ. Secundo modo, pro operatione vel conversatione à vita prima procedente qui duplex est, quædam immanens, alia transiens.

Notandùm quòd secundùm hanc acceptionem est diversitas loquentium. Accipiunt enim quidam vitam activam pro omni operatione corporali meritoria terminata ad objectum extrinsecum, & sic generaliter omne opus bonum cum gratia factum, transiens in exteriorem naturam, erit de vita activa quantumcunque spirituale vel corporale videatur; & omnis actus immanens meritorius esset, de vita contemplativa, & præcipuè si sit respectu Dei, cujusmodi est speculatio & delectatio & amor seu fruitio habita de Deo.

Alii aliter distinguunt dicentes, quòd vita activa est conversatio corporalis meritoria, secundùm quam providetur Ecclesiæ, vel parti ejus primò & principaliter quoad corpus, ut est exercitium in septem operibus misericordiæ exterioribus sicut Martha providebat corpori Christi. Vita autem contemplativa est conversatio meritoria, secundùm quam primò & principaliter suffragatur Ecclesiæ quoad mentem & bona spiritualia, & sic Prædicatio, Sacramentorum ministratio & oratio spectant ad contemplationem. Et iste est convenientior modus.

Quocircà adhuc potest fieri distinctio de bonis spiritualibus, quamquam videatur impropria: ex abusu tamen loquentium quandoque sic accipitur, ut dicamus generaliter bona spiritualia quæ spectant ad partem Clericorum & Sacerdotum, quos antonomaticè appellamus, & sic prædia & possessiones Ecclesiæ & ejus Jurisdictiones erunt quædam spiritualia. Temporalia verò sunt quæ in partem laïcorum cesserunt, & sic eadem bona erunt priùs & posteriùs temporalia &
A spiritualia, & secundùm hoc distinguitur Jurisdictio spiritualis & corporalis sive temporalis.

Tertiò notandum, quòd in eadem Ecclesia potest imaginari quadruplex modus vivendi. Quidam vivunt vita quæ nec est contemplativa nec activa propriè, sicut pueri baptizati nondum capaces rationis. Secunda est vita purè activa. Tertia speculativa. Quarta est mixta ex utraque.

Quartò notandum, quòd aliquid dicitur melius altero dupliciter. Uno modo absolutè, & absque respectu ad aliud. Alio modo relativè seu conditionaliter: exemplum Philosophi ad hoc, est de hoc quod est philosophari; nam simpliciter melius philosophari quàm ditari, & tamen in casu extremæ necessitatis vel indigentiæ, meliùs esset habere aut acquirere unum panem, quàm, illo deficiente, pulchram Philosophiæ conclusionem addiscere. Similiter in statu innocentiæ vel gloriæ
B multa esse poterant bona, quæ, præsupposito peccato, mala essent si observarentur. Ut in corpore sano aliquid prodest, quod obest, præsupposita infirmitate, vel crapula præcedente. Et istud debet notanter attendi, dùm fit comparatio aliquorum in bonitate vel utilitate & similibus, vel dùm quæritur quid expediat in regimine vitæ humanæ.

Dicamus primò quòd stat in quolibet istorum quatuor statuum hominum salvari. De primo non est dubium, de pueris baptizatis decedentibus ante usum rationis. De quarto non est dubium, de Prælatis & aliis Sanctis, qui diù vitam mixtam ex contemplativa & activa exercuerunt & salvati sunt. Quoad duo membra est difficultas, & dixerunt quidam impossibile esse aliquem adultum salvari qui non vixisset vita contemplativa, quia oportet quòd omnis capax rationis diligat Deum super omnia, si debeat salvari, & in tali dilectione quæ consequitur ex cognitione Dei, reperitur vita speculativa. Sed casus est dabilis sicut dat Holkot: ubi homo dum primò incepit uti ratione, exercebitur statim in operibus misericordiæ corporalibus, vel aliis bonis exercitiis exterioribus, absque hoc quod actualiter & formaliter eliciat actum dilectionis Dei super omnia; & in agendo talia, poterit pro Fide à tyrannis repente interfici, & ita salvabitur talis qui nunquam vixerat vita speculativa, hoc tamen raro evenit.

Ceterùm de vita speculativa non est difficultas quin homo possit salvari in casibus multis, qui nunquam vixerit vitâ activâ, quia ad hanc non est vocatus, vel quia casus non occurrit exercendi illam vitam. Patet etiam de Christo in utero Virginis, de Joanne Baptista, si habuerit contemplationem salutando. Rarò tamen homo manet in vita illa diù, quin utatur vita mixta, præsertim secundùm primam distinctionem, [*alias* præsentem dispositionem.]

Secundò, loquendo absolutè non habendo respec-
D tum ad lapsum hominis, talis est ordo inter quatuor modos vivendi priores in bonitate & eligibilitate, quòd prima vita bona est, secunda melior, & quarta quæ est composita, melior est quam secunda, & tertia optima inter omnes. Hæc apparebunt si quis diligenter advertat vitam Adæ pro statu innocentiæ: nam si quis ibi vixisset ex beneplacito Dei, absque usu rationis actuali, & tamen in gratia benè vixisset; si vixisset vitâ activâ laborando & colendo paradisum terrestrem ex jussu Dei, meliùs vixisset; & si cum hoc fuisset aliquando in contemplatione Dei, meliùs habuisset. Sed quia omnis indigentia remota erat, nec exigebatur tunc labor extrinsecus ad sublevationem quarumcunque indigentiarum, vita ejus speculativa optima tunc extitisset, quod ampliùs perspicuum erit ex sequentibus.

Ter-

Tertiò, per accidens & ex suppositione stat in casu vitam activam vitâ contemplativâ pro tunc meliorem & eligibiliorem existere. Potest enim tanta indigentia esse in proximis corporaliter ad juvandum, quòd peccatum esset omittere eos & eorum sublevationem, pro speculando seu contemplando. Patet in Prælatis vel in casibus necessitatis. Et si dicatur quod homo non debet omittere majus bonum propter minus bonum : dicitur quòd in casu isto contemplatio non est isti majus bonum secundùm primam distinctionem de duplici vita.

Unde & quartò, quando licitè potest utraque vita exerceri, speculativa scilicet & activa ; speculativa eligibilior est & dignior, & statui gloriæ seu innocentiæ conformior: vita enim quæ dignius & excellentius habet objectum & quæ ex digniori virtute procedit, eligibilior est, & sic est de intellectione Dei & de dilectione seu fruitione ejus; nam istæ sunt operationes optimarum potentiarum in homine, respectu optimi objecti. Secundùm hoc posuit Philosophus felicitatem in homine I°. & X°. *Ethic.* in contemplatione primæ causæ. Et conformiter (licèt magis elevatè) ponunt Theologi beatitudinem in fruitione & cognitione Dei & etiam delectabilior, ut patet. I. *Ethic.*

Similis conclusio potest poni secundùm aliam distinctionem & ex ista deduci, & per aliud medium sic. Quantò anima melior est quàm corpus, tantò vita regulans animam & dirigens in finem, melior est & dignior, quàm illa quæ tantummodò respicit corporale regimen; sic est de vita speculativa, respectu activæ in Ecclesia: ergo &c.

Quintò: præsupposito peccato & indigentiis variis in Ecclesia Dei ex peccato originaliter venientibus, & ceteris paribus: melior est vita quarta, scilicet composita ex activa & contemplativa, quàm simpliciter activa vel simpliciter speculativa, hoc est quàm una earum sine immixtione alterius.

Pro quo advertendum est, quòd tota multitudo operum meritoriorum unius hominis imaginatur quasi corpus quoddam & homogenium ad modum loquendi Christi Matth. VI. 22. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Glossa. *Si intentio simplex, bona qualibet operatio erit.* Probatio. Vita illa melior est quæ est vitæ Christi conformior: sed Christus conversatus est secundùm totum corpus vitæ suæ ad regulam & vitam cujuscunqne membri sui, scilicet tàm activè quàm speculativè : ergo &c. Confirmatur, quia corpus alicujus perfectius vivit, dùm pro loco & tempore utitur quolibet membro suo, nunc isto, nunc illo, quàm si continuè uno uteretur, quod esset perfectius, ut puta oculo, præsuppositis indigentiis ad quarum revelationem quodlibet membrorum utile est, & proviso quòd oculus sit in suo usu ad directionem manus & pedis. Et ex hoc sumitur responsio ad instantiam quæ fieri potest & moveret parùm considerantes, quia vita contemplativa secundùm se considerata melior est & dignior secundùm dicta, ergo melior est homo dùm secundùm eam vivit, quàm dum vivit secundùm activam. Sic enim argueretur quòd hominum corpus esset nobilius, si esset totum oculus, quàm habendo varietates quas ad præsens obtinet; & pictura pulchrior, si tota esset albedo, quàm dùm variis colorum appositionibus decoratur.

Similiter dicendum est hîc quòd corpus operationum humanarum quod imaginatur quasi & homogeneum, & diversarum rationum perfectius est, dum pro qualibet sui parte est in exercitio, præsupposito semper quòd vita speculativa est velut illustratio & directio, & vivificatio animæ sit in suo actu sufficienti, quàm si dimissâ activâ, esset continuè in speculatione sub gradu intensiori, præsuppositis indigentiis proximorum. Speculativus enim (ut quidam ait) videns fratris inopias & torpens à juvamine, deficit à fraterna dilectione, & per consequens à dilectione Dei connexa, & tunc non vivit contemplativè quæ completur in divina dilectione, sed in curiosa Philosophorum speculatione. Et si quæritur quando de necessitate & sub pœna peccati tenetur homo vivere secundùm vitam activam: dico vel ex suscepto officio, vel dum videt fratris necessitatem extremam, & non apparet quòd alius succurrat. Exemplum de eleemosyna.

A Ex his habetur radix, quare status Prælatorum est perfectissimus in Ecclesia sancta Dei, quia est status requirens utramque vitam pro loco & tempore, instar Christi & Moysi & aliorum; nam Christus nunc in monte orabat, nunc prædicabat, nunc populos cibabat. Similiter Moyses in monte Sina contemplabatur ea quæ postmodùm populo ministraret, & descendens judicia dabat populo, & Arcæ fabricam ordinabat. Ita quilibet eorum debet esse binominus ad modum Jacob qui & Israël dicitur: est enim Prælatus Israël in contemplatione, & Jacob in vitiorum supplantatione, tam in se quàm in subditis. Est enim duplici uxori copulatus, Lyæ & Rachel. Applicatio mystica communis est.

Sexta conclusio. Ceteris paribus utilior & fœcundior est in Ecclesia Dei speculativus, quàm sit acti-
B vus. Pro quo advertendum quòd duplex est utilitas & fœcunditas in Ecclesia. Quædam est grossa atque palpabilis, quæ à vulgo & à viventibus more vulgi præcipuè reputatur, & illa consistit in multitudine & conservatione bonorum fortuitorum & corporis, & pompa extrinseca. Alia utilitas; respectu bonorum animæ, vel meritorum vel aliorum donorum gratuitorum.

Secundò; advertendum quòd prima bona non prosunt, immò plerumque nocent, nisi pro quanto ordinantur & disponunt ad secunda bona, unde nec capiunt bonitatem aliquam moralem aut gratuitam, nisi à bonis hujusmodi tanquàm à fine ad quem debent ordinari, vel tanqnam instrumenta ea adipiscendi, vel tanquàm objecta circa quæ fit hujusmodi operatio virtuosa, immò quandoque talia bona conceduntur Deo irato, ut Augustinus ait : quia
C videlicet utilius esset illa non habere dùm obsunt bonis moribus, quemadmodùm & obsunt divitiæ perituræ: generant enim vermen pessimum qui est superbia, vel voluptas effrenata. Et sicut in uno homine hoc habet veritatem, sic & habere potest in toto corpore mystico Ecclesiæ, ità quòd numerabitur merito inter magna divinæ misericordiæ dona paupertas ipsius in talibus bonis fortuitis & Jurisdictionibus civilibus. Juxta quod dicunt Historiæ, & legi in postilla super Bibliam quòd dum dota esset Ecclesia bonis temporalibus per Constantinum, audita est vox in aëre. *Hodie venenum effusum est in Ecclesia sancta Dei.* Et quicquid fuerit de hoc, potuit enim tunc dotatio hujusmodi esse utilis propter bonitatem & fidelitatem dispensantium & dilatationem Ecclesiæ, post adversitates habitas; nihilominus nunc, aut aliàs
D poterit spoliatio similiter esse utilis propter malitiam Ecclesiasticorum talibus bonis abutentium; & ut claudatur via malignantium spinis adversantium, ne cadant in præcipitium vitiorum. Juxta quod ait Dominus : *Sepiam viam tuam spinis* Osee.II. 6.

Nunc ad propositum conclusionis constat quòd contemplativus ut sic proficit Ecclesiæ in bonis spiritualibus quasi de per se & immediatè; activus autem in bonis temporalibus. Undè Moyses plus profecit in monte orando dum alii præliarentur, quàm multitudo magna bellantium. Sic Deus qui non destruxisset Pentapolim peccatricem propter decem justos, si reperti fuissent; plùs miseretur Ecclesiæ & eidem parcit, propter orationes paucorum contemplativorum, quàm facit propter labores & discursus & turbationes multorum activorum. Juxta quod dicebat Hieronymus de Eremitis antiquis, eos esse vitam mun-

mundi & ipsum per eos ne corrueret stare. Hoc infertur contra illos qui terrena tantummodò cogitantes dicunt Juristas & Practicos terrena tractantes, & divitiis vel ædificiis vel epulis aggregandis occupatos utiliores in Ecclesia, quàm contemplativos bonæ vitæ & spiritualibus exercitiis intendentes; quos deliros vel phantasticos vel inutiles reputant, quia A *animalis homo non percipit.* &c. 1. Cor. II. 14. Et allegant quòd spiritualia absque temporalibus diu stare non possunt; quod dictum, absque dubio (nisi sanè intelligatur) blasphemum est: numquam enim Ecclesia fuit melior, quàm dùm vixit in paupertate. Quod etiam Hieronymus ponit in vita Malchi. Et de Romano imperio dicunt historici, & recitat Augustinus &c. Potiùs & veriùs diceretur è contra, quòd temporalia & præsertim in Ecclesia, diù absque spiritualibus esse non possunt; & certum est quòd cum eis non adesse non possunt: alioquin falleret Christus qui dixit: *primùm quærite regnum Dei; & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. VI. 33. non dixit è contra, primùm quærite ditationem, & post hoc regnum Dei & justitia ejus vobis adjicientur, immò sicut aliàs memini declarasse, nimium studium in multiplicatione bonorum temporalium & Jurisdictionum in Ecclesia non parva causa est suæ desolationis, tàm in spiritualibus quàm temporalibus, & hoc manuducebatur per similitudinem corporis mystici Ecclesiæ totalis, ad corpus verum hominis. Nam intendere nimis regimini sensualitatis, spreta directione rationis, est utrunque, tàm sensualitatem videlicet quàm rationem extinguere. Hinc est quòd multi proborum & contemplativorum in Ecclesia parùm curant si depauperetur Ecclesia vel conculcetur in temporalibus istis vocatis bonis, videntes tot vitia & abusus ex his provenire in conviviis superfluis, in venationibus, in si- C moniis, in prædiis & violentis promotionibus indignissimorum, in ambitionibus Prælaturarum & Beneficiorum, in superbiis dissolutissimis, in voluptatibus effeminatis, ceterisque innumerabilibus & nefandis abusionibus, in quibus se reputant gerere vitam activam dando onera gravia &c. Et hac omnia cessarent, aut non ita saltem abundarent in paupertate modesta. Ampliùs non ita diverterent Ecclesiastici etiam de Patrimonio Christi dotati ad traditiones, & adinventiones hominum pro divitiis cumulandis, spreta Lege Christi, sicut nunc facere conspicimus fornicatione quadam spirituali perniciosissima. Et hìc ad grandem tempestatem moderni temporis & schismatis consolandam possent applicari quæ omitto, quia facile est ex præcedentibus elicere.

Septima conclusio: vita Joannis Baptistæ post vitam Christi & Matris ejus fuit Angelica, & inter viatores, saltem quod aliquid, perfectissima. Pro cujus declaratione advertendum, quòd vita Joannis potest comparari ad vitam aliorum tripliciter. Vel quoad Prophetiam, vel quoad austeritatem victûs, vel quoad meritum interius. Si comparemus Prophetiam Joannis ad Prophetias aliorum, quoad hoc Joannes est perfectior; quia modo certiori & clariori demonstravit Christum, propter quem Prophetæ omnes illustrati sunt, & suas contexuerunt Prophetias. Et B hoc forsan innuere volebat ipsa veritas cum ait, quòd *Inter natos* &c. Matth. XI. 11. Nec moveat aliquem quòd Joannes videbat certa experientia Christum, & ob hoc non prophetabat de eo: de certis enim & præsentibus non est Prophetia. Fateor enim quod aliqua in homine illo videbat, respectu quorum non erat Prophetia, sed scientia vel experientia, ut quod hic esset unus homo sic ambulans &c. sed alia erant quæ non videbantur, ut quòd talis homo esset Deus & Messias in Lege promissus, & Agnus Dei qui tolleret peccata mundi, &c. Si dicatur ulteriùs quòd Joannes interrogatus, respondit se non esse Prophetam. Dicunt aliqui eum hoc dixisse ex humilitate, non ex veritate, quasi videlicet esset aliqua humilitas sine veritate, aut quasi humilitas per mendacium acquiratur. Et ideo veriùs & apertiùs dicitur, quòd Joannes negans se Prophetam, respondit ad intentionem quærentium Judæorum; sciebant itaque Judæi scriptum esse in Lege eorum. *Deut.* XVIII. 18. dicente Domino. *Prophetam tibi suscitabo post me*, &c.

FINIS.

JOAN-

JOANNIS GERSONII


Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

COLLECTORIUM

SUPER

MAGNIFICAT.

Collat. ad Codd. MSS. Victorin. 700. Duos Navarricos, & M. Targny.



OLLECTORIUM super *Magnificat* particulas habet exposita, non semper eodem ordine quo sunt in Cantico; neque sub eodem stili genere, sed vario, prout se fragmentorum appositio per sportas duodecim offerebat: totidem enim Tractatus habet principales. Denique plurima reperies de fragmentis, quæ diversis in sportis recondita, unum in sententia saporem ostendunt. Qui capit, accipiat, pro sua qualibet voluntate, benedicente Deo, multiplicante, distribuente, satiante.

Primus Tractatus post Prooemium Dramaticus est, seu per Dialogum, & habet Notulas quinquaginta, secundùm quas patet materia.

Tractatus secundus Dramaticus super Cantico. Mariæ, *De exultatione spiritus*; continet Notulas septuaginta tres.

Tractatus tertius Dramaticus, est in Cantico Mariæ *De respectione humilitatis suæ*, per Notulas centum viginti. Jungi verò possent Opuscula *De oculo triplici*, & *De una pretiosa margarita*, & *De oculo spirituali*, & *De triplici visione Dei*: & considerationes duodecim *De concordia Theologiæ Mysticæ cum Scholastica*; sed alibi collocantur in Collectorio septimo sportarum.

Tractatus quartus per Drama, seu Dialogum, *De Mariæ beatificatione* super illud: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Luc. 1. 48. per Notulas octoginta duas.

Tractatus quintus per Drama, seu Dialogum, *Quomodò fecit Mariæ magna qui potens est*. Ubi prima partitio est, *Si Maria passionabiliter movebatur*: per Notulas sexaginta. Alia partitio est sine Dialogo, *De sancto Nomine Dei*, ubi *De triplici notitia Dei*: per Notulas sexaginta duas.

Posset huic materiæ *De notitia Dei*, quæ est secundùm nomen ejus, conjungi duplex centilogium. *De conceptibus* unum. Alterum *De modis significandi*. Sed alibi positum est utrumque in Collectorio septem sportarum.

Tractatus sextus Dramaticus super quinto versu: *Et misericordia ejus*, &c. *De lamento Mariæ*, & *De timore Dei*, & *super ejus misericordia* finalis deprecatio: per Notulas centum. Jungitur initium quoddam tangens modum expositionis moralis, seu tropologicæ Lamentationum Jeremiæ.

Tractatus septimus prosaïcus principaliter *De mente cordis*, *&c.* *cognitione Dei*, super illo sexto versu: *Fecit potentiam*, *&c.* per Notulas centumquinquaginta.

Tractatus octavus per Drama, seu Dialogum: petitiones habet quatuor. Prima, *De depositione potentium per impulsum dæmoniorum*, per Notulas quadraginta quatuor. Secunda partitio, *De custodia Angelorum*, *&* *fallaciis dæmonum*, per Notulas centum quinquaginta. Tertia partitio, *De septem modis generalibus Angelicæ custodiæ*, per Notulas octoginta tres. Quarta partitio, per soliloquium, ubi *De custodia Angelorum*, per Notulas quinquaginta. Fit etiam mentio *De centilogio super impulsibus*, quod sursum alibi ponitur in Collectorio septem sportarum.

Tractatus nonus super illud: *Esurientes &c.* componitur principaliter *De Eucharistiæ Sacramento* per quinque partitiones. Prima partitio, per Dialogum procedit per Notulas centum. Secunda partitio, per soliloquium *De laudibus Sacramenti Altaris*, & ut dignè suscipiatur exhortatio, per Notulas centum. Tertia partitio, per soliloquium conversum ad Mariam, per Notulas quinquagiuta. Quarta partitio, per soliloquium quasi narrativum, *De contemplationibus Mariæ super hoc Sacrumento*, & principaliter *De duodecim bonis ejus*, *quibus replentur esurientes*, per Notulas centum, cum additione quadraginta theorematum de unitate. Quinta partitio, per soliloquium *Exhortatoria hujus Sacramenti*, per Notulas quinquaginta. Sunt in summa quatuor centilogia Notularum, quibus jungi posset centilogium *De causa finali*, occasione hujus benedicti Sacramenti compositum, quod alibi positum est in Collectorio septem sportarum.

Tractatus decimus super versu: *Suscepit Israël puerum suum*, *&c.* Est autem in ipso duplex partitio: Prima fit per Dialogum, & Notulas septuaginta. Altera fit quasi per soliloquium, & meditationes, per Notulas triginta.

Tractatus undecimus sub duplici partitione super illo versu: *Sicut locutus est ad Patres*, *&c.* Prima partitio *De contemplationibus Mariæ* super locutione Dei per Prophetas, & maximè per seipsam, incipiendo ab Evangelica narratione juxtà compilationem noviter factam, quæ dicitur *Unum ex quatuor*, per Notulas quadraginta sub rubrica prima: *In principio erat verbum*. Joan. 1. 1. Undè datur intelligi, quantùm super reliquis sermo protensior esse posset. Secunda partitio *De vita solitaria Joannis*, quasi super Rubrica secunda, *De nuntiatione Joannis*, *&* *habitatione in deserto*. Sunt in hac partitione tres particulæ, juxtà triplicem modum manifestandi vitam solitariam; continet Notulas centum.

Tractatus duodecimus in persona Mariæ per soliloquium, summatim colligens sensum Cantici hujus Canticorum Mariæ, per Notulas centum, quasi per Psalterium decies decacordum, superadditis his duobus versiculis ab Ecclesia frequentatis: *Gloria Patri*, *&* *Filio*, *&c.* *Sicut erat in principio*, *&c.* Spectat ad hanc materiam centilogium *De gloria*: quæratur in Collectorio septem sportarum.

P R O OE M I U M

CANTICUM Mariæ tractaturus in solatium peregrinationis meæ vergentis in occasum (utinam felix matutinum carens vespere subsequatur.) Decrevi procedere per Dialogum more didascalico, qualem Socrates, qualem Plato Socratem introducens tenuit. Poterit & hic noster procedendi modus nominari Dramaticus, qualis ascribitur Canticis Canticorum, qualis insuper commodus est canticis, vel eulogiis amorosis. Quod Ecclesiastica attestatur exhortatio, quæ de virginibus canit: Antè thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia Cantica dramatis. *Sit igitur, te favente, Beatissima Virgo, super omnes amans, amabilis, & amata, sit hoc initium per Dramata, Notulasque distinctum:* Magnificat anima mea Dominum, *Luc.* 1. 46. *Colloquuntur duo fratres: Junior, instar Discipuli interrogans; Senior Magistri locum retinet, & nomen; ambo solitudinis, non solitariæ dilectores.*

VERSUS

VERSUS CANCELLARII PARISIENSIS

Qui congruè præmittuntur operi suo super

MAGNIFICAT

POST PROOEMIUM.

SE Lugdune tua fratres solantur in urbe,
Dum de quolibet est sermo frequens in eis.
Junior, & Senior, hic Cælestinus, & iste
Theologus; plaudens Junior hæc loquitur.

JUNIOR.

Ecce bonum, fratres, & jocundum, simul esse,
Idem quos uterus, parque dies peperit.

SENIOR.

Fraternalis amor cor nostrum nectat in unum,
Firmet & hoc unum gratia, Christe, tua.

JUNIOR.

Carne quidem Frater, meritis Pater, atque Magister,
Sunt data quæ nobis otia grata vides.

SENIOR.

Otia post diros conflictus, atque procellas,
Dat Deus, atque locat littore nos placido.

JUNIOR.

En fas est, vivas pariter dare, reddere voces,
Fert mens de studiis quærere multa tuis.

SENIOR.

Quare vices reddam, lenit fastidia sermo,
Est sua solamen garrula vox senibus.

JUNIOR.

Discipulus vocer ergò tuus, tu jure Magister,
Commoda doctrinæ talia nomina sunt.

SENIOR.

Discipulus tu sis magis illius, esse Magistrum
Qui vetat, hic solus corda docere potest.

JUNIOR.

Hoc sub Doctore meus en potes esse Magister,
Plantans, atque rigans, crescere, Christe, dabis.

SENIOR.

Det, precor, ille, pete de quolibet, ut fuit olim
Theologis mos, hoc quærere, mox aliud.

JUNIOR.

Gratulor, est modus hic placidus mihi talis & aptus,
Sermo, & peregrinis, sit Jesus in medio.

SENIOR.

Promisit, faciet talem dare modò, qualem
Se dedit in Templo, simque docendo sequax.

JOANNIS GERSONII


Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS PRIMUS DRAMATICUS

SUPER

MAGNIFICAT

Habens Notulas quinquaginta.

*AGNIFICAT anima mea Dominum.* Luc. I. 46.

Discipulus. Magister dic, oro te, quo pacto beata, & pulcherrima mulierum post salutationem Elizabeth, post exultationem Joannis in utero, post collaudationem quia crediderit, erumpens in jubilum, cœpit à magnificatione Dei Canticum suum dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46. Gratum quippe mihi feceris tum sciendi studio, tum consolationis desiderio: dùm solos nos hîc evomuit sæviens tempestas velut in scopulum. Benedictus Deus qui nos in pacato solitudinis atrio collocavit.

Magister. Gratum & illud mihi subveniet: quoniam *mandavit Dominus* in adversitatis *nocte Canticum ejus.* Ps. XLI. 9. Summa quoque miseriarum inevitabilium medicina, est oblivio. Digneris ergò laudare nos te, Virgo sacrata, quæ non ingratá beneficiis Dei, more priscorum, mox Canticum edidisti consonans eis in exordio, & dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46. Taliter olim Maria soror Moysi *in medio juvencularum tympanistriarum.* Psal. LXVII. 26. Taliter David Rex inclytus, undè Maria *regali ex progenie exorta refulget.* Taliter alii plures ad Dei magnificationem eruperunt, ut est illud: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est.* Exod. XV. I. Et illud *Magnus Dominus, & laudabilis nimis;* Ps. XLVII. I. cùm ceteris in arcano cordis Mariæ profundè collocatis. Similiter & acceperat novissimè promissionem Angelicam de Filio nascituro: *Hic erit magnus,* inquit. *Luc.* I. 32. Denique noverat, quia fecerat sibi *magna qui potens est.*

Magnus Dominus, & magna virtus ejus, Ps. CXLVI. 5. *virtus Altissimi,* Luc. I. 32. quæ obumbravit sibi, *& sapientiæ ejus non est numerus,* Ps. XLVI. 6. quià veritas est illa, quæ magna est, & prævalet testimonio omnium per Esdram prolato.

Discipulus. Venit in manus protinùs quæstio, qua ratione dicatur magnificari Deus, cùm penitùs nec augeri valeat, nec minui.

Magister. Hæsitas, non intelligens Scripturas, quemadmodùm Dominus à creatura magnificatur, non in augmentum sui in se, sed quià magnus esse prædicatur, canitur, & laudatur; aut certè quià magnificam facit animam, cui *magna* facit *qui potens est.* Nam quos justificavit, hos *&* magnificavit. Nunquid parùm tibi videtur magnificata beatæ Mariæ Virginis anima, quæ operationi suprà modum magnificæ fuit ausa præbere consensum? *Fiat,* inquit, Luc. I. 38. *mihi secundùm verbum tuum,* id est, fiam Mater Filii, cujus est Pater Deus. Quid excelsius, quid sublimius, & magnificentius poterit cogitari? Quod & vidit, cùm Propheticè subjunxit: *Ecce,* inquit, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. I. 48.

A

Discipulus. Quomodò stant, & in unum conveniunt, tanta humilitas cum tanta magnificentia; tanta dejectio cum tanta gloria? Sed habebit hæc quæstio locum suum, cùm de beatitudine Virginis erit sermo. Vellem nunc colligeres aliquas magnificationes Domini, quas mens Mariæ contemplabatur sapienter in Cantici sui principio, quatenùs ordo nobis suppetat ad loquendum magnalia Dei, non quidem omnia (hoc enim impossibile non dubito) sed pauca, pro captu nostro.

Magister. Quid appropriatiùs, quidve diviniùs poterimus accipere, quàm ipsummet Psalterium Mariæ decachordum habens decem versus quasi totidem chordulas sonorosissimas, conformiter ad illud universale

B

decachordum totius rationalis creaturæ, quod connectitur ex novem Ordinibus Angelorum, quasi novem fidibus argutis, juncta ex hominibus decima, quam in primis parentibus per peccatum ruptam summus noster citharista reparavit, ut concordaret *Psalterium jocundum cum cithara.* Ps. LXXX. 3. Est itaque prima hujus nostri Psalterii Mariæ chordula sonans Dei magnificentia, quià est Dominus, cujus *elevata est magnificentia super cœlos.* Ps. VIII. 2. *Magnificat,* inquit, *anima mea Dominum;* non dicit illum, vel illum, sed simpliciter, & antonomasticè *Dominum.* Secundò: magnificatur in salutatione, propterea vocat ipsum salutare, quià *Domini est salus.* Ps. III. 9. Tertiò: magnificus est in respectione humilium, & beatificatione, *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit.* Ps. CXXXVII. 6. Quartò: magnificus in magnorum

C

operatione, & nominis sui sanctitate, *quia,* inquit, *fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Luc. I. 49. Consonat Psalmista. Quià *magnificasti super omne nomen sanctum tuum.* Ps. CXXXVII. 2. Quintò: magnificus est in misericordia, & miseratione: *timentibus eum.* ℣. 50. Sextò: magnificus in superborum cordis sui dejectione seu disper-

persone. Septimò: magnificus in humilium exaltatione, potentibus de sede depositis. Octavò: magnificus in esurientium impletione, cùm *divites dimisit inanes.* Nonò: magnificus in perditorum liberatione, quià *suscepit Israël puerum suum.* Decimò: magnificus in promissorum suorum completione: *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula.* Luc. 1. 55.

A

Discipulus. Placet adaptatio brevis, & lucidus ordo.

Magister. Quid verò censeres, si varios omnium organorum sacræ Scripturæ modulos imò voces omnis generis Musicorum concordare faceremus cum hoc Mariæ Psalterio decachordo.

Discipulus. Redderetur, scio, superadmirabilis harmonia.

Magister. Sciveris similiter, quòd in auribus suis nostra Psaltes copiosissimè, & distinctissimè faciebat resonare voces omnium Musicorum, dùm mentis intuitum simul cum plectro meditationis, liberrimo discursu, miraque celeritate diffundebat ubique; dùm quasi simul in omnes & singulos se diffundebat affectus, quos solet humana mens sigillatim variare canendo.

B

Discipulus. Mirum verò qua virtute valuerit hoc effici, cùm sint affectuum voces innumeræ. Cùm prætereà sibi sint contrariæ, vel adversæ. Nonne contrariatur vox amoris odii sono? Sic desiderium, seu prosecutio tendit in adversum fugæ. Repugnat quoque gaudium, tristitiæ; spes, timori; compassio, severitati; & ità de plurimis.

Magister. Jure miraris mirabilia, ideò nempe cantavit Domino Maria Canticum novum, quia mirabilia fecit. Mirabilia prorsùs misericordiæ, quæ charitas majora fecit, quàm fuerunt (si ita dici potest) mirabilia potentiæ: Fecerat apud veteres mirabilia, quæ potentiam, quæ sapientiam, quæ justitiam, quæ dominationem, & virtutem ostendebant. Sed tunc *novum Dominus fecit super terram*, quando *mulier* circundedit *virum*, Jerem. XXXI. 22. quando scilicet, *suscepit* Deus per Incarnationem *Israël puerum suum*, Luc. 1. 54. quando recordatus est: cujus recordatus? Non dixit potentiæ, non sapientiæ, non justitiæ, sed *misericordiæ suæ.* Tunc *memoriam fecit mirabilium* scilicet misericordiarum, *misericors, & miserator Dominus.* Ps. CX. 4. Quoniam in rebus per tempus ortis mirabilius nihil utique, teste Augustino, *quam ut Deus fieret homo, & homo esset Deus.* Vis horum deductionem accipere?

C

Discipulus. Nolo de præsenti, quià locum fortè posterius habebit amplior declaratio super illud: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Luc. 1. 49. Sed ad inquisitionem redeo, qua ratione monstrabis omnes affectus in hoc Cantico novo Mariam comprehendere simul potuisse beatam, dum gratulabunda jocunditate dicit Deo: Ps. CXLIII. 9. *Deus canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.* Psalterium quippe decachordum esse hoc Canticum Mariæ, superiùs est ostensum.

Magister. Vocas ad rem diù mihi multùmque quæsitam, qua super re te docebunt Opuscula nostra de Canticis, nominatim illud, cui titulus est *Canticordum*, id est, Canticum cordis. In cujus ultima parte traditur pro praxi Canticorum spiritualium gamma novum, & mysticum, ad proportionem, vel analogiam gammæ manualis sub quinque vocibus, juxta quatuor passiones, seu potiùs affectiones principales, junctâ quintâ, quæ fit ex concursu plurium, quæ dicitur compassio, quasi cum aliis passio. Prima est amor, vel gaudium; secunda spes, vel desiderium; tertia timor, vel diffugium; quarta dolor vel odium.

D

Discipulus. O ego nunc memini quid ibidem tractaveris. Sed quià venit fortè in notitiam paucorum pro sua magnitudine, opus illud utile feceris studioso desiderio, si sub compendio practicam hanc Cantici mystici tradideris.

Magister. Factum est hoc jam alibi, nec istic pigebit, quia sic vis, inserere.

NOTULA XV.

PER PROPRIAS SUBDISTINCTA NOTULAS.

NOBILIS Apostolus, puer Evangelicus, non sensibus sed malitia puer, habens quinque panes doctrinalis refectionis in quinque millia hominum, dicebat Corinthiis: *Volo quinque verba sensu meo loqui, ut alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* 1. Cor. XIV. 19. Præmiserat tamen per exemplum de tibia, & cithara, *quæ nisi distinctionem sonituum dederint, sciri nequit, quid canitur, aut quid cytharizatur. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* ℣. 7. 8. Concluditque, opus est sensu, tam cognitionis, quàm affectus, dum qui orat, loquitur, aut psallit; quatenùs secundùm tropologiam homo spiritualis se pararet ad bellum, & cum quinque lapidibus limpidissimis de torrente Scripturarum Goliam, id est, satanam, sternat, alter David puer factus. Hæc est parabola mystici canticordi, vel Cantici cordis, quod hortatur idem Apostolus psallere spiritu, psallere & mente. In quo cantico cordis tria reperiuntur, ut in cantu oris.

Primum, est cantûs materia, quæ vocatur Littera.

Secundum, cantûs vox, quæ dicitur resonantia.

Tertium, cantûs figuratio, quæ denominatur nota, vel notula. Materiam canticordi dicimus omnium divinorum, & humanorum cognitionem piam, & honestam. Resonantiam appellamus omnem cordis, & spiritus affectionem moderatam, & ordinatam. Notam vel notulam figuramus ad præcedentium duorum notitiam, ut appareat cui resonantia affectuum sit aptanda, literâ meditationum. Hac super re dabuntur pauci versus, quorum sententia plùs elucidabitur, & hoc per triplex quinarium. Quinque verba pro littera.

Magnificus, largus, pius es, justus, miserator.

Quinque affectus pro harmonia:

Gaudia, spes, pietas, hinc timor, atque dolor.

Adaptatio quinque vocalium ad voces quinque affectionum.

A gaudens amat, E sperat, sed I miseretur,
O timet, U quæ dolens odit, & ista Notes.

Conformatio ad quinque Notulas. *Sol, fa, mi, re, ut.* Quisquis animadvertere diligenter voluerit, inveniet quòd omnis meditatio salubris tam divinarum quàm humanarum scientiarum reduci potest ad quinque verba, quorum quatuor prima Deum respiciunt, scilicet magnificentia, munificentia, misericordia, justitia.

Quintum est homini speciale, videlicet miseria. Omne siquidem canticum spiritus, & cordis, habet formari secundùm alterum quinque verborum, seu duorum, seu trium, seu omnium simul prædictorum. Possent similiter omnes cordis, & spiritus affectiones ad numerum deduci quinarium, quæ sunt gaudium, spes, compassio, timor, dolor. Applicando singulum verbum litteris meditationis singulæ, per ordinem hìc positum, voci sonantis affectionis. Demum quinque vocales ordine naturali positæ notulæ sunt indicantes cui voci littera sit accommoda, etiam per depressionem, & elevationem, ad instar gammæ manualis, *Sol, fa, mi, re, ut.* Aut ponatur ordo naturæ vocalium, demptis consonantibus, ut patet in figura sequenti.

Gau-

A	E	I	O	U
Gaudium.	*Spes.*	*Compassio.*	*Timor.*	*Dolor.*
Dei magnificentia.	*Munificentia.*	*Misericordia.*	*Justitia.*	*Nostra miseria.*

Nolumus autem ut existimet aliquis gamma præsens mistycorum omnium canticorum valere protinùs efficaciter, ut cantet cor & spiritus per affectum simul & effectum, si non fuerit huic arti de se cognitu facillimæ superadditus, vehemens, & jugis usus. Quippè sic inspicimus in ceteris artibus, præsertim in Musica sensuali; sic in psalterio, & cithara; sic in choro vocali, sic in chordis & organo. Sed nec oportet, nec expedit, sola præsentium phantasia figurali versari diutius, quàm ducantur ad intelligentiæ puritatem phantasmatibus vel transcensis, ut interim quantùm fas extiterit, derelictis. Nec ideò putanda est præsens ars inutilis, vel supervacua, vel solùm phantasialis, quoniam *priùs est, quod animale est*, 1. Cor. xv. 46. secundùm Apostolum. Et omnis nostra cognitio intellectiva sumit à sensitiva principium, quæ juvatur, dùm ordinata sibi phantasmata præsentantur, & sub compendio. Hoc unum fidenter pollicemur, quòd præsens ars tanquàm in utero naturæ formata, cui nulla est lingua barbara, vel ignota practicabilis erit omnibus, per omnes & sine discretione idiomatum, qui converti voluerint ad cor, ubi tamquàm in Libro scriptum est, impressum, & signatum, & notulatum, (licèt obumbratum in multis) præscriptum ternarium. Nam quis negaverit, Deum esse magnificentissimum, & ideò gaudendum de tanto Domino, Rege, Patre, Deo? Quis insuper nesciat munificentiam ipsius, sive largitatem, & ita spes in eo ponenda est? Porrò quia mitissimus, & justus, nobis autem miseris, miris modis surgunt alii tres affectus, qui sunt timor justitiæ, dolor miseriæ, & compassio tàm alienæ, quàm suæ calamitatis, ad implorationem faciendam divinæ misericordiæ. Vocalium subindè naturalis ordo positus est, tanquàm à psalterio profundi cordis incipiat. A. dehinc. E. paulò acutis; deindè. I. postmodùm. O. tandem. U. labiis summis expressum. Est enim praxis; ut quotiescunque, & ubicunque syllaba litteralis cantici posuerit. A. potest meditatio de magnificentia Dei fieri cum resonantia gaudii. Si ponitur. E sit de largitate Dei spes. Si sit. I. resonet ad misericordiam Dei, & humanam miseriam, compassio. Si. O. timor justitiæ. Si. U. dolor nostræ miseriæ deploretur. Est rursùs hinc invenire combinationes, & proportiones suaves, ut diatessaron, diapente, diapason. Nec non neumata cum tonis; cantum cum discantu; tenorem cum triplo, & contratenore; prout in Opusculo Canticordi latiori traditione deductum est, ac sub exemplis monocordi, ac decacordi, figuratum. Sic in omni cantico sonabili cujuscunque sit linguæ, valet notulari versus Psalmi. Utrùm verò sufficiat in Ecclesiastica psalmodia, quòd intentio cantantis, vel audientis feratur ad præmissa, colligi potest ex Opusculo *De sollicitudine Ecclesiasticorum.*

Hoc unum dicimus hìc, quòd nec inspirationes sancti Spiritus arctare, nec meditationes eruditorum circà sensum Psalmorum per ista tollere volumus, aut debemus. Sed sunt qui nec sensum literæ quomodolibet intelligunt, neque quomodò se meditando recolligant inveniunt. Proderit hæc ars præcipuè talibus cum exercitio paulativo, quantumcunque laïci sint. Verbi gratia, tu audies. A. vocalem in una parte Psalmi; dirige meditationem tuam ad magnificentiam Dei, ac proindè formet cor tuum vocem gaudii, vel formari desideret; quià *desiderium pauperum exaudivit Dominus*; Ps. Hebr. x. 17. si plus nequit, dicens cum Propheta. Ps. cxviii. 20. *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.* Tu audies. E. tu fer meditationem tuam in Dei liberalitatem, seu munificentiam, ac indè spera, vel sperare desidera. Similiter ad. I. meditare Dei misericordiam cum humana miseria, & hinc compatere, vel compati tam animæ tuæ, quàm aliis concupisce. Ad. O. cogitabis justitiæ Dei severitatem, & indè timebis, vel timere desiderabis. Sic ad. U. dolebis humanam miseriam, vel dolere curabis, ut non apponas ultra magnificare te super terram. Et quis est, obsecro tam hebes aliquis, qui non possit sub morula temporis hæc addiscere, meditari, meditataque exequi, vel desiderare exequi; & si non volatu contemplationis, saltem lento nonnunquàm saltu cordis, instar locustarum. Veniet hora ferventior, quando dicere ex sententia Domino sic satagens poterit: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Ps. cxviii. 32. Postremò si videatur aliquibus hoc artificium magis curiosum, quàm fructuosum; habet totam Musicæ Spiritualis, seu cordialis harmoniam sub duabus vocibus, quæ sunt spes salutis, & timor damnationis, sub duplici littera vel duobus verbis, quæ audivit Propheta, postquàm *semel locutus est Deus.* Ps. lxi. 12. Et hæc sunt potestas, seu severitas judiciorum Dei, & misericordia respectu præmiorum, & miseriarum nostrarum; secundùm quæ duo formabat Propheta canticum suum, dicens: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine*, Ps. c. 1. cujus *nomen est sanctum & terribile.* Ps. cx. 9. Nec aliquid invenies in Scripturis, & creaturis quod ad alterum eorum reduci non possit.

Discipulus. Gratum habeo, quià sentio, te condescendisse voto meo. Nihilominùs adhuc superest primus inquisitionis scrupulus, qua ratione potuerit mens Mariæ per omnes affectionum istarum modulos tanta facilitate suavissimum guttur mentis aptare, cùm vix in magno otium solerti studio possit hæc practica modò tradita faciliter observari.

Magister. Accipe primò quià fecit Mariæ *magna qui potens est.*

Subindè mirabilia sunt, quæ simul efficiunt ars, & usus. Docent hoc in proposito simili Musicorum Tractatores. Non enim citharizans, si perfectus est, deliberat de qualibet chorda, sic aut sic tangenda; quoniam, Philosopho teste, *Ars perfecta non deliberat*, dum consuetudo transit velut in naturam, quæ ut sic, magis sequitur impulsum suum quàm deliberans arbitrium. Denique reddit habitus radicatus, & perfectus illa facilia, quæ difficilia, vel impossibilia videbantur habitu carentibus. Non minùs hoc in spiritualibus, & intrinsecis operationibus intellectûs, & affectûs, quàm in sensibus extrinsecis.

Discipulus. Dum acutè considero, cogor experientiis, simul & privilegiis assentire.

Transeo nunc ad inquisitiones alias. Una; cur beata Maria cum cecinit hoc Canticum, variè posuit & divisit spiritum & animam, dicens de anima: *Magnificat*, addens de spiritu *exultavit.* Cur præterea magnificare dat animæ, & exultare spiritui? Cur proindè magnificationem animæ suæ dat Domino, & exultationem spiritus dat Deo salutari suo? Denique cur incæpit Maria Canticum suum à magnificatione Domini, potius quàm à sapientia, & bonitate? Priùs quoque narravit beneficia sibi singulariter collata, quàm distributa ceteris universaliter.

Magister. Vocas me ad quæstiones cognitu dignas, quarum prima concernit materiam de divisione animæ, ac spiritus. Et hæc quidem multa præsupponit, si perfectè debeat intelligi. Diximus pridem aliqua in Tractatibus *De mystica Theologia.* Vix fuit quoque aliquis præcipuus Doctor, Philosophus, aut Theologus, quin aliqua de spiritu, & anima tradiderit pro cognoscendo nos metipsos, quæ cognitio jure ceteris omnibus antefertur, ità ut nunquàm possit de ea sermo nimis dici, sicut neque potest nimis sciri.

Dis-

Discipulus. Verè sic est, nec in aliqua quavis traditione, fateor, me magis occupari velle. Præsuppositis igitur multis alibi traditis, dic ad præsens accommodum proposito.

Magister. Accipe, quòd ipsius animæ rationalis quæ est forma hominis essentialis, secundùm determinationem Ecclesiæ, sunt principaliter duo actus, vel officia: intelligere scilicet, & animare. Propter primum dicitur *Spiritus*: *Anima* verò propter alterum; nec ignoro multis utrumque nominibus aliter appellari: sed acceptionem nostram significabit tàm descriptio, quàm subdivisio. Et ut apud eruditos Catholicos apertior fiat intentio nostra, recipimus Christum pro exemplo qui dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matth. XXVI. 38. Et de spiritu subjunxit: *Spiritus quidem promptus est.* ℣. 41. Considerant igitur Doctores in Christo quasi duplicem animæ rationalis portionem. Unam secundùm quàm fuit verè beatus ab instanti conceptionis clarè videns Deum, & fruens eo. Altera fuit subjecta tristitiis, & ceteris affectibus viæ, quia erat secundùm illam passibilis, quamquàm spontanea susceptione pœnalitatum, non absoluta necessitate. Si potes igitur concipere divisionem istam quam credimus in anima Christi fuisse, poteris conjecturare quid in ceteris hominibus valeat effici.

Et primò respiciamus beatam nostram Mariam, quæ dum erat viatrix, habuit post Christum tunc viatorem, divisionem spiritus, & animæ, modo profectò, sed differenter à Christo.

Primò quia spiritus Christi erat perfectè beatus, ut nunc in gloria; spiritus Mariæ non, sed in ænigmate, & speculo cernebat & amabat Deum.

Secundò; quia non necessitate anima Christi suberat passionibus sensitivis, vel afflictivis; sed ultrò suscipiebat eas. Quod intuens Hilarius dixit, Christum hora passionis non doluisse, nec timuisse, nec timorem fuisse sibi; supplendum est, nisi voluisset: alioquin esset error totius Evangelicæ narrationis subversivus. Anima verò Mariæ necessariò patiebatur ad præsentiam objecti tristabilis. Undè quamvis esset sine peccato originali concepta; non tamen habebat innocentiæ statum primorum Parentum, sicut nec alii per Baptismum mundati, quando deletur culpa manet pœna, id est, necessitas patiendi.

Tertia differentia sumitur, quià beatitudo Christi, quæ fundabatur in spiritu, non redundabat, nec effluebat in animam, nec passiones animæ conturbabant spiritum, ut spiritus erat. At verò fiebat utraque redundantia de virtutibus spiritus Mariæ in animam scilicet, & è contra de passionibus animæ in spiritum. Hinc minus doluit in Filii Passione, nec ità clamavit pro sensualitate; *Deus meus quare dereliquisti me*, Matth. XXVII. 46. sicut Filius.

Quarta dicitur differentia, quia spiritus Christi, qui dici potest cor ipsius, semper vigilabat etiam anima dormiente, juxta illud: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Cant. V. 2. Non sic in Maria.

Discipulus. De beato Paulo quid dicimus, cum vidit arcana Dei?

Magister. Probabile est, quòd Maria aliquando sic rapta fuerit, & sic inspexerit, atque multò diviniùs fuit in Maria divisio spiritus, & animæ, quàm in Paulo, vel Joanne, vel ceteris viatoribus. Quia nulli motus animæ rationalis, qui nati sunt obedire rationi, præveniebant in Maria judicium rationis vel spiritus. Secus in aliis, qui propterea peccare poterant venialiter.

Discipulus. Cur apposuisti de motibus, qui nati sunt obedire rationi?

Magister. Sanè propter motus nutritivæ potentiæ; vel naturalis, qui non sequuntur cognitionem aliquam; ideò moventur non ex imperio, vel motu rationis, sed naturæ quodam impulsu trahuntur.

Discipulus. Utrùm sic fuisset in Adam non peccante?

Magister. Non videtur satis determinatum, quoniam potuit Deus subjicere libertati primi hominis suas omnes potentias, quemadmodùm dicunt aliqui non improbabiliter, quòd in Beatis omnes potentiæ sunt in suis operationibus conjunctæ libertati, vel subditæ, & in Christo similiter.

A *Discipulus.* Vellem dares exemplum sensibile de hujusmodi divisione spiritus & animæ. Deinde varietatem aperires. Postmodùm subderes divisionis hujus causas.

Magister. Tria petis difficilia, nec satis intelligibilia per solam doctrinam, nisi comes fuerit experientia. Dat Augustinus exemplum de monte sublimi, in cujus vertice fit illustratio solis quieta, & serena sine nubibus. In pede verò montis fit obscuritas nubilosa cum agitatione ventorum. Dat aliud exemplum Hugo super Ecclesiasten de igne qui fumat cum flamma, & de illo qui serenus lucet in carbone vivo.

Discipulus. Nunc varios modos hujus divisionis spiritus, & animæ nobis aperi.

Magister. Differentia est triplex; quia spiritus aliquando manet in actu suo, nihil agente anima sensitiva. B Hoc primum perspicuum est in spiritu separato, qui viribus sensitivis non utitur, secundùm probabiliora dicta Doctorum, quàmvis Autor *De spiritu & anima*, & Cassiodorus sonent in oppositum, quòd anima separata sentit, videt, audit & tangit. Sed tunc frustrà facta fuisset conjunctio animæ ad corpus si non egeret organo corporeo, dum operationes sensitivas exercet. Fortè volebant isti dicere, quòd vires istæ manent radicaliter in spiritu separato, sicut visiva vis est in pede viventis hominis, licèt ibi videre non possit: sed magis ad rem nostram datur exemplum de Paulo qui raptus fuit in spiritu, adeò sine sensu corporeo, quòd dicebat: *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit.* 2. Cor. XII. 2. Fit prætereà aliquando viceversà, quòd dùm anima secundùm portionem inferiorem est in actibus suis, spiritus superior nihil intelligit. Hoc verò frequentissimum non habentibus expeditum rationis judicium, quales sunt C pueri, vel fatui, vel dormientes, vel attenti vehementer ad sensibilia, & bestiales hinc effecti.

Discipulus. Nunquid appellanda est hæc divisio animæ, & spiritus, aut raptus, vel extasis?

Magister. Nequaquàm si propriè judicaverimus; sed magis est hæc absorptio spiritus, & depressio, vel alligatio, quàm ab anima per extasim & raptum separatio.

Discipulus. Sic videtur, quoniam raptus dicit impulsum quendam ad superiora, vel actionem, vel deductionem, quemadmodùm dum *ductus est Jesus a Spiritu*, Matth. IV. 1. ductus, impulsus, & actus in desertum: propterea dic alteros modos.

Magister. Unus est, dum spiritus efficitur in actu suo ad similitudinem fulguris coruscantis, aut emicantis scintillæ solùm in quodam transitu repentino, D non in tali valens consistere claritate. Sic Plato, quem sequitur Augustinus, dixisse fertur de cognitione nostra circà Deum, vel divina per homines à sensibilibus se conantes abstrahere. Sonat ad hoc similitudo animalium Ezechielis, de quibus dicitur, quòd *ibant, & non revertebantur.* Subditur tamen, quòd *ibant & revertebantur*; non quidem absolutè loquendo, ne videatur contradictio; sed additur, *in similitudinem fulguris coruscantis*, Ezech. I. 14. 17. quæ coruscatio ad matricem suam regredi videtur, quamvis persistat in seipsa. Trahitur insuper ad hoc verbum Job de Deo quòd *abscondit lumen in manibus*, Job. XXXVI. 32. ostendens illud quando vult. Loquitur ad hoc propositum frequenter Augustinus, satagens exurgere ad cognitionem divinorum. *Sed subito resorbeor*, inquit, *dum quicquam emicare cernitur in intelligentia, vel affectu.* Apud aliquos vero tran-

transitus iste repentinus quandoque fit parvissimus secundùm plùs, & minùs. Magnum verò, magnum valdè, si vel horâ dimidiâ sit in cœlo silentium dum hîc vivimus. Hoc autem magnum senserat, & experiebatur, quasi quotidiè Beata quæ dixit: *Fecit mihi magna qui potens est*. Luc. I. 49.

Discipulus. Istud piè credi potest. Sed utrùm solo Dei miraculo, vel illapsu sancti Spiritus intimo fiat tanta divisio spiritus, & animæ; aut si quandoque naturaliter eveniat per vehemens studium meditationis circà divina, & exercitii per virtutes, more Philosophantium, qui soli tali via nitebantur.

Magister. Non arbitreris hoc esse possibile, alioquin negas Christum esse ostium quo venitur ad Deum. Sic divinus Dionysius posuit hanc Theologiam esse mysticam, solis propriam Christianis. Potest nihilominùs auxilio esse tam Angelica visitatio, quàm humana exercitatio, cum corporis apta dispositione, & completione. A

Discipulus. Dicis auxilia tria, unum per Angelum, aliud per exercitium, aliud per corpus bonum. Dicas de quolibet breve verbum.

Magister. Incipiam ab ultimo. Omnis itaque cognitio nostra, quantumcunque fiat per spiritum, naturali via, sine revelationis immediato miraculo capit à sensibus initium, per quos phantasmata veniunt ad animam phantasiantem, de quibus dicit Philosophus, & Theologi consentiunt, quòd *Necesse est, quemcunque intelligentem phantasmata speculari*. Hæc sunt ad spiritum sicut color ad visum. Hinc fit per irradiationem intellectûs agentis, quem non aliud opinor, quàm spiritum, prout lumine vultus Dei signato super se naturaliter prædistus est. Fit inquam, actuatio phantasmatum, quatenùs in possibilem intellectum se præsentent, & possibilis intellectus ex ipsis phantasmatibus eliciat incorporeas species intelligibiles, & immateriales, per quas intelligat sine sensu, & corpore, non ut subjecto, quia semper informat, sed ut organo spirituali. Exemplum datur de luce quæ requiritur ut color videatur, tam pro coloribus, ut actuetur, & fiat ex ipsis, & lumine unum in ratione motivi. Requiritur insuper ad illuminationem medii perspicui. Supplet autem officium lucis exterioris ipsum lumen intrinsecum & naturale quibusdam oculis; quod in cattis, & lupis & aliquibus hominibus videre est, qui nocturnis vident in tenebris. B

Discipulus. Appares disgredi, nec idonea dicere rei nostræ. C

Magister. Ostendam mox idoneitatem. Itaque si necesse sit cognitionem spiritus etiam ab anima divisi, suæ cognitionis initium sumere per inspectionem phantasmatum; quid consequentius quàm juxta variam phantasmatum præsentationem fiat in spiritu cognitio, hoc est, fiat clara, & serena cognitio spiritualis, si talia præsententantur phantasmata serena, clara, ordinata quoque, & impeturbata. Quò contrà contrarii evenient cognoscendi defectus. Capis hæc?

Discipulus. Capio, & quotidiano probamus experimento.

Magister. Vides providè juvari spiritus cognitionem per omne illud quod efficit serenationem phantasmatum circà rem quæ intelligenda est, præcipuè spiritualem, & divinam.

Discipulus. Video, dum tamen serenitas illa non officiat aliundè per conversionem intellectûs, simul & affectûs, ad libidinosam concupiscentiam terrenorum. D

Magister. Hoc excipis sapienter, & solerter, quia non omnis habens clara & ordinata phantasmata, convertit protinùs illa ad solam divinorum conquisitionem meditandam, seu contemplandam. At verò supponamus amodò loqui nos de contemplativis, qui rari quidem sunt, sed nonnulli tamen accipiunt proindè duplex illud quod prætactum est auxilium. Unum desuper per Angelicam operationem propriam absque novo miraculo, aliud per propriam intrinsecùs exercitationem in virtutibus moderativis passionum, nec non in scientiis illustrativis, vel causativis pulchrarum meditationum per speculationem phantasmatum.

Discipulus. Explica modos.

Magister. Scis quemadmodùm fit receptio, & dispositio phantasmatum secundùm dispositionem spiritus animalis, qui radicaliter à corde proveniens ad cerebrum fit animalis, per depurationem, & actionem in cerebro. Qui spiritus, dùm solùm movet humores in corpore dicitur naturalis; dum autem implet cerebrum benè dispositum, dicitur animalis cognitivus & motivus.

Discipulus. Sciuntur hæc ex Philosophia.

Magister. Sciuntur, fateor; sed ista repetere breviter, & supponere necesse fuit ad tuæ explicationem quæstionis.

Discipulus. Placet ultrà perge.

Magister. Expeditur iste spiritus animalis, ut aptum sit instrumentum cognitionis, & motus; uno modo, dùm removetur illud quod impedit, & turbat, obscurat, vel oppilat ipsum. Alio modo, si positivè juvetur, ut clarus fit, serenus, & tranquillus.

Discipulus. Jam concessi quotidianum super hoc esse testimonium experientiæ, cujus hoc unicum sufficeret exemplum Aristotelis, positum de vini actione, quòd excessivè sumptum turbat ad insaniam; moderatè verò bibitum confert ad cognitionem.

Magister. Collige protinùs ex his, quo medio potest Angelus juvare phantasiam ut spiritui sua præsentet phantasmata clara, & serena. Adjuvat simul industria diligens, moralis, & virtuosa hominis temperatè viventis. Nunc applicemus extra duo proposita unum de monte: alterum de carbone. Et dicamus, quod si sit in eodem cerebro pars una phantasticæ virtutis, similiter & imaginativæ, ac æstimativæ, quæ sit actuata spiritu animali lucido & sereno, & claro, habeatque similia phantasmata quæ nata sunt ducere in cognitionem divinorum per abstractionem intellectûs agentis; tunc spiritus intellectualis, seu mentalis poterit erigere se ad contemplationem divinorum, præsertim si fuerit habituatus diù, frequenterque, per fortem talium meditationem, præsupposito semper auxilio Patris luminum à quo est omnis sapientia, *& omne donum perfectum*. Jac. I. 17. Si verò fuerit altera pars obscurior spiritus animalis, sicut apparet possibile; tunc illic apparebunt turbulentiora phantasmata, ac proindè videbitur sibi rationalis spiritus velut in monte, cujus apex lucidus est, & radix obscura. Dilatatur exemplum ex diversissima quæ reperitur quotidie circà nubes interpositas solis radiatione, respectu sensualis oculi. Habes hîc modò similitudinem divisionis animæ, & spiritus, quæ dicitur fieri dùm illud quod lucidissimum est totum apparet superiùs; quemadmodum non satis est explicabile, nec intelligibile, sine proprio interiùs experimento. Illud verò, quòd est deorsum, apparet turbulentum, & obscurum. Sic in Transfiguratione Domini dicitur, *quod nubes lucida obumbravit* Apostolos, Luc. IX. 34. cujus postmodùm aperietur intellectus. Hanc insuper diversitatem de ignis obscuritate in accenso fumo, & de sua serenitate in carbone vivo fas est speculari ad scintillas exilientes quæ clariùs, sed breviùs emicant. Adde corruscationes in nubibus, seu fulgentias, & ita de varietatibus. Quod exemplum secutus Boëtius cecinit:

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebræ.
Luminibusque prior redit vigor &c.

Et iterùm.

Nubibus atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sydera lumen.

Et

Et rursùs :

Heu quam præcipiti mersa profundo,
Mens habet &c.

Discipulus. Sentio, me non sine causa contulisse sermonem super hac divisione spiritus, & animæ; quam qui non reperit, potest nihilominùs eam credere reperibilem in devotis hominibus : sit hoc per illapsum Dei miraculosum, & immediatum; sit Angelico ministerio; sit proprio virtutis exercitio. Consonare video similitudines, & similitudinibus verba Scripturæ: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ps. XIV. 1. Ecce pro montis exemplo. Et pro altero: *In meditatione mea exardescet ignis.* Ps. XXXVIII. 4.

Magister. Quid si tertium exemplum junxerimus de aqua vasis, vel fontis, vel maris, quale posuit unus Patrum. Et alludit fabula, de Narcisso. Virgilius quoque non siluit, postquàm dixerat:

Animum celerem hùc, nunc dividit illùc.
Sicut aqua tremulum labris ubi lumen ahenis,
Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
Omnia pervolitat latè loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.

Discipulus. Narrabat unus expertorum passorumque divina. „ Ego, inquit, nonnunquam sensisse „ talem mihi visus sum in cerebro divisionem, quasi „ pars inferior esset aqua subobscura, commotaque; „ superior verò velut aër nitidissimus, serenus, & tran„ quillus emineret, & hoc cum pulcherrimis omnium ferè præteritarum cognitionum mearum, meditationumque salubrium simulacris. Nonne erat ista divisio spiritus, & animæ?

Magister. Non existimo, sed ad illam erat dispositio. Actuabatur quippe spiritus mentalis per species intelligibiles elicitas, ut intelligeret spiritualis jam aversus à phantasmatibus; sicut habes duodecimam industriam pro mystica Theologia, animum à phantasmatibus avertere.

Discipulus. Quomodò fiet istud, cùm *necesse sit omnem intelligentem phantasmata speculari?*

Magister. Necesse est primitùs, sed fortè non assiduè; nec ità quin adjutrice memoria spirituali cum habitibus per intelligentiæ continuationem acquisitis, ipse spiritus immaterialis valeat de habitu & memoria se in actu continuare, sine ministerio spiritus animalis. Hinc æstimo Remigium descripsisse contemplationem, quòd est *Operatio sine motu*, & hoc, sive sonet contemplatio cognitionem, sive amorem, sive delectationem ex utrisque consequentem in subjecto benè disposito, & habituato. Nam quid est delectatio, nisi conjunctio conveniens cum convenienti percepta, & amata. Talis igitur operatio causat divisionem spiritus ab anima, quia nihil agit ipsa ut anima nominatur tunc ad actum spiritus; sed vel sopita quodammodò silet, & tacet; vel si movetur, & sentit, non conturbat, neque dejicit spiritum ab arce contemplationis. Hæc est pax quam Deus dat, ut non conturbetur cor ipsius, neque formidet, & quæ secundùm Apostolum *exuperat omnem sensum* Phil. IV. 7. modo D dicto: privatur enim spiritus, etsi non vita animæ, tamen à sensu vitæ ejus. Simul accipe verba Richardi quæ posuit in forma Autor Libri *De spiritu & anima*, ne videat in tanta re minùs habere fidei tanquàm inexpertus. Detur ergò fides, vel expertis. *Vivus, & efficax est sermo Dei, pertingens usque ad divisionem spiritus & animæ.* Hebr. IV. 12. Sed in hac divisione anima, & quod animale est in imo remanet; spiritus autem, & quod est spirituale, evolat ad summa: ab infimis dividitur, ut ad summa sublevetur; ab anima scinditur, ut Deo conjungatur, quoniam *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* 1. Cor. VI. 17. Felix divisio, & mirabilis separatio, ubi quod corpulentum est remanet deorsùm; quod spirituale, & subtile est, usque ad speculationem divinæ gloriæ sublimatur, & in eamdem imaginem transformatur. Pars inferior componitur ad summam pacem, & tranquillitatem, cùm pars sublimatur superior ad gloriam, & jucunditatem.

Discipulus. Magna sunt hæc, & in alterum reservanda Tractatum; dies crastina expectetur : nunc A autem breviter absolve cur dicitur anima magnificare Dominum potiùs, quàm ipse spiritus?

Magister. Utrumque profectò factum est, sed specialis ratio fuit in anima quæ Verbi incarnati spirituali majestati præparavit hospitium in carne prorsùs animali. Rursùs quia futurum erat, quod hæc Incarnatio *scandalum* esset *Judæis*, & *Gentibus stultitia*, 1. Cor. 1. 23. prævenit Maria monstrans non ex impotentia, sed summa dominatione Dominum carnem suscepisse. Proindè spectat plùs exultatio, quasi extrà saltatio spiritui quàm animæ; simul & tria conjunxit; Deum pro timore casto, salutare pro honore grato, suum pro amore summo, qui sic fuit singularis in Maria quatenùs ipsam alliceret, ut esset nihilominùs communis ut plùs proficeret.

Postremò spiritus Mariæ priùs exultavit quàm animalis pars impugnata magnificaret Dominum, quod B tunc maximè factum fuit, dum consentiendo ait : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. 38. Quod quia perficiendum fore post ab Elizabeth prophetizante, & benedicente quam visitavit, accepit, exurrexit in jubilum, & ait: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. 46.

Discipulus. Et nos magnificemus Dominum, & exultet spiritus noster in Deo salutari nostro. Cras revertemur in idipsum.

TRACTATUS SECUNDUS DRAMATICUS SUPER CANTICO MARIÆ DE EXULTATIONE SPIRITUS.

Et continet Notulas septuaginta tres.

PRIMA NOTULA.

EXULTAVIT *spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. 1. 47.

Discipulus. Adsum quæsiturus: Utrùm Beata nostra dùm cecinit: *Magnificat anima mea Dominum, Et exultavit spiritus &c.* Luc. 1. 46. 47. fuerit in spiritu, vel supra spiritum, vel sine spiritu, vel extra spiritum?

Magister. Quæsitum hoc quadrimembre volo, si possum, ad intelligibiliores terminos reducere, præsupponens spiritum hìc capi per nos pro superiori portione rationis, quæ alio modo dicitur, *mens*, vel *apex mentis*, vel *intelligentiæ scintilla*, quæ nominatur Græcè *synderesis*.

Discipulus. Placet acceptio, licèt multiplex alia sit, ut etiam dicatur in aliquibus non parvæ autoritatis, *pars rationis inferior.* In Glossa; *Psallam spiritu, psallam & mente.* 1 Cor. XIV. 15. A Medicis verò concorditer appellatur *vapor iste naturalis & vitalis effumatus à corde per corpus ad cerebrum, præcipuè illic factus animalis, sensitivus & motivus*; non tamen principaliter secundùm veritatem, sed instrumentaliter per animam quæ est in homine res eadem cum spiritu rationali, differens penes officia, prout aliàs declarasti.

Magister. Concedo tibi singula tuæ divisionis membra; quòd Maria frequenter fuit nunc in spiritu, nunc suprà spiritum, nunc sine spiritu, seu non habens spiritum, nunc extra spiritum.

Discipulus. Non est in me spiritus qui capiat.

Magister. Nesciens, an sciens, dum ita loqueris, aperis intellectum? Sciscitor itaque, quid intelligis dicens, quòd non est in te spiritus; nunquid, oro, separatus es à corpore tuo?

Discipulus. Qualiter hoc loqueris, qui me vivere cognoscis, vel ex verbis certè perpendis?

Magister. Est ergò in te spiritus?

Discipulus. Nullo pacto id negaverim.

Magister. Nunquid non contradicis primo dicto: non est in me spiritus?

Discipulus. Allegas acriter, nisi protinùs addidissem, qui capiat.

Magister. Vigilanter attendis, & evadis contradictionem, si vocem propriam explicaveris.

Discipulus. Tu explica vice mea.

Magister. Habet spiritus duplicem vitam, sicut & anima, quod ex definitione data animæ per Philosophum colligitur. *Est*, inquit, *anima actus corporis physici organici, vitam habentis in potentia*; supplent expositores ad vitam secundam, quæ est operatio vitæ primæ.

B Undè spiritus dicitur, non solùm esse, vel vivere, vel intelligere; quia sit essentialiter, intrinsecè, formaliter essentia, vita, & intelligentia; sed quia producit ex se tales actus vitales, qui vita secunda nominantur nedum à Philosophis, sed in usu vulgari, quo res omnis quæ movetur dicitur vivax, aut vivens; mortua verò, dùm quiescit; ut aqua fontis, viva; aqua laci, mortua. Tali modo distinguunt Philosophi cum Theologis triplicem vitam, secundùm triplicis boni finem, quem operando nititur quis adipisci juxta Poëticam de tribus Deabus fictionem. Juno præest divitiis utilibus. Venus diliciis, & voluptatibus. Pallas scientiis, & artibus honorabilibus. Ponitur alia distinctio secundùm speculationem, & praxim, mixtim ex utroque, quòd est vita practica: est vita speculativa: est vita simul activa, & contemplativa, qualem habuit Beata nostra secundùm evangelicum præsentis diei suæ Assumptionis mysterium de susceptione Christi per Martham, & Mariam. Siquidem Beata suscepit Christum cum officio duplicis hujus sororis, quia sollicitè C ministravit, & devotè *sedens secùs pedes, audiebat verbum illius*. Luc. VII. 38.

Discipulus. Itelligo meliùs quàm anteà propriam vocem, dum dixi, quòd *non erat in me spiritus qui caperet*; non enim volui me simpliciter non habere spiritum, sed operationem spiritûs explicativam talis mysterii, hoc est, intelligentiam me habere negavi.

Magister. Stet memoriter hæc distinctio; pergam ea deducere quæ posui. Et primò Beata Virgo fuit in spiritu, dum operationem spiritualem habuit in cognoscendo plurima quæ cantabat de magnificentia Dei in suis operibus, ut de creaturarum origine, magnitudine, multitudine, plenitudine, pulchritudine, operatione, & ordine.

Erat secundò suprà spiritum, vel in excessu spiritus, vel in extasi mentis, respectu illorum quorum non poterat ex sua virtute, vel intelligentia, pro- D priam cognitionem accipere. Ut, quid esset Deus in se, & in sua magnificentia; quid Angeli per omnia, quid felicitas, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*. I. Cor. II. 9.

Erat tertiò sine spiritu; respectu illorum quorum nullam ex spiritu suo poterat rationem attingere. Ut Regina Saba respectu sapientiæ Salomonis. Hæc alio modo dicitur defectio spiritus, usitato nomine in Psalmis, & in Canticis. Sic enim canitur in prosa de Sanctis: *Mirantur, & deficiunt in eum quem prospiciunt*. Hanc Christus notabat cùm dixit: Nisi quis abnegaverit semetipsum, *non potest meus esse Discipulus*. Luc. XIV. 26. Quia *nisi quisque à semetipso deficiat*, exponit Gregorius; *ad illum qui suprà ipsum est, non appropinquat*. 2. Cor. X. 5. Hanc Apostolus nominat captivationem intellectûs *in obsequium Christi*. 2. Cor. X. 5. Sub hoc tropo dicuntur Monachi sine voluntate, nec habere velle, vel nolle. Vocatur aliquando stupor, vel extasis consurgens ex admiratione vehementi rei cujus causa penitùs ignoratur, secundùm Damascenum. Erat quartò Maria sub spiritu, dùm animæ suæ, hoc est portionis inferioris operationibus intendebat.

Discipulus. Eia verò non est mirabilis expositio talis, quæ pueris etiam posset inculcari.

Magister. Itaque sapientia est quæ abscondita produxit in lucem, per quam fit doctrina prudentum facilis, dùm confusa discriminat, & distinguit; dumque vaga, inordinata, & obscura resolvit ad pauca perspicua.

Discipulus. Qua ratione fiunt ista?

Magister. Nimirùm per Logicam, quæ ideò dicitur ad omnium methodorum principia viam habens.

Discipulus. Quid agis de Logica, quam studiosi nostri temporis vilem habent, *Terministam* irridentes, eò quòd omnia referat ad terminos. Nos, inquiunt, rem inquirimus, ad rem imus, quid ad nos de terminis?

Magister. Gravissimè respondet talibus, olim Præceptor noster inclytus: sic fuit & est in plurimis qui se gratis involvunt curâ errorum inextricabilibus modis, quos sola scit & potest Logica resolvere, definiendo, dividendo, terminorum denique connotationes cum modis significandi vivaciter exponendo, nec non sophismatum paralogizationes phantasticas detegendo.

Discipulus. Sufficeret ergò scire Logicam pro cognitione Metaphysicæ totius Theologiæ; nec esset perscrutatione pluri opus.

Magister. Falleris; quoniam Logica non dat cognitionem scientiarum hujusmodi, sed expedit iter modis certis, quo venitur ad eas; docet insuper modum explicationis conceptuum subtilium circa res ipsas tàm divinas, quàm naturales; tàm in cogitationibus, quàm in affectionibus, quas explicare difficillimum est, immò nec plenè possibile, si Logica cum Grammatica defuerit, quas ad hoc officium summi Viri, Metaphysici, & Physici repererunt; Aristoteles præcipuè.

Hanc opinor esse causam erroris hominum, devotioni se dare putantium sine Logica, & Metaphysica; sint homines, sint feminæ; dùm nesciunt apud se conceptus habitos, præsertim affectuales resolvere, & minùs ad extrà verbis convenientibus exponere, unde seipsos sophysticant, & alios vel non instruunt, vel decipiunt: expertus centies & centies loquor. Ecce dùm audiunt, quòd Mariæ spiritus exultavit in Deo salutari suo, conantur exultare similiter phantasiantes multa, nunc amando, nunc timendo, nunc gaudendo; qualia dum satagunt, assiduè fiunt apud eos insolita phantasiarum idola; sive simulachra, quæ quia nesciunt discernere à veritate rerum, & intelligentia rationis, omnia deputant ad miraculum, vel ad doctrinam devotionis excellentem, per anagogiam & mentis excessum. Patuit in Turelupinis, & Begardis, & aliis absque numero, quorum scripta legi plurima, maximè circa feminas, quarum est aviditas pertinacior in affectu, quamvis in virtute, & cognitione quàm viris longè fragilior. Indè datum est epitheton hoc feminis, maximè senibus: *Veteres sunt sortenæ, vel sortilegæ*. Veniunt in hanc superbiam consequenter, ut viros etiam Theologos loquendo, scribendoque docere præsumant, contemnentes illud Apostoli: *Mulierem docere non permitto*. I. Tim. II. 12. Ecce quàm modesta fuit sapientissima femi-

fœminarum, quæ non nisi septies ab Evangelistis invenitur esse locuta.

Discipulus. Transi materiam hanc, incidenter, & non inutiliter positam; quià de exultatione spiritûs Mariæ cupio latiùs inquirere. Nam cum exultatio spiritûs sit quidam mentis excessus anagogicus qui fit crebriùs ut per amorem; dic si Maria Cantica Canticorum Salomonis agnovit, & si proprium Canticum jungebat illorum concentui, siquidem aptè quidem videor mihi hoc petere, dum leguntur in hac Solemnitate felicis Assumptionis suæ, talia Cantica, qualia vocasti saltationes, vel exultationes spiritûs amantis, per amorem tractans illud Evangelicum: *Cecinimus vobis, & non saltastis.* Matt. XI. 17.

Magister. Præsupponas multa oportet, quæ ibidem posita novisti, & quædam ad illa adjiciam. Sentio tamen necessariam tuam (ô Beata Beatorum) opitulationem, quam supplex imploro per Beatitudinem tuam, quam omnes prædicant generationes; per illam gratiæ plenitudinem quam invenisti apud Deum, per illam exultationem spiritus tui in Deo salutari tuo, dicam & nostro; quia *nobis datus est, & nobis natus.* Da magnificare in te, per te, & propter te animam meam Dominum; fac exultare spiritum meum in Deo salutari tuo, & suo. Da spiritualium gratiam gaudiorum qualis affuit Elizabeth cognatæ tuæ; qualis & infanti exultanti in utero suo, dum adveniens cum festinatione per montana, intrasti domum Zachariæ, & salutasti Elizabeth, cum tanta vocis efficacia, quòd repleta mox Spiritu sancto, exclamavit voce magna, quia affectu magno: *Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui.* Luc. 1. 42. Qui fructus dedit intelligere cum mirando subjunxit ℣. 43. *Et undè mihi hoc ut veniat Mater Domini mei ad me?* Cujus Domini? Planè illius, cui quià credidisti beata es, qui perficit ea quæ dicit. Et cui non ingrata protinùs cecinisti Canticum novum, Canticum Canticorum: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. 46. 47. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* per anagogicos in Deum excessus. *Beatus* siquidem *vir, cujus est auxilium à te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum,* Ps. LXXXIII. 6. clamans ex sententia: *Cor meum & caro mea; Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Ps. LXXII. 26.

Discipulus. Valeat ista deprecatio tua quæ nos dirigat, me quærendo, te respondendo. Meministi, reor, altera collocutione te spopondisse responsurum, si Cantica Salomonis cecinerit aliquando Beata Virgo, dùm sæpiùs animo volvebat Canticum proprium proferens illud in corde suo. An in exultatione spiritûs sui eructaverit cor suum verbum bonum dicens: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. 1.

Magister. Ità prorsùs existimo. Nimirùm plenissimè docta erat ab infantia in Lege Domini, & Prophetis, & Psalmis de Christo scriptis. Inter quæ Salomon in exultationem spiritus edidit Cantica Canticorum, tanquàm Epithalamium sponsi, & sponsæ mutuò fœderatorum per amorem; quam Maria conjunctionem modò sentiebat uberiùs impletam, dùm in ea *Verbum caro factum est*, Joan. 1. 14. Deus homo, qui teste Joanne, ibid. c. III. 29. *sponsus est*, habens *sponsam*, ad cujus præsentiam, & vocem, ipse Joannes *amicus sponsi* gavisus est & exultavit, nunc jam ex utero. Qua in re duc cor sursùm, atque considera per anagogiam. Per eam quippe Cantica Canticorum panduntur animæ se in Deum levanti per Fidem, Spem, & Amorem. Videbis hoc tempore quo Maria dixit exultasse se, quadruplicem exultationis differentiam, juxtà quadruplicem modum spiritualis Matrimonii animæ devotæ, seu deiformis cum viro suo Deo; ut interim de hoc solo Matrimonio fiat sermo, ubi Deus sponsus est, & anima sponsa.

Discipulus. Placet ista reductio; de ceteris quippe Doctores abundè locuti sunt in expositione Canticorum.

Magister. Exultant hac horâ Joannes, Elisabeth, Jesus, Maria; conspicio cujuslibet mentem, vel animam, quæ duo nunc accipio pro eodem; considero, inquam, Deo fuisse conjuncta matrimonialiter, sed variè. Matrimonium animæ Christi cum Deo fuit ab instanti suæ creationis initiatum, ratum, & consummatum. Illud autem animæ Mariæ nunc erat initiatum, & ratum, non consummatum. Illud autem Joannis erat initiatum, sed non omninò ratum, quin posset culpa saltem venialis, copulam offen-
A dere conjugalem. Illud autem Elizabeth fuerat quidem initiatum, sed non ita ratum quin repudium posset incidere propter fornicationem spiritualem peccati mortalis: neque enim ponitur in gratiæ vinculo fuisse confirmata.

Discipulus. Dicis insuetam mihi distinctionem. Edisfere pleniùs quid intendis per eam.

Magister. Vereor, & molior ostendere, quo pacto conveniat epithalamium Salomonis, Beatæ Mariæ privilegio singulari cujus in desponsatione nulla fuit par anima, *quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem*, ad quam anagogia traduceret Cantica Canticorum. Nil preterea dubitandum quin celeberrima, libentique jocunditate cantavit ista dùm viveret. Et primò de anima Filii scilicet Christi videamus. Hæc itaque fuit absque ulla dubitatione
B perfectior, sed nunquàm talis cui propriè conveniret hoc Epithalamium. Didicisti enim, si memineris hoc Epithalamium solùm convenire animæ pro statu viæ, dùm desponsata est solùm in Fide, Spe, & Charitate, postulans cum omni desiderio complementum in re, & æternitate.

Discipulus. Memini id te posuisse in Libello *De Canticorum origine*, tertio Tomo, seu partitione principali, ubi de anagogicis nuptiis multa notata sunt. Nunc animadverto nunquàm fuisse Christum, secundùm mentem, seu portionem animæ superiorem, nisi beatum; quamvis pro inferiori viator extiterit, cui portioni non aptatur propriè dispensatio cum Deo sponso.

Magister. Animadvertis, propriè tamen qualem habuerit mentalis dispositio animæ Mariæ differentiam. Similiter attende, & singularem invenies, in qua
C Matrimonium fuit antè confirmationem in patria, semper ratum in via. Volo dicere taliter confirmatum, quòd neque repudium per mortalem fornicationem potuit intervenire; nec offensio quævis per originalem aut venialem maculam, secundùm duplicem in Elizabeth, & Joanne, nunc inductam conditionem.

Discipulus. Elevatis piæ considerationis oculis, intueri videor Mariam secundùm dicta tua proximam valdè nunc fuisse cubiculo sponsi, nec obstitisse ad consummationem Matrimonii spiritualis, præter velum, vel cortinam ænigmatis viæ tegentem cubiculum, quod tunc pervium non erat ingressui.

Magister. Cernis acutè, nonne tu vides à simili, quanto Maria desiderio consummationem in gloria Matrimonii jam inchoati & rati, per gratiam confirmata optabunda quæsierit, non quidem impudentia quasi meretricia rapiente virum ultrò, sed verecundia virginali per insinuationem formatam reverentialis pudicitiæ, verbis petebat quod optebat, com-
D muni voto cum sponso; neque enim tepidus erat sponsi ad sponsam zelus, donec introduceret eam in domum Matris suæ, & in cubiculum genitricis suæ; omni deinceps ablato velamine, quando facie ad faciem videre sibi dabitur sponsum, & unum fieri cum sponso. Itaque jam non duo, sed unus spiritus fœdere perpetuo nubentur. Hinc sunt illæ voces amoris interruptæ suspiriis; hinc allocutiones alternæ, hinc mutuæ collaudationes; hinc cursus & recursus crebri, subitique sponsi salientis, tripantis, seu tripudiantis.

Audi sponsam verecundè petentem sponsum: *Oscu-*

letur me osculo oris sui. Cant. I. 1. *Trahe me post te.* ℣. 3. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* ℣. 6. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* ℣. 12. Deinde cùm pulchritudinem sponsæ laudasset sponsus, sponsaque de sponso simile fecisset, considera quàm apertè vel quàm verecundè dedit intelligi nil restare nisi secretum ingressum cubiculi: *Lectulus*, inquit, *noster floridus.* ℣. 16.

Sed redeo ad osculum. Amor igneus est, *lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Cant. VIII. 6. Propterea nequit se in se continere, quin assimilationem quærat sibi facere, semper inquietus est, quousque pertingat ad intimum rei quam diligit. Vocat, inquam, divinus Dionysius vim amoris, esse quid semper mobile incessabile, calidum, acutum, fervidum, superfervidum. Quid igitur æstimas faciet sponsa talibus ad sponsum succensa flammis amoris, nisi quod inquirat intimos amplexus suos, ut in illis refrigerium inveniat tota toti conjuncta. Expectat tamen pudicitia virginalis tempus beneplaciti sponsi, diemque statutum pro nuptiis anticipare non audet. Facit intereà quod sibi fas est, petit ad solatium, petit ad refrigerium æstuantis ardoris sui osculum sponsi castissima suavitate jocundum. *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui.* Cant. I. 1. Vidi raptam, vidi exultantem extrà se sponsam. Ipsa petit osculum, nec explicat cujus. Cur ità? Reputat enim illud omnes intelligere quod solum cogitat, quòd unicum desiderat, quod totum cor occupat, sicut illa philocapta de Domino: *Si tu sustulisti*, inquit, *eum dicito mihi.* Joan. XX. 15.

Discipulus. Edissere, rogo, cur non contenta fuerit dicere *osculetur me*, sed subinfert, *osculo oris sui.*

Magister. Distinctio vulgata est, & aliàs diligentissimè, devotissimèque deducta de triplici osculo; Hoc quidem pedis, hoc manus, hoc oris. Hanc triplicem reperies differentiam in osculo oris pro conditione hujus, vel illius animæ. Osculum quippe datur aliquando in signum reconciliationis. Sic Pater Evangelicus videns à longè filium sum venientem à regione perditionis, & egestatis, misericordiâ motus occurrit, *& cadens super collum ejus osculatus est eum.* Luc. XV. 20. Quandoque verò datur osculum in signum novi muneris, seu benedictionis, sicut Isaac benedicens filio osculum petit ab eo. Porrò datur osculum ad solum amoris non tam indicium, quàm exercitium; sicut pius Pater, & pia Mater filium osculatur infantulum; sic castissima conjux, maritum. Competit quodlibet osculum, si tropologiam attendis, animæ viatrici quærenti Deum, & hoc secundùm triplicem animæ statum. Petit osculum reconciliationis anima, peccatorum & offensæ conscia, ut sanetur; exemplo Martini sanantis osculo leprosum. Petit osculum benedictionis anima non satis opulenta, sed egens muneribus. Petit osculum exercendæ dilectionis mutuæ anima jam in omnibus benè conscia, nihil requirens, nihil intendens in osculo præter amorem, ut ametur, & amet.

Discipulus. Nunquid elicere non vis solam inter omnes, & super omnes animas viatrices, animam Mariæ potitam fuisse tali osculo tertio Dei sponsi sui, dum viveret? Erat siquidem tota semper mundissima, nunquàm egens reconciliatione, erat gratiâ plena super omnes benedicta, non egens novis muneribus, licet augerentur ipsa; tamen magis amari & amare; dilectoque suo frui proximè jam ad statum Patriæ peroptabat?

Magister. Rectè conjecturas ad singularem nostræ Beatæ laudem; verùm ad beatificationem alterius cujusvis animæ fas habes observare quo pacto sine præsumptione possit ipsa petere quæ peccatrix est osculum sponsi, & dicere cum modestia. *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. I. 1. Quæ consideratio dat aperire, tanquam mystica clavis, parabolicas locutiones Canticorum ad triplicem statum repertum in animabus. Quorum primus dicitur incipientium, alter proficientium, tertius perfectorum. Sed est aliud quod attendas in osculis castis, & licitis Jesu sponsi. Unum corporale fuit, aliud sacramentale, tertium figurale. Ecce reductis ad beatæ Mariæ tempora luminibus Fidei, con-
A spicio Beatam istam Matrem virgineo foventem gremio speciosum forma præ filiis hominum puerum Jesum, quem deosculabatur crebrò, recipiens vicissitudinem osculi cum amplexu tenerrimo à semètipso. *O quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te & jam me nemo despiciat?* Cant. VIII. 1.

Felix prorsùs extitisti, vir Mariæ juste Joseph, cui totiens concessa sunt oscula blanda pueri Jesu, quem gestare manibus, sinu refovere, brachiis amplecti, pectus Dei capax tuo pectori stringere cum omnibus pueritiæ gratissimæ blandimentis totiens meruisti. O quotiens intuitus oculorum beatorum tibi, sponsæque tuæ, lætos afflabat honores! O quotiens jocundissima vox divinos vobis inspirabat amores!

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat

Tanquàm verè cum Filio hominis Filius esset Dei.

Ista dùm dicis, dùm optas, dùm miraris, quare
B non Sacerdotium recogitas tuum, ratione cujus tibi fas est quotidie Filio Dei & hominis oscula dare, ipsum cernere, ipsum gestare, contrectareque manibus; dicam mirabiliùs, quod nec ipsi Joseph concessum est. Potes sacramentaliter ipsum manducare, qui est panis vitæ æternæ, qui dat vitam mundo, qui mutabit te in se, ut sis ipse in eo, & ipse in te, ut dicas cum Apostolo: *Vivo jam non ego, vivit autem in me Christus.* Gal. II. 20.

Discipulus. O ego novi quid loqueris; sed hoc ad confusionem miseri peccatoris, qui & sumit Christum, & Sacramentum osculatur, & fruitur osculato per Sacramentalem unionem. Væ mihi, quantùm vereor illud improperium frequenter impingi posse mihi quod Judæ nequissimo benignus attulit agnus. O *Juda osculo Filium hominis tradis!* Luc. XXII. 48.

Magister. Prohibeat à servis suis hoc improperium Deus, faciens ut dignitatem osculi Sacramentalis
C semper attendant eminentiorem esse, quàm fuerit præsentiæ corporalis, maximè juncta cibatione. Neque enim qui manducasset particulam carnis Christi, ut puta genam, vel auriculam mansisset in Christo, & Christus in eo, sicut nunc fit, dum talis adest nobis velatus, & verè Deus absconditus, totus manducatus, manducans & nos totos. Felix anima Sacerdotum! felix & ceterorum Christianorum, qui post esum, & potum inebriantis, & lætificantis, & confortantis præclarissimi hujus Sacramenti, hujus benedicti fructus virginei, potest ex sententia dicere: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi,* Cant. II. 3. per otium contemplativæ quietis. *Et fructus illius* sit in accipientium umbra ministratus, *dulcis gutturi meo. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem,* ℣. 4. ut nihil plus desiderarem, quàm summè amabilem, & totum desiderabilem. *Fulcite me floribus* sanctarum affectionum, *stipate me malis* ℣. 5. ordinarium affectionum, seu meditationum quibus abundat hor-
D tus vester ô filiæ Jerusalem, quæ est cœlestis libera Mater nostra: ô beatificatæ animæ, *quia amore langueo*, quia vulnerata sum Charitate. Et hinc est iste pallor meus, hinc ista nigredo, quia justitiæ sol combussit me, vulneravit me, decoloravit me fervidæ dilectionis amore, seu ardore. Angeli quoque concives vestri, custodes civitatis Jerusalem, amici sponsi, *filii Matris meæ* quæ est gratuita bonitas divinitatis, *pugnaverunt contra me* Cant. I. 5. sed pugnâ felecissimâ, quæ carnalia desideria trucidat. *Posuerunt me custodem in vineis* sanctarum ope-

operationum. Vineam quoque meam non ego tam custodivi, quàm ipsi de mandato sponsi.

Hæc inter verba, hæc inter suspiria cadit sponsa, utpote tota sobriè ebria, tota feliciter charitate vulnerata, quam cadentem, & spasmatam zelotes sponsus inter brachia suscepit sua, levat caput læva, à *levando* dicta. Hæc sponsa quamvis sobriè temulenta ad præsentiam sponsi suspirat, suspirabunda trahit de imo pectoris vocem: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. II. 6.

Discipulus. Jam siste, obsecro, videsne quo te pertrahit æstus, cum sermo tuus erat de osculo, dic si quid habeas amplius, quid afferas.

Magister. Planè multum tàm in bonis bonum, quàm in malis malum. Væ, væ carni, & sanguini! Quis offerre sermo pudicus auderet? quid enim nequius, quàm quod excogitavit caro & sanguis?

Discipulus. Ne, precor, ad amatoria cantica admisce vel satyram, vel tragœdiam mordaces, vel comediam lubricam, vel sordentes eglogas; sola nobis anagogia divinos cantet amores.

Magister. Mones probè, qui convivio vetas induci nuptiali funereas tubas trachæreæ, atque sulphureas amoris infausti tædas incendi perhorrescis.

Sed quid tangis de osculo figurali, dùm vel crucem, vel Imagines, aut Reliquias Sanctorum Sanctarumque quispiam osculatur.

Discipulus. Puto post Passionem Filii beata Mater ejus Crucem crebrò fuerit amplexata, omniaque loca ubi steterant sacri pedes ejus, sedula deosculatione coluerit. Sed neque fuerat expers sacramentalis osculi de quo locutus est, sicut nec exemplar illud duplex pœnitentiæ, Maria Magdalena, & Ægyptiaca, quamvis protinùs intraverunt thalamum sponsi, sublato velamine, nec gloriosus Dionysius in morte carere voluerunt. At verò quid sit os Dei sponsi, & quid osculum, subtiliùs edissere si potes, cum sit incorporea divinitas.

Magister. Vocas iterum ad distinctionem oris, & osculi trimembrem. Os habemus Dei Patris, os Filii, osculum utriusque quod est Spiritus sanctus. Os suum aperuit Christus habens labia distillantia myrrham primam mortificativam vitiorum, cujus tot sunt oscula, quot verba. Ipse similiter cum Patre, & Spiritu sancto aperuit ora Prophetarum. Aperuit, & os Prædicatorum, & Doctorum qui sapientiam eructant porrigentem oscula volentibus. Dicuntur autem Prædicatores os Dei, ideò, quià separant pretiosa à vili.

Discipulus. Junge duplex hoc osculum ultimum ipsis tropologiæ, vel allegoriæ adolescentulis; satis enim patent, & sobrios ædificant, & in primo consiste.

Magister. Deus sicut est unus, *& Uninominus* per essentiam, & proprietatem; sic est per anagogiam symbolicam *Omninomius.* Ita *unus est, mutiplexque.* Sap. VII. 22. Sciens itaque Deus nos parvulos, & balbos, voluit instar nutricis frangere verba sua, quibus ipse nobiscum, & nos secum intelligibiliter utrinque loqueremur. Concessit igitur locutiones transsumptivas, à rerum cognitarum similitudinibus sumptas, tam abundanter ut nihil inveniatur quod non valet ad ipsum trahi nominandum, quod loquendi genus appellavit Dionysius symbolicum, de quo & scripsisse notat Librum, sed ad Latinos non pervenit. Hoc typo loquendi Deus Pater habet os, ex quo Filius ejus increata sapientia prodiisse se gloriatur. *Ego* inquit, *ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.* Eccli. XXIV. 5. Habet & uterum. *Ego* inquit, *ex utero ante Luciferum genui te.* Psal. CIX. 3. Pater itaque diligit Filium suum, & Filius genitus mutuum rependit amorem, quæ vicissitudo dilectionis cur non deosculatio nominabitur? Ex qua spiratio communis amoris emanat, & flagrescit, quæ spiratio quia nectit quodammodò Patris os ad os Filii, dici potest osculum sponsi; patet quale sit illud osculum quià Spiritus est oris utriusque, Patris, & Filii.

Discipulus. Sed quæ vel qualia sunt labia sponsæ?

Magister. Illa nimirum sunt duæ vires, præcipuè mentis. Vis intellectiva, & vis ei correspondens affectiva, seu volitiva, vel appetitiva, quas dum Spiritus sanctus osculum Patris, & Filii inspirando connectit, & osculatur illabendo, fit mens tota deiformis, & conformis beatissimæ Trinitati, fit Trinitatis nobile triclinium. Itaque fit ejus memoria fœcunda parens verbi, cum acies intelligentiæ convertitur super ipsam; ex qua simul conversione spiratur amor communis unius, & ejusdem voluntatis. Hæc est species, & imago pulcherrima, conformata, & assimilata divinæ Trinitati, quæ per gratiam est idipsum quod Deus per naturam. Exultabat ad hanc assimilationem pertingere spiritus Mariæ, suspirans & æstuans assiduè desiderio sponsi sui.

A

Osculetur me osculo oris sui. Cant. I. I. Quid quæris ô Beata? Quid osculum sponsi petis, ô Benedicta? Quid est illud osculum nisi Spiritus sanctus? Qui utique supervenit in te, quando virtus Altissimi obumbravit tibi, immo jam præierat, nec postmodùm recessit à te, quià Dominus semper tecum.

B

Sed quid affectas, ô pulcherrima mulierum? Sentio quid requiris, etsi dissimulare videaris verecundia virginali, thalamo sponsi proxima es gaudens osculo oris. Sed & læva ejus sæpè sub capite tuo. Et inter ubera tua commoratur te amplexans, te osculans; quid tibi vis ampliùs? Certè nondum subintroisti secreta cubili silentia, ubi fœdere perpetuo Matrimonium consummetur. Inquieta es, donec introducat te, & tu illum in domum Matris tuæ, & in cubiculum genitricis tuæ. Et quæ ista Mater tua? nisi divinitas sua utique omnium creatrix, & gubernatrix? Et quæ domus ejus, quæ altaria, si non æternitas amplissima? Quod denique cubiculum, nisi sinus altissimus, occultissimus Dei Patris, in quo sponsus tuus quiescit perenni felicitate. Hoc cubiculum intrare, in hoc quiescere, delectari, fœcundarique, desiderabunda suspirans, pensabas quale sit istud: *Exultabunt Sancti in gloria lætabuntur in cubilibus suis.* Psal. CXLIX. 5. Fallor, si non hæc ipsa quæ diximus expressisti, sponsum inveniens, & dicens: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Cant III. 4. Et ecce nunc, ô Beata, quod sperasti tenes; quem desiderasti possides; quem credidisti vides; quem dilexisti, tota complectens, ipsoque secura frueris in æternum.

C

Discipulus. Quid sibi vult sponsus iste suus, quòd unam suam unicè dilectam Matrem distulit introducere secum in cubiculum felicitatis æternæ, quando latronem de cruce protinùs in hoc cubiculo collocavit, audiente Matre, & inconsolabiliter anxiante? pertransierat enim gladius animam ejus: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso.* Luc. XXIII. 43. O mitissime Jesu, & ubi erat Mater tua, nisi in dolore continuo remanens in hoc nequàm sæculo, separata etiam à corpore tuo, quod inclusum jacebat in sepulchro. O verè *terribilis in consiliis* Deus *super filios hominum.* Ps. LXV. 5. O certè verissimum, quòd *erunt novissimi primi.* Matth. XIX. 30. Quis hoc æstimasset? Quis credidisset? Quis sperasset? Assumitur ad gloriæ cubiculum latronis anima, & Matris relinquitur ad lamentum, cui & longo tempore post patet ingressus ad idem sponsi cubiculum. Potuit invidiam sibi facere glorificatus ipse latro, si non fecisset eum charitas unum cor & unam animam cum eo. Suasit eadem charitas quærens quæ Dei sunt, habere vitam in patientia propter electos Dei per se, & ex se docendos de mysteriis veræ Fidei. Et quia desiderium quantò per incolatus hujus prolongationem plùs, & plùs, adauctum est, tantò habet in adeptione super omnes plùs gaudium.

D

Ma-

Magister. Concernit hæc responsio tua prolongationem hujus miseriæ in ista amorosissima per Annos multos, quæ per osculum pedum primùm mundata, post eremicola diù fuit. Sic Discipulus ille quem diligebat Jesus, usque ad senectam vixit, & senium. Tangit ignitus Martyr Ignatius scribens beatæ Virgini causam superstitis vitæ suæ, ut ceteros ex se, & propter se, & in se confortaret. Cui etiam beata Virgo rescripsit, ut exultaret in Deo salutari.

Porrò quis te docuit, ô Luca Medice charissime, primas Evangelii tui partes, nisi solùm talium conscia Virgo prudentissima, cui te familiarem conciliarat castitas, quià nec uxorem, nec prolem habuisse narraris. Per te Præcursoris annunciatio, conceptio, exultatio, nativitas, circumcisio cum nominis impositione nobis patent. Per te Canticum Zachariæ. Per te totius Incarnationis Christi mysteria nobis tradita sunt. Per te Cantica Canticorum Mariæ, & illud Simeonis, pueri Jesu felix inventio describuntur, & quo alio, nisi Maria revelante.

Discipulus. Ardet animus multa quærere super enumeratis Evangelii materiis, quas omnes *conservabat Maria conferens in corde suo*, Luc. II. 19. ac proindè magnificans Dominum, & exultans in Deo salutari suo. Sed cœpto curramus itinere post odorem unguentorum tuorum, quem spirant amoris cantica, de quibus post osculum subditur. *Quià meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Cant. I. 2. Dic quid sponsa singularis sibi volebat, tanquàm osculi causam subdens, quià *meliora sunt ubera* sponsi super vinum. Quæ sunt hæc ubera?

Magister. Si dixero, quòd ubera sunt *amor* vel *amores*; nihil erravero; quoniam omnia sortitur amor vocabula instar Dei, quià *Deus charitas est*, Joan. IV. 16. *amor* est, *os, osculum*, ipse *ubera*, ipse *unguentum fragrans*, ipse *oleum effusum*, ipse *nardus*, ipse *fasciculus myrrhæ*, ipse *equitatus Dei*, ipse *botrus cypri*, ipse *lectulus*, ipse *flos campi, & lilium convallium.* Cant. pluribus in locis. Quid moror per singula. Ipse per denominationem participatam, unus, omnia in omnibus, cujus natura si perfectè cognosceretur, cessaret linguarum necessitas. Ipse sibi totus, & unus sufficiens lingua esset, sufficiens oculus, sufficiens auris, & naris, & gustus, & tactus; immò verò nullum esset per essentialem proprietatem, sed per eminentiam singularem.

Discipulus. Cur ista præmittis.

Magister. Planè ne præstoleris amoris cantica exponendo posse finiri, qui certè infinitus est, cujus quantitatem, non molis, sed perfectionis, accipientibus semper est aliquid ultrà recipere. Non expectaveris ergò totam Salomonis Canticorum, & Mariæ seriem posse nos decurrere, qui nec duos versiculos utriusque Cantici, immò nec primum versum satis attingere penetrareque valemus.

Discipulus. Etsi de Deo nil perfectum possumus eloqui; conemur tamen more puerorum nos balbutiendo solari. Hìc aliquid idcircò de uberibus sponsi, & sponsæ, de quibus additur tertium osculum, quià *meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis.* Et quià *Vivus est sermo Dei*, Hebr. IV. 12. secundùm Apostolum, potest tamen cum quolibet ad quemlibet loqui. Propterea si reliquas Canticorum particulas quandoque commiscueris, non erit ingratum prolixioris Tractatus tollens fastidium.

Magister. Dicit hoc loco Magister Nicolaus de Lyra Postillator ad litteram, quæ fundamentum est Allegoriæ, Tropologiæ, nec non Anagogiæ. Dicit, inquam, pro nomine isto *ubera*, Judæos habere *amores*, ob æquivocationem nominis Hæbræi ad *amores*, & *ubera*. Hieronymus *ubera* secutus est, Hebræus *amores*.

Discipulus. Transi schisma. Invenies tale positum mille locis in Biblia: pro quo sedando scripsit olim volumen egregium Præceptor noster. P. Cardinalis Cameracensis, cujus sententiam alio loco, dùm inquiram, pandes spero.

Magister. Pandam; tu nihil hìc calumniabile, vel adversum reperies, si modos loquendi typicos, seu figurativos attenderis, quibus res contenta significatur per continentem, & è contra. Continent autem *ubera* cum pectore cor ipsum, quod sedes amoris est radicalis. Laudans igitur *ubera*, laudat *amores*, quòd meliores sint vino fragantes unguentis optimis. Video illicò, quòd non surrexit incongruitas si sponso dentur *ubera*, quæ cor habent completum, & æstuans amoribus. Sive dicatur ergò: *meliora sunt ubera tua*, sive *meliores sunt amores.* Anagogia probat utrumque verum, sciens quòd amor divinus nescit sexum, apud quem non est masculus, neque femina, quamvis dicatur sponsus, & sponsa.

Discipulus. Hoc observandum arbitror pro devotis, ne se carnalibus involvant simulachris. Video proindè, quòd nec lac uberum, nec vinum, nec unguentum sit aliquod corporale. Nihilominùs causam transumptionis, & comparationis licet inquirere, cur *ubera* vino sint meliora, cùm sponsus duxerit sponsam *in cellam vinariam?*

Cur rursùs invitans clamaverit, postquàm dixisset: *Bibi vinum meum cum lacte meo; Comedite, amici, & inebriamini, charissimi.* Cant. V. I.

Magister. Bibit itaque vinum sponsi, sponsa viatrix; sed per ubera sponsi transfusum, & lac factum: alioquin debile nunc cerebrum sponsæ vini puri virtute turbaretur. Exemplum dant nobis nutrices quæ parvulis infantibus, si sagaces sunt, vini puritatem non ministrant, sed quod in suum lac conversum est. Sunt enim hac ratione nutricis *ubera meliora vino;* non secùs in uberibus sponsi, qui propter sponsam in Incarnatione lactens factus est. Conati sunt Philosophi sugere vinum sapientiæ de uberibus primæ causæ, dùm *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt* cognoverunt, sempiternam quoque virtutem ejus, & divinitatem. *Rom.* I. 20. Convaluerunt, & æstuaverunt, & inflati sunt vino multo de calice aureo Babylonis, & inebriati; dati sunt *in reprobum sensum, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Rationem dicit Apostolus Rom. I. 21. *quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, neque gratias egerunt.* Habes vinum sine lacte, quo planè lac melius est, præsertim conditum ex vino, vel factum, cujus potus inebriat, sed sobriè sine luxuria. Accipe signum ebrietatis noxiæ, simul & causam in Philosophis, qui veritatis studio tam vehementer intenti, nihil de amando Deum toto corde, tota anima, & tota mente, & fortitudine scrutari sunt. Quid mirandum, si defecerunt scrutantes scrutinia. si per erroris præcipitia cespitantes impegerunt, potati vino mixto veneno omnium vitiorum, nec qualicumque sed nefandorum, qualia notavit Apostolus, quamvis non omnia; Quæ *in occulto fiunt ab eis*, inquit Ephes. V. 12. *turpe est dicere.* Et cum qua fiunt nisi cum illa meretrice, quæ apud Salomonem allicit, dicens: *Veni inebriemur uberibus.* Prov. VII. 18.

Discipulus. Fugiamus ociùs hos verborum fœtores, qui de uberibus, & amoribus loquimur fragrantibus optimis odoribus.

Magister. Audiamus potiùs aure pietatis, & Fidei, Matrem Virginem, & Filiam, magnificantem Dominum, & exultantem in Deo salutari suo. Cujus *nomen est oleum effusum*, Cant. I. 21. quod sanat incipientes, pascit proficientes, delectat proximantes.

Discipulus. Verùm etsi properat intentio quærere de tertio versiculo; cur Maria oleum suæ magnificationis, & exultationis protinùs intulerit. *Quia respexit* (inquit) *humilitatem ancillæ suæ.* Luc. I. 48. Nihilominùs exponi priùs opto doctrinaliter quid propriè sit magnificare Deum, & quot modis fieri reperitur.

Magister. Pertinens est inquisitio talis. Igitur accipe, quòd magnificare Dominum nihil aliud est quàm magnum significare: non enim facimus Deum aliter magnum. Sunt autem modi significandi magnitudinem

nem Dei sine numero. In genere duo: Unus interior in animo cognoscente, & diligente Deum; etenim Fide, Spe, & Charitate magnificatur in anima Deus, quoniam magnus ab ea, & in ea significatur. Modus alter est exterior, tàm multiplex, quàm varia sunt signa quæ repræsentare possunt ab extrà magnitudinem Dei.

Quid est enim significare, nisi aliquid intellectui repræsentare: sit hoc per voces; sit per colores, vel species colorum; sit per objecta quorumlibet sensuum; A sit per ænigmata figurarum in Scripturis Sanctis; sit per revelationes mysteriorum. Concludit idcircò Canticum suum Virgo Beata sub attestatione divinarum locutionum, quas fecit Dominus *ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula.* Luc. I. 55. *Conservabat omnia verba hac conferens in corde suo*; Luc. II. 19. nunc Isaiæ prophetiam de Virgine paritura; *Isaia* VII. 14. nunc Jeremiæ vaticinium, quòd *mulier* circumdabit *virum*: Jerem. XXXI. 22. nunc hebdomadas Danielis: *Dan.* IX. nunc portam clausam Ezechiëlis cum Templo toto. Ezech. XLVI.

Discipulus. Descripsisti, quid est *magnificare Dominum*, quoniam est, *significare Dominum esse magnum, universaliter perfectum.* Scio, quoniam *significare* secundùm Grammaticos, est *aliquid intellectui repræsentare*, qui tractant de modis significandi, super quibus Centilogium composuisti. Sunt insuper varii modi (sicut notas) magnificandi Dominum, scilicet benedicere, B sanctificare, glorificare, prædicare, exultare, confiteri Domino, laudare, & ità de similibus, quorum Cantica memorantur. Inquiramus igitur de singulis. Dic quid est. *Dominum benedicere?*

Magister. Hoc est, *significare Dominum esse bonorum datorem*; *factorem, vel donatorem*; quia suum dicere; facere est; *dixit, & facta sunt.* Ps. CXLVIII. 5. Ità *suum benedicere* est suum *benè agere. Domino* autem *benedicere*, significat *verbum benedictionis illi fieri, vel dirigi, ut ibi*: Ps. CXLIV. 10. *Sancti tui benedicant te.*

Discipulus. Dic quid sit *sanctificare nomen Domini.*

Magister. Hoc est, *significare Dominum in sanctitate & munditia perfectum.* Quid autem sit *sanctitas Domini, & notitia, & munditia*, habes alibi,

Discipulus. Dic quid est *exultare in Deo salutari nostro.*

Magister. Hoc est, *significare Deum esse salvatorem nostrum, & salutare, vel salvationem, non qualicunque signo, sed modo lætitia exteriùs se prodentis, & quasi se non caperet, ulteriùs salientis.*

Discipulus. Dic quid est *confiteri Domino?*

Magister Hoc est *significare certo signo, ipsum esse Dominum.* Et hoc multipliciter; vel *quoniam bonus*, vel *quoniam in æternum misericordia ejus* vel *quoniam laudabilis nimis & magnitudinis ejus non est finis*, vel *quoniam peccata dimittit, & præstabilis est super malitia, aut ex reliquis perfectionibus suis.*

Discipulus Dic quid est *sacrificare Domino?*

Magister. Hoc est, *significare certis signis adhibitis, quod ille cui sacrificatur, vel in cujus honorem principaliter offertur sacrificium, supremus est Dominus, plenariam habens potestatem vita & mortis super nos, sicut in animali sacrificato vel occiso.*

Discipulus. Dic quid est *gratias agere Deo?*

Magister Hoc est *significare bona recepta ab eo purè gratis, non meritis nostris.* Modi autem significan- D di sunt varii, pro varietate eorum quæ recipiuntur, ad significandum corde, voce, corpore, & opere.

Discipulus. Dic quid est *adorare Dominum*, vel *colere cultu latriæ.*

Magister. Hoc est *significare supremam in omnibus suam dominationem, atque majestatem, & hoc modis variis, interiùs in anima, vel exteriùs in corpore, aut alijs rebus exhibitis.*

Discipulus. Quid est *jubilare Deo?*

Magister. Hoc est *significare magnitudinem ejus in bonitate, & benedictionibus, modo gaudii cujusdam ineffabilis*, ut aliquando plausu manuum; aliquando vultûs alacritate; aliquando cordis dilatatione quæ dicitur *lætitia quasi latitia*; aliquando voluptate quæ dicitur *à volubilitate circà rem dilectam*: nonnunquam à delectatione, quæ dicitur *quasi lactatio*: quandoque à jocunditate, quæ dicitur *à joco*: sæpiùs ab alacritate quæ dicitur, dum *habet liberum & expeditum usum corporis, vel membrorum vel sensuum, & maximè corpus, ad significandum lætitiam.*

Discipulus. Quid est *Deum laudare in Sanctis suis?*

Magister. Hoc est, *significare, ipsum esse causam sua sanctitatis.* Sicut *Deum laudare in creaturis suis* est *significare quòd ipse eas gubernat, fecit, & regit eas purè gratis, & magnificis modis.*

Discipulus. Quid est *alloqui creaturas, quòd benedicant Deum, quod collaudent, quòd adorent, quòd prædicent, quòd lætentur in eo cum similibus acclamationibus?*

Magister. Totum est hoc *significare complacentiam quam habemus in beneficijs omnibus qua creaturis collatæ sunt, & hoc varijs modis significandi pro varietate alloquendi, sicut solemus exhortari per Psalmos dicentes: Laudate Dominum in tympano, & choro, laudate eum in chordis & organo*, Ps. CL. 4. *cum alijs talibus instrumentis omnibus; hoc autem est, significare complacentiam, & exultationem, atque lætitiam quam habemus in recognitione beneficiorum Dei talibus modis repræsentandi. Quemadmodum dare gloriam Deo, honorem, & virtutem, & similia omnia perfectionem importantia*, non est aliud quàm *significare talia supereminenter esse in Deo, vel à Deo procedere. Et hoc tot modis significandi, quot modi sunt repræsentandi corde, voce, corpore, & opere.*

Discipulus. Dic differentiam inter magnificationem C Dei quam faciunt irrationales creaturæ & magnificationem rationalis animæ, de qua dicitur in hoc cantico: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46.

Magister. Magnificatio creaturarum mensuratur, & accipitur à participatione divinæ magnitudinis, cujus omnes sunt participes suo modo. Sed irrationalis natura tantummodò repræsentat artem Creatoris; & ideò dicitur transsumptivè sapientia, vel ars ejus. Rationalis verò creatura non solùm objectivè, vel ut vestigium; sed etiam subjectivè, & formaliter perceptivè significat Domini magnitudinem, intelligit, & prædicat. Assumit insuper creaturas alias, immò & seipsam, quasi materiam significationis divinæ majestatis: denique in omnibus, sicut in fistulis organorum certificationis, Spiritu sancto flante decantat.

Discipulus. Bonum est nos hîc esse. Matth. XV. 4. Sed vocat sequens versiculus de humilitate Mariæ. Jam verò tardior hora differre suadet ad matutinum diei sequentis. Nos interim propriis intendamus officiis.

TRACTATUS
TERTIUS
DRAMATICUS
IN
CANTICO MARIÆ
DE RESPECTIONE HUMILITATIS SUÆ
Per Notulas centum viginti.

PRIMA NOTULA.

QUIA *respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. I. 48.

Discipulus. Hìc sumus, hìc protinùs absolvenda est quæstio altera die proposita; sed dilata: Cur beata Mater causam magnificationis Domini cum exultatione spiritus in Deo salutari suo, cecinit esse respectionem humilitatis suæ à Domino. *Exultavit* (inquit,) *spiritus meus in Deo salutari meo.* Luc. I. 47. Et tanquam ratio quæreretur ab ea, mox subjungit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* ℣. 48.

Magister. Doctam formas quæstionem, cui nequit perfectè dari ratio, sive responsio, nisi decisum fuerit qualis sit oculus sponsi quo respexit sponsam quæ se ancillam humilem nominat.

Discipulus. Consentio. Fiat hoc priùs notum, similiter & quod est objectum suum.

Magister. Oculus vulnerans sponsam oculus est amoris, quo nullus acutior, nullus penetrabilior, nullus ad intimi cordis vulnerationem efficacior dici potest: *Vulnerasti cor meum* (ait sponsa) *in uno oculorum tuorum.* Cant. IV. 9. Non aliter est de oculo sponsi respectu sponsæ. Quia respectus amorosus sponsi sauciat sponsam, ut exclamet, vulnerata charitate ego sum, vel *amore langueo.* Cant. II. 5. Hoc est præcipuum in sponsa, vel in sponso membrum. Undè sponsus cùm laudaret sponsæ pulchritudinem, dicit: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra.* Cant. IV. I. Mox subjungit: *Oculi tui columbarum.* Et quid per *columbam* intelligis, si non amorem simplicem? In *columba* enim Spiritus sanctus, cui appropriatur amor, sæpiùs apparuit. Sic postmodùm sponsa insinuans filiabus Jerusalem pulchritudinem dilecti sui, comparationem posuit eamdem, dicens: *Oculi ejus sicut columbæ desuper rivulos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident super fluenta plenissima.* Cant. V. 12. Hinc est illa duorum mutua postulatio, videri scilicet, & videre. Audiamus modum. Sanè dilecta nuper consopita inter brachia sponsi, qui adjuraverat filias Jerusalem *per capreas, cervosque camporum*, eò quòd sunt animalia satis alacria, mundaque, & solitudinis amica, perspicaciumque oculorum. Adjuraverat, inquam, ne suscitarent, neque evigilarent dilectam, donec ipsa vellet. Tunc velut elapsus ad horam dilectus regreditur, ardens videre sponsam, & alloqui; quod latere non potuit sponsam, cujus per amorem cor evigilat. Exilit igitur, & dicit: *Vox dilecti mei.* Cant. II. 8. hæc est vox amici mei. Conversis confestim oculis exclamat: *Ecce ipse venit saliens in montibus & transiliens colles.* Et cur, obsecro, salit & transilit, nisi zelo sponsæ videndæ totus rapitur atque tripudiat ad similitudinem capreæ, hinnulique cervorum, lasciviens, alacris, & jocundus. Nihilominùs tanquàm zelotypus explorator, & verecundus amator non irrumpit cubiculum sponsæ, sed *stat post parietem, respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos* ℣. 9. Denique blanditur, dicens: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea & veni.* ℣. 10. Sequitur post verni temporis gratam descriptionem, quæ novam signat gratiarum infusionem, adversitate depulsa: *Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* ℣. 14.

Discipulus. Perspicuum fecisti desiderium quòd habent in Canticis sponsus & sponsa se videndi, quo-
A niam visio nuncius est præcipuus amoris cordialis. Ubi est amor, ibi est oculus. Nihil amore amabilius. *Dabo tibi* (dicit Seneca) *poculum amatorium sine herbis, absque veneficiis. Si vis amari, ama.* Hoc in amatoribus etiam fœtidissimis locum habet, quantò efficacius in pulcherrimis.

Magister. Hic respectus Dei Mariam humilem jure traxit ad amorem suum, ut tota nedum gauderet, sed præ amoris magnitudine spiritualiter exultaret, id est, *extra se saltaret* in dilectum. Hic etiam respectus corporalis in infantulo Jesu solabatur omnes illius peregrinationis laboriosissimæ dolores, & angustias. Sic in pueritia, sic in adolescentia, donec in cruce vidit extensum, quæ visa est semel ab eodem, unde pertransit gladius acerbissimæ passionis amorosissimum
B cor utriusque. Pensent amicorum corda quàm intolerabiliter anxius fuit hic respectus, qui dici nequit verbis; neque scriptis inseri.

Discipulus. Super est verò declarandum quid, vel quale sit amoris objectum.

Magister. Videor mihi fas dicere, quòd pulchritudo, vel pulchrum: nihil enim amatur sub ratione turpitudinis, sed tantummodò sub ratione pulchritudinis & pulchri, vel speciosi, vel formosi. Hinc dictum est de sapientia, quod *pulchritudinem illius admirabitur oculus.*

Discipulus. Nunquid diversa, vel adversa est propositio tam Philosophis, quàm Theologis, ponentibus bonum esse, quod omnia appetunt; & ità ratio boni, vel appetibilis, est amoris objectum.

Magister. Multæ sunt rationes appetibilitatis, quæ in unam conveniunt pulchritudinis, sicut & boni, & finis, & convenientis, vel perfecti, vel beatitudinis
C rationem.

Discipulus. Expone consequenter, quæ est ratio pulchritudinis, vel pulchri?

Magister. Pulchritudo secundùm Augustinum est *æqualitas numerosa.*

Discipulus. Est igitur pulchritudo in sola quantitate, cum numerus sit species quantitatis.

Magister. Accipitur hæc qualitas nedum ex ratione molis corporalis, sed perfectionis spiritualis. Similiter numerus non pro quantitate discreta realiter, sed formaliter secundùm aliquos. Sed vel probabiliùs secundùm alios, solius rationis, qualis in Deo personisque divinis invenitur; quia alia ratione, & idea conditus est homo, alia equus, secundùm Augustinum, & hoc secundùm modum intelligendi divinam essentiam, per relationem ad creaturas, sive sit iste modus intelligendi in intellectu divino, sive sit solum in intelle-
D ctu Angelico.

Discipulus. Sufficit hæc tetigisse de divina pulchritudine pro verificatione definitionis illius quòd pulchritudo est *æqualitas numerosa.* Nunc adapta pulchritudines sponsi & sponsæ, quales posuit Salomon in Canticis; simul apertum faciens de differentiis talium nominum, *pulchrum, formosum, suave, speciosum, decorum.* Rursùs de nominibus sponsæ, quòd est *amica, soror, columba, immaculata, tota pulchra,* & ita consequenter per singula membra discurre tàm sponsi, quàm sponsæ.

Magister. Rem exigis quæ sua prolixitate fastidium, vel sua brevitate poterit obscuritatem afferre, nisi fortassis invenirem compendium.

Discipulus. Placet invenias.

Magister. Ecce tot præ manibus habentur expositiones

nes Doctorum, tot similitudinum hîc positarum, tot insuper distinctiones pro qualibet dictione magistrales, tot demùm quadruplices sensus, Scripturarum adaptationes ad diversa spiritualium genera nuptiarum. Supponamus hæc omnia nobis, & pauculas de pulchritudine sponsi, & sponsæ; & Dei, & animæ similitudines hîc positas elucidare curemus. Dicentes A in primis, quòd *formositas*, *& speciositas*, *& pulchritudo*, *& decor* frequenter accipiuntur synonimè. Nihilominùs *pulchritudo* ultrà formositatem dicere videtur quandam coloris suavitatem, cujus defectus non tollit formam: *Nigra sum*, inquit sponsa, *sed formosa*.. Cant. 1. 4.

Decor autem refertur ad modum, & decentiam gestûs, & ornatûs cum quadam jocunditate, lætitia, vel alacritate vultûs, totiusque corporis gestûs. Porrò speciositas omnia simul dicit, ut ibi: *Speciosus forma præ filijs hominum*. Psal. XLIV 3. Et illud: *Species Priami digna est Imperio*. Exemplum in imagine, cujus possemus prima lineamenta considerare, quòd numerosa sit sub æquali proportione formata, & formositas indè resultat. Consideremus secundò colores superinductos accommodè singulis lineamentis, undè redditur pulchrior forma. Consideremus tertiò in imagine vivente, alacritatem faciei, B & oculorum lætitiam, & decentiam, & in omni gestu modestiam. Sic ait Poëta de Venere pro Ænea.

Et lætos oculis afflarat honores.

Et de vulgo: *Ceste Dame est de beau maintien, & est bien advenante, elle est simple, & coye.*

Notemus ultrà, quòd pulchritudo picturæ, vel imaginis refertur ad ipsam tabulam, quæ proindè pulchra nominatur. Addamus prætereà, quòd pulchritudo maximè refertur ad exemplar, si per omnia conformis est imago, vel exemplatum suo exemplari, sit licèt exemplar istud turpidissimum. Sic dicimus bufonis imaginem indè pulchram, sic bubonis, & vespertilionis. *Ecce*, inquiunt, *bufonem pulchrè pictum*. Patet proindè ratio, cur simia dicitur turpissima, cujus tamen figura proxima est pulcherrimæ figurarum, scilicet humanæ. At verò quià deficit ab imitatione perfecta, reputatur indè turpior, quò imitatione videbatur proximior. Quibus ita notatis de C pulchritudine generaliter, facilis est applicatio ad pulchritudinem animæ rationalis spiritualis, quæ imago est benedictissimæ Trinitatis, in qua potentiæ tres principales animæ, scilicet memoria, intelligentia, & voluntas, sunt tanquàm lineamenta, qualia sunt indelebiliter impressa, nec tolluntur etiam à damnatis. Ceterum dona gratiarum variarum, virtutum, Donorum, Beatitudinum, sunt sicut colores superinducti. Rursùs operationes indè provenientes decorem superaddunt. Tandem in omni pulchritudine spirituali, tantò beatæ Trinitatis imago formosior est, & pulchrior, & habens plus decoris, quantò reperitur suo exemplari, scilicet eidem beatæ Trinitati conformior. Ex adverso autem de turpitudine, deformitate, despectu, dedecore constat sentiendum.

Discipulus. Naturam pulchritudinis ad oculum (sicut dicitur) ostendisti, & quià turpis est pars quæ suo toti non congruit, pulchritudoque totius ex universa partium multitudine consurgit, restat exponere pulchritudines membrorum singulorum. Sed anteà differe omnium distinctiones vocabulorum, *amica*, *sponsa*, *soror*, *columba*, *dilecta*, quoniam de aliis animæ nominibus satis constat ex præmissis, ut quod est *speciosa*, *formosa*, *tota pulchra & immaculata*: quià benè colorata, & munda per omnia.

Magister. *Amica* dicitur ex mutua communicatione secretorum, quasi *animi custos*, vel *altera mea*, *cujus est idem velle*, *& idem nolle cum amico*. *Sponsa* dicitur *propter spem fœcunditatis prolis*, *ut sint unum principium in productione & educatione filiorum*; *non quod* D *sit jam matrimonium consummatum*. Aliquando dicitur *conjunx & nupta*; sed in spe sunt contracta Sponsalia à *spondeo*, *spondes*, quamvis unum quandoque recipiatur pro altero. *Soror* appellatur *propter naturæ conformitatem*, maximè post Incarnationem. Aut si ad Angelos quoque transferatur, diceretur naturæ conformitas non univoca, nec penitùs æquivoca; sed analoga, propter similitudinem beatissimæ Trininatis. Undè nominatur etiam alibi *filia*, ut illic: Ps. XLIV. 11. *Audi*, *filia*, & *vide*. Et: *filia Jerusalem*, *quià inhabitatrix pacifica civitatis*. Et *filia Sion*, *propter speculationem divinorum*. *Et filia Principis*. *Columba* dicitur *propter inhabitantem in ipsa Spiritus sancti plenitudinem*. *Dilecta* dicitur *ultrà amicam*, *quod sit amor ex electione genitus*, *vel nutritus*.

Discipulus. Redi nunc ad priùs quæsitum, & de membris singulis.

Magister. Redeo, proponens pro regula, vel clave dicendorum, quòd nihil in Canticis positis reperies, nisi quatenùs facit ad pulchritudinem, & consequenter ad amorem, secundùm alterum genus causæ quadruplicis, *efficientis*, *materialis*, *formalis*, *& finalis*. Non idcircò quispiam erraverit, si dixerit, subjectum Canticorum esse, vel amorem pulchitudinis, vel pulchrum amorem. Quod utique Sapientia vidit, quæ duo conjunxit, dicens: *Ego mater pulchræ dilectionis*. Eccli. XXIV. 24. Protinùs ergò, dum occurit tibi verbum aliquod in Canticis, si non sonet pulchritudinem in cortice transsumptionis, decortica illud, vel enuclea, quousque decor amabilis, & amor decorus, pulcher, atque formosus emineat.

Discipulus. Enitar. Sed quid ex istis inferendum censes; utrùm cognitio Canticorum sit speculativa, vel practica.

Magister. Torquet multos diversus practicæ & speculativæ modus accipiendi.

Discipulus. Da modum qui tibi probabilior apparet.

Magister. Definit Aristoteles intellectum speculativum, quòd est solùm respectu veri, ut verum est. Intellectus verò practicus dicitur confesse se habens appetitui, id est, conformis, & protensus in appetitum, cujus objectum est non solum verum sub ratione veri, sed sub ratione boni. Deindè concludit, quòd Metaphysica est tantùm speculativa; Ars autem, & prudentia, sunt practicæ, quià respiciunt voluntatem respectu factibilium, vel agibilium, nec sistunt in intellectiva cognitione sola. Sed Theologia scrutatur profundiùs, quæ supremam scientiarum seipsam asserit, & in Dei dilectione super omnia finem suum statuit. Nam *finis legis est dilectio*. 1. Tim. 1. 5. Et ideò sanè debuerat consentire de Metaphysica Philosophus, quòd non in cognitione nuda primæ causæ sistebat, sed ad ejus dilectionem extendebatur; alioquin deformabat pulchritudinem Metaphysicæ, caudam ejus pulcherrimam, quæ est finis divinæ dilectionis evellendo. Datus quoque fuisset in reprobum sensum, qui cùm Deum cognovisset, non sicut Deum glorificasset, nec amasset, nec gratias egisset. Dicit tamen in Ethicis de contemplatione felici, quod videtur Dei esse amantissimus, quià cognitionem ejus desiderat. Qualiter, oro, fieret & conjunctio optimæ potentiæ rationalis cum optimo objecto Deo per contemplationem, si non indè dilectio & delectatio sequeretur, vel si obsisteret perversitas voluntatis. Vocant aliqui Theologiam nostram, nec purè speculativam, nec omninò practicam, sed affectivam; quod epitheton aptissimè noscitur Theologiæ mysticæ convenire.

Discipulus. Perspicuum est illud quod loqueris, nec à Philosopho negandum, qui dixisse legitur: *Inveni te primam causam, fac me tibi placentem*. Verùm quid indè vis concludere, manifesta.

Magister. Concludo, quòd vel Metaphysica est practica scientia, vel quòd non omnis intellectus proten-

tensus in appetitum, seu voluntatem, diceretur practicus.

Discipulus. Ita sequi videtur.

Magister. Esse debet igitur de intellectu practico sermo restrictior, ut solùm dicatur practicus, dùm ad factibilia, & agibilia inferiora convertitur per extensionem in affectum, & in effectum operationis hujus; considerando relationem ad fines proximos, non ad supremum, qui Deus est colendus, & amandus. Propterea sic beatitudo dicenda est speculativa, sic Theologia propriè accepta, sic hæc sapientia Canticorum, cujus finis est amor pulcher sponsi ad sponsam, terreno quolibet amore calcato. Sic ubilibet ars amoris terreni, vel animalis, practica. Ars itaque divinalis amoris, seu fruitionis, speculativa dicetur, velut prima, & altissima scientiarum, quam imitatur Metaphysica philosophantium. Sed ubi desinit ipsa Theologia, per Fidem sumit exordium, per Spem insuper & amorem, considerans Deum sicut amabilem, & pulcherrimum, & qui juxtà verbum sponsæ est desiderabilis, immò fons, & origo, radix, & parens omnis pulchræ dilectionis.

Discipulus. Etsi propero cognoscere singulorum proprietates membrorum, quæ sponso tribuuntur, & sponsæ sub tropicis locutionibus; trahitur tamen nescio quo pacto mens illud attingere, quod modò dixisti de dilectionis, vel amoris origine.

Magister. Jure enim trahitur; nam hoc cognito cetera mox patebunt, quamvis hæc cognitio secundùm processionem Theologicam incipiat per Fidem à pulchritudine primæ causæ ad pulchritudines effectuum insinuandas, viæ Philosophiæ non adverso, sed converso.

Discipulus. Acceptus erit iste modus fidelibus. Prosequere.

Magister. Pulchritudo prima nobis per Fidem relucet in beatissima Trinitate. Tradit enim Fides, quòd Pater in divinis est mens, sive memoria fœcunda omnium intelligibilium, ad quam paternus intellectus convertens aciem, gignit ex se verbum expressivum omnium intelligibilium. Hoc est illud *Verbum* quod *erat in principio apud Deum*, Joan. I. I. per quod *omnia facta sunt*. Hoc Verbum est naturalis imago Patris, eadem essentialiter cum Patre, sola relatione personali personaliter ab illo distincta. Et quoniam imitatur perfectissimè Patrem, superest ut dicatur imago pulcherrima, vel speciosissima Patris, & ita dilectissima à Patre, se teste, qui ait: *Hic est Filius meus charissimus, in quo mihi benè complacui.* Marc. IX. 6. Cùm verò Pater communicaverit divinam vitam Filio, communicavit nedùm cognitionem omnis veri, sed amorem similiter omnis boni. Est autem paterna bonitas supremum & primum amabile. Amavit ergò Filius summè Patrem, & convertendo voluntatem in ipsum totus (ut ità loquamur) exarsit, & flagravit in ejus dilectionem. Ex qua dilectione mutua Patris ad Filium, & Filii ad Patrem, processit amor personalis, quem dicimus Spiritum sanctum. Considerat hìc Fides circulum quendam intelligibilem in triangulo personarum. Pater enim dat se Filio, quem diligit; Filius Patri impendit se per amorem, quo flagrat in Patrem. Hic autem amor communis est Patri & Filio, tanquàm nexus amborum. Jure ergò dictus est Deus quasi, *Sphæra intelligibilis, cujus centum ubique, circumferentia nusquam*, nisi, supple, in seipso. Non autem potest se Deus ad extrà communicare; nisi quodam modo punctualiter. Ipse verò totum se in se toto continet, quem tenebræ creaturarum non comprehendunt. Ostendit nobis hæc Fides summam consummatam in tota Trinitate pulchritudinem amabilem, & dilectionem pulcherrimam, quoniam hìc est æqualitas numerosa, quæ reddit pulchritudinem, & pulchritudo succendit ad amorem ut sit pulchritudo dilecta, & dilectio pulcherrima, mutuò se respicientes. Undè Dionysius. *Divinus amor est sicut quidam æternus circulus per optimum ex optimo, & in optimo, & in optimum inenarrabili conversione circumiens.* Est autem circulus pulcherrima figurarum.

Discipulus. Omiseris, precor, nunc ampliora hìc disserere de inenarrabili pulchritudine divinitatis & ad Mariæ pulchritudinem te converte, dicens in primis:

A Cur non dixit, Deum salutare suum respexisse pulchritudinem ancillæ suæ, sed humilitatem.

Magister. Duas habitudines esse ponit Philosophus in intelligentiis quas Angelos dicimus. Unam, qua convertuntur ad Deum ad contemplandum magnitudinem ejus cum admiratione, pulchritudinem cum dilectione, & omnimoda subjectionis obedientia, motu quodam assiduo quasi circulari circa divinam unitatem. Ita loquitur apud Boëtium Philosophia,

Mentemque profundam,

scilicet divinitatem, *circumit*. Et iterùm:

Da fontem lustrare boni.

Alteram dicit Philosophus habitudinem intelligentiæ, respectu inferiorum, quæ regit mediante motu sui orbis, prout Philosophia subjungit.

Simili convertit imagine Cœlum.

Determinat consequenter idem Philosophus, quòd habitudo prima quæ est subjectionis ad Deum, longè

B perfectior est, & pulchrior quàm habitudo regitivæ dominationis respectu inferiorum, quoniam in prima consistit intelligentiarum felicitas, & beatitudo, non in secunda. Quòd si Angelus magnificans Deum, & exultans in Deo, gratias ageret verbis humanis, quid, obsecro, mallet dicere: vel quòd Deus respexit humilitatem servi sui subjiciens eum sibi; vel quòd respexit dominationem, atque potentiam, scilicet in regimine creaturæ.

Discipulus. Res aperta est super electione primi. Undè palàm intelligo beatam Mariam nedum pia devotione, sed altissima, metaphysicalique ratione suam pulchritudinis beatificæ perfectionem plùs insinuasse per humilitatem subjectionis, quam respexit in ea Dominus, quàm si dominationis nomen aliquod posuisset.

Magister. Accipe rationem alteram non minùs in Theologia fundatam. Quid enim perdidit apostatas Angelos: quid postmodùm dejecit homines institutos ad reparationem Angelicæ ruinæ? Utique superbia,

C plùs glorians in phantastica dominatione, quàm in humili ad Deum subjectione. Cavendam hanc perditionis turpitudinem insinuat Maria, & exemplo vocis suæ, quâ suam humilitatem gloriatur respexisse Deum, & formidanda protestatione. *Fecit*, inquit, *Dominus potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. I. 52. Quare: *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longè cognoscit.* Ps. CXXXVII. 6. Quare *a longè?* Quia longè projicit, & dejicit, & deponit, *potentes de sede*, & exaltat *humiles*. Luc. I. 52. Jam Maria gerebat alta mente repositum verbum Filii: *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Luc. XIV. II. Illud quoque Discipuli sui: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Jac. IV. 6. Verificavit idcircò Deus in ea verbum Sapientis: *Ubi humilitas, ibi sapientia.* Prov. II. 2 Deus collocavit per Incarnationis mysterium sapientiam in humilitate sua.

Discipulus. Occurrit post solutionem quæstionis propositæ petendum, quid sit respectus Dei, quales ejus oculi, quibus *humilitatem ancillæ suæ respexit?* Sed

D omissa multiplicatione quæstionum, convertatur protinùs sermo tuus ad describendum pulchritudinem Beatæ Mariæ, quæ tam grata, tam incredibili formositate refulgens inventa est, ut concupisceret Rex speciem ejus, & de sublimi solio Deitatis descenderet ad infima nostræ mortalitatis, accipiens servi formam. Quanta, qualisque putanda est pulchritudo totius, quando in uno oculorum suorum dicit se *speciosus formâ*

formâ præ filiis hominum, Ps. XLVI.3. corde vulneratum: *Vulnerasti*, ait, *cor meum in uno oculorum tuorum*, Cant. IV. 9. & quod minùs videtur, *in uno crine colli tui*. Denique primum nomen, quo Maria legitur in Canticis nominata per sponsum fuit: *O pulcherrima mulierum*. Cant. v. 9. Verè *pulcherrima*, quæ pro superba mystica Vasthi Eva superno Regi, non Assuero, sed Deo, meruit copulari, gratiam inveniens in oculis ejus, quam adamavit super omnes mulieres. Erat enim formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa, & amabilis, videbatur.

Magister. Conabimur inaniter, si verbis æquare volumus pulchritudinem ejus, qua sub Deo major nequit intelligi, colligens in se omnes pulchritudines sparsas in creaturis. Ita ut sit verè una speciosa unius sponsi, una perfecta sua, una matri suæ, electa genitrici suæ, quæ genitrix est gratuita Dei bonitas, quæ pulcherrima pulcherrimam sibi fecit. Dicere nihilominùs aliqua tentabimus ordine primitùs doctrinali.

Pulchritudo, quæ est æqualitas numerosa, dividitur prima sui divisione, quòd quædam est naturalis, & quædam artificialis. Naturalis multiplex est; quædam intellectualis, altera rationalis; dehinc animalis. Rursùm aliqua est solùm vitalis: altera solùm substantialis: altera accidentalis. Artificialis verò quædam est per se, quædam per accidens, per rationis industriam, superinducta pulchritudine naturali.

Pulchritudo autem naturalis describi potest, quòd *Est æqualitas numerosa consurgens, & resultans ex unitate, veritate, & bonitate, vel ex mensura, numero, & pondere, vel ex modo, specie, & ordine*. Itaque proprietates entis sunt *unum* & *verum*, & *bonum*. Sic quod ens, & unum ens, & verum ens, & bonum convertuntur. Nec est possibile, quòd ens aliquid sit, quin hæc tria sibi conveniant, quæ non re distinguuntur sed sola significandi ratione. Sic de modo, specie, & ordine. Sic de mensura, numero, & pondere.

Pulchritudo igitur naturalis non habet aliquod ens positivè contrarium, quæ sit positiva turpitudo naturalis, ut impii Manichæi somniabant duo principia, unum malorum, & hoc turpissimum; & aliud bonorum, quod necesse est esse pulcherrimum. Nec oportet post Augustinum, & Dionysium, conari deducere, malum nec esse positum in entibus, sed tantummodò dici privationem pulchri, seu boni, seu modi, speciei, & ordinis. Pulchrum similiter cum ente convertitur, tanquàm proprietas resultans ex tribus prioribus, & hæc pulchritudo tanquàm ex triplici lineamento figurali, instar trianguli, quæ est prima, & perfecta forma linearum rectarum. Hæc nihilominùs pulchritudo naturalis in circulum deducitur, quæ est perfectissima figurarum, non recti linearum, sed curvarum. Ita quòd præter legem geometricalem sit hic circulus triangulatus, & triangulus circulatus.

Pulchritudo naturalis reperibilis est universaliter in creaturis, quia necesse est quodlibet vestigium suæ primæ causæ, quòd gerat similitudinem aliquam non penitùs univocam, sed analogam ejus tanquàm exemplatum sui exemplaris, & sigillatum sigilli sui. Sunt autem tria primæ causæ propria, & appropriata, secundùm quæ reperitur unumquodque ens producere secundùm triplex genus causæ efficientis, formalis, vel exemplaris, & finalis. Pulchritudo naturalis accipit lineamentum modi & unitatis, vel mensuræ, à potentia efficiente lineamentum speciei, vel veri, vel numeri à sapientia exemplante lineamentum ordinis; vel ponderis inclinantis à bonitate divina finiente. Quæ tria conjunxit Apostolus, dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula*, Rom. II. 36. qui omnia facit speciosa, & pulchra, secundùm tria hæc indelebilia prorsùs lineamenta in quolibet ente protracta, quæ rursùs se reducunt in circulum ad primæ unitatis exemplum. Nunc autem ad speciales pulchritudines naturalis proprietatis descendamus. Itaque quodlibet ens habet tantùm de pulchritudine naturali, quantùm habet in se de entitate, & bonitate. Invenitur autem ens intellectuale, & hoc dupliciter: vel ut per se existens; vel A ut alteri natum uniri, ut humani intellectus. Invenitur rursùs ens rationale secundùm duplicem portionem. Invenitur prætereà ens animale, & hoc dupliciter: vel conjunctum rationi, ut in hominibus; vel per se stans, ut in brutis. Proindè invenitur ens vitale, seu vegetabile, & hoc dupliciter: vel cum sensu; vel sine sensu. Ampliùs est ens solùm substantiale, ut elementa, vel materia prima, quæ de se non est principaliter nihil, cùm sit pars substantialis compositi; sed considerata sine forma, non est actus formalis, & informis dicitur; & sic turpis, appetens formam sicut aliquid pulchrum. Tandem est ens analogum, quod appellamus accidens, cujus est in esse non esse secundùm Philosophos; cùm tamen ponat Fides, ea posse sine subjecto per se esse.

Discipulus. Dicito de singulis, doctrinali qui aptus est stilo, qui tantæ rei magis est accommodus. Deindè traduces omnia ad pulchritudinem mulieris quam respexit amoris oculo totus desiderabilis B sponsus ejus.

Magister. Intellectualis pulchritudo, ad primum & indelebiliter expressum lineamentum, quod dictum est, superaddit tanquàm imago jam perfectior triplicem lineam trium virium, seu potentiarum naturalium insitarum sibi, quæ sunt memoria, intelligentia, & voluntas. Sive dicantur istæ vires tria quædam accidentia, naturam intellectualem necessariò sequentia, secundùm Thomam, & sequaces; sive sint vires essentialiter eædem cum natura intellectuali, sed formaliter differentes, juxtà Scotum; sive sint penitùs eædem res, tantummodò secundùm rationem distinctæ, per respectum ad operationes, seu rationes objectales, vel terminorum connotationes, quod nobis magis placet secundùm expressionem à Gandensi datam. Intellectualis hæc pulchritudo primò consideratur ut nuda, sine habitu superaddito, vel operatione, & hoc in ordine ad suum superius, quod est Deus. Ut vis memorativa Dei correspondeat Patri, seu paternali memo- C riæ, tanquàm appropriatè indita sibi à Patre, seu protracta in tabula naturæ intellectualis. Vis intellectualis Dei, quæ est expressiva verbi, correspondeat Filio, ut Verbum est in acie intelligentiæ potentialiter, aut aptitudinaliter, expressum, Vis amativa Dei, correspondeat Spiritui sancto, ratione amoris indè producibilis per voluntatem, sive per vim affectivam intellectualem. Ità semper dicetur mens recolere Deum, & intellectus intelligere Deum per habitum, & diligere non in actu, sed aptitudine. Similiter & seipsam (modo quo loquitur frequenter Augustinus) dicetur recolere, intelligere, & amare. Ita quòd non accipitur hìc memoria pro recordatione præteritorum, cùm sit respectu omnium, modo tacto. Intellectualis verò pulchritudo intelligitur principaliter in Angelis, qui propterea nominantur à Philosophis *Intelligentiæ*. Reperitur tamen, licèt imperfectiùs, portione inferiori rationalis animæ, quæ mens dicitur, prout est D Dei capax, & particeps ejus esse potest. Proindè dicta est facta ad imaginem Trinitatis, & Divinitatis similitudinem: ut scilicet est Dei memoria, Dei intellectiva, & Dei amativa, immortalis demum & simplicis Divinitatis imitativa, per similitudinem analogam; & quamvis humana mens sic considerata juxtà verbum Aristotelis, qui consonat in hoc Fidei, sit tanquàm tabula rasa, non repleta scientiâ & virtutibus omnibus juxtà Platonis errorem. Nihilominùs hoc modo mens est naturaliter luminosa, immò lumen intellectuale, immortale, & indelebile, in quo, & per quod nata sunt intelligi prima principia, ap-

prehensione facta terminorum à sensibus, secundùm modum cognoscendi in via hoc lumen dicitur illud quod signatum est super nos. Æstimo autem quòd sit intellectus agens de quo Philosophus est locutus, qui super phantasmata irradiat, ut species intelligibiles abstrahat, vel eliciat, vel fodiat, & sit intellectus possibilis, scilicet ipsemet consideratus ut tabula rasa, fiat actuatus per species intelligibiles ad intellectionem.

A *Discipulus*. Quo pacto mens humana, dùm separatur à corpore, statim post infusionem ejus poterit cognoscere, cùm non habeat phantasmata, quæ speculata sit, nec speculari potest extrà corpus?

Magister. Si singulas circà materiam quæ tractatur, incidentes dubitationes vellem tollere respondendo, nec ingenium, nec hora, nec susceptùm de pulchritudine compendium ferre posset. Pergamus intereà cœptum iter, absque tot diverticulis, quæ collocutionibus aliis subintrare poterimus.

Discipulus. Assentio.

Magister. Intellectualis pulchritudo tunc augeri, & quodammodò supercolorari, & pingi dicitur per infusionem habituum diversi generis tàm intellectualium, quàm affectualium; tam in via, quàm in patria, secundùm triplicem differentiam. In via quidem per infusionem Virtutum Theologicarum, Fidei, Spei & Charitatis, aut aliquarum superioris perfectionis, sub B ænigmate tamen. In patria verò secundùm tres dotes animæ, sive sint eædem cum lumine gloriæ; sive distinctæ, sicut habitus ad faciliùs eliciendum actus gloriosos, visionem, dilectionem fruitivam, inhæsionem, vel adhærentem fruitionem correspondentem Spei. Juxtà illud: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Ps. LXXII. 28. Et hæc tria secundùm tres vires rationales concupiscibilis, & irascibilis, quales Theologus ponit in superiori portione rationalis. Intellectualis pulchritudo rursùs augetur per actus, & operationes, exponens eam viribus, & habitibus prodeuntibus qui dici possunt rationabiliter tertia pulchritudo principalis super naturalem primariam, & generalem cuilibet enti superinducta: ubi statim videre est quàm multiplicata sit, tàm in eadem natura, quàm in diversis hujusmodi pulchritudo actualis operationis. Nam principalis, & consummata reperitur in gloria, qualem habet nunc pulcherrima, & Beatissima Beatorum, Beataque omnium in visione Dei cum nuda dilectione, & fruitione, in C quibus essentialis beatitudo, formalisque consistit. Quia pulchritudine nulla sub Deo speciosior in formis accidentalibus invenitur, nulla honestior, nulla suavior, & jocundior, nulla melodiosior, & sonorior, nulla salubrior & utilior, & hoc secundùm triplex genus boni, honesti, delectabilis, & utilis. Intellectualem hanc pulchritudinem præcessit, & inchoavit illa pulchritudo mentis quam habuit in via ter Beata nostra Domina, dùm contemplationi dedita fuit assiduè, quantùm status patiebatur exilii, dùm exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo, quia inspiciebat Dominus humilitatem ancillæ suæ. Ille enim respectus, cùm Deus immutabilis sit, quid aliud erat, nisi candela talis pulchritudinis, talis exultationis in mente Mariæ hnmilis ancillæ suæ? Et ideò jam pulcherrimæ, & dilectissimæ, quia fuit humillima, in qua figuratur lilium convallium Jesus salutaris suus. Erat tunc spiritus Mariæ, licèt in corpore, quasi nihil de corpore portaret. Hinc defecisse; hinc extrà se fuisse; hinc in atriis domus D Domini; hinc in extremis maris habitasse. Dicta sint hæc cum tropis talibus sine numero, quæ contribuuntur contemplativis; quamquàm longè aliter distantiùs in Maria. Intellectualis hujus contemplationis pulchritudinem in via nemo meliùs apprehendit, quàm experientia doctrinæ. Nihilominùs eruditio doctrinalis dat aliquid intelligi, & non meliùs quàm si consideretur status mentis quasi separatus, nondum à corpore, sed à rationis inferioris portione. Tunc profectò, & non aliter intelligit quid sit divisio corporis, & animæ, quid raptus, quid extasis, quid liquefactio animæ, quid transformatio, quid unio, quid mors Rachelis, id est, rationis in partu Benjamin, quo contemplatio signatur. Cur prætereà nominat Dionysius mysticam sapientiam esse irrationalem, hoc est, sine ratione, quantùm ad vim rationis apprehensivam, non quoad affectivam, quæ jungitur Spiritui sancto per amorem extaticum. Insuper Cherubin in cœlestibus, per quem amorem ignotis ignotè conjungimur. Non quod omninò sit amor sine cognitione prævia vel comite, juxtà cujusdam mysticè theologizantis imaginationem. Verum est, quòd illa cognitio non super se reflectitur, ut videat se videre: jam enim avolaret ista simplex synderesis scintillantis, & ardentis affectio, juxtà illud Canticorum. VI. 4. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*.

Discipulus. Multa dicuntur de statu mentis hujusmodi, & nunquàm sufficiunt. Immò potius eo magis exaltatur à nobis Deus, quo plus ascendit homo ad cor altum, ut jam non solum de pulchritudine Patriæ, sed istius viæ verificetur: Quòd *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. 1. Cor. II. 9. Undè clamat: Ps. XXX. 20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te*. Non dicit, revelasti eam timentibus te; patiuntur enim quod nesciunt. Hinc etiam dicit contemplativus, raptus in hanc caliginem, sentiens sibilum auræ tenuis alicujus, cujus ignorat vultum, qui nescit undè venit, aut quo vadat. Dicit, inquam: Nescivi. Anima mea conturbabat me, propter quadrigas Aminadab, id est, raptus tales. Et etiam alibi: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi*. Ps. LXXII. 22. Fit denique collustratio spiritus, non sine quadam interpositione, qualem suo modo sentit oculus pelliculis palpebrarum tenuibus interpositis ad radios solis nitidissimos incidentes super oculos. Videt itaque solem oculus in suo lumine, sed quid sit non datur inspici, medio prohibente. Tolle pelliculam, vel aperi; protinùs aspicies.

Magister. Noli mirari, si non comprehenditur incomprehensibilis. Jam enim non esset *magnus Dominus, & laudabilis nimis, cujus magnitudinis* esset *finis*, Ps. CXLIII. 3. aut *sapientiæ numerus*. Ps. CXLVI. 5. Jam non esset proprietas verbi, de qua diceretur: Cogitationum scrutator, & intentionum cordis, quod inscrutabile testatur Apostolus esse. Quo circà versis ad Mariæ pulchritudinem oculis, perpende, si potes, qualis fuerit in via status suæ mentis, aut spiritus quàm sublimis in arce contemplationis, quàm elevatus à terra sursùm, quantis irradiatus fulgoribus, ab isto, qui illuminat *mirabiliter à montibus æternis*. Undè *turbati sunt omnes insipientes corde*, Ps. LXXV. 5. qui dicunt, saltem affectu, vel effectu etsi non assensu, in corde suo, non est Deus. Si erat, ut mulier amicta sole justitiæ, cujus sub pedibus luna totius mutabilitatis creaturarum, & in capite ejus pulcherrima spiritualium syderum in æternitate splendentium corona. Quid indè colligi potest, si vales considera. Nonne lumen illud immensum scintillabat aliquotiens ad oculum mentis intuendum se nudè præbens, qualiter in via vidisse Moyses, & Paulus æstimantur? Nonne sicut in rimula quadam exilis coruscationis, dum oculos ferit emicans flamma, mox disparens ità fulgurabat in mente Mariæ splendor divinæ gloriæ? Nonne cernebat eam quandoque, tanquàm dum aliquis videt, seu vidisse putat nascentem per nubila lunam? Fallor, si non tot vicissitudines euntis, & redeuntis sponsi dant hæc intelligi. Modò tenetur, modò videtur, mox disparet, modò stat post parietem; nihilòminùs respicit per fenestras, prospicit per cancellos. *Cant*. II. 9.

Dis-

Discipulus. Quid, oro, putaveris esse talem prospectum per fenestras sponsæ?

Magister. Quid nisi radiosas, & angustas illuminationes in domo sponsæ, quæ domus est superius mentis cœnaculum. Non enim potest aliter concipi prospicere noviter Deus, nisi quia prospici se facit, sed in transitu subito referens aliquod simile, si piè dici potest, ad illud pastorium, seu galathæam,

Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Tota denique visio Ezechiëlis de animalibus & rotis per mysticas coruscationes, & scintillationes, nobis illud insinuat.

Sed nos sermo de raptu, & extasi ferè totos abripuit, dùm delectat, nec satiat. Redeamus ad semitam: linquamus inattingibilem mentis contemplationem pulchritudinis, & de rationali pulchritudine verbum fiat.

Rationalis itaque pulchritudo pingitur, & collocatur in tabula rationis inferioris, quam distinguere fas est proportionabiliter ad distinctiones traditas de pulchritudine portionis superioris quoad naturam, quoad habitus, quoad operationem suo modo. Habet inferior portio duplicem oculum, seu faciem, sicut & superior: undè & superior convertitur ad Deum; potest attamen oculum dimittere ad rationes inferioris aspectum.

Non secùs inferior portio faciem elevat ad portionem superiorem, quasi mulier ad virum suum; nihilominùs divertit oculos ad animalem portionem quæ corporeo in sua operatione eget organo, vel instrumento. Hæc portio congruè dicitur ancilla, quia ministrat in humilitate domus triclinio prædictis viro & mulieri, duplici videlicet portioni rationis, quarum nulla requirit corporis organum in propria actione, licet ancilla subministret eis simulachra, vel objecta; quia *Necesse est quemque intelligentem phantasmata speculari.*

Discipulus. Nuper ad duas portiones duntaxat partiebaris formam hominis scilicet in animam, & spiritum.

Magister. Spiritum accepi pro mente superiori; Animam verò pro toto illo quod ei subditum est.

Discipulus. Nunc autem inferior ratio distincta memoratur ab animali virtute, quam ancillam denominas.

Magister. Negare non valeo, nec volui; & si fortè non satis expressi quin tres communiùs assignentur hujusmodi portiones & à diversis diversimodè, non adversè. Sed volens coarctare sermonem eo modo quo beata & pulcherrima mulierum Canticum inchoaverit, commemorans tantummodò animam, & spiritum; posui cum anima portionem inferiorem, quam multi (sicut scimus) conjungunt aliquando cum mente, & spiritu; quoniam inter utramque partem seu portionem, quasi medium tenet locum, accipiens aliquando suas operationes ab illustratione principaliori, atque stabiles conclusiones deducendo resolvit; quandoque verò reducit ad sensationes deforis immissas, tanquàm ad habitam de ipsis certitudinaliter experientiam. Porrò tres hujusmodi vires exprimendo Paulus distinxit, loquens frequenter simul de spiritu, & anima; de corpore non quidem mortuo, sed animato quod est sensualitas. Sic Christus insinuavit: *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem.* Matth. XXVI. 38. Et statim post: *Spiritus quidem promptus est*; ℣. 41. nec mirum, quia beatus; *caro autem infirma*, quæ relicta passionibus tota erat. Hinc Apostolus loquens de divisione spiritus, & animæ, addidit compages & medullas, & cor, fortè sensualitatem indicare volens.

Discipulus. Non oportet ut video, magnipendere si hoc, vel illo modo quis accipiat, dummodò conveniant in acceptione colloquentes, quo confusa evitetur æquivocatio. Nam *caro* aliquando sumitur pro *anima*, *corpore*, & *spiritu*, ut ibi: *Verbum caro factum est.* Joan. I. 14. *Anima* similiter pro *homine*, ut ibi: *Omnes animæ descenderunt in Ægyptum.* *Spiritus* verò pro *tota anima rationali*, ut de Christo: *Emisit spiritum.* Matth. XXVII. 50. Transfer te igitur ad similitudines quæ supersunt insinuandas.

Magister. Animalis pulchritudo sequitur ad intel-
A lectualem, & rationalem, prout in homine sensualitas in ipso conjuncta est rationi, nata per ipsam regulari principatu despotico, & servili. Non enim est libera, sicut superior appetitus intellectualis essentialiter, sed participativè tantummodò, cui ratio consiliativa principatur, non dominatu tyrannico, vel servili, sed libero. Hinc fit ut appetitus sensitivus compelli, & corrigi, & flagellari debeat à ratione, si fuerit inobediens sibi, de quo dictum est ad Cain: *Sub te erit appetitus tuus, & dominaberis illius:* Gen. IV. 7. voluntas verò cogi nequit.

Animalis hæc portio multiplici pulchritudine decoratur ultrà naturalem quæ generalis est, ultrà consignatas habens totidem insuper linearum quinque vires sensuum exteriorum, & quinque vel sex interiorum, sicut alibi didicisti, & dicetur, quantùm repetendum esse volueris. Superadduntur pro specia-
B litate majori tam habitus, quàm passiones morales salubres, & operationes multiplicatæ super numerum: quales si quisque dinumerare voluerit, necesse est, ut cognoscat omnem scientiarum differentiam, quæ per sensus interiores & exteriores acquiruntur; omnes quoque moralium virtutum distinctiones, omnem Grammaticæ, Logicæ, Rethoricæ disciplinam, cum Arithmetica, Geometrica, Musica, Astronomia, quas sine animali portione ratio superior, & inferior non addiscunt. Legisti, quantam super una virtute memorativa deduxerit Augustinus admirationem. Et quis ad hanc, & alias singulas sufficeret exponendas.

Ceterùm animalis pulchritudo, quæ non est conjuncta rationi, qualis est generaliter in quolibet animali præter hominem; quot obsecro, depicta est
C ornataque formis, instinctibus, & industriis: usque adeò, quod in nonnullis relucet quædam participatio rationis. Ita nimirùm secundùm Legem deitatis, sicut mentis humanæ supremum conjungitur infimo naturæ Angelicæ, & infimum rationis attingitur à phantastica virtute. Sic phantasticam hominis portionem brutorum phantasia nonnullorum imitando contingit. Omnes verò pulchritudines hujusmodi respersas in brutis, natura conjunxit in humana ratione. Rationem denique supplet in brutis intelligentia prima regens infallibiliter ista cujus providentia in sui dispositione non fallitur, cujus ars prima dedit, & indidit, tàm hominibus quàm ceteris animantibus artes innumeras, undè prodeunt artificiales pulchritudines. Sicut in nidis animalium sibi fabricandis; in victu quærendo per insidias mirabiles, ut in vulpibus, & araneis; in provisione circà, vel contra futuros eventus, ut in apibus & formicis. Quis cuncta dinumeret? Tandem occurrit hìc animalis cognitionis pulchritudo in vitali, seu vegetativa virtute, sive sit per se posita separatim
D à potentia cognitiva, sicut in plantis, & in singulis absque cognitione viventibus; sive conjuncta sit, quemadmodùm videre est in hominibus, & animalibus, usque ad illa quæ fixa terræ solo & unico vigent sensu tactus, sicut conchæ, & ostreæ, quod earum dilatatio & constrictio manifestat. Quam vitam dicunt aliqui matricem in femellis retinere. Vitalis pulchritudo quàm multa sit, quàm admirabilis, & stupenda in attrahendo cibum, in frangendo, in dirigendo, in dispertiendo, in assimilando, rursùs in expulsione superfluorum, in augmentatione, in generativa virtute, in organizatione figuraque membrorum, nullus explicaret sermo. Nullus etiam de minimo grano, vel folio planam sufficeret naturali virtute, & plenam tradere rationem. Quod cernens

Eccle-

Ecclesiastes I. 8. *Cuncta*, inquit, *res difficiles sunt*, *& non potest eas homo explicare sermone.* Et iterùm : *intellexi, quòd omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem*, VIII. 17. supple, sufficientem, *& si dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire.*

Tota postremò Job interrogatio facta sibi à Domino de divinis operibus, quarum pulchritudo comprehendi non potest, ad hoc tendit: Quid de pulchritudine rerum naturalium ; quid porrò de pulchritudinibus rerum tot artificialium ; quid de objectis sensibilibus per accidentia sua, vel species, se repræsentantibus ad sensum ? Ecce quod in grano frumenti sunt infinitæ partes proportionales, secundùm deductionem Aristotelis demonstrantis continuum non esse compositum ex indivisibilibus. Oportet ex hoc concludere, quòd infiniti numeri sint illic, & figuræ ; imò tot, quot in toto mundo. Omnium insuper Scripturarum, literarum, & nominum continet nedum potentialiter, sed actualiter in aspectu Dei videntis numeros hujusmodi, literas, & figuras. Cujus signum accipito de una imagine, qualem inferre licebit de ceteris. Potest itaque statuæ factor per solam partium ablationem formare pulcherrimam imaginem ex uno trunco ligni, qualis utique prius ibi non erat, cum nihil addiderit ; & adhuc tamen nihil de cœlorum secretis tot pulchritudinibus attingimus.

Discipulus. Si taliter res se habent de pulchritudine rerum omnium, quòd incomprehensibiles habeantur ; cur hactenùs frustra illas desudavimus inquirere.

Magister. Frustra nequaquam, nec inaniter sine fine, qui triplex est: Unus ducens admirationem opificis primi Dei : *Speciei* enim *generator* hæc omnia constituit, qui utique speciosior esse concluditur per speciem creaturæ. Alter finis est ad humiliationem nostri, per contemptum viæ, & desiderium patriæ, ubi relucet pulchra perfectaque cognitio secundùm visionem quam devotus Bernardus cujus dies agitur, fertur insinuasse per ascensum suum post obitum in montem Libani.

Reliquus finis est nostræ conquisitioni proprius, & accommodus, de pulcherrima mulierum quam respexit Deus. Exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo. Qua super re quatuor accipito considerationes. Prima est ; speciositas pulcherrimæ mulieris, quæ sibi datur in Canticis, & alibi, plenè nequit intelligi, pulchritudinibus aliorum entium non intellectis : exponitur enim per similitudines omnis tàm naturalis, quàm artificialis formositas, quibus ignoratis, ut ignoretur transsumptio necesse est. Secunda ; speciositas quælibet reperta in creaturis sparsim, tota colligitur in beata, & pulcherrima mulierum, vel formaliter, vel eminenter. Hæc est regula divini Dionysii Hierarchias ordinantis, quæ superiùs tangebatur. Tertia ; speciositas pulcherrimæ mulieris sumitur ab omni pulchritudine ceterarum, donis & ornamentis ; & quo mireris ampliùs, omnis deformitas aliena dæmonum, & peccatorum, sibi cedit ad ornamentum. Quarta ; speciositas, & pulchritudo creaturarum piè recognita, Fidem illustrat, Spem roborat, Charitatem inflammat, cum opitulatione in omni tribulatione, & angustia.

Discipulus. Papæ! verè magna proposuisti, quorum certificationem expecto, præsertim super illo quod me miraturum jure dixisti.

Magister. Respondet Apostolus, si suæ locutionis vix tus cognoscitur, ubi dicit, quòd *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII. 28. Si in bonum, igitur in pulchrum. Et si omnibus diligentibus, quantò amplius Mariæ super omnes Deum diligenti tale quid eveniet? Putasne summus artifex Deus quicquam in universo mundo, quem pulchrum pulcherrimus ipse mente gerens formaverit, aut esse permiserit sine causa?

Discipulus. Nequaquam putaverim, sed omnia sub ordine pulchro pulchra fecit valdè.

Magister. Nonne primum in quolibet genere præcipuum est, & mensura aliorum, quemadmodùm Dux in exercitu. Maria verò dicta est pulcherrima & perfecta super ceteras creaturas non unitas divinitati, qualis est humanitas Christi. Consequens est igitur, quòd omnia sibi subserviant, tàm bona naturæ, quàm gratiæ, quàm artis, & fortunæ.

A *Discipulus.* Sit ita de bonis. Mala autem quid afferre habent nisi malitiam, & turpitudinem ?

Magister. Scis ad honorem Regis esse, si perversos proditores suos alligatos coërceat in compedibus. Scis, quòd in picturis nigredo ritè juncta dat decorem imagini. Hoc in superciliis formosissimæ mulieris aspice, quibus nigredo decens, rubedo indecens esset, vel viredo.

Discipulus. Sic invenio. Sed de turpitudine flagitiorum, & scelerum, & blasphemiarum, nunquid non secùs erit.

Magister. Secùs esset, si dedecus culpæ maneret inordinatum sine decore justitiæ : nunc autem pulchrius non collocatur Angelus in cœlo, quàm dæmon in inferno, qui positus est illic tanquàm scabellum pulcherrimæ mulieris conterentis, secundùm Legem Domini caput suum. Quamvis enim *omnis pulchritudo filiæ Regis sit ab intus*, ideòque constituitur, &
B *astitit Regina à dextris* Dei, hoc est, *in vestitu* corporis *deaurato*, est quoque *circumdata varietate* cujuslibet creaturæ, *Ps.* XLIV. 14. cui astat unicuique sua pulchritudo, saltem naturalis, cujus prima lineamenta deleri non possunt ; possunt tamen superindui tenebrositates, & turpitudines vitiosorum tàm habituum, quàm actuum. Quæ turpitudines in sua ratione formali nihil dicunt positivum ; sunt enim privationes pulchritudinis in esse debito per modum, speciem, & ordinem.

Discipulus. Magis certè conturbarer ambagibus, præsertim de odio Dei, qualiter possit esse pulchrum, si non alibi dissolutionem docuisses. Perge nunc ostendere, quo pacto sit in maria pulchritudo quælibet
C reperibilis in creatura, maximè quia minorata est, sicut & Filius, scilicet paulo minùs ab Angelis, adeò quod naturalis speciositas damnati Luciferi insignior sit ex dictis, quia perfectior. Quot sunt præterea virtutes specificæ, totam (ut dicitur) naturam speciei consequentes in gemmis, herbis, verbis, industriis quoque animalium. Rursùm in donis hominum gratuitis, ut est character Sacerdotalis repugnans sexui femineo. Nunquid, ut intereà silentium sit de ceteris, ex his omnibus Mariæ formositatem ornabis, vel eam coronabis?

Magister. Ornabo planè, & coronabo. Quod quomodò sit, jam deduxi. Circumdatur quippè omnibus, & singulis, quasi vestimento decoro multimoda varierate depicto, quorum omnium virtutes insignes continet, non quidem formaliter sed eminenter. Unde si non habet naturalia qualia gerit Angelus etiam damnatus ; jam ideò tamen est admirabilior,
D & eminentior Mariæ pulchritudo per gratiam quæ naturam interiorem quàm sublimiorem copiosiùs ornat, & perficit. Non habet characterem Sacerdotalem, formaliter fateor ; habet autem eminentiùs ad reconciliationem peccatorum, ad apertionem Paradisi, quià verè ponitur *felix cœli porta*, ad auxiliandum contra potestates aëreas, contrà calamitates & miserias omnes, tàm animarum, quàm corporum, quotiens placuerit, scilicet illos misericordes oculos ad nos convertere, quotiens nos voluerit tanquam pia Marer filios, quamquàm debiles, & fœdos, curandos, purgandosque suscipere.

Discipulus. Respiro totus in spem bonam, dùm te audio talia disserentem. Totus exultat spiritus meus & aspirat meditari frequentiùs istam beatam, & pulchram mulierem, quam tali potentia piè disseris eminentem. O felices, qui te talem, ô Maria, genuere parentes. O verè felix Joseph sponsus tuus virginalis, qui

qui tui custos cum puero Jesu fidelis, sedulus, prudens, atque charissimus, audire, videreque te cum Filio, tanto tempore dignus fuit.

Magister. Credidi propter quod locutus sum. Ps. cxv. 1. Propterea, jam istos non beatificare nequeo, neque sufficio, quos, ô beata, tibi feceris esse devotos, quos traxeris post te, postque Jesum benedictum fructum ventris tui, in odorem unguentorum tuorum. *Cant.* 1. 3. Quomodò non beati, quibus ubera charitatis lactanda, quibus os pietatis osculandum non dedignata fueris ostendere? Ergo jam *oleum effusum nomen tuum.* c. 1. 2. Ergo tu *fons hortorum* ad emundationem simul, & recreationem, cum delectatione mirabili mundo datus. *Tu puteus* c. iv. 15. satietatis *aqua* vivæ *salientis in vitam aeternam.* Joan. iv. 14. Puteus aquarum quæ fluunt impetu de Libano candido paradisi. Tu hortus consitus omni genere tàm arborum, quàm areolis aromatum: Tu jam coronata triumphas *de capite Amana*, id est turbulenti, *de vertice Sanir & Hermon* fœtoris, & anathematizationis, *de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, Cant. iv. 8. scilicet tyrannide superborum damnatorum, quæ *luna* mutabilitatis sunt *sub pedibus* tuis ad calcandum. *Apoc.* xii. 1. Porro *sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*, Cant. vi. 7. secundùm varios animarum gradus.

Una tamen *columba perfecta*, quam *viderunt filiæ* per adoptionem, *& beatissimam prædicaverunt*: *Reginæ*, quæ suis dominantur affectibus, *& concubinæ* quærentes concupiscentiæ remunerationem per filiorum boni operis generationem *laudaverunt* te, ℣. 8. quia beatam te dicent omnes generationes. *Quam pulchra es, & quam decora charissima in deliciis* Cant. vii. 6. Sed cui *charissima in deliciis*: Illi nempe, cujus *deliciæ sunt esse cum filiis hominum.* Prov. viii. 31. *Statura tua assimilata est palmæ* triumphali, *Cant.* vii. 7. & *ubera tua botrus vineæ* germinantis virgines, id est, virginales affectiones, & sobria ebrietate debriantis usque ad sanam insaniam apud stultos seculi, usque ad denudationem per voluntariam paupertatem. *Tu deliciis affluens* c. 8. 5. tota dilecto superinnixa teris dicens vocem plenam sensibus inexplicabilibus. *Ego dilecto meo. & dilectus meus mihi.* Cant. vi. 2.

Discipulus. Eia, Magister, euge, euge, quid nos agimus, obsecro, Cantica Canticorum exponendo, cum Canticum Mariæ susceperamus. Et ecce nunc in laudes erumpimus, nunc obsecrationes interserimus, ad quas titubat animus, ad quas hac, illacque defluit oratio mentis, incerto pede, lingua balba, vagis oculis, gestu vario, quasi fabulando, seu phrenesiando nos habemus; immò veriùs nos habemur, rapimur, distrahimur, nescio quo spiritu, quem nescimus *unde veniat aut quo vadat.* Joan. iii. 8.

Magister. Vah Frater. Quid si nos introduxerit ista de qua loquimur beata in cellaria Regis *in cellam vinariam*, cujus est modò clavigera? Quid stupes? quid miraris si sobriam biberimus ebrietatem spiritus? Quid si datum fuerit accedere proximiùs, & serenissimas voces amoris audire profundiùs. Totus ipse gestio me quem jam non capio considerare, quod utique continget, quando dicere fas est unicuique nostrum: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Cant. v. 6. *Fulcite me floribus stipate me malis, quia amore* ejus *langueo.* c. ii. 5. *Læva ejus sub capite meo & dextera illius amplexabitur me.* ℣. 6.

Discipulus. Cessemus jam, cessemus spectare talia qualia amantes sibi somnia fingunt, & ad incœpta revertamur.

Magister. Quæ cœpta?

Discipulus. O quæso non meministi? Cur inquiris? Intremus elucidationem Cantici beatissimæ, & pulcherrimæ mulieris cum epithalamio Salomonis.

Magister. Nimirum istic sumus. Neque enim exigunt certum expositionis ordinem, quæ nullo sunt ordine contexta, vel cohærentia; quæ præterea non uni tantùm affectui sunt accommoda, sed innumeros verbum quodlibet affectus eructat pro audientium qualitate. Expone, si potes dum ægrotus assiduis suspiriis plangens, & singultans ex imo pectore anheloque spiritu repetit, ha, ha, ha, quid tibi significet ista vox plangorosa.

Discipulus. Donatus respondet dicens, interjectionem esse partem orationis significantem mentis affectum voce incognita. Quid autem postulas vocem mihi incognitam exponere cognoscendam.

Magister. Non perdidit operam, & impensam, qui te puerum docuit orationis partes. Tu nunc grandior effectus ita cognoscito quemlibet amoris intimi & non ficti vocem prorsùs incognitam non amanti, immò nec alieno compertam amanti, si non qualibet conjectura. Exemplum de doloris interjectione, dum sanus ægrotum audit, & solari quærit. Cui respondet apud comicum talis aliquis: *Facile cum valemus aliis consilia damus.* Tu si hic sis, aliter sentias.

Discipulus. Desperare doces super intellectu Canticorum.

Magister. Nequaquam; sed intelligendi modum denuntio: suffecerit elicere nunc hac, nunc istac exultationes per agitationem concussionemque studii vehementis, pauculas emicantes scintillulas, prout istas excessivi amoris hoc, vel illud verbum inferit, ad faciem mentis perstringens illam & igniens. At verò sub alia similitudine stude familiaris esse vocibus amoris in loco peregrinationis tuæ; non se adeò poterunt occultare, quin familiariùs in te magis & magis prodient & intelligibilem, nunc hoc modo, nunc altero manifestent, vel nutibus etiam se, & gestibus insinuent. Peregrinantes pariter in exemplum habe, quamvis barbari sint. Pueros quoque colludentes, necdum perfectis resonantes verbis, qui quomodò se intelligere consuescunt, imitari coneris.

Deinde beatam, & pulcherrimam mulierum postulemus, ut nos illo respiciat pietatis & amoris oculo, quali respecta fuit à Deo salutari suo. A quo nos impetret respici, saltem ut amarè fleamus exemplo Petri. Respiciat terram cordis nostri, & faciat eam tremere. Et ab illo tremore suo concipiamus spiritum salutis, qui in amoris spiritum aliquando transformetur, & hymnum tunc canamus cum alacritate cordium: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. 46.

Magister. Irritas meum quærendi studium de plurimis; sed aliorsùm me vocat (ut audis) occupatio domestica regularis. Dies crastinus sollicitus erit in idipsum.

Discipulus. Expeditum me reperies; propitius sit nobis Deus.

TRACTATUS QUARTUS PER DIDRAMA SEU DIALOGUM DE MARIÆ BEATIFICATIONE

Per Notulas octogintaduas.

PRIMA NOTULA.

ECCE *enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. I. 48.

Discipulus. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis hesterno colloquio, dùm de Canticis Canticorum Mariæ, simul & Salomonis conquireremus; quasi fabulantes peregrini, necnon dilatato corde videremur anhelando spiritum attrahere?

Magister. Memini, & visa est renovari ut aquilæ juventus nostra senilis quodammodò, & cana in exteriori homine; sed interior renovatur de die in diem, si adsit verbum Dei reficiens ipsum; si Jesus instar peregrini, nec proindè cognitus se comitem conjunxerit; si aperuit sensum nobis, ut intelligamus Scripturas hymnorum, & maximè Psalmorum, & Canticorum. O si se talem exhibere dignabitur, qui loquitur animæ nostræ: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa, & veni.* Cant. II. 10.

Discipulus. O si jam hyems congelationis spiritualis transeat; si gelicidium torporis; si imbris stillicidium assiduæ tentationis abeat, & recedat; si flores pulchriorum aspectuum appareant in terra cordis nostri, dante Domino benignitatem. O si tempus putationis, & resecationis curæ omnis superfluæ adveniat; si vox turturis castè gementis, & consolantis, luctu bono audiatur in terra sensualitatis nostræ conformantis se rationi, ut concordet philomelæ, & à laude contemplationis alacris turturis suspirium. O si ficus jam non maledicta, nec solis onusta verborum foliis proferat grossos suos, in signum fructus post suavis. Demùm si vineæ bonarum operationum dent odorem suum bonæ famæ, in vitam, & lætificationem Dei, & hominum, quid secuturum sit, ô Magister, agnoscis.

Magister. Quænam anima, Frater, est tàm hebes, & gelida, quæ non ad vocem blandientis amici, vel dilecti quem sequitur, expergiscatur? Quæ non tota liquefiat, se jam in se, non continens propriis terminis desideriorum, sed effluat in dilectum, currat post vocantem se gratis nominibus: *Surge*, inquit, *propera amica mea.* Cant. II. 10. Surge quæ malè jacueras cum adolescente perdito, propterea paternam adire misericordiam, ut accumbat super collum tuum, det que in accubitu tali nardus humilitatis tuæ odorem suum, ut jure voceris amica, suscipiens pacis osculum, & speciosa, recipiens primam innocentiæ stolam cum annulo Fidei. Proindè facta *columba* nidifices *in foraminibus petra, in cavernis materia.* Cant. II. 14. *Petra autem erat Christus.* I. Cor. X. 4. Tu in fixura clavorum, in caverna lateris usque ad patefactionem cordis, Fidei devotione subintrans, illic reponas sanctarum meditationum pullos tuos. Ostende dilecto potenti faciem tuam, jam colore roseo decoram, & vernantem in aspersione sanguinis agni immaculati. *Sonet vox tua* iu auribus dilecti, quæ dulcis sit in laude, conferens in jubilo. Denique sis vinea florens desideriis odoriferis, de qua vulpeculæ parvulæ intentionum dolosarum diffugiant captæ. Surrepunt enim quandoque suffodientes ad elationis præcipitia, & vineas radicitùs demoliuntur, & corrodunt. O si postmodùm fas habeat anima talis, jam facie decora, jam voce suavis, suspirabunda dicere: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Cant. II. 16. 17.

Discipulus. Quid, oro, vult hæc interrupta, & inexplicita penitùs locutio?

Magister. Audisti jam voces amoris ideò non perfici, quoniam tot occurrunt animæ desideria valida, quot nequeunt simul erumpere. Confundunt se potiùs, & opprimunt. Sentit amans quicquid exprimere potest; nihil ad hoc quod optat, satis est: quare dat se magis intelligi per interruptiones, more interjectionum, ab imò pectoris eructatas, vel erutas. Solet inde peti à taliter anhelantibus, quorsùm mittitur illud suspirium.

Discipulus. Da supplementum verborum istorum: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. II. 16.

Magister. Quis arenulas maris, aut pluviæ guttas dinumeret? Quis inscrutabilia scrutetur corda? Non facilius est id quod requiris. Nihilominùs aliquid accipito: *Dilectus meus mihi* intendit, *& ego illi. Dilectus meus mihi* finis omnium desideriorum meorum, & omnium cogitationum & intentionum cordis, & operationis cujuslibet, seu motionis cardo, centrum, est & axis; *& ego illi* totum quod dat reddo. *Dilectus meus mihi* deliciosus est, amorosus est, concordans est, suavis est, benignus est, jocundus est, delectabilis est, mihi omnia: quippe cum quo sum unum cor, una anima, unus spiritus. Ideò *dilectus meus mihi* unitur, *& ego illi.* Cant. II. 16. *Dilectus meus* se *mihi* dedit in pretium, in mortem, *quomodò non omnia* mihi secum *donavit?* Rom. VIII. 32.

Discipulus. Quo pacto dicitur se donare Deus, qui nusquàm abest? Qualiter est anima sibi finis desideriorum suorum, vel operationum, qui propter seipsum omnia operatus est, secundùm Sapientem? *Prov.* XVI. 4.

Magister. Docet Angelica salutatio modum donationis Dei. Salutatur enim Maria per Angelum, sic anima per Spiritus sancti aliquem instinctum, qui loquitur pacem ad conversum cor. Mandat quoque salutes, dicens animæ secreto cordis silentio. *Salus tua ego sum.* Ps. XXXIV. 3. Et illud: *Remittuntur tibi peccata tua.* Matth. IX. 2. *Vade in pace*, Marc. V. 34. Non enim datur salutatio inimicis, nec excommunicatis, nec eis quorum præsentiam horrescimus. Sic invenit apud Deum gratiam anima quæ per eum fit disposita, & organizata suo modo, calore vitali gratiæ, ad susceptionem Domini, de quo, & à quo vivit anima non minùs quàm disponitur corpus organicum per harmoniam qualitativarum dispositionum ad animæ rationalis introductionem faciendam in corpore. Tunc audit anima: *Dominus tecum*, Luc. I. 28. quia se dat ad nutum animæ ut fruatur se, & alio quolibet utatur in se, & propter se. Undè fit amoris illa reciproca donatio mirabilis, quâ *manet in charitate*, in Deo, & *Deus in eo.* Joan. IV. 16. *Dilectus meus mihi*, supple, seipsum dat, & ego illi seipsam reddo, & meipsam cum eo, cum quo jam una effecta sum. Et sicut in illa Trinitate ineffabili Pater dat Filio Spiritum, & Filius Patri reddit eundem Spiritum; sic anima datum sibi dilectum dat, & reddit seipsum sibi, qui tribuit ut sit ipse principium, & finis omnium desideriorum utriusque. Hanc dignationem amoris inæstimabilem, quia Philosophi superbi non potuerunt nec voluerunt attendere, propterea nullas tales ad Deum voces depromere conati sunt: *Dilectus meus mihi & ego illi.* Cant. II. 16. Fuerunt idcircò ab hujusmodi Epithalamio Mariæ, & Salomonis penitùs alieni,

alieni, & ad illud surdi. Quod attendens Christus exultavit in spiritu in illa hora: *Confiteor tibi* inquit, *Pater*; *Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum est ante te.* Matt. 11. 25. 26. non meritum cujuscumque; ne quis glorietur in se. Undè si tale aliquid cecinit Maria, dicens: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.*

Discipulus Quantùm intelligo, Deus se dat in dono quod informat animam & vivificat, eam reddens deiformem, & pulchram, amabilem, & desiderabilem: qui lætatur in operibus suis, maximè in filiis hominum?

Sed cur anima dicit aliquando: *Dilectus meus mihi*, ut hæc transferat, aliquando se proponens & dicens: *Ego dilecto meo?*

Magister. Dilecta fertur in dilectum secundùm vim duplicem, apprehensivam scilicet, & motivam. Vis apprehensiva, seu cognitiva, quodammodo trahit ad se, & in se suum objectum, quod est verum. Sed conversus est ordo virtutis motivæ, vel affectivæ, præsertim dilectivæ, cujus objectum est bonum, quia tendit, & extendit se ad ipsum. Causam dat Philosophus. *Verum*, inquit, *est in anima, sed bonum in rebus. Undè bonum quod est appetibile primò movet appetitum, imprimendo se per cognitionem; non enim velle possumus incognita. Appetitus verò quasi circulo quodam redire conatur in appetibile, & se sibi dare, communicare, vel imprimere.* Propterea dicitur anima, dùm dilectum cogitat, & imaginem sui format, vel speciem, quòd sibi dilectus imprimitur. Dum verò diligit, ipsa se dilecto dat, & explicat, & ad ipsum quasi foris egreditur.

Discipulus. Quid ad rem nostram?

Magister. Multùm per omnem modum. Hoc est illud mysticum verbum Christi de dilecto suo quod *ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Joan. x. 9. Hoc item aliud de Moysi, qui minavit gregem ad interiora deserti, ubi vidit Dominum in flamma rubi. Gregem intellige, totam cogitationum turbam, quæ ad interiora mentis colligitur. Est alter ordo, dùm Moyses vocatus à Domino de nube caliginis exit ad ipsum, sicut Christus, relictâ turbâ, ascendit in montem. Sic anima subintrans se, & trahens ad se sponsum per cognitionem, dici potest pascere sponsum. Sic ipsum habere in lecto pacificæ mentis, & coangustatæ, ne sit locus adultero. Exiens verò per dilectionem ad sponsum, trahitur ad sponsi palatium, thalamum, vel cubiculum.

Discipulus. Quid postremò?

Magister. Siquidem in hac conjunctione sponsi, & sponsæ, per dilectionem consurgit delectatio, dùm rursùs imprimit se dilectus in dilectam sugentem ubera consolationis suæ, dicitur hinc delectatio quasi *quædam lactatio.* Hinc est fruitio complectens universas beatitudinis partes, ut dotes, tentionem, vel apprehensionem inhæsivam pro cognitione, & dilectione pariter & delectatione. Sic fruitionem descripsit Augustinus, quòd est *Amore inhærere alicui rei propter se, in quo mens delectata quiescit.*

Discipulus. Dum rapit nos æstus amoris obliti sumus penè inquisitionem primitùs occurrentem super verbo tuo, ô Beata Beatarum. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. 48.

Magister. Regredi licet quando volueris.

Discipulus. Pulsat hæc animum quæstio, qua ratione potuit absque spiritu jactantiæ humilis ancilla Domini tam excelsum de se proferre præconium? Subit inde quæstio, quo nomine digniori Maria nominetur? An Beata, quæ cecinit: *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. 48. Subsequitur alia quæstio. Quot modis dicta sit Maria Beata?

Magister. Conabor satisfacere quæsitis his, & quidem de primo scietis, animam Mariæ magnificasse Dominum, non solùm quia magnus in se est, & magnus à creatura sua prædicatur, & colitur; sed etiam, quia magnificam reddit animam, cui *magna* facit *qui potens est.* Nunquid parùm tibi magnificata videtur Mariæ anima, quæ operationi suprà modum magnificæ fuit ausa præbere consensum, dicens ad Angelum: *Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. 1. 38. Quid est hoc, nisi, fiam Mater filii, cujus Pater est Deus? Quid excelsius, quid sublimius, vel (ut alius vult) arro-
A gantius poterit cogitari?

Discipulus. Hoc movet multos, quomodò simul & in unum conveniunt tanta humilitas: *Ecce Ancilla Domini*, cum tanta magnificentia, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*; talis abjectio cum tali gloria?

Magister. Docet nos Philosophia, si Theologia parùm est, conditiones magnifici, seu vim virtutis magnificentiæ. Magnificus utique non de honore, vel gloriâ curam habet, sed de operibus præclaris, quæ gloriâ digna sunt, & honore; colit lucem, spernit umbram. Gloria sua est (sicut dicit Apostolus *Rom.* IX. 1.) testimonium conscientiæ suæ. Non de alieno pendet judicio, cui modicum est, si judicetur *ab hominibus*, vel ab homine, *aut ab humano die.* Nam qui se *judicat Dominus est.* 1. Cor. IV. 3. 4. Fit humilis proindè in fuga gloriæ, fit magnanimus in operatione magnorum cum dignitate meritorum. Denique cùm gloriatur, in Domno gloriatur. Observat hoc magnifica nostra, & magnificanda, quæ tota in Dei gloriam refudit beatitudinis suæ famam
B *Quia fecit*, inquit, *mihi magna, qui potens est.* Luc. 1. 49. Non ergò mihi gloria, gloria sola sibi. Fuisti propterea, Virgo beata, *sicut Angelus Dei*, ut nec benedictio te moveret, nec maledictio per elationis, aut dejectionis vitium. Quæ quò magis gloriam fugiebas, eò magis te sequebatur, sicut umbra corpus. Esse bona non videri volebas.

Discipulus. Magnificus, magnorum dignus honorum, nunquid iniquos judicat eos, qui se spernunt?

Magister. Planè sic judicat, censetque puniendos, non propter se, sed propter justitiam, & alienam utilitatem. At verò longè diviniùs dat Fides cum gratia, magnificentiam cum humilitate conjungi, quàm inanis Philosophia. Dicit ex sententia: Ps. 113. 9. *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Tibi gloria, nobis autem confusio, qui servi inutiles sumus, qui nihil habemus quod à te non accepimus, tua tibi dona confitemur, & reddimus. Volumus, ut ad locum, undè exeunt flumina gratiarum revertantur, ut
C iterum fluant, te donante: sis magnificus in sanctitate, & gloria.

Discipulus. Non est quod contradicam: Dic de secunda quæstione.

Magister. Enunciasse videtur prophetico spiritu plena Verbigena nostra, quòd hoc nomen adjectivum appropriatè sibi & antonomasticè daretur per omnes generationes, velut nomen epitheton desuper sibi datum, sibi debitum, sibi placentissimum, necnon convenientissimum, jocundissimum, & appropriatum. Dignare nos laudare te, virgo sancta, ô ter, quaterque beata. *Beata* primò *quæ credidisti*, clamat Elizabeth. Beata secundò, quia *gratia plena*, secundùm Gabrielis salutationem. *Beata* tertiò, & *benedicta*, quia *benedictus fructus ventris tui.* *Beata* quartò, *quia fecit tibi magna qui potens est.* *Beata* quintò, quia Mater Domini. *Beata* sextò, quia fœcundata virginitatis honore. Beata septimò, quia *nec primam similem visa es, nec habere sequentem.*

D *Discipulus.* Numerasti numeros beatitudinis sub quadam generali laude; quid censes, si ad specialia descendamus?

Magister. Descendamus placet; sic enim plenior dabitur intellectus præconii, quo *Beata* dicitur per *omnes generationes.* Offertur animo triplex beatitudo. Una viæ per spem; altera propriè per rem; tertia quasi mediat inter spem & rem; inter viam & patriam qualem habuit manifestè Christus, quem fuisse viatorem secundùm animam, & comprehensorem secundùm

dùm spiritum, nullus ambigit Theologus. Porrò qualis sit beatitudo per Spem, & gratiam, norunt communiter fideles Christiani. Qualis præterea sit beatitudo gloriæ, *videmus nunc per speculum in ænigmate*, 1.Cor.13, 12.credentes eam esse, quam *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*. c.2.v.9. Recogitata verò duplex hæc beatitudo viam apperit ut tertia quasi media citiùs cognoscatur, quia minor est quàm gloriæ consummatæ, & major quàm solius Spei, & communis gratiæ. Nec abhorret hæc distinctio Theologica physicam considerationem, quæ ponit virtutes primas, politicas; secundas, purgatorias; tertias, purgati animi, quas Aristoteles vocat heroïcas. Hæc beatitudo quæ A purgati animi, vel heroïcalis excellentiæ dici potest, fuit in Beata nostra dùm viveret super omnem purum hominem, sicut Beata residet in patria super omnem Angelicam potestatem; hæc est *quæ à nullo vincitur illustrium* secundùm Damascenum. Et juxtà Hierarchicam Dionysii legem *continet eminenter omnem perfectionem creaturarum, tanquam inferiorum, ut jure dicatur Regina Mundi, & Domina*. Vis igitur brevi compendio Mariæ beatitudinem notam tibi fieri? Da sibi per eminentiam quicquid in creaturis videris meliùs ipsum, quàm non ipsum: etsi non formaliter, tamen eminenter; quamquam infinitè distanter à Deo. Et quoniam particeps fuit in via utriusque beatitudinis, viæ scilicet, & patriæ; ponemus aliquas de conditionibus beatitudinis æternæ, per quas gradatim veniamus ad petita, vel ad petenda.

Discipulus. Expediens judico, nec audiendi tenebit me fastidium, etiam si præcognita narraveris. B

Magister. Est beatitudo spiritûs, quæ separatur ab anima, id est, à sensuali portione. Hæc fuit in Christo viatore. Hæc in spiritibus separatis viget. Habet nihilominùs anima suam beatitudinem dum resumetur incorruptibile corpus à spiritu beato. Dicitur incorruptibile, pro tollenda calumnia quam vellent aliqui struere de resuscitatis justis tempore Passionis, quorum spiritus statim in descensu spiritus Christi in lymbum Patrum beatificati sunt, quando momordit Christus infernum, salvando spiritus istos per beatificam visionem, de qua latroni dictum est: Luc.23,43. *Hodie mecum eris in Paradiso*; qui purgandum fortassis aliquid habebat, nisi privilegium novitatis adventus Regis ipsum, sicut & alios multos, forsan & omnes, tunc à Purgatorio liberasset. Tales, inquam, spiritus beatificati, si corpus non incorruptibile susceperunt, C aut quia mortui sunt secundùm quosdam; sequitur unum mirabile, quòd tales fuerunt comprehensores in corpore mortali, sicut Christus. Sequitur etiam quòd fuerunt bis mortui, sicut Lazarus, cùm *statutum sit omnibus semel mori* Hebr.IX.27. secundùm Apostolum. Respondent, quia Apostolus non negat, quin pluries. At verò nulla sit ambiguitas de resurrectione novissima. Sunt autem tres dotes spiritus beati, sit separatus, aut conjunctus, quæ sunt fruitio, visio, & tentio. Sunt quatuor ipsius animæ sensitivæ resumpto corpore glorioso, quod plenè subditum est tàm animæ, quàm spiritui; undè reddetur clarum, impassibile, agile, subtile. Nolo tamen existimes, quòd spiritus, & anima, sunt in eodem homine modò vel tunc duæ naturæ distinctæ, vel duæ animæ, & essentiæ; licet fuerit aliquando articulus in Anglia condemnatus dicere, quòd non sunt duæ animæ in homine eodem, rationalis, & sensitiva. Prior verò sententia tenenda est, D prout Ecclesiasticis dogmatibus continetur. Dixit Christus, quòd potestatem habebat ponendi animam suam; sed quòd illa sit spiritus suus notavit Evangelista: Joan.XIX.30. *Tradidit spiritum*.

Discipulus. Pridem ità dixisti, pridem ita monuisti, expone quod ordiris.

Magister. Quia loquimur de dotibus quæ solent attribui nubentibus: Sponsus enim dotat sponsam; & nulla creatura non unita divinitati (ut excipiatur anima Christi) dignior fuit Dei sponsa nominari, Maria, uti pro sponsi & sponsæ metaphora, dum inquirimus beatæ Mariæ laudes, atque præconia, dum viatrix etiam peregrinaretur in terra.

Discipulus. Gratanter ac lætus accipio, quatenùs in his Assumptionis suæ solemniis, dum Cantica Canticorum resonat Ecclesia tanquam epithalamium suum, materia conquirendi jocundissima ministretur.

Magister. Animadverte quemadmodùm tres in Matrimonio succedunt gradus. Est enim Matrimonium initiatum, est ratum, est consummatum.

Discipulus. Scio; sed quid ob hoc texere vis?

Magister. Volo dicere, virginalem sponsam nostram, secundùm triplicem hunc statum triplicem habuisse beatitudinem. Beatam respice primo modo, dum ab instanti creationis spiritus sui initiatum est Matrimonium cum æterno sponso Deo per arram Fidei, Spei, Charitatis, & ceterarum virtutum. Beatam respice secundo modo, dum Matrimonium plenè consummatum est in assumptione corporis & animæ, cum æternitate dotum suarum. Beatam intellige tertio modo, quando Matrimonium fuit ratum in conceptione Filii Dei, & deinceps per gratiam consummatum, nec dissolvi posset per peccatum, quamvis ad cubiculi secretum primò fuit in Assumptione introducta, ubi fuit & Matrimonium consummatum.

Discipulus. Jam velut per rimulas incipio videre quò tendit iter tuæ deductionis.

Magister. Videbis apertiùs, si paucula de dotibus enumeravero, potiùs quam docuero Tres idcircò dicuntur dotes sponsæ ad cubiculum sponsi receptæ per gloriam, visio, fruitio & tentio, quæ respondent tribus Theologicis virtutibus viæ, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas; & tribus animæ viribus, rationali, concupiscibili, irascibili. Dicuntur, inquam, igitur dotes, quià sunt habitus disponentes tres istas vires secundùm mentem quæ est spiritus; immò unus tunc cum sponso spiritus, ad actus qui beatiudinem constituunt, quicquid sunt intuitiva visio, & actualis fruitio, cum æternitate. Ad quid valent, dices, istæ dotes? Sanè quatenùs sponsæ suppetet undè portet jugum suavissimum, & onus levissimum beati conjugii, ubi fit mens suo modo parens Verbi, & sacrarium Spiritus sancti. Nunquid parva videtur talis, tantique Filii educatio jugis, & æterna, qualem habet ipsa mens Verbigena, Virgo in unum Mater & Filia.

Discipulus. Convenisse credimus hæc tria simul in Maria; sed quo pacto conveniant in mente rationali non ita perspicio, vt virgo dicatur, mater, & filia.

Magister. Virgo nominatur, propter synderesim, quæ nunquàm violatur. Mater, quia parit in se verbum, rorante desuper Patre luminum, cujus est filia, cujus Filio nuptialiter conjuncta est. Quidni tunc psallet, & exultet Mariæ spiritus in Deo salutari suo, laudans, & psallens, & jubilans pleno, totoque cordis affectu hoc Canticorum Canticum amoris per amorem, Canticum nuptiale quod dicitur epithalamium. Canticum novum propter illum qui nova fecit omnia. Tenor hujus cantici consistit in essentiali beatitudine visionis, dilectionis, & fruitionis Dei, quæ semper uno, & invariabili tenore subsistit, & resonat. Porrò respectus creaturarum tàm in verbo, quàm in proprio genere movet ad Canticum multiplici varietate decorum tanquàm pro discantu. Neque dubitaveris omnes & singulas in unum concurrere mentalis spiritus affectiones. Formabitur enim melodia spiritus ad exemplar harmoniæ, sive melodiæ divinalis, quæ stabilis semper in se manens fastidire non potest, tanquàm assiduè renovetur. Habes ecce veritatem conclusionis unius, quam tu tibi declarari quandoque postulabas; si Maria in hoc Cantico se in omnes perfundebat affectus, vel animæ passiones.

Discipulus. Habeo fortè pro statu gloriæ, quamvis ambiguum videatur, si sint in spiritibus Beatorum omnes affectus, tot & tales, quot & quales sentimus in via; immò non est dubium de dolore. *Non* enim

enim *erit ampliùs ibi luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor.* Apoc. xxi. 4.

Magister. De hoc statim videbimus. Tu colligas, & intelligas intereà quale fuerit Canticum beatæ Virginis, quot vocibus alternatum, dùm jam adepta fuerat beatitudinem illam quæ dicta est superior ad beatitudinem solius viæ proxima, & vicina beatitudini patriæ. Quid si viatores aliqui exercitatos pro consuetudine sensus mentis habentes possint cum omni promptitudine voces affectuum secundùm notulas quinque vocalium sparsas per syllabas psalmorum unam quamque concinere, vel formare.

Discipulus. Concludit intelligentia tua, quàm rationabilis sit conclusio, quæ non ita recipienda est, quasi vox quælibet affectionis retineat sonum integrum; franguntur enim quadam allisione non aliter quàm in compositione dictionum videmus. Non enim hæc dictio *Magnificat* plenè sonat istas literas *M a g n i f i c a t*; sed in unum colliguntur quasi tertium mixtum sonum. Usus est Philosophus hoc exemplo, dum de mixtione tali loqueretur elementorum, quòd manent quidem in mixto, sed refracta; vel secundùm essentiam, ut placet Avicennæ, vel ut Averrois, secundùm proprias qualitates.

Magister. Exemplum placet quod inquisitionem Philosophicam præsupponit. Exemplum aliud video de multis aromatibus simul tritis, ex quibus odor tertius mixtus resultat quandoque plus redolens aroma prædominans. Coaptetur exclamatio Canticorum; III. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris;* & sequitur, *& universi pulveris pigmentarii?* Exemplum aliud est in re nostra; licèt enim pueri distinctè priùs sonent *Ut, Re, Mi, Fa*; postmodùm jungunt literam paulatim cum vocibus istis; tandem usu continuò cantant sine vocibus notularum, quod tandem exemplum in contrapuncto, deindè in discantu plus apparet, undè valeamus ad musicam cordis transferre rationem, ubi celeritas major est, atque facilior sonoritas affectionum spiritualium, quàm sit exterior vocalium.

Discipulus. Das praxim utendi gamma mystico Canticorum cordis. Undè palam fit, non esse sistendum jugiter in his quinque vocalibus, A. E. I. O. U. Sed nec in singulis deliberatè pausandum est affectibus; alioquin phantasia plus tædio læderetur, quàm intelligentiæ recreatio proveniret: cujus rationem sensualis nos quotidiè docet cantus. Sed manet dubitatio mota de Beatis Deo jubilantibus, apud quos sola vox lætitiæ, & nulla spei, nulla compassionis, nulla timoris, nulla denique doloris resonare videtur. Et hæc dubitatio verti potest ad beatitudinem Mariæ Virginis pro statu viæ proxima statui patriæ, quando non habebat peccata quæ doleret, quando conformis erat sua in omnibus voluntas providentiæ Dei quæ in sui dispositione non fallitur.

Magister. Habebit hoc ultimum de conformitate voluntatis locum proprium. Ceterùm de affectibus beatificati spiritus edoceri poteris per similitudinem determinationis abundanter traditæ per Doctores de Virtutibus Moralibus, & Theologicis, & de Donis, Beatitudinibus, & Fructibus, si manent in patria. Quorum finalis est resolutio, quòd in quolibet bono habitu reperitur aliquid quod dicit perfectionem; sed in pluribus conjunctum est aliquid pro statu viæ imperfectionem notans, vel indigentiam. Fides dicit innitentiam primæ veritati; Spes divinæ liberalitati; Charitas divinæ bonitati; & horum quodlibet bonum est perficiens spiritum. Sed ad imperfectionem respice. Fides importat ænigma, Spes cum ænigmate futuram fruitionem, Charitas verò non adeò, quamvis hìc non consequatur intuitivam visionem. Pœnitentia dicit detestationem peccatorum. Timor fugam separationis à Deo. Compassio seu misericordia promptitudinem auxiliandi, zelus amorem justi. Et ita per omnia reperies aliqua de se bona, si conjunctos defectus abstuleris, ut à pœnitentia peccatum commissum; à timore periculum cadendi; à compassione miseriam, cui nunc oporteat subveniri. Dic ita de singulis affectionibus beatorum spirituum, quas Theologia vocat extenso
A nomine *passiones*, quæ non sunt in spiritu rationali, maximè separato, secundùm realem mutationem, quemadmodùm Philosophi strictè loquuntur de passionibus sensitivæ animæ. Affectio autem spiritum immutans intentionalis est, sicut gaudium & desiderium de Deo; odium vel displicentia de peccato; resilitio in Deum, & ab inferno; affectus succurrendi alieno incommodo.

Discipulus. Etsi magna pars quæstionis soluta cernatur per exemplum de virtutibus; tamen descriptio beatitudinis affert scrupulum, quoniam *Beatus est qui habet quicquid vult*, secundùm Antiquos, & Augustinum, qui addit, *nihil mali vult.* Beatus dicitur quasi *benè actus, cui omnia optata succedunt*, secundùm Cassiodorum.

Magister. Conclude primò per etymologiam *Beati* contrà Stoïcos, quòd virtutes non sunt insensibilitates; quià dicitur *Beatus* quasi *benè actus;* ergò benè motus; ergò non insensibilis. Et hæc certè
B concedunt de affectionibus intrinsecis rationis; sed sensuales omninò detrahunt à sapiente, quasi saxeos virtus efficiat. Porrò non est de ratione beatitudinis, quòd beatus statim habeat quicquid vult optandum, maximè circà alterum; sed absoluta beati voluntas, sicut semper conformis est divinæ voluntati, sic semper impletur. Et hujus declaratio proprium locum habet.

Superest distinguere de spiritibus affectionum receptivis. Aliqui sunt impassibiles effecti, & hoc contra passibilitatem læsivam, vel corruptivam, vel abjectivam perfectionis debitæ, ut in cœlo: quoniam nihil impedit, immò confert esse passibiles passione perfectiva, sicut dilectio Dei, suaque fruitio. Nonne cœlum impassibile dicitur primo modo, quòd lumine solis cernitur mutari. Alius est spiritus rationalis, atque receptivus læsivæ passionis, etiam ut spiritus est, & hoc quotidianum est nobis viatoribus, velimus, nolimus. Et de damna-
C tis spiritibus Fides credit; sed modus alio loco dicendus est. Et tertia vel fuit in nonnullis spiritibus proprietas, quæ dedit eis posse non pati passione læsiva, vel disconvenienti, qualis fuit pro statu naturæ institutæ, & qualiter erat in anima Christi, nisi spontè passiones suscepisset. Videsne igitur, quòd primus spiritus per passiones non læditur qualescumque; nec si poneretur in stagno sulphuris ardentis. Gaudet assiduè, nec gaudium minuunt aliæ conjunctæ affectiones, sicut compassio deficientium, detestatio peccati, resilitio reverentialis in propriam parvitatem, quæ timoris species est; odium denique vitiorum, quod est zelus bonus; & ità de reliquis in perfectione semota. Tertius spiritus suo modo carebat læsivis passionibus in primo parente, & nunc fortè sic in Enoch & Elia. Sed an Beatæ nostræ talis fuerit exultatio spiritus in Deo salutari suo, non arbitror asserendum, quin doluerit tàm anima, quàm spiritu; non enim glorificatus fuit spiritus suus sicut spiritus Christi; nec vo-
D luntate sola passionibus læsivis subjacebat. *Tuam* inquit Simeon, *ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. II. 35.

Discipulus. Nonne fuit immunis ab omni peccato nostra Beata, & si sic, cur passa est? Quià quicquid patimur, peccata nostra meruerunt. Eva denique fuisset ante lapsum ipsa Maria perfectior, quia tunc poterat nihil pati.

Magister. Notata est alibi responsio, quòd in Maria fuit necessitas originale peccatum contrahendi, secundùm causas inferiores, secundùm legem propagationis ex conjunctione viri cum femina. Lex

enim superior præjudicavit huic necessitati, præveniendo casum per sanctificationem, & gratiam. Sic dicit in alio casu sanctus Thomas de occurentibus tempore judicii obviam Christo in aëra; quòd *si non moriantur, hoc non est secundùm causas inferiores, quibus habebant necessitatem moriendi. Nec est contra Apostolum dicentem*: Hebr. IX. 27. Statutum est hominibus semel mori, *deindè* judicium; *quia privilegium Superioris hoc suspendit*. Non secùs est in proposito de Maria à necessitate contrahendi originale peccatum præventa, & privilegiata, & excellentissimè sic redempta; qualiter redimi non egebat Jesus Christus, quià per carnalem concubitum non formatus. Dolores idcircò pertulit Maria; non omninò spontè, sicut Filius; sed nec penitùs involuntariè, sicut nos, in quibus motus vitiosi præveniunt judicium rationis, quos ratio præveniebat in Maria; alioquin venialia saltem commisisset. Nihilominùs dolebat propter spiritum passibilem, & statum, cum omni tamen moderatione, & virtute, & merito continuo. Complebat insuper illud Apostolicum: *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*. Philip. IV. 4. Sciebat, quòd Dominus sibi proximus erat & fuerat super ceteros viatores; quod notavit cùm subjunxit pro causa exultationis sui spiritus: *in Deo salutari*; *Quia respexit* (inquit) *humilitatem ancillæ suæ*. Luc. I. 48. Juxtà promissum per Isaïam: Isa. LXVI. 2. *Super quem respiciam nisi super pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos*. quamvis certa esset non minùs Apostolo, quòd *neque mors, neque vita*, &c. Rom. VIII. 35. separaret & *a charitate Dei, quæ erat in Christo Jesu* salutari suo. Et ideò continuò gaudebat plus quàm in sola spe; sed minùs quàm in re gloriæ. Ecce habes in hac dictione beatam E. pro Spe; habes A. pro lætitia; jam suprà Spem auditur tertium A. dum venit in gloriam. Huc pro Canticis accedit incidens consideratio nominis hujus *beatitudo*, quod quinque vocales quinque significantias affectuum in se claudit. Ceterùm quià dixisti, omne quod patimur, peccata meruisse; verum est propter originale peccatum, quod removit prohibens læsivas passiones cum peccatis. Nostra denique Beata semper habuit gratiam gratum facientem, quæ originali supereminet justitiæ, qua primitùs ornata fuit Eva, sed perdidit.

Discipulus. Accepisse puto sufficientem pro elicita priùs conclusione deductionem de Cantico Mariæ, secundùm omnes affectiones, sub omni facilitate formatas per organum cordis, ubi fulgebat mentis verbum, sententiosissima numerositate repræsentans innumerabiles rationes rerum instar patriæ, licet adhuc in ænigmate viæ. At verò putas-ne credendum, quod vocale Canticum addiderit nonnunquàm hæc verba.

Magister. Sanè puto, maximè in ista peregrinatione laboriosissima, comitibus Jesu puero, & virginali sponso Joseph, ut adimpleret ad litteram illud: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ*. Psal. CXVIII. 54. Cur præterea non cecinerit, corporalem recreando laborem, nunc Psalmos Patris sui David; nunc Canticum proprium; nunc illud Zachariæ; nunc Simeonis, alludens sponso blandienti, & dicenti; *Sonet vox tua in auribus meis*; *vox enim tua dulcis*. Cant. II. 14. Nunquid existimas, Beatam nostram in jocundissimo partu, & post partum, dum natus erat Salvator mundi, concinentibus Angelis: Luc. II. 14. *Gloria in altissimis Deo*, siluisse? nunquid non infanti posito in præsepio, & flenti debuit & consolatorium fescennium, dulci susurro velut auræ tenuis resonare? Quid verò de celebri ritu propriarum nuptiarum conjecturas, quæ nuptiis alienis interfuit hilariter honorandis, & vino de aqua facto gratuita pietate solandis? Quid in Templo nutrita, & de Canticis Sion edocta, debuit, quæso, silere?

Discipulus. Grata commemoras, quæ non abhorrent à pia credulitate, etiamsi addideris justum Joseph cum puero Jesu nonnunquàm unà cecinisse. Sed hæc hactenùs; quæ seculi prudentibus in oculis suis (quibus omne quod putant sublime videre) nugæ videbuntur aniles, & indignæ; quasi non multò amplior fuerit humiliationis, vel crucis mysterium, vel lotio pedum; immò generaliter omnis actio novissimi virorum, quià factus est propter nos *opprobrium hominum, & abjectio plebis*, Ps. XXI. 7. quàm sint ista quæ dicimus de Maria.

Magister. Das materiam dissolutionis priùs factæ quæstionis tuæ, cur erumpens in Canticum novum dixerit Beata: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. I. 46. Sanè quid magnificentius eo, cujus *magnificentia elevata est super cœlos?* Ps. VIII. 2. Quidni talem magnificaret, hoc est, magnificum prædicaret? Quidni toto nisu dilataret, & extenderet animæ sinum de ejus amplexum? Quidni præterea crebriùs alternaret affectus suos secundùm notulas vocalium, modò de lætitia in compassionem, sentiens quòd *miserationes* Dei sunt *super omnia opera ejus?* Ps. CXLIV. 9. Præcipuè nunc, quando *misericordia Domini plena* fuit *terra*; Ps. CXVIII. 54. quando completa est postulatio Psalmistæ: *Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundùm eloquium tuum*, Ps. CXVIII. 41. quando *misecordia & veritas obviaverunt sibi*; quando *justitia & pax osculatæ sunt*; Ps. LXXXIV. 11. quando Deus dedit benignitatem, & terra nostra dedit *fructum suum*; ℣. 13. quando timidus, dolens & languidus homo per sapientiam accusatus, per justitiam donatus, & punitus per potentiam, susceptus ad gratiam *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*, Luc. I. 78. glorificationis æternæ spem afferens, quando soluta mors deperit, datur triumphus gratiæ.

Discipulus. Conjicio, tales inenarrabiliter contemplationes Beatam nostram sub omni celeritate, in *momento*, in *ictu oculi*, in *novissima turba*, I. Cor. XV. 52. contulisse, & in affectum suavissimi cordis traducendo cantasse, juxtà & suprà, per mixtionem notularum, ut fit in verbulis, seu minutis discantuum. Intonans igitur voce serena personuit post Elizabeth præconium, immò exclamavit voce grandi ad aures seculorum omnium: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. I. 46.

Tale tuum carmen nobis, divina Maria,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum.
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

Sed redit ad cor, cur non dixit Maria: *Magnificat anima mea Deum?*

Magister. Altiori repetamus principio, dicentes, Mariæ linguam fuisse calamum scribæ velociter scribentis, hoc est, Spiritus sancti, qui nedum velociter, sed multipliciter scribit, adeo quòd non est jota unum positum sine causa; non est apex unus tam in significatione, quàm in ordine frustrà locatus. Ex quo perpenditur, quàm lata, & lauta sit mensa Sapientiæ sacræ, quæ tot epulas & fercula ministrat, quot possunt à quocumque veri & salubres sensus elici, secundùm quadruplicis expositionis genus. Prævidens igitur Spiritus sanctus seminarium quinque vocalium non esse prætereundum à posteris; sed indè significationes alias, modo quo nunc fecimus, & facturi sunt alii subtiliùs eliciendas; voluit primum Cantici Canticorum Mariæ versiculum terminari sub hoc nomine trisyllabo *Dominum*, tanquàm neuma proprium, O. I. U.

Discipulus. Mirum verò cur Canticum summæ lætitiæ finivit in voce doloris, & mæstitiæ, qualem U. quinta notularum designat.

Magister. Triplex occurrit hîc, & nunc mystica ratio. Primò: quatenùs ex prima vocali A. & ultima U. redderetur quasi diapente, quæ est quinta perfecta. Altera: quatenùs fieret antitheton, seu contrapositio gaudii ad mœrorem. Tertia: pro laude humilitatis, quæ Cantica viæ solet in dolore terminare, quasi diceret: *Quomodò cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* Ps. CXXXVI. 4. Fit proindè gravior, solidior, & eminentior ipsa salubris lætitia, quæ tali fine stabilitur

tur, interrogatione humanæ miseriæ, sed non absque misericordia, quam. I. junctum sibi notat.

Discipulus. Non dilataveris nunc hanc imaginationem, sed te confer magis ad causam litteralem.

Magister. Ista quidem litteralis est, quià secundùm litteras. Sed ad intentionem tuam dico, quod *initium sapientiæ est timor Domini.* Ps. cx. 10. *Si ego Dominus*, ait ipse, Malach. 1. 6. *ubi est timor meus?* Timor, ut scis, ad antiquam Legem spectabat, sicut ad novam amor. Dominus prætereà plus respicit opus creationis, & potentiæ, undè ab omnibus magnificandus esse conceditur Dominus. Nomen verò, quod est *Deus salutaris meus* ad opus recreationis, & gratiæ nemo Christianus ambigit pertinere. Ideò cur debuerit subsequi vides.

Discipulus. Nisi priùs ostendisses quemadmodùm Beata nostra particeps *juvencularum tympanistriarum*, potuit alternare repentè proprias meditationes, & affectus, non ita satisfacerent mihi responsiones tuæ; quia talem nequeo consequi celeritatem.

Magister. Dat causam qui ait: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem.* Sap. ix. 15. Nostræ verò Beatæ conversatio jam erat in cœlis, jam quoque dotes corporis glorificati inchoabat ex abundantia virtutum, nec non dominii spiritus super animam & corpus, ut esset indè corpus agile, secundùm omnes vires cognitivas, & motivas subtile: prætereà clarum, nec ità passibile ut nostrum quod prævenitur à primis motibus; sed tamen ista minùs quàm nunc in patria.

Discipulus. Des aliquod indicium corporis Mariæ, spiritum non prægravantis.

Magister. Præveniebat spiritus suus corporales intùs motus qui nati sunt obsequi rationi. Non gravabat eam puerperium; nulla labes tyrannicæ rebellionis ex fomite colaphizabat eam; denique nullas in se commotiones illecebrosæ carnis sensit, sed à respicientibus se sedavit: credi similiter debet ab audientibus serenissimam vocem ejus. Secùs de aliarum vocibus, quæ ad gehennam inflammant: ideò nec prædicare permittuntur, nec cantus apud eos caret discrimine plusquàm sibilus colubri, vel serpentis, quarum sunt oculi ut aspectus reguli, & tactus germina virtutum eradicans, & exurens.

Discipulus. Sentio quos & quas tangit illud; secùs & ista diversitas à Maria. Sed utrùm caruerit tentationibus inimici?

Magister. Non oportet, quià satan si ausus est tentare Filium Dei, quomodò non tentasset Matrem? quod ei cessit ad palmam victoriæ multiplicis & aureolæ, ut coronaretur quæ legitimè certasset, quià non ut Eva succubuit tentatori. Dolebat prætereà cum dolentibus, gaudens cum gaudentibus; sed utrumque moderamine summo, ut plus de vulneribus, & nexibus animarum per vitium, quàm corporum per pestem & gladium ureretur, exemplo Filii plùs dolentis ingratitudinem nostræ nequitiæ, quàm tormentum mortis propriæ suo modo. Quare noli dubitare, quià Canticum suum jocundissimum, & à jocunditate incœptum instituerit Maria cum timore sancto, cum zelo bono, cum viscerosa compassione, cum spe & multo desiderio, quam urgebat charitas exclamare post Ascensionem Filii sui: *Filiæ Jerusalem*, nunciate dilecto, *quia amore langueo.* Cant. v. 8.

Discipulus. Vellem comparares beatitudinem Mariæ, qua nunc fruitur, ad beatitudinem viæ; quæ licet fuisset probata singularis, nihilominùs patriæ par non fuit. Cùm enim prætulisset Jesus Joannem *inter natos mulierum*; subjunxit: *Qui minor est in regno cœlorum, major est illo.* Matth. xi. 11. Itaque rem mihi feceris Festisque suis accommodam, quæ recolimus.

Magister. Suscipe nunc oculis intelligentiæ, & aures erige Fidei, quemadmodùm magnificavit hodiè Maria Dominum, videns facie ad faciem Christum, qui sibi magna fecit, & inscrutabilia, priùs in terris, nunc in cœlis.

Discipulus. Constituit ipsa sola Hierarchiam secundam sub Deo trino, & uno Hierarcha primo, & summo; apud quem Hierarcham humanitas Filii sui sola sublimata, sedet à dextris virtutis Dei per unitatem suppositi.

Magister. Suscepit ipsam Dominus recordatus misericordiæ Dei, collocans ipsam super omnes choros Angelorum, apud quos videtur beatus Joannes Baptista primus post Mariam positus in Ordine Seraphin, loco Luciferi; simul & alii, pro qualitate meritorum usque ad infimum Ordinem Angelorum, sub quo repositos dicunt salvatos ex solo Christi merito, deficiente proprio, qui secundam Hierarchiam constituunt.

Magnificata est ita hodiè beata Virgo, ut Regina cœli, immò & Mundi jure vocetur, habens præeminentiam, & virtutem influxivam super omnes. Principatum habet dimidii regni Dei, si sic dici potest, sub typo Esther, & Assueri. Regnum quippe Dei consistit in potestate, & misericordia. *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Ps. lxi. 12. Potestate Domino remanente, cessit quodammodò misericordiæ pars Christi Matri, sponsæque regnanti. Hinc ab Eccesia tota *Regina misericordiæ* salutatur. Magnificat hodiè Dominum, quià magnificata præ omnibus diebus vitæ suæ, plenum gratiæ complementum hodiè secura recepit: nulla dies ipsi festivior, nulla desiderabilior jocunditate refulsit. Feliciùs parit hodiè gloriosa Filium in corde, quàm viatrix in corpore genuerat; immò *jam non meminit pressuræ*, Joan. xvi. 21. *quia natus est homo in mundum* alterum, & in sinum Patris collocatus.

O quantis hodiè, ô qualibus harmoniæ modulis adaucta cœlestis melodiæ cantilena resultat. Nulla post Christum vox suavior, nulla penetrabilior, & acutior, nulla liquidior exauditur. Consonat ei pro tenore gravissimè presso gravissimus, & infimus peccatorum Lucifer, cum simul ululantibus, & stridentibus damnatorum rugitibus. Consonant, inquàm, quia justitiæ voces consentaneas molli modo cantui melodizant, sed eis væ, væ; Deo autem gloria & magnificentia, in sæcula sæculorum. Exultavit spiritus inhians priùs in Deo salutari suo; nunc impleto funditùs hiatu desiderii, requiescit in intimo sinu sponsi dilecti Dei salutaris sui. Priùs anxia deprecabatur: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. 1. Priùs ubera sponsi sitiebat, priùs trahi se post se postulabat. Hodiè toto amplexu nunquàm abrumpendo, toti sponso Beata conjungitur. Inebriatur ab ubertate uberum sponsi, & torrente voluptatis, nulla jam necessitate trahenda potatur. Trahat nos post se, deprecamur, cujus *Nomen oleum effusum, ut curramus in odore unguentorum* suorum. Currant in via quædam adolescentulæ, scilicet virtutes, & actiones portionis inferioris: ita per metaphoram nominaverimus. Gaudet omnes per virtutes esse fœcundas; fœcundet enim in fœcunditatem meritis ejus vir noster, dux virginitatis nostræ, quæ est superior portio mentis nostræ. Gloriabatur se introductam in cellaria Regis, quasi sub clave custodita, cui modò omnia patent secreta Regis cœlestis. Stillet nobis de promptuariis Paradisi plenissimis refrigerans poculum adversùs æstum vitiorum. Nulla jam sibi nigredo, vel fuscedo; nulla per solis exustionem decoloratio; nulla jam pugna filiorum Matris suæ contrà se; nulla vinearum habenda custodia; omnia quippe pacata; omnia secura sunt, & tranquilla. Tu Beata, dilectum tuum optabunda petebas: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas; ubi cubes in meridie, ne vagari*, id est, vanè agi *incipiam, post greges sodalium tuorum.* Cant. 1. 6. Cernis nunc dilectum nimia claritate, simul & fervore, per intimam & meridianam visionem, ut nullus sit ampliùs evagandi

gandi timor, nullum discrimen oberrandi post greges fictorum pastorum, qui sponsi se simulabant amicos, sed fallebant. Non jam audies quasi sub ambiguitate sermonis: *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum*, quæ Deum, quæ te, quæ omnia cognoscis; procul hinc, procul egredi periculum, *post vestigia gregum* Cant. I. 7. nulli supererunt hœdi fœdorum affectuum pascendi; nulla pastorum tabernacula plura videbuntur; quoniam tibi est *unum ovile, & unus pastor*, Joan. x. 16. omni divisionis suspicione rejecta, quando scandens ad æthera potestates aëreas debellasti, nihil adversum te malignantes spiritus posse sentientes. Admirari potius oportebat, dæmones, & pavescere, quasi quærentes inter se: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, quasi aurora consurgens*, Cant. III. 6. quæ nobis est umbra mortis, *& terribilis ut castrorum acies ordinata*. c. VI. 3.

Non est quidem incredibile, Christum fuisse, cujus *currus* erat *decem millibus multiplex* Ps. LXVII. 18. per Angelos, ducens secum multam ex Purgatorio captivitatem, ob honorem novæ coronationis ipsius quæ Regina misericordiæ, & Domina gratiæ, & Mater misericordiæ, sub cujus imperio sunt omnia Jura Regnorum *ut in* suo *nomine flectatur omne genu cælestium, terrestrium & infernorum*, Phil. II. 10. quamvis aliter ad Filium benedictum, qui tamen subditus dignatus est esse illi. Causam meditor alteram, cur Maria comparatur *equitatui Dei in curribus Pharaonis?* Cant. I. 8. Jam non propter se, sed propter nos viatores, quos à diabolico Pharaonis defendit incursu.

Confugiamus ad ejus opem, quoniam submergit Pharaonem istum Regem super omnes filios superbiæ, & hoc cum curribus, & equitibus amarissimæ pœnitentiæ lachrymosæ: O quotiens dispersis superbis *mente cordis sui, deposuit potentes* affectus *de sede* tyrannidis, *& exaltavit humiles* pœnitentes, eos *esurientes* implens *bonis*, Luc. I. 53. quales invitat dicens: *Et a generationibus meis implemini*. Eccli. XXIV. 26.

Discipulus. Quo pacto Mariæ tribuis id quod esse proprium Dei confessa est? *Fecit*, inquit, *potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*. Luc. I. 49.

Magister. Cùm sponsus, & sponsa spiritales sint unus spiritus, cur non eadem poterit esse vox amborum, quamvis dispariter; hæc impetrando, iste imperando, fecit potentiam. Quidni sponsus communicet sponsæ verba sua quæ sibi tribuit ubera sua. Fatemur, quòd non potest operari creatura non innitendo primæ causæ potentiæ. Quare nec omnipotens, nec creatrix unquàm propria & primaria auctoritate dici potest, etiam ubi possit tanquàm instrumentum ad effectum creationis assumi, nullo præsupposito materiali principio, cooperante Deo, ad efficax suum velle.

Discipulus. Expedis te faciliter de controversia Doctorum: Si habuerit omnium potentiam anima Christi, sicut omnium scientiam; & si creatio communicabilis sit creaturæ: sed quid sibi vult hæc additio, *in brachio suo?*

Magister. Usitata est transsumptio, qua per *brachium* significatur vis operativa, sit in Deo, sit in Angelis membris carentibus corporeis. Verum altior est perscrutatio, ut per *brachium* Filius Dei insinuetur, sicut per *digitum* Spiritus sanctus, ut ibi: *Si in digito Dei ejicio dæmonia*. Luc. XI. 20. Operari quippe dicitur Pater per Filium, per quem *omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Joan. I. 3.

Discipulus. Nunquid si Deus non esset trinus in personis relativè constitutis, sed esset unicum suppositum absolutum secundùm errorem Judæorum, & Philosophorum, haberet potentiam creaturarum ad extra productivam?

Magister. Dici solet, quòd ad impossibile sequitur quodlibet: cùm ergo Deus propter immensitatem suam, & infinitam communicabilitatem de necessitate fluat (ut ita dicamus) in triplicem subsistentiam personalem relativam ad intrà; alioquin non se perfectè communicaret; quia nimirùm non communicaret se nisi velut umbraticè, vel umbratiliter, & quasi punctualiter in creaturis, prima communicatione non posita, cujus vestigium reperitur de necessitate in quolibet opere divino, ubi relucet potentia Patris, sapientia Filii, amor Spiritus sancti: nihilominus magis ad intentionem quærentis puto respondendum, quòd cum potentia Dei, prout ad extra respicit, & operando se extendit, est eadem in qualibet personarum, & secundùm istam opera Trinitatis sunt omninò indivisa; videtur ex suppositione, quamvis impossibili, sequi potiùs ex illationis consideratione, quòd Dei potentiæ competeret creaturarum productio sicut modò, in quibus relucet simul potentia, sapientia, & bonitas Creatoris.

A

Discipulus. Videtur probabilis illatio. Sed cur dictura Virgo beata *dispersit superbos mente cordis sui*, præmisit: *Fecit potentiam in brachio suo*, Luc. I. 15. tanquam dispergere superbos, esset omnipotentiæ Dei proprium.

Magister. Credo, legerat apud Job Dominum dicentem: *Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia*. Job. XL. 6. Sequitur. *Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua*; quasi significaret, hoc esse proprium solius Dei.

Discipulus. Cur Maria non contenta dicere, *dispersit superbos*, addit, *mente cordis sui?*

B

Magister. Sunt qui referunt hanc additionem non ad *superbos*, sed ad *dispersit*, ut mens cordis sui sit ipse Deus dispergens, connotando morem humanum, qui mente recogitat ex affectu cordis, dum hostes perdere, eos deponendo à sede pestilentiæ, *humiles* vult exaltare depressos. Dat enim frequenter Scriptura cor Deo, ut ille: *Tactus dolore cordis intrinsecùs*. Gen. VI. 6. Et alibi de David: *Inveni virum secundùm cor meum*. Act. XIII. 22. Et Filius dicitur de corde Patris genitus, cum Patri mens, seu memoria fœcunda tribuitur ab exponentibus mysterium sublimissimæ Trinitatis. Sunt aliqui respondentes, Mariam voluisse vehementem exprimere superbiam, & intrinsecùs radicatam, dicendo istos non qualicumque modo, nec leviter superbos, *sed mente cordis sui*, qualis est dæmonum superbia, qualis fuit hominum divinitatis honorem usurpare quærentium. Aut certè superbi dicuntur habere cor nedum dispersum, sed mentem cordis, dum mens ipsa quodammodò sublevata est à corde, nec eadem uti fas est eis, ut in habentibus absorptum, vel ablatum judicium; proptereà deteriùs quàm bestiæ, vel pecora, pressi jacent. Lege si non taliter dispersos dat intelligere Nabuchodonosor, cui cor feræ datum est, humano corde mutato. Quo contrà dum cor humilium benè contritum est, aut pulverizatum in mortariolo pœnitentiæ, seu sub duplici mola timoris, & Spei, redditur sibi cor plus quàm humanum, & fit vas in honorem capax Dei, seu gratiâ plenum. Superbi fiunt *tanquam columba seducta, non habens cor*, Ozee. VII. I. dicentes ex sententia: *Et cor meum dereliquit me*. Et illud: *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. Ps. XXXVII. II. Quo contra pollicetur humilis Christus superbiæ victori: *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego sedi in throno Patris mei*. Apoc. III. 21. Quid oro, celsius, quid ampliùs exaltatum?

C

D

Discipulus. Sentio hanc materiam uberrimam aperuisti ad loquendum de dispersione cordis, quam assiduis fluctuationibus, ut in mari ferventi compellimur experiri. Sed hanc dispersionem Israël mystici quis congregabit, quis uniet, quis sedabit?

Magister. Dedit hoc intelligi palam beata Maria cantatrix nostra; nam superbiam *mente cordis sui dispersit*, si talium opulentia sit inanis, & vacua: quæ sine

sine pondere virtutis raptatur per inania, nec gratiâ cor suum stabilitur; consequens, ut humilitas innitens Deo, fixa sedeat, & ut justitiam esuriens, justitiæ fructibus sit satiata, & repleta, jam non ad instar arundinis vento quolibet vanitatis agitanda.

Discipulus. Consequens est, fateor.

Magister. Talem denique suscipit, id est, sursùm ad se capit tanquàm puerum, qui *verè Israëlita est, in quo dolus non est*, Joan. I. 47. Dominus, recordatus misericordiæ suæ. *Beatus* ergò *vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus*, Ps. XXXI. I. *humilem* enim *spiritu suscipiet gloria.* Prov. XXIX. 23. Nec exemplum nobis longè quærendum est: Ecce ancilla Domini, cujus Dominus humilitatem respexit, quam ideò *beatam dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est*, cujus nomen sanctum, cujus *misericordia in generatione & generationes timentibus eum*, Luc. I. 48. 49. 50. qui ut timerent, & prævenit, & dedit. Hodiè sibi Mariam de sæculo nequam eripuit, & extulit ad dexteram suam. Ita verificatam conspicimus Psalmistæ gloriationem. *Quia*, inquit, *inflammatum est cor meum.* Ps. LXXII. 21. Quo inflammatum? si non igne quem misit Filius suus in terram, & voluit vehementer accendi. *Et renes mei commutati sunt*, mirabili prorsùs commutatione, ut absque viri copula funderent operatione Spiritus sancti prolem benedictam. *Et ego ad nihilum redactus sum*, scilicet propria reputatione, *& nescivi.* ℣. 21. Quare? Quia *anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab*, Cant. VI. 11. qui *spontaneus* interpretatur.

Discipulus. Quæ sunt hæ quadrigæ?

Magister. Sunt vel nunciationes Angelicæ, vel raptus anagogici, hoc est, sursùm ductivi, in divinam caliginem, vel *pennæ columbæ deargentatæ.* Ps. LXVII. 14. Quibus sæpè assumptis *diluculo* habitavit *in extremis maris* Ps. CXXXVIII. 9. ad atria gloriæ cœlestis, etiam dùm viveret. *Beatus* igitur Mariæ spiritus, *quem elegisti*, Christe, *& assumpsisti.* Ps. LXIV. 5. Sequitur: Ps. LXXII. 23. 24. 25. 25. *Ut jumentum factus sum apud te.* Deus enim sessor est animæ sanctæ, secundùm Augustinum. *Et ego semper tecum*, quia Deus singulariter fuit secum. *Tenuisti manum dexteram meam*, quæ spiritualibus adaptatur, *& in voluntate tua deduxisti me*, non temeritate elatam præcipitasti me. Quid tandem? Ecce consummatio, *& cum gloria suscepisti*, id est, sursùm ad te sumpsisti. Scio jam *quid mihi* sit *in cœlo*, scio *quid à te volui super terram.* Nunc omninò *defecit* à se *cor meum & caro mea*, dùm absorptum est omne quod mortale erat in victoria. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Propter quod *Magnificat anima mea Dominum.* Et nos magnificemus Deum, cujus illustratione Spiritus intelligamus quæ supersunt de Cantico, dum interim pausabimus.

A

TRACTATUS
QUINTUS
PER
DIDRAMA
SEU
DIALOGUM.

Quoniam fecit Dominus Mariæ magna qui potens est.

Ubi prima partitio.

Si Maria passibiliter movebatur.

Per Notulas septuaginta:

PRIMA NOTULA.

B QUIA *fecit mihi magna qui potens est.* Luc. I. 49.

Discipulus. Magna planè, & inscrutabilia quæ fecit Mariæ Dominus. Cupimus nihilominùs scrutari, si magnificans anima Mariæ Dominum, passionaliter movebatur ad eum: fuit enim absque ulla dubitatione sapientissima, atque virtuosissima. Passiones verò non cadunt in sapientem, secundùm Stoïcos, quorum in hoc doctrinam multi Christiani, præsertim Anagogici, Anachoretæ secuti sunt, dicentes, virtuosum, si perfectus est, ad nihil passionabiliter affici; immò consequitur impassionabilitatem circa res corporeas, tam in concupiscibili, quàm in irascibili, & ad hunc finem suas dirigebant intentiones. Et hoc ipsum Collationes Patrum, & Climacus, & Bernardus, *in scala triginta graduum* manifestant. Sed in contrarium est textus Evangelii narrans, ipsam doluisse. De quo dolore prophetavit Simeon: *Et tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius*: Luc. II. 35. quod in Passione Filii se præsente, & dolente, secundùm C Doctores, effectum est.

Magister. Amplissimos sinus habet quæstio tua, quæ de passionibus est, super quibus habes Opuscula specialiter edita conformiter ad Philosophos, & Catholicos Doctores. Quid igitur vis molestus esse, vel superfluus in quærendo?

Discipulus. Moveor ad tollendum scrupulos, immò laqueos magnos qui proveniunt conscientiis timoratis ex lectura talium doctrinarum, quæ tepidos, & vitiosos nominant omnes Monachos, nisi vicerint, & eradicaverint funditùs hujusmodi passiones, aut saltem toto studio conentur ipsas evellere, quod assequi plures reputant impossibile & frustrà niti, cùm audiunt Apostolum conscium arcanorum Dei protestando gemere: *Sentio aliam legem in membris meis*, in quibus scilicet est anima, *repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7. 23. Et iterùm: *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem.* Gal. V. 17. Consonat cum ex-
D perientia vox communis Doctorum, quòd primi motus non sunt in nostra potestate, dicente Augustino: *Non est in potestate nostra, quibus visis tangamur.* Est autem conquisitio specialis de pulcherrima, & speciosissima mulierum, Mariâ, si motus suos omnes habuerit in sua potestate, & quousque. Utrùm videlicet non potuerit non dolere visâ morte Filii? & ita de reliquis passionibus quæreretur per apprehensionem objectorum variorum, sub convenientis, & disconvenientis ratione, cùm dixerit Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. XXVI. 38. qui tamen fuit incomparabiliter virtuosus.

Magister. Altior est inquisitio tua quàm æstimetur à pluribus qui de passionibus, & peccatis, & motibus primis loquuntur assiduè; posset initium perscrutationis accipi à pluribus qui de passionibus loquuntur, & motibus primis, & peccatis. Nihilominùs una placet ad præsens quasi narrativa triplicis processus qui fit in hominibus proportionabiliter ad triplices Hierarchias Angelorum, & secundùm tres gradus hominum, animalium, rationabilium, & spiritualium. Accipe in primis puerulum utentem solo sensu, & non ratione, nec spiritu. Accipiamus alterum utentem sensu, & ratione, sed non spiritu, vel mente. Accipiamus tertium utentem sensu, ratione, & spiritu.

Discipulus. Sub primo & tertio gradu vidimus, & legimus homines existere, sed de secundo non ita fit perspicuum quòd aliquis possit uti sensu, & ratione, sine spiritu; cùm spiritus sit eadem res cum ratione.

Magister. Nonne similiter in quolibet homine sensualis anima, & ratio sunt eadem prorsùs anima, secundùm communiorem Ecclesiæ doctrinam; & tamen reperitur in uno homine usus animæ sensualis, ut in pueris in quibus nullus est usus rationis. Ita nihil videtur incongruum, si dicatur; quòd aliquis utatur ratione, qui pro tunc non utitur spiritu, vel mente, quia diversas habent facies spiritus, & ratio; spiritus autem sola divina, & æterna, ratio ad temporalia respicit, & creata.

Discipulus. Nolo contendere de possibilitate rei, quia scio posse per intelligentiam sic accipi tanquàm ista, sensus, ratio, & spiritus essent reali, immò locali distinctione divisa. Perge quò tendimus, ad evidentiam propositæ quæstionis.

Magister. Consideremus in puero tria per ordinem in potentiis sensitivis, quia de solis vitalibus, & vegetativis nihil ad præsens plusquàm de plantis, in quibus non solemus ponere passiones, nisi fortè per transsumptionem ad animata: dicimus enim, *pratum ridet*, *lætantur segetes*; *horret hyemem terra*; *fugiunt se contraria*; *desiderant se*; & *uniuntur simili.*

Discipulus. Sequamur usum proprium loquendo de passionibus quas dicimus esse in sensu.

Undè passio describitur, quòd est *apprehensio sensualis convenientis, vel disconvenientis; præsentis, vel absentis.*

Magister. Supponamus hìc & nunc descriptionem hanc passionis quasi causalem cum declaratione, vel suppletione, & dicamus, quòd in anima sensitiva pueri, qualiter intelligi potest anima Mariæ, dum cecinit: *Magnificat anima mea Dominum*, Luc. 1. 46. invenimus & apprehensionem, & motionem, & executionem, & hæc vel in potentia, vel in habitu, vel in actu. Sed loquamur de actu, & exemplificemus in visu. Puer itaque dum Mater ostendit ubera, apprehendit per visum, & sensum communem, & phantasiam. Deindè si esurit, sequitur ad hanc apprehensionem motio quædam desiderii, nedum naturalis, sed sensualis, & animalis; & si non eget cibo, sequitur aliquando motio fastidii cujusdam. Tandem tertiò si non fuerit impedimentum, consequitur executio movendi membra ad sugendum ubera, vel ab eis divertendo.

Discipulus. Quotidiè videmus hæc tria tàm in pueris, quàm in animalibus brutis. Sed quod istorum trium nominatur formaliter, & propriè passio?

Magister. Certè medium, scilicet motio interior, consequens naturaliter apprehensionem.

Discipulus. Non est igitur passio formaliter apprehensio?

Magister. Hoc utique verum est, sed causaliter, quia passio formalis causatur ab apprehensione; sicut & passio risus exterior ponitur pro effectu passionis, dicendo: puer ridet. Ita sumitur aliquando nomen passionum à causa formali, vel etiam exemplari extrinseca, vel à materiali, sive objectali, vel à signo. Nihilominùs passionis descriptio formalis est per motionem consurgentem ex apprehensione convenientis, vel disconvenientis, præsentis, vel absentis. Quod absens apprehenditur tanquàm præsens, si non re, tamen intentione, vel specie. Sed utrùm apprehensio convenientis cum conveniente sit ipsamet motio, licet sub alia ratione, reducitur ad problema, de quo nihil ad præsens.

A Sufficit hìc supponere, quòd passio dicitur motio talis, quam fecit apprehendens objectum suum sub ratione convenientis, vel disconvenientis; executio sequens in opus dicitur effectus ejus. Ex quibus patet confestim intellectus præinductorum verborum Augustini dicentis, quòd *Non est in potestate nostra quibus visis tangamur.* Accipitur itaque visio pro apprehensione, & tactus pro ista consequenti motione, de qua dicunt Doctores, quòd primi motus non sint in potestate nostra.

Discipulus. Nulla dubitatio fit, quin ad pueros, vel alios homines impotentes uti ratione, vera sit ista regula, quòd primi motus non sint in potestate nostra plusquàm in bestiis, quamquàm sit valdè difficile in hominibus reddere causam, cum habeant rationem junctam eis, quid sit illud quod impedit usum rationis.

Magister. Multa præterimus, quæ quærenda sunt B alibi, quatenùs ad rem sub compendio veniamus, quam rem nemo tam planè concipiat, qui non (sicut in Geometricis) priora cognoverit. Sed quæ tradita sunt alibi sufficienter, quid ea necesse est assiduè repetere?

Discipulus. Præsupponamus illa sicut de origine, numero, & divisione passionum, de causis insuper, & effectibus earum; tu verò non obmiseris pervenire quò tendimus.

Magister. Nostrum itaque prosequamur exemplum de anima parvuli quærentis. Primò, si, præsentato objecto visui suo, potest non apprehendere. Secundò, si, facta apprehensione, potest non moveri. Tertiò, si, facta motione, quam dicimus passionem, potest in executionem non progredi.

Discipulus. Respondet experientia quæsitis istis tribus negativè.

Magister. Nunc oritur profectò difficilis quæstio de Maria: ponamus eam coram oculis nostræ considerationis in lumine Fidei quasi parvulam, sicut aliquan- C do parvula verè fuit, & infans. Quæramus si tunc poterat uti ratione, ut interim sileamus de statu quo latebat in utero matris.

Discipulus. Quorsùm, precor, evadet hæc quæstio tua?

Magister. Nos viderimus. Quod ut apertiùs fiat, constituamus apud parvulum quem prædiximus, unum Pædagogum pervigilem, qui potestatem habeat talem super eum, ut absque jussu suo primò nihil videat. Secundò, si viderit aliquid, non ad id moveatur. Tertiò, si viderit, & moveatur, non tamen exequatur; immò si cœperit exequi, possit tamen ne continuet, impediri.

Discipulus. Cùm non sit impossibile apud Deum omne verbum, concedo tale aliquod tanquàm possibile.

Magister. Nunquid non, præsupposito casu tali, poterit Pædagogus inculpari, si permiserit parvulum videre aliquid, vel ad visa moveri, vel pro- D sequi sine jussu suo contra voluntatem, & ordinationem primi Patris subdentem filium sub Pædagogo tali.

Discipulus. Poterit justè, sed quid elicere vis non video.

Magister. Hæc est parabola istius, quam inquirimus, veritatis. Si consideremus itaque primam hominis institutionem in Adam & Eva priusquàm peccarent, occurrit nobis sensualitas utriusque, quæ si non habuisset conjunctam rationem, similis fuisset ceteris animantibus irrationabilibus, quæ moventur super terram.

At

At verò data fuit ratio libera regens eam instar Pædagogi juxtà quatuor præmissa, quantùm ad apprehensionem, ad motionem, ad executionem, ad continuationem; sed *homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis,* Ps. XLVIII. 13. ut jam sensualitas inobediens sit, datæ sibi rationis præveniens judicium, in videndo, in movendo, in exequendo, in continuando, sæpè velit nolit ratio.

Discipulus. Experimur heu nimis quotidie hanc comparationem in nobis.

Magister. Putasne fit absque rationis culpa præventio talis.

Discipulus. Non arbitror præventionem hujusmodi rebellionis processisse, sine culpa prævaricationis.

Magister. Culpa ista est, quam appellamus originale peccatum, quod in primis parentibus fuit actuale & primum; quo factum est in eis, & omnibus posteris justa perversio talis, ut ratio quæ noluit esse subdita divino Præcepto, sentiret sensualitatem jure sibi primò subditam, nunc rebellem ei, ut non quæcunque ratio velit, vel spiritus, illa faciat caro; sed remurmuret contumax, & rebellet.

Discipulus. Nolo multa in hac re, quæ sunt dubitabilia, quærere; quia sunt abundè satis tractata per Doctores. Ut qua ratione puniuntur filii pro peccato parentum, aut cur, peccato deleto, remanet rebellio? sicut in baptizatis, & sanctificatis, immò & in Christo, licet spontaneè; dixit enim: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Matth. XXVI. 41. Alioquin non fuisset *tristis anima ejus usque ad mortem,* si penitùs consensisset rationi, non plusquam in Adam luctus fuisset aut dolor, innocentia permanente. Sed adhuc remanet de Beatissima Virgine dubitatio specialis, quam præsupponimus nullo unquàm fuisse peccato fedatam, nec veniali, nec originali, nec actuali; cur dominatæ sunt ei multæ passiones doloris, & languoris. Non enim potest responderi quòd hujusmodi passiones dispensativa voluntate, sicut Christus, assumpserit; nec solis fuit subjecta passionibus in vi duplici, scilicet concupiscibili, & irascibili; quin etiam habuit ignorantiam in rationali, dum putavit Filium perditum, & dum loqueretur inventus, non intellexit, quid diceret: *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Luc. II. 49. Tamen his iterùm pertransitis quæ reperiuntur ut cunque tractata, remanet proposito nostro confinis dubitatio: Si Maria, ab instanti conceptionis suæ habuit perfectum usum rationis super sensualitatem, ut nihil apprehenderet, nec in apprehensis moveretur, sine judicio rationis ejusdem: alioquin non fuisset in ea status naturæ integræ primitùs institutæ, quo fiebat ut nihil apprehenderet, vel appeteret, nihil exequeretur sensualitas, nisi prævia judicio rationis, & ita fuisset Maria non sine peccato saltem veniali, quale habent pueri ceteri etiam unius dici; quia prævenit in quolibet tali motus sensualis, qui impedit judicium rationis.

Magister. Urges vehementer, nedum in isto quod opponis; sed in similibus multis, ut de parvulis, si stetisset Adam, remaneret par dubitatio. Non enim videtur, quod statim nati cum justitia originali, vel in utero positi viguissent judicio rationis, sicut in ætate perfecti, neque cum dormiebant. Denique non apparet, quòd Eva potuerit liberè non audire serpentem exteriùs suadentem, nec ita semper avertere visum, quin aspiceret objecta visibilia, & in aspectis moveretur, ut videret lignum, *quod pulchrum erat visu & ad vescendum suave.* Gen. II. 9.

Discipulus. Si primus status permansisset, non oportet dicere, pueros fuisse natos ætate perfectos; nec tamen sensualitas rebellasset in eis judicio rationis, quo caruisset ætas ista; non enim fomitem captivantem in legem peccati sensissent, ut parvuli nostri. Salvaretur ita de nostra Virgine Maria in infantia, quia vel omninò fomite caruit, vel usus, & stimulus ita ligatus fuit, ut nihil adversùs rationem prævaleret.

Magister. Scio, talia posse dici; sed an satisfaciant exemplo proposito, non est omninò perspicuum. Amplioris fuisset privilegii, si Mariæ anima simul ut creata est, infusaque corpori præparato, perfectè gavisa fuisset usu rationis, non dicimus cum gratia. Sic enim aliqui non penitus improbabiliter posuerunt usum rationis acceleratum in Joanne, dum exultaret in utero, & dum circumcisionis tempore mirabantur inspi-
A cientes. *Quis putas,* inquiunt, *puer iste erit? Etenim manus Domini* (potentia scilicet, miraculorum operatrix) *erat cum isto.* Luc. I. 66.

Discipulus. Dixisti de primo gradu hominum, qui ut sic considerati sine usu rationis comparantur jumentis insipientibus; immò jam ex infectione peccati deterioris jumentis conditionis, nisi gratia salvet, & juvet. Dic nunc de gradu secundo, quo puer habet usum, nedum animæ, ut sensualis est, sed ut rationalis.

Magister. Præassumpta similitudo de Pædagogo dat intelligi statum illum, & magis hoc manifestatur in tertio, quando simul additur libertas spiritus. Dant Doctores per Allegoriam triplicis hujus gradus notitiam in tentatione prima; ubi fuit serpens quasi sensualitas instigans, rationemque præveniens; fuit Eva quasi jam habens rationem, sed viro minorem: fuit Adam perfectus in mente, & spiritu, cujus erat dirigere mulierem.

B *Discipulus.* Sentio materiam hanc intensibilem in longiùs. Dic modò modum quo tentamur in tentationibus, nunc ab infima parte animæ usque ad supremam; nunc ordine converso, vel utrobique per novem gradus; quoniam anima apprehendit, movetur, & exequitur. Deinde ratio sic apprehendit, movetur, & exequitur. Demum sic in spiritu fit apprehensio, motio, & executio. Vertamus ordinem à summo deorsùm, apparebunt duo processus tanquàm in Angelicis Ordinibus.

Magister. Consideratè notasti processum, quem ad alios terminos posuimus, sub eadem sententia deducere. In adimpletione siquidem divinorum Præceptorum, quæ via sunt ad vitam, contingit quadruplex habitudo. Prima est apprehensio per spiritum, Fide inspirante, formatum, qui spiritus primò judicat Præcepta esse adimplenda, quia jussa à Deo. Secunda movetur per volitionem & charitatem, ut impleat ista.
C Tertia præcipit rationi, & animæ sensuali, quatenùs exequantur ista. Sunt in ratione faciliter subindè tria illa, velle, consentire, præcipere. Sed anima sensualis, etsi consentiat, velit, & exequatur, consentiendo, volendo & exequendo; hoc tamen est frequenter cum remurmuratione quadam, & renisu, propter annexas passiones distrahentes animum, ne condelectetur spiritui, & rationi; & hoc tamen dum agitur, sufficit ad salutem. Sunt enim priora nostræ supposita voluntati; ultimum hoc nequaquàm quod est condelectatio sensualis in via Mandatorum. Hinc *jugum* Dei *suave,* hinc *onus* Dei *leve* fit ei molestum, & grave.

Discipulus. Experiri cogimur assiduè rixam istam, dum passionabiliter afficimur ad varia; dum judicium rationis; dùm liberum mentis arbitrium conformans se Legi Dei, lex membrorum tyrannica conatur avertere, cujus querimoniæ plenas Paulus reliquit Epistolas.
D Sed dic interim, quid in hac parte anima Mariæ fecerit, aut senserit; quid insuper ab aliis faciendum censueris?

Magister. Accipe considerationes duodecim. Anima Mariæ nunc est gloriosè magnificata, ut nihil apprehendat, nihil affectet, nihil exequatur, contrà, vel præter judicium rationis, & spiritus; sed neque potest, lege stante. Hæc itaque Lex beatitudinis æternæ, ut sicut Deus est omnia in omnibus, ità stat in Beatis anima conjuncta libertati spiritus, qui adhæret Deo, existens unus cum eo spiritus. Extenditur hæc libertas spiritûs, nedum ad rationem inferiorem, nedum

dùm ad animam sensualem, resumpto corpore, sed ad omnem generaliter in homine beatificato motionem.

Salvantur perindè multa, quæ de Beatis tàm hominibus, quàm Angelis quæri solent. Quomodò loquuntur; qualiter illuminantur, & illuminant, quando volunt, & quando nolunt. Datur insuper intellectus subtilior de primi status impassibilitate, non quâ non potuit pati, sed potuit à passione salvari à Dei potentia, & Angelorum custodia, à propria justitia, & clarissima industria, denique à loci convenientia, cum dominatione super se perfecta, & super irrationalia universa. Anima Mariæ dùm viatrix erat, ità fuit magnificata, ut in nullo moveretur contra judicium rationis, & spiritus: sed neque poterat post Filii conceptionem, lege stante. Consequitur hæc veritas ex dictis Doctorum ponentium ipsam nullatenùs venialiter deliquisse; quòd salvari non posset, si non habuisset omnes motus, nedùm spiritus, & rationis, sed animæ sensualis subditos rationi vel non contrarios, neque prævenientes rationem. Dùm autem ratio sopita erat, & in suo impedita judicio sine culpa sua, prout evenit in somno, non oportet tales motus prævenisse judicium rationis, quod pro tunc nullum erat. Facit exemplum propositum de Pædagogo, si sine culpa fuerit absens, vel inclusus, ut parvulo consulere non valeat. Sic solvitur, quòd Adam, vel Maria somniando non erravit.

Anima Mariæ, dum viatrix erat, potuit apprehendere tentationes forinsecùs immissas, sicut anima Christi; sed nullo modo fuisset mota passionabiliter per eas absque judicio rationis. Poterat sanè protinùs eas dijudicare, atque repellere; poterat non moveri secundùm eas ad libidinem, vel ad iram, vel ad superbiam, ipsis etiam in apprehensione durantibus; quòd valde secùs in nobis est, non potentibus ad apprehensionem hujusmodi non moveri: non tamen hoc semper fit cum demerito nostro; sed si perstiterimus absque consensu rationis, & spiritus, redundabit in meritum, quandoque repugnando viriliter ut diffugiat, quandoque non repugnando, sed fugiendo, ut ibi: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis*: Jac. IV. 7. quandoque non curando, sed irridendo potiùs, & vilipendendo diabolicas immissiones, quales sunt blasphemiæ abominabiles & horrendæ, immissas quandoque purissimis, atque sanctissimis, quas magis oportet irridere quàm horrere. Elicitur ex his quemadmodùm victoria castitatis, & humilitatis in Maria non fuit absque pugna, ad qualem jugiter attingere nos monent Petrus, & Paulus. Quoniam *adversarius vester diabolus circumit quærens quem devoret*. I. Pet. V. 8. Nec ignorare convenit astutias ejus, cui mille nocendi artes; sed confidamus quòd plures nobiscum sunt, si toto corde suis innitamur auxiliis.

Anima Mariæ, dum viatrix erat, cogebatur necessitate naturali multa pati contra naturalem inclinationem suam; sed non contra rationem, vel spiritum. Fuit iste status Mariæ singularis inferior quàm status Beatorum, & Christi dum mortalis erat. Fuit superior ad alterum cujuslibet hominis viatoris statum quàmvis homines possent juxtà considerationem præcedentem uti passionibus illatis ab extrinseco, virtuosè negotiari cum Deo, tolerando eas tanquàm justo judicio missas, vel permissas ab eo, ut in Job, & in Paulo, & in omnibus generaliter Martyribus. Evenit autem, ut qui sunt his passionibus inquietiores & minùs in anima sereni, sint in operibus Mandatorum implendis fortiores, qui perstant, ubi delicatus noster contemplativus deficeret. Impassibilitas animæ per humanam industriam non potest acquiri, neque per virtutes consuetudinales à Philosophis positas. Lex itaque carnis, quæ fomes dicitur, semper introrsùs hæret, secundùm Theologos; quæ lex compesci paulominùs potest assuefactione contraria, non evelli. Satagentes in oppositum, præsumptione spiritus sui, prostrati sunt potius quàm devenerunt ad intentum finem, sive fuerunt Stoïci, Physici, vel Platonici, vel, quod meliùs, Epicurei, promittentes ad hanc deducere serenitatis voluptatem; detrahentes cupiditatibus, seu passionibus, non illis

A adjiciendo malitiam, vel fomentum. Impassibilitas animæ tantò proximiùs habetur, ceteris paribus, quantò spiritus & ratio fuerint in suis actibus bonis, & habitibus fortiores. Deducitur hoc ex eadem causa, quæ ponitur impassibilitas Beatorum in resumptis corporibus, quæ consurgit principaliter ex plenitudine dominationis spiritus, & rationis supra corpus: Impassibilitas animæ non requiritur in hac vita pro prosecutione felicitatis æternæ. Manifestat hæc gratia Dei tanquam *jugum suave*, & *onus leve*, Matt. XI. 30. quæ subitò pessimos, & inveteratos dierum malorum justificat, & per Baptismum, & martyrium provehit ad cœlos. Hanc non intellexerunt gratiam, & purificationem spiritus, homines illi sine Christo, sicut nec haberi potest sine Christo, qui eam cui vult, & quàm citò vult communicat.

B Patuit in illo latrone benedicto comite suo in Passione, & Regno.

Impassibilitas nec in via potest haberi, neque in patria, sine stabilimento gratiæ; juxtà illud: *Optimum est gratia stabilire cor.* Hebr. XIII. 9. Confunditur in hoc, juxta quod prætactum est, Philosophantium nonnullorum vanitas, præsumentium per theletas, seu purgationes aliquas sacrilegas sic à passionibus absolvi, & virtutibus armari moralibus, quòd in exitu mortis anima libera scanderet cœlum; qualia dixerunt Porphyrius, Plotinus, & Appolonius, teste Augustino lib. 10. *de Civ. Dei*. Ponit & aliud simile Albertus *in fine de intellectu, & intelligibili*. Passibilitas animæ fit sæpè occasio virtutis exercendæ, sicut patuit in Apostolo Paulo. Declaratur insuper ex utilitatibus per tentationes varias provenientibus, quas esse cum passionibus nemo nescit. Unde *Qui non*

C *est tentatus, quid scit?* Eccli. XXXIV. 9. *Et per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. XIV. 21. Quo circà concluditur ex præmissis atque subsequentibus, doctrina saluberrima, quòd non ex ablatione passionum animæ, sed ex observatione Mandatorum Dei, debet sumi religiosi profectus argumentum: hoc etiam in Missarum celebratione locum habet, ut celebraturus non tantumdem interroget, si sibi devotus appareat, recollectus, & tranquillus, quantùm si Præcepta servaverit Dei, & servare proponit, non juxtà propriam æstimationem, sed regulam Evangelicam à sanctis Patribus declaratam. Si quid in sentimentis suavibus ei additum fuerit lucro deputemus, sicut ultra panem deputamus vinum quasi pitantiam, vel saporis condimentum.

Passibilitas animæ necessariò conjungitur præsenti vitæ mortali, nec aliquandò minùs in contemplativa quàm in activa; tàm exteriùs, quàm interiùs; tàm in bonis, quàm in malis, licet diversis finibus & meritis. Probant hæc exempla beatorum præcedentium cum experientia præsentium. Dispensat & hæc Deus frequenter,

D *ut non apponat se homo magnificare super terram.* Ps. X. Heb. 18. Si devotis permittitur aliquando talis apparens devotio *in laqueum, in retributiones, & in scandalum.* Ps. LXVIII. 23. Væ, væ nobis ab hoc scandolo! Quid hîc nobis erit tutum, cùm nec tuta sit ipsa devotio?

Passibilitas debet à multis viatoribus tolerari potiùs quàm ut excutiatur eniti. *Divisiones itaque gratiarum sunt*, I. Cor. XII. 4. similiter & administrationes, in quarum aliquibus expedit passiones animæ cum virtute, & ratione miscere, ut in bellantibus pro Republica quoad irascibilem, & quoad concupiscibilem in uxoratis filiorum procreationi vacare debentibus. Et ita de multis quæ vitam activam respiciunt, in quibus majus est virtutis meritum, quàm venialium passionum detrimentum. Passibilitas animæ ob-

obitare solet plurimùm quærentibus contemplationem, & suavitatem quietis internæ. Consonat omnis doctrina Sanctorum quòd regulariter ad contemplationis quietem nemo pervenit, nisi passionibus edomitis in anima, etsi non radicitùs evulsis. Et hoc quomodò fiet convenientiùs, an in solitudine, an in multitudine, specialis est consideratio. Sed non omnes capiunt contemplationis donum in se, pro complectione, vel statu, conditione, vel officio.

A *Discipulus.* Gratus mihi est ternarius iste quaternarum considerationum. Et quamvis, ut infers novissimè, non omnium sit perfectam quærere passionum mortificationem, sicut nec altitudinem contemplationis: nihilominùs audire cupio de fructibus mortificationis hujusmodi, quatenùs istos concupiscere, etsi non obtinere, fas mihi sit.

Magister. Assignabo duodecim utilitates ex Cantico Mariæ sumptas, non eas prosequendo, sed punctuatim annotando paucula quæ latiùs alibi legere, & si Deus sensum aperuerit, vivaciùs experiendo poteris intelligere.

Discipulus. Ut placet.

Magister. Consequitur ad edomationem passionum in anima, juxta decursum Cantici Canticorum Mariæ: Primò, altior, latior, sublimior, & alacrior Domini magnificatio. Consequitur secundò, jocundior in Deo salutari nostro, spiritus exultatio. Consequitur tertiò, profundior quàm respicere dignabitur, hominis humiliatio. Consequitur quartò, profundior ad beatitudinem approximatio, in ædificationem aliorum, dantium laudem Deo. Consequitur quintò, divini nominis sincerior in se apud alios sanctificatio. Consequitur sextò, copiosior Dei per generationes, & generationes se timentes misericordia, seu miseratio. Consequitur septimò, mirabilior, & gratiosior, & cautior contrà superbiam cordis, & mentis dispersionem, quam severa divini brachii potentia facit, unitio cordis seu recollectio. Consequitur octavò, præcelsior, & celsior, depositis de sede sua superbis passionibus, & dæmonibus, humilium affectionum, & animarum sublimatio. Consequitur nonò, opulentior, suavior, & divinior esurientium justitiam repletio, dùm divites sibi dimittuntur inanes omni bono. Consequitur decimò, misericordior istorum qui Fide, & moribus, sunt Israëlitæ, pueri susceptio. Consequitur undecimò, per ejus impetrationem divinæ misericordiæ super nos amplexans recordatio. Consequitur duodecimò, perspicacior omnium, quæ locutus est Deus ad Patres nostros, Prophetas, & Doctores, reseratio.

Discipulus. Pretiosos elicuisti fructus provenientes ex mortificatione animalis affectus, cum appenso spiritus studio. Nos istorum participes fructuum faciat in terris, qui perficiantur in cœlis, ubi Deus *quos prædestinavit*; *vocavit*, *justificavit*, Rom. VIII. 30. magnificavit, gloriosè cantantes in idipsum: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46.

Magister. Fecit mihi magna qui potens est, ô Maria; fecit & tibi magna *sanctum nomen ejus.* Nomen, & verbum Fidei quod, & cui credidisti, ô Beata, & beatificanda per omnes generationes. Non es ingrata beneficiis Dei; confiteris illa quatenùs undè exeunt flumina gratiarum, illuc revertantur.

Discipulus. Affer rationem, quare Mariam *beatam dicent omnes generationes.*

Magister. Dabitur ex fine ratio, & ex affinitate; quoniam Mater est illius qui fecit omnes generationes cœli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt. Ideò jure dicitur Mater pietatis, & consequenter omnis divinæ magnificationis, & laudis & gloriæ.

Discipulus. Quo pacto sic?

Magister. Mirabilis accipiatur deductio, sed vera. Itaque pietas ex affinitate, & affinitas ex generatione consurgit. Est enim pietas in genere quidam amor proveniens inter aliquos ex radice vel causa, cujusdam affinitatis mutuæ, qualis est inter parentes, & filios, & è contrà; qualis inter cives, & civitatem suam, vel patriam; qualem præterea nos dicimur habere ad Deum Patrem nostrum, & Dominum, qui vicissim pius ergà nos esse laudatur, quià possedit, fecit, & creavit nos. Undè pietas, de qua magis ad propositum, quæ concernit mutuam Dei ad nos habitudinem, describi potest: Pietas *est amor proveniens, eo quod Dei genus simus, capaces, atque participes ejus.* Fundatur in hac pietate quælibet altera; sicut à divina paternitate *omnis* secundùm Apostolum *paternitas in cœlo & terra nominatur.* Eph. III. 15. Cum ergò beata nostra sit Mater hujus Patris nostri; consequens est, ut sit Mater pietatis, & origo ejus. Est verò pietas ex affinitate, quæ finem dicit.

Discipulus. Placet deductio.

Magister. Quantò magis si ultrà progredimur, attendentes illud præclarissimum de se, & à se præconium: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei; in me omnis gratia viæ, & veritatis.* Eccli. XXIV. 24.

Discipulus. Elucida distinctiùs.

Magister. Descripsimus pietatem, quod est *amor proveniens, eò quod Dei genus sumus, & capaces ejus.* B Nulla verò pulchrior dilectio, quàm in amore fundata, & talis pietatis.

Discipulus. Assentio; doce quid sit *mater timoris*, & *sanctæ spei*; convenit enim materiæ quam de passionibus modò tractabamus.

Magister. Convenit scio; propterea non inscius, aut improvidus hæc induco. Siquidem amor est origo cujuslibet affectionis alterius. Est autem Maria *Mater pulchræ dilectionis*; sit igitur necesse est *Mater timoris, & spei, &* lætitiæ, & doloris, qualis est illorum, quos beatificat lugentes Filius ejus.

Discipulus. Non habeo quid contradicam.

Magister Converte nunc recordationem tuam ad tractata priùs in prima chordula præsentis Psalmi Mariæ decachordi, & latiùs in Libro de Canticis, invenies fecundum piæ exercitationis, & consolationis instrumentum sub figura multiplici.

C *Discipulus.* Scio quid suggeris, scilicet nescio si curiosa magis quàm officiosa reputabitur hujusmodi configuratio, difficilis scribentibus, phantastica meditantibus, vana devotis. Quid ad nos, inquiunt, de figuris & notulis, ambulare quærentibus in simplicitate cordis?

Magister. Nemo quempiam cogit. Scio mihi profuisse pro fastidio ex varietate tollendo, pro recordationis facilitate, pro sententiarum multiplicitate. Constituitur enim figuratio, non ut mansura semper sit in imaginatione, sed quòd ad intelligentiam puram forti meditatione trahenda est phantasmatibus superatis.

Discipulus. Arduum istud nimis, atque rarissimum.

Magister. Vanum est nobis, fateor, ad hoc ipsum *antè lucem* Spiritus sancti *surgere*, fiat quod sequitur:

D *Surgite, postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris.* Ps. CXXVI. 2. Doleamus priùs in mortificatione vitiorum, & passionum moderatione. Tollantur, si placet, protractiones linearum, detur ordo sententiis, vocibus & terminis.

A.	Gaudium A.
E. I. O.	Spes E. Pietas I. Timor O.
U.	Dolor U.

Parùm refert ordo talis à crucis, vel rotæ, figuratione. Sufficit tamen nobis ad omne canticum spirituale talis ordinatio.

Discipulus. Delicatus esse videbitur qui respuet.

Magister. Ecce vides constitutam in medio pietatem, quæ quatuor ex æquo respicit alias affectiones, quatenùs cor piè gaudeat, piè speret, piè timeat, piè doleat. Quisquis hoc servaverit, securus sit, virtuosus

est, psaltes est Domini in psalterio jocundo, & cithara; in omni generaliter musico instrumento cum cantico, symphonia, & choro.

Discipulus. Fac ergò manifestum.

Magister. Descriptio pietatis facit illud perspicuum. Sanè si pietas hominis ad Deum est *integer amor ad ipsum, eò quod ipsius genus sumus, capaces ejus, atque participes.* Sublime descriptiones alias utiles nimis. Pietas dolens, est *affectio proveniens ex consideratione disjunctionis ad Deum.* Pietas sperans, est *ex affectione proximandi Deo, vel hærendi.* Pietas timens *ex renisu, & fuga elongationis à Deo.* Si super uno, pioque tenore fiat circà pietatem circumitus, sequitur harmonia, id est, ad unitatem resonantia suavis, & secura, quia temperata: semper enim & dolor erit gaudiosus, & gaudium dolorosum. Spes timorata, & timor non desperans; immò quilibet mixtus erit cum qualibet. Fiat insuper mirabili temperie quasi complexio mixti unius temperati propter unionem in centro pietatis, quasi in vita consiliante contrarietatem. Sicut si hujusmodi cor necessariò est in moribus suavissimum, velut humoribus temperatis. Sic in vita mortali simul, & meritoria, vivax & jocundum semper ex æquo gaudens, triste, sperans, timens. At contrà si pietas abscesserit, defluent istæ passiones, harmonia dissipabitur tanquam ab horologio sine pondere, sine modo, vel ordine, tanquàm postremò decoro cadavere sine vita. Obviabit ista rotatio sensualis regulari, qualem ducimus circulo rationis.

Discipulus. Speciosa sunt ista dum audiuntur, sed impetus obliqui circuli, sensus deorsùm jugiter ad temporalia se deprimens, vehementior impellit, & circumit.

Magister. Non clam me est, sed vincere, sed obsistere secundùm pietatem, hoc opus hic labor est, Matre pietatis adjutrice. Porrò si scire delectat, quid sit *magnificare Dominum*; quid *exultare in Deo salutari nostro*, cum omnibus ad collaudationem spectantibus, in hymnis, & Canticis; quid lùcidius, quàm ex pietatis ratione descriptiones assignare? Quid est *magnificatio Domini* si quæritur? Dic quod est *species pietatis corde, ore, vel opere, proveniens ex consideratione, vel protestatione divinæ magnitudinis, & majestatis sui dominij.* Est enim *majestas quasi magnitudinis status.* Quid *exultatio spiritus in Deo* si quæritur? Dic, quod est *pietas protestans in gaudij signo, quoniam Deus est salutare nostrum.* Dic itaque consequenter ad interrogationes *de benedictione*, id est, *bona donatione*, de *gratiarum actione, de adoratione*, de *latria*, de *Religione*, de *tubis ductilibus, de chordis & organis*, quoniam hæc omnia sunt pietas ad Deum, talibus signis, & indiciis se protestans. Est autem pietas (ut diximus) *ad Deum amor integer, eò quod Dei genus, capaces, & participes ejus sumus.* Dignatur verò Deus vicissitudinem ad genus suum refundere, immò prævenire *in benedictionibus dulcedinis*, maximè per Incarnationem, pro qua cecinit Mater ista pietatis Canticum suum novum: *Magnificat anima mea Dominum, & sanctum nomen*, de quo superest, non colloquendo, sed differendo subire Tractatum; tu interim sileris.

Discipulus. Superest aliud specialiùs insinuandum fundamentum; qua ratione Beatam nostram dicunt omnes generationes.

Magister. Ratio jam prætacta est ex fine, omnesque generationes sunt affines ei, non qualitercunque, sed ut Matri. Debent idcircò cognoscere beneficiorum largitiones ex ipsa procedere; hæc autem recognitio est sua benedictio, qua in re dices ea quæ sequuntur. Dic quòd omnes generationes beatam dicunt Mariam, sicut ad ipsam omnes habent pietatem, saltem naturalem. Ratio, quià naturalem habent amorem omnes generationes ad eam secundùm genus suum, post Dominum nostrum Jesum Christum. Dic, quòd Mater est effecta. Clamat idcircò: *Venite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Eccl. XXIV. 26. Et iterùm: *Memoria mea in generationes sæculorum.* ℣. 28. Sicut *misericordia* Dei est *à progenie in progenies timentibus eum.* Dic quòd generationes hominum degeneres sunt habendæ, quæ Mariam non piè colunt, nec A beatam spontaneè recognoscunt. Additur *spontaneè*, quià velint nolint, ipsam naturali pietate venerantur, & colunt, quemadmodùm de dæmonibus ait Jacobus, quod *credunt, & contremiscunt.* Jacob. II. 19. Dic præthereà, quod ab *initio, & antè sæcula creata* sit, *Eccli.* XXIV. 14. hoc est prædestinata causa finis, & affinis omnium generationum; quòd dicunt ideò recognoscere, & benedicere genus suum, immò regenerationis initium post Christum. Dic quòd apud generationes sæculorum *generatio præterit, & generatio advenit.* Eccli. I. 4. Ipsa verò est terra permanens, de qua *veritas orta est*, Ps. LXXXIV. 12. quæ manet in æternum. Dic quòd omnibus affinis est velut in omni genere affinitatis ista quam benedicunt, & beatificant omnes generationes. Est soror ab humana specie; est Mater ex nostra post filium generatione; est cognata cum Angelis, & nobis ex similitudine intellectualis naturæ. Est unum cor nobiscum, una anima, unus animus, & unus spiritus ex delectationis obligatione. B Dic quòd perindè fiduciam magnam habemus adire in omnibus necessitatibus nostris suæ thronum pietatis.

Planè despicere non potest genus suum, quæ Mater est pietatis, cujus origo progreditur ex generis unitate.

Discipulus. Gratis ità dicere desidero, gratis affecto colere, benedicere, & prædicare beatam, & beatificandam per omnes generationes, *quià fecit* ei Dominus *magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.*

ALTERA PARTITIO

SINE DIALOGO

DE

C SANCTO NOMINE DEI;

UBI DE TRIPLICI NOTITIA DEI,

Per Notulas suptuaginta duas.

PRIMA NOTULA.

MAGNIFICAT *anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Luc. I. 46. 49.

Magna sunt, & magna nimis, ô Virgo beata, quæ fecit in animali portione Dominus per Incarnationem sui, dum supervenit Spiritus sanctus in te, fecundans nedum in mente, sed in corpore; & vir-D tus Altissimi obumbravit tibi, tam in corpore per extinctionem fomitis, quàm in mente per infusionem effectualem nominis sui, ut experimentaliter agnosceres, ô Sancta Sanctarum, quia *sanctum nomen ejus.* Sanctum nomen, impollutum, incontaminatum, consecratum, confirmatum, sine terra, sine concreatione materiæ, & ab omni prorsùs impuritate liberum, & alienum. Sanctum nomen illius, qui dedit Filio tuo Jesu Christo nomen *salus.* Act. IV. 12. Nam ideò *Jesus* à Deo, & Angelo, & homine, nominatus est, *Matth.* I. 21. quià *salvum faciet populum suum à pec-*

a peccatis eorum, Matth. I. 21. ipso dicente: *quia nemo venit ad Patrem nisi per me*.. Joan. XIV. 6.

Sed obsecrat te Beatam, cui *fecit magna qui potens est*; obsecrat te pauper, exul, & advena, non abscondas (ô pulcherrima, & prudentissima feminarum) nomen istud sanctum Filii tui, qui *fecit* tibi *magna qui potens est*; non sileas à me, neque taceas à me servo tuo, & puero tuo. Cupis glorificari nomen A istud per te, indè gloriaris te Beatam dici per omnes generationes; non propter te, sed propter natum de te hortaris cum Psalmista & dicis: *Magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen ejus in idipsum*. Ps. XXXIII. 4. Conscius est, & testis meus fidelis in cœlis Dominus qui tecum est jam non in utero carnis carnaliter, sed spiritualiter in utero tàm corporis, quàm animæ. Conscius, inquam, quia studiosè meditata est mens cogitare quod, & quale esset nomen sanctum ejus; non quod est apud se, quia nec possibile, nec fas istud mortalem inquirere; sed apud creaturam suam imagine sua notatam, & sui capacem; quare me creare dignatus est, non meo merito; quid enim mereri potui priusquàm in esse fui? Scripsit de divinis nominibus collaudator tuus Dionysius divinus: *O beata per omnes generationes Hebræorum, Græcorum, Latinorum, & omnium generaliter nationum, & linguarum*. Scripsit, & docuit quòd nomina, scilicet Dei, sumuntur ex triplici via, seu consideratione. Via causalitatis, & symbolicæ similitudinis, ex sensibilibus. Via supereminentiæ, ex intelligibilibus. Via abnegationis, & per supermentales excessus. Dic, obsecro, mihi; dic *benedicta inter mulieres*; Luc. I. 42. dic ubi pascat, ubi cubet dilectus tuus iste ex dilecto, dilectus amicus tuus, dilectus & amicus per amorem. Trahe me coram te post eum in odorem unguentorum suorum simul & tuorum, quoniam omnia tua sua sunt, qui tibi nunc est omnia in omnibus qui cubat, & pascitur in lectulo florido mentis tuæ, & tu in secreto cubili majestatis suæ apud Patrem qui fontale principium est totius divinæ majestatis. Ibi profectò domus Matris suæ, ibi cubiculum genitricis suæ, ibi post deosculationem sanctam, & pudicam docet te. Doce tu me, quæ nec ipsum, C nec te ignoras; doce, precor, quod, & quale sit nomen sanctum ejus, doce si sufficienter modos cognitionis explicuit Paulus conscius verborum, *quæ non licet homini loqui*: 2. Cor. 12. 4. qui ex te muliere dicit ipsum *factum sub Lege*; muliere si quidem illa, quæ fas habet dicere: *Ego mater pulchræ dilectionis*, Eccl. XXIV. 24. cum ceteris in laudem sapientiæ positis, tibi per Ecclesiam antonomasticè, & emphaticè laudabiliter attributis; doce, quæso, si sufficienter scilicet, & ad plenum nomen Dei, quemadmodùm potest haberi, ab eo sit expositum, cùm ait: 1. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Ecce triplicem invenio nominis sancti Dei cognitionem, specularem, ænigmaticam, & facialem. Prima, & secunda nobis hìc conceduntur, & nunc; tertia tunc in re, nunc in spe sola præstatur. Do- D ce, si sancta peto, si sancta requiro, quæ & qualis sit hæc triplex cognitio. *Audiam quid loquatur in me Dominus* Ps. LXXXIV. 9. per spiritum sapientiæ suæ, & tuæ; suæ per essentiam, & tuæ per gratiam singularem; *semel loquitur Deus, & idipsum non repetit*. Job. XXXIII. 14.

Habes Legem & Prophetas, interroga diligenter eos, & dicent tibi: Fiat ita. Sed adsit Spiritus tuus bonus interroganti; adsit & audienti, ne vel stultè, & indignè interroget, ne responsiones denique datas auribus surdis accipiat, sed obediat Spiritui totiens inculcanti: *Qui habet aures audiendi audiat*. Matt. XI. 15. Non sit cor incrassatum, nec oculi mentis cæci. Audiam, videam, & intelligam per disciplinam Scripturæ, dicentis per os Prophetarum, Philosophorum, & Theologorum, quemadmodùm notitia Dei, quæ est nomen suum, multipliciter acquiritur, quo nunc maximè intelligetur resonans illud Apostoli verbum: 1. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Et quia præponit visionis verbum, quæstio est, si omnis de Deo cognitio sit visio, cùm visio quælibet videatur esse cognitio, & intuitiva cognitio? Multa verò sunt nomina de Deo, quæ non significant intuitivam cognitionem. Est ergò primùm inquisitione dignissimum, quid sit intuitiva cognitio, sive visio.

Cognitio intuitiva licet approprietur visui, vel oculo corporali; nihilominùs extendit se ad omnes sensus corporales quinque, immò ad omnem vim perceptivam. Potest autem describi cognitio intuitiva, quod est *simplex, & immediata cognitio rei, secundùm objectalem directam immutationem in se, vel in propria sua specie*. Patet descriptio, quia convenit omni, & soli cognitioni intuitivæ. Differt à complexis & mediatis cognitionibus rerum, quæ non causantur *secundùm objectalem, & directam immutationem in se, vel in propria sua specie*, quales sunt cognitiones abstractæ, complexæ, vel incomplexæ quæ fiunt per alienas species in imaginatione, vel ratione, rebus absentibus, seu non existentibus. Videtur autem quòd cognitio intuitiva sic descripta sit idem quod experientia, vel experimentalis perceptio, seu notitia. B Posset hoc numerari per singulos sensus.

Sed est dubitatio, si cognitio debeat dici immediata, & intuitiva, quæ fit per propriam speciem derelictam in sensu, deficiente, vel absente objecto. Qualiter enim dicetur cognitio immediata de re, dum necessariò requiritur media species? Quomodò præterea dicetur experimentalis cognitio de re quæ absens est, vel quæ nullo modo est? Oportet hìc propter concordantiam Doctorum de cognitione intuitiva, & immediata conquirere quæ cognitio dicetur, & quare dicatur immediata. Perindè venit ad cognoscendum quæ, & qualis, & quot modis visio intuitiva nominetur.

Invenimus autem quadruplex medium in cognitione; unum elevans, alterum contemperans, alterum adducens, aliud conjungens.

Exemplum in ostensione coloris: primò requiritur lumen medium elevans potentiam visivam, & ponens colores in esse spirituali, visibili, & diaphano, seu perspicuo. Hoc autem medium non impedit, quin cognitio coloris dicatur immediata.

Est secundum medium contemperans objectum visibili oculo corporali, ut servetur harmonia conveniens oculo, ut non ab excessu visibili destruatur; nempè præterea pervium, & perspicuum, nimia radiatione proportionem excedat ad oculum. Sed nec tale medium prohibet cognitionem immediatam, licet intuitivam. Quid est medium tale, nisi proportio complexionis organi videntis?

Est medium tertium deducens objectum ad oculum, quia sensibile positum suprà sensum non facit sensationem, secundùm Aristotelem, & experientiam. Propterea necesse est species esse medias, quæ deducunt per medium conveniens in contemperatam rem sensibilem ad proprium sensum suum. Discurre per omnes, & singulos sensus, & ita videbis. Sed nec obstat tale medium, quin cognitio sit immediata, & intuitiva; alioquin nulla talis esset in sensu de rebus ad extra, nisi quod fit de speciebus, & actibus, ab intrà de intelligibilibus, ubi benè reperitur aliqua res immediatè cognosci per essentiam suam, nulla specie mediante, sed actu distincto à re.

Est quartum medium conjungens objectum cum potentia. Vocatur autem hujusmodi medium actus, quo res intuitivè videtur, fortè etiam habitus infusus, vel acquisitus potest dici tale medium, nisi meliùs referatur ad medium elevans. Certùm est autem, quòd nec medium tale conjungens potentiam cum objecto, reddit cognitionem dici mediatam, & non intuitivam, vel experimentativam: alioquin nulla creatura habet immediatam cognitionem, quia solus

lus Deus est sua cognitio actualis, secundum Articulum Parisiensem, & veritatem. Remanet tamen ex prædictis satis apertis difficultas prædicta, si res possit dici videri intuitivè, & experimentaliter, dum non est, vel absens est. Doctrina communis Artistarum tempore meo non habebat inconvenientem hanc positionem, quin sol absens à nostro hemispherio videretur intuitivè per lumen suum in aurora; quin sonus audiretur dùm non erat. Ità de reliquis sensibus, ex quo species simplex, & propria erat præsens, quasi deducens objectum ad potentiam. Notanter addimus ad speciem quòd sit simplex, & propria; ne cogamur concedere notitias sensus communis, & imaginationis, & rationis de rebus ad extrà esse intuitivas. Est Doctor unus, qui ponit mediam notitiam inter intuitivam, & abstractionem simplicem; dicens in casu nostro, quòd notitia quæ præsente objecto, & causante speciem, scilicet in oculo, dicebatur intuitiva; desinebat autem esse intuitiva, id est, vertebatur in abstractivam, corrupto, seu absente objecto.

Nihilominùs positio prior probabilis est, quæ non deputat inconveniens, quòd res videatur intuitivè, dum non est. Patet in Deo, qui omnia ista quæ non sunt, intuetur. Similiter & Beati in eo; immò & Prophetica visio de absentibus in suo lumine magis dicenda videtur intuitiva, quàm abstractiva; sicut & in Angelorum cognitione per innatas à creatione species, vel receptas. Auget verò difficultatem hanc consideratio perspectivorum dicentium, visionem non fieri, nisi sub eversa pyramide, cujus basis est in re visa, & punctus cuspidis in oculo. Rursùs determinat Decretalis Benedicti, quòd beatitudo formalis consistit in duobus actibus, qui sunt visio, & fruitio; sed addit, quòd objectalis beatitudo est ipse Deus.

Ponatur ergò per possibile, vel impossibile, quòd subtrahente se Deo in ratione objectali, quemadmodùm liberè potest, maneant illi duo actus, visio, & fruitio; nunquid dicetur iste priùs beatus etiam nunc beatus formaliter, & intuitivè. Augetur ampliùs si consideremus omnem creaturam quæ comparatur ad Deum in ratione vestigii, vel imaginis, tanquàm in ratione speciei repræsentantis Deum, quanquàm per analogiam; sed non minùs quàm radius, quàm lumen solis comparetur ad solem, licèt non sit ejusdem substantiæ cum sole. Videns igitur creaturas, & intelligens, id est, intus legens habitudines hujusmodi imaginis, & vestigii, in quadruplici genere causæ, efficientis, formalis, exemplantis & finis, nedum intelliget *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt* juxta verbum sapientis, & Apostoli; *Rom.* 1. 20. sed habebit notitiam intuitivam de Deo non minùs immediatam, & propriam, quàm habeat oculus de suo objecto, puta de sole per lumen suum viso. Hoc nullus videtur concessisse, immò damnatus est Articulus, quòd Deus hìc immediatè per essentiam videatur: & si non immediatè, ergò nec intuitivè.

Addamus ad difficultatem, & contra Articulum, quia existente homine in prospectu dicimus, quòd homo videtur; constat tamen, quòd oculus corporalis non attingit ad substantiam hominis, sicut nec alius quivis sensus. Oportet ergò quòd referatur ad visionem intellectus visio substantiæ hominis, vel essentiæ suæ. Ac proindè ponunt aliqui, quòd objectum intellectus naturaliter, & pro statu præsenti, est *quidditas rerum naturalium, habita per abstractionem intelligentiæ, vel intellectus agentis ex phantasmatibus.* Nunquid ergò agentis hæc intellectualis cognitio dicetur intuitiva?

Procedamus ultrà: quòd si requiritur, & sufficit talis abstractio hìc nobis, non plùs cognoscimus substantias, seu quidditates rerum materialium, quàm Dei quidditatem; nec plùs animam nostram, quàm Angelicam naturam; immò breviter, nihil intelligimus intuitivè experimentaliter de rebus, nisi sola accidentia; nec etiam per intellectum, ut intellectus est, sed prout influit in sensus exteriores per se, vel per vires proprias, si ponuntur substantialiter ab eo distinctæ. Sed neque poterit haberi cognitio simplex, & immediata, & absoluta cujuscunque differentiæ substantialis, immò nec de differentiis accidentium, quod concedit unus Doctor.

A Quid prætereà, si concesserimus cum Augustino, quòd non possumus hic habere cognitionem sinceram de rebus, nisi de luce divina; nunquid oportebit quòd in omni cognitione veritatis, præsertim sinceræ, cognoscatur lux divina, saltem in suo lumine, sicut agnoscitur sol in omni visione corporali colore per irradiationem lucis, aut luminis solis, & ita redibit quòd Deus hìc intuitivè videtur.

Denique superest exponendum quid Apostolus intelligit, dum ait: 1. Cor. XIII, 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, quæ sit differentia inter istas tres visiones. Difficultates istæ sunt diù mihi, multùmque quæsitæ; sed nec satis apparet exitus, nisi per nominum distinctionem, quæ nomina cùm sint ad placitum, si per ea constet de rebus, & sententiis, satis debet esse inquirentibus veritatem, maximè per disciplinam, & doctrinam; sed non satis ad experientiam.

B Possumus itaque de notitia intuitiva loqui generaliter; magis propriè; loqui propriissimè. Definitionem præscriptam de notitia intuitiva, loquendo, scilicet, prout visio, & intuitio se extendit ad omnem vim perceptivam sui objecti simpliciter, & immediatè, ut dicimus: vide quomodò hoc sonat, quomodò redolet, quomodò sapit. Sic dicitur de intelligente hæc, dicimus quòd benè sentit. Et indè venit sententia generaliter. Omnis perceptio objecti simplex, & immediata, potest appellari intuitiva, sive objectum sit realiter præsens in se, sive per suam speciem tantummodò, ipso destructo, vel absente; quemadmodùm solet dici, quòd oculus videt, & auris audit res aliquas jam destructas, vel ablatas, propter species colorum, vel sonorum quæ remanent in exteriori sensu, sicut prætactum est; aut si miraculosè visio causaretur à Deo in oculo, vel in objecto causata servaretur. Cadent etiam hìc exempla de coloribus, qui videntur alii quàm sint, ut in Iride & nubibus, & in vitris suppositis objectis, & oculo, linea

C recta visuali. Magis propriè nominatur intuitiva notitia, quæ fit objecto præsente, & actualiter immutante per se, vel per suam speciem immediatè. Exemplum commune est in sensibus exterioribus per differentiam ad interiores. Propriissimè verò nominatur intuitiva cognitio, quæ causatur ex objecto per seipsam, & essentiam, scilicet absque specie media. Sic enim Deus intuetur seipsum; sic Angeli cognoscunt essentias suas; licèt per actum superadditum; sic cognoscimus nostros actus interiores; sic percipimus immutationes passionum per ipsasmet passiones actualiter immutantes sine specie media; licèt non sine actu perceptivo medio, quoniam hoc proprium est soli Deo, quòd sit sua perceptio.

Elicimus ex præmissis, quòd omnis notitia propriissimè intuitiva, ac perindè notitia quæ habetur per devotionem, & unionem mentis ad Deum, nequaquàm fit, aut fieri potest sine cognitione prævia vel comite, secundùm Avicennam, aut ex perce-

D ptione tali consurgit: alioquin in plantis, & inanimatis poneretur delectatio. Sed ut cum Philosophica ratione loqui nos pateat, fundemus istud dictum per aliquas veritates. Dans formam, dat consequentia ad formam. Ista est Philosophi, & experientiæ: consequens verò ad omnem formam, tàm naturalem, quàm realem, quàm intentionalem, quàm spiritualem, ponitur esse coaptatio, vel inclinatio, vel appetitus, vel affectus spontaneus, & suavis, aut volun-

tas

tas tendens in finem suum: quisquis sit iste finis, proximus, mediatus vel ultimus.

Ceterùm ne multitudo nominum nos impediat, appellamus consequens illud ad omnem formam nomine amoris; de quo Augustinus: *Amor meus pondus meum, illò feror, quocunque feror.* Est autem in omni re pondus: omnia enim in numero, pondere, & mensura, formata sunt. De quo Jerotheus, referente Dionysio, composuit hymnos amatorios.

Ceterùm de multiplici amore Dei sparso per creaturas, de quo Boëtius: *O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat.* Et divinus Ignatius amore igneus: *Amor*, inquit, *meus crucifixus est.* De quo amore puellæ Martyres gloriatæ sunt inter tormenta, nominatim Agnes, & Felicula cum ceteris. *Ecce*, inquit Felicula, *sicut cæpi videre amatorem meum Christum, in quo amor meus fixus est*, undè dicitur affectio.

Concluditur statim quod amor, vel affectio animalis, rationalis, & intellectualis, non causatur sine cognitione prævia, comite, & consequente.

Omittamus intereà de amore, vel affectu rerum inanimatarum, qui utique amor, vel appetitus consequitur formam naturalem ipsorum ad loca sua tanquàm fines suæ conservationis: sicut ignis causans ignem dat formam suam cum inclinatione ad locum suum sursùm in quo quietatur si est; movetur autem si non est, impedimento cessante.

Restringamus ad amorem triplicem qui proposito nostro congruit, ut ostendamus quòd Deus per amorem cognosci non potest sine cognitione prævia, & comite. Sic perindè palam fiet quæ sit, & qualis cognitio per amorem, per experimentalem ejus notitiam, & qualiter intuitiva dici potest. Itaque perceptio amoris, vel affectualis, vel experimentalis, est propriissimè intuitiva; non quidem semper de re dilecta, sed de ipso amoris actu, vel affectu quo tenditur in dilectum. Sistat hìc, oro, devota mens, & attendat, quid intendit hæc veritas ostendere. Dicit enim duo: Unum, quòd amor, vel affectus sentitur intuitivè, vel experimentaliter propriè, & per essentiam, & hoc tertio dicimus, nisi se conjungat amanti immediatè per essentiam suam, & non per alienam speciem; non tamen sine actu cognitionis mediæ inter amantem, & amatum, quantùmlibet amatum sit essentialiter præsens amanti.

Capiamus exemplum primitùs de tertio in divinis, & in beatis. Itaque Deus Pater non produxit Spiritum, nisi priùs origine produxerit Verbum, quod *in forma Dei*, Phili.II.3. est secundùm Apostolum. Porrò generando, & communicando Verbo formam, dat consequentia ad formam suam. Quid autem consequentius ad formam est, nisi quòd inclinetur, & afficiatur ad suum principium, & locum generationis, scilicet quemadmodùm experimur in generatione naturali ignis, vel aliorum, quibus post mensuram, numerum, & formam datur pondus amoris naturalis ad locum suum, & hæc quidem materialiter in materialibus, in spiritualibus spiritualiter, sicut in Angelis, sic in anima rationali; immò sicut altiori longè modo in Verbo divino, quod ex forma divinalis Paternitatis sibi communicata consequenter inclinatur, afficitur, & inamoratur, & zelat per amorem suum spiratum, qui Spiritus sanctus est, redire ad Patrem circulo completissimo, ubi non differt *α & ω, principium & finis.* Et hæc circulatio in æternum est, fuit & erit, sicut Pater æternaliter dat formam suam Filio, & consequenter eandem vim spirativam communicat Filio, per quam vim spiratur concorditer Spiritus sanctus, amor utriusque.

Redeamus super alia duo dicta, primum, & secundum. Itaque secundum dictum est, quòd talis notitia non semper est intuitiva, vel propriè experimentalis rei dilictæ. Ratio manifesta est, quia non semper est notitia talis simplex, & immediata per objectalem, & immediatam motionem rei dilectæ, sicut supponitur, & crebrò videmus. Primum vero statim perspicuum est intuenti descriptionem notitiæ intuitivæ, & experimentalis, propriè dictæ. Nihil enim magis immediatè, & simpliciter, & per essentiam, & per objectalem actu præsentiam sentitur, quàm amor intimus, vel affectus, sit iste intellectualis, sit sensualis, sit de re præsente, vel absente, vel non existente.

A

Tollatur attamen calumnia super hæc, quæ dicitur de absentia rei dilectæ, vel non existentia ejus. Et dicamus cum Philosophis, & Theologis subtilissimis, quòd omnis res creata habet triplex esse, quorum quodlibet potest dici præsens suo modo.

Habet esse in arte divina, nec qualecunque esse sed divinum, & vitale, quod factum *in ipso*, scilicet Verbo, *vita erat.* Joan.I.4. Et qualis vita? Nimirùm illa, quæ est *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* ℣.9. Si quidem omnis creatura est in Deo, creatrix essentia.

Habet secundum esse in intelligentia angelica secundùm sapientiam quam effudit Deus super omnia opera sua, quæ ab initio creata est immediatè, angelica postmodùm de multis: hoc esse communicatum est omnibus in prima creatione, & in consequenti in omnium hominum illuminatione, & plùs, & minùs, clariùs & obscuriùs.

B

Habet tertium esse omnis creatura in proprio genere, seu materiali, seu spirituali.

Coaptemus distinctionem triplicis hujus esse ad rem nostram, & dicamus, quòd nulla res amari potest universaliter loquendo, nisi præsens sit amanti altero trium modorum præcedentium quæ referuntur ad duos, scilicet, ad modum præsentiæ essentialis in proprio genere, vel ad modum præsentiæ intentionalis, seu formalis, in sua cognitione. Undè Deus, si per impossibile non cognosceret creaturas, ipse non diligeret eas; quia in principio quod est Verbum creavit omnia, *portans omnia verbo vertutis suæ.* Hebr.I.3. Similiter in Angelis amor non esset ad alia à se, immò nec ad se, nisi tale quod amatur præsens esset essentialiter, vel intentionaliter diligenti, vel cognoscenti.

Objiceret aliquis, quòd insensibilia feruntur pondere suo ad loca sua, nec tamen ista cognoscunt. Responsum est priùs, quòd habent naturalem formam suam in seipsis, cui data est, & impressa talis inclinatio consequens formam.

C

Undè nec habet pro inconvenienti Doctor unus totus Seraphicus concedere quòd in omni re sit impressus quidam motus cognitionis naturalis, dirigentis quodam suavi impetu rem quamlibet in suum finem; sicut & in Angelis, sicut & in hominibus, sicut in animalibus per cognitionem supperadditam quasi formalem, & accidentalem. Sic in eisdem, quemadmodùm in ceteris, impressa est forma essentialis, qua spontaneè in brutis, liberè in intellectualibus, dirigit in proprium finem.

Verùm est quòd libertas, ut arbitraria est, non semper conformatur, & indè procedit peccatum quod corrumpit modum, speciem, & ordinem debitos addi per habitus, & actus virtuosos, ad libertatem naturalem, quæ, licet semper in se virgo sit, & pulchra, etiam in dæmonibus violari non possit in essentia sua, præcipitatur tamen à domino suo per inobedientiam arbitrariam libertatis, ut non exerceat naturale dominium suum, & quo prædita est dominium. Qua in re cecinit nostra tympanistria: *Dispersit superbos mente cordis sui*, Luc.I.51. Deponens potentes de sede naturalis sui dominii, non per suam, sed per subditorum rebellionem.

D

Consonat præmissis descriptio Dionysii de regno Dei. *Regnum*, inquit, *est omnis finis, & ordinis, & legis, & ornatus distributio*, ubi per totum orna-

ornatum, secundùm expositores accipitur *inclinatio naturaliter indita cuilibet naturæ, ut obediat suaviter Creatori.* Juxtà illud Sapientis à Philosophia deductum apud Boëtium. Quòd *Sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. VIII. 1.

Tempus est, & locus, ex præmissis solvere difficultates prætactas circà cognitionem nominis Dei intuitivam, experimentalem, & effectualem; sicut orat Ecclesia in Oratione præsentis Dominicæ: *Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis &c.*

Præsupponendo quid sit notitia intuitiva communiter dicta, quid propriè, quid propriissimè. Rursùs quid sit amor, vel affectus, & undè oriatur, & quemadmodùm affectus omnis experimentaliter cognoscatur, colligat se mens humilis, & videat quot concurrunt ad visionem gloriæ consummatam, ut de his quæ certa Fide credimus, & ex aliis quæ quotidiana nos docet experientia, citiùs attingamus ea quæ mediant inter cognitionem naturalem viæ & supernaturalem gloriæ. Illa verò sunt, quæ proveniunt hîc nobis per gratias speciales supernaturaliter inmissas, *prout unicuique dividit Deus mensuram Fidei*, Rom. XII. 3. donorumque suorum. Ista sunt specula, istæ species, istæ formæ, istæ theophaniæ, istæ caligines lucidissimæ, ista silentia sub quibus, & in quibus speculatur à nobis hîc, & nunc, Deus.

Concurrit ad visionem gloriæ lumen quadruplex, scilicet lumen potentiale, habituale, objectale, & actuale.

Lumen potentiale est ipsamet anima rationalis: remanet enim semper naturale lumen ejus, & substernitur tam gratiæ, quàm gloriæ, quicquid sit de aliis luminibus naturaliter acquisitis in actu, vel habitu.

Porrò lumen habituale præcipuum & principale, vocatur lumen gloriæ, correspondens lumini gratiæ in via, differens ab ea per esse consummatum, quemadmodùm doctrina communis docet de habitu charitatis, quòd manet idem in patria, quod *non excidit* secundùm Apostolum. 1. *Cor.* XIII. 8.

Ceterùm lumen objectale est ipse Deus se præsentans in objectali ratione, nulla specie mediante; propterea dicitur videri facie ad faciem, & sicut est, & oculo ad oculum.

Denique lumen actuale ponitur in actibus intellectus, & voluntatis, qui sunt visio, & fruitio, juxtà determinationem Extravagantis Benedicti.

Correspondent autem visioni, & fruitioni actualibus tres habitus, succedentes habitibus Fidei, Spei & Charitatis in via, quos tres dotes appellamus animæ Christo desponsatæ matrimonio per gloriam consummato.

Quamvis ab aliquibus ponantur dotes ipsi actus visionis, & fruitionis, sub quibus includitur actus qui dicitur tentio succedens spei viæ, & per appropriationem fruitio nominatur; si distinguamus dilectionem à tentione, vel etiam fruitione strictè sumpta, quæ delectationi propria est. Sicut in via ponitur in actibus, & habitibus gratuitis quædam trinitas virtutum Theologicarum; similiter ponitur suo modo in beatitudine trinitas in unitate luminis gloriæ. Hæc autem unitas in trinitate, & trinitas in unitate, vocatur beatitudo formalis. Si in habitibus, habitualis; actualis, si in actibus; sed objectalis Dei repræsentatio facialis, appellatur objectalis beatitudo.

Habeatur, quæso, præ manibus (ut ità loquar) præsens distinctio de duplici beatitudine, objectali, scilicet & formali; quia facit ad intellectum, & concordantiam Doctorum præcedentium tempus Decretalis.

Rursùm advertat unusquisque, quod memoriæ non abstrahitur beatitudo formalis in prædicta Decretali, quoniam memoria non facit specialem potentiam distinctam contrà intellectum in assignatione habituum virtuosorum, vel actuum; sicut nec vis irascibilis, contrà concupiscibilem ponit numerum.

Applicemus sermonem de hoc quadruplici lumine beatificato ad quadruplex lumen quod concurrit ad contemplationem viæ, dicentes quòd ex parte luminis naturalis in se non est variatio hîc, & ibi; sicut nec ipsa animæ natura essentialiter diversa est, præsertim in eadem anima, quicquid sit de perfectione essentiarum diversarum animarum, prout sonare videtur Articulus. Quia anima Christi non sit perfec-
A tior anima Judæ: error.

Dicamus de habitu gratiæ ad habitum gloriæ, quòd differunt penes imperfectum, & consummatum, similiter & actus ejus. Et ita de actu, & habitu Charitatis posset dici. Sed de habitibus, & actibus Fidei, & Spei, longè aliter quam in visione, & fruitione Patriæ; & hoc propter tertium lumen, quod nominamus objectale, quod est ipsemet Deus in se visus. Sicut ergo deficit hîc in via tertium illud lumen objectale, non quidem in se, quoniam ubique est; sed in ratione objecti clarè, & nudè, & immediatè in se visi; sic deficit, & differt visio, & tentio viæ à visione, & tentione Patriæ: nomen insuper Dei, quo se nominat, & manifestat in cœlo, à nominibus, quibus in terra nominatur. Quo super Sancto nomine recipe quæ sequuntur.

B Sanctum dicitur Dei nomen à sanctitate, quam Dionysius describens ait: *Sanctitas, est ab omni inquinatione libera, & perfectissima, & incontaminatissima puritas.* Græcè enim nominatur *agios, sanctum*, ab *a* quod est *sine, & ge, terra.* Potest autem hæc particula constitui per se, subintellecto verbo, quòd nomen Dei est, vel dicitur, vel eminet Sanctum.

Potest nihilominùs hæc sententia pendere, seu correspondere ad præcedentem, ut dicat Maria quòd sanctum nomen Dei fecit sibi magna. Si quidem omnis cognitio Dei, sicut est Fides, vel intelligentia, rectè vocatur nomen Dei. Constat autem quòd per Fidem, & assensum datum verbis Angeli, Virgo concepit Filium Dei.

Fecit te ergo beatam, quæ credidisti, fecit magnam nomen Sanctum Dei. Docent Sacramenta quàm magna sit in nomine Domini virtus ejus. Aut certè nomen hoc in similibus accipitur pro nominato, quòd est Deus.

C Sanctum nomen Dei, id est confirmatum per omnem creaturam, maximè intellectualem, quarum nulla subsisteret, nisi causa quæ dedit esse, influeret. Hinc canit Ambrosius.

Rerum Deus tenax vigor
Immotus in te permanens.

Et facit hoc ad præcedentem intellectum, de magna virtute nominis Dei.

Sanctum est nomen Dei, quià sanctificatum, id est consecratum, & dedicatum est in electis Dei ad ejus gloriam, laudem, & obsequium. *Sancti eritis, quia ego Sanctus sum, dicit Dominus.* Levit. II. 45.

Sanctum est nomen Dei, quia sanctificatum Legibus æternis, quod nefas est violari. Clamant Seraphin, *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Ad insinuationem Trinitatis personarum jungebant ad ter *Sanctus*, nomen hoc, *Dominus Deus Sabaoth*, quia Trinitas est in personis, unitas est in essentia, cujus opera participant tripliciter, imitatione internæ sanctitatis, & æternæ. Nomen Dei unicum est, sibi soli cognitum; propter-
D eà non potuit ab aliquo alio à se imponi, vel effari plenè & propriè, quia naturam suam cum suis proprietatibus solus comprehendit; dicitur hinc *inhabitare lucem inaccessibilem*, 1. Tim. VI. 16. nec non ineffabilis, & innominabilis, esse laudatur. Nomen Dei datum est Christo, *quod est super omne nomen*: Philip. II. 9. sic ad proprietatem reducendo, factum est per Incarnationem, ut homo esset Deus, & Deus homo per communicationem idiomatum, & nominum.

Nomen Dei singulariter inter puras creaturas eminet in Maria, quæ *illuminans*, vel *illuminata.* per interpretationem nominatur, & *Domina.*

No-

Nomen Dei sumptum à creaturis sic est omnimodum, quòd ab omni creatura usque ad infimam potest sumi notitia quædam rei, & indè nomen quo cognoscatur imponi, & formari. Ratio, quia quælibet est vestigium, vel imago trinitatis, secundùm exemplaris tria appropriata, & secundùm triplex genus causæ, efficientis, formalis, & finalis. Deus sicut potest nominari secundùm suas creaturas, sic potest ab homine (qui creatura antonomasticè mundi dicitur, participans cum omni creatura) videri, & intelligi, *nunc per speculum, & in ænigmate*, verba sunt A Apostoli. 1. *Cor*. XIII. 12. Deus in suis, & ex suis creaturis potest dici intuitivè videri, si visio intuitiva largissimè sumatur; primò prout generaliter omnis perceptio objecti simplex, etiam immediata, dicitur intuitiva, sive objectum sit realiter præsens in se, sive per suam speciem, seu similitudinem tantummodò.

Constat enim, quòd omnis res, sive extra animam, sive intra gerit similitudinem Dei: potest enim homo intelligens, id est intus legens, & credens, ferri in notitiam objecti cujus est hæc similitudo, vestigium, species, vel imago. Secùs de brutis, & hebetibus, qui Deum, & ejus signa, & verba, voces, & species, & specula non assumunt, nisi ut sunt res quædam ad aliud non revelatæ. Deus experimentaliter cognosci potest, aut percipi à creatura mundi viatrice, etsi non in se, tamen in sua objectali ratione, vel imagine, seu similitudine, tam extrà quàm intrà.

Sequitur ex præcedenti juncto corollario uno, quo B dictum est, omnem notitiam propriè intuitivam esse experimentalem, & è contrà. Deductio patebit infra *in Tractatu: De mente cordis*. Similiter definitio sapientiæ, quæ supremum locum tenet in nominibus Dei pro statu viæ: quam ità descripsit Dionysius. *Sapientia est divinissima Dei cognitio, quæ est per ignorantiam cognita, secundùm unitionem supereminentem, quando mens ab aliis recedens, postea etiam se ipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis, inscrutabili, & profundo sapientiæ lumine luminata*. Deus si negetur hìc cognosci experimentaliter, vel intuitivè, vel etiam quidditativè, vel quià nescimus hìc de Deo, quid est, sed quid non est; quia cognoscitur per ignorantiam, ut dicit definitio nunc inducta: oportet ad concordiam Doctorum sanctorum nostris uti distinctionibus, quæ rationabiliter ab utrisque possunt admitti.

Una distinctio jam posita est de notitia mediata, & immediata.

Altera similiter inducta est de notitia intuitiva, quæ C rationabiliter apparebit, si consideremus consequentias istas, & similes non valere. Hæc res est intellecta; ergò hæc res est. Hæc res est imaginata; ergò est. Hæc res est intuitivè visa per suam speciem; ergò est. Sicut nec ista. Hæc est res cognita à Deo intuitivè per suam essentiam; ergò ista res est; demonstrata re quæ est solum possibilis, nec fuit, nec erit.

Tertia distinctio est de quidditativa cognitione rei. Cognoscitur itaque res uno modo secundum quid nominis, sicut chimera cognoscitur, quia scimus quid hoc nomen significat scilicet, chimera.

Secundò dicitur res cognosci quidditativè quando scitur quià talis res est actu, aut sub quadam generalitate cognoscuntur aliquæ suæ proprietates, & causæ. Si non admittitur hoc membrum distinctionis, vix relinquetur aliqua cognitio quidditativa de rebus etiam creatis, & visibilibus. Tertio modo pro- D priissimè quid est de re scitur, dum ipsa cognoscitur per suam causam proximam, & totalem. Sic enim intelligitur illud Philosophi: *Scire, est rem per causam cognoscere, quoniam illius est causa &c.*

Cognoscimus hìc quid est Deus duobus primis modis. Tertius vel est proprius Deo soli, vel communicatus beatificæ visioni, ubi facie ad faciem videbitur sanctum nomen ejus, cantabitur in idipsum: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. 1. 46.

TRACTATUS
SEXTUS
DRAMATICUS
SUPER HOC VERSU.
Et misericordia ejus à progenie in progenies &c.
UBI DE LAMENTO MARIÆ,
Per Notulas centum.
PRIMA NOTULA.

ET *misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*. Luc. 1. 50.

Discipulus. Sentio quemadmodùm consonat in Cantico suo Maria cum Patre suo, cujus in uno David psalmo est initium: *Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*. Ps. C. 1. Timor itaque venit ex consideratione Judicii. Quid est igitur in hoc cantico, jungere misericordiam cum timore, nisi misericordiam & Judicium pariter cantare? Quid præterea misericordiam & timorem Deo psallere, nisi exultare cum tremore. Sunt in hoc cantico tenor justitiæ, & mollis cantus misericordiæ. Sed quæstio est: si Maria junxerit cantans, & conferens in corde suo, cum spiritûs exultatione lamentum miseriæ, præsertim quia dictum est, quòd in omnes affectionum voces se cantantis Mariæ variabat affectus. Sic enim levius induci potuerimus nos peccatores, semper cum lætis miscere tristia, desiderare lectulum sponsi, sed timere speluncam inferni; gyrare per Meridiem, sed flecti ad Aquilonem; sperare de misericordia, sed timere Judicium; scire tempus ridendi, & tempus flendi. Si spes elevat ad præsumptionem, deprimat timor, sed non ad desperationem. Resiliat timor ab horrore severitatis ad placorem benignitatis. Dicat omnis Christianus. *Impulsus eversus sum, ut caderem*, propter miseriam iniquitatum mearum, *& Dominus suscepit me*, Ps. CXVII. 13. secundùm multitudinem miserationum suarum.

Magister. Lamentata est absque dubitatione cum multis tunc apud Dei aures mentis suæ ploratibus Virgo Beata. Absit, ut imitaretur inertiam Judæorum, quam, sub inducta parabola puerorum in foro ludentium, damnavit Christus; *Cecinimus vobis, nec saltastis; lamentavimus, nec plorastis*. Luc. VII. 32. Judæi si quidem (si per allegoriam loquimur) neque Christum manducantem cum eis, nec Joannem abstinentem in eremo susceperunt, sed utique detraxerunt. Sic mente corrupti homines omnia ad suum trahunt interitum, quemadmodùm ægris auribus nec carmen placet, nec lamentum; ut in corporalibus non minùs spiritualibus cantibus, & auribus.

Discipulus. Offert ergò quæstio, dùm sederimus super flumina Babylonis hujus exilii, quid eligibilius sit, vel cantare, & saltare; vel lamentari, & plorare.

Magister. Nonne solutionem aperit nobis, qui de sedentibus *super flumina Babylonis*, & flentibus, subjungit: *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra*. Ps. CXXXVI. 2. Deinde: *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?* ℣. 4. Legimus, Christum crebrò plorasse, & doluisse; exultasse spiritu semel. Maria semel exultavit in Cantico. Joannes, cujus hodiè (dum hæc scribimus) Decollationis Dies agitur, exultavit semel in utero. O quotiens Mariæ animam doloris gladius pertransiit. Joannes exemplar, & præ-

præco pœnitentiæ, non minùs operibus quàm prædicatione, quotiens benè creditur lamentasse? Saltat Herodiadis filia cum gaudio, & pretium saltationis sibi datur *caput Joannis in disco.* Joan.vi.25. *Egrediuntur* (inquit Job. xxi. 11. 12. 13. de gaudentibus,) *quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum & citharam, & respondent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et quid Ecclesiastes denunciet audi: *Melius est ire ad domum luctûs, quam ad domum convivij.* Eccle. vii.3. Et iterùm: *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi: cur frustrà deciperis.* Cap.ii. 2.

Discipulus. Nolo vexent te allegationes hujusmodi quæ suppetunt absque numero, de gaudio, vel tristitia stultorum, qui dum lætantur, insaniunt; dum tristantur, furiunt. Sit colloquium præsens de lamento sponsæ, dum adhuc peregrinatur à sponso, postquàm de canticis, & epithalamio satis abundè confabulati sumus.

Magister. Fiat ut vis; & undè vis exordiamur. Puto, quòd à lamento languoris sponsæ quærentis sponsum in lectulo quietis scilicet, per noctem cognitionis ænigmaticæ, & non invenientis; sed neque per vicos, & plateas civitatis, dum anxia circumit, & discurrit, dum adjurat filias Jerusalem civitatis, *quæ est libera mater nostra* per obsecrationes ardentis desiderii. *Si inveneritis*, inquit, Cant. v. 8. *dilectum meum, annuncietis ei, quia amore langueo.*

Discipulus. Immò priùs sentio conferendum de lamento sponsæ, cui sponsus ob turpitudinem suam, deformitatemque dedit Libellum repudii, quià vetula scilicet & rugis arata, quià deposita à sede stabilitatis, & honoris, sedet in pulvere vanitatis, aut vagatur egressa post vestigia gregum illorum qui ab unitate gregis sponsi se separant, aut certè famelica, inanis, & egens effecta, pascere quærit hædos fedorum desideriorum *juxta tabernacula pastorum*, quæ sunt conventicula hæreticorum istorum, qui verbis & exemplis, ab ovili Pastoris unius quod unicum est, se dividunt, non amici, sed ficti sodales effecti: Fallor si non sponsus tales, vetulas & rugosas, vagas & esurie consumptas, notabat *pulcherrima mulierum*, quamvis genere masculino loqueretur. Non enim est in amore spirituali *masculus, aut femina.* Gal.iii.28. Dixit ergo de sponso: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. i. 51. Itaque sicut, te docente, didici pulchritudinem consistere in veritate, & bonitate; sic oportet, quòd ex istorum carentia resultet turpitudo.

Magister. Sagaciter advertisti; undè verò reputas tale incommodum turpitudinis odiosæ accidisse sponsæ?

Discipulus. Nimirùm ex ignorantia sui, & superbia, quorum quodlibet aut divortium, aut repudium operatur. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi.* Cant. i. 7. Ecce de ignorantia. Porrò de superbia Vasti legimus, & in cantico Mariæ de superbis audivimus potentibus, & divitibus, nec alicujus (ut dicunt) egentibus, & nesciunt quià miseri sunt, miserabiles, pauperes, cæci & nudi, quales evomit à se Deus; quales dispergit *à mente cordis sui* sine modo; nec non de sede veritatis deponit sine numero; demùm inanes sine pondere bonitatis, ordinisque dimittit.

Magister. Loqueris secundùm tropologiam, & allegoriam, quæ repudium hujusmodi variis locis notant in Scripturis, maximè Prophetis, in Isaïa, Ezechiele, Jeremia, cum ceteris. Isaïas primò sub typo vineæ electæ, quæ debuit *facere uvas*, & *fecit labruscas*; Isaïæ v.4. posteà sub figura Tyri: xxiii.16. *Sume citharam* pœnitentiæ, *circumi civitatem* Ecclesiæ, vel cælestis patriæ, per orationem, *meretrix oblivioni tradita*, id est, repudiata, *benè cane, & frequenta canticum* per petitionem veniæ, *ut memoria tui fit* per reconciliationem misericordiæ. Talem deplorat Jeremias. *Et egressus est*, inquit, *à filia Sion omnis decor ejus.* Thren. i. 6.

Discipulus. Scio, multa sunt in hanc sententiam, quæ triplicem statum sponsæ notant. Quædam est reconcilianda per abjectionem turpitudinis, ut istæ quas loquimur ignorantes, & superbæ. Quædam exercenda ad nitorem pulchritudinis. Quædam citiùs introducenda ad fecunditatem generationis. Sic quæruntur Assuero virgines, quæ primò segregantur à

A populo; dehinc decorantur pigmentis variis in triclinio; demùm collocantur in thalamo. Sic filii Israël primò fugiunt ab Ægyptis, & submerso Pharaone, per Baptisma fluminis, aut flaminis, transeunt mare rubrum; posteà transeunt per desertum; tandem, Jordane transito, comedunt terræ promissionis fructum. Hæc est via trium dierum, post quod triduum reperitur Jesus in Templo cœlorum in medio seniorum Sanctorum suorum.

Denique triplex iste status divisione dividitur, incipientium, proficientium, & perfectorum. Nunc est quæstio, quid cuilibet huic statui sponsæ sit eligibilius, an exultatio vel lamentum?

Magister. Oportet nos addere dictis prioribus primitùs distinctionem de lamento. Unum est in sola ratione, non redundans passionaliter ad sensualitatem, & hoc appellatur displicentia, vel odium, vel detestatio, vel abominatio liberè elicita per judicium rationis. Sic proportionabiliter de gaudio, & deside-

B rio, & ità generaliter de omni nomine passionem sonante, competit accipere suo modo.

Lamentum aliud est quod oritur & radicatur in sensualitate, aut ortum in ratione derivatur, & redundat ad cor sensuale; non aliter de ceteris affectibus, quos Philosophi solas propriè voluerunt dici passiones, quæ sensum afficiunt, & quodammodò affligunt.

Ampliùs verò, ut modò notabatur, lamentum unum est temporale, hoc est pro solis temporalibus incommodis apprehensis à ratione pœnæ afflictivæ. Aliud spirituale, pro solis malis culpæ, apprehensum sub ratione offensæ divinæ bonitatis, & justitiæ.

Lamentum pœnæ habent damnati, non lamentum culpæ, ut offensiva fuit, aut est divinæ justitiæ, qualiter est in viatoribus plurimis invenire. Quibus præsuppositis, & aliis declaratis per Doctóres; quatuor tibi præsentabo theoremata, aut paradoxas; id est,

C gloriosas & vix credibiles propositiones, de lamento culpæ; prout est offensiva divinæ justitiæ. Hoc enim solum propriè est laudabile, & meritorium, nec potest procedere nisi ab electione libera voluntatis.

Lamentum offensæ divinæ, quò majus, intensiusque fuerit in sponsa, eò majorem causat in ea spiritualem lætitiam. Hoc sentiebat qui confitebatur Domino dicens: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Ps. xciii. 19. Rursùs si simpliciter ad simpliciter, magis ad magis, & maximè ad maximè, secundùm regulam Philosophi. Regula verò Christi vera est, quòd lugentes consolantur, quòdque tristitia sua vertatur in gaudium post lamentationem, & fletum (teste Sara juniore) consolationem infundit; ergò magis lugens magis consolatur, & maximè, maximè.

Lamentum offensæ tantò magis est in sponsa, quò fuerat ipsa perfectior in via. Patuit in anima Christi

D secundùm portionem inferiorem. In Maria verò, & in Paulo & in similibus, secundùm etiam superiorem mentis apicem. Undè jurabat Apostolus, quòd propter fratres Judæos nolentes credere erat sibi *continuus dolor* in corde, adeò ut exemplo Moysi peteret *anathema esse à Christo, pro fratribus*, Rom. ix. 2. 3. quasi deletus de Libro vitæ: cujus intelligentiam alibi didicisti. Legis insuper exhortationem Apostoli: *Gaudete in Domino semper, iterùm dico gaudete.* Philip. iv. 4. Ipsum nonne putas quod hortatur observasse?

La-

Lamentum offensæ redundans in sensualitatem sponsæ, fortitudinem indicat eò majorem in sponsâ, ceteris paribus, quò lamentum plùs sentitur in sensibilibus. Pro cujus intellectu cum similibus, utilis est valdè distinctio juncta prioribus, quòd lamentum quandoque procedit ab objectis exterioribus immutantibus primò sensus quinque deforis, vel alterum de eis.

Deindè transeunt ad interiores sensus, qui radicaliter sunt in corde, & in cerebro completivè; & tandem immutatur ratio inferior, vel superior simul cum inferiore; & hic est processus naturalis communior. Aliquando verò fit ordo conversus, non adversus, quòd ex actibus rationis utriusque liberè derivantur immutationes ad cor carnale, & consequenter ad cerebrum, post ad sensus exteriores, ut ad oculos per lachrymas, aut ad linguam per clamores, & ad manus complosiones, mille modis pro qualitate passionum, rationis imperio. Loquitur propositio de hoc processu secundo. Cujus hæc est probatio, quòd majoritas effectus, attestatur majori fortitudini suæ causæ.

Attamen actus activorum, quià sunt in patiente disposito, posuit propositio nostra, ceteris paribus, non ignorans complexiones sponsæ hujus, aut illius varias, secundùm dispositiones ad lamentum, vel lætitiam; ad metum vel ad spem cum similibus, quorum causas expedit esse cognitas à devotis, quorum notitiam Theologi & Oratores accipiunt à Philosophis & Medicis. Per rationem quidem à Philosophis, & à Medicis per experientiam. Qua super re nostrum habes de passionibus Opusculum.

Lamentum redundat eò faciliùs ad cor sensitivum sponsæ, quò fuerit, ceteris paribus, minus in ipsâ de lamento solius pœnæ, minus quoque de reliquis passionibus sensitivis, ratione commodi solius, vel incommodi temporalis. Fundatur hæc propositio in Apostolica doctrina, cujus rationem explicat propositionis nostræ causa. Ait namque Apostolus. *Gaudeo, non quia contristavi vos, sed quia contristavi ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundùm Deum; ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.* 2. Cor. VII. 9. 10. Ecce ista quæ posita est distinctio sub Apostolicis verbis, paucioribus exposita, quòd quædam est tristitia secundùm Deum, quædam sæculi, vel secundùm sæculum. Una vitam, quia salutem; altera mortem, quià salutis suffocationem operatur. Porrò tàm Apostolicum, quàm nostræ propositionis verbum, Philosophica cum Theologica ratione monstratur, si teneamus illud vulgare, vel magistrale metrum:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Quod Satyricus aliter explicat:

Pectora nostra duas non admittentia curas,

Si igitur fuerit occupata, distractaque ratio superior cum inferiori, immò quandoque submersa, & penitùs in usu suo præpedita per lamentum sæculi; consequens est, ut vel minor, vel omninò nulla fit ad tristitiam secundùm Deum, seu lamentum culpæ liberum. Proportionabiliter de gaudio debet dici. Habes ecce quatuor propositiones, quæ quoquo modo tuæ petioni satisfaciant, mente pertracta.

Discipulus. Salubria quidem sunt quæ dicuntur; supersunt tamen aliqua diffusiùs exponenda. Non enim ratio primæ propositionis assignata est, sed authoritates inductæ, quæ possunt intelligi de gaudio non viæ, sed patriæ, quando servus bonus, & fidelis audiet: *Intra in gaudium Domini tui.* Matth. XXV. 21.

Non prætereà calumniabilis est secunda propositio de sponsâ non habente conscientiam peccati, qualis indubiè fuit anima pulcherrimæ mulierum. Sed nec assignatus est modus concordandi propositionem simul & Apostolica verba, *Philip.* IV. 4. quibus jubet in Domino gaudere semper, & iterùm gaudere: si semper oportet sponsam etiam perfectissimam, secundùm te torqueri lamento. Ampliùs qualiter opposita simul stabunt, lamentum cor constringens, & dilatans lætitia. Porrò tertia propositio videtur inniti totaliter distinctionibus devotionis, ad causas naturalis rationis, seu dispositionis sensualis.

A Deniquè contrà propositionem quartam cum sua declaratione ponit Gregorius, quòd *mala quæ hìc nos premunt*, & utique lugere faciunt crebrò, secundùm sæculum, *ad Deum nos ire compellunt*, juxtà parabolam Christi de Rege dicente ad servum: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Luc. XIV. 23. Sic Hebræi, compellentibus Ægyptiis, tenebrosam Ægyptum sunt egressi. Alioquin flagella suæ iracundiæ immitteret frustrà Deus, præsertim in electis, ut in sponsâ, seu reconcilianda, seu decoranda per exercitium, seu ad sponsum proximiùs introducenda.

Magister. Jure expostulas; sed non omnia pariter dici poterant. Et quidem ratio primæ propositionis quæ ponitur de gaudio viæ simul cum lamento, taliter accipitur. Desiderium quanto ferventius & efficacius fuerit, eò (ceteris paribus, ut semper intelligi volumus) dùm impletur, est causativum intensioris B lætitiæ. Sicut enim desiderium quod differtur, affligit animam; sic oblectat dum impletur. Quis verò nesciat sponsam pro culpa lamentantem secundùm Deum, desiderare plurima, quæ lamentum implet, saltem probabili conjectura. Desiderat quandoque reconciliationem per absolutionem culpæ: hanc efficit lamentationis contritio. Desiderat absolutionem pœnæ: hanc efficit, & operatur in toto, vel tanto lamentans confessio, vel satisfactio. Desiderat augmentum gratiæ, ac perindè gloriæ.

Nonne promovet ad hoc lamentans oratio, vel affligens jejunium, vel depauperans largitio, quæ semet exinanivit bonis fortunæ, vel naturæ, vel gratiæ, aliis miserendo? Rursùm desiderat sponsa lamentans purgationem à scoria peccatorum, renovationem quoque pulchritudinis, & augmentum per lavacrum lachrymarum, debilitationem fomitis, & submersionem mystici Pharaonis diaboli: libidinosæ prætereà commotionis, & luxuriæ magnæ extinctio- C nem, cujus oblivionem facit tristitia unius horæ. Quid morarer per singula, cum nemo possit verbis lamenti secundùm Deum, exæquare valorem. Sufficiat Apostolus, ubi suprà 2. *Cor.* VII. 11. reddens rationem sui gaudii, quià contristaverat Corinthios secundùm Deum. *Ecce enim hoc ipsum secundùm Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio.* Jungamus officium hoc unum lamenti secundùm Deum, quòd nihil efficacius ad contemplationis quietem, nihil admirabilius ad mentis illuminationem serenam, quàm profundè lamentans compunctio.

Sententia est venerabilis, & expertissimi talium, Richardi, cui consonant Sanctorum verba multis locis de præconio humiliati cordis.

Deniquè lamentatio secundùm Deum quantò mi- D nus habet de complacentia secundùm sæculum, tantò minùs suspecta est, tantò securior à latente superbia; nisi fortè quis diabolico monstro gignat superbiam ex suo contrario, quod est humilis lamentatio.

Ceterum, propositio secunda loquitur de lamento culpæ, non propriæ, sed alienæ potiùs, quale Christus suscepit pro nobis, cui Virgo, Mater, sponsa, soror, & filia super omnes charissima, se absque ulla dubitatione conformavit; adeò quòd ultronea voluntate consensit, dilectum suum ex dilecto, & amicum per amorem, & filium talem pro nostra redemptione cru-

crucifigi, cujus Redemptionis post Filium fuit desideratrix maximè, fuit & zelatrix. Ideo donec compleretur, nedum sufficienter pretio Passionis soluto pro omnibus, sed etiam jugiter, & efficaciter in singulis nondum damnatis ipsa, quoad vixit, amarissimis Deum sponsum, & inenarrabilibus gemitibus postulabat, frequenter quoque cum clamore valido & lachrymis, exaudita est pro sua reverentia.

Demùm quatenùs nunc beata, & impassibilis facta exaudiatur, lamentando tunc meruit. Petis rationem intentioris tristitiæ in sponsa, quæ diligit intentiùs; dat istam perspicuè consideratio philosophica, juncto Fidei lumine. Cùm enim tristitia sit apprehensio objecti sub ratione disconvenientis; quantò fuerit apprehensio fortior, & clarior objecti sub ratione disconvenientis amplioris insinuati, constat indè sequi lamentum proportionabiliter intentius. Constat proindè, malum culpæ improportionabiliter deterius esse quocunque malo pœnæ. Quibus attentis, quid super est concludere, vides.

Miraris autem, quomodò summum lamentum stat cum continua lætitia. Solet hoc tractari abundè per Doctores de passionibus Christi cum beatitudine gaudii; quòd non oportet in beata Maria, non in Paulo, vel Moyse, vel Magdalena, cum similibus in via, ponere gaudium, vel lamentum in summo continuum fuisse, sed interruptum frequenter, aut alternatum successivè, nunc remissiùs, nunc intentiùs, pro loco & tempore, secundùm alternas meditationum suarum volubilitates circa cardinem suum Deum, pro modulis exercitationum. Ita enim videre est in aliis viatoribus, ipsos diversimodè secundum gradus, officia, status, ceterasque vicissitudines circumstantiarum exerceri. Hoc vidit qui dixit: *Omnia tempus habent*; Eccle III. I. prosequens per plurima.

Subindè nullus Catholicorum negaverit, qui tenorem Scripturæ sacræ veteris, & novæ; qui narrationes sanctorum Patrum cognoverit, Antonii, Macharii, Martini, & similium, per tentationes diabolicas, non in affectionibus carnis, ac spiritus impugnari, quemadmodùm boni Angeli nos adjuvant. Quæ tentationes, & adjutoria, non sine sensuali passionum immutatione naturali; quamvis non naturaliter, sæpè fiunt, sit hoc à cœlo, sit à terra, sit ceteris modis multis.

Postrema objectio tua de tribulationibus procedit ex æquivocatione. Passiones quippe sensuales non ex judicio rationis provenientes, sed quadam necessitate naturali sensibus impressæ, non sunt ut sic dicendæ passiones humanæ, sed animales. Sunt ob hoc impertinentes ad laudem, vel vituperium, prout tales sunt.

Dicuntur ideò per Cassianum bona, vel mala media, quibus uti contingit, benè, vel malè, per liberum arbitrium. Loquitur autem conclusio de lamento, & tristitia sensualibus, virtualiter, seu participativè liberis, quià liberè imperatis, vel receptis. Tunc enim dicitur tristitia secundùm sæculum, similiter & gaudium, vel timor, vel desiderium, quando sola radix est amor suiipsius usque ad contemptum Dei. Alioquin si referatur in Deum per amorem ejus super omnia (cum in habentibus symbolum facilior sit transitus) ceteris paribus, tristitia sensualis augebit rationalem, & lætitia lætitiam, nisi de per accidens proveniat impedimentum ratione temporis, aut loci, vel complexionis, aut circumstantiæ alicujus quam tunc observare suadet virtus, & ita symbolicam similitudinem variare decet, quando plus obesset, quam prodesset.

Discipulus. Diu jam, dum sedulus attendi quæ dixeris, volvebat animus dubitationem quam modò verbis multis posuisti. Cum enim pro statu viæ confusa, aut saltem mixta sint omnia, spes, metus, mæror, gaudium, apud sponsam cujuscunque fuerit, etiam supremi, & incomparabilis status, qualem tenuit Maria beata *pulcherrima mulierum*: non absurdè quæritur, quale sit exercitium laudabilius, pulchrius, atque nobilius, vel exultationis, vel lamentationis?

Magister. Videtur devotus Bernardus, loquens de unguentis sponsæ, pietatis unguentum præponere pretiosius esse unguento devotionis, & unguento contritionis. Hoc ultimum suffunditur ad pedes Jesu. Secundum ad caput, quod est Deus, quià *caput Christi Deus*. I.Cor.XI.3. Tertium ad corpus suum ungendum, quod est Ecclesia nunc militans: quæ unctio fit per miserationem alienorum peccatorum, sicut primum conficitur ex fecibus contritis propriorum criminum in mortariolo cordis per pilam timoris. Secundum verò conficitur ex redolentibus herbis diversorum beneficiorum per pilam, seu pistillum Spei contusum in petra meditationis. Consonat Gregorius, & eum sequens Richardus *in suo Benjamin*, quòd nullum Deo acceptabilius sacrificium, quàm zelus animarum, qui tam trito affectu plangit peccata proximi, quàm trito quivis alius peccata propria lamentatur; immò pluri affectu, quia puriori, & perfectiori, potentiâ mentis, & corporis, ad lamentum secundùm Deum dispositâ.

Discipulus. Si res ità se habet, inæstimabilis est nobis exhibita sperandi materia apud dilectissimam, & apud amantissimam feminarum; & consequenter apud Sanctos, Sanctasque omnes, juxta proportionem meritorum. Itaque si pro peccatoribus salvandis cum tanta lamentorum anxietate precabatur, quid agere nunc ista fornax suæ charitatis imperturbabilis, & impassibilis speranda est?

Magister. Piè, verèque concludis. Quid si superaddidero propositiones aliquas veræ Fidei, & bonæ Spei, de Beata nostra? Prima, quòd nihil absoluta voluntate petit à Deo, quod non obtineat; alioquin non esset idem velle & idem nolle sponsi, & sponsæ; sed dissolutio amicitiæ, qualis hìc esse nequit. Rursùs nemo petit Mariam pro se piè, & perseveranter in nomine Jesu Salvatoris sui, hoc est, ad salutem, quin illud Maria velit absoluta voluntate compleri. Rursùs Maria voluntate pietatis, quæ dicitur optatio quædam adjutorii, petit, & obtinet, nunc efficaciùs à Deo, quàm voluntate simili, sed passibili, dum actu dolebat in mundo. Hoc intelligit Bernardus, dum dicit: *Maria si perdidit passionem, non tamen compassionem*.

Rursùs Maria tripliciter adjuvat viatores. Impetrativè, si non meritoriè, propter statum.

Commissivè per aliquos Angelorum, vel Sanctorum quales voluerit destinare, cum sit suprema hierarchizans post Filium, purgando, illuminando, & perficiendo. Cooperativè quandoque, per principalem sui donationem, secundùm testimonia miraculorum multis exhibita, tàm in morte, quàm in vita. Narrat Anselmus, cuidam morienti astitisse Mariam, & interrogata quænam esset? respondit: *Ego Mater & Regina misericordiæ*. Rursùs ergo Maria potest, ut cuivis in suo exitu præsens consolatrix, ductrix, & protectrix existat. Non aliter suo modo dicere potuimus de omnibus Sanctis singillatim ad robur certæ Spei.

Discipulus. Grata sunt ista, devotionisque plenissima. Vellem igitur suscipere sub doctrina tàm speculativa regulari, quàm practica velut experimentali, quis sit orandi modus, maximè provocativus ad lamentum.

Magister. Tradit Orator Tullius certos locos secundùm quos amplificatur miseratio, similiter & indignatio, quos tibi possum nunc numerare, & ad lamentationis excitationem inducere, qualiter à nonnullis comperi factum super Lamentationes Jeremiæ.

Discipulus. Placeret adaptatio, si non fastidiret prolixitas, & non rapina quædam videretur appropriativa sibi traditionis alienæ, quæ omnibus patet ultrò.

Ma-

Magister. Veritas à quocunque dicatur, est communis omnibus, & singulis, quæ per generationes se transfert, ut loquitur sapientia. Non enim caruit Cicero priorum doctrina. Sic de Rhethorica Aristotelis, quæ causas dat, & radices passionum. Sic de Tractatu Orationis per Hugonem studiosissimè, compendiosissiméque condito. Sic de Rhethorica divina Guillielmi Parisiensis. Sic de Meditationibus Anselmi, Bernardi, Augustini, Isidori, & similium fas esset nos remittere ad Autores, & nihil; quòd non noviter efficeremus afferre; ne corniculam alienis ornatam plumis, risui nos præberemus.

Discipulus. Non ita certè desipio, non ita glorior in arrogantia novitatum, ut ita sapiam. Sed consilio Senecæ sint apes imitandæ, colligentes ex multis floribus favos mellis; itaque materiam afferre non possumus, nisi communem toti sæculo. Forma verò potest esse nostra; ut elementa communia sunt, sed per formas mixtorum in species distinguuntur. Cuperem hoc modo fieret inter nos. Modus enim tractandi quasi formalis est, tollens sui novitate fastidium, & invitans, vel irritans ad assensum.

Magister. Tradidimus in alio Tractatu *Super initium cantici Mariæ* quinque verba, ad quæ totam Scripturarum seriem diximus reducibilem, & secundùm quæ cantabilis est omnis melodia passionum.

Discipulus. Mente teneo. Sunt enim ista quinque, Dei magnificentia, munificentia, misericordia, justitia, & nostra miseria.

Magister. Quid si ad pauciora reduxero, simul ostendens concordiam Rhetoricæ mysticæ, divinæque, cum sæculari.

Discipulus. Placeret audire. Brevitas enim, memoriæ, simul & ordinis, & luciditatis est amica. Magnam quoque soliditatem habet in se doctrina quælibet, quam fundat natura rerum, à quibus, quia nesciunt mentiri, gloriabatur Aristoteles, tam multa didicisse, & physicè, id est, naturaliter didicisse.

Magister. Celeberrimus Hugo pinxit sicut in tabula parva, radices Rhetoricæ naturalis orationis insinuando coloribus. Orator quippe nominatur ab orando. Undè nomina provenerunt orationibus Tullii, Demosthenis, & similium: sic autem incipit. *Quo studio, quove affectu orandus à nobis sit Deus, ex Dei misericordia, & nostra miseria &c.* Positis subindè speciebus orationis cum definitionibus, colligit se tandem ad tria, quæ propriè sunt Oratorum captantium Judicem inflectere. Primum respicit personam Judicis. Alterum personam ipsius adversarii. Tertium respicit personam, pro qua fit oratio. Hæc vero tria Theologicè reducuntur ad duo præmissa, scilicet, ad Dei Judicis misericordiam, & ad nostram miseriam.

Discipulus. Quo pacto sic? cùm indignatio, & immiseratio maximè, solent amplificari ab adversariorum insolentia, crudelitate, malitia, fraude, dolo, astutia, facinore, nequitia, protervia.

Magister. Dicam illud quod Theologiæ proprium est, attendere scilicet, adversarium nihil posse ad augmentum nostræ miseriæ, Deo non ordinante, vel permittente.

Propterea Job afflictus, & Orator peritissimus, post tot adversantis satanæ crudeles injurias, & persecutiones, oraturus Judicem Deum pro liberatione sua, convertit totam adversarii machinationem, & tyrannidem in Deum Judicem suum per humilem confessionem. *Dominus*, inquit, Job. I. 21. *dedit, Dominus abstulit.* Non impugnat maledictum satanam, nec insectatur ut raptorem, & persecutorem: *Dominus*, inquit ibidem: *abstulit. Sit Nomen Domini benedictum.*

Denique percussus plagâ pessimâ, scimus quid responderit mulieri blasphemare suadenti. *Quasi una*, inquit, Job. II. 12. *ex stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus.* Ecce mala se de manu Domini, non satanæ, confitetur accepisse. Huc accedit, quòd omnis adversantium crudelitas ad nostræ cumulum miseriæ retorquetur, si non auferat istam, aut comprimat, aut in melius vertat Dei Judicis misericordia. Nulla sanè major miseria, quàm si, remota pietate, velit nos cum severitate tractare. Vides, arbitror, quemadmodùm theologizantium oratio fundatur in Domini pietate, & in misericordia, cùm cernant pietatem unam Dei, alteram Sanctorum Sanctarumque omnium, qui sunt tanquàm Assessores Judicis habentes in consulendo, in sententiandoque vocem suam. Porrò justitia Dei spectat ad severitatem punientem per tortores, scilicet dæmones, vel homines pessimos, offensas peccatorum.

Denique quicquid patimur, undecunque proveniat, quid nisi calamitas nostra, quid nisi miseria nostra censebitur, si non in melius vertat Judicis misericordia? Et certè salubriùs est, humiliùs, atque modestiùs totam adversariorum debacchationem, fremitus, & hostilitatem devotis protinùs Fidei oculis retorquere ad ineffabilem divinæ providentiæ Legem, quàm ad tortorum, nihil absque suo nutu valentium, crudelitatem, & iram convertere. Mentior si non ita practicaverit Psalmista. *Cùm tribularer*, inquit, *ad Dominum clamavi.* Psal. CXIX. I. Et *Levavi oculos meos in montes &c.* Psal. CXX. I. *Ad te levavi oculos meos &c.* Psal. CXXII. I. Et alibi alios sine numero à sacris Litteris narratos invenimus sic orasse.

Discipulus. Perspicuè concordasti Hugonem secum, & cum Tullio; nostraque verba quinque sub ternario limitasti, qualem qui habet, ipso signo *Thau* triangulari T quod est signum lugentium salutare, signatus est. Quò igitur progredimur longiùs, eò se plures offerunt quæstiones, & velut inexhauribili fonte sapientiæ rivuli scaturiunt. Vox ista multorum est. Quid lamentum, quid fletus noster potest coram Domino, cujus iræ nemo resistere potest, qui nec pœnitentia movetur, ut homo; qui res sic administrat, ut eas proprios motus agere sinat. Qui nos tentari vult, nonne vult ut hostium nostrorum non obviemus insultibus? Nonne disposuit ab æterno quæ futura sunt, ut dici valeat illud Sybillæ ad Palinurum:

Desine fata Deum flecti sperare precando.

Quid tandem eget nostris vel bonis, vel gemitibus, & lachrymis, qui, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Rom. IX. 18.

Sed quoniam tales invenio dubitationes alibi tractatas, statui non insistere pro hîc, & nunc: converto potiùs inquisitionem ad Mariæ Canticum. Si tres prædictas Rhetoricæ partes in se contineat, quatenùs inflecteret Dominum pro salute consequenda, nedum sui solius, sed mundi totius satisfaciendo per lamentum, dolorem & fletum, cùm nihil audiatur resonare nisi lætitiam, gaudium, & laudes, quales confiteor voces hîc concrepare, conformiter ad quatuor verba Deo convenientia, quæ sunt magnificentia, largitas, pietas, justitia. De nostra verò miseria verbum nullum: quia; quid ad jocundum Epithalamium tibia funerea?

Magister. Erras, si miserationem ullo tempore, vel loco; si cantico vel silentio credideris in Maria defuisse, quæ Mater ideò dicitur misericordiæ, quia quodammodò sibi proprium est misereri miseris, quæ figuratur aptè per Templum sine simulacro dedicatum Athenis ipsi misericordiæ, cui solis lachrymis, & gemitibus offerabatur sacrificium, non sanguine hircorum, vel taurorum, de quo Statius:

Nullis inclusa metallis
Forma Dei, mentes habitare, & pectora gaudet.

Fortassis ista fuit Ara, cujus titulum legit Paulus; *Ignoto Deo.* Act. XVII. 23.

Discipulus. Patefeceris ergò quod loqueris de lamento Mariæ cum cantico. Proderit itaque pro generalio-

ri cognitione totius Rhetoricæ cordialis, dum exemplo doctrinam firmaveris, simul & chordulam nostri Psalterii decachordi, quam modò tangendam accepimus, commodiùs adaptabis.

Magister. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Luc. I. 50. Ecce duo misericordiam scilicet Dei subvenientis, & miseriam peccatoris timentis Deum, & orantis. Puto, non dubitas de Maria, quin cum Propheta vidit omnis consummationis finem. Credis prætereà, quòd nostræ Redemptionis mysterium fuit finis hujus consummationis, de qua non siluit Christus in Cruce, dicens: Joan. XIX. 30. *Consummatum est.* Cognoscis subindè, quot, & quantas, quales, & quotiens lamentationis materias secum habuerit finis consummationis hujus mysterii.

Denique non negabis, quin *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Hoc est enim, Secretarii sui Lucæ testimonium. *Luc.* II. 9.

Discipulus. Omnibus his assentio; progredere.

Magister. Concedis insuper quòd Maria non satiabatur dulcedine mirabili, considerare altitudinem consilii divini super admirabili piissimo mysterio Redemptionis generis humani, cùm simile legas de Augustino, cujus sensus interiores non erant perfectionis illius, & perspicaciæ, comparabiliter ad Mariam.

At verò legimus pariter in Augustino lachrymas, & lamenta, & potissimè circa mortem ex duplici recogitatione, Legendâ suâ teste; dum profundiùs secreta divinitatis, & familiariùs miseriam humanæ fragilitatis rimaretur: nec referas volo lachrymas suas ad solam lætitiam; quia subditur ibidem, quòd lugubrem, & amarissimam tunc duxerit vitam.

Discipulus. Non adeò sum hebes, vel incredulus Evangelio, ut negem, in Maria fuisse lamentum; nec in hoc versatur inquisitio præsens. Sed convincas, peto, lamentasse Mariam in Cantico.

Discipulus. Talia præparare non sine væ volumus, addentes, ne dicenda fortè nimis horrescas, quòd Maria jugiter in omni meditatione sua, & contemplatione, dicere potuit: Ps. XXIV. 15. *Oculi mei semper ad Dominum*, quoad vim cognitivam, & illud: Matt. VI. 10. *Fiat voluntas tua*, quoad indeviabilem amoris assensum, quo fiebat, ut nullo turbaretur fletu, vel lamento contrà judicium rationis quod divinæ voluntati per omnia concors erat, nihil volens, nisi quod eam velle, volebat sponsus. Nunc accipe finem, cur Maria cecinerit in exultatione spiritus: *Magnificat anima mea Dominum?* Luc. I. 46. Utique quia magnificata erat vehementiùs. Cur magnificata? *quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, & *quia* fecerat ei *magna qui potens est*, ut omninò liberalissimus distributor. Proindè subditur secundum in quo sumus: *Et misericordia ejus à progrenie in progenies timentibus eum.* Luc. I. 50. Progredere, tunc terribile resonabit divinæ potentiæ, severitatis & justitiæ tonitruum, adversùm miseros, & miserabiles, tam homines, quàm Angelos superbos dispersos, potentes depositos, divites exinanitos. Nunquàm pertractare potuit secum Maria totam vim tantæ severitati in Deo, calamitatis pondus in hominibus non damnatis, quin compassione moverentur, quin concuterentur beata viscera suæ pietatis pro omnibus hominibus, præteritis, & futuris atque præsentibus, quantùm in se erat, conformiter ad Filium, redimendis, & salvandis.

Discipulus. Adverto quod intendis. Sed videamus, si recognitio divinæ severitatis dispergentis superbos, potentes deponentis, & divites exinanientis fuerit ipsi non lamenti, sed gaudii magna materia, juxtà illud: Ps. LVII. 11. *Lætabitur justus*, (qualis planè justitia fuerat in Maria) *cum viderit vindictam.*

Magister. Lætam verò non negaverim in conformitate voluntatis ad Deum, sed acerbissimè contristatam simul cum unico, propter iniquitates, peccata, & scelera atque delicta, quæ talem dispersionem, & exinanitionem demeruerunt; præsertim pro illis, quos fortè redimendos efficaciter præsumebat, & orabat verbis intùs in corde formatis, etsi non ore prolatis.

Discipulus. Quid orabat?

Magister. Quatenùs iteratò resurgerent ad unionem, sublimationem, repletionemque bonorum. Nimirùm cùm Filius in Cruce pendens pro transgressoribus oraverit: Luc. XXIII. 34. *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Audiebat sæpè talia Maria recordata misericordiæ Filii sui, qui *suscepit Israel puerum suum.* Intuebatur ergò Maria, dùm caneret contrà superbos, potentes, divites, abyssum imperscrutabilem miseriarum, quæ invocabat abyssum misericordiarum in altera abysso, quæ est vox cataractarum Dei. Cataractæ quid aliud dicunt, nisi vias occultissimas divinorum Judiciorum, de quibus Psal. XXXV. 7. *Judicia tua abyssus multa. Qui terribilis est in consiliis super filios hominum.* Hebr. X. II. In cujus manus horrendum est incidere, Ps. LXV. 5. dùm arripuerint manus suæ judicium, dum acceperit, hoc est, ad se ceperit tempus, ut post misericordias judicet justitias, quando reprobis est intonaturus: *Ite in ignem æternum.* Matt. XXV. 41. Grande malum projici à facie Domini, & talis Domini, pejus dum ejecti maledicuntur. Rursùs malum additur, quia pergunt in ignem. Quod verò subinfertur *in ignem æternum*, nec æstimari quidem potest quantùm sit horrendum.

Nonne, quæso, hæc omnia conferebat frequenti cordis contemplatione Beata nostra, prudentissima feminarum? Nunquid non, obsecro, totus tremor, horror, & dolor, occupabat pios artus suos, lachrymæque decoræ manabant ex oculis, quàmvis in Domini voluntate mens immota maneret?

Discipulus. Non frustrà dubitavi qui redeo nedum certior de Mariæ lamento, sed doctior ex istis similia colligere, qualia vides seriatim ex primo verbo magnificationis, per reliquum Cantici pulcherrimum ordinem reperiri. Nullus demùm mihi superest scrupulus de conclusione collationis alterius, quòd in omnes affectionum voces Mariæ se mens in hoc Cantico cum omni facilitate vertebat: & maximè; dùm attendo, quanta puritate, quàm integra perspicacitate sensus intimi cordis præditi erant ad audiendum, videndum, odorandum, gustandum, contrectandum, interpretandum, seu loquendum spiritualia cum corporalibus, à summo cœlorum usque deorsùm in operibus, quæ Dominus volens *fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Ps. CXXXIV. Est enim contemplatio liber mentis intuitus ad res perspiciendas circunquaque diffusus, tanquam si instar benedicti sub uno solis radio totus mundus collectus cerneretur. Conjecturo de ampliatione cordis Mariæ, dum de Patre suo Salomone legitur, quòd dedit ei Dominus *sapientiam & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.* 3. Reg. IV. 29. Nemo fidelis dubitaverit, quin amplitudo cordis incomparabiliter major emicuerit in Maria.

Magister. Si concessa modò volueris cum traditione cantichordi conferre, concludes faciliter quòd nedum in toto Cantico, sed in singulo verbo, & ad quamlibet notulam, potuit Maria sicut peritissima, & exercitatissima cantatrix cum organo gutturis interioris verbula multiplicare non æstimabilis harmoniæ.

Discipulus. Conferam aliàs. Nunc investigemus, si Lamentationes Jeremiæ coaptaverit aliquando Maria Cantico suo pleno lamentis cum gaudio. Et si sic, utrùm plùs ad litteram de destructione materiali Jerusalem, quàm ad tropologicam, de domorum subversione in anima peccatrice intellexit, & senserit, compatiendo sponsæ repudio.

Ma-

Magister. Nunquid oblitus es quæ de lamento culpæ secundùm Deum monstravimus, cujus respectu lamentum pœnæ vix est alicujus momenti; quemadmodùm in Canticis Canticorum, licèt verba sunt carnalia, sensus omninò spiritualis requirendus est. Non secùs intelligere possemus de Lamentationibus Jeremiæ, immo generaliter de omnibus hymnis: non quòd litera neganda sit, vel abigenda; sed quòd sensus suavior & salubrior latet in medulla, quæ præcipuè inquirere decet sponsam, quæ se dedit statui lugentium in tempore novitiatus, & probationis suæ in hoc mundo, sub sponso, & Abbate Christo.

A

Discipulus. Heu mihi, meisque similibus, qui totis, non dicam, horis, non diebus, non hebdomadis, sed Mensibus & Annis, aridi manemus, nonsuspirantes, non gementes, & flentes, in hac lachrymarum valle. Nunquid certæ reprobationis æstimabitur signum? *Cor enim durum malè habebit* in extremis, sive *in novissimo*. Eccli. 3.27. Et quid aliud cor durum, quàm cor lapideum, cor adamantinum prorsùs insensibile manens ad omnes divinorum Canticorum literas, notulas, & voces. Læditur vetus homo noster, spoliatur bonis fortunæ, tollitur substantia. O quàm mox *defletur lachrymis amissa pecunia veris*! cùm tamen oportuerat lamentis amarioribus animam deflere perditam, flere repudiatam, quam sola mors gehennalis expectat. Væ, væ, qualiter expectat? Certè demergendam in stagnum sulphuris ardentis, ubi *fumus tormentorum ascendit in secula seculorum*. Apoc. XIV. 11.

B

Magister. Jurè flemus, dùm nos flere non possumus. *Quid miserius misero non miserante se?* plorat Augustinus. Cujus miseriæ dum causas inspicimus, illæ multos à desperatione revocant, alios in spem majorem attollunt, alios formant ad humilitatem, alios in ampliori securitate constituunt, nonnullos verò damnabilis ingratitudinis, vel inertiæ reos monstrant.

Discipulus. Causas edissere.

Magister. *Divisiones itaque gratiarum sunt*. 1. Cor. XII. 4. Est autem gratia compunctionis lachrymosæ donum Spiritus sancti, faciens postulare *gemitibus inenarrabilibus*. Rom. VIII. 26.

Datur aliquando gratia in corde molli, & pio, qualem femineus (nisi degeneret) habet sexus, hic facilis ad lamentum, compassionem, & fletum.

Datur alii par gratia devotionis, quamvis sit in eo cor virile propter siccitatem, vel complexionis rationem. Quis habuit excellentiùs strenuitatem cordis naturalem, quàm David ipse, qui puer leonem interfecit, & ursum? Qui inermis Goliath multis terribilem aciebus armatis invasit, dejecit, jugulavit? Quàm magnanimus, quàm bellicosus, quàm victoriosus extiterit legimus. Nulla tamen muliercula, nullus puerulus delicatus ità faciles stillat lachrymas, quàm faciles ad Deum, & sub Deo vir talis, & tantus Rex David orando fundebat. Testes sunt omnes Psalmi sui, Pœnitentiales præcipuè, quos lachrymis, rugitibusque lamentis, gemitibus assiduis plenos liquit.

C

Sunt alii se magnanimes per arrogantiam reputantes, judicio quorum flere indecorum in orationibus, aut canticis.

Sunt qui lachrymarum laudant lavacrum, sed eas haurire de puteo cordis per chordam meditationis, & in pelvim oculorum immittere sunt inertes. Est in aliis fons cordis limo repletus terrenæ cogitationis, ut scaturire non valeat. Vult alios Deus in humilitate sicci cordis custodire; ne ex effusione lachrymarum superbiant.

D

Supplet in aliis carentiam intrinseci doloris cordialis per labores exercitationis corporalis, multis modis, ut qui non habent irriguum superius in corde, quo delectentur balneati; nec inferius, quo purgentur abluti; ipsi tanquàm ferrum, vel æs, vel argentum, ponantur in camino tribulationis animas clarificare, vel emolire valentis.

Sunt qui nauseant super manna delicatissimo verbi Dei, suspirantes ad allium, vel pepones, vel carnium ollas Ægypti, carnales scilicet delectationes in fabulationibus, in rumoribus, in desideriis mundi continuis. Possunt aliquando tales plorare, fatemur; sed fletu sæculi, non secundùm Deum, quem iterùm deflere necesse erit, quià mortem operatur tàm culpæ, quàm pœnæ æternæ. Videbis alios qui præsentis miseriæ curas, rumoresque undique alienas, inutiles, immò noxias, veroque lamento contrarias semper accumulant.

Discipulus. Vetas ergò flere damna sæculi, mortes parentum, subversiones Regnorum, strages corporum. Ubi erit illud Apostoli? Rom. XII. 15. *Flere cum flentibus*. Ubi pietas naturalis? Ubi Christiana charitas? Ubi passio proximorum?

Magister. Fortiter impellis, si non restitero, aut si non cautus aliorsùm declinavero. Utrumque difficile, sed armabit nos gladius biceps verbi Dei, viamque faciet evadendi. Paratus est hic gladius aperire ex prioribus sepem obicis tui, dividendo lamentum juxtà divisionem circumstantiarum, potissimè finium, quod fiet Theologicè, si fodiamus originem lamenti secundùm duplicem moralis scaturiginis suæ venam. Hæc vena certissimè amor est. Quis enim flet, nisi quia læditur amor suus, scilicet, quod amat in se, vel in altero? Porrò Philosophi secundùm divisionem boni triplicis, triplicem amorem posuerunt. Theologizans siquidem Augustinus coarctat amorem duplici fine simul cum origine proportionali, dicens, quòd est amor sui, supple, vel suorum, usque ad contemptum Dei per inobedientiam Præceptorum. Et est conversus ad priorem eversum, qui est amor Dei usque ad contemptum sui, supple, & suorum.

Discipulus. Non refugio dividentem hunc gladium, si viam patefeceris per eum.

Magister. Dum quis flet damna bonorum temporalium, secundùm aliquod genus boni, vel honorabilis, vel utilis, vel delectabilis, ex primo amoris sui in finem contemptus Dei; nemo Christianus dubitaverit, quin pessimus sit, & deflendus fletus iste.

Discipulus. Nec dubito; sed medium invenio, qui nec ad Deum dirigitur, nec contemnit ipsum, qualis est pius amor naturalis bonus de genere.

Magister. Pellis iterùm ad aliud devium, si sit aliquis actus indifferens inter bonum morale, & malum, & inter bonum meritorium, & malum demeritorium. Declinemus ad præsens talem introitum, & dicamus sub compendio de fletu deliberato, bono vel malo, ex ultimo fine Deo, cum circumstantiis ad finem illum positis, vel neglectis, seu rejectis: Non enim agit homo lamentum in genere, sed agit lamentum in numero, teste Aristotele; quia actiones sunt singularium. Fit igitur lamentum cum circumstantiis, & fine. Quisquis ergò flet deliberatè temporalia, vel seipsum, aut addit conditionem Deo quam apponere Christus docuit tàm verbo, quàm exemplo suo. Matt. XXVI. 39. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Fiat voluntas tua.* & ità plorat meritoriè, si dicto suo non dissentit affectus, vel effectus suus. Si verò conditionem hujusmodi nec affectus, nec effectus plorantis addiderint actu, vel habitu; lamentum jam est sæculi, non secundùm Deum, & mortem operatur. Loquimur tamen (ut expressimus) de fletu humano, scilicet libero. Non enim est in potestate nostra, quandoque multis visis, aut sensatis, non plorare, contranitente etiam voluntatis affectu pro tempore.

Discipulus. Sunt aliqui qui nec uno modo, nec alio modo flere possunt, etiam dum affectant, qualiter implebunt illud Apostoli præmissum: Rom. XII. 15. *Flere cum flentibus?* Sunt & qui lamentationibus ita sunt absorpti, sed depressi, quòd *Gaudere cum gaudentibus* vim non habent.

Magister. Una est per omnes passiones communis difficultas; etsi quidem desit facultas, sufficit & supplet voluntas.

Ecce debet aliquis modò *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus*, Rom. XII. 15. Non invenit fletum; desideret, aut desiderare concupiscat, imitando Psalmistam, Ps. CXVIII. 20. *Concupivit*, inquit, *anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Valet hoc consilium in multis, & apud multos, tamen maximè parvulis in Christo nondum habentibus exercitatos sensus pro consuetudine boni operis, aut qui tentationum pondere, vel interiùs, vel exteriùs conturbantur, dum A in eis obtenebratur intellectus, alligatur affectus, obturbatur affatus, tollitur effectus. Suppetunt exempla plurima pro pluralitate scandalorum; ut à carne, sicut in leprosis, & philocaptis & ægrotis; ut à mundo, sicut in calumniam passis, spoliatis, carceratis, & aliis mille modis; ut à diabolo.

Demùm à diabolo nullus est qui se abscondat, qui circuмit assiduè quærens quem devoret. Sit aliquis, cui dedit otium Deus vacandi sibi, sit segregatus in eremo, vel cœnobio ab humanis turbidinibus, quamquàm non ignoret bella, opinionesve bellorum, cum ceteris; de quibus ait Gregorius quòd *necesse est multa mala prævenire, ut malum valeant sine fine nunciare:* Aut si sit talis in sæculo ad quem nihil de regimine publico spectat temporali, vel Ecclesiastico. Aut fortè nihil percipit auditu de talibus, qualis erat in palma vas balsamitæ contemplationis, & seraphicæ sursùm devotionis Maria Magdalenæ: qualis altera B Maria Ægyptiaca: qualis primus Eremicola Paulus. Quæratur, si fas sit cuilibet talium, nec lugere, nec gaudere pro proximis, quos retinens mundus exagitat vicissitudinibus infinitis; hoc non absurdè quæri sciet ille qui cognoverit plures acerrimos pati scrupulos, si non defleant bellorum varios eventus, mutationesque Regnorum. Sapiens est (dicunt alii) qui non curat, in cujus manu mundus sit. Quid si pereunt peritura? Tales contrariæ conditionis referunt Seneca, & Flaccus Philosophus, unus, puto Heraclitus, ad omnem occursum hominum ridendo cachinnabat, adeò nihil serium sibi fieri videbatur. Alius Democritus, humanos incessanter deflebat errores, de quo mirandum dicit Flaccus;

Undè oculis tantus suffecerit humor?

Nemo in primis obligatur ad lachrymas exteriores oculi; sufficiunt illæ cordis, seu judicii rationis, quæ nihil aliud dicunt quàm compassionem alienæ miseriæ, quæ compassio interior desiderat sublevationem facere, prout oportet, & quomodò oportet, cum ceteris C circumstantiis, si facultatem haberet.

Nullus præterea tenetur pro quolibet tempore, vel incommodo compassionem affectualem, vel effectualem accipere, dum occupatio suppetit in affectionibus & operibus aliis, saltem bonis, etsi non æquè, vel magis bonis: non enim tenetur homo semper ad melius faciendum. Tollit hæc doctrina scrupulos ab omnibus de quibus inquiris, si se circà divina, & spiritualia sæpiùs afficiant, humanis affectionibus non inspectis, quibus obviare suum non est, nec ex officio, ut supponitur, nec ex necessitatis articulo, dum potest afflictis probabiliter aliundè succurri.

Ceterùm nemo pius & sapiens, imitator esse debet alterutrius Philosophorum quos inducis, quia miseriam alterius ridere, intemperantis est, & superbi; dolere verò quamlibet sortem humanam intolerabilis est miseriæ, vel invidiæ stultissimæ, de qua in Job: Cap. V. 2. *Stultum, occidit invidia.* Et Lyricus:

Invidia Siculi non invenere Tyranni
Tormentum majus. D

Et Flaccus.

Invidus alterius rebus marcessit opimis.

Hinc quidam cùm vidisset tristem alium: *Evenit tibi*, inquit, *aliquid mali, aut alteri aliquid boni.*

Rursùs appropriatè pro Christianis scientibus illud Apostoli: Rom. VIII. 28. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & quòd Dei providentia in sui dispositione non fallitur: addimus pro serenatione conscientiarum de quibus inquiris, quòd securè possunt in omni recogitatione miseriæ temporalis, sit illa propria, sit communis, in solatium recipere omnia quæ scripta sunt de patientia tribulationum sustinenda; quemadmodùm Petrus admonet, *omnem curam nostram, & sollicitudinem* projicere *in eum*, Pet. V. 7. non solùm tuam de te, sed omnem de omnibus: neque enim tibi plus oneri debet esse cura, vel sollicitudo aliena, quàm propria, ut non excutias istam ex humeris tuis super Deum. Lege quemadmodùm Christus in Cruce tanquàm gratia Dei dilectissimam commendavit Matrem suo dilectissimo Discipulo, nec postmodùm de Matre verbum ullum invenies. Hoc itaque exemplo docemur, cruci Religionis affixi, domum Patris, & Matris oblivisci, & esse super terram *sine Patre, sine Matre, & sine genealogia.* Hebr. VII. 3. Quisquis ista compleverit, serena pace gaudebit, in utramque paratus fortunam temporalium, vel dextrorsùm, vel sinistrorsùm, quasi neutrius partis existens, nisi quam Deus monstraverit eligendam; non quòd non oremus pro Principibus, & amicis justè certantibus; sed quòd omninò vovatur & terminetur ad hoc centrum oratio: *Fiat voluntas tua.* Matt. XXVI. 42. Nunquid non hoc modo resistentes invicem apud Danielem Angeli, habent sub expectatione divinæ dispositionis concordiam. Potes addere, quòd pro varietate circumstantiarum expedit, nunc diutiùs frequentari lamentum; nunc verò gaudium spiritus plus assumi.

Exemplum de duobus fratribus conclusis in carcere pœnitentiali. Unius meditatio magis erat ad Pœnas Inferni, quas demeruerat; alterius ad gaudia Paradisi, quæ sperabat; hic secundus pulchro, vegetoque corpore; alter squalida cute vix ossibus hærente; sententia Patrum in eis par meritum judicavit.

Postremò teneatur Pauli determinatio cum Sapiente, omnem tristitiam seculi à corde pellendam. *Rom.* VII. 10. Qoud salubriter potest ad omnem passionem sit gaudium, sit ira, sit desiderium, sit timor, quando non est secundùm Deum, apte trahi. Non est autem secundùm Deum si tollat, aut non ædificet debitum religiosæ devotionis affectum, vel intellectum cum affectu.

Discipulus. Væ miseris, quibus licebat flere, sibimetipsis totos intendere, vacare & videre quoniam suavis est Dominus: qui nihilominùs se derelinquunt, nec se, nec alios dignè flentes. Qui rumorum fabulationibus indulgent, sed non ut lex tua, Domine. Qui gratis occupantur nil profuturis, cogitationibus vagis, quibus cùm se oblectaverint, dicente Seneca, *Tristes manent, nec sibi, nec aliis utiles.*

Inutiles crebrò, quia tempora furantur, rem pretiosissimam, nec redituram. Gravi postremò se fasce peccatorum onerant, impediunt, circumligant, mergunt, per murmur, per detractiones, per lætitias de casu inimicorum, per crudeles incompassiones super perditiones animarum, gaudentes de partialitate valitura nihil aliis, obfutura plurimùm sibi. Dicunt tamen: Hoc agimus & quærimus ut oremus attentiùs, immò verò ut sedulius vos damnetis.

Magister. Intras satyram, cui nulla poterit par esse tragœdia: quin potiùs redeamus ad Beatæ nostræ lamentum, quod nobis sit in exemplar fructuosæ lamentationis.

Discipulus. Nescis, quantùm doleam plenus indignatione spiritûs.

Magister. Vide ne lacum intres quem fodisti, gemens frustrà: fer eos quos non habes fas corrigere; timori quoque Dei locum linque.

Discipulus. Conferamus, laudo, de Beata pulcherrima mulierum, nedum quonam modo lamentata sit, & ploraverit; sed de quolibet universaliter affectu, qualiter usa fuerit in canticis, & hymnis canticordis, hoc est, in exultatione cordis sui. Certè nos intereà deserant mordaces & noxiæ curarum muscæ mentis irruentes oculis, & suavitatem devotionis cum sabbati tranquillitate perdentes.

Magister. Reficiat tamen anteà nostri laborem multilo-

tiloquii, quies oportuna silentii. Cras agemus, ut voles. Cujuslibet intereà sigillatim apud se vigeat recordatio; lamentum nutriens, & confirmans timoratum apud Deum, quia *Misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Luc. 1. 30.

SEQUUNTUR CONSIDERATIONES XVIII.

PRima sit *Misericordia* Domini *timentibus eum. Latetur cor meum, ut timeat nomen tuum*, Ps. LXXXV. 11. nomen sanctum, & terribile. Scio, canente te, beatissima Virgo (teste prophetico sermone) quià *beneplacitum est Domino super timentes eum & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Ps. CXLVI. 11. Jungitur meritò spes de Misericordia ad timorem de Justitia. Sicut enim nomen Domini redditur sanctum, & suave sperantibus; sed ne dulcedo mellei spiritus plùs comedatur quàm satis est, terror additur districtioris justitiæ, quasi salis ad saporem. Terret te, ô anima, *Deus ultionum Dominus*, Ps. XCIII. 1. Deus justus, & justitias diligens; alliciat misericors in essentia, & miserator in efficacia, *Dominus suavis*, Ps. XXXIII. 1. *& multùm misericors.* Ps. CII. 8. Damnat te Thronus justitiæ, adi *cum fiducia Thronum misericordiæ*, Hebr. IV. 16. dùm licet appellare, dùm adhuc dies est comparitionis, dùm misericordia sedet in Throno suo, quæ exuperat judicium. Cave, ne differas quòusque Dominus accipiat tempus à te, tunc utique justitias judicabit, nec appellare licebit. Ecce confugit ad Thronum misericordiæ reus iste, ô beatissima Virgo, Regina misericordiæ, defende jura Curiæ Regni tui cum Filio tuo, dum sedes à dextris in ea, dum *tempus est miserendi.* Ps. CI. 104. Defer appellationi meæ, suscipiens eam ad te. Non remittas ad Sedem Justitiæ, quoniam terribilis est nimis, & aggravans, & insustentabilis ira ejus. *Horrendum est* denique *incidere in manus ejus*, dicit Apostolus. *Heb.* X. 31.

Audio, quid moneat, immò jubeat misericordia. Si vis misericordiam, fac misericordiam, & ama eam, serva Leges Curiæ, quas dictat misericordia. Quales Leges? *Dimittite, & dimittemini. Nolite judicare & non judicabimini. Date, & dabitur vobis. In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur & vobis.* Luc. VI. 37. 38. Denique *Judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam.* Jocob. II. 13. Remotâ misericordiâ quis Judicium sustinebit?

Credo, Domina, quia sic est, *adjuva incredulitatem meam.* Marc. IX. 23. Conscius itaque sum mihimetipsi, quòd ex corde desidero dimittere debitoribus meis, sicut vult & præcepit misericors Filius tuus; sed trepidat conscientia super effectibus. Desiderium pauperis exaudiet Dominus, præparationem concupiscentis dimittere magis aspiciet, quàm ad exhibitionem operis. Si non satis effecero quod in me fieri concupisco, ut dimittantur mihi peccata mea, fiat mihi secundùm desiderium, qualiter ea cupio mihi dimitti, dimittam & debitoribus; immò generaliter universis.

Desideret igitur misericors Filius tuus, ô Regina misericordiæ; desideret, te orante, quatenùs mihi dimittat peccata mea; certè cùm sibi suppetat posse in omni quod desiderat (si desiderare dici potest) dimittet; utique talem me faciet, cui dimittere jam sit opus justitiæ suæ, quia promissionis, *Dimittite & dimittetur vobis.* Dicam tamen aliqua, quorum mihi videtur esse testis conscientia; si fallitur, corrigatur. Dimitto tali devotione cuilibet debitori pro Christo in vita rea, quòd nullum volo reum fieri debiti pœnæ gehennalis, & tandem à Paradiso secludi. Absit hæc iniquitas tam crudelis.

Dimitto rursùs tali ratione, quòd nulli vellem pœnas inferri, ut pœnæ sunt, viis injustis. Nullas insuper molestias procurare fieri, Juris ordine (qui tuus est ô Deus) interrupto. Si autem per te, aut tuo Judices subordinatos judicium infligis ad correctionem malorum, & innocentium sublevationem, aut consolationem, benedictus tu in omnibus operibus tuis, quia justa sunt in omnibus viis. Oro planè mihi sic dimitti iniquitates meas per afflictiones in præsenti, sub manu misericordiæ tuæ, quatenùs non reserves eas, ubi, & quando horrendum est incidere in manus damnantis Justitiæ tuæ. Da mihi misero, Mater misericordiæ, quatenùs miserear *animæ meæ placens Deo*; Eccli. XXX. 24. habeam odio iniquitatem, quià *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ps. L. X. 6. Quid autem infidelius, quid crudelius, quàm odire animam suam? Quia qui sibi nequam, cui bonus?

Sentio, Domina misericordiæ, sentiò, fateor, & si negare præsumerem, mentietur iniquitas sibi. Sentio, væ misero mihi, commotiones aliquando varias adversùs similes mihi peccatores, aut minùs peccatores, præsertim si mihi, aut meis verbis vel operibus molestias inferunt, etiamsi justæ sunt. Renitor, ô Domina, dùm veniunt commotiones ad judicium superioris rationis; vellem non moveri, non irasci, non formidare, non conturbari, sed *imperfectum meum viderunt oculi tui*, Ps. CXXXVIII. 16. gemo sub pondere veteris hominis mei, velle pacis mihi adjacet, sed posse non invenio. *Fiat*, Domine, *voluntas tua, sicut in cælo* rationis, *sic in terra* Matt. VI. 10. sensualitatis. Sed hoc aliquando datur non ex toto perfectè, quòusque absorpta fuerit mors in victoria laborabo, & onustus ero, quamdiù sum peregrinus à te. Onerat corpus, onerat quotidianum opus, onerat peccans proximus, oneratque diabolus astutus, caro blanditiis, mundus angustiis, demùm sicut *onus grave gravatæ sunt super me*, Ps. XXXVII. V. iniquitates meæ cum omnibus injustitiis.

Succurrant, obsecro, quadrigæ tuæ, *quadrigæ Aminadab*, Cant. VI. 11. qui voluntarius interpretatur. *Benigne fac Domine in bona voluntate tua* mecum, *Ps.* L. 20. id est, benè ignitè age cum quadrigis his virtutum ignitis, ut Eliæ. Sublevent Fides, Spes, & Charitas; veniant equi tractores quadrigarum cum rotis quatuor Virtutum totidem Cardinalium. Ista septem onera molestiarum, Fides onus corporis, Spes onus operis, Charitas onus proximi peccatoris. Prudentia superet astutiam, Temperantiam, concupiscentiam, Fortitudo tristitiam. Justitia postremò omnem nequitiam.

Lætetur cor quærentium Dominum. Ps. CIV. 3. Jubet hæc, Virgo suavissima, Filius tuus totus desiderabilis per Prophetam: Fiat in me quod jubet, fiat quod sequitur: ℣. 4. *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Ità, Domina, sim numeratus in generatione *quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Ps. XXIII. 6. Væ, quid tibi & lætitiæ, peccator stolidissime? nunquid non audis? nonne pavescis verbum sapientis? Prov. XIX. 10. *Non decent stultum delitiæ?* nonne legis, Eccle. VII. 3. quod *meliùs est, ire ad domum luctus, quam ad domum convivii?* Et rursùs: Eccle. II. 2. *Risum reputavi errorem, & gaudio dixi; cur frustra deciperis?*

Sed ex adverso consolantem & consulentem audio; Ps. XXXVI. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Totus denique Psalmorum decursus invitat ad exultationem, gaudium & laudem, nedum homines, sed generaliter omnes creaturas. Hinc de hominibus in speciali: Ps. LXXXVIII. 16. *Beatus homo, qui scit jubilationem.* Quid autem est jubilus, nisi gaudium cordis intensum, quod nec retineri potest intùs, nec foris exprimi. *Hilarem* ad extremum *datorem diligit Deus.* 2. Cor. IX. 7. Onerosa res Domino suo servus tristis, delectat alacris hilaritas obsequentis. Qualis honor Domini, si servus semper horreat eum tortorem, ut delusorem, ut irrisorem & tyrannum? Crudelem litem hanc, ô anima Christiana, jam scripsimus absolutam ex Apostolica distinctione de tristitia, & lætitia, secundùm Deum, & secundùm sæculum, secundùm veterem, & novum hominem. *Rom.* VII. 10.

Ceterùm finis, & intentio lætitiæ tuæ nomen imponet, si

si timorata. *Lætetur*, inquit Propheta ad Dominum *cor meum*; Ps.LXXXV.11.quo fine? *ut timeat nomen tuum*: si cum modestia. *Gaudete in Domino semper*. Philip.IV.4.

Sequitur; *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. ℣. 5. Si suavis in Spiritu sancto, si grata, si seria, si modesta, si subtristis in veteri homine, si verecunda coram Domino, si vilis sibi speret in misericordia Dei; A si lachrymosa cum decore, si querulosa cum pace, exultabunda cum timore.

Commonitio denique Sapientis: *Qui diligitis Dominum, timete illum*. Eccli. II. 10. Ecce timorem. Deindè de misericordia, & lætitia, simul in oblectationem, id est, omnem lactationem vobis veniet misericordia. Rectè quidem ad Mariæ Canticum, *& misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*. Luc. I. 50. Undè? Propter generale in omnes beneficium. ℣. 46. *Magnificat anima mea Dominnm*. Initium quoddam, tangens modum expositionis moralis, seu tropologiæ Lamentationum Jeremiæ. *Thren*. I. 1.

Aleph. Quomodò sedet dejecta *civitas* animæ meæ, priùs *plena populo* virtutum omnium, nunc *sola*, & solitaria facta, locus spinarum, & veprium peccatorum. *Facta est*, ipsa priùs *Domina Gentium* per subjectionem passionum omnium, nunc *velut* mater *vidua* non habens viri Dei sui protectionem adversùs tyrannidem dæmoniorum. Ipsa dudùm *Princeps provinciarum*, quæ sunt sensus sui, jure subditi suo principatui, *facta est* eis *sub tributo* durissimæ servitutis, in B luto luxuriæ, paleis superbiæ, lateribus avaritiæ, fornace ferrea totius miseriæ.

Beth. Plorans ploravit assiduè *in* afflictionis *nocte*, & *lachryma ejus* volvuntur *in maxillis ejus* exteriùs. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus*, Angelis, & Sanctis charis ejus, & *omnes amici ejus spreverunt eam*, quià vident à sponso spretam, *& facti sunt inimici*, zelantes adversùs miseram, & ream pro honore Domini, quem offendit.

Ghymel. Migravit Judas deferens animam meam, ne confiteretur, & hoc *propter afflictionem* culpæ totiens repetitæ, *& multitudinem servitutis* verecundæ, quam habet totiens iterata, nec valitura propter continuum recidivum, confessio.

Daleth. Via Sion, quæ sunt itinera, quibus anima scandit ad speculationem divinorum, *lugent*; dùm materiam dant lugendi, *eò quod non sit* bonus, & al- C tus cogitatus, *qui veniat ad solemnitatem* gaudentis affectus. *Omnes portæ ejus*, sensus videlicet exteriores, sunt *destructa* perversis secantium securibus. *Sacerdotes ejus*, vires superioris rationis *gementes* pro voce exultationis, & confessionis. Virginales olim affectiones suæ *sunt squalida*, turpes & fedæ. Quid plura? *& ipsa tota est oppressa amaritudine* vitiorum pro suavitate sanctorum benè olentium unguentorum.

TRACTATUS
SEPTIMUS
PRINCIPALIS PROSAICUS,
DE MENTE CORDIS
ET COGNITIONE DEI
SUPER ILLO SEXTO VERSU:
Fecit potentiam in brachio suo.
Per Notulas centum quinquaginta.
PRIMA NOTULA.

F*ECIT potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*. Luc. I. 51.

Consideremus attenta mente cordis nostri, nos qui tota anima magnificare Dominum, qui Deum tota mente, & corde perfecto diligere præcipimur. Audiamus, quid in hoc Cantici tono notaverit juvencula tympanistria, cujus mens humilis contemplata est multa sapienter. *Dispersit* (inquit) *superbos*. Hoc sufficere videri poterat ad confusionem superborum, ad collaudationem humilium, ad potentiam divinam in suo brachio commendandam, etiamsi non additum esset, *mente cordis sui*. Sed firmissimè teneamus, nihil in hoc Tractatu Canticorum superfluum, sicut nihil esse diminutum; quià nimirùm Spiritu sancto dictante sapienter editum est, cujus *perfecta sunt opera*, Deut. XXXII. 4. in cujus eloquiis nec *unum jota*, *nec unus* perit *apex*. Matth. V. 18

Intelligendum tamen est inprimìs (ne nostram fallat investigationem nominum vel æquivocatio, vel ignorantia) quid vocetur *mens cordis*. Lucidiùs hoc cognito, patebit integer, & multiplex hujus particulæ sensus. *Mens* etsi pro vi memorativa quandoque sumitur, ut cum dicimus, *mens meminit hujus*; nihilominùs ad præsens coarctabitur acceptio ad illud quod eminet, & est præcipuum in creatura rationali, vel intellectuali.

Undè & *mens* ab *imminendo* dicta est, vel à *meliore*, vel à *mensura*, quoniam & illud quod eminet, & simplicissimum est in unaquaque re; mensura aliorum in tali re consistentium est. Volumus autem in primis incedere grossa, & palpabili fide, plùs quàm physica, & subtili determinatione, quemadmodùm pro simplicibus, & idiotis (fidelibus tamen) cuditur hoc Opusculum. Cujus titulus esse potest, *De Mente cordis*, seu, *De Triclinio cordis*, in quo præsidet tanquam Architriclinus spiritus rationalis, secundùm tres mansiones, seu cenacula, vel tabernacula cordis sui. Constituamus idcircò quid per nomen mentis volumus intelligi: nec obstrepet, aut contradicat, quispiam contentiosus acceptioni; nam nomina sunt ad placitum, cùm præterea processus aperire poterit congruam impositionis rationem. *Dùm autem convenit de re, stultum est*, dicit Dionysius, *contendere de nomine*. *Mens est portio, vel potentia creaturæ rationalis, quæ facta est capax Dei, & ejus particeps esse potest*. Consonat hæc descriptio Philosophicis & Theologicis traditionibus. Sed habet plurimas quæstiones, quæ vix etiam ab ipsis litteratis possunt terminari, ut de quidditate potentiarum animæ rationalis, de ipsarum diversitate, & identitate cum essentia, de numerositate, & officiis, & hujusmodi ceteris.

Placeat igitur rudior manifestatio, & dicatur quòd rationalis, vel intellectualis creatura nominatur uti mente sua, immò seipsa, tanquàm mentalis tunc existens, dum tota convertitur ad solum Deum tanquàm ad objectum suum, unum, primum, supremum, optimum, æternum, præcipuum, & summum.

Teneatur interim ista descriptio, seu quid nominis mentis. Ac proindè Metaphysicales cessent inquisitiones, quales notatæ sunt, de quidditate reali mentis, de modo quo potest clarè, & nudè percipere solum Deum, vel ferri in eum. Respondeat etiam quivis idiota fidelis interrogatus, quæ qualis, & quanta, est mens tua? Respondeat inquam, mens est anima mea; dum ipsa convertitur ad Deum solum, tota, & sola ad solum, & unum. Sic sonat initium vulgati D Auctoris, etiam pueris inculcatum.

Si Deus est animus, ut nobis carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus.

Ecce quod mentis officium est, præcipuè colere Deum.

Quo stabilito, confestim elicere fas habemus rationes aliquas, cur ad hæc verba: *dispersit superbos*, additum est, *mente cordis sui*. Una ratio est, si respiciamus ad primos parentes nostros Adam & Evam, quos condiderat Deus ad sui contemplationem claram, & serenam pro statu viæ, quam contemplationem fuisset in gloria visio facialis subsecuta. Væ tibi superbia! Ità enim mente à primis parentibus dis-

dispergi per divini brachii potentiam demeruisti, ut jam heu! nos infelicissima proles, nullum mentis habitaculum in cordibus habere potuissemus, sicut nec Deum cognoscere, nisi misericors, & miserator Dominus noster Jesus Christus, potenti virtute providisset. *Deum* quippe *nemo vidit unquam*, ait Joannes, sed *unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit*: Joan. I. 18. Potest altera ratio sumi, si respectus habeatur ad apostatas Angelos; quos in tantam conata est attollere celsitudinem stulta suæ mentis præsumptio, ut diceret primus eorum: *Sedebo in lateribus Aquilonis & similis ero Altissimo.* Isaï. XIV. 13. 14. Mens verò nimiùm sublimata, nimiùm etiam præcipitata est, simul & dispersa.

Ad hoc enim quidam in alta tolluntur, ut lapsu graviori ruant, finisque ad alta levatis est ruere. Quæreret hìc scrupulosior aliquis: Nunquid habent dæmones ipsa corda, cùm corpora non habeant, præsertim carnalia, cujusmodi substantiæ cor esse compertum est: At verò si Deum habere cor trahimus de Scripturis (ut dicimus Filium esse de corde Patris, juxtà illud Psal. XLIV. 2. *Eructavit cor meum verbum bonum*) nemo jure negabit posse cordis nomen Angelis attribui, cum de insensibilibus creaturis inveniamus dictum: *Transferentur montes in cor maris.* Ps. XLV. 3.

Transeamus idcircò, nunc & alibi digressiones morosiores inducere per concordantias multiplices, ubi statim constare potest de variis acceptionibus terminorum in Scripturis. Ex quibus accipere paucas ad propositum, quod in manibus habetur, suffecerit. Hoc indulto, poterit & alius sensus elici, conjungendo hoc complexum, *mente cordis sui dispersit superbos*, sicut in Genesi Cap. VI. 6. dictum est, *tactus dolore cordis intrinsecùs*, cum dispersit per diluvium generale omnem carnem.

Occurrit & alius sensus, si traducamus dispersionem in bonum; dispersio siquidem malorum, vel à malis bona est, sicut & defectio & separatio. Similiter invenimus à Sanctis nominatam aliquando superbiam *sanctam*; quæ scilicet nobilitatis suæ conscia nescit prostitui, vel calcari, nescit nisi summis jungi. *Ponam te in superbiam sæculorum*, ait Dominus de Jerusalem nova. Isaï. LX. 15. Assumat utinam mens nostri cordis hanc superbiam, ut nulli dignetur intendere, nulli jungi, nulli inhærere, nisi uni soli quod est necessarium, optimum, æternum & summum; qualiter *elegit Maria partem optimam*, Luc. X. 42. qualiter exultans Propheta dicebat: *Defecit cor meum, & caro mea; pars mea Deus in æternum.* Ps. LXXII. 26. O verè sancta, & desideranda superbia, quæ unicum bonum suum possidere vult excellenter sine arrogantia, & vana gloria, singulariter sine invidia, imperturbabiliter sine ira, infatigabiliter sine acedia, indesinenter sine avaritia, delectabiliter sine luxuria & gula, honorabiliter sine hypocrisi ficta. Dispergat oro, potentia divinæ miserationis universas alteritates; omnes concupiscentias, omnes sollicitudines & phantasias à mente cordis nostri, ut libera mens apponi dispersione glorietur exultans: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Ps. LXXII. 28. O felix dispersio, quæ summam congregationem operatur, prout loquitur divinus Dionysius, quod unifica virtus divinorum luminum restituit, & replet, & convertit nos ad congregantis Patris unitatem, & simplificam deitatem. Cui concinens Vates regius: *Ædificans*, inquit, *Jerusalem Dominus, dispersiones Israël congregabit.* Ps. CXLVI. 2. Hanc dispersionem meretur sancta superbia, quatenùs purgetur, & illuminetur, & perficiatur in unico optimo mens cordis pura, & deiformis.

Hæc autem non habetur perfecto complemento, præterquàm in gloria, participativè verò per gratiam, plus aut minus in via, secundùm distributionem sancti Spiritus; maximè per Theologiam mysticam, prout aperient sequentia, quantùm concesserit Spiritus bonus, quem dat Pater cœlestis *petentibus se.* Luc. XI. 13.

Incideret hìc locus de divisione *spiritus, & animæ*, Hebr. IV. 12. *compagumque, & medullarum*, & discretione *cogitationum & intentionum cordis* per potentiam Verbi, quod est brachium Patris æterni. Qua divisione secundùm Doctores mysticos nulla mirabilior, nulla potentior. Sed ad faciliora revertamur, ut cœpimus, eis contenti, quæ Tractatu dramatico secundo notavimus.

A Prætactum est quòd in corde rationalis creaturæ reperitur triplex habitaculum, undè nominari potest *cordis triclinium.* Spiritus verò quasi præsidens jure dicitur Architriclinus, de quo per Tropologiam signatum est in nuptiis, dùm in Cana Galileæ Christus aquam convertit in vinum.

Procedemus autem ordine magis narrativo, quàm demonstrativo, vel probativo, supponentes dicta Doctorum cum suis declarationibus Metaphysicalibus, & Theologicis usquequaque, multiplicique ratione fulcitis, quos insecuti composuimus pridem Opusculum *De Theologia mystica*, partitum in duos Tractatus, secundùm traditionem speculativæ primò, post practicæ, per duodecim industrias. Contentetur obsecro, quisquis lector accesserit, si non mox pariter omnia numeraverimus quæ faciunt ad decorem & ornatum, dispositionemque, mirabili varietate des-

B criptam ex Libris tàm naturæ, quàm Scripturæ; quia fortè dicetur altero loco. Suffecerit hìc, & nunc sensibilis descriptio, quemadmodùm per corporalia spiritualia figurantur, eò quòd omnis nostra cognitio incipit à sensu pro statu præsentis miseriæ. Propter eà interior homo nominat exteriorem, quod est *unanimis, dux suus*, & *notus suus.* Ps. LIV. 14. Proponetur una descriptio, non ut in ea sistatur, sed ut manuductio quædam pro rudibus, & idiotis, ad divina quomodolibet capescenda.

Juxtà quod ità Gregorius exorditur *in Homilia quadam de thesauro, & pretiosa margarita*: *Regnum cœlorum idcircò terrenis rebus simile dicitur, ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita, & per hæc quæ scit nota diligere, discat & incognita amare.*

Assignabimus igitur humano cordi tanquàm loco

C grandi, & spatioso, tria cenacula, supremum, medium, & infimum. Primum nominabimus cenaculum mentis; medium verò cenaculum rationis. Tertium erit & infimum, animæ cenaculo deputatum. Nolumus tamen, ut statim arbitretur inspector, hæc idcircò depingi, quòd ità sint; sed ut faciliùs accipiat figurata, dum incipit, sed non sistat in figuris. Sic per mysticos intellectus arca Noë litteralis, sic Arca fœderis, habens instar illius spiritualis quæ monstrata est in monte, sic triclinium Samuëlis per typum, sic triclinium feminarum in Ester, sic universaliter (ut ad unum dicamus) omnes parabolicæ locutiones significatum accipiunt. Sic præterea coram oculis positum cordis triclinium, in quo mens obtinet summum locum, de quo seorsum consequenter propriæ considerationes annectuntur, quòd rariùs ser-

D mo invenitur de mente præcisus. Ratio ponitur in medio, anima stat in imo. Spiritus noster tanquàm Architriclinus præsidet toti triclinio, nunc ab arce mentis dilabens ad ultimum animæ cenaculum pro administratione sensuum; nunc stat in cenaculo rationis ad investigationem Philosophicæ cujuslibet disciplinæ. Porrò si quis aspectu primo despexerit, aut abjecerit hanc nostram speculationem, & tanquàm communis vulgata vilescat, quasi nihil afferat novarum sententiarum præter verba, vel figuras; accipiat pro responso primo, quòd ideò non est abjicienda, quia consonas habet, & priscas Doctorum sententias, sicut & ipsi secum veniunt. Deindè fastidium tollitur, dum eadem sententia variè describitur. Undè fundatur color Rhetoricus *Expolitio* nominatus. Denique nemo cogit insistere huic speculationi, præsertim cum neglectu aliorum; imò (si non fallor) proderit ad omnium similium faciliores intellectus, præ-

præcipuè si conditio primi cenaculi, quo mens resi-det velut in aureo Salomonis reclinatorio, fuerit plenè nota. Caveatque sibi maledictum illud sibi dici: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. I. 51. Quibus ita præordinatis, subjungamus triclinium cordis. Architriclinus dicitur *corculus*, id est, *cordis cultor*, & cordatus dici potest spiritus, scilicet rationalis, quamvis sit unus in essentia, triplex tamen in potentia; imò multipliciter triplex in viribus, & efficacia. Triclinium fuit Maria, quam Ecclesia sic salutat:

Salve Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium,
Verbi tamen incarnati
Speciale majestati,
Præparas hospitium.

Primum spectat ad mentem, alterum ad carnem, ex qua *Verbum caro factum est*, Joan. I. 14. triplex in natura, unus in persona. Triclinium triplicatum reperitur in cœlesti Hierarchia. Triplex insuper actus hierarchicus, *Purgare, Illuminare & Perficere.* Materiam hanc supponimus latissimè per Doctores prosecutam. Hoc primùm notetur, quod in omni creatura rationali, & justa, præsertim in homine, triplex hæc triplicata Hierarchia reperitur, secundùm triplicem vim, memorativam scilicet & perceptivam, & affectivam; primò in mente, secundò in ratione, tertiò in anima, tripliciter in qualibet sigillatim. Hæc est amplissima speculatio ex hierarchico Dionysii Tractatu *Decimo Capite.* Triclinium multipliciter triplex conformiter ad cœlestem reperitur in Ecclesiastica Hierarchia; sic similiter & in singulari juxtà triplicem in quolibet statu coordinationem consideret speculator. Triclinium habet magnus mundus sub Deo; quia quædam sunt entia purè spiritualia, quædam purè corporalia, quædam ex corpore & spiritu condita. Declaratio supponitur.

Triclinium habet minor mundus in habitaculo cordis, scilicet prout superiùs figuratur. Hæc pars magis proposito congruit; ad cujus elucidationem, & dilatationem, non est necesse simplices inducere subtiliter; sufficiat eis pro devotione capescenda, quoniam sunt creaturæ rationales ad beatitudinis impassibilitatem ordinatæ, quas necesse est intendere quandoque regimini corporis morali, quandoque erudiendæ rationi, sæpè & primò divinæ dilectioni pro impletione suorum Præceptorum. Intentio prima concernit naturam, secunda industriam, tertia puram gratiam. Triclinium minoris mundi perfecta distinctione cognoscere, spectat ad Philosophiæ, & Theologiæ Professores, si voluerint naturam, proprietatemque contemplationis agnoscere, & illud implere Græcum oraculum: Γνῶθι σε αυτον, id est. *Nosce te ipsum.* Si prætereà voluerit sapienter discernere, quemadmodùm Theologia activa spectat ad infimum, speculativa ad medium, mystica ad supremum cordis nostri. In infimo sunt adolescentulæ, in medio concubinæ, & Reginæ, in tertio unica est perfecta cum dilecto. Triclinium cordis includitur in Præcepto dilectionis. Deut. VI. 5. *Diliges Dominum Deum tuum; ex tota mente tua*; ecce supremum. *Ex toto intellectu*, ut ponitur in Luca c. X. 27, & hæc est ratio; ecce secundum. *Ex tota anima tua*; ecce tertium. *Ex toto corde*, ecce simul totum. Hîc tamen attende, quòd omnia vocabula rationali creaturæ, ut rationalis est, atrributa, sæpè permixtim accipiuntur unum pro altero, & singulum ipsorum pro singulis: quæ multiplicitas utendi causat frequenter confusionem in doctrinali disciplina, vel in studiosa meditatione, nisi proprietas nominum (quo sumitur apud Doctores) annotetur. Triclinium eleganter exposuit, & distinxit, venerabilis Richardus, & antè eum Hugo, fundantes se in Augustino præcipuè. Boëtius quoque in suo Libro *De consolatione*: *quarto & quinto.* Et post istos Dominus Bonaventura, tam in Lectura *Secundi Sententiarum*, quàm *in suo Breviloquio* sub compendio. Denique mirabilius *in suo Itinerario mentis in Deum.* Sed & Autor Libri *De spiritu & anima*, qui (se judice) fuit tantummodò compilator ex aliis, multa notavit digna. Omnes postremo, qui de anima rationali, & viribus ejus Philosophicè aut Theologicè tractaverunt, illustrant triclinii nostri notitiam, ita tamen quòd Theologica traditio præferatur. Dicitur hoc propter Avicennam, & Averroëm, & Platonicos, & alios, quorum recitator fuit Albertus *in* A *suo de anima, & de intellectu, & intelligibili*, discrepantes in multis à Fidei pietate. Scrutetur illud Apostoli: *Omnia tentate quod bonum est tenete.* I Thess. V. 21. Triclinium cordis convenienter assignatum est secundùm triplex habitaculum, seu cænaculum, sub appropriatione nominum istorum, *Mens, Ratio, Anima*, quibus præponitur velut Architriclinus ipse spiritus rationalis. Sponsus autem potest nominari *Animus.* Uxor verò dicetur *Affectus vel Affectio*, & hæc multiplex, signanter triplex. Undè nominari potest noster animus nunc animalis, si ex utero animalis affectus gignit prolem; nunc rationalis, si ex utero rationalis affectionis gignit sobolem; nunc spiritualis, si fœtus ex multis affectionibus procedat, Spiritusancto superveniente, atque sui roris intima aspersione mentem fecundante. Triclinium cordis quandoque reducitur ad binarium, & senarium; quandoque ad septenarium protenditur. Famosa Apostoli B distinctio de homine veteri, & novo, interiori scilicet & exteriori: dat interiori quicquid spectat ad divina; dat exteriori quicquid ad vitia, & ad brutales spectat affectus. Primum vocat spiritualem hominem, alterum animalem: ubi nominibus aliter utitur quàm habeat distinctio nostri triclinii, sed sententia faciliter consonat; sicut ista quæ septenario dilatatur. Triclinium cordis habuit Deus, & proximus noster Jesus Christus, secundùm humanitatem, quòd fuit in eo mens beata, ratio prompta, anima mœsta cum carne infirma. Significavit hoc triclinium Hugo sub metaphora triplicis oculi scilicet carnis, rationis, & mentis, seu contemplationis. Significavit hoc ipsum Richardus sub typo triplicis conjugii ipsius Jacob. Unum cum ancillis fuit Bala, & Zelpha, alterum cum liberis Rachel, & Lia. Tertium (quod satis dat intelligi) cum divina sapientia, de qua Salomon cecinit: *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov. XXXI. 10. Hæc utique est sapientia *Mater pulchræ di-* C *lectionis.* Hæc non ex virili semine, sed mystico spiramine Virgo concipit & parit Dei Filium, quoniam spiritus rationalis per Jacob figuratus, non sufficit ad hunc partum in utero mentis, sicut nec Maria Virgo fecundabatur à Joseph sponso suo, qui non dominatur, sed obsequi debet Dominæ sponsæ suæ, quàm fecundat Spiritus Jesu Christi, qui Dominus simul, & Pater est, & sponsus, & filius, in hoc partu.

Porrò de mente, quæ superiora cordis tenet, principaliter est propter verba literæ, simul cum mysterio, pertractandum. Hæc est velut in arce, ad quam invitat apud Salomonem Sapientia & apud Boëtium Philosophia, quibus obedientes sancti, & elevati viri, conscendebant in excelsa. Elias, Elisæus, Daniel, Petrus, Sara, Judith: Esther quoque rogatura Assuerum, venit per ordinem ad tertium ostium. Christus demùm in monte transfiguratus est. Jesus in cenaculo grandi strato montis Sion cibavit Apostolos corpore suo, quibus D & præbuit se videndum post Resurrectionem, & Spiritus sancti cœlitus missi virtute roboravit, docuit, & succendit, colligens illic, & uniens humiles *mente cordis sui.*

SEQUUNTUR DE MENTE,
Veritates Duodecim.

CONTINUETUR ergò de mente expositionis collectio, repetendo primitùs, quòd mens ab eminentia nominatur, & in supremo cordis triclinio colloca-

locatur, quia proprium habet officium spiritualibus intendere, non qualibuscunque, quia ratio communiter circa sui cognitionem, & spiritualium occupatur; sed mens vacat soli Deo. Hoc jam præmisimus; in hoc quid nominis convenimus, adeò quòd, si vacet mens sibi, jam non sortitur nomen mentis, pro quanto vacat alteri, quàm Deo.

Ipsam verò constat non esse Deum. Convenissent in hoc quid nominis etiam Philosophi summi, licèt à modo ponendi discrepassent. Mens sicut à solo Deo creatur in natura, & in essentia; sic à solo Deo formatur, & illuminatur, tanquàm imago, & similitudo sua. Hæc jam consideratio discrepat à traditionibus Philosophorum, qui posuerunt animam rationalem secundùm mentem proximè formari ab intelligentia ultima, cum ceteris erroribus notatis in tenore Articulorum Parisiis damnatorum, de quibus non est hîc insistendum per singula. Sufficiat interim, positiones Fidei simpliciter supponere, non probare.

Mens comparatur ad Deum sub triplici habitudine. Primò, sicut ad principium productivum. Secundò, sicut ad objectum motivum. Tertiò, sicut ad donum sanctificativum. Primum habet commune cum quolibet ente: Undè reperitur in mente modus, species, & ordo; rursùs, unitas, veritas, bonitas; denique mensura, numerus, pondus. Etenim consistit in re qualibet, quantùmcunque modicum habeat entitatis, & in accidentibus, & in materia prima vestigium Trinitatis.

Mens cùm comparatur ad Deum sicut ad objectum motivum, sortitur imaginem Trinitatis in natura sua, ubicunque, & qualitercunque fuerit collocata. Ratio, quia capax Dei est, ut eum recolat, intelligat, & diligat. Nec potest aboleri triplex hæc potentia, mente ipsa stante. Undè nec in dæmonibus lux harum potentiarum, seu virium, seu aptitudo naturalium extinguitur, quin in se lux existat, prout esset sol in luce sua, etiamsi nihil extrà se actualiter illustraret.

Mens comparata ad Deum sicut ad objectum motivum, est nobilior, & expressior similitudo Dei naturalis, quàm si consideretur primo modo tanquam vestigium. Ratio, quia imago propter majorem expressionem est nedum medium deducens à posteriori tanquàm à signo causato ad causæ suæ notitiam; sed habet in se formaliter, saltem in actu primo, cognitionem & dilectionem suæ causæ primæ. Rectè eodem modo quo discipulus cognoscit artem magistri objectivè in aliis; sed formaliter eam, aut saltem virtualiter, in se capit; & hæc est propria distinctio imaginis à vestigio.

Mens comparata ad Deum sicut ad donum sanctificativum, sortitur nomen similitudinis Dei; quia per hunc modum particeps ejus esse potest, & hoc plùs, aut minùs, secundùm exuberantiam gratiæ gratum facientis, cum tribus Theologicis virtutibus in via, aut tribus dotibus, aut actibus in gloria. Ratio, quia gratia gratum faciens una est in radice & essentia, & triplex in habitibus fundatis & formatis in ea, & ab ea, quorum ipsa est radix, & forma, & finis, proportionabiliter ad essentiam divinam, unam in trinitate, & trinam in unitate.

Utrùm verò gratia sit priùs subjectivè ~~in essentia~~ animæ, quàm in potentiis? Videtur quòd in essentia, sicut essentia est prior, & potentior quàm potentiæ, quia radicantur, & fluunt ab ea. Sed neque gratia immediatè elicit actus potentiarum, sed imperat illos, & virtutes eliciunt, scilicet, Fides, Spes, & Charitas; aut potentiæ, mediantibus his habitibus, qui sunt Fides in rationali, Spes in irascibili, Charitas in concupiscibili.

Mens in parvulis baptizatis censenda est vera imago & similitudo Trinitatis. Ecce nunc incipimus investigationem theoricæ Christianorum, quam nullus sapientium, & prudentium mundi cepit. Ad cujus cognitionem non sunt necessariæ inquisitiones Philosophicæ vel Metaphysicales, nec Mathematicæ, sed sufficit gratia cum Spe, & Fide, per dilectionem operante. Quemadmodùm sub compendio divinus Augustinus, quòd *Fide, Spe, & Charitate, colitur Deus.* Undè deduxit contra Platonicos Plotinum, Porphyrium, Hermetem, Apuleium, & similes, longo processu, *in suo De Civ. Dei: & in De vera Religione:* Quòd solus Christus dederat modum generalem redeundi mentes in Deum, purgando, illuminando, & perficiendo, neque oportebat theletas aut theorgias magicorum, vel idolatrarum induci, sed respui. Sufficiebat denique illud impleri, quod hortabatur Ecclesia: *Sursùm corda.*

A

Mens parvulorum baptizatorum, & generaliter omnium Christianorum quantùmcunque simplicium, si sint in gratia, censenda est soli Deo tanquàm sponso vero, & soli suaviter inhærere; per influxum formalem gratiæ gratum facientis. Ratio, quia acceptatur, quamvis non semper exeat gratia in actum, secundùm exemplum in qualitatibus materialibus, albedine, nigredine, & calore, quia forma communicat actum suum primum, quamdiu manet in subjecto. Sic enim homo dicitur rationalis, & vivens, à mente sua, etiam dum homo dormit, dum actu nihil intelligit. Sunt autem influxus formales ipsius gratiæ tres principaliter, quos appellat hierarchicos Dionysius, B *purgare, illuminare, perficere*, appropriatè ad vigorem virtutis in mente, ad fulgorem veritatis, & ad ardorem, vel amorem, charitatis; quos omnes influxus ipsa complectitur quietudo fruitionis, quæ est *Pax exuperans omnem sensum*, Philip. IV. 7. & in qua effectus principalis stat Theologiæ mysticæ, qui ideò dicitur amens, id est, sine mente; & irrationalis, id est, sine ratione; & stulta, id est sine consueto ordine cognoscendi, prout infrà notabitur.

Mens parvulorum baptizatorum (de quibus minus videtur, quia nondùm habent usum liberi arbitrii) censenda est naturaliter, & supernaturaliter, liberè Deo frui, quamvis non libertate, ut est arbitrans, sive deliberans; propterea nondum dicuntur actu mereri, vel agere virtuosè; sed complacenter, & pulchrè, cùm, decore virtutum, copulantur ipsi Deo sponso suo. Ratio est, quia imago suæ mentis ad sui reformata est honorem principii, secundùm memoriam intelligentiam, & voluntatem.

C Mens omnibus hominibus est æqualis libertatis quoad essentiam, & actum primum; sed non quoad actum secundum, propter impedimenta, vel adjutoria, modò istis, modò illis advenientia. Caderet hic sermo de triplici libertate, scilicet, à coactione, à peccato, & à servitute. Undè est præterea quòd libertas arbitrii non potest cogi, nec ab hominibus, nec à Deo, nec à corpore proprio, cùm experiamur ipsam libertatem totaliter frequentiùs impediri quoad actum suum. Sed aliud est cogi, aliud impediri, vel deturbari, prout Sancti docent.

Mens primo modo priùs descripta nedum eminet in cordis triclinio suprà rationem superiorem, sed locanda videtur suprà synderesim, & conscientiam. Ratio, quia portio, sive ratio superior, ut talis est, intendere potest aliis sub Deo, quæ sunt spiritualia, & intelligibilia, ut sunt Angeli & Sancti. Porrò synderesis est naturale judicatorium, vel inclinatio, sicut alii loquuntur. Sed hoc judicatorium generaliter attenditur ad verum in universali, & inclinatio ad bonum similiter in universali.

D Mens autem solum respicit Deum, & inclinatur ad ipsum unum, verum, bonum, æternum, solum & summum. Habet igitur objectum prius, & principalius ipsa mens, quàm ratio superior, aut synderesis. Perpendit hoc dùm procedit ad actum secundum, tàm secundùm potentias suas, & vires, quàm secundùm habitus, quibus ipsa formatur, & decoratur. Mens non habet intellectum agentem, vel potentialem, quasi potentias distinctas

junctas essentialiter ab invicem, vel à seipsa, sicut multi Philosophantium locuti sunt, quos non oportet imitari; quia ponebant aut unitatem mentis in omnibus, aut ipsam non esse corporis formam, nec de novo creatam, sed perpetuam; nec ad gratiam, & gloriam, à Deo solo sublimari, cum erroribus hujusmodi, contrà nostræ Fidei pietatem. Caderet hîc exquisitior sermo, qua ratione dicitur mens simul esse agens, & patiens; mota, & movens. Sed hæc in spiritibus, & à materia separatis reperitur libertas, cum seipsam movet, dum se reflectit super se, & super actus suos.

A

Transeamus ad præsens conquisitiones hujusmodi speculativas, & Metaphysicales: & ad modos, & ad causas undè mens dispergitur revertamur, quatenùs ejus unitio, & simplificatio plùs nota sit, ne incurratur verbum hoc improperii: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. I. 51.

Dispersio mentis dedit occasionem impositoribus nominum, quos necesse fuit sapienter attentos esse circa rerum proprietates, ut mens à *mene* diceretur. Est autem *mene* idem, quòd luna, vel defectus.

B

Mens autem præsertim stulti (secundùm Sapientis verbum) *ut luna mutatur.* Eccli. XXVII. 12. Lunatica quippe est, quam spiritus immundus mittit nunc in ignem cupiditatis malè inflammantem, nunc in aquam tumoris malè suffocantem, nunc elidit in terram cogitationum noxiarum de terrenis, & volutatur & clamat, & stridet, & spumat, & arescit, & discerpitur per varia, vix tandem redit ad se per lucidum intervallum, ut Deum noscat, & se, & hoc ab infantia. O quam sæpè descendit nostra mens de Jerusalem panis in Jericho lunaris mutationis. O quotiens incidit in latrones! Sed locus est hîc & nunc doctrinæ, & non quærelæ.

Dispersio mentis causam habet duplicem in genere. Quædam vitiosa est, altera non vitiosa. Vitiosarum quædam est ex originali culpa, quædam ex veniali, quædam ex mortali. Sunt autem causæ aliæ non vitiosæ, sed naturales quemadmodùm est necessitas somni; quamvis aliquorum videatur opinio sentire, quòd pro statu naturæ institutæ mens non fuisset à somno depressa, nec etiam in pueris, quin actus semper meminisset, intellexisset, & dilexisset Deum. Et hoc privilegium trahere volunt ad beatam Virginem, immò ad Joannem Baptistam, etiam ex utero, sicut non est dubium, quin Christus viator semper dicere poterat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. V. 2. Quippè beatus erat secundùm mentem; non sic Joannes, & Maria.

C

Stemus hîc, & in aliis cum traditione communi, quòd in istis etiam quandoque mens cessabat ab actibus suis, & causis naturalibus, & constat sine peccato. Dispersio mentis pro statu naturæ lapsæ) de qua principaliter erit sermo) nunquam intelligitur fieri quoad actum suum primum. Hoc jam tactum est; quià sicut anima rationalis est perpetua, postquam creata est, sive sit in corpore, sive extrà corpus: lux est quædam in se nata lucidum reddere in actu secundo subjectum dispositum, ut corpus, vel seipsum, si non aliquis intervenerit obex. Undè & naturalia in dæmonibus, secundùm Dionysium, splendida remanserunt. Vocatur autem actus secundus ipsa operatio elicita, & immanens, vel imperata, & transiens.

D

Dispersio mentis quoad actum secundum, provenit quandoque negativè, quandoque privativè. Negativè siquidem, dum non sinitur exire in actum sine culpa sua; privativè verò cum culpa sua. Exemplum primi, in dormientibus, infantibus, & fatuis naturaliter. Exemplum secundi, in ebriis, & philocaptis, & aliis, quos excæcat sua malitia.

Dispersio mentis habetur virtuosè, dum spiritus propter actus virtutum in activa pro tunc impeditur cogitare de Deo solo, & manere in arce sua. Certum est autem quòd omnes virtutes consonant quoad habitus suos, nec se impediunt: actus verò sæpe mutuò se non compatiuntur. Quis nesciat, quòd actus vitæ activæ suspendunt actus vitæ contemplativæ, & è contra? Non enim simul est, vacare actionibus extrinsecis & intrinsecis speculationibus. Si autem quæratur, utrum semper oporteat agere id quod melius est in se: clara est responsio, quod non; alioquin quilibet obligarĕtur ad opera supererogationis: nam virtus, & ars terminos suos habent, & certos.

Sufficit igitur pro regula ad salutem, quòd fiant actus qui tunc jacent sub Præcepto operantis, quantumcumque quis videatur idoneus ad alia, & præditus talento multiplici ad supererogandum; quæ regula tollit scrupulos super distributione talenti accepti, quos frequenter inducit fervor indiscretus, & zelus non secundùm scientiam, proveniens ex radice superbiæ, vel vanitatis, vel certè à dæmonio meridiano, *cujus oculi* sunt *sicut palpebræ diluculi*, & qui per arrogantiam *fervescere facit sicut ollam profundum maris*, cui cor stultorum comparatur, & *ponit quasi cum unguenta bulliunt*, Job. XLI. 9. 22. hoc est, cùm de vitiis virtutes effingit.

Dispersio mentis quoad habitum gratiæ gratum facientis, nunquàm provenit absque peccato mortali; sed actus ejusdem gratiæ potest sine culpa mortali vel veniali frequenter interrumpi. Hæc pars sequitur ex præcedenti. Unde pro faciliori notitia omnium quæ tractamus, possumus per distinctionem dicere, quòd mens in homine, sicut anima rationalis, potest considerari dupliciter. Uno modo secundùm esse suum; alio modo secundùm benè esse. Si primò modo, sic est incorporalis, & immaterialis naturaliter. Si secundò modo, sic recipit varietates plurimas; & hoc dupliciter in genere, quia vel constituitur secundùm benè esse habituale suum solum, vel secundùm esse actuale. Si secundùm esse habituale; sic est dupliciter, vel secundùm habitus purè supernaturaliter infusos, vel secundùm habitus naturaliter per assuefactionem acquisitos. Talis est distinctio de benè esse actuali; quia vel procedit illud ex habitu supernaturali, vel supernaturaliter, vel solùm naturaliter.

Fierent subindè multæ distinctiones de comparatione mentis, aut animæ rationalis, quoad benè esse vel quoad esse, secundùm quid, quod est additum sub uno esse. Et secundùm istos respectus haberetur notitia, cur anima tot nominibus appellatur, cùm sit essentia simplex, & una, ut quòd dicitur spiritus, mens, ratio, anima; dicitur portio superior, & inferior; dicitur intellectus speculativus, & practicus; dicitur simplex, & compositus, aut discursivus; dicitur formalis, & actualis vel adeptus; dicitur agens ut possibilis; dicitur inventivus, & judicativus; dicitur liberum simpliciter & liberum arbitrium; dicitur synderesis & conscientia; dicitur naturaliter agens; dicitur rationalis concupiscibilis; dicitur tandem principaliter spiritus cognitivus; dicitur mens collecta, & unita in humilibus devotis; dicitur dispersa in superbis mente cordis sui.

Veritates octo diximus de dispersione mentis. De collectione videamus, simul & devotione. Collectio mentis ad Deum potest acquiri quasi via triplici in genere. Una est, per devotionem simplicem; altera per Philosophicam investigationem, & intelligentiam; tertia per Theologiam, quæ complectitur intelligentiam, & devotionem simul, si plena sit. Nunc de prima principalior est intentio ad confusionem superborum *mente cordis sui.*

Describitur autem devotio secundùm Doctores, nominatim secundùm Hugonem in suo *De oratione. Devotio est elevatio mentis in Deum per pium, & humilem affectum, Fide, Spe, & Charitate subnixum.* Nihil hac descriptione verius, nihil luci-

lucidius, nihil proposito nostro simplicium documento accomodatius tradi potuerat.

Porrò de mentis devotione non siluit Scriptura, *Exod.* XXXV. 21. loquens de offerentibus *mente promptissima, & devotissima.* Mens devota est in incipientibus, devotior in proficientibus, devotissima in perfectis. Collectio mentis per devotionem, nihil aliud est, quàm elevatio. Non enim potest mentis elevatio fieri ad Deum per pium, & humilem affectum, quin colligatur ad unitatem. In qua unione tradit divinus Dionysius mysterium consistere Theosophiæ Christianorum. Undè præthereà sumitur distinctio spiritualis amoris à carnali, quia primus unit, alter spargit. Et quia talis unio non attingitur absque amore spirituali extasim faciente, tradiderunt expositores sui, quòd appellat Theologiam mysticam, experimentativum, vel gustativum amorem. De quo dicit unus inter cæteros, quòd amor hujusmodi causabatur sine cognitione prævia vel comite. Quod an verum sit, & quomodò potest accipi tactum est alibi, sub duodecim considerationibus: & hìc superaddentur aliqua. Certissimum quidem est quòd amor omnis cognitionem præsupponit unam, aut alteram.

Habemus ecce tria principaliter in descriptione devotionis. Primò: quòd *est elevatio mentis in Deum.* Secundò: quòd hæc elevatio *fit per pium & humilem affectum.* Tertiò: quòd hujusmodi affectus debet esse *Fide, Spe & Charitate subnixus seu formatus.* Possunt hìc explicari quatuor causæ devotionis, finalis, materialis, efficiens & formalis.

Posset insuper aperiri, quid intelligimus per elevationem mentis in Deum, quia non fit hìc sermo de elevatione locali, cùm Deus sit ubique, & semper, intimior menti, quàm mens sibiipsi. Sed intelligimus de elevatione spirituali, non secundùm esse mentis, sed secundùm benè esse habituale, & actuale, per affectum scilicet pium, & humilem, qui quandoque stat in habitu solo, quandoque procedit ad actum, quemadmodùm Fidem, Spem, & Charitatem, nunc pro habitibus, nunc pro actibus accipimus.

Accipientes autem pro actibus convenienter imprimìs coarctamus sermonem ad tria hæc vocabula *affectus, pius, & humilis,* ita ut abbreviando dicere possemus, quòd devotio est *affectus pius & humilis.* Quisquis ergò plenè cognoverit quid est *affectus pius & humilis,* sciet utique quid est devotio.

Et quoniam *finis legis est dilectio* 1. Tim. 1. 5. secundùm Apostolum, conformiter ad Christum testificantem, *in duobis mandatis* dilectionis *tota Lex pendet & Prophetæ.* Matth. XXII. 40. Fuit opinio celebris, quod Theologia Christianorum magis est affectiva propriè, quàm speculativa, vel practica. Non enim data est Lex Christiana, ut hìc intelligamus Deum, sed ut captivemus *omnem intellectum in obsequium Christi.* 2. Cor. X. 5. Valet hæc consideratio pro simplicibus Christianis, & militat adversùs superbos mente cordis sui, qui nihil credere volunt, nisi priùs intelligant, quales erant Philosophi, quos damnant Parisienses Articuli de errore quasi per omnia, specialiter dum dicebant, quòd nihil scit qui Philosophiæ non studuit; quòd insuper non est alia felicitas hominum, quàm studere Philosophiæ, & quòd non est curandum de Fide. Procedit rursùs hæc consideratio contrà superbos, solo nomine, & vanitate Theologos, qui student solùm ut sciant, vel sciantur; nihil verò trajiciant ad affectum, nihil ad mores, & virtutes. Et cum dicit etiam Gentilis Philosophus: *Inquirimus quid sit virtus, non ut sciamus, sed ut boni efficiamur.*

Cognovimus proh dolor, aliquos, quibus omnis doctrina miscens cum speculativa pietatem Fidei ad effectum reddebatur gravis, molesta, nauseans, & onerosa, ita ut Doctores devotos deriderent ut idiotas, & vetulas, quales sunt apud tales Gregorius, Bernardus; immò damnata arrogantia, & amentia! Augustinus & Dominus Bonaventura, cum similibus. Est, inquiunt, doctrina eorum ad prædicationem, & devotionem, quasi stare nequeant pariter devotio, & eruditio. Siquidem verum est, quòd repugnant scientia inflans, & Charitas ædificans, quia *execrabilis est superbo humilitas.* Eccli. XIII. 24. Sed est scientia, quæ non inflat, sapientia scilicet *quæ desursùm est, pudica, suadibilis, pacifica,* Jacob. III. 17. quæ erudiens intellectum, simul per devotionem informat & inflammat, & pascit affectum, favus scilicet cum
A melle, oleum cum igne, utile cum dulci. Devotio nihil habens de Philosophia, vel Theologia scholastica speculativa, sufficit ad salutem; sufficit insuper ad collectionem unitivam mentis cum Deo per supermentales excessus. Philosophia verò & Theologia, sine devotione dispergunt superbos mente cordis sui, deprimunt, & avertunt, ut se misceant quæstionibus infinitis. Ratio brevis in promptu est, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Jacob. IV. 6. *Declaratio sermonum tuorum illuminat* (ait Psalmista) *& intellectum dat parvulis.* Ps. CXVIII. 130.

Consideremus proprietatem devotionis, ut consequenter appareat quales apti sunt ad devotionem; illi nimirùm, quibus est suavitas in affectu, pietas in intellectu, humilitas in affectu simul & in intellectu. Est itaque devotio *affectus pius & humilis. Quid est autem affectus, nisi spontanea quædam, & suavis inclinatio,* ait Hugo. Porrò contrariatur affectus suavitati, mentis
B duritia, quæ compunctionem non molitur de qua Sapiens: *Qui autem mentis est dura, corruet in malum.* Prov. XXVIII. 14. Et iterùm: *Cor durum malè habebit in novissimo.* Eccl. III. 27. Contrariatur pietati Fidei mentis insipientia, de qua Psalmista. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Ps. LII. 1. Et alibi: *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.* Ps. LXXV. 5. *Prædicamus Christum* (ait Apostolus) *Græcis quidem stultitiam.* 1. Cor. 1. 23. Contrariatur humilitati, Spei, mentis arrogantia, quæ præsumit de meritis, vel desperat de præmiis. Hic est vir, *qui non posuit Deum adjutorem suum, sed prævaluit in vanitate sua.* Et rursùm: *Manus* enim *nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. XXXII. 27. Et illud de Judæis apud Prophetam: *Desperavimus:* Jerem. XVIII. 12.

C Sciverit igitur omnis homo, qui noverit comprehendi sub hoc maledicto, *dispersit superbos mente cordis sui,* quòd ad mentis collectionem unitivam necessaria est devotio quam descripsimus, quæ est *elevatio mentis in Deum per pium & humilem affectum, Fide, Spe, & Charitate subnixum.*

Propterea quemcunque videris carentem istis, dic, quòd dispersus est mente cordis sui, quantumcunque se Philosophum, vel Scholasticum Theologum esse jactet. Dic illud Job de tali: *Si ascenderit in cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit; quasi sterquilinium in fine perdetur; & dicent qui eum viderant: ubi est? Quasi somnium avolans non invenietur, & transiet quasi visio nocturna.* Job. XX. 6. 7. 8. Dic quòd est sal infatuatum, ejiciendum, & conculcandum. Secùs verò, si quem agnoveris in affectu suavem, pium, & humilem; si ad Deum cum simplicitate Fidei, Spei, & Charitatis elevatum, quamvis iste sit sine literis, sine Philosophia
D sine Theologia; talis utique collectus, & unitus est mente cordis sui. Quid igitur? Vana est Philosophia? Inutilis est Theologia? Vana prorsùs, inutilis, & noxia habenti, si non comes affuerit devotio, quæ pius est & humilis affectus; qua comite poterit ad intelligentias plurimas evehi, quas non habebit de lege communi simplex Christianus.

Poterit insuper talis esse utilis in doctrina, quâ Fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. *Utilis* præthereà, sicut dicit Apostolus, *ad arguendum.* 2. Timoth. III. 16. Proinde devotio sola non sufficit ad explicationem sui

sui mentibus alienis insinuandam, cùm amplius in experimentali sensu, vel affectu, quàm in ratiocinativo intellectu consistant. Sunt idcircò malè devoti simplices illi, qui juxtà suas affectiones tradere satagunt aliis regulas, & Leges ex Scripturis sacris. Hinc fatuæ revelationes, hinc superstitiosæ affectiones prodierunt. Sicut è converso Philosophi, & Theologi devotione carentes, sinistras de devotionis mysterio derisiones intulerunt. A

Rursùs: ita se habent affectus, pietas, & humilitas in Deum, ut nequeat una veraciter sine altera inveniri: nusquàm enim pietas Fidei ritè stabilitur sine affectione humili, nec humilitas Spei, & suavitas Charitatis, sine Fidei solidæ pietate. Quo factum est aliquando, ut dolere, pœnitereque se dicerent nonnulli litteratorum, quòd non in simplicitate parentum, scilicet laïcorum permansissent. Fides itaque donum Dei est, ne quis glorietur. Pax insuper in credendo precabatur ab Apostolo suis: *Deus*, inquit, *Spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo*. Rom. xv. 13. Ratio subditur, *ut abundetis in Spe, & virtute Spiritus sancti*: quæ virtus, est Charitas

Caderet hîc sermo de certitudine Fidei, & quemadmodùm intellectus in ipsa stabilitur, sicut & in Spe, & in Charitate per omnimodam sui derelictionem sub potenti manu Dei captivando *omnem intellectum in obsequium Christi*, 2.Cor.x.5. qualiter suadebat Chrysogonus Anastasiæ: *Tu verò ancilla Christi, trophæum Crucis tota mente constringe.* Modus infrà notabitur. Quid autem est mens tota, nisi mens unita totaliter, & collecta? Omnis verò mens talis devota est in incipientibus, devotior in proficientibus, devotissima in perfectis, quos non dispergit superbia mentis cordis sui. B

De devotissima mente dicemus aliqua. Primò de devotione perfectorum ad alios reditura. *Devotissima mens* qualis est in perfectis, *habet* in se *secretum solitudinis, serenum luminis, tabernaculum pacis*; *habet & cenaculum, seu diverticulum refectionis, cubiculum requietionis, nidulum pullificationis*: Hoc est ex Bernardo. *Videt illic lucem, quam non capit locus. Audit harmoniam, quam non capit tempus. Odoratur fragrantiam, quam non spargit flatus. Gustat cibum quem non minuit edacitas. Hæret amplexui, quem non devellit satietas.* Hæc ex Augustino. C

Sed amirabilior est super omnes Dionysii traditio, quæ videtur insipientibus corde rem magis involvere contradictionibus, quàm docere. Si quidem ad Timotheum scribens de mystica Theologia, sic dicit: *Tu autem, Timothee, circa mysticas visiones, corroborato itinere, & sensus desere; & intellectuales operationes, & sensibilia, & invisibilia, & omne non ens, & ens, & ad unitatem, ut possibile est, insciens restituere, ipsius qui est super omnem essentiam, & scientiam, & à teipso, & omnibus immensurabili, & absoluto puræ mentis excessu, ad superessentialem divinarum tenebrarum radium omnia deserens, & ab omnibus absolutus ascendens.*

Quæreret aliquis, quomodò possunt hæc fieri quæ repugnare videntur in forma verborum. Tentemus aliqua dicere prænotando, quòd duplex est hîc notificationis modus. Unus doctrinalis extrinsecùs, alius experimentalis intrinsecùs. Undè sciendum, quòd omnis cognitio nostra ortum habet ab aliqua experientia. Omnis præterea cognitio, si perfici debeat, in experientia terminatur. Experientiæ verò nomen dicitur ab *ex*, & *pario, paris*, quià paritur experientia ex rebus in viribus cognitivis, & affectivis. D

Hinc dicimus; hoc experior, hoc comperio, hoc reperio. Est autem experientia secundùm rem, seu quid rei perceptio simplex, non discursiva, causata, seu parata immediatè ab objectali motione, ità quòd sufficit ad hanc perceptionem præsentia objecti cum potentia perceptiva, remotis impedimentis. Si enim color objicitur visui, sufficit ad visionem per solam impedimentorum ablationem, ut quòd oculus non sit clausus, nec cæcatus, nec aliter impeditus. Sic est de auditu respectu soni, de gestu respectu gustabilis, de tactu & olfactu suo modo.

Ceterùm perceptio ponitur in definitione pro genere, quæ secundùm nomen dicitur perfecta captio, & hæc convenit experimentali cognitioni præcipuè; quoniam in ipsa, prout experimentalis est, non cadit error, vel deceptio; nisi fortè occasionaliter apud potentiam discursivam, quemadmodùm dicit Hippocrates, quòd *Experimentum est fallax*. Causam dicti præmisit. *Ars*, inquit, *longa*. *Ars* itaque formatur non ab uno tantùm experimento, sed à plurimis, quorum utique singulum verum est; alioquin non esset per experimentum.

Attamen combinatio experimentorum, & conquisitio discursiva de quidditate & conditionibus rerum expertarum, immò & ipsorum experimentorum, quæ res sunt, an substantiæ, vel accidentia, sæpè fallit.

Consurrexit proindè necessitas Grammaticæ, & Logicæ, pro communicatione mutua super experimentis singulis, & rebus expertis, ne omnes, aut plures experientiæ laterent vicissim homines, præsertim experientiæ interiores, quas *nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est*. 1.Cor.II.12.

Consurrexit denique modus alter cognitionis per experientiam, qui disciplinalis, vel scholasticus, vel doctrinalis appellatur, per voces, & scripta; quoniam aliter non possumus conceptus primos per experientiam habitos exponere.

Consurrexit etiam distinctio vetus de conceptibus primæ intentionis, & secundæ, & tertiæ, & de modis significandi, & de suppositione naturali.

Tota postremò pars Philosophiæ, quæ rationalis dicitur, propterea necessarium sumpsit exordium.

Suffecerit ad præsens commemoratio distinctionis, ut ostendamus primò, quòd unio mentis, de qua nunc loquimur, consistit in experientia, propterea transfundi non potest in alios per doctrinam, sicut nec visio, nec aliqua sensatio exterior aliter in alios transfunditur, nec amor, nec odium, nec lætitia, neque generaliter aliqua experimentalis cognitio.

Nihilominùs doctrinalis traditio non est frustrà. Primò propter inductionem, ut fiat amplificatio potentiarum perceptivarum cum objectis experimentaliter percipiendis. Deindè notificatio fiat impedimentorum, quatenùs auferantur. Hæc enim duo sufficiunt ad experientiam; ità tamen, si objecta moveant naturaliter, alioquin tertium requireretur scilicet actualis, & libera motio objectalis, qualem habet extra se Deus, qualem habet libertas arbitrii super actus suos.

Nullus idcircò putet vel expectet, quòd ab homine de per se sibi tradi possit cognitio super unione mentis cum Deo. Meritò quidem; quia nec de quacunque experientia potest hæc fieri circa creaturas. Nemo præterea speret experimentum, nisi sublatum fuerit impedimentum. Est igitur commune studium omnium qui de Theologia mystica, quæ consistit in unione, locuti sunt, inducere ad tria quæ requiruntur, & sufficiunt; videlicet desiderium divini objecti, remotio impedimenti, imploratio divini beneplaciti. Primum fit insinuando pulchritudinem & valorem. Secundum fit, aperiendo defectum nostrum, & languorem. Tertium fit per orationis vehementiam, & ardorem. Hæc autem tria complectitur ipsa devotio, quæ est elevatio mentis in Deum, sicut in objectum proprium; & hoc per pium, & humilem affectum, in quo semper est Deo beneplacitum. Occurret forsan aliquis, & dicet: Quid ad te de doctrina mysticæ sapientiæ, qui non es par-

particeps hujus experientiæ? Respondeo. *Credidi propter quod locutus sum*, Ps. cxv. 1. *Credidi* sermonibus expertorum, *propter quod* conformiter ad eos *locutum sum*. Quatenùs inducar, & inducam, quantùm Dominus adjuverit, ad desiderium tanti objecti, cum isto qui dicebat: *Unam, petii à Domino. hanc requiram*. Ps. xxvi. 4. Unam videlicet pretiosam margaritam Evangelicam, quâ habitâ, dicamus, sufficit; quâ non habitâ, saltem desiderare concupiscamus. Enitamur denique pro remotione cujuslibet impedimenti cum imploratione divini beneplaciti: sanabit ità fortè oculum mentis, & ei se præsentabit experiendum, gustandum, & videndum, quàm suavis ipse est, quàm magna multitudo dulcedinis suæ quam abscondit timentibus se. Superest ostendere, quòd doctrinalis traditio Theologiæ mysticæ se extendit ad Theologiam Scholasticam, nec ab ea diversa est, vel seclusa, immò nec à vera Philosophia. Fiet autem hoc commodè si verba beati Dionysii à Paulo, immò à Spiritu sancto docti concordaverimus ad invicem per Scholasticam Theologiam, cujus ignorantiam habentes, quamvis experientiam intrinsecam sentiant beatæ unionis; tamen hanc doctrinaliter elucidare nequibunt.

Exemplum est manifestum in doctrinis Philosophicis. Nonne poterit Astrologus, qui nunquàm expertus est eclipsim solis, & lunæ, tradere doctrinam hujus rei, qualem rusticus, qui experietur ipsas ad oculum, tradere nequibit? Poterit rusticus utique dicere socio præsenti: aperi oculos, & vide, poterit extendere digitum ad eclipsim, sed nil amplius. Astrologus verò, licèt ita monstrare non poterit præsentialiter, docebit tamen absentes qualiter aperiendi sunt oculi, qualia sunt impedimenta quæ removeri oporteat, immò si Catholicus sit, divinum beneplacitum jungere non omittet, qui facit eclipses, si vult & quando vult.

Sic in proposito, nisi quòd Astrologus habet demonstrationem; Theologus verò solam eruditionem, in Fidei autoritate firmatam. Multi multa locuti sunt, & nos multotiens jam inter multos de, & super verbis Dionysii, dum tractat de mystica Theologia, & divina sapientia Christianorum. Dixerunt aliqui, quòd consistit hæc Theologia in abnegatione omnium à Deo, alii quòd in affectu & dilectione; nonnulli, quòd in intelligentiæ puritate; alii quòd in mentis ad Deum collectione, vel unione; alii quòd in devotione, seu mentis elevatione; alii quòd in raptu, vel extasi, vel mentis alienatione. Quas sex positiones absque contentione pertractemus sub certis propositionibus, ostensuri conformiter ad verba Cantici Mariæ, quòd existit in experimentali, & gratuita unione, seu collectione & exultatione humilium *mente cordis sui cum Deo*, dùm *dispersit superbos*, dùm *deposuit potentes de sede*, dùm *esurientes implevit bonis*, dùm *suscepit Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ*.

Dicamus igitur abbreviato sermone, quòd sapientia Christianorum, de qua tractavit divinus Dionysius, est unio mentis, seu collectio, tanquàm pro genere. Jungitur experimentalis, & gratuita cum Patre luminum Deo, tanquàm pro formali differentia, & pro fine, vel objecto. Mens ponitur quasi pro materia, vel subjecto. Habemus ecce genus discriptionis, scilicet unionem, simul cum objecto suo Deo, & mentem pro subjecto; nec oportet insistere scrupulosiùs, quia nullus ambigit. Sed in hoc est difficultas, quæ, & qualis sit ista unio, & quemadmodùm comparetur, & cur pro differentia additum experimentalis, & gratuita. Porrò quin gratuita sit hæc unio quis negaret? ad quam nec natura sufficit, nec industria. Sed neque satis est unio gratuita, si non percipiatur quemadmodùm Deus habitualiter unitur per gratiam, & virtutes in parvulis baptizatis, quos tamen non dicimus mysticè sapientes. Superest igitur difficultas velut unica, quid sit, & quomodò sit unitionis experimentia. Possumus autem dicere, quòd experimentalis unio mentis cum Deo est simplex, & actualis perceptio Dei, gratiæ suæ gratum facientis dono, qualis hîc incipit & perficitur in gloria per gratiam consummatam. Est igitur hæc
A unio experimentalis, prægustatio quædam gloriæ, pignus, & arra felicitatis æternæ, cui contraria est dispersio, & aversio superborum mente cordis sui. Relinquitur tandem hæc depurata, seu expolita Theologiæ mysticæ descriptio dicendo, quòd est experimentalis Dei perceptio. Potiùs autem ponitur perceptio, quàm cognitio; quia generalis est terminus ad omnem vim mentis, scilicet rationalem, concupiscibilem, irascibilem, vel ad vim apprehensivam, & affectivam, quamvis nihil verè videatur percipi, quin vis apprehensiva concurrat. Alioquin vis affectiva ferri posset in incognitum, quod aliqui nedum concedunt, sed hoc probare contendunt. Nec Theologiam Scholasticam suscipiunt in hac parte, sed à mystica secernunt: super qua re videri poterit in processu.

De experimentali unione,

VERITATES.

B

EXPERIMENTALIS Dei perceptio facilis, & immediata, non habetur hîc in via, de lege communi, sed expectatur pro præmio in gloria consummata.

Conceditur hæc ab omnibus, nec oportet probationibus immorari; immò, sic concessa est propositio, ut in errorem aliqui prolapsi sint, dicentes, quòd nec in Patria Deus immediatè videbitur, sed in theophaniis quibusdam contemperantibus inaccessibile lumen Dei, imbecilli menti. Quo super errore destruendo Doctores nedum copiosissima disputatione; sed sententiali determinatione processerunt, juxta notata Domini Bonaventuræ 2. *Sententiarum. Dist.* 23.

Experimentalis Dei perceptio non videtur esse formaliter ipsa unio. Admittitur autem hæc prædicatio, quasi per causam, vel concomitantiam, sed non multùm interest ad rem nostram. Tanta quippe est connexio omnium virium mentis, vel habituum virtuosorum, cum habitu gratiæ, & actu principali ejus,
C quòd apparet quædam circumincessio, velut in Benedicta Trinitate suo modo. Est enim gratia gratum faciens una in trinitate habituum Theologicorum, & trina in unitate sua, seu radice, sicut mens una est in essentia, & trina in potentiis. Utrùm verò potentiæ sint realiter ab invicem distinctæ, vel tantummodò relativè, seu comparativè; & si gratia priùs informat essentiam mentis, quàm potentia, parùm interest pro devotis scrupulosiùs inquirere.

Experimentalis Dei perceptio videtur fieri, dùm influxus formalis, & habitualis gratiæ gratum facientis, in actus suos immediatè se protendit. Exemplum de formis aliis, dùm ex actu primo, qui est informare, procedunt ad actus secundos; sicut vita ad vivere, lux ad lucere, intellectus ad intelligere, sensus ad sentire. Sunt autem effectus plurimi gratiæ; tres Hierarchici, *Purgare*, *Illuminare*, *Perficere*, quos aliqui multiplicant secundùm mentis vigorem, fulgorem, & amorem: dicentes, quòd virtutem memo-
D riæ purgat, elevat, & stabilit; fulgorem intelligentiæ illuminat, informat, & assimilat; amorem affectivæ perficit, vivificat, & unit, & mentem acceptam Deo reddit.

Experimentalis Dei perceptio fit secundùm fructus spiritus, quorum maximus, & primus est Charitas, idest, *chara unitas*, undè prodeunt alii, *Gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, mansuetudo & Fides, modestia, continentia, castitas*. Gal. v. 22. 23. Undè Charitas, prout est virtus Theologica, dicit habitum; sed prout est fructus, dicit actuale Charitatis experimentum,

tum, vel sentimentum, quamvis nesciat homo certitudinaliter undè veniat, aut quò vadat, sicut infra notabitur.

Experimentalis Dei perceptio, vel notitia, si pura esse debeat, & vehemens, requiritur in sensibus animæ proportionatis sensibus carnis, quòd purgentur, illuminentur, & perficiantur per operationes gratiæ gratum facientis, quas nunc elicit immediatè, nunc imperat mediatè per habitus Virtutum, Donorum, & Beatitudinum. Sic experimur, quòd homo non percipit se vivere, nisi dum anima procedit ad actus secundos per opera vitæ, quæ cessant utique, positis impedimentis in sensibus per ebrietates, per somnium, per infirmitates, aut ægritudines.

Experimentalis Dei perceptio si debeat esse perfecta, & talis quæ dici mereatur sapientia divina, vel mystica, terminatur in caliginem, quam inhabitat *Deus verè absconditus*, Isaïæ XLV. 5. *& qui posuit tenebras latibulum suum*. Ps. XVII. 12. Quod ut fiat experimentaliter, necesse est mentem ab omni cognitivo actu, vel affectivo circà creaturam communem, etiam circà seipsam tunc vacare, & in silentio summo esse, mori denique toti creaturæ, ut soli Deo vivat creatrici essentiæ. Hic est nunc punctus difficultatis, & mysterium absconditum, quod nemo novit per experientiam, nisi qui accipit. Potest tamen nosse per doctrinam in autoritate fundatam cum manuductionibus, & exemplis; alioquin vanè penitùs studuisset beatus Dionysius, cum ceteris, condere Libros super hac re.

Experimentalis Dei cognitio terminatur in caliginem; sed priùs deserit aliam caliginem. Caligo quæ descritur, est omnis creatura quæ de se non nisi caligo est, privatio scilicet luminis; alioquin non dixisset Joannes de creaturis, quòd *lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt*. Joan. I. 5.

Fit autem ista desertio secundùm tria quæ notat Dionysius in verbis præmissis. Primò, deseritur operatio sensitiva, quia non oportet ut vegetativa deseratur. Secundò, operatio intellectiva secundùm omne ens, & non ens; & hoc planè accipiendum est de ente, vel non ente creato, vel creabili, non de ente primo, & puro. Tertiò, deseritur mens ipsa, non utique quin maneat essentialiter in se, alioquin esset, & non esset: nisi velimus insanire cum Almarico, & similibus hæreticis dicentibus, mentem contemplativi, vel beati perdere suum esse in proprio suo genere, & redire in illud esse ideale quod habuit essentialiter in arte divina. Et hoc esset prorsùs mentem annihilari, aut nihil omninò posset annihilare Deus. Et hoc aliqui volunt, sed malè; quia similiter ipse creare nihil posset. Quid est igitur, mentem seipsam deserere? hoc est, ipsam in actu primo suo essentiali manentem, nullum actum secundum circà seipsam, aut circà quodlibet aliud ens, præter Deum exercere, & tunc intrat novam caliginem, de qua sequitur exponendum.

Experimentalis Dei cognitio, seu notitia, vel perceptio quam investigamus, quia non terminatur in Deum, clarè, & nudè visum, sistitur in caligine quadam suprà se, deserendo primam caliginem creaturarum post se, vel sub se; immò & se post, & sub se, modo dicto. Ratio est, quia nec mens habet oculum, qui natus sit hìc videre Deum, nec Deus objicit directè, & immediatè seipsum. Grandis attamen difficultas est, si omnis notitia experimentalis sit intuitiva, super qua notitia tractatur de sancto nomine Dei.

Satis sit hìc dicere, quòd intuitiva cognitio Dei non negatur hìc in via, ex hoc præcisè quòd Deus est objectum improportionatum mentis oculo propter excellentiam visibilis, sed quia non placet Deo. Ratio, quia objectum intelligibile quantò est perfectius, tantò magis idoneus est oculus mentis capere ipsum. Non enim læditur harmonia mentis de se ab excellentia intelligibilis, quemadmodum destruitur harmonia oculi sensualis per excellentiam lucis. Comparatio igitur oculi vespertilionis ad solem non dicit omnem similitudinem ad oculum mentis, respectu manifestissimorum in natura, dicente Aristotele, quòd *Intellectus quantò perfectiora intelligit, tantò fit habilis ad altiora*: undè probat immaterialitatem ipsius.

A Experimentalis Dei perceptio per caliginem non fit sine clarissima irradiatione, ac sine silentio susurrante, & occultè dicente. Difficilius hoc videtur ad explicandum. Credendum tamen est verbis Dionysii crebrò sic loquentis in definitione sapientiæ, & alibi. Placuit inquirere exemplum sensibile visus corporalis ad lucem solis; fit enim frequens per Dionysium, & Augustinum, & Aristotelem, cum ceteris comparatio talis, quia nihil similius in creaturis corporeis luce spirituali, quàm lux solis, sicut visui corporeo visio mentis.

Exemplum unum; sint duæ domus valdè distantes, quarum quælibet fenestram habeat apertam aspectu mutuo, & directo; sit medium prorsùs expeditum; sit oculus, seu videns in unam fenestrarum, constatque, quòd si nullum sit in medio lumen, puta de nocte, oculus erit inter duas caligines, quarum nullam attinget, quia nec illam quæ retrò se est in B domo suæ fenestræ, vel istam quæ in ista fenestra est, quia ad fenestrarum vacuitatem non pertingit, medio non illustrato.

Sed illustretur medium, per quod acies oculi dirigatur ad fenestram oppositam, judicabit utique talis oculus esse caliginem, quamvis domus intrà se copiosè sit illustrata. Docet hoc experientia cum ratione perspectivorum, quia nunquàm videtur lux sine coloris mixtione, qui non est nisi in corpore terminato. Undè oculus carnis purè in medio lucis positus nihil videret, sed esset in caligine. Ecce quòd ad inspiciendum caliginem oportet quòd oculus sit inter duas caligines retrò, & antè; oportet nihilominùs, si debeat anterior caligo videri, quòd fiat irradiatio per medium.

Exemplum de voragine terræ, quæ non agnosceretur per oculum sub se, tenebroso medio inter oculum & voraginem, nullatenùs illustrato.

C Exemplum alterum, quod ab Augustino jam priùs inductum est de divisione spiritus. Sit oculus in excelso monte, qualis fertur esse Olympus; sit ab imo nubes caliginosa prohibens aspectum omnium quæ sub eo sunt; sit rursùm inter solem, & oculum alia caligo impediens aspectum solis directum, non autem diffusionem luminis ex obliquo. Constat quòd oculus satagens inspicere solem, non intuebitur nisi caliginem, quamvis inde suscipiat obliquam irradiationem. Alioquin non videret oculus istam caliginem, radiatione hujusmodi non existente. Potest hìc induci illud Isaïæ: *Surge illuminare Jerusalem, Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur*. Isaïæ LX. 1. 2. Consonant exemplis verba Richardi de divisione animæ & spiritus. *In hac*, inquit, *divisione, anima, & quod animale est, in imo remanet; spiritus autem, & quod spirituale est, & quod elevat ad summa, & ab infimis dividitur, ut ad summa sublevetur, ab anima scinditur, ut Domino conjungatur*, quia qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo. I. *Cor*. VI. 17. Felix divisio, & mirabilis separatio, ubi quod corpulentum est, & fœculentum, deorsùm remanet; quod spirituale est, & subtile, usque ad contemplationem divinæ gloriæ sublimatur, & in eamdem imaginem transformatur.

D (marginal letter beside "ditur")

Pars inferior componitur ad summam pacem, & tranquillitatem, cùm pars superior sublimatur ad gloriam, & jocunditatem. Hæc autem sub eisdem verbis ponit Autor *De spiritu & anima*. Quæ autem sit ista pax, quæ

quæ gloria, quæ jocunditas, & quid est quod videatur, hoc est quod inquirimus.

Experimentalis Dei perceptio non fit per solam abnegationem. Ratio, quià pura negatio nihil ponit. Undè ut *Damascenus Libro quarto cap.* 4. in fine dicit: *Sunt etiam quædam affirmativè de Deo dicta, virtutem superexcellentis negationis habentia; ut puta tenebras dicentes in Deo, non tenebras intelligimus; sed quoniam lux non est, sed super lucem, & lux, quoniam non tenebra est.* Hæc ille. Sic igitur quicquid affirmativè de Deo dicimus, includit negationem aliquam; & è converso negatio relinquit affirmationem, non quidem ad idem, & secundùm idem, & pro eodem; alioquin esset contradictio manifesta; sed accipiuntur affimatio & negatio respectu diversorum, quià negatur à Deo quicquid est imperfectionis in creatura; sicut omnis creatura est imperfecta quantumcunque perfecta sit in suo genere, & ponitur per superexcellentiam affirmatio de Deo. Propterea dicit sæpè Dionysius, quòd *Deus non est ens, sed superens, superbonus, superDominus, & similia.*

Experimentalis Dei perceptio claudit in se duplicem viam cognoscendi Deum, scilicet per abnegationem, & excellentiam; nec via abnegationis sufficit, nisi via excellentiæ adjungatur, nec è contrà. Propterea damnatus est Articulus Parisiensis, dicens, quòd *Non cognoscimus de Deo hic in via, nisi quid est.*

Exemplum beati Dionysij est aptissimum, ubi dicit *secundo De mystica Theologia: Sicut per seipsum agalma naturæ facientes*, id est, imaginem ex ligno vel lapide, *auferunt ea quæ superjecta sunt, putà oculi visionem vetantia, & ipsam in seipsa ablatione sola occultam manifestant formam, ut in manifestationem ducant.* Sic, supple fit, in cognitione per abnegationem. Constat autem, quòd statuæ factor nihil addit ad lapidem, ut sculpat imaginem; sed trahit tantummodò de eo: veruntamen, aliqua ablatione facta, linquit pulchram scilicet imaginem. Consonat Augustinus Dionysio, & exemplo pro confirmatione dictorum sic dicit. *Cùm audis bonum hoc, bonum illud; tolle bonum hoc, & bonum illud, & vide, si potes, ipsum bonum, nullo alio bonum; tunc videbis Deum. Ita de vero, ità de pulchro, ità de ente præcipuè, ità de quolibet attributo divino.*

Experimentalis cognitio Dei potest intelligi per ablationem fieri septem modis; quorum duo spectant maximè proposito nostro. Unus ad intelligentiam, alius ad devotionem. Unus modus est per nominis impositionem, alius per voluntariam acceptionem, seu credulitatem. Tertius per realem ablationem. Quartus per intelligentiæ depurationem. Quintus per intelligentiæ perspicacitatem. Sextus per intelligentiæ deiformitatem. Septimus per intelligentiæ simplicissimam unitatem.

Discurramus per singulos modos. Est itaque primus familiaris nobis pro statu viæ, verbi gratia, de uno hoc nomine *bonum*, vel *bonitas*, quia, habito de ipso, sic accipi poterit de ceteris. Experimur itaque, quòd sint aliquæ res à nobis appetibiles, vel quia utiles, vel quià delectabiles, vel quià pulchræ & honorabiles. Imponimus ad hæc appetibilia significanda hoc nomen *bonum*. Experimur consequenter quòd res appetibiles sunt in multis defectuosæ, & quòd ubicunque quærimus refectionem, ibi reperimus aliquam defectionem molestam appetitui carnis, aut spiritus.

Procedimus ultrà ad impositionem unius nominis, quod signat *bonum usquequaque perfectum*, cui nihil adsit, vel adesse possit de malo, nihil bonum desit, ità quod sit bonum, quo majus cogitari non possit, sicut Augustinus accipit. Postmodùm Anselmus de hoc nomine *Deus*, quod appellamus bonum simpliciter, ens, aut summè perfectum. Qua impositione facta confestim omnis qui scit impositionem, & audit hoc nomen *Deus*, vel hoc nomen *bonum*, nullo addito, id est, *bonum simpliciter*, quià simpliciter dico, quod sine addito dico. Omnis itaque talis accipit pro reliqua re tali præstantissima, quam ceteris omnibus anteponit, hoc nomen *bonum*, & hoc nomen *Deus*, ità quod convertibiliter se habent *bonum simpliciter & Deus.*

Constat, ità fieri potuisse, & factum esse, & ità retineri. Quo præsupposito, voluit Anselmus, & quidam alii demonstrare Deum esse sicut putabant e-
A videns esse, quòd *bonum*, quo majus excogitari non poterat, necessariò erat; alioquin si posset non esse, jam non esset *bonum*, quo majus cogitari non posset.

Sed secundùm veritatem processus est sophisticus, & invalidus, si non aliter confirmetur. Diceret enim insipiens, contrà quem arguit, se admittere istud quid nominis, quod *Deus* est *bonum* quo majus cogitari non potest; negaret tamen, quòd aliquid tale sit in re, sed tantùm in nomine; sicut si *Deus* imponeretur ad significandum bonum summum in tribus suppositis absolutis, nihil in re nomini responderet.

Præterea restat secundus modus, qui necessarius est accedere volenti ad Deum, credere scilicet voluntariè quòd aliquod tale bonum est verè in rerum natura; immò super omnia quæ cogitari possunt in
B rerum natura, per aliquam imaginationem, rationem vel intellectum.

Hæc autem voluntaria & fidelis acceptio, quæ nedum concedit quid nominis, sed quid rei firmiter credit, & ita in omni locutione sibi supponit hoc nomen Deus, quià suppositio est acceptio termini in propositione, pro suo significato ultimato. Ex hac acceptione secunda protinùs elucidare possemus, quemadmodùm devotissima mens laïcorum simplicium pertingere potest ad experimentalem Dei perceptionem, seu Theologiam mysticam, quæ in unione consistit mentis ad Deum, dum conjungit eos sibi, dum *dispersit superbos mente cordis sui.* Pergamus attamen priùs ad aliquam modorum aliorum numeratorum declarationem.

Et quidem tertius potest à solo Deo fieri, redigendo omnia bona in unum se bonum, qualiter erat ab æterno antè mundi constitutionem in architypo mundo solo; sed non multùm facit ad propositum,
C nisi pro quanto faciliùs venit fidelis simplex, vel Theologus, ad cognoscendum supereminentiam boni æterni super aliud boni nomen, quando credit, unum posse necessariò manere, aliis non existentibus vel destructis.

Quartus modus maximè congruit proposito Augustini, secundùm quem processit in suis Confessionibus; immò in omnibus penè Libris suis, etiam cum simplice Matre sua, dùm colloquerentur valdè dulciter ad fenestram. Deputabat itaque, Matrem devotam talis abstractionis Philosophicalis esse capacem, prout colligitur ex Libro suo secundo *De ordine*, dum vult deducere, quòd omnis Philosophica traditio ordinatè processit ex amore, prævià Grammaticâ, dehinc Logicâ, & consequenter suo ordine de reliquis. Amor enim cùm fuerit humani convictus, ad quem loquela requiritur nec sufficit, nisi polita sit ratio, secundùm deductionem illic traditam, quamvis in lau-
D dem Pythagoræ nimius fuit, ut idem in retractationibus fatetur humiliter Augustinus. Modus iste tantus reputatus est à Philosophis, ut dicerent, absque illo non posse quicquam scire propriè, & intelligere; ità enim posuit Albertus in suo *De intellectu & intelligibili*: deducens per longum processum positiones antiquorum Philosophorum, immò & Idololatrarum, qui theletis, & thurgicis purgationibus utebantur; quorum meminit Augustinus *De Trinitate* disputans adversùs eos.

Quid prætereà dicemus de isto quarto abstractionis modo, si fieri potest absque devotione? Constat ita posse, quia communis est ad omnem cognitionem de rebus habendam per rationem, maximè per intelligentiam.

Habet autem intelligentia multipliciter inveniri, sicut ex tribus modis consequenter additis colligitur; quamvis conceperint aliqui Boetium voluisse, intelligentiam esse solius Dei; sed moderatiùs est usus, quòd est solius divini generis, sicut ratio humani. Genus autem sumus Dei; licèt non illa perfectione in qua erimus dùm similes erimus Deo, & Angelis, vel intelligentiis ejus. Intelligentia non erit in actum suum absque multis abstractionibus propter connexionem suam cum materia. *Corpus autem quod corrumpitur, aggravat animam*, Sap. IX. 15. quoniam pro statu viæ talis est ordo potentiarum, quòd superior non exit in actus suos, nisi præcesserint actus inferiores. Hoc autem secundùm Augustinum *non est natura, nisi destituta*.

Porrò sequens modus hujus respiciebat statum naturæ suæ primitùs institutæ; similiter & excellentiùs spectabat ad Angelos ante glorificationem creatos. Remansit hæc perspicuitas naturalis etiam in ipsis dæmonibus quoad speculabilia; in practicis enim excæcat eos malitia vehementer. Sextus demùm modus spectat ad omnes glorificatos spiritus. Septimus verò proprius soli Deo. Restringetur autem sermo noster ad duos modos, quibus potest per abnegationem, & oblationem cognosci Deus. Unus est fidelis simplex devotio; alius est Philosophica, vel Theologica intelligentiæ depuratio. Sic enim semper à dispersione fit resolutio ad unitatem; sicut à pluritate singularium vagorum, ut hoc ens, hoc bonum, cum involucris accidentium loci, & temporis, hic & nunc, fit resolutio ad unitatem speciei, & consequenter ad quidditates simplicissimas quas signant termini transcendentes: correspondent autem vocibus ad extrà conceptus naturaliter significantes, secundùm quos sumebatur suppositio naturalis.

Colligimus ex his duas pro fundamento veritates. Prima, quòd experimentalis Dei perceptio cognitionem intelligentiæ puræ præcedentem non requirit, nec sequentem. Apparet per indirectum, quoniam hæc intelligentia paucissimis convenit. Theologiam verò mysticam dicit Dionysius communem esse Christianorum.

Altera veritas. Experimentalis Dei perceptio potest in simplicibus per devotionem obtineri quandoque faciliùs, quàm per litteratos. Patet ex descriptionibus devotionis & experimentalis notitiæ, & abstractionis voluntariæ per solidam Fidem.

Revolet tandem O. ad A. finis ad principium Tractatus ipsius, ô beata consolatrix peccatorum, qui cœptus est sub hac nota Cantici tui: *Dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. I. 51. Resumatur imaginatio de triclinio cordis. Fiat secundùm illud deductio clarificans quæ supersunt. Constituat sibi noster spiritus tria cenacula, infimum, medium, & summum; sit in infimo sicut incipiens; sit in medio, scilicet secundo proficiens; sit in tertio perfectus.

Concordantiam super qua stabiliatur accipiat ex consideratione Sacramenti Eucharistiæ, de qua fiet posteriùs sermo super isto: *Esurientes implevit bonis.* Luc. I. 53. Sunt in hoc benedicto Eucharistiæ Sacramento primò *Res Sacramenti*, quæ est verum Corpus Christi, signatum per accidentia panis, simul & vini, & contentum. Est insuper hoc Corpus verum Sacramentum totius corporis mystici quod est hîc signatum, non signans, aut contentum. Est tertiò per concomitantiam personalem & essentialem, ipse verus Deus, quia *caput Christi Deus.* I. Cor. XI. 3.

Ecce quòd spiritus hominis fidelis, simplicis etiam, & sine literis potest, & debet considerare, & credere cum anima, scilicet in infimo cenaculo posita, quoniam hîc est corpus Christi verum, & vivum, cum articulorum Fide, quæ humanitatem respiciunt. Potest ex hac Fide totam se recolligere ad meditationem istorum quæ corporaliter acta sunt per Christum, & ex illa meditatione potest concipere spiritum devotionis per pium, & humilem affectum. Potest etiam virtus Spiritus sancti talem affectum devotionis ita purificare, ut ad nihil aliud diligendum pro tunc saltem, quod sit adversùs se, convertat affectus sic credentis. Convertat se modò similiter ad piam considerationem, & fidelem corporis Christi mystici; idest, animarum jam salvatarum in Paradiso, vel salvandarum de hoc mundo, ac etiam de Purgatorio. Hæc ascensio tenet locum suum, ubi lustrat spiritus universa in circuitu, cœlestium, terrestium, & infernorum. Convertat, & elevet postremò fidelem suæ meditationis devotionem ad solum Deum, secludendo non per rationem seu intelligentiam; sed per sinceram dilectionem omne aliud diligibile creatum sub ænigmate solius piæ Fidei, qua credit actualiter, quòd hîc est Deus suus, quo majus, & nobilius cogitari non potest, nec amari, qui totus est desiderabilis. Sæpè compertus est in devotis simplicibus totus casus, quem ponimus.

Ex quo colligimus quemadmodùm devotus simplicium spiritus exercet se tripliciter uniendo mentem suam in Deo per pium, & humilem affectum ad hoc Sacramentum. Spiritus autem magis eruditus per rationem, & intelligentiam, potest ex industriis scientialibus acquisitis clariùs ista cognoscere, quàm per solam Fidem; sed non veriùs, neque sublimiùs. Undè visitavi pridem in infirmitate sua quamdam feminam ætate grandævam; quæsivi quomodò sibi esset: mox suspirando clamavit quomodò potuit. Removi cor meum ab omni creatura, & reposui in Creatore. Ego verò responsionem tantæ Fidei stupens, & laudans abscessi, hoc unum inferens: Satis est: & verè si ex animo, nihil suprà. Spiritus subindè fas habet per sapientiæ diffusionem, & illapsum, magis sursùm agi, & reduci qualis erat Pauli mens. *Sive*, inquit, *mente excedimus Deo*, 2. Cor. V. 13. Et iterùm: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* I. Cor. II. 6. Et rursùs: *Nos autem revelata facie transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* 2. Cor. III. 18. Sapientiam hanc suprà diximus descripsisse Dionysium tractantes illud: *Et sanctum nomen ejus*, circà finem. Assignat idem Dionysius, quòd *Hac sapientia est amens, & irrationalis, & stulta; & tamen est omnis rationis, & mentis, & scientiæ causa.*

Videamus de verbo hoc, te docente, & illuminante, ô Virgo beata, sapientissima feminarum. Quid sibi vult hoc verbum, ut sapientia quam quærimus, in nullo videatur nostri triclinii cenaculo reperiri, nunquid in supremo, ubi mens habitat? At sapientia est amens, id est, sine mente; Nunquid in medio, ubi ratio collocatur? At ipsa dicitur irrationalis, sine ratione. Nunquid in imo, ubi cognoscit anima? Sed hæc sapientia stulta vocatur, quasi scientiam nullam habens. Dic obsecro te, Virgo prudentissima, dic per sapientiam tuam, quo pacto talis repugnantia verborum, & nominum, immò & rerum secum stabit? Hoc est quod longo jam processu vestigavimus.

Hoc altero jam Tractatu priori De sancto nomine Filii tui, quædam dicere spopondimus sub te fisi. Hoc nunc exolvere tentavimus, expositionem recensentes definitionis sapientiæ à devoto tuo Dionysio positæ. Sapientia, inquit, est *divinissima Dei cognitio, quæ est per ignorantiam cognita, secundùm unionem super mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, postea etiam seipsam dimittens unita est splendentibus radiis; inscrutabili, & profun-*

fundo sapientiæ lumine illuminata. Fiat per particulas noster cursus.

Sapientia est divinissima Dei cognitio. Cùm Dei cognitio hîc in via (quià sic loquimur in sequentibus) sit triplex in genere: quædam symbolica benè utens sensibilibus; quædam propria benè utens intelligibilibus; tertia mystica, quæ ducit ad supermentales excessus: hæc tertia hîc nominatur *divinissima*, quià perfectissima, quià experimentaliter habita. Quid enim perfectius scitur, quàm quod in experientia cognoscitur? Supra verò deductum est, quòd *Theologia mystica est experimentalis Dei perceptio, & intuitiva, suo modo.*

Sapientia est per ignorantiam cognita. Si ad idem, & secundùm idem omninò fiat locutio; constat, quòd hoc constare non potest, sicut nec contradictio potest. Referuntur ergò ad diversa hæc duo *per ignorantiam*, & *cognita.* Tollitur unitio intellectualis discretiva cujuscunque rei creatæ, vel creabilis, & hoc non in habitu, sed in actu; saltem intentio, quæ posset movere, vel trahere, intellectum discretivum ad impediendum affectum mentis circà Deum, ab actu qui dicitur hîc *cognitio.*

Sed qualis cognitio, statim aperitur *secundum unionem super mentem.* Erit super hac unione sermo posterior super illud: Luc. I. 53. *Esurientes implevit bonis*, non enim potest hæc materia grandis tota simul evolvi. Vocant unionem hanc expositores Dionysii quos legi, unionem extaticam unientem affectum mentis cum Deo. Videtur aliis, quòd hæc unitio non sit formaliter amor, vel dilectio, sed radicaliter fundatur in gratia gratum faciente, dum est in actu sicut principali, & supremo, qui est unire cum Deo. Juxtà illud Apostoli: I. Cor. VI. 17 *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* Hæc unitio per gratiam præsupponit tres virtutes Theologicas, Dona, simul & Beatitudines, & ceteros habitus, præsertim infusos, quorum gratia gratificans est radix, forma & finis; quod dicitur propter gratias solùm gratis datas, quæ non reddunt ex se gratum Deo, ut sunt gratiæ omnes, si strictè loquamur, præter Charitatem. Cujus ratio est, quià sola charitate excepta quæ non compatitur quodcunque mortale contra Legem Dei, ceteri habitus stare possunt cum peccato mortali, & gratiæ privatione; sed è contrà gratia stat sine illis.

Rursùs hæc unitio dicitur *super mentem*, quemadmodùm Tractatu secundo super illud: *Exultavit Spiritus meus*, deductum est, Mariam fuisse suprà spiritum; immò & sine spiritu quandoque, dum cecinit hoc Canticum: Luc. I. 46. *Magnificat anima mea Dominum.*

Propterea dicitur hæc sapientia amens, non quòd mens perdita sit, vel destructa; sed quia pro tunc de se nil cogitat intelligendo seipsam actualiter, vel amando. Et hoc explicatur, cùm subditur in definitione, *quando mens ab omnibus aliis recedens, posteà etiam seipsam dimittens.* Hoc quomodò fieri possit, pluriès ostensum est, etiam naturalibus industriis, maximè præsupposita Fide summi Dei. Sed quod sequitur prorsùs gratuitum, ad quod nec natura sufficit, nec attingit industria, propterea jure dicitur hæc sapientia singulari privilegio data a Spiritu sancto quibus vult, & quomodò vult spirante, & nonnisi fidelibus Christianis, quantumcunque alii fuerint per intelligentiam elevati, & illuminati. Hæc sapientia non datur per lætitiam internam affectus circà Deum, sine sapientia incarnata, & impanata, sic loquendo: sed quià Christus ostium est ad hanc sapientiam, dux & scala; idcircò sequitur, *unita est* scilicet mens superior, & principalior portio spiritualis, *supersplendentibus radiis, inscrutabili & profundo lumine sapientiæ illuminata.* Confestim elicitur, quòd hujusmodi sapientia non sit pura caligo, nec puræ tenebræ, nec pura ignorantia; alioquin mens ipsa qualiter esset *inscrutabili, & profundo lumine illuminata?*

Colligitur secundò, quòd hæc illuminatio nequit haberi per humanum scrutinium, quià dicitur *inscrutabili lumine, & profundo*, quoniam ad illud nequit per se ratio, vel anima deducere; sicut nec altitudinem divinæ sapientiæ penetrare. Sunt enim apud Deum idem, altitudo, seu sublimitas & profundum, sicut ipse est initium, & finis. Solus igitur Spiritus

A sanctus causat hanc illuminationem sapientiæ, cujus spiritus est acutus, & omnibus mobilibus mobilior, attingens ubique propter suam munditiam. Spiritus autem sanctus, quem mittit Pater in nomine Filii, non est acceptor sublimium personarum in docendo veritatem, parvulis, & simplicibus derelictis qui credunt in Filium. Quin etiam si quæ dici possit acceptio, cadit illa super parvulos, & humiles in oculis suis. *Ita Pater*, inquit Filius, Matt. XI. 26. & *sic placitum est apud te.* Placitum dicit, non cujuscunque meritum.

Confundit hæc sententia generaliter omnes scrutatores majestatis humanâ quavis industriâ, nisi hac una sola, humiliari sub potenti manu Dei, ut nos exaltet factos humiles. Porrò recumbe in novissimo loco cum novissimo viro Christo in Cruce posito, ut dicat ipse qui nos invitavit: Amice, ascende superiùs, veni usque ad Thronum Patris, & in ejus sinu quiesce, ut tibi sit gloria in idipsum.

B Promptum erit deinceps concordare, retentis priùs dictis, quid sit divina caligo, quid divinæ tenebræ. Siquidem est una caligo respectu creaturarum, similiter & tenebræ; quoniam cessat actualis illuminatio, seu visio intellectualis, vel sensualis cujuscunque creaturæ; immò & ipsiusmet mentis cessat consideratio de se. Est altera caligo, seu tenebra quæ dicitur divina, quià nullo modo comprehendi potest à mente illud quod per illuminantem radium, vel radios ostenditur, & hoc minùs quàm abyssus corporalis immensa per oculum, quocunque solis lumine superfusum, penetrare. Fas tamen ad illud immensum divinum, quantumcunque sit absconditum, & in caligine positum, visui spirituali, fas, inquam, affectui, quòd aspiret, quòd desideret, quòd ad illud qualecunque sit, unitivis protensionibus se extendat. Siquidem & invisa, nec plenè cognita diligimus, desideramus, suspiramus, & speramus.

Habemus igitur duas caligines; unam inferiorem, C quæ est actualis ignorantia creaturarum; alteram à superiori, quæ actualis ignorantia Dei; quoad visionem objectalem habemus medium lucem, immò lumina multa, multos radios, quæ tamen sunt una virtus unitiva, unus radius sursùm educens ad Patrem luminum, undè oriuntur ut à fonte. Sicut insuper virtus magnetis attrahit & reducit, & convertit ad se ferrum. Et generaliùs sicut omne objectum appetibile suum trahit appetitum, quod vidit qui dixit *Trahit sua quemque voluptas.* Quomodò loquitur sponsa ad sponsum: Cant. I. 3. *Trahe me post te.* Sciebat, quia nemo venit ad eum, nisi tractus. Sed ô felix tractus!

Oritur hîc non parva dubitatio, quæ fundatur in notificatione, quid sit divina caligo, vel tenebræ. Est enim caligo talis, defectus comprehensionis divinæ Majestatis. Constat autem, quòd beati simili-D ter ab illa comprehensione deficiunt, & non ab apprehensione. Solvit hoc nomen mox additum, etsi non apprehensione. Apprehendunt itaque Deum objectaliter, & nudè, & clarè, & immediatè; propterea dicuntur extenso nomine, comprehensores, nec relinquuntur eis tenebræ ullæ, vel caligines, vel theophaniæ, prout hîc in via. Sunt idcircò semper in luce, & lumine super se, quantùmcunque exaltetur Deus apud mentem beatam in cognitione.

Secùs in via, quia nec mens habet oculos dispositos per lumen gloriæ, ut videat objectaliter Deum, nec Deus vult objicere hîc nudè semetipsum. Et hæc ratio

ratio potior est primâ, quia si vellet hîc Deus, posset; quod & fecisse creditur Moysi, & Paulo, & dilectissimæ feminarum: nonnullis etiam fortassis ex privilegio, & exercitio amoris singulari. Hinc Bernardus præexposito verbo illo: Job. XXXVI. 32. *Abscondit lumen in manibus*, scribit ad Carthusienses de Monte Dei, dicens: *Nonnunquàm quasi pertransiens gratia perstringit sensum amantis, & eripit eum sibi, & rapit in Deum pro modulo suo ad momentum idipsum ei ostendens videndum sicuti est. Interim etiam & ipsum efficit idipsum, ut sit suo modo sicut illud est.* Hæc ille. Sonant in hanc sententiam plurima verba Augustini, & Gregorii. Nonnulli verò latiùs & elatiùs hoc asserunt quàm satis est, dicentes: animam in omnem plenitudinem Dei transire, ut optat Apostolus, in illud scilicet ideale esse suum converti, quod habet ab æterno. Posset & hoc sanè intelligi, & indè colligi singularitas amoris singulorum beatorum in Deo, sicut habet & attingit quælibet linea propè centrum suum singulariter, & discretè; quod tamen omnibus lineis commune est, & sibi. Desipiunt autem, quia non concedunt animam in esse proprio sui generis remanere.

Sequitur de reliquis quæ contradictionem implicare videntur. Silentium occultè docens: Est pax illa mentis quæ exuperat omnem sensum, & quies ab omni opere intellectuali & sensuali, modo dicto. Est quasi sibilus auræ tenuis post spiritum compunctionis subvertentem montes, & conterentem petras peccatorum post commentationem se manifestantem in confessione, post ignem zeli satisfactionis. Hic sibilus est vocatio Mariæ in silentio per Martham. Hæc est vox auræ lenis, cujus venas susurri furtivè capit auris contemplantis. Hæc mors optabilis, sine quâ non videmus Deum, *quia non videbit me homo & vivet*, ait Dominus Moysi. *Exod.* XXXIII. 20. Hic est ventus roris flans in medio fornacis Babylonicæ, quæ est cor nostrum suæ naturæ destitutæ derelictum. Nam cor impii quasi clibanus ignis succensus. Quanto, putas, opus est silentio, quanta pace, quanta serenitate, ut audiatur vox sponsi in abscondito cubiculi cùm sponsa intùs introrsùm valdè cum summo silentio, solus cum sola delectatur, nec admittit alienos.

Similiter & sponsa secretum captat nunc *in foraminibus petræ, in caverna materiæ*, Cant 2. 14. nunc *in monte myrrhæ*, aut *colle thuris*. Ibid. IV. 6. nunc *super montes aromatum*, unde cum quæsivisset dilectus; *quæ habitat in hortis amici auscultas. Fac me audire vocem tuam* verecunda de præsentia amicorum [Interliniaris]: *Fuge dilecte mi*, non quòd eo vellet carere, sed habere solitarium. Et ubi? Certè *super montes aromatum*, Ibid. VIII. 13. 14. qui sunt montes æterni, à quibus Deus mirabiliter illuminat.

Pascit in illis, & quiescit, undè *turbati sunt omnes insipientes corde*. Ps. LXXV. 6. Claret subindè quid sit obscurissimum illud, quod est super manifestissimum, hoc est, ipse Deus. Constat autem illud philosophicæ traditionis, quòd manifestissima naturæ, sicut Deus, & intelligentiæ, sunt occultissima nobis. Veritas est, quòd Philosophia non consideravit, aut concessit, revelationes desuper à Patre luminum, quales ponit, & in quibus quasi solis innititur spiritus Christianus. Voluit Deus efferre nos ad supernaturalem, & æternam vitam. Dedit propterea Legem, & Sacramenta sua super naturam, ita ut vita Christiani magis pendeat à miraculis, quàm natura. Militat hoc contrà curiositatem omnium naturalia scrutantium, vel ex eis in vivendo pendentium: sicut Astrologorum nonnulli sunt, & Medicorum, & aliorum, per prudentiam suam regere Rempublicam existimantium, quales omnes deducit in stultum finem crebrò Deus, ut sciant, quia Dominus ipse est Deus, qui regna mutat, & tempora.

Perspicuum denique fit, quàm alta sis mente contemplata, Virgo beata, tu super omnes illuminatrix, & illuminata, dùm decursu mundi labentis peregrinationis hominum sub stabili Dei providentia prospiciens cecinisti: Luc. I. 51. *Dispersit superbos mente cordis sui*, confirmans per id quod sequitur: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Luc. I. 52.

A

TRACTATUS
OCTAVUS.
PER DIDRAMA
SEU DIALOGUM
Partitiones habens quatuor.

Prima: de depositione potentum, per impulsus dæmoniorum: per notulas quadraginta quatuor.

D*Eposuit potentes de sede.* Luc. I. 52.

B *Discipulus.* Gloriatur Psaltes nostra, *cujus Dominus humilitatem respexit.* Gloriatur in humilium collaudatione, simul & exaltatione. Ex abundantia enim cordis humiliati loquitur; legerat, quòd magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.

Propterea magnificat Dominum cum exultatione spiritus, quia sibi humili *fecit magna qui potens est*, quia *misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Et qui sunt timentes Deum, si non humiles?

Quo contrà, si ab humilibus honoratur, & timetur Deus, consequens est ut despiciatur à superbis. Quid præterea superest, nisi ut despicientes superbi dispergantur, & à sede deponantur, qui sibiipsis, non Domino, potentes esse volunt? Sed habet quæstionem: Qui sunt hi potentes?

Magister. Volo priùs agnoscas, quanta subtilitate notatur in hac psalterii chordula duplex impulsus. Unus in deorsùm. *Deposuit*, id est, *deorsùm posuit, & depulit.* Alter sursùm evehit, & trahit, & impellit, *& exaltavit humiles.* Consonantia multiplex super hoc impulsu duplici suppetit, uno deorsùm, & malo; sursùm altero, & bono. Audi de malo. Ps. CXVII. 13. *Impulsus eversus sum, ut caderem;* & iterùm: Ps. XXXV. 13. *Expulsi sunt, nec potuerunt stare.* De Elia verò dicebant filii Prophetarum: 4 Reg. II. 16. *Ne fortè tulerit eum spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, vel in unam vallium*, & de Christo scribit Marcus, Cap. I. 12. *quòd expulit eum Spiritus in desertum.* Unus tamen impulsus viguit antè peccatum, quo spiritus intellectualis ferretur in Deum, non violenter, sed ultroneo voluntatis amore. Sic trahi petebat quæ dicebat: Cant. I. 3. *Trahe me post te.* Et Christus: Joan. VI. 44. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum.* Peccavit Lucifer, ortus est alter impulsus usque ad abyssum. Undè dictus est diabolus quasi deorsùm fluens. Seducti sunt, & seductorem imitati sunt primi parentes in peccando, factus est par impulsus in cadendo, nec poterant stare propria virtute. Sed Dominus *fecit potentiam* suam *in brachio suo.* Ipse misertus est, & fecit humiles, ut exaltarentur, fierentque sublimes.

Discipulus. Væ væ peccatoribus ab impulsu malo. Sed qui sunt hi potentes, quos Maria præintellexit; an dæmones isti?

Magister. Loquitur ad Job Dominus de diabolo super metaphora *Behemoth* quòd *non est potestas super terram*, Job XLI. 24. *quæ ei possit comparari*, qui nedum superbus;

bus, sed *Rex est super omnes filios superbiæ*. Job. XLI. 25. Qui, testante Apostolo I. Thess. II. 4. *extollitur super omne quod dicitur Deus*, de quo Propheta superbiæ suæ vocem exprimens *Conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti*. Sequitur: *Et ero similis Altissimo*. Isa. XIV. 13. 14. Fuerunt qui opinarentur Luciferum invidisse Altissimo Filio, & æqualitatem ejus affectasse. Et quia propter Filium tempestas advenerat mortis ex invidia diaboli in Orbem terrarum, dixit in secreto Trinitatis consilio: *Si propter me orta est, mitte me in mare:* Jon. I. 12. 13. fiam homo passibilis omnibus fluctibus tentationum expositus, *& cessabit tempestas*. Videtur huic positioni textus alludere Cantici. Cùm enim dixisset Maria de Deo: Luc. I. 49. *fecit mihi magna qui potens est*, & quia videlicet humilitatem ancillæ suæ respexerat, rursùm subjunxit de dispersione locutura. ℣. 51. *Fecit potentiam*, nec in hoc stetit; sed addidit, *in brachio suo*. Novimus autem, quòd ab Isaïa Filius incarnatus, & passus, appellatus est *brachium Domini*; *Quis*, inquit, *credidit auditui nostro, aut brachium Domini cui revelatum est?* Isa. LIII. I. De quo sequitur: *Verè languore nostros ipse tulit*. ℣. 4.

Discipulus. Concordare videtur hæc positio cum traditione Doctorum per omnia. Ponunt enim, quòd per summam humiliationem Filii Dei superbia diaboli dejecta est, qui quasi *fortis armatus* custodiebat *atrium suum*. Luc. XI. 28. Sed habet oppositionem, quia Lucifer nunquàm vidit intuitivè Trinitatem nec per revelationem videtur ejus cognitionem habuisse, sicut nec Fidem, & minùs vitam æternam, quæ est (dicente Christo) Joan. XVII. 3. *ut cognoscant Deum verum, & quem misit Jesum Christum*. Sed nec casum præscivit suum: doluisset enim pœnaliter sine culpa. Nolo tamen contentionibus deservire, abundet quilibet in sensu suo. Satis est ad rem nostram, quòd diabolus voluit esse similis Altissimo, quia sibi suam beatitudinem à propriis viribus expetebat, nulli quærens aut ferens, esse subjectus. Hinc evenit illud Christi: Luc. X. 18. *Videbam satanam tanquam fulgur de cælo cadentem*. Sic *Finis ad alta levatis, est ruere*, dum humiles exaltantur.

Sunt quæstiones aliæ plurimorum; ut, cur Deus creavit quem casurum noverat? Cur non apposuit ut redimeret eum, sicut hominem post lapsum erexit, & alia quæ abundè tractata sunt per Doctores.

Hæc tamen omnibus curiosis, & potentibus apud semetipsos nulla poterunt satis esse, ut investigare sufficiant sensum Domini, nisi per Fidei humilitatem se captivent; obtundetur, & reverberabitur potiùs ex lumine rationum suus visus. Credant de Domino optimo & sapientissimo, quòd benè omnia fecit; alioquin de operibus nullam poterunt invenire rationem.

Magister. Sobriè consulis. Salubrius est nobis intendere, ne deponat nos Dominus de sede, sed exaltet humiles contra potentis insidias, & impulsus; adversùs quem est nobis colluctatio, quia assiduè *circuit quærens quem devoret*. I. Pet. V. 8. Sit deinceps igitur, si placet, collocutio nostra contrà tentationes inimici, cui nomina mille; mille nocendi artes.

Discipulus. Laudo propositum.

Magister. Plùs laudabilis, si recogitaveris, præcipuam hanc esse sibi artem, celare suas artes.

Discipulus. Quo pacto.

Magister. Tollere satagit ante omnia nostros oculos, ne credamus ullos esse dæmones, aut ullos à dæmonibus tentationum impulsus violentos immitti. Scit, quòd perniciosior est occultus noster inimicus. Nihil insuper periculo proximius, quàm suum nescire, nec credere periculum. Aut si fortè habitualiter creditum est, actualiter id nec attenditur, nec timetur, malè dormitur inter latrones. Cæcatis oculis quid nisi pateat in foveam lapsus? At contrà. *Frustra jacitur rete antè oculos pennatorum*. Prov. I. 17.

Discipulus. Immò jacitur aliquando, ut terreantur sonorum impulsibus, & territi capiantur. Hæc alta dæmonum fraus est, si viderint se videri per oculos Fidei, aggravant periculum, spem evasionis intercludunt. Fallor, si non conabatur satan sic illudere, sic tenere Antonium, cùm ei totum mundum laqueis plenum ostendit. Qui territus & suspirans, ait ad Dominum: quis hos evadet? Scis quale responsum accepit?

A *Magister*. Humilitas.

Discipulus. Consonat Psalmista: Psal. CXIV. 6. *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, & liberavit me*. Evadunt pisciculi per rimulas retis, dum magni retinentur inclusi. Sed in quo potissimè consistit humilitas? Vidimus enim plurimos per nimiam perditos humiliationem, quales pusillanimes, quales desperantes, quales tædio vitæ se necantes.

Magister. Certum tene, & nullatenùs dubites nullum perire, diabolo impellente, nisi priùs posuerit in eo pedem superbiæ. Vidit hoc qui orabat; Ps. XXXV. 12. 13. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem*. Sunt ergò duorum Principum vexilla duo distinctiva, humilitas, & superbia; humilitas Dei, & superbia diaboli. Sunt impulsus duo, deorsùm, & sursùm. Quid humilius Cruce Christi? Quid arrogantius superbia diaboli? *qui extollitur super omne quod dicitur Deus*, & ut Deus, & plùs

B quàm Deus, satagit adorari. Hinc omnia reperit machinamenta per idololatras, per magos, sortilegos, & maleficos.

Discipulus. Fuerit hæc arrogantia per diabolum semper intenta; multos tamen decipit non superbos, quales aliquos notavimus.

Magister. Invenietur in omnibus perditis superbiam dominatam. Nonne *initium superbiæ est apostatare a Deo?* Eccli X. 14. Apostatat omnis, qui non credit, qui desperat, qui suum præ omnibus judicium anteponit, qui propriam, non Domini voluntatem implere satagit, qui *justitiæ Dei non vult esse subjectus*, sed propriam statuere. Sic Cain desperans: *Major est*, inquit, *iniquitas mea, quam ut veniam merear*. Gen. IV. 13. Certè *major est*, ô Cain, *iniquitas tua*, quàm meritum tuum ex te; sed non major quàm Dei misericordia, si eidem subjeceris te. Judas priùs in tenebris satanæ nimis audax, postmodùm tenebris à corde remotis per astutiam diaboli factus est pusillanimis suprà modum ad

C nudum prospectum horrendissimi sceleris sui. Cecidit indè à se per desperationem, & sub se per damnationem, sed non adjecit ut ad veniæ petitionem assurgeret de peccato quod ore confitebatur, quod detestabatur opere, pecuniâ restitutâ.

Discipulus. Horreo totus dùm versutias diaboli recogito, dum *terribilis Deus aspicitur in consiliis super filios hominum*, Ps. LXV. 5. dum *judicia sua abyssus multa*, Ps. XXXV. 7. dum omnia respicio fieri peccatoribus ad muscipulam, laqueum & ruinam. Cadit justus & resurgit, cadit alter, nec Dominus supponit manum suam.

Magister. Sed non minùs mirabilis est misericordia Dei super humiles. Illudit draconi isti Behemoth, sicut avi. Puer autem Emanuel tenet ipsum laqueis. Sinitur aliquando procedere ad impulsionem electorum, gaudet erumpere. Porrò dum excedit, protinùs revocatur. Facit ità *Deus cum tentatione proventum, nec sinit tentari supra id quod possumus*. I. Cor. X. 13. Possumus,

D intellige, non in nostra, sed sui fiduciâ.

Discipulus. Putasne satan iste posuerit inimicitiarum suarum laqueos contrà mulierem nostram Virginem purissimam, quæ à sexu mulier, non à corruptione, dicitur, similiter à fecunditate, & venustate;

Magister. Puto, namque cantantem ut audivit: Luc. I. 46. *Magnificat anima mea Dominum*, miratus causam gaudii, pariter & exultationis, credidit arrogantem; cùm subintulit: ℣. 42. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. Junxit applausum suum, demùm impulit ab extrà quasi blandiens, ut elevatam Mariam vehementiùs alliceret. Sed illu-

illusus est, & elisus ab humilitate Mariæ, validiùsque repulsus. Sed repulsus ad alteram se convertit astutiam subinferens: O quanta facta es beata per omnes generationes, quæ talis existis, & tanta! Tu superbiam humilitate vicisti, rara prorsùs honorata. Euge euge, quià dignè beata, quià dignè laudanda per omnes generationes es inventa. Cujus insidias subdolas intelligens Maria blandientem mox repulit ut adversantem. *Convertantur*, inquit, *retrorsùm, & erubescant, qui dicunt mihi, euge euge.* Ps. xxxix. 15. 16.

Discipulus. Æquissime Deus, quid hîc nobis erit tutum? Dicitur in prosa:

Cum nec ipsa vel virtutum
Tuta sit victoria.

O monstrum horrendum, ingens, superbia, quæ nunc à suo contrario, nunc à vento solo, nunc à propria morte nefariam trahit originem. Sed ô quale præstabitur effugium, si tàm à dextris impugnat, quàm à sinistris. Si vivit, si moritur, semper sævit, semper impellit, semper evertit ut cadamus.

Magister. Accipe consilium. Impulsus cade, & vide ne steteris in te. Jacta te cum novissimo virorum in novissimo loco. Securus eris, quia suscipiet te. Hoc erit *altissimum refugium tuum. Non accedet ad te malum*, si habitaveris *in adjutorio Altissimi*, Ps. xc. 10. 9. 1. non in te, non in meritis tuis, non in industriis, non in timore malorum tuorum, dicens Domino: *Susceptor meus es tu*, exultabis te liberatum *à laqueo venantium*. Ibid. 2. 3. Ceterùm pulliculus esto sub alis suæ miserationis, non timebis ab hoc rapace milvo. Te pupillum, & viduam animam tuam, te mansuetum constitue. Crede psalmis, suscipiet te. Statuet te in sublimi protectionis suæ throno, faciens etiam hîc, & nunc confidere te in cœlestibus, quia *conversatio in cœlis est*, Philip. III. 20. dum speras in eo, impulsus impulsu vincetur. Cantabis, & dices: *Deposuit potentes de sede.* Luc. I. 52. In me ponere & super me, & affectiones meas, *exaltavit humiles*, quia *gloriam præcedit humilitas.* Prov. xv. 33.

Discipulus. Speciosa sunt quæ loqueris, & devota; sed qua poterit ratione homo justus sibi benè conscius de virtutibus judicare, se virtutes non habere.

Magister. Virtutes veræ non sunt, nisi quas gratiæ gratificantis radix profert, vivificat, fovet, & roborat; quia *non habet aliquid viriditatis ramus boni operis nisi maneat in radice charitatis.* Nescit autem homo, an amore dignus sit gratificante; quarè nescit se veras virtutes habere.

Discipulus. Scit nihilominùs gratias se plurimas à Domino recepisse in bonis, vel fortunæ, vel naturæ, vel animæ. Quid super istis dicet Deo?

Magister. Utique Confitebitur Domino, gratias aget benefactori suo.

Discipulus. Lego Pharisæum in Evangelio gratias agentem, quia non erat injustus, adulter, raptor; jejunabat bis in Sabbato, Decimas dabat, recessit tamen injustificatus in domum suam, potensque in regratiatione sua dejectus est, dùm publicanus humilis exaltatus.

Magister. Intende diligenter, & invenies laqueos inimici superseminatos in viis Pharisæi. Ambulabat iter rectum gratiarum actionis: quid enim gratitudine rectius esse potest? Quid perversius ingratitudine? Posuit juxtà hoc iter, quo Pharisæus ambulabat, laqueum arrogantiæ, quo comprehensus corruit in foveam contemptus ceterorum: in contemptum nominatim astantis, & pœnitentis publicani. Nequitia hæc est dæmonum, omnia statim pariter depravare. Sufficit eis vel unus aditus ad perniciem. Sciunt, bonum constitui ex circumstantiis omnibus bonis; malum verò sibi sufficit ad reatum, si vel in uno peccaverit.

Discipulus. Pharisæus iste benè dotatus in gratiis Dei, considerare quid habuit?

Magister. Primò illud: *Quid habes quod non accepisti*, I. Cor. IV. 7. & hoc videtur fecisse gratias agens Deo. Secundò diceret. *Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et si putabat observare, mentiebatur iniquitas sibi. Quare? quia proximos contemnebat non habentes. Judicabat alienum servum publicanum, qui Domino suo jam justificatus astabat.

A Dedit Dominus Apostolis formam quid agerent in articulo tali: *Non*, inquit, *vos me elegistis*, Joan. xv. 16. ne gloriemini quasi ex vobis; *sed ego elegi vos*, ne sitis ingrati quasi non acceperitis; *& posui vos, ut eatis, & fructum afferatis*, ne torpeatis otio gratiam Dei in vacuum recipientes, *& fructus vester maneat*; quatenùs perseverantia coronetur.

Discipulus. Facilè talia dicimus, facilè nos in verbis dejicimus. Sed *ô pravum cor hominis, & inscrutabile*! Jerem. XVII. 9. Quis cognoscet illos occultissimos in cordis finibus satanæ laqueos, & vehementes impulsus quis evadet?

Magister. Paulò antè respondebas ex oraculo Antonii: *Humilitas.*

Discipulus. Quid? quòd humiles etiam in arrogangantia mersi, volumus judicari?

Magister. Hæc est palma superbiæ, videri vult humilis, ne vilescat. Confitetur se aliquando peccasse,

B immò plus peccasse quàm fecerit, aut sibi conscius sit. Quare hoc? quia quærit in peccato laudem justitiæ, dum audit à Sapiente *Justus in principio accusator est sui.* Prov. XVIII. 17.

Discipulus. Vah, qualis hæc pernicies! Quàm stulta gloriatio! *Filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis mendacium?* Ps. IV. 3. Qualè dabitur inter ista consilium?

Magister. Consulit Beda contrarium ad Pharisæi verba modum: „Deus ignosce mihi peccatori, quia „*non sum sicut ceteri hominum.* Innocentes, castitate „pollentes, orationi instantes, sobriè, justè, & piè, „viventes in hoc sæculo, fructus dignos pœnitentiæ „facientes, *sicut etiam hic publicanus*, Luc. XVIII. 11. sicut „hæc meretrix, de qualibus jurat Veritas, quòd *præce-* „*dent in regno Dei* Pharisæos. Matt. XXI. 31. Non jeju-

C „no, non decimas do: si aliquid boni facio, illud qua „districtione judicetur ignoro, aut quo fine terminetur.„

Discipulus. Totus intremiscit in me spiritus meus, dùm hoc ultimum maximè recognosco, quià *nescit homo finem suum. Quia væ etiam laudabili vitæ hominum* (dicit Augustinus pro Matre flens) *si remota misericordia judicetur.* Non autem ex meritis datur gratia; *alioquin jam non esset* gratuita, nec *gratia.* Rom. XI. 6. Profectò si aliqua debet humilitatem parere consideratio, hæc ultima debet, quia qua districtione judicetur vita nostra, & quo fine terminetur, ignoramus.

Magister. Rectè sentis. Sed tamen hîc insidiari, hîc impellere non desinit inimicus. Testes accipe multas hæreses ex his divinæ gratiæ laudibus ortas, & velut adversas. Dixerunt aliqui: Si totum divinæ gratiæ tribuimus, nostra quid agunt opera? Benè, malè fecerimus, soli quos susceperit gratia, salvabuntur. Vox aliorum est: Boni non est nisi bona tribuere; non fecit Deus homines, præcipuè fideles suos, ut damnentur. Benignus est, non crudelis, ut

D qui in perditione hominum delectetur. Tollit satan perindè semen bonum à terra cordis nostri perturbati, aut suffocat in ortu, vel dùm fructus habendus esset, exterminat.

Discipulus. Hæreticos innumerabiles non inficior à satana circumventos. Porrò sermonem habeto de Christianis fidelibus.

Magister. O si cordis secreta lynceis, ut dicunt oculis penetrare fas haberes, quot pejores heu, introrsùs hæreticos, sub velamine Christianitatis invenires. Attamen nolo te curiosum scrutatorem esse vitæ alienæ; semper memineris præconii charitatis, quià *non cogitat malum.* I Cor. XIII. 5. Vox est Christi: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth. IX. 4.

Discipulus. Quo pacto possum ista non cogitare, quæ experientia palàm facit. *Ma-*

Magister. Fuge quantùm potes experientiam; tecum habita; te cogita; te circumſpice; clauſos in alienis ſceleribus, apertiſſimos in tuis oculos habe. Quid neceſſe eſt, ut alienis ſordibus cor tuum inquines; aut impleas ſuſpicionibus malevolis, & impuris?

Diſcipulus. Homo ſum. Fratres, & proximos, qua ratione poſſum non curare, quo pacto non lugere cum lugentibus, cum infirmantibus non infirmari? A

Magiſter. Crede jam hîc latet laqueus ſatanæ multiplex vix extricabilis tanquàm Dedali labyrinthus; quaſi negotium perambulans in tenebris, & undè veniat aut quo tendat, vix deprehenſibile. Ponatur interim ſilentium de Beneficiatis, & Officiatis in Republica, de Præſidibus aliorum quorum cura vel ingeſta, vel arrepta, vel ſuſcepta eſt. Loquamur de homine ſic libero, qui ſoli Deo, & ſibi vivere quærit; qui non habet homines impoſitos ſuper caput ſuum, quem punitio peccatorum non urget, ut intendat eis: cui convenit illud attendere: *Quid* ad te *de his qui foris ſunt judicare?* 1.Cor.ſ.12. *Portabit onus ſuum unuſquiſque*, Gal.vi.ſ. vaca tibi tuæque ſaluti. Ecce tales multos continet Eccleſia, præcipuè in Religionibus, qui depoſuiſſe ſe credunt curam omnium, ita ut nec ſui ipſorum retinuerint. Attendat, oro, quilibet talium: *Fili, accedens ad ſervitutem Dei; ſta in timore, & præpara cor tuum ad tentationem.* Eccl. II. 1. Tempus B quippe non deerit; nam impulſus etiam in iſta re frequenter quam potiſſimùm vitare debueras.

Diſcipulus. Quæ eſt res iſta?

Magiſter. Nimirùm quam diximus de aliorum judicio. Cogitant malum, gaudent ſuper iniquitate, & ſi non facienda, tamen audienda. Vident curioſitates aſpectu contradicentes, nedum civitatis ſed Regnorum. Indè tunc de bellis, de titulis regnantium primos omnium rerum motus accipiunt: chariſſimam & in familiaritatem recipiunt ſibi famam:

Monſtrum horrendum, ingens, quod per mendacia creſcit,
quod magnas territat urbes,
Semper & auditis aliquid novi adjicit auctor.

Denique ſic cupiunt omnia cogitare, quaſi de omnibus fuerint rationem reddituri. Jubentur à Petro I.v.9. *ſollicitudinem omnem & curam ſuam in Deum projicere.* Ipſi verò curam omnium ſuſcipiunt. C

Diſcipulus. Nunquid non audire talia poſſunt, quaſi non audientes? Audiunt, ut ſibi conſulant, ut vileſcat mundus cum perturbationibus ſuis, ut patriam cœleſtem deſiderent, ut pro afflictis devotiùs intercedant apud Deum.

Magiſter. Inducis perizomata prurientis ficulneæ, quibus nuditatis ſuæ pudenda tegere putant; quaſi non meliùs in pace colatur, & oretur Deus in animi collectione, non in diſperſione, quam neceſſariò rumores, & *fabulationes, non ut lex tua, Domine,* Pſ.cxviii.85. cauſant, nutriunt, & augent. Hinc incertæ fluctuationes impulſivæ cordis. Hinc modò gaudia vana, timores ſolliciti, falſæ ſpes, odia, luctus, partialitates, exterminium poſtremò totius unitatis ad Deum, quam pro parte optima ſibi elegiſſe blandiuntur. Itaque duas civitates conſtituunt duo amores. Civitatem Dei amor uniens; civitatem Babylonis amor diſpergens. Sentiet hæc quiſquis attendere profundiùs cognoverit, quòd converſio ad creaturas diſpergit de ſe cor in varia; colligit autem, & unit ſola in Deum converſio: relinquit illa poſt ſe triſtitiam, iſta conſolationem. Denique ſatis erit impulſori, etiamſi cetera ſcelerum damna non afferat, temporis conſumptio. Hæc victoria, hic triumphus ſuus ingens. D

Diſcipulus. Quid? quòd in talibus contrà tædium animi conſolationes quærunt?

Magiſter. Quærunt, ſed inveniunt pro refectione defectionem. Itaque dulcedo fallax, & ſcalpens aurium pruriginem abit celeriter; fixus aculeus pungit arctiùs; miſcent ſe ultrò rixis alienis. Pares ſunt tenentibus canem, vel lupum auribus, quorum morſus vix, vel nunquàm effugiunt. Nihil ad ſanationem animi fluctuantis plus adverſum, quàm ſe in talibus oblectare, qui nunquàm animi ſuavitate, ſicut nec ſanctitate gaudebunt. Et quid operatur hæc omnia niſi ſuperbia mentis, quæ, ſpreto vero bono, quærit in infimis delectari, vult quietem per inquietudinem poſſidere? Quòd ſi ſenſerit potens calumniator Chriſtianum, qualem loquimur, rumores fugere, curare ſeipſum ſollicitè, putas requieſcet? In pulvere ſufflabit aliorsùm, ſed tamen ad deorsùm.

Conabitur ut fiat ſolitarius, agreſtis, incivilis, auſterus ſuis, ſibi triſtis, omnibus odioſus, aut inutilis, loquenda tacebit indiſcretus, tacenda loquetur, avarus, utilis priùs ad Confeſſiones audiendas, idoneus ad commotiones ſecretas, aut publicas, fugiet omnia velut à facie colubri.

Secum rabioſa ſilentia rodit.

Undè ſub regula poſuit quidam:

Dum fugiunt ſtulti vitia in contraria currunt.

Nec jam currunt; ſed impulſi rapiuntur, ſed rapti præcipitantur. Abſorbet eos profundum, & verè, quod non habet remedium, ſi *urgeat ſuper eos puteus os ſuum* Pſ.lxviii.16. deſcendens in infernum, quià *ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* Pſ.lxxiii.23.

Diſcipulus. Concludis in unum contraria, aſcenſum & deſcenſum.

Magiſter. Aſcenſus ſuperbiæ deſcenſus eſt; ſicut gratiæ deſcenſio exaltatio ſublimiſſima reputatur. *Quod* enim *altum eſt apud homines, abominatio eſt antè Deum.* Luc. xvi. 15. Dicta ſunt multa ſuper multis impulſibus, qua ratione, quove poſſent indicio ſecerni bonus impulſus & malus.

Hæc brevis eſt diſtinctio ſursùm, deorsùm; depoſito de ſede quietis, exaltatio ad ſedem pacis dicta eſt; altera unitio & diſperſio nominetur; tertia dejectio, & ſuſceptio nominetur; quarta rectitudo & curvitas addatur; quinta ſatietas, & inanitas vocari poteſt; & ſexta exultatio mentis, & deſolatio.

Diſcipulus. Quomodò poſſunt hæc fieri, cùm reproborum multi gaudeant, juſti lugubrem trahunt vitam?

Magiſter. Intra in ſanctuarium Dei, ut intelligas in noviſſimis eorum. Si videris ſtultum fixa radice, vide ſimul & exitum, maledices pulchritudini ejus ſtatim, quià *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Job. xxi. 13. At verò quià non attendunt iſta filii hominum, ipſi abſque timore perpetrant mala, quamvis timida ſemper ſit malitia; *ſecura* verò *mens, quaſi juge convivium.* Prov. xv. 15. Non eſt autem unitas niſi in uno, & ſolido æternoque bono. Pellitur, & impellitur unita mens, ſed immota manet: diſperſa velut arundo ventis agitata non ſubſiſtit, corruit tandem, & fit illius ruina magna. Impellitur viciſſitudine miſerabili, nunc contrà Deum per præſumptionem, per impietatem, per deſperationem, per infidelitatem: nunc contrà ſe per diſſolutionem cordis, per debilitatem corporis, per enarrationem virtutis, per conſumptionem temporis. Denique contrà proximum per errorum inductionem, per pudoris exterminationem, per rancoris contentionem, per favoris denegationem.

Diſcipulus. Latiſſimos impulſuum malignorum notas impetus generales; particularis enarratio, vel enumeratio plùs doceret.

Magiſter. *Infinitum*, tradit Ariſtoteles, *incognitum eſſe, nec numerari poteſt.* Circumſtantiæ verò particulares impulſuum ſunt infinitæ, quorum prætereà, quòd non ſe ſemper continuò manifeſtant, latet exitus; dejiciunt aliquando plus quàm ſentiatur. Notavit pſalmus ſpecies ſeptem impulſuum. Pſ. xc. 5. 6. 7: Unus eſt timor nocturnus, & hic obſcurus; alius ſubitus, ſagitta volans in die; tertius perplexus & involutus, negotium perambulans in tenebris; quartus importunus; quintus violentus, qui pariter exeunt ab incurſu; ſextus eſt à dæmonio meridiano, qui ſe in Angelum transfigurat; ſeptimus eſt à divinorum curioſo ſcrutinio ſuper filios hominum, qui pereunt omnes à ſiniſtris:

cadent à latere tuo mille, xc. 7. qui videbantur perfectiores, *& decem millia à dextris tuis* omnes Fide signati. Horrendus nimis est hîc impulsus.

Ecce dùm hîc vivimus navigamus velut in mari magno fluctuantium cogitationum. O quàm sæpè suscitatur, & inhorret spiritus procellosæ tentationis, permittente Deo, impellente diabolo. Invidet enim demonum circumit, & impellit homines ad ruinam viatores; si per eos fiunt immissiones malæ, vult oppositus iste sublimandis ad sedem, undè corruit. Ascendunt fluctus interioris nostri maris ad cœlos per præsumptionem; descendunt usque ad desperationis abyssos. Afflat ex adverso bonus noster spiritus, ponit procellam nostri cordis in auram, & silent fluctus ejus, & deducit nos in portum nostræ voluntatis. *Ps.* cvi. 26. 29. 30.

Discipulus Venit in recordationem illud scriptum tuum per sex lectiones, ubi dictum Apostoli tractas. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Act. xvii. 28. Distinxisti quadruplicem vitam spiritus. Porrò de motu & statu nostro in Deo præstolabantur aliqui sermonem. Nunc verò advenit occasio, loqui de motibus impulsuum bonorum, & malorum, dum nunc impulsos, & depulsos suscepit contremiscens morientium terra, velut in quodam stationis serenæ sinu.

Magister. Centilogium accipies seorsùm de impulsibus. Cras præterea dum suppetet hora, quæ nunc tarda est, plurima rursùs me loquente, te auscultante, de bonorum & malorum Angelorum officio quietus accipies.

Discipulus. Delectabit auditio.

SECUNDA PARTITIO DE CUSTODIA ANGELORUM, ET FALLACIIS DÆMONUM,

Per Notulas quinquaginta.

DEPOSUIT *potentes de sede, & exultavit humiles.* Luc. i. 52.

Discipulus. In hoc heri stetimus; in hoc rursùs advenio post impletum Canonicæ institutionis Officium, auditurus te, sicut es pollicitus, locuturum.

Magister. Si per *potentes de sede* depositos dignitatis intelligimus apostatas Angelos, consequens est, ut exaltati humiles accipiantur Angeli boni, in sede felicitatis æternaliter exaltati. Si malignitas invida dæmonum circumit, & impellit homines ad ruinam viatores; si per eos fiunt immissiones malæ, vult opposita Charitas beatorum Angelorum fieri, quod dicit Psalmista *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*. Ps. xxxiii. 8. Ad quid? *Ut eripiat eos.* Habet litera Hieronymi secundùm Hebræum: *Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum, ut eruat eos.* Audis circuitum malum, audis & gyrum bonum, immissionem scilicet bonam, & malam. Datur omnibus ad exercitium circuitus satanæ quærentis, ut devoret. *Circundat Angelus Domini in gyro timentes eum*, ut adjuvet, & salvet. Exaltat dæmon ad ruinam, quia per superbiam. Exaltat Angelus bonus ad gloriam, & ad vitam, quia per humilitatem.

Est namque exaltatio, quæ causat humiliationem, sed utraque mala deprimens, & damnans. Est optata exaltatio humilis, & humiliatio exaltans, quia pœnitens, & salvans. Si benè te humiliaveris, benè exaltaberis. Si te humiliaveris ad pœnitentiam, habes veniam, & exaltaris ad gloriam. Sunt hostiles nobis insidiæ per depositos à sede, sunt excubiæ cœlestes pro nobis plures, ne timeamus. Merentur, ut aliqui tradunt, Angeli suam quam jam habent beatitudinem, ministrando hominibus. Congaudent eis, certum est, dùm salvantur. *Gaudium est Angelis Dei* (testatur Christus) *super uno peccatore pœnitentiam agente*; Luc. xv. 10. quantò magis super uno justo pœnitentiam non deferente? Vexillum satanæ cum perdito exercitu suo defert infidelis temeritas. Crux fidelis, seu Crucis humilitas, vexillum est Angeli Domini, *qui circundat in gyro timentes eum, ut eruat eos. Hæc est victoria, quæ vincit mundum*, teste dilecto Domini *Fides nostra*. 1. Joan. v. 4. Petrus quoque Princeps vexillum hoc jubet erigi contrà diabolum, qui *circuit quærens quem devoret; cui resistite*, ait, *fortes in Fide.* 1. Pet. v. 9. Similis est Apostoli non ignorantis astutias satanæ sententia, sub metaphora scuti. *In omnibus*, ait *sumentes scutum Fidei, in*

A *quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ephes. vi. 16. Scutum istud nunquid non est veritas Fidei, de quo Psal. xc. 5. *Scuto circundabit te veritas ejus.*

Sequitur multus effectus victoriæ per discursum psalmi per totum. Interrogavit me pridem virgo grandæva probatissimæ, & devotissimæ vitæ, nomine Agnes, propinqua quondam Urbani Papæ V. Quod est potissimum contrà diaboli tentationes subsidium? Dum suspenderem ego cogitabundus responsionem: Ipsa subintulit mox; *Crux.*

Suscepi protinùs hanc vocem quasi de cœlo sonuisset, & ita sonuerat. Ego enim etiam atque etiam multis jam Annis mecum reputans, conferens insuper cum aliis, non invenio compendiosius, non efficacius antidotum. Quare? Quia nullum humilius, nullum insuper arrogantiæ diaboli magis adversum, nullum

B quod ita ipsum prostraverit. *O crux signum triumphale*, clamat Ecclesiastica prosa! Et in hymno:

O crux ave spes unica!

Et iterùm Ecclesia: *Ecce crucem Domini fugite partes adversæ.* Et Apostolus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Gal vi. 14. Sileo interim de probatissimis miraculis, quia nota, sunt satis: In Constantino, in Heraclio, in Justina, in Christophoro, in Judæo Cruce signato, cum ceteris multis. Suadet obhinc Hieronymus Eustochio, ad omnem gressum pingere Crucis signum. Et Chrysogonus ad Anastasiam carcere clausam: *Tu autem, ancilla Christi, trophæum Crucis tota mente constringe.*

Accipiatur brevis ars Crucis ad victoriam vitiorum,

C non ad perpetrationem malorum, qualiter in militaribus insigniis gerunt aliqui non devotione humili, sed sacrilega tyrannide dominandi. Impelleris, ô anima Christiana, superba sapere, vel quærere; Crux apponatur protinùs corde, voce, vel operis signatione. Quid enim magis est superbiæ inimicum? Invidia vult obrepere, virusque suum animo spargere, Crux theriaca fiet efficacissimum.

Crux omnem iræ, vel rancoris, amaritudinem dulcorabit.

Crux reddet contrà desidiam strenuum, contra cupiditatem efficiet pauperem spiritu.

Crux gulæ, simul & luxuriæ febres acutissimas temperabit. Una omnium communis est ratio, quia pendens in ea crucifixit pestes istas omnes triumphans in corpore suo Christus. Hoc est signum *Tau*, quo signatos, Angelus exterminator percutere non sinitur, salvat potiùs & protegit; si tamen corde fideli Cruci isti consentiat. Alioquin mendax Angelus, & mendacii pater, arripit quod suum est.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, Joan. iii. 14.

D sic exaltatus est Filius hominis prudens ut serpens. Curabantur à serpentibus percussi, æneï serpentis inspectores. Aspice serpentem hunc, pro similitudine sine veneno culpæ, Christum pendentem in cruce; Fides ejus à morsibus tentationum, ne te perimant, liberabit. Hinc de Luca canit Ecclesia, quòd *Crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit.* Hinc Apostolus ait: *Christo confixus sum cruci.* Gal. ii. 19. Hinc Andræas lætus, & alacer ibat ad Crucem. Hinc rursùs Paulus: *Nihil me judicavi scire inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*; 1 Cor. ii. 2. hæc humilitas sua fuit, hæc

hæc exaltatio, & secundùm mensuram humilitatis dabitur sublimitas exaltationis.

Propterea tu, cujus humilitatem profundiorem omnibus respexit Dominus, Virgo beata, meritò gloriaris super omnes in exaltatione tua. Nolo tamen putaverit aliquis, lignum Crucis, ut lignum est, adorandum, sicut nec est ens divinum, & summum, quo sit fruendum, quod sit super omnia diligendum. Sciunt hæc fideles, sciunt & Philosophi omnes. Nihil habet lignum Crucis divinitatis, etiam in qua pependit Dominus; sed in Cruce tanquam in signo surgit Fides nostra ad Dominum nostrum Jesum Christum Deum verum, qui salutem nostram operatus est in ea. Sic de imaginum veneratione vetus habet Doctorum determinatio. Sic per figuram signum accipitur pro signato, ut nomen pro nominato, imago pro imaginato.

Dices fortè mihi, nunquid non in homine, præsertim in Maria Virgine, verior & expressior est imago beatissimæ Trinitatis? Sed & ipse dæmon retinet hanc essentialem imaginem: asinus proindè, cui Christus insedit, cur non adoratur? Respondebo primitùs sub una generali veritate, de re qualibet indistinctè. Non est aliqua res, quantumlibet etiam vilis appareat, quin ex ejus consideratione possit animus fidelis elevari ad magnificationem, & adorationem Dei. Ratio, quia à qualibet tanquam à signo potest à posteriori vestigari, vel inquiri majestas Dei, *sempiterna quoque virtus ejus, & divinitas*; Rom. 1. 20. ab aliis quidem clariùs ab aliis obscuriùs.

Porrò nimis habet de periculo scandali, & idololatriæ, teste beato Dionysio, si nominetur Deus infimis nominibus creaturarum vilium per metaphoram, & symbolum, quàm si fiat hoc de rebus dignitatem habentibus, quales sunt Angeli, quales sunt homines ratione præditi. Quis enim crediderit, quòd Deus sit essentialiter lapis, aut vermis?

Confunditur nihilominùs idololatria, quæcumque fuerit circà creaturam aliquam, seu de creatura; quia non refert totum hominem ad Deum, sistens in auxilio creaturæ, maximè dum hæc facere prohibetur. Habet Virgo benedicta sanctitatis privilegia; habent & homines in dignitatibus constituti, quorum consideratione participativè solùm, & per analogiam dicuntur honorandi; sed sub Deo, cui veraciter soli debetur honor, & gloria.

Denique vitamus scandalum, & irrisionem infidelium, aut simplicium, si coleretur asinus, sicut colitur Crux. Non enim æquè faciliter honorem referrent ad prototypum, id est, ad signatum Christum, nec ad Redemptionis nostræ mysterium, quemadmodùm fit de Cruce.

Crux humilis mox ut in memoriam venerit animæ fidelis, sit hoc visu, sit cogitatu, sit auditu, quid aliud signat, quid aliud per signum, seu significationem intellectui repræsentat, quàm Dominum nostrum Jesum Christum, *in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, per quem salvati, & liberati sumus.* Hæc ideò consonant proposito nostro, quia vincere docent nos de impulsore nostro.

Crux humilis memoriter intellecta liberationem signat, vitam, & salutem. Ipsa consolationem, & ex consequenti gloriam, & exultationem, si gratus sit animus, operatur.

Crux humilis hominem collocat, & recumbere facit in novissimo loco, quo nullus cogitari potest inferior, quia *novissimus virorum* Isaiæ. LIII. 3. pendet in ea. Sic recogitatus, creditus, speratus, & amatus, qui nos invitavit, dicet: *Amice, ascende superius, & erit* nobis *gloria.* Luc. XIV. 10.

Crux sicut humiliat in profundissimo loco, sic exaltat in summo. Non enim mentitur nostra Psaltes: *Et exaltavit humiles.* Luc. 1. 52.

Gloria Crucis, & exaltatio, simul cum exultatione, tantò verior est, solidior atque jocundior, quantò minus habet de creaturarum vanitate.

Gloria Crucis fit in Confirmationis Sacramento, & aliis mysteriis de oleo similiter, & balsamo, quandoque de oleo solo, sed sacrato; ut qui considerat pœnam in Cruce, consoletur ex intima Spiritus sancti unctione.

A Gloria Crucis facit insignem Christianum, dum oleo lætitiæ linit ipsum ex nomine. Est enim Christus per interpretationem *Unctus.* Reges autem, Sacerdotes, Prophetæ & pugiles, inunguntur prisco more.

Gloria Crucis non constanter retinetur, & prædicatur, si non ad Crucis ignominiam, passionem, & tolerantiam, animus præparatur: non enim natura compatitur, ut duo fines principales & ultimi simul intendantur, præsertim contrarii. Quid autem vanæ gloriæ, quid avaritiæ, quid libidini, plus quàm ipsa Crux reperitur adversum? Sunt qui sub nomine Christianitatis arbitrantur se magnificare Dominum, qui crucifigunt in se rursùs *Filium Dei*, & habent *ostentui; qui gustaverunt verbum Dei bonum, & virtutes futuri seculi*, sed per apostasiæ superbiam prolapsi sunt, quos *impossibile* (pro difficile dicit Apostolus Hebr. VI. 4. 5. 6.) *est rursùs renovari ad pœnitentiam*: vel certè sumitur hîc renovatio baptismalis, quam constat iterari non posse.

B *Glorietur frater humilis in exaltatione sua* per Crucem; mores insuper secundùm nomen Christiani, vitamque componat. Sit prima, sit ultima, sit tota laus tua. O anima devota, dic simul, & profitere: Christiana sum; sic enim magnificas Dominum. Accipe rursùs. Exaltatio Crucis Christi tota mysteriis plena refulget. Est in ea longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum; longitudo æternitatis, latitudo Charitatis, sublimitas Majestatis, profundum Sapientiæ judicantis. Habet Crux excelsa, simul & humilis, medium, cui sursùm, deorsùm, dextrorsùm, sinistrorsùm conjunguntur, & in hoc medio Jesus totus effluens, & affluens misericordiæ visceribus.

Unde si eidem Fidem affixeris tuam, radiabit sursùm amor, dextrorsùm Spes, sinistrorsùm timor, & deorsùm dolor; quæ sunt animæ quatuor principales

C affectiones, secundùm quas benè contemperatas, & ordinatas, est omnis harmonia spiritualis. Exerceat te super his traditio de Canticis. Conversus ad Crucem, piæ mentis oculis lachrymosis inspicias extensum in hoc ligno sanctissimum Corpus Jesu, sicut tympanum, vel citharam, undè protulit voces suas in symphonia divinis auribus gratissimas: pro inimicis primam, ad latronem secundam, fuit ad Matrem tertia, ad Discipulum quarta, ad Patrem quinta, pro seipso sexta, pro consummatione Redemptionis septima, pro suo transitu octava, ita *factus obediens* Patri *usque ad mortem* Philipp. II. 8. dedit fidelibus suis perfectum humilis obedientiæ, nec non pietatis documentum.

Est autem humiliatio per obedientiam exaltatio. Triplex est in genere, quæ sub arbore Crucis exer-

D cetur humiliatio; pœnitentialis, sacramentalis, supernaturalis, secundùm tres status, incipientium, proficientium & perfectorum. Suadet Rex ipse David dare *Psalmum jocundum cum cithara.* Ps. LXXX. 3. Est autem cithara pœnitentium, quæ vertitur in luctu in psalterii solatium. Tradit expositor unus, citharam quâ David adhuc pastor, & psallens coram Saül expellebat ab eo spiritum Domini malum, prætendisse signum Crucis. Jubetur apud Prophetam anima peccatrix sumere citharam, & benè canere. Cantus iste puto lamentationis, est pœnitentialis de quo Psalmista: *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.* Ps. XLII. 4.

Ita demùm consonat psalterio jocundo internæ lætitiæ; ita sub alio typo consonat philomelæ modulis, turturis suspirium. Ita spiritus noster vexatus ab angelo Domini malo, melius habet. Ita (si de poëticis aliquid misceri placet) Orpheus Furias mitigat in-

infernales, id est, furiosas suas passiones, quæ quidem potentes nimis deponuntur de sede cordis, & humiles exaltantur affectiones piæ mentis. Componebat ad citharæ modos Pythagoras motus suos. Et ad excitationem prophetici spiritus psaltem adhibuit Eliseus.

Hæc de Crucis auxilio contrà dæmonis impulsus generales tantumdem dicta sunt, simul & Angelorum præsidio.

Ceterum quia periculorum particularium animadversio plùs horretur, & vitatur, plùs insuper liberator imploratur, gratior denique fit misericordia liberantis; expediens judicavi particularibus numerandis intendere, nisi tamen aliter censueris, Frater.

Discipulus. Immò verè cupidus, & attentus, sicut hactenùs auscultabo, quousque petiveris à me verbum.

Magister. Fit impulsus Angelicus virtuosè, sapienter, & benignè, quatenùs humiles exaltentur. At verò depositus iste de sede diabolus, deorsùm fluens satanas, satagit homines deponere violenter, fraudulenter, & malignè. Violentia cernitur in obsessis. Fraus verò, dùm specie bona salubris & virtuosi consilii, quasi moralis Philisophus dolosè impellit. Paucos accipe modos ex innumeris, & ut sit aliquis ordo in non habentibus ordinem, sed confusionem Babylonicam, dicenda per quaternaria, seu per tetrades partiemur.

Detestatur quandoque superbiam patentem, sed ut in deteriorem, sub involucro fictæ humilitatis præcipitet. *Nam est qui se nequiter humiliat.* Eccli. XIX. 23. Et rursùs ait satanas: *Noli humilis esse in sapientia tua*; Eccli. XIII. 11. quatenùs insipienter exaltetur. Detestatur præsumptionem, & timorem laudat, quatenùs ingerat timoris scrupulos ubi non est timor, ut ablata pace cordis, recedat iste, cujus *locus est in pace.* Ps. LXXV. 3. Detestatur inobedientiam, ut peccati servitutem inducat, & asininam patientiam, quæ fert non ferenda, quales notabat Apostolus esse Corinthios. Fefellit innumeros nequam iste, qui sub velamento obedientiæ nefanda perpetrarunt quasi peccare non possent, quià non habent velle, vel nolle, juxtà verbum suum. Detestatur superstitiones quandoque manifestas; sed non occultas, & obumbratas sanctis observationibus: in jejuniis, in virginitate, in sanctis orationibus superstitiones impellit. Proinde *Cur* fuit prima dæmonis vox & interrogatio? *Cur*, inquit, *præcepit vobis Dominus?* Gen. III. I. Utitur frequentissimè *Cur* isto, quatenùs homines in curiositatis noxiæ laqueos cadant. Cur fecit Deus rationales creaturas quas præsciebat fore peccaturas, & damnandas? Cur eas Deus tales non condidit, quæ peccare non possent? Cur delectatur in perditione viventium? Quod indè sibi lucrum crescit? Nunquid non melius esset universis, si, peccatis omnibus ablatis, remanerent in solo decore virtutum? Cur indurat aliquos, & aliorum miseretur? Cur acceptio personarum reperitur apud ipsum? Cur non citiùs venit ad homines redimendos, & Legem veterem quam dederat in fœdus æternum, per aliam commutavit. Cur tot absque Baptismo innocentes; tot in insulis sine Legis auditu viventes; tot qui salvarentur, si bonis doctrinis, & societatibus instruerentur perire permittit, & dimisit? Scit iste nequam, quòd *perscrutator majestatis opprimetur à gloria.* Prov. XXV. 27. Scit hominem prohibitum ne *in pluribus Dei operibus* fuerit *curiosus.* Eccl. III. 22.

Culpat hypocrisim, sed ut homines absque honestatis velo perpetrent mala. Laudat simplicem cum verecundia sancta; quatenùs hypocrisis fictiones introducat. Culpat invidiam, & benignitatem laudat; sed ut malignitas improba nocentium foveatur. Culpat è contrario iniquitates aliorum; ut personale odium contrà fraternam charitatem suscitetur. Culpat iratos; sed ut zelum sanctum abjiciant. Laudat zelum sanctum; quo præceps ira furiat. Culpat inertiam; sed ut inquietudo plus æquo laboriosa fatiget. Laudat quietem sanctam; sed ut in sterquilinium torpentis inertiæ dejiciat. Ostendit odibilem avaritiam, & quòd *nihil nequius quàm amare pecuniam,* Eccli. X. 10. sed ut prodigalitatem consumptionem omnium cum rapinis introducat. Pulchram dicit, & amabilem, frugalitatem; ut tenacitati locum paret. Ostendit quantas gignit infirmitates gula; sed ut periculosiorem vacuitatem capitis, & corporis absque remedio operetur. Laudat omnia sana esse sanis, & nihil

A esse *rejiciendum, quod cum gratiarum actione accipitur,* I. Tim. IV. 4. ut à temperantia fallax abducat. Ostendit quàm fœda sit luxuria, quàm vilis, nec honore digna, ut conjugiorum jura contaminet. Laudat prolificationem, immò jubet per illud: *Crescite & multiplicamini,* Gen. I. 28. quatenùs concubinatum licere demonstret. Ostendit non esse jurandum. *Sit* inquit, *sermo vester, est est, non non*; ut detestetur omne juramentum. Dicit ex adverso. Qui benè jurat benè credit; ut perjuria, vel contumelias nominis Dei multiplicet.

Circumit iste satan terram, & perambulat eam, ut circumstantias omnium consideret.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quando. Tendit laqueos, in quos impellat multos valdè; ut si fuerit aliquis ab uno liberatus, cadat in alterum. Facit ad hoc Macharii narratio de poculis. Non enim semel victus cessat, sicut opinatus est Origenes.

B Itaque considerat dum circuit, & observat volentes placere Deo. Videt aptum aliquem ad Religionis ingressum, impellit ad oppositum sic illudens: Cur civilem vis deserere conversationem; quoniam homo naturâ civile animal est, homines, hominum gratiâ facti sunt, ut se mutuò juvent; sicut pecora, ut hominibus serviant. *Væ soli.* Eccle. IV. 10. Cur non poteris sub habitu sæculari salutem tuam operari sub uno Abbato tuo Christo? Gaudeas Lege libertatis, quam dedit tibi Deus, & emit Christus. Quid pulchrius? quid eligibilius libertate? Cur tot, & tales vis subire observationes & vota super te inducere, qui non sufficis ad præcepta servanda? Quid sunt obligationes tot, nisi laquei totidem ad transgressores? Vide ne illaqueatus verbis oris tui cadas. *Displicet enim Deo stulta & infidelis promissio.* Eccle. V. 3. Ecce quot quales in Religionibus defecerunt; quot ceciderunt; quot apastatæ retro abjerunt? Cur non vis talentum tibi creditum in his, & in aliis gratiis multiplicare? Ut quid perdi-

C tio hæc esset in Religionis ingressu, sive solitudine. Celat perditus iste laqueos in sæculo: fit iste qui salvandus fuerat in Religione perditus in sæculari conversatione, fit secularis, conjungitur uxori. Heu quos illic laqueos tribulationum non invenit. Nascuntur filii: alia cura, si procax uxor, gravis, magnifica; si sterilis; si fœda; si lubrica. O quale supplicium. Sit de militia, aut de Curialium numero, quot illic curis involvitur. Primitùs erit

Dulcis inexperto, cultura potentis amici.
Expertus metuet, non feret invidiam.

Sit oportet assentator ad omnia, sit miser vivens, dormiens, comedens ad alterius arbitrium.

Sit Causidicus, aut practicus in Physica, fraudes mille spargentur in practicatione. Dum quærit dives fieri, incidet in desideria multa & laqueos, quibus

D mergatur in interitum. Sit Beneficiatus in Ecclesia, & cælebs, cavendum sibi erit à retibus simoniæ, à negligentia Servitii, à luxuria, ab inerti conversatione, à dilapidatione bonorum Ecclesiæ.

Circumit & considerat satan iste alterum quem ex instabilitate propria, vel infirmitate cognoscit ad Religionis, aut solitudinis vitam ineptum. Vide ait, quanta sit Religionis, quanta solitudinis perfectio, vacare soli Deo, salutem suam operari. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Matth. XVI. 26. Vide quantum *totus mundus in maligno positus est*; Joan. V. 19. quàm brevis vita,

vita, quàm mors incerta, quæ tormenta Inferni? quæ gaudia Paradisi? Vide, ne procrastines, ne consilia multorum, præsertim domesticorum, & sæcularium quæras. *Inimici hominis domestici ejus*: Matth. x. 36. & *Animalis homo non percipit, quæ Spiritus Dei sunt*. 1. Cor. II. 14. Res certa est. De solis incertis habendum est consilium. Dicere quòd Religionis status non sit perfectior, hæresis est. Magna verò stultitia est nolle esse perfectum. Quid hæsitas? Quid tergiversaris? Vocat te Deus per inspirationes istas; quid in te stas, & non stas? projice te in eum, & ipse te suscipiet, neque deseret jam susceptum. Vide nunc pauper homuncio dum compungeris corde, *fac votum Deo cœli*, firmet te juramentum. *Felix necessitas, quæ ducit in melius*. Gregor. Sciveris, opus cum voto Deo esse acceptabilius. Da totam arborem voluntatis tuæ cum fructibus suis Deo tuo. Denique qui propositum tuum istud sanctum diverteret à te, reus esset ut Deo se redderet in Religione, loco tui.

Silet iste nequam, quòd ad Religionis introitum oportet attendere nedum bonitatem Religionis in se; sed alias circumstantias, maximè duas, quarum una se tenet ex parte Religiosorum, si perfectè Regulam servant: altera ex parte sui ipsius, si juxtà parabolam Christi, dùm inchoat, poterit consummare. Quòd si secundùm rationis consilium res tàm grandis aggredienda est, quam postmodùm mutare non licet: non tamen sequendi sunt pueriles impetus, aut motus devotionum, quales habere possunt pueri, aut puellæ, quandoque plus ex inconstantiæ vitio, vel melancholiæ, quàm gratiæ certo instinctu; potiùs aliquando, qualiter modo, ex astuto dæmonis impulsu, quàm certæ devotionis afflatu. Silet, quoniam media sunt moderanda secundùm virtutem tam agentis, quàm patientis; nec poterat David cum armis Saül egredi contra Goliam. Non possunt simiæ cum botis latioribus, quas in fraudem eis derelictis, accipiunt, incedere. Silet onera Religionis, cum moribus inhabitantium; dat benè sentire de omnibus, neminem judicare, spes adjicit quandoque magnas, quòd proficiet aliis sua eruditio, suum consilium, quia literas novit, quia prudens est in agendis. Denique exemplum dabit reliquis de sæculo, ut ita faciant quemadmodùm & fecit, & sæeculum relinquant. Quid? Tandem voto se constringit, deserit habita Beneficia, dat sua pauperibus, via sibi unica Religionis relicta est. Captus est, ait, insultans dæmon. Euge, euge, jam non est silendum, jam in odium Religionis exaggeranda sunt omnia. Aperiendi sunt oculi, discrimina revelanda, murmur inducendum, dicat ipse sibi sentiens se delusum. Quid mihi feci miser? In quod me malum impuli? Non potero ferre jugum hoc intolerabile. Quæsivi requiem, ut in pace servirem Deo, & ecce turbatio, fugi homines, homines invenio. Cedebam tentationibus de sæculo; deteriores dæmonis perfero: quid feci? quid agam? quò me vertam? Amicos carnales offendi spernens eos cum suis consiliis, nullus mihi ad eos regressus. Si dispensationem voti quæsiero, non dabitur, aut in data nunquàm constans sibi animus quietabitur; sed neque quomodò viverem in sæculo relictum est. Si ad aliam migravero Religionem, scandalosus ero meæ, & forsitan intolerabilis alienæ. Quid feci? Devotionem in sæculo suaviorem, & crebriùs inveniebam, quia sensus vegetiores, nec perturbati per vigilias, non exinanitum cerebrum per jejunia, non oppressa mens in prolixitate vocalis Servitii; sed & sæcularibus involvor curis pro necessitatibus Fratrum. Cogit obedientia currere, discurrere per sæculum, qui quietem solam sperabam mihi obtinere. Sic quotidianis fatigor odiis, & rixis. Quid feci? quid tandem volui miser? Delectabat me studium, docebam, & docebar. Nunc qui doceatur, aut doceat, nullus est. Fratres satis esse respondent occupationes Religionis suæ, vexatio satis est. Non est, inquiunt, Religio schola docendi, sed disciplina vivendi. Si vixero secundùm mores Fratrum collapsos omninò à Regulis Patrum, perditus sum sine dubio. Si singularis mihi vivere volo, nec datur, nec sufficit. Ecce quid murmurat inconstans, quandoque non sine magno perplexitatis vinculo, maximè si Monasteria mulierum collapsa, junior jam aliqua vovit, & intravit.

A

Circumit iste depositus de sede, quærit quem devoret. Invenit hominem deditum studiis literarum & scientiarum; si potest, avertit. Affert occupationes ex sæculo, sicut ex Prælatorum servitiis, aut Principum, aut penuria transcribentium, vel imperitia, aut Librorum causat nimietatem onerosam, aut frustrà fieri verba surdis dicit. Si nequiverit abducere quatenùs otium desideret studiosum, sed sibi vacet, & sapientiam scribat in otio, subdolus impellit, ut, alios dùm docere vult scribendo, se seducat. Laudat jam laborem, sed corrumpere satagit intentionem. Eia, Doctor, scribe quæ relegat posteritas, quæ tibi sint in nomen æternum, quoniam melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa. Orabunt alii pro te. Non tibi soli laborabis, talentum tuum distribues. Sed ad quid satan ista? Quid sibi super aliorum salutem; profectò nihil, sed satagit, ut iste sub hac intentione scribens, audiat in judicio; Recepisti mercedem tuam. *Accipe quod tuum est, & vade*, Matth. xx. 14. *De ore tuo*, & scriptis tuis, *te judico, serve nequam*. Luc. xix. 22. Fers literas mortis tuæ, sal infatuatum. Eia scribe, sed subtilia, sed extranea, sed noviter inventa. Turpe est alienis uti. Sic impellit, ut deserat terminos quos posuerunt Patres sui. Ut vanè gloriosus dicat: *Super omnes docentes me intellexi*. Ps. cxviii. 99. Ut deserens vias certas dicat. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior*. Prov. ix. 17. Eia scribe, aut de tuis virtutibus, aut celeritatem ostende dictandi. Aut da satis intelligi, quòd benè, quòd devotè vivis, ut loqueris; aut certè in alienis laudibus quære laudem tuam. Quære celebritatem nominis, si non ex te, saltem ex illis quos exaltas, scribendo miracula sua, visiones, vitam supra modùm mirabilem, divinationes, sectas novas. Canonizatus eris in ipsorum canonizatione. Sed ô fraudem satanæ detestandam, quandoque tamen ita fallentem; ut interim taceamus de manifestis erroribus, & hæretica pravitate. Eia scribe, totus insiste laboribus importunè; non des requiem calamo, postpone Horas Canonicas, aut absque intentione proferas, indulge securus lautioribus cibis, utere somno usque ad saturitatem. Desere civilem aliorum conversationem. Compensabit hæc omnia labor tuus in dictando. Sic impellit iste nequam, scit quòd inutiliter, immò noxiè fiunt non jussa, Præceptis omissis. Scit, quòd favemus ultrà modum scriptis nostris, diligimus ut filios, placent, etiam si deformia sunt, & inculta, si vacua sententiis. Testis est simia fabulosa. Gallina dum nimio clamore prodit ovum, perdit illud. Corvus crocitans, ut à vulpe laudetur, fraudatur cibo suo. Non aliter sæpè virtutes perdunt scribæ docti, vel quæsitas priùs, vel acquirendas in tempore. Ratio, quia *dicunt, & non faciunt*, Matth. xxiii. 3. quia de donis Dei dum gloriam quærunt, Deo rapiunt quod suum est, quia scit insuper sinistra talium, quid facit dextera. Possunt nihilominùs meritoriè fieri nova scripta, si modus affuerit, finis, & ordo recti. Unum facere, & aliud non omittere.

B

C

D

Circumit, & invenit hominem deditum Confessionibus audiendis. O quot *immissiones* facit *per Angelos suos malos*. Ps. lxxvii. 49. Venit ad Confessionem plebeius idiota, veniunt pueri, & puellæ, juvenes, & maritatæ. Suadet investigare diligenter super omnibus circumstantiis, ut agnoscat vultum pecoris sui, quia nec aliter solvi potest peccator, nisi dixerit omnia. Absit iste curiosus scrutator, & deficiat scrutans scrutinia cum scandalo confitentium, cum lapsu proprio, cum suspicionibus infinitis, cum interminabilibus scrupulis, sive

sive remittat non absolutum, sive detineat morosissimè, vix tandem absolvendum. Veniunt tales postmodùm, & vertitur in oppositam qualitatem, quia timet expertus tales facere interrogationes. Dicit sibiipsi, salvet se si voluerit, non intrabo domum conscientiæ alienæ, nihil interrogabo, scit peccata sua, dicat illa si vult. Sic dimittit inscios, sic verecundos latere in peccatis suis, non utens clave scientiæ, A quæ data est ad aperiendum (cum discretione tamen) secretas conscientiæ plagas. Veniunt alii magni, prudentes de sæculo, veniunt prædones, usurarii, simoniaci, rancorosi, violatores Ecclesiasticæ libertatis, concubinarii notorii, nolunt à peccatis resilire, nolunt restitutiones facere, sunt excommunicati, sunt irregulares: alii si culpantur excusant, aut defendunt peccatum suum, dicunt se justa bella gerere, & planè mirum est, si etiam Angelus de cœlo reperiret quid agendum in talibus multis, nisi coassisteret sibi miraculosa Dei virtus. Veniunt alii, vel aliæ, curiosè agentes, ad fabulationes vertunt Confessiones suas, miscentur colloquia de prophanis, utinam non de nefariis, utinam quæ spiritu cœpisse videntur, non consumment in carne, prohibeat deteriora Deus. Circumit, & invenit declamantem in populo, seu prædicantem. Cognosce dæmonis quot impulsus sunt in Sermone, dùm de omni statu personæ sunt, quæ vitiis contrariis infectæ sunt. Si culpat avaritiam, prodigus applaudit, & ridet avarum. B Si prodigalitatem vituperat, avarus libens ad se contrahit dicens, tene quod habes. Si loquitur adversùs inertiam, gaudet iste qui stulto labore consumitur, & esse sub sentibus curarum mordentium, delicias computat. Zelus laudatus accendit iracundos. Pietas laudata pusillanimes nutrit, & desides. Pro tunc, & qualem tua prædicatio fructum afferet considera. Sunt qui nolunt præmeditari, nolunt Sanctorum allegationibus, vel autoritatibus, aut certè nesciunt uti. Garriunt, & effundunt quicquid in buccam venerit, cæci cæcos alloquentes. Sunt ex opposito qui tot accumulant allegationes super allegationes, rithmos ad rithmos, concordantias cum concordantiis effluunt usque quaque, non Deum, sed se, sed scientiam suam ostendere volentes. Blandiuntur sibi, quia non propter se, & famam scientiæ, sed ad ædificationem quærunt aliorum. Sunt qui solùm apud auditores suos inobedientiam, & rebellionem inferiorum tacendo, culpant vitia Superiorum, etiam dùm absunt. Undè nihil plausibilius C audit invida plebs, quàm Superiorum vitia prodere, augere, inculpare. Et hæc sæpiùs, & accuratiùs student aliqui Prædicatores detestari, qui si vel in modico vitio culparentur, protinùs implacabiliter obsisterent vera dicentibus, & capitali clàm, vel palàm, persecutione vexarent. Adde, quòd multitudo prædicationum sæpè fit in laqueum audientium. Quare? Quia jam sanè sciunt voluntatem Domini, nec faciunt, prævaricatores effecti de peccantibus.

Propterea perplexos habet Behemoth nervos in multis, quibus non est exitus frequenter possibilis, nisi mors inflicta judicialis, seu captivitatis hostilis viam fecerit, liberans ab omnibus debitorum vinculis; aut si non fuerit assumpta Religio cedens omnibus; aut ultronea paupertas sua, & suorum subeatur. Sed quàm difficilia sunt hæc remedia, præsertim in senibus, in ægrotis, in delicatis viris, & pomposis. In feminis nescit nemo.

Singulariter idcircò notavit Apostolus avaritiam, D tentationibus, & laqueis diaboli, plenam esse, *quæ mergunt hominem in interitum*, 1. Timoth. vi. 9. undè vix fit regressio. Circumit iste satan, iste depositus, & invenit hominem in solitudine vel deserti sicut est pellicanus; vel domicilii, sicut nycticorax, vel tecti, sicut passer; protinùs immittit fraudulentus auceps iste laqueos exquisitos, & tota malignitate conatur involvere, nunc pennas, nunc pedes istius, qui solitarius elegit vivere, volaturus (ut æstimat) ad superna, & secum furens ait: Non sic abibit solitarius iste, si benè me novi. Sit piger, impatiens, mala cogitet, & sua quærat. Agitatur nunc fervore novitio, fingit sibi quietem, & otium, fingit patientiam si non habeat consortium, fingit puritatem in affectibus habituram, fingit denique, quòd dabit se Deo totum. Sed ô miser, nescit quantùm meis artibus ab expectatione sua longè fiet. Surgite vos infernales & improbæ pestes meæ. Stultum hunc impellite casurum in retia peccatorum, quæ fugere putat, nec præcavet. Tu primitùs inertia, deses ad bonum, sed ad perniciem efficacissima. Hic exteriori caret exercitio, otiosus vacat: age tædiosa sit oratio, sibi fastidiat, & dicat quousque eadem: succedat nunc impatientia; fac ipsum suimet pœnitere, fac displicere quietem, fac otium proprium horrere, nec se jam ferre possit. Fac langueat totus, & pigritet. Exurge nunc blasphemia, cogitationes nefarias immitte. Fac desideria occidant pigrum. Age doceat otiositas mala multa. Tradideris eum quatuor quaternionibus passionum vinculandum, in carcere nostro peccatorum. Scis nomina, scis officia, vulgata sunt. Spes, mœror, metus, gaudium: speret vana, metuat falsa, mœreat molestè, gaudeat molestiùs. Tuum erit ultimum hoc officium, ô libidinosa cupiditas, quærens assiduè quæ tua sunt. Quærat iste consolatiunculas proprias, si poterit, in carnalibus deliciis, cibo, somno, venere. Si refugerit patentem hanc turpitudinem tuam, velaveris eam similitudine devotionis ad Deum. Da mendaciter intelligi ipsum quærere quæ Dei sunt, se in Domino delectari solo, cùm sua principaliter quæratur oblectatio. Signum hujus accipe certum, quia dimissis divinorum impletionibus Mandatorum, laborat in hoc totus, ut in aliis quæ spiritualia fingit, delectetur. Deridemus meritò sabbata ejus, videntes ignominiam ejus. Videmus introrsùm fornicationibus propriis, mendax, procax, meretrix inquirit, & rapit.

Adauge dolos tuos, ô libidinosa cupido. Interroget curiositas tua cor ejus in plurimis, si mallet damnari, quàm offendere Deum sponsum suum Redemptorem suum, de quo gloriatur. Si mallet subire mortem, aut incendi, quàm frangere jejunium, vel incurrere carnis lapsum. Quicquid elegerit irretiemus eum vel arroganti mendacio, si pœnam proposuerit inferni, vel incendii, quod si postposuerit, jam peccavit, quia peccare præelegit. Adde, si videris ipsum in multis deficere, dic blandiens: non concutiant te defectus isti, Frater, permittit eos Deus in te ad humilitatis custodiam, ne magnitudo virtutum te extollat. Habes in Paulo simile de stimulo satanæ propter magnitudinem revelationum. Capiamus eum, & illaqueabimus, ut defectus proprios jam non laboret corrigi, sed in illis audeat etiam gloriari. Sit rursùs tuum ô blasphemia soror inertis desidiæ machinamentum, sic cogitationes immittere, quales nec homines sæculi, nec meretrices dignarentur admittere. Pudeat ipsum, qui tantus est in oculis suis, pudeat, & indignetur, & irascatur, superbiens etiam in Deum; & sanctos Angelos ejus, & Sanctos, & desperet tandem seipsum. Suaderem vobis, inquam, quatuor sodalibus mihi charissimis super hujusmodi solitariis, in alia discrimina deturbandis, sed ea quotidiana quasi domestica, scilicet curiositatem perscrutationis vitæ alienæ, negligentiam propriæ vitæ, videre festucam in alieno oculo, non advertere trabem in suo; ceteros spernere, sibi, suaque placere; rumoribus novis assiduè agi, & suspicionibus temerariis inquietari: proindè minùs omnibus hominibus alacres spiritu, minùs esse patientes, plùs sui amatores, plùs sordidos, aliorum mala tenentes.

Agite postremò, sodales fidelissimæ mihi, quatenùs istos exhibeatis solitarios, tandem mihi similes fieri. Solitudinem odiant, fiant dispersi mente cordis sui,

sui, fiant gyrovagi, & profugi, fiant instar Cain vagi, & profugi. Quid enim magis proprium est mihi, quàm esse gyrovagum, circumire terram, & perambulare eam? Hæc nequam spiritus. At verò quid te agitas, Frater, quid turbaris, cùm jam silentim pati non potes hactenùs observatum.

Discipulus. Nunc prorsùs inspicio quoniam undequaque miser sum, & miserabilis, nec quid agam, nec quò me vertam, scio. Ita conclusus sum inter angustias ex impulsibus satanæ numeratis, præsertim in ultimis, ut meritò tædeat animam meam vitæ tuæ. Nolo tamen desperare memetipsum, sed auxiliaria potiùs documenta quærere. Itaque fraudes, & laqueos investigasti; tuum sit remedia tradere, cautelas & auxilia. A

Magister. Si humanum præstolaris auxilium, falleris; illud enim nec perspicuum est, nec validum, maximè adversùs aëreas potestates. *Est vita hominis militia super terram.* Job. VII. I. Advocandi sunt milites Angeli boni contra nequam hos spiritus. Plures sunt, fortiores sunt, sapientiores sunt absque ulla comparatione; ferventiores in juvando, quàm aliorum malignitas in impellendo; tantummodò adsimus nobisipsis, nec ultra pellamus eos adjutores tàm sedulos, benevolos, & certos.

Discipulus. Hoc est profectò potissimum quod flagito, quod ab eis peto dari mihi, ne repellam eos. Cupio pariter & deprecor, quatenùs impulsiones suas quibus instigant nos benè agere, studueris aperire.

Magister. Si de custodia Angelorum, præcipuè singulorum qui dantur singulis ab exordio, si de suis officiis sigillatim conarer aperire quæ sub exemplis leguntur in Scriptura sacra, quæque per historias, quæ subinde per Doctores sacros tradita sunt, superfluus, immò vanus jure dicerer, res suscipiens supra vires. Attamen ne totus obmutescam, quasi spernens precem tuam, eligam unum sua autoritate refulgens exemplum. Deindè per considerationes aliquas paucis versibus comprehensas curabo nos adversùs diabolicos insultus reddere doctiores. B

Discipulus. Gratus audiam, & attentus.

Magister. Petrus post tot perpetrata virtutum insignia, dormiebat in carcere, vinctus catenis inter duos milites. Typus iste est Christiani, licèt egregii meritis, qui per Herodem istum, satan gloriantem in pellibus quæ palliant nequitiam suam, detruditur in tentationis horridum carcerem; discrimen imminet mortis, nisi quòd orante jugiter Ecclesia, fit quod sequitur. C

Angelus astat, fulget, pulsat, surgere clamat.
Solvit, & educit, libertatique relinquit.

Discipulus. Placet metri compendium, quo septem Angelico sancto facta ministerio complecteris.

Magister. Solerter advertis. Existimo non gravaberis, si considerationes pauculas rursùs ita versibus ligavero super cautelis quibus agere nos oportet, & priùs facere quod in nobis est, Gallicè (*faicts ce que doibs.*)

Discipulus. Non gravabor, nec levitati deputabo metrum, quale frequenter in Psalmis, & Canticis, Prophetæ sumpserunt.

Magister. Immò nihil apud veteres Philosophos seriosius metro fuit. Accipe ergò dogmata septem.

Pensa quis finis proprius, qui sit status omnis.
A satan impelli sperans fac jussa: timensque.
Magnifica Dominum, dic, ô me suscipe, Christe!
Vixeris hic & nunc, velut hic & nunc moriturus.
Vive pius, purus, velut hic & nunc obiturus. D

id est, obviam Christo iturus.

Discipulus. Et si provocet me aviditas expositionis latioris, nolo tamen esse molestus exactor post tàm multiplex eloquium per te nunc habitum.

Conservabo interim omnia verba hæc conferens in corde meo, quousque altera nos collocutio congreget in idipsum, quousque prætereà Centilogium de impulsibus accepero.

Magister. Fiat ut vis, & in eo benè vale qui *deposuit potentes de sede, & exultavit humiles.*

TERTIA PARTITIO

DE SEPTEM MODIS GENERALIBUS ANGELICÆ CUSTODIÆ,

Per Notulas Octoginta-tres.

ET *exaltavit humiles.* Luc. I. 52.

Discipulus. Conventionis hujus nostræ diem & locum prosperum faciat istorum Beatorum Beatissima ista, per humilitatem singulariter exaltata, cujus est hoc verbum: *Et exaltavit humiles.* Luc. I. 52.

Magister. Fiat: tu quid affers colloquii post triduanum hoc silentium?

Discipulus. Perlegi tuum *super impulsibus* Centilogium. Experior illud esse connexum priori nostræ collationi; definit in auxilio bonorum contra apostatas Angelorum nobis in hoc exilio, ubi etiam filius dilectus *nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus Angelis, & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à Patre.* Galat. IV. 2.

Magister. Benè est: bonos tutores habet iste filius.

Istic nempe sumus, cognoscere qualia sunt adjutoria bonorum, qualia ministeria, quales pulsus, aut immissiones. Memini verò te nudiustertiùs septem officia numerasse sub Tropologia liberationis Petri.

Angelus astat, fulget, pulsat, surgere clamat,
Solvit, & educit, libertatique relinquit.

Magister. Non errat recordatio. Scisne memoriter additas simul septem considerationes ad tutelam nostram sub quadruplici versu.

Discipulus. Nimirùm sic continent.

Pensa, quis finis proprius, qui sit status omnis.
A satan impellit sperans fac jussa, timensque
Magnifica Dominum, dic, ô me suscipe, Christe.
Vixeris hic & nunc, velut hic & nunc moriturus.
Vive pius, purus velut hic & nunc obiturus.

Magister. Scires adaptationem facere septem ad septem, reddendo singula Angelorum auxilia, singulis his considerationibus, aut doctrinis.

Discipulus. Cupio securiùs ex te cognoscere, simul ut abbreviatior sermo fiat.

Magister. Tentabo sic efficere, pariterque reddere totum Mariæ Canticum consonans dictis nostris. Itaque taliter accipe summatim primò, dehinc amplior conquisitionis erit locus.

Angelus astat, ut pensemus, hoc est, ponderemus, & libremus in trutina cordis, *quis sit finis.* Si enim satan adest nobis ut noceat; quis ferret, si non contra staret Angelus bonus? Sicut prætereà quærit iste satan claudere, vel eruere penitùs oculum Fidei, ne recogitemus finem nostrum, qui Deus est; conveniens est ut Angelus bonus sanet, & illuminet oculos cordis in viam, & in finem pacis. Hæc de primo.

Angelus astans fulget in carcere mortis hujus. Noverit unusquisque positus in tenebris, qualis suus sit status proprius. Sunt enim juxta qualitates morborum singulorum qualitates auxiliorum.

Angelus astans, & fulgens pulsat incitans ad bonum. Scit enim generaliter omnes, & hoc nos scire facit, à satan impelli; dum enim scitur periculum, sollicitudine majori fugitur ad auxilium.

Angelus astans fulgens & pulsans jubet surgere velociter. Hoc autem impletur, dum sperando, divina Mandata servantur; alioquin jacet obrutus in peccatis vetus homo noster de se desperans, aut non cum minori discrimine nimis sperans, aut præsumens.

A *Angelus astans, fulgens, pulsans surgere jubens, solvit* à catenis vitiorum *vinctum in mendicitate & ferro.* Ps. CVI. 10. Concussus enim timore casto, & sancto, cum grata Domini magnificatione, jam se præcingit virtute actionis, jam calceat caligis Præceptorum *in præparationem Evangelii pacis.* Ephes. VI. 15.

Angelus sextum peragit officium, dum *astans postquam fulsit, pulsavit, surgere jussit, & solvit, educit extra carcerem.* Aperit ultrò portam ferream pœnitentiæ, transit vicum unum satisfactionis arctæ, & directæ.

Angelus tandem sic eductum *libertati derelinquit.* Quo facto, sic sanè deinceps quæ retrò sunt obliviscens, liberatus, in anteriora se totus extendit. Reversus quidem ad se, Deo gratus, & Angelo suo; dicit ex sententia: *Nunc scio verè, quia misit Deus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum.* Act. XII. 11.

B *Discipulus.* Delectat, simul & ædificat adaptatio; neque curiositati deputandus iste mihi verè brevis, & lucidus ordo. Addideris, quod spopondisti.

Magister. Intellige priùs quemadmodùm quatuor prima spectant ad omnes generaliter qui purgantur; spectant alia duo magis ad illuminandos tanquàm proficientes; septem propriè quærit eductus, & perfectus. Porrò canticum nostrum sic adapta. Sciveris ut scis, quoniam finis universæ rationalis creaturæ consistit in magnificatione Domini, & quòd exultet spiritus in Deo salutari suo. Quid est enim beatitudo, nisi Domini nostri salutaris magnifica, jocundaque fruitio, honor & collaudatio? Hoc primum. Ceterùm respectus humilitatis, consideratio, & cognitio status proprii, & conditionis in unoquoque. Hoc secundum.

C In hoc perindè, quòd facit nobis *magna qui potens est,* quòd beatificat apud alios, concludimus quòd *Dominus est in circuitu populi sui,* Ps. CXXIV. 2. quòd *immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum,* Ps. XXXIII. 8. contra tot gyrovagos dæmonis impulsus. Hoc tertium. Rursùs ex sanctificatione nominis sui, dum dat spem, & impletionem Mandatorum Dei, velociter inclamat, qui priùs attiterat, illuxerat, pulsaverat ad Deum, ad nos, ad adversarium solerter cognoscendum. Hoc quartò. Subsequitur quintò timor Domini liberans à peccato; *Timor enim Domini expellit peccatum* testimonio Sapientis. *Eccl.* I. 27. Sed ne servilis sit, aut vilis mercenarius timor, magnificat ipse gratis Dominum, recogitans, quoniam *misericordia ejus à progenie in progenies timentibus.* Luc. I. 50. 51. 52. 53. Consurgit autem timor, dum anima nostra considerat humanam miseriam, si severè faciat Dominus *potentiam in brachio suo,* si *superbos dispergit mente cordis sui: deposuit potentes de sede,* si *divites* dimittit *inanes;* quis non extimuerit, si ex consideratione suæ misericordiæ, quis ipsum non magnificaverit, quia timentibus veniam dat, quia humiles exaltat, quia esurientes satiat, & salvat? *Suscepit* propterea sextò Dominus *Israël puerum suum* ℣. 54. illuminatum, pulsatum, commonitum, absolutum, si dixerit: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum,* Act. VII. 58. dum verò susceperit, quis de manibus suis eripiat eum? *Dominus qui justificat,* Dominus qui suscipit, *quis est qui condemnet,* Isaiæ. L. 8. 9. aut quis abjiciat? Postremò spiritus ita susceptus in manibus salvigardiæ, id est, salvæ custodiæ Christi, suæque libertati derelictus, post omnem Herodis expectationem; quid superest agat ille, qui spiritu Dei agitur, qui jam perspicit ultrà in lege

D perfectæ libertatis, quæ non timore supplicii, non spe premii trahitur; sed suavi jugo Christi mentem sanctam spontaneam totam contulit ad honorem Dei, & patriæ liberationem? Recordatur profectò solius misericordiæ Dei, dulce habet in Lege Domini meditari die ac nocte; *sicut locutus est ad Abraham* Patrem nostrum, *& semini ejus in sæcula,* Luc. I. 55. quod est Christus. Hoc denique est perfectorum, sicut alia sunt illorum qui proficiunt, aut incipiunt.

Nunc per singula discurramus Angelorum ministeria, quæ tacta sunt circà Petrum. *Angelus astat.* Cur ità? Cur, si non ut astare coram Deo nos faciat? Deo autem tunc astare nos tradit Dionysius, *cùm castissimis orationibus instantes revoluto animo propinquamus, credentes, quoniam ipse est Dominus Deus salutaris noster, innitentes ei sicut littori fixo, tracti a magnete virtuoso. Astans* verò tunc *refulget Angelus,* cum nos docet, cujus conditionis, & status, & humilitatis sumus, quatenùs inspiciat Deus humilitatem ancillæ suæ animæ nostræ; noverit ipsa quid se quærere conveniat: non enim omnibus omnia æqualiter licent; decent, & expediunt. Totum pastorale Gregorii contextum est in hujusmodi documento. Propterea transeuntes judicamus quatuor industrias specialiter assumendas contrà astutias satanæ fundatas ex locis dialecticis, quibus homines ignaros proprii status conatur avertere, vel mutando, dum benè sunt; vel retinendo pertinaciter statum, dùm malè locati sunt. Locum assumit ab auctoritate, sed applicat sinistrè. Locum ab exemplo, & similitudine, sed dissimiliter; cùm nihil in persona, vel re nostra. Locum ab inductione, quatenùs præcipitet in judicia falsa, & temeraria. Locus denique sub truncato enthymemate, minore sua non apposita explicata. Scit enim quòd ex minoribus, seu particularibus præmissis, tota pendet difficultas illationis. Fallit se voluntas sæpiùs in hac argumentatione, dùm præsentato aliquo objecto generaliter, sub ratione boni, confestim fertur ad illud attentandum, non discernens in particulari, quod, vel quale sit illud bonum. Dicit ratio succurrendum necessitati proprii corporis sui: comede, & bibe jubet voluntas. Colendus est Deus: tene te igitur in hac Religione respondet voluntas. Dicit ratio, maledicti sunt qui viam pacis præpediunt: respondet voluntas, quòd maledicti sunt qui viam cessionis hujus contendentes de Papatu non inquirunt.

Notum est, qualiter loco ab autoritate abutebatur apostata Julianus: Christus dicit: *Nisi quis renuntiaverit* &c. Luc. XIV. 33. Immò sic diabolus ausus est dicere Christo: *Scriptum est: Angelis suis* &c. Matth. IV. 6. Non habemus necesse longè morari, quia ex ipso sumpserunt omnes deceptiones hæreticorum exordium, maximè dum quærunt homines ultrà sapere, quàm divisit eis Deus mensuram Fidei, vel doctrinæ; dùm fieri volunt Magistri, qui nunquàm fuerunt discipuli; sacrarum litterarum interpretes, qui nunquàm didicerunt illas. Adjecit igitur diabolus aliud machinamentum efficacius ex hoc loco per autoritatem fieri translationes varias pro vulgaribus idiotis, quibus habitis, & lectis in superficie, contemnunt mox sacros expositores. Nolumus inquiunt, nisi textum nudum, quem tradidit Spiritus sanctus.

Tandem redduntur impersuasibiles, neque sibi relinquunt autoritatis pondus, undè valeant ad veritatis cognitionem illustrari. Ceterùm de locis ab exemplo, & simili, tot sunt experimenta fallaciarum, quot hominum capita; dùm quilibet assequi vult quemlibet, dum exemplo dicit se vivere talium, & talium quos approbat, aut canonizat Ecclesia, vel qui Superiores eorum sunt, qui Rectores, qui Doctores, qui laudati. Quid facit Filius, ajunt, *nisi quod viderit Patrem facientem?* Joan. V. 19.

Pa-

Patres tamen optimos ipsi nolunt, sed pessimos hoc exemplo sequi. Vox aliorum est: Paulus se laudavit, Paulus visiones in raptu suscepit; cur non potest modò Dominus in talibus, & talibus similia operari? Hinc confictio Prophetarum, hinc miraculorum admonitio, hinc etiam adoratio damnatorum hominum in populis: testis est mihi Legenda, immò de adoratione canis mortui visum est in Vienna. Caveat igitur sancta sedes Romana, caveat in ea sedens Papa, quibus argumentis, & causis, & mediis canonizatio alicujus sit facienda.

Discipulus. Cognita sunt omnia quæ loqueris, etiam pro infelicissimis diebus nostris. Neque de loco A per inductionem necesse habes exempla ponere; quia quotidianis suspicionibus improbis contrà status varios militat per ipsum dæmon, præsertim apud solitarios, & devotos in oculis suis, ut damnent ceteros omnes. Diabolus dicit: ex particularibus inspectis defectibus, generalem inferant condemnationis sententiam.

At verò difficultatem habens maximam quadruplex ille fallendi locus, qua ratione vitabitur? Dicunt isti, si glossas recipit textus unus Scripturæ, cur non alius? Si licuerit istis glossas addere, cur non nos, inquiunt, aut non eadem facilitate respuimus eas, sicut doctrinas apocriphas? Quo pacto igitur fiet distinctio inter miracula vera & falsa; inter revelationes veras & fictas? Si canonizata est hæc persona propter attestationes miraculorum, & austeritatem vitæ, cur nequit hoc tempore fieri simile sub similibus?

Magister. Habes alibi Tractatus, qui ad istas quæ B quotidiè fiunt objectiones respondere conantur. Sed apud plurimos neque talis sufficiet responsio, nec puto, quòd altera, sine gratuito, miraculosoque Dei dono. Olim dum scriptis, & verbis ostenderem quòd in istis non potest tradi ars, vel regula infallibiliter humanitùs, inducebam argumentum quo se fundat Academicorum ambiguitas, dicens *Nihil scire, immò nec hoc sciri, quòd nihil scitur.* Argumentum est de distinctione dormientis, & vigilantis, dùm se videre putat dormiens similiter ad vigilantem, & hoc cum ratiocinationibus multis, & deflectionibus, quibus dicit sæpè sibi: Tu non dormis. Ecce talia, & talia facis, & inspicis. Tu somnum tuum aliis narras, & recolis. Est autem vigilantis, ait Seneca, narrare somnia sua. Ita somnians hæc & talia nunquam agit. Porrò suppetit in hac re visitatio Petri, quam tractamus; de ipso quidem utique vigilante scribit historia Lucæ: *Nesciebat verum esse quod fiebat per Angelum: existimat autem se visum videre.* Act. XII. 9. C

Discipulus. Concludo magis, quoniam necesse sit nobis in his tenebris, & umbra mortis, angelica visio, simul & illuminatio, cum ista quæ intimo sensu, & gestu docet de omnibus Spiritus sancti unctione.

Magister. Jure concludis; jure consulimus nos assiduè, per devotionis orationem sub hoc duplici refugio supliciter humiliari, quatenùs veritas nos exaltet.

Angelus astat. Potest in momento, in ictu oculi noster Angelus à summo cœlo deorsùm nobis astare, qui nihilominùs semper astat Deo beatifica visione. Non deserit exemplar æternum, dùm venerit circà nos operari; consulit non minùs diligenter, quia suæ actionis regulam esse scit, & artem directivam. Fit autem aliquando custos Angelus longè à custodito, D non per ignorantiam, non per negligentiam suam; sed propter malitiam nostram, cui dedignatur astare. Fit hoc aliquando per dispensationem ad experientiam nostræ colluctationis cum adversariis nostris, dum enim Angeli boni, qui juxtà nos erant, de longè steterint, fit quod sequitur: *Et vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* Ps. XXXVII. 13. Fit tunc Angelus noster *adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*; Ps. IX. 10. *facit cum tentatione proventum.* 1. Cor. X. 13. Erudivit enim priùs, quid agere conveniat tempore conflictus, & impulsus.

Discipulus. Operæpretium est cognoscere, quibus doctrinis armat Angelus bonus suos stare contrà diabolum in die belli.

Magister. Multi multa scripserunt in ænigmatibus, & figuris & similitudinibus variis, corporaliter pugnantium. Tu quoniam scholasticus fuisti, gratantiùs puto recipies, si exemplum quasi familiare de schola tibi tradidero. Constitue satanam quasi sophistam, cujus hoc totum studium est fallere; non quærit sapiens esse, sed videri. Undè ut decipiat garrulus est, multa petit. Celat propositum suum, & investigat alienum, sophisticus per omnia. Tu è contrà doctus ab Angelo bono cautus esto, nominatim in quatuor: differemus postmodùm de reliquis.

Primò, velis non videri sapiens, sed esse. Sapientis autem præcipua cura est, finem respicere.

Secundò, pauca cum adversario loqui, vel ex toto silere.

Certum habe tertiò propositum suum, quòd te quærat decipere, non docere.

Certum sit quartò propositum tuum, nolle veritatem deserere.

Discipulus. Discurre summatim de singulis.

Magister. Sapientia Christianorum est re ipsa, non solùm nomine, profiteri se Christianum. Hoc qui bona fide quæsierit, hoc qui cupierit, ut malit esse bonus quàm videri, exemplo Catonis, perveniet ad optatum, juxtà Socratis documentum. At verò *Spiritus disciplinæ effugiet fictum*, Sap. I. 5. hypocritam scilicet, & delusorem, *ipse deludet*, Prov. III. 34. quià deludi sinet. Eligit talis servire duobus Dominis, ingredi terram viventium duabus viis; fit præterea inconstans, fit arundo semet agitans, fit cum garrulo sophista, se similiter in omnibus effluens, deserit cautelam secundam silentii. *In silentio* autem *& spe* Isaiæ. XXX. 15. est *fortitudo* nostra. Observatio silentii quàm necessaria sit, notavit Rex pœnitens. *Ego*, inquit, *tanquàm surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Ps. XXXVII. 14. Vulgata veritas est: *Femina quæ auscultat, & castrum quod loquitur, nesciunt diu stare.* Possumus addere de curiositate alterius cujuslibet sensus. Eva si clausisset aures ad primam diaboli curiosam interrogationem, quià per *cur* incepit; si mox confugisset ad mariti consilium, superasset tentatoris astutiam; exemplo cujusdam matronæ, quæ dum impeteretur ab adultero; *quæram*, inquit, *à marito meo si tibi consentiam.* Probè quidem, si verbo suo cor, & operatio protinùs jungebantur; alioquin procacitas dicti plùs accendit adulterum; divertere se protinùs & silere cautum magis.

Fulciamus etiam ex animalium fabulis dogma nostrum. Vulpes & cattus dùm in nemore fuissent obviam sibi, audirent à longè sonitus venatorum, & latratus canum, contremuerunt mutuò inquirentes, qualiter evaderent. Nescio, inquit cattus nisi modum unicum. Spernens eum vulpes, asseruit se habere modos mille, & mille, per circuitum. Facta est inter loquendum irruptio canum, cattus exilivit in arborem, vulpes canum morsus plurima circumitione deludens diù; tandem comprehensa docuit, saltum catti unicum plùs ad evasionem valuisse. Hæc nos fabula respicit, semper ad arborem ad quam docet sapientia confugiamus, non tàm motu corporis, quàm pii cordis.

Damus aliquando aliquod tale salubre consilium, quod dum præterimus, decipimur. Exemplum doceat à parabolis sumptum. Nidificabant palumbi silvarum in arborum proceritate more suo, circumibat vulpes ad radices, se comminans ascensuram, se nidos omnes cum fœtibus direpturam, nisi pullulus sibi projiceretur unus. Trepidantes palumbi, agebant quod petebat, & abibat. Revertebatur

batur ad simile, quousque passer dato palumbis consilio, contineret se nidis suis, vulpes à fraude sua fraudata est. Sed in passerem vertit insidias, non viribus, sed adulatione. Erat in dumo passer, vulpes affuit beatificans aviculas, quæ volatu suo se protegerent à bestiis, & laqueis terræ. Sed hoc unum deest, inquit, qua ratione contra ventorum turbines & frigora, se protegant. Voluit passer gloriari, & concionari, cum garrullo. Respondit, se protectionem habere dum flabat Boreas à sinistris, mergebat enim caput sub plumis ad dexteram, & è contra si à dextris. Fingens vulpes se non satis audire propter distantiam, protrahebat alloquium. Dilapsus est passer ad ramos proximiores terræ, quæsivit vulpes, dùm ventus flabat ab anteriori quid agebat. Sic, ait, dimittens caput ad pectoris plumas. Exiliit vulpes in non videntem, & deceptam blanditiis vorax rapuit.

Inducamus de Scripturis: *Oculi mei semper ad Dominum*, dicit Psalmista Ps. xxiv.15. Sequitur effectus, & ratio, *quia ipse evellet de laqueo pedes meos.* Et in Psalmo xxxvii.14. de David, qui *factus* erat *sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* Subditur: *Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies me, Domine Deus meus.* ℣. 15. Et alibi: *Educes me de laqueo, quem statuerunt mihi; quoniam tu &c.* Ps. xxx.5. Iterùm: *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Ps. xv. 8. Et rursùs: *Ecce sicut oculi servorum &c.* Ps. cxxii. 2.

Discipulus. Ridebunt fortè nostri scholastici fabulationes tuas de avibus, & bestiis, quia subtilia quærunt. Dicent prætereà, spectare potiùs ad opprobrium respondentis metam silentii, si non audeat cum adversario congredi, congressus nihil respondeat. Ubi erit prætereà, quod jubet Jacobus? *Resistite diabolo, & fugiet a vobis.* Jacob.iv. 7. & Petrus de eodem. *Cui resistite fortes in fide.* 1. Pet. v. 9. Dic quæ fortitudo, quæ laus est, fugere? *Time credere malis*, dicit apud Poetam. Sed contra, audentior ita vulgò dicitur (*Qui fuit on le chasse*) Qui fugit fugatur.

Magister. Quid si fugerint scholastici tui quartam cautelam à nobis hìc notatam, qualiter accipiatur crassius ridebunt. Docemus, & quicquid sophista nequam diabolus argumentans concluserit contra bonos mores, aut Fidem dicat pius, & fidelis animus ab Angelo monitus, nego consequens, nec aliter, nec aliâ formâ, respondeat: stet in sua positione securus. Undè illud de Comico agunt homines, birreus semper homo.

Discipulus. Stultus hic modus responsionis habetur.

Magister. At verò nullus sapientior, nullus cautior apud Christianos respondendi modus contrà diabolum. Quicquid aggarriat, quicquid nectat, hæc responsio una sit fidelis animæ: Christiana sum. Sic olim Blandina Martyr; sic re, & nomine quidam Sanctus apud tortores perstiterat ut nihil extorquere posset sua malignitas ab eis, quàm Christiana sum, Christianus sum. Hoc meum nomen, meum genus, mea sors, & Patria. Mentior, si non ita jusserit Apostolus devitare *contentiones*, verborumque *profanas novitates*, Tim. 1. 6. 20. *& non intendere genealogis interminatis*, 1.Tim. 1. 4. cum similibus.

Discipulus. Cur ergò sancti Doctores tot quæstiones induxerunt, agitaverunt, determinaverunt.

Magister. Habes altero Opusculo rationem.

Porro principalis noster sermo est hìc de impulsibus secretis diaboli cum blasphemiis suis, quæ non meliùs quàm contemnendo vincuntur: fugiens, indignans, aut diridens anima Christiana dicat simpliciter, quòd alia dixit procaciter. Quære qui tibi respondeat. Dicat: blasphemia tua super te Lucifer, & damnate; alioquin si velit sibi facere laudem, quia bene dissolverit sophistrias omnes nequissimas, ipse se seducit, quià jam superbiens meretur illudi, meretur laqueis irretiri, nisi talis sit, qui *pro consuetudine* habeat *sensus exercitatos*, totus spiritualis effectus, omnia dijudicans.

Angelus astat ad recordationem Dei, *fulget* ad cognitionem nostri. Pulsat ulteriùs tertiò ad confutationem adversarii. Diximus super hujusmodi pulsibus & impulsibus jam plurima, volo nunc inducere fallacias quatuor ex logicalibus sumptas, ad cautelas quatuor prædictas, & totidem à locis dialecticis deceptiones ortas. Sunt hujusmodi fallaciæ una secundùm plures interrogationes, ut unam; altera secundùm quid ad simpliciter; tertia secundùm accidens per conjugationes inutiles; quarta per apparentiam contradictionis & non existentiam.

Discipulus. Istæ sunt cognitæ Logico; sed quid ad devotum? Quid ad morale documentum?

Magister. Multùm per omnem modum. Scis quia extrà dictionem nominantur istæ fallaciæ, quia non ex distinctionibus, sed ex rebus ortum habent in apparentia, simul & defectu. Neque prætereà quispiam est idiota sine literis, quin istis possit falli.

Discipulus. Induc exempla.

Magister. Subdolus impulsor instar sophistæ proponit animæ timoratæ plurimas interrogationes, urget quatenùs una detur absoluta responsio. Ad formam, inquit: Quærit ab uno (exempli gratia) qui ex adulterio gratissimum ei, optimis moribus, & artibus institutum habet filium. Velles tu, devote Petre, non habuisse Filium talem? Si respondeat, placet hunc habere; perstat inquirens: Quid super adulterio dicis, ex quo non aliter habitus est? Responde quid elegeris ex duobus, carere filio, vel adulterio? Si dixerit, carere filio, conscientia ei contradicit. Si placet adulterium, planè peccat, non pœnitet.

Discipulus. Sentio, quòd danda sit duplex responsio: placet filius, displicet illicitus concubitus.

Magister. Consultè sentis, unde si millies impulerit, ut facta comparatione filii ad adulterium, respondeat Petrus, quid è duobus mallet; non oportet, ut simpliciter respondeat, sed distinctè. Tactus est priùs alter casus super interrogationibus curiosis. Si doleat homo de peccato sic, quòd mallet fuisse damnatus, vel annihilatus. Si fugiat ita peccatum quòd mallet cruciari per incendium multis diebus, quàm frangere debitum jejunium, aut committere mendacium. Vitanda est fraus interrogationum hujusmodi plurium, quæ impellunt respondentem aut ad temerariam, falsam, & arrogantem de suis viribus præsumptionem, aut culpabilem electionem; dicat igitur, neutrum eligo, displicet peccatum, horreo incendium; nunc incendium non incumbit eligendum. Quid si vehementiùs urgeatur aliquis eligere, quid ageret adveniente casu tali, prout erat martyrium tempore tyrannorum? respondet se humilians sub Deo & sancto Angelo ejus, dicat: Dominus non patiatur me tentari supra id quod possum. Et si casus eveniret, qualem proponis, spero in Domini bonitate, quòd faceret *cùm tentatione proventum, ut* possem *sustinere*; 1.Cor.x.13. vel aliter, quàm per peccatum evadere. Caveat igitur arroganter prædicere cum Petro. *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. xxvi. 35. dicat potiùs. *Imperfectum meum viderit oculi tui*, Ps. cxxxviii. 26. sis *Adjutor in oportunitatibus, in tribulatione*, Ps. ix. 10. aut in talem tentationem me non inducas.

Discipulus. Cautè sobrièque consulis. Confundis ex hoc curiosas inquisitiones quorumdam Confessorum super voluntate certa non peccandi, seu recidivandi in futurum, ut dùm interrogatur pœnitens à se, vel ab altero: Credis tu, quòd postmodùm nunquam cades in tale peccatum? Respondeat: Ego fragilis formido lapsum; non tamen volo nunc, vel eligo casum, de futuro misericordiæ Dei me commendo, deprecans ut me custodiat à peccato; quòd si ceciderit fragilitas mea, deprecor, adjiciat ut resurgat.

Hæc

Hæc fallacia ſecundùm plures interrogationes ut unam, quantùm video, non melius evitatur quàm per ſilentium modeſtum ſe divertens ad alia cogitanda, aut per diſtinctionem acutam interrogationum, aut perſtet juxta quod notaſti, negetque conſequens.

Magiſter. Ita eſt etiam circa ſpeculabilia Fidem rectam tangentia.

Diſcipulus. Exemplifica.

Magiſter. Omnis penè deceptio provenit in ſpeculabilibus ex defectu diſtinctionis,& reſolutionis ad ſimplicia, qua deficiente, Doctor quò plus inquiret per argumenta ſcilicet diſſolvere, tantò plus involvet, & eò plus ſi non veritatem, ſed adverſarii confuſionem pro ſua laude ſcrutatur. Exemplum: volens unus Doctor concordare ſimul, quomodò actus peccati ſit à Deo, & à libero arbitrio, concludebat argumentorum ſubtilitate, non pia religioſitate quòd Deus erat cauſa peccati, quòd Deus facit hominem peccare, quòd Deus vult hominem peccare, dum peccat. Addidit ipſe idem, quòd libertas arbitrii comparata ad Deum, faciat iſta neceſſariò quæ factura eſt. In operatione ad divinam præſcientiam omnia de neceſſitate ſunt futura; alioquin, inquit, Deus poſſet falli. Addidit quoque, quòd ideò & non aliundè, res dicuntur impoſſibiles fieri, quia poſitivè Deus vult ita eſſe poſſibile; cum tamen, ſi Deus per impoſſibile non eſſet, impoſſibilia nunc, non eſſent tunc minùs impoſſibilia. Addidit contingentiam in Deo intrinſecam eſſe, quia diſtinguere connotationes terminorum, vel neſciebat, vel aſpernabatur.

Diſcipulus. Tange breviter formas argumentorum.

Magiſter. Arguit ſic in forma Logicali; demonſtrato *Sorte* qui facit homicidium vocetur actus ille A. *Sortes* facit A. Et *Sortes* habet præceptum de non faciendo A. ergò *Sortes* peccat. Tunc ultrà. Deus facit, & vult totum antecedens, & quamlibet partem antecedentis; ergò facit & vult conſequens quod eſt illud, *Sortes* peccat.

Diſcipulus. Videtur indiſſolubilis hæc ratio.

Magiſter. Videtur ſi non diſtinxeris aliquid in ea. Si præterea non reſpexeris ad blaſphemiam inſanam ultimæ illationis quòd Deus facit & vult quod *Sortes* peccat, quantò magis oportuerit *ſapere ad ſobrietatem*, Rom.XII.3. ubi etiam ſolutio rationis latuiſſet,& dicere: ſolvat eam Angelus Domini, & ſolutionem aperiat. Omnis abſque dubitatione ratio quæ militat contrà pietatem, ſophiſtica eſt, peccans in materia, vel in forma. Quod ſi non videat diſcipulus homo, videt Doctor Chriſtus homo, & Angelus ejus in ipſo.

Itaque dum ſubſumit Doctor iſte Anglicanus, quem *profundum* cognominant, quod *Sortes* habet præceptum de non faciendo A. actum, vel intelligit abſolutè de eſſe actûs ſolummodò, & tunc eſt falſa minor iſta, quia *Sortes* poteſt in caſibus multis facere A. actum ſine peccato, ſicut in furia, vel in invincibili ignorantia. Si verò intelligatur, quòd *Sortes* habet præceptum de non faciendo A. deformiter, & peccabiliter; hoc utique verum eſt. ſed jam Deus neque facit, neque vult quòd *Sortes* taliter agat, & ità non facit neque vult antecedens prædictæ ſophiſtriæ ſuæ, quia palam concludit deformitatem, aut conſequentia nihil tenet: conſtat enim, quòd nec Deus, immò nec homo, poteſt velle deformitatem ſub ratione deformitatis, dicente Dionyſio, & Philoſopho, quòd *Nemo ad malum aſpiciens operatur*; velle autem eſt quoddam operari.

Diſcipulus. Cui ſimplicitas placet, placeat & tua reſponſio, conſequens eſt, judicio meo. Sed neque ſi calumniabilis eſſet iſta, vel altera reſponſio, deberet inconveniens tantum concedi quod offendit omnium pias aures tam Philoſophorum, quàm Moralium, & ſimplicium, in quacunque Lege viventium. Dic alteram ſophiſtriam de futuris contingentibus.

Magiſter. Accipit ſic: Antichriſtus fuit heri, futurus eſt Antichriſtus, non erit, ergò Deus vel homo qui credidit Antichriſtum eſſe futurum, deceptus eſt. Antecedens eſt poſſibile, & compoſſibile: quia prima neceſſaria, & ſecunda poſſibilis; omne autem poſſibile ſtat cum neceſſario; igitur conſequens poſſibile, quod impium eſt de Deo concedere.

Diſcipulus. Dic reſponſionem.

Magiſter. Diſtingue minorem, qua dicitur, Antichriſtus non erit tanquàm poſſibilis ſit. Aut intelligis, quòd eſt poſſibilis, quacunque lege poſita, & tunc iſtam nego. Aut intelligis, quod poſſibilitas A comparatur ad Dei potentiam abſolutam, ſecluſa omni lege, ſeu comparatione, & ſic conceditur; ſed negatur conſequentia, quòd ergo credens Antichriſtum futurum ex Fide, ſit deceptus de facto, vel de poſſibili. Ratio eſt clariſſima, quia in majori non credidit, aut ſcivit aliquis Antichriſtum fore, niſi de lege ordinata, ſciens quòd de abſoluta potentia Deus non poſſet facere quin potentiam haberet, ut Antichriſtus nunquàm foret. Non eſt igitur aliqua deceptio, ſed ſumma conformitas. Porrò deceptionis rationem quæ ponit intrinſecam in Deo contingentiam, modò notavimus. Alibi latiùs aperta eſt in Centilogio *De modis ſignificandi.*

Diſcipulus. Perſpicua fit ampliùs mihi ſapientis narratio, quia *qui ſophiſticè loquitur, odibilis erit.* Eccli. XXXVII. 23. Et iterum: *Illuſores ipſe deludet.* Prov. III. 34. *Sic qui quærit mendacium ſubvertetur ab eo*, Prov. XIX. 9. B cadens in laqueos, quos tetendit. Porrò *qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter.* Ibid. X. 9.

Magiſter. Non aliter eſt. Narrat Rufinus in illo quem addidit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii Libro, de quodam invincibili Sophiſta contra pietatem Fidei, quem ſimplicitas pii ſenis nudam proponendo veritatem Fidei vicit. Docemur in hoc apud Sophiſtas (etiam dæmones) perſtare in ſimplici confeſſione Fidei. Noſti illum, qui mox ut aliquem ſentiebat ſophiſticè contendere, quieſcebat, niſi forſan ex ſilentio ſuo circumſtantium ſcandalizatio timeretur. Mos ſophiſtarum eſt, ut tandem ſemetipſos fallant, & apprehendant in aſtutia ſua, dum ad agibilia venerint; docet hæc protervia dæmonum, quorum argutias retorquet Angelus Domini contra ſemetipſos in fines contrarios.

Diſcipulus. Exempla da.

Magiſter. Impulit fratres Joſeph, ut ex viſionibus ſomniorum inviderent ei, quærentes media quæ ſcripta C ſunt, ne regnaret ſuper eos. Quis eventus fuit ſcimus. Regnavit. Ita quotidiè fideles impetit quoſdam, ut dejiciat; & exaltantur, quia per tribulationem humiliantur. Fiunt doctiores, quos infatuare quærit. Fiunt purgatiores, & fiunt ſanctiores, quos ſatagit inficere, quia diſciplinam convertunt in pœnitentiæ, patientiæque virtutem. Permittit Angelus futura quidem dæmones ab eis cognita ſimiliter inveſtigare, & audire. Quare: quia ſcit, quòd dum quærent obniti, complebunt voluntatem Dei. Sic in Joſeph, ſic in omnibus fiet electis.

Diſcipulus. Satis enim de fallacia ſecundùm plures interrogationes dixiſti, quemadmodùm nunquam abſque diſtinctione danda ſit unica reſponſio. Video perindè conſilium ſaluberrimum, quod eſt, quod ſe fideliter reſolvere conſueſcat.

Magiſter. Animadverte quemadmodùm in moralibus etiam iſtud prodeſt,& expedit. Si dolet caput,& aliquis ex ebrietate, vel alia culpa fiat æger; acceptet dolo- D rem, & ægritudinem patienter, ut eſt afflictiva, orans Deum, quatenùs ſit pars purgationis ſuæ, pœniteat de cauſa, pro quanto eſt culpabilis. Si moritur Pater, & fiat heres filius locupletatus, doleat piè mortem Patris, gaudeat gratus de opibus relictis. Si puniuntur judicialiter peccatores, lætentur de juſtitia, triſtentur de demeritis. Potes altiùs ſpeculari de præſcientia Dei circa damnatos, etiam ſi proponis tibi talem fore, non quidem aſſerendo, vel cum deſperatione. Dic conſiderando juſtitiam Dei: Juſtus es, Domine, &

& justitiæ tuæ diligendæ sunt, & honorandæ; peccata verò, quæ sunt damnationis occasio detestor, odio, abominor, quia taliter me velle vis, & præcipis. Solvitur indè laqueus iste nequissimi, qui vult responsionem unam dari, dum curiosiùs inquirit: si Deus vult te damnare, vis hoc & tu? Dic, nolo peccare, quòd si non peccavero, non damnabor. Si rursùs urgeat pulsans, quid si tibi reveletur tua damnatio? Quid si reveletur de te Petro, quòd alter, qui peccaverit in hac die, tandem salvabitur; alter, qui non ita peccaverit in hac die, tandem damnabitur. Casus est possibilis, & ideò revelabis. Nunquid elegeris hodiè peccare, nunquid in primo casu desperares. Responde cautus semper, non unica, sed duplici responsione. Habent hanc industriam pueruli, dum interrogantur quem è duobus plus diligis, Patrem, aut Matrem? Inquiunt, diligo Patrem, diligo Matrem. Sic interrogatus demùm Petrus: *Diligis me plus his?* Joan. XXI. 15. 16. Distinxit, & respondit; *Tu scis, Domine, quia amo te*, innuens quia diligunt & alii te.

Si quæritur, nunquid malles peccare nunc, postmodùm salvari? Respondeo, nolo peccare, volo salvari. Et in altero casu dic: Volo sperare, quia sic præcepit. Credo similiter, Deum non revelare nisi verum, sed non ita quòd neget seipsum. Si sub electione proponuntur duo mala, cave neutrum eligas. Nam in malis quid est eligendum? At verò si culpa nostra ceciderimus, ut necesse sit alterum ex peccatis fieri, minùs est acceptandum, quia jam in comparatione deterioris, sortitur boni, secundùm quid, rationem. Denique proficit iste pulsus Angelicus, qui dissolvit colligationes spirituales, sicut in Petro materialiter actum. Proficit, inquam, contra omnes penè fallacias, quæ sequuntur, si pia voluntas affuerit.

Discipulus. Explica de fallacia secundùm quid, ad simpliciter.

Magister. Considera solerter undè voluntas decipitur, præsertim à mundo, & carne, per prosecutionem voluptatum, aut per fugam tribulationum. Præsentantur itaque sibi tanquàm bonæ simpliciter, vel simpliciter fugiendæ, qui sic arguat caro, vel mundus. Hæc delectant nunc, hæc contristant modò. Est autem delectatio bona, & tristitia mala. Si voluntas sit impia, vel incauta, confestim elegit hoc bonum secundùm quid, & refugit simile malum. Si verò sit virtuosa, consulit rectam rationem, & obedit consilio. Si verò nequam sit, refugiet rationem consulere, immò claudit oculos, & aures sibi. Porrò voluntas incontinentis audit quidem consilium rationis, conscia sibi, quia benè suadet. Sed tandem inclinata per bonum secundùm quid, dimittit judicium rationis actualiter considerare, & impetu suo fertur in illud, sciens semper in habitu, & consentiens rectum esse, præferendumque rationis judicium.

Discipulus. Quo pacto fieri potest, quòd voluntas feratur in objectum, non prævio rationis judicio, quòdque in illud ita fieri debet; non enim fertur in incognitum.

Magister. Est inter doctos grandis disceptatio, si & quale fieri valeat quod inquirimus, maximè quia, dicente Philosopho consonè ad Sapientem: *Omnis malus ignorans.*

Ceterùm Parisiensis Articulus habet ita: *Si ratio recta, & voluntas recta est*, error; supple sic dicere. Itaque duo sunt in hominis liberi arbitrii judicio. Unum quod est rectæ rationis, & vocatur propriè judiciale, seu legale. Aliud est per modum arbitrariæ potestatis. Arbiter autem non semper tenetur insequi judicium secundùm leges, sed habet plenam facultatem eligendi sicut sibi placuerit, nunc autem tale est judicium; quia potest insequi, vel non insequi, pro suæ voluntatis arbitrio, judicium rationis.

Discipulus. Intelligo tale effici sæpè, proptereà ratio principatur voluntati, non ut ancillæ; sed sibi consulit ut Dominæ. Portat tamen sibi lucernam, ut videat, qualiter sit incedendum, non ut cogat eam, immò divertit ad ejus imperium lucernam suam, vel suffocat, & deserit eam, ne luceat actu pleno. Et ita, quamvis voluntas vitiosè eligens; sit semper errans in electione tali arbitraria; non oportet tamen quòd error sit ratione judiciaria, vel assentiva. Est nihilominùs ut communiter ignorantia crassa, vel supina.
A Solvitur quemadmodùm Adam potuerit peccare, nec tamen errore seductus est in ratione, sicut incontinens, dùm peccat contra charitatem, non ob hoc perdit Fidem. Perspicuum denique factum est Autoris moralis documentum, *Dùm aliquid proponitur, confestim discute quid sit.* Confestim Virgo prudentissima sic discussit: *Cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Luc. I. 29.

Magister. Addendum est pro cautela, quatenùs à bonis secundùm quid delectabilibus nimiùm revolvendis voluntas protinùs se divertat, dùm ista constiterit simpliciter mala esse. Potest autem in malis secundùm quid de tristabilibus considerandis insistere ad patientiam exercendam. Non enim furantur intellectum sapientis adversitates, quemadmodùm voluptates. Habes proindè rationem dicti illius priùs inducti per te: Jubet Apostolus: *Fugite fornicationem.* I. Cor. VI. 18. Esset hîc conquisitio de primis motibus, si, &
B quomodò repelli debeant; si, & quando sciri potest quòd voluntas acceptat istos, vel refutat, & hoc imputabitur ad peccatum mortale. Rursùs si stat eodem tempore tentationis, quòd voluntas peccet in venialibus multis, & cum hoc multipliciter vitam æternam mereatur. Tolleret istorum decisio scrupulos à conscientiis plurimis timoratis.

Discipulus. Sed peto transeas ad aliam fallaciam, quæ dicitur accidentis, quia super his dubiis alibi tractatum est. Complectitur in ipsa accidentis fallacia quælibet inutilis conjugatio, seu connexio, dùm putat aliquis quòd ex convenientia, vel disconvenientia aliquorum duorum, vel plurium ad unum tertium conveniant, vel disconveniant inter se; similiter ista duo, vel duo.

Magister. Super hoc autem tene pro regula, quòd
C omnes, & singulæ voluntates quæ per charitatem uniuntur cum uno tertio, quod est Deus; ipsæ uniuntur inter se, quantumcunque visæ fuerint discordare, sicut de dispersione legimus Pauli, & Barnabæ.

Discipulus. Pulcherrimum hoc (per meam Fidem) & gratissimum est hoc theorema: verificat planè Psalmistæ verbum: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Ps. CXVIII. 63. Felix ergò, mirabilisque unio plurium in Deo, quasi in unico medio connexorum.

Magister. Quid de pluribus quantumlibet unitis, & conjunctis in alio, quàm in Deo?

Discipulus. Video, quòd non simpliciter uniuntur, fas est, quòd nullæ virtutes inter se conjunguntur, si non in unica veritate prima connexæ sint.

Magister. Hoc videtur difficilius, præsertim cùm in
D divinis videatur exceptio fieri, quoniam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus uniuntur una veritate quæ Deus est, seu divina essentia. Est autem alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.

Discipulus. Subintras aliam fallaciam accidentis, ad quam aliæ quasi singulæ reducuntur; quemadmodùm fallacia secundùm non causam, ut causam; sicut fallacia consequentis, quæ omnes ferè complectitur paralogismos ex locis dialecticis malè formatos.

Magister. Subit animum recordatio generalis, me, dùm puerulus essem, legisse quamdam fallaciarum applicationem moraliter ad peccata mortalia, sed abolita est recordatio specialis.

Discipulus. Dic si habes istam in promptu, vel aliquam affer probabilem.

Magister. Non recordor illius; possumus autem dicere quòd infernalis bestia de mari passionum exiens à corde impii, quòd est *sicut mare fervens*, Isaiæ. LVII. 20. habet septem

septem capita, & cornua decem, quibus impellit ad transgressiones, nominatim septem. Appropriat autem quodam modo singulas singulis capitalibus vitiis. Utitur ad superbiam fallacia petitionis principii, arguens ità: Omnis magnus est honorandus, tu es magnus: dùm quià nihil habet, quod non accepit, & ità de nihilo sui potest gloriari quasi principio. Si autem venerit ad verum principium, jam non in se, sed in Domino glorietur.

Discipulus. Placet adaptatio, discurre per reliquos.

Magister. Utitur ad invidiam fallacia secundùm non causam, ut causam; arguens sic: Omne nocivum est odiendum. Iste qui pollet virtutibus, tibi nocet: tollit enim tibi, ne sis in virtutibus singulariter honorandus. Ecce quòd virtutes assumit ad causam odii, quæ sunt ad amorem causæ veræ.

Utitur ad iram fallacia ignorantiæ elenchi, quasi contradictorium sumat ab adversario honoris sui, dum perturbat ipsum, ne aliter quàm oportet glorietur. Debet insuper irasci culpæ, non personæ; vincere malitiam, quæ iram concomitatur, & hoc per mititatem; non malitiam ipsam irascendo nutrire.

Utitur ad acediam conjugationibus inutilibus, & ineptis, per evagationes mentis innumeras, quæ ad fallaciam spectant accidentis.

Utitur ad avaritiam fallacia secundùm plures interrogationes ut unam, dum ad omnes necessitates humanas sublevandas dicit sufficere congregare pecunias, quæ frequenter afferunt plures indigentias, quia qui plura habet, pluribus indiget.

Utitur ad gulam fallacia secundùm quid ad simpliciter. Istud est delectabile, & bonum gulæ, ergò est simpliciter eligendum.

Utitur tandem ad luxuriam fallacia ista & altera, quià non conjunguntur extremitates convenienti medio. Fallaciam quoque proponit consequentis, arguens sic: Generatio filiorum est bona, ergò cessatio à generatione mala; per argumentum à contrario sensu, quod fit ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis. Sed ecce cùm tibi quasi scholastico satisfacere cupio, vitium curiositatis apud non scholasticos vereor incurram.

Discipulus. Tolerabunt inter alias materias congruas eis, hanc inseruisse Scholasticam.

Magister. Ità maximè, quia potest Angelus Domini bonus ex istis maligni Sophistæ pulsibus curiosis inducere pulsus ad virtutes.

Discipulus. Tange quomodò?

Magister. Si per singulos discursus fuerit, prolixitas pareret fastidium. Dicam verò tibi sub compendio regulam certissimam, sed non ab omnibus statim cognoscibilem, seu practicabilem. Sicut in purè speculabilibus nulla formatur consequentia tenens universaliter, nisi fieri possit reductio ad primam, & unicam veritatem, quæ Deus est; sic valet nulla consequentia in agibilibus bonis, nisi possit reduci ad primam bonitatem, quæ Deus est, finis omnis bonitatis. Similitudo fundatur in hoc, quià sic se habet finis ultimus in agibilibus, sicut primum principium incomplexum, vel complexum in speculabilibus. Hæc est Philosophi. Porro non fit syllogismi resolutio ad primum principium rerum speculabilium, nisi virtualiter, aut expressè reguletur per *dici de omni*, aut per *dici de nullo*; alioquin non poterit effici vera contradictio, penes quam deficit fallacia ignorantiæ elenchi specialiter, sed generaliter, etiam quæcumque fallacia. Hinc est, quòd ex puris indefinitis non tenet argumentum de forma, nec ex puris negativis. Hinc est, quòd terminus communis ad plures res (sicut hoc nomen essentia divina) non potest esse medium sufficiens in syllogismo expositorio. Hinc est, quòd si affirmativa de *dici de omni*, includat omnia quæ possunt de subjecto prædicari, illa non sufficit, ut sit præmissa *de omni*. Exemplum, omnis Pater est generans: si non distribuat pro essentia divina, non est efficax præmissa ad syllogizandum de *dici de omni*, & sic constat tunc, quòd est universalis falsa pro essentia. Non aliter accipiendum de *dici de nullo*, quòd negetur omne quod affimativa, de *dici de omni*, ponit, alioquin non esset vera contradictio. Cadunt in absurditates non ferendas, qui istud non considerant. A Concedit unus, quòd duo contradictoria non verificantur in instanti temporis. Alius, quòd innumerabilia contradictoria vera sunt in instanti æternitatis. Alius, quòd primum principium non est evidens in divinis, cùm sit ibi præcipuè certissimum. Alius, quòd anima movetur, & non movetur, quià movetur in manu, & quiescere simul potest in pede. Alii quòd relationes in Deo sunt Deus, & non sunt Deus. Alii sunt de formalitatibus in divinis; at verè si negatio capiatur de *dici de nullo*, quæ scilicet negat omne illud convertabiliter quod affimatio ponit in tempore, modo, loco, & ceteris; evidens est quòd erit vera contradictio. Et si non, non. Undè non contradicunt istæ duæ; Pater generat, essentia non generat, nisi neget negatio generationem à Patre. Sed homines grossi intellectus, subtiles istas non advertunt resolutiones in negando, vel affirmando. Putant idcircò contradictiones esse, ubi non sunt.

Discipulus Edoctus sum juvenis super hoc *dici de* B *omni, & de nullo* quòd in eis fundatur, vel resolvitur omnis consequentia bona, & formalis; sed non habui tam expressam super istis explanationem. Putabam, quòd idem esset propositio affirmativa cum *dici de omni*; sed video differentiam non modicam, similiter & in *dici de nullo*.

Magister. Conabantur aliqui solvere paralogismos in divinis, addendo *ly* quod est.

Sed hæc ars brevior est, & certior quam Aristoteles satis intelligitur posuisse. Platonici quoque de homine communi, & singulari, loquentes habebant introducere tale *dici*.

Discipulus. Nunquid non multæ sunt consequentiæ Topicæ, seu Rhetoricæ quæ non possunt nec debent, isto modo regulari?

Magister. Prudenter opponis propter Canonistas, C & Legistas, immò propter omnes in sacra Scriptura consequentias in moralibus, & historicis accipiendas, modo qui congruit morali negotio, ubi non possunt haberi consequentiæ, ut sæpiùs, nisi quæ tenent solùm gratiâ materiæ, & non formæ, quales accipiuntur à locis dialecticis, quales prætereà non resolvuntur ad contradictionem secundùm quid modificatè. Ut si dicatur: *Responde stulto juxta stultitiam suam*, Prov. XXVI. 4. 5. statim subditur? *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*, quæ videntur contradictoria. Similiter in Evangelio. Matth. V. 16. *Videant opera vestra bona*. Et in eodem textu culpantur hypocritæ, qui *faciunt opera sua coram hominibus*. Sed ratio dictorum tollit contradictionem apparentem, immò existentem ex vi Logicæ in speculabilibus. Hinc de subtilitate Logicorum, & Metaphysicorum surrexit dictum, quòd *nimia subtilitas reprobatur in Jure*, cujus intellectus nunc expositus verissimus est, at- D que saluberrimus; alioquin sunt ad morale negotium subtilitates hujusmodi Logicorum, & Metaphysicorum sicut cinifes Ægypti, morales oculos suis aculeis tenebrantes.

Sunt ex adverso grossi morales ad subtilia speculanda quæ de Metaphysica sunt, & Theologia speculativa nimis inhabiles, sicut modò diximus, quia consequentias non accipiunt, nisi per tropos & apologos, suo modo.

Discipulus. Quorum est laudatior conditio?

Magister. Utraque laudabilis, immò necessaria, sed pro necessitate materiarum varianda, dicit Philosophus *Primo Ethicorum*, de quærentibus acribologias, id est, Metaphysicas demonstrationes in moralibus; topicas autem rationes in Mathematicis; utrumque est

est vituperabile, quia quærenda est certitudo juxta negotii qualitatem. Proficit hæc regula contrà nimiùm scrupulosos in moralibus, dùm certitudinem quærunt ampliorem quàm haberi possit, secluso miraculo; sufficit enim probabilis & moralis conjectura.

Discipulus. Concordas more vulpis fabulosæ, quæ discantum philomelæ, tenorem corvo dedit, miscens A grossum subtili, utile dulci, imò jam non misces, sed suades separatim accipere.

Veni, si placet, ad alteram principalis considerationis declarationem, quòd omnis consequentia debet in agibilibus reduci ad ultimum finem, si probabilis debet esse.

Magister. Habes Apostolum: 1. Cor. x. 31. *Omnia in gloriam Dei facite.* Habes Christum. Matt. vi. 33. *Primum quærite regnum Dei.* Habes ab eodem Præceptum de dilectione Dei super omnia, quæ finis Præcepti est. Quocircà concludimus salubre pro Christianis omnibus documentum. Plùs insistendum est dilectioni, quàm speculationi. Plus insuper unioni affectus vacandum est, quàm discretioni intellectûs.

Discipulus. Aperi quomodò?

Magister. Proprietas intellectus est discernere, & hoc adeò quòd illa quæ realiter idem sunt, satagit, & valet separatim considerare, & separata con- B jungere. Veritas est hæc Philosophiæ, & experientiæ. At verò proprietas affectus est, se in unum ferre, & se in unitatem recolligere, ubi etiam distincta sunt realiter amata. Propterea dicuntur amantes se, unum cor, una anima, unus spiritus. Cùm autem Deus sit totus desiderabilis, secundùm omne quod in eo potest intelligi, constat, quanta felicitate & libertate potest affectus se totum in Deum ferre. Intellectus, dum discreta rimatur metaphysicando circà Deum penitùs unicum, plus spargitur, plùs difficultatur, minùs ædificatur in fine Legis, quæ est dilectio. Denique non ita Deum comprehendit, vel apprehendit intellectus, cùm non sit à nobis totus cognoscibilis, sicut est totus amabilis, si formaliter sunt in Deo perfectiones distinctæ quoad affectivam, quæ totum amare quærit, non perfectè formalem, hanc, vel illam.

Discipulus. Saluberrimum in Physica radice dogma fundatum elicuisti. Nos enim jubemur omnem intellectum captivare in obsequium affectus Christiani, quæ necessitas est, totum in intelligendo, seu C discernendo Deum nostrum per universum labilis vitæ tempus, studium consumere, nec tamen attingere. Videmus effici potiùs tales temerarios assertores, garrulos, inflatos, aridos sine devotione, sine pietate.

Magister. Experta loqueris pro diebus nostris. Quocircà est laudanda præ talibus idiotarum simplicitas amativa. Neque mihi videntur aliundè Philosophi dati in reprobum sensum, quàm eò quòd, relicta pietate unitiva affectus circa Deum, toti evanuerunt per inquisitiones solius intellectus, impulsi, non dubium, à spiritibus erroris quibus servierunt, per theletas, theorgias sacrilegas potiùs quàm Creatori.

Collaudandus ad extremum est Doctor Theologus, cujus doctrina sic erudit ad intellectus distinctionem, quòd non minùs allicit, trahit, & inducit D ad affectus unionem.

Sed ecce dum officia beatorum Angelorum circà nos ex historia Petri quærimus, per multa digressi sumus; vix tamen attingimus pauca pro multitudine dicendorum, nominatim circà contradictionis observationem, ad quam oportet fiat omnis resolutio. Sed necessarium prædiximus esse, quòd in vera contradictione negatio destruat quicquid, & qualecumque, quod affirmatio posuerit. Fundatur in hoc ars obligationum, ars insuper responsionum ad insolubilia Logicorum, ars Theologorum circà mysterium beatæ Trinitatis. Sæpè enim fit apud subtiliter intelligentes in speculabilibus, quòd negatio non accipitur ut negans simpliciter omnia de quibus fit affirmatio. Dicimus enim, quòd Pater & Filius, sunt essentia divina; tamen verè dicimus, quòd Pater non est Filius. Non accipitur ibi negatio secludens essentiam, sed unitatem solùm personalem. Salvat hæc consideratio multos subtiliter formalizantes; sed paucissimi sunt, qui capiant virtutem negationis hujusmodi non simpliciter, sed cum moderatione. Circa hanc (ut æstimo) moderationem Philosophus in materia Trinitatis faciliùs admisisset, quàm homines non Philosophi, si Fides seclusa sit, hæc autem Fides salvat eos dicentes: Magister noster Christus, sponsa ipsius Ecclesia, dedit nobis ità credere, simul & confiteri. Sufficit autoritas: si plus detur intelligi, gratias ei.

Discipulus. Sentio, quòd multa supersint ex propositis de Angelorum custodia, quibus homines exaltantur contra diabolicos impulsus. Vix diximus de astantia boni Angeli, quoad primum; de illuminatione sua, quoad secundum; de impulsu suo, quoad tertium. Quid de clamore, quo jubet surgere Petrum, quasi mysticè diceret: *Surge velociter*, Act. xii. 7. per spem; fac jussa per obedientiam quoad quartum.

Magister. Hoc est præcipuè servandum; alioquin nihil valent cetera. Solvit proindè quintò ligatum Angelus, undè timens, & gratus magnificat Dominum. Educit sextò Petrum, quia Jesus suscepit eum. Septimò libertati relinquit.

Tunc vivit Petrus, velut hìc & nunc moriturus.

Cantat dum exierit de carcere corporis: *Nunc scio verè &c.* qui priùs *existimabat se videre visum.* Act. xii. 9. Et quid omne quod videmus in carcere positi, nisi visus aliquis Fidei, simul & Spei. Tunc autem sciet homo verè, cùm liberatus ab Angelo plenè relinquitur in libertate gloriæ filiorum Dei: quando depositis potentibus de sede, gloriari licebit apud Sanctorum omnium concives: *Et exaltavit humiles.* Meditemur de reliquis.

QUARTA PARTITIO
PER
SOLILOQUIUM,
UBI DE CUSTODIA ANGELORUM
Per notulas quinquaginta.

NOTULA PRIMA.

DEPOSUIT *potentes de sede, & exultavit humiles.* Luc. i. 52.

Sis igitur humilis anima mea quatenùs exalteris. Magnifica magnum, prædica Dominum. Gratias age sibi in quiete tui silentii. Quid nisi magnificetur iste, cujus *opus* est *confessio & magnificentia?* Ps. cx. 3. Gratias & tibi, beata Virgo, cujus est hoc magnitudinis exordium. Itaque est gratum animæ meæ, posse in magnificatione Domini cantico tuo uti. Donum istud est gratiæ Dei, donum pariter meriti tui. Dederis exemplo tuo cantare Domino primitùs misericordiam pro beneficio speciali: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, animæ meæ, creans eam, sui capacem faciens eam in Baptismate, sui participem atque Dei conformem, confortans eam sacræ Confirmationis unctione. Deindè per pœnitentiam reparans lapsam, eruens eam totiens misericorditer ab inferno inferiori, cibans eam pane cœlesti, qui dat vitam mundo, Spem denique felicitatis æternæ concedens. *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. i. 46. Cantans ei mise-

misericordiam, simul & judicium pro omnibus, & singulis animabus, cum quibus debet esse anima una, & cor unum, quia *misericordia* sua est *à progenie in progenies timentibus eum.* Luc.I.50. Cantet rursùs anima mea magnificans Dominum. Primò super judicio, quia *deposuit potentes de sede.* Dehinc super misericordia, quia *exaltavit humiles.* Fiat iterùm conversio de misericordia in judicium, quia *esurientes implevit bonis.* Ecce misericordiam. Et de judicio sequitur, quia *divites dimisit inanes.* Sola postremò misericordia sicut ab initio decantetur. Quia *suscepit Israëlp uerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* ℣. 54. Apposuit ab initio magnificare se Lucifer super cœlum, & Adam posteà super terram. Tu verò, Beata nostra, contrario modo magnificare cœpisti, non te, sed Dominum. Vide anima mea, si verè magnificas Dominum; si sis humilis ancilla sua, non diaboli serva, non iræ filia. Horrendum nimis est dictum ad Judæos: Joan. VIII. 44. *Vos ex patre diabolo estis*: Et iterùm: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* ℣. 34. Proditor igitur Domini sui, non magnificator. Vide anima mea, ne magnifices Deum verbis; factis autem neges, vilifices & blasphemes. Dilige salutare Dei, confitere peccata tua, & dic: semper *magnificetur Dominus.* Ps. XXXIX. 17. Nolo solam te cogitaveris, nolo ceteros excluseris. Exhortare potiùs cum exultatione spiritus: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Ps. XXXIII. 4. Magnificatio tua sit omnium communis, & omnium sit tua specialis. Ità enim decet fieri magnificationem unam, sicut est cor unum, & anima una. Si cecinerimus magnificantes Dominum, prævenient nos *Principes* Angeli nostri *conjuncti psallentibus.* Ps. LXVII. 26. Sis, anima mea, talis, qualium in medio sunt iidem Principes. Sis tympanistria, quia sunt *in medio juvencularum tympanistriarum. Adolescentulæ* sunt istæ, Domine Deus salutaris meus, quæ *dilexerunt te* nimis, Cant. I. 2. quæ per mortificationem carnis innovatæ suaviter tympanizant. O si, deposito onere veteris hominis, qui nos tyrannizat, qui nos in carcerem mittit, ut Herodes Petrum, qui nos tradit quatuor passionibus carnis nostræ, quasi totidem quaternionibus; est enim quælibet in quatuor qualibet, qui catenis alligat duabus, quæ sunt amor voluptatis, & vanitatis. O si nos inter hæc mala sopitos, discinctos, discalciatos præveniat vel unus de Principibus istis. O si

Angelus astet, fulgeat, pulset, surgere clamet,
Solvat & educat, libertatique relinquat.

O si tunc jubilo cordis in magnificatione animæ, in exultatione spiritus, cantare licebit. *Nunc scio verè quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me.* Act. XII. 11. Tanta est dignitas tua, ô anima mea, tanta, quòd ab exordio creationis tuæ tibi, tuæque custodiæ deputatus est Angelus unus de Principibus cœli, qui depositis potentibus in sua superbia de sede dignitatis, ipse humiliatus sub Domino proprio, & supremo exaltatus est, magnificans non proprium Dominum, sed dominantis majestatis imperium.

Denique datus est tibi, quatenùs se rectore, se duce, suscitet te Dominus de pulvere, & stercoroso corpore, ut collocet te cum ipso Principe tuo, ceterisque Principibus populi sui, & solium gloriæ teneas in palatio Dei. Cave, precor, ô anima mea, ne ipsi sis ingrata tanto Principi tuo. Noli turpiter in oculis suis vivere, noli vilis offendere, noli præsentiam suam à te, molestis actibus injuriosa, repellere. Væ tibi, væ, si eo longè stante, vim faciant, & impulsum qui te quærunt perdere, seducere, & devorare. Qua tunc virtute resistere, qua poteris, aut scies industria, sola, miserabilis, cæca, nuda, pauper evadere? Confide nihilominùs etiamsi ambulaveris *in medio umbræ mortis*, Ps. XXII. 4. si vincta fueris *in mendicitate & ferro*, Ps. CVI. 10. Princeps tuus pius, & custos est tuus, tibi nuncius, id est, Angelus præveniet te, frequenter astabit, fulgebit, percussoque latere tuo (quod est synderesis) acclamabit. *Surge velociter* per spem, *circumda tibi vestimentum tuum* Act. XII. 7. 8. per operationem, *præcingere* per disciplinam. *Calcea te in præparationem Evangelii pacis* Ephes. VI. 15. per obedientiam. Tunc catenæ consuetudinis malæ cadent de manibus A tuis, ut possis benè agere. Educet te de medio duorum militum, timore, & dolore, & hoc infrà te. Transibitis, ipse, & tu primam & secundam custodiam noctis circà carcerem. Ecce sunt hi custodes, mundi tentationes in desideriis, & lætitiis vanis, quos bona spes transit, & lætitia spiritualis. Venietis ad portam ferream. Hæc est diabolica custodia tertia, quæ viso Angelo discedet, ultrò viam faciens transituris. Transibitis vicum unum districtum, & longum, & rectum. Hæc est sancta meditatio de divinis post satisfactionem de peccatis. Hîc te videbitur relinquere ductor tuus, quia soli Deo per contemplationem tunc assistis, & hærebis sola soli, unica unico, quid est enim contemplatio, nisi assistentia coram Deo? & hoc in secreto solitudinis, in sereno luminis divini, in amœno pacis; postquàm salvam te fecerit à B pusillanimitate spiritus per securitatem, & à tempestate, per tranquillitatem, postquàm indicaverit tibi ubi pascat, ubi cubet in meridie. Tunc psalles ex sententia: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit.* Psal. XXII. 1. Denique si priora respexeris quasi tibi sobriè reddita, & rediens à mentis excessu suspirabunda, grataque cantabis: *Nunc scio verè, quia misit Angelum suum.* Act. XII. 9.

Deinceps jam conaberis redire ad ipsum, familiaris esse satagens ampliùs & ampliùs Principi tuo, Angelo bono, cujus præventionem in mediis peccatorum tenebris, in oblivione torpida, divinæ, & suæ pietatis, experiri datum est. Absit, ut aliquando immemor sis liberationis tuæ. Cave sic postmodùm esse mortua in corde tuo. Absit, ut gaudium suum, suorumque quod habuit in pœnitentiali solutione tua perdas unquàm, vel minuas. Dic C sedulò, dic toto cordis incendio ad ministrum tuum, qui totus est ignis Dei, quia *ministros suos facit ignem urentem*, Ps. CIII. 4. id est, Uriel, dic:

Angele, qui meus es custos, pietate superna,
Me tibi commissum serva, defende, guberna.

Parvulos honora, qui tales Angelos habent. Doce similiter eos credere, honorare proprios Angelos qui vident omnia quæ faciunt. Caveant, eis spectantibus, agere turpia, quæ videntibus hominibus facere non auderent. Assuescat orare sæpiùs quilibet bonum Angelum suum modo prædicto, vel simili, cancellatis manibus super cor, & pectus stringens. Dicat ex affectu magno parvulus corpore: Mi bone Angele, custodi me benè (*Mon bon ange, garde moy bien.*) Sic imbibat nova testa, quem veD tus servet odorem. Lactet ab uberibus pietatem Religionis ad Deum, & Angelum suum, sicut infans Agnes Jesum: non enim parùm refert, pueros sic, vel sic affici. Loquor expertus: cuidam infanti Pater effigiavit se contra parietem in modum crucifixi, dicens: Vide, fili mi, quia sic fuit crucifixus, & mortuus Deus tuus, qui te fecit, & salvavit. Mansit hoc exemplar puero, ut habuit memoriam illa ætas, illa anima, speculum ad hunc modum mansit usque in senectam, & senium, crescens crescentibus Annis. Benedictus Pater iste pius, quoniam dies Exaltationis sanctæ Crucis fuit dies obitus sui, quo obviam iit Christo per Crucis humiliationem sublimiter exaltatus.

Audis, an libenter, obsecro te, Domina Angelorum, pium de tuis Angelis soliloquium, simul &

& præconium? Audis profectò, immò nudè conspicis, complaces, & approbas. Piissima quoque verbum de pietate collaudes, neque sinas irremuneratam cujuslibet ad Angelos abire devotionem, non magnificentiam animæ, non exultationem spiritus in recordatione.

Quid porrò dicemus: O Regina cœlorum, ô Domina Angelorum! Quid de Filio tuo, qui vocatus est *Magni consilii Angelus?* Consilium illud magnum & antiquum, per ipsum Verbum fuit nunciatum, & A expletum.

Si Mater es Principis, immò Creatoris Angelorum; Si mater es illius qui totiens nominatur *Dominus exercituum, Dominusque virtutum*, qui electus est ex millibus tàm Angelorum, quàm Sanctorum. Cujus *currus decem millibus multiplex*, Ps. LXVII. 18. jure superest, ut exaltata sis super choros Angelorum, ut audias à Filio tuo: Cant. I. 8. *Equitatui meo assimilavi te*, qui tibi me pacificavi, tibi me humiliavi, paulominùs in hoc ab Angelis minor factus. Sic humiliatus in te & me, & te superexaltavi, *ut in nomine Jesu*, & Mariæ, *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Philip. II. 10.

Beatus ille, cui Beata dederis affectum diligendi te, honorandi te, loquendi de te, cantandi tecum: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46. Salutandi te: *Ave*, Maria, *gratia plena Dominus tecum.* Luc. I. 28. Benedicendi te super omnes mulieres, confitendi, & B laudandi, quia *benedictus fructus ventris tui Jesus*, Amen.

Beatus, cui Beata spiraveris affectum petitionis septiformis, ab Angelo magni consilii Filio tuo descendentis. Pete imprimis triplicem nobis beatitudinem, objectalem in sanctificatione nominis sui, formalem in adventu regni sui, virtualem in adimpletione beneplaciti sui. Deindè proventum cujuslibet rei necessariæ corpori, vel animæ, in pane quotidiano, & supersubstantiali. Denique remotionis impedimenti sit illud culpa: *Dimitte nobis debita nostra.* Matt. VI. 12. Sit illud pugna: *Et ne nos inducas in intentationem.* ℣. 13. Et illud pœna & miseria: *Sed libera nos à malo.*

Beatus, cui tu Beata Fidem dederis (*quæ per dilectionem operatur*) Gal. XV. 6. credere in Deum, C cum ceteris, secundùm divinitatem, & humanitatem Articulis.

Beatus insuper, & magnificans, & magnificus, si astantibus Angelis tuis in illuminatione vultus sui, si pulsantibus, si vocantibus nos, magnificabit anima mea Dominum, exultabit spiritus noster in Deo salutari suo. Si respiciet Dominus humilitatem ancillæ suæ, animæ nostræ. Si beatificabit apud omnes generationes Beatorum in cœlis, sanctificans in nobis Nomen sanctum suum, & hoc quoad impletionem Præceptorum, & osculum pedum, secundùm animalem obedientium statum. Si prætereà solverit Angelus tuus bonus colligationes infirmitatum nostrarum. Si nos eduxerit à tenebris tot phantasmatum, & custodiarum. Si portam ferream aperuerit, ut nos in primis canentes suscipiat *Angelus magni consilij* Christus ad osculum manus, per gratiarum actiones; quia timentibus misericordiam, D quia humilibus exaltationem, quia esurientibus impletionem bonorum benignè largitus est, superbis dispersis, potentibus depositis, divitibus inanitis, & hoc quoad rationalem statum. Si postremò deserit ipse *magni consilii Angelus*, liberos in Lege perfectæ libertatis sub actione, vel impulsu sui spiritus tanquàm in statu perfectionis, & filialis adoptionis, & in osculo oris. Nam *qui spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei*; Rom. VIII. 14. hi sublevatis oculis post contemplationem, & mentis excessum, nihil vident, nisi solum Jesum, solam salutem, solam misericordiæ recordationem. *Sicut locucus est ad Patres nostros, Abraham*, qui diem ejus vidit & gavisus est. *Et semini ejus in sæcula.* Luc. I. 55. Tunc fiet in quolibet tali, quem ità dignatus fueris, Angelorum Domina. *Vive Deo purus, velut hic, & nunc moriturus*; imo verò jam mortuus toti mundo vivens soli soliloquium meum & Angelorum Domino Deo salutari suo.

Complacitum tibi sit, ô Beata Beatorum, ô Domina Angelorum, quia ita soliloquium meum conformiter agito ad Canticum tuum, conformiter ad aliud drama meum, *De pulsibus & officiis beatorum Angelorum*, torum Angelorum, contrà depositorum potentum tot violentos, tot fraudulentos, tot malignantes impulsus.

Conformiter rursùs ad liberationem Petri; insuper ad septemplicem industriam, quæ versatur in recordatione Dei, in recognitione status proprii, in debellatione adversarii, in impletione divini Præcepti, dehinc in meditatione, in speculatione, in contemplatione, aut beatifica visione. Nihil itaque dulcius, nihil suavius, quàm consonè tibi dicere, vel vivere, cujus spiritus super mel dulcis, quæ suavissima facta es in deliciis, quæ *Mater est pulchra dilectionis, timoris, agnitionis, & sancta spei.* Eccli. XXIV. 24. Quanta sententia, sapientissima feminarum, latet hîc in paucis verbis! Sunt ista æternæ sapientiæ ubera, cui tu Unigenito à Patre æternaliter, & à te temporaliter, præbuisti ubera tua. Sunt nihilominùs ista creatæ sapientiæ verba propriè Angelorum, qui ab initio creati sunt in sapientia Dei, quoad imaginem, quoad similitudinem fiunt ipsis originaliter inspirata. Omnia siquidem in sapientia fecit, sed & refecit in sapientia, quæ primitùs incarnata, postmodùm (ut ità dixerim) voluit impanari, quia panis vitæ fieri.

Non est jam, ô anima mea, quid excusationis invenias. Si quæritur à te flente, ubi est Deus? Respice in Sacramentum Altaris; dic tota fiducia: Iste est Deus meus, iste frater, iste *dilectus ex dilecto.* Cant. V. 9. *Et ipse est amicus meus, filia Jerusalem*, ℣. 16. iste, cui astanti Angelorum chori; iste, qui *facit Angelos suos Spiritus*; Ps. CIII. 4. iste, qui misit Angelum suum Petro, *& eripuit eumde, omni expectatione plebis Judæorum.* Act. XII. 11. Vellem ex te cogitare, Petre, quo nomine vocabatur Angelus tuus ille bonus, qui astitit, & refulsit in habitaculo carceris. Da veniam, si curiosus interrogo. Habemus nomen illius qui Tobiam duxit & reduxit; quia Raphaël *Medicina Dei* secundùm nomen, & officium ejus. Nempe liberavit ipsum à devoratione piscis, cujus mors multis usibus utilis fuit. Junxit Sare conjugio, dæmone fugato virorum septem necatore. Reddidit Patri seniori visum luminis, simul & spiritum contulit prophetandi, quæ omnia plena sunt mysteriis. Habemus nomen Principis Synagogæ, & nunc Ecclesiæ, Michaëlem, qui ut Deus pro filiis populi sui stat, qui primitùs in cœlo fecit ruinam diaboli magnam, & Angelorum ejus. Qui mulierem illam, signum magnum in cœlo, *amictam sole, & luna sub pedibus ejus & in capite ejus corona stellarum duodecim*, Apoc. XII. I. protexit à dracone septem capitum, liberavit Filium quem peperit, & collocavit in Throno Dei, dedit mulieri alas sicut aquilæ, ut volaret, non absorpta ea ab aqua draconis, sed ut in solitudine nutriretur. Non prosequimur per singula. Habemus nomen illius Angeli, qui ad te *missus est Virginem desponsatam viro* &c. Luc. I. 26. Appellabatur hic Gabriel, *fortitudo Dei*, quia forti mulieri, quàm Salomon inquirebat, deputatus est; quia fortiorem forti armato nunciabat tibi, quia singulariter ad opera fortis nostræ salvationis ordinatus fuisse probabiliter æsti matur.

Sicut in Prophetia ad Danielem in revelatione confortativa, & directiva ad Joseph sponsum tuum virginalem. In nunciatione Joannis ad Zachariam. In cantico cœlesti ad pastores: in monitione, ne redirent ad Herodem, ad Reges. In Resurrectionis

nis nunciatione ad mulieres. Habemus proindè nomen illius Angeli, qui purgavit Isaïæ labia per calculum de Altari, vocatus est Seraphin ab incendio.

Habemus de Cherubin, dictis à plenitudine scientiæ, in animalibus, & rotis Ezechielis. Nunc pissime, quæro, Petre, quod erat nomen Angeli te liberantis, quem Angelum proprium fuisse custodem tuum fas credere est nobis. Dicitur in Apocryphis Esdræ sermo nobis fieri de Uriel Angelo, cujus interpretatio sonat *Ignis Dei*.

Ur siquidem ignis, *el* Deus. Benedictissime Deus, A liceat nobis, cujus ignis est in Sion, & caminus in Jerusalem, in cujus dextera est ignea Lex, cujus eloquium ignitum vehementer, immò qui totus ignis consumens es: cujus denique ista vox est: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut ardeat?* Luc. XII. 49. liceat Angelum tuum, ô Petre, liceat & quemlibet aliorum viatoribus singulis deputatum, Uriel appellare, cujus officium est suaviter urere renes, & cor nostrum; consumere sordes vitiorum; succendere totum cor ad virtutes; sacrificare pietatis holocaustum, quod est in odorem Domino suavissimum.

Potest, nec negamus, sufficere nomen Angeli, quia nuncius Domini est; sed addere videtur aliquid, quòd Angelus iste sit spiritus, & flamma ignis, quia fulget in intellectu & ardet in affectu. Sublevavit B Angelicus spiritus Eliam igneo curru, qui priùs ambos quinquagenarios è cœlo descendens incenderat. Data fuit *Lex per Angelos in manu mediatoris*, Gal. III. 19. quantus verò flagraverit ignis loquitur historia. Custos erat Paradisi flammeus ensis. Descendit denique Spiritus sanctus super Apostolos in *igneis linguis* factus Uriel in singulis. Quid est, quòd Uriel iste redigit quos inflammat in cinerem, per timorem, & humilitatem spiritus; mollit per pietatem, & mititatem, contra cordis duritiem lapideam; resolvit in luctum per propriæ fragilitatis scientiam; corroborat per decoctionem, & humoris fluidi resolutionem, undè venit apud animam fames, & sitis congrua; tractabilem reddit ad consilium, & misericordiam; subtiliat, & purificat cor ad intelligentiam.

Demùm saporem, & internam pacem efficit per renovationem juventutis, sicut aquilæ, sicut cervorum, sicut accipitris, ut serpentis. Notæ sunt similitudines istæ, quales per metaphoram operatur in C nobis Uriel noster, si non obstiterit ipsi animus noster, anima nostra, cum corde simul, & spiritu.

Studiositas Theologorum quærit plurima de custodiis circa nos Angelorum. Si nos unquàm deserunt. Si nos salvandos præsciunt, aut damnandos: Si Christus *magni consilii Angelus* (cui ministraverunt Angeli post jejunium, quem & Angelus in agonia confortavit) habuit Angelum pro custodia? Similiter si talem habuerit Domina nunc Angelorum futura? Si deerit Antichristo custos Angelus? Nunquid Angelus bonus loqui potest animæ nostræ sine phantasmatum simulacris; quia de ordinatione phantasmatum per Angelum, & impedimentorum remotione non est dubium. Est enim modus iste ordinarius pro statu viæ, qualiter erudit Magister discipulum, proponendo per ordinem doctrinam cognoscendorum, juxtà modum capacitatis suæ. Si boni Angeli sunt incitatores ad bonum, sicut mali dicuntur incitatores ad malum? Si D causent radium, vel lumen spiritui nostro? Si cogitationes nostras inspiciunt? Quis numerus Angelorum? Sit hæc studiositas Theologis accommoda. Desit autem curiositas ab omnibus quos decet ampliùs studere devotioni, quàm subtili speculationi. Certum habeat unusquisque serviens Deo, quoniam *omnes sunt* secundùm Apostolum, *administratorii spiritus*, & hoc mediatè, vel immediatè; *in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Hebr. I. 14. Qui verò capiunt, & quot, noli quærere, si non vis errare. Certus esto, si benè vixeris sub lege magni Angeli, & custodia suorum Angelorum, quorum Domina est Maria, salvus eris, socius eorum factus in ævum.

Studeamus igitur plùs benè vivere, quàm disputare. Sis, ô Christiane spiritus, assiduè paratus ad mortem.

Vive Deo purus velut hic & nunc moriturus.

Erat unus insignis Causidicus in articulo mortis; dixit Confessor, ut voce, qua posset, diceret septem Psalmos. Venit ad versum illum: *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Ps. VI. 6. Cœpit arguere more suo, qualiter illud stare non poterat. Nam & ipse moriens memor erat Dei. Subintulit Confessor. O Domine, tempus est pœnitendi; & orandi, non disputandi. Respicit omnes hæc narratio, quoniam media vita in morte sumus. Angelicum potiùs imploremus auxilium, quàm de modis auxiliandi disputemus? Sciunt advocandi, sciunt auxiliandi, sciunt consulendi, sciunt purgandi, illuminandi, & perficiendi suum hierarchicum triplex officium. Non est ægroti, velle medicantis artem, neque litigantis, Advocati scientiam perscrutari; maximè dùm constiterit super utroque fidelis, & prudens: fidelis, ne decipere velit; prudens, ne decipi possit, quales sunt Angeli. Deputet autem anima quælibet Christiana magno Dei dono, si se senserit affectam ad aliquem Sanctorum, nominatim ad proprium Angelum, reverenter, piè, & humiliter. Deputet hoc beneficio tuo, ô Domina Angelorum. Magnificet tecum super ista talis anima, dùm psallat in conspectu Angelorum Dominum, ministret incensum devotæ orationis, quod offerat Deo salutari nostro.

Prætereà non timuerit invidiam facere anima Christiana ceteris, si fortè fuerit ad unum, quàm ad alterum devotior, si fiducialior ad quempiam, si frequentior sit recursus. Sunt repleti charitate, non invenit locum invidia, *non quærit quæ sua sunt.* 1. Cor. 13. 5. Omnia deputant communia. Recursus est ad Stephanum, recursus est ad Petrum, Joannem, Michaëlem, Gabriëlem, Raphaëlem, Urielem, Mariam, Martham, cum ceteris: tuam enim in communi recipiunt orationem uni fusam, dùmmodò par utrinque devotio; tuum optant meritum, non honorem à te suum. Quid enim ipsis est in cœlo, quæ gloria, quæ laus, quæ magnificentia est ob omnibus, quid volunt super terram? Argue tibi sic. O anima Christiana, dùm impellit te spiritus superbiæ super vanitatibus transituris. Si glorificanda, sive si magnificanda à Domino in æternitate, qui semper, & ubique gloriam meam dicet. Quid mihi de punctali, & umbratili gloria super terram? Si verò justo (quod avertat Dei pietas) judicio damnandus sum, totus honor impensus ab hominibus plùs ad tormentum mihi cedet, quàm solatium. Plùs indè blasphemabit anima mea Dominum, plùs exiliet furens spiritus in Deum, quia non fuit salutare suum, plùs exardescent invidi dæmones animam cruciare, quò plùs in bonum senserunt honorari.

Agite quod vestrum est ministerium sancti Angeli Dei. Depositum vestrum servate. Poterat omnipotens Dominus homines per se custodire, quos possedit, fecit, & creavit. Sed voluit secundùm legem sapientiæ suæ, quòd nos inferiores reduceremur ad ipsum supremum per vos mediatores. Voluit ostendere majestatem potentiæ suæ, magnificentiam gloriæ suæ, quia tales habet virtutes, & exercitus militantes sibi, undè nominatur *Dominus exercituum, & virtutum.* Voluit communicare bonitatem simul cum virtute vobis Angelis suis, ut illam nedum recipientes in vobis, sed in alios communicare possetis, audebo dicere, deberetis.

Si Deus ita res administrat, ut eas agere proprios motus sinat, imò jubet secundùm ordinem justitiæ suæ?

suæ. Vestri autem proprii motus, Angelici spiritus sunt custodire viatores; magna nobis fiducia datur in vestræ charitatis auxilio: si Domina, si Regina nostra, si Mater, si soror nostra, gratum erit vobis, semper tales filios, & fratres dirigere, protegere, & salvare, maximè quia sumus futuri cives vestri. Si tanto furore satagit nos satanas impellere, seducere, & proterere, tantus amor vester conabitur ampliùs A per impulsus bonos nos salvare.

Debilis est oratio nostra, pauper, fragilis, balbutiens, cespitans, & cæca, si non fulciatur, & illuminetur à vobis, si non loquelam placentem, & aptam, loco ejus feceritis in necessitatibus nostris. Si non ipsam egenam, & mendicam, deduxeritis ostiatim per vicos civitatis sanctæ Jerusalem, qui sunt Ordines vestri, qui sunt Sanctorum, Sanctarumque omnium chori varii, qui plateæ patentes omnibus ad misericordiam. Clamate nobiscum, & nobis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*, Matth. VI. 11. cum ceteris petitionibus, cum modis petendi, quærendi, & præstandi, per universæ Scripturæ contextum, præcipuè Evangelicum, nobis in exemplum datum.

Sed & fratres habemus in Purgatorio carceratos sub manu justitiæ, futuri protinùs sunt consortes vestri, immò sunt jam per gratiam confirmati. Visitet eos pietas vestra, consoletur sedulitas vestra, salutate B singulos vice nostra. Suggerite, ut memores nostri sint, dùm benè sibi fuerit. Insinuate, quomodò nos memores ipsorum sumus, quatenùs indè consolationem accipiant.

Sunt nobis viatoribus adversantes, mundus, caro, dæmonia. Vos potentiores excubiæ, state pro nobis in acie. Sunt incommoda nobis plurima, ratione corporis, nunc ab elementis per intemperiem, nunc à cœlestibus influentiis, propter materialem ad influxus suos sustinendos vitæ indispositionem. Fas habetis in melius naturalia etiam incommoda vertere; ¶ naturalia possunt dæmones bona frequenter in deterius, quantùm divina providentia, & quantùm vestra custodia permiserit, immutare. Sæviunt autem perfidi, & homicidæ, si, & dùm, permittitur eis; sæviunt tunc toto malignitatis ardore: quòd si non astiteritis adjutores in oportunitatibus, in tribulatione, quis subsistet?

Tradiderunt Gentiles, nos habere ab hora conceptionis quemlibet unum suum Genium, qui cum mo- C riente deficiat. Stulti dicebant Genium esse Deum, qui Fata, Fortunamque Deos faciebant. Prudentiores Genium ad inclinationes nobis corporaliter impressas à cœlestibus referebant. Cùm autem hujusmodi inclinationes nobis corporaliter quædam, & commodæ sint, duplex Genius erit nobis, bonus, & malus. Assumunt perfidi dæmones ad nostram utrumque perniciem.

Vestrum verò est Angelicæ Virtutes, Principatus, & Potestates, ex adverso pro salute nostra, à dextris, & à sinistris, omnia in bonum deducere; si pii, si devoti, si seduli quæsiverimus opem vestram, quam quærere præmonetis sæpè, prævenientes nos in benedictionibus dulcedinis.

Dormiebat Petrus, non orabat aliquem ex Angelis, factum est tamen illud quod supra tractavimus in D exemplum nostrum: & Angelicum præconium.

Angelus astat, fulget, pulsat, surgere clamat.
Solvit, & educit, libertatique relinquit.

Sed ecce dùm meditatio nostra protenditur in longius, Frater astat pulsans ad ostiolum solitudinis nostræ, quæsiturus, arbitror, venit super plurimis, quæ de Cantico nostro tractanda supersunt, præcipuè super eo quod sequitur: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. I. 53. Non me fallit æstimatio. Sumit ab hoc versu principium colloquendi. Et nos parebimus inquirenti. Concentus est Centilogium *De Impulsibus*, consedebimus: sit in medio nostri Jesus Christus Dominus noster.

TRACTATUS
NONUS
DE EUCHARISTIA
DRAMATICUS

Super illud:

ESURIENTES IMPLEVIT BONIS,

Per quinque Partitiones. Prima Partitio procedit

PER

DIALOGUM,

Per Notulas centum.

ESURIENTES *implevit bonis.* Luc. I. 53.

Discipulus. Si ita res se habet, esuriam, obsecro, quatenùs impleat me Dominus bonis: dives non fiam, quæso, ne dimittar inanis; esurio nihilominùs in hoc Cantico nosse quid contemplabatur anima Mariæ super hac esurie.

Magister. Legis de divina sapientia dictum ex persona sua: *Qui edunt me, adhuc esurient & qui bibunt me adhuc sitient.* Eccli. XXIV. 29. Est igitur esuries, & sitis aliqua, non corporalis, quam experiuntur & bruta; sed spiritualis, quæ est fames non panis materialis, sed audiendi verbum Dei, quod est sapientia Dei Patris procedens ex ore ejus, in quo vivit interior homo noster.

Discipulus. Vide, ne dissona sibi sit hæc expositio. Etenim si edentes, & bibentes sapientiam, adhuc esurient, & sitient; quomodò dicuntur hi repleri bonis: Sitis quoque, & fames, dicunt vacuitatis indigentiam, non plenitudinem satietatis. Nonne sapientiæ fons, & fluvius est ista salutaris aqua, quam qui biberint, non sitient in æternum? Non autem cohærere videntur, *sitiet adhuc*, & *non sitiet in æternum.* Joan. IV. 13.

Magister. Erras, nesciens diversimodè dici satietatem, sitim, & esuriem, sapientiæ, seu & justitiæ.

Discipulus. Non poterit hoc aptiùs fieri, quàm per descriptionem, resolutionemque terminorum juxtà morem tuum. Dic igitur, quid sit esuries, quid satietas sapientiæ: & quid opposita satietas divitum, quid sit inanitas eorumdem, consequenter apparebit.

Magister. Esuries in genere describitur quòd est *amor, vel appetitus rei, ut convenientis & absentis.* Et si amor sequitur apprehensionem intellectualem, seu rationalem, de qua ad propositum, tunc addendum est in descriptione tanquàm pro differentia, quòd *esuries est amor consequens apprehensionem rationalem rei sibi convenientis, & absentis*, vel, *ut convenientis, & absentis. Satietas* sibi correspondens *est amor consequens apprehensionem rationalem rei ut convenientis, conjuncta, seu præsentis.*

Discipulus. Differunt ergò satietas, & esuries, sicut amor, & desiderium, quorum sunt oppositæ rationes, quia amor præsentis est, desiderium verò respicit ad futurum.

Magister. Invenimus esuriem, & sitim, dici non tantummodò de absenti, vel futuro; sed etiam de præsenti jam habito quod avidè sumitur fine penuria, proptereà non tollit satietatem. Rursùs aviditas ipsa tollit fastidium, quasi novum semper accipiens quod habet, & amet, id est, cupiat; undè dicitur aviditas, quâ cupit simile habere & tenere. Sic habes in prosa:

Fruuntur nec fastidiunt
Quo frui magis sitiunt.

Exem-

Exemplum est in voraciter edentibus, & bibentibus, quia satisfaciunt desiderio, neque protinùs illud fastidiunt, quousque fiat alteratio virtutis appetentis in aliam qualitatem.

Discipulus. Exemplis consentio. Sed undè venit nausea, vel fastidium spirituali fruitioni, cum anima sit immortalis, nec alterabilis in essentia sua?

Magister. Provenit hoc ex conjunctione cum corpore. Potest etiam in separatis spiritibus, cùm non fuerint confirmati, variatio cognitionum, simul & affectionum suboriri. Secùs in confirmatis, quos fruitio divinitatis jugiter eodem tenore, quasi semper renovato, delectabit, & implebit. Quam rem postulat Ecclesia post Communionem orans: *Fac nos quæsumus, Domine, divinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi Corporis, & Sanguinis tui, temporalis perceptio præfigurat.*

Discipulus. Audio nunc, quàm consonè dicit Christus ad hoc Canticum: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Matth. v. 5. Et Psalmista. *Edent pauperes & saturabuntur.* Ps. xxi. 27. Et alio Cantico: *Famelici saturati sunt.* 1. Reg. ii. 5.

Magister. Nondùm fortè sensisti, quorsùm te ducere possunt hæc Cantica.

Discipulus. Quorsùm, precor?

Magister. Siquidem ad compendiosam totius beatitudinis cognitionem.

Discipulus. Quonam modo?

Magister. Paucis accipe. Si esurientes implentur bonis; si ideo beati sunt, quià esuriunt justitiam, cum additur, quia saturabuntur; si beatitudo nihil aliud sit, quàm Dei fruitio, quod est omne bonum; nonne consequens est, quod esurientes, de quibus Maria loquitur, sint beati?

Discipulus. Consequens est, fateor, nisi de beatitudine fiat sermo æquivocus.

Magister. Describamus quid sit fruitio Dei, quatenùs æquivocatio nulla latere possit. Est itaque fruitio Dei *operatio secundùm habitum gratiæ gratificantis non impedita.*

Discipulus. Gravis est descriptio hæc Magistralis; sed vide, ne cadas in illud; *Dum brevis esse volo, obscurus fio.*

Magister. Non tantùm Magistralis est hæc descriptio, sed Physicalis, quamvis de terminis sit contexta Theologicis. Describit enim Philosophus delectationem, quòd est *operatio secundùm naturalem habitum non impedita.* Constat autem, quòd fruitio Dei delectatio est, aut non sine delectatione. *Fruimur* (inquit Augustinus) *cognitis, in quibus ipsis propter se mens delectata quiescit.*

Discipulus. Elucescere tenuiter incipit proportionalis ad tuam, Philosophi descriptio. Sed habet utraque dubitationem, quo pacto describitur delectatio per operationem, cùm delectatio sit *passio quadam mulcebris ad operationem consequens, & non operatio.* Ratio, quià fit operatio, quasi exprimendo; delectatio autem velut imprimendo. Exemplum in pueris lactantibus, undè nomen delectationis, & oblectationis tractum est. Puer exprimit se ad ubera, undè lac imprimitur in os ejus.

Magister. Conquisitio tua videtur à Philosopho sine decisione dimissa. Sed salvemus utrarumque viam dicentes: quòd si delectatio sit aliud ab operatione; causatur tamen ab operatione, & ità descriptiones dictæ sunt datæ per causam, quasi diceremus: Delectatio est ex operatione, secundùm habitum connatularem non impedita, similiter de fruitione, suo modo.

Discipulus. Sit ità, ut dicis: non enim placet in hac re litigium. Attamen non habetur intentum, quòd fruitio Dei sub tali descriptione sit beatitudo; convenit enim viatoribus per gratiam Deo fruentibus.

Magister. poterat mox explanari tua dubitatio, si voluerimus distinguere duplicem beatitudinem, unam spei, alteram rei; unam gratiæ, alteram gloriæ; qualis distinctio communis est, & accepta. Aut si volumus ad beatitudinem gloriæ sermonem contrahere, patietur hoc ipsa additio, quâ dicitur, *non impedita*, hoc nempè non implebitur perfectè, nisi in gloria, quæ est gratia consummata nullatenùs impedita.

Discipulus. Malo amplecti, fateor, distinctionem de duplici beatitudine. Similiter quòd duplex est fruitio, viæ scilicet, & patriæ; scrupulus tamen ingeritur ex præsenti dicto tuo, quià nulla est hìc operatio secundùm habitum gratiæ gratificantis, quæ non impedimentum patiatur.

Magister. Et patitur scimus; sed non semper tale, quòd tollat fruitionis Dei rationem. Undè quadruplex A in genere numeratur impedimentum fruitionis actualis. Unum causat necessitas, alterum fragilitas, tertium vanitas, quartum iniquitas. Causa prima est tolerabilis, secunda miserabilis, tertia punibilis, quarta damnabilis. Prima interrumpit fruitionem, sed non esse morali, seu meritorio, habitu gratiæ remanente. In secunda frustratur actus fruitionis. In tertia sordidatur ut leprosi pannus, propter veniales culpas, quæ sunt ligna cremabilia, fenum, stipula. Quarta verò totum destruit, & eradicat, fundamentum.

Discipulus. Nota loqueris, adde qualia sunt adjutoria.

Magister. Nimirùm conatus libertatis multiplex. Insuper habitus acquisitus ex actuum frequentatione bonorum. Juvat præterea roboratio, vel augmentum habitus gratiæ gratificantis tàm in se, quàm in suis B ramificationibus per virtutes, dona, & beatitudines. Denique per ablationem impedimentorum intùs, & extrà, divinitùs per Angelos; aut humana industria in corpore, & anima comparatam.

Discipulus. Latam aperuisti materiam, quàm coarctes, oro.

Magister. Si cupis agnoscere præcipuum fruitionis Dei pro statu viæ nutrimentum, & fervoris incentivum; quid vel quale potero convenientius exponere, quàm Eucharistiæ Sacramentum? Hoc est sacræ Communionis Mysterium, *In quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Hoc exclamando canit sancta Ecclesia: Hinc superaddit: *O quàm bonus, C & suavis est, Domine, spiritus tuus in nobis, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes imples bonis; fastidiosos divites dimittens inanes.*

Discipulus. Sanctum, pulchrum, & consonum das fruitionis auxilium, de quo fiat, obsecro, collocutio inter nos prolixior, quos ordinavit Deus esse Regale Sacerdotium.

Magister. Fiat, ut voles, cui quærenti responsiones adjiciam.

Discipulus. Dic in primis, si Beata nostra isto fuerit usa Sacramentali cibo dum viveret, maximè in illo cenaculo grandi strato montis Sion; ubi primitùs exhibita est institutio hujus Sacramenti, quod antè fuit prædicatum, dicentibus multis, & retrò abeuntibus: *Durus est hic sermo*: Joan. vi. 61. cui Prædicationi probabile est interfuisse Mariam.

Magister. Probabile, quià sequebatur Filium, tunc unicum custodem suum (sicut loquimur) pede post pedem. Probabilia insuper sunt plurima de, & super D hac Beata Beatarum, quæ sunt potiùs accipienda de pietate devotionis, quàm de Fidei necessitate, vel temeritate assertionis, ubi non suppetit autoritas Scripturæ cogens, aut ratio convincens.

Discipulus. Sic accipienda decrevi dicta tua aliorumque Doctorum in hac materia; alioquin via nimis prona præberetur ad errorem. Neque placet ratiocinatio nonnullorum generalis, dum arguunt: Deus potuit conferre hanc gratiam Matri suæ, ergò contulit. Potuit itaque dare fruitionem Patriæ ab instanti conceptionis, cum aliis multis quæ certum est non dedisse.

Magister. Quid si addatur ad posse Dei, quòd hæc decuit ipsum dare Matri suæ.

Discipulus. Redit in mentem Opusculum tuum pro articulo simili, in materia probationis Articulorum Fidei, cujus resolutio finalis stat in hoc, quòd in rebus ad extrà non ideò Deus dicendus est facere aliqua, quià decentia sunt, & bona; sed è contrà potiùs ideò aliqua dicuntur & sunt bona; quià Deus talia vult esse illa. Consonat illud Philosophiæ apud Boëtium de Deo,

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ
Materiæ fluitantis opus.

Magister. Sic est, ut meministi. Sic tollendum est argumentum tale ad intelligentiam veritatis, nisi præsupposita rectitudine Fidei; alioquin non ædificatio sed irrisio sæpè venit.

Discipulus. Quid est pietas Fidei?

Magister. Habes à me latiùs alibi, quod nunc sub compendio repeti potest. *Pietas Fidei est probabilis, seu verisimilis opinio sub aliquibus quæ devotionem ædificare possunt, quæ ex Scripturis authenticis nec claré sequuntur, nec repugnant*. Et sic accipi volo quæ pridem, vel deinceps enunciavero, qualiter in nostra Josephina præmisi protestationem, metro ludens.

Discipulus. Redi nunc ad priora post digressionem hanc non penitùs inutilem.

Magister. Immò necessariam pro dicendis, ut temeritas evitetur, & cervicosa contentio, quando, & ubi securior est, testibus Hieronymo, & Gregorio, pia dubitatio, quàm temeraria definitio. Potest igitur piè credi de Beata nostra, primò quòd credidit, & scivit mysterium benedicti Sacramenti, & antè institutionem, & post, immò & dum instituebatur, licèt præsens fuisse non credatur, nec tunc communicasse Sacramentaliter; potuit attamen tunc spiritualiter, & antè, & post, effectum manducationis accepisse.

Discipulus. Edissere, qua ratione fieri potuerit illud, quod dicis.

Magister. Possum faciliter ex traditionibus Doctorum de triplici manducatione Sacramenti. Quidam Sacramentum manducant solùm spiritaliter; alii solùm Sacramentaliter; alii verò Sacramentaliter, & spiritualiter, utroque modo.

Discipulus. Usitata est hæc distinctio; sed ipsam per descriptiones elucida.

Magister. Manducatio Sacramenti solùm spiritualis, non Sacramentalis, fit per Fidem hujus Sacramenti, quæ per dilectionem operatur.

Discipulus. Sistamus hìc primò conquirentes, si spiritus Angelici dici possunt frui hoc Sacramento benedicto spiritualiter, quia constat eos frui Deo impletos bonis ab eo. Similis esset quæstio de Maria beata, quæ non jam fruitur per Fidem, sed per speciem claræ & immediatæ visionis, cum inhæsione perfectissima quietissimaque per amorem.

Magister. Respondet descriptio negativè. Non enim prorsùs idem est, *frui Deo*, & *frui spiritualiter hoc Sacramento*, licèt è converso quisquis fruitur spiritualiter hoc Sacramento, fruitur verè Deo. Deficit igitur in Angelis ratio manducationis Sacramenti, quià non ordinatum est nisi pro viatoribus hominibus; ideò rectè viaticum appellatur. Maria verò non modò, sed tunc, dum instituebatur Sacramentum, viatrix erat habens Fidem. De primo verò dicit Augustinus. *Crede, & manducasti*. Credidit Maria, propter quod & manducavit.

Discipulus. Sic videtur; transi nunc ad manducationem solùm Sacramentalem, describendo eam.

Magister. Sacramentalis manducatio duntaxat est actualis susceptio Sacramenti corporalis, cum informi Fide, sine Charitate.

Discipulus. Si ità est, confestim video sine multiplicatione quæstionum, quòd nec brutum, nec Angelus, nec infidelis, nec hæreticus, nec discredens hoc Sacramentum, comedunt hìc Sacramentaliter ipsum. Ratio perspicua est, quià Fide carent. Infantes vero baptizati, quia Fidem habent habitualem, seu Fidei Sacramentum, assumere possunt etiam Sacramentaliter, quia de spirituali constat propter habitum Fidei; alioquin quomodò verum esset generaliter illud verbum Christi: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Joan. VI. 54. Consequenter habetur, quid sit manducatio Sacramenti spiritualis, simul & Sacramenti spiritualis, si duæ præcedentes jungantur in unam.

A

Magister. Liberat nos à multiloquio prævolans ingenium tuum. Nunc accipe, qualis, & quàm frequentiùs fuerit manducatio Mariæ, præsupponendo pro dicendis, quòd in ipsa non minor fuerit Fides cum charitate circà figuras hujus Sacramenti datas in Lege Scripturæ simul & naturæ, quàm in aliis Patriarchis, & Prophetis, saltem post Conceptionem Jesu Christi.

Discipulus. Non dubito quin ex tunc non obscurior, sed clarior fuerit in ea fidelis cognitio cum charitate, præ ceteris Patriarchis, & Prophetis, immò & Apostolis. Quicquid sit de illa positione, quòd ab utero fuerit in ea præventum rationis judicium, cum actuali operatione gratiarum, simul & virtutum. Sumunt argumentum ab exultatione Joannis in utero Matris. Adunt, quòd nec in somno cessabat operatio talis in actu mentis. Jungunt, quod omnia scivit tunc quæ beati sciunt, licèt non cum claritate pari. Sufficit autem ad rem nostram solidior positio, quam me dixi non ambigere. Deduc ultrà quod intendis.

B

Magister. Dignare me laudare te, Virgo sacrata, simul cum benedicto fructu ventris tui Jesu Christo; da de ligno vitæ dignos, ac salubres fructus carpere, sive excerpere; da theoremata digna promere, quorum sit hoc primum. Maria, sicut præ ceteris in via esuriit justitiam, sic præ ceteris puris viatoribus impleta fuit bonis, ex illo, in illo, & per illum qui est omne bonum, dicens ex sententia animæ suæ magnificanti Deum: *Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis desiderium tuum*. Ps. CII. 1. 5.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria, sicut præ ceteris in via cognovit, credidit, & intellexit figuras Legis, & Naturæ, Christi Sacerdotium præsignantes, sic in illis, aut per illas manducavit fruitivè benedictum fructum ventris sui, & spiritualiter ejus Sacramentum, undè exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo.

C

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria dum legebat David Patrem suum dicentem de Christo Filio: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, Ps. CIX. 4. qui scilicet panem, & vinum obtulit; ex tunc intelligebat, & manducabat spiritualiter hoc Sacramentum benedictum, undè cecinit: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. I. 46.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria psallens illud Davidicum: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se. Memor ero in seculum testamenti sui*. Ps. CX. 4. 5. Credebat, & intelligebat, hanc escam Sacramentalem figurari, & in figura comedebat eam, & testamentum sperabat hereditatis æternæ.

D

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria non minus refecta est, & impleta bonis hujus Sacramenti, quàm Patres antiqui, quos loquitur Apostolus I. Cor. X. 3. quod, *eamdem escam spiritalem manducaverunt, & eumdem potum spiritalem biberunt: Bibebant autem de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus*, qui *est verè panis, qui de cœlo descendit*. Joan. VI. 59.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria dum stans, vel orans in Templo, aspiciebat, credebat, & intelligebat omnes oblationes, victimas, & holocausta, sacrificia insuper matutina, & vespertina, manducans implebatur bonis hujus benedicti Sacramenti, etiam ante conceptum benedicti fructus ventris sui.

Dis-

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria sicut intellexit Filium suum fuisse agnum, *qui occisus est ab origine mundi*, prout Joannes in Apocalipsi *Cap.* XIII. 1. loquitur. Sic recolens sacrificium Abel, & ejus martyrium, fruebatur Christo agno, qui fuit figuraliter occisus in eo, primitiæ Martyrum, & virginitatis consecrator.

Discipulus. Consentio.

A *Magister.* Maria dum celebratur Phase, sive Pascha Judæorum, celebrabat & ipsius anima cum exultatione spiritus *Pascha nostrum*, quod *immolatus est Christus*, quem epulabatur *in azymis synceritatis, & veritas, fermento veteri* rejecto cum *fermento malitiæ, & nequitiæ.* 1.Cor.v.7.8.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria quocunque loco fuerit corporaliter in vespere cenæ Domini, comedit antè, & post institutionem hujus Sacramenti verum Corpus, & bibit spiritualiter verum Sanguinem Filii sui plus appropriatè, dum illud Judas comedit solùm Sacramentaliter, si Fidem informem tunc habuit, aliter non. Ceteri verò tam spiritualiter, quàm Sacramentaliter, receperunt.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria vespere dictæ cenæ dicenda fuit frui Corpore, & Sanguine Filii sui plus appropriatè, quàm ipse Christus; dicitur se cibasse eodem pane, B & vino, mysticè consecratis, quia non in Fide, sed in clara visione, nec in augmentum Charitatis seipso fruitus est.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria dicto vespere Jovis Sancto, etsi non fuit insignita charactere Sacerdotalis officii, dùm Judas illum susceperit, nihilominùs nunc, & anteà, & postmodùm fuit in Regale Sacerdotium præ consortibus suis inuncta; non quidem ad consecrandum, sed ad offerendum hanc hostiam puram, plenam, & perfectam, in altari cordis sui, in quo semper ignis ardebat holocausti. Fuit enim rubus ardens incombustus.

Discipulus. Consentio.

Magister. Maria plus complacuit Deo, plus humano generi profuit post Christum benedictum fructum sive Filium suum, offerendo ipsum spontaneè in holocaustum in ara cordis sui, ferventissima charitate succensi, quamvis hoc primitùs fieret in ænigmatibus, C & figuris ante cenam hanc benedictam fructus ventris sui.

Discipulus. Consentio. Sed ecce numerasti quasi fructus duodecim ligni vitæ, quod in paradiso viderunt Ezechiel, & Joannes transplantatum juxta decursum fluvii defluentis à sede throni Dei, & agni, secundùm ripas duplices à dextris, & à sinistris. Dixisti de sinistra figurarum in Lege naturæ, & scripturæ veteris, notatarum. Adde si vis totidem ex dextra fructus veritatum in Evangelicis historiis completarum, maximè quia dixit Apostolus, Sacramentum Christi absconditum fuisse à seculo, *Ephes.*III.9. sed in Ecclesia & ab Ecclesia propalatum.

Magister. Dictum Apostoli non ita strictè accipiendum putaveris, ut non aliqualiter fuerit ab aliquibus intellectum, quippe sine cujus Fide implicita, vel explicita nunquàm fuit salus. Non tamen fuit antè Legem gratiæ, sicut in ipsa realiter exhibitum, seu com- D pletum. Faciam igitur quod hortaris. Et sit theorema primum.

Jesu, tua fruitio esurientes replens bonis, virtuosiùs affecit Mariæ spiritum, quàm corporalis contrectatio & lactatio suavissima tuiipsius, qui es benedictus fructus ventris sui. Ratio, quià cum majori merito, undè exultavit spiritus suus in Deo salutari suo.

Discipulus. Consentio.

Magister. Jesu, tua fruitio, seu manducatio, esurientes replens bonis mirabilior fuit, & virtuosior, suo modo in Maria, simul & virginali sponso suo Joseph, quàm sola contrectatio, vel visio corporalis, dùm natus es in Bethleem Judæ, dum reclinatus super fenum jacuisti in medio duorum animalium in præsepio, quasi pabulum jumentorum. Et certè *comparatus est homo jumentis insipientibus*, Ps. XLVIII.13. quibus dedisti cibum, & ad quorum vilia, & sordida corda sæpè venis, concinentibus cum Ecclesia choris Angelorum: *Gloria in altissimis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II.14.

Discipulus. Silentio meo deinceps consentire videar, ubi nihil addidero.

Magister. Jesu. Tua fruitio præsentabatur Mariæ, & Joseph in Circumcisione, quando primò fudisti pretiosum sanguinem tuum, non dubium, cum clamore valido & lachrymis, undè tunc exauditus es pro tua reverentia. Jesu. Tua fruitio figurabatur in oblationibus trium Regum pro primitiis Gentium, quam tunc figuram intelligebant Joseph, & Maria confitentes in corde suo sicut orans postulabat Ecclesia, *ut quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur.* Jesu. Tua fruitio fuit ipsi Simeoni qui *justus erat & timoratus*, Luc. II.25. simul & Annæ Prophetissæ cum parentibus tuis in exultatione spiritus, & gratiarum actione cognita, dùm exclamavit Simeon benedicens Deum, & inter ulnas te puerum bajulans: *Nunc dimittis &c.* Luc. II.29. Denique in oblatione, & immolatione turturum, aut pullorum columbarum cognoscebant oblationem tuiipsius in cruce signatam. Jesu. Tua fruitio fuit in Maria, & Joseph per illud universum peregrinationis septennium, dùm prætereà fuisti ipsis subditus, stans in medio sicut qui ministrat, tàm in domus obsequio, quàm in fabrili fortassis opificio. Undè dictus es à Judæis nedum *fabri Filius*, sed *faber*, Matth. XIII.55. &. Marc. VI.3. mansisti usque ad tempus, dum eras, *quasi incipiens triginta annorum*, ut putabaris, *Filius Joseph.* Luc. III.23. Jesu. Tua fruitio gustabatur jam à Maria, & ab Apostolis credentibus, dum prædicasti hoc Sacramentum, & dum abeuntibus aliis quæsivisti à remanentibus: *Nunquid & vos vultis abire?* Joan. VI.68. Respondit Petrus illuminatus intùs à Patre, fortassis & à Matre tua astante nutibus, ac signis admonitus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credimus* ℣. 69. hoc primò: de hinc *& cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.* ℣. 70. Jesu. Tua refectio, dùm Maria recepit Ecclesiæ Sacramentum etiam Sacramentaliter, maximè post adventum Spiritussancti, quando cœpit hoc Sacramentum frequentari, fuit admirabilior suo modo, quàm maternalis generatio Verbi Dei. Hæc enim fruitio Sacramentalis ponit generationem Verbi Dei & aliud multùm ultrà in admirationem, & utilitatem omnium, à progenie in progenies timentibus eum. Jesu. Tua fruitio Sacramentalis fuit ministrata Mariæ viatrici (sicut piè credi potest) nedum à Joanne custode, nedum à Petro Vicario tuo, & totius Ecclesiæ principali; verùm etiam à Diaconibus septem constitutis ad hoc ipsum, inter quos primus fuit Stephanus, immò & à quolibet passim Sacerdote sine distinctione, quia sic exigebat humilitas Mariæ singularis, dum attendebat opportunum tempus, & locum. Jesu. Tua fruitio Sacramentalis, quâ Maria impleta est bonis, exemplar erat, & est omnibus fidelibus quòd esuriant hoc Sacramentum, & impleantur bonis ejus cum Fidei certissimæ firmitate, quæ Spem, & Dilectionem operatur. Denique quòd non in vanum, vel omissionem, & contemptum, gratiam hanc idest Eucharistiam suscipiant. Jesu. Tua fruitio Sacramentalis implevit Mariam priùs bonis, quàm obiret, idest obviam tibi Christo iret, & assumeretur in cœlum. Nec abhorret à pietate Fidei, quia tu benedictus fructus ventris sui totus festivus adveniens dederis sibi (sicut postmodùm Dionysio in carcere) mysterium hoc corporis, dicens: Accipe hoc, chara mea, quod mox complebo tibi in regno meo una cum

Patre

Patre meo. Jesu: Tua fruitio nunc est Matri tuæ regnanti in patria copiosior, & avidior, quasi impletio, & toto ore dilatato, sed suo modo videtur fuisse mirabilior in via. Ratio, quia difficilior, & in augmento meriti propter ænigma Fidei major.

Discipulus. Consentio.

Magister. Congaudeat igitur, & exultet semper Ecclesia, cum jocundo pignoris amorosi consolata dono. Ecce enim *Emmanuel*, id est, *nobiscum Deus,* Matt. I. 23. quàmvis & absconditus, quamvis velatus, tamen verè Deus. Complevit denique, quod ascendens promisit: *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi*; Matth. XXVIII. 20. neque jam est, aut fuit, *alia natio tam grandis qua habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis*, & certè ipsi non sunt dii.

Discipulus. Stupeo totus mecum, & admiratione suspendor, undè talis, qualiter, & cur hæc gratia, hæc Eucharistia, hæc bona gratia.

Magister. Mirari te ad infinita nolo, qui sicut voluit, scivit, & potuit. *Omnia enim quacunque voluit, fecit.* Ps. CXIII. 3. & quæ fecit, benè fecit. *Vidit enim cuncta, quæ fecit, & erant valdè bona.* Gen. I. 31.

Discipulus. Cur hanc mihi causam inducis, quæ generalis est ad omnia; vellem, ut ad particularem, & proximiorem causam hujus Sacramenti descenderes.

Magister. Si hæc in primis tibi causa non sufficit, neque si mille alias assignavero, poteris contentari, nec ad intelligentiæ lumen ascendes. Et hoc dictum sit universaliter pro omnibus Articulis Fidei. Verùm siquidem *credere oportet accedentem ad Deum, quia est*, Heb. II. 6. & quia mentiri, aut fallere, non potest. Sed in hoc Sacramento præcipuè requiritur firmissimum Fidei fundamentum; alioquin quicquid rationis inductum fuerit, plùs offendet, & obruet, quàm ædificet, vel ostendat.

Discipulus. Credo sicut Ecclesia credit.

Magister. Sta firmus in hac certitudine verborum, & securus es; aut si compendiosiùs agere vis, dic ex toto corde Christianus sum.

Discipulus. Fiat assiduè, Domino propitio.

Magister. Quid igitur ultrà petis, quid exigis?

Discipulus. Sanè cupio utrumque intelligere quòd credo, tum ad consolationem meam, tum ad aliorum Catholicorum fortassis ædificationem, simul & hæreticorum confutationem.

Magister. Causæ placent, si tenueris illud Apostoli: *Non plus sapere, quam oportet.* Rom. XII. 3. *Sunt enim divisiones gratiarum.* I. Cor. XII. 4. Ambulet unusquisque igitur, *prout ei divisit Dominus mensuram Fidei.* Rom. XII. 3. Hoc in expositione, vel intellectu sacrarum Scripturarum; hoc universaliter in omnibus operibus Dei considerandis observare necesse est. Quod quia Philisophi non fecerunt, erraverunt in vanitatibus suis, & *obscuratum* factum *est insipiens cor eorum.* Rom. I. 21. Similiter & sectæ omnes hæreticorum datæ ob hoc *in reprobum sensum.* ℣. 28.

Discipulus. Dabit Deus meliora nobis, qui credimus, ut intelligamus; non intelligere volumus, ut credamus.

Magister. Præposterus esset ordo nedum in Theologica, sed omni generaliter disciplina, noviter accedentium ad discendum. Hoc Pythagoras, hoc Plato, hoc Sancti Patres pro Cænobiis, hoc omnis Schola, non discola canit; hoc rursùm absurdum est à docentibus, nec dent *sanctum canibus*, nec spargant *margaritas antè porcos*, Matth. VII. 6. ne non ædificent, sed destruant, memores illius Sapientis: *Qui erudit illusorem, ipse sibi injuriam facit.* Prov. IX. 7. Fuit notus mihi quidam scholasticus habens devotionis spiritum. Ingesti sunt animo suo scrupuli multi quæstionum circà benedictum hoc Sacramentum.

Petebat instantiâ continuâ dissolutionem dubiorum suorum à maximis Theologis, quos noverat Parisiis; quid morarer enarrando per singula? Crescebat morbus ex remediis, & sicut de hæmorrhoïssa legitur, pejus in dies se habebat ex remediis, & impensis. Consulit tandem unus expertorum, ut ad orationem totum se converteret, & contrà scrupulos omnes ageret suscipiens Sacramentum, dicens hæc, aut similia verba: *Credo sicut Ecclesia credit.* Credidit, & accessit, serenatus est, & solidatus, nec parum illuminatus deinceps circà venerationem hujus Sacramenti.

A

Discipulus. Novi & ego illum.

Magister. Novi proindè, & expertus novi, nedum circà hunc articulum, sed in aliis variis consilium hoc habuisse similem effectum, quemadmodùm testatur Augustinus, quòd *ad unam vocem cesserunt omnes dubietatis tenebræ, & perierunt omnes quæstiones, quibus anxiabatur circà textum Apostoli.* Denique meminit alio loco, quòd *non satiabatur dulcedine mirabili considerare Dei consilium circa Redemptionem generis humani*; qualem denique postmodùm in omnibus Articulis Fidei nominatim in hoc se præstiterit, experta lætatur omnis Ecclesia. Hodiè maximè sub annuo solemnitatis suæ Festo, quo hæc scribimus.

Discipulus. Orandus ergo est Deus.

Magister. Credo, Domine, da intelligam quod credo; nunc quidem *ex parte, tunc autem facie ad faciem*, I. Cor. XIII. 12. & perfectè oratum est.

B

Discipulus. Quid si noluerit exaudire dicens *Sufficit tibi gratia mea*, 2. Cor. XII. 9. quia credis. *Fides enim Dei donum est*, ait Apostolus, *ne quis glorietur.* Ephes. II. 8.

Magister. Sufficit itaque mihi: sed si ampliora mihi liberalitas sua concedere voluerit, non abjiciam, nec ingratus recipiam; alioquin deneget, aut tollat omnem in caligine peregrinationis hujusmodi intelligentiæ collustrationem; *sit lucerna pedibus meis* solum Fidei *verbum*, Ps. CXVIII. 105. & *lumen semitis meis*, potiùs, quàm cum claritate majori, *manus peccatoris* per superbiam aut curiositatem *moveat me.* Ps. XXXV. 12.

Discipulus. Placeat hoc humilitatis fundamentum.

Magister. Nunc si vis videre Jesum, oportet, quia statura pausillus es, & turbæ phantasiarum te comprimunt ut ascendas in arborem sicomorum exemplo Zachæi; simul obedi sapientiæ, quæ post præparationem hujus Sacramenti sub typo immolationis victimarum suarum vocat ad arcem.

C

Discipulus. Explana quid per arcem intendis, & sicomorum.

Magister. Mentem tuam, & mysticam sapientiam.

Discipulus. Quo pacto sic?

Magister. Collige per interpretationem *sicomori*, quæ *ficus fatua* dicitur. Similiter & crede Dionysio dicenti, *sapientiam Dei divinissimam, stultam esse.* Si quidem & Apostolum audi: *Quod stultum*, inquit, *est Dei, sapientius est hominibus.* I Cor. I. 25. Et iterùm: *Qui vult sapiens esse, stultus fiat.* I Cor. III. 18. Hic titulus Scholæ hujus stultitia est, tradente Lactantio. Audi Apostolum: *Prædicamus Jesum Christum, Judæis quidem scandalum, Græcis verò stultitiam*, I. Cor. I. 23. sed *quod stultum est Dei sapientius est hominibus.* I Cor. I. 25.

Discipulus. Cur ea quæ communia sunt pro tota Fide Christiana, nunc inducis ad singularem materiam, quam tractamus?

D

Magister. Ratio in promptu est, quia nulla videtur apud sapientes hujus sæculi major, nulla absurdior stultitia, nullaque magis infatuat sensus carnis, & exteriùs, interiùs, quàm hæc sapientia Dei. Cognitum est, quid latrator iste demens evomuerit adversùs Leges omnes, quòd malæ sunt; Christiana verò pessima, quæ Deum suum quotidiè comedit.

Discipulus. Cùm tot nefandæ Leges fuerunt, & horrendæ dantes in sacrificium, & epulas homines vivos; immo filios proprios, & filias, cum aliis innomi-

minabilibus portentis vitiorum, colligo. quantum, qualeve scandalum, & ruinam maledictus iste sibi suscitaverit adversùs hoc benedictum Sacramentum.

Magister. Sic refert Lyra de Judæis, quòd idololatras nos exindè pessimos execrantur. Facit ad hoc historia Judæi bullientis, & transverberantis hostiam consecratam Parisiis; sed miraculum confutavit illum aliosque convertit.

A *Discipulus*. Nota loqueris. Ad quæsita nunc accede, causam aperiens ad intelligentiam, cur ita Deus fieri voluerit, qui omnia fecit in sapientia.

Magister. Respondet Apostolus quòd *quia in Dei sapientia mundus eum non cognovit, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* 1. Cor. 1. 21.

Est autem hæc stultitia prædicationis, quòd Deus potest alia facere quàm fecerit, aut facit, pro liberrimo suæ voluntatis arbitrio. Hoc enim Christianæ Religionis fundamentale principium; quo concesso, subvertitur, & corruit funditùs omnium Philosophorum radicale principium.

Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit, Ps. cxxxiv. 6. ait Christianus. Omnia quæcumque fecit Dominus, dicit B Philosophus, necessariò fecit, nec aliter, aut aliàs, facere potuit.

Discipulus. Pridem recensui mecum, quia non potest tradi capitalior diversitas inter Fidem, & Philosophiam. Nam posito Philosophiæ fundamento, sequitur necessariò, mundum nunquàm incœpisse. Sequitur, animas humanas vel esse infinitas, vel esse unicam, ut delirat Averroïs; vel migrare de corporibus in corpora per infinitas revolutionum vices, ut somniabant Pythagoras, & Plato, & sequaces; aut quòd anima rationalis mortalis est. Quodcunque verò concessum fuerit ex altero quatuor horum modorum, tollitur consequenter omnis pia Religio.

Magister. Verè colligis. Nunc oculos tuæ considerationis Fide purgatos converte ad Beatam Beatarum Mariam, perpendens apertè, quàm verum sit illud Ecclesiæ laudantis eam præconium: *Gaude* C *Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo*, Philosophorum maximè.

Discipulus. Quo pacto sic?

Magister. Nimirùm quia Verbum verbo Virgo concepit, virgo permansit; hoc nos credimus, ipsa per experientiam intellexit. Nihil verò scitur verius quàm doctrinæ experientiâ. Hanc solam habere ducem, & magistram, professi sunt Philosophi. Siquidem tolle certitudinem experientiæ, tolles veritatem ejus, subvertitur pariter omnis philosophantium via, vel investigatio veritatis. Tollitur verò falsa, vel insufficiens experientia, quam opinati sunt Philosophi habere generalem quòd ex nihilo nihil fit; quòd non nisi commixtione sexuum homo fit; quòd Deus nec hominibus, nec corporibus cohabitat, cum ceteris sine numero, quæ omnia partus per Virginem nostram expertus falsificat, & confundit.

Discipulus. Habebatne Maria rationes alias ab hoc unico partûs experimento?

D *Magister*. Habebat profectò per spiritum Propheticum, tàm suum, quàm præcedentium Patrum: qui spiritus, apertissima luce super omnem rationem, vel demonstrationem haberi naturaliter possibilem, veritates nostræ Fidei certissimè revelabat, & ad intelligentiam collustrabat.

Discipulus. Quid, quæso, dixeris? An Beata nostra videbat verum Corpus Filii sui, dùm ipsum Sacramentaliter consecratum sumebat?

Magister. Si de visione sensuali quæris; nec ab oculis ejus in via, neque nunc in patria corporaliter percipi potest, ut hîc est. Intelligi verò, sicut & credi verè potest, sicut nec spiritus oculo.

Discipulus. Confundit hæc intellectualis experientia sapientissima stultum Philosophiæ principium velut in omnibus. Sed eratne altera ratio Mariæ contrà Philosophos, quàm per revelationem, aut Fidem?

Magister. Erat profectò, quamvis rationem hanc etiam ex naturalibus & Metaphisicis officinis, & nostra Fides plurimùm juvaret, & illustraret.

Discipulus. Affer, obsecro rationem, vel Moralem, si habes, vel Metaphysicam, vel Mathematicam, vel Logicalem, vel Legisticam, secundùm tres partes Philosophiæ.

Magister. Animadverte in primis veritatem unam, quâ salubriorem, quâ solidiorem, nullus unquam Philosophorum legitur posuisse nullus rectè philosophantium traditur vel nescisse, vel negasse.

Discipulus. Papæ! dic, quæ sit illa, & si Theologiæ consona sit?

Magister. Consona planè. Est autem hæc veritas: *Quicquid fit, fit propter finem.*

Discipulus. Legi eam in Physicis, & Metaphysicis. Ab Aristotele legi, ab Avicenna, legi à Commentatore, & Algasel, cum ceteris, sub hac sententia variè demonstratam. Nec vox ulla experientiæ consonantior invenitur; sed quid ad rem nostram?

Magister. Multùm per omnia. Primò, quia consequenter oportet ut secundùm experientiam, vel exigentiam finis, ceteræ omnes causæ tres habeant moderari, sicut efficiens causa, sit illa principalis, instrumentalis, aut coadjuvans. Iterùm materialis causa, sit illa prima, vel secunda, vel tertia. Rursùs formalis causa, sit illa constituens, informans, inhærens, aut solùm exemplaris, aut objectaliter, seu vitaliter immutans, de quibus non est differendum per singula, sufficit applicare proposito.

Discipulus. Sufficiat, dum primitùs ostenderis, veritatem hanc Theologiæ conformem esse.

Magister. Non potest ad præsens efficacius exemplum sumi, neque sublimius quàm in constitutione prima Hierarchicæ politiæ, ubi Seraphin superiores collocantur, & immediatiores Deo, quia bonitatem, & amorem Dei proximiùs inspiciunt, quæ bonitas, & amor finis est omnium aliorum. Ad Cherubin verò causa formalis, vel exemplaris spectat; sicut efficiens ad potentiam in Thronis designata.

Discipulus. Lego exemplum hoc à Dionysio traditum, simul & deductum.

Magister. Nunc verò solerter attende pro re nostra demonstrationem moralem. Primò à fine pro stultitia nostra contrà mundi sapientiam, quæ more Goliath jugulatur ense suo. Portat insuper litteras (ut Urias) mortis suæ. Si enim cuncta facta sunt propter finem; homo (cum bona gratia Philosophorum, si sunt homines) non erit excludendus. *Nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?* Psal. lxxxviii. 48. Quærit Propheticus Philosophus hoc à Domino, sicut impossibile. Est igitur hominum finis aliquis, & hic quidem superior ad bruta omnia, quemadmodùm præcellit ea ratione qua Dei capax est, & particeps esse potest per cognitionem, & amorem cum memoria. Mentior, si non Aristoteles inchoaverit duos Libros ab hoc puncto, secundùm duplicem vim animæ rationalis, voluntatis scilicet, & intellectus *In Ethicis*: De voluntate: *Omnia*, inquit, *bonum appetunt. In Metaphysicis*: De intellectu: *Omnes*, inquit, *homines natura scire desiderant.* Colligatur acriter utrobique consequens deductio, quid aliud invenimus conclusum, quàm homines factos esse ad beatitudinis, seu ad felicitatis, consecutionem?

Hæc autem consecutio nequit haberi (sicut proximò dicebatur) si omnia de necessitate eveniunt, utique necessariò, si Deus necessariò agit ad extram; quia

quia nulla causa secunda est non sibi essentialiter subordinata. Sed neque potest ulla beatitudo manere, si homines vel infiniti ponuntur actu, vel finiti sub uno intellectu, vel per mortem totaliter deficientes, aut de belluis ad belluam, secundùm animam regirantes.

Discipulus. Urget vehementer moralis hæc ratio, communes habens pro omni secta causæ partes. Dic Logicalem rationem.

Magister. Accipe simul cum Metaphysicali pro majori, solidiorique compendio. Pono istam: *Deus est, quo majus cogitari non potest.* Debet eam Logicus admittere; quoniam ex ejus concessione nihil sequitur impossibile. Debet & eam Metaphysicus acceptare qui ponit, Deum esse primum in entibus; immò super omnia, quo nullum majus esse potest, quia jam si esse posset, esset, cùm in necessariis non differant, *esse* & *posse*, secundùm Aristotelem, & veritatem. Pono consequenter utrique Logico & Metaphysico: cùm Deus sit optimum, & summum in rebus, & super omnia, dicetur rectè, & erit ens universaliter perfectum. Et, ne processum impediat vel nominis æquivocatio, vel ignorantia, voco ens universaliter perfectum, cui nulla deest perfectio, nec imperfectio ulla adest. Et hoc Anselmus sic explicat: *Ens cui convenit omnis perfectio*, seu potiùs omnis perfectionis denominatio, quæ melius est ipsum quàm non ipsum, idest unde res perfectior dicitur, & est simpliciter, si sibi conveniat illa denominatio perfectionis, quàm si careret illa.

Discipulus. Non video qualiter in hac descriptione entis simpliciter perfecti, debeat Logicus, aut Metaphysicus dissentire tibi, cum nomina sint ad placitum.

Magister. Vocamus ens tale Deum; immò jam non solùm vocamus cum Logico, sed ipsi Metaphysico apertè demonstramus, quoniam natura semper incœpit à perfectis; ideò necesse est quòd purus actus præcesserit omnem potentiam. Quid autem est purus actus, si non ens per se, & simpliciter dictum, sine additione quacunque. Et hoc utique concessum est ab omnibus, esse, & esse Deum. Nam si tale ens simpliciter dictum non est ens, quid aliud esse potest? Si Logicus resolvit definitiones suas ad aliquid primitùs intellectum; illud utique necessariò dicitur ens primum, & simplex. *Quicquid enim intelligitur*, arguit Bonaventura, *intelligitur vel ut non ens, vel ut ens.* Hæc divisio est per immediata, & in primo principio, scilicet ens, & non ens, cùm privationes, & negationes nequeant intelligi, nisi per habitum oppositum prius intelligetur ens, quàm non ens. Si autem ita est, oportebit quòd ens intelligatur altero modo, velut ens in potentia, vel ut ens in actu permixto potentiæ, vel sine potentiæ admixtione. Si istud secundum detur, habetur propositum, quia illud est Deus: oportet autem quòd ita sit, quòd potentia non nisi per actum cognoscitur, & quasi per analogiam. Et consequenter, ex Philosophi regula Logicali, si analogum per se positum ponitur pro suo significato principali, ita est prima vera necessaria, Deus est ens, concedenda, tàm à Logico, quàm à Philosopho Metaphysico, immò apud habentes veram terminorum illorum duorum notitiam, Ens & Deus, dicenda est per se nota non minùs, quàm primum principium.

Discipulus. Irrefragabiliter mihi videtur complecti, juncto quòd si ens in potentia prius dicatur intelligi, necesse est hoc fieri resolutivè per ens in actu; sed pergè consequenter.

Magister. Præcurro, tu sequere. Si Deo competit omnis denominatio perfectionis simpliciter, abjecta prorsùs imperfectione, cùm perfectiùs sit agere liberè, contingenter, extrà se, quàm necessitate naturæ; convenit hæc libertas Deo. Quamvis enim libertas contingentiæ non sit perfectionis simpliciter respectu finis; est tamen perfectionis respectu ordinatorum in finem, quando sine talibus mediis finis nedum haberi, vel acquiri potest; sed obtinetur necessariò, sicut est de Deo, cujus perfectio non dependet ab aliis extrà se; alioquin non esset per se sibi sufficiens; alioquin prætereà non posset esse beatus absque creaturis.

A

Discipulus. Fecimus ab inchoata Sacramenti Eucharistiæ materia digressum, plus mole sententiarum quàm verborum, gravidum; non tamen inutiliter, ad exaltationem stultitiæ Christianæ contra sapientiam mundanorum.

Magister. Quid si voluerimus traducere Mathematicam ad rem nostram?

Discipulus. Vide oro, quid agas, quia non habet Eucharistiæ Sacramentum æmulam acriorem, quæ per suas acribologias, idest demonstrationes potissimas, & per communes animi conceptiones oppugnare nos satagit. *Constat*, ait, *quòd si duæ quantitates juxta ponantur, & neutra alteram excedat, ambæ sunt æquales.* Iterùm: *si ab æqualibus inæqualia demas, quæ remanent sunt inæqualia. Totum est majus sua parte*, & ita de ceteris per se notis. Ecce verò clamat ista: Ecce corpus humanum solitæ quantitatis applicatur hostiæ parvulæ, nec tamen excedit, vel exceditur.

B

Magister. Esset utinam nobis intellectualis iste vigor elevatus super phantasiam, & imaginationem, quemadmodum fuit in Maria, perspicuum esset statim quòd adversùs hoc Sacramentum Mathematicæ positiones nihil concludunt. Possemus insuper ex diversis eloquiis filiarum Mathematicæ, quæ sunt Arithmetica, Geometria, Musica, Perspectiva, Astronomia, gratas accipere pro nobis manuductiones: sed ad compendium satis sit hîc explodere quæ objecta sunt per distinctionem, quid est quantitatem applicare quantitati. Aut hoc fit dimensivè, aut commensurativè, vel circumscriptivè; & ita Mathematicas conceptiones non negamus: aut applicatio fit tantummmodò definitivè, & non localiter; quemadmodùm anima rationalis applicatur corpori suo, tota in toto, & tota in qualibet parte, non localiter. Et super hoc nihil ad Mathematicam cui deest intellectualis oculus Fide purgatus, ut possit divinum hoc mysterium intueri. Debemus, quæso, Deum plus nosse, quam Mathematicus naturalis potest intelligere. Si filia ejus Astrologia potuit investigare (licet umbraliter, & imperfectè) Virginem beatam gestare in gremio puerum cœlitùs in signo Virginis, quem aliqui Jesum vocant (sicut testis est Albumasar) non abnegemus partum nostræ Virginis, quia talis decet partus Deum.

C

Discipulus. Omiseris ista pro nunc favorem Fidei sonantia, & ad defensionem propriam intende, docens quemadmodùm quantùm corpus alteri possit coaptari modo non quantitativo, quoniam exemplum de anima rationali nullum est verè; caret enim quantitate.

Magister. Fiat hoc per conversionem panis in Corpus Christi jam existens, accidentibus panis remanentibus, ita quòd jam corpus Christi non est hîc locatum in Hostia per dimensiones proprias, sed per illas quæ panem efficiebant. Et quia quælibet pars panis transsubstantiata est in totum Corpus Christi, propterea totum est in tota Hostia, & totum in qualibet parte, non plùs habens positionem ad locum dimensivam, quàm anima nostra.

D

Discipulus. Et si præsupponat hæc responsio tua rem valdè mirabilem, non tamen ita Deo impossibilem quin subsit sibi, cum voluerit, posse. Neque enim majus æstimo esse rem mutare in aliam per potentiam obedientialem creaturæ, quàm rem ex nihilo producere. Sed quid dicetur secundùm positionem illorum qui contendunt, panis substantiam remanere, tanquam sit facilior ad salvandum, hæc positio.

Magister. Immò verò difficilior, & hæreticalis; tùm quia damnata per Ecclesiam, tùm quia tollit veram existentiam Corporis Christi in hoc Sacramento. Non

Non enim remanet via, vel ratio salvandi veram præsentiam actualem Corporis Christi, nisi quia transsubstantiatus est panis in ipsum, sed salvatur modo dicto. Fallitur itaque Philosophorum, & Mathematicorum imaginatio, quasi totum corpus sit extensum, & extensivè sub dimensionibus Hostiæ, ita quòd propria quantitas sit ratio sibi essendi in loco, quasi propterea sit respectus ad locum, sicut est ad invicem partibus in toto; neque tamen dimensiones panis remanentes efficiunt Corpus Christi, vel inhærent sibi, sed per se stant ab omni corpore separatæ. Undè sicut dicimus nos Petrum videre, dùm videmus sua accidentia, vel figuram; ita dicimus, nos videre Corpus Christi, dùm videmus accidentia panis illius, qui in ipsum transsubstantialiter conversus est.

Discipulus. Causam aperis, cur prædictus error, dùm putatur esse facilior, destruit totam Fidem hujus Sacramenti de vera existentia Corporis Christi sub speciebus panis, quæ non solùm figurant, sed continent; alioquin si non continerent, non plùs esset Hostia adoranda, quàm petra deserti, quæ Christum figurabat. *Petra autem erat Christus*, ait Apostolus 1. Cor. x. 4. Sic de figuris omnibus aliis, sic de imaginibus, & picturis, & literis curreret argumentum. Denique nec Fides haberet meritum, nec veritatem Christi verbum, nec efficaciam ejus Sacramentum.

Magister. Addè quòd fieret injuria Prædicatoribus primitivæ Ecclesiæ doctis ab ore proprio Beatæ Virginis; sicut & Paulus asserit, se hanc veritatem à Domino accepisse. Possem adducere mira super hac Transsubstantiatione, monstrata per alia. Insuper manuducere Legis utriusque mira, exemplo Ambrosii promptum esset. Sed

Si sensus deficit
Ad firmandum cor sincerum
Sola Fides sufficit.

Discipulus. Sufficit mihi planè, quàmvis claritas intellectualis rationis addita sit: Deo laus, & gloria. Claret ex fine, quòd institutum est hoc Sacramentum, quatenùs ostenderet Deus immensitatem suæ potentiæ, incomprehensibilitatem suæ sapientiæ, inenarrabilitatem suæ benevolentiæ. Et hæc triplex ratio est potissima, quoniam in perfectione finalis causæ solidatur.

Propterea transfer te nunc ad declarandum copiosissimam utilitatem hujus Sacramenti, & postmodùm regredi poterimus ad ceteras quæstiones, si fuerint insinuati fructus (ô benedictissima Virgo) benedicti fructus ventris tui, undè crebrò cecinisti magnificans, cum exultatione spiritus ad supermentales excessus rapta: *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. I. 53.

Magister. Esuries in primis necessaria nobis est, si tantis quærimus impleri bonis.

Discipulus. Sic putandum. Sed quid impedit, aut quid inducit hanc esuriem, aperire paucis non postponas.

Magister. Scis quid obstabat filiis Israël, ne Manna saperet eis, sed verteretur in nauseam.

Discipulus. Murmur improbum, & ingratum, quia desiderabant carnes, allia, porros, & pepones Ægypti.

Magister. Caveamus similes fieri, gustatis quippè tàm vilibus Ægyptiacæ tenebrositatis escis, desipit omnis cibus spiritualis. Esuries itaque causatur ex evacuatione stomachi à noxiis humoribus; hanc verò paupertas spiritus facit. Exemplum habetur Christi crucifixi, non vult bibere vinum sæcularis delectationis, quia myrrhatum, quia felleum, quia acetosum est spiritui. Dicit cum Psalm. LXXVI. 4. *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.* Rursùs ipse timor Domini reverentialis, obediens, & humilis, operatur esuriem sanctam, quia sanctam à sæculo inanitatem. Mititas præterea cum pietate tollit virus amarissimum rancoris, & invidiæ. Scientia verò cum luctu purgat, & abluit vasculum cordis à symptomatibus, & foetoribus præteritorum criminum. Confertur perindè fortitudo sanitatis in spiritu, undè consurgit esuries, & sitis justitiæ. Et ubi justitia, si in hoc defuerit Sacramento? Denique postquàm dixerat Propheta de malè habentibus: Ps. CVI. 18. *Omnem escam abominata est anima eorum.* Addidit, *clamaverunt ad Dominum.* Sequitur: *Misit verbum suum, & sanavit eos de interitionibus eorum.* Et quomodò sanavit? nisi quia fastidio pereuntem recreavit appetitum. Ideò
A sanavit, quia *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei*, Matth. IV. 4. At ubi mittitur istud verbum præsentaliùs alibi, quàm apud hoc Sacramentum? Desit igitur iners desidia, quæ sibi noxios ex indigestione humores attulerat, cùm per exercitium calor non acuitur in spiritu, sed languescit. Adsit tandem masticatio per integros, & fortes meditationis sanctæ dentes, quo fiet ut cibus ita ruminatus plùs sapiat, plùs appetatur, ac perindè plùs nutriat.

Suffecerit hoc pro præsenti dramate Psalterii Mariæ super hac chordula: *Esurientes implevit bonis*, per Notulas centum. Porro supersunt longè plura, quæ certis ex causis censeo convenientiùs per soliloquium, quàm per alloquium nostrum meditanda esse, vel, quantùm nostra Psaltes impetraverit, contemplanda. Tu interim, Frater, tecum habita; postmodùm fiet, dùm reditus erit nobis ad commune colloquium, doctrinalis apertio super omnibus in soliloquio personatis.

B *Discipulus.* Longanimis expectabo.

SECUNDA PARTITIO
PER
SOLILOQUIUM
MULTA VARIETATE DISTINCTUM.

Et sunt in eo particulæ quasi natulæ cantabiles centenæ, vel ultrà, pro loco peregrinationis meæ.

MAGNIFICAT *anima mea Dominum.* Luc 1. 46.

Dùm clauso hortuli nostri florentis ostiolo
C vacamus à sæculo; dùm nullus obstrepit alienus, loquar nunc ad cor tuum. Dicam: Magnifica, precor, anima mea Dominum. Magnifica, quoniam magnificè fecit. *Esurientes enim implevit bonis.* Dedit nobis *panem de cœlo verum* sub umbraculo Sacro-sancti Eucharistiæ Sacramenti; dedit & nobis abundè omnia ad fruendum in hoc benedicto fructu ventris tui, ô benedictissima feminarum. Fas tibi est, ò anima mea, fas gloriari, & ex toto dicere: *Sub umbra illius quem desiderabam sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. II. 3. Sede igitur solitaria, sede, & sile, & leva te super te, sede per quietem, non per torporem, Deus implebit desiderium tuum in bonis. Desiderabas dilectum ex dilecto, dilectum per amorem amorosissimum: ecce sub umbra istius sedes, sub sacris Eucharistiæ symbolis; os aperi per aviditatem devotionis, & attrahe spiritum charitatis, *dilata os tuum* Ps. LXXX. II.
D per desiderii fervorem, ipse secundùm promissum suum implebit illud. Et quibus implebit? Planè fructu ejus, qui dulcis erit gutturi tuo. Sit, ô anima mea, guttur tuum, sicut dilecti tui, suavissimum. Noli cadere in maledictionem talium, quales Propheta detestatur: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Ps. V. II. Cave foetores horridos exhalare criminalium sepulchrorum. Noli scatere tetris detractionum, aut quarumlibet spurcitiarum cadaverosis fœditatibus, & vermibus. Sit purum, sanctum, nitidius oleo lætitiæ guttur tuum, sit vinum optimum, dignum dilecto ad bibendum, & labiis illius; & detentibus ad ruminandum. Experieris certè vicissitudinem dilecti, quia

quia dulcis est gutturi tuo fructus ejus. *Cant.* II.3. Fructus iste, si nescis, ô anima mea, fructus est trium seminum. Tricesimus incipientibus, sexagesimus proficientibus, centesimus perfectis. Seminatus fuit in terra, non exculta, vel aperta; sed fuso tantummodò imbre cælitùs, cum voto Spiritus sancti, vivificoque A calore; decoctus fuit meridiano sole Passionis, datur tibi nunc velatus nebula. Dixit Sapiens, quòd *in festinatione nebulæ est omnium medicina.* Eccli. XLIII. 24. Suscipe lætantem, sede vacans tibi, & sibi soli, senties affirmo, quid sapiat verbum illud: *Et fructus illius dulcis gutturi meo.* Cant. II. 3. Gustabis itaque, ô anima mea, quoniam suavis est Dominus; gustabis bonum verbum ejus, & virtutes futuri seculi, credes Sapientiæ de se illa præconizanti: Eccli. XXIV. 27. *Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel, & favum.* Curres post exhortationes. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* ℣. 26. Surge propterea, ô anima mea, curre: ecce trahit te dilectus tuus post se. Trahentem sequere, securè sede sub umbra sacrorum Eucharistiæ velaminum. Experieris sanè, gratulabundaque cantabis: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Cant. II. 3. Gustato fructum dulcis B amici tui. Quid superest, ô anima mea? Quid dicis? Quid speras? Quid gemis? Accipio furtivè venas susurri tui, clamans introrsùs cum silentio: *Sitio.* Introducat *me Rex in cellam vinariam*, post cellaria fructus sui. En ipse est vitis vera, cujus vinum generat virgines, nec solum generat, sed impraegnat. Det ipse vinum illud, det bibere sobriam ebrietatem spiritus. Introducat *me in cellam vinariam.* Quid tibi vis, ô anima mea? Dudùm dixisti post petitum osculum oris sui: Cant. I. I. *Meliora sunt ubera tua vino.* Et iterùm: ℣. 3. *Memores uberum tuorum super vinum.* Cur non vinum petis? Sed pro te mihi respondeo, quoniam ipse tibi est lac, & vinum, siquidem & ubera ejus sunt botri vineæ: loquitur quoque: Cant. V. I. *Bibi vinum cum lacte meo.* Vocat insuper: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini, charissimi.* Doctè facis, ô anima mea, invitata non abnegas, non dissimulas, non causaris. Dulcis fuit fructus C ejus gutturi tuo; quæris sitiens & vocata bibere vinum divinæ suavitatis post ubera consolantis humanitatis; petis impleri quod sequitur: Cant. II. 4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Quid agis, anima mea? Quænam hilaritas vultus? Quis tremulus, & honorus oculorum nitor? Quisnam omnis gestus, omnis alacritas, lætitia, simul & voluptas? Quid siles? Quid quasi spasmata stupes? Verè cognosco, quia *introduxit* te Rex *in cellam vinariam, ordinavit in* te *charitatem*; immò charitate vulneravit te; immò charitatem, si dici potest, sicut sine modo, sic sine ordine dedit. Hinc modus dilectionis tuæ non habet modum. Hinc tota liquescens, tota collabens, tota te non sustinens, suspirabunda susurras: Cant. II. 5. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*, quia vulnerata charitate ego sum. Meditor ego mecum dummodò te talem inspicio (O tristis nuper, anxia, & pauper anima mea) quanta, & qualis sit hæc dextræ Dei sponsi tui mutatio, mirans & ego tecum recognosco. Itaque libet D exclamare: O quam bonus & suavis est Domine Jesu Christe spiritus tuus, quàm vivus & efficax sermo oris tui, qui in cenaculo grandi strato Ecclesiæ tuæ Sion, panem & vinum corporalis edulii converterit in fructum, lucem animarum, Corporis, & Sanguinis tui. Siquidem sermo ille, *verba* ista quæ locutus es, *spiritus & vita sunt.* Joan. VI. 64. Verè *spiritus & vita*; undè & vitæ talis effectus est exortus in te, ô anima mea? Quid reliquum est, ô anima mea? fulcita es floribus sanctorum desideriorum, stipata malis ordinatarum affectionum sub expectatione futurorum præmiorum. Video, quàm benè tibi sit, non deserit te collabentem dilectus tuus. Indicat hoc tuum velut auræ tenuis suspirium: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. II. 6. Ecce jam fructum edere non quæris suavem gutturi tuo, non *cellam vinariam* introire, non fulciri *floribus*, non stipari *malis*, sed tota in totum lapsa, & collapsa, tota complexu suavissimo, serenissimo & casto, in ejus sinu consopita quiescis. O quàm beatus, & efficax, & felix est cibus iste fructuosus! Vinum est vivacissimum Corporis & Sanguinis tui, Christe Jesu. Undè talis comparatur effectus, talis refectio, talis dormitio, quies talis *in pace in idipsum.* Ps. IV. 9. At verò quàm brevis hora! Dic, obsecro te, benigne Jesu (sic enim innuere videtur anima mea) dic per amores tuos quod sequitur: ℣. 7. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* O quàm benè sibimet, & mihi excidit, *sive excedimus, Deo*; verbum, ô Paule, summa suavitate refertum; *sive sobrii sumus, vobis*; 2. Cor. V. 13. verbum heu ærumna miseriæ repletum quia *repletur homo multis miseriis*, Job. XIV. I. dum redit ad se, dum redit ipse ad terram miseriæ, & tenebrarum ab illa, qua interim quiescebat in regione vivorum. Sic ô anima mea, suscitavit te vita immortalis, resorbuit te ad se pondus corporis. *Corpus* itaque *quod corrumpitur aggravat animam.* Sap. IX. 5. Languida prorsùs, & vulnerata charitate vigilas. Tu suspensa respectas undique, fortè redeat ad te dilectus tuus. Cujus adhuc calore tepet *lectulus noster floridus.* Cant. I. 15. Dirigis aures ad omnem sonitum vel flatum sensibilium auræ tenuis, si fortè audiatur in silentio vox optata dilecti tui. Fallor, aut in somnis vigilo, si non ità res se habeat: non enim poterit zelotes amicus minùs amare, quàm amica non impar esse ad amoris vicissitudinem. Non audio clamantem: *Vulnerasti cor meum, soror mea.* Cant. IV. 9. Quid igitur? Considerans ego amorem sponsi in celeri reditu, laudo pariter vigilantiam sollicitudinis tuæ, ô anima. Et erat adhuc de longè *saliens in montibus, transiliens colles*, Cant. II. 8. alacer, & hilaris canticans præ amore. Sensisti continuò distantis adhuc vocem & exultationem. Exilisti illicò tremefacta, & dixisti: *Vox dilecti mei*: est supplendum, quam audio. Vox sonora, cujus auditu resurgunt mortui, nam *qui audierint vivent.* Et nonne te mortuam indicas, ô anima, aut certè mortuæ similem, dùm amicus abesse putatur? *Non avertas*, inquit Propheta, Ps. LXVIII. 18. *faciem tuam à me.* Dat rationem precis, quia *similis ero descendentibus in lacum. Vox* autem *Domini* dum *super aquas*, & *aquas multas*, Ps. XXVIII. 3. phantasticarum, fluctantiumque curarum sonuerit, fit confestim, ipso jubente, tranquillitas; facit inhabitare diluvium tale fluctivagum, illic sedens, illic virtutem populo suo spiritali dans, & benedicens in pace. Sed & intercidit flammam ignis illecebrosæ tentationis, vitulosque petulantis superbiæ, licet Libani, id est, candidati, videantur sub colore boni, concidit, obruit & conterit, hæc est vox dilecti.

Verùm quid agimus? Quorsùm anima, quorsùm abripimur? Referam ego tecum secretè inter nos alloquia tractare de fructu vitæ, de pane, *qui de cœlo descendit*, Joan. VI. 59. & dat vitam mundo: vox exhortationis meæ hoc dederat initium: Magnifica nunc anima mea Dominum, subjunxeram quasi pro causa, vel theoremate dicendorum, quia *esurientes implevit bonis.* Sed ignoscendum est, danda venia sobriæ ebrietati, quam cella vinaria propinavit, immò verè jam veniâ nil opus est, quia digressio nostra probationem intimiorem operatur, ostendens in hoc nostro Sacramento: *Esurientes implevit bonis.* Et sic implentur, ut plenitudinem non capiant, desiliant quasi ruptis lagunculis virium omnium; titubant quasi quis crapulatus à vino pondere plenitudinis spiritus; tandem resident & quiescunt in idipsum. *Pondus meum, amor meus.* Dic si potes, quantis bonis impleta est, cujus oportuit caput à læva dilecti suscipi, & levari. Hic est effectus principalis unus inter ceteros, cibi, & potus salutiferi Sacramenti. Videturne tibi parùm deficere à se, rapi super se, posse ex sententia dice-

dicere: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Ps. CXVIII. 81. Et rursùm: *Defecit caro mea, & cor meum.* Ps. LXXII. 26. Sed ne mala putaretur hæc defectio subjunctum est: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Nonne pars optima quam elegit Maria; pars, de qua glorians Psalmista dicebat: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Ps. XV. 5. *Sustollam te super altitudinem terræ,* ait Dominus, Isaïæ LVIII. 14. & *cibabo te hereditate patris tui Jacob.* Propterea idem Psalmista subintulit: Ps. XV. 6. *Etenim hereditas mea præclara est mihi.* Dicit in alio loco: Ps. XXII. 5. *Parasti in conspectu meo mensam,* postquàm præmiserat: ℣. 1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Tandem subjunxit. ℣. 5. *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* Noli deinceps mirari ebriam, quæ in cella vinaria bibit hunc calicem. Veruntamen quià reperitur alius *calix inebrians, calix aureus Babylonis,* Jerem. LI. 7. putares nil interesse inter ebrietatem, & ebrietatem. Audi quid anima, quam *introduxit* Rex pacificus *in cellam vinariam* addidit pro munere: *Ordinavit in me charitatem.* Babylon interpretatur *confusio*; contrarium verò confusioni, quid amplius est quàm ordo, & ordo charitatis? Charitas enim, quasi chara unitas. Undè colligis, quòd ordo charitatis est ordo unitatis. Hîc assumus, ô anima. *Bonum est hìc esse; faciamus hic tria tabernacula,* Matth. XVII. 4. sive cenacula, quæ fabricavit ordo charitatis ad esum, & potum spiritualis refectionis sub umbraculo spiritus obumbrantis, tibi unum, intellectui unum, menti unum; vel tibi unum, proximo unum, Christo unum. Quid respondes anima mihi? Nescit fortè spiritus meus exemplo Petri quid dicat: Bibit & ipse de cella vinaria, experitur in se ordinatam charitatem. Est nimirùm ordo *Pariumque dispariumque rerum, sua loca unicuique tribuens dispositio.* Erit igitur ordo charitatis, idem quod ordinatus amor. Ordinatur autem amor ad Deum, ad proximum, ad seipsum: Christus est Deus & proximus simul. Moyses similiter inter Deum & proximum mediator erat. Elias denique bonum zelabat utriusque. Docet ô anima mea modus attentionis trinæ, libenter accipere te quæ dicuntur, & quæ dicenda parantur. Multa super hoc triplici tabernaculo, vel cenaculo, seu triclinio scis ubi tractavimus, super Cantico Mariæ, ponentes spiritum nostrum velut architriclinium, te velut in inferiori cenaculo, cor vel intellectum in secundo, mentem in tertio. Procedamus nunc hìc & altera via, tribuantur singulis universa. Sit unum cor, & una anima, & una mens, & unus simul cum intellectu, & voluntate, & ratione, & affectu spiritus. Omnia siquidem unum facit ordo charitatis, ordo charæ unitatis. Tu, anima, sis eadem, quia cor, mens, spiritus, intellectus, ratio, voluntas, synderesis, affectus, cum ceteris. Nec hoc extraneum, cùm legamus, quòd *multitudinis credentium erat cor unum & anima una*; Act. IV. 32. quantò magis unius hominis in seipso, qui habet nihilominùs intrà se regnum Dei; regnum omnium seculorum?

Distribuat ordo singulis in pluritate, & universis in unitate fructus ligni vitæ, fructus duodecim spiritus, quorum præcipuus est charitas, supremus quidem, ideò dulcissimus, quia altissimus. Distribuat in primis sub ternario fructus suos. Assignet per relationem ad Deum sacrificii oblationem, vel hostiam. Assignet ad proximum istam communionem, & amicitiam. Assignet ad seipsum totum hominem viatici refectionem, & exitus ad patriam.

Benè hìc datus est ordo charitatis circà benedictum Sacramentum, & quoad initium, & quoad medium, & quoad finem, seu terminum; quæ tamen tria redeunt ad seipsa velut in mysticum circulum, ut sit consummatio in unum. Oblatio siquidem initiata est in Cruce, facta Deo sacrificium. Viaticum perducit hominem ad terminum. Communio tenet interim proximos hìc in unum. O si habeamus amicum ad quem vadamus media nocte præsentis miseriæ, & dicamus ei: *Amice, commoda,* id est, commodè da *mihi tres panes.* O utinam instantia victus, det quotquot habemus necessarios, & esurientes impleamur bonis.

Studiositas nescio, an curiositas, ordinari meditatur cuilibet horum trium fructus duodecim sub mysticis assignationibus in Scriptura. Primò de numero duodecim panum propositionis in antiqua Lege. Secundò de numero duodecim panum in Evangelio, scilicet septem & quinque, duplici refectione. Tertiò de fontibus Helim, quasi totidem refectionibus; quia nihil prohibet omne quod reficit panem dici.
A Dicitur namque à *pan*, quod est *totum*. Doceat nos hæc petitio cum sua glossa: Luc. XI. 3. *Panem nostrum quotidianum, & supersubstantialem,* ponit Matthæus, *da nobis hodie,* quid mirandum si fontes nominaverimus panes, cùm de lachrymis testatur Psalmista Ps. XLI. 4. *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte.* Et alibi de cinere: Ps. CI. 10. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Benè suggeris, & suades, ô anima mea, sufficerit ista tetigisse pro ordine charitatis, proque juvamento memoriæ in studio meditationis. Causam aperis perspicuam. Nescit amor ordinem talem insequi, nescit coarctari. Ordo suus est, hìc ordinem non servare. Pergit quocumque rapit, ducit, aut impellit, aut agit spiritus, qui *ubi vult,* & quando vult *spirat*; Joan. III. 8. nam & rotæ sanctarum Scripturarum movebantur *secundùm impetum spiritus. Spiritus enim vitæ erat in rotis,*
B Ezech. I. 20. & cum elevatis animalibus elevabantur per contemplationem; cum stantibus stabant per distinctionem, & cum ambulantibus ambulabant per operationem.

Sequamur quò rapiat fervor spiritus. Oremus, ut olim quasi responsuri Deo: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi,* Prov. XXIII. 26. ut ità pro mensura metri: *Præbe cor tuum mihi, fili,* respondeamus; Accipe pater quo vis fer, rape, duc, age, defluat à se, & ferveat à te. Æstuet ebria mens in suum conversa furorem. Scis, anima, quid sequitur sub triplici similitudine solis nota tibi, & mihi: Arx, pax, fax, dux, lux, frux, rex, quoque lex, lanx. Concernunt hæ dictiones triplicatæ tria divinis appropriata Personis. Sollicitudinem interim nocturnæ vigiliæ teneamus, soror anima, dùm pervenerit germanus noster conquæsiturus more suo per dialogum, seu dramata, variandus erit sermo. Poterit nihilominùs nostri postmodùm particeps esse secreti: *Esurientes implevit bonis.* Luc. I. 53. Volens reficere benignus Jesus bonis
C non qualibuscumque, sed æternis, cibo qui non perit; pane *qui dat vitam mundo calicem novi & æterni testamenti,* prædicabat dicens: Joan. VI. 56. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Litigabant ergò Judæi,* compescuit eos: ℣. 43. 44. *Nolite,* inquit, *murmurare: Nemo venit ad me, nisi* Pater meus, qui *misit me, traxerit eum.* Ibid. ℣. 4. Mira sententia tua Christe, si jungatur cum altera similiter tua: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. XIV. 6. Dic nobis per benignitatem veritatis tuæ, qualis iste sit circulus, qualis gyratio, qualis circuitus. *Nemo venit ad me nisi à Patre tractus. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* At verò sic est: Nemo venit ad Filium nisi repletus bonis Spiritus sancti. Nullus dat Spiritum sanctum Filio in divinis, nisi Pater. Non potest igitur venire ad Filium, nisi cum Spiritu sancto, quem dat ei Pater. Hinc est oratio Christi ad Patrem, *Ut dilectio,* inquit, *qua dilexisti me, sit in eis, & ego in eis.* Joan. XVII. 26. mira cir-
D cumincessio! Rursùs ipse Filius non redit ad Patrem, nisi per Spiritum sanctum, quem spirando reddit Patri felici & inenarrabili, id est, non narrante circulo dat Spiritus sanctus mentem, quam inhabitat nunc Filio à Patre, nunc Patri à Filio. Petebat hunc circulum, qui philosophans dicebat:

Da fontem lustrare boni.

Sic intelligitur illud de sanctis animalibus,

Quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti;

id est, ignea charitate Spiritus sancti, consonè ad illud Eccle. I. 6. *Gyrat per meridiem & pergit in circuitu lustrans uni-*

universa spiritus cœlestium, terrestium, sed & infernorum, quià flectitur ad Aquilonem motu, vel obliquo, vel recto *Ambulant impii in circuitu*, Ps.xi.9. sed circà se recurvi sunt: referunt omnia ad se, nihil diligunt, nihil agunt, nihil timent, nihil fugiunt vel odiunt, nisi propter se, quià se suum finem statuerunt. Sunt genus satan, qui circuivit terram, & perambulavit eam, qui *circuit quærens quem devoret*. 1.Petr.v.8. *Perambulabat & Jesus Jerichò*, Luc.xix.1. *Circuibat civitates & castella*. Marc.vi.6. Audis ex suis unum perambulantem in innocentia cordis sui in medio domus suæ, nam & *Dominus in circuitu populi*. Ps. cxxiv. 2. Circuit igitur justus, & perambulat, sed circà Deum, circa centrum illius intellectualis sphæræ, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquàm, nisi in se. Deserit se justus, nihil refert ad se, sed ad Deum; nihil amat; nihil agit; nihil desiderat nisi propter Deum, immò nec se vult esse, vel vivere vel benè esse, nisi ad Deum, & propter Deum. Intelligis, anima circuitum, & circuitus attendas effectum. Pauperes in se, divites in Deum replentur bonis, quoniam veritas est in circuitu suo, lumen & requies. Divites non in Deum, sed in se, dimittuntur inanes, quoniam *Universa vanitas omnis homo vivens*. Eccle. 1.14. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*. Ps. lxxv.6. *Stulte*, hac *nocte* morieris *animam tuam repetent a te, & quæ congregasti, cujus erunt?* Luc.xii.20 Quærebam aliquando pauper, & esuriens: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Cant. 1.6. Volebam pasci cum pascente, quiescere cum cubante; nolebam vagari, id est, vanè agi in circuitu impiorum; nolebam egredi à conspectu Domini; horrebat animus pascere hœdos fœtidos sensuum meorum *circa tabernacula pastorum* ab unitate divisorum. Invitabat me qui dicebat: Matth. xi. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*; qualis heu, sum. Pollicebatur repletionem in bono, *& ego*, inquit, *reficiam vos*. O plena refectio. Superaddebat de quiete, *& invenietis requiem animabus vestris*. Venerat aliquando *timor, & tremor super me, & contexerunt me tenebræ*. Ps.liv.6. Ne quæsierit aliquis undè? *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem, in civitate* Babylonis, & dixi: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Ps. liv. 7. Hæc sunt suave jugum Christi & onus leve, qui totus columbinus est, totus mitis, & humilis corde. *Expectabam eum qui salvum me fecit, à pusillanimitate spiritus, & tempestate*, ỷ.9. exorans: *Velociter exaudi me, Domine, defecit spirtus Deus*. Ps. cxlii. 7. Defecit præ inopia cibi & potus in regione longinqua dissimilitudinis, horroris, & egestatis. Sic volebam, sic expectabam, sic orabam. Ps. liv. 14. 15. *Tu verò homo unanimis*, vetus homo, factus eras, ut esses unanimis; *dux meus, & notus* per præviam sensibilium cognitionem; *qui simul mecum dulces capiebas cibos* Sacramentalis devotionis, communicationis, *in domo Dei*, domo orationis, *ambulavimus cum consensu*. Et heu, quale nunc, & hìc dissidium: *Veniat mors super illos*, undè scandalum tale venit? *Descendant in infernum viventes*, Ps.liv.14.15.16.& funditùs pereant, quoad dæmones; aut si sunt homines, ut corrigantur, ne in infernum descendant morientes. Detruserunt eruditionem meam; mentem meam, apud inferos, *collocaverunt me in obscuris sicut mortuos sæculi*. Ps.cxlii.3. Quærebam elongare sæculum, & manere in solitudine; sed ingenti mole phantasmatum depressus, corrui & duriter allisus sum. Demersit me tempestas aquæ fluctuantium desideriorum; absorpsit me profundum curarum; superest, ut urgeat super me puteus os suum utriusque mortis. Sed, ô tu benignissime Deus, *Emitte manum tuam de alto, eripe me de aquis multis, de lacu miseriæ, & de luto fecis*; Ps.cxliii.7.

Da dextram misero, & tecum me tolle per undas.

Jube me, Domine, Matth.xiv.28. *venire ad te super aquas* phantasmatum, fac solidum litus æternitis attingere.

Reputabam cum spiritu meo, undè mihi talis oppressio, tanta depressio, qui mentis, alacri volatu, irruentia undique phantasmata transvolare non prævaleo? Ecce quotidiè pauper & esuriens, ad mensam ejus Sacramentalem accedere satago; obedire volo Præceptis salutaribus divina institutione formatis, & dico: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Luc. xi. 3. Dat: Accipio. Non sentio me repleri bonis,
A dimittor inanis, fame, siti, macieque consumor, & labore. Ubi ergò vox tua, Christe? si vocatus, si laborans, oneratus, si veniens ad mensam tuam non invenio refectionem; utinam non defectionem! Terret me, heu nimis tua per os propheticum imprecatio: *Dederunt in escam meam fel*, Ps. lxviii. 22. utique fel amaricationis vitiorum, *& in siti mea potaverunt me aceto*, quod & acerbum est & frigidum est, per indevotionem; nec non obstupescere dentes cogit meditationum per abominationem: de qua Propheta: *Omnem escam obominata est anima eorum*. Ps. cvi.18. Væ, væ, væ, quid sequitur? *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, Ps. lxviii. 23. usque ad maledictiones duodecim, quarum neutra tolerabilis est à reproba creatura. Consultius est niti per pœnitentiam effugere, quàm curiosiùs discurrere, vel effari velle. Da, beata Virgo, Prophetissa mea, da nunc
B aperire mysterium verbi tui. *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*. Mensa Judæorum erat mensa legalium omnium sacrificiorum, suarum oblationum, victimarum, hostiarum, primitiarum, decimarum, holocaustorum, undè implebantur Sacerdotes. Vivebant cum ceteris, quos per talia sanctificari dicebant. Venit Summus Pontifex & *Sacerdos in æternum* Jesus Christus *secundum ordinem Melchisedech, panem & vinum obtulit*. Fecit cessare sacrificia cum ceremoniis omnibus, non solvendo, sed implendo Legem. *Non*, inquit, *veni solvere legem, sed adimplere*. Matt. v. 17. Transiit umbra figurarum, lux veritatis emicuit, verificavit Christus quod prædixit: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Matt. xxi. 43. *Relinquetur vobis domus vestra deserta*. Matt. xxiii. 38. Hoc imprecabatur, seu prædicebat allegatus Propheta: *Fiat*
C *habitatio eorum deserta*. Ps. lxviii. 26. Consonat omnis cœtus Prophetarum super oblatione jugis sacrificii, super cessatione Legalium per mortem Christi. Hoc idem testatur effectus. Hoc dedit Christus intelligi pendens in Cruce. Dixerat: Joan. xix. 21. *Sitio*, ut implerentur Scripturæ: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Ps. lxviii. 22. Vide mirabilem correspondentiam ad Prophetiam inductam. Continuò Christus dicit: *Consummatum est*. Joan. xix. 30. Quare? Quia omnia, quæ de eo scripta erant finem habebant; veritas veri sacrificii umbratile consummavit. Hoc in spiritu prævideràt qui dicebat: *Omnis consummationis vidi finem*. Ps. cxviii. 96. *Finis itaque legis Christus* secundùm Apostolum *Rom*. x. 4. Dedit ille Mandatum dilectionis latum nimis, latum ad Deum, ad proximum, ad amicos & inimicos, & ita latum, ut ab eo, & in eo, penderet omnis Lex, & Prophetæ quia finis omnis Legis dilectio. Tunc ablatum est à Judæis regnum Dei. Voluerunt constituere justitiam Legis; in ea continuè stare id est, abjicientes gratiam Dei, non perstiterunt ipsum velamen ocu-
D lorum, & importabile legis jugum tenere super se. Itaque *Regnum Dei*, dicente Dionysio, *est omnis finis, & omnis ordinis, & legis, & ornatus distributio*. Rejecerunt à se quatuor ista Judæi, rejiciendo Christum, in quo, per quem, & ex quo, & à quo est omnis finis, ordo, Lex, & ornatus. Ornatum intellige, quam libet in re qualibet inclinationem, quam indidit sapientia, disponens omnia suaviter in finem suum, secundùm Legem à Deo, & ordinem inter se mutuò constitutos. Nunquid non, ô benedicta in mulieribus, notatam olim circà te desertionem hanc invenimus, Remanserat puer Jesus in Jerusalem, quæsitus per triduum magni mysterii. Inventus est in Templo sedens in medio Doctorum, de Lege disputans & respondens. Et de quibus arbitrandum est quæstionibus, nisi de tempore Adventus Messiæ, & Scripturarum impletione? Vo-

Voluit ipse benignus Filius tuus, ô Virgo benigna, Virgo benè ignita, voluit benignè facere bona voluntate sua tibi, deseruit litteralem Sion cum sua Jerusalem. Descendit cum Joseph, & tecum in Nazareth floridam, non vetustam, & erat subditus vobis, in quibus mystica jam Sion, & Jerusalem residebant. Mansit Annorum spatio octodecim, quousque Baptisma sumpsit Anno tricesimo, quousque consummaret opus ad ædificationem cœlestis Jerusalem, quousque acceptaret Deus Sacrificium justitiæ, sacrificium spiritus contribulati, Christi oblationes.

A

Demùm in hoc unico sacrificio holocaustum, & vitulos typicos super Altare Crucis imposuit. *Introivit semel in Sancta* Sanctorum *æterna redemptione inventa*, Heb. IX. 12. facta est hostia peccati. *Damnavit de peccato peccatum*, Rom. VIII. 3. liberavit Ecclesiam suam ab intolerabili jugo tot sacrificiorum, quæ neque perfecta, neque plena, neque placita per se erant, sed nec placita reputabat ea Dominus ex bonitate offerentium; propter malitiam studiorum suorum. Lege Isaïam, Psalmos discute, nihil apertius invenies, quàm reprobationem, & abominationem, cum prohibitione sacrificiorum, si ad literam, prout accipiebant tunc Judæi, referantur. *Quoniam si voluisses*, ait David, *sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.* Ps. L. 18. Et alibi voce Domini: Ps. XLIX. 9. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*, cum ceteris sine numero cadentibus in hanc sententiam.

B

Sacrificium nihilominùs expetit Dominus, sed quale figurabant sacrificia illa, non literâ, sed spiritu. Significavit hæc Sacerdos noster unicus, dum prædicaret oblationem puram, perfectam, & placitam Corporis, & Sanguinis sui. *Verba, quæ ego loquor*, inquit, Joan. VI. 64. *vobis, spriritus & vita sunt.* Et priùs ad Samaritanam: *Deus Spiritus est, & Deum oportet adorare in spiritu, & veritate* Joan. IV. 24. Cum igitur, ô anima mea, sis spiritus in carne: quid convenientius, quàm ut sacrificium tuum esset spiritus tuus in carne, vel caro in spiritu, per communicationem carnis, & sanguinis? Neque enim absque sacrificio manere debueras, in protestationem supremi Dominii quod habet Deus super omnia & in omnibus. Sic enim describitur sacrificium, quòd est oblatio facta Deo, & in recognitionem supremi Dominii sui. Sit hæc oblatio solùm interior in spiritu, sit exterior in affectu, vel effectu.

C

Sacrificium, sicut & Verbum abbreviatum, fecit Deus super terram, hostiam vivam, unicam, mundam, plenam bonis, plenam effectibus omnibus illis, pro quibus hostia litteralis solebat offerri. Si deletionem peccatorum petis. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Joan. I. 29. Si gratiarum actionem, gratias agit Christus Patri. Si malorum evitationem, sanat ipse nos, & liberat, quià *verè languores nostros ipse tulit.* Isaiæ. LIII. 4. Si bonorum consecutionem celerem, interrogatus latro docebit, qui tempore hujus sacrificii vespertini audire meruit cum juramento: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris Paradiso.* Luc. XXIII. 43.

Verum dicis, ô anima, sunt ista jam apud Christianos omnes ita digesta, ita cognita, ut fastidium sit apud plurimos vel repetere, vel audire. Vis aliquid offeratur novum, aliquid insolitum. Subit illud rabidarum deliciarum, ait Seneca: *Quousque eadem.* Tales invenit Paulus Athenienses, qui *ad nihil aliud vacabant*, quàm *audire, vel dicere aliquid novi.* Act. XVII. 21.

D

Similes sunt purientes aures divitum, qui dimittuntur inanes, quia quos non replet bonis spiritualibus veritas, vanitas inquietat. Sed ecce, ô anima, novus Rex, nova Lex, novus grex, novum sacrificium, novum Testamentum, non vitulorum, sed Christi Sanguine confirmatum; sed Testamentum hereditatis æternæ, propterea dicit qui sedet in Throno: *Ecce nova facio omnia.* Apoc. XXI. 5. Vis uno verbo cognoscere, quid est novum, & solùm tale? Æternum. Vetera sunt omnia, & ad interitum tendunt, quæ separantur ab æterno. Brevis distinctio veteris, & novi, sicut & temporalis, & æterni. Nova planè omnia, sed in novatis nova, si Lex per spiritum vivificata servetur. Quæ Lex? Audi: novis supervenientibus vetera projicietis. Et quid vetustius veteri homine nostro secundùm carnem? Quid si sibi nihil sapit novum? Febricitans, & excæcatus est malis humoribus, quia pessimis humoribus repletus est. Tolle vetera, nova erunt spiritualiter omnia, cor, opus & lingua. Dabo tibi latissimam novitatum materiam.

Considera tot varietates sacrificiorum, oblationum, holocaustorum veteris Legis, præsertim in Levitico. Tolle nebulas figurarum ab eis. Aufer ab oculis tuis velum quod scissum est tempore Passionis. Confer ad interioris legis spiritum, orietur protinùs tibi sol justitiæ Christus. Et qui in sacrificio Corporis, & Sanguinis sui nova fecit omnia; Paschalem Agnum, manna deserti, panem cœli, tauros, vitulos immolationis, hircum emissarium, passeres, turtures, & columbas, vinum & libamia, sal in omni sacrificio, caudam cum capite, neque mel, neque fermentum. Denique quotidianum bis sacrificium cum matutino vespertinum.

Omnia hæc cum similibus erunt tibi novitatis materia: *Immolabis hœdum* Christum pro similitudine carnis peccati, sine peccato. *Comedes agnum non crudum*, per infidelitatem tuam, *non coctum aqua*, per curiosam Philosophiam, *sed assum* igni, per charitatis ardorem; *devorabis* per devotam aviditatem *caput.* Exod. XII. 6. 7. 8 2. & seq. Siquidem *caput Christi Deus* 1. Cor. XI. 3. simul cum pedibus humanitatis, & visceribus Sacramentorum intimis. *Os non confringes ex eo* violentiâ perscrutationis. *Totum quod comedi non potest* per intelligentiam, *igni*, sancti Spiritus, *combures* per venerationem amorosam. *Sint azimi panes* sine fermento malitiæ cum lactucis agrestibus amaræ compunctionis. *Sint accincti renes* per castitatis zonam, *sit* Spei longanimis *baculus* in manibus, & *comede festinanter*, avidè, scilicet anhelans, & tendens peregrinus ad patriam. *Lini* ad extremum *utrumque postem*, seu *superliminare domus tuæ, vel ostii, de sanguine agni.* Fit hæc linitio sub signaculo Fidei in intellectu, & amoris in affectu. Scis hæc, ô anima mea? Scio. At nihil est quòd magis suadeam facere de te, quàm ipsam te sacrifices totam Deo. Fiet hoc, si captivaveris, & quodammodò trucidaveris, *omnem intellectum* tuum *in obsequium Christi*, 2. Cor. X. 5. omnem affectum in holocaustum Charitatis. Crede, & ama illum qui latet, & præsens est; sis ipsa placens hostia, sis rationabile sacrificium, nedum manè, & vespere, sed assiduè, nocte dieque. Invitata es anima ad nuptias, & cenam magni Regis in hoc Eucharistiæ Sacramento. Noli excusare te, noli tardare; assume vestem, tandem in novissimo loco recumbe cum illo qui pro te factus est *novissimus virorum*, undè *nec reputavimus eum*, ait Propheta Evangelicus, *nec erat ei species, neque decor.* Isa. LIII. 3. Habet Altare Crucis latitudinem charitatis, longitudinem æternitatis, sublimitatem majestatis, profunditatem sapientiæ judicantis. Projice te, & absconde in hoc profundo, & toto nisu pedem crucis stringe amplectens. Dic cum fiducia sperandæ pietatis; vivit Dominus quia non dimittam te. Orietur hæc virga crucis ex radice Jesse, quod interpretatur *incendium.* Concremetur hîc totum cor tuum, ô anima mea. Ardeat in holocaustum, in odorem suavissimum Domino. Dicit Propheta Domino de malignis, id est, malè ignitis: *Pone illos ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* Ps. XX. 10. Dicat idem de benignis: sint ipsi clibanus boni ignis, qui est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem. Monstrosum nimis gelicidium, si non fluat sicut cera cor tuum, ô anima mea, a facie hujus ignis qualiter defluebat qui dicebat in Canticis: Cant. V. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Jam habemus non vocem, sed præsentiam. Quid si addiderimus in bonum, quod de malis subjungitur: Ps. XX. 10. *Dominus in ira sua*, in ira boni zeli, quem tollit à repudiata: *conturbabit eos*, ut sanentur, *& devorabit*

eos

eos ignis bonus, qui Dominus est. Felix verò devoratio. Devoret utinam nos totos ignis tuus, benigne Jesu. Siquidem ignis consumens es tu, & *pedes* tui *sicut electrum in camino ardenti*. Apoc. I. 15. Jacuit ad pedes istos congelata priùs Maria tota, mox in lachrymis, instar nivis, ad solem fervidum liquefacta est. Audiebat simul eloquium tuum, quod est ignitum vehementer, non solùm ignitum, sed sicut *oleum effusum nomen tuum*, Cant. I. 2. in fomentum ardoris. Antè *faciem* ardoris hujus *quis sustinebit?* Ps. CXLVII. 17. quis *est qui se abscondat à calore ejus?* Ps. XVIII. 7. quisquis erit infelix, congelatus erit. Spectat hoc nimis accommodè Mysterio Corporis & Sanguinis tui Jesu Christe, qui propter nimiam charitatem, quâ dilexisti nos, descendisti in abyssum incendii. Corriget fortè aliquis, & dicet, non te descendisse, dùm mitteres hunc ignem in terram, sed ascendisse in altitudinem Crucis tempore meridianæ, & ardentissimæ Passionis tuæ: profectò nihil adversum est. *Quisquis descendit, ipse est qui & ascendit*. Eph. IV. 9. Quisquis humiliabitur, ipse est qui & exaltatur. Quisquis novissimum locum elegit, ipse est cui dicit invitans Luc. XIV. 10. *Amice, ascende superius*. Felix nimiùm, & sublimis humilitas. Propterea demerge te, ô anima mea, cum novissimo virorum in profundo sapientiæ judicantis, qui & humiles elevat, & replet bonis; potentes verò deturbat, & dimittit inanes. Est aliud ex dictis nostris quod scire desiderat animus meus. Quo pacto potest ignis intùs claudi velut in clibano cordis nostri, dùm ipsum devorat exteriùs. Grata prorsùs hæc inquisitio, sed gratior inventio: experientia denique cum sensu gratissimo, & ita gratissima, ut nil suprà. Hæc est repletio omnis boni, hic effectus præcipuus Eucharistiæ Sacramenti, ubi secundùm Dionysium Christus est carbo ignitus, immò totus ignis: Adjuvet nos Philosophica positio: nihil enim prohibet vel ab hoste doceri; quanquàm vera Philosophia nostræ Theologiæ nequaquàm sit adversa; sed non ascendit ad ejus altissima. Tradit Philosophia quòd anima, præsertim rationalis, tota est in toto composito suo, & tota in qualibet ejus parte, tanquàm in hoc sit microcosmus, id est, minor mundus majori similis, ubi Deus totus est in toto, & totus in qualibet parte, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Considera cor hominis, & vide quoniam intrà se est tota anima tanquàm in clibano.

Est enim anima, secundùm Philosophos, & Poëtas, ignea vis, vel igneus vigor. Diffundit itaque se per totum cor, tanquàm infrà sphæram activitatis suæ vivificans ipsum. Ipsa nihilominùs anima præambit, & circumdat, & continet exteriùs cor nostrum, tanquàm circumferentia ejus ad extrà, dùm est ipsa eadem tota, sicut centrum ad intrà; tota tamen indivisibilis, non sicut punctus positionem habens in continuo, nec extrà se fluens, sed aliter, mira virtute, ex operatione quâ penetrat, se diffundens. Fatemur. Imaginatio enim non capit hoc, sed ratio concludit, & intelligentia, si pura sit, & simplex intuetur. Elevat se suprà continuum, & tempus, suprà hîc, & nunc temporis, & loci materialis. Vis intelligentiæ, vel mentis puræ defigit oculos conspicuos ad hîc & nunc ævi, vel æternitatis, etsi non modò per essentiam, tamen aliquando per speculum nitidum, & imaginem, de quo Apostolus: *Nos*. inquit, *revelata facie*, supple ab involucris phantasmatum *transformamur de claritate in claritatem*, *tanquam à Domini Spiritu*. 2. Cor. III. 18. Fit quippe talis transformatio per illapsum sancti Spiritus purgantis animam, & elevantis in idipsum.

Hactenùs hæc introducta faciunt ut oremus cum Ecclesia, cujus orationes elevatissimæ sunt, & rotæ igneæ, nisi sit frigidum pectus plùs cristallo congelatum. Illo nos igne Spiritus sanctus inflammet, addamus & devoret, quem Dominus noster Jesus Christus, addamus in hoc Sacramento, misit in terram, & voluit vehementer accendi. Capiet tunc ignea mens cum summa facilitate; sentiet cum summa jocunditate, quemadmodùm Deus est omnia in omnibus, & totus in singulis; communis omnibus, & unicuique singularis; totus apprehensus à quolibet beato, à nullo comprehensus; totus intimus, totus extimus; totus omnium centrum, totus & circumferentia; totus stabilis, dans cuncta moveri. Ad hoc Philosophi conati sunt, maximè Metaphisici, sed sola Dei gratia, & veritas, quæ per Jesum Christum facta est, poterit hoc adipisci, tunc per gloriam consummatam, & hîc in via per Theologiam mysticam. Valet insuper hæc mentis elevatio mirabiliter ad intelligentiam mysteriorum Eucharistiæ Sacramenti. Tradidit enim Christus rem à sensibus taliter elongatam, ut discamus nedum amare, sed intelligere, & venerari cœlestia, secernere materialia à spiritualibus, Deum à creaturis, vitam æternam à mundi fluxis, & caducis calamitatibus.

Sciamus proindè, quòd aliter habet processum suum Dei providentia super homines, aliter super bruta. Cur ità? Certè ut magis divinæ gratiæ & miraculis innitamur, quàm naturæ. Non quidem, ut tentemus Deum, sed ut noverimus nos ad finem nostrum, qui suprà nos est, non nisi gratuitis super naturam miraculis pervenire. Hoc quia non vidit Pelagius, erravit ingratus gratiæ Dei; non quòd homo destituatur operatione sua naturali propria plusquàm bruta, sed ad altiora niti debet, & in his gratiæ Dei totus inniti. Nota distinctionem hanc de duplicitate operationum, & oppositas contrà rationes Augustini concordabis. Voluit Dei sapientia spiritum rationalem conjungere materiæ, quatenùs ista nos connexio doceret, spiritum nostrum cum Deo, qui spiritus est, faciliùs conjungi posse; & quoniam ex eisdem gignimur, & nutrimur, incarnata priùs, dehinc velut impanata, vel inescata, sub speciebus Sacramenti sapientia facta est nutritio nostra, sicut & formatio. Et quoniam nutritio proficit sanis, & mundis, facta est eadem sapientia nobis in *probatica piscina* Joan. V. 2. quinque vulneribus corporis sui salus, mundatio. Cor famelicum, cor quod aruit, *quia oblitus sum comedere panem meum*, Ps. CI. 5. cor durum, cor carneum, cor ad solem justitiæ non liquescens, sed obduratum; cor quod derelinquit animam meam, & facta est *sicut columba Ephraim seducta*. Ozee, VII. 11. Redi nunc ad vocantem te Christum in Altari. Dic cum Psalmista: Ps. XLI. 4. *Introibo ad Altare Dei*, *ad Deum qui lætificat juventutem meam*. Eras nempè cor vetustum priusquàm emitteret lucem suam. Recreavit te, & innovavit in tabernaculis Ecclesiæ, detracta pelle vetusta peccati, defluentibus plumis ad calorem Austri. Contusa ad petram Christum in abstinentia, curvitate nimia rostri.

Grandem nobis fiduciam sperandæ pietatis indulsisti, benigne Jesu, proponens exemplum filii prodigi, cui tanta celeritate Pater occurrit, cecidit super collum, osculatus est eum. Stolam citò primam jussit proferri, annulum cum calceamentis dari. Denique vitulum saginatum in epulationem occidi. Tu figuraliter es vitulus iste quem revertenti de regione longinqua peccati filio vis apponi. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Rom. XI. 33. O supereminens scientia charitatis Christi; si mansisset apud Patrem perditus iste filius, qui typum tenet Adæ fugientis à facie Domini, vitulus ad epulationem non fuisset occisus, quia nec Christus immolatus fuisset. Cesset igitur ô curiositas quæstio tua! Cur dimisit Deus, ut peccaret Adam? Ecce quantum fructum Dei sapientissima bonitas elicere scivit, potuit, & voluit ex peccato.

Curre jam, ô anima pœnitens; clama post Christum cum Chananæa: *Domine fili David*, *miserere mei*. Matt. XV. 22. Qui si fortè à Matre comite rogatus, ut dimittat te; sileat, & procedat, irrue festinatione tota, præveni faciem ejus in adoratione dicens: *Domine*,

mine, adjuva me. ℣.25. Si rursùs opposuerit confundens te, quòd panis filiorum non est dandus canibus. Responde totâ fiduciâ: *Etiam, Domine; nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum,* ℣.27. Tandem mereberis audire: *Fiat tibi sicut vis.* ℣.28. Filiam tuam (quæ est sensualitas lunatica, & à dæmonio fomitis originalis malè torta) invenies sedatam, & sedentem in obedientia rationis. Convivium enim si recogites, ô anima, figuraliter restaurant septem filii Job, cum tribus sororibus, quilibet in diem suum.

Sensisti quandoque motum reverentiæ profundæ, nec non humilis ad Deum timoris, non audes præ verecundia sursùm oculos attollere, dicens cum percussione pectoris: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Luc. XVIII. 13. Scito quòd apud te fecit convivium primogenitus filius Timor in die suo.

Sensisti motum pietatis ad Deum, ad te, ad proximum, suavem, & lætum, mitem, insuper valdè profusum. Hæc dies est secundi filii.

Sensisti, æstimo, tot miserorum afflictiones in pœnis & culpis super filios hominum, vel ex propriis angustiis luxisti beato, sanctoque luctu. Hæc est dies tertii filii.

Corroborata es in vigore tolerandarum adversitatum, vel in abstinentiarum rigore firmata. Facta es esuriens, & sitiens satisfacientem justitiam. Ecce quartus filius instauravit in die suo convivium.

Consiliata es in operibus supererogantis justitiæ, castitatis, paupertatis, & obedientiæ. Hæc est dies quinti filii.

Intellexisti mysteria Sacramentorum, præcipuè hujus; retulisti omnia quæ videntur ad æternitatis spectacula; obtinuisti etiam munditiam cordis, nedùm à peccatis, sed à phantasmatibus, & curis. Pulcher iste dies, & serenus, est sexti filii.

Sapuit tibi tandem per omnes sensus intimos, quàm suavis, & bonus est spiritus Domini gustantibus eum, videntibus eum, audientibus eum, odorantibus eum, amplexantibus eum in hoc Sacramento. Felicissimum hunc, ac beatissimum in apparatu convivii diem filius septimus habet suum.

Bibunt illìc vinum septem filii cum tribus sororibus, cujus qualis sit effectus, si scire desideras, insinuabit qui dicit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ps. XXXV. 9. Biberat hanc sobriam ebrietatem spiritus pia Mater Augustini Monica: dùm post susceptionem Sacramenti in publico rapta clamavit: *Volemus in cœlum, Fideles; volemus in cœlum.* Pulsata & exquisita quid ità clamaret. Demissa cum vultu voce, inquit: *Cor meum, & caro mea exit in Deum vivum.* Altera quædam ruptis venis expiravit, vim amoris sancti ferre non sustinens. Felices sunt domus illæ fidelium, per quas fiunt per orbem perfectum convivium singulis diebus illuminatæ conversationis. Offert nihilominùs holocausta Job mysticus, quoniam justitiæ nostræ non sunt omninò sinceræ; egent insuper conservatione. Debet denique consummationem accipere in gratiarum actione omnis cibus communiter.

Quos prætereà fructus apponere soleat in hac Eucharistiæ mensa Spiritus sapientiæ, censeo meditationi devotorum potiùs, quàm scriptorum expressioni linquendum; veniant, vacent, gustent & videbunt. Sed neque putandum est, nos consortes, & concives futuros beatorum spirituum ab ipsis deseri, dùm sedemus in Ecclesiæ convivio. Facti sunt quippe *omnes administratorii spiritus propter eos qui hereditatem capiunt salutis,* Heb. I. 14. cujus arram accepimus hîc, & pignus. Si ad instructionem convivii perfectam plurima requiruntur, divites sunt hi spiritus ad ampliora, habent ad votum cellaria Regis, proferunt de thesauris suis quæque voluerit interior homo noster. Petitur ignis, & caminus incendii; Seraphin ardent. Petitur sal & lumen; Cherubin sapiunt, & lucent. Petuntur sedilia; Throni habent illa, ministratur à suprema Hierarchia, quia ministrantibus imperant. Quæritur qui dominetur in convivio, qui virtute pareat, qui potestate tueatur; hæc secunda potest Hierarchia. Quæritur pro inferiori cenaculo, quòd ordo sit in convivantibus; offerunt se Principatus, subordinant Archangeli, & Angeli subserviunt. Si fructus defuerint, ascendamus *in palmam* Crucis, apprehendamus *fructus ejus,* Cant. VII. 8. quod si solos carpere possumus infimos, minusque maturos, distribuit liberaliter de mediis, & supremis chorus ipse Sanctorum per ramos inhabitans. Exemplum accipe.

Ibat ad passionem Dorothea virgo. Theophilus quidam scholasticus exclamavit ad eam (suspicor irridens.) *O Dorothea, sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso sponsi tui.* Spopondit se missuram. Jussa flectere cervicem, orarium priùs eximens astanti dedit puero, qui ferret Theophilo & diceret: *Dorothea ancilla Christi mittit tibi mala de paradiso sponsi sui.* Recepit gratus, applicuit faciei. Sensit continuo vim cœlici cujusdam odoris, quo repletus, & totus in alterum virum mutatus, repetens dicebat: *Benedictum sit nomen Domini mei Jesu Christi.* Qui mox captus, dire tortus, post occisus, ascendit *in palmam,* ubi pleno ore vorat *fructus ejus.*

Ceterùm quâ possumus ad te fiducia confugere, beatissima feminarum? Tu Mater es Eucharistiæ, quia Mater gratiæ bonæ. Tu clavigera cellariorum Regis pacifici. Tu frangere panem potes, illum petentibus. Tu epularis quotidiè splendidè; non negabis micas ulcerosis nobis, & mendicis, quorum tot sunt linguæ clamantes ad tuam misericordiam, quot sunt ulcera nostram ostendentia miseriam: vox sapientiæ vox tua est. Nimirùm quia tu nedum sapientia per emphaticam locutionem, sed Mater es sapientiæ, sponsa, soror, filia. O quàm amplissimum pandit nobis hæc meditatio, & quam amænum hortum, immò paradisum deliciarum tuarum, Virgo sapientissima, cujus in Filio sacramentaliter suscepto laus omnis terminatur. *Ego,* inquit, *ex ore Altissimi prodivi*: Eccli. XXIV. 5. *Ego Mater pulchræ dilectionis*: ℣. 24. *Ego sicut vitis fructificavi*; ℣. 23. cum ceteris in sapientiæ præconium numeratis, nec finitis. *Tu quasi oliva speciosa in campis,* Eccli. XXIV. 19. quæ mundo naufrago ramum illum olivæ paternæ protulisti Jesum Christum.

Colligere fas habet ipsum in hoc Eucharistiæ Sacramento fidelis anima, fas illum ferre in ore suo, dùm vesper mortis adveniens, suadebit regredi ad verum Noë Deum, qui dum creavit eam, misit per aquas, & terras hujus diluvii; quatenùs benè volando rediret ad ipsum qui misit illam. Felix planè anima quæ redibit ad vesperam vitæ suæ, ferens in ore suo ramum hunc olivæ Christum, per sacramentalem saltem spiritaliter susceptionem.

TERTIA PARTITIO
PER
SOLILOQUIUM
CONVERSUM
AD MARIAM.
Per notulas quinquaginta.
PRIMA NOTULA.

CONTEMPLATIONIBUS tuis deinceps intendere cupientes, nos esurientes convertimur ad te esurientem olim, ad te pauperem spiritu, & humilem ancillam Christi, Virgo beata; Virgo jam benedicta per omnes generationes; Virgo nunc æternis epulis semper abundantissimè plena, cujus mens contemplata est multa nimis sapienter. Tu conscia super omnes, post Filium, Sacramenti hujus absconditi à seculis extitisti. Ecce plus quam Salomon hæc. Quare? Dic nobis per mise-

miserationes tuas; dic quæ & quanta bona contemplabatur mens tua, cùm post beneficia tibi singulariter exhibita, tu generalia omnibus cecinisti, dicens: *Esurientes implevit bonis.* Luc. I. 53. Narrat Lucas conscius secretorum tuorum, quòd *Apostoli erant cum mulieribus, & Maria Matre Jesu.* Subdit postmodùm; *Quotidiè quoque perdurantes unanimiter in Templo, frangebant circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis.* Act. III. 46. Eras inter hos sumentes cibum haud dubium, ô Maria Mater Jesu, exultabas in simplicitate cordis collaudans Deum, & habens gratiam ad omnem plebem. Quid sequitur: *Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidiè in idipsum.* Est igitur salutaris effectus hujus Sacramenti, salus & augmentum Fidelium *quotidie in idipsum.* Et hæc contemplatio tua præcipua. Nulla fuit natio, quæ non sacrificium censeret offerendum illi soli quem credebat, aut fingebat Deum sibi. Sacerdos, & sacrificium, est nobis factus, ô Maria, Filius tuus. Sed qualis Sacerdos, & quale sacrificium, exponit Apostolus ejus latissimè scribens ad Hebræos. Non in vitulorum sanguine & taurorum cæde. Hæc contemplatio altera.

Contemplabatur mens Mariæ, quantum se sacrificium arbitrabatur David, quantum Salomon, quantum omnes priscæ Legis exolvisse, si multa taurorum, si agnos absque numero jugularent Domino. At nos sub unica panis exigui specie, sub modici vini calice, sacrificium absque ulla comparatione placidius in odorem suavissimum Domino consecramus offerentes. Etsi quidem hostia secundùm literam, parva, nitens, sana, teres, azyma, mundaque, scripta. Signat hæc septuplex conditio, nos debere vitia capitalia septem excludere. In parvitate superbiam, in nitore invidiam, in integritate iram, in rotunditate volubili acediam, in azymo furfur avaritiæ, in munditia feditatem luxuriæ, in scriptura hebetudinem gulæ. Gratias tibi, Virgo beata, quæ talem nobis hostiam protulisti. Gratias Filio tuo, qui nos à jugo Legis intolerabili liberavit. Væ tentantibus inducere rursùs super cervices credentium illud jugum, quibus se Paulus constanter opposuit, & Apostoli consenserunt.

Contemplabatur Maria, quemadmodùm fuit tempus antè Passionem, dum legalia currebant fructuosè in populo Judæorum. Fuit tempus post Passionem usque ad perfectam prædicationem Evangelii per Judæam, dum erant permissa (quàmvis inutilia) quatenùs Mater Synagoga cum honore ferretur ad tumulum. Fuit Tempus tertium, quo temerator materni sepulchri reputandus est, & à Fide alienus, qui legalia vel observat, vel observanda contendit. Libenter profectò nos credentes de Gentibus caremus jugo tali, libenterque in hoc sacrificio puro, facili, profectoque, gloriamur. Non sumus ingrati gratiæ Dei. Justitiam enim constituere volumus, sed per gratiam speramus salvari longè confidentiùs quàm illi per Legem; ut interim de sacrificiis execrandis Gentilium sileamus. Congregavit nos Deus in unam Ecclesiam, in communionem Sanctorum unam, dans remissionem peccatorum. Itaque sub Fide, Articuloque unius Ecclesiæ Catholicæ comprehenditur communicatio, seu communio omnium Sanctorum. Est enim Ecclesia congregatio, seu potiùs convocatio Fidelium viatorum, prout accipitur, à triumphante distincta. Est insuper Ecclesia continens communionem Sanctorum, id est, Sacramentorum, per quæ nimirùm Sacramenta fit remissio peccatorum. Cessat igitur quæstio nonnullorum, cur de Eucharistiæ Sacramento non factus est in Symbolis Articulus, factus quippe est sub communione Sanctorum, id est, Sacramentorum, inter quæ post Sacramentum Baptismi istud Sacramentum fuit prædicatum & usu continuo divulgatum, quod & antonomasticè Communio vocatur.

Contemplabatur hæc Communionem, & sapuit mens Mariæ continuandam per generationes usque ad consummationem seculi; quòd si non mutabitur hoc sacrificium, utique nec Sacerdotium Christi, nec Lex mutabuntur; contrà Joachim, & sequaces ejus, novam Spiritus sancti Legem in Evangelium æternum damnabiliter promittentes; propterea dicitur I. Joan. II. 18. *hora novissima* tempus legis A Christi, quoniam altera non succedit.

Contemplabatur mens Mariæ *conferens* jugiter *in corde suo,* Luc. II. 19. quemadmodùm Christi Corpus contentum, non solùm signatum sub speciebus panis, & vini, est vera res hujus Sacramenti. Est insuper signum, seu Sacramentum totius Corporis mystici, quod est Ecclesia Catholica tàm Militans, quàm Triumphans, cujus caput Christus est; Christi autem Deus. Corpus Christi etsi non videatur, est tamen de se signum visibile; gratia verò uniens fideles in unum corpus, & spiritum, causatur à Christo.

Contemplabatur, quemadmodùm in omni sacrificio Altaris datur sponsus Christus Ecclesiæ sponsæ suæ, datur caput membris, à quo suscipiunt influentiam perfectionis, secundùm mensuram uniuscujusque membri; quousque perveniant ad mensuram plenitudinis Christi.

B Contemplabatur omnem hominem viatorem significari sub hoc Sacramento quoad sufficientiam sacrificii, non tamen quoad finalem efficaciam, nisi tantùm electi.

Contemplabatur hominum Communionem sub multiplici differentia. Est Communio naturæ, à qua nullus excipitur. Est Communio secundùm aptitudinem ad gloriam, & ab ista nullus viator excipitur, quia *Deus vult omnes homines salvos fieri.* I. Tim. II. 4. Est Communio prædestinationis, & gratiæ finalis, & ab illa omnes reprobi vivi, & mortui excommunicantur, vel excipiuntur.

Contemplabatur communionem aliquam esse in gratia, in meritis secundùm præsentem justitiam tantummodò. Similiter aliqua erat Excommunicatio secundum præsentem injustitiam, & demeritum. Rursùs aliqua erat secundùm præsentis Ecclesiæ extrinsecum Ju- C dicium per Sententias Irregularitatum, & Excommunicationum initiata.

Contemplabatur, quòd in oblatione Sacramenti, ut erat sacrificium, nullus viator, quantumcunque perversus, vel excommunicatus, erat excipiendus ab offerentis affectu charitativo, ex quo erat capax beatitudinis. Secùs de Excommunicatione jam damnatorum; hinc orat Ecclesia, quòd hoc sacrificium *fit ablutio scelerum,* & *remissio omnium delictorum,* quatenùs per sacrificii virtutem peccatores reviviscant, & ad vitam gratiæ revertantur.

Contemplabatur, quòd Ecclesiæ Judicium poterat arcere Sacerdotes offerentes sacrificium, ne per expressam Ecclesiæ orationem comprehenderent excommunicatos ab ipsa. Noluit tamen, nec debuit prohibere charitatis interiorem affectum, ut dictum est, propte- D reà fortè institutus mentalis modus orandi per *Memento.*

Contemplabatur, quòd horrenda esset Excommunicatio, & quàm timidè ferenda, & timidiùs sustinenda, quæ faceret hominem ab hac Communione salutifera separatum.

Contemplabatur, quòd in ratione sacrificii petit Sacerdos quoslibet associare non prohibitos ab Ecclesia, & ejus pia intentione. Undè sicut oblatio Christi fuit singularis pro omnibus, ità fuit communis pro quolibet singulari. Hæc contrà timidos avaros in spiritualibus, qui quærunt appropriare ea sibi, quibus non est liberalitas hujus sacrificii satis nota.

Contemplabatur, quòd licèt una Missa sufficiens esset de se, sicut & Passio Christi, pro salvatione omnium viatorum; nihilominùs in ratione satisfactionis, & pretii plus valebant plures Missæ, quàm una, & plus una pro uno, quàm pro multis, secundùm ordinem divinæ sapientiæ, quæ dat omnibus mensuram, numrum

&

& pondus. Scit autem ipsa Beata nunc in Verbo, mensuram hanc in Ezechielis mensuratione figuratam, nos nescimus.

Contemplabatur, quòd exemplo Christi, poterat Sacerdos offerre Sacramentum pro peccatis aliorum quandoque cum pluri merito, quàm si pro se solo celebraret; nec se tamen, nec aliquem debet excipere nisi modo dicto, nec singulariter appropriare; propterea stultè agunt qui volunt Missas dicere secundùm intentiones suas quasi venales, & mercenarias, & avaras, & non secundùm intentionem, & traditionem Ecclesiæ liberalem: planè nec sunt audiendi.

Contemplabatur, & ita servabat charitas Mariæ, ut sacrificium intùs offerret non nisi Deo, nec ad aliquem se obligaret quasi pro vice gratuitorum oblatorum. Jam enim videretur simoniaca mercatio, sed non primo modo, dùm solus Deus est principalis terminus.

Contemplabatur, quòd titulus solus, securus, & mundus à simonia, vel turpi quæstu, in receptione temporalium per Sacerdotes, est titulus sustentationis Ministri, seu Sacerdotis celebrantis. Qua super re longus alibi *De sollicitudine Ecclesiasticorum* Tractatus est habitus.

Contemplabatur, quòd titulo generaliter quadruplici quælibet persona viatrix tenetur offerre sacrificium hoc ipsi Deo, saltem spiritualiter in sui cordis altari. Primò, ratione charitatis ad se. Secundò, ratione consortii ad omnem hominem capacem beatitudinis. Tertiò, ratione beneficii suscepti, sit in bonis fortunæ, sit in bonis naturæ, sit in bonis gratiæ. Quartò, ratione gratiarum actionis Deo & Sanctis omnibus pro beneficio tanti Sacramenti, cum ceteris, complacenter, bevolè recolendo.

Contemplabatur, quòd ultrà titulos istos obligabantur Sacerdotes titulo suscepti tanti Sacerdotalis officii, ut possint gloriari cum Apostolo 1. Cor. XV. 10. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* 1. Cor. XV. 10. *Cùm enim crescant dona, rationes etiam crescunt donorum*; diversimodè tamen, pro qualitate circumstantiarum.

Contemplabatur, quemadmodùm Christus lavit pedes Apostolorum antè institutionem hujus benedicti Sacramenti, & antè ministrationem, in signum quòd solis mundis debet tradi, & à mundis celebrari, dicente Apostolo: 1. Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Nota sunt quæ sequuntur, sed pro multis horrenda.

Contemplabatur, quòd ad celebrationem, & susceptionem tam sublimis Sacramenti nullus de se dignus est, quia nec ex meritis, quæ incerta, & sæpè vana, & sordida sunt; nec ex officio, quia justè, & sanctè quæ sancta sunt exequeris. Hinc fuit tanta apud multos reverentia, quòd Sacerdotes esse fugerent. Legitur hoc de sancto Marco, & de nonnullis Eremitis.

Contemplabatur, quòd, stante conscientia benè sibi conscia de non impedimento peccati mortalis, vel Irregularitatis, vel Excommunicationis, vel scandali, Sacerdos laudabiliùs faciebat celebrando, modo & tempore constitutis ab Ecclesia, quàm propter solam reverentiam abstinendo, & hoc, ceteris paribus. Rationes poterunt infrà tradi.

Contemplabatur, quemadmodùm staret aliquem Sacerdotem, vel alterum communicantem, esse realiter in peccato mortali, & extrà gratiam, vel in Excommunicatione, & tamen non peccabit noviter in celebrando, vel communicando. Non negatur tamen, quin semper sit in peccato, sed non peccat noviter in hoc actu suo. Valet hæc contemplatio pro scrupulosis, & habet locum quando facta examinatio conscientiæ, prout solet in talibus fieri bona fide, de recolendo, & amovendo omne peccatum, & impedimentum; pro tunc non occurrit.

Contemplabatur exindè Maria, quòd ad non indignè celebrandum, seu communicandum, sufficit conscientia probabilis conjecturæ, quòd nullum pro tunc habet impedimentum necessariò vetans, vel arcens, ad celebrandum, vel communicandum. Et hoc iterùm contrà scrupulosos consolatorium est documentum.

Contemplabatur, quòd à tanto bono, tàm honesto, A tàm utili de se, & delectabili non erat privandus, vel arcendus homo, sine magno, & legitimo impedimento, ut pro immunditia corporali sola, quæ mortali peccato juncta non est, scandalo tamen rationabili non imminente. Longus esset hìc processus de leprosis, de menstrua patientibus, vel hæmorrhoïdas, vel pollutiones in somno, cum ceteris. Ratio omnium est, quia non est afflictio danda afflicto, sed consolatio. Ratio altera, quia cibus iste magis est spiritus, quàm carnis, qui nec carnalibus sordibus in se, vel ex se maculatur. Elevet in hac consideratione devotio Fidelium sursùm corda.

Contemplabatur magnificans anima Mariæ Dominum cum exultatione spiritus in Deo salutari suo, quemadmodùm præsentialiter erat in hoc Sacramento iste cui ministrant millia millium, & decies centena millia assistunt ei. *Dan.* VII. 10. Non ita tamen, quòd omnes B dimisso empyreo cœlo, assisterent huic in terris Sacramento, nisi secundùm ordinationem divinæ sapientiæ cùm beneplacito Creatoris.

Contemplabatur, non esse indignum, sed dignissimum videri Angelicis spiritibus, visitare præsentialiter Ecclesias, in quibus celebratur, & servatur Eucharistiæ Sacramentum. Exemplum hujus figurale fuit in scala Jacob & in monte Sinaï, quando data est Lex per Angelos in manu mediatoris, cum similibus multis.

Contemplabatur, quanta erat patientia Christi, quanta Angelorum beatorum hìc assistentium, dum tolerant indignitatem contrectantium hoc Sacramentum, cùm illi tanta severitate puniebantur accedentes ad montem Sinaï. Undè & bestia, si tegisset montem, obruebatur lapidibus. Sæpè autem potest in hoc Sacramento conqueri Christus: *Manus tradentis me mecum est in mensa.* Luc. XXII. 21. Et illud: *Juda, osculo filium hominis tradis*, ℣. 48. Nihilominùs ex peccatis talium elicit Deus C bona in salutem electorum, sicut ex bonis Dei mala peccatores eliciunt.

Contemplabatur, quòd hoc sacrificium dabat gloriam Deo in excelsis, & in terra pacem hominibus bonæ voluntatis; lætificabat Angelos, liberabat Purgatorio detentos, ut eorum pœna brevior sit, aut levior. Viatoribus impetrabat nunc conversionem ad gratiam, nunc conservationem in gratia, nunc contra mundi pericula firmamentum, nunc Angelorum custodiam, & refrenationem tentatorum.

Contemplabatur ex his, & similibus effectibus, laudabiliùs esse ex amore Sacramenti, & confidentia misericordiæ Dei, sæpiùs accedere, quàm ex timore, vel scrupulis, diù se ab eodem Sacramento quodammodò excommunicatum facere, qui nec se exponit periculo, qui non habet certitudinem de legitimo impedimento, & accedit, quemadmodùm suprà notatum est. Sed & stultus illius timor est, vel reverentia minùs prudens, qui ad Dominum se vocantem, & invitantem, non acD cedit, sed procrastinat, sed dicit voce corvi, cràs, cràs, cràs. Sæpè demum fit illud:

Qui non est hodiè, cràs minùs aptus erit.

Contemplabatur tales qui nolunt accedere, nisi sint actualiter devoti, & fervidi, similiter agere, quasi frigidus nolit ad ignem proximare, nisi priùs calidus sit; nec sordidus, nisi sanus. Sit tamen iste vivens, non mortuus per mortale, qui confidit accedere; alioquin, si sit mortuus, non recipit emolumenta vivorum; non est conditio mortuorum, ut comedant.

Contemplabatur Maria etiam, se ex se nequaquàm esse dignam participatione tanti Sacramenti; erat enim humilis, & vilis in oculis suis super omnes, sicut excelsior & excelsior super omnes. Dicebat igitur cum Apostolo 1. Timoth. 1. 15: *Venit Deus salvos facere peccatores, quorum* prima *ego sum.* Sed misericordiam in

in præservativa sanctificatione, & redemptione ab omni peccato etiam originali consecuta sum, alioquin etiam natura filia iræ fuissem, sicut & alii. Solus & unicus Filius meus neque peccatum, neque necessitatem habuit consequendi peccatum privilegio singulari, quia singulariter ex Spiritu sancto natus.

Contemplabatur aliquando communicantes secùm in Eucharistia peccatores esse, fortè & peccatores sciebat esse aliquos qui Sacramentum ministrabant, A qualis fuisse putatur septimus Diaconorum Nicolaus. Sed non cessabat ob hoc, non refugiebat, non se excommunicabat, id est, extra communicationem se ponebat; sciens, & recolens dictum Filii sui, qui sumitur in hoc Sacramento: *Venit peccatores salvos facere*, dum Pharisæorum falsa justitia indignaretur, exprobrans, & dicens: Luc.xv.2. *Hic peccatores recipit*. Et iterùm ad Discipulos: Matt.ix.11. *Quare cum Publicanis, & Peccatoribus manducat Magister vester?* sed neque Christus prohibuit Judam per abnegationem cibi sui.

Contemplabatur ampliùs, & complectebatur amplissimo sinu charitatis omnes peccatores terræ, & publicanos & meretrices, quales sæpè præcedunt in Regno Dei. Clamabat validè cum lachrymis intrà templum cordis sui se connumerans exemplo Danielis: *Peccatores, te rogamus audi nos. Miserere* nostri *secundùm magnam misericordiam tuam*, quia peccatores magni sumus. *Et secundùm multitudinem miserationum tuarum*, B Ps.L.1. quia multi, sicut inspicis, sumus. Exemitaque dedit nobis quantumcunque videamur justi, ut, quemadmodùm illa fecit, ita & nos faciamus. Nemo alium judicet, nemo damnet, sed solùm per Ecclesiam suam, & suos damnet Deus. Corvus fuit qui pascebat Eliam. Præscripsit formam orationis, excipiens nullum, qui dicere jussit, *Pater noster*, non meus: *dimitte nobis debita nostra*, Matt.vi.12. non mea.

Contemplabatur fieri quandoque, ut Rex introduceret quæstorem in cellaria sua, collaturus bona, dum pro pluribus, & majoribus indigentibus exponit se quærere. Siquidem *ubi abundavit delictum, superabundat & gratia*; Rom.v.20. major quoque miseriarum abyssus, abyssum fortiùs invocat misericordiarum.

Contemplabatur, & assumebat hujusmodi Sacramentum quasi hora sua esset, quâ transitura erat ex hoc mundo ad Patrem, vel post desertum ad terram promissionis, comestura de fructibus. Revolvebat animo tota celeritate omnia nova, & vetera de thesauro cordis sui, quæ ad devotionem, & venerationem, & laudem, & jubilum, cum exultatione spiritus provocabant; C maximè omnia, quæ cœpit Jesus facere & docere singulariter secum, & universaliter cum omnibus per totum vitæ cursum, ab introitu ad exitum, & usque in seculum. O quantam, quàm uberem vides, anima Christiana, Mariam tibi ministrasse materiam contemplandi. Expergiscere igitur, oculos aperi, aures erige, cor dilata, & excipiens Eucharistiam clama: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Cant.1.12. Fasciculus utique parvulus mole, sed virtute immensus. Dic ex sententia, hoc est sensu, vel sentimento intimo. *Omnia poma* divinarum Scripturarum, *nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi*. Cant.vii.13. Et undè, quia dedisti mihi de tuo, tibi reddo. Talis mihi certè es, qualem te fideliter recogitavero. Infans, puer, Juvenis, prædicans, sanans, moriens, resurgens, regnans.

Contemplabatur susceptionem Eucharistiæ quasi Filium audiret ex Cruce dicentem sibi, quod latro- D ni juravit: *Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso*. Luc.xxiii.43. Siquidem *gratia* Dei (testimonio Sapientis) est *paradisus in benedictionibus* Eccli.xl.17. Et ubi gratia, si non Eucharistia, quæ per excellentiam *bona gratia* nuncupatur? Porrò *gratia Dei vita æterna*, Rom.vi.23. scilicet vita & pax. Est autem in Eucharistia pax nostra Christus. Completur ergò salutatio tua, ô Paule, totiens posita, & à Joanne & Petro similiter: *Gratia vobis & pax*. Apoc.1.4.& 2.Pet.1.2. Quid gratia & pax, nisi gratia pacifica? Et si pacifica non est impedita. Deductum verò priùs habes, quòd Paradisus, & æterna vita, est fruitio Dei secundùm habitum gratiæ non impedita, præsertim quando est consummata.

Contemplabatur cum exultatione spiritus Eucharistiam in Templo, jubilansque dicebat: *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio Templi tui*. Ps.47.10. Suscepimus olim misericordiam hanc visibiliter, me præsentante, Simeone recipiente, Anna prophetante. Etenim *Deus meus, misericordia mea*. Ps.lviii.18. Suscipimus hanc eandem Sacramentaliter quotidiè, si volumus in medio templo cordis nostri. Itaque templum Dei sumus. Non quæramus sapientiam accusantem, non justitiam damnantem, non potentiam punientem, sed misericordiam absolventem. Suscipimus eam Sacramentaliter quotidiè mirabilia in excessu facientem. Facit de sapientia accusante advocatam, de justitia damnante absolventem, de potentia puniente protegentem & liberantem. Siquidem *factus est nobis* Christus *à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio; via, veritas & vita*.

Contemplabatur existentiam mirabilem Filii in hoc Sacramento, quem visibiliter tractaverat cum blanditiis, & osculis suavissimis in gremio corridentem. Credebat hoc idem sibi licere nunc, quamvis alio modo; sed non minori merito. Osculatur, tangit, & quod sibi tunc non licuerat corporaliter manducat & bibit, & accipit vitam, nam *qui manducat me*, inquit, *& ipse vivet propter me*. Joan.vi.58. Grandem rem tibi, ô anima Christiana, grandem nimis æstimasses, si Virgo benedicta posuisset olim Filium suum in gremio tuo. Si concessisset amplexum, & osculum; sed habe hîc rem suo miraculo, & merito grandiorem. Eia nunc, ô anima, canta Cantica Canticorum, quæ suspirabunda petebas: *Quis det mihi te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam nemo me despiciat?* Cant.viii.1. Ecce foris; & verè foris, à nemine visibilis dat se solum tibi, dat ut osculeris eum, fac quod sequitur: Apprehende eum & introduc in domum conscientiæ tuæ, quæ est domus sapientiæ Matris tuæ. Illic docebit te. Da & mihi potum ex vino conditum devotionis tuæ; da mihi mustum malogranatorum tuorum fervidæ dilectionis.

Contemplabatur in Eucharistia, quia non est hîc localiter Corpus Filii sui. Non enim posset trahi linea visualis à corpore Christi, ut hîc est sacramentaliter, usque ad oculum, & è converso. Credebat quòd per concomitantiam erat anima in Corpore, similiter cum Sanguine, & cum Deitate. Sed nunquid per concomitantiam erant illic dum consecrabantur tempore cenæ vestes suæ, nunquid aër circunstans corpus & vestes? Curiositas, aut studiositas, hoc inquirit, ut deducat quòd in hoc Sacramento per concomitantiam sunt omnes Angeli, omnes Sancti, & tu, beatissima Virgo, immò sub brevi verbo totus mundus, siquidem Deo canitur: *Pleni sunt cæli & terra gloria tua*. Orat Ecclesia Patrem, *ut veniens Filius tuus cum omnibus Sanctis, paratam sibi inveniat mansionem*.

Contemplabatur Corpus verum Filii sui Sacramentum esse corporis sui mystici. Signat igitur hoc Sacramentum totam Ecclesiam electorum, etiam ex vi Sacramenti. Non tamen dicimus, quòd contineatur hîc tota Ecclesia sub Sacramento. Concedimus, quòd Christus homo est ubique personaliter, quia videlicet persona Christi Verbum Dei est ubique. Non tamen concedimus, quòd Christus sit ubique corporaliter dimensivè, sed tantùm in cœlo, & Sacramentaliter in Templo. Logica hîc opus est una ex ancillis sapientiæ, si nolumus malè loqui. Contemplabatur ideò dici Corpus Christi in Hostia, quia conversa erat in se, speciebus Hostiæ reservatis. Undè

dè consequens est, si Christus apparuerit hîc aliquando sub specie pueri, vel crucifixi; si debeat credi, quòd sit ibi Christus, oportet quòd species Hostiæ remanserint; alioquin non erit ibi Christus Sacramentaliter; sed nec videtur, quòd localiter, cùm talis non sit in cœlo status, & statura. Caveat igitur sibi curiositas inquirendi miracula. Caveat vicina levitate tales protinùs adorare visiones. Meminerit de Martino, cui spiritus nequam transfiguratus apparuit in specie Christi, qui Angelus est magni consilii, nedum Angelus lucis, sed lux Angelorum.

A

Contemplabatur existentiam Filii sui vivaciùs per intelligentiam, quàm per solam fidem, & nullo modo imaginationem admittebat, immò nec rationem. Percipiebat insuper præsentiam ejus per amoris sentimentum, & complexum. Quantò verò sit perspicacior oculus intelligentiæ, quàm imaginationis, vel rationis, Metaphysici tradiderunt; immò & Mathematici de quibus minùs videretur, vix credibilia posuerunt. Putant se perspectivi demonstrasse, quòd omnes radii luminis, & colorum omnium quantumcunque à circumferentia prodeuntium, concurrunt impermixti in quolibet puncto medii vel speculi, vel oculi. Sic inquiunt, in guttula iridis sunt tres colores, qui apparent in arcu, sic in collo columbæ, sic certè consequens est, quòd infinities infinitæ. Sic in organo memoriæ diceremus. Et quis ineruditus oro, crederet ista? Demonstrat Arithmetica cum Geometria, quòd in quolibet parvo piso, vel calculo, sunt omnes numeri cum figuris omnibus, & habitudinibus suis, quæ omnia utique sunt infinita. Nec est, ut dicatur, quòd solùm sunt in potentia. Videt quippe Deus actu, & in actu omnia talia. Si potest per solam remotionem (exemplo Dionysii) una figura fieri visibilis in hoc piso, præexistebat igitur in eo, quia nihil additum est, sed subtractum; cur non ità de ceteris figuris dici potest?

B

Contemplabatur hæc Maria longè vivaciùs oculo intelligentiæ, quantùm spectabat ad magnificandum Dominum (cujus potentiæ & sapientiæ, non est numerus,) quàm quicunque Philosophus, docente eam Spiritu sancto omnem veritatem; etsi non fortè semper in actu, tamen in habitu. Accipiat hanc expositionem quisquis aliquam vellet struere calumniam super omnibus Mariæ contemplationibus tactis, aut tangendis, si, & quantùm continent veritatem. Sciat Mariam majori cognitione totius seculi cum decursu fuisse præditam, quàm Prophetarum, vel Apostolorum, vel Philosophorum cœtus ullus. Si Mathematicus viso piso cognoscit in eo, non per imaginationem, neque per sensum exteriorem, sed per scientiam demonstrationis acquisitam, tot theoremata Geometriæ, tot Arithmeticæ, tot Perspectivæ, non abneget illa quæ de Sacramento credimus intelligi posse, Domino revelante, qui *intellectum dat parvulis*. Ps. CXVIII. 13. Sunt innumerabiles populi, quos Deus trahere vult post se per cognitionem, & amorem; & quia cognitio intellectualis datur paucissimis, dedit Fidem innitentem authoritati dicentis, intuentem viciniùs, & adhærentem firmiùs, & certiùs, quàm adhæreat Philosophus per scientiam suis conclusionibus. Docet hoc effectus; quia fidelis citiùs vitam deserit, quàm Fidem, non ita Philosophus. Tale aliquid miratus est in Ignatio Trajanus, sicut legitur, cujus Ignatii illud est insigne elogium: *Amor meus crucifixus est*. qui à te, Virgo beata, litteras accepit responsivas suis petitionibus, ut ex te, per te, & in te Fides Neophitorum firmaretur.

C

D

QUARTA PARTITIO

PER

SOLILOQUIUM,

Quasi Narrativum.

DE CONTEMPLATIONIBUS MARIÆ SUPER HOC SACRAMENTO.

Et principaliter de duodecim bonis ejus, quibus replentur esurientes,

Per notulas centum cum additione quadraginta theorematum, de Unitate.

Contemplabatur ampliùs Maria magnificans Dominum, quàm magnam fecit ipse cenam, quàm lautum, & splendidum convivium, dum suis Fidelibus instituit hoc Communionis Sacramentum, dùm *esurientes implevit bonis*. Dicta sunt aliqua de Eucharistia, prout data est in oblationem sacrificii; mixta sunt aliqua de ipsa eadem, prout est in Communione convivii; sed supersunt ampliora, si benedixerit Dominus cenam suæ familiæ, si fregerit panes, si cum pisciculis jusserit illos recumbentibus ministrari. Nunc *duodecim sporta*, nunc *cophini septem* post saturitatem colligentur fragmentorum. Tanta est, tam efficax Christi benedictio, quia & per benedictionem se totum largitus est in hoc Communionis Sacramento. Ceterùm, facto interim silentio de speciali, seu personali refectione Viatici, quod est tertium bonum; notemus adhuc pauculas Beatæ Mariæ contemplationes de secundo bono; contenti de dictis super primo.

Contemplabatur Maria *conferens in corde suo*, Luc. II. 19. ad instructionem hujus convivii quasi omnes cataractas cœli aperiri. *Quis fidelium dubitet*, (inquit Gregorius) *in ipsa immolationis hora cœlos aperiri, & imis cœlestia jungi?* Dicuntur hîc aperiri cœli, non per fractionem, sed per influentiam specialem, qualiter optabat Propheta dicens: *Utinam dirumperes cœlos*. Isaïæ. LXIV. 1. Et iterùm: *Rorate cœli desuper &c.* Ibid. XLV. 8. Vox insuper est Ecclesiæ gratulantis: *Hodiè per totum mundum melliflui facti sunt cœli*. Sicut invenimus Dalilam perfidam dixisse de Samsone: *Nunc apperuit mihi cor suum*; Judic. XVI. 18. secretum enim revelaverat; sic hîc revelantur cœlestia.

Contemplabatur, quòd istic junguntur ima cœlestibus propter connexionem membrorum Ecclesiæ triumphantis in uno Capite Christo præsentialiter hîc exhibito. Orat Ecclesia Patrem: *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui*, qui Christus est, *Angelus magni consilij*, perferens totum corpus mysticum *in sublime altare divinæ majestatis*, id est, supremæ & altissimæ divinitatis. Majestas itaque dicitur, quasi magnitudinis status. Peracto demùm Sacramento dicitur Corpus Christi rapi, & in cœlum ab Angelis deferri, non per realem loci mutationem, sed per operativæ connexionis virtutem.

Contemplabatur quòd istic est oblatio una, & plures offerunt. Offert Filius, offert Spiritus ejus sanctus, offerunt Angeli, offerunt Sacerdotes, offerunt Fideles assistentes, qui quantò plures sunt, & devotiores, tantò fit acceptior oblatio, quod valet pro celebrantibus in medio, seu patenti Ecclesiæ loco. Tu singulariter, & efficaciter offers post Filium, Virgo benedicta, *Vita dulcedo, & spes nostra*. Contemplabatur, quòd istic aliud est Sacramentum, aliud usus Sacramenti, non sic in Baptismo. Usus est Sacramentalis

 come-

comedere, & bibere, sub intentione Ecclesiæ. Hic usus, etsi veraciter nutriat corpus, sicut & alios effectus habet naturales, ne deprehendatur transsubstantiatio, & hoc ad Fidei meritum; non tamen ordinatur usus ad hunc effectum, sed ad solius mentis nutrimentum. Hinc Christus ait: *Verba, quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt*, Joan. VI. 64. quia vitam spiritualem reficiunt. Iste est finis, hæc institutio.

Contemplabatur Maria, quòd istic post desitionem accidentium panis & vini, desinit esse Corpus Christi, & Sanguis; non per annihilationem vel aliam in se mutationem. Redit autem materia, vel eadem numero quæ priùs fuit, quod utique fieri potest per creationem, ut redeat idem numero, aut materia creatur noviter, qualis est carnis, vel vermis, vel alterius rei, quæ per actionem accidentium succrescit. Placet aliis meliùs dicere, quòd sicut accidentia habent modum substantiæ per se subsistendo, sic tenent locum materiæ, & formæ panis in agendo, & patiendo; non novo, sed antiquo miraculo.

Contemplabatur, magis ad rem nostram, devotionis amplificationem. Aspiciebat in latitudine cordis innocentis, quemadmodùm electi omnes conferunt partes suas ad opulentiam hujus convivii, à primo Abel justo usque ad ultimum, qui nasciturus est in mundo. Considerabat præcipuè fratres suos duodecim Apostolos. Hi volentes convivium esse splendidum, collegerunt ex omnibus reliquiis ciborum à Domino benedictorum, & multiplicandorum, duodecim sportas, vel cophinos. Hos vocamus *Symbolum Apostolorum*. Apposuit enim quilibet bolum suum, idest Articulum; sed, ô magne Deus, quàm magna virtute refertum. Introducat nunc nos Rex in hæc cellaria sua, quorum tu Celleraria es. O tu Beata, tu maximè conscia substantia, idest fundamentum es illorum, qui Christum de te dicunt conceptum, & natum.

Contemplabatur, quemadmodùm super floridum Jesum, qui flos est campi inenarrabilis benedicti ventris sui, Spiritus sanctus septem Dona, quasi totidem refectionis spiritualis nutrimenta, diffuderat per descensivum illapsum, nec desinit effluere tanquam caput in membra. Sed per quod medium? Planè per te, Virgo, virga Jesse. Tu collum Ecclesiæ firmissimum, & candidum, tanquàm turris eburnea, & suavissimum quasi vinum. Tu connectis Ecclesiæ membra suo capiti Christo Filio tuo, tu sustentas, tu vitales haustus prima suscipis, & refluis, tu aspiras & respiras in Ecclesiæ corpus universum.

Contemplabatur septem panes dotum istorum Donorum, conjunctos panibus aliis septem Beatitudinum, quibus connectuntur septem panes dotum beatarum. Porro Sacramenta sub eodem numero, nec non virtutes totidem contra rabidam famem septem vitiorum. Sed hæc ex alibi traditis notissima, non hìc docendo, sed cursim rememorando posuisse satis sit, ad amplificationem nostri convivii.

Contemplabatur Maria pauperes Ecclesiæ militantis, circà tale convivium diversimodè se habentes? Vox aliquorum est: *Parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me.* Ps. XXII. 5. Et iterum: *Calix meus inebrians quam præclarus est!* O verè mirabilis contrà tribulantes armaturæ species, ut mensa sit ad tutamentum, quæ priùs literaliter afferre solet carnalibus nocumentum. O vehemens ebrietas, quæ mortem superat, & infernum, de qua Psalmista *Inebriabuntur ab ubertate domus tua.* Ps. XXXV. 9.

Contemplabatur alios quasi mendicos, petere, quærere, pulsare, dicentes ex institutione Christi: Luc. XI. 3. *Panem nostrum quotidianum* (*& supersubstantialem* dicit Matthæus) *da nobis hodiè.* Jungebant sex petitiones istæ mediæ tres ultimas, quæ sunt de remotione triplicis mali, scilicet culpæ, pugnæ, & pœnæ. Nec non tres primas, quæ sunt de collatione boni sanctificationis, & regni, & beneplaciti divinæ voluntatis.

Contemplabatur plurimos per omnes generationes eam dicentes beatam quia *gratia plena*, quia Domino sociata, quia *benedicta in mulieribus*, Luc. I. 28. & præci-
A puè quia per eam collatus fuit fructus vitæ, fructus benedicti ventris sui Jesus Christus: Amen. Quare tota devotione offerebant sibi, *Ave, Maria*: quia complacebant in recordatione nominis sui; quia congratulabantur suæ felicitati, & suam famam optabant augeri. Concinebant denique post impletionem bonorum ab ea provenientium: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46.

Contemplabatur mens Mariæ magnificnos Dominum cum exultatione spiritus, quemadmodùm Dominum instituens Eucharistiæ Sacramentum, *Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.* Luc. I. 53. Et hoc sub triplici bono esurientium impletivo. Unum est bonum oblationis sacrificii. Alterum bonum communicationis convivii. Tertium refectionis viatici, vel edulii. Primum quoad Deum, secundum
B quoad proximum, tertium cujuslibet quoad seipsum. & quidem de duobus primis plurimæ sunt Mariæ contemplationes inductæ. Fuerunt nonnulli, qui non satis attendebant ad hoc primum duplex bonum Eucharistiæ, quod habet oblationem Deo, & communionem proximo. Considerabant duntaxat tertium bonum propter similitudinem ad panem, & vinum, quod datur in refectionem edulii, seu viatici. Consulebant idcircò severiùs, ne quis accederet ad hoc Sacramentum, nisi valde sanus, & mundus: movebat eos iste Medicorum aphorismus: *Ægra corpora quantò magis nutries, tantò plus lædes.* At verò perspicuum est, quòd Eucharistiæ Sacramentum, etiam ubi lædit accipientem, aut consecrantem, neque sibi prodest pro viatico refectionis; prodest tamen Ecclesiæ toti pro sacrificio oblationis, & Sacramento communionis. Væ tamen *homini, si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.* Matth. XVI. 26. Hæc pro præfatione. Veniamus ad Mariæ contemplationes circà tertium fructum.

C Præmittamus sub quadruplici metro totum Mariæ compendium pro dictis, & dicendis.

Hostia sacrificat, satiat, cibat.

Ecce tres fructus principales. Sequitur in speciali de cibo, sub numero contemplationum duodecim:

& cibus iste,
Restaurat, satiat, delectat, roborat, auget,
Obdormire facit, caro servit, mens dominatur.
Vim genitivam dat, transformat, inarrat, & unit.

Contemplabatur mens Mariæ Sacramentum Eucharistiæ tanquàm cibum refectionis sub specie panis & vini, ut signum signato responderet, ut similitudo curreret pedibus suis, dum dicitur: *Esurientes implevit bonis & divites dimisit inanes.* Luc. I. 53.

Contemplabatur in Eucharistiæ Sacramento Filium suum, qui factus est cibus hominum, qui semper est cibus Angelorum.

D Contemplabatur, quòd *esurientes*, qui sunt pauperes spiritu, *implevit bonis* per hunc cibum, dum fastidiosi divites dimittuntur inanes. *Esurientes* si quidem *implevit*. Primò, bono restaurationis. Secundò, bono satiationis. Tertiò, bono delectationis. Quartò, bono roborationis. Quintò, bono augmentationis. Sextò, bono obdormitionis. Septimò, bono subjectionis in carne. Octavò, bono dominationis in mente. Nonò, bono insuper generativæ virtutis. Decimò, bono transformationis. Undecimò, bono inarrationis. Duodecimò, bono unionis.

Su-

Sumamus compendium à vocabulis bonorum istorum cum suis contemplationibus in Maria jungendo prædictis.

PRIMUM BONUM,

Restaurat.

VITA spiritualis, sicut & corporalis, suo modo conservatur in calido, & humido debitè commensuratis. Loquimur autem hìc de vita secunda, A quæ consistit in actione, proventque à vita prima. vicem calidi tenet charitas, seu gratia, prout charitatem nominamus fervorem charitatis in agendo; vocem hujusmodi quasi passivam sibi vendicat affectio bona voluntatis. Sit hoc memorabile pro dicendis omnibus fundamentum: sicut enim non perditur vita essentialis animæ, sic nec restauratur. Porrò dicimus vitam animæ Christianæ, vitam amoris. *Amor tuus vita tua*, loquitur ad animam suam Hugo. Amorem intellige non cujuscunque, sed Dei; alioquin quilibet adversus amor nominatus libido, vel cupiditas, mors, non vita dicendus est. *Diliges Deum ex toto corde* jubet Deus, subjungit amoris hujus effectum, *& vives.* Luc. x. 27. 28. Crescente verò cupiditate, vel libidine, minuitur, aut obtunditur actus, & fervor charitatis, etsi habitus permaneat. B

Quot autem modis, & quotiens istud contingat, plus experimentis docemur, quàm verbis. Notavit hæc mala sub quadruplici clade Amos Propheta, quasi per totidem animæ passiones quæ sunt spes, metus, mœror gaudium. In eruca, nominatur gaudium carnis virentia carpens. In locusta, notatur spes arrogantis. In brucho autem, iners, & totus exterioribus incumbens metus. In ærugine, mœror sæculi interiora consumens. Ex his quid superest, nisi vita languens, & ægra? Pollicetur alius Propheta vice Domini, quòd revertentibus ad ipsum restitueret Annos quos eruca, locusta, bruchus, & ærugo consumpserunt. Hæc est restauratio quam operatur Dominus per Eucharistiæ sacrum cibum, quia sanat has infirmitatum pestes, & replet in bonis esurientes.

Contemplabaris, ô Maria, restaurationem hujusmodi, sed aliter experiebaris quàm ceteri. Nihil quippe per vitium deperdebatur in te de vita gratiæ, qualiter in nobis. Attamen naturalis necessitas viæ non sinebat hanc vitam in suo fervore semper esse, qualiter tibi nunc est in Patria; sed nec eras in termino meriti. Tu idcircò justa justificabaris adhuc, & erat *semita* tua *sicut lux splendens*, *crescens usque ad perfectum* æternitatis *diem.* Prov. IV. 18. Restauratio tua erat, non tàm suppletio deperditi, quàm augmentatio jam habiti.

Sciebas Eucharistiæ susceptionem virtutem habere privilegiatam, quam dicimus vim operis operati. Addit hæc vis ad proprium meritum solius voluntatis, vel proprii operis; plus valet hìc, sicut & in Baptismo actualiter accipere, quàm solum voluntatis desiderium habere. Quocircà stultè agunt qui se reddunt inhabiles ad susceptionem; stultè qui sine causa rationabilis impedimenti se substrahunt. Prudenter verò qui sibi benè conscii frequenter accedunt. Porrò meretur Sacerdos dignè consecrans, sed ampliùs dignè communicans etiam non Sacerdos. Addes quod fingentes hostiam consecratam esse quæ non est, & ita D præsentantes ad adorandum, vel communicandum, rei sunt criminis idololatriæ, quantùm in se est. Et quamvis ignorantia possit alios excusare, ne peccent adorando, propter conditionem subintellectam etsi non expressam, suscipientibus tamen non accrescit tantus fructus. Exemplum in aliis Sacramentis, maximè de Baptismo.

Denique non est cauta satis consecrantium sollicitudo, qui hostiam priùs quàm sit consecrata sursùm levant, flectunt genua, post benedicunt, populo respiciente, nec attendente consecrationis horam vel momentum. Est autem Corpus Christi præsentialiter solum tunc in altari, primò, dùm verba Sacramentalia finita sunt in instanti ultimo, ita quòd primum non esse verborum, est primum esse Corporis Christi in Hostia, quæ verba non solùm sunt significativa, vel demonstrativa, sed operativa ex ordinatione institutionis Christi coassistentis efficaciter pro isto instanti primo non esse verborum. Et illud instans demonstratur ad intellectum dum dicitur: *Hoc est Corpus meum,* Matth. XXVI. 26. quia illud est primum instans existentiæ Corporis Christi, & non factio. Ideò non benè dicitur: Hoc fit Corpus meum. Conformiter de Sanguinis consecratione suo modo, cujus forma non dependet à prima. Cognovit ista tuus (ô Virgo beata) devotus, & sapientiæ magnus Discipulus Hugo, qui laborans in extremis, noluit uti hostia quam per intimum spiritus sensum deprehendit non esse consecratam. Post dum est allata consecrata, timens periculum vomitus, si sumeret, dixit magna Fide: *Filius redeat ad Patrem, & Spiritus ad Deum qui dedit illum.* Et ita piè credimus (quia statim obiit) esse completum.

SECUNDUM BONUM,

Satiat.

QUANTA sit, & quàm improba fames peccatorum, quos non implet, & occupat Charitatis cibus, & potus, recogitare stupor est; sentire grandis, & incomparabilis miseria, quia usque ad mortem. Crede non mihi, sed Sapienti: *Desideria*, inquit, *occidunt pigrum.* Prov. XXI. 25. Experientiam interroga: respondebit quemadmodùm aures pruriunt ad rumores, oculi furiunt ad respiciendum vanitates, & insanias falsas, glossa, scilicet quæ faciunt insanire. Itaque *nec satiatur oculus visu nec auris auditu.* Eccle. 1. 8. Adde quòd os scurrilitate, & vaniloquiis, gustus saporibus, olfactus odoribus, tactus contrectationibus adimpleri videtur nec saturatur. Proindè summa malorum *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: Eccle. 1. 2. si non repleverit veritas, & charitas; erigitur & inanescit vanitas, sibi dives, vacua Deo. Suadet immò urget Superbia & dicit; vivas excellenter; Invidia susurrat, emineas singulariter; Ira vult hoc secundum impertu- C babiliter retinere; Acedia infatigabiliter; Avaritia indefectibiliter; Gula & Luxuria delectabiliter. Hypocrisis venerabiliter. Denique summatim collige, quod vanitatis fames, & concupiscentiæ est, ut sibi subserviat impunita nequitia. Hæc felicitas mundanorum; hæc verò quia vana sunt & inania, non satiant, sed acriori tales fame perurgent, lambunt umbram fructuum super spinas apparentem.

Inhiant umbræ crassi ossis instar canis, qui natans, dùm vanitatem umbræ captat, hiando perdit veram escam.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Exclamat quidam. Devorat alius carnes suas, alius scintillas ardentes haurit, alius in montibus attrahit ventos. Et cur hæc omnia? Nisi quia rabies famis est valida. At verò cibus noster dignè susceptus, quia vero bono replet, verè satiat, aut pro magna parte famen sedat. Alioquin timeat, qui non minùs, aut plùs quàm ante dimittitur inanis, ne judicium sibi manducet & bibat.

Contemplabaris satietatis hoc bonum, simul & experiebaris, ô Beata: propterea nusquam in te dominabatur vana gloria, quam replebat totam Eucharistia. Nec erat locus in te vanitati, nec duplicitati, nec falsi-

falsitati, quam funditùs occupabat veritas simplex, & solida. Quid enim quæreres in cœlo, aut quid velles super terram, præter unam hanc rem solam optimam, & æternam, dicens ex sententia: *Et pars mea Deus in æternum.* Ps. LXXII. 26. Planè nimis avarus est, cui tanta pars non sufficit; immò miserrimus & pauperrimus, qui præter hanc aliam quærit. Sunt qui te Mariam de inani gloriatione vellent notare, quia cum exultatione spiritus protulisti: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.* Luc. I. 47.48. Faciunt de te secundùm se judicium, qui ad omnem gloriunculæ ventum agitantur ut arundo. Nesciunt quantò humilitatis pondere stabilita eras, non in te, sed in Deo salutari tuo, dum hæc Prophetica nunciatione proferres: *Beatam me dicent omnes generationes.*

TERTIUM BONUM,

Delectat.

SI delectatio est perceptio convenientis conjuncti, aut ex hujusmodi perceptione consurgit. Nihil verò convenientiùs, nihil intimiùs conjungitur animæ, quàm iste cibus in quo Christus sumitur. Delectat igitur in summo, si sensus interiores ipsius animæ, sive mentis, purgati sunt in summo. Figuratur idcircò per manna, de quo Sapiens testis, *Sap.* XVI. 7. quòd *omne delectamentum* in se habebat.

Senserunt aliqui perceptibiliter in sensibus carnis delectationem hujus panis. Sicut iste à Guillielmo Parisiensi memoratus in Rethorica sua: qui per olfactum cognoscebat locum quantumcunque aliàs incognitum, ubi repositus erat Dominus suus: ita enim loquebatur de Eucharistia. Hujus insuper cibi gustus ita sibi sapuit, ut non contentus comestione Sacramenti, vasculum ruminaverit ligneum contentivum ejus. Quid dicemus de passis extasim sæpè, vel post comestionem hujus Sacramenti, vel ad solum devotionis intuitum? Posset hujus delectationis fervidus ardor, totus incendens, totus liquefaciens, colligi per totum decursum Cantici Canticorum, sub alloquiis amorosis sponsæ ad sponsum. Videre est illic, ut æstuet affectibus, ut totum scintillet amorosum ipsius incendium, vulneratur, languet, stipatur, fulcitur, cadit, & spasmatur. Væ illis, quorum *anima nauseat super cibo isto levissimo,* Num. XXI. 5. suspirans *ad ollas carnium Ægypti, allia, porros, & pepones.* Ibid. II. 5. Væ aliis nec calidis, nec frigidis, qui nauseam & vomitum sui provocant de ore Dei; qui suavitatem unguenti perdunt per muscas tepidorum desideriorum morientes; qui similes sunt ovibus male fotis, & ideò fætidis; vel qui majori maledictione miscent fel in hoc cibo, & vinum dant myrrhatum Christo perversè sumendo.

Contemplabaris, & experiebaris hanc delectationem, etiam in mediis doloribus, ô Virgo beata: fiebat tibi in Eucharistia dilectus tuus sicut *fasciculus myrrha,* Cant. I. 12. suavis, & amarus. Sed in consideratione divinitatis totus formosus, & suavis, & *charissimus in deliciis,* & verè *totus desiderabilis* Cant. V. 16. in exultatione spiritus in Deo salutari. Sic novissimè legeris Ignatio scribens: *Non te moveat*, inquis, *persecutionis austeritas, sed exultet spiritus tuus in Deo salutari.*

QUARTUM BONUM,

Roborat.

EDUCAS *panem de terra*, quærit Psalmista cujus effectus subjungitur, *& panis cor hominis confirmet.* Ps. CIII. 15. Jungitur, *vinum* lætificans cor, & oleum devotionis faciem exhilarans. Hæc sunt tria quibus Isaac sua benedictione suum filium Jacob stabilivit: *Frumento*, inquit, *& vino stabilivi eum.* Gen. XXVII. 37. Legitur in figura, quòd Mater futura Samuëlis Anna comedit, & bibit, *& vultus ejus non sunt ampliùs in diversa mutati.* I. Reg. I. 18. Timeant illi post cibum istum mutabiliores effecti, quales notat Apostolus Corinthiis loquens: *Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt*, I. Cor XI. 30. hoc de somno mortis, vel corporis potest intelligi suæ mutabilitatis ad vitia.

A

Contemplabaris, & experiebaris corroborationis hujus virtutes. O Maria convalescebas, & in adversitatibus sæculi, quam nec ipsa mors Filii prostravit in terram. *Stabat*, inquit custos tuus virgineus Joannes, *stabat & juxta Crucem Jesu Mater ejus.* Joan. XIX. 25. Habet virtus suam antiperistasim, coadunatur in se ex circunstante non penetrante contrario, ac perindè fortificatur. Sedet Job percussus *ulcere pessimo*, Job. II. 7. sedet in sterquilinio, ubi velut in throno Regio concionatur, nec innocentiam deserit, nec veritatem, nec animi robur & virtutem amittit. Quamvis autem delectatio teneat operantem in operatione, nihilominùs tenet & contristatio quæ secundùm Deum est. Cur ita? Nimirùm quia delectat. Quæ ratio? Quia scit placere Deo. Undè hoc? Certe quia vel probat exercens ad virtutem, vel purgat, & liberat à reatu, vel erudit ad sapientiam.

B

QUINTUM BONUM,

Auget.

CONSEQUUNTUR ista se mutuò in anima nondum perfectæ charitatis, videlicet restauratio, satiatio, delectatio, roboratio & augmentatio. Et rursùs sextum, quòd est obdormitio. Collige simul unico Psalmistæ verbo tres ultimos fructus suos. *Dedisti*, inquit, *lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* Ps. IV. 7. 8. Ecce post delectationem augmentum, seu multiplicationem sequitur obdormitio. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* ℣. 9.

C

Contemplabaris, & experiebaris hoc augmentum per Eucharistiam, ô Beata. Diximus suprà quoniam virtus Eucharistiæ sacramentaliter operatur in sui digna perceptione. Differt ex hoc maximè à Sacramentis antiquæ Legis, quoniam virtus inanis erat, si non ex devotionis suscipientium; aut si virtus erat in Circuncisione, erat longè minor. Transibimus intereà de augmento virtutum tuarum, ô Beatissima Beatissimarum. Tu facta es nobis exemplar longanimitatis efficacissimum, ut non ita desideremus peregrinari à corpore, quin incolatum Cedar per pacem, & æquanimitatem, toleramus, postulantes, & sperantes gratiæ, simul & gloriæ, nos ampliorem cumulum recepturos.

Confundantur, & erubescant nequam spiritus, qui pastos hoc cibo, dum prosternere quærunt, elevant; dum expugnant, coronas fabricant; dum se extollunt *super omne, quod dicitur Deus;* 2. Thess. II. 4. vident invidi stercorosum hominem, quem *suscitat Dominus egenum de pulvere, & de stercore* erigit *pauperem ut sedeat cum Principibus*, undè excommunicati sunt, *& solium gloriæ teneat*, I. Reg. II. 8. quod appetentes ceciderunt ut fulgur in abyssum.

D

SEXTUM BONUM,

Obdormire facit.

FELIX verò somnus, suavis, & jocundus. Hic aufert, & ligat sensus exteriores, ut vigeat interior,

rior. Habet hic somnus extranea valdè, sed salutifera somnia, suo modo peragit sæpè vigilantium opera. Somnia hæc si quæris, sunt divina spectacula, ad quæ noster spiritus dormiens rapitur, & elevatur. Pulchra valdè sunt, & jocunda, & quæ in fastidium ducant omnem gloriam mundi cum ista quæ dicebat: *Regnum mundi, & omnem ornatum ejus contempsi.*

Contemplabaris, & experiebaris frequenter hæc somnia, ô Serenissima feminarum. Legimus de virginali sponso tuo Joseph, quòd pluries corporaliter dormiens acceperit divinas revelationes. Tu corporaliter vigilans, sed per contemplationis extasim dormiens, mirabiliores respexisti. Signum tuæ dormitionis post conceptionem Filii notat Lucas dicens: A Cap. I. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione.* Undè, precor, exurgens fuisti, si non à somno quodam, non tàm sensuali, quàm, spirituali, & hoc in contemplatione, quatenùs sedula fieres ministratrix in actione? Otiosorum enim est sedere, vel dormire; activorum exurgere, & progredi.

Væ nunquàm soporatis in hoc somno requiei spiritualis. Torquet eos insania vigiliarum hujus sæculi, sequuntur phantasias, & phreneses capitis sui; furiunt, movent lites, nequeunt catenis Præceptorum teneri, lacerant occurrentes, discerpunt se, reversant nescientes quid dicant, neque de his quibus affirmant; accipiunt umbras & falsa simulachra pro veris rebus, quæ solæ sunt æternæ: eorum verò similitudines sunt flexibiles, & incertæ. At èontra dor- B mientes mundo, & vigilantes Deo, vident vera, sed ab insanis istis irridentur ut insani. Ratio, quia non capiunt ea quæ vera sunt; sed umbratilia vident sub imagine vanitatis, quæ par est levibus ventis, volucrique similia somno. Hinc implacabilis rixa contra spiritales per mundanos; hinc subsannationes, & pugnæ. Volunt nempe spiritales ad sanitatem deducere phreneticos istos: at sibimet sapientes, sibi divites, suis in malis ridentes, & cantantes refugiunt, odiunt, & persequuntur. *Dixit enim insipiens in corde suo, non est Deus.* Ps. XIII. I. Dixit & sapienti quotidiè, *ubi est Deus tuus.* Sapiens, & fidelis ostendit sacratam Hostiam, & dicit. *Hic est Deus meus.* Protinùs extollunt risum, subsannant, & blasphemant: C *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Joan. VI. 61.

Contemplabaris, ô Virgo, tales benigna, compatiebaris, & orabas, & mentem optabas eis meliorem dari.

SEPTIMUM BONUM,

Caro servit.

DEBILITATUR itaque fomes carnis concupiscens, & tyrannizans adversùs spiritum, dùm ritè sumitur iste cibus vitalis: gustato quippe spiritu, desipit caro.

Contemplabaris experta non noviter bonum istud, ô Maria: quippè fomitem omnem carnis extinxerat Verbum in te caro factum. Utrùm verò passionabiliter aliquando movebaris, tractavimus quodam dramate Cantici tui. Sed videre me videor subsannantes insanos Legem, & Eucharistiam Dei nostri. D Ecce, inquiunt, promittis per Eucharistam carnem sub servitute redigi, quæ plerumque sævit acriùs, impugnat acerbiùs. Exemplum de Apostolo vestro sumite, qui dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, I. Cor. IX. 27. nihilominùs sub pondere ejus pressus gemebat: *Non quod volo facio.* Rom. VII. 19. Et rursùs: *Velle mihi adjacet, posse autem bonum, non invenio.* ℣. 18. Hinc exclamabat: *Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis hujus?* ℣. 24. Accipiat verò quisquis opposuerit talia, dictum quod continuò subjunxerit, quasi talibus, sibique respondens: *Gratia Dei*, supple, liberavit me, *per Jesum Christum.* ℣. 25. Et ubi gratia, si non in Eucharistia confertur dispositis? Dudùm in re simili multas assignavimus rationes ferè viginti, cur non semper conceditur sentimentum spiritus extinguens formitèm carnis actualem. Tres sunt principales, humiliatio, patientia, seu probatio, & coronatio. Procedimus nunc aliâ viâ, transeuntes ad octavum Eucharistiæ bonum.

OCTAVUM BONUM,

Mens dominatur,

SI mens in Sacramento Eucharistiæ subjicit se fideliter Deo, subjectam habebit profectò carnem. Dixit Dominus ad Caïn: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Gen. IV. 7. Intellexerunt hoc aliqui dictum de appetitu voluntario, & libero. Sed illi, secundùm Aristotelem, ratio dominatur regulariter: quia potest contradicere, nec obedire, tanquam libera contradictioriè in seipsa. Dominatur autem ratio cum voluntate appetitui sensitivo serviliter, & despoticè, quia potest, & debet rebellantem coërcere, At si non potest, & vult, liberatur à culpa, si mens sit in gratia sub Lege Christianæ libertatis.

Contemplabaris hæc dum viveres, Virgo beata. Colligebas ex hac radice causam assertionis Filii tui: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matth. II. 30. Detur aliquis, quantumlibet oneratus pondere carnis, tollat suprà se jugum Christi, vel in Baptismo, vel in Eucharistiæ Sacramento, vel in Pœnitentiæ lavacro, confestim efficietur dignus civis vitæ æternæ. Tradebant Philosophi felicitatem aliquam nos posse consequi. Sed, ô bone Deus, per quanta temporum dispendia, per quot exercitia virtutum moralium, per quàm raram, & arctam prudentiæ semitam, & directionem paucissimis datam; Christus noster uno momento viam ad beatitudinem, non qualemcunque, sed æternam aperuit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Marc. XVI. 16. Et rursùs pro re nostra. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Joan. VI. 52.

Denique Legem dedit, quam observat. Si *septies*, immò *septuagies septies* peccaverit homo & dixerit, *pœnitet me*, jubet, ut dimittatur ei. *Matt.* XVIII. 22. Non est minùs misericors, ut non dimittat sibi dicenti, *pœnitet me.* Plenæ sunt exemplis Scripturæ suæ, de publicanis, de peccatoribus, de adultera, de latrone, de Petro. Quis verò nesciat, quin mens Eucharistiæ Sacramento se ritè subjiciens dicat ex animo, *pœnitet me?* Quo dicto vincit carnem, ut non sibi rebellis fit ad perditionem, si non spontè se dederit rursùs mancipium sibi, serva vilis effecta per indignam libidinem, aut furorem.

Ast fortè dicet aliquis: dominationem mentis suprà carnem esse fragilem, servitutique proclivem. Fatemur, quoniam & *thesaurum nostrum habemus in vasis fictilibus*, 2. Cor. IV. 7. ne quis glorietur, sed assit robur Fidei, *quæ per dilectionem operatur.* Gal. V. 6. Accedat Fides; hujusmodi, mens utique domina fiet invincibilis: poterit quidem à corpore, violenta morte, tolli, sed non vincetur, immò victrix coronabitur. Nolo per exempla singula morari. Turba Martyrum omnium de omni ætate, & sexu profert testimonium omni exceptione, vel calumnia majus, quorum plurimi sub eodem penè momento, de reprobis per omnem vitam servis suæ carnis, fecit Fides Christi dare carnem suam ad mortem. Romanus, Genesius, Josias, Latro bonus, & mille alii; tàm subitò mens eorum dominata est carni, tàm feliciter, & fortiter ex ejus subjectione sunt in æternum triumphatores effecti.

NONUM BONUM,

Vim genitivam dat.

CIBUS habet hoc proprium, dùm nutrit comedentem, ut tempore suo faciat habilem ad generationem. Semen enim, superfluum est alimenti, non A in quali, sed in quanto provenit indè stimulus, & tempus amantium.

Planè *quando venit plenitudo temporis*, Galat. IV. 4. Deus dedit cibum Eucharistiæ, fecit per ipsum mentem esse verbigenam, sterilitate depulsa. Cibus iste, juxtà prædicta,

Restaurat, satiat, delectat, roborat, auget,
Obdormire facit.

Quid consequentius, quàm ut vim genitivam det. *Immisit Dominus soporem in Adam*, Gen. II. 21. ex ejus costa, vice feminis, statuit eam in mulierem. Mysterium est Christi dormientis in Cruce, & Ecclesiæ sponsæ. Hunc Christum inebriatum vino charitatis & nudatum, senior Judaïcus Filius irrisit, & maledictus est. B

Contemplabaris, ô Maria, quoniam si mens exemplo tuo sit Domina, fit apta ad generationem Verbi. Tua enim interpretatio Dominam sonat. Et certè ita decebat, ut ad Dominam mitteretur Angelus partu consecrandam divino, parituram quoque Dominum dominantium; hoc quoad literam de carnali generatione Verbi, non secùs de generatione mentali.

Contemplabaris omnia quæ de spirituali desponsatione Dei & animæ notata sunt in Scripturis, præsertim in Canticis Canticorum. Intelligebas omnia quemadmodùm vergunt in hanc sententiam. Ecce per analogiam virginalis aliqua mens nutrita cibo vitali, manet in se, tanquam in civitate, id est, civium unitate, qui sunt cogitationes, & affectiones ordinatæ. Civitas hæc est Galileæ per transmigrationem æternam, per volubilitatem obedientiæ, per rotam interminabilem circà beatissimam Trinitatem. Huic civitati nomen Nazareth ob floridam conversationem. Mittitur *Angelus à Deo* fortis, scilicet instinctus divinus, ad mentem hanc, virginem desponsatam, sed non in concupiscentia junctam viro, qui est spiritus suus intellectualis, sonans in augmentum. Ideò *nomen* ejus *Joseph de domo David*, Regis utique cœlestis manu fortis. *Et nomen Virginis Maria*, quæ Domina salutatur, ut *gratia plena*, turbatur ut verecunda, cogitat ut prudens, *qualis* est *ista salutatio*. Confortatur, edocetur, affecuratur per instinctum, quoniam *Spiritus sanctus superveniet in* se purificans eam ab omni concretione materiali, *& virtus Altissimi*, Verbum Patris, *obumbrabit* sibi per secretum sui luminis illapsum. *Ideoque & quod nascetur ex* illa *sanctum*, *vocabitur Filius Dei*. Credit, optat, consentit, & concipit, efficitur Verbigena, mox ut obediendo dixerit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. I. 26. & seq.

Contemplabaris experiens quotidiè mentem tuam, ô Maria, Filium Dei parturire per amorosorum exercitia donorum, donec in Bethleem, domo panis cœlestis, nasceretur hîc jam non puer, sed vir perfectus, & collocaretur non in præsepio, sed in Throno Patris summi, & astares à dexteris ejus Regina: quæ omnia ecce completa sunt in te. Ideò *beata quæ credidisti*. ℣. 45. Ideò per hanc beatitudinem obsecramus mentes nostras tuis precibus divino germine repleat Eucharistiæ sacer cibus.

DECIMUM BONUM,

Transformat.

NULLUS invenitur illapsus intimior in corporalibus, quàm ut cibus convertatur, & transformetur in cibatum. Manet jam non in se, sed in comedente; vivit ejus vitâ, non suâ. Scimus, quòd ex voce Domini dixerit Augustinus: *Cibus sum grandium. Cresce, & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Notavit hanc intimitatem Christus, qui olim sub nomine sapientiæ posuisse se dixerat *mensam*, & miscuisse *vinum*. Nouissimè cùm cenaret cum Apostolis: *Ecce*, inquit, *dispono vobis regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam.* Luc. XXII. 29. 30. Poterat infirmos, aut carnales movere ut crederent quòd regnum Dei sit esca, & potus, nisi verba sapientiæ prorsùs nos à tali suspicione redderent alienos, & Apostolus expressisset, immò & Christus affirmasset, quòd erunt in gloria sicut *Angeli Dei*, qui nec nubent, nec nubentur; profectò nec ideò comedent, aut bibent cibum carnis. Quid autem sit iste panis, & iste cibus regni cœlorum, dedit Christus intelligi dum ait: *Qui mànducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Joan. VI. 57. Est igitur, hunc cibum manducare, in eo manere.

Contemplabaris, ô sapientissima feminarum, quoniam in Eucharistiæ Sacramento fit transformatio panis in essentia sua, remanentibus accidentibus. At verò dùm mens in Deum transformatur, remanet quidem essentia mentis, sed accidentia nova succedunt, non phantastica, non materialia, sed Deiformia, divina claritate radiante. *Transformamur* (inquit Apostolus 2. Cor. III. 18. *de claritate in claritatem*, de claritate communis notitiæ rationalis acquisitæ, in claritatem Fidei Deiformis infusæ, de claritate hac Fidei, in claritatem intelligentiæ, & de hac demùm, in claritatem saporosæ, & sapientialis experientiæ.

Experiebaris transformationem istam in sumptione sacri cibi; propterea sicut de voluptuosis brutalibus concludit Philosophia apud Boëtium, quòd *deformantur in belluas*; ita de sapientibus elicit, quòd in Deum transformantur. Denique sicut primi sunt belluæ, vel pecora, in effigie corporis humani; ita de secundis rectè dicimus, quòd sunt dii sub humana specie transformati; felix hujus transformationis cognitio, sed experimentum, & sentimentum longè beatius. C

UNDECIMUM BONUM,

Inarrhat.

DEDERAT olim Dominus animæ rationali pignora suæ dilectionis, pulchras arrhas suæ desponsationis cœlum, & terram, ad ejus obsequium, simul & solatium. Contempserant has arrhas plurimi etiam Philosophorum, atque eis omnia viluerant. Dedit ad extremum seipsum pariter in arrham, & pretium, dùm in hoc sacro convivio juxtà Canticum Ecclesiæ, *futuræ gloriæ pignus datur*. D

Contemplabaris, ô dilectissima mulierum, sedula mente cum gratiarum actione pignus, & arrham desponsationis tuæ, non in uno tantùm, sed in qualibet creaturarum refulgere. Dicebas ad intuitum cujuslibet: arrham hanc dilectionis suæ contulit mihi Dominus sponsus meus; dedit omnia mihi, & non minùs mihi, quia cum multis, immò tantò jocundiùs, quantò nulla sine socio jocunda possessio; dedit omnia mihi quatenùs ipsum cum omnibus & super omnia cognoscam, colam, dili-

diligam, laudem, & adorem. Dedit cœlum, & terram: quid enim horum indigebat? Dedit & omnia quæ in his sunt in consolationem vel famulatum: ecce pignus amoris. Addidit manus in reparatione, quia propter nimiam Charitatem suam exinanivit majestatem suam, ut acciperet causâ mei pro me servilem formam, frater effectus, & filius, ex Deo, Rege, Domino, & Patre. Crevit itaque arra benevolentiæ simplicis, in dilectionem gratuitæ electionis, undè dilectio nomen habet. Proindè prolapsa est dilectio in amicitiam (quæ addit ad dilectionem signa mutua cum communicatione secretorum) quando cum hominibus conversatus est. *Jam*, inquit, *non dicam vos servos, sed amicos.* Joan. xv. 15. Amicitia proindè A prolapsa est in zelum propter singularitatem amicitiæ, quæ non compatitur societatem in amore, qualis est sponsi ad sponsam; & è contrà, dum, & si societas rumpit fœdera pactionis. Zelotypiam hanc consequitur inamoratio, qualem suo modo experimur in stultè philocaptis. Hanc senserat quæ languens dicebat: *Vulnerata charitate ego sum.* Postremò nil superest, nisi plena, & secura possessio. Hæc nominatur propriè in bonum Charitas, idest chara unitas, de qua sequens est ultimum Eucharistiæ bonum.

DUODECIMUM BONUM, B

Unit.

HIc finis, hoc complementum omnium quæ dicta sunt, aut dici possunt, super cibi istius laudibus, fructibus, & effectu. Totus ob hoc mundus creatus est, exterior, & interior. Ad quid inquies? Certè ad unitatem, ut omnia sint in unum consummata; hoc est illud verbum, de quo Christus: *Porrò unum est necessarium.* Luc. x. 42. Et divinus Dionysius, *Omnia uno participant.* Demùm & ipse Theologiam suam mysticam in unione suprà mentem constituit. Unionem hanc præposuit sponsa pro fine dilectionis sub osculi nomine, *Osculetur me osculo oris sui.* Cant 1. 1. Consonat Apostolus: *Unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus.* 1 Cor. x. 17.

Contemplabaris, ô Beatissima Beatarum, unionem istam sub velaminibus, & symbolis multipliciter insinuatam, qualis erit in patria una domus Patris, *&* C *mansiones multæ*, Joan. xiv. 2. *& unum ovile, & unus Pastor*, Ibid. x. 16. unus denarius diurnus, una corona, unum bravium, unus lectulus, unus sinus, unum cubiculum, unus nidulus, unus panis, unum corpus, & unus spiritus, unum gaudium, penetrabas contemplans omnes has similitudines. Sed nescio, si difficilius, & profundius sit ad intelligendum verbum Christi, qui dum transiturus ad Patrem oraret pro electis, *ut sint unum*, inquit, *consummati in unum.* Joan. xvii. 23. Et rursùs: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* ℣. 22. Major itaque, vel singularior unitas nulla est, quàm beatæ Trinitatis. Magna igitur, & singularis est unitas omnium electorum inter se, & cum Deo. Magna, & admirabilis est unio Humanitatis Christi in unitate personæ Verbi. Sed si per intellectum secludatur unio beatifica, hæc secunda erit inquam eligibilior primâ.

Da sapientissima Beatorum omnium, da posse me quicquam in re tanta scribere quod sentit, aut sentire desiderat hebes mens mea, da te illustrante, & D Deo propitio, aliquid balbutire. Assumitur in primis manuductio imaginationis, non ut duret, sed ut transeat. Imaginetur circulus more Mathematico, ex cujus centro medio indivisibili penitus, & unico, protendantur lineæ rectæ usque ad quodlibet punctum circumferentiæ. Transcendat ratio, vel mens imaginationem, & addat quòd centrum habeat vim cognitivam, qualem habet Angelus; habeat similiter quælibet linea recta a centro egrediens ad circumferentiam, vim hujusmodi cognitivam. Constat ex hac hypothesi, quòd quælibet linea per cognitionem, non solùm per terminationem, attinget totum punctum: neque enim potest dici, quòd partem unam una, alteram altera solùm apprehendat, cùm pars ejus non sit. Centrum similiter intelliget singulas lineas à se protensas ad circumferentiam; maximè si ponatur quòd iste sit ambitus activitatis suæ, & cognitionis.

Ascendat adhuc sublimiùs mens nostra, & ponat quòd illud centrum sphæræ intellectualis non accipit cognitionem linearum à se progredientium per receptionem cujuscunque motionis objectalis ab extrà, sed in se sit ex se sufficiens omnium cognitio. Ecce quòd hucusque nihil posuimus à magnis, & elatis Philosophis alienum; si dixerimus, Deum esse centrum tale, talisve naturæ. Accedat modò Fides, aut intelligentia per Fidem purgata, illustrata, roborata, elevet mentem suprà Philosophiam sequentium solàm experientiam effectuum, ad investigationem causæ primæ. Doceat Fides quemadmodùm Deus quasi centrum jam positum non educit ex se lineas, aut circumferentiam ex se causat extrà per effectus, nisi purè liberè, contingenter, quià planè bonorum creaturæ suæ non eget, sufficientissimus per se sibi. Porrò sicut non efficit aliquid extrà se nisi purè contingenter, ita nec objicit se per modum formæ intelligibilis cuicunque intellectui creato, nisi purè liberè, contingenter sub quacunque ratione. Sit ista ratio absoluta entis, sit denominativa ratio unius per indivisionem sui, sit denominativa ratio veri per comparationem ad intellectum, sit denominativa ratio boni per comparationem ad appetitum, maximè ad appetitum rationalem, vel intellectivum, seu mentalem, quia propriè solus talis est primi boni capax & ejus particeps esse potest, sicut & intellectus primi veri. Consequenter adjuvet imbecillitatem nostræ mentis illustratio tua, Virgo sapientissima quatenùs istam quam quærimus unionem attingamus. Et si non hìc per experientiam facialem, saltem per intelligentiam discretivam, & perceptionem directivam.

Concessum invenio, & deductum à magnis mundi Philosophis, maxime Platonicis, quòd per virtutes purgati animi potest intellectus separatus à corpore uniri formari, sustentari in Deo primo, & unico omnium centro. Concessit hoc adversarius noster procacissimus Averrois. Erraverunt tamen isti, & defecerunt scrutantes scrutinio, quia viam, & ostium, scalam, & vehiculum perveniendi non habuerunt, aut rejecerunt Dominum nostrum Jesum Christum. Rursùs quia *Deum non sicut Deum glorificaverunt* Rom. 1. 21. benè vivendo, & humiliter gratias agendò, pièque colendo, erat eorum intelligentia discretiva, non satis quidem clarè de Deo super hoc, & nunc, qualem habent dæmones, sed sine humilitate, & pietate, & devotione: & charitate: In elatione oculorum, in exaltatione cordis, in suis non Dei viribus spem habentes. Venit Christus tuus, & noster, ô Benedicta, se viam, & exemplar oppositæ humilitatis exhibuit *factus obediens* Deo *usque ad mortem mortem autem crucis*, Philipp. 11. 8. quia nihil abjectius poterat cogitari. Cur sic? ut elevatus à terra, id est, ob omnibus quæ terreni homines quærere possunt, traheret ad se omnia, tàm exemplo tali, quàm auxilio invisibili. Postremò quia transiturus erat ad Patrem etiam corporaliter, videntibus Discipulis, quibuscum eras humillima creaturarum reliquit hoc pignus dilectionis, hanc arram Eucharistiæ, quæ nos consummat in unum. Nam quid dici potest unitius, quàm *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Joan. vi. 57. De inesse, & mansione superadmirabilis prorsùs ista sententia: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum san-*

guinem, in me manet, & ego in eo, Joan VI. 57. nec minùs admiranda, simul & amplexanda quæ sequitur: *Sicut me misit vivens Pater, & ego vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me*. ℣. 58. Denique subditur: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. ℣. 59. Et quoniam alio tempore, & loco Christus ait: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Joan. XIV. 2. Et iterùm de diligenti se: *Et Pater meus*, inquit, *diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. ℣. 23.

Subdamus aliqua de hujusmodi mansione, per quam noster *Emanuel* (*quod interpretatum est nobiscum Deus*) Matth. I. 23. manet in manducante, & manducans in eo. Mansio in alio, præsupponit *esse in*. Sunt autem secundùm Grammaticos sedecim modi *essendi in*, quos Philosophus restringit ad octo, addunt aliqui nonum. Sed sub compendio dicamus quòd esse in alio maximè per mansionem, dicit duo. Dicit enim distinctionem aliquam, quia nihil unum penitùs sine quavis distinctione reali, vel ratione substantiali, vel accidentali, absoluta, vel relativa, dicitur esse in aliquo, licèt benè concedamus, aliquid esse idem sibiipsi, resolvendo locutionem ad hanc negativam, *quòd idem non differt à seipso*.

Alterum quòd importat mansio, dicit quamdam unionem, seu convenientiam duorum in aliquo quasi tertio, sive illud tertium sit substantia, sive sit res aliqua relativa, sive sit accidens absolutum, sive relativum. Sublata enim per intellectum omni convenientia ad invicem, non remaneret modus, cur una res diceretur esse in altera. Fiet hoc perspicuum, quisquis modos *essendi in*, discutere voluerit. Sed veniamus ad compendium super proposita mansione.

Mansio mutua manducantis cum manducato in Eucharistiæ Sacramento, manifestam habet manducantis, & manducati distinctionem, & diversitatem. Superest idcircò solùm investigare, quid est illud in quo uniuntur. Et primò dici nequit quòd uniantur in eadem essentia, sicut tres personæ distinctæ sunt ejusdem penitùs essentiæ. Undè consurgit, quòd Pater est in Filio, & Filius in Patre, & Spiritu sancto per incircumincessionem, quâ nulla potest esse major Sic enim Evangelium sancti Joannis incipit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Sed neque est ista unio in identitate relativa personæ, quemadmodùm in Christo tres naturæ uniuntur. Porrò non est unio, quæ est per participationem carnis ejusdem, quomodò tu beata Virgo cum Filio tuo communionem sortita es, ut diceretur singulariter, *Dominus tecum*, Luc. I. 28. & quòd Filio tuo singulare præparasti hospitium.

Mansio quam inquirimus, non tantummodò generalis in existentia, quâ Deus dicitur esse in rebus per potentiam, præsentiam, & essentiam, secundùm triplex genus causæ: efficientis, quâ dicitur esse in rebus appropriatè ad potentiam; formalis ad præsentiam; & finalis, ad essentiam. Quoniam hoc modò est in re qualibet, usque ad insensibilia, & dæmones. Immò etsi per impossibile res non dependerent à Deo in aliquo genere causæ; tamen propter immensitatem suam diceretur Deus adhuc esse in rebus; quia videlicet res non essent sine Deo ipsas penetrante, neque Deus sine eis.

Sed neque mansio quam quærimus, fundatur sufficienter in conjunctione donorum non gratificantium, qualia numeravit Apostolus de divisione gratiarum loquens, quæ licet sint à Spiritusancto, possunt nihilominùs esse sine ipso, supplent Doctores, gratificante, vel acceptante; quia constat istas gratias esse non posse, ipso non operante, secundùm triplex genus causæ; immò si scrutamur acutiùs, nulla res potest dici esse in Deo, & è converso, nisi secundùm aliquam habitudinem causæ, vel productionis, vel communicationis, accipiendo amplè nomen causæ ad creationem, & conservationem: & sicut Richardus extendit in divinis ad productionem personarum; sed non admittitur à modernis. Sic enim Pater est in Filio, quia communicat essentiam quam habet primitùs, & fontaliter, producendo Filium, & non quòd sit perfectior Filio, vel Filius imperfectior; sed hæc est productio ex proprietate primi principii, sicut est ex proprietate Filii, quòd recipiat à Patre totum quod est Patris, seclusa primitate producendi naturali modò

A Filium alterum: communicat nihilominùs primitatem respectu spirationis Spiritus sancti modo liberali. Sanctus verò Spiritus non potest ultrà habere primitatem, nisi respectu productionis creaturarum, & unum principium cum Patre, & Filio.

Mansionis convenientia quam inquirimus, consistit in habitu, vel actu, vel utroque gratiæ gratum facientis; vel consummatæ sicut in patria; vel inchoatæ, sicut in via: consonant Doctores. Sequitur ex præmissis per indirectum. Stemus igitur in hac veritate, & videbimus, quomodò *sunt in domo Patris multæ mansiones*, Joan. XIV. 2. & tamen unica est. Multæ quidem propter multitudinem singularium gratiarum formalium differentium in perfectione, *sicut stella differt à stella*, secundùm Apostolum I. *Cor*. XV. 41. in hoc proposito.

Est autem unica gratia gratificans objectaliter, clariùs, & obscuriùs, non in actu suo intrinseco, qui certè unicus est, & immensus, & idem; sed in effectu ex-

B trinseco. Sic salvatur illud de Prosa, quòd

Una vox est lætantium,
Et unus ardor cordium.

Trahit ad idem illud *In voce exultationis, & salutis sonus epulantis*. Psalm. XLI. 5. Non dicit, in vocibus, & sonis, nec dicit, in una voce, & sono. Traheret nos (si sequi vellemus) ad amplissimam istam de canticis materiam, & harmoniam, quemadmodùm unica est symphonia in universo, tanquàm in organo magno, quoniam unica vox est, & unus sonus, vel unisonus concentus. Undè & harmonia, & concentus, & symphonia, & unisonum, vel monochordum, sua interpretatione dicuntur ab unitate. Et hoc quidem gratissimè, & appropriatissimè ad versum Psalmistæ nunc inductum. Consonat ad manducationem, vel epulationem Eucharistiæ, qui respicit insuper symphoniam illam, & chorum, dùm occiso vitulo saginato pro reditu filii, dicebat Pater Evangelicus duro, & dissono fratri: *Epulari, & gaudere oportebat*. Luc. XV. 32. Sed alibi copiosissimè materia hæc (utinam salu-

C briter) à nobis tractata est in utraque lingua.

Mansionis hujus convenientia licèt sit unica in radice gratiæ gratum facientis, sortitur nihilominùs nominationes plurimas sine numero per Scripturas sacras. Et hoc expediens est scire, simul & notare, propter amplificationem sanctarum meditationum, & affectionum devotarum consequendam, quamvis hoc nequeat ad plenum fieri, nisi fuerit homo spiritualis effectus, & quasi totus Deiformis, aut deiformatus, aut deificatus, secundùm varios gradus gratiæ in via, & consummationis in patria. Dicitur (exempli gratia) mansio Dei in homine, & hominis in Deo, ut hîc. Dicitur vivificatio, & habitatio vitæ æternæ, saltem in radice, ut hîc, vivet in æternum, quia suam gratiam habet. Dicit autem Apostolus Rom. VI. 23. quod *gratia Dei* est *vita æterna*. Dicitur & *osculum oris sponsi*, quod petit sponsa. Dicitur *lac*, & *vinum*, & *unguenta*, & *oleum effusum*, & *tractus*, & *pulsus* ad sponsum. Dicitur *introductio in cellaria*, *conjunctio dilecti inter ubera sponsæ*, tanquam *fasci-*

D *culus myrrhæ*. Dicitur *suus decor*, *sua quies in lectulo florido*. Hoc est *donum perfectum desursum descendens*, Jacobi. I. 17. non ascendens de deorsùm. Hæc est sapientia divinitùs inspirata cum suis laudibus universis. Hoc divinum silentium, hoc *sibilus auræ tenuis*, hoc susurrium verbi absconditi, hoc *vox quasi auræ lenis*, immò & *tonitrui magni*, & ut ad unum colligamus innumera, quicquid sonat mansionem vel habitationem, vel inhæsionem, vel unitatem unius

unius corporis, & unius spiritus, animæ cum Deo, sponsæ cum sponso, unicæ cum unico, sub gratiæ gratificantis nomine, & radice, principio, forma & fine, unico vocabulo datur intelligi, quod est manere in Christo per mutuum gratiæ complexum.

Invenies autem semper in hac mansione, quomodolibet nominetur, habitudinem causæ ad causatum, & è contrà. Sic materia de qua minùs videtur, dicitur esse in forma, nedum quià recipit influxum formalem ab ea, sed quià communicat sibi potentialitatem subjectivam, ut subsitet in ea sicut in materia, quàmvis dicitur solùm patiens; nihilominùs appetitiva simul est, ut accipiat formam, ut perficiatur ab ea. Sic locatum appetit locum ut conservetur, & locus locatum, ut conservet ipsum. Similiter Deus, qui bonorum nostrorum non eget, vult gratuita pietate communicare se creaturæ suæ, præsertim rationali, quæ communicatio dicitur inhabitatio, secundùm triplex genus causæ, extendendo ad creationem, & conservationem, & objectalem motionem, vel immutationem vocabulorum causæ.

Plurimùm est ista consideratio pro cognitione quidditatis ipsius mansionis rerum in Deo, juxtà illud Philosophicum, quod Paulus Theologicum fecit: *In ipsa vivimus, movemur & sumus.* Act. XVII. 28. Fas porrò convertibile dicere est: Deus in rebus suis est per potentiam, præsentiam, & essentiam, modo dicto. Sed in aliquibus ultrà simplex esse confert benè esse, maximè per gratiam, & gloriam. Et hæc inhabitatio respicit influentiam divinam, quæ superadditur ad naturam, & essentiam.

Mansionis hujus convenientiam gratuitam profectò felix qui possederit habitualiter, felicior qui actualiter cum habitu; sed felicissimus, qui *revelata facie* transformatus fuerit *in eandem imaginem de claritate in claritatem tanquàm a Domini spiritu* 1. Cor. III. 18. actus, ductus & tractus, ita quòd sentiat per *illuminatos cordis oculos* (sicut imprecatur Apostolus: Eph. I. 18. *supereminentem scientiæ charitatem Christi*, Eph. III. 19. hoc est; gratiam hanc conjungentem, & charam unitatem ad simplificam Deitatem.

Multi quidem sunt qui habent in habitu, sicut pueri noviter baptizati. Multi qui in actu possident, & exercent dum merentur. Sed paucissimorum est sentire distinctè, & apertè nexum istum, mansionem istam, vocem istam, propter occursationes curarum in memoria, phantasiarum in intelligentia, & concupiscentiarum (quamvis minimè criminalium) in volitiva, vel affectiva. Sentiunt hanc gratiam inhabitationis Christi, & Spiritus sancti, qui cum Apostolo mente excedunt *Deo*, præterea sentiunt operationem intrà se verbi Dei; de quo dicit idem Apostolus, quòd *vivus est sermo Dei*; Hebr. IV. 12. quià loqui potest cum quolibet *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipite*, quem gladium venit Christus mittere in terram ut pertranseat *usque ad divisionem animæ, & spiritus, &* feratur spiritus sursùm, & anima maneat deorsùm, quod fieri nequit, nisi maxima pax fuerit, & silentium, tam sursùm, quàm deorsùm; nisi præterea fuerit divisio compagum, & medullarum, & cognitionum, & affectionum naturalium sese complectentium. Fiat etiam discretio cogitationum, & intentionum simplicium, naturaliter acquisitarum, vel acquisibilium, & remaneat in sentimento, & experientia; solùs felix iste, & gratuitus deiformis illapsus, & influxus Spiritus Jesu Christi, plùs supereminens in spiritu, & mente super animam quàm distat cœlum, & terra.

Dicimus, operationem vitalem non ità penitùs esse eamdem in spiritu, vel cum spiritu & anima. Sentiunt hanc gratiam actualem, & experimentalem, non quidem omnes qui dignè manducant Corpus Christi, & in quibus manet Christus, & ipsi in Christo, sicut modò dicebamus: sed væ etiam cordi hominis, quod *pravum* est, *& inscrutabile,* Jerem. 17. 9. quià putaverunt aliqui gloriantes in se; & habentes cor elatum, & exaltatum, & elatos oculos ambulantes in magnis & mirabilibus super se, neque humiliter sentientes. Putaverunt, inquam, vel ex consuetudine sensuum exercitatorum, sicut aliquando fit in habentibus consuetudinem prophetandi, vel ex diabolica illusione excæcante cor, justo sed occulto Dei judicio, tanquàm in somno gravi, sentire, distinguere, & experiri in se regnum Dei hoc intrà se, & dicere ex sen-
A tentia: Ps. LXXII. 26. *Defecit caro & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*; sed mentiebatur iniquitas sibi. Beata igitur, & ter beata semper humilitas, quam solus docet, & dat ille qui ait: *Discite a me, qui a mitis sum, & humilis corde.* Matth. XI. 29. Denique *Beatus vir, qui semper est pavidus,* Prov. XXVIII. 14. & exultans in tremore, complens illud quod est omnis homo. *Deum time, & mandata ejus observa.* Eccl. XII. 13. Non quòd timor humanus; mundanus, & servilis stet cum charitate, quæ talem omnem *timorem mittit foras.* Joan. IV. 18. Sed non illum profectò castum; quià *manet in æternum.* Auget potiùs assiduè usque ad gloriam confirmatam, in qua firmatur, & sistit. *Manifestum est igitur magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum in spiritu, & est assumptum in gloria.* I. Tim. III. 16. Neque minùs mira-
B biliter in hac sacra manducatione Sacramentum hoc pietatis exhibetur, quod quidem manifestum est in sensibilibus signis panis, & vini, velut in carne; sed per gratiam cum Fide, Spe & Charitate justificat hominis spiritum, & quodammodò assumit in gloria, quia Fides dirigit ad imaginem specularem gloriæ Dei. Spes erigit usque ad interiora velaminis ejusdem gloriæ Dei. Charitas verò se erigit, subintrat, & apprehendit, & astringit dicens Cant. III. 4.: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Subindè vox ejus est Sunamitis ad Eliseum: *Vivit Dominus, & vivit anima mea, quia non dimittam te.* 4. Reg. IV. 30. Apprehendam te (inquit anima in Canticis) *& introducam* te *in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Cant. III. 4. Felix introductio, & nota sunt quæ sequuntur. *Quæstus* præterea *magnus est pietas* hæc *cum sufficientia.* I Tim. VI. 6. Reponit enim cor hominis in sede sua, & in centro, & in loco quandoque proximiùs, dum plùs est cor assimilatum, depuratum, & illuminatum, cum pondere majoris charitatis. Exemplum in magnete ferrum
C trahente nunc vehementiùs, nunc remissiùs, pro qualitate mediorum; nam si circumliniatur ferrum per allium, suspenditur vis attractiva. *Pietas* itaque subindè *valet ad omnia*, I. Tim. IV. 8. quoniam reddere docet, & ordinare, prout unicuique debitum est; Deo, sibi, & proximo, secundùm genus omne passionum, vel affectionum, ut gaudeat speret, timeat, & doleat sicut oportet, moderatè, secundùm circumstantias omnes, prout sapiens judicabit; & debita pii cordis harmonia suadebit.

Dicamus præterea, quòd mansio mutua manducantis hoc Sacramentum cum Christo manducato salvari non potest, neque cognosci, sine cordis mentalis motu. Ità enim dicebat Bernardus pluries expertus, sentire se præsentiam Verbi ex motu cordis, intellige mentalis; undè etsi nonnulli voluerint hanc mansionem posuisse sine habitu gratiæ distincto à Spiritu sancto; nulli tamen negaverunt motum cordis distinctum tàm à Deo, quàm à corde, seu mente
D cordis, qui motus cordis totus fit supernaturalis per infusionem ac illapsum Spiritus sancti moventis cor, qualiter nulla facere posset creatura, immò nec ipsa mens sola taliter se movere posset, quamvis sit instrumentum seipsum movens, sed non tali motu deiformi, nisi detur à Spiritu sancto. Iste autem motus est nexus ipse medius quo Christus est in manducante se dignè actualiter, & manducans in eo; ita quòd recipiens istum motum, tanquàm si chorda musicalis percutiendo sonorè moveretur, reddit illum motum, & istum sonum Deo, quemadmodùm Fi-

lius recipiens Spiritum sanctum à Patre per inspirationem activam Patris, reddit per eamdem vim spirativam quam recipit, Spiritum sanctum Patri. Agitur ergo, & agit anima manducans actualiter dignè Christum, & in eo manens: quia scilicet facit illum actum per acceptionem, & redditionem spontaneam esse suum.

Qualis autem sit iste motus, aut quid, dixerunt aliqui, non esse rem absolutam, vel formam, vel respectivam, seu relativam. Alii, quòd est complexè significabile, scilicet animam sic se habere. Alii formam posuerunt esse absolutam de genere qualitatis. Alii tenentes idem, quòd simul est forma respectiva, addiderunt subjectum denominare esse tale vitaliter immutatum, & Deo acceptum; undè nec tali denominatione posset informare subjectum non cognitivum, vel affectivum. Et quoniam Deus non potest esse talis forma constituens, vel informans, & relativa dependens, jure damnatus est Parisiis Articulus tali positioni favens. Similiter in Decretalibus summorum Pontificum, quòd Deus solus est formalis beatitudo, sive lumen gloriæ, nihil actu superaddito. Nec celeberrimus ille Hugo, neque Magister Sententiarum, unquàm ità ponere voluerunt, qualiter improba quorundam subtilitas sine modestia, sine freno furiosè se agens, trahere conata est. Patet ad extremum sensus Apostolici verbi: *Unum corpus*, & unus spiritus *& unus panis sumus*. I. Cor. III. 17. Et alterius Lucæ: Act. IV. 33. *Erat cor unum, & anima una.* Intellectus insuper totius illius cœlestis Sermonis nocte Jovis sancta per tria capitula. Libet exclamare cum Propheta canticum illud: Ps. CXXXII. 1. 2. *Ecce quàm bonum, & quam jocundum, habitare fratres in unum Sicut unguentum in capite* Christo, *Christi* autem *caput* est *Deus*. I. Cor. 11. 3. Reliqua autem quælibet creatura (maximè autem rationalis) est corpus ejus, vestimentum ejus, mons ejus. Mons quidem Hermon prius anathematizatus, & mons Sion justificatus. Et quid ros? nisi gratiosus illapsus illius: Osee. XIV. 6. *Ego ros, & Israel quasi lilium germinabit.*

Denique datur credi, datur etiam sciri, datur & aliqualiter intelligi. Sed quàm beatiùs erit, & experiri, quomodò Deus hospes gloriosissimus erit *omnia in omnibus*, modis, ut potuimus, expositis. Sed plus docebit verbum istud impressum menti, quàm expressum ore, dum ipso plenè viso toto ore, totaque aviditate fruemur. Quam fruitionem temporalis perceptio Corporis, & Sanguinis præfigurat.

Connectemus quasi pro Notula Centesima quadraginta Notulas, seu minutias Theoreumatum quadraginta.

UNITATEM Dei per unitatem centralis puncti posse manuduci. Hinc est ex Philosophis Dei descriptio, quòd est *Sphæra intelligibilis, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquàm.*

Unitatem Dei absque creaturis posse intelligi.

Unitatem Dei absque ipsius absoluta entitate non posse intelligi.

Unitatem Dei non posse continuò, & tempore, perfectè intelligi.

Unitatem Dei nullatenùs à creaturis dependere.

Unitatem Dei necessariò creaturarum producibilitatem virtualiter includere.

Unitatem Dei necessariò suam æternitatem concludere.

Unitatem Dei non necessariò quamlibet distinctionem formalem intrinsecam ex parte rei quoad nos concludere.

Unitatem Dei non necessariò productionem actualem creaturarum supponere, vel inferre.

Unitatem quoque numeri, & ordinem creaturarum existentium referri ad divinam quoque unitatem, & monadem oportere; secundùm triplex genus causæ, efficientis, exemplaris, & finalis.

Unitatem divinam gignere unitatem, & in se suam reflectere unitatem per amorem spirativum, triangulo intelligibili perfectè circulato.

Unitatem Dei posse plùs, aut minùs intelligi, pro libero arbitrio suæ motionis objectalis, nunc sine visione creaturarum, nunc cum visione plurium, vel paucorum. Exemplum de lineis omnibus terminatis ad centrum, quarum quælibet si punctus centralis ab eas liberè contradictoriè influeret cognitionem, aut lucem; posset intelligere centrum, lineis egredientibus non cognitis, aut inæqualiter cognitis.

Unitatem divinam, seipsa se invariabiliter habente, cognoscere variabilia immutabiliter, mutabilia futurà præsentialiter, contingenta necessariò, & certitudinaliter; nullam tamen ideò ponendam esse contingentiam intrinsecam in Deo, sicut nec tempus, nec locum, nec corpora, nec complexiones, nec discursus, quia talia scit, & cognoscit. Et hic est lapsus magnorum Doctorum quærentium Metaphisicam, ubi Logicus faciliter se expediret.

Unitatem Dei posse diversissima producere ad extrà, nulla distinctione, nisi personali existente ad intrà; nulla insuper variatione determinationis ad intrà facta. Et hic est lapsus hominum grossi sensus, ponentium necessitatem Fati, aut Fortunam, in omnibus, nec valentium providentiæ simplicissimam formaliter intueri, neque cum libertate humanæ voluntatis ipsam concordare, neque cum peccatis hominum actionem Dei jungere, neque cum Dei misericordia reprobationem præscitorum.

Unitatem Dei potuisse, & posse semper effectuum varietatem educere; & eductis providere, & provisa reducere ad se quodlibet, ad proportionabilem unionem. Hic est lapsus Philosophorum præsupponentium, quòd ab eodem, inquantùm idem, non provenit nisi effectus idem; nec ab antiqua voluntate novus effectus sine immutatione voluntatis. Hic est lapsus eorum qui putant intelligere comparationem Dei ad creaturas, absque creaturis comparatis, cùm tamen intellectus unius correlativi necessariò præsupponat alterius intellectum, tanquàm duo relativæ comparationis extrema, seu fundamenta.

Unionem naturæ intellectualis creaturæ cum Deo, & per Deum, & in Deo aliter consistere, quàm ceterarum creaturarum non intellectualis naturæ, quoniam istæ percipiunt Deum, & aliæ non.

Unionem naturæ intellectualis cum Deo, per Deum & in Deo, non posse, nec debere concipi per transformationem ipsius intelligentiæ essentialem, sed accidentalem; per habitus scilicet & actus, secundùm objectales influxus seu vitales, seu (clariùs loquendo) perceptivos.

Unionem aptitudinalem naturæ intellectualis cum Deo, per Deum, & in Deo consistere, & attendi, secundùm triplicem ejus potentiam in unitate essentiæ, quæ sunt vis memorativa, intellectiva, & volitiva.

Unionem habitualem gratificam naturæ intellectualis, cum Deo, per Deum, & in Deo consistere, & attendi, pro statu viæ, secundùm triplicem virtutem Theologicam in gratiæ gratum facientis unitate.

Unionem actualem naturæ intellectualis cum Deo, per Deum, & in Deo consistere, & attendi pro statu viæ, secundùm operationem perceptivam, & motivam triplicis virtutis Theologicæ in radice gratiæ gratum facientis.

Unionem actualem naturæ intellectualis cum Deo, per Deum, & in Deo consistere, vel attendi pro statu gloriæ secundùm operationem triplicis dotis, in radice gloriæ, sive gratiæ consummatæ, quas includit simul fruitio, quæ est consummata perceptio.

Unionem intellectualis naturæ cum Deo aptitudinalem, habitualem, vel actualem in via, vel patria non posse consistere, vel attendi per transformationem naturæ divinæ essentialem in naturam intellectualem creatam.

U-

Unionem naturæ divinæ cum natura intellectuali creata debere concipi per illapsus objectivos fieri, conformiter, seu quadam proportione ad motiones sensibilium, & sensuum objectales, & hoc altero trium modorum ab Apostolo positorum, facialiter, aut specülariter, aut ænigmaticè perceptivè.

Unionem naturæ divinæ cum creatura intellectuali radicaliter plùs attendi secundùm vim tactivam objectalem, proportionabiliter ad sensus materiales, qui omnes in vi tactiva radicantur. Nam & gustus, est quidam tactus, similiter alii sensus suo modo. Consonat illud Philosophi: *Omne agens agit per contactum.*

Unionem Dei cum creatura intellectuali, secundùm vim contactivam spiritualem objectalem, esse vehementiorem, intimiorem, & puriorem, non sicut in sensibus, in quibus tactus est materialis, & impurus.

Unionem Dei, secundùm vim tactivam, spiritualem, objectalem perfectiùs, puriùs, intimiùs, & suaviùs attendi in via, quàm secundùm motionem objectalem ad visum, vel auditum spiritus percipientis.

Unionem Dei per Eucharistiæ Sacramentum dignè susceptum plùs attendi secundùm vim tactivam, & gustativam spiritales, quamvis in hac unione actuentur sensus omnes spiritales suo modo, saltem in ænigmate, & per Fidem, & Spem.

Unionem Dei, secundùm vim tactivam spiritualem, objectalem, actualem, esse secretissimam, nec percipi posse, nisi ab accipiente. Sicut nec subjectum perceptionis alibi, vel extrà est. Hinc est illud: *Nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* 1. Cor. II. 11.

Unionem Dei cum natura intellectuali gradus habere varios, & multiplices, pro varietate objectalium illapsuum divinorum perceptivorum, & sentimentorum.

Unionem Dei cum natura intellectuali præcellere post Christum in Maria, & consequenter omnibus, in patria.

Unionem Dei cum natura intellectuali remotissimam esse à Lucifero, vel altero, si quis sit damnatior eo: & consequenter aliis in gehenna, maximè quoad unionem objectalis illapsus, secundùm vim tactivam, per quam sentitur, & gustatur quàm suavis est Dominus.

Unionem Dei cum natura intellectuali inter hæc duo extrema patriæ, & gehennæ, medias intellectuales naturas plùs, aut minùs recipire, vel à se repellere.

Unionem consummatam omnium electorum cum Deo objectaliter effici per repletionem intuitivam, & nudam omnium sensuum spiritualium, & redundantium in sensuales, tàm ad intrà, quàm exteriùs, ut sive ingrediatur, sive egrediatur, natura intellectualis, pascua inveniat.

Unionem consummatam esse cum quolibet electo singulariter, & tamen communiter apud omnes, juxtà comparationem centri sphæræ intelligibilis respectu linearum egredientium, & in centro conjunctarum. Sic virtus cœlestis influentiæ in sphæra corruptibilium necessariò conjungitur ad centrum, immò veriùs ad Deum.

Unionem consummatam recipere majus, aut minùs, juxtà majorem aut minorem circà centrum ipsum quod est Deus, virtualem, & quasi circularem proximationem.

Exemplum de circulis sphæræ. Hæc comparatio commodior est, quàm quòd egressus creaturarum fiat instar numeri, per additionem unitatum; quia possunt esse species multæ, æquè perfectæ, & omnes de necessitate conjunctæ Deo sunt, sicut in centro lineæ.

Unionem consummatam efficere, *ut sit Deus omnia in omnibus, cùm tradiderit Filius cùm Spiritu sancto Patri regnum*, qui fontalis est divinitas, & unitas, qua simplicior, aut ulterior nequit intelligi. Hæc est Apostoli à Dionysio declarata.

Unionem consummatam, si per intellectuales circulos accipiamus, oportere per conversum modum ad materiales sphæras cœlestes intelligi, quæ quantò majores sunt mole, tantò efficaciores in virtute. Spiritualia verò quantò simpliciora, & centro proximiora, plùs habent de influentia. Undè Beata Beatarum continet omnes Hierarchias in ambitu simplicissimæ virtutis

A suæ. Indè *Regina Cœlorum, & Domina Angelorum.* dignè vocata est.

Unionem Eucharistiâ figuratam, & sacratam, desiderare nos, & esurire, præ ceteris bonis contemplativis debere, propterà sursùm levare corda à speciebus materialibus Hostiæ ad Christi Corpus verum, & ab illo ad mysticum, & ab indè per elevativam vim, & unitivam Verbi divini, reduci ad congregantis Patris divinitatem, & simplificam Deitatem, qua nihil ultrà. Hæc est Dionysii.

Unionem hanc non posse non consequi perfectè sine divino illapsu segregante mentem ab omni alteritate, curis insuper, sollicitudinibusque depulsis, & supermundanè explicatis, ut in divinam monadem congregemur, & ineffabilibus, & ignotis ineffabiliter & ignotè congregemur. Hæc est Dionysii.

Unionem hanc non posse nos consequi, nisi irruentia undique phantasmata nos mentis puritate transvolare prævaleamus. Hæc Bernardus: *Erras*, inquit,

B *si citra expectas locum quietis, secretum solitudinis, serenum luminis, tabernaculum pacis.*

Unionem hanc percipi motu cordis, maximè mentalis, esse præsentem; colligi verò suos effectus, & efficaciam vivacem, ex divisione spiritus & animæ, cum depulsione vitiorum, & reformatione virtutum, in jocunditate, & suavitate, in Spiritu sancto, juncta magnificatione Dei, & exultatione spiritûs in Deo salutari suo. Dum in hoc convivio *mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur.* Amen.

QUINTA PARTITIO
PER
SOLILOQUIUM
Exhortatoria

C

AD MEDITATIONES HUJUS SACRAMENTI.

Per Notulas quinquaginta.

Meditare nunc, anima Christiana, cui fortè contemplari non satis adhuc concessum est. Meditare cum vehementi studio animi, qualis, & quantus sit iste qui tibi sacramentaliter nunc offertur, quàm magnus, quàm sapiens, quàm delectabilis, & benignus. Esuriens & pauper es, & nihil habes, plurima debes, tibi non suppetunt merita undè restituas, undè dives fias, fodere non vales, sed mendicare non erubescas. Sit tibi mendicitas tua lucrum tuum. Necessitas nescit verecundiam, sicut nec habet Legem.

D Ille tibi nunc offertur, si nescis, qui propter te dixit, & passus, & expertus est: *Ego autem mendicus sum, & pauper.* Ps. XXXIX. 18. Tibi datur iste, qui *propter nos egenus factus est, ut illius inopia divites essemus.* Tantùm tribuit, quòd quasi nihil sibi retinere videretur. Dives esse debes, cui divitiæ largitæ sunt immensæ. Noli cadere, ô anima Christiana, in illam exprobrationem ut dicas: *Ecce ego dives sum, & nullius egeo.* Apoc. III. 17. Sciveris, quia misera es, & miserabilis, & pauper, cæca, & nuda, eò plus misera, & miserabilis, si hoc ignoraveris. Nam quid miserius mi-

miserâ, se miseram nesciente? Audi consilium, suadeat tibi Salvator tuus præsens in hoc Sacramento. Suadet tibi ut emas aurum ignitum, quatenùs dives fias. Non opus est per diversa vagari, ut venditorem invenias. Ipse est venditor, simul & pretium emptionis. Suadet inungere collyrio oculos tuos, ipse fecit collyrium ex sputo gratiæ suæ, & luto mortalitatis tuæ. Suadet vestiri vestibus albis; ipse tibi gratis, & aurum ignitum erit in hoc Sacramento, & collyrium, & vestis. Esuris & sitis, cenare vis; hospes non est longè quærendus qui cenam dat. Ecce ipse stat ad ostium, & pulsat, aperi sibi januam, cenabit tecum, & tu cum illo. O splendida, felix, & lauta cena, ubi ipse qui cenat Christus sumitur, ubi fas est habere & dicere: *In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.* Ps. XLI. 5.

Stat & pulsat, nunc quasi cum digito, qui est Spiritus sanctus, nunc malleo terribilis Judicii sui, nunc sonitu velut auræ tenuis blandiens, & dicens: *Aperi mihi soror mea, columba mea, immaculata mea.* Cant. v. 2. Conqueritur non tàm suam, quàm suorum, & tuam noctis incommoditatem, undè refrigescit fervor charitatis. Dat hoc intelligi, quia *caput meum plenum est rore*, ait, *& cincinni capitis mei guttis noctium.* Noli tardare, exurge velociter, noli somnolenta verba reddere. Alioquin declinabit & discedet, atque sæpè quæsitus, clamatus, obsurdescet.

Faciat cenam Simon olim leprosus nunc curatus à Domino. Ipse est spiritus noster antè leprosus. Ministret Martha, & sollicita sit erga frequens ministerium; hoc est, inferior portio rationis. Maria Virgo superior pars inungat pedes Jesu, fracto devotionis alabastro: effundat insuper confisa magis super caput illius recumbentis. *Caput verò Christi Deus.* 1. Cor. XI. 3. Impleatur *domus* tua cordis *ex odore unguenti.* Cesset murmuratio Judæ sensualis, & furis, de quo fure conqueritur unus Prophetarum. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Thren. III. 15. Sit Lazarus nuper resuscitatus per gratiæ vitam unus de recumbentibus. Et hic est affectus noster, sæpè quatriduanus mortuus, misericordiâ Dei suscitatus. Faciat & aliam cenam Christo Simon idem, vel aliter in littera, similis in figura. Accedas, ô peccatrix anima Christiana; nulla te verecundia prohibeat: nullum in peccando modum tenuisti, nihil ad te moderari est quo saneris. Sta, maneas retrò secùs pedes recumbentis in hac Sacramentali cena, lava lachrymis, terge capillis meditationum sanctarum.

Junge oscula charitatis, oleo piæ miserationis inunge. Sic age: ut tandem merearis audire: *Fides tua te salvum fecit: vade in pace.* Luc. VII. 50. O fides, ô salus, ô vade, ô in pace. Fecerunt Christo corporaliter diversi varias cenas cùm viveret in terris. Fecit apud illos magna miracula. Non est impotentior nunc in cœlis, non est manus ejus abbreviata, ut salvare non possit in mente, sicut tunc in corpore. Æstima cenam hanc, ô anima Christiana, nunc ex illis unam esse.

Cenabat apud Petrum, & Andræam, Joannem & Jacobum noster Christus hìc in Sacramento velatus. *Tenebatur socrus Petri magnis febribus, imperavit febri, & socrus continuò surrexit & ministrabat eis*: Luc. IV. 38. Et tu spera similiter.

Conviva fuit apud Matthæum noster Christus hìc in Eucharistia. Convenerunt publicani, & peccatores, murmurabat falsa justitia Pharisæorum, qui cum morbo suo sensum amiserunt pariter. Confitere te de numero peccatorum, & indigentium pœnitentiâ, & audies: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Matt. IX. 13.

Audies prætereà similem in domo Zacchæi pœnitentiam, in Jericho civitate lunatica. Et verè tu lunatica es, anima Christiana, hìc in via tua immensi lunatici. Tu stulta; quæ ut luna mutaris. Tu quæ *nunquam in eodem statu* permanes. Nihilominùs obedi dicenti: *Oportet me manere hodiè in domo tua*: Luc. XIX. 5. festinus, & lætus descendat, ô anima mea; festinus suscipiat Jesum in hoc Sacramento spiritus tuus princeps publicanorum, quia princeps, & primus peccatorum. Dic hilariter. *Ecce Domine dimidium bonorum meorum, do pauperibus.* Luc. XIX. 8. O heu, Domine, quid & quale est illud dimidium bonorum, qui nihil habeo, nihil habere concupisco, dùm tantùm cupio nisi te, dùm tu portio mea, tu pars mea, tu hereditas mea, quàm præclara es mihi. Ecce ego, Domine, non dimidium bonorum, sed te totum bonum meum, in hoc Sacramento contentum do pauperibus hospitalis tui magni in hac terra morantium; & in altera, scilicet in Purgatorio positorum. *Quod si aliquem defraudavi, reddo quadruplum*; quia temetipsum, qui unus pro decem millibus computaris, & in cujus ditione sunt omnia, quo solvente, & adquitante, nemo potest dicere, cur ita facis; tollis quod meum est; quoniam omnia tua sunt, jure pleno.

Desiderio desideravit manducare Pascha cum Discipulis suis Jesus passurus. O anima Christiana, putas desiderium suum, ut salva sis, imminutum sit per gloriam, ut non desiderio desideret manducare Pascha, scilicet tecum suam cenam? Cave, ne dura sis, ingrata, rustica, incivilis, ut fraudes Dominum tuum benignissimum à desiderio suo. Hospes est, petit in hospitium tui cordis suscipi, & colligi. Et ô bone Jesu, qualis & quantus, quàm honestus, suavis, & commodus hospes advenies, quando advenis etiam non invitatus sæpè, sed invitans.

Quid invitationem commemoro? Compellis. Mittis manum tuam omnipotentiæ tuæ activæ, per foramen obedientialis passivæ in omni creatura. Sic tacta dic, ô anima Christiana, & venter meus intremuit ad tactum ejus. Exurge taliter excitata, stillent manus tuæ myrrham primam; pleni sint digiti tui myrrha probatissima, quasi nihil in opere tuo putredinis, au fœtoris appareat. Mortificat omnia carnalia myrrha compunctionis amarissima. Aperi, dilecta pessulum ostioli tui; sed heu tepida sedes, somnolenta, pœnam cognoscis pigritantis ignaviæ; vult certè, vult ad fervorem spiritus altiùs inflammare. Sentis jam nunc vim eloquii sui vehementer igniti, alioquin undè clamor ille tuus: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est?* Cant. v. 6. Non jam tenetur anima terminis propriis; sicut fluit cera à facie ignis, sic tota defluis, tota liquescis in amatum. Invenerunt te vigiles qui Babylonicam custodiunt mundi civitatem; dum per creaturarum noctes quæris dilectum, & vocas, percutiunt te suis pulchritudinibus allectivis, quæ sunt in mundo, *concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vitæ.* 1 Joan. II. 16. Verberant te, quamvis non ad mortem peccati mortalis, sed venialis tamen lædunt.

Porrò custodes murorum, iniquitas & dolus, & injustitia perversorum civium, dum non talia, sed dilectum quæris, eò quòd tristitiam inferunt cordi tuo; pallium gaudii tui, nunquid non auferunt? *Quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Cor. XI. 29. anima Pauli clamat ignita. At verò charitatem cum suis lampadibus, quæ sunt ignis, & flammarum, extinguere non potuerunt aquæ tribulationum multæ, nec turbida Babylonis flumina obruerunt eam. Transi, ô anima, transi civitatem hanc cum habitatoribus suis, non quæsieris, an viderunt quem diligis; verbera potiùs, quàm verba bona dabunt. Eleva oculos tuos in montes, ubi sunt filiæ Hierusalem; clamor ingens tuus audiatur: *Filiæ Hierusalem, nunciate dilecto, quia amore langueo.* Cant. v. 8. Felix languor, & suavi vulneratus telo charitatis. Ecce sentis, ô anima, quantùm profuerit tibi ejus quem diligis absentia. Torpebas algida, jacebas somnolenta; nunc curris, nunc liquescis, & languida per amorem ad filias Hierusalem ignitas, anxia, anhelaque convertere. Clementes sunt filiæ Hierusalem, amorosum habent pectus amoris. Idcircò

circò verba scintillantia recognoscunt. Interrogant, *qualis sit dilectus tuus ex dilecto*, Cant.v.9. id est, dilecto per dilectionem, totus amor tuus dilectio. Nominant te pulcherrimam mulierum, non ut superbias, nisi fortè sanctâ superbiâ. Volunt quòd tua sancta pulchritudo tibi cognita sit, quæ jam digna sit & amari, & amare. Talem pulchritudinem non decet amor nisi pulcherrimus. Tempus tibi venit amantium, cave, ne des amorem tuum indigno tuo.

Denique post notificationem speciositatis sponsi, tu, ô anima Christiana, rectè censes interrogata. *Ubi abiit dilectus tuus?* ℣.17. Mysticum ostendis Ecclesiæ ortum, in quem descendit quotidiè sacramentaliter, ad areolam aromatum, & in Altari sacro suaviter redolente, ut ibi pascatur in hortis friguis, & formosissimis sanctarum animarum, & lilia castissimorum spirituum ad se trahat, & colligat ad thalami cœlestis ornatum. Accede propiùs ad hunc hortum, immò sis hortus à Propheta *Jerem*. XXXI.12. descriptus *irriguus*, à cujus fonte non deficient aquæ gratiarum. Sis *hortus conclusus* servans te solam soli. Sis *fons signatus*, ne pateas adultero. Sis *puteus aquarum viventium*, cujus impetuosum à Libano Paradisi fluxum nullus obex peccati tardet, aut impediat. Hora est quotidiè, ô anima Christiana, hora, quâ transeas ex hoc mundo ad Patrem, ab exilio in Patriam, à deserto afflictionis in terram promissionis. Si retardet te corpus, liber tamen est animus ut evolet. Vult tecum Jesus facere Pascha suum, fac te illi cœnaculum grande stratum in dilatatione, & amplitudine cordis. Cœnare dignabitur, lavabit pedes Discipulorum suorum, qui sunt disciplinati affectus tui: sint ipsi novellæ olivarum in circuitu mensæ Domini, quorum & Mater est sapientia, uxor spiritus tuus deiformis. Habitet ipsa sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. *Ego*, inquit, *sicut vitis fructificavi suavitatem* &c. Eccli.XXIV.23. Quid denique? Cibavit omnes ex adipe frumenti. Dicet: *Comedite, amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi*. Cant.v.1. Trepidas timore? Tandem hic timor aliquando pellendus est foris à charitate. Cogitas te tantis indignum mysteriis? Certè nec ex meritis tuis, etiam per mille millia Annorum satagens digna fies. Dignificet te oportet qui te invitat ad se. Dignificabit autem, si studueris ea quæ displicent oculis suis, à domo cordis expellere. Enitere, precor, hîc & nunc, ô anima mea, parare te, si te cognoscis imparatam. Cave diutiùs in sterquilinio fecis mortiferæ volutari, sub expectatione crastini. Quid scis si crastinus elucescet tibi dies? Quis super hac re reddet te securam? Non est tuum *nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Act.I.7.

Rursùs ita collige, si conscia tibi non fueris impedimenti legitimi, quominus Eucharistiam suscipias; cur tanto te bono pigra & ingrata privabis? Si remordens accuset te conscientia, cur, pœnitendo, cur impedimenta tollendo, posseteniùs non intendis? Cur novis te laqueis malè differendo, stultè contemnendo, te rursùs involvis. Audio quid respondeas, frigida sum, dispersa sum, carnalis sum, exagitor curis, scrupulis inquietor, mordeor concupiscentiis, Fides imbecillis est, nutat Spes, Charitas refriguit; quæ mihi conventio cum hospite tanto? Immò verò quæ tibi curatio, nisi sub Medico tanto? Si te sanam judicares, opus Medico non haberes, jure repelleres à te.

Exemplum Petri non approbamus in hac parte. Stupuit ad capturam piscium, subintulit tremens: *Exi à me, Domine, quia peccator ego sum*. Luc.v.8. Tanto magis, ô Petre, si peccator es, retinendus est Medicus sanctificans, & peccata tollens à te. Quantò sapientiùs peccator Zacchæus, qui festinus gaudens suscepit Jesum ad se; denique quàm prudenter hoc fecerit, data salus ostendit.

Centurionis, ô anima mea, similitudinem inducis, quam in humilitate tua proclivior es imitari, utinam non ex ignavi procrastinatione. Dicat, inquit, Jesus *tantum verbo, & sanabitur puer meus*, Matt.VIII.8. affectus scilicet rationalis, qui jacet paraliticus, & malè torquetur; sufficit hoc, non intret tectum meum, non intret ad me, ut rememorentur peccata mea, & interficiat Deus puerum meum, reddens ipsum de languido mortuum.

Urgens pertinaciter. Non est novum absconsum à Sapiente, quia *occasiones quærit qui vult ab amico recedere*. Prov.XVIII.1. Si vera te humilitas compescit à suscipiendo, cur eadem te non impellit in obediendo? Vocat te Deus ad mensam suam, compellit etiam per servos;
A scilicet Prælatos de Ecclesia quandoque intrare, temporibus institutis, ut in Pascha. Statuit Christus Testamentum hoc æternum & novum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Luc XXII.19. Si te retrahit indignitas tua, major alliciat considerata dignatio sua, charitas, misericordia, veritas, mititas atque benignitas. Accede & dic: *Misericordia & veritas tua, semper susceperunt me*. Ps.XXXIX.12. Ægrotus an non agit stultissimè, cui tantùm displicet deformitas ægritudinis suæ, quòd aspectum vel adventum horret medicantis manus alienæ, dum Medicus invitat, offert, provocat, astat ut suscipiatur & sanet.

Debilis es, ô anima Christiana, surge, comede, bibe in mensa sapientiæ, in arce Sion; aut si potiùs inve-
B neris te in deserto solitudinis mœstam, si tædio vitæ hujus moribundæ dejectam. Surge, comede & bibe, & ambulabis *in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei Horeb* 3.Reg.XIX.8. in mensa refectionis æternalis. Esurit Daniel in lacu leonum, cœtus scilicet fidelium in Purgatorii lacu mersorum. Fer prandium messorum laborantium in Ecclesia viatorum, refocillabit eos cibus iste tuus, quia per te datus est, & oblatus in Altaris alveolo, ad cœtum desiderantium nunc in lacu degentium. Portabitur in momento, & hoc in cincinno uno capitis tui, qui cincinnus est unica mentis ad eorum refectionem intentio. Respondes, ô anima pigritans, anima volvens & revolvens cor tuum ad excusandas excusationes, utinam non in peccatis: præparatum, ait, vult Medicus corporalis infirmum suum fieri per evacuationem humorum corruptorum priùs quàm cibet eum antidoto salutari. Scit illum aphorismum: *Ægra corpora quò plùs nutries, eò magis lædes*. Consonat Apostolus quasi præconisans, & arcens indignos: *Probet autem*
C inquit, *seipsum homo*. 1.Cor.11.28. Nil planè contradixerim verbis tuis istis, ô anima Christiana, non prohibeo, sed præcipio præparationem. Sed talis sufficiat, ut plena nequaquam primitùs perfectaque sanitas exigatur. Compatitur secum vita spiritualis languores qui non sunt ad mortem: tales non auget morbos, sed tollit Eucharistiæ gratiosa susceptio. Nolo, ut dijudices te dignam isto Sacramento, etiam si calida, si fervens, si tranquilla, si in pace spiritus, si stabilis in fide, si spe gaudens, si efficax & vigil in opere, si castitate, si sobrietate pollens; alioquin condemnabit te os tuum, & pravum te Judex tuus comprobabit. Quid ingemiscis ad hæc, & suspirabunda clamas cum Susanna: *Angustiæ sunt mihi undique?* Dan.XIII.22. Cave, ne sic erraveris. Patet exitus, & egressus amplus. Desere te, & projice te in manus Salutaris tui. Non est crudelis, non invidus. Cur invitans te non suscipiat te, & suscipiens non conservet, & sanet? Consilium tamen est, ut recumbas in novissimo loco, ut crucem ab imo tota mente constringas. Porrò si conscia fles veste te
D nudatam nuptiali, hîc illam confestim poteris ab invitante Rege, si petieris, impetrare, contemptus solus desit. Sed sola phantasiis, aut Philosophorum argutiis impeditur fides, si curiositas accesserit cum serpente, dicens: Cur ista & ista constituit Deus? Cur non manifestè se præsentat Deus? Cur præsentia divinitatis non sufficit? Qualis situs est hîc Corporis Christi, ubi caput, ubi pedes; si corporeis nos intuetur oculis, si audit, si movetur? Dic ad hæc omnia Fide simplici: Christiana sum, Catholica sum. Deus omnia quæcunque voluit, fecit: Deus omnia quæcunque fecit & dixit, verè dixit, & benè fecit:

sit nomen ejus benedictum, sit in Ecclesiæ Fide meritum meum, sit accessus ad Sacramentum. Et tu *Maria*, Mater Eucharistiæ, quia *Mater gratiæ*; Mater pia miserorum, quia *Mater misericordiæ*. Tu contra tales versutias, tales phantasias, viles concupiscentias, vilissimas nec nominandas blasphemias, *tu nos ab hoste protege*. Et quia morimur assiduè (*quid enim aliud quotidianus defectus corruptionis, quàm quædam prolixitas mortis*) tu continuè nos *horâ mortis hujus suscipe*. Sis susceptrix omnium, qui filio fidenter dicimus unusquisque: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum*. Act. VII. 58. Si, te miserante & opitulante, suscipimus Filium tuum in Eucharistiæ Sacramento, profectò ille nos suscipiet, & incorporabit in mystico suo corpore. Credimus, & manducamus eum, diligimus, & speramus, & ipse manducat nos, quia sibi nos incorporat.

Dic tecum conferens, ô anima! Dic, si introiero in domum Ecclesiæ, domum utique meam, si coheres sum Filii, cujus domus hæc est: inveniam victimas immolatas, quia unicam pro omnibus hostiam præparatam. Invenietur mensa sapientiæ posita, & mixtum vinum. Sic cibata, sic potata desiderabo in jocunditate spiritus, in innovatione juventutis Verbigena fieri. Non enim est prius anima apta venire ad osculum pignorationum Verbi, nisi fuerit ab uberibus inebriata suis, quæ fragrantia sunt unguentis optimis amorosissimæ allocutionis. Undè sentitur sicut oleum effusum nomen suum. Undè adolescentulæ nondum aptæ viri copulæ, stimulos inchoant amantium sanctos intrà se sentire; necnon amoris per amorem, igneo, sed sobrio furore succendi. Plurimis obligata es debitis, ô anima mea, multis nimis, & apud creditores, & exactores qui perurgent, dicentes: *Redde quod debes*. Matt. XVIII. 28. Ecce nihil habes ex te undè restituas, nisi fortè parum olei devotionis. Clama ad verum Elisæum in hoc Sacramento: Isa. XXXVIII. 14. *Domine, vim patior responde pro me*; liberabit ipse te per infusionem olei in vasa virium cordis tui, quæ præsentabunt filii tui affectus, scilicet pii ad Jesum, cujus nomen est sicut *oleum effusum*. Cant. I. 2. Creditor primus est creatio, cui te totum debes, sicut ab alio nihil habes. Secundus, est recreatio, à quo benè habes, quæ tota perieras. Tertius, est Baptismalis adoptio, quæ non data est cuilibet nationi. Quartus, post tot peccata, pœnitentialis justificatio, & ab Inferno liberatio, quem millies demerueras. Quintus, gratuita beneficiorum largitio, nominatim in hoc Altaris Sacramento. Sextus, proximorum damnificatio, in commissis, in amissis, in omissis. Septimus, futura beatificatio, cui consequendæ nulla sunt digna tuorum opera meritorum. Sed ecce venit ad hoc Sacramentum Christus, *qui factus est nobis Sapientia* creans, recreans, & adoptans: *Justitia* justificans: *Sanctificatio* mundans & implens: *Redemptio* debita solvens. Denique *via* vehens ad cœlum, *veritas* dirigens, & *vita* beatificans. Suscipe puerum Jesum sacramentaliter, ut suscipiat te misericorditer faciens spiritum tuum esse *Israel puerum suum*. Suscipe Regnum cœlorum, se consule, sicut puer amplexabitur te, benedicet tibi, dicet: *Sinite parvulos venire ad me, talium enim est regnum cælorum*, Marc. X. 14. *unum talem qui suscipit, me suscipit*. Matt. XVIII. 5. Nec mirum, quia tu idem es, ô bone Jesu, qui suscipis, & susceptus haberis.

Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium,

Non exhibes te videndum, sed tangendum, sed gustandum, sed amplexandum. Tu, anima mea, sicut ovis quæ perierat, redempta, reportataque propriis humeris, comedis nunc domestica de pane suo, & de calice bibis, dormis in sinu suo, habet te pro filia, immò pro sponsa, immò pro Matre Verbigena, cui ministrare dignatur, & subjectus esse. Nonne mira susceptio? Fiet super hac susceptione drama sequens. *Suscepit Israel puerum suum*. Luc. I. 54.

TRACTATUS

DECIMUS

SUPER ILLO:

A

SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM.

Et est in eo duplex Partitio.

Prima fit per Dialogum, & Notulas septuaginta sex.

Suscepit Israel puerum suum. Luc. I. 54.

Magister. Exhilaresce tu, qui perieras in Adam totus Israël. Exulta in jubilo cordis, & laudibus oris. Exulabas expositus perditioni, cæcitas ceciderat in Israël. Erraveras sicut ovis quæ periit. Videbatur Dominus oblitus misericordiæ suæ, qua juraverat Abrahæ, dicens: Gen. XXII. 16. 18. *Per memetipsum juravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti unigenito tuo propter me. In semine tuo benedicentur omnes Gentes*. Clamabat universus perditorum cœtus: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Ps. LXXXV. 50. Ecce, *cùm esset Rex in accubitu suo*, Cant. I. 11. quiescens in sinu Patris, *nardus tua*; ô pulcherrima, & suavissima feminarum, *dedit odorem suum*, sicut odorem agri pleni, cui benedixit Dominus. Odoratus est Deus Pater odorem suavissimum totius honestatis tuæ, Virgo sanctissima, nata ex semine Abrahæ. Propterea *recordatus est misericordiæ suæ* antiquæ, *sicut locutus* erat *ad Abraham, & semini ejus in sæcula*. Luc. I. 54. 55. Misit continuò, & ab intimo sinu divinitatis suæ Filium suum, qui *ad liberandum suscepturus hominem*; non horruit tui *virginis uterum*. Hoc denique est, quod magnificans Dominum cum exultatione spiritus deprompsisti jubilans, & erumpens in canticum: *Suscepit Israel puerum suum*.

B

Discipulus. Dic, obsecro, rationem exhortationis tuæ præsentis, super hac notula Cantici Mariæ vehementiùs habitæ, quàm in exordio ceterarum.

Magister. O nescis frater, quàm justè, quàm alacriter id effecerim. Sunt alia beneficia Dei magna valdè, pro quibus psallat juvencula nostra in hoc Psalterio decachordo, magnificans in anima Dominum cum exultatione spiritus in Deo salutari suo. Magnificabat, quòd respexerat *humilitatem ancillæ suæ*; quòd beata diceretur per omnes generationes; quòd fecisset *ei magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus*, hoc quoad magnitudinem Dei in se, & ad singulare beneficium collatum in Maria. Procedebat consequenter ad insinuationem aliorum sub generali narratione beneficiorum, sub tropicis antithetis, jungens cum misericordia pietatis, timorem severitatis; cum dispersione & depositione superborum, exaltationem humilium; cum esurie satiante, saturitatem inanem; tandem omninò conclusit ut oratrix peritissima per hoc verbum: *Suscepit Israel puerum suum*.

C

Discipulus. Finis non hîc stetit, subdidit enim: ℣. 55. *Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in sæcula*.

Magister. Finis (ut Philosophia te docuit) primus est in intentione, ultimus in executione. Præcesserunt plurima susceptionem Israël Domini per Incarnationem, inter quæ fuerunt nunciationes propheticæ, quas Maria ponit consummationem accepisse tunc primùm, cùm *suscepit* Dominus *Israel puerum suum*.

D

Discipulus. Nunquid videtur è converso textus Evangelicæ locutionis notare crebrò, dicens: *Hoc autem totum factum est, ut implerentur Scripturæ Prophetarum*. Matt. XXVI. 56.

Ma-

Magister. Respondet usus communis Glossatorum, ly *ut* positum hîc, dici per consequentiam, non per causam principalem, & finalem. Sub hoc sensu Scripturæ sunt impletæ, quià taliter factum est nostræ Redemptionis mysterium. Sed in proposito quidquid Dominus locutus est per os Sanctorum finem accepit *cum suscepit Israel puerum suum.* Hinc totiens de susceptione tali, nunc ad Litteram, nunc per Allegoriam, modò per Tropologiam, sæpè per Anagogiam, Sanctorum unusquisque meminit consonans ad hoc beneficium: *Suscepit Israel puerum suum.* Luc.I.54. Ut est illud: *Susceptor meus Deus Jacob.* Ps.XLV. 10. Et illud: *Dicet Domino: Susceptor meus es tu.* Ps.XC.2. Et iterùm: *Adjutor meus tibi psallam, quià Dominus susceptor meus, Deus meus, misericordia mea.* Ps. LVIII. 18. Quare *misericordia mea?* Quià *recordatus misericordiæ suæ*, mihi dedit illam.

Discipulus. Copiosissimam cum dissolutione dubitationis factæ materiam devotionis aperuisti, de susceptione dignativa Dei.

Magister. Immò si recogites quàm meritò sic inciderim.

Discipulus. Cur illud est? Precor eloquere.

Magister. Spiritus meus ut Christianus, Dei dono, qui & sacras ab infantia Litteras novit, considerabat frequentes Scripturarum voces sub hac sententia: *Memento finis*: Eccli.XXXVI.10. *Recordare novissima.* Ibid.VII.40. *Memento judicii mei.* Ib.XXX.VIII.23. Et *quia mors non tardat.* Ibid.XIV.12. Et ab Ecclesia. *Media vita in morte sumus.* Experiebar hoc idem quotidiè in mortibus hominum, etiam magnorum, & charissimorum. Animadvertebam tutum esse consilium Sapientis: *Antè judicium para justitiam.* Ibid. XIX.19. Et quià bonus finis non est, quem non præcessit bona vita. Subibat & illud: *Ad aliquem Sanctorum convertere.* Job.V.1. Quid multa? Proposuit mihi spiritus exemplum unius Sanctorum, cujus in morte fuerat hoc verbum: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Act. 7.58. Percussit illicò cor meum suavis quædam, & spontanea devotio suspirans mecum, & dixi: O si daretur hoc esse verbum meum similiter ultimum: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Suggessit proindè cor meum in me: *Consuetudo*, inquit, *est altera natura.* Consuesce in vita quod protinùs occurrat in morte, dum cursus vitæ tuæ coget dicere: *Consummatum est.* Joan.XIX.30. Dic verbum ultimum Christi: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc.XXIII.46. Junge supplicans cum illo magno Prothomartyre Stephano: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.*

Discipulus. Jocunda, simul & exemplaris est hæc narratio.

Magister. Confirmationem habet ab illo qui durissimus ad Baptisma suscipiendum, per appositionem florum de Altari ejusdem Stephani sub pulvinari capitis ipsius dormientis delatorum repentè mutatus est in virum alterum, quià tetigit Deus cor suum. Suscepit Deus spiritum ejus ad Fidem, baptizatus est, & deinceps usque ad ultimum fuit in ore suo hoc verbum, cùm nesciret Stephani illud fuisse novissimum: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Vade, & fac similiter.

Discipulus. Fiet ità, propitiò mihi Deo, cum omnibus Sanctis ejus, & Stephano. Fuerat iste mos meus; tamen dicam in omni recollectione mea ad Deum cum noviter profitentibus: *Suscipe me secundùm eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea*; & *Adjuva me, & salvus ero.* Ps. CXVIII. 116. 117.

Magister. Salubriter id effeceris; sumus enim nos Christiani de numero illorum quos aspernabatur Pharisaïca justitia; & ideò jam non justitia, quià Pharisaïca, *quià hic peccatores recipit.* Luc.XV.2. Suscipit nos benignus Jesus in Religione sua cùm clamamus: *Abba Pater.* Rom. VIII.15. Sumus hîc dum vivimus in ea novitii. Tempus probationis habemus, usquequò venit dies Professionis faciendæ coram Abbate nostro Deo, & cœlestium Conventu toto, ut tunc habeamus vocem in Capitulo, stallum in choro, cibum in Refectorio, lectulum in Dormitorio. Constituit hîc & construxit officinas magnas, Abbas noster Christus suæ Abbatiæ, dum penderet in Cruce pro nobis novitiis. Oratorium; *Pater, ignosce illis.* Luc.XXIII.34. Capitulum; Latronem confitentem

A absolvens. *Amen dico tibi &c.* ℣.43. Dormitorium; curam Matris Joanni, in quo gratia, totam linquens. Claustrum; clamans & stans perseveranter in Cruce. Refectorium; dicens: *Sitio.* Joan.XIX.28. Cellam probationis usque ad consummationem, dicens: *Consummatum est.* ℣.30. Denique nil superest, nisi Professio in manibus Abbatis, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum dicendo: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc.XXIII. 46. Et orando: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.*

Discipulus. Nimiùm heu miseros dixerim hos Novitios, si Professionis hora dum venerit, audiant: *non suscipiam vos. Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Matth.XXV. 41. Quò contrà beatissimi, quos misericordia, & veritas suscipiunt, audientes: *Venite benedicti Patris mei.* ℣.34.

Sed revertamur, ut ostendas quis est iste puer Israël secundùm Litteram, quis secundùm Allegoriam, quis secundùm Tropologiam, quis secundùm Anagogiam, sicut antè tangens nondum elucidasti.

B *Magister.* Israël unus litteralis est, secundùm carnem, populus undè Christus carnem sumpsit: *Nusquam enim Angelos apprehendit*, Matth.II.16. *sed semen Abrahæ* in Maria. Israël est alter literalis per repromissionem, populus Gentium qui *vidit lucem magnam.* Isaiæ IX. 2. Hunc populum ab impotentia, ab ignorantia, à nequitia, ab omni turpitudine, & inquinatione suscepit Deus in populum acceptabilem, doctum, sanctum, pulchrum, incoinquinatum, ut Rex potentissimus ad regnandum, ut Doctor sapientissimus ad erudiendum, ut sponsus suavissimus, totus pulcher, & decorus, totus desiderabilis; cui diceret: *Desponsabo te mihi in fide: quia charitate perpetua dilexi te.* Ozee II.20. Denique repudiato carnali Israël, spiritalem suscepit Gentilem populum tanquàm *Israel puerum suum.*

Discipulus. Non me latet, quin multa possunt li-
C teraliter hîc quæri de vocatione Gentium, Judæis reprobatis. Transi ad Allegoriam.

Magister. Spectat ad eam ipsa Gentium spiritualis vocatio. Nihil enim prohibet eumdem textum plures simul conjungere sensus, quorum quilibet tamen erit literalis, quamvis sit Allegoricus, & moralis. Patet ex illo: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Osee. XI.1. Et iterùm: *Israel primogenitus meus*; Exod. IV. 22. undè Israël literalis, & allegoricus ipse pariter unus est Christus.

Demùm Israël moralis, & anagogicus, figuratur in personali Israël, qui & Jacob dictus est, qui benedictionem Patris accepit Rebeccæ consilio, qui scalam in monte vidit, qui duodecim Patriarchas genuit, qui post benedictionem Angeli, mutato sibi nomine, gloriatus est dicens: *Vidi Dominum facie ad*
D *faciem, & salva facta est anima mea.* Gen. XXXII. 30. Et Apostolus: *Nos*, inquit, *revelata facie gloriam Domini speculantes, transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu.* 2 Cor.III.18. Tropologiam simul conspicio cum Anagogia lucente in puero humili, & obsequioso Israël personali. Elucidavit omne mysterium anagogicus iste Richardus *De duodecim Patriarchis*, concludens ad *Benjamin* adolescentulum *in mentis excessu.* Ps.LXVII.28. Poterò fortassis abbreviato sermone aliqua post quærere.

Sed vehementer movetur animus ad hoc mysterium cum autoritate Apostoli novissimè positum, cùm scriptum noverimus: *Non videbit me homo, & vivet*; Exod. XXXIII.20. nec hoc passim cuivis dictum est, sed Moysi oranti videre faciem Domini.

Discipulus. Quasi nihil antè notaveris in aliis Tractatulis, & super hoc cantico de cognitione Dei; nunc ita videris novus & inscius perscrutari velle.

Magister. Materia hæc (crede mihi) & jam vetus est, & tamen semper nova. Conor judicans obedire Hieronymo monenti: *Discamus in terris, quorum nobiscum scientia perseveret in cœlis*. Oro cum Augustino ad Dominum: *Noverim te, noverim me*. Et certè si non noverim Deum, nec me noscam. Quærebat in Canticis anima devota: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari*, id est, vanè & inutiliter agi, *incipiam*, Cant. I. 6. supplendum est de ignoto. *Qui gloriatur* (ait Propheta, vice Dei) *in hoc glorietur, scire, & nosse me*. Jerem. IX. 24. Denique: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*, ait Christus ad Patrem. *Joan*. XVII. 3. Noli propterea te in admirationem cordis ducere, si pridie, si quotidie circa visionem Dei versor, satagens unus esse generationis illius, de qua Psal. XXIII. 6. *Hæc est generatio quærentium* Dominum, *quærentium faciem Dei Jacob*. Et iterùm: Ps. XXVI. 8. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram*. Et. *Lætetur cor quærentium Dominum ad* osculum oris. *Quærite Dominum, & confirmamini* per complexum amoris, *quærite faciem ejus semper*, Ps. CIV. 3. quid nisi per affectum contemplationis aut apertæ visionis.

Discipulus. Collaudo desiderium tuum, simul & studium, quale me decet maximè dum occupat me senectus, & senium. Et quid ampliùs in sæculo nisi *labor, & dolor?* Undè consolatio, nisi quià miserationem Domini cum suæ veritatis agnitione recordabor? Depereant omnes istæ quæstiones infinitæ, quibus pridem frustrà laboravi, dicam deinceps: Unam petii à Domino; à qua una quisquis avertitur miscet se necessariò quæstionibus infinitis, & interminabilibus. Si avertitur voluntas ab una prima bonitate, continuò miscet se quæstionibus infinitis per cupiditatem insatiabilem; intellectus, per sciendi curiositatem; potentia, vel memoria, per inquietam mutabilitatem. Sit igitur nobis semper dulce quærere faciem Domini; aut si non datur, concupiscat anima nostra desiderare *sicut cervus ad fontes aquarum* ad te Deus. *Sitivit anima mea* ad te *fontem vivum*. Dicebat ad hanc similitudinem Propheta. Sed quousque sities, ô Propheta? Sanè donec *veniam, & apparebo ante faciem Dei*. Ps. XLI. 2. 3. Domine, *avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*, Ps. XXIX. 8. *similis descendentibus in lacum*; Ps. XXVII. 1. suscipe me Domine puerum tuum Israel; aut si nondum sum tali dignus nomine pueri tui Israël, suscipe me, ut dignum efficias; quia tali honore dignus erit, quem tu volueris honorare, qui clemens eris in quem tibi placuerit, *suscipe servum tuum in bonum*. Ps. CXVIII. 122.

Magister. Ex quo votum est unicum cordis nostri quærere faciem ejus semper; nec mutuò quærimus, si non invicem de Deo loquimur, colloquamur assiduè, quatenùs sit in medio de se loquentium. Ostendet se fortassis saltem sub peregrina specie, aperiet intellectum, inflammabit affectum. Postremò coactus ad Eucharistiæ mensam se cognosci faciet; vel saltem raptim *in fractione panis*, quem quotidiè frangimus celebrando.

Discipulus. Dic idcircò, quid sibi vult anagogicus Israël. *Vidi*, inquit, *Dominum facie ad faciem*. Gen. XXXII. 30. Concinit Paulus: *nos autem revelata facie*. 2. Cor. III. 18. Quid est aliud revelata facies, quàm visio nuda facialis? Cur dicit *speculantes*, & non jungit, facie ad faciem videntes.

Magister. Doces de responsione, dùm prudenter interrogas.

Discipulus. Qualiter ita, quæso, nunquid sapienter inscius sum?

Magister. Animadverte quomodò si facies esset penitùs revelata, prout in patria fulgebit, non essemus speculantes, sed comprehensores. Rursùs, si nihil gratiæ specialis ultrà communem statum viæ conferretur, non fieret hæc additio, *de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*. Ibid.

Discipulus. Tuum est hoc aperire.

Magister. Dubiorum involucra quid evolvit, & discriminat, si non distinctio? Distinguamus ergò de triplici facie, de triplici velamine, de triplici speculatione, de triplici claritate, de triplici transformatione.

Discipulus. Ausculto.

A *Magister*. Habes ex prioribus triplicem in triclinio cordis hominis faciem esse, secundùm triplex habitaculum, sive cenaculum. Facies mentis superior est; facies rationis media; facies animæ, non illius brutalis, sed obedientis rationi, quæ dicitur portio rationis, inferior.

Discipulus. Memini traditum priùs super isto. *Dispersit superbos mente cordis sui*. Luc. I. 51. Studui post hoc mecum Philosophiam concordare, juxtà coordinationem habituum quinque, nobis partim insitorum, partim acquisitorum: itaque ars, & prudentia primum vendicant cenaculum. Scientia, & intellectus secundum tenent. Sapientia velut in arce sedet in supremo cum mente, vel spiritu, vel animo retinens principatum.

Magister. Solerter egisti colligens ex auditis alia non accepta. Triplex consequenter accipe velamen. Certè Fidei velamen primò, quæ sola soli Deo nata est B connecti & nebulas patitur aliquando, non in se intrinsecè, & essentialiter; sed secundùm quid, & accidentaliter, propter molem, & nebulas corporis. Undè sollicitudines velant memoriam, phantasmata intelligentiam, concupiscentiæ voluntatem. Velatur aliter secundò facies mentis eminentior; non ut priùs ex corruptione corporis, sed ex statu viatorum: sic facies hominis pro statu naturæ institutæ recipiebat velamen, saltem in somno, saltem in quotidiano corporis obsequio, ut non tota claritate faciei suæ ferretur semper in Deum. Velatur aliter tertiò facies mentis velamine quodam, non tam positivè, quàm negativè, & nullo modo privativè. Tale velamen (ut accipias faciliùs quæ dico) habuerunt Angeli incorporei prima morula viæ suæ, priusquàm raperentur ad gloriam felicitatis æternæ.

Discipulus. Sed quid, vel quale velamen erat illud?

Magister. Planè voluntas Dei, nolens se facialiter, & objectivè per essentiam suam nudè aperire. Est igitur istud velamen tertium semper apud viatores, de C communi lege. Est primum apud omnes pro statu naturæ destitutæ, quandoque totaliter, quandoque plùs, aut minùs; nisi fuerit ablatum per gratiam specialem, qualiter fuit in te, ô Maria beata, & benedictissima feminarum. Alterum videlicet secundum velamen mentis, quale fuisset non in Angelis, sed in Parentibus primis, dum stabant innocentes, potest auferri minùs, de communi lege, quàm primum, immò nec arbitror quòd à te, dignissima & pulcherrima, fuerat totaliter, dum viatrix esses, evolutum, vel ablatum; sed crebrò, sed sæpè, sed frequentissimè tollebatur pro loco, & tempore, quantùm status viæ mortalis tolerabat.

Discipulus. Non obvio, si non ascribas præconia ista dignissimæ feminarum, quæ nec Ecclesia sibi tribuit, per quæ poneretur extrà viæ statum, neque enim simul, & assiduè poterat non esse viatrix, & esse.

D *Magister*. Triplex ampliùs nota speculum, quia dicitur *speculantes*, cui conjunge triplicem claritatem. Unum speculum est cum claritate sua, quod indidit natura, & industria polivit, quale fuit apud Philosophos quoad intelligibilia per investigationem naturalem, quamvis mixtæ fuerint multæ nebulæ, immò tenebræ errorum. Non tamen oportet dicere cum aliquibus, quòd nihil speculati fuerint veritatis, etiam de Deo, & intelligentiis. Sciebant saltem, quòd Deus non erat lapis, aut brutum. Rursùs alterum nota secundò speculum per supernaturalem irradiationem super intellectum humanum cum limpidiore & sinceriore claritate, quàm posset natura sola, vel

vel industria, propinare. Denique tertium accipe speculum cum sua claritate, quod intimè latet, quod ab exterioribus nequit assumi totaliter; sed omnis hæc claritas Filiæ Regis ab intùs, est introrsùs valde, ad quam non admittitur alienus. *Bibe de aquis tuis prior*, jubet Sapiens. *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur alienus.* Prov. XIV. 10. Non enim gaudium habet intrinsecùs ortum ab amaritudine cordis in contritione, qui non similiter afficitur in dolore, qui vertitur in gaudium.

Discipulus. Frequenter audivi talia qualia dicis, sed nondum dicere vales (nisi mentior) quod plenè concipiam. Fac manifestum si potes.

Magister. Si manifestationem expectas doctrinalem & disciplinalem, polliceor hoc faciliter effecturum, si discipulum quasi puerum te præbueris. Crede primò more discipuli; sciveris ità postmodùm quæ dicentur, saltem ex mediis, seu locis intrinsecis, videlicet ex autoritate dicentis, quod & ex ista maxima: *Cuilibet experto in sua arte, vel scientia credendum est.* Tali loco & maximâ Fides innixa Deo, & Ecclesiæ, quæ regitur Spiritusancto, stabilitur. Si verò non contentus istâ notitiâ, tibi quæsiveris demonstrationem evidentem, aut notitiam intellectualem ex terminis, aut experimentalem perceptionem, frustrà (ne dicam stultè) conabimur. Manifestissima sumitur ratio ex aliis in nobis expertis, quæ nemo potest extra se tradere experiri; nec tamen absque experientia possunt sciri. Tale speculum, talis sua claritas (ne te suspendam diutiùs) est unio per gustum, & tactum spiritualem, quæ unio dicitur hìc per anagogiam *susceptio Israël pueri Domini Dei.* Per Apostolum dicitur *transformatio.* Dicitur in Canticis *osculum* & *amplexus.* Dicitur per Psalmistam *adhæsio* & *inhæsio.* Jungit *adhæsioni susceptionem. Adhæsit*, inquit, *anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Ps. LXII. 9. *Hæc est mutatio dextræ Excelsi.* Ps. LXXVI. 11. Hæc actio, vel deductio spiritus.

Discipulus. Multiplices licèt talia centies nomina, non ad intelligentiam satis erunt.

Magister. Verbum latens in mente non aliter potest extra prodi, quàm per voces, maximè quando est verbum tale, quale describit Augustinus: *Verbum*, inquit, *est notitia cum amore.* Dixerit aliquis fidus tibi, nosco Joannem, & amo eum; consentis ei, & formas in te credulitatem de notitia cum amore, quam intueri, id est intus tueri, vel aspicere fas non habes. Nihilominùs enitere tecum in corde tuo Joannem illum diligere, uniet dilectio te Joanni, non prior aliena dilectio, sed tua. Senties intrà cor susceptionem ipsius Joannis, non jam alienâ, sed intus propriâ experientiâ. Converte similitudinem hanc ad unionem cum Deo, per proprium suum, non alienum amorem, senties in te quid habeat suavitatis, quid virtutis verbum hoc anagogicè de te, ad te, & in te prolatum: *Suscepit Israel puerum suum.* Luc. 1. 54.

Discipulus. Cur si non amavero, sentiam tale nihil suave, vel jocundum.

Magister. Repetam altiùs ex intimis Philosophiæ principiis quasi non jam credas autoritati, sed rationi convincenti. Triplex esse genus boni definierunt Philosophi per naturæ voces edocti: *Bonum utile, bonum delectabile, bonum honestum.* Cognoverunt ulteriùs, quòd res inanimatæ tendunt per appetitum naturalem inditum, ad bonum duntaxat eis utile, sicut ad loca sui conservativa, & ad alia, sine quibus esse vel benè non possunt. Porrò de delectabile bono nihil habere dicuntur, sicut nec de tristabili, nisi per transsumptiones voluerimus amplè nimis loqui. Res autem animatæ per formam sensitivam in actu fundatam tendunt quidem in bonum utile, quod dum sequuntur, & illud eis conjungitur, sentiunt delectationem, ita ut jam ferantur in proprium bonum, quia delectabile eis, etiam si non esset utile, immò nocivum sæpè. Natura tamen plus ingeniavit delectationem in animalibus propter operationem utilem, quàm propter delectationem suavem; unde si haberet animal nutrimentum sufficienter sibi conjunctum, si præterea generaret sibi simile ad conservationem suæ speciei, natura non curasset adjungere delectationem in sensibus gustus, & tactus, plus quam in igne, qui fertur ad locum suum, & generat sibi simile sine delectatione. Si autem animalia, dimisso sibi utili, vel suæ speciei, quærunt solùm delectari, fit hoc præter intentionem naturæ principalem. Si verò conjungunt utrumque, non errant, ut delectatio teneat operationem, & foveat.

Discipulus. Dicis ea quæ Philosophiæ consonant & experientiæ; conclude proindè: quia delectatio non fit sine operatione aliqua cognitiva, simul & motiva, quia nec motiva vis sola sufficeret plus quàm in rebus sine anima. Nec rursùs sola discretiva sine motu virtutis appetitivæ satis esset ad delectationis originem.

Magister. Censes acutè, porrò cernas acutiùs volo, qualis sit hæc combinatio sensus percipientis, & appetitus moventis. Nec ideò quæsiverim si sint duæ potentiæ realiter, & essentialiter distinctæ, vel sola ratione. Sufficiat quòd ad causandam delectationem mutuò se præsupponunt.

Discipulus. Præsupponunt scio, non aliter quàm forma literarum præsupponit oculum dirigentem, & manum moventem, ubi neutrum per se sufficeret.

Magister. Exemplum placet, etsi non penitùs adæquatum. Exemplum aliud est de libertate arbitrii quæ non unam, sed duas præsupponit potentias, aut potentiæ unius essentialis duas rationes. Quæro tamen, quæ potentia priùs occurrat ad causationem delectationis; appræhensiva, vel motiva? Aut si sit penitùs res eadem; quæritur sub qua ratione priùs ipsa concurrit, vel apprehendendo, vel movendo?

Discipulus. Cur hoc in quæstionem vocas, cum vis appetitiva animalis, non movetur, nisi priùs objectum sit apprehensum, & sibi præsentatum; propterea, & non ob aliud, vocatur animalis.

Magister. Quid si tibi monstravero conversum ordinem inveniri. Exempli gratia in homine, qui potentiam habet reflexivam super se, delectatur ipse in objecto per apprehensionem, & vim motivam voluntatis. Convertat, & reflectat apprehensivam ad cognoscendum, quid, & qualis sit hæc delectatio causata ex perceptione prima conjunctionis objecti convenientis cum appetitu, qui est vis motiva solùm, ut sit non cognitiva, nec perceptiva. Attende sollerter hoc dictum, cujus ignorantia, vel inconsideratio multos fallit, & involvit. Nesciunt enim secernere id quod attribuatur virtuti motivæ, ut sic, à virtute discretiva, & hoc propter continuitatem mutuam, & circuminceſſionem, seu coëxistentiam.

Discipulus. Unus ex illis usque nunc fui; unde frequenter turbatum, & circundatum me tenebris inveni, ne cognoscerem illud dilucide, ad quod (quantum jam conjecturo) ducere me satagis.

Magister. Nil admirandum, si discreta conjunctim, & conjuncta discretim concipiantur aliter quàm oportet, confusio subsequatur. Concedis, quòd in prima causatione delectationis, necesse est vim apprehensivam in actu suo præcedere, si non tempore, tamen ordine naturæ. Nunc animadverte postquàm delectatio causata est; si vis cognitiva cognoscit hanc delectationem, constat quòd inde consequatur nova delectatio, & reflexa, quæ fit, ut homo sciat, & velit se delectari.

Discipulus. Constat, & experiri protinùs licet unicuique non protervo.

Magister. Quæro nunc similiter à non protervo, nec dyscolo, quæ causa præcedat, ordine naturali, perceptionem delectationis istius secundæ reflexæ, utrum appetitus, vel vis perceptiva sensus, aut intellectûs:

Discipulus. Videor aptè respondere, si dixero, quòd ad hanc delectationis secundæ perceptionem neutra potentiarum per se primò sola concurrit, sed ut conjunctæ fuerint, & unitæ, ad primæ delectationis (quæ nunc objicitur) habendam reflexæ super se perceptionem.

Magister. Consequitur ergo secunda perceptio ad unionem utriusque causæ concurrentis, nec potuisset aliundè percipi reflexa delectatio, nisi simplex prior esset.

Discipulus. Nequeo contradicere; perge, si placet ad tertium bonum, quod *honestum* nominatur.

Magister. Hoc proprium soli naturæ intellectuali est, ut ad bonum honestum solùm propter se moveatur, etiam si nihil indè utilitatis, nihilque delectationis oriretur; quamvis in se tamen summè sit utile, & delectabile. *Honestum*, inquit Tullius, *est, quod sua nos vi trahit, & allicit sua dignitate.* Finis itaque naturæ intellectualis est, ut suscipiatur ad bonum honestum, quo solo fruatur, & in illo delectata quiescat. Nulla ad hunc finem attingit irrationalis creatura, quia nec ad illum creata est memorandum, intelligendum & amandum.

Contemplabaris altissimam hanc, & pulcherrimam veritatem, ô altissima, & pulcherrima feminarum. Hanc insinuasti, dùm de solo Israël (qui sua interpretatione dicitur *videns Deum vel visio Dei*) complevisti Canticum tuum: *Suscepit Israël puerum suum.* Luc. I. 54.

Discipulus. Proposueras inter distinctiones antedictas, de facie, de velamine, de speculo, de claritate; distincturum te insuper de transformatione.

Magister. Aptè recolis, simul & alia sunt de susceptione per Anagogiam, quam susceptionem transformativam dicimus, addenda prioribus. Pauses interim ab inquisitione, & super hac susceptione transformativa tredecim considerationes accipe.

Susceptio sancti Israël transformativa, sicut non propriè dicenda est generatio, vel transsubstantiatio, sic nec propriè est naturalis alteratio. Generatio quippe tendit ad introductionem formæ substantialis, qualis non introducitur in hac transformatione quam nominare possumus deiformem, quia forma imprimitur divinitùs menti, qualem non habet ex natura vel sola industria. Sed neque mutatur aliqua res essentialiter in animam, quemadmodùm panis transsubstantiatur in Corpus Christi. Porrò naturalis alteratio fit per abjectionem formæ prioris contrariæ, & hoc in melius, vel in pejus.

Susceptio vero transformativa deiformis non præsupponit, aut requirit hujusmodi variationem, secundùm contrarias qualitates. Simulatur idcircò magis illuminationi solis in cœlo, & in medio pervio, atque perspicuo. Sic à lumine superno illuminari dicitur tàm universalis, quàm particularis Ecclesia, sicut à sole luna.

Susceptio transformativa plus consistit in perceptione unitiva, quàm in amore solo per se, vel in cognitione sola. Veritas ista concluditur ex colloquio priùs habito, quo quæsivimus delectationis originem, etiam sensualis. Deus itaque cum sit summum bonum, objicit se mediatè vel immediatè dilecto Israël puero suo sub triplici ratione generali, boni scilicet honesti, delectabilis, & utilis. Aut, sub aliis loquendo terminis, illabitur in mentem, ut pulchritudo seu formositas; ut suavitas; ut salubritas. Est denique Deus immensa lux, in quo *tenebræ non sunt ulla* Joannis testimonio, I. *Joan.* I. 5. Est autem proprietas lucis, se communicare, seu diffundere per universam sphæram suæ activitatis. Sphæra verò divinæ activitatis, est immensitas, & æternitas sua, cujus circumferentia nullatenus extra se est. Undè æternitas quasi *extra terminos entitas, vel unitas.* Sic idem est penitùs centrum, & circumferentia. Sic infinitas in Deo, magis secundùm rem dicitur positivè, quàm negativè. Nomen verò videtur negativum, sicut è contra de finitate, quæ vocatur *terminatio*, sic, quia fines habeat, ultra quos progredi non potest. Est igitur hæc negatio, quam negat infinitas quasi non finibilitas. Nosti verò per Logicam, quòd duplex negatio reddit affirmationem. Sed prosequamur quod cœpimus.

A Lux divina communicat, & producit suam speciem per totam se simillimam sibi, & æqualem, propter quod habet pulchritudinem infinitam, de qua Sapiens: *Pulchritudinem ejus admirabitur oculus.* Eccli. XLIII. 20. Nam oculo maximè convenit de pulchritudine judicium, sicut aliis sensibus de salubritate, & suavitate; propterea comparatur bono honesto, bonum pulchrum, quod nec delectabilis, nec utilis, ut sic, includit rationem. Amaretur enim, etsi nec utilis esset, nec delectabilis aliundè quàm ex se.

Porrò si divina pulchritudo solùm se offerret individuo creaturæ rationalis intuendam, sive pluri; solus intellectualis oculus judex esset, non gustus, aut tactus: qua super re sequatur alia consideratio.

Susceptio transformativa si perfecta sit, præsupponit individuo creaturæ rationalis illapsum fieri verbi luminosi, quod est species adæquata suæ luci; & hoc, secundùm virtutem activam summè proportionatam, & secundùm operationem perfectè replen-
B tem omnem indigentiam pueri Israël ad hanc transformationem suscepti. Placet itaque speciei pulchritudo, etiam propter se solam. Sed virtus speciei agens proportionaliter in potentiam receptivam, suavitatem inducit: sicut & operatio replens indigentiam, affert salubritatem, Habes igitur bonum honestum in pulchritudine; habes delectabile in suavitate, habes utile in salubritate, habes proindè bonum omne, de quo ad Moysen Dominus: *Ostendam tibi omne bonum.* Exod. XXXIII. 19. Concluditur iterùm, quòd susceptio transformativa consistit in concursu omnis boni, etsi non formaliter, saltem virtualiter, & eminenter; hoc autem tale bonum in habitibus deiformibus est sola gratia gratificans, aut gloriæ consummata sanctificans.

Susceptio transformativa nunquam potuit obtine-
C ri, nisi per gratiam divinitùs infusam, quæ radix est omnis transformationis deiformis, & sursùm unionis. Continet autem virtualiter in se Fidem, Spem, & Charitatem, cum ceteris habitibus luminosis, & affectivis, taliter suo modo, qualiter essentia animæ originaliter complectitur suas vires. Omittatur interim similitudo de divina essentia, respectu trium Personarum, respectu insuper omnium rationum perfectionem in divinis dicentium; quia nulla creata simplicitas isti potest adæquari, vel par esse.

Susceptio transformativa actualis non conceditur de communi lege sine exercitio actuali mentis, faciendo quod in se est ad hanc susceptionem, saltem per obicis cujuslibet ablationem. Exemplum in supernaturali formæ rationalis introductione, quæ naturales dispositiones præsupponit in corpore. Consideretur ex hac duplici consideratione statim, quòd absque miraculo non fit susceptio transformati-
D va, maximè gratificans; nihilominùs illam affore non fit certum evidenter, sine miraculosa revelatione, propter consimiles motiones quas habet natura per habitus acquisitos informes ad habitus Fide, Spe, Charitateque formatos: hinc hæretici pertinaces, hinc nonnulli infideles; hinc peccatores vani, gloriosi de suis sentimentis, sæpè confunduntur in æstimatione sua; relaturi supplicium, undè præmium magnum consequi putant. Hinc est illud: *Cadent a latere tuo mille*, Ps. XC. 7. qui se de latere proximos arbitrabantur. *Et decem millia à dextris tuis* statum Christianitatis assecuti.

Susceptio transformativa vicissitudinem habet reciprocam, & quasi circularem. Utimur similitudine palpabili ex Scripturis. Dixit in Apocalypsi Christus. *Ecce sto*

ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit januam, introibo ad eum, & cenabo cum illo, & ipse mecum. Apoc. III.20. Fit perindè illud de Grammatica:

Hospes, qui recipit, & qui susceptus habetur.

Audis quòd Christus intrat ut hospes in animam, & animam cibat ut ipsam suscipiens. Et certè sic est tenendum, simul & admirandum, non jam per similitudinem; si ad susceptionem Eucharistiæ transeamus. *Qui manducat*, inquit Christus Joan. 6.57. *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet* quasi
A hospes susceptus à Christo: *Et ego in illo*, quasi qui suscipitur in mentis hospitio. Felix nimirùm puer Israël hospite tanto. Felix munere duplicato, atque reciproco. *Suscepit Israël*, Deiformis noster spiritus, *puerum suum*. Jure stupes ad hoc verbum, ô frater. Scis, quia vocem Jesum Christum puerum nostrum; suscipit Israël spiritus suus Deiformis suscipiendo Sacramentum. Planè sic legis de eodem Christo: *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis*; Isaïæ. IX. 6. Potest hoc intelligi de puero Jesu secundùm carnem, qui per te Virginem puerperam *datus est nobis*, & corporaliter *natus*. Est alius mirabilior, & nisi de se testis esset incredibilior sensus, quia *datus est nobis*, ut sit puer noster per filialem susceptionem in utero mentis Israëliticæ conceptus, & genitus. *Qui fecerit*,
B inquit, *voluntatem Patris mei, ille meus frater, soror, & Mater est.* Matth. XII. 50. Audis Matrem, & cujus Matrem, nonne pueri Jesu? Sic enim à Patre *puer*, & à Prophetis, & ab Evangelistis, crebrò Christus nominatur, quàmvis vir fuerit ab utero. Etiam indè *factum est novum super terram*, quia mulier circumdedit *virum*. Isaïæ LXI. 10.

Susceptio transformativa reddit animam Verbigenam. Ipsa siquidem quæ per naturam ancilla est, quæ per gratiam adoptionis filia, quæ per subarrationem dignativam sponsa, fit per nimiam gratiæ superabundantiam gravida de te puero Jesu, te marito, te viro, te sponso, ut jam sponsus & sponsa sint duo in uno spiritu, immò in uno fœtu, qui es tu Domine. Suscipe propterea, ô Deiformis anima, & simul sponsa dicta: suscipe tuum puerum, non jam ut hospitem tuum, non jam ut Dominum, non jam ut amicum, non ut sponsum qualemcunque; sed ut sponsum, & Filium tuum. Filium, qui concipitur in utero memoriæ, per infusionem roris gratiæ. Filium, qui formatur in utero intelligentiæ per infusionem Deiformem. Filium, qui parturitur, per opera
C charitatis elicitivè, vel imperativè, donec in mundum nascatur perennitatis gloriosæ. Videor audax nimis, & rectè videor, si non testimoniis Scripturarum fulcitus essem, quæ Deum esse tradunt animæ sanctæ, & Israëliticæ omnia quæ dicta sunt. *Filioli mei* (inquit Paulus Gal. IV. 9.) *quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Et Dominus per Prophetam Jeremiam dicit: *Pater meus, dux virginitatis mea tu es.* Jerem. III. 4. Et iterùm: *Fornicata es* &c. *tamen ad me revertere, & ego suscipiam te.* ℣. 1.

Susceptio transformativa mirabilior effecta est post lapsum, quàm stante, nec peccante natura fuisset.

Primò, quia non majus est, cœlum, & terram creare, quàm peccatores justificare. Ratio. Non enim habet positivum creatio contrarium, sicut contrariatur justificationi peccatum. Rursùs in creatione sola potentia consideratur, sed in justificatione sa-
D pientia, simul & benevolentia, nec minùs cum potentia pensatur. Quid sapientius, quàm ut vincat sapientia malitiam, & ita vincat, quod ex ea sit elicere maximam justitiam? Vult exhibere summam benevolentiam, vult exercere summam potentiam in debellando per humilitatis dejectionem omnem superbiam. Conferebas hæc verba frequenter in corde tuo, Virgo dignissima, nec satiabaris dulcedine mirabili super hac susceptione Israël pueri sui. Hinc devotùm tibi cum ex actione pia dirigitur in Prosa votum.

Nec abhorre peccatores
Sine quibus nunquam fores
Tali digna Filio.

Tu quoque Gregori sic exclamasti: *O felix culpa Evæ, quæ talem, & tantum meruit habere Redemptorem.* Addamus susceptionem: *O certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi sanguine deletum est.* Noli propter hoc extolli, ô culpabilis Eva, noli tibi blandiri peccator Adam, quia Dei benignitas omnipotens, non impotens vestra perversitas talem meruit Redemptionem, & susceptionem exhibuit.

Susceptio transformativa clarior quandoque, nonnunquàm obscurior invenitur. Provenit hoc principaliter à beneplacito suscipientis activè, sed dispositivè à conditione suscepti. Vox indè est illa Pauli 2. Cor. III. 18. *Transformamur de claritate in claritatem*; quia videlicet *alia claritas solis, & alia claritas* est *lunæ*. 1. Cor. XV. 41. sicut non par semper est revelatio faciei. Tenet Dominus in manibus lucem &c. *Si vult, videtur*, ait Augustinus, *si non, non.* Sit aliquis clausis palpebris, seu membranulis oculorum, positus extrà radios solis; constat quòd nihil, aut tenuissimè videbit, quàmvis oculi sint sanissimi, nec velamen aliquod maximè compositionis habentes. Prodeat iste ad intensissimum lumen solis aspiciendum converso intuitu; non videbit itaque rotam solis, attamen multo splendore lucescet oculis per velamen palpebrarum. Sit aliud exemplum de oculis apertis ad obliquum lumen solis circà crepusculum diei in susceptione matutina, quali Christus resurrexit, *cùm tenebræ essent super terram* Matth. XXVII. 45. *orto jam sole.* Marc. XVI. 2. Sit aliud exemplum: si poneremus solem liberè objectaliter se visui præsentare.

Susceptio transformativa ferventiùs excandescit, aut tepidiùs, duplici ratione, quæ nunc de claritate ponebatur, scilicet arbitrio Dei, vel dispositione subjecti. Disponitur autem subjectum, quod est mens rationalis, maximè per humilitatem spiritus, quia *humilem spiritu suscipiet gloria.* Prov. XXIX. 23. Interroga naturam, audis sub exemplo respondentem. Objice speculum concavum politum solaribus radiis, caufabitur ex multa reflectione in puncto concursus radiorum ardens ignis. Similis erit effectus ex vase cristallino, vel vitreo pleno aquâ.

Quid! quod aspectus pulchritudinis corporalis aliquos transformat in furiam, & mentis amentiam, cur non poterit inspecta pulchritudo spiritalis Dei? Cur non divinorum spectaculorum pulcherrimorum consideratio in talem suo modo spiritualis ardoris effectum mentem evehere? Cur non poterat extrà se fieri? Cur non ad dilecti pulchritudinem tota rapi, ac perinde amens esse? Sic enim divinus loquitur Dionysius in re nostra; sed ô felix amentia pro qua sequitur.

Susceptio transformativa spiritualis contrario modo se habet ad transformationem animalem, & brutalem. Tradit Dionysius, quòd *amor in terrenis est dispersio, & labefactio amoris. Sed divinus amor est sicut quidam æternus circulus, per optimum, ex optimo, & in optimo, & in optimum, inenarrabili conversione circumiens.* Colligitur protinùs differentia brevis inter duos amores, quorum unus constituit civitatem Dei, secundùm Augustinum; alius civitatem Babylonis.

Primus unit, secundus dispergit. Et verè sic est, si per omnia respexeris. Dedit Christus intelligi causam, quia, inquit, *unum est necessarium*; Luc. X. 42. plurima verò sunt contingenter variabilia. Necessarium itaque (quia tantummodò unicum est) colligit: cetera omnia, quia labilia sunt, dispergunt. Amor qui innititur uni necessario, stabilitur in eo amor innitens mutabilibus, ut mutetur necesse est. Est autem *omnis creatura vanitati subjecta.* Rom. VIII. 20. Audi de ho-

homine, qui *fugit velut umbra*, Job. XIV. 2, *bra, & nunquam in eodem statu permanet.* Job. XIV. 2. Civitas igitur Babylonis quam fundat amor sui usque ad contemptum Dei, quàm rectè Babylon, id est, confusio nominatur. Civitas verò jure vocatur Ecclesia, quia convocat, & colligit. Dicitur & *Jerusalem, cujus participatio ejus in idipsum.* Ps. CXXI. 3. *Ædificans*, inquit Propheta, *Jerusalem Dominus, dispersiones Israël congregabit.* Ps. CXLVI. 2. Fit hoc dum suscipit Dominus *Israel puerum suum*, quia similiter venit ad hoc, Caypha prophetante, sed non à seipso: venit enim ut filios Israël in unum congregaret, congregatione non tàm locali quàm spirituali, in unam Fidem, in unum ovile, in unum nidulum sub alas amorosissimæ circà fœtus gallinæ, quæ est æterna sapientia Christus Jesus.

Susceptio quælibet à Deo, nomine propriissimo dici potest *unitio*, sive literaliter susceptionem accipias, sive per allegoriam. Mysterium quippè Incarnationis quando celebratum est, finis suus totus fuit unitio. Tunc enim fecit Christus utraque unum, dùm conjunxit ima summis; dùm factus est lapis in caput anguli, dùm cantata est in terra *pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. II. 14. pace reformata cœlestium cum terrenis. Si verò per Tropologiam, si per Anagogiam susceptio Israël pueri consideretur, quid aliud videbitur quàm unitio? Hoc est ad unum collectio, & ad unum exaltatio, ad unum impletio, restitutio & conversio humilium *mente cordis sui?*

Discipulus. Sile, quæso, sile; jam satis est mihi, jam quasi luce serenitatis infusa, omnis consummationis video finem. Consummatio sermonum enim ista est procul dubio. Det hoc unum Deus, & dicemus, sufficit nobis, credemus dicenti; *sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. XII. 9.

Magister. Æstuas gaudio novo, quasi non priùs omnia quæ protulimus millies audieris, tum à Scripturis Evangelicis, & Apostolicis, tum à collationibus mutuis, quibus ita frequenter insertus est sermo de Theologia mystica à Doctore Dionysio.

Discipulus. Audivi, fateor, & legi, nunquàm verò mentem ita perstrinxit quædam, ut nunc, intima perceptio. Nunquàm ita mihi sapuit verbum hoc hominis pleni *Fide, & Spiritu sancto*, Stephanum loquor: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Act. VII. 58. Quod verbum nonne consonanter erat ad verbum Mariæ, sive Canticum: *Suscepit Israel puerum suum?* Luc. I. 54. Hoc plenè mox effectum est, secundùm Anagogiam, dùm obdormivit Stephanus cum Domino *in pace in idipsum.*

Magister. Gloriosus Deus in Sanctis suis, mirabilis in majestate, & in magnificentia; quia nunc magis aperuit intellectum, ut intelligeres Scripturas, in sua collocutione, hìc in via sub peregrina licèt effigie, tetigit cor, & strinxit, quò susceptionem ejus perciperes, nedum per disciplinam doctrinalem, sed experimentalem cognitionem. Hæc est cognitio, cum quâ, & sine quâ non acquiritur, & gustatur sapientia mystica; hæc susceptio unitiva *sancti Israel Regis nostri*; hæc collectio humilium *mente cordis sui.* Hæc sola dividit inter cives Jerusalem, & Babylonis; hæc sanctificatio, hoc regnum, hæc voluntas Dei, hic panis supersubstantialis, hic liberat à malis culpæ, pugnæ, & pœnæ. Amen: hoc est quod sine mente, vel defectu mixto cujusvis naturæ pro momento hujusmodi experientiæ. Crede mihi, quoniam vel expertis merè gratis datur, quamvis non soleat dari nisi desiderantibus, quærentibus & pulsantibus.

Denique vim patitur; quæ si cui datur, confertur aliquando nihil agentibus, quandoque aliquid agentibus, quandoque somnolentis raptim, ut subitò nescire possis, quando *veniat*, *aut quò vadat.* Cur ita? Planè ne tuo merito, vel industriæ ascripseris susceptionem visitationis suæ, sed dic, *tempus beneplaciti Deus.* Ps. LXVIII. 14.

Discipulus. Loqueris experta. Sufficit ad exemplum Paulus, & superabundant in miraculosè visitatis, & susceptis testimonia.

A

Magister. Crede tamen, quòd non idcircò tibi prohibenda est, vel alteri lectio, non allocutio devota, non meditatio solers, non oratio frequens, & fervida, non demùm Sacramentalis susceptio, quæ si ritè fiet, superat vigor ejus attractivus hæc omnia spiritualis exercitii documenta. Crede equidem dum in hortis Ecclesiæ habitas Consecrationis tempore, adsunt amici, Angeli auscultant, fac dilectum audire vocem tuam: ostende ei faciem tuam, si decora est; sonet vox tua in auribus ejus, si suavis est.

Discipulus. Docueris, obsecro, quæ sit illa vox quam audire petit *dilectus meus mihi.*

Magister. Doceat te finis, & consummatio Cantici Canticorum, quòd jungemus ad hoc Psalterium: *Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Cant. VIII. 14.

B

Discipulus. Mirabilis verò est talis amicæ vox ad dilectum, petere ut fugiat: quo absente nihil jucundum, cujus præsentiâ nil optabilius esse potest ad votum.

Magister. Ignorans mysterium, nescis quia non potest altera proximior ad dilectum fieri præsentia, quàm si fugiat ipse *super montes aromatum*, non qualicunque modo, sed ad similitudinem capreæ, hinnulique cervorum. Mos est capreæ solitudinis secreta diligere. Caprea quasi *capiens alta.* Secretum similiter mutuum quærunt dilectus, & dilecta. Nunc in foraminibus petræ, nunc in caverna maceriæ. Petra autem est Christus crucifixus, perforatus, & in latere cavernatus. Secretum verò novissimum, & ultimum est *super montes aromatum*, montes qui suscipiunt, immò dant pacem populo.

C

Ceterùm quid quærit hinnulus cervorum, dum fugit per deserta montium? Puto redit assiduè ad ubera matris, in cujus antro quiescit, & sinu. Scis autem quia se refert, & omnia Filius semper ad Patrem. Ipse hinnulus gratissimus ad cervam charissimam, sapientiam ingenitam confert. Concludo tandem, quòd sonet hæc dilectissima vox in amorato per amorem, *Dilecte mi:* quid per adjunctam, oro te, petis similitudinem, nisi ut fugiat dilectus ad Patrem, quo ibidem quiescente, trahat dilectam suam secum, collocet non jam in hortis, ubi sunt amici; sed solam cum solo, unicam cum unico, deliciosus amator complectatur. Sicut in eodem lectulo florido, sicut in lectulo Salomonis pacifici, sicut in cubilibus sponsi, ubi sponsa dicat ex sententia: *Dilectus meus* mihi totus, & unicus, conjungitur, *& ego illi.* Cant. II. 16. Dicat & suus Deiformis spiritus jam Israëlita, per limpidam visionem; jam puer amplexatus, per intimam susceptionem; jam suus effectus hæres, per filialem, hereditariamque possessionem, nunc quidem in spe sub certa expectatione futurorum. *Suscepit Israel puerum suum.* Luc. I. 54.

D

Discipulus. Benedictus Deus, & magnificus in sanctitate; desero jam ex animo alias quæstiones omnes præ dulcedine verborum istorum, præ suavitate mellei spiritus sapientiæ.

Magister. Placet ad initium redigi, non ratiocinando, sed jubilando; placet concinere cum exultatione spiritus in idipsum: *Magnificat anima mea Dominum*, quia *suscepit Israël puerum suum.* Luc. I. 46. 54.

ALTE-

ALTERA PARTITIO

QUASI PER

SOLILOQUIUM

ET

MEDITATIONES.

Per Notulas triginta.

SUSCEPIT *Israël puerum suum.* Luc. I. 54. *Suscipe me, Domine, servum tuum in bonum.* Ps. CXVIII. 122. Servus tuus sit spiritus meus, qui desiderat esse Israël puer tuus. *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus*; ℣. 3. Dicunt hoc crebrò calumniatores superbi, mundus, caro, dæmonia. *Tu autem Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* ℣. 4. *Caput meum* mens mea, Domine, quia capiat te. Caput enim à *capiendo* nomen habet. Sed nec altera est assignabilis differentia potior mentis ad reliqua omnia mente carentia, nisi quia capax tui est, & particeps esse potest. Capax per intrinsecam conditionem memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis. Particeps verò, id est, perfectè capiens per habitus, actusque superadditos, maximè per illapsum Deiformis gratiæ tuæ.

Suscipias igitur me *secundùm eloquium tuum*, Ps. CXVIII. 116. suscipiam & ego te per amorem tuum. Quid hoc, suscipe, nisi sursùm me cape in mentis meæ cœnaculum. Domine inclina cœlos tuos, & descende, ut ascendam ad te, *Adjutor meus, tibi psallam, quia Deus susceptor meus es.* Ad hoc enim fecisti me, *Deus meus, misericordia mea.* Ps. LVIII. 18. Propterea precor, & obsecro, suscipe me recordatus misericordiæ tuæ. Sunt vanæ susceptiones, hoc est, *sursùm acceptiones* mentis meæ de te, quousque veniat consummatio, quousque dextera gloriæ tuæ suscipiat me in finem.

Susceptio autem ænigmatica creaturarum extrinsecùs est. Interiùs capio te intùs in anima mea, nunc per speculum cognitionis, & amoris; nunc in eisdem speculis, quæ sunt cognitio, & perceptio dilectiva, quibus interim constringis, & allicis experimentaliter pauperculum cor meum, suscipiens ipsum; sed non in illa, quâ refulges, claritate in ipsum, non in illo torrente voluptatis tuæ. Cùm hoc factum fuerit, ut ita suscipias me, & ego te, fiet illud de Psal. XVI. 15. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Dic, benignissime puer Jesu, dic spiritui meo, quem imples dono tuo: *Ecce puer meus, quem elegi*, Matt. XII. 18. quem suscepi, quem amplector, cui benedico. Olim ferebas indignè, si quis prohiberet pueros ad te venire. Venio ad te, suscipe me. Si ejicis foràs venientem ad te, quomodò suscipies fugientem? Ubi est illa vox mansuetudinis tuæ: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Joan. VI. 37. Scio, Domine, docente te per Scripturas, quia est puer, & puer. Puer sensibus, & non malitia, vel moribus, qualis est *puer centum annorum* Isaïæ LXV. 20. maledictus. Nolo, Domine, talis inveniri puer, sed in quo sit innocentia, humilitas, & obedientia, qualis appellatus est David annosus, qualis jam Abraham centenarius. Collegit unus septem puerorum conditiones adversarias septenario vitiorum. Sunt pueri parvi, undè frangitur superbia; puri, undè luxuria deturbatur; modico satiati, quos gula non superat; ludunt ne sint inertes, & languidi; concordant contra malignitatem invidiæ; citò dant, ut liberales; citò pacificantur; rancoris expertes. Sunt ista sæpiùs ex ætatis beneficio; comitantur alia multa ex ætatis vitio.

Ceterùm vetus puer efficitur spiritus rationalis in qualibet ætate corporis, si fuerit præditus innocentia, si humilitate, si obedientia. Talis erat spiritus Mariæ humilis, & obedientis ancillæ. Talis ipsius David, qui vilescebat in oculis suis. Talis in Abraham, qui jussus immolare filium, protinùs obedire paravit. Et ô quàm mirabiliter obedi-
A re! Spiritum talem, qui sit humilis, innocens, & obediens, innova in me, Deus, quem digneris suscipere. Sit in eo simplicitas, sed cum prudentia; sit humilitas, sed cum fiducia; sit obedientia, sed non in angaria.

Magna prorsùs erat in humilitate Mariæ fiducia, magna obedientiæ promptitudo, magna in simplicitate prudentia; quoniam nec temeritate præceps fuit in respondendo, nec post insinuationem Angeli, qualiter fieret Mater Dei, dare diffidit suum assensum, quo habito, mox per Incarnationem *suscepit Israël puerum suum.*

Susceptio tua, Domine Jesu, colluctationi similis est, dùm te vicissim suscipere, & retinere laboramus. Figuravit hanc luctam Israël iste literalis puer tuus. Timebat nimis à facie fratris sui Esaü; transmiserat omnem comitatum, solus remanserat.
B Apparuit vir luctans cum eo usque manè in Phanuel. Jacob illum volentem discedere, detinuit. *Non*, inquit, *dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Gen. XXXII. 26. Benedixit in eodem loco, & statim ortus est sol. Luctatur homo solus existens, metuens impulsus contrarios, orat Deum tota mente nocte tribulationis; & ita luctatur cum Angelo magni consilii. Quid enim oratio fervens est, nisi quædam luctatio Dei cum homine? Se mutuò brachio amoris suscipiunt.

Porrò non cessat Jacob supplantator vitiorum, quousque benedictionem suscipiat meritorum, etiamsi videatur jam aurora mentalis illuminationis; perstat tamen, donec statim post benedictionem sol oriatur luminosior in experimentali perceptione.

Mutatur nomen, quia transformatur in virum alterum. Jam est Israël vir potens, & fortis Dei, viget in actione arduorum, & in difficilium perpessione, & in limpida Dei visione fit Israël.

Gratulatur se vidisse Deum *facie ad faciem*; sed
C per subjectam creaturam quasi per speculum. Concipit internæ fiduciæ gustum, *& salva*, inquit, *facta est anima mea.* Gen. XXXII. 30. Robur denique carnalis amoris in quantum necesse est emarcessit, propterea claudicat solo pede necessitatis tangens panem. Facta sunt hæc post generationem undecim filiorum, & natus est multò post in introitu Bethleem domus panis ipse Benjamin filius dextræ vel doloris, moriente Rachel Matre sua, dum parturit eum.

Placet præterea, ô anima Christiana, summatim recordari mysterium genealogiæ nostri Jacob Israël, ab alio desertissimè expositum. Habet mysticus Israël, dum Jacob est, duas sorores liberas in uxores, Liam, & Rachel. Habet Liam, vim affectivam; hæc laboriosa est, secundùm nomen in exercitio virtutis. Huic Liæ deest oculus intelligentiæ perspicacis. Habet idem Jacob mysticus Rachel, decoram, & simplicem instar ovis, secundùm nomen suum. Hæc est intelligentia superioris ratio-
D nis, quæ se versat in exquisitione veritatis, specialiter principii.

Datur utrique ancilla sua. Servit Racheli imaginatio, non qualiscunque, nec brutalis, sed cum ratione participans: dicitur hæc Bala, hoc est, *inveterata*; loquitur quidem incessanter, etiam dum sola est, more senum. Sensualitas autem, vel sensualis appetitus, obsequitur Liæ. Est ipsi nomen Zelpha interpretata *os inhians*, quia neque visu, neque auditu,

(teste Salomone) nec alio sensu satiatur, inhiando, seu desiderando.

Ceterùm Jacob vir videns in primis paupertatem suam, generat affectum timoris ex Lia; dicitur iste Ruben *filius visionis*. Gignitur post hunc affectus doloris Simeon hoc est, *auditio*, quia qui vere dolet, & pœnitet, protinùs exauditur. Sequitur tertius filius dictus Levi, id est, *additio*, quoniam post timorem, & dolorem, additur spes. Quartus in filiis Liæ, Judas, *confitens*, vel *confessio* subsequitur. Hic est amor, aut gaudium. Copulatur enim Lia, quæ est *bona voluntas*, Deo tanquàm viro suo per gaudium amorosum. Cernens autem Rachel sororem Liam, scilicet voluntatem totam, prolis fecunditate lætantem, zelat & ipsa parere. Et quoniam habet timorem, qui est *principium sapientiæ*, Prov. I. 7. habet & amorem, qui trahit rationis oculum videre dilectum; desiderat ipsa Rachel cognoscere Deum, quem Lia timet, & diligit. At verò quia necesse est cognitionem priùs à sensu, & imaginatione fieri, dicentibus hoc Philosopho, Apostolo, & experientiæ sono, dat Rachel ipsi Jacob sponso suo Balam ancillam, *imaginationem*. Suscepit ab ea duos filios spectantes ad imaginationem junctam rationi. Unus est Dan, qui *considerat*, *speculatur*, *& judicat de malis futuris* in malorum damnatione. Nephtalim alter filius, *considerator est bonorum futuri seculi*, dans eloquia pulchritudinis, nunc in Canticis Canticorum, nunc in Psalmis, & juxtà nominis interpretationem, nunc utitur comparatione, modò conversatione recognitio futura.

Porrò dum Lia conspicit ancillam sororis Balam, peperisse geminam hanc prolem, Dan, & Nephtalim; provocatur tradere similiter ancillam suam nomine Zelpham in sinum viri sui. Fit ita. Nascitur indè duplex sibi filius, Gad, & Azer. Horum interpretatio est *beatitudo*, & *felicitas*, quoniam beati sunt, & felices qui post speculationem æternorum, hinc malorum, hinc bonorum, pariunt in sensualitate, quæ est juncta voluntati, immò participativè voluntas; pariunt, inquam, duos filios, quorum primus est *vigor abstinentiæ*; secundus *vigor patientiæ*. Accipe quomodò *beati* sunt, *qui lugent*, ut Gad. *Beati, qui persecutionem patiuntur*, Matt. v. 10. ut Azer. Verùm post hoc tempus Ruben jam adultus, ingrediens, & egrediens, invenit mandragoras de bona fama; quoniam qui abstinentes sunt, & patientes sunt, cum timore Dei collaudantur, *bonus odor Christi sumus*, inquit Apostolus 2. Cor. II. 15. Rachel verò petit partem mandragorarum, quas totas Lia dat libenter Racheli, quia subjicit se rationi, quatenùs viro suo copuletur. Jam enim nihil ad famam respicit, sed ad Dei gloriam, sed ad futuram viventium terram, & quietem. Dicit è sententia: *Quid enim, mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Ps. LXXII. 26.

Superest igitur, ut Lia generet duos filios, qui sunt Issachar, & Zabulon. Issachar est *asinus fortis* sibi vilescens, qui vidit requiem, haud dubiè æternam, quòd esset bona, & terram, supple viventium, quòd esset optima, & factus est tributis spiritualium exercitiorum serviens, qui inter terminos habitavit; neque enim quærebat esse in terra, neque poterat in cœlo. Fecit quod potuit. Inter terminos habitavit, positus hîc in horizonte divinorum, & humanorum, crebrò vertebat oculos ad divina. Quintus iste est filius Liæ, qui est *gaudium spiritus*, *& amor boni*. Quem consequitur sextus filius, qui est *zelus factus in odio mali*. Hunc sextum Lia Mater appellat *dotem bonam*. Nam quæ melior dos zelo animarum, & odio vitiorum? Nomen ejus secundùm laudem suam Zabulon *habitaculum fortitudinis*. Nam quod aliud habitaculum fortius, quàm ubi moratur æmulatio dura sicut infernus, veniens ex gaudiosa divini muneris dilectione; quæ *ut mors fortis est*; cujus *lampades ignis, atque flammarum*. Cant. VIII. 6. Patuit in Martyribus zelando salutem animarum, quorum charitatem multæ persecutionum aquæ non potuerunt extinguere, nec flumina voluptatum obruere valuerunt. Rursùm verò satis est probabile, quòd zelus, dum exercetur, offendit in multis, & dum currit, incurrit, si non indè nascatur *sancta verecundia coram Deo*, quam nominamus Dinam in femineo sexu, propter minorem quàm in viris fortitudinem, & quia propter formositatem plùs allicit. Quid enim apud Deum, quid apud homines gratiosius, quàm humilis verecundia post tot sanctos mores, post genitos, quales diximus, sex Liæ filios. Sunt isti sex principales affectus voluntatis, moderati, simul & ordinati. Etenim virtus quid aliud est, quàm dilectio, vel affectio veritatis, moderata per rationis normam, & ordinata per voluntatis intentionem? Nomina sunt, timor, dolor, spes, gaudium, quæ sic nominat prosa:

Spes, mœror, metus, gaudium.

Subindè sunt amor boni; zelus, vel odium mali. Conjunguntur filii quatuor ancillarum. Bala quippè genuit duplicem speculationem; unam Inferni, alteram Paradisi: Zelpha autem genuit duplicem in sensualitate affectum; unum, qui est rigor abstinentiæ; alterum, qui dicitur patientiæ vigor. Sed *væ* filiis hominum *à scandalis* Matth. XVIII. 7. quoniam *non est homo qui vivat, & non peccet*, Eccle. VII. 21. non est qui non hostilibus quandoque pateat insidiis. Ecce dum prædicti omnes filii Jacob circà pascendos greges bonarum actionum ad proximos occupantur, Dina soror jam adulta, nec se continens in solo mentis habitaculo, egreditur videre mulieres regionis illius. Egressus est hîc per curiositatem, dum vitam aspicit aliorum, dum denique mores, & formam vitæ eorum comparatione sui considerat. Gloria sua jam non tota est testimonium conscientiæ suæ coram Deo, sed gloriam foris expetit. Violatur hoc modo Dina, quæ est *sancta verecundia*, dum satagit mundo gloriosa videri. Sed à quo violatur Dina, id est, *judicium verecundiæ?* Certè à labore asinino, scilicet à Sichem, qui interpretatur *labor*, *quem gignit Hemor*, qui sua interpretatione, sicut & actione notat *asinum*; quid enim stultius, quàm vanè gloriari de non suis virtutibus, vel de receptis aliundè? Amor igitur propriæ excellentiæ generat vanam gloriam, quæ Dinam (quamvis obnitatur) opprimit, & violat. Offert se nihilominùs ad compescendum furorem fratrum Dinæ Sichem iste; offert circumcidere mores suos omnes, scilicet pro gloria vera laborare, ut nihil appareat in suis moribus inverecundum. Hac circumcisione facta, propter hominum gloriam, tres dies, qui sunt tres considerationes, transeunt: dùm Simeon, & Levi, *dolor* & *spes*, non secundùm scientiam, arreptis gladiis suis, insiliunt in omnes mares sub Sichem, & Hemor habitantes, viriles quoque suas operationes occidunt, dum dolor est gravissimus. Simeon per gladium exprobationis, Levi per gladium exactionis impossibilis sæviunt, Dolor gravis est, quia perdiderunt exteriùs famam. Labor est gravior, quia perdiderunt interiùs innocentiam; gravissimus, quia demeruerunt gehennam. Quantò satiùs erat hujusmodi filios operationum custodire sub Religionis disciplina; ipsos quoque paulatim bonos efficere per intentionem meliorem, quàm furore pertinaci, & æmulatione dura, inutiliter exprobrando, & plùs exigendo quàm poterat, perdere, simul & opprimere? Videmus quemadmodùm necessaria sit post & inter virtutes omnes discretio, quam pro sui utilitate non est nata parere, nisi Rachel, *ratio superior*. Est iste primus Rachel filius in ordine filiorum undecimus Jacob Patriarchæ, qui nominatur Joseph, scilicet *accrescens*; quoniam experimentis crescit assiduis, & virtutibus

virtutibus excolitur, dum plus vivit. Facit huic Pater tunicam talarem, quià solus ad talos consummationis opera perduxit. Hunc odiunt fratres sui, dùm modum vult eis imponere, dum impetus refrenare. Accusat eos apud Patrem *crimine pessimo*, Gen. XXXVII. 2. quod est hypocrisis, *simulata aequitas non est equitas, sed duplex est iniquitas.*

A Rursùs inter haec Ruben violat Balam, dum nimium grandis effectus est, quià timor, si nimius est, dùm se custodire nititur, format inutiles imaginationes, quibus se convolvens à salutaribus impeditur. Tandem ipse Joseph, dum semet excolit quotidiè, per prudentiam fit major; Mater ejus Rachel concipiens, & parturiens anxii doloris desiderio Benjamin, hoc est, *filius dextra*, Gen. XXXV. 18. filius in potioribus donis coelestium collocandus. Moritur in ejus partu Rachel, quià dum coelestia mens rimatur, oportet ut ratio succumbat, & huic vitae moriatur, quià *non videbit me homo, & vivet*, ait Dominus à Moysen. Exod. XXXIII. 20. Hic est *Benjamin adolescentulus in mentis excessu*. Et ubi? & nempè in Ecclesiis, ubi benedicitur Domino. Et quae sunt Ecclesiae, nisi convocationes tàm cogitationum, quàm affectionum sanctarum. Psallunt meditiones sanctae Domino cum juvenculis inspirationibus tympanizantibus in corpo-
B re mortificato.

Praeveniunt *Principes* Angeli *conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Ps. LXII. 26. 28.

Suscipit Dominus hunc puerum Israël, quoniam *amantissimus* est *Domini*, & habitat, *confidenter in eo sicut in thalamo: tota die commorabitur*, Deut. XXXIII. 12. quia *manet in charitate*, & omnis talis *in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Joan. IV. 16.

Denique deliciosus puer inter humeros Dei per mutuos amplexus requiescit. Dixit *in excessu* suo, *omnis homo mendax*, Ps. CXV. 11. quià jam factus super hominem, dicit *in excessu mentis* suae per humiliationem hujus miseriae: *Projectus sum à facie oculorum tuorum.* Ps. XXX. 23. *Usquequò*, Domine, *avertis faciem tuam à me*, Ps. XII. 1. quoniam facies tua plena est gratiarum, quam adhuc velamine mortalitatis hujus celas à me.

C O quotiens venditur Domine noster Joseph in Ægyptum tenebrarum harum! Quotiens iste frater suus Benjamin minimus descendit ad eum, jungit oscula cum amplexibus, dum discretio prudens in humanis, & contemplatio prudens in divinis, una veritatis sententiâ conveniunt. Sic *justitiâ* de practicis, *& pax* de speculativis *osculata sunt.* Ps. LXXXIV. 11. Cur ità? Nimirùm quià *misericordia, & veritas obviaverunt sibi*, Ibid. de quibus uterque gloriatur: *Misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.* Ps. XXXIX. 12. Et tu, Domine Jesu, per quem facta est misericordia, cujus *currus* est *decem millibus multiplex*, Ps. LXVII. 18. currus igneus vehens ad coelestia, cujus *equitatus* victoriosus est *in curribus Pharaonis*, Cant. I. 8. trahens sponsam ad te. *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi* Ps. CXVIII. 122. inimici
D mei, dum loquar eis in porta obitus mei. Obstruat sapientia tua suscipiens causam animae meae, furores calumniae suae, recordatus solius misericordiae tuae, Domine Jesu, spes ultima animae meae.

TRACTATUS UNDECIMUS DRAMATICUS

Sub duplici partitione super illo versu:

Sicut locutus est ad Patres nostros.

PRIMA PARTITIO DE CONTEMPLATIONIBUS MARIÆ

Super locutione Dei per Prophetas, & maximè per semetipsum, incipiendo ab Evangelica narratione juxta compilationem noviter factam, quae dicitur Unum è quatuor. *Per Notulas quadraginta, super rubrica prima:*

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM.

Unde datur intelligi, quantùm super reliquis sermo protensior esse posset.

SICUT *locutus est ad Patres nostros.* Luc. I. 55.

Magister. Multifariè, multisque modis olim Deus locutus est *in Patribus & Prophetis, novissimè diebus istis locutus est in Filio.* Hebr. I. 1. 2. *Conservabat autem Maria* (sicut scribit Lucas *Cap.* I. 19.) *omnia verba haec, conferens in corde suo. Conservabat* nedum nova, sed vetera. *Similis* erat *Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Matt. XIII. 52. Similis & sponsae, quae dilecto suo servat *omnia poma, vetera, & nova.* Cant VII. 13.

Discipulus. Quo pacto non obviat dictum Job: *Semel loquitur Deus, & ipsum non repetit.* Job. XXXIII. 14. quomodò praetereà verbum Psalmistae non repugnat: *Semel locutus est Deus duo haec audivi, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia.* Ps. LXI. 12.

Magister. Locutus est semel Deus, locutus est etiam multipliciter. Semel in aeternitate, multipliciter in tempore, verbum semel in aeternitate locutum non repetet. Ex verbo temporali multa audiuntur: inter quae praecipuè sunt duo, misericordia, & veritas, seu potestas. Contexitur inde versiculus Cantici hujus: *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum*, Luc. I. 50. super quo Tractatus habitus est.

Discipulus. Habitus est memini. Esset autem jocunda, nec infructuosa collocutio, si recenserentur collocutiones Mariae super verbis illis, quae locutus est Dominus *in Patribus & Prophetis*, quae praetereà *locutus est in Filio*, qui fuit semen Abrahae, cui Dominus locutus est.

Magister. Vocas ad rem magnificam valdè & cujus magnitudinis non sit finis. Dicam tamen ex infinitis paucissima quae Maria conferebat in corde suo, de locutionibus Domini. Tu ex minimis collige, quantùm magna potueris. Interroga pariter, quantùm volueris, super his omnibus quae contemplata est mens Mariae sapienter. Videor autem ità convenienter incipere, si dixero contulisse Mariam *in corde suo*, quemadmodùm perfecerit omnia quae sibi dicta fuerant ab eo, juxta cognatae Elizabeth vaticinium. Est enim magnificentiae proprietas consummatio fortis inchoatorum; sicut ad magnanimitatem spectat aggressio considerata magnorum. Laudans igitur, & magnificè gratias agens Domino, cujus perfecta opera sunt concinebat in Psalterio hoc decachordo per mentis jubilum.

Discipulus. Placent ista.

Magister. Licet autem de multitudine magnificationis Mariae multa perquirere: multa jam sanè dicta sunt; sed eò plura supersunt, tanquam de infinito quodam pelago, cujus quantitatem non molis, sed virtutis accipientibus semper ultrà contingit accipere. Neque vidimus idcircò ab hauriendo desistere, sed insistere ad refocillationem animarum nostra-

strarum, quæ non arescent siti, dum *fons hortorum*, dum *puteus aquarum viventium* Cant. IV. 15. fluunt impetu, non impediti de Libano candoris virginei, scaturientis in abundantia *de fontibus Salvatoris* Isaiæ XII. 3. Christi sui. Ceteris quippè per partes datur; Mariæ autem, Hieronymo teste, se infundit gratiæ plenitudo tota. Ideò salutatur antonomasticè *Gratia plena*, cujus plenitudinis abundantiam nullus aperire sermo sufficiet. Non enim jam esset adeò mirabilis, & angusta, si verborum angustiis clauderetur.

Discipulus. Rectè dicis.

Magister. Audebo nihilominus in auxilio plenitudinis gratiæ suæ transire ad contemplandam sapientiam contemplationis suæ, sapientiam quam contemplata est multo intuitu; quæram plurima de seipsa; utinam hæc seipsa vel ab ipsa liceret.

Discipulus. Oratum te, peroratumque cupio, quatenùs in omni locutione nostra misceas utile dulci, speculationem cum devotione, nec per multos opinionum rivulos effundaris. Dic positionem, vel quæ potior, vel sua novitate jocundior apparebit. Sciscitor in primis, quibus, & quot modis cognoscatur, quòd mens Mariæ contemplata sit multa sapienter, ut ad magnificandum Dominum anima cum exultatione spiritus moveretur.

Magister. Congratulor sancto tuæ devotionis studio, quòd in amplissima, & magnifica vis nos exerceri materia, contemplationes beatæ & sapientissimæ sapientum omnium suadens recenseri; non quidem omnes, ut impossibile rectè censes, sed quot, & quales ipsa dignabitur ministrare de se loquentibus, magnificentiam simul cum laude mirantibus, & cupientibus, quantùm fas fuerit recordari, protestatione præmissa, quòd ea tantummodò volumus asserere, quæ certa tradit autoritas Fidei, vel quæ ratio clara convincit. Cetera verò tanquàm piè opinabilia ad exercitium devotæ speculationis recensebimus; non quod ita fuerit, affirmantes, sed quòd ita fieri potuerit, secundùm probabiles conjecturas, æstimantes. Didicisti, quòd *duo contradictoria non in veritate stant simul, sed in probabilitate*. Pictores imitabimur, & Rhetores qui non adæquatam, & apertam significationem gestorum promittunt inducere; alioquin temeritate fallerentur, atque mendacio; sed verisimiles illi picturas, isti rationes offerre contenti sunt.

Discipulus. Dyscolum esset plus exigere de rebus, quæ nec sensu percipi, nec ratione probari, nec autoritate possunt confirmari, de quibus tamen aliqua dicere, vel scribere, vel audire decet & expedit. Incipe securus, quia persuasum sic teneo, nec, aliter recipio.

Magister. Contemplationes Mariæ recensere placet tempore quo quasi vidua Mater post Ascensionem Filii, post missionem Spiritus sancti, clauso super se cubiculo, reducebat antè mentis oculos præteritum decursum universæ vitæ Filii sui. Hoc sibi speculum, hoc sibi exemplar satis erat in omni contemplatione sua.

Discipulus. Placet electio temporis, dum beata nostra viatrix adhuc existeret, & dum reductis ad gesta, dictaque Domini nostri spiritualibus oculis illorum poterat reminisci. Nos demùm per hæc ædificari familiari repetitione valemus. Ubi enim modò pascit, modò cubat in meridie claritatis immensæ, quis contemplaturus ascenderet? Porrò ne te fortassè ordo gestorum sollicitet, perge quorsùm volueris, in contemplationibus beatæ Mariæ Virginis recensendis, quoniam nec Evangelistarum traditio doctrinalis, ordini se gestorum per omnia conformavit. Sentis ex ista compilatione laboriosissima, quæ nuper edita est *Ex quatuor in unum*; neque veritati tamen Evangelicæ, neque devotioni, neque doctrinæ deperit aliquid salvari.

Magister. Contemplabatur eò tunc Maria solitaria secum frequentiùs omnia, quæ viderat, vel audierat, quæ contrectaverat *de Verbo vitæ*, sicut ejus custos virgineus Joannes de se pro multis loquitur dicens: *Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audivimus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ, & vita manifesta est, & vidimus & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis*. 1. Joan. I. 1. 2. Hoc testimonium in nulla fuit eminentiùs creatura

A pura, quàm in Maria verificatum, quæ verbum vitæ nedum vidit, nedum audivit, nedum contrectavit; sed concepit, peperit, lactavit, & aluit. Ceterùm nulla sunt, quorum sola sibi conscia fuit, nec prodidit dicens: *Secretum meum mihi*. Isaiæ XXIV. 16. Multa quæ potuerunt, se sola revelante, cognosci; quorum fecit participes Apostolos, & Evangelistas, maximè Lucam. Cognovit, vivente Joseph virginali sponso suo, singula quæ Dominus noster subditus eis operatus est usque post obitum felicem ejusdem Joseph custodis, & testis fidelissimi, quando cessit ipsa in custodiam peculiarem Filii sui, sequens eum quocunque iret præsens in omnibus quæ faceret, & doceret, usque dum custodiæ Joannis in Cruce tradita est.

Discipulus. Affer, si habes, vel autoritatem, vel

B rationem, de sequela Matris, toto tempore Christi prædicantis, hac, illacque discurrentis per civitates & castella, quia venerat ad hoc, sicut respondit ipsum retinere volentibus. Talis autem discursus videbatur importunus verecundiæ virginali, honori maternali, sexus insuper, ætatisque fragilitati.

Magister. Convenientissimus ergò fuit comitatus talis Matris cum Filio. Viri nempè viduata solatio fuit; Filius quoque prædicans Matris indigebat obsequio, quoniam non renuit extraneas etiam mulieres se sequi, sibique ministrare de facultatibus suis per omne iter quod erat ipse facturus. Testatur hoc Evangelica narratio, quæ Matris societatem expressit locis pluribus, ut in nuptiis, dum dixit Filio: *Vinum non habent*. Joan. II. 3. ut postmodùm, dùm descendit Capharnaum infidelem civitatem, ipse & Mater sua, dicit Joannes. Quantò probabiliùs credenda est ascendisse cum eo Jerosolymam sanctam civitatem, ubi vidit Filium, qui cum fecisset quasi

C flagellum de funiculis omnes ejecit de Templo. Legimus præstereà quòd Mater Jesu sæpè quæsivit loqui ei, foris stans, & insequens. Quod insuper efficacius afferre possumus argumentum præsentis continuè, quàm illud, dum Filius ignominiosissimæ morti traditus esset, voluit beatissimam Matrem adesse conspectricem. De Discipulis rursùs & Apostolis scribit Lucas, post Passionem Domini, quòd *erant perseverantes in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu*. Act. I. 14. Porrò si Filius non habebat ubi caput reclinaret, hoc ipsum probabile de paupere vidua Matre sentire. Fovebatur igitur à Filio. Legimus quatuor Philippi filias Prophetissas sequentes ipsum prædicantem. Apostolus quoque dicebat, *se potestatem habere sororem circumducendi*, I. Cor. IX. 5. sicut & ceteri Apostoli. Denique quid charitas materna velit, & audiat, quid filialis retribuat pietas? Augustinus cum Monica testis adsit.

Discipulus. Probatam satis æstimo sequelam Mariæ

D continuam cum Filio, quòd nobis afferet non mediocrem contemplationum suarum materiam atque fidem, per universam totius Evangelicæ seriei narrationem. Quinetiam Maria contemplabatur ea quæ didicerat infantula, sub parentum domestica disciplina; dehinc quæ toto puellaris ætatis tempore didicit, & perlegit in Templo, sub doctrina Sacerdotum, cum aliis virginibus de Sacerdotali Regalique prosapia nobilem trahentibus originem, erudita. Tandem reliqua tàm ab Evangelistis posita, quàm longè plura non posita per totum beatissimæ vitæ suæ cur-

cursum æstimamus multa nimis. : Invenire tuum est. Incipe quomodò placuerit. Dignabitur spero, sese nostro qualicunque sermone laudari, quam audite videor exhortantem omnes per verba Patris sui David: Ps. XXXIII. 4. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum*, dicentes: *Magnificat anima mea Dominum*, quoniam hic est finis noster, ista salus, ista perfectio, istud principium, & ultimum creaturæ rationalis opus bonum.

Magister. Contemplatio Mariæ præcipua fuit de A magnificando Dominum. Causam verò posuisti, & dicant: *Semper magnificetur Dominus* (ait Propheta Ps. XXXIX. 17.) *qui diligunt salutare tuum*, quod est Christus, Verbum in principio apud Patrem, Deus de Deo, per quem omnia facta sunt, & per quem destructa per peccatum refecta sunt; quoniam *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Joan. I. 14. Et quià contemplabatur mens Mariæ, quemadmodùm futurus erat Deus homo, factus *Judæis* in *scandalum*, & *Gentibus* in stultitiam & derisum, voluit à magnificatione Domini salutaris sui Canticum inchoare, significans nihil in depressionem divinæ magnificentiæ factum esse per Incarnati Verbi mysterium nova potiùs mentis nostræ oculis (ô magnificentissime Deus) lux tuæ claritatis infulsit, ut dum Deum visibiliter agnoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur.

Discipulus. Hæc causa probabilis est, cur à magnificentia sumpsit exordium, dum recreata considerat B per exinanitionem Passionis. At verò dum attenderet omnia quæ facta sunt per Verbum, nonne confestim à magnificatione creaturarum assurrexit ad cognoscendam, laudandamque magnitudinem Creatoris.

Magister. Assurrexisse non denego, conjecturans ipsam propterea præposuisse nomen Domini, quàm salutaris, consonando Psalmistæ verbo: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Ps. CXXXIV. 6. Ideò quippe Dominus appellatur, quià subjectam habuit creaturam jure suo factam, aut ab eo fieri possibilem. Porrò si quæreretur à Maria de rebus conditis in tali mensura, numero, & ordine; nonne pro omni ratione potuit respondere: Dominus est, quod bonum fuit in oculis suis hoc fecit; & quod fecit prius *in ipso vita erat*, C *& vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Joan. I. 4. 5.

Discipulus. Tollebat ex hoc curiositatem stultam scrutantium scrutinio, volentium sapere non ad sobrietatem, non ad mensuram cordis sui nimis exiguam, qua nequit immensitas Dei claudi. Non attendunt isti, quòd omnium quæ facta sunt, & quomodò facta sunt, simul & refecta, tota ratio est omnipotens, & omnisciens voluntas operantis.

Magister. Contemplabatur in hoc Evangelico Joannis custodis sui principio mens Mariæ multo intuitu septem abyssos, quas solus Dei penetrat oculus lucidior super solem. Siquidem Deus ipse Dominus qui intuetur abyssos, ideòque super omnem creaturæ scientiam, notatam per Cherubin, sedere perhibetur. Hinc tenebras esse *super faciem abyssi* Gen. I. 2 Moyses scripsit. Hinc de luce divina positum est, quòd *tenebræ eam non comprehenderunt*, Joan. I. 5. non negando qualemcun- D que participationem hujus lucis velut umbratilem. Umbram quippe dicimus esse refulgentiam quamdam lucis plùs, aut minùs, & non omnimodam lucis privationem. Sic Angelus est ordine naturali prima umbra, seu refulgentia summæ lucis participatio. Anima rationalis altera. Denique umbra cognitivæ lucis occumbit post umbram sensitivæ virtutis in vegetativa, ac deinceps.

Discipulus. Quid de vita dicemus? An effulgeat similiter in creaturis, & occumbat?

Magister. Si vita dicatur omninò illud quod habet vim motivam sui, conclusimus alibi, quòd nulla res est sine vita; quoniam naturalis amor omnibus insitus est, quo res quælibet tanquam pondere suo moveatur mediatè, vel immediatè ad proprium centrum omnium Deum: rationales creaturæ per cognitionem conjunctam sibi, sed irrationales per separatam; feruntur nempè ad loca sua per impetum amorosum Dei dirigentis, ut à sagittante sagitta dirigitur petere signum quod sagittans intendit. Est igitur res quælibet in Deo quædam vita, etiam priusquàm fiat, & hoc per rationem idealem, non quidem extrà Deum (prout Aristoteles arguit Platonem ideas posuisse) sed in Deo, secundùm respectus habitos ad creaturas per intellectum paternum, & per Verbum suum, juncto voluntatis amore quo vult Deus bonitatem suam ad extrà communicare, & lucem immensam quodammodò splendescere, & umbratiliter radiare. Alioquin ipsum Verbum divinum, ut sine voluntate tali consideratum, purè speculativum, non operativum censendum est, etiam dum protenditur, seu procedit communicativè ad processionem Spiritus sancti, qui amor est Patris, & Filii. Praxis igitur non intenditur in intellectu speculativo, si confessè se habeat ad appetitum, nisi procedat ad operationis rationem: sicut alibi de Theologia quòd sit speculativa, didicisti, quamvis ejus finis præcipuus sit amor Dei, & laus ejus magnificans Dominum. Tunc verò divinum Verbum non irrationabiliter appellatur practicum, dum divina voluntas accipit ipsum ad productionem, seu producibilitatem eorum omnium quæ facta sunt, secundùm triplex fieri. Unum est in mente Angelica, vel humana. Secundùm in existentia propria, seu genere proprio; & in esse formali suo.

Ceterùm privatio, seu nihil dicitur sine verbo facta, non quia sit aliquid extrà intelligentiam, sed ita quòd nomen entis, vel esse, vel existentiæ Philosophus extendit ad illa circà quæ negotiatur intellectus, ut sunt privationes, & relationes rationis, ut complexè significabilia ex fabricatione intellectus componentis, & dividentis, cum similibus.

Discipulus. Grandes sub paucis collegisti contemplandi materias, redire placet ad illas abyssos septem, quas innuis Mariæ mentem fuisse contemplatam.

Magister. Abyssum dicimus profunditatem, cujus fundus aut terminus non potest ab inspicientibus intueri. Vide si non sit abyssus talis ipse benedictus Deus trinus, & unus in sua majestate, non per respectum quàmvis extrinsecum consideratus, quià *nemo novit Patrem, nisi Filius, nec Filium nisi Pater*; Matth. II. 27. non excluso tamen Spiritu sancto, qui prorsùs est ejusdem cognitionis essentialis cum Patre, & Filio. Sex alias abyssos numeramus, habendo respectum ad res exteriores, maximè rationales, quæ solæ capaces sunt beatitudinis æternæ, vel perennis miseriæ.

Nunquid non abyssus est misericordiæ Dei, quæ res viles, & de se nihil dignata est facere seipsa dignas, atque particeps suæ pulchritudinis, nobilitatis, & honoris immensarum, usque adeò quòd idipsum sunt per gratiam, quod Dei Filius est per naturam. Hoc intuebatur in Spiritu Propheta loquens in persona Domini: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes.* Ps. LXXXI. 6. Si quidem *dedit eis potestatem filios Dei fieri, non ex sanguinibus* corporeis per voluntatem viri se commiscentis cum carnis suæ, id est, mulieris voluntate, sed ex gratiæ germine, dum *Ex Deo nati sunt* per Verbum regerans, quòd ideò *caro factum est*, Joan. I. XII. 14. ut esset caro Deus habitans in hominibus, & homines in eo, superadmirabili prorsùs unitate. Vis altera, velut ex opposito, tibi monstretur abyssus, hæc incomprehensibilis, & horribilis divinæ justitiæ severitas, quæ projicit à facie sua rationalem creaturam, reprobans, & indurans eam, reputans eam indignam seipso, qui creavit eam.

Subindè sunt abyssi duæ proportionabiliter ad duplicem hanc hominum sortem assignandæ. Primis dicetur: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum*

quod paratum est vobis ab origine, mundi, Matt. xxv. 34. *quod nec oculus vidit*. 1 Cor. ii. 9. Audient alii: *Ite maledicti*. Demùm considera duas abyssos velut intermedias, quæ sint viæ ad duplicem præcedentem, de quibus est in Psal. xxiv. 10. *Universæ viæ Domini misericordia, & veritas*. Ecce quàm incomprehensibilis sit utraque viarum. Quoniam *est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*. Prov. xiv. 12. Et viceversa justorum semita reputatur insania. Alternatio tanta postremò cernitur in viis istis, tam ambigua, tam perplexa, tam timida, & incerta, ut verè dictum sit: *Nescit homo finem suum, & omnia in futurum servantur incerta*. Eccle. ix. 2. Latro per totam vitam sceleratus, ad unum petitionis verbum meruit audire: *Hodiè mecum eris in Paradiso*; Luc. xxiii. 43. dum Petrus negavit, dum Judas Apostolus desperationis pejori laqueo quàm canapis se suspendit.

O quotiens mentem Mariæ contemplantem sapienter has abyssos, arbitramur Deo dixisse. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*, quoad tres abyssos misericordiæ, *& in eloquium justitiæ tuæ*, Ps. cxviii. 123. quoad tres abyssos veritatis, & severitatis, ejusdem justitiæ. O quotiens expavit sicut Paulus, quotiens casto silentio magnificans Dei secreta, nec audaci temeritate subintrans, aut irrumpens, suspiravit! *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*; sapientiam quoad intrinsecam abyssum divinitatis; scientiam verò referamus ad alias. Sequitur: *quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius*. Rom. xi. 33. Has vocat Psalmista *cataractas*: *Abyssus*, ait, *abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum*. Ps. xli. 8.

Discipulus. Considerans ista totus horrore concutior, totus ad me, meamque vilitatem resiliens, divinam majestatem trepidus expavesco; nec quid agam, quid dicam, quò me vertam, quò fugiam, prorsùs scio.

Magister. Projice te totum securus in illum qui est *Deus noster refugium, & virtus*. Ps. xlv. 2. Itaque Patre trahente venimus ad Filium. Filius verò pollicetur, *eum, qui venit ad me, non ejiciam foras*. Joan. vi. 37. Projiciamus tota Fide, totaque Spe nos in manus misericordiæ suæ, resilientes à severitate justitiæ. Non poterit misericordia claudere gremium redeuntibus, quæ pro fugientibus requirendis, reparandis, & salvandis, in hoc miseriæ deserto lacerata est spinis, & Cruce clavata.

Postremò, quid nisi magnificentiam talis Domini reverearis, exultans ei cum tremore dicens: *Domine Deus, magnificatus es vehementer*. Ps. ciii. 1. Rursùs cum sapientissima mulierum: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. i. 46.

Discipulus. Contemplationem dic alteram Mariæ, quià proposui redire posteriùs super istam de abyssis Judiciorum Dei, qui aliquos misericorditer dat filios Dei fieri, coheredes regni; aliis ad interitum derelictis, justo quidem, sed occulto Dei judicio.

Magister. Salutanda sæpè est, & adoranda *Mater misericordiæ, vita, dulcedo & spes nostra*, quatenùs Dei misericordiam, non judicium sentiamus. Etenim si *quod factum est in* Verbo *vita erat*, Joan. i. 4. quantò perfectius fuit, & est ipsa in eodem Verbo vita, per quam & in qua Verbum caro factum reddidit perditis, & mortuis vitam? *Dulcedo* subindè *nostra* est, quæ fontem in se parturiit dulcedinis. *Spes* insuper intercedendo reconcilians, & sublevans, non autoritate prima salvans. Transferuntur obindè per Ecclesiam illa Verbi præconia sub nomine Sapientiæ prædicata per Sapientem ad istam Verbigenam de Verbo gloriantem: *Ab initio*, inquit, *& antè secula creata sum* Eccli. xxiv. 14. per prædestinationis elevationem præ omnibus. *In me omnis spes vitæ & virtutis*, ℣. 25. per auxiliationem.

Discipulus. Novi talia omnia, quæ Sapiens colligit, & mecum sæpè retracto, maximè dum Nativitatis ejus sacra celebritas recolitur, de de qua fieri posset comparatio ad illius Nativitatem, qui fuit *homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes, qui venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*. Joan. i. 6. 7.

Magister. Alludis, si sciens, vel insciens nescio, ordini cotextus Evangelici, cujus suprà meministi *De quatuor ut unum*, quod opus in centum quinquaginta rubricas partitum est, cum aliquot rubricellis. Dum enim Verbi generatione contemplationem incœpimus Mariæ, tu nunc traducis ut de Præcursore loquamur; sequamur hunc ordinem, si complacitum ità tibi fuerit.

Discipulus. Sequamur quæso, de beato Joanne qualis fuerit Mariæ contemplatio quasi secunda principalis edissere.

Magister. Contemplabatur mens Mariæ Joannem, nunc ad litteram, nunc ad tropologiam; quandoque verò per allegoriæ & anagogiæ mysterium.

Discipulus. Littera palàm facta est de Joannis nunciatione cum præconiis ejus, parentumque suorum; affer aliquid de mysteriis.

Magister. Contemplabatur Maria Verbum quod erat in principio, quandoque metaphysicaliter; assumebat enim similitudinem hominis per artem operantis in exteriorem materiam. Conferebat ad primum artificem Deum, qui omnia quæ facta sunt, produxerat non naturali necessitate, non casualiter, aut fortuitè, sed spontaneè. Recensebat aliquos Philosophos ità sensisse, sicut dicit Joannes Evangelista. Deus enim manifestaverat eis, quoniam *invisibilia* Dei *per ea quæ facta sunt à creatura mundi*, id est, homine *intellecta conspiciuntur*. Rom. i. 20. *Sempiterna quoque virtus ejus, & divinitas* ostendit ordinatissimè constituta suprà omnem artis excogitationem. Ars verò quid est nisi *Recta ratio rerum agibilium?* Ita concludebat Maria metaphysicans, oportere poni Verbum, seu *Logos*, id est, sermonem, vel rationem Patris, per quod Verbum *omnia facta sunt; & quod factum est*, erat ubique præcognitum ab hoc Verbo, non alia cognitione quàm seipso qui Deus est, quem nullus dubitat esse vitam, & primam vitam; alioquin jam non esset Deus Verbum suum, vel ideæ suæ. Cujus rei absurditatem ipse etiam Philosophorum Princeps Aristoteles ferre non potuit, conferens cum Platone. Porrò noluit Deus condens universa, latere penitùs immensitatem lucis suæ, dum eam fecit splendescere per creaturas, quas omnes in sapientiæ suæ luce constituit. *Omnia in sapientia fecisti*, ait Psal. ciii. 24.

Fuit igitur *homo missus à Deo*, qui spectator esset omnium operum Dei, quique *testimonium perhiberet de lumine*; *non enim erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. i. 6. 7. 8. 9. quià nullus illuminatur ad cognitionem liquidæ, & puræ & perspicuæ veritatis absque prima luce, secundùm triplex genus causæ, efficientis, exemplantis, & finientis. Quali dono, qua gratia; qualis, oro, potest esse major, etiam Philosophiæ testimonio? Erat propterea homini misso à Deo *nomen Joannes*, dum mundi spectator in statu innocentiæ conditus est, *ut testimonium perhiberet de lumine*. Videbat primam lucem per speculum, & in speculo creaturarum, non in obscuritate ænigmatis. Videbat & in imagine mentis suæ, & per eam lucidiùs multò, quàm per vestigium, vel speculum creaturæ; nondum tamen intuebatur in sua quidditate nudam lucem. Sed heu! *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Ps. xlviii. 13. Propterea tunc evenit, ut lux vera in mundo esset, per quam factus est mundus. *Et mundus* iste microcosmus *eum non cognovit*, ad quem cognoscendum factus erat.

Discipulus. Nihil hactenùs attulisti in hac contemplatione Mariæ secundùm Physicam rationem, quod sit

fit ab homine verè philosophante negandum, si non sit aversùs à vera luce Deo per tenebras peccatorum; si non sit obscuratum insipiens cor ejus, nec datus in reprobum sensum; si denique fuerit in eo gratia Dei, ut meritò Joannes appelletur. At verò si id quod sequitur, ita possit ad commodum Philosophiæ flecti, desidero cognoscere, scilicet *in propria venit, & sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: Et Verbum caro factum est.* Joan. I. 11. 12. 13. 14.

A

Magister. Non potest ad literam expositio tradi, nisi de Incarnatione Verbi, per cujus Fidem fiunt homines Flii Dei, cujus insuper literalis Joannes præco fuit, vox, & lucerna. Confitetur hinc Augustinus, quòd *Quid haberet mysterii.* Et Verbum caro factum est, *nec quidem poterat suspicari, cùm de præcedenitbus aliquid non negaret intelligentiam concepisse ductu Philosophiæ.* Erat nempè Platonis instructus, & Pythagoræ disciplinis. Attamen sine præjudicio literam videamus, si Verbum Dei possit dici in propria venisse per infusionem luminis vultus sui super faciem mentis humanæ; immò per quandam ex utero mentis incorporationem sui. Omnis itaque res, quantumcunque subtilis sit, incorporeæque naturæ, si comparatur ad simplicitatem primæ lucis, corporea judicatur, materialis insuper; quia potentialis est, atque mutabilis, & non purus actus. Dum ergò prima lux influit, & illabitur in portionem rationis superiorem, quam dicimus *apicem mentis*, vel *synderesim virgineam*, quidni dicamus, Dei Verbum quodammodo incorporatum, vel hominem factum, propter Deiformem principalis humanæ partis unionem, per quam, si Boëtio credimus, fiunt homines dii. *Dei* etenim propterea *genus sumus, in quo movemur vivimus, & sumus*: Act. XVII. 28. & habitat in nobis Verbum suum unigenitum, & æternum, *plenum gratiæ, & veritatis.*

B

Discipulus. Non advertebam talis Philosophicæ contemplationis applicationem, quæ non aberrat à Fide.

Magister. Fides plus elevat arcem mentis, ut verbum Dei inhabitet per Fidem in interiori homine, ut hortatur Apostolus. Considerans igitur hanc unitivam habitationem Augustinus dicit, *Mariam Matrem Dei concepisse primò feliciùs Deum per Fidem, quàm posteriùs per carnem.* Non enim secunda sine prima sibi salutem attulisset conceptio.

C

Discipulus. Utrùm potuerit Maria sine Fide, vel Charitate, fuisse Mater Dei corporalis?

Magister. Si potentiam ordinatam spectes, non potuit, quoniam Deus hoc facere non ordinavit; sed quin aliter ordinasse potuerit, cùm sit immensæ potentiæ, nec implicet contradictionem ita fieri, quis hæc à Dei potentia negaverit?

Discipulus. Sunt aliæ quæstiones absque numero super Incarnationis beatæ mysterio; utputà, si Verbum fuisset incarnatum homine primo non peccante? Si potest ratio tradi convincens, cur Deus homo sit? Ita enim conari videtur Anselmus cum aliis nonnullis.

D

Rursùs cùm opera Trinitatis sint indivisa ad extrà, quomodò fieri potuit, ut solus Filius diceretur incarnatus, cum similibus abundantissimè tractatis per Doctores, quos idcircò non induco.

Magister. O quanta credis perspicacitate mens Mariæ contemplabatur omnia talia *conferens in corde suo*; qualia meruit experiri, quando

Domus pudici pectoris
Templum repentè fit Dei,

quando fas fuit pro salutatione sibi dici:

Salve Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium,
Verbi tamen incarnati
Spiritale majestati
Præparans hospitium.

Triclinium fuit per Fidem Charitate formatam, sed spirituale hospitium per veram maternitatem, nedum carnis solius, sed & mentis præparavit. Intelligitur autem spiritualis maternitas in anima Verbigena facientem voluntatem Dei Patris, quæ ideò frater, soror & mater est Verbi Dei, Mater, Virgo, Filia.

Nunciat hanc Verbi conceptionem Spiritus sanctus, qui ubi vult spirat; quæ inspiratio, vel instinctus interior tenet ad animam vicem Angeli, qui Gabriel est, *fortitudo Dei*; nam quid fortius, quidve potentius potest nunciari? Ceterùm gratia Dei per Joannem significata præcedit, viam præparans Verbo Dei, qui Joannes per orationem conceptus est, Gabriele similiter nunciante. Nihil enim habet homo fecunditatis in quavis portione rationis, sit vir, vel mulier, ut talis filius indè possit gigni; procedat oportet, & præcedat Zacharias (dictus *Domini saturitas*) in Templum, positurus incensum devotionis, cujus oratio exauditur, & concipit Elizabeth (quæ est *Domini memoria*) filium, cui nomen est Joannes, in quo gratia Dei, quamquàm nullus in cognatione naturali vocetur hoc nomine.

Porrò, si sequeris allegoriam, Zacharias *Sacerdotium*; Elisabeth *Legem veterem* significat, ex quibus timore frigescentibus non potuit concipi gratia Dei: *nihil enim ad perfectum adduxit lex*, quousque *venit plenitudo temporis*, Gal. IV. 4. quando sol justitiæ debuit oriri super terram humanæ conditionis per mysterium Incarnationis. Tunc præcessit in Joanne Lucifer illum solem, qui *ex utero* Patris *antè Luciferum* genitus est *in die virtutis* suæ *in splendoribus Sanctorum.* Ps. CIX. 3.

Discipulus. Ergò ne putandum est, Mariam nihil de prænunciatione Joannis cognati sui fuisse literaliter contemplatam.

Magister. Immò verò nec unum iota dimissum est, nec unus apex omnium quæ Lucas scripsit, quin Maria rimaretur, & meditando ruminaret, conferens ad innumerabilia quæ nos latent, neque scriptis mandari potuerunt. Itaque si Joannes fuit tanta solemnitate nunciatus, si per orationem suprà naturæ cursum impetratus, si sanctificatus in utero, si gaudium & exultationem cum admiratione parentibus attulit, si præcedit Christum *in spiritu, & virtute Eliæ*, Luc. I. 17. si sobriè educatus & vestitus, in exemplar pœnitentiæ, per contemptum temporalis felicitatis, & amorem æternæ. Si talia nobis innotuerunt, Luca ex ore Mariæ nobis referente, nemo dubitaverit quin ad seipsam plurima talium retulerit revolvens oculos ad proprios parentes, qualiter Angelica nunciatione fuit ipsis ortus suus cum vitæ serie, id est, ordine revelatus, ut non minùs de gratiis ab utero sibi largiùs collatis Maria consurgere ad gratiarum actiones, quàm pro Præcursoris hujus jocundò, sanctoque natalitio nunciato, repetens crebriùs cum exultatione spiritus Canticum suum: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. I. 46.

SECUN-

SECUNDA PARTITIO
DE
VITA SOLITARIA
JOANNIS
QUASI
SUPER RUBRICA SECUNDA

De Nunciatione sua, & habitatione in deserto.

Sunt in hac partitione tres particulæ, juxtà triplicem modum manifestandi vitam solitariam.

Et continet notulas nonaginta.

DISCIPULUS.

ETsi multa fuerunt ipsi Mariæ contemplanda circà Joannis Nunciationem in Templo; si circà Visitationem, & Salutationem Elizabeth; si circà Nativitatem, Circuncisionemque pueri, quibus interfuisse Maria creditur, similiter & audivisse canticum illud Zachariæ: *Benedictus Deus Israël*, Luc. I. 68. cum mysteriis hîc inclusis: nihilominùs ad præsens vertere contemplationis oculos desidero ad solitudinem Joannis, de qua Lucas sic intulit. *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in deserto usque ad diem ostensionis suæ ad Israel.* Ibid. ℣. 80.

Magister. Fiat ut vis, & incipiam quomodò vis.

Discipulus. Cùm homo sit naturaliter animal sociale, gregale, & civile, secundùm Philosophum; Platonis quoque sententia dicit, *homines hominum causâ factos esse.* Ecclesiastes insuper maledicit solitarios dicens: *Væ soli.* Eccle. IV. 10. Nonne ritus iste vivendi in desertis culpabilis est habendus tanquàm conveniens feris indomabilibus, aut hominibus melancholicis; solitudinem enim quærere Aristoteles posuit in Homero fuisse signum melancholiæ: fuit igitur puer Joannes melancholicus, aut feralis.

Magister. Addere debebas unam distinctionis partem à Philosopho positam: *Solitarius*, inquit, *vel Deus est; vel bestia.* Fuit autem puer Joannes Deus per participationem divinitatis, non per naturam: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Luc. I. 66. Fuit repletus *Spiritus sancto ex utero matris suæ.* neque complexione melancholicus, cum per miraculum fuit, Domino operante, formatus, cujus perfecta sunt opera. Lege quod dicitur: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu.* Post subditur: *Et erat in deserto.* Quare & quousque? Nimirùm *usque in diem ostensionis suæ ad Israel*, quatenùs intereà loqueretur Dominus ad cor ejus in solitudine, revelans, & indicans, quæ esset ipse facturus ad Israël, & docturus. Simul ut

Non levi saltem
Maculare vitam
Famine posset.

Dedicabat Evangelicum virum in suo cælibatu virgineo, imitabatur vitam Eliæ, per quem erat ipse figuratus. Complebat prænunciatam de se Prophetiam Isaïæ: *Ego vox clamantis in deserto.* Isa. XL. 3. Prædicabat primitùs, exemplo Sanctorum, spem regni cœlorum per contemptum terrenorum, quatenùs autoritatis pondus adderet verbis suis operatio, atque talis meritò judicaretur, qui fallere nollet cupidine mundanorum, ne dùm aliis prædicaret pœnitentiam, ipse per deliciarum insecutionem reprobus inveniretur.

Discipulus. Collegisti summatim causas solitudinis in Joanne: de ceteris verò solitariis quid judicas? Non enim similibus tueri se valent causis.

Magister. Operi tuo, dicit Ambrosius, *intentio nomen imposuit.* Et Christus: *Si oculus tuus fuerit simplex non habens aliquam partem tenebrarum, totum corpus tuum lucidum erit, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Luc. XI. 36. Primum est igitur, aspicere quæ sit, & qualis intentio solitudinem inquirentis. Movet aliquos A feritas incomposita complexionis naturalis, vel acquisitæ, non patiens civiliter conversari, cujus odium contra omnes, & omnium contrà se, sicut de Ismaële loquitur Scriptura. *Gen.* XVI. 12. Hanc causam solitudinis in caco monstro ab Hercule necato; hanc in leonibus; hanc in avibus nocturnis accipimus. Movet aliquos cupiditas implendæ voluptatis seu propriæ voluntatis, quorum felicitas æstimatur impunita nequitia, peccare scilicet volunt, neque verecundiam hominum, neque pœnam pati. Quærit enim latibula fœdæ voluptatis impletio, quòd & feræ demonstrant, & aviculæ quædam ostendunt; nisi fortassis aliquos ità bestiales invenies, quos propriæ nequitiæ publicatio delectat, prædicantes ut Sodoma peccatum suum, & cùm malefecerint gloriantes. Movet alios animi quædam dejectio, seu pusillanimitas, causata per phrenesim, B aut melancholiam, multis modis, quales numerant Medici, quos nihilominùs fatentur innumerabiles reperiri. Taliter dementatum tradunt expositores Danielis ipsum Nabuchodonosor, cujus fuit habitatio cum feris. Et dæmoniacus iste per Legionem oppressus, qui habitabat in sepulchris. Pueros insuper aliquos, immò juvenes, & senes, hac timoris formidine agitari sic constitit, ut nec videre alios vellent, nec se paterentur facialiter intueri. Quorum tandem aliqui per deserta vagantes, nusquam comparuerunt: alii laqueo, vel præcipitio, vel aliter, sibi mortem intulerunt. Laudabilis certè verecundia, maximè puerilis, & in mulieribus, quæ salvam rem facit, malis obstans conatibus: sed ne quid nimis, ne læsâ tandem verecundiâ frons accipiatur meretricis, atque verificetur ille subversivus juvenum versus:

Angelicus juvenis senibus satanizat in Annis.

Movet alios inanis jactantia, alios spes quæstus uberioris, alios otium iners, alios phantastica libertas, alios C quidam fervor novitius, non secundum scientiam, volens sibimet esse dux, Prior & Abbas. Alios ignorantia difficultatis eremiticæ vitæ seducit, æstimantes solitariis deesse nihil præter orare Deum, dùm, ubi segregatos se faciunt ab aliis, inveniunt semetipsos cum passionibus durissimis luxuriæ, gulæ, desidiæ, & acediæ, suprà modùm; ut interim de diabolicis astutiis, de visitationibus hominum curiosis ad insolita, de victualium postremò, vestiumque carentia taceamus. Tandem pœnitet eos fuimet, & gyrovagi fiunt cum Caïn, solùm de eremitica vita barbam, & appellationem retinent, quibus solitudo non abstulit vitia, sed aluit, auxit, & multiplicavit, qualibus vicos, & plateas vidimus impleri. *Teterrimum hoc genus Monachorum*, ait Hieronymus Beatissimus, & Benedictus, *immò monstra sunt hominum extra terminos bonæ politiæ depellenda.*

Discipulus. Et quis ad solitudinem, his attentis, putabitur idoneus? Confirmas enim quod opposui: D *Væ soli.*

Magister. Vide, ne malitia plurimorum, paucis obsistat bonis, & electissimis, prorsùsque divinis cultoribus solitudinis, quales in commendationem Fidei vocat Apostolus: *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, in melotis, & in pellibus caprinis*, Heb. XI. 38. quales Paulus, & Antonius, Arsenius, Agathon, Hilarion, cum similibus innumeris, qui naturam supergredientes ostenderunt in seipsis, quòd *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matt. XI. 12. Quid denique de Joanne nostro, quid de puero Benedicto, quid de similibus factum sit, ipse legis.

Discipulus. Spiritus ubi vult spirat, Joan. III. 8. neque mi-

mirabilia trahenda sunt ad imitationem, sed reverenter admiranda.

Magister. Rectè sentis. Non agitur itaque feliciter vita solitaria sine quodam afflatu Spiritus sancti; quandoque patenter revelantis, quandoque secretiùs inspirantis, ducentis, & agentis. Dicitur enim de Christo, quòd *Spiritus impulit eum in desertum*; Marc.I.12. dicitur, quòd *ductus* sit; Matth.IV.1. dicitur quòd *agebatur in desertum*. Luc.IV.1. Et hic de puero Joanne præmittitur, quòd *confortabatur spiritu*. Luc. 1.80. Qui autem privata lege A ducuntur, publicis, & generalibus non subsunt institutis.

Discipulus. Qua ratione cognoscetur, quòd à Spiritu sancto quis ducitur in desertum solitariam ducturus vitam, cùm tot seductionis causas narraveris? Et universaliùs expeto de solitariis omnibus, quis debet esse suus finis? Quis suæ oculus intentionis.

Magister. Tres modos solitudinis insinuasse videtur mihi Psalmista comparans se tripliciter. *Similis*, inquit, *factus sum pellicano solitudinis*, *& factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi*, *& factus sum sicut passer solitarius in tecto*. Ps. CI.7.8. Prima figurat solitudinem deserti, secunda Claustri, tertia tecti, sive Templi, quod signat tectum amplum. Consideratur insuper triplex in generali finis quærendæ solitudinis; unus peccandi vitatio, alius peccatorum punitio, tertius ad Deum proximatio. Habet tamen in singulis Spiritus sanctus proprios fines, qui postmodum constat ex eventu, sed interim loquimur de humano B consilio. Ampliùs quæ sit, & qualis solitudo deserti, patet in eremicolis, juxtà narrationes, & vitas Patrum, qui prætereà sint, & qui nunc ad hanc solitudinem idonei tradiderunt. De solitudine verò Claustri, vel Cœnobiorum, habetur notitia per Regulas ipsorum, quæ conveniunt omnes essentialiter in triplici voto, obedientiæ, paupertatis, continentiæ.

Porrò de solitudine tertia, quam imaginamur similem passeri qui solitarius est in tecto, non ita cognitionem invenimus traditam. Participat autem cum utraque priori solitudine, differens tamen ab utraque.

Solitudo Claustri collocatur in civitatibus, sicut habet nicticorax domicilium in eisdem. Sic se habet solitudo passerum in tecto: non enim refugit civitates, sicut pellicanus in deserto longè fit ab eis, & Eremi cultores similiter longè fiunt. Ceterùm solita- C rius *sicut passer solitarius in tecto*, nulla lege vivendi sub voto astringitur, imitans in hoc voluntarios eremitas. Nihilominùs locum villarum, vel civitatum non relinquunt, dispares in hoc Eremitis. Legimus, quòd Anna prophetizans de puero Jesu, *non recedebat de Templo, jejuniis, & orationibus vacans*. Luc.II.37. Legimus de sancta Judith, quòd fecerat in superioribus domus suæ sibi cubiculum, ubi cum puellis suis sola morabatur. Sara junior molestata perrexit orare ad superius cubiculum domus suæ. Eliæ & Elizæo fuerunt in civitatibus assignata in superioribus domus cenacula. Petrus oraturus ascendit *in superiora domus*, Act.X.17. ita per multa colligitur sanctos Viros loca sibi quæsisse secreta, & alta.

Discipulus. Edissere quomodò potest esse laudabilis hujusmodi tertia solitudo, quasi sit cum domo, & sine domo. Residet itaque *solitarius in tecto*: quam similitudinem non siluit ipse Christus loquens de tribula- D tione futura, monens eum, *qui in tecto est*, *ut non descendat tollere quæ in domo sunt*. Matth.XXIV.17. Habent enim domus regionis illius tecta plana, apta deambulationi, secretæque conversationi, tanquàm pavimenta de lapidibus planis cum cemento structa.

Magister. Propositum solitarii talis est, uti mundo, quasi non utatur. Non enim fidit in viribus propriis aut corporis, aut animi, posse pati solitudinem, vel deserti, vel claustri; facit hoc quod potest. Accipit solitudinem tecti non semper ad literam, sed per similitudinem. Sicut enim manens in tecto non respicit quæ fiunt in domo, si nec ille solitarius ea curare vult quæ fiunt in mundo. Vivit sibi ipsi, & Deo; curam suam totam, & cogitatum suum, & suam sollicitudinem, projicit in Deum. Finis suus est triplex prætactus. Primus, vitare faciliùs peccata futura, dum non tangit picem curæ corporalis, ne inquinetur ab ea. Secundus, cogitare omnes actus suos in amaritudine animæ suæ. Tertius proximare Deo, videns enim iniquitatem, & contradictionem in civitate, & dolos, & usuras, & blasphemias in medio ejus, elongat se non corpore, sed mente, manens in solitudine, qualem sibi fecerat Esther in medio palatio, vocans se solitariam, & cujus præter Deum non esset auxiliator alius.

Discipulus. Contraria videtur esse sibimet hæc solitudo; videt enim, & audit mala quæ fiunt in civitatibus, nihilominùs (ut dicis) fugit ea. Si fugit, qualiter illa videt, & audit.

Magister. Doceat te Propheta Regius qui dicit: *Qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquàm surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum*. Ps. XXXVII. 13. 14. Non dicit *surdus*, & *mutus*, sed *tanquam surdus*, & *mutus*.

Discipulus. Si zelum Dei habet, quo pacto non obviat iniquitatibus, quomodò saltem voce non reclamat, non arguit, non prædicat, non inculpat?

Magister. Habet utique zelum, sed secundùm scientiam, quæ docet eum conversari in medio nationis pravæ, quæ non plus sapit aut inquirit, quàm oportet. Neque frustra nititur, sed gemens intùs tolerat quæ nec potest, nec debet arguere. Respondet crebrò curiositati zeli sui. Quid ad te? non est tuum nosse talia, vel talia: non arguere: non eniti contra ictum fluvii. Curam illam Deo linque, & tuam age.

Discipulus. Omnes hoc modo si dicere, facereque statuerent, quis persequeretur vitiosos, quis bonorum profectum pacis conciliator intenderet. *Sancta rusticitas*, ait Hieronymus, *sibi soli prodest*, *immò dum non opitulatur aliis*, *obest*, *dum non est pro proximo*, *contrariatur ei*. Nauta dum navem deserit, nonne submergit? Damnationem proindè pigri servi, nonne pro talento recondito talis meretur, & metuit.

Magister. Cur metueret qui nihil erogandum suscepit ex officio, cui nihil ex articulo necessitatis incumbit agendum? Tradit ad usuram talentum omne quod accepit, dum utitur illo qualiter, & quousque se lex, & voluntas erogantis extendit. Si non abutitur donis sibi traditis quando, & qualiter non oportet; profectò non retinet talentum, non est contrarius Christo. Non deserit navem, qui custodiam ejus non accepit. At verò videant qui suis humeris officia publica, vel imposuerunt, vel imposita susceperunt, quemadmodùm reddent rationem de subditis. Quid ad istum de non suis, quæ foris sunt, quæ juris sunt alieni?

Discipulus. Nonne *mandavit Dominus unicuique de proximo suo*? Eccli. XVII. 12. Nonne jussio Legis est: *Diliges proximum tuum sicut teipsum?* Matth. XIX. 19.

Magister. Mandatum, jussùmque fatemur, curare proximum, & diligere; sed non plus quàm seipsum, non plus quàm Deum. Deus certis amorem Dei & proximi terminis limitavit, de quibus non est hìc dicendum per singula, quorum debes alibi notitiam comparasse, scilicet in Libro *De Consolatione Theologiæ*.

Discipulus. Didici, quòd fieri justè debet, quod justum est. Quòd *nihil prodest homini si universum mundum lucretur*, *animæ vero suæ detrimentum patiatur*. Matth. XVI. 26. Quòd prædicare, & arguere, nemo solemniter debet nisi missus. Quòd fraterna correctio non pro semper obligat. Quòd sæpè fit eadem correctio temerariè, dum neque fructus cernitur, neque modus custoditur, nec tempus, persona, aut locus observatur. Sed apparet difficilè, quomodò manens inter alios non incurrat casus plurimos, in quibus oportebit ipsum non solùm sibi vacare, sed proximis intendere. Alioquin vel inutilis, vel incivilis, vel arrogans fortassis, aut phantasticus poterit multorum judicio reputari. Susurrabunt mutuò dum viderint aliquem lite-

literatum, qui fundit unguentum suæ meditationis ad pedes, vel caput Jesu: *ut quid perditio hac?* Matth. XXVI. 8. Cur non erogat per prædicationem in pauperes, idiotas, & egenos? Talia sibi soli meditatur, & ruminat, cur regiminis curam non quærit? Cur non suscipit, oblatam? Quo pacto priùs habitam derelinquit?

Magister. Nihil affers incognitum, sed ad alta vadenti contemnendus est ipse contemptus, nec populari rumore, sed conscientiæ veritate vita ducenda est, maximè quærenti Deo vivere, quærenti cum Propheta dicere: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* Ps. LXXII. 28. *Omnis gloria ejus*: Cujus ejus? utique animæ devotæ, *filiæ Regis*, & sponsæ, *ab intus* est, Ps. XLIV. 14. cui *pro minimo est ut ab hominibus vel ab humano die* 1. Cor. IV. 3. judicetur, sed nec se judicat, omne judicium suum ponens super eum qui *Dominus est*, cui soli intendere, quem quærere, in quem sperare, quem diligere constituit. *Qui vult inter vos sapiens esse*, monet Apostolus, 1. Cor. III. 18. *stultus fiat ut sit sapiens* Christo, desipiat mundo, ut placeat Christo. Nam qui volunt hominibus sæculi placere, qui civiles ab eis, qui benevoli, qui sociales, qui (ut eorum verbum ponamus) boni socii, blandienti lingua, vocari desiderant, videant, ne Dei, immò sui constituantur inimici; perdunt nempe tempus comessando, jocundando, detrahendo, narrando fabulationes, sed non ut lux tua, Domine: deteriora non addimus, quæ ferre coguntur.

Discipulus. Quotidianus nobis hominum convictus quæ dicis ostendit.

Magister. Crede mihi, posse vacare sibi non est parvum, neque negligendum talentum, non est infodiendum terræ, quià non est terrenis occupationibus obruendum; habet homo pro quolibet sensuum, quos accepit talenta totidem, singulis non pariter utitur. Si totus se ad videndum salubria, totus ad conversionem cordis convertit, redditur excusata manus, vel pes, vel lingua, si tunc non operatur homo, aut ambulet, aut loquatur. E converso si robusta fuerit manus, & oculus lippus, ut videre vix possit, mittat *manum ad fortia*; hoc est viri solitarii & activi. Determinat Aristoteles Philosophica ratione, vitam contemplativam simpliciter, optimum esse hominis bonum. Consonat omnis theologizantium chorus. Determinat hoc Augustinus, quod *otium veritatis inquirendæ, præferendum est negotio charitatis*, si nullus imponat; nec sic tamen funditùs otium deserendum nostra sustinenti. Jam verò quæritur, quis ad hanc sit idoneus vitam solitariam. Non juvenis moribus, qui ad operationem mittendus est, ne vacet: *Multa enim mala docuit otiositas.* Eccl. XXXIII. 29 Vidit hoc qui philocapto mederi pollicens ait:

Loca sola nocent, loca sola caveto.

Talis non cum Deo, sed cum desiderio rabioso continuè loqueretur. *Occidunt desideria pigrum*, præsertim sine literis, cujus *otium mors est*, Seneca teste, *& vivi hominis sepultura.* Et Horatius:

Si non intendas studiis, & rebus honestis,
Invidia, vel amore torquebere.

Ceterùm nequit vacare otio constitutus sub alterius potestate; quo jubente fac hoc, faciendum est: vade illac, istac eundum est: obsequere subditis, istos dirige, & rege, parendum est. Ampliùs, si proprio te voto constrinxeris ad actionis negotium, jam tibi vacationis otium sustulisti. Si denique necessitas periclitationis proximorum corporalis aut spiritualis imminet, cui tu potes, non alius pro nunc probabiliter opitulari, lex necessitatis, immò charitatis à vacatione te separat. Lex postremò divinæ jussionis inspirata te perurget sese sequi, qualem hi qui spiritu Dei ducuntur infallibiliter recognoscunt.

Discipulus. Hactenùs multa conquisivimus de vita solitaria sub quadam fluctuatione sententiarum, & ordinis: cupio naturam ipsius Philosophica, simul & Theologica ratione scrutari; descriptionem quoque suam in primis volo fundamentaliter notam esse.

SECUNDA PARS
DEMONSTRATIVA
Post primam inquisitivam
DE SOLITUDINE.

MAGISTER.

VITA solitaria est, *vita intellectualis naturæ, seu rationalis, quæ agitur segregatim à multis & propter Deum.*

Discipulus. Cur ad vitam solius naturæ intellectualis solitariam vitam stringis, cùm sit avibus, & bestiis aliquibus sua solitudo vivendi?

Magister. Volui sub compendio vitam tollere omnem, quæ beatæ vitæ particeps esse nequit.

Discipulus. Nunquid satis erat, ut de intellectuali natura sermo fieret, additione non facta de rationali dicens, intellectualem dimittendo.

Magister. Postulat hoc fieri proprietas vocabulorum. Cùm enim *rationale* sit differentia constitutiva hominis, nec solius hominis, secundùm Porphirium Platonicum, ponentem dæmones, & Angelos esse animalia rationalia, quæ deos vocat, & compositos ex anima & corpore tradit per immortalitatem differentes ab homine. Definitio nostra debuit hoc notare, quamvis aliquando rationalis dicatur natura quælibet quæ potest uti ratione, & quæ libertatem habet arbitrii, potens in opposita. Est enim liberum arbitrium *facultas rationis & voluntatis*, quasi liberum de ratione judicium, juxtà quem loquendi modum Deus diceretur nedum intellectualis naturæ, sed rationalis, licet Boëtius appropriet intelligentiam puram soli Deo; aut veriùs soli generi divino; quoniam usus Philosophorum tribuit Angelis intelligentiam, quos ideò vocant *Intelligentias*, & ab hominibus non penitùs abstulerunt, ponentes agentem intellectum.

Discipulus. Vis igitur ponere in Deo vitam solitariam vel socialem?

Magister. Audies postmodùm, si primitùs exposuero de parte definitionis addita cùm dicitur: *vita naturæ intellectualis, aut rationalis, quæ agitur segregatim à multis, & propter Deum.* Damus per hoc intelligi causam formalem, seu differentiam à vita sociali. Causam insuper finalem vitæ solitariæ, non cujuscunque, sed laudabilis assignamus propter Deum, qui Deus gratiâ sui est, sive propter seipsum tanquam liber, & nobilis in supremo. Ceterùm natura quælibet, præsertim rationalis, quædam in se dicitur vita prima, si nihil etiam actualiter ratiocinaretur, vel intelligeret actu perfecto, neque similiter vellet; cui vitæ non attribuitur propriè solitarium, vel sociale; sed vitæ, quæ dicitur vita secunda, proveniens, profluens, aut emanans, ab hac vita prima. Hæc autem dicitur operatio vitalis elicita, seu producta à re quæ est vita prima, ut anima rationalis; vel habet vitam primam, ut homo. Sic intelligitur definitio Philosophi de anima, quod est *actus primus corporis physici, organici, vitam habentis in potentia*, supple ad vitam secundam, quæ est vitalis operatio. Sic intellexit idem Philosophus, qui posuit felicitatem hominis non in habitu solo cum Stoïcis, nec in sola substantia, vel natura, à ponentibus Fata; sed in optima operatione, respectu optimi objecti, per optimam potentiam, optimo habitu roboratam. Sic dicebat Christus: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Joan. XVII. 3. Loquuntur ad ipsum conformiter Theologi, ponentes vitam æternam in æterna Dei visione, quæ fruitionem complectitur, delectationemque supremam includit.

Postre-

Postremò sumptam dicimus ex his distinctionem Physicam, pariter & Theologicam, de multiplici vita. Quædam est activa, quædam contemplativa, quædam mixta. Rursùs quædam est bona civilis, & moralis; quædam mala, multis modis, ob pessimas operationes, secundùm pravos fines, sicut ad superbiam, & honores vanos; sicut ad divitias, & opes injustas; sicut ad voluptates, & luxus sordidos. Et hæc juxta tria quæ sunt in mundo, qui triplicem sibi vendicat sapientiam; terrenam, animalem, diabolicam. Ampliùs verò dividitur vita talis, quæ est operatio naturæ rationalis vel intellectualis, in vitam socialem, & in vitam solitariam, de qua præsens sermo quærit: Vita solitaria agitur non in multitudine, aut saltem non cum multitudine; sed separatim à turba, maximè secundùm quod accipit vulgus, dum separatio, seu segregatio fit in locis solis, ut erat Joannes puer in desertis. Additur ad extremum, quòd segregatio fit *propter Deum*, ad excludendum pravam quamlibet solitudinem, qualem Epicureorum voluptatum assertores, & Stoïcorum secta laudabant, ad qualem præterea bestialitas morum, vel corruptio complexionis impellit.

Discipulus. Elucidatam sufficienter existimo definitionem vitæ solitariæ; sed an conveniat Deo, & Angelis, scire desidero.

Magister. Si vivunt intellectualiter, prout eos vivere nulli dubitare fas est, vivant oportet aliquâ vitâ solitariâ, aut sociali. Et quidem de Angelis, & hominibus salvatis persuasum satis habemus, quòd vivunt socialiter, atque civiliter. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, loquitur Propheta de civitate cœlesti. *Ps.* LXVI. 3. Concludens: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* ℣. 7. Et in prosa;

Quàm felix ista civitas
In qua jugis solemnitas,
Et quàm jocunda Curia
Quæ curæ prorsùs nescia.

Consonat Aristotelis verbum, quòd *extra cœlum sunt animalia optimam vitam ducentia*: sed si nominet animalia, largo modo, intelligentias, vel Angelos: si dicat insuper eas extrà cœlum formaliter, quia cœlum non formant, nec tempore mensurantur. At verò de vita divina non ita perspicuum est, si socialis fuerit æstimanda. Obstat Philosophus metaphisicando ponens Deum primum, & supremum Monarcham extra ordinem totius universi, tanquàm solum, singularem, & unicum principantem, cui nullus sociatur, non plùs fortè, quàm si per impossibile, secundùm ipsum, sed per possibile, & verum, ex positione Fidei, Deus fuisset ab æterno sine creatura. Hæc est altissima de Dei primitate sententia Philosophi consonans Theologiæ per omnia, immensitatem, & immutabilitatem primi entis magnificans, & attollens.

Discipulus. Nonne latuit, Philosophum Trinitas Personarum divinarum in unitate substantiæ? Quam si cognovisset, utrùm dixisset Deum solitarium, vel solitariam in se gerere vitam; aut aperi quid Theologica Fides ex dictis inferret.

Magister. Fallit, aut conturbat nonnullos habentes de divinitate sermonem, dùm nituntur Physicas coaptare considerationes ex creaturis sumptas, ad illa quæ Deo conveniunt, quæ plùs in infinitum disconveniunt creaturarum proprietatibus, quàm assimilentur eis. Exempli gratia. Ponimus, Fide docti, generationem naturalem Filii Dei de Patre Deo: quærunt, si generatio talis sit univoca, vel æquivoca. Quodcumque dicatur, instantiæ plures occurrent. Expeditior via tenetur, quæ nec univocam dicit generationem, nec æquivocam. Est enim plùs quàm univoca, quæ generans communicat generato eandem quam habet naturam, necdùm specificam, prout in creaturis, sed prorsùs ipsam unam, nec specie, nec numero distinctam. Rursùs non est penitus æquivoca generatio ex ista radice, quamvis habeat aliquod simile in hoc, quòd actus geniti est alius specie ab actu generantis, quia filiatio non convenit paternitati. Sed horum, cum similibus, declaratio Theologis remittatur. Ad rem nostram venientes dicamus, quòd vita Dei in se, nec solitaria, nec socialis taliter existimanda est, qualiter rationalibus convenit creaturis.

A Itaque si singularem divinæ naturæ spectes unitatem, nil minùs sociale vel gregale, nil plùs solitarium, vel segregatum & solum reperies. Si verò converteris oculos Fide purgatos ad communicationem divinæ essentiæ, quæ non in uno absoluto supposito sistit, sed fluit (ut ita loquamur) pullulat, aut germinat à Patre, secundùm Dionysium, habens tria supposita relativè distincta, & hoc ex immensitate bonitatis suæ; nihil minùs solum, aut solitarium judicabis. Sic loquitur Richardus, sic alii Theologi, volentes deducere Philosophica ratione Trinitatem in divinis ex immensa bonitate, quæ ipsius diffusiva est, nedum punctualiter, ut in creaturis, sed immensè: tum ratione jocunditatis, quia nullius rei sine socio jocunda est possessio; tum ratione felicitatis, & ex talibus judiciis, ex quibus societas ponatur in divinis, sic &

B Trinitas. Est tamen hæc societas distans nimis à societate creaturarum, quæ quantumlibet associatè vivant, non efficiuntur, nec sunt unum per essentiam, quamvis benè dicantur cor unum, & anima una, unus spiritus, per gratiam, & concordiam voluntatum. Colligas ex præmissis licet corollarium pulcherrimum de vita qualibet creaturæ rationalis, utendo deinceps rationali, prout extenditur ad intellectuale, sit hoc in Angelis, sit in homine, pro brevitate sermonis.

Discipulus. Asto cupidus audire, si quid afferas novi.

Magister. Audi, & vide, quòd omnis vita creaturæ rationalis tantò perfectior est, quantò magis participaverit de utraque divina vitâ, sociali scilicet, & solitariâ.

Discipulus. Quomodò fiet istud; cùm sociale, & solitarium contrarias habent rationes?

C *Magister.* Animæ sunt rationes contrariæ, si respectus ad varia fiat; alioquin unica Dei vita non esset pariter socialis, & solitaria, cujus oppositum monstravimus: quam insequi vitam, tota laus, tota gloria, tota perfectio jure putatur rationalis creaturæ.

Discipulus. Quid concludere rursùs possis conjicio; sed apertiùs edissere.

Magister. Post Christum vita beatissimæ Mariæ fuit excellentissimè socialis & solitaria, dùm viveret, & nunc societatem Cherubim, & Seraphim, omnemque Angelicam vitam exuperat gloriosa. Conjungitur una, sola, perfecta, pulchra, columba, amica, sponsa, soror, & Mater, unico sponso suo & Filio, dicens ex sententia: *Dilectus meus mihi & ego illi.* Cant. II. 16. Invenit eum quasi foris super omnem creaturam in æternitatis solitudine, in desertis seculorum, quem deosculatur toto cordis, & oris affectu: dicens: *Et jam me nemo despiciat.* Cant. VIII. 1. Ecce solitariam.

Discipulus. Porrò de Joanne quid diceres, quid de tot solitariis in vita præsenti tam viris, quàm feminis, Maria Magdalene, Maria Ægyptiaca, & Sincletice?

D Quid præterea de retinentibus vitam socialem? Quid de mutua collatione duplicis hujus vitæ, socialis, & solitariæ?

Magister. Dixi jam, si retines, nec gravat repetere, quòd omnis vitâ creaturæ rationalis, sit in via, sit in patria, sit socialis, sit solitaria, perfectior est tantò, quantò magis particeps est divinæ vitæ, quam supremè solitariam deduximus, & socialem, suo modo.

Discipulus. Qua ratione fit hæc participatio?

Magister. Nempè per unitatem gratiæ, quæ reddit Deiformem essentiam creaturæ rationalis, in se, & cum Deo unam facit, sic & in multiplicitate potentiarum, associatio virtutum Theologicarum & moralium, cum donis, & beatitudinibus & fructibus, & operationibus indè sequentibus, & pulcherrimam intùs socie-

societatem constituentibus in viatoribus; sed pulchriùs, & proportionabiliter excellentiùs in Beatis. Longa esset, sed facilis adaptatio ad propria, simul & appropriata divinæ Unitatis, & Trinitatis Personarum, respectu unitatis essentiæ rationalis cum trinitate potentiarum imaginis, necnon cum viribus sibi insitis per naturam (ut ita fas sit dicere) supernaturalem. Vetus est distinctio de natura naturante, quæ est Deus, & de natura naturata, quam indidit creaturis.

Discipulus. Consentio quæ loqueris de vita bonorum: sed reproborum vitam qualem dicis; solitariam, an socialem?

Magister. Ego verò neque solitariam, neque socialem appellabo, utpotè quæ vita non est, sed mors horrida, monstrum horrendum peccator, ingens est, qui secum diffidet, qui convenit nulli, qui dissipatur, & solvitur curis & sceleribus, facinoribus, & flagitiis incessanter; sine modo, sine ordine, sine pondere mensurave subsistens; se odit, in se sævit; malus omnibus, pessimus sibi; & eò infeliciùs, quò deterioribus peccatis fuerit obnoxius, à primo peccatore usque ad ultimum.

Discipulus. Terribile est quod loqueris: solitariam habent vitam quos opera comitantur, & rodunt; neque sociales appellandi sunt, qui nec sibimet fœderantur agitati præcipites, *ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Job.x.22.

Magister. At verò vulgus indoctum veritates istas ex abditis Philosophiæ & Theologiæ penetralibus erutas fortè non capiet; fortè tanta mala quæ tolerat, pacem appellabit; si ad tempus gaudeat de impunitate nequitiæ, si abundat divitiis, si voluptatibus effluat, maximè si sibi fuerint *filii sicut novellæ plantationes à juventute sua*, si *filiæ compositæ & circumornatæ*, *ut similitudo Templi*, si *promptuaria eorum plena*, si *oves fœtosæ*, si *boves crassæ*, si *neque ruina*, *neque transitus*, *neque clamor in plateis eorum*; si blandos denique senserint amicos dicentes *Beatum populum, cui hæc sunt.* Psal. CXXXIV.12.13.14.15. Sed heu, *popule meus*, conqueritur Propheta *Isa.* III.12. dicens, *qui beatum te dicunt ipsi te decipiunt.* Ratio, quia solus *beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*, qui solus est in desolatione potens adjutor, in associando fidelis comitator.

Discipulus. Expedit ergò loqui familiariùs de vita solitaria, conformiter ad acceptionem vulgarium; tunc enim eò fiet utilior, quò communior sermo multis.

Magister. Rectè censes: sapientibus enim & insipientibus debitores sumus. Fiet autem lucidiùs, si per distinctiones, & definitiones habeatur resolutio, consequenter ad primam vitæ solitariæ definitionem generalem, quæ Deo simul convenit, Angelis & hominibus, suo modo. Loquimur prætereà de viatoribus solis hominibus, quos docere, monereque jam possumus. Et quoniam *solitarium* distinguitur contrà *sociale* non secundùm rem, sed secundùm formalem rationem; priùs est videre, quot modis aliquid dicatur sociale non qualitercumque, sed in vita humana, seu morali. Attende, quot in genere vel specie, talis vitæ socialis modos invenies.

Discipulus. Philosophus duas primò societates ponit, œconomicam, & politicam. Politica verò multiplex est. Una civitatis perfectæ. Altera patriæ magnæ, seu provinciæ. Deindè politias bonas distinguit, in Regnum, Aristocratiam & Thimocratiam. Politiam verò Sacerdotum (quæ dudùm Druydes in Gallia vocabatur) determinat partem esse politiæ cujuslibet perfectæ, sicut & milites, & populum.

Magister. Sufficit ista notasse ad inveniendum distinctionem vitæ solitariæ multiplicem, ne nos decipiat ambiguitas in nomine.

Porrò ne progressus eat in immensum, coarctabitur sub tetrade, seu quaternario. Et dicemus, quòd est vita solitaria, primò Cælibalis; secundò, Monachalis; tertiò, Eremiticalis; quartò, Sapientialis.

Vita celibalis est vita creaturæ rationalis, abdicans à se societatem conjugalem propter Deum, ut liberiùs ei serviatur in continentia corporali, aliter quàm œconomica societas.

Vita Monachalis, ultrà cælibalem abdicat à se appropriationem rerum personalium, & propriam voluntatem propter Deum, in pœnitentia salutari, aliter quàm politica civilitas.

A *Vita Eremiticalis, ultrà Monachalem abdicat à se societatem humanam, secundùm loca & tempora propter Deum, in abstinentia singulari, aliter quàm Monachalis, vel civilis societas.*

Vita Solitaria Sapientialis reperitur in quolibet genere vitæ solitariæ triplicis scriptæ. Et *est vita abdicans à se, quantum fert humana mortalitas, quicquid obstare potest sapientiæ contemplandæ propter Deum, & experientiæ saporali, aut perfectiùs quàm sentiat aut sapiat quævis humana communitas.*

Ecce quadruplicem vitam solitariam, quæ quadruplici opponitur vitæ sociali, secundùm rationes formales, aut objectales sumptas ex proximis finibus, & differentiis accidentalibus.

Et prima est appropriata Sacerdotii, vel Ordinis Sacri, quamvis alii sunt cælibes, quàm Sacerdotes,
B vel Ordinis Sacri professores; sed non ad sacra deputati mysteria. Secunda vita est Monasterii, vel Cœnobii, vel Claustri, & hominum sub triplici voto viventium. Tertia est Eremi, vel deserti, & hominum loco segregato se continentium propter Deum. Quarta vita est studii, non qualiscumque, sed divinæ sapientiæ: & ista est hominum apud semetipsos contemplantium, curis omnibus aliis postpositis & calcatis, vel reverenter omissis; quod additur propter istos qui Regularibus astricti disciplinis, licentiam accipiunt legitimam, quòd non exerceantur in illis, sed vacent otio sancto sapientiæ contemplandæ. Nota in Psalm. CI.7.8. tres sub tribus avibus solitudines: *Similis*, inquit, *factus sum pellicano solitudinis;* hæc est appropriatior Eremitis. *Et factus sum sicut nycticorax in domicilio;* hæc Cœnobitis, vel Monachis. *Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto;* hæc pro contemplativis, quasi super tectum in civitatibus sibimet vacantibus.

C *Discipulus.* Multæ passim inveniuntur traditiones de triplici vita; prima, quæ solitaria dicitur, non simpliciter, sed per respectum ad societatem oppositam: Clericos enim cælibes scimus quotidiè publicè conversantes; carent tamen œconomica societate, & illo consortio quod ab initio constituit Deus, dicens: Gen. II. 18. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*, quod consortium Christus in nova Lege temperavit, non penitùs abdicans ab hominibus, sed præferens castitatem illorum qui *sunt eunuchi propter Regnum Dei. Qui potest capere, capiat.* Matt.XIX.12. Vita talium cælibum hac ratione dicitur solitaria deindè plùs Monachorum. Deindè specialiùs Eremitarum vel Anachoretarum.

Nunc de quarta vita solitaria, cujus nomen non ità resonat in usu vulgari, colloqui in dies desidero. Et primò quis sit finis ejus specialis, & proximus.

D *Magister.* Finis qui generalis est de jure, vel facto cuilibet homini, scilicet uniri Deo per gratiam, & virtutes, iste est homini contemplativo specialis, & proximus; nec aliter omninò sibi præstituit. Non vult Beneficiorum curis intendere, non regimini etiam spirituali populorum, ut Sacerdotes, Prælati. Non vult officium claustrale (si fas habeat) insequi, non vult in austeritate eremi seipsum concludere; sed temperanter uti cibo, & somno, & obsequio tolerabili unius, vel paucorum; vult sufficientiam habere Librorum, ad intelligentiam sapientiæ valentium; vult aliquando, sed rarissimè collationem disputationis habere cum scho-

scholasticis, quorum vita socialis est, non hoc modo solitaria, nec penitùs tali fine. Laborant igitur multi ut intelligant & disputent: de sapore verò gustare, vel negligunt, vel nequeunt, distenti curis aliis, aut passionibus sensualibus impediti.

Discipulus. Manifestiùs ista patebunt si exempla narraveris.

Magister. Narrabo, sed primitùs explicabo finem otiosi nostri, vel sapientiæ studiosi. Ità enim magis hoc nomine, quàm solitarii vocandus apparet.

Studet alternatim, velut æquè primò nunc intelligere, quæ credit Fide, nunc sapere ea, vel saporare per affectum quæ credit, aut intelligit. Hic est enim duplex oculus contemplationis se mutuò juvans, & consequens, & hoc, secundùm duplicem vim rationis superioris, in qua duplex pars creatæ consistit imaginis beatæ Trinitatis; intellectus, scilicet & affectus, sive ratio & voluntas, sive intelligentia veri summi boni, & synderesis, prout dicitur scintilla tendens in amorem primi boni.

Ceterùm post hunc finem duplicem unus est posse interpretari quæ sentit & intelligit, quantùm licet eloqui: multa quippe sunt arcana intùs verba, quæ non licet homini extrà loqui. Subindè quartus finis est in promptitudine animi, non semper in operis executione, Ecclesiam ædificare, & illuminare in toto, vel in parte, ex his & per illa quæ contemplatus est sapienter. Nunc accipe primum exemplum, & præcipuum post Christum sapientissimæ mulierum. Legis itaque de Maria, quòd conservabat omnia verba, quæ de Christo erant, *conferens in corde suo.* Ecce duplicem primum finem intelligendæ sapientiæ, & assiduè meditandæ in corde suo, quod intelligitur superior pars rationis, vel arx mentis. Vocat enim sapientia ad arcem & ad mensam. Verba nempè sapientiæ dulciora sunt super mel & favum. Ita si favus masticatus dente meditationis rumpatur, & effluat in os non infectæ mentis.

Porrò duplex alter finis, qui est interpretari posse contemplata, & Ecclesiam illuminare, nonne cognoscitur in Maria fuisse, secundùm Doctores, quando revelavit Apostolis, & Evangelistis ea quæ de Filio suo Christo erant, quantùm, & quoùsque licuit ei loqui, & audire decuit alios, vel expedivit. Non hoc ignorabas, ô Ignati ferventer ignite, cujus amor erat, te dicente, crucifixus. Etenim scripsisti Mariæ Christiferæ. *Venire*, inquit, *debueras visitare neophytos, ut ex te, & per te, & in te confirmentur.* Cui benignè Maria humilis ancilla rescripsit se cum Joanne venturam.

Discipulus. Congratulor in exemplo, sed scripta sapientiæ suæ debuerat (ut videtur) posteritati relinquere.

Magister. Nequaquàm. Intelligebat etiam tunc modestissima feminarum id quod Apostolus posteà sanxit, doctrinam publicam non esse feminei sexus officium, præsertim regulare. Confundit exemplo suo garrulitatem arrogantem nonnullarum, quas in spiritu futuras aspiciebat feminarum.

Intelligebat prætereà causam in Filio suo Christo alteram, qui suam noluit per calamum & attramentum scribere Legem, secundùm deductionem Augustini *De consensu Evangelistarum*, circa principium. Scripsit eam sufficienter, & adhuc quotidiè scribit in cordibus fidelium. Quod eventurum Jeremias prophetavit: *Dabo Legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Jerem. XXXI. 33.

Discipulus. De doctrinis feminarum quæsivi latiùs: crebrò faciliterque falluntur in visionibus capitis sui, & profectò scienter & subdolè quandoque fallunt & fingunt. Loquor expertus de multis. Quamobrem, his omissis, dic de viris, quos exuperavit Maria Mater illa mirabilis, femineæ cogitationi masculinum animum inserens. Nam plusquàm mulier hæc, parùm est; plus quàm vir, hoc modicum est; plus quàm Angelus omnis, propemodùm satis est.

Magister. Possem tibi numerare tàm Apostolos, quàm Apostololicos viros ipsis contemperaneos, nisi quòd sapientiam magis acceperunt per revelationem, quàm per Scripturarum meditationem, teste Hieronymo. Sunt affines proposito nostro, Augustinus paulò A post conversionem suam segregatus habitans, & quid ageret ostendunt Soliloquia sua, & Liber Confessionis, cum multis. Gregorius insuper, Monachus primò, summus Episcopus.

Prætereà sanctus Bernardus, Hugo, Richardus, contemporanei. In quorum doctrinis quid sit intelligentia Scripturarum, quid contemplatio, relucet simul, & qualis fuerit vita taliter contemplantium, & sentientium de Domino in bonitate & simplicitate, & suavitate spiritus satis liquet.

Discipulus. Nominas illos, qui Monasticæ fuerunt vitæ, sicut & Beda, & Basilius, & Thomas, & Dominus Bonaventura, quos subticere non oportuit.

Magister. Nonne dixi tibi, quòd nulla species vitæ secludit homines, quin, habito moderamine, possint uti vita hac otiosa, & studiosa, vel in toto, vel ad tempus, si aliundè fuerint idonei ad intelligentiam & contemplationem Scripturarum, maximè post edomitam furiam passionum.

B *Discipulus.* Quale moderamen intelligis?

Magister. Vacationem, de qua Hieronymns: *Vacate & videte. Sit animus liber oportet; sint sensus intùs & extra quietissimi necesse est; si gustando vivere, & vivendo gustare volumus, quoniam suavis est Dominus.* Ceterùm, qualia sint tantæ tranquillitatis impedimenta, noverunt qui ad contemplativam vitam tradere se satagunt; monstrat experientia de plurimis, de quibus radicales causas Physica, seu Medicinalis dat doctrina, & sublimiùs aperit Theologiæ mysticæ disciplina. Putas officiarent Doctores prænominati circa temporalia, vel etiam spiritualia Monasteriorum exercitia continua? Putato meliùs, quòd sedebant ad pedes Jesu, audientes verbum illius in Scripturis. Sedebant solitarii, & tacebant sine cantu, vel voce carnis, dum cantabant Domino in cordibus suis, dum C inhiabant in superna fluenta fontis vitæ, dum in otio suo sine negotio laborabant, & negotiabantur pro se, & posteris in intelligentia sapientiæ salutaris. Aptabatur illis verbum Scipionis: *Nunquam minùs solus quàm cum solus*; ut qui poterant apertis oculis, ac pedibus mentis expeditis inserere se toti mundo, præteritorum, præsentium, atque futurorum; tàm eorum quæ videntur, quàm eorum, quæ non videntur, qualia sunt spiritualia; cesserunt ob hoc nonnulli Pastorali curæ habitæ. Alii oblatam suscipere noluerunt, utentes parabolica similitudine de lignis constituere volenti-D bus sibi Regem, quibus assensit rhamnus, non oliva, non ficus, non vitis, contentæ dulcedine fructus sui.

Discipulus. Habet multam conquisitionem, si Prælationis status in vita activa sit perfectioris, eminentiorisque meriti, quàm solitariorum contemplativorum vita. Qua super re Chrysostomus ad Basilium dialogizans præfert absque dubitatione Præsulatum.

Magister. Nolumus ad præsens istam subintrare litem; utraque vita certè, contemplativa, & activa pulchra est, utraque meritoria, utraque Dei donum, utraque distributio Spiritus sancti, utrumque necessarium est mystici corporis ornamentum, & membrum. Legatur elegantissima similitudinis istius deductio per Apostolum ad Romanos, atque Corinthios introducta, quàm nec Aristoteles, nec Plutarchus siluerunt. Contemplativum te constituit Deus; *noli altum sapere, sed time.* Rom. XI. 20. Vide ne casus hinc gravior fiat, quò mens altiùs fuerit elevata, gemens illud: *Et elevans allisisti me.* Psal. CI. 11. Cave ne mon-

montem ascendere coneris, undè tanquàm fulgur videbat Christus satanam de cœlo cadentem. Si constitutus es in lecto contemplationis otiosæ, si mysteria noveris omnia, si posueris in cœlo nidum tuum, si caput nubes tetigerit, tu ad unum flatum superbiæ reprobus à charitate factus detraheris in abyssum, & tanquàm sterquilinium in fine perderis, quando ille activus, judicio tuo mundanus totus, per difficiles distractus actiones, mordacibus attritus curis, cœlestia nec intelligens, nec sapiens, suscipietur humiliatus in cœlum, agente misericordiâ illius, A qui *suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* I Reg. II. 8. Ambulet unusquisque vocatione quâ vocatus est in timore & tremore. Nemo judicet *alienum servum, pro quo Christus mortuus est. Suo Domino stat aut cadit*: Rom. XIV. 4. Liberatus es à cura sæcularium actionum, non incumbit tibi regimen per auxilium proximorum; tibi, tuæque saluti vacare concessum est. Vaca igitur gratus Deo. Laborantes ipsos juva precibus assiduis; memineris Judiciorum Dei terribilium super filios hominum, qui quorum vult miseretur. *Clemens*, inquit, *ero, in quem mihi placuerit.* Exod. XXXIII. 19.

Denique pro concluso tene, quòd qui fuerit humilior, ac vilior in oculis suis apud Deum, respiciet illum propitius, & misericors Deus, qui per os loquitur Prophetæ: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Isa. LXVI. 2. B

Discipulus. Nonne maledictus, qui partem suam facit deteriorem? Cur non igitur quilibet aptus sedere ad pedes Jesu, & audire verba ejus in otio cum Maria, partem optimam (Judice Christo Jesu) sibi quærit? Cur non implebit hortationem Sapientis: Eccli. XXXII. 15, 16. *Præcurre prior in domum tuam, & illic advocate, & illuc lude, age conceptiones tuas.* Et iterùm: Fili, in paucis sint actus tui, & in tempore otii scribe sapientiam, cujus conversatio non habet amaritudinem, cujus aspectus pulchrior est super solem, cujus amore Joannes puer allectus confortabatur spiritu, & erat in deserto.

Magister. Attende quid sequitur, *usque in diem ostensionis suæ ad Israël.* Itaque non licet hominem sæpè esse, ut vult. *Spiritus ubi vult, spirat*, Joan. III. 8 distribuens status, ordines & gradus, non prout homo, sed prout ipse vult. *Erat Joannes in deserto*, sed non nisi quousque voluit Deus ipsum ostendere in Israël, & prædicare, & prædicando subire martyrium. Eucherius C specu clausus, vinculatus, in Archipræsulem Lugdunensem raptus fuit. Alii instituerunt è contra sæculi curis, quos depulit spiritus. Attende istum secundum Elisæum priùs arantem justum, post Archiepiscopum Lugdunensem. Sic igitur hominum vitæ mirabilis est, nunc activæ, nunc solitariæ mutatio dexteræ Excelsi. Multos salvavit Deus mediis in fluctibus negotiorum, qui litus otii tenentes naufragassent.

Discipulus. Et nihilominùs ex duobus bonis, nonne fas est apud homines deliberare, quod meliùs saltem de genere operis in se, quidquid sit de circumstantiarum omnium qualitate?

Magister. Utique fas est, ut in omnibus honorificetur Deus, utque per cognitionem muneris gratia cognoscatur, & magnificetur autor. Sic egit pulcherrima mulierum, magno spiritu videns ultima. *Ecce*, D inquit, Luc. I. 48. 49. *ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est.* Et quo fecerit medio junxit: *Et sanctum nomen ejus*, suppleri potest, & ad verbum illud fecit retorqueri; Virgo enim Fide, qua nomen est Dei sanctum concepit Sanctum Sanctorum.

Discipulus. Laudes igitur vel paucas numera vitæ solitariæ, qualis esse debeat in profitentibus eam, sit in eremo, sit in domicilio, sit in tecto, seu studio: qua scilicet Dei gratuita pietas in electos, justa severitas in reprobos solitarios, tali collaudatione monstretur velut in pictura vel speculo. Scitum est illud Augustini. *In eremo bene vivere est summa laudatio, & malè, summa damnatio. Bene vivens glorietur in Domino: malè; verecundetur, & convertatur in animo, ne, dum vitam solitariam extollat præconiis quibus caret, audiat à Domino.* De ore tuo te judico, serve nequam. *Luc.* XIX. 22.

Magister. Fedus pictor, ut speciosissimam vitæ solitariæ pingat imaginem suades. Faciat hoc non nostra turpitudo, sed proprius ejus sermo frequenter à Maria contemplatus.

TERTIA PARS
COLLAUDATIVA
VITÆ SOLITARIÆ.

EGo illa sum vita solitaria, quæ de terrenis hominibus cœlestes, de carnalibus spiritales constituo. Ego dispersiones Israëlis congregabo, propter quas Dei Filius segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, descendit in aulam secretam, & clausam uteri virginalis. Concluseram in oratorio cubiculi Matrem ejus solitariam, quando salutata est ab Angelo, quando respondens: Luc. I. 38. *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, concepit mox æternum *Verbum caro factum*. Novum tunc fecit Dominus ut mulier circundaret virum, cujus nomen erat oriens, qui *verè est Deus absconditus*, Isaiæ. XLV. 15. quem ab æterno continebat sinus Patris illius qui solus est, & alium non habet, cui soli honor & gloria, per deserta, spatiosaque sæculorum. Ego ista sum vita solitaria, per quam omnia facta sunt, & in qua omne quod factum est nihilominùs vita erat, sed non altera, & altera vita. Ego vitam istam, dum caro facta est, feci seorsùm à turbis pernoctare pluries solum in oratione Dei. Multiplicavit in solitudine panes, superavit in deserto diabolum solus cum feris habitans & jejunans; nihilominùs comites fuerunt Angeli ministrantes, dùm humano carebat consortio. Dum Transfigurationis ostendit gloriam, seorsùm tres tantummodò duxit in montem, ubi tandem *levantes oculos neminem viderunt nisi solum Jesum*, Matt. XVII. 8. quoniam à contemplativis sola salus per omne quod inspiciunt cogitatur. Solus, & avulsus à secretissimis etiam Apostolis ter oravit Patrem, & factus est in agonia prolixiùs, quando sudavit rorem sanguineum, quando *apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum*, Luc. XXII. 43. non auxilii necessitate, sed dispensatione mysterii. Quis dedit puero Joanni locum amplum in solitudine? Quis aluit in desertis? Quis solitarium confortavit? Quis mysterium Baptismatis sibi revelavit, & disposuit? Aderam ego cuncta disponens. Carebat illic puer Joannes solatio nutricis, & parentum; non sedebat super ollas carnium, vino non æstuabat, non vestiebatur mollibus, uxorem non habebat. Aderam sibi pro omnibus, & per omnia ad solatium, victum, vestem pretiosam.

Denique qualem quæsivit Sapiens assumere sibi, copulavi sapientiam, & mysticam Abisac sponsam Sunamitem (quæ *incendium Patris* sonat) in sinu reposui. Porrò quid de primo illo formato Adam dictura sum, qui tam diù salvus mansit, quamdiù solus: data fuit mulier in auxilium, mox istum detrusit in exilium. Raptus est Enoch in solitudine paradisi terrestris, ne malitia immutaret, & subverteret cor ipsius: *Placita enim erat Deo anima illius; Propter hoc properavit eum educere de medio iniquitatum.* Sap. IV. 14. Sede-

quitatum. Sap. IV. 14. Sedebat Abraham solus subter ilicem Mambre, *Gen.* XVIII. 2. quando *tres vidit, & unum adoravit.* Postmodùm gradiens solus audivit ab eis mysteria. Solus erat, dùm ritum Circumcisionis accepit à Domino. Vidit Angelum in solitudine Agar ancilla, quæ de puteo visionis refocillavit puerum morientem.

Jacob solus primò vidit scalam cum Angelis descendentibus, & ascendentibus, & typum domus Dei. Solus cum Angelo luctatur, & meretur benedici, meretur nomine novo, quasi mutatus in virum alterum, insigniri.

Moyses iste magnus Legislator didicit in solitudine visionem magnam rubi ardentis, patrationem miraculorum accepit, populi liberator, & Deus Pharaonis instituitur. Postmodùm solus cum solo Deo, vocatus ab eo de medio caliginis loquens sicut amicus ad amicum, Tabulas Legis accepit.

Deerant panes in deserto, arida erant omnia. Ego verò non defui manna pluens de cœlo, & aquas producens de saxo durissimo Postremò aggregavi mihi Prophetas, & filios Prophetarum non sine mirabilibus multis, quorum vitam, præsertim Eliæ, imitatus puer noster Joannes, erat in desertis sæpè confortatus spiritu, non minus quàm Elias. Nunc circumductis usquequaque oculis video turbam magnam Solitariorum turbam fugientem. Paulus sub palma conclusus pascitur ejus fructu, foliisque vestitur, bibit de fonticulo, cava manu. Visitat ipsum protinùs migraturum magnus ille Solitarius Antonius, cujus elogium est, non posse extra solitudinem Monachum vivere, non magis quàm in arido pisces.

Migrat Arsenius in eremum ab angelico jussu dicente sibi: *Arseni, fuge homines, & tace & salvaberis.* Multos hujusmodi contemnentes multitudinem civitatum, quasi onagri liberi, ruptis vinculis vitiorum nec clamorem exactorum audientes, ostendunt ipsæ narrationes, quas appellant *Vitas Patrum.* Sed, ô bone Jesu, quàm minimam loquuntur meorum filiorum portionem, quos recepi, quos alui, quos salubriter institui; ad beatorum omnium societatem recto calle perduxi; dicente mihi sapientia, quam dilexi: Tu chara mihi imprimis, ô vita soror solitaria, tu suscipias velim unamquamque animarum ad te, quæ me diligit, me quærit, me colit, ad me vigilat sine fictione. Habito siquidem in otio sancto, & eruditis intersum cogitationibus. Fugio fictum, fugio sæculariter occupatum. Nam quæ mihi societas cum sæculo, quæ parvulis me revelo, non dispersis *mente cordis sui. Esurientes* implebo *bonis,* quibus appono mensam lautissimam; procul ejectis, & dimissis divitibus.

Suscipe igitur pauperculam animam, quæ me sitit, me esurit. Duc eam tecum in solitudinem, illic loquere ad cor ejus, ibidem lacta eam, & inebria ab uberibus consolationis tuæ, quoniam *meliora sunt ubera tua vino.* Cant. I. I. terrenæ delectationis in comessationibus turbulentis. Si autem ambulat in magnis, si in mirabilibus super se, si *non humiliter* sentit, si per pueritiam innocentiæ, non ut puer Joannes in desertis, sit ut puer Israël videns Deum, quem ipse *suscepit recordatus misericordiæ suæ* sit talis anima sicut ablactata super Matre suæ, egrediatur & abeat, quoniam ignorat se, pascat hædos suos fœtidorum affectuum *juxta tabernacula pastorum* mundanorum. Esuriat siliquas porcorum in regione longinqua egestatis, nec sit qui det unde venter suus impleatur: si se magnum jam aliquid existimat, quo Deus indigeat ad pascendum oves pascuæ suæ, prorumpat ad auxiliandum omnipotentem, eo non trahente. Si propterea quærat exitum solitudinis, vel horreat introitum, ejice procul inutilem cum hac arrogantia, scilicet quæ neque salutem sibi, neque jocunditatem allatura est tibi, sale nimirùm propè deterius est infatuato, per defectum.

At verò si te quærat, te complexetur in simplicitate cordis, sis ei *Paradisus* in benedictionibus, sis *hortus conclusus,* sis *fons signatus,* cujus non deficient aquæ; sed sit ei desertum in stagna aquarum salientium *in vitam æternam.* Ostende ei faciem tuam quæ intrinsecùs latet sub pallore, & squalore tribulationis corporalis. *Sonet vox* dulcis *tua in auribus* ejus & dic: Ego

A sum illa contemplationis Mater proximior Deo, visu perspicacior, venustate pulchrior, securior, sedatior, suavior, permanentior, devotior, familiarior, verior, pretiosior, divinior, finalior, & ideò perfectior, amantior, & amatior, simplicior, intimior, purgatior, clarior, timoratior, humilior, obsequentior, citius impetrans, plus essentialiter mœrens, fœcundiùs prolificans, cujus ad extremum finis totus, & assiduus, est magnificare Deum.

Discipulus. Jocundæ sunt laudes istæ, sed habet dubitationem ista laudis particula, scilicet quòd vita solitaria sit plus essentialiter mœrens, fœcundiùsque prolificans. Quomodò fiet istud, ut qui solus est, sit in prole fœcundior? Formosior est Rachel, nunquid Lia fœcundior?

Magister. Sunt merita quædam, sunt & prolificationes, quas dicere possumus accidentales; sic enim habet distinctio Theologica de duplici præmio: vocat

B unum *essentiale, accidentale* alterum. Radix meritorum cum suis prolificationibus, & præmiis, consistit essentialiter in charitate, quæ quantitatem merito dat & præmia essentialiter juxta sui magnitudinem. Porrò sunt exteriora opera, quibus ex multitudine & utilitate proveniente circà proximos, accrescunt sæpè proventus spiritales ex orationibus, & benefactis aliorum; quo fit, ut Evangelica pauper vidua, quamvis plus omnibus miserit in gazophilacium dans minuta duo: magna tamen exterior largitio cum minori charitate; potest sibi facere amicos, potest peccata redimere, juxta illud: *Redemptio animæ viri divitiæ:* Prov. XIII. 8. Sed in comparatione æternorum talia non magna sunt. Est expressum verbum Gregorii, cui ratio Theologica suffragatur, quòd *contemplativa majoris est meriti.*

Discipulus. Compescuit objectionem meam tua distinctio de duplici merito. Sed alia suboritur: Quare Joannes Baptista, optima parte dimissa, quam con-

C templando tenebat in deserto, ad sæculum venit ad prædicandum, simul & baptizandum immò & Herodem arguebat adulterum?

Magister. Obedientia sic impulit; quâ spretâ, contemplatio solitudinis noxia est, non meritoria. Contemplata es frequenter idipsum conferens in corde tuo, ô sapientissima feminarum. Placuit in deserto Joanni, quamdiù sibi licuit, habitare solitarium. Placuit & obediendo illi qui se misit baptizare, seu visibili forma fecit hoc ut probabile est, seu secreto sancti Spiritus afflatu perdoctus est. Conquisivit in eremo virtutes quæ directionem sibi conferrent in sæculo. Sobrietatem in victu, austeritatem in vestitu, lucem, simul & ardorem in affatu, & effectu. *Erat enim lucerna ardens & lucens.* Joan. V. 35. Erat stabilis, non ut arundo agitata vento. Erat in prædicando discretus, varians Præcepta pro qualitate dicendorum. Erat regula vivendi cete-

D ris, quoniam priùs incœperat à se; non imponebat onera gravia pœnitentiæ, quæ priùs ipse non tulisset super se; non docebat, seu loquebatur ex propriis, quoniam qui loquitur ex propriis mendax est. Sed quæ lucidius explicuit in visione columbæ signantis Spiritum-sanctum in voce paterna de nube ad Filium.

Primus viam stravit pœnitentiæ, non pro temporali aliquo, sed æterno cœlorum regno.

Prima vox quæ de Christi verbis colligitur ex Evangeliis post illam, dùm puer inventus in Templo dixit: *Quid est quod me quærebatis?* Luc. II. 49. Fuit ad Joan-

Joannem, ad quem baptisaturus advenerat, dum prohiberet eum Joannes. *Sine*, inquit, *modò, sic nos decet implere omnem justitiam.* Matth. III. 15. Et quid omnis justitia, si non humilitas inferiori se subjiciens, sicut è contrario omnis injustitia superbia est, superiori se præferens.

Discipulus. Estne putandum, quòd beatissima Virgo visitaverit unquàm in desertis cognatum Joannem, & filiolum quodammodò suum, tàm in utero, dum sanctificatus est, quàm post uterum dum natus, & circumcisus est?

Magister. Visitasse eum cum Jesu, simul & Joseph, piè credi potest, dum in desertis jejunavit Christus post Baptismum. Quod si Jesum satan est ausus aggredi diversis tentationibus, non est incredibile Joannem ejus impulsibus exortem non transisse, quatenùs probatus vinceret, & vincens coronam acquireret.

Attamen (ut aspicis) diuturna nos locutio traxit ad vesperum, dùm super Mariæ contemplationibus cœperamus habere sermonem, & vix paucissimas numerasse suffecimus. Quid existimas, si per totum Evangelicum contextum, secundùm capitula, vel rubricas notatas in *Quatuor ut unum* progredi studeremus. Esset ista sancta, & salubris recogitatio; sed pro sua infinitate minus fortè conveniens ad scribendum. Non sunt itaque solitariis, & contemplantibus explicandæ contemplationes Mariæ per singula.

Mittant ipsi manum ad fortia, habent abundè quas ruminent dente meditationis, digerantque ruminata vivido calore charitatis, si non contempserint ea quæ locutus est Dominus ad Abraham Patrem nostrum, & semini ejus, quod est Christus, in sæcula. Amen.

TRACTATUS
DUODECIMUS
IN PERSONA MARIÆ
PER
SOLILOQUIUM

Summatim colligens sensum hujus

CANTICI CANTICORUM MARIÆ

Per Notulas centum: quasi per Psalterium decies decachordum.

Superadditis his duobus Versiculis ab Ecclesia frequentatis in quolibet Psalmo:

Gloria Patri & Filio &c. Sicut erat &c.

PRIMA NOTULA.

MAGNIFICAT *anima mea Dominum.* Luc. I. 46. Justè quidem, quia *magnificus est in sanctitate.* Exod. XV. 11. *Quia fecit mihi magna qui potens est,* quia *sanctum nomen ejus.* ℣. 49. *Et exultavit spiritus meus in Deo,* qui factus est salutaris meus Jesus meus, quia *respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* ℣. 48. Singularia sunt hæc mihi magnifica, undè singulariter *Magnificat anima mea Dominum,* undè *exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Sunt alia quæ magnificè fecit, & operatur usque modò generaliter per decursus seculorum *Magnus* ipse *Dominus & laudabilis nimis,* cujus *magnitudinis non est finis,* Ps. CXLIV. 3. *cujus sapientiæ non est numerus,* Ps. CXLVI. 5. cujus non est terminus in bonitate, quoniam *misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Quia *fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Quia *deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis: & divites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula.* Luc. I. 50. &c.

Sub hoc versuum denario meum constituitur psalterium decachordum: placet imitari Patrem meum A David Regem, qui post necem Goliadis Domino victoriarum non ingratus: *Deus*, inquit, *canticum novum cantabo tibi, in psalterio decachordo psallam tibi.* Ps. CXLIII. 9. *Bonum* sanè *est confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime, in decachordo psalterio, cum cantico, & cithara.* Psal. XCI. 2. 4. Dividitur hoc psalterium in duos Tomos, seu Partitiones, quæ ex tetrachordo, & exachordo reddunt decachordum. Sonat magnifica Domini spem alia in tetrachordo; porrò magnifica communiter largita cantantur in hexachordo.

Magnificat igitur *anima mea Dominum*, quia me Dominam constituit secundùm nomen meum. Maria nempè sua interpretatione, *Dominam* insinuat. B Futurum est prætereà ut me Dominam non qualemcunque, sed Dominam mundi, Dominam *beatam me dicent omnes generationes. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* Ps. XCIX. 3. Deus autem scientiarum Dominus est, scientiæ verò, inquam, quæ illuminat, quæ descendit à Patre luminum, propterea consequens fuerit, ut Dominam me Dominus instituens illuminaret, secundùm nomen sanctum suum, & meum. Maria quippe dicitur *illuminata* & ipse est *lux*, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. I. 9. quantò ampliori perfundit lumine Dominam mundi.

Proindè super est, ut *Domina illuminata* refundat lumen in ceteros. Est enim lumen sui ipsius naturali liberalitate diffusivum, quod factum est, ut jure dicerer *illuminatrix.* Sic enim sonat Mariæ proprium nomen meum. Sic Maria per ethymologiam dicor *maris stella*, quam illuminatricem esse constat. Hæc illa sum, quæ proxima Deo cardini totius machinæ C mundi, dirigo navigantes in civitatem, quoniam non habent hìc manentem civitatem, sed futuram inquirunt homines. Et qui homines? Certe viatores procellis hujus maris magni graviter impulsi. Futurum est per omnes generationes, ut me *stellam* esse *maris* prædicent, me respiciant, cursus suos ad illustrationem meam dirigant. Nec fallentur hæc agentes, nec errabunt in deviis, nec in periculis contabescent. Itaque Domino propitio me *Dominam* invocantes, me *illuminatam*, & *illuminatricem* aspicientes, patriæ portum salutarem introibunt.

Hæc sunt quæ *magnificat*, magnum prædicat, magnum esse apud omnes generationes clarificat, & significat *anima mea Dominum.*

Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, qui salutem fecit, qui lucem dedit, & gaudium in universo mundo. Futurum certè est, ut decantet omnis Ecclesia sanctorum colentium Sanctum nomen Dei: *Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo gaudium annunciavit universo mundo.* Salutabit etiam, & di- D cet:

Ave Regina cœlorum,
Ave Domina Angelorum,
Ave radix sancta,
Ex qua mundo lux est orta.

Presignata sunt pridem hæc magna quæ mihi fecit qui potens est, quæ jam nunciata per Angelum completa conservo conferens in corde meo. Nonne cor meum ardens esse convenit? Nonne cantans, jubilans, & exultans in collatione tam magnorum?

Non-

Nonne justissima ratione *Magnificat anima mea Dominum*, qui me sublimavit in Dominam, qui me illustravit per immensam lucem suam, qui Dominam illuminatam dedit in lumen aliorum, dum extulit me in sublimem maris stellam directricem navigantium. Cupient ex posteris generationibus, me beatam dicentibus, plurimi cognoscere, cur non cecinerim in prima persona. Magnifico Dominum, sed in tertia. *Magnificat anima mea Dominum.* Similiter de exultatione *Spiritus in Deo salutari meo?* Docebuntur ex Theologicis, & Philosophicis traditionibus cum Rhetoricis coloribus, magnam super istis rationem, sed non expectent, ut omnia (quià incomprehensibilia sunt) comprehendant.

Sunt in humano corde meo (quod confert de omnibus) tres per Tropologiam mansiones. Dominum imitor Patrem meum, in cujus *domo mansiones multæ sunt.* Joan. XIV. 2. Trahit enim propriè Dominus nomen à *domo*, quia præsidens, & princeps, aut primus, & œconomus in domo est. Domina quoque similiter *à domo*, quia principalis cum Domino, nomen habet. *O Israel*, clamat Propheta, *quàm magna est domus Domini, & ingens locus possessionis ejus.* Baruch. III. 4. Gerit hujus magnæ domus imaginem microcosmus homo, minor mundus. Eminet in hac domo cor: & in corde domicilium tricameratum, seu triclinium reperitur. Est inhabitator hujus triclinii animus; hic appellatur vigor perceptivus seu cognitivus. Consociatur huic anima, quæ correspondenter dicitur vis motiva, vel affectiva. Fit indè conjugium Philosophicum, & morale, seu mysticum, dùm vigor perceptivus animi, vel animus, dirigit vim motivam animæ. Talis subindè resultat maritalis nexus, ut neutrum istorum per se sufficiat ad generationem prolis vel filiorum, in bonis operibus, & meritis; non aliter quàm generatio naturalis, vel à viro separatim, vel à femina sola perfici nequit. Excludo miraculum, quale fecit mihi, & in me, qui potens est. Dum supervenit in me Spiritus sanctus, & virtus Altissimi obumbravit mihi, quin tunc primò Deus *suscepit Israël puerum suum recordatus misericordiæ suæ*, dum *verbum* fuit *caro factum.*

Habitant igitur in triclinio cordis animus, & anima, vir & uxor sua, vigor perceptivus & vis motiva, vigor cognitivus & vis activa. Talem domum cordis, tales & inhabitantes in ea Pater meus David Rex intellexerat, dicens: *Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ.* Ps. C. 2. Et iterùm: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam*, ℣. 7. quia tunc dominaretur omnis injustitia, tunc fieret spelunca latronum domus Dei.

Porrò nondum diximus de spiritu; nunquid putandus est in domo cordis intima locum non habere? Habet profectò non qualemcunque, sed universum, quo meretur Architriclinus nominari quasi princeps triclinii. Hic alio nomine notiori & proprio sub neutro genere (quia nullius est generis) vocatur *Liberum Arbitrium*, penes quod suprema potestas est. Nec mirandum: conveniunt nempè ad integritatem potestatis suæ animus & anima, vir & uxor familias, vigor perceptivus, & vis affectiva. Viderunt hanc connexionem acutissimi Metaphysici, nominum primi impositores: definierunt *arbitrium esse facultatem rationis & voluntatis*, quasi per interpretationem *Liberum Arbitrium* sit *liberum de ratione judicium.* Vocatur hîc ipsa ratio (quamvis alio termino) vigor cognitivus, qui est animus perceptivus. Voluntas autem est motiva vis in anima, quæ utitur ratione quæ per eam in motibus propriis dirigitur; si velit jure dici Domina, si Regina in cordis domo, & intimo Regno magno principari. *Regnum* si quidem *Dei intra* nos *est*, Luc. XVII. 2. ubi sub Domino supremo Deo regnat spiritus per deiformitatem decorem indutus. Alioquin deponitur de sede dignitatis suæ, & dispergitur superbus *mente cordis sui.* Quo contra spiritus cum animo; & anima benè regulatus, & actus, exultat in Deo salutari suo.

Colligitur hoc loco resultans imago, & similitudo beatissimæ Trinitatis, & appropriatorum suorum. Spiritus Architriclinus, & œconemus potentiam Patris, & primævitatem retinet. Porrò Filii sapientia relucet in vigore animi perceptivo. Motivitas verò sancti Spiritus in animi vi motiva præsentatur.

Et quoniam in paucioribus via magis patet, constituamus totam domum microcosmi, seu minoris mundi, in corde præsidentis in domo. Dicamus animum & animam, virum & uxorem; sponsum & sponsam; quorum sæpè vox est eadem, sicut idem est non corpus, sed anima & animus. Præficitur huic domui, & universæ familiæ cogitationum, affectionum spiritus deiformis, vice Sancti Spiritus, factus idem cum eo: nam *qui adhæret Deo unus spiritus est.* I Cor. VI. 17. & hæc emphatica, non essentialis locutio, quâ fit, ut abstractum ponatur pro concreto, Deus pro divino, & pro spirituali spiritus, ut fiat vehementior expressio.

Superest sermo de triplici modo conjugii mystici, quod celebratur cum animo & anima, juxtà triplex habitaculum in triclinio cordis domus cordis. Diversificatur nempè conditio animæ pro varietate habitaculorum cordis: unum est infimum; aliud medium; tertium supremum. Anima tanquam ancilla est in infimo. Anima quasi socia, & libera, & compar residet in medio; sed animæ in supremo locatæ non dominatur, non jungitur animus vir ipsi sic habitanti tanquàm ancillæ, vel compari, sed ut Dominæ suæ custos ordinatus, & in solatium datus. Ego Maria talis data sum in sponsam virginali meo viro justo Joseph; non ut me humiliaret, non ut parerem ex eo, sed ut custos, & testis, & nutritius sedulus esset. Peperit Elizabeth uxor libera, quamquàm sterilis, ex viro Zacharia, tamquàm in medio cenaculo. Pepererunt ancillæ Jacob, per mysterium, Bala & Zelpha, prolem in inferiori cenaculo cum liberarum Liæ & Rachel filiis numeratam. Loquens introducitur anima in Canticis Canticorum, dum residet in superiori cenaculo, dum vult esse Verbigena, non ex virili semine naturalis animi, sed mystico spiramine solius Spiritus sancti, qui est spiritus Verbi divini. Vox ejus est: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. I. I. Et paulo post. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Non quærit infimum, non medium, sed supremum in meridie æternitatis, ubi cubiculum, ubi & cenaculum est refectionis cibi, qui non perit, locus pascuæ, ubi nihil deerit. Erat anima mea secundùm meliorem sui portionem, quæ ab imminentia *mens* dicitur, conclusa in hoc superiori cenaculo, quando *fecit mihi magna qui potens est.* Complacet, Domine Deus meus Rex universæ creaturæ tuæ; complacet recordari, & conferre in toto corde meo supra, sub, & in medio, qualia, & quanta fuerunt magna quæ fecit mihi magnificatus vehementer, & gloriosè.

Missus est Angelus tuus *Gabriel in civitatem Galilea*, Luc. I. 26. quæ *transmigratio*, quæ *volubilis*, quæ *rota* per interpretationem significatur, propter volubilem ad jussa tua promptitudinem. Porrò nomen civitatis ab unitate, quasi *civium unitas.* Nazareth autem à *floritione* nuncupatur. Jure quidem, quià *flos campi* in ipsa nutritus est. Eram desponsata viro, verè sic dicto *a viribus, & virtute*, verè nominato Joseph ab *augmento*; verè de domo David à *nobilitate & mansuetudine.* Erat virgini mihi nomen Maria. Non eram à viro cognita, vel cognoscenda. Votum obstabat, simul & ordo divinæ sapientiæ constitutus ab æterno. Salutavit ingressus Angelus ad me solitariam clauso literali, & spirituali cubiculo Dixit: *Ave gratia plena Dominus tecum.* Luc. I. 28. Collocaveram ad ostium cu-

cujuslibet cenaculi, prudentem, pro ostiaria, cognitionem. Hæc ut audivit Angelicam salutationem, stetit, & cogitabat secùm, & mecùm, qualis esset illa salutatio; non erat præceps ejus consilium, non subditus ad quemlibet ingredientem, & blandientem applausus. Me turbatam consolatus est Angelus me nomine meo vocans: *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti gratiam apud Deum*. ℣. 30. Gratias Deo, quòd inveni, quia inveni quem multùm, diùque quæsiveram. Promisit me concepturam, parituramque Filium Jesum nomine, qui esset *magnus*, & *Filius Altissimi* vocaretur. Promisit daturum illi Deum *sedem David Patris ejus*. Promisit, quià regnaret *in domo Jacob in æternum, & regni ejus non* esset *finis*. ℣. 32. 33. Erat itaque regnum illud non terrenum, quod utique finitur, sed cœleste. Falluntur ergo Judæi Messiam expectantes (nescio quem) temporaliter apud eos regnaturum cum potentia, pompaque sæculari, cùm de paupertate regnaturi Messiæ, de Passione, & abjectione sua Prophetiæ omnes ad tempora Messiæ respicientes impletæ sint. Quæsivi modum ab Angelo, docuit, & exemplum Elizabeth cognatæ sterilis induxit. Consensi dicens: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. ℣. 38. Junxi cum humilitate naturæ magnanimitatem Fidei, & gratiæ. Concepi mox Filium Altissimi. Mulier à sexu, non à corruptione sic dicta, virum mox circumdedi, quià totum in virtute perfectum. Prædixerat hoc Jeremias Cap. XXXI. 22. *Faciet novum Dominus super terram, mulier circumdabit virum*.

Fuit hæc conceptio mirabilis in infimo cenaculo animæ meæ, immò sub ea in parte vegetativa, nutritiva, & generativa. Hanc *humilitatem ancillæ suæ respexit* in carne mea Deus. Nam matrice feminea quid humiliùs? Mirabatur olim, & nunc lætabitur, & lætata cantabit Deo salutari meo omnis Ecclesia Sanctorum: *Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum*. Beata prorsùs, & dignativa susceptio, undè me Matrem Dei, Matrem gratiæ, Matrem misericordiæ, me *beatam* denique *dicent omnes generationes*. Undè collaudabunt, quod *extollens quædam mulier de turba vocem dixit: Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti*. Luc. XI. 27. Sed non horruit planè. Conceptio nempe priùs effecta est in superiori cenaculo cordis per virtutem gratiæ seminalis, quæ virginalem animæ meæ portiunculam elevavit divinitùs, ut esset Mater Verbi per dignativam susceptionem priùs in mente, quàm in carne. Tunc tenebræ cognitionis nostræ moralis lucem non tàm comprehenderunt, quàm apprehenderunt. Nihil enim aliud ab ipso plenè comprehendit ipsum, nisi idipsum. Tunc *dedit* omnibus *quotquot receperunt eum potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*; Joan. I. 12. dùm nos divinitatis suæ participes esse tribuit. Felix Joannes generis nostri lux, & decus; felix qui missus es *à Deo, ut testimonium* perhiberes *de lumine*: non quia lux eras, sed quià testis de lumine. Felix Annunciatio tua, quæ in Templo, quæ ad dexteram altaris incensi, quæ orante universo populo, quæ per Gabrielem, quæ cum prophetatione futuri meriti, quæ cum similitudine ad Eliam repromissa, fuit celebrata.

Grata mihi erit recordatio temporis illius, quando de Nazareth, licentiâ receptâ à virginali sponso, à justo Joseph, abii *in montana cum festinatione*. Intravi *in domum Zachariæ*, salutavi *Elizabeth*, exclamavit salutata: *Et unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. I. 43. Causam addidit cognitionis, exultationem infantis in utero. Subjecit: *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino*. ℣. 45. Magnifici nempè proprietas, est consummare quod incœpit, & certè *Dei perfecta sunt opera*. Deut. XXXII. 4. Subdidi protinùs ipsum, ore proprio, quod diu mente priùs tractaveram canticum novum in jubilo: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*. ℣. 46. 47. Movebat Spiritus sanctus, spiritus benedicti fructus ventris mei totum cor meum, ut in anima, & in spiritu, cum exultatione magnificaret Dominum. Dederat jam cognoscere posteriorem decursum per omnes generationes sæculorum, quantùm judicavit talis Filius illustrare talem Matrem pro beneplacito voluntatis suæ. Hinc ista prænunciatio Prophetica: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*. ℣. 48.

Junguntur aliæ postmodùm in hexachordo psalterii de misericordia Dei, *in progenie & progenies* cum reliquis. At verò delectat plurimùm conferre in corde meo super istis nominibus, *Dominum*, & *Deo salutari meo*. Æstimaverunt perscrutatores sæculi, quòd propter relationem actualem ad creaturas Deus ab æterno dictus fuerat Dominus. Sed si universa creatura conveniret in unum; posset exprimere vocem supplicem Patris mei David: *Conserva me: Domine; quoniam speravi in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Ps. XV. I. Deus, itaque, sicut fuit ab æterno sine creaturis Deus; ita dici potest fuisse Dominus, non per actualem, sed per aptitudinalem creaturarum possibilium ad se relationem. Deus enim plenissimo, & liberrimo jure dominatur suæ creaturæ, sive sit, sive non sit. Potest enim, si vult, educere in esse non existentes, & rursùs eas in nihilum redigere quæ jam existunt, cui nulla potest creatura dicere, cur ita facis? Qualis esset hæc in Domino majestas, id est, *magnitudinis status*, si ad sui magnitudinem Deus creaturis existentibus indigeret? Vidit anima mea, in arce posita domus cordis mei magnificum nimis, & immensum dominium Domini Dei. Cecinit idcircò per jubilum: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. I. 46. Excitaveram per Psalmistæ vocem crebriùs, eam. *Benedic, anima mea, Dominum, & omnia, quæ intrà me sunt nomini sancto ejus*, quià *sanctum nomen ejus*. Ps. CII. I. Considerabam quià nihil accreverat sibi, sed creaturis ex earum productione. *Nulla est* apud eum *transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*. Jacob. I. 17. Semper est qui est, semper qui potens est. Et hoc est primum *sanctum nomen ejus*. *Qui est*, inquit Moyses, *misit me ad vos*. Exod. III. 14. Addidit *spiritus meus*: Exultare poterat pro omni laude; satis est Deum nominare Deum, quoniam majus eo cogitari non potest. Addidit ad expressionem, usitatissimo more totius Scripturæ, maximè Psalmorum: *In Deo salutari meo*.

Prolixior nimis esset sermo, si mysterium contentum in verbis istis, *Domino Deo salutari meo*, quæreret exprimere. Mysterium siquidem beatissimæ Trinitatis cum appropriatis Personarum continetur his terminis; *Dominus Deus salutaris meus*, simul & habitudo creaturæ intellectualis ad ipsam Trinitatem. Capax enim ejus est sola, & per beatitudinem particeps ipsius, id est, *perfectè capax* esse potest. Spectat *Dominus* ad potentiam adjuvativam actu, vel aptitudine. Spectat *Deus* ad sapientiam provisivam. Spectat *salutaris* & *meus* ad bonitatem reductivam. Comparatur omnis creatura, quantumcunque tenuis entitatis, ad ista tria undè sortitur unitatem, veritatem, & bonitatem aliquam, suo modo, per analogiam ad primum ens, unum, verum, bonum. Sortitur modum, speciem, & ordinem. Sortitur denique mensuram, numerum, & pondus. Reddantur singula singulis.

Porrò creatura intellectualis longè altiori, & diviniori proximiorique modo dignitatem, potentiam, sapientiam, & benevolentiam divinas imitatur. Dicebatur nunc ratio, quià trium istorum capax est. Et quomodò capax? Certè per memoriam, cognitionem, & amorem. Denique per influentiam gratuitam perfectè capax,

pax, hoc est, *particeps* esse potest. Nulla siquidem alia creatura comparatur ad Deum, sicut ad objectum cognoscibile, amabile & memorabile, præter intellectualem.

Sola igitur scit, & potest, si vult, magnificare Creatorem omnium ut Dominum suum, ut Deum suum, ut salutare suum, & ità suum, ut semel habitum, & possessum, nunquàm perdere possit in vita. Fuit in me specialis ratio, cur appellaretur *Salutaris meus*, quod est, *Jesus meus*, propter maternalem prærogativam, secundùm quam voluit etiam dici Filius meus, immò & subditus esse meus. O Deus altissime, quis, qualis, quanta majestas, quantæ humilitatis! Sed minuit admirationem, dum venit ad peccatores servus esse, *opprobrium hominum*, & *abjectio plebis* Ps. xxi. 7. usque ad mortem crucis. Datur hic documentum quatenùs ad hæc nomina, *Dominus*, *Deus meus*, anima, vel spiritus semper assurgat in timorem sanctum, propter majestatis Dominium; in honorem pium, propter sapientiæ decus eximium, quæ sua dignitate trahit, & allicit; denique in amorem sincerum, propter possessionis beneficium. Etenim plus amamus quæ nostra sunt. Nomen verò *Salutaris*, & *Salutis* complectitur hæc tria, quià replet indigentiam irascibilis, quæ tendit in arduum; rationalis, quæ tendit in honestum, & pulchrum, & verum; necnon concupiscibilis, quæ se jungit, & intimat ad bonum consummativum, & unitivum, umbris derelictis. Quo fit, ut turpiora judicet, & horreat recta ratio, quæ magis eam ab honestatis nobilitate, & libertatis sede dejiciunt, sicut luxuria, & gula. Pulcherrima proindè virginitas nuncupatur.

Trahitur hæc altissima, & prorsùs jugiter ruminanda consideratio ex ipsis naturæ proprietatibus. Natura quippè filia Dei Patrem imitatur. Concluserunt Philosophi cultores sui, quòd non potest inveniri, nisi triplex ratio boni, *utilis scilicet, delectabilis, & honesti*. Rursùm triplex hæc ratio tota non reperitur in aliis, quàm intellectualibus creaturis, & hoc adverterunt pauci nimis. Creaturæ inanimatæ tendunt in solùm conveniens eis, & utile, absque delectabili, scilicet ad loca sua, pro conservatione; vel, actiones ad pro sui multiplicatione, ne species deficiat. Creaturæ sensitivæ tendunt ultrà bonum suum utile ad delectabile, sed non ad honestum. Creaturæ intellectuales tendunt sub hac ratione triplici ad objecta sua, maximè ad honestum; verum siquidem, si rectæ sunt, aut solùm apparens, si perversæ: est enim singularis & eminens proprietas animæ rationalis, ut appetentissima sit honestatis. Sunt in animalibus, & avibus, quædam simulachra concupiti honoris, quia pugnant ut vincant; sed radix est non honestum bonum, sed utile, ut pro nidis, vel deliciosum pro cibis, & prolificatione: similiter & brutalibus hominibus, qui comparati sunt *jumentis insipientibus*, Ps. xlviii. 13. *quibus non est intellectus* Ps. xxxi. 9.

Nonne magnificus, nonne potens Dominus sic magnificans, & extollens animam, & spiritum rationalem, sic per hoc triplex bonum replens, si non repleverit omne in bonis desiderium; scilicet quæ repletio beatitudinis est consummatæ fundamentum? *Magnificate* igitur *mecum Dominum*, ô filii hominum, *& exaltemus nomen ejus in idipsum*. Ps. xxxiii. 4. Canant omnes, & dicant singuli mecum: *Magnificat anima mea Dominum*. Luc. 1. 46. Itaque *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime. In decachordo psalterio cum cantico in cithara*. Ps. xci. 2. 4. Omnipotens Pater tuus (ô spiritualis anima) qui possedit, fecit, & creavit te, noluit te derelinquere sine musica delectatione: voluit in primis te in Canticis exerceri. Nutriunt hæc amorem sanctum, quia spiritum exhilarant, delectant mentem, & lætificant, oblectant animam. Totum proindè cordis triclinium gaudio replent in voce exultationis, & salutis. Completur ille decachordi psalterii David Patris mei finis in unum. *Omnis spiritus laudet Dominum.* Ps. cl. 6. Spiritus (ut diximus) est Architriclinus cordis, princeps cordis. Oeconomus domus suæ vocatur ex naturæ suæ proprietate, *Liberum arbitrium*, aut spiritus liber arbitrio. Consurgit potestas ejus ex animo & anima, viro & uxore, modis expositis. Non enim esset spiritus liber, si sola sibi potestas esset perceptiva, non etiam motiva; neque si potestatem haberet movendi se, non etiam cognoscendi se, spiritus libertate polleret. Et quoniam potestas utraque sibi convenit, facultas *a facilitate* dicitur illa potestas. Sic enim duo simul convenientes ad tractum navis facultatem sortiuntur quam non habet quisque per se sumptus. Sic ad scribendum concurrunt oculus visione sua dirigens, & manus digitorum motu scribens; alioquin non esset facultas, hoc est, *facilitas* in formatione literarum.

Hoc planè cognito, memoriterque retento, fiat adaptatio finalis, quomodò concurrat psalterium cum cantico, & cithara. Dicat igitur ipse spiritus: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Ps. lvi. 9. Sonet psalterium ab alto; fidiculas habet ex auro, vel auricalco: dat spiritus deiformis, & animæ, dùm resident in excelso cordis habitaculo tanquàm in arce Sion, quæ est apex mentis; dat, inquam, psalterium; dat idem spiritus animo & animæ, dum manent in infimo tabernaculo, citharam quæ ex imo sonat, quæ ex corio desiccato, & tenso, cum chordulis nervorum tortis texta est, in signum mortificatæ carnis. Subindè canticum commemoratum inter psalterium & citharam dat spiritus animo & animæ, sponso & sponsæ, dum medium locum mystici cordis tenent. In primo sola æternitas. In secundo æviternitas. In tertio materialitas inspicitur. Veniat ætas quando *pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia*, Dan. xii. 4. quando sapientia abscondita in mysterio copiosiùs elucescet. Multa enim habeo super istis dicere, quæ modò portare non potest unusquisque. Exurgat cum diluculò spiritus exhilaratus & *psalterio decachordo cum cantico in cithara.* Exurgat in gloria sua, exurgat diluculò, dum aurora lucis per gratiam rutilat, dum *hiems* infidelitatis *transiit*, *imber* carnalis sensus *abiit & recessit*, trahens deorsùm, lumenque conglutinans; *flores* sanctorum desideriorum pulcherrimi, & vernantes *apparuerunt in terra*, quæ priùs mortis, & aliena facta est vitæ, & nostra. *Tempus putationis* palmitum minùs utilium *advenit. Vox turturis* casti gemitus, suavisque planctus, *audita est in terra nostra*, quæ à vitiis derelicta deserta est; sed virtutibus speciosa pinguescens, & uberrima *ficus*, quæ (sicut vitis & oliva noluit deserere dulcedinem sui fructus, ut regnaret inter sterilia ligna sæculi) *protulit grossos suos, vineæ florentes* sub unica vite, quæ est æterna sapientia, & sub agricola Patre *odorem dederunt*, Cant. ii. 8. 9. 10. 11. 12. *Bovis in vitam*, sed *malis est odor mortis*. 2. Cor. ii. 16. Quid superest, nisi ut *vox* spiritus deiformis imaginem habens dilecti nunc audiatur, & dicat ad animam, quocumque fuerit habitaculo collocata: *Surge, propera, amica mea, immaculata mea, & veni; columba mea.* Cant. ii. 10. *Columba*, prout manet in inferiori, *immaculata*, prout tenet superius, *amica*, prout residet in medio. Audiatur sequens exhortatio: *Ostende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* ℣. 16. Quidni respondeat amica deliciis plena: *Dilectus meus mihi* suavis est, pulcher, & decorus, *& ego illi*, ℣. 16. quià *deliciæ* suæ *esse cum filiis hominum?* Prov. viii. 31. Nam si delectabitur Deus in operibus suis; quantò putandus est ampliùs delectari in humana natura quam possidet in filiam, & heredem gratissimam, quam fecit in imagine pulcherrimam, quam creavit in facultate liberi arbitrii sub se potentissimam. Siquidem ex ipso creata est in essentia

tia immortalis: per ipsum facta, seu formata est, vigore perceptivæ intellectualis. In ipso possessa est in vi affectiva seu dilectiva, dum ad suum principium redit circulariter perfectibilis.

Laudavit in psalterio *anima mea Dominum* sub duplici chordula. Prima in exultatione spiritus: *In Deo salutari meo.* Rapta quippe sum in cordis arcem: etiam in spiritu, immò & extrà spiritum; exemplo Reginæ Sabæ, quæ ad aspectum sapientiæ Salomonis in ordinatis operibus suis non habebat ultrà spiritum. Et certè *plus quam Salomon hic.* Luc. XI. 31. Psallit hinc Propheta David Pater meus. Ps. XCI. 6. *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua*; immò *elevata est magnificentia tua super cœlos.* Ps. VIII. 2. & terram. Hic est, in cujus salutari deficit anima mea, Domine Deus meus. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum.* Ps. CXVIII. 123. Mirabi- lis prorsùs, sed felix hæc defectio.

Laudavit in cithara *anima mea Dominum*, magnificans eum, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Luc. I. 48. mortalitatem in me suscipiens naturæ.

Laudavit in cantico *anima mea Dominum* per universos modulos, qui sequuntur in hexachordo. Gratia cum Elizabeth, quæ *Dei saturitas* interpretatur, sicut & Zacharias *Dei memoria.* Hæc de filiabus Aaron in Lege, Prophetis, & Psalmis eruditissima, vetus mulier, & nova Mater; sed in antiquis est sapientia, maximè dum partus Joannis, id est, boni operis, in quo gratia, comitatur.

Laudavit hæc Elizabeth Dominum, exclamans voce magna in Cantico oris. Senserat enim ex Joannis prægaudio, & exultatione Domini præsentiam in me, Canticum incœpit à me: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus* &c. *Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. I. 42. 43. Erat Zacharias sapientissimus, quia Sacerdos Dei Altissimi; perdiderat pro signo usum vocis, quam nata vox clamantis Dei postmodùm, mox ut nomen scripsit, restituit. Contuleramus plumina spatio Mensium trium Elizabeth & ego, verbis illi, nutibus & signis. Protinùs ut solutum est vinculum linguæ ejus, collaudavit Dominum diluculò nascentis auroræ per gratiam rorifluæ. Canticum ejus fuit sub triplici tetrachordo, & personuit ter nomen salutis. Et quid salus, nisi Jesus? Quid salus, nisi virtus replens totam indigentiam sui passi? Quid hæc salutaris repletio in hominibus, nisi beatificatio? Quid hæc beatificatio, nisi benedicta visitatio? De qua Job. Cap. X. 12. *Et visitatio tua custodivit spiritum meum. Benedictus* igitur *Dominus Deus, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ. Et exaltavit cornu salutis nobis.* Luc. I. 68. 69. Sed ubi *exaltavit cornu salutis*, hoc est, potentiam salutarem? Subdit: *In domo David pueri sui.* Possem per singulos modulos concordare triplex hoc tetrachordum Zachariæ in duodecim versiculis cum meo psalterio decachordo. Dixit salutem à Domino factam *in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum* &c. ℣. 70. Consonat ultimis psalterii mei versiculis: *Suscepit Israel puerum suum. Sicut locutus est ad Patres nostros.* ℣. 54. 55. Dixit *salutem ex inimicis* futuram, & plebem humilem Deo servituram: *In sanctitate, & justitia coram ipso.* ℣. 75. Totam hanc sententiam meum personuit hexachordum, colloquens, & alloquens puerum, cum quo jam *erit manus Domini.* Luc. I. 66. *Præibis*, inquit, *antè faciem Domini, ad dandam scientiam*, non qualemcunque, sed *salutis.* ℣. 76. 77. Ecce tertiò jam dicta salus. Indè est quòd revelavit Angelus charissimo, virginali, & justo viro meo Joseph de benedicto Jesu sancto meo: *vocabis nomen ejus Jesum.* ℣. 31. Causam addidit: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Matth. I. 21.

Prætereundum nunquid est Canticum Angelorum: immò magis eò commemorandum, quò *subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis* quasi chorum ducens. Præmisit hic chorus castrorum psalterium inchoans à summo: *Gloria in excelsis Deo*, junxit citharam cum psalterio, *& in terra pax* &c. Luc. II. 14. Vox ipsorum laudantium Deum nonne canticum est?

Nonne similiter est Canticum in ipsa tam multiplici, & sedula pastorum laude? *Reversi sunt glorificantes & laudantes Deum.* ℣. 20. Silemus pastorales ad
A literam fistulas, tympanum, & chorum, chordas, & organum, tibias, & cymbala. Plus anagogia nos delectat.

Nec incommemoratus abibis, ô Simeon juste, pie, longanimis, timorate! Tu veniens *in spiritu in Templum*, dum induceremus ego, & Pater ejus, puerum Jesum cum oblationibus Hostiarum, cum redemptione quinque siclorum, tu puerum in ulnas suscipiens & gratias agens cecinisti: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt* &c. ℣. 29. 30. Sufficere potuerat pro summa laudis & gloriæ verbum hoc satis unicum quod expressisti. *Lumen ad revelationem Gentium.* Contulisti mecum de susceptione Israël pueri sui, vocans ipsum salutare, *gloriam plebis suæ Israel.* ℣. 32.

Exhilaresce nunc Rex & Pater meus David, Psaltes Domini. Compleri sentis, & intelligis exhortationes tuas totiens in psalmis positas, iterùm iterùmque repetitas. *Cantate Domino canticum novum.* Ps.
B XCV. 1. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara, exurgam diluculo.* Ps. LVI. 9. Habet aliquid diluculum istud mysterii, etiam intellectum litteraliter. Dixit David alio loco me significans: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Adjuvabit eam Deus mane diluculo.* Ps. XLV. 5. 6. Dedit & titulum psalmo illi, cujus initium fuit verbum in cruce Filii mei: *Deus Deus meus ut quid me dereliquisti.* Matth. XXVII. 47. Dedit, inquam, titulum *Pro susceptione matutina.* Petit in Canticis Sponsa Sponsum. *Manè surgamus ad vineas*, Cant. VII. 12. quando scilicet *aspiret dies* æternitatis: & *inclinentur umbræ* mortis hujus. *Cap.* II. 7.

Rursùs inter tot opera Dei facta commemoratio specialis est per Prophetam diluculi: *Tu fabricatus es*, inquit, *auroram, & solem.* Ps. LXXIII. 16. Et sanè quid aurora pulchrius? Quid jocundius? Quid salubrius? Ad homines venit in susceptione matutina ros lucis,
C ros refrigerans, ros fœcundans. Rorat desuper juxtà votum Prophetæ: *Rorate cœli desuper.* Isa. XLV. 8. Indè Dominus ait: *Ego ros, & Israël quasi lilium germinabit.* Osee. XIV. 6. Hoc rore perfusa concepi societatis fructum; hoc rore mens impleta instar testæ ovi rore pleni, trahitur à radiis solis in excelsum. Citharizant in auroræ diluculo, psallunt, jubilant alacriter volucres spirituales. Sunt *exultationes Dei in gutture eorum*, Ps. CXLIX. 6. quibus excitatus omnis spiritus exurgit diluculò laudare Dominum. Causat hæc omnia sol oriens nondum visus. Sol, in quo *posuit Dominus tabernaculum suum*, Ps. XVIII. 6. quià nihil in rebus sensu perceptibilibus efficacius manuducit ad Deum, & insensibili comparatur. Sunt ista in sole, *lux, vigor, fulgor, fervor,* sub syllabis explicata septem. *Lux* eminenter continet hæc tria, quæ sunt proprietates ejus, *vigor, fulgor, fervor. Vigor*, quasi fœcundus plena luce, continet eminenter fulgorem. *Vigor, & fulgor* continent eminenter fervorem, & ibi status cum cir-
D culo quodam. *Fulgor & fervor* redeunt ad vigorem essentiali luce plenum, seu fœcundum, velut ad parentem. Conformiter in divinis: essentia divina communis tribus Personis continet eminenter ipsas cum omnibus perfectionibus simpliciter, non tamen formaliter, etiam secundùm ponentes in divinis formales perfectiones. Pater, fontalis est plenitudo divinæ essentiæ, potens generare Filium, sicut vigor lucis fulgorem suum: Pater & Filius, sunt sufficiens principium Spiritus sancti, sicut vigor, & fulgor, sunt principium fervoris, & ibi status; quià, Filius per acceptam vim spirativam reddit se, & Spiritum sanctum Patri.

Transeamus ad imaginem spiritus humani: dicamus

ip-

ipsum esse lucem, sicut verè est lux; & eo perfectior, quò meminit, intelligit, & diligit, seque super se reflectit; quia se percipit, quia se movet dum percipit, & percipit dum se movet circumincessione mirabili. Essentia spiritus continet eminenter vigorem memoriæ fœcundæ, & hic continet eminenter fulgorem intelligentiæ. Duo autem hæc, vigor memoriæ, & fulgor intelligentiæ, continent evidenter fervorem amicitiæ: & hic est status; quia reflexio fit ad fontale principium, dummodò redit finis ad principium per medium, quia, si lineæ tres rectæ sunt, quælibet de puncto ad punctum, secundùm originem, resultat triangulus intelligibilis. Sed quia finis redit ad suum principium per medium, necesse est intelligi sphæram, aut circulum.

Qui potest puro, vivaci, & irreverberato spiritùs oculo considerare quæ diximus de Architriclino, vel œconomo cordis nostri, poterit in se, & per se, tanquàm in speculo, & perspeculum, cognoscere se in se, & per se; poterit consequenter rapi à se, & supra se, ad sapientiam divinam, quæ per ignorantiam cognita est secundùm unionem super mentem. Quod si deficit in multis fidelibus hæc sapientia; sola Fides, Spes, & Charitas sufficiunt in gratiæ essentia radicatæ, & in ea virtualiter, immò supereminenter repositæ, etsi non formaliter. Oportet enim in omnibus sic fieri, ut omnia participent uno, & ad unum congregentur, secundùm varios ordines usque ad monadem divinæ essentiæ, quæ fontaliter est in Patre. Sic potentiæ animæ ad ejus essentiam. Sic habitus omnes virtutum donorum, & beatitudinum, ad unam gratiam referuntur.

Denique si contentio de tot distinctionibus secundùm formas metaphysicales sit rationalis, & quantum rationalis, seu minùs necessaria, magis ex hoc patet, si distinctio per relationes in divinis sit maxima, qualis per absoluta fingetur. Colligitur altera similitudo lucis solis ad lucem spiritùs. Lux se diffundit per medium non impeditum, secundùm totam sphæram suæ activitatis: manet tamen in se jugiter suus vigor, fulgor, & fervor. Divinus Spiritus stabilis semper in se, diffundit se per omnes creaturas, quasi centrum omnium, per illapsum, secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam; nihilominùs ambit, & præambit creaturas universas quasi circumferentia.

Rursùs ad rem nostram spiritus hominis totus est in corde carnali, sicut centrum ejus influens, & radians ad totam circumferentiam cordis. Spiritus verò non indè minùs est ambiens, & præambiens totum cor, quasi circumferentiam ejus.

Qui fixo posset hanc, & aquilino veritatem oculo spiritus intueri, profectò facilior ad omnia quæ dicta sunt de Deo, & de spiritu nostro, prospectus suus esset; sed reverberatur propter conjunctionem ad continuum, & phantasmata & ad hîc, & nunc, donec puritate mentis possit spiritus ad unitatem se colligere, & collectus stare. Sed ô *Domine* Deus, *quis habitat in tabernaculo tuo?* Quàm hoc paucorum, quàm hoc paucissimorum quod sequitur! *Aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ps. xiv. 1. O requies, ô in pace, ô in idipsum! Hæc est pax, & unitas, in qua petit dimitti Simeon in Cantico. Venit ad hoc *oriens ex alto*, dirigere *pedes nostros in viam pacis*, ut cecinit Zacharias. *Luc.* 1.78.79.

Consonat Angelicum melos dans in terra pacem *hominibus bonæ voluntatis*. Dedit similiter tangens in ultimo psalterium meum: *Suscepit Israël puerum suum*. Luc. 1.54. Quid enim susceptio, nisi *sursum acceptio* secundùm nomen suum: & quid à Deo sursùm acceptio, nisi ad se spiritualis attractio; sicut vis magnetis trahit ad se ferrum, & universaliter omnis finis finibile suum; omne appetibile appetitum proprium? Hinc Philosophicè enunciavit, non poëticè, qui dixit:

Trahit sua quemquem voluptas.

Hoc in te factum est, ô gloriose testis Stephane, quando complendo omne desiderium tuum, hoc unum petisti: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Act. vii. 58. Hoc tuum instar oloris canticum, parata morte, suavissimo gutture protulisti.

A *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1.46. *Quia fecit mihi magna qui potens est*, quando *qui creavit me, requievit*, & se univit *in tabernaculo meo*, Eccli. xxiv. 12. quando *nova facta sunt omnia* 2. Cor. v. 17. in cœlo, & in terra. Quomodò nova? Eò nimirùm, quia æternitati sunt conjuncta. Vidit hoc Psalmista sæpiùs incitans ad canticorum novitatem: *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Ps. xcvii. 1. Nunquid non omnium novitatum supereminens novitas quæ mutavit signa, innovavit mirabilia; quando *Verbum* immensum *abbreviatum* est, quando divina Majestas ita est inclinata, *ut acciperet servi formam*, quatenùs exaltaretur forma servi ad divinam? Subdit mirabilem novitatis rationem, dicens: *Salvavit sibi dextera ejus*, ℣. 2. & hoc humiles ad æternitatem exaltando. Dextera quippe pertinet ad æternitatem. Hinc est illud sponsæ: *Dextera illius amplexabitur me.* Cant. ii. 6. Et Psaltes: Ps. lxxii. 24.
B *Tenuisti manum dexteram meam, & cum gloria suscepisti me, quia dextera tua exaltavit me.* Ps. cxvii. 16. Salvationem hanc, seu salutem operatus est in me, qui *fecit mihi magna*, quæ sum terra illa, de qua *veritas orta est.* Ps. lxxxiv. 12. *Etenim Dominus* dedit *benignitatem, & terra nostra* dedit *fructum suum* benedictum, ℣. 13. dum germinavit Salvatorem. Itaque non jam mandavit tantummodò *salutes Jacob*; Ps. xliii 5. sed operatur *salutem in medio terræ.* Ps. lxxiii. 12. Dicit unicuique: *Salus tua ego sum*; Ps. xxxiv. 3. *Quoniam non est in alio salus. Neque enim datum est sub cœlo aliud nomen hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. iv. 12.

Tu propterea, ô Gabriel, dum missus es à Deo legatus ad ea quæ salutis hujus, & pacis erant à salutatione cœpisti: *Ave gratia plena Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus* Luc. 1. 28. Addidit Elizabeth cognata mea: *Et benedictus fructus ventris tui.* ℣.
C 42. Suppletum est per te, Gabriel, nomen proprium dum cogitanti mihi *qualis esset ista salutatio*, subintulisti: *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* ℣. 30. Terminat aliquorum devotio, Jesus Christus. Amen. Salus sua absque *mene* seu defectu verè fiat, hoc est, quare, qualiter, & undè *beatam me dicent omnes generationes*, quia beatitudinem salutarem fecit per me, faciens *mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus*, quod dum benè vivimus, sanctificatur in nobis. *Sanctificavit* & in me *tabernaculum suum Altissimus*, Ps. xlv. 5. quia *sanctum nomen ejus*. Hoc quoque *quod natum est* in me *sanctum*, Luc. 1. 35. *vocabitur Filius Dei* Jesus magnus per Angelum, & *Sanctus Sanctorum* per Danielem. Dan. ix. 24. *Fidelis Dominus in omnibus viis suis*, Ps. cxliv. 17. quia *omnia opera ejus in fide*, Ps. xxxii. 4. & *sanctus in omnibus operibus suis.*
D Ps. cxliv. 13. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Apoc. iv. 8. *Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua.* Taliter conservo memoriter omnia quæ salutifera sunt, conferens in corde meo. Meditans sum assiduè, & admirando deficiens, quanta sit, & qualis hæc salutatio. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Luc. 1. 48. Concinet olim mihi omnis Ecclesia Sanctorum salutiferum promens illud, atque gratissimum: *Salve Regina Mater misericordiæ.* Et iterùm:

Salve Mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium,
Verbi tamen incarnati,
Speciale majestati
Præparans hospitium.

Denique frequentiùs: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Decet profectò me Matrem salutis salutantem non insalutatum præterire. Debet obsequio-

lus amor vicissitudinem amationis recipere. Debet gratia plena, cum qua Dominus est, refundere gratiam pro gratia. Debet benedicta, benedictionem; fructifera, fructum; Domina, Regnum. *Illuminata*, simul & *illuminatrix* secundùm nomen meum, debeo cohoredibus meis illuminationem. Dabit postremò Jesus salutem indefectibilem; ad hoc etiam venit.

Contuli crebrò mecum in corde meo talia. Contuli simul cum virgineo Joseph viro meo vocans ipsum, sicut Sara Abraham, Dominum. Quærebat à me inter secreta colloquia, quomodò hæc, & hæc fierent, aut facta essent, quæ tandem in me modò completa sunt. Conservabat memoriter in simplicitate cordis sui salutationem Angelicam, quam acceperat à me; similiter & Canticum novum meum: Canticum insuper Zachariæ cum Cantico Simeonis. Cantabiles sibi erant hæ jubilationes in loco peregrinationis suæ, hæc Cantica Sion, hæc in recordationem cœlestis Jerusalem solatio sibi tradita sunt. Et quia doctissimam me noverat in psalmis, & canticis, dicebat aliquando Maria Domina mea, quia Mater Domini mei: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Cant. II. 14. Vox verò mea quid aptiùs sonaret in auribus suis quàm proprium Canticum: *Magnificat anima mea Dominum?* Luc. 1. 46.

Apparuit tandem magna Fides ejus, dum visitatus ab Angelo triste illud jussum accepit: *Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Matt. II. 13. Audierat prius ab ipso Angelo confortante se, ut me acciperet in conjugem: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Matt. 1. 20. Prædixerat me Filium parituram. Jusserat, ut vocaret nomen ejus *Jesum.* Cujus causam, & divinitatem aperiens, inquit: *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, ℣. 21. cum delens iniquitates sit Deus solus.

O quàm dissimilis hæc prænunciatio videri poterat ad istam: *Surge, & accipe puerum, & fuge in Ægyptum!* Matt. II. 13. Quàm distans ô Gabriel, nunciatio tua! *Regnabit in domo Jacob in æternum*, & ista: *Accipe puerum, & fuge in Ægyptum!* Magna Fides magnam fecit magnificentiam; utrique nostrûm cum magnanimi spe contulit, ut contra spem speraremus. Porrò totum illud septennalis peregrinationis exilium, quanta sedulitate, patientia, & longanimitate transegit cum puero Jesu, & mecum, recolat pius animus, & conferat in corde suo.

Venient generationes, quando scribet aliquorum devotio plurima super istis piè speculanda, multa Prosaïcè, quædam Heroïco carmine, cui *Josephina* nomen erit, quædam aliter, & aliter. Nonnulli de laudibus justi virginalis sponsi mei, fidissimique custodis, & testis delegati, multa suæ posteritati legenda relinquent; statuent consummationem in ipsius pretiosa morte, quâ præsentibus Filio meo, & me, pièque flentibus, appositus est ad Patres suos in senectute bona, cujus memoria in generationes sæculorum.

Scribentur deinceps certiora pro decursu temporis quo *Jesus erat incipiens quasi Annorum triginta*, Luc. III. 23. quando tota cessi in custodiam, & individuam sequelam ejus; dum per priores Annos fuerat velut occultus, & inglorius, subditus pauperculis nobis, quasi servulus, qui venerat etiam *ministrare, non ministrari*, Matth. XX. 28. in humilitatis, & summæ obedientiæ documentum. Tunc prodiens Joannes ab eremo jussus baptizare, jussus clamare, *Parate viam Domino*: Matth. III. 3. jussus annunciare primus regnum Dei, jussus prædicare *pœnitentiam in remissionem peccatorum.* Luc. III. 3. Signum proinde suscipiens: *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.* Joan. I. 33. Consensit baptizare Filium meum, servus Dominum, vox Verbum, amicus sponsi sponsum, cui refugienti cum reverenti timore Jesus subintulit: *Sine. Sic nos decet implere omnem justitiam*, Matth. III. 15. & hoc in confutationem omnis injustitiæ nostræ.

Campus ecce copiosissimus apertus est collationum mearum memoriter in corde meo; affabiliter, sæpè doctrinaliter, & devotè, cum alloquio alieno com-
A municatorum, etiam vivente Filio meo benedicto. Seduliùs autem contuli post Resurrectionem, & Ascensionem ipsius, quando (data sub cruce in filialem Discipuli illius, *quem diligebat Jesus*, Joan. XXI. 7. custodiam) mansi usque ad felicem obitum meum cum Apostolis, & Discipulis in Jerusalem, qui fuerunt illìc per Annos duodecim ad convincendum Judæorum incredulitatem. Erant enim (sicut aperuit *Medicus charissimus Lucas*, Coloss. IV. 14. secretorum conscius meorum) *omnes simul in oratione perseverantes cum mulieribus, & Maria Matre Jesu.* Act. I. 14. Tunc dato Spiritu sancto, celebris habebatur Sacri Panis Communio *in simplicitate cordis.* Ibid. II. 46. Jungebatur oratio Dominica; Symbolum conditum est, me consultâ. Hoc autem ultimum de me in Canone Scripturæ Catholicæ verbum reperitur expressum quia sum Maria Mater Jesu. Sed ô sapientissime Domine Deus salutaris meus, quanta & quàm multifaria sunt præter hæc dicta, docta, collataque, quæ si per singula scriberentur, *nec ipsum arbitror mundum capere*
B *eos qui scribendi sunt Libros.* Joan. XXI. 25. Et quoniam *finis legis* Jesus *Christus* Rom. X. 4. & hujus ego appellor Maria Mater Jesu: placet collationes aliquas de Domino Jesu meo sub fine Psalmi hujus decies decachordi notulare. Sunt viginti quatuor hujusmodi collationes.

SEQUITUR PRIMA;

QUÆ EST

NOTULA

Septuagesima septima in ordine.

DOMINUS Deus salutaris meus, Jesus meus, quem *Magnificat anima mea* cum exultatione spiritus, & ipse est finis omnis consummationis. Et est regalis distributio omnis Legis, & ornatus vel in-
C clinationis naturalis, & ordinis. Ipse *Rex Regum, & Dominus dominantium.* I. Tim. VI. 15. Dominus Deus salutaris meus non *vanè* constituit *omnes filios hominũ*, Ps. LXXXVIII. 48. minùs quàm alia opera sua subjecta sub pedibus hominis, quæ tamen facta sunt bona valdè, nec à suo fine frustrata. Dominus Deus salutaris meus constituit naturam humanam supra ceteras irrationales creaturas, ut capax esset, & particeps esse posset honestatis, quæ dicitur *honoris status, terminus boni, & finis honoris.* Est autem honor ille bonum honestum, bonum conveniens appetitui rationalis ut rationalis est. Dominus Deus salutaris meus, non est salutaris, vel salus, vel Jesus secundùm nomen suum, si non implere valeat totam indigentiam rei salvabilis secundùm omnes vires suas.

D Patet hoc ex descriptione salutis, vel salutaris, cujus finis est, ut repleat totam indigentiam patientis. Salus in rebus sensu carentibus sufficienter obtinetur, dum suo convenienti, vel utili bono conjunguntur, etiam si non delectabiliter participant illud. Patet hoc in quiete rerum sensu carentium ad loca sua, dum præterea formam sibi similem introducunt ad conservationem speciei. Salus in animalibus carentibus ratione sufficienter obtinetur, dum suo convenienti, vel utili conjunguntur, & dum illam conjunctionem percipiunt, & in perceptione delectantur, etiam si nihil participant de honesto. Patet, quia ad honestum percipiendum nequaquam con-

condita sunt. Salus in omni creatura rationali, vel intellectuali nequaquàm obtinetur, si non honesto bono suo cum perceptione conjungatur, intelligendo de salute perfecta, quæ consistit in actu, non aptitudine sola, vel habitu.

Patet, quia ad honestum bonum percipiendum actualiter formata est. Salus in hominibus constitui non potuit abutentibus ratione, Philosophis, aut aliis, præterquàm in honesto solo bono, supremo, æterno, & uno, non in divitiis utilibus, non in deliciis suavibus, non in honoribus, vel gloria temporalibus. Patet, quoniam hæc omnia si affuerint, remanet indigentia, seu vacuitas, vel inanitas non repleta in principaliori potentia rationis, quæ susceptiva est boni honesti, & illius perceptiva.

Magnificentia salutaris ad honestum capessendum propria est solius naturæ intellectualis; sola enim movetur ad honestum, vel stat in eo sub hac ratione, quòd bonum hoc, aut illud, consonat rectæ rationi, etiamsi non haberet rationem delectantis, aut utilis: honestum quippe est, quod sua vi nos trahit, & allicit dignitate. Honestum, bonum dicitur per relationem ad appetitum rationalem ut rationalis est, ordinem suum servans, retinensque naturam.

Magnificentia salutaris ad honestum fontaliter est in Deo Patre luminum, apud quem non est alia ratio cujuscunque appetibilis, vel amabilis, quàm honestas sua, omnia enim propter seipsum fecit Dominus, non propter aliud vel utile, vel delectabile, intuitu principali.

Magnificentia salutaris neque habetur, neque servatur, nisi recta ratio, quæ semper ad optima deprecatur, terminetur, aut finiatur in desiderio suo. Semper enim curva remurmurat, inquietatur, & imperfectè stat. Hoc vidit qui dixit: *Non est pax impiis.* Isaïæ LVII. 21. Et rursum: *Cor impii quasi mare fervens quod quiescere non potest.* ỷ. 20. Hinc orat Pater meus David Ps. L. 12.: *Cor* creari *mundum*; *spiritum* insuper dari *rectum*, *spiritum sanctum*, *spiritum principalem* secundùm tria, ad quæ factus est rationalis spiritus, ut rectè, sanctè, fortiter feratur in honestum.

Magnificentia salutaris variè quæsita est ab omnibus quotquot venerunt hactenùs usque ad Dominum Deum salutare meum, vel qui priùs implicitè credebant in eum. Ipse enim est qui totum hominem salvum fecit, secundùm omnes vires, qui consistens in sinu Patris annunciavit nobis de Deo, qui ad veram honestatem via est; vector, ostium, & terminus idem.

Respectio salutaris illius, qui est *excelsus Dominus & humilia respicit*, Ps. CXXXVII. 6. solam in anima rationali, ancilla sua, respicit humilitatis honestatem. Hæc speciositas animæ, hic decor, hæc pulchritudo, quæ trahit ipsum, & allicit: nec aliundè tamen ideò Jesus trahitur, quàm à se, vel allicitur; quoniam in hac humilitatis honestate quam dedit, se respicit, & diligit.

Respectio salutaris notatur à sponsa in Canticis. *Cùm esset Rex*, inquit, *in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Cant. I. 11. In nardo humili redolente accipimus honestatem. Intuitus hujus honestatis oculus est efficax, & vivus, qui penetrat, & vulnerat cor in amore.

Respectio salutaris fit in ancilla, quæ respicitur, conversa vicissitudine ad dilectum qui respicit per oculum simplicem, & rectum, de quo veritas: Matth. VI. 22. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum*, supple operationum tuarum, *erit lucidum*, & rectum. Ratio, quia & finis præstituetur bonus, & ad finem ordo rectus, non distortus per ineptitudinem, aut vitium.

Respectio salutaris multipliciter intelligitur fieri à Domino Deo salutari meo. Unus modus est in æterna prædestinatione, secundùm quam dictum est à Filio in Joanne: *Qui ex Deo est, non peccat; quia generatio Dei conservat illum.* 1. Joan. V. 18. Alius, per gratiam habitualiter gratificantem, qualis est in parvulis, & in hominibus sanctis, dum dormiunt. Tertius, est in operationibus sanctis cum perceptione divinorum charismatum, per sensum intellectus, & affectus, in una facultate liberi spiritus, in corde uno, quod est natura essentialis animæ, supereminenter

A continens memoriam, intelligentiam, & affectum. Fit hæc salutaris perceptio sæpè dum dicit homo devotus: *Ego dormio*, supple, in viribus infimis, actum non sentiens temporalium, *& cor meum vigilat*, Cant. V. 2. in somniis spectaculorum æternorum.

Beatitudo animæ rationalis dicenda per omnes generationes consistit in factione magnorum per illum, *qui potens est*: hoc autem fiet dum erit memoriæ repletio æternitatis, & pacis; erit intelligentiæ repletio veritatis, & luminis; erit volitivæ repletio dilectionis, & fruitionis.

Beatitudo animæ rationalis dicenda per omnes generationes consistit in statu, *qui est omnium bonorum aggregatione perfectus.* Hæc est definitio recta beatitudinis, quæ statim dicit in optimo, dum optima potentia optimo suo objecto imperturbabiliter conjuncta est.

Beatitudo animæ rationalis consistit in hoc, quòd

B ipsa tanquàm signum magnum in cœlo *amicta* est *sole* totius honestatis in rationali. Est *luna* totius mutabilitatis *sub pedibus ejus* in concupiscibili. Est *corona* totius perfectionis quasi *stellarum duodecim in capite* virtutis irascibilis, *Apoc.* XII. 1. quæ tendit in ardua. Denique parturit filium, qui rapitur ad thronum Dei, recturus gentiles affectiones; fit enim Verbigena, quia descendit in eam *Spiritus sanctus*, & *virtus Altissimi obumbrabit* sibi, & quid obumbratio nisi lucis effulgentia cum tenebra? Major idcircò intelligitur obumbratio, quæ sub luce clarior est obumbratio, qualis post animam Filii mei facta est mihi, sub cujus *umbra*, quam desiderabam sæpè *sedi*, Cant. II. 3. & postquàm solicitè ministraveram ei.

Beatitudo animæ rationalis, quam *fecit* magnam *qui potens est*, plùs dependet à beneplacito suæ manutenentiæ in statu finis ultimi, & honesti, quàm in vigore propriæ naturæ, vel in fulgore perceptivo, aut in appetitiva motione. Solvitur proinde faciliter quæstio, cur satan irremediabiliter corruit, dum alii

C steterunt immobiliter, quia terminum viæ datum cuilibet eorum impleverunt, hi per depositionem de sede dignitatis suæ, isti per exaltationem ex sua, dum viatores essent sub Deo, fideli humilitate, honestate, pulchritudine, formositate, speciositate, in ordinis sui conservatione.

Sanctitas nominis Dei convenit cum honestate, convenit cum salute; convenit cum humili divina respectione; convenit cum magnificentia beatitudinis ab ipso collatæ, convenit insuper cum timore Dei, cum humilium exaltatione, cum esurientium repletione in bonis: postremò cum Israël pueri Dei susceptione.

Sanctitas, & omne generaliter nomen, quod ad æternitatem significandam adaptatur, propriè propria est inter creaturas naturæ intellectuali quoad finem suæ conditionis intentum, si non ex propria malitia, & impuritate deficiat: est enim sanctitas libera ab omni contagione, puritas spontè servata. Sic sanitas suo modo, sic nobilitas, sic libertas, dicunt facultatem

D proximam, & facilem ad operationes proprias, & ordinatas, & debitas exercendas. Sic insuper pax dicitur *ordo non impeditus*, vel *ordinis tranquillitas.* Sic modestia modi status est, & bonitas boni status.

Sanctitas colligit & satiat dum salus omnium, & Sanctus Sanctorum Jesus splendor Patris in divinis, illabitur creaturæ intellectuali tanquàm species, & imago, & virtus Domini Dei sui Patris; dum enim illabitur ut species, percipitur ut pulcherrima. Quid enim est pul-

pulchritudo, nisi proportio numerosa, quæ suum perfectè repræsentat exemplatum? Porrò dum illabitur ut virtus agens per contactum medium, seu moderatum, percipitur suavitas. Natura enim, quæ tristatur in extremis, in mediis delectatur.

Postremò dum illabitur ut operatio, replens totam capacitatem, & indigentiam sui passibilis, ipsa salutem omnia complentem operatur, & fit quies. Sanctitas salutaris & beata complectitur necessariò in anima rationali, quam sanctificat, salvat, & beatificat, omne bonum, ut verificetur illud ad Moysem: *Ego ostendam tibi omne bonum*, Exod. XXXIII. 19. bonum honestum principaliter. Et ex ejus perceptione necessariò sequitur summa delectatio, propter convenientiam summam. Demùm utilitas, propter indigentiæ cujuslibet supplementum. Undè fas habet benedicere Deo, qui replet in bonis desiderium suum, concinens in exultatione spiritus in Deo salutari suo. *Magnificat anima mea Dominum*, Luc. I. 46.

GLORIA *Patri*, *& Filio*, *& Spiritui sancto.* Quoniam inspirante te, & præveniente in benedictionibus dulcedinis, ô gloriosa Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, Ego humilis ancilla magnificationis tuæ cum exultatione spiritus Canticum in finem usque deduxisti. Gloria tibi qui es *α & ω*, *Principium & Finis*, Apoc. I. 8. cui soli debetur honor & gloria. Conjunxi priùs *Psalterium jocundum cum cithara*, Ps. LXXXIII. 3. misericordiam, scilicet & gratiam cum potentia. Jure superest, ut subnectam canticum gloriæ tuæ, quod habuisti in te, & apud te, *prius quam mundus fieret.* Joan. XVII. 5. Mundum enim, & omnia quæ in eo sunt condidisti propter magnam gloriam tuam. Indè est, quòd *cæli enarrant gloriam tuam.* Ps. XVIII. 1., & omnia quæ cœli ambitu continentur *gloriam magnificentiæ regni tui.* Ps. CXLIV. 12.

Gloriam hanc vidit in spiritu Isaïas, dum audivit Cherubim clamantia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus* Sabaot. *Plena est omnis terra gloria ejus.* Isaïæ VI. 3. Dudùm in principio, quando creati sunt cœli & terra, canticum hoc gloriæ tuæ frequentatum est per spiritus Angelicos, laudantes te Dominum, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Cui cantico quia dissonare præsumpserunt apostatæ spiritus, C quærentes eamdem sibi usurpare gloriam, zelasti propter eam, quoniam sola tibi propria est; zelavit & Princeps militiæ Michaël exclamans: *Quis ut Deus?* Fuit postmodùm in consummatione septem dierum conditus rationalis spiritus in homine, cui datum est Psalterium decachordum ad magnificandum te Dominum; quoniam præceptum disciplinæ ipsi, secundùm quod tibi concineret, in laudem, & gloriam tuam contulisti. Rupit ipse chordulas hujus Psalterii transgressor effectus, & ideò projectus est extrà Paradisum deliciarum, cui si non data fuisset cithara pœnitentiæ ad reparandum *Psalterium jocundum* obedientiæ, & gratiæ, nihil sibi remanebat de canticis, nisi lamentationes mortalis exilii cum bestiis, & væ, væ damnationis cum dæmonibus in gehennæ suppliciis. Reparavit hoc *Psalterium jocundum cum cithara* Filius secunda in Trinitate Persona, volente Patre, cum Spiritu sancto cooperante, dum factus est ipse per assumptionem carnis, & spiritus, cithara in carne mea, *Psalterium jocundum* in spiritu, & gloria Patris in divinitate. Sic enim alloquitur eum Pater: *Exurge gloria mea, exurge Psalterium jucundum cum cithara.* Cui Filius respondens indueit: *Exurgam diluculo.* Ps. CVII. 3. *Tu enim susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum*, Psal. III. 4. quod resuscitasti ad gloriam. Taliter itaque egregius David Psaltes Pater meus dedit intelligi: propterea simul consonans sibi erupit nunc anima mea in magnificationem Domini, cum exultatione spiritus, miscens *Psalterium jocundum* misericordiæ *cum cithara* severitatis, & pœnitentiæ.

A

Ampliùs verò cur non potiùs à glorificatione, quàm à magnificatione sumpserim initium, ut dicerem: *Glorificat anima mea Dominum?* Sentiebam profectò privilegium hoc Cantici gloriæ reservandum multitudini militiæ cœlestis exercitus, quando completi fuerint dies, ut pariam Filium meum primogenitum. Fiat tunc revelatio cœlitùs ad pastores, quibus pro simplicitate sua, & sedulitate vigili super gregem suum, velut in quadam solitudine deserti, subitò fiet cum Angelo evangelizante *gaudium magnum* comes *multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum* cœlico carmine, *& dicentium: Gloria in altissimis Deo, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. 14. Venient pastores, videbunt, & mirabuntur, revertentur glorificantes Deum. Futurum est insuper ad Bethleem diversorium partus mei: inolescat mos per Ecclesiam Sanctorum, toto terrarem orbe diffusam, jungere finibus Psalmorum, Canticorum & Hymnorum celebriter, velut una & incessabili voce cum omni militia cœlestis exercitus: *Gloria Patri, & Filio*, &c. *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Sed, ô gloriosa Trinitas, quanto pondere sententiarum resonat in auribus meis parvus, hoc est, pauculus numerus verbulorum. Quot, & quanti futuri sunt concives Sanctorum & domestici Dei, qui ad justitiam erudiunt plurimos, & fulgebunt velut stellæ in perpetuas æternitates, qui ad declarationem cœlestis hujus Cantici gloriæ laborabunt te doctrice.

B

Concertabunt apud diffidentes futurorum hæreticorum fragores, strepitus, horrendosque clamores, ut in debita concinant harmonia, te beatissimam Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, in perenni seculorum tempore. Amen.

Dicent crebrò: *Gloria tibi, Domine.* Nominabunt te Deum gloriæ, te *gloriam plebis tuæ Israël.* Luc. II. 32. Te Dominum virtutum, qui es *Rex gloriæ. Tu Rex gloriæ, Christe*, concinit omnis Ecclesia. *Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Dei Patris. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio.* Quid igitur superest humilitati meæ quam respexit Dominus, nisi ut cum omnibus generationibus seculorum subjungam pro fine pulcherrimo debitoque superaddens ad Canticum meum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.*

Explicit Liber super Cantico Mariæ vel hymno, Lugduni M. CCCC. XXVII. *tunc Archipræsulatum cum Galliæ Primatu agente Reverendissimo Patre Domino N. nostræ peregrinationis benevolo susceptore & otii studiique fautore magnificato.*

F I N I S.

CAR-

CARMINUM SUPER MAGNIFICAT PARS NON MINIMA,

Quæ pro abigendo tædio quietæ senectutis, & recordatione præteritorum studiorum, non tam nitori studens, quàm devotioni, & utilitati, modulatus est.

Magnificat anima mea te Dominum, meus in te.
Spiritus exultat, respice, fac humilem.
Advena dum terris dego, me cura placendi
Sæpius elusit, Christe, pete veniam.
Da modo compláceat tibi soli serior ætas,
Carmine se solans, sis sibi solus honor.
Carnea carnales elegia cantat amores,
Cœlica cœlestem promat amicitiam.
Gesta stilo memori miserandi temporis hujus
Dent alii, nobis diva Sophia placet.
Non est consilium pulchri spectacula cœli
Linquere, scenumque vile stilo terere.
Me mea scripta tuis committo, Pater, manibus, fac,
Quantum, quàmve parùm vis fieri, maneant.
Maxima pars monet, & supponit noscere sese
Viribus in propriis intùs & exteriùs.
Se scripturarum manifestant dicta vicissim,
Crebro latent solà, perlege, se referant.
Denique præveniat reserans oratio sensus,
Lectorique comes sit pia sedulitas.

Cur speculativas claudo sub lege metrorum,
Materias, quærit cor juvenile seni?
Metrorum levitas an non minuit gravitatem,
Sensus, & proprium pondus habere vetat?
Dedecet an senium ludus juvenilibus aptus
Ætatem proprium quamque decet studium?
Grandior es, pudeant puerilia, nunc lachrymarum,
Tempus, nunc lachrymis corda pianda piis.
Ludicra pone senex puer ut non sis maledictus,
Seria res agitur, mors volat antè fores.
Parce seni juvenis, paucis confusa resolvo,
Mens gaudet numeris, arctius arcta tenet.
Ædificat senium doctrina virilis, & ætæ
Ludicra delectant metra pueritiæ.
Gratus erat puero jam de conceptibus omnis
Sermo, nimis cupiens noscere, quid sit homo.
Intùs & exteriùs quod habet vires repetebam
Sedulus, & tandem serò videre datum est.
Triclinium cordis quid sit, quid mentis asylum,
Qualis imago Dei, gloria qualis ei.

Hoc opus, hoc studium, canos excrevit in Annos,
Otia delectant, sabbata sola placent.
Ex requie requies, mensis de mense vacare
Dant, exaltatus ut Deus est videam,
Miris ista modis Deus attulit otia nobis,
Anxia curarum vincula diripiens.
Fortè, nec invideo, poterit, quod scribitur olim,
Id fore nonnullis utile, suave, placens.
Nec puerilia sunt, quibus usi metra Prophetæ.
Psaltes, Philosophi, Theologique graves.
Attamen auditu carnis resonantia non sunt
Carmina de rebus, quas sapit unica mens.
More suo, si sit brevitas obscura, patescet,
Vocibus aut prosis latius exposita.
Ingeniique modum decet unumquemque notare,
Par aquilæ non est quæque volabit avis.
Ars quoque nulla statim totam se prodit, oportet.
Usus ut acceptam ruminet assiduus.
Ingenium clarescit & ars, si longior usus
Affuerit, nemo summa repente capit.

Arguitur senium, quod desipiens puerescat,
Altera causa subest, perdita vita prior.
Est virtus vegeta minor in sene, fortior aufert
Ex animo pacem, de cerebro requiem.
Fulget in antiquis sapientia, sed quibus ætas
Junior in claris consenuit studiis
Profectos gaudet elegia claudere sensus
Versu sub duplici, pulchrior indè nitet.
Complacuit per eam vacua monumenta senectæ,
Utile cum dulci consociando dare.
A *Otia prudenter vitans Eremicola quidam*
In plectis operans fine cremabat eas.
Exemplo consolor in hoc, si nulla manerent
Posterius studii scripta labore mei.
Profuerint si non aliis oblivia vitæ
Mæstæ dant, animum, dum meditando replent.
Qui loquitur linguis, neque intelligitur, illum
Præcipis ut cantet, Paule, Deoque, sibi.
Ergo tecum habitans cane musis, ludeque tecum,
Gratia quanta, Deo posse canendo mori.

Humana finis natura nos docet aptus
Quis modus & nostris ordo ratus studiis.
Philosophia, Fides, cum quavis Religione,
Conveniunt, quod homo sit ratione vigens.
B *Rursùs sola bonum ratio concernit honestum*
Bruta super, finis solus ei Deus est.
Finis dispariter brutis, quoniam meminisse,
Posseque nosse Deum, quin & amare, datum est.
Sumitur ex istis veraciter esse beatos,
Verbum qui capiunt, & retinent Domini.
Talibus optima pars cedit, quæ cogitat uni,
Postpositis curis, scire vacare Deo.
Contemplativos ideo laudare beatos
Ausus Aristoteles, consonus est Fidei.
Multa tamen variat, sed in hoc concordat, ut ætas
Ultima divino dedita sit studio.
Non nisi post artes, mores & Philosophiam,
Otia concedit posse beata sequi.
Christicolas quanto levius citiusque beatos
In commune facit spes, amor, atque Fides.

C *Theologia quidem pariter cum Philosophia*
Mores non desinit, altiùs erudiunt.
Sit procul atra comes, cui mos inflare scientes.
Scire tumere facit, testis Apostolus est.
Contemplativos ratio demonstrat amicos
Esse Dei, quibus & paucula sufficiunt.
Signat amicitiam perquirere conditiones
Dilecti, de quo cogitat, & loquitur.
Hoc contemplator; præsertim Theologizans
Nonne docendo facit? vel meditando silens?
Vivit contentus præsentibus, anteriora,
Posthabitis aliis, unica cura sequi.
Non rixas hominum, bellorum, sive tumultus
Audit, ad hæc surdus, mutus in ore suo.
D *Sumit in exemplum Loth, qui prout advena judex*
Tam sceleratorum non fuit in Sodomis.
Transiliens iditum cur se misceret iniquis
Qui foris esse volunt, cur sibi sit nocuus?
Altior est mundo curas qui deserit omnes,
Quem suscepta nihil publica cura premit.

MAgnificans Christum benè, plebs ait, omnia fecit,
Nam quæ fecit, erant omnia valdè bona.
Firma fides nisi sit diva pietatis amatrix,
Jugiter inquirens, irrequietus eris.
Illa vel illa Deus cur fecit? quæstio curis
Plena nimis, plenum sciveris ossa notat
Ossum cur jungas, cur ossus erit vitiosus?
Scrutator rerum, quas agit omnipotens.
Quærat & inquirat, non inveniet rationem,
Ipse quidem fecit omnia quæ voluit.
Ordo duplex rebus, nam primus respicit unum
Qui creat, est medium, finis, & initium.
Æternus, nulli mixtus, quamvis sit ubique
Presens esse suum, posse vel influere.
Alter inest rebus inter se vividus ordo
Certis qui numeris mutuò nectit eas.
Primùm contemplans nullam prorsùs rationem
Dic, nisi quod fecit omnia quæ voluit.
Justitiæ radix est, velle suum prior ulla
Quæritur, erratur, quid prius initio.

AN divina caret recta ratione voluntas?
Non caret, ipsa sibi sufficiens ratio.
Primipotens faciat quod vult nec justius ullum est.
Libertas aliter quomodò cedet ei?
Sit status in primo, si non, ubi constituetur?
Dispositis rebus ordo secundus inest.
Invenies istic connexas mutuò causas,
Ut cur ex rebus proveniant alia.
Hoc natura facit, quæ vis est insita rebus.
Quæ rem consimilem procreat ex simili.
Phelosophis studium talis fuit ordo secundus,
Ex hoc ad primum scandere cura fuit.
Theologis quia mox solum sublime fides dat,
Se prius his statuunt, infima deindè petunt.
Ardua disparitas, felix qui semper in alto
Nixus principio, judicat in reliquis.
Actio bassa petit, sed contemplatio fini
Jugiter intendens: dirigit hùc oculos.
Indè quieta manet, torquet nihil ordo secundus,
Scit quoniam primo consonat, optimus est.

ESse gradus rerum varios cognoscit, & apto
Cuncta loco posita quicquid iniquus agat.
Ordo secundus habet mala plurima, sed tamen illa
Solis noxia sunt, jure volente, malis.
Sis bonus, innitens primo, bona sunt tibi prorsùs
Omnia, nilque tuo deerit in obsequio.
Exclamabis ad hæc quo pacto, qua ratione,
Esse bonus valeo, ni Deus hoc dederit?
Non potes, affirmo, quare sis subditus illi,
Atque tuam minimè justitiam statuas.
Est tamen orandum, benè vivendum, mediis lex
Quæ jubet instandum, nec potes absque Deo.
Murmura non resonent hominum, da, quæso, salutes
Ipse Deo soli, qui creat, & recreat.
Prima libertas causæ determinat omnes
Effectus, proprio vult ut in arbitrio.
Philosophus si libertatem denegat istam
Aut nihil, aut fiet omne potens fieri.
Ecce gradus similes numero sive possibiles sunt.
Quilibet ut fiat, hic fit, & ille nihil.

JUdicio res solerti pensata, docebit
Omnia, quòd primi terminat arbitra vis.
Non tamen arbitrii libertas ulla creati
Tollitur, augetur, & viget indè magis
Cur ita vult, ita namque Deus qui cuncta ministrat,
Condita vult propriis & finit ire modis.
Naturalis vis, quam respicit ordo secundus,
Contingenter agit, si Deus inspicitur.
Sed manet arbitrio dupla contingentia nostro,
Ordine sub duplici sic patet imparitas.
Impius est error dicens prodire necesse
Omnia sub primo, si referantur ei.

Res habet instanti solo quæcunque necesse,
Si vult namque Deus, quæque repentè perit.
Tolle Deum facere quicquam, mala nulla manebunt,
Non tamen idcircò vult Deus esse mala.
Cur ita? Nam propriam vult, appellat rationem,
Nemo malum vellet sub ratione mali.
Sermo pias igitur lædens aures reprobetur
Quod Deus actor vult crimina, probra, nefas.

A *SPiritus exultavit, ait mens, alma, superbos*
Mente sui cordis ad nihilum redigens.
Spiritus & mens sunt essentia, ponimus unam,
In nobis animam, consociamus eis.
Fit tamen à sermone Dei, Paulo referente
Has inter vires sectio mira nimis.
Spiritus, atque anima, quæ sunt ratione secati,
Lucida nonnulli scripta dedere sua.
At si dividitur, vel quomodò spiritus, & mens;
Sermo varior est, utique dividitur.
Qualiter astruitur rationis portio duplex
Non re distincta, sed magis officio.
Mentis amor Deus est solus, sed spiritus omne
Respicit objectum, quo benè diligimus.
Mentis imago Deum prospectat ut unica solùm
B *Spiritus objecta plurima respiciet.*
Semper in arce manet Sion mens, spiritus omnem
Jerusalem quasi Rex regulat, atque regit.
Menti lectulus est sponsi locus unicus omni.
Triclinio mentis spiritus imperitat.

SPiritus est menti dux, & rector, vice sponsi,
Quem fæcundare gratia sola potest.
Namque utero mentis dum spiritus advenit almus,
Supremi virtus semet obumbrat ei.
Nascitur hinc sanctum Domini, quod gratia gignit,
Concipit illud mens, parturit, atque parit.
Verbigena menti dux spiritus additur, ejus
Dum peregrinatur, ducitur arbitrio.
Virgo Maria, Joseph non te gravidavit, erat vir
Attamen ille tuus, continuusque comes.
Cum puero Matrem fidus deducit, alebat
Spontè labore suo, sedulitate pia.
Spiritus haud aliter menti datus, impius, & trux
C *Est si non Domino paret, & obsequitur.*
Impietas quanta est seductor de duce si fit
Mentis si fœtum suffocat, aut perimit.
Evenit hoc operum quotiens alimenta bonorum
Detrahit, aut gladio criminis ultrò ferit.
At si pœniteat consurgit cum puero mens
Rursùs, & ad patriam fas erit ire suam.

LIbertate viget homo duplice; prima cohæret
Fini, quæ nunquam tota perire potest.
Libera vis hæc est, quæ non deliberat, est vis
Arbitra, cui flecti semper utrimque datur.
Complaciti primam nos dicimus, altera nomen
A contingenti sumit, & officium.
Pollet utraque Deus: per primam spirat ad intrà,
Altera disponit cuncta suis vicibus.
Prima necessarium non aufert, altera vero
Contingenter agit prospiciens media.
Arbitra vis, lunæ similis, mutabilis indè,
Obvia fit prima noxia criminibus.
Si duo concordent, vir & uxor, spiritus & mens,
Promisit, faciet, Christus erit medio.
Non duo jam, vel tres inconnexi, sed in unum
Cor simul atque animam fortis amor rapiet.
D *Gratuitus cum nativo jungentur amores.*
Finis principio, quatenus alpha sit ω.
Mens conversa, mens pater es, dux virginitatis
Alme mea, dicens, oscula sancta feret.

ARbitra vis si spiritui proprietur, ad ipsum
Omnis culpa redit, noxa, scelus, vitium.
Scilicet omittit vel committit, quia menti

Disso-

Dissonat, intentè semper amare Deum.
Mordet eo vermis damnatos arbitra, quando
Vis refugit, quod amans libera vis meminit.
Hanc Deus impressit menti cum viribus ejus.
Indelebiliter, dum manet ens proprium.
Libera vis nunquam, nisi sit simul arbitra peccat.
Dote quidem tali pollet imago Dei.
Vult natura Deus, vult inclinatio recta,
Spiritus ut mentem ducat in alta suam.
Spiritus arbiter est, mens libera, collige paucis,
Inter eas vires sectio qualis erit.
Spiritus arbiter est vires animæ super omnes
Qualis contingit sub ratione regi.
Est penes arbitrium quævis operatio laudis
Vel vitii, rebus utitur, & fruitur.
Arbitrium tuleris, nihil est peccabile, nullum
Demeritum cuiquam provenit, aut meritum.

Spiritus est typicè dictus Jacob, & variè vir
Ancilla, socia vir, pariter Domina.
Mentem dic Dominam Domini, cui fulget imago,
Gloria, lux, speculum, quem meminit, scit, amat.
Synderisim quandoque scias pro mente reponi.
Cujus natura pellit ad omne bonum.
Aut, prout hìc loquimur, soli mens dedita primo est,
Cujus & objectum, finis & unicus est.
Mens ità synderisim supereminet unica jungi,
Qua solet ad sponsum filia, virgo, Deum.
Mens, & apex mentis, ideò distincta notentur.
Sit quòd amor radix, finis, & initium.
Omnia finit amor, prout inchoat omnia, nunquam
Ipse tamen nescit, nec memor esse nequit.
Unius & trini Salvator semper imago
A Patre per Verbum circulat almus amor.
Imprimit hoc natura bonum, sed gratia format:
Gloria consummat post rudimenta viæ.
Contemplantis habes finem, qui sublevat ad se
Mentem, suprà se, sicque sigillat eam.

Est naturalis affectus, & est animalis,
Est rationalis mens amat arce manens.
Mens patriam repetens amat, & quæ possidet illa
Mens amat, & se mens omnipotentis amat.
Divini generis amor est mentis triplus iste
Finis, & objectum, stat tribus ipse Deus.
Per speculum primus amor est, speciem tenet alter,
Actu se proprio solus amat Dominus.
Solus in immensum se novit, amat, fruiturque,
Actu non menso nullus amare potest.
Sub gradibus ternis opus exercetur amoris,
Credulitate prior fit, ratione sequens.
Ex intellectu reliquum fit, consimili dic
Gratificus, quod amor triplificat meritum.
Primum simplex fides, intellectûs quoque donum,
Quod sequitur, præstat; dat phrenesis reliquum.
Gloria triplatur, communis prima secundam
Mater habet, ternam, Christe supreme, tenes.
Unica sublimis gradibus caret omnipotentis
Gloria, sit quamvis trinus & unus idem.

Gratia gratuitus amor est, Baptismus amori
Primitùs impresso desuper addit eam.
Mens per eam Patris æterni, vitæque perennis
Heres adaptatur, sponsa fit, arra datur.
Naturalis amor nunquam delet, eundem
Ad reprobos etiam continuat Dominus.
Obniti conatur ei malè grata voluntas.
Se crucians ut equus calcitrat ad stimulum.
Mira Dei bonitas patet, ac invicta potestas,
Curque voluntati pax nequit esse mala.
Extimulans agitat, urget, pungitque remordens,
Complantatus amor jura Dei retinens.
Primus amor mentis liber se spontè coaptat
Primo principio, quod nec amare nequit.
Arbitrium sequitur usum rationis, & ultrò
Flectitur in partes, si volet, oppositas.

Sponteve suspendit se partes inter utrasque;
Usquequò confirmet gloria velle bonum.
Liber amor melior, quo plus fulget, viget, ardet.
Corde, manu, sensu privigil, hinc melior.

Est occasus in ens purum, fit casus & alter
In purum non est, mens ab utraque cadit.
Dic ita contingens, quia non valet esse, & in esse,
Non impossibile dicitur esse tamen.
Falsave sunt non aliud est in eis medium.
Non, negat omne quod affirmatio ponit,
A Et viceversa, quid me duret ibi.
Principium primum complexum fallere ponens.

Arbitra se virtus viresque suas movet omnes,
Flectitur ad sese mota movens eadem.
Altera causa tamen semper concurrit, ut ipsum
Objectum saltem causa suprema movet.
Actio non eadem, motus, seu motio, moto,
Hoc Deus ad sese solus habet proprium.
Par est objectum, par est ratioque videndi,
Actio, sed dispar, cùm Deus inspicitur,
Verbum si dicat ea mens, aliter tamen intrò
Verbum divinum corde Pater generat.
Spiritus & sanctus mentis spiratur amore,
Non prout hunc spirant Filius atque Pater.
Exemplar verbum dices, exemplar amorem,
Quem sanctus sibimet spiritus appropriat.
Unica forma Dei formas supereminet omnes,
Altera dic non est forma realis ibi.
Formales varias rationes fabricat usus,
Intellectivus abstrahit, aut reserat.
B Componens caveat falsos conjungere sensus,
Dum super abstracto scire cupit quid id est.

Mens à mene dum variatur imagine luna,
Mens quia metitur, eminet, & meminit.
Mens ità totus homo, mens intellectus & est ens.
Ipsa voluntas est vis memorans pariter.
Mens homo, dum lunaticus est, dum more Zachai
In Jericho degit, luna sonat Jericho.
Vix intervalla recipit lunaticus iste
Lucida pauca nimis, valle manens misera
Torquet & illidit vel humi, vel aquis, vel ignes,
Passio crebra ruens, dormiat, aut vigilet.
Nitatur tamen, ut vel rarò cogat in unum,
Spiritus initium quod sit amore pio.
C Semet adunat amor, vires reliquas simul omnes
Colligit imperitans, actificans habitus.
Tunc lucet tenebra, radians caligo subitur.
Mens intrò rapitur, lux inabyssat eam.
Sicut aquis oleum supereminet, almus amor sic
Supra quodlibet ens exilit usque Deum.
Argentum vivum semper protendit ad imum,
Centrum, quod Deus est, semper homo repetit.

Magna potens fecit mihi magna, canis, benedicta,
Ecce beatam me prædicat omne genus.
Virginitas Matri, Fidei cor, summus ad imum
Junguntur, mirer quid potius dubito.
Magna potens tollit mirari, solus is ipse
Cor Fidei junxit omnia qui potuit.
Desine mens hominum temeraria, velle profundum
Conari sensum te penetrare Dei.
D Infinitus enim non circumscribitur arcto
Formatæ mentis quolibet ingenio.
Cuncta Deus sapienter agit, nec homo rationem,
Asserit hoc Salomon, scire potest aliquam.
Destruat, ædificet, perdat, vel collocet, ut vult,
Cur ità fecisti dicere quis poterit?
Despicit excelsos oculos, cordisque superbos
Mente sui, dignè fallitur improbitas.
Improbitas sapere quæ non vult, sicut oportet,
Sensus sobrietas est inimica sibi.
Contingenter agit extra se prima voluntas
Libera, se variis insinuando modis.

MOtus cuique rei proprius divina voluntas,
Paret, & ad nutum flectitur illa Dei.
Nulla prior causa est, cui soli dicere fas est;
Sic volo, sic jubeo, velle mihi ratio est.
Grammatici causam quærenti significati,
Respondent, quia sic impositor voluit.
Dispositis rebus datur altera causa propinqua,
Ordine, pro rerum proprietate, modis.
Quæque Deus format vult, non quia sunt bona de se,
Sed bona sunt, quia sic disposuit fieri.
Cùm voluit nihil esse prius quodcunque creatum,
Tunc nihil hoc fuerat, si capit esse bonum.
Fiat lux, dixit, bona lux, quia complacuit lux
Ut fieret, bona sunt omnia jure pari.
Quod bona, quodque potens, sapiensque per omnia clamant
Vocibus excelsis cuncta creata simul.
Res ità disponit, proprios ut eas finit actus,
Seu motus agere, vertere sponte potest.
Vertit, & immutat quotiens miracula fiunt,
Ut dum suspensa qualibet actio fit.

MUlti quid fatum sit fortuna requirunt,
Solaque si præter nomina sunt aliquid.
Sunt aliquid, nec enim sermo communis inanis,
Nil penitùs frustrà publicus usus habet.
Est operans à proposito certum sibi finem,
Certaque pro fine præstituens media.
Dicere fortuitum nemo præsumit, ubi quis
Prævisis mediis, quod petit assequitur.
At dum proveniunt ea raro qualia prorsùs
Non intendit agens, dicito fortuita.
Pergis ad Ecclesiam Domino tua reddere vota,
Et patet antè pedes aurea massa tuos.
Utique fortuitus est hac inventio, causam
Ejus fortunam dicere ritè potes.
Indè vides primam causam, quicquid facit, esse
Nil sibi fortuitum, nam videt illa priùs.
Non ita fit nobis, quos ignorantia duxit,
Non præconceptis finibus, aut mediis.
Adde quod excelsus Deus, efficis omnia, quare
Fortuna omnipotens est Deus & Dominus.

QUicquid contigerit nobis, nec præscia mens est
Prævidisse Deum non dubitare potest.
Hinc fortuna liquet quod in omni re dominatur,
Nemo scit, sibi quid vespera sera vehat.
Præterea causas alias si colligis omnes
Ipsas, fortunam sæpius invenies.
Cur? quia concausant, ubi nemo intenderet actum
Talem, vel tali fine, modo fieri.
Junge intellectus ubi major inest, minus illic
Est de fortuna, cur? quia plura videt.
Angelici porro cives, animæque beatæ,
Nil, vel raro aliquid fortuitum reputant.
Omnes namque docet in Verbo visio clara,
At nos væ miseros nubila tanta tegunt.
Porro priora tenens de fortuna, sciet aptè
Mox quid sit casus, causa, vel ejus opus.
Casus inest soli propria ratione carenti,
Ut sunt bruta, quibus nulla præest ratio.
Nulla quidem propria est, sed inest aliena, regens, dux,
Et quæ non errat, primo potens ratio.

DIxeris hunc vigilem sensus sunt cujus aperti,
Pervius & liber spiritus hos animat.
Somnus vero quid est, illiberatio sensus
Communis grossus fumus opilat eum.
Ergo status medios, variosque notato frequenter
Sensibus humanis possibiles fieri.
Somniculosus enim vigilat torpore gravatus,
Nec vigilat prorsus, inter utrumque manens.
Læsio communis sensus, vel apertio lenta,
Dat phrenesim capiti sic reverisa venit.
Verba nihil connexa sibi profert reverisans,
Nescit quid sequitur, quidve repugnet eis.
Cur? quia nulla regit ratio phantasmata, nullo
Ordine, quæ girant ut mare fluctivagum.

Somniat ergo vigil minùs aut plus, plurima vexant
Fortia vel modica dum simulacra caput.
Gallum nunc loquitur, asinum modo, castrave terris.
Fundat in Hispanis, vota facit varia
Passio quæ fortis fuerit, quæ fixa cerebro,
Credite, quod non vult se ratione regi.

PAssio dum turbat cerebrum, fit homo fatuizans,
Augetur tandem, lædit: & est phrenesis.
A Ergo vides cordi devoto, vel studioso,
Noxia cur fiunt idola corporea.
Abstrahat ergo sagax à phantasmatibus almam
Vim mentis, puro lumine se recreet.
Sed quàm difficile est, quàm rarum, nec venit ulli
Gratia, ni fuerit desuper irradians.
Qua duce præsumat cor sursùm posse levari,
Et quadam lucis se regione frui.
Semper suspecta sit quantumcunque salubris
Passio credatur, quam retinere nequis.
Namque præire suam, quæ ductrix est, rationem
Gestit, & effrenem se rapit absque modo.
Non secùs indomitum vidi gestire caballum,
Sic stimulis acti taurus, aper furiunt.
Passio judicium variat, prout ebrietatem
Non uno faciunt fumida vina modo.
B Hic silet, hic loquitur, furit hic, videt pius ille,
Hic vigil, hic stertit, fit ratione nihil.

GLoria celsa Deo vobis, vir, & ô mulier, pax,
Quæ vos conciliet semper amore pari.
Qui mores hominum, quos secum sexus uterque
Fert, conferre cupit, scandala præcaveat.
Nam generare solet odium collatio talis,
Laudetur potiùs fœdus amicitiæ.
Mutuo se refovent artus in corpore vero,
Humanus sic se sexus uterque juvet.
Consona membra sibi, non ullum corpore schisma est,
Non oculus manui dicit inepta mihi es.
Est hominum species eadem, sit femina, sit mas,
Sunt animæ similes, quæ ratione vigent.
Conditor unus ejus, plasmator, sive creator,
Par, & origo dedit nobilitate frui,
Materies similis, clauduntur morte parili,
Idem finis eis primo statutus erat.
Crimina nemo libens sua credito vult recitari
Cùm soleat laude quisque tumere sua.
Dixeris ergo frequens, quod sexum possit utrunque
C Nexu jocundo conciliare sibi.

EXhortare, colant, & ament se sexus uterque.
Præveniant gratis jugiter obsequiis.
Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Nemo caret vitiis, junior, aut senior.
O tandem major parcas, insane, minori.
Non alios damnet, quem mage culpa ligat.
Omnes nonne simul eadem damnatio stringit,
Omnes peccati perdita massa sumus.
Quisquis salvatur, hunc salvat gratia sola,
Gratuiti doni est gloria nulla tibi.
Nos fecit Dominus, nos destructosque refecit,
Sunt & apud Dominum femina, virque pares.
Nunquid vita mares solos æterna beabit?
Hac ne salus cuneo femineo dabitur?
Qui sexum culpat muliebrem, sive virilem,
Culpat cum puero te, pia Virgo, tuo.
Matribus, & Patribus propriis convitia dicit,
D Sanctos, & Sanctas conspuit improbiter.
Vir bonus esto memor, quod sit tibi femina consors,
Inque tibi gratum sit data subsidium.

VIr, qui fortior es, quanto robustior in te,
Et pollet valido mens tua judicio.
Femina si varium cor habet mutabile semper
Plus indulget sibi, plus miserere pius.
Tu dux, tu rector caput es, rege, consule, nutri,
Dilige, conserva, Christus ut Ecclesiam.

Scanda-

Scandula, sed dices, prebet mihi femina crebrò
Blanditiis, rixis, cultibus, illecebris,
Consentire cave, tibi nil, affirmò, nocebunt,
Hoc tua, si praceps, non sua culpa facit.
Quid quòd res omnis laqueus culpæ sit iniquis,
Omnis non ideò res odienda bonis.
Cultu si nimio mulierum sexus oberrat,
Ponat nostra viri provida cura modum.
Evam debuerat Adam reprehendere, sed dum
Consentit, proprium plectitur ob vitium.
Femina sis subjecta viro, caput est, sibi pare.
Laus sua laus tua sit, gloria, fama, decus.
Probra malis, dicta bona sis, scito, tua laus sunt,
Nam virtutis honor dedecus est vitiis.

NOn nocet innocuis infamia fœda nocentum.
Antè tribunal onus quisque feret proprium,
Femina cùm tibi sit pudor, & devotio cordis,
Flebilis, & mollis utere dote tua.
Cerne quòd omnipotens per sexum fortia fregit.
Sæpe tuum, tribuens martyrii bravium.
Ergò probas conare sequi, vos fortia fortes
Exercete mares, laus sit utrique sua.
Sit vobis in amore bono nexus, cor, & unum,
Una prout species, finis & unicus est.
Spiritus annexas tres vires, tres quasi sponsus
Ancillam, sociam suscipit, & Dominam.
Est ancilla caro, ratio quoque libera, sed mens
Est dominans, gravidat solus eam Dominus.
Artes fusca petit serviles fulgida francas;
Deica vult soli sola vacare Deo.
Spiritus est servus, liber Dominus, prout his se
Arbitrio proprio plusve minus, subjicit.
Consona si fuerit microcosmo copula triplex,
Nil microcosmo pulchrius aspicies.

ET sanctum nomen ejus; cujus? nisi Sancti,
Sanctorum, Sanctos ut superas alios.
Sanctus Sanctorum vult Sanctum sanctificari.
Nomen, ut orando prima petitio dat.
Est natura capax rationis, cetera claris
Dotibus excellens, quæ meminit, scit, amat.
Provida cura Patris homini specialiter aptam
Orandi formam jussit, & instituit.
Hic bona quæ cupias, mala quæ fugiat numerantur,
Mentis & interpres lingua Deum rogitet.
Qui Pater es noster in cœlis, sanctificetur,
Abba, tuum nomen sanctificare potens.
Adveniat regnumque tuum, fiatque voluntas
In terra sicut cœlicus ordo facit.
Panem hodiè nostrum da nobis quotidianum,
Et super ens, triplex qui datur, & satiat.
Debita dimitte nobis, dimittimus ut nos
His, quorum nobis debita noxia sunt.
Ne nos inducas, ut nos tentatio lædat,
Gratia sed tua nos liberet absque malo.

MIra Dei pietas omnis pietatis origo,
Ex nihilo miseris se dedit esse Patrem.
Filius es, non jam de terra, cœlicus esto,
Cœlesti caveas degener esse Patri.
Adde quod & frater dici dignatur, & esse
Proximus, & socius factus homo voluit.
Immò minister, ait, ego sum, non conditione
Servili, pietas unica flexit eum.
Amplius adjiciam, quod crede tamen, quia sponsum
Tradit se menti, Deigenamque facit.
Filius ergo tuus, Deus, ô dignatio qualis!
Factus, Verbigena magnifica Dominum.
Noster parvulus es, natus nobis, datus idem.
Filius, & nomen Emanuel *proprium.*
Factus es & nobis ultrò sapientia, justus,
Sanctificans, redimens, vitaque, vera via.
Qui solus propriè es, ex quo, per quem fit, & in quo,
Quodlibet es forma, finis, & efficiens.

Hinc unum verum, bonitas, species, modus, ordo,
Pondus, mensura, provenit & numerus.

IN cœlis habitas, cœlum cœli, simul ipsum
Cœlum cœlorum dixeris ex propriis.
Vel cœlis ideò quia te celas, tenebrasque
Ponis latebras, cui locus est nebula.
Hæc caligo quid est tibi sermo mysticus edet,
Quem docuit Paulus, crede Dionysio.
A *Scribimus, & legimus, loquimur quoque plurima; sed quid?*
Omnia sunt si non spiritus introducet.
Multis hos cœlos devotio fecit apertos,
Dixit uterque Joan cœlica visa sibi.
Prologus orando nos feceris hactenus aptos.
Attentos, dociles, quæque petenda sequi,
Abba, tuum nomen oramus sanctificetur,
Sanctum sanctificans sanctificare decet.
Nomen notitiam quasi notamen *vocitamus,*
Est unum nomen, omnimodumque Deo.
Sanctificantem nos docet illum sanctificemus,
Sedulo quæramus nomina nosse Dei.

THeologia triplex numeratur, mystica tradit
Solus quod se scit exuperante gradu.
B *At per symbolicam transferre in quodque creatum*
Fas est, & summo nomina ferre Deo.
Vilia dum transfers, aures offendere noli
Simplas, atque pias, vera licèt tua sint.
Ex perfectis propria constat Theologia,
Nil imperfectum nominibus resonat.
Omnia tollit mystica summo, datque secunda
Nomina cuncta Deo, terna stat in propriis.
Prima Deum celat in se, velatque secunda
Symbolicis, retinet terna velut medium.
Tertia namque parit conceptus interiores
Abstractos, primo principio proprios.
Actu perfectus, primus, purus, quod est ens
Æternum, verum, simpliciterque bonum
Utitur in patria conceptibus intuitivis,
Quos indè visus imprimit ipse Deus.
Finge, Deus retrahat se, cessat & intuitiva
Visio, namque Deus solus erit species.

C *ADveniat regnum, quia si non primitùs ad nos*
Venerit, ad regnum nitimur in vacuum.
Intrà nos regnum, Jesus esse Dei manifestat,
Ergo suum regnum Rex regat ut proprium.
Ligna petunt Regem, nec ficus, vitis, oliva,
Consentire volunt, nam sua sufficiunt.
Solus in assensum se ramnus inutilis istis
Devovet, ut regnet, devorat ignis ea.
Fabula spectat eum, proprium qui spernere regnum
Sustinet interiùs, exteriora petens.
Fiat velle tuum, dices, consentit, & optat.
Congratulatur, amat, complacet, atque favet.
Flectivus amor se conformare supremo
Velle tenetur ei, dum satis innotuit.
Sic jubet, aut prohibet, sed consilii, monitique,
Ac de permissis non eadem ratio.
Nemo Dei tenet fieri cum murmure judex,
Cur mala permittit, res aliasque facit.
Dum peccata finit, non vult ea, sed vetat, odit,
Quamvis non removet, punit at illa tamen.

FIat, progressum designat, an omne creatum
Dicendo fiat, potulit ipse Deus.
Corporei motus terram si respicis, hi sunt.
D *Rectus, & obliquus, circulus est reliquus.*
Spirituum motus ita triplex: orbicularis,
Rectus, & obliquus; pro medio Deus est.
Circulus est simplex, rectus se duplat ut altum
Centrum quod Deus est, proximat, aut refugit.
Terminus obliquo quadruplex, modò namque sinistris,
Nunc graditur dextris, antè retròve petit.
Dum resoluta manet causa mens vertice prima

 Egre-

Egrediens nusquam, gyrus ibi suus est.
Progrediens ratio motus se dividit in sex,
Quatuor obliquus, rectus habet bivios.
Constans prima suo mens centro provida vis est
Da fatum, aut casus fortuitos reliquis.
Casus vitabis, te cœlo fixeris alto,
Velle tuum terris sit quasi cœlicolis.
In terra fiant, prout in cælo, tua sanctæ
Jussa voluntatis, dic ita, rectus eris.

PAnem dum petimus, petimus quicquid reficit nos,
Intùs & exteriùs spiritus, aut caro vult.
Dic quasi pan panem, quia totum significat pan,
Panis & ergo Deus solus, & omne bonum
Nostrum se fecit, dum nos formavit, & addit
Dans formam, pariter quæque sequuntur eam.
Quotidiè quia deficimus, sic quotidianum
Quærere nos panem cogimur in precibus.
Da tu, qui solus propriè das, reddere quicquam
Nemo potest, donum dicito tale datum
Nobis qui vita peregrini vivimus ista,
Qui nondum fines attigimus patriæ,
Nunc hodiè tempus præsens, nunc dicimus ævi,
Nunc est æterni, semper utrunque notat.
Nunc modò, nunc ævo, nunc perpetuò petimus, da,
Te panem super ens, & super omne Deus.
Hostia tu sacra nobis, tu quotidianus
Panis sacraris, noster & efficeris,
Panem si petimus, nunquam, te teste, negabis,
Nec pro pane, Pater cœlice, das lapidem.

ET dimitte Pater nobis tot debita nostra,
Creditor exclamat, suffocat, & cruciat.
Quod debes redde, multi sunt, vim patior, sed
Responde pro me, quæso, benigne Pater.
Debeo me, quia sum factus, quia sum reparatus,
Quod baptizatus filius efficior.
Heres sum, frater, socius, membrumque ministrum
Se dedit, & toto se licet ultrò frui.
Pauper homuncio tot, tantis obnoxie donis,
Da de corde tuo quæ tibi debita sunt.
Toti debitores Orbi, pugnabit & Orbis
Totus contrà te, gratificus nisi sis,.
Et ne nos inducas, hoc est, non sine pulsos,
Tentatosque gravi pondere subruere.
Si tentas, purges, doceas, stimulesque, probesque,
Fac humiles, mites, nosseque nos facito.
Æternâ duc, alme viâ, tentatio non nos
Dæmonis illaquet, inficiatque caro.
Omne quod in mundo est supremus, te duce, tolle
Tot laqueos, vel eos contere sub pedibus.

NOctis non pavidos faciat timor, atque diei,
Nulla sagitta volans perforet, aut noceat.
Nescio quid tenebris latet, atque perambulat anceps,
Perplexum, dubium, sit procul, aut pateat.
Crebrior incursus nimis, aut violentior absit,
Dæmonium cedat meridiem simulans.
Sis spes, confugium, tuus adsit & Angelus aspis,
Et draco sub pede sint, regulus, atque leo.
Contere sub pedibus satanam, tot retia rumpe,
Tot laqueos, funes, vincula, tendiculas.
Impius & stultus tentantem vincere jactans,
Quamvis omnis ei gratia defuerit.
Sed nos libera fors & verax liberet omni,
Christe, malo, populus dicat & omnis, Amen.
Novimus esse malum contractum, flemus & actum;
Cernimus exactum, quod tollere gravat.
Trina mali pestis tres vires deprimit angens
Debilitat, cæcat, urit & igne malo.

Virgo salutata per Ave, Gabrielis ab ore,
Symbolicique patres, ferte levamen. Amen.

SEptem septenas ex scripturis numerabis,
Exercere quibus ingenium poteris.
Distorquent animam capitalia crimina septem,
Virtutes contrà rectificant totidem.
A Dona tot expediunt mentem, septemque beatos
Perficiunt, septem scito petenda tibi.
Purgat & exornat sacri septemplicis usus,
Dotes tot patriæ totus homo recipit.
Addere multa tibi poteris septena, coaptans
Singula corde pio, quotidiè meditans.
Talibus assueto, tibi contemplatio tandem
Tædia depellens perfacilis veniet.
Summa Breviloquii Bonaventuræ tibi tradet.
Noscere summatim singula dicta modò.
Ordine septeno sanctos, ut quodque dierum,
Poscit opus, studeas connumerare tibi.
Quale quid acta dies tulerit, nunc annua confer,
Ut formes animum commemorando tuum.
Tuque salutifere, per partes divide septem.
Illud Ave, Jesus, & Christus. Amen: sit ita.

B

EST in progenies pietas divina timens se,
Compatitur miseris, & miseretur eis.
Pauper spiritus est timidus, reveretur, & in se
Majorem inspiciens, decidit, & resilit.
Ergo Dei summa sub majestate timendum,
Desperans de te decide, suscipiet.
Te timor edoceat, quæ sit sententia Christi,
Trado suave jugum, do levitatis onus.
Est pietas amor ex affinitate resultans,
Primaque proximitas à Patre progreditur,
Cœlestis Pater est omnis pietatis origo.
Cœlis, & terris, finis, & initium.
Ex bonitate Dei pietas excrevit in omnes
Progenies, regnat væ nimis impietas.
Hæc tria conveniunt, pietas, timor, atque sophia,
Accipe Job testem, qui tria connumerat.
Suave jugum Christi est, timor adsit junctus amori
Laudem nam per se neuter habere potest.
C Est puerilis amor nisi sit reverentia, porrò
Servilis timor est si sit amore carens.

QUo pacto poterit, inquit, vulgata querela,
Dici, vel fieri suave jugum Domini.
Lex quasi sit facilis Legi contraria carnis,
Lex quæ radices fixit amara suas.
Imbibitur totis serpitque maligna medullis
Fomes, ad omne nefas estque tyrannus atrox.
Sobrius esto, vigil, mitis, castus, moderatus,
Sperne voluptates, Lex tua, Christe, jubet.
Esto vorax, dormi, ventrisque libidine fervens,
Da cor ad illecebras, clamat amica caro.
Nonne gravem Paulus carnis sathanæque sagittam
Senserat, exclamans crebriùs, heu miserum!
Eripiet quis me miserum de corpore mortis
Hujus, ubi pugna deprimit assidua.
Audi quid sacro respondet numine plenus:
Gratia me Domini, te miserante Jesu.
D Gratia namque potest hominem, pietasque repentè,
Ut per Baptismum, salvificare hominem.
Quot qualesque legis, quos uno mortis in ictu
Gratia, suave jugum, vexit ad æthera.

NOn ullum dici vult Philosophia beatum
Qui non ex habitu depulerit vitia.
Indè fit, ut paucos vel nullos inveniemus,
Felices, quales ponitis, ô Stoïci.

Gratia

Gratia suave jugum momento tradit in uno,
Quo fias felix, scriptus & ad patriam.
In mediis igitur rixis, pugnis quoque carnis,
Gratia donatur, gloria quam sequitur.
Insipient si sis, injustus, sordidus, omnis
Servus peccati vileque mancipium.
Protinus ipse Jesus Christus, sapientia, justus,
Sanctificans, virtus, atque redemptio fit.
Forsitan est aliquis multo, grandique gravatus
Pondere peccati, flagitii, sceleris.
Constituit dignum mox gratia, speque beatum,
Vitat & infernum, cœlica porta patet.
Saulus erat spirans cædem, plenusque minarum
Concidit, & Paulum gratia mox statuit.
Suavius & levius quid erit? nam tollitur à te.
Criminis omne jugum, sponte nisi subeas.

SI pecces rursùs, convertere, mox veniam dat,
Vires & Christus adjuvat arbitrii.
Hæc dulcedo jugi remanens abscondita pravis
Est, quam devotis experientia dat.
Gratia Martyribus levis, & fortis, data monstrat.
Carnis ut arcta juga suave jugum superat.
Impietas timida venia caret, omne jugale,
Fit sibi difficile, murmurat impatiens.
Cur te distendis ventosa superbia? quid te
Sufflas, & jactas? dum tibi vana places.
Vidi ego vesicam modico turgescere flatu,
Quæ pisis sonuit quatuor impositis.
Hanc puer unus acu pupugit displosa repentè.
Vilis & absque sono flaccida detumuit.
Quisquis adulantum turgescis voce, sub isto
Disce tropo tibi quid mortis acumen aget.
Te priùs ergò humilem proprii compunctio cordis,
Spinave configens, si sapis, efficiet.
Nullus adulator pejor tibi quàm tibi fies,
Si tibi blandiris, teque colendo tumes.

LUcifer hinc cecidit, nec mirum, dùm videas nos,
Turpes, & viles, peste sub hac ruere.
Pulcher quid faceres, quid in omni parte decorus,
Omni cum plenus sorde superbis homo?
Dicis dives sum, nec egens; nescis, quia pauper,
Nudus, cæcatus, vilis es, atque miser.
Prospera sors nutrix est hujus subdola pestis,
Aspera sanat eam prosperiore manu.
Unus ut è Patribus ventoso corde careret,
Dæmone vexari quæsiit, obtinuit.
Ergò quid adversas tanto fugimus studio res,
Consulimus sortes, fidimus Astrologis.
Sed nolo tentare Deum, dices; agis aptè,
Si tamen antèferes præsidium Domini,
Angelicum si subsidium, si spemque, fidemque,
Cura nec humanis sit nimis auxiliis.
Cura superflua fit, si plus, si non, ut oportet,
Nec pro personæ conditione, statu.
Tu corpus refove, tu cura sedulò carnem,
Quid nisi confestim putre cadaver erit?

EX bonitate Patris pietas est intùs oborta
Unius & trini, sumitur hinc ratio.
Diffusiva sui bonitas est, summaque summè
Qualis perfectè deforis esse nequit.
Hæc tenuis vix umbra boni, divina necesse est
Sese diffundat interiùs bonitas.
Est naturalis communio, dic & amoris,
Suppositis trina est, licet est essentia simplex,
Summa palam bonitas hinc reserata patet,
Omnia dic eadem, nisi sola relatio cogat.
Ponere personas nominibus propriis,
Est Pater, est Genitus, & sanctus Spiritus unus.
Optimus omnipotens, omnisciens Dominus,
Qualibet in re sunt hujus vestigia causa.
Plus hominis mente claret imago Dei,
Mens etenim se cognoscens, se diligit inde
Mens verbum gignit, hinc amor exoritur,
Mens pater est, verbum genitus, dilectio nexus
Ac essentia sunt hæc tria non eadem.

PLena est simpliciter ideò Deitatis imago,
Nec lux in sole lumen & ipse calor.
Vis verum liber cognoscere, simplificetur
Cor sursùm remeans, infima despiciat.
Materia trahit imperfectas conditiones,
Quò magis à summo distat origo sua.
Hoc in sole notes, & lumine, sed viceversa,
Dum redit ad primum, spirituale sapit.
Mens hominis mundum sua per simulacra receptum
Sensibus effigiat spiritui similem.
Spiritus est nempè quod gignit spiritus, ista
Mentis conditio libera primò fuit.
A *Principium rebus primùm speculando creatis*
Objice, cùm nullo crimine læsa jacet.
Inficitur carnis oculus, sed hebet rationis,
Contemplativus lumine penè caret.
Par fit jumentis, mens corpore mersa gravatur,
Declivis stolidam vix benè visit humum.
Est Domini pietas in progenies timoratas,
Contritis gravibus, dat leve suave jugum.

FRancia progeniem pietas germana coarctat
Flere tuam, quòd eam dura manus cruciat.
Permittente Deo Francorum nobile regnum,
Cur tot ab ærumnis hactenùs atteritur.
Scire volens, ut cura solet distendere mentes
Humanas, nosse consilium Domini.
Scripturas scrutare sacras, scrutare Prophetas,
B *His velut in speculo quod petis invenies.*
Effectus similes causæ similes operàntur,
Ergo Jerosolymam cernito cur periit.
Mittitur hanc contrà divini virga furoris
Assur, qui plenam flagitiis adimat.
Nonne pares, pudet heu, causas in Parisiensi
Urbe fuisse diù vidimus excidii.
Errores cæcos populo, pseudoque Prophetis,
Pompososque status, undè rapina venit.
Indeque seditio, paupertas, publica cædes,
Membris in propriis hostibus invalida.
O nimis erratum est, tandem vexatio nobis
Intellectum det, præteriti pigeat.

C *CErtet pro patria, pro justis legibus omnis*
Verus Francus, erit laus sibi cum merito.
Prodigus, atque rapax, luxus piger exulet omnis,
Prisci causa mali seditione potens.
Fœda libido procul, qualem vel dicere turpe,
Arsit quæ quondam sulphure Pentapolim.
A populo Domini moderata stipendia quærant,
Finis & hic sit, ne publica res pereat.
Ut corpus nervi, sic vectigalia regnum
Sustentant, aptè distribuenda tamen
Expedit & populo præsumere, non dominari,
Experti sumus, & tradit Aristoteles.
Curia cum Pastore tuo Romana memento,
De te quid totiens Francia promeruit.
Redde vices, fer opem, letalia dogmata damnes,
Quæ vitas hominum, fœdus & omne necant.
Nulla fides detur mendosis aure susurris,
Scire cur nolunt, nil rationis habent.
D *Regnet justitia, vigeat prudentia, sacrum*
Prole nova crescat Parisii Studium.

SOrs miseranda nimis! Te Francia diva, fatigat.
Plus quàm cujusvis vox resonare queat.
Olim proscriptos pro libertate tuenda;
Proquè fide passos, mos relevare tuus,
Sensisti Thoma propriis dum trusit ab oris,
Anglia te, crebrò sensit & Ecclesia.
Heu pietas, heu prisca fides, coguntur alumni
Francigenæ, mortes, exiliumve pati.
Summe Deus, pro lege tua, quam sub decachordo

Men-

Mentibus impressam scribis, & in tabulis.
O quot Theologi, quot Pontifices periere.
Carcere quos clausos dira necat rabies.
Effugit altera pars alienis incola terris,
Tutior exilio, sed spoliata bonis.
Austria tu felix, felix studiosa Vienna,
Dux quibus est talis traditus in regimen.
Zelo qui fidei fervens, ob eam fugitivo.
Offert Doctori sponte refrigerium.
Sis sua magna Jesu merces, pro cujus honore
Doctorem recipit, discipulumque tuum.

DIspersit *Dominus vana* de sede superbos
Mente sui cordis, *vita nec apta manet.*
Turbis curarum lacerata notatur, & est par
Pulveribus turbo quos violentus agit.
Sede sedet nulla stabili, nec convenit ulli,
Diffidit & secum turbida mens hominis.
Nusquam vita malis est solitaria, quamvis.
Desertis eremi sis relegata locis.
Millibus hac si sit hominum circumdata turbis,
Nusquam civilis, nec socialis erit.
Mens humilis, simplex, & solitaria secum
Petra nixa manet, concomitata Deo.
Sola simul socialis, & est ubicumque locetur.
Diffidet hac nulli, convenit ipsa sibi.
Sola quidem minimè cui virtus sit comes omnis,
Sit licet extremis finibus acta maris.
Sola tamen secum quamquam se deserit, & si
Multus ei populus cingat utrunque latus.
Est vicina Deo, quem jugiter aspicit, est spes.
Anchora ne fluitet, perstet, amatur, amat.

IMperat, *unitur, secura, serena, suavis,*
Pulchra videns, fini consociata suo.
Conscia secreti divini, sicut amica,
Sicut dilecti sponsa, columba, soror.
Has dat theorica laudes sapientia vita,
Solitarius est solus amicus ei.
Nec solus tamen est, quamvis locus, & manus, & spes;
Osque vacent, animus omnibus obsequitur.
Proficit hic & nunc verum scrutando, salubre,
Scribit qua senior posteritas relegat.
Nulla licet scribat, nil prædicet ore, perorat
Moribus, exemplis, voce loquens operum.
Est solitudo pretiosum, crede, talentum,
Terrenis caveas dum datur infodere.
Posse vacare sibi non gratia parva, videre,
Quam suavis Dominus, gratus ea fruere.
Martha sit intendens multis, sinat ipsa sororem,
Uti parte sua, vult Jesus hoc fieri.
Scisma nec interfit membris, oculusve tenellus.
Non culpetur, agat si manuale nihil.

M*Agna domus vasis, nec servis, utitur, iisdem*
Non par officium, sors sua cuique sat est.
Sunt tot in activam pede qui se præcipiti dant,
Theorica paucos, quæso, vacare velint.
Sint fortes, gladios teneant, Salomonis ab intra est
Lectulus ob sponsam, sponsa quiescat ibi.
Filia clausa domi maneat, matri famuletur,
At vir in arma ruat, ditior ex spoliis.
Solus non pugnat, sed pro pugnantibus orat,
Hos non dedignans uctio quos tribulat.
Otia non laudi tribuit, nec obinde superbit,
Se catulo segni judicat esse parem.
Et tamen impetrare potest dilectio, quod non
Vel labor, aut meritum, se cruciantis habet.
Suevit amicitia jus, regula, jus dare, quod non
Concedit meritum, justitiaque rigor,
Ambo parem referunt prædam, tentoria servans
Miles, & hostiles exuperans acies.
Est equidem felix, est solitudo beata,
Si simplex, nec iners fructificet, vigeat.

S*I ratio trahit affectum, si sensus, & actus*
Non discordant, fit gloria vana procul.
Rumores fugiat dicens sibi clause, quid ad te?
Factorum ratio sit tibi velle Dei.
Solitudo nocet nil, desit sollicitudo
Curarum interior cor lacerans miserum.
Cor gravat ebrietas, cor crapula, curaque vitæ.
Sole, sub hac triplici peste perire cave.
Sunt qui delicias reputant sub sensibus esse,
A *Sub curis quibus est irrequieta quies.*
Parcit eis Dominus sibi se committere solos,
Atque ministerio collocat ipse suo.
Ast alios, quos scit pro vita qualibet aptos,
Nunc has, nunc illas, vult variare vices.
Optima pars hæc est, hac robustissima, felix,
Gaude cui Dominus præstat utraque frui.
Alternis uti gaudet natura, nec uno
Corpus iners studio jugiter esse finit.
Vita beata venit, cui solum sufficit unum,
Sola vacat soli, sed socialis ovat.

L*Ibertas onagrum delectat, libera colla,*
Liber & a turbis montis aprica colit.
Pellicanus macer est, desertis incola solus
Serpentes perimit, pulliculosque fovet.
B *Nicticorax tenebris latitat, quia lumen ab extrà*
Interioris vim disgregat intuitus.
Passer ut in tecto sta solitarius alto,
Te neque conturbet turbida cura domus.
Unus, ait, culpatus, eo quod non loqueretur,
Ni tacitus prosim, sermo nec ædificat.
Prima Dei requies sopor Adæ, tres Abrahamque
Cernens, ac Esaii sacrificare volens.
Scala Jacob sua lucta Rachelis amor decoris,
Ignis Oreb, Moyses monte loquens Domino.
Cantica cum psalmis montana Maria petendo
Simeon jubilans, quique colunt eremum.
Benjamin, & Paulus, aquila similisque Joannes,
Extasis & Petri, celsa videns Stephanus.
Turtur solivaga volitans & alauda canendo
Vitam symbolicè theoricam tibi dant.

Q*Uam multos homines præventrix gratia mæstos*
Ex improviso visitat, & reficit.
Nunc sapit hic psalmus, nunc versus in intima cordis
C *Labitur, apparuit aridus antè nimis.*
Ergò nec introitus scitur, non exitus ejus,
Felix qui semper pervigil optat eam.
Expectat tamen in tempus placiti tribuentis,
Si locus, atque modus, eligat ipse suus.
A servo nunquam Dominus declinet in ira,
Sed nec in ira sit suus introitus.
Hostes heu legimus, Dominus quos ipse cibavit
Frumenti ex adipe, melle replevit eos.
Cur? ut justior hinc pateat damnatio donis
Dum sunt ingrati, muneribusque Patris.
Tolle, Pater, tolle tua munera, si tuus hic sit
Servus abusurus, verbera da potiùs.
Ast heu verberibus potero fortassis abuti,
Quicquid vis igitur fac, modò ne peream.
Gratia præveniat, comitetur, & usque sequatur,
Securus donum postulo tale mihi.

M*Ens purè conjuncta Deo secreta nitescit,*
Fit regio pacis, lucis, & aula placens.
D *Fulgida caligo est, nebula, tenebræque coruscant,*
Montibus æternis lumina crebra micant.
Inque sinu mentis numerosa spiritales
Angustat rerum se nihilum species.
Ordine quinetiam resident phantasmata pulchro.
Immotis ut aquis sol radiare solet.
Intereà mundi fugiunt per inania curæ,
Illecebræ carnis, & satan insidiæ.
Sed redeunt heu sæpè nimis velut agmine facto,
Obice cor firmo se nisi munierit.

Corpo-

Corporis occultat sensus, aditusque dolosos
Pervigil exploret, vim quoque vi superet.
Garrula vitetur cum fictis fama susurris,
Nil aliud lædat, tempora depereunt.
Tempora res pretiosa nimis, stimulos sed & acres
Insigunt mage, vix & abire valent.
Invitus patiere jugum, quod sponte subisti,
Frena ferentis equi fabula te doceat.

Decipitur qui vult nimium sociabilis esse,
Dum putat agrestis nomen habere viri.
Elongans fugito, perstat, claudentur & ora,
Sic vivat, dicent, sit suus iste modus.
Cœlis interea tacitum miscere licebit.
Alloquiumque, fiet mentis in arce locis.
Stillabunt lachrymas cordis liquefacta suaves.
Intima, non quales cogit acerba lues.
Spiritui, simul & carni cibus iste placebit,
Omnia fœcundans rore salutifero.
Sed caveas, laqueum, caveas sub melle venenum,
Si tibi plus placeat quam Deus iste sapor.
Explorabis ita, Domini si jussa retrorsum
Projicis, ut vitam deliciosus agas.
Præmia si petis hic operum, dicetur, amice,
Quæ tua sunt tibi sint, accipe, vade, sile.
Heu mea qualia sunt, nisi pessima præmia tollens,
Quid nisi pravus ero, perpetuòque miser?
Argue, castiga, Pater, ure, seca, neque parce,
Dummodò permaneam, complaceamque tibi.

Intellectus agens habitus, & spirituales
Illustrat species, nec locus est tenebris.
Gratia dum comes effulget, si vita serena
Sit, neque conturbat passio turbida cor.
Aere sicut sol atomos radians manifestat,
Omnia sic cordis intima clausa patent.
Pœnitet ob vitia tantis horrentia nævis,
Evitet inde boni gratior intuitus.
Est regio lucis, & pacis gratia menti,
Lumen ab æternis montibus accipiens.
Gratia namque Dei paradisus deliciarum,
Cum natis hominum deliciæ tibi sunt.
Nonne fit absque fide, dices, cui cura suorum,
Nulla subest hominum, proximitasque perit.
Fit fateor, tamen & curas cognoscere debes,
Atque modos varios, pro gradibus statuum.
Incola deserti, vel vita monastica curant
Absentes populos, non ope, sed meritis.
Non ita Pastores aliqui, Regesque Ducesque,
Aut qui quotidie clamitat ad populum.

Irrationalis, amens, & stulta vocatur,
Mystica cui nomen Theologia dedit.
Privatur ratio, mens, sensus, pax quia Christi
Exuperat sensum cum ratione simul.
Causa tamen mentis & sensus, & rationis
Lux tenebrosa, silens vox scia, nescia fit.
Esse sui generis ratio, mens, sensus habent, sed
Noscendo nequeunt æquiparare Deum.
Solus in immensum se novit, amat, fruiturque,
Quisque gradu menso sanctus amare potest.
Unio simplifica, satians, & pura, quietam
Mentem perficit, & perficiendo rapit.
Unio deifica mentem quasi sorbet abysso,
Fitque petens, noscens, sancta, Deum patiens.
Unio pacifica modus absque modo reputatur,
Et gradus absque gradu, lux sine luce simul.
Theologiam potest propriam, quam dicimus, ista
Concordare simul, mystica gustat eam.
Mentis in excessu, sapiens sapit, insipientis
Cor conturbatur, posse negat fieri.

Exaltavit, ais, humiles, ô Virgo beata,
Mundi quam Dominam magna potens statuit.
Cur? quia respexit humilem Deus, ut tuus esset
Filius, & Matris subditus imperio.
Gloria suscepit humilem sublimior, ex hoc
Ipsa novissima sis, proximiorque Deo.
Namque novissimus & abjectior esse virorum.
In Cruce suspensus, esse Jesus voluit.
Propter quod Deus exaltavit eum, sibi nomen
Tale dedit, nomen omne quod exuperat.
Sta modò, collige te, mea mens, hinc corrue toto
Prona sinu, signum stringe salutiferum.
Tolle jugum Crucis hoc, à quo divellere nullus
Prævaleat casus, dic, crucifixe Jesu:
A *Fasciculus myrrhæ mihi dilectus meus, inter*
Ubera constringet se mea, suavis amor.
Oscula det labiis, ungat, trahat, afflet odorem
Intus, & in cellas ducat aromaticas.
Amens quò raperis, mea mens, quæ digna flagellis
Oscula vis, cujus terra tremit tactu.

Parce, precor, rapit en pietas inspecta, supremam,
Quæ majestatem non sinit, ut verear.
Brachia distendit, vultum declinat, apertum
Per latus ostendit se cor amore Dei.
Frigidus, ingratus, meus esset amor, per amorem
Si talem minimè flexus amaret eum.
Majestas, fateor, retrahit, si conspiciatur,
Carne tegit sese, sola patet pietas.
O pietas, quæ nec colaphos, nec sputa, flagella,
Clavos, nec mortem respuit ecce Crucis.
Jam nec amore mei languet, neque vulnera sentit,
Mortuus in dura sed Cruce pendet adhuc.
Mortuus amplexu se quomodò subtrahet, aude.
Mens pia, conjungi cum pietate sua.
B *Os dare quid refugis? Cur non in amore liquescens*
Tota fluis? Cur non Crux madet ex lachrymis?
Ipsum fortè tenet flentis gremium genitricis
De Cruce depositum flens sibi compatere.
Saxea mens nimis est adamanteque durior atro,
Talia quæ spectans mollior esse nequit.

Tange, Jesu, virga totiens Crucis, ut lachrymarum
De cordis silice largior unda fluat,
Marmore frigidius, ô cor quod tantus amoris
Non rogus accendit, stasque gelu rigidum.
Flammivolis saltem scintellis intege te, cor,
Quæ Crucis ex omni parte vides saliunt.
Incipe, percurre, primisque novissima junge,
C *Singula quæ patitur, Virgo, Jesusque nota.*
Una tibi poterit scintilla, nisi reprobus sis,
Ignem de lignis, crede, Crucis parere,
Adjice sarmenta vitiorum, quæ resecabis
Junge, quasi ligna plurima dona Dei.
Lucam, cujus adest celebris lux, perlege, Lucas
Trinis cum sociis gesta Crucis reserat.
O Luca felix, qui vivendo studuisti
Morte Crucis corpus mortificare tuum.
Crux Petrum revehit ad cœlos, & Cruce frater,
Tu suus, Andrea, lætus alacris obis.
Stigmate Francisco Seraphim sub imagine fixit,
Ut mors fortis amor, flammeus, ac penetrans.

Tu Bonaventura Crucis hoc succensus amore
Quod fueris, nomen, & tua scripta docent.
Indicat hoc picta tumulo propria Crucis arbor
Lugduni qualem plurimus Orbis habet.
D *Ejus ad exemplum strictum Crucis acta repone:*
Qui videas oculis, corde, vel ore legas.
Nidulus esto tuus Crux, tutus, pulcher, amœnus.
Intra quem foveas pulliculos operum.
Christus obumbrabit sub pennis, bruma nec ardet,
Nec poterit milvus esse satan nocuus.
Adde, quòd ex omni regionis parte subibit,
Flans pius affectus flamine, carmen agens.
Carmen ab interno cordis resonare docebit
Gamma novum punctis quod Crucis inseritur.
Cantica delectant si talia lector abunde

Sub duplici lingua comperies alibi.
Crux est activis, Crux theoricis speculanda
Sorte nec æquali, non oculis paribus.
Martham sollicitam pars circa plurima turbat:
Dum pro parte sua sola Maria sedet.

Lippi sunt oculi Liæ, claro sed ocello
Rachel amicitior cernere diva potest.
Vivat parte sua quævis contenta sororum,
Alternare vices gratia ni dederit.
Gratia quod non dat, nemo feliciter audet.
Gratia rara nimis mente vacare Deo.
Corpore vestivit ideo se Christus, ut esset
Ad divina tibi dux, via, scala, status.
Corde tenens Christum, per sensus carnis habere
Tecum crede Deum, quod satis ad meritum.
Theoricos, humilis, quos non datur hic imitari,
Collaudes, & erunt præmia certa tibi.
Stringe Crucis malum, si non potes alta tueri,
Ad patriam ducet te ratis Ecclesiæ.
Sit tua theoria Crucis inspectio crebra,
Sufficit en sanguis pulliculis aquilæ.
Dum Crucis accubitu Rex est, tua nardus odorem
Spirat, si fueris plantula, parva calens:
Impositas laudes prius & devotius imple,
Præcipuum ratio vult opus esse Dei.

Sicut es ad Patres nostros, mirabilis alme,
Sint ipsi nobis, deprecor, auxilio.
Christe calendarium volat ad Patres memorandos,
Ecclesiæ, quorum vita, precesque juvant.
Primò reconcilians series jocunda dierum
Adventus Domini percelebris colitur.
Adventus duo sunt Christi: primus Cruce vilis,
In majestate, crede, sed alter erit.
Hos Judæa rudis quia non intelligit, errat,
Messiæ regnum corporeum reputans.
Christicolas dic consimiles, qui temporis hujus
Quicquid in ore sonent, prospera corde petunt.
Divitias, si delicias, si præstet honores,
Christus honoratur conditione fori:
Deseritur finis igitur, quia spiritualis.
In Christi cultu murmure crebra tonant.
Ecce tot annis jam colo Christum, langueo pauper,
Mæstus, inops, gaudet perfida gens opibus.
Surgere de tenebris hortatur Epistola Pauli,
Hæc Augustino versio mira fuit.

Advenis, Andræa, decor, & vir plenus amore,
Cui crucifixus amor, cui Cruce vita venit.
Fortis amor Crucis, est superans mortem, quia vivum
De Cruce deponi fortis amor vetuit.
Testis ad extremum lux emicat, & tua vox est,
Jam Dominum video, qui vocat ad patriam.
Primus ut instituit animam, corpus dedit aptum,
Corpus peccati fit modò carcer ei.
Rem, sed non causam, vidit Plato, sive Poëta,
Emendanda tamen corpora non capiunt.
Accipiunt sancti, velut Andræas, cupiunt se
Corporibus solvi, restituenda sciunt.
Eligit electum gratis Deus, attamen ipsi
Traditur electo gloria pro meritis.
Electis igitur non est operatio frustra,
Par, vice conversa, dicito de reprobis.
Mirandas hominum facies, super astraque terram
Dæmon, ait, Christum, corruit ad reliquum.
Orat ut Andræas, Nicolaus luxuriosus,
Sobrius, & castus, salvus & efficitur.

Omnia sunt scripta spem consolantia nostram,
Est solamen in hoc themate Theologum.
Spem facit, summam tua desperatio summa,
In se qui sperat est maledictus homo.
Conjungenda tamen operatio mira videtur,
Hæc sententia, sed gratia firmat opus.

Actu peccati cogit Deus, & sinit esse
Culpam, mox ora tollat utrumque Deus.
Tollat, si desit actus, si non sinet esse
Culpam, teque statim gratia sanctificet.
Cessat murmur ita, neque mens contraria fiet
Velle Dei, dic, fac quomodò vis, Domine.
Vult bona nos facere benè talia, taliter orans
A Sic facit, & quod sit tunc tamen esse nequit.
Projicit ut ficus grossos, ita plurima cœlo,
Stella cadet terris, glossa modos aperit:
Glossula si desit hic textus ridiculus fit,
Philosophis sciolis, ac rudibus timidis.
Depereant igitur laïci, qui simplici textu
Utendum dicunt, Clerus & ejicitur,
Vult intelligere priùs, & post credere quisquis,
Huic sacra Scriptura nil nisi scandala dat.

Tempus judicii quorumdam calculus ausus
Dinumerare fuit falsidicus nimiùm.
Calculus à Christo dum scanderet astra recisus,
Tempora namque Pater ut voluit posuit.
Scire diem finis mundi quid sollicitaris?
Hora tui cùm sit tam propè Judicii.
Quin & principia de multis rebus iniquè
Quærere, vel nocuum, testis Apostolus est.
B Discors in numeris interpres lingua videtur
A numeris, quales textus Hebræus habet.
Concordare tamen scit, spiritus omnia sanctus,
Si non scire datur, credere sat tibi sit.
Ritibus innumeros fallacis dæmonis annos
Plus centum mille millibus annumerant.
Sunt qui salvare nituntur mensibus annos
Nomina potentes, nec tamen ista valent.
Omittit Genesis de multis progeniebus,
Quas dicit primùm conglomerasse Cain.
Non ego, sed noster istud scit solvere Doctor,
Dicit Judæus, tu quoque dic simile.

Nil impossibile fuit, est, erit, Omnipotenti,
Tam nova, quàm vetera, gestat in arbitrio.
Finis & est Legis Christus, mysteria cujus
Edocuit duplici dans in amore statum.
Captivare jubet intellectum simul omnem
Obsequio Christi Doctor Apostolicus.
C Discipulos monuit exercerent pietatem,
Non intendentes Judaicis fabulis.
Credo magis Moysi modò propter testificantem
Christum, conversa quem vice credo Jesum.
Immortales Lex animas si tradit apertè,
Cur viget inter eos secta Saducaïca?
Lex verò Christi manifesta traditione,
Spemque, Fidem, vita perpetua tribuit.
Huic intende sagax scrupulos, phantasmata si dant,
Despice, fit velle credere, pro merito.
Orando potiùs Fidei tu pace frueris,
Quàm perscrutando, vive pius Domino.
Qui potuit mundum Fidei mox Lege tenere,
Hic potuit mundum multiplicare citò.
Explicuitque modos, quantùm satis esse beatam
Quærenti vitam noverat, & voluit.
Scandala tradiderit Evangelium tibi nulla,
Christo, qui docuit, teste, beatus eris.

D Spiritus & sua mens puerum perdunt aliquando,
Et sanctum Domini crimine mortifero,
Quærant per triduum, quod agunt, si pœnitet ipsos
Contritos, fassos, atque satisfaciunt.
Perditur, aut potiùs quasi per milliaria distat,
Per triduum voti comperiunt triplicis.
Spiritus & sua mens, dum contemplantur idipsum,
Templo cœlesti comperiunt Dominum.
Sit triduum, cujus est prima dies alienis,
Nullis in curis sollicitos fieri.
Altera multivago phantasmate posse carere,
Tertia lætitiæ spiritualis amor.

Nos

Nos etenim Templum Domini sumus, ac tibi Christum
Per triduum triplex fas reperire Jesum.
Hoc triduum triplex signatur in ordine trino,
Mortalis vita triplificante gradu.
Nazareth adveniunt Joseph, & Mater, comes almus,
Subditur ambobus obsequiosus eis.
Subditur, ô qualis dignatio, quanta decoris
Gloria, sunt annis octodecim pariter.

EX obitu Joseph, atque Jesu, viduata Maria est,
Una sibi custos gratia disponitur.
Mentem transcenso carnis phantasmate sursùm
Sola Deo sociat gratia, gloriave.
Etsi cognitus est quasi per carnem Jesus antè,
Non jam per carnem notus ei Deus est.
Obsequitur tamen in senio Jesus, atque ministrat,
Cœlestis mensæ delicias patrias.
Accipito mensam, non carnis, sed fruitivas
Unius, & trini, delicias animæ.
Transit enim Christus, quià se mediante venitur
Ad Patris mensam, quà cibat ut Deus est,
Corporis & carnis perceptio sacra figurat,
Speratas Patris perpetuas epulas.
Inventum retine puerum, ne perdat Herodes.
Glorius aut mundus, aut vitiosa caro.
Arca Dei typice mens sacrificantis habetur,
Idolicus Dagon non societur ei.
Ignis in altari sacer est, caveas alienum
Mittere, ne pereas percutiente Deo.

TUrbis in mediis eremus fuit in Genovefa.
Octo per decades virgine vita fuit.
Cantica mos habuit suus æstimo dulcius illa,
Quæ Salomon cecinit, corde sonare pio.
Nigra prout casula cedat extrà servo decorem,
Interiùs pelles ut Salomonis habens.
Pugnarunt in me geniti propriæ genitricis,
Viribus addentes deserui propriam.
Tu mihi dic, anima mea, quem dilexit amicè
Pascis ubi, vel ubi meridiè recubes.
Nolo vagari post pecudes, quascunque sodales,
Chare, tui pascunt, dux mihi solus eris.
Ubera sugentem matris, quis det mihi fratrem
Te foris inveniam, solus, ut oscula des.
Apprehendam te, ducamque domum genitricis
Intrò cubile meæ, meque docebis ibi.
Pocula de vino tribuam, conditaque mustum,
Malogranata, quod mea pressa fluunt.
Ejus læva meo capiti supponitur, atque
Stringet in amplexus se sua dextra meos.

NAtio Franca sui Guillelmi festa decorat.
Cui & hoc ideò gesta fuisse ferunt.
Febricitans tremit, in culpas cur urgeor, inquit,
Febris & interior in maledicta fremit?
Paule, prior solus deserti cultor haberis
Dira fuge causa faustula facta fuit.
Fonticulus potus fit, palmaque vestis, & esca,
Corvus fert panem quotidiè medium.
Paule, genu flexo moreris, tuus astra penetrat
Spiritus; Antoni, talia visa refers,
Effodiunt tumulum fremitu quasi flente leones,
Frugalis vita dona tuis tribue.
Illustris Doctor, Hilari, mysteria libris
Unius à trini scis reserare Dei.
Vultu fac hilari mea mens sit Doctor Hilari,
Vincit luciferum mens hilarata ferum.
Cœlitùs immisso Regem dum Chrismate sacrat,
Remigius, viguit multiplicata fides.
Dulcis Remigi, freta remigat effera remis
Spiritus invalidis, sis sibi remigium.

ANtoni patris, Augustini, tua vita
Lecta dedit, Christum totus ut esset amans
Dæmonis insultus miros perpesse rogamus
Fac prece nos ejus vincere vimque, dolos.
Annonam tibi cum Paulo corvus duplicavit,
Post animam Pauli scandere celsa vides.
Horrendum curare sacrum tibi dat Deus ignem,
Totaque laude tua terra repleta sonat.
Palpitat extractus ab aquis piscis malè vivit,
Interius Monachus exiliens ab aquis.

A AGnes zelotes Christi, lepraque fugatrix,
Vita leprosa tuo sana sic auxilio.
Ecce duos video validi quos urit amoris
Vis nimiùm, sævus hic amor; ille pius.
Visio solamen charis præclara ministrat,
Flentibus, & sua se gaudia flere vetat.
Dilectrix Agnes agni mitis per amorem,
Quæ Salomon cecinit Cantica sæpe refers.
Vulneror & languet flammanti mens ab amore,
Flores cum malis mox adhibere mihi.
Esset in accubitu dum Rex, afflavit odorem
Nardus grata suum, plantula parva calens.
Alloquitur dilectus eam, laudatque vicissim,
Ter pulchram dicit, quod latet intrà silet.
Assimilavi te quasi sis equitatus amica,
B Inter currus, quos sævus habet Pharao.
Pulchritudo genas ut turturis ornat utrasque,
Sponsa, tuum collum pulchra monilia sunt.
Murænas auri faciemus vermiculatas
Argento, quæ sunt sensus, & eloquium.

NOva luce suum dùm februus exit in orbem.
Transmare dicuntur festa Joseph colere
Signat & hac nostra pia, sed rudibus Josephina
Exametris texta, mystica multa canens.
Sis Josephina soror mea, dux mea, lux & amoris
Arra, Jesu, Matris Virginis, alme Joseph.
Quomodò tres olim fuerint domus, una peregra,
Nunc domus ætherea tu, Josephina canis.
Posce vices referant, pete, cœlis me peregrinum
Suscipiant, Patris consocientque domo.
Mansio sat fuerit quæcunque novissima Patris.
Altis æquari qui nequeo meritis.
C Tu mihi jure locum retines, Josephina, sophia
Est tibi fas laudes appropriare suas.
Tu mulier fortis, Salomon, quam carmine scripsit
Alphabetizans, Cantica quam resonant.
Est carmen totum sapientia, nam sapiens est
Vir Joseph, atque puer, mater, & est sapiens.
Spiritus unus eos conjunxit, vivificavit:
Spiritus istorum sit, Josephina, tuus.

QUam bonus & suavis, Josephina spiritus idem.
Multus, & est unus, cor Josephina reple.
Subtilis, penetrans, renovans, stabilis, tamen, omni
Mobilior motu, cor, Josephina, reple.
Rore salutifero siccatas comple mentes,
Germine fecundo, cor, Josephina, reple.
Quisquis adhærere tibi vult spiritus unus,
Vivit in Christo, cor, Josephina, reple:
Pulchra columbinis oculis formosa venustè,
Simplex aspectu, cor, Josephina, reple.
D Te puer & juvenis, te nunc ætate senili
Quæsivi sponsam, cor, Josephina, reple.
Deliciosus amor, & soror, & dilecta sophia,
Amplexu casto, cor, Josephina, reple.
Simplificans animam convertis ad interiora,
Dilatasque simul, cor, Josephina, reple.
Immaculata manes, in te fœdum nihil intrat,
Ejiciens sordes, cor Josephina, reple.
Assimilas uni, trinoque Deo, facis unam,
Quousque tuos animam, cor, Josephina, reple.

TEstibus oranda fueras, Josephina, decoris,
Pro modulo nostro panniculos dedimus.
Permanet internus decor, integer, inviolatus,
Respicit hunc solum spiritualis homo.

Symbolicis uti si nominibus placet, amplam
Materiam laudis quolibet invenies.
Colla, supercilia, frontem, crines, oculos, os,
Dentes cum labiis, naribus adde genas,
Brachia cum manibus, mammas, & pectus amoris,
Venter, crura, pedes, omnia labe carent.
Vitis, oliva, rosa, thus, balsama, myrrha, cypressus,
Palma virens Libani, cedrus odora decens,
Hortus conclusus, fons signatus, puteusque
Plenus aquarum, quas fundit ei Libanus.
Punica mala struunt paradisum deliciarum,
Libia fert vallis, fert & ager nitida.
Filia, sponsa, soror, Regis dilecta supremi,
Currus, quadriga, nardus odorifera.
Quid multis moror? Es lignum vita, quod in ævum
Vivere dat, quaso, cor, Josephina, reple.

FEsta, Joseph, Josephina trahit tringinta per annos,
Vel propè cum sponsa, dum peregrinus erat.
Mysterium loquitur incarnati quoque Verbi,
Usque Joseph mortem fine quiescit eo.
Pertrahit hanc animus speculantis longiùs usque
Secula, qua cœlis perpetuata manent.
Una domus terris Joseph, & Jesus, atque Maria,
Nunc Patris æterni cœlica regna tenent.
Una manet Josephina, licet varientur in ipsa
Tempus, & ætates & status, atque loca.
Cor speculantis eam deducit jugiter aptè
Ad meditanda novis assiduè studiis.
Ingenium solers exercet, tædia tollit,
Hæc fastiditis est requies animis.
Colloquio suavis, revelat sermone viantis,
Cordeque sincero, flammat amore Dei.
Scripturas aperit, sensus exponit earum,
Intellectus agens clarior efficitur.
Influit allapsu secreto faucibus imis,
Manna, favos, lac, mel, cor, Josephina, replet.

DE tribus hoc nostrum modulatur carmen, amicum,
Appropriat nomen cur Josephina sibi.
Nonne Marianam poteramus, vel Jesuinam,
Appellare sacram, nomine præcipuo.
Et poteramus ita, sed vir caput est mulieris,
Et Jesus ambobus subditus ultrò fuit,
Adde quod una domus fuerat curanda per unum.
Patris œconomici sollicitum studium.
Ampliùs unus erat ipsis animus, caro, mens, cor
Sponso cum sponsa natus erat medius.
Nazareth oppidulo viginti quinque sub annis
Nostra parùm motis fit Josephina comes,
Conscia secreti magni, quod Virgo retractans
Corde pio confert cum Joseph, atque Jesu.
Quicquid ibi rosonat Jesus est, Joseph, atque Maria,
Solus & afferret an Jesus omne bonum?
Junge quod augmentum *signat Joseph, &* peregrinus,
Se bonus extendit anteriora petens.
Omne bonum satiare potest, aliud satiaret
Particulare nihil cor, Josephina, replet.

QUis dederit tales affatus noscere quales
Conjecturali das Josephina nota.
Fas spirare tibi divino Pneumate plenè,
Nunc hoc, nunc illud mysteriale sacrum.
Nunc agis a claris in clara cor aspicientum
Per speculum clarum, vel per ænigma latens.
Roras nunc etiam de cœlis, & pluis hos tres,
Mentibus inspirans qua coluere colant.
Amplectens stringis, refovesque sinu benedicto,
Et desiderium spontè suum satias.
Sic Abisac Patris incensum gelidos Patris artus,
Grata ministratrix casta puella fovet.
O mihi si talis dignaberis esse ministra.
Blanda senem recreans, ô Josephina, tuum.

Divitiis, opibus, alius quærit satiari,
Seque replere putat: dives inanis eget.
Gloria multorum cor, gloria vexat, & angit:
Vanaque, quid mirum! nulla replere queunt.
Ex qua parte volet, & quantum volve, revolve,
Nulla quies, si non cor, Josephina replet.
Vel *corda Sophia replet,*
Sicut poterat poni in omnibus præcedentibus loco istius, *cor, Josephina, replet.*

A *DEsponsata Jesu Mater Joseph alma Maria*
Sponsi Festa tui fac colat Ecclesia.
Dicitur octavis hypapanti concelebrari
Trans mare condignis mors Joseph obsequiis.
Cis mare dignus erat recoli Festo speciali,
Virgo tuus sponsus Jesu.
Ast alibi colitur quarto denoque calendas,
Jam vel totidem sicut Aprilis hebet.
Francia qua polles superanti nomine Christi,
Cur devotio fit hìc tua posterior?
Saltem quisque suo templum sibi corde sacratum
Dedicet, hoc fas est cuilibet, & facile.
Vir Joseph illustris, virgo, justusque Propheta,
Sponsus, dux, testis Virginis, atque caput.
Tu Pater es Christi, nutritor, conscius, heres.
Esto peregrinis dux, via, vita, salus:
Digna tuis meritis tibi nos præconia dignas
B *Virgineo laudes fac dare conjugio.*

COnscia secreti sapiens Josephina, superni,
Quæstio me pulsat plurima, solve, precor.
Quæstio præcipua, terris si virgo viatrix
Undique perfecta plus Gabriele fuit.
Affirmativam pietas materna videtur
Ponere, namque Deus solus eam superat.
Oppositum probat ignorantia, passibilitasque
Matris, cui nec erat visio clara Dei.
Et docet hanc Gabriel trepidam, solatur an ipsum,
Perdidit ignara per triduum puerum.
Quid quòd & ipsius animam pertransiit asper
Morte Jesu gladius, vaticinante sene.
Scire tuum non est, respondit sacra sophia,
C *Omnia mysteria, qualiacunque dabo.*
Virgine Matre fuit virtus, habitus status ipsi
Tunc status in terris quam Gabriele minor.
Virtus ac habitus quos gratia destinat illi,
Gratificans, Matrem celsius arcè locans.
Attamen includunt scrupulos prædicta, fatemur,
Difficiles, tibi sunt ista notanda prius.
Est naturalis, est carnalisque voluntas,
Tertia sit duplex qua ratione viget,
Hanc absolutam dic, & sub conditione,
Seu desiderio, format eam pietas.
Prima duplex ex se nunquam peccare valebit,
Cui tamen interpres esse solet ratio.
Absoluta Deo semper conformis oportet
Sit ratio, pietas nulla repugnat ei.
Conditio salvat se supponens rationi,
Velleque divino, sic Jesus edocuit.
Porrò qui nescit non est ideò vitiosus,
D *Si non ignoti debeat esse scius.*
Omnia quæ novit Dominus, res nulla creata
Scire valet, multis pœna nec est vitium.
Purgant, illustrant modò perficiuntque Hierarcha
Majores imos, nulla tamen macula est.
Missus ab excelsis actus afferre Hierarchos,
Sic fuerit cordi virgineo Gabriel.
Rursùs multorum Virgo si nescia mœrens,
Quid mirum? tristis Filius ejus erat.

TRistitiam dat ars; res adversata volenti
Qaliter hoc potuit esse volente Deo

Hoc

Hoc pietas potuit se salvans conditione
Apposita, de qua multa loquenda forent.
Est de notitiis distinctio plurima, quamdam
Experimentalem jungimus ad reliquas.
Proficiens in ea Christus.

Tantumdem repertum est de Carminibus his Lugduni in Conventu Cœlestinorum.

CENTILOGIUM
EJUSDEM CANCELLARII
DE
MEDITATIONE
CRUCIS

Cujus pars magna habetur inter carmina super *Magnificat.*

EXaltavit, ais, humiles, ô virgo beata
Mundi quam Dominam magna potens statuit.
Cur? Quià respexit humilem Deus, ut tuus esset
Filius, & Matris subditus imperio.
Gloria suscepit humilem sublimior ex hoc
Ipsa novissima sis, proximiorque Deo.
Namque novissimus, & abjectior esse virorum,
In Cruce suspensus esse Jesus voluit.
Propter quod Deus exaltavit eum, sibi nomen
Tale dedit, nomen omne quod exuperat.
Sta modò collige te, mea mens, hinc corrue toto
Prona sinu, signum stringe salutiferum.
Tolle jugum Crucis hoc, à quo divellere nullus
Prevaleat casus, dic, crucifixe Jesu.
Fasciculus myrrhæ mihi dilectus meus, inter
Ubera constringet se mea, suavis amor.
Oscula det labiis, ungat, trahat, afflet odorem
Intùs, & in cellas ducat aromaticas.
Amens quo raperis, mea mens, quæ digna flagellis
Oscula vis, cujus terra tremit tuitu.

PArce precor rapit en pietas inspecta supremam
Quæ majestatem non finit, ut verear.
Brachia distendit, vultum declinat, apertum
Per latus ostendit se cor amore mei:
Frigidus, ingratus meus esset amor, per amorem
Si talem minimè flexus amaret eum.
Majestas, fateor, retrahit si conspiciatur,
Carne tegit sese, sola patet pietas.
O pietas, quæ nec colaphos, nec sputa, flagella,
Clavos, nec mortem respuit ecce Crucis.
Jam nec amore mei languet, neque vulnera sentit,
Mortuus in dura sed Cruce pendet adhuc.
Mortuus amplexu se quomodò subtrahet, aude,
Mens pia, conjungi cum pietate sua.
Os dare quid refugis? cur non in amore liquescens
Tota fluis? cur non Crux madet ex lachrymis?
Ipsum fortè tenet flentis gremium genitricis,
De Cruce depositum flens sibi compatere.
Saxea mens nimis est, adamateque durior atro
Talia quæ spectans mollior esse nequit.

TAnge, Jesu, virga totiens Crucis, ut lachrymarum
De cordis silice largior unda fluat.
Marmore frigidius, ô cor, quod tantus amoris
Non rogus accendit, stasque gelu rigidum:
Flammivolis saltem scintillis te ingerere cor.
Quæ Crucis ex omni parte vides saliunt.
Incipe percutere, primisque novissima junge.
Singula quæ patitur Virgo, Jesusque nota

Una tibi poterit scintilla, nisi reprobus sis,
Ignem de lignis, crede, Crucis parere.
Adjice sarmenta vitiorum, quæ resecabis,
Junge, quasi ligna plurima dona Dei.
Lucam, cujus adest celebris lux, perlege, Lucas
Trinis cum sociis gesta Crucis reserat.
O Luca felix, qui vivendo studuisti
Morte Crucis corpus mortificare tuum.
A *Crux Petrum revehit ad cœlos, & Cruce frater*
Tu suus, Andræa, lætus alacris obis.
Stigmata Francisci Seraphim sub imagine fixit,
Ut mors fortis amor, flammeus, ac penetrans.

TU Bonaventura Crucis hoc succensus amore
Quod fueris nomen, & tua scripta docent.
Indicat hoc picta tumulo propria Crucis arbor
Lugduni qualem plurimum Orbis habet.
Ejus ad exemplum strictim Crucis acta repone,
Qui videas oculis, corde, vel ore legas.
Nidulus esto tuus Crux tutus, pulcher, amœnus.
Intra quem foveas pulliculos operum.
Christus obumbrabit sub pennis, bruma, nec ardor,
B *Nec poterit milvus esse satan nocuus.*
Adde, quòd ex omni regionis parte subibit,
Flans pius affectus, flamine carmen agens.
Carmen ab interno cordis resonare docebit
Gamma novum, punctis quod Crucis inseritur.
Cantica delectant si talia lector abundè
Sub duplici lingua comperies alibi.
Crux est activis, Crux theoricis speculanda,
Sorte non æquali, nec oculis paribus.
Martham sollicitans pars circa plurima turbat.
Dum pro parte sua sola Maria sedet.

LIppi sunt oculi Liæ, claro sed ocello
Rachel amicitior cernere diva potest
Vivat parte sua quavis contenta sororum
Alternare vices, gratia ni dederit.
Gratia quod non dat nemo feliciter audet,
Gratia rara nimis mente vacare Deo.
C *Corpore vestivit ideò se Christus, ut esset*
Ad divina tibi dux, via, scala, status
Corde tenens Christum per sensus carnis habere
Tecum crede Deum, quod satis ad meritum.
Theoricos humilis, quos non datur hic imitari,
Collaudes, & erunt præmia certa tibi.
Stringe Crucis malum, si non potes alta tueri,
Ad patriam ducet te ratis Ecclesiæ.
Sit theoria Crucis inspectio crebra,
Sufficit en sanguis pulliculis aquilæ.
Dum Crucis accubitu Rex est, tua nardus odorem
Spirat, si fuerit plantula parva calens.
Impositas laudes prius & devotiùs imple,
Præcipuum ratio vult opus esse Dei.

ECclesiæ vocem loqueris quæ fortior est, vim
Nescio quam dat ei, qui regit Ecclesiam.
Psallas attentè, sapienter psallere jussus,
Post intende tuis, vel meditando sile.
D *Affectus si quando pios devotio gustat,*
Ruminet, ut dum vult, mandet eos notulis.
Nobiliora nimis sacra sunt vascula mensæ,
Sed gustata favis mella placent propriis.
Suspectus sapor est, quem non profert Crucis arbor,
Hortus & ille sacer a phrenesi riguus.
Gratia certa Crucis est, quando repente cor uno.
Mutatur visu, moxque novus fit homo.
Anxius est aliquis curis stimulatus amaris,
Crux animum subeat, solvitur omne malum.
Erigit ad spem, lugentem solatur, & atra
Disparent tenebræ, vis inimica fugit.
Effugat à se tristitiam mens læta malorum,
Jam meminit, quæ se præteriisse videt.

Pes-

Peccatis Deus indulsit quia pœnitet, ergo
Sobria lætatur jure dolore suo.

MOs habet, ut fœdis in amoribus illaqueati,
Crebro voluptates præteritas recolunt,
Hic locus est, hoc tempus adest, modus ille jocosis
Dum desideriis perfruor ipse meis.
Dona Crucis plus verus amor suscepta recenset
Gratus amatus se quo magis afficiat.
Hic locus, ista dies, fuit hæc oratio talis
Gratia quando modis se dedit in variis.
Ergo præcipue satagas semper memorari.
Suaves affectus, quos tibi Crux peperit.
Aspice magnete ferrum spectare videbis
Usque polum, tua sit mens ita fixa Cruci.
Mens affecta fide Christo se dirigit, & spes
Erigit, amplexum porrigit verus amor.
Tunc phrenesis reficit, pax dicit, sufficit, unit
Gloria, perficiens perficiendo cadens.
Casus & occasus felix, quia semper in ortu
Permanet, & mira fit novitate placens.
Visio non tædet, recreatque fruitio visi,
Esurit, & satur est, semper edens quod habet.

DIlige tota mente Deum pro te patientem,
Atque Redemptoris immemor esse cave
Dilige toto corde pio, puroque, nec ullis
Errorem nebulis obtenebrare sine.
Dilige tota sic anima, spontaneus ultro
Quod facias hilaris, quæ jubet ipse Deus.
Fortiter ergo Deum, sapienter, suaviterque omni
Dilige virtute, viribus omnimodis.
Sit timor ut Domino, sit honorque Deo, sit amatus,
Ut taus est totiens se vocat esse tuum.
Ditius esse nihil poterit, quis ditior heres:
Quam cui de summo dicere fas, meus est.
Interiores se jungunt sensus deitati,
Objectum deitas, cuique fit ut proprium.
Lux oculis splendet, quam non locus accipit usquam,
Attamen in nullo deficit ipsa loco.
Dulcisone resonat sine tempore, spirat odorem,
Aere qui nullo stabilis inseritur.
Ac proprie cibus hic reficit, qui vescitur illo,
Esuriet nunquam, non iterum sitiet.

HÆret in amplexu casto, præbetque frui se,
A quo divellunt tædia nulla sui.
Interpres clausos aperit sensus vice linguæ,
Expedit ut vires jussa paterna sequi.
Suave jugum mitis, humilisque Jesus tibi fecit
Esse Crucem, post se quotidie fer eam.
Morsibus horrescis perimi serpentis iniqui,
Hunc ligno fixum respice, tutus eris.
Devius esse times variarum ambage viarum,
Crux iter ostendit, ducit & ad patriam.
Pinge Tau *frontem, nec te gladius jugulabit,*
Hac Cruce signatus civis erit superum.
Bella fremunt, profer certi vexilla triumphi,
Visis hostis eis protinus effugiat.
Dæmonis ars, & mille modis versutia tentat,
Pinge Crucem veluti fumus inanis abit,
Cœlica lux veluti jocunda serena micarent,
Mentem tranquilla pace frui tribuit:
Antonium talis, Augustinumque beavit,
Lux, & quamplures desuper irradians.

FRuctus honore fuit Adam tali, quod ab arce
Mentis in æterna primitus respiceret.
Mole modo premitur, & carcere carnis oportet,
Corporis assensu quærere vera prius.
Sacra repræsentat super omnia hostia sensus,
Signa vel objecta mystica dona Crucis.
Est foris, est intus virtutum regula, libro
Christi pendentis sanguine scripta suo.
Est modus hic omnis divinus scriptus amoris,
Chartam non aliam quære necessariam,
A *Cesses jam petere sponso pia mens ab amico.*
Pascit ubi vel ubi meridie recubet.
Ecce Crucem cerne, neque sic vaga post alienos
Custodes pecorum, nec malus error agat.
Hœdos despiciat fœdos, fictosque sodales,
Dic Christo, pastor tu mihi solus eris.
Finis legis amor Christi de corde sereno,
Dum bene conscia mens, dum neque ficta fides.
Christus homo Deus est, hunc ergo time, sua servans
Jussa pio corde, fac ita, salvus eris.

Finit editum per Cancellarium in die beati Lucæ, Anno Domini 1428. Lugduni.

EJUSDEM CANCELLARII

C

CARMINUM SUORUM HONESTA DEFENSIO

Decantata Lugduni vix. xii. dies antè vitæ consummationem.


VIdit livor edax, ut mea carmina.
Despexit, nitida veste carent, ait.
Nec pulchris facies picta coloribus,
Vox est rauca, sonans parum.
Ornatus varios, si meretricula (*,*)
C *Nil virtutis habens, nec solidum bonum*
Quærit, quis stupor est? Sat sibi si placet
Fallax, alliciens procos,
Fucatos oculos hæc stibio gerit,
Comit Cæsariem, lubrica conspici
Assuescit, placidis blanda, procax, vaga
Quos prostituit enecat.
Ast matrona gravis, casta, pudicaque,
Cui nativus adest color, & decus,
Ut prosit satagit seria moribus,
Sponso quod placeat studet.
Totam composuit cincta modestia.
Cultum net proprium, nent famulæ simul.
Linum lanasve non petit extra,
Solers artifica manu.
Non nequam, petulans, subdola, fractaque
D *Vox, sed suave sonat, cui rigidus tonus,*
Vivax ex oculis cœlica lux micat,
Sancta prole beatior.
Frugi mensa sibi, splendida, sobria,
In qua psalterio Rex David insonat,
Hymnos imparibus quos numeris ligat
Metris carmen amicius.
Carmen tale cano, sit procul ethnica,
Mendax musa strepat his, quibus est Venus,
Aut Mars delicia, vanaque numina,
Noster solus amor Jesus: *Jesus.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

ANAGOGICUM
DE VERBO
ET HYMNO GLORIÆ.

Collat. ad Codd. MSS. Victorin. 699. *Colbert.* 1356. *Gallicè: & Navar. unum.*



LORIA *in excelsis Deo, Patri, & Filio, & Spiritui sancto.* Nihil enim potest aptius præferri, volentibus nobis de verbo & hymno gloriæ sermonem mysticum, vel Anagogicum facere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et quia *Sapientia* Prov. IX. 3. mittit *ancillas suas vocare ad arcem*, quam divinus Dionysius vocat mysticorum eloquiorum superincognitum, supersplendentem, & subtilissimum verticem. Incipiamus velut ab infima sapientiæ ancilla, quæ est Grammatica, præsupponentes ex ea, quòd secundùm nominis interpretationem gloria est *quasi clara, scilicet cum laude, vel honore notitia.* Est autem honor *exhibitio reverentiæ in signum virtutis*, soli autem Deo honor, & virtus. Præsupponamus insuper ab eadem ancilla sapientiæ vocantis ad arcem, quòd tres sunt gradus notitiæ gloriosi Dei, videlicet positivus, comparativus, & superlativus. Et hoc aliter, & aliter, secundùm duplicem statum, quorum unus est viatorum, alius comprehensorum, prout infra patebit deducendo, prout insuper secundùm hos gradus, positivum, comparativum, superlativum; clarè patet verbum gloriæ. Primò, secundùm mysterium regni Dei. Deindè, secundùm mysterium Fidei. Rursus, secundùm gloriam Dei æterni. Ulteriùs denique multipliciter, secundùm tempus, & locum, & modum beneplaciti tui Deus, laxando in verbo tuo rete verborum nostrorum.

Gloria Patri, cum Filio, & Spiritu sancto: tanquam clara notitia, & lux *lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Joan. I. 5. Est autem triplex tenebra. Una culpæ. Alia pœnæ, seu miseriæ. Tertia defectibilitatis naturæ. Prima in peccatoribus. Altera in viatoribus post peccatum. Tertia in omnibus etiam beatis citrà Deum. Gloria autem Deo de superlativo gradu, & vertice sublimissima, & superincognita qui est pelagus entis infinitum, qui *inhabitat lucem inaccessibilem*, I. Tim, VI. 16. cui soli honor & gloria: cui soli debetur exhibitio suprema reverentiæ in signum virtutis infinitæ. Sufficiunt intellectuali creaturæ duo gradus cognitionis divinæ, qui sunt positivus, & comparativus. Tertius verò superlativus in quadam caligine, & silentio veneretur. Sciatur denique, quòd *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, quemadmodùm triplices sunt modi tenebrarum. Unus culpæ. Alius pœnæ, seu miseriæ. Tertius defectibilitatis naturæ. In peccatoribus primæ. In viatoribus secundæ. In omnibus creaturis etiam beatis tertiæ.

Quamobrem concludimus cum Sapiente, quòd omnis *perscrutator majestatis* alius à Spiritu sancto, qui etiam perscrutatur profunda Dei, *opprimetur a gloria*, Prov. XXV. 27. peccator infeliciter, viator bonus salubriter, comprehensor vel apprehensor, in patria feliciter.

Gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto: secundùm mysterium regni Dei describi potest, quòd *est notitia per ignorantiam habita, secundùm unionem supra mentem.* Hoc est expresse Dionysii, quam possumus sub aliis verbis tradere, quòd est unio defectiva vel defectio unitiva in cognitione, & amore Dei: sic est enim defectio unitiva in voluntate sicut in intellectu. Circa quod attendendum juxta triplicem gradum comparationis grammaticalis in metaphora fundatam, quòd defectio, seu privatio, vel tales termini dicentes negationem in hac materia, non accipiuntur, nisi prout negant vel privant gradum superlativum, vel simpliciter sicut in beatis, vel respectu cognitionis, vel fruitionis gloriæ pro statu viæ. Alioquin manifesta esset contradictio, neque diceretur plus anima cognoscere per eam, quàm lapis aut asinus: propterea non dicimus, quòd sit defectio solùm; sed quòd est unitiva defectio, vel unio defectiva.

Gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto: præexigit hominem esse fidelem Christianum. Hujus signum est, quòd divinus Dionysius incipit hanc notitiam per orationem ad beatissimam Trinitatem: *Trinitas*, inquit, *superessentialis, & superDeus, & superoptimè Christianorum inspector Theosophiæ, dirige nos* &c.

A Notetur in primis invocatio Trinitatis, cujus non habetur in via cognitio, nisi per Fidem saltem, non per gloriam. Est igitur hæc notitia, & invocatio non ad sensum, sicut constat; non ad imaginationem; non ad intellectum viatoris. Est igitur per Fidei mysterium.

Gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto: secundùm mysterium jure vocatur *Theosophia* Christianorum accommodatiùs quàm *Theologia. Theosophia* si quidem dicitur magis à *sapore Dei*, quàm à *logos* quod est *sermo*, unde Theosophia nominatur quasi *sapor Dei.* Hoc vidit qui dixit, sapientiam esse secundùm nomen suum quasi *sapidam scientiam.* Tribuit igitur divinus Dionysius magisterium hujus Theosophiæ ipsi beatissimæ Trinitati, vocans eam inspectorem Theosophiæ Christianorum. Ubi enim amor, ibi oculus & inspectio. Provenit autem ex amore Dei benigniter inspiciente Christianos cognitio, secundùm mysterium, quæ est unitiva defectio: propterea primo capitulo in litera post orationem ad Deum, & exhortationem ad Timotheum

B sic ait: *Hic autem vide, quomodò nemo indoctorum auscultat* &c. vocat indoctos, paganos, idololatras, & Philosophos imaginantes suâ scientiâ Deum posse comprehendi, qui tamen posuit tenebras latibulum ejus.

Gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto: secundùm mysterium Fidei in viatoribus potest dicere negationem seu privationem cognitionis Dei, secundùm duplicem gradum superlativum; & hoc vel simpliciter sicut in beatis, vel secundùm quid, & comparativè, respectu tantummodò Theosophiæ beatorum, qui per mysterium Fidei non cognoscunt. Notatur autem ista negatio, seu privatio, vel defectio per hanc præpositionem *super*: exemplum statim in primis tribus adjectivis additis ad hoc substantivum *Trinitas*, quæ sunt superessentialis, superDeus, superoptimè, secundùm tria quæ appropriantur Trinitati. Essentia, vel unitas, quoad Patrem; provida deitas quoad Filium; & optima deitas quoad Spiritum sanctum. Constat itaque quòd si essentia, deitas & bonitas accipiantur secundùm gradus

C cognitionis Dei primos, positivum scilicet & comparativum; competit viatoribus talis cognitio, sed non in superlativo gradu, qui est positivus, & comparativus in beatis, quantò minùs superlativum Dei gradum simpliciter comprehendit.

Gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto: secundùm mysterium regni Dei, ubi videtur nudè & clarissimè Deus. Hæc tria vocabula, *superessentialis, superDeus, & superoptimè* nequeunt negare, seu privare superlativum gra-

gradum cognitionis viæ, sed superlativum gradum cognitionis patriæ. Quis autem sit iste gradus, patet ex jam dictis. Patet insuper verus intellectus, & concordia Græcorum, & Latinorum, si cum veritate prædictorum judicentur, Latini sana tradentes, & definientes quòd Deus in patria clarè videtur, & nudè, non in theophaniis solis, vel sacris symbolis, intelliguntur quoad gradus positivum, & comparativum gloriæ. Græci verò ponunt, dum ajunt, Deum non videri, cum beato Dionysio in *Theologia mystica : primo capitulo, litera F.* referendo ad gradum superlativum simpliciter, ut in patria, vel secundùm quid, ut in via. In qua de communi lege, impossibile est videre divinum radium, nisi sacris symbolis circumvolutum, vel circumvelatum, vel circumtectum, sicut in exemplo sensibili. Lumen cœli videri non potest ab oculo corporali, si non sit admixtum coloribus vel colorum speciebus.

Gloria Patri cum Filio & Spiritu sancto : secundùm mysterium tàm Fidei in via, quàm regni Dei, non parum elucidatur per traditionem hanc Scholasticam, quamvis efficere nequeat unionem defectivam, seu mysticam. Ratio potissima est vitatio erroris, & confusionis, immò & irrisionis apud impios, & aridos in Lege Dei. Signum hujus est, quòd homines devotioni traditi, & unientes se, vel unire putantes cum Deo, pluries explicaverunt suas devotiones veras, aut fictas, per errores hæreticales, & insanos. Confessi sunt alii, magis sobriè, cognitionem hanc mysticam doceri non posse per Scholasticam quoad explicationem doctrinalem. Prohibuit idcircò eos à conatu vel studio impossibilitas æstimata cognoscendi. Nunc verò doctrinalis secundùm terminos clarissimos, & usitatos, palam facta est traditio sine verbornm involucro, adeò quòd nec apud Christianos idiotas relinquitur ulla contradictionis, seu repugnantiæ nebula. Itaque si quæratur à fideli Christiano, nunquid potest aliquis vel in via, vel in patria, cognoscere, vel amare Deum in tanto, & tam excellenti gradu, sicut ipse cognoscit & amat seipsum? Nonne protinùs respondebit, quòd nihil potest æquari Deo in cognitione, vel amore? Si rursùs inquiritur : possuntne homines tam viatores, quàm beati cognoscere Deum, & amare multis modis? Fidelis hujusmodi non cunctabitur affirmativum dare responsum de utroque statu, suo modo.

Gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto : cognoscitur hîc in via quatuor modis, secundùm quod dicit Dionysius *cap.* 3. *de Mystica Theologia*, Theologiam se quadruplicem dedisse. Unam propriam de divinis characteribus, idest personis affirmativè, ut de Incarnatione Verbi, & hanc non habemus. Alteram de divinis scripsit nominibus secundùm essentiam divinitatis: & hæc apud nos dicta est *De divinis nominibus.* Sub hac Theologia propria continetur tertia pars de substantiis spiritualibus, sicut De *cœlesti Hierarchia & Ecclesiastica.* Tertiam Theologiam nominat *Symbolicam*, qua caremus, nisi quia in locis plurimis tangit multa de symbolis, hoc est, de similitudinibus translatis ad Deum. Quartò, nominat *Mysticam*, circa quam nunc insistimus. Denique notat. *Cap. eodem* 3. & consequenter *in* 4. & 5. & *in epistolis ad Gaium.* &c. VII. *De divinis nominibus* considerationes aliquas huic Theologiæ mysticæ competentes.

„ Una est, quod „ oportet eam esse brevissimam, immò „ non secundùm brevem sermonem, sed sermonis defe- „ ctum, sicut in silentio, & caligine, & otio, & in hoc „ casu super intellectu per defectum nominationis. „ Hoc ibi.

„ Ponit considerationem alteram, quòd procedendum „ est in ablationibus, seu negationibus, ab inferioribus „ ad summa, quamvis fiat processus opposito „ modo per Theologias alteras positivè procedendum. „ Causam reddit in textu manifestè, quoniam magis est „ vita, & bonitas, quàm aër, & lapis, & magis non „ crapulæ, & maniæ non dici, & intelligi.

Tertia consideratio est ad intelligendum difficillima secundùm formam verborum, sed facillima, si præmissi gradus comparationis notentur. Dicit enim in fine capitis ultimi, quòd „ neque est ejus uni- „ versaliter positio, neque ablatio, sed eorum, qui „ post eam sunt positiones, & ablationes, facientes ip- „ sam, neque auferimus, neque ponimus. „ Vocat præterea cognitionem istam esse superlucentem caliginem in obscurissimo, quod est supermanifestissimum. Consonat hæc sententia verbis Philosophi dicentis, quòd *manifestissima naturæ sunt occultissima nobis.* Si verò fiat A comparatio ad nostram cognitionem, tantummodò concordabis per distinctionem triplicis gradus comparationis.

Denique non est hîc contradictio, quia cum dicitur: *Deus est super omne ens & non ens*, ly *non ens* non refertur ad purum ens, quod est Deus; quia tunc esset aperta contradictio, sed refertur ad modum cognitionis, quo creatura potest cognoscere ens quodcunque, quia non nisi finito gradu, pro quo sit verbum sequens.

Gloria Patri cum Filio & Spiritu sancto : secundùm mysterium Fidei in via, immò regni Dei in patria, cognoscitur per ablationem, seu negationem, vel privationem, aut defectionem ab omni eo quod est ens, vel non ens, ad gradum superlativum referendo. Ratio, quia sicut Deus sibi soli secundùm hunc gradum cognoscitur esse, ita sibi soli convenit B secundùm hunc gradum perfectè cognoscere, quid est non esse. Quoniam *oppositorum eadem est disciplina* secundùm Philosophum, propterea nemo perfectè cognoscit non ens simpliciter, nisi concipiat perfectè quid est ens simpliciter, hoc autem solus Deus ipse de seipso novit. Dicitur ergò sua cognitio mystica esse super omne ens, & non ens, undè & in prima Epistola ad Gaium : *Si quis* &c. inquit, *videns Deum intellexit quod vidit, non ipsum contemplatus est, sed quiddam eorum ab ipso existentium & cognitorum. Ipse autem super animum & essentiam supercollocatur universaliter, non cognoscendo, neque videndo; cognoscitur & ipsa secundùm quod melius perfectissima ignorantia scientia est ejus super omnia cognita.* Hæc ille. Constat itaque quòd ista manifestam includunt & non intelligibilem contradictionem, si non sit adaptatio concors, secundùm tres gradus comparationis, quas ancilla Theologiæ Grammatica nobis tradit dictis C modis.

Secunda partitio.

VERBUM gloriæ secundùm mysterium Fidei sæpiùs aperitur, & efficaciùs per dignam Eucharistiæ perceptionem spiritualem, quàm per humanam industriam. Itaque Dominus noster Jesus Christus, cujus Spiritus revelat mysteria, dixit inter cetera (sed Evangelia non explicant) postquam præmisit: *Hic est calix sanguinis mei* Matt. XXVI. 28. *mysterium*, inquit, *Fidei qui pro vobis effundetur.* Expertus hanc efficaciam fuerat, credo, sæpè beatissimus Dionysius, qui post nimia tormenta positus in carcere, sacrum istud mysterium celebravit, cui visibiliter astitit Dominus noster Jesus Christus cum multitudine Angelorum, & seipsum tradidit Sacramentaliter eidem beato Dionysio D dicens : *Accipe hoc, chare meus, quod mox complebo tibi una cum Patre meo: mecum enim est maxima merces tua, & his qui audierint, salus in regno meo.* Subjunxit : *& per quibuscunque petieris impetrabis.* Obsecramus igitur te, Dionysi benignissime, ut nobis impetres reserationem mysticæ Theologiæ tuæ, quantum expedit saluti nostræ. Si enim *voluntate humana non allata est aliquando Prophetia*, dicente Petro, 2. *Pet.* 1. 21. quantò minùs hæc mystica Theologia, seu potiùs Theosophia, quam à conscio secretorum Paulo didicisse putaris, ô Dionysi, cooperante Spiritu sancto in verbo gloriæ.

Ver-

Verbum gloriæ, quod est *magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, vivificatum est in spiritu, & assumptum est in gloria*, quotidiè præsentialiter exhibetur in Sacramento Corporis, & Sanguinis, quod est *mysterium Fidei*. Fides igitur dirigit nos ad mysticas visiones. Spes erigit. Charitas porrigit, & attingit. Deindè sapientia reficit, pax sufficit, gloria perficit, secundùm inferiùs deducenda. Verbum gloriæ secundùm mysterium Fidei in Eucharistiæ Sacramento nos inducit ad gloriam mysteriorum Dei, quoniam manifestatur nobis in carne nostra per sensus corporales exteriùs; & interiùs, dum sub sanctis symbolis dat se Christus palpabilem, osculabilem, manducabilem, imaginabilem. Justificabitur autem in spiritu nostro per illapsum Spiritus sancti, qui diffunditur in cor nostrum. Et sicut unum est corpus verum, quod est res hujus Sacramenti, & signum corporis mystici, quod est unum in eodem corpore, & eodem spiritu, Christus; superest tandem quòd assumatur in gloria spiritus noster, quamvis interim *vita nostra abscondita* sit *cum Christo in Deo*. Sed *cùm apparuerit Christus vita* nostra, *tunc &* apparebimus *cum ipso in gloria*. Coloss. III. 3. 4.

B Verbum gloriæ dum in hoc Sacramento nobis manifestatur *in carne*, dum justificatur *in spiritu*; nunc etiam & hìc præsentialiter assumitur *in gloria*. Omittamus intereà de Deo gloriosas cognitiones, quæ per affirmationes fiunt, de quibus est triplex Theologia, sicut notatum est ex Dionysio una consideratione præcedente; veniamus ad quartam, quæ fit per omnium ablationem, & ostendamus, quemadmodùm Fides erigit ad illam. Dimissis itaque duobus gradibus cognitionis Dei, positivo, & comparativo; Fides relinquatur in pura caligine quoad gradum speculativum respectu patriæ. Quòd si quæratur à Fide: ad quid dirigit spiritum nostrum? Respondebit, ad caliginem. Similiter dum quæritur à Spe: ad quid erigit? Respondebit, ad caliginem.

C Porrò si quæratur à Charitate, cui se porrigit, quid attingit? Cui se unit? respondebit ad caliginem. Denique prosequendo si fiat inquisitio, quid est illa caligo? Quid quæso, habent respondere, nisi quòd est cognitionis privatio, & amoris defectio. Urgeat aliquis ulteriùs perquirens: Quomodò possunt hæc fieri? Num caligo est Deus noster? Nunquid negatio potest esse affirmatio? Nunquid ignorantia potest esse scientia? Nunquid unio fit ad nihilum? Quia caligo quid est nisi privatio? Profectò respondere potuerunt Fides, Spes, & Charitas, quòd non tam agunt, quàm aguntur? Et à quo aguntur? Certè ab ipso Deo, qui caliginem *inhabitat, & lucem inaccessibilem*, non utique simpliciter, sed in suo gradu supremo, qui est superincognitus, & superlucens, & sublimissimus vertex, ad quam nos dirigi orat Dionysius, invocans Trinitatem superessentialem, superdeum, & superoptimum Christianorum inspectorem, & Theosophiæ, cum reliquis sequentibus in textu: Hunc textum expedit repetendo ruminare, propterea jungetur posteriùs ad Anagogicum nostrum hoc de hymno gloriæ.

D Verbum gloriæ secundùm mysterium Fidei, quia supergreditur duplicem gradum cognitionis gloriæ, positivum, & comparativum, in quo se meditantes, & contemplantes exercent tam cognitivè, quàm dilectivè, deficit totaliter in se, & recidit super eum, qui per simplicitatem, & in infinitum est sub se, & per majestatem in infinitum suprà se. Constat antem hujusmodi casum, vel excessum causari non posse nisi ab infinita virtute. Est igitur summa defectio summa refectio, de qua Christus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Matth. XI. 28. Qualiter autem potest spiritus rationalis, & laborans, & oneratus, plùs venire ad Deum Christum, quàm abjiciendo nedum laborem suum, nedum opus proprium, vel alienum; sed deserendo semetipsum? *Quid stas*, inquit Augustinus, & *quid non stas, dum in te stas? Projice te in Deum, & suscipiet te*. Et Gregorius. *Nisi quis à seipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat. Nec valet apprehendere quod supra ipsum est, nisi sciat mactare quod est*. Faciliter autem ista dicuntur, faciliter & creduntur à fidelibus, sed per intelligentiam experiri, hoc opus, hic labor est; immò planè nec jam opus, nec labor, sed actio Spiritus sancti, secundùm tempus, & locum, & modum beneplaciti sui in multitudine misericordiæ tuæ.

Verbum gloriæ secundùm Fidei mysterium, dum agit ut rationalis anima deferat se, & omnia sua; contingit, ut eadem etiam se per negationes gradatim exerceat. Exempli gratia, in Eucharistiæ Sacramento, quod est mysterium Fidei, recogitat fidelis anima, dùm videt accidentia panis, & vini: Est hìc Deus tuus? Non, inquit; sed continet præsentialiter Corpus verum, & Sanguinem Dei mei. Deindè subjungit. Corpus hoc verum, & Sanguis Domini Dei mei, nunquid est Deus tuus? Non, inquit, sed uniuntur Domino Deo tuo. Significant etiam Corpus Ecclesiæ mysticum, quod vivificatur ab uno Spiritu Domini Dei mei, *unum corpus, & unus spiritus*, ait Apostolus. *Ephes*. IV. 4. Subinfert, si corpus hoc mysticum cum corpore vero sit Dominus Deus tuus? Altior, inquit, est Dominus Deus meus, quia nec materialis est, nec finitus, nec temporalis, neque secundùm carnem, neque secundùm spiritum cognoscibilis est hìc in majestate sua. Sic fit tandem, ut deficiat à seipsa per cognitionis defectum, & suscipiatur à spiritu Christi per dilectionis illapsum. Remanent autem quæstiones difficiles, an scilicet rationalis anima sub tali gradu superlativo constituto sentit aliquid? Si agit aliquid? Si meretur aliquid? Si diligit aliquid? Si novum semper fiat, & supernaturale miraculum? Rursùs qualis est differentia talis defectionis, vel abnegationis in via, vel in patria, quia blasphemum videtur dicere, ignorantiam esse in patria, quia nec anima Christi illam habuit in via.

Respondeamus ad singula, conjungentes *α* cum *ω*, initium scilicet creationis cum fine glorificationis.

Verbum gloriæ secundùm mysterium Fidei nostræ tradit, hominem formatum esse ad *ad imaginem, & similitudinem* Dei. Undè & Apostolus dicit, 1. Cor. XI. 7. quòd *vir est imago & gloria Dei*; in hoc autem non est distinctio viri, & mulieris. Consideremus hanc imaginem, similitudinem, & gloriam Dei in prima creatione sua. Consideremus in ea essentiam suam secundam, quæ per memoriam capax est Dei, & per intelligentiam, & voluntatem particeps ejus esse potest. Quid autem est aliud ista capacitas, & ista perceptibilitas, nisi quædam impressio primæ, & æternæ unitatis, veritatis, & bonitatis, prout anima naturaliter ex impressione prima configuratur, & coaptatur beatissimæ Trinitati in memorando, cognoscendo, & amando, suum principium efficiens, exemplans, & finiens. Dicitur autem anima rationalis secundùm hæc tria naturaliter agi, ut meminerit Dei secundùm impressionem primam, ut insuper cognoscat eum, & diligat indelebili configuratione ad suum principium effectivum, exemplativum. Quocircà vocabitur hæc vitalis operatio, vel actio aptitudinalis respectu Dei naturaliter deiformis, simplex, & quieta; quæ deleri non potest, etiam in damnatis, ut naturalis est, quià *naturalia in eis*, dicente Dionysio, *remanent splendida, quamvis in malum finem, sicut & in abusum resplendeant*.

Verbum gloriæ secundùm mysterium Fidei nostræ tradit hominem reformatum esse in Baptismo per gratiam, infusionemque virtutum habitualium, & est hæc reformatio veluti quædam superinductio colorum deiformium ad lineamenta naturalis imaginis, & similitudinis. Est insuper tantæ pulchritudinis, & decoris, ut reddant animam Deo placitam, gratam, & acceptabilem; adeò quòd si migret statim à corpore spi-

spiritus mox stolâ gloriæ decoratur. Est autem hæc vita gratiæ, spiritualis & habitualis operatio, supernaturaliter deiformis, & simplex, & quieta, perficiens, & ornans similitudinem, & gloriam creatæ rationalis animæ. Transeamus mediam vitam peregrinationis istius, quæ est utique discontinua, multiplex, & inquieta, & veniamus ad vitam gloriæ, quæ perficiendo vitam naturæ, & gratiæ conformiter ad illas est continua, simplicissima, quietissima, & æterna.

A Concludamus igitur, quòd quantùm vita peregrinationis gratiæ conformatur initio creationis, & recreationis suæ, necnon fini glorificationis suæ in patria, tantumdem perficitur, simplificatur, & quiescit hîc in via, juxtà Psalmistæ quæstionem: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Ps. XIV. 1. De Benjamin quoque est: *Habitabit confidenter in eo, sicut in thalamo, tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* Deut. XXXIII. 12. Requiem hanc optabat Petrus in monte, factus in extasi, dum post vocem allatam *à magnifica gloria* dixit, nesciens quid diceret, quià magis agebatur, quàm agebat: *Domine, bonum est nos hic esse. Faciamus hîc tria tabernacula* &c. Matth. XVII. 4.

Verbum gloriæ secundùm mysterium Fidei, dum subintrat per abnegationes latibulum nubis, tenebrarum, & caliginis; anima rationalis acta per Spiritum sanctum, reagit secundùm eundem spiritum, juxtà illud: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. II. 16. Et B ita meretur, atque reficitur; quoniam de latibulo caliginis venit ad tabernaculum, quod est *in circuitu ejus*, juxtà illud Davidicum, postquàm de Deo dixerat: *Inclinavit cœlos, & descendit, & caligo sub pedibus ejus.* Dehinc *ascendit super cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum.* Conclusit, *& posuit tenebras latibulum suum*: Ps. XVII. 10. 11. 12. Cui consonat poëtica fictio:

In sublime volans, nubi se immiscuit atræ.

Superadditur: *Et in circuitu ejus tabernaculum ejus.* ℣. 12.

Consideremus igitur Deum velut in latibulo tenebrarum secundùm Theologiam mysticam, quæ fit per abnegationem in gradu superlativo, ubi est veluti in monte condenso, & umbroso, & in desertis seculorum, & in montibus æternis. Et verè Deus absconditus Salvator sanctus Israel. Attamen *in circuitu ejus tabernaculum ejus.* C Juxtà Canticum Ecclesiæ: *In circuitu tuo, Domine, lumen est quod nunquam deficiet, ubi constituisti lucidissimas mansiones.* Et psalmus: *In circuitu ejus veritas ejus.* Ps. LXXXVIII. 9. Spectant ad hæc omnia quæ Seraphicus Doctor Bonaventura tradidit in *Itinerario mentis in Deum*, sub capitulis, & gradibus ad hoc tabernaculum continens duplicem gradum cognitionis Dei, positivum, & comparativum.

Spectat verò septimum capitulum ad latibulum caliginis, & tenebrarum, quod explicat suo modo, non contrariè ad nostrum hymnum gloriæ.

Verbum secundùm mysterium Fidei, sicut non est in patria, sed clara visio, & fruitio; sic non ibi propriè loquendo est ponere Theologiam mysticam, quamvis Deus gloriæ nequaquàm in superlativo gradu, qui prorsùs infinitus est, videatur, aut ametur. Pro cujus elucidatione, & totius materiæ; D consideremus consequenter ad prædicta quatuor modos spirituales, quibus inspicitur Deus per abnegationem. Unus est per simplicem Fidem, Spem, & Charitatem. Alter est per investigationem Philosophicam tantummodò. Tertius, per investigationem Theologicam, quæ complectitur duos præcedentes. Quartus, per apertam, & claram Dei visionem, de quo dicamus ad præsens, quòd anima beatissimæ Virginis (exempli gratia) clarissimè videt Deum post animam Filii sui, quoad gradum cognitionis positivum, & comparativum. Nihilominùs dum extendit se ad superlativum, qui soli Deo convenit, illîc deficit, videns quòd inattingibilis est; sed non reflectitur, aut non cadit in caliginem cognitionis, quemadmodùm fit in via, sed semper in apertam visionem.

Quamobrem sua defectio non dicitur ænigmatica, seu caliginosa, vel tenebræ. Undè cùm dicitur de Joanne Baptista, quòd fuit plusquàm Propheta, non tollitur ab eo gradus Prophetiæ, sed augetur. Proportionabiliter in proposito, si Maria non cognoscit Deum, quantùm Deus seipsum, non ponitur in sua cognitione tenebrositas. Si enim Sol clarior est, quàm Hesperus, aut Lucifer, non ponitur in Hespero vel Lucifero caligo tenebrarum, sed claritas Solis superior prædicatur. Semper autem dum ambulamus per Spem, & Fidem, quantumcunque profecerit cognitio nostra, de communi lege, cadit in incognitionem per speculum, & ænigma.

TERTIA PARTITIO
DE
VERBO GLORIÆ.

EXCELSUS in verbo gloriæ spiritus rationalis, vel intellectualis, dum ambulat ad Dei cognitionem actualem, nunc per investigationem naturalem, nunc per simplicem Fidem, nunc per utrumque; si plena fiat resolutio, semper fit occasus, vel defectio ad superlativum gradum, quo Deus in se cognoscit se, sicut in inferiori fit, vel occubitus cognitionis, & motus, & potentias vita carentes. Quocircà dicimus ulteriùs, quòd actu finito cognitivo, & affectivo (quià uterque pariter incidit) potest attingi objectum infinitum. Et ita, infinitum, quale est Deus, à finita potentia, & actu finito memorabitur, intelligetur, & diligetur in patria. Poterit igitur dici talis actus infinitus terminativè, vel objectivè, quamvis in se sit finitus quantitativè, quemadmodùm, viceversa, Deus infinito actu cognoscit omnem creaturam esse finitam. Quocircà potest quælibet creatura, quantumcunque finita, dici infinita cognoscibiliter, quia scilicet infinito actu, qui Deus est, cognoscitur; neque comprehendi potest totaliter ab alio, quàm à Deo; quamvis ab anima beata cognoscatur quantùm habet de perfectione, secundùm principia intrinseca sua, quæ in essentia creaturæ finita sunt, & perfectionis limitatæ. De tali scire loquebatur Philosophus describens, *scire esse rem per causam cognoscere.* Intellige de proximis, & creatis causis: quià prima causa etsi potest cognosci per demonstrationem, vel aliter comprehendi, tamen plenè nequit.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis procedendo ad cognitionem Dei, tandem deficit, & cadit in occasum, secundùm positionem Philosophorum, maximè Platonicorum quam recitat, & reprobat Augustinus in suo *De civitate Dei*, quam insuper Albertus Magnus explicat in suo *De intellectu & intelligibili* ex dictis Philosophorum, dimittendo pietatem Fidei. Legatur in speciali caput ultimum, ubi concludendo dicit, quòd *spiritus debet procedere de cognitione in cognitionem, quousque fiat assimilatio ad causam primam, in qua sic substantificetur & formetur, quòd jam non indigebit organis in sua contemplatione.* Et *hoc est*, inquit, *caducum aliis vita immortalis.* Quamvis ista & similia videantur altè & speciosè dicta per Philosophos & idololatras; sunt tamen impossibilia, & per multos Articulos Parisienses prohibita, & excommunicata; propterea, dimissis infidelibus, transeamus ad fideles, etiam simplices, dummodò fundati sint, & radicati in Fide, Spe, & Charitate, quales invenimus fuisse Martyres, & Anachoretas Patres.

Pla-

Placeat autem sub compendio protinùs insinuare modum secundum perveniendi ad superincognitum & supersplendentem, & sublissimum verticem hujus sapientiæ, quæ per ignorantiam cognoscitur *tanquam à Domini spiritu.* 2. Cor.x.18. Itaque Spiritus sanctus dirigit animam per Fidem usque ad superlativum gradum divinæ cognitionis exclusivè, & per Spem erigit eam *usque ad interiora velaminis*, Hebr. vi. 19. secundùm Apostolum, & per Charitatem illìc figit, & unit. Quælibet enim istarum trium virtutum Theologicarum habet pro immediato objecto, & termino suo Deum. Ac proindè secundùm Theologos differunt à virtutibus moralibus, & aliis quæ circà alia versantur objecta.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis sic elevatus, & actus à Spiritusancto per Fidem, Spem & Charitatem, secundùm memoriam, intelligentiam, & voluntatem radicatas in essentia sua, & in superiori facie, quæ formata est à solo Deo immediatè & capax est ejus, secundùm triplicem hanc potentiam terminat immediatè suam actionem ad solum Deum & attingit ipsum terminativè, vel objectivè & cum hoc non fit per apertam visionem, necesse est quòd fiat per caliginem. Est autem caligo *privatio luminis, seu cognitionis*, sicut & tenebræ; prout etiam silentium dicit *soni defectum*. Mirum verò videtur quomodò possit cognitio, vel amor cognosci, vel agi, per privationem cognitionis, & amoris. Sed in prioribus evacuata est hæc difficultas, quia privatio vel defectio, seu tenebra, seu silentium, non dicuntur simpliciter, seu uniformiter; sed tantummodò respectivè ad superlativum cognitionis, vel amoris gradum. Privatio prætereà non dicit hìc negationem habitus cum debito existentiæ ejus, quemadmodùm cæcitas non dicitur simpliciter privatio visus, nisi sit circà subjectum quod debet habere visum, non enim lapis propriè dicitur cæcus. Nos autem in proposito accipimus privationem pro negatione simplici, dum ponimus quòd sancti privativè cognoscant Deum sub gradu supremo. Non enim apti sunt, vel debitores ita positivè cognoscere, quamvis istud notet imperfectionem: Et certè quælibet res creata respectu Dei, dici debet imperfecta.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis per hujusmodi defectionem superadmirabiliter reficitur; quoniam plùs unitur Deo, sinceriùs, atque sublimiùs, sine quavis admixtione phantasmatum, vel sordium, & imperfectionum cujussis creaturæ, quàm per positivum. Quo pacto sic? Quia nimirùm nullum est ibi medium inter Deum, & spiritum. Privatur enim cognitio, & amor cujuslibet alterius rei præter Deum. Si verò quæritur; nunquid terminus cognitionis, & amoris stat, & finitur in caligine sola, prout est privatio quædam? Respondendum est, quòd negationes & privationes terminare non] possunt nisi per affirmationes; undè nec Deus cognoscit mala, & imperfecta, nisi per ideam boni, & perfecti. Quid sit igitur? Respondet beatus Dionysius, quòd *in occasu, & occubitu, & defectione ineffabili conjungitur anima ineffabiliter, & ignotè, ineffabilibus, & ignotis.* Et iterùm ait, *partitis alteritatibus, & concupiscentiis, curisque inclusis, & supermundanè explicitis, nos in divinam monadem congregamur;* proptereà vocat hanc defectionem, unionem super mentem. Rursùs: *Vivifica*, inquit, *virtus divinarum illuminationum, qua scilicet fuit secundùm positivum gradum, abundè nos replet, & restituit, ac convertit ad congregantis Patris unitatem, & simplificam deitatem.* Attende quòd ideò nominat Patrem, quoniam in ipso est fontalis Deitas secundùm eundem Dionysium. Filius insuper, & Spiritus sanctus omnem gloriam suam referunt in gloriam Dei Patris.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis, per vehemens exercitium Theologicum, simul & Philosophicum, potest elevari ad apicem, seu verticem Theologiæ mysticæ cum auxilio Fidei, Spei, & Charitatis, sublimiùs quàm rudis, & simplex Christianus, & hoc de communi lege, supra quam tamen est Spiritus sanctus.

Patuit hoc ultimum in Apostolis idiotis, ac aliis, quamplurimis. Patet verò præsens consideratio de Doctoribus Catholicis Græcis, & Latinis, ex Libris & traditionibus suis, ex quibus aliqua fortassis excerpta A jungentur inferiùs ad textum mysticæ Theologiæ Dionysii confirmandum. Fuit aliquibus bonis, & magnis viris hæc doctrina propter sui profunditatem in scandalum, quia non satis advertebant aut advertere poterant modos locutionum de eminentia Dei super omnem creaturam, & quòd tamen omnibus esset esse, & benè esse. Concluserunt itaque ex isto, sequi quòd omnis creatura esset Deus, quia Deus, & suum esse, sunt omninò idem. Sic aliqui Juristæ imposuerunt Joanni Scoto translatori librorum beati Dionysii posuisse, & summè in hoc hæreticasse, quòd omnis creatura esset Deus. Reducunt aliqui positionem de univocatione entis creati, & increati, secundùm rem, vel ex natura rei, aut secundùm realia universalia ad errorem istum, quamvis hoc non intendant illi.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis circà B cognitionem mysticorum eloquiorum, non principaliter innititur humanæ industriæ; illam tamen non abjicit sed exercet. Dudùm postquam scholasticis lectionibus tractaveramus de Theologia mystica speculativè per quadraginta quatuor considerationes, & octo partitiones, secundùm totidem materias principales. Notavimus postmodùm duodecim industrias pro practica, & pridem in vulgari ad Sorores scripseramus *De monte contemplationis* certos gradus, & modos. *Prima industria*, Dei vocationi intendere. *Secunda*. Propriam complexionem agnoscere. *Tertia*. Officium, vel proprium statum aspicere, *Quarta*. Semet ad perfectionem extendere. *Quinta*. Occupationes effugere. *Sexta*. Curiositatem deponere. *Septima*. Longanimitatem assumere. *Octava*. Passionum, vel affectionum origines animadvertere. *Nona*. Tempus idoneum, & locum inquirere. *Decima*. Somno, & cibo moderanter idulgere. *Undecima*. Meditationibus piis generativis affectuum insistere. *Duodecima*. Spiritum à phantasmatibus avertere. Porrò dùm interrogaretur à me germanus Nicolaus Cœlestinus post inspectionem industriarum istarum: quænam esset C difficilior in practica? Respondit, quod *spiritum a phantasmatibus avertere*. Sensit hoc verissimè, neque potest hoc industriâ practicari, quàm per Theologiam mysticam hìc in via, dum intellectus noster conjunctus est continuo tempori. Ponit Dominus Albertus ut priùs *Lib. De intellectu & intelligibili* penultimum ascensum in reditu animæ ad Deum, quòd efferatur super hoc, & nunc; hoc est, super continuum, & tempus.

Deindè ponit assimilationem in unione cum Deo, vocat occasum alterius vitæ, consonans in hoc beabeato Dionysio, si divinæ gratiæ munus tale tribuisset in Christo Jesu Domino nostro; quia ad hunc occasum Christus est ostium, via, ductor, vehiculum, quemadmodùm de Deo canit apud Boëtium Philosophia.

Principium, rector, dux, semita, terminus idem.

D Consonarent insuper multa, quæ præmittit Albertus de intellectu agente, cum luminibus intelligentiarum se conjungente. Undè inquit: *Multi vocati Prophetæ ordinaverunt multas suppositiones, & ordinationes. Isti certè fuerunt Magici, & idololatræ, qui per theletas execrabiles, & dæmoniacas arbitrantur animas purgari ad Prophetias, & miracula facienda.* De quibus habetur apud Augustinum *De civitate Dei*, à sep-

septimo usque ad decimum, & consequenter in aliis quibusdam capitulis. Ipse enim satanas qui coli vult ut Deus, imitatur sæpè; vel imitari fingit veros ritus, & modos sacrificandi Deo per orationes, per jejunia, per castitatem, & purificationes. Nos autem soli Deo sacrificium laudis offerimus, & ad sanctos Angelos suos, hominesque beatos, tanquàm intercessores, & administratores spiritus propter electos supplicamus.

Excelsus in verbo spiritus rationalis, non evehitur ad Theologiam mysticam per raptus insanos, quales fuerunt in Sibyllis, & Vatibus, de quibus Historiæ, & Poëtæ faciunt mentionem; similiter & Scriptura sacra, sicut de Pythonicis, & de Balaam, qui cadebat, & aperiebat ejus oculos. Sicut & epileptici nonnulli, qualis fuisse creditur Mahometus; quemadmodùm præterea ponunt Medici infinitas melancholiarum species, & alienationes animarum, undè credunt simplices, quòd tales rapiantur in cœlum, & cadunt in cœnum, aut in eodem statu perstant immobiles quo morbus invenit eos, & velut gelu constringit; undè congelatio appellatur in mente; sicut tempore nostro plures tales, qui prophetias & visiones se divinitùs habere jactabant vidimus, & fallebant, sicut & aliquando fallebantur.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis in Theologia mystica se exercens non habet necessitatem, ut in eo sit corporalis defectio qualis legitur de bonis etiam Prophetis, ut Daniele, Ezechiele, & similibus. Dionysius enim nihil tale ponit exigi; frequens insuper experientia contradicit. Sed nec oportet ad supermentales excessus Theologiæ mysticæ intelligentiam purè concurrere, qualis fuit in multis Philosophis, qui secundùm Augustinum potuerunt omnia mundana transire, & attingere primam causam, irridentes idcircò simplices Christianos, non potentes ad intelligentiam talem evehi; quibus respondet Augustinus, quòd simplici fide tenent certiùs & salubriùs malum, seu velum in Ecclesiastica navicula quæ perducit ad cœlum. Non oportet prætereà supermentales excessus Theologiæ mysticæ fieri per tale miraculum, quomodò Protomartyr Stephanus, dum lapidaretur *intendens in cœlum vidit gloriam Dei*; Act. VII. 55. sicut Vincentius; sicut Laurentius, sicut beatus Andræas; sicut Felicula; sicut de aliorum Sanctorum plurimis in raptibus, & revelationibus, quales leguntur in Apocalipsi Joannis, de quorum differentiis, & proprietatibus, præsens brevitas non inquirit.

Excelsus in verbo gloriæ spiritus rationalis dùm per anagogiam conscendit in Deum, deserit omnes operationes ut sic, nedum intellectuales, & amicabiles, & delectivas; immò oportet prorsùs actum proprium, & liberum circà Deum in supremo gradu objectaliter positivè esse terminatum. Et quoniam videtur istud verbum durum esse, & repugnare dictis, & scripturis expositorum beati Dionysii; immò & nostris hactenùs de Theologia mystica traditis, quam in amore posuimus. Ponemus in forma pro testimonio, & intellectu, tam hujus, quàm præcedentium, textum Domini Bonaventuræ super *distinct. XIV. quæst. II. in fine. Ad illud*, inquit, *quod ultimò objicitur de comprehensione, dicendum quòd comprehendere dicitur tripliciter. Uno modo comprehendere, est idem quod charitate adherere, & sic accipit Bernardus ad Eugenium.* Si sanctus, *inquit*, es, comprehendisti. *Alio modo, est idem quod clarè videre, & perfectè amare, sicut ad Philippenses* III. 12. Si quomodò comprehendam, in quo comprehensus sum. *Tertiò, comprehendere idem est quod claudere terminos rei: sic est Deus incomprehensibilis. Cùm ergò dicitur quòd Sancti sunt comprehensores in patria, & quòd Christus fuit comprehensor. Dicendum quòd medio modo accipitur, & sic habet veritatem. Nam Christus videt Dei immensitatem, nec tenet hoc Fide, sed certissima cognitione, hoc est novit Deum immensum.* Ecce per hæc dicta tres gradus cognitionis seu comprehensionis Dei lucidissima distinctione notatos conformiter ad prædicta.

Subjungamus illud quod protinùs idem Doctor dicit pro verbo præsenti. *Et si tu quæras*, inquit, *an positivè vel privativè Christus novit Deum immensum? Dicendum quodammodò positivè, quodammodò privativè. Positivè quantùm extendit se capacitas, seu intelligentia. Privativè deinceps admiratur etiam illam profundam, & summam profunditatem divinæ immensitatis, sicut dicit psalmus*: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. *Ps.* CXXXVIII. 6. Hæc ille. Ecce quòd ponit privativam cognitionem in anima Christi, quantò magis in aliis. Hæc est autem cognitio quam vocamus mysticam, per abnegationem scilicet defectionem, & occasum.

Constat autem quòd non minus deficit dilectio, seu beatifica fruitio ab illo gradu supremo fruitionis quo Deus fruitur de solo actu infinito, quàm ipsa cognitio. In signum cujus non inveni positum à beato Dionysio tradente mysticam Theologiam, quòd dixerit ipsam terminari positivè objectaliter in Deo; sed vel nihil expressit de dilectione, vel ipsam dixit fieri per caliginem, & defectivè. Hinc est illud jam inductum, immò *mirantur, & deficiunt.* Rursùs in altero ex verbis Sapientis:

Quantùm potes tantùm aude
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Poterit dici, *& laudando deficis*: quæ defectio summa est refectio, summusque profectus.

Excelsus in verbo gloriæ Spiritus rationalis, intrando divinam caliginem per defectionem, sublimiùs habet dicere: *Omnis consummationis vidi finem.* Ps. CVIII. 96. Tradit sententialiter beatus Hilarius, quòd nec Angeli, nec Archangeli sciunt, aut penetrare præsumunt divinæ generationis arcanum.

Constat quòd hoc non potest intelligi de visione beata in positivo, vel comparativo gradu: accipitur igitur de superlativo, quo per ignorantiam tantùm cognoscendo proficit spiritus in via, immò & in patria, quantùm per gratiam, aut per gloriam magis exercitatus, & elevatus fuerit per memoriam, & intelligentiam, & voluntatem in gradu cognitionis positivo, vel comparatiuo, quia plus accedit deficiendo ad unionem refectivam; cujus hæ sunt conditiones, quòd infallibilis etiam in via qua nihil potest habere erroris admixtum, vel phantasmatis, nihil creaturæ defectibilitatis, nihil insidiarum diaboli, ubi est *altissimum refugium*, ubi solus unitur Deo, & unicus soli, & unico spiritui. Si quæras, quomodò fiet istud? Audi non me, sed divinum Dionysium: *Ineffabilibus*, inquit, *& ignotis mens ineffabiliter, & ignotè conjungitur.* Quis post hæc verba præsumeret ineffabilia fari, & in cognitionem ignota proferre? Possumus itaque doctrinaliter, & speculativè per quid nominis veritatem eloqui mysterii; sola verò Trinitas per experimentum rei.

Supersunt alia de verbo, & hymno gloriæ, nominatim super hoc versiculo. *Sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum amen.* Differatur in partitionem alteram. Et pro confirmatione dictorum, simul & refectione animorum jungantur ultima verba Hugonis in suo *De arra animæ* ubi sic anima conqueritur, asserens se in cognoscendo deficere.

Anima. „Quid est illud, dilecte, quod in ejus recordatione aliquando me tangere solet, & tam vehementer atque suaviter afficere, ut jam tota quodammodò à memet ipsa abalienari, & nescio quò abstrahi in-

„ incipiam? Exhilaratur conscientia; in oblivionem venit omnis præteritorum malorum memoria; cor illuminatur; desideria jocundantur; jamque alibi nescio ubi me esse video, & quasi quibusdam amplexibus amoris intus teneo, & nescio quid illud sit: & tamen illud semper retinere, & nunquam perdere toto animo meo laboro. Luctatur quodammodò debiliter animus, ne recedat quod semper amplecti desiderat, & quasi in illo omnium desideriorum finem invenerit, summè & ineffabiliter exultat, nihil ampliùs quærens, semper sic esse volens. Nunquid ille est dilectus meus? Quæso, dic mihi, ut sciam si ille sit; ut si denuò ad me venerit, obsecrem eum, ne recedat, sed semper permaneat. „

Homo. „ Verè ille est dilectus tuus, qui visitat te, venit invisibilis, venit occultus, ut tangat te, ideò ut videatur à te. Venit non ut totum infundat se, sed ut trahat affectum. Primitias quasdam porrigit suæ dilectionis, non plenitudinem exhibet perfectæ societatis. Et hoc est quod maximè ad arram desponsationis tuæ pertineat, quòd ille in futuro se tibi videndum, & perpetuò possidendum dabit: nunc aliquando ut quàm dulcis sit agnoscas, se tibi ad gustandum præbet: simul etiam ut interim de absentia ejus consoleris, quando ejus visitatione, ne deficias, incessanter reficeris. „

QUARTA PARTITIO

DE

VERBO GLORIÆ.

GLORIFICATIO mutua Patris, & Filii, & Spiritus sancti postulabatur fieri cum Christus ait: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Joan. XVII. 1. Potuerat quoque Rex gloriæ Christus secundùm hoc verbum gloriæ ad Patrem Deum gloriæ dicere, sed exprimens exteriùs oculis sublevatis in cœlum, fecit de verbo glorificationis hymnum gloriæ, dum harmoniam addidit vocis: Hymnum quippè dicimus *laudem Dei cum cantico.* Hunc esse hymnum conjiciunt Doctores, de quo Matthæus & Marcus. *Et hymno,* inquit, *dicto exierunt in montem Olivarum.* Matt. XXVI. 30. & Marc. XIV. 26. Non dubium; quia post institutionem, & refectionem Sacramentalem statim quando recesserat Judas, Christus dixit, teste Joanne. *Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo & Deus clarificavit eum in semetipso.* Cap. XIII. 31. 32.

Deindè postquam docuit Discipulos multa, sequitur de hymno glorificationis, seu gloriæ. Utrunque enim traditur ex verbo græco, unde gloria quasi *clarea*, seu *clara*. *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Joan. XVII. 1. Proindè subjungens, *claritate*, inquam, *quam habui priusquam mundus fieret apud te*; dedit palam intelligi, quòd de glorificatione quam habet in æternitate solus cum Spiritu sancto in gloria Dei Patris loquebatur. Hoc ipsum imitatur Ecclesia, dum frequentat hunc hymnum Gloriæ. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; mox subjungitur: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum amen.*

Glorificatio Patris, & Filii, cum Spiritu sancto, designatur fieri multipliciter sub his & aliis verbis. Uno modo complacenter, congaudenter & congratulativè; quia scilicet complacet in gloria Dei. Alio modo desideranter, & exhortativè; quia hæc gloria manifestatur per omnes creaturas, præsertim rationales. Tertio modo repræsentativè, & expressivè: sic opus sapientis dicitur sapientia ejus, & gloria ejus. Dicitur autem gloria Dei fieri, vel augeri, non in se, sed dum manifestatur. Fit autem manifestior in effectibus suis. Oramus sub hoc tropo; *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum*, Matth. VI. 9. 10. quemadmodùm loquitur & hîc Christus per totum hymnum. Quomodò similiter dicit Apostolus: *Deindè finis*, ait, *cum tradiderit regnum Deo & Patri.* 1. Cor. XV. 24. Sequitur. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia; tunc ipse Filius subjectus erit illi, qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* ℣. 28. Intelliguntur hæc per patefactionem gene- A ralem & perfectam, non per novæ gloriæ collationem in æternitate, quam dicimus superlativum glorificationis divinæ gradum, ad quem omnia consummabuntur, præsertim electi, sub gradu Ecclesiæ comparativo, seu secundo constituti, & erunt sicut hîc orat Christus, *consummati in unum.* Joan. XVII. 23.

Glorificatio Patris, & Filii cum Spiritusancto in beatis dici potest habere gradum, vel, ut Bernardus loquitur, *modum sine modo*, hoc est mysterium, & arcanum quod loquimur, & inquirimus. Apertum verò est scholasticè per præcedentia, si maneat clara, & certa distinctio de triplici gradu, seu modo; B quòd idem est in proposito. Unum posuimus gradum glorificationis positivum, alterum comparativum, tertium superlativum. Et licèt comparativus gradus, & superlativus, præsupponant positivum: verumtamen appropriamus positivum in gloria viæ, comparativum in gloria patriæ, suparlativum in gloria æternitatis divinæ. Quod si voluerimus attendere, qualiter hic gradus gloriæ sit sine gradu, & modus gloriæ sine modo, patebit primò ex ipsa definitione & interpretatione nominis hujus *æternitas*, quasi *extra terminos entitas.* Nunquid infinitatem illam exprimit Davidici hymni *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis* Ps. CXLIV. 3. quoad comparativum Patris. *Et sapientiæ ejus non est numerus*, quoad appropriatum Filii. *Et misericordia ejus super omnia opera ejus*, quoad clementiam, & bonitatem Spiritus sancti. Si quidem in omni re creata, vel creabili, ponitur modus, mensura, terminus, numerus, & species, finis, & ordo. Solus Deus est sine numero, modo, mensura, vel termino, pro quo C sit sequens verbum.

Glorificatio Patris, & Filii cum Spiritu sancto, in seipsis rectè dicitur infinita, & immensa, nedum privativè, sed positivè, sicut quælibet gloria creaturæ, viceversa, dicitur finita, nedum positivè, sed privativè, utendo largè nomine privationis pro negatione. Proficit hæc consideratio ad intelligendum proprias voces Scripturarum. Undè finitum dicimus illud quod habet terminos positionis, seu positivos; sed intelligitur una negatio, seu privatio, quod ultrà terminos illos, vel finitum illud progredi non valeat, vel extendi. Infinitum, viceversa, dicitur negativè, quia non habet terminos quibus circumscribatur, finiatur, definiatur, aut terminetur. Et hoc dicitur infinitum extrà genus. Porrò dicitur infinitum aliquid affirmativè, dum negat negationem in nomine finiti clausam: æquipollent enim duæ negationes uni affirmationi. Consideretur acriter nominum istorum & similium talis significatio, tunc D non erit absona vel discors ista locutio. Gloria Dei est gradus sine gradu, modus sine modo. Similiter de cognitione, fruitione, delectatione, quamvis aliæ delectationes addi possunt. Sed nunquid æternitas, vel æternus Deus, seu Trinitas claudit se suis terminis, & comprehendit? Profectò sic assentire possumus & consequentiam negare quâ subinfertur; ergò Deus habet terminos: non enim sequitur, Deus est infinitus terminus; ergò est terminus, vel terminum habens. Sed nunquid prætereà anima Christi, vel Mariæ videt clarissimè terminos æternitatis infinitos, quibus æternitas seipsam cir-

circumscribit, & definit? Sic, sicut hoc sequens verbum declarabit, in cujus explicatione totum stat quod inquiritur mysterium regni Dei.

Glorificatio Patris, & Filii cum Spiritu sancto conspicitur, & diligitur fruitivè, & objectabiliter in supremo comparativi gradus patriæ ab anima Christi, & Mariæ, non tamen in superlativo formaliter, & intrinsecè, quo beata Trinitas se cognoscit, & diligit, tam objectaliter, quàm intrinsecè. Attendenda est hæc determinatio Ecclesiæ cum approbatione Doctorum modernorum, quòd duplex est beatitudo. Una objectalis, & determinativa, & illa est solus Deus, sicut solo Deo fruendum est. Altera est beatitudo formalis, & intrinseca, consistens in duobus actibus, qui sunt visio, & fruitio, cum tentione, seu possessione secura. Sunt etiam apud Deum penitùs idem beatitudo formalis, & objectalis. At verò distinctio maxima est in creaturis beatis, inter beatitudinem ipsorum objectalem, quæ non nisi Deus; & formalem, quam utique constat esse finitam intrinsecè; & ab infinita extrinseca beatitudine Dei differre, vel distingui: etiam ubi poneretur, quòd Deus per seipsum sine creatis habitibus, aut speciebus aliis illabendo, formalem hanc beatitudinem in anima beata causaret. Concedunt hoc illi qui etiam contrariantur Ecclesiasticæ determinationi, quòd fortè nondum viderant eam. Concedunt, inquam, quòd de facto, vel de potentia Dei absoluta, non potest esse Deus animæ creatæ, nisi finita beatitudo formalis; quia nec creatura est capacitatis perceptivæ, cognitivæ, & dilectivæ Dei, nisi finitæ, & limitatæ. Quamobrem necesse est, ut beatitudo creaturæ formalis semper sit finita, quicquid sit illa formalis beatitudo, quæ utique est motus animæ à Deo distinctus. Etiamsi poneretur, quòd anima esset suus motus. Nec Magister hoc negat, sed expressit.

Glorificatio Patris, & Filii cum Sancto Spiritu tota videtur à beatis: & non totaliter sub hoc intellectu, quòd gloria beatorum finita est formaliter, quamvis objectaliter infinita, velut Gregorius loquitur de Domino gloriæ, *Totus est intrà non inclusus; totus extra non exclusus; totus subtùs non prostratus; totus suprà non elevatus; totus circà non circumscriptus.* Veritas ista facilius investigatur non ratiocinando, sed exemplificando per similia in creaturis, ut de oculo lippo qui videt totam rotam solis, sed non totaliter, vel totam albedinem, aut aliud simile, ut de lineis circuli, si intelligeret centrum suum. Exemplum animæ rationalis approximat, quæ sic tota in corde est, quòd tota est extrà cor. Sic est in centro cordis, quòd ad ejus simplicitatem indivisibilitas centri non æquatur. Sicut nec ad magnitudinem non molis, sed virtutis animæ, quæ circumdat cor totaliter, non parificatur. Continet igitur cor ipsam animam totam, sed non totaliter, sub alio verbo, circumscribiliter. Ipsa verò totam se continet, & totaliter infrà terminos suæ capacitatis, qui finiti sunt: & in hoc deficit similitudo quoad Deum qui simpliciter infinitus est, & incircumscriptus, cujus perfectio nec accrescit ex creaturis, si sint; nec decrescit si non sint: qui semper in æternitatis suæ solio & Trinitatis triclinio sedet fixus, *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum, Amen.* Multa de conditionibus Trinitatis, & æternitatis possent induci, quæ latissimè tractantur per Doctores, & aliqua sub metris notavimus. Denique pro verbo nostro facit illud Job: *Tonitruum*, inquit, *magnitudinis ejus quis poterit intueri?* Job. XXVI. 14. Dat primò intelligi quòd nullus: dat insuper intelligi quòd intuitus, vel intueri, vel visus extenditur ad omnes sensus tam corporales, quàm spirituales. *Tonitruum*, inquit, *ejus* (quod utique est objectum auditus) *quis poterit intueri?* Simile in Exodo, quòd *populus videbat voces.* Exod. XX. 18. Porrò colligitur ex isto, quòd Dominus habitat in silentio, & caligine, respectu cujuslibet creaturæ quoad cognitionem, & visionem suam sibi soli propriam, modo prætacto.

Glorificatio Patris, & Filii cum Sancto spiritu manifestatur in damnatis per ordinem Justitiæ quorum damnatio objectaliter, & terminativè infinita est; sed formaliter, & intrinsecè finita, proportionaliter ad ea quæ dicta sunt de beatis conversivè ad Deum, & aversivè à Deo. A Certè sicut ens primum in suo gradu superlativo comprehenditur à se solo, sic & ejus privatio non essendi à se solo valebit totaliter comprehendi. Indè fit, ut neque dæmones, neque creatura aliqua plenè intelligat peccati mortalis ignominiam, sicut nec gloriam actus meritorii vel beati.

Taliter enim jam diximus de Dei ignorantia vel non cognitione cujusvis creaturæ, cujus causa principalis est, quòd Deus cognosci &c. nequit in summo. Superest igitur, ut superbia dæmonum descendat semper, vel ascendat ad nihilum. Gloria verò beatorum semper descendit in bonum, deficiendo; vel proficiendo conscendit in modis dictis. Juxtà quod sumeretur intellectus mystici verbi, quòd B. Dionysius appropriat ipsi Seraphim, quòd in eis semper est mobile, incessabile, calidum, acutum, superfervidum, B & holocausti purgativum. Sumitur autem hîc motus, vel motio, largissimè; videlicet pro operatione quæ contrariatur otio, de qua dicit Damascenus, quòd *nulla res destituitur propria operatione.* Sic enim, & velle Dei, & intelligere, dicitur operatio quædam & motio, & in Angelis magis propriè. Terra siquidem est inertissima omnium, habet nihilominùs suam operationem, quâ se tenet, & figit in loco suo, restringens removere volenti. Dicitur ergò Seraphim semper mobile, sine interruptione amoris in Deum: incessabile, sine definitione: semper calidum, sine diminutione, seu minoratione, seu tepefactione: acutum, quia penetrat ad simplicitatem Dei, velut ad centrum: superfervidum, quoniam elevat se ad immensitatem ejus velut ad circumferentiam: Holocausti purgativum, & reliqua quæ sequuntur, spectant ad tres actus hierarchicos respectu inferiorum, qui C sunt *purgare, illuminare, perficere.*

Operatio igitur generale nomen est ad alias quinque species sonantes in motu, qui sunt. Prima. Motio, & hæc successiva. Secunda. Mutatio, & hæc subita in subjecto. Tertia. Factio, & hæc subita denihilatio, quæ aliter dicitur creatio. Quarta. Est productio in divinis, ubi est immutatio, quamvis sit ibi generatio, & spiratio. Quinta. Est actio qualiter forma influit in materiam, dans esse formale, & intrinsecum; dicitur ideò talis forma relativè ad materiam, qualiter forma quæ est Deus, nullo modo potest dici.

Glorificatio Patris, & Filii cum Sancto Spiritu, quadrupliciter cognoscitur, & amatur ab intellectuali creatura, tàm in via, quàm in patria. In via quidem per D gratiam unam in se, & trinam in Fide, Spe, & Charitate, cum adjutorio disciplinæ Christianæ. Exemplum: dum quis videt, aut sumit Eucharistiam, hîc est cognitio sensibilis exterior. Est & cognitio sensualis interior, tàm imaginativa, quàm æstimativa, respectu Corporis Christi tàm veri, quàm mystici.

Hîc præterea cognitio rationalis secundùm utramque rationis portionem, superiorem, & inferiorem, quâ credimus, speramus, & amamus spirituales substantias, & sub Deo, ut animam Christi, ut Angelos, & spiritus electorum. Hîc est denique cognitio supermentalis, mystica, & anagogica ipsius simplicissimæ Deitatis in unitate Trinitatis. Concordantiæ sunt plurimæ & nominatim illa jam commemorata ab Apostolo 1. Tim. III. 16. *Manifestè*, inquit, *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* & hoc quoad duplicem primum cognitionis modum. *Justificatum est in spiritu* quoad tertium. *Assumptum est in gloria*; quoad quartum. Teneatur ergò pro regula, quòd qualis est in cognoscendo, & amando Deum Christianus,

nus, talis est sibi in retribuendo Deus. *Ego dilecto meo*, inquit sponsa, *& ad me conversio ejus.* Cant. VII. 10.

Glorificatio Patris, & Filii cum Spiritu sancto facta in beatis, reperitur aliquando dici formalis, eò quòd immediatè fit per essentiam sine specie media, quæ sit ratio cognoscendi divinam essentiam, immò per candem speciem, aut formam, quâ Deus cognoscit seipsum, anima beata cognoscit Deum. Addunt aliqui, quòd etiam actus beatificus characterizetur, seu formetur, non nisi à divina sapientia, & ejus essentia, dum objectivè videtur. Undè etsi divina essentia subtraheret se in ratione talis characterizationis, seu formalis configurationis, secundùm imaginem beatissimæ Trinitatis, creatura nullo modo posset dici beata, neque intuitivè videns Deum, immò esset implicatio, quemadmodùm implicat, creaturam esse, & Deum se subtrahere in ratione efficientis.

Notandum est igitur pro concordia Doctorum, quòd Deus propriè dicitur forma secundùm tres conditiones formæ convenientes. Forma enim dicitur, quia est in se formaliter, sive sit ab alio, sive non originaliter; secundò, quia dat esse formale; tertiò, quia denominat aliud esse. Constat autem quòd Deus habet esse in se, & quòd dat esse omni creaturæ, & quòd omnem creaturam denominat esse, tanquàm præcipua suæ existentiæ causa. Sic enim dicit Boëtius, *in qualibet creatura esse aliud quo est, & aliud quod est.* Quod intelligi aliter nequit, nisi de Deo, quo denominatur existere creatura. Doctores igitur ponentes, Deum esse beatitudinem formalem, accipiunt formam isto modo, & nullo alio. Nec volunt quod Deus sit formalis beatitudo inhærens, vel constituens, sicut formæ accidentales, vel substantiales inhærent, & constituunt, quamvis illapsus formæ divinæ sit perfectior, & intimior rei cuilibet, quàm possit esse forma suæ materiæ, vel accidens substantiæ. Itaque res quælibet plùs dependet à causis extrinsecis, quàm ab intrinsecis suis, quæ sunt forma, & materia, quæ utique nequeunt esse sine causa extrinseca efficiente, exemplante, seu formante, & finiente. Porrò si Doctores taliter se resolvunt, non sunt contrarii Articulis Parisiensibus, quòd Deus non possit esse forma, vel formalis beatitudo creaturæ. Quod utique verum de forma inhærente, vel intrinsecè, constituunt. Sunt qui necessariò dicunt, esse formam mediam, vel speciem in beatis, quam nominant lumen gloriæ, juxta determinationem Ecclesiæ requisitam. Dicunt alii sufficere, præsertim de potentia Dei absoluta, Deum, & animam, sine tali lumine, ad beatificandum per formalem illapsum. Quicquid enim dicatur hinc & indè, necessariò ponendus est motus intellectûs, & voluntatis, qui utique formosus est, illuminosus, & speciosus. Et hunc vocamus formalem beatitudinem, sine quo impossibile est, creaturam esse beatam, etiam de potentia Dei absoluta. Implicaret enim, sicut patet intuenti, quicquid dictum fuerit de necessitate habituum distinctorum ab actibus istis.

Glorificatio Patris, & Filii, cum Spiritu sancto fit præcipuè, & principaliter in mente, quæ sola propriè est imago, & gloria beatissimæ Trinitatis. Essent hîc rememorandæ distinctiones plurimæ de diversis animæ potentiis, & earum officiis, maximè quomodò dividitur anima à spiritu, & spiritus à mente, & quales sunt actus spiritus, & mentis. Quemadmodùm insuper sola mens ponitur in supremo vertice, vel culmine, A vel arce totius animæ, & potentiarum ejus, quæ respicit pro objecto & fine proprio solum Deum, memorando, intelligendo, & volendo purè liberaliter, quamvis immobiliter. Spiritus autem, & movetur liberaliter, & arbitrariè, & contingenter. Mirabilis prorsùs est divisio animæ, & spiritus, quam facit secundùm Apostolum, *sermo Dei vivus & efficax.* Hebr. IV. 12. Sed est superadmirabilior divisio spiritus, & mentis, qualem dat intelligi Paulus, cùm dicit de sermone Dei, quòd est discretor intentionum & cogitationum cordis, prout in quodam metro deduximus. Arbitror insuper, quòd hæc mens in Canticis nominatur anima, ut ibi: *Indica mihi, quem diligit anima mea &c.* Cant. 1. 6. Et in Cantico Mariæ: *Magnificat anima Dominum.* Luc. 1. 46. Nec enim convenienter intelligi potest de anima sensuali, nec de præcisè rationali.

Anima igitur est mens, quæ manens semper in arce dirigit amorem suum unica in unicum Deum, sola ad solum, diligens ad dilectum, exemplo solsequi irespectu B Solis; vel ferri, respectu magnetis, aut poli. Dicuntur ista speciosè, faciliter, & scholasticè. Creduntur præterea simplici Fide, sed rara est felicitas experiri. Experiuntur tamen aliqui hîc in via, fortassis etiam finaliter reprobandi, *ut qui gloriatur in Domino glorietur*, 1 Cor. 1. 31. ut timeat. Æstimo enim, quòd dæmones ipsi, juxtà dictum Jacobi, *credunt*, immò & aliquo modo intelligunt per naturalia splendida, *& contremiscunt*, Jacob. II. 19. secundùm malum suum, quia servili timore trahuntur, quo refugiunt, & odiunt flagellantem. Contrariè ad homines, qui timentes, & trementes, & in se deficientes, sub reverentia majestatis laudant, diligunt, glorificant, hymnum gloriæ una & incessabili voce dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua.* Conformiter ad quos frequentat Ecclesia, dicens: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.*

Deo gloria qui finem apposuit, ad Canticum Ma- C riæ juxtà propositum nostrum. Utinam Deo beneplacitum, & eidem gloriosissimæ Virgini Matri, & Filiæ. Cum qua semper *magnificat anima mea Dominum, Amen.*

Finit Anagogicum de verbo, & hymno Gloriæ à Joanne Cancellario Parisiensi Lugduni, Anno 1428. Et continet quatuor partitiones principales, in quarum qualibet sunt decem verba, seu considerationes, & in versu quolibet multæ Notulæ, seu verba per Literas Alphabeti usque ad numerum 124. & 10. Præsulatum tunc agente Reverendissimo Patre Domino Archipræsule & comite Lugdunensi primate Galliarum, nostræ peregrinationis benevolissimo susceptore.

FINIS.

JOAN-

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

OPERUM

TOMI QUARTI

PARS SECUNDA:

CONTINENS

ORATIONES SOLEMNES,

EPISTOLAS ALIQUOT,

CARMINA,

& alia Miscellanea.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

ORATIO

HABITA

IN SOLEMNI SUPPLICATIONE

PRO PACE ECCLESIÆ.

Ex MS. Cod. Vict. 138.

MONITUM.

Habita est ista Oratio eo tempore quo nuntiatum est Bonifacium & Benedictum contendentes de Papatu, viam cessionis admisisse. Anno scilicet 1394. *aut* 1395.



GRaces à Dieu, louenge, & gloire, quant il nous la donne Victoire *Vade in pace* Luc. 7. 50. Alons, alons, sans atargier, alons de paix le droit sentier. Et qui est de paix le droit sentier, se non la voye de cession briefve, & droite, clere & pleniere, celle voye est pieça avisée, mais à present elle est ouverte, & abandonnée A sans obstacle des deux contendans tous empechemens sont arriés mis; pourtant alons &c. *vel sic* il convient dire, a devot peuple Christien, que ceste bienheureuse repentante Sainte Marie Magdelaine ne fust par avant en guerre, en division, en scisme, & dissipation, quant J.C. luy dit à present apres son abolution : *Vade in pace*. Elle estoit, doncques en guerre par avant, & certes ainsy estoit, paix ne peut estre à ung pechieur: *Non est pax impiis, dicit Dominus*. Isaïæ LVII. 21. Il ha guerre à Dieu: *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Job. IX. 4. Il ha guerre à soy *Posuisti me contrarium tibi &c.* Job. VII. 20. *synderesis & ratio, & sensualitas.* Il ha guerre à tout homme, voir à toute humaine creature : *Pugnabit &c.* Sap. V. 12. *Creaturæ factæ sunt &c.* Sap. XIV. 11. Entendés quelle guerre : Orgueil enhorte laborer à vanité; peresse, & luxure, & gloutennie tendent à soy reposer; B envie & ire la dessirent; avariçe la pourmaine, & traine.

Per mare, per terras &c. mais apres grant guerre, grande paix. Vous veés, que apres ceque ceste penitent ha presché la voye de cession, & de renonciation à ses pechiés, Dieu lui a dit *Vade in pace*? & ne dit mye Marie *sed vade*, scilicet *de virtute in virtutem*. Appliquons à sens mistique, & disons, que ceste repentent figure l'Eglise quant à ses membres, qui sont en pechiè, & division, & par especial en ce. . . . . Dieu maintenant apres ce qu'elle prent la voye de cession il enhorte & dit : *Vade in pace*. Or vausist Dieu que chascun de nous fist tele cession à l'estat de pechié par penitence à l'exemple de ceste bienheureuse penitente, que Dieu nous dit : Vat'en en paix, *Vade in pace*, c'est ung beau don, une doulce parolle. . . . . apres la guerre de pechié venir à paix. Mais pour acquerir ce don, & pour appliquer ces parolles à ceste Procession & à sa cause, & pour parler deubuement de paix, & du chemin de paix, raison est que nous retournons au trone de paix : *Adeamus cum fiducia &c.* Hebr. IV. 16. à vous Vierge tres digne &c. vous estes celle, qui tousjours fustes & alates en paix sans dissencion quelconque en vous contre Dieu, ou creature, qui estes Mere du Dieu de paix, *Deus pacis*, & qui estes Mere de celuy qui est nostre paix en naissant, preschant, & morant, qui estes Mere de celuy qui ceda à son estat pour avoir paix: *Qui cum in forma &c.* Philipp. II. 6. Qui estes Mere de celuy qui à tel jour, comme vendredy qui vient, ceda à sa vie &c. Duquel Cayphas prophetisa en l'Evangille du jourduy &c. *Pour peuple unir fault ung mourir, ung pour accort soit mis a mort*: Joan. XVIII. 14. *Nulla gratior victima &c. melius est ut unus pereat, quàm unitas.* Qui estiés present, comme on peut penser sans sole affection, quant vostre Fils dit à ceste penitent *Vade &c.* qui ramenés pechieurs à paix, Theophilus, & autres; car oncques ne faillites &c. qui estes plaine de grace, & qui tousjours rendés graces *Deo gratias* &c. en vostre Eglise, qui fustes nommée *plaine de grace* &c. *Deo gratias*, *qui dedit nobis victoriam*, 1. Cor. XV. 57. Graces à Dieu, honneur, & gloire, quant il nous ha donné victoire; victoire voirement nous a donné Dieu, quant à la voye de paix, tant quise, & demandée, la voye de cession il ha encliné les cuers des deux contendens: & c'est une tres-noble & tres-profitable victoire, attend les assaults contraires & difficultés, & car n'est riens qui plus desplaise à Dieu, & aux hommes, voire à nature, que ingratitude, ou mesconnoissance; selond ce qui sera declairé cy apres par la vois, & le contenu du livre,

livre, de nature de l'Escripture, & de mistique figure : c'est quant on ne recongnoit le bien d'ou y vient, comme le pourcel maingé le glan sans regarder hault. Pourtant le Roy, qui tant y a travaillé, & tous mes Seigneurs de son sanc, & de son noble conseil, avec la maistresse de Science, la lumiere de l'Eglise, la deffenseresse de la Foy, l'Université de Paris, & Messeigneurs les Prelats ont ordonné faire ceste Procession solempnelle, pour dire de bouche, de cuer, & de bonne entencion, *Gratias Deo* &c. graces &c. & d'où vous vient ceste victoire, je vous pri, si non par l'especial don, & inspiration du Dieu de paix, & de toute consolation; se non par l'abundant grace de celuy, sans lequel nous ne povons ne paix, ne bien, avoir : *Sine me* &c. Joan. xv. 5. *Adeamus ergo cum fiducia, thronum gratiæ ejus* &c. Hebr. iv. 16. Accourrons doncques de present fyablement au throne de sa grace, pour trouver tousjours ayde, & misericorde, pour avoir grace, & souffisemment rendre graces pour eschuer le tres haineux vice d'ingratitude. Et car vous estes le throne de grace Vierge Mere tres digne, Mere de Dieu de grace, & de Misericorde, le troine de paix sans guerre vicieuse, nous recourrons à vous par bonne cofiance, car vous estes celle, à vray dire, qui oncques ne refusastes grace à creature humaine, qui de bon cuer vous en requist, vous estes celle de la quelle on recite, que tousjours àviès en la bouche, & ou cuer : *Deo gratias*. Vous estes celle qui futes plainne de grace, non pas seulement à souffisance, mais à sushabundance pour la departir à humain lignage, tellement vous nomma l'Angel Gabriel en son beau salut, lequel nous vous presentons au commencement en ceste vostre Eglise, & vous disons *Ave Maria, gratia plena. Deo gratias*, &c. Elevons nos cuers, ô devot peuple Crestien, pensons à la cause de ceste Assemblée, & Procession tres solempnelle, boutons hors toutes aultres cures, donnons ceste heure à considerer le beau don de paix, qui nous approche. Eslevons les cuers pour rendre graces ; ainsy l'enhorte l'Eglise à la Messe, qui par avant dit *Sursum corda.* & puis *Gratias agamus*. Quantes foispar grans desirs depuis pres de trente ans avons nous demandé paix, huchié paix, souspiré paix, *Veniat pax* reviengne paix : quantes Processions en ont esté faites : quantes legacions par toute Crestienté; & jusques à cy nous n'avons eu nulle si certaine nouvelle d'approchement de paix comme de present; nous n'avons nulle si belle victoire contre scismatique division, comme maintenant, quant la voye plus brifve, & convenable pour la debouter hors, & faire trebuchier, est ouverte, prise, & acceptée, au moins par parole, & par escrips, Dieu veuille, que par effet. Bien seroit maudit celuy, qui en telle matiere fainderoit, ou mentiroit, en disant l'un, & faisant l'autre; ja n'aviengne. Pour ceste cause est ordonnee par Nos-Seigneurs, qui sont d'un accort & à loer legacion à tous les deux, pour executer defait ce qui est dit par Bulles, & pour avoir du nostre plus plainne, & pour oblacion sans quelconque ambiguité, ou aultrement pour delaissier comme parties de l'Eglise *operibus credite*. Creés l'ouvrage plus que langage. Et d'ou nous vient ceste victoire, sinon du ciel *de cælo est fortitudo*. 1. Machab. 19. *Deo gratias igitur qui* &c. 1. Cor. xv. 57. *tamen non mancamus;* mais alons sans &c. Et à vray dire, quant je tourne les yeulx de ma consideracion, ou secret parlement de ma pensee, & je regarde la condicion de ce tres dolereux, & domageux scisme; quant je pense à sa longueur, & à sa force enracinée. Et d'aultre part y me vient au devant comment contre toute humainne esperance, & contre vos dessertes l'avons nous deffini, certes non &c. la voye de cession ha esté prise, esleüe, & acceptée purement, & simplement, par celuy de Rome, & offerte au nostre. Je treuve ycy une grace, & ung don de Dieu, plus que d'homme mortel. Considerons ung peu la fragilité de creature humaine d'une part; advisons & les adversaires d'autre part, le monde, la chair, & l'ennemy, nous congnoisterons, que ycy est victoire de la divine puissance, insuperable sapience, inconprenable begnivolence, inestimable. Revirons bien nostre fragilité contre les assaulx crueulx des temptacions, & nous trouverons, que en chascune humainne creature helas est langueur pour vigueur ; langueur quant à la partie

A exequtive; est erreur pour lueurs; erreur, quant à la Judicative; est froideur, ou fureur, pour bonne ardeur, ou pour faveur; froideur ou fureur quant à la volative; Si ne me pourroit sambler, que une œuvre de tele puissance, de tele science, & de tele begnivolence, comme est accepter la voye de cession, & de renunciation à tel estat, comme est l'estat Papal, puist avoir esté faite sans l'especiale grace de Dieu. *Deo igitur gratias* &c. Je vous pry, que chascun à present considere, & avise la difficulté qui est à surmonter temptacion quelconque, tant soit petite; & par especial quant ce vient que son honneur, ou sa gloire, ou sa renommée y perit, & lors nous verrons, que ce n'est pas si legiere chose de renuncier à l'estat Papal, comme aucuns pensent, & que à ce convient que la grace divine y oeuvre : je ne dy pas, que à ce ne soit obligié ung Pape, ou ung Pasteur, en temps, & en lieu, *Sicut deduxi pluries coram Papa;*

B mais cecy est de tres haulte perfection, la quelle chascun n'a pas, comme il devroit. Nous avons veu, & veons plusieurs, qui se font exposer à tous perils de mort corporelle, voires spirituelle pour acquerir aucun estat, aucune chevance, ou pour les deffendre, & garder, *Ajax. Cato. Medea.* Se la fragilité fut tele es Angels, que pour le vent de une vainne gloire ils trebucherent des ciels en pardurable dampnation; s'elle fut telle en nos premiers parens que pour le goust d'une pomme ils pardirent eulx & leur succession; s'elle fut telle es Apostres, comme en saint Pierre, qui à la voix d'une femelete renya nostre Seigneur, & en Judas, qui pour ung peu d'argent, & convoitise fut pardu sans remede. S'elle est telle en nous tous que au vent d'une petite parole injurieuse, ou au feu d'une petite temptacion luxurieuse nous sommes comme furieux, & hors du sens souventes fois, & nous pardons.

C Nul ne doit presumer, que luy, ou aultre, puist vaincre tant de merveilleux assaulx, qui sont contre la voye de cession à tel estat si non par la grace divine. Il fault que le cuer aist esté hault relevé sus toute chose terrienne &c. *Hæc est victoria est quæ vincit mundum Fides nostra;* 1. Joan. v. 4. *ex consideratione Dei, proximi sui exempla, pro Republica* &c. Je di ces choses à plusieurs fins. Premierement, pour eschuer presumption en nous : secundement, pour oster indignation despiteuse contre nostre proesne : tiercement, pour recongnoistre le don & la grace de Dieu, quant il ha encliné cuer humain à oeuvre de telle puissance, comme de vouloir ceder, ou renuncier à l'estat Papal, pour avoir paix & union. C'est une belle victoire, pour la quelle y nous convient dire : *Deo gratias &c.* . . . . .

Quicumque dixerit verbum sapientiæ ipsi dabitur victoria cessio verbum illud je pourroie plus en especial declarer les assaulx perilleux, qui ont esté, & sont,

D contre ceste voye de cession, pour monstrer, que la victoire est tres merveilleuse, honnorable, & vertueuse; c'est oeuvre de Dieu: mais affin que ceste victoire se parface, qui n'est pas du tout parfaite, & achevée, & que nous alions non arestans encores; ne sommes nous pas au terme, & au triumphe de plainne paix, combienque le principal en est fait, se à nous ne tient. Arrestons nous ung peu en ces trois poins, ou considerations, & disons que pour garder ceste victoire, & qu'elle ne nous es chappe, ains quelle viengne à la fin *versa est victoria in Luctum.* 2. Reg. xix. 2.

Trois

Trois Capitainnes contre la bataille du scisme nous sont necessaires selond trois regars, ou habitudes, qui sont; envers Dieu, envers nostre proxime, & envers nous meismes. Envers Dieu regraciacion, envers nostre proxime compassion, envers nous meismes humiliation: à regraciation est jointe equité, à compassion benignité: à humiliation verité: ainsi avons nous les trois leurs de paix, & ses trois gardes, equité, benignité, & verité. *Misericordia &c.* Ps. LXXXIV. 11. Equité fait le chemin de paix plain, benignité doulx; verité cler. Pourtant alons sans &c. Ces trois vertus furent en sainte Marie: regraciation, en oignant le chief; conpassion, en oignant les piés; humiliation, en s'enclinant, & plourant. Regraciation nous est monstrée ou livre de nature de l'Escripture de figure: lisons le livre de nature, c'est ce monde sensible, & les feuilles, & les lettres sont les creatures. Nous veeons, que toute riens rent graces à Dieu son faiteur, le loue, le beneit: *Cœli enarrant gloriam Dei &c.* Ps. XVIII. 1. Saint Augustin, & les Philosophes par la lettre, & la voix des creatures venoient à la congnoissance de Dieu, parceque toute creature le recongnoist son Createur, & dit *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Psal. XCIX. 3. Et est l'homme pire que creature autre s'il ne loe, regracie par entendement, & voulenté; car il est non pas seulement son Createur, mais redempteur, & Glorificateur. Lisons ou livre de nature en la partie des bestes, de l'Elephant s'il cognoit son protecteur &c. du chien; meurt pour son maistre, & puis ne mangue apres sa mort: du Lyon; notés l'histoire du pasteur à Romme, & de St. Jerome; de la vipere, qui occit son faon; du crapaut qui creva &c. dit St. Augustin. De tels plusieurs lisons ou livre de l'Escripture, Augustinus ad sanctum Aurelium. *Quid melius animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus Deo gratias, hoc est dicere brevius, nec audire latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Lisons les histoires des anciens Peres, qui rendoient graces &c. Moyse, & sa sueur Marie firent nouvel cantique à l'issue de grote apres la division de la rouge mer pour rendre graces: *Cantemus Domino &c.* Exod. XV. 1.

Nous le devons bien faire en l'issue de tenebreuse division à la terre de promission, & cité de paix; ce scisme est pire, que Egypte, ou quel les fils d'Israel les Crestiens servent aux vices, comme en boe, en paille, en tuille, & sont occis les enffans males: boe de charité, paille de vanité, tuille de cupidité, occision de virtuosité. Or veulle Dieu, que nous passions tout oultre par le destort de ce monde, sans ce que Pharaon nous mette à mort &c. Delbora apres la victoire quelle ut de Cysarè, fit ung cantique.

Nous le devons mieulx faire pour la victoire de scismatique division. Anne fit cantique quant de sterilité fut faite ençointe de Samuel. *Exultavit cor meum &c.* 1 Reg. II. 1. Nous le devons mieulx faire pour ung Pape Prophete, & Juge &c. David apres la mort de Goliad: *Benedictus Dominus, qui docet manus meas &c.* Ps. CXLIII. 1. Et pareillement apres toute notable victoire &c. nous trop plus pour espirituelle victoire. Ezechias encouru la maladie selond Josephus pour ce qu'il n'avoit point fait cantique apres ce que l'Angel avoit occit cent & quatre vingt cinq mille Assyriens; depuis en fit ung: *Ego dixi &c.* Isaï XXXVIII. 10. Thobias Judith, Hester, &c. & nous de tenebres en charité, de persequcion en seurté, de l'orguel de Naaman en humilité, sommes tournés par l'aide de Dieu, & de ses Saints. Item les trois Enfans & les Machabeans &c. A chascune nouvelle beunissons *Exultate.* Ou nouvel testament, Zacharie, nostre Dame, & saint Symeon. Maintenant nous est comme nuncée la voix de paix *Quando visitavit nos oriens ex alto ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati* &c. *In sanctitate*, par purtè: *Justitia*, par equité: *coram Deo*, sans simulacion: *omnibus diebus nostris*, sans interrupcion chantons *benedictus &c. visitavit oriens ex alto: illuminare &c.* Luc. 1. 74. &c. chantons *Magnificat, exaltavit humiles*; Chantons: *Nunc dimittis in pace.* Luc. II. 29. A la parfin quant à ce lisons le livre de figure. Recite Fulgence, que grace se figuroit par trois vierges, des quelles l'une donnoit une pomme d'or; & les autres luy en rendoient trois. Veons ou mirouer ardent, qui resplendit pour ce qu'il rent ses raïes du soleil envers le soleil; & la nature des fleuves se continuent pour ce que ils rentrent en la mer; recongnoissons par rendre graces de cuer, de bouche, & de oeuvre, affin que Dieu ne nous oste ce don pour nostre ingratitude comme selond les loys le serf ingratdessert revenir en serviture: cy appert par le serf de iniquité Judich *post victoriam venit in Jerusalem.* Judith XVI. 22. Ayons le second champion pour nostre recours qui se nomme compassion, qui est joingt à benignitè: ostons toute rancune &c. commun peril fait pais: appart entre les bestes, le chien, & le leu, chiens & chat dessoub seigneur s'accordent; appart entre larrons pour mal faire: trop plus ce doit faire pour bien. Notés des Consuls Romains, qui s'accordoient &c. *Item De Annestea Grecorum.* Notés comment Dieu sueffre, que on se traveille es moyens divers, puis que la conclusion est &c. exemple es transmutacions naturelles pour engendrer les mixtes parfais. Notés de Saint Pol & Barnabas pour un Marcus, & des Angels en Daniel. Dieu veult que la gloire soit en Dieu *ne glorietur stulta præsumptio* &c. nous sommes ung corps mistique, se l'un membre fault, l'autre le corrige en compassion, & benignitè sauve la santé de tout le corps. Le Pape doit legierement pardonner s'aucuns luy ont fait desplaisir, car c'estoit à bonne fin, en ignorance *sapientibus & insipientibus debitor est, & materia furiosa est, sanenda etiam cum laceratione, sicut filius raperet matrem de incendio* &c. nous devons avoir compassion au chief, quant es mals sanblablement, car par aventure cuydoit bien faire ou attendoit ceste occasion. Exemple de *Quintus Fabius* recevons le bien en benignité *Cantemus* en nouvel, l'une qui se monstre plus clere envers nous. Nous en devons avoir joye *quia dedecus filiorum Pater sine honore. Patuit in Canaan, qui irrisit patrem &c.* Et si aucun dit, que doncques on devroit laissier le Pape tout à son plaisir: *Seniorem ne increpaveris.* 1. Tim. V. 1. Je dy, que non, pour obvier aus temptacions & assaulx de l'ennemy, du monde, & de la char, & cecy est benignité, & compassion. Exemple du fils au pere aveugle, ou inpotent, ou yvre; honneur, & ambicion aveuglent &c. Notés que celuy chevalier, qui se fit loyer pour passer oultre mer *Felix necessitas &c. nec dicat cogor quia velit, & nemo cogit.* On veult qu'il monstre par oeuvre son bon propos, dit J. C. *operibus credite*, creés l'ouvrage plus que langage: à l'oeuvre voit-on l'ouvrier. Notés l'aliance des corps du monde l'un descent pour pais, & union. *Creant sic inpossibilia mundi justitia compassionem habet, falsa indignationem* ait Gregorius *vis aptam meritis vicem rependere, dilige bonos jure, & miserere malis Si quis praocupatus fuerit &c. Ille heri, ego hodiè, ille in secula. Exempla hodierna. Non sis criminator & susurro non oderis fratrem &c. contra libellos diffamatorios, sed magis gratiarum actio. Joseph dicit fratribus, ut non contenderent in via.: ne irascamini in via.* Gen. XLV. 24. *Filii Israel ibant animo pacifico ad prelium, quantò magis ad pacem.* Prenons tiercement humiliacion jointe à verité, qui est plus contraire à verité que orgeuilleuse vanité; qui plus inpugne verité, que mensonge, & fausseté. Veons quelle vanité, ce seroit à humaine presumpcion cuyder que par sa force, par son sens, ou bonté, elle peut vaincre scismatique division; c'est faussetè contraire au dit de verité, *quam mundus dare non potest. Exuperat* om-

omnem sensum. Donnons la gloire à Dieu, c'est sa part, & nous aurons paix, qui est la part aux hommes de bonne voulenté. *Gloria in excelsis Deo.* Luc. II. 14. Et qui est bonne voulenté se non qui se rend subjette à Dieu : *Nonne Deo subjecta* &c. Ps. LXI. 2. ne mesprisons point cette grace, soit ostée propre reputation de puissance, science, ou sainteté soit es grans, soit es autres. Notés contre propre conseil. Notés contre adhesions à Drois positifs. Si veé en conclusion pour la joindre au commencement, que nous devons dire haultement, & liement, *Deo gratias*, afin que par ingratitude il nous oste ce grand commencement, & nous enpesche la fin. Ostons doncques tous enpeschemens, qui seroient à rendre graces, & qui empescheroient nostre langue, comme yuresse de charnalité, polisse de peresse, & oyseuseté, contraction d'avarice, inflacion d'orgeuil, ... d'envie, incision de ire, ou qui nous estrangleroient; pour oster l'inspiracion de Dieu, & de charité, qui est patient, benigne &c. *In cœlo erit gratiarum actio, & vox laudis.* Isa. LI. 3. & que cruaulté ne face le chemin aspre & espineux, fausetté obscur & tenebreux; iniquité dur & montueux, *dirigendo pedes nostros* &c. bonne mort l'omme dehors charnel, & de pechié *Pretiosa in conspectu Domini* &c. Ps. CXV. 15. *Moriatur anima mea morte Justorum.* Num. XXIII. 10. *Expedit ei, ut suspendatur mola.* Matt. XVIII. 6.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

QUERELA

NOMINE UNIVERSITATIS

AD

SENATUM PARISIENSEM

***Habita adversùs Familiam Caroli* de Savoisy.**
***Mense Julio Anni* 1404.**

Ex eodem Codice M. S.

POur exposer à vous, Messeigneurs, la piteuse, & tres-miserable complainte de la fille du Roi, ma Mere, l'Université de Paris, je commencerai par l'un dict de la sainte Ecriture, comme il affiert à telle proposition & dirai *Estote misericordes*, Luc. VI. 36. Messeigneurs, Soiés misericords : c'est le commandement de nostre Roy, de nostre Empereur, de nostre Foy. Aucuns par aventure tourneront incontinent à merveilles cette maniere de commencer, ceux en especial, qui sçavent desja assez la cause, & la matiere tres enorme, & de nonpareille iniquité, pour laquelle la fille du Roy, la fontaine de science, la lumiere de nostre Foy, la beauté, le parement, l'honnesteté de France, voir de tout le monde, l'Université de Paris, envoie de present Monsieur le Recteur, & ses deputez par devers vous, Messeigneurs, par devers cette tres honorable haute, & Royale Cour de Justice. Comment dient eux, que veult ce estre ? que celuicy vient demander misericorde, vient exhorter à Messeigneurs, que ils soient misericords, en un tel fait si horrible, de non pareille mauvaistié, d'execrable sacrilege, de trescrueuse perversité, qui n'agueres fut perpetré encontre ladite Université pres, mais dedans l'Eglise de sainte Catherine veans icy. Mais aussi que peut-ce estre, que un de la profession de Theologie inexpert des Loix s'avance & se entremet de parler, & proposer en cette haute Cour, pour & ou fait de Justice, en usurpant, ce semble, l'office des saiges Orateurs, & Avocats de tres singuliere & claire eloquence, que icy sont, auxquels trop mieulx appartient parler en cette matiere, alleguer & conclure; C'est leur metier, leur coûtume, leur art, leur institution, science & profession. Et vecy qu'il en advient, car contre l'art de plaidoyrie, ce Theologien met en avant misericorde, quand il doit emouvoir à Justice; Il prend les parties de son adversaire. Car son aduersaire que peut-il autre chose demander icy à Messeigneurs, fors grace, & dire à Messeigneurs *Soyés misericords*, puis que le fait est tant A clair, & notoire en toute iniquité, sans le pouvoir nier, ou en rien justifier, que chacun en huche vengeance, non pas de Paris seulement, non pas en une cité, ou icy; mais par tout le Royaume de France, voir ja hors le Royaume, en estranges contrées, voir certes le Ciel & la Terre en font complainte à Dieu. Or pleust à Dieu, Messeigneurs, & à sa benigne misericorde, que la tres noble personne du Roy, nostre Sire, feust en tel estat, & prosperité corporelle, comme nous tous le desirons; cette question cesseroit pourquoy un Professeur de Theologie, plus que un Advocat parle en cette matiere: car l'humble, & devote fille du Roy, par Royale adoption l'Université de Paris, en sa piteuse querelle, en sa tresjuste complainte se feust tournée sans moyen à sa Royalle personne par la maniere accoutumée, qui est telle que un Theologien propose pour B avoir expedition briefve, sommierement, & de plain. Et c'est bien à sçavoir, que le Roy ne luy eust point refusée, & on en a ja veu des signes plusieurs. Or est autrement par la secrete ordonnance de nostre Seigneur. La fille du Roy ne peut de present avoir accez à sa Royalle personne, elle est comme Orpheline, & sueffre violence incredible, & crueuse: si faut qu'elle praigne son recours, sa defense, & refuge, à son hault Throne de Justice, ou sied, & se repose son autorité Royalle. Et qui est ce Throne de Justice? n'est ja besoin que je le die, chacun le scet: c'est par excellence cette Cour treshonorable de Parlement, ce Senat des Peres conscripts, le Throne mystique que devisa le Saige Roy Salomon qui feust moult precieux, noble & merveilleux, auquel on montoit par six degrez, chacun desquels avoit deux C lions entaillés & figurés, si étoient 12. en nombre, & le siege étoit soûtenu de deux mains, l'une à dextrè, & l'autre à senestre. Bien etoit ce Throne, la figure du Throne de Justice, duquel je parle, qui y vaurroit estudier, ou arrester. Ensuit les six degrés fors les vertus qui sont necessaires pour venir incontinent à Justice, Prudence, Attrempance & Force, Foy, Esperance & Charité. Les 12. Lions sont en figure les 12. Pairs. Les deux mains sont l'une Clergie, l'autre Chevallerie. Mais passons outre, car grand besoin nous tire ailleurs & disons, comme ja est commencé, que la fille du Roy, puis qu'elle n'a la presence de son Pere en personne, prend son recours à son Throne, ou repose sans muer ou defaillir sa Royale authorité. Et ce elle fait sommairement, & de plain sans moyens d'Orateurs, ou Ad-D vocats, selon sa coustume & dignité. Sy ay repondu pourquoy un Theologien icy parle; en demonstrant aussy & protestant que la fille du Roy vient icy, non pas comme devant Juges ordinaires, mais comme devant ceulx qui representent le Roy, & se non quant à personne, au moins quant à authorité. Mais encore demeure la seconde demande, pourquoy & comment j'ay tellement commancié en suppliant *Estote misericordes* Messeigneurs, Soyez misericords. I. Se les Roys d'Israël, les Roys de France sont misericords, *Reges Israel clementes sunt* telle doit estre sa Cour; & tel Seigneur, telle Cour. En apres l'Escole de Theologie instituée par nostre Souverain Docteur, & Maistre Jesus Christ, apprend singulierement misericorde *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum & humilis corde.* Matt. XI. 29. Apprenés de moy, dit Jesus Christ à ses Escoliers. Qui dit *apprenez*, Il ne dit mie puissance, & faire miracle, Il ne dit mie vanjance rigoureuse, mais apprenés que je suis doulx, debon-

bonnaire, & humble de cuer. Si doit donc un Theologien ensuir la dottrine de son Maistre, & doit toujours tendre, & exhorter à misericorde. Car en bonne foy Messeigneurs, crées moy, je trouve icy bien matiere de misericorde, & se ne feust misericorde qui me contraint, jamais je n'eusse entrepris la parole en si haute, & dangereuse matiere, devant Seigneurs de telle prudence, authorité & eloquence, en si petit de temps, comme sçavent plusieurs, & conscience de tant petite institution que je sens en moy. Mais quand j'ay voulu refuser ce fait, & m'en excuser, j'ay trouvé dedans le secret plainement de mon cuer, de toutes parts plaintes & requestes, qui pourroient emouvoir mesmement pierres à misericorde, & à compassion, comme il appaira cy apres. Et se la puissance, & science n'est en moy telle que je puisse, & sçache proprement, vivement, & à bon droit exposer les causes de cette misericorde; car certes Demostenes, ou Tulle, & S. Jean Bouche-d'or, & S. Augustin, s'ils revenoient, pourroient bien faillir, tant grande est indignité de cette besogne; neantmoins la voulenté y est en moy: autre chose ne peut on demander icy fors bonne voulenté, j'aime mieulx voir que aucun reproche, ou honte soit sur moy de ignorance, ou de temerité, ou insouffisance, que la chose demourast en tel estat que les adversaires, ou malveillans de la fille du Roy, de la mere qui entre les autres m'a nourry des mon enfance, peussent reproucher, que pour elle, & en son affliction, on ne trouve en ses fils aucun qui en ait pitié, & misericorde, & qui en veille, ou sçache, ou veille parler. Ja Dieu ne veille souffrir ce reprouche miserable advenir. Je ne desire ja tant vivre que je voye un tel meschief. Puis donc, Messeigneurs, que je vous ay exposé la cause pour laquelle un Theologien, au moins de nom, & de profession, porte la parole, je veux plus à plain declarer, pourquoy j'ay au commancement prise telle parole, tel theme. *Estote misericordes.* Messeigneurs soyez misericords. Eslevés, je vous supplie, les yeux de vostre pensée, & les tournés à parfundement considerer & adviser, comment en la cause que j'entreprens, on vous demande, & doit demander de touttes parts misericorde. Premierement la fille du Roy, & toutte Clergie vous huchent misericorde en leur desolation. Le Roy, & toutte Chevallerie vous requierent misericorde en doubte de perdition. Le Peuple, & toutte Bourgeoisie vous crient misericorde en leur paour, & affliction. Mais aussy vous devez avoir misericorde de sainte Eglise, & de sa liberté, misericorde des maufacteurs, & de leur damnation, ou infelicité; misericorde à la parfin de vous mesme, & de vostre Cour, qui est Cour de Justice, & de equité, & jaçoit ce, Messeigneurs, que ja les plusieurs conçoivent assez ce que je veuil dire, & plus par avanture, que je ne soray exposer, ou expliquer; neantmoins seuffrez, je vous prie, que je arreste ma parole sur chacun de ces six points lesquels j'ay mis en ordre pour les mieulx entendre, & retenir. La fille du Roy en especial, & toute Clergie en general, huchent à present misericorde en leur desolation. Elle crie *Vim patior.* Je souffre force, dit la fille du Roy, & violance, non mie en une de mes parties, & de mes membres, mais en tout, & par tout mon corps; & chacun ja cecy scet; ce fait detestable est tant notoire, que se je le vouloye celer, ou dissimuler, ce ne pourroit estre. Helas je suis celle, qui en Adam fus premierement inspirée en sa nouvelle creation. Je suis celle qui depuis par succession feu fondée & renouvelée en Egypte, par Abraham, & autres fils de Noë; puis feus transposée à Athenes, & nommée Pallas, ou Minerve, puis vins à Rome, quand la Chevallerie y seignourisoit. Puis par Charles-Magne le grand feus plantée à grands labeurs en France en la cité de Paris; & tant amee & chier tenue, que les tres nobles Roys de France ont voulu que je sois nommée la fille du Roy par civile adoption.

Et à moy telle helas; n'a gueres ha esté faite une violence, une impression, non pas une, mais plusieurs, comme chascun sçet. J'avois entrepris par amour filiale, & loyale au Roy mon pere, & par devote Religion en ma bonne simplesse, que je iroye solemnellement en Procession ordonnée jusques à l'Eglise dela glorieuse Vierge, & Martyre de Dieu, S. Catherine veant tout le peuple pour le plus emouvoir à devotion. Quelle autre œuvre pourroit estre plus meritoire, & plus digne de loüange, & Religion? Aussy allois-je en ma simplesse en l'innocence de mes supposts en tres bel arroy, & en merveilleux nombre à ladite Eglise de S. Catherine. Vinrent aucuns de la maignie de l'ennemy, qui par mauvaistié exquisite, rompoient cette Procession en passant, & chassant les chevaux sur les enfans, en les marchant, & trebuchant à terre & en la boe: c'est outrage devoit bien & trop suffir, mais ne mie un mal entre telles gens ne fine pas où il commance, toujours s'accroist; ne demoura gueres, que ceux revindrent, & sans sçavoir, ou demander qui etoit l'un ou l'autre, battoient, rompoient, chassoient, trebuchoient indifferemment tous mes fils les escoliers. Grand bruit, grand cris, & grand clameur, se va elever, n'étoit pas de merveille: petits, & foibles enfans n'avoient autre maniere de se revangier, fors crier aide & misericorde, & ceux qui eussent pû rebouter force, eurent cette attrempance, qu'ils ne vaurent pas prendre à soy la vanjance; mais la laissier au Roy & à Justice. Les petits enfans donc crioient mercy à eux; helas ils savoient mal à quels gens ils avoient à faire car en leur cueur n'avoit quelconque pitié, ou doulceur, ou compassion, ainçois de plus en plus accroissoit leur felonnie perverse, en tant que ils allerent querir glaives, ares, sagettes, epées, pilles de Flandres, & aultres armes invasives, comme s'ils se deussent combattre contre les ennemis du Roy, & du Royaume; je ne sçay s'ils eussent été tant hardis contre eulx: puis trayoient sagettes à la volée, feroient à tort, & à travers par tout, & ça & là, tellement qu'il n'y avoit point de refuge, & de sureté.

Bien est icy, Messeigneurs, matiere de pitié, & de compassion; que vous en semble? Est ce sans cause que je vous dis, *Soyés misericords*: à qui misericords? à celle qui ainsy vous peut dire, à la fille du Roy en son oppression. Mais encore y a pis, car jusques à l'Eglise vint cette fureur, & là fait feut du lieu de sûreté lieu de battaille, & de cruauté. Et vrayement paroles me defaillent à declarer à son droit l'indignité de cette besogne: aidés moy; pensés par vous mesmes quelle horreur c'étoit, & quelle confusion, veoir tel nombre de jolis escoliers, comme agneaux innocens fuir & trebucher devant les leus ravissables; & ne sçavoient où se cachier, ils s'en alloient à l'Eglise comme à lieu de refuge, & de seureté, comme les poussins fuient sous les aisles de leur mere; mais rien n'y valoit, car en surmontant la cruauté des mescreans, & des Vandres qui prindrent Rome, ils n'epargnoient de rien ceux qui estoient en l'Eglise, ainçois trahioient à eux comme bestes, en tant que plusieurs y furent navrés, & combien que ceux qui estoient en l'Eglise s'enfouissent çà, & là, où chacun pouvoit le mieulx. En tant que la Messe, qui etoit commanciée solemnellement, cessa, pour les chantres qui s'en partirent & se finit a grand paine, & à grand paour à basse voix, & le Sermon cessa, & les bonnes Dames, qui y etoient venues, cachoient les enfans dessous leurs manteaux. Mais encore ne pouvoient eulx avoir seurté. C'estoit droitement une perseqution telle, comme vous regardés en ces paintures, quand Herodes fit occire les Innocens. Un escolier fut navré d'une sagette en la mammelle assez pres de l'autre, l'autre au col, l'autre ot sa robe parcée. Et briefvement quant fu des persequteurs qui tiroient à la volée, n'y avoit quel-

quelconque sans peril de mort, fust maistre ou escolier, fust noble, comme estoient les plusieurs, fust non noble, fussent de vos enfans, Messeigneurs, fussent autres 30. navrés. En bonne foy icy, ha matiere trop grande de misericorde, & de compassion, & si je vouloie curieusement faire deduction selon l'enseignement de Tulle en sa Rhetorique, selon l'art de Caton seculier, je trouveroie tous les lieux qui sont à misericorde, estre icy distinctement compris. Mais tournons un peu nôtre parole à monstrer l'indignité de ce fourfait. Aucuns soulent soi abstenir de mal faire pour crainte des gens, & d'estre connus; ce meffait a eté fait tant en appert, que plus ne peut, de plain jour, & veant tout le monde. Que fera-on en tenebres? Qui en fera d'ores en avant sur en son hostel. Aucuns se tiennent de meffait, & refraiment pour doubte du Roy & de Justice. Ce meffait a esté fait pres de l'Hostel du Roy, pres de la fontaine de Justice Royale de Parlement, & de Chastelet, & en la principale cité de toute France:. Que fera-on ailleurs au bout du Royaume? Aucuns rescoignent faire mal par innocence, & josne aage des enfans; icy ont esté principalement persequtés petits enfans, & quelle aage sera à seurté d'orennavant? Multitude refraint aucuns; car on devroit même epargner à une multitude, ou communauté s'elle excedoit: icy a eté punie toutte l'Université tressolemnellement assembleé. Que feront deux escoliers, s'ils sont apart, ou trois. Aucuns ont reverence à l'Eglise, & au Service divin, & aux habits sacerdotaux, meismes entre Pajens & Sarrasins. Il apparut des Vandres à Rome, & de Alexandre au Prestre de la Loy: vous voyés que ce forfait a principalement eté perpetré en l'Eglise à l'heure de la grande Messe, & du Sermon. Ou seront en seurté d'orennavant les nocens en Eglise, quand les innocens y sont persequtez? Quel point de nostre Religion sera gardé, si le S. Sacrement est violé? Que profiteront Sermons, se les Preicheurs sont persequtez, & debouttez. Aucuns prennent garde a leur noblesse, ou ceux de leur Maistre, ou de leurs parens. Vous oyez par quelles gens a eté fait un tel vilain outrage. Se Chevallerie persecute Clergie. Qui la defendra? Où sera Sauvegarde Royale gardée, se la fille du Roy est vilennée & violée? Aucuns ont compassion des autres qui s'humilient & crient mercy, comme on dit du lion, & nous le voyons entre les chiens. Icy ont eté persequtés ceux qui plus ont esté humiliés. En especial le Bedel tenant sa verge, & soy agenouillant & criant pour Dieu mercy, & tendant à la paix, la feut battus, & defrappez. Mais à la parfin se Chrestiens, persequtent Chrestiens, & les François Francois, & les Parisiens ceulx de Paris: Que nous devront faire les Non-chrestiens ou estrangers? Qui est le Royaume tant ferme, tant riche, & poissant, que, s'il est tellement divisé, ne trebuche briefvement en sa perdition? Que sera du Royaume de France, fors une rapine & larronnerie, se justice en est tellement deboutéte? *Nam semotâ justitiâ. Quid sunt Regna nisi magna latrocinia? Inquit Augustinus.* Quelle seurete? Quelle Foy? Quelle loyauté pourra avoir le Roy, & les Seigneurs en tels serviteurs larrons? meismement comme dit Tulle & le recite S. Augustin, pour avoir seurté ensemble, & gardant justice entre eux. *Estote ergo misericordes.* Luc. VI. 36. Soyez donc misericors, Messeigneurs, non pas seulement envers la fille du Roy, & son affliction, mais envers le Roy mesmement, & toutte sa Seigneurie. Car comme l'honneur de la fille tourne l'honneur du Pere; pareillement la fille ne peut estre deshonorée, sans deshonneur du Pere. *Dedecus Patris Filius sine honore.* Doncques toutte cette desolation rechiet sur le Roy & son honneur: car dit le Roy, & Prophete David, que l'honneur du Roy aime Justice, *Honor Regis judicium diligit.* Ps. XCVIII. 4. Si est certain que quiconque blesse justice, il blesse l'honneur du Roy, qui est la plus belle pierre de sa Couronne; mais aussy que dit le Sage, & experience le monstre. *Regnum de gente in gentem transferetur propter injustitiam & varios dolos.* Eccli. X. 8. Royaulme se transporte de gent à aultre par injustices, quand elles y sont faites. Et quelle pourroit estre plus evidente injustice, ou Royaulme de France, qui est celle, de laquelle nous parlons. Persequter sa A fille en son corps, & en ses membres, de cler jour, veans tous, & n'est un secourant en lieu saint & sacré, en office divin, en priant ensemble pour sa bonne prosperité, par gens du Roy, & de sa Cour, par ceux qui la devroient aidier, defendre, & secourir, selon le serment de Gentilesse, ou de noblesse. Que dira le Roy quand il sçaura de telle desolation, & injustice qu'on n'en tient conte, nul n'en a misericorde! Que diront les subjets, & non pas eux seulement, mais ses adversaires, quand ils oiront & verront, que on trouveroit plus grand seureté en un bois, & un desert, qu'on ne fait en la plus noble, & ferme, & grande cité de tout le Royaulme de France. Pour Dieu, Messeigneurs, entendés icy, & par la foy, & loyauté que vous avez, & devez avoir au Roy, & à son honneur, & à la conservation de son Royaulme, & de toutte sa Signorie. B Soyez misericords à sa noble personne, aidés lai, secourés lai. Et pour ce qui est dit, vous vées, que ce n'est pas de merveille, si tout le peuple generalement, & toute Bourgeoisie vous demande misericorde pour eulx aider, & secourir, quand ils ont veu leurs propres enfans, lesquels Dieu veuille garder, & defendre de telle oppression; les bestes meismement nous monstrent cecy, car elles exposent leur propre corps à feu, & à flamme, & à glaive, & à toute maniere de mort, pour leurs faons. Et se le peuple voit, & non pas seulement le peuple, mais plusieurs Nobles, & Seigneurs, desquels les enfans ont accoutumé converser à l'etude, que il n'y aist autre surté, c'est bien à sçavoir, que jamais n'envoieront leurs enfans pour encourir tel peril de mort: si perira l'etude, & demourra France comme non sçachante, & aveuglée par ignorance, & defaut de science, & de vray Clergie. Et quand Clergie y faudra, bonne Chevalerie n'y durera pas grandement. Pensez Messeigneurs, Messieurs, que si la chose eust un peu plus de durée, & que la C large discretion, & attrempance de Monsieur le Recteur & autres Maistres n'y eust pourveu diligemment, que la turbation, & confusion irreparable etoit taillée de s'ensuir, non pas seulement par les escholiers, mais par leurs parens, & leurs amis, qui eussent voulu aller par voye de fait. Et n'est pas doutte, que se remede n'est icy mis par justice, une autrefois on usera de voye de faict: n'est celuy, auquel ses injures semblent petites, *Estote ergo misericordes.* Mais aussi jà pieça que l'Eglise se monstre aux yeulx de ma pensée, & complaint sa violation, & que le lieu de liberté, de franchise, & de seurté, ha esté fait un lieu de perseqution, & de tres enorme cruauté, *Domus mea.* O Vierge tres glorieuse, Madame sainte Catherine, vous estes digne en verité, que on portast autre honneur, & reverence à vostre Eglise, & à vos Reliques, & au saint Sacrement de l'Autel, qui dedans vostre Eglise se celebroit; la belle representation de la Nati- D vité de nostre Seigneur, & de son saint sepulchre glorieux, qui est dans vostre Eglise desverroient estre autrement honnourez. Doncques, Messeigneurs, par icelle Religion Chrestienne, qui est en vous, par la misericorde que vous attendés des Saincts, & Sainctes, par l'honneur & reverence que vous avez à nostre Mere saincte Eglise, qui vous ha regenerez en vie spirituelle, Soyez icy misericords, en telle prophanation, & desolation de sa liberté, franchise, & seurté, & que la deshonneur, qui a esté faicte au

au saint Sacrement de l'Autel, & à tous Saincts, & Sainctes, & en especial à la vierge tres digne Madame saincte Catherine, soit reparée souffisamment, & tost, & patemment.

Puisque j'ay demonstré la misericorde, & compassion que vous, Messeigneurs, devez avoir des trois Estats, c'est à dire, de Clergie, de Signorie, & de Bourgeoisie, & de sainte Eglise, car tout a esté par ce fait detestable villé, corrompu, deshonoré, se remede n'y est mis; je descendray, s'il vous plaist, à declairer aucunement comment vous devez avoir misericorde des maufaicteurs, qui sont en ce fait coupables, & à la parfin de vous mesmes. Mais il nous convient ici entrer en termes de Theologie, & de haute Philosophie, en supposant premierement, que la misericorde de l'ame est trop plus grande, & pire que celle du corps; de tant que l'ame vaut trop mieulx que le corps, comme chose espirituelle, & immortelle.

Supposons en surplus, que la maladie, qui ne vient à garison, nuit trop plus que celle à la quelle on baille medicine pour venir à santé. Supposons en apres, que la garison de la maladie spirituelle se fait par repentance, & satisfaction; c'est à dire, par souffisante punition, & reparation du malfait. Si veez incontinent, que de ces choses qui sont cleres à tout entendement de raison, & par especial selon nostre Foy, & toutte Theologie, & bonne Philosophie, s'ensuit que on doit avoir misericorde, & compassion des maufaicteurs, comme de ceux qui sont plus griefvement malades que les malades corporellement. Ainsi le conclud Boëce :

Vis ergo meritis
Vicem rependere,
Dilige jure Bonos,
Et miserere malis.

Mais comment s'entend cette misericorde ? Nous le concluons par ce qui est dit: c'est par tourner telles maladies & tels malades à garison. Et cette garison comment se donne-elle? Par souffisante satisfaction & punition des méfaits, *Quia dedecus culpa non est sine decore pœna, & justitia.* Si veez que vous ne povés faire, ou monstrer plus grande cruauté envers les maufaicteurs, que de les laissier sans punition, & sans ce que ils satisfacent à ceux qui ont esté blessiés, & injuriés, & injustifiez. Pour Dieu doncques, Messeigneurs, aiés ici misericorde, corrigés les maufaiteurs, & amendez. Mais aucun me dira, que les maufaicteurs n'ont cure de telle misericorde, ils aiment trop mieux demourer sans punitions, & que tout soit pardonné, & dissimulé; peut ainsi estre. Neantmoins vous, Messeigneurs, qui estes leurs Peres, leurs Medecins, leurs Curateurs, pourtant ne devés vous substraire vostre misericorde. Autrement vous feriés comme la Mere qui laisse la fille tineuse, pour ce qu'elle est trop piteuse, c'est une crueuse pitié : ou comme le Medicin, ou chirurgien, qui laisse mourir son malade pour doute qu'il ne soit blessié, ou qu'il ne se plaigne; ou comme le Pere qui laisse perdre son enfant, & le Maistre son escolier par defaut de batture, ou de correction. C'est icy comme une amoureuse haine, ou amour haineuse. Mais montons encore plus hault selon les termes de Theologie, & la Verité de nostre Foy, car je parle à Chrestiens, & entre Chrestiens, & pour Chrestiens, si Dieu plaist, quelques pecheurs que soient les maufaiteurs en autre chose. Or disons doncques, que le méfait qui n'est ici puni, & corrigé en cette presente vie, ou regne & tient son Trone la Justice de Dieu piteuse, & misericorde, sera puni plus asprement sans comparaison apres cette vie en l'un des deux lieux, ou en Purgatoire, qui est lieu & Cour de Justice aucunement rigoureuse; où en enfer ou punit, & condamne, & domine Justice de Dieu horrible & tres crueuse, ainsi le dit l'Apostre: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Hebr. x. 31. Pourtant le saint Prophete demandoit à Dieu, qu'il ne feust point corrigé, ou condamné selon la fureur de Dieu, ou selon son ire, mais par misericorde, c'est à dire, en cette vie : *Domine, ne in furore tuo arguas.* Ps. vii. 1. Concluons doncques, Messeigneurs, que vous ne povez monstrer plus belle misericorde aux maufaicteurs, que de les jugier, & corriger en cette presente vie; pour eschever l'horrible mort, & damnation de l'autre. Ainsi le deprioit à Dieu S. Augustin : *Hic ure, hic seca.* Et : *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* 2. Mach. vi. 13. Et vauroye bien que ceulx maufaicteurs outrageux, desquels je parle qui sont coulpables de ce enorme méffait, fussent tous icy presens; j'ay cette fiance, que bonne verité les contraindroit confesser, & demander, & instamment requerir tout ce que je demande, s'ils ne sont en maulx obstinez. N'est point doubte, que par leurs mefaicts, & outraiges publiques ils ont pechié mortellement, c'est à dire, que ils ont deservis à mort pardurable au gibet enfer. C'est certain. En apres que par estre punis en ce monde ils peuvent echever cette mort perdurable. Or est vray que la punition de ce monde au regard de la condemnation perdurable est moins que une petite batture de un singlon de verges n'est envers la plus crueuse mort corporelle que on puisse soustenir. Qui est donc la personne ayant tant soit peu jugement de raison, nez un petit enfant, qui n'aimast tres bien estre battu d'un singlon de verges pour eschever la mort ? Qui est l'enfant, qui en tel cas, en telle election, ne presentast voulentiers la verge pour estre battus, se parce il veoit qu'il eschaperoit la mort à la quelle il seroit adjugé, & condamné. Mais à toutes ces raisons aucuns me diront par avanture, qu'il souffit qu'ils s'en repentent en Confession. Voire dià, & où sera satisfaction, & restitution des choses ostées, & du dommage fait à autres ? *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* En nom de Dieu, c'est de necessité satisfaire à partie, & reparer tout le mefait, en tant qu'il se peut faire par especial, quand il est tant notoire, & enorme, & plain de mal exemple. J'ay lû d'un grand pillar, qui avoit fait moult de maux. Avint qu'il feust condamné à mort contre sa voulenté; mais quand il approcha de gibet, il commença à faire de necessité vertu, regracia Dieu de tout son cuer, quand il lui donnoit cette mort, & cette peine en ce monde pour eschever l'autre: demanda en outre au bourreau que chacun de ses membres feust copé, & detaillé, afin qu'il en fist penitence, & satisfaction par la douleur, qu'il sentiroit. J'ay n'agueres ouy dire d'une femme, qui feut arse à Paris, que tantost apres la Sentence de sa mort elle joignit ses mains en hault, & leva les yeulx au ciel en regraciant Dieu de cette Sentence, car elle avoit proposé paravant que jamais n'eust fait penitence, ou repentance de son mefait, se necessité ne l'eust à ce menée. Peut-estre qu'aucuns icy se mocqueront, & diront que ce sont dits de Thelogiens. Je le confesse, pourtant sont ces dits veritables plus que des fols mondains, qui ne pensent qu'au monde, qui ne croient fors ce qu'ils voyent, desquels dit le Proverbe, *Fol ne croit jusques il prend.* Creés moy, non pas moy, mais verité. Vous ne porez, Messeigneurs, monstrer plus belle misericorde aux maufaicteurs, des quels nous parlons, que par les mener à ce que leur injure soit reparée, & se non voulentiers, au moins envis, & par contrainte. N'est plus male servitute, que franchisse, ou puissance de mal faire. Un homme est malheureux quand il veut mal faire & le peut ensemble. Autrement Dieu n'auroit pas souveraine franchise, qui ne peult mal faire. Qui est plus grande cruauté, que de veoir une personne qui se veult ferir d'une epée par le corps, ou qui se veult trebuchier en la mer & de le souffrir, tant s'efforce: au contraire n'est point doubte,

doubte, que c'est grande & deube misericorde de l'en retraire, vueille, ou non, *non finere malos.* Jugiez icy pareillement en la maladie de l'ame, quand le pechieur ne veult venir à garison par amandement de son méfait, c'est misericorde de lui contredire à ce; & supposé encore qu'il n'en acquist point sa salvation pour ce que seroit maulgré luy, si en auroit il moins de damnation, comme Dieu fait grace aux mauvais pervers, qui ne se veulent repentir, quand il les fait mourir plustost, sans ce qu'ils accroissent toujours leur damnation. Il apparut ou deluge, & en Sodome. Prenés garde à cet exemple, une personne ira par male voye de pis en pis, c'est misericorde de la retraire du pis; où elle aura une playe fort enracinée, qui toujours ira en empirant, & pourrissant, c'est misericorde de la retrenchier *Ut Corpus redimas*, *&c.* Et icy je prendrais trois doctrines par maniere d'instruction ou de consideration.

La premiere doctrine: Les maufaicteurs, & coupables doivent amer tous ceulx qui prossuivent cette injure, & la reparation, comme ceulx qui aiment leur salut, & qui ont d'eulx misericorde, & compassion, & qui les aiment plus que eux mesmes ne font: *Aristoteles 5. Cenveniens nulli &c.* Ainsi le disoit & desiroit le S. Prophete: *Corripiet me justus in misericordia*, Ps. CXL. 5. Car outre ce qui est dit, vous veez, que si des pieça on eust repris, & puny leur méfait, jamais ne feussent cheus en cettui-cy tant enorme, & publique, & detestable. *Nemo repentè fit pessimus, sicut nec summus.* Mais paravanture ils diront icy, ou aucuns pour eux, que on leur feroit plus grand grace, & amour & misericorde, se on leur pardonnoit tout le méffait: je dis que non, car on ne doit mie aimer plus son prouchain, ou son ennemy, que soy meismes; il souffit que on l'aime autant que soy, & j'ay monstré que chascun par droit, & par raison, doit vouloir que justice se fasse, quand autrement ne se peut le meffait reparer, comme est icy. Car se vous, Messeigneurs, ou le Roy, ou l'Université, ou les blessiez laissoient ainsy aller cette besoigne, sans aultre reparation, que seroitce ce que ensuivroit de maulx, & de meschief pour tous ceulx, & contre ceulx qui sont advenir. Car la licence & la folle hardiesse de méfaire toûjours, demourroit au cueur de plusieurs: *Falicitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Mais aussi il doit bien souffire, que on soit autant misericors comme Dieu, & non pas plus, ces seroit folle misericorde. Pourtant dit nostre Seigneur apres les paraboles proposées; *Sicut Pater vester cœlestis misericors est.* Luc. VI. 36. Et vous sçavés, que Dieu n'est point tant misericors qu'il ne soit juste; *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ps. XXIV. 10. personnes singulieres ne peuvent donner, au pardonner les injures publiques, & celles de Dieu, & du Seigneur. Voire, mais dira aucun qu'il n'est homme qui vousist estre puni, ou afflitté, si ne doit faire à aultri ce qu'l ne vouldroit point qu'on lui fist. Je repons, que ce qui est ici proposé; est faux, plusieurs sont saiges & bons Chrestiens, qui souffrent voulentiers punition en ce monde pour echever la damnation de l'autre; Et qui font amende de tout leur pouvoir envers ceulx lesquels in ont injuriez. Vous sçavez aussi que on ne parle mie en ce Commandement de Dieu de ce que aucuns font; mais de ce que on doit faire selon raison. Or veult raison, que la justice se fasse des maufaicteurs.

La seconde doctrine. Les coulpables de ce fourfaict doibvent de leur bon gré entant qu'ils ayment leur salvation poyer l'amende à justice, & soy offrir à l'amendie. Aultrement je ne voy point, comment eulx puissent estre en l'état de salut, & comment Prestre quelconque les pourroit absoudre, veu la circonstance du cas. Et non pas seulement doivent ceci faire pour leurs personnes, mais doivent à ce mettre diligence, que tous leurs complices soient serviteurs, ou aultres, fassent semblablement. Creez moy, venra le temps, ou tost, ou tard, en ce siecle, ou en l'autre, que eux tous jugeront mes paroles estre veritables, saintes, & profitables, ou en salvation, A s'ils les reçoivent en gré, ou s'ils les meprisent sans repentir, à leur horrible damnation.

La tierce doctrine. Les coulpables se doivent mieulx raporter au jugement du Roy, & de son Conseil, ou de sa Cour de Parlement, que à eulx mesmes. La cause est clere; car ils ne pourroient si bien veoir la maniere de reparer ce qui est malfait, comme aultres plus saiges, & qui ne sont point deceulx par trop grand amour d'eulx, ne aveuglez en ce fait. En bonne foy je ne propose icy chose que je ne voulisse faire en pareil mesfaict, s'il m'estoit advenu selon l'affection, que j'ay depresent. A la par fin je proposoye, que vous, Messeigneurs, devez en ce cas avoir misericorde de vous mesmes, & de vostre Royalle Cour, qui est Cour de Justice, & d'Equité. Vous sçavés, que l'estat, & la vie Civile de cette Cour gist, & se maintient par justice, comme le corps est vivifié par l'ame: En tant donc, que justice est blessiée, ou violée, entant deffault cette Royalle Cour, s'elle n'est reparée. Vous devez donc B garder justice comme vostre vie, car à ce estes vous ordonnez. Et s'aucun de vous disoit, que souvent ne peut pour paour juste, ou pour faveur: respond le Saige. *Noli quarere fieri judex nisi virtute valeas irrumpere iniquitates.* Eccli. VII. 6. *Fili usque ad mortem certa pro justitia.* Eccl. IV. 33. Et Apostolus. *Nondum usque ad sanguinem restitistis.* Hebr. XII. 4. De quibus Boetius. *Tu quoque si vis.* Se tu ne peux resister aux 4. Tyrans, qui veulent corrumpre la justice; tu ne dois pas seoir en son Trone. * Ces Tyrans sons les quatre passions. joye, & douleur, esperance, & peur, des quelles on pourroit faire un grand sermon, mais plusieurs. Advisez, Messeigneurs, se vous laissiez un tel fourfait sans punition, quelle playe mortelle sera à justice par tout le Royaulme? Quelle justice se pourra faire ailleurs, & en moindre fourfait; se icy à Paris, vous veans, & sçachans, injustice regne, & domine, & opprime justice, *Magna fenestra iniquitia.* Regardez, que vous ne soyés cause de mil, & mil maulx, de meurtres, de rapines, de trahisons, de larrecins, de sacrileges, de ravissemens de femmes, par tout le Royaulme, si vous ne cloiez bientost, & deligemment la voye à injustice, qui jà tant est ouverte. Et C ne pourrés dire, que vous n'en avez coulpe. On seult dire en la ruë de fevre que *Absentia nautæ vel negligentia, est causa subversionis navis.* Un marignier plonge la nef, quand il la laisse perir pour l'heure, qu'il la doit gouverner, & sauver. J'ay oüy reciter d'un sage fol, qui estoit en la presence du Roy, quand on luy demandoit grace pour un homme, qui avoit tué un aultre. Le Roy repondit, que par plusieurs fois il avoit fait semblable grace à cest homme & que plus ne la feroit: lors le fol dit au Roy, Sire vrayement vous povez bien faire grace à cet homme cy, car il n'a pas tué l'autre. Pourquoy, dit le Roy? & qui ha ce fait doncques? Je le vous diroye, respondit le fol, se vous n'en devrez estre couroucié D nenny, dit le Roy. Et je vous dis, Sire, que c'est vous qui l'avez tué: car si vous eussiés en ça fait justice de c'est homme icy, l'autre ne fust point mort. Vous entendés bien, Messeigneurs, à qui va cette narration. Se justice eust esté bien executeé ou temps passé, pais feust maintenant avant elle, & la vaisit, *quia fructus justitiæ pax.* Isa. XXXII. 17. *Et justitia & pax osculatæ sunt.* Ps. LXXXIV. 11. *Qui habet aures audiendi audiat.* Matt. XI. 15. *Qui potest capere capiat.* Matt. XIX. 12. A ce propos je porroye ammener l'exemple que recite l'autheur du livre, qui se nomme. *De disciplina Scholarium.* Du fils qui mer-

mordit le nez à son Pere, quand on le menoit pendre, en disant *Pere vous estes celuy qui me pendez*. Gardés bien Messeigneurs, que les subjets du Royaulme ne vous puissent imputer leur empirement en ce monde & leur damnation en l'aultre, par desfault de les mettre en Justice, & à correction. C'est la misericorde, que vous devez à vous meismes. Et cette misericorde vous devez à cette Cour & à son honneur. Pensés que on dira par tout se tel méffait remaine impunis ;on dira que cette Cour ne punit que les povres, & les petits méffaits, ou ceux qui n'ont amis, ou qui ne procedent par voye de fait; comme gens d'Eglise, Prelats, & autres: ils vous compareront à l'Epouventail de cheneviere, qui ne se remue point, & lors les oiseaux quand ils apperçoivent cecy, ne tiennent conte, & font leur fiente sur eux : ils amenront à leurs propos le dit d'un Philosophe nommè Anarazes, *Que les Droits & les Loix sont comme le toile de l'aragne, qui retient les petites mouschettes, mais les grosses passent tout.* Je pourroye icy m'arrester longuement à loüer justice, & condamner injustice par les exemples des Romains, & des Grecs ; & de ses sains qui n'epargnoient nez à leurs enfans propres, comme Brutes, & aultres. Remembrés devant vos yeulx le Jugement que fist Trajanus l'Empereur à la povre femme, pour la quelle chose il en a esté sauvé; selon ce que on lit en la vie de saint Gregoire. Cest Empereur alloit en bataille & jà estoit sur son cheval : une povre femme vint aut devant & lui demandoit justice. Bonne femme, dit il, tu vois mon empeschement. Sire, dit elle, Je ne vous demande fors ce que vous me devez. Bonne femme, je te feray justice au retour. Voire, Sire, & si vous ne retournez. Mon successeur, dit Trajanus, te fera droit. Et la femme luy demanda, quel merite il en avoit, se un aultre lur faisoit bien : la justice d'aultrui dit elle ne te sauvera ponit, *Semiramis, Seleucus oculum alter gloria circumdas.*

En lieu de Conclusions je prendray trois Considerations pour respondre à ce que on me pourroit oppoter, que je ne nomme les maufaicteurs, & ne dis point quelle amende je requiers. La 1. Consideration. Ce Trone de la justice Royalle ou repose son authorité, ce Senat des Peres conscripts, doit de son office faire enqueste diligemment, & constamment sans flechir & sans riens epargner pour attaindre tout ce fait au vif de la verité, supposé que tous auttes s'en teussent, ou dissimulassent leurs injures fust par paour, ou par negligence, fust par faveur, ou corruption. Et cecy je puis bien dire quelque terme il paraist, sans peril de Irregularité. Ce n'est à dire lorsque vous faites votre devoir & secourés à la chose publique. Je ne tens point icy à la douleur, ou affliction des colpables, pour ce qu'elle plaise; mais A pour eschever pis, & que les innocens vivent en seurtè. Et se l'enqueste doit estre des injustices je adjoute ce, puis que ce fait tant non pareil de aultres demonstre que il n'est pas seul, on que ce n'est pas le premier; car ce seroit tròp mal semblable que soudainement aucuns se donnassent à tel fourfait. Je m'en raporte à vos haultes discretions, & par cette respons pour quoy je n'ay nommé quelconque personne en particulier: Car les informations bien faittes vous en pourront donner plus plainier cognoissance; & descendre à cette particularité appartient plus à aultres que à un Theologien.

La 2. Consideration. Ce Trone de justice doit par B soy meismes trouver & dicter, ordonner, & conclure les manieres de reparer tous les fourfaits dessus touchiés en general, puis qu'on les aura attains en particulier & par noms especiaux à les faire exequter. Car sans exeqution, peu, ou neant vauroit tout le demourant, mais pourroit grandement nuire, & seroit l'entreprise plus perilleuse & plus dommaigeable & honteuse. Et par ce je me passe de former les conclusions. Je m'en attens à ceux qui sçavent les Droits, car je tiens icy plus le lieu de prescheur, que d'Advocat, ou Orateur.

La 3. Consideration. Cette Cour & Trone de justice doit faire briefve expedition & exeçution de cette besoigne, pour le peril & dommaige trop grand qui est en sa demeure. Pensez quantes ames demandent le pain de doctrine & de meditation, & nuls ne leur administrent. C Je pourroye demonstrer comment se tourne au prejudice non pas seulement des vifs, mais de tous les morts; combien qu'en soit moins mal cesser par aucun temps pour seurtè, & cheoir tantost à totale perdition. Pensez aussy que toujours vole la renommée de ce mefait. Sy doit ensemble courir la renommmée de sa reparation, ou aultrement le deshonneur est sans honneur. Par ce appert que diligence n'en ha esté faite & que les maufaiteurs, qui doivent estre tesmoins sont fuitifs prez du Royaulme & ont esté veus depuis.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SOLEMNIS ORATIO

EX PARTE

UNIVERSITATIS PARISIENSIS

IN PRÆSENTIA REGIS

CAROLI SEXTI, DELPHINI,

Compluriumque Ducum, & Comitum, atque Dominorum de stirpe Regis; insuper & multorum singulorum statuum hominum.

Habitâ Anno 1405. coram Rege.

Gallicè in MS. Codd. Vict. 848. & 284. & Colbert. 1356. & 2320.



IVAT Rex. Vivat Rex. Vivat Rex, 3. Reg. 1. 39. Vivat corporaliter, vivat politicè & civiliter, vivat spiritualiter, & indesinenter. Justis de causis (ut mea fert opinio) offert, ac proponit salutationem istam Regis filia, Studiorum Mater, pulcher & clarus Sol Franciæ, imò verò totius Christianitatis, Parisiensis Universitas, A à qua hùc missi sumus, in honorabilissimum conspectum vestrum, ô Rex nobilissime & excellens Princeps, & omnium Dominorum sublimis & sapientissimi Consilii, quod, jure optimo, dignitatem, magnificentiam, & Regalem repræsentat Majestatem. Missi, inquam, sumus, ut de vita Regia, de bono suo, totiusque regni, à nobis sermo habeatur, non per magistralem quidem autoritatem, aut præsumptionem ullam, absit talis omnis suspicio, sed omni cum humilitate, devotaque exhortatione, sicut patri obedientissima filia, sicut subdita justissimo suo & supremo Domino. Eà propter per preces, supplicationes, aut impetrationes, suum sumit initium, Israëlitici populi verbo ad Salomonem utendo; cùm David, se adhuc superstite, Salomonem throno suo jussit B insidere, atque regnare, quamvis esset admodùm tener & juvenis, sicut notatur. 1. *Paralip.* III. Id autem factum est ad matris ejus Bersabee supplicationem. Tunc juxta Regium mandatum, approbationisque, lætitiæ, & exultationis signum, vociferare totus incœpit populus: *Vivat Rex* &c. Legimus Daniel. II. cap. quòd cùm magnæ Babylonis sapientes, qui tunc urbis illius Universitatem agebant, ad Regem Nabucodonosor venissent pro somnii sui expositione, eorum sermo nostro assimilabatur sermoni. *Rex*, inquiunt, *in sempiternum vive*. Dan. 11. 4. *Vivat Rex*, est pulcher accessus, sapiensque salutatio. Quid igitur mirum si Regis filia eam imitetur sapientiam, ad dictæ Universitatis assimilationem? quia ultrà acquisitas, & naturales scientias, quibus illa solùm præstabat, hæc Parisiensis Universitas prima est, & principalis scientiarum inspiratarum primo homini à mundi initio in terrestri paradiso, quæ per successum ad Hebræos devenerunt, per Abraham; ut Josephus scribit, ad Ægyptios, de Ægypto ad Athenas, de Athenis ad Romam, à Roma denique ad Parisios. Hæc, inquam, Universitas multò præclariorem veræ Fidei, sempiternæque vitæ, quàm altera habet cognitionem. Quam ob causam lumen Fidei, veritatis magistra, clarum lumen totius sanctæ Ecclesiæ, & Christianitatis est appellata. Eàpropter scit & debet, jure optimo, dicere: *Rex in sempiternum vive: Vivat Rex.*

Considerat & novit etiam Regis filia suum bonum, suam fortunam, suum honorem, suam custodiam, atque protectionem, à Rege, ut vero patre, pendere, per benignam, civilem, & dignativam adoptionem. In salute illius est salus sua. Quid ergò mirandum est, si ipsa desiderat, & precatur bonam Regis vitam? dicitque, *Vivat Rex*. Insuper Regis filia, excellentiorem titulum eidem assignare profectò non possumus, dirigit, ac deflectit per universum Galliæ regnum suæ oculos considerationis, sole clariores, atque Argi oculos numeriosiores. Quapropter illi, quam Ezechiel vidit bestiam, non immeritò comparari potest, plenam oculis antè & retrò, intùs & extrà. *Ezech.* III. Heu in sua quid perspicit consideratione? Videt turbationem per omnem contumeliam, perque cruciantia tormenta. Videt

Videt pluribus in locis oppressiones populi crudeles; violentiam pro justitia, rapinam pro misericordia, destructionem pro protectione, subversionem pro sustentatione, pro pastoribus spoliatores, pro defensoribus persecutores, puellarum violationes, maritatarum prostitutiones. Et profectò, in sanctis nonnullis locis fieri prophanationes locorum talium Sanctorum, homicidia plurium, immò, quod pejus est, horrendum, & abominandum, hominem seipsum occidere per insaniam, & desperationem, quoniam mala A ad quæ compellitur, ferre non possit. Et, ut breviter dicam, ipsa videt verendam, & miserabilem regni hujus (quam Deus avertat) dissipationem, nisi remedium, conveniensque apponatur provisio. Nam secundùm quòd scribitur: *Sine regali providentia impossibile* est *rebus pacem dari.* 2. Machab. IV. 6. Ad has res Regis filia vigilantissima hujus regni potentissimi, Christianissimique, alta clamitat voce per ploratus & suspiria? *Vivat Rex.* Cur? quoniam novit optimè quod ait Sapiens: *Rex qui sedet in solio judicii, intuitu suo dissipat omne malum.* Prov. XX. 8. Ecquis est suus intuitus? Est ejus Consilium. De quo alio in loco dicit Sapiens: *Ibi salus ubi multa consilia.* Prov. XI. 14. Velit Deus ut hoc intuitu dissipentur omnia mala, quemadmodùm expediens esse cognoscit, & nos omnes speramus, cùm eos respicimus, qui ob illam rem nobis hic assistunt, atque nos usque adeò B benignè audiunt. Sed ulteriùs filia Regis, scientiarum Mater, scit, & cognoscit per Theologorum, Juristarum, Philosophorum, & Poëtarum doctrinas, & præsertim per expressam Aristotelis *in Politicis* determinationem, quòd Regnum est politia, & gubernamen melius, durabilius, convenientius, & rationabilius, quàm quodcunque aliud, quod sit ad totius universi gubernationis exemplar, quæ fit per unum Deum supremum. *Mundus*, inquit Aristoteles 12. Metaph. *non vult male gubernari, & pluralitas Principum, seu Principatuum est mala, unus ergo Princeps.* Sic Homerus, sic Plato, sic complures quantumcunque ad extrà, ut populo placerent, idololatræ senserunt. Sic minor mundus, hoc est, homo unam solam omnia intrà se regentem animam habet rationalem. Habemus. 1. *Machab.* III. 42. quòd post mortem Alexandri, qui solus dominabatur, creati, & divisi sunt plures Domini. Sed quid dicit textus? *Et multiplicata sunt mala in terra.*

C *Nulla fides regni sociis, omnisque potestas*
Impatiens consortis erit.

Nec fides, nec lex est his, qui simul regnant sive dominantur. Cognoscite ergò, ô nobilissimi, & excellentes Domini, quomodò magno jure & justa de causa Filia Regis Franciæ, bonum totius Reipublicæ desiderans, regimen optat, & petit vivere unum Principem, unum Regem, unum singularem Dominum. Ideò dicit: *Vivat Rex.* Et finaliter quoad hoc, quis est qui non benè judicet, & cognoscat detestabile, maledictum, & execrabile schisma quod tam longo tempore totam dissipat, & devastat Ecclesiam, nunquàm convenientiùs extirpari, seu extrudi posse, quàm per Christianissimum Franciæ Regem, suorum prædecessorum exempla sequentem. Quantùm ergo quilibet bonus Christianus desiderare debet, quærere, & amare sanctæ Ecclesiæ, immò totius Christianitatis pacem, tantùm debet dicere, precari, & supplicari: *Vivat Rex.* Recitat nobis Biblia *Nehem*: 2. quòd cum Nehemias Legis Doctor vellet à Rege Babylonis Israëlitici populi captivi liberationem impetrare, ac etiam Jerosolymitanum Templum reædificare, sic sermonem incœpit: *Rex in sempiternum vive.* ℣. 3. Debet igitur Regis filia, Legis Magistra quoad libertatem Franci populi, & Templi (non quidem materialis, sed spiritualis, & mystici totius sanctæ Ecclesiæ) restaurationem dicere, & incipere: *Vivat Rex.* Qui sic non optat, & desiderat, aut qui regale Dominium in aliam mutari vellet politiam, aut cassari, destrui, sive malitiosè diminui; ostendo, & pronuncio, talem se non demonstrare legitimum sanctæ Ecclesiæ alumnum, nec bonum Regis subditum, & (quod pejus est) Deo; & Dei resistere ordinationi. Illud speciàliùs locum habet in Regis Franciæ potestate, quàm in aliis. Quare? Quia ejus potestas singulariùs, quàm aliæ potestates, à Deo approbata, & honorata est. Ecqui! Quoniam cùm sanctus Remigius Clodovæum primum Regem Christianum baptizaret, eum unxit sanctæ lampadis oleo miraculosè missæ: quem consecravit in signum potentiæ, & tanquam Sacerdotali, aut Pontificali fungentem dignitate. Hic itaque Dei miraculis contradiceret, & tanquam schismaticus, & seditiosus reputandus est, qui huic pretioso, & pulchro, huic non consentiret clamori, quod legitima, & devotissima Regis Filia singulis adimplet diebus: *Vivat Rex. Vivat Rex.*

Verum est, materiam in præsentiarum proponendam, tractandam, & Deo dante, benè terminandam, talem in se difficultatem, sublimitatem, & arduitatem habere, ut non benè deduci possit, aut convenientem sortiri effectum, absque speciali Spiritus sancti gratia, & illius qui dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Joan. XV. 5. In cujus manu sunt omnia regna mundi. Estque valdè congruum semper incipere ab oratione, quemadmodùm Regis Filia à principio in Processionibus, & Missis effecit, & adhuc perseverat supplicando: *Vivat Rex.* Quoniam *cor Regis* (inquit Sapiens Prov. XXI. 1. *est in manu Dei*, vita sua, sanitas sua, regnum suum, prosperitas sua. Et mihi quid, qui in scientia, & eloquentia meam sentio insufficientiam, & in aliis omnibus ad tam sublimem & adeò dignam materiam proponendam, & (ut res postulat) vivaciter, & propriè exponendam, habita metuendissimæ præsentiæ vestræ ratione; cui grandis inest dignitas, excellentia, & prudentia, sicut nemo ignorat. Quid, inquam, agendum est mihi? Quo recurrendum? Nisi principaliter ad Dei auxilium. Et quia ad id ego non sufficio, & materia publica unum quemcunque tangit, & comprehendit: exurgemus, si placet communi concordia devotoque consensu corda nostra levando ad Deum, sine quo nihil possumus. Jaciamus spem nostram, desiderium, & confidentiam suo in auxilio; & in nobili hoc Concilio devotum hymnum, qui mysticus est, exordiemur, qui & dicitur, cum sanctæ Ecclesiæ celebrantur Concilia, ut Deus secundùm promissum suum ibi sit ubi multi, non tantùm duo, aut tres, in suo nomine congregati sunt. Et dicamus, ut bonum noncíscamur principium, medium, & finem:

Veni Creator Spiritus
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Comple, precamur, bonum in nobis desiderium, per sanctam tuam, ac secretam inspirationem. Et quod est illud desiderium? Tu nosti: *Vivat Rex.*

Et tu, nobilissime & excellens Princeps, P. & vos Domini mei omnes, patienter, & benignè quæ D dicam intelligite, non personam considerando (humilis enim, pauper, & indigna est) nec ruditatem, aut sermonis indiscretionem; sed potiùs ad factum in se respicite, quod adeò justum est, nec aliud in conclusione nisi, *Vivat Rex* in Dei gratia, & confidentia benevolentiæ vestræ. Et quoniam materia de qua locuturus sum, & Regis Filia pro qua dicturus, benevolam debent habere audientiam absque tædio, & mala suspicione nocendi cuicunque personæ, par-

parvæ, aut magnæ. Id Deus à me prohibeat; nimis enim obligor omnibus, & malè pax per injuriam investigaretur. Procedam ergo ulteriùs in facto nostro, sed priùs humilem faciam gratiarum actionem, & devotam supplicationem. Gratiarum actio est ad Deum supremum Regem, ad beatam Virginem Mariam, ad sanctum Dionysium Franciæ Patronum, ad totam cœlestem Curiam, & ad vos excellentissimos Dominos hac de causa, quia omnes nos humiles vestri subditi, profectò magna cum lætitia & jocunditate cordis vos intuemur præsentialiter congregatos, communi quadam concordia confirmatos, & per juramenta, & per litteras conjunctos, ut bonæ ordinationi, Regiæ dispositioni, & Regno suo superintendatis. Benè igitur incœptum est; perficiatur quod supplicat Regis Filia: *Vivat Rex*. Et proculdubiò valdè necessarium est talem fieri concordiam. Aliter enim quomodò congruè ad Regis factum & Regni procedi potuisset? *Lib.* IV. *Cap.* 2. recitat Valerius, plures Romanos inimicitias & mortalia odia ad invicem habentes, cum primùm se ad officium aliquod Reipublicæ simul elevatos conspicerent, ad concordiam venisse, ut fuerunt Marcus Æmilius, & Fulvius Flaccus. Item Sextus Livius & Nero contrà Hasdrubalem. Si enim civitatis Gubernatores inter se divisi sint, plus alter alteri nocere conabitur, & quod alter effecerit destruere, quàm aliud quicquam; quin etiam concordia bona, & unio vestra, male vobis volentes confundet, jocunditatem bonis tribuendo amicis. Quia, ut dicit Sapiens: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Prov. XVIII. 19. Et virtus unita est fortior seipsâ dispersâ. Affirmat Julius Cæsar, quòd Francorum consensui totus mundus resistere non posset. Quomodò erit talis consensus? Per principalium Dominorum concordiam. Si autem dissensio fuerit, omnia dividentur: *Effusa est contentio super Principes; & errare fecit in invio, & non in via.* Ps. CVI. 40. Ad id facit historia per Macrobium, de Athenarum Rege recitata, qui hac consideratione cum filio suo in gratiam rediit, quamvis eum graviter priùs offendisset. Videmus ad mala agenda homines congregari, & uniri: Herodem, & Pilatum, ut Jesum Christum persequerentur: Latrones ut spolient & furentur: infernales inimicos, ut eorum astutiis homines graventur. Multò plus uniri debent Domini ad benè agendum, quoniam eorum dissensio nimiùm est nociva. Et, ut dicit Horatius, prorsùs super miserum recidit populum,

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi,

Gratiæ Deo, qui hac bonam vobis tribuit voluntatem. O quàm magnum bonum! O qualem jocunditatem in hac unione intuemini, potius quàm discordia! Deus bonam concedat perseverantiam. Hæc est supplicatio nostræ adjuncta gratiarum actioni ut perseveretis de bono in melius: alioquin hæc parum prodessent. Sed dicet aliquis: Est fortassis pax ficta, & conficta; est dissimulatio ad magis nocendum, & aggravandum populum. Omne præteritum oblivioni tradi debet.

Post inimicitias iram meminisse, malorum est.

ait Cato. Dicit Tullius in Julii Cæsaris laudem, quòd nihil obliviscebatur præter injurias, quod illi ad victoriam obtinendam non parum præstitit adjumenti, & ex ingenuo emanat animo. Fieri potest (Domini mei) hactenùs multa facta & dicta hinc indè esse, nunc per hos, nunc per illos quæ ad unius tendebant depressionem, aut alterius exaltationem, eò quod unusquisque Magistro suo, & parti suæ benè servire, & complacere nitebatur. Verum id obesse non debet, immò potiùs dicendum est, quòd Octavianus Hærodi ait, qui pro Antonio contrà eum fuerat, fatebaturque se Octavianum destruere voluisse, ut benè famularetur suo Magistro. *Non invidemus* (inquit Octavianus) *virtutibus, si, cum adversario meo servires, illi fidelis fueris; Sic mihi quoque facies, cùm meas tutaberis partes;* atque ei veniam dedit. Considero insuper deffensionem locum habere potuisse absque odio, aut benevolentia; quemadmodùm inter sanctum Paulum, & Barnabam: quod fit cum certò Dei non sentitur voluntas in eo quod agendum est. Sicut in Daniele habemus de duobus bonis Angelis, secundùm sanctum Gregorium. Sed ponamus odia, & injurias intervenisse: nonne melius est eas deleri atque oblivisci propter bonum Regis, & totius Regni, quàm in destructionem omnium, & eversionem continuari? Legimus Græcos quandoque, ut bonum publicum melius se se haberet, communem fecisse concordiam, quæ *Amnestia* nominabatur, quam nos abolitionem dicere possumus, in qua de omnibus venia dabatur, absque ullius injuria, aut ultionis inposterùm memoria. Multi Nobiles Romani eligebant potiùs extremam obire diem, quàm destruere, aut patriam aggravare, quantumcunque injustè per suos exularent. Patuit de Themistocle, qui ob eam causam inter sacrificandum taurinum potavit sanguinem. Omnia ergo Regi, ac Regno donentur, nec jusjurandum à vobis præstitum flocci pendendum est. Juramentum vinculum forte est, si modò licitum sit, nec est qui de eo dispensare possit, & præsertim cum sit propter tam magnum bonum. Scimus de Regulo, quantumcunque pagano, quòd potius elegerit ad suos reverti inimicos Carthaginenses, quàm suam promissionem falsam reddere, & irritari ingenui hominis promissum, & Regis verba servari debent. Ob eam causam Rex Joannnes Angliam repetiit. Jephte propriæ filiæ non pepercit. Nec mirandum est, si vos Domini mei juramentum præstiteritis bono Regis & Regni unanimiter intendere velle, cum & id in sua institutione Rex noster juret. Abeant igitur adulatores hinc, & illinc, utriusque scilicet partis, qui per ficta sua verba præliari facerent petras, aut ferè Paradisi Angelos, si audirentur, aut eis fides adhiberetur. Studium eorum omne est divisiones omnes seminare per iniquas relationes, ut boni appareant famuli, aut boni amici, aut ut complaceant. Sciunt enim optimè, libenti animo de eis qui odio habentur, mala verba audiri. Audiantur verba pacifica, ut pax perseveret, quemadmodùm supplicamus. Extrudatur quicumque culpâ suâ primam concitabit discordiam. In ea conscientia, & bona spe revertar undè digressus sum, & declarabo quid, petatur per pulchrum illum clamorem: *Vivat Rex.*

Divisio hujus propositionis. Tam in naturæ Libro, quàm Scripturæ triplicem reperio vitam. Vitam corporalem, carnalem, & personalem. Vitam civilem, politicam, aut universalem. Vitam gratiæ divinæ, sive spiritualem. Prima defectibilis est. Secunda permansibilis. Tertia perdurabilis. Prima vita, corporalis scilicet, in conjunctione animæ & corporis manutenetur, de qua *Factus est homo &c.* Genes. II. 7. Et Propheta: *Quis est homo qui vivet?* Ps. LXXXVIII. 49. Vita civilis in conjunctione, & unitate Domini, & subditorum in una Lege, & justa ordinatione conservatur. De hoc Philosophus ponit *in Politicis*, quòd *In Legibus est vita civitatis.* Et Apostolus comparat corpus mysticum ad verum, eadem ratione *Rom.* XII. & I. *Cor.* XIII. & *Eph.* IV. Tertia vita spiritualis manutenetur per conjunctionem Dei & animæ, in charitate, & amoris unitate, de qua: *Vivo ergo jam non ego, vivit verò in me Christus.* Gal. II. 20. Unamquamque harum vitarum, & omnes simul postulamus Regi nostro dicendo: *Vivat Rex.* Vivat corporaliter, vivat civiliter, vivat spiritualiter. Hìc rectè sermo haberi posset de tribus

bus pulchris liliorum floribus aureis in campo armorum regalium scuti resplendentibus. Posset etiam adduci fictio Poëtica de Rege Herilo, quem dicit Virgilius tres habuisse animas, & tres vitas. 8. Æneidos.

Nascenti cui tres animas Seronia mater,
Horrendum dictu, dederat, terna arma movenda,
Ter leto sternendus erat.

Missa faciamus hæc, & dicamus : Vita prima defectibilis est; hodiè Rex, cràs moritur. *Eccl.* XII. Secunda vita diuturnior est, quia per legitimam regalis stirpis derivatur successionem. Estque amabilior prima, quantùm bonum publicum præstat privato. In cujus signum Princeps bonus corporalem suam exponit vitam pro civilis vitæ tuitione: Exempla sunt innumera. Tertia vita divina est, & perpetua, quæ aliis duabus longè est præstantior. Nam ut dicit Jesus Christus, qui gratia Dei caret nihil habet, quod ei conducat: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum faciat.* Matth. XVI. 28. Marc. VIII. 36. & Luc. IX. 25. Sed elevate, quæso, paulisper vestræ cosiderationis oculos ad Regis filiam, eousque à me avertite, statum ejus & compositionem contemplemini, & percipietis convenientissimè ad eam pertinere facto, & verbo, nobilem hunc clamorem : *Vivat Rex.* Quarè ? Videte Medicinæ Facultatem, quæ curat, & gubernat vitam corporalem. Videte Philosophiam Moralem, Ethicam, Oeconomicam, Politicam, de quibus Artes, & Decreta, & Leges tractant, & invenietis his duabus Facultatibus unam Civilem, & Politicam regi, & gubernari. Theologia est magna vitæ spiritualis, divinæ, & catholicæ gubernatrix. Nemo ergò Regiæ filiæ obstare audeat, quin publicè ubique dicet. *Vivat Rex.* Ipsa enim ea est, cui proprium est semper ad pacem inducere, quia per Palladem scientiarum magistram figurata est, quæ quidem Pallas nomen Athenis communi omni judicio indidit, cùm Mars aut Neptunus illis nomen imponere vellent. Dictum ergò fuit, quòd qui Regem magis produceret proficientem, nomen Athenis esset inditurus. Pallas itaque olivam germinari fecit in pacis signum; Mars autem equum, qui prælium designabat; pacem censuerunt meliorem. Potest igitur dicere Universitas, quòd Cant. VIII. 10. dicitur: *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, nec contraria audiantur mendacia. Si qui eam partialem fuisse, vellent insimulare ea in materia; quia nunquàm cuicunque Domino ullos dedit Deputatos, quin fuerit, & sit parata dare cuicunque volenti tendere ad bonam Regis vitam, & justitiam. Regiæ filiæ munus est tractare, & docere veritatem, & justitiam; seque adjungit, & adhæret cuicunque qui justitiæ, & veritatis tutatur partes, & in ea intentione una cum ipsa, ejusque legitimis suppositis vivere, & mori non recuso. Et si dicat quispiam, quid Universitatis intersit, quin potiùs studeat, & libros suos visitet ? Est exigua nimiùm consideratio, quid prodesset scientia sine operatione ? *Scientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Eccli. XX. 32. Non solùm addiscendum est, ut sciamus, sed ut doceamus, & operemur. *Ethicorum* 2. Si Concionator, Doctor, aut Baccalaurus potest, & debet doctrinam quam didicit (ut alios instruat) publicare; Regis Filia tantis Magistris referta, claudet-ne os suum ? Abscondet-ne lumen suum sub scamno & scientiam suam in terra ? Hoc dicendum est minimè. Thronus Salomonis (qui regalem significabat potestatem) duobus sustentabatur brachiis, dextro videlicet, & sinistro, qui quidem thronus, est clarum speculum quod Virgilius fertur composuisse, ut Romam conspiceret, quià ipsum omnia monstrabat, brachium scilicet militare, & Ecclesiasticum. Si ergò miles pro justitia tutanda, se vitamque suam exponat in prælio; brachium Ecclesiasticum in Parisiensi Universitate sinet-ne omnia cadere, nec verbum dicet ? Nimis profectò reprehensibilis foret, si id faceret. Considerate ergò quomodò Regis Filia tanquàm clarus oculus in hoc regno posita dicitur, ut omnia facienda prævideat, & veluti custodia in alta turri posita prospiciat, ne ullum malum accidat; aut est veluti imago Palladis in principali turre Trojanæ urbis, Ilium appel-
A lata est, posita, quæ quidem imago si diù durasset, Troja intereà non desiisset. Universitas, quæ talis est, claudet-ne oculos ? Tacebit-ne ? Patietur-ne auferri, & furari ? Ubi esset filiæ Patri subjectæ fidelitas? Ubi esset timor pœnæ, quam per Ezechielem Præsbyteris contra vitia tacentibus minatur Deus. *Ezech.* XXIII. Plutarchus homo unicus ausus est Imperatori Trajano gubernandi modum describere, magna cum libertate adjiciens : *Si tu*, inquit *benè regnare desideras, in Plutarcho tuum habes introductorem; sin aliter facere vis, liber hic testimonium erit, te ad imperii destructionem, Autore Plutarcho non properare.* Quare ergò non potest, & debet similia verba veritatis Magistra Regi suo, & Domino liberiùs intonare ? Quid totus diceret Franciæ populus:
B quem quotidiè Universitas per suos subditos ad patientiam, & bonam obedientiam Regis, & Dominorum adhortatur. Si non æquè benè Regi loqueretur, ut sese benignè, justè, & rationabiliter ergà populum suum haberet, videretur adulationis, & dissimulationis factum, nec unquàm populus nos audire vellet. Demùm Universitas repræsentat-ne universum Regnum ? Immò verò totum mundum, in quantum adveniunt, aut advenire possunt supposita, ut doctrinam sapientiamque acquirant. Ipsa est tanquàm vigorosum seminarium totius corporis publici, ex quo homines nascantur totius perfectionis. Ideò debet Universitas pro tota Francia, pro omnibus statibus, quorum aliquos ipsa habet studentes, pro amicis omnibus in gravibus existentibus afflictionibus, qui huc venire non possunt, nec dolorosæ eorum interesse lamenta-
C tioni : debet, inquam, rogare, & dicere : *Vivat Rex. Vivat Rex. Vivat Rex.* Et ad hoc se benè vestra ostendit concordia, nobilissimi Principes, cùm usque adeò plenariam illi datis audientiam, de quo gratias vobis agimus, supplicantes ut principalem de triplici vita Regis materiam benignè audiatis.

PRIMA PARS.

DE

D

CORPORALI VITA REGIS.

VIVAT *Rex.* Primò vita corporali, quæ proportione, & harmonia congrua quatuor qualitatum primarum, caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate conservatur, & manutenetur. In quatuor contrariarum qualitatum disproportione. In corporibus humanis vitalis & naturalis corrumpitur complexio, habendo calorem nimium, aut frigus nimium, secundùm quod experientia infirmitatum demonstrat. Accipiemus igitur hic nostræ supplicationis primum articulum, qui est de regalis personæ bono regimine, & quatuor dicemus considerationes.

Prima Consideratio.

QUANTÙM diligenda est boni Regis sanitas, & vita corporalis, tantùm non est vilipendenda aut odio habenda Regis filia, & specialiter quoad Medicinæ Facul-

culta-

cultatem, dicendo Medicos nemini prodesse, aut quovis alio modo. Medicina enim post Deum, ejusque auxilium, ea est quæ in primis prodest ad hanc vitam conservandam; ideò sperni non debet tanquàm nociva, & inutilis.

Secunda Consideratio.

BONI amici, & fidi subditi sanitatem, & corporalem Regis vitam procurare debent non aliter quàm propriam, omnia auferendo impedimenta ipsam aggravantia, aut ad eam sanitatem habendam nocentia, etiamsi eis non omninò cordi esset. Sic enim unusquisque fieri in se velle deberet, postularetque de facto ut violenter retineretur, si per ignorantiam, aut [illegible]ter labi, aut se lædere vellet; & multò plùs, si ab unius talis vita, totius Regni bonum dependeret: sic agere ergà Principem aliquem, non esset resistere, aut contrariari ejus ditioni, aut potestati, sive manum in Christum Domini injicere; verùm potiùs obedire, atque obedientiam providere, veluti si quis haberet membrum per infirmitatem toti corpori nocivum, auferretur igne, aut cultro. Ad illud uniri debent, & convenire omnes Regii sanguinis propinquiores, absque hoc, ut unus præcedat, & alius sequatur, ad malè complacendum.

Tertia Consideratio,

QUAMVIS Regia vita corporalis diligenter sit quærenda, nihilominùs tamen hominibus anathematizatis, & maledictis à Deo, sanctaque Ecclesia, fides adhiberi non debet, nec ad consilia sunt admittendi, quemadmodùm sunt sortilegi, magici, incantatores, & id generis stolidi homines, & perversi. Sic enim agere, non modò nihil esset proficere, verùmetiam certis impedimentis bonam Regis vitam, & sanitatem impedire, quemadmodùm in tertio puncto de spirituali vita clariùs ostendetur.

Quarta Consideratio.

AD bonam corporalem Regis vitam habendam conveniens esset, & necessarium, adjuvante vita civili, & spirituali (quæ meliores sunt) quòd Rex semper bonâ associaretur comitivâ, saltem prudentum virorum, electorum statuum, bonorum morum, Deo devotorum, & ad bonum publicum fidissimorum: semper bona verba bonum tenent locum, & adhuc plùs bonum exemplum; nec adeò Regia vita opprimi, aut fatigari deberet, sicut sæpenumerò visum est in grande Regis præjudicium, immò verò totius Regni, ob irrationabiles, & onerosissimas satellitum petitiones. Velit Deus ut, his aut similibus considerationibus observatis, nostra exaudiatur oratio: *Vivat Rex.* Est hîc notandum in eo quod dixi, sumque de Regia vita dicturus, verba ea observari debere in nobilissimi Delphini persona, primi, & veri Regis heredis. Est enim tanquam una cum Rege persona, secundùm Sapientis dictum Eccli. xxx. *Mortuus est Pater, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem filium post se.* Pater post naturalem, aut civilem mortem, in filii sui adhuc vivit persona. Indè est quòd Pater, & Mater tanto tempore filios suos in hereditate, aut dominio eis succedere desiderant; quod usque adeò verum est, quòd mater Clodovæi Burgundiæ Regis (sic enim tunc Burgundiæ Dux nominabatur) sponsa potiùs tres suos filios mori elegerit, quàm ut includerentur, & ab hereditate secluderentur. Sic per eorum avunculos de duobus factum est. Tertius verò Clodovæus fuit reservatus: tunc ambitio crudelis proditionis mater, sine fide, sine lege, sine progenie, & ingenuitate regnabat. Habemus quoque diligentiam Bersabee ut filius suus Salomon post David regnaret, & sic de aliis. Si dixerit quispiam Dominum Delphinum puerulum esse, cujus ergò reputandus erit æstimationis? Responde, quòd cujuscunque juventutis fuerit, est verus heres, & vivit Rex in ejus persona; totum etiam Regnum unitum, & junctum est ei per civilem alligationem tanquàm naturaliter, in quantum consuetudo valet naturam. Consuetudo, dico, est quòd Regnum per legitimam habeatur successionem. Et hîc principalis Philosophorum fundatur ratio, quâ probant Regnum meliùs per successionem quàm electionem gubernari, eò quod libentiùs consueto, quàm extraneo, aut novo dominio præstatur obedientia: in obedientia autem totum dominationis bonum consistit. Insuper qualemcunque juventutem Dominus meus Delphinus habeat, debet tamen benè conservari, & edoceri, sicut Mater sancti Ludovici de ipso fecit à quo tanta prodierunt bona, quamvis adhuc juvenis Regni susciperet gubernacula. Erat enim sapiens in suorum Consiliariorum sapientia, potens in suis militibus, justus in bonis suis Officiariis. Inexplicabile est quantùm doctrina bona prosit juvenibus; multò tamen plùs mala eis obest doctrina. Josias cùm octo tantùm esset Annorum regnare cœpit, 4. *Reg.* 22. & tamen post David fuit fortissimus, & sapientissimus, propter bonam illam instructionem, quam à Legis, sapientibus & aliis adeptus est. Dicunt etiam Hebræi, & Josephus, Salomonem sua in coronatione solùm undecim Annos natum fuisse; quos sequi videtur sanctus Hieronymus id recitans pro confirmatione, quòd tempore suo novem Annorum puer ex nutrice sua produxit filiolum. Nec Jonathas annosus erat, cùm pro Patre suo Azaria per Annos viginti quinque regnaret, vivente quidem Patre corporaliter; mortuo verò civiliter per lepram, & ab aliis hominibus separationem. Et dici potest, Deum velle, & posse sæpiùs prosperitatem Regno per innocentiam parvam, quàm per magnos peccatores destinare, viso quòd tales pueri non se solùm, verùm totum eorum dominium ab incommodis præservarent, secundùm ordinem Hierarchiarum. Hanc modò materiam dimittimus, velit Deus, ut Rex, nobilisque ejus propago sic serventur, gubernentur, & instruantur, quòd nostrum compleatur desiderium, & omnium fidelium Francorum, qui hunc faciunt clamorem: *Vivat Rex.*

SECUNDA PARS,

DE

SECUNDA REGIS VITA

Civili scilicet.

ULTRA, si placet, progrediemur, & de secunda Regis vita verba faciemus, civili videlicet, & politica, qui status Regalis dicitur, aut dignitas. Estque eò melior sola vita corporali, quò ipsa est diuturnior per legitimam successionem, & quò bonum commune præstat particulari, aut personali. Debet autem fidelis quisque subditus adeò, aut ampliùs solicitus esse facto, & verbo, ut hæc vita Regis benè conservetur, quantùm corporali vita est præstantior. Sciendum ergò est in quo vita hæc civilis consistat, & antè tetigimus quòd in unitate conservetur, nihil sine unione durare potest; quemadmodùm declarat sanctus Dionysius Galliæ Apostolus ultimo *De divinis Nominibus* & Boëtius *De Consolatione.* Unio autem diversorum sine ordine, & ordinatione fieri potest minimè. Ecquid ordo? Est cùm res quælibet id habet quod ad eam spectat in debito suo loco. *Ordo est parium, disparriumque rerum sua unicuique tribuens collatio.* Ordo sine amoris vinculo manu

manuteneri non potest, ut ostendit Boëtius, optando talem amorem sine defectu gubernare homines, quemadmodùm mundus totus in bono, & unione regitur. *O felix hominum genus, si vestros animos amor, quo cœlum regitur, regat.* Concludo ergò, quòd odium, & divisio omni ordinationi contraria, vitam hanc civilem, & politicam destruunt. Hæc est expressa determinatio supremi Magistri Jesu Christi, in patentibus Evangelii Litteris. Luc. II. 17. *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Ad meliùs autem intelligendum illud, capiemus hujus vitæ mysticæ ad veram, similitudinem, & dicemus, quòd quemadmodùm corporalis vita in bona proportione & ordinatione, & harmonia primarum quatuor qualitatum (ut dictum est) conservatur, & est naturalis complexio, quæ in una justitia naturalis qualitatis secundùm Medicinam custoditur; sic simili modo vita ista civilis manutenetur, & conservatur proportione, & conjunctione quatuor Cardinalium, aut principalium virtutum, quæ sunt Prudentia, Temperantia, Fortitudo & Justitia; quæ quidem proportio generali quodam nomine *Justitia civilis, & legalis*, nominatur, prout Justitia est omnis virtus, aut nominatur, secundùm S. Augustinum in una Epistolarum suarum, amor Dei, in quem ordinari, jungi, & uniri debet omnis virtus. Considerate ergò, quòd postquàm civilis vita in unione, amore, & bona ordinatione quatuor istarum virtutum conservatur, ipsa per contrarium destruitur. Unusquisque nocet, aut obest vitæ regiæ, quando quatuor illis virtutibus adversatur. Et quantùm precatur, & desiderat, *Vivat Rex*, tantùm niti debet, ut quatuor hæ virtutes in Rege regnent, & in suo regno Prudentia, Temperantia, Fortitudo & Justitia; alioquin vana & ficta est vociferatio ore clamando: *Vivat Rex*, & facto necessarias illius vitæ causas destruere. Et quomodò destruuntur? Per falsitatem, pigritiam, luxuriam, & injustitiam. Cogitemus itaque, & notemus quæso, supradictum Sapientis verbum? *Rex qui sedet in solio Judicii, intuitu suo dissipat omne malum.* Prov. XX. 8. Si dissipat omne malum, vitam habet civilem, sanam, & perfectam. Sed videmus quid eam manuteneat. Quatuor virtutes ipsam concomitantur. Rex debet sedere. Sedet in signum temperantiæ, aut moderationis. Sic enim designavit Magister quidam Romæ histrionem agentem, qui socium suum carpsit, eò quòd Principem belligerum, & omnia destruere volentem repræsentaret. Ipse verò Principem effinxit sedentem, & cogitabundum, in signum quod Princeps temperans, & benè præmeditans in omnibus actibus suis esse debet. Rex debet esse in throno, in signum firmitudinis, & constantiæ, quemadmodùm thronus inferiùs quadratus est. Sicut tetragonus, sine vituperio, inquit Aristoteles, nec benedictione, nec maledictione moveri debet, non plus quàm Dei Angelus. Rex debet sedere in throno, non quocumque, sed æquitatis, & justitiæ. Hæc est tertia virtus, de qua dicit Propheta: *Judicium & justitia correctio sedis ejus.* Ps. XCVI. 2. Rex diligenter intuitum suum ad cuncta dirigere debet, in signum prudentiæ, & veritatis. Intuitus hic suum est consilium, in quo veluti in oculo nullum debet esse impedimentum, nec pulveris avaritiæ, nec inflationis, præsumptionis, & superbiæ, nec fumi odii, nec spissorum humorum carnalitatis, nec cujuscumque maculæ duplicitatis, aut mendacii. *Rex* eo modo sedens *in throno judicii, intuitu suo dissipat omne malum*, omnemque malitiam.

Poësis, seu fictio pulcherrima. Deducere conabar quatuor hæc puncta per historias, & concordantias, considerando in secreto cogitationis meæ colloquio Regium statum, Regnique ejus; cùm humani generis inimicus, & totius boni visus fuerat odiosum suum filium, magistrum Capitaneum, peccatum scilicet, vilem tyrannum, falsumque proditorem, fideli suo Domino, & supremo Deo destinare. Quare? Ut præliaretur & destrueret quatuor has virtutes, ut Justitiæ subverteret thronum, & sic auferret, & interficeret omnem civilem Regis, & Regni vitam, quod ne faciat, Deum obsecro. Nec solus erat (vobis affirmo;) magna, & maledicta septem capitalium, & mortalium vitiorum societas ei erat auxilio. Superbia, Invidia, Ira, Avaritia, Acedia, Luxuria, Gula, cum aliis quibusdam detestabilibus stipendiariis, & crudelibus expoliatoribus, absque numero; omnibus eadem est voluntas, & conjuratio, ad

A interneciem scilicet ponere pœnæ, & culpæ omnes virtutes. Stipendia eorum sunt mors: *Stipendia peccati mors.* Rom. VI. 23. Si timore, tremore, & horrore ea considerando affectus fuerim, nihil est quod quæras. Adhuc fremo, & tremo, quando hujus mihi subit memoria. Certè explicare non possem decimam, nec centesimam quidem partem dolorosorum, & affligentium cruciatuum, quos peccatum abominabilis proditor, omnesque ejus comites periculosi contrà pulchras virtutes exercere volebant. Notavi specialiter hîc quatuor maledictos expoliatores, qui sub umbra boni, & interdùm amoris, occultè, & implicitè, interdùm apertè contrà nitebantur, & repugnabant his virtutibus, quilibet cuilibet. Adulatio mendax contrà prudentiam, & veritatem. Delectatio acediosa & otiosa contrà fortitudinem, & stabilitatem.

B Rapina contrà justitiam, & æquitatem. Voluptuosus status contrà temperantiam, & frugalitatem.

Noverat humani generis inimicus, quòd per falsos hos quatuor satellites destrui posset totius Reipublicæ vita civilis, tum in capite, tum in membris, si eorum non obstaretur conatui. Per eos enim non modò regalis dominii status dissiparetur, sed quilibet trium statuum subditorum, conservantium, & manutenentium statum illum supremum. Status hi tres sunt: Status Ecclesiasticus, Status Militaris, & Status Civilis. Et contrariatur adulator mendax Clericis, & Consiliariis, & quibus inesse debet prudentia. Delectatio voluptuosa contrariatur militibus, quibus inesse debet fortitudo, & bellandi constantia. Colorata rapina contrariatur Justitiariis, quibus inesse debet ad benè judicandum æquitas. Sed pomposus status generaliter contrariatur omnibus, magnis, & parvis, ubi esse debet temperantia, & ad benè se habendum, & manutenendum sobrietas. Status in se bonum est probum, & honorabile, sive in

C Clericatu, sive in militia, sive in civilitate; sed quando injuria se jungit, & maritat alicui statui; totum est perditum. Ex hoc Matrimonio perditissima nascitur proles; dum injuria copulatur statui Clericali, nascitur sacrilegium, & simonia; in statu militari, expoliatio & tyrannis; in statu civili, usura & rapina. Propterea congruum mihi videbatur & necessarium proditoriam illam intentionem per quatuor illos occisores contrà quatuor virtutes revelare, & declarare quæ quidem virtutes bonam Regis conservant vitam. Et quare? Ut evitentur, & homines sibi ab eis caveant. In eo enim videbatur, & adhuc videtur esse principalis Regis filiæ intentio, ut inveniatur, & de facto apponatur congruum remedium, non nimis ad particularem descendendo modum, qui ad magnum Regis pertinet Consilium; sed in quantum bonæ prædicationis doctrina sese debet extendere, non ut doceatur aliquid, quod vos nobilissimos Dominos lateat, nec quin

D probè sciatis, sed ut admoneatur, & inflammetur ejus, quod jam novistis, intentio; quemadmodùm prædicatur de morte, non quin sciatur moriendum esse, sed ut humiliemur, & ad benè moriendum præparemur.

Certum est, in proposito illo, ac tali meditatione, ingens bellum in secreto mentis meæ collocutione ortum fuisse. Nam Dissimulatio ficta, & timida mendacis adulatoris filia, genita per proprium amorem cum commodo concumbentem, conabatur, & omninò mihi silentium imponere stude-

debat; Seditio crudelis jactabunda, & fatua in oppositam trahebat partem. Prior Dissimulatio locuta est, & dixit: Quid meditaris, amice? Quid agere, aut dicere tentas? Visne tu mundum reformare, aut corrigere? Scias profectò eum vetustum nimis esse ut corrigatur; nam correctione potiùs pejor efficeretur, quemadmodùm vetus patella, cujus si foramen unum obstruxeris, duo aut tria nova parabis. Vel veluti veterem reparando tunicam, aut domum, totum (ut videmus) rumpitur, & decidit. Sine, sine (inquit) omnia seipsis emendabuntur. Semper fortis minatus est debili, dives pauperi; mali autem pejorem semper habebunt partem: in hujus contrarium tendere, in vanum est conari. Nunquid consideras, quis sis, & quo in periculo teipsum ponas statum tuum, & vitam amittendi? Vis tu os in cœlum ponere, dicere de magnis Principibus, quibus dicere non licet, quarè ità agant? Dorsum habes nimis macrum ad onus tam magnum portandum. Nonne legisti in historiis, quid consecuti sunt hi qui Dominos magnos corrigere, & docere voluerunt in boni communis favorem? Zeno, Socrates, Tullius, Boëtius, & quamplurimi alii id morte eorum experti sunt. Domini (amice mi) semper manent Domini. Et qui commune agit, more populei folii movetur, & vertitur; semper fortunam, & casum sequitur, sicut dicit Juvenalis: modò unum laudabit, & in cœlum efferet; nec citiùs manum verteris, quàm eum in fimum, aut damnum recidere permittat. Quid dico, recidere permittat? immò verò persequetur eum. Lege de ingratis capitulum in 5. Libro Valerii Maximi: invenies quòd Romani occiderunt, aut in exilium truserunt principaliores eorum adjutores, quemadmodùm fuerunt Romulus, Furius, Camillus, Scipio Africanus major, Scipio minor, Corilianus, Scipio Nasica. Sic etiam fecit Carthago Hannibali; Lacedemonii, Licurgo. Nihil ergo est de auxilio, aut favore communis boni. Stultus est qui confidit. Qui Communitati servit, à nemine pretium recipit; & si malè egerit, quilibet calumnias infert. Itaque mihi crede, & quiesce, tempori sese accommodandum est, tibi verùm dico, dissimulandum esse. Et est consilium Prophetæ Amos. v. 13. *In illo tempore vir prudens tacebit, quia tempus malum est.* Et estne tempus pessimum? sic certè est. Tacendum igitur tibi est: qui de omnibus tacet, de omnibus pacem habet. Sine præterire; sine unumquemque, id benè convenit. Sanet se qui potest. Crede quod Ptolomæus inquit: *Sapiens est, qui non curat in cujus manu mundus sit.* Noli magnos Principes à quibus recepisti, & adhuc recipere potes ingentes favores, inimicos tuos constituere absque utilitate aliqua. Nam dic quæcumque voles, si centum ex calibe linguis usus fueris, nihil egeris; verba quid proficient, cùm malorum cognitio tam grandium, tam miserabilium, non ad compassionem, & provisionem ponendam movet? *Vivat Rex*, vivat (ut consuetum est) absque restrictione status sui, aut diminutione Regalis sui dominii. Non est alter melior Dominus. Qui sunt subditi, ut Dominum suum corrigant, & discipuli magistrum? Ipsorum est obedire, quantumcumque sint dyscoli, & inordinati Domini; secundùm sancti Petri consilium. 1. *Pet.* II. 18. Sed dic etiam quo initio ista inchoabitur reformatio, & ad quem finem deveniet? Sic loquebatur Dissimulatio, ut materiam difficilem ostenderet, & ab omnibus relinquendam.

Hæc, ut videbatur ei, tanquàm sobria, & sapiens aiebat: cùm Seditio crudelis, quæ jam diù valdè impatienter Dissimulationi fuerat adversata, ejus interrupit sermonem, eam reprehendendo, sicut dubiam, & communi bono contrariam, & tanquàm pavidam, quæ Regem, & Regnum perditum iri permitteret, illaque cadere, nemine contradicente, ad malam civilem mortem. Posthàc Ira effervescens, & multùm furiosam se ostendens, talis enim reverà erat, & quomodò, inquit, manebuntne omnia semper in tali statu? Non quidem statu, sed destitutione, miseria, angustia, & desolatione, ut homines sint magis servi, quàm mutæ bestiæ, expoliati, rosi, & comesti usque ad ossa, ne minimum quidem ipsis hominibus relinquendo, & ad quos usus, aut potiùs spurcos, & viles abusus. Heu Deus, potiùs eligendum esset mille mori mortibus, quàm talia perpeti mala; moriatur qui mori debet, erit saltem sine languore tali, & doloroso tormento. Deus quid hoc? O cœlum, ô terra, ô justitia, ô pietas! Invenieturne aliquis, qui bonum diligat commune, qui se exponat pro Republica Regis, & Regni. *Vivat Rex.* Ego quidem id volo, sed pereant proditores falsi, qui devastant Regem, & Regnum ejus; pereant, inquam & extermineutur. Nam etsi fiant ordinationes, promissiones, & Regales Constitutiones quantas voles, nunquàm erunt in Regno hoc nisi rapinæ, & tyrannides, quamdiù certi vixerint homines. Sunt quemadmodùm ferrum, aut spina, quæ plagam ad sanitatem redire non permittit. Sed concordia erit. Qualis concordia? Sicut duorum fortassis luporum, ut agnum devorent. Heu ubi sunt nunc probi, & fortes Reipublicæ socii, qui pro bono publico contrà tyrannos corpus, & bona eorum exponerent? Judas Machabæus, Mucius, Themistocles, Trasibulus, Mathatias, & alii: ubi sunt, inquam, tales qui Regnum hoc à miserabili oppressione eruunt? Eorum debet esse via facti habentium quod dicit Seneca, quòd *Non est sacrificium gratius Deo, quàm mors tyrannorum, qui tyranni permissi sunt omnibus patriam liberare volentibus.* Sed quid potest esse in causa, quòd nemo invenitur qui velit, aut audeat profari veritatem. Misera hæc dissimulatio omnibus os occludit. Boni Prædicatores ubi sunt, qui, ut dicunt, loquantur absque timore, quicquid eveniat? Mala regnantia, & peccata sunt satis grandia, vel enormia, tam detestabilia, tam horribilia, & abominabilia, in Fide, & bonis moribus, quòd terra ea sustentare non deberet, sed prorsùs deglutire. Pares etiam Franciæ, hoc est, qui Regi assistunt Principes certi, qui & dici possent Patres Franciæ, & sunt duodecim, deberent accusare, & per ignem & gladium sine misericordia ea exterminare.

Ad furiosam hanc Seditionis vocem, ego quasi exanimis faciem deflectebam, rabiem ejus in dicendo ampliùs ferre non valens: benè meam percepit modestiam. Tunc extraxit è vestimento suo scripturæ magnam quantitatem libellorum diffamatoriorum, partim per cognatam ejus Detractionem editorum, & malum os; partim per suspicionem melancholicam; partim per vilem vulgi famam, quæ omnia à casu effutit, & deblaterat, sive verum sit, ut Virgilius, sive falsum; nonnihil tamen aderat veritatis. Hos libellos coram me explicando: vide, inquit, materiam sufficientem ad loquendum, & proponendum coram magno Regis Consilio, secundùm quod ordinatus es ad reformationem faciendam. Nec verbum quidem emisi ego, quia Dissimulationem percepi, quæ ad respondendum sese præparabat: tunc Seditio alto clamore incœptum prosequebatur; nec erat difficile perspicere quin talia colloquia, verbera sequerentur immixta. Nec Dissimulatio ampliùs verbum emittere ausa est. Nescio quid egissem, si Discretio sapiens, voluntate divina, missa non fuisset per Regis filiam, scientiarum Matrem, Universitatem Parisiensem, ipsa est familiaris ejus amica; Discretio properavit, ut duo hæc monstrosa vitia, Dissimulationem, & Seditionem, effugaret. Dissimulatio, & Seditio vitia sunt, & peccata, ad nihilque conducunt, quoniam Dissimulatio in timiditatem labitur; Seditio autem in temeritatem. Discretio tenet rectum iter Regale, non declinando ad dextram Dissimulationis, aut ad sinistram Seditionis, & invisa est duabus aliis. Quia Dissimulatio Discretionem reputat jactabundam, & temerariam, quando ipsa audet dicere veritatem, quantumcumque ipsa

pia ſit utilis, ſi ipſi Domino diſpliceat. Seditio eam fictam, & timidam reputat, quando tacet ſic quòd non corrodit, & devaſtat ſingula, ſed parvipendit Diſcretio eorum odia, aut rumores, ad Quinti Fabii maximi exemplum, qui non ponebat rumores antè ſalutem. Sufficit Diſcretionem Deum, conſcientiam, & veritatem pro ſe habere, & communi bono prodeſſe.

Procedam igitur, ſi placet ulterius, ſecundùm inſtructiones factas, & ordinatas per ſapientem Diſcretionem, ſicuti credo; ejiciantur Diſſimulatio, & Seditio. Et ſi forſitan non quiverim ſingula verba inſtructionis ipſius Diſcretionis bonæ Magiſtræ in propria retinere, meæ eſt fragilitatis, & meæ ignorantiæ; quia ingenium meum rude eſt, & labilis memoria, illud (affirmo) ex malitia non fiet. Semper ad Diſcretionem refero omne meum propoſitum, per quodcumque verbum exponam, eſt ſemper quòd *Vivat Rex.* Vivat, inquam, vita non corporali modò (ut dictum eſt) ſed civili, & myſtica, quæ manutenetur, & conſervatur per unitatem ipſius, ſicut unius capitis cum ſubditis ſuis qui ſunt ſicut corpus diverſa habens membra, ſecundùm diverſos ſtatus, & officia, quæ ſunt in Regno. Propterea Rex aliquis perſona privata non eſt, ſed eſt una poteſtas publica, ordinata pro totius communitatis ſalute; ſicuti ab uno capite deſcendit, & dependet totius corporis vita: & ad hoc Reges ordinati fuerunt, & Principes in principio per communem hominum conſenſum, & eo modo perſeverare debent. Perſiſtamus hîc paulisper in eo ſimili, & propter illam ſimilitudinem, & ad ſecurè continuandum dicta dicendis, quatuor ſumemus veritates veriſſimas & certas. Famulatum hunc ſingularem debet Regis filia ipſi Regi, & omnibus Dominis pulchrius ſervitium præſtare poſſet minimè, quàm eis conſtanter Fidei veritatem, ſanam doctrinam, & bonos mores demonſtrare contrà falſos informatores, manifeſtos, & occultos; & gratiæ Deo, vobis quoque Dominis meis, quoniam jam, & aliàs hæc libenter audiſtis.

Prima veritas.

SECUNDÙM quod per naturalem inſtinctum omnia membra in uno ſolo corpore ſeſe exponunt pro capitis ſalute, pariformiter eſſe debent in corpore myſtico verorum ſubditorum ad ſuum Dominum. Sed alia ex parte caput debet dirigere, & gubernare membra alia, aliàs enim deſtructio eſſet; caput namque ſine corpore perdurare non poteſt. Hæc veritas eſt contrà horum errorem, qui dicere niſi ſunt, Dominum in nullo ſubjectis ſuis teneri, aut obligari, quod eſt contra Jus divinum, & naturalem æquitatem, & veram dominii fidem. Quemadmodùm ſubditi fidem, ſubſidium, & ſervitium eorum Superiori debent; ſic Superior fidem, protectionem, & defenſionem ſuis debet ſubjectis; bonitas una aliam requirit. Secundùm Doctores Luciferi peccatum in hoc fuit, quòd voluit dominari omnibus aliis creaturis ſine ulla obligatione ad earum cuſtodiam, ſeu ſervitium, ſicut Deus: ſcire debebat contrarium, quia ſervitus eò major eſt, quò dominatio major eſt. Propter quid aliàs ſupremus Paſtor *Servum ſervorum* ſe appellaret? Quantò enim plus gratiæ aliqua creatura recipit, tantò, ſecundùm beatum Gregorium, plus ad Dei ſervitium obligatur. *Tantò eſſe humilior atque ad ſerviendum promptior quiſque debet ex munere, quantò ſe obligatiorem reſpicit in reddenda ratione.* Ad hoc accedit, quod Trajanus Imperator fecit, eo ſuper equo exiſtente, & ad bellum jam properante, cùm femina quædam clamaret: *O Imperator, tu dominaris, & ego talem ſuffero dolorem, filius meus innocens occiſus eſt.* Imperator ſubſtitit, & ait, poſtquàm rediiſſe à prælio, ſe illi juſtitiam miniſtraturum. *Et ſi non redieris*, inquit, *bona illa femina?* Reſpondit Trajanus, quòd Succeſſor ſuus illi miniſtraret juſtitiam. *Non*, ait femina, *tu mihi debes juſtitiam. Succeſſor tuus de ſeipſo ſatis agere habebit, nec ab hoc debito te abſolvet, peto a te quam mihi debes juſtitiam.* Cognovit Imperator, quòd verum diceret, deſcendit de equo, examinavit cauſam, & conſolatus eſt mulie-
A rem; quo factum eſt, ut publicam ſtatuam Judicium hoc repræſentantem habere meruerit, quam videns ſanctus Gregorius, ejus miſertus eſt, & precibus ſuis ſalvatus fuit. Et hoc probat noſtra veritas, & etiam quòd Rex, & Princeps quilibet jurat ſe populum ſuum defenſurum. Et ſi Dominus non fideliter ipſos ut ſubjectos tractaverit, eum ipſi non ut Dominum tractabunt; ſecundùm reſponſum quod dedit Domitius cuidam Conſuli: *Si*, inquit, *me non ut Senatorem habueris, nec ego te ut Conſulem habeo.*

Secunda veritas.

SICUT corporali viſui nihil eſt crudelius, horribilius, & evitabilius, quàm corpus humanum, aut naturam videre ſeſe diſſipare, aut diſcerpere per morſus aut aliter: ſic ſimiliter viſui ſpirituali rationis non eſt minor crudelitas; verùm multò major videre corporis myſtici partes ſeparari, & unam alteram
B perſequi, ſicut Dominum ſubjectos ſuos. Sicut perſecutio fit in hoc, quòd unus alteri jus, & officium aufert; quia naturaliter unumquodque jus ſuum tutatur, & factum per violentiam repellit per factum, per violentiam. Vim vi repellere licet. Hîc manifeſtum eſt hos errare qui dicunt Dominis omnia ad ipſos ſpectare, & quòd omnia agere poſſunt ad eorum arbitrium, & voluntatem, omnia quæ ſubjectorum ſunt, abſque ullo titulo, ad ſe trahendo; quid hoc ſibi vult? Violentia omnia poteſt. Et quid ſequitur? Tale ſequitur inconveniens, veluti ſi caput totum ſanguinem, medullam, & aliorum membrorum ſubſtantiam, ad ſe attrahere vellet. Quid eſſet? Non dubium eſt, quin eſſet propria ſua deſtructio. Caput ſine corpore permanere non poteſt, corpus ſine ſuſtentatione perit totum. Hîc apparet ulterius, quòd Clericus ille perperàm, & perversè intelligeret textum Bibliæ, qui contra veritatem vertere vellet verba ſcripta. *Hoc erit jus Regis.* &c. 1 Reg. VIII. 11. quia verus ſenſus literalis alibi eſt, & ſpecialiter. *Deut.* XVII. omninò his contrarius; & etiam omne
C bonum rationis naturalis judicium, cui nunquam contrariatur Jus divinum.

Huic opponitur quod 1. Regum ſcribitur: ſi Roboam, qui Saüli ſucceſſit poſt David, & Salomonem, omnia Jure divino capere potuiſſet, quare decimam Regni ſui partem amiſiſſet, per hoc, quod ad conſilium juvenum, & adulatorum multiplicare volebat exactiones populi, plus quàm Salomon? David etiam quare punitus fuiſſet de hoc quod hereditatem Miphiboſeth Sibæ ſuo famulo diviſit. Achas quare reprehenſus fuiſſet, eo quod vineam Nabaoth habere deſiderabat. Reverà ignoro undè talis error emanarit. Illud enim dicere, eſſet homines veluti oves ſubjicere, & Dominos ut lupos rapaces ſuper eos mittere, aut gallinarum pullis milvos immittere. Omnia finaliter ad deſtructionem properarent. Sed ad auferendum hujus erroris fundamentum dicamus.

Primò: quòd ad intelligendum ſanctam Scripturam non ſufficit vocabulorum Grammaticalem, &
D vulgarem ſignificationem intelligere; verùm etiam requiritur ingens ſtudium, & prolixa inſtructio, tam in aliis ſcientiis Philoſophiæ, & Logicæ, quàm in ſanctis Doctoribus, qui inſpiratione divina, & per comparationem unius ad aliud, ſanctam expoſuere Scripturarum, quæ puteus altus eſt. Aliter enim ſequeretur quòd Grammaticus quilibet, qui Latinam calleret linguam, aut aliquis, qui Bibliam haberet in Galli-

cum versam sermonem, confestim bonus esset Theolo-
gus. Quod minimè verum est, immò est occassio maxi-
ma, & communis in hæreses labendi, sicut Julia-
nus apostata, Helvidius, Jovinianus, & Thu-
relupini fuere: Scripturæ verba sæpiùs sunt ambigua,
& in uno loco aliter capiuntur, quàm in alio, aut
quàm communis Grammaticus acciperet. Et con-
cordatur interdùm unus passus per alterum, & per
causam, & circumstantiam dictorum. Intelligentia
dictorum, secundùm Hilarium, ex causis assumen-
da est dicendorum. Exemplum in hac Latina dic- A
tione *Jus*, quod non solùm ipsum Jus, aut Justitiam,
significat; verùm accipitur interdùm pro potestate
quæ justa non est. Sicut hìc secundùm glossam ordina-
riam. Reg. VIII. 11. *Hoc erit Jus Regis*, capitur pro ex-
actione. Versus:

Jus aqua, Jus rectum, Jus dicitur esse potestas.

Sicut etiam hæc dictio *Rex* quandoque sumitur pro
tyranno. Osee. XIII. 10. 11. Et Job. XXXIV. 18. Et *Be-
nedictio* pro maledictione. Job. III. Et *Lex Justitia pro
injustitia exercitio*. Sap. II. 11. Et *Deus pro diabolo*. 2.
Cor. IV. 4. Dicamus igitur, quòd exactiones hæ (de
quibus supradictum agit Capitulum) Jus Regis no- B
minantur propter harum trium causarum unam; aut
ob justam populi punitionem, qui contra Dei volun-
tatem Regem postulaverant; aut ob publicam subven-
tionem in casu necessitatis rationabili; aut per solam
nuncupationem, eò quòd sic appellant ea quæ ipsa
Jura constituunt, sicut dicitur, Jus portæ *Baudet* Et
si dicat quispiam: posteaquàm ergò populus sic pu-
niri debuit, Rex illud justè potuit exercere. Respon-
deo, quòd eodem modo probari posset persecutio-
nes, & afflictiones inimicorum & tyrannorum justè
factas esse; Deus falli non potest, novit intentionem
eorum. Sic aliquis alius dicat, quòd Princeps quan-
doque ad id quod agit necessitatur. Sciendum est
tunc, undè talis emergat necessitas, & an ex volun-
tate: si enim Dominus aliquis in triplo, aut qua-
druplo plures velit tenere quàm debeat homines,
& quòd sic in statu suo necessitatur, hic necessitatem
facit. Est, quæso, ipse excusatus? Profectò non:
sed dupliciter accusandus, & multò magis, si nihil
eorum quæ recipit, in boni publici vertat defensio-
nem, verùm ad malum usum & dissipationem; pro-
pter quod sic oppressi à Deo vindictam petunt,
& ipse exaudiet eos: *Propter miseriam inopum,
& gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Domi-
nus*. Psal. XI. 6. Quid autem ad Leges dicemus
quæ dicunt: *Omnia sunt Principis*. Et Lucanus:
Omnia Cæsar habet. Cæsar erat, & habebat omnia.
Respondebimus objectionem contra objectionem;
clavum contra clavum. Dicit Apostolus pluribus
in locis loquens de Christianis: *omnia nostra
sunt*. Respondebis certè omnia nostra esse, ut
his benè utamur. Verum est, dico: omnia
sunt Principis, ut his benè utatur secundùm
Jus & rationem, hoc est, ad justam & necessariam
patriæ suæ defensionem: ad finem hunc proprium
suum corpus exponere debet.

Tertia Veritas.

Quemadmodùm venenum, & intoxicatio corpus
occidit humanum; sic tyrannis est venenum, intoxi-
catio, & malum quod totam vitam politicam, &
regalem ad interniciem ponit. Quare? Quia tyrannis
omnia ad proprium suum nititur trahere commodum,
& profectum, ideò conditionem habet innaturalem,
& omninò bonæ vitæ civili contrariam. De quibus
prolixiùs loquebatur Aristoteles 5. *Politicorum*, & ad
tria reducuntur.

*Pauca sciant, de se diffidant, sint & egeni,
Sic rege subjectos, dire tyranne, tuos.*

Tyrannus vult subditos suos pauca scire, pauca fi-
dere: hoc est, valdè contrarium bono regimini rega-
li, quod ad hoc tendit, ut subjecti sui sint potentes,
sapientes, & fidi ad pulchram imaginem, imitatio-
nem, & exemplar benedictæ Trinitatis. Ecquid pe-
jus inimicus populi mortalis aut inferni inimicus facere
posset, quàm populum pauperem, & divisum consti-
tuere? Multò eligibilius foret sine Principe esse, ut fa-
bulantur de ranis, quibus datus fuit Rex serpens qui-
dam eas devorans. Ex hoc est quòd tyranni populum
opprimunt per extraneos armigeros, per exactiones,
corvaitas, tributa, homicidas secretos; impediunt
insuper studium ne scientia acquiratur, defendunt
omnia consortia, & divisiones nutriunt per falsas im-
positiones, & crimina. Concludamus ulteriùs, quòd
si caput, aut aliquod civilitatis membrum tale incurre-
ret inconveniens, quòd tyrannidis mortale venenum
sorbere vellet, membrum quodlibet suo in loco toto
posse obviare deberet per media convenientia, &
talia per quæ non pejus sequatur: non congruit
quòd si caput parvo afficiatur dolore, manum ipsum
percutere, hoc enim fatuum esset; nec convenit,
ipsum statim abscindi, aut à corpore separari, sed
in omni dulcedine medicari, tam per bona verba,
quàm aliter ad bonorum Medicorum exemplum. Nec
quicquam esset irrationabilius & crudelius, quàm
per seditionem, tyrannidem impedire velle. Se-
ditionem voco rebellionem popularem absque causa
& ratione, quæ sæpenumerò pejor est tyrannide.
Scilla vocatus fuit Romam, ut tyrannidem Marii au-
ferret, & pejus Mario egit; *Excessit medicina mo-
dum. Immoderata medicina gravior est* (ut ait Lucanus)
principali infirmitate. Opus est mirum in modum ma-
gna discretione, prudentia & temperantia, ad ty-
rannidem expellendam. Propter quod audiendi sunt,
& fides adhibenda est sapientibus Philosophis, Ju-
risperitis, Legistis, Theologis, hominibus bonæ vi-
tæ, bonæ naturalis prudentiæ, & magnæ experien-
tiæ. In senibus est experientia. Non enim subitò
Dominus aliquis tyrannus judicandus est, si peccator
C sit pluribus in casibus, cùm tamen non sit hoc manifestè
contra dominii sui finem, & in boni communis subver-
sionem. Potestas (sicut dicit Apostolus 2. Cor. XIII. 10.)
non est data cuiquam Domino in subversionem, sed æ-
dificationem potiùs: & propterea qui ea abutitur, eam
ut perdat dignus efficitur. Ideò apparet, quòd hi
Regem suum, aut Principem minimè diligerent, si
eum in stolidos errores, aut tyrannidis conditiones
vertere præsumerent; nec est modus certior, quo
Rex corporis & animæ, & totius dominii detrimen-
tum patiatur. Nam tyrannis, & infidelitas tanquàm
innaturalis, & violenta contra Deum & omnem ra-
tionem, diù permanere non potest. Dicit Sapiens,
Sap. XVI. 4. *Oportebat enim illis sine excusatione qui-
dem supervenire interitum exercentibus tyrannidem. Vio-
lentia etiam* (ut inquit Juvenalis) *durare non potest*.
Raró tyrannus morte moritur naturali, odio habe-
tur à Deo, & à mundo. Nec fermè adeò parvus
est, quin, si vitam suam periculo exponere vellet,
ut tyranno vitam adimat, inveniat modum ipsum
D occidendi, & pacem restituendi. Considerate igi-
tur, quòd Reges, aut Principes libenter hos audire
debent, qui tyrannidis venenum impedire norunt,
ne eos arripiat. Estque multò eligibiliùs, ut minus
habeant dominium quod sit rationabile, sanctum,
& durans, dando aliqua restringentia, ne caput ni-
mium ad se attrahat humorem, & sanguinem cete-
rorum membrorum; hoc non est caput aggravare,
verùm potiùs adjuvare. Tale responsum dedit Theo-
pompus uxori suæ, quæ conquerebatur de hoc,
quòd certis Legibus potentiam suam restrinxisset:
sicut

ſicut Rex ſe ſubdit in multis caſibus Juſtitiæ Parlamenti. *Verecundia eſt*, dicebat femina illa, *liberis tuis potentiam diminui ſinere, quam non conquiſiſti*. Reſpondit ipſe: *Sino eis minorem potentiam, ſed durabiliorem*. Quare durabiliorem? quia rationabiliorem. Sed dices: eſt autem minùs honorabilis. Scias quòd non, ſed magis honorabilis, quia habere ſubjectos ſecundùm rationem eſt ſingulare dominium, ſingularis dignitas, honor, nobilitas & ingenuitas. Et in hoc Dominus non ſe ſubjicit ſubjectis, ſed rationi, cui Jure divino & naturali unuſquiſque Dominus & alius quilibet obedientiam debet & ſubjectionem. De his Seneca: *Si vis omnia ſubjicere tibi, ſubjice te rationi*.

Quarta veritas.

Cùm Rex ſine ſubjectis, & ſubjecti ſine Rege diù durare non poſſint, & rationabiliter vivere, concordia eſt neceſſaria, & unio pacifica ſimul per conjunctionem quatuor virtutum ſuperiùs nominatarum in materiali corpore, mediante operatione, & confœderatione divina ſancti Spiritus, qui hanc in corporibus myſticis facit conciliationem, ſicut influentia cœleſtis in corpore naturali. Hæc eſt determinatio expreſſa omnium Philoſophorum, Juriſtarum, Legiſlatorum, Poëtarum, & Theologorum. In cujus ſignum Rex Regum ſe pacis Principem nominat. Ariſtoteles auctoritate Homeri, VIII. *Ethic.* determinat, quòd dominium regale eſt, ſicut Pater ad filios, aut ſicut paſtor ad oves; ſecundùm quod Homerus Græcorum Regem populi nominat Paſtorem, & Deus vult quòd eum Patrem & Paſtorem appellemus. Auguſtus Octavianus cùm publicè Dominus bonus, & juſtus appellaretur, hanc prohibuit nominationem, voluitque Pater Patriæ vocari. Diximus Salomonis autoritate, qui Rex pacis interpretatur, quòd finis Regis eſt, diſſipare omne malum: & quod eſt omne malum? Videamus quod eſt omne bonum. Dicit ſanctus Auguſtinus ſuper illud: *Pax Iſrael*, quòd eſt *Pax*. Bellum ergò, & diviſio eſt omne malum. Propterea finis Regis eſſe debet in ſuos ſubjectos pax, ut deſcribitur in Decretalium prologo: *Rex pacificus*. Sic cognovit, & facere voluit magnus Rex Artaxeres, qui dicitur etiam Aſſuerus. Undè *Eſther*.16. in Epiſtola ſua teſtificans, ſe non voluiſſe abuti potentia, ſed quòd populus ſuus pace frueretur, quæ ab omnibus mortalibus eſt deſiderata. Benè ſe habet (volente Domino) cùm tale, & tam firmum habemus fundamentum. In harum quatuor virtutum quaternario vita Regis erit admodùm ſtabilis, quia ſecundùm Salomonem: *Miſericordia, & veritas cuſtodit Regem*. Prov. XX. 28. Et hoc eſt noſtrum deſiderium. *Vivat Rex*.

DE
INTENTIONE
ADULATORIS MENDACIS.

VERÙM revertamur ubi eramus, & deſcendamus ad proditoriam intentionem quatuor proditorum tyranni (quod peccatum eſt) revelendam. Veniamus & videamus quomodò occultantur in quatuor nominatis virtutibus. Et primò de adulatore mendaci contra prudentiam. Prudentia eſt auriga virtutum. Quomodò? Per lumen veritatis, & per filiam ſuam diſcretionem, oſtendendo primùm omnium uniuſcujuſque rei exitum. Rerum exitus prudentiâ metitur; poſteà deliberat de mediis congruis ad talem finem obtinendum. Aliàs à caſu eſt, ſi quicquam bonum ſortiatur effectum. *Turpe eſt Principi*, ut dicebat Scipio Africanus, *allegare*, *& dicere non putavi*. Debet omnia priùs præmeditari, nec ſe fundare in vanis rumoribus, aut in his quæ impinguntur, ſicut dicit Julius Cæſar Francos agere. Ea propter ſæpiùs intentione ſua fruſtrantur; initia intentionum Gallorum ampla ſunt, ſicut de bellis, & exitus ſtricti nimis. Advertendum eſt diligentiùs quomodò intretur, ut exitus haberi poſſit ſine læſione, ſicut piſcis cavet ab hamo. Exemplum de quodam qui conſilium petebat, undè redeundum eſſet ab itinere quod facere intendebat. Sed audiamus quid faciat adulator
A mendax contra prudentiam. O Deus qualis famulus? Eſt incantator diaboli, qui faſcinat Dominos, & facit apparere de falſo verum, de ſtulto ſapiens, de nihilo magnum, de magnificis factis ſtolida, de ſtolidis inſenſata, hoc eſt extra omne bonum rationis judicium. *Hic profectò ex ſtultis inſanos facit*, ait Terentius. Quid decepit Luciferum, & eum mutavit in diabolum? Sui ipſius, & adhærentium adulatio. Adulatio tunc incœpit, magiſtrumque ſuum à tam ſublimi loco in profundum cadere fecit; de tam ſapienti in tam ſtolidum. Quid ergò agent homines? quo pacto ſibi cavebunt? Quid decepit Evam & Adam, de immortalitate ad mortalitatem mutavit, de omni bono in omne malum? Inimici adulatio, qui promittebat eos tanquàm deos futuros. Nonne adulatio Nabuchodonoſor, Alexandrum, Coſdroem, & alios quoſdam (ut eorum ferebat opinio) deos effecit. O qualis ſingularis fatuitas, & error erat, eſſe Deum in ſomnio, in faſcinatione, & in incantatione? Et nihil erat: *Velut ſomnium ſurgentium, Domine*, Pſ. LXXII. 20. & cæt. Et breviter ſecun-
B dùm Juvenalem, *Nihil eſt quod credere de ſe non poſſit, cùm laudatur diis æqua poteſtas*. Non eſt Religio tam extranea, de qua non citiùs falſum credatur, quàm de ſeipſo. Quid mirum, ſi Domini ſe falſos fuiſſe comperiant cùm redit veritas, aut per adverſitatem, aut per mortem quæ liquidò hujus æſtimationis falſitatem declarat. Alexander recepta plaga in prælio, poſteà cognovit hominem ſe eſſe, licet ab hominibus filius Dei nominaretur. *Homines*, inquit, *me filium Dei nominabant; hac autem plaga me hominem eſſe declarat*. Adulator, malus eſt janitor, qui ſæpenumerò ſpiritui mendacii, & falſitatis portam aperit. Qui quidem ſpiritus modò aſſumit cappam, & capitium ſubductum, &
C Prælatum fingit, aut Clericum; modò habitum militarem; modò habitum famuli, propter quod omnia ad deceptionem tendunt, ſecundùm Micheæ viſionem, 3. *Reg. ult.* Adulator, eſt tibicen qui ſemper ficta canit muſica, & mutat modulationem ſuam, ut Dominus vult eum canere, aut corizare. Ipſa eſt ſpeculi imago quæ ridet, cùm quis ridet; plorat, quando ploratur; ſemper gaudet alienum ſumere vultum. Dicet Dominus; caleo: dicet adulator; ſudo. Dicet Dominus; tempus eſſe frigidum: dicet adulator; ſe præ frigoribus tremere. Sæpenumerò eodem in prandio hunc aut ſimilem intuitus ſum caſum, miratuſque fui Dominum id minimè percipere, aut ſi percipiebat, quare non reprehendebat, ac deridebat. Adulator vertit ſemper conſilii tædam & facem quò Dominus vult pergere quantumcunque cadat, etiamſi collum ſibiipſi frangat. Talem me volunt, inquit, Domini mei, &
D talem me habebunt. Per Deum: voluntati eorum non contradicam, etſi ſciam mala hinc ventura, ſint eis, ſint eorum populo. Quarè eorum incurrerem indignationem? *Indignatio Principis mors*. In Dei nomine, noli mori Martyr, ſed Confeſſor potiùs, excorient, rodant, expolient, quid mea refert, modò prædæ partem habeam, aut commodum inde reportem? Audite, Domini, quid dicat adulator. Creditis eum ludere? proculdubiò ſic agit, & pejus. Inflat Dominum qui eum auſcultat vento

to vanæ laudis. Propter quod Dominus stolida repletur opinione, & de se mira judicat, cùm solum ventus sit; quemadmodùm cum tria pisa in inflata sunt vesica, acus unius acuties omnem ejus deprimit pompam; & ab omni eum avertit incœpto. Quis es, inquit adulator Domine? Considera modò tuam dignitatem, profectò terra non sustinet Dominum tui similem in cordis nobilitate, in probitate, in pulchris verbis, in magnis sensibus & prudentia. Alii sunt solùm bestiæ in comparatione ad te. Insuper quandoque vilipendit Dominum, & in forma ministri maledicit huic & alteri. Quid, inquit, Domine? Nimis humilis es, nimis religiosus, dulcis nimis, largus nimis, nimis pius. Quid curas de abjectis illis hominibus, aut de cappiciis subductis, aut de simulatis Religiosis? Ostende te esse Dominum. Quis es, quæso? Eges-ne alterius ope? Quis est qui te gravare posset, aut quidquam ostendere aut tibi consulere? Audite, Domini, qualis advocatus vellet Deus, ut veritas contra adulatorem Domino responderet. Cùm adulator quærit quisnam sit; te oro, responde veritas: pauper es, & misera creatura, omnibus subjecta angustiis & tribulationibus, frigori, calori, dolori, infirmitati, & necessitati mortis inevitabili. Tu es saccus plenus fimi, terræ, cineris & putredinis, quantumcunque tunicam geras, quocunque auro, argento, aut lapidibus pretiosis, aut pomposa familia sis circundatus. Quid est, quæso, caro tua quæ citò aut tardè cadaver efficietur fœtidissimum, cibus vermium. Citò erit, tibi dico, quoniam in brevi hoc tempore nulla est mora. Et si ita est, exurge paululùm, aperi oculos per adulationem tibi clausos, & considera qui Domini erant in hoc Consilio. Antè quatuor aut sex Annos ab hominibus honorabantur, unusquisque eos timebat, unusquisque eis adulabatur, in tantum, aut plus quàm tibi. Sed considera ubi sint modò: *dormierunt somnum suum*. Ps. LXXV. 6. Egerunt personam suam. Mors in momento superavit eos, & sepulti sunt. Quid proficit eis superbia? Quid proficit, si oppresserunt, & ad dolorosa tormenta minorem populum (ut adulatoribus placerent) perduxerunt? Adulatores transferent te, de terra corpus; & animam, si cecidit, de inferno? Verè cecidit, & tu posteà eam, nisi Dei misericordia per pœnitentiam ponat, aut posuerit remedium. *Terra, terra, terra, audi sermonem*. Jerem. XXII. 29. Et quis est ille? *Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus sicut flos campi; fenum aruit & flos cecidit*. Isa. XL. 6. Considera benè, quòd adulator infernalis inimici est Presbyter, qui canit Vigilias illis qui mortui sunt per peccatum, sepulti per malam consuetudinem, fœtidi jam per malam famam, cooperti durissimo, ac ponderoso indurationis cordis lapide, parati ut in inferni sepeliantur cœmiterio; malum cœmiterium profectò. Dicit adulator in suarum Vigiliarum principio: Placebo Domino, sed valdè malè continuat, quia non est in regione vivorum. Quid amplius de adulatoribus dicemus? Adulator est solùm verborum intricator. Et cùm ad veritatem dicendam ventum fuerit, per verba duarum facierum exitum quærit, per amphibologiam, per evasionem subtilem, & astutam; per conveniens aliquod diverticulum omni vento se coaptat, dissensiones suscitat, ut pacem facere videatur, semper est in consonantia, secundùm responsum vulpis quod dedit leoni, benè novit simiarum exire cameram, & fatui formam accipere, ut pacem habeat. Est mala cornicula, quæ magnorum Dominorum oculos eruit, vel eos velat, & cum eis ludit infidelitatis ludo. Adulator, ut omnem cumulum mali dicamus, est finaliter bonæ prudentiæ valdè contrarius. Quarè? quia falsitatem introducit, & ne veritas per alterius consilium manifestetur huic qui se omnium sapientissimum judicat, impedimento est. Sed ad cujus judicium? Adulationis.

Tanta sufficiant de malis conditionibus hujus homicidæ proditoris, mendacis adulatoris, contra quem quatuor ponemus Considerationes.

PRO PRUDENTIA.

Consideratio Prima.

A UNUSQUISQUE Dominus se in opere, & verbo talem ostendere debet, cui quis audeat dicere veritatem, sive sit ad laudem, sive ad suum vituperium; sit in occulto, sit in publico; est doctrina sancti Ludovici ad filium suum. Aliàs si Princeps dicat: Loquimini nobis placentia; aut si odio habet eos qui veritatem dicunt, sicut Achab de Michea: *Odio*, inquit, *habeo eum, quia semper mihi mala nunciat*. Profectò actum est de tali Principe, perditus est in corpore, in anima, & in fama: Ideò dicit Sapiens, quòd *Princeps, qui audit libenter verba mendacii, omnes ministros habebit impios*; Prov. XXIX. 12. sive enim sit jure, sive injuria, semper dicunt: *Dominus meus benè dicit, jus habet*; & perditur omnis liberè loquendi, & consulendi libertas. Nihilominùs Cato major assignat principalem causam exaltationis Romanorum, quia *erat*, inquit, *animus in consulendo liber*. Dominus agens secundùm adulatoris consilium non excusatur, si res malum sortiatur B effectum.

Consideratio Secunda.

PRINCEPS non solùm consilium petere debet, sed illi credere, & exequi, & id tenere secretum; aliter enim videretur irrisio, aut curiosè factum, petere consilium, & non exequi, ad exemplum Achab, qui ad instigationem Josaphat à Michea consilium petiit, & eum bis, aut ter per juramentum conjuravit, ne quicquam præter veritatem diceret; Micheas illi visionem Dei revelavit; tunc Achab iratus est, & eum in carceres intrudi jussit, & pane doloris, aqua quoque angustiæ sustentari. Tota historia ad nostram conducit instructionem in 3. *Reg. ult. cap.* Sic Princeps in se habet quod dicit Terentius, *Natura sic esse, ut clariùs alterius factum, quam nostrum intueamur*. Facillimè quisque in proprio facto cæcus est, aut per iram, aut per odium, aut per propriam affectionem. Plura etiam vident oculi multi, quàm unus solus. Quid de sensu unius solius est hominis? Propterea dicit, & præcipit Sapiens, omnia agi consilio debere, & nunquam quisquam pœnitentiâ ducetur. Assuerus (sicut legimus C in libro Esther) semper septem habebat sapientes, ad exemplum septem sapientum Prædecessorum Romanorum, quorum consilio omnia agebat. Ad hoc confert quod dicit Homerus de sole hunc mundum inferiorem gubernante per consilium certè septem signorum. Dicit Salustius *Diu consultandum esse & opus citò exequendum*. Quoniam de illis qui consilio non credunt dicit commune proverbium: *Consilium in proprio capite minimè esse portandum*. Cur? Quoniam omne malum ad Consiliarios reflectitur, quantùm ad hominum æstimationem. Nam quantumcunque benè consulant, & veritatem; semper dici solet, est malum consilium quod ei datum est, quod omnia facit. Sed quid est interdùm bonorum consiliorum impediens executionem? Reverà id in causa est, quòd D secreta non tenentur. Semel in publica mensa, in qua antiquus sedebat Rex, mihi dictum fuit per quemdam Dominum, & postquàm consilia benè data fuerunt, nescio qui famuli, & nullius pretii, aut reputationis homines, vesperi, & manè omnia destruebant. Et quomodò id fieri possit, si consilia secreta forent? Secretum est fortissimum, & optimum contra omnes Ruipublicæ adversitates remedium, ut dicit Valerius Maximus *Lib. 2. cap. 1.* recitando Regem Persarum Romanis rebellem fuisse, qui citiùs in bello victus fuit, quàm Romani extrà Senatum existentes, quomodò ejus rebellio denunciata fuisset

fuisset agnoscerent. Ex hoc facta est ordinatio, ne pueri Consilia intrarent præter Papirium, qui ea benè noverat Matri suæ celare. Dimitto historiam, Quintus Fabius dicebat, quòd si camiseam, sive indusium suum secretorum suorum contra Hannibalem sciret esse conscium, confestim se illud dimissurum. Novit Dominus, si consilia Francorum sinapis sequantur clamorem, & per urbem decantentur, quantumcunque secreta fuerint.

Consideratio Tertia.

TALES ad Consilia vocari deberent, qui timerent Deum, & periculum propriæ eorum conscientiæ, & qui bonum commune privatæ, & propriæ præponerent utilitati. Aliter enim nunquam veritatem dicent absque timore, aut favore; nec seriosè mala populi, & oppressiones, aut quod displicere possit allegabunt; sed suos vertent humeros, & tacebunt: aut profectò, quod malum est, loquentur homines sanè sine fide, & sine lege, avari, ambitiosi, quibus non est curæ undè quicquam veniat, dummodò habeant; homines etiam præsumptuosi stoliditate aut juventute, nequaquam bonum constanter dabunt consilium. Qui ad Deum supremum suum Dominum, & ad seipsum fidem non habet, quomodo alteri eam servabit? *Qui sibi nequam, cui bonus?* Eccli. XIV. I. Nota in historia tripartita exemplum quo pacto Constantinus fidos suos probavit amicos: proclamari jussit quòd omnes volentes Christianæ renunciare Fidei, boni sui futuri essent amici, & Consiliarii proximi; alii autem ab eo egressuri. Multi mox Fide renunciarunt. Alii verò Fidem servando recesserunt. Constantinus suam mutavit sententiam, retinens fideles Deo, & Deo infideles expellens ait: *Si Deo Fidem minimè servatis, quæ spes mihi relicta est, ut mihi fideles sitis?* Juxtà hanc considerationem valdè videretur expediens, ut de principalioribus Regni partibus nonnulli vocarentur, & audirentur, tàm Nobiles, quàm Clerici, & Cives, qui liberè miserabilem statum patriarum suarum exponerent, quia multò meliùs noverunt per conquestum, & experientiam, quàm hi qui jucundè Parisiorum inhabitant domos, ubi totius Regni est pinguedo, & ubi vita sese ad cor retrahit: plus movent ea quæ evenerunt, & quæ homines senserunt, quàm quæ solummodò auditu percepta sunt. Debet etiam Regis filia in hoc casu benè audiri, & ei fides adhiberi, quoniam parentes tantorum scholasticorum ex omnibus finibus confluentium, & consequenter ipsi scholastici (ut scire potestis) benè hæc sentiunt. Est etiam verum quòd adulationis vox allegari non deberet per hujus Regni Consiliarios. Quæ vox? Est, quòd sufficit esse Confessores absque hoc quod sint Martyres. O adulator, qui ita loqueris; noris, Galliæ Dominos non tales esse tyrannnos, ut veritatem dicenti martyrium inferant, nec dignus es ut Martyr evadas. Archiepiscopus Rhemensis qui me ordinavit, dictam jam dedit responsionem cuidam Franciæ Domino: *Nec excusati sunt Rhemenses Consiliarii, qui loco, & tempore veritatem per fictionem subticent.*

Consideratio Quarta.

BONA prudentia exigit, ut accusationes clàm per adulatores factæ, aut ut alteri nocumentum inferatur, aut ut quis bonus famulus, vel Domini apparet amicus, aut propter stolidam complacentiam, mox rejiciantur, quod securius est: nec eis fides adhibeatur ulla absque hoc, ut pars altera audiatur. *Dura res est*, ait sanctus Bernardus, *aliter agere*; qui tamen tempestate sua magnos ignorabat Dominos, & ab hac macula non erat coinquinatus, quæ nihilominùs causa omnia generat mala. David qui adeò bonus erat, & sapiens, per falsam Sybæ relationem contra Magistrum suum Miphiboseth deceptus fuit. 2. *Reg.* XVI. & XIX. de hoc Lyra tangit. Fui in Curia & scio quòd per tales occasiones potestatem habent vilissimi, & nullius pretii homines, optimos Domini amicos in indignationem ejus ponere absque ullo remedio, quia indignatio celata excusari, & sciri non potest. Et cum sic sit, quòd in certis casibus nunquam per Dominum ipsum talis revelaretur accusatio,
A Causam subticeo. Hæc consideratio locum habet in materia Fidei, & bonæ doctrinæ, ut nunquàm credatur homini, quantumcunque docto, aut probo, si non audeat in publico dicere quod in tenebris, & in secreto profert, & interdùm irrisionis, & joci modo. Fides ludum non habet, & veritas lumen amat, vultque benè examinari. Et antè omnia unusquisque Rex, aut Princeps Christianus cavere debet, ne per tales informationes in aliquos contrà nostram Fidem, & sanam doctrinam incidat errores, se in factis suis justificando, aut, alio quovis modo, qualiscunque fuerit per humanam fragilitatem peccator. Nullum enim est peccatum quod adeò Regem, aut Principem Deo displicentem reddat, & infamem mundo, usque ad persecutionem ejus per ignem, & gladium, secundùm Leges divinas, & Ecclesiasticas. * Si per talem considerationem prudentia in Consiliariis benè conservetur contra mendaces
B adulatores, magnum est adjumentum ad conservationem Regis, & vitæ suæ civilis. Quoniam Rex sine prudenti consilio, est velut caput in corpore sine oculo, sine auribus, & sine naso.

* Cave ab hujusmodi doctrinâ, à qua Joannes ipse posteà recessit.

DE DELECTATIONE VOLUPTUOSA FORTITUDINI *Contraria.*

EST necesse, cum Consiliariorum prudentia militum fortitudinem, & constantiam adesse, ut exequatur per potentiam quod deliberatum est per prudentiam: alioquin Rex est veluti corpus sine corde, & brachiis. Sed heu! delectatio voluptuosa maledictus stipendiarius peccati, spurcissimi quidem tyranni, qui guttur osculando abscindit, & amplexando occidit, potum administrando intoxicat: sicut Joab nimis pulchram hanc virtutem inquietat, militiam impugnando, quia non est tam fortis, tam constans, tam agilis, tam virtuosus commilito, quem delectatio non debilitet; & si se substernat, devastet. Ipsa est fons Salmacis, in quo, secundùm fictionem poëticam unusquisque vir balneans media efficitur femina, aut fœmininus hermophroditus. Ipsa est rete ex subtilibus ferreis telis à Vulcano confectum, ad illaqueandum Martem cum Venere, ad irri-
D sionem ipsius Veneris grandem, fortitudo scilicet cum delectatione. Et quomodò Troja magna destructa est? Per voluptuosam complacentiam in Helena. Per quid perdidit Tarquinius, & tota ejus soboles Romanam dominationem? Per delectationem voluptuosam Lucretiæ. Progenies Benjamin, per quid quasi tota destructa fuit? Per voluptuosum appetitum. Quinque civitates, & tota circumjacens regio, quæ anteà paradisus terrestris apparebat, per quid cœlesti fulmine perierunt? Per fœtidum, & vilem appetitum voluptuosum. Hannibal, Antonius, Alexander, Samson, David, & alii victoriosissimi milites, cùm

cùm primùm voluptas otiosa, & acediosa, eos amplexa est, perdiderunt cor, & fortitudinem omnem. Sed etiam Dominæ, & Matronæ omnes, quantumcunque benè honoratæ, sæpiùs statum suum amittunt, & vitam. Semiramis, Cleopatra, Rosemunda, Medea Bruchildis Franciæ Regina, & aliæ sine numero Dominæ sunt in exemplum. Princeps quidam Romanus audivit quosdam Athenienses Philosophos eam doctrinam dare ut voluptatem omnes sequerentur; quod ille vehementer admiratus est, & omnibus adversariis Romanorum eam doctrinam est imprecatus. Qua de causa? Quià sciebat, mox eos debiles futuros, & fastidiosos, facillimèque eos superari posse. Sed delectatio voluptuosa ut magis attrahat, & decipiat, facit taliter, ut boni umbram latenter induat. Propter Deum oro, Ingenui viri, noliliter fidere. Dicit Juvenalis, nihil in divite secretum esse.

Secretum divitis nullum esse putes.

Confestim omnia sciuntur, omnia his plena sunt. Exemplum de Mida, quem ejus famulus asininas aures habere celare non potuit. Experientia docet, servitores omnia dicere quæ ab eis petuntur; immò verò si nullus eos audire vellet. Est mala eorum conditio, libenter detrahere. Est id per quod volunt agnosci Dominis esse proximi, & faciunt quandoque eorum servitores quemadmodùm Actæon corrosus, & dilaniatus à suis est canibus, quamvis proprius eorum esset magister. Est etiam de malo homine in altum statum elevato sicut de homine, qui scalas ascendit altas, mitram gerens in capite; quantò plus cognoscitur, tantò magis ab omnibus digito ostenditur, & irridetur, & venit mox in Sardanapali exemplum, qui propter tales voluptates Regno privatus est per Præpositi sui invidiam, qui eum delitiosè nimis inter feminas viderat conversari. Propterea dicit Aristoteles, cautelam d. ndo tyranno, ut factum suum continuet, ne se delectationi voluptuosæ dedat: aliter enim continuò flocci penderetur. Et sumemus aliquas considerationes contrà delectationem voluptuosam pro fortitudine & constantia in militibus, loquendo aliqualiter sicut Clericus de armis, ex lectura, & auditu potiùs quàm per experientiam.

Consideratio Prima.

MILITES exercitati sint & instructi à juventute sua in pœnis, & laboribus, & bellandi exercitiis, tàm per experientiam, quàm per scientiam Chronicarum, Historiarum, præclara veterum facinora. Si juventus delicatè fuerit enutrita, quid in senectute faciet? Manus molles & teneræ difficulter tenent gladium, & caput comptum ac calamistratum malè gerit galeam. Saül, Gedeon, David, Cyrus, Alexander, & alii probati, & validi laboriosissimam habuerunt juventutem, ut per hoc magis exercitati, & in armis essent valentiores. Ad quod utilissima est consuetudo à juventute, adeò quòd ob talia in laboribus exercitia evenit quòd homines rurales, & pagani, aut opiliones, sunt nonnunquam in præliis plerisque militaribus fortiores. Propterea accidebat, ut Romani vocarent aliquem ab aratro, qui eorum esset Imperator: benè quoque illis contingebat. De hoc loquitur Vegetius, & Valerius. Per quod apparet quòd tales homines non sunt omninò à pulchris bellorum facinoribus repellendi, quòdque juventus non debet otio esse dedita, aut delitiis affluens. Bonæ insuper instructiones in antiquorum factis audaciam generant. Faciliusque fit quod quis scit benè se didicisse. Nos scimus, quòd per unum stratagema, hoc est, per unam belli cautelam, sicut per unum sophisma in Logica, aut per unam inventionem seu ordinationem subtilem, de quibus loquitur Frontinus in Libro suo, & Valerius, decem homines armati vincerent centum, & centum superarent millia. Omitto Epaminundæ contrà Xerxem historias, & aliorum plurium. Ideò dicebat Scipio Africanus, quòd bellum incipiendum est minimè ab eo qui taliter rem ordinare nescit, ut aliquid melius, sive prærogativam majorem, quam inimici sui habeat; aut si necessitas
A non cogat, ad defensionem festinantem compellat. Hic reprehendendi sunt hi qui parvipendunt, ut nobiles pueri è Libris, aut ex doctis addiscant Historias, aut præliorum Chronicas. Mihi quidem videtur, nullum debere esse Principem, aut aliorum Dominum, qui non pro se, suisque filiis Librum de regimine Principum, aut aliquem consimilem, in usu, & manibus familiariter haberet.

Consideratio Secunda.

MILITARIS status in frugalitate conservetur, omnis in omnibus hoc est dictum, mensura, & mediocritas absque luxu, & superfluitate, sit in vino, ferculis & vestimentis quæ possunt vertere corpus, & animum ad lasciviam, pigritiam, & delectationem voluptuosam: qui se adeò vino, aut cibis replet, ut vacillet, aut in lutum cadat, quomodò firmus esset
B contrà lanceam, aut mucronem; qui ad dulcem unius cicadæ sonum evigilare vult; quid faciet ad horribilem unius tubæ sonitum? Si tunica ad duos pedes post se in terra trahatur, & manicæ à sinistris amplæ sint, equi quoque ipsi dimidii pedis sint longitudinis, quid proderit omne illud ad vigorosè hostes persequendos? Dicebat Marius, quòd tales parvæ munditiæ, & superfluitates Dominabus, & Domicellis congruunt; pondera verò & labores, viris. Augustus Cæsar, Carolus Magnus, Cato, Fabritius, & multi alii probati viri valdè sobrii fuere, tam domi, quàm in bello, in tantum, ut eorum aliqui non nisi eundo, & redeundo manducarent, panem quidem manu gestantes: non assidebant tribus horis mensæ, nec exquisitè præparata manducabant. Princeps quidam Romanus, Metellus nomine, cum contrà Jugurtam esset pugnaturus, expulit domo aquarum latores, & prohibuit ne quicquam cocti venderetur, præcepitque unicuique militi, ut sine famulo esset,
C & sine equo, suum quoque cibum, & arma ipse portaret. Clausit castra, & exercitum suum fossis, veluti si jam Jugurta præsens foret, propter quod victores extiterunt. Non trahebant post se tres aut quatuor Saumarios, seu quadrigas onustas tunicis, ornamentis, tapetis, caligis, calceis, subtentoriis telis. Non ferebantur post eos ferrei furni aut stanneæ fornaces, ut parvas facerent pastas, aut placentas; tale onus quid valet nisi ad impediendam celeritatem, seu festinationem. Et optimum lucrum est inimicos aggredi, & adoriri improvisos: ibimus ad securos. Julius Cæsar, & bonus iste stabularii Comes du Guesclin cognominatus, lucrabatur omnia per istam celeritatem. Sed exercitus aliquis portans sarcinas, & pondera sua instar testitudinis, aut tortusæ, quomodò festinaret?

Consideratio Tertia.

D IN militari statu antè omnia disciplina servetur. Generatur per disciplinam Principi, aut Capitaneo obedientia, absque hoc, ut quisque proprium velit sequi desiderium, aut delectationem voluptuosam. Salustius quærit, quam ob causam Romani mundi Monarchiam conquisierint? Per fortitudinem? Non: nam ut dicitur, Galli fortiores fuerunt, & in militia magis exercitati. Per audaciam? Non: quia Romani fuerunt timidissimi, plusquam alii. Concludit ergò, quòd id eis dedit militaris disciplina. Talis, inquam, erat disciplina, ut sæpiùs hic puniretur qui Capitaneo suo minùs obediret, quàm qui ad inimicos con-

confugeret. Posthumius Torquatus proprium occidit filium, eò quòd contra præceptum ejus duellum susceperat contra Gallum quendam, solus contrà solum, quamvis eum superasset. Similiter alius quidam Posthumius filio suo fecit. Nonne Saül proprium filium suum Jonatham occidere voluit, ideò quòd contra Edictum suum (quod tamen non audierat Jonathas) pauxillum mellis gustavit? Timeo, ne multò aliter apud Gallos sit disciplina servata, immo verò devastata. Cleacus Lacedæmoniorum Dux, cùm bellum iniret, suis dicebat: *Plus timete*, inquit, *Capitaneum vestrum, quam vestros inimicos.* Et reverà exercitus sine obedientia, quantùmcunque copiosus, non est nisi turba quædam hominum ad mortem, & omnem occisionem deditorum, quemadmodùm oves sine ordine & pastore.

Consideratio Quarta.

AD auferendam omnem statum militaris occasionem ne se delectationi voluptuosæ jungat; armigeri, & stipendiarii sua recipiant salaria, ut benè satisfacere possint pro his quæ ab aliis accipiunt. Hoc enim est sancti Joannis Baptistæ præceptum. *Contenti*, inquit, *estote stipendiis vestris, & neminem concutiatis.* Luc. III. 14. Si persolutio deficiat armigeris, si nihil solverint; se de persolutione excusabunt, expoliabunt, & furabuntur, maximo cum detrimento, à pauperibus hominibus. De alterius corio largæ corrigiæ. Deinde eos invadit voluptuosa delectatio. Sed quid accidit pauperi populo? Ut ante eos fugiant necesse est, quemadmodùm oves coram lupis. Nonne melius esset populo absque defensione esse, quàm tales habere protectores, immò expoliatores? Profectò non est lingua quæ sufficiat miserrimam hujus negotii describere indignitatem. Supplico, ut benignissimus, & piissimus vester animus peragat in misericordia, & compassione hoc quod nunquam quibuscunque verbis aut lamentatione, exponi posset. Heu miser aliquis homo, si etiam satisfecerit taxæ suæ, suæ impositioni, suæ quarto semper solvendæ Anno exactioni, calcaribus Regiis, cincturæ Reginæ, theloneis ad fluvios solvendis, & quibuscunque aliis exactionibus, parum illi remanebit: nihilominùs restat adhuc alia exactio. Venient enim satellites arripientes ollas, & patellas: miser homo nihil habebit ad manducandum, nisi fortassis modicum siliginis, aut hordei. Misella uxor audiet quatuor, aut quinque parvos pueros apud furnum, si furnus adsit calidus, qui quærent panem, clamabunt ut rabidi præ fame. Misera mulier nihil habebit quod dentes eorum conterant, nisi sit paululum panis habentis salem. Sufficere profectò deberet hæc miseria, sed venient raptores, omniaque quæ invenient rapient, fortassis unam gallinam, aut quatuor pullos ejus, quæ egena uxor nutrierat vendenda, ut reliquum exactionis posset persolvere, aut aliquam aliam exactionem superventuram, omnia capientur, & absumentur. Quærite quis solvet? Et si vir, aut uxor aliquid dixerint, vilipendentur, arguentur, & injuriis afficientur. Quid si jure eorum velint prosequi persolutionem, dietas amittent suas, & duplum debiti exponent, & finaliter nihil obtinebunt, nisi fortassis schedulam unam continentem, quòd tanta summa debetur tali. Ita dicit alius, & debebitur. Quid vobis videtur, potestne pejus bono illi homini contingere? Certè adhuc restat gravius: verberabunt armigeri, nec contenti sunt nihil capere ubi nihil est, sed minas injicient verbis, & opere, virum cum muliere percutient, aut domum igne consumunt, nisi eorum loculos repleant, & pecuniam extorquent quacunque injuria, nisi etiam vina & cibos ministrent. Taceo de uxorum, & viduarum oppressione. Videretur fortassis parum, eò quòd solo de uno homine sermonem feci. Credite, Domini, adeò certè sicut mortem, quòd sunt mille, & mille, & plusquam decem millia qui, per hoc Regnum, pejora quàm dixi, sentiunt, & senserunt.

Provisio moralis super illo quod dictum est. Altissimi & excellentes Domini, ad hæc verba nobile vestrum cor penitùs benignum, non dubito ad compassionem jure optimo versum, & affectum esse. O
A Deus, quid contingeret, si oculis intueremini horribilissima, & crudelissima facta, eo quo fiunt modo; non credendum est, quin festinantissimè, antequam unquàm somnum altum caperetis in lecto, de remedio provideretis. Hæc incommoda non fiunt vestris jussis, scio; sed non sufficit erga Deum, & rationem. Parcite, si liberè loquor; non sufficit, inquam, nisi hos malefactores realiter, efficaciter, & de facto impediveritis. Quidam benè dicunt famulis suis, cum de eis fiunt querimoniæ, nihil attuleris; sed interiùs aut in occulto alia verba dicent: rape omnia. Heu qualis servitus est subjectorum aliorum, si hæc sit libertas. Ubi est pulcher ille Regis titulus: Rex Francorum? Multis in locis hujusmodi titulus, ut mihi apparet, deletus est. Solet dici de quibusdam patriis per tyrannos gubernatis, quòd opprimant, & subjectos eorum explument; sed residuum securum
B est, & benè servatum, taliter ut nemo sit qui sub capitis pœna pullum, aut gallinam unicam auderet auferre. Nunquid res tolerabilior est subjectis, quàm cum nihil tutum est, nec in corpore, nec in bonis, nec in conscientia; quia timida cura, tremebundus timor ne spolientur per Principes, aut armigeros, eos afficit gravissimo, impatientissimo, & doloroso tormento, ut nostro tempore plus sint qui desperarint, & sese occiderint. Deus! Qualis horror se occiderunt, unus per suspendium, alius per submersionem, alius cultro cor suum perforando. Heu quid respondere poterunt in districto Dei Judicio hi qui perditionis talis Christianorum in corpore, &, quod pejus est, in anima (nisi Deus suam eis impartitus est misericordiam) occasionem dederunt? Si Deus his misericordiam non impartiatur, qui misericordiam non fecerint? Qualem rigorem his ostendet qui talem procuraverunt crudelitatem? Tu ea non agis mala;
C verum est: sed ea fieri permittis, & suffers. Sic Deus judicabit justè contrà te, & dicet: non te puniam, sed infernales diaboli te cruciabunt, eos ego non impediam, quia malum pro te esset. Nunquid mirabile est, quomodò homines, qui nihil Fidei, nihil Legis, & nihil conscientiæ habent, non cogitant, qualem absolutionem habere, aut qualem satisfactionem facere in prædictis possent casibus. Non est adeò sapiens Confessor, quin quandoque dubitet de hujus rei exitu. Deus provideat. *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.* Necesse est restituere, aut perdere: quod Samuël verbo & facto demonstravit evidenter. Hìc fundo, & sumo duas factas petitiones; unam pro conservatione status Regii, & alteram prò defendenda contra inimicos Regni Justitia. Si Regi sint pauperes & pauci subjecti, quid sibi proderit dominium in subjectos? Et subjecti quid prosunt, nisi ut Rex & ipsi vivant justè. *In multitudine populi dignitas Regis.* Prov. XIV. 28.
D Quantas familias existimatis Regnum hoc reliquisse per talia opprobria? Quantæ mortalitates in filios, viros, & bestias acciderunt propter nutrimenti carentiam. Ea quæ laboranda & colenda essent, absque labore & cultura dimittuntur. Miserum est ea cognoscere: pauperes enim non habent undè seminent, aut nec equos, nec boves habere audent propter Principum & armigerorum timorem; aut ad laborem parum afficiuntur, quoniam eis nihil relinquitur; nec filiis eorum per quos antiqui jam parentes sustentari, & adjuvari deberent: continuò abeunt. Malumus, inquiunt, tempus terere frustra quàm absque fructu laborare: necesse est interdùm homines senio confectos aratrum trahere, cum potiùs requiem

quiem habere deberent optatam. Et quid ultrà? Senes nobiles magnos reditus habentes ab his persolvi non possunt, quoniam egeni sunt nimiùm; *Ubi nihil est, Rex jus suum amittit.* Ecclesiastici quoque id optimè sentiunt. Pauperes mendicantes præ fame ut rabidi clamant, quia eis nihil administratur. Id videtur in quocunque statu ad oculum. Per prædicta, Regalia ædificia, & Reipublicæ, castra, pontes, munitiones, molendinæ omninò deperduntur. Et quantùm ad factum præliorum, judicate per ea quæ dicta sunt, quòd fideles subditi magis gravantur armigeris, quàm Regnum ab inimicis. Deus de sua gratia breviter remedium ponat, vobis Nobilissimis & Excellentissimis Principibus mediantibus, ut Rex vivat vita civili, & politica. *Vivat Rex.*

DE INSIDIATORE RAPACE,

Et suo conatu, contra REGIS VITAM CIVILEM.

Declaremus in sequentibus perfidum rapacis insidiatoris conatum; id enim valdè expediens est. Quis enim eum permittat, cum fatiget, subvertat, & expellat pulcherrimam illam tertiam virtutem Justitiam, pulchriorem, & mirabiliorem, secundùm dictum Aristotelis v. *Ethicorum*, quàm sit diurnus Lucifer. Et sine qua, dicit Augustus IV. *De civitate Dei. Regna non sunt nisi latrocinia.* Ad hoc applicari posset de Diomede latrone marino, sive pirata, historia, quem interrogavit Alexander, quare spoliaret eos qui mare navigarent? Respondit liberè; sed tu quare totum spolias mundum? Ideò dicor *pyrata*, quia solùm parvam habeo naviculam; & tu qui habes magnos spoliandi circuitus, *Imperator* diceris. Eam considerationem habuit bona illa mulier, quæ ait, magnos latrones hos esse qui parvos ad suspendium ducerent. Hìc sumitur punctum reformationis Justitiæ in hoc Regno. Quoniam sic dicit Sapieus: *Regnum de gente in gentem transfertur propter injustitias.* Eccli. x. 8. Nullum est malum, quin quandoque appareat. Capiemus igitur quatuor contra rapacem insidiatorem pro Justitia considerationes.

PRO JUSTITIA.

Consideratio Prima.

Sicut nec debet Justitia, nec potest vendi; sic Officiales, aut Officiarii Justitiæ, pretio, argento aut rogationum violentia institui non debent; sed per probitatem, & sufficientiam. Quomodò venderet Justitiam ille qui adeò carè emit eam? Ipsam mihi credite vendet, & cavebit ne quicquam perdat. Nulla est cautela, nec malitia quin eam inveniat, priusquàm perderet. Jura politiæ applicabit, & judicabit nunc hac, nunc illac, & lancis, vel stateræ ponderosius auferet Jus. Non posset die uno, non mense recitari afflictio injusta quæ propter illam causam pauperibus accidit hominibus per dietarum amissiones, per defectus inventos, per emendas, per Procuratores, Advocatos, Promotores, per violentam satellitum extorsionem. O qualis animarum casus, & qualis illa curatio! Intrabunt domum, nec quicquam erit quin iterùm atque iterùm subvertatur bis, aut ter in die, quoadusque cum adversario compositio facta sit: quod contra Dei ordinationem est in antiqua Lege, qui nolebat hominem proximi sui domum intrare ut acciperet vadia & videret ejus pauperiem, sed ad ostium expectare deberet. Accidit insuper nonnunquam, expensas principale ipsum excedere. Sed an excusandi sint hi qui tales instituunt perfidos Officiarios, avaros, & ignaros? Certè non. Deus in Lege sua; & antiqui boni Domini voluerunt benè aliter Justitiam observari. Rex Cambises Præpositum habuit malè judicantem, quem excoriari præcepit, & pellem ejus Justitiæ sedi affigi, & filium ejus in ea sedere, ut memoriam haberet ne falsam exerceret Justitiam. Contrà tales loquitur Sapiens, Sap. 6. *Cum essetis ministri regni illius; nec rectè judicastis, nec* A *custodistis Legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis; horrendè, & citò apparebit vobis.* Et Ezech. XXXIV. & alibi pluries.

Consideratio Secunda.

Quemadmodùm misericordia fieri debet humilibus subditis; sic pariformiter justitia contrà perversos exerceri debet, ne per eos boni onerentur, & devastentur. Hoc est verbum Virgilii in Romanorum laudem:

Parcere subjectis, & debellare superbos. Æneid. 6.

Dicebat Cato Rempublicam benè se habere non posse, nisi inter bonos, & malos discrimen fuerit. Inimici familiares plus nocent, quàm extranei, & ideò potiùs sunt extirpandi. Nunquid habemus de pluribus Principibus, qui, ut Leges eorum B contrà malefactores defenderent, Justitiam in seipsos, & eorum filios exercuerunt. Carmides Legem instituerat, ne quis Forum cum gladio adiret. Longo post tempore cum Foris veniret, gladio succinctus erat, & absque advertentia Forum intravit. Lex ejus illi ostensa fuit. *Tenebo*, inquit, *eam*, & mox sese occidit. Zeleucus filium habebat unicum, cui ob demerita oculi erant eruendi; liberum tamen eum alii dicere volebant. Pater autem judicavit quòd ipse filius unum oculum esset perditurus, & Pater pro filio alterum. Archiepiscopus quidam Angliæ vestitus erat ad Missam celebrandam, cum sibi subditi sui tunc narraretur maleficium; à Missa celebranda expectavit, donec justitiam exercuisset: *Debeo*, inquit, *justitiam Deo, & prius eam persolvam.* Comes quidam erat in lecto mortis, & audivit filium suum quamdam violasse filiam, quem & vocavit, & occidit. Presbyter cum esset Sanctum recepturus Sacramen- C tum, illi conscientiam formabat. Respondit Comes non se filium occidisse, sed suum maleficium & Legem Justitiæ observasse. Audivi de quodam Comite, qui etsi perversæ esset vitæ, acriter tamen subditorum puniebat delicta. Et cum ab eo quæreretur, quare in aliis puniret quod ipsemet faceret. *Sufficit*, inquit, *mihi ut damner pro meis malis, absque hoc quod pro alterius malis pariter sim damnandus.* Qui malefactores à malis non prohibet, estne culpabilis in his quæ perpetrant malis? Ita, ita.

Postulabatur à quodam Rege Franciæ venia pro homine quodam, qui alium occiderat. Dedi, inquit, veniam eidem priùs in simili casu, propter eà casum illum ulteriorem veniam non mereri. Quare, ait fatuus quidam assistens? Verè parcendum est illi, quia homicidium hoc postremum tu fecisti. Vade fatue, inquit Rex, nescis quid dicis. Quomodò ego eum occidissem? Dicam tibi respondit fatuus: Domine, si D de priori, inquit, maleficio justitiam fecisses, modò hoc non commisisset homicidium. Fuit sapiens fatui dictum, etiam si ipse unus è septem fuisset sapientibus. Et dictum hoc nostra probat consideratio.

Con-

Conſideratio Tertia.

JUSTITIÆ Officiarii multiplicandi non ſunt, nec ſæpenumerò mutandi. Cùm Officiarii multiplicantur, unuſquiſque ſuam aufert portionem, in penſione, in donis, in exactionibus, ut ſuum ducat ſtatum. Quid prodeſt, Regem centum habere Camerarios, & totidem cameræ famulos, & ſine numero Secretarios, & ſic de aliis Officiariis? Eſt honorificum, dicit quiſpiam? Verum eſt, ſed honor iſte ſemper emitur à Rege. Audiviſtis-ne de bona matrona, quæ Aurelianenſes vidit ſtudentes, quæ quæſivit quidnam facerent? Reſponſum fuit illi, eos ſtudiis operam dare, ut eſſent Judices, Advocati, & Procuratores. Heu, dicebat illa, ſolùm eſt unus in patria noſtra Procurator, & fermè tota patria deſtructa eſt: quid fiet de tam ingenti caterva? Hoc eſt quantùm ad Juſtitiæ Officiarios, quantùm ad hoc quod eſt eos facilè mutari. Ad id conducit quod recitat Ariſtoteles *in Rhetoricis*, de homine variis undique plagis cruciato, & propter ſanguinem omninò muſcis coopertum; quidam miſertus eſt ejus, & muſcas omnes ab eo fugavit. Qui conqueſtus ait: *Novas venturas muſcas prorſus famelicas, quæ plus prioribus ſugerent, & eum gravarent multò aliis fortius.* Acerbus eſt muſcæ macræ morſus. Verum eſt Imperatorem quemdam Officiarios ſuos (ut eis uteretur veluti purgamine aut ſpongia) nutriviſſe: ipſe enim ab eis auferebat omne quod collegerant, eos incarcerando, aut aliter affligendo.

Conſideratio Quarta.

HONORETUR ſuprema Juſtitiæ Curia taliter, ut ejus Sententiæ & Areſta ſine violatione ſerventur, aliter omnis eorum juſtitia flecteretur, tremeret, & caderet; alioquin principalis vitæ civilis ipſius Regis cuſtodia deperiret. Nihil eſt quòd magis Dominium ſervet Regale in ſuo vigore, qualecunque perſonale Rex habeat impedimentum, quàm Juſtitiæ conſervatio, Rege ſive præſente, ſive abſente. Et ſi fiant defenſiones Regni, potuiſſet inſtitui una talis certa Lex, ut cito occurreretur inimicis vitæ civilis Regis, quæ ſemper eſſet permanſura, in quocunque ſtatu vita Regis corporalis eſſet, & vellet Deus. Utinam hoc benè fuiſſet præmeditatum, ponderatum, & ordinatum! Sed eſt nimis arduum: nihilominùs tamen ipſa civilis vita meliùs plerumque ſervaretur in manibus publicis populi, ſecundùm quod notat Ariſtoteles, quàm in manu Domini; conſideratis maximis importunitatibus, & ardentibus eorum qui petunt cautelis, & Domini liberalitate, qui nihil novit abſcondere, neſcit adverſari ſuis, & cùm ad rem deventum fuerit, nihil invenitur. Velit Deus, ut ſaltem Juſtitia, abſque hoc ut infringatur, conſervetur nec pro magno, nec pro parvo; aliter enim verificaretur Anacarſis Philoſophi dictum, quòd Cauſæ & Areſta Judiciorum comparantur aranearum telis, quæ tenent parvas muſcas, magnas verò evolare permittunt. Benè ſe habebit vita civilis Regis, ſi Prudentia in Conſiliariis, Fortitudo in militibus, Juſtitia in Judicibus, quæ benè ſerventur, & manuteneantur contrà adulatorem mendacem, delectationem voluptuoſam, & inſidiatorem rapacem.

DE
STATU INJURIOSO,
ET SUO CONATU
CONTRA
VITAM REGIS CIVILEM.

A SED expediens eſt, quòd quarta, & ultima virtus germana ſoror aliarum trium non violetur, nec dejiciatur. Quæ eſt iſta virtus? Temperantia. Secundùm nomen ſuum ipſa eſt ad moderandum, & ſervandum omnia in ſemetipſa, ne quid nimis; ſine menſura omne irregulare eſt, totum in confuſionem cadit. Contra hanc virtutem totum ſuum niſum exercet quartus ſpoliator *Status injurioſus.* Verè ſpoliator eſt ipſe, quoniam nihil ei ſufficit, non plus quàm lupo prorſus famelico, nihil eum replet. Eſt niſi quæ-
B dam maris ſine termino profunditas. Eſt abyſſus ſine fine, ſine littore. Eſt Eriſtomus fabuloſus, qui ſatiari non poterat. Eſt vitium unum in figura odioſum, nimis extraneum, nimis monſtroſum, quia ex una parte omnia dat; omnia ſine menſura, regula, aut animadverſione expendit, ſeu exponit, ut ſatisfaciat hirudinibus famelicis, quæ eum omnino evacuant, die & nocte rodunt, abſque hoc, ut quietem ſumere poſſit: alia ex parte omnia per eum auferuntur, arripiuntur ſine pietate, ſine compaſſione extorquentur, quantumcumque alii pauperie premantur. Semper oportet, ut rapina ſit nutrix prodigalitatis: *Qui ſua conſumunt* &c. Hîc verificatur Joëlis Prophetia in quatuor ſuis circulis. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, reſiduum bruchi comedit rubigo.* Joël. 1. 4. Recitant Poëtæ de Polyphe-
C mo gigante, qui viros & mulieres vivos devorabat, quem Ulyſſes excæcavit. De Buſiride tyranno, qui homines equis ſuis dabat manducandos, quem Hercules occidit. De Lichaonte, qui homines diis ſuis ſacrificabat, Jupiter illum in lupum mutavit. Status injurioſus facitne heu tales, aut pejores crudelitates? Nunquid vivit ſanguine carnis pauperum? cùm eos ad anguſtiis plenam perducit mortem, per injuriam vim ſuam exercendo: ſit in cibis, ſit in equis, ſit in canibus, ſit in ſumptuoſis ædificiis, ſit in pompoſa, rabida, & furenda familia, ſine numero, ſine ordine, ſine menſura; in vanitate umbrâ eleemoſynæ, aut Religionis coopertâ. Eſt mirabiliter dura ſententia, ſed vera eſt Sapientis locutio: *Qui facit eleemoſynam de ſubſtantia pauperis, ſicut qui occidit filium coram patre.* Eccli. XXXIV. 24. O Domini mei, quid erit igitur de his qui diſſipant ſubſtantiam, non unius, aut duorum modò, ſed centum, immò mille, immò profectò centum millium in malis operibus, ſpurcis, & vilibus propter eorum injuriam. Neſcio quid dicam, aſſero quòd non eſt domus adeò firma, caſtrum tam benè fundatum, civitas tam opulenta, regnum
D tam ſtabile, potens & honorabile, quin vaſtetur, decidat, & perdatur, cùm hæc monſtroſa beſtia Status injurioſus inhabitet ibi, & manet. Exemplum in Græcis, in Romanis, & multò plus quàm vellem, in ſtatu Papæ, & Curiæ ſuæ ab Annis quadraginta, aut quinquaginta. Commune Proverbium ſapientiſſimè dictum eſt: *Qui plus expendit quam acquirit, ſine conquiſitione mortem acquirit.* Conſiderate hîc, conſiderate, ſupplico, quanta ſubleventur pro Regni defenſione in ſubſidiis, in exactionibus, conſuetudinibus, & aliis ſubventionibus, veluti ſi inimici per totum Regnum expanſi, & diſperſi eſſent, ut contra ipſum præliarentur; nec omnia hæc ſufficiant, ut communi Statui ſatisfiat, & communes expenſæ ali-

quorum Dominorum expediantur: quilibet illud clamat; secretum non est. Id quomodò continuari, aut manuteneri posset, quin nimiam tyrannidem exercendo totum rumpatur, aut dissipetur.

Sumemus ergò quatuor considerationes pro Temperantia contrà Statum injuriosum &c.

PRO TEMPERANTIA

CONTRA INJURIOSUM STATUM.

Consideratio Prima.

STATUS convenienter ab incuria, & ignavia separari debet; imprimìs in Prælatis, & magnis Dominis. Quamobrem? Primò: propter bonum exemplum, & quia secundùm Dominos populus se gubernat.

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Et *Qualis rector civitatis; tales & habitantes in ea.* Eccl. x. 2.

Nec dici intenditur, quin Domini eminentiorem, & honorabiliorem ultra alios habeant statum; id enim rationabile est: stolidum est enim minoribus, & subditis ad Dominos volare velle; nihilominùs tamen convenit sæpiùs minorum condescendere fragilitati, in speciali per Prælatos, & spiritualitatis homines. Exemplum humilitatis, & temperantiæ in Magnatum statu plus movet quàm verba. Sed inquies: Status Prælaturæ aut Dominii in vituperium, contemptum, & diffamiam eveniret profectò minimè; verùm magis honoraretur, appretiaretur, & revereretur; cum videretur id benè per humilitatem fieri, non per compulsionem. Insuper etiam, quòd per parsimoniam, & frugalitatem in bonis, & divitiis reservata in Rempublicam converterentur. Quid prodest, inquam, talis pompa, nisi ut Dominum, aut Prælatum aliquem semper in indigentia, aut paupertate vitam ducere compellat; plus quandoque quàm hos qui eorum quærunt panem? Voco eos in testimonium, quòd violentia adeò corpus aggravat mysticum tam ponderosè, ut jam fermè contritum sit, & à bona promissionis terra, per figuram, populus in tenebrosam revertatur Ægyptum duræ servitutis peccatorum, vitiorum, & vilis oppressionis, contra Legis Præceptum *Deut.* XVII. ubi præcipitur, ne multiplicentur equi & currus, ut non reducant populum in Ægyptum. Et ut verum dicatur, in omnibus est pompa. Principes, & Magnates hi sunt, qui minus habent, quibus minus remanet. Quotiens visa est Regia persona, ut ne aureum quidem habere possit, nec per preces, nec impetrationem ullam, his præsentibus, quibus sæpè per millia donabat. Taceo de supellectili, & alio statu communi. Aliàs comparavi aliquorum Dominorum statum ad id quod factum est Bel idolo & deo Nabuchodonosor. *Dan. ult.* Ministri & famuli suggerunt omnia pro eis, & eorum expensis esse, quæ afferuntur illis. Nihil est in Dei nomine. Simulant se velle præsentare, sed in nocte, hoc est in occulto, ministri omnia auferunt, sicuti per subterraneas cavernas, hoc est dictum, per cautelas subtiles, & occultas; ut per hoc quod dicunt, nescio quas, obligationes deobligandas, & per dona boni speciem habentia & justitiam coloratam: taliter ut centum franci à Rege donati ad utilitatem aliquam per manus famulorum suorum administrati, sæpiùs Regi quadringentos, aut sexentos auferant. Multi hìc se continent. Audivi tales esse quemadmodùm canem *Taupin* dictum, qui omnia surripuit quæ Mater existens in nuptiali mensa volebat à dorso filio suo administrare. Quæ est hæc Mater nisi Respublica, quæ miranda Domino donare intendebat. Sed famulus hic, aut alter omnia inglutit. Propter Deum oro, sit Dominus tanquam puer qui fame deperibat, clamans ad Matrem suam: Mater mea noli amplius facere *Taupin* canem nuncium tuum, nihil enim mihi dimittit.

CONTRA POMPOSUM STATUM.

Consideratio Secunda.

STATUS tàm Clericalis, quàm militaris, & civilis, à pompa debet esse separatus, per hoc ut bonæ instituantur ordinationes & serventur, quæ ponunt mensuram in cibis, & tunicis, in equis, in suppellectili, in annulis, & talibus rebus pompam nutrientibus. Rex Philippus per communem trium Statuum consensum aliquas instituit ordinationes, quas bonum esset servare, & fortassis semel in pleno Consilio legere, ad minùs darent cognitionem, & demonstrarent clarè qualem in pompam unusquisque Status Regni esset lapsus, & decidisset in omnibus rebus. Intereà notetur etiam tempus præteritum, quando, & qualiter in Camera Computorum computabantur duodecim denarii, aut duodecim solidi, pro reparatione tunicarum Reginæ, aut Delphini. Et sine prolixo processu reducatur in memoriam tempus Regis Joannis, quem multi videre potuerunt. Quia, ut relatione percepi, talis est modò miles, aut simplex Comes, qui majorem habet pompam in aureis, & argenteis vasis, in tapetis, in velis extensis, in vinis, in cibis, in apparatu, quam nominatus ille Rex haberet. Quale ergo est miraculum, si Regnum sit egenum, & si populus has pompas ferre non possit. Sed dicet fortassis aliquis hic, sicut in casu simili Romæ objectum fuit quòd recitat Valerius. Quomodò? Non possum ego de divitiis meis ad liberum agere arbitrium bibendo, comedendo, vestiendo, domos faciendo, eleemosynas largiendo? Respondeo quod non, in aliorum Reipublicæ membrorum præjudicium. Malum etiam exemplum esset, & servitus, non felicitas sicut dicit sanctus Augustinus. *Nihil infelicius felicitate peccantium.* Principes pagani, & sine Fide taliter ordinaverunt, sicut Licurgus, Solon, & Romani: apparet per eorum Leges quas omitto. Et certè credo talem ordinationem demùm unicuique placere, quia per eam non haberetur verecundia, ut quis se sobriè & temperatè manuteneret; omne autem quod pompam illam gignit est verecundia aut vana gloria: illud conspicitur, quia in secreto de talibus non est cura pompis. Burgenses, & alii matrimonio copulati norunt quomodò se tenere debeant.

Consideratio Tertia.

POSTQUAM necessarium est ad protectionem, & vitæ civilis Regis & Regni nutritionem, & conservationem accipere & levare subsidia, id in bona æqualitate, aut æquitate per totum corpus mysticum fieri debet. Hoc erat dictum Platonis, secundùm quod recitat Tullius in Libro *De Officiis*, quòd plus gravare unam partem, quàm alteram in exigendo, est introducere perniciosam rem in Republica, scilicet seditionem. Verum est, aliqua membra per mechanica opera, aut mercancias non labore: aliter enim laborant; quemadmodùm Domini, aut Clerici, ad exemplum cordis, aut stomachi; secundùm quod Senator quidam Romanus allegavit, ut populum cum Senatu ad unionem reduceret; contrà quem quidem Senatum tantùm non laboraret, murmurabat populus. Talia membra de aliorum laboribus gubernari debent, sed temparatè, & in bona æqualitate, absque hoc ut simul totum auferatur, aut laborantia membra denudentur. Et quamvis hæc æqualitas ad oculum videri non possit, ut benè cognosco, nihilominùs tamen quisque agere debet ut potest, ne talis inveniatur enormitas, sicut tetigimus de Principibus, & armigeris. Pauper aliquis homo non habebit de omni labore suo, ut toto Anno uxorem & filios nutriat, & jura persolvat, & debita, nisi decem, aut duodecim cados vini, & duas, aut trés mensuras bladii, quod omne peribit in una raptura, aut

aut armigerorum adventu. Quid aget, quid incipiet, quomodo vivet? hoc duntaxat cogitare solùm grave est. Et in tali casu divites plures inveniunt exitus, aut favores, quàm pauperiores. Si vos omnes Domini mei benè simul essetis confœderati, quid vobis in corde Franciæ prodessent armigeri? Regnum satis superque dives esset ad sustentandos vos, & Status vestros absque hoc, ut cujusque status inferior, aut debilior efficeretur. Si petitis confœderari per hoc quòd A magnas extraneis datis pensiones? Nunquid securius est, facilius, & honestius, inter vos esse confœderationem, sive per contractus aliquos matrimoniales, sive aliter. Sic profectò extrudantur adulatores, qui libenter omnia turbant, ut piscari possint; sed piscatio hæc est mala nimis.

Consideratio Quarta.

POSTQUAM pompæ pomposos faciunt status in pluribus hominibus, ipsæ reducendæ sunt ad mensuram, & liberalitatem, sive sit prodigalitas, hoc est, *stolida ad extra largitas*. Rex Philippus scripsit Alexandro Magno filio suo contrà talia dona, ut ponit Tullius 2. *de Offic. Quod te malum*, inquit, *Rex, in istam* B *spem induxit, ut eos tibi fideles fore putares quos pecunia corrupisses? An tu id ais-ne? Macedones non te Regem suum, sed ministrum & præsbyterum putent* Dona pomposa leviter, & sine utilitate expenduntur: citò acquisitum, citò expositum. Apparet de acquisitis per taxillorum ludum, aut usuram. Dona pomposa non satiant, sed inflammant, & inclinant ad semper plus recipiendum, & habendum; sicut canis, cui paulatim minuta dantur frusta. Dona pomposa pro uno amico, tres aut quatuor, aut plures faciunt inimicos, sive invidiosos, qui se reputant multò digniores ad talia recipienda. Dona pomposa spoliant centum, & centum pauperes homines, immo mille, & mille, ut solus unus homo, & abjecti quidem status vestiatur, & qui non centum in reditibus suis habet solidos. Dona pomposa reddunt sæpenumerò hos qui ea recipiunt raptores, & spoliatores, cùm à donatione C cessatum fuerit. Dona infructuosa, seu pomposa, adulatores, & fictos faciunt amicos, qui sequuntur prædam, non Dominum: qui plura eis tribuit, hic eos habet. De ficta amicitia sæpè se ad veram convertunt inimicitiam, hoc videtur ad oculum. Dona pomposa faciunt quandoque nullius reputationis homines honorari, & elevari, non sine vili, & spurca despectione, & non sine proborum, & ingenuorum Nobilium indignatione, qui de omnibus eorum magnis reditibus, & hereditatibus non possunt eo modo honorari, vestiri & reputari, quemadmodùm unus centum denariorum heres. Dona pomposa per schedulam aut os, omninò conceduntur, & non magni reputantur. Sed qui videret coadunatos, seu collectos mille, aut duo millia francorum, & eos conquirendi difficultatem, denarium post denarium à misero populo, D talis qui dat per millenarium, non daret per quaternarium. Nihilominùs tamen omnia ex marsupio prodeunt Domini, primum est quod solvitur sæpiùs. Obsistite, Nobilissimi & Excellentes Domini, obsistite per magnum vigorem contrà spoliatorem hunc Statum pomposum, & contrà alios dictos tres, adulatorem mendacem, delectationem voluptuosam, & insidiatorem rapacem. Sitis tutores, servitores & protectores quatuor virtutum, Prudentiæ, Fortitudinis, Justitiæ & Temperantiæ. In quarum conjunctione, & bona proportione consistit, & conservatur vita Regis, civilis & politica, mediantibus considerationibus superiùs nominatis. Sit vestro adjutorio (facto plùs quàm verbo) completa pulchra illa vox: *Vivat Rex.*

DE
VITA REGIS
SPIRITUALI,

Tertium hujus propositionis punctum.

NOSTRA exhortatio finalis, seu impetratio, pro spirituali, & divina vita Regis erit brevissima (hoc benè sentio) hora postulat. Non obstante tamen hoc, Christianissima vestra & religiosa benignitas (si vobis ita placuerit) devotas mihi vestras adhuc paululùm præstabit aures, & attentas. Non quidem mihi, sed ad honorem Dei, sui verbi, Regis filiæ, Regis, & altissimi hujus quod celebratur Concilii. Ob eam enim causam congregati sumus. Parùm temporis veritati præstetur, cùm sæpenumerò multùm temporis vanitati tribuatur. In ista confidentia audeo perseverare, & dicere tertiò: *Vivat Rex.* Vivat, inquam, vita spirituali, quæ conservatur in unione animæ cum Deo, hìc in gratia, & in fine per gloriam; hic per dispositionem, & bonam donorum supernaturalium harmoniam, specialiter per tres virtutes Theologicas, Fidem, Spem & Charitatem. Et quia sæpius de his sermones fiunt, transeam breviter dicendo de ipsis per quatuor considerationes pro vita ipsa divina.

Prima Consideratio.

QUONIAM bona vita spiritualis dependet à prosperitate convenienti corporalis vitæ, & civilis; vita hæc spiritualis vigilanter in Rege, & in omnibus sui Regni hominibus conservari debet. Contrà quem vitam hanc spiritualem protegemus? Contrà Principem tyrannidis, peccatum mortale. Est occisio hujus vitæ per malos mores plùs nocens, quàm mali humores. Hoc pro certo tenete, quòd pro peccatis corporis mystici, sive sint in capite; sive in membris, adversitates nobis accidunt corporales, & civiles, & præcipuè quando sunt horribilia peccata extranea, fœda & vilia contrà Deum, & naturam. Propterea bella, fames, pestilentiæ, seditiones & divisiones nos arripiunt; sic dicit Lex civilis, sic affirmat Scriptura sancta in mille locis, dictis, & exemplis. Notate maledictiones *Deut.* XXVIII. Et nunquid per peccatum David populus ejus correptus est pestilentiâ? 2. *Reg.* XXVI. Et pro peccato Achan punitus fuit omnis populus Israël? *Josue.* VII. Nabuchodonosor eò quòd Deum non cognovit, in eam cecidit melancholiam, ut se bovem esse reputaret? Non est igitur melius consilium contrà eas quas sentimus, & formidamus adversitates, quàm eniti ut vitam spiritualem tàm in Rege, quàm in subjectis nanciscamur. Immutemus malam nostram vitam, & Deus rigorosam suam mutabit sententiam. Serviamus illi, & ipse erit nobiscum, & tunc quis erit qui nobis poterit nocere? *Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas*, inquit Gregorius. Nullus est adeò junctus peccato mortali per consensus alligationem, quin noceat, & proditor sit omnibus aliis, & omni conjunctioni vitali, quam nos solùm habere debemus in uno corpore, sed & exercere in eodem corpore. Conari ergò debet unusquisque quòd proximus suus sive magnus, sive parvus fuerit, benè habeat. Debet etiam malum impedire, Deum pro proximis orare, singulariter pro Rege, & Dominis, quia in eorum bono nostrum consistit bonum. Nimis reprehensibile est eis maledicere, quia vis maledicit sibiipsi, & toti populo. Ob hoc, initio hujus Regni debet inchoari reformatio, magis quàm aliter, orando pro Dominis; in speciali pro Rege, ut Deus bonam illis largiatur vitam, & quòd sub ipsis pacatam nos duca-

ducamus vitam, secundùm Apostoli Præceptum. Domini alia ex parte omnem debent adhibere diligentiam, ut boni eorum sint subjecti. Debent etiam temperare eorum onera, aut adversitates, ne per impatientiæ gladium, aut murmurationis, aut insidiationis, & furti, quæ sunt peccati mortalis filii, crudeliter trucidentur. Omnia namque hæc essent in præjudicium (sicut dictum est) triplicis vitæ Regis, & Regni. Heu quid prodest Deum pacare verbis solùm, & impugnare factis; immò facto, & verbis impugnare, per vilia juramenta, per maledicere, & detestari, perjurare, loqui contrà Deum, contrà Fidem, contrà vitam omnium personarum bonarum, abuti Dei donis, ea impugnando, sicut fortitudine, pulchritudine, sensu, & ingenio, inimico serviendo, & Deum adversùs seipsas incitando: tales se reperient deceptos sive citò, sive tardè; sed fatuus non credit donec susceperit. Contrà Deum nec est fortitudo, nec sensus nec consilium; potest in momento omnia permutare, & omne perversum eorum studium, & præsumptuosam intentionem ad stolidum finem perducere. Comprehendit sapientes in astutia sua, & adducit consilium eorum in stultum finem nisi apponamus rationem in nobis, & expectemus donec Deus ponat. Vereor, ne talis ventura sit tempestas & in magnos, & in parvos, quod horreo eam meditari. Deus nobis meliora det quàm servitia nostra requirunt.

DE FIDE.

Consideratio Secunda.

QUONIAM Fides Christiana fundamentum est vitæ spiritualis, ipsa singulariter in Christianissimo Rege tam verbo, quàm facto debet apparere. Deus dando conditiones Regis qui populum suum esset recturus *Deut.* XVII. voluit præcipuè Regem semper Legis Librum coram se habere, in quo nocte & die legeret; voluit quòd sumeret exemplum à Presbyteris. In Lege Nova Rex jurat cùm consecratur, se viriliter omnes errores, hæreses, malas doctrinas expulsurum. Et optimo quidem jure, quià sanctus Remigius primum Regem Christianum baptizando, per spiritum prophetiæ prædixit quamdiù Fides permaneret in Rege, & Regno, Regem victoriosum futurum. Apparet igitur Regis filiam benignis auribus audiri debere in hoc quod tangit Fidem, & bonam doctrinam, tanquàm Legis Magistram. Et ad exemplum sancti Ludovici, & omnium aliorum, Fides est virtus, quæ Regem sub Deo humilem efficit, cognoscendo supremum Dei dominium, & quòd Deus est is, cui Rex de gubernamine rationem sit redditurus, sicut coram magno Cameræ Computi Magistro. Et debet esse talis subjectis suis, qualem Deum vellet ergà se habere, puta dulcis, benignus, & misericors: est exhortatio magni sancti Antonii ad Imperatores. Illam considerationem habuit Trajanus quando dicebat, se velle esse talem suis subditis, qualem vellet Dominum suum sibi esse. *Excelso excelsior est alter.* Eccli. v. 7. Et *Judicium sine misericordiâ fiet ei qui non fecerit misericordiam.* Jacob. II. 13. Per hoc videre possumus, quòd hi sunt periculosissimi cuicunque vitæ regiæ, qui seminant malas contrà Fidem doctrinas, sive publicè, sive occultè, sive sub forma ludi, & joci, sive ob certam malitiam. Tales profectò sequi deberet persecutio, quemadmodùm falsos monetarios, qui sunt contrarii vitæ civili aut temporali; hi autem temporali, & spirituali. Quare? Quià nihil est quod intantùm subditos, & Rempublicam teneat in obedientia & unitate sub Rege, sicut Fides religiosa. Et sunt proditores Deo & Dominis, qui unionis vinculum dissipant quantùm est in eis.

Non nimis extirpari possent hujusmodi homines; & per contrarium non satis extolli, & chara haberi potest filia Regis. Ipsa est quæ conservat, & nutrit illam Fidem. Et fortassis si tempore Mahometi ipsa fuisset adeò magna, & tam populosa, sicut modò, ex Dei gratia est, maledicta illa secta non in tantum fuisset dominata. Nonne percepistis à tempore dolorosi schismatis, quòd vix ulla alia patria admonuit ut cessaret, nisi ad instinctum Universitatis? Per supradicta apparet ipsam debere esse liberam, & quietatam ab omnibus subsidiis, aut laboribus, sive decimæ fuerint, sive aliæ subjectiones. Tum quià ipsa est filia Francorum Regis, & Nobilis; tùm quià singulariter ipsa laborat pro toto Regno, & tota Ecclesia; A ideò potiùs debet ei subsidium dari, quàm quòd oneretur. Et hæc una est supplicationum, quam jam sæpissimè postulavit, & vos Domini per magnum Consilium petitioni ejus consensistis tanquam rationabili, quamvis nondum sit per Litteras, & expressa Mandata determinatum. Hic commendari posset bona Regis Fides, & vestrûm omnium Dominorum variis modis religiosorum (non satis erat expulisse Judæos, & usurarios non sine vobis) in hoc quòd prohibita sunt turpia juramenta, execrationes Dei, & maledictiones, quamvis executio minor sit, quàm necesse foret: in hoc quod ordinatum est, ne Confessio ad mortem damnatis denegaretur: in hoc quòd jam dudùm litteras dedistis contrà abominabiles maledictiones, & quasi idololatricas, quæ in Francorum fiunt Ecclesiis sub umbra Festi fatuorum. Fatui sunt ipsi, & perniciosi fatui, nec sustinendi, opus est executione. Finaliter quoad has res, & similes, est valdè ne-
B cessarium ponere provisionem per præceptum, aut assensum Regalis providentiæ, sive pro habendo Provincialia Concilia, sive Deputatos in certo numero ordinando, secundùm postremum schedulæ restitutionis Articulum, qui videre debent omnia quæ reformanda veniunt in spiritualitate, & temporalitate Ecclesiæ Francorum.

DE SPE.

Consideratio Tertia.

CUM virtus Spes ad vitam requiratur spiritualem, virtus illa apparere debet, & esse in Rege, & in omnibus suis subjectis. Contrà hanc virtutem agunt in-
C cantatores, & incantatrices, sortilegi, magici, maledicti, & omnes hi qui superstitionibus utuntur, ut infirmitates sanent, invocando auxilium inimici, quasi Deus sit minùs potens, aut sapiens, aut adjuvare valens, quàm sit inimicus. Et hoc est quod priùs in primo puncto dixi. Et facio contrà hujusmodi homines argumentum evidens, & apud omnes homines bonum rationis judicium habentes, concludens: Tu sortilege, aut magice, qui promittis, & das spem aliquam curandi infirmitatem, aut hoc est per miraculum aut per naturam, aut per malam artem? Non per miraculum, quià talem in te non ostendis vitæ sanctitatem, ut Deus aliquod pro te facere debeat miraculum, præcipuè cùm tu contrà Legem ejus agas. Quot Religiosi, & alii devoti homines in mundo existentes sunt de quibus major esset spes ut miracula facerent, si
D Dei esset voluntas? Si promittas curare per naturam, hoc est, per medicinam, audes-ne dicere, tibi potiùs fidem adhibendam in eo casu, quàm viginti, aut triginta, aut centum Medicinæ Magistris, qui omnem vitam suam studiis Medicinæ operam dando, & legendo contriverunt, viso quòd tu es indoctus? si confiteris, te mala arte uti velle, quæ prohibita est, jam factum est, nil ampliùs quæro. De mala arte nunquàm quicquam boni proveniet. Inimicus non potiùs bonum facere posset, quàm glacies calefacere. Fatuus est qui confidit. Semper utitur falsæ societatis ludo: qui plùs eum honorat, & frequentat, pejus demùm reportat. Qui plùs dicit, aut facit illi serviendo bona, eò pejùs agit. Dimitto historiam de Saül, &

& Osia. Si dicis, quòd arte uteris, sed quæ bona est, & licita. Quæro à te, quibus credetur: an tibi, an omnibus Franciæ Juristis, & Theologis? Quæsitum fuit à quodam Galliæ Rege cùm infirmaretur, quos ad suam admittere vellet personam, hortando ut spem suam potiùs in Deum poneret, quàm in aliud quodvis. *Malo*. inquit Rex, *mortem expectare ad bonum Dei placitum, quam ut per me fieret aliquid Deo, & nostra Fidei contrarium.* O pulcherrima, devotissima, religiosissimaque responsio! O verbum Regis Christianissimum, verbum plenum veræ Spei, verbum remunerandum aut in hoc mundo, quod parum est, aut in alio in perenni gloria. Nimis contrariarentur corpori, nimis adversarentur bonæ spirituali vitæ Regis, & suæ sanitatis spei, qui vellent aliud nobili regiæ personæ accidere.

DE CHARITATE.

Consideratio Quarta.

QUONIAM *Charitas vinculum est perfectionis*, Coloss. III. 14. quæ principaliter vitam spiritualem Regis, & divinam conservat. Charitas, quæ est veluti *chara unitas*, debet conservari in Rege, & in subditis. Divisiones & schismata (quæ vitam civilem, & divinam occidunt) undè prodeunt, quæso? nisi per ambitiosam cupiditatem, quæ est Charitatis venenum. Si Charitas regnaret ubique, Charitas, inquam, non quæ proprium quærit commodum, sed quod Deo placet, & communi proficit bono (quia *ambitiosa* & appetens *non est* 1. Cor. XIII. 5.) certè nos continuò pacem haberemus, & temporaliter inter Dominos, & spiritualiter inter sanctæ Ecclesiæ Prælatos. Intellecto etiam quod dicitur: Hispanos invenire illic, & reportare huc. Sed vos noscitis, me diutiùs sermonem protrahere non posse, timeo enim vos fastidire. Materia etiam in se adeò proposita est, investigata, & declarata, ut jam ulteriorem non requirat sermonem; quia quod proponitur per executionem fieri debere viarum rationabilium, & præcipuè per viam breviorem, & placabiliorem cordium, scilicet per viam cessionis voluntariæ: si in aliis nullum sit impedimentum.

CONCLUSIO FINALIS.

PROPTEREA finem dictis imponendo, Nobilissime & Excellens Rex; Principes, & Domini. Filia Regis, humiliter Deo gratias agendo, & vobis de bono vestro & sancto proposito, consensu & alligantia, ad conservandam vitam Regis corporalem, civilem, & spiritualem, supplicat devotè pro vestra continuatione, & brevi executione, secundùm quod expediens est, juxtà puncta superiùs in generali enumerata, & de similibus magis in speciali, quemadmodùm vestra profunda prudentia optimè novit providere. Primò, in bona sanitate corporali Regis. Secundò, in suo statu. Tertiò, in facto Justitiæ. Quartò, in defensione Regni sui contra inimicos. Quintò, in facto libertatum rationabilium jam concessarum filiæ Regis, Universitati Parisiensi contra omnia subsidia, sive sint decimæ, sive alia. Sextò, in facto reformationis Gallicanæ Ecclesiæ, sive sit per Synodos Provinciales, secundùm antiquos Canones, sive committendo homines sapientes & probos, secundùm schedulam restitutionis in ultimo, & principali Articulo. Demùm in facto universalis Ecclesiæ, extirpando detestabile, maledictum, & execrandum schisma quod eam destruxit, & vastavit. Hæc erunt ad honorem, gloriam, & voluntatem Dei, ad bonum totius Christianitatis, ad gloriosissimam Regis, & Regni sui exaltationem & vestrûm omnium, ô vos Domini nostri, qui manus feretis adjutrices. Et erunt præcipuè ad jucundam omnium bonorum Francorum consolationem, qui per exaltationem gaudii, & lætitiæ, pulchram istam emittunt, atque emittent vocem: *Vivat Rex. Vivat Rex. Vivat Rex.* Immò verò & Regina, & Dominus Delphinus, & tota Regalis progenies liliorum florentium. Et nos omnes hîc per gratiam, & postmodùm per gloriam. Præstante eo qui est vita nostra, *in quo vivimus movemur & sumus* &c. Act. XVII. 28. Qui est benedictus per infinita secula seculorum. Amen.

A Explicit hæc propositio: *Vivat Rex*, facta Parisiis in Castro quod *le Louvre* vulgò appellant. In præsentia Regis, Delphini, quatuor Ducum, & alterius ingentis promiscuæ multitudinis.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

X. CONSIDERATIONES
PRINCIPIBUS ET DOMINIS
UTILISSIMÆ.

Ne fatuis adulatorum decipiantur assertionibus.

B *Gallicè in MSS. Codd. Vict. 62. & Colbert. 1356. & 2320. Anno 1408.*

AD obviandum falsis nonnullis, & fatuis informationibus, quæ (ut dicitur) paulò antè factæ fuerunt contra veram nostræ Fidei doctrinam, notentur subsequentes propositiones, seu considerationes, quæ declarabuntur, & sustinebuntur magis in particulari, & prolixiùs, si opus fuerit, præcipuè quinta, septima, octava, & nona; aliæ enim evidentes sunt.

Consideratio Prima.

ANTE omnia unusquisque Rex, aut Princeps Christianus cavere debet, ne per malam informationem, aut quovis alio modo, cadat in aliquos errores nostræ C Fidei, & sanctæ doctrinæ repugnantes, ut se justificet in factis suis, aut sapiens appareat, qualiscunque peccator fuerit per humanam fragilitatem; quia nullum ab illo est peccatum, quod adeò displicentem Deo, & infamem mundo Regem aliquem, aut Principem reddat, usque ad persecutionem per ignem, & gladium, & omnem suam progeniem, & ad hoc conducunt Ecclesiasticæ Leges, & Civiles. [a]

Consideratio Secunda.

NON potest exhiberi majus Regi, aut Principi servitium, quàm constanter illi veritatem, & sanam doctrinam demonstrare. Et per oppositum illi satis puniri non possent, sive Clerici sint, sive alii, qui per adulationem, & per stultam complacentiam, aut per inconstantiam, aut propter aliquem alium malum finem, Regem aliquem, aut Principem, ad falsas in Fide, & D bonis moribus verterent opiniones, sive hoc factum fuerit sub specie joci, sive aliter; quos vitare debet Princeps, veluti Dei & sui ipsius proditores: quia aliter, sicut dicit Sapiens, *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Prov. XXIX. 12. Cujus ratio est, quia ad complacendum unusquisque dicit (sive falsum sit, sive verum) *Dominus meus benè dicit, jus habet.* Propter quod interdum reputat se aliis sapientiorem, & quòd quodcunque dicit, tanquàm Evangelium sit. Dicit Juvenalis:

Nihil esse quod credere de se
Non possit, cùm laudatur,
Dis æqua potestas.

Con-

[a] Idem jam suprà dixerat; sed perperàm: pugnant enim è contra Leges Divinæ, Civiles, & Ecclesiasticæ.

Consideratio Tertia.

UNusquisque Rex, aut Princeps habere debet verbum ipsum, aut doctrinam, ad exterminandum malum, sive errorem. Cùm qui hujusmodi errorem, aut aliquid dixerit, quod (sive Clericus sit, Theologus, aut alius quisquam) recusat, aut non audet dicere, sive in publico dogmatizare coram his qui experti sunt, & instructi in veritatis Fidei doctrina. A Veritas amat lucem, & falsitas odit eam. Ista consideratio summè valet contra mala quæ facit detractio, aut proditoria adulatio ergà Reges, vel Principes; ne fides adhibeatur illi qui non vult dicere causam suam adversùs alium, nisi duntaxat in tenebris, & in occulto. Audi alteram partem.

Consideratio Quarta.

NOn sufficit intelligere sanctam Scripturam sic, ut duntaxat Grammaticalis, & vulgaris dictionum sciatur significatio; verùmetiam requiritur ingens, & longum studium tam in aliis scientiis Philosophiæ, & Logicæ, quàm in sanctis Doctoribus, qui inspiratione divina, & unum alteri comparando, sanctam exposuere Scripturam. Alioquin simplex Grammaticus mox bonus esset Theologus; immò per seipsum sciret omnem Latinè conscriptam scientiam, quod verum est B minimè, sed est occasio maxima in hæreses labendi, sicut Julianus apostata, Elvidius, Jovinianus, & Turelepini fecerunt. Et novissimè quidam juxtà Cameracum, qui Vespertilio nominabatur; & fermè omnes hæreses ex ista præsumptione prodierunt, quia sæpenumerò dictiones sunt æquivocæ, & aliter sumuntur in uno, quàm in alio loco, aut quàm in communi sumuntur Grammatica. Et est necesse concordare unum Scripturæ locum per alterum, aliàs inveniretur contradictio.

Consideratio Quinta.

QUemadmodùm de Biblia benè & verè in Gallicum translata bonum aliquod, si sobriè intelligatur, potest emanare; sic per oppositum innumeri C errores, & mala evenire possunt, si malè fuerit traducta, aut præsumptuosè intellecta, refutando sensus, & sanctorum Doctorum expositiones. Satius esset hujusmodi rem ignorare; quemadmodùm in Medicinis, & aliis quibusdam scientiis, quas meliùs esset prorsùs ignorare, quàm parùm, aut malè scire, & se Magistrum reputando in eis.

Consideratio Sexta.

ERror est, Regem aut Principem informare, ipsum justo suo jure subjectis suis, & eorum bonis ad suam voluntatem uti posse, absque alio titulo publicæ utilitatis, aut necessitatis, imponendo quascunque exactiones ad libitum suum. Nam hoc pacto sine alia ratione agere, tyrannizare esset, non regnare, D secundùm veram, & propriam inter Regem & tyrannum distinctonem, quemadmodùm ostendit Aristoteles v. *Politic. Rex est pro bono publico. Tyrannus autem omnia non nisi ad propriam suam vertit utilitatem & voluntatem.* Quæ res de Jure naturali est contra Principem, & contra Christianam Charitatem, quòd scilicet Pastor aut Gubernator sit dissipator, & suos gravet subditos, veluti si essent bestiæ, non homines, & aliter quàm vellet Superiorem suum in simili sibi facere casu. *Quacunque vultis ut faciant vobis homines &c.* Matth. vii. 12. Et sic respondit Trajanus. Verum est quòd pro defensione necessaria populi omnia sunt in Principis justa ordinatione per rationem, & bonum consilium; quia ejus potestas *ad ædificationem* est, *non ad destructionem*, quemadmodùm dicit Apostolus. 2 *Cor.* xiii. 10.

Consideratio Septima.

ERror est, dicere terrenum Principem in nullo suis subditis, dominio durante, obligari; quia secundùm Jus divinum, & naturalem æquitatem, & verum dominii finem, quemadmodùm subditi debent fidem, subsidium, & servitium Domino, sic etiam Dominus subditis suis fidem debet, & protectionem. Et si eos manifestè, & cum obstinatione in injuria, & de facto prosequatur Princeps, tunc regula hæc naturalis: *Vim vi repellere licet*, locum habet.a Et id Senecæ in tragœdiis. *Nulla Deo gratior victima quam tyrannus* &c. Ad idem est Tullius. iii. *De Officiis*.

Consideratio Octava.

CLericus ille malè & perversè textum Bibliæ intelligeret, qui ad prædictos errores verba scripta 1. *Reg.* viii. 11. vertere vellet; ubi sermo fit de institutione Saülis: *Hoc erit jus Regis*, Nam verus litteralis sensus alibi est, & specialiter *Deut.* xvii. omninò oppositus; & etiam omne naturalis rationis bonum judicium, cui naturali rationi non contrariatur Jus divinum. Dictio hæc *Jus*, non significat semper Jurisdictionem, seu Justitiam, sed significat interdùm potestatem, quæ non est justa, Versus:

Jus aqua, Jus rectum, Jus dicitur esse potestas.

Sicut hæc dictio *Rex* quandoque sumitur pro tyranno. *Osee.* xiii. 10. 11. & *Job.* xxxiv. 18. Et *benedictio* pro maledictione. *Job.* ii. Et *Lex justitiæ* pro injustitiæ executione. *Sap.* ii. 11. Et *Deus* pro diabolo, in *Psalm.* Et 2. *Cor.* iv. 4. Et pariformiter est in aliis rebus similibus innumeris. Et hanc violentiam minatur Deus populo, qui contra voluntatem suam Regem postulat, ut eum retraheret Deus ab illo proposito, secundùm omnes Expositores. *Jus*, Glossa ordinaria interlinealis *exactionem* nominat. Et etiam in communi sermone, sicut loquitur sacra Scriptura, *Jus* accipitur benè pro *injuria* & *violentia*: est Jus portæ *Baudet* dicitur, ut qui habet jus, emendam persolvat. Et illud cognoscitur per loquendi modum, & ex dicendi ratione. Dicit sanctus Hilarius: *Intelligentia dictorum ex causis sumenda est dicendi.* Taliter in nostro est proposito.

Consideratio Nona.

ALlegare Regi, aut Principi omnia licita esse quæ leguntur in Biblia facta esse per Patriarchas, Reges, & veteris Legis Principes, est evidens error. Tum quia multi talium enormiter peccaverunt, & humiliter pœnitentiam egerunt. Tum propter veteris Legis statum, quæ est alia in pluribus punctis, quàm nova. Exemplum, ut repudiare uxorem, aut in certis casibus plures habere uxores, aut dare mutuum extraneo ad usuram. Et taliter in aliis cæremoniis, & institutionibus. Aliter sentire pejus esset, quàm judaïzare.

Consideratio Decima.

CLericus ille Regem suum, aut Principem amaret minimè, qui perversas tales ei vellet dare doctrinas, aut toto posse & scientiâ ipsas non impediret, quia non est modus certior, quo Rex, aut Princeps, se perderet in corpore, & in anima, totamque ejus dominationem, quàm habendo falsas tales opiniones, & eas opere exequendo. Cur? Quoniam per hoc dominatio sua in tyrannidem verteretur, & in infidelitatem. Modò certum est tyrannidem & etiam infidelitatem veluti innaturales & violentas contra Deum, &

a Perniciosa omninò doctrina, à qua recessit Gerson.

& omnem rationem, diù perdurare non posse, secundùm quod exempla Scripturæ, & naturæ innumerabilia ostendunt. Roboam propter malum tale consilium decimam Regni sui perdidit partem, sicut scribitur. 3. Reg. 12. *Regnum de gente in gentem transfertur propter injustitias.* Eccli. x. 8. Sequitur: *Avaro nihil est scelestius.* Et Sap. 16. 4. *Oportebat enim illis sine excusatione supervenire interitum exercentibus tyrannidem.* Et August. l. 4. *De Civ. Dei. Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* Et Sap. vi. 5. 6. *Cum essetis* A *ministri regni illius, non rectè judicastis* (notà *ministri*) *neque custodistis Legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & cito apparebit vobis: quoniam Judicium durissimum his qui præsunt, fiet.*

Notà quòd hæ exactiones, de quibus dicitur 1. Reg. VIII. 11. *Jus Regis* nominantur propter trium causarum unam: aut ob justam punitionem; aut ob publicam subventionem; aut per solam nuncupationem. Ob justam punitionem; quia populus meruerat ut tales haberet exactiones, quemadmodùm peccator jure est ipsius inimici, & diaboli, etsi inimicus jus nullum habeat, & peccet. Ob publicam subventionem; quia in casibus necessitatis pro justa Reipublicæ defensione tales exactiones justè recipi possunt, servata semper bona B æquitate, non propter Regis utilitatem, & non in omnibus casibus. Per solam nuncupationem; ideò quia Reges, qui per voluntatem tales exigere debebant exactiones, eas *Jura* nuncupabant, quemadmodùm Paganorum Idola *dii* nominantur, non quòd tales sint, sed quoniam ab eis sic appellabantur. Et solet dici, *Jus porta Baudet.* Qui jus habet, ipsum emendat.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

PROPOSITIO

Facta Anno Domini 1408.

CORAM REGE FRANCIÆ, IMO ABSENTE REGE: ET SUIS MAGNATIBUS.

Scriptus occasione Pacis de qua agebatur inter Ducem Burgundiæ & Filios Ducis Aurelianensis Anno 1408.

Gallicè in MS. Cod. Vict. 848.

VENIAT *pax.* Isaiæ. LVII. 2. *Veniat pax*, dicit, & precatur modò cum sancto Propheta Isaia filia Regis, veritatis Doctrix, Mater, & fons omnium Studiorum, pulchrum lumen, & clarum nobilissimi, & Christianissimi Franciæ Regni, à tota laudatum Christianitate. *Veniat pax*, inquit ipsa, & jure quidem petit pacem, desiderat pacem, vocat pacem, spiritualem scilicet pacem & temporalem: pacem quidem spiritualem in sancta Ecclesia contra schisma, & divisionem; & pacem temporalem nobili Regno Franciæ, veluti timens afflictionem. Nullus admirari debet hoc, officium enim ejus ad illud eam compellit. Non- D ne ipsa est filia pacis? Filia Regis pacis, qui dicitur *Rex pacificus* Parali. XXII. 9. Filia Dei pacis. Divinæ Sapientiæ filia, quæ pacem docet, & tribuit, quia *pacifica* est, dicit Jacobus. III. 17. Ideò dicere potest Prophetæ verbum in Canticis: *Facta sum coram te tanquam pacem reperiens.* Cant. VIII. 10. Facta sum coram Deo, & Rege tanquàm illa quæ pacem reperit. In figuram hujus Pallas, quæ dicitur dea scientiarum, olivam portat, & nomen imposuit civitati Atheniensi, cujus imago *Palladium* nominata, secundùm Trojanorum opinionem, ipsos semper conservasset in pace. Et habemus omnes Philosophos, & alios hujus Universitatis sapientes, ab initio mundi hucusque singulariter pacem commendasse, & consuluisse.

Quare? Quia *In pace omne includitur bonum*; dicit sanctus Augustinus. Neque quicquam est desiderabilius, commodius, honorabilius pace, in hoc, quòd *pacifici, beati*, & *Filii Dei* nominantur. Matth. v. IX. Et è contrario rixosi, & seditiosi sunt ipsius inimici filii, & maximè odio habiti, immò scelesti, & ideò maledicti, ait Sapiens. Cogitate ergò Nobilissimi & Potentissimi Reges, Duces, Principes, & Domini, in quibus repræsentatur Regalis autoritas Franciæ in Regis absentia, & in te præcipuè, Metuendissime Domine de Guienne; cogita, quid dicere sæpè possit Regis filia, humillima tua, & benevolentissima soror per dignativam adoptionem. Quid dicere potest, cùm scit, & percipit pulchram pacem (quæ vitam civilem dare debet tàm sanctæ Ecclesiæ, quàm nobili huic Regno) dejici, turbari, & veluti in carcerem missam esse, aut exilium. Cogitate quid dicat, quotiens opinamini, quòd per seipsam, & supposita sua usque adeò numerosa, & nonnulla bona, & devota, clamitet ad Deum cum Propheta Isaïa: *Veniat pax.* Apparet mihi benè me eam consideranti, sæpè ipsam Deo dicere per planctus, ploratus, & suspiria. Gloriose Deus pacis, misericordiæ, & totius consolationis, quotiens jam pacem petimus, quàm sæpè, & à longo tempore clamamus? *Veniat pax.* & *ecce turbatio* & afflictio. *Expectavimus pacem, & ecce turbatio.* Jerem. XIV. 19. Quid hoc sibi vult? Est-ne manus tua, Domine, & potentia tua imminuta? Defecit-ne tua benignitas quòd possis, nec velis pacem dare? *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Ps. LXXXVIII. 50. Retinebis-ne semper iram tuam, & indignationem tuam? Dicis per Prophetam Jeremiam, secundùm quod Sponsa tua, Mater nostra, sancta Ecclesia canit, & ostendit in Introitu magnæ Missæ trium Dominicarum hujus temporis: *Ecce cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Invocabitis me & ego exaudiam vos. De quacunque tribulatione populus meus clamabit ad me, & ego liberabo eum. Reducam captivitatem ejus, aut exilium suum, undique, vel ex omni parte.* Et hìc pulchra promissio & gratiosa concessio. Compleantur itaque, Domine, hæc verba tua in nobis; invocamus te, exaudi nos, tua C veniat promissio, & sit stabilita ut Regis Edictum, & Domini. Sed ore veritatis liberationem petimus à tribulatione, miseria, afflictione, quæ nos undiquaque circumdederunt, quæ nobis auferunt (& de pejori in pejus auferre nituntur) magnum bonum pacis, tàm spiritualis, quàm temporalis. Divisio, angustia & afflictio fatigat, separat, & devastat exiguum populum tuum Christianum mille & mille modis, miserabilibus quidem, & indignis. Da illi pacem, Domine, recollige eum, cogita pro & super eo. Cogita pacem, & non afflictionem. *Veniat pax.* Sic mea mihi dicebat consideratio, ô Nobilissimi Reges, Domini, quòd Regis filia, amica pacis, & ut soror, sicut veritas est soror pacis, sæpè facit seipsa, & ejus suppositis tales planctus, tales conquestiones, aut requestas Deo per devotam orationem. Nec hoc ei sufficit, nisi sermonem suum, & querelam vertat ad homines magnos, & parvos, diversis quidem modis, in Prædicationibus publicis, in Processionibus solemnibus, in compluribus & variis sumptuosis Legationibus, & diligentiis aliis innumeris. Et paulò ante post exhortationem Prælatis, & hujus Regni Ecclesiasticis factam, deliberavit solemniter & concorditer coram throno regalis autoritatis, qui hìc repræsentatur, sanctissimam hanc & utilissimam materiam pacis proponere. Sanctior esse non potest, nec utilior quoad aliqua puncta: Nec unquam me onerassem, nec consensissem ego, qui minimus sum, & pauperis conditionis, & in tam parvo tempore ut trium, aut quatuor dierum. Non, inquam, ausus fuissem talem assumere provin-

ciam, nisi quatuor præcipuè me induxissent, ac quasi me compulissent: Honor Dei principaliter, ac Matris nostræ suæ Ecclesiæ, & specialiter Ecclesiæ Franciæ, quæ hoc præcepit. Honor & utilitas Regis, totiusque Regni ejus. Honor & autoritas Universitatis Matris meæ. Favor & benignitas omnium vestrum, ô Domini mei, qui omnia dicenda in meliorem vertetis partem secundùm simplicem meam, & bonam intentionem. Talis reverà ipsa (ut mihi videtur) est. Et si facto, aut verbo contrarium inter loquendum appareret, hoc profectò esset propter ignorantiam, non autem ex malitia, non ex favore inordinato cujuscunque personæ contra bonum pacis Regis, & Regni. Et sic supplico, dicta mea recipi debere, & ut benignè interpretentur. Verùm est, quod quoad materiam pacis spiritualis, & Universalis Ecclesiæ, & de desiderio, labore, ac diligentia quam unusquisque bonus Christianus secundùm statum suum, & pro parte sua, subire deberet, non multùm immorabor. Tantæ enim Prædicationes, doctrinæ, & exhortationes factæ fuerunt à tringinta Annis citrà, & maximè à vigintiquatuor Annis continuè in hoc casu, quòd solùm esset sermo amissus, aut in tædium versus, si nimiùm circà hoc quis immoraretur.

Consideratio Prima.

Quantò major est dispositio pacem habendi, & quòd veniat in sanctam Ecclesiam per sanctam, & bonam procurationem Regis, vestram quoque, ô Domini, & Matris meæ Universitatis (quæ tantùm laboris adhibuit, & singulis adhibet diebus) tantò invigilandum est diligentiùs & prudentiùs omnibus modis, ne id impediatur, aut amittatur. Hæc consideratio scripta fuit postremò illi qui Romæ est, & complures aliæ monitiones. Et cognoscitur hæc consideratio in lumine veræ Fidei, & sanctissimæ Scripturæ: nam humani generis inimicus, omnisque divisionis autor, tantò plùs renititur per seipsum, & suos hanc impedire pacem, quantò propinquiùs eam senserit affuturam. Insidiatur calcaneo, insidiatur, & adversatur singulariter fini omnis boni operis. Ecquid mirum? Benè enim novit quòd perseverantia est virtus quæ coronatur, quemadmodùm illa quæ vincit, & omnia evadit. Ideò sequitur quòd cùm boni operis finis impeditus est, ipsum suum assequitur intentum, & omnia in pejus quàm priùs erant reducit. Quod si sic modò contingat, ut necessarium sit carere pace & unione in Ecclesia sancta, heu qualis spes deinceps haberi poterit quòd veniat? Et notate hic quomodo inimicus perverterit illum qui priùs talem se ostendebat habere voluntatem, dicendo, scilicet quòd via cessionis non esset justa, nec rationabilis, qui antè illud voverat, & juraverat. Dicebat quidam: homo hic bonus esse non vult, nec tamen malus esse potest; & de eo qui apud nos est, quid boni dicere poterimus? Quis præcogitasset usque adeò stultum incœptum temeritate detestanda plenum, & falsitate, tam crudeliter cor ejus arripuisse, ut Regiam Personam excommunicare præsumeret, & vellet? O Deus! Personam Regiam tam innocentem, & in hac materia sine culpa quacumque. Nonne est certa inimici tentatio, immissio *per Angelos malos?* Plura dicerem, si opus esse existimarem, & nisi perciperem, unumquemque damnabilis hujus cœpti negotii capere indignitatem. Reperi duodecim numero errores, aut defectus intolerabiles, vel plures. Vobis itaque assero quod dicit Apostolus: *Nihil possumus contra veritatem.* 2. Cor. XIII. 8.

Consideratio Secunda.

Fieri debet modò usque ad Concilium quod Pisis celebrabitur recursus ad Deum. Et devotiùs quidem quàm adhuc unquàm factus sit; supplicando ei, & dicendo: *Veniat pax.* Et istud fieri debet per emendationem, & perversæ vitæ correctionem, quia *pax* non datur nisi *hominibus bonæ voluntatis* &c. Luc. II. 14. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Isaiæ LVII. 21. Certum est, quòd causa dolorosi hujus, & infortunati schismatis, est morum corruptio in populo Christiano; quemadmodùm humores mali disproportionem generant, & infirmitatem in humanis corporibus. Oportet ergò obstaculum auferri, si quis velit bonum evenire pacis effectum. Oportet bonam voluntatem paci cedere, & tribus suis sororibus, aut sociis, scilicet Misericordiæ,
A Veritati, & Justitiæ, quemadmodùm dicit Propheta: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi: Justitia & pax osculatæ sunt.* Ps. LXXXIV. 11. Opus est ut maledicti hi prædones, & stipendiarii schismatis, crudelitas, falsitas, & iniquitas prorsùs repellantur, quemadmodùm aliàs prolixiùs declaravi. Dominus meus Episcopus Parisiensis, Decanus, & Capitulum Matris Ecclesiæ Nostræ Dominæ, jam pridem inter eos inchoarunt: nec quicquam expectant præter bonam ordinationem Regis, & vestram, Domini mei, aliorumque Prælatorum, atque Ecclesiasticorum virorum, & procedere ulteriùs instituendo tàm jejunia, quàm Processiones, & alia orationis, devotæque religionis opera. Et reverà hoc admodùm necessarium est, viso quòd inauditum hoc & maledictum schisma usque adeò jam est irradicatum quòd nunquàm omninò delebitur sine speciali Dei au-
B xilio, & tanquàm per miraculum. Teneoque quòd in præsenti casu rationabiliter potest peti miraculum, non tentando Deum, quia opus est supra vires humanas. Fiant itaque talia religionis opera per universum Regnum hoc, plura quàm priùs, exemplo eorum, qui Romæ sunt. Notetur historia: *Prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis a majore usque ad minorem. Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere & clamavit, & dixit in Ninive ex ore Regis & Principum ejus dicens: Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quicquam: nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & jumenta & clament ad Dominum in fortitudine. & revertantur vir a via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.* Jonæ. III. 5. 6. 7. 8.

Consideratio Tertia.

Conventissimum est, quòd omnes divisiones, aut partialitates, vel diversæ opiniones quæ,
C lapso tempore, ratione inauditæ hujus divisionis acciderunt inter quosdem ex ignorantia, vel fragilitate humana, ad præsens cessent; & quòd omnes ad unum se convertant, qui omninò unus sit: non enim ampliùs est tanta varietatis causa sicut priùs. Cur? Quoniam reverà veritas apparebit nimis dilucidè, falsitasque crudelis, & intentio mala, quæ occultabatur sub pallio pulchri apparatus, & pulchrarum promissionum, oblationum, & verborum discooperta est, & accusata, taliter, ut quòd hoc non videat, excusatus non sit. Fieri ergò debet quod dicebat Apostolus: *Quæ retrò sunt obliviscens, in anteriora me extendo.* Philip. III. 13. Obliviscor omne hoc quod præteritum est, inquit, & omninò meditor in anteriora pergere; quemadmodùm peregrini, qui malam viam evaserunt; non conantur reverti, aut retrudere (ipsis invitis) hos qui exire volunt: nec magnus videretur sensus, nec magna utilitas, si in laborioso quo-
D dam bello Capitaneus proclamaret aliquos militum suorum inimicos ipsius contrà voluntatem talium militum, & eorum intentionem, posteaquàm esse volunt coadjutores, & boni amici, & tales sunt quorum quis securè uti potest auxilio. Attamen semper me refero ad sapientem discretionem, & ordinationem vestram, ô vos Domini nostri, atque Matris meæ Universitatis, pro qua loquor. Diligenter etiam hic advertatur ne quicquam fiat, aut concludatur, vel absolutè, determinatur usa quod causa esse possit in futuro Concilio materiam principalem impediendi,
&

& causa etiam divisionis inter alios quandoque venturos. Non est igitur nimis insistendum, aut determinandum in aliquibus suffragiis, aut modis, cùm res propria non sit, sed compluribus conveniens, ubi unusquisque suffragium, seu vocem suam habere vult, vel honorem.

Consideratio Quarta.

EST sanctissimum opus ad perveniendum ad hoc, A ut pax reducatur spiritualis, intantùm desiderata, in Ecclesiæ sanctæ sinum, quod pax temporalis fiat, vel manuteneatur inter Dominos, & præsertim hujus Obedientiæ, adhuc autem specialiùs nobis hujus Regni. Hæc causa sufficiens, etsi alia esset nulla, propter quam Regis Filia Universitas Parisiensis, cum Ecclesia Franciæ hùc venerunt, dicendo & postulando humillima quidem, integra & pia postulatione: *Veniat pax. Veniat pax.* Domini mei, dicat unusquisque vestrûm modò, & quod dicere debet Rex aliquis, Princeps aliquis, & Dominus, exemplo Regis Regum, & Domini dominantium, & Mater nostra sancta Ecclesia sæpenumerò hoc commemorat, ut dictum est; inquit enim: *Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis.*

Super quo verbo satis conformi themati nostro priori specialiùs fundabo quod restat dicendum. Et dicam primò, pacem esse finem omnis Dominii, quem- B admodùm tyrannis tendit ad afflictionem. Ad quid enim ordinatum fuit Dominium, nisi ut in pace teneantur, & unione subjecti inter se, & contrà eorum adversarios, per bonam quidem prudentiam, per sapiens gubernamen, per bonam defensionem contra omnem violentiam, & injustam oppressionem? Quare Domini reditus, & tributa à populo, & honorem reciperent, nisi propter illam causam, finem & intentionem? Ante triennium tamen, aut priùs declarata fuit hæc veritas prolixiùs in simili exhortatione ad pacem & concordiam, pro nomine Matris meæ Universitatis, fuitque thema: *Vivat Rex.* Ideò faciliùs præteribo hoc, & complura alia puncta, quæ maximoperè ad præsens conducerent propositum, quoniam injunctione Matris meæ prædicta propositio illa tunc redacta fuit in scripto, & C adhuc inveniri potest. Dicamus igitur, quod magis proprium officium quod insit Regi alicui, aut Principi, tyrannidi contrarium, est cogitare cogitationes pacis, & non afflictionis. Recitat Macrobius in Saturnalibus per factum cujusdam mimi, quod nihil magis pertinet ad aliquem Principem, quàm cogitare, & considerare pacem; quod verum est tempore & loco, & debita mensura, non scilicet sic ut vertatur cogitatus talis in melancholiam. *Hæc enim res*, ut declarat sanctus Bernardus Lib. I. *De Consideratione, facit esse prudentem, sapientem & in omnibus rebus suis providum. Desolatione desolata est omnis terra*, inquit, *quia nemo est qui cogitet corde.* Jerem. XII. II. Conqueritur Propheta, quòd omnis terra est desolata propter defectum cordialis cogitationis, hoc est, considerationis. Aristoteles dicit, quòd tyrannus pro sua custodia, & cautela fortem habere debet D considerationem, non se nimiùm vino, aut cibo gravando, nec se nimis dedat levitati, nec ludis, nec immundæ carnalitati, quæ non permittit quicquam cogitare quod conducat & ad suum commodum vel tutelam, & adhuc multò minùs ad Reipublicæ tuitionem. Qui ad hoc quæreret exempla, invenirentur abundantiora, & plura quàm necesse sit; in hoc tamen deficit tyrannus. Supposito enim, quòd considerativus sit, seu cogitabundus, hoc non est pro & ad bonum populi, sed ad populi oppressionem, & propriam suam utilitatem. Nec dicere potest cum bono Domino nostro: *Cogito cogitationes pacis & non afflictionis*; sed omninò per contrarium. Nil cogito præter afflictiones miseri populi, qui per hoc pacem perfectam habere non potest, tam sæpè clamore, & ejulatu petitam: *Veniat pax.*

Velit Deus, Deus pacis, & consolationis, quòd nostro tempore unusquisque Dominus exemplo suo, & imitatione facto monstret, & verbo se cogitare cogitationes pacis, & non afflictionis. Si quis apponat difficulter ad hanc pacem perveniri posse. Responsio, dictum Terentii: *Nihil tam difficile* &c. Nihil est tam difficile, quin benè cogitando & investigando, ipsum inveniri possit.

Post susceptam hujus exhortationis provinciam, ardentiùs quàm priùs cogitare cœpi de hac pace. Nec est bonus Gallus, quin cogitare debeat erga se saltem, ut oret, atque deprecetur. Visum igitur fuit mihi in secreto animæ meæ colloquio, quòd bona pensatio, quæ cogitatio dicitur, aut meditatio sapientis rationis filia præsentabat, & allegabat duodecim causas aut plures, propter quas ad pacem esset laborandum, addendo certas, quò ad eam perveniretur provisiones. Dicebat bona pensatio, aut cogitatio, hanc pacem fore ad honorem Dei, & omnium Sanctorum, ac Sanctarum ejus. Ad confusionem humani generis inimici. Ad utilitatem, & voluntatem omnium animarum Purgatorii. Ad bonum etiam aliquo modo ipsorum damnatorum. Insuper ad corroborationem Regalis Dominii. Ad corroborationem totius militaris status, totius status Ecclesiastici, totius status civilis. Insuper ad confusionem infidelium, ad confusionem inimicorum Regni & malevolorum, ad tenendum meliùs confœderationem, seu pactum cum exteris. Postremò ad bonum totius Ecclesiæ, & Christianitatis, universalis quoque pacis. Erit ergò hæc pax respectu superiorum, & quatuor primarum conditionum religiosa; quoad alias quatuor, amorosa; quoad alias verò quatuor, fructuosa. Ideò undequaque esset meritoria, salutaris, honorabilis, & gloriosa. Addebat bona pensatio, aut cogitatio, sapientis rationis filia, quòd ad hanc pacem inveniendam quatuor prosunt provisiones, vel considerationes in speciali.

Consideratio dignæ Passionis Domini nostri, & bonum ad eum refugium per opera bona. Recordatio exiguæ commoditatis, sed maximi damni quod facit dissensio Regi, principalibus quoque Dominis. Intolerabilis populi afflictio, qui sine pace est, & sine quiete, veluti in inferno positus. Recordatio regalis autoritatis & altissimi, atque nobilissimi sanguinis sui ex una parte; ex altera verò parte, honoris, laudis, gloriæ, quæ est & esse debet unicuique pacem quærenti, ad pacem tendenti, cogitanti de pace, se ad pacem offerenti. Quemadmodùm Rex David præcipit: *Inquire*, ait, *pacem, & persequere eam.* Ps. XXXIII. 15. Et Seneca dicit: *Quisquis bellum incœperis, fac pax à te inchoetur.* Non est cor firmius, nobilius, sublimius, regalius, quàm illud quod in pace est, & inquirit pacem; ideò Reges & Imperatores pro excellentissimo eorum titulo, serenissimos appellamus & pacificos. Sancta quoque Scriptura pacificos filios Dei vocat: *Filii Dei vocabuntur.* Matt. V. 9. Quare? Quia Dei exemplo cogitant *cogitationes pacis, & non afflictionis.* Hoc pacto cogitabam ego *cogitationes pacis* secundùm exiguum meum sensum, & posse admodùm debile & infirmum, quamquàm hoc esset in magno desiderio, & voluntate pacis. Sed mox ad quamlibet ferè cogitationem, & propositum se conspectui & oculis meis objiciebat rigorosa afflictio. Durum hoc humani generis aratrum, indignationis Dei filia, quæ nunquàm facta fuisset, nec formata, nisi post conjunctionem malæ voluntatis cum peccato despectissimi domini sui proditoris. Primùm quidem in Lucifero, & in Curia cœlesti, deindè in Adam, & in Curia terrestris Paradisi. O Deus, quàm deformis illa videbatur afflictio, aspera valdè, jurgiosa vehementer, multùm quoque amara. Mendica eam associabat

paupertas, rabies diræ famis & sitis, timor, languor, labor, congelatio, combustio ignis, mucrones, gladii, mille quoque, & mille alia dolorosa tormenta.

Terribilis sequitur mors, Infernus etiam servit illi, sed & purgatorius ignis duo præcipua habet officia: unum ad emendationem punire, cùm adest patientia; alterum punire ad condemnationem, aut exterminium. Ideò dicitur afflictio satelles, vel carnifex, aut executor justitiæ Regis Regum legitimæ filiæ. Est Deus ipse summus Imperator, ipsa virgam suam fert in emendationem puniendo, & gladium, seu ensem in exterminationem puniendo. Hæc dura Officiaria, quæ hoc modo, & tali figura se in secreto mentis meæ colloquio manifestabat, ad unamquamque pacis cogitationem murmurabat, quam quidem cogitationem habere volebam. Quid, inquam, murmurabat; immò verò alta voce clamitabat Justitia, necessaria est punitio, necesse est ut secundùm nomen meum & officium dem afflictionem. Quomodò afflictionem? Aut ense meo mortalem afflictionem, aut saltem virgâ meâ temporalem. Si fuerim admodùm turbatus, stupidus, & undiquaque amaritudine plenus, interrogandum est minimè. Diversæ simul surgebant cogitationes, cogitatio videlicet pacis & afflictionis. Heu, Domini mei, an facere possem? Vellem duntaxat cogitare *cogitationes pacis & non afflictionis* secundùm etiam onus, & provinciam mihi injunctam. Semper autem se erigebat rigorosa afflictio sub officii sui titulo, & Justitiæ servitio. Et quod majus est, proponit quòd non debeat, nec possit expelli, nec rejici. Justitia enim, inquit, est soror pacis, & semper osculantur se invicem: *Justitia & Pax osculatæ sunt.* Ps. LXXXIV. 11. Oportet ergò secundùm quod unaquæque pars vult ad se teneri Justitiam, allegando in suum, quæram undique afflictionem, alioquin deficeret, & periret Justitia. Ad verbum hoc occasionem omitto respondendi, ut afflictio abscedat à mente mea, & duntaxat remaneat cogitatio pacis, secundùm supradictum verbum. *Cogito cogitationes pacis & non afflictionis*, Jerem. XXIX. 11, *Veniat pax.* Dicis, ô afflictio, pacem sine Justitia, & consequenter sine te nil prorsùs valere. Respondeo tibi per verba occulta, Justitiam punitivam (de qua loqueris) non debere fieri, nec quicquam valet, nisi ut habeatur pax. Talis enim Justitia non est nisi quædam pacis famulatrix & ancilla. Cur? Quia finis ad quem tendit omnis afflictiva Justitia, est pax. *Opus Justitiæ pax.* Isa. XXXII. 17. Si mihi fidem non adhibes, sume politicorum Aristotelis Libros, in quibus leges: *Bellamus ut pacem habeamus.* Bellum propter nil aliud est, quàm ut pax habeatur. Et certum est quòd si semper servata fuisset pax, punitiva Justitia (cui tu servis) non habuisset locum, secundùm illius Philosophi dictum, cui etiam Fides conspirat. Responde mihi; Justitia afflictiva si esset paci contraria, aut pacem impediens, pacem præsertim publicam, vocaretur-ne Justitia, aut æquitas? Non, ut videtur; sed potiùs injustitia & iniquitas. Ad hoc propositum præcepit Sapiens: *Noli esse justus multùm*, Eccle. VII. 17. Non sis (inquit Sapiens) justior quàm opus sit; Quare? Aliàs enim eveniret quod dicit Terentius: *Summum jus, summa injuria. Nimis magnum jus injustitia est.* Notà, quòd feruntur mala quæ emendari non possunt, nisi pejus eveniat; sicut ægritudines corporeæ: sicut videntur esse in paganis: ideò si injustitia &c. Notà proverbium: *Serva ordinem tuum, & jus tuum liberum; sed pro quinque denariis cave ne centum exposueris.* Dicit S. Augustinus: *Tutare te à pulice, aut musca pungenti.* Rex Carolus videns pulchram domum, noluit omnes defectus ejus quærere. Notà de hoc quod dicit Hannibal: *Quære jus, etsi faciendum non sit, multa licent quæ non expediunt.* Nota Tullium *in Offic.* de custodia Juris. Te ergò precor, & postulo, ô rigorosa afflictio, ut me sinas pacem cogitare, ut loquar de pace duntaxat secundùm provinciam, & intentionem mihi commissam. Et si opineris te habere jus, aut actionem contra pacem propter Dominam tuam Justitiam afflictivam, vade, prosequere alibi quærere alibi Jus, vel alio tempore. Fac allegationes tuas coram quo volueris, me enim eas audire, aut eis respondere per consensum, vel dissensum, non mihi est curæ. Non habeo lo-
A qui in præsentiarum pro Justitia afflictiva, nec contra eam. Solummodò *cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Et dico: *Veniat pax.* Benè inducere volui, Nobilissimi, & Potentes Domini, hanc afflictionis materiam per talem figurativam locutionem, ut darem intelligere filiam Regis non velle includere, aut excludere, pro una vel altera parte Justitiam afflictivam. Ipsa omninò se refert ad altissimas prudentias vestras, quemadmodùm ratio jubet: Ipsa se refert de superiori & inferiori ad Regiam autoritatem, & ad vos Dominos nobilissimi sanguinis ejus, ad convenienter ordinandum. Ex omnibus enim partibus, & undique sanguis vester, & vestra caro, hoc est Regalis vestra progenies invenitur; ideò filia ipsa, cùm hæc ità se habeant, nec vult, nec debet ponere os suum tam altè, nec ponere os in cœlum. Satis ei est ad pacem hortari, & pacem
B cogitare, ut tantoperè desiderata, tam religiosa, tam meritoria, tam chara & fructuosa, tam honorabilis & gloriosa veniat pax.

Revertamur igitur undè digressi sumus, quòd propter plures causas Regis filia cogitabat *cogitationes pacis, & non afflictionis*, petebatque: *Veniat pax.* Pax est ad honorem Dei, bonorum Angelorum, omniumque Sanctorum & Sanctarum Paradisi. Elevemus cogitationem nostram ad sanctam Nativitatis diem, & videbimus, quòd solummodò ad pacem faciendam, ad pacem prædicandam, ad pacem relinquendam Deus natus fuit in carne humana. Audiemus novum istum cantum nunquàm priùs auditum: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. 14. Non est ergò homo bonæ voluntatis, qui pacem non diligit, qui non audit libenter canticum, & verba de pace, quæ tantoperè Deo placent, & sanctis Paradisi Angelis, qui cum magna societate, & exercitu, elevatis quidem
C vocibus ipsam decantant. Nam *facta est* communis *multitudo cœlestis exercitus* &c. ℣. 13. Et hinc est (quemadmodùm mihi videtur) quòd, cùm populus congratulari vult Regi suo, aut Domino suo, in adventu clamat, & vociferatur: *Noel, Noel*, veluti in memoriam hujus pacis. Per hoc supplicando, ut eos in pace manuteneat. Clamemus igitur omnes. *Noel*, quòd veniat, quòd nobis pacem afferat, *Veniat pax.* Ecquid dicemus de te, ô Virgo pacis, ô Regina pacis, Virgo Mater dignissima? Nonne pacem nostram tu amas præ omnibus rebus creatis nostram concordiam, & nostram reconciliationem? Sic profectò. Et brevi verbo civitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa, solùm vivit, ac regulatur pace & unione. Sanctus Augustinus specialiter, & sanctus Dionysius, & in primis Boëtius dicunt, gaudium nostrum perenne non esse aliud, quàm bonam pacem sine fine, & afflictione. Et si aliquis objiciat, San-
D ctos clamare vindictam ad Deum: *Vindica, Domine sanguinem nostrum* &c. Apoc. VI. 10. Respondeo secundùm Expositores, quòd hæc est doctrina, non imprecatio; vel est imprecatio ad bonum, hoc est, quòd adversariorum suorum iniquitas cesset, sintque boni, & convertantur; sicut sæpè accidit per preces eorum post mortem. Demùm quoad hoc non est dubium, quin tota Paradisi Curia congaudeat bono, & saluti eorum qui vivunt sani & in pace, dum *sine timore de manu inimicorum liberati*, serviunt Deo, ut dicit Canticum Zachariæ. *Luc.* I. 74. Est ergò vox Angelica & Paradisi: *Veniat pax.* Sicut per contrarium, pax est

est contraria, & confusio infernalis inimici, quoad secundam causam. Nihil est quod tantoperé ei placeat, & quod adeò procuret, sicut prælium, odium, schisma & divisionem. Per alia enim peccata decipit homines, & eos occidit, ut unum cum uno, aut duos cum duobus; sed per prælium & divisionem includit in laqueis suis non modò unam villam, vel unam civitatem, vel unum Principem; verùm etiam magnum Regnum vel Imperium. Scit quòd post alia peccata agi potest pœnitentia; sed post prælium sæpè accidit mors subita, & improvisa, quæ omnem impedit pœnitentiam. Etiam cognoscit non esse peccatum, aut crudelitatem, injuriam, aut iniquitatem, quin inveniatur in prælio, præsertim cùm est inter Christianos ad invicem; ubi pauperes subditi innocentes magis affliguntur, roduntur, comeduntur, adeò etiam ut ne minimum quidem remaneat, & quòd tam ipsi, quàm eorum miseri pueri compellantur sæpiùs perire in dolorosis tormentis quoad corpus, & nisi Deus misericordiam habuerit, etiam quoad animas, per impatientiam & desperationem. Est itaque conditio diaboli, & officium ejus in prælio & afflictione sese oblectare. Non est similis crudelitas, nec quæ in tantùm displiceat bonis Angelis, qui ad nos custodiendum sunt commissi. Suetonius recitat de quodam Romano Imperatore, qui desiderabat omnem populum suum solùm habere unum collum, & unum caput. Quare? Ut in uno solo omnes posset trucidare. Desiderium hoc rectè erat diabolicum. Et simile desiderium habent hi qui delectantur in prælio & divisione, ob lucrum, aut vindictam. Incutiamus igitur pudorem diabolo, sicut dici potest & solet: *Veniat pax.* Pax enim est etiam ad utilitatem & commodum uniuscujusque animæ quæ est in Purgatorio, quoad tertiam causam. Certum est, unamquamque animam in Purgatorio esse in charitate. Et *Charitas* (ut dicit Apostolus 1 Cor. XIII. 3.) *patiens est* & *benigna*, non quærens crudelem vindictam in ira, aut in afflictione. Et ratio est, quia Charitas est Mater pacis, immò omnium virtutum; non proprium quærit commodum, nec proprium suum honorem, sed commodum & honorem communem. Et quod est magis commune commodum, quàm pax? Ideò concludo necessariò, quòd quælibet anima Purgatorii desiderat pacem, postulat pacem, cogitat pacem. Et quicunque opposito modo vivunt, non est hoc ad eorum delectationem, aut commodum, aut liberationem; sed est ad earum displicentiam, nocumentum, & impedimentum. Quomodò impedimentum? Quia non fiunt tanta bona, preces, & orationes pro eis. Immò est timendum ne pro precibus fiant maledictiones; pro divino Servitio Ecclesiarum destructiones; & pro eleemosynis rapinæ, atque pro jejuniis, & abstinentiis, gulæ, ebrietates, ac feminarum raptus, & alia mala innumera in præjudicium pauperum Purgatorii animarum. Quis ergò opinari posset res tales eis placere? Quæ est anima Purgatorii, quæ vellet posset in aliarum animarum præjudicium, immò suiipsius, ut pax impediatur super terram per vindictam, per iram, aut crudelem afflictionem? Reverà unaquæque earum potiùs cogitat cogitationes pacis quàm talis afflictionis. Dicitque & precatur, si per veram Fidem nostri cordis aures aperire velimus: *Veniat pax.* O amici, dicunt omnes animæ Purgatorii, facite pacem, *Veniat pax.* Quid nobis vestra prodesset divisio? Quid nobis prodesset vindicta, cùm nil petamus à Deo & hominibus, nisi pacem & misericordiam, nisi amorem & simplicitatem? Quare? Ut simus extra amarissimum tormentum, & durissimam afflictionem. Et quomodo? Bene faciendo, ut nobis detur misericordia, ut parcatis aliis propter nos, quemadmodùm clamamus, volumus & postulamus, ut Deus faciat nobis misericordiam, & præstet veniam, ne audiamus durissimam hanc Sententiam Evangelii: *Serve nequam, dimisi tibi;* Matt. XVIII. 32. quare tu quoque non dimittis? Quæso, amici mei suprà terram, potest dicere unaquæque anima Purgatorii, quæso, cogitate nos omnes adjuvare, & liberare absque apponendo afflictionem suprà afflictionem nostram, vos

A præsertim feminæ & pueri, malum ad malum, ut dici solet. Inter vos non est sanitas, si pro una morte aut quovis alio damno, mille & mille, immò centum millia fierent mala. Cogitate, si esset ad nos juvandas, aut liberandas, potiùs quàm ad nos, & vos simul impediendos aut pejorandos? Cogitate, quòd si nos Rempublicam amavimus, & pacem Christiani populi, cùm eramus suprà terram, multò magis modò amamus, & ad conservandam aut defendendam pacem inter vos nos exposuissemus nosipsos mortis periculo contrà adversarios vestros. Credite, quòd pro nulla re vellemus pacem amitti per nostram occasionem. Si homo unus aut duo vitam eorum perderent, aut statum ad nos vindicandos: heu quid nobis prodesset hæc vindicta? Esset facere pro uno damno tria; esset ad tollendum nobis pretium & argentum, quo ergà Deum nostram facere possumus redemptionem. Et esse potest, quòd per aliquem defectum fuimus causa nostræ afflictionis: non ergò velle debemus innocentes pati pœnas, & pacem perdere.

B Nonne maledicti sunt à Deo illi per quos scandalum venit, & pax impeditur? Insuper cùm viveremus in terra, inclinati eramus ad parcendum per charitatem, & ad complacendum & obediendum Deo, ut pariformiter nos in defectibus nostris supportaret, & eos nobis ignosceret, atque indulgeret. Multò plùs modò inclinamur, cùm misericordia tam necessaria est nobis, quòd sit sola bona socia illa quæ nos ad Deum perduceret; *Sola misericordia mortuorum est socia*, dicit Augustinus. Sed forsitan humana quorundam impatientia respondebit: Quare, & cui faciemus misericordiam, cùm nullus eam postulet? Charitas freterna postulat ipsam, pax publica, tàm temporalis, quàm spiritualis postulat eam. Omnis bonus pauper populus specialiter eam postulat.

Domini mei, omitto animarum Purgatorii verba, redeoque ad meipsum, & dico, quòd hanc charitatem, hanc misericordiam, & pacem filia Regis, Mater mea Universitas, cum omni Gallicana Ecclesia supplicat, clamat & postulat: *Veniat pax.* Pax enim ultrà omnia quæ dicta sunt, ad utilitatem est

C damnatorum aliquo modo; non quidem ad liberationem (quia in inferno nulla est redemptio) sed ad minorem afflictionem habendam: & est hæc quarta causa. Hoc probatur autoritate Evangelii in parabola, vel historia, quam ponit Salvator noster de divite, qui rogabat ut quinque fratres sui ad benefaciendum hortarentur, ne in locum illum caderent tormentorum. Ideò patet damnatos aliquo modo de viventibus curam habere. Et volunt-ne quicquam faciant, propter quod damnentur? Non dico id esse ex vera charitate, sed potiùs ex carnalitate. Valet tamen damnatis cum viventes non damnantur, quia pœna eorum non est adeò magna, saltem pœna accidentalis, quemadmodùm benefacta viventium gaudium Sanctorum augmentant. *Gaudium est in cœlis* &c. Luc.

D XV. 7. Habemus in factis sancti Gregorii, qui deprecabatur pro Trajano Imperatore mortuo, cùm vidit præsentationem quomodò Imperator ille misericordiam habuerat, & compassionem de quadam misera femina. Et dixit tunc sanctus Gregorius in corde suo, & lachrymis: *Domine, misericordiam pollicitus es misericordibus, fac ergò misericordiam Imperatori huic.* Tunc revelatum fuit illi, Imperatorem illum esse salvandum. Nota hìc orationem sancti Augustini pro Matre sua, quando allegat solam misericordiam pro ea. Nota quomodò in Judicio sola misericordia corporalis, aut spiritualis salvabit. Nota qualiter die Commemorationis mortuorum

venerunt ad considerationem meam Domini Franciæ & præsertim hi qui usque adeò bonum, & pacem Regni dilexerunt, quorum adhuc nobilis in terra vivit generatio, sicut fuit anima Regis Caroli defuncti Domini Burgundiæ, Domini Aurelianensis, quæ omnes pacem postulabant in quocunque fuerint statu. Et sunt Deo volente in statu salvationis. De eo qui postremò nominatus est scio per testimonia fide digna, quòd, cum in vita sua aliqui conjurassent, & hoc ad ejus deveniret notitiam, conquerebatur cuidam Religioso Fratri Petro Burgensi, qui respondit ei: *Est argentum, Domine, quod accipis ad debita coram Deo tibi persolvenda.* Tum absque ulteriori deliberatione respondit. *Cùm ergò ita sit, parco, & ignosco omnibus bono animo, veniam à Deo expecto.* Et postmodùm circà finem dierum suorum rogavit Deum, ut eum puniret in hoc mundo, & non in alio: quemadmodùm legitur etiam de Mauritio Imperatore. Notentur historiæ. Propter has res & consimiles se conformat quòd prædiximus de non quærendo vindictam; sed parcendo singulis ad percipiendam veniam a Deo, capiendo grato animo transitoriam punitionem ad evadendam alteram graviorem. Hoc tamen intelligitur semper autoritate regali, & sapienti sua ordinatione, & ne per hoc includatur Justitia, sicut protestati sumus priùs. Factum autem meum solùm est inclinare & adhortari, ut fiat pax. *Veniat pax.*

Vertamus meditationem nostram de pace ad alias supra enumeratas causas. Et dicamus, pacem non modò esse rem bonam, & religiosam, quoad defunctorum considerationem (quemadmodùm declaratum est) verum etiam admodùm meritoriam, utilissimam, & salutarem pro illis qui sunt in vita. Inprimìs enim est ad corroborationem totius status Regalis Dominii: per eam enim autoritas Regalis, & Dominium custoditur, & conservatur obedientia subditorum ad Dominos. Certum est autem, quòd cùm Domini sunt ad invicem uniti, & se mutuò amant, se adjuvant, & tutantur, subditi magis obediunt, quàm si inter eos videant divisiones, odia, vel separationem. Ad hoc confert historia, quam recitat Macrobius *in Saturnalibus* de quodam Principe Athenarum, qui ob delicta secluserat filium suum ab ejus Curia. Intellexit hanc rem placere populo suo, & confestim filium suum revocavit, publicavitque se cum eo rediisse in gratiam. Videtur in scholis quibus multi præsunt Præceptores, quòd, cum ipsi Præceptores contrà se invicem concitantur, & irascuntur, gaudent discipuli, & irrident, & apparet eis quòd saltem pro tunc non vapulabunt, vel non dicent lectionem suam, aut absolventur ab aliquo Præceptorum suorum. Hæc est puerorum conditio, & etiam populi similis pueris, semper Præceptorum mutationem appetere, aut Dominorum. Ob quam rem? Quia semper existimant libertates eorum ex hoc augmentari, & meliorari; multò tamen sæpiùs pejorantur. Sed quid? Non habent sensum, nec prudentiam, vel experientiam cognoscendi, damnum quod eis accidit; sufficit eis pro tunc à Superiore eorum liberari & absolvi per mortem quidem ejus aut quovis alio modo: & visum est sæpenumerò sic evenire, sæpius quidem & recentiùs quàm necesse esset. Velit Deus ne plùs accidat, quia periculum nondùm prorsùs exclusum est nisi fiat provisio. Sequamur semper potiùs pacem, & bonum ad invicem amorem, quàm prælium, & divisionem. Et rogemus Deum facto & verbo dicentes: *Veniat pax*, ut cogitemus *cogitationes pacis, & non afflictionis*. Hoc etiam conducit universo statui militari, intelligo de bonis, providis, & validis militibus, sapientibus, Deum timentibus, qui norunt optimè considerare, & cogitare grandia pericula corporum, & animarum, & mala quæ sequuntur ex præliis, tàm eis, quàm bonis eorum subditis. Et quemadmodùm difficile est inter Christianos justum suscipere bellum; & tamen, si justum non fuerit, omnia mala quæ accidunt, sunt in gravamen, & condemnationem eorum qui ipsum continuant: nec etiam est tam justum bellum, quin mala fiant innumera, in expoliationibus, furtis, aliisque pejoribus modis; quibus malis quæ interdum fiunt per inferiores spoliatores, boni milites gravantur, quia non possunt sufficientem providendi adhibere diligentiam, & malefactores puniendi. Non loquor hîc quibusdam, qui potiùs bellum volunt, quàm pacem, sive justum sit, sive injustum, modò ut ipsi spoliarent, interficerent, & furarentur. Illi enim non sunt Nobiles, neque Christiani, sed spurcissimi latrones, & flagitiosissimi servi, pejores infidelibus, & ministri diabolorum, qui non vivunt nisi esca venenosa, immò pejori veneno quod reperiri queat, hoc est, peccato mortali. Cibus eorum est sanguis innocens, & caro humana miserrimorum hominum. Sed, ô vos boni milites, & provisores, optimè nostis pacem multò plus vobis profuturam, quàm prælium. Inter vos, inquam, unius patriæ, & ejusdem Regni, tàm in bonis fortunæ, quàm in religiosa conscientia. Fugite itaque bellum, & vocate pacem: *Veniat pax.*

Non est melior hereditas, nec tam bona, quam possitis filiis vestris relinquere, & dimittere; nec ditiora donaria, aut pretiosiora dotalia uxoribus vestris si supervixerint, quàm ipsa pax. Est nimis malus thesaurus, & periculosus nimis, perseverare in bello, & divisione, tàm pro bono præsenti corporis, quàm de futuro quoad animam.

Sed non est dubium, quin Ecclesiasticus Status antè omnia pacem postulet, & deprecetur pro pace secundùm Præceptum Dei, & Apostoli, *ut quietam vitam*, &c. 1 Tim. II. 2. Et bono quidem jure. Deus enim pacis non potest meliùs servitiis honorari quàm pacis tempore. Quomodò scientiæ acquiri possent in Studiis, & Universitatibus, nisi in pace? Quare translata est Universitas ab Athenis Romam, & à Roma Parisios, nisi ob pacis defectum? Et modò tot scholastici omittunt Studium visitare propter maledictam Ecclesiæ divisionem, quoad extraneos: & propter gravia onera boni populi in multis modis & diversis, quoad illos qui sunt de Regno. O Deus quot Hospitalia, quot Domus, quot Religiones, quot Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiatæ versæ sunt in ruinam, & in desolationem, propter pacis defectum. Et propterea quòd Domini cogitabant, non quidem *cogitationes pacis*, sed *afflictionis*. Propter quod miseræ animæ Purgatorii (quæ dirè cruciantur) dolent, & conquestionem faciunt, ut dictum est, ac etiam viventes. Tot Ecclesiæ pulchræ per Regnum quomodò ædificatæ sunt, nisi per boni populi contributionem? Quando non eo modo opprimebatur per tantas exactiones: jam verò nihil fundatur, nihil fit boni, & tamen nihil à quoquam possidetur. Unusquisque pauperior est Job, ut vulgò dici solet. Principaliores etiam Domini, prisca tempestate pacifica, erant divites copiosè, cùm cogitarent *cogitationes pacis, & non afflictionis*. Certum autem est, quòd pax quoad quartam causam, & octavam in ordine est ad tuitionem populi, qui nihil tantoperè desiderat sicut pacem, si sapiens saltem est, & providus. Quodcunque enim damnum, aut turbatio accidat Reipublicæ, sive inter Dominos per mortem eorum, aut aliter; sive in statu militari, aut Ecclesiastico fuerit, totum super ipsos populos relabitur & in eorum afflictionem. *Omnem fert populus, quam facit Princeps stultitiam*, dicit Proverbium. Et Horatius.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

O bo-

O bone devote, & obedientissime popule Franciæ, cogitate benè, & judicate quomodò pacem procuretis. In divisionibus enim, in præliis, in seditionibus, nihil potestis aliud, quàm amittere, aut perdere; & nisi cadere ab una servitute in aliam, vel ab uno damno in aliud pejus; etiamsi modò in momento pariter (quod Deus avertat) omnes mortui essent Principes. Non opus est ad antiquas, vel extraneas recurrere historias ad hanc doctrinam docendam, ad oculum vidimus. Clamemus igitur omnes communi assensu à magno usque ad parvum pacem, quemadmodùm clamatur ad ignem, & aquam cùm videntur vicinorum domus comburi. Nec est sæpenumerò custodia, ordo, mensura, aut continentia, propter periculi horrorem. Clamemus, clamemus uniformiter: *Veniat pax.*

Expediam multò breviùs, & veluti in transcursu ac summa quatuor postremas causas pacem vocandi. Una & prima est, quia prælium futurum esset ad gaudium, & exultationem paganorum, infidelium, & adversariorum Dei, & possent faciliùs undiquaque Christianitatem invadere, & nos impugnare, sicut recitatur in fabulis de accipitre vidente ranam, & murem ad invicem litigare. Sed & deindè malè volentes Regno Franciæ, ut sunt Angli, proculdubiò libentissimè civile bellum, & mortalem divisionem inter nos viderent. Benè norunt experientiâ, rem talem non valere; sed obesse in destructionem, & exterminium omnis boni alicujus politiæ. Non ignoratur omnes adversarios multo tempore non tantùm gravare potuisse eorum Dominium Anglicanum, sicut fecerunt civiles eorum divisiones. Heu, heu, prohibeat Deus per dignam suam bonitatem, ne crudelis hæc plaga Regnum hoc invadat; ipsa enim magna ejus foret destructio, intolerabilis miseria & desolatio. Mentiri non potest qui dixit: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Luc. XI. 17. *Concordia parvæ res crescunt, discordia magnæ dilabuntur.* Quid dicemus quoad tertiam causam, & in ordine ad undecimam, de his qui esse debent confœderati, & alligati huic nobili Regno? Quæso Domini, meditamini quod dicit Juvenalis: *Fortunam populus sequitur ut semper, paucæ inveniuntur amicitiæ quæ non sequantur fortunam, & quæ non vertantur, vel immutentur facilè, cùm fortuna est contraria.* Hic descendi posset particulariùs ad ostendendum periculum. Scitis quosdam subdidisse se Regis gubernamini propter dessentionem, dictos *Guelfos*, & *Gybelinos.* Si talis divisio (quam Deus avertat) nos invaderet, quid nos esse reputabunt? Committo hæc, & similia alia pericula, prudentissimis cogitationibus vestris, quæ debent esse *pacis, & non afflictionis.* Demùm tàm propter id quod dictum est in undecim nominatis causis, quàm propter bonum totius sanctæ Ecclesiæ Christianitatis & universalis pacis, ut nostra exhortatio illuc, ubi incœpit revertatur; certum est quòd pulchior, firmior, stabilior Christianitatis pars est Christianissimum Franciæ Regnum, de quo dicit sanctus Gregorius, qui fuit Romanus, quòd *Quantum Christiani superant Infideles in eorum Fide, & Religione, tantùm superat regnum Franciæ ceteros Christianos.* Hæc pulchra est laus ab uno Sancto, & extraneo. Tantò ergò erit magis damnum toti Christianitati, si Regnum hoc patiatur quicquam propter defectum pacis, & per afflictionem. Quomodò sufficienter maledicti esse possent, & damnati, qui essent causa hujus, vel per eorum malevolentiam, vel negligentiam, vel ignorantiam. Sicut Pompeius, & Romani, opinantes conservare eundem Dominii honorem adversùs Julium Cæsarem, ceciderunt in mille mortes, in servitutem, in destructionem, quàmvis Julius Cæsar postmodùm punitus fuerit, & occisus. Sed fuit exigua confortatio pro illis qui excesserant è vivis.

Quæ res fuit tunc, & esset modò civilis dissensio? nisi corpus aliquod, quod propter amissionem unius digiti se crudeliter dilaniaret, & disrumperet in partes, in capite, & in membris, veluti per furiosam afflictionem. Esset-ne hìc libertas? Esset-ne dominatio? Servaretur-ne hìc vera Justitia? Refero me ad vos. Saltem scio, non esse cogitare *cogitationes pacis*, verùm potiùs *afflictionis*, quemadmodùm omnes desiderare debemus, & clamare: *Veniat pax.*

A Veniamus, si placet, mox finem imponendo, & conclusionem. Veniamus ad ponendum ante oculos altissimarum, clarissimarum, & devotissimarum considerationum vestrarum quatuor res in speciali, quæ maximoperè conducunt ad pacem obtinendam. Elevate, & aperite cordis vestri oculos in lumine veræ Fidei, & sanctæ Christianæ Religionis, & videbitis pacem tantoperè quæsitam, & amatam à Salvatore nostro Jesu Christo, ut se poneret inter Deum, & hominem, & reciperet ictum divinæ vindictæ in arbore Crucis ad pacem habendam: *Disciplina pacis nostra super eum, & livore ejus sanati sumus*, &c. Isaïæ, LIII. 5. *Attritus est propter scelera nostra* &c. Non dicit: conservetur honor meus, conservetur innocentia mea, qui sum hìc ad loquendum de pace, & tractandum. O benigne Jesu, ô misericordissime totius mundi Salvator, ô innocentissime Dei Agnus, quomodò confusa est per dignum tuum exemplum, charitatem, & patientiam superbissima, & admodùm B spernenda præsumptio, quæ inhonestum putaret loqui aut tractare de pace; immò sæpiùs cùm ipsa præsumptio magnam inferat injuriam. Non satis reprobari posset, aut exaggerari stulta hæc humani cordis præsumptio. Et quid sequetur, Domine? Horror est, heu, solùm cogitare. Facies judicium sine misericordia, durum, & crudele de his qui non dignati fuerint loqui, aut cogitare, nisi rixas prælii, & dissensionis. Facies eis de tali pane offam: dilexerunt divisionem, & odio habuerunt pacem, ideò permanebunt perpetuò tam hìc, quàm alibi sine pace, in horribilissima confusione, nisi pœnitentiam egerint. Velis, Domine benignissime, velis, ne tam dura Sententia, & dura necessitas suprà nos descendat. Converte corda nostra ad te, inclina ea ad cogitandum de pace, de concordia, & non de afflictione. Sic facies, si insequi voluerimus do- C ctrinam tuam, & exemplum tuum omnis benignitatis. O dulcis Jesu, non adeò excæcati sunt oculi cogitationis nostræ, ne videre possimus damna futura, si pax non fuerit reddita nobis. Solet dici (Domini nostri) in Longobardorum proverbio, quòd *Deus aufert sensum quibus vult.* Reverà sic est, non quidem per positivam actionem, sed per justam permissionem. Notâ de Judæis, qui noluerunt credere Prophetis, & præsertim Isaïæ, & Jeremiæ. Benedictus Jesus flevit super civitatem Jerusalem, quia non cognoscebat mala destructionis quæ erant ei ventura, dicens: Luc. XIX. 42. *Si cognovisses & tu!* scilicet fleres. De hac destructione loquitur Josephus, qui ei interfuit, dicens quòd opinatur terram eos tandem deglutivisse sicut Sodomam, si per humanam viam non fuissent destructi. O Domini mei, quæso, ô Domini mei; non veniat talis cæcitas, aperiamus, aperiamus cordis oculos, & ad benè videndum auferamus tenebrosas, & obscuras nubes peccati ma- D litiæ, ne dicatur: *Excæcavit eos malitia eorum.* Sap. II. 21. Et illud: *Excæca cor populi hujus; ne fortè convertantur & sanem eos* &c. Isaïæ VI. 10. Recurramus ad orationes devotas, per vitæ correctionem scilicet, alioquin oratio nostra esset inaudita, execrabilis, & excommunicata, nobisque esset ablata, & prohibita quoad Sanctos; præcipuè noli orare, &c. Est reverà omne quod timeo in hoc negotio, est vitæ iniquitas, & correctionis defectus qui nos in asperam hanc cadere facit necessitatem. Notâ de quatuor principalibus punctis de reformatione in persona

sona Regis, in facto Justitiæ, de statu & prælio, & quomodò nihil observetur quod est benè ordinatum.

Quid paulò antè ad oculum vidimus, qui noluerunt audire loqui, aut tractari de pace, quomodò illis successerit: nunquam refutata fuit pax, & rationabilissimè, ut accepi à quodam Domino Franciæ, quin finaliter malè successerit refutantibus, quantumcunque haberent bonum jus, aut bonum titulum altera ex parte. Hujusmodi enim homines (ut solet dici pueris) de Jure A eorum faciunt injuriam. Superbia, & dedignatio nunquàm placuit Deo, sed eam rejicit, disturbat, & perdit. Sanctus Dionysius scripsit quandam Epistolam cuidam qui nominabatur Demophylus, ad inducendum eum ad benignitatem, & pacem, &c. Notà ibidem historiam, & de sancto Joanne, & Carpo &c. Ibi concludit benignitatem Jesu Christi talem fuisse; quòd adhuc vellet pro nobis pati ad nos salvandos, & pacem dandam, si opus foret. Et est certum exemplum unicuique Christiano Domino, ipsum Christum imitari. Invenitur in historiis tam Græcis, quàm Romanis, multos Imperatores, & Dominos, ut Decium, Curium, Codrum, & alios, adeò dilexisse pacem patriæ suæ, ut ad eam obtinendam spontè se morti dederent. Et adhuc videmus die quolibet, quòd ad manutenendum pacem contrà B adversarios, Domini, & milites se exponunt mortis periculo in bello. Ideò concludunt per hoc Tullius & Seneca, nullum posse habere justum titulum bellandi contrà Rempublicam; arguendo Julium Cæsarem, & alios commendando, ut Coriolanum, & Frabricium, qui potiùs elegerunt perpetuò injustè sustinere exilium, quàm præliari in præjudicium boni publici, & pacis ejus. Quid ergò facere debent Christiani Principes, qui habent pulchrum talis benignitatis, & charitatis exemplar in Jesu Christo, & qui perpetuum expectant præmium? Heu si videremus, quòd hæc miserabilis vita, plena omnibus afflictionibus, solùm est velox quidam transitus ad gloriam perveniendi, benè vivendo ergà se, & proximum suum per amorem, & dilectionem, alioquin fit casus in æternam damnationem. Et hæc est secunda consideratio quam dicebam, quæ expressè ponitur in Biblia 2. Reg. XIV. in quadam historia, quæ satis videtur nostro conducere proposito. Ideò eam recitabo de verbo ad verbum. Vos verò notabitis C quòd vobis conducere videbitur. Dicit sic textus, quòd *Cum Ioab Princeps exercitus David percepisset David aliqualiter pacatum cum filio suo Absalon, quod occiderat fratrem suum Amon propter violationem sororis suæ Thamar. Joab misit in quandam civitatem dictam Thecua, & ibi accepit quandam prudentem feminam; cui dixit: Simula te plangere & sume vestimentum lugubre & triste nec utere unctione olei ut appareat diù te plorasse mortuum aliquem. Deindè adibis Regem & dices ei verba illa quæ pono in ore tuo: Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuites ad Regem, cecidit coram eo super terram, & adoravit Regem, & dixit: Salva me Rex. Et ait ad eam Rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua sum; mortuus est enim vir meus, & ancillæ tuæ erant duo filii, qui rixati sunt adversùm se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum & interfecit eum. Et ecce consurgens modò universa cognatio adversùm ancillam tuam dicit: Trade eum nobis qui percussit fratrem suum, ut occidamus D eum pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus heredem. Et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non superfit viro meo nomen, & reliquiæ super terram. Tunc ait Rex ad mulierem. Vade in domum tuam, ego ordinabo & jubebo pro te. Dixitque mulier Thecuites ad Regem: In me, Domine mi Rex, sit iniquitas, & in domo patris mei: Rex autem, & thronus ejus sit innocens. Et ait Rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultra non addet ut tangat. Qui ait: Recordetur Rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet unus de capillis filii tui super terram. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad Dominum meum Regem verbum. Et ait Rex: Loquere. Dixitque mulier: Quarè cogitasti hujuscemodi rem contrà populum Dei, & locutus est Rex verbum istud, ut peccet, & non reducat ejectum filium suum. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans ne pereat qui abjectus est. Propterea nunc veni ad regem ut loquar ad Dominum meum verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad Regem si quo modo faciat Rex verbum ancillæ suæ. Et audivit Rex verba mea, ut liberaret ancillam suam de manu vel potestate omnium qui volebant de hereditate Domini delere me, & filium meum simul. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum Domini Regis mei sicut sacrificium. Sicut enim Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, ut nec benedictione nec maledictione moveatur: Undè & Dominus Deus tuus est tecum.* Sequitur. *Postquam inquisivisset Rex, quod loqueretur pro Joab.*

Et ait mulier? Tu autem Domine mi Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei ut intelligas omnia super terram. Et ait Rex ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum, seu voluntatem tuam: Vade ergo, revoca puerum Absalom: cadensque Joab super faciem suam super terram, adoravit & benedixit Regi, & adduxit Absalom in Jerusalem. „ Et ordinavit Rex, & statuit Rex „ pro punitione, ne videret faciem suam, nec co„ ram se compareret. „

Qui vellet immorari circa hanc historiam quæ est admodùm antiqua, tam propter Scripturam in se, quam propter sapiens factum Joab, & Regis David, qui fuit usque adeò justus, & à Deo dilectus. Comparari posset Universitas Parisiensis nonmodò Judith, & Ester, quæ se exposuerunt mortis periculo propter pacem populi eorum, sed etiam sapienti huic feminæ, quæ erat Thecuites, quod interpretatur *buccina*, vel *tuba*. Universitas est sapiens, quemadmodùm scitur, & est buccina veritatis. Unusquisque bonus Princeps, aut Miles, qui Regem Galliæ diligit, exemplo Joab qui David Regem suum diligebat, missus per approbationem, qui misit sapientem hanc feminam, ut loqueretur de pace. Vel hæc sapiens mulier est Gallicana Ecclesia, cui duo erant filii, quorum unus mortuus est. Ipsa hortatur ad pacem. Primò ad ostendendam afflictionem non multiplicandam esse super afflictionem. Et quòd omnes morimur, & Deus non quærit supervivențium mortem. Et esset iniquitas contrà populum Dei, & peccatum in Regem. Hæc sunt verba sapientis supradictæ mulieris. Adde, quòd Rex debet esse firmus, & stabilis in dictis suis, & factis, sicut Angelus Dei, qui non movetur à virtute, nec adulatione, nec detractione. Rex etiam debet esse *Sapiens sicut Angelus Dei*, ne errore falsarum informationum decipiatur, sed benè providere, & prospicere possit, de qua afflictione loquantur Consiliarii; si sit propter proprium commodum, & propter eos, & ad servanda magna eorum negotia, & hoc quidem in Regis præjudicium, & damnum, aut si sit pro pace Reipublicæ. Et hæc est tertia consideratio, quæ in hoc negotio haberi debet, quæ est diligenter considerare quò deveniant tanta subsidia, & pecuniæ quæ accipiuntur cum tam intolerabili onere à misero populo. Videtur enim Regem, & Principaliores nomen habere. Verum est, quòd cùm puer aliquis malè egit, invitè ipsum ad scholas proficisci, aut disciplinam. Et equus scabiosus refugit strigilem, & malefactor odit lucem. Ideò homines illi potiùs amant omnia in turbationem verti, in rixas, in seditiones, quàm ut pax fieret, ut reformarentur. Historia est de Patre Alcibiadis, qui ob hanc causam bellum intulit Athenis. Notate historiam. Sed ut verum dicatur, si tales homines sci-

scirent benè aliqua, quæ sunt in querela, potius consentirent ad pacem componendam.

Nota fabulam de lupo, & agno, & de vulpe, & de aliis duabus rebus, gallicè *maul stins* in straminibus occultatis. Notate, quòd si hujusmodi homines quærant reparationem aut bonum Regni: multa alia bona puncta notari possent circà prædictam historiam Regis David, nisi appareret aliquibus, me nimis velle descendere in particulari ad factum quod agitatur. Respondendum tamen est ad hoc quod aliquis pacis perturbator hic allegare posset, & dicere, pessimè ex hac pace ipsius David cum Absalon ipsi David accidisse, quia posteà usque ad mortem Absalon persecutus est Patrem, volens ei omne Regnum auferre. Sed bona est responsio: quia David per justam dispositionem Dei (sicut ipse cognoscebat, & confitebatur) hanc habuit persecutionem. Deus verò eum liberavit, & Absalon crudelem mortem dedit, quemadmodùm meruerat sua ingratitudine, & perversa in Patrem suum, & justum Dominum seditione. Et est quod facit ad præsens propositum, ad demonstrandum, & affirmandum, quòd nullus cujuscunque status sit potest movere seditionem contrà Regem, nisi per justum Dei Judicium vastatus sit, & destructus, quantumcunque seditionem faciens appareat potens in multitudine, vel quacunque confœderatione. Caveat ergò sibi unusquisque qui sapiens est, Deum timendo: aliquis talis forsitan esse posset virga afflictionis ad puniendos alios, sed finaliter destruetur, & in ignem ponetur.

Relinquamus modò omnes alias doctrinas, & fundemus quartam, finalemque considerationem, quæ est Regalis autoritas. Super istam historiam David quæ est adeò bona, & notabilis habetis hîc, Domini mei, quòd cùm Rex David vellet pacisci cum Absolon, & suis complicibus, pacem fecit ex se, & de sua propria autoritate, non interrogando alios: Et quare hoc fecit? Quia res hæc autoritatem suam Regalem principaliter una ex parte tangebat; sanguinem suum, & carnem propriam ex parte altera. Ideò voluit uti hac autoritate. Et est quod dicimus in postrema consideratione ad juvandum, ut fiat pax & obtineatur. Videtur & percipitur quòd hoc pacis negotium tangit principaliter, & quasi solùm Regiam autoritatem ex una parte: & ex altera sanguinem suum, & carnem. Debet ergo (ut videtur) rem hanc Rex capere ad manum suam, ut ordinet de superiori, & infimo, seu de parvo & magno, quemadmodùm bonum illi videbitur ut fiat. Et quis est subditus, vel subdita, quin se spontè ponere debeat in talem ordinationem Regalis autoritatis? Apparet etiam quòd partes per querelas earum non quærant in summa, & finali conclusione aliam rem per earum postulationes. Et si sic fieret quid prodessent prætereà aliæ justificationes aut injustificationes; actiones aut processus. Modò Rex cogitationem cogitet *pacis & non afflictionis* pro se, & populo suo. Non dico ampliùs. Parcite mihi Domini, ob honorem Dei, & summæ vestræ Nobilitatis; parcite mihi, si minùs teneo tale frenum, processum, & ordinem, talemque mensuram in verbis meis, & gestibus, quemadmodùm deberem. Amor pacis, & magnus timor afflictionis me compellunt, me pungunt, & affligunt taliter, ut ratio non satis locum suum obtineat. Audistis admodùm patienter, & benignè, gratiæ sint excelsis vestris Excellentiis, exhortationem factam, quamvis modicè, tenere & insulsè (quia sensus parvus est, & tempus breve) ex parte filiæ Regis junctæ universæ Gallicanæ Ecclesiæ, quæ vos orat, clamat & supplicat: *Veniat pax.* Propter suprà enumeratas enim causas pax est res religiosa quoad Deum, & Sanctos, atque defunctos. Res admodùm salutaris, & amabilis quoad viventes Regni, omnium Statuum, scilicet Principatus, Militiæ, Ecclesiastici, & Civilis Status. Est res sanctissima, & utilissima adversùs infideles, & malevolos Regni, & ad tenendum pacta, ac confœderationes firmas.

Et in generali pro bono totius Christianitatis, & præsertim ad habendam generalem unionem. Audistis, quòd ad obtinendam hanc pacem prodest consideratio exemplaris Jesu Christi, ponendo se in ejus protectionem per bonam vitam. Prodest considera-A re mortalis hujus vitæ brevitatem, quemadmodùm hortabatur sapiens mulier. Prodest considerare parvam utilitatem, immò verò magnum damnum quod accidit Regi, & principalioribus Dominis, & adeò intolerabilem populi oppressionem, afflictionemque, ut æstimari non possit. Proficit considerare finaliter Regalem autoritatem, & quod hoc negotium sive honor sit, sive vituperium, undequaque sanguinem suum tangit, & carnem, suosque subjectos. Ideò ordinari potest de infimo, & sublimi, secundùm bonam suam affectionem: & verus Deus pacis, Rex Regum tam breviter concedat ordinare, ut hoc sit ad pacem, ad concordiam, & consolationem. Non autem ut turbatio sit populo, nec dura afflictio, ut omnium commune desiderium exaudiatur, qui tam instanter humiliter, & devotè, junctis manibus, & poplite flexo orant, & postulant: *Veniat pax*, hîc per gratiam, & in Paradiso per gloriam; quam nobis concedat qui est *Princeps pacis*, & benedictus in se-B cula. Amen.

Post hanc exhortationem tota Gallorum Ecclesia, quæ est tanquam Mater Regis, & filia sua Universitas Parisiensis, faciunt tres devotas oblationes, & exhortationes. In primis offerunt se facturas orationes, & preces: non enim ad hanc pacem, & unionem habendam alia habent opera. Offerunt se insuper in omnibus hortari velle populum, ut similiter faciat, vitamque per bonam prædicationem corrigat. Offerunt se in omnibus aliis modis, quos Rex, & vos Domini nostri eas docueritis in particulari, vel universali, obedire in omni diligentia, & integra affectione.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,
SERMO
AD
REGEM FRANCIÆ, C
PRO JUSTITIA.

Ad MS. Cod. Vict. 284. *Eodem Anno* 1408.

DILIGITE *Justitiam, qui judicatis terram.* Sap. I. I. Domini amate, & servate *Justitiam, qui judicatis terram.* Ad exponendum convenientiùs quod mihi dicendum est coram Sede hac regulari Justitiæ, coram vobis Dominis altissimæ, & claræ prudentiæ, ubi sita est, & representata Regalis Franciæ autoritas. Ad exponendum, inquam, ex parte filiæ Regni, scientiæ, Studiorum Matris, Universitatis Parisiensis Matris meæ; exordior per verbum sapientis Regis Salomonis, qui secundùm nomen suum, & interpretationem, significat qualis esse de-D beat unusquisque: debet enim esse pacificus. Salomon *pacificus.* Par. XXII. 9. Debet ad pacem tendere. Et quià pax absque germana sorore sua, videlicet Justitia esse non potest: *Justitia & pax osculatæ sunt.* Ps. LXXXIV. 11. Et iterùm: *Fructus Justitiæ pax.* Jacob. III. 18. Rex pacificus Salomon hortatur, & docet in principio libri Sapientiæ, dicens: *Diligite &c.* Et si quisquam instet Salomonem Librum illum non edidisse, sed quendam Philonem nominatum. Respondent Expositores, totum Librum illum ex sententiis, & verbis Salomonis esse

esse excerptum: ideò ei attribui debet. Et mihi videtur, Salomonem aut ejus recitatorem Philonem dare intelligi, se principaliter Judices sæculares, & terrenos affari velle, cùm inquit, *qui judicatis terram*, & innuit aliquos esse Judices, qui aliud judicant quàm terram; aliàs videretur superfluus. Utitur etiam hoc verbo *Diligite*, innuendo quòd Justitia fieri debet per voluntarium cordis amorem, potius quàm per aliam quamcunque affectionem, aut occasionem, quemadmodùm hæ res in sequentibus prolixiùs declarabuntur. Et ad pleniùs enucleandum hanc materiam, dandumque ordinem qui brevis sit, intelligibilis, & clarus; sumam, secundùm nostri A thematis terminos, aliquas considerationes, potiùs per modum doctrinæ, & lectionis quàm curiosæ orationis, non me nimis onerando non necessariis allegationibus, sed enitar punctum attingere, & materiæ medullam, quemadmodùm mihi fieri debere videtur coram vobis Dominis meis, qui Legem calletis, & intellectum habetis vivacissimum, clarum, & facilè deprehendentem. *Scientibus legem loquor.* Rom. VII. 1.

Consideratio Prima.

Est cognoscere quæ res est Justitia; ne procedamus in æquivocatione, vel diversitate aut ignorantia.

Consideratio Secunda.

Est cognoscere qui sint Judices, & qui terram judicantes, hoc est terreni Judices; talibus enim verba facere debeo, sicut faciebat Salomon. B

Consideratio Tertia.

Est cognoscere hos, qui diligunt Justitiam, & signare hujus aliqua signa: deindè descendam ad casus particulares. Omnia hæc tria puncta inclusa sunt in nostri thematis terminis, ubi inquit Salomon: *Diligite*, &c.

Quoad primam considerationem dicamus, quòd *Justitia est perpetua & constans voluntas jus suum unicuique tribuens.* Justitia est perpetua, seu permanens, & constans, aut stabilis voluntas unicuique jus suum; vel quod suum est, aut ad eum spectat, tribuens, vel reddens. Apparet primò Justitiam divinam esse voluntatem. De nulla enim alia voluntate dici potest quòd sit perpetua, & constans, aut immobilis. Et hoc divinitùs dictum est, & verissimè. Quemadmodùm enim summa Dominatio, Regnum, Im- C perium, aut Dominium in Deo est; immò est verè, & essentialiter Deus, Rex Regum, & Dominus dominantium, &c. Pariformiter de Justitia dici potest, quæ est propria proprietas Dominii, seu Dominationis. In hac veritate benè cognovit Tullius, cum ait *Jus non emanare ex Scripturis Judicum, ut ex duodecim Tabulis, sed ex ratione Jovis, per quem Deum intelligebat.* Ad hoc concordat Salomon. *Justitia*, inquit, *perpetua est & immortalis.* Secundùm thema ad propositum hoc valdè altè, & subtiliter concludit sanctus Augustinus, *Nullum posse cognoscere Justitiam nisi in divino lumine, ubi immutabiles Justitiæ sunt veritates.* Patet insuper, quòd sapientia Dei, hoc est, sancta Scriptura (quæ dat cognitionem de Deo, & Prophetarum ejus) meliùs scire debet quid sit Justitia, & ejus conditiones, quàm quæcunque alia scientia. Et est quod dicit in persona sua Sapiens: *Per me Reges regnant, & D Legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15. Apparet prætereà quòd ad sanctam Scripturam spectat ostendere, & edocere Judices terrenos, quæ res sit Justitia, & quomodò eam diligere debeant, & servare. Sicut fecit Salomon, qui maximus, divina inspiratione, fuit Theologus. Et de hac autoritate nullus habere debet displicentiam, qui credit in Deum: quià unicuique in sua arte, vel scientia credendum est. Exemplum; In muro faciendo fides adhibetur latomo. In auro cognoscendo, aurifabro. Sciendi modum procedendi in causa aliqua, aut processu, Advocato, vel Procuratori. Historiam ad hoc recitat Valerius. Notate qualiter latomus, aurifaber, aut Procurator irrideret Theologum, si sibi suum usurpare vellet artificium, aut eum in suo opere emendare conaretur. Patet prætereà, Matrem meam Universitatem inpræsentiarum venire convenienter ad loquendum de hac Justitia, & specialiter quoad Facultatem Theologicam, quamvis unaquæque aliarum Facultatum ratione Philosophiæ moralis, & naturalis, & ratione sacrorum Canonum, meritò audiri possit. Patet ulteriùs, concordiam esse debere, & confœderationem specialem, inter hanc Regalem Curiam, Justitiæ fontem, & Universitatem fontem scientiæ, & præcipuè diligi debet, & honorari Scriptura sancta, ut illa in qua fundantur, & stabiliuntur Justitiæ fundamenta, ad quæ recurrere necesse est, si aliqua difficultas, aut perplexitas oriatur in aliis scientiis de humanis Juribus tractantibus. Et si quis conaretur turbare hanc concordiam, & unionem, ipse de facto monstraret, se non diligere Justitiam, nec Regis honorem, quià *Honor Regis judicium diligit.* Ps. XLVIII. 4. Ideò arguendi sunt hi qui irrident Theologiam perindè ac si phantasia quædam esset, quià eorum transcendit intellectum, immò omnem intellectum creatum, sive hominis fuerit, sive Angeli; & cognoscitur in lumine Fidei, aut gloriæ; & ipsi comprehendere vellent, & intelligere sicut alias veritates per intellectum eorum humanum materialem, & carnalem, & per naturalem rationem sine Fide. *Nisi credideritis non intelligetis.* Isaiæ. VII. secundùm 70. Patet etiam, nullum esse posse perfectum Legistam, aut Canonistam, nisi noverit Theologiam, aut eam præsupponat, sicut principia sua certa, & immutabilia: *Omnium enim Legum inanis est censura* (ut quidam ait) *nisi divinæ Legis imaginem gerat.* Exemplum de Medicina respectu Philosophiæ, & alicujus Præpositi, qui judicare vellet falsum argentarium respectu aurifabri. Pariformiter est de Judicibus respectu peccatorum, & terminorum Legem divinam tangentium in sua Justitia, sive sint hæreses, blasphemiæ, sortilegia, aut sanctorum Sacramentorum vilipensiones, vel generaliter nostræ Religionis transgressiones. Et si quis instet, dicatque, per hunc modum unumquodque Judicium reduci posse ad Theologiam aut ad Fidem, quia in unoquoque malefacto reperitur contrà Deum inobedientia. Responsio dabitur per id quod in secunda consideratione dicetur, ubi declarabitur, quomodò non oporteat omnia peccata aut transgressiones Justitiæ reduci contrà errorem Fidei, aut ad hæresim, vel ad Judicium Ecclesiæ, quemadmodùm imponunt aliqui Theologis, eos sic facere velle causantes. Dicamus insuper quoad secundam partem de Justitiæ descriptione, quæ dicit, *Jus suum unicuique tribuens*; quòd nihil est justum in quacunque re, nisi inquantùm divina voluntas sic ordinavit. Et in hoc inveniri potest verbum quod Juvenalis perversæ attribuit mulieri:

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

Sed autenticum magis ad propositum hoc est quod dicit Propheta: *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, & in omnibus abyssis.* Ps. CXXXIV. 6. Et sanctus Gregorius sanctum imitando Basilium dicit quòd *Prima lex naturæ est Dei voluntas*, secundùm hoc sancta Scriptura & Theologi, sicut Boëtius, nominant ordinationes rerum naturalium *Leges*, aut *Jura*, ut: Istæ sunt Leges cœli, & Deus certa Lege cuncta coërcet, & similia. Hoc modo Leges reperimus, & Jura in unaquaque re, sive

ſive ſenſibili, ſive inſenſibili, ſicut lex ignis eſt ſurſùm aſcendere, calefacere, & ſiccare. Lex terræ eſt tendere deorſùm. Lex avium eſt, nidificare tali, vel tali modo. Lex formicarum eſt; grana colligere; & aranearum telas facere : & ita in omnibus rebus, in quibus relucet ſapientia, & juſtitia ſummæ voluntatis Dei, quæ ſic dat, & reddit unicuique quod ſuum eſt, dono, & liberali ordinatione; & in hoc conſiſtit pax, atque tranquillitas regni naturæ. Verum eſt, magis propriè ſolitum eſſe loqui de Juſtitia, & Jure, reſpectu ſolius creaturæ rationalis, quæ liberam voluntatem habet faciendi unum, aut alterum, & rationem ad judicandum, & diſcernendum quod bonum eſt, aut malum ; & ſecundùm hanc acceptionem inpræſentiarùm loqui debemus, quod in ſecunda fiet conſideratione de Judicibus, & Juribus.

Sed antequàm accedamus, dicamus adhuc in prima hac conſideratione de Juſtitiæ natura, ad cognoſcendum, qualis eſſe debeat Juſtitia humana, & creata, reſpectu Juſtitiæ divinæ, & increatæ. Et dicamus, Juſtitiam humanam Dei Juſtitiæ conformari debere, ſicut vero ſuo exemplari, quià eò valet ipſa, & eſt honorabilis, quò imitatur hanc exemplarem : ſicut per figurale exemplum, Lex Præpoſiti aut Balivi bona eſt eouſque quouſque ipſa Regis Legem imitatur, & illi conformatur. Conſiderandum itaque eſt, qualis ſit Juſtitia ſumma. Et quamquàm hoc omninò comprehendi non poteſt; attamen cognoſcimus per ſanctam Scripturam, & naturalem rationem. Satis concordat quòd in Deo vt in ſummo & perfecto Domino & juſto Judice, eſt potentia, eſt poteſtas, eſt ſapientia, eſt ſcire, eſt clementia, eſt velle. Et ſolùm appropriata eſt potentia Patri, ſapientia Filio, & clementia Spiritui ſancto. Sic *ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia.* Potentia Dei manifeſtatur in creatione, ſicut in cauſa efficiente. Sapientia in gubernatione, ſicut in cauſa formali, vel exemplari. Clementia in inclinatione, vel deſtinatione, aut ordinatione, ſicut in cauſa finali, ſecundùm quod in qualibet reperta eſt menſura, numerus, & inclinatio; nam *omnia fecit in numero, pondere & menſura.* Sap.11.1. Et ubique reperitur unitas, veritas, & bonitas. Ita modus, ſpecies, ordo, proportionabiliter ad tres cauſas, & ordo, aut moderatio, ſuper efficientem, exemplarem, & finalem. Hæc materia diffuſiùs declarari poſſet, ſed ad præſens tantùm ſufficiat; & applicemus hoc ad moralem inſtructionem, declarando qualis debeat eſſe humana Juſtitia, & qualis Judex eſſe debeat. In uno quoque Judice debet eſſe potentia, prudentia, & clementia, ſecundùm exemplum Dei, & deductionem Ariſtotelis *In Politicis.* Et unuſquiſque talis debet velle facere Juſtitiam, ſcire, & poſſe. Opus ergò eſt tres ſorores germanas ipſius Juſtitiæ (videlicet tres alias virtutes Cardinales) ſemper cum ipſa junctas eſſe, ſcilicet fortitudinem, vel conſtantiam quoad poſſe, & prudentiam quoad ſcire. Et ſic in Juſtitia humana tres illæ erunt virtutes. Ariſtoteles *in Politicis* Principi conſtantiam attribuit; prudentiam, & benignitatem ad politiam. Mutate tres ſupradictas res, ut ſit videlicet menſura quoad potentiam, numerus quoad ſapientiam, pondus quoad bonitatem, ſeu clementiam. Item proportionabiliter, unitas, veritas, bonitas. Et iterùm modus, ſpecies, ordo. Item pax, ratione potentiæ; veritas, ratione ſapientiæ, miſericordia ratione ſapientiæ juxtà illud: *Miſericordia & veritas,* &c. Pſ. LXXXIV. 11. In ſua Juſtitia Juſtitiam faciet abſque exceſſu in nimis magno rigore, aut calore, aut nimis magno languore. Erit modus non mittendo hàc atque illàc, ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Erit ordo nil aliud præter principale, ad quod Juſtitia ordinata eſt, exercendo, & eſt bonum, & pax politiæ. Et ſi altiùs ſcandere velimus, ſecundùm principia veræ Religionis Chriſtianæ. Juſtitia humana ſpem ſumet in potentia Dei; credulitas in ſua veritate, aut ſapientia; & charitas, ſive benignitas, in ſua bonitate, aut clementia. Hæ ſunt tres virtutes Theologicæ, Fides, Spes, Charitas. Adhuc poſſumus dicere ſecundùm proprietates naturales animæ, & ſuas virtutes. Iraſcibilis erit benè ordinata, & regulata per potentem conſtantiam. Virtus rationalis per veram prudentiam. Virtus concupiſcibilis per dulcem temperantiam. Et hoc applicari
A poteſt contra principales Juſtitiæ inimicos, qui ſunt mundus, diabolus & caro. Poſſumus ulteriùs dicere, quomodò per hunc modum in Juſtitia humana, & terrena, figurata erit, & aſſimilata Juſtitia Angelica, & cœleſtis. Exemplum de prima, & ſuprema parte, ubi ſunt Cherubim, Seraphim & Throni. In Seraphim abundat clementia, charitas, benignitas. In Cherubim ſcientia, veritas, & ſapientia. In Thronis potentia, ſtabilitas, & conſtantia. Et hæ res ad tres applicantur ſtatus. Ad ſtatum Militarem, quoad potentiam. Ad ſtatum Clericalem quoad ſapientiam. Ad ſtatum Civilem, quantùm ad concordem obedientiam.

Pro ſecunda conſideratione : Juſtitia creata, aut participata, ſive humana, eſt *una virtus quæ inclinat habentem tribuere unicuique jus ſuum,* hoc eſt, illud
B quod ſuum eſt. Terreni Judices ſunt hi qui coërcitivam habent Juriſdictionem. Coërcitiva eſt *potentia faciendi Jus ergà alium, velit nolit.* Jus eſt *quod ſpectat ad aliquem, ſecundùm voluntatem, & ſupremi donationem, ſive ſit Deus principaliter, aut aliquis alius miniſter.* Juriſdictio terrena eſt *Juriſdictio ordinans alterum in vita ſua terrena, ſeu temporali, quoad proximum finem, aut intentionem, ſecundùm Leges naturales, & humanas.* Juriſdictio ſpiritualis eſt *Juriſdictio, quæ alterum ordinat in vita ſua ſpirituali & immortali, quoad, proximum finem, vel intentionem, ſecundùm divinam Legem, & Canonicam.* Lex eſt *ſignum per quod homo cognoſcit id, ad quod obligatus eſt judicio, & voluntate ſupremi ſui Legislatoris, ad attingendum finem vitæ temporalis, vel ſpiritualis, aut utriuſque.* Signum per quod, &c. eſt mentale, aut vocale, vel ſcriptum. Lex divina eſt in quadruplici gradu : naturali in principiis moralibus poſitivis, quodam civili, & altero canonico. Volun-
C tas duplicem habet ſpiritualitatem : unam quidem in virtutibus, alteram in rebus ad Dei ſervitium, & Miniſtrorum ejus dedicatis. Sed ceſſemus de his membris proſequi, & teneamus, &c.

Dicta noſtra ad ſecundam conſiderationem convertamus, in qua debemus inveſtigare qui ſunt hi qui judicant terram, id eſt, terreni, vel temporales. Altiùs ergò exordiendum eſt nobis, ſecundùm Theologicum proceſſum à primo principio ad concluſiones dependentem. Proceſſus verò humanæ noſtræ ſignationis alium tenet proceſſum, incipiendo ſcilicet per concluſiones & effectus primum cognoſcere principium. *Inviſibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur.* Rom.
D 1. 20. Diximus jam, & declaravimus, primam, & ſummam Juſtitiam eſſe voluntatem Dei; eſt enim ſumma Lex ligans, & obligans. Attamen Juſtitia hæc ſe derivat, & communicat ad extrà, ſicut facit ſua potentia, ſua veritas, ſua bonitas, & dominatio ſua; & ſit hæc communicatio creaturæ rationali principaliter, ut detur cognitio voluntatis ejus: & eſt hoc quod nos appellamus judicium, aut rectæ rationis dictamina. Deus voluntatem ſuam diverſimodè manifeſtat, præcipuè duobus modis, conſiliando, aut dehortando per conſilium, præcipiendo, vel prohibendo. Hîc ſunt duo ſigna Dei voluntatis, videlicet Conſilium, & Præceptum. Et propriè loquendo Præceptum eſt hoc quod facit Lex, quoniam Lex dicitur à *ligando*, id eſt, obligando. Patet ergo Juſtitiam divinam ſe communicare, & derivare principaliter creaturæ rationali, & adhuc ſpiritualiùs creaturis rationalibus mundi præſentis, quas appellamus viatrices, aut peregrinas, quia dicunt cum Apoſtolo : *Non habemus hîc civitatem manen-*

tem, &c. Hebr. XIII. 14. Ad præsentem namque mundum spectat & pertinet civilis dominatio secundùm Leges, & Justitiam obligantem, potiùs quàm ad salvatos, & damnatos. Dicamus itaque primùm figuraliter, & in summa terminos huc pertinentes. Politia est *hominum mortalium societas ad bonum ordinata.* Præceptum, est *benè obedire ut vivatur in pace, & sufficientia quoad temporalitatem, aut quoad spiritualitatem.* Politia una dominium habet divinum sub titulo civilis charitatis, aut Ecclesiasticæ temporalitatis; & vocatur Regnum, ubi unus dominatur; Politia verò Aristocratica, ubi pauci boni; tyrannis est contraria ex novis obligationibus. Dicamus igitur ut meliùs descendamus ad cognoscendum id quod declaraturi sumus in secunda hac consideratione, qui sint terreni Judices, &c. quòd homo compositus est ex duabus substantiis: una quidem corporali, & materiali; alterà verò incorporali. Et hìc mirabilis est conjunctio quæ comprehendit, & repræsentat universum magnum mundum. Ideò dicitur homo microcosmus, & omnis creatura. Et hæc conjunctio secundùm Metaphysicos, & Theologos facta est, ut omnis creatura ad suum reducatur principium, ad Deum videlicet per hominem. Videamus prætereà, quòd secundùm hanc duplicem substantiam, aut partem, homo duplicem in generali modum vivendi habet, secundùm duplicem finem. Unus quidem finis est supernaturalis, divinus, & in æternitate. Alter est naturalis, & materialis in temporalitate. Et certum est, horum finium unum esse ad alterum ordinatum, ut corpus ad animam, & temporale ad æternum, vel perpetuum. Loquor Christianissimis, nolo hìc insistere, quoniam etiam ipsi Philosophi in hanc convenerunt sententiam cum de hominis loquerentur felicitate. Erigamus consequenter nostræ considerationis oculos ad veræ Fidei lumen. Id enim comprehendere non possunt, nec investigare Philosophi in solo naturali lumine per peccatum originale obscurato, quamvis rem quamlibet cognoscant. Ad hoc tendunt Poëtæ de ætatibus, & seculo aureo. Meditemur etiam hominem creatum fuisse sine peccato, & in Justitia pro statu innocentiæ: *Fecit Deus hominem rectum.* &c. Eccle. VII. 30. Homo in illo statu non indigebat Legibus, aut Justitia activa coërcitiva, ut ad bonum converteretur. Non igitur requirebatur dominatio civilis, aut politica, verùm sufficiebat dominatio secundùm originem, & Justitiam, ad reddendum unicuique quod suum est, Deo, corpori suo, suo proximo, omni creaturæ. Poterat esse dominatio aliqualis excellentiæ Patris ad Filium, viri ad uxorem, sapientioris ad minùs sapientem, & universaliter ratio dominabatur omnibus [illegible]bus ratione carentibus. Accidit autem, quòd propter transgressionem Legis quæ imposita erat homini, & denunciata, & propter inobedientiam, mox regnum hominis, & dominium in tyrannidem, & subjectionem versum sit, ac omninò veluti infirmatum & perversum. Homo enim perdidit suæ dominationis titulum, Justitiam videlicet originalem; tunc quia ratio non obediverat Deo, perdidit per Justitiam vindicativam, & punitivam talem dominationem. Proprium enim corpus suum in schisma versum est, & rebellionem contrà magistram suam & reginam rationem, à quo prodierunt, & adhuc prodibunt peccata, & contrà rationem violentiæ, quas die qualibet experimur in rapinis, latrociniis, homicidiis, sacrilegiis, proditionibus. Et loquendo per metaphoram, aut similitudinem, tunc quatuor tyranni Justitiæ contrarii, hominis regnum invaserunt. Qui sunt quatuor hi tyranni? Sunt quatuor passiones quæ nominantur, gaudium, tristitia, spes, timor. De his Virgilius 5. *Æneid.* Philosophus *primo Rheticorum*: & *in Prosa. Confusa sunt*, &c. Postea quàm ergò ratio non sufficiebat ad seipsum, & alios gubernandum, sed superveniebant in dies persecutiones hominum istorum quidem contra illos, necesse fuit pœnas imponere, & punitivas Leges contra perversos, & injustos, ut boni, & simplices vivere possent in pace. Et hìc radicem habemus, & causas dominationis, & coërcitivi dominii. Causa efficiens occasionalis fuit peccatum. Causa finalis fuit pax, tranquillitas, & sufficientia, in vita civili propter finem alterum spiritualem, & divinum. Causa formalis in Legibus consi-A stit benè institutis. Causa materialis est rationalis creatura mortalis, glorificabilis.

Posteaquam investigamus, & invenimus causam, & initium instituendi Judices super terram inter homines, faciliùs cognoscemus descriptionem, & terminorum declarationem, qui necessarii sunt ut cognoscant pro re nostra, de quibus in summa diximus. Justitia (ut dictum est) *virtus quædam est, quâ is qui eam habet, inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est, aut jus suum.* Justitia dividitur in Justitiam originalem, naturalem divinam, vel Evangelicam, idest, politicam, civilem, Ecclesiasticam. Et Justitia politica dividitur in Justitiam (quæ inter mercatores est) commutativam, & Justitiam (quæ est inter Judices) distributivam. Cognoscitur hæc divisio, vel distinctio, respiciendo Justitiæ officium in statibus diversis. In statu namque innocentiæ originalis regnabat justitia, in qua fundata erat titulus, & jus dominii quod homo in tali habebat statu tum in seipso, tum ad extrà, nec amitti poterat, nisi Justitia amitteretur originalis. Sed prætereamus hunc innocentiæ statum, & dicamus, B quòd Justitia naturalis, inquantùm hominem respicit, fundatur in principiis Juris, & naturalium Legum: quæ quidem principia omnis intellectus sanum habens rationis judicium cognoscit, & judicat esse vera, quemadmodùm est hoc principium: *Non faciendum est alteri, quod quis minimè vellet sibi fieri. Benefactores diligendi sunt. Parentes sunt honorandi. Nemo injuste occidendus est*, & sic de aliis Præceptis, quæ per Moysen in veteri Lege repetita fuere, quia non unusquisque sanum habet intellectum, aut naturale judicium, ratione originalis corruptionis, sed est anima veluti obfuscata, obducta, obscurata, aut ut liber obsitus, & deletus. *Excæcavit eos*, &c. Justitia naturalis *virtus quædam est, quæ habentem inclinat ad tribuendum unicuique quod suum est jure naturali.* Di-C ximus enim hominem ad duplicem finem, & duplicem vitam, secundùm substantiam suam, ordinatum esse. Unus quidem est finis, & vita spiritualis. Alius autem finis, & vita temporalis. Et quoniam spiritualis finis excedit vires naturalis ingenii, & ejus transgreditur cognitionem; necesse fuit Deum inspirare, & revelare finis illius, & vitæ notitiam, atque cognitionem. Et quia Deus & natura non deficiunt in necessariis, Deus revelavit à mundi creatione cognitionem hanc, quanta requirebatur. Habemus enim Cain & Abel Deo sacrificia obtulisse, consimiliter Noë, & Abraham. Et expressiùs revelata fuit hæc cognitio, & ordinata per Moysen in Lege veteri, sed adhuc multò expressiùs & digniùs in nova Lege, quam Evangelicam appellamus. Justitia itaque Evangelica *virtus est per quam* D *eam habens inclinatus est ad reddendum unicuique quod suum est, secundùm Jus Evangelii, propter beatitudinem, aut felicitatem adipiscendam, & damnationem evitandam.* Adjiciamus insuper, & dicamus, quòd posteaquàm homo naturâ suâ civilis est, & communicativus, & talem habet indigentiam cui convenienter succurrere non potest absque alterius subsidio, homo inductus fuit, & veluti compulsus in communi vivere cum aliis; & opus fuit instituere, ac ordinare aliquos convivendi modos. Et virtus Justitiæ, quæ ad hoc faciendum inclinat Justitia nominatur civilis, aut politica. Politia (ut dictum est) est *hominum societas ad bonum ordinata,* ad

ad rectè præcipiendum & obediendum, ut in pace vivatur & tranquillitate & sufficientia, aut quoad vitam hanc temporalem, aut quoad spiritualem. Justitia politica est *virtus qua inclinat reddere unicuique quod suum est, secundùm ordinationes & finem politia ubi ipsa fuerit, sive temporalis sit, sive spiritualis.* Et quoniam principia Juris, aut naturalis ordinationis sufficiunt ad temporalem vitam gubernandam, ordinatæ fuere & institutæ humanæ quædam ordinationes & veluti voluntariæ, naturali Juri minimè obviantes: sed etiam non sequuntur evidenter, præsertim quoad simplicium magis cognitionem. Pariformiter dicamus, Ecclesiæ principia haud quamquam sufficientia esse ad Ecclesiasticæ politiæ gubernamen quoad spiritualem vitam, nisi adjungatur aliquid, aut particulariùs enodentur; & ecce causam ultrà eam, quæ dicta est. Ecclesia sancta in principio possessionibus non fuit onasta, nec magnis redditibus, quoniam Legislator Jesus Christus eam fundare voluit per se, & suos Discipulos, & Apostolos in omni humilitate, & spiritualitate per Evangelii sui prædicationem. Undè habemus ipsum fugisse, cùm turbæ eum Regem vellent constituere. Et ordinavit Apostolos suos, & Discipulos, contentos esse his quæ elargiebantur ab illis quibus prædicabant. Dicit quoque sanctus Lucas hos qui crediderunt in principio, omnia in communi habuisse. Apostoli autem nolebant se in quoquam occupare, neque in operibus misericordiæ exercendis, ut liberè quocunque ire possent, & prædicare. *Non est æquum nobis derelinquere*, &c. Act. VI. 2.

Politia spiritualis (quam nos Ecclesiasticam aut Evangelicam nominamus) tunc præcipuè Evangelio regebatur, & per eos qui ipsum Evangelium norunt, & intelligunt, quos nos Theologos appellamus. Et duravit hoc gubernamen, istaque Politia Ecclesiastica pro sustentatione sua, & ad honorandum, & per favorem attrahendos homines ad Legem, & Dei servitium. Secundùm Evangelicam politiam recepit nonnulla antiqua politia de Synagoga, quæ & figura est. In principio enim Deus nullam habuit temporalem habitationem, sed erat tabernaculum, vel Arca Dei, quæ ferebatur de loco in locum: sed postmodùm Rex Salomon Templum instituit in magnis divitiis, & magnificentia. Verum est multos murmurare hîc, & arguere Ecclesiam valdè malè egisse eas recipiendo possessiones. Et dicunt tempore sancti Silvestri vocem quandam auditam fuisse: *Hodie venenum effusum est in Ecclesia Dei.* Et venerunt nonnulli in talem furorem, quòd dixerunt, post sanctum Silvestrum in hodiernum usque diem omnes Papas, & alios qui possessiones hujusmodi receperunt, & tenuerunt, membra esse Antichristi. Et plerique adhuc hodiè dicunt, quarè Prælati non vivant ut Apostoli.

Sed hoc error est, & blasphemia, quemadmodùm paulò post dicemus. Deus diversos habet modos suos gubernandi, modò quidem in adversitate, modò verò in prosperitate: pariformiter secundùm diversitatem temporis, ac temporalium locorum ad servitium suum exercendum applicatorum, ad felicitatem acquirendum in spirituali, ac Ecclesiastica politia. Cur non etiam Episcopi sunt ut primi Christiani? Sic autem actum est (ut dici solet) quòd qui solum habet aut terram, habet & prælium: nihil enim usqueadeò benè inter homines ordinatum est, quo perversi non abutantur, sive divitiæ sint, sive paupertas. Ideò conveniens fuit, secundùm Aristotelicam doctrinam, facere plures ordinationes, quas nos Leges appellamus, Decreta, vel Canones, hoc est, Regulas ad justitiam unicuique faciendum, & injustitiam repellendum. Quoniam autem humanum ingenium non est infinitæ capacitatis: Theologi, qui eousque gubernarant, non suffecerunt cognoscere, & memoria tenere positivas tales ordinationes ultrà Legem Evangelicam. Et sic veram, ac legitimam causam habemus divisionis Theologiæ à Decretorum Facultate, & discretionis Legis Evangelicæ & Juris Canonici una ex parte: Philosophia moralis divisa est à Legibus positivis alia ex parte. Habemus etiam discretionem Justitiæ civilis, & Justitiæ canonicæ, secundùm bonorum, & factorum diversitatem. Unam quidem temporalem quoad Justitiam, & Politiam civilem; alteram spiritualem quoad Justitiam, & Politiam Ecclesiasticam. His hîc suppositis, & intellectis, facile est aliorum terminorum cognoscere discretionem, jus & potentiam, facultatem aut licentiam, qui de facto ad aliquem spectant, secundùm justam rationem. Jus Divinum pertinet, secundùm Evangelium. Jus naturale, secundùm principia naturæ. Jus Ecclesiasticum, aut canonicum, secundùm Decreta. Jus civile, secundùm Leges. Et pariformiter manifestum fiet, quæ res sit Jurisdictio divina, naturalis, canonica, civilis. Jurisdictio nil aliud est, quàm *potestas faciendi & exercendi Juris divini, naturalis, canonici, civilis*: & restringitur Jurisdictio coërcitiva; alioquin potestas esset Jurisdictio ordinis.

Lex est *signum aliquod, aut significantia, quâ homo id cognoscit ad quod est obligatus per divinum, aut naturale judicium sui Superioris.* Ideò est Lex canonica, & civilis. Tria sunt signa ejusmodi; mentale, vocale, & scriptum. Lex divina ordinat hominem principaliter, & proximè ad spiritualem finem, & perpetuum, & in Evangelio est contenta, aut in eo quod necessariò sequitur ad Evangelii veritatem; aut in illo quod Deus specialiter voluit revelare ad dictum finem propinquum vel in illo quod tenet Ecclesia, & determinat per Apostolorum Traditiones in diversis hucusque successionibus. Nota hîc quatuor gradus divinæ Legis, aut Evangelicæ. Lex naturalis ordinat hominem ad finem naturalem proximè, & principaliter: & sunt hæ duæ Leges immutabiles, in quas nulla cadit dispensatio, nisi à Legislatore, à Deo videlicet solo. Lex canonica hominem ordinat ad vitam spiritualem principaliter, sed hoc est medio humanæ institutionis, & voluntariæ, atque positivæ, & veluti per medium vitæ hujus temporalis, quæ spiritualis nominatur. Lex civilis proximè ordinat hominem ad vitam suam, quià Deo est dedicatus, mediantibus institutionibus humanis positivis, & voluntariis, quamvis demùm vita hæc ordinari debeat ad spiritualem vitam, & perpetuam; sed non est immediatè, in quantum est talis vita. Patet ulteriùs quæ res sit dominium Evangelicum, naturale, canonicum, civile. Nam dominium Evangelicum, secundùm Fidei, Spei & Charitatis acceptionem amitti non potest, hoc durante titulo, & competit pluribus plenè, & integrè simul. Aliter Evangelica dominatio in divini Juris fundatur institutione. Dominatio naturalis in donis, & in jure naturæ fundatur. Dominatio canonica in jure Decretorum & sanctorum Canonum. Civilis dominatio in Legibus & Jure humanorum Legislatorum. Unaquæque Jurisdictio quatuor utitur Legibus, divina, naturali, civili, canonica. Jurisdictio temporalis militiæ juncta, non proximè utitur Legibus naturali, civili. Spiritualis Jurisdictio, juncta Ecclesiastico statui, principaliter utitur & proximè Legibus divina, naturali, canonica, secundùm humanas bonitates. Duæ hæ Jurisdictiones duobus illis junctæ statibus, sunt veluti duo ipsa brachia politiæ Christianæ. Pacem quoque habere debent, ac unionem ad divinæ Justitiæ thronum sustinendum. Ambitio cupida, stulta, & mutabilis Justitiæ suisque sororibus contraria, quæ sunt benignitas, veritas & constantia, conatur schisma immittere, & divisionem inter duas illas Jurisdictiones, & spiritum mittit mendacii, modò ad unum statum, modò verò ad alterum, ut malevolentiâ, falsitate, & inconstantiâ eos seducat. Statui quidem militari dicit ipsum dilatari debere, & suam augmentare Jurisdictionem, propter honorem suum, & gloriam,

riam, suam quoque successionem, sibique alium statum, Ecclesiasticum scilicet subdere, & ejus Jurisdictionem; cùm fortitudo sit strenua. Ad id autem colorandum quatuor affirmat falsitates. Qui Jurisdictionem habet spiritualem, temporalem habere nequit; sunt enim veluti album, & nigrum, contrariæ. Christus Jesus verbo prohibuit, & exemplo, ne Ecclesiastici ullam temporalem haberent Jurisdictionem. *Nolite possidere*, &c. Matt. x. 9. Fugit cùm eum vellent facere Regem, &c. Militaris dominatio suam alienare non potest Jurisdictionem, ideò nec ad Ecclesiasticam transferre potest.

Status Ecclesiasticus nullam habet Jurisdictionem, nisi dono terrenorum Principum, ideò semper in hoc subjecta manet militiæ, quæ Ecclesiasticum statum omni temporalitate privare, & spoliare potest. Exemplum de cornicula, quæ induit plumas aliarum avium. Justitia fieri debet amore bono, & benè regulato, non autem odio, non ira, non superbia, non ambitione, non crudelitate. Hoc enim modo Justitia verteretur in injustitiam, propter modum, & finem agendi. Propterea dicit Lex antiqua: *Quod justum est, justè exequeris.* Deut. xvi. 20. Patet ergò hanc non valere consequentiam: Homo hic mortem justè meruit, ergò is qui eum occidit, non peccat, nec est puniendus. Occisor enim variis modis errare potest; & deficere: aut quia non est Judex constitutus; sed privata persona: aut officium suum judicandi ad hanc non extendebatur personam, eò quod alterius est patriæ, aut Jurisdictionis. Patet insuper, quòd in supradicto casu occisor Legem transgreditur divinam, quæ dicit: *Non occides.* Exod. xx. 13. Et est advertendum, quòd hoc Præceptum immutabile est, nisi autoritate Dei qui eam dat, & nisi inveniatur ipsummet exceptiones fecisse; quemadmodùm in pluribus casibus in antiqua Lege invenimus, ut de homicidis, adulteris, hæreticis, sortilegis. Non autem invenitur (ut arguit Doctor quidam Theologus Scotus *in* 4. quòd pro simplici furto Deus exceptionem fecerit, occidendum scilicet esse furem.) Non etiam reperitur quòd aliquis qui non est Judex alterius, ipsum occidere possit, esto quòd morte dignus sit per Justitiam. Sed hoc prohibitum est, alioquin sequeretur perturbatio in politia, & confusio, & vellet esse unusquisque Judex uniuscujusque. *Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt.* Rom. xiii. 1. Patet prætereà occisorem plus delinquere posse alium occidendo sub titulo officii Judicis, quàm si talis occisor privata esset persona. Dicit sanctus Augustinus, quòd *Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Potest etiam accidere majus damnum politiæ hoc primo modo, quàm altero, propter studium, & malum quod sequitur exemplum, eò quòd alio tempore ab aliquibus trahi niteretur in consequentiam, rem talem licitè, ac justè fieri posse: & hoc modo plus mali, & adversitatis sequeretur alteri. Dicit Julius Cæsar in oratione sua, quam recitat Salustius: *Omnia mala exempla ex rebus bonis orta sunt*, idest sub specie boni. Exemplum adducit de triginta tyrannis, qui Athenas gubernarunt. In principio quidam occiderunt nonnullos pessimos, & odio habitos, sine Judicio, & absque hoc ut priùs audirentur. Hos occisores laudabat populus; sed paulò pòst tyranni hi, bonos sine Judicio interemerunt. Idem recitat de Sylla, qui Romæ interfecit Damasippum, & alios culpabiles, absque ordine Justitiæ. Romanus populus eumdem laudabat, & lætabatur, quoniam his talis debebatur justè pœna, sed postmodùm Sylla comprehendit & bonos, ut eorum habere posset divitias pro se, & suis, quos puniebat sine ordine, & Justitiæ ratione. Habemus in sacris Literis, Saül reprobatum esse à Deo; quod quamvis David minimè lateret, nunquàm tamen eum voluit occidere, sed jussit interfici hunc qui ei suam nunciavit mortem, eò quod diceret, se ipsum occidisse ob postulationem. *Quomodò*, inquit, *ausus es mittere manum in Christum Domini*, &c? 2 Reg. 1. 14. Et deindè jussit occidi alios duos, qui interemerant filium Saülis sui adversarii. Sic fertur, Alexandrum his fecisse qui Darium trucidarunt. Patet insuper, Judicem aliquem pejus agere posse, & graviùs puniendum eum esse, si erret in modo Justitiam exercendi, excedendo metas, & potestatem suam in occisione alicujus malefi-
A ctoris digni morte, quàm si eum occideret ut privata persona, sine titulo, aut umbra sui officii. Hoc declarari posset centum modis, secundùm quod centum modis, & pluribus damna accidere possunt per primum factum, quàm per secundum, ut exemplum evenire potest, ut alii Judices pro suo exemplo vellent eodem modo facere, & sic forsitan delinquerent, ut Superior eorum factum hoc ad Legem traheret, & sic injustus erit Dominus ille, & tyrannus per eorum inductionem. Et accidere etiam potest, ut Prælatus aliquis aut duo, immò verò tota Ecclesia Jus suum perdet, & Jurisdictionem. Et qualis cessio esset hæc, qualis injustitia, & damnificatio? Hi fortassis qui mortem non meruerunt, sustinebunt eam, quemadmodùm Ecclesiasticus non præsentialiter meruit mortem, si simplex fur sit, sed vivere debet suamque facere pœnitentiam in carceribus. Si ergo interimatur mox, nonne est occidere hunc qui mortem minùs meruit;
B & hoc perpetrare nunquid est homicidium?

Adde etiam, quòd si res aliqua est consecrata, & Deo dedicata, is qui eam aufert, & eam frangit, aut malè tractat, possessore invito, sacrilegium committit. Et sacrilegium tantò gravius est, quantò res est sacratior, & pretiosior.

Consideremus itaque si creatura rationalis data & Deo sacrata, ut est Clericus, qui est de sorte, & communicatione Dei, secundùm sui nominis interpretationem *Cleros* Græcè, *sors* Latinè: consideremus inquam, si non sit res pretiosior quàm calix aliquis, aut imago Templi, aut francus datus in truncum. *Nolite tangere Christos meos.* Ps. civ. 15. Addamus adhuc, quòd talis aliquis de quo loquimur, habeat per juramentum solemne, & per Superioris sui Præceptum onus hujus rei, nonne hoc est notorium perjurium? Et pœnas agnoscitis quæ contrà hujusmodi sunt Judices. Etiam hoc ad proditionem rei reduci posset. Addamus prætereà Sententias prorsùs jactas,
C & fulminatas de facto in sanctis Canonibus contrà eos qui Ecclesiæ impediunt Jurisdictionem, & contrà sacrilegos, qui separandi sunt, nec cum eis est habitandum, à quibus nec Regii excipiuntur Officiarii. Adjiciamus insuper, quòd aliquis talis defendere vellet factum suum, & ipsum justificare, & hi de suo consilio pariter, nonne est obstinationis signum in malo, & desperatio correctionis tam pro eo, quàm pro suis? *Humanum est peccare, sed diabolicum perseverare*: Iterùm: *Non minùs ardebit qui cum multis ardebit: quia non minùs peccat qui cum multis peccat. Non insequeris multitudinem ad faciendum malum.* Exod. xxiii. 2. Adjungamus, ut respondeatur ad id quod objici posset, aut dici ad punctum postremò tactum, quòd talis sit sufficienter de facto informatus per sapientes Clericos, & alios, quòd factum hoc malum est, & injustum, quemadmodùm prætactum est; nec tamen ob id se humiliat, nec fa-
D ctum emendat: confiteri non vult, sese perperàm & malè fecisse; immò imponit rem factam esse per Dominum suum, & bonum consilium, hîc nulla erit ignorantiæ excusatio. Adjiciamus huic proposito, quòd unus talis scire potest Sententias, specialiter contrà alios Judices qui similiter deliquerant, qualiter puniti fuerunt. Notentur casus Judiciorum. Addamus talem se ingerere velle Ecclesiæ Servitio, & Missæ, non obstante quacunque excommunicationis Sententia, in qua esse eum ipse intimatur. Addamus quòd propter factum alicujus talis, & (quoniam correctus non est) à Lectionibus cessetur, & Sermoni-

nibus in tota Universitate Parisiensi, & Parisiis. Intelligite hîc, quale malum fit suspendi bona ex lectionibus, & sermonibus emanantia; mille & mille peccata non fierent, mille & mille bona opera pro vivis fierent, & mortuis, mille & mille animæ à Purgatorio liberarentur. Honor Regis & Reginæ in hoc est per totam Christianitatem læsus, eò quòd extranei publicant Parisiis nil fieri quoad doctrinas, & Sermones, eò scilicet quòd Justitia haberi non possit. Dicent ipsi: Tangit Cancellarium Parisiensem in speciali propter lectiones. Addamus insuper, quòd A factum talis alicujus valdè tangit honorem, & libertatem, & exaltationem sanctæ Ecclesiæ, & Christianæ Religionis, ad quam sustinendam sanctus Thomas & alii ad mortem usque bellaverunt: & fortassis in minori casu. Judicate itaque si aliquis talis, de quo loquimur per exemplum, posset esse rationabiliter de hæresi suspectus, aut ad minùs, quòd malè sentiat de Christiana Religione, & ejus exaltatione, & si de hoc secum agi posset coram suo Ordinario Ecclesiæ. Addamus, talem aliàs in simili casu fuisse deprehensum, & magis quàm quemcunque suorum Prædecessorum, quorum sit memoria.

Vertamus denique sermonem nostrum ad enumeranda signa nonnulla per quæ cognosci posset si Judex aliquis diligat Justitiam, & in præsentiarum de tribus contenti simus principalibus secundùm tres habitudines, seu respectus, qui sunt in unoquoque B Judice. Unus respectus est ad Deum, & ad religionem suam. Alius ad Dominum suum, suamque dominationem. Alius ad semetipsum, qui sese subdit rationi. Dicamus ergò, quòd amor Dei, suæque Religionis, signum est Judicem terrenum diligere Justitiam. Cur? Quia in Deo est fons, origo, & exemplar totum Justitiæ, secundùm quod in prima diximus consideratione. Quomodo Judex aliquis justus esset aliis, si injustus sit Deo summo Judici? Nota exemplum de Constantino, quomodò probavit viros Curiæ suæ amicos per hunc modum, &c. Communi autem dicitur adagio, quòd *Qui Dominum diligit, ejus diligit gubernationem; & qui Regem diligit, ejus Legem diligit.* Sequitur ergò quòd qui Deum diligit, Ministros suos sibi dedicatos C diligit, amat suam Religionem, suam Ecclesiam, suum honorem, suam libertatem, liberationem, & exaltationem, servat Jura sua, & omnia quæ sua sunt diligenter. Exemplum de prædecessoribus Regibus, sancto Ludovico, & aliis, &c. Nota Epistolam sancti Augustini ad Judicem quendam sui temporis, ubi dicit, quòd *Deus finis esse debet omnis terrenæ Justitiæ*, &c. Hîc addere possumus quomodò unusquisque Judex habere debet tres virtutes Theologicas Justitiæ sorores. Spem in potentia Dei, quod ei daturus sit Constantiam. Fidem in sapientia Dei, quòd ei dabit Prudentiam. Charitatem in veritate Dei, qui ei dabit Temperantiam, Benignitatem, & Clementiam. Alioquin Judex est corruptus, & subversus à throno Justitiæ facile admodùm, nisi confirmatus sit, & stabilitus in Deo per has virtutes: facilè potentiam timet humanam, operatur per mundanam cautelam, D deficit judicando, aut per austeritatem, aut per iram subitam. Applicetur omne illud ad præsens propositum.

Secundum signum, quòd terrenus Judex diligat Justitiam est, quando amat Dominum suum mortalem, & ejus dominationem, hoc est, cùm tendit ad conservationem Dominii ipsius per opera, & media quæ videntur conservare, & in pace tenere Dominos ad suos subjectos. De quibus mediis tractat Aristoteles v. *Politic.* Et medium principale est, quando in omnibus suis Judiciis ad bonum respicit publicum Dominii, potius quàm adulari, aut stultè complacere singulari Dominii personæ, aut famulorum ejus. Hoc enim pacto servabit à tyrannide, quod est venenum, & intoxicatio omnis Dominii exterminandi & subvertendi. Non debet favere plus illis quàm aliis in officio suæ Justitiæ. Et manutenere debet Jurisdictionem Domini sui, & suorum terminorum, seu possessionum suarum, absque irrationabili dimunitione, aut augmentatione: alioquin esset tyrannus, & per tyrannidem *Regnum de gente in gentem transfertur.* Nota de Theopompo. Applicetur signum hoc ad propositum. Nota de fatuo qui dixit Regi: *Vos interfecistis*, &c. Nota de Roboam. Nota de comparatione Legum ad telas aranearum. Nota dictum Ciceronis, & Platonis, *Qui unam præterierit*, &c. Tertium signum est amare semetipsum, & suos, ad se, suosque Justitiæ & rationi subdendos, quia Charitas ordinata incipit à seipsa: sic debet & Justitia, quia *qui sibi nequam est* id est injustus, *cui bonus?* Eccli. xiv. 5. & *qui domui sui præesse nescierit*, &c. 1. Tim. iii. 5. Declarat Aristoteles 8. & 9. *Ethicorum* quòd homo injustus se odio habet, & non diligit: conformiter ad id quod dicit Propheta: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ps. x. 6. Causa est, quia vult sibiipsi maxima mala, scilicet mala peccati; & subdit partem suam meliorem, videlicet rationem pejori, scilicet sensualitati. Applicemus hoc ad propositum, quòd Judex malefactor velle debet ut Justitia fiat sibi. Exemplum de duobus in Valerio. Nota qualiter desiderandum est, ut quis hîc puniatur, & non in Inferno, aut Purgatorio. Exemplum de Mauritio. Diligere igitur debet talis, ut sua prosequatur correctio, &c.

Quæ sequuntur adjecta sunt ab alio Scriptore.

Utinam essent multi Gersoni similes, qui Potentibus hujus sæculi veritatem absque adulatione, nec dimidio dente, aut per risum, sive per facetiam sed cum maturitate, constanter, & intrepidè aperirent, ad Justitiamque, & Pacem (inter Christianos præsertim) persuaderent. Desinerent fortassis, aut minuerentur rapinæ, sacrilegia, iniquitas, & injustitia; securitas præstaretur peregrinantibus, grassatores vias publicas obsidere timerent, & Germania præcipuè à tam pudenda tandem infamia liberaretur, quâ prisci, & nostræ ætatis scriptores latrociniis eam plenam asseverant. Julius Cæsar meminit. Thomas Aquinas in prima secundæ recenset. Franciscus Petrarcha conqueritur, & qui hodiè Germaniæ terras quasdam peragrant, qui quotidiè cum damno, & mœrore experiuntur. Principes tanta latrocinia nescire non possunt, & utinam ipsi hujuscemodi latrones sub alis suis non foverent. Eos inquam, qui advenis, Romipetis, Clero, civibus, & præclaris Imperii civitatibus passim insidiantur, bella indigna movent: sub quorum titulo innocentes, & Christianos viros invadunt, jugulant, spoliant, manibus truncant, atque trucidant. Tanquàm post hanc brevem miseriam non superfit altera quædam perpetua vita; tanquam Deus justus Judex non sit eos pro tantis flagitiis perpetuò castigaturus, tanquam peccatum à Deo dimittetur; nisi ablatum restituatur.

Utinam hæc saltem Augustini verba in cordibus fixa essent, & vera esse certò crederentur à quibusdam equitibus, qui & de nobilitate quadam sua gloriantur: qui verè sunt nobiles, si nobilitas est dira, & inhumana deprædatio, furor, blasphemia, humani sanguinis effusio, civium, Druidum, & Ecclesiasticorum sæcularium persecutio, contemptus: odium, & depopulatio calamitosa. Miserandum est, tales non cogitare se homines esse natos, non lupos aut tigrides; non vivere humaniter, ut homines; non me-

meminisse se esse Christi mysteriis initiatos, non habere eos in corde suo ullam Legem, saltem naturæ, qua inclinarentur alteri non facere quod sibi fieri nollent; non cogitare eos quoque quos spoliant, & jugulant esse Christianos, Christi sanguine redemptos. Non cogitare, quòd Turcarum Imperator tanta latrocinia in terris suis nequaquàm sustineret. Non cogitare de morte, de salute, de justitia Dei, A de novissimo Judicio, de Sententia irrefragabili, de sempiternis ignibus, & perpetuo cruciatu. Non saltem cogitare de sua fama, de nomine, de probitate majorum, de laude patriæ, & de propria nobilitate. Non judicare impium esse alteri per vim sua rapere, cùm ipsi quandoque furem, qui vix duos aureos subtraxit, in patibulum faciant affigi, cùm flagitiosior sit furto, rapina. Non timere saltem propriam conscientiam, quæ relatrare debuit, quam effugere non possunt, quæ valet mille testes, & si spoliati vel tacere cogantur, vel prædones illos obvoluto vultu non agnoscant unquàm, tum ratio, tum conscientia eos prodit. *Luna videt, & sydera testes intendunt oculos*, ut est apud Satyricum. Et animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari potest, ita conscientia mentem latronum indubiè vexat, aut ita cæcos reddit eos sua vecordia, ut Fidem, Religionem, famam, æquum, honestum, omnem Legem, atque pudorem pro nihilo ducant, immò ipsum Deum justum Judicem derideant, in malisque, & sua crudelitate, latrocinioque stolidi persistant, non secùs ac ipse dæmon, cujus sunt famuli, & satellites, cui parent, quem rapinis placant, à quo & pòst paucos dies in ignem inextinguibilem miserrimè detrahentur.

FINIS.



JOAN-

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

ORATIO

AD REGEM

FRANCIÆ.

HABITA ANNO 1413.

Ex MS. Cod. Vict. 138.



R*EX in sempiternum vive.* Dan. II. 4. O Roi tres noble & excellent, vivés toûjours sans finement. Ce beau salut vous presente vôtre treshumble fille l'Université de Paris, comme jadis les sages Philosophes, qui lors étoient de cette Université étant en Egypte, *ubi primò cœperunt philosophari*, dirent à Nabuchodnozor Roi de Chaldée, & de Babylon, quand furent venus en sa presence *Rex &c.* Pareillement, Sire, vôtre A bonne Ville de Paris, vôtre Cité, *De qua dicta sunt gloriosa*, vôtre Cité, dis-je, glorieuse, Royale, devote, & Religieuse, par ma bouche vous fait ce beau salut, elle qui porte presentement en sa devise, *Le droit chemin*, c'est le chemin Roïal, qui tend à la conservation de vôtre Seignorie Roïale, & de vôtre tres noble personne, vous dit: *Rex in sempiternum vive.* Mais incontinent se meut une question, comment Sages & Bourgeois desirent à un homme mortel, & dient *Rex &c.* Roi vis perdurablement, & sans fin. Nous mourons tous. *Omnes morimur.* Eccli. XXV. 33. *Hodie Rex, cras moritur.* Nous lisons de tous nos predecesseurs, tant aient vegus, que le refrein est. *Mortuus est. Nota historiam de illo qui conversus est. Quis est homo qui vivet, & non videbit* Ps. LXXXVIII 49. *mortem, quærit Psalmista, hoc est judicium* B *omni carni*, c'est certain comme de la mort, ce dit-on en proverbe commun. Repondons que le Roi a triple vie: vie naturelle, ou corporelle; vie espirituelle; vie civile, & universelle. Chacune de ces vies a sa pardurabilité. La vie naturelle, la quelle donne l'ame au corps, sera pardurable quand le corps résuscitera, clair & ...., subtil, & immortel. La vie espirituelle, la quelle est donnée à l'ame par la grace du saint Esprit demeure pardurable, se on ne peche point mortellement, ou quand apres peché on se releve par penitence. La vie civile & universelle, la quelle est donnée à un Roi par loïal amour du bien public & commun, *Quia Imperium nascitur ex fonte* C *pietatis*, dure en ce Roïaume par legitime succession de la lignie Roïale, sans certain terme & comme pardurablement quant à ce monde, *quousque cesset omnis principatus;* si pouvons souhaiter & prier a vous, Sire, qui avez cette triple vie, *Rex &c.* O Roi tresnoble &c. Et que dirons nous, Sire, par ces paroles, fors que vous honourés vôtre corps sans le corrompre par villaïne ordure, afin qu'il ressuscite en gloire & en vie pardurable de Paradis quant à la premiere vie. Nous desirons que vous gardiez l'état de grace, afin que vôtre ame vive toûjours ici sans la mort de peché mortel & en la parfin en la pardurable felicité. Quant à la seconde vie, nous desirons que vous aïés loïal amour au bien commun de vôtre Roïaume, tellement que par legitime succession de vôtre Roïale lignée vous viviez en elle, car la vie du Pere se continuë en la lignie, comme dit le sage, *Mortuus est Pater, & quasi non est mortuus, reliquit enim filium sibi similem.* Eccli. XXX. 4. Exemple de David, qui fit regner, soi vivant, son fils Salomon. Et pareillement nous lisons de Cosdroé, & de plusieurs autres Rois. Veez, Sire, comment vôtre treshumble fille vous saluë raisonnablement, hautement, & profitablement, & disant, *Rex in sempiternum vive.* O Roi tres noble &c. Cette salutation par especial, quant à la tierce vie de la quelle est plus à propos, fit jadis S. Remy à Rheims quand il baptisa le Roi Clovis. Car dit l'histoire, que S. Remy rempli du S. Esprit lui denonça, que sa Roïale Seignorie dureroit tant que vraie Foi, & Justice domineroit en son Roïaume. Et se aucun demande pourquoi la fille du Roi? Pourquoi sa bonne Ville de Paris? Pourquoi son Parlement? Pourquoi sa Chevallerie, & son Clergié, car je porte la parole de tous en ce, & j'en aurai bien l'aveu, pourquoi dis-je, ils font presentement plus ce salut que une autre fois? La raison y est bonne, Sire. Les sages Clers dient, que servitude est une mort civile, voire mort plus à fuir que n'est mort corporelle, *Nemo bonus libertatem nisi cum vita amisit.* Or qui est ainsi depuis aucun temps? dont est douleur & horreur à reciter; vous, & vôtre Successeur legitime, Monseigneur de Guyenne, & la Reine, & outre encore vôtre Chevallerie, vôtre Clergié, vôtre bonne Bourgeoise, esquels gist vôtre vie civile, Roïale, & universelle, estiez comme en servage & en tres dure & vile servitute par l'outrageuse entreprise d'aucunes gens de petit, ou nul estre, qui vouloient donner & querir leur propre profit, selon de ce que vôtre fille l'Université, & vôtre bonne Ville de Paris ecris par tout, comme bien informez. Et proteste pour maintenant, & autre fois, que je ne tiens à venjance quelconque, ou à punition, mais seulement pour la verité, & pour y mettre provision, ou temps futur. *Quia non evitatur malum, nisi cognitum.* Ainçois je fais ici de par vôtre bonne Ville de Paris en especial cette imprecation de bon cueur, volontaire, & entiere. Que par la misericorde que Dieu vôtre souverain Seigneur vous à faite & par icelle grace que vous attendés de lui; par la consideration aussi du Jugement de Dieu, quand il parloit à Abraham sur la destruction des cinq Citez pecheresses, pour le peché qui ne fait à nommer, ou il disoit, que

si dix justes ètoient trouvés en la Cité, il il épargneroit à icelle. Sire, par cette misericorde, par cette grace, & par cette consideration, que, non pas dix, mais dix mille sont en vôtre bonne Ville de Paris, veüilliez pardonner, & abolir tout le méfait passé sans punition, en tant que vous verrez qu'ils en auront repentance, & qu'ils ne vauront point perseverer en mal, *Quia beneficium non datur in invitum.* Et pardonner à son ennemi qui le quiert de fait à destruire, ce n'est point douce pitié, mais sote & crueuse folie, *Quia nulla est clementia bello.* Cette protestation & supplication faite pour maintenant & autresfois contre le murmur d'aucuns, qui peuvent imputer ce que nous disons à cruaulté, & à venjance, ou à punition, & dissipation du Traitié de paix, que Dieu ne vueille: disons pour la verité connoitre, que tels gens de petit, ou nul état faisoient prison privée, prenoient, tuoient, meurtrissoient, noioient par nuit, sans quelconque ordre, & forme de procez & par corruption d'argent. Aucuns, comme on dit, usoient d'invocations d'ennemis, & prenoient conseil des Juifs, & n'est rien que ils haissent tant que on parle de paix, ou de Traitié, & persecutoient tous ceux qui en parloient, ou y tendoient. Car autrement ils ne pouvoient estre assurez, ce leur sembloit : *Quia semper præsumit sæva, perturbata conscientia, ait Sapiens.* Sap. XVII. XO. Notez de celui qui volt tuer son Seigneur. Et puisque le fait feut atteint, son Seigneur lui demanda en reprochant la grace paravant faite, pourquoi il il le vouloit occire; je vous dirai, Sire, répondit ce traitre, certes je connoissois que j'avois tant mefait envers vous, que je ne pouvois avoir esperance de pardon, & si vous tendois par tout detruire, afin que je heusse aucune seureté. A ce propos dit Seneque, *Qui multùm debet, multùm ingratus est.* Et selon le Proverbe commnn: *Ja homme n'aimera celui, qui l'a repité de la mort.* Or etoient telles gens qui tenoient Sire, vous, & toute vôtre Roïale lignée en telle vile, & servile oppression, & trop plus que je puis, ou veuil reciter. Mais, Dieu mercy, mercy à Dieu, & à sa glorieuse Mere, & à tous Saints, & Saintes, qui gardent ce Roïaume tres-Chretien, tout leur effort, toute leur folle, & crueuse entreprise est mise comme au neant, qui en sçaura bien user ? Notez ce que je dy, *Qui en sçaura bien user?* Et tout cecy s'est fait plus par miracle que par voie humaine, disoit n'agueres vôtre Prevost de Paris aux Deputez de vôtre fille l'Université. Nous estions, dit il, vous, & nous tous perdus, morts, & destruits, se le remede n'y eut esté ainsi brief mis. Ou parlez de tels merveilleux & autres malefices sans nombre; entant que cent mil hommes d'armes, comme je heus n'y eussent pas tant fait pour remedier à ces besoignes & à vôtre Roïale vie, sans bruit, sans effusion de sang, & sans méchief comme ha fait Dieu. C'est le bon Maitre qui œuvre sans demeure. *Nescit tardare.* Si devons bien, Sire, nous vos humbles subjects delivrez de si grands maux. Nous qui vous regardons mis en vôtre franchise & liberté Roïale. Nous qui veons confundus & confus les adversaires mortels de vôtre vie civile, & politique, Roïale, & universelle. Nous devons bien, Sire, vous saluer en conjoissant, & conjoïr en saluant, & dire. *Rex in sempiternum vive.* Je dirai plus, & dirai verité de ceux qui ont ces choses faites, que c'est à leur grand profit & salut que ils en soient accusez, s'ils en veulent bien user, *Quia sinere peccatores ex sententia agere, magna miseria est.* Et Augustin : *Nihil infelicius felicitate peccantium. Nota de gladio qui removetur a furioso.* Ceci est contre l'imagination de ceux qui dient. Pardonnés tout; mais non est, c'est cruauté fole, qui ne le feroit à la fin que nous disons, & qui n'en parleroit & attaindroit la pourriture de la playe mortelle toûjours se creveroit & refreschiroit. Mais survient encore une autre question. Car à plusieurs est une merveille des justes jugemens de Dieu, comment il a souffert telle oppression, telle violence, telle vile & tyrannique, non mie domination, mais subjection. Avisez que on eust plus doubté & plus obei à un varlet paillard, que à vous, Sire, ou à la Reine, ou à Monsieur le Delphin, ou à toute vostre bonne Chevallerie, & Clergie, & Bourgeoisie. Entant que de vos prieres, je ne dirai mie vos commandemens, ne de la Reine, ne d'autre: pour vôtre Oncle Monsieur de Baviere, pour vôtre A cousin Monsieur de Bar, pour autres notables Chevaliers, & Clercs, pour honorables Dames & Damoiselles emprisonnées, on n'en tenoit compte quelconque, & un prud'homme n'osoit aller par le chemin, quand un paillard, meurtrier y alloit chiere levée, leur entreprise étoit telle que ils contraignoient les bons estre avec eux pour coulourer & soutenir leur malice, comme j'ai oüi dire de M. d'Auffemont: comme un bien notable homme autrefois en plein Conseil dist de son Seigneur, que si qu'il avoit fait ce avoit été maugré lui & par contrainte. Escoutez que de tyrannique oppression bien les doit un tel Seigneur corriger & persequter quand ils empeschoient B la vie du Roi, & ce salut. *Rex in sempiternum vive.* Sire, je sçai bien que les Jugemens de Dieu sont incomprenables; neantmoins il me vient au devant, que la divine Providence & Sapience, *Quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Sap. VIII. I. Ha souffert ce méchief damnable & indigne, & incomparable, pour aucunes causes; jamais Dieu ne souffriroit mal advenir, s'il n'en vouloit aucun bien estre, selon que dit S. Augustin. L'une cause peut estre pour reconnoistre la grace de Dieu, & consequemment pour le loüer, servir, & magnifier. Car se Dieu montra onques sa puissance, sa sapience, & sa benivolence en ce Roïaume, il l'a icy montré : car soudainement il a separé les bons sujets d'avec les mauvais, separant *pretiosum à vili*, & a voulu que le Corps de vôtre fille l'Uni- C versité, le Corps de vôtre Parlement, le Corps de vôtre Clergié de cette Dioceze, le Corps de vôtre bonne Ville de Paris, & de vôtre bon peuple sont joints à vous, & à vôtre Roïale Seignorie, comme en disant de fait plus que de parole. *Rex in sempiternum vive.* Et vous sçavez, Sire, que la devise de vôtre bonne Ville est, *Vive le Roi*, & moult s'accorde la devise, qu'ils ont darrainement prise: *Le droit chemin.* Et qui est, Sire, le droit chemin? C'est le chemin Roïal, qui ne va à dextre, ni à senestre, qui est patent, & publique, sans angles, sans aguettes, sans fraudes, ou deceptions. Nous trouvons que les bestes fraudulentes, & astutes, & dommageuses, comme le renard, & le tesson, & le serpent, ne peuvent aller le droit chemin; mais vont toujours en variant, & en declinant, puis çà, puis là, & en tapinage, ou en mucettes. Ce ne sont pas vos loïaux sujets, pour les quels je parle; car ils vont le droit chemin, & le chemin Roïal. *Gradiemur viâ Regiâ.* Num. XXI. 22. Les fils d'Israël promettoient, qu'ils iroient le chemin Roïal. C'est le chemin droit, & publique, comme en disant, nous irons tous de vray cueur fin le Roïal & le droit chemin. Si devés bien, Sire, reconnoistre la grace de Dieu, & le bien loer, magnifier, & regracier, qui vous a fait telle operation merveilleuse, qui vous a donné tels subjets, lesquels ont exposé leur vie, & tout le leur, pour accomplir ce salut en vôtre Roïale personne. *Rex in sempiternum vive.* Et ici je prens l'autre cause pourquoi Dieu a voulu souffrir, ou permettre que cette horrible adversité soit venuë; c'est afin, Sire, que vous connoissiés vos bons sujets, & la foi, & loïauté qu'ils ont eu à vôtre vie garder &c. Ce n'est pas petit fruit, mais grand heur, selon le dit de Seneque, & de Boëce, quand on peut connoître qui est ami en necessité, & qui non. Sire, je puis bien dire comme expert, que en vôtre fille l'Université sont cent

&

& cent, & plus encor jofnes Maîtres, qui étoient menacez de tuer & d'eftre deftruits, non pas eux feulement, mais leurs Peres & Meres, & tout leur lignage. Et non pour quant ils ont tout abandonné, & meprifé pour vous fervir loïalement; & ont mis leur vie, & de tous leurs parens pour la voftre civile, & Roïale garder, & pour vous faluer, & dire. *Rex in fempiternum vive.* Pareillement je tiens que ainfi a efté en vôtre Ville de Paris, & en l'Etat de Bourgeoifie; mais je parle de ce que je fçai mieulx: fi fais l'exclamation des Alethes en Virgile, aux Saincts & Saintes.

Non tamen omnino Gallos delere paratis,
Cùm tales animos Juvenum, & tam certa tuliftis.
Pectora.

Venons à une autre caufe pourquoi Dieu paravanture a voulu fouffrir ce mefchief. Et qui eft elle? C'eft afin, Sire, que nous connoiffions tous la difference qui eft entre la domination Roïale, & celle d'aucuns populaires; car la Roïale à communéement, & doit avoir douceur, & mifericorde piteufe, *Reges domus Ifrael clementes fint.* 3. Reg. xx. 31. Noble cueur fi eft piteux; mais cuer civil, & villain, ha domination tyrannique, & crueufe, & qui fe deftruit par elle même & autre auffi. Si commandoit bien Ariftote à Alexandre, *Nec quos natura jacere præcipit, exalta*: On ne doit point, felon le proverbe commun, de un matin faire un levrier, ne d'un buiffon, un efprevier. Si vous fais ici, Sire, une ammonition, ou fupplication, & qui plus eft je m'enhardis de vous faire une obteftation, ou conjuration, par icelle grace que Dieu nôtre Souverain Roi & Juge vous ha faite, par la tresgrande amour que vous appercevez en vos bons fujets Clers, & laïs & nobles. Amez, Sire, & fervez Dieu de tout vôtre cueur, & vôtre puiffance, fans le courroucier par pechié mortel: & pareilement je parle à la Reine nôtre Dame Souveraine & à M. de Guyenne, qui font comme un membre avec vous, amez auffi, gardez & favorifez tous les bons fujets maintenant nommez, Chevallerie, Clergie, & Bourgeoifie, fans les grever par charges intolerables de tailles, ou d'autres oppreffions, afin que de tout leur cueur ils vous faluent toudis, & dient *Rex in fempiternum vive.* Soient bouttées hors entierement, & haftivement toutes gens d'armes: & quant aux Anglois, foit proveu par bon Traittié, où autrement: foit auffi ordonné que aucun vôtre fubjet de quelque eftat il foit ne face alliance ché vos ennemis fans vôtre congié. Et vous, nos tres redoubtez & tres nobles Seigneurs du fang Roïal, nous vous faifons cette même fupplication, cette requefte, cette obteftation; car vous éftes ceux, qui eftes la Couronne du Roi, & vous y devez bien entendre & l'accorder, comme il me femble; fi vous voulés accomplir la renommée que vous avez faite voler des pieça, que pour autre chofe ne voliez parler au Roi, que pour fon bien, & fon Roïaume. Or y étes vous, faites que les faits foient pareils aux paroles, gardez vous de mouvoir guerres civiles, ou de les continuer, & aiez la parole de Virgile en memoire,

Neu patriæ validas in vifcera vertite vires.

Ne convertiffez point vôtre vaillance & forte proeffe en la deftruction de vôtre pais, c'eft à dire, de ce Roïaume. Car autrement vous feriez contraires à la vie civile du Roi, & à ce beau falut. *Rex in fempiternum vive.* Roi vôtre vie ne foit finie.

Hîc incipit principale.

Defcendons maintenant plus en particulier de ce que nous avons à dire & y allons de plain meftier, comme on feule dire; allons le droit chemin fans fiction, ne palliation. Et pour fonder mieux & plus authentiquement nos dits, prenons l'Hiftoire de l'Ecriture fainte du Prophete Daniel, auquel font les paroles propofées pour theme écrites ou II. & III. chap. Confiderons, que dit la lettre. Elle dit, que Nabuchodonofor Roi de Babylon en Chaldée étoit en fa couche, ou en fon lit; il commença à penfer fort ce qui appartenoit à fon Roïaume, & ce qui étoit aprés à avenir. Là me vient au devant ce que difoit Caton, que il n'avoit point moindre cure de la chofe publique, que elle feroit aprés fa mort, que lui vivant; c'eft bien loïal amour du bien commun; contre ceux aux quels ne chaut comment tout voife, mais que ils paffent temps & que ils facent leur chofe bonne. Mais en efpecial vous, Sire, devez avoir telle cure ou follicitude pour le temps à venir, comment vôtre Roïaume fera bien gouverné à caufe de vôtre pofterité, ou lignie. Car en ce fe fonde principalement la pofition, qui dit, que le Roïaume fe gouverne mieux & fe maintient par fucceffion que par election. Pour ce que le Roi confidere que le Roïaume eft comme à foi propre en l'education de fa lignie. En aprés me vient au devant ce que dit Macrobe *in faturno*, que la chofe qui appartient mieux à un Prince, eft méditation, ou confideration, c'eft à dire, qu'il foit confideratif, ou penfif au bien commun. Il applique à ce l'hiftoire d'un jongleur *hiftrio*, qui figuroit un Prince comme battailler & aller çà, & là: l'autre jongleur le reprit & dît qu'il failloit, & fucceda en fon office, & lors fe mift comme un homme penfif, & fut loüé de tous qui là étoient. A ce s'accorde ledit du Sage. *Rex qui fedet in Solio Judicij, intuitu fuo diffipat omne malum.* Prov. xx. 8. Un Roy qui fied ou fiege de Juftice diffipe tout mal par fon regard; c'eft à dire, par fa confideration. Dit en un autre lieu le Sage. *Princeps, ea quæ digna funt Principe cogitabit, & ipfe fuper Duces ftabit.* Ifa. XXXII. I. Un Prince qui confidere & penfe ce qui appartient à un Prince fera fur tous les Ducs. En ce appert comme font à reprendre ceux qui du matin jufques au foir, voire toute la nuit empefchent un Roi, ou un Prince, qu'il ne peut penfer à chofe qu'il ait à faire pour le bien commun. Nous lifons de Scipion, qui au matin avant qu'il s'occupaft en quelconque autre chofe, il aloit au Capitole à Rome, & là étoit feul deux heures ou plus, pour mieux avifer ce qu'il avoit à faire. Au moins doit le Roi croire à ceux qui veillent, & penfent pour lui, & fon Roïaume. Dit S. Jerome en la glofe fur cette hiftoire, que Dieu veut reveler fes fecrets à un païen pour la cure qu'il avoit du bien commun. Et par plus forte raifon Dieu le revele aux bons Princes Chreftiens qui ont fiance en lui, non mie en l'aide des ennemis, ou feulement en aide humain: *Quia Cor Regis in manu Dei eft, quòcumque voluerit, inclinabit illud.* Prov. XXI. I. Et nous avons, que les Sages de Grece difoient pour cette caufe, que on devoit ajoûter foi au fonge du Roi, ou du Prince plus qu'à autre. Pour quoi? Pour ce ce que la divine providence les gouverne en efpecial. Et quoi que ce foit defdits des païens, c'eft certain felon les Theologiens, que les Rois & les Princes ont Angels gardes efpecials outre les autres gens, & qui font de plus haute Hierarchie en leur office. Et pourquoi? pour maintenir la vie politique du Roi en eftat & profperité, comme nous defirons en difant. *Rex in fempiternum vive.*

Sequitur principale.

Venons aprés à ce que dit l'hiftoire & la Narration, pour funder toûjours ce que nous avons à dire. Ce Roi Nabuchodonofor, comme il étoit penfif, s'endormit, & lors vit un tel fonge, ou vifion. Car comme eft écrit en Job, Dieu revele fouvent les fecrets en dormant. Avis étoit à Nabuchodonofor,

nosor, que devant lui s'apparut une statue, ou image grande à merveille & haute, & étoit son régard terrible & horrible. Le chief étoit de fin or: la poitrine, & les bras étoient d'argent: le ventre & les cuisses d'arrain: les jambes etoient de fer, & partie des pieds étoit de terre, & partie de fer: dit en surplus l'Histoire que une pierre fut séparée d'une montagne sans mains, & ferit cette statuë, ou image ez pieds & fut emmenée comme en cendres, ou en flammeche. Puis s'éleva, & suscita un Roïaume, qui estoit perdurable & sans fin. La signification litterale est des 4. Roïaumes principaux. Le 1. Roïaume fut des Assyriens ou des Chaldées en Orient, au quel regna Belus & puis Ninus & Semiramis, & aprés Nabuchodonosor. Le 2. Roïaume fut des Mediens ou de Perse, plus en Midy, ou regna Cyrus, & Assuerus. Le 3. Roïaume fut des Gregeois, plus vers Septentrion, ou regna Alexandre le grand. Le 4. Roïaume fut des Romains, plus vers Occident, ou regna Jules Cesar, & Octavien & autres. La pierre qui fut separée de la montagne sans mains signifie notre Seigneur Jesus-Christ, qui fut nai de la Vierge sans operation d'homme, lequel regne & regnera sur tous autres Roïaumes, & auquel subjette toute autre Seignorie est. *Cujus regni non erit finis.* La signification mystique pourroit être selon les Poëtes des 4. aages, ou 4. saisons, ou 4. siécles. L'un siecle premier fut d'or, sous Saturnus. Le second, d'argent, sous Jupiter. Le troisieme, d'airain toûjours en empirant. Et le quatrieme, de fer & de terre. 1. *Metam. & in Bucol. Eclog. 4. & in Boët.* La signification morale se fait par les Docteurs & expositeurs en maintes manieres & en especial par M. Richard de S. Victor mout soubtilement. Mais prenons une morale signification, ou application, qui est plus à nôtre propos présent, & conformement à la sentence d'Aristote & de S. Paul & de Plutarque, qui comparent un Roïaume à un corps humain, & à ses membres. Et disons que vous, Sire, & votre Roïaume pouvés être figurés par cette statue & image qui étoit grande, & merveilleuse & terrible à regarder. Pareillement est le Roïaume de France grand & merveilleux en dignité, en excellence & puissance, & autorité. Vous, qui étes Roi, étes le chief d'or avec tous ceux de vôtre sang Roïal: car en vous est valeur & authorité; & dessous vous sont trois Estats, c'est à sçavoir de Chevallerie, de Clergie, & de Bourgeoisie, qui sont signifiés par les trois autres parties de cette statue. Et en autre similitude sont figurez par les trois fleurs de lis d'or en vôtre ecu d'azur & Celestial. Estat de Chevallerie est comparé à la poitrine, & aux bras qui sont d'argent pour leur vigueur, & strenuité: selon ce que j'ay oy reciter, que le bon Glaiquin disoit, que quand il approchoit de ses ennemis, toute la poitrine lui elargissoit, & se tournoit comme en cueur; & en courage.

L'Etat de Clergie se figure par le ventre & par les cuisses qui sont d'airain, qui est métail bien sonnant Pareillement doit estre en Clergie clameur, & son de verité. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Isa. LVIII. 1. Et semble que le ventre ne fasse point de labeur, mais il nourrit les autres membres selon l'introduction que fit un Orateur, laquelle je passe.

Etat de Bourgeoisie, & des bons marchands & laboureurs, est figuré par les jambes, qui sont de fer, & par les pieds, qui sont partie de fer & partie de terre, pour leur labeur & humilité en servir & obeïr. Nous avons par ainsi quatre parties principales en ce Royaulme. Le Roy qui est le chef d'or, ou est valeur & authorité. Chevalerie ou est vigueur pour confondre adversité. Clergie ou est clameur de verité. Bourgeoisie ou est labeur & humilité. Le Roy ha vertu dominative, par Justice. Chevalerie ha vertu defensive, par force. Clergie ha vertu illuminative, par prudence. Bourgeoisie ha vertu substantative, ou portative, par attrempence. Et selon ces quatre vertus appropriées aux quatre vertus Cardinales, se peuvent appliquer les quatre points de la reformation du Royaulme qui tant de fois ont été proposés & sans fruit jusques icy.

Le premier point est du bon gouvernement du Roy & de sa personne, & de son hostel en comprenant la Reyne, & tout le sang Royal; quant au chief.

A Le deuxieme point est de la defense de son Royaulme contre ses adversaires étrangers, & privés; quant à la poitrine & aux bras, qui figurent la Chevallerie.

Le troisiesme point est de la Justice que chacun aist ce qu'il doit avoir, par bonne foy, & par raison; & c'est appropriement quant au Clergié.

Le quatrieme point est du domaine du Roy, & c'est par aucune appropriation; quant à la Bourgeoisie, sans forcloire les autres Estats. Et par ces quatre points de reformation, & pour la conservation de ces quatre parties qui constituent le Royaulme parfaitement prions quand nous disons *Rex &c.* Dan. II. 4.

Dit en aprés l'histoire que Nabuchodonosor oublia son songe & sa vision, & fit appeller tous les Sages de Babylon; mais ils ne sceurent dire, ou reveler cette vision, ainçois saluërent le Roy en disant B *Rex in sempiternum vive.* Dan. II. 4. Roy vivés pardurablement: car il n'est sage qui vous puisse dire cette vision fors seulement les dieux qui n'ont point conversation avec les hommes. Et depuis Daniel empetra par oraison la cognoissance de cette vision, & son exposition.

Qui se vauroit icy arrester pour declairer que les sages de Babylon entendoient par ces Dieux, & par telles paroles selon Platon, & de Apuleïus. Ce seroit matiere appartenant à Clers, & à l'Escole. Sy m'en passeray, & prendray icy une verité. C'est que homme quelconque ne puet parvenir à parfaite connoissance comment un Royaulme se doit gouverner, & avoir vie civile, & pardurable, sinon par la revelation de Dieu; laquelle revelation il nous a faite en la Saincte Escriture. Pourtant disoit le Sage en la personne de Sapience. *Per me Reges regnant & Legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15.

Je porroye cecy declairer pour monstrer les erreurs & l'ignorance qui ont été ez Philosophes, & Roys payens; qui se sont entremis bailler loys & regles pour gouverner la chose publique, comme Platon, Socra- C tes, & Tulle, & autres. Car au moins ont tous failly en ce point, qu'ils ne mettoient point la fin de leur gouvernement en Dieu, mais en vaine gloire, ou renommée, ou à autre fin temporelle, & terrienne, comme le declaire S. Augustin. *Libro V. De Civit.* & ailleurs *in quadam Ep.* Non pour quant doit chacun Roy, & Prince sousmettre tout à Dieu qui est le Roy des Roys, selon ce que signifie la pierre qui toucha cette statuë & la confroissa, & emmena comme en cendre; pour monstrer que ce n'est rien de domination terrienne sans luy, nez que de cendre, sy se doit touteviens humilier dessoubs luy comme cendre par reputation, comme faisoit Abraham, qui disoit. *Loquar ad Dominum meum cùm sim pulvis & cinis.* Gen. XVIII. 27. Sy est moult bel ce salut, & tel comme on doit faire à chacun Roy Tres-Chrestien *Rex &c.* Roy, vostre vie ne soit finie. C'est à entendre que tellement il gouverne soy & son Royaulme à l'honneur de Dieu, & en l'obeïssance dessoubs luy, que il puisse regner pardurablement, *alioquin quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Luc. XVI. 15. *Et potentes potenter* D *tormenta patientur.* Sap. VI. 7. Nous avons veu que les plus vils, & abominables ont esté Roys, ou Empereurs, mais c'étoit à leur mort pardurable, & damnation.

Sequitur propositio principalis.

Or est bien, nous avons mis, & coloquez les fondemens de cette proposition comme en quarreure; *sicut tetragonum sine vituperio*, selon les quatre principales parties de la statuë, qui signifient vous, Sire, qu

qui estes le chief, & les trois Estats dessous vous; Chevallerie, Clergie & Bourgeoisie. Venons à édifier sur chacune de ces quadratures aucunes veritez, & considerations : Et sur le premier je depescheray trois principaux points de mes instructions scellées. L'un est de loüer Justice, & authorité, ou Roy. L'autre de loüer verité en nôtre Foy; l'autre de loüer loyauté & bonne foy.

La premiere consideration est quant au premier costé de nôtre fondement, qui dit, que le chief de nôtre image mystique & figurative est le Roy, auquel est l'or de valeur & autorité, si disons ainsy. *Rex in sempiternum vive.* Dan. II. 4. Vray est, qu'auparavant c'est bon, ce me semble, que je preigne un escu contre le trait, & les sagettes de male bouche & de obloquution, & perverse interpretation. Cest escu me presente le Roy David, qui dit, que Misericorde Verité & Justice sont suers, & gardes de pais. *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi, Justitia &c.* Psal. LXXXIV. II. Si faut qui veut parler de paix qu'il ne blesse, ou chasse hors aucune de ces trois vertus; car paix s'en partiroit. Il convient donc tellement parler de bonne paix, que Misericorde y soit, que Verité y soit, que Justice y soit. Et cecy nous est figuré au tiers chapitre de Daniel par Daniel, & ses trois Compagnons, Ananias, Azarias, & Misaël; selon le sens Moral. Nabuchodonosor Roy figure franc vouloir en l'homme. Daniel signifie bon, & saint desir, auquel paix est promise, selon le chant des Anges. *In terra pax hominibus &c.* Luc. II. 14. Les trois compagnons de Daniel signifient les trois ver- Theologiques, Foy, Esperance & Charité, ou signifient les trois vertus dessus dites, Misericorde, Verité, & Justice. Or avient que Nabuchodonosor de son franc vouloir se tourne à la fois à orgueüil, & tyrannie, & veult que on adore soy, & son idole; mais les trois compagnons de Daniel le refusent. Et combien que Nabuchodonosor s'efforce de les ardoir en la fournaise de convoitise & de propre amour; afin que ils inclinent à faire sa volonté, non pas celle de Dieu, & de sa Loy : neantmoins Dieu, & son Angel les en garde, & est au milieu de la flamme sans ardoir.

Et appert quatre vertus semblables au fils de Dieu. C'est paix, *quia Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Matt. v. 9. Si me semble que pour quelconque chose je ne doy delaissier que je ne garde en ce que j'ay à dire verité, & par especial de la Foy & des bonnes mœurs: car faussetè contraire ne puet, & ne doit venir en Traittié de paix; mais seroit comme le fer en la playe, qui jamais ne la souffriroit venenir à guerison, & combien que le proverbe ancien dit, que verité engendre haine, & discord, *Veritas odium parit.* Non pour quant il vaudroit mieulx soutenir tel discord, que laissier verité, comme disoit Jesus-Christ le Dieu de paix à ce propos. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Matt. x. 34.

Pareillement, dis-je, que misericorde doit estre gardée avant justice, & justice avant misericorde. Car l'une sans l'autre est sote, & dommageuse. Sy peut on bien reciter les faussetez, les cruautez, les injustices du temps passé, non mie pour les punir toutes, mais pour s'en garder au temps à venir, & estre plus sages, & plus advisez, pour mieux recognoistre aussy le mal ou nous avons esté, & la grace que Dieu nous a faitte, & que nous hayons plus la guerre, & aimions paix, sans ce que nous nous laissions bruler & ardre au feu de male convoitise; mais que nous aimions le bien commun, le bien de paix, & tendions principalement que la vie du Roy civile & politique soit sans denüement, *Rex in sempiternum vive.* Dan. II. 4.

Ces choses premises, comme pour ma targe, & mon escu, je veüil édifier sur la premiere partie de ce que est premis pour fondement quatre considerations. Et pareillement sur chacune des aultres parties, mais ce sera plus briefvement.

Nous avons dit, que le chief de notre image, est le Roy, auquel est l'or de valeur, & d'authorité, & de vertu dominative. Si disons ainsy.

A La premiere Consideration. L'autorité Royale ne doit point soutenir, ou favoriser partialitez en son Royaulme : mais doit demeurer seignourisant sur tous en justice & equité : cette consideration veut dire, que l'authorité Royale doit tenir le droit chemin, le chemin Royal, à l'exemple du soleil, au quel est comparée l'authorité Royale. *Thronus ejus sicut Sol.* Ps. LXXXVIII. 38. Les sages Astrologiens dient, que le soleil va toujours sa droite ligne, qui se dit Eclyptique, sans tourner au zodiaque çà, ou là, à dextre, ou à senestre. Sur quoy fut dit à la loüange d'un Prince Romain Fabricius, que il ne declinoit plus hors du droit chemin de justice, nez que soleil de sa ligne Eclyptique. Autre exemple avons de ce en la balance.

Mais cette consideration nous dit pieça Platon que recite Tulle *lib. 3. De officiis. Qui curant unam partem civitatis, aliâ dimissâ, rem pernitiosam inducunt, seditionem.* Se un Roi, ou un Prince en sa domination se tourne d'une part, & laisse l'autre, il nourrit

B chose tres pernicieuse, c'est à sçavoir, sedition. Exemple du chief s'il suscitoit un bras du corps à la destruction de l'autre, qui seroit aussy bon & aussy sain, & profitable, ce seroit crueuse chose, à sa destruction.

Pareillement des autres membres recite Aristote, *au 7. livre de ses Polit.* Plusieurs manieres de mutations de Royaulme. L'une est quand le Roy ne va le droit chemin de Justice, en favorisant aux aucuns sans les punir, comme dit le Sage; *Regnum de gente in gentem transfertur propter injustitiam.* Eccli. x. 8. Et met Aristote l'exemple du Roy Philippe Pere du Roy Alexandre, qui pour cette cause feut occis en plein disner d'un noble juvençal, qui se nommoit Pausanias. Pour ce que le Roy n'avoit voulu faire justice d'un aultre serviteur, qui l'avoit deshonoré. Nota. *Justinus. lib. 9.* A ce feroit l'exemple de Absalon

C & de David. Exemple aussy du Roy Achab, au quel feut dit. *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.* 3. Reg. xx. 42.

Sire, cette Doctrine vous feust dite aultrefois passez deux ans, avant que cette douloureuse guerre feut mise sus. On parloit pour vostre Clergié de France & pour vostre Université, & feut la proposition solemnellement accordée, puis avoüée. On dit lors par quatre fois que pour Dieu, Sire, vous vous donnissiez bien garde de croire quelconque conseil qui voudroit vostre Royale personne faire partie, où elle doit estre Juge & Seigneur. Car il n'y avoit plus perilleux moyen à subvertir vostre Majesté Royale, & vostre Royaulme, que Dieu ne veille, que par vous rendre partial, & nous avons trop sentu la verité de cette parole. Cent mille personnes en sont mortes, & vostre Royaulme appauvry & dommaigié de plus de trois millions, & encore autant tiens-je, & encore fus pis, se Dieu n'en eust heu misericorde. Si concluons pour cette consideration en disant.

Vive le Roy, soit sans party,
Un Roy se perd qui se partit.

D C'est-à-dire qui se fait partie, où il doit estre Seigneur, & Juge.

Venons à la deuxieme consideration, & disons. L'Authorité Royale ne doit point constituer plusieurs Cours Souveraines de sa Justice, en laquelle est la valeur de sa vertu dominative. Cette consideration appert par similitude du corps, auquel ne doit avoir qu'un chief principal. Raison aussi avecques experience monstrent, que aultrement faire seroit, & a été n'agueres cause de division & de toute injustice, & subversion, & oppression des bons. Car incontinent que on vouloit grever une personne pour avoir le sien, ou pour haine, on le lançoit en prison, & y étoit souvent deux mois ainçois que on parlast à luy, & puis on lui faisoit jurer qu'il ne reveleroit riens de ce que on faisoit, &

& telles abhominations & abus sans nombre. Et revenoit en vostre Royaulme tel temps comme fust à Rome du temps de Sylla contre Marius.

Sire, c'est la plus principale garde de vostre Royaulme ce que vous n'avés qu'une Cour de Justice Souveraine, c'est vostre Parlement, auquel vous même répondés, & tous autres subjets le doivent mieulx faire. Par deffaut d'une telle Cour vont à perdition aultres pays, comme Allemanie, & Italie, ou le plus fort vaint, & vive qui vainche. De cecy naist cette crueuse & mortelle playe en Italie de Guelphes & de Guibelins. Cette plaie voult oster l'Apostre, quand il reprenoit ceux qui au commencement de l'Eglise disoient. *Ego sum Cephæ, Ego sum Apollo &c.* 1. Cor. I. 12.

S'ensuit la troisiesme Consideration. Authorité Royale doit estre plus forte en armes, & en conseil, que aucun de ses subjets : si doit pour cette chose bien garder tenir gens tant en armes, qu'en conseil, comme aussy ez offices Royaulx, qui soient mesmement au Roy, sans favoriser à partialité quelconque envers aultres, à cause de pansion, ou de service, ou d'office, ou de lignage. Pleust à Dieu, que cecy feust bien gardé & ordonné. Soient faits Officiers comme supplient & requierent vostre fille l'Université de Paris & vostre bonne Ville: soient faits de ceux qui ne se ingerent point, qui ne quierent point leur proufit singulier pour eulx enrichir, ou les leurs; qui ne soient à un, ou aultre Seigneur plus que à vous, Sire; qui soient faits par bonne election, sans faveur, & plus au bien de vous, & de vostre Royaulme, que au bien des personnes. Et pour ce faire il ne convient mie que aucun allegue droit en quelconque vostre office pour le temps passé ou présent. Et que on advise gens qui ne soient mie contraints par povreté de pillier, & de sucier plus fort le sang du povre peuple, comme il est en la parabole de l'homme playé, qui se dolut, quand on osta des mouches étant sur sa playe; car, dit il, les aultres viendront qui seront plus affamées, si me feront plus de douleur.

Nous avons veu que la racine principale de nostre mechief a esté le default de cette consideration, quant au conseil du Roy. Car l'une partie disoit que le Roy n'avoit presque que Conseillers, & gens partials. Je m'en raporte à ce qu'il en estoit; mais ainsi disoit on. Notés de Pompeye, & de Jule Cesar: disent aucuns que tres petit nombre de gens prenoient conclusions si haultes & si pesantes, que par avanture tout le Conseil du Royaulme, & des trois Estats assemblés ne les eussent osé prendre si hastivement & rigoureusement. Vrayment, Sire, vostre Pere feu Charle-le-quint ne conquist point l'authorité qu'il ot, par ainsy faire: car il acquist plus par amour & par benefice, que par tels rigueurs. C'est à dire que par faire ennemis, sciemment ceulx que on pouvoit avoir amis, & qui le veulent & le requierent.

Recite Valere au propos de nostre consideration *Lib. 2. de inst. ant.* que les Conseillers du Senat tantost qu'ils entroient au Conseil, *dimissis privatis affectibus, publicos induebant.* Ils laissoient leurs propres affections & voulentés & prenoient les communes; c'est à dire pour le bien commun sans partialité. Mais icy est une merveilleuse besoigne, car à peine puet on trouver un Prelat ou Conseiller, ou Officier, ou Clerc, soit de l'Université, ou d'ailleurs, ou un Bourgeois, que d'une partie, ou d'aultre ne se repute partial. Et d'où vient cecy? Cecy vient: car chachune des parties arguë, qui n'est pour moy il est contre moy. *Qui non est mecum contra me est.* Matt. XII. 30. Item: *Virtus culpatur ab extremis.* Et par ainsy quiconque se tient avec le Roy, & va le droit chemin Royal; sans favoriser l'une partie ou l'autre: l'une des parties, ou toutes les deux par avanture le jugent partial: & est un tel qui tient le droit chemin, souvent le premier feru, ou assailly, ou chiet, comme on dit, de deux selles à terre, ou se noye entre deux eauës. En ce cas dit Virgile de Galesus,

Dum me, dum Pater &c.

Macrobe recite de Tulle, qui avoit le bien publique pour le temps de la battaille civile entre Jules Cesar & Pompeye: & sembloit à Tulle que en l'une partie & en l'aultre avoit moult grand default. Comme aussy Caton le jugeoit, & n'étoit d'une partie, ne d'aultre, selon que recite Lucain; & Seneque dit en sentence, que Jules & Pompeye desiroient la chose publique, & Caton demeuroit au milieu, qui la vouloit garder. Les adversaires de Tulle jugeoient qu'il estoit de tous les deux partis: dequoy avint que Tulle dît une fois à un citoyen qui étoit devenu neutre à la requeste de Octavien Empereur, & descendoit de la scene. Je te feroye dit Tulle, place à seoir, si je n'étois tant empressé. Laberius ce citoyen apperceut bien qu'il se moquoit de luy: lors luy va repondre aussy aigrement; c'est merveilles, dit il, si tu siez estroitement, quand tu seuls seoir sur deux selles, en notant qu'il étoit variable, & d'un party & d'aultre: Pareillement dit on de plusieurs au fait present. Non pour quant si on demande à aucun es quels y es tu, & qui es tu: c'est bonne reponse, je suis vrai François, je suis au Roy, & non à d'aultre; c'est la voyè Royalle, c'est le droit chemin. Et ja Dieu ne vueille que je decline aultrement. Car aussy n'ai-je riens, que du Pape, & dessous le Roy, & ne vueil proufit quelconque, pour quoy en doy parler plus franchement & purement.

Adjoutons la quatriesme consideration & disons, que authorité Royalle est & doit estre telle, & si souveraine, que nul ne puet raisonnablement mouvoir guerre, ou faire port d'armes invasives, en contre un, ou plusieurs de ses subjets sans le congié du Roy expres, ou entendu. Je appelle le congié du Roy entendu, ou interpretatif, quand selon les Loix Royalles, justes & raisonnables aucune chose se fait au Royaulme. Car le Roy parle en ses Loix. Cette consideration est selon Droit divin, & naturel, civil & canonique. *Quia nemo sibi dicit Jus.* Nul ne doit estre juge en sa cause; pour ce porte le Roy l'epée, comme dit l'Apostre, *Rom.* XIII. 4. pour faire droit à un chacun. Non mie que un chacun vueille estre son propre juge; Exemple familier des enfans qui sont à l'escole; si l'un fiert l'aultre, l'autre ne doit point referir, mais doit faire sa plainte au Maître, ou autrement il fait de son droit, tort, & est batu.

Et notez icy que quand on parle du congié du Roy, ce congié s'entend qu'il soit reglé selon raison; car si par male information, ou autrement aucuns induisent le Roy à donner congié de faire injuste guerre, tels ne sont point à excuser, mais à blasmer doublement. Pourquoy? Pource que avec leur iniquité ils se divisent, & enveloppent l'autorité Royale. Si est ce icy sainte equité, qui est selon cecy, dit Saint Augustin, double iniquité, *Quia & iniquitas est & simulatio.* C'est iniquité & simulation, s'aucun indiusoit le Roy à donner congié de occire un homme qui n'auroit point deservi à mourir, cuidez vous, que tel en feust excusé? Certes non. Car la Loi de Dieu est par dessus, qui defend telle occision injuste, quand il dit. *Non occides.* Exod. XX. 13. Iterùm. *Qui gladium acceperint gladio peribunt*, Matt. XXVI. 52. *Glossa: authoritate propria* de propre authorité. O Ciel! O Terre! O glorieux Dieu de Paradis! comment a esté verité offusquée, confondue, & celée depuis six ans en ça. On a publié principe à toute bonne police contraire & detruisant toute authorité Royalle, pourquoy est venue turbation & excequation en la chose publique & peril de damnation. Apliquons l'histoire Acthéon, qui fut devoré de ses chiens. Pareillement le Peuple vouloit devourer le sang Royal, & de Noblesse par faulse apparence & information. Et, car chacun constitué au lieu de dire Verité, la puet & doit dire quand temps en est & necessité.

Pour ce aussi que mes instructions contiennent par exprés que la doctrine de notre Fois, & des bonnes moeurs soit tenuë entiere. Car fausseté ne se met point en Traittié, elle troubleroit tout & empescheroit. Je reciteray en reprouvant, & reprouveray en recitant aucune fausse doctrine, qui a esté semence de rebellion & de sedition contre l'Estat de Chevallerie, & consequemment l'Estat de Clergie s'en fût sentu au vif, & Bourgeoisie mesmement en fust destruite. Et proteste comme paravant, que je ne tens à punition de personne quelconque, morte; ou vive. Et que je ne vueil point me faire fort ou obligier de monstrer que telle doctrine ait été publiée par tels, ou tels; mais seulement je vueil publier nuement la verité, & la fausseté reprouver.

Contre la Doctrine de Maître Jean Petit.

I. ASSERTION. *Chascun Tiran doit & peut estre loüablement, & par merite occis de quelconque son vassal, ou subjet, & par quelconque maniere, mesmement par aguettes, & par flatteries, ou adulations. Nonobstant quelconque jurement ou confederations faites envers lui, sans attendre la Sentence, ou Mandement de Juge quelconque.*

Cette Assertion ainsi mise generalement pour maxime, & selon l'acception de ce mot *Tiran* est erreur en nostre Foy, & en doctrine de bonnes mœurs. Et est contre ce Commandement de Dieu *Non occides* &c. Exod. xx. 13. de ta propre authorité, & Matth. xxvi. 52. *Omnes qui gladium acceperint*, (Glossa, *propria authoritate*) *gladio peribunt.*

Item. Cette Assertion tourne à la subversion de toute chose publique, & d'un chascun Roy, ou Prince. Item: donne voye & licence à plusieurs autres maux, comme à fraudes & violences de foy & de serment, & à trahisons, & mensonges, & deceptions; Et generalement à toute inobedience de subjets à son Seigneur, & à toute deloyauté, & defiance des uns aux autres, & consequamment à pardurable damnation. Item: celui qui afferme obstinement telle erreur: & les autres qui s'en ensuivent; est herite, & comme herite doit estre puni, mesmement apres sa mort. *Decret. l.* 23. *qu.* 5.

AUTRE ASSERTION. *S. Michel sans Mandement, ou Commandement quelconque de Dieu, ne d'autre, mais tant seulement meu d'amour naturel occit Lucifer de mort pardurable; & pour ce il ot des richesses espirituelles autant comme il en peut recevoir.*

Cette Assertion contient plusieurs erreurs en la Foi. Car S. Michel ne occit pas Lucifer de mort pardurable; mais Lucifer occit soy même par pechié, & Dieu l'occit par la mort de la peine pardurable. Item: S. Michel ot Mandement de Dieu à deboutter Lucifer hors de Paradis. *Quia omnis potestas est à Deo; & hoc sciebat Michaël, quia erat constitutus Princeps à Deo, quem honorem non sibi assumpsit. Nota quomodo Michael non est ausus inferre judicium blesphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus &c. in Epistola Judæ.* ℣. 9. Item: Dieu luy eust peu bailler plus de richesses espirituelles, & il en eust peu plus recevoir. Et ainsi il ne deservit mie telles richesses par amour naturelle.

L'AUTRE ASSERTION. *Phinées occit Zambri sans quelconque Mandement de Dieu, ou de Moyse: & zambri ne fut point idolatre.*

Cette Assertion est contre le texte de la Bible, où est cette Histoire, selon l'entendement des gloses, & des Saints Docteurs, & de raison. Notez Num. xxv. 5. *Dixit Moyses ad Judices Israël: Occidat unus quisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et ecce unus &c.* Glossa: *Joseph dixit quod zambri Princeps in Tribu Symeon duxerat filiam cujusdam Principis Madianitarum, nomine Cozbi & uxore jubente in quadam solemnitate non immolavit Domino cum aliis XI. Ducibus: quamobrem, cùm Moyses Ecclesiam congregasset, & cum culparet coram omnibus confessus est alienigenam duxisse, & idola coluisse, & Legibus Moysi non esse obnoxium, & descendens coram omni turba quæ stabat antè fores Tabernaculi, intravit Tabernaculum uxoris: & sequens eum Phinées invenit eos coëuntes & confodit eos &c.* Num. xxv. *Suspendit eos.* Glossa. De Lyra. „Dicunt Expositores nostri, quòd punitio primò facta est de Principibus „per suspensionem, quia erant aliqui culpabiles in „transgressione idololatrando, & alii subditos reprimere negligendo.„ Et glossa. *Ra.* 7. Ut pœna „sit publica, sicut & peccatum, ad terrorem aliorum.„

L'AUTRE ASSERTION. *Moyse sans authorité quelconque, ou Mandement, occit l'Egyptien.*

Cette assertion est contre le texte de la Bible, *Act.* vii. 25. Selon l'entendement des gloses, & des Saints Docteurs, & de raison. Texte. *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem Israël.* Sequitur: *Quis constituit te Judicem.* Glossa. Solus Deus. Quoniam *non est potestas nisi à Deo.* Rom. xiii. 1. & Eccle. x. 4. *In manu Dei potestas terræ.* Glossa: & Lyra ponit expressiùs: „Quoniam „Deus per manum ipsius daret salutem illis: Jam „enim Dominus inspiraverat Moysi quòd liberaturus erat populum per ipsum de servitute Ægypti. Et sic jam constitutus erat à Deo tutor, & „defensor populi, propter quod non peccavit, vin„dictam illam faciendo.

AUTRE ASSERTION. *Judith ne pecha point en flattant Holofernes ne hi eu en mentant, qu'il vouloit honnorer Baal.*

Cette assertion est favorisante à l'erreur de ceux qui ont dit, que en aucun cas on peut loisiblement mentir, contre lequel erreur escript S. Augustin à S. Jerome *Si*, inquit, *admissa fuerint vel officiosa mendacia, tota Scriptura divina vacillabit authoritas.*

L'AUTRE ASSERTION. *Joab occit Abner, depuis la mort d'Absalon* &c.

Cette Assertion est contre le texte expres de la Sainte Escriture. 2. *Reg. cap.* iii. là ou on recite que long temps avant la mort d'Absalon Joab occit Abner.

L'AUTRE ASSERTION. *Toutesfois que aucun fait aucune chose qui est meilleur, jaçoit ce qu'il ait juré le non faire, ce n'est mie parjurement, mais est à parjurement contraire.*

Cette assertion ainsi generalement mise est fausse, & ne profite riens à ceux qui jurent sciemment fausses alliances; car c'est fraude, & deception, & parjurement, celer, & dire que cecy faire soit chose licite, est erreur en la Foy. Plusieurs autres assertions pourroient estre recitées, & reprouvées, lesquelles ont esté semées à l'occasion de cette maudite guerre civile; mais la brieveté du temps ne souffit mie; non pour quant, Sire, vostre authorité Royalle doit tres diligemment entendre, que toute mauvaise doctrine, & heresie soit chassée hors de vostre Royaume; car n'est pire poison. Vous aviez le principal serment à cete chose, les Loix, & les Decrets en trop de lieu vous obligent à ce. Hé Dieu & ce sont nos Prelats de Sainte Eglise; ou sont les Inquisiteurs qui sont tenus à extirper toutes erreurs de peuples jusques à la mort sans avoir paour, ou faveur, & sur peine d'encourir pardurable damnation. Et ne peuvent icy alguer paour qui viegne en homme constant. Car leur office à ce les oblige par le dit de Jesus Christ. *Bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis.* Joan. x. 11. Ce qui n'est fait, si se face, car mieux vaut tart que jamais.

Mais venons au tiers point de mes instructions en confermant ce que dit est, & parlons de loyal amour, & bonne foy en la quelle git la vie publique du Roy, & son authorité. Et est merveille comme cette layauté ne se maintient sans aultre assurance, ou convenance, ou obligation de serement, & jurement. Car se obligation naturelle fault à tenir loyaulté

yaulté. C'est fort que l'obligation de jurement, & de prouësse y souffise. Ainsi le repondoit feu M. de Bourbon, comme j'ay entendu, qui onc ne vault faire confederation, ou alliance par jurement avec quelconque de son lignaige, disant que bien luy souffisoit l'obligation naturelle. Et c'étoit saigement fait: Car dit Cassian *in Collat. Patrum. Que à peine vient bien des amitiez, qui se quierent affermer par jurement.* Et nous l'avons veu en Angleterre de nostre temps, & en Italie, & en France, & ailleurs. Car leurs confederations souvent n'ont été que deceptions. *Nota in Historia. S. Jacobi de illo qui non juraverat, & solus servaverat Fidem. Juramentum à malo est, scilicet à fragilitate credendi.*

Non pour quant je me vueil bien peu arrester à montrer l'obligation de jurement, quelle elle est, selon la Sainte Escriture, & selon tous droits, naturels, & civils. Car aussi l'Université ma Mere donna darreinement en ses instructions, que ce point fût principalement declairé, & élevé. Et l'ay aussi en mandement. Si disons, que l'obligation de jurement est la plus forte qui puisse être, entant que dit l'Apôtre *Hebr.* VI. 16. Que *jurement est la fin de toute controverse & de tout debat.* C'est-à-dire, que on ne puet plus demander. Dit outre S. Thomas, & plusieurs autres Docteurs, que violation de jurement, c'est à dire, parjurement est plus grand pechié *in genere suo*, que n'est homicide. Je laisse la declaration. Tel parjurement, quand il est solemnel, griefue plus la police, & scandalise, & est comme blaspheme contre la verité de Dieu; car autant vaut qui se parjure, comme qui diroit à Dieu: *Tu es un faux temoing. Tu mens.*

Parjurement aussi est tant mal de soy, que il ne ses puet bien faire pour quelconque dispensation, ou pour quelconque bien qui s'en doye ensuir. Qui devroit sauver une Cité, voire un Royaume, voir tout un monde pour soy parjurer, il ne le devroit mie faire. *Non sunt facienda mala ut eveniant bona.* Je ne dy mie touttefois, que on ne puisse bien dispenser en aucuns juremens; mais lors ce ne sera mie parjurement. En apres qui se parjure publiquement il est infame, & ne doit point apres estre receu en tesmoignage, sinon par avanture en aucun cas. Item: C'est l'une des plus grandes folies, & mauvaistié qui soit à homme, & par especial à un noble, que il jure tant que on ne le croye: foy de Gentil-homme se doit garder jusques à souffrir mort. Et encore le gardent les preux & vaillans nobles: On seule dire que parole de Roy doit estre estable. Nous veons que marchands, qui sont en autres choses grand pecheurs souvent, gardent neanmoins leur foy, que ils appellent *foy de marchandise.* Jurement est tel que il se doit garder, mesmement aut Payens, & mescreans. & à son ennemy. *Fides etiam hosti servanda est.* Nous lisons que la destruction & transmigration de Jerusalem, où tant de mil milliers perirent, vint principalement pource que Sedechias brisa sa foy, & son serement, & sa loyauté à Nabuchodonosor, qui étoit Roy Payen. 1. *Reg. ult. & 2. Paralip. ult.* Et notés icy, que Sedechias ne feut point excusé de son parjurement pour le conseil que son Clergié luy donna, disant, qu'il n'étoit point tenu à garder son serment envers un Roy mescreant, il erroit voluntiers. *Si cæcus cæco ducatum &c.* Matth. XV. 14. Autre cause fut pource qu'il ne vouloit ouïr Jeremie. *Non reveritus est me.* 2. Par. XXXIII. 23.

Certes qui publie que en aucun cas on puet mentir, ou parjurer sa foy, il détruit toute police humaine, toute conversation, & toute paix, & alliance, & demeure le corps de la chose publique comme sans nerfs, & sans connexion. Et qui est pis, toute Escriture, tant soit vraye, par cette assertion se destruiroit, selon le dit de S. Augustin allegué par avant. Et raison le convaint: car on diroit, que Escripture dit que Paradis est, non mie que ce soit verité, mais c'est mensonge, pour induire les gens de bien faire &c. Si disons en outre que un Traittié fait, & confirmé par serment se doit tenir, supposé que l'une partie le brise, voire par especial quand on peut avoir recours à Juge souverain. Et quand le Traitté & le jurement sont faits en faveur de la chose publique. Et icy fault cette regle:

A

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Notez la fable des pasteurs, & des loups, comment ils firent accort, & comment les loups le rompirent. Adjoutons à ce, que quiconque jure, ou promet à garder aucun Traitié, & il a voulenté contraire, & faute de le non garder, soit pour la defiance qu'il a de son adversaire, soit pour paour de luy, soit pour le decevoir. Tel est faulx & de loyal & parjure, quelconque chose il face en apres. Pareillement qui jure sciemment chose qu'il sçait, ou doit sçavoir estre illicite.

Adjoutons outre que un tel qui faintement jure, & vrayement parjure, se rend tel que à peine peut-t'on jamais avoir fiance en parole, ou en jurement qu'il face,

Fallere qui didicit, fallere semper amat.

B *Et iterùm:*

Fallere vult hodiè si qua fefellit heri.

Exemple des juremens des femmes folles, & des fols amoureux, lesquels plus jurent, moins on les doit croire, ce dit Ovide; Exemple d'aucuns lombards. *Nota.* Montoigne & c'est ce que on dit au proverbe commun d'un tel: *Il n'a foy à mentir.* Pourquoi fut Caïn vague, & fuitif sans se fier à quelconque personne? Ce fut pour la consideration naturelle, & fraternelle qu'il viola: si en fut ainsi puni. Nous avoüons, que les Romains destruisirent toute Carthaige, pource qu'elle ne tenoit ni foy, ni loyauté.

Amenons icy par maniere de recreation la fable du lion, & du cerf, qui est ez Croniques de France. Le lion, qui est beste singuliere, & incivile, étoit malade; . . . Renard étoit son Medecin, si lui conseilla qu'il mangeat du cuer d'un cerf, il en pensoit bien avoir sa part, comme gens de Court conseillent faire tailler pour y participer. Et Aristote dit

C que le renard & le loup, & telles bestes ensuivent le lion pour avoir part en sa proie. Le lion manda le cerf sur sa foy, en confiance, icy vint & s'approcha pres, & le Lion leve sa griffe pour étrangler le cerf. Le cerf gauchist, mais il demeura tout escorné. Le lion le manda la seconde fois, il y vint comme fol par l'induction du renard; & par ses sermens qu'il faisoit. Le lion ne faillit pas, & l'étrangla: en defaisant ce cerf; le renard avisa son cop, & happa le cuer en tapinage, & le mangea. Quand le lion demanda, le soupçon finablement chut sur le renard; lors en souriant il dit: ô sire lion, cuidés vous, que ce cerf eût cuer? Il ne fût point retourné la seconde fois à vous, s'il eust eu cuer. Faites l'application, & jugiés que le cerf devoit faire; il pouvoit bien garder sa foy au lion, mais que se gardast de l'approcher, & que le Lion ne l'approchast.

D

Adjoutons pour cette matiere, que s'acun brise son jurement publique, & solemnel, l'en doit faire publique penitence, tant soit confessé à part, & c'est pour oster l'esclandre des autres. Ce dit est contre l'erreur d'aucuns, qui dient que Confession souffit pour dire aprés, que on n'a rien fait, que on n'a commis, ou que on n'a point mal fait. Et qui plus est, celuy, ou ceux qui violent les Traittés de paix confirmes par serments, ils sont cause & coupables de tous les maux qui s'en ensuivent en guerres, en pilleries, en destruction de Peuples, & de Païs. C'est une

une dure ſentence contre ceux qui ont fait, ou font injuſte guerre par faux engin, ou par mauvais titre.

A la par fin je trouve par la recitation de Tulle *in lib. De Officiis.* Que entre les Romains n'y avoit choſe tant bien, & diligemment gardée comme étoit jurement, mêmement quand il étoit fait aux ennemis. Et fait Tulle à ce propos une queſtion: Pourquoi on loüe tant Regulus, qui retourna à Carthaige de ſa voulenté, & fut là crueuſement occis. Aucuns, dit-il, veulent que ſa louange eſt pour ce qu'il garda ſon jurement juſques à la mort. Mais Tulle a autre opinion, & dit que pour ce temps ſe Regulus euſt A voulu faire le contraire, c'eſt à ſçavoir, qu'il n'euſt voulu garder ſon jurement; les Romains l'euſſent contraint. Et de ce il recite pluſieurs exemples. L'un eſt entre les autres, que en la Bataille de Cannes un Chevalier Romain jura à Annibal, qu'il retourneroit. Annibal le creut ſur ſa foy. Le Chevalier faignit qu'il euſt aucune choſe oublié ez tentes de Annibal; retourna, puis qu'il étoit parti; puis cuida eſtre quite de ſon jurement, *qui par art jure, par art ſe parjure*: Les Romains ſceurent cette fraude, ils le renvoierent lié & empriſonné à Annibal. Pourquoy conclud Tulle, que la loüange de Regulus ne fut point pour ce temps de ce qu'il avoit ſeulement gardé ſon ſerment, mais pour ce qu'il avoit loyallement conſeillé, que on ne le rendiſt point, qui eſtoit ja vieillard pour le change des priſonniers que les Romains avoit de Carthages, qui etoient joſnes; & en plus grand nombre. B

Nous veons mêmement en un enfant, que c'eſt l'une des pires tarches & condition que enfant pueſt avoir, quand il eſt conſtumier à mentir. Et dit le Saige. *Potior eſt fur quam aſſiduitas viri mendacis.* Eccli. xx. 27. Exemple d'un Archidiacre, qui avoit un nepveu à l'hôtel, on lui dit qu'il étoit glout, il n'en fit conte; on dit qu'il embloit, il le paſſa; on dit que on ne pouvoit tirer vérité de ſa bouche, lors dit que jamais ne feroit bon fruit. Tulle à la parfin recommande Jules Ceſar en ce qu'il avoit ſa dextre main plus forte, & conſtant à garder ſes promeſſes; & la foy, que en battaille.

Si concluons icy. Vous nos tres redoutés, & tres-nobles Seigneurs, concluons, prions, & requerons, puiſque le Traittié, & accort a eſté ſi ſolemnellement juré, tant pour la foy, que vous devez à Dieu, & ſur peine de pardurable damnation, comme par la foy de Nobleſſe, & de Gentil Seigneur, vueilliés ce dit Traittié perſeveramment, & conſtamment main- C tenir ſans enfraindre en tout, ou en partie. Et s'aucune occaſion venoit au contraire, que on deuſt rompre le Traittié de paix, que Dieu ne vueille, ſoit tout fait par bon conſeil de gens qui redoutent Dieu; de gens qui ne quierent que bien commun, & du Royaume; de gens qui garderont bien de donner conſeil, qui ſoit à la perdition du pauvre peuple innocent, ou contre le Roy, & ſon authorité. Trop avons eu de depieſchief à cette occaſion: ſi autrement ſe faiſoit, vous perdriés vous, & nous tous en la juſte fureur & indignation de Dieu qui tellement auroit eſté mépriſé en ſes Commandemens. Et nous avons tous bonne eſperance, que ainſi ſe tendra, & Dieu le doint pour l'accompliſſement de ce ſalut, *Rex in ſempiternum vive.*

Icy feroit à parler du bon gouvernement de tres noble, & tres Souveraine Dame la Reyne, & de Monſeigneur de Guyenne, qui appartiennent au chief D d'or. Entre les autres choſes je vueil bien dire pour fond ce que baille juvenal.

Secretum divitis ullum,

Eſſe putas? &c.

On ſçait tout, rien n'eſt ſecret entre les grands Seigneurs & Dames.

Ubi major fortuna, ibi minor licentia, dit Salluſte.

L'Univerſité a plus d'yeux que Argus, plus de cent regard, voir de mil. Elle oit aucunes remeurs que on veut empeſchier la paix, & nourrir partialitez par moyens bien eſtranges. On découvrira tout, on dira tout, & ne faut point menacier, ne occire aucuns, les autres cent & cent en ſeroient plus animez à garder l'authorité Royalle, & verité, comme au fait eſt apparu. Donnez que on occira un pour dire verité, quoy de cela, il en venra plûtôt en gloire, & ſera delivré de grande meſchance. Exemple d'un Maiſtre en Theologie, qui n'a guerres étoit menacié de mourir pour ſoutenir verité, il eſt de preſent mort par naturelle neceſſité. Si euſt eſté la premiere mort plus glorieuſe que la ſeconde, s'il euſt donné ſa vie à verité: Continuons ce qui eſt commencié pour le deuxiéme point principal, & trop plus brief que paravant, & comme en coulant, ou en courant.

Je dis que nous avons à parler de trois Eſtats figurez par les trois parties principales de la ſtatue de Nabuchodonoſor. Nous avons dit par l'Etat de Chevalerie, qui eſt ſignifié par la poitrine, & par le bras d'argent, que cet Etat doit avoir vigueur, & ſtrenuité. Si prens icy

La Premiere Conſideration.

ET dis, que l'Etat de Chevalerie doit avoir loyer, & gaiges publiques pour defendre le Roy & tout ſon Royaume par vigueur, & par force. Cete Conſideration prouvoit l'Apôtre, quand il dit: *Nemo tenetur propriis ſtipendiis militare.* 1. Cor IX. 7.

La Deuxiéme Conſideration.

L'Estat de Chevalerie doit eſtre content de ſes gaiges ſans faire grevance aux autres Eſtats. C'eſt la doctrine de S. Jean Baptiſte. *Neminem concutiatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Luc. III. 14. Et ſur cette matiere on propoſa autrefois contre aucunes erreurs de ceux qui dient, que les Gens d'armes peuvent prendre vivres & autres choſes ſans payer, & reſtituer. Contre cecy eſt que chacun membre doit eſtre content de ſon nourriſſement ſans uſurper, ou attraire violentement la nourriſſon de l'autre membre. On déclara lors cette verité en monſtrant que le Roy même ne puet donner le congié en tous cas & ſelon ſon plaiſir. Car le Roy eſt ſubjet à raiſon, & à la Loy de Dieu, & à Juſtice: Et dit S. Auguſtin *Lib. de civ. Dei. Nihil infelicius felicitate peccantium.* Nul n'eſt plus malheurex que celui, qui peut pechier ſans punition. Si fait pis un pillart qui pretend l'authorité Royalle, que un autre qui pille ſans authorité, & eſt plus à punir. Car il encoulpe le Roy, & peche plus franchement & hardiment, ſans reſiſtance, & ſans correction, & repetance.

La Troiſiéme Conſideration.

L'Estat de Chevalerie eſt tres à loüer, s'il fait juſtement ſon devoir. Car Gendarmes qui expoſent leur vie pour juſte titre, & defenſe de juſtice & de verité, par droite intention, ſont comme Martyrs de Dieu. Mais ſe ils font le contraire, ils ſont martyrs d'enfer, quand ils ſoutiennent injuſte querele, ou par mauvaiſe intention, & perverſe operation.

La Quatriéme Conſideration.

L'Estat de Chevalerie doit telle obeïſſance, & defenſe au Roy, que pour quelconque mandement de Seigneur deſſous lequel un Chevalier eſt, il ne doit faire guerre à ſon Roy, qui le porte juſtement. Le Roy va toujours devant, & ſon commandement raiſonnable paſſe les autres. Si ne peuvent eſtre excuſez Chevalliers, de tenir, ou nourrir partis au prejudice du Roy, ou de ſon authorité Royale. Et notamment

ment je dis *au prejudice du Roy & de son authorité* : car puet avenir, que on fait la chose du Roy, & de son Royaume bonne sans son expres commandement, combien que telles entreprises sans son congié expres sont à redouter, & fort à delayer. *Omnia prius . . . . expediri quàm armis sapientes decet.*

Le Troisiéme point Principal.

Tournons à parler de l'Estat de Clergie figuré par l'airain, qui est metail sonnant. Car le Clergié doit avoit clameur de verité, preschier, & denoncer: les aucuns par authorité, comme les Prelats; les autres par doctrine, comme autres Clercs Théologiens, & Juristes, & Philosophes morals. Si dis par la premiere Consideration.

La Premiere Consideration.

SE le Clergié faint, & fault à dire la verité de bonnes mœurs, & de nostre foy; il est à reprendre comme cause des erreurs, & des maux qui s'en ensuivent. Et c'est une dure sentence contre aucuns Clercs, & Prelats de nostre temps. Neantmoins c'est l'assertion de Dieu par le Prophete Ezechiël: *Fili hominis* &c. Ezech. III. 17. 18. Dit nostre Seigneur, Que si le Prelat ne denonce le peril, au quel est le peuple, & aucun perit, il demandera, & requerra le sang, c'est à dire la mort de la main du Prelat.

La Deuxiéme Consideration

EST, se le Clergié ne la beure point corporellement comme les autres membres & Estats, non pour quant il est necessaire à la chose publique, & vie civile. Cette consideration est contre le murmure d'aucuns qui ont envie de l'Etat de Clergie en ce qu'il vit sans peine, selon leur avis, & sans profit. Non pour quant est ce le plus bel service que on puisse faire à un Prince, & Seigneur, que de lui dire franchement, & noncier verité. Et de ce dit saint Jacques: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ* &c. Jacob. V. 20. Cette consideration m'a contraint de reprouver les dessus dites, & ne s'en doit douloir Prince quelconque, car c'est pour salvation, & correction de ceux qui errent, ou ont erré, lesquels ne peuvent être en estat de salvation tant que ils demourroient obstinéement en tels erreurs.

La Troisiéme Consideration.

SI le Clergié est empeschié à dire verité par menaces, & craintes, ceux qui les font sont à reprendre & à condamner, & ne sont à excuser, s'ils errent; car ils errent volontairement, & font les autres errer, & veulent que la lumiere, ou torche de verité voise selon leur affection, & non mie selon raison. Si le Clergié sent, ou apperçoit que erreurs contre bonnes mœurs, & heresies contre la Foy aient esté publiées au prejudice de tout le Royaume, ou de Chrestienté. Clergié ne doit point ce faire pour Traittié quelconque de paix fait, ou à faire, que les dites erreurs, ou heresies demeurent sans correction, ou convenable reparation. Avient à la fois que la malice du temps est telle que la verité de la foy peut estre celée, ou non preschiée selon la doctrine de J. C. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas antè porcos.* Matt. VII. 6. C'est quand on se doute, que la verité periroit par la malice & perversité de ceux qui l'ont à soutenir; car malice aveugle l'entendement & fait errer à bien jugier, *Excæcavit eos* &c. Sap. II. 21. Excepté ce cas, ou semblable, on ne doit point redouter guerre, ou esclandre pour dire verité selon saint Gregoire, *Rectius oriri scandalum permittitur, quam veritas deseratur.*

Le quatriéme point principal.

A la parfin nous avons dit, qu'en l'Estat de Bourgeoise doit estre le fer de labeur & la terre d'humilité. Si piens pour la declaration aucunes considerations.

La Premiere Consideration.

C'EST expedient à l'Estat populaire qu'il soit en subjection plus que s'il vouloit prendre l'Estat de domination; c'est la determination & declaration d'Aristote I. *Polit.* L'une des raisons est par l'exemple de A sensualité, & de l'ame en un homme; c'est expedient, que la sensualité serve, & l'ame domine. Exemple d'un foible au regard d'un fort. Exemple des pieds au regard des yeux ou des bras.

La Deuxiéme Consideration.

C'EST expedient que l'Estat populaire soit par les autres plus hauts Estats gouverné amiablement, supporté, & favorisé. C'est Conseil de l'Apostre: *Inferioribus membris abundantiorem honorem circumdamus.* I. Cor. XII. 23.

La Troisiéme Consideration.

C'EST expedient, que le Roy, qui est le chief d'or en valeur, & en authorité, ne sueffre point confondre les officiés des membres dessous soy, mais doit B labourer, que chacun fasse son office. Cette consideration profite a declarer, que le chief ne doit point user des pieds comme des bras en sa defense. Si ne doit point commander aux populaires, & à l'Estat de Bourgeoisie qu'ils soient armés regulierement, comme les bras de Chevalerie doivent estre; car ce seroit confusion. Si seroit l'accoûtumance tres perilleuse, injuste, & dommagieuse.

Quod natura negat, nemo feliciter audet.

Vray est que necessité n'a loy, mais on ne doit mie tantost faindre, ou jugier necessité.

La Quatriéme Consideration.

C'EST expedient, que l'Estat de Bourgeoisie soit maintenu & induit tellement qu'il voise toûjours C le droit chemin, le chemin Royal. Cette consideration s'entend, & veut dire que le peuple soit content de son Estat, & qu'il se souffre mener & conduire par le chief, & par les deux Estats souverains: ou autrement l'ordre du corps mystique de la chose publique seroit tout subverti, comme si les pieds vouloient usurper l'office du chief, ou des bras, ou du ventre, ce seroit la destruction non mie du corps seulement, mais d'eux mêmes: & nous l'avons experimenté plusque mestier ne nous fût n'agueres, que gens qui a peine devoient appartenir aux pieds, se avançoient de gouverner le chief, que dis-je, gouverner, mais confondre, & tyranniser.

C'est grand difference de regarder l'Estat Royal, & du chief presentement, envers celuy qui étoit qu'au Palais, je ne sçay quels s'avançoient à la compagnie, à la regler, & à le forcier. Ce lieu icy appert un lieu celestial, quand nous veons nostre Roy aussi couronné, & environné de nos Seigneurs de son sang à telle multitude; c'est maintenant comme une nou- D velle lumiere, selon la similitude du temps de Esther. *Nova lux oriri visa est* &c. Esther VIII. 16. C'est bien icy plus que devant exultation, joye, & jubilation. Grace à Dieu d'amour, & de paix, qui est *vie, voye, & verité.* Joan. XIV. 6. Grace à sa glorieuse Vierge Mere, & à Saincte Genevieſve, qui onc ne faillirent à cette cité. Grace au virginal Epoux de nostre Dame S. Joseph juste, du quel le Mariage fût signification de la plus parfaite union & conjonction qui soit. C'est de Dieu, & de son Eglise. Si devons honorer ce mariage virginal; cette sacrée & chaste conjonction, nous qui querons paix & union. Graces à Saint Denis, & à Saint Remy, Patrons & Apostres de France. Grace à tous Saints,

Saints, & Saintes, desquels les memoires, & les Reliques sont en cette glorieuse, Royale, & tres-Chrétienne, & religieuse Cité, & bonne Ville de Paris. Graces à vous Roy Tres-Chrestien, à la Reyne, à Monseigneur le Dauphin, qui selon son âge y a tres-constamment labouré, & Dieu le parface de bien en mieux. Graces à vous tous nos Seigneurs. Si concluons en suppliant que paisiblement, & concordéement, & uniement le droit chemin, nous parvenions à la vie perdurable de Paradis. *Præstante eo qui est benedictus in* A *secula. Amen.*

CY fine la proposition faite de par l'Université de Paris au Palais Royal: l'An 1413. le 4. Septembre,* & depuis feut avoüé cette proposition solemnellement à saint Bernard, comme il appert par l'instrument fait sur ce le 6. jour du dit mois. Furent presens avec le Roy, le Roy de Secile. M. de Berry, M. d'Orleans, de Bourbon, d'Alençon, d'Eu, & plusieurs autres. *Acta est per M. Joannem de Gersonno Doctorem in sacra Pagina, & Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis.*

Cy ensuit une scedulle qui respond à ce que aucuns pouvoient opposer, que la proposition de l'Université est contre paix, & deshonneur de aucuns Seigneurs.

LA verité de la Foy, & de bonne doctrine ha contraint l'Université de Paris donner darreinement le 4. jour de Septembre: l'An 1413. en ses instructions pour parler devant le Roy & nos Seigneurs au Palais, B que cette verité demourast toûjours entiere, quelque paix, ou Traittié fût fait, ou à faire. Et le proposant a reprouvé aucunes fausses doctrines pour les causes, ou considerations qui s'ensuivent.

Prémierement. Car verité est suer de paix, & jamais on ne peut avoir paix qui vaille, ou tienne contre verité, comme dit Dieu par le Prophete. *Non est pax impiis.* Isaïæ. LVII. 21. Pourtant commande Dieu. *Pacem & veritatem diligite: dixit Dominus.* Zach. VIII. 12. *Aimés paix & verité*, ce dit nostre Seigneur.

Item. Si on ne pouvoit autrement avoir paix, que par soustenir fausseté contre la Foy, ou bonne doctrine, on devroit plus-tôt soustenir quelconque guerre, où esclandre selon la doctrine de saint Gregoire. *Rectius oriri scandalum permittitur, quam veritas deseratur.* Et à ce propos disoit Jesus-Christ. *Non veni pacem mit-* C *tere sed gladium.* Matth. X. 34. Et s'entend pour la Foy & verité soûtenir.

Item. Sans la verité de la Foy, & des Commandemens de Dieu, les Chrestiens, soient Princes, ou autres, ne peuvent estre en estat de salut. Et par ainsi chacun Clerc, & Prélat qui aime leur salut, doit la verité prêchier, & fausseté reprouver, & par l'especial l'Université, autrement sa dissimulation seroit cause de leur damnation, & de la la soye propre. *Si non annuntiaveritis* &c. *dicit Dominus per Ezechielem cap.* III. 18.

Item. La verité de la Foy ne se doit pas seulement croire de ceur, mais se doit confesser de bouche, quand on sent qu'autrement elle periroit, ou que les gens se damneroient par croire fausse doctrine au contraire, ou par mauvaise instruction, & operation. *Corde cre-* D *ditur* &c. Rom. X. 10.

Item. La verité de la Foy est à peschier, quand on a lieu, & temps pour la dire devant Princes & ailleurs qui la peuvent entendre, & défendre, & que le Clergié peut avoit franchise de parler, lors n'y a point d'excusation, & car ainsi estoit, de present l'Université n'a pû, ne voulu plus delayer, qu'elle n'ait fait son devoir en la dite proposition & en son adveu.

Item. Combien que cette verité de la Foy, & de bonne doctrine eût peu moult profiter, qui l'eût plûtôt ditte constamment, & est à croire que ne fussent mie venus tant de horribles maux en ce Royaume, se aucuns se fussent exposés jusqu'à la mort pour resister aux erreurs, qui ont esté racine de nos maux: non pour quant selon le Proverbe commun, *Vaut mieux tard que jamais.* Et est bien à croire, que plusieurs se sont bien repentis de leur dilation, au dissimulation par paour humaine, ou mondaine en cette matiere.

Item. Se contre la verité de la Foy, & de bonnes mœurs, aucuns vouloient maintenant resister malicieusement, & pertinacement. Ils seroient plus à blasmer, que par avant, d'autant que on a veu par experience les maux qui s'en sont ensuis. Et seroit cecy à leur damnation eternelle, & auroit-on cause souffisante de faire procez ouvertement contre eux, autant contre grand courage, le plus petit, & d'autant plus que le grand peut plus nuire s'il erre; & plus profiter, s'il confesse verité.

Item. La verité de la Foy qui a esté preschée ne comprend quelconque personne nommément, & ne tend à quelconque punition pour le temps passé: mais veut que fausseté contraire soit deracinée par le temps futur & tourner à bonne penitence ceux qui paravant auroient erré, sans en vouloir prendre vengeance, ou punition, en tant que on ne voudroit perseverer. Car lors on ne devroit point espargner, ou dissimuler qui voudroit continuer.

Non est clementia bello.

Nulla est perniciosior pestis quam familiaris inimicus.

Item. La verité de la Foy a esté preschiée publiquement, afin que chacun puisse appercevoir comment ceux qui ont la fausseté contraire dogmatizée en secret, ou à part, sont à blasmer, & à haïr par les Seigneurs, lesquels ils ont fait errer à leur damnation, s'ils ne ont repentance, & à la subversion de la chose publique. Et par le contraire ceux sont à aimer, à loüer, & à remunerer, qui ont publié maintenant, ou autresfois constamment cette verité, & en donnent bonne information. *Qui converti fecerit peccatorem* &c. Jacob. V. 20.

Item. La verité de la Foy, qui a esté darreinement publiée, & proposée, est telle, & si notoire, que il n'est homme quelconque, s'il a jugement de raison, qui ne la puisse appercevoir legierement, soient Chrestiens, ou Payens, soient Juifs, ou Sarrasins, soient jeunes, ou vieux, soient Clercs, ou laiz. Car cette verité est un principe en droit naturel: *Non occides.* Exod. XX. 13. Tu ne occiras point. Et sçait chacun, que il ne vauroit mie selon raison, que on luy fist ainsi, c'est à dire, que on l'occist sans procez & sans authorité, & que nul ne doit estre juge en sa cause. Si est vray que supposé que onques homme n'eust esté occis injustement, que si est la doctrine generale contre la quelle l'Université a fait proposer, tres à damner, & plus que n'est la mort d'un Roy, ou de la Reyne. Si est vray aussi, que aucun homme d'entendement, tant soit laye doit repugner à la dite doctrine selon son estat, pouvoir, ou sçavoir, ou il se damne. *Correctio fraterna cadit sub præcepto.*

Item. De cette verité de la Foy ne se doit homme plaindre; Car on l'a preschée mesmement sans vouloir accuser, ou pugnier personne quelconque, morte, ou vive. Comme on ha fait protestation publique. Et s'aucuns se sentent touchiez par cette verité, ils en doivent bien user, & regracier Dieu; quand on laboure tellement pour leur salut, & correction, & des autres lesquels ont esté, ou seroient au temps futur decheus, & damnez par les erreurs contraires. Car sans cette voulenté tels ne pourroient estre sauvez. Et qui autrement les enseigneroit, ou soustiendroit, ou favoriseroit, il les deceveroit, & se trebucheroit, & eux avec à certaine damnation, tant temporelle, comme eternelle, si ne se faut point icy joüer.

Item. Se pour la dite verité de la Foy soustenir aucun avoit à souffrir persecution, ou mort, feust en appert, ou feust en occult, il seroit vray Martyr, comme on doit penser que Dieu en a plusieurs . . . . . Et celuy,

* 1413. Orationem Gersonii approbat Universitas.

celuy, ou ceux qui feroient, ou conseilleroint telle persecution, ils seroient tyrans, desloyaux envers Dieu, & le monde, & à persecuter par feu, & par espée, & par tout, perdre corps, & biens, Seigneurie, & Benefice, par la justice tant spirituelle, comme temporelle; s'ils n'en vouloient prendre amendement. Exemple du Comte de Thoulouze, & d'autres. Si avise bien chacun que il fera, & a à faire; car matiere de la Foy n'espargne le Seigneur nez que le varlet, *Pusillum, & magnum* Deus *fecit*. Sap. vi. 8. Et se les Inquisiteurs favorisent icy, ou dissimulent par paour, ils encourent Excommunication si grande, que le seul Pape les puet absoudre; & les Prelats en encourent l'ire de Dieu: & les Princes du sang Royal, & ceux qui ont à garder la Justice souveraine du Roy, s'ils ne faisoient leur devoir, ils seroient à reprendre, comme dissimulans en matiere qui tant est lesive, & du tout subversive de sa Majesté Royale, & de sa Cour, Justice haute, & Souveraine. Et si on dit que cette doctrine se devoit premierement dire à part, & non en publique; on respond, que la fausseté est publiquement semée, si faut recourir à la publication pour deraciner le publique vice, ou scandalisation. Hugo: *Peccata publica non sunt secretâ pœnitentiâ purganda.* Et *Fiat cum amore hominum, & odio vitiorum.* Dit S. Augustin *in Regula*.

Soient nottées les sept veritez ensuivant, & appliquées au temps present.

Qui sçait la verité de bonne doctrine, & de nostre Foy: & par sa negligence de la denuncier, soit par correction fraternelle, qui appartient à chacun, soit par authorité pastorale, soit par severité Royale, aucune personne demeure hors de l'estat de salut: tel encourt la Sentence de Dieu dite par le Prophete Ezechiel. C'est qu'il perit avec la personne la quelle il laisse perdre, par son deffaut de annoncier verité, soit à part, soit en publique, soit par parole, ou en escript.

Qui sçait, ou doit sçavoir que la verité de bonne doctrine, & de nostre Foy ha esté violée de nostre temps par fausses informations, & predications & propositions, & libelles diffamatoires en plusieurs points, & articles, & par sa dissimulation venant de paour, ou faveur desordonnées, un tel laisse perir une personne, ou plusieurs es dittes erreurs, & diffamations, tel encourt le peril dessus dit, c'est à dire damnation.

Qui es cas dessus dits empesche par violence & par menaces & par puissance, ou par corruption de dons, & de promesses, que la verité de bonnes mœurs, & de la Foy ne soient publiées, & reparées; il peche plus griefvement que les dessus dits, & est cause de la perdition de toutes les personnes qui pour ce errent & perissent. Et ne fait point à soustenir un tel sous ombre de quelque paix, ou de Traittié: car mieux vauroit juste guerre, que une telle injuste paix, selon le dire de l'Evangile.

Qui par fausses informations & diffamations criminellement, sciemment & malicieusement conseille un Roy, ou un Seigneur à emouvoir son peuple, & ses subjets à ce que eux persecutent aucuns qui ne sont point à persecutter en telle maniere, soit par glaive espirituelle de excommunications, soit par materielle de occisions, tel est hors de l'estat de salut, s'il ne s'en repent, & s'en corrige, & s'il ne labeure de son pouvoir que l'information contraire, & bonne reduction à la connoissance de la verité soient faites, & obtenuës par Lettres Patentes, ou autrement, & ne souffit point autrement quelconque Confession.

Qui se sent faussement avoir esté persecuté, & diffamé ou prejudice du salut des ames, & du Roy, & du bien commun, & il est negligent, & nonchaillant de procurer bonne information au contraire, & que sa renommée soit relevée, tel peche griefvement, & crueusement contre soy & autruy. Et est cause des maux qui se font, & sont venu par les dites fausses actions & persecutions, & par especial, quand un tel est puissant Prince, & Prelat; car il souffre errer les autres, & pechier, & se damner par sa negligence, ou par sa folle crainte; denote ceux qui sont à noter, qui est contre tout ordre de charité, & contre le bien commun.

Qui en aucun des cas dessus dits sueffre par sa negligence, ou empesche sous tiltre de paix, ou autrement, que le Roy ne procede à la reduction de ceux qui ont erré, par les mandemens desraisonnables faits, & publiez en son nom; il est coupable contre son Roy & son salut, & ne garde point bien sa foy, & sa loauté envers sa personne, & son Royaume: mais est cause, quant en soy est, de sa destruction en temporel, & en l'esprit.

Qui afferme obstinéement, que contre le bien de paix, ou de Traittié ha esté faitte la proposition n'agueres au Palais de par l'Université, & advoüée depuis solemnellement par elle, & que on devoit cesser de cette, & semblables doctrines, & instructions faites pour reduire les errans à bonne voye de verité tant de Foy, comme de bonne vie, & pour nourrir tous en bonne amour, & charité envers leurs prochains, soient grands, soient petits: tel qui ainsi afferme, peche griefvement, & temerairement contre le bien, & le salut du Roy & de son exemple, & de l'Université, & des Prelats, & de tout le bien publique. Et de tant pecheroit plus un tel, comme il seroit personne publique, & de Justice. Car sous ombre de saige pitié un tel occiroit les ames, & les corps par crueuse folie; & tel ne nourriroit mie bonne paix, mais destruiroit, ou prejudice tant de ceux qui persecutent les autres injustement, & se damnent sans repentance, comme de ceux qui sont indeüement persecutez: si conclue, & avise chacun envers soy, soit grand, ou petit, qu'il ha à faire pour le temps present des choses faites jusques à cy au temps passé; car le compileur de cette scedule s'en a voulu devant Dieu & les hommes tellement acquiter. Ecrit à Paris l'An 1413. le 4. Octobre. *Amen.*

JOAN-

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

IN COMMENDATIONEM DOMUS DEI, SEU

HOSPITALIS PARISIENSIS SERMO

CORAM REGE CAROLO.

Gallicè in MS. Vict. 287.

THEMA.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri. *Psal.* CXXII. 3.

INGENS profectò miseria nos ita clamare compellit: *Miserere, miserere.* Gravis afflictio, paupertas, & desolatio nos cogit; nos, inquam, humiles vestros Capellanos, Oratores, Decanum Capituli Ecclesiæ sanctæ Mariæ Parisiensis; cogit, dico, venire, & comparere coram Throno magnificentiæ tuæ, & Regalis Majestatis, coram sublimi, & sapientissimo tuo Consilio, ut dicamus, & petamus: *Miserere nostri, Domine*, &c.

Et pro quibus misericordiam petimus? Misericordiam postulamus pro his qui sunt repleti despectione, qui sunt tanquam in improperium & oblivionem dati opulentis divitibus, & superbis, qui dicunt per nos, & à te postulant misericordiam, quia non possunt, nec audent hîc comparere. Inquiunt: *multùm repleti sumus despectione: Quia multùm repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* ℣. 3. 4.

Et qui sunt illi hoc modo afflictione, paupertate, & desolatione repleti? Sunt illi pauperes verè sine fictione pauperes Hospitalis Dei, Dominæ nostræ Parisiensis Hospitalis, quod tu, & antecessores tui Reges, ac Reginæ Franciæ pro magna parte fundastis: modò potiùs quàm alias necessitas eos compellit, omnes simul fratres, & sorores, pauperes, impotentes, senes, & orphanos, infirmos, languidos, usque ad numerum quadringentorum, vel, quingentorum, vel sexingentorum, absque illis qui sunt extrà, & qui indies superveniunt. Necessitas profectò eos compellit, & astringit, mediante voce mea conqueri in languore, clamore, & vocare misericordiam *Domine nostri miserere*, &c.

Petimus hîc misericordiam quam meritò invenire debemus ob multas causas, vel considerationes magnificentiæ, & indigentiæ. Primò ob considerationem sublimis nobilitatis, dignæ & regalis personæ tuæ. Non est par nobilitas ad exemplum summi Regis nobilitati huic, quæ est benefacere, & succurrere afflictis, & indigentibus: quia est magnificentia, & liberalitas; est proprium Dei facere misericordiam, *cujus proprium est misereri*, &c.

Nos invenire debemus misericordiam, quia non es quicunque Rex, sed Rex Christianissimus; ideò insequi debes exemplum, & Præceptum Jesu Christi qui in Patentibus Litteris Evangelii per sanctum Matthæum Secretarium suum signatis dicit, & præcipit: *Estote misericordes sicut Pater vester* spiritualis & cœlestis *misericors est.* Luc. VI. 36.

Sed non modò Rex es, ô Rex Christianissime, sed Rex Sacerdotalis, vel Pontificalis, per miraculum consecratus, per sanctam unctionem, quæ venit de cœlis, in significantiam quòd esse debes pius & misericors, sicut ille qui unctionem gratiæ habet, & pietatis.

Insuper regni tui titulus firmam nobis spem præbet misericordiam inveniendi, tàm eo quòd in figura, & materia es Rex Israël, & Reges Israël sunt clementes, dulces & misericordes, quia etiam nobilis Domus Franciæ semper fuit sicut templum misericordiæ, & refugii omnibus qui subventione eguerunt; Secundùm quod recitat Statius Poëta 12. Thebaidæ, Athenis fuisse hujusmodi Templum in quo adorabatur misericordia sine figura, & sine idolo. Et dicere volunt quidam Doctores Christiani, quòd erat Templum cujus inscriptio & titulus erat; *Ignoto Deo*, cujus occasione sanctus Paulus convertit divum Dionysium Franciæ Patronum.

A Finaliter quoad hoc recurramus fiducialiter ad thronum Majestatis tuæ Regalis, quæ custodia est sustentata misericordia, & veritate, sicut dicit Sapiens: *Misericordia, & veritas custodiunt Regem*, &c. Prov. XX. 28. Illæ sunt in figura duæ manus sustentantes thronum pacifici Salomonis. Una quidem à dextris, alia à sinistris 3. *Reg.* VII. Petamus igitur modò, postulemus misericordiam. *Miserere nostri, Domine*, &c.

Sed videamus si miseria illorum, & illarum pro quibus loquimur talis sit ut misericordiam mereatur. Certè sic, quia *multùm*, inquiunt, *repleti sumus despectione*, idest, miseria, & desolatione. Solet haberi misericordia de pauperibus impraegnatis mulieribus quæ non habent ubi se recipiant, & hospitentur; hæ hîc sunt in magno numero. Solet misericordia haberi de miseris pueris orphanis, & specialiter de his qui nondum ambulare, neque loqui sciunt: tales hîc multi. Solet haberi misericordia de miseris laboratoribus, & lucrantibus in potentia laboris, & lucri, ob eorum senectutem, debilitatem, infirmitatem, aut ob aliud panem eorum lucrari non potentibus: tales hîc sunt, & veniunt sæpè. Solet haberi misericordia de pauperibus incarceratis, languidis, angustiatis, & doloribus affectis, qui non habent undè lucrentur, nec quo victum habeant: tales hîc sunt in multitudine. Solebat haberi misericordia de miseris virginibus, & mulieribus viduis honestis, & magis de illis quæ servaverunt castitatem suam sine Matrimonio usque ad finem, & magis adhuc cùm ipsæ diligenter laborent, ut faciant debitum suum ergà Deum, & acquirant pauperem, & tenuem victum. B

Cogitemus si in Hospitali Dei Parisiensi sit magna copia talium, quæ tota futura hieme erunt in aqua Sequanæ prorsùs congelatæ ad genua usque C ad lavandos panniculos pauperum. Consideremus quot duras pœnas noctè, & die habere eas oporteat vigilando, ægrotos in lectum ponendo, relevando, vestiendo, pascendo, consolando tot pauperes diversarum ægritudinum, & tam extranearum conditionum. Nullus novit nisi qui periculum, & experientiam fecit. Si sit tantus labor gubernare unum ægrotum; qualis pœna erit & labor benè gubernare tantam multitudinem quasi innumeram

tot infirmorum, qui indies superveniunt? Omitto loqui de Fratribus, Presbyteris, & aliis qui tam diligenter faciunt divinum servitium, non vacando principaliter alteri rei. Sorores hîc vacant, & sunt deditæ post vitam activam vitæ contemplativæ, hoc est orationi, devotioni, &c.

Considera, Domine, providentiæ tuæ oculo, quòd in Hospitali tuo Dei Parisiis sunt tales personæ & aliæ multò plures, quas sufficienter dicere, aut recitare non possum, quæ egeant misericordia tua, quæ ad te clamant altis vocibus, & elevatis in fletibus, in suspiriis; *Miserere nostri, Domine miserere nostri.*

Verum est quòd possent aliqui hîc dicere, miseriam esse magnam, & misericordiam benè in Hospitali adimpleri; sed inveniuntur sufficientes alii, & copiosi qui succurrunt inhabitantibus ipsum: sufficientes insuper habent reditus, ut omnia rectè perficiantur. Heu, Domine, utinam potestas populi tui, & bonorum civium tuorum talis esset, ut charitas, & misericordia possent adimplere necessitates supradictas, & similes, sicut visum est in elapso tempore, sed multò aliter refriguit charitas. Quis enim dabit qui & ipse caret? Paupertas, Domine, boni populi tui & obedientis talis est ut vix habeant quo vivant arctissimè ipsi, & miseri pueri eorum, ac familiæ. Et quare? Ob duras impositiones, & taxationes armigerorum, quæ tam graves sunt, ut eas duntaxat cogitare horror sit.

Sed Hospitale Dei Parisiense habet reditus: verum est, hoc est quod principaliter nos huc ducit. Hospitale Dei habet reditus ex thesauro, & recepta Parisiensi per bonam, & magnam emptionem. Ideò non solùm misericordia est satisfacere inhabitantibus, sed & justitia, & veritas. Tantus autem est defectus, & talis, quòd modò debentur eis duo millia Francorum, & ampliùs. Ipsi debent, & obligantur usque ad duo millia librarum, & quingentas; opus est eis duobus millibus librarum annuò, & mille aliis ultrà omnes reditus. Hoc parùm est respectu magnificentiæ tuæ Regalis, & magnarum divitiarum quas habes à populo tuo. Sed est res maxima, respectu Hospitalis Dei pauperum: est vita eorum, est omne quod habent.

Si interroges: Undè contingit ille defectus solutionis? Contingit, Domine, ex re quadam extranea & monstrosa, quam nominare possum *abundantem vanitatem*, quæ se jungit, & in matrimonium ducit statum exprobrantem, & superbum. Abundans illa vanitas, est tanquàm abyssus maris, aut lupus rapax; quia omnia deglutit, omnia arripit, omnia devorat, tàm sua quàm aliena, tàm quæ Dei sunt, quàm quæ sunt hominum. Hinc est, quòd Hospitale Dei, vel pauperes sunt veluti in contemptu, & exprobratione, per oblivionem; *opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Ps. CXXII. 4.

O Deus vere Judex, qualis horror est hic, qualis crudelitas, qualis iniquitas? Pone, Domine, antè oculos tuos omnes pauperes Domus Dei, præsentes, & futuros. Cogita ulteriùs, quòd aliqui divites & locupletes conarentur eorum auferre simul omnia bona, & omne hoc quod comedere deberent, & bibere: ligna etiam, tunicas, & culinas. Ingenuum tuum, & nobile cor possetne hoc sufferre, & sustinere? Sic tamen est; nam propter magnos status, ingentia dona, & indecentia quæ fiunt, una sola persona simul tantum, vel plus auferet, quàm totum Hospitale Dei habere debeat pro sua gubernatione, quod debent justo titulo eleemosynæ ad satisfaciendum tali abundanti vanitati. Et hic est punctus negotii; nunquam Hospitali Dei sufficienter solutum erit, nisi assignationes excessivæ quæ fiunt suprà thesaurum fuerint imminutæ. Digneris igitur ponere remedium, & provisionem. Si enim res aliquo tempore sic perseveret, opus erit desistere ab officio misericordiæ in tuo Hospitali Dei, & claudere portas, quantumcunque invocent, & clament pauperes Regni tui, in fine, & in morte, quantumcunque etiam mortui debeant sepeliri.

Propter Deum, Domine, considera quale damnum, quis pudor, quale scandalum hoc esset? Vos Domini mei magni hujus & sapientissimi Consilii, cogitate ad hoc negotium. Legimus de Nabuchodonosor, eum punitus fuisset propter peccatum suum taliter quòd crederet se esse bestiam, & nutriebatur herbis tanquam brutum. Daniel sanctus Propheta dixit ei: *Audi consilium.* &c. *Peccata tua eleemosynis redime.* &c. Dan. IV. 24. Domine si placare debes Deum faciendo eleemosynas, quid erit si non persolvas illas quæ jam factæ sunt, & ordinatæ? Supremus Judex noster Jesus Christus loquitur in Evangelio, & dicit, quòd in die Judicii sit improperaturus principaliter damnatis, quòd opera misericordiæ non adimpleverunt: dicturus: *Esurivi, & non dedisti mihi manducare. Sitivi, & non dedisti mihi bibere*, &c. Matth. XXV. 42. Quæ Christi Jesu verba fixa sint in cordibus nostris, & alta Principum mente reposta; ne pro immoderato affectu ad opes perituras, atque pro oblivione, & negligentia pauperrimorum hominum (pro quibus & Christus suum pretiosum Sanguinem effudit) sempiterna bona tandem amittant, & ne ab ejus palatio excludantur, de quo scriptum est: *Gloria & divitiæ in domo ejus*, &c. Ps. CII. 3.

Ad Laudem & Gloriam Omnipotentis Dei, & omnium Sanctorum ejus, humanæque salutis communem utilitatem, subscriptæ notentur Considerationes.

Consideratio Prima.

PECCATUM blasphemiæ est quando non rectè dicitur de Deo contrà veram ejus Religionem Christianam, aut quando quicquam dicitur in diffamiam nominis sui sancti, ut maledicendo ei, vel despiciendo eum, aut inhonestè, aut turpiter loquendo de eo, vel jurando per eum Sanctosque ejus, & Sanctas benedictas.

Consideratio Secunda.

PECCATUM Blasphemiæ ex se pejus est, ac horribilius quàm furari alteri, aut comedere carnes die Veneris vel in Quadragesima. Et est propriè peccatum, idioma infernalis inimici, & damnatorum.

Consideratio Tertia.

PECCATUM blasphemiæ magis à justitia puniendum est, quam supradicta peccata. Et ad hoc est sancta Scriptura, Leges quoque, atque Decreta, & Constitutiones factæ in Gallia, atque alibi. Aliquæ blasphemiæ sub pœna mortis sunt prohibitæ, quia aliquæ blasphemiæ aliis sunt graviores, & bonum esset eas iterùm videre & ostendere.

Consideratio Quarta.

PECCATUM blasphemiæ est magna causa pestilentiarum, bellorum, famis, & aliarum tribulationum in Christianitate, & specialiter in nobili Regno Galliæ, quod nomen & titulum habet quòd sit Christianissimum; peccatum tamen hoc (undè dolendum est) detestabile, est consuetum magis quàm in aliis locis in magnam suam diffamiam, atque evidens damnum, ac desolationem.

Con-

Consideratio Quinta.

PECCATUM blasphemiæ non est excusandum per hoc, quòd versum est in malam, perversam & damnabilissimam consuetudinem, tàm in generali quàm in speciali, nec per hoc quòd blasphemi se abstinere non posse dicunt, etiam cum ira invadit eos, & superat; quia si mox punirentur, benè caverent blasphemare.

Consideratio Sexta.

PECCATUM blasphemiæ cadit omninò super eos qui ipsum audiunt libenter, vel qui irrident, vel quando non ponunt impedimentum; unaquæque persona secundùm posse suum, & scire suum officium.

Ideò notentur aliæ sex considerationes.

Consideratio Prima.

EXPEDIENS est ad evadendum iram, & punitionem Dei præsentem & futuram, ut Prælati Franciæ, & viri Ecclesiastici, unusquisque in Jurisdictione sua (ità tamen, ut non expectet unus alterum) provisionem ponant contrà dictas viles blasphemias, secundùm posse eorum, in tantum, aut plusquàm si quis temporales eorum sibi usurpare vellent possessiones.

Consideratio Secunda.

EXPEDIENS est Dominos Capitaneos armigeros, & temporales Officiarios diligenter laborare ad hoc quod dictum est, unumquemque secundùm quod ad eum spectat, ad exequendas pœnas jam institutas, vel novas instituendas, & de facto eas exequendas, nullis parcendo; alioquin irrisio est condere Leges, si non observentur.

Consideratio Tertia.

EXPEDIENS est, cives, & alios qui habent domesticos, & familiam, facere diligentiam, ut liberi eorum, & servi sibi caveant ab hujusmodi blasphemiis, & quòd ad hoc faciendum Domini Ecclesiastici, & temporales eos hortentur & authoritatem concedant. Ad quod magnoperè conduceret pueros & juvenes personas ducere in consuetudinem non jurandi per Deum, nec Sanctos ejus, per doctrinam, & bonum exemplum majorum: nam per bonam consuetudinem tàm facile esset, & æquè crederentur res non jurando, sicut jurando, per quod evitarentur innumera perjuria, quæ sunt peccata mortalia.

Consideratio Quarta.

EXPEDIT (ut videtur) viso, quòd diabolicum hoc peccatum est tam generale, & adeo irradicatum in compluribus locis, ut in principio ordinarentur aliquæ pœnæ leves, ut possent exequi, nullis parcendo cujuscunque conditionis hominibus, sive magnæ, vel parvæ, seni, vel juveni, diviti, vel pauperi, nobili, aut ignobili, Ecclesiasticæ, aut singulari personæ.

Consideratio Quinta.

EXPEDIT quòd super rebus prædictis homines Ecclesiasticæ justitiæ, aut Jurisdictionis, habeant consilia eorum, & provisiones, seu Decreta, & pariformiter etiam homines Justitiæ, vel Jurisdictionis sæcularis; & deindè quòd communi assensu, & concordia diligenter procedatur ad negotium sine fictione, intantùm, vel plus quam si esset ob magnum aliquod temporale commodum acquirendum, vel conservandum in Republica, vel particulari.

Consideratio Sexta.

EXPEDIT fieri exhortationes publicas, non modò per prædicationes, & verbo, sed litteris, A & schedulis diebus Dominicis, & Festis, & Processionibus; ad monstrandum & declarandum omne quod visum fuerit conveniens, & conducibile, ad complementum hujus sancti negotii: concedat Deus ut ita fiat.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

RECOMMENDATIO
LICENTIANDORUM
IN DECRETIS
Facta Parisiis.

Ad MSS. Codd. Vict. 699. & quoad partem. 848.

QUÆSIVERIT forsan aliquis, cur à vinculis scholasticæ exercitationis sunt hi venerabiles viri ità multiplici, tàm numero, quàm merito, velut in libertatem quandam adducti? Respondemus per verba summi Legislatoris Dei in Evangelio dicentis: *Dominus his opus habet.* Originaliter Matt. XXI. 3. Marc. XI. 3. Luc. XIX. 31. Quisquis enim oculos suæ considerationis per universam Ecclesiam deducere voluerit, inveniet eam velut aliquam domum grandem juxtà Propheticam exclamationem: *O Israël quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus!* Baruc. III. 24. Præsidet huic Ecclesiæ Dominus noster Jesus Christus tanquam filius heres in domo sua, Dei Patris sui, secundùm Apostolum C *Hebr.* I. Propterea loquens in parabolis frequenter nominavit Patrem familias. Rectè prorsùs, quia familiam habet multiplicem, mirabili officiorum, ordinumque varietate constitutam, qui etsi cuncta per seipsum agere posset, disponere voluit tamen nos coadjutores esse suos, secundùm Apostolum, ac perindè bonitatis suæ participes fieri, assumit homines ad obsequium suum. Nimirùm, quia jumento etiam uti dignatus est, dum misit Discipulos suos ut solverent *asinam & pullum ejus*, ut dicerent interrogantibus, *quia Dominus his opus habet.* Hæc secundùm litteram.

Sed à littera traducamus, si placet, verbum istud ad mysterium conveniens laudibus horum spectabilium, & eruditorum Virorum. Ita enim mos, ita enim jus exigit ut laudentur, & dicamus, *quia Dominus his opus habet.* Quis Dominus? Jam dictum est, *Dominus dominantium, & Rex Regum.* I Tim. VI. 15. cui servire regnare est. Glossa Rom. I *Cujus agi frenis summa libertas est. Boëtius De Consolat.* Cujus servitute gloriabatur Theologizans Agathes, *summa* D inquiens, *ingenuitas ista est, in qua Christi servitus comprobatur.* Qua in re protinùs ostenditur laus egregia doctissimorum, & insignium Baccalauriorum istorum quoniam tanti, talisque Domini servos se dedicare studuerunt, nec servos qualescunque, sed utiles servos. *Dominus*, inquit, *his opus habet.* Ecce nobilitas insinuatur, quia tali subsunt Domino, & utilitas, *quia Dominus his opus habet.*

Sunt

Sunt qui servos viles & inutiles, sub quadam falsa specie libertatis & dominii subdiderunt; hi sub dominio carnis tanquàm latrinarii. De quibus *ad Romanos* XVI. 18. & Philip. III. 19. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione.* Sunt qui serviunt mundo & mammonæ, quos notavit Christus dicens: *Non potestis Deo servire & mammonæ.* Matt. VI. 24. Sunt qui serviunt diabolo, & peccato. *Nam a quo quis superatus est, hujus & servus est.* 2. Pet. II. Et *qui facit peccatum, servus est peccati.* Joan. VIII. 34. Vos autem meliori consilio & mente, spretis his non tàm Dominis, quàm tyrannis crudelibus, servi facti estis Deo, ità ut appellandus sit quilibet *servus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, Matth. XXIV. 45. nam *Dominus his* servis *opus habet.*

Dominus itaque vobis opus habet, ô spectabiles & prudentes viri, & hoc ad regimen suæ familiæ grandis quietum & tranquillum. Ad quid? Sanè ut doceatis eam judicia justitiæ, reddere unicuique quod suum est. Ea enim demùm vera pax erit, ea gubernatio idonea, ea servitus placens Domino, si manet unicuique debitus ordo. Ordo autem quid aliud est nisi *Parium dispariumque rerum sua unicuique tribuens collatio.* Hunc ordinem docere habetis, ô venerabiles licentiandi, quibus Dominus in hoc opus habet, ut omnis de familia sua reddat ei Religionem latriæ, puritatem conscientiæ, charitatem ad proximum, æquitatem ad Judicium, ut sic ordinetur quilibet homo convenienter quoad temporalium ministrationem. Secundò, quoad spiritualium dispositionem, & hoc in ordine ad proximum. Tertiò, quoad emendationem conscientiæ, quoad seipsum. Quartò, quoad exhibitionem reverentiæ & latriæ, quoad Deum. Hæc sunt quatuor principalia circà quæ versatur omnium Sanctorum Canonum Lex atque traditio, docens se regere, Deum colere, neminem lædere; rem suam unicuique tribuere. Quorum notitia quàm sit necessaria familiæ Domini nullus ignorat intelligens; propterea nullas inducimus probationes concordantiarum vel auctoritatum, quia neque necesse est, cùm latè pateant, neque ignorantibus Leges loquor. Perspicuum est igitur, quoniam Dominus vobis venerabilibus licentiandis opus habet, præsupposito secundùm depositionem, testificationemque Doctorum vestrorum & aliorum, quod hanc notitiam sacrorum Canonum fuistis assecuti. Hæc quippe notitia juxta mysticum sensum asina Domino serviens; pullus verò discipulus ejus studiosus intelligi potuerat.

Sed omissa prosecutione talis metaphoræ, veniamus ad illud quod obstrepunt, & opponunt aliqui dicentes: oportet, fatemur, ista cogitare, quæ sub quaternario complexa sunt, scilicet rem suam unicuique tribuere; proximum non lædere; se regere; Deum colere. Sed cùm in aliis Facultatibus sufficienter hæc doceantur, & sciantur, quomodò non frustrà, quomodò non superfluè, adjuncta dicetur hæc Facultas Decretorum cum suis Professoribus & studiosis, de quibus asseris, quoniam *Dominus his opus habet*; frustrà quippe fit per plura, quod potest fieri per pauciora: additio igitur Facultatis Decretorum neque necessitatem habebit, neque utilitatem. Et inquiunt, quòd rem suam temporalem unicuique tribuere docent sufficienter Leges humanæ fundatæ in Philosophia morali, quæ cuilibet naturaliter impressa, secundùm quas Leges instituitur, & regitur ad plenum in temporalibus suis vita præsens. Per has verò Canonicas Traditiones visa est aliàs plùs turbari, & litibus affligi Politia Ecclesiæ quàm tranquillitate lætari. Et rursùs quòd reliqua tria quæ vel spiritualem conversationem hominum inter se, vel emendationem propriæ conscientiæ cuilibet in se, vel cultum latriæ ad Deum respiciunt, sunt in sacris Literis abundè tradita; alioquin Christus homo, & idem Deus, cujus *perfecta sunt opera*, ut dicit Moyses, *Deut.* XXX. 4. instituisset minùs perfectè Ecclesiasticam domum suam, quæ nec suo, nec longo postmodùm tempore, Canones istos habuit. Alioquin insuper Lex Evangelica traderet insufficienter Mandata, de quibus Dominus asserit: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata*: Matt. XIX. 17. Et iterùm: *Hoc fac & vives.* Luc. X. 28. Ad summam ergò redit hæc calumnia: Dominus, inquiunt, pro regimine suæ familiæ in temporalibus dedit Leges civiles, & pro spiritualium gubernatione tradidit Evangelicos Canones; aliam vero non est invenire vitam, nisi vel temporalem, quæ per Leges regitur; vel spiritualem, quam Evangelica Lex sufficienter instituit. Nonne hoc concludere licet, quòd nequaquàm Dominus his, id est, Canonistis opus habet?

Sed quid dicemus ad hæc, doctissimi & sapientes viri Patres & Fratres, quid huic calumniæ respondebimus? Respondebimus per considerationes aliquas geometrico & doctrinali ordine positas, secundùm quas patebit à radice necessitas, & opus Dominorum Juristarum. Patebunt insuper distinctiones aliquæ de Juribus, Canonibus, & Legibus. Iste enim doctrinæ moralis modus optimus est, dùm fit resolutio ad certa, dumque separatur pretiosum à vili, & quasi sub oculis unumquodque separatur ab alio, reponitur quod confusè compositum fallere poterat inspicientes.

Potuerat citò induci declamatoria, & velut oratoria commendatio super vestris præconiis singularibus; attamen excitatio studiosa vicit, jubens talia singularia ad vesperias singulorum linqui, & ea nunc dicere quæ plus eruditionis scholasticæ noscuntur continere.

Investigamus igitur à fundamento causas necessariæ institutionis, quare *Dominus his opus habet.* Et pro hoc fit hæc prima consideratio incipiens ex alto.

Consideratio Prima.

DOMINUS per suum velle imperiosum, & potestativum est primum radicale fundamentum omnis Legis vel Canonis. Hoc Ambrosius in Examero secutus Basilium posuit dicens, quòd *Prima Lex omnium est divina potestas.* Voluntas illius jus suum unicuique tribuens; nullius autem est perpetuum, & constans, voluntas nisi Dei.

Consideratio Secunda.

DOMINUS indidit cuilibet rei tantùm de Lege, quantùm de entitate, & bonitate. Omnia enim fecit in numero, pondere & mensura, & ita sub Lege certa, ait Boetius; quippe. Sicut fecit omnia propter se, & ad se, sic omnibus dedit viam certam tendentium ad se, quæ dicitur appetitus, vel amor, & pondus trahens rem ad suum dominativum, & initiale principium, quod est ipse, ut sit ipse *α & ω, principium & finis.* Potuerat hìc fieri longa deductio de Legibus variis rerum, tàm in cœlo quàm in terra, aut in mari, & in omnibus abyssis, in volucribus cœli, & quadrupedibus terræ, & piscibus maris. Sed omittamus hæc, & dicamus pro tertia consideratione.

Consideratio Tertia.

DOMINUS sicut fecit hominem, ut sibi soli subjectus, dominaretur ceteris rebus mortalibus; ità sibi indidit præ ceteris rationem tanquàm Legem intimam, & vivam; neque enim propter aliud dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, nisi quia sui capax per rationem effectus est, secundùm Augustinum, & Expositores Catholicos. Hoc viderunt Philosophi, qui naturas aliarum rerum dixerunt regi à ratione separata, velut ab intelligentia non errante; homini verò rationem propriam conjunxerunt, quam dixerunt reginam in suo microcosmo; quem-

quemadmodùm, suo modo longè tamen excellentiori, Dominus in microcosmo principatur.

Consideratio Quarta.

DOMINUS indiderat homini rationem integram, & puram, tanquàm sufficiens principium regitivum suiipsius, & quoad Deum, & quoad proximum, & quoad corpus proprium, & ad aliud quodlibet inferiorum. Alioquin quomodò verum esset illud Moysi jam allegatum: *Dei perfecta sunt opera?* Deut. XXXII. 4. Quomodò prætereà verum esset illud physicum? *Deus & natura non deficiunt in necessariis*: si mox ab exordio non dedisset Deus homini sufficiens principium suiipsius regitivum & ordinativum, atque regulativum. Dedit verò, dum hominem instituit sub regula rectissima, quàm appellamus originalem justitiam, quæ per omnia conformis erat, quantum oportuit, ipsi primæ & constanti Justitiæ, quæ Deus est, per quam reddidisset homo unicuique jus suum, id est, quod suum erat; Deo videlicet reverentiam, sine contradictione; proximo amicitiam, sine dissensione; corpori obedientiam ad rationem, sine rebellione; Ceteris inferioribus dominationem regitivam, sine impugnatione.

Consideratio Quinta.

DOMINUS non habuisset opus Legistis, vel Canonistis in statu naturæ primitùs institutæ; sicut nec habebit opus in statu naturæ glorificatæ. Quare? Quia cuilibet fuisset Lex sufficienter inscripta in Libro cordis sui; nec opus erat, ut quis eum doceret Judicia Justitiæ per Jura, vel Leges, aut Canones humano studio compositos, vel libris aratis, quod de futuro statu sonat illud Propheticum: *Dabo leges meas in cordibus eorum.* Jerem. XXXI. 33.

Consideratio Sexta.

DOMINUS opus habuit Juristis, Legistis, & Canonistis, modo locutionis præexposito, postquàm *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis.* Ps. XLVIII. 13. Obscurato nimirùm libro cordis interiori, & velut oblitterato, & malè contracto per diversas passiones, vix poterat legi, vix ab homine discerni quid rectum ab obliquo; quid bonum à malo; quid justum ab injusto; quid daretur ergò liber extrinsecus, continens Leges, & Præcepta per traditionem Dei, & hominum sapientiorum, quorum lucidiora adhuc erant corda, vel per divinam cœlitùs illustrationem, vel per humanam, & diuturnam investigationem? juvantibus ad hoc ipsum moribus bonis, qui miro modo illuminant, sicut de aliis dictum est, quòd *excæcavit eos malitia eorum.* Sap. II. 21. *Anima enim viri justi annunciat aliquando vera plusquam septem speculatores constituti in excelso ad speculandum*, ait Sapiens. *Eccli* XXXVII. 18. Potuerant hìc induci speculationes gratæ multùm, de obscuratione, vel obliteratione Libri cordis, quòd est speculum quoddam veritatis, & hoc per comparationem ad varios modos diversos, quibus specula materialia distorquentur, ne reddant veras imagines. Has speculationes posuit Oresme de configurationibus qualitatum; illìc videantur.

Consideratio Septima.

DOMINUS instituit primum Canonistam, & Legistam ipsum Adam. Congruebat quippè, immò opus erat, ut Adam, qui Pater omnium per propagationem carnis esse debuerat, fieret etiam Pater per gubernationem & instructionem. Ac perindè sicut in artibus pro corporis regimine necessariis Adam post peccatum fuit per divinam inspirationem eruditus; de necessariis inquam, non solùm quoad esse, sed quoad benè esse; quantò ampliùs opus erat pro benè esse ipsius animæ quoad scientias & virtutes, ipsum divinitùs illustrari, & per ipsum priores filios ejus de generatione in generationem. Hæc est traditio ipsius Josephi *in Lib. Antiquitatum*; cui consonat aperta ratio. Sic dicitur Gen. III. 21. quòd *Dominus fecit ipsi Adæ tunicas pelliceas*, hoc est, ut opinari fas est, fieri docuit, sicut parare cibos, uti
A Medicis, colere agros, & ita de reliquis: habetur palàm ex istis, undè prima fuit origo, & causa cujuslibet artis, & inventio scientiæ & facultatis.

Consideratio Octava.

DOMINUS ultrà Legem naturæ non solùm institutæ, de qua dictum est, sed etiàm de summitate derivatæ, ac in posteros promulgatæ, quæ dicitur Lex antiqua. Fundatur hæc consideratio sicut sexta; prolabente enim natura de vitio in vitium, prolabebatur consequenter ad ignorantiam majorem Legum & Jurium, & justorum Judiciorum. Addenda fuit igitur declaratio cum autoritativa jussione, & certa, & circa murmurationem Præceptorum tàm generalium, sicut decem Præcepta, quàm specialium, sicut erant judicialia & ceremonialia. Et ità Dominus habuit opus Legisperitis, & Juristis, qui dicebantur Doctores, & Scribæ, meditantes in hac lege die ac nocte, ut eam populo simpliciori nunciarent, ne fierent
B *sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*; Ps. XXXI. 9. sed approximarent ad Deum: propterea ut in camo & freno certorum Præceptorum constringerentur oportuit.

Consideratio Nona.

DOMINUS ultra Legem veterem opus habuit instituere Legem Evangelicam. Siquidem nihil ad perfectum adduxit Lex antiqua, dicente Apostolo Hebr. VII. 19. *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Erat enim figura, & umbra novæ Legis. Nam *omnia in figura contingebant illis*, ait Apostolus. 1 *Cor.* X. 11. Adveniente igitur re vel luce, impleta est Lex illa, non soluta. Ac perindè constituti sunt Apostoli, Discipuli, & Evangelistæ, tanquam Doctores hujus Legis, & ceteri successores eorum quos Theologos nominamus, non secundùm corticem literæ quæ occidit, sed secundùm interiorem spiritum qui vivificat.

Consideratio Decima.

C DOMINUS opus non haberet Juristis aliis, quàm Theologis, si homines secundùm virtutes Theologicas, quæ sunt Fides, Spes, & Charitas, spontè vellent regulari. Sufficere dixit Augustinus in Enchiridio has virtutes ad salutem omni homini, quippe claudunt in seipsis duo illa Mandata in quibus tota Lex pendet, & Prophetæ: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima*, &c. Deut. VI. 5. *Et proximum tuum sicut teipsum.* Interest autem Theologorum docere sufficienter ea quæ sunt Fidei, Spei, & Charitatis, & in regulam Evangelicam errores insurgentes cognoscere, & cognitos, ut caveantur ab aliis, insinuare: ea denique docere convenit, quibus hæc triplex virtus gignitur, nutritur, defenditur, roboratur. Sic instituta videtur,
D & gubernata fuisse sufficienter Ecclesia primitiva sub Apostolis, ac deindè per successiones varias usque ad Doctores sanctos inclusivè per quadringentos annos, & ampliùs, quibus temporibus non erat distinctio Theologorum, & Canonistarum, licèt Canones sacri multi essent ultrà tenorem expressi traditum in Evangeliis, & ceteris Libris Canonicis. Hi verò Canones, si benè inspiciamus, non sunt nisi conclusiones elicitæ, vel illatæ ex principiis Theologicis, id est, ex Evangelio & aliis Libris Canonicis per illos, quibus dicit Christus: *Qui vos audit, me audit.* Luc. X. 16. Nihil igitur admirandum, si ad eosdem per-

pertinebat cognitio, & legislatio conclusionum illarum Canonicarum, ad quos pertinebat notitia principiorum. Indè est illud quod Sapientia dicit de seipsa: *Per me Reges regnant* &c. Prov. VIII. 15.

Consideratio Undecima.

DOMINUS propter multiplicationem hominum sub Lege sua Evangelica prævaricantium eam, multis modis voluit hujusmodi Canones multiplicari. Et ità opus habuit Canonistis, etiam in regimine spirituali, quia propriè dicti Theologi nequaquàm sufficiebant. Notemus hîc ad declarationem ampliorem, quòd Theologi proprio nomine dicuntur hi qui notitiam profitentur, & habent eorum quæ propriè dicuntur esse de Theologia, hoc est, de Jure divino seu Evangelico, quod idem est, & qui illud sciunt elucidare, defendere, roborare. Sunt autem quatuor genera talium, quæ propriè dicuntnr ad Jus divinum, & Evangelicum pertinere. Primum genus est eorum quæ continentur expressè in textibus Canonicæ Scripturæ, ut quòd *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Gen. I. 1. Secundum, est eorum quæ consequuntur consequenter clarè in consequentia necessaria & evidenti, apud omnem utentem ratione, ex eis quæ ibidem continentur. Tertium, est eorum quæ licet non sequantur in consequentia clara apud omnes utentes ratione, vel aliundè doctos, tamen apud exercitatos in sacris Literis consequentia judicatur optima, vel sequela. Quartum, est eorum quæ per revelationem factam Ecclesiæ constant, & hoc vel expressè, & manifestè per prophetias, seu miraculosas attestationes; vel implicitè per communem attestationem totius Ecclesiæ, vel Concilii generalis eam sufficienter repræsentantis, ac per successionem legitimam derivativam ad posteros per eos qui tales revelationes habuerunt manifestè. Veritates omnes aliæ tantò dicuntur magis pertinentes, vel impertinentes ad Theologiam, & suos professores, quantò proximiùs vel remotiùs possunt inferri ex prædictis. Progredientes igitur ultrà dicamus, quòd præter has veritates seu regulas, oportuit multas explicari ad regimen Ecclesiasticæ familiæ, quæ non poterant expressè deduci ex sacra Scriptura; sed oportuit fieri limitationem per auctoritatem humanam. Rectè, eo modo, quo ultrà principia Juris moralis, naturalis, & conclusiones evidenter & necessariò sequentes ex eisdem, oportuit addi multas institutiones neque clarè dissonas, neque tamen evidenter sequentes ex dictis principiis, & hoc auctoritate Principum, vel Communitatum, quibus Respublica regenda subdebatur. Exemplum in uno, per quod sciatur in ceteris. Confessio Sacramentalis est de Lege Evangelica propriè dicta, sed quòd fiat hoc tempore, vel illo, & apud suum certum Sacerdotem, vel apud illum, est de Jure positivo, quod nec clarè sequitur ex lege Evangelica, quòd sic debeat fieri, nec tamen est repugnans. Talia sunt sine numero in reliquis quæ concernunt Dei cultum, & charitatem erga ipsum, & proximum nostrum.

Consideratio Duodecima.

DOMINUS opus habuit Canonistis, nedum propter multiplicationes hujusmodi Canonum positivorum, sed etiam propter incorrigibilitatem subditorum.

Oderunt peccare mali formidine pœna.
ait Horatius:

Ut igitur pœnæ variæ pro variis delictis ferrentur, necesse fuit, quemadmodùm pro diversitate morborum ordinant Medici diversitatem remediorum particularium, ultrà ea quæ cognoscunt ex principiis Philosophiæ naturalis, vel suæ Medicinæ generalis. Constat autem Institutiones hujusmodi arbitrarias esse ut plurimùm; quæ licet Institutiones conformitatem quandam habeant ad Legem divinam in hoc, quòd non ei palàm dissonant; alioquin essent iniquæ: nihilominùs non ita pertinent ad eam, quin aliæ pœnæ possent æqualiter, stantibus illis principiis, constitui, & hoc est Jus quale appellamus purè positivum, vel humanum. Ampliùs verò etsi repugnantia non sit; ut sciat Theologus hujusmodi Constitutiones pœnales, & similes de Jure positivo: quia tamen humani capacitas ingenii multùm finita est, nec ad tot sufficit, Dominus habuit opus, vel voluit distinctos in Ecclesia Doctores instituere, quosdam ad Jus Evangelicum, & propriè divinum, quosdam ad positivum sciendum dedicatos. Et ex his investigamus & invenimus, puto, commoditatem distinctionis inter has Facultates, Theologiæ, & Decretorum, & Dominus in hoc habet opus Decretistis.

Consideratio Decimatertia.

DOMINUS non instituit reponi ea quæ propriè sunt Fidei in textibus Canonum vel Decretorum, undè dicuntur Canonistæ vel Decretistæ, tanquàm illa per se principaliter pertineant ad Facultatem Decretorum. Hæc consideratio respondet his qui post Facultatem Decretorum sic institutam contendere vellent superfluam esse Theologorum Facultatem. Habemus inquiunt, Articulos omnes Fidei, & Catholicas veritates, quid egemus Theologis? Sed videatur ratio, cur illìc ponantur tales veritates: invenimus quòd sunt tanquam Articuli certi eliciti ex Theologia, quorum declaratio spectat ad eamdem, quemadmodùm etiam factum est in Legibus Principum Catholicorum; non quòd ad illas Leges de directo spectent, sicut nec eorum declaratio; quemadmodùm nemo diceret, quòd declaratio Symboli Apostolorum, vel Nicæni Concilii ad simplices spectet, quibus tamen illud indicitur, & explicatur, & datur ad credendum. Quo pacto igitur, quæreret aliquis, reponuntnr hæc in Facultate Decretorum, vel in Facultate Legum temporalium, quæ ad Theologiæ pertinent Facultatem? Facilis est responsio. Reponuntur itaque ut addantur pœnæ variæ contrà eos qui ausu temerario contrà Articulos sic explicatos dogmatizare præsumerent. Hæc autem adjectio Canonum pœnalium, sicut est de Jure positivo; sic earum cognitio spectat propriè ad Decretorum, vel Legum Facultates.

Consideratio Decimaquarta.

DOMINUS sicut in uno corpore naturali diversa membra, singulis officia constituit, ne sit schisma inter ea; sic in corpore mystico diversos voluit esse Doctores pro varietate doctrinarum, Legum, vel Jurium. Hac consideratione præsupposita ex prioribus, patet consequenter injusta concertatio, vel querela eorum, qui pro extollendo scientiam Theologiæ, illam Decretorum vituperant, vel è contrà. Hoc enim agere quid aliud est, quàm si oculus dicat naribus; opera tua non egeo. Rursùs est præsumptio eorum, qui ex necessitate suæ scientiæ nituntur extollere & arguere eam, ceteris omnibus perfectionem, cùm dicat Philosophus de Metaphysica. *Necessariores quidem omnes digniores, perfectior verò nulla.* Cùm prætereà videtur in corpore naturali membra turpiora, & infirma plus habere necessitatis, quàm pulchriora & perfectiora, qualia sunt oculus & auditus. Denique manifestum est ex his, ad quam Facultatem spectat judicare de hæresibus & hæreticis. Constat, quòd ad Theologiam; modum verò puniendi magis determinat Facultas Decretorum; sed executionem Judices, & Clientes, seu Bodelli magis sciunt. Exemplum de judicio falsæ monetæ, cujus falsitatis cognitio spectat ad campsores, punitionis modus ad Legistas, executio ad Judices & borrelles. Potuerat hìc applicatio fieri de examine Bullæ illius per Mendicantes extortæ, sed omitto.

Consi-

Consideratio Decimaquinta.

DOMINUS habet opus sicut Theologis, & Canonistis, sic hominibus inferioris scientiæ, vel ordinis, quoad cognitionem traditionum humanarum. Consulamus experientiam, & videbimus, quòd ultrà scientiam Juris divini, & Canonici positivi, multæ sunt particulares Leges, & Constitutiones positivæ necessariæ in Judiciis, quales oportet scire ipsos Procuratores, & Clientulos, & alios inferioris ordinis. Si autem quæreret aliquis, quisnam utilior sit Ecclesiæ Dei, vel eruditus in his Legibus ultimis Procuratorum, & Promotorum, vel in sacris Canonibus positivis? Puto confestim ridebitur, & irridebitur; immò spernetur à Dominis Canonistis talis inquisitor, & jure quidem. Sed cùm à simili pergunt aliqui curiosè (ne dicamus fatuosè) comparare scientiam Canonum positivorum, pro Ecclesiastico regimine, ad scientiam Evangelicam, ipsi viderint. Exemplo simili dubitaret aliquis, quis habendus est dignior in cura corporis, vel Medicus. Similiter quis præferendus est, vel eruditus in Constitutionibus positivis suæ Religionis, aut in Synodalibus Statutis; vel an præcellat Jurisperitus, qui tamen ad horum particularium cognitionem non descendit? Cessent igitur deinceps hujusmodi comparationes odiosæ, & curiosæ, fatuosæ, immò & fastidiosæ; nec sit schisma in ipso corpore Ecclesiæ; sed ambulet quisque vocatione quâ vocatus est, gratiam quam accepit communicans sine invidia, & in alterutrum ministrans.

Consideratio Decimasexta.

DOMINUS opus habet Decretistis, non solùm propter rationes sumptas ex multitudine Canonum positivorum concernentium spirituale regimen; sed etiam regulationem temporalium, maximè post dotationem Ecclesiæ in Beneficiis, & in aliis abundè factis. Neque enim Evangelica Lex dedit expressas de temporalium regimine Constitutiones; ac perindè Theologica consideratio se ad eas particulariter cognoscendas nequaquàm extendit. Videntur autem sufficere Leges humanitùs traditæ; sed si notaverimus aliam esse rationem de his quæ merè temporalia sunt, nec dedicata divinis usibus; aliam eorum, quæ cultum Dei respiciunt in Decimis, & Oblationibus, in Beneficiis, atque similibus; nemo mirabitur, si Legibus aliis uti congruum fuit pro his, & pro illis, quemadmodùm doctrina purè moralis insufficiens fuit pro Lege gratiæ revelatæ, quamvis in obsequium suum possit.

Consideratio Decimaseptima.

DOMINUS non ità distinxit Theologiam à sacris Canonibus, & è contrà, quin utiliter, & salubriter possint ab eodem homine, quantùm sibi conceditur investigari. Si enim reperti sunt qui, ultrà Canones sacros, Legibus humanis dederunt studium suum, & è contrà, & profecerunt in utrisque, si ultrà Philosophiam, & Metaphysicam, multi quotidiè in Theologia se vehementer exercent: hoc convenientius habet fieri quòd Theologus descendat ad inspiciendum Canones sacros, tanquàm conclusiones elicitas ex suis principiis Theologicis deducere. Sic erit talis ambidexter Theologus Canonista, & Canonista theologizans; & quis est iste, & laudabimus eum? Quid autem facilius est ex ambobus, aut per Theologiam, scilicet, cognoscere Canonicam scientiam, vel è contrà. Existimo quamprimùm, sicut faciliùs est, & ordinatiùs deducere ex principiis conclusiones, quàm ex conclusionibus ad principiorum notitiam devenire. Addito, quòd agibilium istorum vehemens consideratio à pueritia, vel ab adolescentia non tantùm erudit, neque clarificat ingenium, quantùm exercitatio in speculabilibus principiis. Potuerat hîc inferi querela frequenter incidens nostro tempore tam de Theologis qui ad speculabilia quædam parùm utilia curiosiores existunt debito, nolentes ad considerationem agibilium tanquàm suo ingenio indignam, & rudem declinare. Rursùs inculpandi sunt Juristæ illi qui particularibus conclusionibus Jurium sic adhærent, ut . . . . vel ad principia resolutionis non advertunt.

Consideratio Decimaoctava.

DOMINUS voluit ita Theologiam à Canonibus separari, ut tamen maneret usus terminorum Theologicorum inconfusus. Scientia enim quælibet inferior, sicut sumit principia sua à superiori alternante eam, sic ut terminorum suorum proprietatem observet necesse est; alioquin fieret velut altera confusio Babylonica per divisionem linguarum, nec mutuò se intelligerent Theologus, & Jurista. Qua ex re patet quòd ubi de istis terminis, hæresis, & hæreticus, simonia, & simoniacus, & similibus, fit mentio, recursus esse principalis debet ad usum quem Theologicus sermo habet, secundùm quem dicit Augustinus, quòd *Nobis ad certam regulam loqui fas est.* Ac perindè patet, quòd expositio Bullæ Mendicantium requirit exponi per Jus Evangelicum.

Consideratio Decimanona.

DOMINUS noluit ut secundùm Jus Canonicum regularetur immobiliter de necessitate totus Ecclesiæ populus, sicut oportet ipsum regi stabiliter, & immobiliter per Jus Evangelicum, & divinum. Tollit hæc consideratio temeritatem aliquorum, vel ignorantiam, qui suis Juribus positivis immobilitatem, & indispensabilitatem talem tribuunt, & parem vim obligandi, qualem habet ipsum Jus Evangelicum, & Divinum. Ac perindè quot heu scandala! Quot perturbationes in Evangelico regimine pridem orta sint, & quotidiè succrescant, legi fas est in experientiæ Libro. Tales nimirùm intractabiles, quos Philosophus appellat *immansivos*, neque epikeiam, neque bonam æquitatem recipiunt, adhærentes traditionibus suis, sicut Evangelio; immò *propter traditiones* suas, sicut conqueritur Christus, facientes *irritum mandatum Dei*, Matt. xv. 6.

Applicavimus aliàs considerationem hanc præcipuè utilem ad materiam reductionis Græcorum, sed nunc omittamus. Clavis est hæc consideratio, pro inveniendo consequenter naturam, & conditionem totius Evangelicæ Hierarchiæ. Et quomodò regimen ejus monarchicum est regale quoad spiritualia ex immobili institutione Christi. Utrùm verò sit existimandum quoad temporalia etiam Ecclesiæ dedicata, non ità est manifestum. Scitis concertationes istic innumeras esse; dicentibus aliis, quòd Ecclesia nihil habet temporale, nisi à divinis Principibus; aliis verò in oppositum certantibus, quòd omninò sunt Ecclesiæ; sed lites has, vel numerare hîc, vel dirimere, non nostrum est.

Consideratio Vigesima.

DOMINUS voluit eruditis in sacris Canonibus Licentiam Doctoralem impartiri, quatenùs haberent ex hoc auctoritatem, non solùm docendi ipsos Canones, sed eos doctrinaliter interpretandi, exponendi, vel glossandi. Hoc inter cetera maximè operatur Licentia Doctoralis, & illud rationabiliter; non enim potuit omni hora fieri recursus ad conditorem Canonum: propterea eruditis, & approbatis conferenda fuit talis auctoritas Doctoralis; non solùm ipsis, sed etiam principalibus Theologis, præsertim ubi dubietas oriretur ex his, & circa ea quæ Jus Evangelicum potest ad elucidationem deducere; &

& quemadmodùm Architectonica principatur subalternatæ scientiæ, & sicut ex principiis conclusiones examinantur, & probantur, si rectæ sunt. Denique causas alias Licentiæ Doctoralis esse dicimus, quatenùs evitetur confusio in politico regimine, & ne insufficiens, vel immeritus ad hoc ipsum se ingerat, quià postremò *Honor alit artes*, dicit Cicero, & omnes accedunt ad Studia propter gloriam. Postulemus tandem, ut Dominus, Paterfamilias supremus, nos ita solvi, & ad ipsum deduci præcipiat, juxtà figuram asinæ, & pulli ejus, quòd ad Jerusalem cœlestem ipso sedente, & dirigente, perveniamus.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

COLLATIO
PRO LICENTIANDIS
IN FACULTATE DECRETORUM.

Ad MSS. Codd. Vict. 848. *& Navarr. unum.*

Conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. 1. *Pet.* II. 25.

Hoc Apostoli Petri verbum quòd pro Fidelium omnium salubri commonitione depromit Ecclesia in Epistola Dominicæ imminentis: ego pro enunciandis laudibus vestris (ut mos habet, & jus expostulat) ad vos transferendum decrevi, ô venerabiles Licentiandi Patres, & Fratres in Christi charitate, simul versi, simul juncti. Estis namque & vosipsi de numero Fidelium, qui à peccatis in quibus concepit vos Mater vestra, conversi estis per veram susceptionem, in regenerationis lavacro, ad Pastorem, & Pontificem animarum vestrarum, Dominum nostrum Jesum Christum: sicut annunciabant Paulus, & Barnabas Listrensibus, *converti à vanis ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram.* Act. XIV. 14. Sed est aliqua specialis in vobis conversio ad eumdem Pastorem, qui speciales vobis titulos aggregaverit honoris, dum per viam Canonum sacrorum, quasi viam quamdam Mandatorum Dei, sequi studuistis vestigia ejusdem Pastoris, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, ut ex Isaïa. LIII. 9. sumit in eadem Epistola Petrus Apostolus, de quo alter ait: *Non sum confusus te Pastorem sequens.* Jerem. XVII. 16.

Placet igitur rem ex alto repetere, & dicere, quòd felicitas animarum vestrarum, finis utique quò tendimus, & ad quem condidit nos Pastor, & Pontifex omnium summus, & optimus, consistit in conversione animæ ad Deum, tanquàm mulieris ad virum suum, hoc est, imperfecti ad perfectibile suum. Quòd enim Deus sit vir animæ rationalis, sermo Propheticus non semel insinuat. Undè Jeremias: *Convertimini, filii revertentes, dicit Dominus, quià ego vir vester, & assumam vos.* Jerem. III. 14. Quamobrem fieri debet animi conversio ad Deum vivum suum per memoriam fœcundam, & tenacem; per intelligentiam claram & vivacem; per affectionem depuratam & efficacem; & Deus convertetur ad eam, ut dicat illud Epithalamicum: *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.* Cant. VII. 10.

Viderunt hanc veritatem in naturali etiam lumine (quanquàm non satis ad integrum, & nudum) oculatissimi Philosophorum Plato, & Aristoteles, qui felicitatem animarum vestrarum posuerunt; Plato in adeptione puri universalis separati; Aristoteles in eodem, sub aliis tamen verbis, in contemplatione videlicet primæ causæ, quæ profectò non alia est à bono puro universali separato. Porrò nihil aliud dici potest adeptio talis boni per animas nostras, quàm earum ad ipsum conversio per contemplationem, & amorem. Quamvis autem omnis hominum cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, ad hunc finem niti debeat pervenire. Ad hoc enim condita est, & Dei capax effecta; ad hoc variæ sibi traditæ sunt Leges, artes atque scientiæ. Ad hoc ostensa habuit
A divinorum operum vestigia quæ sequeretur. Nihilominùs quidam è viciniori, quidam è longinquiori convertuntur ad Deum *Pastorem*, & Pontificem *animarum vestrarum* sequentes ejus vestigia. Hi tardiùs, isti velociùs; hi longiùs, isti proximiùs.

Vos autem, viri Patres & Fratres, nunc Licentiandi, tales exhibiti estis inter eos qui de propinquo Deum sequuntur, Deum imitantur, ad eum convertuntur qui est Pastor & Pontifex animarum vestrarum. Canonum itaque sacrorum scientia quam studuistis, & didicistis, nonne via quædam est expedita, ut attingatur Deus per cognitionem, & amorem, qualiter attingere Deum nihil aliud est, quàm ad ipsum esse conversum? Quamobrem animadvertitis, quàm justo, quàm inclyto, & insigni laudum titulo vos decorat, & honorat verbum Apostolicum, dùm ad vos illud traducimus, & dicimus: *Conversi estis nunc ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.* 1. Petr. II. 25. O præclara! ô felix! ô prædili-
B genda conversio! Hæc enim est felicitatis initialis adeptio.

Convertuntur alii qui & pervertuntur, nunc ad carnis illecebrosas voluptates, ut sus in volutabrum luti per viam lutosam, & lubricam; per viam spinosam, & laqueis plenissimam; per viam tenebrosam & præcipitem; nunc in Ixionis rota volubili, & anxias divitiarum accumulandarum curas, nunc ad vanitates, & insanias falsas. Et hi omnes sunt peccatores, qui convertuntur in infernum cum illo qui sepultus est in infernum; pro tali parochiano talis sepultura. Mala planè, miseraque conversio, qua fiunt homines sicut oves errantes, nec invenientes pascua, & qui faciunt de Parochia, Diœcesi, vel Provincia Episcopi nostri, prostibulum carnis, peccati, aut rabidum forum mundi, vel fanum prophanum diaboli.

At verò conversi estis ad Pastorem & Pontificem animarum vestrarum, obedientes sibi ipsi qui ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Joël. II. 12. Dicentes insuper ex sententia illud propheticum: Psal.
C CXIV. 7. *Convertere anima mea in requiem tuam, quià Dominus benefecit tibi.* Et qualiter benefecit subditur: ℣. 8. *Quià eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis; pedes meos à lapsu.* Nonne Dominus est requies animarum vestrarum? Quòd si quis hæsitaverit, confirmat eum Augustinus testificans: *Domine, fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec quiescat in te.* Cur igitur non fieret ad ipsum vestra conversio, Viri Patres, & Fratres Licentiandi venerabiles, quoniam & ipse requies vestra est, Pastor quoque, & Pontifex, qui à peccatis liberat, vivificat, qui oculos purgans illuminat, qui denique pedes affectuum stabiliens firmat. *Eripuit*, inquit Propheta, *animam meam à morte*, quoad primum; *oculos meos à lachrymis*, quoad secundùm; *pedes meos à lapsu* quoad tertium. Et hic est triplex fructus conversionis animæ ad Deum, conformiter ad triplicem animæ operationem naturalem in nobis, vitalem, animalem, &
D motivam; nec minùs pertinenter ad triplex Pastoris atque Pontificis officium, cujus est nutrire, dirigere, stabilire. Nutrire, quoad vivificationem. Dirigere, quoad illuminationem. Stabilire, contrà præcipitationem. Primum appropriatur magis ad Pastorem; reliqua duo ad Pontificem; tria simul ad Deum, Creatorem, *in quo*, secundùm Apostolum allegantem Poëtæ verbum Act. XVII. 28. *vivimus, movemur & sumus*, id est, stabilimur. Hos autem affectus consequentes animæ conversionem ad Deum Pastorem & Pontificem nostrum operatur Deus in singulis prout vult

vult. Attamen quià nunc de omnibus dicere nequaquàm suscepimus; placet ostendere quo pacto per scientiam Decretorum, & Jurium mysterialiter conversi *estis ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum, ut sequamini vestigia* ejusdem: *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus;* ut prætereà sit in eo requies vestra, & liberetur *anima* modis præexpositis *à morte, oculi à lachrymis, pedes à lapsu.* Primum per nutritionem. Secundum per illuminationem. Tertium per stabilitionem.

A

Ecce videamus Decretorum scientiam. Sic enim invenimus sub mysterio velut alteram Jacobi scalam, quæ multis studiosis parat gradus, ut convertantur ad Deum desuper innixum scalæ. Hanc autem diversorum graduum scalam, intelligimus multiplicem virtutum tàm intellectualium, quàm moralium combinationem, per quarum notitiam convertitur, & evehitur anima ad Deum; ab ignorantia ad cognitionem, & Fidei veritatem; à desperatione, vel desolatione, in spem; à vanitate ad charitatem; ab iniquitate ad justitiam; à pusilanimitate ad fortitudinem; ab incontinentia ad temperantiam; à stultitia ad prudentiam. Offerebat se concordantiarum multitudo tàm ex sacra Sciptura quàm ex corpore Canonum virtutes istas docentium, & detestantium oppositas iniquitates. Sed quid expedit coram scientibus Legem, Leges inculcare? præsertim dum in promptu, id est, ad manum (ut dicitur) quilibet habere valeat concordantias, & distinctiones hujusmodi, & ut ità loquamur, fabricatas in Tabulis variis ex Scriptura sacra collectas, sicut Martiniana quædam super Decretis confecta est. Habeant sibi Tabulas hujusmodi, qui solis allegationibus innituntur, & gaudent, ostentantes se, quasi passus omnes Scripturarum cognoscerent. Nos his ad præsens omissis concludamus, quòd justo, & insigni laudum titulo vos decorat verbum præassumptum: *Conversi estis*, &c.

B

Denique rei hujus investigare libet originem. Postquàm enim peccatum peccaverunt Parentes nostri avertentes se à Deo Pastore suo, & ad creaturam conversi, facti sunt ipsi cum posteris suis *velut oves errantes*, & exules à provincia Paradisi, qualiter se agnoscebat, & deflebat qui dixit: *Erravi sicut ovis quæ periit.* Ps. CXVIII. 176. Sicut etiam præmisit Petrus ad verbum nostrum. *Eratis*, inquit, *aliquando sicut oves errantes.* 1. Petr. II. 25. Errorem istum miseratus ex alto Christus Dominus, qui se Pastorem bonum nominavit, vocem dedit, quâ cognosceretur, ut sequerentur eum *oves propria*, & in *pascuis uberrimis* pascerentur. Vox ista quid aliud quæso est, quàm Lex sua? quam qui audierit, vivet. Qui secutus eum fuerit, neque ambulabit in tenebris, neque corruet, sed pascua inveniet, dicens cum Propheta: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocavit.* Ps. XXII. 1. Quamquam verò vox ista Legis Christi Pastoris, & Pontificis nostri sit appropriatè, & eminenter Lex Evangelica, quæ ex ore Altissimi prodiit, & cujus est oves errantes regere, dirigere, & firmare. Sicut Legislator suus est *Via, Veritas, & Vita*, Joan. XIV. 6. & sicut testimoniis absque numero doceremus. Nihilominùs Lex Canonica per analogiam quandam, & attributionem, nominari non irrationabiliter potest vox Christi, pro quanto ipsa est vox sui Vicarii, insuper Ecclesiæ, vox denique illorum ad quos dixit: *Qui vos audit, me audit.* Luc. X. 16. Ità ut olim pro una voce Lex Evangelica, & Canonica haberentur, neque in duas secernebantur Facultates, Theologia, & Decretorum scientia. Nam Decreta quales alii nisi Theologi præcipui condiderunt, tradiderunt, promulgarunt? Quemadmodùm prætereà Lex vetus, quæ & Mosayca dicitur, complectebatur cum divinis Præceptis ordinantibus immediatè ad Deum, judicialia, quæ proximos in temporalibus regulabant, nec ob hoc plures Leges, sed una putabatur. Non aliter Ecclesia primitiva Legem Evangelicam cum Canonica conjungebat, quàmvis Evangelica ad Deum, & Canonica magis ad proximum ordinaret; sed undè, vel quando suborta est distinctionis origo, superest ut hæc ostendamus.

C

Dilatatis nimiùm per omnes terminos Orbis terrarum Ecclesiasticis pascuis, aggregatis quoque sub uno ovili & uno Pastore quaquaversùm ovibus rationabilibus, priùs errantibus, oportuit plurificationem Decretalium, & Decretorum pro suo regimine judiciario constitui, & maximè postquàm dotata est Ecclesia, postquàm in multitudine temporalium bonorum, & Jurisdictionum sæcularium, ipsa sæcularibus potestatibus par facta est. Vulgato quippè proverbio dicitur: *Terram habens guerram habet*; quia multiplicatis divitiis, egenis, & angustis, & dicentibus hominibus. *Hoc meum est, & hoc tuum*, lites ut plurimùm consequi necesse est. Sic insecutus experientiam Seneca dixit: *Quietè viverent homines in terris, si hæc duo pronomina, meum & tuum, de medio tollerentur.* Quod & exemplum duorum Patrum litigare nescientium palàm fecit.

D

Porrò, crebrescentibus jurgiis, Judicia frequentia quæruntur quæ ea dirimant, quæ pacem restituant. Hinc Leges Legibus; hinc Constitutiones Constitutionibus; hinc Decretales Decretalibus additæ sunt; idcircò quòd ea quæ de novo emergunt novo egent auxilio. Quamobrem etsi Lex Evangelica sufficiens sit, & perfecta pro vita animæ, & conversione ejus ad Deum; congruebat, ut particulares Decretorum, & Decretalium traditiones adderentur. Primum ex hoc perspicuum fit, quià *Dei perfecta sunt opera.* Deut. XXXII. 4. & Legislatoris perfectissimi ut Lex perfecta sit necesse est. Secundum persuademus ex verbis Aristotelis, qui paucissima tradit esse committenda Judicibus. Nam quia rationi humanæ conjuncta est sensualitas, quæ adversatur & obviat sibi, & cujus judicium subvertit plerumque per alteram harum passionum, quas sub compendio notavit Virgilius, dicens:

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque,

debuerant Leges fieri per homines non excæcatos, aut seductos præmissis passionibus, ut secundùm Leges regularetur, & ferretur Judicium, non prout sensualitas extorqueret.

Quod si quis interrogaverit, cur has Leges non explicavit Legislator noster Christus? Respondemus, illas in universalibus principiis satis datas esse, sciente eo quià pro varietate temporum, & locorum, traditiones istas variare necesse est. Insuper quòd tempore primitivo Ecclesia non esset occupanda in temporalibus, vel servandis, vel augendis, quando mittebantur sine sacculo, & pera, prædicare; quando dicebant, non esse *æquum relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*; Act. VI. 2. propterea suffecit autoritatem condendi Canones, & Decreta Vicariis suis relinquere, de quibus dixit: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc. X. 16.

Arguent fortassis alii, quòd vel Christus insufficienter primitùs instituit Ecclesiam, dùm eam temporalibus indotatam reliquit, vel alii superfluè ditationes, & dotationes hujusmodi susceperunt, & frustrà consequenter Leges regulantes addiderunt. Negamus utrumque, neque enim uno modo semper agit Spiritus sanctus pro evocatione, & conversione Fidelium *ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum;* sed nunc adversitate, nunc prosperitate; nunc paupertate, nunc abundantia trahit, vocat & allicit, quos esse suos agnoverit. Audi comminantem? *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum.* Ps. VII. 13. Accipe blandientem: *Convertimini ad Dominum, quoniam benignus est.* Joël. II. 13. Est igitur inefficax argumentum si generaliter assumatur: Prælati in Ecclesia primitiva conversi ad Deum nullis Decretalibus, aut Decretis utebantur: igitur nec moderno tempore congruit eis uti. Ecce prostrati sumus, & invenisse cre-

dimus, tùm necessitatem, tùm utilitatem scientiæ Canonicæ.

Ceterùm quid ultra secutum est? Ut ab Evangelica Lege secerneretur: si quidem neque brevis hominum ætas, neque limitata ingeniorum capacitas sufficere visa est, neque rerum conditio patiebatur ut idem homo perfectus simul haberetur Theologus meditans in Lege divina die ac nocte, & tot se Traditionis plenè cognoscendis totum daret. Hæc est (nisi fallor) ratio, hæc origo Legem Evangelicam à Canonica, & Theologiæ Facultatem ab illa Decretorum secernendi: veruntamen utraque est vox Christi Pastoris, & Episcopi animarum nostrarum, quamvis illa immediatè, ista mediatior; hæc velut Sara uxor libera, hæc tanquam Agar in obsequium & prolem concessa; hæc ad contemplationem ista ad actionem magis accommoda. Propterea hæc Rachel formosæ, ista Liæ lippæ, & fœcundæ magis comparatur; utraque nihilominùs laude digna, quia per utramque fit conversio ad Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum: qua in re propositum erat dilatare, & amplificare laudes vestras multis, & præclaris, atque salubribus effectibus quos affert ista vox Legis Canonicæ, per quam conversio fit ad Pastorem, & Episcopum animarum nostrarum. Voluimus præsertim terræ fructus magis in apertum deducere, quos nominatione sola detexi, qui sunt spiritualis vivificatio, intellectualis illustratio, virtualis corroboratio; nec deessent originalia Sanctorum posita super numerum in ipsa eadem Decretorum doctrina res istas loquentium; suppeterent insuper testimonia operum vestrorum, & studiorum, ô viri Patres, ac Fratres Licentiandi venerabiles, per quæ probati, & in his omnibus manifesti facti estis.

Sed patimini, precor, ut suppressis interim laudibus vestris (quæ per se satis patent, & illustres sunt) quædam pro elucidatione præmissorum, pro obloquentium confusione, pro juniorum quorumdam institutione proponantur: patimini, ut in doctrinam commendationem convertamus, investigantes naturam hujus scientiæ, postquam originem docuimus; modos insuper quibus per eam fieri debet conversio ad *Pastorem & Episcopum animarum vestrarum.*

Distinguamus, notantes in primis ex Scripturarum divinarum serie, tribus modis aliquid converti. Nam est conversio retrorsùm, conversio introrsùm, & conversio deorsùm. Vis audire conversionem retrorsùm: *Quid est tibi mare, quod fugisti*, Ps. CXIII. 5. Hæc est sursùm ad originale principium, & fontale, sicut Maria Magdalena conversa retrorsùm agnovit Jesum. Accipe conversionem introrsùm, ibi: *Loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor*, Ps. LXXXIV. 9. hoc est, introrsùm. Demùm conversio deorsùm docetur ad naturale scrutinium: *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli* &c. Matt. XVIII. 3. Ecce conversionem in bassum, & deorsùm ad humile de se judicium.

Mirarabitur fortasse aliquis quid sibi velit, quid proficit ista de conversione distinctio. Multùm per omnem modum, etsi superaddita fuerit alia distinctio proportionalis, quia vel ignorata, vel neglecta, totam confusionis errore scientiam Canonicam turbari necesse est. Est autem hæc communis distinctio, quòd doctrina Canonica tres in se Juris species aggregatas complectitur, Jus divinum, Jus naturale, Jus positivum. Recipit itaque ipsa corporis sui magnitudo sicut mare magnum, & spatiosum, plurima propriè de Jure Divino, & Evangelico, ut sunt Articuli Fidei, & Sacramentorum traditio, & originalia quædam Doctorum sacram Scripturam exponentium. Recipit alia quæ sunt propriè de Jure naturali, ut Præcepta purè moralia, & traditiones Philosophorum moralium in solo rationis dictamine stabilitas. Recipit alia quæ sunt tantummodò de Jure positivo, vel humano, ut Statuta quædam Provincialia, vel Synodialia, Judicialia quoque, & cerimonialia aliqua, & ea quæ taxationes pœnarum, vel præmiorum respiciunt. Primum Jus derivatur à Deo tanquàm immediatè ab Episcopo animarum nostrarum. Secundum Jus inspiratum est ab eo tanquam à Pastore nostro; cujus lumen signatum est super nos oves pascuæ suæ. Tertium fluit ab eodem tanquam nunc Episcopo, nunc Pastore nostro; tamen mediante, &

A interveniente humana voluntate, consensu, vel auctoritate. Hæc autem ideò præmiserimus ut triplex indè consideratio moralis, & salubris inferatur. Pro intellectu Juris divini comprehensi in Decretalibus, & Decretis, necessaria est conversio retrorsùm ad Deum fontale principium, & ad suum Evangelicæ Legis revelatæ vestigium. Pro intelligentia Juris Naturalis ibidem positi requiritur conversio retrorsùm ad naturale scrutinium, & ad divinum naturalis Legis inditæ vestigium. Pro intelligentia Juris humani positivi utilis est conversio deorsùm ad conditionis humanæ multiplicis statum varium, ubi relucet aliquod remotum valdè, & imperfectum vestigium. Et ad hoc ut epikeya, vel æquitas conservetur, convertamus oculos mentis per has tres considerationes, & videbimus.

Primò, quòd pro intellectu &c. ut priùs. Per-

B spicua est ex terminis prima consideratio, quoniam tales Canones sunt aut conclusiones purè Theologicæ, aut Articuli principales, quos pro principiis Theologia præsupponens, ex his consequenter alia, & alia deducere consuevit. Propterea qui gloriatur se partem istam perfectè cognoscere; ut se Theologum glorietur consequens est, nisi fortè quis dixerit quòd ad talium cognitionem sufficit textualis eorum quæ traduntur in hujusmodi Decretalibus, & Decretis, memoria.

Sed quis nesciat, quòd similiter rurales plurimi præcipuos in Symbolo & maximos Fidei nostræ perceperunt Articulos; eos autem quis vel Theologos nominaverit, vel Canonistas? Subinde deducimus, quòd dubiis emergentibus circà partem hanc Juris divini in corpore Canonum repositam, & immixtam; finalis, & certa decisio spectat ad originale principium, undè hæc sumpta cognovimus, hoc est, ad Theo-

C logicam disciplinam, ad quam debet retrorsùm fieri conversio; alioquin casuale esset vel impossibile naturaliter, ut inoffenso pede sequerentur vestigia Pastoris, & Episcopi Christi, & liberaretur anima à morte tùm erroris, cùm delicti. Non absque re dixit ipsa de se Sapientia, quòd per eam *Legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15.

Quòd si quis dederit aliquos ex Canonistis, quales inveniri posse non negamus, qui partem hanc Jurium divinorum deducere ex principiis suis propriis, declarare insuper, atque defendere cognoverint, eos non tàm Canonistas in hac parte quàm Theologos censebimus appellandos. Difficile tamen est (quemadmodùm tetigimus, etsi non impossibile) ut unicum hominis ingenium ad tot intendat, ad tot sufficiat. *Nam ubi intenderis ingenium, ibi valet*, ait Julius Cæsar, apud Salustium. Propterea dum ad particulares actus hominum & traditiones positivas, leves ad concipiendum, sed

D ad retinendum, & practicandum difficiles, memoria alicujus tota cum intelligentia se dederit, testatur Albertus Magnus cum experientia, quòd vix postmodùm sufficit idem homo retrorsùm converti ad principia prima, & universalia, alta, & abstracta, perspicaciter, lucidè, & tenuiter intuendum. Quippe grossescit quodammodò ingenium, dum sola grossa & palpabilia studio continuo considerare suevérit. Docent hoc illi qui tempus in Grammaticalibus rudimentis, & similibus diù contriverunt; eos enim rarissimè postmodùm vidimus ad liberales artes idoneos. At qui, versa vice, subtiliatur plurimùm, & habilitatur animus, dùm

dùm ad principia prima subtilia, pura, & abstracta primitùs semetipsum sedulò converterit. Hinc fit, ut studiosi scientiæ superioris longè clariùs, & acutiùs (etsi non promptiùs) traditiones inferiorum scientiarum subalternatarum examinare, discutere, cognoscere, interpretari, & resolvere valeant, si ad illas suam dederint considerationem, & non aliundè depravatum habuerint judicium, quàm illi qui tales subalternatas scientias primò didicerint, ita ut facilius sit (exempli gratia) ex Theologo puro fieri Canonistam perfectum, quàm in Theologum probatum Canonum A studiosus evadat.

Nec ista dicuntur (testis est veritas) ut honorabili Canonum scientiæ (quam laudandam suscepimus, sicut verè laudabilis est) detrahamus, seorsùm sit hæc à nobis stultitia. Ad quid ergo? Ut sciat unusquisque mensuram suæ vocationis, & donationis Christi. Nempe quis honor est, quæ laus, quæ gloria, si quis vel se, vel professionem suam ultra concessos limites extenderit, & extendendo confundere præsumpserit: Nam in falsitate qualis laus est? *Qui falsò prædicantur*, inquit Boëtius, *necesse est ut propriis laudibus erubescant.*

Erat autem consideratione dignissimum investigare qualiter anima per conversionem retrorsùm ad Leges æternas sit fortior, atque utilior; cum è contra proveniat, dum deorsùm convertitur. Hinc duæ portiones rationis assignantur, superior scilicet, quæ vocatur vir, & inferior, quæ femina nuncupatur. B

Quædam dictaveram hìc scitu digna quæ proferre decreveram; sed nolui, propter eos qui pravè intelligunt, qui non libenter audiunt quia non laudantur, & perversius referunt, & pessimè calumniantur, omnia ea sinistræ interpretationis dente lacerantes, & conversi pedibus conculcantes. Sed de se viderint tales, & qualiter de fraternæ charitatis debito, & sincero veritatis zelo reddituri sunt coram tremendo Judice Deo rationem; nos intereà stupam ignibus apponere noluimus.

Pro intelligentia Juris naturalis commemorati in Decretalibus, & Decretis, exigitur conversio introrsùm ad cor, hoc est, ad naturale scrutinium, & ad divinum naturalis Legis inditæ vestigium. Hoc naturale scrutinium, hanc ad cor conversionem appellamus C *Considerationem dictaminis naturalis, & Legis scripta in cordibus nostris.* Sic apertè loquitur Apostolus dicens, quòd *Qui legem non habent*, intellige scriptam, *ipsi sibi sunt Lex.* Rom. II. 14. Docuerunt hoc Aristoteles, & alii Philosophi morales, qui solo ductu ratiocinationis naturalis virtutes docere, vitia detestari potuerunt. Porrò super hac Canonum portione, in ordine ad moralem Philosophiam, similiter dicere fas est, sicut in priori consideratione partem Canonum ad Theologiam comparavimus. Addito quòd Lex hæc naturalis plurimùm obliterata est, & obfuscata propter peccatum, ita ut ad perfectiorem ejus lecturam lucem divinæ Legis radiare, & ad eam oculum rationis convertere debeamus.

Pro intelligentia Juris humani positivi utilis est conversio deorsùm, ad conditionis humanæ multiplicitatem, statumque varium. Epikeyam, quam Latinè æquitatem, Juris interpretatricem nominare possumus commendat hæc consideratio, & hoc in illis; & circà illa D quæ solo Jure positivo vel humano subsistunt, qualia variari, & mutari, pro varietate, & qualitate temporum, locorum, personarum necesse est; non ita de Jure vel divino vel naturali, quorum utrumque immutabili veritate subsistit. Hoc moralis Cato sic ait:

Ipsæ etiam Leges cupiunt ut Jure regantur,

Alioquin Juxta Terentianum verbum, *summum jus summa est malitia.* Et propter traditiones hominum irritum fit Mandatum divinæ Charitatis. Hanc Epikeyam posuit Aristoteles *in Ethicis* Legum omnium directricem, quam abjicientes, & soli cortici literali penitùs adhærentes, non solùm non proficiunt Reipublicæ ex Legibus suis, vel Canonibus, sed obsunt vehementer. Ad quod est narratio Valerii de Scipione Nasica dicentis, quòd *Dum Consul Legis ordinem sequitur, id agit ut cum suis legibus Romanum corruat Imperium.* Hinc præclarè dictum est sub hac sententia, quòd *Leges sequi, non est Legis verba, sed Legislatoris intentionem imitari.*

Ex his omnibus lucidè deducitur id quod præmisimus, quòd ad perfectam Canonicæ scientiæ cognitionem triplex exigitur conversio: Conversio retrorsùm ad Deum, Conversio introrsùm ad cor suum, conversio deorsùm ad proximum, & statum ejus varium. Hoc autem sub aliis terminis vulgarioribus est dicere, quòd oportet in Decretis & Decretalibus distinctè videre quid in eis est de Jure purè divino, quid de Jure purè naturali, quid de Jure positivo, vel humano. Istis siquidem ignoratis confusionis sequi errorem necesse est, dum non separatur pretiosum à vili, indispensabile ab dispensabili, incommutabile à commutabili, obligans lex à non obligante, necessarium à non necessario, & ita de similibus, ex quibus oritur deceptio, quemadmodum si non separaretur plumbum ab argento, vel aurichalcum ab auro.

Concludimus deinceps, quòd Theologiam à Canonibus excludere, nihil aliud est quàm suos sibi oculos evellere. Similiter Canones velle destruere, est corpus proprium Ecclesiasticæ politiæ deformiter habituare. Quærere prætereà, qualis scientia plùs expediat Ecclesiasticæ politiæ, vel Evangelica vel Canonica; est quærere, quòd in corpore membrum ad directionem suam plus exponitur, vel oculus, vel aliquod aliorum.

Denique sequitur, quòd in terminatione præsentis schismatis tam perplexi, tamque difficilis, sicut & in aliis arduis, ubi traditiones humanæ nequaquam sufficiunt, necessaria est præcipuè conversio retrorsùm ad Jus divinum, quod est Jurium omnium originale, & fontale principium, forma, regula, & exemplum. Fiat hæc animæ conversio ad Jesum; tunc videbitur, & tandem agnoscetur Jesus Pastor, & Episcopus animarum nostrarum, sicut à Magdalena cognitus est, dum conversa retrorsùm ait: *Rabboni.* Joan. XX. 16.

Materia postulabat, & forsan hæc ingeniositas quorumdam expectabat, ut describere tentaremus quid Jus purè divinum, quid purè naturale, quid positivum, vel humanum; quatenùs inspici per conversionem hanc triplicem lucidiùs posset cujuslibet conditio. Hoc itaque difficillimum est quæsitu, hoc inventu saluberrimum. Hoc enim est velut triplex clavis aurea ad reserationem omnium in Juribus contentorum. Sed neque locus, neque præsens actus, neque desiderata brevitas hæc patitur; rem potiùs ad scholasticum examen referre congruit, quemadmodùm pridem in lectionibus paucis elucidare describendo tentavi: quod qualiter impleverim, aliorum sit judicium.

Erat insuper quæsitu dignissimum, quando fit anima prudentior, vel per conversionem retrorsùm, vel introrsùm, vel deorsùm. Dicit enim Veritas, quòd *Filii hujus seculi* (qui utique deorsùm convertuntur) *prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua.* Luc. XVI. 8. Sed hanc iterùm rationem, qua super speculatione, præmittimus, & terminum dictis statuentes dicimus, quòd quia triplex est conversio ista, retrorsùm, introrsùm, & deorsùm, præsupponitur à vobis haberi, O Licentiandi venerabiles. Quoniam prætereà documus jam ab initio hos esse conversos *ad Pastorem, & Episcopum animarum vestrarum*: satis hoc fuerit nunc pro collatione vestra sumpta ex generalibus locis atque principiis. Supplicamus tandem, ut convertat ad se magis, & magis omnes in commune Pastor & Episcopus animarum vestrarum; hìc per gratiam, & virtutes, ut beatæ societatis amplexu conjungamur eidem in gloria; cujus nos efficiet participes qui est Deus benedictus in secula. Amen.

ALIA

ALIA COLLATIO
PRO
FACULTATE DECRETORUM.

Ad eosdem Codd. MSS.

Pax vobis, sicut misit me Pater. & ego mitto vos. Joan. xx. 21.

MISSURUS atque licentiaturus post Resurrectionem suam Apostolos Dominus, sicut ex testimonio Joannis accepimus originaliter; recitativè autem in Evangelio Dominicæ currentis hoc protulit ad eos. *Pax vobis*, &c. At verò cur ante Licentiæ missionem priùs obtulerit salutarem pacem, dùm apud me etiam atque etiam recogito, magnum invenio missionis Apostolicæ mysterium, congruum insuper pro re quam acturi sumus, fundamentum. Voluit nimirùm supremus Cancellarius noster Christus dare palàm intelligi eos qui mittuntur pro Ecclesiastico regimine debere primitùs observare pacem, non qualemcunque. Est enim pax quam zelabat super iniquos Propheta, scilicet pacem quam mundus dare non potest: propterea dicturus Apostolis: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, præmisit: *Pax vobis*, &c.

Quid autem sibi vult quòd non semel, immò ter pacem dedit, nisi quia multiplex pax invenitur, præsertim triplex; convenienter, nisi fallor, ad assignata, secundùm tres respectus, vel ordines quos habet homo. Ad Deum super se. Ad seipsum infrà se. Ad proximum juxtà se. Pax quippe, cùm nihil aliud sit secundùm Augustinum quàm *ordinis tranquillitas*; perturbato ordine, pacem quoque dilabi consequens est.

Porrò quisquis mitti quæritur, si careat tranquillitate ordinis, vel ad Deum, vel ad se, vel ad proximum, ipse nequaquàm idoneus erit qui licentietur. Quo pacto sic? Quia profectò finis in missione qualibet est pulchra pax corporis mystici, quod inhabitat, & vivificat ille, qui *est pax nostra, qui fecit utraque unum*, Ephes. II. 14. de quo Propheticus sermo scribit: *In pace factus est locus ejus*. Ps. LXXV. 3. Hæc verò pax si defuerit, desit ordo necesse est: ordine verò non existente, dum non redditur unicuique quod suum est, regnat confusio, viget horror, furit discordia, quâ res maximæ dilabuntur; si tamen non mentitur Salustius, immò major eo Christus dicens: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Luc. XI. 17.

Denique missus aliquis qua fronte pacem annunciabit, si totus versetur in turbatione, contrarius Deo, varius in seipso, injurius proximo? Contrarius Deo qualiter? Per inobedientiam? Nam *quis restitit ei & pacem habuit?* Job. IX. 4. Varius in seipso qualiter? per legem carnis repugnantem legi mentis, quâ fit ut homo secum litiget, seclusus ab illa beatitudine: *Beati pacifici*. Matth. V. 9. Scitum est autem illud:

Conveniet nulli qui secum dissidet ipse.

Injurius proximo qualiter? Per injustitiam, & varios dolos, quos exterminare nititur Rex pacificus, sicut hortatur Apostolus dicens: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*. Ephes. IV. 3. Et oro, videte, si non ad pacem hanc populis annunciandam licentiati sunt Apostoli: testimonium ab Ecclesia suscipite. *Cives*, inquit, *Apostolorum, & domestici Dei advenerunt hodie portantes pacem, & illuminantes patriam*, Ad quid? Dare pacem Gentibus, & liberare populum Domini. Propterea missurus Apostolos supremus Cancellarius Christus, & Licentia magistrali decoraturus, pace primitùs communivit eos dicens: *Pax vobis*, &c.

Deindè subjungit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

His itaque fundamentaliter prolocutis traducamus ad vos, ô præclari, & venerabiles licentiandi, sermonem, & dicamus, quòd Pater Patrum in terris, Vicarius Patris illius supremi cœlestis misit me (licèt indignum tantæ rei) colligere, vacare, licentiare, pro denuncianda, & ferenda pace per totum corpus Ecclesiæ viros ad hanc idoneos, & probatos. Et quia
A tales vos esse comperio, per depositionem illorum qui jurejurando constricti sunt fidele testimonium perhibere, super hoc jure mihi usurpare visus sum (quamquam absque ulla comparatione minor) verbum supremi Cancellarii præmissum ad Apostolos: *Pax vobis. Sicut misit me Pater & ego mitto*, aut protinùs missurus sum *vos*.

Poterat fortè breviùs hæc collatio pro similitudine cognoscenda sufficere; in ejus tamen elucidatione non pigeat paulò diutiùs immorari: sic enim odor vestræ laudis tali protractione redolebit effusius. Convertamus igitur oculos nostræ considerationis ad generalem totius Ecclesiæ universitatem, ad vineam Domini Sabaoth, ad unum ovile pascuæ Domini; aspiciemus Ecclesiam jugiter indigere pro suo cultu, & salvifica pace viris Apostolicis in sacris Canonibus eruditis, quos non propria temeritas evocet, sed Superioris autoritas mittat. *Nemo sibi assumit honorem*, Hebr. V. 4. inquit
B Apostolus; sed qui mittitur ut Aaron. Ceterùm missionis hujus qualis erit fructus? Multus per omnem modum: tamen de triplici loquatur sermo noster, ut infrà terminos jam positos, ne nimis effluat, coarctetur.

Missionem itaque vestram, ô Baccalaurii insignes, triplex Ecclesiæ necessitas petit contra triplicem aciem tranquillitati suæ, & paci adversam, & infestam. Necessitas una est, hæreticos extirpare: altera, mores componere: tertia, injurias propulsare. Hæreticos mittit velut Apostolos suos pater mendacii extollens se adversùs scientiam Dei, tollere pacem ad Deum. Mores illecebrosos velut Apostolos suos mittit caro militans adversùs spiritum, tollere pacem hominis ad seipsum. Injurias, & dolos velut Apostolos suos mittit mundus, qui *totus in maligno positus est*. Joan. V. 19. tollere pacem ad proximum; ita verum fit illud:

C *Mundus, caro, dæmonia,*
Diversa movent prælia:
Certantque pari fœdere,
Pacem de terra tollere;

pacem supernam, internam, fraternam.

Adversùs hæc pro victoria promovet Rex pacificus, & supremus Cancellarius mittens Apostolicos viros in sacris Canonibus, & Legibus eruditos, suadens Deum colere, pro pace ad eum. Correspondent his tria quæ de Apostolis dicta sunt: honestè vivere, pro pace ad seipsum: neminem lædere, & jus suum unicuique tribuere, pro pace ad proximum. Portantes facem & illuminantes patriam, contra cæcos errores hæreticorum. Dare pacem gentibus, contra tumultus carnalium desideriorum. Et liberare populum Domini à fraudulentis insultibus perversorum.

D Perscrutemur ampliùs: forsitan ostendet se nobis triplex Jus, quod in sacris Canonibus respersum est. Jus Evangelicum, seu divinum, servans pacem cum Deo. Jus naturale, servans pacem hominibus cum seipso. Jus politicum seu positivum, servans pacem cum proximo.

His tandem armis triplex acquiritur victoria, pax triplex adipiscitur, & perindè triplex missionis vestræ, ô venerabiles Licenciandi, colligitur causa. Quamobrem optabundus pronuncio: *Pax vobis. Sicut misit me Pater & ego vos mitto*. Joan. XX. 21. *Benè habet* (ait Lactantius ex verbis Tullii) *Jacta sunt*

sunt fundamenta, collocati loci Oratorii pro superadificatione perfecta commendationis inchoata, quam mos exigit, postulat justitia, qua suum virtutibus dat honorem. Abundant allegationes sine numero de Scripturis nedum Divinis, sed etiam Canonicis, ea quæ præmisimus ostendentes. Etenim quis nesciat, præsertim ex scientibus Legem, qualibus abundat cœtus hic celeberrimus, quis inquam, ex his non cognoscat totam sacrorum Canonum seriem, vel pro Fidei determinationibus, vel pro bonis moribus, vel pro Justitia militare? Petit aliquis concordantias, præsto sunt omnes Canones; omnes Decretales accipiat.

Sed ecce dum ad extollendas laudes vestras super his fundamentis satageret meditatio mea; quid obtigerit dicam. Astitit insidiator, mihi ponens offendicula, neque hoc prorsùs insolitum: revocet memoria priores actus consimiles pro Theologis, pro Medicis, pro Artistis; recordari poterimus quid egerit livor edax, pestis improba, laudis alienæ cujuslibet impatiens, sathan apostata, zizania seminans inter fratres; quid simile modò non agitaret sathan? Cur livorem non immitteret? Sed cognitionem ejus assiduitas effecerat; potuisset mox ejici, nec audiri. Accipite igitur commenta fraudulentiora nequitiæ. Missus est pro livore zelus Dei, bonus planè nuncius, si habuisset scientiam. Sed operante maligno repudiaverat eam velut obsistentem suis conatibus: itaque oderat eam, nec poterat ei quicquam pacificè loqui; væ tamen soli zelo tali, quia dum derelicta cum sorte, & directrice sua dicretione raptatur hàc illàc sine lumine, ipse currens præceps incurrit.

Heu benè ambulantibus ab hac peste; vix nimirùm altera est hostilior, vix fallacior, quæ sub specie boni, & magni boni mentes extimulans ruere cogit, & in omne periculum trudit; proindè *maledictus furor ejus quià pertinax, & æmulatio quia dura*, Gen. XLIX. 7. nemini cedens, credens nemini; fas insuper omne, nefasque confundens; ad ejus aspectum intendite, totus infremuit,

Gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor.

Ceterùm zelus iste qui absque scientia erat, ipse protinùs horrifica voce rabiosa silentia rumpens, satyrico tragicoque boatu, quid meditaris, ait, ô bone vir? Immò, ô stultissime hominum; quid tecum, nescio quid grave cornicaris ineptè? Tibi quo pacto venit in mentem traditiones hominum, Leges, & Mandata præconiis extollere, quas satis improbare lingua non sufficit? Auferunt pacem omnem, lites afferunt, quia divinæ Legi contrariæ, infestæque sunt: quid me respicis? Ita est. Si mihi non credis: Prophetis crede, Christo crede, experientiis crede. Dic nobis, Isaïa, quid de traditionibus hominum; quid de suis Legibus, ore Dei conscripseris? *Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur.* Isaïæ XXIX. 13. 14.

Vide si non præsenti schismate idipsum contigerit, ubi amputata difficultate una redeunt tres, (ut in fabulosa hydra)

Ægrescitque medendo.

Cur hoc? nisi quia periit sapientia à sapientibus, & intellectus prudentium absconditus est. Accedat & testis Matthæus, doceat nos quid Christus dixerit Pharisæis: *Irritum*, inquit, *fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Sine causa nunc colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Matth. XV. 6. 9. Hæc irritatio Legis nonne manifesta est in eis qui nullam viam pro sedatione schismatis dicunt juridicam, nisi quam Libri sui scriptam habent; quasi Jus divinum non esset Jus, neque via sibi consona dici juridica mereretur.

Referrem hìc quamplurima super determinationibus & novis irritantibus Legem Domini, ut de potestate Papæ sui, quem volunt eximi à quavis humana subjectione, cùm Jus divinum subjiciat eum omni humanæ creaturæ propter Deum, sicut servum
A suum, & correctioni fraternæ, ut Petrum Paulo; subjiciat & universali Ecclesiæ tanquàm infallibili regulæ credendorum, simul & agendorum: subjiciat tandem ex dabili casu culpæ incorrigibilis, cuique volenti nedum ab eo appellare, sed eundem incarcerare, vel occidere.

Quid præterea (Deus æquissime) sunt tot traditiones, nisi totidem laquei, vincula, & restes, pro retinendis implicandisque pedibus humilium ambulare volentium secundùm Legem perfectæ libertatis, quam Christus in paucissimis voluit Sacramentis contineri? Quid! quod telas aranearum humiles retinent, transmittunt fortes?

Ecclesia rursùs quæ tota spiritualis esse debuerat, tota cœlestis, nonne per traditiones hujusmodi ferè tota, immò penitùs in brutalem sensualitatem mise-
B randa vicissitudine dilapsa est? Arguar mendacii, si non præponuntur temporalia spiritualibus, humana divinis, terrestria cœlestibus, quæstus pecuniarum saluti animarum. Hinc tot Excommunicationum fulminationes, tot excogitationes cautelarum. Benè de his prophetavit. Isaias X. 1. 2. *Væ qui condunt Leges iniquas, & scribentes injustitias scripserunt, ut opprimerent in Judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent!* Hinc contemptus tam indignus virorum spiritualium, contemplativorum irrisio, exaltatio dyscolorum, inter quos superior evadit, qui litigiosior, astutior, malignior, perversior. Hinc demùm, effugata charitate, regnat cupiditas, quæ impatiens est, maligna est, æmulatur, agit perperam, inflatur, est ambitiosa, quærit quæ sua sunt, irritatur, cogitat malum, gaudet super iniquitate, condolet veritati, nihil suffert, nihil credit, nihil sperat, nihil sustinet. Hoc unum commune habere videtur cum charitate, quia *nunquam excidit* I. Cor. XIII. 8. Quod nisi ita esset, qualiter exitiale schisma præsens, atque pestiferum, tam execranda cupidine dominan-
C di lacerasset Ecclesiam?

Sed & Clerus, qui cum Salomone sapientiam (quæ desursùm est) habere sponsam debuerat, assumpsit sibi meretricem illam magnam Babilonis, sapientiam terrenam, animalem, diabolicam. Væ, væ, væ, habitantibus in terra ab hoc triplici monstro, quià non est pax coram eo. Vis audire quomodò? Ecce sapientia diabolica mittit tollere pacem primam ad Deum, volens phantasticè cum Lucifero extolli *super omne, quod dicitur Deus*, 2. Thess. II. 4. ob hoc excogitans instar tyrannorum traditiones suæ ambitionis defensatrices, remunerans abundè promulgatores suos, ceteros inhonorans. Quid animalis sapientia? Mittit hæc tollere pacem hominis cum seipso, nutriens carnem contumacem adversùs spiritum, & suis eum illecebris obsequi jubens. Mittit denique, Sapientia terrena, tollere pacem ergà proximum, dicendo, hoc est meum, hoc non est tuum; quæ duo avaritiæ pronomina si removerentur è medio, quietissimè viverent homines.

Sed undè, precor, hæc omnia, nisi quia demer-
D guntur homines ad nimiam considerationem terrenarum administrationum; undè grossescit ingenium, gravatur memoria, contenebratur, & languet affectus. Vide si vix aliud noverit quidam eorum cogitare, quàm super his allegationes allegationibus addere, mittere, remittere, nec credere cuiquam veritati, vel notissimæ, nisi per expressum scriptum ostenderit. Audisti pridem quàm faceta dicacitate, im-

improperabat Cardinalis Ambianensis Ebredunensi: Si hunc, inquit, demersum in luto moneret aliquis surgere, hoc ipse non faceret sine Lege, vel Canone; diceret, erubescimus sine Lege loqui, quantò minùs illud, vel illud operari. Adde quòd traditiones istæ temporalia pro fundamento jaciunt, magno plausu conclamantes: spiritualia sine temporalibus diù esse non possunt; cùm ex adverso monuerit veritas: A *Primùm quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. VI. 33. O mores, ô tempora, surdescunt homines ad tonitruum Christi, & audiunt susurros similes verbis Horatii.

O cives, cives, quærenda pecunia primum est,
Virtus post nummos.

Christus postremò suam Ecclesiam nonne perfecta stabilitate fundavit, Legem statuens Evangelicam, quæ si ad regimen Ecclesiæ sufficit (ut sufficit) quià *Dei perfecta sunt opera*, Deut. XXXII. 4. quid nisi confusionem super fluam, lites, discordiam, tanta, tamque multiplicata Jurium, Legum, & Canonum discordantium varietas operatur? Quocircà desere missionem studiosorum suorum, linque Licentiam, si litibus, si jurgiis, si talibus volueris Ecclesiæ discriminibus obviare.

Properabat hoc modo loqui zelus Dei, & malè properabat, quià *non secundùm scientiam.* Rom. X. 2. Propterea, B luce relicta versus in furorem oblatrabat contra sanctissimas, saluberrimasque Canonum Sanctiones, deceptus imagine quadam spiritualitatis, falsæque libertatis velamine cæcus perversè res agebatur, si consors zeli Dei, suique directrix, diutiùs abfuisset, quam nominamus Scientiam, seu Discretionem; Aristoteles Epikeyam appellabat. Voluntas Dei fuit, ut veniret, quæ vix tandem multo conatu renitentem zelum compescuit, imperans videret quid diceret, quid ageret, quid contra sacros Canones aggarriret, meminisset veteris illius proverbii: *Ne quid nimis.* Discretio deinceps vertens ad me faciem sobriè (ut erat) modestoque sermone suasit, ut zelum Dei, nisi se præsente, nullatenùs insequerer. Causam addidit, quia zelus Dei sine scientia præcipitat: sicut scientia sine zelo languida jacet. Neutrum bonum, perniciosius tamen est obrui, quàm jacere. Adjecit plurima cognitione dignissima, quæ referre per singula brevitas vetat. C

Eliciam duntaxat ex dictis scientiæ triplicem considerationem, undè palam fiet, quia nihil ex objectis prohibet missionem vestram laudabilem, O præclari, & venerabiles Licentiandi: obstat quoque nihil uti verbo Christi proposito traducto ad rem quam agimus. *Pax vobis. Sicut misit me Pater, mitto vos*: aut illico sum missurus.

Est igitur consideratio prima generalis. Præcelsa Decretorum Facultas cum suis Professoribus, nequaquàm debet ex abutentium suis traditionibus pravitate culpari. Etenim quid tam sanctum dabitur, tam utile, tam honestum, quo non contingat abuti? Detur Theologia; detur Eloquentia; detur Medicina; aut aliarum scientiarum salubrium, detur ipsa ratio, qua nihil præstantius à natura collatum est. Nunquid non experimento cognoscimus talia crebriùs assumi in instrumentum facinoris, quæ debebant esse adjumenta D virtutis, fitque verissima Aristotelis propositio: *Sævissima est injustitia ferens arma, sed in armatis culpa est, non in armis.* Hanc considerationem si zelus deserit, sævit in virtutes, res optimas persequitur, dum ab eis abusum non fecerint.

Fefellit hoc zelus Waldenses hæreticos, qui cognoscentes vitia Prælatorum, atque Sacerdotum, inducti sunt Ecclesiasticas dignitates, officia, dignitates ordinatas à Deo, vel negare; vel solis justis ascribere. Sic quosdam videntes mala fieri per Ecclesiam ratione administrationis temporalium rapuit zelus iste vel prædicando vel docendo, vel legendo, detestari statum omnem Hierarchicum Ecclesiæ, subnervare potestatem omnem, & Jurisdictionem ab ejus Prælatis; Principes insuper, & potentes sæculi animare, vel ad rapinam jam collatorum bonorum, vel à conferendis avertere; abominari denique curam omnem seu sollicitudinem temporalium, quia dum credunt dicere cum Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est*, Philip. III. 20. volunt omnia sua basi metiri. Patuit hoc nuper in Doctore quodam Anglicano. Patuit in Marsilio de Padua, & similibus Tractatoribus; immò obtrectatoribus super Ecclesiastica potestate, in quorum persona superiùs inducebatur loqui zelus Dei *non secundùm scientiam.*

Addamus, quia nihil est aliud in humanis ex omni parte beatum, seu perfectum, neque germinat granum virtutis sine palea, feno, vel stipula vanitatis. Nihilominùs sævit zelus, dum solus est, belluina rabie contrà defectum quantumlibet mediocrem, & ita sævit, ut zizaniis paucis totam sementem eradicet: par illi qui pro defensione denarii centum marcas audet exponere; aut illi similis qui effugaturus muscam volitantem caput excerebrat, aut qui reparaturus domum ruinosam, eam ictu vehementi funditùs exterminat. Sic dum satagit iter rectum incedere vectus equo feroci sine freno calcibus obvias omnes dejicit, deturbat, suffocat, occidit, neque puero parcens, neque seni, gravidis, vel infirmis; sed conterit in spiritu vehementi quicquid viæ suæ visum fuerit obsistere; vult hìc omnia puniri citò, & velociter, nihil futuro reservans Dei Judicio. Quod si audierit apud Curiam aliquam Justitiæ Ecclesiasticam, vel secularem, quicquam non rectum fieri, sicut humanitùs aliquando non fieri non potest, proclamat in spiritu oris sui: Tollatur Curia talis, mutetur, disperdatur, quia totum dissipat, & subvertit. Denique quia apud zelum hunc suspecta sunt omnia, odiosa omnia, desperata omnia, officium arripit diabolicum, officium adversandi. Nam quicquid ab aliis præcogitatum, consultum, attentatumve fuerit, impugnans destruit; nihil tamen ædificans, nihil promovens, actor contradictorum, non consiliator. Nihilominùs aliquandò satius est agere bona cum paucis defectibus, quàm observando ventum nunquàm seminare.

Hæc ideò dicta sint, ne zelus Dei sine scientia culpet ita deinceps, vel persequatur abusus aliquorum, quin inviolata remaneat. Hinc honorandæ Decretorum scientiæ, ejusque cultoribus sua fama, sua laus, sua gloria. Nec obstiterit, quin liberè denunciem licentiaturus eos: *Pax vobis: sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Joan. XX. 21.

Sequitur altera Consideratio. Præclara Decretorum Facultas, neque Legi divinæ, neque naturali, quomodolibet adversatur. Tollatur zelus iste, qui non pacem inter has Facultates, Theologiæ, & Decretorum, sed gladium mittere conaretur. Nimirum hoc agere quid aliud esset, quàm corpus unum membratim discerpere, secando caput à membris, cor à venis, animam à corpore? Lex itaque Canonica nunquid non ab Evangelica manat, derivatur, & vivit, sicut membra à capite, venæ à corde, corpus ab anima? Alioquin non diceret Sapientia de seipsa: *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15. Quis à Philosophia Medicinam, quis scientias aliàs à Metaphisica, vel Logica separaret? Sic nec Canones à Theologia. Quarè? Quia traditæ sunt apud eam Leges primæ invariabiles, & æternæ à quibus originantur sicut à fonte fluvii conclusionum particularium in sacris Canonibus, in Conciliis generalibus, in Pontificum Decretalibus contentarum. Has conclusiones quisquis doctrinaliter elicere, atque educere cognoverit, vel à principiis descendendo ad conclusiones, vel à conclusionibus ascendendo ad primas Leges, ille jam neque Theologus, neque Jurista

rista solummodò, sed in utroque perfectus habebitur.

Memini me Jubileo altero super hac re latiùs in Actu consimili, & consequenter in multis lectionibus disseruisse, definiendo quid Jus propriè divinum, quid naturale, quid canonicum, quid pertinens, vel impertinens, quid ex utroque mixtum. Differentias quoque, & convenientias ad invicem, quantùm dedit Deus, aperientes; res planè difficilis, sed saluberrima; cujus ignorantia perniciosiorem, quàm dici potest, confusionem inducit.

Poterant alia ex hujus considerationis radice documenta trahi, quatenùs objectis zeli nimis audacibus fieret apertior responsio; ut præterea dilucesceret ampliùs, qualiter, & quousque regulas Canonum, & Jurium positivorum observare convenit, dum tractatur expulsio præsentis execrandi schismatis, quoniam Lex Evangelica sufficientes ad hoc regulas habet, si pio, seduloque (ut debuerat) studio quærerentur, & inventæ complerentur, subjungendo variabiles traditiones invariabilibus; temporales æternis; & divinis humanas, Epikeya meditante, quam latinè possumus æquitatem nominare, cujus est Jura scripta non ad verborum corticem, sed ad intentionis medullam inspicere: etiam ubi opportunitas, vel necessitas exegerit addere novas contra morborum novos modos. Medulla verò intentionis qualis altera est, quàm pax, quàm charitas, nam *finis Legis charitas*, 1.Tim.1.5. secundùm Apostolum.

Properabam absolvere considerationem hanc secundam, migraturus ad tertiam, dum studiositas speculatrix familiari quadam fiducia properantem detinuit, multa rogitans, quærens plurima sumpta ex dictis occasione dubitandi, & cognitionis ardore succensa. Dic, inquit, quomodò spectat ad Decretorum Facultatem hæreticos extirpare, cum hoc esse proprium Theologiæ videatur officium? Dicat Theologus de falsitate, Jurista de punitione. Hoc utique me dicturum respondi. Dic cui fidei plus dandum est in expositione textus Decreti, vel Decretalis, an Theologo, vel Juristæ, adhibito utrinque pari studio? Nam Theologia si architectonica sit respectu Decretorum, eorum interpretationem nonne sibi vendicat Jure suo? Ita sibi vendicare respondi, dum ostendi quid in unoquoque Canone est de Lege divina, quid de positiva constitutione, & consequenter quid necessariò tenendum, quid pro tempore, & loco, variandum, si & ubi Lex Evangelica in aliquo sui læsionem pateretur. Hoc Theologorum præcipuum, hoc assiduum studium esse debet, si professionem suam integrè voluerint adimplere, separare scilicet *pretiosum a vili*, & regulas generales in moralibus, & Theologicis, veluti quasdam claves invenire.

Solet zelus meus pro Domino Deo faciliter torqueri, solet indignari: velit Deus quòd utiliter, & secundùm Superiores. Dic quid facilius est: vel Theologum descendere ad cognitionem Decretorum, vel Decretistam ascendere ad Theologiæ notitiam? Utrunque enim fieri posse notasti. Respondi: facilius esse primum, quam alterum; declarationem omisi.

Dic quid eligibilius est Canonistæ pro sui complemento, vel Leges civiles, vel Theologiam cognoscere: imò hanc tenentur scire, aut scientibus credere, nisi perniciem magis operari velint quàm pacem, præsertim in interpretationibus doctrinalibus occurrentium dubiorum in sacris, & similibus, quæ vobis interpratatio nunc conferetur &c.

Dic cur, & quando, separatio facta est inter Theologiæ, & Decretorum Facultates, cum tempore Magni Gregorii & antea soli viderentur Ecclesiam regere Theologi? Huic quæsito consideratio tertia respondebit.

Dic an separatio talis profuerit, & si sic quæ Facultas remanserit utilior, aut pro Ecclesiastico regimine præferi dignior? Causam auget dubitationis scriptum Aristotelis, quòd *in agibilibus, particulares sermones, quales sunt in Juribus, magis prosunt.* Sicut procurandis morbis Medicina quàm Philosophia, cognoscitur utilior. Item quia, Deo propitio, temporibus istis atque locis desunt hæreses per Theologiam extirpandæ.

Quid denique faciunt ad regimen populorum specu- A lationes istæ quibus occupantur Theologi, si suprema species esse possit? Si distinctio sit talis, aut talis, inter attributa divina? si creatura sit elevabilis ad creandum? si ideæ, vel essentiæ creaturarum fuerint ab æterno distinctæ à Deo, & similes, quales sola Schola Theologica videtur amplecti. Respondi, quæstionem hanc non esse dubiam, nisi apud illos qui in dubium revocarent, an debeat ordinatio salubris morum, constructioni murorum; & salvatio veritatis, præferri procurationi civilitatis juridicæ.

Benè ergò: dic rursùs quomodò verum est quod dixisti, sufficienter traditam esse in Evangelio doctrinam extirpandi schisma; cum ibi neque de schismate, neque de summi Pontificis electione, neque de Electoribus Dominis Cardinalibus, neque de circunstantiis electionis, & similibus multis fiat ver- B bum.

Dic postremò quid intelligis notans Jura scripta ad terminos Evangelicæ Legis esse resolvenda pro sedando schismate? Visne quæratur an pars malè tenens sit tota in se & suis partibus extra statum salutis? An censeri debeat schismatica, hæretica? An expedivit tales omnes anathematizari, & de necessitate vitandos, nunciari immò viribus extirpari, an quilibet de parte sit prorsùs ineligibilis ad Papatum, Cardinalatum, Episcopatum, Sacerdotium? An processus jam fulminati sic ligent reos, ut non possint ab eis sine expressa schismatis abjuratione, & absoluta culpæ confessione tolli vel suspendi? An possit Papa vivens eligere Successorem? An contendentes instituere possent se mutuò Legatos à Latere, dum viverent, & superstes esset Papa? An ista sit hæresis, demonstrato Jus habente in Papatu? A. non est Papa. Ab A. fieri potest appellatio. A. subjicitur Concilio. Ab A. invito potest extorqueri cessio. A. tenetur cedere pro evitando scandalo.

Multiplicare magis & magis hujus quæstiones videbatur studiositas speculatrix sciendi avida. Cui e- C go: Noli, precor, mihi molesta esse, differ interim, vel desere gravem hanc quæstionum importunitatem; vide quia non satis ad rem quam agendam suscepimus, spectat hæc disgressio: vel si spectat, tempus aliud expectat. Obticuit studiositas. At ego considerationem tertiam, & finalem accepi à scientia, qua perspicuum fieret de vobis, O Licentiandi venerabiles, quia jure mittendi estis, & ad libertatem Licentiæ Doctoralis sublimandi; illuminare populum, daturi pacem Gentibus, & liberaturi populum Domini.

Est igitur Consideratio tertia. Præclara Decretorum Facultas, cujus vos studium erudivit, collativa pacis est in Ecclesia Dei, non solùm quoad Deum per extirpationem hæreticorum, illuminando patriam, Jure divino dirigente, neque tantummodò hominis ad seipsum per compositionem morum, dando pacem Gentibus, Jure naturali dominante: sed etiam ad proximum, liberando populum Domini ab oppres- D sionibus improborum, Jure politico judicante. Fuerant hæc ab initio proposita, quorum illucidationem interturbavit zelus Dei, non secundùm scientiam, cui jam pro maxima parte respondebimus.

Supersunt aliqua super necessitate constituendi Juris Canonici. Et quidem multiplicatis dotationibus Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum; oportuit consequenter pro administratione talium pacifica Sanctiones ultrà Legem Evangelicam multipliciores institui. Dicat nobis Aristoteles rationes.

Paucissima, inquit, *committenda sunt judicibus.* Quarè? *Quia qui ponit hominem judicem, ponit Deum, & bestiam. Lex verò tanquàm Deus dominatur.* Animadvertite hîc quàm elevatè senserit Aristoteles. Vidit itaque quòd recta ratio quam divinam, vel Deum, sicut Cato nominat, sit in homine; & sensualitas, quæ brutis, bestiisque similis invenitur, dicente Propheta: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ps. XLI. 13. Non autem benè conveniunt, nec in eadem stant sede Judicii brutalitas, atque divinitas. Lex idcircò fuit instituenda, secundùm dictamen solius rationis, ut brutalitatis expers sola judicaret cum autoritate, cum utilitate, cum tranquillitate; in missione autoritas, in pace tranquillitas, in utroque veritas.

Satagam, si potero, rem hanc ad apertiora deducere; quod ut fiat, volvamus aciem nostræ considerationis ad conditiones sensualitatis: videbimus, quia trahit eam sua voluptas, non honesta cupido commodi, non decor justi; propterea rapitur assiduè quadruplici rota passionum.

Nunc gaudio gestit, nunc dolore mœret, illum nunc spes extollit, nunc dejicit metus, ita *Confusa sunt hic omnia, spes, metus, mœror, gaudium.* Hoc vidit egregius Poëta scribens de animis in corpora mersis.

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque.

Væ rationi à pestibus his hostilibus quibus utitur sensualitas, ut deturbet eam à sede judicii, à cathedra veritatis, & quieto lecto justitiæ. Quò contra quid aget ratio, quid aget, nisi tollere penitùs à se, penitùs abjicere cum suis passionibus hanc bestiam. Verùm id quo pacto fiet? Quo gladio? Utique Legis rectè dividentis rationem ab omni vitiosa passione, ut nec muneribus inclinetur, nec alliciatur blandiciis, nec terrore frangatur, nec seducatur spe, quin reddat unicuique quod suum est; Deo obedientiam, sibi continentiam, proximo æquitatem; sic erit perfecta pax triplici funiculo connexa, triplici Juris titulo statuta; sic obtemperatio fiet Boëtio dicenti:

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit
Nubila mens est,
Vinctaque frenis
Hæc ubi regnant.

Potuerant hæc in longiùs trahi, si ex Scriptura sacra per concordantias, & distinctiones, tàm de pace, quàm de missione placuisset orationem contexere; sed hæc interim suffecerint. Exorandum, ut depulsis his passionum quatuor obstaculis, pacem veram habeatis, sicut vos habere, & habituros esse mihi sentire æquum est, ô præclari viri Patres mei, & Fratres, & Deus pacis erit vobiscum ad dirigendos pedes vestros in viam pacis: sicut pro commendatione, simul, & exhortatione, & Licentiæ Doctoralis collatione traduxi verbum ejus ad vos: *Pax vobis; sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ad quid mitto! *Ut fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Joan. XV. 16. Qualis fructus? *Fructus justitiæ*, qui est *pax*. Jacob. III. 18. Pax supernalis, internalis, fraternalis, & tandem pax æternalis: cujus nos participes efficiat *Princeps pacis* Jesus Christus supremus Cancellarius noster, qui est Deus benedictus in secula. *Amen.*

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,
ORATIO
PRO LICENTIANDIS
A
IN MEDICINA.

Ex Codice Victor. 698. & Navarrico uno.

Incipit Harenga pro Licentiandis: à Domino Cancellario.

CONSIDERANTI mihi quod, vel quale sumerem exordium pro regimine venerabilium Licentiandorum, sicut & mos exigit, & justitia postulat. Prætum est verbum Isaïæ in Epistola hodierna: *Consolatus est Dominus populum suum.* Isaïæ XLIX. 13. Desolationes itaque populorum tàm inexplicabiles sunt, quàm innumerabilis est morborum, vel ægritudinum multitudo, contra moribundam humanæ naturæ conditionem militantium, scilicet dum potentissimus Dei, misericordissimusque intuitus providere dignatus est populo de salubribus antidotis per Medicinam; mittendo eam mortalibus tanquam verbum suum quod sanaret eos
B de interitionibus eorum: dum propterea doctos, & expertos in eadem præclara Verbi salutiferi Facultate donare non cessat, sicut hæc dies manifestum dat indicium.

Justè mihi visus sum exultare, & proposito verbo exultabundus dicere: *Consolatus est Dominus populum suum. Misit* nimirùm *Dominus verbum suum.* Ps. CVI. 20. Verbum efficax & salvificum in corda nostrorum Licentiandorum, ut salvaret eos, videlicet populum, & eriperet eos de interitu eorum, ubi tria principaliter ad præconium Medicinæ, & ad gloriam suorum professorum notari posse videntur, conformiter ad tria appropriata in divinis, quæ sunt Potentia, Scientia, & Bonitas, & tria quæ in omni operatione concurrere necesse est, quæ sunt, posse, scire, velle; juxta tres vires animæ, irascibilem, rationalem & concupiscibilem.

Circumvolvamus igitur oculos nostræ considerationis ad verbum hoc luminosum & salvificum: æstimo; videbimus tria quæ sonant in præconium Medicinæ, suorumque professorum, & nominatim
C venerabilium Licentiandorum. Hæc tria sunt vigor, splendor, valor, secundùm triplicem causam verbi medicinalis; efficientem ex Deo, exemplarem per Deum, & finalem in Deo.

Vigorem in Medicina conspicio, dum ab Altissimo communicata missaque est: *Misit*, inquit, *Dominus* &c. *Altissimus* ergò *creavit Medicinam, & vir prudens non abhorrebit ab ea.* Eccli. XXXVIII. 4. Dei siquidem perfecta sunt opera, & si perfecta, sunt vigorosa.

Splendor palàm ostenditur in verbo, & verbo non qualicunque, sed verbo divino; dicitur enim quòd *Deus misit verbum suum*: verbum autem tale numquid non luminosissimum, & sententiosissimum esse prorsùs oportebit? Prorsùs ità.

Valorem denique manifestat sanitatis effectus, nam juxtà Propheticam & veram vocem, desideratissima est sanitas; quoniam igitur *misit Deus verbum suum*, verbum scientiæ medicinalis, ut sanaret populos,
D & eriperet eos de interitionibus eorum: concludamus cum Propheta, quia *consolatus est Dominus populum suum.*

Pergebam igitur in ipsa meditatione mea ad consummationem inchoati præconii, dum astitit, aut astitisse visus est livor edax, laudis alienæ cujuslibet impatiens, qui laxans ora plena amaritudine, labore, & dolore: Heu, inquam, quàm perpulchrè, quàmque prudenter agis. Tu imoverò turpissimè & ignoranter, quisquis hoc modo Medecinam commendare contendis à vigore scilicet, à splendore, & valore. A vigore, inquis, quia Deus hanc misit, & condidit, quasi hoc proprium quoddam sit Medicinæ,

quasi

quasi res omnis, imò etiam rusticatio à Deo creata non sint juxta ejusdem Sapientis eloquium.

Rursùs quis nesciat, bestias, pisces, & volucres instructiores in multis esse de utilibus sibi antidotis contrà mortiferos eventus, quàm homines: has tamen bestias quis ideò laudaverit, aut si laudandæ fuerint, nonne præpollebunt hominibus, qui ab eis varia medicamentorum genera didicerunt. Accipe verba Plinii saltem in summa: omnia, inquam animalia, quæ sunt salutaria noscunt, propter hominem.

Phlebotomia ab hypocamis sumpsit ortum: ipse enim assidua satietate impinguatus, locum ubi de novo arundines fuerunt cæsæ, quærit, aut acutissimum stipitem, cui corpus imprimens, venam quamdam vulnerat, & ita morbidum animal profluvio sanguinis corpus exonerat, plagam verò lineo obducit. Ybices aves Ægyptiæ medicinam clysteriorum, vel suppositorum ostendunt, rostris scilicet posteriùs mittendo aquam salsam vel urinam in profundum, & sic alvum purgando: canes insuper vomitum docuerunt qui infirmantes gramen comedunt, & sic causam morbi evomunt, & expellunt. Dictamen vel dytamnum cervi prodiderunt, cujus pastus sagittas, & tela extrahi monstraverunt: Chelydoniam visui saluberrimam arundines docuere, quæ pullorum oculos vexatos exindè linierunt. Testudo herbâ feniculi pastâ contra serpentes vires refovet. Mustella rata armata B cum muribus .... Cyconia origamo: hædera apri sibi medentur. Anguis pastu feniculi visum acuit; Draco nauseam succo lactucæ sylvestris restringit. Panthera invenenata stercus hominis quærit: Elephas cùm cameleontem comederit, oleastro sanatur. Ursus, mandragora invenenata, pastu formicarum curatur. Corvus intoxicatus gustu cameleorum, lauro, comesto sibi medetur; & similia plura refert Ambrosius *in suo Examero.*

Nunc igitur & homines istos de Medicinæ peritia commendare coneris, quando ipsis etiam brutis inferiores in hac arte, & insipientiores convincuntur. Quid porrò quòd ipsa Medicina non solùm à Deo approbante non videtur edita, sed etiam ipsi reperitur contraria, dicente eodem Ambrosio *Contraria Divinæ Legi Medicinæ præcepta sunt, a jejunio revocant, lugubrare non sinunt, ab intentione omnis meditationis abducunt; ita qui se Medicinæ dederit, seipsum sibi abnegat.* C

Sed videamus, inquam, livor, qualis sit Medicinæ commendatio ex aliis duobus assumpta, ex splendore & valore. An tu mihi splendorem afferre ipsi intellectui dicis Medicinam, quæ potiùs animam detinet immersam in sensibilium sola consideratione, nec permittit oculos rationis in auram superam, lucidamque sæpiùs attollere, undè pervenit illustratio, & illuminatio mirabilis à montibus æternis; undè rursùs educitur spiritus ex tenebris, & carcere cæco.

An tu denique valorem in Medicina repertum iri contendes ratione sanitatis allatæ, quando pro uno sanato pereunt mille. Quod si non ita esset, cur arcerentur Sacerdotes, præsertim Religiosi ab insecutione practicæ in Medicina; hæc enim prohibitio cur facta est, nisi quia periculum irregularitatis regulariter incurrere videntur practicantes. Et cur hoc nisi D quia dùm mederi putant, vulnerant, aut occidunt. Hos & similes contra Medicinæ laudes objectus spargere nitebatur livor edax, dùm à me celeriter increpatus abscessit; non enim parvum vitium est, detractioni dare diutiùs auditum, eamque non persequi cum Propheta detrahentem.

At verò ne maledicta ejus hæreant quomodolibet damnis auditorum, ne maculam in gloria Medecinæ positam arbitretur aliquis, elidemus sub triplici Consideratione tres prædictas objectiones, ut Medicinæ, ejusque professoribus, atque studiosis maneat, ut debet, sua laudis & honoris integritas.

CONSIDERATIO PRIMA

Contra primam Objectionem.

A MEDICINALIS verbi vigor attenditur non in hoc solùm, quòd Deo generaliter agente transmissum est, ut entia cetera; sed quia in multis videtur non absque speciali quodam instinctu, vel afflatu Divino traditum hominibus, ut sanaret eos; nec est in aliquo, vel Deo, vel suæ Legi contrarium.

Primum quod ponimus perspicuum erit, si recipimus authoritatem Antiquorum, apud quos verbi Medicinalis inventio non tam humana, quàm Divina semper habita est, qui hanc ob causam Apollinem, Æsculapium, quos inventores Medicinæ putabant, in Deorum numero posuerunt, adeò suprà hominem credebatur esse Medicinæ traditio, vel missio. Præter eà si de Philosophis tradit Apostolus *Rom.* 1. 19. quòd *Deus manifestavit eis* &c. Medicina nonne Philosophia est, vel Philosophiæ pars præclara. Denique quo naturali hominis ingenio, quove experimento cognosci potuerunt quædam Antidota in Medicinali verbo tradita, ut de Teriaca, & quibusdam aliis, doceat qui sciverit; ego non planè perspicio.

Porrò reliquam nostræ Considerationis assertionem, quòd verbum medicinale nihil habeat contrarium ad Dei Legem sanctissimam memini me latiùs disputasse, dùm traditiones varias Empyricorum, dùm superstitiones sacrilegas, ritusque sortilegiorum, & impios magicorum reprobavi. Addimus, Medicinam oportere sequi regulas Theologicas, quarum est judicare, si, quando, & ubi perfecta corporis harmonia, vel sanitas conservanda, quærendaque est in ordine ad animam utique superiorem in hominis regno, ne propter sanitatis corporalis inquisitionem hanc, vel illam, anima ægrotet, vel pereat. Quomodò deperit? Certè gladio transgressionis divinæ Legis violatæ. Ad hoc sunt Decretales Medicorum, ne quando suadeant patientibus, vel infirmis, quod peccatum sit. Sed & jubetur eis sub gravi interminatione, ut priùs moneant inquirere Medicos animarum, id est Sacerdotes, quatenùs sanitate recuperata in anima per pœnitentiam, homo leniùs adipiscatur sanitatem corporalem. Nec est contra Legem præscriptio, ut glossæ ponuntur.

Sed acclamabunt aliqui dicentes: immittimus desperationem ægrotantibus, hoc agendo imaginatio faceret casum: sed plana est responsio, & verum remedium, si regulariter observarent hanc monitionem Medici in omni visitatione tanquàm ex injuncto sibi commissam, non pro desperatione patientis emissam. Denique amici carnales spiritualiùs & audaciùs suos postmodùm commonerent, quòd quia non fit, formidandum est, ne multi in anima pereant, nec tamen convalescentiam corporalem, quæ tanto opere quæritur, recuperant.

Demùm quod inferebatur de brutorum industriis, quæ moribundos eventus sanant, non tàm contra nos, quàm pro nobis militat: quoniam si Deus, & natura in necessariis non desunt erga animalia minoris perfectionis: concludere magis oportet, Deum, & naturam providisse hominibus, sicut & providerunt tam de ratione qua supereminet, quàm de similibus, & majoribus instinctibus, & industriis etiam spiritualibus: perfectum ubique per majores motus aliarum curarum, aut vitiosæ vitæ non opprimuntur. Denique *Deus fecit sanabiles nationes.* Sap. 1. 14. ut Sapiens loquitur, misit quoque verbum suum scientiæ Medicinalis, ut sanaret eos, & eriperet ab interitionibus eorum.

CONSIDERATIO SECUNDA,

Repressiva objectionis alterius: contra Verbum Medicinalis Scientiæ.

VERBUM Medicinalis Doctrinæ sicut luminosum est, sic prodest plurimùm, aut manuducit ad elevationem mentis in causam primam, & Leges æternas, ad mores componendos, & conquisitionem virtutum, si vera, debitaque religiositate & pietate, qua decet, pertractetur. Medici imprimis nonne rationabiliter inter Philosophos reponendi sunt, de quibus testatur Apostolus, quòd per ea quæ facta sunt, intellecta est ab eis sempiterna Virtus Dei, atque Divinitas? *Rom.* I. 20. & similiter *Sap.* XIII.

Ampliùs verò quis nesciat, utilem esse cogitationem humani corporis, & accidentium suorum, ut animæ natura, suorumque actuum, & passionum intrinsecarum manifestatio faciliùs habeatur. Prædicatores, exhortatoresque virtutum moralium nonne frequenter inducunt similitudinem de corpore, & morbis ejus, pro manuductione faciliori ad conquisitionem virtutum, & sanationem vitiorum, Constat autem pariter, in verbo Medicinæ similitudines istas tantò plures, & accommodatiores invenire posse, quantò naturam totius corporis magis intelligunt, ut ostendit in se venerabilis Guillelmus Parisiensis, qui tam copiosè non disputasset de moribus, si Medicinam penitùs ignorasset. Hoc modo Seneca, Socratem insecutus, omnem Physicæ traditionem traducebat ad mores. Hoc modo Doctores Sancti, atque Theologi morbos corporales, de quibus in Scriptura frequens mentio est, causas insuper contradictionis eorum, & modos curationum transferunt ad ædificationem morum, ut non remoretur in solis infimis, sed aliquid altius, atque divinius, seu spiritualius completur. Exempli gratia, Christus legitur aliquando infirmantibus curam impendisse sanans dæmoniacum *Matt.* VIII. Hunc intellige superbum, qui exemplo dæmonis extolli vult. Sanavit leprosum *Luc.* VII. Hunc intellige invidum, quia *Prov.* XIV. 30. *Putredo ossium invidia.* Sanavit phreneticum *Matt.* XVII. Hunc accipe iracundum, qui totus extra omnes limites debacchatur. Sanavit contractos. *Luc.* XIII. Ii sunt avaritiâ laborantes. Sanavit paralyticos *Joan.* XI. & *Marc.* IX. & quos meliùs accipies, quando acediosos & pigros. Sanavit fluxum sanguinis. *Luc.* VIII. qui designat luxuriam. Sanavit hydropisim *Luc.* XIV. quæ gulam significat.

Rursùs, secundùm aliam similitudinem, sicut infirmitas corporalis deformat hominem, depauperat, debilitat, inquietat, interficit; sic spiritualis morbus deformitates inducit conscientiæ, depaupertationem animæ, debilitationem virtutis, inquietudinem mentis, mortem æternam in tormentis. Proindè juxtà similitudinem alteram morbus spiritualis gradus suos habet, sicut corporalis: occasionatur quidem in occasione, invalescit in delectatione; dehinc languet anima in mora, quia *languor prolixior gravat Medicum.* Eccli. X. II. Moritur in consensu, effertur in opere, sepelitur in consuetudine, fœtet per infamiam, cooperitur per hypochrisim, seu simulationem.

Item sicut quadruplex est medicina corporalis: præparativa, purgativa, reparativa, præservativa, sic in spiritualibus. Medicina præparativa est dolor Contritionis; purgativa, gratiâ remissionis; reparativa, profectus bonæ operationis; præservativa, modestia bonæ conversationis. Quotlibet sunt hujusmodi similitudines mysticæ sumptibiles à verbo medicinalis scientiæ tanquàm à Libro quodam in particularibus scientiis abundantissimè descripto, à cujus lectione facilis est transitus ad scribendum Librum conscientiæ, transferendo naturales res ad morales intellectus, cujusmodi sunt virtutes immutabiles seminum, lapidum & herbarum, venenorum insuper noxiæ pestis, quæ mille modis interimunt:

Signa curationis spiritualis sunt in corporali

Quies membrorum.	Cessatio à peccato.
Cessatio dolorum.	Pax Conscientiæ.
Appetitus bonus.	Desiderium æternorum.
Debitus Sapor ciborum.	Contemptus temporalium, & amor æternorum & spiritualium.
Restitutio colorum.	Honestas conversationis.
Virtus fortis.	Virtus agendi fortia, & sustinendi gravia.

CONSIDERATIO TERTIA.

Et finalis dissolutio illius quod ultimò contra Medicinam objectum est.

MEDICINALIS verbi valor attenditur non in hoc, quòd omnis sit curativum ægritudinis; hoc quippè ità impossibile est, sicut mortales quandoque non deficere; sed quia plurimùm opitulatur debilitati ad sanitatem vel conservandam, vel celeriùs in multis recuperandam.

Ceterùm si ignaviam, vel ignorantiam imprudentem aliquorum qui se Medicos profitentur, nec sunt, qui nec diligentiam adhibent quam deberent, quidam ex infirmantibus periclitantur & pereunt; nullum abindè probrum, nullam infamiæ maculam contrahit apud benè considerantem ipsam Medicinam. Quid enim tam bonum, tàm sanctum, tàm utile reperitur, quo non contingat abuti?

Quod autem de Sacerdotibus & Religiosis, quos Sacri Canones arcent, vel à studio Medicinæ, vel maximè ab exercitio: respondeo, quòd irregularitatis periculum allegatum non solùm in causa est prohibitionis: si enim peritus in arte hac maneat infrà terminos suæ scientiæ cum adhibitione diligentiæ competentis, ille nequaquàm sibi debet formare leviter scrupulum culpæ vel reatus, quamvis illi, cujus acceperat curam, succedat aliter quàm sperabat.

Quid ergò? Profectò Viros Religiosos, atque Sacerdotes magis decet tradere se ad scientiam aliam, Legem scilicet Verbi divini perscrutandi, sicut animas acceperunt curare, potiùs quàm corpora. Quamobrem studium traditionum humanarum, seu Legum Civilium ipsis etiam legimus interdictum. Undè inferuntur tria documenta, pro quolibet Medicorum salubria, quoad Deum, quoad se, quoad proximum.

Primùm: Sit Medicus gratus Deo, à quo medicinalis scientiæ verbum suscepit; formidet, ne sibi contingat illud quòd de Philosophis ingratis tradit Apostolus, *quicum cognovissent* Rom. I. 21. & sequitur *obscuratum est* &c. Pellatur suo opere pessimus error ille, qui non liberrimè, sed quadam necessitate naturæ posuit Deum agere ad extrà: nam hoc errore durante, quas Deo gratiarum actiones, qualem de eo Spem certam potuerit invenire? Tollit quippè error ille omnem miraculorum operationem, & ex consequenti Religionem, cui aversus est. Narrat historia Magistri Basylii ipsum habuisse Medicum Judæum, nomine Joannem, qui cùm dixisset sibi, quòd sole occidente ipse pariter qui erat sol scientiæ deficeret, respondit Basylius, quid si usque cras vixero? Moriar, inquit ille Joannes. Cui Basylius: moriaris tu peccato: impetravit verò Basylius ut viveret in crastinum, & communicaret Sacrosanctis Mysteriis: quo viso, Medicus ille in stupore mirabili versus conversus est, & à Basylio baptizatus, cognoscens operationem Dei suprà naturam in Basylio valuisse.

Secundùm documentum. Sit Medicus recollectus

tus in seipsum, & supra sensibilium considerationem sæpè elevatus, ut videlicet exemplatum verbum medicinalis scientiæ comparet, & referat ad verum exemplar suum, & secundùm illud vitam suam, imò & artem regulet; alioquin remanentes immersi solis sensibilibus quodammodò grossescunt in cogitationibus suis, & sunt toti corporales atque sensuales, sicut ponit Albertus, & experientia testatur de tractantibus particularia ista terrena &c.

Tertium documentum. Sit Medicus diligens atque benignus ergà proximum ut diligenter sanet, sibi commissum donum Dei susceptum benè dispensando, non minùs, imò magis ad salutem animarum, A occasione habita, quàm corporum: iis modis perveniet Medicus ad eum, à quo est Medicina efficienter, per quem exemplariter, & ad quem finaliter reducitur. Deo gratias.

DOCTRINA
PRO PUERIS
ECCLESIÆ PARISIENSIS.
Ex Cod. Victor. D d 9.

Gersonio ascribitur sub hoc titulo in veteri Catalogo Scriptorum ejus.

QUONIAM puerorum Societas divinis mancipata obsequiis, quasi pulcherrima est & florentissima portio Ecclesiæ, dicente Propheta ad Dominum: B *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Ps. VIII. 3. quo dicto confutavit Pharisæos Christus, pueros de sua laude culpantes, qui priùs indignè tulerat dum prohiberentur à Discipulis accedere ad eum: *Sinite*, inquit, *parvulos venire ad me, & nolite prohibere: talium enim est regnum cœlorum.* Matt. XIX. 14. Dignum arbitramur sollicitè providere tales habere pueros Samueli, non filiis Hely similes, qui non tàm ætate, quàm moribus parvuli sint, & pueri. Quique officium Angelicum quod exteriùs repræsentant, conservent intrinsecùs: imitatores pueri illius egregii Deo dicati Marcelli Ecclesiæ nostræ, de quo legimus, quòd sine offendiculo suum gerebat officium. Hoc verò ut debitè, quantùm valemus, expleatur, suas institutiones quas volumus, quantùm commodè fieri poterit, observari taliter. . . . .

Antè omnia sit Magister eorum incorruptissimus, quod Horatius maximum reputat; quia discipulus quid aget, nisi quod viderit Magistrum facientem; & quia velociùs, & citiùs nos corrumpunt exempla domestica.

Magnis cùm subeant animos autoribus.

inquit Juvenalis; cujus itidem dictum est summè memorandum: quòd

Maxima debetur puero reverentia,

ne quid, scilicet antè oculos ejus peccetur, neque verbo turpi & obscœno, neque gestu, aut attactu lubrico, & dissoluto, neque facto petulanti & maligno. Hoc omni sollicitudine removeat Magister à seipso, maximè coram pueris, & ab omnibus aliis cujuscumque status, aut eminentiæ; vel familiaritates fieri prohibeat tàm in domo, quàm in vico, quàm in Choro & Sacrario, & Altari sancto: alioquin pueros coërceat verberibus; alios ad superiores deferat, si moniti desistere noluerint. Et væ talibus, quia, teste Christo, meliùs D esset, ut suspenderetur mola asinaria collo eorum, & demergerentur in profundum. *Matt.* XVIII. 6.

Fiat insuper eis frequenter verbum exhortationis de dilectione Dei, reducendo ad memoriam ad quid facti sunt, quia ad divinum servitium, ut per illud perveniant ad Paradisum, & inferni tormenta crudelia non incurrant. Talibus enim odoramentis imbui debet recens olla suæ mentis, ut diù servet bonum devotionis odorem: quia, teste Aristotele, non parùm refert, juvenem sic, vel sic assuefieri.

Inducantur prætereà cavere à peccatis, ab illis scilicet actibus, pro quibus sciunt se verberandos fore, si Magister videret aut cognosceret; ostendendo quoniam Deus videt omnia, & quoniam Angelum bonum custodem habent, & diabolum tentatorem qui strangularet eos statim ut sunt in peccato mortali, nisi Deus, & Angelus bonus misericorditer suam pœnitentiam, & correctionem expectarent.

Rursùs in speciali doceantur castè custodire semetipsos ab omni impudicitia cordis, in cogitatione; oris, in locutione; operis, in turpi attrectatione: & ostendatur quantùm potest esse in talibus castitatis, imò & vitæ periculum.

Inducantur etiam confiteri non solùm semel in anno, sed quater aut sexies, in Festis solemnibus: & tunc antequàm vadant, doceantur per libellos, aut aliter quomodò dicere, & se habere in Confessione debebunt. Et sit pro eis idoneus Confessor institutus; quia circa tales sæpè requiritur major prudentia in benè confitendo, quàm circa provectiores, ut neque parùm interrogentur, neque nimis. Si autem sint sufficientis ætatis, utputà duodecim aut tredecim annorum, inducantur recipere saltem semel in anno Eucharistiæ Sacramentum.

Volumus, ut more antiquo doceantur quotidiè Horas B. Mariæ cum septem Psalmis dicere bini, & bini, aut partem, atque illis modis, & illis horis quibus visum fuerit Magistro, pro die, & occupatione, magis opportunum. Poterunt autem eundo ad Ecclesiam, & redeundo partem dicendorum implere, ut per viam se & videntes ædificent.

Ceterùm Magister Grammaticæ, qui pro instructione puerorum in Grammaticalibus, & Logicalibus institutus est, talis esse studeat in moribus, qualem esse debere Magistrum diximus. Et ambo taliter ordinent horas diurnas & nocturnas, quòd semper unus eorum assistat pueris, tàm in domo, quàm extra, ubicunque pueros ire contigerit. Propterea volumus ut deinceps idem Magister non habeat officium, vel occupationem in Ecclesia, vel extrà, quominùs istud quod diximus, valeat adimplere.

Porrò Magister cantûs statutis horis doceat pueros plenum cantum principaliter, & contrapunctum, & aliquos discantus honestos, non cantilenas dissolutas, impudicasque, nec faciat eos tantùm insistere in talibus, quòd perdant in Grammatica profectum. Attento maximè, quòd in Ecclesia nostra discantus non C est in usu, sed per Statuta prohibitus, saltem quoad voces, quæ mutatæ dicuntur. Habeat ergò Magister alius sufficiens spatium pro docendo Grammaticam, & Logicam, & Versus, aut materiam, & Epistolarum, aut Evangeliorum grossam expositionem in lingua vulgari; quia quod non intelligitur, nunquàm aptè, & securè pronunciatur, nec indè mens sic ad devotionem incitatur. Est autem hora magis solita pro talibus, de manè usque ad prandium, & de reditu vesperarum usque ad cenam, aut ampliùs secundùm qualitatem temporum, & necessitatem. Nolumus autem legi quoscunque Autores, qui magis obsint moribus, quàm prosint ingeniis.

Item: volumus ut legat unus puerorum semper in qualibet comestione de aliquo Libro utili, & tunc abstineant à colloquiis, ut impleant illud: *Pauca in convivio loquere.*

Volumus insuper, ut pueri habeant regulam, sicut habent communiter in domibus pædagogorum, & faciant certis ceteris horis .... nunc de cantu, nunc de Grammatica, & coram uno Magistrorum veniant.

Item: accuset quilibet socium suum super sequentibus. Videlicet, si audierit eum loqui Gallicum. Si juraverit. Si mentitus fuerit. Si alium dementitus.

Si

Si injurias dixerit. Si percusserit. Si inhonestè & impudicè locutus fuerit, aut tetigerit. Si nimis tardè surrexerit. Si Horas omiserit. Si in Templo garrulaverit, & de similibus. Et qui non accusaverit taliter deficientem, ipse pro eo, & cum eo similiter punietur. Et poterunt hi defectus notari in rotulo uno per puncta, & in fine hebdomadæ Magistro præsentari, ut corrigat sæpiùs delinquentes. Si autem percusserit aliquis alium Clericum graviter, statim ad Pœnitentiarium remittatur.

Prohibeantur etiam eis ludi omnes qui trahunt ad avaritiam, & impudicitiam, & inhonestum clamorem, & ad iram, & rancorem, ut est ludus taxillorum, vel alearum & omnis similis: quantumcunque exerceatur in modicis rebus, ut sunt calculi plombæi, & cupræi. Hoc vidit qui dicit. *Trocho lude, aleas fuge*. Detur tamen pueris frequens & brevis recreatio, utputà modicùm post prandium, & cenam, quando sunt minùs idonei ad cetera seriosa. Et sit semper præsens unus Magistrorum.

Nolumus insuper, ut pueri quovis modo vadant ad quæcumque loca & domum, & Ecclesiam pro cantando, nisi de Superiorum licentia speciali. Et tunc sit Magister præsens, qui videat ne in comestione, vel aliter excessivè se habeant, vel inhonestè.

Volumus, ut more antiquo sit lucerna ardens in securo loco coràm imagine Virginis, qualibet nocte in camera puerorum, tàm propter devotionem, quàm propter necessitates naturales quas leviter patiuntur pueri, & quia sæpè surgunt ad Matutinas, & ut faciant sola opera quæ possint, & debeant videri in luce. Et nullus puerorum de nocte transferat se de lecto ad lectum; sed maneat cum socio suo sibi assignato. Et non permittantur aliqui facere sibi conventicula, vel societates ad partem extrà alios, die & nocte; sed sint semper omnes simul, & palàm in oculis aliorum. Nullæ etiam bestiæ, vel aves nocivæ secum nutriantur.

Nolumus ut aliquis admittatur ad morandum cum pueris, neque ab extrà pro addiscendo cum eis, nisi de superiorum licentia speciali, ut pueri nostri non trahant mores malos ab aliorum convictu: nam *Unica prava pecus, inficit omne pecus*.

præsertim ubi aliquis esset perversè inclinatus, & inductus ad peccata enormissima, quæ nec debent nominari.

Prohibeantur insuper famuli habere familiaritatem cum eis, immò ne tolerentur extrà nec clerici, & A servitores, vel Capellani conversari cum eis præsertim, nisi præsente aliquo Magistrorum: & si pueri oppositum permiserint graviter puniantur. Fiant autem punitiones tantummodò de virgis temperatè, sine ferulis, aut aliis percussionibus periculosè læsivis, & sine probris, & contumeliis, ut se magis amari sentiant quàm irrideri, & ut mansuetudine potiùs ducantur, quàm austeritate trahantur ad bonum, *ne pusillo animo fiant*, sicut dicit Apostolus. *Coloss.* III. 21.

B Item: prohibeantur à comestione nimia de manè, aut aliis horis, per quam impediri possent à conservatione vocis suæ, & regulam sobrietatis infringere: eos tamen sufficientibus, & sanis cibis volumus enutriri, & mundè teneri in camera, & in lectis, in vestibus lineis, & ceteris. Sed & de infirmis cura geratur præcipua. De missis verò, & receptis, Magister bis in anno reddere computum teneatur.

Item: debent in Choro sedere distanter à se invicem, & silere tàm inter se, quàm cum aliis, & non ire ad vocationem cujuscumque, nisi pro necessitate sui officii, aut ad mandatum Domini Decani, C & Dominorum dignitates habentium. Et maximè servent silentium, & gestum ordinatum circa Altare, dùm celebrantur Sacra Missarum mysteria: sine risu, sine garritu, sine strepitu, sine dissoluto nutu inter se, & alios; sed assistant sicut Angeli Dei, ut omnis qui viderit eos dicat: hujusmodi sunt verè pueri Angelici, & tales, quales habere debet immaculata Virgo in Ecclesia sua totius Orbis celeberrima.

Postremò doceantur pueri diligenter observare ceremonias competentes eis in divino cultu ab antiquo D in Ecclesia nostra servari consuetas. Ut quando debent intrare, quando inclinare, quando exire, quo ordine cantare, & similes, quas pro maga parte scribi, & in loco publico suæ habitationis poni mandavimus.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

EPISTOLÆ
QUÆDAM

MISCELLANEÆ.

Ad MS. Cod. Victor. 106.

EPISTOLA DIRECTA

Ad Abbatem Sancti Dinonysii, super controversia capitis ejusdem Sancti Dionysii, & de tollenda quadam tabula injuriosa.



REVERENDO in Christo Patri, ac Domino sincerè dilecto, Domino Abbati sancti Dionysii in Francia, suus Joannes Cancellarius Parisiensis per viam Christianæ Religionis piè, sobriè atque pacificè conversari. Stimulaverunt, fateor, animum meum frequenter, hinc contentionis o- A dium, hinc honor nostræ Matris Ecclesiæ, hinc veritatis, justitiæ, & pacis amor, ut familiari fiducia rogarem, postularem, & obsecrarem Reverendam Paternitatem vestram, quinetiam obtestarer per communem omnium benè viventium Matrem Charitatem, quatenùs tabellam quandam affixam in Ecclesia vestra sancti Dionysii in Francia, quæ Parisiensibus (sicut loquitur) errorem mendosum, & intolerabilem dicit inesse super Reliquiis de capite ejusdem beatissimi Dionysii; juberet eadem Paternitas ultrò tolli, potius quàm in Judicium contentiosum res veniret. Ecce enim coram Deo non mentior, quia fuit Anno præterito consultatio diligens habita per multos nobiles usque ad numerum tricenarium, quantùm conjicio, vel eò circà, tàm de Parlamento, quàm de Facultate B Theologiæ, & Decretorum, qui concordi & examinata deliberatione, absque ullo dubitationis scrupulo asseruerunt, prædictam tabellam esse libellum injuriosum, & famosum contra debitam Dei, & proximi charitatem, & ita mihi hactenùs visum est, postquàm rationes hoc deducentes in pondus adduxi.

Existimo præterea, quòd si permanserit, erumperet tandem (quod abominor) ignis magnus, & fœdus dissentionum inter duas has Ecclesias celeberrimas, vestram, & nostram, quas confœderare, vel sola Pastoris, & Patroni Dionysii consideratio debuerat: quia nostram sua pastorali sede, atque regimine, vestram pretiosis sui corporis reliquiis decoravit. Sentio (credite) seminaria dissentionum hujusmodi parata, plura quàm dicere, vel scribere commodè possim.

Scio præterea quia etsi liceret prædictam tabellam manere sic appensam (sicut non licere tot sententiis assertum est) istud tamen neque decens, neque expediens esse nullo modo dubitaverim. Hæc itaque tabella si eo quo diximus modo, sponte, scilicet & secretè amoveatur, quale præjudicium vobis, vel Ecclesiæ vestræ, quale dedecus, qualis infamia? Nulla prorsùs, nisi quis animositate cervicosa contendat materiam scandalorum sine scandalo de medio tollere, probrum esse. *Si esca scandalizat fratrem meum*, affirmat Apostolus, *non manducabo carnes in æternum*. 1. Cor. VIII. 13.

Quòd si fortè responderit vestra circumspectio prudens, & sapiens, non placere sibi talem hujusmodi affixionem (sicut planè suspicor displicere) sed non habere capita Monasterii vestri omnia cum suis sententiis in vestra (ut ita dicamus) manu. Esto; vestrum nihilominùs erit eniti, Reverende Pater, quatenùs hoc fiat nunc potiùs, interim dum res quodam silentio sopita est, quàm si suscitatio novi tumultus, grandiori difficultate rem confundat. Meum similiter fuerit laborem impendere pro viribus, ita polliceor, ut vel pax integra reformetur, vel saltem in deteriora non emergat pristina dissentio.

Prorò rationes particulariùs, & latiùs condemnantes hanc tebellam, & observationem Parisiensium justificantes in sua probabilitate, satis aliàs inductæ sunt.

Denique malè iret ritus venerationis Reliquiarum apud multas Ecclesias, etiam apud vestram, si quælibet varietas in hujusmodi cultu error vocaretur intolerabilis, atque mendositas; velamen insuper cordium cum divina interpretatione auferendum, dum id Reliquiarum quod habere se dicit una Ecclesia, vel Religio prætendit altera similiter: quemadmodum de capitibus beatorum Joannis Baptistæ, Benedicti, Magdalenæ, Lazari, & talium hujusmodi Reliquiarum sine numero conspicimus. Nihil itaque prohibet utrumque contradictoriorum stare simul cum altero; & si non in veritate, tamen in tali rationum probabilitate, quæ sufficiat ponentes, & laudabiles reddere, & eos defendere à mendacio vel errore; cùm error in materia Religionis, atque mendacium, culpæ notam denominet. Scriptum Parisiis 8. Octobris, quo tempore meditabar pro Sermone faciendo in Natali ejusdem pretiosi divini Ariopagitæ Dionysii, qui suo adventu gloriam in altissimis Deo, & in terra nostra pacem aspiravit hominibus bonæ voluntatis, qualem pacem nos C habere precor rursùs, & obsecro: quod ut fiat, tale quale prædiximus, contentionis inutilis, imò perniciosæ fomentum celeriùs auferatur ad honorem Dei: in quo benè valete, & persuasum habete, nunc æquitatem pietatemque requiri. Anno M.CCCC. VIII. circa mensem Octobrem.

ALIA EPISTOLA EJUSDEM.

ATTULERUNT eximiæ charitatis vestræ litteræ non parvum levamen infortunio meo (sicut spero) felici. Est enim flagellum Patris misericordiarum, quod usque modò verè supra spem & omne meritum meum temperavit. Fecit enim cum tentatione proventum ut possem sustinere. Gratias igitur vestræ benignissimæ pietati, quæ compassionem præstitit taliter flagellato; quæ plena consolatione documenta superaddidit, quæ demùm præconiis, qualia nec usurpo mihi, nec eis me dignum censeo, prægravavit. Sic planè, sic decebat sapientiam professos, ut unum è consortio suo, quamquam abortivum, quia tamen in tribulatione positum, solarentur. Verùm etsi absque ulla fictione cum laboribus plurimis, & expensis olim jam conatus sum debiles humeros meos, & fragilitatis suæ conscios, subducere oneri tanto Cancellariæ Parisiensis, & in alium gradum transferre, nihilominùs ingressibili quodam labyrintho circumactus, & quasi posuerim pedes meos in rete, & in maculis ejus ambulem, confusus sum ab expectatione, sentioque illud Terentianum, quòd *Non licet, hominem sæpè esse ut vult.* Mandatus sum quippè ab illo, cui post Deum me, & omnes operas meas debeo, Dominum meum, Dominum Burgundiæ loquor, cujus utinam aliud circà me modestius, humilius, salubriusque consilium extitisset, ignoscat Deus idipsum consulentibus. Ibam obediens, sed impedivit iter meum, qui olim asinæ Balaam obstitit, & interim ab executione Officii Cancellariæ me spontaneum illud etiam prorsùs deserere paratum, tamen illud pro obedientia exequi volentem, suspendit. In qua re facio quod mandatis, neque aliud pro nunc subesse video; & substituo eum pro exercendis omnibus quæ præsens agerem: cum solennitate factum mitto. Benè valete, mei memores in orationibus vestris. Scriptum Burgis 27. Aprilis.

ALIA EPISTOLA EJUSDEM.

CUM nuper devoti Bernardi Homilias *super Cantica* relegerem, Pater, & Frater dilectissime, perveni in eum locum, qui docet media perveniendi ad generationem Verbi, hoc est, ad contemplationis arcem. Gavisus sum non mediocriter, quòd ita consonè ad eum de hac materia olim Burgis in lecto valetudinis meæ conscripseram, sicut habes Tractatuli copiam. Nesciebam utique alium taliter, & tali ordine tradidisse ipsam contemplationis adipiscendæ arcem. Quo fit ut mihi securius eadem scripta mea placeant. Sunt autem verba beati Bernardi talia Homilia centesima: *Visio hæc non industria est, sed gratiæ; revelationis, non investigationis. Si quid tamen potest ad hoc industria operari, illud primùm observate quod dicitur:* Isaïæ I. 16. Lavamini mundi estote: *Secundo, ut scribatis sapientiam tempore otii:* qui *enim* minoratur actu percipiet eam. Eccli. XXXVIII. 25. *Tertiò, ut violenti sitis, & gaudium regni quod vobis diutius surripitur, præripiatis, ut habeatis cor purgatum, præparatum, & probum. In primo efficieris anxius, in secundo devotus, in tertio vehemens, hoc est, idoneus, obvius, urgens.* Hæc ille. Vides, Pater & Frater, quemadmodùm tria hæc conveniant tribus illis gradibus schalæ mysticæ contemplationis, quos nominavi amaram contritionem, otium, vel solitudinem, & fortem perseverantiam. Gratias illi à quo omnis veritas, & cui veritas omnis consonat.

Quòd si quis nunc, aut aliàs, inculpaverit me temeritatis, quòd materiam hanc prorsùs altissimam, & abditissimam usurpaverim tractasse, velut ipse agnoscerem, habeat responsum illud quod novissimè recolo apud vos dixisse. Scio itaque ex multis scriptis, & quorundam verbis, aliquam esse cognitionem, & A mentis elevationem quam habere possumus ultrà communem, & usitativæ cognitionis normam. Hoc modo, etsi non aliter, scire potui nobis aliquid deesse perfectionis hujusmodi, quam sancti Patres habuerunt, & docuerunt. Sic enim potest ipse cæcus colores etiam cognoscere vago tali conceptu, & se cæcum judicare. Quærebam dudùm à quodam cæco viro intelligente, quomodò se sciret cæcum esse; scio respondit, quia aliquam perfectionis integritatem quam in aliis esse audio, mihi deesse sentio.

Denique, Pater & Frater, nihil ex tribus prædictis gradibus tantùm deesse formido, sicut occupationem necessariam in religioso exercitio tuo, quod utique nullo modo, nulla profectûs alterius occasione deserendum esse non ambigo. Sic vocatus es, noli violenter obniti, quia non hoc tibi cederet feliciter, sed irriderent hostes sabbata tua, hoc est, vocationem B tuam. Nescis prætereà quid tibi est utilius, & Deo placentius. Revelabit cùm voluerit, & dum beneplacitum erit antè se quod abscondit à sapientibus hujus sæculi, & revelat parvulis. Soli parvuli hoc attingunt, non quia meritum, sed quia antè placitum est. Præcipua insuper ratio hujusmodi munus desiderandi est, ut simus parvi in oculis nostris, habita contemplatione tantæ, & tam immensæ majestatis, vocabit te fortassis Deus, occasione otii data, per ægritudinem, aut aliàs. Sic interim opus tuum age, & vaca, non quantùm placet, sed quantùm licet, ad videndum, & gustandum, *quoniam suavis est Dominus*: Ps. XXX. 9. in quo benè vale, mei memor in orationibus tuis, & fratrem germanum pupillum commendatum habe. Scriptum Parisiis 13. Aprilis.

C ALIA EPISTOLA EJUSDEM AD NAVARRICOS.

Ex MS. Cod. Vict. 698.

JUCUNDUM est, Socii & Fratres, in Christo dilectissimi, jucundum valdè, quia verbis nequeo, scriptis vos alloqui. Sunt enim amicorum grata undequaque colloquia, quia, si juxtà Terentianum senem, *Proximus amicorum gradus, est vicinitas*, multa prorsùs esse mihi dat amicitia ad collegium illud venerabile quod incolitis, cui non tàm vicinus, quàm ab ineunte adolescentiâ familiaris semper intraneus fui, & traxi mores ex convictu. Solabor igitur mutuâ vobiscum confabulatione coactam quietem meam, qua me divinum flagellum alligavit D in lecto valetudinis, ubi supinum immobilemque jacere constrinxit, utiliter spero magnâ Dei misericordiâ non solùm tolerabiliter, sed penè optabiliter. Cur ita; quoniam neque lectionem, neque orationem, neque salubrium cogitationum pertractationem exulavit à me quies talis; cùm etiam familiariores, si non obstitero, constituit: quo pacto sic dolorem nempè corporis, & animi anxietatem divina gratia usque modò vel abstulit, vel ferè suprà spem, & verè suprà omne meritum meum tem-

temperavit. Gratias ei qui nunc adjudicavit me contumacem usque nunc servum suum non in ira, & furore corripere, sed in virga filiali. *Et Domine si sic vivitur & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Isaïæ. xxxviii. 16. 17. Sed ad vos redeo, quibus unam è cogitationibus meis familiariter aperire studui, & si non ob aliud, ut vel voluptatem aliquam ex tali communicatione scribendo concipiam.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,
CAUSÆ
PROPTER QUAS
CANCELLARIAM
DIMITTERE VOLEBAT.

Ad MS. Cod. Vict. 463.

ISTA est pars angustiarum & calamitatum, in Officio Cancellariæ Parisiensis, quarum consideratione, & sanctissimorum Deum timentium consiliis cedere simpliciter, & gratis fixus institui.

Cogor enim pluribus Dominis magnis valdè qui adversissimi sunt complacere, vel obsequi; nomina non explico illa scientibus. Puto videtur insania, hanc perplexitatem, cum fas esset non fugere; siquidem *Indignatio Principis mors*, Prov. xvi. 14. &: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Matt. vi. 24.

Cogor amicis favere; qui tamen eruere me non sufficiunt, nec me à factiosis, & fortissimis hominibus qui omnia calumniantur quæ ago, immò & verba mea tota adversùm me execrantur. Hæc idcircò persecutio plùs personalis est quàm altera: quo casu licet, & expedit secedere, & vincere *in bono malum*, Rom. xii. 21. ne obnitendo frustrà ego ruinâ magnâ cum amicis involvar. Hoc docere possunt ea quæ noviter contigerunt, Christi simul, & Pauli exemplum atque documenta id suadent; nam hoc casu pastorem fugere non fugere est.

Cogor importunissimis, immò nimis gravibus obniti, vel peccare: melius autem est incidere in Dei manus, quàm hominum, cum possunt declinari, ne amans periculum pereat in illo.

Cogor ad deliberationem aliorum, vel pro consuetudine temporis ignaros scientiâ, & perniciosos moribus promovere, & quandoque sufficientioribus præponere, cum tamen dicat Sapiens. *Noli velle fieri Judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates.* Eccli. vii. 6.

Cogor importunissimis hominibus, & diversorum morum à meis respondere, & obsequi, eis conjungi familiaritate, aut incivilis judicabor, & ero proximus periculo, quia *gaudere* oportet *cum gaudentibus.* Rom. xii. 15.

Cogor assiduè rumores audire qui illic continuè perstrepunt, quibus animæ quies omnis eripitur, & in multiloquiis hujusmodi peccatum non deesse, ac spiritualiter congregata per hæc dilabi statim cognitum est.

Cogor laborare pro curiosis Sermonibus, quibus absquæ ædificationis fructu maxima temporis pars absumitur, & mihi convenit illud; *stulto labore consumeris.* Exod. xviii. 18.

Cogor rursùs Curiæ fluctibus, etsi non semper, immergi, vel ingratus judicabor, à quibus ut emigrarem, sola hæc fuit occasio Cancellariam postulandi; & contulit hoc Deus, aliter tamen quàm sperabam. Cur non igitur habito fine cessat motus?

Cogor inter hæc & similia Missas, & Orationes omittere, vel irrecollectus dicere. In quibus tamen fructus est uberior, si benè fiant, quàm in graduum taliquali distributione; ubi quàm parvus, utinam non sæpè perniciosus, utinam mores sit Ecclesiæ fructus intima cernentibus linquo; ubi locum habet illud Apostoli: *Nemini citò manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. Tim. v. 22.

Cogor etiam in temporali vita quasi mendicare, & despectus vivere, cum mediocritas aurea, non amara paupertas, sit tutissima, secundùm exigentiam status, cùm alibi abundanter habeam, & menagium jam providerim, quod cum detrimento magno oporteret relinquendo dissipare, & cum Grammaticis, & pueris vivere.

Cogor pro vivendo Decanatum tenere, ubi proficere verbis & exemplis sum astrictus; & tamen si non resideam in Cancellaria, sciunt omnes, est juramentum, quale murmur, quale detrimentum, & qualiter jure vocabor monstrum biceps, ambitionis insuper, immò dejerationis exemplum putabor.

Cogor liti pro adjuncto Beneficio vel cedere cum irrisione, & damno, vel cum fortissimo, & insuperabili hoste in æternum dimicare. Quod à moribus meis abhorret maximè, & insonat illud auribus meis; *Quare non magis injuriam patimini.* 1 Cor. vi. 7.

Cogor ad præbendam noviter anhelare: me quoque, & amicos meos huic novæ curæ subjicere, ubi quanta spes provisionis sit, mores hodierni docere faciliter possunt. Et profectò hoc quærere non obligor, nec ex altera parte improvisus stipendiis propriis laborare, neque hunc deserere locum, ubi absque onere, saltem periculoso, vacare mihimet possum, & hæc omnia quæ præmittuntur & sequuntur scandala declinare. Quod si scandala post hanc resignationem (ut amici minantur) contingant, profectò; & venient eadem, vel majora, si non divisio ulla. Malo in alio, sub alio, & pro alio, quàm in me, & sub me fieri; & notetur illud Salustii, *Frustra niti, & fatigando non nisi odium quærere, extrema dementiæ est.*

Cogor multitudinem insequi, ad agendum quod non placet, aut licet, vel ut hostis, ac suspectus ambitione haberi; nec hîc dissimilare, aut fugere, seu tacere sufficit, nisi patenter clamavero, cùm tamen scriptum sit? *Non insequeris multitudinem ad faciendum malum.* Exod. xxiii. 2.

Cogor perniciosa dogmata, qualia jam seminata sunt ab aliquibus, vel tacere contra conscientiam, vel cum summo mei, immò veritatis periculo illa per revocationes corrigere, si tamen corrigere & non potiùs confirmare faventes dicentibus permiserint; ubi autem malitia prævalet, habitandum non esse suadet Plato, & illic Ezechielis & Jeremiæ de gemendo valet consilium.

Cogor linguas omnes malevolas tanquàm signum ad sagittam perpeti, quæ tamen intolerabiliter, & irrationabiliter sæviunt, & penetrant, sciunt experti; quantùm denique non in verbis solum, sed in vita, propter cohærentiam quamdam hîc innominatam, sit discrimen agnoscunt. Quo pacto denique redimendum tempus sic vident *quia dies mali sunt*; Ephes. v. 16. immò supra modum periculosissimi, & seditionum seminibus undique repleti. Arx Sion occupata fit in laquem ipsi Jerusalem; felix porro è tali naufragio non sine beneficio si vel nudus enataverit?

Ex adverso pro præsentia mea nihil allegari boni potest, nisi spes quædam aliis proficiendi quam fingunt quidam, utinam non cæco judicio rapti de exiguitate mea, quæ quàm ad hoc inutilis sit sentio, & dudùm experior; scitum verè est illud *Plus aliis de te.*

Consideretur hîc acri judicio tàm ex præteritis, quàm ex circunstantia rerum, si plus obest ille qui cum suis

suis personaliter quæritur persequi, & cum eo justitia periclitatur, quàm juvet; & ubi locum habet: *Si vos persecuti fuerint*, &c. Joan. xv. 20.

Consideretur quàm parva sit proficiendi spes apud eos qui Sapientes sunt in oculis suis, & qui ad nil aliud vacant, nisi cum Atheniensibus dicere, vel audire aliquid novi. Ubi prætereà multitudine res geritur, ubi si qui sint de sua salute soliciti faciliter, & abundè consilia reperiunt; apud illos verò qui salutem suam non quærunt, prædicatio non solum otiosa, sed etiam perniciosa, & irrisione digna, si non tantummodò curiosa sit, efficitur: *Ubi* autem *non est auditus, non effundas verbum*. Eccli. xxxii. 6. Exemplo Christi, qui coram Herode, cum audire curiosa gestiret, obmutuit.

Consideretur quòd perfectus esse Brugis potest solo etiam vitæ exemplo, si verba deessent: ubi tamen proficere beneficium notabile perstringit Prælatura tam solennis.

Consideretur ab expertis quid apud Magnates prosint inferiorum verba, immò graviter irascuntur dicentibus, si non sint secundùm voluntatem, si non observent illud: *loquimini nobis placentia*. Isa. xxx. 10. & quid Micheæ contigerit, si nequaquam meminerint. Quapropter multi Doctorum, & Prædicantium quod respondent dicere joculatores & fistulatores mirantur, qui ad arbitrium tripudiare nolentium, carmina, idest doctrinas mensurant, variantque.

Consideretur quòd repugnante natura, vel consuetudine, quæ altera natura est, nil unquam feliciter agitur. Est autem natura mea, & consuetudo ad agibilia prorsus inepta, scrupulosa, iners, formidolosa, levissimè perturbata, ut plus millies experior jugiter. Quid igitur conabor contra ictum fluvii? Cur vim naturæ faciam,

Quam licet expellam furca (ut Horatius ait) *tamen usque redibit?*

Quid si Fratrum provisio & honor objectatur amicorum. Fateor, hæc ultimò evincere potui carnalior, & hoc parentibus curalibus * hoc non curantibus, immo ipsis fratribus, sororibus muliebrior, & ad altiora scandentibus minoribus minor: sed imminente tanto naufragio mercibus etiam charissimis, immò necessariis, ultrò projectis, enatandum est, & ab incendio divitiis propriis emigrandum, sicut à Curia certè lucrosiore memetipsum violenter eripui, nec piget, quamquàm obniterentur amici. Quòd si dicat pericula hæc ex timore fugere, & venire ad illud Terentianum, *quid si cœlum ruat?* proculdubiò plura dant intelligi amicorum comminationes ambiguæ; ex præteritis futura præsagio, & particularia tamen nec dum loquor, nec dum ea quæ intrinsecùs latent, aperio.

Consideretur in quanta copia sunt Magistri ad contemplationem fortè minùs idonei, qui omnibus agendis in officio vigilantiùs, libentiùs, atque feliciùs deservirent. Nec oportet hîc hominem quærere, in quo non sit macula, quia rara nimis avis in terris, nec profectò talis sum ego.

Videte, obsecro, quàm intolerabilis esset error, atque superbia in me, vel in aliis, de me talia cogitare, & sic præferri velle qualiter simia deformis fœtum suum caballis anteponit. Porrò *non est consilium contra Dominum*, Prov. xxi. 30. si ab oculis sim projectus ut præsit alter. Æstimo per audita, & facta Benedictum ne cederet ab amicis hoc superbiæ fuco fuisse deceptum, quasi videlicet Ecclesia recederet cum sua cessione, nec alius talis ad regimen ipsi debitum posset reperiri? Hæc verò plane tentatio dæmonii meridiani.

A Consideretur quanta sit raritas Deo in contemplationis quiete viventium more priorum Sanctorum. Ideò si quis tenuiter ad hoc aptus inveniatur, credendum sibi puto, quia talentum suum tale est, non alia agibilia, saltem in tanto; sicut opus oculi videre est, non laborare: *Habet* enim quilibet *donum proprium à Deo*. 1 Cor. vii. 7. Talem cessionem hac causa ipse Gregorius Nazianzenus, & Papa Cœlestinus, & alii plures fuerunt executi.

Consideretur si ad Episcopatum vocarer, vel ad aliud ingens temporale bonum, an amici consulerent, omnibus spretis, Cancellariam esse tenendam. Æstimo nequaquam; non dubito tamen, quin nunc securiùs volendo descendere illam desero, quàm aliter ascendendo. Quod si in casu dimissionis officii ad majora, vel pro mortis transitu providendi restaret Cancellariæ; agatur nunc, prout tunc, immò tantò providiùs, quantò deliberatio major esse potest, quamprimùm data rapiatur occasio.

B Consideretur quòd multi etiam ex amicis, & qui dicunt pericula se videre, possunt absque tantis invidiæ odiis, & adversitatum causis, subire illud onus gratis, in quo tantis gravatus sum oneribus, & non irrationabiliter usquequaque quorumdam vexatus odiis, quibus per meam fortè ambitionem, aut impunitatem spes quam sitiunt, adempta est, & extorta. Quòd si renuant, videant quàm æquo mecum agant judicio, attendant ne digito movere nolint onera quæ meis cervicibus volunt immanere. Denique neminem dubitare arbitror, quin liceat secundùm Jura omnia resignare Beneficium tale, resignare in manu Superioris, & vel Religionem intrare, vel aliter vivere præsertim Beneficium aliud curatum habenti. Quòd si licet, cognosco me, & mores meos, certus sum certitudine tali, quam in tali materia sufficientem existimo, quod mihi est expediens.

Quòd si fingant nimis me amantes, illud non expediens esse Reipublicæ, vel aliorum profectui; audiant divinum tonitruum: *Quid prodest homini si totum mundum lucretur*, &c. Matt. xvi. 28. C Videant demum, ne sint inter illos, de quibus alibi. *Inimici hominis domestici ejus*. Matt. x. 36. Illud etiam pueris decantatum.

Quæ nocitura tenes, quamvis sint chara, relinque.

Et ne me mutationis culpabilem arguant, si nunc tam vehementer fugio quod tam diligenter prosecutus sum: sciant, quia meum sapere cum ætate & experientia crevit, & me spes plurima frustrata est; certum verò est illud;

Temporibus mores sapiens.

Quod si allegatur infamia mea, scio, quòd *per infamiam, & bonam famam* pergitur ad cœlum. Scio, quàm pro minimo mihi esse debet, *ut ab humano die judicer; qui me judicat Dominus est*. 1 Cor. iv. 4. D Ceterùm non populari rumore, sed conscientiæ simplicitate, Christiani vita metitur. Consultiùs profectò & honestiùs est illud ultrò facere, quod tandem ab invito vel ipsa mors extorquet. Finiunt.

* Carnalibus.

EXHOR-

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

EXHORTATIO
FACTA
AD DUCEM BITURIÆ
Anno Domini 1413. Ut solemnizetur
FESTUM SANCTI JOSEPH
Virginalis Sponsi beatæ Mariæ.

Gallicè in MS. Cod. Vict. 138.

SÆPENUMERÒ & frequenter considerando excellentiam, & dignitatem sancti Joseph Filii David, legitimi, & virginalis sponsi pudicæ Virginalis sanctæ Mariæ Dominæ nostræ secundùm Evangelii testimonium, & meditando quando, & quomodo sæpiùs memoraretur, honoraretur, & celebraretur in sancta Ecclesia sanctum hoc, & sacratum Matrimonium: venit paulò antè ad dictæ considerationis meæ oculos (sic enim Deum reor voluisse) quòd tu nobilissime, potens, & Christianissime Princeps, Regis filius, & Regis avunculus, Bituricensis Dominus, is esses inter ceteros Dominos (absque adulatione loquor) qui posses, & velles promovere, exaltare, & exequi negotium hoc usque adeò dignum, honorabile, pretiosum, sanctum, & religiosum.

Causæ & rationes ad id me moventes, satis cognitæ sunt tibi; propter devotionem quam habes ornandi tam ciopiosè auro, & pretiosis lapidibus Sanctorum Reliquias, & eas donandi ad multas & diversas Ecclesias cum vestimentis, & ornamantis pretiosissimis, magnique valoris. Quid fundationes & dotationes tuas variis in locis factas memorabimus ad divinum augmentandum Servitium, tum in bona civitate sua Bituricensi excellentiùs, quàm aliis in locis. Et præsertim videmus in solemnissima Ecclesia nostræ Dominæ Parisiensi te caput sancti Philippi dedisse, adeò pretiosè undequaque contextum, ut me lateat ubinam gentium simile posset reperiri. Et intereà paulò antè aliud Reliquiarum dedisti receptaculum dignissimum, & pretiosissimum, in quo multæ continentur Reliquiæ.

Conspiciuntur oculis in illa Ecclesia pulchra organa, quæ ex tuo sunt dono. Conspiciuntur cappæ, casulæ, dalmaticæ, & tales Ecclesiæ habitus, ferè omnes aureo filo formati. Conspicitur maxima pars veræ Crucis pretiosissimè circumsepta. Conspicitur osculum quoddam pacis aureum, & alia talia ornamenta plurima, quæ omnia tua donavit liberalitas. Ad cognoscendam autem religiosam tuam magnificentiam, humiles tui Capellani, & Oratores, Decanus & Canonici Ecclesiæ illius Parisiensis, instituerunt perpetuò, anno quolibet, quatuor solemnia Servitia, in quatuor temporibus.

Cùm ergò sic sit, ô Nobilissime, & Christianissime Princeps, secundùm quod in illis locis declaravi, ut commemoratio, & memoria Matrimonii sancti, & sacrati Dominæ nostræ, & Joseph convenientissimè fieri possit Die Jovis quatuor temporum antè Nativitatem Domini, cantando Evangelium hoc *Exurgens autem Joseph a somno*, &c. Matt. 1. 24. Aut die Mercurii valdè solemniter Evangelium illud: *Missus est Angelus*, &c. Luc. 1. 26. In memoriam mihi venit (sic Deus voluit, ut religiosè credo) hanc rem devotæ tuæ magnificentiæ denunciare, ut sublime considerares mysterium supradictum, quod fuit de virginali conjugio sancti Joseph, & Dominæ nostræ. Et quòd Servitium tibi illo die fieri concessum in Ecclesia ejus Parisiensi, in qua annulli sunt conjugii Dominæ nostræ, & ejus cinctura, fieret solenniter in dignam commemorationem sancti Matrimonii justi Joseph, & Dominæ nostræ, secundùm modum cujusdam Servitii, quod modò compositum est: quod fieri posset non impediendo Servitium principale Ecclesiæ sine vana superstitione, & fatua præsumptione.

Significo igitur tibi fiducialiter, Nobilissime & devote Princeps, secundùm exiguum sensum meum te hortando per magnam illam gratiam quam Deus tibi contulit post regenerationem, & sanctum Baptismatis fontem, usque in hodiernum diem, humilissimè supplicando, qui adeò abundantissima dona acceperis naturæ & fortunæ, alia quoque bona tum corporalia, tum spiritualia, & in primis in mutatione talium, & tam grandium adversitatum, in talem exaltationem, & prosperitatem, in qua, Dei gratia, modò es constitutus.

Te etiam adhortor per Virginem illam Matrem, puellam Dominam nostram, quam sæpenumerò, ut fama est, in tuis invocasti necessitatibus, periculis, & infirmitatibus, non certè frustrà, nec ejus non percipiendo auxilium, & juvamen. Ecquid mirum? Ipsa enim ea est, ut verum fateatur, quæ nunquàm humanæ defuit creaturæ, ipsam bono corde implorandi.

Præterea te hortor per dulcem illum & benignum puerum Jesum, qui in hoc sacrato Matrimonio Dominæ nostræ, & sancti Joseph nasci voluit, & nutriri, & per ipsum justum, & sanctum Joseph, nobilissimumque sancti Joannis Baptistæ consanguineum. Qui quidem Joannes valdeà à te colitur. Per Joseph, inquam, qui virgo fuit, sponsus, & custos fidissimus virginum Virginis, & gubernator præfati pueri Jesu, quem sæpiùs hincindè deferebat, sæpiùs osculabatur, & tractabat, sæpiùs familiariùs quàm quicumque alius homo. Et sic te juvent & succurrant in omnibus necessitatibus tuis, & in extremo negotio Judicii tui; sæpiùs invocata, ac petita Regina misericordiæ, Mater gratiæ, Advocata peccatorum, atque honoratissimus, & amantissimus sponsus suus Joseph ergà benignissimum Jesum Salvatorem nostrum, & Judicem, qui dignabatur eorum appellari filius, eisque subjici, & illis servire.

Velis, nobilissime & devote Princeps, velis rei huic tibi quidem facillimæ superintendere religiosè; hoc enim magni meriti ergà Deum erit, magni honoris sanctæ Ecclesiæ, magnæ devotionis, & pulchri exempli omnibus devotis personis, & gloriosæ memoriæ, ac famæ tuæ magnificentiæ. Gratius ferè sepulchrum, ut mihi videtur, aut Obitum magis placentem Deo facere non posses, aut fundare. Sume igitur Domine, & concilia tibi tandem, hoc faciens, peculiarem tuum protectorem, amicum bonum, intercessorem potentem sanctum Joseph ergà Dominam nostram, & Filium suum Jesum, ut pervenias de mortali hac & brevi peregrinatione ad perennis gloriæ civitatem. Amen.

Scriptum Anno gratiæ 1413. die Sancti Clementis Papæ, cui successit magnus tuus, & bonus amicus sanctæ memoriæ Papa Clemens VII, qui ut digna fide & revelatione cognovi, in veneratione singulari habebat sanctum Joseph, sicut etiam nostri temporis multi magnæ scientiæ, & probitatis habent, & habuerunt, quemadmodùm Cardinalis Cameracensis Præceptor meus, & bonæ memoriæ Frater Petrus Burgundio Cœlestinus: cui, ut dicere solitus erat, singularis erat patronus, & refugium, cujus sæpiùs expertus fuerat auxilium in suis, & aliorum necessitatibus, tanquàm per miraculum. Et postremò Magister Henricus Chicquot, plurimùm famatus, & antiquus in Universitate Parisiensi Clericus, Theologiæ Doctor, paulò antè in obitu suo, & suprema voluntate redditus, misit in Ecclesia Carnotensi, ut lo-

co obitus sui dicta fiat commemoratio sancti Joseph in tali, ut dicebam, die. Eo enim vivente sæpiùs fueramus locuti, & omnes hi super hac re scripserunt, scripta quidem plena scientiæ & devotionis.

Humilis tuus Capellanus & Orator Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis indignus.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis.
EPISTOLA
AD QUEMDAM
ut celebretur
FESTUM SANCTI JOSEPH
Virginis conjugis, sanctæ Dei Genetricis & Virginis Mariæ.

Et proponit tres vias.

Ad MSS. Codd. Vict. 828. *Colbert.* 99. *& Navarr. unum.*

REVERENDO Patri Domino, ac Magistro præclarissimo, Domino D. Parvi, Cantori Carnotensi, & Theologiæ eximio Professori: Gratia vobis, & pax Reverende, ac præclare Pater Doctor, & Domine.

Meminit (ut opinor) vestra devotio quemadmodùm piæ & claræ recordationis Magister Henricus Chiquoti Concanonicus olim, & Compatriarcha vester, motus affectu speciali ad virginale conjugium Joseph cum Maria, postquam in vita sua scripserat disertè, & sapienter in uno volumine super hac materia: postquàm insuper mecum benignè contulerat, tandem in ultima quâ obiit ægritudine sanus mente voluit in Testamento suo, loco Obitus sui, sicut moris est in Ecclesia celeberrima, & antiquissima vestra Carnotensi, ubi Canonicus erat, & domum habebat, quòd aliqua solemnis commemoratio de prædicto Joseph fieret, sciens quòd laus ejus laus Mariæ est. Volens præterea Patronum habere tam potentem, Virginem eamdem, ac Jesum Filium suum benedictum, suadente Job qui ait: *Ad aliquem Sanctorum convertere.* Job. v. 1. Felix planè, & efficax pro sui obitus commemoratione deprecatio, si gloriosus Joseph pro impenso sibi honore devoto preces pro defuncto refuderit. Valet enim mortuis (novit hoc sapientissima Paternitas vestra) Servitium, nedum pro mortuis ordinatum, sed aliud quodlibet Ecclesiasticum obsequium, dum adest, & fertur ad hoc intentio Ministrorum.

Addidit præfatus Magister Henricus assignationes aliquas redituum, & inter ceteros vos dilectissimum suum, & fidelissimum executorem nominavit. Tandem sentiens fortè quòd præventus morte non posset commodè novitatem hanc Servitii (prout obtabat) ordinare, dignatus est opus hoc ad exiguitatis meæ qualemcumque dispositionem remittere. Noverat enim me jam nonnulla super hoc edidisse. Recogitavi postmodùm, mecumque revolvi talis amici piissimi devotionem ad beatum Joseph: talem insuper de parvitate mea confidentiam. Hoc quidem de jure poterat, qui longè me senior in studio, tam artium quàm Theologiæ, sub me qui eum licentiaveram, voluit incipere. Et quia nunc in hoc sacro Constantiensi Consilio fuit assignatus Sermo mihi pro Nativitate beatæ Virginis, memor aliquo modo præcedentium assumpsi thema tale, quod laudibus Mariæ simul & Joseph esset accommodum. *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.* Matt. 1. 16. Hunc Sermonem mittere disposui (quamprimùm dabitur opportunitas) ad vos, & alios Canonicos vestros, Dominos meos Reverendos, cum aliis quibusdam scriptis conferentibus ad hanc materiam.

Occurrunt tamen quædam interim notificanda summatim; nescius enim sum, quid futura pariet dies, & ne valeat omninò indiligentia mea culpari. Voluntas utique pii Testatoris præfati potest exequi altero trium modorum. Unus modus est super quo A jam Epistolam scripsi, & Servitium qualecumque composui, quòd die Jovis in Adventu, quando celebrantur jejunia quatuor temporum, quando prætereà die Mercurii præcedente legi celebriter solet in Matutinis, & Missa hoc Evangelium: *Missus est Gabriel Angelus,* &c. Luc. 1. 26. fieret similiter decantatio solemnis in matutinis, & Missa prædictæ diei Jovis de hoc Evangelio: *Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præceperat ei Angelus, & accepit Mariam conjugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jesum.* Matth. 1. 24. 25. Fierent insuper tres lectiones in Matutinis de hoc Evangelio, cum expositione, & cum responsoriis tribus ad hoc appropriatis.

Placebat modus iste: primò, quia facilis, nec turbativus in aliquo, vel impeditivus ordinarii Servitii de Adventu, non magis saltem quàm solemnizatio B Evangelii istius: *Missus est Angelus.* &c. Luc. 1. 26. Deindè redditus assignati fortè tenues essent pro Dominis Canonicis, ac Ministris, si fieret onerosior in Ecclesia constitutio. Denique Evangelia hæc ordine convenientissimo se consequuntur duo quæ dicta sunt, & tertium de die Veneris. *Exurgens autem Maria abiit in montana cum festinatione.* Luc. 1. 39.

Alter modus est, quòd de transitu sancti Joseph fieret Festum celebre, quemadmodùm de altero Sanctorum, & sicut fit in partibus ultramarinis. Quale Servitium penes me est tanquàm de uno Confessore, addita proprietate lectionum, & hymnorum. Et assignatur celebritas hæc regulariter die octavarum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, nisi fortè occurrerit tunc Dominica Septuagesimæ, aut Sexagesimæ, quia tunc fit anticipatio. Alter modus est conformis isti, nisi quòd officium totum sit proprium; & in altera die hoc fit apud Mediolanenses Fratres C Augustinenses 19. Martii. Fit & in multis partibus Alemaniæ; sed nescio si sint omninò similes dies, & conforme Servitium.

Animadvertat tandem circunspectissima prudentia, & religiosa mens vestra, quid super præmissis erit acceptius, vigilanterque det operam, ut devotissima dilecti vestri Testatoris voluntas non frustretur, quæ Ecclesiæ vestræ sacratissimæ ad honorem, vobis autem omnibus Reverendis Patribus, Dominis ac Fratribus in Christo dilectissimis, obsequentibus eidem Ecclesiæ cedet ad virtutem, laudem, & meritum; intercedente pro vobis hac venerandissima, & divinissima Trinitate Jesu, Joseph, & Mariæ. In qua benè valete. Scriptum Constantiæ 7. Septembris profesto Nativitatis beatæ Mariæ. Anno 1416. Vester ab adolescentia discipulus Joannes Cancellarius Parisiensis.

D
ALIA EPISTOLA
EJUSDEM CANCELLARII
DE EODEM.

Ad eosd. Codd. MSS. Gallicè in MS. Vict. 138. *& Colbert.* 99.

ECCLESIIS universis, præsertim dedicatis in memoriam beatissimæ, & gloriosæ semper Virginis Mariæ. Unus ex zelatoribus suis indignus, volens

lens diem in honorem Virginis ejusdem, atque justi Joseph sponsi sui, testis ac custodis sui celebriter venerari. *Pertransibunt plurimi* (juxtà verbum Danielis.XII. 4.) *& multiplex erit scientia*. Placuit itaque divinæ sapientiæ (quæ *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* Sap. VIII. 1.) inclinare novissimis temporibus istis corda multorum, ut justi Joseph, & Mariæ virginale (sicut Hieronymus appellat) conjugium esse venerandum solemni cultu Ecclesiæ doceret, atque promoveret sua devotio. Movit eos (sicut arbitror) Evangelicus sermo prædicans excellenter, & crebrò prærogativas quibus enituit ipse justus Joseph. Movit honor & amor beatissimæ conjugis suæ, quæ eum Dominum vocabat, sicut de Sara quoad Abraham dicit Apostolus. Movit humanitas atque benignitas Salvatoris nostri Jesu, qui *subditus erat illis*. Luc. II. 51. Movit rursùs operatio miraculorum, quæ ad invocationem ipsius justi Joseph deputant in seipsis, & in aliis contigisse. Movit denique multiplex ædificatio morum, quos ex hujus sacratissimi conjugii religiosa meditatione mens devota suscipit, & in ignem copiosum castæ devotionis exardescit.

Nemo proptereà deputet arrogantiæ, nemo curiositati, nemo superstitioni, quibus viis placent vel nova, vel insolita, vel apocripha; si beatissimum justi Joseph cum Maria sibi priùs desponsata conjugium per Ecclesias recolendum, cum hymnis, & canticis, prædicemus, & ita prædicemus, non ut apud vulgares inconditosque tumultus prophano quodam ritu divulgetur dignissimum nuptialis hujus, atque virginalis conjugii Epithalamium; sicut nec apud Hebræos passim legebantur Cantica Canticorum. Satis esse videtur, apud Ecclesiastos graves, si in locis Deo dedicatis, si in canticis suavesonantis Ecclesiæ absque notabili mutatione veteris Officii celebritas memori cultu fiat. Et quidem Officium Missæ jam ordinatum habemus non ex apocriphis, vel dubiis, sed ex sacræ Scripturæ verbis. Porrò celebrationis annuæ, & matutinalis tempus appareret idoneum, Feria quinta quatuor temporum in Adventu, quando feria quarta præcedente solenniter hoc Evangelium: *Missus est Angelus Gabriel.* &c. Luc. 1. 26. decantatur.

Probabile quidem est, sine præjudicio sententiæ verioris, & absque assertionis temeritate, quòd solemnizatio conjugii Joseph cum Maria, facta fuerit proxima satis post Annunciationem Angelicam, quando Mariam docuit Angelus, dicens: *Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua;* Luc. 1. 36. indè enim desiderium visitandi Elizabeth, sibique ministrandi, subortum putatur. Maria verò jam non solùm desponsata erat ipsi Joseph per verba de futuro, sed de præsenti, ac recepta ad familiarem convictum in propria domo sponsi, more observationis Judæorum.

Videamus ergò si peregrinationi satis longæ se dedisset talis virguncula illicentiata à sponso suo. Videamus si discessit non communicato sibi priùs tanto divino Incarnationis mysterio, quoniam sicut dixit Raphael ad Tobiam: *Opera Dei revelare, & confiteri honorificum est.* Tob. XII. 7. Joseph quippè cur Mariam voluit *occultè dimittere*, & non *traducere eam*, *cùm esset vir justus*, nisi quia propalatum sibi fuit hoc Incarnationis grande miraculum. Dicit nempe Evangelista, quòd *antequam convenirent*, intellige ritu celebri nuptiarum, *inventa est*, scilicet Maria *habens in utero de Spiritu sancto.* Matth. 1. 18. Cognovit hoc igitur ipse Joseph quòd erat gravida, & quòd erat de Spiritu sancto.

Sed cur non Maria referente hoc cognovit? Nulla videtur obstare ratio, si redeat in memoriam quanto devotionis ausu Cecilia virgo Velerianum allocuta est sponsum suum: nota est narratio. Proptereà post hujusmodi revelationem Joseph stupore quodam & horrore subitò concussus, & in semet deliberans propriæ indignitatis aspectum, voluit Mariam dimittere, simile aliquid in se sentiens cum Petro, & dicens: *Exi à me, Domina, quia peccator & indignus sum* Aut cum Centurione: *Domina, non sum dignus ut inhabites mecum.* Aut cum Elizabeth: *Unde hoc mihi ut sit Mater Domini Dei mecum?* Sic Moyses videns rubum ardentem, non audebat propiùs accedere. Oza quoque punitus est, quòd Arcam sustentare præsumpsit; & bestia tangens montem lapidibus obruebatur. Sic denique Joannes Baptista non audebat tangere sanctum Dei verticem. Hoc modo sensit Chrysostomus de timore Joseph. Aut dicamus quòd forsitan permisit hanc fluctuationem Spiritus sanctus ad tempus concutere pectus Joseph, quatenùs à posteris hæc trepidatio vulnus dubietatis amputaret, quemadmodùm de Thoma Didimo dicit Gregorius.

Joseph itaque, dum de Mariæ virginitate simul, & fœcunditate fuit Angelico oraculo solidatus, testis ipse nobis absque ullo exceptionis scrupulo recipiendus effectus. Nam *cùm esset vir justus*, utique repudiasset eam, sicut dicit Evangelista quòd nolebat *eam traducere*; sed occultè dimittere, si violatam invenisset. Fuit nempe justissimo dolore permotus. Aut hæc postremò dubitatio fuit non in ratione superiori, quæ de Mariæ virginitate non dubitabat, ex cognitione conversationis ejus sanctissimæ; sed fuit quædam trepidatio, vel concussio in sensualitate, consurgens ex insolita re tanti miraculi, quemadmorùm dicit Augustinus, Mariam in passione Filii ex horore tanti facinoris dubitasse.

Ampliùs verò, si jam utero tumescente, juxtà id quod Origenis verba sonant, Joseph accepisset uxorem suam planè solemniter more gentis suæ, immò omnium penè nationum consuetudine, & juris sanctione; consideremus quale spectaculum de uxoris adolescentulæ pudicitia ipse nesciis hujus mysterii Judæis & parentibus præbuisset; sed neque celasset conceptum virginalem diabolo, nec teneram conjugis famam inviolatam, nec sui honoris integritatem servasse visus esset. Quamobrem existimari non incongruè potest, quòd Joseph parabat jam accipere Mariam in conjugem solemniter, quando missus est Angelus ad eam: quo temporis articulo Maria petens licentiam à Joseph ut visitaret cognatam, simul prodidit mysterium. Quo audito stupuit Joseph modis dictis, & ascendit multus cogitationum fluctus in caput ejus. *Hæc autem eo cogitante, ecce apparuit ei Angelus in somnis*, jubens, ut non timeret, *accipere Mariam conjugem* suam, *quod enim*, inquit, *in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Matt. 1. 20. Et *exurgens Joseph à somno fecit* protinùs, *sicut præcepit Angelus*, & *accepit conjugem suam* ℣. 24. more celebri, prout anteà præparasse credi potest. Deindè consummata solemnitate nuptiarum, factum est ex licentia Joseph, sicut dicit Lucas, quòd *exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Luc. 1. 39.

Colligimus ex his rationabilitatem collationis hujus Evangelii secundùm Matthæum: *Exurgens autem Joseph à somno* &c. Matth. 1. 24. confestim post hoc Evangelium. *Missus est* &c. Luc. 1. 26. Et proximè illud secundùm Lucam, quod feria quinta præmissorum quatuor temporum legitur in Adventu: *Exurgens autem Maria abiit in montana.* Luc. 1. 39.

Sit denique liberum cuilibet super hac re, vel simili, non decisa per Ecclesiam, quæ neque autoritate, neque ratione certis fulcita est sentire (salva pietate Fidei) quod voluerit. Nos absque ullo controversiæ, vel reprehensionis dubio, monemus, suademus, affirmamus; obtestamur insuper toto religiosæ pietatis affectu, quatenùs virginale justi Joseph cum beata Maria conjugium solemni veneretur Officio, non expectata etiam, nisi voluerimus cujuscunque alterius, quam Evangelicæ narrationis, & autoritatis licentia.

Offerimus prætereà sine præjudicio sonantioris elegantioris Scripturæ unam Officii formam, spe-

cie.

ciatur in Missa, cum expositione hujus Evangelii. *Exurgens autem Joseph à somnò.* &c. Matt. I. 24. Ceterùm qui voluerit, vel suscipiat, vel corrigat, vel commendabilius aliquid (nec invidebimus) efficiat.

Commonitos autem super hoc uno singulos velim, quatenus dignissimum hoc conjugium ita venerari studeant, quod apud irreligiosos, improbos, & impuros homines nihil oriatur scandalosæ, vel turpis, vel blasphemæ suspicionis in Joseph, & Mariam, quasi videlicet non potuerit familiarissimus ille conjugalisque convictus tempore tanto perseverare cum omni castimonia mentis, & corporis præsertim: cùm præmiserimus ex Isaia, quòd Joseph erat juvenis habitans cum Virgine. Neque enim senex & debilitatus existens fuisset idoneus qui Virginem aleret suo labore; quique in illa peregrinatione Ægyptiaca deduceret; similiter nec celasset ita partum diabolo, nec à populo Judaïco Pater Jesu facilè putatus fuisset.

At verò scutum triplicis veritatis circumdat nos, & protegit ab hac sagitta suspicionis volante in die. Est autem prima veritas: Maria Virgo, quæ *antequam convenirent inventa est in utero habens de spiritu sancto*, mundam servavit animam suam ab omni concupiscentia, immò *virtus Altissimi* sic eidem *obumbravit*, quòd in ea peccati fomes extinctus est. Ex qua veritate concluditur, quòd ex viri convictu, vel associatione, nulla eam carnis titillatio, nullus pruritus præveniens rationem, vel inobediens sibi vexabat eam.

Addunt Doctores, præsertim Bonaventura, dicens, hoc se habuisse à Judæorum fideli relatione, quòd nullus ex aspectu gloriosæ Virginis (quamvis esset pulchra nimis) urebatur ad concupiscentiam, sed eam potiùs extinguebat frigidus ille ros virgineus emanans à sua mente castissima, quemadmodùm ex adverso de peccatoribus verum est illud Horatianum:

Et vultus nimium lubricus aspici.

Conformiter ad illud Petri: *Oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti.* 2 Pet. II. 14. Quod qualiter verum esse possit, declaratione prolixiori, vel sermone opus esset.

Subsequitur altera veritas, quæ talis est. Justus Joseph ex convictu & cohabitatione familiari Mariæ movebatur, non ad libidinem, sed ad castitatem. Quemadmodùm figuraliter introduci potest illud de Sunamite, quæ erat puella pulchra nimis, & dormiebat in sinu David, qui tamen non cognovit eam, quia nec in ejus concupiscentiam quomodolibet exarsit.

Subjungitur tertia veritas, quæ ex principiis nostræ Fidei concluditur argumentatione probabili. Justus Joseph juvenis existens, hoc est, sub quinquagenario annorum numero Mariam accepit conjugem, cum qua licet familiarissimè (sicut vir cum uxore, seclusa carnali copula) fuerit conversatus; ipse nihilominus virgo permansit, & pari cum Maria virginitatis voto se constrinxit. Sentit hoc Hieronymus *Epistola contra Helvidium.* Cujus dicti rationem ipse, ac posteriores multi talem tradunt: Joseph itaque priusquam jungeretur cum Virgine Maria corruptus, vel uxoratus non fuerat. Et hoc maximè concludimus, quòd Dominus Matri suæ jam provectæ, neminem voluit dare custodem, nisi virginem; quantò magis id existimandum est fuisse conservatum in adolescentia. Similiter Filius, sicut non voluit nasci, ità nec nutriri, nisi in puritate virginali. Porrò si ab uxore post immediatum tempus nuptiarum continuit semetipsum sicut Evangelistæ Matthæi testimonium habet quòd *non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum*, & hoc propter reverentiam tanti Sacramenti, tantique mysterii; hinc apertissimè datur intelligi, quòd nec post partum cognoverit eam, quoniam urgentior erat tunc ratio quàm prius, ut ab ejus se cognitione temperaret.

Addamus confidenter, quòd sic æterna Dei sapientia prævidens totum Incarnationis mysterium præordinavit justum Joseph fore custodem, & testem Matris suæ, fore præterea nutricium suum continuum; sic dedit ad hanc custodiam & nutritionem omne A illud quod erat accommodum, decens, & honestum. Hinc probabile est quòd ipsum Joseph consecraverit in utero Matris; quòd eum ab omni formitis illecebrosi refrigeravit concupiscentia; quòd denique morientem eum, sicut Lex Adam urgebat, personaliter visitaverit, ipsumque consolatus sit, perducens animam suam in requiem justorum, quousque resurgens diceret animæ suæ: *Hodiè mecum eris in paradiso.* Luc. XXIII. 43. Dixit hoc fortè ipse in anima & corpore conresurgenti, quemadmodùm multa corpora quæ dormierant, eo moriente, surrexerunt. Apparuit denique fortassis dulcissimæ uxori suæ Mariæ ipso Resurrectionis die, dicente filio ad eam.

Salve sancta parens.

Dicente quoque ipso Joseph;

B *Salve charissima conjunx.*

Sed hos interim, similesque præconiorum particulariorum titulos omittimus eliciendos à sapientoribus, & devotis mentibus, optantes benè valere omnes. Scriptum Parisiis Anno Domini 1413. 17. Augusti.

SEQUUNTUR QUÆDAM

Quæ opportunè dicerentur in

FESTO S. JOSEPH,

A GERSONE EDITA.

C Ad laudem virginalis conjugii justi Joseph, & Mariæ: sequitur Evangelium pro Matutinis diei Jovis quatuor temporum in Adventu.

Ad MS. Codd. Vict. 138. *Colbert* 99. *& Navar. unum.*

LECTIO

SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHÆUM.

In illo tempore. Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum. D Matt. I. 24. 25.

HOMILIA LECTIONIS EJUSDEM.

CONSECRATUM justi Joseph & Mariæ semper Virginis conjugium, castissima, devotissimaque veneratione recolendum, Fratres dilectissimi, Matthæo referente, & Angelo præcipiente, & Joseph obediente celebratum cognovimus. Miretur hinc om-

omne seculum, gaudeat omnis ætas, omnisque status, & sexus exultet. Itaque si Matrimonium quodlibet ritè factum, etiam inter peccatores, & in concupiscentia junctos, *magnum* esse *Sacramentum* tradit Apostolus: *in Christo & in Ecclesia.* Ephes. v. 32. Quale, quantumque judicandum est hoc Matrimonium, ubi virginitas nupsit; ubi nubentes neque violationem, neque concupiscentiam habuerunt ullam; ubi præterea perseveravit integerrima, & inseparabilis fides; ubi rursus proles non altera fuit quàm ipse Jesus, qui est Deus benedictus in secula? Quo præconio quid aliud majus potest excogitari? Præcinuit olim Evangelicus Isaïas super hac congregatione justorum, dicens: *Habitabit enim juvenis cum virgine*, Isaïæ LXII. 5. id est Joseph cum Maria, prout authentici Doctores exponunt. Et iterùm: *gaudebit sponsus super sponsam.* Porrò de laudibus & prærogativis personarum nubentium, quæ sunt justus Joseph, & Maria, nulla vis dicendi satis disserere, nulla eas lingua nedum hominum, sed nec Angelornm sufficeret exprimere. Tu autem &c.

SECUNDA LECTIO.

PENSET igitur vestra devotio quemadmodùm celebri ritu fœdera nova nuptiarum peraguntur apud omnes ferè populos. Evocati veniunt amici, cultioribus ornantur habitibus, indulgent lautioribus epulis, lætitiam denique quibus possunt modis ostendunt. Nam & musica concrepant instrumenta, vox canora resonat, & ad numeros libero pede terra pulsatur: sic enim legimus Assuerum convivium fecisse magnificum pro conjunctione & nuptiis Esther. Sic in nuptiis Tobiæ junioris & Saræ, sic in aliis de veteri Testamento solemnizata conjugia reperimus. Hinc est illud epithalamium spirituale quod Cantica Canticorum nominamus. Demùm tendit ad hoc Evangelica parabola, damnans hominem qui sine veste nuptiali nuptias intraverat. Tu autem, &c.

TERTIA LECTIO.

HÆc idcircò præmissa sint, ut honorandum, celebrandumque justi Joseph & Mariæ virginale conjugium monstraremus. Accepit itaque Joseph Mariam conjugem suam, sicut præsens Evangelium loquitur. Sed qualiter accepit? Nunquid clandestinè? Nunquid in abscondito? Nunquid absque solemnitate nuptiarum? Absit ut prætergressus fuerit consuetudinem gentis suæ. Absit ut erubuerit palam id agere quod Angelo jubente post primam desponsationem faciebat. Convocavit igitur parentes, amicos, & affines cum apparatu convivii. Nec obstitit paupertas frugalis, nec severitas sanctæ vitæ prohibuit quin morem suæ gentis sequeretur. Hoc autem judicabit quisquis attenderit qualiter ipsa Mater Jesu jam grandævior, atque senior legitur ornasse sua præsentia nuptias alienas in Cana Galilææ. Sic enim scribit Joannes custos suus, quòd *erat ibi Mater Jesu.* Joan II. 1. Ad quas insuper *vocatus est ipse Jesus cum Discipulis suis*, ℣. 2. & eas primo suæ dignationis miraculo consecravit, dum ad insinuationem piæ Matris convertit aquam in vinum, lætificavitque convivas. Et nos, Fratres charissimi, memoriam talis mysterii, tantique Sacramenti pia, sobriaque jocunditate colamus quod Evangelista Matthæus explicat dicens: *Exurgens autem Joseph a somno.* &c. Matth. I. 24. Pulchrè dicitur Joseph exurgere. Joseph quippe sua interpretatione dicitur *augmentum* vel *appositio*: talis ille erat qui quotidiano profectui semper adjiciens, *ascensiones in corde suo disposuit.* Ps. LXXXIII. 6. exurgens, & vadens *de virtute in virtutem*, *donec* videatur *Deus deorum in Sion*: Rectè præterea sicut de Maria Virgine desponsata Joseph dicit Lucas I. 39. quòd post revelatum Incarnationis mysterium, *exurgens abiit in montana*; sic de viro suo Joseph, dum per Angelicam inspirationem ipsum cognovit Sacramentum, protulit Matthæus dicens: *Exurgens autem Joseph a somno*, &c. Matt. I. 24. Exurrexit uterque; sed de Maria non dicitur quòd à sommo, fortè tamen, quòd & à somno exurrexit. Habet nempe spiritus rationalis somnum suum, qualem sibiipsi Propheta Regius pollicebatur dicens: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* Psal. IV. 9. Qualem similiter habuit in Canticis anima devota: *Ego* inquit, *dormio, & cor meum vigilat.* Cant. V. 2. Dormit siquidem homo & feliciter dormit quando sopitis, & quodam modo ligatis potentiis inferioribus cognitivis, & affectivis, ipse spiritus in solo æternitatis desiderio positus conquiescit. Illic habitat in monte sancto Domini, protectus in abscondito tabernaculi admirabilis, in divina caligine, in requie opulenta, in thalamo sponsi sui, zelantis, & dicentis: *Adjuro vos, filia Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cant. VIII. 4. Illic somniat mirabilia de Lege Dei. Illic incerta & occulta sapientiæ Dei sibi fiunt manifesta. Sit nobis in exemplum nedum Paulus, nedum Maria, sed justus iste Joseph cui in somno revelatum est Incarnationis superadmirabile mysterium. *Joseph* (inquit Angelus) *Fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Matth. I. 20. 21. In hoc itaque somno, & in aliis postmodùm, Joseph accepit spiritum Prophetiæ pro omni differentia temporis, præteriti, præsentis, & futuri. Cognovit Mariam à Spiritu sancto fecundatam, quoad præteritum. Cognovit esse Deum puerum, qui habebatur præsentialiter in utero; sciens ex Sacris Scripturis quoniam non nisi Deus peccata dimittit. Est igitur ille Deus de quo dicitur hìc: *vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* & hæc utique simul est Prophetia futurorum. Ampliùs, exurrexit Maria, sed ad quid exurrexit? Certè quatenùs per studium actionis ministraret Elizabeth antiquæ mulieri, & novæ Matri cognatæ suæ: ubi sollicita, ubi turbata fuit erga plurima, sed non conturbata; quia redibat assiduè in idipsum, in hoc unum scilicet quod est necessarium. Taliter exurrexisse Joseph putandus est, dum fecit sicut præcepit ei Angelus. *Et accepit conjugem suam*: Matth. I. 24. intelligamus cum celebri ritu, & apparatu nuptiarum, ubi similiter ad Mariam sollicitus fuit, & vigilans per actionem.

Accepit Mariam adolescentulam priùs ipse Joseph in sponsam suam in Templo Jerosolymis, ubi dedicata Deo cum ceteris virginibus morabatur. Hanc proindè noverat Joseph ex familiari visitatione, dùm singulis annis veniebat in Templum Domini Jerusalem. Erat enim Maria sanguine proxima sibi, quoniam Anna Mater sua post virum Joachim duxerat Cleophæ fratrem Joseph. Porrò Joseph post dies aliquot Mariam accepit, juxta morem gentis suæ, in familiarem convictum secum in Nazareth: ita enim fiebat ad probationem morum sponsæ. Illìc in Nazareth priusquàm convenirent Joseph & Maria (intellige solemni ritu nuptiarum, & ut ita dicamus, per verba de præsenti) nunciat ei Gabriel Angelus illa quæ tradit Lucas Evangelista. Et ità *priusquam convenirent* (dicente Matthæo) *inventa est Maria habens in utero de Spiritusancto.* ℣. 18. Et à quo, vel qualiter inventa est, præterquàm ab ipso Joseph sancto sponso suo; revelante sibi mysterium Incarnationis Maria sponsa? quemadmodùm Valeriano prodidit Angelicum mysterium Cecilia. Quibus auditis recogitavit plurima Joseph; stupore quodam attonitus tantæ novitatis.

Qualia eo cogitante, *apparuit in somnis Angelus Domini dicens ei: Joseph Fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritusancto est*, Matt. I. 20. Dehinc subditur paulò post Evangelii præsentis contextus: *Et exurgens Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini*. ℣. 24. Et quis Angelus? Probabile satis est, illum A fuisse Gabrielem, quem jam bis missum super hoc Incarnationis mysterio, tanquam specialiter ad hoc deputatum legimus; quoniam sicut ab eo nunciata est Christi conceptio, sic Joannis Præcursoris sui nativitatem ipse prædixit. Sequitur: *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*. ℣. 25. Fuerunt qui sumpta super his verbis occasione, contrà beatæ Mariæ virginitatem perpetuam, contra justi Joseph religiosissimam castitatem blasphemaverunt, inter quos fuit quidam Helvidius hæreticus, adversùs quem beatus Hieronymus copiosè, religiosèque conscripsit. Et quoniam error iste contumeliosus jam (volente Deo, & traditione Sanctorum) procul est ab omnium cordibus fidelium, nulla cogit necessitas ista modo curiosiùs in disputationem adducere. Nos autem conscii, participesque tanti sacramenti, levemus sursùm corda cum manibus ad Dominum. Postulemus ut illius æterni, felicisque conjugii per hoc virginale, temporaleque signati, valeamus esse participes, ubi *nec* B *nubent, neque nubentur* carnaliter, *sed erunt* spiritualiter *sicut Angeli Dei*, Matth. XXII. 30. soli Deo conjuncti, præstante eo quem vocavit Joseph Jesum, *qui est Deus benedictus in secula*. Amen.

Primum Responsorium: Missus est Angelus Gabriël ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuncians ei verbum, & expavescit virgo de lumine. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies. *Luc*. I. 31.

Secundum Responsorium: Dum esset desponsata Mater Jesu Joseph, antequàm convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. *Matth*. I. 18.

Versus. Joseph autem vir ejus cùm esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. ℣. 19. Antequàm &c. ℣. 18.

Tertium Responsorium: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. ℣. 20.

Versus. Exurgens autem Joseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam. ℣. 24. Quod &c.

C *Sequentia usque ad hæc verba* Officium Missæ, *adjecta sunt ex Cod. MS. Vict*. 138.

Alma Redemptoris Mater, cui lege superna
Vir justus, virgoque Joseph cum Virgine nupsit,
Da celebrem dignumque tuo persolvere cultum
Conjugio, fac nos ablutis sordibus omnes
Posse Deo jungi Fideique fœdere puras
Desponsans animas divino germine complet.

Responsorium. Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam Virginem conjugem tuam.

Versus. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. ℣. 20.

D *Oremus*. Unigenito tuo Deus, temporales absque carnali commercio parentes justum Joseph, & Mariam conjuges Virgines tribuisti, fac nos, quæsumus, eorum intercessione cœlestium participes nuptiarum per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Antiphona. Annulo suo subarravit me, & zona circumcinxit me, & Filium Dei virgineo lacte nutrivi.

Fecit mihi magna qui potens est.

Versus. Et sanctum nomen ejus.

Oremus. Sponse Virginum, benigne Jesu, qui beatam Matrem tuam Mariam Virginem à Virgine & justo Joseph annulo fidei conjugalis subarrari, & ab ea te pasci virgineo lacte dignatus es; fac animas nostras castitatis zona cingi, & cum bonorum operum prole ipsas tibi fideles sponsas exhiberi, & eas cœlico gratiæ tuæ lacte nutriri. Qui vivis &c.

OFFICIUM MISSÆ, &c.

INTROITUS. Gaudeamus omnes in Domino diem Festum celebrantes sub honore Joseph & Mariæ, de quorum conjugio gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Versus. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Ecclesia, & in Christo. Gloria &c. *a* Gloria in excelsis &c.

Collecta. Deus qui Unigenito tuo temporales absque carnali commercio parentes, justum Joseph & Mariam conjuges virgines tribuisti, fac nos, quæsumus, eorum intercessione cœlestium participes nuptiarum. Per eundem Dominum &c.

Epistola. Isaia LXII. Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes justum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit: & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultrà derelicta, & terra tua non vocabitur ultrà desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur, quia complacuit Domino habitare in te. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te Filii tui, & gaudebit sponsus super sponsam. & gaudebit super te Deus tuus. *b*

Graduale. Tu scis, Domine, quia nunquàm concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.

Versus. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere. *c*

Alleluja *sub melodia, sicut Dulce lignum*. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. *d*

Prosa.

a *In MS. Cod. Vict*. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Gloria &c.

In eodem MS. alius Introïtus. In conjugio Justorum, & congregatione, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus.

Versus. Beati immaculati in via, qui ambulant in Lege Domini. Gloria &c.

Alius item Introïtus. Salve sancta Parens, cui sacro fœdere nupsit Virgo Joseph, sine quo tu Virgo Deum peperisti.

Versus. Post partum Virgo inviolata permansisti. Dei genitrix intercede pro nobis. Gloria &c.

b *Alia Epistola*. Lectio Libri Sapientiæ. Sapientia vicit malitiam &c. *Usque ad hæc Verba*. In amicitia illius delectatio bona.

Alia Epistola. Lectio Libri Sapientiæ. Mulierem fortem quis inveniet &c. *usque ad hæc Verba*, & laudent eam in portis opera ejus.

c *Aliud Graduale*. Ascendit Joseph à Nazareth in Bethleem civitatem Judæ, eo quòd esset de domo David, ut profiteretur cum Maria uxore sua prægnante.

Versus. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies Mariæ ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum, & vocatum est nomen ejus Jesus.

d *Aliud Alleluia*. Missus est Gabriël Angelus à Deo in civitatem Galiææ cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria.

Aliud Alleluia. Fuit Dominus cum Joseph, qui erat vir in cunctis prosperè agens, habitavit que in domo Domini sui, & invenit gratiam coram eo, & ministrabat ei.

a ALIA

Prosa. Ad Joseph mittitur in somnis nuncius &c. *ponitur post finem sermonis. Jacob autem: sicut habetur prius in tertia parte operum Gersonis. Et canitur sub tali cantu, sub quali* hæc prosa: Mittit ad virginem non quemvis nuncium. *a*

A *Evangelium secundum Matthæum.* Exurgens autem Joseph à somnis, fecit sicut præcepit ei Angelus. Et accepit conjugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum.

Offertorium. Tulerunt puerum parentes Jesu in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, & offerrent par turturum, aut duos pullos columbarum.

Aliud Offertorium. Unusquisque uxorem suam diligat sicut seipsum, uxor autem timeat virum suum.

B *Oratio secreta.* Veneramur conjugium, Domine, illud virgineum, in quo natum credimus illum qui pro nobis circumcisus, & in Templo præsentatus, & in ara Crucis immolatus est Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui tecum vivit, & regnat Deus per omnia secula seculorum.

Præfatio. Et te in desponsatione Beatæ &c.

Communio. Erant Pater ejus & Mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Alia Communio. Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetis, invenimus Jesum Filium Joseph à Nazareth.

Alia Communio. Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te, & descendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat subditus illis.

Oratio post Communionem. Gratias agimus tibi, Domine, pro virginali conjugio justi Joseph, & Mariæ; postulantes, ut benedicti fructus in eo nati perpetua suavitate fruamur. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Extat in MSS. Codd. Colbertino, & Navarrico Legati Pontificis Mandatum de celebrando Festo Matrimonii S. Joseph.

a ALIA PROSA.

JUSTI Joseph, & Mariæ
Nostræ depromat hodie
Vox epithalamium
Vox jucunda, vox sonora,
Vox hæc, cui sit concanora
Alacritas mentium
Lucens Fides intellectum
Sincerus amor affectum
Levet ad cœlestia.
Nam evolat cum his alis
Homo noster spiritalis
Sæpè prægustans præmia.
Verè magnus dies iste
Loquens fœdus quod tempore
Signat, & Ecclesiam.
Fœdus sacrum nuptiale
Ubi decus virginale.
Prolis habet gratiam.
Jam non time, Joseph, aude
Castitatis salva laude
Conjungere vir virgini.
Sic juvenis habitabit
Cum virgine, consonabit
Hoc Prophetæ carmini.
Lucas virum te nominat,
Juventutem vir terminat
Annorum jubilæo.
Sic juvenis famulatum
Sponsæ debes, & ducatum
Natoque virgineo
Fili David, ne formides
Jungere te, cui jam fides
Donata est sponsalium.
Conjux tua sit Maria
Virgo, quam in Isaïa
Legis habere filium.
Ne discede, neque durum
Quidquam crede, vel impurum
De sponsa jam gravida.
Partum celas dum te Patre
Ortum credet, ut & Matre
Puerum gens invida.
Hic aderit bonum triplex
Cara proles, fides simplex,
Et sacra signatio.
Filiumque qui nascetur
Jesum voca, quòd curetur
Plebs à vitio.
Natum Templo represSentes
Audi laudem continentes
Annam cum aniculo.
In Ægyptum secede,
C Gesta Jesum, victum ede
Labore pauperculo.
Magnum hoc in Sacramentis
Sacramentum quod est mentis
Tropus Deo cohærentis
Deo fonti gaudii.
Sponsi corpus sponsæ datur
Et è contra sic firmatur
Quamvis ultrà nil sequatur
Lex vera conjugii.
Si provectæ Mater datur
Virgo custos, huic probatur
Qui junior copulatur
Seni Virgo virgini.
Ut sponseris dum moneris
Per parentes ne cuncteris,
Manens Virgo parens eris.
Da fidem hanc numini.
Nam nubere vero more
Non corrupto carnis flore
Potest, voti cum tenore
Dispar sexus hominum
Joseph, & Virgo beati
Ope vestra majestati
Conjungamur vestri nati
Qui sponsus est virginum.

D *Evangelium.* Cùm esset desponsata &c.

Aliud Evangelium. Exurgens autem Joseph à somnis fecit sicut præcepit ei Angelus, & accepit conjugem suam, & non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum, & vocavit nomen ejus Jesum.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

JOSEPHINA

CARMINE HEROÏCO

DECANTATA.

Ad Codd. MSS. Vict. 698. *Colbert.* 99. *& Navarr. unum.*

TITULUS BREVIS

CONTINENS

XII. Libros juxtà XII. Materias principales.

CLARE Joseph, Josephina tuo pro nominè carmen
Narrat, ut is Memphim, septem illic conficis annos,
Nazareth indè redis operans, ubi Virginis olim
Conceptum noras, & ea cum Virgine nubis,
Itque redit nupta, te per montana volente,
Das latriam infanti nato, nomen Jesus addis,
Suscipis hinc Reges, puerum post sedulus offers,
Invenis hinc Templo, tandem moriens requiescis.

PROOEMIUM.

FONTEM sueverunt veteres celebrare Poëtæ
Sacratum Musis Parnassi monte subortum
Quem pes fodit equi; sed habet sapientia montem
Nostra alium, fontem & musas quibus altera vox est:
Fons vitæ, Verbum Domini sublimibus exit
A cœlis jugi, puro, salubrique meatu.
Crystallo similis manans à sede superni
Montibus æternis, Musas nec curat agrestes.
Quæ mortale sonant, quæ noxia carmina texunt,
Quæ solas vanis demulcent corporis aures.
Nec dant arentem sedare sitim, sed adurunt
Potandum assiduè mellitis corda venenis.
Fons noster nitidus, sapidisque salutifer undis,
Quem superirradiat, ubi sol divinus apertis
Omnia, crede, notis mundi speculi vice monstrat.
Pura tamen lux hæc hebetans diverberat omnem
Visum mortalem, veluti sol materialis
Lucidior tuitus obscurat nycticoracis.
Multa videre tamen Fidei, mediante berillo,
Concessum nobis in ænigmate, voceque certa.
Mira loquar, facies speculanti quatuor offert
Fons hic ut specula quædam, sic Ezechielis
Visio dat vultus animalibus esse quaternos.
Quattuor ancillis facies Sapientia donat.
Sensus bis binos verbo nam monstrat in uno.
Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia,
Hæ penetrant aures mentis dulcore latenti
Tetralogo simul ac uno sermone loquentes
Principio fons hic perfudit mysticus Adam.
Post terris legitur fluviis fluxisse quaternis,
Irrigat & totum rivis felicibus orbem
Te torrente replet facundius, ô studiorum
Mater Parisius, paris expers, major Athenis,
Major & Ægypto prior est tua Philosophia
Pura, nec errorum cœno permixta nocenti,
A Sola cares monstris, nec habes portenta deorum
Quidam Theosophus ista nutritus in urbe,
Gratia cui nomen, cognomen & advena fecit,
Hunc juxtà fontem viridante in cespite ripæ
Fructifero vitæ sub ligno membra locavit
More suo, lenire viæ fastidia quærens,
Oreque cordis aquas fontis gustare beati
Dulce refrigerium contra tentaminis æstum.
Esse peregrinus signis erat agnitus aptis,
Cassidulum dextro fartum dependet ab armo
Ad latus oppositum, celsum caput orbicularis
Pileus obnubit soles quo pellat, & imbres.
A vultu infestos baculusque teres regit artus,
Ferrea cui cuspis, munitur sura coturno.
Scutum læva gerit, sapphyro, cœlove sereno
C Concolor, hîc auro septem radiare planetas
Inspiceres, medio cor pennatum velut ignis
Emicat, & rutilo *Thau* sibi signat in auro.
Ægide Theosophus hac hostica tela retundit,
Nec caret angelico duce, sed caro visibus obstat,
Sedulus hunc catulus ut Tobiam comitatur.
Vidi equidem Synodum Constantia dum generalem
Colligit Ecclesiæ fieret sibi pastor ut unus,
Vesper erat, gelidas protendens longiùs umbras:
Aduena labenti jocundo murmure rivo,
Lumina dum figit meditans, de fonte canora
Visa loqui sibi vox propriis accommoda votis.
Vita peregrinis quæ te premit exul in oris,
Vult libertatem patriæ te quærere cœlis,
Hoc Moyses, hoc ipse Levi, dum nomina Gerson
Dant primogenitis signant multis aliorum.
C Niteris exemplis, sed quod Deus accola terras
Venit in has fieri, nihil hoc hortamine majus
Terrigenam petere quod te cœlestia cogat.
Ergò Fides cum corde pio vult carmine dici,
Quomodò terrenæ voluit regionis ad ima
Deflecti, claudique Deus sub ventre Mariæ.
Quem natum Joseph in Memphim gestare peregrè
Jussus, ubi septem fugitivos conficit annos.
Inde relatus fit (mirum ô) sibi subditus ultrò,
Donec

Donec cum senio mors exoptata recepit.
Theosophus gaudet, dum vox symphonica talis
Insonat aure sua, tollit suetudo timorem.
Quamvis miranda vox est Phronesi, quià tetras
Est ancillarum, datur & sua cuique loquela,
Qua dinoscatur, velut in fidibus cytharœdi
Organicis sive modulis, seu carminis odis,
Commodat ipse pias dictis solertior aures
Sensibus ac imis, res est non parva, reponit,
Quatenùs aut referet audita sodalibus ore,
Inserat aut chartis. Supplex priùs inchoat orans:
Alme Joseph Patriarcha sacer, pro cujus honore
Nostra canit phronesia, tu Virgo, tu Jesus olim,
Uos tres una domus angustis incola terris,
Quos immensa locant modò cœlica regna felices,
Nostraque sit facite pietas accepta camenæ
Ancillans Fidei, nulli præjudica vero,
Multa probabiliter suadens, temeraria nusquàm.
Apta peregrinum cor sursùm attollere cœlis.
Hactenùs hæc subeat primum narratio, fugit,
Cur Joseph à patria, sponsa comitante Jesuque,
Exemplum primis magis id se sensibus offert.

DISTINCTIO PRIMA.

Membra Joseph somno recreans defessa labore,
Corde vigil jussa quæ nunciat Angelus, audit
Tristia, surge Joseph, fili David, accipe Matrem
Cum puero, fuge neu tardes, Ægiptia rura
Festinus pete, nam puerum trux quæret Herodes
Perdere. Proh pietas, laxat tremefactus, & horrens
Mox gravidos artus; humili stratu exilit, atque
Virgineum sponsæ thalamum mœstissimus intrat.
Fortè Maria Jesum, quem cunis somnus habebat,
Tunc vigili blandè cura devota fovebat.
Ut vidit sponsum, cui non mos nocte venire
Instantis præsaga mali, conclamitat, ô vir,
En quid id est, quid habes, quæ fert te sors, rogo, pande?
Eheu surge, cito puerum rape, quæritur infans
Perdi, crede mihi, per Reges, dirus Herodes
Se dolet illusum: propera, modò nuncius alto
Demissus cœlo jussit, nec fingo repentè
Sic fieri. Tibi tunc animi quid Virgo fuisse
Crediderim, nova tunc juvenisque puerpera pauper,
Simplex, sueta domi, Regionum nescia, tales
Te te dum voces urgent; sed fisa Deo mox
Complosis manibus, lachrymisque per ora volutis
Tristis, utrumque genu antè ipsa incunabula nati
Flectens te sternis, stupido fixoque parumper
Hæres intuitu, quem contemplata benignè
Plurima corde gemis, tandem prorumpis amaro
Suspirans animo. Quid amor meus, ô tener infans,
Ac uteri dilecte mei, quid tu, quid agemus?
Iste tuus custos, & ego qua parte feremus?
Quà te patebit iter, ubi sunt Gabriel tua dudùm
Nuncia dicta mihi, Dominus sedem David illi
Crede, dabit, Jacob ipse domo regnabit in æuum?
En it in exilium. Flendi charissima, non est
Hora modò, vir protulit anxius, effugiendum,
Parendumque Dei jussis, reducem (benè spera)
Promisit puerum, & faciet, quia dux, via, vita est.
Excitus his infans, oculisque serenus apertis
Jocundo visus risu cognoscere Matrem.
Tunc animum strinxit teneræ pietatis imago
Urgineum, gladius pertransiit intima cordis.
Mox ruit in faciem pueri: suavissime fili,
Acriùs exclamat singultans Mater, abire
Ac migrare statim, notos patriamque, laresque
Linquere cogimur, arrides, non nostra voluntas,
Sed Domini fiat, conjunx dilecta Joseph vir
Grandæuus replicat, lacta cunisque resolve
Infantem, pannis involvens, noster asellus
A me sternetur gerulus puerique, tuique.
Paret Mater, nec mora, nocte fugam capiunt clam,
Ostiolis post se clausis, nullasque salutes,
Nulla vale tota vicinia chara recepit.
Mirandum majus inter spectacula quale
Conspicies, anima, casus nunquid fuit alter
Asperior, summaque magis pietate stupendus.
Ergò compatere saltem pro cujus amore
Omne fit hoc, Deus est fugitivus, & advena pro te,
A Virgo tenella, Joseph gravis ævo, vixque bimestris
Infans, ignota peragrant ac dura viarum.
Sat procul exierant à Nazareth haud sine multo
Continuoque metu, neu quis sentiret euntes,
Sine pedum strepitu, seu flentis ad ubera Matris
Vagitu pueri, vel ab occursu vigilantum,
Aut asini ruditu, latratu ve canino.
Vertice monticuli faciem conversa retorsit
Virgo suam, simul ipse Joseph devotus, uterque
Substitit indè, domum, villam, templumque salutant.
Nuncia jam solis rutilans aurora decorum
Spirabat lumen, virgo doctissima Legis
Humano partim studio, partimque superno
Largiùs afflatu dedit has (fas credere) voces.
Magnifico te, summe parens, spes una salutis
Certa meæ, mihi magna potens, agnosco dedisti.
Grata fatebor enim, memori jugique repostum
Corde gerens, ancilla humilis parebo jubenti,
B Per medium quamvis umbræ mortis sit eundum,
Nulla timebo mala, quoniam mecum Deus es tu.
Tuque, puer divine Jesu, quem sanctus obumbrans
Spiritus ex me formavit te Sara, virumque,
Te Jacob, atque Joseph, Judith, Esther, teque Susannam
Salvavit Dominus, & Hebræos per mare duxit,
Per deserta trahens, cœli quibus esca parata.
Non attrita fuit vestis, quid! quod Danielem,
Et David eripuit rugientis ab ore leonis,
Quid? quod per corvos fugientem pavit Eliam,
Dux Raphaël Tobiæ, dux Michaël Synagogæ.
Quid moror exemplis Gabriel mihi dux, Deus illa
Quæ voluit fecit, omnis sibi possibilis res.
Nullus livor ei, sapiens tamen omnia summus
Disponit numero, mensura, pondere; non vult
Tentari, proprios sed agi motus rationis
Quos valet ut desunt præsto sibi ferre juvamen.
Hinc hominem fugimus, subitò cui tolle vitam
Omnipotens poteras, vis pauper & advena fiat
C Filius iste tuus mundo, qui regnat Olympo.
Fratribus ut similis solvet, moresque reformet,
Vis scutum cordis nobis præbere laborem,
Vis fieri memores aliam nos quærere vitam,
Esse peregrinos, debereque tristia lætis
Semper misceri, lachrymarum valle maligna.
Dux igitur, rectorque, comes, protector, & altor
Esto peregrinis nobis altissime Regum,
Cui Rex mortalis obsistere, cui nequit obex
Ullus velle tuo statui: promissio nostris
Dicta olim Patribus Abraham cum semine fiat.
Dulce vale natale solum, valeant & amici.
Tuque Jerosolymis in Sion vertice Templum.
Dixerat; hinc alacres animo Joseph, atque Maria.
Contorquent gressus, & semita cœpta tenetur.
Nazareth in villa multùm jam plebe subortum
Murmur erat fugisse Joseph, fugisse Mariam
Cum puero, grandis cognatos cura fatigat
Quærere quò pergunt, quales petiere latebras,
D Scita fugæ causa tandem compescuit omnes.
Vespera defessos ambos, asinum quoque lassum
Sera domi locat, in qua diverticula villæ
Commodiora Joseph reputavit, protinùs ulnis
Excepit puerum propriis, terræque reclinat.
Ipse sinu Matris ereptus vagit, & indè
Vir dat opem Dominæ satagens descendat asello
Collapsu facili, hospes dat stabulum, paleasque,
Augent ligna focum, gremio mox Virgo receptum
Fasciolis evolvens infantem igne, manuque
Blanda contrectans refovet. Quis, & ô speciosum
Forma præ natis hominum pulcherrime, quis te,

Virgineosque tuos artus, faciemque decoram,
Cui sacros oculis deitas afflabat honores,
Cernere tradiderit: da lac, da balnea Virgo,
Perfice cetera vir, ita fit, post ambo legumen
Appositum sumunt frugaliter, hymnus ab ore
Grato post resonat, sursùm frons, corda levantur,
Secretum surgens hinc Virgo cubile recepit.
Se super ostiolo clauso silet, & vacat orans,
Donec dormiat is cujus semper vigilat cor.
Quem priùs ipse Joseph blandum complexus adorat,
Datque vale Matri, servatur ei locus alter,
Sedulus intrat ibi, primùm orans, deindè quievit.
O quid ais nimias quærens ambitio pompas,
Splendida quotidiè tibimet convivia magnas,
Instructasque domos, turbam multam famulantum
Te pudeat, te pæniteat, dum talia cernis.
Parva, crede, domo minor est dolor, anxietasque,
Sed nocitura placent, placet insanusque tumultus
Hactenùs una vice decursa dies manifestat
Quid valeat pius in reliquis animus meditari,
Oro prævideat discrimina plura viarum.
Plures hospitibus fraudes, risusque malorum
Solerter mentis oculus, quò progrediendo
Plùs ignota subit, plùs horrida, sævaque tellus.
O quotiens latro, quotiens sitis, algor, & ardor,
Atque fames potuit inopes vexare viantes!
Amborum sed mens virtutis in arce locata
Despiciens ima, fugiens ad fœderis arcam
Veram, non typicam, te semper, Christe, petebat
Confugium, ut Moyses, & libertatis asylum.
Adde, quòd omnis eos acies comitata tegebat,
Terribilis virtutum, donorumque beata,
Certa fides, spes firma, Dei dilectio prudens
Sobria justitia pollens, super omnia fortis.
Quid! quòd divinæ Legis tu Virgo canoros
Dulcisona poteras hymnos cum voce referre
In non parva viæ solamina cantica Sion;
Nam simul his typicè poteratis vocibus uti.
Esto peregrinis nobis cantabilis alma.
Lex Domini relevet quæ tædia dura viarum,
Nam tristes citiùs abeunt per inania curæ,
Carmina dum divinus amor modulatur amœna.
Ergo cœligena miseris mens advena terris,
Sis psaltes, facito, sis odis debita divis,
Non ita te totam terrarum carcere tetro,
Sed cœlo poteris positam reputare sereno,
Corde pio, sapiens tua devotus meditetur
Virgo Maria, viro data verba, recepta vicissim
Partem aliquam Sancti nostras referatis ad aures,
Blanditias junge pueri, formosus, & ipse
Jocundus solo aspectu triste omne fugabat.
Addideris quàm multa Jesu solamina præbet
Tota creatura, quasi præmemorata beati,
Primævique status hominis, dum cuncta fuere
Sub pedibus subjecta suis, volucresque, feræque,
Imperio quamvis non sæpius utitur isto.
Utitur ipse tamen, nam quadraginta diebus,
Noctibus & totidem legitur mansisse ferarum
Deserto, socius esse cujuslibet expers.
Bestia nulla ferox nocuit sibi, tutus abundè
Justitiæ dono primævæ: sic Fidei dat
Plurima virtutum doctus miracula Paulus.
Majori suus est microcosmus finis in Orbe,
Dum mutatur homo, mundus varietur oportet
Pro meritis variis justorum, sive malorum.
Neque Creatori famulantur cuncta creata,
Quando malis pœnas vult reddere, præmia justis.
Ergo certa Fides, & Spes, oratio jugis,
Gratia quid divina potest, tu mente capesce,
Nam bonus & sapiens factus dominaberis astris.
Quid! quòd & ipse Deus dat, si tentatio surgit,
Proventum, Joseph hoc sub imagine scisse putetur,
Noctibus est vultu sibi visa virago minaci,
Spinosum exagitans manibus de more flagellum,
Verberibus sævis semper torquere parata,
Ex re nomen habet tribulatio, serva tremendi
Judicis, hæc hominum custos, dux atque probatrix
Pœnarum multa dextris, & multa sinistris,
Turba comes, nemo transcurrere nomina posset.
Contremit ipse Joseph, sed mens interrita quærit;
Dic, precor undè venis, quò tendis, ubi ve moraris?
Tres, inquit, tecum comites habitare memento,
A Prima Fides, alia Spes, tertia Gratia, quæ te
Triplici de dubio, quod quæris, certificabunt.
Visio disparet, ad seque redit Joseph, indè
Lux oritur, surgunt incedunt limite cœpto
Virgo Joseph que simul, Joseph omnia visa recenset,
Virgo Deum laudans, oculosque ad sydera tollens,
Sis benedictus, ait, tentatio cui famulatur,
A te namque venit quasi summi nuncia Regis,
Ad te deducit, testis spes, gratia porrò
Electas inter docet hanc habitare viantes,
Suscipienda piis animis; tentatio namque
Est hominis vita, Job Judice, militat ipsi,
Cecidit & in varios fructus, & fine coronat
Ultima pœnarum, nam mors fera, terribilisque
Corporeos solvit nexus, & vincula carnis,
Spiritus ut liber petat alta palatia cœli.
Omne procul murmur pellant patientia fortis,
Certa Fides, & Spes, & veri zelus amoris.
Quid fortuna vaga, quid inexorabile fatum
B Ponitur, omnia sunt à libertate supremi
Deducta arbitrii sapienter, & ordine recto.
Nec sua libertas perit hinc, nec nostra voluntas,
Causarum quia sunt numero, vel in ordine junctæ.
Sed quia sæpè latent causæ, fortuna vocatur
Terris Omnipotens, & quòd dominatur in omnes
Omnia miramur, strepitum trepidamus ad omnem.
At qui supremam Domini cognoverit artem,
Omnipotens immensa quod est, nec scibilis ulli,
Nil admiratur effectus dum videt imos,
Ni miretur eam res tam producere viles,
Philosophis, & Theologis diversa notatur,
Et quasi conversa ratio, nam Philosophia
Scandit ab effectu satagens cognoscere causam,
Flectitur à summo, sed Theologia deorsùm
Occurrit sub ea nil mirum, nilque timendum.
C Vera refers Domina, vir ait, sed credita paucis
Scis solet adversùs Dominum consurgere clamor.
Quod labor est justis, & iniqui pace quiescunt.
Hoc fit, chare Joseph, quoniam præsentia solùm
More vident pecudum, quæ sunt cœlestia nolunt
Cernere per Fidei lumen, sperare futura.
Adjice, quòd solitis naturæ legibus hærent,
Dicunt quòd proprios cursus non deserit unquam
Gratia quæ præsit naturæ, quòd dominatrix
Sit, dux, rectrix ejus, non mente capescunt.
Sensibus utuntur solis, cum spiritualis
Regio nobilior sit corpore moderatrix.
Continet infusa virtutum hæc regio dona,
Gratia quæ format, quæ dirigit, aptet, & ornat,
Dat motus agere, quæ sunt miracula nobis,
Naturæque vices variat, sic gratia dudum
Nonne maris rubri, velut utre coërcuit undas?
Manna pluit Patribus, perversos terra dehiscens
D Absorbet, proprias vires suspendit & ignis,
Omnia quis numeret? Naturæ est gratia victrix,
Ut citharæ nervi plectro moderante sonori,
Plusve minùs tensi varias dant, cernimus, odas.
Utitur haud aliter hoc toto gratia mundo,
Carmina dans rebus concentu harmonica miro
Finis habet summus unum, solidumque tenorem
Postulat ut finis, moderari cetera debent,
Cum sit in humanis cœlestis gratia finis.
Multiplici medio petit illum gratia ductrix.
Confiteor tentare Deum vult gratia nunquam,
Quod tentata nequit natura, hoc gratia supplet.
Spemque tibi de te, dum desperaveris affert,
Matris more suos erudit provida charos,
Verbera multiplicat patrati criminis ultrix.

Justi-

Justitiæ decus, ut peccati turpe reformet,
Aut ut præservet, auget quandoque flagella,
Sæva ne fit pietas? quæ curans parcere perdit,
Exercet justos tentatio pro meritorum
Majori cumulo, & ne gloria vexet inanis.
Hîc Joseph, ô Domina, quæro, tentatio si sit
Utilis, ut loqueris, quo pacto tot pereuntes
Cernimus assiduè per eam, primosne parentes
Perdidit, & tantis subjecit cladibus Orbem?
Quomodò talia mens permisit provida summi?
Sed satis huc usque dictum, declivis olympo
Vespera compellit recipi mox hospitio nos.
Plurima sunt super his aliis repetenda diebus,
Doctus sermo viæ relevat, fallitque laborem.
Omnia collustrans proprios revolutus in orbes,
Sol revehit, repetitque dies, quibus alma Maria
Cùm Joseph eloquitur nostræ secreta Minervæ.
Quæ Sion Templo didicit quasi Palladis arce,
Prodiit unde nova toti lex posteritati
Cordibus inscripta, tabulis non sculpta petrinis,
Quam docet explanans sacræ schola Theologiæ,
Quæ licet immensum sit divulgata per Orbem,
Urbe tamen nostra cumulo majore resedit.
Quam repetas, lector, quia vult angustia metri
Tantorum arctari doctrinas mysteriorum,
Qualia Virgo virum potuit docuisse viando.

DISTINCTIO SECUNDA.

Post iter emensum duri multique laboris
De procul inspicitur quæsiti terra Canopi.
Hinc horror subitus amborum corda, pavorque
Concutit, ipsa licèt mens inconcussa resistat.
Vir prior alloquitur sponsam, cognosco decora.
Quòd sis, ô Domina: gens ista libidine fervens,
Fœdis urgetur stimulis, si sciverit uxor
Quòd mea sis, quid nisi mors, ô Virgo, paratur,
Atque pudicitiæ tibi discrimen? Pharaonis
Ducet ad aspectum mox te manus improba servi,
Sors indigna nimis, nos ò tibi quid faciemus,
Blande puer fugimus, ne te unum perdat Herodes.
Deserimus dulcesque lares, charosque propinquos,
Ecce quod irruimus in tanta pericula soli,
Ignoti, atque inopes, linguæ ignari, Deus alme,
Nobis quid facere voluisti? quæso, Maria,
Filia dic mea sis, hoc ætas credere verum
Suadebit? reliquum auxilio committo superno.
Jure quidem, dilecte Joseph, nobis ita semper
Sperandum, sicca lachrymas, trepidus pavor absit.
Virgo refert, nonne memori nos mente tenemus
Ætatis priscæ miracula, qualiter Abraham,
Qualiter & Saram Dominus salvavit, & auxit,
Est oportuno protector tempore summus.
Omni corruerant Ægypto vana deorum
Nuper portenta, venturum sic Isaïas
Prædixit, signum quoque virginis hoc pariturae
Carmina Memphitum servabant abdita vatum.
Tale fuit Templi Pacis tibi, Roma, ruina
Prodigium, æterna firmum quod sede putabas.
Emotis igitur simulachris hinc Pharao Rex,
Hinc in se Memphis, fas credere, tota movetur,
Plurimus hinc aditu explorator quilibet astat,
Invigilans, gentemque, locumque requirere solers,
Dum penetrare suos aliquis vult advena fines.
Scire volens, ubinam virgo peperisse refertur.
Eminùs inspiciunt ambos te, Virgo, virumque
Cum puero, properant occurrere, protinùs alter
Cernit in alterutrum, fit sermo mutuus, ipsis
Nutu correptis divino, ò quam speciosa,
Quam spectabilis hæc, & quam formosa puella
Divini vultus, quam vir comitatur honestus.
Pone metum, Domina, dixit cui copia fandi
Prima fuit, faciem Regis visura beatam
Te reputa, tantùm dic, qua regione venistis,
O bone vir, conjunx ne tua hæc, vel filia, fare?
Quis Pater infantis, qui formosissimus alto
Sanguine se natum, vultus splendore fatetur.
Pauca Joseph grataque refert doctissimus heros:
Vobis Memphitici nullas impendere dignas
Sufficimus grates, quorum dignatio tantum
Pandit in occursu primo solamen, opemque.
Israël à terra, nos sors infesta coëgit
A Has oras petere infelix, quam cernitis hujus
Infantis Mater mihi filia sola relicta est,
Namque pater pueri residet regione remota.
Fama loquax Aulam Regis citò garrula totam
Ægypti implevit, celebri venisse puellam
Urbe Jerosolyma, cujus decor, atque venustas
Tanta erat, ut nil supra, cœtus clamitat omnis.
Ergo statim veniat, veniat, videatur, adoret
Regem, sitque suis uxoribus annumerata.
Urbis in ingressu certatim cura videndi
Conglomerat populos, variant hi verba vicissim,
Hi nutus, ad Regem alii comitantur euntes
Coram quo positi, tu Virgo, Josephque, puerque
Poplitibus flexis solitos defertis honores.
Sit licèt idolatra, sit flagitiosus, in ipso
Solus adoratur Deus, à quo cuncta potestas.
B At Rex contemplatus eos, interprete lingua,
Multa petit, causasque viæ, sortem, genus, ortum,
Si quæ præterea virgo peperisset Hebræa?
Virgo silet demisso oculo, verbum capit heros
Grandævus, sanctusque movet sua Spiritus ora:
Rex in sempiternum vive, salus tibi, qui nos
Afflictos, inopes, oculo spectare benigno
Dignaris, tua sit qui condidit omnia merces.
Est nobis, ô Rex, tellus Galilæa, propago
Fertilis, & dives, fuit in qua nobile regnum,
Reges insignes, sed nil mortalibus usquam
Tutum, vel stabile est, alienigeno dominatu
Nunc premitur; dicunt tamen his oracula vatum
Regem venturum priscorum ex sanguine Regum,
Quorum præcipui David, & Salomon numerantur,
Quos genuere Patres Abraham, Isaacque, Jacobque,
Hæc cui prædives olim fuit hospita terra.
Ad sortem, sed Rex venio, quæ compulit istam,
Et me cum puero fugitare ferocis Herodis
Imperium, qui cuncta timens desævit in omnes,
Et modò dum regnet confundit fasque, nefasque.
Hujus obindè Pater infantis cedere jussit,
C Hanc miseram me dans comitem; parere molestum:
Sed quid non pietas valet extorquere paterna?
Aufugimus noctu per tot discrimina rerum,
Tot varios casus, Deus huc nos appulit. O Rex
Ergo tuum per sceptrum, & majestatis asylum,
Regia per si jam clementia cœpit egenos
Atque peregrinos miti tractare favore,
Rex fer opem profugis, petit hanc infantulus iste
Cum gemitu, petit hanc nova nupta puerpera pauper.
Nulli nos erimus oneri, panem neque gratis,
Sed partum propriis manibus quæsisse voluntas.
Tam nitidè lachrymas percussa mente dederunt
Rex jubet, extemplò detur domus, & locus aptus.
Nil durum fiat, vis nulla, injuria nulla.
Porrò memor repetit, partus si Virginis ullus
In Juda fuerit? Ita verbum temperat heros,
Ut neque scire neget, neque se cognosse revelet.
Nuper ait varius super hoc rumor fuit ortus
Urbe Jerosolyma, Scribarum turba sacrorum
D Causa fuit, relegens vatum responsa suorum,
Tempus eis dubium, sed præstolatio certa.
Offert sceptrum Rex tangendum, munera donat,
Imperat ut surgant, deducanturque domum: mox
Aulica tota cohors resonat, plaudit, benedicit,
Implet jussa libens, Regem collaudat ovanter
Cum fremitu vario. Joseph admiratur ab isto
Facundus, laudat alter speciem mulieris,
Alter compatitur puero blando, atque decoro.
O Pater Omnipotens, quis non speraverit in te?

In

In cujus sunt corda manu, Regumque, hominumque.
Quo vis inflectens ea: Rex en lubricus, asper,
Plebs incomposita, fugitivos suscipiunt, &
Aspiciunt gratis animis, tractantque pudicè,
Hospitium præbent quo tu te Virgo receptas
Cum sponso, & puero, pro servo cedit asellus,
Ligna, cibum, mensam vir præparat; at pia Mater
Infantem lactat, evolvens balneat, indè
Cunis aptatus dormit, quas tempus in istud
Dant laudes pensa, quotiens ô corda levarunt
Cum manibus Domino post tanta pericula tuti.
O quotiens vertunt ad Templum Sion ocellos,
Sic Salomon docet, hoc Daniel Babylone peregit.
Quisquis es ad cives patriæ cœlestis anhelans,
Sic age, sic retinens meditare, quòd advena tu sis;
Exemplum tibi sint Christus, Joseph, atque Maria,
Fortibus omne solum patria est, vos vivite fortes.
Posteà lux oritur, surgit Joseph officiosus
Mox intrat venale forum, sibi comparat apta.
Instrumenta, quibus uti consueverat, artis
Namque fabrilis erat in ligno: femina fortis
Quæsivit lanam, & linum. Vicinia tradit
Ut paret, inque filos subtiles protrahit; indè
Textrino mandet operi doctissimus artis
Virgineus digitus, domus otia nulla recepit,
Tranquillus pascit labor ipsos, liber, honestus
Qui benedici vult, qui manducare laborat,
Omne cor inficiunt, occidunt otia pigrum.
Creverat ipse Jesus, binos evaserat annos,
Mater ei tunicam polimitam neverat & jam
Stare licet tremulo poterat pede, verbaque grato
Nondum perfecta balbutit lingua susurro,
Suavior hinc multò blanditur utrique parenti,
Arridet, ruit in ulnas, gremioque locatur,
Brachiola attollens vult nectere colla parentum
Amplexu tenero, vult oscula figere casta,
Inserit atque manum manu tibi, Virgo, Josephque,
Perque domum sequitur hunc, & te dispare passu,
Quæque videt mirans scitscitatur, ut omnia noscat,
Fortè interturbat vestrum quandoque laborem,
Pensa, colum, calathos, serras; parvasque secures
Contrectans, ultrove petens sese bajulari.
Dixerit hoc aliquis totum puerile relatu
Nullo; sed risu dignum: puerile fatemur.
Sed puerile Dei, sed stultum, & debile, majus,
Fortius, & sapientius isto est, credite, mundo.
Nil duro corde pejus, nil tetrius, at quid
Majori pietate facit, mollescere corda,
Quàm dum certa Fides cernit puerescere summum
Propter nos homines miseros, nostramque salutem?
Vult similis fieri nobis, vult sit puero par,
Scandere qui satagit cœli fastigia parvus.
Innocuus, purus, humilis, super omnia simplex.
Infantes quasi nunc geniti lac poscite, nempe
Lactescit vobis virtus, sapientia, vita.
Jam puer ipse Jesus numerosis integra format
Verba sonis, jam cum paribus colludere gestit;
Cum pueris puer it, similis similes sibi quærit.
Inter ludendum puer unus corde maligno
Improperat tibi fortè, Jesu, miser advena quòd sis
Ignotus, patriamque, Patrem qui dicere nescis,
Dat palmam tibi, das maxillam percutienti.
Flens redis ad Matrem, gremio te blanda receptans,
Cur ploras? Quid habes interrogat, oscula jungit,
Exsiccat lachrymas. Animus si, Mater, amarus
Sit mihi, quid mirum, proprium quid nescio Patrem,
Nec patriam, si vera mihi nunc improperantur.
Ergò Josephne Pater mihi? nonne hæc patria nobis?
Mater ad hæc stetit immoto vultu sine voce,
Secretum cordis intrans, multùmque, diuque
Secum confert, si vel quid respondeat ipsi,
Qui nihil ignorat, cùm sit Verbum caro factum.
Cunctantem puer ampliùs ad responsa perurget
Non quòd nescius est, verùm experientia certos
Ferre modos poterat, humano more sciendi,
Sic didicit pœnas, opprobria, vulnera, mortem,
Plurima sic vult affatu cognoscere Matris.
Ergo rogat totus Matris suspensus ab ore:
Os reserat tandem suspirans talia fatur.
Heu mihi, chare puer, sentis jam probra, dolores,
Pœnas immeritus: deplorans hoc Jeremias,
Et probris, inquit, *saturabitur*; heu mihi, Fili,
A Crimina jam nostra defers, nostrosque reatus!
Suave fuit pomum vetitum, quale Eva momordit,
Sed tibi qui non peccasti nimiùm fit acerbum,
Chara luis proles quod commisêre parentes,
Et quia vis, Fili, prima sub origine rerum
Altiùs exorsa repetam, quæ mente reponas.
Principio cœlum, terras, Deus ipse creavit,
Spiritus Angelicus nullo cum corpore mersus
Protinùs implevit cœlum, post quinque diebus
Corpora distinxit, ornavitque omnia librans
Pondere, mensura, numero, digitis quasi ternis,
Namque potentia mensuram, sapientia rebus
Dat numerum, bonitas cunctis sua pondera reddit.
Sic species, modus, ordo, Dei vestigia signant.
Hunc ex quo, per quem sunt, in quo cuncta creata,
Hinc mirum molitur opus, deliberat ambas
Nectere naturas, fit homo Deitatis imago
Pulchra; minor mundus naturæ nullius expers,
Mens regit organicum corpus ratione capaci.
B Quæ contempletur vultu cœlestia recto,
Libertate potens æternæ fortis orizon.
Justitia pollens, quæ spirituale quietè
Regnum hominis poterat servare sub ordine pulchro.
Callidus invidit serpens, à dæmone cujus
Lingua movebatur, Fili, dæmon fuit olim.
Angelus omninò pulcher, qui scandere montem
Dum vult assimilans Alto se mente superba
Corruit, hinc sibi fit mens conturbata furore,
Livore, ac odio vult extolli *super omne*
Quod Deus est, ac *dicitur*; hinc mors venit in Orbem,
Primùm peccarunt, hoc decipiente, parentes.
Vult homini vitam, quam perdidit ipse, patere.
Omnes membra mali sua sunt, omnes & iniqui,
Per quos insequitur justos, conturbat & angit,
Te petit ex cunctis, ô quot pueros per Herodem,
Jam dedit innocuos ferro, gladioque necandos,
Quot tibi præparat insidias, tentamina, fraudes!
Retur enim timidus, nec fallitur affore tempus,
C Quo generi humano pandetur porta salutis,
Captivis miseris speciosa redemptio fiet.
Heu pretium tua mors erit, ô sacratissime Fili.
Horrisonum ad mortis nomen concussa dolore
Virgo fit, atque gemit, rupit plangore querelam.
Porrò tuum mox, alme Jesu, cor pulsat acerbus
Hic Matris dolor, & diræ prævisio mortis,
Mens immota manet, lachrymæ volvuntur amaræ.
Qualiter hoc fieri valeat conquirere dignum,
Spiritus & ratio sunt, si distinxeris aptè
Sensus, & infanti, deitas simul, ergò voluntas
In Christo quadruplex fuit, in diversa moveri,
Non adversa solens, nam spiritus & Deus unum
Semper, idemque volunt; animæ verò inferior pars,
Et sensus subsunt passivæ conditioni,
Mortalis nostræ sortis miseræ, indè sumuntur
Naturæ in proprios motus se ferre licenter
Hinc sperat, metuit, gaudet, dolet iste beatus
Infans, ex utero non cogitur, hoc facit ultrò.
D Dum videt in puero lachrymas modò Virgo decoras,
Uberior gemitus pia viscera torquet, & angit.
Fortè Joseph rediens operis pretium referebat,
Sensit in ingressu primo lachrymas utriusque:
Sic facies, sic vox, ita gestus significabant.
Omnia sic didicit tandem referente Maria,
Acriter ingemuit, & flens cum flentibus infit
Æquo fors animo, quæcumque sit usque feratur
Incola, dum sic vis, Deus, hæc nos terra receptat,
Expedit hoc, dilecte Joseph, patientia custos
Optima virtutum meritis ditescit opimis.

Inci-

Incipit hanc monstrare viam puer indole prima.
Fors aliquando Joseph miscet dum verba coævis,
Edoctis, gravibusque viris, grandævior unus
Intulit Annales, similis tibi nominis hospes.
Hic referunt unum priscis habitasse diebus,
Cujus provida mens magnam est operata salutem
Ægypto toti, natus de gente tuorum.
Alter ut instructus erat astris fortè Mariam
Dum gremio puerum gestare, Jesumque vocare
Viderat, & quòd erat prolixi Virgo capilli
Munda, decens, meminit aliquid de virgine signo,
Quale ferunt alta cœli regione videri.
Quid super his dicet Joseph expectant. Remoratus
Ille parùm, tandem sapienti protulit ore.
Clari Memphitæ, mihi semper jure colendi,
Hospes enim tractor tanquàm sim civis apud vos,
Gesta Joseph, cujus meministis, scripta tenemus,
Legifer edocuit Moyses, scripsitque quòd istum
Progenuit Patriarcha senex Jacob, amplaque fratrum
Turba sibi fuerit, sed amabilis ille parenti.
Plùs aliis, livor fratres convertit in hostes,
Somnia quæ retulit odii fomenta dedêre.
Nam prætendebant Dominum Joseph esse futurum,
Sicut erat, fraterna cohors molitur amaram.
Mortem, sed voluit aliter mens provida Summi,
In cujus sunt corda manu, quæ singula vertit,
Finis ad obsequium primo quem vidit ab ævo.
Venditur ergo Joseph Dominus ne fiat, & ecce
Fit Dominus varia per tentamenta probatus,
Tetragono fultus virtutum, justus in omnes
Res Domini: castus, Domina suadente, nefandum
Concubitum: fortis, quia contempsisse furentem
Sustinuit: prudens, quia somnia clausa revelat,
Septennique fami condit frumenta futuræ.
Judicat Ægyptus quòd sit salvatio mundi.
Mutato sed Rege capit Respublica motum:
Nam Joseph hic tantus, tantùm veneratus, & omnes
Promeritus laudes, oblitus posteritatis
Excidit à corde. Pertranseo plurima: tandem
Nos de gente sua Dominus sic jusserat, oras
Judææ petimus, deserto Lege recepta
Per prius in Sina Deus unicus esse colendus
Traditur, & nobis fieri simulachra vetantur,
Astra nec ulla coli, solùm veneramur amantes.
Plures esse Deos hospes nolito negare
Mox dixere senes, memorant Apis, Isidis aras,
Idola multiplici confirmant numine plena
Mira quidem facere, prædicere sæpè futura,
Sontes punire, cultoribus auxiliari.
Vana superstitio quòd Apis veneratur, & Isis,
Ille refert, statuis dœmon se miscet in istis
Ultrò, nec, ut fingit, est ullo carmine tractus,
Est equidem liber, vult divinos sed honores
Indè sibi tribui, vult vestræ illudere genti,
Dum miranda facit signis fallacibus utens.
Porrò quòd cælis vos dicitis esse figuram
Signantem partum cujusdam virginis olim,
Nil cœli libris conscriptum tale putetur.
Ordo namque duplex rebus fuit inditus, unus
Naturæ servit, de quo fateamur oportet,
Quòd scriptus cælo est, voluit mens provida summi
Temporibus sibi complacitis servare patranda.
Suprà naturæ solitas miracula vires,
Quæ cœlum nescit, nec cœlis inditus ordo,
Credite, tempus erit, nec tardum è virgine natus
Quando patebit homo, cujus se subdere Legi
Ægyptus tota volet, expulsis simulacris.
Jam nec Apis, bos, nec mulier venerabitur Isis.
His super atque aliis docto sermone putandum est
Disseruisse Joseph de vera Religione
Cum senibus Thanaos, sed nec te, Virgo beata,
Septenni toto cum vicinis siluisse
Crediderim, sed eas de Lege sacra docuisse,
Quæ ventura forent, & quæ credenda tenerent.
Undè probabile fit, multos ad suscipiendam
Dispositos tunc esse Fidem, dum fertur ad ipsos
Post mortem Domini, post te Judæo relictam.

TERTIA DISTINCTIO.

DUM voluit puerum Deus Ægypto revocare
Juxtà vatidicas voces, priùs ipse revelat
Mysterium tibi, juste Joseph, jam tertiò somnis
Angelus apparens denunciat, accipe Matrem
Cum puero, terra rursùs repetatur Hebræa.
A Mors etenim rapuit puerum qui morte parabant
Perdere. Consurgit lætus, mox visa revelat;
Læta fuit conjunx, lætus puer, haud sine quadam
Tristitia, notos etenim jam linquere mœstum:
Sanguinis, ac patriæ, tum est vis suavior intùs
Tum discessuros tristis vicinia visit,
Hortantur maneant secum, nil defore spondent.
Dum nequeunt retinere, diu comitantur euntes,
Intervalla viæ dum cogunt longa reverti,
Tunc mixti gemitus, plangor, lachrymæque vicissim
Plurima suscipiunt, redduntque vale, sociantur
Dextræ cum dextris, amplexus, oscula gratis
Qualia dant animis, nemo proferre valebit.
Quis tibi septenni puero modus in gradiendo
Tunc fuerit, dubium est, bajulandus utrique parenti
Tu non appares sat idoneus, aspera ferret
Quomodò longa viæ dispendia pes tener, atqui
Non asino tua membra satis suffulta locares.
Curriculusne vehit forsan te, Virgo, Jesumque,
Conscius in quales modò vir fabrefecerat usus?
An super ætatem diffundit gratia vires
B In corpus, vel iter peragrat breviore diæta?
Virtus Angelica nec deesse ministra putanda est.
Quis dederit peregrè tales vidisse viantes,
Alloquioque frui? facundia quam satiasset
Grata Jesu? Puerilis nam solet ætas
Promptula velle loqui quicquid non anteà novit.
Si videt aut audit, sylvis vel in aëre pictas
Dulcisono volucres modulantes gutture voces
Si grandes aquilas, aut si quæ saltibus amplis
Bestia conspicitur, vel reptile, sique decoris
Floribus ornatos vidit splendescere campos,
Tempore, vel pluvio formosum fœderis arcum,
Cuncta velut mirans sciscitatur utrumque parentem.
Multa sibi ratio quærendi vult puerilem,
C Et veram carnem se suscepisse videri,
Vult ex sensatis ita commonuisse parentes,
Ad insensata sublimi corde petenda.
Exteriùs quærit, sed solus perdocet intùs.
Tandem post casus multos variosque viarum
Incolumes, ductore Deo, terram Israël intrant,
Audito vir quòd illic Archelaus hostis
Regnaret, timuit illò ire, petit Galilæam
Secedens, ita commonitus per somnia rursùm
Angelico alloquio: jam tandem proximus fit
Nazareth opidulum, veluti in caligine quadam
Cernitur, en nostram, fili dulcissime, villam,
Protendens illàc dexteram, faciemque retorquens
Ad puerum Mater gaudens ait; hæc tibi lætum,
Florentemque dedit ortum, florentis obindè
Hoc est Nazaræi præsaga vocabula sumes,
Applaudit manibus hilaris, gestuque revidet,
Gaudet & ipse Joseph: salve dulcissima tellus
D Protulit illachrymans grandi pietatis amore,
Salve nostrorum cognatio sancta parentum.
Qualis verò fuit generatio talis, habemus
Anna Sacerdotum sacra de stirpe refulgens
Bethleemita fuit, ipsi Joachim sociatur,
Regia cui series dedit, & cui Nazareth ortum,
Anna licèt primò sterilis, tamen ipsa Mariam
Posteà, sic voluit virtus divina, beato
Germine progenuit, ablactatamque reliquit
In templo Sion, sacra de Lege docendam,
Annaque post mortem Joachim, nupsit Cleophæ, qui

Frater erat tibi, juste Joseph, sponsare Mariam
Isque tibi voluit Anna de conjuge natam.
Ex Anna Cleophæ fuit orta secunda Maria,
Virque Thadæus ei fertur genuisse quaternos.
Hi Jacobus minor, atque Joseph, cum Simone Judas
Qui fratres Domini, quia cognati, vocitantur.
Ex Anna Salome rursus vir tertius unam,
Tertia quæ subiit, fertur genuisse Mariam.
Ex qua tu, Jacobe major, tuque virgo Joannes,
Fratres exorti Zebedæo Patre fuistis,
Frugalem quibus ars dat piscatoria victum,
Tale fuit tibi, Christe, genus Joseph, atque Mariæ,
Non dubium plures aliis pars mortua, parsque
Tunc nondum exorta, nec villula protulit una.
Lætior occursu primo plebecula clamat
Cum puero venisse Joseph, venisse Mariam,
O qui complexus, quæ gaudia, quot lachrymas hîc
Extorsit pietas, sternunt convivia, plaudunt,
Totus & ipse dies vario sermone repletur.
Quale peregrinis iter obtigit, hospita tellus
Septenni toto, quali sub sorte peracta est,
Conquirunt, pariter miscent responsa vicissim.
Serò domos repetunt, laus, & benedictio, postquàm
Reddita grata Deo, devoto corde, pioque.
Digna peregrinis datur hîc speculatio nobis
Qui patriam petimus cœlestem, quantus adepta
Cordis dulcor erit, qualis jubilatio mentis,
Quantus & applausus cunctorum illic habitantum?
Plurima, credo, Jesus fecit, fecêre deinceps
Convictu casto juncti Joseph, atque Maria,
Quæ non sunt scripta, non totus (credo Joanni)
Scribendos caperet mundus per singula Libros.
Nil super ignotis igitur meditatio nostra
Affirmet temerè sola, suffecerit uti
Conjecturarum topica ratione modestè
Ex scriptis inferre potest, non scripta pio mens
Cum studio, sic certa Fides incerta revelat
Qualia sunt acta, vel quæ fieri potuêre.
Credis quòd puer iste Jesus, Deus est benedictus?
Femina materno regit ipsum jure, Josephque
Vir suus est, credis quòd vir caput est mulieris?
Quanta putas ex his, & quàm miranda valebit
Contemplativus animus deducere solers?
Ut suus affectus sancto rapiatur amore,
Mens quoque suspensa in spectacula tanta stupescat.
Urbe Jerosolyma festivum Pascha quotannis
Venerat, ascendunt illic utrique parentes
Cum puero, certum hoc legitur, lustrisque duobus
Binos addiderat Jesus annos, quando remansit
In Templo, medius doctos interrogat omnes
De sacra Lege, sua sunt responsa stupori.
Inventus rediit, subjectus utrique parenti.
Ex his fas fuerit paucis deducere multa,
Qualia non credi, sed nec reprobare necesse,
Si subjectus erat, ut erat tibi, Virgo, Josephque,
Christus, quid sibi vult, oro, subjectio talis?
Obsequium nonne vobis præstabat; eratque
In medio vestrûm sicut qui ritè ministrat?
Sæpè focum, crebròque cibum parat officiosus,
Vasa lavat, bajulat undam de fonte propinquo,
Nuncque domum scopit, paleas, vel aquam dat asello,
Vicinis fert Matris opus quod texuit ipsa,
Exercenda datur ars crebrò paterna fabrili
In ligno vario, fuit hinc faber ipse vocatus,
Fissile per lignum trahitur dentata vicissim
Serra, forant scamnum terebro, planantque fenestras,
Linea castigat vel regula, quæque videntur
Aspera, nec directa satis, fiunt tripodesque
Cum mensis, arcæ, currus, vel aratra, quadrigæ.
Naviculas fortè, quæ sint piscantibus aptæ
In stagno Genezar, mare cui nomen Galilææ
Compingunt, pix linit eas, liquidumve bitumen,
Cum musco & clavis partes junguntur hiantes,
Cum puppi clavum, cum malo vela coaptant.
Talia qui recolis, quò plùs servilia, plùs sunt
Mysterio plena, Christi dignatio quantùm
Pro nobis fuerit, humana benigna patenter
Insinuant; pudeat igitur, pigeatque superbos,
Horrori quibus est hominum labor, otia summum
Qui decus esse putant, quid liberatis honorem
Si sine sudore vultus jam pane fruuntur
Emendicato præsertim fraude, dolisque.
Invenit quandoque Jesus solum feriantem
Sabbata dum servat patriæ, dum clausa seorsùm
A Virgo manens orat; blando puer intulit ore.
Mi Pater, oro, tuum neu me celaveris ortum,
Et genus, & vitam: gaudet grandævus, & ipsum
Mox puerum rapit in ulnas, gremioque reponit.
Fili, Patre Jacob, Cleophas, & ego generati
Carne sumus: Legalis Heli dictus Pater, ob quod
Ex uxore sua frater dederat sibi semen.
Lex etenim fieri sic promulgata jubebat
Porrò Jacob Rex illustris David ordine longo
Progenuit, David ex Abraham natus Patriarcha est,
Longa licèt series interfuerit, mediorum,
Istis à Domino dudùm promissio facta est,
Ad benedicendas in eorum semine gentes,
Israël & totus erit hoc in semine salvus,
Instruor à puero sacræ dinoscere Legis
Justitias, Præcepta simul, Dominum revereri,
Hunc unum colere, fugere idola, cuique benignum
Qui mihi proximus est, atque æquum reddere fratri
Inculcant mihi crebrò Pater, mihi talia Mater,
B Cùm Deus est solus, solus timeatur, ametur.
Cùm verax, ejus in vanum sumere nomen
Noli, cùm bonus est, facito sibi sabbata soli,
Tu venerare Patres, non occisor, nec adulter
Nec fur, nec pueris mendax, ambire caveto
Uxorem, res, ancillam, quæ sunt aliorum,
Esto sorte tua contentus, disce labore
Vivere de proprio, totum committe te Deo,
Advena sic poteris vitam sperare beatam,
Promissam Patribus Abrahamque, Isaacque, Jacobque,
Atque David, clara de quorum stirpe refulges.
Cereus atque recens animus dum pectore puro
Verba sigillatur ad talia, mox sibi totus
Vilescit præsens mundus, cœlestia captat,
Sperno jocos fili, lusus & ludicra, blandas
Illecebras, & ut ipse vides, insisto labori,
Oro frequens, dum grandis in his adoleverat ætas.
Hanc vitam nostram mirans cognatio dicit.
C Est ducenda Joseph (ità Lex te petit) uxor
Sic petimus, tua gens patrio de more, Davidque,
Regia nobilitas vult hoc, parere necesse est.
Adversor, refugit animus mollescere tactu
Femineo, cupit amplexus caro, nec mea tales
Fingere me plebs ista putat, nescit quòd amænus
Spiritus ut gustatur, ei caro desipit omnis,
Cælebs ergò diù mea sat mihi vita placebat,
Invidiæ nec erat fratris mei vita mariti,
Non homini semper licet, ut vult esse fatebor,
Chare puer, sponsam Domino mandante Mariam
Jure mihi Dominam, tibi Matrem consociavi.
Nec doleo, reliqua per eam novisse licebit,
Ore puer blando petit, instat ut omnia narret.
Cernitur intereà thalamum reserare Maria,
Tota sibi facies fulgore nitebat honoro,
Difficile est, cor devotum non prodere vultu,
D Lumine cor divo plenum, fortis emicat, instar
Lampadis accensæ, Moysi testis facies sit,
Illi assurgit vir reverenter, eamque locavit
A dextris, capit ipsa Jesum, medioque reponit:
Sermones vestri qui sunt, interrogat, audit,
Sicque refert, nunquam, fili divine cupivi
Virgo virum, sed cur fuerim sponsata petenti
Vera tibi referam, quorum jam conscius est vir.
Urbe Jerosolymis in Sion vertice Templum
Ponitur, est illic tàm sedes regia, quàm Lex,
Sancta parens istic me tradidit erudiendam,
Virginibus socians aliis de semine Regum,

Deque

Deque Sacerdotum; sic mos inoleverat, ipsas
Sanctius in Templum nutritum iri, dare: quare?
Messias quòd erat tali de stirpe creandus,
Tempora partimur, cedit pars una labori,
Nere labor noster, varias & texere vestes,
Sacra Sacerdotum gestamina, cuique dabatur
Byssus, bis tinctum coccum, linum sericumque,
Pars cognoscendæ studio datur altera Legis,
Obscuras vatum, & sacras reserare figuras,
Orando pars una venit, psalmisque canendis,
Indulget tempus reliquum, somnoque ciboque.
Templo sancta frequens affinis Elizabeth, almus
Virque suus, steriles ambo, me visere crebrò,
Me multo, doctoque solent sermone monere,
Filia, tu nostræ stirpis clarissima proles,
Fac ut eam pulchra virtutum nobilitate
Exornes, sis noster honor, lumenque decorum.
Nos steriles (ità justè Deus vis) cernere fructum
Da nos ex ista benedictum posse puella,
Cujus sis rector, custos, instructor, amator.
Verba Sacerdotes, alii scribæ, seniores,
Ut, Simeon justus, octogenaria sanctis
In viduis Anna, nobis inferre solebant
Talia non nuptis in laudem virginitatis.
Credite: vos Vates Isaias præcinit, *ecce*,
Virgo concipiet, *pariet* puerum, sibi *nomen*
Emanuel, *quod nobiscum Deus* insonat, hoc est
O si talis erit inter vos virgo reperta.
  Ut facit aurora consurgens humida rore,
Garritu vario cœli resonare volucres,
Nam vitæ fontem præsaga voce salutant
Vicinum solem, qui dat cantus numerosos;
Cœlestes homines ità complet mox oriturus
Justitiæ sol, à quo vita novabitur omnis,
Indè tot audire est divorum carmina vatum.
  Talibus accensa monitis propono manere
Virgo, Deus si non aliud decreverit; hinc jam
Horreo misceri ludentibus, horreo quicquid
Turpe loqui, quod vel gestu, vel dedecet actu.
Nubilis at postquàm nobis advenerat ætas,
Virginibus de stirpe sacra, nos nubere cogit
Cura sacerdotum, maledictam Lege loquuntur
Israël in populo, nisi semen liquerit ullum.
Quid facerem? Quæ verba darem? Commito Superno
Me totam arbitrio, spes hæc mihi sola relicta est,
Cumque timore Dei consentio sumere sponsum.
Traditur ipse Joseph conjunx, qui moribus ultrò
Consonat ecce meis, sancto castoque pudore.
Anteà notus erat propter genus, & quia Festis,
Ut mos, me Templo veniens sermone fovebat.
  Plurima restabant, ut eas exponere causas
Conjugii talis, cum virginitatis honore
Misteriumque sacrum, Gabriel quod missus ab alto
Nunciat, & quod, juste Joseph somnis didicisti.
Fortè supervenit extraneus, ac ita cœptum
Rumpitur alloquium, sed id infrà Littera supplet
Ancillans phronesi, cui consonat Allegoria,
Moralis se jungit eis, simul Anagogia,
Nunc illa solers, nunc has secernito voces.

DISTINCTIO QUARTA.

Mos apud antiquos pro Religione veranda
Creverat iste Patres, dum sponso sponsa daretur,
Anteà quàm celebri fierent solemnia ritu
Fœdera conjugii, mora temporis una fluebat,
Qua sponsæ mores sponsus dinoscere posset,
Hisque Dei possent interpellare diebus
Numen, & auxilium, digna pro prole futura,
Proque diuturno convictu, pacificoque.
Tobias hoc, Sara, simul fecere minores:
Hoc tu, clare Joseph, hoc docta Maria sciebas,
Hinc Templo sponsata priùs, post tecta subintras
Nazareth ad chari pia contubernia sponsi,
Discreti vobis thalami, tunc convenientes
Dum cibus accipitur, domus aut disponitur intra,
Dum simul alloquia cordis devotio miscet.
Sæpiùs inclusa tamen oras Virgo Maria,
Tecum habitans, tua sit ut conversatio cœlis.
  Vernum tempus erat, quidam bis quarto Calendas
A Signant Aprilis, quo vespere Pascha colebat
Israël, ut dicunt, Virgo diviniùs intrat
Mentis in arcanum, sustollit seque super se,
Alta superrapitur, cœlos superevolat omnes,
Cuncta creata silent, fruitur caligine diva,
Nullum interturbat tantam phantasma quietem,
Excedit mens acta Deo, loquiturque silenter,
Intùs & introrsùs valdè, ut non audiat intrà
Juncta sibi ratio, sensum hæc omnem superat pax;
Sibilus hic tenuis, Deus in quo cernitur, auræ est,
Felix hic somnus, qui somnia mira revelat,
Ebria sobrietas, mors vivens, lux & obumbrans.
Tunc aliqui Pascha bis sex, unoque Calendis
Aprilis numerant, ita dicere computus urget,
B Si natale Dei, si mors numeretur & ætas.
Ast credenda manent, sit calculus iste, vel alter.
Exurgens tandem à somno hoc, lucemque revisens
Corpoream, Virgo sibi sobria, dum redit ad se
Ingemit, hinc curat humanam orare salutem.
  Alme Pater, totiens hominum miserate labores,
Nunc miserere, precor, etenim *tempus miserendi*
Venit, quo diræ frangatur janua mortis,
Quo cœlos reseres; utinam diruperis illos;
O cœli rorate, pluant, ô nubila justum,
Germinet & terra Salvatorem benedictum.
Concurrunt pariter sacrorum carmina Vatum,
Quòd Dominus propè, quòd gens quem desiderat omnis,
Adveniet: propera, jam non tardaveris oro,
Jam sceptrum à Juda sublatum, jam Danielis
Visio complenda, jam virgo puerpera fiet,
C Jamque *virum mulier circundabit* Emanuelem.
Sic Simeon, sic Anna senes dixere recenter.
Et Zacharias vir, & Elizabeth uxor anilis,
Dum me deifici Templi secreta tenerent,
Mysterium prægrande nimis, quis noverit illud?
Quis capiet? sed certa fides præstanda Prophetis
  Temporis articulo tali delapsus ab alto
Præradians Gabriel totus festivus, eo quòd
Mittitur ad talem deferre salutem,
Gratia qua cœlis, qua pax sit reddita terris,
Infima quæ jungat summis, Deus ac homo fiat,
Virginis ingreditur thalamum cum luce corusca,
Cum pulchro nimirùm vultu, cultuque decoro.
Qualiter ex facili corpus sibi spiritus aptat,
Aëreum, declarandam conformiter ad rem,
Sic Moysi, sic & Abrahæ, sic pluribus olim,
Angelus innotuit, naturam cerne, figuras
Suscipit ut varias aër densatus, ut Iris
Mille trahit pulchros adverso sole colores.
  Virgo tremit, nunc plus solito splendescere lumen
Angelicum tremit, & speciem, quoniam speciosi
Præ natis hominum, quia dicere venerat ortum,
D Formoso nimis ornatu, vultuque nitescit,
Adde quòd instantis suspecta crepuscula noctis
Esse sibi poterant, licet hora novissima mundi
Qua Jesus advenit, sub vespere ritè notetur.
Quid? quòd & ipse sathan credi vult Angelus esse
Lucis, & hoc scit Virgo, tamen super omnia terret
Mentem humilem, dum dicit *Ave*, dum *gratia plena*,
Dum *Dominus tecum*, *benedictaque tu* mulierum.
Cogitat hanc quæ sit secum turbata salutem.
Pauper ut ancilla si fortè videre supremi
Regis conjugium, fama referente veniret,
Nescia quæ fieret uxor, si missus ad illam
Nuncius à Rege, præter spem quæreret ejus
Consensum, turbaret eam dignatio tanta.
  Ast Gabriel trepidam solatur, & instruit ipsam,
Qualiter absque viro complebit sanctus obumbrans
Spiritus arcanum hoc, naturam gratia vincet.
Assensum da Virgo tuum, noli esse recusans,

Non ingrata Deo dicit, tu crede, volenti
Velle tuum tribue, Gabriel te respicit omnis
Expectat mundus, cœlum, tellus, & abyssi.
Aude magnanimis, quia magna Fides operatur,
Audet, jamque Fides qualem dilectio format
Verbigenam reddit animam, dum protulit ore:
Ecce ancilla Dei, *fiat* missum *mihi verbum*.
Verborum instanti primo non esse Maria
Excessum quendam patitur, quasi sit sopor, ex qua
Formatur subitò novus, atque novissimus Adam.
Immensusque Deus minimos sinuatur in artus.
Hanc versam mirare vicem sub origine prima,
Conjugium mirare novum, Deitas ubi nubit
Humani generis limo, fit virgo deinceps
Nullius apta viri complexibus, hoc quia corpus
Sacramentum Domino, solos sibi servit in usus.
Audiit ut Gabriel responsa fidelia, novit
Virginei ventris thalamo virtute repentè
Quòd *Verbum caro factum est*, illud pronus adorat,
Atque peracta videns mandata, recessit ab illa
Glorificans Dominum, cœlestis eum comitatur
Multa cohors jubilans, hymnisque corona melodis
Gloria sit cœlis Domino, sit pax bona terris.
Mater & ipsa nova grato nova gaudia corde
Læta canit, jam magnificat secum orsa retractat.
Hac hora se Pascha puer Jesus obtulit ultrò
Humani generis pretium, factusque Sacerdos.
Et caput Ecclesiæ, Pastor, seu Papa supremus,
Unctus & in Regem summum, cognosce Mariam,
Invenit ut sua mens cum lætis jungere mœsta
De puero assiduè, venturæ conscia mortis
Mæret, lætificat virtus, præscitaque nati
Gloria, dum premit exilium. Nos hanc imitemur,
Tristia ne frangant animos, neu læta resolvant.
Porrò quid faciat Virgo tantum ne revelet
Sponso mysterium? Fac dicere, quomodò credet,
Da, celet quo pacto Deo, tibi grata videtur,
Et sponso, cui res tandem manifesta patebit,
Saltem conjugii sacrum dum fœdus inibunt
Solenni ritu, nec enim clam fœdera jungent,
Affines venient, vicinia tota videbit,
Tempore quo si fortè tumens uterus videretur,
Ambo probrosa fierent in cantica vulgi.
Quid? Quòd cognatam prægnantem ad Elizabet ire
Nec decet, aut licet hanc, nisi vir consenserit antè.
Sed neque consensum nisi causæ conscius addet,
Dicendum est igitur conceptum quid dedit, addet
Ipse fidem sponso, dubitataque scandala tollet.
Ceciliam dum prima thori secreta tenerent
Cum sponso, legimus forti divinitùs ausu
Integra virgineum dum vult servare pudorem
Sponso dixisse: juvenis gratissime, pando
Sanctus, crede, Dei mihi custos Angelus astat,
Tangere polluto (me zelat) amore: caveto
Permaneas & tu castus, te diliget ut me.
Credidit, & castum post firmat sanguine votum.
Major nonne fuit ausus tibi, spesque, Maria?
Credulus ipse tibi quòd vir sanctissimus esset,
Quodque Dei tali casu tibi numen adesset.
Festa dies aderat quâ plebs sua sabbata servat,
Ergò more suo cum sponso sponsa quieto,
Secretoque loco consedit, ubi sacra Legis
Dogmata colloquio secum pariter referebant.
Tum Virgo intuitu solito plùs supplice vultum
Librans ad sponsum, simplex convertit, aitque:
Clare Joseph, cui sum Domino sponsata volente,
Est mihi secretum quod pandere convenit, & te
Participem fieri, nos uno magnificemus
Ore Deum, voto simili, ratione parique,
Sponsa potest dilecta loqui quodcumque placebit.
Audisti jam crebrò Joseph, sermoque frequenter
Inter nos talis habitus, citò quòd veniet Rex,
Ortus stirpe David, populum salvare potenter,
Et quòd concipiet puerum Virgo, parietque,
Israël hoc omnis desiderat, optat, & orat.

Orabam nuper & ego paupercula, quæ sum
Et cinis, & pulvis, dum me dijudico sollers,
Ille tamen cujus oculis humiles placuerunt,
Qui tollit pro velle suo de pulvere tales,
Qui lasso requiem, panem, vestem dat egeno,
Qui facit, ut sterilis gaudens fœcunda domi sit
Grata, fatebor enim, sic me respexit, & ipse
Fecit magna mihi cujus nomen benedictum.
A Elegit gratis, ita crede Joseph, parituram
Me fore Messiam cum virginitatis honore,
Angelus hæc mandata Dei jam pertulit ad me,
Spiritus & jam me gravidavit germine sacro.
Obstupet ad verba hæc subitò grandævior heros
Et refugit: quid ais? quis erit tecum, oro, deinceps?
Exi à me, Domina, non hoc sum dignus honore.
Petrus uti vidit multi miracula piscis
Retibus inclusi, stupor exclamare coëgit,
Exi à me, Domine, peccator enim nimius *sum*.
Sic viduam legimus orbam, quòd dixit Eliæ,
Quid mihi, quidve tibi? Venisti commemorentur
Ut peccata mea, puer indè meus moreretur.
Corripit hinc se vir thalamo, solumque reclusit,
Cor trepidum vario curarum fluctuat æstu,
Esset cùm justus sponsam traducere nolens.
Injustum reputabat enim se ducere talem,
Scandala sed mutuens voluit clam linquere, facto
B Justus utrinque suo, secum dum tale volutat
Mentis litigium, sopor irruit, Angelus astat,
Confortans loquitur, sacramentumque revelat:
Clare Joseph, filique David, nolito timere,
Conjugii, sed jure sacri, tibi junge Mariam,
Natum quicquid id est in ea, de Pneumate sancto est,
Concipiet puerum, quem ritè Jesum vocitabis,
Ipse suum salvans populum peccata remittet.
Virgo puto vigil orabat precibusque, suisque
Pro meritis sponso data visio cœlitùs ista,
Suspicione carens, quòd homo formaverit illas
Voces, somnus enim sensus ligat exteriores.
Tunc *ubi vult spirat* ex alto *Spiritus*, aut res
Intellectivas reserans pulsis simulachris,
Lumine divino radians secreta revelat,
Vel de præterito, præsenti, sive futuro,
Ecce Joseph divinum aliquid de Virgine natum
Intra cognoscit, quodque est paritura salutem
Humani generis, Deitas ubi panditur aptè,
C Namque Deus delere potest peccamina solus.
Splendida virginitas niveo splendore refulgens
Angelico compar, consors, & amica decori,
Cujus propositum est, nunquàm sensisse, voluptas
Qualis sit carnis tactu fœdata pudendo,
Hæsitat, Angelica postquam mandata capescit,
Ipsi namque Joseph aderat, cui talia fatur:
Quid mihi, quid vobis almi Joseph, atque Maria,
Quid cum conjugio, quod prolis cedit in usum
Jurane sunt ejus vestro contraria voto?
Mutua nam duplicis fit ibi translatio sexus.
Ergo conjugium vos vel derelinquere oportet,
Vel me, quo pacto Fidei parebitis ambo,
Vanane, vel mendax fieret translatio talis.
Vana quidem minimè fiet, purissima Virgo
Docta refert phronesis supremi filia Regis
Desuper allapsa, pectusque amplexa jacentis
Blanda viri, nec erit mendax, nec copula vana
D Legitimas inter personas dispare sexu,
Mutua qua dabitur in corpus utrumque potestas,
Ac individuè morem vitæ retinebit;
Non quòd carnalem post hæc præcedat in actum,
Obstabit votum, prout esset cernere, si quæ
Virgo virum, postquàm nupsit cum Virgine verbo
Præsenti, constat poterunt emittere votum
Mutuò, quòd carnale nihil post hæc repetetur
Immò conditio consensum si præit ista,
An licet, atque decet, si non præjudicet usus,
Et Lex Ecclesiæ laqueos cavet, atque pericla.
Jure licent aliqua, fieri non expedit illa,

Rarò

Raro quidem fomes divino nec nisi dono
Extinctus reperitur, & hinc conventio talis,
Talis convictus quàm magnum rete pararet
Illecebris, faceretque frequens effringere votum,
Sed neque conjugiis aliis spiramine solo,
Edere vult prolem Deus absque viro, velut istic
Edita jam crede, est dicetur & hæc tua proles,
Cur? Quia facta tuæ de sponsæ corpore, quale est
Jure tuum, semen sanctus tibi Spiritus almum
Suscitat in fratris, vice, tu legalis haberis.
Hinc Pater infantis, nutritio sola Patrem te
Non faciet, sed nec propriæ commixtio carnis.
Plaude Joseph, quia de Domino tibi fas erit olim
Dicere, filius ecce meus; divinius, oro,
Quid sublimius, & præclarius attulit ætas?
Filius atque Pater nunquid non grandis amoris
Nomina sunt, & præcipuæ pietatis imago?
Obligat hæc te laus titulo fundata paterno
Infantem cum Matre sua servare deinceps,
Causa ne conjugii talis tibi parva videtur,
Ut sudore tui vultus tua pane fruatur
Uxor & illius sis custos fidus in omni
Temporis articulo, sis testis virginitatis.
Debeat, & possit cui credulitas adhiberi,
Proderit atque tua trepidatio posteritati,
Concludent, quòd tu justus nunquam violatam
Duxisses sponsam, punisses vindice Lege.
Adde quòd in nobis Isaiæ verba valebunt:
En *habitabit* (ait) *juvenis cum virgine, sponsus*
Sponsaque gaudebunt. Vos hi, Joseph, atque Maria,
Quid? Quod celandus erat infantis novus ortus
Conjugis ob famam, nam perfidia quando malorum
Plebs Judæorum puerum sine semine natum
Crederet, innuptæ nec parceret impia Matri.
Adde, sathan fallendus erat: reliquas ego causas
Prætereo, cur conjugio jungenda Maria
Præcipuè tibi, virgo Joseph, vir juste senilis
Ætas quem nondum frangit, vel reddit ineptum
Curandæ soboli cum Matre, laboris & exors
Non es, non Fidei, te nulla libido titillat,
Antè quidem, nec post partum cognosce cupisces
Uxorem, nec enim templum temerare sacratum
Effractis votis fas esset, & unica proles.
Hæc sat erit nuptis cum virginitatis honore,
Candida virginitas: phronesis dum talia fatur,
Assensit, somnusque viri mox deserit artus.

DISTINCTIO QUINTA.

EXURGENS Joseph à somno sibi jussa peregit,
Uxoremque suam verbo præsente Mariam
Accepit, nec eam voluit cognoscere, donec
Primò parit genitum, nomenque Jesus dedit illi.
Non quòd post partum (procul hoc) cognoverit ipsam,
Donec enim negat hic tempus quandoque futurum,
Scandala ne tibi dent Scripturæ reddere passum
Cum passu studeas Doctorum more priorum.
Angelus ista ferens Gabriel si creditur esse,
Non horret ratio, cur non utrique minister
Assiduus fuerit, discretio spirituum dat,
Et sapor internus quòd non sit visio vana.
Credo recensenda sunt verba priora Matthæi
Esset cum sponsata Maria Joseph pia Mater.
Anteà quam convenissent, de Flamine sacro
Prægnans inventa est, invenit vir suus ipsam
Ut priùs est positum, quæ sit conventio talis
Nescio, si non solennis ritus, celebrisque
More suæ gentis, velut in Cana Galilææ
Adfuit ipse Jesus, & cum multis sua Mater,
Lætificans miro convivas germine vitis.
Quæ gens, oro, probat clam matrimonia facta,
Illa palam jungit, igitur conventio talis
Dicitur hic acceptio. Non jocundius ullum
Conjugium, ritu e sacro plùs concelebrandum
Regia nobilitas insignit nempe parentes,
Junge Sacerdotes, Patriarchas, junge Prophetas
Progeniem veterem, vicinos adde decenti
Lætos pauperie, gazas exuperat omnes
Ipse Dei timor, his cultus & victus honesti,
Conveniunt alacres, quos ipse citaverat heros.
Angelicis parens monitis cum Virgine votum
Virgineum priùs emisit, reverenter adorans
Hac in Matre Deum, Dominam reputat, neque posthæc
A Fomitis illectu scit fas, cognosce sacratam.
Se dat custodem, testem, comitemque fidelem.
Litera tale canit, cui concinit Allegoria,
Non secus Ecclesiæ, tu Papa daris vice Christi
Sponsus pro Pastore pio violare pudicam,
Crede nefas, sed eam te custodire necesse est.
Divina sub Lege datam, vel cedere Sedi,
Scandala subjectis, vel schismata si status affert.
Sensimus hoc hodiè, tempusque locumque notemus
Mille semel, centumque quater, septemque decemque
Orbibus in propriis Phœbus confecerat annos
Bisque decem, bis terque dies peragrando leonis
Julius in signo dederat, tunc schismatis altos
Pestiferi, Petrus de Luna cedere nolens,
Ejicitur Sede Papali voce sub una.
B Urbs dum Concilium retinet Constantia sanctum,
Balthasar ejectus fuerat, jam cesserat alter,
Triceps hoc monstrum fuit, ut sunt Cerberus hidra
Unum nulla modo contentio rumpit ovile.
Legimus, superest sponsus, Pastorque credetur
Unus in Ecclesia, cui totus pareat Orbis.
Virgo tuis fac hoc precibus, meritoque potenti,
Ipsa tuo celebres gratissima, spero, quotannis,
Fecundo prolis cum virginitatis honore
Conjugio sponsoque Joseph sacrabit honores
Natali ne tuo sic olim octava dicata est?
Hoc prior inspira tali nos munere dotes.
Alma Redemptoris Mater, cui lege superna
Vir justus, virgoque Joseph cum virgine nupsit,
Da celebrem, dignumque tuo persolvere cultum
Conjugio, fac nos ablutis sordibus omnes
Posse Deo jungi, Fidei qui fœdere puras
Desponsas animas, divino germine complet
Mentis castus amor, nomen non invenit ullum
Suave magis, penetrans liquefactis corda medullis,
Quam sponsi, & sponsæ, Salomonis Cantica cantant.
Verum si fœdis affectibus obsita mens est,
C Discrimen timeas carmen tam molle retractans.
Plurimus ast animalis homo est, sed spiritualis
Rarior, hæc Patres potuit movisse priores.
Hoc ne conjugium ritus popularis haberet
Concelebrare sacrum? tractare pudica pudicè
Vix valet impurum vulgus, petulans, & ineptum,
Insanit gaudens, furit iratum, medium nil
Sabbata neu cumules populo, malè fungitur illis.
Sobrius Ecclesiæ mos est, ideo vetus illud
Olim pro Druidum fano memorabile templum
Carnoti, titulus cui Virginis est pariturae
Hoc modo conjugium celebri de more colendum
Cœpit, & exemplum devotio sancta sequatur,
Post Evangelium missus sunt ordine recto.
Exurgens autem Joseph, exurgensque Maria
Missus Mercurii post de Lucia decoro,
Cultu perlegitur ternum, Venerisque sequenti
Dat Clerus mediumque Jovis nonus obtinet usus.
Miro Parisiis templum molimine structum est,
Annulus est illic duplex, cui gemmula duplex
Auro conseritur tenui, quos, Virgo, ferunt te
D Cum digitis aptasse tuis, est abdita zona
Incertum tibi vir si tradidit ista subarrans.
Felix conjugium quo proles estque, fidesque,
Est tibi res sacra, quæ signat mystica trinas
Conjugii species sibi nam connectere nostram
Naturam voluit æterno de Patre natus.
Illam suppositans, idiomata miscet utrinque,
Nubit & Ecclesiæ proprio cum sanguine Christus,

Agnus in aſpectu Fidei ſub origine prima
Peccantis mundi prævisus morte cruentus.
Nubit & ipſe Deus animæ, quam gratia format,
Quæ ſit Verbigena ſit Virgo, Filia, Mater.
Triplex conjugium, triplex Patriarcha figurat,
Primus Abraham, poſt hunc Iſaac, Jacob alter, & illi
Sponſas duxerunt vos Sara, Rebecca, Rachelque
Cum Lia: carbo tu Sara, Rebeccaque multum
Diceris accipiens, vitam ſignatis utramque,
Contemplativam Rachel, activam tu Lia ſignas.
Ignis cum carbone facit junctus velut unum,
Sic Deitas carnem ſuccendit, & unit, & indè
Exoritur riſus Iſaac, quæ plura recepit
A ſponſo ſponſa, quam quæ Jeſus Eccleſiæ dat
Tot Sacramenta, virtutes, dona beata.
Hinc variæ ſortis Fratres, Eſauque, Jacobque
Naſcuntur, bonus hic ſimplex, ſed eum fœtus alter
Perſequitur, ſemper bonitas odioſa malignis.
Huicque Jacob tot ſunt virtutes, quot Patriarchæ.
Extremi tu, chare Joſeph, tu Benjamin infans
In primo creſcens diſcretio ſignificatur,
Accuſans alias virtutes ut moderentur.
Contemplativus eſt Benjamin, hujus in ortu
Mater obit ſpecioſa Rachel, quia deficit ipſa
Mens contemplantis, ratioque ſagax alienum
Tranſit in affectum, levat & ſeſe ſuper, altos
Migrat in exceſſus, hoc ſcit ſoror Anagogia
Conſpicitur clara caligo, lucida nubes.
Spiritus effari ſecretum nec valet intrò
Quod ſentit, ſcit id & docet experientia ſola.
Spiritus ac anima ſcinduntur, *Magnificat* vox
Eſt animæ, ſed ſpiritus exultare refertur,
Aptè virgo tuum carmen ſecrevit utrunque.
Ignis ad exemplum qui dividit heterogena,
Juncta ſimul mixtis omogenea cogit in unum.
Namque vides crudis vitrum, focus elicit herbis,
Hoc in calce patet, hoc multa liquamina monſtrant
Ignea, conſcendit ita thuris virgula fumi,
Sic animam, quæ pars hominis terrena notatur
Corporeis nexam membris vis cogit amoris
Spiritui ſubſtare ſuo volat ima relinquens.
Uniri totus divino ſpiritui vult.
Purus pura petens, cordis compunctio fontem
Lotio quo fiat emundans, crede, miniſtrat.
Fervida cum luctu, lachrymiſque rigata profuſis.
Hinc fit theoricus exceſſus, & extaſis alma,
Quam praxis ſequitur zelans operoſa ſalutem
Alterius, ſeſe tum circà plurima verſat.
Pax intùs tranquilla manet, quia mens in idipſum
Sæpè redit, ſemper oculis divina tuetur,
Cælitùs æternis à montibus irradiata.
Ac operando frequens primævam conſulit artem
Rarum hominum genus in terris, ô dixeris, hoc eſt,
Angelica hæc vita eſt; ſic eſt; ſed proſpice tecum.
Ignibus in mediis, quidnam Laurentius uſtis
Carnibus eloquitur, quidnam Vincentis egit.
Quid ſacer obſeſſus turbis Antonius urbis.
Alta quies erat illis in ſublime levatis
Gratia cor ſtabilit, & miro robore firmat.
Talis crediderim fueris tu, Virgo Maria,
Dum poſt conceptum Judæ montana petiſti,
Obſequioſa ſeni cognatæ myſtica facta es
Martha, Maria ſimul, una quoque Lia, Rachelque.
Nonne Joſeph tractans operanſque fabrilia crebrò
Deſuper æthereos hauſiſſe putandus odores?
Dum ſibi certa fides, Deus eſt abſconditus, inquit,
Hoc in virginei fructu ventris benedicto.
Qui fructus ſuus eſt uxoris carne creatus.
Inde Joſeph Pater eſt quaſi Legis jure vocandus,
Et Jeſus eſt heres verus nec adoptio ſola
Dat titulum hunc: ſecus eſt ubi prodit adultera proles
Abſque viri juſto conſenſu, dicere non eſt
Quod prolem vir alat, vel eam ſuccedere jus ſit.
Eſt aliud quod corde capi nequeat niſi puro,
Effarique petit verbis ac ore pudicis,
Quando conjugii fit conſummatio, fiunt
Una carne duo, fit homò tanquam caro totus
Aſt in conjugio quod ſpirituale vocamus,
Deſipit ipſa caro, Deus, & mens ſpiritus unus
Fiunt, & major, ac purior indè voluptas
Sentitur, quantò conjuncta potentia digno
Dignior objecto eſt, premat heu niſi ſarcina carnis.
A Zelotes Dominus, & totus amabilis ultrò,
Sponſum vult animæ ſe tradere, verbigenamque
Reddit, deliciaſque ſuas dignatur habere,
Sponſam cantavit qualem Salomonis ab ore.
Sed quæres, ſi conjugium Joſeph, atque Mariæ,
Sit Sacramentum magnum, te, Chriſte, figurans
Eccleſiæ ſponſum, quia copula non fuit ulla
Carnalis, ſed carne Deus conformis habetur
Eccleſiæ membris; an forſan carnea proles
Hoc in conjugio ſignum ſuffecerit eſſe?
Undè fuit nexus niſi morte ſolubilis unquam,
In quali nexu fit virgo puerpera, natus
Sic parit Eccleſia, nec virgo deſinit eſſe.
Porrò velut Matrem Dominus cuſtode carentem
Linquere non voluit, ſic quam plùs diligit unam
Eccleſiam remanere vetat, cuſtodis egentem
Primus qui Pater eſt, ſponſique vicarius almi.
B Ampliùs ipſe David Rex uxori Sunamiti
Caſtè convivens, quam non cognovit amatam,
Conjugium ſignat rectè Joſeph atque Mariæ,
Non tamen ex æquo, nec enim volo crediderit quis
In ſponſi gremio ſic convixiſſe Mariam,
Diſſuaſit fieri reverentia debita Matri.
Tale aliquid plùs quàm formido libidinis ulla,
Vel quod adhuc juvenis Joſeph eſſet, namque juventus,
Ad quinquaginta perhibent, producitur annos,
Infra quos poterat partus velamen habere
Virgineus, nec ſic effectus ſi ſenio vir
Eſſet, & hinc Vates: *juvenis cum virgine* deget.
Corrupto nunquid fuerat ſocianda puella?
Quæ grandæva fuit ſoli commiſſa Joanni,
Quò magis Helvidi blaſphemum os, crede, ſpuendum.
Ergò Joſeph reputaſſe ſenem fecere ſeniles
In ſe virtutes, vel neu carnalis haberet
C Suſpicio de te quicquam carnale, Maria,
Donec virginitas tua fixa fidelibus eſſet
Cordibus, indè minor eſt mentio de Joſeph acta
Non ſubitò totam ſe monſtrat gratia mundo.
Nunc ſecus eſſe decet, dum toto creditur Orbe.
Copula virginea vobis ſine labe fuiſſe,
Munda, decens, cauta, cœleſti par, & honeſta.
Heu quam diſſimiles habet ætas perdita mores,
Moralis ſoror hinc conclamat, quæſo, cavete,
Femineos fugite convictus, nam latet ignis
Interiùs vivens, cur ſtuppa immittitur igni?
Credite quinetiam ſub Religionis amictu
Sævit amor cæcus, plus fallens, illicienſque.
Quanto puto turpem citiùs celare pudorem,
Credit ſe primo tutam devotio, ſenſum
Verba dat, & geſtus, quibus eſt laſcivia juncta,
Ac ita paulatim fœdo irretitur amore.
Tum ſe flagitiis tradunt, pulſo rubore
Horrida committunt meretrix, quæ non aget effrons,
Naturæ jura dicunt nihil eſſe pudendum.
D Et libertatem reputant ſi quod placet, audent,
Ut peccata tamen celent, foris aſpera fingunt,
Secta flagellantum docet hoc, docuere Begardi,
Philoſophi tales olim dixere caninos.
Sed neque conjugibus violare debet honeſtas,
Hactenus hæc, Evangelium jam littera narret.

DISTINCTIO SEXTA.

EXURGENS autem ipſa Maria diebus in illis
In montana abiit feſtina, domum Zachariæ
Dùm ſubiit, meruit ab ea cognata ſalutem.
Ut reputo priùs accepit te, Virgo beata,

Uxo-

Uxorem vir, quàm cognatæ, tecta subires
Et quàm ventre tuo notus fieret tumor ullus
Hoc tua poscebat, hoc clari fama mariti;
Quòd si prægnantem, si confestim parituram,
Dum professurus, & dum numisma daturus,
Sollicitus voluit te vir transducere secum
Bethleem in villam, turbis, & frigore plenam;
Quid nova nupta tibi, quid delitiosa puella
Nunc facere justus, dum longius instat eundum
Quomodò deleret te solam, nec comitatam?
Quid? quòd Pascha sacrum vel erat, vel adesse parabat
Quando Jerosolymis mas quilibet esse tenetur.
Ergò potest ex his concludi sufficienter
Quòd Dominæ fidus custos, tantique recenter
Conscius arcani, dederit pariter comitem se.
Primò petis Templum, hinc affines visere curas,
Fecundos noviter qui his duo millia distant.
Urbe Jerosolymis, ubi sors est Benjamin, atque
Totius est regni Judæ Metropolis alma.
Esto, fortè Joseph causâ quacumque remansit
Nazareth, ipse tamen progressum Virginis antè
Novit, & adjunxit consortia fida parentum.
Non quòd formidet crimen Zelotypus ullum,
Sed dare solivagis non vult exempla puellis.
O quali cum lætitia, dulcedine quanta
Cordis devoti, circumspicit omnia Templo
Ætatis totos ubi flores Virgo peregit.
Crediderim socias videt hic, notosque ministros
Levitici generis, Gersonitas, Gaathitas,
Atque Meraritas, & multos carne propinquos,
Omnia picta prius secum memorata retractat,
Surgit odorato Domino quem magnificat, cui
Pleno corde pias satagit persolvere grates.
Utque subit primum Zachariæ limen, anilis
Occurrit cognata sibi, quæ manserat intrò
Mensibus abdita sex, & ut exaudita salutis
Virgo tuæ vox est, mox exultavit in ejus
Infans visceribus, impletur Elizabet almo
Flamine, proclamat magna cum voce puellæ
Dicens. Tu benedicta inter omnes mulieres
Sis felix, fructusque tui ventris benedictus.
Atque hoc unde mihi, Domini quòd venerit ad me
Mater celsa mei? Tua protinùs ecce salutis
Auribus ut vox facta meis, utero meus infans
Gestiit exultans, & gaudens, plaude, beata
Quæ sic credideris, in te quia perficientur
A Domino tibi dicta; Maria refert igitur sic,
Magnificat anima Deum mea, Spiritus almo
Jure salutari meus exultavit, & altus
Ancillam vidit humilem, ex hoc ecce beatam
Me dicent omnes, quia magna potens mihi fecit
Est in progenies reverentes sæpiùs omnes,
In virtute sua perfecit magna potenter,
Cordis & ipse sui dispersit mente superbos,
Exaltans humiles, deponit sede potentes,
Implet & hic inopes, dites dimisit inanes,
Suscepitque suum puerum Israel, ut memoratus
Est pietatis quam nostros prædixerat olim
Ad Patres Abraham cum semine jugiter ejus.
Scire velim totis quid Virgo Mensibus egit,
Namque tribus mansit quibus & tu nutibus usus,
O Zacharia, sis cognata lætus adepta.
An scriptis aliquando notas quod corde repositum est?
O quotiens tibi Virgo senex cognata recenset
Lecto dum recubat, utero, senioque gravata
Gestorum seriem, gaudet sermone senectus,
Sede sedes humili suspensa loquentis ab ore.
Quàm magnus Dominus, & quàm laudabilis, oro est,
Talia qui fecit nobis miracula solus,
Jamjam namque senex, sterilisque puerpera fio
De sene; tu gravida es, de solo flamine Virgo,
Hoc equidem novi, non te referente, tumentem
Non uterum video, Deus est secreta revelans,
Implet quæ cecinit vatum præsaga priorum
Plurima vox, veniet promissa redemptio plebis
Hoc Zacharias, hoc & ego depóscere crebrò,
Et tu nec dubium soliti, sit quanta videmus
Orandi virtus, bona quæ plus publica curat,
Obsequiosa Deo, cujus mandata tremiscit,
Justitiasque facit Legis, vitatque querelas.
Orat dum Zacharias pro vicis ordine sanctum
Ponit, & incensum Templo, Gabrielis honorus
Inspicitur vultus, & vox auditur, eundem
Exauditum esse, linguam dubitatio plectit.
Obmutescit enim; plebs extra tota stupescit,
A Et mihi quis reputas timor affuit, angor, & horror?
Donec mysterium nutu, talamoque repandit
Pandit, ut è nobis infans nascetur, & omne
Vinum non bibet, aut siceram, virtus sed Eliæ
Splendescens in eo mirabilis usque patebit.
Qui quantùm fuerit victu, vel veste severus
Nosti, quàm lucens, ardensque lucerna potenter.
Concepi, ut cernis (in peccato tamen) infans
Hic meus ex utero promissus sanctificari,
Sensit in occursu nostro quid protinùs actum est,
Sensit & illustrata mei jubilatio cordis.
Multa mihi dicenda tibi, cognata supersunt.
Qualia divinus Doctor, Legisque Sacerdos,
Vir meus edocuit ritus, cultusque sacratos
Non decet in Templo solis nos sensibus uti,
Mente opus est, ô quanto sub velamine signant
Sacrifici ritus ea quæ nondum patefiunt,
B Informes formare volunt quam plurima mores.
Nonne notat sus luxuriam, carnisque lutosas
Illecebras, ideò nostrum non cedit in usum,
Sic lepus, & vulpis, vesci sic bubo vetatur.
Invenit in vetitis, in concessis rationem
Ad mores aliquam, quisquis traduxerit aptè,
Mystica sunt, vestes, ornatus fœderis arca,
Sic ars, natura libros picturaque præbent
Multos, stolidus est qui non se dat vel in uno.
O si me priscos Dominus revocaret ad annos,
Qualis eram cum me Templi secreta tenerent,
Quali me cura quantove ardore sciendi
Tradiderim studio, quædam scio, plurima nossem,
Præsciat, ô juvenis pretii sapientia quanti est,
Ne doleat senio, pigeat quoque temporis acti.
Ast superest magnum, charissima, magnificare,
Sed superat laudes, linguas supereffugit omnes,
Quis dederit cognata mihi gratissima, natus
C Filius ex te dum fuerit, complectar in ulnas,
Attollam manibus, ac toto pectore stringam,
Officio fungar gerulæ, figam oscula fronti,
Ludat & in gremio nostro, ludantque coævi
Infantes tuus, atque meus sed fata senilem,
Terrent, non ideò mihi præstolatio certa.
Vive beata nimis, quæ sis visura quod opto,
Pluraque dum fuerit ætas grandævior illis.
Huic desiderio congaudet Virgo benignè,
Sit licet introrsùs mœrens, quia conscia sortis
Venturæ est, mavult secum secreta tenere
Talia, scit quoniam lætis refovenda senectus,
Est senium morbus læsis non læsio danda,
Femina nec prægnans verbis oneranda molestis,
Surgit ad obsequium cognatæ Virgo ferendum,
Affert ipsa cibos, cunctantem hortatur ad esum,
Prægustans hilaris verbis vultuque sereno.
Jamque dies natus sterili veniebat ad octo,
D Certatim accurrit omnis vicinia plaudens,
Ac de montanis, Judæa, tuis simul assunt,
Mirantur, gaudent, plaudent & utrique parenti.
Fortè tuis puerum, Virgo, bajulaveris ulnis,
Ostentans alacri plausu, vos cernite, quantus
Est decor infantis, quam grataque gloria vultus.
Credo etiam, quòd te gravidam cœtus benedicit.
Namque tuo jam ventre facit Jesus ipse tumorem.
Et tu fortè, Joseph, aderas reduci comitem te
Præbens uxori, postquam tu Sion in arce
Legis more sacram Pentecosten coluisti.
Felicem tali te conjuge, proleque, dicunt,

Sim-

Simplicitas aliqui quòd sit tibi, Virgo, columbæ,
Quodque pudicitiam vultus, gestusque loquuntur,
Collaudant, quia non urit decor iste videntûm
Lubrica corda virûm, sed in ipsis temperat æstum
Frigidus è facie quasi ros spiraverit intrò.
Gaudia multa nimis omni de parte patescunt
Vox laudis, cordis jubilatio, carmen, & hymnus.
O Gabriël, tua vera patet promissio, multi
Gaudebunt ejus natali, gaudia vitæ
Ejus pro meritis nobis sint spiritualis.
Quisne, putas, erit iste puer, dicunt? Manus ipsa
Nam Domini puero signis se monstrat apertis:
Cernitur en præter naturam corpore robur;
Aut aliquis forsan usus rationis in illo est.
Unde Pater sibi decantans, & tu puer, inquit,
Perfectum perfecta decet formatio, mirus
Mira facit Dominus, naturam gratia vincit.
Vendicat hìc cœli nil constellatio juris,
Deserti puer hic hominem super incola mansit,
Illa luce puer fit circumcisus, & ipsi
Dant nomen Zachariæ, Mater sancta Joannem
Vult appellari, scripto Pater astruit illud,
Spiritus implet eum sanctus, mox ore soluto,
Sit benedictus, ait, Dominus Deus Israël, hic nam
Visitat, & redimit plebem, cornuque salutis
Erigit in nobis David ipse domo, prout olim
Ora Prophetarum prædixerat ipse suorum,
Hostibus ex nostris qui nos odere salutem,
Cum Patribus nostris ejus pia gratia fiat,
Atque sui sancti Testamenti memoretur,
Jusjurandum quod Abraham jurasse daturum,
Se legitur Patrem ad nostrum, nos quatenùs illi
Servi sancti, justi libertate perenni,
Hostis ab incursu pulsa formidine simus.
Tu puer vates summi vocitaberis, ibis
Antè suam faciem, callesque parabis eidem.
Sicque salutifera dabitur sapientia plebi,
Et peccatorum completa remissio fiet
Viscera per viduæ pietatis visitat alto
Nos quibus exoriens, venit illustrare sedentes
In tenebris, & in umbra mortis carcere cæco
Nostros dirigere gressus in limite pacis.
Virgo redit, residetque domi, secumque retractat.
Nunc Zacharias quæ cecinit, modò, quæ variorum
Vocibus audierat, apicem, nec jota relinquens,
Confert corde suo, neque passim quæque revelat
Aut hìc, aut illic, satis est vir conscius unus.
Vive, beate Joseph, cui mystica tanta patescunt
Prævenis obsequio Dominum, Deumque vocat te,
Alter in alterius pariter congaudet honore.
Quomodò Verbigena mens fit, docet Anagogia,
Nam sanctæ menti Gabriel dum nunciat, hoc est
Intimus instinctus dum suggerit, ut paritura
Sit Verbum Domini, quod virtus alta supremi
Impraegnabit eam fecundans germine sancto.
Synderesis consentit ei, Virgo licèt expers
Sanguinis & carnis, neque vir cognoverit illam.
Vir suus est intellectus, vis cujus in istum
Nunquam pertingit partum, sed sufficit ipsa
Gratia Verbigenam supremam reddere mentis
Particulam, quæ se dat ei passiva ministram.
Conceptus est iste tui typus alma Maria.
Ast pars inferior animæ, quæ non ita virgo
Quæ de se sterilis, & quæ corrupta frequenter
Esse potest, te signant Elizabeth aptè.
Parturit hæc fructum virtutis, ritè Joannem
Dixeris, est in eo quia gratia, prospice rursùs
Nunciat ut prægnans corruptæ virgo salutem
Gaudet, solatur ita mentis portio summa
Dum fit Verbigena, partem descendit ad imam,
Letificans ipsam, cùm morum prole beatæ
Portio sic major venit obsequiosa minori,
Sic fert activæ contemplativa juvamen.
Porrò si tantas præsentia Virginis offert
Jocundas dotes in utroque parente Joannis,
Quid de te, præclare Joseph, fas est meditari?
Virginis in reditu totis sex mensibus actum,
Quorum fine Jesus oritur, quod Litera tradit,
Significatque locum, reserans quid Gratia fatur.

DISTINCTIO SEPTIMA.

A PAX erat, & Martis horrentia bella quiêrant,
Creverat Augusti jam quadraginta duobus
Annis imperium, totus describitur Orbis
Ipsius Edicto, pax talis, tantaque divi
Muneris est pridem à sanctis promissa Prophetis.
Quisque suam pergit ut profiteatur in urbem,
Inde Joseph, cùm sit justus, parere jubenti
Vult Regi, quamvis sit flagitiosus, & exlex.
Hoc exemplari confunditur improba cervix
Quæ subjici renuens erronea tradit in ipsis
Absque Fide populis, quòd nec possessio justa est,
Nec regnum, quasi jus naturæ gratia tollat.
Certè vult Dominus injustis tradere justa
Imperia, & Regna, quæ transfert, tollit, & addit,
Ut placet, hæc sua pro titulo est, pro jure voluntas;
B Munera sed justi soli majora capescunt.
Conjunx sit licèt ad partum jam proxima, pergit,
Et gravidam suus omninò non prægravat infans;
Alleviat potiùs, gestat se namque gerentem.
Bethleem intrarunt, quæ, voce interprete, panis
Dicitur esse domus, secumque considerat alma
Mox fore complendum quod dixerat antè Michæas,
Exiet ex te Dux populum reget Israël, ejus
Fiet & egressus æterna à sorte dierum.
Sit natura licèt expers propriæ rationis,
Divina regitur, quæ nunquam fallitur, arte.
Hinc nidos avis, indè favos apis efficit aptè,
Gratia quantò magis ad fines omnia librat
Quæ prosunt media. Venit Joseph, & Dominus fit:
Cirus, & expositus perdendus dente ferarum
Scandit ad imperium. Moysem submersio salvat;
Bethleem ecce Joseph veniens, oracula complet.
C Sic à fine regit usque ad finem sapienter
Gratia, fortiter, atque suaviter ordine miro
Singula disponens, res omnes ad bona vertens.
Hæc tua spes, hoc consilium, fiducia tota
Quicquid agas, aut proponas, te dirigat, ora.
Bethleem haud dubium est multi tibi, virgo, propinqui
Materno ex genere, diverticulo tamen uti
Paupertatis amor facit, atque locus nimis arctus,
Et datur exemplum, quòd nos mundus premit iste.
Vesper erat primam quod dat post sabbata lucem,
Dicere quam Domini, solisve diem solet usus.
Mense Decembrili jam bis quartoque calendas
Se diverticulo retrahit, solamque recludit
Virgo; Joseph cedit, felicem poscit uterque
Partus eventum, Deus hoc vult, nec minus orant.
Ac prope te, Virgo, sunt ignis, balnea, panni.
Pro cunis præsepe, tibi soli Deus astat
Multa viri subiit, ut fit, meditatio mentem.
Miratur quòd non sentit fastidia partus
D Conjunx, nec monstrat ullos plangere dolores,
Vividus in facie color est, nec lividus ore
Fallor, ut in gravidis, sibi gestus, gressus alacris.
Solvitur in levem somnum, lapsuque silenti;
Complexuque sacro demulcet pectus amicum
Gratia, quam divinus amor genuit, peperitque
Gratus amor, vel amans, hinc gratia dicitur aptè,
Cui facies formosa nimis, gestusque benignus,
Vestis purpurea, cœlestem os spirat amorem.
Hæc sibi visa loqui non verba simillima somno:
Mirari nolito, Joseph, si magna potenter
Magnus, & Omnipotens vult, atque potest operari.
Gratia nam supero naturam, judiciumque
Justitiæ superexalto, sum fortior ejus
Communi lege, proprias mihi condere Leges,

Jus reputo, videas quot habet miracula mundus,
Qualia nemo satis miratur; sed solet usus
Solis in raris laudem, pretiumve putare.
Si cœlo, terris, ponto, cunctis & abyssis
Inferior me tot, natura facit, facietque:
Cur non virgineum mihi fas erit edere partum,
Quo dolor omnis abest, nec fractus sit pudor ullus?
Sol radium genuit, radius vitrum penetravit,
Emicuit botrus, ruptum nil indè videbis.
Porrò justitiam, sine qua pax affore nollet
In terris, primùm placandam noveris esse,
Ipsa tenax veri, sua stat sententia mortis
In genus humanum pro crimine justa parentum.
Fiat parvulus hic, qui mox nascetur oportet,
Vobis justitia, sapiens sanctusque Redemptor.
Curas depone, Dominum benedicito lætus,
Virginis instantem conceptum sanctificare
Et potui, & volui, redimens perfectiùs ipsam,
Præveniens casum, quàm sit relevasse jacentem.
Tota fuit pulchra, nulli unquam obnoxia culpæ.
Absit ut attritus ab ea serpens caput ejus
Anteà contrivit peccati sub pede fœdo.
Absit & hoc fuerit & membrum dæmonis unquam,
Gratia suppleo justitiam quam perdidit Adam.
Vix mihi major inest, licèt omnes tollere pœnas
Non soleam, nulla premet hanc angustia partus,
Cur? Quia nulla fuit in concipiendo libido.
Interea peragrat medium nox algida cursum,
Virginis è clausa tunc porta prodiit infans
Sermo Dei omnipotens regali à sede beatus,
Mox pannis involvit eum sola & pia Mater,
Præsepique locat, præbet latriam prior illi.
Vult infans primam nobis similem dare vocem
Lugubrem, vagit, vagitum cujus ut audit
Solvitur à placido vir somno, lætus & intrat
Ad te, Sancta Parens, tibi collætatus adorat
Poplite deflexo natum puerum, Dominumque
Stringit, & ad pectus, te te tradente fovendum,
Deficit hìc sensus, ratio stupet, omneque mentis
Caligat lumen, dum te, vir, cernere tali
Conor in obsequio, quid dicam nescio, voces
Nullas invenio tua quæ præconia dicant.
Nonne Dei Verbum custodis, cernis, & audis
Contrectans manibus, attollis lætus in ulnas?
Sentiat hìc quod quisque volet, mihi suadeo nullos
Inter dilectos Domini vixisse priorem,
Qui teneros Christi totiens ita sensit amores.
Pectore tu Domini recipis secreta, Joannes,
Sed semel hoc: fruitur quotiens hoc justus honore.
O benedicta cohors te, virgo, Josephque, Jesumque,
Consocians, ô quis spectacula tanta videre
Et si non oculis poterit vel mente fideli?
Dum vos lætificat ambos modò parvulus ortus,
Dum blanda flentem cura refovere studetis,
Pastores celeri concursu Bethleem intrant:
Conquirunt ubi sit novus infans ortus in illa.
Ad diverticulum veniunt, aut indice quoquam,
Instinctu, signove aliquo divinitùs acto,
Hìc non grande specus, ubi bos asinusque ligati
Sunt ad præsepe, medio Jesus est resupinus,
Atque voluminibus ligat ipsum fascia strictis.
Heros miratur, fremitum primò, strepitumque
Turbæ adventantis, quæ pulsans clamitat, an ne
Femina parturiit intùs, petimus, videamus.
Dic nobis, bone vir, si quid cognoveris ipse?
Nam Joseph exierat ad eos: intrate, videte,
Respondet, veniunt, puerumque vident, & adorant.
Undè sit hoc vir pastores interrogat, ô vos
Felices, aiunt, ô tali prole beatos!
Omnis plebs plaudat, populus congaudeat omnis.
Ecce quod Angelica prædixit visio nobis,
Visio quæ, qualisve, precor, dum vir petit, omnes
Enarrare volunt, tandem sermo datur uni,
Inchoat, ac puerum certatim est cura videndi.
Fertilis & lætus ad pascua campus abundans
Ad triplex milliare situs, grex multus in illo,
Quem vigiles dum custodimus nocte profunda.
Tempore Solstitii, quo sol meat in Capricorno
Angelus astitit, & lux circumfulsit in omnes
Clara micans, tremimus, magnoque pavore stupemus.
Angelus est nobis, nolite timere, locutus:
Ecce evangelizo vobis gaudia magna
Omni pro populo, quia vobis est modò natus
Salvator mundi, Christus Dominus, David urbe.
A Addidit & signum nos quale videmus apertè
Et subitò facta est cœlestis multa cohortis
Militiæ vox, quæ Dominum laudat, resonatque:
Gloria sit cœlis Domino, pax reddita terris
Humano generi, quibus est non prava voluntas.
Talia mirantur hi, quorum venit ad aures
Sermo, suo cuncta conservat corde Maria.
Conservatque Joseph, & secum audita recensent.
Postores abeunt, collaudant, glorificantque
Omnibus his Dominum, quæ cernere contigit ipsos.
Credet fortè aliquis quòd de grege munera cœtus
Pastorum gratus transmiserit, aut ob honorem
Divinum, vel quòd fuerit miseratus egentes.
Non aurum ut Reges, sed mel, lac, sive butyrum,
Vellera vel nenda, vel oves, agnosque tenellos.
Et quid nos agimus? Nunquid non glorificare,
B Ac laudare decet Dominum, cognitio major
Est quibus indulta de Christi Religione?
Nascatur nostro puer hic in corde, Fidesque
Sit semen, sit pneuma Pater, sint gratia, spesque
Obstetricantes, est mentis portio summa
Inviolata manens, sit Mater, filia, virgo,
Dum mens verbigena meditando parturit ex se
Divinum noviter Verbum: sufficerit illud
Panniculis tegere, si defuit aurea vestis,
Pro se fulget enim, cultu non indiget ullo.
Non tamen ornatum rejicit, quando datur ultrò.
Plus gaudet veste quæ verbis texta sacris est,
A solis quàm si fuerit depicta Poëtis
Gratia multimodè partitur dona per omnes
Qualiter ingratos: tamen accipe gratia culpat.
Evoco te, mortalis homo, responde vocanti
Gratia sum, tibi contulerim quàm magna videto,
Tu redimendus eras, quia perditus, exul, & arctæ
Mortis in imperio positus: sed solvere solus
Hoc poterat pretium Deus, æternalis & altus,
C Quem frustrà capere tentasses, sive videre.
Feci quòd similis fieret tibi, tempore factus
Immensus mensus, & parvulus, atque videndus
Objicitur tibi sacco vestræ carnis opertus,
Palpandusque datur. Si formidabilis ejus
Visa priùs fuerat sapientia, flagitiosos
Accusans, si justitiæ damnatio terrens
Conturbabat te, si deindè potentia sævis
Horrida tormentis formidine concutiebat
Justè damnatum, nunc respirare memento.
En sapientia fit infantia, fit quasi non fans.
Porrò justitia damnatur, justiciatur,
Ut solvat pœnas tanquam rea criminis omnis
Judice me, per me prostratur summa potestas.
Do Legem justo, vinclis astringo potentem;
Denique concludo verbum sapientis in ore.
Victrici datur ergò mihi de jure triumphus.
Omnis ingrate si non sit gratia talis
Grata tibi, quid si multa majora rependi.
D Pauper eras, pro te ditando dives egenus
Efficitur, mirum si non sunt sufficientes
Divitiæ tales, infinitusque thesaurus.
Ampliùs efficio, mens quòd tua cœlica Verbi
Esse potest summi sancto spiramine Mater.
Væ tibi, sed rarò perpendo signa nitere,
Infantis nati, virtutum te quia panni,
Fascia nec religant disciplinæ, nec in imo
Vis inclinari, nec te puero similem das:
Vis altus, dives, pomposus, grandis haberi.
O respice videns infantem, & utrunque parentem,

Funde preces ad eos, pete natum qui tibi natus
Est hodiè, nec enim pueri mos est reminisci
Iræ, rancoris, odiive, nec impia fiet
Ergà te Mater pietatis, Mater amoris,
Nec Joseph invidus est, nullam patiere repulsam
Justitiæ, si Judicium formidine terrens
Prægravat, appella, pete me, mea suscipiet te
Curia, salvus eris, si te damnaveris ultrò,
Parabuntque tuam causam Joseph, atque Maria.
Immò tuas Jesus accipiet pro Judice partes.
Dùm sedeo propera, si cessero, clamor inanis
Fiet, crede, meis etiam sub legibus esto.
Vis tibi dem veniam parcens, aliis veniam da
Pastores imitato gregis, custos vigil ut sis,
Grex tuus hic sensus & motus colligit omnes.
Auribus intende cordis, quid turba canoro
Cœlestis resonet hymno, pariter cave, vita
Concordet voci, non sit simphonia discors.
Gratia plena satis hominem monuisse putetur
Addidit: infantis dum Circumcisio fiet
Cum lacrymis & cum valido clamore salutis.
Nomen quod Jesus est, capiet, sub luce propinqua,
Quo sine nulla patet homini salvatio terris.

DISTINCTIO OCTAVA.

Post ortum pueri fulgere dies properabat
Octavus, jam bifrontis, primoque Kalendas,
Astanti tibi juste Joseph, sic Virgo locuta:
Mi vir, mi Domine, sit circumcisus oportet
Infans iste, suis ut fratribus assimiletur,
Legibus astrictos ut solvet, Lege sub esto,
Quamvis sit Dominus non Legi obnoxius ulli.
Dixerat, & faciem detorquet Virgo benignam
Ad cunas nati, levi quibus ipse sopore
Fortè quiescebat. Fili suavissime dixit:
Jam fundendus erit sanguis tuus, atque tenella
Cultro præscindenda caro, nudaberis acri
Vulnere saucius, & frigus tolerabis iniquum.
Undabit lachrymis facies speciosa, dolenti
Vagitu, simul & valido clamore replebis
Aures astantum, me me penetrabit acutus
Plangoris gladius, maternaque viscera rumpet.
Parendum tamen est, fuerit quæcumque voluntas
Abba, Pater, tua, tu modò, mi vir sancte ministros
Accersi legis, fiat, nec erit mora, crede.
Respondit justus tremula cum voce, tremorem
Incussit luctus, quo sit turbatus, amatæ
Uxoris, pueri, matrisque vicem miseretur.
It mœrens secum meditando plurima volvit.
Ast postquam Mater cum solo clausa remansit,
Tum lachrymis totas verbisque relaxat habenas.
Quid loquar, aut sileam? Quando, purissime Fili,
Innocuum sine peccato te cerno reatus
Humani luere generis, maledicta parentum
Primorum noxa. Potuisti, Conditor alme,
Ne caderent servare priùs, vel ut hi cecidissent.
Nunquid non poteras aliter servare cadentes
Sanguine quam geniti pœnis & atrocibus ejus?
O Gabriel, memini mihi te dixisse salutem,
Ecce dolore premor, omnis quia criminis expers
Diras peccati tenero fert corpore pœnas.
Ast ità vult fieri, Quæ sum? Quæ murmura contra
Velle suum dederim, quamvis dolor urget amarus,
Extorquetque meo molli suspiria corde.
Solvitur intereà pueri sopor, hinc adapertis
Paulùm palpebris lucem quærens propè cernit
Astantem Matrem, vultum quæ protinùs ejus
Inclinata petit delibans oscula fronti,
Dat lachrymas quibus ipse suas immiscuit infans.
O cor duritiem solidi superans adamantis,
Quod non emollit tantæ pietatis imago.
Affore, Virgo notans horam quam tradere oportet,
Infantem refovet, lac præbet, balneat, aptat,
Exhibet, effertur, nomenque Jesus datur ipsi,
Præmonet id Mater, sibi dixerat Angelus antè,
Dixerat atque viro, fieret quia causa salutis
Dulce Jesus nomen, ex quo tu, Virgo, subortos
Compescis gemitus, cor contemplatio sursùm
Sublevat, & gaudes toto Orbe venire salutem,
Gaudia compensant paucos æterna dolores.
A Romani veteres posuêre salus tibi Templum,
Vera salus Jesus est, sine quo salvabere nemo,
Vexillum fuit hoc nomen tibi, Paule, per Orbem,
Cujus sunt Fidei strati virtute rebelles.
Est cordis jubilus Jesus, exultatio mentis,
Estque triumphale nomen vincens sceleratas
Peccatorum acies, Jesus, ergò mihi Jesus esto.
O dignare, salus tua sum mihi dicere servo.
Nomen ad hoc Jesus in cœlis, terris, & abyssis,
Cuncta genu flectunt, tentatio diffugit omnis.
O celebrande Joseph, cui nomen tale revelat
Angelus in somnis, quotiens nomen Jesus ore
Suave tuo sonuit, verbo dum faris amico.
Sæpè sibi quanta dulcedine cor recreatur?
Gratia naturæ dominans, hodiè benedicit
Anni principio, sunt hæc encænia nobis
Magna nimis, non quæ solita est præbere vicissim
Vana superstitio, nobis modò gratia donat.
B Valdè salutiferum sacro cum sanguine nomen,
Ergò redde vicem, præbe sibi quod petit à te,
Namque tuum cor, crede, petit, cor trade petenti.
Quis neget ingratus donatum, nemo retractet
Chara Jesus cordis possessio, pars benedicta,
Adjice quod thronus meus, in quo gratia versor,
Est puer iste Jesus, cujus gerulus Joseph astat.
Accedas ad eum, pete me securus ab ipso,
Aude, quid refugis? Incredulus esse caveto.
Flecte genu cordis, sit simplex, sitque fidele,
Pacis amans, humile Domini quod verba tremiscat,
Tale cor implere, mihi credito, magna voluptas.
Fortè Joseph meditans quid Circuncisio signet
Mystica, quæ cordis resecare superflua novit.
Incircumcisum nam cor vetat esse Propheta.
Mente videt, quoniam lugens Contritio cultrum,
Seu compunctio fert moralis, & alma Sacerdos
Gratia, mittit eam vitiosos tradere mores
C Notum quo pacto: post hanc videt Allegoriam
Errores gladio Fidei præscindere cordis.
Altior & potior est Circuncisio, qualem
Intellectus agens in nobis efficit utens
Abstractiva vi, quasi celte, vel ense secando
Materiæ partes, ut spirituale seorsùm
Separet & phantasma loco, phantasmaque motu
Intrò susceptum denudans, materiales
Abstrahat à formis vi forti conditiones,
Sicut ubi, quando, quantum, vel quale relatum.
Verùm abstractiva vis hæc hebetata frequenter
Redditur à carne, sed eam meditatio fervens
Ut eos exacuit, si Circuncisio duplex
Facta prior fuerit, quam mos dat, & Allegoria.
Exemplar dignum factor statuæ tibi monstrat,
Ex ligno informi pulchrum qui format agalma,
Adjicit ipse nihil, fit ibi detractio sola
Partis multiplicis, formosa resultat imago.
Sic quasi materiam, cui pulchram vis dare formam,
Entis phantasma confusum, vel rude, quale
D Corde tuo facilè retines, & quod priùs intrat
Accipito, nihil addideris, species latet intrò,
Eradas, facito quicquid perfectio non est
Entis, in hoc verbo conclusum, quod vagus affert
Secum conceptus, ut dicimus esse creatum,
Esseque dependens, cui juncta potentia, tempus,
Aut privatio sit, ubi, quale, relatio, quantum.
Hæc abstractivæ virtutis distrahe celte,
Protinùs erumpet entis pulcherrima forma,
Cortice purgata, deformi, nuda, remotis
Turpibus involucris, omnique quod accidit enti,
Conspicies quòd sit unum, purumque necesse

Æter-

Æternum, nec habens aliquid caufabile rerum
Principium, finis, exemplar, forma, figillum.
Conceptus tamen hic, vel imago, vifio non eft
Clara fed abftracta quafi circuncifa per omne
Quod notat imperfectum, fi nudaveris entis
Nomen ut edocui, propriè tunc convenit uni
Supremo, folique Deo, dicefque quòd hoc ens
Eft infinitum pelagus fubftantia dictum.
Nomen fignat idem tetragrammaton appropriatè,
Nam neque refpectum gerit ad res quafque creatas.
Hæc contemplatus fecum Jofeph, æftimo fponfam A
Vult fore participem, quid non communicet illi?
Doctior illa quidem fuper his ea comprobat, addens
Abftrahit ens, ut ais, dum mens fibi fomat agalma,
Sed capit ipfa boni formam dilectio, quæ non
Permanet intra fe, nec imagine fiftitur entis,
Concupit ire foras, in amatum fibi prorsùs
Vult transformari, vult fe transfundere totam.
Fortis enim quafi mors amor eft, ut flammeus ignis,
Ac velut, accenfa rutilans fornace liquefcit
Aurum, fitque potens omnem tranffumere formam,
Nec propria fiftit, fic mens ignita fuperno
Cum defiderio femper liquefacta movetur,
Donec fine boni primo requiefcat amato.
Eft equidem bonitas hæc fornax fpiritualis
Illius ignis, quo debet fervefcere tota
Mens in amore Dei, quoniam folus bonus eft, &
Hoc nomen bonitas proprium fibi quod Jefus aptè
Denotat excelfo demiffum nomen olympo.
Ordine procedunt amor & ratio quafi verfo,
Ens fibi confimilat ratio, fed amor fieri vult
Ipfe bono fimilis notat hoc, puto, carmen amoris,
Dilectus meus eft mihi, fum fibi, confimilamur,
Intellectus enim mihi fe, fed amor fibi me dat.
Sed nec amor motus eft difcurfivus, ut effe
Vult ratio, fatis eft uno fi fiftit amato.
Tunc requies fibi, tunc fomno plafmata quiefcit,
Se premit in folido cum toto pondere centro.
Ergo potens fit Circumcifio vim per amoris
Junctus fit Fidei, fit amor virtus rationis
Non ita laudatur, quia conquifitio fenfum
Multos in reprobum dedit, agnoviffe dabatur.
Quod Deus ens primum, quod mens fuper omnia præftans
Glorificare, tamen meritis nec reddere laudes,
Non latriæ cultum benè vivendo voluere,
Quin libertatem fibi detraxere docentes
Ingrati, quòd eam fato parere neceffe,
Aut quòd fortuitò fluitarent omnia cafu
Legibus orba Dei, mores idcircò nefandos
Ac execrandos pulfo fecere pudore.
Flagitiofa fui cordis commenta fecuti
Functi fine malo, fed amor ftudet obfequiofus
Effe Deo, refugit fcrutari plurima credens
Conteftante Fide, Deus eft, quodlibet, & omne
Quod voluit, fecit, cœlis, terris, & abyffis.
Quo fine nec paffer cecidit, nec ab arbore ramus.
Hic Pater eft nofter, merces quærentibus ampla,
Quamvis propter fe fit totus amabilis ultrò.
Ifta Fides fe fimpla bono defigit in uno.
Sit licet infirma ratio, fit deforis, intrat
Intima fortis amor dilecti, fidit, & audet,
Supremum nec jam penfat Dominum, fed amicum.
Aft aliis tantus rationis, tantus amoris
Erga divina defectus, fpirituale
Nil capiunt, vita merguntur compare brutis.
Caufat & hanc phrenefim carnalis virus amoris
Quod reputant animas vel nullas, vel perituras,
Noftra tamen quia vis intellectiva capax eft
Numinis æterni concludit, perpetuam fe
Credit, & indignam, fe carnis fternere legi.
Hoc aperitur, fi fit circuncifio cordis,
Præcipuè per cauterium cœleftis amoris,
Additus & fi fit luctus, lachrymofus, & ungens,
Et cor dulcorans quod confolatio linit,

Jam fatis eft Domina, Jofeph intulit, ecce per Orbem
Nefcio quis rumor auditur, video quid fit
Orta quidem fuper adventu vaga fama Magorum.
Præpetibus pennis nunc hac, nunc evolat illac.
Intereà dat lac puero, dat balnea Mater.
Nondum erat in carne pueri curata cicatrix
Præputii, pellis hæc portio fciffa refertur
Terris manfiffe; negat hoc alius quia Chriftus,
Inquit, furrexit cum carne, & fanguine totus.
Totum quicquid erat nos furrexiffe fatemur
Integrans hominis naturam, pellis adempta,
Si cruor effufus fint talia, crede refumpta.
His fuper atque aliis fenfus fit fobrius, & tu
Dic ita, quòd Fidei pietas non deroget ulla,
Confilium tale dat litera, deindè fubinfert.

DISTINCTIO NONA.

URBE Jerofolyma Judææ Regia Sedes,
Ac ftudium Legis, Templumque jure colendum
Extitit à docti Salomonis tempore Regis.
Nunc alienigena fua fceptra tenebat Herodes,
Undè Jacob Patris oracula vera videntur
De fuper adventu Meffiæ gente cupiti,
Venerat ille quidem, gentes regionis Eoæ
A Balaam doctæ, qui Job memoratur amicus.
Qui maledicta parans fuper Ifrael addere, vertit
B In benedicta, potente Dei virtute coactus.
Ex Jacob, hîc cecinit, orietur ftella refulgens,
Stella fuit formata novi prænuncia Regis,
Confpiciunt illam Reges, veniunt & in urbe
Sancta, dum fiftunt, conquirunt, eft ubi natus
Judæorum Rex, hæc urbem quæftio turbat,
Te perturbato nimium crudelis Herodes
Jugiter anxia fit dominandi fæva cupido,
Et qualis rector urbis tales habitantes
Vel funt, vel fingunt, rationem plebe requiras,
Invenies nullam, vento, eft plus mobile vulgus.
Turba Sacerdotum, Scribarumque agmine multo
Commoniti veniunt, & dant refponfa petenti.
Nafcetur Chriftus in Judæ Bethleem urbe,
Sicut divina deprompfit voce Michæas.
Auxilio nimis humano qui fidere quærunt,
C Perdunt divinum: fit in urbe recondita ftella
Deforis infpicitur, Reges præcedit ad ufque
Clara domum fupra pueri confiftere vifa,
Congaudent valdè: crudelis clam priùs ipfis
Rex accerfitis fallax condixerat, ite,
Quærite de puero, ut veniens devotus adorem.
Mentiris, fraus ficta tibi, nam perdere quæris,
Non colere infantem, fic fe perquirere verum
Fingit hypocrita, vult expugnare repertum.
Inveniffe Jofeph paftores Littera tradit.
Mentio nulla fit hîc, fed qualiter hujus honoris
Hujus myfterii manfiffe putabitur exors?
Præfertim Reges, qui non ceffere repente
De reditu vetito, nam fomnis vifio facta eft.
Quid? quòd muneribus erat aptus fufcipiendis,
Atque recondendis, an fola relicta videtur
Mater cum puero, quando vaga fama per urbem
Infonuit totam, Reges veniffe potentes
D In dromedariis cum pulchro, & divite cultu.
Quid? quòd fortaffis prægrandis fulgida ftella
Vifa fuit multis, figno quæ ftella peracto,
Materiam redit undè fuit formata priorem.
Tantos nonne, Jofeph, tecum miraris honores;
Nunquid non Matri congaudes triftia paffæ
Multa prius, puto, quid vult hæc veneratio quæris?
Refpondet Virgo vates memorata priores:
Mi vir, mi Domine, falvandas credito gentes,
Et fua perfundet Fidei luftratio corda,
Primitiæ veniunt, inter miracula nullum
Majus prædictum eft, totoque implebitur Orbe.
Fiet & Ecclefia de gentibus; aft Synagogam

Magna pro parte cæcavit devius error.
Divitias Reges & opes cumulare cupiscent,
Addent ornatus Templis cum dotibus amplis,
Plurima dona ferent, quæ mystica plura docebunt.
Nox venit & justum Joseph admiratio grandis
Mentis in excessum rapit, & secum meditatur
Seclusus solus humili castoque cubili.
Conquirit si fortè Magi studio rationis
Edocti veniunt, vel tractu Legis in astris.
Nam deduxit eos radiantis stella nitoris,
Dicitur anne Magus magicas quia noverit artes,
Decidit in somnum sensim dum talia pensat.
Visa loqui grandæva parens natura decorum,
Astriferumque caput illi quod signifer ornat
Circulus, atque orbes septem totidemque planetæ,
Continet hæc utero cunctarum semina rerum,
Semina sunt elementa sibi, quæ temperat, & quæ
Influa conciliat vis cœli, mixta perindè
Profert assiduè species distincta per omnes.
Noli, clare Joseph, dubiam deducere mentem,
Quærens fortè meis si feci viribus illam,
Quæ stetit hîc stellam, si, me ductrice, Magorum
Venerit ista cohors rationis lumine visa.
Scito tale nihil cœlis vel in aëre gesto
Funereas cognosco meum formasse cometas,
Flammiferasque faces similes radiantibus astris.
Quas admirantur subitò per inania labi.
Huic alius motus, huic perduratio dispar,
Hunc circà puerum (nec denego) plurima fiunt,
Quæ nostras superant leges, perquirere causas
Non nostrum, Domino parere necesse jubenti,
Sed neque nobis est hominum subjecta voluntas,
Libera nunc illuc, nunc huc convertitur, ut vult.
Idcircò Leges nequit experientia certas.
Colligere, humanos dum sub se respicit actus.
Cur? Quia nec cœlum, nec ego, causavimus illos.
Junge, quòd humanus supra me finis habetur
Gloria dicta beans, ad quam dux gratia sola,
Non ego, nec media disponere sufficiens sum.
Ast aliter fuerat hominis formatio prima,
Nam memini per cuncta sibi dedit officiosam
Me Dominus, jussit illi post esse rebellem.
Sed majora dedit, valeat quam nostra potestas,
Dum reparare placet, & eum vult esse redemptum.
Mysterium, fateor, hoc nescio; nam sua Reges;
Non mea stella trahit, peperit sine semine Virgo
Absque dolore parens, pastoribus & data lux est,
Romæ oleum fluxit, cecidit Pacis modò Templum.
Non meus hîc terris, non cœlis inditus ordo,
Gratia mea superest, illam pete, perdoceat te.
Hæc inter somnus elabitur, & Joseph omnem
Pervigil uxori seriem docet, atque retexit,
Visa probat, roburque suo superaddidit ore.
Post hæc legitimum dum tempus adesse dierum,
Quos quadraginta numerat Lex, sensit ab ortu
Jam pueri, sponso loquitur, nosti quia Templum,
Non sine muneribus nos visere convenit, infans
Est etenim primogenitus, redimatur oportet,
Non quod eum, vel me Legis censura coarctet;
Sponte placet subdi, fiatque oblatio nostra
Pauperibus similis, mores humiles doceamus.

DISTINCTIO DECIMA.

Responsum Simeon accepit desuper olim:
Non te mors rapiet nisi Christum videris antè.
Christus ubi venit quid gratia suggerit, audit
Gratia cœlestis radians bonitatis imago.
Ecce suum venit ad Templum Dominus dominator,
Juste senex, timorate Dei, quem Spiritus implet
Interno afflatu, fac occurras venienti;
Ulnis accipito puerum, benedicito dicens,
Dimittis, Domine, me nunc in pace, secundùm
Verbum, sancte, tuum, qui sum servus tuus, alme,
Namque tuam propriis oculis nunc cerno salutem,
Sive salutare, quod cunctorum populorum
Antè paras faciem lux gentibus alta revelans,
Israel ipse tuæ laus est, & gloria plebis.
Membra senex ergo quamvis languore gravata
Corde vigente movet, Templum petit, ornat ovanter,
Nunc ea, nunc illa loca Templi, suadet alacris,
A Sic faciant alii, quia mox veniet Dominator.
Prospicit ex aditis, Templique per atria, quando
Promissus veniet: vidit procedere tandem
Bethleem ex urbe te, Virgo, Joseph, puerumque,
Agmine cum sancto vicinorum, atque parentum,
Spiritus ex Templo sanctus sibi prodidit, hic est.
Exilit, & jubilat, non se capit, atque juventus
Est aquilæ visa, mens in Domino renovatur.
Turturis illic par duplicatus, sive columbæ
Pullus pro puero datur, huic qui sacrificatur
Obtorto collo guttur dirumpitur ungue.
Sanguis & effusus divina altaria tingit,
Pluma, vesiculaque, cineres mittuntur in atros.
Vidit, & ingemuit nova Virgo puerpera noscens
Passuri hanc pueri pro nobis esse figuram,
Infantem, redimens vir ciclos quinque dedisti.
Forte Sacerdotum sancta de sorte beati
Tunc aderant, cum te puero, venerande Joannes,
Vir Zacharias, & olim sterilis sua conjunx,
B Venerat Anna senex octogenaria vates.
Deque Jesu cunctis multo sermone loquuntur,
Intulit & Simeon tibi Matri, Virgo Maria,
Voce prophetali, positus puer iste ruinam
Est in multorum, multisque redemptio fiet
Israel ex populo; sed erit cui dicere contrà
Continget signum, gladius transibit acerbus
Crede, tuam, Mater, animam, sic corda patebunt.
Singula corde suo retinet Virgoque, recenset
Dictaque facta simul, cum lætis tristia confert.
Tuque Joseph, nec enim memorem non esse decebat.
Mos erat in Templo distinctis sedibus uti,
Virginibus, nuptisque; peto qua sede resedit
Virgo die tali, puto nuptis associatur,
Ipsa humilis secreta tegens, & Elisabet illi
Consignare locum satagit cognata propinquum
Concordant aliquæ, fors quasdam livor inurit,
Divitias reputas solas plebs multa colendas.
Postquam complerunt Legem Joseph, atque Maria
C In Templo Sion, redeunt ad Nazareth urbem.
Quærit eundo, prout fit consolando laborem,
Vir puerum propriis ulnis ad pectora gestans
Fasciculum velut myrrhæ, quasi cordis amorem.
Quid ne putas, Domina sibi vult dictum Simeonis?
Hic erit in signum, cui contradictio fiet?
Præsertim quia prædixit mihi visio certa,
Quòd foret iste puer populorum causa salutis,
Mi vir, mi Domine, vitiis contraria virtus,
Virtus in medio rectum tenet, ast vitiorum
Sunt torta extrema, falsi conventio nulla
Cum vero, nec quæ Fidei natura capescit,
Nec videt inflatus oculus, nec crimine lippus
Signa petit Judæa, placet Sapientia Græcis,
Stultitiam verba reputabit Græcia Christi,
Signaque quæ faciet, Judæi scandala dicent.
Si de corporeis ratio vix redditur ulla,
Ni Deus illustret, capiet cœlestia nemo.
Infans iste Dei dicetur, Filius, ô quot
D Philosophi simul & Judæi tale videntes
Corpus quod peperi, quod nos gestavimus ambo,
Dicent: quid cum carne Deo, quis Filius illi
Esse potest, cum sit simplex, æternus & unus?
At cum dicent de Virgine natus, & absque
Contactu cujusque viri, quòd vagiit infans
Lac quòd ei dederim, quòd tu nutriveris illum
Scandala stulta vides Fidei, si lumina desint.
Non aliter quàm nicticorax si fulgida solis
Lumina contendat tenebroso cernere visu.
Aut si quis varia per nubila densaque lunam
In-

Inspiciat, fallunt, ipsa radiante, colores.
Est oculus mentis tetra omnis passio nubes;
Passio judicium varium variata rependit
Practica, præcipuè ratio dijudicat, ut fit
In desiderio tractus nunc iste, vel ille.
Hinc oculus trahitur oculo, velut orbibus orbes.
Quid? quòd, chare Joseph, sensisti surgere multum
Murmur jam populo, quod noster erit puer hic Rex,
Consortem non regna volunt, non ampla potestas
Urbe Jerosolyma scis quæ turbatio facta est.
Ecce sed ô mi vir nativum cerno propinquum
Nazareth oppidulum, verbis jam terminus esto·
Mutua posterius super his collatio fiet.
Complacet, inquit vir video concurrere nostros
Affines, læti veniunt applaudere nobis,
Proque puerperio, pueroque tuo, redituque
Sic erat, ô quam mens venturæ nescia sortis,
Fient in luctum quæ sunt modò gaudia mœstum.
Intereà nam se reputans truculentus Herodes
Regum responsis delusum persurit amens.
Ergo regnabit alius? Regnoque repellar
Judææ : fiet aliter, pueros nece perdam
Bethleem in tota, placet hoc, regione morantes.
Hoc ita proposuit primò; sed pergere Romam
Urget notorum delatio facta suorum.
Hæc inter Joseph est Ægyptum pergere jussus
Cum Matre & puero, sicut descripsimus ante.
Sic Dominus sævo sapiens est usus Herode;
In bona nam mala scit convertere gesta malorum.
Rex redit & mandat crudelia jussa per omnes
Bethleem heu terræ fines, nullusque bimatum
Attingens puer, ac infra delinquitur expers
Mortis, & in proprios gladius desævit æquus
Regnantis natos, hinc Cæsar, porcus Herodis
Esse malim quam filius. Heu describere tale
Quis poterit facinus, quis fando æquare dolorem.
Matrum è complexu pueri rapiuntur, & ipsos
Ubera lactantes fodit crudelior ensis
Excerebrant alios, elidunt corpora petris,
Innocuo Matrum lac tingere sanguine gaudent
Membratim excerpunt alios, pes proterit istos
Improbus & Matrum lachrymas justosque dolores
Atque preces, gestus humiles risisse voluptas.
Quid tibi vis Cæsar terreni ambitio regni?
Non est consilium non est prudentia contra
Crede Deum, placito Deus omnia fine coërcet.
Dixerit hìc aliquis Matrum infelicia fata,
Sed felicia sunt, nec enim longævior ætas
Profuerit quantùm mors contulit accelerata.
Ecce tuum Simeon verbum jam verificatur,
Fit puer iste Jesus multorum dura ruina,
Corpore dura quidem est, animæ vos vivite lætæ.
Non etenim Jesus advenit concedere terris
Pacem, sed gladium quo pax conquiritur alma.
Felices pueri quos Circumcisio puros
Primitùs effecit, sacrat proprius modò sanguis.
Heu quantùm miseris mortalibus horrida sors est
Perdere quando malis fas vitam impune bonorum
Cuilibet est, si fas sævos jugulare tyrannos.
Cur sceleratus, cur truculentus vivit Herodes?
Sed non fas, tibi vindictam Deus alme reservas,
Solis quos statuis est exercenda ministris.
Corporeas verò si mortes has puerorum
Horrescit meditans, quam tetrior illa tyrannis.
Quæ genitas noviter animas jugulare requirens.
Ridet, & exempli gladio secat improba calcans
Sub pedibus, modo suffocat hos, modo strangulat illos,
Mens nova verbigena dum se transferre jubetur
Ægypti tenebris, hoc est caligine diva
Tutandum, simulachra ruunt, phantasmata cedunt,
Dirigit ipse Joseph, hoc est discretio gressum,
Neu cadat in præceps petulantis carnis asellus.
Persurit intereà sathanas, qui perdere, perdens
Multa, nequit puerum ignota regione repostum.
Hactenùs hæc mentis oculos dum retrò reflecto
Inspicioque diem qua templo sistitur infans.
Februus intrabat mensis quo more celebri
Romam cum facibus populus lustrabat ovanter
Vana superstitio, Fidei dum Roma recepit
Lumen mutata festivo cessit honori.
Virginis atque Joseph pueri Simeonis & Annæ
Hinc candela manu portatur cerea multa
In Templis hodie prudenti consilio fit,
A Quod popularis mos, qui tolli vix potuisset
Funditus, in finis melioris vertitur usum.
Augusti sic prima tuis data Petre catenis.
Sic Jano possunt encænia facta colorem
Sumere virtutis, nobis datur ergo salubris
Regula, dum mores popularia corda replerunt
Vana superstitio quibus est seu devius error
Tollere cum facile nequeas, mutare doceto
Fine bono, sit eis melior directio cordis.
O quam lata patet hæc regula, quæ vitiosos
Actus innumeros virtutes reddere posset.
Dum nummos recipit quis Sacramenta ministrans
Tollite proclamant, sunt Simonis omnia plena.
Quis numeret quot dant usuræ nomina rebus?
Quicquid eis vanum, quicquid vel displicet acri
Judicio feriunt, mortali crimine damnat,
Plura tamen fieri possunt aliquando merendo
Talia, si fuerit prudens directio cordis;
B Nec tamen hæc nostrum sit singula tradere metris.
Sed redeo, non Roma modo lustranda priore
Nec veneranda sibi sunt idola muta deinceps
Cum face succensa, cessit jam cæreus addens
In decus Ecclesiæ, nomen candela diei
Multiplicata dedit, flammanti splendida luce
Quæ fert lætitiam, quæ mystica multa figurat
Igne vigor, fulgor, ardor sunt appropriatè.
Patre vigor, fulgor genito, suavissimus ardor
Pneumate sunt sacro: virtutis sit vigor in te,
Fulgeat in mente sapientia, serpat amoris
Ardor in affectu, devotio sancta coruscis
Luceat exemplis, si cordibus ignea Lex est.
Nam Jesus atque sui nobis exempla parentes
Religiosa satis liquerunt, quando quotannis
Isse Jerosolymis referuntur visere Templum.
Annus erat puero bissextus quando remansit
Per triduum in Templo, rediit subjectus utrique.

C

DISTINCTIO UNDECIMA.

SCIRE velim præclare Joseph, præclara Maria
Dum Jesus à templo rediens ad Nazareth urbem
Tramite protenso plus quam miliaria bis sex
Cum puero quis sermo fuit, nec enim siluistis.
Quis dederit trilogus fuerit notus mihi vester.
Ambulat ut medius Jesus inter utrumque parentem
Nexa manum manui repetit suavissima Mater.
Fili quid nobis fecisti perdite, totum
Per triduum, quæ verba tibi, quæ facta fuerunt?
Enarres placeat, via nam sermone levatur.
Prima Sacerdotes & Scribas visere Mater
Templo cura fuit, de Lege interrogo multa.
Multa super ritu sacrorum, si citò Regem
Venturum sperant Messiam, cujus & ipse
Natus erit? qualive loco nascetur, & Annò?
Dives vel pauper? Quæ vita? Quis exitus illi?
D Quisque refert ut doctus erat, cecinisse Prophetas
Libris in variis, ergo venisse revinco
Dictis & propriis Messiam vivere terris
Mirantur, se respiciunt pariter, nec habentes
Responsum solidum, me respondere perurgent.
Talibus intentum reperisti sedula Mater
Inter eos, reliquo cum notis tempore verso
Quos genus affines reddit, nutritus ab illis.
Incola quid faciat deserti noster in annis
Par, sciscitor, vitæ cui cœlica forma Joannes.
At nos blande puer nimis anxia cura coquebat,

Me cum Matre tua, rursùs ne perdere tete
Quæreret impietas charissime sæva tyranni
Quid ne putas agimus primæ dum nocte diei
Una domus recipit nos ambos, te sine Fili?
Namque viros mos à mulieribus ire seorsum:
Ast pueris aderat fas istac ire, vel illac.
Hic ego cum Matre te mecum pergere credit,
Nonne fuit tecum petimus, querimurque vicissim?
Fit nobis nox una vigil, flemusque precantes.
Primo mane citò consurgimus, atque propinquos
Nunc hos, nunc illos inter te quærere cura est.
Teque die tota Fili non invenientes.
Quando tertia lux oritur, repetamus ad urbem.
Heu nimium tristes defessus anhelat uterque
Istum, sed removet inventio læta dolorem,
Oramus Fili ne taliter egeris ultra.
Nec faciam, remanebo domi, pareboque vobis
Respondet puer, hinc fuit proxima Nazareth illi.
Intravere domum, fit illis cena paranda,
Non erat intus aqua, vicino fonte petenda est:
Protinùs urceolum puer accepit obsequiosus,
Ad fontem properat, lassus licet, Gabriel quid
Ista videns reputas tecum, quoniam Deus ecce
Servit & obsequitur terris, quem Regia cœli
Tota cohors tremit, & supplex veneratur adorans.
Quid dices hominis ignava superbia nullum
Dignans obsequium, tolerans nec pigra laborem?
Ampliùs exemplum pulchrum de Religione,
Quodque parentibus & humilis subjectio danda
Servitiumque frequens pueris Dominus Jesus offert,
Sedula non minus hic speculatur cura parentum,
Quanto cum studio nati serventur oportet
Corpore ne pereant, animæ salvatio, cura
Conquirenda, tamen majori sollicitaque
Insuper hoc speculo cor devotum meditetur
Quid quærat, quid agat, quando declinat in iram.
Quando perditus est ab eo Deus, & Jesus extra
Diffugiens fictum, vel de virtute superbum,
Fac tibi discursus, & per loca cœlica quære
Cum pedibus mentis manibusque repens, pavor ingens
Urgeat, & dolor anxius, omnes impete sanctos,
Sis importunus, nec desine sæpe repulsus.
Irruè tu quasi mentis inops vel ad hos vel ad illos,
Pandite, dic ubi sit fugiens dilectus, & illum
Reddite, non fas est vobis, ô languor, & horror.
En morior, prostrata pedes nec desero vestros,
Ni redeat mentis utero de Pneumate sacro,
Quem peperi Mater, est totus amabilis ille,
Væ tibi mens tumida talem quia rejicis à te
Pœnitet heu heu, nunquid eum pœnitentia reddet!
Quô quæram? Quid agam? si non invenero cœli
Templo, quo fugiam, vel ubi moribunda quiescam
Dic rursùs precor alme Joseph, tibi supplico Virgo,
Ambos obtestor, memores estote priorum
Curarum, & desiderii quod torsit utrumque,
Et quot circuitus, quota quæstio facta per omnes
Quærendo puerum, cum declinare parumper
A vobis voluit quærentibus, ut misereri
Forsan sciretis, miseros miseret miserorum
Ergo Joseph sicut visus tibi durior esset
Quærenti puerum, si quis celasse repertus
Nec juvisse volens fuerat, mihi mollior esto
Condescende piis votis si recta requiro.
Ætas in puero, sapientia, gratia coram
Mundo crescebat, & in illis proficiebat
Ac ita se gessit, triginta donec ad Annos
Venit, continuè Joseph ut Patrem veneratus
Secum habitans Patrem quod plebs existimat omnis.
Asserit hoc Lucas, notat hoc & sermo Philippi:
At Nathanaël se Christum reperisse loquentis,
Quem scripsit Moyses à Nazareth ex Joseph ortum,
Deserto veluti studuit latitare Joannes
Tempus ad hoc celat ita cura domestica Christum
Vera repentinè non vult se prodere virtus
At Joseph incurvus senio sua membra bacillo
Sustinet atque regit, labor huic non convenit ullus
Vir factus residere domi, quandoque benignus,
Ut Jesus inspexit, consedit proximus illi,
In primis reprimit assurrexisse volentem:
Hinc loquitur: Dilecte Joseph fidissime custos
Ætas dum tulerat tua jure colendo minister
Exercendum opus est, pro quo sum missus in Orbem,
Nec residere domi, tibi nec socialis adesse.
A Hactenùs ut feci, potero tolerare labores
Quos habiturus ero, poteris nec dura viarum
Fortè nec invidiam, mea quæ benè gesta sequetur.
Flet Joseph, ac imò suspiria pectore trahit
Ergo mori præstat, inquit, spes unica vitæ.
Tu solamen eras nobis. Quid vita deinceps
Profuerit, cùm sit mortalis Lex omnibus una,
Proxima sed senibus venit, & mortale quid ultra
Concupiam? quid amem si non convivere fas est?
Sed vereor Domine, Fili sanctissime, quando
Nomine dignaris hoc me, vereor sceleratos
Judææ multos homines simul & Galilææ.
In quibus & verax verbum & virtus odio sunt.
Quæ tibi sola placent, horum si carpere vitam,
Si mores formare bonos tentaveris, eheu
Mox volet, ut priscis, te livor perdere nequam.
B Et volet agnovi, Jesus intulit, ecce videmus
O grandæve parens modò quod nos diligit omnis
Nazareth hic populus, sed noveris affore tempus
Hac nostra quando Pharisæi me Synagoga
Torti rancore dum verba prophetica de me
Scripta legam, quod me Dominus transmisit & unxit
Desuper hoc monte me præcipitem dare quærent.
Sed mihi cedet mons, vestigia monte relinquam
Mollior humana lapidum natura patebit.
Hi mea pervertent miracula, dogmata spernent,
Et dicent, Medice temet curare memento.
Plurima subticeo, sed quidquid erit peragendum est
Intrepidè mihi, quod statuit divina voluntas.
Sit labor atque dolor, afflictio, vulnera, carcer
Sit gelidus, sit Crux, Domino parere necesse est
Mors etiam toleranda piis: patientia vincit,
Et cœli regno tribulatio multa coronat.
Æqua mente feras quidquid tolerare necesse,
Nec mihi nec Domino Pater assentire recuses.
Hæc ait, & solens lachrymosa voce querentem
Liquit, & huic celerem prædixit adesse quietem.
Hæc super introiit conjux sanctissima, quærit,
C Mi vir, mi Domine quid habes? plangore dolorem
Nempe suum sensit, lachrymisque per ora volutis.
Hic silet, ac tandem potuit qua voce recenset
Singultu mixto, prænuntia tristia Christi
Condolet afflicto, vultum tamen ipsa serenat,
Verbaque dat blanda, premit alto corde dolores,
Scit quoniam tristi confert affabile verbum.

DISTINCTIO DUODECIMA.

VENERAT illa dies quæ vitam morte pararet
Perpetuam tibi juste Joseph, quod inclyta proles
Christus adest cum Matre pia, quibus officiosè
Servieras, vultu placido solantur euntem.
Ora licet lachrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor, etenim fat credere fas est
Quod Patrem Jesus, & sponsum flevit morientem
Virgo benigna suum, fidi custodia amato
D Procumbit lecto, complexans membra pudicis,
Oscula dat labiis, mi vir, conclamat, abisne?
Deseris & viduam passuram dira relinquis?
Velle tamen Domini fiat, dilecte valeto.
Nil timeas, Dominus placida te sede locabit
Protinùs ipse Joseph pretiosa morte quievit.
Lugubres recipit vestes viduata Maria.
Exequias reddunt devotas Nazareth urbe.
Tota virum flet plebs qui vixerat absque querela
Omnibus in commune bonus sanctissimus heros,

Certa

Certa David Regis & præclarissima proles.
Nec tamen est obitus sat certa dies, quia signant
Hanc varii variè pro religione colendam
Est Februarius, est & Martius, estque December
Primi nona dies, cum dena nona secundi,
Alterius decima & per quosdam nona notatur.
Sic quæcunque dies sua nobis mors honoranda.
Casta velut turtur si compare sit viduata
Sola volat repetens arentes arbore ramos:
Pro cantu resonat planctu gemebundo pudico.
Sic dolet abrupto vitæ socialis amore
Virgo gemens deflensque virum plangore modesto.
At semel ut sensit subtristem Filius ejus,
Solans alloquitur, secretaque plurima pandit,
Atque futurorum seriem breviando recenset.
Chara mihi in primis Mater, nolito doloris
Accumulare tibi causas; sed respice mentis
Interiori oculo Fidei cum lumine, quales
Collegio Patrum benè qui vixere priorum
Applausus jubilosque dedit custodis amici,
Decedens anima, dum limbum ingressa propinquam,
Sic equidem novit, denuntiat esse salutem.
Nam Salvator adest, ego sum salvatio certa.
Porrò te solam Mater custode carentem
Neu reputes, subeo curam jam discipulorum,
Plurimus adstabit numerus mihi, jam mulieres
Sanctæ gaudebunt sese præbere ministras.
Audis ut affinis noster pius iste Joannes
Hactenùs hæc deserta colens, modò flumine cœpit
Jordanis Baptisma novum, Baptismate cujus
Abluar, ut sit aquis recreandis spiritibus vis
Me populo ostendet, digito monstrabit, & Agnus
Inquiet, Ecce Dei, qui mundi crimina tollit.
Namque columbina specie superastitit almus
Spiritus, & mansit in eo dum tingitur undis.
Vidi equidem & novi, cœli testantur aperti,
Vox ego clamantis in deserto, paret omnis
Dirigat & colles Domino populus venienti.
Quemque sui pigeat sceleris, quia proximat ecce
Regnum cælorum, trunco est affixa securis
Crebrius & hæc plura feret, quæ conciliabunt
Auditorum animos, mihi gens sociabitur ultrò,
Carcere claudetur, volet hoc immitis Herodes,
Quem timor & livor stimulis agitabat acerbis
Publicus inde mihi sermo procedet ad omnes
Judææ terras, per Sabbata, per Synagogas,
Deserto tamen ipse prius remanebo diebus
Bis viginti, me deducet spiritus illuc
Tentandum à sathana, rabida qui turbidus iræ
Plurima perplexa secum ratione revolvet:
Hicne Deus qui jam potuit jejunia per tot
Ferre dies? de quo sunt multi tanta loquuti
Quòd veniet nostrum spolians violentus avernum,
Si verò Deus est, modò qualiter esurit? Ibo
Tentaturus eum, comites aderunt mihi pestes
Tres Herebi furiæ, gula prima, superbia deinde
Mente tumens, alia rerum scelerata cupido,
Turpes celabunt vultus sub imagine pulchra
Virtutum, sub fallaci fictoque decore.
Debita sum, dicet gula, sustentatio carnis,
Altera fide Deo, dicet, quid sanctius hoc est?
Tertia quod toti dives dominabitur Orbi.
His potui monstris primos superare parentes,
Nunquid & hunc aliis similem subvertere possum?
Ista sathan secum: sed erunt certamina frustra,
Divini gladio verbi confossus abibit.
Denique multa mihi, Mater dilecta, trienni
Tempore patranda, quorum tu conscia fies,
Nam præsens aderis sub me custode deinceps,
Conspicies oculis tandem me scandere cælos,
Scandet & ipse Joseph ut mecum regnet in ævum,
Regnabis pariter fuerit dùm vita peracta,
Nomen, laus & honor dabitur per secula vobis.
Procumbit Mater, genibusque affusa rependit
Grates, & repetit: fiat tua nate voluntas,
Debeo solari rursus visura Joseph te.
Et nos Christicolæ talem veneremur, amemus,
Fundamusque preces sibi supplice carmine tales.

ORATIO.

A ILlustris Patriarcha Joseph David alta propago,
Justitiæ cultor, claris numerande Prophetis,
Virgineo splendore micans, custosque Mariæ,
Testis, nutritor, & Christi fide minister,
Conscie mysterii, quod nescivere priora
Secula, tu verbum vitæ quod erat caro factum
Gestasti manibus, etiam tibi subditus ultrò
Dignatus fieri nutu qui temperat Orbem.
Tu vir, tu Dominus Matris Domini dominorum,
Magne peregrine dudum terris, modò regnas
Felix in cœli patria, securus, & omnis
Expers terroris, labor, anxietas procul absunt.
Quæsumus intende nobis, miserosque benignus
Inspice nos oculis, quos tanta pericula turbant.
Esto peregrinis fautor, dux, auxiliator,
Defessos refove, tot scandala tolle viarum,
Dirige cæcos, erige lapsos, optima detur
Gratia dux, baculusque Spei firmissimus adsit;
Pax in credendo, cordis meditatio suavis:
B Tentamenta, sathan, mundi, carnis superemus
Te protectore, peccatores nec abhorre,
Pro quibus à Domino dignatio talis oborta est
Erga te, sponsamque tuam Dei genitricem.
Sic age pro cumulo meritorum & laude tuorum
Advena quod fueris & Gerson mysticus olim
Multis implicitus curis meminisse precamur.
Ex his quæ passus es noveris ut misereri,
Compatiens esto, nos heu retinet tenebrosa
Torquet & Ægyptus, sis salvator velut alter,
Egregius Patriarcha Joseph frumenta recondens
Providus, ô jam jamque fame refove pereuntes.
Ista fames nostras animas, non corpora perdit,
Alter laudatur Joseph insignis, quia Christum
Consepelire suo legitur curasse sepulchro.
Dignus & alter erat dici cognomine justus
Filius Alphæi Jacobus cum Simone, Judas
Hinc fratres Domino affines comitesque fuere.
At noster Joseph hic quotiens & quot tibi Christe
Præbuit obsequia vivo; plus plurima justus,
Justus in omnimoda virtutum sorte beata
Sit sua Justitia nobis, protectio nobis,
Pro meritis nobis, nobis salvatio fiat.
C Cyprius est alius Joseph extitit, hic sua vendens
Ante pedes posuit primorum Discipulorum,
Cognomenque fuit sibi quod solamina præfert.
O noster petimus consolator Joseph esto.
Tu Joseph accrescens dictus, quia semita justi
Crescit ad usque diem perfectum, crescere fac nos
Virtutum gradibus, donec Dominus videatur.
Gloria non tollit naturam, perficit ipsam
Plus ea dignificans quæ modò digna fuêre.
Ergo si dederit natura & gratia terris,
Incola dum fueras tibi munera tanta quod altus
Cælorum Dominus est dignatus tibi subdi.
Quid modò gloria dat, quanta ô fiducia, quanta est
Vis impetrandi, quia dum vir, dum Pater orat
D Uxorem & natum, velut imperium reputatur.
Cui non blasphemus sermo precor hic videretur
De cœlis nisi quæ fuerit dignatio penset
In terris? Et quæ miracula gratia fecit.
Personas inter similes est nexus amoris:
De Joseph ast ratio suadet sua quod facialis
Forma Jesu formæ similis reputanda fuisse est.
Si non, quo pacto Pater ejus creditus esset?
Qualiter omnimoda Matris servasset honorem,
Disparitas vultus prolis cum Patre putato?
Gratia naturæ fieri vult consona sæpe.
Nonne minor Jacobus frater Domini perhibetur?
Valdè sibi similis, quod gratia non caro fecit.

Nu-

Nuper in austera vir Religione probatus,
Dum peragrabat iter sub finem noctis opacæ
Ventis ac pluvia simul, ac errore viarum
Turbatus, vestri meminit Joseph atque Maria,
Orans hospitium, mox villa petita patescit.
Possumus hoc signo portum sperare salutis.
Corpora multa, Jesu Domino moriente, sepulchris
Exurexisse & venisse feruntur in urbem
Sanctam; si tu juste Ioseph Patriarcha beate
Ex illis unus fueris, si teque videndum
Uxori dederis mœstæ, definio neutrum
Re super hac, satis est animos pulsasse fideles.
Certùm quòd magno est venerari dignus honore
In terris, immensa tenet quem gloria cœlis.
Est etenim Christe tecum tuus iste minister,
Est & cum sponsa sponsus clarissimus alma.
Virgineosne tuos sedes locat æqua parentes?
Sic tamen hac in re simplex meditatio nostra
Sanctis salvus honor, volumus, aliis suus esto
Quos de primatu contentio nulla fatigat
Magne Joseph magno velut imperiose patrone
Cum desiderio petimus fer opem, nostri miserere,
Cœlica suscipiat nos tandem patria tecum.
Talis dum fieret oratio corde fideli
Visa videt radiis intùs splendere coruscis:
Fulgurat ut subitò collisus nubibus ignis
Flammea rima micat, cœlos plebs credit apertos.
Tali sub radio mentem rapit Anogogia
Empyreum in cœlum, videt illud ut Angelus implet
Jam non solus ei, sed plurimus adsociatur
Spiritus humanus, patria qui regnat adepta.
Ergo impetrandi nobis fiducia major,
Intercessores quo plures gratia donat.
Nescio quid corde meditor, mirabile dictu
Differat hoc pietas: terris tu nonne viatrix
Virgo diu degis, postquam conscenderat astra
Filius, atque Patres sancti, inter quos Patriarcha
Sponsus erat custosque Joseph fidissimus olim?
Nunquid non devota preces, devota salutes
Crebrò sibi mittis, quas lætatus speculatur
Clarius in Verbo, te forsan nonne revisit
E cœlis agilis terras delapsus ad imas,
Angelico more, cur hoc non credere fas sit?
Ut de Martino, quem tu, quem Tecla, quem Agnes
Degentem in terris visistis, pluribus idque
Contigit in mundo hoc miseræ ad solamina vitæ.
Aut pro doctrina, vel quodam pignore vitæ
Jam jam venturæ, seu contra dæmonis astus.
Addit ad hæc pietas quòd amoris cantica sponsæ
Mutua cum sponso, Salomon quæ concinit aptè
Conveniunt tibi sponse Joseph, tibi sponsa Maria.
Quam felix, illa puro qui corde recenset!
Supra mel supraque favum prædulcia menti,
Qualia gustare, quam verbis promere præstat.

FINIS.

Annotata fuere verba quæ sequuntur in extremo margine ejus exemplaris, unde hæc correximus, & quædam manu ipsius Christianissimi viri Joannis de Gerson correcta 1418. *Julii* 27. *in commemoratione sanctæ Annæ à Rathenberg, quando compilabat De consolatione Theologiæ.* D

ARGUMENTUM.

Pro ordine Rei gestæ, non ut conscripta est hoc carmine.

ALME Joseph Josephina tuo de nomine carmen
Narrat, ut Angelica conceptum visio pandit
Virgineum, celebri ritu connubia jungis.
Idque redit sponsa te per montana volente
Das latriam infanti nato, nomen Jesus addis.
Suscipis inde Magos: puerum tu postea Templo
Sistis, & inde fugis in Memphim. Septimus annus
Illic transierat; redis. Invenis hinc duodennem
In Templo puerum. Placido post fine quiescis.

FINIS.

A *A Domino Guilhelmo Scissoris Cartusiensi, priùs scholari Navarræ, in Maio* 1424. *recepta sunt hæc metra Lugduni.*

Sicut es humanæ Gerson divæque peritus
Legis & eloquii, Josephinam sensibus altam
Auribus in nostris cecinisti gutture dulci;
Quàm duros parvique Jesu, matrisque Mariæ
Et Joseph una domus fuerit perpessa labores,
Dum fugit aptantem lethalia tela tyrannum
In mortem pueri: noctem dum captat opacam,
Dum petit Ægyptum, dum vivit gente sub ipsa.
Dum natale solum repetit, cum Virgine natum
Arte Joseph quanta rexit, quàm justus utrique
Custos, egregiè scripsisti: donec adultus
Ac fieret Jesus, ac animam Joseph adderet astris.
Illic fine Joseph, illic Josephina quievit
Virgo Jesu, virgoque Joseph, virgoque Maria,
Nunc domus ætherea, nunc Orbis summa potestas,
B Tunc inopes, tunc terricolæ, nam carmine sacro
Disserit, ut nobis gravis extitit hospita tellus,
Compensate vices, in regna vocate Joannem;
Vestra precor, vestrum date cœtum, sit date vester
. . . .
Te Josephina polo Gerson doctissime, ducet,
Quæ tam pulchra solo te dictatore relucet.

Ista Prosa canitur conformiter ad istam · Mittit ad Virginem non quemvis nuncium.

Primum.

Ad Joseph mittitur In somnis nuncius
Justum alloquitur Spirans interius
Assensum numini Noli metuere
Proles Davidica Sponsam accipere,
Jussa te cœlica Nubunt huic virgini.

Secundum.

C Tibi rex gloriæ Mariam copulat
Mira vis gratiæ Pudicum postulat
Hoc matrimonium. Crede magnanimis
Audi, nil hæsites Hæc sunt magna nimis.
Cur novum cantites Epithalamium.

Tertium.

Sis licèt conscius Quod habet filium,
Fac jussa citiùs Dum scis mysterium,
Noli hoc prodere, Exurge, nuncia,
Dic sponsæ protinùs, Tibi me Maria
Nam vult hoc Dominus Virum do properè.

Quartum.

Virgo suscipias Dei dispositum
In quo perficias Voti propositum
Cum prolis gratia Volo quòd nuncias,
Refert humiliter Virgo dans gratias.
Ergo solemniter Jungunt connubia,

Quintum.

Nubunt Angelicis Choris canentibus,
Plaudunt sanctificis Parentes lusibus,
Castè tripudiant, Dulce canentium
Hymen inseritur Vehens ad gaudium,
Quod cœlo geritur, Et illis inhiant.

Sextum.

Cognatam visita Virgo celeriter,
Vis me Joseph ita Vult, & dat pariter
Fideles comites, Clamat Elizabeth
Plausus infans edit Prophetat quælibet,
Virgo tandem redit, Parit, neu dubites.

Sep-

Septimum.

En Joseph parvulum Decorum aspice,
Dat Joseph osculum, Fer, fove, refice.
Qualis ô gloria. En tibi subditur
Qui coelis imperat, Servit, obsequitur.
Qui mundum temperat O mirabilia.

Octavum.

Tuum dic Filium Jam juris corpore,
Jus habes proprium Consensus robore
Dati conjugio, Sanctus se Spiritus
Dedit vicarium, Fecundans coelitùs
Uxoris gremium Te voluntario.

Nonum.

Virgo verbigena, Virgo fons gratiæ
Nos nos gens advena Pleni miseriæ,
Plenique vitio, Te Virgo petimus,
Te Joseph inclyte, Vester quem colimus
Jesus nos placidè Locet in gaudio.

F I N I S.

O veneranda Trinitas Jesus, Joseph & Maria,
Quam conjunxit divinitas Charitatis concordia
Mater, Virgo puerpera Facet in diversorio,
Cui Jesus sugit ubera Gaudet Joseph obsequio
Hic virgo servit Virgini Humili benignitate.
Sed virgineo germini Ampliùs charitate,
Magna laus humilitatis, In Joseph, sed in virgine
Major, & in deitatis Prole laus est in culmine,
Hunc humilitatis thronum Trinis distinctum gradibus,
Tantòque gratiæ donum Nunc extollamus laudibus,
Ut humilitatis vitam Suis sequi suffragiis,
Donetur & per gratiam Æternis frui gaudiis,
Amen dicamus singuli, Huic sacro coetui trino
Laudes canentes servuli Uni trinoque Domino.

SEQUUNTUR NONNULLA CARMINA JOANNIS DE GERSON, *Doctoris & Cancellarii Parisiensis*

CARMEN AD JOANNEM GERMANUM SUUM

De causa canendi.

Ad MS. Codd. Vict. 510. & 700.

LOQUITUR ADVENA AD MONICUM.

EHeu perurgent Monice, Monice.
Anni nefasti, sanguinei & necis,
Civilis ensis cuilibet imminet,
Qui justè vivit, vera vel edocet.

Respondet Monicus.

Meme fruaris advena consule
Hac in ruina pestiferæ vicis,
Ad te redito solus in otia,
Esto virilis, vim facio tibi,
Mens in superna se levet ocior,
Odas canoras psallat alacrior,
Quales sophiæ dictat amor pius,
Non quas libido sordida suggerit,
Quas Musa garrit scenica crebriùs.
Ut cor malignis urat amoribus,
Curæ coquentes anxia pectora
Tristes abibunt, credito, longius,
Nam spiritus cor visere coelitùs
Gaudet quod almum personitat Deum.

Opponit advena.

At cum sodales mors mihi sustulit,
Cum Pallas arcem vix habitet suam,
Quæro sonabunt cui mea cantica
Nervi loquentes, quod lyra temperat.

Respondet Monicus.

Omitto Musas, Angelus audiet,
Sanctique tecum, nonne satis tibi,
Nec prorsùs omnes mors tulit effera.
A Petrus superstes, quem sapientia
Totum replevit, cardo dedit sibi
Nomen, statumque, sufficit unicus
Carmen melodum cui resonet tuum.
Vivit Gerardus, quis rogo par sibi,
Qui veritatis exul amore fit?
Nostri Clamengis dulce sapit stilus,
Ætas novellam progeniem dabit,
Pro Patribus, quos perdidit atropos.

ALIUD EJUSDEM ASCLEPIADEUM *Catalecticum.*

VErnum tempus adest, fac hilaresce
Cor torpens gelidæ frigore brumæ,
Sursùm surrige te more volucris.
Quæ vires reparat sole tepenti.
Odas dulcisono gutture format,
B Alternatque modos, cernis alaudam
Se pennis liquidum librat in æthra,
Sensum pervolitans, deserit ima,
Extra se rapitur ebria cantu,
Affarique Deum læta videtur,
Huic spasmata cadens ut redit ad se,
Jam degit solitis sobria terris.
O si te rapit hæc extasis alma,
Felix, si jubilans excidis à te,
Hæc semper stolidas incolis oras.

CARMEN LUGUBRE PRO DESOLATIONE UNIVERSITATIS PARISIENSIS, *Propter bella civilia.*

C

ANgeli pacis gemitus amaros
(Si cadunt in vos) facitote toto
Mentis enisu, reboate coeli,
Pallada flete.
Palladis Templum domus, arx, asylum
Gaudium vestrum, decor omnis Orbis.
Corruerunt à scelerum ministris,
Pallada flete.
Ecce fons rivis Helycon cruentis
Manat, hinc sacræ fugiunt volatu
Præpeti Musæ resonant que tristes
Pallada flete.
Garriunt picæ reprobis aggrestes
D Vocibus, livens odium perurget,
In malo lætus ob eam querelam
Pallada flete.
Coelicus coetus datus ut supernam
Percolas jugi studio Minervam,
Lugeas pectus feriens & hortans,
Pallada flete.
Non tuæ pridem cecidere doctæ
Pallas Athenæ simili ruina,
Pejor hæc sors est, cupidi sophiæ
Pallada flete.

Te quis ô te collegium celebre
Par habens nullum phrenesi sacratum
Aspicit, qui non miserando dicat.
Pallada flete.
Ordo te trinus decorabat amplè,
Cum Sacerdotum cuneo decenti
Sterneris vulgi manibus scelestis.
Pallada flete.
O leoninam rabiem, tyrannos
Horrida cunctos superans nefandi
Criminis noxa furit, en cernis.
Pallada flete.
Horror seu sævus, nihil ô deinceps
Linquitur tutum, nihil aut inausum,
Res en humanas superest perire.
Pallada flete.
Stabit adversans hæresi quis ultra,
Sontibus quis non trepidus resistet,
Quis bonos mores volet edocere.
Pallada flete.
Papa qui Christi vice Summus uti
Gratularis, vos pariterque mundi
Cardines, Fidei cecidit columna.
Pallada flete.
Filiam tu Rex nimium decoram
Prolem fecundam recolens videto,
Plangit, orbam se viduamque clamant.
Pallada flete.
Inclytum Regnum tua clara doctrix,
Christianum quæ titulum ferebat
Monstra non gignens jacet indecora.
Pallada flete.
Canones, Artes, medicansque Physis.
Et Sophiæ vultus lachrymis rigate,
Deperit vobis studiosa turba.
Pallada flete.
Palladis Trojæ referunt imago
Custos ablata sibi dat ruinam
Franciæ casum similem timentes,
Pallada flete.
Invicem fœdus sociale servant
Clerus & miles, patiente Clero
Nobiles vestro statui caventes.
Pallada flete.
Regii sceptri rogitamus heres
Clare Delphine repares ruinas
Hosticæ cladis, miseris vel odis.
Pallada flete.
Tale qui rursùs renovare quæret,
Vivito felix quater & beatus,
Cesset ut plangor dolorosus iste,
Pallada flete.

CARMEN
IN LAUDEM
DUCIS AUSTRIÆ,
Et Studii ejusdem.

SORS miseranda nimis te Francia diva fatigat,
Plusquam cujusvis vox reserare queat.
Olim proscriptos pro libertate tuenda,
Proque Fide passos, mos relevare tuus.
Sensisti Thoma propriis dum trusit ab oris,
Anglia te sanctum, sensit & Ecclesia.
Heu pietas, heu prisca Fides, coguntur alumni
Francigenæ mortes exiliumque pati,
Summe Deus pro Lege tua, quam sub decachordo,
Mentibus impressam scribis & in tabulis.
O quot Theologi, quot Pontifices periere,
Carcere quos clausos dira necat rabies.
Effugit altera pars alienis incola terris,
Tutior exilio, sed spoliata bonis:
Inter quos unus qui Cancellarius almi
Parisiis Studii est, cedit & advena fit.
Austria tu felix, felix studiosa Vienna.
Dux quibus est talis traditus in regimen,
Zelo qui Fidei fervens, ob eam fugitivum
Huic miserans, offert ultrò refrigerium,
A Assignatque locum cum libertate, suique
Patribus egregii commoda Collegii,
Sis sua magna Jesu merces pro cujus honore
Doctorem recipit discipulumque tuum.
Gloria, laus & honor Dux inclyte te resonabunt,
Dum pietas terras sancta Fidesque colent.

ALIUD CARMEN
DE
MULTIPLICI MARTYRIO.

MORS Martyrum laudabilis,
Præ ceteris optabilis,
Baptisma supplens si deest
Omne reatum diluit.
Mors pro Fide viriliter
B Suscepta reddit Martyrem.
An sub Fide Lex ponitur,
Quam Litteræ sacræ docent?
Quare beatus omnis est,
Pro Lege quem Dei sui
Certando contingit mori
Quicumque det casus necem.
Corona Fratrum septena
Refulget ob Legis zelum.
Martyr Joannes an fuit
Culpans nefas adulteræ?
Ergo beati vivite,
Quos tetrius multò scelus
Damnando, martyrium publicum
Occidit atrox carnifer.
O pulchra mors coram Deo.
Jocunda plena gloria,
Conspuat hanc vulgus licèt
Nequam, prophanum, malignum.
C Ætas an hæc felicior
Quòd Martyres habet suos
Culpanda, vel forsan magis
Nefanda pro tyrannide.
Culpanda pro Pastoribus,
Luporum qui vices gerunt,
Tyrannidem dissimulant,
Immò fovent, augent, probant.
O veritas Patris Jesu
Obsecramus versa vicem,
Ut veritas victrix eat,
Cruoris expers & necis.
Si vis ut in Martyribus
Vincat, patescat omnibus.
Laus detur & palam tibi
Patri sanctoque flamini.

CARMEN
PRO
VIRTUTE PATIENTIÆ.

D ASPERA quis fortuna potest tua dinumerare
Prospera quæ tribuis, licèt inscia.
Inscia, non tamen est ea Patris cura benigni.
Pro virga qui te manibus gerit,
Non aliter quàm vult, nec acerbius ipsa flagellas,
Fortis ob hoc remanet patientia.
Murmure non lateat te promittentis honore,

Fert

Fert homines librans oculos sibi.
Abba Pater clamat, magno pro crimine nati,
Sat sit Patri supplicii parum.
Letiferum pando peccatorum putre vulnus,
Ut placet ure, seca modò deprecor
Nolis in æternum parcendo tradere mortem.
Esset en hæc pietas, furor efferus.
Sicut sanctus amor placitè conquirit amando
Omnia quæ faciunt alii bona.
Sic tolerando suum patientia vertit in usum.
Omnia quæ mala respicit undique.
Cur igitur dives patientia non erit inter
Aspera fortunæ tot tantaque.
Verbere solatur, gelidoque rigore calescit,
Potat eam sitis, esuries cibat.
Ex aliis solvit loculo sua debita clauso,
Exilium patriam reputat suam.
Pressuram mundi facit in Christo sibi pacem
Docta; foro requiem medio capit.
Carcere cum vinclis sit libera, quid moror ultra?
Vertitur in vitam mors ultima.
Est patiens melior forti, patiens quia vincit
Sæpius hoc hostem sine vulnere.
Non tamen est asino similis patientia laudi,
Stercoris & culpæ tolerans onus.
Excutienda magis totis hæc sarcina nervis,
Perpetienda prius mors corporis.
Hæc est sanctorum patientia vera, probat
Corde suum toto quod amat illum.
Durior inferno, nec aquis frigescit in ullis,
Stigmata signa sui Regis gerit.
Infert vim cœlo, rapit astra jure triumphi,
Hic fructus suus, hæc possessio.
Materiam dat ei sors aspera quo malus in se
Sævit, abutitur, amens enecat.

CARMEN
AD
PETRUM DE ALIACO
CAMERACENSEM CARDINALEM,
Quomodò hæc vita quoddam somnium est.

PETRE quàm totum phrenesis replevit
Somnium: cur non miseram vocemus
Plurium vitam? An caret sapore
Cor vigilantum?
Non caret, nam quas aliunde somni
Tradimus causas, nisi quod recludit
Missa de corde cerebri meatus
Fumida nubes?
O quis & quantus varius frequensque
Fumus occursans modò vel recursans,
Occupat sensus vigiles ab intus
Idola turbans.
Ebrii testes, variis homo fit
Ebrius causis, prout appetentum
Passio sese, vehementer alto
Corde profundat.
Nonne vesano furiunt amore
Plurimi, sic dat odium vel ira
Livor aut zelus vel opum cupido
Gloria vana?
Error hinc in vi stolidus resultat
Æstimativa, species quod intro
Res quasi feras capit, ac ineptum
Judicium fert.
Somnians crebrò vigil esse credit,
Disputat, versusque facit; reflectens
Se super, dicit vigilo, nec erro
Somniculosus.
Solvitur somnus, quid eum fefellit,
Conspicit, vultis simili carere
Diliramento, vitiosa primùm
Passio cedat.
Vana virtutum simulachra fingit
Passio, nunquam bona judicatrix
A Fert suam pravus phrenesim, videbit
Liber ab illa.
Liberat clamor, melius momentum
Solvit letargum, reversa cessat
Pœna si detur, sine vel furoris
Tempora labi.
Sortis humanæ miseratus esto,
Suavis interpres, ratio vigorem
Servat in paucis, habet hinc minorem
Culpa reatum.

CARMEN
AD
GERARDUM
Domini Delphini.
B CONFESSOREM.

ORO tristitiam repelle seculi,
Mortem crede parit Gerarde duplam
Stringit noxia cor, premit, necatque
Ex hac letifero plagatur ictu.
Culpæ spiritus & tabescit in se.
Nil mortale fleas, nihil caducum.
Cur perdas lachrymas nihil juvantes?
Obsunt, nec reparant peracta damna.
Quod mutare nequis, feras oportet,
Deduc in meritum necessitatem.
Damnum temporis ad perenne confer.
Si te pœna brevis dolore torquet.
Ex hoc conjice quam dolenda culpa.
Vis lugere, dolor beatus iste est.
Consolatur enim, Jesu docente.
Plora flagitium, memento finis.
Luctus mixtus erit sapore dulci.
Ob spem quòd gemitu reatus isto
Deletur, manet & corona cælo.
Ultoris gladius ferire jussus,
Salvat luctificum Thau gerentes.
Vult nos plangere lachrymosa vallis,
Nil plus purificat cor aut serenat.
C Quàm luctus vehemens amaricansque,
Hoc mersus Pharao mari peribit.
Tellus melle fluens dehinc patebit,
Quam ros hic pluvius rigans venustis
Ornat floribus, ac perinde multos
Fert fructus lepidos decore grato.

ITEM
ALIUD CARMEN
AD EUMDEM.

D QUID Gerarde fit in nobis?
Hærent crimina quædam
Intrò cordis in medullis
Cum radice profunda.
Quæ licèt minora dicant
Homines ad superandum,
Prorsùs excuti nequibunt
Vix dum vixeris à te,
Flebis ubertim diuque
Culpans corque remordens.
Ut gravi mole depressus

Evites recidivas
Fortis alacrisque pugil,
Prosternes graviores
Sub jugo pestes, eas vix
Alii vincere quibunt.
Gratiam fateri Dei
Esto certus oportet,
Ordinem videto suum,
Providus omnia librat
Sub modi sub ponderisque
Mensura sapienter.
Vincis hoc vel illud scelus,
Sibi victoria detur.
Millies cadens resurge,
Semper sustine, spera.
Flens manus Patri porrige,
Lachrymis est sua lingua
Non te deseret in finem.
Tandem è stercore tollet.

FINIS.

CARMEN

DE PURITATE

SACRÆ SCRIPTURÆ

Respectu aliarum.

Montibus altis Exoritur fons
Purior auro, Unda nec ullo
Spurcida cæno Lumine solis
Obice fulget. Tu bibe tutus,
Te speculeris Te tua nunquam
Fallet imago. Plurimus inde
Rivulus exit Lapsus ad ima
Putrida tellus, Quo mage distant
Sordibus opplet Noxia miscens,
In quibus anguis Ranula, vermis
Bufoque serpunt, Mors latet undis
Si sitis urget Cautior esto.
Vis speculari Reddere verum,
Vix simulachrum, Turbida possunt.
Terreat hoc vos Quos derelicto
Fonte sophiæ Terrea potant

CARMEN.

CONTRA

TUMIDUM COR,

Et quid sanat illud.

A
CUR te distendis ventosa superbia, quid te
Sufflas & jactas? dum tibi vana places.
Vidi ego vesicam modico turgescere flatu.
Quæ pisis sonuit quatuor impositis.
Hanc puer unus acu pupugit, displosa repentè,
Vilis & absque sono flaccida detumit.
Quisquis adulantum turgescis voce, sub isto
Disce typo, tibi quid mortis acumen aget.
Te priùs ergo humilem proprii compunctio cordis
Spinave configens, si sapis, efficiet.
Nullus adulator pejor tibi quàm tibi fiet;
Si tibi blandiris, teque colendo tumes.
B
Lucifer hinc cecidit, nec mirum, dum videas nos
Turpes & viles peste sub hac ruere.
Pulcher quid faceres, quid in omni per te decorus,
Omni cum plenus sorde superbis homo?
Dicis, dives sum, nec egens, nescis quia pauper,
Nudus, cæcatus, vilis es atque miser,
Prospera sors nutrix est hujus subdola pestis,
Aspera sanat eam prosperiore manu.
Unus ut è Patribus ventoso corde careret
Dæmone vexari quæsiit, obtinuit.
Ergo quid adversas tanto fugimus studio res
Consulimus Sortes, fidimus in Medicis?
Sed nolo tentare Deum dices, agis aptè,
Si tamen anteferes præsidium Domini;
Angelicum si subsidium, si Spemque Fidemque
Cura nec humanis sit nimis auxiliis.
C
Cura superflua sit, si plus, si non ut oportet,
Nec pro persona, conditione, statu.
Tu corpus refove, tu cura sedulò carnem.
Quid nisi confestim putre cadaver erit?
Spiritus æternus datus est tibi, jure colatur,
Atque humilis, mitis, vilis, & esto tibi.

FINIS.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis.


CENTILOGIUM

DE

CONCEPTIBUS.

Ad MSS. Codd. Vict. 699. Colbert. 99. & Navarr. unum.

PROOEMIUM.



ONCEPTUM de Virgine magnificantes & implorantes cum illa quæ mente priusquam carne concepit, cujus nomen sanctum, qui de se per Salomonem loquitur in persona sapientiæ: *Necdum erant abyssi & ego jam concepta eram.* Prov. VIII. 24. agamus pauca de conceptibus, obedientes consilio Jesu filii Syrach. *Præcurre autem*, inquit, *prior in domum tuam & illic advoca te, & illic lude & age conceptiones tuas, non in deliciis & verbo superbo.* Eccli. XXXII. 15. Sic agebat assiduè illa cui dictum est per Angelum: *Ecce concipies in utero & paries Filium.* Luc. I. 31. Nam *conservabat omnia verba* de Filio *conferens in corde suo.* Ibid. II. 19. Conferens & cum virginali sponso & custode suo Joseph. Sæpèque reiterans canticum suum novum: *Magnificat anima mea Dominum.* Ibid. I. 46. Procedemus per verba centum, & partes octo, propitiis Jesu, Joseph & Maria.

PRIMUM VERBUM.

CONCEPTUS in sua generalitate dicitur actus concipientis in utero proprio vel alieno, ad diffusionem seu communicationem bonitatis per amorem. Sic conceptus, prout & generatio, reperitur in omni re, sicut & amor, secundùm Dionysium. Hinc oritur illa naturæ descriptio, quòd est vis insita rebus ex similibus similia procreans vel concipiens.

Conceptus entis est primus omnium conceptuum, quos concipit primus Deus concipiens, sit ad intra, sit ad extra. Ad intra quidem de Filio: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Ps. CIX. 3. Hic ens principium de principio. De creaturis verò loquitur per Prophetam: Portavi in utero meo & gustavi à vulva seu matrice mea. *Isaia.* XLVI. 3. Et in Genesi. II. 3. *Hæ sunt generationes cœli & terræ.*

Conceptio entis primi activa non est, nisi Deus ipse concipiens, sit ad intra, sit ad extra. Sed conceptio passiva dicitur ipsa res concepta, sit ad intra, sit ad extra. Nec oportet ponere in creaturis conceptionem esse relationem mediam realem inter Deum concipientem productione, & rem conceptam seu productam: esset enim talis relatio creatura dependens cum non esset creatrix essentia. Et si non esset sua dependentia, processus esset infinitus, aut æqualiter sisteremus in prima dependentia creaturæ.

Conceptio in divinis activa quæ est Pater concipiens, dicitur, secundùm positionem aliquorum, distingui seipsa à conceptione passiva quæ est Filius. Sic de spiratione activa & passiva dicerent: quæ spiratio non æquè propriè vel usitatè conceptio nominatur, nec aliquo modo generatio dici debet, sed spiratio.

A Conceptus entis in universali rerum utero sicut & amor incitans ad concipiendum multiplex invenitur. Divinus, Angelicus, rationalis, animalis, vitalis & purè naturalis.

Conceptus entis relatus ad primum concipientem Deum semper est bonus, pulcher, nobilis & generosus, nec aliter esse potest. Secùs si fiat relatio ad creaturas quæ concipiunt & concipiuntur, præsertim si rationales sint & liberæ; conceptus enim peccatorum sunt ignobiles, degeneres, spurii seu bastardi.

Conceptus divinus interior primus est & solus & necessarius. Ceteri sunt temporales, quia nihil in æternum nisi solus Deus, contra Platonem specialiter & alios Philosophos, imò & Theologos B quosdam, qui universalia etiam realia posuerunt æterna, quos & regula Fidei & Parisiensis damnat Articulus. Quidquid enim est, vel est creatura vel creatrix essentia. Æternum autem nihil est, nisi Deus vel in Deo, in quo certè nihil est quòd non sit Deus.

Conceptus creaturarum tot modis variatur nobilitate, quot modis in sua perfectione & bonitate & concipiendi manerie distinguitur; ita quòd nomen Jesu secundùm humanitatem primum est & super exaltatum, deindè nomen Mariæ Matris suæ. Deindè sunt Angelorum nomina, secundùm hierarchias ordinata. Luciferi verò ceterorumque nomina, secundùm substantiæ suæ claritatem, nomina sunt Dei; C sed ab eis per privationem lucis gratiæ deformata seu contenebrata vilescunt.

Conceptus quantò sunt intimiores & intrà manentes, tantò sunt perfectiores, & è contra, ceteris paribus, quàm conceptus extrà prodeuntes, quemmodùm divinus conceptus est prorsùs immanens & consubstantialis. Ceteri sunt in creaturis per respectum ad Deum velut extra prodeuntes, tanquam nomina seu voces & verba Dei. Sunt etiam inter se diversi realiter & si fuerint intra manentes, sunt sæpè accidentales: quidquid sit de ponentibus quòd essentia rationalis animæ germinat suas vires & potentias consubstantiales, cujusmodi sunt intellectus &

voluntas, quas esse accidentia connaturalia quidam tradunt.

Conceptus primi concipientis ad extra non potest totaliter esse æquivocus, nec penitùs univocus; sed analogus dici potest, propter assimilationem aliquam ad formam entis quam communicat primus concipiens, vel ex nihilo, vel ex utero materiæ primæ, vel ex utero potentialis potentiæ, quæ latior est in omni re. A

Conceptus entis tantò nobilior est, atque generosior, quantò plus habuit de actualitate, & minùs de potentialitate quæ tribuitur materiæ; secùs de possibilitate virtuali quæ formæ tribuitur: quæ quantò est multiplicior, tantò est unitior, & per pauciora suam consequens perfectionem. Contra de multiplicitate ex materia consurgente.

Conceptus habiti De Deo possunt ab ordine quintuplici notari. Primus, essentialium spectantium ad esse. Secundus, essentialium spectantium ad actiones. Tertius, objectorum, ut intelligibile, volibile. Quartus, essentialium spectantium ad personas, ut intellectus potens per intelligibile adæquatum & voluntas volibile infinitum. Quintus est consurgens ex priori ordine, ut scilicet identitas, & æqualitas, similitudo. Et quia totum necessarium præcedit possibile esse; intelligamus ex istis producta intelligibilia & volibilia ad extra, qualia continet ratio deitatis: non sicut subjectum passionem; sed sicut caussa effectum, sub triplici genere caussæ, quas in Deo semper coincidere necesse est, quæ sunt efficiens, formalis, non intrinseca & rei constitutiva, sed exemplaris & finalis caussa. B

SECUNDA PARTITIO.

De Conceptibus animæ rationalis, vel hominis in speciali.

Conceptiones in omni creatura reperibiles reperiuntur in homine, qui propterea dicitur omnis creatura vel minor mundus. Hæ sunt conceptiones intellectualis, scilicet rationis, animalis, vitalis & purè naturalis. Æquivoca insuper virtute & analoga, libera quoque & servilis, moralis denique & artificialis. C

Conceptus cognitivi formaliter, de quibus solis deinceps erit sermo, cum affectivis sunt in triplici genere, secundùm tres animæ rationalis vires seu potentias principales in utero suo, quæ sunt mens superor prima. Ratio vel sensus interior secunda. Et sensus exterior tertia.

Conceptiones in ventriculis animæ rationalis solent geminos fructus seu conceptus afferre: quoniam aliqui sunt cognitivi vel apprehensivi, alii verò affectivi. Concipere autem dicitur, quasi simul capere, & intelligere, quasi intùs legere, & reperire in memoria, quasi iterùm parere.

Conceptiones in utero sensus exterioris sunt in genere quintuplici, secundùm quòd habet uterus iste quinque sinus principales, quos dicimus, visum, auditum, olfactum, gustum, tactum: de quibus non est hîc dicendum per singula, ut si sensus sint ejusdem speciei in omnibus perfectis animalibus, & quæ sunt propria cujuslibet sensûs objecta, cum similibus. D

Conceptus exteriores istorum sensuum talem habent primitatem & coordinationem ad reliquos interiores nobiliores, quòd nequeunt absque ipsis gigni; quoniam omnis nostra cognitio & disciplina intellectiva fit ex præexistente cognitione sensitiva, secundùm Philosophum, qui dat hoc signum; quia deficiente nobis uno sensuum à natura, deficit & noticia propria de sensibilibus illius sensus.

Conceptus exterioris sensus in suis quinque ventriculis sunt initiales & quasi seminales, respectu conceptuum superiorum, unde prodeunt omnes Philosophicæ conceptiones quas in tria genera dividimus, naturalem, rationalem, moralem; quarum sunt multæ species à Philosophis ordine miro traditæ. Ut sub naturali Metaphysica, de essentiis rerum. Mathematica, de numeris & figuris. Physica, de motibus. Sub rationali seu sermotionali Grammatica, Logica, Rethorica. Sub morali Ethica, Oeconomica, Politica. Quibus additæ sunt conceptiones artium machanicarum variæ, nec hîc numerandæ.

Conceptus exteriorum sensuum nequeunt fieri per reflexionem concipientis supra conceptum suum: non enim est sensus virtus supra se reflexiva, sicut oculus non videt se videre, nec auris audit se audire, & ita de reliquis. Sola enim virtus intellectiva se supra se perfecta reditione reflectit & reducit. Quod maximè patet in intellectu primo qui Deus est, ubi monas gignit monadem, & in se suum reflectit amorem, quæ reductio perfecta est, nec aliter esse potest, ne sit otiosa.

Conceptus exteriorum sensuum sicut sunt simplices absque compositione enunciativa; ita nulla est in eis falsitas qualis in conceptibus complexis & judicialibus invenitur. Et ita visus aspiciens baculum in aqua non fallitur, sed phantasia vel ratio si judicat ipsum fractum.

Conceptio in matrice quinque sensuum semper est naturaliter pulchra, quia modum habet, speciem & ordinem, prout aliæ res omnes quæ non producuntur absque numero, & pondre & mensura, & hæc dicitur veritas vel nobilitas naturalis indelebilis re stante. Secùs de veritate complexa signi significantis ad placitum per operationem intellectus.

Conceptiones sensuum exteriorum dant occasionem frequenter sensui interiori & rationi vel menti judicanti, quòd errent in suis conceptibus, ut falsi sint, deformes, monstrosi & ignobiles, falsitate scilicet signi & deformitate vitii, & hoc pro statu naturæ posteriùs destitutæ, non primitùs institutæ; quomodò homo non fuisset deceptus nec vigilans nec somnians, Domino providente & intellectum regulante, respectu omnium potentiarum in tota generatione conceptuum.

Conceptus exteriorum sensuum sunt simplices & experimentales geniti naturali necessitate ab objectis suis propriis vel communibus actualiter moventibus per species suas impressas, etiam dum objecta pereunt vel subtrahuntur. Exempla sunt plurima de sono & de visibilibus radiosis.

Conceptiones exteriorum sensuum judicantur falsæ, turpes & distortæ ex tribus principaliter, quorum primum est indispositio organi vel ventriculi quo fit conceptio. Alterum, est indispositio medii per quod species objectorum transeunt ad sensus. Tertium, est distantia objectorum per proqinquum aut remotum improportionata.

TERTIA PARTITIO.

De Conceptibus interiorum sensuum.

Conceptiones plures & nobiliores fiunt in secundo animæ rationalis utero interiori organico, sicut radiationes quas recipit à sensationibus tanquam semina, sunt spiritualiores; & potentia concipiens illic amplioris virtutis est. Utrùm verò sola rationalis anima sit subjectum inhæsionis omnium conceptuum suorum, vel totum compositum ex organo & anima, problema videtur, prout de subjecto materialium accidentium. Dicunt aliqui quòd solam materiam informavit, quamvis totum compositum denominent. Sic visio quæ causatur ab anima ra-

rationali, utique indivisibili, inhæret sibi soli, quamvis totum oculum vel hominem videre, denominet.

Conceptiones interiores & organicæ quamvis fiant originaliter & radicaliter à corde, tamen perficiuntur in cerebro, velut in triplici ventre, secundùm tres capitis particulas aut cellulas; quarum anterior quæ major est continet vim sensus communis cum imaginativa. Secunda verò quæ mediocris est, continet formativam seu cogitativam cum æstimativa. Tertia verò posterior & minor, continet retentivam cum memorativa. Dicuntur aliis nominibus sinciput, occiput, interciput, seu medium in capite.

Conceptiones sensus communis sunt tot simul, quot fiunt per sensus exteriores singulos etiam in animalibus perfectis. Ex quibus conceptionibus aliæ & aliæ pullulant imagines & formæ, per associationes & combinationes varias factas tàm in sensu communi, quàm in phantastica & æstimativa virtute. Quod ingeniatum est à natura propter procreationem necessariorum ad vitam, dùm non habent animalia perfecta alimentum conjunctum, sicut plantæ & animalia solum tactum habentia, sicut patet in conchis & ostreis.

Conceptiones virtutis formativæ cum æstimativa præcellunt in multiplicatione conceptuum etiam in brutis super virtutem sensus communis; quia multipliciùs separare & conjungere possunt imagines cum intentionibus, & utrasque ad invicem, per vim æstimativam quæ ex sensatis elicit insensata, ut ovis ex figura lupi elicit inimicitiam. Nisi dicamus hoc purè naturaliter fieri, quemadmodùm ab igne fugit aqua in lignis viridibus, & exteriores sensus qui simplices sunt horrent contraria, per naturam sensus vel naturalem instinctum.

Conceptiones in hoc ventriculo mediæ cellulæ cerebri possunt conturbari in brutis & plus in hominibus ex conturbatione prioris cellulæ, qua, priori non impedita, potest nihilominùs ista secunda multipliciter conturbari, ut non concipiat vel eliciat nisi monstrosos partus, maximè dum accipit rerum similitudines pro rebus veris ad extra, ut facit somnians. Potest insuper ventriculus tertiæ cellulæ concludi, ne pariat memorando, existentibus primis sanis.

Conceptiones in utero phantasiæ brutorum animalium & irrationalium variantur per diversas industrias, ex variatione complexionum harmonicarum, adeò quòd perveniunt ad rationis industrias quodammodò percipiendas, juxta regulam Dionysii, quòd *Suprema inferiorum junguntur infimis superiorum.*

Conceptus irrationalium non sunt nobiles vel ignobiles formaliter, quia non habent ut homines conjunctam rationem, per quam regulari possint aut debeant; sed impetum motionis objectalis insequuntur & pulchri sunt, ut ira in cane, & in vulpibus astutia.

Conceptiones in secundo rationalis animæ ventriculo plùs per auditum disciplinæ & nobiliùs multiplicantur, quàm per alios sensus, quamvis visus in se sit nobilior quàm auditus.

Conceptiones ultimæ & posterioris cellulæ cerebri quæ memorativa dicitur, sumuntur cum circumstantia præteriti: & illic species quasi sopitæ dicuntur, nisi fuerint excitatæ per vias ingenitas à natura, undè phantasmata fluunt & refluunt de cellulis anterioribus & mediis in postremam, & è contra.

Conceptus formari possunt ab anima rationali, mediante spiritu animali, qui est proximum animæ instrumentum in cellulis cerebri, & hoc de rebus ad extra non ita sensatis; sicut concipitur mons aureus & colores medii in nubibus & iride, immò quidditates substantiarum per discursum & resolutionem sic formantur in ventre rationis, quia pro statu viæ non intuitivè cernuntur: alioquin intellectus cognosceret panem non esse in Hostia consecrata.

Conceptus possunt gigni ab anima rationali in cellulis cerebri, qui propter conjunctionem rationis & imperium ejus dicerentur liberi non intrinsecè, sed denominativè, quorum aliqui sunt nobiles, & actus imperativi virtutum, alii ignobiles vitiorum.

A Conceptiones nominales seu sermonicales de qualibet scientia possunt formari in cellulis cerebri per verba exteriora ad placitum significantia, cum nutibus & signis, quemadmodùm videmus in pluribus qui garriunt de diversis scientiis, de quibus intelligunt propriè nihil plus quàm cæci de coloribus, quales dicebat Apuleius philosophari solis auribus, & de quibus accipi potest dictum Christi sumptum à Prophetis. Isaiæ. VI. 9. quòd audientes non intelligunt. Matth. XIII. 14. Marc. IV. 12. Luc. VIII. 10. Joan. XII. 40. Tales Philosophus vocat incontinentes tempore passionis, qui loquuntur empediocleas, id est sententias graves quas mente non sentiunt, prout ebrii & pueri ex sola phantasia multa dicunt, & alii multi qui carent judicio rationis.

QUARTA PARTITIO.

De Conceptu entis in speciali.

CONCEPTUS entis simplex primus est inter omnes conceptus, tàm in Deo quàm in creaturis. In Deo quidem dum Pater communicat esse suum & B essentiam, quæ idem est Filio. Et ipse cum Filio communicat Spirituisancto. In creaturis autem communicatur priùs esse, quæ communicatio est quoddam concipere, his quidem clariùs, his autem obscuriùs.

Conceptus simplex entis est primum principium incomplexum apud utentes ratione vel intellectu: nec aliquid verè & sincerè concipitur, nisi resolutio fiat ad hoc esse.

Conceptus simplex entis sincerus & elicitus non habetur in via naturaliter & de communi lege, nisi per multas abnegationes & resolutiones factas ab intellectu, qui fundat se in hoc lumine divino signato super eum, quo omne imperfectum necessario reducitur ad perfectum, sicut potentia ad actum, & privatio ad habitum.

Conceptus simplex entis recipitur multipliciter in C se & in passionibus suis primis, quæ sunt unum, verum, bonum, pulchrum, nedum in intellectualibus rationalibus & cognitivis; sed suo modo generaliter in omnibus creaturis.

Conceptus simplex entis in viatoribus hominibus recipi potest & gigni tot modis, quot modis in ceteris quibuslibet creaturis. Undè concipi potest ens primò, naturaliter, sicut amor & bonitas. Secundò, potentialiter, ut memoria meminit sui, secundùm Augustinum. Tertiò, habitualiter, sicut per habitum acquisitum vel infusum. Quartò, objectaliter, per species proprias sensibilium. Quintò, objectaliter, per species alienas componendo, dividendo, ratiocinando, abstrahendo. Sextò, specialiter in homine, per nomina ad placitum significantia. Tandem intuitivè in patria.

Conceptus simplex entis genitus per intellectum viatoris in utero puræ intelligentiæ si diù persistere posset sine commixtione vel involucro sollicitudinum, phantasmatum & concupiscentiarum, ille meritò sincera veritas diceretur, & agalma pulcherrimum, & D pretiosæ margaretæ claritas fulgens in mente. Et talem appellabat Augustinus pro statu viæ, sinceram veritatem, quæ mox instar coruscationis ut illuxerit, resorbetur & involvitur nubeculis phantasmatum, si non stabiliatur mens à gratia.

Conceptus simplex entis accipitur hîc in via de communi lege non intuitivè, sed septem aliis modis in genere, scilicet per experientiam & resolutionem, seu de-

depurationem, quinque modis, & duobus per impositionem & authoritatem, seu Fidem alterius seminantis.

Conceptus simplex entis acceptus per experientiam est aliquando purè vagus & confusus, ut hoc ens; quia qui dicit hoc ens, dicit ens, immò & qui dicit non ens dicit ens, & ita de similibus entis acceptionibus cum imperfectione, ut ens in potentia, ens analogum, secundùm quid, & contingens, creatum & dependens.

A Conceptus simplex entis acceptus per abstractionem & resolutionem purior est & determinatior quàm præcedens. Et habet quatuor gradus. Unus est dùm accipitur ens communiter & analogicè ad ens creatum & increatum. Secundus est ad ens increatum & substantiam creatam. Tertius est ad ens creatum carens imperfectione qualicunque. Quartus est ad ens simplex unum & perfectum, quo nihil majus seu melius cogitari potest: verum est quòd, præsupposita Fide, possunt haberi conceptus altiores, etiam per intelligentiam de beatissima Trinitate, & per affectionem anagogicè sublimatam de torrente voluptatis fontis vitæ.

Conceptus simplex entis habitus per impositionem, ut apud Philosophos; vel per Fidem, ut apud Christianos, significat & repræsentat aliquid, quidquid illud sit, quo melius cogitari non potest; & hæc est B cognitio quid nominis, seu quid nomen significat, cum qua stat ignorantia vel dubitatio si res significata sit, aut quid sit. Sed nequaquàm dùm habetur conceptus rei per intelligentiam, nedùm intuitivè, sed abstractivè modis dictis.

Conceptus simplex entis iste quo majus cogitari non potest, dicitur pelagus quoddam essentiale infinitum, secundùm Damascenum, quod necessariò est esse suum & solum necesse esse per essentiam & unum & verum & pulchrum & bonum: Cetera autem omnia per participationem & quandam imitationis analogiam. Et sunt hæc ita certa de Deo apud illos qui concipiunt resolutivè purum esse, quòd dubitare non possunt; quia sunt per se nota, intellectis terminis talium. Nihilominùs teneatur regula Dionysii ad Gaium, quòd *Si quis videns Deum intellexit quod vidit, non ipsum contemplatus est, sed quid eorum ab ipso existentium & cognitorum*: Hoc verum est de C lege communi, quia non videtur intuitivè hîc & nunc.

Conceptus simplex entis nullo modo potest esse verus, bonus, & pulcher, nisi characterizatus, seu sigillatus & formatus, & quodammodò vivificatus sit ab ente primo simpliciter, quo majus excogitari non potest, cujus nomen est unicum, sanctum & benedictum in secula.

Concurrunt autem in Jesu duo nomina, prima & suprema. Unum increatum, quod est ipsum esse purum Dei, sibi soli comprehensibile: aliud creatum, quod est humana natura, quæ sicut est perfectissima creaturarum, sic est nomen exaltatum & magnificatum super omne aliud nomen.

Sortitur autem Deus plura nomina per negationem intellectûs, prout in opusculo *De modis significandi* habet dici. Deus secundùm Bonaventuram in Breviloquio dicitur lux, ut est ratio cognoscendi omnia. Dicitur speculum; ut est ratio cognoscendi visa & approbata. Dicitur exemplar; ut est ratio cognoscendi prædisposita. Dicitur Liber vitæ, ut est ratio cognoscendi prædestinata & approbata. Est igitur Liber vitæ, respectu rerum redeuntium. Exemplar, D ut existentium. Speculum, ut euntium. Lux, respectu omnium. Et ad exemplar spectat idea, verbum, ars & ratio. Idea, secundùm actum prævidendi: verbum, secundùm actum proponendi: ars, secundùm actum prosequendi: ratio, secundùm actum perficiendi; quia superaddit rationem finis vel intentionem. Cognoscit insuper contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præsentialiter, temporalia æternaliter, quia per seipsum essentialiter.

QUINTA PARTITIO

De Conceptibus complexis.

CONCEPTUS complexi quos orationes dicimus, capiunt evidentiam & quasi vitam immortalem & æternam, per vivificationem entis primi simplicis, secundùm triplex genus caussæ, efficientis, formalis vel exemplantis, & finalis. Recipientes ut ab efficiente unitatem, modum & mensuram: recipientes ut ab exemplante seu formante speciem, numerum & veritatem: recipientes ut à finiente ordinem, pondus & bonitatem. E quibus omnibus necessariò consurgit pulchritudo de qua laudatur pulcherrima mulierum in Canticis Canticorum.

Conceptus complexi, quos dicimus rationis, dicuntur per se noti, dùm conceptus simplices ex quibus componuntur apprehensi, reddunt potiùs complexionem evidentem in lumine rationis intellectivæ, ut de quolibet esse vel non esse, cui non contingit, intellectis terminis, dissentire. Tales utique sunt communes animi conceptiones ut hebdomades & primæ impressiones & prima principia.

Conceptus complexi dicuntur evidentes, qui recipiuntur ab intellectu non solùm superiore, per lumen intelligentiæ, sed etiam ab inferiori, per certitudinem sensualis experientiæ, ut quòd ignis est calidus, & quòd absinthium est amarum.

Conceptus complexi omnes medii dicuntur, qui non recipiunt evidentiam, nisi per reductionem, seu resolutionem ad conceptus experimentales primos, vel secundos, quæ dicuntur conclusiones; sicut habetur in prima Philosophia & in prudentia & arte, & in omni scientia. Et hoc non intelligitur de cognitione Dei, quæ nullatenùs est discursiva aut compositiva, nec de Angelica cognitione, quæ à multis similiter ponitur non discursiva: saltem in pluribus non oportet. Secùs in nobis hîc in via.

Conceptus complexi, sicut & incomplexi, reperiuntur in hominibus, pro statu naturæ destitutæ frequenter abortivi vel turpes & spurii, propter indispositionem matricis animæ rationalis, ex mala dispositione corporis vel prava consuetudine, vel aliundè, multis modis. Prosunt autem ad fecunditatem & decorem ingenium clarum, exercitium electum, & otium sanctum, seu devotum & sobrium.

Conceptus complexi tantò sunt deformiores, ignobiliores & vituperabiliores, quantò propinquiores sunt primis conceptibus evidentibus, qui per experientiam superiorem vel inferiorem accipiuntur, dùm degenerant ab iis, nec imitantur eos, assimilatione perfecta: Quemadmodùm culpabilior est errans in januis & meridie, quàm de nocte; & turpior judicatur simia quæ deficit ab hominis figura quam videtur imitari.

Conceptus complexi in utero mentis geniti per semina primorum principiorum complexorum vel incomplexorum, sunt nobiliores & generosiores, ceteris paribus, quàm geniti per semen experientiæ sensualis. Propterea scientiæ morales quæ respiciunt particulariores actus hominum super omnes, minùs habent certitudinis: similiter & scientiæ non abstrahentes à motu & à materia; sed Mathematicæ, propter abstractionem hujusmodi, sunt in primo certitudinis gradu quoad nos & pro isto statu.

Conceptus complexi possunt in utero mentis vel rationis gigni pulchri, nobiles & certi, per semen experientiæ sensualis; sed non absque semine conciliante, seu fovente primi luminis intellectualis, in quo videntur prima principia practica moralium; ut quod nemini est injuria facienda: undè potest elici scientia purè speculativa de virtutibus, per deductionem rationis, Logica mediante, quæ ad hoc inventa est ne paralogizando falleremur.

Con-

Conceptus complexi variantur in nobilitate & ignobilitate moraliter per varios gradus, quales solent assignari in certitudine veritatum sub numero quintuplici, secundùm accessum vel recessum à primis principiis moralibus per se notis. In primo gradu sunt prima principia. In secundo, conclusiones evidenter consequentes. In tertio, propositiones & articuli ex auctoritate divina suscepti. In quarto, conclusiones inde certitudinaliter deductæ. In quinto sunt conclusiones probabiles, & de Fidei pietate.

Conceptus complexi de divinis & spiritualibus sunt ex se & via naturæ generosiores & robustiores quàm de creaturis, si capacitas uteri rationalis & intellectualis ad eorum susceptionem & nutritionem haberet harmonicam & expeditam dispositionem; quia quæ sunt prima in natura, sunt in se certissima.

Conceptus complexi formantur in utero rationalis animæ nobiliùs & generosiùs per semen Fidei simplicis & incorruptæ, quàm per semen solum Philosophiæ triplicis, naturalis, rationalis & moralis; quamvis hoc semen adjuvetur vehementer, si receptum fuerit congruenter.

Conceptus complexi solent gigni satis conformiter in secundo ventriculo vel sinu matricis animæ rationalis, quorum unus dicitur cognoscitivus, recipiens semen entis; alius dicitur affectivus, recipiens semen bonitatis. De quorum quolibet erit sequens sermo.

SEXTA PARTITIO

De Conceptibus intelligentiæ in utero non utentis organo corporali.

CONCEPTUS in utero rationalis animæ in ventriculo intelligentiæ non utentis organo corporis, proximi sunt conceptionibus Angelicis, sicut suprema inferiorum junguntur infimis superiorum; non quin intellectus immediatè formetur à Deo, non ab alia intelligentia, secundùm errorem aliquorum, & hoc quoad tria quæ sunt natura, gratia & gloria.

Conceptiones aliquæ dicuntur immediatè fieri in utero intelligentiæ humanæ, non quin requiratur objecti præsentatio & luminis spiritualis irradiatio, & species intelligibilis, quæ mediat inter potentiam & objectum; sicut in visione corporali mediat species coloris inter colorem & visum: nec minus dicitur color immediatè videri, quia nihil mediat inter potentiam visivam & actum suæ visionis; quòd si contingeret, visio mediata diceretur aut reflexa. Sic in proposito.

Conceptiones intelligentiæ qualiscunque præter primam quæ Deus est, sunt accidentia, vel actus ab intelligentia distincti; quia secundùm Articulum Parisiensem, nulla intelligentia creata, est sua intellectio. Undè patet quòd intellectus possibilis ponendus est in Angelis, qui idem est essentialiter cum agente, sed diversi sunt respectus. Itaque sic Angelus malus sua esset beatitudo, quod esse non potest.

Conceptiones intellectus humani non fiunt ab intellectu agente in intellectum possibilem, tanquam intellectus agens fiat cognitio possibilis intellectus; quatenùs sint idem intellectus realiter, quæ secundùm Ecclesiæ determinationem est propria hominis forma, agens conceptiones suas in seipso, essentialiter ab eo distinctus.

Conceptiones intelligentiæ humanæ non fiunt hîc naturaliter in via, nisi conjuncto vel prævio phantasmate. Secùs de miraculo vel privata lege, ut in Paulo & in Moyse, & in Virgine benedicta: Alioquin raptus & Prophetiæ, tam in vigilia quàm in somno possent accidere naturaliter, ut Avicenna mentitus est, in favorem sectæ Machometi epileptici, & contra dictum sancti Petri, quod *Voluntate humana non est allata Prophetia*. 2. Pet. 1. 21.

Conceptiones intelligentiæ humanæ non fiunt per impressionem idearum separatarum, quæ non sunt Deus, ut Plato dicitur posuisse; nec per solam inspectionem phantasmatum, ut Aristoteles dixit; nec per influxum solum intelligentiæ vel separatarum intelligentiarum, ut Avicenna posuit; nec per actualem inclusionem rerum intelligibilium in anima, ut alii fabulati sunt: sed conflatur ex omnibus verus Catholicorum modus, quòd anima in sui prima creatione est sicut tabula rasa, & quòd capit scientiam suam à sensibus & à phantasmatibus per abstractionem ab hîc & nunc, & à materia, & proinde scientia est de necessariis, & æternis, & impossibilibus aliter se habere; quia non accipit intellectus res ut in actu; sed ut in aptitudine; quæ aptitudo necessaria est: non quidem in se, ut sonat positio Aristotelis, sed in Deo; quia nihil est æternum nisi Deus, vel in Deo. Et in hoc concederetur positio Platonis, secundùm interpretationem Augustini, quòd *Deus est æterna caussa rerum omnium in essendo*, supple aptitudinaliter, *& ratio æterna cognoscendi*, supple exemplaris vel idealis, *& æternus ordo vivendi*, *tanquam caussa finalis*.

Conceptiones humanæ intelligentiæ poterant pro statu naturæ institutæ fieri de insensibilibus per abstractionem à motu, & à materia, & à suis appenditiis: & in illis conceptionibus potuisset homo sinceriter perstitisse. Hinc Augustinus: *Quæ caussa cur primam lucem acie fixa videre non possis, nisi utiquè infirmitas? Et quis eam ibi fixit, nisi utique iniquitas?*

Conceptiones intelligentiæ pro statu naturæ institutæ videntur potuisse fieri nedum per aspectionem phantasmatum, ut hîc in via; sed per irradiationem à superioribus intelligentiis, & fortassis sensibilibus creaturis, aliter quàm per sensum, ut per intelligentiam quæ virtualiter & eminenter continet vires sensitivas.

Conceptiones animæ separatæ videntur aliter fieri posse frequenter quàm per miraculum, per susceptionem specierum tàm ab intelligentiis quàm à sensibilibus, per naturalem sui luminis irradiationem, licèt imperfectiùs multò quàm in Angelis aut in statu innocentiæ.

Conceptiones humanæ intelligentiæ hîc in via de primo ente triplices esse possunt. Quædam faciales & intuitivæ, sicut in Paulo, Moyse & Maria, licèt in raptu quodam. Quædam speculares & sinceræ; sine phantasmatum involucro, licèt transitoriè & raro. Quædam conjunctæ phantasmati & continuò.

Conceptiones humanæ intelligentiæ speculares & sinceræ videntur potuisse fieri per reflexionem intelligentiæ super actus visionis intuitivæ, qualis fuit in Paulo, immò qualis est in Beatis. Est autem visio seu cognitio unitiva in experientia objecti præsentis in se, vel in sua specie propria, vel in supereminenti repræsentatione, qualem Deus habet.

Conceptiones humanæ intelligentiæ sunt omnes vel intuitivæ vel abstractivæ: videant qui tale aliquid ponere voluerunt, fortè quòd sunt aliæ & aliæ conceptiones objecto præsente vel absente.

SEPTIMA PARTITIO

De Conceptionibus voluntatis in speciali.

CONCEPTIONES in utero vel matrice rationalis animæ tot modis possunt multiplicari quoad potentiam appetitivam, quot modis variantur quoad apprehensivam seu cognitivam.

Conceptiones appetitivæ nobiliores & liberiores sunt in suo genere, ceteris paribus, quàm cognitivæ, nisi degenerent in vitium, sicut dicitur de pecca-

tore, quòd *Concepit dolorem & perperit iniquitatem*, Ps. VII. 15. quæ duo pertinent ad affectivam.

Conceptiones affectivæ nequeunt fieri sine prævia cognitione separata vel conjuncta. Separata Deus est, conjuncta verò ratio. Concursus autem Dei generalis non impedit libertatem, immò causat, fortificat & actuat, quamvis non necessitet, quia tolleret primum motum suum.

Conceptiones affectivæ possunt gigni & continuari, facta præsentatione objecti diligibilis per cognitivam, quamvis indistinctè etiam vel confusè. Objectalis autem præsentatio, sive agat in voluntatem & cum voluntate ad productionem volitionis & nolitionis, sive non, ut aliqui volunt quòd corpus non agit in spiritum: nihilominùs nulla consurgit inde necessitas illibertans voluntatem.

Conceptiones affectivæ consequentes ad affectum primi entis serenum & purum, sunt nobiliores, sinceræ & delectabiles supra humanum sensum. Unde beati prædicantur mundo corde, & qui gustant de duodecim fructibus ligni vitæ.

Conceptiones affectivæ tantò nobiliores sunt & jocundiores, quantò se magis imprimunt & conjungunt primo enti, vice contraria ad conceptiones affectivas de sensibilibus, quæ sunt impuriores fœtidioresque, quò sunt intimiores conjunctioresque, ut tactus & gustus: propterea jocundissima sunt & castissima divini amoris cantica, quæ suum resonant amplexum, osculum & gustum, sed non infectis corde.

Conceptiones affectivæ nobilitatem & libertatem suscipiunt in intrinseca rationalis animæ libertate, quæ est liberum arbitrium, id est liberum de ratione judicium consistens ex tribus, quæ sunt facultas, ratio & voluntas. Unde patet quòd actus voluntatis duplicem contingentiam sortiuntur, dum effectus naturaliter prodeuntes habeant nisi tantum unam, respectu primæ causæ.

Conceptiones affectivæ rationales adeò sunt liberæ ex vi suæ originis, quòd servili necessitate nequeunt ab anima procedere, quamvis aliquæ necessariò formentur, ut primæ complacentiæ consequentes primas apprehensiones quæ non habent laudem & vituperium, sicut nec formalem arbitrii libertatem.

Conceptiones affectivæ rationales & intellectuales, ut rationales sunt & intellectuales differunt in nobilitate & libertate à brutalibus, quæ serviles sunt, impetus consequentes objectales. Non sic illæ procedunt; sed à libertate voluntatis, non qualicunque, sed arbitrii voluntate, quæ potest agere & non agere, aut in suspenso se tenere post præsentationem objecti, quamvis hæc conditio non sit de libertate voluntatis simpliciter; sed ex imperfectione consurgit in actibus suis, qui possunt esse & non esse. Propterea libertas arbitrii non ponitur in Deo ab intra, sed benè ad extra. Fit autem suspensio, vel negativè nihil volendo: vel positivè se ad alia divertendo, vel, secundùm aliquos, per actum experimentalem medium inter velle & nolle.

Conceptiones affectivæ duos habent sinus vel ventriculos in utero rationalis animæ, qui nominantur à Philosophis & Theologis concupiscibilis, & irascibilis, unde gignuntur & prodeunt omnes animæ passiones, circa quas sunt virtutes sub temperantia & fortitudine constitutæ, dum per prudentiæ directionem fiant conformes rectæ rationi, quæ regula est agibilium humanorum.

Conceptiones affectivæ possunt circa rem eandem diversificari, & circa diversas uniri, virtute animæ rationalis, sicut in cognitiva sic in affectiva, nec in istis est mendacium. Determinatio autem voluntatis ad primum velle non fit nisi à seipsa per formale illud velle, sicut determinatio divinæ voluntatis ad extra respicit determinationem in affectu; propterea si futurus sit effectus, dicitur determinatè quòd erit, sed non de possibili quin semper ante positionem fieri non possit.

Conceptiones affectivæ vehementiores sunt & efficaciores, ceteris paribus, quàm cognitivæ, imò sine eis languidi sunt conceptus cognitivi velut, inertes & mortui. Et ideò nobiliores dici debent, sicut & voluntas in hominis Regno principatur: propterea Lex & Prophetæ dependent ex dilectione seu charitate de corde puro, & conscientia bona & fide non ficta.

A

OCTAVA & ULTIMA PARTITIO

Appropriata Conceptibus mentis, secundùm cognitionem practicam.

Conceptus hominis, ut homo est, dicitur propriè de conceptu mentali cognitivo, licèt ad effectum extendatur.

Conceptus cognitivus simplex est actus entis, & verbum ejus naturaliter repræsentans objectum, & nomine ejus declarans objectum ipsum. Sic investigavit Augustinus per verbum seu conceptum intelligentiæ nostræ, verbum in divina Trinitate: hoc verbum non est alicujus idiomatis; sed simile apud omnes, nec in ipso cadit æquivocatio qualiscunque.

Conceptus interiores in utero mentis naturaliter significantes, non suffecissent pro statu naturæ destitutæ ad consecutionem sententiarum Philosophicarum, si non fuissent inventa nomina ad placitum significantia, unde Grammatica, Logica, Rethetorica sumpserunt initium; processit inde distinctio de intentionibus primis & secundis in anima. Dicuntur (B) enim conceptus esse intentiones, quasi intus tentiones. Intentio secunda dicitur quæ repræsentat conceptus, ut genus & species & nomina conceptuum.

Conceptus mentales ab exordio habiti sunt, non per solam objectorum apprehensionem naturalem; sed etiam supernaturalem infusionem, ex quibus potuerunt formari varii conceptus complexi interiùs, & hinc exteriùs nomina ad placitum significantia institui, propter civilem inter homines communicationem in amore fundatam.

Conceptus verò talium nominum sunt naturales, nec repræsentant ad placitum, nisi per discursum, (C) quamvis imperceptibilem; quia dùm percipitur vox extra, meminit intellectus ad quid significandum fuerit imposita, de quo conceptum novum formavit. Confirmat hoc verbum textus Genesis de Adam qui vocavit res adductas nominibus suis.

Conceptus metaphysicales præcesserunt, viâ naturalis cognitionis vel acquisitionis, conceptus grammaticales vel logicales, licèt è converso sit via disciplinæ seu communis deductionis. Est autem processus naturalis acquisitionis in primis inventoribus, quia primò, per sensus acceperunt accidentia cum subjectis secum involutis. Secundò, abstraxerunt quidditates rerum ab hîc & nunc, & denudarunt ab accidentibus substantias. Tertiò, imposuerunt apud semetipsos verba mentalia, quæ quidditates hujusmodi repræsentarent. Et ita fuit in eis Logica quædam mentalis, priusquàm vocalis aut scripta, immò & Grammatica prius ita composita est, quæ minùs aspicit res quàm Logica, quia fundat se & suos (D) modos significandi in conceptibus qui sunt primæ intentiones vel secundæ, consequenter ars imitata est naturam in vocibus & scripturis, immò & nutibus & signis sensibilibus ad placitum institutis.

Concipiens aliter rem quàm sit non propter hoc decipitur, cum intellectus sit virtus abstractiva potens unita divisim concipere, & divisa conjunctim; materialia quoque immaterialiter, & singularia universaliter.

Concipiens quòd res sit aliter quàm sit, dicipitur dùm ab-

abstrahit, dividit, aut componit sua fictione, sine correspondentia in re. Super qua deceptione recursus habendus est ad primam Philosophiam quæ Metaphysica nominatur.

Concipiens rem penitùs eandem diversis conceptibus, non synonimis, fallitur, si non fundetur hujusmodi distinctio super distinctione personali relativa, qualis est in diuinis, & non altera in creaturis, quæ cognoscitur ex hoc velut à posteriori, quòd Deus potest hujusmodi res separare & separatas conservare, ut duos homines aut duas qualitates, aut generaliter omne accidens, à subjecto. Et ita non oportet ponere in relationibus aut respectibus distinctiones essentiales à suis fundamentis, sicut nec universalia realia distincta à singularibus; sed sufficit quòd per negationem intellectûs, tales ralationes, respectus & universalitates consurgant ex rebus intrinsecis, ne ponatur pluralitas sine necessitate, aut processus in infinitum, aut Divinæ potentiæ derogetur. Denique sic diceretur nec quòd puncta indivisibilia, nec instantia sunt in corpore vel tempore, præter omnem operationem intellectus.

Concipiens distinctionem in divinis vel in creaturis minorem ex parte rei quàm sit distinctio personarum divinarum, fallitur, sive dicatur distinctio formalis sive relativa, sive modalis, nisi tantummodò rationis: quæ distinctio qualiter fiat & significetur ex modis supponendi & connotandi in conceptibus vel terminis, sciri debet à Logico vel Grammatico, qui à Metaphysico trahunt scientiam; quia nomen benè & propriè nequit imponi rebus, essentiis earum incognitis. Qua super re latior erit sermo in opusculo *De modis significandi*.

Conceptiones distinctionis septuplicis quam aliqui se trahere dicunt ex Scotistis, referri possunt ad tres duntaxat modos juxta Orchamistas, quorum unus solus reperitur in divinis, quæ est relationis realis; alius solùm reperitur in creaturis, quæ est essentialis diversitatis; tertius est modus distinctionis rationis quam fabricat intellectus tàm circa Deum, quàm circa creaturas, modis innumeris. Nominantur hi septem modi, primus rationis; secundus ex parte rei; tertius formalis; quartus realis; quintus essentialis; sextus se totis subjectivè; septimus se totis objectivè.

Conceptus diversorum modorum dicendi per se & per accidens, & per se primò & per se secundò, & per se de secundùm quod ipsum, id est convertibiliter, fundatur super distinctione rerum essentialiter distinctarum in creaturis, & relativè in divinis, ut ista non est per se primò convertibiliter, Essentia est Pater generans, sic enim omne quod esset essentia esset Pater. Et inde consurgit quòd hæc essentia non potest esse medium in syllogismo expositorio in divinis, quia non resolvitur à dici de omni, id est per se primò convertibiliter, quod oportet in medio syllogismi expositorii & in aliis similiter. Cognoscitur autem distinctio rationis, quæ formalis dici potest, & consurgit ex parte rei, quando & ubi ratio definitiva vel descriptiva unius termini non est ratio alterius, vel è contra. Unde consurgit quòd prædicata contradictoria verificantur de terminis vel conceptibus illis, immò & congruitas tollitur & variatur. Dicimus enim quòd materia appetit formam; & cum materiæ appetitus non sit nisi materia, nihilominùs incongruè diceretur quòd materia materiat formam. Nec dicimus quòd intellectus vult & voluntas intelligit, & ita de esse & essentia, de albedine & similitudine, propter modos significandi alios & alios.

Concipiens res naturales modo doctrinali, potest duabus viis quasi contrariis incedere, & ordinem scientiis dare. Una via est ex parte rerum cognoscibilium à priori: altera via est ex parte cognoscentium à posteriori, qualis tradita est per Philosophos in omnibus scientiis, à Grammatica usque Metaphysicam per scientias intermedias, sicut docet ordo pulcherrimus scientiarum: non autem sola voluntate vel à casu progrediens, sed in rerum natura fundatus, ut in *De modis significandi* habet tradi.

Conceptus intellectuales rationaliter & sufficienter à Philosoho numerati sunt, dum divisit eos in sapientiam & intellectum, & in scientiam & prudentiam, & in artem; quorum conceptuum ratio & distinctio alibi satis apertè tradita est. Similiter de subjectis & objectis omnium scientiarum singillatim, & quemadmodùm impressum gerunt vestigium beatissimæ Trinitatis, quæ cunctis est causa essendi, ratio intelligendi, & ordo vivendi.

Conceptus habiti de scientiis vel actibus subalternis faciliter inveniuntur erronei, si contenti non fuerint terminis suæ inquisitionis, aut nisi transeant aut se resolvant ad conceptus scientiæ subalternantis: præcipuè ad Metaphysicam spectat scire an abstractiones quas facit materia sint ita in re ad extra vel in solo conceptu. Nec ad Medicum spectat si anima sensitiva distinguatur ab intellectiva, nec ad Astrologum ut talis est, si motus est res distincta à mobili, & si sint veraciter epicicli vel intelligentiæ à cœlo distinctæ, & ita de similibus scientiis suo modo. Utrum verò Metaphysica contentetur in suis explicationibus Grammatica & Logica, vel si latiùs accipit ens sub diversis analogiis, non est nostrum inter Formalistas & Terministas tantam componere litem, quæ profectò sæpe procedit ex æquivocatione quid nominis, quæ non patitur in quavis disputatione fieri posse concordiam. Esset igitur utraque via scholasticis cognoscenda.

Conceptus speculativi faciliter transeunt in affinitatem practicorum, & è contra, sicut verum & bonum in ente convertuntur: immò nulla est scientia vel sapientia quin ad dilectionem Dei debeat ordinari, ubi sua stat perfectio, libertas & nobilitas: secùs in amore sensibilium vel eorum factione.

Concipiens quicquid est scibile naturaliter per intellectum, vel adeptum, vel assimilatum, seu divinum, juxta modum traditionis Platonicorum, Peripateticorum, non ob hoc dicendus esset verè felix, immò se fundat in principiis erroneis de intellectu humano & intelligentiis; unde confinxerunt idololatræ & dæmonicolæ theletas & theorgiam pro purificationibus animarum, ad conformitatem intelligentiarum & tandem Dei. Sed defecerunt scrutantes scrutinio, & mentita est iniquitas sibi.

Concipiens anima divinum verbum hìc per Fidem, Spem & Charitatem, dicenda est felix initiativè & virtualiter. Adispiscitur beatitudinem consummatam per partum verbi in gloria si perseveraverit usque in finem. De quo partu Theologizantes magna dicunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se. 1 *Cor.* 11 9. Ipsi soli gloria in æternum & ultra. Amen.

FINIS.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

CENTILOGIUM.
DE
CAUSA FINALI.

Ad MSS. Codd. Vict. 62. & Navarr. unum.

PROOEMIUM.

Consummatum est. Joan. XIX. 30.

PROTULIT Christus dùm Redemptionis nostræ finem attigerat, quemadmodùm priùs rogaverat Patrem pro electis, ut essent consummati in unum. Consonat sapiens: *Memento finis.* Eccli. XXXVI. 10. Cecinit Psalmista benè conscius & confidens: *Omnis consummationis vidi finem.* Ps. CXVIII. 96. Finis autem est Charitas ordinata, quia ponit ordinem in omnibus. Dicamus igitur propositiones aliquas seu theoremata vel considerationes ad finis commendationem accommodas sub Centilogio: & ad intellectum illius quod dicit in Canticis sponsa: *Ordinavit in me charitatem.* Cant. II. 4.

Hîc primò, de fine in se, & ad causas alias generaliter.

FINIS est propter quem fit omne quod fit, & plùs influit quàm altera causa. Finem appetunt omnia, sicut & bonum, & gratiâ finis agunt omnia: coincidunt enim ratio finis & boni. Finis præcipit aliis causis, non illæ sibi. Finis desiderium naturale non est omninò frustra, sive sit finis quo, sive finis gratiâ cujus. Finis autem quo, est finis quo finis gratiâ cujus acquiritur scilicet finis sub fine. Finis est causa secundùm cujus exigentiam necesse est cetera moderari & dirigi. Finis prior est in esse vel in intentione ceteris quæ sunt ad finem, tanquam media, vel fines ab fine. Finis ponendus est in esse novo, posterior est in executione; secùs de fine jam posito, sicut est Deus, cui conformari est rectum esse & simplicem oculo vel corde. Finis non adipiscitur vel acquiritur, nisi per formam dictantem modum & ordinem: Sed hanc formam & hunc modum & ordinem finis jubet vel præscribit. Finis non acquiritur de novo, nisi causa concurrat efficiens, cui præcipit & præscribit Leges suas ipse finis, causa formali vel exemplari dirigente specialiter. Finis in actione purè naturali non acquiritur noviter, materiali principio non præexistente & prædisposito.

Secundò, de fine, in ordine ad materiam.

MATERIA non requiritur in actione supernaturali, quin possit assequi vel acquiri sine materiali principio, quoniam finalis causa supernaturalis non indiget materia. Materia non est totalis causa distinctionis in formis, quia seipsis formaliter distinguntur & ab efficiente causaliter & ab operationibus conclusivè vel deducibiliter. Materia consideratur aliter à Metaphysico, aliter à Mathematico, aliter à Physico. Omnis itaque res creata constituitur secundùm Metaphysicum ex esse, tanquam actu & essentia, tanquam materia. Omnis figura & numerus, secundùm Mathematicum constituitur ex punctis, aut lineis, aut superficie, tanquam materia, non considerando transmutationem. Omnis forma Physica seu naturalis materiam transmutabilem præexigit & præsupponit.

Materia non respicit potentiam obedibilem creaturarum ad Deum, sed præordinatam & propinquam. Materia si consideratur in purè esse materiali seu potentiali vel privativo formæ, nullum habet esse actuale, & hoc dicitur propter implicationem. Materia sic considerata non potest esse actualiter sine forma, & hoc propter implicationem, nec isto modo est quid, vel quale, vel quantum. Materia prima non est cognoscibilis, nisi in analogia ad formam, sicut nec privatio, nisi per habitum; nec potentia, nisi per actum. Materia prima sicut nullum habet esse actuale, sic nec appetit aliquid naturaliter, sed potentialiter tanquam finem suum in potentia ad actum. Materia prima sic accepta, sicut non habet esse, nisi in potentia; sic nec habet modum, speciem & ordinem, mensuram quoque, numerum & ordinem, nisi in potentia. Et hæc sibi sunt similiter in potentia, unitas, veritas & bonitas; quoniam talia potest accipere potentia propinqua & ordinata: quod additur propter obedibilem potentiam. Potest insuper esse pars altera compositi cum forma. Hic est enim finis ut faciat unum cum forma compositum. Materia si consideretur cum suis dispositionibus accidentalibus aut complexionalibus aut artificialibus, est utique aliquid, & ens actu & ad finem; & hoc vel substantialiter vel accidentaliter vel utroque modo. Et ita loquuntur fortè qui dicunt materiam esse posse sine forma, & materiam esse aliquid sine forma, & habere finem suum.

Hîc tertio, de fine, in ordine ad formam.

FORMA quam finis ordinat, aut tanquam ordinans est (quod dicitur propter Deum) multiplex invenitur. Quædam divinalis & purè abstracta & absoluta, & necesse esse, & penitùs increata, nec inhærens, nec informans, nec constituens actualiter vel potentialiter, neque materiam ullam habens.

Forma creata quam dicimus actum vel endelechiam, converso modo ad materiam (quæ est pura potentia) multiplex invenitur, sub forma quæ Deus est, secundùm triplicem considerationem Metaphysici, Mathematici & Physici, ut tactum est. Forma nulla creata, est simpliciter purus actus; sed semper cum potentia permixtus multis modis, sicut ex essentia & esse & existere, secundùm antiquos, sicut ex genere & differentia, nec non ex actu & potentia.

Forma creata quædam est per se subsistens nec alteri quomodolibet innitens ut materiæ, nisi per potentiam obedibilem. Et hæc est Angelica forma seu natura vel persona.

Forma creata quædam est actualiter non inhærens, nec informans, nec constituens: habet tamen aptitudinem ut informet & constituat, talis est anima humana à corpore separata. Forma talis separata dici potest secundùm unam considerationem, persona; quia nulli actualiter innititur: loquendo autem propriè non est persona, quia naturalem habet aptitudinem ad innitendum & constituendum cum materia compositum, scilicet hominem, sicut nec accidentia separata dicuntur substantiæ, licèt habeant tunc modum ejus subsistendi.

Forma maximè distans à Deo & quæ minimum habet de actu, est forma inhærens simul & informans & constituens, loquendo de forma substantiali, ut sunt formæ elementorum & brutorum. Dicitur autem inhærens, quia dependet totaliter à materia, in esse suo. Dicitur informans, quia dependet à materia, in

in suo operari, & dat esse rei. Dicitur constituens, quia facit unum tertium cum materia, scilicet compositum.

Forma substantialis non inhærens, sed informans & constituens, est anima rationalis, quæ non inhæret, quia non dependet in esse à materia; sed informat: quia dependet ab eadem in operari, & constituit in esse ipsum hominem cum materia seu corpore.

Forma hominis quamvis sit immortalis, quamvis insuper materia sit ingenerabilis; constituitur A tamen ex amborum conjunctione homo mortalis, pro statu naturæ non primitùs institutæ, sed lapsæ.

Forma accidentalis reperitur inhærere & informare; sed non constituere: dum inhæret composito quod habet actu jam formatum & constitutum, ut albedo, quamvis secundùm aliquos inhæreat soli quantitati, aut, secundùm alios, soli materiæ inhæsivè, licet toti composito inhæreat denominativè.

Hîc quartò, rursùs de fine, in ordine ad formam.

FORMA quæ & endelechia dicitur idest actus, habet dupliciter considerari. Uno modo ut actus primus; alio modo ut actus secundus; inter quos actus B potest intelligi quodammodò mediare virtus sua, similiter & habitus.

Formæ primus actus est influxus formalis qui prorsùs est alius ab efficiente, quia nec potest à Deo suppleri, nec suspendi, durante informatione, sicut implicat quòd aliquid sit album sine albedine, vel quòd albedo, si sit informans & inhærens, non det esse album; potest tamen esse & non informare, sicut in Sacramento. Sic de aliis accidentibus suo modo. Et ita, licèt sæpè conveniant in unum efficiens & finis cum forma; non tamen eandem habent influendi rationem.

Formæ primus actus operatur & manet absque operatione actus secundi; sicut homo dormiens vivit, & sic nihil operatur animale, licèt in eo C tunc actualis sit vita plantæ secunda, scilicet vegetare.

Forma inhærens non potest subsistere naturaliter, si separetur à materia, nec ita separatur; quin ex principiis naturæ suæ apta sit inhærere.

Forma non inhærens sed informans ut anima rationalis, non potest in composito naturaliter agere sine subjecto suo; sicut nec informare; potest tamen agere sine organo quod sit sibi proprium & complexionatum, dum scilicet intelligit, quamvis ab organo phantasiæ suscipiat objectum. Et ita dependet ab hoc organo tanquam ab eo unde suscipit objectum in intelligendo, præsertim si intelligat modo naturali: quod dicitur propter raptus & extases.

Forma rationalis non solum informat materiam, sed constituit compositum cum ea, scilicet hominem, & ita non se habet solum sicut motor navis ad navem D contra Platonicos; sicu patet ex Articulis Parisiensibus & determinatis per Ecclesiam.

Forma inhærens & informans non tamen constituens, est accidens materiale.

Formæ spiritualium intentionum ut luminis & specierum colorum in medio perspicuo vel in oculo, videntur non habere propriam naturam accidentium materialium; nec dependere à substantiis suis in suo esse, & ita nec inhærere: sed sunt in eis ut Albertus ponit, tanquam in locis, sicut ab Aristotele dicitur esse intellectus locus specierum.

Formæ hujusmodi sensibilium videntur unum constituere cum pervio seu perspicuo. Similiter & formæ intelligibiles cum intellectu, non quidem in esse substantiali, sed accidentiali.

Formæ hujusmodi non impediunt se mutuò in eadem parte medii, secundùm traditionem & experientiam perspectivorum cum Dionysio. Sed essentia formarum hujusmodi conservatur in puncto vel in divisibili sicut in speculo vel oculo vel in medio; alioquin non fieret visio usquequaque. Hoc autem est superadmirandum in natura miraculum, si quis profundè consideret, sicut & de infinitate numerorum & figurarum in quantumlibet parva quantitate.

Hîc quintò, de fine, in ordine ad efficientem.

EFFICIENS causa prima sic est generalissima quòd tamen est propinquissima, secundùm Parisiensem Articulum. Et meritò; quoniam principium & finis est omnium, attingens à fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter, ut ex verbis Sapientiæ VIII. 1. concludit apud Boëtium ancilla Philosophia.

Efficiens causa prima, secundum Autorem *De causis*, plus influit in effectum, quàm secunda causa; quoniam nulla causa secunda quæ particularis est, sufficit super totum esse causandum. Et concluditur hoc ex fine; quoniam omnia bonum appetunt, bonum autem simpliciter primum & finale necessariò ponitur Deus.

Efficiens causa secunda, quæ licèt necessariò subordinata est in actione sua quacunque positiva ipsi causæ primæ, sic quòd, ea non agente, & immediatè secunda nihil agere posset; alioquin oporteret concedere quòd essent duo agentia æquè prima circa naturales effectus, ut potè Deus & voluntas creata. Denique quicquid est causa causæ, est causa causati, Deus autem causa est omnis causæ.

Efficiens causa secunda, libera libertate arbitrii, concluderetur necessario agere, si causa prima ageret necessariò in actibus ad extra, & periret omnis libertas & Religio ab hominibus. Est enim causa quælibet secunda subordinata essentialiter causæ primæ, sit illa natularis causa, sit ipsa libera.

Sumeretur ex his & aliis unde dicuntur oriri seminales rationes vel inchoationes formarum; quia non nisi ex virtutibus activis naturaliter inditis à principio, per comparationem ad potentias passivas similiter inditas. Notetur hoc.

Efficiens causa secunda libera dicitur habere necessitatem agendi per operationem ad primam, & hoc intelligendo de necessitate consequentiæ non consequentis, sicut Boëtius deducit, quia scilicet benè sequitur: Deus hoc prævidit vel voluit, ergo fiet. Sed ita valeret consequentia de propositione scripta in pariete: Antichristus erit: quia si fuit vera, sequitur optimè in consequentia necessaria quòd Antichristus erit. Sic intelligendum est illud Aristotelis dictum: *Omne quod est, quando est, necesse est esse*, quia, scilicet hæc est necessaria: Omne quod est quando est, necesse est esse, in sensu composito, non diviso.

Efficiens causa secunda libera quamvis nihil possit agere, etiam peccando, quin ad omne illud quod positivum est in actu Deus positivè concurrat; non tamen Deus ideò peccare vel facere peccare dicendus est, quia blasphemum est, & offendit pias aures immò impossibile est, quia peccatum sub ratione peccati, non habet rationem volibilitatis, non quidem apud homines, quantominùs apud Deum. Innituntur autem oppositum tenentes sophisticis rationibus, quod volens antecedens, vult consequens, & quòd volens ambas partes copulativè, vult totam copulativam.

Efficiens causa secunda libera libertate arbitrii, qualis est anima rationalis, est causa seipsam movens & determinans in actibus suis contradictoriè liberis. Nec determinatur ab objecto, nec à Deo; quia sic eam instituit, ut eam proprios motus agere sinat; & ad hoc influat sibi & coagat, & libertas sua sufficit sibi ad suum cursum. Et ad finem potest dicere illud Satyrici: *Sic volo, sic jubeo: sit pro ratione voluntas.*

A

Efficiens causa secunda solùm instrumentalis sequitur influxum causæ principalis. Propterea efficiens causa instrumentalis videtur assumi posse à Deo ad creationem, sed non potest sibi communicari talis potentia primitivè & ex se; quia repugnat ratio causæ finalis.

Efficiens causa virtualis, secundùm habitus infusos supernaturaliter aut naturaliter acquisitos, agit quidem necessitate naturæ, sed applicatur à principio libero quod est Deus: & à libero arbitrio in homine, ad contrarios actus, pro voluntate dirigentis, ut ad dare nunc eleemosynam, vel non dare.

B

Efficiens causa prima principalior est & admirabilior, dùm agit in suas creaturas secundùm potentiam obedibilem, quàm dùm agit secundùm potentiam passivam naturaliter inditam. Nihilominus creatio secundùm potentiam absolutam attestatur majori potentiæ, quàm operatio, secundùm potentiam obedibilem qualis est transsubstantiatio panis in Corpus Christi.

Hîc sextò, de fine, per considerationem divinæ providentiæ circa generis humani Religionem & salutem.

DEus sua providentia non frustrà constituit in principio creare cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Sumitur ratio ex parte finis; quia cùm voluerit Deus manifestare potentiam æternitatis suæ, & eminentiam majestatis super omne creabile, voluit mundum non ab æterno producere, ne videri posset in æternitate creatura suo par esse Creatori.

C

Deus non minùs liberè agit modò quàm dum produxit primò mundum; & ita posset modò creare novum sicut tunc ab initio, mutatione in eo nulla facta, quia stabilis manens, dat cuncta moveri: hic est lapsus Philosophorum & sapientium hujus mundi.

Deus ad ostensionem suæ libertatis voluit reservare productionem miraculosorum effectuum præter solitum naturæ cursum, non contra; & hoc in confutationem stultè philosophantium, talem potentiam à Deo tollentium.

Deus sicut non constituit vanè omnes filios hominum, sic voluit eis dare media pro consecutione finis ultimi sui, quod ipse est.

D

Deus sicut instituit hominem ad finem supernaturalem; sic adjutoria sibi supernaturalia condonavit. Est autem finis supernaturalis ultra & supra cetera viventia, ut apprehendat & capiat Deum objectabiliter per memoriam, intellectum & voluntatem.

Deus voluit ut esset aliqua communitas hominum obediens Legi suæ, & hanc nominamus Ecclesiam Catholicam, de qua in Symbolo: *Et unam sanctam Catholicam Ecclesiam.* Nam non est alia ad quam ire debeamus. Patet discurrendo sicut Petrus respondit: *Domine ad quem ibimus?* Joan. VI. 69.

Deus voluit ut sicut est una Fides & unus Dominus, sic esset unum Baptisma, & universaliter una Communio Sanctorum idest Sacramentorum. Inter quæ nimirùm ponitur Eucharistia, quæ antonamaticè Communio nominatur, quæ spectat tàm ad Ecclesiam, quàm ad peccatorum remissionem; propterea jungi potest cum utroque.

Deus voluit ut plùs auxilio gratiæ supernaturalis inniteremur, quàm subsidiis influentiæ naturalis cœli vel stellarum. Ideò non multa super his in antiqua vel Evangelica Lege nobis dedit.

Deus voluit ut ad obediendum sibi meritoriè, nedum secundùm voluntatem, sed & secundùm intellectum, captivaremus omnem intellectum in obsequium Christi, & hoc potissimè in Fide & cultu benedicti Eucharistiæ Sacramenti.

Deus voluit ut in omni quæstione Legis suæ plus valeret auctoritas sua quàm alia quævis ratiocinationum vivacitas; atque sufficeret pro ratione potestas facientis & jubentis auctoritas, dum catholicè diceretur: *Magister ita dicit.* exemplo discipulorum Pithagoræ, quibus non licebat per quinquennium aliquid inquirere præter id: an Magister hoc dixisset. Voluit denique ut observaretur illa sententia: *Quicquid agas sapienter agas, & respice finem.* Quia rerum exitus & fines sapientiæ metitur, quæ *attingit a fine usque ad finem fortiter.* Sap. VIII. 1. In cujus *manu sunt omnes fines terræ.* Ps. XCIV. 4. Quorum finium duo constituerunt duas civitates, unam Babylonis, alteram Dei.

In septimo, specialiter de fine, per ordinem ad Eucharistiæ Sacramentum.

SUmitur ex fine ratio institutionis Sacramenti Eucharistiæ. Primò, ad ostensionem superadmirabilem per excessum charitatis divinæ & dignationis ad homines. Et hoc *propter nimiam charitatem quâ dilexit nos*, sicut dicit Apostolus. *Ephes.* II. 4.

Sumitur iterùm ratio finis propter ostensionem incomprehensibilis sapientiæ suæ, cujus non est numerus.

Sumitur iterùm ratio finis ad manifestationem divinæ pietatis & bonitatis, cujus majestas ita est inclinata, ut acciperet servi formam.

Sumitur & iterùm ratio finis ad obedientiam, ut in captivitatem redigatur omnis intellectus in obsequium Christi.

Sumitur præterea ratio finis ad carpendum fructus suavissimos hujus Sacramenti qui sunt in primis tres principales. Unus in Sacrificium oblationis. Secundus in Sacramentum communionis. Tertius in Viaticum refectionis. Primus quoad Deum. Secundus quoad proximum. Tertius quoad seipsum.

Sumitur autem ratio finis quoad Viaticum refectionis propter tria specialiter; propter deperditi restaurationem, propter roborationem, & propter augmentationem in sensu & motu spiritus nostri.

Sumitur rursùm duplex ratio principalis ex fine. Unus finis est, ut caro serviat spiritui, liberata à lege fomitis in toto vel in parte. Alter est, ut spiritus & mens in animæ regno dominetur.

Sumitur proindè ratio finis, ut Sacramentum Eucharistiæ delectet & satiet.

Sumitur amplius ratio finis in instructione Sacramenti, ut transformet & uniat.

Sumitur demùm ratio finis, ut animam sponsam suam inarret, hoc est, ut sibi desponsationis arram assiduè donet & renovet ad consolationem, contra desolationem quam patitur in hoc exilio multam nimis.

Versus super duodecim fructibus Eucharistiæ.

Sacrificat; sociat, restaurat, roborat, auget
Sensum cum motu, caro servit, mens dominatur,
Delectat, satiat, transformat, inarrat & unit.

Hic

Hic octavò, de fine, per ordinem ad causam objectalem.

OBjectalis causa vel ratio non videtur idem esse convertibiliter cum aliqua causarum à Philosopho positarum, quæ sunt: efficiens, materialis, formalis & finalis, sed communicat aliquando cum singulis, aliquando cum neutra, strictè loquendo.

Nota de causa conservativa, si sit aliqua cum prædictis, vel omnes includat, vel ad eas reducatur.

Objectalis causa vel ratio non est idem convertibiliter cum causa exemplari vel ideali vel forma artis, licèt in aliquo conveniant. Denique semper eadem est ratio objectalis & finalis ipsius voluntatis; propterea voluntas penetrat & intrat.

Objectalis causa vel ratio solùm attenditur per respectum ad potentias perceptivas cognitivè & affectivè, quales sunt animales aut intellectuales potentiæ & non aliæ.

Objectalis causa vel ratio non est penitùs idem cum objecto, quoniam objectum est quasi materiale, ratio autem objectalis quasi formale. Denique in eodem objecto sunt objectales diversæ & è converso.

Objectalis causa vel ratio se habet in duplici differentia: nam aliquando per seipsam objicitur immediatè, & aliquando per speciem seu formam suam mediatè. Exemplum primi, in coloribus qui objiciuntur visui per species suas. Exemplum secundi, de speciebus quæ objiciunt se per se ipsas sensui communi vel phantasiæ, sed intelligibiles suo modo.

Esse objectale sæpè distinguitur ab objecto, sicut omnis res habet esse objectale in Deo, etiam dum nihil est in proprio genere vel in esse vel in existere.

Esse objectale in suo modo essendi distinguitur sæpiùs à modo quo objectum existit. Patet ex præcedente: & quia sæpè existit materialiter, contingenter, dependenter, mutabiliter divisibiliter temporaliter, circumscriptibiliter.

Esse verò objectale nec materiale est, nec contingens &c. Patet in Deo, & similiter etiam in intellectu creato in conceptu qui universalis est, non autem illud quod concipitnr.

Esse objectale magis dicit rationem relativam seu respectum ad aliquid, utpotè ad potentiam perceptivam quam dicit absolutam esse, licèt omnis ratio objectalis sit aliquod absolutum esse, vel in aliquo fundatur.

Esse objectale dicitur aliquando universaliter esse, non tamen hoc est in essendo, sed in significando, sicut conceptus specificus significat universaliter individua, qui tamen res est aliqua singularis in anima. Sic de complexè significabilibus & privativè & discursivè. Unde Deus intelligit omnes complexiones terminorum, sillogismos & deductiones argumentorum, non tamen componit aut dividit. Sicut intellectus Beati dùm objectaliter videt Deum, cognoscit alia complexè significabilia recta & reflexa, intuitu simplici & recto. Hic est lapsus formalizantium circa Deum.

Esse objectale unicum & idem est in Deo, tàm respectu sui quàm respectu creaturarum. Et hoc per eminentiam & virtualem seu fecundam continentiam. Nec oportet ad particulares objectales rationes attendere, tanquam sint formaliter in Deo, sed tantùm supereminenter, & ita nullatenùs ex parte rei distinguntur in ipso; secùs in creaturis; secùs de rationibus objectalibus ab anima rationali fabricatis. Oportet itaque omnem pluralitatem rerum vel formarum seu formalitatum reducere ad unitatem; quoniam omne multum reducitur, secundum Dionysium & Boëtium, ad unum. Quid autem erit illud unum, nisi Deus? etiam cum Filius & Spiritus sanctus reducant se (ut ita loquamur) ad congregantis Patris unitatem, dùm Filius dat Regnum omne Patri, sicut & omne quod suum est. Sic enim impletur oratio sua, ut omnes unum sint & consummati in unum, scilicet in Patre qui est fontalis divinitas, quâ nihil ultra vel supra.

A *Hic nonò, de fine, per ordinem iterùm ad causam seu potentiam aut formam objectalem.*

ENs est objectum intellectûs & voluntatis. Et similiter unum, vel aliquid, vel res; sed non sub ratione entis absoluta, vel unius, vel alicujus, vel rei. Sed respectiua, seu denominativa, vel connotativa, quæ non est aliud ab ente, sed alio modo consideratur.

Ens ut verum seu ratio veri, objectum est intellectûs vel potiùs est ratio objectalis ipsius.

Ens similiter ut bonum, objectum est, vel objectalis ratio voluntatis.

Ens ut verum, dicit conformitatem ad intellectum; & ens ut bonum, conformitatem dicit ad appetitum: unum verò, dicit indivisibilitatem à se. Aliquid autem dicitur quasi aliud quid, quasi divisum ab alio.

Ens ut bonum simpliciter, est beatitudinis ratio objectalis, & non verum nisi bonum vel justum; B quia ut sic non dicit finem universaliter perfectum, & ita de reliquis attributis.

Ens ut bonum simpliciter debet à viatoribus super omnia memoriter & fortiter teneri; continuè veraciter intelligi; perspicuè, sinceriter & suaviter diligi præcipuè. Hic est enim finis rationalis creaturæ, hic initiativè in via, consummativè in gloria. Sic demum colligitur veritas memoranda, quod idem est objectum voluntatis & suus finis, immò finis omnis consummationis, scilicet felicitas ipsa vel beatitudo. Et ita absque ambiguitate voluntas (ut sic) perfectior est quàm intellectus qui non posset beatificè consummari sine actu voluntatis, ad quem actus intellectus solùm prædisponit, præsertim ubi finis boni non præsentatur voluntati, nisi per similitudinem suæ formæ, non per realem objecti boni præsentiam in seipso. Unde si balneum materialiter esset in anima, voluntas non quæreret extra se illud.

Felicitas hominis, secundùm Philosophos, præsertim C Platonicos, consummabatur in conjunctione intellectûs cum ente primo, sed ad illa multa prærequirebantur, quæ redigit Albertus ad tria, conformiter satis ad Dionysium, si gratiam ille non naturam sequeretur. Hæc sunt, amor pulchritudinis; secundò, comparatio multi luminis; tertiò, vigor sublevationis ultra continuum & tempus. Tandem sequeretur unio perfectæ cum Deo assimilationis. Hi sunt correspondenter tres actus hierarchici, purgare, illuminare, perficere.

Felicitas à Philosophis posita, vel impossibilis est, aut multùm imperfecta: quare sic? Quia non adipiscimur tria quæ prædicta sunt per scientias naturaliter acquisibiles. Nec possumus etiam cum habitibus virtutum & donorum supernaturaliter infusis adipisci de communi Lege, sed tantùm in patria.

Felicitas à Philosophis posita vel quæsita plus erat ad illustrationem inanem intellectûs, quàm ad pietatem affectûs erga Deum; propterea dati sunt in D reprobum sensum & *passiones ignominiæ. Quia cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt*, nec amaverunt *nec gratias egerunt*: Rom. 1.26. Quid ultra? Sciamus quid adjungit Apostolus: *Evanuerunt in cogitationibus suis.* ℣. 21. Cui concinit in cantico suo Maria: *divites dimisit inanes.* Luc. 1.53. Magna prorsùs Philosophorum inanitas, qui post omnia dixerunt hoc unum se scire quòd nihil scirent, quippè qui veritatem unicam & summam ignorabant.

Felicitas Christianis tradita per Christum, soli præcipuè charitati Dei & proximi vacat & intendit per devo-

devotionem, quæ est pius & humilis affectus in Deum, tanquam præcipuus finis in idipsum.

Felicitas Christianorum sicut à solo Christo tradita est, sic ab illo solo possideri vel acquiri potest, obediendo voci suæ, qua dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. 28. Ecce cenaculum refectionis. *Et discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* ℣. 29. Ecce cubiculum requietionis & pacis. Utrumque quærebat in Canticis sponsa: Cant. 1. 6. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas*, quoad primum: *ubi cubes*, quoad secundùm, & hoc *in meridie* quoad æternitatis secretum altum & fervidum.

Hîc decimò, & centesimò, in ordine toto, de fine, secundùm ordinem processûs in inquisitione veritatis.

PRocessus à causa finali præcipuus est in qualibet investigatione veritatis per ratiocinationem & discursum: potissimus etiam, si & dùm volumus insequi ordinem naturalem; sic enim demonstratio propter quid, seu propter causam dicitur potissima. Finis verò causarum obtinet principatum.

Processus à causa finali generalissima quæ Deus est, non est quoad nos efficacior; nisi præsupposita Fide aut multiplici Philosophica demonstratione, aut simul utroque.

Processus à causa finali subordinata primæ causæ, quantò proximior assignatur in effectibus, tantò magis scire facit, sequendo illud Physicum: *Scire, est rem per causam cognoscere*, supple propinquam & propriam.

Processus à causa finali prima, cùm ipsa sit propinquissima & propria, dicendus est efficacior, & maximè faciens scire, si & dùm scitur habitudo causæ primæ ad effectus; dicendus præltereà faciens maximè credere, si & dum scitur habitudo primæ causæ per Fidem revelatam & certam.

Processus à causa finali prima spectat ad Theologiam, præcipuè sicut & processus à primo principio. Conveniunt nempè semper in idem apud Deum finis & principium, *α & ω*, circulo intelligibili perfectissimo. Unde nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Sed nec ad Filium nisi Pater traxerit eum, ecce circulum perfectum.

Processus Philosophicus necessariò cœpit ad causam finalem ab effectibus; quia omnis nostra cognitio dependet à sensibus; & sensus ab experientia, & experientia ab effectibus.

Processus Metaphysicalis post processum naturalem Philosophicum potuit incipere à causa finali, quæ Deus est, si perfectè causam primam suis effectibus adæquatam comperisset, seu magis effectus ad eam adæquare potuisset, sed non ita.

Processus à fine fuit insinuatus à Christo, dùm prædicans Eucharistiæ Sacramentum dixit: *Nolite murmurare. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui me misit traxerit eum.* Joan. VI. 43. 44. Est itaque Pater primum principium sine principio, & finis ultimus sine fine.

Processus velut à fine, sub fine fuit insinuatus à Christo, dùm prædicavit Discipulis: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Joan. XIV. 6. Est autem Christus minor Patre, secundùm humanitatem & tanquam effectus ejus: sub eadem considerarione dicitur primogenitus creaturæ Dei.

Processus resolutorius in inquisitione veritatis est principaliter ad finem. Compositivus verò ad effectus à fine. Completus autem & quasi circularis processus constituitur ex utroque. Benedictus Deus, cujus in circumitu veritas sua est. Cujus vox tonitrui magnitudinis suæ in rota. In cujus meridie gyrat spiritus omnia lustrans. Ad quem Boëtius in persona Philosophiæ suspirat.

Da fontem lustrare boni.

Similiter ad illam quam introduxit animam mundi, & dat hunc circumitum, dicens:

Mentemque profundam
Circuit:

longè tamen aliter quàm impii ambulantes in circumitu. Sed hoc bonum finale versatur in circumitu tuo Domine, ubi constituisti lucidas mansiones, ubi requiescunt Sanctorum animæ. Ibi ubi hîc & nunc in A æternitate.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,
DE MODIS SIGNIFICANDI.
Propositiones Quinquaginta.
Ad eosd. Codd. MSS.

Generatio ista quærit signum. Marc. VIII. 12.

B CUM omnis cognitio sit de rebus aut signis, unde modi significandi dicuntur: sint super significandi modis primò considerationes quinquaginta. Deinde totidem de concordia Metaphysicæ realis cum Logica sermocinali.

Significatio nec propriè nec convenienter accipitur, nisi per respectum ad naturam intellectualem, quæ potest uti signo, per comparationem seu deductionem unius rei ad alteram. Propterea significatio dici potest intellectûs constitutio vel actuatio seu formatio vel adaptatio. Unde significare, est aliquid intellectui repræsentare.

Significatio dicitur quasi signi factio; non quod res quæ est signum fiat de novo per utentem signo, sed quia fit signum ad cognitionem alterius vel ut alterius per operationem intellectus.

Significatio non fit per aliquod signum quod non sit res aliqua: quod enim nulla res est, nihil omninò repræsentat sive significat; habet autem omnis res C tantùm de significabilitate quantùm de entitate.

Significatio potest accipi per intellectum à quacunque creata re. Ratio: quia quælibet res creata signum est à primo significante Deo constitutum, maximè suiipsius Dei, sicut effectus, sicut exemplatum, sicut via: significativum medium est, ad investigandum per argumentum à posteriori causam efficientem, exemplarem & finalem.

Signum à quo significatio dicitur, non accipitur absolutè, sed ad aliquid & relativè, dùm intelligitur ut signum, sicut species coloris in oculo non accipitur ut res.

Signum ut signatum dictum relativè, magis accipit relationem istam ab actione rationis vel intellectûs rerum habitudinem considerantis, quàm à reD bus, ut res sunt absolutè; sic rebus utuntur Theologi per intelligentiam, & devoti simplices per Fidem.

Signum ad signatum dùm comparatur per intellectum; non causatur ad extra nova res absoluta & positiva; sed benè in anima, quæ primas & secundas intentiones sibi format, quæ res in anima singulares sunt & accidentales, licet universalitatem repræsentent.

Signum præsupponit ad veram sui nominis integritatem, quòd intellectus rem ita consideret & comparet, sicut in re extra reperitur habitudo; quamvis aliter consideret intellectus quàm res existat. Est igitur observanda vis Logicæ in explicando, quomodò conjungatur *h* aliter. Si enim intellectus consideret rem quòd aliter sit quàm sit, mendax est. Si verò consideret aliter apud se quàm sit res ad extra, potest omninò esse verus; quia cognoscit rem immaterialiter, quæ

quæ consistit materialiter in se extra, necnon cognoscit universalitatem, quæ in sua singularitate consistit.

Modus significandi definitivè, est significatio cum quadam appropriatione seu proprietate significationis ad signum.

Modus significandi maximè concernit constructionem, hoc est constructibilium unionem. Constructibilia verò sunt partes orationis, quas octo Grammaticus esse ponit.

Modus significandi variatur per diversas partes orationis; quoniam aliter nomen significat, aliter pronomen, aliter verbum, aliter adverbium, aliter participium, aliter conjunctio, aliter propositio, aliter interjectio. Et hoc earum descriptiones manifestant.

Modus significandi grammaticalis & logicalis differunt; quoniam Grammaticus congruum respicit & incongruum. Logicus autem verum & falsum; propterea sufficiunt Logico tantummodò duæ partes orationis nomen & verbum, cum apud Grammaticum octo numerentur. Præsupponere nihilominùs debet Grammaticam Logica, si ritè procedat, sicut veritas congruitatem.

Modus significandi rhetoricus, quamvis præsupponit in multis Grammaticam & Logicam, habet tamen regulas suas, habet suos tropos & figuras in multis sibi proprias.

Modus significandi rhetoricus plùs observatur in communi modo loquendi quàm logicus. Fuerunt qui volentes observare modum significandi Logicæ; vix audebant loqui, ne mendaces essent & falsi.

Modus significandi rhetoricus proximior est sacræ Scripturæ locutionibus quàm logicus, ita quòd modus loquendi logicalis non est à Theologo per omnia observandus in expositione litterali; alioquin sensus litteralis Scripturæ sæpe falsus esset, & ita vacillaret omnis argumentatio ex sacra Scriptura, quæ non valet nisi ex sensu litterali. Non enim est sensus mysticus de se probativus absque litterali sumptus. Dionysium & Augustinum testes in hoc cum ratione suscipimus.

Modus significandi grammaticalis ampliatus est in receptione troporum & figurarum, ad proprietatem locutionis excusandam, & conveniret cum modo loquendi vulgari & rhetorico & sacræ Scripturæ, plus quàm modus significandi logicale, quem ad viam suam in Scripturis divinis semper quærere, errare est.

Significatio metaphysicalis multùm distinguitur à significatione Grammaticæ, vel Logicæ, vel Rhetoricæ, quæ sunt partes Philosophiæ sermocinalis. Ratio est, quia significatio metaphysicalis consistit in solo intellectu vel ratione, & generatur à primis impressionibus naturæ, quæ sunt transcendentes, sicut est impressio prima notitia entis, quâ nulla prior, & sine qua non habetur altera.

Significatio metaphysicalis fundata primò super ens aut rem, fundatur consequenter per operationem & comparationem intellectûs ad entis proprietates, quæ sunt ens unum, ens verum, ens bonum, ens aliquid, id est aliud quid.

Significatio metaphysicalis reduci potest originaliter ad ista quatuor transcendentia, vel ad sex, ut alii voluerunt, distinguentes à concretis abstracta, sicut ens ab essentia.

Significatio metaphysicalis primò suscepta est, ac deinde communicata ab investigatoribus naturalium rerum in suis proprietatibus expertis, non aliundè susceptis quàm à rebus, cum operatione proprii intellectus. Dicuntur propterea conceptus metaphysicales esse primæ intentionis, quasi intùs tentionis, vel in aliud cognoscendum tentionis. Grammaticales verò & logicales, immò & rhetorici seu morales conceptus dicuntur secundæ aut tertiæ aut quartæ intentionis per relationem ad primas intentiones unde sumunt ortum.

Modus significandi gammaticalis respiciens congruum & incongruum, differt à logicali, qui versatur circa verum & falsum. Differt autem uterque à modo significandi rhetorico, qui respicit aptè dicere ad persuasionem; aptè, scilicet delectabiliter & motivè, ut doceat, delectet & moveat. Docere necessitatis, delectare congruitatis, movere seu vincere felicitatis.

A Modus significandi quem habet iste terminus, *res*; grammaticaliter & metaphysicaliter diversificatur; quia res secundùm Grammaticum & etiam Logicum dicitur à reor, reris, quia sic imponitur ad significandum, aut sic imaginatur, sive sit, sive non sit; sive significatur complexè sive incomplexè, verè vel falsè. Res verò metaphysicaliter accepta dicitur à rectitudine, quia rem positivam significat extra intellectum.

Modus significandi grammaticalis semper fundatur in beneplacito impositoris unius aut plurium.

Modus autem significandi metaphysicalis naturaliter repræsentat: est enim verbum mentis ab altero nullo quàm à rerum consideratione vel experientia sumptum vel abstractum.

Modus significandi grammaticalis fit ab inspectione rerum exteriorum per sensum quæ priùs & magis innotescunt.

Modus autem metaphysicalis, si rectè procedat, fit à notioribus, non nobis, sed naturæ; quales sunt formæ vel res abstractæ: Significatio autem abstracti

B tanquam formalis, dicit communiter statum, respectu concreti, ut majestas quasi magni status: deitas, quasi Dei status; quia videlicet in abstratione statur in forma.

Grammaticus in modis significandi præsupponit literam velut elementum syllabæ. Dehinc syllabam quasi elementum dictionis articulatæ. Deinde fit ex dictionibus significativis oratio complexa multis modis. Sic Logicus ponit sonum tanquam genus vocis. Et dividit voces in significativam & non significativam, aut in significativam naturaliter & ad placitum: componitur ex vocibus significativis ad placitum oratio complexa multis modis, ut perfecta & imperfecta, cathegorica & hypothetica, enthimemathica & syllogistica.

Grammaticus definiens partes orationis per orationem quæ posterior est, non peccat in petitione

C principii, quia sic definitur unum relativum per alterum. Consideratur dictio à Grammatico, non solùm ut est dictio ex syllabis composita, nec solùm ut est significativa; sed ut est dictio constructibilis, ordinabilis in constructione orationis cum aliis, secundùm exigentiam regiminis, congruitate servata.

Grammaticus accipiens modos significandi, præsupponit dictionem quasi quid materiale; significationem verò quasi formale, tanquam ex significatione & dictione fiat unum significabile, sive significatio distinguatur realiter à dictione & è contra, sive non.

Grammaticus in impositione nominum solet à nobis notioribus procedere, sed Metaphysicus resolvit se ad illa quæ sunt naturæ notiora. Sunt autem omnia quæ se tenent ex parte formæ notiora naturæ, quia sunt magis actualia. Sunt verò materialia magis nota nobis quibus advenit cognitio prima per sensus & sensibilia.

Metaphysicus considerans formam deducit mo-

D dum significandi concretivum ab astracto tanquam à formaliori & principaliori, sicut album derivat ab albedine. Grammaticus è contra derivat albedinem ab illo tanquam à notiori nobis. Sic à vivente vitam, à magno magnitudinem, à justo justitiam, ab ente essentiam, à materiali materiam, à Deo deitatem.

Metaphysicus plus elevat intellectum ex modis suis

suis significandi, quàm Grammaticus; quia plùs & formaliùs abstrahit, quo fit ut Grammaticus semper rudis & quasi materialis maneat, si non ad Metaphysicam se resolverit: sicut & Legum scrutatores & Rhetorici, si non ad principia prima & universalia resolvere se consuescant, fiunt toti literales, & Logici sine Metaphysica garruli redduntur.

Metaphysicus verò Logicâ spretâ, semetipsum fallit crebrò, quia Logica ad omnium methodorum principia viam habet.

Metaphysicus magis propriè dicitur intelligere modos significandi, sicut meliùs rerum proprietates, ex quibus sumitur impositio dictionum si rectè fiat, sicut ab Adam edocto per divinam inspirationem, imposita sunt rebus nomina sua.

Metaphysicus si senserit quòd modi significandi grammaticales non rectè sequuntur aliquando rerum proprietates, potest apud se dimittere tales modos, nec insequi in sensu suo: meminerit tamen illius, *Loquendum est ut plures.*

Conquisitores veritatis ad invicem debent in primis convenire in modis significandi terminorum seu dictionum, secundùm quos & quas versatur inquisitio. Nam sicut Logica tradit, præsupponi debet quid nominis in omni quæstione.

Conquisitores veritatis etsi possint ad invicem uti nominibus, secundùm novos significandi modos pro voluntatis arbitrio; hoc tamen non expedit passim fieri, quoniam stabilitas scientiarum multùm dependet à quid nominis terminorum. Faciunt denique tales ut ab aliis non intelligantur in linguagio quod sibi mutuò confinxerunt, qui & mutant terminos quos posuerunt Patres eorum. Et quid sequitur nisi Babylonica linguarum confusio in ædificatione turris scientiæ?

Conquisitores veritatis nostri temporis in Theologia, sub specie subtilitatis & titulo Metaphysicæ, magnam nimis induxerunt confusionem, dùm, omissa communi Logica, quam Aristoteles & alii consequenter tradiderant & servabant, ipsi novos sibi terminos assumpserunt; aut fortè per ignorantiam Logicæ, aut per negligentiam & contemptum; aut quia voluerunt sibi facere nomen ex inventione novitatum, dùm repugnantes eis vocant rudes & Terministas, nec reales in Metaphysica, quasi sine terminis loqui possint.

Conquisitores veritatis decet hæc modestia separans se à contentionibus, ut si senserint quòd in modis significandi terminorum usitatorum convenire non volunt aut nesciunt, cesset disputatio, quæ prorsùs noxia esset, & talis qualis cæcorum in tenebris pugna, seu concertatio, vel etiam sagittatio: nunquam enim nisi casu venirent ad punctum: hinc dici solent qui hujusmodi sunt, *Malè apunctuati.*

Theologus sicut diversas considerat Scripturæ partes, quasdam ad Legum, quasdam ad morum, nonnullas ad historiarum, quasdam ad Prophetiarum intellectum; sic varios debent attendere significandi modos. Docent hoc Tytonii regulæ ab Augustino commemoratæ, docent similiter expositores Bibliæ literales.

Theologus in inquisitione moralium & historialium, immò & Prophetiarum considerare debet & insequi modos loquendi vulgares & parabolicos simul & rhetoricos atque figurativos; alioquin ageret indisciplinatè, quærens aptare sermones non secundum subjectam materiam. Esset denique scandalosus apud moralium Præceptorum scrutatores aut Doctores, quales sunt Juristæ.

Theologus in inquisitione speculabilium, curiositatem evitet non plus quàm expedit, moralia dimittendo. Sequatur insuper modos significandi quibus utitur communis schola Doctorum, etiam si quandoque posset invenire suo judicio magis idoneos. Exponat modos communes, non contemnat aut immutet; alioquin damnationem accipiat, delens (quantùm in se est) optimorum Libros, doctrinamque Magistrorum.

Theologus plus insequens modos significandi Philosophorum gentilium quàm sacrorum Doctorum, etiam si sententias veras habeat, culpandus est. *Liberis* (inquit Augustinus) *verbis utuntur Philosophi, sicut Platonici qui tres personas nominant in Deo tria principia: nobis autem ad certam regulam loqui fas est.* Exemplum dat aliud de vocantibus ipsum Deum esse Fatum. *Talis*, inquit, *sententiam teneat, linguam mutet.* De Eliu quoque apud Job quærit Dominus: *Quis est iste? Involvens sententias sermonibus imperitis.* Hinc illa surrexit saluberrima damnatio Articulorum Parisiis lata, quam allegant utentes ea sapientissimi Doctorum, qui sequuntur, tàm religiosi, quàm sæculares in lecturis suis & Libris.

Ex modis significandi secundæ intentionis composita est Grammatica & Logica. Unde consurgunt traditiones prædicabilium & prædicamentorum, suppositionum, obligationum, cum suis annexis in Logica, declinationes, genera, conjugationes, & regimen in Grammatica, cum adjunctis multis. Ex quibus est accipienda particularis de modis significandi notitia.

Ex modis significandi circa Grammaticam & Logicam variatis, omnis scientia consequenter variatur, nec est facile quòd salubriter & in melius commutetur. Sic enim de mutatione Legum tradit Philosophus, etiam si novæ videantur meliores, non esse passim expediens. Consuetudo enim est altera natura quæ Legibus assuetis dat vigorem.

Ex modis loquendi grammaticalibus & logicalibus plurimæ difficultates in quavis scientia, maximè in Theologia possunt terminari; patet in aliquibus, ubi minus videretur, ut cur ista negatur? Essentia divina generat, & illa conceditur. Pater qui est essentia generat. Hoc enim facit modus significandi absolutus & relativus. Non oportet per omnia fallaciarum genera discurrere, quarum dissolutio, etiam circa divina, facilis apparebit, si principium, syllogismos per dici de omni, & per dici de nullo regulans, fuerit benè secundùm traditionem Logicæ Aristotelis intellectum.

Ex modis significandi Grammaticæ & Logicæ possunt intelligi sufficienter & salubriter valdè proprietates entis simpliciter, quæ sunt unum, verum, bonum, secundùm tria in divinis appropriata, cum ceteris difficultatibus circa ista formatis. Et hoc per comparationem ad ens secundùm quid, cum proprietatibus suis, secundùm quid ad ens simpliciter. Illud autem simpliciter dicitur, quod sine addito dicitur, & illud est solùm unum ens verum, primum & bonum. Et istud ens secundùm Metaphysicum extra omne genus. Logicus verò potest univocationes & analogias & æquivocationes & chimeras fabricare, prout voluerit. Unde contentio consurgit aliquando Logicorum cum Metaphysicis, & è contra, dùm quæritur utrum Deus sit in genere, aut si ens sit univocum ad Deum & creaturas, aut si sit æquivocatio in mente.

Fundatur in modis significandi magna virtus docendi: aliter enim docet eandem sententiam doctus, aliter indoctus, propter modum ordinemque vocum significativarum cum modis pronunciationum. Nam habet visus suas interjectiones in gestu corporis, sicut auditus suas in sonis.

Fundatur in modis significandi, juncta pactione Dei, magna virtus operandi; patet hoc in sacramentalibus verborum formis.

Fundatur in modis significandi (permittente Deo) virtus operativa in artibus magicis, plùs tamen ex pacto fallaci dæmonum, quàm naturali virtute dictionum vel carminum seu characterum.

Fundatur in modis significandi virtus magicæ natu-

naturalis, secundùm configurationes vocum musicales, sicut etiam in modis reputandi per speculares applicationes. Reducunt etiam aliqui conversiones hominum mirabiles, per exhortamenta & prædicationes ad modos significandi & pronunciationes. Denique propter complexiones hominum varias, habent sæpe modi significandi omnino similes diversissimos effectus, immò contrarios : quòd si non attendant prædicatores verbi Dei, falluntur & fallunt. Sibilus idem fugat cattos & congregat canes.

Ex consideratione modorum significandi naturalium in re qualibet, consistit intellectus humani magna perfectio, si rectè utatur, referens ad principale significatum quod Deus est. Si autem non vult intelligere, id est, intus legere, sed accipit res non ut signa sunt Deum significantia, meritò dicitur hebes vel erro, quasi hærens exterius; & quasi somnians, qui in somnio; aut phantasticus, qui in vigilia accipit signa phantasmatum pro rebus ipsis quarum signa sunt, reverizat & errat ineptus.

Ex consideratione modorum significandi naturalium composita est Theologia symbolica, similiter & Rhetorica pro maxima parte, unde provenit quòd Deus potest nomine cujuslibet creaturæ nominari, ut leo, bos, agnus &c. propter aliquas proprietates inventas quæ perfectiùs conveniunt Deo, quoad rem significatam, quàm creaturæ. Sed quoad impositionem nominis è converso : fortitudo enim principaliùs convenit Deo quàm leoni, à qua dicitur Deus leo.

Consurgit quoque ex hoc modo significandi symbolico multiplex eruditio, & elevatio mentis in Deum per devotionem. Si verò vertatur in abusum, consurgit omnis impietas, fallacia, libido, scandalum, atque laqueus insipientium; illuminat enim Deus mirabiliter à montibus æternis. *Turbati sunt omnes insipientes corde*, Ps. LXXV. 5. qui dignoscere cum pietate nesciunt mysticos significandi Deum modos.

SECUNDA PARS

DE CONCORDIA

METAPHYSICÆ CUM LOGICA.

PROPOSITIONES QUINQUAGINTA.

Jungantur totidem aliis Propositionibus de Modis significandi in utraque scientia.

Ad eosd. Codd. MSS.

Si non credideritis quia ego sum, in peccato vestro moriemini. Joan. VIII. 24.

DIXIT hoc Dominus noster Jesus Christus, suam Judæis ostendere volens divinitatem. Et hoc ex verbis Legis, Domino dicente ad Moysen: *Qui est misit me ad vos.* Exod. III. 14. Unde colligitur quòd qui est, vel ens simpliciter dictum, est propriissimum nomen Dei, cujus propria passio est bonum. Conformiter ad illud dictum Christi: *Nemo bonus nisi solus Deus.* Luc. XVIII. 19. Et quoniam in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, constat quòd sapientia quæ considerat ens, concordat cum omni scientia, de quarum numero Logica est. Concordemus igitur Sapientiam seu Metaphysicam cum Logica, seu sermocinali scientia, sub considerationibus seu theorematibus quæ sequuntur.

Ens quodlibet dici potest habere duplex esse, sumendo esse valdè transcendenter. Uno modo ens sumitur pro natura rei in seipsa. Alio modo, prout habet esse objectale seu repræsentativum in ordine ad intellectum creatum vel increatum : hæc autem distinctio non conficta est vel nova, sed à Doctoribus tam Metaphysicis quam Logicis subtilibus inducta.

Ens consideratum seu relictum prout quid absolu-
A tum, seu res quædam in seipsa, plurimùm differt ab esse quod habet objectabiliter apud intellectum; juxta diversitatem intellectuum & rationum objectalium, etiam prout rationes objectales non accipiuntur pro seipsis materialiter; sed pro rebus quasi formaliter : ut sicut significatio est quasi forma dictionis, & modus significandi quasi forma significationis; sic res ipsa diceretur quasi materia vel substractum vel subjectum rationis objectalis, vel modi significandi. Quæ consideratio clavis est ad concordiam formalizantium cum Terministis, si perspicaciter nec protervè videatur.

Ens reale non potest constituere scientiam aliquam, si non consideretur in suo esse objectali relato ad ipsum ens reale, sicut ad primarium & principale objectum suum. Ratio: quia scientia vel sapientia quælibet est habitus intellectus; quamvis intellectus respiciat res, & ipsas accipiat quasi materiam vel objectum vel substractum suæ considerationis, per ra-
B tiones objectales seu formales, quæ se tenent ex parte intellectûs. Secundùm hanc considerationem dici possunt formæ rerum non reales, sed intentionales, conceptibiles vel intelligibiles.

Ens non mutatur in suo esse reali, neque diversificatur per mutationem vel diversitatem sui esse objectalis. Et hîc est lapsus volentium formalizare vel metaphysicare de rebus in suo esse reali, secludendo illud esse quod habent objectale, quasi si quis vellet intelligere sine intellectu, vel ratiocinari sine ratione. Res enim non ratiocinantur in seipsis, nec præscindunt, nec universalizantur, nec signantur, nec abstrahunt, nec abstrahuntur; quoniam istæ sunt operationes intellectûs, non rerum ipsarum; quamvis sint pro rebus hujusmodi operationes, secundùm suppositionem personalem & quasi formalem, nec non ex parte rei, si ita placet loqui. Unde, pro majori explicatione, ab altiori repetamus exordio de quibusdam tractatis in *De Modis significandi*, sed hoc aliter,
C sineque diverso.

Dictio, si consideretur prout est quædam res in se, non spectat ad aliquam scientiam, nisi sicut aliæ res extra animam, quæ sunt substantia vel accidens, & ita continetur sub ente considerato absolutè, quia non minùs sunt ipsi conceptus animæ res quædam saltem accidentales, quàm lumen vel species sensibilium in aere.

Dictio, si consideretur prout est nata significare seipsam naturaliter; sic non spectat ad aliquam scientiam plusquàm aliæ res extra animam, quarum quælibet nata est se repræsentare naturaliter potentiæ cognitivæ. Et hoc modo spectat dictio ad passionem entis quæ est verum; sicut & aliæ res sub tali consideratione receptæ. Dicitur enim verum per comparationem ad intellectum actualiter vel aptitudinaliter factam.

Dictio, si consideretur in habitudine ad potentiam
D volitivam, ut est quoddam appetibile vel ordinabile ad finem, sic non minùs non spectat ad aliquam scientiam sermocinalem, vel moralem; vel physicam, seu naturalem, quàm aliæ res extra animam. Et hoc modo spectat dictio ad passionem entis quod est bonum.

Dictio, si consideretur prout est imponibilis, vel maximè jam imposita ad significandum aliud à se, tunc spectat ad aliquam scientiam, prout ex sequentibus apparebit; nominatim de hac dictione ens, & de istis unum, verum, bonum.

Significatio dictionis voluntariè facta, dici potest forma sua; ita quòd in dictione significativa ad placitum, dictio est velut materiale seu substractum, & significatio quasi formale suum.

Significatio dictionis ad placitum facta potest considerari vel ut est significativa solùm, sic in genere; vel ut habet modum significandi appropriatum hunc vel illum. Et ita modus significandi erit quasi formale, respectu significationis; quoniam se habent significatio sicut genus, & modus significandi tanquam differentia.

Significatio & modus significandi dictionis possunt A considerari dupliciter. Uno modo pro seipsis & in seipsis. Alio modo per respectum ad res quas significant, quæ non sunt ipsa significatio vel modus significandi. Juxta primum modum accipitur suppositio materialis vel etiam naturalis, secundùm antiquos. Juxta secundùm modum sumitur suppositio personalis seu formalis, secundùm aliquos posteriores naturalem suppositionem relinquentes.

Significatio & modus significandi si considerentur secundùm suppositionem materialem, tunc spectant ut sic ad Grammaticam & Logicam vel etiam Rhetoricam, quæ constituunt terminum Philosophiæ sermocinalis. Si verò fiat acceptio pro rebus significatis ab extra, sic spectant ad alias scientias, sicut ad Moralem, sicut ad Mathematicam, Physicam, aut Metaphysicam.

Modus significandi & objectalis ratio cognoscendi, maximè per intellectum, reperiuntur accipi pro eodem, & ita curreret distinctio de ratione, objectali, quemadmodùm de modo significandi. B

Modus significandi seu ratio objectalis dum spectat ad reales scientias, non accipiuntur pro seipsis neque secundùm suppositionem materialem; sed secundùm suppositionem personalem pro rebus ad extra significatis.

Modus significandi vel ratio objectalis quantumcunque spectent ad scientias reales, non tamen excludunt operationes intellectûs; quoniam modus significandi vel rationes objectales dicuntur relativè ad intellectum, nec esse possent, si nullus esset vel esse posset intellectus negotians, sed nec intellectus negotians sufficeret, si nullæ res ad extra, vel verè vel intelligibiliter esse possent.

Modus significandi, vel rationes objectales, si quærantur penitùs excludi in consideratione scientiarum quantumcunque realium, sicut est Metaphysica C vel Physica, consequitur implicatio & insana deceptio, cum erroribus absurdissimis, & quandoque blasphemis & hæreticis: ut quòd scientia esset sine sciente, & res ab extra taliter omninò essent in intelligente, sicut errabant negantes primum principium ex hac radice; quoniam res intelligitur ab uno esse & ab alio non esse.

Sermocinalis scentia distinguitur à reali, quoniam sermocinalis est de secundis, juxta commune dictum. Quid autem sit secunda intentio & quid prima, colligitur ex duplici suppositione quæ dicta est, scilicet materiali & personali. Materialis respicit terminos & suos significandi modos, & inde dicuntur genera, species, vel differentiæ, secundùm quòd varietas est in significando generaliter vel specificè, aut singulariter affirmativè vel negativè, complexè vel incomplexè, unde sumuntur quæstiones istæ, quæ, D qualis, quanta, in consimilibus multis. Realis verò scientia sicut Metaphysica & Physica res habent extra animam pro principalibus objectis & substractis.

Sermocinalis Grammatica respicit significationes & modos significandi, prout spectant ad congruum vel incongruum in ordinatione regiminis, & per hoc differt à Logica & Rhetorica, & generaliter ab omni reali scientia.

Sermocinalis Logica respicit significationes & modos significandi in ordine ad verum vel falsum quæ sunt in anima, secundùm Philosophum, & inde sumitur differentia ad Grammaticam & Rhetoricam & ab omni reali scientia.

Sermonicalis Rhetorica respicit significationes & modos significandi in ordine ad ornatum per orationes, ac per hoc distinguitur à Logica & Grammatica, licèt hæ tres scientiæ plurimùm inter se conveniunt ut sermocinales sunt. Et est Grammatica generalior ad omnes scientias. Logica specialior ad speculativas scientias ut speculativæ sunt. Rhethorica specialis est ad Moralem scientiam, tanquam Logica sua specialis.

Subtilitas metaphysicantium si vera sit, consistit in acuta resolutione entis, secundùm esse suum objectale personaliter seu formaliter acceptum. Ruditas autem Terministarum, si consistere velint in significatis seu modis significandi soùlm materialiter, indè provenit vel consurgit quòd à Metaphysicis rationabiliter contemnuntur.

Subtilitas metaphysicantium si quærit reperire in rebus ipsis secundùm suum esse reale, tale esse quale habent in suo esse objectali, jam non est subtilitas, sed stoliditas & vera insania. Quid enim est insania, nisi judicare res prout sunt in sola phantasia, quòd ita sint ad extra, qualiter est in furiosis, phantasticis atque reverietantibus; qui scilicet somniant vigilando; dùm similitudines rerum pro rebus accipiunt.

Subtilitas metaphysicantium debet attendere conditionem & naturam virtutis cognitivæ præsertim intellectiuæ; quoniam secumdùm diversitates operationum cognitivarum, maximè intellectualium, accipienda est varietas rationum objectalium, seu modorum significandi formalium, vel ex natura rei. Undè Deus nihil intelligit materialiter, nihil contingenter, nihil mutabiliter, nihil dependenter, nihil complexè nihil falsè, nihil fallibiliter: quamvis res ab extra quas intelligit distinctissimè, secundùm conditiones suas omnes, sint dependentes materiales, sint contingentes, sint mutabiles, sint propositiones complexæ, quædam falsæ, sint possibiles aliter se habere. Sic è converso intellectus creatus cognoscit Deum immutabilem & unicum necessitate esse &c. nisi quantum juvatur à gratia vel gloria. Patet ex hoc quòd abstrahentium non est mendacium, si rectè abstrahant, quamvis intelligant aliter rem quàm sit, licèt errarent, si judicarent quòd res sit aliter quàm sit. Et hic est lapsus Logicam ignorantium vel spernentium, qui ponunt in Deo contingentias à parte rei, & formas seu formalitates quales sunt in creaturis, & præcisiones & signa, cum sit in natura sua purissimus actus & unicus. Omnis autem creatura potentialis & multa, & vix per analogiam similis, Deo dicta.

Subtilitas metaphysicantium & generaliter omnium philosophantium in inquisitione veritatis realis in moribus, & aliis rebus, practicè vel speculativè; sicut præsupponit (ut dictum est) Philosophiam sermocinalem intrinsecam vel extrinsecam in modis significandi & rationibus objectalibus; sic debet diligenter advertere quid conveniat Philosophiæ sermocinali ut sermocinalis est: similiter & reali, ut realis est, concordando congruitatem Grammaticæ, veritatem insuper & falsitatem, secundùm inquisitionem Logicæ, ornatum denique verborum, quantùm facit ad sermonem passionativum seu moralem & motivum, ad aptè persuadendum in moribus: alioquin fit in contemnentibus vel ignorantibus confusio Babylonica, tàm in singulis apud se, quàm apud reliquos cum quibus habent de veritate tractare speculativè vel practicè. Væ igitur illis qui gaudent in confusione linguarum per contemptum terminorum quos posuerunt Patres nostri, qui in impositione terminorum fuerunt magni Metaphysici. Non enim frustra dicitur,

tur, quòd Logica est ad omnium methodorum principia viam habens.

Quodlibet ens creatum dici potest habere duplex esse, in comparatione ad Deum, conformiter ad prædicta. Unum reale, quod dicitur esse existentiæ, vel naturale, vel in proprio genere. Aliud verò vocatur esse objectale à Metaphysicis nolentibus uti solis terminis Grammaticæ, Logicæ vel Rhetoricæ. Licèt Grammatica vocet hoc esse objectale, modum significandi; Logica modum concipiendi; Rhetorica modum ornandi: & ita poterit à subtilibus nec protervis faciliter concordia fieri. Grammatici quippè distinctionem admittunt de terminis vel distinctionibus primæ impositionis & secundæ impositionis, vel etiam tertiæ aut quartæ, & deinceps per reflectiones: aut sub aliis verbis admittunt Logici distinctionem de terminis seu conceptibus primæ intentionis & secundæ & tertiæ: & in idem redit.

Quodlibet ens in esse objectali fuit ab æterno in Deo seu divino verbo quod est creatrix essentia. Hoc est expressum beati Augustini verbum, cujus auctoritas major assumitur ex dicto Joannis : *Quod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Joan. 1. 3. 4. Constat quòd hæc vita non est nisi Deus seu creatrix essentia, non quidem absolutè considerata, sed per respectus objectales quos videt divinus intellectus sicut & seipsum, & omnes res creabiles complexas vel incomplexas, tanquam objecta prima vel secunda. Ad hunc sensum dicitur ab aliquibus Deus componere & dividere, non quidem simpliciter, sed objectivè.

Quodlibet ens creatum quamvis habuerit ab æterno esse objectale in mente divina, non ideò tamen sequitur absolutè & generaliter loquendo, quòd res fuerunt ab æterno. Et hic est lapsus Grammaticorum vel Logicorum, qui non accipiunt distinctionem istam de esse duplici creaturæ; sed defendunt se per ampliationes & connotationes, & modos significandi quasi materialiter. Unde negant istas: Hæc res intelligitur: ergo est. Istud ens fuit intellectum ab æterno: ergo istud ens habuit esse vel essentiam ab æterno. Sed cum nomina sint ad placitum, debebunt faciliter induci ad acceptandum quid nominis hujus quod est esse objectale, cum esse intelligibili vel modo significandi.

Quodlibet ens creatum comparatum ad Deum, dici potest habuisse ab æterno esse ideale, quantumcunque sit paucæ entitatis vel individuationis. Et ita, sicut sunt plures res creatæ, sic dici possunt plures ideæ, & quòd alia ratione conditus est homo, aliâ equus, prout dicit B. Augustinus. Sic salvaretur quòd ab eodem, inquantùm idem, non procedit nisi idem: quia concurrit objectalis ratio varia, respectu diversorum effectuum, Et hæc objectalis ratio vocatur ab aliis distinctio rei, seu formalis, vel quædam non identitas : sed aliqui non intelligentes vel excedere volentes, posuerunt ex hoc distinctiones in Deo, quas noluerunt appellare distinctiones rationis: etiam significant intelligere dominium, & addiderunt quòd plus distinguntur inter se quàm homo & asinus. Vocatum est à nonnullis hoc esse objectale apud intellectum creatum, esse quoddam perspicuum, vel quòd est res in esse perspicuo. Dixerunt alii, quòd dum aliquæ rationes objectales considerantur ut in Deo sunt infinitæ, non propter hanc infinitatem transeunt in alias rationes, sicut ejusdem sunt rationis albedo finita & infinita. Contradicunt alii, cum majori pietate divinæ majestatis, quòd infinitas trahens extra terminos creaturæ, facit alietatem rationis. Et ita rationes creaturarum non sunt formaliter in Deo, sed supereminenter; sicut nec ratio sanitatis est in urina vel cibo, nisi per analogiam, ad sanitatem animalis.

Universalia realia extra animam ponere alibi vel aliter quàm in Deo, est hæresis expressè damnata per Decretalem Innocentii tertii : *De summa Trinitate & Fide Catholica.* §. *reprobamus: in fine.* præsuppositis glossarum testimoniis, sicut Hostiensis super illum locum Et Martini in Chronica Summorum Pontificum, ubi loquitur de Innocentio tertio, qui cœpit Anno 1197. Dicit igitur sic Decretalis Innocentii. *Reprobamus etiam & condemnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus*
A *doctrina non tam heretica sit censenda quam insana.* Sed qualis fuit hæc doctrina, recitat prædictus Hostiensis super istum locum, & Martinus ubi dictum est. *Primus*, inquit Hostiensis, *& summus error fuit quòd omnia sunt Deus.* Unde dicit Amalricus : *Motum Deo dare non possum.* Et sequitur: *Cùm in ipso sint omnia, immò cùm ipse sit omnia.* Et sequitur, *Non facile posse negari Creatorem & creaturam idem esse.*

Alter error, quòd *Primordiales causæ quæ vocantur ideæ, idest forma sive exemplar, creant & creantur; cùm tamen secundùm Sanctos in quantùm sunt in Deo, idem sunt quod Deus.* Ait Hostiensis, addens quòd Odo Episcopus Tusculanus, exposuit errores singulos, & damnavit, subdens causam quare non fuerunt explicitè nominati. Martinus verò ita dicit de eodem Almarico damnato per Innocentium tertium, quòd *Asseruit ideas quæ sunt in mente divina, & creare & creari:*
B *cùm, secundùm Beatum Augustinum, nihil nisi æternum atque incommutabile sit in mente divina.* Dixit etiam, quòd *Deus ideò dicitur finis omnium, quia omnia reversura sunt in ipsum, ut in Deo immutabiliter conquiescant, & unum individuum atque incommutabile in eo permanebunt. Et sicut alterius natura non est Abraham; alterius Isaac, sed unius atque ejusdem*, sic dixit *omnia esse unum & omnia esse Deum.* Dixit enim *Deum esse essentiam omnium creaturarum & esse omnium.* Hæc Martinus.

Constat quòd ad positionem universalium realium prout exponunt, sequitur hæc doctrina, vel forsan insanior, ut quòd sit ens unum trascendens in re, quod nec est Deus, nec creatura, nec æternum, nec temporale.

Universalium hujusmodi positio reprobata est pluries Parisiis, tàm ab Episcopis Parisiensibus sub anathemate, quàm à Cancellariis Parisiensibus cum sacra Theologiæ Facultate doctrinaliter & determinativè.
C Patet primò per damnationem Guillielmi Parisiensis de consilio omnium Magistrorum : inter quos fuit Frater Alexander de Ales, prout recitat Dominus Bonaventura in suo secundo: *Dist.* 23. circa finem, circa annum Domini 1240. quòd *multa sunt veritates ab æterno, quæ non sunt Deus:* error, supple est dicere. Alius : quòd *primum nunc creationis passivè, nec est creator nec creatura* : error. Unde dicit Augustinus quòd omne ens est creatura vel creatrix essentia.

Ponitur alius Articulus de Theophano, & hic est contra Joannem Scotum, in Libro qui dicitur *Periphyson.* idest *De natura.* Contra quem scripsit Hugo super cœlesti hierarchia; qui Liber, ut dicit Hostiensis damnatus fuit per Magistros Parisienses, propter alios errores quos ab illo sumpsit dictus Amalricus. Est autem iste Joannes Scotus non ille de Ordine Minorum, sed alter qui transtutit Libros Dionysii de Græco in Latinum, longè ante ipsum. Prædi-
D ctus insuper Odo Tusculanus, qui fuerat Cancellarius Parisiensis notaverat & damnaverat errores dicti Libri: & ab hoc Odone dicit Hostiensis se prædictos errores accepisse.

Universalium hujusmodi positio, damnata fuit per Stephanum Parisiensem de consilio omnium Magistrorum, circa anum Domini 1276. Articulo 52. ubi sic dicitur, quòd *Illud quod de se determinatur ut Deus, vel semper agit, vel nunquam, &* quòd *multa sunt æterna.*

Sequitur quinquagesimus tertius contra alium Doctorem. Quòd *Deum necesse est facere quicquid immediatè fit ab eo.* Ecce quòd error est dicere

quòd *multa sunt æterna*. sicut tamen essent universalia realia si ponantur. Fuit etiam hæc doctrina pluries revocata Parisiis, etiam de tempore, modo & paulò ante.

Universalium hujusmodi realium positio, damnata fuit novissimè per sacrum Constantiense Concilium contra Hus, & Hieronymum Pragenses combustos: & qui vidit & audivit testimonium perhibet de his. Ex quibus sequitur evidenter quòd assertor pertinax doctrinæ talis, cum suis sequelis, hæreticus est censendus, immò impius & insanus, scandalizans etiam pias aures, quantumcunque pius haberi posset aut verus intellectus apud exercitatos in hujusmodi positionibus. *Ab omni specie mala*, inquit Apostolus, *abstinete vos*. 1. Thess. v. 22. Et Philosophus ait, *loquendum esse ut plures*. Et Augustinus, *Ad certam*, inquit, *regulam nobis loqui fas est*. Concedendum est tamen, quòd universalia sunt apud intellectum, non in essendo, sed in repræsentando. Nec ob hoc ponendus est unicus intellectus universalis, prout impius Averrois asseruit. Deus autem est ens simpliciter universale, non mole sed virtute. Denique Doctor ille se sophisticat & implicat & infamat qui concedit hanc consequentiam. Generalis est & univoca ratio entis: ergo ponendum est ens universale extra animam. Arguit enim à parte in modo ad suum totum, cum additione distrahente.

Univocatio entis ad Deum & creaturam tolerabiliter poni potest, secundùm Theologiam & Metaphysicam, si fiat sermo seu resolutio ad rationem objectalem entis communem Deo & creaturæ; sicut accipi potest communis ratio objectalis ad substantiam & accidens, & inter analoga.

Univocatio talis si quæratur fieri per conceptus specificos & distinctos ad rationes attributales positas in Deo, per propriam univocationem ad Deum & creaturam; non videtur benè tutum, ut quòd Justitia dicatur purè univocè de Deo & creatura & non analogicè, sicut antea notatum est.

Univocatio non ideò synonima & quasi nugatoria dicenda est reperiri inter attributales rationes de Deo, quamvis eandem rem penitùs significent; quia non significant eodem modo vel eadem objectali ratione formaliter, vel ex parte rei seu personaliter, modo priùs exposito. Quoniam ratio objectalis non sistit in solo intellectu aut conceptibus, sed tendit in rem extra, tanquam in suum principale significatum, vel objectum vel substractum; alioquin diceretur ens secundæ impositionis vel intentionis, vel rationis logicalis. Et ita ratio objectalis habet quodammodò duas facies vel respectus, ad intra scilicet & extra.

Univocatio entis transcendentis ad Deum & Creatorem cum suis propriis seu proprietatibus transcendentibus, qui sunt unum, verum, bonum, plurimùm confert viris contemplativis & intelligentibus; dùm tamen statim ut intellexerunt ens illud in sua communitate, confestim denudent ab omni ratione objectali creaturæ, & transferant ad rationem propriam objectalem, generalem, puram & liquidam solius creatoris. Docet Augustinus ita facere VIII. *De Trinitate*. De bono & verbo. Et ita diceret de ente & omnibus attributis diuinis. *Dum audis*, inquit, *bonum, tolle bonum hoc & bonum illud, & vide, si potes, bonum non alio bono bonum, id est bonum increatum; videbis ipsum Deum, non quidem visione faciali, sed in speculari & in ænigmate.*

Sic Dionysius docet facere in mystica Theologia per exemplum de sculptore, qui facit agalma pulcherrimum, id est imaginem, nihil addendo, sed removendo. Sequitur eos Dominus Bonaventura, in Itinerario mentis in Deum, eleganter valdè. Erit hæc ratio objectalis propria Deo, si possit in sua puritate consistere sine hìc & nunc & creaturarum phantasmate. Erit, inquam, quasi margarita præfulgida; de qua Gregorius: *Deforme conspicitur quicquid de terrenæ rei placebat specie; quia sola pretiosa margarita claritas fulget in mente.* Sunt super hac re Opuscula quædam alibi tradita.

Metaphysicalis inquisitio quæritur ineptè fieri de ente & suis passionibus, si non præcesserit sufficiens notitia de ente logicali seu de Logica, qualem tradit Aristoteles studiosè. *Quod enim præcipiti via rectum deserit ordinem*, ais Boëtius, *lætos non habet exitus.*

A Metaphysicalis inquisitio & subtilis non est primitùs ingerenda pueris vel hominibus rudis ingenii, neque mulierculis sub specie devotionis, qualiter inveniuntur multi facere voluisse per curiositatem; sed qualis exitus evenerit, abominandum est vel dicere vel scribere.

Metaphysicalis inquisitio non solùm inutiliter, sed & damnosè quæritur fieri per homines sæcularibus scientiis aut Officiis civilibus occupatos, qui non capiunt quæ subtilia sunt; scandalum enim est illis vel irrisio; non enim est avibus par volatus, neque par intuitus. Sic ingenia diversa sunt multùm, pariter & studia, *Quot capita tot sententiæ.*

Metaphysicalis inquisitio surgere debet ultra grammaticalem vel logicalem traditionem, substernendo eam sibi, non contemnendo, nec ab ea contrariè recedendo: alioquin sæpe fit, ut Metaphysicare volentes, sint vel garruli, tanquam picæ loquaces, ignorantes vocem propriam vel errantes. Modicus autem error in principiis (maximè circa primum) maximus fit in ingressu & vix corrigibilis, dùm fuerit imbutus à puero, vel aliter consuetus. Denique *tales* juxta verbum Senecæ *utilia nesciunt; quia supervacua dedicerunt.* B

Theologica perscrutatio respicit ens purum vel ens simpliciter, hoc est sine addito cujuscunque potentialitatis seu non entis, quale solus & unicus est Deus. Ad cujus notitiam duxit Fides Catholica longè altiùs, certiùs & veriùs quàm traditio Metaphysica. Etenim *Deum nemo novit unquam*, sed *unigenitus qui est in sinu Patris enunciavit de illo.* Joan. 1. 18.

Theologica perscrutatio de ente simpliciter puro (quod enim simpliciter dico, sine addito dico) pervenit ad intelligentiam multarum sublimium veritatum, quæ traduntur credendæ per Fidem, si bona vita & humilis, si studium vehemens & pium, non protervum neque curiosum affuerint; qui prætereà fiunt solerter & cautè Metaphisicâ Philosophorum discussâ, separando pretiosum à vili, hoc est verum à falso, qualem docent facere Parisienses, ad hoc enim singulariter editi sunt. C

Theologica perscrutatio sistere non debet in sola intelligentia vel illuminatione intellectûs, sed labi debet & liquefieri ad inflammationem affectus; alioquin sæpe fit illud quod terribiliter de Philosophis ingratis & malè viventibus tradit Apostolus ad Romanos 1.

Theologica perscrutatio non renuit acquisitiones aliarum scientiarum, tàm speculativarum quàm moralium, quàm etiam sermocinalium ut est Logica, sed assumit eas ut ancillas sapientiæ in obsequium suum. Unde per Logicam multæ & altissimæ veritates circa mysterium beatissimæ Trinitatis, circa secretum divinæ prædestinationis, & eventum futurorum Theologia docet accipere.

Exempli gratia cur ista conceditur? Pater generat, vel Deus generat, & non ista: Essentia generat. Cur D prætereà iste terminus essentia, non potest esse medium in syllogismo expositorio, debitè & completè regulato per verum dici de omni, vel dici de nullo? Qualiter prætereà servari debet ars obligatoria, ne respondens, si non consequenter se habeat ad præconcessa, turpiter involvatur? Non est dicendum per singula de suppositionibus, ampliationibus, appellationibus paralogismis fallaciarum, quorum omnium ignorantia vel contemptus causat illaqueationes errorum & nebulas falsitatum.

Con-

Concordia Doctorum negotiantium metaphysicè vel theologicè circa ens, quærenda est fieri per convenientiam in sententiis & in quid nominis terminorum, per distinctiones & alias resolutiones, potius quàm animositate pertinaci vel superbia nutriatur inter illos discordia, qualis fuit; inter ceteros, conditionis Dominus Bonaventuta, qui studuit de variis opinionibus semper elicere illud quod verum apparebat, & cum sobrietate magna dimittere illud quod nimium vel parum videbatur.

Concordia Doctorum sæpiùs impeditur, in scandalum vel dedecus ipsorum Doctorum qui nimis quæruntur honorari, quemadmodùm de Origene tradit Hieronymus, quem sui zelatores nimii plùs diffamaverunt, dùm ipsum honorare quærebant in præjudicium theologicæ veritatis. Si taliter evenit & eventurum sit circa materiam quam agimus, viderint improbi defensores, & prohibeat deteriora Deus.

Concordia Doctorum, presertim Theologorum circa pietatem Fidei, sic est necessaria, ut obmittendæ sint potiùs perscrutationes vel dogmatizationes quarundam doctrinarum, etiam subtilium & altarum, quàm pietas Fidei per discordiam suorum tractatorum scandalum patiatur apud illos qui vel intùs vel foris sunt. Sic suadebat Augustinus ad Hieronymum. Sic dicebat Apostolus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum*, 1 Cor. VIII. 13. Salubriùs enim multæ veritates nesciuntur vel tacenur, quàm loquendo charitas saucietur. Consulit insuper Seneca subtilitates aliquas magis contemnere, quàm velle scire, exemplificans de paralogismis.

Concordia Doctorum maximè generatur, nutritur atque roboratur, si observetur illud Apostoli: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique secundùm quod Deus divisit mensuram Fidei.* Rom. XII. 3. & si redigatur omnis intellectus in captivitatem in obsequium Christi, qui est finis Legis sicut & Charitas. Non enim in subtili inquisitione veritatis, sed in cultu charitatis consistit regnum Dei, & impletio Legis, consecutioque salutis.

Concordia Metaphysicæ cum Logica & suis autoribus, fiet ex consideratione præmissorum, per distinctiones aliquas. Una est de duplici modo essendi rei, in re scilicet & intellectu. Altera distinctio de ratione objectali, & de modo significandi, si ratio objectalis restringatur ad modum essendi rei in intellectu, sic quod ratio objectalis respicit duo, scilicet intellectum, & rem ipsam ad extra, ut res est vel natura quædam in se. Modus autem significandi respicit rem non ut res est in se; sed ut signum est vel significatum, sive sit extra animam sive ad intra, sicut voces & scripta sunt res significativæ, & maximè ipsi conceptus animæ, qui tamen sunt res quædam in se. Altera distinctio sumeretur distinguendo rationem objectalem; quia vel respicit rem ut res est, vel respicit ut res est signum quoddam.

Similis esset distinctio de modo significandi; quia vel significat rem ut res est, vel ut signum quoddam. Proportionabilis esset alia distinctio de terminis primæ intentionis vel impositionis, seu personaliter acceptis, prout significant res ut res sunt, aut prout termini sunt secundæ intentionis vel impositionis, supponentes pro rebus non ut res sunt; sed ut signa quædam, sive sint extra animam vel ad intra.

Sumatur ex his distinctionibus hæc unica, quòd consideratio rei, ut res est, spectat ad Metaphysicam. Consideratio verò rei, ut tantummodò signum est, præsertim in anima, spectat ad Grammaticam vel Logicam.

Corcordia Metaphysicæ cum Theologia fiet, si consideretur ens simpliciter vel ens purum, vel ens universaliter perfectum, quod est Deus. Aut si consideretur generalis ratio objectalis entis. Secundum spectat ad Metaphysicam: primum propriè ad Theologiam, in qua Deus est subjectum. Est autem Theologia duplex, scilicet viæ & patriæ. Theologia viæ respicit ens primum ut creditum cum suis attributivis non excludendo intelligentiam de multis. Theologia autem patriæ respicit ens primum ut facialiter visum & objectaliter in seipso, non in speculo vel ænigmate. Gratias ipsi qui aperuit hanc concordiam hominibus bonæ voluntatis. Vigilia suæ Ntivitatis. Anno 1426.

DIALOGUS
CORDIS, CONSCIENTIÆ RATIONIS, ET QUINQUE SENSUUM.

Ex Sermone quartæ Dominicæ Adventûs Domini suprapositio, in quo de his discipulis facit mentionem: conjicitur sequentem Tractatulum à Gersone esse compositum.

Gallicè in MS. Cod. Vict. 288.

Doctor, monitu Dei, ratione sex discipulos instruens: scilicet, cor & quinque sensus exteriores.

Doctor loquitur.

Cujuscumque humana creatura
Videri hic potest doctrina
Ut in libro & pictura.
Ad gaudium habendum non desiturum.

Deus dicit rationi.

Sex tibi do discipulos,
Cor, tactum, linguam, odoratum, oculum, auditum.
Ut bona mea doctrina
Per te, rationem, ab eis audiatur.

Ratio respondet ei.

Domine, juva ad regimen,
Nam aliter id efficere non possem.
Mecum sumam conscientiam,
Quæ de omnibus factis habet scientiam.

Ratio loquitur discipulis.

Lectiones vestras omnes diligenter retinete,
Sic enim bonum recipietis gloriæ.

Lectio cordis.

Deus, mors, cœlum, rabies inferni.
Tuo semper insideant cordi.

Lectio auditûs.

Malas loquelas ne audias,
Ne mores bonos à te expellas.

Lexio oculorum.

Cave vultum tuum aliquò vertas,
Quò respicere est non fas.

Lectio oris.

Non gulosus sis, nec litigabis,
Sed verbum tuum ad bonum ordinabis.

Lectio tactûs.

Tangere turpe, immundum, quod facit perire,
Tibi prohibeo & sine jure percutere.

Lectio odoratûs.

Caveas quicquam odore percipere,
Unde malè contingat desiderare.

Ratio loquitur omnibus simul.

Interdico vobis omnibus simul
Malam iniquitatis scholam.
Nam perdit qui eam ingreditur,
Tempus, sensus puritatem, laudem, veritatem.
Non est quicquam tam deforme,
Quin durè ibidem velit habitare.
Ibi est superbia & stulta invidia,
Acris ira & ardens avaritia,

Pigri-

Pigritia, luxuria & gula.
Si ipsa non sint, sunt tamen vitia alia multa.
Contemptus, fictio & arrogantia,
Furor, odium, aspera vindicta,
Tædium boni, alterius oblivio:
Et ne obliviscar,
Parvum vobis legam librum,
Cujus scientia à talibus liberat malis,
Ludite sine mala incœptione,
Si benè prius vestram didicistis lectionem.
Cancellarius vos Magistros faciet,
Qui Deus est qui vobis gloriam tribuet.
Vel refutabimini cum verecundia.
Malum quoque habebitis quod semper ascendet.
Decem Præcepta quæ Lex dat
Servate, qualitercumque contingat.
Deum honora, nec jures in vanum.
Festa serva, parentes ama,
Fuge homicidium, furtum, mendacium, luxuriam.
Alterius bona habere non cures.
Ego parùm recreabor.
Diligenter studete sine lite.

Cor.

Socii mei audivistis
Dominæ hujus magnum sermonem?

Auditus.

Cor versatile, certè sic,
Sed quid de hoc erit hic?

Oculi.

Frustra vadit,
Cum primùm abierit.
Unusquisque scholam suam effugiet & evitabit.

Os.

In scholis alteris multò plus est solatii
Quicquid dicant quod sint fatui.

Odoratus.

Ipsamet à nobis attrahetur. ***
Quantumcunque malum vitare conetur.

Tactus.

Ad ipsam clamabimus, deinde ei ridebimus,
Hâc illâc tamdiù ibimus,
Tanta inferemus ei mala
Ut ei oculos claudamus capitis,
Ne videre possit
Quale ipsum negotium sit.

Conscientia.

Sic sic agere vultis ô latrunculi, ***
Vos tenebo ne sic contingat.
Unusquisque vestrûm certè accusabitur
Per me, quantumcumque excusati esse credatis.
Deus bonum vestrum & delictum
Ut Matri meæ dicam facit.
Cum Matrimonio conjuncta fuistis
Per rationem quæ Deum habet pro marito.
Cor desponsavit divinum amorem.
Auditus prudentem recepit doctrinam,
Oculus bonam simplicitatem,
Et lingua accepit sobrietatem,
Tactus pulchram temperantiam,
In odoribus habuit odoratus continentiam,
Nunc esse vultis tales,
Quales sunt illegitimi vel degeneres.

Ratio perversa loquitur.

Scholastici mei necesse est audiam
Vestrûm duos saltem quotidie,
Et quid studuerint benè reparare
Mane & vesperi, hoc videtur melius.

Conscientia.

Si rem verè scires Domina
Et benè audivisses
Contra te eorum incœptum,
Cave ne ab ipsis arguaris.

Ratio.

Scio heu qualem pœnam
Habere me oportet cum non sum sana.
Parùm sum videns & prorsùs inclusa,
Corrupta caro me confirmat in malo.

Conscientia.

Mater vide quid est hoc?
Qualis infantia facta est hic?

Ratio.

Psy qualis fœtor maculavit
A *Nostram scholam? & quis immunditiam illam aggregavit?*
Quis hoc fecit? Dic conscientia.

Conscientia.

Cor, Domina, in hoc culpabile redditur.

Ratio.

Cor, fictissimum & mutabilissimum
Ad omnia mala cogitanda & omnem immunditiam.
In scholis tu rabiem concitasti.
Ideo te his afficiam verberibus.

Cor.

Heu Magistra conqueror
De aliis quinque meis sociis. ***

Ratio.

Quamobrem?

Cor.

Quoniam ad hoc plenè
Me compellunt quasi coactè.

Quinque Sensus.

Certè, Domina, nos negamus;
B *Sed est cor ipsum quod sequimur.*

Ratio.

Video optimè quod si sine castigatione
Essetis, sine subjectione,
Mox malum mihi contingeret.
Ideò vobis correctionem dabo.

Quinque Sensus.

Heu ob Deum, ob Deum, ô Magistra,
Non nos tali afficias pœna.

Ratio.

Ob Deum facio revera,
Et omnia pro emendatione vestra,
Pœnitentiæ habebit partem
Unusquisque, secundùm suam transgressionem.
Sed priùs ejiciatur
Immundus cumulus turpis peccati,
O lingua in secreto ipsum porta
Per os tuum, nam & ipsum est porta.

Os.

C *Psy, Domina, & quis auderet.*
Talem putredinem ejicere?

Ratio.

Tu facies, vel non esset ***
Aliquis nostrûm in requie bona,
Semel absolutum esse convenit.
Quantò tardiùs fit, tantò peius contingit.
Vilissimus est defœdator.
Qui per peccatum id effecit,
Caveat sibi culpabilis, ***
Ne verberibus fatigetur durissimis.

Conscientia.

Benè se habet cor, gemit & plorat. ***
Et lingua hac hora
Ejicit abominationem
Per integram Confessionem.
Sic certè oportet mundare
Sæpè scholam, & purgare
Aquâ Contritionis, ***
D *Venire ad reparationem*
Per ferulam & disciplinam.
Et sic omne finietur malum.

Ratio.

Tempus est ut in pace mea morer, ***
Quòd de Deo cogitem & Paradiso.
Scholastici mei bona hac hora
Non rebelles sunt ut priùs.
Priùs fecerunt multa mala,
Frequentem stultitiam & vanitatem
Unde eram omnino debilitata.

Deus

Deus manens in æternitate
Omnia mala velit parcere.
Et in fine cœlum concedere.

***

Conscientia accusat Cor & quinque Sensus tanquam sex scholasticos.

Domina ratio Mater mea bona,
Nunciare volo nova amara,
Quæ de tuis audivi discipulis,
Corde, lingua, oculo, tactu, odoratu, auditu.
Filia tua sum conscientia
Quæ in hoc eos accusare debeo,
Omnes certè fuerunt
In schola iniquitatis,

***

Et primus est cor versatile,
Quod alios ducit & rabiem incitat:
Jungit se gloriâ vana,
Ut altè scandat omnem ponit operam.
Avaritiâ certè prorsùs ardet,
Acquirere omnia vult, & undique
Ad malum nimis est ingeniosum,

***

Et majores dedignatur
Præceptores, cognatos, socios & Patrem.
Presbyteros, sorores, fratres & suam Matrem.
Omnes contemnit, tam ipsum est inutile.
Confitendo suum celat vitium,
Hypocrisim retinet & malam suspicionem,
Fellitum despectum & invidiam.
Sortilegium interdùm ponit

***

Contra Deum & contra Fidem.
De Dei murmurat providentia,
Quando ad suam non facit ordinationem.
Stultam prosequitur lætitiam.
Prorsùs repellit pœnitentiam.
De peccato suo gloriatur.

***

Et in sensu suo omninò confidit
In juventute sua & in amicis ejus.
Spem Dei extra se posuit.
Et de morte vel damnatione
Non curat ampliùs quam leo.
Desperatio & præsumptio
Ipsum tenent & nulla devotio.

***

Hîc loquitur de Oculo.

Et oculum chara mea Mater
Facere credis visionem suam charam,
Cum videt benè operatur, sed malitiam
Libenter videt & vanitatem,
Ut pulchritudinem malè inflammantem.
Vel rem quæ corpus ponit in flammam
Per vanam carnalitatem,
Vel per ardentem lubricitatem.

Hîc loquitur de Auditu.

Auditus omninò est apertus
Ad fabulas audiendas, ad bonum coopertus,
Libenter audit detractionem.
Et fugit prædicationem.
Et quia de se facit rem inhonestam,
In scholis iniquitatem cumulat magnam.

Hîc loquitur de Lingua.

De lingua quid possum dicere?
Sæpè litigat per malam iram,
Maledicit, jurat, mentitur & negat,
Et omnia replet subsannatione.
Templum, scholam, & omnia impedit,
Nisi quis sapienter se expedierit.
Promittit, & posteà de voto
A *Nil curat, tanquam nihil esset.*
Horas suas omittit, & suum relinquit servitium.
Malum suum desiderat, & vitium proprium,
Omniumque hominum, & est gulosa,
Delicatis cibis ardet tota.
Per ebrietatem, nostis Domina
Qualiter nos dedit omni infamiæ.
Jejunare non vult, & tamen attrahit
Ad peccata immunda omnes allicit.

Hîc loquitur de Odoratu.

Odoratum prætereo satis facile,
Parùm potest; quamvis suum officium
Sit interdùm velle attrahere
Socios ejus ut velint malefacere.

Hîc loquitur contra Tactum.

Sed tactus ipse fœdus.
Talis est, ut de ipso os mentiatur.

***

B *Quandoque ob verecundiam & timorem*
De delectatione, quam de sua capit putredine.
Oportet tamen quicquid fiat
Omnia facta ejus Presbytero ostendat,
Sive factùm fuerit per abusionem
Alterius, vel sui pollutionem.
Vel nullus nostrûm evadet

***

Ignem, qui omnia mala arripiet.
Tactus nobis dat perditionem,
Et omnium honorum oblivionem,
Plus quam alius quicumque sensus, si satis ratio Magistra
Sensum hunc non rexeris.
Non tenet fidem matrimonii;
Naturæ vel progeniei.
Furiosus est, horror ei placet.
Fides, Lex, honor, ordo, displicet.
Odio habet vitam alteram,

***

Per hoc quod nimis amat istam.
Quid dicam de hoc quod percutit?
C *Et capit alibi ubi non decet.*
Ad mala festinanter properat,
Ad benè operandum parùm laborat.
Defectus tales sunt alii innumeri,

***

Qui nos tradunt gravi oneri.
Tempus est ut meus finiatur planctus.
Ideò te rogo Mater mitis,
Hos scholasticos ad talem ordinem
Ponas, quòd supremo Regi

***

Taliter rationem possis reddere.
Ut cœlos nos faciat ascendere.

FINIS.

DONATUS
MORALIZATUS

Ad MSS. Codd. Vict. 137. 68. & Colbert.

Opus ludicrum & alterius à Gersonio Scriptoris.

PARTES orationis quot sunt?

Octo.

Quæ?

Cognitio substantiæ, cognitio Præcepti Dei, operatio ejusdem, cognitio hominis secundùm Deum, & secundùm naturam, consideratio futuri Judicii, consideratio lætitiæ electorum, & consideratio tristitiæ damnatorum.

Nomen quid est?

Homo: quia sic vocaris. Si cognoscis substantiam tuam unde factus es, veraciter scis quid est homo.

Ecce cognitio substantiæ quæ est prima pars orationis, *de terra es & in terram reverteris.* Gen. III. 19.

Nomini quot accidunt?

Sex.

Quæ?

Qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus.

Cujus qualitatis est homo?

Appellativæ: quia commune est omnibus hominibus de terra fieri, immò de viliori terra sive materia. Commune est etiam omnibus hominibus esse animal rationale.

Cujus gradus comparationis?

Nullius: quia homo non debet augeri per præsumptionem, nec minui per pusillanimitatem. Et ideò est nomen substantivum ut stare habeat contra nimium timorem, & contra nimiam præsumptuosam spem.

Cujus generis?

Communis: quia tàm viro quàm mulieri convenit natura hominis.

Cujus numeri?

Singularis: quia quilibet per se rationem reddet antè Tribunal Christi.

Cujus figuræ?

Simplicis: quia non potest dividi in plures sectas. Oportet enim, si salvari debeat, quòd solam Fidem Christi confiteatur, & ab illa non dividatur. Qui enim hanc Fidem non habent, non homines dici debent sed bruta; quia carent ratione.

Cujus casus?

Nominativi & Vocativi; quia nominatur jam mortalis, qui immortalis erat creatus; & vocatur operarius, qui æternæ quieti erat deputatus.

Cujus declinationis!

Tertiæ; quia declinari, idest, humiliari debet tripliciter, coram Deo, coram proximo, coram seipso.

Unde regitur?

Si benè vivit à Deo regitur; si malè, vivit, à diabolo.

Discutiamus jam dicta. O homo si considerare vis quid sis quoad animam, sine dubio invenies te nobilissimum animalium: anima enim tua ad similitudinem Dei est facta, & imagine ejus insignita, habens in se virtutem intelligendi, volendi & memorandi. Hæc anima infusa est à Deo in tuum vilissimum corpus, fœtidum & fragile, ut tanquam Domina sapientissima, & tanquam hospes sagax domum tuam regat. Ipsa ergo quantùm est de se, semper vult *a.* agere quæ Domino suo sunt placita, & ad hoc dirigit sensus exteriores ad exteriora officia, non inducentia quicquam nocivum ad lectionem sacram vel ad Crucem Domini intuendam, vel ad alia salubria quæ sibi utilia videntur. Idcircò si voluntatem carnis sequeris, hospitem opprimis, Dominam occidis: malum ergo & vile est hoc hospitium, in quo tam nobilis hospes periclitatur. Si ergo vis secundùm animam vivere, non secundùm carnem, considera quòd caro A tua terra est, terræ ergo conditiones serva. Terra enim bassa est, dura omnia portans virtute patientiæ, ut quantò plùs ab aliquo vexaris, tantò ei plùs benè facias, imbrem etiam salutaris doctrinæ & divinæ gratiæ inglutire studeas, & siccus sis à fluxu vitiorum, carnis & cupiditatis terrenæ.

Habes jam quid est nomen, idest quid sit secundùm substantiam, scilicet nobilis secundùm animam. Rogo ergo ut nobiliter & rationabiliter te regas, non viliter & carnaliter.

a. valet.

Sequitur de Pronomine.

QUID est pronomen?

Respondeo: sicut homo est nomen tuum, ita peccator est pronomen tuum. Cum ergo coram Deo orationem tuam fundis, pone pronomen pro nomine, ut dicas: O Pater cœlestis, non ut homo te invoco, sed ut peccator veniam postulo.

Pronomini quot accidunt?

B Sex, scilicet qualitas, genus, numerus, figura, persona, casus.

Peccator ergo, prout est pronomen, cujus qualitatis?

Infinitæ, quia propter infinitam & incertam multitudinem delictorum *a.* quæ facio, ea numerare non valeo.

Cujus generis?

Omnis: quia omni generi vitiorum peccando participo, scilicet mortalium & venialium.

Cujus numeri?

Singularis: quia singulariter peccata mea animam meam cruciant, & conscientiam meam trucidant.

Cujus figuræ?

Simplicis: quia non possum ea dividere in diversis Confessionibus; sed quando volo ea confiteri Sacerdoti, oportet quòd omnia sub simplici, & sub una C Confessione dicam clarè & distinctè, cum cordis Contritione & cum proposito emendandi.

Cujus personæ?

Primæ: quia non habeo judicare alios, sed meipsum, dicendo: Ego sum miser ille qui sic & sic vixi in conspectu Dei & Angelorum.

Cujus casus?

De statu innocentiæ, in statum culpæ.

Cujus declinationis?

A manu Dei, in manum diaboli.

Quot sunt declinationes in pronomine?

Quatuor.

Prima, est obedientia Dei in suggestionem diaboli: per hanc declinavit Eva.

Secunda, est ab obedientia Dei in consensum mulieris, ut Adam declinavit per Evam.

D Tertia, est à Paradiso in hunc mundum.

Quarta, est ab hoc mundo in limbum inferni.

Quot sunt casus in pronomine?

Sex. Primus erat suggestio. Secundus, advertentia. Tertius, discussio. Quartus, delectatio. Quintus, consensus in mente. Sextus consensus in opere.

Quæ sunt pronomina primitiva & derivativa?

Adam & Eva sunt primitiva. *b.* Alii homines omnes

a. peccatorum.

b. omnes alii sunt pronomina derivativa, ab eis derivata.

nes ab eisdem derivati dicuntur.

Declaremus præmissa. *a.*

Primò, proposuit diabolus fructum Evæ ad comedendum. Ecce suggestio.

Secundò, vidit Eva illud lignum visu delectabile & ad edendum suave. Ecce advertentia.

Tertiò, dicit *b.*: quòd Dominus prohibuerit *c.* eis usum fructus illius, ne morerentur. Ecce discussio.

Quartò, respondente diabolo quòd non morerentur, sed essent sicut dii, scientes bonum & malum, cœpit ipsa delectari. Ecce delectatio.

Quintò, ipsa sentiens nullum periculum imminere in usu illius fructus, consensit intùs voci diabolicæ. Ecce consensus in corde.

Sextò, ipsa ardens desiderio in aspectu illius pulchri fructus & suavis, comedit. Ecce consensus in opere. Sic etiam quilibet ad peccatum allicitur.

Primò, ordinatur in villa quædam chorea.

Secundò, ego audiens cantus illius, vel videns illam, aperio oculos meos ad videndum.

Tertiò, arguo in meipso hoc non esse bonum scilicet inspicere *d.* illam choream, tamen permanens voluptati indulgeo.

Quartò, delector non solùm in aspectu choreæ & auditu cantus, sed etiam in aspectu puellarum.

Quintò, consentio intùs in corde meo cum aliqua earum coire.

Sextò, consensum illum per desiderium illud intùs conceptum perficio opere. Et ecce mortua est anima mea. Et sicut dixi de isto vitio, ita de omnibus aliis intelligendum est. Avertamus ergo nos ab omni carnali delectatione, quando nobis proponitur: sicut molendinarius, quando videt ventum sibi non convenire vertit molendinum; quia nisi in principio obstemus, sine dubio periculum casus vix evademus, sicut David, si non in solario per fenestram perseveranter perspexisset, in concubitum Bersabeæ non cecidisset. Quare avertendi sunt oculi ne videant vanitates.

a prædicta. *b* dixit. *c* præbuerat. *d* aspicere.

Sequitur de Verbo.

QUID est verbum?

Respondeo: quòd est Præceptum Dei, scilicet ut diligamus *a.* invicem.

Verbo quot accidunt?

Septem.

Quæ?

Qualitas, conjugatio, genus, numerus, figura, tempus & persona.

Cujus qualitatis?

Talis videlicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute tua*, Deut. VI. 5. *& proximum tuum sicut teipsum.* Rom. XIII. 9.

Cujus conjugationis?

Totius: quia una pars non valet sine alia, nullus enim diligit Deum qui odit proximum, nec è converso. Similiter in Præceptis, qui unum frangit, *factus est omnium reus*, ut dixit Jacobus. *Jacob.* II. 10. Et ideò oportet quòd omnia conjunctim serventur.

Cujus generis?

Activi: quia oportet nos id opere perficere, si illud velimus servare, quia *auditores Legis non justificabuntur* apud Deum *sed factores.* Rom. II. 13.

Cujus numeri?

Pluralis: quia sunt ista decem.

a diligatis.

Credere in Deum. Non inaniter jurare per ipsum. Festa celebrare. Honorare parentes. Non occides. Non furaberis. Non mœchaberis. Non falsum testimonium dabis. Non adulterabis. Non concupisces rem alienam. Vel sunt ista duo, scilicet Dilectio Dei & proximi.

Cujus figuræ?

Simplicis: quia in unitate puri cordis debet servari, scilicet in Charitate non ficta.

A Plenitudo enim Legis est charitas, ut dicit Paulus. *Rom.* XIII. 10.

Cujus temporis?

Præsentis: quia oportet quòd in præsenti perficiatur hoc Præceptum, scilicet quamdiù sumus in hac vita.

Cujus personæ?

Primæ, secundæ & tertiæ: quia ego, tu, & ille, omnes tenemur hoc Præceptum custodire. Dixit enim Dominus. *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.* Matth. XIX. 17.

Declaremus jam prædicta. O homo, tu credis in Deum unum; & diabolus etiam credit, & nihil sibi prodest. Si veraciter in eum credis, eum adora, cole, honora! Hoc Præceptum frangis, quando voluptati vel vanitati insistis.

B Secundò, non debes inaniter per ipsum jurare: hoc frangis, quando perjuras, vel consuetudinaliter juras, vel quando dubitanter juras. Ideò Dominus dicit: *Non jurabis omninò, sed est est, non non, sit verbum tuum.* Matth. V. 34. 37.

Tertiò, debes Festa celebrare, scilicet Ecclesiam frequentando, insistendo orationi, lectioni, vel operibus misericordiæ: hoc frangis, quando otio ludorum, comessationum, ebrietatum, colloquiorum non spiritualium vacas; vel quando manualiter laboras quod omninò necessarium non est.

Quartò, honorabis parentes, eis obediendo, reverentiam exhibendo, & pro posse subveniendo: hoc frangis, quando eis maledicis, vel eos spernis vel eos molestaris & inquietaris, nec subvenire eis studes. C

Quintò, non occides: hoc frangis quando, irasceris proximo tuo sine causa vel quando eum derides, vel fatuum nominando, vel quando mortem alicujus *a.* desideras, quam per te inferre non vales, vel times. *b.*

Sextò, non furaberis: hoc frangis quando violenter rapis alicujus bona, vel occultè vel manifestè, vel quando detractione alterius famam & honorem furaris.

Septimò, non mœchaberis idest non luxuriabis aliquo modo: si continere non possis *c.*, nube, & tunc licitè potes; hoc frangis non solùm quando actum facis, sed etiam quando aliquam curiosè & cum concupiscentia vides, tunc plùs, quando virginem vel Deo dicatam desideras.

Octavò, non falsum testimonium dices contra aliquem: hoc frangis, quando etiam aliquos conducis vel hortaris ut falsè testentur: vel quando aliquos cautelosis verbis circumvenis ut eos decipias.

Nonò, alterius uxorem non concupiscas. Non adulterabis: hoc frangis, quando uxorem propriam D deseris, & aliam ducis, vel quando alterius uxorem & non tuam tangis, vel si in Religione existens mulieri conjungeris, vel si Presbyter sæcularis es, mulierem tangens: uxori tuæ quam desponsasti, scilicet Ecclesiæ injuriam facis, sicut Religiosus lubricus suæ Religioni.

Decimò, rem alienam non concupisces: hoc frangis quando commodum alterius impedis pro tuo commodo augendo. Vel si abducis alteri servum suum, vel

a. alterius. *b.* times aut non vales. *c.* non potes.

vel ancillam, vel filiam, vel alterius officium, dignitatem, præbendam, & hujusmodi desideras. Non enim nocere debes proximo tuo, sed prodesse; propterea proximo charitatem impende, id est septem opera misericordiæ, ei subveniendo in fame, siti, nuditate & frigiditate, infirmitate, carcere & tribulatione.

Sequitur de Adverbio.

QUID est adverbium?

Quod verbo additur, & significatum ejus perficit. Si ergo verbum est cognitio Præcepti divini, ut jam dictum est, adverbium est exhibitio operis. Sed adhuc alio modo quàm jam supra dictum est, ut patebit inferiùs.

Adverbio quot accidunt?

Tria: scilicet comparatio, significatio & figura, id est habitudo, similitudo & distinctio.

Declaremus jam ista tria.

Qui Præcepta Dei vult perficere, debet etiam servare habitudinem, id est modum in facto suo; ut si eleemosynam vult facere, debet considerare, quando, ubi, quibus, qualiter, quid, quantùm & ordinatè. Hæc sunt adverbia loci, qualitatis & ordinis.

Significatio. Vides duos pauperes, unum in luto jacentem, alterum ostiatim mendicantem: da eleemosynam primo, & alterum dimittas si ambobus non vales. Si vis orare, ora primò quod de Jure orare debes, & Horas Canonicas, si vovisti, priùs persolve; postea lege & ora. Si non vovisti, lege primò *Pater noster*, quod Deus instituit legendum, & posteà quod tibi placet legere poteris. Sis vis jejunare: primò serva jejunia ab Ecclesia ordinata, & si plus facere velis, posteà facere poteris. Sic ergo in omnibus attende circumspectionem, ut adverbium debitè ponas juxta suum verbum. Si enim in vespertino tempore tamdiù commessationi, potationi seu alteri ineptæ voluptati insistas, quòd præ nimio sopore de mane surgere nequeas ad Missam audiendum, vel ad aliquod aliud bonum opus exercendum, sic mutando noctem in diem & è contra, sine dubio non ponis adverbium ritè juxta suum verbum.

Comparatio istius adverbii sic est facienda. Divites plus possunt quàm pauperes; ideò largiùs & libentiùs eleemosynam dent, quantùm ditiores sint. Sic, in illis comparatio facienda est: qui scientia pollent vel potestate vel dignitate, vel quilibet secundùm id quod potest faciat, alii plùs, alii minùs. Alius potest dare aurum, alius aquam frigidam, alius verbum consolationis, alius subventionem ministrando, alius in docendo, alius est fortis & omnia jejunia servare potest, alius infirmus & misericordia indiget ut sibi fiat dispensatio, alius sic charitate fervet quòd parum reputat quicquid patitur: *a.* alius tam infirmus quòd citò cadit peccando & citò resurgit pœnitendo. Figura hujus adverbii sic est: habenda sit distinctio. Sunt aliqui simplices, aliqui compositi. Simplices sunt qui in solitudine manent separati ab omni hominum conversatione, sicut Antonius, Joannes Baptista, Benedictus & multi quondam Eremitæ fuerunt. Compositi sunt in multiplici differentia. Quidam enim sunt purè sæculares, alii Religiosi, alii Prædicatores, & quotquot sumus, licèt diversi, tamen ad laudem Dei omnes creati sumus, sicut diversarum imaginum picturæ ornant thalamum. Hæc de adverbio dicta sufficiant.

a. præcipitur.

Sequitur de Participio.

QUID est participium?

Respondeo: quòd est cognitio hominis, secundùm naturam & secundùm Deum, videlicet ut cognoscat quilibet homo quid sit per se, & qualis esse debeat secundùm Deum.

Participio quot accidunt?

Sex, scilicet genus, casus, tempus, significatio: numerus & figura.

Cujus generis est homo participium?

Communis, triumque. Ab Adam & Eva generati sumus qui duo Trinitati attribuuntur id est Deo, qui est trinus in personis. Sed Adam immediatè sicut ait Lucas. Enoch fuit filius Sem, & Sem fuit filius Adæ, & Adam fuit filius Dei. Eva verò mediatè, quia de costa Adæ facta erat.

Cujus casus?

A Peccati inobedientiæ. Ecce quid sumus secundùm nos. A peccatoribus processimus & peccatores sumus, hæc sunt genera & casus. Hæc duo sumit participium à nomine.

Cujus temporis?

Præsentis: quia in præsenti tempore pœnitentia agenda est, & laborandum est pro futuro præmio.

Cujus significationis?

Primò, activæ: scilicet faciendo bona opera.

Secundò, passivæ: patienter sufferendo mala.

Tertiò, neutralis: scilicet coërcendo proprias virtutes & cogitationes.

Quartò, deponentalis: scilicet abjiciendo omnia vitia mortalia.

Quintò, communis: scilicet custodiendo Præcepta Dei & ordinationes sanctæ Ecclesiæ; hæc duo, scilicet tempora & significationes sumit hoc participium in verbo, vide ergo quales esse secundùm Deum debeamus.

Cujus numeri?

Pluralis: videlicet ut in hac Ecclesia militante possimus computari cum justis, & in Ecclesia triumphante cum Angelis. B

Cujus figuræ?

Primò simplicis: ut non dissonemus à Fide, hîc malè vivendo, & non dividamur à salvandis supernis in judicando.

Secundò compositæ: ut dividamur hîc ab illis qui inferiùs damnandi erunt; & ideo hoc participium capit duo, scilicet numerum & figuram, à nomine & verbo.

Discurramus jam dicta. Nam planum est quòd à peccatoribus descendimus & generati sumus, & quotidie peccando cadimus. Quæ est pulchritudo nostra seu puritas, qua Deo placeamus tanquam sponsa viro suo? C Quæ etiam fortitudo nostra, qua diabolicæ suggestioni resistere possimus, si nec carnis illecebris reluctari sciamus? Charitas. Si etiam terra sumus & in terram reverti necesse sit: quæ est nobilitas, seu celsitudo nostra, sive potestas, qua in nobismetipsis vanè confidentes, animarum nostrarum saluti provideamus? Et si brevis est vita præsens & hora mortis incerta: quæ est ista fatuitas cordis nostri, quâ tantùm sollicitamur pro acquisitione fallacium divitiarum, facultatum, dignitatum & hujusmodi, quæ omnia in momento à nobis recedunt & nunquam redeunt? Dicit enim Job in persona cujuslibet hominis. *Comparatus sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri*, Job. xxx. 19. quia quid aliud sumus quam pleni putredine vitiorum sicut lutum: citò inflammantes & provocantes alios ad iracundiam, vel eis damnum vel scandalum inferentes, sicut favillæ: citò vanitatibus insistentes, & citò provocati ad iram seu accensi avaritia, sicut cinis qui levis, siccus & D parvus, & ab igne, consumpto ligno, derelictus: sic & leves sumus, sicci & vani ex defectu humorum divinæ gratiæ; parvi ex pusilanimitate & ab igne concupiscentiarum carnalium consumpti. Sed tanquam peccatores ad cor redeamus, considerantes quòd participium est ejusdem significationis cujus generis est verbum: ita etiam simus conformes voluntati Dei cum simus facti ad imaginem ejus, quia vituperio dignus est, qui recta docet & malè vivit. Ita & nos multò fortiùs vituperandi sumus si imagine Dei depicti, similes ei dicimur & tamen per enormem

vitam

vitam ab eo discrepamus. Demus ergo honorem figulo nostro, voluntatem ejus perficiendo.

Sequitur de Conjunctione.

QUID est conjunctio?

Respondeo: quòd est futuri Judicii consideratio vel cognitio.

Conjunctioni quot accidunt?

Tria: scilicet potestas, figura & ordo.

Cujus potestatis?

Divinæ: quia Deus faciet judicium & primò, copulabit, id est per Angelicam tubam omnes ad judicium congregabit.

Secundò, disjunget, id est bonos à malis segregabit.

Tertiò, explebit, id est numerum electorum perficiet, & in civitatem illam quæ per Luciferi & sociorum ejus casum rupta est recuperabit. a

Quartò, causabit, id est accusabit reprobos, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum. Quia esurivi & non dedistis mihi manducare. Sitivi & non dedistis mihi bibere. Nudus eram, & non cooperuistis me.* Et è converso rationem justam dabit pro electis: dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi, sitivi, hospes eram, infirmus & nudus eram, & cibastis, potastis, collegistis, visitastis & cooperuistis me.* Matth. xxv.

Item sunt quandoque species hujus potestatis.

Cujus figuræ?

Primò, simplicis quoad imperfectiores.

Secundò, compositæ quoad perfectiores, quia omnes stabimus ante tribunal Christi, sive simplices, idest qui in bona simplicitate vixerunt, sive qui in mala simplicitate viventes seipsos perdiderunt, licèt fortè aliis non nocuerunt. Compositi etiam, qui benè vivendo, scilicet benè docendo se & alios promoverunt, sive qui per malam vitam & malas investigationes & se & alios corruperunt.

Cujus ordinis?

Primò præpositivi. Secundò subjunctivi. Quia primò salvandi judicabuntur. Secundò damnandi subjungentur, sicut scriptum est quòd post prudentes virgines venerunt fatuæ, & post illos qui à dextris erunt veniet Judex ad sinistros. Ponderemus igitur dilectissimi hujus Regis potestatem, ad cujus jussionem omnes hujus terræ habitatores, Reges & Principes, Duces & Comites cujuscunque dignitatis hîc reputantur, in illo extremo die cum vilibus personis æqualiter viles reputabuntur: & qui hîc jam magna palatia ædificant, ibidem speluncam parvam benè reperire vellent in qua à facie Domini fugientes tunc latere possent. Si enim juxta Scripturas, *justus vix salvabitur*, 1. Pet. IV. 18. quis non timebit? Si opera & cogitationes Deus discutiet; quid faciemus, qui opera non habemus? Si in illa voce. *Ego sum*, Joan. XVIII. 5. omnes qui ad capiendum eum venerant tempore Passionis ad terram sunt prostrati; quid erit quando ille potest facere tonitruum horribile, quasi gladius bis acutus tonabit & scindet judicaturus omnes vivos & mortuos? O quàm timere potest quisque à Rege temporali vocatus ut rationem Judicii ponat cum eo, immò licet in nullo se forefecisse Regi sentiret; tamen adhuc sub ratione Judicii coram eo trepidaret: quantò magis ergo nos sollicitari oportet, qui certi sumus summi Judicis præsentatione in illo tremendo examine, ubi & Angeli contremiscunt: sed etiam Paulus, qui tanta pro Christo vicit certamina, qui etiam tantæ virtutis erat quòd cum libera conscientia dicebat: *Nihil mihi conscius sum.* 1. Cor. IV. 4. Quid est quod tam falsa securitate nos ipsos firmamus, qui in mille defectibus corruimus? *Quis enim gloriatur mundum se habere cor?* Prov. XX. 9. immò nullus scire potest an *odio vel amore dignus sit.* Eccle. IX. 1. Habeamus ergo præ oculis cordis nostri illud horribile quod Angelica tuba clamabit: Surgite mortui, venite ad Judicium, & quid tunc respondebimus Judici jam præcogitemus.

a reparabit.

A

Sequitur de Præpositione.

QUID est præpositio.

Respondeo: quòd est consideratio lætitiæ electorum, quia (ut jam dictum est) illi præponuntur damnandis.

Præpositioni quot accidunt?

Unum tantùm, scilicet casus. Non casus peccati, sed casus humilitatis. Et ideo duplex erit in eis casus.

Primus est Accusativus quo accusabunt patriam hujus sæculi totius nequitiæ, sicut scriptum est: *Totus mundus in maligno positus est*, Joan. V. 19. & de hoc humiliabunt se coram Deo, gratias ei agendo qui à nequitia hujus sæculi puri erunt servati, quandiù hîc conversati fuerunt.

Secundus casus est Ablativus, quo congratulabuntur illi de illa hora qua ablati fuerunt ab hoc sæculo nequam, & introducti in illam supernam patriam, & per hoc humiliabunt se coram Deo, regratiando ei quòd eos traxit de labore ad requiem, B de periculo ad securitatem, de tribulatione ad pacem, de tristitia ad gaudium. Si ergo considerare & pensare velimus illius supernæ felicitatis quanta sint gaudia; primò, recogitemus hujus sæculi mala, & per contrarium quanta superiùs sint bona. Et principaliter hîc tria abundant, vitia, tribulationes & indigentia. In illa autem superna civitate abundant, pax, puritas, & sanctitas. Qui verò mente hæc benè revolveret, statim perpendere posset quàm felix est qui toto desiderio ad illa superna anhelaret, & quàm vilis etiam qui solùm ea quæ hujus sæculi sunt, quærit. O quot vitiis carnalis homo putrescit, quot tribulationibus quatitur; quot etiam subventionibus eget? Qui autem cœlesti potitur gratia sive gloria, Dei majestatem & bonitatem & gloriam incessanter contemplatur; quia ubi ea est, spiritus in nullo potest impediri, omni pace gaudet, quia Regem pacificum secum habet consortem totius gloriæ, pacis & concordiæ, & omni desiderio satiatur, sicut ait Propheta: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ps. XVI. 15. Consideremus etiam quàm jocundum est in Aula Regis temporalis existere, ubi Rex sedet coronatus & indutus veste Regia, omni forma speciosus, & multis militibus circundatus ei reverentiam dignam exhibentibus. a Aula etiam fulget vestibus variis ac preC tiosis picturis ornata. Ubi etiam omnia genera musicæ adessent, fercula delicata & superflua. Vina quoque & alia pocula redolentia haberentur, quicquid etiam ad jocunditatem locorum valeret, ibi appareret. Postremò, si ibidem omnes speciositate summa & pacis concordia & immensa lætitia gauderent, expulso omni periculo, timore, cura vel molestia. Quid quæso hujusmodi solatio esset desiderabilius; maximè si hoc perpetuè posset durare absque fastidio? Sic sine dubio illa superna cœlestis Curia incomparabiliter omni Aula præsentis sæculi est speciosior, ubi Rex pacificus, scilicet Christus, sedet coD ronatus diademate quo coronavit eum Pater suus speciosum formâ præ filiis hominum ad dexteram suam, ubi circunstant novem Ordines Angelorum cum summa diligentia & reverentia, ac mutua concordia Deum laudantes & dicentes: *Salus Deo nostro qui sedet super thronum & agno.* Apoc. VII. 10. Ibi ista Aula est stellis candentibus ornata, omni pictura clarioribus; ibi animæ Sanctorum in pace & securitate maximè perpetua & jocunditate gratulantur. Et quid præsumo per comparationem, tantam gloriam supernæ patriæ denudare, cum Scriptura dicat, quòd ibi sunt *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit*

a Ubi milites circunstantes ei, reverentiam dignam exhibent.

cendit, *quæ præparavit Deus diligentibus se*. I. Cor. II. 9. Sileat ergo lingua & penset mens nostra quòd inæstimabilis est illa felicitas, ubi totum habetur quod desideratur, ubi frui solùm de filio glorioso Dei & videre Regem gloriæ in decore suo, sola satietas animarum, in sæcula sæculorum. Amen.

Sequitur de Interjectione.

A QUID est interjectio?

Respondeo: quòd est tristitiæ damnatorum consideratio, quia sicut interjectio grammaticalis signat *a*. mentis affectum voce incognita: ita interjectio illa spiritualis signat hominis interioris motum ex passione dolorosa.

Interjectioni quot accidunt?

Unum, scilicet significatio tantùm. Significabitur enim manifeste intolerantia pœnæ gehennalis. Primò, lætitia dæmonum super tormentis tot ac tot animarum. Secundò, dolor animarum damnatarum. Tertiò, admiratio injustorum Angelorum malorum dicentium ad seipsos: O quanta erat cæcitas nostra dùm eramus in sæculo: nam stultum nobis visum fuit cum Prælatis, Prædicatoribus & ceteris bonis hominibus fugere voluptates carnis & oblectamenta mundi, ne in hunc locum tormentorum intraremus: B & ecce nunc meritò ista patimur, quia eos audire contempsimus. Quartò, metus, & timor: quia animæ damnandorum maximo timore formidabunt, cum hostes infernales eas vexabunt igne inextinguibili, verbis acerrimis, oculis ardentibus, vultu tumido, specie nigerrima. De hac pœna dicitur in Evangelio, quod *ibi erit fletus & stridor dentium* Matt. VIII. 12. id est ibi abundant *b*. dolores & acerrima pœna, quia nullus flere solet, nisi nimia tristitia gravatus *c*., nullus etiam stridet dentibus, ni quem nimia pœna gravat. De hac etiam pœna dicit Isaïas: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Isaïæ. LXVI. 24. quia vermis conscientiæ nunquam sedatur, quin semper remorsum conscientiæ patiatur, ex quo Judicium Dei commendabunt, & seipsos continuè *d*. accusantes indignatione & ira torpebunt. Ignis etiam pœna nunquam extinguetur; similiter vermis eorum nunquam morietur id est, despectio & desperatio eorum semper remanebit, & ignis concupiscentiarum quem hic accenderant, ibi perficietur. Et de hoc Psalmista ait *e*.: *Ignis & sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum*. Ps. L. X. 7. id est quòd pars tormentorum gehennæ erit ardor ignis; fœtor sulphuris, & tempestas maligni spiritus *f*. Et ut clariùs ista pœna declaretur, sumamus exemplum per simile. Faber ferrarius solet esse niger facie, habet caminum obscurum in quo ponit ferrum ut incalescat: postmodùm per se & suos coadjutores cum malleis percutit ad nutum suum. Ecce faber iste est diabolus qui nigerrimus est. Caminus obscurus, est infernus omni claritate privatus. Ignis; est pœna flammæ ardentis. Carbones appositi signant *g*. quòd pœna illa semper durabit. Folliculi significant ista quòd nunquam vel parùm laxatur; sed magis incensa efficitur. Ferrum est ipsa anima damnata quæ ibi vel isti igni exponitur *h*. perpetuò comburenda, hanc verbis acerrimis exprobrare dæmones non cessant?. Dilectissimi ergo, nos scientes jam ista, quamdiù hunc mundum possidemus, statum pœnitentiæ ducamus *i*. ne D diabolus postmodùm super nos gaudeat, sed potiùs Sanctorum Angelorum gaudium suppleamus, qui *gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente*. Luc. XV. 10. Cogitemus quomodò redempti sumus Sanguine Christi, & nullo modo frustretur tantum beneficium in nobis, ne sicut stercora de veste *k*. purgando exeant *l*., & sicut quisquiliæ à lignis abscissæ in ignem projiciantur *a*, ita nos post hanc vitam tanquam stercora de medio Ecclesiæ tollamur, & tanquam paleæ & quisquiliæ in ignem gehennæ projiciamur. Ibi ergo nostra fixa sint corda ubi vera sunt gaudia. Amen.

a. significat. *b*. abundabunt. *c*. cogente. *d*. tunc. *e*. de hac pœna dicitur in Psalmo. *f*. malignorum spirituum. *g*. significant. *h*. Illi igni opponitur. *i*. Sumamus & ducamus. *k*. ventre. *l*. exeunt.

a projiciuntur.

Explicit Donatus à Magistro Joanne Gerson, ut dicitur compilatus.

Laus summæ Trinitati. ROUSSELI.

DIALOGUS

Cujus collocutores sunt

MILITES DUO,

UNUS FRANCUS, ALTER ANGLUS,

Contendentes de querelis

FRANCIÆ & ANGLIÆ.

Non apparet esse Cancellarii.

Ad MS. Cod. Vict. 699.

Nomen Gersonii non præfert in Codice nec ejus certè est.

MILITES in eremo Vallisclusæ sibi invicem obviantes, alter alterum cujas esset inquisivit. Alter Francus, alter Anglus respondit. Ergo, inquit Francus, inimicus. Inquit Anglus utrique milites sumus, sed peregrinus arma bellica deposui.

Francus. Quid quæris?

Anglus. Animæ salutem.

Francus. Tempus nos monet.

Anglus. Quot annis es?

Francus. Annos non habeo, sed mors jam quinquaginta annis mihi pepercit. C

Anglus. Mihi plùs.

Francus. Quò pergis?

Anglus. Peregrè.

Francus. Omnes sumus peregrini & advenæ, nec civitatem manentem habemus, sed futuram utinam inquiramus.

Anglus. Quid ergo tibi videtur de peregrinatione nostra?

Francus. Timeo quòd per vallem lachrymarum discurrentes, Dei indignationem procuraverimus.

Anglus. Quare?

Francus. Quia, juxta verbum Isaïæ, perpendo per ea quæ video, quòd indignatio Domini sit super omnes gentes, & super universam malitiam earum; quia nos nati in hac peregrinatione & ærumna, jam tam fastidiosi evenimus, ut nesciamus quid desiderare debeamus, & in hoc pugnamus, & tamen jam sumus hora cenæ, in quos fines seculi devenerunt: quia nihil est quod restat, debemus pertimescere, ne tempus gratiæ quod præsto est pereat, tamen de caducis certando, omnium nostrûm corpora moriuntur, & salus animæ dubia.

Anglus. Immò certa.

Francus. Quare?

Anglus. Quia, Mandato Dei, Principi nostro obedimus, qui nos cogit ab bellum, & si moriamur pro obedientia, morimur Dei Mandato.

Francus. Bellum iniquum est, quia fundatum est in libidine dominandi & voluptate ditandi tyrannica con-

contra Christianos, & qui scienter peccat, quærit sibi gehennam.

Anglus. Ergo Principi non obediam? Nonne scribitur, qui non obedierit Principi, morte moriatur? Nonne cum inobedientia ero infamis, vecors, pusillanimis, desertor militiæ reputatus, immò de proditione suspectus, & Reipublicæ inimicus.

Francus. In justis obediendum, non in injustis.

A *Anglus.* Puto justum omne quod Princeps consultus cum suis Pontificibus & Satrapis præcepit.

Francus. Quid ergo tibi prodest propria conscientia, si secundùm alienam conscientiam morti te exponis? Si Christianus miles es, nonne Christi actio tua est instructio, cujus humanitas verbo & exemplo humilitatem & paupertatem docuit atque jussit. Tu autem qui apostatas à Christo, cur Christiani nomen usurpas? Nonne dicit *qui diligit me sermonem meum servabit*? Joan. XIV. 23. Nonne Mandatum Legis consistit in charitate perfecta, dilectione Dei & proximi, quâ teneris quæ habes egentibus communicare? Et hoc non ignoras. Quomodò ubi debes dare, audes rapere quod tuum non est? Nonne Mandatum Legis, non contristare fratrem nec proximum? Quomodò in tua libidine dominandi rapis, contristaris & occidis, & cuncta gladiatorum scelera committis contra Christi Legem & doctrinam? B Nedum contra Consilia & Beatitudines, seu virtutes, immò & Præcepta Dei digito scripta. Cui magis teneris obedire, an homini, an Deo justo & æterno; an Regi mortali, an Regi Creatori, Domino dominantium?

Anglus. Creatori magis.

Francus. Ergo illi obedi & Mandatis ejus, super quibus nec Rex potest dispensare.

Anglus. Non solùm oportet me alios sequi, quia pœna mortis est & infamia, si contradicam.

Francus. Non minùs ardebunt, qui cum multis ardebunt.

Anglus. Angustiæ undique.

Francus. Utere igitur consilio Susannæ. Sis innocens sanguinis justi, & reside cum Christo, nec Christiani nomen perdas, nec parvipendas militiæ gradum.

C *Anglus.* Non parvipendo, scilicet pro militia exercenda morti me exposui.

Francus. Immò potentia tua abuteris, quia militasti per hoc ad Dei offensam & proximi.

Anglus. Quid vis me facturum?

Francus. Servaturum Legis Dei Præcepta, & sit tua militia contra infideles, & Dei Præcepta non observantes: militare pro Fide Christi & ejus Ecclesia, quam tuendam suscepit militia, desistas à sacrilegiis & rapinis, protege pupillos & viduas & advenas, neminem opprimas.

Anglus. Viduas & orphanos facit guerra, quomodò protegam?

Francus. Desiste ab illa, & milita pro Christo & defensione naturali ad injuriam propulsandam permissa; sed non offendas: si sic feceris, fructum feli- D citatis, præmii, ac famæ gloriosæ reportabis: De contrario pœnalem atrocitatem, & æternam ignominiam ac perpetuam aggregabis.

Anglus. Consilium licèt videatur salubre, tamen quia Franci mihi suspectum, quia fortè ad nostram reprimendam militiam hæc dicuntur, illam times ne magis noceat.

Francus. Deum timeo, cui nihil potest latere, non vos Anglicos iniquos Franciæ persecutores.

Anglus. Immò tortores vestros propter iniquitates vestras.

Francus. Immò persecutores: quia propter justitiam patimur, beati sumus, & magna erit merces nostra, Regnum nostrum ab infidelibus cùm multo quæsiverimus martyrio, & illud à Deo cognovimus: quia semper misericordes fuimus, non violenti tyranni. Vos autem Anglici Christianos impugnatis & occiditis, ut infidelibus vires augeatis, & sic justitia nostra & iniquitas vestra notissima Deo & mundo. Non ergo propter iniquitatem nostram à vobis torquemur: si propter justitiam patimur & ita beati. Rex autem vester contemnens Dei Mandata, sicut primus in Throno, sic & in pœnis primatum obtinebit.

Anglus. Cujus culpa, quæritur?

Francus. Omnium vestrum tyrannizantium in libidine dominandi & voluptate dominandi tyrannica, à Deo & ejus Mandatis apostatantium.

Anglus. Ergo Regis præcipientis, non militiæ obedientis.

Francus. Non teneris contra Deum obedire.

Anglus. Quis potest Regem nostrum corripere, emendare, seu retrahere, non nos subditi.

Francus. Omnes simul uniti possetis dissentire, & quia omnes assentitis, omnes estis rei.

Anglus. Quis Regem & nos posset corripere?

Francus. Nullus, præter summum, unicum & indubitatum Pontificem. Ergo ille in culpa horum scandalorum videtur, & illi potest dici quod scribitur in figura. III. Regum XX. 39. *Custodi virum hunc* & populum istum; *quoniam si de manu tua lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Scire enim ipse quicunque regens debet, quòd sicut in Throno primus constitutus est, sic & in pœnis, si neglexerit Justitiæ opera & Præcepta exercere, primatum habiturus est. Et alibi verbum dominicum & propheticum, *ille quidem in sanguine suo morietur, sanguinem autem ejus de manu speculatorum requiram*, Ezech. XXIII. 6. ad hoc enim officium est Præpositi, ut non parcat objurgando peccata. Nec est à culpa alienus qui licèt Præpositus non sit, quoniam multa arguenda vel monenda novit & negligit, illorum vitans offensiones, nullum enim timere debet præter Deum.

Anglus. Fortè vobis sumus flagellum, ut corripiamini, tanquam virga directionis.

Francus. Non nego, & fortè mala virga directionis, pejoribus virga ferrea, bonis autem ad examen virtutis sæpè pressura, sicut sæpè vidi; ex eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, cibus coquitur, homo confortatur, alius exustione læditur. Itaque una virtus irruens bonos probat & purificat, malos damnat, vastat & exterminat, & in eadem afflictione mali Deum detestantur, boni verò Deum laudant & precantur. Vel fortè tanquam suos corrigit nos, quos diligit, medendo; quia multis nocuit adversario caruisse: sicut de Romanorum Monarchia scribitur. *Orbem devictum victorum victrix ulta est luxuria.* Et fortè nobis patientibus prosunt scandala, væ tamen illis per quos scandala veniunt. Unde Gregorius in Moralibus exponens illud Job. XXVI. 7. *Gigantes gemuerunt sub aquis*, sub pondere populi.

Anglus. Si Deo non placeret, non tamdiù pateretur hæc fieri, immò puniret aliquos.

Francus. Immò si omnia punirentur, nihil servaretur in futuro Judicio; & si nihil puniretur, nulla divina providentia crederetur, & verè multi ex vestris offensis puniuntur. Nam sive malè, sive prosperè succedat, punimini: quia malus in sua felicitate punitur, quia felicitate magis corrumpitur, bonus autem nec bonis extollitur, nec malis frangitur. Punitur etiam, quia per quæ peccat homo, & per illa torquetur, nec est impiis gaudere dicit Dominus: sed & hæc vitiorum primogenita, quæ sunt oblectamenta peccati, Deo sunt justitia illos puniendi. Ideò dicit Apostolus quòd *evanuerunt in cogitationibus, induratum est cor insipiens: propter quod & Deus tradidit eos in desideria cordis eorum, & in immundicias, ut afficiant contumeliis corpora sua*, Rom.

Rom. I. 21. 24. & ficut probaverunt non habere Deum in notitia, tradidit illos Deus in sensum reprobum, ut faciant ea quæ non conveniunt, certè puniuntur, & dum nostra gaudeant damna, sua deflent. Fecistis viduas & orphanos in Francia certè & Anglia, necati sunt ex vestris centum millia cum suis Principibus, nec qui sunt erunt in numero.

Anglus. Fateor dictum Isaïæ verum, quòd *indignatio Domini*, &c. *Isaia.* XXXIV. 2. & *non habemus hîc manentem civitatem*, *sed futuram inquirimus*, A Heb. XIII. 14. sed quomodò? Ignoro.

Francus. Quia ex Deo non es, & inde verba ejus non audis, nec attendis.

Anglus. Esse volo ex Deo.

Francus. Cœlestem patriam jubet ille quærere, qui est via, veritas & vita, corporum desideria conteri sive carnis, à mundi gloria declinare, aliena non appetere, propria largiri: si hæc audiens exequeris, Dei civitatem futuram acquires, quam timeo te cum multis tuis amisisse, aut saltem elongasse.

Anglus. Quare?

Francus. Quia antichristi vestigia secutus es, & Christi vitam & doctrinam despexisti.

Anglus. In quo?

Francus. Ferè in omnibus viis tuis.

Anglus. Specifica magis.

Francus. Christus vitâ & doctrinâ præcepit cum B humilitate charitatem & voluntariam paupertatem; vos autem propter summam superbiam non contenti Regno opulentissimo, in libidine dominandi, non timuistis mittere manum ut occideretis Christum Domini, & mente sacrilega deserentes Deum, ipsius Mandata & Præcepta offendentes, cuncta nefandissima scelera perpetrastis, tanquam veri ministri antichristi.

Anglus. Immò Christi: quia multos facimus Martyres & pauperes quos diligit Deus, & tanquam filii hominum quæramus iram illis, ut nostram Rempublicam augeamus, & hoc faciendo in quo demeremur?

Francus. *Necesse est ut veniant scandala, va tamen illi per quem*, Matth. XVIII. 7. Terram dedit vobis Deus C sufficientem ingratis: cur pro tantis donis impensis à Deo, mala rependitis?

Anglus. Quæ mala?

Francus. Cuncta homicidia & alia infinita.

Anglus. Sine homicidiis non possunt fieri bella.

Francus. Ideò detestanda inter fratres.

Anglus. Pariter occidimur nostra sorte.

Francus. Digne vestra culpa, quia injustè bella provocatis, nos autem justè repellimus injuriam, & ideò quia non timuistis mittere manum ad occidendum Christum Domini, sanguis tuus super caput tuum, & inclyti Israël supra montes interficientur, & abjicietur clypeus vestri antichristi.

Anglus. Cur tantùm detestaris homicidia?

Francus. Quia ultimum terribilium est mors, & deberent sufficere vobis prophanis hominibus aliæ astutiæ, inquirendo vestra libidine fastuosa, sine tamen sanguinis Christiani effusione. Nonne omne D creatum tendit ad suæ speciei conservationem: cur omnibus creatis estis cruduliores? Plantæ vegetabiles, animata bruta etiam ferocia omnibus suis viribus, ingeniis, cautelis, suam conservant speciem, & cum ab alia specie consumantur vel lædantur, juvant se invicem: cùm non possunt, signa doloris ostendunt, plorant & vlulant; vos autem tanquam lupi rabidi, famelici, humanam speciem quantumcunque decoram, piam, Catholicam, vorare, necare non veremini. Intuere boves, feroces porcos, & alia bruta, quantis viribus suam conservant speciem?

Anglus. Prout facimus, ita & Patres nostri fecerunt, vivimus in Lege Patrum.

Francus. Et ideò verbum dominicum audi per os propheticum Samuelis loquentis Heli: semel *dies venient*, *ut præscindam brachium tuum*, *& brachium domus Patris tui*, *ut non sit senex in domo tua* &c. I. Reg. II. 31. *tabescat anima & magna pars domus tuæ.* ℣. 33.

Anglus. Oportet sequi vestigia Patrum.

Francus. Fateor.

Anglus. Ergo habeo optatum.

Francus. Quia Patrem æquivocans, loqueris de corrupto & mortali, ego autem fateor de vestigiis Patris æterni & Creatoris & Redemptoris qui in cœlis est, cujus utique voluntas fiat sicut in cœlo & in terra nostra & vestra.

Anglus. Utinam, utinam & utinam.

Francus. Videris aliquantulùm reductus & compunctus.

Anglus. Sum etenim, sed illum non cognosco Patrem.

Francus. Si teipsum non cognoscis, quomodò illum cognosces?

Anglus. Rogo igitur, quis sum dic?

D *Francus.* Vas sterquilinii, concha, putridus, plenus stercore & horrore, cæcus, pauper, nudus, ignorans introitum tuum & exitum, cujus vita sicut umbra, quæ quantò magis crescit, tantò decrescit; & tantò magis ad mortem properat: tantæ subjecta mutabilitati, ut una non maneat hora in eodem statu. Sed es miserior, quia licèt nihil certius morte, tamen illius hora nihil incertius, tamen illa non provides sed spe vana, quæ tibi caduca blanditur, falleris.

Anglus. Si tam vilis sum, quomodò Deum videbo & Patrem vocare præsumam non videbo.

Francus. Quia es in tenebris.

Anglus. Exire cupio.

Francus. Clama igitur ad lucem.

Anglus. Quomodò? Nescio quid dicam.

Francus. Dic: veni claritas quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, sed non diligentem; quia qui diligit mundum inimicus lucis efficitur & obfuscatur. Et iterùm dic: illustra oculos meos lux incomprehensibilis, fulgura coruscationes & dissipa eos, ut non videant vanitatem. Et iterùm clama: Tribue lux inextinguibilis ut te videam, crea nomen *alpha* cum odore vitæ qui post te in odorem unguentorum tuorum currat, gustum sana, quæ sapiam cognoscam, & discurram quàm magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Et iterùm magis compunctus dic: Cur faciem tuam abscondis? Fortè dicis Domine: Non videbit te homo & vivet. Eia Domine moriar ut te videam & videam ut hîc moriar, & ignosce servo tuo qui præsumit loqui Domino suo: calamitas quam patior me cogit exclamare, cæcus sum, ad lucem propero, tu es medicus & lux vera, via & vita & fons misericordiæ, miserere mei.

Anglus. Peccator sum, fortè non exaudiar.

Francus. Dic, Domine peccavi & faciendo nihil, factus sum nihil, & ita confiteor, quia confessio est via ad te per quam egrediar de limo, & redibo ad te viam, quia Verbum dixit: *Ego sum via*, *veritas & vita*, Joan. XIV. 6. separatus à te factus sum sine via, quia *sine ipso factum est nihil*, Joan. I. 2. & quia nullum bonum sine summo bono, quotiens à te summo bono devio nihil efficior. *Vidit* enim *Deus cuncta quæ fecerat & erant valdè bona*, Gen. I. 31. malum autem factum sine ipso Verbo, nihil aliud est quam privatio boni; sicut cæcitas, privatio visus. Et iterùm dic: Domine nullis meritis præcedentibus placuit tuæ summæ & misericordissimæ bonitati ad esse me perducere, sed & magis vivere & sentire, & paulò minùs ab Angelis intelligere, quia illi jam faciem tuam habent; ego autem per spem & speculum in ænigmate: obsecro regat me tua misericordia & cogat te pietas ad salvandum, quæ te vicit ad creandum, quia *nihil odisti eorum quæ fecisti.* Sap. XI. 52.

An-

Anglus. Arcta est via, *quia quicquid in mundo est, aut est concupiscentia carnis, aut oculorum, aut superbia vitæ.* 1. Joan. II. 26. nimis peccavi Deum mundo postponendo, diffido exaudiri.

Francus. Audis verbum consolationis, dicens: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Joan. I. 12. 13.

Anglus. Quomodò potero redire & filius effici?

Francus. Jam dixi: per Confessionem, Pœnitentiam & Satisfactionem.

Anglus. Difficile est.

Francus. Immò facile volenti. Fecit te Deus dignissimam creaturam, & licèt sis non capax, Angelis quodammodò par potes per verbum effici; quia potes æqualis fieri, & filius adoptivus per unigenitum verbum, per quem habemus accessum. Omnia enim sub pedibus hominis subjecit Deus, ut solus homo totus Deo subjiceretur & totus esset servus: cunctis dominatur homo, & exteriora cuncta pro corpore sunt creata; ipsum verò corpus pro anima, anima verò pro Deo, ut illi soli serviat & illum possideat a' solatium. Cogita si tanta tibi solatia in hac die lachrymarum, quanta in die nuptiarum: si hæc delectabilia in carcere, quid in propria patria conferet diligentibus eum? Quia non est numerus benignitatis suæ.

Anglus. Intelligo asserta vera; sed mihi ignaro & laïco difficilia.

Francus. Immò grossa & brevia.

Anglus. Dic igitur.

Francus. Dilige Deum, & proximum.

Anglus. Diligo Deum.

Francus. *Qui diligit me, sermonem meum servabit.* Joan. XIV. 23.

Anglus. Sermo est mihi prolixus & ignotus.

Francus. Immò brevissimus, & resolutus ad dilectionem Dei & proximi.

Anglus. In dilectione Dei non hæsito, quia summa est ratio. Sed quis sit proximus non intelligo; nisi qui misericordiam in me agit, ut contra alios sine Dei & Legis offensa possim dimicare, sicut & antiqui Principes & Prophetæ per contextum sacræ Scripturæ dimicaverunt, & strenuè militarunt.

Francus. Christi actio tua debet esse instructio, qui pro persecutoribus oravit, & qui dixt: *Nisi justitia vestra abundaverit plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. VI. 20. *Qui autem dixerit fratri suo racha, reus est consilio; qui autem dixerit fatue, reus est gehennæ ignis. Dictum est antiquis* in Lege antiqua quam allegas: *Non occides,* ℣. 21. 22. Christus autem non vult proximum contristari verbo nec effectu, sed mutua charitate, sicut & ipse dilexit nos, diligere, propter ipsum tanquam fratres in Adam, fratres in Christo, fratres in Ecclesia. Illud fuit Christi Testamentum. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis;* Joan. XIV. 27. *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. 14. Noli igitur proximum despicere, nec contristari, si Christianus miles cupis nuncupari, salvâ justâ & moderatâ defensione inculpatæ tutelæ.

Anglus. Si tibi credam, peribit in me strenuitatis præteritæ fama gloriosa, ero fabula gentium, parentum opprobrium, quod absit: quia crudelis qui famam negligit.

Francus. Crudelior est qui animam perdit, qui æterna amittit pro caducis.

Anglus. Quid præferendum putas gloriæ & famæ bonæ? Nonne pro illa militamus omnes milites.

Francus. *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Psl. CXIII. 1. *Gloria Deo* debetur *in excelsis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. 14. Diabolus sibi gloriam quærit de operibus divinis: tu & illi similis fur es & latro, quærens Deo furari gloriam sibi pro immensis beneficiis debitam. Noli gloriari in vento & fabulis: mitte nautis ventum, & gloriam Deo, sperne caduca fallacissima & gusta & sapora æterna.

Anglus. Quid æqui, quid socii, quid tyrones, quid arma, quid castra quæsita & peculium evenirent, sed & Respublica & illius Principes quorum gratiam quæsivi: quid erunt facturi?

Francus. Peribunt & tu cum illis, sicut & granum quod in petra tua seminavi, fructum non emisit nec emittet.

Anglus. Nolo perire, immò pacem vel fœdus vellem inter nos inire, ut, honore salvo, possem tuis consiliis acquiescere.

Francus. Nobis tanquam hominibus bonæ voluntatis pax debetur jure Testamenti, quam vos quasi ministri antichristi rapuistis, illius obtinendæ incapaces.

Anglus. Deus supplebit defectus nostros.

Francus. Magnipotens, cujus oculus super filios Adæ, à die nativitatis usque in exitum, ut reddat unicuique secundum opera eorum bona vel mala, cuncta cernens, & cui nihil latere potest, supplebit justitiæ hujus sæculi defectus, & vos nostros efferos & suæ pacis crudeles persecutores puniet juxta demerita.

Anglus. De meritis nescirem judicare, sed pacem in diebus meis videre desidero, ut tuis consiliis tanquam accommodis acquiescerem salubriter.

Francus. Si temporali caremus, utinam saltem pace fruamur æterna. Amen.

ADDITIO

FACTA

Post biennale intervallum.

FLUXO biennali spacio rediens Anglicus de sua peregrinatione, Francum repertum alloqui quærit: & post multa subintrat pristinam collationem Francus.

Francus. Nonne contritus es & pœnitens de tantis impietatibus per te in Christianissimo Francorum Regno commissis?

Anglus. Non.

Francus. Quare?

Anglus. Quia cum justitia, & justa guerra feci; terram enim nostram quærimus, nostri Regis Francorum & Anglorum justo mandato: & ita ex post per viros magnos & doctos & Pontifices sum melius præterito informatus.

Francus. Unde Regis tui justitia processit, precor dic?

Anglus. Quia in successione prima causa filiorum & liberorum, sed Rex Odoardus habens filiam Isabelis Regis Philippi, ex persona illius petiit Regnum jure successionis, ergo cunctis præferendus.

Francus. Filia est in hoc Regno incapax.

Anglus. Immò, Jure Divino & Civili capax, ut habes in Libro *Num.* XXVII. 1. de filiabus Salphaad, pro quibus dixit Deus ad Moysen: Da eis portionem hereditatis paternæ, hoc sit tibi judicium sempiternum. ℣. 11.

Francus. Illa hereditas plebeïa, non Regnum: & si Regnum, non simile huic in quo multa spiritualia. Præterea argumenta Legis antiquæ non habent efficaciam, nisi quatenùs redacta sint ad moralia. Sed si ita sit quòd sit capax: cur igitur vos Anglici filiam Regis Henrici nuptam Ganfrido comiti Andegavensi, moriente Patre sine masculis, non admisistis ad Regnum, immò Stephanum ex sorore nepotem prætulistis; Anno Domini 1135. Nonne quod quisque juris in alterum statuit, eodem jure uti debet?

Anglus. Dignum & justum puto: sed hoc mihi novum.

Francus. Lege historias. Licèt si etiam Regni vestri filia

filia capax existeret, non ideò in Francorum Regno capax esset.

Anglus. Cur tam variè?

Francus. Quia hoc Regnum ab infidelibus cum infinito Christicolarum martyrio quæsitum mirandis & singularibus donis & prærogativis divinitùs donatis est in Fide Christi ædificatum, taliter quòd monstris carent & hæresibus, teste Gregorio. Unde Clodovæo lilium angelitùs missum, cum Ampulla sacra beato Remigio propinata, ut illum & suos in dicto lilio successores illius sanctissimo chrismatis oleo inungeret: & indè post illam sacrosanctam Unctionem, paulominùs ab Angelis Rex quicunque Francorum inunctus, vestigia illius approbationis retinens, solo tactu manuum infirmos certa infirmitate curat, teste notorietate. Nec hujus rei mulier capax censetur, cum à Sacrorum ministratione, immò interdùm certo tempore ab ingressu Ecclesiæ prohibita. Quare non idem sicut in aliis Regnis, in quibus mulierem credo capacem.

Anglus. Immò & in Regnis successerunt & succedunt.

Francus. Non Francorum; & si in aliis consuetudo admittit illas, ex consensu totius populi, Francis autem consuetudo & populi consensus in ævum contradixerunt. Quid plura? Nonne Deus distinxit dominia, & terram inhabitari fecit per distinctionem linguarum in turri confusionis, cum omnes in lingua uniformes per linguarum confusionem & divisionem mundum inhabitavit, & gentes dispersit? Quomodò vos barbari, quorum vocem non intelligimus, moribus, vita & lingua prorsùs differentes, nobis Francis cupitis præesse?

Anglus. Etiam Hercules cum hac diversitate Hispanias quæsivit & habitavit. Nonne etiam Romani universis linguis principaverunt? Cur non Anglici æquè Francis principari possunt?

Francus. Quia indigni tam piæ, tam Christianissimæ nationi præesse, defende justitiam allegatam & non tyranniam, allega justos Reges, & non tyrannos.

Anglus. Reges Hispaniæ & Navarræ, qui..... profectò in lingua dominantur: Ducem Britanniæ & Regem Hungariæ, qui duodecim linguas habet in Regno differentes, Hungaros, Teutonicos, Sclavos, Tartaros, Philystæos, Commannos, Francos, & alios pro nunc à memoria mea lapsos.

Francus. Hoc quia populus assentit subjici; quia minor pars debet majori & digniori cedere, & Regem alienum sibi assumit: nos autem non sic; immò vos Anglici dictæ querelæ per te præmissæ de filiæ successione expressè renunciastis, & regum Philippum approbastis.

Anglus. Non credo.

Francus. Erras in facto vel ignoras rei gestæ notoriam. Unde pro tua veridica informatione scias quòd anno Domini 1285. Dominus Philippus Rex Francorum obiit, relictis Philippo le Bel & Isabele, quæ fuit nupta regi Anglorum Odoardo, qui quidem Odoardus ipsam Reginam impiè, præsumptionibus cujusdam sui consiliarii *Hue le Despencier* tractavit, in tantùm quòd Franciam aufugere oportuit, & tandem post multa fuit compulsa redire invita; quæ præsidio & ope Domini Joannis de Hannonia cum. 400. Nobilibus retrocessit, & à casu, Deo disponente, applicuit in portu de Pristo, ubi sui benevolè advenientes, cum potentia ingenti obsederunt Regem virum suum, & dictum Huelem evisceraverunt, & Regem custodierunt, filiumque nomine Odoardum coronaverunt, quem filium & Regem rexerunt Comes de Quem & de H. de Mortemar, inter quos Rectores insurrexit talis invidiæ inimicitia, quòd finaliter dictus Mortemar per Judicium Baronum morti damnatus & evisceratus, & ejus intestina combusta, adhuc eo vivente, sicut factum fuerat de dicto *Hue le Despencier.* Philippus autem le Bel frater dictæ Isabelis habuit Carolum Regem Francorum, qui habuit tres uxores & mortuus sine liberis ordinavit quòd Dominus Philippus *de Valois* consobrinus suus germanus, tutor esset masculi, si sibi nasceretur, si verò filia, commisit Judicio Parium, & quòd eligerent Regem idoneiorem & expeditiorem, qui quidem Carolus moritur anno Domini 1328. Propter quod dicti Pares elegerunt dictum Dominum Philippum, omissis dicta Isabele & ejus filio Odoardo, qui siquidem Philippus illicò coronatus & inunctus & consecratus, & illicò debellavit & devicit Flandrenses, & similiter misit nuncios suos dicto Angliæ Regi ad requirendum quòd veniret recognitum ab eo Ducatum Aquitaniæ, qui siquidem Odoardus venit ad civitatem Ambianensem in qua Rex associatus Regibus Bohemiæ, Navarræ & Majoricarum ipsum honoravit, & idem Odoardus recognovit dicto Regi Franciæ Ducatum Aquitaniæ, & fecit homagium in propria persona: verbo autem reperiretur teneri, promittens quòd se informaret de modo & forma & informatus faceret & litteras confici faceret juxta formam ad quam teneri reperiretur: & ita Rex Angliæ recessit contentissimus, & illicò reversus congregavit Proceres Regni sui, in qua congregatione Rex Franciæ pariter suos misit. Et licèt fieret rumor in Anglia quòd deberetur corona Odoardo tanquàm proximiori, nihilominùs fuit conclusum per Proceres Magnates & tres Status Regni quòd tenebatur facere homagium dicto Regi Franciæ, quod & fecit per suas literas patentes, quas vidi in Chronica descriptas datas ad Elchem Anno Domini 1330. die 13. Martii: quibus cavetur modo & forma recognoscendi Ducatum Aquitaniæ ut Par Franciæ, & ut Comes de Ponthieu & Monstrolii, & ita promisit & juravit se facturum per se & successores, & ita est verum notorium & manifestum: per quæ satis justitiam nostram & impietatem & iniquitatem vestram tyrannicam in libidine dominandi, si velis, lucidè potes comprehendere.

Anglus. Miranda canis, sed precor quis ista ponit?

Francus. Multi historici & chronicarii ista ponunt, sed latiùs videtur Joannes Froysardi vobis favens; quia non Francus sed de Hannonia & servitor domesticus Anglicæ Reginæ, ut ipse idem profitetur, nec ista tergiversari possunt.

Anglus. Aliter fui per unum Prælatum magnum & doctissimum informatus.

Francus. Si aliter: contra veritatem, salva sui pace.

Anglus. Quomodò igitur tot & tanta bella inde secuta, & Rex noster Regem Francorum se nominavit?

Francus. Non justitia, sed iniquitate & instante diabolo.

Anglus. Quomodò, precor, exprime.

Francus. Scire debes quòd in Franciæ Curia præpollebat Dominus Robertus *de Artois* sororius Regis, qui siquidem certa occasione provocavit Regiam indignationem, intantùm quòd aufugit Hannoniam; propter quod Rex ejus uxorem & liberos detinuit & ducem Hannoniæ diffidavit si illum receptaret, propter quod ivit Brabantiam, ubi illicò durissima guerra inchoata contra Ducem propter dictam receptationem, quæ ipsum Dominum Robertum impulsit ad fugiendum in Angliam, ubi illicò applicatus, machinare cœpit cum nobilibus contra Regem Franciæ: dicendo, quòd vecordes & pusilanimes essent, sic Regnum dimittere Domino Philippo, cum si vellent illud vendicare possent bono jure &c. in tantùm quod in Solenni Festo beati Georgii in quo nobilitas utriusque sexus convenit, in quo naturæ humanæ & pacis hostis protervus inimicus diabolus non abfuit; immò præsens, illum diem gloriosum sibi & omnibus diabolis fecit, quoniam juvenum utriusque sexus opere & consilio, sanctum passagium Regis Francorum, cum

cum trecentis armatorum milibus trabavit, guerramque conclusit inter nos Christianos, in qua creditur centum quinquaginta annorum spacio, tam peste, ignis, famisque gladio Christianorum milliones interemptos. Cujus diaboli stimulante astutia, una Domina per ipsum Robertum instructa, in Regis Anglorum præsentia in mensa sedentis unam proposuit allegoriam, seu figuram, concludens allegoricè & figurativè magnam Regis & suorum vecordiam, nisi Franciæ Regnum vendicarent. Quo facto singuli tyrones instructi per Dominum Robertum sua emiserunt vota Dominabus, quòd nunquam desisterent, unus quod uno oculo non videret, alius caputium non ferret &c. donec, Franciæ Regnum, animo illud quærendi, intrasset.

Anglus. Quomodò tam repentè fuit per nostros tanta materia & tanti Regni conquæsta conclusa?

Francus. Dirigente eodem diabolo pacis & naturæ inimico; quoniam dictus Rex Philippus videns se, immò totum Orbem pacificum, nolens militiam otio torpere, sed illam pro Christi Fide augenda disponere, ivit ad visitandum Papam Urbanum quintum in Avinione & petendo Crucem pro eundo ultra mare: quâ obtentâ, reperiebantur trecenta milia armigeri ad Crucem recipiendam dispositi: quibus absentibus, Anglici vestri putarunt facilem Regni Franciæ invasionem. Quæ cùm ad aures dicti Philippi Francorum Regis pervenerunt, à tam pio & sancto proposito, à tanto bono à vobis, tam efferâ & damnatâ nequitiâ compulsus, pro sui Regni defensione, destitit, & ita guerra contra Infideles fienda & pro vestra iniquitate conversa contra Christianissimos Francos pro tyrannia & libidine dominandi exercenda, unde ingemiscit populus, jubilat hostis, exultat infernus. Quæ vox, quæ lingua tanta Christianorum damna exprimere potest illis infelicissimis die, loco & hora fabricatis.

Anglus. Quomodò igitur, Rege Philippo reverso de Avinione, Anglici nostri certificati quod erat infra Regnum, tantum negotium attentarunt & tam difficile.

Francus. Instigante diabolo & dicto Roberto ejus ministro, Rex Angliæ consulit ducem Hannoniæ, qui consultus multùm dissuasit istam querelam & guerram; sed nihilominùs magis favens majestati quam veritati & justitiæ, dixit; consulendo Ducem Brabantiæ, Episcopum Leodiensem, Archiepiscopum Coloniensem, Ducem Gueldrensem, Marchionem Juliensem Dominum Arnolphum de Baquehensem, & Dominum de Franquemont, qui si quidem essent hujus opinionis, incipiendi guerram; attrahi possent ad diffidandum Regem Franciæ, essent sufficientes ad invadendum cum 10000. armatis, cum tribus coronatis, ad quos omnes prædictos missi sunt illicò quadraginta milites in maxima pompa, quasi aurum jactantes pro gratia populi captanda per loca & patrias quibus iter suum faciebant. Et ipsorum aliqui cum uno oculo clauso dicebant se venisse, non ante cum illo visuros, donec aliquod magnum fecissent pro conquesta Regni Franciæ. Qui siquidem milites & nuncii Regis Angliæ, à dictis Dominis reportaverunt votivum responsum. Et cum hoc tantùm laboraverunt quòd habuerunt favorem tacitum Flandrensem, medio cujusdam Jacobi Hartavelle inter ipsos præpotentis.

Comes autem Flandriæ amicus Francorum posuit garnisionem à Gangent, cujus metu oportuit Anglicos pomposos per Hollandiam remeare. Quo audito per Regem Angliæ misit contra dictam garnisionem quingentos armatos & 2000. archerios, qui post multum conflictum, dirigente diabolo, prævaluerunt. Ex qua victoria dictus Hartavelle, resumptis viribus, illicò scripsit Regi Angliæ quòd post tale principium veniret & prævaleret, prout & fecit & venit ad dictum locum Anvers, ubi cum omnibus præmissis convenit, & in tantùm votum propalavit: qui post unius mensis spacium facere voluerunt quòd Dux Brabantiæ faceret, & ille differens post aliam dilationem conclusit quòd, nisi de mandato Imperatoris non diffidarent. Propter quod Marchio Juliensis missus ad illum obtinuit Vicariatum Imperii & licentiam fabricandi monetam sub colore quòd Rex Franciæ occuparet ab imperio Castrum de Crevecœur in Diœcesi Cameracensi. Et interim advenit æstas & Rex Angliæ erat cum conjuge in castro de Lonaur. Adveniente autem termino, venerunt Anglici 500. & sagitarii. 10000. & nihilominùs oportuit ipsum usque ad mensem Novembris alios Dominos expectare & interim miserunt diffidationes Regi Franciæ per quendam Episcopum de Incole ex parte Regis Angliæ, tanquam Vicarii sacri Imperii, quòd tunc etiam noluit Dux Brabantiæ; sed venturum se promisit quando obsedisset civitatem Cameracensem, quod & fecit. Sed rex Angliæ fuit consultus dimittere obsidionem & intrare Regnum, quod & fecit. Sed illicò cùm voluit intrare Regnum comes Haisnaudi & comes de N. . . . . ipsum quem extra Imperium dimiserunt solum ut Vicario obedirent & fuerunt cum Rege Franciæ, undè Rex Franciæ venit obviam cum regibus Bohemiæ, Scotiæ & Navarræ hebens. 600 & 8. bannerias 660. Pannones. 6. Duces. 26. Comites. 400. milites & sexaginta tria millia pedestres usque ad locum de Buronte. Rex Angliæ propè per tres leucas habebat Duces Brabantiæ, de Gueldres, Marchiones de Juliers & Blannerbonc, Comimitem de Monts, Dominos de Hannonia, & Robertum *de Artois*, & omnes Barones & milites Angliæ, sed finaliter, tractante Ducissa Hannoniæ, recesserunt sine bello.

Anglus. Hæc mihi non videntur verisimilia, quòd ut Vicarius Imperii ad tantam guerram injiciendam procederet, cum se nominet Francorum Regem.

Francus. Salva pace, tunc se non dicebat Francorum Regem; sed dicam cur & quomodò nomen & titulum Regis Rex vester usurpavit. Scire debes quòd post præmissa, nisus est, medio dicti Jacobi Hartavelle attrahere Flandrenses, qui omninò negaverunt metu pœnæ conventæ, & per Ecclesiam illis impositæ, ut si minus grata Regi Franciæ unquam facerent, pœnæ Excommunicationum & ducentorum millium Florenorum subjacerent. Sed consilio unius mali Advocati tergiversatoris quasi Achitofelis fuit dictum, quòd si reciperet titulum Regis Franciæ & tanquam Franciæ Rex illis præciperet, quòd essent liberi à pœna: cujus consilio fuit utrumque applausum, licèt multis prudentibus videretur rationi dissonum recipere titulum tantum sine aliis causis & possessione.

Anglus. Quid inde processum?

Francus. Armata Francorum & Januensium per mare destruxit Anconæ, & Franci destruxerunt terram Domini Joannis de Hannonia, & illi de Cameraco Hannoniam discurrerunt. Postquam anno 40. iterùm revertitur Anglorum Rex ad Franciam, qui repperit in mari armatam Francorum cum qua dimicavit & duravit conflictus ab hora prima usque ad nonam, & finaliter Angli prævaluerunt & transierunt & venerunt ad Gand ubi reperit Reginam enixam, & illicò obsedit civitatem Tornacensem. Et Rex Franciæ venit usque ad pontem de Cressi, ubi multæ scharmuchæ, & Franci strenuè se habuerunt & potentiores, & Flandrenses vecorditer aufugerunt, sed finaliter post undecim septimanas, tractante Ducissa Hannoniæ, fuerunt deputati quinque tractatores, qui concluserunt treugam ad annum unum, & debuerunt Reges mittere quinque notabiles personas, & ex parte Papæ duos Cardinales ad civitatem Attrabatensem; & quicquid per illos seu duas partes illorum esset factum, ratum maneret atque firmum, & interim uti possidebat quisque, possideret. Sed finaliter in dicto Parlamento nihil fuit conclusum culpâ Anglicorum partinacium. Demùm Rex Anglus ordinavit Festum in die Georgii & ordinem *de la Jartiere* cum 40. militibus & 40. scutiferis & Regina præsente, cum 300. Domina-

nabus vel Domicilis inductis eadem liberata : anno 344. Et demùm anno 46. posuit obsidium ante Calaysium, propter quod Rex Franciæ venit ad levandum; & quia non potuit transire obtulit bellum, & rogavit Regem Angliæ ut simul pugnarent, quod refutavit, & ita sine fructu retrocessit; propter quod Rex Angliæ habuit Calaysium, & sine misericordia illos cum severitate tractavit & Anglicis populavit. Multi guerræ actus secuti usque ad annum 54. quo fuerunt in Avinione, ad tractandum de pace. Et anno 55. Princeps de Galis descendit : & eodem anno rex Angliæ descendit usque Calaysium & inde ad locum de Hedin, cui Rex Franciæ venit obviam, & obtulit bellum dicto Anglorum Regi, qui illud tenuit, & cum confusione retrocessit. Demum anno. 56. contra Principem de N. Rex Joannes Franciam venit & habuerunt bellum propè civitatem Pictaviensem, in quo, proh dolor! multi nobiles hincinde occisi, & Franci superati; sed Rex Joannes fuit reputatus strenuior miles illius belli; quem vos Anglici honorastis, sed finaliter post multa ipsum occidistis, & tantorum malorum fuistis actores quòd Deum debetis timere ultorem. Ecce injustitiam seu iniquitatem vestram.

Anglus. Aliter dixit mihi Pontifex meus.

Francus. Dic precor, quid dixit.

Anglus. Dixit quòd pro justificatione sua obtulit Rex noster stare Concilio generali, quod Franciæ Rex renuit, quod non renuisset si de jure suo confidisset.

Francus. Per præmissa tibi liquet satis responsio. Nonne quæstio sopita, si quæ esset, per consensum Regis & Regnicolarum factum cum tantis deliberatione & dilatione; omnia potuerunt Rex & Regnicolæ, singuli autem non. Cum igitur Rex tuus cum Procerum & Regnicolarum consilio Regi Francorum homagium fecit & Regem agnovit, & approbavit, quomodò contra proprium juramentum, homagium, & fidelitatis sacramentum venire non verentur Anglici? Nonne felloniam commisit Rex vester immò læsit Majestatem Domini sui? Nonne ista exceptio alias elidit? Quomodò igitur debuit Rex Franciæ indubitatus compromittere de tanto Regno in homines: pauci enim reperiuntur hodie à populo aurum spernentes; dicit enim Salomon quòd *omnia obediunt pecuniæ.* Eccle.x.19. & alius dicit:

Audito nummo quasi quodam Principe summo.
Resiliunt valvæ, nihil auditur nisi salve.

Nonne de dicta fellonia ipse Rex Judex competens tanquam Dominus Feudi & saltem cum Paribus? Quomodò submittere debuit vel potuit alieno Judicio: nunquam fecit nec facere debuit, nec legi fuisse de hoc actum. Prætereà quælibet Provincia non subdita Imperio potest sibi Regem eligere, ut Francia & Hispania non subdita Imperio. Cùm igitur deficeret in Regno Franciæ filius primogenitus, & alii capaces in sanguine in proprietate præcederent; quare non potuerunt illum sibi eligere Regem Judicio & electione Parium & Magnatum, prout fecerunt illum victoriosum Philippum, cui inerat splendor nobilitatis Regiæ & cujus vocem intelleximus; non Barbarum seu Anglicum vel Saxonem, cujus vocem non intellexisset populus Francus, erat enim dominus Philippus propinquior, & ideò, cùm naturaliter in Regno succedatur, & naturaliter in Regno cum naturam imitetur & ab ea separari non possit, juxta Doctorum approbatas sententias. Nec etiam, Procerum suorum consilio dictus Rex Anglicus contra fidelitatem & homagium præfatum venire præsumpsisset, nisi de facto ad suggestionem diabolicam, medio illius diabolici Roberti *de Artois* impii, & quasi per indignationem desperati illi tyrones & juvenes post vinum & Dominarum persuasiones vocati illa vota de faciendo guerram in Francia, fatuè & in suarum animarum salutis detrimentum emisissent. Nec ambigendum quin Proceres, si consulti fuissent, Regnum suum & Ducatum Aquitaniæ cum aliis pertinentiis maluissent pacificum, & sub fœdere regiæ Francorum Majestatis, quàm se tot & tantis guerræ discriminibus immiscere, per quæ nihil securum; sed omnia contentiosa & Anglicis inutilia & damnosa, salvis Dei offensis & proximorum contumeliis quæ æstimationem non recipiunt, A quibus media illius Angliæ Regni pars peste & gladio depopulata & hominibus viduata, & si damna dederunt certè majora repassi sunt. Quid plura? Certè, quæ justè possidebant & pacificè, nunc tyrannicè & per felloniam, omnia commiserunt & pacis fructum amiserunt. Malum igitur juvenile consilium & impium, minus salubre & utile & honestum. Nec video vobis remedium, hominibus destitutis, nisi quòd, habita dispensatione viduas vestras desponsetis, & Dei & hominum pacem quæratis.

Anglus. Dolendum & mirandum de assertis, si veritati innitantur.

Francus. Ita ponunt & habent Chronicæ quas vidi.

Anglus. Nonne treugæ vel pax expost factæ?

Francus. Multæ, sed nulla efficax, nec tenta.

Anglus. Cujus culpâ?

Francus. Vestrâ prout audistis.

Anglus. Non perpendi culpam nostram.

B *Francus.* Culpam noto continuam per præmissa; quia ex malo principio malus finis spectandus : quicquid expost bellis injustis, impiis & iniquis fortuna dedit suo jure, illud vestra impietate culpa & malitia venit: multi enim Tractatus initiati cum illo illustrissimo Domino Joanne de Francia, qui pro consummatione Tractatus rediit Angliam & ibi occisus, & licet habueritis hominem, redemptionem habere vel petere non veremini in gladii viribus, quibus plures ex vestris quàm ex nostris interempti, & longè plures habetis viduas & orphanos quàm nos, Dei misericordia, habeamus, justissimo Dei Judicio illud disponente, ut qui sanguinem sititis, sanguinem patiamini & bibatis. Voluistis enim Nini Assyriorum Regis, magis quàm Christi imitatores esse, qui Annorum 50. spacio propagandæ dominationis libidine, arma ferrea extulit & cruentam vitam per totam Asiam bellis egit, & in mari rubro usque ad Luxinum pontum perdomuit; C barbaramque adhuc imbellem, torpentem excitavit sævitiam, & jam non lac pecudum sed sanguinem hominum bibere.

Anglus. Non omnes ejusdem fuerunt nec sunt opinionis.

Francus. Certè fateor, nec nationem totam accuso, sed autoribus tantorum scelerum culpam do. Proceres enim & prudentes pacem concluserant, quam tyrones & juvenes inconsulti ad solam dicti Domini Roberti *de Artois* persuasionem infregerunt, & guerram cruentam inchoarunt. Multique probi viri pacem quæsierunt, sed illorum opinio, prohdolor, non invaluit, & ita sæva, longo usu, tantorum, præsertim Prælatorum vestrorum, autoritate comprobata inolevit, quasi in naturam conversa & utinam solos autores non insontes pœna sequeretur.

Anglus. Quando fuerunt illi Tractatus inter nos, quos asseris?

Francus. Circa Annum 1362. in quo Rex Joannes fuit liberatus. Anno 62. visitavit Papam in Avinione, & Anno iterùm 63. pro consummatione Tracta- D tus rediit Angliam & ibi mortuus. Ex quibuss orta est quæstio: & finaliter Anno 68. in Parlamento Parisiensi sententiatum est, quòd appellationes Dominorum de Aquitania à Rege Angliæ debuerunt recipi per dictum Parlamentum, & ita fuit significatum Regi Angliæ qui multa allegavit à rationis tramite multùm dissona, sed nec minus, Rex noster tanquam justificatus, ex abundanti obtulit stare Judicio Ecclesiæ Romanæ, & Domini nostri Papæ, quod Rex vester renuit.

Anglus. Difficile est mihi credere.

Fran-

Francus. Quare credis de pace, cùm illius fueritis semper inimici & ruptores, tanquàm non homines bonæ voluntatis, quibus solis pax à Christo legata.

Anglus. Immò semper quæsivimus & quærimus pacem.

Francus. Quare igitur occidistis illum pium Regem vestrum Richardum, cujus medio pacem perpetuam si illâ digni fuissetis, quæsiveratis.

Anglus. Longa est historia.

Francus. Immò brevis in effectu.

Anglus. Quare brevis?

Francus. Quia tanquam pacis inimici estis assueti Dominos & Reges occidere.

Anglus. Quos & quot?

Francus. Cum ipse meliùs scire debes quare Regem sanctum Cinicum Danorum & Anglorum Regem, cujus Regis Danorum estis tributarii, occidistis infra Ecclesiam Cathedralem in civitate Ottoniensi, in Regno Daciæ & Pheonia insula & ibi sanctus Martyr sepultus. In cujus rei memoriam sagittæ signum vestri gestare Sacerdotes in casulis debent dum celebrant: quam possessionem impiè continuastis usque ad alium sanctum Martyrem, scilicet Thomam Cantuariensem, pro justitia, cujus estis inimici, morientem, & usque ad dictum pium regem Richardum pro pace vobis quæsita, tanquam indignis, interfectus. Quæ igitur major dementia quam nobiscum contendere nisi gladio? Si Dominos naturales & proprios occcidistis, viis impiissimis opinionibus dissentientes, quomodò alienis pacem vel justitiam servabitis?

Anglus. Nunquam audivi Anglicos Reges interfectos.

Francus. Ego legi prædictos & alios etiam tempore antiquissimo.

Anglus. Dic quæso unum.

Francus. Dicam plures.

Anglus. Rogo dic.

Francus. Anno Domini 662. Osuas Rex Angliæ occisus est. Anno 651. Osini Rex occisus. Anno 668. Elsinus Rex occisus. Anno 680. Egristus Cardahumbrorum Rex occisus est. Anno 698. Uremhered Dux Regni Mordamibrorum interfectus est. Anno 716. Obred Rex Mordamibrorum interfectus est, prout vester Beda venerabilis in Anglorum historia latè describit. De illo autem Martyre glorioso sancto Cinito Daciæ & Angliæ Rege ponit Danorum historia.

Anglus. Illi tunc infideles.

Francus. Sed vos tunc infideliores.

Anglus. Bonum fecerunt, quia sanctos & Martyres homines mortales fecerunt.

Francus. Si bonum, non tamen benè fecerunt, & Deus remunerator adverbiorum non nominum.

Anglus. Fortè cum justa causa fecerunt, & ita benè.

Francus. Volentibus non abest occasio justa vel injusta, sumunt enim occasionem iniqui, quia corrigi despiciunt & benè prolata criminantur. Valdè enim insolens & intolerabile existimant, quicquid illud non sonat quod intus amant.

Anglus. Dum mente revolvo quæ audivi, malo tacere quàm loqui. Vincit enim omnia veritas, & certum quòd in diebus meis vidi nobis pacem quæsitam medio illius boni Regis Richardi, de cujus morte & causis illius satis impiis taceo, de tam antiquis ignoro, hoc salvo, quod inter nos famâ asseritur Normaniam nobis pertinere, & in hoc nos justam, vos iniquam fovere causam.

Francus. Salva pace, non est verum, nil citra mare habetis nisi per tyranniam, & mare est & esse debet terminus vester. Habuistis tamen alias Ducatum Aquitaniæ cum aliquibus pertinentibus in Feudum à Rege Francorum, quem Ducatum per multiplicatas fellonias divinæ & regiæ Franciæ Majestatis offensivas amisistis, contra fidelitatem juratam & promissam veniendo. In Normania autem nullum jus habuistis nec habetis, immò ut Dux Normaniæ, Rex Francorum est verus Rex Angliæ; scitis enim quòd Dux Normaniæ justo titulo Regnum vestrum quæsivit. Unde reperio etiam quòd anno 154. Rex Francorum Ludovicus zelotipia motus uxorem repudiavit, quam Henricus Normaniæ Dux, præter A ejus voluntatem, duxit, propter quod inter eos suborta guerra, sed post eodem anno facta pace inter eos, dictus Henricus cum dicti Regis Ludovici præsidio Angliam contra Stephanum intrat, Regnum & occupat, sed per concordiam illi Regnum ad vitam dimisit, qui post, illo Stephano mortuo, cum dicti Regis præsidio Regni integritatem habuit & possedit. Post autem circa annum Domini 1010. Philippus Francorum & Henricus Anglorum Reges simul, in Christi nomine, cum innumeris nobilium millibus iter peregrinationis ultra mare prò Christi vindicta fienda arripuerunt, & si Rex tuus Odoardus similiter in die sancti Georgii facere voluisset, aut saltem illum Christianissimum Francorum Regem Philippum *de Valois* non impedivisset; Anglicos suos 200. non perdidisset, nec tantorum Francorum mortem porpinasset, nec notam suæ fidelitatis infractæ B incurrisset; sicque Rex Henricus, ultimo vitâ functus, strenuitatem propriam & fratrum ac suæ militiæ, contra infideles convertisset: fortè viveret in hoc sæculo, & alio per gloriam, & alii sui interempti.

Anglus. Possibile est.

Francus. Precor nomina mihi Pontificem tuum instructorem & in hac materia eruditorem.

Anglus. Non nominabo, sed magnum in Dei servitio tibi esse assero, & in magna dignitate constitutum.

Francus. Utinam benè perpendat suæ magnitudinis præceps, & casuum sublimium maxima lubricitate, quoniam trepidaret tam sublime aggredi fastigium, quod dum videtur virere, cadit, & dum extollitur, terminatur fine repentino, sicuti ros qui subitò deficcatur.

Anglus. Nisi benè intelligeret non fuisset in tanta C constitutus dignitate.

Francus. Dignitas ex se improbos nequit facere reverendos, quia ex se dignitas nihil habet virtutis, nec virtus ex dignitate, sed propter virtutem dignitati datur honor. Si enim aliquid boni à natura inesset dignitati, mali non præessent sicut videmus præesse.

Angelus. Talem illum credo fore Prælatum & benè intelligentem.

Francus. Utinam talis sit, cujus operatio, lingua, mens & vita testimonium præbeant dignitati. Apud Deum enim non est ætas, sed actus, vita & morum dignitas approbatur.

Anglus. Quare de illo tantùm dubitas & inquiris?

Francus. Per ea quæ video & audio jugiter in his Regnis & in ista materia.

Anglus. Quid vides?

Francus. Video Prælatos & Sacerdotes vestros armigeros & viros sanguinum effectos, sed quo jure D nescio, & tamen nuper in civitate Rothomagensi audivi Regem vestrum Henricum ultimò vitâ functum, strenuum, mirabiliter Prælatos vestros arguentem & mordentem, quòd ex eorum incumbenti officio non essent pacis amatores, zelatores & perquisitores, & tamen vestros vidi Prælatos, magnos & audio bellatores, & pridem, quod deterius est, pium & charitativum subsidium pro Fide Christi jure datum & contra hæreticos convertendum, contra nos Christianissimos conversum, & pro nostra occisione erogatum: quod mihi nedum admirationem inducit, sed stuporem. Cujus mores tam eversos considero, recolens ejus quod dicit Bernardus ad Eugenium, quòd hodiè totus zelus Ecclesiasticus fervere videtur in tuen-

tuendis possessionibus & dignitatibus, honorique totum detur, & sanctitati nihil, & de Dei placito ultima fit mentio & de jactura salutis cunctatio; nulla: nec salubre putatur, nisi quod sublime, & nihil justum videtur, nisi quod gloriam redolet.

Anglus. Probi sunt vere, sed Regis & Principis imperio hæc faciunt.

Francus. Dixit Petrus magna auctoritate, quod *magis Deo oportet quàm hominibus obedire.* Act. v. 29. Non A in fortitudine viri beneplacitum erit Deo, sed super humilem & mansuetum & timentem verba Domini requiescet Spiritus ejus, *Isaia.* LXVI. 2. *& qui te in una maxilla percusserit, præbe aliam.* Luc. VI. 29. Juxta illud verbum Christi: *Dedi genas meas vellentibus & conspuentibus in me.* Isaiæ. L. 6. Dic, precor, Prælatis & Sacerdotibus tuis magis annuentibus majestati quam veritati, mente ut revolvant illud terrendum Evangelium: *Nisi justitia vestra abundaverit magis quam Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Qui dixerit fratri suo racha, reus erit judicio; qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. v. 20. 22. Si pro tam modica injuria gehennam provocant, quid pro tantis stragibus & execrabilibus homicidiis & aliis guerræ discriminibus? Cogitent è converso, si veri Sacerdotes & Pontifices pacem persuasissent à tempore Odoardi citra, quanta & qualis esset militia & nobilitas Christiana? Et si pro Christi Fide augenda exposita, ut Rex B noster dispolluerat, quantus fructus, ubi nunc luctus? Cogitent de satisfactione ubi in sævitia perseverant.

OPUS
QUODDAM COLLATIVUM, DE QUADAM PUELLA

Quæ olim

IN FRANCIA EQUITAVIT.

Cujus Editio

MAGISTRO JOANNI DE GERSON C

ascribitur: sed magis apparet stylus Magistri Henrici de Gorckheim.

NON EST GERSONII.

Ad eumd. Cod MS.

Ad gloriam benedictæ Trinitatis gloriosæque semper virginis Dei Matris, ac totius Curiæ cœlestis.

Tulit me Dominus cum sequerer gregem, & dixit mihi vade & Propheta ad populum meum Israël.
Amos VII. 15.

POPULUS Israël, populus Regni Franciæ non incongruè potest spiritualiter nuncupari, quem Fide Dei & cultu Christianæ Religionis notum est semper floruisse. Ad hujus Regni filium quædam juvencula pastoris cujusdam filia, quæ & ipsa gregem ovium secuta fertur accessit, asserens se missam è Deo D quatenùs per ipsam dictum Regnum ad ejus obedientiam reducatur. Ne autem ipsius assertio putetur temeraria, etiam signis supernaturalibus utitur, sicuti revelare occulta cordium & futura contingentium prævidere. Refertur insuper quòd sit rasa capite ad modum viri; & volens ad actus bellicos procedere, vestibus & armis virilibus induta, ascendit equum, quæ dum in equo est, ferens vexillum, statim mirabili viget industria, quasi peritus Dux exercitûs ad artificiosam exercitûs institutionem: tunc quoque sui efficiuntur animosi; è contra vero adversarii timidii, quasi viribus destituti. Ubi autem de equo descendit, solitum habitum muliebrem reassumens, fit simplicissima negotiorum sæcularium, quasi innocens agnus imperita. Fertur etiam quòd vixit in castitate, sobrietate & continentia, Deo devota, prohibens fieri occisiones, rapinas, ceterasque violentias omnibus his qui ad dictam obedientiam se volunt exhibere. Propter hæc ergo & similia, civitates, oppida & castra submittunt Regio filio, fidelitatem sibi promittentes. Quo, ita, ut præfertur, se habente, nonnullæ quæstiones emergunt; & ad sui declarationem doctas animas alliciunt. Verbi gratia. An credi debeat vera naturæ humanæ puella, an in similem effigiem phantasticam transformata? Secundò: an ea quæ facit possint humanitùs fieri ab ipsa, an per eam ab aliqua superiori causa? Tertiò: si per superiorem causam; an per bonam, scilicet spiritum bonum, an per malam ut puta per spiritum malum? Quartò: an ejus verbis fiducia sit exhibenda, & ejus opera, tanquam divinitùs facta, sint approbanda, an phitonica & illusoria?

Quia verò circa has aut similes quæstiunculas alii & alii aliter & aliter sentiunt, quatenùs utrique pro sua defensione valeant ex sacris Literis testimonia proferre; præsens hoc Opusculum non asserendo, sed collativè dictando, offert quasdam propositiones pro una parte. Rursùs quasdam pro alia, modo problematico; provocans subtiliora ingenia ad intelligentiam profundiorem. Hoc tamen memoriter commendando quòd ad sententiandum aliquid securè in hac materia, necesse est hujus puellæ mores, verba, opera, ceterosque gestus, tàm quos habet solitaria, quàm eos quos habet cum aliis in publico, & ceteras suæ vitæ circunstantias ad liquidum prægnoscere, & an ea quæ revelat & prænunciat, semper vera inveniantur. Verùm in sequentibus ponenda, accipi debent juxta communis famæ relationem, à pluribus fide dignis ad has partes translatam.

Prima Propositio.

HANC esse veram puellam & veram naturæ humanæ personam est simpliciter asserendum.

Hæc propositio patet; quia nedùm Philosophorum regula canit, quòd operatio arguit formam, quinimmò & Salvator noster testatur ex operibus cognitionem esse accipiendam: quia igitur hæc juvencula invenitur continuè conformis aliis hominibus in actibus humanis, loquendo, esuriendo, comedendo, bibendo, vigilando, dormiendo, & ceteris hujusmodi; quis dicere audeat eam non fore veram naturæ humanæ personam, quàm de aliis communicantibus secum in similibus humanæ naturæ signis? Igitur &c.

Secunda Propositio.

ORDINATUM Prophetiæ tempus fuit ante Christi adventum durans in exordio nascentis Ecclesiæ cum operatione miraculorum.

Hæc propositio à sacris Doctoribus declaratur, ex eo quòd totum veteris Testamenti tempus fuit figurale ad prænunciandum Christi adventum & corporis sui mystici futurum statum. Similiter in Primitiva Ecclesia plures leguntur fuisse Prophetæ. Et quia ea tunc prædicabantur quæ omnem humanæ facultatis cognitionem transcendunt, necessarium fuit adhibere signa per opera miraculosa, quibus hujusmodi dicta confirmarentur: alioquin minùs sufficienter fuisset provisum saluti humani generis; juxta quod ait Gregorius quòd planta recenter terræ infixa indiget frequenti irrigatione, ut benè radicata convalescat. Igitur &c.

Ter-

Tertia Propositio.

CURRENTIBUS jam diebus non indignè censetur interdùm quasdam personas suscitari ad Prophetiæ spiritum & moveri ad operationem miraculorum.

Hæc propositio est Augustini in Libro *De Civitate Dei*, & etiam extrahi potest ex doctrina Gregorii. Cujus declaratio etiam ex eo patet; quia Salvatoris ore nobis est promissum quòd ipse nobiscum est usque ad consummationem sæculi, dirigens humanum genus manu suæ providentiæ, prout opportunitas nostræ salutis expetit. Sicut enim potestatem suam non alligavit Sacramentis, ita nec alligavit eam alicui tempori, locis aut personis, quinimmò multis ejus miserationibus semper assistit humano generi, congrua remedia & auxilia providendo. *Non* enim (ait Isaïas 59.) *abbreviata est manus Domini*, ut non possit redimere. Igitur &c. Cum igitur revelatione occultorum & operatione miraculorum genus humanum indiget excitari & revocari, nunc in uno populo, nunc in alio piè censendum est talia nobis non denegari. Igitur &c.

Quarta Propositio.

SACRIS consonat Litteris per fragilem sexum & innocentem ætatem exhibitam à Deo fuisse populis & Regnis latam salutem.

Hæc propositio patet, quia teste Apostolo, *elegit Deus infirma mundi, ut fortia quæque confundat.* 1 Cor. 1. 27. Hinc exemplariter procedendo, legitur de Debora, Hester & Judith, impetratam fore populo Dei salutem. Et Danielem in pueritia suscitatum ad liberationem Susannæ. Sic David in juventute Goliam prostravit. Nec immeritò; quia hoc modo fit evidentior divinæ pietatis affluentia, ne homo suis viribus asscribat, sed Deo potiùs gratiarum actiones referat. Sic enim per humilem virginem totius generis humani Redemptio orta est. Igitur &c.

Quinta Propositio.

NON testatur sacra Scriptura missos à Deo pravæ vitæ homines sub tali forma, aut modis, sicut de prædicta puella communis celebrat recitatio.

Patet hæc propositio; quia sicut dicit Apostolus: *Non est conventio Christi & Belial*, 1. Cor. VI. 15. nec dignatur inire societatem, aut contrahere familiaritatem cum dæmoniis ut eorum ministris & membris, quamvis legatur quosdam malos interdum aliquid transeunter prophetasse, sicut Balaam prophetabat quòd stella oriretur ex Jacob, & Saül & Caïphas prophetaverunt. Sed longè aliter est de hac puella quæ ad nutum habet usum donorum supernaturalium in manifestando occulta, & prænunciando futura suo ministerio deservientia, prohibendo insuper (ut præmissum est) fieri occisiones & cetera vitia, exhortando ad virtutes & cetera probitatis opera, in quibus Deus glorificatur. Sicut ergo in spiritu Dei præmissus est Joseph ante Patrem & fratres in Ægyptum, & Moyses ad populi Israël liberationem, Gedeon & supradictæ feminæ: Pari modo hanc juvenculam non est incongruum connumerari bonis specialiter à Deo missis, præsertim cum nec munera quærat, & ad bonum pacis tota devotione laboret. Hîc enim non est opus mali spiritus, qui potiùs est autor dissentionis quàm pacis.

Sexta Propositio; quasi corollariè sequens ex antea præmissis Propositionibus.

HÆC filia, vera persona in humana natura est à Deo specialiter missa, ad ea quæ non humanitùs, sed divinitùs fiunt opera, cui Fides est exhibenda.

Patet hæc propositio respondens quæstionibus prælibatis. Quis enim sit verè homo, patet ex propositione prima. Et quia non desinit etiam his diebus Deus nobis specialiter providere per supernaturalia signa, non est incongruum Deo, assumere puellam innocentem, præcipuè juxta quartam propositionem. Et quia donum istud perseveranter apud eam residet ad finem deificum, & per media virtutis & honestatis, sicut asserit propositio quinta; videtur consequenter hæc propositio sexta fore concedenda. Nec mirum si in statu equestri sit alterius luminis, quam in solito statu muliebri; quia etiam David volens Dominum consulere, induebat Ephod & sumpsit psalterium: & Moyses dum virgam gestabat, mirabilia faciebat, quia (sicut dicit Gregorius) Spiritus sanctus frequenter se interiùs conformat exterioribus concurrentibus.

Ita ex prælibatis potest quis hujus viæ amicus sumere occasionem defendendi suam partem, ulterius procedendo ad ampliorem dilatationem.

Quia verò inveniuntur alii in oppositam partem magis inclinati, superest afferre ex sacra Scriptura quædam testimonia ex quibus valeant suæ positionis sumere fulcimenta, inspiciendo subscriptas propositiones.

Prima Propositio.

MULTI pseudoprophetæ sunt venturi asserentes se divinitùs à Deo mitti.

Hæc propositio est Salvatoris dicentis, *Math.* VII. 22. quòd in novissimis diebus scilicet Legis Evangelicæ, multi dicent se venire in nomine meo, & multi per eos decipientur. Unde & Apostolus ait quod angelus sathanæ transfigurat se in Angelum lucis. 2. *Cor.* XI. 14. Nec mirum, quia malignus ille Rex super omnes filios superbiæ incessanter nititur usurpare divinitatis excellentiam, & ideò procurat falsos prophetas sub nomine Dei missos ad decipiendum. Igitur &c.

Secunda Propositio.

PSEUDOPROPHETÆ frequenter prònunciant occulta cordium & effectus futurorum contingentium.

Hæc propositio concedi solet à Doctoribus: cujus ratio est; quia quantò virtus est altior, tantò ad ampliora se extendit. Constat autem quod intellectus dæmonum multò est altior intellectu humano, & ita quæ nobis sunt occulta, & futura quæ nobis sunt ignota, à malo spiritu sunt cognita. Et ita prophetæ dæmonum ex eorum instructione possunt talia revelare. Igitur &c.

Tertia Propositio.

NON facile discernitur verus à falso Propheta, per exteriores apparentias & signa &c.

Hæc propositio patet; quia non oportet Prophetam fore vitæ virtuosæ, aut habere gratiam, & possunt dæmonum prophetæ occulta nobis & futura prænosticare, & sic pluribus aliis cum quibus conveniunt cum veris Prophetis. Quod si interdùm prænuncient falsa, sciunt palliare dando alium intellectum, aut allegare veros Prophetas interdùm prophetantes aliqua quæ non evenerunt, sicut de Isaïa & Jona Prophetis legitur.. Propter quod etiam Apostolus dicit, 1. *Joan.* quòd non omni spiritui credendum est, sed tentandi sunt si à Deo sunt, insinuans difficilem discretionem inter bonos & malos Prophetas. Igitur &c.

Quar-

Quarta Propositio.

NUNC, tempore gratiæ, specialem fieri à Deo missionem, ad temporalis felicitatis prosperitatem, non multam habet apparentiæ efficaciam.

Hæc propositio potest sumi ex his quæ Augustinus sæpiùs commemorat: nam bona præsentis vitæ æqualiter conceduntur bonis & malis, justis & injustis; præsertim hoc tempore gratiæ, ne boni amorem suum affigant bonis transitoriis, in quibus mali plurimùm florent. Ut etiam attendant quæ bona reservat amicis in futura vita, quando inimicis suis affluenter confert hujus vitæ transitoria bona. Fieri igitur missionem præsentis felicitatis procurativam & prænosticativam (quæ parvipendenda scribitur) modicam videtur habere apparentiam: tamen in veteri Testamento dum populus ille serviebat Deo pro his temporalibus bonis, legitur ad talem interdùm factam fuisse mentionem. Igitur &c.

Quinta Propositio.

DUO committit hæc puella, quæ leguntur prohibita in sacra Scriptura.

Hæc propositio patet, quia *Deuter.* XXII. Lex prohibet ne mulier radat caput ad modum viri: utriusque autem oppositum de hac puella narratur. Et videtur, prima facie, ad quandam indecentiam vergere juvenculam puellam insidere equo, habitu virili indutam; & cum Deus diligat modestiam, videtur derogare Divinæ missioni se effeminare in virilem formam. Neque videtur concordare cum familiari missione talis modus, quia tam familiaris missio fit per Spiritum sanctificantem interiùs animam, juxta illud Sap. VII. 27. *Sapientia Dei se transfert in animas sanctas, amicos Dei & Prophetas constituit.* Propter quod, si hujus juvenculæ missio sit prophetica, oportet eam esse cujusdam excellentis sanctitatis & divini animi intrinsecùs, & talem personam indecens videtur transformare se in virum sæcularem armorum. Non enim sic legitur de Hester & Judith, licèt ornarent se cultu solemniori, muliebri tamen, ut gratiùs placerent his cum quibus agere conceperunt. Igitur &c.

Sexta Propositio.

DICTAM puellam à Deo specialiter missam, & Deum operari per eam, aut sibi fiduciam fore adhibendam, non potest ostendi per sufficientem apparentiam.

Hæc propositio patet quasi corollariè ex præmissis; quia si multi venturi sint falsi prophetæ similes veris, si ad felicitatis temporalis prosperitatem non fit specialis missio sub tempore gratiæ, si processus ejus fiat contra divina Mandata; quomodò possit assertivè teneri hujusmodi filiam singulariter à Deo electam ad ea sequenda quæ famantur?

Ex quibus patet qualiter hujus viæ fautores suam partem possint colorare, oppositam viam impugnando: insuper ad profundiora invenienda occasionem ex præmissis accipiendo. Itaque hæc hinc indè copulata, collativè posita offeruntur visuris causâ præsentis casus vel futuri consimilis, ut & ipsi aliquid respondere valeant consimiles quæstiones moventibus, semper ad gloriam Dei qui regnat in secula benedictus. Amen.

ALIUD

OPUS COMPILATUM

A

MAGISTRO JOANNE DE GERSON

De mirabili victoria cujusdam PUELLÆ de postfœtantes receptæ in ducem belli exercitûs

REGIS FRANCORUM

contra

ANGLICOS.

Etiam Gersonio perperàm ascriptum.

Ad eumd. MS. Cod.

PRÆSUPPONENDUM est imprimìs quòd multa falsa sunt probabilia, immò secundùm Philosophum non refert quædam falsa probabiliora esse quibusdam veris, usque adeò quòd duo contradictoria simul stant in probabilitate, licèt non in veritate.

Advertendum est ulteriùs quòd ista probabilitas, si rectè fundata sit & ritè intellecta, non est dicenda error vel erronea, nisi pertinaciter extendatur assertio ultra terminos probabilitatis. Ratio hujus est, quia probabiliter loquens, fundat se in hoc quòd rationes & apparentias habet pro parte sua. Et hoc utique verum est, nisi sit penitùs improbabile. Verum est similiter de parte opposita, quòd ad eam sunt rationes & apparentiæ seu verisimiles conjecturæ. Et hoc similiter potest esse & est sæpè verum, nec ista contradicunt sic exposita.

Advertendum est tertiò, quòd aliqua concernentia Fidem & bonos mores, considerantur in duplici differentia, quantùm spectat ad præsens. Aliqua enim dicuntur de necessitate Fidei, & in istis non licet dubitare vel probabiliter opinari, juxta illud vulgatum *Dubius in Fide infidelis est.* Et de talibus justa esset conquestio, neque Lex illa civilis barbaris habet locum, neque in talibus communis error faceret Jus, immò tanto deterior quantò communior: esset denique ferro & igne exterminandus, juxta Ecclesiasticas & civiles censuras contra hæreticos latas: locum etiam habet illud metricum salubre:

Non patitur ludum fama, Fides, oculus.

immò & pro tali ludo in his quæ sunt Fidei, posset evocari sic jocans ad Judicium Fidei, tanquam de errore suspectus in Fide.

Considerandum est pro altera differentia eorum quæ sunt in Fide, vel de Fide; quòd illa vocantur de pietate, vel devotione Fidei, & nullomodò de necessitate: de quibus solet dici vulgariter, *Qui ne le croit, il n'est pas damné.* Spectant autem ad pietatem Fidei tres conditiones in speciali.

Prima, quòd faciant ad excitationem devotionis & piæ affectionis circa Deum & divina; quia scilicet resonant in laudem divinæ potentiæ vel clementiæ in miraculis & venerationem Sanctorum.

Altera conditio est, quòd habeatur circa talia probabilis aliqua conjectura vel ex communi relatione, vel ex fidelium attestatione, qui dicunt se vidisse & audisse.

Superadditur tertia conditio, cum discretione pensanda per viros in Theologia & bonis moribus eruditos, quòd in hujusmodi relationibus eorum quæ dicuntur de pietate Fidei, non includatur vel immisceatur aliquod falsum vel erroneum, quod manifestè sit in detrimentum Fidei vel bonorum morum directè vel indirectè, palam vel occultè. Super qua cognoscenda vel determinanda, non est fas cuilibet palàm, &

& passim ferre Sententias & reprobationes; immò nec approbationes contentiosas; maximè quando tolerantur ab Ecclesia, seu Prælatis Ecclesiæ, in una Provincia, vel in multis: sed Judicium & determinatio debent deferri ad eandem Ecclesiam, seu Prælatos ejus & Doctores.

Possent hîc notari multa, in particularibus, ut de materia Conceptionis Beatæ Virginis: ut de opinionibus probabilibus inter Doctores: ut de Indulgentiis, quoad circumstantias multas. Sic de veneratione Reliquiarum in uno loco & alio, immò in diversis simul; quemadmodùm fuit nuper contentio in Parlamento Parisiensi, super veneratione capitis sancti Dionysii, in Ecclesia Parisiensi, & in Abbatia sancti Dionysii propè Parisiis.

A

Concludendum est tandem, ex præmissis, quòd piè & salubriter potest, de pietate Fidei & devotionis, sustineri factum illius Puellæ, circumstantiis attentis, cum effectu patenti, præsertim ex causa finali quæ justissima est, scilicet restitutio Regis ad Regnum suum; & pertinacissimorum inimicorum suorum justissima repulsio, seu debellatio.

Addito præterea quòd in observationibus suis, hæc Puella non reperitur uti sortilegiis ab Ecclesia prohibitis, neque superstitionibus palam reprobatis, neque cautelis hominum fraudulentis, neque ad quæstum proprium, vel aliquod tale subdolum; cùm, in attestationem suæ Fidei, exponat extremo periculo suum corpus.

B

Postremò, si multi multa loquantur & referant, pro garrulitate sua & levitate, aut dolositate, aut alio sinistro favore, vel odio, subvenit illud Catonis:

Arbitrii nostri non est quòd quisque loquatur.

Est tamen arbitrii nostri, quid credatur, seu teneatur, servatâ modestiâ & contentione, seu seditione procul pulsa; quia sicut dicit Apostolus: *Non oportet servum Dei litigatere.* 2. Tim. II. 24. *Nos*, inquit, *talem consuetudinem non habemus.* 1. Cor. XI. 16. ut scilicet litigemus; sed tolerare oportet, vel ad Superiores, sicuti præmissum est, determinando referre. Ita enim fuit in Canonizationibus Sanctorum primariis, quales Canonizationes, ut in pluribus quæ leguntur, non sunt de necessitate Fidei, strictè loquendo: sed de pia devotione, quæ non est passim per quoslibet reprobanda, irridenda, vel repudianda, & minùs (ceteris paribus) quàm alia, sine Canonizatione vulgata.

C

Jungantur ad causam nostram istæ circumstantiæ.

Una; quòd Consilium Regis & gentes armorum potuerunt induci ad vocem illius Puellæ taliter credere & obsequi, quòd sub ea, vel cum ea exposuerunt se, conspirato animo, ad bellica pericula, dedecore omni procul pulso: quod evenire poterat, si sub una muliercula militantes, victi fuissent per hostes procacissimos, & irrisi apud omnes qui audissent.

Altera; quòd exultatio popularis cum pia credulitate tanta subsequi cernitur ad laudem Dei, & hostium confusionem.

Altera; quòd latentes inimici, etiam magni, referuntur in timores varios; immò & in languores, quasi parturientis, cecidisse, juxta imprecationem Cantici illius à Maria sorore Moysi tympanizati in choro ludentium: *Cantemus Domino gloriosè canticum*, &c. Exod. XV. 1. Sequitur: *Irruat super eos formido & pavor.* ℣. 16. Videatur, & cum devotione facto nostro consona recolatur & cantetur.

D

Ponderandum est, ad extremum, quòd hæc Puella & adhærentes sibi militares, non dimittunt vias humanæ providentiæ, faciendo scilicet quod in se est, quòd appareat tentari Deus ultra quàm necesse est. Unde constat hanc Puellam non esse pertinacem in adhæsione proprii capitis, ultra quàm reputet à Deo se habere monitiones, seu instinctus. Possent insuper superaddi multæ circumstantiæ de vita ejus, à puero, quæ interrogatæ sunt & cognitæ diù & multùm, & per multos. De quibus hîc nil inseritur.

Exempla possunt induci, de Debora, & de sancta Catharina, in conversione non minus miraculosa Rhetorum, & aliis multis; ut de Judith, & de Juda, in quibus communiter miscetur semper aliquid naturale. Neque sequitur semper, post primum miraculum, quicquid ab hominibus expectabatur vel expectabitur. Præterea si frustraretur ab omni expectatione sua & nostra (quod absit) prædicta puella; non oportebit concludere ea quæ facta sunt, à maligno spiritu, vel non à Deo facta esse; sed vel propter nostram ingratitudinem, vel blasphemias, aut aliundè, justo Dei Judicio, licet occulto, posset contingere frustratio expectationis nostræ in ira Dei, quam avertat à nobis, & benè omnia vertat.

Superadduntur quatuor civilia & theologica documenta. Unum, concernit Regem & consanguineos Regiæ domus. Secundum, militiam Regis & Regni. Tertium, Ecclesiasticos, cum populo. Quartum, Puellam ipsam. Quorum documentorum iste unicus est finis; benè vivere, piè ad Deum, justè ad proximum, & sobriè, hoc est virtuosè & temperanter ad seipsum. Et in speciali, pro quarto documento, quòd hæc gratia Dei ostensa in hac Puella, non accipiatur, & traducatur, per se, vel alios, ad vanitates curiosas, non ad mundanos quæstus, non ad odia partialia, non ad seditiones contentiosas, non ad vindictas de præteritis, non ad gloriationes ineptas. Sed in mansuetudine & orationibus, cum gratiarum actione, cum liberali præterea temporalium subventione quilibet laboret & in idipsum; quatenùs veniat pax in cubili suo, ut de manu inimicorum nostrorum liberati, Deo propicio, serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris, &c. A Domino factum est istud, &c.

Lugduni. 1429. *Die decima quarta Maii, in Vigilia Pentecostes, post signum habitum Aurelianis, in expulsione obsidionis Anglicanæ, actum est à Domino Cancellario.*

SEQUITUR triplex Veritas, ad Justificationem electæ Puellæ de post fœtantes acceptæ, utentis veste virili.

Prima Veritas.

Lex vetus prohibens mulierem uti veste virili & virum veste muliebri, pro quanto est purè judicialis, non obligat in nova Lege; quia, secundùm veritatem tenendam, de necessitate salutis, judicialia antiquæ Legis ablata sunt, nec obligant in nova, ut talia sunt, nisi noviter per Superiores ea institui, seu confirmari contingat.

Secunda Veritas.

Lex hujusmodi continebat aliquod morale, quod stabile est in omni Lege; & illud possumus exprimere; prohibitionem indecentis habitus, tàm in viro, quàm in muliere, contra medium virtutis, quod observare debet circumstantias omnes: ut, quando, oportet, cur oportet, qualiter oportet; & ita de reliquis, ut sapiens judicabit, de quibus non est hîc declarandum per singula.

Tertia Veritas.

Lex hujusmodi, nec, ut judicialis est, nec, ut moralis, damnat usum vestis virilis & militaris in Puella nostra virili & militari, quam ex certis signis elegit Rex cœlestis, omnium tanquam Vexilliferam, ad conterendos hostes justitiæ, & amicos sublevandos, ut in manu feminæ puellaris & virginis, confundat fortia iniquitatis arma, auxiliantibus Angelis, quibus virginitas amica est & cognata, secundùm Hieronymum, & in sacris historiis frequenter apparuit: sicut in Cecilia visibiliter, cum coronis ex rosis & liliis.

Rursùs, per hoc salvatur attonsio crinium, quam Apostolus prohibere videtur in femina.

Obstruatur igitur & cesset os loquentium iniqua, quia ubi divina virtus operatur, media secundùm finis exigentiam disponuntur, ita ut non jam sit securum detrahere, vel culpare, ausu temerario, ea *quæ à Deo sunt*, secundùm Apostolum, *ordinata sunt*. Rom. XIII. I.

Denique possent particularitates addi multæ, & exempla de historiis sacris & Gentilium, sicut de Camilla & Amazonibus. Sicut prætereà, in casibus vel necessitatis, vel evidentis utilitatis, vel approbatæ consuetudinis, vel ex auctoritate, seu dispensatione Superiorum. Sed ista pro brevitate sufficiant & veritate. Tantummodò caveat pars habens justam causam, ne per incredulitatem & ingratitudinem, vel alias injustitias, faciat irritum divinum tàm patenter & mirabiliter auxilium inchoatum, prout in Moyse & filiis Israël, post collata divinitùs tot promissa, legimus contigisse. Deus enim etsi non consilium; sententiam tamen mutat, pro mutatione meritorum.

TOMI QUARTI FINIS.



INDEX

RERUM, VERBORUM ET NOMINUM,

Quæ in quatuor primis Tomis Operum JOANNIS GERSONII Cancellarii Parisiensis, & eorum Appendicibus, continentur.

Primus numerus Tomum significat, secundus Columnam.

Aposto-

Repre-

Com-

In

Male-

Eccle-

Sen-

Qui-

Affectus

L.

Tan-

Quæ

Omnis

Habet

Regnum

T.

Doctri-

F I N I S.



EMENDATA & Errata Tomi II. Operum GERSONII.

PAg. 2. in titulo, *Schismate* lege *Substractione*
Pag. 11. lin. 58. instrusus *lege* intrusus
Pag. 13. lin. 10. Emereyei *lege* Emereyci
Pap. 37. lin. 36. ortuerat *lege* oportuerat
Pag. 41. lin. 28. moveat *lege* moneat
Pag. 76. *in secundo titulo*, Petri de Corario *lege* Angeli de Corario
Pag. 109. lin. 37. substrationem *lege* substractionem
Pag. 116. lin. 11. duo de Collegio *lege* duo Collegia
Pag. 131. *in titulo*, *lege* 26 Junii
Pag. 133. lin. 50. peregrinanti *lege* peregrinantis
Pag. 191. lin. 33. instruerentur *lege* instituerentur
Pag. 230. lin. 33. vocant *lege* volunt
Pag. 287. lin. 10. *post* nec sequitur *adde* ex oppositis
Ibid. lin. 22. de ista *lege* de Assumptione
Pag. 289. lin. 55. simili *lege* simul
Pag. 365. lin. 23. 1427. *lege* 1417.
Pag. 427. lin. 20. Pontifici *lege* Pontificis

In Appendice corruptos locos sic emenda.

Pag. 816. lin. 25. sede *lege* æde
Pag. 847. lin. 50. *Nihil hic corruptum.*
Pag. 848. lin. 24. flagellat mortalitatis *lege* flagellat mortales *Sequentia sic lege:* Et totum hoc perpetrare, sceleribus nostris crebrescentibus, Domino permittente, non verentur homines in universo Orbe.
Pag. 849. lin. 41. quo *lege* & quo
Pag. 850. *lin. ult.* initato *lege* abominatio
Pag. 853. lin. 4. *bene emendatum in margine.*
lin. 11. sanctissimus *lege* scissionem
lin. 43. nullæ *lege* multi
Pag. 854. lin. 31. quo adjunxeris, *lege* & Sanctæ Matris Ecclesiæ.
lin. 45. Dominia *lege* Domina
lin. 46. *dele* * *
Pag. 855. lin. 61. pejus Jure *lege* Jure merito
Pag. 859. lin. 3. *dele* *.
lin. 37. eram * *lege* Epistola
lin. ult. Domino soli &c. *lege* duo soli homines in Ecclesiis se tenentes &c.
Pag. 925. *in titulo*, MIDXVII. *lege* MIDXVI.

Errata Tomi III.

PAg. 9. lin. 60. deducus *lege* dedecus
Pag. 33. lin. 41. discensu *lege* dissensu
Pag. 46. lin. 48. *dele hac verba* renovare aliàs
Pag. 68. lin. 45. *post hac verba* multum per omnem modum *adde* proficit.
Pag. 70. lin. 63. factitia *lege* consilia
Pag. 81. lin. 59. ad appositum *lege* ad oppositum
Pag. 249. lin. 40. pto *lege* pro
lin. 51. impendit *lege* impedit
Pag. 395. lin. 17. perfectibus ad suum perfectum *lege* perfectibilis ad suum perfectivum
Pag. 396. lin. 63. perfectè *lege* perfectæ
Pag. 422. lin. 42. 1679. *lege* 1429.
Pag. 427. lin. 67. siquidem *lege* simplicis
Pag. 1205. lin. 12. Joannis vigesimi *lege* Joannis vigesimi secundi
Pag. 1281. lin. 51. Tenamus *lege* Teneamus
Pag. 1317. *in titulo*, 1041. *lege* 1401.
Pag. 1330. lin. 20. virtutes *lege* veriores
Pag. 1383. lin. 31. Anagrio *lege* Antonio

Errata Tomi IV.

PAg. 219. *quinta linea ante finem*, Aristo. *lege* Armacanus
Pag. 650. lin. 59. *in fine*, *dele* non

JOANNIS GERSONII

Doctoris Theologi & Cancellarii Parisiensis

OPERA OMNIA,

Novo ordine digesta, & in V. Tomos distributa;

Ad Manuscriptos Codices quamplurimos collata, & innumeris in locis emendata; quædam etiam nunc primùm edita:

Quibus accessêre

HENRICI DE HASSIA, PETRI DE ALLIACO, JOANNIS BREVICOXÆ, JOANNIS DE VARENIS Scriptorum coætaneorum, ac insuper JACOBI ALMAÏNI & JOANNIS MAJORIS Tractatus, partim editi partim inediti;

Necnon Monumenta omnia ad Causam JOANNIS PARVI *pertinentia.*

Opera & studio M. LUD. ELLIES DU PIN, S. Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, & Philosophiæ Professoris Regii.

TOMUS QUINTUS,

CONTINENS

MONUMENTA OMNIA


Quæ spectant ad condemnationem Propositionum excerptatum è Libro

JOANNIS PARVI.

Nunc primum edita.



ANTWERPIÆ,
SUMPTIBUS SOCIETATIS.
MDCCVI.



JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis
OPERUM
TOMUS V.

PARS PRIMA.

Continens narrationem cœdis Ducis Aurelianensis, & eorum quæ insecuta sunt; nec non Librum Joannis Parvi.

TABLE GENEALOGIQUE

De la Maison de Bourgongne, issuë du Roy Jean: & de la Maison d'Orleans, issuë du Roy Charles cinquiesme, cy apposée, pour servir a la lecture de ce Livre.



PHILIPPES DE VALOIS Roy de France, epousa 1. JEANNE DE BOURGONGNE, 2. BLANCHE DE NAVARRE: il eut

JEAN dit LE BON, Roy de France, qui eut deux femmes, 1. BONNE DE LUXEMBOURG, 2. JEANNE DE BOULONGNE: Mourut l'An 1364. eut entre autres enfans,

CHARLES V. dit le Sage, Roy de France, A epousa JEANNE DE BOURBON: mourut l'An 1380. eut entre autres enfans,

PHILIPPES Duc de Bourgongne, Comte de Flandres & d'Artois, epousa MARGUERITE DE FLANDRES: mort 1404.

CHARLES VI. Roy de France, qui eut ISABELLE DE BAVIERES, & mourut l'An 1422.

LOUIS Duc d'Orleans, Comte de Valois, & d'Angoulesme, qui eut VALENTINE DE MILAN. Il fut tué par le DUC DE BOURGONGNE, l'An 1407.

JEAN, Duc de Bourgongne, Comte de Flandres & d'Artois, dit SANS PEUR, epousa MARGUERITE DE BAVIERES, & mourut l'An 1419.

CHARLES VII. Roy de France, epousa MARIE D'ANJOU, & mourut l'An 1461.

CHARLES Duc d'Orleans, & Comte de Valois, eut 1. ISABELLE DE FRANCE, 2. BONNE D'ARMAGNAC, & 3. MARIE DE CLEVES. Il mourut l'An 1465.

PHILIPPES, Duc de Bourgongne, dit LE BON, epousa 1. MICHELLE DE FRANCE, 2. BONNE D'ARTOIS, 3. ISABELLE DE PORTUGAL. Il mourut l'An 1467.

LOUIS XI. Roy de France, eut 1. MARGUERITE D'ESCOSSE, 2. CHARLOTTE DE SAVOYE. Il mourut l'An 1483.

LOUIS Duc d'Orleans, & depuis Roy de France, XII. du nom, qui mourut l'An 1515.

CHARLES dernier DUC DE BOURGONGNE, qui fut tué à Nancy, l'An 1477.

Comme Loüis Duc d'Orleans, seul Frere du Roy Charles sixiesme, fut tué dans la Ville de Paris, par le Duc Jean de Bourgongne, proche la porte Barbette; le Mecredy XXIII. *Novembre, jour de Saint Clement, l'An* 1407. *à sept heures du soir.* A

Extraict du premier volume des Croniques d'Enguerrant de Monstrelet. Chap. XXXVI.

1407. XXIII. Nov. EN ces propres jours, advint en la Ville de Paris la plus douloureuse & piteuse adventure que de long temps paravant fut advenuë au tres Chrétien Royaume de France, pour la mort d'un seul homme, c'est à sçavoir pour la mort du Duc d'Orleans, seul Frere germain du Roy de France, Charles le bien aimé, sixiesme de ce nom: le quel Duc, étant en la susdite Ville de Paris, fut par un Mercredy, jour de saint Clement Pape, moult griefvement meurtry & mis à mort piteusement, environ B sept heures apres disner; & fut cet homicide fait & perpetré par environ dix huit hommes, lesquels étoient logés en un Hostel, où étoit lors pour enseigne, l'Image de nostre Dame, auprès la porte Barbette; & là, comme depuis il fut sceu veritablement, avoient été par plusieurs jours sur intention d'accomplir ce qu'ils avoient entrepris. Et quand ce vint à ce même Mecredy, comme dit est, envoyerent un nommé Scaz de Courtecheuse, qui étoit valet de Chambre du Roy, & leurs complices, devers le dit Duc d'Orleans qui étoit allé voir la Reine de France, en son Hostel qu'elle avoit n'agueres achetté de Montagu grand Maistre d'Hostel du Roy, & sied iceluy au pied de la ditte porte Barbette, & là gisoit un enfant qui étoit trepassé jeune, & n'avoit point encore accompli les jours de sa purification. Lequel Scaz, venu devers iceluy Duc, luy dit de par le Roy, pour C le decevoir: Monseigneur, le Roy vous mande que sans delay veniés devers luy, & qu'il a à parler à vous hastivement, & pour chose qui grandement touche à luy & à vous. Lequel Duc, oüy le Commandement du Roy, iceluy voulant accomplir, combien que le Roy rien n'en sçavoit, tantôt & incontinent monta dessus de sa mule, & en sa compagnie deux Escuïers sur un cheval, & quatre, ou cinq valets de pied, devant & derriere, portant torches; & ses gens qui le devoient suivre, point ne se hastoient: & aussy etoit allé à privée mesgnie nonobstant que pour ce jour avoit dedans la Ville de Paris de sa retenuë, & à ses depens, bien six cent Chevalliers, & Escuïers. Et quand il vint assez près d'icelle porte Barbette, les dix huit hommes dessus dits, qui etoient armés à couvert l'attendoient, & s'etoient mis couvertement auprès d'une maison, & faisoit assez brun pour cette nuit: & lors incontinent, meus de hardie & outra- D geuse volonté, saillirent tous ensemble à l'encontre de luy, & y en eut un qui l'escria, à la mort, & le ferit d'une hache, tellement qu'il luy coupa un poing tout jus. Et à donc le dit Duc, voyant cette cruelle entreprise ainsy être faite contre, s'escria assez haut, en disant: Je suis le Duc d'Orleans: & aucuns d'iceux en frappant sur luy, dirent; c'est ce que nous demandons. Entre lesquelles paroles la plus grande partie recouvrerent, & presentement par force & abondance de coups, fut abbatu jus de sa mule, & sa teste toute escartellée, par telle maniere que la cervelle issit dessus la chaussée. En outre, le retournerent, & renverserent, & si tres terriblement le machacterent, qu'il fut presentement mort tres piteusement. Et avec luy fut tué un jeune Escuïer, qui autrefois auoit esté son Page: & quand il vit son Maistre abbattu, il se coucha sur luy pour le garder, mais rien n'y fit. Et le cheval qui devant le Duc alloit, à tous les deux Escuïers, quand il sentit iceux facteurs armés d'empres luy, il commença à ronfler; & quand il les eut passés se mit à courre, & fut grand espace que ceux qui etoient sus, ne le purent retenir; & quand il fut arresté, ils virent la ditte mule de leur Seigneur, qui toute seule couroit apres eux: si guiderent qu'il fut cheu jus, & pour ce la reprirent par le frein, pour la ramener au dit Duc. Mais quand ils vinrent près de ceux qui l'avoient tué, furent menacés disant, s'ils ne s'en alloient, qu'en tel point seroient mis à mort. Hastivement s'en allerent à l'Hostel de la Reine, en criant, *Le meurtre.* Et ceux qui avoient occis le dit Duc, à haute voix commencerent à crier, *Le feu.* Et avoient leur fait par telle maniere ordonné en leur Hostel, que l'un d'eux, en tant que les autres faisoient l'homicide dessus dit, bouta le feu dedans iceluy, & puis, les uns à cheval, les autres à pied, hastivement s'en allerent où ils purent le mieux, & jettant après eux chausses-trapes de fer, à fin qu'on ne les peust suivre, n'y aller apres eux. Et comme renommée fut, aucuns d'iceux allerent en l'Hostel d'Artois, par derriere, à leur Maistre Jean de Bourgongne, qui cet œuvre leur avoit fait faire, & commandé, comme depuis publiquement il confessa, & ce qu'ils avoient fait luy raconterent, & apres tres hastivement mirent leur corps en sauveté. Et de ce cruel homicide fut le principal conducteur, un nommé Rollet d'Auctonville, de nation Normande, auquel paravant le dit Duc d'Orleans avoit osté l'Office des Generaux, du quel le Roy l'avoit pourveu, à la priere & requeste du Duc, Philippes de Bourgongne deffunt; & pour ce deplaisir avisa le dit Rollet maniere comment il se pourroit venger d'iceluy Duc d'Orleans. Les autres complices furent, Guillaume Courteheuse, & Saz Courteheuse devant nomme, nez de la Comté de Ghines, Jean de la Motte, & plusieurs autres, jusques au nombre dessus dit. En apres, environ demie heure, ceux de la famille du dit Duc d'Orleans, quand ils oüirent nouvelles de la mort & occision de leur Seigneur, tant piteuse, si fort pleuroient, & griefvement au cœur courroucés, tant les Nobles, comme non Nobles, accoururent à luy, & là le trouverent mort sur les carreaux, au quel lieu il y eut grandes lamentations, & regrets des Chevaliers & Escuïers de son Hostel, & generalement de tous les serviteurs, quand ils virent son corps si terriblement deplayé: & lors, comme dit est, en tres grande tristesse & gemissemens le leverent, & en l'Hostel de Rieux Marechal de France, qui près de là étoit, le porterent en brief; & suivant iceluy corps, couvert de blanc linceul, fut porté en l'Eglise des Guillemins assez honorablement: & étoit icelle Eglise la plus prochaine du lieu, où il avoit esté mort. Et tantot apres, le Roy de Sicille, lors etant à Paris, & plusieurs autres Princes, Chevalliers, & Escuïers, oyant la nouvelle de si cruelle mort, que du seul Frere germain du Roy de France, en telle maniere perpetrée, à Paris en grands pleurs, en la ditte Eglise, si le vinrent voir, & le corps mis en un cercueil de plomb, toute nuit les Religieux de la ditte Eglise si veillerent en disant Vigiles, & Psautiers, avec les quels demeurerent ceux de sa famille: & le lendemain tres matin, fut trouvée par

par ses gens, la main, laquelle luy avoit été coupée, sur les carreaux, & une partie de sa cervelle, laquelle fut recueillie, & mise au cercueil avec le corps: & tot après, tous les Princes etant au dit lieu de Paris, reservé le Roy & ses enfans, c'est à sçavoir.

Le Roy Loüis.
Le Duc de Berry.
Le Duc de Bourgongne.
Le Duc de Bourbon.
Le Marquis du Pont.
Le Comte de Nevers.
Le Comte de Clermont.
Le Comte de Vandosme.
Le Comte Saint Paul.
Le Comte Dampmartin.
Le Connetable, avec plusieurs autres,

les quels etoient là assemblés, tant gens d'Eglise, comme Nobles, avec tres grande multitude de peuple de Paris, si vinrent tous ensemble à la ditte Eglise des Guillemins, & là les principaux de la famille du dit Duc d'Orleans prirent son corps avec le cercueil, & le mirent hors, & avec grand nombre de torches allumées, les quelles portoient les Escuiers du deffunt; & à chacun lez du corps, etoient, par ordre faisant grands pleurs & gemissemens, c'est à sçavoir le Roy Loüis, le Duc de Berry, le Duc de Bourgongne, le Duc de Bourbon, chacun d'eux tenant la main au drap qui étoit dessus le cercueil; & apres eux étoient, par ordonnance, chacun selon son état, les Princes, le Clergé, les Barons, tous recommandans son ame à Dieu nostre Createur: & le porterent, en icelle maniere, jusques à l'Eglise des Celestins. Et là, après son Service fait tres solemnellement, fut enterré tres honorablement en une Chapelle tres-excellente, la quelle il avoit fait faire & fonder. Et après iceluy Service fait, & accompli, les Princes dessus dits, & tous les autres, se retrahirent, chacun en leurs Hostels.

Comme le Duc de Bourgongne declara au Roy de Sicile, & au Duc de Berry, que c'étoit luy qui avoit fait tuer le Duc d'Orleans.

Extraict du premier Livre, ou Volume des Croniques de Monstrelet, Chap. XXXVI.

1407. xxiv. xxv. & xxvi. Nov. APres que le Service de mort du Duc d'Orleans fut fait & accompli dans l'Eglise des Celestins, les Princes se retrahirent, chacun en leurs Hostels, si étoient en grand soupçon de sçavoir la verité du dit homicide: & de prime face, fut aucunnement soupçonné que Messire Aubert de Canny ne fut coupable, pour la grande haine qu'il avoit au dit Duc, à cause que audit Messire Aubert avoit sa femme soustraite & emmenée avec luy, & tant avoit tenuë icelle Dame en sa compagnie, qu'il en avoit un fils; du quel, & de son gouvernement sera fait mention cy-apres. Mais en assez brief temps en suivant, on sçeut la verité du dit homicide, & que le dit Sieur de Canny n'en etoit en rien coupable.

En ce même jour, Isabelle Reine de France, quand elle sçeut les nouvelles du dit meurtre & homicide fait si près de son Hostel, receut si grande fureur * & hideur, que nonobstant qu'elle ne fut encore purifiée, neanmoins se fit mettre sur une litiere, par son frere Louis de Bavieres, & autres de ses gens, & en son Hostel de Saint Paul se fit porter, en la chambre proche de la chambre du Roy, & pour plus grande eureté, se logea: & même, la nuit que le meurtre fut perpetré, il y eut plusieurs Nobles qui s'armerent, comme le Comte de Saint Paul, & plusieurs autres, lesquels se retrahirent en l'Hostel du Roy leur Souverain Seigneur, non sçachant quelle chose d'icelle besoigne s'en pourroit ensuivir.

En-après le corps du dit Duc d'Orleans mis en terre, s'assemblerent tous les Princes, en l'Hostel du Roy Loüis, avec le Conseil Royal: & là fut A mandé le Prevost de Paris, & autres gens de Justice, aux quels fut commandé par les dits Seigneurs, qu'ils fissent bonne diligence, d'enquerir si par nulle voye on pourroit appercevoir qui avoit été l'auteur, ne les complices de faire cette besogne; & avec ce, fut ordonné que toutes les portes de Paris, reservé une, ou deux, fussent fermées, & que icelles deux fussent bien gardées pour sçavoir qui en issiroit.

Les dits Seigneurs, & le Conseil Royal se retrahirent tout confus, & en grande tristesse en leurs Hostels. Et le lendemain, qui fut le Vendredy, vingt cinquiesme du dit Mois de Novembre, se rassembla le dit Conseil, à l'Hôtel du Roy de France, à Saint Paul. Avec lui etoient le Roy Loüis, le Duc de Berry, de Bourgongne, & de Bourbon, & moult d'autres grands Seigneurs, avec le dit Conseil Royal. Et tantot après vint le Prevost de B Paris, auquel le Duc de Berry demanda quelle diligence il avoit fait, sur l'occision faite dessus si grand Seigneur, comme le seul Frere du Roy; le quel repondit qu'il avoit fait la plus grande diligence qu'il avoit pû, mais encore n'en pouvoit sçavoir la verité, disant au Roy, & à tous les Seigneurs, que si le laissoit entrer en tous les Hostels des serviteurs du Roy, & aussy des autres Princes, par aventure, comme il croit, trouveroit-il la verité des acteurs, ou des complices. Et le Roy Loüis, le Duc de Berry, & le Duc de Bourbon luy donnerent congé, & licence d'entrer par tout, où bon luy sembleroit. Et à donc, le Duc Jean de Bourgongne, oyant la licence qui fut octroyée par iceux Seigneurs, au Prevost de Paris, eût doutance & tremeur: & pour ce attrait à part le Roy Loüis, & le Duc de Berry son Oncle, & en brief leur confessa, & dit que par l'introduction de l'ennemy, si avoit fait faire cet homicide, par Rollet d'Au- C tonville, & ses complices. Les quels Seigneurs, oyans cette confession, eurent si grande admiration, & tristesse au cœur, qu'à peine luy peurent donner reponse; & ce qu'ils luy en donnerent, ce fut en tres grandement reprouvant la condition, & maniere du tres cruel homicide, ainsi par luy perpetré, en la personne de son propre Cousin germain. Et après qu'ils eurent ouy la connoissance du dit Duc de Bourgongne, retournerent devers le Conseil, & ne declarerent pas presentement ce qui leur avoit esté dit; & brief en suivant, le dit Conseil finé, chacun en son Hostel s'en retournerent.

Le lendemain, qui fut le Samedy environ dix heures devant None, furent les Seigneurs dessus dits assemblez en l'Hostel de Nesle, où estoit logé le Duc de Berry, pour tenir le Conseil Royal; au quel lieu, pour être à iceluy Conseil vint le Duc de D Bourgongne, ainsy qu'il avoit accoutumé, le Comte Valleran de Saint Paul en sa compagnie. Mais quand il vint à entrer dedans, son Oncle le Duc de Berry luy dit: „ Beau Nepveu, n'entrez pas au „ Conseil pour cette fois, il ne plaist mie bien à „ aucuns qu'y soyez: „ & sur ce, le Duc de Berry rentra dedans, & fit tenir huys fermés, ainsi qu'il avoit eté ordonné par le Grand Conseil. Et alors le Duc Jean de Bourgongne tout confus, & en doute, demanda au Comte Valleran de Saint Paul:

* *forte* fraieur.

„ Beau Cousin, qu'avons nous à faire sur ce que „ voyez? Et Le Comte luy repondit: „ Monseigneur, vous avez à vous retraire en votre „ Hostel, puisqu'il ne plaist à nos Seigneurs que „ soyez au Conseil avec eux. „ Et le dit Duc luy dit, en telle maniere: „ Beau Cousin retournez avec Nous, pour Nous accompagner. „ Et le Comte Valleran luy fit reponse en la maniere qui s'ensuit: „ Monseigneur, pardonnés „ moy, j'iray vers nos Seigneurs au Conseil, qui „ m'ont mandé. „ Et aprés ces paroles, le dit Duc de Bourgongne, en grande doutance, s'en retourna en son Hostel d'Artois, afin qu'il ne fut ne arresté, ny pris: sans delay, monta à cheval, six de ses hommes étant seulement en sa compagnie, & par la porte de Saint Denys se partit, & tres hastivement chevaucha, en prenant aucuns chevaux nouveaux, sans s'arréter à nulle place, jusque à son Chatel de Bapaulme: & quand il y eut un petit dormy, s'en alla, sans delay, à l'Isle en Flandres, & ses gens qu'il avoit laissé au dit lieu de Paris, au plustot qu'ils purent, ayant tres grande honte d'être arrestés & pris, le suivirent, & pareillement Rollet d'Autonville & ses complices, leurs vestemens changés, & deguisés, se partirent de Paris, par divers lieux, & tous ensemble, s'en allerent loger dans le Chatel de Lens en Artois, par l'ordonnance de Jean Duc de Bourgongne leur Seigneur & Maistre. Ainsy, & par telle maniere se departit iceluy Duc, aprés la mort du dit Duc d'Orleans, de la ville de Paris, en petite compagnie: & laissa en icelle ville la Seigneurie de France en grande tristesse & deplaisance. Toutefois ceux de l'Hostel du dit Duc d'Orleans mort, quand ils oüirent le departement secret du dit Duc de Bourgongne, s'armerent jusques au nombre de six vingt hommes d'armes, desquels etoit l'un des principaux, Messire Clugnet de Brabant, & eux montés à cheval issirent de Paris, pour suivir le dit Duc de Bourgongne, à intention de le mettre à mort s'ils l'eussent pû atteindre: mais à ce faire leur fut par le Roy deffendu, & pour icelle cause, s'en retournerent grandement courroucez en leurs Hostels. Si fut alors par toute la ville denoncé, & tout commun, que le dit Duc de Bourgongne avoit fait faire le dit homicide. Et adonc le peuple de la ville de Paris, qui n'etoit pas bien content du dit Duc d'Orleans, pource qu'ils entendoient que par son moyen les tailles, & tous les autres subsides s'entretenoient, commencerent à dire l'un à l'autre, en secret: *le Baston Nantilleux est plané*. Cette douloureuse mort fut l'Année du grand hyver, l'an 1407. & dura la gelée soixante & six jours en un tenant tres terrible, & tant qu'au desgeler, le Neuf-pont de Paris fut abbattu en Seine, & moult firent icelles eaües & gelées de grands dommages, en plusieurs & diverses contrées.

Narré particulier de ce qui se passa, & fut dit au Conseil, par le Docteur Jean Petit; lorsqu'il y fut ouy & receu à dire, & proposer les Justifications du Duc de Bourgongne, sur le sujet de la mort du Duc d'Orleans.

Extraict du premier volume des Chronique d'Enguerrant de Monstrelet, Chap. XXXIX.

1408. VIII. Martii. LE Duc de Bourgongne ayant jugé à propos de se retirer de France, aprés l'adveu qu'il avoit fait de l'homicide du Duc d'Orleans; au sortir de Paris, s'en alla à l'Isles en Flandres, où il fit assembler tous les Nobles & Clercs de son Conseil, pour avoir avis sur le fait de la mort du Duc.

De-là, il alla à Gand, où il manda tous les trois Estats de Flandres, & leur fit remontrer par Maistre Jean de Saneson, comme, & pourquoy il avoit fait tuer le Duc, & leur demanda assistance, qui luy fut promise par eux, comme aussy par ceux de Doüay, & d'Artois.

En suitte de là il se trouva à la conference d'Amiens, avec Loüis Roy de Sicile, & le Duc de Berry, pour y traitter quelque accommodement: & là assisté de Maistre Jean Petit, & deux autres Docteurs en Theologie, soutint que chose licite étoit ce qu'il avoit fait au Duc d'Orleans, & que s'il ne l'eut fait, tres grandement il eut peché, & en devoit étre remuneré; & fut ainsy la Conference finie & rompuë sans fruit; seulement il luy fut fait deffenses de par le Roy, de venir à Paris, s'il n'y étoit mandé par sa Majesté.

Cette affaire fit diverses impressions dans l'esprit des François, selon la diversité des affections que chacun avoit, ou à la Maison d'Orleans, ou à la Maison de Bourgongne; les Parisiens favorisans fort le Bourguignon, par la haine qu'ils sembloient porter au Duc d'Orleans, à cause de la creance qu'on avoit de luy, qu'il etoit cause des tailles & subsides que l'on imposoit sur le peuple.

Quoy qu'il en soit, le Duc de Bourgongne, nonobstant les deffences qui luy avoient eté faites, vint à Paris, bien accompagné; à l'entrée de la quelle fut demené grande joye par les Parisiens, & mémement les petits enfans, en plusieurs carrefours, à haute voix crioient, *Noël*, & alla loger à l'Hostel d'Artois.

Depuis ayant demandé audiance au Roy, pour etre ouy en ses faits justificatifs, jour luy fut assigné, au huitiéme de Mars de la méme Année 1407. au quel jour, en l'Hostel de St. Paul, present en etat Royal le Duc de Guienne, Dauphin de Viennois, Fils aisné du Roy; le Roy de Sicile; le Cardinal de Bar; les Ducs de Berry, de Bretagne, & de Loraine, avec quantité de Noblesse, le Recteur de l'Université, & nombre de Docteurs, & Bourgeois.

Jean Petit, pour luy, dit & remontra les obligations, que le Bourguignon avoit au Roy, de proche parent, de vassal, de sujet, qu'il etoit Baron, Comte, Duc, Pair & Doyen des Pairs, & allié par deux Mariages avec sa Majesté; & que pour ce, il etoit obligé de l'aimer, servir, obeir, & le deffendre de ses ennemis; qu'il en avoit receu le commandement de son Pere, avec sa benediction, lors de son deceds, & qu'aussy seroit bien faché de desobeïr, & deplaire en quoy que ce fut à sa Majesté, & que ce qu'il avoit entrepris contre le Frere du Roy, ç'avoit été pour le tres-grand bien de la Personne du Roy & de ses enfans, & de tout le Royaume.

Puis, avec une multiplicité de langage, dit que convoitise & avarice etoit la racine de tous les maux. Les crimes de leze Majesté, divine & humaine, etoient les plus grands; que le crime de leze Majesté divine etoit double, & party en premier, & second chef: que le premier chef etoit, lorsque l'on fait injure à Dieu, comme font les heretiques & idolatres; que le second chef est, lorsque l'on fait injure à l'Eglise son Epouse, comme font les schismatiques.

Item, que le crime de leze Majesté humaine etoit aussy party & divisé en quatre chefs.

Que le premier chef etoit, quand le crime est

est directement fait contre la personne du Roy.

Le second, quand il est directement fait contre la personne de la Reyne.

Le troisiéme, quand il est directement fait contre la personne de ses enfans.

Le quatriéme, quand il est directemens fait contre le bien de la chose publique.

Que ces crimes etoient si horribles & si abominables, qu'ils ne perissoient point par la mort, comme les autres, & qu'un homme pouvoit estre accusé & jugé aprés son deceds ; & s'il étoit convaincu, il devoit estre desenterré, & ses os mis dans un sacq, apportés à la Justice, & ars en un feu.

Et outre ce, en fait de crime de leze-Majesté humaine, que tous les biens meubles & immeubles du coupable devoient estre confisqués, & acquis au Prince, & ses enfans declarés inhabiles à toute succession, & que la convoitise etoit cause de tous ces maux. Ce qu'il prouva pour le regard du crime de leze-Majesté divine, par les exemples de Julien l'Apostat ; du Moine Sergius compagnon de Mahomet ; & du Prince Zambri, de la Tribu de Simeon ; qui tous par convoitise, avoient ou apostasié, ou idolatré.

Et pour le regard du crime de leze-Majesté humaine, il verifia par le fait de Lucifer, & par les exemples d'Absalon, & d'Athalia Reyne de Jerusalem, dont celuyla fit party contre son Pere, & cette cy fit mourir ses enfans, pour tenir seule l'Etat & jouir de leur Domaine.

En suitte, pour entrer en justification du Duc de Bourgogne, il fit huit Propositions veritables, ou pour mieux dire, il proposa huit verités.

La Premiere Verité.

QUe tout sujet & vassal, qui par convoitise, barat, sortilege & malengin, machine contre le salut corporel de son Roy, & Souverain Seigneur, pour luy tollir, & distraire sa tres noble Seigneurie, il peche si griefvement, & commet si horrible crime, comme crime de leze-Majesté Royalle au premier degré, & par consequent il est digne de double mort, premiere, & seconde.

La Seconde Verité.

JAçoit que au cas dessus dit, soit tout sujet & vassal digne de double mort, & qu'il commette si horrible mal qu'on ne le pourroit trop punir ; toutefois est plûs à punir un Chevalier qu'un simple sujet, en ce cas ; un Baron qu'un simple Chevallier ; un Comte qu'un Baron ; & un Duc qu'un Comte ; le Cousin du Roy qu'un etranger ; le Frere du Roy qu'un Cousin ; & le Fils du Roy que le Frere.

La Troisiéme Verité.

AU cas dessus dit en la premiere verité, il est licite à chacun sujet, sans quelque Mandement, selon les Loix moralle, naturelle & divine, d'occire, ou faire occire iceluy trahistre desloyal, & tyran ; & non pas seulement licite, mais honnorable, & meritoire, mémement quand il est de si grande puissance, que justice n'en peut bonnement estre faite par le Souverain.

La Quatrieme Verité.

IL est plus meritoir, honnorable, & licite, qu'iceluy tyran soit occis par un des parens du Roy, que par un estranger, qui ne seroit point du sang Royal, & par un Duc que par un Comte, & par un Comte que par un Baron, & par un Baron que par un simple Chevallier, & par un simple Chevallier que par un simple homme.

La Cinquieme Verité.

EN cas d'Alliances, sermens, promesses & de Confederations faites de Chevallier à autre, en A quelque maniere que ce soit, ou puisse estre, s'il advient que icelles tenir, & garder, tourne au prejudice de son Prince, & de ses enfans, ou de la chose publique, n'est tenu nul de les garder ; ains les tenir & garder, en tel cas, seroit fait contre les Loix moralle, naturelle & divine.

La Sixiéme Verité.

AU cas dessus dit des dittes Alliances, s'il advient que les dittes Alliances, ou Confederations tournent au prejudice de l'un des promettans, ou concedans ; de son epouse, ou de ses enfans, il n'est tenu en rien de les garder.

La Septiéme Verité. B

IL est licite à un chacun sujet, honnorable, & meritable, occire le tyran, trahistre dessus nommé, & desloyal à son Roy, & Souverain Seigneur, par aguet, cautelle & epiément ; & si est licite de taire, & dissimuler sa sienne volonté d'ainsy faire.

La Huitieme Verité.

QUe tout sujet, ou vassal, qui penséement machinent contre la santé de leur Roy, & Souverain Seigneur, de le faire mourir en langueur, par convoitise d'avoir sa Couronne & Seigneurie, fait consacrer, ou (à plûs proprement parler) fait exercer espées, dagues, badelaires, ou C cousteaux, verges d'or, ou anneaux, & dedier au nom des diables, par necromance, faisant invocation de characteres, sorcelleries, charmes, superstitions, & malefices, & aprés les bouter, & ficher parmy le corps d'un homme mort, & dependu du gibet, & aprés les laisser en la bouche du dit mort, par l'espace de plusieurs jours, est grande abomination & horreur, pour parfaire les dits malefices, & avec ce porter sur soy un drapel cousu, ou lié de poil deshonneste, & plain de la poudre d'aucuns des os d'iceluy mort dependu ; celuy, ou ceux qui le font, ne commettent point seulement crime de leze Majesté humaine au premier degré, mais sont trahistres à Dieu leur Createur, & à leur Roy ; & comme idolatres corrompus, & faussaires de la Foy Catholique, sont dignes de double mort, c'est à-dire, premiere & seconde, mémement quand les dittes sorcelleries, ou superstitions, ou malefices sortissent leurs effets en la personne du Roy, par le moyen, & malle foy des dits D machinans.

Apres quoy, le même Jean Petit proposa encore neuf corollaires, de même nature & matiere, que les huit verités.

Enfin, descendant au fait particulier du Duc d'Orleans, il dit qu'il avoit esté tant embrasé de convoitise, & d'honneurs vains, & richesses mondaines, c'est à sçavoir d'obtenir pour soy, & sa generation, & de tollir, & soustraire pour soy, la tres noble, & tres haute Seigneurie de la Couronne de France du Roy nostre Sire ; qu'il avoit machiné, & estudié par convoitise, barat, sortilege, & malengin, à detruire la personne du Roy

nostre Sire, de ses enfans, & generation, & encore qu'il avoit esté si eprins de convoitise, tyrannie, & tentation de l'ennemy d'enfer, que comme tyran à son Roy & Souverain, il avoit commis crime de leze-Majestaté divine & humaine, en tous les chefs & degrés. Que pour le regard du crime de leze-Majesté divine, il en laissoit la connoissance & justice à Dieu. Mais quant au crime de leze-Majesté humaine, il soutint que le Duc d'Orleans y estoit tombé en tous les quatre chefs, & raporta de luy des choses si abominables, en fait A de sortilege, & empoisonnemens, le chargea de crimes si etranges, & le taxa de si grandes perfidies, & machinations contre le Roy, la Reyne, les enfans de France, & l'Etat, qu'il ne s'en peut dire plus.

Si conclud, que le Duc de Bourgongne ne devoit en rien être blamé, ny repris du dit cas advenu en la personne du dit Duc d'Orleans criminel, comme il disoit, & que le Roy même n'en devoit pas estre mal content; qu'au contraire il devoit l'avoir agreable & authoriser, & encore le guerdonner en trois choses; en amour, en honneur, & en richesses, à l'exemple des remunerations qui furent faites à saint Michel & à Phinées: & pour ce, que sa Majesté devoit sa renommée & bonne loyauté faire prononcer par tout le Royaume, & hors du Royaume faire pu- B blier, par Lettres Patentes, par maniere d'Epistre, ou autrement. Iceluy Dieu veüille qu'ainsy soit-il fait.

Ce fut là, & ainsy que finit Jean Petit, lequel requit le dit Duc de Bourgongne qu'il le voulsist advoüer, ce que le Duc luy accorda, & advoüa, en la presence du Dauphin, qui là representoit la personne du Roy de Sicile, avec tous les autres par-dessùs nommés.

Et tost aprés, le Roy Charles, qui grand espace avoit esté malade, retourna en santé; devers le quel iceluy Duc se retrahit, & trouva la maniere qu'il fut racordé & reconcilié avec luy, & impetra, & aussy obtint Lettres scellées du Scel du Roy, & signées de sa main, par lesquelles luy e- C stoit pardonné le cas n'aguieres advenu, en la personne du dit Duc d'Orleans.

Autre narré particulier, de ce qui se passa, & fut dit au Conseil du Roy, lorsque la Duchesse doüairiere & le Duc d'Orleans y furent oüys, & receus à demander Justice, contre Jean Duc de Bourgongne, & ses complices, pour raison du meurtre par eux commis, en la personne du deffunt Duc d'Orleans.

Extrait des Chroniques d'Enguerrand, de Monstrelet.

1408. 11. Aug. LE Duc de Bourgongne, aprés avoir fait pour sa Justification tout ce qui étoit possible, & méme obtenu les Lettres du pardon susdit, partit de Paris, le cinquiéme Juillet, mil quatre cent huit, pour aller à Arras, accompagné de ses deux Freres; neantmoins en indignation de plusieurs Princes, & Gouverneurs du Royaume.

Le Onziéme Aoust ensuivant, vint au dit lieu de Paris la Duchesse d'Orleans doüairiere, & sa belle-fille Isabelle, l'aisnée fille du Roy de France, accompagnée de plusieurs gens notables, Chevaliers & autres, tous vestus de deüil; à l'encontre des quels issirent tous les Princes, qui les conduirent & menerent devers la Reyne & le Duc d'Aquitaine, pour eux faire Requeste, qu'ils pussent avoir Justice & raison, de la piteuse mort du Duc d'Orleans dessus dit deffunt, & aussy faire répondre & proposer à l'encontre de ce que le Duc Jean de Bourgongne avoit fait proposer, proclamer & divulguer contre le dit Duc publiquement n'aguieres, contre son Seigneur & mary.

Le dix neuf du dit Mois, arriva aussy à Paris le Duc d'Orleans, avec trois cent hommes d'armes, alla descendre au Louvre, y salua la Reyne & le Duc d'Aquitaine son Fils, aux quels il recommanda sa besogne & sa personne moult honnorablement, comme il appartenoit; & puis prestement de là luy partant, s'en alla voir la Duchesse sa Mere, & sa femme & tant continuerent de faire Requeste au Roy & à son Conseil, affin qu'il leur fist Justice du Duc Jean de Bourgongne & de ses complices, qu'elle leur fut accordée par le Roy; & eurent jour & Audiance, pour proposer tout ce qu'il leur plairoit à l'encontre du dit Duc, & de ses complices. Et à donc le Duc d'Aquitaine, representant la personne du Roy, etant sa Mere, par le commandement du Roy, etant en habit Royal, en la grande Salle du Chatel du Louvre, presens les Ducs de Berry & de Bourbon, les Comtes d'Alençon, de Clermont, de Mortagne, & de Vandosme, & plusieurs autres Chevalliers, le Recteur de l'Université de Paris, & tres grande multitude d'autres gens; la ditte Duchesse doüairiere accompagnée de son Fils le Duc d'Orleans, de Messire Pierre l'Orfebvre son Chevallier, de Maistre Pierre Cousinet Advocat en Parlement, & plusieurs autres gens & familiers, fit lire par l'Abbé de saint Fiacre, de l'Ordre de Saint Benoist, les choses contenuës en un Livre écrit en François à luy baillé à sa main, devant tous qui là etoient, confermées par les dits des Prophetes, des Saints, de l'un & de l'autre Testament, de Philosophes, & Histoires, publiquement, haut, & mot apres autres.

Ce Livre etoit divisé en trois parties, & en trois membres principaux. Au premier membre, il etoit dit que les Roys, comme Souverains, sont tenus de faire Justice à tous leurs sujets, à la conservation de la paix, sous sa tres noble, & tres puissante Seigneurie. Au second membre, il etoit dit & montré comme le Duc de Bourgongne ceux à luy favorables, & donnant ayde & conseil, en ce cas, injustement, & honteusement ont occis, ou fait occire Monseigneur le Duc d'Orleans. Au tiers membre, il etoit dit & verifié comme le dit Seigneur d'Orleans, mauvaisement & injustement a esté accusé de plusieurs cas, & singulierement du crime de leze-Majesté, au quel il n'avoit nulle coulpe.

D Le premier membre qui regarde Justice, contenoit six raisons, pour les quelles le Roy etoit obligé à faire justice à la Dame Duchesse doüairiere, & Duc d'Orleans son Fils.

La premiere, à cause de son office, qui requeroit cela.

La seconde, à cause de l'amour fraternel.

La troisieme, par pitié de la veufve, & orphelin.

La quatrieme, à cause de l'enormité du cas.

La cinquieme, à cause de la consequence.

La sixiéme, à cause de la malice & orgueil du Bourguignon, qui vient plaider l'espée au poing.

Le second membre, qui regarde malice du Duc accu-

accusé, contient aussy six raisons, pour montrer l'enormité du fait, & comme il ne peut estre reparé.

La premiere, que le Duc Jean n'avoit authorité de ce faire.

La seconde, parce qu'il a procedé sans ordre de Justice, & forme de procés.

La troisiéme, parce qu'ils étoient proches parens & avoient juré solemnellement, & promis amitié l'un à l'autre.

La quatriéme, que cette mort a été soudaine & precipitée, & a osté le moyen au deffunt de penser à soy.

La cinquiéme, parce que ce meurtre a esté fait par ambition, & haine du Bourguignon contre le deffunt.

La sixiéme, en ce que le Bourguignon non seulement l'a tué, mais encore après sa mort il le veut rendre criminel, & luy oster sa bonne renommée.

Le tiers membre, qui excuse le deffunt & touche son innocence, contient aussy six fausses accusations faites contre le Duc d'Orleans, & six raisons, pour montrer que le Duc de Bourgongne l'a faussement accusé.

La premiere, parce qu'il étoit bon Chrétien.

La seconde, parcequ'il n'étoit point schismatique.

La troisiéme, parce qu'il n'estoit point sorcier, ny empoisonneur, ny parricide, & qu'il n'a jamais fait aucune alliance avec l'Anglois, Henri de Lancastre, ny obtenu de billets du Pape, au prejudice du Roy & de sa lignée.

La quatriéme, parce qu'il a toujours honnoré la Reyne.

La cinquiéme, parce qu'il etoit innocent de la mort du Dauphin.

La sixiéme, parce qu'il n'avoit rien fait contre le bien publicq.

Ce Livre, ou Requeste finissoit en ces mots. „ *Et c'est la cause pourquoy Madame d'Orleans, & „ ses fils vinrent a toy, Sire Roy, & a vous tous du „ Sang, & Conseil Royal, en vous suppliant que vous „ veüilliés considerer l'injure faite a iceux, & icelle „ reparer, en la maniere qui tantot vous sera requise „ par son Conseil, & par toutes autres manieres qu'il* A „ *pourra estre fait; affinque par tout le monde soit di- „ vulgué, que Monseigneur d'Orleans son Mary fut oc- „ cis cruellement & injustement, & etant accusé & „ diffamé faussement: en ce faisant, vous ferés vôtre „ devoir, comme vous y estes tenus, dont vous pourrés „ acquerir la vie Eternelle.*

Ce Livre leu, le Chancellier de France ayant enjoint, de par le Roy, à Guillaume Cousinet Advocat & Conseiller de Madame d'Orleans, qu'il fist presentement ses Conclusions civiles, telles que bon luy sembleroit, & iceluy les ayant faites & requises (sauf au Procureur General d'en prendre de criminelles) le Conseil des Seigneurs du Sang Royal, & d'autres du Conseil du Roy, là etant presens; le Duc d'Aquitaine fit repondre par le Chancellier à la ditte Dame d'Orleans, que luy comme B Lieutenant du Roy, en cette partie, & representant sa personne, & les Seigneurs du Sang & du Conseil du Roy étoient bien contens d'elle, pour le fait de son Seigneur & Mary, jadis Duc d'Orleans; & qu'iceluy tenoient pour bien excusé & dechargé. Et de fait bien peu après, celuy méme jeune Duc d'Orleans Charles, fit hommage à la ditte Duchesse d'Orleans de ses Comtés, & autres terres à Charles Roy de France son Oncle: & pour le regard des autres choses par luy requises, il fut dit qu'on luy feroit bonne & briefve expedition de Justice, tant que de ce par raison on devroit être content.

JUSTIFICATIO DUCIS BURGUNDIÆ,

Super Cæde

DUCIS AURELIANENSIS.

PER

MAGISTRUM JOANNEM PARVI

Doctorem in Theologia.

Recitata die VIII. Martii 1408. Coram Rege.

1408. VIII. Martii. PUD Illustrissimam, Præcelsissimamque Regiam Majestatem, sicut verus subditus & obediens suo Regi & supremo Domino metuendissimo, Dominus meus, Dominus Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Artesii, & Burgundiæ, bis Par Franciæ, & Decanus Parium, hùc accessit humillimè, & in omni humilitate, pro ei faciendo reverentiam, servitium, & omnem obedientiam, sicut tenetur, & obligatur quatuor obligationibus, quas ponunt communiter Doctores Sacræ Theologiæ, Jurium Canonici & Civilis: quarum obligationum prima est, proximi ad proximum, quâ quilibet tenetur proximum non offendere.

Secunda est, cognatorum ad illos de quorum genere geniti, vel procreati sunt, quâ tenentur parentes suos non solùm non offendere; sed etiam deffendere, saltem verbo.

Tertia est, vassallorum ad Dominum, quâ tenentur non solùm non offendere suum Dominum, & verbo deffendere; sed etiam deffendere facto.

Quarta est, subjectorum ad Principem, quâ tenentur non solùm non offendere Principem, verbo, & facto deffendere; sed etiam Principis, injurias vindicare.

Modò dictus Dominus Burgundiæ est bonus Catholicus, & fidelis homo, Dominus bonæ vitæ, & honorabilis, & in Lege Christiana, Rex est suus proximus, per quod tenetur eum diligere sicut se ipsum, & cavere ab ejus offensa.

Item, ipse est suus consanguineus, adeò sibi propinquus, sicut suus cognatus germanus; & per hoc obligatur non solùm cavere ab ejusdem offensa; sed etiam eum deffendere, saltem verbo, contra omnes, qui sibi haberent injuriam, vel offensam.

Tertiò, ipse est vassallus suus, & ob hoc, per tertiam obligationem, ipse non tantùm tenetur eum deffendere verbo; sed etiam facto, & ex omni posse.

Quartò, ipse est suus subditus, propter quod, ratione quartæ obligationis, quæ includit in se tres primas obligationes ante dictas, ipse non modò tenetur eum tueri verbo & facto, contra suos inimicos; sed etiam tenetur eum vindicare de illis qui sibi faciunt injurias, vel fecerunt, vel machi- A nati sunt, & machinantur facere, in casu quo veniret ad suam notitiam: & adhuc ultra, ipse obligatur Illustrissimæ, Præcelsissimæque Regiæ Majestati, pluribus aliis obligationibus, quàm quatuor suprà dictis; quia recepit, & recipit, de die in diem, tot bona & donaria à Regia Majestate & magnificentia, non tantùm sicut suus propinquus consanguineus, vassallus & subjectus, sicut dictum est; sed sicut suus humillimus Miles, Baronus, Comes, Dux, & bis Par Franciæ, & non modò Par Franciæ bis, sed Decanus Parium, quæ est B prima prærogativa Nobilitatis, & Dignitatis in hoc Regno, ratione Dominii, post Coronam, & adhuc plùs Rex eum honoravit, & ei ostendit grande signum amicitiæ, quòd fecit eum Patrem, in Lege Matrimonii Nobilissimi & Potentissimi Principis, Domini Ducis Aquitaniæ, & Delphini Viennensis, sui primogeniti & heredis filii, ex una parte; & primogenitæ filiæ dicti Domini, ex altera; & Dominæ Michaëlæ de Francia, & unici filii dicti Domini, & sicut Sanctus Grego- C rius: *Cùm crescunt dona, etiam rationes crescunt donorum.*

Ipse obligatur, inter ceteros mortales, ad eum custodiendum, deffendendum, & vindicandum de omnibus injuriis, juxta posse suum: & ipse benè recognovit, recognoscit, & recognoscet semper, Deo dante, & habebit in corde suo, & memoria, obligationes suprà dictas, quæ sunt duodecim numero,

mero: scilicet, proximus, consanguineus, vassallus, subditus, Baro, Comes, Dux, Par, Comes Par, & Decanus Parium; & duo Matrimonia, sunt obligationes per quas obligatur ipsum diligere & servire, obsequi, & portare obedientiam, honorem & reverentiam, eum deffendere adversùs omnes suos inimicos, nec tantummodò deffendere, sed etiam vindicare, & vindictam sumere.

Et insuper Princeps nobilissimæ memoriæ, defunctus Dominus Burgundiæ Pater suus, laborans in extremis, sibi præcepit, quòd super omnia, A post salutem animæ suæ, ipse poneret cor suum, voluntatem animi, corpus & potentiam, & exponeret, quamdiù viveret, ad fideliter custodiendum personam Regis, suos liberos, & Coronam, quia ipse timebat maximè quòd sui adversarii, qui moliebantur sibi tollere Coronam & Dominium, non essent, post obitum suum, fortiores quàm ipso vivente: ideò voluit obligare in lecto mortis, per Præceptum Paternum, suos filios, ad resistendum in oppositum.

Nec debet in oblivionem venire maxima fidelitas metuendissimorum Dominorum Bituriæ & Burgundiæ, ultimò defuncti, qui adeò dulciter, securè, sapienter, & fideliter custodierunt Regem, nutrierunt, & gubernaverunt, tempore suæ infantiæ, quòd nunquàm unum verbum, vel imaginatio suspectionis prævæ fuerit pensata, vel dicta contra personas suas. Quapropter, his rebus consideratis, dictus Dominus Burgundiæ non posset habere in hoc mundo majorem dolorem suo, vel majorem displicentiam, quàm facere aliquid quod Regi debeat displicere, vel propter quod contra eum capiat indignationem.

Et quia fortè aliqui possent dicere quòd per suggestionem, vel introductionem aliquorum suorum malevolentium, Rex cepisset in corde suo aliquam displicentiam, occasione facti quod accidit in persona defuncti Ducis Aurelianensis ultimò defuncti, quod fuit factum propter bonum maximum personæ Regis, suorum liberorum, & totius Regni, sicut hîc inferiùs ostendetur, & declarabitur, tantùm & adeò quòd debebit benè sufficere: ipse supplicat humillimè Regi, quòd velit deponere omnem displicentiam de corde suo nobilissimo, si aliquid conceperit contra personam suam, per introductionem ante dictam, vel aliàs; & quòd Rex velit ei monstrare dulcedinem & benignitatem, & eum tenere in amore, sicut suum fidelem subditum, vassallum, & cognatum adeò propinquum, sicut dictum est, attentis pluribus causis & rationibus & veris & justis, quas ego dicam hîc inferiùs, pro justificatione dicti Domini Burgundiæ, de qua me honoravit, per Præceptum adeò expressum, quòd ego non ausus sum abnuere, propter duas causas.

Prima, quia obligor ei servire, per juramentum ei præstitum, abhinc triennium.

Secunda, quia ipse respiciens quòd ego eram modicè beneficatus, mihi dedit quolibet Anno grandem, & bonam pensionem, in auxilium, ad essendum in scholis; de qua pensione ego reperi mihi unam magnam partem necessitatum mearum, & expensarum; reperio adhuc, & reperiam, quando volet, de sua gratia.

Sed quando considero arduissimam materiam, de qua locuturus sum, magnitudinem personarum, quas me oportet tangere in tam nobili & solemni societate, sicut est hîc; &, ex alia parte, ego me prospicio, & considero nudum sensu, carentem memoriâ, debilem ingenio, & pessimè institutum in sermone; unus nimius timor me ferit ad cor, verùm adeò magnus, quòd ingenium meum stupet, memoria fugit, & modicus sensus quem credebam habere, jam me ex toto reliquit; & ita non video aliud remedium, quàm commendare me Deo Creatori, & Redemptori, suæ gloriosissimæ Matri, & Beato Joanni Evangelistæ Magistro & Principi Theologorum, quatenùs me velint instruere, & conducere, & præservare à malè faciendo & dicendo, insequendo consilium Beati Augustini, qui dicit sic, Lib. 4. *de Doct. Christ.* circa finem: *Sive apud Regem, sive ad populum, sive apud aliquos aliquid dicturus, aut lecturus, oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus: sic enim Regina Esther oravit pro sua Gentis temporali salute, apud Regem locutura, ut Deus in os ejus congruum daret sermonem.* Quantò magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro tanti Principis, & Domini salute, in verbo & doctrina laborat.

Et quia ista materia nimis ardua est, & periculosissima, & non interest hominis adeò parvi status, sicut ego sum, de ea loqui; verùm etiam, nec audere movere labia ad loquendum, specialiter in tam illustri, & tam solemni cœtu, sicut est hic. Ego vobis humillimè supplico, Domini mei metuendissimi, quòd si ego dicam aliquid, quod non sit benè dictum, quòd parcatur mihi, & attribuatur meæ simplicitati, ignorantiæ, & non malitiæ, quia Apostolus dicit: 1. Tim. 1. 13. *Ignorans feci, ideò misericordiam consequutus sum?* quia B non auderem loqui de ista materia, nec dicere ea quæ injuncta sunt mihi, nisi esset ex Præcepto Domini mei Burgundiæ.

Posteà ego protestor, quòd ego non intendo injuriari cuiquam, aut cuicumque personæ, vivæ, vel defunctæ. Et si contingat quòd ego dicam aliqua verba sonantia injurias, ego non dicam ex me, nec meo nomine, nec animo injuriandi; sed pro, & in nomine dicti Domini Burgundiæ, & ex Præcepto suo, quantùm sunt ad justificationem suam, & non aliàs.

Sed posset mihi objici, quòd non interest unius Theologi facere dictam justificationem; sed potiùs unius Juristæ. Ego respondeo, quòd nullatenùs meâ interest, qui non sum Theologus; sed si ego essem Theologus, benè posset meâ interesse, attenta una consideratione quam habeo in hac materia, scilicet, quòd omnis Doctor Theologus C tenetur excusare, & justificare Magistrum & Dominum suum, eum deffendere, & tueri suum honorem, & bonam famam, quantùm ratio & veritas se extendunt, præcipuè quando dictus Dominus suus est bonus & fidelis, & ille oberravit.

Ego probo istam considerationem esse veram; quia hoc est officium Magistrorum, & Doctorum in Theologia, prædicare, & dicere veritatem, tempore & loco, & ob hoc vocantur Legis Divinæ Professores, quia inter alios Doctores ipsi magis tenentur profiteri veritatem, & si contingat quòd moriantur pro dicendo veritatem, ipsi sunt veri Martyres. Non est igitur mirum, si obediendo Præcepto dicti Domini Burgundiæ, qui me nutrivit in studio, & adhuc nutriet, Deo dante, ego sibi accommodavi pauperem linguam ad pronunciandum, & dicendum illam Justificationem; quia D si unquam fuit tempus, & locus prædicandi, & dicendi justitiam, & fidelitatem dicti Domini Burgundiæ; jam est tempus, & locus; & illi qui mihi scient malas grates, habebunt magnum peccatum, in videre meo: sed deberet quilibet rationabilis homo habere excusatum. Et in spe quòd nullus sciat mihi malas grates, pro pronunciando, & dicendo dictam Justificationem, accipio istud verbum Beati Pauli Apostoli, 1. ad Timoth. ultimo: *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à Fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Exponuntur sic Gallicè:

Dame convoitise est de tous maux la racine,
Puis qu'on est en ses lacqs, & on tient sa doctrine,
Apostats elle a fait, aucuns tant l'ont aimée
Les autres desloaux, bien est chose damnée.

Hoc verbum propositum continet in se tria.

Primum est, quòd cupiditas est omnium malorum radix, illis quos tenet in suis laqueis.

Secundum est, quòd ipsa fecit aliquos apostatas, scilicet abnegare Fidem Catholicam, & idolatrare.

Tertium est, quòd ipsa fecit aliquos proditores suis Regibus, Principibus, & Dominis superioribus.

Idcircò ego cogito declarare ista tria supra dicta, cum aliquibus veritatibus quæ mihi constituent unam Majorem; & post dictam Majorem, jungam unam Minorem, pro faciendo justificationem dicti Domini Burgundiæ: & ita erunt duæ Partes principales in præsenti proposito.

Prima, erit Major, & secunda Minor.

Prima, continebit quatuor Articulos.

Primus Articulus continebit primum tactum in themate.

Secundus, secundum.

Tertius, tertium.

Et in quarto ponam & fundabo aliquas veritates, per modum Conclusionum, pro meliùs fundando dictam Propositionem, & justificationem dicti Domini Burgundiæ.

Pro primo Articulo declarando, scilicet, quòd avaritia est omnium malorum radix, ego respondeo cuidam instantiæ, quæ posset fieri contra.

Scriptura Sacra sic dicit: *Initium omnis peccati superbia.* Eccli. x. 15. Ergo cupiditas non est radix omnium malorum.

Respondetur, per authoritatem beati Joannis Evangelistæ, qui sic dicit: 1. Joan. II. 15. 16. 17. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo. Et mundus transit & concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.*

Post istam authoritatem beati Joannis, apparet clarè, quòd sunt tres modi cupiditatum, qui includunt in se omne malum, scilicet cupiditas vani honoris, cupiditas mundanarum divitiarum, & cupiditas carnalis delectationis; & ita capiebat Apostolus, in verbo proposito: *Radix omnium malorum* &c. extendendo cupiditatem ad tres modos supra dictos & tactos per beatum Joannem.

Cupiditas vani honoris nihil aliud est quàm mala concupiscentia, & voluntas inordinata tollendi alteri suum honorem & Dominium; & hoc vocatur in authoritate, *Superbia vitæ*; & concludit omnem fastum, vanam gloriam, odium & invidiam: quia quando ille qui accenditur hac cupiditate, non potest adimplere suum inordinatum desiderium, irascitur contra Deum, & eos qui eum impediunt, & committit peccatum iræ, & statim post, concipit contra eum qui tenet Dominium, adeò magnum odium, quòd se disponit ad machinandum in mortem ejus.

Cupiditas mundanarum divitiarum, nihil aliud est quàm concupiscentia, & voluntas inordinata tollendi alteri bona sua mobilia & immobilia, & vocatur *Concupiscentia oculorum*, & includit omnem rapinam, & usuram.

Concupiscentia carnis, est desiderium inordinatum habendi carnalem delectationem, quæ aliquando est in accedia, sicut de Monacho, qui non patitur surgere ad Matutinas, quia tædiosior est in lecto suo. Aliquando in gula, sicut de illo qui nimis comedit, & bibit, propter dulcem saporem. Aliquando in luxuria, pluribus modis quos non oportet exprimere. Et ita apparet verus Articulus primus, in quo dicebam quòd *Cupiditas* est vera *radix omnium malorum*, eam accipiendo sicut accipiebat Apostolus, quando dicebat: *Radix omnium malorum, &c.* Et hæc de primo Articulo hujus Partis.

A Pro ingressu secundi Articuli Majoris, pono unam suppositionem. Maximum peccatum possibile, est crimen læsæ Majestatis Regiæ; & ratio est, quia excellentior Rex, & dignior quàm esse potest, est Regia Majestas, & ideò non potest fieri majus peccatum & crimen, quàm ei injuriari; & sicut injuria est major, crimen est majus, & magis puniendum. Quamobrem sciendum est, quòd duplex est Regia Majestas. Quædam est divina, & perpetua; alia humana & temporalis: & proportionaliter, duplex est crimen læsæ Majestatis, scilicet divinæ & humanæ.

Item, sciendum est quòd crimen læsæ Majestatis duplex est. Primum, quando fit directè injuria supremo Regi Deo Creatori nostro, sicut faciunt illi qui committunt hæresim & idolatriam. Secundum est, quando fit injuria directè contra

B sponsam nostri supremi Regis, Domini nostri Jesu Christi; & est, quando ponitur schisma, vel divisio in Ecclesia. Itaque volo dicere quòd hæretici & idolatræ committunt crimen læsæ Majestatis in primo gradu; & schismatici in secundo.

Item, sciendum quòd crimen læsæ Majestatis humanæ dividitur in plures gradus, quorum ego tangam quatuor. Primus est, quando injuria fit directè contra personam Principis. Secundus est, quando injuria fit directè contra personam sponsæ suæ. Tertius est, quando est directè contra personam suorum liberorum. Quartus est, quando offensa est directè contra Rempublicam.

Ulteriùs est sciendum, quòd quia in criminibus læsæ Majestatis divinæ & humanæ, peccata & crimina sunt horribiliora, quæ possunt esse; Jura ordinaverunt certas pœnas majores, quàm pro aliis criminibus, scilicet quòd in casu hæresis & criminis læsæ Majestatis divinæ, unus homo po-

C test accusari post mortem, & potest fieri processus contra eum: & si contingat quòd convincatur de hæresi, debet effodi & dehumari, & sua ossa poni in sacco & deferri ad patibulum, & omnia sua bona mobilia & immobilia, debent confiscari, & acquiri Principi, & sui liberi declarari inhabiles ad omnem successionem.

Hac distinctione criminis læsæ Majestatis præsupposita, volo probare secundum Articulum dictæ Majoris, per exempla, & autoritates, scilicet quòd Domina cupiditas plures esse facit apostatas, abnegare Fidem Catholicam, & idolatrare. Et quamvis inveniam plura exempla, quia longa relatu essent omnia, me restringam ad tria.

Primum exemplum est de Juliano Apostata, qui primò fuit Christianus & vir Ecclesiasticus,

D sed pro perveniendo ad Imperium, ipse abnegavit Fidem Catholicam, & adoravit Idola improperando Christianis, pro colorando suam malitiam & cupiditatem; „ Christus vester dixit in E„ vangelio suo; *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. XIV. 33. innuendo, postquam milites estis Christiani; nihil debetis possidere. Et sciatis quòd ille Julianus fuit homo Ecclesiasticus, maximus Clericus, & nobilissimi generis; & dicitur quòd fuisset Papa,

si voluisset; sed non curavit, quia tùm non erat nisi pauperies in Papatu: sed ditior, & nobilior res mundi, erat Imperium, & ita desideravit ipsum. Et quia consideravit quòd pagani erant fortiores, nec paterentur quòd Christianus imperaret, abnegavit Baptismum & Fidem Catholicam, & se reddidit paganum, adoratorem idolorum, persecutorem Christianorum, & blasphematorem nominis Jesu Christi, considerans, quòd per hoc medium, futurus erat Imperator. Contigit igitur quòd tunc Imperator obiit, & pagani considerantes Julianum esse de maximo Genere, magnum Clericum, plenum malitiâ, & maximum persecutorem Christianorum, qui plures faciebat injurias Christo Jesu, & Fidei Catholicæ, fecerunt eum Imperatorem. Nunc dicam quomodò obiit turpi morte.

A

Accidit, eo imperante, quòd Persæ rebellaverunt: tunc congregavit magnum exercitum, pro pugnando & subjugando eos, & juravit, in recessu; & vovit diis suis, quòd si posset regredi victor, ipse destrueret Christianitatem. Eundo, pertransivit per unam civitatem, nominatam Cæsaream in Capadocia, & ibi reperit unum solemnem Doctorem Sacræ Theologiæ, qui erat Episcopus dictæ civitatis, & vocabatur Basilius, * qui est nunc Sanctus Basilius, qui tunc erat homo potentissimus, & per medium suæ bonæ doctrinæ, omnes illi de Patria, erant Christiani. Accessit Basilius ad Julianum, & fecit illi reverentiam, & præsentavit tres panes ordeaceos; quam præsentationem ipse indignantissimè accepit, & dixit: *Mihi misit cibum jumentorum, & ego illi mittam pabulum equorum, scilicet tres botellos fœni.* Sed probus homo Basilius se excusavit, dicendo quòd erat talis panis, qualem ipse, & indigenæ comedebant. Sed Julianus juravit per Deos suos, quòd in regressu suo ipse destrueret dictam civitatem, ita quòd faceret eam farriferam, & non hominiferam. Transivit ultrà, acturus sua bella. Sanctus Basilius, & Christiani dictæ civitatis, pariter habuerunt consilium, & advisaverunt pro salute civitatis, quòd melius erat capere omnes thesauros, & jocalia, & præsentare ei, ut placaretur; & iverunt processionaliter in unum montem, juxtà dictam civitatem, & ibi steterunt tribus diebus, in jejuniis & orationibus, pro impetrando apud Deum salutem suam, & dictæ civitatis. Tertia nocte, facta est visio ad sanctum Basilium, & videbat unum magnum cœtum Angelorum, & Sanctorum congregatorum coram una Domina, quæ dicebat uni Sanctorum qui dicebatur miles Mercurius: „ Tu semper „ fuisti fidelis servitor Filii mei, & meus; & „ ideò præcipio tibi quòd vadas occisum Julia„ num Imperatorem, iniquum apostatam, qui „ adeò acriter persequitur Christianos, & dicit „ tot turpia de Filio meo, & de me præsentiali„ ter. „ Surrexit ille Mercurius, & sicut strenuus miles, cepit scutum suum, & lanceam, quæ pendebat ad parietem Ecclesiæ, in qua sepultus erat, in dicta civitate, & perrexit in Persidem, & coram omnibus hominibus ipsius Juliani, eum occidit, ictu lanceæ, adeò quòd transegit per medium corpus, & retraxit lanceam, & reportavit, nec sciverunt homines Imperatoris quid erat. Statim post visionem, Basilius venit festinè ad Ecclesiam, in qua erat sepulchrum dicti militis, & reperit quòd corpus non erat, nec lancea, nec scutum: vocavit custodes Ecclesiæ, interrogavit eos de lancea, & scuto. Responderunt quòd nocte præcedenti deponebantur, nec sciebant modum. Tunc regressus est Basilius in montem, ad Clerum, & populum, & dixit eis visionem: statim

B

C

D

* Apocrypha est tota istæc historia.

post, venerunt ad Ecclesiam prædictam, & repererunt scutum, & lanceam in locis suis, & corpus in sepulchro, ita quòd, ad hoc faciendum, non apposuit, nisi diem unum, & noctes duas. In prima nocte resurrexit, & cepit prædicta arma: secunda nocte, regressus est positum suum corpus in sepulchro, & sua arma ubi priùs erant; & erat dicta lancea cruentata sanguine dicti Juliani Apostatæ taliter occisi, sicut dictum est. Et ultrà, dicit Chronica, quòd recipiebat sanguinem suum in altum. Item, dicta Chronica dicit, quòd quidam Consiliarius ipsius Juliani habuit similem visionem, & venit ut baptisaretur ab illo, dicens, quòd fuerat præsens, & viderat eum recipere sanguinem suum in suis palmis.

Secundum exemplum, est de Sergio Monacho, qui, per cupiditatem, in capite Mahometi posuit facere apostasiam quam fecit. Pro quo sciendum est, quòd ille Monachus advisavit, quòd Mahometus erat magnus Capitaneus armatorum, in partibus Syriæ, & ultrà in armis, & quòd Domini Patriæ, ferè omnes, obierant quadam mortalitate. Tunc dixit Mahometo: Si vultis mihi credere; ego faciam vos majorem totius Mundi. Breviter fuerunt concordes, quòd Mahometus tantùm faceret, quòd vi armorum conquireret Patriam, & cùm ipse Dominus esset, ipse Monachus operaretur subtilitate, ut renunciaret Fidei Christianæ, & componeret unam Legem totaliter novam, in nomine dicti Mahometi. Ita fuit factum, & subvertebantur ad eam omnes de Arabia, de Syria, & Africa, de Grenada, de Persa, de Ægypto, & de pluribus aliis partibus, quæ tunc erant Christianæ, pro majori parte, sine comparatione. Et fuit hæc apostasia facta circa septingentesimum Annum, ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi. Ipse Mahometus dedit illi Monacho magnam abundantiam divitiarum mundanarum, & ipse respexit eas, cupiditate ductus, quæ eum fecit facere apostasiam supra dictam, in damnationem perpetuam animæ suæ.

Tertium exemplum, est de Principe, & Duce Tribus Simeon, quæ erat una de duodecim Tribibus Filiorum Israël, qui Princeps erat multùm potens homo, & magnus Dominus, & vocabatur Zambri, qui fuit adeò incensus cupiditate delectationis carnalis, amore cujusdam Dominæ paganæ, quæ quia noluit consentire suæ voluntati, nisi adoraret idola, ipse adoravit ea, & fecit adorari à pluribus subditis suis, de quibus, sicut dicit Scriptura sacra: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adoraverunt deos earum; initiatusque est Israël Beelphegor; & iratus Dominus, ait ad Moysem: tolle cunctos Principes populi, & suspende illos contra solem, in patibulis.* Et paululùm post: *Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem: quod cùm vidisset Phinées, arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul .... in locis genitalibus. . . . Et occisi fuerunt viginti quatuor millia hominum.* Num. xxv. Et sic Phinées placavit Deum. Et ideò Innocentius, in *De miseria conditionis humanæ, ait: Extrema libidinis turpitudo, quæ non solùm mentem effeminat, sed corpus enervat.* Omne namque peccatum quodcumque fecerit homo, extrà corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 1. *Corinth.* vi. 18.

Notandum est in isto exemplo, quòd dicit: *cunctos Principes*, quia una pars erat consentiens in illo peccato, & alii erant negligentes faciendi justitiam de tam magna injuria Deo suo Creatori illata.

Secundò, notandum quòd Phinées erat ita in-

census amore divino, & fuit adeò dolens, quando vidit talem injuriam fieri Deo, quòd non timuit se exponere morti, nec expectavit Præceptum, vel licentiam hoc faciendi, à Moyse, qui ibi erat, nec ab alio quocumque; quia Judices non faciebant debitum suum, quidam per negligentiam, alii timore ipsius Ducis Zambri. Et adhuc plùs notandæ sunt remuneratio & laus quas acquisivit; quià scriptum est, quòd Dominus dixit ad Moysem: *Phinées filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, avertit iram meam a filiis Israël, quia zelo* A *meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo. Idcircò loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quam semini ejus Sacerdotium sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israël.* Num. XXV. 11. 12. 13. Et in Psalmo CIII. 50. scribitur: *Phinées placavit, & cessavit quassatio, & reputatum est ei ad justitiam, usque in sempiternum.* Et ita apparet quòd cupiditas, & concupiscentia prava, tenuit taliter in suis laqueis illum Ducem Zambri supra dictum, quòd fecit eum idolatrare. Hic finitur tertium exemplum secundi Articuli.

Quantùm ad tertium Articulum Majoris, in quo debeo monstrare per exempla, & authoritates Bibliæ sacræ, cui nemo auderet contradicere, scilicet, quod Domina cupiditas fecit plures esse proditores & infideles apud Dominos suos B superiores: quamvis possem adducere ad hoc propositum infinita exempla, & authoritates, tàm de sacra Scriptura, quàm aliundè, ego me restringam ad tria quæ tangam breviter.

Primum est, de casu Luciferi, qui fuit perfectissima creatura in essentia, quàm Deus fecit unquàm, cui dicit Isaïas Propheta: Cap. XIV. 12. *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: Super astra cœli exaltabo solium meum, ... Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo; verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci.* Pro quo sciendum, quòd Lucifer considerans se adeò nobilem, & perfectam creaturam, dixit sibi ipsi in corde suo: *Ego ponam solium, & thronum super omnes Angelos,* scilicet quod sibi obedirent sicut Deo; & ita decepit unam partem Angelorum, ut sibi facerent C obedientiam, honorem, & reverentiam, per modum homagii, sicut suo superiori Domino, nec in aliquo subjicirentur Deo; sed ipsi Lucifero, qui teneret Majestatem suam æqualem divinæ, exemptam ab omni Dominio divino. Et per hunc modum voluit Deo tollere unam magnam partem sui Dominii; & hoc faciebat cupiditas, & vana gloria, quæ se intruserat in animam ejus. Et quàm citò Sanctus Michaël hoc percepit, accessit ad eum dicendo, quòd malè agebat, & quòd nollet perseverare; quia quantò Deus fecerat eum pulchriorem & perfectiorem aliis Angelis, tantò debebat ostendere majorem reverentiam, subjectionem, & obedientiam ipsi Deo. Lucifer respondit quòd nihil faceret: sed iterum Sanctus Michaël dixit quòd ipse, & boni Angeli non paterentur talem injuriam fieri Deo. Et breviter D bellum motum est inter eos, & una magna pars Angelorum fuit pro Lucifero; sed major pars pro Michaële. Beatus Michaël occidit ipsum Luciferum morte æterna, ita quòd Lucifer & omnes Angeli sui expulsi fuerunt à Paradiso vi, & corruerunt in infernum, de quo dicit Scriptura sacra. Apoc. XII. 7. &c. *Factum est magnum prælium in cœlo: Michael, & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus: & audivi vocem magnam in cœlo dicentem: nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri.* Et ita habetur primum exemplum dicti tertii Articuli.

Secundùm exemplum est, de Absalone filio pulcherrimo David Regis Judæorum, qui Absalon videns Patrem suum esse antiquum, & perdidisse grandem partem sensus sui, & fortitudinis, videre suo, perrexit in vallem Ebron, in qua Pater suus fuerat unctus, & coronatus Rex; & ibi fecit conspirationem contra Patrem, & se fecit inungi Regem; & devenit Hierusalem, cum decem millibus hominum quos ad se traxerat, pro occidendo Patrem, & capiendo possessionem dictæ civitatis. Pater suus audiens nova, recessit à villa festinanter trans Jordanem, mandans suos omnes fideles amicos undecumque potuit, & Absalon suos breviter. Bellum fuit juxta quandam silvam, & fuit Princeps militiæ Absalonis quidam Constabularius unus miles, dictus Amasan.

Rex David, quia antiquus erat, ex consilio Joab Constabularii sui, mansit in oppido; sed quia expertissimus erat in facto belli, adeò quòd est unus novem proborum, ipsemet ordinavit tria bella numero: quorum primi Capitaneus fuit Joab; secundi Abisai filius Sarviæ frater Joab; tertii Ethai de Geth. Bellum fuit magnum, & cruentum: pars perfidi Absalonis fuit debilior; quidam occidebantur, alii fugiebant. Accidit quòd Absalon fugiens, suspendit se per capillos, quasi miraculosè, propter infidelitatem quam perpetraverat contrà Patrem suum: & ultrà, accidit quòd quidam eum reperiens nunciavit Joab, qui dixit ei: Si tu occidisses eum, dedissem tibi decem talenlenta argenti, & unum balteum. Qui respondit Joab. Pro nullo eum tangere vellem, quia audivi Regem omnibus præcipientem eum custodire vivum. 2. *Reg.* XVIII. 11. 12. Replicavit Joab quòd Rex fecerat contra se ipsum, quia quamdiù Absalon viveret, Rex esset in periculo, nec esset pax in Regno. Et ita ductus ad eum adhuc pendentem transfixit tribus lanceis, & projici fecit in foveam quandam, & lapidare. Quando rumor venit ad David de filio occiso, ascendit unam altam cameram, & ploravit amarè, dicendo hæc verba, *Fili mi Absalon, Absalon fili mi.* 2. Reg. XVIII. 33. Nunciatum est Joab, & aliis quòd Rex lamentabatur, & ita fuerunt indignati; sed Joab accessit ad Regem, & dixit ei hæc verba; *Confudisti hodiè vultus omnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodiè quòd non curas de Ducibus, & servis tuis; & verè cognovi modò, quia si Absalon viveret, & nos omnes occubuissemus, tunc placeret tibi. Nunc igitur surge & procede, & alloquens satisfac servis tuis, juro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne unus quidem remansurus sit tecum hac nocte, & pejus erit tibi hoc, quam omnia mala quæ venerunt super te, ab adolescentia tua, usque in præsens.* 2. Regum XIX. 5. 6. 7. Rex considerans quod verum dicebat, venit sessum ad portam, & regratiatum hominibus armorum, sicut intrabant, faciendo bonum vultum & lætum.

Hic notatur quòd Joab occidit filium Regis, contra Mandatum Patris, quia erat in præjudicium Regis; quamvis Joab & Absalon fuissent semper amici, adeò quòd Joab impetraverat Absalon à Rege, pacem de homicidio quod commiserat in personam sui fratris primogeniti filii Regis David, & ob hoc fuerat fugitivus à Regno, quadriennio.

Sed objicitur contra dicta, quia Rex David moriens, præcepit Salomoni, facere Justitiam de Joab; ita facta est. Respondeo: quamvis Joab fuerit bonus miles & fidelis, tempore quo occidit Absalonem,

nem; tamen in fine dierum suorum fecit duos magnos defectus. Primus, quia occidit unum bonum militem nominatum Abner. Secundus, quia occidit unum alium militem, vocatum Amasan; proditoriè osculando trusit cultellum in corpus ejus: & quia David non punierat dictum Joab, præcepit Salomoni facere Justitiam post obitum suum, & quòd puniretur in ista vita, ad evitandum damnationem perpetuam dicti Joab. Dixit: *Tu scis quæ fecerit Joab duobus Principibus exercitûs Israël, Abner filio Ner, & Amasa filio Jether: quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace. Facies ergo juxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos*; scribitur 2. *Reg.* 11. ∫. 6. Hic notatur quòd nullus est adeò probus miles, quin possit deficere in tantum, quòd omnia benè facta sua ante, eum non juvent, & ideò in hastiludis & bello, nullus miles potest judicari probus, nisi post obitum. Et ita habetur secundum exemplum tertii Articuli.

Tertium exemplum erit de una Regina Hierusalem, de qua dicit sacra Scriptura 4. Reg. xi. 1. *Athalia verò Mater Regis Ochosiæ, videns filium suum mortuum, surrexit, & interfecit omne semen Regium. Tollens autem Josabat filia Regis Joram, & soror Ochosiæ, Joas filium Ochosiæ, furata est eum de medio filiorum Regis qui interficiebantur, & nutricem ejus, & abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur.* Et misit eum secretè ad Episcopum qui eum nutrivit usque ad septennium. Hoc pendente, Athalia regnavit tyrannicè, & infideliter, illo septennio. Octavo Anno, Episcopus per insidias & explorationes eam fecit occidi, & coronari Joas; qui non obstante quòd esset juvenis septennis, benè gubernavit Regnum, consilio Episcopi, & aliorum proborum virorum, quia sacra Scriptura dicit: 4. Reg. xii. 1. 2. Joas *regnavit quadraginta Annis in Hierusalem, fecitque rectum coram Domino, cunctis diebus quibus docuit eum Joyada Sacerdos.* Et hic habetur tertium exemplum, qualiter ambitio, quæ nihil aliud est quàm concupiscentia, & voluntas inordinata tollendi alteri suam dominationem, fecit Athaliam Reginam esse homicidam iniquam, & perfidam, ut obtineret vi, & tyrannide, Coronam, & Regni Judæorum Dominium; & quomodò per insidias & explorationes fuit occisa: quia recta ratio & æquitas est, quòd omnis tyrannus occidatur turpiter per insidias & explorationes; & hæc est propria mors, quâ debent mori perfidi tyranni. Et sic facio finem tertii Articuli dictæ Majoris.

Consequenter venio ad quartum Articulum, in quo cogito ponere & fundare octo Veritates principales, per modum conclusionum, & fundamentorum, & ex illis inferre octo alias Conclusiones, per modum Corollariorum, pro meliùs fundando Justificationem dicti Domini Burgundiæ.

Prima Veritas.

„ Omnis subditus & vassallus, qui cupiditate, „ fraude, sortilegiis, & ingenio pravo machinatur contra salutem corporalem sui Regis, & superioris Domini, pro ei tollendo Illustrissimam Dominationem, peccat adeò graviter, & crimen committit adeò horribile, sicut crimen læsæ Majestatis in primo gradu, & per consequens, dignus est duplici morte, scilicet prima & secunda. „

Ego probo Propositionem meam: quia omnis subditus, ita faciens, est tyrannus & infidelis suo Regi superiori Domino, & peccat mortaliter: ergò Conclusio vera, quòd sit tyrannus. Probo per Gregorium ita dicentem; *Tyrannus, est propriè qui in Republica non Jure principatur, aut principari conatur: nam sicut Regnum, justus principatus dicitur, sic & tyrannis Regnum perversum nuncupatur.*

Quòd crimen committit læsæ Majestatis in primo gradu, patet clarè per descriptiones supra dictas, graduum criminis læsæ Majestatis: quia committit adeò magnam injuriam & offensam, quòd majorem non potest, contra Regiam Majestatem, in propria persona Principis.

A Quòd sit dignus duplici morte, prima & secunda, probo: quia per primam, intelligo mortem corporalem, scilicet separationem animæ & corporis. Per secundam, intelligo mortem animæ, scilicet damnationem perpetuam, de qua loquitur Evangelista Joannes Apoc. 11. 11. *Qui vicerit non lædetur morte secunda.* Exponitur sic: omnis creatura humana, quæ finaliter habuerit victoriam super cupiditate & suis filiabus tribus supra nominatis, ipsa *non lædetur morte secunda*, id est, æterna damnatione.

Secunda Veritas.

„ Quamvis, in casu supra dicto, omnis subditus „ & vassallus sit dignus duplici morte, & „ committat adeò horribile crimen, quòd non B „ potest puniri; tamen plùs puniendus est miles, „ quàm simplex subditus in hoc casu; Baro quàm „ simplex miles; Comes quàm Baro; Dux quàm „ Comes; Cognatus Regis quàm extraneus; Frater quàm Cognatus; Filius quàm Frater. „

Hæc Propositio, quantùm ad primam partem, sequitur ex veritate præcedenti; quantùm ad secundam, eam probo: quia ascendendo de gradu in gradum, obligatio est major ad volendum tueri & desiderare salutem Regis, & bonum Reipublicæ. Ergò, per oppositum, qui faciunt contrarium, plùs puniendi sunt, ascendendo de gradu ad gradum. Consequentia est optima.

Probo Antecedens: scilicet, quòd filius plus obligatur quàm frater; & frater &c. Quia cuilibet supra dictarum prærogativarum & dignitatum correspondet certus gradus obligationis: & sicut sunt C majores & nobiliores, major obligatio; & per consequens, qui plures habet & nobiliores, magis obligatur, sicut dicit Gregorius, in authoritate superiùs allegata. *Cum crescunt dona, etiam crescunt rationes donorum.*

Item secundò, argumento probo dictam veritatem: quia quantò est persona propinquior Regi & potentior; si faciat supra dicta, tantò est majus scandalum, quàm si esset unus pauper, longinquus à Rege. Verbi gratiâ: majus scandalum est, quòd unus Dux, consanguineus Regis, machinetur in mortem suam, pro ei tollendo suum Dominium, quàm esset de uno paupere subdito, qui non est suus consanguineus: & quantò machinans est propinquior & majoris potentiæ, tantò esset res iniquior, & majus scandalum; & per consequens, D magis puniendum.

Tertiò, quia periculum est majus; ergò majus debet esse remedium punitionis.

Contra Antecedens probatur: quia machinatio propinquorum, est multò pejor quàm pauperum, & per consequens, punitionis remedium debet esse ordinatum magis pro obviando & compescendo eos à tentatione diaboli, & cupiditate; quia quando vident se adeò propinquos Coronæ, quòd tangunt digito; si accidat quòd tentatio cupiditatis subintret cor eorum, ipsi se disponent ad machinandum, & toto posse, manu capere dictam Coronam, & eam ponere in capite suo: sic non est de uno paupere, qui non est consanguineus Re-

gis, qui nunquàm imaginaretur, nec speraret tangere dictam Coronam, nec digito, nec aliàs.

Tertia Veritas.

„ IN casu supra dicto, licitum est cuilibet subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto, „ secundùm Leges naturalem, moralem & divinam, „ occidere & facere occidi ipsum proditorem & infidelem tyrannum ; & non modò licitum, sed A „ honorabile ac meritorium, precipuè quando est „ adeò potens, quòd Justitia non potest bono modo fieri per Superiorem.

Probo hanc veritatem rationibus duodecim, ob reverentiam duodecim Apostolorum: quarum tres primæ, sunt authoritates trium Doctorum Sacræ Theologiæ; tres aliæ, sunt authoritates trium Philosophorum moralium; aliæ, sunt tres authoritates trium Legum Civilium & Imperalium; tres ultimæ, sunt tria exempla sacræ Scripturæ.

Prima autoritas est Doctoris Sancti sic dicentis, ultima Distinct. 2. Lib. Sententiarum, *Quando aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali in-* B *vasore Judicium possit fieri; tunc enim qui ad liberationem Patriæ talem tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* Loquendo breviter, & propriè, Sanctus Doctor vult dicere, quòd subditus qui occidit tyrannum supra dictum, facit opus dignum laude & remuneratione.

Secunda autoritas est Salberiensis, sacræ Theologiæ eximii Doctoris: *Amico adulari non licet, sed aures tyranni mulcere licitum est, ei namque licet tyranno adulari, quem licet occidere.*

Tertia autoritas est plurium Doctorum, quos pono simul, ne excedam numerum trium, scilicet Richardi de Media-villa, Alexandri de Hales, & Ostiensis, *in Summa*, qui Conclusionem præfatam ponunt in effectu. Et addo, pro confirma- C tione, autoritatem Beati Petri Apostoli: 1. Pet. II. 13. *Subditi estote Regi; quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Vindictam scilicet injuriarum illatarum Regi, vel machinatarum inferri per inimicos suos & malefactores. Ex quo sequitur, quòd Duces obligantur vindicare Regem, ex omnibus injuriis quæ sibi fient & machinabuntur fieri; saltem facere suum posse, & exponere ad hoc omnem suam potestatem, quoties venerit ad suam notitiam.

Deindè venio ad tres autoritates Philosophorum moralium.

Prima, est Aristotelis, in Libro *Politicorum*, sic dicentis: *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum impunè, & non solùm licitum, imò etiam laudabile.*

Secunda, est Tullii, in Libro *de Officiis*, laudantis illos qui Julium Cæsarem interfecerunt; quamvis esset sibi familiaris amicus, eo quòd Jura Imperii quasi tyrannus usurpaverat.

Tertia autoritas, est Bocatii; *De casibus virorum* D *illustrium*, Lib. 2. Cap. 5. *Contrà superbos tyrannos*, sic dicit: *Dicam ego eum Regem? Honorabo ego eum Principem? Servabo ego ei fidem tanquam Domino? Non, ipse est inimicus Reipublicæ: contra istum facere conspirationem, arma capere, insidias ponere, est factum animosi, sanctissima res est, & omninò necessaria; quia Deo nullum est acceptabilius sacrificium, quam sanguis tyranni. Pro certo, dura res est, & importabilis, recipere confusionem, pro beneficiis & meritis.*

Deindè venio ad tres Leges Civiles: & quia non sum Legista, sufficit mihi dicere sententiam Legum, sine allegando, quia non studui in Jure Canonico & Civili, nisi duobus Annis, jam lapsi sunt plusquàm vigenti Anni, idcircò non possum multùm scire, & id modicum quod potui addiscere oblitus sum, prolixitate temporis.

Prima autoritas Legum Civilium. „ Desertores „ militiæ quilibet potest licitè occidere. „ Et quis est plùs desertor militiæ, quàm qui destruit personam Regis, qui est caput militiæ, & sine quo militia non potest diù durare.

Secunda autoritas: „ Cuilibet licet occidere, „ vel facere occidi latrones insidiantes viatoribus „ in sylvis, pro occidendo & spoliando; quia sunt „ formaliter inimici Reipublicæ, & machinantur „ quotidiè occidere transeuntes. „

Igitur licitum est occidere tyrannum, qui continuè machinatur occidere Regem suum, & superiorem Dominum, & destruere Rempublicam.

Tertia autoritas. „ Licet cuilibet occidere furem, si reperiat eum, de nocte, in domo „ sua. „

Igitur, fortiori ratione, licitum est cuilibet occidere tyrannum, qui nocte dieque, machinatur in mortem sui Regis & superioris Domini. Hæc consequentia patet cuilibet sani intellectus, si velit considerare.

Antequam ingrediar materiam trium exemplorum sacræ Scripturæ, volo respondere aliquibus objectionibus, quæ possent fieri contra hoc quod dictum est, arguendo sic:

„ Omne homicidium, omni Lege est prohibitum, scilicet divina, naturali, morali, & civili. „

Igitur illud quod dictum est non est omninò verum, quòd prohibeatur Lege divina; quia sacra Scriptura dicit: *Non occides.* Exod. xx. 13.

Quòd prohibeatur Lege naturali probo; natura enim inter homines quandam cognationem instituit, quâ hominem homini insidiari nefas est.

Quòd prohibeatur Lege morali patet: quia hoc non facies aliis, quod tibi fieri non vis. Alterum non lædere, Jus suum uniquique tribuere, hoc est morale, insuper & in naturali Jure.

Quod prohibeatur Lege civili, probatur. Leges civiles dicunt sic: qui hominem occiderit, capite punietur, non habita differentia sexus, aut conditionis. Item, omne bellum, omnis usus armorum, inscio Principe prohibitus est: nam qui inscio Principe bellum gerit, reus est læsæ Majestatis.

Item, Regis proprium est, furta prohibere, adulteria punire, impios de terra perdere: qui igitur talia sibi appropriat, & usurpat, Principem injuriatur, & lædit, quoniam, ut dicit Lex: „ Judiciorum vigor, Jurisque publici tutela, in medio constituta est, ne quis de aliquo quantocumque sceleribus implicito, assumere valeat ultionem. „

Pro respondendo rationibus suprà dictis, sciendum est quòd Theologi, & Juristæ, diversimodè loquuntur de homicidio; & licèt different in loquendo, conveniunt in eandem sententiam: quia Theologi dicunt, quòd occidere hominem licitè, non est homicidium; quia homicidium in se importat quòd sit injustum. Et propter hoc dicunt quòd Moyses, & Mathathias non commiserunt homicidium, quia justè occiderunt; sed Juristæ dicunt quòd omnis occisio hominis, sive injusta, sive justa, est homicidium. Sed ultrà distinguunt duplex homicidium, scilicet justum & injustum, & pro justo nullus puniri debet.

Res-

Respondeo igitur, secundùm Theologos, quòd occisio tyranni non est homicidium; & ita non cadit punitio, sed remuneratio.

Quantùm ad argumentum quod sic dicit: *Hominem homini insidiari nefas est.* Et quis magis insidiatur homini, quàm tyrannus, continuè machinans in mortem Regis sui & Domini. Et hoc est nefas, proditio, & iniquitas; idcircò qui eum occidit, per bonam cautelam, pro salvando vitam Regis, & eum liberando à periculo, non facit nefas, sed debitum facit erga Regem.

Quantùm ad Argumentum quod dicit: *Non facias aliis* &c. Respondeo quòd istud facit expressè contra tyrannum, & pro eo qui eum occidit, quia ipse facit Regi quod sibi non vellet fieri; quamobrem subditus qui eum occidit morte tali qualem meruit, in nullo facit contra dictas Leges, sed intellectum earum servat, scilicet bonam æquitatem, & fidelitatem Regi suo.

Quantùm ad alias Leges dicentes: *Qui hominem occidit* &c. Dico pro responsione ad omnes tales Leges pariter, *Qu'il n'est Loy tant soit generale, ny Regle tant soit commune, qu'en aucun cas especial n'y ait exception aucune;* id est, omnis Lex & Regula habet exceptionem aliquam.

Dico ultrà, quòd casus occidendi tyrannum excipitur specialiter, quando est tyrannus tali modo qui dictus est suprà. Et qualiter posset inveniri casus dignior exceptione, quàm superior, pro deffendendo Regem suum, & præservando à periculo B & morte; præsertim quando machinationes & sortilegia ita egerunt in personam suam, quòd est adeo indispositus, ut nequeat vacare ad faciendum Justitiam, & quòd dictus tyrannus est adeò potens, quòd Justitia de eo nequeat bono modo fieri per Regem; & ideò dicit Aristoteles: *Non est aliqua Lex, quin aliquando epikeiandum sit in ea*; & ita epikeïare Legem, non est facere contra Legem, in tali casu.

Pro quo sciendum, quòd in omni Lege sunt duo. Primum, est sententia textualis. Aliud, est finis propter quem facta fuit Lex, quem finem, conditores Legis intendebant principaliter. Et quando accidit quòd sententia textualis est contraria fini, debet epikeïare Lex ad intentionem finis, & non C ad sensum litteralem. Hoc ponit Aristoteles, & ponit exemplum de Civilibus, qui fecerunt Legem, ne alienigena receptus in civitate, ascenderet muros ejus, sub pœna capitis; quia villa erat obsessa ab inimicis, & timebant ne alienigenæ faverent inimicis: accidit quòd dicta civitas impugnabatur pluribus, & extranei respicientes illos de villa debiliores, ascenderant muros, pro subveniendo civitati. Philosophus quærit: peregrini ascenderunt muros, videtur quòd fecerunt contra Legem: utrum debent puniri?

Respondeo quòd non; quia quamvis viderentur fecisse contra sensum litteralem; tamen non fecerunt contra Legem.

Ad propositum: Leges suprà dictæ, fuerunt factæ pro tuendo honorem Regis, bonum personæ suæ, & Rempublicam. Pono igitur casum: quòd percipio unum tyrannum machinari in mortem Regis, & quòd Rex sit ita indispositus, ut nequeat apponere remedium; & ultra, quòd tyrannus continuè perseverat in sua malitia. Ego respicio Leges allegatas, prohibentes usum armorum &c. Utrum, servando sensum litteralem, debeam dimittere Regem in tanto periculo mortis? Nequaquàm, imò debeo occidere tyrannum, & ita complebo Mandatum finale dictarum Legum; nec debeo puniri, sed præmiari, & tendo ad bonum finem, propter quem Leges dictæ fuerunt factæ: Ob hoc dicit Beatus Paulus. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* 2. Cor. III. 6.

Item, Leges divina, naturalis, moralis, mihi dant autoritatem faciendi istud, in quo sum minister Legis divinæ. Et ita apparet quòd dictæ objectiones nihil faciunt.

Venio ad tria exempla sacræ Scripturæ; pro perficiendo veritates suprà dictas.

Primum est, de Moyse, qui sine Præcepto, vel autoritate hominis cujuscumque occidit Ægyptium, qui tyrannisabat filios Israël, & tunc non habebat autoritatem Judicis, quæ sibi fuit collata super populum Israëlitam, ferè post quadraginta Annos, postquam hoc fecerat; & tamen multùm laudatur, ut patet *Act.* VI. quia tanquam minister Legis hoc fecit. Ita in proposito, in hoc faciendo, ero minister Legis.

Secundum exemplum est, de Phinées, qui sine Mandato, aut Præcepto quocumque occidit Ducem Zambri, sicut supra narratum est; qui Phinées non fuit punitus, sed remuneratus grandissimè in tribus, scilicet amore, honore, & divitiis. Amore; sibi ostendit majus signum amoris, quàm antè. Honore; quia *reputatum ei ad justitiam usque ad sempiternum.* Divitiis; quia per hoc acquisivit pactum Sacerdotii sempiternum, & non tantùm pro se, sed pro tota familia sua.

Tertium exemplum, est de Sancto Michaële, qui sine Præcepto, aut Mandato quocumque Dei, vel alterius, sed tantummodò motus naturali amore, occidit Luciferum tyrannum, & infidelem Deo; & ipse Michaël fuit similiter remuneratus tribus supra dictis, scilicet amore, honore, & divitiis: quia Deus dilexit eum plusquàm antè, & eum confirmavit in suo amore, & gratia. Honore; quia fecit eum militiæ cœlestis Principem in æternum. Divitiis; quia dedit ei de divitiis gloriæ suæ, quantùm erat capax, de quibus loquitur Apostolus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Rom. XI. 33. Et sic patet tertia veritas, probata duodecim rationibus.

Quarta Veritas.

„ IN casu supra dicto honorabilius est, magis „ licitum, & meritorium, quòd ipse infidelis „ tyrannus occidatur par unum consanguineum, „ & subditum Regis, quàm per extraneum, qui „ non esset de sanguine Regio; & per Ducem, quàm „ per Comitem; & per Comitem, quàm per Baronem; & per Baronem, quàm per simplicem „ subditum. „

Probo: quia consanguineus Regis magis obligatur velle bonum Regis, eum deffendere, & vindicare de injuriis, quàm extraneus; Dux, quàm Comes; Comes, quàm Baro &c. & magis puniendus est, si sit negligens istud faciendi; Ergo, per oppositum, si benè faciat debitum in bona fidelitate, & diligentia, sibi accrescit magis decus & meritum.

Item, in hoc magis relucent amor & obedientia D occisoris, vel occidere præcipientis, ad Principem & Dominum suum, quod est magis honorabile, si fuerit præpotentis Ducis, aut Comitis, &c.

Item, in hoc relucet potentia Regis, quod est multùm honorabile; & quantò occisor, vel dictæ occisionis præceptor fuerit nobilior, & potentior, tanto relucebit Regis potentia.

Quinta Veritas.

„ IN casu fœderum, juramentorum, & pro„ missorum militis ad alterum quoquomodò, si „ contingat quòd vertatur in præjudicium Princi„ pis, sponsæ Principis, liberorum ejus, vel Reipublicæ,

„ publicæ, nullus tenetur ea servare, imò ea servare & tenere, in isto casu, esset facere contra „ Leges moralem, naturalem & divinam. „

Probo sic, secundùm bonam æquitatem, dictamen rectæ rationis, & Legem divinam. Bonum Principis, cùm sit persona publica, & utilitas Reipublicæ, debent præferri & supponi in omnibus talibus Propositionibus, juramentis, & confœderationibus, imò excipiuntur implicitè, secundùm dictamen rectæ rationis, bonam æquitatem, & charitatis ordinem, quia aliàs esset licitum inobedire Principi, imò rebellare contra Principem, quod est expressè contra sacram Scripturam, sic dicencentem: 1. Petr. II. 13. *Obedite Principibus vestris, licet etiam discolis*; & alibi: *Subjecti estote Regi.*

Secundò, arguitur. Quandocumque duæ obligationes contrariæ occurrunt, major tenenda est: sed in casu nostro occurrunt duæ obligationes, scilicet, subditi ad Principem, & confœderati ad confœderantem; sed nulli dubium, quin obligatio subditi ad Principem, est major, & per consequens, tenenda. Ergò conclusio vera.

Tertiò sic. Quandocumque facit aliquis quod melius est, quamvis juraverit se non facturum, non perjurium est; sed perjurio contrarium, ut ponit Magister Sententiarum, *Ultima Dist.* 3. Sed in casu nostro melius est occidere tyrannum, quàm permittere vivere: ergo occidens tyrannum, quamvis juraverit se non occisurum, non est perjurus; sed facit perjurio contrarium. Confirmatur per Isidorum, in Libro *Summi boni*, dicentem: *Non est observandum sacramentum*, id est, juramentum; *quo malum incautè permittitur*; sed in casu nostro malum incautè permitteretur; ergo &c.

Sexta Veritas.

„ SI contingat quòd dicta fœdera vertantur in „ præjudicium alterius confœderantium, seu „ sponsæ, vel liberorum, in nullo tenetur ea „ servare. „

Patet per rationes priùs tactas, & probatur sic. Quia observare fœdera, in tali casu, est contra Legem charitatis, quia quilibet magis obligatur sibi ipsi, uxori propriæ, & liberis, quàm cuicumque alteri, virtute talium promissionum; & cùm omnia Præcepta, & Consilia ordinentur ad charitatem, ut patet per Apostolum, sic dicentem: 1. Tim. 1. 5. *Finis Præcepti, est charitas.*

Secundò arguitur: quia in talibus promissionibus intelligitur; si mihi fidem servaverit, juxta illud:

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Item, subintelligitur; si *Deo placuerit*: sed certum est, quòd non placeret Deo, si foret contra Legem charitatis. Ergo Conclusio vera.

Septima Veritas.

„ IN casu supradicto, unicuique licitum est, honestum, & meritorium occidere, & facere „ occidi supra dictum tyrannum, per insidias, cautelas, & explorationes, & etiam licitum est dissimulare & tacere suam voluntatem. „

Probo per authoritatem Bocatii, supra allegatam in tertia veritate.

Item, probo per exempla Sacræ Scripturæ, de Rege Jehu occidente Sacerdotes Baal; *Achab parum coluit Baal; ego autem colam eum amplius.* 4. Reg. X. 19. 20. Et paululum post: *Porro Jehu*, licet *insidiosè, ut disperderet cultores Baal, dixit: Sanctificate diem solemnem Baal.*

Item, de Joyada Summo Sacerdote, qui insidiosè fecit occidi Athaliam; & de hoc laudatur, ut tactum est supra.

Item, Judith occidit Holophernem per insidias, & de hoc laudatur, ut habetur in Libro Judith, quasi per Librum totum.

Item, ad hoc illa parabola, quæ habetur *Matth.* XIII. quâ Paterfamilias prohibuit incautam zizaniorum eradicationem; sed voluit expectare tempus A messis, ne triticum simul cum zizaniis eradicaretur &c. quod intelligitur in occisione tyrannorum, per insidias scilicet, & bonam cautelam, debet expectari loci & temporis opportunitas, & explorari ne triticum, id est, veri & boni subditi, eradicentur cum tyrannis, id est, occidantur.

Et hìc facio unam quæstionem: quare homo, in pluribus casibus, tenetur servare fidem inimico suo capitali, & non tyranno? Causam communiter ponunt Doctores; sed quia est communis, & longa relatu esset, transibo pro nunc.

Octava Veritas.

„ OMnis subditus & vassallus, qui animo delibera- „ to, machinando contra sanitatem Regis, pro fa- B „ ciendo eum morii n languore, cupiditate habendi, „ Coronam suam & Dominium, fecit consecrari, vel „ magis propriè loquendo, execrari enses, dagas, & „ spadellas, & cultellos, virgas aureas, & annulos „ dedicari, nomine dæmonum, per nigromanticos fa- „ cientes invocationes, caracteres, sortilegia, crimi- „ na, superstitiones & maleficia, & deinceps figere, „ & tradere per medium corpus ejusdem mortui de- „ pensi à patibulo, & annulos ponere intra os dicti „ mortui, per spatium plurium dierum, in magnam a- „ bominationem & horrorem, propter dicta malefi- „ cia; & insuper portare secum in uno panniculo de „ ossibus & pilis loci putibundi, & de pulvere aliquo- „ rum ossium ipsius depensi. Ille, & omnes qui hoc „ faciunt, non solùm committunt crimen læsæ Maje- „ statis humanæ in primo gradu; sed etiam læsæ Ma- „ jestatis divinæ, & sunt proditores Regi, & Deo „ Creatori suo; & sicut idolatræ & corruptores, C „ falsarii Fidei Catholicæ, sunt digni duplici morte, „ scilicet prima & secunda; præsertim quando dicta „ sortilegia, superstitiones & maleficia, sortiuntur „ suum effectum, in persona Regis, per medium ma- „ læ fidei, & crudelitatis machinantis, invocato- „ rum & nigromanticorum. „

Probatur Conclusio: quia, ut dicit Bonaventura *Lib.* 2. *Dist.* 2. *Quæst. ultima*: „ Diabolus nunquàm „ satisfacit voluntati talium, nisi aliqua infideli- „ tas immisceatur: sicut enim ad divina mirabilia „ plurimùm facit Fides recta, prout sonant Evan- „ gelia; sic ad diabolica mirabilia multùm facit „ Fides perversa. „ Et ideò experientia de effectu prædictarum superstitionum, secuta in personam præfati Regis, probat clarè ibi fuisse idolatriam, & Fidem perversam.

Item, diabolus nihil faceret ad voluntatem taD lium, in tali casu, nisi exhiberent sibi honorem divinum quem multùm affectat; nec se exhiberet ad tales invocationes, ipsis invocantibus eum, nisi eum adorarent, & sacrificia, & oblationes ferrent, pactionesque, aut pacta cum ipso dæmone facerent.

Item, Sanctus Doctor 2. 2. q. *Art.* 2. dicit: *Quòd tales invocationes nunquam sortiuntur effectum, nisi fuerit falsaria corruptio Fidei & idolatria, & pactio cum dæmonibus.* Ejusdem opinionis videntur esse Alexander de Hales, Richardus de Media Villa, & Ostensis, *in Summa*, & communiter omnes Doctores, qui de hac materia locuti sunt. Et sicut falsarii monetæ & pecuniarum Regis, gravissimè puniuntur; à fortiori, corruptores falsarii Fidei Catholicæ gravissimè puniendi sunt.

Primum

Corollarium Primum.

Si contingat quòd propter caſus ſupra dictos fuerunt incarcerati, & pendente proceſſu, contra eos judicatos, aliquis ſuus fautor eos liberet, vel faciat liberari per ſuam potentiam; ipſe debet puniri, ſicut proditor Regis, & criminoſus crimine læſæ Majeſtatis, A in primo & quarto gradibus.

Corollarium Secundum.

Omnis ſubditus qui dat, vel ſpondet aliis grandem ſummam pecuniæ, pro intoxicando Regem; ſi contingat, conventione facta, & toxicis ordinatis, quòd non ſortiantur effectum, propter aliquod impedimentum ſubveniens, gratiâ, vel aliàs: tamen dicti machinati committunt crimen læſæ Majeſtatis in primo gradu, & ſunt digni duplici morte, prima, & ſecunda: ſequitur ex præmiſſis.

Corollarium Tertium.

Omnis ſubditus, qui ſub diſſimulatione, & fictione ludi, & ſpeciamenti, animo deliberato, & malitioſè, ex materia de facili inflammabili, & difficilè extinguibili, procurat facere indumenta pro induendo Regem, & quod pejus eſt, eum indui cum pluribus aliis, & ignem poni, pro eum comburendo, & ei tollendo ſuum nobiliſſimum Dominium, committit crimen læſæ Majeſtatis in primo gradu, & eſt dignus morte prima & ſecunda, præcipuè quando per iſtum ignem ſic poſitum comburuntur, & moriuntur plures Nobiles turpiter, & cum magno dolore.

Corollarium Quartum.

Omnis ſubditus & vaſſallus Regis, qui fecit fœdera cum aliis, quos ſcit eſſe inimicos capitales Regis, & Regni, non poteſt excuſari de proditione, ſpecialiter quando mandat armatis de parte ipſorum inimicorum, qui obtinent fortalitia dicti Regni, quòd ſe benè teneant in ipſis, ſine ea reddendo, quia dùm erit opus, ipſe eis auxiliabitur, vel faciet auxiliari: & inſuper impedit viagia & armaturas, quæ fiunt contra dictos inimicos, eos confortando ſemper per vias ſubtiles & ſecretas; eſt proditor Regis, & Reipublicæ, & Regni, & committit crimen læſæ Majeſtatis in primo, & in quarto gradibus.

Corollarium Quintum.

Omnis ſubditus & vaſſallus, qui ponit fraudulenter ſeditionem inter Regem & Reginam, dando intelligi dictæ Reginæ, quòd Rex eam odit, adeò quòd concluſum eſt de morte ejus, & ſuorum liberorum, nec eſt remedium, niſi fugiat cum liberis ſuis extra Regnum; & ei conſulendo & requirendo quòd ita faciat; offert eam conducere extra Regnum, in aliquod ſuorum fortalitiorum; adjungens unam cautelam, neceſſarium eſſe dictam Reginam hoc tenere ſecretum, ne impediatur, quamobrem expedit fingere plures peregrinationes, de una ad aliam, quouſque ſit in loco ſecuro, tendens per hoc eam, & ſuos liberos mittere in ſuos carceres, & deinde Regem ſimiliter, pro perveniendo, per hoc medium, ad Coronam & Dominium Regni. Ille, inquam, & omnis talis, committit crimen læſæ Majeſtatis in primo, ſecundo, tertio, & quarto gradibus. Hæc veritas ſequitur ex præmiſſis & patet cuilibet ſani intellectus, in tantum quòd me eam probare, eſſet velle adjuvare ſolem facibus.

Corollarium Sextum.

Omnis ſubditus & vaſſallus, qui cupiditate habendi Coronam & Dominium Regni, ſe transfert ad Papam, imponendo falsè, & contra veritatem plura crimina & vitia Regi, redundantia in ſuam Illuſtriſſimam ſobolem & generationem, & per hoc concludendo, quòd dictus Rex non eſt dignus obtinere talem dignitatem, ſicut Regnum, nec ſui liberi poſt eum, per ſucceſſionem, requirendo dictum Papam inſtantiſſimè, quòd velit facere declarationem ſuper facto privationis ipſius Regis & liberorum ſuorum, & declarare Regnum pertinere ad dictum requirentem, & ſuam ſobolem, & ei dare Abſolutionem pro ſe, & omnibus vaſſallis dicti Regni, qui ſibi adhærere voluerint, & Diſpenſationem juramenti fidelitatis & obligationis, quâ obligantur Regi. Ille & omnis talis, committit crimen læſæ Majeſtatis in primo & ſecundo gradibus.

Corollarium Septimum.

B Si contingat quòd ille, animo deliberato, impediat unionem Eccleſiæ & executionem concluſionum per Regem & Clerum Regni concluſarum pro dicta unione, tendens ad finem quòd Papa conſentiat ſuæ iniquæ Requeſtæ, ipſe debet reputari ſchiſmaticus; & ſi ſit pertinax, hæreticus eſt, & dignus adeò horribili morte, quòd terra deglutiat eum in anima & corpore, ſicut Dathan, Chore, & Abiron, de quibus in Biblia: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum, devoravit eos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, & deſcenderunt vivi in infernum, operti humo.* Scribitur Num. XVI. & in Pſalmo CV. 17. *Aperta eſt terra & deglutivit Dathan,* &c.

Corollarium Octavum.

Omnis ſubditus qui machinatur intoxicare per poma intoxicata, vel aliàs, Regem, vel ſuos liberos, C debet puniri ſicut reus læſæ Majeſtatis in primo, & tertio gradibus.

Corollarium Nonum.

Omnis ſubditus, tenens armatos qui depauperant populum, ſpoliant & occidunt homines, & feminas violant, & ponunt Capitaneos in fortalitiis, pontibus, & paſſagiis Regni; præterea ponunt tallias & mutua intolerabilia, fingens id eſſe pro guerra agenda contra inimicos Regni, deindè poſt collectionem ea furatur, & rapit, & eis utitur ad fœdera facienda cum inimicis Regis & Regni; ille, & omnis talis, debet puniri, ſicut committens crimen læſæ Majeſtatis in primo & quarto gradibus; & dignus eſt duplici morte, prima & ſecunda, id eſt, morte corporali, & æterna damnatione, ſcilicet ut mittatur D *in ignem æternum, qui eſt paratus diabolo, & angelis ejus,* Matth. XXV. 41. Et hæc de quarto Articulo, & per conſequens, de tota Majori.

Nunc ego venio ad declarandum & formandum Minorem, in qua oſtendum, quòd defunctus Ludovicus, nuper Dux Aurelianenſis, fuit adeò incenſus cupiditate honoris vani, & mundanarum divitiarum, quòd commiſit crimen læſæ Majeſtatis divinæ & humanæ, in qualibet ſpecie graduum declaratorum in Majore: & quantùm eſt de crimine læſæ Majeſtatis divinæ, ſpectat ad ſupremum Regem & Judicem. Quamobrem non faciam ſpecialem Articulum,

lum; sed tangam in Articulis de læsa Majestate humana, per modum incidentis.

Declarabo igitur per Articulos, qualiter committit crimen læsæ Majestatis humanæ, in quolibet quatuor graduum prænominatorum: pro quo faciendo, divido Minorem in quatuor Articulos. In primo, de primo gradu: in secundo, de secundo; & sic deinceps.

Quantùm ad primum Articulum, in quo de primo gradu, qui est quando injuria, vel offensa est contra personam Principis; sciendum quòd hæc offensa potest fieri duobus modis. Primus est, machinari in A mortem sui Principis: secundus est, confœderari cum inimicis capitalibus sui Principis.

Primus modus dividitur in tres species. Prima est, machinari in mortem Principis per sortilegia, maleficia & superstitiones. Secunda, per toxica & venena. Tertia est, occidere & facere occidere armis, aqua, igne, & aliis violentis injectionibus.

Quòd fuerit criminosus in prima specie, probo: quia verum est quòd, ut faceret Regem mori in languore, subtiliter, sine perceptione; per medium argenti, congregavit quatuor homines, quorum unus erat Monachus apostata, alter miles, alter scutifer, & alter famulus, quibus tradidit suum proprium ensem, unam spadellam, & unum annulum, B pro dedicando & consecrando, vel veriùs loquendo, execrando in nomine dæmonum: & quia talia maleficia non possunt bono modo fieri, nisi in locis solitariis, putaverunt portare supra dicta in turrim de Montegeio, versùs Latigniacum supra Matronam, & ibi hospitati pluribus diebus. Monachus existens Magister illius operis diabolici, plures fecit invocationes Dæmonum, quarum ego duas dicam. Unam fecit inter Pascha & Ascensionem, quadam Dominica, benè manè, ante solis ortum, in uno monte, juxta turrim de Montegeio; & fecit unum circulum, plures caracteres, & plura superstitiosa requisita ad tales invocationes diabolicas faciendas, juxta unum dunium, & faciendo dictas invocationes, se exuit nudum, usque ad camisiam, flexit genua, & fixit dictos enses, & spadellam, per cuspides in terram, in extremitatibus dicti circuli, & dixit plures orationes, invocando dæmones: & statim accesserunt ad eum duo diaboli, in forma & figura hominum, indutorum fusto viridi, C secundùm apparentiam: quorum unus vocabatur *Hermas*, & alter *Astramen*, & tunc fecit eis reverentiam adeò magnam, sicut Deo facere potuisset. Quo facto, se retraxit ad aliam partem; & ille dæmon qui venerat propter annulum, ipsum cepit, & secum detulit, & evanuit: ille autem qui venerat propter ensem & spadellam, mansit in dicto circulo, & cepit spadellam, & ipsam palpavit, faciendo plures res; deinde prostravit eam in dicto circulo, & similiter de ense, & deinceps evanuit. Statim Monachus accessit ad circulum, & reperit ipsos ensem & spadellam prostratos de lato, & eos cepit, & comperit quòd dictus ensis erat fractus cuspide, in signum quòd negotium factum erat, & reperit cuspidem in pulvere, ubi dæmon eam posuerat. Consequenter, expectavit per spatium semi-horæ; & alter dæmon qui apportaverat dictum annulum, regressus est, & D ei tradidit dictum annulum, qui apparebat rubeus, sicut stallaticum pro hora; & sibi dixit, quòd factum erat, nec plus oportebat, nisi ponere infra os cujusdam mortui depensi, ensemque & spadellam figere infra corpus ipsius mortui, modo, inquit, quem tu scis, & statim evanuit. Dictus vero Monachus reparavit cuspidem ensis. Et ultrà, pro perficiendo dicta maleficia, Monachus, scutifer, & famulus, venerunt nocte ad patibulum de Montefalconis, juxtà Parisios; & ibi ceperunt unum noviter suspensum, & posuerunt super equum, pro deferendo in dictam turrim de Montegeio. Sed quia viderunt, quòd nox non sufficiebat, quia dies propinquus erat, venerunt Parisios, in domum dicti militis, & equum posuerunt in uno stabulo: posuerunt etiam in os ejus annulum, ensem & spadellam fixerunt in corpus, per partes inferiores, usque ad pectus, & ibi steterunt pluribus diebus, sicut dæmones prædixerant. Consequenter, ipsi enses, spadella & annulus sic dedicati, consecrati, vel execrati propriè loquendo, fuerunt restituti ipsi Duci Aurelianensi, pro perficiendo maleficia in personam Regis. Insuper ei tradiderunt pulverem & pilos loci inhonesti ipsius mortui, pro deferendo secum; & aliqua ossa involuta in uno panniculo ipse Dux Aurelianensis gessit pluribus diebus, inter carnem & camisiam colligata cum una aiguileta intra manicam dictæ camisiæ, & adhuc gessisset, nisi fuisset quidam miles magni honoris, consanguineus Regis, & suus principalis servitor, & ipsius Ducis Aurelianensis, qui sibi advenit, & detulit Regi, in præsentia plurium, quorum aliqui sunt hìc præsentes. Et quia ipse miles portaverat dicta ossa, & revelavit aliqua supra dictorum, ipse Dux Aurelianensis concepit adeò magnum odium contra eum, quòd ipsum prosecutus est, & destruxit in honore & divitiis, non obstante quòd esset consanguineus Regis, & suus.

Tour de Montgey, proche de Lagny.

Montfaucon.

Item, dictus criminosus Dux Aurelianensis, fecit fieri unum aliud sortilegium, per unum diem, per dictum Monachum, de una virga cornea, & sanguine rubei galliculi & pullæ albæ; quo sortilegio perfecto, virga debebat habere talem virtutem, per artem & actionem diabolicam, quòd qui penès se eam portaret, faceret voluntatem suam de omnibus mulieribus quas eâ tangeret: & dicebat Monachus, quòd expertus fuerat in personam unius mulieris quam desiderabat, nec poterat venire ad intentum; & fuit tradita illa virga, sic sortilegisata, dicto criminoso Duci Aurelianensi, in sancta Septimana, pro faciendo contumeliam magis injuriosam Domino nostro Jesu Christo, qui in illa Septimana passus est Mortem, pro toto genere humano, & pro plùs complacendo sathanæ, per quem omnia talia sortilegia, crimina, & maleficia sortita fuerint suum effectum.

Et quòd ipsa fuerint eum sortita in personam Regis, ostendo per duo media. Primum est, duo morbi graves, quos statim passus est. Primus *Belnasti* qui fuit adeò angustiosus, quòd perdidit ungues & capillos, pro majori parte. Secundus, fuit *Cenomanis*, major, sine comparatione, adeò quòd non loquebatur, imò apparebat potiùs mortuus, quàm vivus.

Secundum medium est, per verba quæ cepit dicere, quàm citò potuit loqui, scilicet: *Pro Deo, auferte mihi istum ensem, qui meum transfigit corpus, hoc mihi fecit bellus Frater Aurelianensis.* Et illa eadem verba pluriès replicavit in sanitate, & infirmitate, addendo hoc verbum: *Oportet ut eum occidam*, quasi vellet dicere: nisi eum occidam, faciet me mori, sine remedio.

Hìc considerate, Domini mei, parumper, quid potuit movere Ducem Aurelianensem, ad faciendum illam extremam malitiam in personam sui Fratris, qui sibi semper complacuerat: & patet clarè quòd ardens cupiditas perveniendi ad Dominium Franciæ.

Tertium medium est, unum verbum quod semel protulit defunctus Dux Mediolanensis, Pater Ducissæ Aurelianensis, uni nuncio, sibi præsentanti litteras ex parte Regis, quem interrogavit in quo statu erat Rex; cui respondit: in bono, Dei gratiâ. Ipse est diabolus, inquit Dux Mediolanensis; & per magnam admirationem adjunxit hæc verba: Quomodò potest fieri quòd sit in bono statu? Hoc est evidens signum quòd fuerat consentiens, & magis propriè loquendo, autor, cum suo filio dicto, criminoso Duce Aurelianensi, ponendi Regem in tali statu; quia satis notorium est, quòd desiderabat multùm Dominium pro se & sua sobole, sicut patuit spe-

specialiter in persona Patrui sui, Domini Barnabo, quem cepit malitiosè & proditoriè, sub umbra sanctæ vitæ; & deinde pro obtinendo suum Dominium, ipsum fecit mori.

Similiter patuit per hoc quòd mirabiliter cupivit quòd filia sua esset Regina; & credens pervenire, tractavit Matrimonium inter eam & dictum Ducem Aurelianensem pro tunc Ducem Turoniæ, unicum Fratrem Regis, considerans quòd Rex nondum habebat liberos, nec erat nisi unum os ad claudendum.

Et quòd habuerit illam intentionem, patet; quia communis fama est, quòd quando dicta filia recessit ab eo, pro veniendo in Franciam, in discessu dixit: „ Non quæro vos videre, quo usque sitis Regina Franciæ. „ Et pro perveniendo ad hoc, dicti Duces continuè machinati sunt in mortem Regis, & suæ generationis: & ad hoc fuit medium inter eos, unus falsus hypocrita, nominatus Philippus de Mesieres, qui erat proprius Magister, faciendi proditiones. Nam ipse fuit Cancellarius Regis Cypri, & eum prodidit: deindè mansit cum Domino Barnabo, & adivit dictum Ducem Mediolanensem, ad perdendum & destruendum ipsum Dominum Barnabo Magistrum suum. Deinceps fuit servitor & specialis amicus Ducis Mediolanensis, & advisaverunt isti duo aliquas instructiones, quas apportavit Duci Aurelianensi. Et pro faciendo rem subtiliùs, ille de Mesieres se reddidit Cælestinum, Parisiis, per hypocrisim. Et sicut Dux Mediolianensis fingebat sanctam vitam, pro decipiendo Dominum Barnabo; ita ipse fecit Duci Aurelianensi fingere, pro decipiendo & destruendo Regem: & ibat ipse Dux Aurelianensis quotidie ad Cœlestinos, & ibi audiebat quotidie quinque aut sex Missas cum maxima devotione, ut videbatur, sed hìc erat hypocrisis & simulatio; quia sub umbra hujus, faciebant in Oratorio suas collocutiones, conspirationes & deliberationes, de modo perveniendi ad suam iniquam intentionem. Et non obstante quòd ipse Dux se Ostenderet ita devotum de die; nihilominùs ducebat vitam dissolutissimam, per noctem, quia ferè omni nocte inebriabatur, ludebat ad taxillos, & jacebat cum mulieribus dissolutis: & finaliter, suam dissolutionem quam duxerat per noctem, & secretè, per aliquantum tempus, taliter ampliavit, & continuavit, de nocte & die, quòd fuit notoria & publica.

Ex istis habemus duo. Primum est, quòd defunctus criminosus Dux Aurelianensis, fuit autor dictarum invocationum: secundum, quòd sortitæ fuerunt suum effectum in personam Regis. Ex quibus sequitur expressè, quòd dictus Dux fuit criminosus, crimine læsæ Majestatis divinæ & humanæ, in primo gradu, & prima specie; quia faciendo prædicta, machinabatur directè in mortem & destructionem sui Regis, & superioris Domini, per dicta sortilegia, crimina, superstitiones, & maleficia &c.

Exindè volo monstrare quòd commisit crimen læsæ Majestatis, in secunda specie primi generis dicti primi gradus; quia videns per prædicta maleficia, quòd nondum obtinuerat, ex toto, suam damnatam intentionem, scilicet mortem Regis, se convertit ad faciendum eum intoxicare: pro quo faciendo voluit mercari cum pluribus, quorum duo fuerunt quibus promisit, uni quatuor millia francorum; & alteri quinquaginta millia, quorum viginti quinque millia sibi traderentur præsentialiter, sed sicut boni & fideles, ea recusaverunt, alii autem non. Et conventione facta, & toxicis ordinatis, non sunt sortita suum effectum, impedita gratiâ Dei, & aliquorum benevolentium Regi, qui perceperunt.

Et pro ostendendo evidentiùs quòd fuit actor dictorum sortilegiorum & intoxicationum, de quibus nunc sermo, verum est quòd plures & principales malefactores & intoxicatores, post ipsum criminosum Ducem, fuerunt incarcerati, pluribus locis, & diversis temporibus, & contra eos processus formati, & de quibus ordinatum qua morte debent mori; sed ipse, sua vi, quosdam liberavit, & misit in Patriam suam, & de aliis impedivit executionem Justitiæ, ne sua infidelitas detegeretur.

A Item, verum est quòd circiter ferè octodecim Annos, vel novemdecim, Rex, & ipse Dux Aurelianensis, associati paucis hominibus, iverunt ad castrum Neaufle & cænaverunt & cubuerunt in castro dicto, cum Regina dicta *Alba*, quæ in crastino dedit eis prandium. Tunc dictus criminosus Dux, qui per cautelam finxit se iturum ad nemus spatiatum, quousque esset opportunitas complendi suam pravam intentionem, expectans quòd discus Regis esset paratus; tunc venit, & transeundo salutavit equos, * & jactavit supra dictum discum certum pulverem album: deindè, post præsentationem disci coram Rege, dicta Regina benè informata de facto, fecit statim eum deponi, & fuit delatus coram Eleemosynario dictæ Reginæ, sedente ad mensam; cui fuit dictum ne comederet ex eo: & quia tetigit cibum, & misit in sportam eleemosynæ, & deinceps manducavit panem quem tenebat in manibus suis, sine eas lavando, B cecidit spasmatus, & eum oportuit deferri quasi mortuum, & ceciderunt ejus capilli, barba & ungues, & nervi retractati sunt, & cecidit in languorem; & finaliter mortuus est. Et fuit dictus cibus infossus intra terram, ne homines & bestiæ comederent.

Et post Vesperas ipsius diei, in exitu, in præsentia Regis, allocuta est dictum Ducem, foris venientem spaciatum à nemore: „Estis vos, bone famule? Facitis „ vos benè simplicem. Et respiciens Regem dixit: „ quid vobis videtur Pulcher? Heu quantùm est „ benè dispositus relinquere pisa ardere, „ Et ultrà dixit illi Duci: „ Per sanctum Joannem, vos „ non facietis tam bonum. „ Et ita apparet quòd commisit crimen læsæ Majestatis in secunda specie primi generis, primi gradus, & pluries.

Consequenter, venio ad declarandum quòd dictus criminosus Dux, commisit crimen læsæ Majestatis in prima & ultima specie dicti primi gradus; quia verum est quòd malitiosè cagitavit facere certos ludos, & personagia, ad modum hominum sylve- C strium, quorum Rex esset unus, qui vestirentur indumentis de tela coopertis lino, canapo, & stupiis munitis sulphure, pice, & aliis rebus de facili inflammabilibus; sed benè se præservavit ab induendo, quamvis haberet habitum, reperiens fictam excusationem, quòd erat nimis strictus; sed libenter portaret torchiam ante alios, & quod pejus est, volebat quomodocumque Regem, & omnes sic habituatos copulari simul, ne Rex evaderet à combustione, quia hoc erat sua principalis intentio: sed Dei gratiâ, unus probus & sapiens servitor Regis, dixit Regi, quòd si ignis à casu, accideret uni illorum, omnes comburerentur sine remedio. Et quando Dux Aurelianensis audivit illud verbum, pepulit suam torchiam incensam contra vultum ejus, dicendo: „ Vos ribalde, de quo interponitis vos? „ Et ità Rex nolvit copulari. Sed Deus scit qualiter Dux Aurelianensis, de post, persecutus est illum familiarem. Et bastardus de Fundis ordinavit D quòd duo famuli sui fuissent in ostio, cum duobus linteaminibus madefactis in aqua, quatenùs si ignis accideret ipsi, succurrissent cum illis pannis: sed ipsi non fuerunt ita parati succurere Magistro suo sicut ordinaverat, & ita oportuit eum mori cum magno dolore, & Comitem de Jugniaco, Dominum Erardum de Pictavis, & plures alios, per hoc quòd Dominus Aurelianensis, qui gerebat torchiam, trusit

* Forte eos,

trusit ignem in vestimenta unius eorum, credens comburere Regem: sed per gratiam divinam, & auxilium excellentium & illustrium Dominarum Bituriæ, & Burgundiæ, & aliarum Dominarum & Domicellarum, ipse evasit.

Posteà volo declarare quòd dictus criminosus Dux commisit crimen læsæ Majestatis, in secundo genere primi gradus: quia verum est quòd postquàm Rex, & Rex Richardus fuerunt confœderati, per Matrimonium dicti Regis Richardi, & primogenitæ filiæ Franciæ; Rex Richardus voluit alloqui Regem Patrem suum pro bono suæ sanitatis, & ei dixit, quòd morbi quos diù passus fuerat, sibi evenerant per medium Ducum Aurelianensis, & Mediolanensis, & quòd sibi provideret in futurum: & ob hoc Rex indignatus est adeò contra Ducem Mediolanensem, quòd præco suus, gerens sua arma, non est ausus ampliùs ostendre se coram Rege. Quamcitò autem venerunt supra dicta ad notitiam Ducis Aurelianensis, ipse concepit mortale odium contra dictum Regem Richardum: & videns quòd Henricus de Lencastre erat suus major adversarius, se confœderavit cum illo, tendens ad duos fines, scilicet destructionem dicti Regis Richardi, & fortificationem sui, pro perveniendo ad suam damnatam intentionem; & fuerunt concordes Ludovicus Aurelianensis, & Henricus de Lencastre machinari in mortem duorum Regum, pro obtinendo duas Coronas, scilicet Franciæ pro Ludovico; & Angliæ pro Henrico: Henricus pervenit ad suam intentionem; sed Ludovicus non.

Et quòd sit verum de fœdere, ipse Dux Aurelianensis favorisavit dictum Henricum, & Anglicos de bonda sua, quantùm potuit: & expressè mandavit Anglicis, qui erant in castro de Bourden quòd se benè tenerent, ne redderent castrum Gallicis, quia ipse impediret obsidionem, vel auxiliaretur eis, quando opus esset. Impedivit etiam plura viagia contra dictum Henricum: & sic fuit tyrannus, & infidelis suo Principi, & Reipublicæ, & commisit crimen læsæ Majestatis, in secundo genere primi gradus.

Et ad confirmationem hujus, multùm facit unum quod dicam. Verum est quòd tempore quo detinebatur Rex Richardus, & Henricus de Lencastre tendebat ad faciendum eum mori, aliqui Domini Anglici sibi dixerunt quòd periculum erat, propter Gallicos: quibus respondit, quòd Dux Aurelianensis non pateretur quòd occasione dicti Regis Richardi, aliquis insultus fieret per Gallicos contra Anglicos; & ut certiorarentur, fecit publicari Litteras Confœderationis inter eos. Et sic finitur primus Articulus Minoris.

Posteà venio ad declarandum secundum Articulum, in quo ostendam quòd commisit crimen læsæ Majestatis, non tantùm in primo gradu, sed etiam in secundo, scilicet in personam sponsæ Regis: quia verum est, quòd citra tres Annos, cùm Rex cecidisset in suam infirmitatem, dictus criminosus Dux dixit, & dedit intelligi Reginæ, contra veritatem, quòd Rex mirabiliter indignabatur adversùs eam; idcircò consulebat ei, quòd se poneret in talem locum, & etiam liberos suos, quòd essent extra suam potestatem, tendens ad eos ducendum in Ducatum Luxemburgensem, pro faciendo suam voluntatem, & promittebat dictæ dictæ Reginæ, quòd eam teneret in dicto Ducatu securè & suos liberos etiam. Et dicebat ultra, quòd si post sanitatem Regis perciperet quòd ipsa non posset securè venire ad Regem, ad quod se promittebat laboraturum, ipse non reduceret; alioquin sibi teneret statum in Patria Luxemburgensi: & ultrà advisérat quòd Regina & dicti liberi sui irent peregrè ad sanctum Fiacrum; deindè ad nostram Dominam de Liesse, & de isto faciendo multùm & pluries instanter requisivit dictam Reginam: sed aliqui benevoli Regis & Reginæ, quibus ipsa detexerat hoc consilium, sibi dixerunt quòd erat magnum periculum: idcircò dicta Regina benè advisata, se determinavit ad hîc manendum. Ita apparet secundus Articulus Minoris, quòd dictus criminosus Dux commisit crimen læsæ Majestatis in secundo gradu.

Deindè declaro tertium Articulum dictæ Minoris, scilicet quòd commisit crimen læsæ Majestatis, in tertio gradu. Et quamvis appareat satis per Articulum præcedentem; tamen ostendo duobus aliis modis. Primò, per toxica & venena. Secundò, fallaciis & deceptionibus.

Et quantùm ad primum. Verum est quòd machinabatur facere erga Dominum Delphinum, ultimò defunctum, comedere unum pomum intoxicatum & venenosum, quod fuit traditum uni puero, & sibi injunctum quòd deferret Delphino, nec alteri qualitercumque, qui transiens per hortos sancti Pauli, obviavit cuidam nutrici alterius filiorum Ducis Aurelianensis pro tunc tenentis ipsum filium: & quia pomum apparuit sibi pulchrum, voluit habere pro filio; sed puer portans respondit se nemini traditurum quàm Delphino; nutrix autem vi abstulit, & tradidit filio suo comedendum, & statim incidit in infirmitatem, & mortuus est.

Sed hîc fit una quæstio. Innocens mortuus est per pomum venenosum, quis debet puniri; puer deferens, vel nutrix tradens? Respondeo, quòd neuter, quia culpa est attribuenda eis qui fecerunt deferri, & intoxicaverunt.

Secùndus modus est, per fallacias & deceptiones: & quamvis satis appareat per casum super expressum, tamen declarabo aliter.

Verum est quòd dictus Dux criminosus fuit, & commisit ad Papam, pro privando Regem & suam posteritatem; & malitiosè composuit plura crimina detestabilia in personam Regis, redundantia in suam nobilem generationem, quæ dedit intelligi Papæ, requirens quatenùs declararet Regem & suam posteritatem inhabiles regnare, & absolveret dictum criminosum Ducem, & sibi adhærere volentes, à juramento fidelitatis, quo Regi astringebantur; & declararet dictum Ducem & suam posteritatem habilem succedere Coronæ Franciæ, & pro ad hoc inclinando Papam, pluries sustinuit suum factum, sicut patet in via restitutionis pecuniarum, & Epistola Tholosana, & aliàs, contra opinionem & conclusionem Ecclesiæ Gallicanæ. Et sic apparet tertius Articulus Minoris declaratus.

Deindè venio ad quartum & ultimum Articulum, quòd commisit crimen læsæ Majestatis, in quarto gradu, scilicet quando offensa est directè contra Rempublicam: & quamvis satis appareat ex prædictis, tamen probatur duobus aliis modis. Primus est, quia tenuit armatos in Regno, per spatium quatuordecim, aut quindecim Annorum, qui nihil faciebant quàm comedere, & feminas violare. Ponebat etiam, ad libitum, Capitaneos in fortalitiis, pontibus & passagiis Regni, quod est usurpare Dominium Regni.

Secundus modus est, quia imponebat taillas & mutua supra populum, fingens hoc esse pro guerra agenda contra inimicos Regni: deindè totum furabatur & rapiebat vi, & potentia sua, scilicet trecenta millia francorum, quæ erant in turri Palatii, & centum millia in castro Melduni, dans ex illis pecuniis inimicis Regis & Regni, faciendo sua fœdera, intentione debilitandi & depauperandi Regem, & reddendi se potentiorem perveniendi ad Coronam & Dominium Regni. Et sic apparet quartus Articulus, & per consequens, tota Minor.

Plura alia crimina læsæ Majestatis maxima, & hor-

horribilissima, ne dùm in quarto gradu, sed tertio, secundo, & primo, dictus criminosus commisit, & perpetravit; pro perveniendo ad suam iniquam, & damnatam intentionem, scilicet ad Illustrissimam, & Præcelsissimam Coronam & Dominium Franciæ, pro eo tollendo, subripiendoque Regi Domino nostro, & suæ inclytæ generationi: quæ alia crimina, dictus Dominus Burgundiæ declaranda & dicenda habet tempore & loco, quoties erit opus.

Et ultra, apparet etiam nostra dicta Minor declarata, ex qua juncta cum nostra Majore, sequitur clarè, & in bona consequentia, quòd dictus Dominus Burgundiæ, in nullo debet culpari, vel redargui de casu qui accidit in persona dicti criminosi defuncti Ducis Aurelianensis, & quòd Dominus Rex non solùm debet contentari; sed etiam debet habere præfatum Dominum Burgundiæ acceptum, & suum factum autorisare, quando opus est.

Prætereà debet ipsum remunerare in tribus, scilicet amore, honore & divitiis, ad instar remunerationum factarum Beato Michaëli Archangelo, & probo viro Phinëes; de quibus remunerationibus feci mentionem in probatione tertiæ veritatis dictæ Minoris: & intelligo sic, secundùm meum rudem & grossum intellectum, quòd Dominus noster Rex eum debet diligere plùs quàm priùs, & suam fidelitatem, & bonam famam prædicare per totum Regnum, & extra Regnum publicare per Literas Patentes, per modum Epistolarum, & aliàs. Ille Deus velit, quòd ita sit, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit Justificatio Domini Burgundiæ, Comitis Flandriæ, Artesii, & Burgundiæ, super facto mortis Ducis Aurelianensis, proposita publicè, per organum Magistri Joannis Parvi, Doctoris in Theologia, & Consiliarii dicti Ducis Burgundiæ; Parisiis, in domo sancti Pauli, in præsentia Ducis Aquitaniæ, Delphini Viennensis primogeniti & heredis Filii Regis Franciæ, Regis Siciliæ, Cardinalis Parisiensis, Ducum Bituriæ, Britanniæ, & Lotharingiæ, plurium Prælatorum, & Doctorum Universitatis Parisiensis, & aliundè, plurium Comitum, Baronum, Militum, Scutiferorum, & maximæ multitudinis aliorum hominum, diversorum statuum. Anno Domini millesimo quadringentesimo septimo, octava die Martii.

FINIS PARTIS I.



JOANNIS GERSONII

Doctoris, & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI V.

PARS SECUNDA;

Continens

ACTA CONCILII PARISIENSIS,

super Cæde

DUCIS AURELIANENSIS,

A

DUCE BURGUNDIÆ

perpetrata,

Anno 1407.

Habiti circa finem Anni 1413. *& initio Anni* 1414.

Et quæ in Gallia insecuta sunt.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM TOMI V

PARS II.

SUMMA PROCESSUS,


Super Cæde

DUCIS AURELIANENSIS,

A DUCE BURGUNDIÆ

Perpetrata,

Anno 1407.

1413. NIVERSIS tenorem subsequentis nostri Processus inspecturis. G. Miseratione divina, Episcopus Parisiensis, & Frater Joannes Poleti, Sacræ Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, authoritate Apostolica Deputatus. Salutem in Domino, A & pro veritate Catholica decertare.

Quoniam inter causas temporibus nostris ventilatas & discussas, causam Fidei, adversùs errores plurimos, atque pestiferos (qui post septennium hactenùs invalescebant, & si non occursum fuisset, fortè prævaluissent, in perniciem, non mediocrem totius Christianitatis) non dubitamus fuisse magnam, tàm utilitate, quàm arduitate, & solemnitate totius Regni, præsertim quo ad errores qui in Propositione defuncti Magistri Joannis Parvi, quam appellat Justificationem Ducis Burgundiæ, reperti sunt, B & post examen diligentissimum condemnati sunt: propterea dignum duximus Processum omnem causæ hujusmodi, fideli & autentica relatione scriptis demandare, & per Notarios nostros consignare, ne vel oblivione depereat, vel calumniam sustineat eorum qui fortassè inposterùm satagerent adversari.

Continet Processus universus, juxtà ea quæ posteriùs annotantur, sex Partes principales, quas judicialiter, veluti capite, distinguere voluimus, ut magis evitaretur confusio, & totius tenor Processus lucidior appareret.

In prima Parte, ponitur tenor multiplex eorum C quæ facta sunt in prima Concilii Sessione.

In secunda Parte, ponitur tenor multiplex eorum quæ facta sunt in secunda Sessione principali.

In tertia Parte, ponitur tenor multiplex eorum quæ facta sunt pluribus & diversis Sessionibus.

In quarta, ponitur tenor eorum quæ facta sunt per sexdecim Magistros in Theologia, super tribus Articulis, vel punctis principaliter deputatos.

In quinta Parte, ponitur tenor eorum quæ facta sunt in ultimis Sessionibus, deliberando principaliter super tota Propositione defuncti Magistri Joannis Parvi, & super novem Assertionibus extractis ab eadem.

In sexta Parte, ponitur tenor multiplex eorum quæ judicialiter conclusa sunt & executa.

Consequenter, advertendum quòd in prima Parte ponuntur ea quæ particulariter sequuntur.

Primò. Modus convocationis Concilii.

Item. Tenor ceterarum Litterarum Regiarum, in Gallico.

Item. Unius Instrumenti continentis advocationem Cancellarii Parisiensis, per Universitatem, super reprobatione quarumdam Assertionum.

Item. Tenor alterius Instrumenti, super eadem materia.

Item. Tenor cujusdam codicilli continentis diversos Articulos, cum eorum reprobatione, seu qualificatione doctrinali, ut Judicibus & Magistris deliberaturis daretur occasio salubriùs providendi.

Irem. Tenor deliberationum tunc habitarum, velut ad numerum triginta.

Item. Tenor Conclusionis tunc receptæ.

Consequenter, in secunda Parte ponitur primò.

Tenor super modo convocationis Concilii Fidei, pro secunda Sessione.

Item. Tenor deliberationum tunc habitarum, veluti ad numerum sexaginta novem.

Item. Tenor Conclusionis tunc receptæ.

Item. In tertia Parte ponitur primò. Tenor super modo convocationis Concilii, & tenor cedulæ,* quæ apud omnes Magistros in Theologia Parisiensi tunc D existen-

* *Videtur hic deesse eorum.*

existentes, & Licentiatos & Bacchalarios Formatos, & ad alios plures, de diversis difficultatibus, ad multos etiam ex Prælatis, ordinata sunt transmitti.

Item. Tenor deliberationum habitarum variis diebus & Sessionibus, tàm verbo quàm scripto, velut ad numerum octuaginta, vel circa.

Item. Tenor Litterarum Regiarum, in Gallico, hortantium terminationem negotii.

Item. Tenor cujusdam Instrumenti lecti in ultima die, vel Sessione, super causis contentis in Propositione Joannis Parvi.

Item. Tenor Conclusionum ex omnibus præcedentibus tunc acceptarum.

Item. Tenor extractorum formalium, per dictos Deputatos, à quaternis Magistri Joannis Parvi, per eos collationatorum.

Consequenter, in quarta Parte ponitur primò. In speciali, tenor deliberationis Magistri Joannis de Dulcimenillo qui deliberavit in scriptis, & etiam aliorum Deputatorum, & specialiter deliberationis Magistri G. Macheti qui similiter deliberavit in scriptis.

Item. Ponitur tenor Conclusionis tunc acceptæ, & in Instrumento redactæ.

Item. Ponitur tenor deliberationum dictorum Deputatorum, supra ponendis de dictis extractis in deliberatione in consilio Fidei propter, & tenor Conclusionis super hoc habitæ.

Consequenter, in quinta parte ponitur primò. Tenor supra modo convocationis tunc habitæ.

Item. Tenor Litterarum Regiarum, lectarum in præsentia Concilii.

Item. Tenor deliberationum multis diebus & Sessionibus habitarum, tàm verbo quàm scriptis, velut ad numerum quinquaginta sex.

Item. Tenor Collationis per Magistrum Johannem Macheti tunc factæ in Aula Parisiensi, priusquàm ferretur Sententia.

Item. Tenor cujusdam partialis narrationis, de Processu Concilii, tunc factæ per Dominum Officialem Parisiensem, quæ tangit reprobationem Assertionum, in Instrumento prima Sessione exhibito contentarum.

Item. Tenor Sententiæ & Ordinationis, ex præcedenti acceptæ, quo ad totam Propositionem in se.

Item. Tenor alterius Sententiæ, quo ad novem Assertiones à dicta Propositione elicitas.

Item. Tenor supra modo executionis prædictæ Sententiæ, sicut facta est.

Consequenter, in sexta Parte. Ponitur tenor Litterarum Regiarum directarum ad omnes Principes sui Regni.

Item. Tenor Litterarum Domini Episcopi Parisiensis & Inquisitoris, ad diversos Prælatos Regni Delphinatus.

Item. Tenor Litterarum Universitatis, supra eadem materia.

Extat superiùs. Item. Tenor Propositionis defuncti Magistri Joannis Parvi, in Gallico.

Item. Tenor ejus Propositionis, in Latino.

Item. Tenor depositionum duorum testium, supra publicatione ipsius Propositionis Magistri Johannis Parvi examinatorum, & tenor aliquarum diligentiarum circa hoc adhibitarum.

ACTIO PRIMA.

In Nomine Domini. Amen.

Noverint universi, quòd Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio. Indictione septima. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini Nostri Domini Johannis, divinâ providentiâ, Papæ vigesimi tertii, Anno quarto; Mensis verò Novembris die trigesima, horâ primâ ipsius diei, vel circà; in Camera Officialatus Curiæ Parisiensis; coram venerabili & circumspecto viro Magistro Johanne Cuderti, Licentiato in Legibus, Officiali Parisiensis, & Commissario Reverendi in Christo Patris, & Domini, Domini Gerardi, permissione divina, Episcopi Parisiensis, super excessibus, criminibus & delictis commissis & committendis in villa, civitate, & Diocæsi Parisiensi, & alibi undecumque * civis clericorum, dummodò delinquentes & excedentes ejusmodi, in prædictis villa, civitate, vel Diocæsi, possint personaliter apprehendi, puniendis, & corrigendis, & in melius reformandis, etiam in causis Fidei, & hæresim sapientibus, ab eodem Reverendo Patre specialiter & expressè deputato, nec non Religioso viro Fratre Petro Florendinis, Fratrum Prædicatorum Provinciario Generali, Reverendi Patris, & Domini Magistri Johannis Poleti, dicti Ordinis Fratrum Prædicatorum sacræ Theologiæ Professoris, Inquisitoris hæreticæ pravitatis, in Regno Franciæ, autoritate Apostolica deputati, publicè se gerente, & notoriè reputato: convenientibus etiam & congregatis, loco & horâ prædictis, pluribus Magistris & Bacchalariis in Theologia infra scriptis, ex parte dicti Domini Episcopi ad hæc specialiter evocatis, ut dicebatur; præfatus Dominus Officialis, in præsentia totius assistentiæ exposuit eis quomodò, pro parte dicti Domini Episcopi vocati erant, ad præbendum salubre consilium in materia Fidei, de & super infra scriptis. Et in primis exhibuit in medio, & produxit, ac legi fecit quasdam Litteras Patentes Illustrissimi Principis Domini nostri Regis in cera crocea, cum simplici cauda pargameni sigillatas, quarum tenor, de verbo ad verbum sequitur; & est talis. xxx. Novembris 1413.

LITTERÆ PATENTES CAROLI VI. REGIS FRANCIÆ,

Quibus injungit Episcopo Parisiensi, ejusque Officiali, ut, adjuncto sibi Fidei Inquisitore, & adhibitis in consilium sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctoribus, in errores Joannis Parvi inquirat.

CHARLES, Parla Grace de Dieu Roy de France,

A Nostre amé & feal Conseiller l'Evesque de Paris, ou à ses Vicaires en spirituel, & Official, Salut, & dilection. L'abondance des biens & des graces que Dieu nostre Createur de sa misericorde nous à fait, & aussi les vertueuses & loüables œuvres de nos Predecesseurs Rois de France, qui entre tous les autres Princes Chrétiens ont toûjours esté les principaux Protecteurs & gardiens de Sainte Eglise, & les especiaux Deffenseurs & Champions de la Foy Catholique, & des quels la principale cure & sollicitude, a esté d'extirper & nettoyer leur Seigneurie de toutes heresies, erreurs, & autres choses malseantes en nostre Foy, tellement qu'à l'ayde de Nostre Seigneur, & par leur sainte & bonne preveyance, nostre dit Royaume est demeuré jusques à ores sans tache & corruption d'heresie & d'erreur contraire à la vii. Oct. 1413.

* Locus corruptus. Fortè quovis locorum.

à la doctrine de nostre Mere sainte Eglise; pour laquelle cause nos Predecesseurs Roys de France, ont esté, & sont appellés es saints Canons les Rois ters-Chretiens, *nous contraignent, & doivent raisonnablement emouvoir à prendre les armes & l'escu de justice, & nous eslever à l'ayde & deffense de la Foy Chrétienne, pour faire damner & convaincre toutes heresies, & erreurs, & mesmement celles que de nostre temps seroient eslevées, & auroient esté semées en nostre Royaume. Et* A *il soit venu en nostre connoissance, que depuis aucun temps en ça, plusieurs heresies, erreurs, & autres choses malsonnantes en nostre Foy, ont esté dites, proferées, & mises en avant en nostre Royaume, tant en nostre ville de Paris, comme ailleurs, les quelles ont esté depuis publiées & semées en nostre dit Royaume, & dehors, en plusieurs & diverses regions, tant par écrit, comme autrement, dont plusieurs maux & inconveniens irreparables se pourroient ensuivre, non pas seulement en nostre Royaume, mais par toute la Chrétienté, si provision n'y etoit mise telle qu'il appartient au cas: car les dittes paroles & Conclusions sont, si comme l'on dit, fausses, mauvaises & erronées contre nostre Foy, & la doctrine & vray entendement de la Sainte Ecriture; & par consequent offensives de la divine Majesté, & disposées à damnation perpetuelle des ames de ceux qui croiroient, & se adhurteroient pertinacement aux dittes heresies, ou erreurs; & si sont inductives de peché* B *mortel, & donnant occasion de mal faire, & avec ce sont contre bonnes mœurs, tendant à destruction de toutes Seigneuries terriennes, & par consequent à la subversion de la police de toute la chose publique, & contre nostre Royalle Majesté, en maintes manieres; & si pourroient redonder à la tres grande charge, deshonneur, & blasme de Nous, & de nostre Royaume, ou qu'elles ont esté eslevées & mises sus. Pour ce est il que Nous, qui ne pouvons, ne devons tolerer ny dissimuller les dittes erreurs, sauve nostre conscience, & le don de nostre dignité Royalle, mais en ensuivant les bonnes & santes aliures de nos dits Predecesseurs, desirant souverainement sur toutes les cures & sollicitudes regardans Nous & nostre Seigneure, de decouvrir & d'extirper toutes manieres d'heresies & erreurs qui seroient elevées en nostre dit Royaume; & de le garder & conserver en l'unité de la vraye Foy Catholique, & la Doctrine de nostre Mere Sainte Eglise: Vous prions, & admonestons, & neantmoins sommons, & requerons,* C *sur le don de vostre office, & sur peine d'être tenu & reputé fauteur, ou suspect des dittes heresies & erreurs, que appellez avec vous l'Inquisiteur des heresies, ou son Commis & Lieutenant, & aussi les plus notables Maistres de la Faculté de Theologie, & autres laiges Clercs de Nostre fille l'Université de Paris, en tel nombre comme il appartiendra. Vous enquerrés & vous informerés diligemment des dittes erreurs, & mêmement de celles qui par nostre Procureur en Cour d'Eglise, ou autres, vous seroient demontrées, specifiées & declarées & dont serés requis, & tout ce que vous pourrés trouver tant par écrit, comme autrement, deuëment vëés, & faites voir & visiter diligemment, ce que par l'inspection des Ecritures sur ce faites & publiées par temoins dignes de foi, ou autrement deuëment, il vous appert des dittes erreurs, & par toutes les voies, & manieres qu'il se peut, & doive faire par raison, tellement que ce soit à la louange de* D *Dieu, & à l'exaltation de nostre Foy, à l'honneur de Nous, & de nostre Royaume. Et en ces choses, se mestier est, appellés avec vous l'ayde du bras seculier, si besoin en avés, le quel vous sera baillé toute fois que requis en sera par vous. Donné à Paris le septiéme jour d'Octobre. L'an mil quatre cent treize, & de nostre Regne, le vingt quatriéme. Sic signatum.* Darian.

Par le Roy. Où le Roy de Sicile, Messieurs les Ducs De Berry, & de Bar, & plusieurs autres etoient.

DEPUTATIO
JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis
AB
UNIVERSITATE,
Ad agendam Causam apud Regem, adversus errores Joannis Parvi.

QUibus Litteris Regiis solemniter, in præsentia omnis assistentiæ perlectis; statim etiam fuerunt exhibita tria publica Instrumenta supra dicto Domino Officiali, vice & nomine dicti Domini Episcopi, per venerabilem & circumspectum virum Magistrum Johannem de Gersono Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis tradita, quorum primi tenor sequitur, sub his verbis.

In Nomine Domini. Amen.

PEr præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidentissimè, & sit notum. Ab Anno ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri, Domini Joannis, divina providentia Papæ vicesimi tertii, Anno quarto. In domo Religiosorum sancti Bernardi, in Congregatione generali, in loco consueto, propter hoc specialiter congregata: ex deliberatione Facultatum almæ Universitatis Parisiensis, fuit ibidem conclusum per Magistrum Johannem de Monteleone tunc Rectorem, quòd in & super Propositione facta in Palatio Regio, in loco illo qui, *Conciergerie* dicitur, subtùs galerias, in conspectu Domini nostri Regis Franciæ, Domini Aquitaniæ ejus primogeniti, plurimorumque Dominorum Ducum, & Comitum de Regis sanguine, Nobiliumque, Clerici & populi civitatis Parisiensis; per venerabilem, & magnæ litteraturæ virum, Magistrum Johannem de Gersono, in sacra Theologia Professorem, & Ecclesiæ Parisiensis Cancellarium, die quarta ejusdem Mensis Septembris, ejusdem Anni; quo ipsa Universitas habet ipsum gratum, ratum, recommendatum, advocatum pro ut & concludi debeat; & in ipsa Congregatione super hoc, ut dictum, specialiter deputata & celebrata per Nationes Franciæ & Almaniæ, fuit idem Rector requisitus; nec minus per Facultem Medicinæ, quæ super requestis per ipsum Dominum Cancellarium factis in ipsa eadem Congregatione, suæ Matri Universitati prælibatæ, requireretur Facultas Theologiæ instantissimè, & ad extirpationem hæresium, maximè tactarum in prælibata Propositione attenderet, prout easdem notaverat idem Cancellarius extirpandas. Insuper & ex abundanti requisitus per Facultatem Theologiæ, ut ipsius Conclusionis in scriptis & redigendis per ipsam Facultatem in modum qui sequitur fuit conclusum supra Conclusione facta per Dominum Cancellarium Beatæ Mariæ Parisiensis, coram Rege, in loco superiùs expressato. 1413. 11. Sept.

„ Deliberat prælibata Facultas, omnia dicta in „ dicta Propositione esse sancta & Catholica, & il„ lam Propositionem totam advocat, & dicta in „ ipsa, facit que se partem examine *, & in fu„ turum, contra quoscunque dictum Dominum „ Cancellarium molestare volentes directè & indi„ rectè, occasione dictæ Propositionis, vel aliquo„ rum

* *Fortè ex nunc. Loco* examine.

„ rum dictorum in ipsa, in quocumque Judicio, „ vel extra, pro dicto Domino Cancellario, ad „ ipsum tuendum, & protegendum, tanquàm fa- „ ctum † perpetuum. Ita quoad deliberationem Fa- „ cultatis Theologiæ, fuerunt ibidem conclusæ per „ Magistrum Radulphum vices gerentem Decani „ dictæ Facultatis, in præsentia ipsius Facultatis; „ præsentibus venerabilibus viris, Magistris Nico- „ lao de Gonerienria, Petro Galteri, & Simone Fre- „ ron, ad præmissa vocatis. „ Omnia autem illa & singula, fuerunt acta in plena Congregatione in sancto Bernardo, propter hoc expressè celebrata, Anno, Indictione, Mense, die & Pontificatu prædictis, & prædictis Magistris ad præmissa vocatis, & quamplurimis aliis specialiter rogatis. Sic signatum.

Et ego Petrus Sansonneti recenter Presbyter, Magister in Artibus; publicus Apostolica autoritate Notarius; quia dùm præmissa agerentur omnia & fierent, unà cum prædictis Magistris in ipsa Congregatione præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audivi; ideò præsens publicum Instrumentum in notam publicam redegi, scriptum propria manu, in testimonium veritatis.

Deinde sequitur tenor alterius Instrumenti

† *Fortè* proprium.

RELATIO
IN COMITIIS UNIVERSITATIS Sententiæ JOANNIS GERSONII, Dictæ Coram Rege, adversùs Novem Assertiones Joannis Parvi: Ejusque confirmatio.

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI. AMEN.

VI. Sept. 1413. NOverint universi, præsens publicum Instrumentum inspecturi, quòd Anno ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio. Indictione sexta, die verò sexta Mensis Septembris. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Johannis, Divinâ providentiâ Papæ vicesimi tertii. Anno quarto. In Congregatione generali almæ Matris nostræ Universitatis Parisiensis, apud sanctum Bernardum, eadem die solemniter celebrata: astantibus inibi quamplurimis sacræ Theologiæ & Decretorum Doctoribus, in Medicina, & Artibus Magistris, Franciæ, Picardiæ, Normaniæ, & Anglicanæ Nationum Procuratoribus, seu eorundem loca tenentibus, meque Notario publico, & testibus præsentibus infra dictis. Venerandæ circumspectionis, ac magnæ prudentiæ vir, Magister Joannes de Monteleone, ejusdem almæ Universitatis Rector, & in ipsa Congregatione Præsidens dixit, & protulit verba subsequentia, vel consimilia in effectu.

„ Domini & Magistri mei præstantissimi. Feci „ vos hîc evocari, super tribus Articulis, quorum se- „ cundus est talis: ad audiendum relationem Propo- „ tionis factæ coram Domino nostro Rege, ac Do- „ minis de suo sanguine, per Reverendum Patrem Do- „ minum Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis. „ Quo sic exposito Articulo, statim & incontinenti, dictus Rverendus Pater, Magister Joannes de Gersono, Cancellarius dictæ Ecclesiæ Parisiensis, suam compendiosè, & elegantissimè, cum eloquentia peritissima, & decora recitavit, & fecit relationem, dicens inter cetera, quòd coram dicto Domino nostro Rege, aliisque Dominis, de Regali prosapia, recitaverat quasdam Assertiones, unà cum reprobationibus earumdem Assertionum, prout, & quemadmodùm in quadam cedula papyrea, quam ipse Dominus Cancellarius, pro tunc, in suis tenebat manibus; & quam in dicta Congregatione prælegit, quamque postmodùm mihi Notario infra dicto exhiberi, & tradi fecit, quæ sigillata erat sigillo Rectoris, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur, in hunc modum.

La Premiere Assertion.

A *Chacun tyran doit & peut estre loüablement & par merite occis, de quelconque son Vassal, & sujet, ou par quelconque maniere, mémement par aguettes, & par flatteries, ou adulations, non obstant quelconque jurement, ou Confederation faites avec luy, sans attendre la Sentence, ou Mandement du Juge quelconque.*

„ Cette Assertion ainsi mise generallement pour „ maxime, & selon l'acception de ce mot *tyran*, est „ erreur en nostre Foy, & en doctrine de bonnes „ mœurs, & est contre ce Commandement de „ Dieu, *Non occides*, Exod. XX. 13. Glossa. *Autoritate propria, tu n'occiras point de ton authorité*, & „ Matth. XXVI. 52. *Omnes qui gladium acceperint*, „ Glosa, *propria authoritate, gladio peribunt.*

Item. „ Cette Assertion tourne à la subversion „ de toute chose publique & d'un chacun Roy, „ ou Prince.

Item. „ Donne voye & licence à plusieurs au- „ tres maux, comme à fraudes, & à violations de B „ foy, & de serment, à trahisons, à mensonges, „ & deceptions, & generallement à toute inobe- „ diance des sujets à son Seigneur, & à toute de- „ loyauté & deffiance des uns aux autres, & con- „ sequemment à perdurable damnation.

Item. „ Celuy qui afferme obstinement telle er- „ reur & les autres qui s'en ensuivent, est here- „ tique, & comme Heretique doit estre puni, mé- „ mement après la mort. *Notetur, in Decretis.* XXIII. „ *quæst. quinta.*

L'autre Assertion.

Michel, sans Commandement quelconque, ne de Dieu, ny d'autre; mais étant seulement meu d'amour naturel, occit Lucifer de mort perdurable, & pour ce il a des richesses espirituelles, autant comme il en peut recevoir.

„ Cette Assertion contient plusieurs erreurs en „ la Foy, car Saint Michel n'occit pas Lucifer de C „ mort perdurable, mais Lucifer occit soy méme „ par peché, & Dieu l'occit par la mort de la pei- „ ne perdurable.

Item. „ Saint Michel a Commandement de Dieu, „ à debuter Lucifer hors de Paradis: quia omnis po- „ testas est à Deo, & hoc sciebat Michael, quia „ erat constitutus à Deo Princeps, quem honorem „ non sibi assumpsit. Nota, quomodò *Michaël non* „ *est ausus inferre Judicium blasphemiæ, sed dixit:* „ *imperet tibi Dominus.* Vide in Epistola Judæ. 9.

Item. „ Dieu luy eut pû bailler des richesses espi- „ rituelles, & il en eut pû plus recevoir, & aussy il „ ne deservi mie telles richesses par amour naturel.

L'Autre Assertion.

D *Phineès occit Zambri, sans quelconque Mandement de Dieu, & Zambri ne fut point idolatre.*

„ Cette Assertion est contre le texte de la Bible, „ où est cette Histoire, selon l'entendement des glo- „ ses, & des Saints Docteurs, & de raison. No- „ tés Num. XXV. *Dixit Moyses ad Judices Israël,* „ *occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt* „ *Beelphegor.* „ *Et ecce unus* 2. Glossa Josephi di- „ cit quòd Zambri Pinceps in Tribus Simeon duxe- „ rat filiam ejusdem Principis Medjanitarum, no- „ mine Chozbi, & uxore jubente, in quadam solemni- „ tate

„ tate non immolavit Domino cum aliis Christi Du-
„ cibus; quamobrem cùm Moyses Ecclesiam con-
„ gregasset, & cùm culparet coram omnibus, con-
„ fessus est alienigenam duxisse, & idola coluisse,
„ & Legibus Moysi non esse obnoxium, & descen-
„ dens coram omni turba, quæ stabat ante fores
„ tabernaculi, intravit tabernaculum uxoris, &
„ sequens eum Phineès invenit eos coëuntes, &
„ confodit eos, &c. Et Num. xxv. *Suspende eos.*
„ Glossa de Lira: *Dicunt Expositores nostri, quòd*
„ *punitio primò facta est de Principibus, per suspen-*
„ *sionem, quia aliqui erant culpabiles in transgres-*
„ *sione, idolatrando; & alii, subditos negligere re-*
„ *primendo.* Et glossa Ra. Sa. *Ut pœna sit publica,*
„ *sicut pertinet ad terrorem aliorum.*

L'autre Assertion.

M*oyse, sans Mandement quelconque, ou autorité, occit l'Egyptien.*

Cette Assertion est contre le texte de la Bible. *Act.* VI. 25. selon l'entendement des gloses, & des Saints Docteus, & de raison. Textus. *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem Israël.* Sequitur. *Quis constituit te Judicem.* Glossa: *Solus Deus. Quia non est potestas, nisi à Deo. Rom.* XIII. *Et Eccli.* x. 5. *In manu Dei potestas hominis.* In glossa de Lira ponitur expressius. „ Quoniam Deus per manum ipsius
„ daret salutem illis. Jam enim Dominus inspirave-
„ rat Moysi, quòd liberaturus erat populum, per
„ ipsum, de servitute Ægypti, & sic jam erat con-
„ stitutus à Deo tutor & deffensor populi: prop-
„ ter quod non peccavit vindictam illam facien-
„ do. 2. c. 1.

L'autre Assertion.

J*Udith ne pecha point en flattant Holopherne, ne Jehu, en mentant qu'il vouloit honnorer Baal.*

„ Cette Assertion est favorisante à l'erreur de
„ ceux qui ont dit, qu'en aucun cas on peut loisi-
„ blement mentir, contre lesquel ecrit Saint Au-
„ gustin à Saint Hierôme, *Si*, inquit, *admissa fuerint vel officiosa mendacia, tota Scriptura divina vacillabit authoritas.*

L'autre Assertion.

J*Oab occit Abner, depuis la mort d'Absalon* 2. c.

„ Cette Assertion est contre le texte exprès de la
„ sainte Escriture. 2. *Reg. Cap.* III. où l'on recite que
„ long temps avant la mort d'Absalon, Joab occit
„ Abner.

L'Autre Assertion.

T*Outefois que aucun fait aucune chose qui est meilleure, jaçoit ce qu'il ait juré la non faire, ce n'est mie parjurement, mais c'est parjurement contraire.*

„ Cette Assertion ainsi generaillement mise, est
„ fausse, & ne profite rien à ceux qui jurent sciem-
„ ment fausses Alliances; car c'est fraude & de-
„ ception, & parjurement clair, & dire que ceci
„ faire est chose licite, est erreur en la Foy.

Qua quidem relatione, sicut profertur, peracta, & auditis nonnullis supplicationibus, tunc in ipsa Congregatione, verbo tenùs factis, omnibusque & singulis præmissis, & aliis Articulis & negotiis ab eis dependentibus, in omnium & singulorum Doctorum & Magistrorum tunc in prædicta Congregatione examinum, juxtà laudabilem consuetuedinem ejusdem Universitatis, deliberationibus positis; quælibet Facultas ad loca, ubi de arduissimis causis & negotiis deliberandis hactenùs congregari consuevit, abiit, & recessit; facientes singuli in eisdem litteris sessionem solitam. Post quarum quidem Facultatum maturam diuturnam deliberationem, venerabilis Facultas Theologiæ, per organum venerabilis & circumspecti viri Magistri Radulphi de Porta deliberavit, quòd approbat omnia quæ per dictum Dominum Cancellarium, in sua Propositione recitata extiterant, ea quæ erant vera, sancta & Catholica, ex quo ipsa venerabilis Facultas se adjungebat cum sæpe dicto Domino Cancellario, reputans hujusmodi factum, tanquàm factum proprium ipsius Facultatis.

Itaque si contingeret, in futurum, ipsum Dominum Cancellarium præmissorum occasione viâ facti, A aut alio quovis modo molestari; ipsa Facultas supra dictum Dominum Cancellarium, & suam causam, ut propriam causam, in Judicio, & extra sustinere, & illam contra eum, qui ipsum inquietare & molestare, supra tactæ Propositionis occasione concitetur, prosequi decrevit. Et tunc eadem Mater nostra, per organum dicti Domini Rectoris, de & super Propositione & relatione dicti Domini Cancellarii conclusit, quòd regratiabatur ipsa Universitas Domino nostro Regi, ceteris que Dominis de Sanguine, de grata audientia eidem Universitati data & concessa. Regratiabatur insuper Reverendo Patri Domino Cancellario proponenti, Domino Rectori, ceteris que Deputatis, de laboribus per eos susceptis.

Ad Propositionem in se, eadem Mater nostra habebat & habuit dictum Dominum Cancellarium in B dictis suis omnibus propositis coram Rege & Dominis gratum, & advocatum; remittendo effectum ejusmodi cedulæ papyreæ, ut contentor in eadem decisionum, determinationum, ac examinum dictæ Facultatis Theologiæ, unà cum requestis per dictum Dominum Cancellarium, occasione cedulæ papyreæ factis. De, & super quibus præmissis omnibus & singulis, sæpe fatus Dominus Cancellarius petit sibi fieri per me Notarium infra dictum, & dictæ Universitatis, publicum Instrumentum, unum, vel plura acta.

Hæc ubi supra: præsentibus venerandæ circumspectionis ac magnæ scientiæ viris Dominis & Magistris Radulpho de Porta, prædicto Sacræ Theologiæ Professore; Johanne Guerin, Decretorum Doctore; & Joanne Graystoto, in Medicina Magistro, prædictarum Facultatum Decanorum, locum tenentibus, cum aliorum Doctorum & Magistorum utriusque Facultatis multitudine copiosa, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Sic signatum. Vernum. Quia ego Jacobus Ysambardi, Clericus publi- C cus, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, ac Almæ Universitatis Parisiensis præfatæ Scriba, præmissis omnibus ac singulis, dum sic, ut supra scribuntur fierent, & agerentur, unà cum prænominatis testibus, præsens intùs fui, & ea sic fieri vidi, & audivi, ac in notam recepi. Ideò exinde confecto præsenti publico Instrumento, alterius manu fideliter scripto, præmissa publicando, Signum meum apposui consuetum, hic me scribens, manu propriâ, requisitus, in testimonium præmissorum, & rogatus.

Post modùm sequitur tenor tertii Instrumenti.

D

REPROBATIO

Aliorum Errorum Ab Universitate Parisiensi.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum, cunctis pateat evidenter, & sit notum. Ex Anno ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo de- VI. Sept. 1413.

decimo tertio, more Gallicano. Indictione sexta. Mensis verò Septembris, die sexta. Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini nostri, Domini Joannis, divina providentia Papæ vigesimi tertis. Anno quarto. In Congregatione generali Almæ Universitatis Studii Parisiensis, videlicet Doctorum, Magistrorum quatuor Facultatum Theoligiæ, Decretorum, Medicinæ, & Artium, Regentium, & non Regentium, præfatam Universitatem constituentium, & in ipsorum personis repræsentantium; apud Ecclesiam, seu Monasterium beati Bernardi, seu in Capitulo ipsius Ecclesiæ, hora illius diei quasi septima, de manè, super cunctis Articulis: & specialiter ad audiendum relationem Propositionis, coram Domino Nostro Rege, & aliis Dominis, de Regali prosapia, per magnæ circumspectionis, & scientiæ virum, Magistrum Joannem de Gersono, sacræ Theologiæ Professorem, & Ecclesiæ Parisiensis Cancellarium, nuperrimè factæ, videlicet quarta die hujus Mensis Septembris, Parisiis, in Palatio Regali, in curia bassa, subtùs galerias: & per venerandum virum Magistrum Joannem de Monteleone, Universitatis præfatæ Rectorem, Articulis prædictis in deliberationem expositis, & positis. Qua relatione sic facta, paulò post, omnes Magistri & Doctores ibidem exeuntes se traxerunt ad sua loca consueta, ad deliberandum, tam de & super Articulis aliis, per ipsum Rectorem in deliberatione positis, quàm super relatione dicti Domini Cancellarii Parisiensis. Et post longam & maturam deliberationem habitam in venerabili natione Franciæ, ad partem se trahendi; deliberavit ipsa venerabilis Natio Franciæ præfata: & præfato Magistro Joanni de Gersono regratiabatur de onere suscepto, ac honore impenso Universitati, & hujusmodi Propositione per eum facta, quæque præfatum Magistrum Joannem de Gersono, in propositis per eum, & fideliter relatis, habebat gratum, ratum & recommendatum, & advocatum. Insuper præfata Natio jungebat se præfato Magistro Joanni de Gersono, & assumebat factum suum quod contingere posset, occasione præfatæ Propositionis, & quibuscunque, tanquàm factum proprium, ipsumque in omnibus, & per omnia, hujusmodi occasione, tueri velle & deffendere. De & super quibus omnibus & singulis, venerabilis Procurator ipsius Nationis Franciæ, de hujusmodi Conclusione sibi fieri petiit publicum Instrumentum.

Acta fuerunt hæc Parisiis, in dicto loco sancti Bernardi. Sub Anno, Indictione, Mense, die, Pontificatu prædictis: præsentibus venerabilibus & discretis viris, Magistris Nicolao de Goncercuria *, Joanne de Rouveroy, Joanne de Nancoulio, Jacobo Pulli, Guidone Carpentarii, Joanne Vegis, probis in Artibus Magistris, cum quibus † plurimis aliis Magistris ibidem existentibus. Sic signatum.

Et ego Joannes Testardi, Presbyter Rothomagensis Diocæsis, publicus Apostolica authoritate Notarius, quia præmissis omnibus, & singulis, dùm, sicut supra, scriberentur, agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audivi; ideò huic publico Instrumento manu mea scripto, signum meum solitum & consuetum apposui, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus & rogatus.

Subsequenter verò, post lecturam dictorum trium Instrumentorum, fuit in præsentia omnium assistentium exhibitus & perlectus quidam caternus, seu codicillus, continens diversos Articulos, cum eorum reprobatione, seu qualificatione doctrinali, cujus tenor sequitur sub his verbis.

„ Universis præsentes Articulos inspecturis. Veritatem corde credere, ad justitiam, & confessionem ore fieri, ad salutem.

Oportet, sicut dicit Apostolus, *hæreses fieri*, *ut qui probati sunt*, *manifesti fiant*, 1. Cor. XI. 19. Proptereà jubet Apostolus Petrus paratos nos esse *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in* nobis *est* Fide, 1. Pet. III. 15. quoniam, dicente Canone, *Error cui non resistitur*, *approbatur.* Et per Ezechielem Dominus minatur speculatori tacenti, quia sanguinem innocentem de manu ejus requireret.

A Protestatione igitur facta, de non volendi quærere dedecus, vel inhonorationem qualiumcumque personarum, nec rupturam cujuscunque boni Tractatus concordiæ; sed ad extirpationem vitiorum & errorum, & ad honorem Fidei, ad salutem animarum; videtur providendum contra errores, qui nostris temporibus insurgunt, aliqui verbis, aliqui scriptis, aliqui factis, vel operibus generantibus præsumptionem, quia ea perpetrare liceret.

Additur autem ad quemlibet Articulum reprobatio doctrinalis & brevis, sub correctione meliùs & latiùs determinare volentium.

Quòd *Prælati & Doctores deliberant omninò cessare à reprobatione errorum*, *publicè & scandalosè seminatorum*, *tàm verbis*, *quàm scriptis*, *ne fortè inter aliquos temporalis pax turbetur.*

Error: juxtà illud Gregorii; *Utilius scandalum nasci permittitur*, *quàm veritas deseratur.* Et valdè perversè, & irreligiosè judicarent de uno Domino, B vel Principe Catholico in Regno Franciæ; illi qui judicarent, eum pro publicatione Fidei turbari, & pacem rumpere, etiam juramento firmatam, & execrabilissima injuria imponeretur.

Quòd *Impedientes scienter & pertinaciter*, *ne publici errores in Fide & moribus reprobentur*; *non sunt fautores hæreticæ pravitatis*, *& tanquàm hæretici condemnandi.*

Falsum, & contra Jus Canonicum.

Quòd *Prosequens zelo veritatis*, *& honoris Fidei*, *& salutis animarum*, *publicos errores alicujus benefactoris sui*, *judicandus est ex hoc ejus inimicus.*

Error, & temeritas; imò judicandus est verus & fidus amicus, quia *Qui converti fecerit peccatorem ab errore*, &c. Imò faventes tali, in hoc, debent hostes crudelissimi reputari.

Quòd *Non est orandum pro salute animarum illorum qui sunt excommunicati*, *occasione Bullæ Urbani* V. *contra Compagnias*; *sed debent malefici quia damnentur cum diabolo & angelis ejus.*

C Hoc secundum est erroneum, & impium, & similiter primum, nisi intelligatur de correctionibus solemnibus, in Ecclesia.

Quòd *Tales non debent habere Confessionem*, *etiam in articulo mortis.*

Hoc hæreticum est, peccant mortaliter qui hoc Sacramentum scienter impediunt.

Quòd *Tales non possunt absolvi*, *etiam in articulo mortis*, *nisi à solo Papa.*

Hoc est hæreticum, nec hoc statuere Papa posset.

Quòd *Tales non possunt esse in statu salutis*, *nec salvari.*

Istud est hæreticum & scandalosum, & impium; quia Domini sunt viatores.

Quòd *Talibus non esset dandus panis*, *etiam in articulo mortis.*

D Hoc est falsum, & contra illud Augustini; *Si non pavisti*, *occidisti*, *&c.* & hoc præsertim, si non aliundè, & hoc modo sint damnati ad mortem.

Quòd *Rex non posset facere gratiam talibus*, *cùm debeant occidi*, *& exterminari*; *non debet*, *aut potest fieri pacis Tractatus cum eis.*

Istud est falsum, & derogat Regiæ Majestati, & Christianæ pietati.

Quòd *Licitè possunt affigi quicumque Libelli diffamatorii contra eos.*

Istud est contra omne Jus, & contra omnem bonam

* Aliter alibi scribitiur. † *Fortè* quamplurimis.

nam Politiam, & peccant graviter faventes, aut qui non impediunt, cùm possent, & deberent.

Quòd *Illi omnes sunt excommunicati, qui volunt & optant talibus aliquod bonum.*

Hoc est erroneum, quia excommunicatio non fertur pro sola voluntate.

Quòd *Omnes comprehenduntur sub pœnis Bullæ Urbani V. quantumcumque ignorantes prius tenorem ejus, & quantumcumque non moniti fuerunt, qui deprædantur Regnum, contra voluntatem Regis.*

A Ex hoc sequeretur quia Bulla Urbani V. comprehenderet quasi innumerabiles, qui sunt, & fuerunt post decem, aut sexdecim Annos; quia deprædati sunt Regnum contra voluntatem Regis, quia Rex non debet velle Regni sui deprædationem injustam, & ita involvuntur conscientiæ multorum. Accedat ad hoc &, notetur tenor Bullarum Urbani V. & Processus Domini Senonensis, contra ejusmodi excommunicationes.

Quòd *Universitas Parisiensis, per omnes Nationes, & Facultates, liberè deliberavit, priusquàm Concilium Episcopi Parisiensis, in materia excommunicationum, occasione Bullæ prædictæ.*

Et quòd *Omnes Litterati & Sapientes de Parisiis, consenserunt in eisdem ferendis.*

Error in facto, & perperàm impositus.

B Quòd *Tales, de quibus suprà, non debeant sepiliri, etiam in campis; sed à bestiis, & avibus lacerari, & comedi.*

Hoc est contra Christianam, imò naturalem pietatem.

Quòd *Ad pœnam capitalem talium possunt expressè tendere, tàm publicè quàm securè, Sacerdotes, & alii Ecclesiastici, sine periculo Irregularitatis.*

Hoc est contra omne Jus Canonicum & Divinum.

Quòd *Isti merentur apud Deum, qui spoliant, imò qui occidunt eos quos reputant esse tales de quibus Bulla Urbani V. loquitur, etiam si in rei veritate non sint tales.*

Hoc est falsum, præsertim generaliter intellectum; quia non est procedendum ad tales pronunciationes præcipitanter, & ex levibus conjecturis.

Quòd *Omnes sunt & debent reputari fautores talium, & sustinere pœnas Canonicas & Civiles eis debitas, qui unicuique fuerunt servitores eorum uno modo, vel alio; & etiam ubi non consueverunt, nec consenserunt in suis civitatibus, & similiter de suis parentibus & amicis.*

Hoc est manifestè falsum, & iniquissimum, & ad homicidia & rapinas via lata.

Quòd *Pueri talium non sunt baptisandi.*

Hoc est hæreticum & impium.

Quòd *Nullum juramentum factum talibus, dùm capiuntur; vel cùm tractatur cum eis, debet teneri, sed debent & possunt decipi per talia falsa juramenta, seu perjuria.*

Hoc est hæreticum, impium, & incivile.

Quòd *Talibus non debent Medici subvenire.*

Hoc est impium, & incivile.

Item, providendum super sequentibus.

QUòd *Licet interficere Tyrannos, propria authoritate, & Juris ordine non servato.*

Hoc est erroneum, & ex parte Universitatis fuit facta Propositio contra hunc errorem, & probationes suas, & super hoc habetur cædula per Instrumentum publicum approbata. Et super hoc notetur Processus Domini Senonensis, super illa Decretali, *Porrò humani.*

Quòd *Tyrannus subitaneè & improvisè, magis quàm aliter, occidi debeat, & interfici.*

Error impius, & contra rationem Decretalis: *Porrò humani.*

Quòd *Confessus potest licitè generaliter dicere in publico quòd non fecit quod fecit; aut quòd non malè fecit.*

Error manifestus, & perniciosus, & pœnitentiæ debitæ.

Quòd *Confessio debet revelari, & quòd potest homo cogi ad revelandum.*

Error in Fide.

Quòd *Licet se fingere Sacerdotem, ut sub titulo Confessionis, extorqueatur veritas ab aliquo.*

Error.

Quòd *Licet servare honorem Domini sui, quomodocunque, etiam in querela injusta.*

Error manifestus, licèt proh dolor! communis sit, præsertim apud Nobiles & Illustratos.

Quòd *Licet rapere bona subditorum Regis, per milites stipendiarios.*

Quòd *Licet inducere Regem, ut tradat licentiam de sic spoliando.*

Quòd *Faventes tali scientiæ non peccant, propter authoritatem Principis.*

Quòd *Non tenetur ad restitutionem.*

Quòd *Licet sigillare tales concessiones.*

Quòd *Unus Princeps potest, pro libito, spoliare subditos suos, nec potest aliquid facere, unde mereatur deponi.*

Hæc & similia sunt erronea, & incivilia, sic generaliter intellecta, sicut aliàs ex parte Universitatis fuit Prædicatio facta & solemniter advocata.

Quòd *Licet pueros induere, ut gerant officium excommunicantium.*

Quòd *Licet eos induere, ut gerant res inhonnestas, loco pheretrorum, & Reliquiarum Sacrarum.*

Utrumque est falsum, & incivile, & corruptivum puerorum.

Quòd *Licet inquirere à quocumque, sub juramentis terribilibus, quòd dicat ubi sunt bona sua, vel aliena.*

Quòd *Licet tales incarcerare, & torquere, nisi dicant ea quæ petuntur.*

Utrumque falsum, & incivile, & crudele.

Quòd *Licet mentiri in tali casu, imò perjurare.*

C Erroneum in Fide & moribus, licèt possit, & in casu debeat celari veritas.

Quòd *Licet homines, licèt Ecclesiasticos, tenere in Processibus coram reformatoribus laïcis commissis extraordinariè, & facere carceres.*

Falsum & incivile.

Quòd *Licet evocare homines Ecclesiasticos, etiam Doctores de Universitate, coram Commissariis prophanis, in causa levi, & quæ non tangit læsam Majestatem.*

Falsum, & incivile, contra Cleri, & Universitatis libertatem.

Quòd *Licet ponere taillas, pro libito, ad succurrendum Regi contra adversarios veros & prætensos.*

Falsum, & incivile.

D Quòd *Licet captivare supposita, sicut fuit Magister Bernardus de Sorbona, ut revelent bona aliorum.*

Falsum, & incivile.

Quòd *Licet, & expedit incutere vim deliberantibus in Consilio Regis, vel Universitatis, ut dicant quæ petuntur.*

Falsum, & incivile, & seditiosum.

Quòd *Rex, aut primogenitus suus, aut Regina, possunt violentari ut tradant servitores suos, etiam de genere suo, ad incarcerandum, aut interficiendum.*

Falsum, & læsivum Regiæ Majestatis.

Quòd *Expedit Nobiles, super Nobilibus dominari.*

Falsum, & incivile, & læsivum Regiæ Majestatis, & seditiosum, & contra Boëtii Sententiam: *De Con-*

Consolatione. Prosa 2. dicentis: *Improbis flagitiosisque civibus urbium gubernacula relicta, pestem bonis, ac perniciem inferent.*

Quòd *Licet Prælatos & Doctores scientes, & absque remedio permittentes veritatem Fidei & Doctrinam bonorum lædi publicè, tàm verbis quàm scriptis, ne temporalis pax turbetur.*

Error scandalosus, & impius, & contra illud Christi: Matth. x. 34. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*: & qui consentientes huic errori dissimulaverunt, vel dissimulabunt, de generatis malis inde provenientibus, vel futuris, timere in conscientia sibi debent.

Quòd *Interfectio Ludovici Ducis Aurelianensis fuit benè facta, pro bono Regis, & Regni Franciæ, per suos interfectores.*

Hoc est hæresis, vel hæresim sapiens, judicando; attentis circumstantiis omnibus, si non aliud allegetur, & probetur quod hactenus publicè fuit allegatum, & probatum, sicut esset divina revelatio.

Sed Bullam super hoc nondùm vidimus.

Quòd *Rex & Domini de sanguine suo, non debent curare de Justitia facienda, neque de reparatione læsionis Majestatis Regiæ, neque de reparatione honoris sui, per falsissimas informationes execrabiliter maculati, in scandalum totius Nobilitatis, & præsertim Domûs Franciæ, & in rebellionem crudelissimam subditorum ad superiores, & utrorumque ad invicem, & hoc ne temporalis pax per illos qui injustè læserunt, & diffamaverunt, conturbetur, vel ne diffamentur.*

Falsum est hoc, & incivile, neque comprehenditur in aliquo Articulo cedulæ concordatæ per Tractatum; sicut neque Fidei Christianæ læsio, neque partis læsio, neque incorrigibilium impunitas, cùm Beneficium non feratur in invitum, vel impœnitentem.

Quòd *Licet * Prælatos & Doctores scienter, permittentes aliquos Dominos Potentes in suis erroribus & iniquitatibus publicis, quibus inficiunt & lædunt innumerabiles alios, in bonis animarum & corporum, & hoc ne Domini tales offendantur.*

Hoc est crudele, & impium, tàm pro lædentibus, quàm pro læsis, & pro dissimulantibus, juxta illud Ezechiel allegatum: *Si non.*

Sequuntur alii Articuli.

Quòd *Sensus litteralis sacræ Scripturæ non est semper verus.*

Hoc est erroneum, & scandalosum, sic absolutè dictum, & contra Scripturam sacram; quia ex solo sensu litterali suum potest elici efficax Argumentum.

Quòd *Aristoteles, & † Stoicus Thomas, & Alexander de Hales, & alii Doctores determinaverunt*, quòd *licitum est occidere tyrannum, propria authoritate.*

Hoc est falsum, & injuriosum Doctoribus.

Quòd *In nullo casu fides est servanda tyranno.*

Hoc est falsum, & in civile.

Quòd *Licuit interficere Ducem Aurelianensem, per assasinos, quia non poterat bono modo fieri Justitia de eo, per Superiorem suum.*

Error in facto, & in Jure.

Quoniam intentio Ducis Aurelianensis, & postmodùm aliorum multorum de sanguine Regis, fuit ut destruerent Regem, cum sua Potestate, ‡ & ad hanc intentionem hæc interpretari facta omnia eis imposita.

Hæc impositio est judicium temerarium, iniquum & criminale, & contra illud dictum Christi rectè intellectum: *Nolite judicare.* Matth. VII. 1. Contra charitatem insuper, & honorem Regis & Regni.

Quòd *Authoritate propria possit aliquis prosequi vindictam injuriarum suarum, via facti & belli.*

* *Videtur hic deesse* occidere. † *Fortè* Sanctus. ‡ *Fortè* posteritate.

Hoc est falsum & incivile, & tantò deterius, quantò plura mala ex tali via facti proveniunt populis, civitatibus & Regnis: & ad reparationem, juxta possibilitatem obligantur agentes, & consequentes.

Quòd *Per artes magicas & ritus impios, per sortilegia, per carminationes, per invocationem dæmonum, per quasdam immultuationes, & talia maleficia nullus unquam effectus, nisi ministerio dæmonum subsequitur.*

Iste Articulus reperitur scriptus & fuit condemnatio aliàs per Facultatem Theologiæ, sub hac forma: Error. Nam talia quùm permittit Deus contingere, A ut patuit in Magis Pharaonis, & alibi pluries; vel ad probationem fidelium, sicut *Deuteronomii* x. habetur; vel in quorundam hominum dignam flagellationem; vel quia utentes, vel consulentes, propter malam Fidem, aut alia peccata nefanda, dati sunt in reprobum sensum, & demerentur sic illudi.

Hæc dicta sunt sine temeraria Assertione, cum protestatione de corrigendo, vel diminuendo, vel addendo, si commodiùs & veriùs faciendum appareat, vel monstretur.

SENTENTIÆ
TRIGINTA DOCTORUM
De Propositionibus Joannis Parvi.

B CONSEQUENTER, post exhibitionem & lecturam præmissorum Instrumentorum & codicilli, fuit etiam exhibitus, & productus quidam alius quaternus, atque missus Facultati Theologiæ, continens Propositionem quandam defuncti Magistri Joannis Parvi, pro justificatione Ducis Burgundiæ, de & super nece, seu morte defuncti Domini Ludovici, Ducis Aurelianensis, Fratris Domini nostri Regis Franciæ; cujus tenor inferiùs, de verbo, ad verbum inseretur. Quibus sic exhibitis, & productis, præfati Domini Officialis, & Vicarius Inquisitorum, requisierunt Dominos & Magistros astantes, quatenùs de & super hujusmodi materia, præfatis Dominis Episcopo & Inquisitori, & ipsis in hac parte eorum loca tenentibus, salubre & bonum Consilium dare vellent; & in materia, & negotio hujusmodi ulteriùs, ad honorem, & exaltationem Fidei C securiùs providere, & procedere possent: qui quidem Domini & Magistri, de, & super præmissis deliberaverunt, modo & forma quæ sequitur. xxx. Novemb.

Et primò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Johannes de Gersono, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, Sacræ Theologiæ Professor, primitùs protestatur, quod non intendit injurari cuiquam, & quòd non loquitur in ista materia, ex incitatione alicujus Domini, vel Principis; sed solùm ad extirpationem errorum. Et dicit quòd se refert Instrumento Universitatis, & est opinionis quòd moneantur omnes qui habent consimiles caternos ipsius Propositionis Magistri Joannis Parvi, sub pœnis excommunicationis, ut eos afferant, & regratiantur Deo, & Domino nostro Regi, qui ipsos monet & exquirit, ut procedant ad extirpationem errorum & hæresium in Regno suo, & quòd de hoc dat eis libertatem & facultatem loquendi. Et de traditis per eum in isto D Concilio, petiit Instrumentum, præsentibus Dominis & Magistris infra scriptis.

Secundò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Johannes Dachery, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra Dominus Cancellarius, & dicit quòd non vult tendere ad rupturam pacis, quoquo modo, & credit quòd si Facultas Theologiæ providisset circa errores nominatos in Instrumento, mala quæ venerunt in ipso Regno, non evenissent; quoniam ad Propositionem Magistri Joannis Parvi, vidit ipsam aliàs, in qua sunt multi errores

errores, & continentur. Quo verò ad Propositionem factam per Dominum Cancellarium, de qua in Instrumento fit mentio; habet ipsam, ut aliàs, ratam & advocatam, prout & habuit Facultas Theologiæ. Quantùm ad errores in Instrumento contentos; vellet pleniùs deliberare, & ipsos videre, antequam condamnetur sententialiter. Quantùm ad monitionem; placet sibi quòd fiat monitio restituendi consimiles caternos Propositionis Magistri Joannis Parvi: & nunc sunt duo Anni quòd aliqui de Facultate Theologiæ requirebant Congre- A gationem super dicta Propositione dicti Magistri Joannis Parvi fieri; & aliqui requirebant quòd non, dicentes quòd non expediebat, & sic discussio ipsius remansit in suspenso.

Tertiò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Theobaldus Picardi, Ordinis Carmelitarum, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra ceteri; & stat in deliberatis aliàs per Universitatem. Quantùm ad quaternos dicti Magistri Joannis Parvi; dicit quòd est facienda monitio de ipsos habendo, & protestatur quòd non vult facere partem contra aliquem, occasione ipsorum. Et ad idem Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis fuit in continenti protestatus; & apparet sibi quòd in dictis caternis sunt plura malè sonantia, vult stare & laborare ad extirpationem ipsorum, & benè credit is quòd non erit pax stabilis in hoc Regno, donec isti errores extirpentur. B

Quartò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Roder, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & insuper dicit quòd non vult facere aliquid ad offensionem alicujus, nec ad disruptionem pacis; imò contrarium protestatur, quo ad errores de quibus in Instrumento. Quantùm est de se, ipse judicat hujusmodi errores falsos, posito etiam quòd Universitas non reputasset eos erroneos, & pro posse vult tendere ad extirpationem ipsorum. Circa Propositionem dicti Magistri Joannis Parvi, est opinionis quòd fiat monitio ad habendum consimiles caternos, ut possint pleniùs videri & excommunicari *: & credit quòd extirpare hujusmodi errores, est procurare pacem inter nos & Deum, & demùm in Politia. Et ad hoc est laborandum constanter: quia nonnisi tempore pacis, colitur actor † pacis; C & dicit quòd Domini Officialis, & Inquisitor, habent istam materiam diligentissimè visitare, & laborare ad extirpationem istorum errorum. De contentis in primo caterno, dicit quòd sunt aliqui jam reprobati in Sermonibus, & sunt confutandi hujusmodi errores.

Quintò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Generis, Magister in Theologia, Prior de Chaumont, conformiter regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat in conclusione, & deliberatis aliàs per Facultatem Theologiæ, quantùm ad errores contentos in Instrumento, & dicit quòd sunt falsi, & mali & malè sonantes. Quantùm ad alios errores contentos in caternis, dicit quòd sunt extirpandi, & extirpatio eorum erit procurare pacem in isto Regno; & ideò expedit ad hoc laborare: vult quòd fiant monitiones recuperandi consimiles caternos dictæ Propositonis Magistri Joannis Parvi, & quòd de hoc D etiam requiratur Dominus Senonensis, ut possint extirpari per Prædicationem. Et expedit hoc mandare per totum Regnum; & sic credit quòd erit bona pax, & firma.

Sextò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Dulci-Menillo, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra, & stat in deliberatione Facultatis Theologiæ. Quantùm ad factum, in se, dubitat ne iste Processus impediat pacem, & det occasionem frangendi pacem: sunt aliqui, ut dicit, qui volunt quòd visitetur Propositio Magistri Joannis Parvi, ne possint poni alii errores, & benè, & dicit quòd dicta Propositio primitùs visitetur, antequam fiant monitiones recuperandi consimiles caternos. Quantùm ad Articulos & errores, de quibus in parvo caterno; sunt aliqui satis clari. Et ideò apparet sibi quòd Universitas adhuc esset congreganda, & habendus bonus modus in condemnatione ipsorum.

Septimò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Pulchri nepotis, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & stat in Propositionibus aliorum. Quantùm ad factum, in se, visa Littera Regia, apparet sibi quòd circà illam est providendum; & dicit quòd laborandum est circà istos errores, ut servetur pax, & serventur honor & veritas Fidei: & dicit quòd sunt aliquæ veritates Fidei quæ statim sunt publicandæ, & contrariæ earum condemnandæ, & advertendum est. Circà condemnationem, dicit quòd apparet sibi quòd Dominus Parisiensis haberet convocare Prælatos qui sunt Parisiis, & requirere Facultatem Theologiæ quid agendum & faciendum super hoc, & habere ad hoc deputatos, & quòd Judices & Concilium Fidei debent adire Regem & Consilium suum, ad notificandum sibi præmissa, qualiter ita volunt procedere. Quantùm ad errores contentos in Instrumento, stat in deliberatione Facultatis & Universitatis; & ad præmissa, Facultas Theologiæ laborabit vehementer, & dabit deputatos, & istud esset notificandum glorioso Domino Duci Burgundiæ.

Octavò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Hericus de Villa nova, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra. Quantùm ad Instrumentum & contenta in eodem, stat in deliberatione facta per Facultatem Theologiæ; dicit quòd laborandum est ad extirpationem errorum prædictorum, & per hoc procurabitur pax: verum est quòd tunc est opinionis quòd omnes Prælati & notabiles Doctorum Parisiensium convocentur, ac Facultas Theologiæ.

Item, est opinionis quòd fiat monitio ad habendum consimiles caternos Propositionis Magistri Joannis Parvi: & ad hoc est laborandum, ad extirpandum errores istos.

Nonò. Venerabilis & circumspectus vir, frater Henricus Pistoris, Prior Claustralis Monasterii sancti Victoris, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra. Quantùm ad factum in se, prout continet Instrumentum; Dominus Cancellarius fuit advocatus in sua Propositione per Universitatem; & apparet sibi quòd, procedendo ulteriùs, fecit * debitum suum, & aliàs, circa hoc, aliæ Facultates se retulerunt ad Facultatem Theologiæ: & dicit quòd errores hujusmodi sunt condemnandi, & Propositiones contentæ in parvo caterno, & ad hoc est laborandum & procedendum. Et quòd iterum est aperiendum in Facultate Theologiæ, & habita conclusione, eam dicere in Universitate, & eâ captâ, requirere Dominum Episcopum, & Inquisitorem, ad procedendum ad condemnationem, & apparet sibi quòd expedit quòd ita Dominus noster Rex scriberet aliis Prælatis, sicut fecit Domino Episcopo Parisiensi. Et sic sedarentur & informarentur quamplures de veritate Fidei, & bona intentione, & dicit quòd monitio est facienda ante omnia.

Decimò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Franciscus de Ecclesiis, Regens Bernardistorum, Ordinis Cistertiensis, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & stat in deliberatis aliàs per Facultatem, & Universitatem; & dicit quòd est procedendum ad condemnationem hujusmodi errorum, juxta Litteras Regias, & est procedendum ad extirpandum istas Propositiones. Et dicit quòd facienda est monitio, ad recuperandum similes caternos; & ipsis recuperatis, ad extirpationem eorum: & est opinionis quòd ita mandetur aliis Prælatis. Unde-

* *Fortè melius* examinari. † *Fortè* Autor.

* Locus corruptus.

Undecimò. Venerabilis & circonspectus vir, Magister Guillelmus Batitoti, Ordinis Prædicatorum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra. Quantùm ad materiam in se, dicit quòd procedendum est ad extirpationem errorum contentorum in caterno. De modo procedendi, se refert ad Juristas. Quantùm ad Instrumentum, se refert ad deliberata Universitatis, & Facultatis Theologiæ. De Propositione Magistri Joannis Parvi, ipsam non vidit, & ideò adhuc est visitanda.

Duodecimò. Venerabilis & circonspectus vir, Magister Benedictus Janciam, de Collegio sancti Dionysii, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est opinionis quòd Dominus noster Rex scribat omnibus Prælatis hujus Regni consimiles Litteras, ad tollendum omnem suspitionem &c. Quantùm ad Instrumentum, stat in deliberatis aliàs per Universitatem; quia præsens fuit in deliberatione hujusmodi. Quantùm ad Propositionem dicti Magistri Joannis Parvi, vellet quòd fieret informatio unde processit, & à quo, ad finem, ne, ad futurum, esset dubium de hujusmodi Propositione. Stat etiam in opinione Magistri Guillelmi Pulchrinepotis, quòd hæc notificetur Domino nostro Regi, & Parlamento. De erroribus, seu de Propositionibus inde sonantibus, est opinionis quòd extirpentur errores, & perimantur culpabiles.

Decimo tertiò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Girardus Macheti, Canonicus Ecclesiæ Parisiensis, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd, *Dùm habemus tempus, operemur bonum* Galat. vi. 10. Dicit etiam quòd nihil faciemus ad perturbationem pacis, & quòd extirpare hujusmodi errores, est generare pacem, & quòd si ab initio obviatum fuisset hujusmodi erroribus, non habuissemus guerras quas habuimus. Adhæret Instrumento Universitatis nuper lecto. Quantùm ad factum, in se, dicit quòd hoc est faciendum, & tractandum publicè in Universitate, & dubitat ne tempus labatur. Et est opinionis quòd quartus Articulus, videlicet caternus Propositionis Magistri Joannis Parvi visitetur, & communicetur, & quòd infra octo dies indè vocentur Prælati: & requirit Procuratorem Regni Magistrum Joannnem de Vallieres, ibidem tunc astantem, ut circa hoc instet, juxta Litteras supra scriptas.

Decimo quarto. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus de Porta, Magister venerabils Collegii Navarræ Parisiensis, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra. Quantùm ad contenta in Instrumento Universitatis, stat cum aliis, videlicet quòd sunt errores condemnandi judicialiter; & dixit quòd Universitas ampliùs non esset convocanda, ad videndum an sint errores, vel non. Quantùm ad caternum Magistri Joannis Parvi, dicit quòd de octo Assertionibus contentis in Instrumento Universitatis: prima, est extracta de dicta Propositione, & est opinionis quòd de modo judiciali habeatur Concilium, & quòd non est locus dissimulationi. Et si omnes fuissemus Judices constantes ab initio, mala quæ processerunt, non evenissent; nec cessabunt evenire, donec fiat reparatio. De monitione, se refert ad discretionem Judicum. Et de codice dicti Magistri Joannis Parvi, si sint plures, vel non, non curat; sed sufficit quòd habeantur plures caterni.

Decimo quintò. Magister Joannes Granoram, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra: & quantùm ad Instrumentum Universitatis, stat cum Instrumento, & dicit quòd contra tenentes contrarium pertinaciter, esset procedendum; & miratur qualiter an Magister in Theologia fuit ausus Assertiones in ipso Instrumento contentas asserere. Et dicit quòd est facienda collatio de Instrumento ad caternum. Et credit quòd * istæ Assertiones, & errores proponentur coram Domino Duce Burgundiæ abhorret. Et hortatur quòd fiat diligentia ad recuperandum consimiles caternos, & credit quòd esset bonum, his habitis, notificare Domino Duci Burgundiæ. Et non solùm circa ista est laborandum, imò circa alios errores. Quantùm ad modum procedendi, dicit quòd non propter favores & odia, est dimittendus Processus; sed bono modo est procedendum. Et adhæret Instrumento prædicto Universitatis.

A Decimo sextò. Magister Guillelmus Cholet, Ordinis Fratrum Carmelitarum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat cum contentis in Instrumento Universitatis: & dicit quòd illa quæ sunt ibidem, malè sonant, & quòd non est ampliùs quærendum an malè sonent. Quantùm ad Processum, dicit quòd ad hæc est diligenter vacandum, quemadmodum Rex desiderat: dicit etiam quòd quilibet Christianus hoc deberet facere. De modo verò procedendi, dicit quòd hujusmodi errores sunt seminati per Regnum Franciæ; & ideò habita determinatione dicti Instrumenti, & deliberatione contentorum in Propositione dicti Magistri Joannis Parvi, videtur sibi quòd Rex esset requirendus, qualiter per totum Regnum istud divulgaret; & mandaret extirpare tales errores: & dabat exemplum de Libro Regum, qualiter modicum videbant quia populus in excelsis adorabat idola. B Quantùm ad Propositionem Magistri Joannis Parvi; dicit quòd laborandum est ad perquisitionem caternorum hujusmodi Propositionis; & credit quòd in Thesauro Regis deberent reperiri, & est facienda monitio de habendo hujusmodi caternos: & postquàm omnia erunt conclusa, & Assertiones hujusmodi erroneæ condemnatæ, tunc essent commutandæ, & mittendæ per Regnum.

Decimo septimò. Magister Joannes Michaelis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra: stat in deliberatione Facultatis Theologiæ, & Universitatis. Quantùm ad Assertiones contentas in Instrumento, est opinionis quòd condemnentur judicialiter; & ipsis condemnatis, notificetur Regi, & aliis Prælatis Parisiensibus, & Dominis de Parlamento, quòd publicentur per villam Parisiensem & Regnum; & si possit sciri veritas de Autore Propositionis contentæ in caterno, quòd condemnetur cum Authore: & si non possit C sciri veritas, quòd condemnentur Assertiones ipsæ.

Decimo octavò. Magister Petrus de Versailliis, Ordinis sancti Benedicti, de Collegio sancti Dionysii Parisiensis, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd summè laborandum est ad extirpandum hujusmodi errores, & quòd non habebimus cum Deo nec inter nos pacem. De modo Processus, se refert ad Judices, & adhæret Instrumento lecto. Et stat in deliberatione Universitatis.

Decimo nonò. Magister de Goncercuria, Licentiatus in Decretis, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat in deliberatis aliàs per Universitatem: & est opinionis quòd copia Instrumenti mitteretur aliis Studiis, ad finem, ut possent deliberare, & nobiscum convenire. Et apparet sibi quòd Universitas non est ampliùs super hoc convocanda, & quòd est celeriter laborandum; & per hoc roborabitur pax inchoata: & D impingit Domino Cancellario, quòd nimis tardavit.

Vigesimò. Magister Petrus Parvy, Baccalarius in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut alii; & dicit sicut Magister de Versailliis.

Vigesimo primò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Galteri, Magister in Artibus, Procurator Nationis Franciæ, regratiatur, & protestatur, ut supra; deliberat sicut Magister Girardus Macheti.

Vigesimo secundò. Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillus Bloc, Magister in Artibus, & Baccalarius Formatus in Theologia, regratiatur, & protestatur;

* *Fortè*, Istas Assertiones & errores propositos.

ſtatur & dicit quòd celeriter eſt laborandum in iſta materia, & quòd Rex debet ſcribere aliis Prælatis, & habita concluſione, mittenda erit ad Papam, ad finem confirmationis.

Vigeſimo tertiò. Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Henricus Goibean, Magiſter in Artibus, regratiatur & proteſtatur, ut ſupra; & dicit quòd ſtat in deliberatis aliàs per Univerſitatem.

Vigeſimo quartò. Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes de Londa, Bacchalarius in Thelogia, regratiatur & proteſtatur, ut ſupra; & dicit quòd dilatio reparationis iſtorum errorum, erit perpetuare A iſtos errores; & eſt cum Magiſtro Guillelmo Bloc quo ad Papam.

Vigeſimo quartò. Venerabilis & Circumſpectus vir, Magiſter Joannes Samerii, Magiſter in Artibus, Bacchalarius Formatus in Theologia, ſtat in deliberatione Magiſtri Guillelmi Pulchrinepotis, & proteſtatur, & regratiatur, ut ſupra.

Vigeſimo ſextò. Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Paulus Natalis, Magiſter in Artibus, Bacchalarius Formatus in Theologia, regratiatur, & proteſtatur, ut ſupra; & ſtat in deliberatis per Univerſitatem, juxta tenorem Inſtrumenti lecti, & eſt procedendum celeriter circa iſtam materiam, & bono modo, & proteſtatur cum aliis.

Vigeſimo ſeptimò. Venerabilis & circumſpectus vir, Frater Joannes de Meleons, Bacchalarius in Theologia, regratiatur, & proteſtatur, ut ſupra, dicit quòd adhæret Inſtrumento; dicit etiam quòd B non eſt tacenda iſta veritas, nec ſilendum in iſta materia.

Vigeſimo octavò. Et circumſpectus vir, Magiſter Joannes Arnac, Magiſter in Artibus, regratiatur & proteſtatur, ut ſupra; & dicit quòd plures ſunt errores, & quòd ampliùs iſta materia non eſt ponenda in Univerſitate, quia conſtat de mente Univerſitatis per Inſtrumentum, & de erroribus condemnatis per Univerſitatem, & videndum an contineantur in Propoſitione dicti Magiſtri Joannis Parvi; & non poterit fieri, niſi habendo originalem Propoſitionem, quæ reperietur in Theſauro Regis, ut credit.

Vigeſimo nonò. Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Guillelmus Tranchevant, Bacchalarius in Theologia, regratiatur & proteſtatur, ut ſupra; & ſtat C in deliberatione cum aliis.

Trigeſimò. Venerabilis & diſcretus vir, Magiſter Joannes de Templis, dicit, & adhæret in Inſtrumento & reprobationibus Aſſertionum contentarum in eo, & dicit quòd non eſt retardandum à Proceſſu, propter metum alicujus perturbationis.

Sequitur tenor Concluſionis tunc acceptæ.

QUibus opinionibus præmiſſis auditis & habitis, præfati Domini Officialis, & Vicarius dicti Domini Inquiſitoris, per organum dicti Domini Officialis, regratiati fuerunt, ex parte Dominorum ſuorum, Dominorum Epiſcopi, & Inquiſitoris, præfatis Magiſtris & Dominis qui deliberaverunt in hoc Concilio, de eorum ſalubri conſilio & bono adviſamento, quod principaliter in duobus punctis ſtabat, ſecundùm opinionem omnium, ſaltem majorum & ſaniorum partis; D primum videlicet quòd Aſſertiones de quibus in inſtrumento Univerſitatis, & aliis Inſtrumentis ſuperiùs exhibitis facta eſt mentio, fuerunt & ſunt rationabiliter reprobatæ, ſecundùm quod expediens fuit & eſt, materiam iſtam non ſolùm doctrinaliter, ſed etiam judicialiter pertractare, & ad effectum ducere, & quòd hanc deliberationem referrent dictis Dominis Epiſcopo & Inquiſitori, ut ulteriùs valeant in hujuſmodi negotio procedere, ſecundùm qoud eiſdem videbitur rationabiliter eſſe faciendum. Acta fuerunt hæc Anno, die, loco & præſentibus quibus ſupra.

ACTIO SECUNDA.

SENTENTIÆ LXIV. MAGISTRORUM,

Circa Damnationem Propoſitionum Joannis Parvi.

DEinde adjuvante *die quarta Menſis Decembris. Anno ſupra dicto milleſimo quadringenteſimo decimo tertio. Indictione & Pontificatu quibus ſupra: ad quem ſiquidem diem Reverendus in Chriſto Pater Dominus Gerardus, permiſſione divina Pariſienſis Epiſcopus, & frater Joannes Poleti, ſacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Inquiſitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, authoritate Apoſtolica deputatus, Judices complectentes in hac parte habita priùs ſuper ipſius relatione à dictis Dominis Officiali & Vicario Inquiſitoris, de actis & geſtis ſupra ſcriptis & declaratis, fecerant convocari plures Dominos & Magiſtros infra dictos, pro maturiori & ſaniori conſilio habendo, de, & ſuper aliàs deliberatis, videlicet die trigeſimâ Menſis Novembris proximè præteriti, de quibus ſuperiùs facta eſt mentio coram præfatis Dominis Epiſcopis & Inquiſitore, perſonaliter exiſtentibus, adjunctis ſecum præfatis Officiali, & Vicario ſuis: convenientibus etiam & congregatis, ibidem, pluribus Dominis & Magiſtris, quorum memoria latiùs inferiùs deſcribetur; necnon & pluribus aliis Dominis, & Magiſtris, in magno numero. Prænominatus frater Petrus Flore, Vicarius dicti Domini Inquiſitoris, ex Ordinatione & Mandato dictorum Dominorum Epiſcopi & Inquiſitoris, expoſuit cauſas convocationis hujuſmodi, recitando in effectu, ſupra dicta acta & geſta, in prædicta die trigeſima Novembris: ac exhibendo, producendo & legendo Litteras Regias, ac Inſtrumenta ſuperiùs deſcriptas ac deſcripta; necnon & codicillum continentem diverſos Articulos, cum eorum reprobatione, ſeu qualificatione doctrinali, ſupra deſcriptum dicens, petens & requirens, ex parte ipſorum Dominorum Epiſcopi & Inquiſitoris, Judicium in hac parte; prout etiam ipſi Domini Judices requiſierunt, ſi ex præmiſſis ſic geſtis & habitis, ipſi poterant & debebant procedere juridicè ad condemnationem judicialem præmiſſarum Aſſertionum contentarum in Inſtrumento Univerſitatis, ſuper quibus Domini & Magiſtri aliàs, ut præfertur, deliberaverunt, & ſi prædictæ Aſſertiones erant rationabiliter reprobatæ & exinde condemnandæ: & ſi ſic; de modo procedendi ad earum condemnationem: & ut ulteriùs vellent ipſi Domini & Magiſtri convocati, & præſentes, dare ſalubre conſilium ipſis Dominis Epiſcopo & Inquiſitori, in hac materia, ad exaltationem Fidei noſtræ Catholicæ, extirpationem errorum; ceſſantibus omnibus favoribus & odiis quibuſcunque. Quibus ſic expoſitis, & in deliberatione poſitis; præfati Domini & Magiſtri, ſuper præmiſſis deliberaverunt, modo & forma quæ ſequitur. Et primò.

1413. VI. Decemb.

Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Senonenſis Archiepiſcopus, regratiatur, & proteſtatur, ſatis conformiter ad Proteſtationes factas in prima Seſſione, per illos qui tunc deliberaverunt; & obtulit ſe adimpleturum omnia, etiam uſque ad mortem incluſivè, quæ

* Fortè adveniente.

quæ præsens Concilium deliberavit, ad honorem Dei, & Fidei exaltationem, & hoc tàm in Provincia sua, quàm alibi.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Gersono, Magister in Theologia, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, stat in deliberatis aliàs in prima Sessione, & dicit quòd procedendum est ad condemnationem dictarum Assertionum, & exhibuit unam cedulam, cujus tenor talis est.

„ Per deliberationem maturam, & concordem, „ multùm solemniter, & palàm, & liberè habitam, „ per septemdecim Magistros in Theologia, & plurimos alios, in diversis scientiis Graduatos: die „ sexto, sancti Andreæ, de mane, Anno præsenti, „ per Concilium Fidei multùm solemniter congregatum, in camera Officialatûs: præsentibus „ & præsidentibus Domino Officiali Parisiensi, & „ Vicario Inquisitoris; ubi, nemine reclamante, „ fuit deliberatum, & dictum, præsentibus duobus Notariis, quòd Assertiones contentæ in Instrumento tunc exhibito, fuerunt benè, & catholicè, & rationabiliter reprobatæ.„ Est autem forma Instrumenti talis. *In Nomini Domini*, &c.

Deliberatum est insuper quòd expedientissimum fuerat & est, processisse & procedere in materia prædicta, & debet fieri solemnis regratiatio Regi, & suo Consilio, super zelo ad Fidem & sanam Doctrinam, sicut in Litteris suis exhortatoriis & Patentibus apparebat: nec ista facere, est turbare pacem, sed quærere & firmare in justitia, & veritate, ut dicebant, & optabant hoc fuisse citiùs adimpletum, ad Fidei honorem, ad salutem nedùm temporalem, sed multò magis spiritualem Christianorum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Dominus Parvi, Magister in Theologia, Canonicus Parisiensis, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd non intendit retardare aliquam veritatem Fidei Catholicæ, per aliquam dilationem petendam; & dicit quòd nunquam fuit in aliquo loco ubi tractaretur ista materia, nec examinavit negotium Magistri Joannis Parvi: & ideò quia negotium sibi videtur arduum, tàm occasione Fidei, quàm ratione circunstantiarum quæ tangunt mores, & alia, ideò reputat materiam arduam, propter modum condemnationis hujusmodi Assertionum, & ideò nollet esse causa retardationis alicujus veritatis, & dicit quòd de præsenti nesciret deliberare in hac materia.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Breviscoxæ, Canonicus Parisiensis, Magister in Theologia, Elemosinarius Domini nostri Regis, protestatur ut præcedentes; & dicit quòd si Domino Episcopo videatur, vel habuerit consilium procedere ad condemnationem dictarum Assertionum, de quibus in Instrumento Universitatis superiùs lecto facta est mentio, non vult eam impedire: dicit tunc quòd non vidit, nec audivit Propositionem Magistri Joannis Parvi, ex qua ipsæ Assertiones dicuntur extractæ, nisi de prima Assertione, cum qua non staret, propter circumstantias. De aliis Assertionibus non vidit, nec audivit, & dicit quòd in ista materia cum summa gravitate est procedendum, propter arduitatem materiæ, & de præsenti in speciali nesciret quid ultra deliberare, nisi quòd mittantur cedulæ, & discutiantur pleniùs materiæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister sancti Mathurini Parisiensis, Magister in Theologia, adhæret Protestationibus per alios factis, & considerat hanc materiam benè arduam; & apparet sibi quòd Facultas Theologiæ, aliàs fuerat congregata in Sancto Mathurino, super ista materia, & ponderabat arduitatem materiæ: & stat conclusivè, quòd examinetur adhuc pleniùs materia.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Diarcio, Magister in Theologia; dicit quòd quantùm ad Propositiones contentas in Instrumento Universitatis; quis eas proposuerit, nescit, & se refert ad illud quod reperietur. Videtur tùm sibi, quòd prima Assertio est erronea, & nihilominùs, præsuppositis deliberationibus, si quæ sint habitæ jam, virtute Instrumentorum, per quas possit procedi ad condemnationem ipsarum Assertionum, videtur sibi dubium,

A si de præsenti sit procedendum, propter Glossam de Lyra, super capitulo Mathæi, tertio decimo, dicentis: quòd *Heretici sunt alii tolerandi, ubi non possint separari à Catholicis, & ubi esset periculum schismatis, vel propter damnum divisionis Reipublicæ*. Et apparet sibi quòd Assertiones hujusmodi sunt erroneæ, & sunt condemnandæ: sed in modo condemnandi dubitat, propter prædicta.

Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Abbas de Verzellayo, Magister in Theologia; dicit quòd istam materiam non vidit, nec vidit Propositionem Magistri Joannis Parvi, ex qua dicitur dictas Assertiones esse extractas; nec scit si illas dixerit Magister Joannes Parvi, vel aliàs non constat sibi quòd hujusmodi Propositiones fuerunt publicatæ: ideò videtur sibi quòd non sunt condemnandæ, & si aliqua fuerit habita deliberatio super hoc, adhuc non videtur

B sibi quòd de præsenti sint condemnandæ; imò dicit quòd materia adhuc maturiùs deberet tractari, & protestatur & regratiatur, ut alii Domini, & Magistri fecerunt in prima deliberatione habita in hac materia.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus Paris, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd hujusmodi Assertiones sunt destinandæ & mittendæ apud Magistros, antequam procedatur ad condemnationem ipsarum, & dicit quòd in alia deliberatione habita in hac materia, non fuit vocatus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Beuille, Ordinis sancti Augustini, Magister in Theologia, protestatur ut supra, & dicit quòd hujusmodi Assertiones sunt destinandæ, & regratiatur, ut ceteri fecerunt; & dicit materiam sibi novam, &

C dicit quòd aliud est, quærere an Articuli sint erronei, & aliud quærere quis eos protulerit: & ideò quòd Articuli non tangunt, non solum *, imò totam Ecclesiam: si videantur condemnandi, deberet condemnatio remitti ad Curiam Romanam, & tangit materiam de divisione Græcorum, propter Articulum Spiritus sancti; & ideò apparet sibi quòd bonum est quòd illi qui aliàs non viderunt istas Propositiones, quòd habeant copiam & motiva condemnationis, & deliberationis; & nihilominùs, si condemnandæ sunt, quòd mittatur Processus Domino nostro Papæ, qui poterit eos condemnare ubique, & non solùm Parisiis: & ideò cùm mittetur sibi copia, libenter videbit materiam, & stabit in veritate Fidei.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Ursinus Taillenande, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd fuit præsens in Propositione Magistri Joannis Parvi, quæ displicuit sibi, & dicit quòd pluries fuit locutum in Facultate Theologiæ de Libello isto; sed non fuisset visum, quòd esset procedendum ad condemnationem istius

D Libelli, vel aliquorum in eo contentorum. Dicit etiam, quòd fuit in relatione Propositionis Domini Cancellarii, facta per eum coram Rege, & apparuit sibi tunc quòd benè dixerat verum, tùm non erat opinionis quòd fuissent condemnandæ Propositiones istæ pro tunc, sed advocavit ipsum actum, non habuit intellectum quòd Facultas Theologiæ ita approbaret istas reprobationes, & condemnaret Assertiones alias: & ideò sibi videtur quòd est facienda inquisitio, an in Libello isto continentur hujusmodi Assertiones, vel non, & si sic, tunc materia erit discutienda,

* *Aliquid deest.*

da, & debebunt Articuli mitti illis qui vocabuntur ad deliberandum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Egidius de Asperomonte, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd aliàs vidit Propositionem Magistri Joannis Parvi, & deliberat quo ad primam Assertionem contentam in Instrumento Universitatis, quòd ipsa est contra Moralem Philosophiam & eam quoniam * est de se, condemnaret, & quòd Dominus Parisiensis, & Inquisitor habent ipsam condemnare; & videtur sibi quòd nullo modo est desistendum à condemnatione Propositionum contentarum in Instrumento, si per Concilium reperientur condemnandæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Dacheri, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd sibi apparet quòd istæ Propositiones, seu Assertiones sunt condemnandæ in se, tanquam erroneæ; & dicit quòd non est retardandum à condemnatione, propter hoc quod nescitur qui eas dixit, quia multi de Parisiis asserunt ipsas: ideò sunt condemnandæ, & non loquitur de alia persona condemnanda, sed solùm considerat Propositiones in se, quæ sunt erroneæ, & propter hoc condemnandæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Mathiæ, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd est novus in hac materia. Dicit tamen, quòd dicere homicidium licitum, est hæreticum: & dicit quòd prima Propositio est erronea, nec est desistendum à condemnatione ejusdem. Alias vero Propositiones vellet videre, & pleniùs deliberare super eisdem.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Germanus de Rongiaco, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd non studuit materiam, & est dubius in hac materia, respectu condemnationis: & ideò stat in deliberatione Magistri Ursini Taillemande, supra scripta.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Theobaldus Picardiis, Carmelita, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut ceteri supra; & dicit quòd pridie fuit in ultima deliberatione, & apparet sibi quòd illæ reprobationes quas posuit Dominus Cancellarius contra Assertiones contentas in Instrumento Universitatis, sunt benè ordinatæ & positæ, & sunt hujusmodi Assertiones in Instrumento positæ, condemnandæ; & stat cum Domino Cancellario, & dicit tùm quòd bonum esset priùs communicare, ut singuli Magistri habeant ipsas videre finaliter & conclusivè; tùm dicit, videre suo, quòd sunt de præsenti condemnandæ: de modo, se refert ad Dominos Parisienses & Inquisitores.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Simeon de Coursi, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat in opinione quam dixit Magister Petrus de Dierreio, & cum Magistro Nicolao de Lyra, quo ad factum in se, juxta tenorem dictæ opinionis, quæ continet glossam prædicti Magistri Nicolai de Lyra, *Matthei decimo tertio*.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus Cavache, Canonicus Parisiensis, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd propter arduitatem materiæ, & propter tenuitatem sui intellectus, & eo quòd aliàs materiam non vidit; de præsenti, in particulari nesciret deliberare: & ideò vellet habere Articulos in scriptis, ut meliùs posset deliberare, & avisare.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Roder, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd aliàs fuit vocatus super ista materia, ubi fuit præsens Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, & plures alii notabiles Magistri, & apparet sibi, quòd concorditer, ex deliberatione tunc habita, Assertiones erant judicandæ erroneæ, falsæ, & erant condemnandæ: & nunc etiam idem quæritur; imò juxta exiguitatem suæ scientiæ, visitavit Propositiones & scripturas; & dicit quòd sanctus Thomas dicit: quòd *Qui sine authoritate aliquem occidit, peccat, & malè facit.* Et hoc idem ponit Augustinus, tertio *de Civitate Dei*, & dicit quòd *Non licet alicui privatæ personæ occidere quemquam.*

A Dicit insuper quòd hìc solùm quæritur de istis Propositionibus, & non de persona, & vidit plures caternos, qui dicuntur esse defuncti Magistri Joannis Parvi; an sint ita nescit: & apparet sibi quòd in illis prima Propositio Instrumenti continetur, & dicit quòd attento quòd isti caterni fuerunt divulgati ubique, sive illæ Propositiones fuerunt dictæ, vel non; & attento scandalo ex iis orto, & subversione morum, videtur sibi fore procedendum ad condemnationem ipsarum. Nec videt quòd Sarracenus, aut Paganus debet sustinere istas Propositiones: ideò deliberat quòd quia Magistri omnes non viderunt istas, quòd mittantur Magistris, ut pleniùs deliberare valeant quo ad judicialem condemnationem hujusmodi Assertionem; & dicit, prout & aliàs dixit, quòd si reperiatur per deliberationem Magistrorum, quòd istæ Propositiones sint condemnandæ, quòd præfati Domini Episcopus & Inquisitor habent, & debent procedere ad condemnationem ipsarum Assertionum, etiam judicialiter: & videtur sibi quòd hujusmodi judicialis condemnatio non redeunda sit in rupturam pacis, imò operabitur ad pacem & conservationem pacis. Et dicit quòd multi sunt Articuli Parisiis condemnati absque hoc quia missi fuissent ad Curiam Romanam: & ideò procedendum est ad condemnationem ipsorum, in casu quo hoc reperietur, absque mora, & sine remissione ad Curiam Romanam, attenta copia Magistrorum Parisiis existentium.

B

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Cancella, Magister in Theologia, Canonicus Parisiensis, dicit quod fuit in conclusione de qua in Instrumento Universitatis fit mentio, & tunc sibi fuit visum quòd Assertiones de quibus in ipso Instrumento fit mentio, erant erroneæ & falsæ, & benè reprobatæ, & ex illis Assertionibus, maximè in prima, multi fuerunt & sunt scandalisati, & non videtur sibi quòd C propter honorem Fidei, & conservationem pacis, istæ Assertiones sunt condemnandæ; & regratiatur & protestatur, ut alii faciunt.

Venerabilis & circumspectus vir, frater Johannes Generis, Prior de Calvomonte, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd attento facto notorio, quo ad primam, specialiter, procedendum est ad ipsius condemnationem, & de alliis Assertionibus, habeant Magistri copiam, & deliberaverunt.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Delzaer, Decretorum Doctor, Canonicus Parisiensis, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd ex quo, atque quòd prima Assertio est hæretica, & mala, atque falsa, in continenti debet condemnari, & non est dilatio quærenda, quia hæretica, prava & damnabilis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Henricus de Beagella, Magister in Theologia, regratiatur D & protestatur, ut supra; & dicit quòd non fuit præsens ubi materia ista aliàs tractaretur, & ideò vellet habere in scriptis, antequam deliberet.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas de Ponte, Præpositus Monasterii sancti Germani, de Parisiis, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur; & idem dicit cum præcedenti, cum Magistro Henrico de Brangella.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Blancboult, Magister in Theologia, commorans in Collegio Thesaurariorum, protestatur & regratiatur, ut

* *Fortè* quantùm.

ut supra; & dicit quòd vellet habere Articulos in scriptis, & pleniùs deliberare, adjiciens quòd nomine Magistri Joannis Parvi, qui mansit in dicto Collegio Thesaurariorum, & contra voluntatem totius Collegii fecit dictam Propositionem, & nullus ipsorum de Collegio fuit præsens: & dicit quòd non est de levi procedendum ad condemnationem Assertionum; & ideò dicit quòd mittantur cedulæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas de Cracovia, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & ad idem dicit, cum præcedenti Magistro Petro Blancbout. A

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jourdanus Morini, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est opinionis quòd Propositiones, seu Assertiones in Instrumento contentæ, maximè prima, sunt condemnandæ; & vult benè quòd Magistri habeant cedulas & Articulos: & dicit quòd ista materia non capit dilationem, quia factum in se est praticatum, & Propositio in se, videlicet prima, est praticata Parisiis & alibi, & ideò non est dilatio aliqua quærenda. Non obstat authoritas Magistri Nicolai de Lyra, quia locum habet, ubi proceditur ad punitionem alicujus personæ, & non ubi impugnatur aliqua * facilitas: & ideò procedendum est ad condemnationem saltem primæ Propositionis, & quòd ad alias, habeant cedulas Magistri; & posteà deliberaverunt pleniùs. B

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Johannes de Dulcimento, dicit quòd in deliberatione Facultatis Theologiæ, de qua constat per Instrumentum & dicit quòd Assertiones in Instrumento contentæ sunt condemnandæ, causa quia falsæ & erroneæ; & dicit quòd bonum esset videre caternum deffuncti Magistri Joannis Parvi, ad sciendum si Articuli contineantur in Propositione sua: & ideò propter arduitatem Materiæ, est opinionis quòd mittantur cedulæ; & Magistri habeant terminum ad deliberandum pleniùs.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Choletti, Ordinis Carmelitarum, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra, & dicit quòd modicus error in Principio & in fine fit major; & quia Propositio fuit causativa plurimorum damnorum, ideò ad condemnationem ipsius est procedendum: & stat cum aliis qui petunt cedulas ad deliberandum, quo ad alias Propositiones. C

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Thomas Hober, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra, & est opinionis quòd vellet videre materiam; dicit quòd Propositio Magistri Joannis Parvi, nunquam sibi placuit, & dicit quòd fiant Articuli, & quòd petatur quid habeant Magistri deliberare, & an materia mittatur ad Curiam Romanam, vel ne.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Pulchrinepotis Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut supra & alii, & est opinionis quòd mittantur cedulæ Magistris, & quàm citiùs fieri poterit, & quòd Magistri habeant dare deliberationem in scriptis, & deliberare in publico.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Nogente, Magister in Theologia regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd vellet videre dictum in materia ista, & quòd habeant Magistri cedulas. D

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Mancerii, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd de præsenti non auderet deliberare, & consulit mittere cedulas; & non videtur sibi inconveniens videre, an Propositiones illæ contineantur in caterno dicti deffuncti Magistri Joannis Parvi, de quo sermo.

* Fortè Facultas.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Manscone utriusque Juris Doctor, regratiatur, & protestatur ut supra; & est opinionis quòd quilibet habeat cedulas & materiam in scriptis, ad finem ut maturiùs posset deliberare.

Venerabilis & circumspectus, Magister Henricus de Villanova, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & est opinionis Magistri Jourdani Morini in omnibus.

Venerabilis & circumspectus vir, Dominus Prior de sancto Victore, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut supra; & dicit quòd reprobationes contentæ in Instrumento, sunt justæ & sanctæ, & per quas Assertiones sunt falsæ & erroneæ; & quòd Domini Parisiensis & Inquisitor, tenentur procedere ad extirpationem ipsarum, & debent eas condemnare; sed in modum reprobationum contentarum in Instrumento, & quòd dilatio est periculosa, & si in principio fuisset factum, non fuissent subsequuta tot mala, quæ in hoc Regno sequuta sunt: & credit quòd Deus dedit nobis spatium pacis, ut extirparentur hujusmodi errores; & est sibi bonum quòd Magistri habeant cedulas, ut pleniùs deliberent.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus de Dimo, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & est opinionis quòd habeantur cedulæ & mittantur Magistris.

Venerabilis & circumspectus vir, Robertus Gerselli, Magister in Theologia, Ordinis Carmelitarum, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd sibi videtur quòd Propositiones, seu Assertiones in Instrumento contentæ, sunt erroneæ, & condemnandæ, & maximè prima: & in residuo, se refert ad opinionem Magistri Jourdani Morini.

Venerabilis in Christo Pater & Dominus, Dominus Henricus, Episcopus Nannetensis, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd fuit præsens, cum Propositiones fuerunt propositæ per deffunctum Magistrum Joannem Parvi, & dicit quòd recordatur dixisse tunc cuidam Prælato, quem non nominavit, quod illas Propositiones semel proponens revocaret, si viveret; quia non reperit in sacra Pagina Mandatum quòd quis occidat, si propria authoritate; sin verùm *Non occides*, Exod. xx. 13. & an * sibi quòd nunquam erit pax perpetua, quandiù isti errores regnent; & ideò non est aliqua dilatio petenda quin procedatur ad condemnationem, saltem primæ Propositionis: verumtamen ut condemnatio fiat solemnis, vult quòd mittantur cedulæ, & posteà vocentur Magistri, cùm placuerit.

Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Abbas Sancti Victoris, regratiatur & protestatur, ut supra; & est opinionis quòd sunt dandæ cedulæ, & mittendæ Magistris, antequam ulteriùs procedatur in materia.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister de Castellione, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd nunquam fuit super materia vocatus, & ideò videtur quòd bonum est mittere cedulas, ut Magistri possint deliberare.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Benedictus Janciam, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & est opinionis quòd mittantur cedulæ Magistris, super Assertionibus de quibus in Instrumento fit sermo: attamen, prima facie, sibi videtur quòd sunt pessimæ erroneæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Gerardus Emangardi, Magister in Theologia dicit idem, quo ad cedulas mittendas Magistris.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Gerardus Macheti, Canonicus Parisiensis, Magister in Theo-

* Fortè videtur loco an.

Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & vult extirpare errores, & tenet primam Propositionem, erroneam, & adhæret omnibus contentis in Instrumento.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Dionysius Pegani, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est opinionis cum Magistro Ursino Taillenande, & petit cedulas dari & mitti Magistris.

A Venerabilis & circumspectus vir, Magister de Porta, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat in aliis deliberatis per Facultatem Theologiæ: & tenet quòd Propositiones in Instramento contentæ, sunt erronæ, & dicit quòd saltem prima Propositio est falsa, etiam ubi Instrumentum non potest ponere manum, & etiam ponendo omnes circumstantias, non licet alicui occidere aliquem, propria autoritate: & ideò positis omnibus circumstantiis, adhuc poneret falsa & erronea, & placet sibi quòd mittentur cedulæ Magistris, ut maturiùs habeant deliberare.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Pinguesaais, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & petit cedulas mitti Magistris, antequam procedatur ulteriùs in materia.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Graverant, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & reputat Assertiones contentas in Instrumento erroneas: & miratur multùm qualiter vir tantæ autoritatis posuerit ipsas; & ideò dicit quòd visitandi essent caterni, & si posset reperiri primus caternus originalis, esset visitandus; & si dictæ Assertiones non reperientur in eo, hoc esset ad exonerationem ipsius proponentis * in casu ex quo reperirentur in suis caternis stat in deliberatis aliàs in prima Sessione. Et est opinionis ad finem, ut negotium sit magis securum, quòd mittantur cedulæ.

B Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Baldonum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est opinionis quòd priùs mittantur cedulæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Bioufti, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & deliberat quòd Assertiones in Instrumento contentæ, sunt erroneæ: verumtamen est opinionis quòd Magistri habeant cedulas, & quòd mittantur cedulæ ipsis Magistris.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Michaelis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat in prima deliberatione sua, & dicit quòd Propositiones sunt condemnandæ, nec esset differendum, nisi propter quia Magistri non habuerunt cedulas.

C Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Laudissono, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat ad idem, quo ad cedulas mittendas.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Versailles, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd non est differendum, nisi propter illos qui non habuerunt cedulas: & est opinionis quòd mittantur.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Parvi, Bacchalareus Formatus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quòd dictum Articulis est quòd præter Legem, opus est Sententia; & dicit quòd prima Propositio est damnanda, & condemnanda: verumtamen cedulæ sunt mittendæ, & dicit quòd si Lex permitteret occidere aliquem, adhuc opus esset Sententia Judicis.

D Venerabilis & circumspectus vir, Magister Lamberti, Bacchalareus Formatus in Theologia, protestatur & regratiatur, ut supra; & dicit quòd mittendæ sunt cedulæ, ut præfigatur terminus ad deliberandum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Philbertus de Cancuerte, Ordinis Cluniacensis, Bacchalareus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit ad idem de cedulis.

Venerabilis & circumspectus vir, Frater Thomas Avis, Ordinis Carmelitarum, Bacchalareus in Theologia, regratiatur, & protestatur ut supra; & stat in deliberationibus aliorum, videlicet quòd sunt mittendæ cedulæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus Lovier Elemosinarius Cadovienser, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est ad idem quòd cedulæ mittantur.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Salverii, Bacchalareus Formatus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stat ad idem de cedulis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Tronqueti, Bacchalareus Formatus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est ad idem quo ad cedulas, & quòd Magistri habeant signare cedulas suas.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Gatteri, Bacchalareus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & adhæret Instrumento Universitatis, & quòd mittantur cedulæ, propter solemnitatem.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Franciscus de Ecclesiis, Prior sancti Bernardi, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & dicit quod mittantur cedulæ, & stat in prima deliberatione sua.

Reverendus Pater, Dominus Abbas Boniportus, Præsentatus sancti Berrardi, Bacchalareus in Theologia, regratiatur, & protestatur ut supra; & est ad idem, de cedulis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Paulus Natalis, Bacchalareus Formatus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & est ad idem, de cedulis mittendis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Harralliano, Bacchalareus Formatus in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; & stad ad idem.

Venerabilis & circumspectus vir, Frater Ægidius de Villani, Bacchalareus in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & ad idem dicit de cedulis mittendis.

Venerabilis & circumspectus vir, Frater Guillelmus de Caritate, Bacchalareus cursor, regratiatur, & protestatur, ut supra; ad idem.

Venerabilis & circumspectus vir, Frater Archambaudus, de Firmitate, regratiatur, & protestatur, ut supra; ad idem.

Venerabilis & circumspectus vir, Frater Guillelmus de Joyaco, Bacchalareus, regratiatur, & protestatur, ut supra; ad idem.

Sequitur tenor Conclusionis tunc habitæ.

CONCLUSIO
SESSIONIS HUJUS.

QUibus omnibus auditis, & consideratis; præfati Domini Judices concluserunt hujusmodi cedulas fore mittendas singulis Magistris & Doctoribus, hujusmodi Assertiones cum reprobationibus in se continentes, quæ cedulæ fuerunt missæ, ut infrà latiùs continetur.

* Locus corruptus.

ACTIO

ACTIO TERTIA.

1413. xix. Decemb. ANno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio. Die Martis decima nona Mensis Decembris. Indictione septima. Pontificatus Sactissimi in Christo Patris, ac Domini nostri, Domini Joannis, divinâ providentiâ Papæ vigesimi tertii, Anno quarto: ad quam diem, ex deliberatione præhabita, Reverendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Gerardus, permissione divina Parisiensis Episcopus; & Frater Joannes Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ A Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, convocari fecerant Concilium Fidei; præsidentibus ipsis Dominis Episcopo, & Inquisitore, secum assistentibus, videlicet cum ipso Domino Episcopo, venerabili & circumspecto viro, Magistro Joanne Tuderti, in Jure Civili Licentiato, ejus Officiali Parisiensi & Commissario, & cum dicto Domino Inquisitore, Fratre Petro Flore, Bacchalareo in Theologia; in domo Episcopali Parisiensi, in camera magna ejusdem Domini Episcopi; conventientibus & existentibus ibidem quampluribus Magistris & Bacchalareis in Theologia: fuerunt ibidem lectæ publicè Litteræ Regiæ superiùs inscriptæ, per Herneum Fresnoy Clericum, & Notarium ipsius Domini Episcopi. Et deinde, exposito per præfatum Vicarium ipsius Domini Inquisitoris, B qualiter Illustrissimus & Christianissimus Dominus noster Rex requisiverat, & rogaverat, prout constabat per ipsas suas Patentes Litteras super hoc confectas, & ibidem lectas, præfatum Dominum Episcopum Parisiensem, vocato secum dicto Inquisitore seu ejus Vicario, quatenùs procederet ad extirpandum hæresim & errores de Regno; & quòd propter hoc ipsi Domini Episcopus & Inquisitor, dictos Magistros ibidem existentes convocaverant, juxta deliberationem aliàs habitam, ac eisdem cedulas suas super hoc miserant, ad finem quòd dicti Domini ibidem vocati maturiùs & pleniùs deliberarent, & consilium salubre in facto Fidei eisdem præberent; & quòd ipsos Dominos & Magistros requisiverunt, quatenùs liberè dicerent deliberationes suas super Assertionibus contentis in cedulis ipsis aliàs missis, an essent erroneæ, & si sic, an condemnandæ: & quòd deliberarent, & dicerent per quem modum, & illi haberent C deliberationes suas in scriptis, fuerunt requisiti ut ipsis traderent. Quibus sic per eundem Vicarium dictis, aliqui astantes ibidem, se excusaverunt non habuisse illas Assertiones, nec vidisse, requirentes easdem habere; & alii opiniones suas tàm verbo quàm in scriptis dixerunt, modo & forma, prout infra continetur. Deliberaverunt & ordinaverunt dicti Domini Judices quòd examinarentur testes, & fieret informatio, ad sciendum utrum vera Propositio Magistri Joannis Parvi, seu ejus vera copia posset reperiri: & fuerunt certi testes examinati per Dominum Officialem Prisiensem & Commissarios infra dictos, quorum depositiones reperientur in fine Libri, in duobus ultimis foliis.

Est autem tenor cedulæ missæ, talis. D

EX parte Domini Episcopi, & Inquisitoris, & Concilii Fidei solemnissimè congregati, Magister Reverende, mittitur vobis cedula, continens Assertiones aliquas, cum suis reprobationibus: quare requirimus vos, sub pœnis Juris, ut detis deliberationem vestram, publicè, vel in scriptis, vel verbotenùs, si hujusmodi Assertiones, de quibus ortum est notoriè scandalum, sicut fatetur Concilium Fidei, sint erroneæ, & taliter condemnandæ; ut consequenter procedere valeamus, sicut Juris ordo postulabit.

La premiere Assertion.

CHacun tyran, doit, ou peut estre loüablement & par merite occis, de quelconque son vassal, ou sujet, & par quelconque maniere; mêmement par aguetes, & par flatteries & par adulations: nonobstant quelconque jurement, ou foederation faite envers luy, sans attendre la Sentence, ou Mandement de Juge quelconque.

„ Cette Assertion ainsi mise generallement pour maxime, & selon l'acception de ce mot, tyran, est erreur en nostre Foy, & en doctrine de bonnes moeurs; & est contre ce Commandement de Dieu, *Non occides*: Exod. xx. 13. Glossa: *Propria authoritate. Tu n'occiras point*: Glose: *De ton autorité*, & Matth. xxvi. 52. *Omnes qui gladium acceperint.* Glossa: *Propria authoritate*: *gladio peribunt.*

Item. „ Cette Assertion tourne à la subversion de toute chose publique, & d'un chacun Roy, ou Prince.

Item. „ Donne voye, ou licence à plusieurs autres maux, comme à fraudes, à violations de foy & de sermens, à trahisons & mensonges, & generallement à toute inobediance de sujet à son Seigneur; & à toute déloyauté & deffiance des uns aux autres, & generallement à perdurable damnation.

„ Celui qui afferme obstinement tel erreur, & les autres qui s'ensuivent, est heretique, & comme heretique doit estre puni, mêmement apres la mort. *Notetur in Decretis* xxiii. *Quæstione quinta.*

L'autre Assertion.

SAinct Michel, sans Mandement, ou Commandement quelconque de Dieu, ne d'autre; mais tant seulement meu d'amour naturel, occit Lucifer de mort perdurable, & pour ce il a des richesses espirituelles autant comme il en peut recevoir.

„ Cette Assertion contient plusieurs erreurs en la Foy. Sainct Michel n'occit point Lucifer de mort perdurable; mais Lucifer occit soy méme par peché, & Dieu l'occit par la mort de la peine perdurable.

Item. „ Sainct Michel à eu Mandement de Dieu a deboutter Lucifer hors du Paradis, *Quia omnis Potestas est à Deo.* Rom. xiii. 1. Et hoc sciebat Michael, qui erat constitutus à Deo Princeps: quem honorem non sibi assumpsit. Nota quomodò Michael *non est ausus inferre judicium blasphemiæ; sed dixit: Imperet tibi Dominus.* In Epistola Judæ. ℣. 9.

Item. „ Dieu lui eut pû bailler des richesses espirituelles; & il en eut pû plus recevoir, & ainsi il ne desservit mie telles richesses par amour naturelle.

L'autre Assertion.

PHinées occit Zambri, Num. xxv. *sans quelconque Mandement de Dieu, ou de Moyse; & Zambri ne fut point idolatre.*

„ Cette Assertion est contre le texte de la Bible, où est cette Histoire, selon l'entendement des Glóses, & des saints Docteurs & de raison. Notés Numerum. xxv. 5. *Dicit Moyses ad Judices Israel: occidat unusquisque proximos qui initiati sunt Belphegor. Et ecce unus.* &c. Glossa: *Joseph dicit quòd Zambri, Princeps in Tribu Simeon, duxerat filiam cujusdam Principis Medianitarum, nomine Chozbi; & uxore jubente, in quadam Solemnitate non immolavit Domino cum aliis undecim Ducibus: quamobrem, cùm Moyses Ecclesiam congregaret, & culparet eum coram omnibus, confessus est alienigenam duxisse, & idola coluisse, & Legibus Moysi non esse obnoxium; & descendens coram omni turba, quæ stabat ante fores tabernaculi, intravit tabernaculum*

uxoris,

„ *uxoris*, *&* *sequens eum Phineès invenit eos coëuntes*, *&* *confodit eos* &c. Num. xxv. 4. *Suspende eos*, Glossa de Lyra; *Dicunt expositores nostri quòd punitio primò facta est de Principibus per suspensionem*; *quia aliqui erant culpabiles in transgressione idolatrando*, *&* *alii subditos reprimere negligendo.* Et Glossa, Ra. Sa. *Ut pœna sit publica*, *sicut &* *pertinet ad terrorem aliorum.*

L'autre Assertion.

MOyse sans Mandement quelconque, *ou authorité*, *occit l'Egiptien.*

„ Cette Assertion est contre le texte de la Bible: *Actuum septimo*; 25. selon l'entendement des Gloses, & des saints Docteurs, & de raison. Textus: *Affirmabat* * *autem intelligere fratres*, *quoniam Deus per manum ipsius daret salutem Israel.* Sequitur: ℣. 27. *Quis te constituit Judicem.* Glossa: *Solus Deus.* Quia, *Non est potestas*, *nisi à Deo*, ad Romanos decimo tertio. Et Ecclesiastici decimo. *In manu Dei potestas* † *hominis*, In Glossa de Lyra ponitur expressiùs. *Quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis.* Jam enim Dominus inspiraverat Moysem qui liberaturus erat populum per ipsum de servitute Ægipti: & sic jam erat constitutus à Deo tutor, & deffensor populi: propter quod non peccavit, vindictam illam faciendo.

L'autre Assertion.

JUdith ne pècha point, *en flattant Olophernes*; *ne Jehu*, *en mentant qui vouloit honnorer Baal.*

„ Cette Assertion est favorisante à l'erreur de ceux qui ont dit qu'en aucun cas on peut loisiblement mentir. Contre le quel erreur écrit saint Augustin à saint Hierosme. *Si* inquit, *admissa fuerunt*, *vel officiosa mendacia*, *tota Scripturæ divinæ vacillabit authoritas.*

L'autre Assertion.

JOab occit Abner, *depuis la mort d'Absalon.*

„ Cette Assertion est contre le texte exprès de la sainte Ecriture. *Secundo Regum*, *tertio Capitulo*: la où on recite que long temps avant la mort d'Absalon, Joab occit Abner.

L'autre Assertion.

TOutes fois que aucun fait aucune chose qui est meillevre; *jaçoit qu'il ait juré la non faire*; *ce n'est mie parjurement*, *mais c'est à parjurement contraire.*

„ Cette Assertion ainsi generallement mise, est fausse, & ne profite rien à ceux qui jurent sciemment fausses alliances: car cette fraude & deception, est parjurement clair. Et dire que ainsi faire soit chose licite; c'est erreur en la Foy.

SENTENTIA LXXIX.

MAGISTRORUM

De schedula ad eos missa, continente Propositiones Joannis Parvi.

REverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Henricus, Episcopus Nannetensis, Licentiatus in Theologia, deliberationem suam in scriptis tradidit, in hunc modum.

Præmissa protestatione quòd non est intentionis meæ aliquid asserere Catholicæ veritati contrarium, errori favens alicui, vel quicquam aliud malè sonans, aut quod cedat aut cedere valeat in cujuscumque personæ injuriam vel offensam; seu ejus bonæ famæ, quo statui & honori quoquomodò derogare, nec etiam quod paci istius Regni, generalis vel particularis, conservationi causaliter, vel occasionaliter sit repugnans: quòd si aliquod tale in hoc scripto repertum fuerit, quod non credo, illud examine haberi volo & habeo pro non scripto, supponens in eo contenta, & quidquid in hac materia sum scripturus & dicturus, benevolæ correctioni omnium & singulorum ad quos potest, & debet hujus correctio pertinere.

Prima Assertio videtur falsa & erronea, in qualibet sui parte, sufficienterque & rationabiliter, in terminis generalibus: & licèt ad ejus falsitatis deprehensionem sustinere videtur quòd nullo sacræ Scripturæ testimonio, nulla Doctorum authoritate, nullove rationis fulcimento firmetur; quin totum A ipsius fundamentum, super quibusdam aliis falsis assertionibus, exemplisque, super perverso intellectu Scripturæ sacræ fundatis, consistere dignoscatur. Nihilominùs tamen ut ejus Catholicæ veritati repugnantia Doctorum, authoritatibus & Scripturarum testimoniis ostendatur; sequitur autoritas Augustini, tertio, *De Civitate Dei*, quæ habetur in Decretis, c. XXIII. Quæstione ultima: *Quicumque percutit malos in eo quod mali sunt*, *&* *habet causam interfectionis*, Glossæ primæ, *authoritatem*, & præced. Capite *Qui malos.* ead. quæstione quinta, *Minister Dei est. Qui verò sine aliqua publica administratione*, *maleficum*, *furem*, *sacrilegum*, *adulterum*, *vel perjurum*; *vel quemlibet criminosum interfecerit*, *vel trucidaverit*, *vel membris debilitaverit*, *velut homicida judicabitur*, B *&* *tantò acriùs*, *quantò non sibi à Deo concessam Potestatem abusivè usurpare non timuit.*

Ista authoritas videtur sola sufficere, ad clarè monstrandum prædictæ Propositionis erroneam falsitatem; cùm tyrannus non est occidendus, nisi quia criminosus, etiam in authoritate cujuslibet Potestatis; quinimò etiam condemnatum pro quocumque crimine, non licet alicui, propria authoritate, perimere: quia quantò majus est & enorme ejus crimen, tantò graviùs offendit, ipsum perimens, sine jussu; tùm quia Superioris authoritatem, & sui Officii debitum impendit & usurpat; tùm etiam quia bonum publicæ authoritatis in publica punitione malefactorum C intentum, insole[illegible] * si correctionem & informationem quæ in se est, prohibet in favorem nocentium, & præjudicium innocentium. Quamobrem Alexander de Hales, Libro tertio, in Propositione: *Utrùm illi qui non habent Potestatem universaliter*, *prohibeantur maleficum occidere*, dicit quòd non sequitur; *Iste interficiendus est secundùm Legem: ergo qui interficit*, *facit secundùm Legem. Ad interficiendum enim*, *secundùm Legem*, *non sufficit solùm reatus quo dignus sit interfici*, *ad interficiendum autem*, *secundùm Legem*, *requiruntur plura*, *videlicet justa causa*, *justus ordo*, *justus animus. Justa causa*, *ut reus meruit interfici &* *de crimine sit convictus*, *&* *quòd sit judicialiter condemnatus*: *justus animus*; *ut fiat solo amore justitiæ*, *non libidinis vindictæ*, *vel appetitu pœnæ*: juxta ad primum *Augustini*, quod habetur in Decretis XXIII. Quæstione quinta. *Cùm homo*, inquit, *ab homine occiditur*, *multùm distat utrùm fiat nocendi cupiditate*, *vel injustè aliquid auferendi*, *sicut fit ab inimico*, *sicut a latrone*: *vel ulciscendi ordine*, *sicut à Judice*, *sicut à carnifice*; *vel evadendi*, D *vel subveniendi*, *vel obediendi necessitate*; *sicut interficitur latro à viatore*, *hostis à milite. Primæ illæ duæ causæ sunt illicitæ*, *aliæ sunt licitæ.* „ *Prima videlicet propter authoritatem*, *reliquæ*, *propter necessitatem obedientiæ*, *subventionis*, *vel evasionis*, *&* *maximè in exemplis positis de latrone &* *hoste*, *quorum dumtaxat necem humanæ Leges permittunt*; *non tamen sine moderamine*, *nam latro insidians in itineribus*, *licitè &* *impunè occiditur*, *supple insidias actualiter exercendo.*

* Vulgata habet, *existimabat* † Vulgata *prosperitas.*

* Locus corruptus.

Et cap. *Quando licet unicuique.* Sive supra l. 2. Et *utrùm occidens deffensor veriùs dici valeat, quàm invasor; & fur nocturnus, si fodiens inventus, sine læsione nequit deprehendi, & percussus mortuus fuerit, percutiens reus homicidii non censetur*, ut habetur in c. *Si perfodiens. De homicid.* Secùs de fure diurno, quia *potest discerni, an ad furandum, aut occidendum venerit; & ideò non debet occidi, nisi telo se defenderit. Hostis etiam à milite potest occidi*, suple *in justo bello*, ut notatur c. XXIII. Quæstione eadem. *De occidendis*: ubi recitantur verba Augustini ad Publicolam. *De occidendis*, inquit, *hominibus, ne ab eis quisquam occidatur; non mihi placet consilium, nisi fortè sit miles, aut publica functione teneatur; ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est, accepta legitima Potestate, si tamen ejus congruit personæ.* Ut est, decimo Libro, *De Civitate Dei.* Et habetur eodem capite vigesimo nono: *Miles*, inquit, *cùm obediens potestati sub qua legitimè est constitutus, hominem occidit, nulla civitatis suæ Lege reus homicidii est, imò si non interfecerit reus Imperii deserti, ac contempti est. Quòd si, sua sponte, atque sua authoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. itaque unde punitur, si fecerit injussus, inde punietur si non fecerit jussus.* Et sequitur in alio capite: *Cùm minister Judicis occidit eum quem Judex jussit occidi, profectò si id spontè facit, homicida est, etiam si eum occidat quem scit à Judice debere occidi.* Sanctus Thomas, in capite secundo. Quæst. 69. Art. 3. quærens, *Utrùm liceat privatæ personæ hominem peccatorem occidere*, determinat in responsione, quòd *Ad illum solum pertinet occidere, cui committitur cura civitatis conservandæ; sicut ad Medicum pertinet præscindere membrum putridum: quoniam omninò eis commissa Principibus publicam authoritatem habentibus, & ideò eis solis licet malefactores occidere, non autem privatis personis.* Et ad Argumentum, quòd *est utile bono communi, sive occisio malefactorum utilis est bono communi; vulgò laudabile est quòd privatæ personæ occidant malefactores.* Respondet quòd *facere aliquid ad utilitatem communem, quando nulli nocet, est licitum cuilibet privatæ personæ; si autem sit cum nocumento alicujus, hoc non debet fieri, nisi secundùm Judicium ejus ad quem pertinet existimare quid sit suis tradendum partibus, pro salute corporis.* Hæc sanctus Thomas, ubi supra. Prætereà Frater Augustinus de Ancona, prima sua parte Ecclesiasticæ, quærit *An Papa possit dispensare quòd aliquis alium occidat, sine transgressione divini Præcepti.* Et respondet, quòd *Solùm decem casus excipiuntur, in quibus hoc licet. Primus, in bello justo. Secundus, in eo qui habet Officium Judicis, & publicæ potestatis. Tertius, si ex divino professo*. Quartus, si ex divina inspiratione interiori, & privato consilio Dei.* Ex quibus clarè constat quòd nemo potest, vel debet aliquem propria authoritate occidere, neque in necem alterius armari, quantumcumque fuerit criminosus: fortiori ratione, licere non potest illud subdito, vel vassallo, qui ad ejus salutem multò plus ceteris jungatur. Septimò Salberiensis Libro octavo, capite decimo nono. De interfectione plurium tyrannorum. *Hoc*, inquit, *cavendum docent historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei, aut sacramenti Religione constrictus: nam & Sedechias, ob neglectam Fidei Religionem legitur captivatus.* Et quòd *in alio Regum, unde non memini, eruti sunt oculi ejus, quia Deum cui juratur, cùm ex causa justa cavetur, lapsô in perfidiam, non proposuit ante conspectum suum: sed nec veneni, licèt videam ab infidelibus aliquando usurpatam, nullo unquam Jure indultam lego Sententiam. Non quòd tyrannos de medio tollendos esse non credam, sed sine Religionis & honestatis dispendio. Nam & David Regum quos legerim optimus, & qui excepto sermone Uriæ Ethæi, in omnibus inculpatus incessit, licèt tyrannum gravissimum sustineret, ut eum perdendi sæpè nactus fuerit occasionem; & tamen parcere maluit, confisus de Dei misericordia: qui eum sine peccato poterat liberare. Decrevit ergo expectare patienter ut ille visitaretur à Domino, reddita caritate, aut in prælio caderet, aut alio justo Dei Judicio moreretur. Si quidem ex eo potes insigniri patientia ejus quòd cùm oram chlamidis ejus præcidisset in spelunca: & alibi, de nocte, castra ingressus, custodis negligentiam increpasset, ipsum Regem coëgit profiteri, quòd David causam agebat justiorem.* Et *hic quidem modus delendi tyrannos utilissimus & justissimus est.* Et subjungens remedium quo uti debent tyranno- A rum conscientia flagellati: *Etsi qui*, inquit, *premuntur, ad patrocinium clementiæ Dei humiliter confugiant, & pronas manus levantes ad Deum, devotis precibus, flagellum quo affliguntur advertant: peccata etenim delinquentium vires sunt tyrannorum.* Et explicat de salubri consilio Achior Ducis filiorum Ammon, Oloferni dato, de perquirendo an aliqua iniquitas in conspectu Dei esset in populo Israël, ad quem debellandum venerat. *Nam si*, inquit, *Deum suum prædictus populus non offendisset, ipsum subjugare nequiret.*

Aliæ authoritates præcedentes, de criminosis in genere loquuntur; & quædam de certis aliis criminibus in speciem, maximè prima authoritas Augustini, sed ista Salberiensis expressivè de tyranno à nemine, autoritate propria, puniendo, & præsertim ab eo cui fidei, aut sacramenti Religione tenetur astrictus, qualis est permaximè suus subditus & vassallus, qui fideli- B tatis sacramento debito, ad contenta in sex sequentibus vocabulis, Domino suo tenetur, incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile: incolume, quòd non sit ei in damnum de secreto suo, vel de suis monitionibus, per quas tutus esse possit; & sic de aliis, suo modo. Et quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat quoddam bonum. At restat ut in eisdem sex supra dictis consilium Domino suo, & auxilium fideliter præstet: ut habetur XXII. *quæst. cap. Quod quidem.* Caput etiam formaliter habetur, Constitutione Frederici, De Feudis, Collatione decima. Hæc itaque fidelitatis præstatio supervacua & inutilis videtur, quin imò non fidelitatis præstatio, sed potius infidelitatis & perfidiæ, juramentum meritò dici posset, si vassallus, per hujusmodi juramenti præstationem, posset & deberet Dominum occidere, prætextu tyrannidis, vel alterius criminis cujuslibet: & idem, de quolibet amicitiæ fœdere, juramenti interpositione violato, quòd nequit sine perjurio C violari quod potest taliter suaderi in juramento promisso * reis. Quicumque jurat ad licitum, se facturum, aut mentaliter hoc adimplere proponit, aut non: si fit; aut postmodùm cogitat proponi, & venit contra juramentum, altero non veniente, decipit credentes & per sequens est perjurus, cùm perjurium sit nequiter decipere credentem. Et dicit Augustinus, Sermone primo: *Domini est terra.* Et habetur, 21. *Quæst.* 1. *cap. in dolo.* Si autem in jurando non intendit adimplere promissum, in dolo jurat, fallendi intentione, & per sequens se perjurat, eadem ratione. Proptereà secundùm Hieronymum, super Jeremiam, Lib. 2. & habetur c. causa 2. quæst. 1. cap. subsequenti. *Jusjurandum habet tres comites; veritatem, judicium & Justitiam; juxta illud Jeremiæ*, IV. 2. Vivit Dominus in veritate & in Justitia & in Judicio, *si ista* D *inquit Hieronymus defierint, nequaquam juramentum erit, sed perjurium. Veritatem*, id est, *conscientiam veritatis*, secundùm Glossam. Et quoddam aliud, capite eodem, causa & q. *Ut quod jurat procedat à conscientiæ puritate, sine dolo proponendo, & in juramento promissorio se fideliter adimpleturum quod promittit. Judicium*, id est, *discretio, puta discreta deliberatio, ut non juret nisi propter veritatem, & evidentem utilitatem, & quod deliberatè consideret quid promittat, cui etiam, & propter quid. Justitiam*, id est, *quod promittit, medio*

* Fortè Præcepto.

* Locus corruptus.

dio juramento, sit licitum & honestum. *Ex quo, patet quòd juramentum præstitum de fœdere amicitiæ fideliter observando, cum sit de se res licita & honesta, præcedenti deliberatione, & cum intentione adimplendi promissum; si non observetur, est perjurium manifestum, deficiente prima comite, idest veritate.*

Ex quo etiam patet quòd sine reatu perjurii, non potest quis illum occidere sponte sua tyrannum, etiam vel alium criminosum, cum quo fœdus iniit amicitiæ A violatum vinculo juramenti: quod patet etiam ratione; nam personæ, cui juratur, qualitas vel conditio, non potest impedire, quoniam jurans se facturum aliud quam promittat illud juret intentione fallendi, & per consequens se perjurat, cùm perjurium sit, nequiter decipere credentem, secundùm Augustinum, ubi supra: aliàs enim in decepti potestate esset, intentionem decipientis qualificare ad bonum, vel ad malum, prout vellet; & sic alicujus meritum, vel demeritum ab alieno arbitrio dependeret. Præstereà, ut dicit Augustinus: *Verba instituta sunt, non ut per ea se invicem fallant, sed ut eis quisque in alterius notitiam cogitationes proferat: verbis ergo uti ad fallaciam, & non ad ea ad quæ instituta sunt, peccatum est.* Recitantur hæc verba 291. cap. *Omnis autem.* Sed constat quòd eisdem verbis utitur jurans malo sicut bono. Ergo æquè peccat uti verbis ad fallendum malum, sicut ad fallendum bonum, cum quilibet contra verborum propriam institutionem æqualiter ipsis utatur.

Item. In juramentis promissoriis, quoniam alter habet rectum intellectum, & alter dolosum, intelligendum est juramentum secundùm intentionem illius qui habet rectum intellectum. Et eisdem causa, & quæst. cap. *Hic videtur.* Et colligitur ex his eisdem, causa & q. Si tyrannus habeat veram intentionem promissa servandi, sed alius dolosam, intelligendum erit juramentum secundùm intentionem tyranni; & dolosè jurans, si promissa non observaverit, est parjurus.

Item. *Quacumque arte verborum, vel qua intentione homo juret, Deus duplicitatis aspernator, qui simplicem intentionem utriusque considerat, sic accipit sacramentum, sicut ille cui juratur, intelligit.* Verba sunt Isidori, in capite prælibato. Sed tyrannus accipit juramentum de fœdere amicitiæ tali modo quòd per hoc à promittente debeat esse tutus: ergo promittens non observans hujusmodi juramentum, apud Deum perjurus esse censetur.

Item. Si juramentum tyranno præstitum posset licitè, derelicta veritate, violari; hoc non esset nisi quia tyrannus est hostis publicus vel privatus; sed hoc non obstat, quia Gabaonitæ hostes publici filiorum Israël erant, & per eos, Dei imperio, occidendi; & nihilominùs Josue, quem fraudosa simulatione, & mendosa Assertione fefellerant, cùm ipsos, fraude cognita, populus delere vellet, hoc fieri prohibuit, propter juramentum ipsis præstitum à senioribus Israël, ne suam fidem solveret, dùm perfidiam redargueret alienam: nec quia hostis privatus, quia taliter etiam fides promissa servanda est. Vigesima secunda quæst. 1. *Noli existimare.*

Item. Omne juramentum quod sine salutis detrimento servari potest, etiam si tale sacramentum fuerit gravissimo metu extortum, est obligatorium & tenendum in cap. *Si verò.* De *juram.* 21. *Quæstione 2. in pluribus cap.* Sed tale juramentum tyranno præstitum, saltem quod ad ipsum perimendum propria authoritate servari * sine detrimento salutis æternæ, cum nulla Lege aliquis obligetur ad aliquem taliter occidendum. Glossa: *Nemo debet vel tenetur tyrannum occidere contra præstitum sacramentum.*

Item. Asserere tyrannum posse & debere perimi à vassallis & subditis, post, & contra sibi per eos præstitum juramentum, esset generativum seditionum, & conspirationum contra Dominos temporales, & maximè ad asserentis intentionem, quæ fuit juxta subjectam materiam, quemlibet appellare tyrannum, tyranni conditiones habentem, nam aliàs suo proposito * non serviret. Cum autem, ut Ægidius de Roma, in tertio Libro Tractatus sui, *De regimine Principum*, tangens plures cautelas quibus tyrannus utitur ad suum Dominium conservandum, dicit: *Sicut nullus est fortè omninò tyrannus, quia malum se ipsum destruit, & si sit, integrum est. Sic fortè vix aut nunquam reperitur aliquis, qui sit omninò Rex, quin aliquos tyrannisset: esset enim quasi semi Deus, si in nulla tyrannide participaret:* inde esset ergo, inquit, *quòd dum omnes aliquid habent de cautelis Regiis, & aliquid de versutiis tyrannorum, ex hoc sequeretur quòd licitum esset omnes Dominos indistinctè per subditos occidi, maximè propter exactiones subditis onerosas: & non solùm Dominos, sed etiam Officiarios eorundem, & præsertim Receptores, Collectores, & alios pecuniarum quoslibet Exactores; cùm hujusmodi exactiones sint populo multipliciter odiosa, & tàm propter eas quàm alias, sint satis proclivi ad rebellandum, & insurgendum contra Dominos temporales, ad Principatuum & aliorum Dominiorum debitum modum, & ordinem subvertendum.*

Præstereà periculosa etiam nimis & temeraria videtur Assertio, quòd juramentum promissionum & Assertionum sit reformatio veritatis, ad incredularum & B dubitantium mentes in sinceritate Fidei solidandas, si cuiquam præstitum juramentum, prætextu tyrannidis, vel cujuscumque criminis, licitè rumpi, ad vulgi deveniret notitiam; omne juramentum suspectum eidem redderetur: tùm quia penès vulgum non distinguitur tyrannis ab alio Dominio, quin imò à plerisque reputatur tyrannus omnis pecuniarum exactor, & etiam omnis Reipublicæ regimini præsidens, & regens, & dominans non ad placitum singulorum; tum etiam, etsi tyranni conditiones agnosceret, nullam causam posset perpendere, quare magis tyranno, quàm altero infringi deberet præstitum juramentum: conceptaque hujusmodi suspectione, universa Contractuum genera, & omnia quæ juramenti interpositione vallantur, successu, dubia redderentur, necnon & pacis fœdera, inimicorum reconciliatio, & cetera concordiæ benevolæ & amori † deservient, Fide cessante vel tepescente, tepescerent vel cessarent, regnarentque dolositates, fraudes, deceptiones & diffidenC tiæ, rixæ, contentiones & dissidia, bella, rapinæ, latrocinia, violentiæ, & quæcunque alia, de quibus quævis Policia & ordo pervertitur Universi.

Aliæ duæ circumstantiæ, de insidiis & adulatione, non egent reprobatione, quia ex sola vi nominis reprobantur, præcipuè ad finem facinoris tam scelesti; & si, ut nonnullis videtur, hosti licitè parentur insidiæ: hoc tamen verum non foret, nisi in justo bello, tum in quo est licitum militare, sed etiam nec in illo casu, si per hunc committeretur mendacium, ut frangeretur promissum, ut dicit sanctus Thomas in Summa: *Si adulatio quæ est peccati nutrix*, ut ait Beda, *ad nullum finem potest licitè coërceri.* Nam, ut dicit Augustinus, Sermone primo, *Adulatio est fallaci laude deceptio.* Fallacia autem & seductio semper sonant in malum. Et Salberiensis: *Politicum. Adulator omnis virtutis inimicus est.* Et Petrus Ravennensis, in quodam D Sermone: *Vitiis semper serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia, derelictis virtutibus vera viscera sunt.* Et si adulatio erga cunctos est peccatum, & in casu veniale, erga malos tamen semper est mortale: quoniam, ut notatur 25. dist. in cap. *Alias.* Adulatio tribus modis committitur: vel attribuendo alicui bonum quod non habet; vel nimium extollendo bonum quod habet, & utrumque istorum veniale est: vel approbando malum quod habet, & istud est mortale, & tamen non exercetur, nisi circa malos, in quibus non potest nisi malum laudari.

* *Deesse videtur* potest, *aut* debet.

* Locus corruptus. † Locus corruptus.

Hunc adulationis modum reprobat Dominus per Prophetam: *Væ*, inquit, *qui dicitis bonum malum; & malum bonum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: propterea captivus ductus est populus*, &c. Isaiæ v.20. Et Heir. III. Et habetur in Decretis. XI.q.3. in capite, *Væ qui dicitis*. Cùm ergo insidiæ & adulatio sint de se malæ, non potest quis ad malum præcipuè ipsis uti,

Aliæ duæ circumstantiæ, *laudabiliter & meritoriè*, non indigent etiam reprobatione: quia si laudabiliter & meritoriè quis posset alium spontè occidere, non obstante quocumque juramento; sequeretur quòd tam homicidium quàm perjurium esset laudabile & meritorum, quod asserere est nefarium & insanum,

Ceteræ Assertiones de Michaele, de Phinées & de Moyse, quas addixit assertor, ad primæ Assertionis probationem & confirmationem, videntur etiam falsæ sufficienterque, & rationabiliter reprobatæ,

Illa vero de Judith & Jehu, utrùm peccaverunt, vel non, de quo diversæ sunt opiniones, non videtur assertoris Propositio de sermone; nam si peccaverunt, juxta quorumdam opinionem, & præcipuè illius de Palude, quoad Judith, dicentis, quòd *Non fuit nisi instrumentum Dei principaliter agentis*. Secundùm quam opinionem necesse est tenere quòd mentita non fuit, cùm omne mendacium sit peccatum, secundùm Augustinum,

Et idem etiam de Jehu, de quo dicit glossator Decreti, super caput, *Nec artificiosè. Quæstione secunda*, quòd *Non fuit mentitus*, & quòd *ironicè loquutus est*, vel quòd *divina inspiratione* hoc dixerit. Per hoc tamen, si etiam verum esset, non verificaretur principalis Assertio, quia non caret authoritate, qui, Deo authore, aliquid ex quo sequitur effectus evidentis utilitatis, recta intentionaliter operatur: si verò peccaverint, secundùm aliorum opinionem, est expressiùs contra Propositionem opinionis asserentis. Assertio verò de tempore mortis Abner videretur Scripturis contraria, prout allegat reprobator.

Verumtamen, meo debili judicio, tantos & tam pestiferos errores, ex quibus, & quorum reprobationis dilatione vel defectu, quamplures alii sunt sequuti, à tam insignis gradus persona, coram viris tam illustribus, & multitudine tam insigni, utpotè de cunctis Statibus & Provinciis hujus Regni, & præsertim in quo degit errorum surculus, hæc venerabilis Universitas inaniter nostra cum tanta traditos & assertos audacia, pro doctrina, prout est proh dolor! manifestum, non sufficiat scripto, vel Decretis determinationibus reprobare, nisi probatio ad ejus debitum finem fructuosum sortiatur effectum, nec supersit assertor, utinam cum dignæ pœnitentiæ fructu sublatus de medio, ut per solemnem prædictorum errorum revocationem, ipsorum pernities aufferretur: videtur quòd summoperè est necesse prædictas Assertiones, & consequenter alias subsecutas solemniter & publicè condemnare, & cum hoc forsitan ad assertoris condemnationem procedere, viâ Juris. Sunt enim, ut ipsemet in ipsa Propositione posuit, quædam crimina, de quibus etiam post mortem accusari possunt quilibet & condemnari, veluti hæresis: & expressè habetur, sub his verbis, XXIV. Quæstione secunda. *His authoritatibus*. Et in capite *Sanè*, immediatè sequenti adducitur authoritas sanctæ Synodi ad hoc probandum: quæ hoc primò probat, multis authoritatibus, Augustini & aliorum multorum Episcoporum qui hoc fecerunt: authoritate etiam Rabani, & Theophili. Et post multa exemla de his qui post mortem fuerunt taliter condemnati, licèt viventes non essent accusati, sicut Origenes, Theodorus, Mosphicanus & alii, quorum nomina subticentur. Cumque ad tam illustrium personarum, post ipsarum obitum, condemnationem, & forsitan pro minus pernitiosis erroribus quàm sint isti, sancti Patres Ecclesiæ procedere decreverunt & processerunt cum effectu; non mirum, si ad tantorum errorum assertoris condemnationem, qui visus est, & à nonnullis Assertus, suo proposito inviti sensim & aliter Scripturam in prædictis Assertionibus intelligere, quàm sensus Spiritus sancti efflagitat, à quo scripta, à quo etiam gratia temporalis commodi vel Galliæ, falsas ac novas opiniones gignere, & non solùm sequi, sed publicè dogmatisare visus fuit non erubescere sit via juridica procedendum. Præsertim cùm pro quolibet ipsorum si, ipso vivente, super hoc convinceretur, posset hæreticus appellari, ut habetur, *Vigesima quarta. Quæstione prima*, in capite *Hæresis*. secundum in cap. *Hæreticus* * proximo sequenti. Quod autem à nonnullis scrupulosis &, forsitan pro zelo mortis seminari dicitur, quòd per hujusmodi condemnationem pacis turbatio, & alia inconvenientia verisimiliter sequerentur, quod videtur repugnantiam implicare. Nam si prædicti errrores, præsertim de licita violatione juramenti, prætextu tyrannidis, vel alterius criminis, incorrectos remanere contigerit, firmior pacis soliditas, vinculum aliàs juramenti infirmum redderetur & fragile, prout etiam usque ad extirpationem prædicti erroris, ut dolenter creditur à pluribus, est mansurum. Hinc est quòd prædicta condemnatio, de veritatis intuitu quibusvis inordinatis postpositis affectibus, solum Deum habendo præ oculis, debitè celerata † non pacis turbationi, sed conservationi deserviret potius, nec minus Catholicæ Fidei exaltationi, Ecclesiæ venerationi, honorique regio, ac Christianæ ejusdem appellationis verificationi Regnicolarum, etiam utriusque status; mentium & corporum quieti & tranquillitati, quo liberiùs & attentiùs, propulsatis erroribus, tum incommodis ipsis, & veritatis ignorantiam & occultationem dignè famulari valerent Altissimo, ad ejus laudem & gloriam, & ad ipsorum salutare remedium animarum, quod ipsis & nobis concedere dignetur author ipse pacis & veritatis, qui est via, vita & veritas benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

* Non sic reperitur in Decreto. † Locus corruptus.

Reverendus Pater Dominus Abbas Sancti Germani de Pratis, deliberationem suam in scriptis misit, in hunc modum.

Reverende Pater, & vos Domine Inquisitor.

Pro responsione ad quæstionem mihi transmissam, videtur, cum correctione Dominorum & Magistrorum meorum, quòd si prædictæ Quæstiones, seu Assertiones, non fuerunt dogmatisatæ per aliquem; ut quid dicunt, non est opus eas condemnare? attento quòd cedere posset in dedecus Domus Franciæ in posterum. Si verò fuerint dogmatisatæ; tunc attento quòd tempus est deliberandi nimis breve, & quòd non potui videre Scripturas sacras, & Doctores ad sufficientiam, dico de prædictis Quæstionibus, seu Assertionibus, sicut dicunt Doctores antiqui & Catholici, scilicet sanctus Thomas, *in secundo Sententiarum, distinctione ultima, articulo secundo* in solutione, ad quintum & ultimum argumentum. Salberiensis, *Libro tertio. Capitulo ultimo*; Richardus de Media villa. De Hallis, in Summa, parte tertia, in materia, *De præceptis*. Præcepto quinto. Aristoteles, in suis Politicis. Tulius in tertio, *De officiis*. Capitulo septimo. Leges civiles, quæ hanc materiam satis ad longum tradunt.

Itaque

Itaque, quantùm ad veritatem, vel etiam quamcumque dispositionem prædictarum Propositionum, seu Assertionum, intendo ipsas sequi, & cum ipsis stare, salvo semper meliori Judicio, nihil determinando, sed potiùs opinando.

Videtur & aliquibus quòd aliæ Assertiones sequentes primam, non fuerunt positæ per modum Quæstionum seu Assertionum; sed per modum probationum, & argumentationum, & etiam per modum responsionum.

Ulteriùs dico quòd visa difficultate materiæ, visis etiam rationibus Doctorum, attentis insuper temporibus modernis, proh dolor! in hoc Regno vigentibus, remittenda est materia ad Apostolicam * seu ad Concilium Generale proximum: & opinio, videre meo, est magis consona Tractatui, & juramento pacis.

Et hæc sunt dicta cum benigna correctione & supportatione vestra, Reverende pater, & Domine mi; Domini Inquisitoris, & aliorum Dominorum & Magistrorum meorum, & cum protestationibus quòd jam dictis, & in posterum per me dicendis, ego semper intendo Articulis Fidei adhærere, & ubi dicit sancta Mater Ecclesia credit intendo credere, & eidem firmiter inhærere. Actum decimo octavo Decembris. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio.

* *Fortè deest.* Sedem.

Reverendus in Christo, & Dominus, Abbas sancti Dionysii, deliberationem suam in scripto tradidit, in hunc modum.

PRima Propositio est pernitiosa, totius politici Status destructiva, cujuslibet status & fœderis, societatis, amicitiæ, & communionis humanæ dissolutiva, omni Regiæ & dominativæ potestati inimica, Christianæ Religionis subversiva, erronea & hæretica.

Primò. Declaratur quòd sit erronea, sic quòd publicè asserta, sine alia pertinacia, reputari debet hæretica: & quia dicit, & repugnat textui expresso sacræ Scripturæ confiteri, & exteriùs verbo cognoscere & profiteri, hinc est *Non occides*: Seneca, videlicet *autoritate propria*. Sic enim Scriptura sancta, & usus fidelium, & omnium Gentium & Nationum, textum hunc recipit: concordant Doctores inspirati, sensum Scripturæ sacræ fidelibus tradentes, & consequenter Doctores scolastici. Ad idem sunt jura Canonica & Civilia, & determinationes Ecclesiæ, & Conciliorum Generalium: & per consequens est Propositio & Assertio quòd *In quocumque casu licet homini hominem tyrannum, vel voluntariè alium occidere, absque hoc quòd in eum habeat occidens legitimæ potestatis usum, seu privata authoritate*, quod idem est.

Secundo. Hæretica est prædicta Assertio, ex hoc quòd circa punitionem tyranni omnem ordinem, ex statuto divinæ Legis debitum, tollit: nam dicit quòd. *Quilibet tyrannus laubiliter occiditur à sua vassalo* &c. Teste autem Christo, *Mathæi vigesimo sexto*, omnis qui accepit gladium, idest non constitutus in judiciaria potestate, in sanguinem humanum armatur, & sanguinem humanum effundit, justa authoritate non jubente, nec vocem dante, *fortè* concedente, peccat: & est glossa Augustini approbata per Ecclesiam & Concilia Generalia, & communem observantiam fidelium, imò omnium Gentium & Nationum. Et perconsequens notoria hæresis est asserere, quòd *Voluntariè licitum sit homini non habenti legitimum usum Jurisdictionis, tyrannum occidere*. Et ad hoc est textus expressus, ad Romanos: XXIV. 4. *Tu quis es qui judicas alienum servum, Domino suo stat aut cadit.*

Tertiò. Hæretica est prædicta Assertio, eo quod Dei ordinatione, & statuto, solus convictus de crimine, propter quod secundùm Legem justa pœna mortis est infligenda, est interficiendus. Assertio autem prædicta asserit tyrannum esse interficiendum, non distinguens inter convictum & non convictum. Ideò &c. Quòd solus convictus justè possit interfici, textus sunt Scripturæ sacræ innumerabiles, juxta quod justum est exequens, * actuum vigesimo quinto, prima ad eorum quinto, cum Glossis & earum approbationibus per Canones, & Concilia Generalia.

A Quartò. Hæretica est prædicta Assertio, quia Christi Lege & Mandato, servi & subditi tenentur obedire Dominis suis, non tamen benè morigenatis, & modestè imperantibus, sed etiam discolis & indisciplinatis, & injustè opprimentibus, & gravantibus eos in corpore & bonis: imò falsa & hæretica est Assertio, quòd cujusque Principis lapsus in tyrannidem, reddat eum dignum morte, & constituat quemlibet subditum suum Judicem, & legitimum executorem in Principantem. Assertio autem prædicta dicit, *chacun tyran*, non distinguens de gradu & qualificatione tyrannidis. Textus sunt .... rationes decimo tertio primæ Petri.

Quintò. Prædicta Assertio hæretica est ex alio medio, eo quod continet, *Quemlibet tyrannum, à quocumque sibi subjecto* &c. Clarum est autem quòd in B Principatu & regimine Ecclesiastico contingit tyrannis, sicut in terreno, & per quos. Prædicta Assertio contra Concilia Generalia, & determinationes Ecclesiæ Universalis, & communem observantiam fidelium, asserit Ecclesiasticos in suos Seniores Judicium sanguinis, imò secundùm humani sanguinis effusionem licitè exercere posse. Et etiam ex prædicta Assertione habetur quòd Ecclesiastica persona in laïcam tyrannisantem justè & laudabiliter pœnam mortis infligit; cum in eadem dicatur, *Quelconque vassal, ou subjet.*

Sextò. Hæretica est prædicta Assertio, quia continet tyrannum per quamcumque viam laudabiliter interficiendum, etiam per mendacia & adulationes, proditiones, fraudes, contra textus Scripturæ sacræ: *Non sunt facienda mala, ut veniant bona.*

Ideò prædicta Assertio prima est evidenter, clarè, C notoriè & manifestè erronea, & publicè asserta, sine pluribus, tanquam hæretica damnanda: non licet alicui Christiano ignorare eam hæreticam, aut de ea dubitare, vacillare, aut titubare; & quicumque cujuscumque status, sexus aut conditionis publicè asseret se habere formidinem de ea, an sit Catholica vel hæretica, est reputandus suspectus in Fide.

Secundò. Prædicta Assertio prima, est Christianæ Religionis subversiva, quia destruit fundamenta & principia: quia omnis sancta & justa Religio semper proposuit, cùm asserat tyrannum fraudibus, dolis, factis simulatis, operibus & factis ac mendosis Assertionibus, licitum esse, ex intentione, decipere & fallere, falsum & mendacium dicendo, & pacta aut promissa sibi non tenendo, & sibi adulari, vel excusando tyrannidem, aut laudando in eo quæ non sunt laudanda, quin etiam doloso & fraudulenti animo eidem jurare licitum asserit, sub intentione non servandi juramentum, sed proditoriè & simulatè eum D interficiendi, & ita prædicta Assertio tollet, quæ si omnia illa, aut maximam partem eorum in quibus Christiana Religio communicat cum † Lege naturæ, & sic Christianam Religionem subvertit.

Tertiò. Et prædicta prima Assertio omni Regiæ & Dominativæ Potestati inimica, cùm Regalis Potestas, & tyrannica, ex hoc differant, quia in regimine regali præest unus qui principaliter intendit utilitatem communem, magis quàm propriam. Tyrannicum autem regimen est, cùm præest unus qui in

* *Locus corruptus usque ad.* Quartò. † Locus korruptus.

in gubernando magis quærit bonum suum proprium & singulare, quàm commune. Et teste Aristotele, in Politicis: *Facillimè corrumpitur Regale regimen, & convertitur in tyrannicum.*

Ideò asserere prædictam Propositionem primam, est tradere gladium, & judiciariam Potestatem in manu furiosorum, ut per omnem modum, nullo ordine Juris servato, insurgant in suos Seniores, & Dominos: quia secundùm eandem Assertionem, nulla præcedente Sententia Judicis, nullo Mandato superiùs expectato, quilibet subditus laudabiliter & virtuosè interficit suum Seniorem & Dominum tyrannisantem; & secundùm hoc, quilibet subditus, quantumlibet vilis & miserabilis persona, est Judex competens, ad declarandum, diffiniendum, & sententiandum, an suus Rex, Senior & Dominus, si opprimat & exactionibus vexet suos subditos, quòd sit dignus morte; imò & legitimus mortis executor, & privet eum vita. Glossa: *& Principatus cujuslibet Regis, Ducis, Principis & Domini*, dependet ex arbitrio cujuslibet, quantumlibet vilis sibi subditi, si prædicta Assertio esset vera.

Et ut sub nomine tyranni aliqua dicantur, & ostendatur quòd prædicta Assertio non potest sub aliquo sensu veritatem habere, sed est hæretica & erronea, sub quacumque hujus termini, tyrannus, acceptione; est advertendum quòd *tyrannus* uno modo, apud Aristotelem, *sexto Politicæ, Capitulo octavo*, dicitur, *Ille qui à populo assumitur contra divites & insignes, & libenter imponit crimina & calumniatur divitibus, & perversè trahit Dominium ad se, & excessivus est in acceptione pecuniarum, & fugat & relegat excellentes viros, insignes nobiles impugnat, & eorum sanguinem sitit.*

Ubi autem aliquis esset talis tyrannus, & notoriè talis, de eo falsa esset prædicta prima Assertio, quia Catholica veritas est, quòd sine legitima Potestate jubente, vel concedente, nulli homini licet hominem spontè, voluntariè, deliberatè & ex intentione interficere, * sive fuerit tyrannus, sive idolatra, sive hæreticus, sive schismaticus, sive proditor, sive criminosus crimine læsæ Majestatis, sive dæmonum invocator, sortilegus &c.

Secundò, Morales Doctores, ut Tullius, Saliberiensis, & aliqui, recipiunt tyrannum pro illo qui per vim & violentiam nititur usurpare Potestatem regiminis in aliquam Communitatem, & contra quem illa Communitas habet justam & apertam guerram, vel ex determinatione tacita, aut expressa Principantis in ea; vel ipsius Communitatis, aut aliquorum vicem ejus gerentium: & talem tyrannum licitum est cuilibet de illa Communitate interficere, nisi sibi Lex justa humani sanguinis effusionem prohibeat, quia est hostis, & inimicus publicus, contra quem justa authoritate, mota est guerra.

Sed adhuc de tali tyranno notorio, potenti & violento usurpatore, dominatore Potestatis, falsa, erronea, & hæretica est sæpè dicta Assertio; quia omnis fraus contra promissionem & juramentum factum hosti, est illicita: itaque talis tyrannus, cùm juramentis fraudulosè factis, & promissionibus fictis & simulatis decipiatur; ut deceptus interficiatur est iniquum, injustum & illicitum. Et oppositum affirmare, est asserere licitum fore nomen Dei in vanum assumere, quod est hæresis notoria.

Sub hoc sensu determinat Sanctus Thomas hanc materiam, Libro secundo Sententiarum, Quæstione ultima, Articulo penultimo, in responsione ad quintum Argumentum, *Tullius* inquit, *Libro suo*, de Officiis, *laudat eos qui Julium Cæsarem interfecerunt, quia per violentiam, nolentibus Romanis subripuerat Dominium in eos, & non erat recursus ad Superiorem, per quem Judicium de invasore posset fieri.* Ideò ad tuitionem, liberationem & deffensionem Patriæ, licitum erat tyrannum publicum, & contra quem ipsa Communitas tacitam, vel expressam guerram habebat interficere, authoritate videlicet Communitatis, quæ notoriè habebat talem pro hoste.

Tertio modo ineptè & impropriè & abusivè sumitur tyrannus, pro illo qui astutè, fraudulenter & dolosè machinatur in sui naturalis Principis mortem,
A vel eum supplantare, & à suo Principatu dejicere satagit, & usurpare nititur suam Regalem Potestatem & Authoritatem: & quandiù talis non tyranni, sed veraciter proditoris fraus, dolus, crimen & astutiâ est dubia, perplexa, incerta, obscura, inevidens & ambigua; asserere quòd quilibet subditus in incerto & dubio, possit illum proditorem propriè non tyrannum licitè interficere, est erroneum in Doctrina Religionis Christianæ; & additâ pertinaciâ, hæreticum est, & est subvertere totum ordinem justiciariæ Potestatis à Deo statutum, & à Christo homine in Lege Evangelica confirmatum, secundùm quem, in omni dubio & ambiguo crimine tyrannidis, proditionis, læsæ Majestatis, vel alio, antequam pœna mortis justè inferretur, requiratur ordo, videlicet quòd per habentem legitimam Potestatem & authoritatem sit malefactor damnatus, & quòd fuerit addictus & vocatus, seu deffendendi locum habuerit, & convictus fuerit legitimè; & quòd
B aliàs sit Judex, testis & accusator.

Si autem talis proditor falsè & voluntariè tyrannus nuncupatus, manifestè & notoriè per fraudem & astutiam vellet suum naturalem Regem dejicere à suo Dominio, & in ejus propriam personam crimen læsæ Majestatis committere, & etiam in personas eidem conjunctas: & si hæc scelera non sufficiant, superaddentur alia, ut hæreses, sortilegia, invocationes dœmonum: adhuc de tali proditore & criminoso falsa est sæpè dicta prima Assertio; quòd quilibet subditus sit legitimus Judex & arbiter notoriè & sufficienter, & requisitè ad hoc quòd talis licitè interficiatur: quia secundùm hoc, immunes fuissent Judæi à reatu homicidii, procurando Christi mortem, quem reputabant notorium invasorem Jurium Cæsaris, *Omnis qui se facit Regem, contradicit Cæsari*, Joan. XIX. 12. quia Glossa: *Christus per legitimum Judicem, ordine servato, & ex causa rationali, non erat convictus super notoritate hujus criminis.*
C Ideò ejus interfectionem procurantes ex confidentia illius notoritatis, crimen homicidii incurrerunt: & quanquam notorietas criminis apud legitimum Judicem æquipolleat accusatori & testibus; ipsa tamen notorietas, etiam supposita veritate commissi criminis, non constituit quemlibet subditum Judicem, aut vindicem sui Superioris notoriè tyranni proditoris sui.

Est ergo proditorium erroneum, quòd quilibet subditus unius Domini, Comitis, vel Ducis, dicente & judicante * illicitè, suum Dominum, Comitem vel Ducem esse proditorem notorium, supremi Regis totius Regni, talis subditus illâ habitâ constantiâ justè & laudabiliter interficiat eumdem suum Dominum, Comitem vel Ducem, nullâ Sententiâ Superiorum expectatâ, nulla declaratione super notorietate per legitimum Superiorem facta. Et generaliter tanquam catholicum tenendum, & opposi-
D tum tanquam hæreticum damnatum, & ut damnatum publicandum, quòd sine legitima authoritate vel jubente vel concedente, nulli homini licet voluntariè, spontè, & ex intentione interficere hominem tyrannum, proditorem, vel alium qualitercumque criminatum occultum, vel notorium.

Non obviat de fure nocturno, depopulatore agrorum, insidiatore itinerum, desertore militiæ, adultero & adultera &c. quia interficientes tales, in casibus

* Locus corruptus.

bus concessis per Leges factas, & rationabiles, publica authoritate funguntur, & concessione Legis justæ, & authoritate Legem statuentis; & ita non privata, sed legitima authoritate concedente, hominem interficiunt.

Ubi autem repereiretur Lex expressa, de tyranno, vel de proditore interficiendo, standum esset in terminis Legis; sed non est usque ad hæc tempora reperta Lex, aut Edictum publicum, de tyranno interficiendo, per quemlibet, ex præcedentibus Legibus, quæ loquuntur de fure nocturno, depopulatore agrorum &c.

Quartò. Prædicta Assertio est cujuslibet pacis, fœderis, societatis, amicitiæ & Communitatis humanæ dissolutiva; quia asserit omnia hæc, videlicet fœdera, pacem, contractus, pacta, promissiones, juramenta licitè fieri fraudulenter, & animo non se obligandi, nec promissiones & juramenta servandi; sed fraudandi & decipiendi alium, imò & eum interficiendi. Ideò secundùm hoc nulla securitas in dictis, factis, Assertionibus & promissionibus humanis; nulla fides, nulla fidelitas hominum inter se: sed essent homines pernitiosissimi, varii, infidi, feroces, crudeles, inhumani, sine fœdere; quia ad omnia fœdera & promissiones rumpendum justè & debitè, sufficeret ruptorem esse alium cui pactionibus erat obligatus, esse tyrannum, exactorem, & oppressissimum injustum sibi subditorum; & secundùm divinas Leges, naturales regulas, & humanas sanctiones in populo est pacem, quietem, tranquillitatem & concordiam in terris esse illis in quibus prænominatæ hæ res habent fautores, protectores, deffensores, dissimulatores, & palliatores, qui, illis erroribus & expressis erroribus tanquam principiis præsuppositis, & Principum inter se deffidentiam & diffidentiam, & subditorum ad Principes rebellionem necesse est oriri.

Quintò. Prædicta Assertio est totiùs politiæ status destructiva, quæ ordinem politicum, naturalem, imò & divina Lege ordinatum, *ad Romanos decimo tertio*, 1. destruit & pervertit; cùm dicat, ex conditione & natura culpæ tyrannidis, quemlibet vassalum vel subditum, acquirere judiciariam Potestatem in suum Superiorem & Dominum, *ea* enim *quæ sunt à Deo, ordinata sunt*. Ideò inferior non portat gladium, nec est Dei Minister in punitione sui Superioris, nec justus mortis executor in eumdem Superiorem, sine ordine quocumque servato: & si culpa tyrannidis, ex conditione culpæ, exponat tyrannum interficiendum, arbitrio cujuslibet subditi; quælibet alia culpa Principantis in aliqua Communitate, potissimè damnosa, & noxia ipsi Communitati, subjiceret Principantem quibuslibet de Communitate, ut esset Judex sui Regis & Principis cadentis in quamcumque culpam: quia si gravis culpa tyrannidis det authoritatem cuilibet subdito licitè interficiendi tyrannum; levis culpa exactionis aut gravationis per Principantem commissa in communitatem, dabit cuilibet subdito authoritatem imperativè, judiciariè & magistraliter puniendi eum Principem, secundùm exigentiam culpæ. Et breviter, est non solùm destructivum omnis Politiæ; sed in Fide hæreticum, quòd ratione culpæ, & ex ipsius culpæ natura & conditione, sive sit tyrannus, sive idolatra, sive quicumque alius, aliàs acquirat authoritatem & Potestatem secularem, quâ justè & rationabiliter posset culpam illam punire pœnâ mortis, quia in Potestate judiciaria legitimè constituuntur homines non ex culpa aliorum, sed ex commissione Dei, aut hominis, secundùm Leges & Regulas datas.

Sextò. Prædicta Assertio est seditiosa; quia sine causæ cognitione, sine ordine, asserit tyrannum esse interficiendum à quolibet sibi subdito.

Et cùm contingat quemlibet Superiorem, respectu suorum subditorum tyrannidem exercere; Abbas namque tyrannisare potest suos Monachos; Episcopus, suos Canonios & Sacerdotes; Pater filium; mairtus uxorem; Dominus subditum; & arbitrio subditi subest Judicium de tyrannide sibi præsidentis, taliter ut justè, in casu tyrannidis possit eum interficere, secundùm prædictam Assertionem; ponere istam Assertionem in Communitatem, est excusare omnia homicidia, & dare authoritatem seditionis movendi contra quosque Superiores Ecclesiasticos, vel temporales.

Septimò. Est prædicta Assertio pernitiosissima, quia aditum parat & viam aperit ad cuncta vitiosa, scelera, maleficia & peccata; ut est, ad homicidia, perjuria, adulteria: & propter hæc permittit ut tyrannus per juvenculum interficiatur, quia cum specificatione plurium scelerum, ponit Assertio clausulam generalem: *Par quelconque maniere*, &c.

Quarta Assertio contenta in cedula transmissa &c. relinquitur per beatum Augustinum, sub probabilitate: dicit enim, animositate, quasdam regulas Justitiæ Moysem excessisse: sed Assertio illa & præcedens sunt erroneæ, ad sensum ad quem ponuntur in cedula, videlicet quòd liceat, vel licuerit homini hominem spontè interficere, privata authoritate.

Quinta Assertio in cedula contenta transmissa, est notoriè erronea, cùm asserat mendacium licitum.

Ultima Assertio est ita clarè, manifestè, & notoriè hæretica, quòd non est contra eam verbis, aut scriptis procedendum, sed igne aut gladio.

Item, prima, quinta & ultima Assertiones illius cedulæ transmissæ, sunt sic palam & evidenter hæreticæ, quòd quilibet Catholicus, habens usum rationis, tenetur, de necessitate salutis æternæ, impugnare falsitates oppositas Articulis contentis in Symbolo Apostolorum.

Item, illi sunt notorii deffensores erroris & hæreticæ pravitatis, qui consiliis, auxiliis, favoribus, aut aliis viis dant operam, ne tres prænominatæ Assertiones, & hæreses notoriè & publicè assertæ reprehendantur, damnentur ac impugnentur, sed impunè, & sub dissimulatione transeant.

Item, asserere pertinaciter quòd licitum sit tres dictas Assertiones & hæreses manifestas & notorias, publicè prædicatas & assertas dissimulare; & sine damnatione doctrinali, scolastica & judiciali præmittere, simpliciter, vel ad tempus, sub colore pacis terrenæ conservandæ, aut cujuscumque temporalis commoditatis obtinendæ; erroneum est in Fide, & tales assertores debent haberi ut inimici publici Fidei orthodoxæ, & notorii hostes Ecclesiæ Catholicæ, & Christianitatis adversarii manifesti: quia si licitum fuerit per dies, Menses, & Annos unam hæresim notoriam publicè assertam tolerare, dissimulare, & sine propugnatione & reprehensione permittere, ne sequatur turbatio in terrena Politia; ita licitum esset in perpetuum, & contra Textum Mathæi decimo; Lucæ duodecimo; ad Romanos decimo, cum glossis & expositionibus Sanctorum.

Item, omnes Prælati qui ex officio, Doctores, vel alii, qui ex gradu, juramento, vel promisso tenentur Fidem deffendere, opportunitate habita, dissimulantes, retardantes, impedientes, aut etiam, sola omissione, negligentes impugnare, suo modo, vel doctrinaliter, vel judicialiter, secundùm exigentiam personarum, hæreses notorias tres prædictas, aut alias quascumque palam assertas; habendi sunt ut fautores pravitatis hæreticæ; cùm evidenter hæreses publicè assertas negligant damnare, aut damnatas denunciare: quia in prædictis tribus hæresibus non est opus nova denunciatione, sed sufficit denunciare eas damnatas tanquam hæreses &c.

Vene-

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Dominus Parvi, Magister in Theologia, Canonicus Parisiensis, verbo dixit quòd licèt, secundùm veritatem Catholicam, arcta sit via quæ ducit ad cælum, & licèt omnes ad beatitudinem tendant, diverso tamen calle; & ideò dicit quòd non est admirandum, si homo loquitur aliter quàm alii opinati sunt. Nam plures opiniones fuerunt diversæ inter Doctores & Philosophos; & tamen quilibet credebat bonum dicere: ideò supplicat ut ea quæ dicturus erat benigniter suscipiantur.

Protestatur in præmissis, ut Dominus Nannetensis protestatus fuit in sua cedula, & Protestationes consuetas vult habere pro receptis.

Considerat etiam quòd laudabile sit sequi Patrum vestigia, qui consueverunt habere talem modum: quoniam aliquæ Propositiones fuerunt delatæ ad Dominos Parisiensem Episcopum, & Inquisitorem; ipsi voluerunt informari quis tale quid dixerat, qualiter & quomodò, & videre quaternos, ut possint ad longum videri, & habere personas si possint, & si non, loqui cum iliis qui interfuerunt.

Et iste fuit modus observatus in condemnatione Turpillinarum; & etiam nunc sunt triginta Anni, in condemnatione cujusdam vocati Thomas,

Hoc vidit in Curato de Medone, nunc sunt octodecim Anni.

Idem, in Magistro Joanne de Montessono; & de pluribus aliis narravit.

Et de Magistro Joanne de Barre; & raro vidit contrarium fieri: & idem de pluribus aliis.

Et descendens ad materiam cedulæ, dixit quòd certus erat quòd si Libellus sibi nuper ostensus, fuerit illius cujus dicatur, videlicet Magistri Joannis Parvi, quòd prima Assertio non continetur, nec sequitur in dictis suis.

Item, quòd Assertionem illam de Moyse, dicit quòd vidit originale, ubi est quòd Moyses sine Mandato hominis &c.

Item, in dicta Propositione loquitur de tyranno qui posset; & dicit quòd non universaliter est intelligenda, quia non sequitur: Omnis homo albus currit, Glossa, omnis homo currit. Et ideò illi ad quos spectat, debent perquirere Libellos. Et quia non constat sibi quis illas Propositiones dixerit, nec constat sibi quòd fuerint publicatæ, vel quòd scandalum generaverunt, nesciret quid, pro præsenti, in materia dicere; nisi quòd videtur sibi quòd visa arduitate materiæ, bonum esset convocare, non solùm Theologos, imò Canonistas & non solùm de isto Studio, imò de aliis Studiis quibus materia communicaretur, qui haberent materiam discutere & ventilare; & posteà referrent in Concilio.

Et ideò supplicat quatenùs habeat aliam dilationem majorem, ut possit videre, ad longum, materiam & quaternos, ex quibus elicitæ sunt ejusmodi Propositiones, ut dicitur; & supplicat quòd tollantur pœnæ de cedula.

Et his sic per eum, ut præfertur, dictis peripsum, petit Instrumentum, & petit videre ea quæ erunt conclusa, antequam aliquod Instrumentum de hoc conficiatur.

Venerabilis & circumspectus vir, Dominus Minister sancti Mathurini Parisiensis, Magister in Theologia, dicit habuisse cedulam, & adhæret protestationibus factis per præcedentes; & dicit quòd sicut periculosum est asserere aliquas Propositiones erroneas; ita periculosum est imponere alicui dixisse ipsas & pronunciare.

Et primò petit informari quis fecit illas Propositiones, ut audiatur, si vivat; & si sit deffunctus, videantur sui quaterni: & ita vidit observari de ~~Evangelista~~ Magistro * Joanne de Montessono. Petit si sint informatores sufficientes quòd deffunctus Joannes Parvi dexerit illas Propositiones quæ ostenduntur. Et vidit Propositionem ipsius deffuncti, in qua habetur *: *Que Moyse, sans Mandement d'homme occit*, &c. Quòd caveatur *sans Mandement quelconque*, non vidit.

Petit majorem deliberandi dilationem in ista materia; & sibi videtur quòd Propositio ipsius deffuncti debuit distribui omnibus Magistris & Doctoribus, A & de hoc petit Instrumentum.

Venerabilis & circumspectus, vir Magister Joannes Brevis-coxæ, Magister in Theologia, Elemosinarius Domini nostri Regis, volens petere Mandatum præsidentis, in materia Fidei, favorabiliter protestatur, prout aliàs protestatus fuit, videlicet quòd nihil intendit dicere directè, sed probabiliter tantùm; & statuit dicere cum ultimo deliberante, in hoc quòd Propositio illius Magistri Joannis Parvi examinetur, & videatur diligenter; ut videatur si illæ Propositiones contineantur in Libello suo. Et dicit primò quantùm ad primam Assertionem, quòd videtur sibi confusa, dubia, falsa, erronea, & malè sonans: confusa, propter verba in ea posita, propter verbum *licitum* quod multipliciter accipitur, sicut de meritorio, quia non explicat de sensu; & etiam impropria, propter verbum *tyranni*, quia non B applicatur ad aliquam speciem seu modum: ideò accipiendum propriè, & in sua propria significatione, secundùm quam acceptionem nullo fidelitatis vinculo astringuntur, ut tyranno vassali; quia ut hic non habet vassalos in hoc sæculo, dicit Propositionem falsam, quia dicit: *Omnis tyrannus à quolibet suo subdito*, imò hæretica, si *licitum* excludit omne meritum æternum: & sic non videtur sibi sana.

Item, fama est quòd illa Propositio non fuit dogmatisata: & ideò quia quæritur, an sit condemnanda, dicit quòd mos est talis; quia Propositio condemnetur in forma in qua proposita fuerit, & arguatur ille qui eam proposuerit: quoniam ad secundam Propositionem stat cum reprobatione: & quòd illa Assertio est falsa, hæretica & erronea.

Ad tertiam de Phinées, non constat sibi quod Zambri fuerit interfectus, quia palam intraverat lupanar, & non apparet quòd habuerit expressè Mandatum ad sic interficiendum.

C Si tamen Doctores aliter sentire videantur, non vult discedere ab ipsis: & ideò timendum est circa illam Assertionem.

Ad aliam de Moyse; Augustinus, contra Faustum, dicit quòd peccavit, & quòd nondùm erat constitutus Judex super populum: & ponit exemplum de terra inculta ad cultam. Et ideò non stat cum Assertione, nec stat cum reprobatione, imò stat cum Augustino.

Ad aliam de Judith, potest excusari de culpa, saltem mortali, de qua communiter intelligitur; quoniam Scriptura loquitur ita quòd non debet condemnari, nec est procedendum ad ipsius condemnationem.

De alia, dicit quòd posset excusari à culpa non veniali, sed mortali. Sic de alia de Joab &c. licèt alibi Scriptura loquitur per anticipationem &c.

Et ideò non est scandalum in ea, quia hominem D sic arctare, non videtur sibi honestum in verbis: ideò non videtur sibi condemnanda.

Septimam dicit esse falsam, & stat cum reprobatione in Instrumento, & dicit quòd attenta dispositione temporum, quia non constat sibi de scandalo, videtur sibi quòd, de præsenti, esset tacendum atque desistendum de ista materia.

Reverendus Pater, Dominus Abbas Vercellianensis, Magister in Theologia, dicit quòd habuit cedulam, & tendit ad excusationem suam, propter facta Ecclesiæ suæ Vercellianensis.

Et

* Hic deest aliquid.

* Fortè habeatur.

Et cum præmissis protestationibus per alios factis, quibus adhæret, videtur sibi pro nunc, attentâ malitiâ temporis, multisque attentis scandalis quæ possunt oriri, esse silendum de ista materia, & differri usque aliàs: apparet sibi quòd ista materia tangit honorem Domûs Franciæ, ad quam omnes tenemur.

Audivit quòd solus de materia ista locutus fuit Magister Joannes Parvi, quem advocavit Dominus Burgundiæ; & ideò non posset argui, sine tangendo Dominum Burgundiæ, & hoc erit resuscitare jurgia antiqua, & dissentiones inter Dominos, & sic posset populus insurgere contra nos.

Dicit etiam quòd magna differentia est inter Propositiones quas vidit, & quas posuit Magister Joannes Parvi, ut dicitur; & ideò perquirendum est quis istas protulit & dogmatisavit: & si reperiatur quòd nullus eas posuerit, non est procedendum ad condemnationem ipsarum: & supplicat, ut Magister Dominus Parvi, quòd etiam vellet quòd Propositio Joannis Parvi communicaretur in forma omnibus. Et videtur sibi, & apparet quòd verba ipsius Magistri Joannis Parvi, sunt ista quòd *meritorum est*, quia liberat Provinciam à tali homine. Et petit dilationem sibi concedi majorem, ad deliberandum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Gersono, Cancellarius Parisiensis, postquam aliqua locutus est, deliberationem suam dedit in scriptis, cum pluribus cedulis, & quaternis, de quibus in sua deliberatione facit mentionem; quæ omnia petiit & voluit registrari, ad acquitationem conscientiæ suæ, & materiæ elucidationem. Tenor suæ deliberationis talis est.

„ Postulata in primis veniâ, si vel aliàs, vel „ nunc videar loqui in zelo, non secundùm mode„ stiam qualem habere decet coram Cœtu tam cele„ bri, dico ea quæ sequuntur.

„ Primò, sto in aliàs deliberatis ex communi con„ sensu Concilii Fidei, in prima Sessione, die videlicet „ sancti Andrææ, ubi fuerunt Magistri in Theologia, „ & Bacchalaurei in notabili numero, & stat delibe„ ratio principaliter in duobus punctis.

„ Primum punctum, quòd Assertiones de quibus „ facta fuit mentio & nunc fit, fuerunt rationabili„ ter reprobatæ.

„ Secundùm punctum, quòd expediens fuit, & „ est, materiam istam non solùm doctrinaliter, sed „ judicialiter pertractare, & ad finem deducere. „

Addebantur aliquæ protestationes & regratiationes, cum quibusdam rationibus & narrationibus, quas pro nunc in forma narrare dimitto.

Quantùm ad primum deliberationis punctum, videretur sufficere solemnis advocatio reprobationis illarum Assertionum facta per Sacram Theologiæ Facultatem concorditer, & per ipsam Universitatem, sicut Instrumenta super hoc facta præbent fidem.

Ampliùs, sufficere posset deliberatio prædicti Concilii in prima Sessione in qua ponitur, quòd absque nullo dubitationis scrupulo prædictæ Assertiones fuerunt rationabiliter reprobatæ.

Ampliùs, sufficere possent deliberationes Reverendorum Patrum, nunc præsentialiter in scriptis recitatæ, cum suis authoritatibus, & motivis, scilicet deliberationes Domini Nannetensis, & Domini Abbatis sancti Dionysii.

Ampliùs, in speciali sufficere debet quòd de principio morali, sicut & istud, *Non occides*, scilicet, propria authoritate, non est licitum dubitare, nedùm apud Theologos eruditos, qui tenentur explicitè credere, imò de sua Fide rationem reddere statim omni poscenti; sed etiam apud omnes habentes judicium rationis: præsertim cum illuminatione Fidei etiam generalis. Prætereà differre in hoc dare responsionem, sub prætextu quòd materia est ardua, est taliter delirare, qualiter deliraret Doctor in Theologia, si peteret dilationem deliberandi super hoc Articulo, *Deus est trinus, & unus*, dicendo quòd materia est ardua, quia verè sic est.

Ampliùs, sufficere videretur quòd nullus adhuc, quantumcumque conatus fuerit dissimulando, vel diverticula quærendo, dare favorem oppositæ parti, fuit ausus prædictas reprobatio nes reprobare, vel Assertiones approbare.

A Ampliùs, si vellemus discurrere per Doctores approbatos, ut sunt Augustinus, sanctus Thomas, & alii famati in Scolis, & Glossas authenticas allegare possemus componere grandem Librum, ad ostensionem præmissorum, sicut ex quibusdam exceptis* in clausulis, & in scripto redactis, poterit apparere.

Verùm quia mentio facta est de dicto sancti Thomæ, ultima, distinctione secunda; ubi loquitur incidentaliter de morte Julii Cæsaris, quæ fuit facta laudabiliter, quia scilicet invadebat Dominium Reipublicæ per tyrannidem, & non poterat reprimi, nisi occideretur. Sciendum est quòd apud Romanos & Historicos, duæ fuerunt opiniones de morte Cæsaris: una quòd fuit injustissimè & horrendè facta, sicut narrat ubique Valerius; & ideò fuit vindicata per populum Romanum, & fuit erectus populus & titulus triumphalis, quem vidi Romæ. Inscribitur:

B Sacrum Julii Cæsaris. Et appellatur nunc: Arcus Sancti Petri.

Hanc opinionem secutus est claræ memoriæ Magister Nicolaus Oresme, super quintum Politicorum, determinando quòd boni non faciunt seditionem, etiam ad interfectionem tyrannorum, authoritate non publica.

Altera fuit opinio Julii, & suorum sequacium, quam insequi videtur sanctus Thomas, quòd Julius Cæsar ritè fuerit interfectus; quoniam erat notoriè tyrannus, ut dicebant, usurpando Monarchiam quæ penès Senatum, & populum Romanum residebat, fuit etiam interfectus authoritate legitima & publica, sicut dicunt, per Senatum.

Neutra verò opinionum prædictarum sic faciunt contra nos, sicut pro nobis, si vigilanter advertatur. Et utinam tanti ponderis essent determinationes sancti Thomæ & aliorum, quòd *Non licet occidere quemquam, propria authoritate*: sicut habet pondus au-

C thoritatis apud aliquos, hoc incidentale dictum, quia favere videtur Assertioni condemnatæ.

Ampliùs, quo ad secundam Assertionem de Lucifero, nullus quidquam opponit contra ejus reprobationem, nisi quòd ista Assertio & similes, videntur propositæ incidentaliter, inquiunt, & argumentativè. Ad quod respondemus, quòd in materia sanguinis & mortis, non sunt adducendæ probationes frivolæ, quantò minùs hæreticæ.

Sufficeret autem hæc sola Assertio ad condemnationem quæ quæritur judicialiter facienda. Imponit enim Michaëli criminis peccatum quod adscribunt Doctores Lucifero, si benè perpendatur: ostendit enim hæc Assertio, sub quo intellectu posita conclusio per eam quæritur approbari; sic quòd sine authoritate Dei, vel hominis potest, imò debet aliquis inter-

D fici.

Ampliùs, Assertio tertia de Phinées, manifesta est ex principio, medio & fine vigesimi quinti capituli minorum, quia propter Chorbi scortum initiatus erat Belphegor. Illic videatur textus expressus. Et hoc ponitur in Propositione Joannis Parvi.

Ampliùs, Assertio quarta de Moyse, aliquid habere videtur scrupulositatis, propter dicta Augustini, vigesimo secundo, contra Faustum: & allegat Alexander de Halis partem, in suo tertio. Sed si videatur totus Textus Litteræ, cum Glossa Ordinaria ab Augustino sumpta, super secundum Exodi; dicta sua mirabiliter elucidant nostrum principale propositum.

* Fortè excerptis.

Considerant enim Augustinus Moysem velut in duplici persona. *Una ut erat Propheta*, *de qua nihil ago*, inquit Augustinus, vigesimo secundo, contra Faustum, ibidem. *Alia*, *ut erat persona privata*; de qua dicit quòd consultâ Lege æterna, reperit quòd non licebat ei occidere Ægiptium, secundùm illam authoritatem privatam, & hoc est pro nobis. Sed super Exodum, capite II. tractat de Moyse, ut erat persona Prophetica, habens scilicet, ex instinctu divino, judiciariam potestatem, pro liberatione populi Israël ab opprimentibus Ægiptiis, juxta sermonem beati Stephani, *Actuum septimo*, & Glossam Ordinariam, & Interlinearem : & secundùm hoc, dicit Augustinus Moysem hanc occisionem audere potuisse. Et hoc pro nobis est, quoniam non sine autoritate fecit illud.

Ampliùs. Assertionis quintæ reprobatio, modestè, & reprehensibiliter facta est; quidquid de facto Judith, vel Jehu dicant Doctores in hanc vel illam partem : videant tamen Theologi, si sanè dictum sit quòd Deus possit permittere mendacium, vel prolationem falsitatis, cum intentione fallendi, vel insidiandi.

Ampliùs. Assertionis sextæ reprobatio rationabiliter facta est, ne forsan illi ad quos pervenerunt quaterni, eam continentes, seduci valerent : nec est hoc nimis certare † hominem, velut ex invidia, vel odio; sed est elucidare veritatem, attento quòd Assertiones longè deteriores positæ ab eodem homine, nondùm apertæ sunt in Judicio : ut quòd *Insequi semper sensum litteralem sacræ Scripturæ*, *sit occidere animam suam*; & quòd *Quilibet tyrannus debet occidi viliter*, *& insidiosè*, *tanquam magis propria morte sua* : quod est contra rationem Decretalis hujus. *Pro humani*. Et ita de quibusdam aliis. Absit à me jam vicino morti, & ab his causis, tractare materiam tam sacram, depravato animo; quoniam ego miserior essem cunctis hominibus, qui me exponerem periculis mortis quotidie, per media me ipsum damnantia.

Denique, reprobatio septimæ Assertionis nullum adhuc visa est calumnatorem pati, sed aggravari debet, quia Magistro Sententiarum opponitur.

Porrò, circa secundum punctum deliberationis prædictæ, quòd scilicet expediens fuit & est, istam tractare materiam, & ad finem deducere, prout ordo judicialis postulabit, ago quæ sequuntur.

Offero primò, Codicillum continentem duodecim Considerationes in hac parte, quas tradidi Eleemosinario Illustrissimi Principis Domini Burgundiæ.

Offertur rursùs, tanquam urgens Christianissimi Regis nostri Mandatum publicum per Litteras, & jam lectum hic est.

Offertur prætereà libertas loquendi major quàm hactenùs, & Judex competens, coram quo haberi *Judicium, quatenùs habeat pondus authoritatis & validum robur ipsa declaratio veritatis, magis quàm ex sola reprobatione doctrinali, sicut videmus esse necessarium. Possent hîc notari prohibitiones aliàs factæ & violentationes.

Offertur rursùs, vox publica quæ nunc est, super inceptione præsentis materiæ, quæ si dimitteretur, vel tanquam dubia nimis differretur; hoc esset scandalum pœnis ‡ & manifestus favor erroribus & errantibus, eorumque fomentum : essetque prætereà in fabulam, dedecus, & scandalum, tàm Concilii Fidei toties celebriter convocati, quàm ipsius Universitatis advocantis. Esset postremò in obdurationem perniciosissimam, & periculosissimam errantium; & in persecutionem crudelissimam prædicantium veritatem. Avertat hoc Magister veritatis Christus, qui est in sæcula.

Sequuntur aliqua quæ valent ad elucidationem præmissiorum : & primò, tenor unius cedulæ quæ ostensa fuit pridem Domino Burgundiæ, cum alia, cujus tenor communiter adjungitur.

† *Fortè* coarctare. * *Fortè deest* poteft. ‡ Locus corruptus.

Cy s'ensuit une cedule, qui répond à ce qu'aucuns pourroient opposer, que la Proposition de l'Université est contre la paix, & au deshonneur d'aucuns Seigneurs.

A „ LA verité de la Foy & de bonne Doctrine à contraint l'Université de Paris donner dernierement, le quatriéme jour de Septembre, l'An mil quatre cent treize, en ses Instructions, pour parler devant le Roy, & nos Seigneurs au Palais, que cette verité demeurast tousjours entiere, quelque paix ou traitté fut fait, ou à faire : & le proposant a reprouvé aucunnes fausses Doctrines, pour les causes ou considerations qui s'ensuivent.

„ Premierement, car verité est sœur de paix, & jamais on ne peut avoir paix qui vaille, ou tienne contre verité, comme dit Dieu par le Prophete : *Non est pax impiis*. Isaiæ. XLVIII. 22. Partant commande Dieu : *Pacem & veritatem diligite*, *dixit Dominus*, Zach. VIII. 19. Aimez paix & verité, dit nostre Seigneur.

B „ Item, si on ne pouvoit avoir autrement paix contre la Foy, & bonne doctrine, on devroit plustot soûtenir quelconque guerre, ou esclandre, selon la doctrine de Saint Gregoire : *Utiliùs oriri scandalum permittitur*, *quàm veritas deseratur*. Et à ce propos disoit Jesus-Christ : *Non veni pacem mittere*, *sed gladium*. Matth. X. 34. Je ne suis pas venu pour envoyer la paix en terre, mais glaive & division; & s'entend, pour la verité & la Foy soûtenir.

„ Item, sans la verité de la Foy, & des Commandemens de Dieu, les Chrêtiens, soit Princes, ou autres, ne peuvent estre en état de salut : & par ainsi chacun Clerc & Prelat qui aime leur salut, doit la verité prescher & fausseté reprouver; & par special l'Université; autrement sa dissimulation seroit cause de leur damnation, & de la science propre. *Si non annunciaveris*, &c. *Dixit Dominus*. Ezech. III.

„ Item, la verité de la Foy ne se doit pas seulement croire de cœur, mais se doit confesser de bouche, quand on sent que autrement elle periroit, ou que les gens se damneroient, par croire fausse do-

C „ ctrine au contraire; ou par mauvaise instruction, & operation, *Corde creditur*, &c. Rom. X. 10.

„ Item, la verité de la Foy est à prescher, quand on a lieu & temps de la dire devant Princes & ailleurs, qui la peuvent entendre & deffendre, & que le Clergé peut avoir franchise de parler : lors il n'y a point d'excusation. Et car ainsi soit, de present, l'Université n'a pû ny voulu plus dilayer qu'elle n'eust fait son devoir en la ditte Proposition, & en son adveu.

„ Item, combien que cette verité de la Foy & de bonne doctrine eust pû moult profiter, qui l'eust plustost dite constamment; & est à croire que ne fussent mie venus tant d'horribles maux en ce Royaume, se aucuns se fussent exposez jusques à la mort, pour resister aux erreurs qui ont esté racines de nos maux : non pour quant, selon le Prover-

D „ be commun : *Vaut mieux tard que jamais*. Et est bien à croire que plusieurs se sont repentis de leur dilation ou dissimulation, par peur humaine, ou mondaine, en cette matiere.

„ Item, se contre la verité de la Foy & des bonnes mœurs, aucuns vouloient maintenant resister malicieusement & pertinacement, ils seroient plus à blamer, que paravant; d'autant qu'on à veu, par experience, les maux qui en sont ensuivis : & seroit cecy à leur damnation perdurable, & auroit-on cause suffisante de faire procés ouvertement contre eux, autant contre le grand, comme contre le petit,

„ &

& de tant plus que le grand peut plus nuire, s'il erre; & plus profiter, s'il confesse verité.

Item, la verité de la Foy qui a esté preschée, ne comprend quelconque personne nommement, & ne tend à quelconque punition, pour le temps passé, mais veut que fausseté contraire soit deracinée, pour le temps futur, & pour tourner à bonne penitence ceux qui auparavant avoient erré, sans en vouloir prendre vengeance ou punition, en tant qu'on ne voudroit perseverer: car lors on ne devroit point épargner ou dissimuler qui voudroit continuer. *Non est clementia bello, nulla perniciosior pestis quàm familiaris inimicus.*

Item, la verité de la Foy a esté presché publiquement, affin que chacun puisse appercevoir comment ceux qui ont la fausseté contraire dogmatisée, en secret, ou à part, sont à blâmer & à hayr par les Seigneurs lesquels ils ont fait errer à leur damnation, se ils n'ont repentance; & à la subversion de la chose publique: & par le contraire, ceux sont à aimer & à loüer & à remunerer, qui ont publié maintenant, ou autrefois, constamment cette verité, & en donnent bonne information. *Qui converti fecerit peccatorem*, &c.

Item, la verité de la Foy qui a esté dernierement publiée & proposée, est si notoire, qu'il n'est homme quelconque s'il a jugement de raison, qui ne la puisse appercevoir legerement, soient Chrêtiens, ou Payens; soient Juifs, ou Sarrasins; soient jeunes, ou vieux; soient Clercs, ou laics: car cette verité est un principe en Droit naturel, *Non occides.* Tu ne tueras point. Et scait chacun qu'il ne voudroit selon raison que on luy fist, c'est à dire, que on l'occit sans procés & sans authorité; & que nul ne doit estre son Juge en sa cause: s'il est vray que suppose, que oncques l'Université a fait proposer tres à damner, & plus que n'est la mort du Roy, ou d'une Reyne. Si est vray aussi que chacun homme d'entendement, tant soit lay, doit repugner à la ditte doctrine, selon son estat, pouvoir & scavoir, ou il se damne: *Correctio fraterna cadit sub Præcepto.*

Item, de cette verité de la Foy ne se doit homme plaindre; car on l'a preschée mesmément sans vouloir accuser ou punir quelconque personne, morte ou vive, comme on a fait protestation publique. Et se aucuns se sentent touchés par cette verité, ils en doivent bien user, & regracier Dieu, quand on laboure tellement pour leur salut & correction & des autres, lesquels ont esté, ou seroient ou temps futur deceus & damnez par les erreurs contraires. Sans cette bonne volonté, tels ne pourroient estre sauvés, & qui autrement les enseigneroit, ou soûtiendroit ou favoriseroit, il les decevroit & se trebucheroit, & eux avec, à certaine damnation, tant temporelle, comme eternelle. Si ne se faut point icy joüer ou feindre.

Item, si pour la ditte verité de la Foy soûtenir, aucun avoit à souffrir persecution, où mort, fut en compart, fut en occulte, il seroit vray Martyr, comme on doit penser que Dieu en a plusieurs tels; & celuy, ou ceux qui feroient, ou conseilleroient telle persecution, ils seroient tyrans, desloyaux envers Dieu & le monde, & à persecuter par feu & espée, & par tout, perdre corps, & biens, & Seigneurie, & Benefice, par la justice, tant spirituelle, comme corporelle, s'ils n'en vouloient prendre commandement.

Exemple d'un Comte de Thoulouse, & autres. Si advise bien chacun qu'il fera & a à faire: car matiere de Foy n'espargne le Seigneur, ny le valet: *Pusillum & magnum Deus fecit.* Et si les Inquisiteurs favorisoient icy, ou dissimuloient, par peur, ils encourroient excommunications si grandes, que le seul Pape les peut absoudre; & les Prelats en encourrent l'ire de Dieu; & les Princes du sang Royal, & ceux qui ont à garder la Justice Souveraine du Roy, se ils ne faisoient leur devoir, ils seroient à reprendre comme dissimulans en matiere qui tant est & du tout subversive de la Majesté Royalle, & de sa Cour de Justice haute & Souveraine, & se on dit que cette doctrine se devoit premierement dire à part & non en public; on répond que la fausseté est publiquement semée: si faut recourir à la publication pour deraciner le publique vice & scandalisation: *Si ergo peccata publica non sunt, secretâ pœnitentiâ purganda sunt, & fiat cum amore hominum & odio vitiorum.* Ait Augustinus, in Regula.

Soient notées les sept verités, & appliquées au temps present.

La premiere verité.

Qui scait la verité de bonne doctrine, & de nostre Foy, & par sa negligence de la denoncer, soit pas correction fraternelle qui appartient à chacun, soit par authorité Pastoralle, soit par severité Royalle, aucune personne demeure hors de l'état de salut, tel encours la Sentence de Dieu, dite par le Prophete Ezechiel: c'est qu'il perit avec la personne perdüe par son deffaut d'annoncer verité, soit à part, soit en public; soit par parole, ou en écrit.

La Seconde verité.

Qui scait, ou doit scavoir, que la verité de bonne doctrine & de nostre Foy a esté violée de notre temps par fausses informations, predications, & libelles diffamatoires, en plusieurs points & Articles, & par sa dissimulation, venant de parler en faveur des Ordonnances, un tel laisse perir une personne, ou plusieurs es dittes erreurs, & diffamations, tel encourt le peril dessus dit, c'est adire damnation.

La Troisiesme verité.

Qui es cas dessus dits empesche par violence, par puissance, ou par corruption des dons & des promesses, que la verité des bonnes mœurs, & de la Foy ne soit publiée & reparée; il peche plus griefvement que les dessus dits, & est cause de la perdition de toutes les personnes qui pour ce errent & perissent, & ne fait point a soutenir un tel, sous ombre de quelque paix ou de Traité, car mieux n'auroit juste guerre, qu'une telle injuste paix, selon le dit de l'Evangile.

La Quatriesme verité.

Qui par fausses informations, & diffamations criminelles, sciemment & malicieusement conseille un Roy, ou un Seigneur, à esmouvoir son peuple & ses sujets, à ce que eux persecutent aucuns qui ne sont point à persecuter en telle maniere, soit par glaive spirituel d'excommunications, soit par materiel de occisions, tel est hors de l'estat de salut, s'il ne s'en repend & s'en corrige, & s'il ne laboure de son pouvoir, que l'information contraire, & bonne reduction à la connoissance de la verité, soient faites & obtenuës par Lettres Patentes ou autrement, & ne suffit point autrement quelconque Confession.

La Cinquiesme verité.

Qui se sent faussement avoir esté persecuté, & diffamé, au prejudice des ames & du Roy, & du bien commun, & il est negligent & nonchalant de procurer bonne information au contraire, & que sa renommée soit relevée, tel peche griefvement,

„ ment, & cruëusement contre soy & autruy, & est cause des maux qui se font, & sont venus par les dittes fausses informations & persecutions: & par special, quand un tel est puissant Prince ou Prelat, qui souffre errer les autres, & pecher, & se damner par sa negligence, ou par sa folle crainte de notter ceux qui sont à notter, qui est contre tout ordre de charité & contre le bien commun.

La Sixiesme verité.

„ Qui en aucun cas dessus dit, souffre par sa negligence, ou empesche sous titre de paix, ou autrement, que le Roy ne procede à la reduction de ceux qui ont erré, par les mandemens desraisonnables faits & publiés en son nom, il est coupable contre son Roy & son salut, & ne garde pas bien la foy & loyauté envers sa personne & son Rojaume, mais est cause quant en soy est, de sa destruction en temporel & en spirituel.

La Septiesme verité.

„ Qui afferme obstinement que contre le bien de paix ou Traitté, a esté faite la Poposition n'aguieres au Palais de par l'Université, & advancée depuis solemnellement par elle, & que on devoit cesser de cette & semblable doctine & instructions, faites pour reduire les errans en bonne voye de salut & de verité, tant de bonne Foy, comme de bonne vie; pour nourrir tous en bonne amour & charité envers leurs prochains, soient grands, soient petits: tel qu'ainsy afferme, peche griefvement & temerairement contre le bien & le salut du Roy, & de son peuple, & de l'Université & des Prelats, & de tout le bien public, & de tant pecheroit un tel, plus comme il seroit personne publique & de Justice: car sous ombre de sage pitié, un tel occiroit les ames & les corps par cruëuse folie, & tel nourriroit non mie bonne paix, mais detruiroit, au prejudice de ceux qui persecutent les autres injustement, & se damnent sans repentance, comme de ceux qui sont indeüement persecutés.

„ Si conclue & advise chacun envers soy, soit grand ou petit, qu'il a affaire pour le temps present, des choses faites jusques ici au temps passé: car le compileur de cette cedule s'en a volu devant Dieu & les hommes tellement acquiter. Escrit A Paris. L'an mil quatre cent treize. Le quatrieme jour d'Octobre.

Sequuntur Clausulæ aliquæ positæ, de verbo ad verbum, in diversis locis Propositionis Petit extractæ.

Una clausula in fine tertii Articuli primæ Partis.

„ Car c'est Droit & equité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguet, ou espiement, & est propre mort de quoy doivent mourir tyrans desloiaux.

Altera clausula similis præcedenti, in fine septimæ veritatis quarti Articuli.

„ C'est la plus propre mort de quoy tyran doit mourir, que de l'occire vilainement, par bonnes cautelles, aguettes & espiement.

Altera clausula ibidem.

„ Pourquoy est-ce que on est tenu en plusieurs cas, de garder foy & convenant à son ennemy capital, & non pas au tyran. Les causes de la réponse notent communement les Docteurs, & pource qu'elle est commune, & seroit longue à raconter, je m'en passeray à tant.

Altera clausula ex verbis Salisberiensis.

„ Est namque, si tyranno licet adulari, quem licet occidere.

Altera dicta clausula ex dictis Gregorii, circa Propositionem primæ veritatis quarti Articuli.

„ Tyrannus est propriè qui in Republica non Jure Principatur aut principari conatur: nam sicut Regnum, rectus principatus dicitur; sic & tyrannides Dominium perversum nuncupatur.

Altera clausula in tertia Assertione quarti Articuli, quam appellat veritatem: & hoc dictum imponitur Aristoteli, Libro *Politicorum*, pluribus locis.

„ Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum, & non solùm licitum, imò etiam laudabile.

Alia clausula ibi, paulò ante.

„ Doncques il s'ensuit que les Ducs sont obligés à vanger leur Roy, de toutes injures qui luy sont faites, ou machinées à faire, ou aumoins d'en faire leur pouvoir, & exposer à ce toute leur puissance, toutes & quantes fois qui viendra à leur connoissance.

Altera clausula circa quartam veritatem quarti Articuli.

„ Car celui qui est parent du Roy, est plus obligé à desirer le bien du Roy, & deffendre à son pouvoir, & vanger de toutes injures, que n'est un estrange; un Duc plus qu'un Comte; un Comte plus qu'un Baron, &c. Et fait plus à punir, & si est greigneur, vilainie & diffame, s'il est negligent de ce faire que dautruy.

Alia clausula in prima Assertione quarti Articuli, quam appellat veritatem.

„ Tout sujet & vassal, qui par convoitise, barat, sortilege, & malengin, machine contre le salut corporel de son Roy, & souverain Seigneur, pour lui tollir & soustraire sa tres noble & tres haute Seigneurie; il peche plus griefvement, & commet si horrible crime de leze Majesté, au premier degré, & par consequent il est digne de mort, c'est à sçavoir premiere & seconde.

Alia clausula in tertia Assertione ejusdem Articuli quarti, quam appellat veritatem.

„ Au cas dessus dit en la premiere verité, il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement ou Commandement, selon les droits naturel, moral & divin, d'occire ou de faire occire iceluy traistre, desloyal, tyran, non pas tant seulement licite, mais honnorable & meritoire, messmement quand il est de si grande puissance, que justice ne peut bonnement estre faite par le souverain.

Alia clausula in septima veritate quarti Articuli.

„ Au cas dessus dit en la premiere verité, il est licite à un chacun subjet, honnorable & meritoire, occire, ou faire occire le dessus dit Tyran, traistre, & desloyal à son Roy, & souverain Seigneur, par aguettes, cautelles & espiemens; & si est licite de dissimuler & taire sa volonté de ainsi faire.

Alia clausula in secundo Articulo primæ partis sententialiter recollecta.

„ C'est le greigneur peché qui soit, ou qui peut estre, que crime de leze Majesté Royalle. *Sequitur*. L'une est divine & perpetuelle, l'autre humaine & temporelle. *Sequitur*. Les heretiques & idolatres commettent crime de Leze Majesté divine au premier degré, & les schismatiques au second degré.

Deinde ponit quatuor gradus læzæ Majestatis humanæ: tandem notat qualiter ista crimina, secundùm Leges, possunt post mortem puniri, etiam usque ad inhumationem ossium, & exhæreditationem filiorum &c.

Advertendum est quòd ex omnibus colligitur sufficien-

ficienter totus tenor primæ Assertionis in cedula reprobatæ.

Item. Alia clausula de Phinées ponitur ibidem, sub hac forma, exemplo secundo.

„ Le second exemple est de Phinées qui sans Mandement, ou Commandement quelconque, occit le Duc Zambri, comme il est devant raconté au long: le quel Phinées ne fut pas puni, mais en fut loüé & remuneré tres grandement en trois choses, en amour, honneur & richesses.

Item. Alia clausula de Lucifero ponitur sub hac forma.

„ Le tiers exemple est de saint Michel l'Archange, qui sans Mandement, ou Commandement quelconque de Dieu, ni d'autre, mais tant seulement meu d'amour naturelle, occit le tyran Lucifer, & desloyal à Dieu son Roy & souverain Seigneur, pource que le dit Lucifer machinoit à usuper une partie de l'honneur & Seigneurie de Dieu. Icelui saint Michel en fut semblablement remuneré es trois choses dessus dittes; en amour, honneur & richesses. En amour; parce que Dieu l'aima plus que devant, & le confirma en son amour & grace: en honneur, quia fecit eum cœlestis militiæ Principem metuendum. *Sequitur*, car il lui donna des richesses de sa gloire tant qu'il vou avoir: tantùm quantùm erat capax.

Item alia clausula ponitur de Moyse, ibidem, exemplo primo, sub hac forma.

„ Le premier exemple est de Moyse qui sans Commandement, ou authorité d'homme quelconque, occit l'Egiptien qui tyrannisoit les fils d'Israël, & pour lors iceluy Moyse n'avoit point l'authorité de Juge, la quelle lui fut donnée sur le peuple d'Israël, pres de quarente ans après ce qu'il a fait: & de ce fut grandement loüé iceluy Moyse. Ut patet *Actuum septimo*, quia tanquam Minister Legis hoc fecit.

Item, alia clausula de Judith, & Jehu ponitur in probatione septimæ veritatis ejusdem Articuli, sub hac forma.

„ Porro Jehu, licèt insidiosè, ut disperderet cultorem Baal, dixit: *Sanctificate diem solemnem Baal* &c. 4. Reg. x. 20. & de hoc laudatur. *Sequitur*: Item, Judith occidit Holophernem per insidias, & de hoc etiam laudatur.

„ Nonobstant que Joab fut bon chevalier & loyal, pour le temps qu'il occit Absalon, neantmoins vers la fin de ses jours, il fit deux trop grandes faussetès. La premiere; car il occit ut tres bon chevalier appellé Abner. La seconde; il occit un autre bon chevalier & homme d'armes, Amazan par tres grande traison.

Item, alia clausula ponitur circa quartam veritatem quinti Articuli, sub hac forma.

„ Quicumque aliquis facit aliquid in quod & melius, quamvis juraverit se illud non facturum, non est perjurium, sed perjurio contrarium, ut expressè ponit Magister Sententiarum, ultima Distinctione tertii.

Item, advertendum est quòd licèt in prima veritate quarti Articuli, videatur esse contracta locutio ad tyrannum sortilegum, propter illud verbum *Par sortilege*. Nihilominus rationes inductæ ad probationem tertiæ veritatis, relativè ad primam istam; vel nihil probant generaliter de quolibet tyranno, seu reo læsæ Majestatis, in quolibet sex graduum, sic & inspicienti rationes, & generaliter minorem deductionem in secunda parte principali.

„ Es trois derrains Articles, car autrement il eut trop peu prouvé sa justification, ou il conclut, que le Roy devoit avoir Monsieur de Bourgongne en son fait agreable, & l'autoriser, & plus aimer que devant; & sa loyauté & bonne renommée faire prescher par tout le Royaume, & dehors le Royaume publier par Lettres Pattentes, par maniere d'Epistre, ou autrement.

Item, suppositio quòd in illis octo veritatibus quarti Articuli, non loqueretur de tyranno, sortilego, vel hæretico: nihilominùs Assertiones illæ pro majori parte, sunt hæreticæ; & pertinax assertor hæreticus, sicut in alia cedula demonstratur.

Alia clausula quæ ponitur in cedula, & ponitur
A in probatione tertiæ veritatis, sub hac forma.

„ Dit Monsieur Saint Paul, *Littera occidit, charitas autem ædificat*, 2. Cor. III. VI. c'est à dire, toujours tenir le sens litteral en la Sainte Ecriture, est occire son ame.

Alia clausula circa sextam veritatem quarti Articuli.

„ In omnibus talibus promissionibus intelligitur; si alius mihi Fidem servaverit, juxta illud: *Fragenti fidem, fides frangatur idem.*

„ Item, subintelligitur, si Deo placuerit.

Alia clausula circa septimam veritatem ponitur.

„ Pater familias prohibuit incautam zizaniorum eradicationem &c. Sequitur quòd hîc intelligitur de occisione tyrannorum per insidias, scilicet bonam cautelam, debet expectari loci & temporis opportunitas, & explorari ne triticum, idest viri subjecti ac
B boni, eradicentur cum tyrannis, idest ne occidantur.

Altera clausula ad probationem tertiæ veritatis quarti Articuli ponitur sententialiter.

„ Richardus de Media villa, Alexander de Halis, & Ostiensis, *in Summa*, conclusionem præfatam, scilicet tertiam ponunt in effectu.

Alia clausula circa Principium Propositionis.

„ Tout Docteur en Theologie, est tenu de labourer à excuser & justifier son Maistre & Seigneur, & garder & deffendre ses honneur & bonne renommée, en tant comme raison & verité se peuvent estendre, mêmement quand son dit Seigneur est bon & loyal, & n'a rien mepris. *Sequitur*: quia ideò dicuntur professores Legis divinæ; quoniam magis tenentur inter omnes alios Doctores profiteri veritatem. Et s'il advient qu'ils meurent pour dire verité, ils sont vrays Martyrs.

Aliud dictum circa principium.

C „ Feu Monseigneur de Bourgongne se doutoit grandement que les adversaires du Roy, qui machinoient à luy tollir sa Couronne & Seigneurie, ne fussent plus forts après son trespassement, que devant, &c.

„ Et illi commendat Dominum Bituriæ de fidelitate.

Alia clausula circa exemplum secundi Articuli.

„ Je fais conscience, *inquit David ad Salomonem*, de ce que j'ay esté trop favorable à Jacob, * & pour ce, si tu ne l'en punis, tu seras cause de la damnation de son ame.

Item, notentur verba primi Articuli Tractatus Carnotensis; & Litterarum responsivarum ad diffidentiam Ducis Aurelianensis, quia notant plenam justificationem, dicendo quòd ille debebat sic mori, & que nul preud homme ne le devoit laisser vi-
D vre, &c.

Item, notetur si potuisset fieri justitia per Regem, vel Curiam suam, &c.

Item, passus Propositionis, ubi fit mentio quòd dæmones nihil agunt nisi, &c.

Item, notetur passus de epikeia, quia non expectat † ad omnes eam facere, suo arbitrio.

Item, notetur pro sufficienti collectione Doctorum, super intellectu hujus Præcepti, *Non occides*. Videatur Summa Confessorum, super his vocabulis, *bellum & homicidium*.

* Fortè Joab. † Fortè spectat.

S'ensuit la principalle Assertion qui est de mot en mot, ou propre texte, en la premiere & tierce verité de la Proposition Petit *au quatriesme Article.*

„ TOut subjet & vassal, qui par convoitise, „ barat, sortilege & malengin, machine „ contre le salut & santé de son Roy & souve- „ rain Seigneur, pour luy tollir, & soustraire sa „ tres noble & tres haute Seigneurie, peche tant „ griefvement, & commet si horrible crime, com- „ me de leze Majesté au premier degré : & par „ consequent il est digne de double mort, c'est „ à sçavoir de premiere & de seconde ; & en ce „ cas, il est licite à un chacun subjet, sans quelcon- „ que Mandement, ou Commandement, selon les „ Loix, moralle, naturelle & divine, d'occire, ou de „ faire occire iceluy traistre & desloyal tyran, & „ non pas seulement licite, mais honnorable & „ meritoire: mesmement quand il est de si grande „ puissance, que Justice ne peut bonnement estre „ faite par le Souverain.

Cette Assertion, quant à la seconde partie principalle qui dit que, *En ce cas il est licite*, &c. & prise en cette generalité, comme reigle ou maxime, comme pour justifier l'occision de la quelle on entend, est contre les Loix naturelle, morale & divine, & est erreur contre nostre Foy & saincte doctrine, & celuy qui l'affermeroit obstinement, seroit heretique, & comme heretique à condamner: & encore plus s'il affermoit que ce seroit vilainie, & diffame à un Duc ou Prince du sang royal, s'il étoit negligent de faire la ditte occision: & encore plus, s'il affirmoit, que par feintes alliances jurées & par guettes vilainement, comme de sa propre mort, un tel doit & peut estre occis. Et cecy, dit Maistre Jean Petit, en termes generaux, que c'est la plus propre mort de quoy tyran doit mourir, que estre vilainement occis par cautelles &c. Et puis qui dit pourquoy on doit garder foy à son ennemi, & non au tyran : mais il ne donne point solution, comme il reputast clair, que foy ne doit estre gardée à un Tyran.

La probation de cette reprobation apparoit manifestement en plusieurs cas & instances, qui sont contre la ditte generalle Assertion, mise pour maxime, au Majeur à venir à la Mineur, pour inferer appertement conclusion. Car premierement, un subjet peut machiner contre son Roy tellement, & si peut souvent & occultement, qu'on ne le pourroit de ce convaincre en Jugement, ou en public, & en tel cas, dit la Loy. *Est idem ad Judicium, de his quæ non sunt, & quæ non apparent.* Et pourtant tous Docteurs & autres, qui parlent qu'on peut ou doit occire tyrans, appliquent clairement de tyrans publics & nottoires, c'est à dire, qui sont reputés ou jugés tels, par l'authorite Souveraine, ou par eux es quels repose telle authorité: car autrement chacun pourroit dire d'un chacun, qu'il est tyran, ou machinant contre son Roy, & ainsi le tuer, de sa propre autorité &c.

Encore ne suffiroit pas ce que dit est, c'est à sçavoir qu'un tel fut notoirement tyran, & l'occire par authorité privée, s'il n'estoit clair & nottoire, & que on ne le peust nier, que la puissance Souveraine & Judiciale, ou publique authorité, n'y peut convenablement ores, ou après, mettre remede, tant en fust sommée, requise ou advisée : ou autrement s'ensuivroit ce que dit est, & grande confusion ; car chacum subjet pourroit dire, ou feindre, que le Seigneur n'y pourroit mettre remede, quand il auroit fait le coup.

Encores faut il ajouter plusieurs conditions & circonstances en divers cas es quels la ditte Assertion generalle n'auroit point verité.

Quant au cas de la mort de la quelle on parle, & de ses circonstances bien advisées & pensées, comme en autre cas sans nombre, comme se ou souffroit une telle injure pour tels eschiver, ou pour bonne esperance de sa correction, ou pour eschiver sa damnation soudaine, quand autrement se pourroit faire, selon la Decretalle *Pro humani*, ou que ce fut hors de l'Eglise, & par non Clercs, & A que ce fut sans parjurement & mal exemple de meurtrir les Nobles, & de susciter es populaires horrible sedition.

Or, est certain qu'on doit juger la fausseté & l'erreur de l'Assertion universelle, de la fausseté & de l'erreur, selon la qualité de la fausseté & de l'erreur des singulieres, qui sont encloses en elle: car, comme dit St. Denys, *Bonum est ex omnibus concumstantiis, malum verò ex unius carentia.*

Et se aucun dit, que la ditte Assertion principalle se doit entendre selon l'intention de l'asserteur, qui entendoit que toutes bonnes circonstances y fussent adjoutées, comme en glosent les Docteurs.

B Reponse. Premierement l'asserteur ne doit pas parler en telle & si pesante matiere, tendant à mort, obstinement & imparfaitement, pour estre glose en tant de glose.

Item, son intention appert & doit estre entenduë par la conclusion à la quelle il tendoit parvenir : quia *Intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi.* Laquelle probation n'est en quelconque apparence à son propre.... s'il eut ajousté toutes les circonstances devant dittes, & semblables, des quelles il ne fait mention en toute sa Proposition, ou par ignorance intollerable, ou par feinte cautelle à decevoir les escoutans.

Les autres parties principalles qui disent que encores plus &c. sont manifestement heretiques en telle generalité.

Attendatur circa tertiam Propositionem quarti Articuli, quæ appellatur veritas, & est prima Assertio circa quam modò deliberandum est, quòd cùm bonum sit ex omnibus circumstantiis, opportet C attendere circumstantias, pro justificatione hujus Propositionis necessarias, & sui correlarii, quiâ cùm sit universalis, ex suis singularibus judicanda.

I.

Prima circumstantia requiritur quòd talis sit notoriè tyrannus, notorietate Juris, vel Facti ; alioquin quilibet fingere posset de quolibet quòd est tyrannus. Et notetur, quid est notorium Juris; quod scilicet quis confitetur in Judicio, vel profertur Sententia contra eum : & quid notorium Facti, quod scilicet nulla posset excusatione negari ; quia semper sic evenit ex talibus argumentis. Verum non est procedendum ad certam mortem ex incertis vel levibus conjecturis vel suspitionibus, sicut in Evangelio notavit Nicodemus.

II.

D Item, requiritur quid sit notorium, talem non posse comprimi per Superiorem suum, notorietate Juris, vel Facti, ut priùs : alioquin quilibet posset fingere, ut priùs, & periret omnis politia & dominationis authoritas, & in Regno, & in civitate, & in domo, & generaliter in omni societate nemo sibi dicit Jus.

III.

Item, requiritur quòd non sit probabile talem posse occidi per alium, æquè benè : alioquin mille & mille deberent concurrere ad occisionem unius tyranni, sine Lege & ordine, ex quo ponit Propositio cum suis correlariis quòd à quolibet debet occidi.

IV. Item,

IV.

Item, requiritur quòd non sit probabile quòd expediat tolerare talem tyrannum, ne deterior exitus proveniat: alioquin periret consilium Christi, de non eradicandis zizaniis.

V.

Item, requiritur quòd non sit probabile talem tyrannum esse breviter corrigibilem, quòdve possit aliter comprimi cum facultate majori: alioquin non A daretur locus correctioni, & timori Domini.

VI.

Item, requiritur quòd non sit occisio tyranni insidiosè & subitò, cum detrimento animæ suæ, ubi potest aliter fieri, prout requirit utilitas Reipublicæ: quoniam in hoc fundatur Decretalis *Pro humani. De assassinis.*

VII.

Item, requiritur quòd ad occisionem talis tyranni non assumantur media de se mala, ut sunt fictæ confœderationes, imò execrationes, & falsa instrumenta, & mendacia: quoniam *Non facienda mala, ut veniant bona*, secundùm Apostolum, Rom. III. 8. Et quia *Simulata æquitas, non est æquitas; sed duplex iniquitas*, quia & iniquitas est, & simulatio. Per hoc est illud: B Quod justum est, justè exequi.

VIII.

Item, requiritur conformiter ad prædictam circumstantiam quòd bono animo fiat, non ex vindicta vel rancore, sed monitu Legis divinæ & civilis, & pro rei communis utilitate, cum omnibus aliis circumstantiis moralibus, quin, vel ubi, &c. Ratio est sicut ad præcedentem. Unde non debet occidi per Sacerdotem, in loco Sacro, &c.

Sed quare non oppositæ sunt conditiones præmissæ ad illas veritates, imò falsitates manifestas? Respondetur quòd subsumptio in Minore, habuisset instantias pro qualibet instantia requisita in morte Domini Aurelianensis, &c. Imò etiamsi prædictæ conditiones omnes concurrerent, quòd si aliquis esset C notoriè tyrannus & incorrigibilis per Superiorem, & intolerabilis.

Sanctus Thomas, in suo Libro, *De regimine Principum*, & Magister Nicolaus Oresme, in translatione sua, circa principium quinti Articuli, dicunt & deducunt, ex intentione, quòd talis tyrannus magis est Judicio Dei reservandus, quàm per privatam authoritatem, vel seditionem occidendus: videantur eorum rationes. Constat autem quòd ex una parte, magis concedendum est Catholicis Doctoribus, quàm Philosophis infidelibus, si forsitan aliter senserint in factis, vel in scriptis.

Ista clausula extracta est ab uno Tractatu, De regimina Principum, *qui intitulatur, de Sancto Thoma.*

Quia ergo unius regimen præeligendum est, quod est optimum; & contingit ipsum in tyrannidem converti, quod est pessimum, ut ex dictis patet: diligenti studio laborandum est, ut sic multitudini provideatur de Rege, ut non incidat in tyrannum.

Primum autem necessarium, ut talis conditionis homo ab illis ad quos hoc spectat officium, promoveatur in Regem, quòd non sit probabile in tyrannidem declinare. Verùm Samuel Dei providentiam erga institutionem commendans ait: *Quæsivit ergò Dominus virum secundùm cor suum, & præcepit ei Dominus, ut esset dux super populum suum.* I. Reg. XIII. 14.

Demùm sic disponenda est Regis gubernatio, ut Rege jam instituto, tyrannidis subtrahatur occasio; vel etiam sic temperetur ejus potestas, ut in tyrannidem de facili declinare non possit. Quæ quidem quomodò fiant, in sequentibus considerandum erit: deindè verò curandum est, si Rex in tyrannidem diverteret, qualiter posset occurri: & quid, si non fuerit excessus tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quàm contra tyrannum agendo, multis se multiplicare periculis, quæ sunt graviora ipsa tyrannide.

Potest enim contingere, ut qui contra tyrannum agunt, prævalere non possint; & sic provocatus tyrannus, magis desævit. Quòd si quis prævalere posset adversùs tyrannum; ex hoc proveniunt multoties gravissimæ dissentiones in populo, sive dùm in tyrannum insurgitur, sive post dejectionem tyranni, dùm erga ordinationem Regis multitudo separatur in partes.

Contingit etiam interdùm, ut dùm alicujus auxilio multitudo expellit tyrannum, ille, potestate accepta, tyrannidem arripit: & timens pati ab alio quod ipse in alium fecit, graviori servitute subditos opprimit. Sic enim in tyrannide solet contingere, ut posterior, gravior fiat quàm præcedens, dùm præcedentia gravamina non desunt, & etiam ipse in sui cordis malitia nova excogitat.

Verùm si Ragusis quondam Dionysii mortem omnibus desiderantibus, anus quædam ut incolumis, & superstes esset continuè orabat: quod ut tyrannus cognovit, cur hoc faceret, interrogavit. Tum illa puella inquit: Cum gravem tyrannum haberemus, mortem ejus cupiebam: quo interfecto aliquantulùm durior successit, ejus quoque futuram dominationem existimabam magnam, tertium te importuniorem habere nos reperimus Rectorem. Itaque si tu fueris assumptus, deterior in locum tuum succedet.

Et si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam vel visum fuit, ut ad fortium virorum pertineat virtutem tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis. Cujus rei exemplum etiam in Veteri Testamento habetur. Aod quidam Eglon Regem Moab, qui gravi servitute populum Dei premebat, sicâ fixâ in ejus corpore interemit, & factus est populi Judex.

Sed hoc Apostolicæ Doctrinæ non congruit, docet enim nos Petrus, *Non solùm bonis & modestis, sed etiam discolis Dominis*, reverenter subditos esse. *Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei quis sustineat, tristitias patiens injustè*, I. Pet. II. 18.

Verùm cùm multi Romanorum Imperatorum Fidem Christi persequentur tyrannide, magis quòd multitudo tàm Nobilium, quàm populi esset ad Fidem Christi conversa, non resistendo, sed mortem patiendo toleraverunt tyrannum; & armati sustinentes pro Christo, laudabantur, ut in sacra Hebræorum Legione manifestè apparet, magis quòd Aroth judicandus est hostem interemisse, quàm populi rectorem, licèt tyrannum.

Etiam in Veteri Testamento leguntur occisi fuisse hi qui occiderunt Joab Regem Juda, quamvis à cultu Dei recedentem, eorum filiis reservatis, secundùm Legis Præceptum.

D Esset autem hoc multitudini periculosum, & ejus Rectoribus, si præviata præsumptione attentarent præsidentium mortem, etiam tyrannorum plurium, quòd hujusmodi periculis magis se exponunt mali quàm boni: malis enim solet esse grave Dominium, non minùs Regum, quàm tyrannorum; quia secundùm Sententias Salomonis, *Dissipat impios Rex Sapiens*, Prov. XX. 16.

Magis ergo ex hujusmodi præsumptione imminet periculum multitudini, de amissione boni Regis, quàm remedium de substractione tyranni.

Videtur autem contra tyrannorum sævitiam, non privata præsumptione aliquorum, sed authoritate publica prudentium *.

* *Fortè* procedendum.

Primò

Primò quidem, si ad Jus alicujus multitudinis pertineat sibi providere de Rege, non injustè ab eadem Rex institutus, potest destitui, vel refrenari Potestas ejus, si Potestate Regis tyrannicè abutur: nec putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiamsi ei se in perpetuum subjecerit, quia hoc ipse nunc in multitudinis regimine se non fideliter gerens, ut exigit Regis Officium, meretur quòd ei fides à subditis non servetur: sicut Romani Tarquinium superbum, quem in Regem susceperant, propter ejus, & filiorum tyrannidem ejecerunt, majori, scilicet Consulari instituta Potestate.

Sic & Domitianus, qui modestissimis Imperatoribus, Vespasiano Patri, & Tito Fratri ejus successerat, dùm tyrannidem exercebat, à Senatu Romano interemptus est, omnibus quæ rectè aut perversè fecerat, per Senatusconsultum justè & salubriter in unum evocatis.

Quo factum est, ut beatus Joannes Evangelista dilectus Dei Discipulus, qui per ipsum Domitianum in Patmos Insulam fuerat exilio relegatus, ad Ephesum per Senatusconsultum remitteretur.

Si verò ad Jus alicujus Superioris pertineat multitudini providere de Rege, expectandum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam.

Sic Archelaus qui in Judæa pro Herode Patre suo regnare jam cæperat, paternam malitiam jam imitante, & Judæis contra eum querimoniam ad Cæsarem Augustum differentibus; primò quidem sibi Potestas dissimulata est, ablato sibi Regis nomine, & medietate Regni sui inter duos fratres ejus divisa. Demùm ut sic à tyrannide compesceretur, à Tiberio Cæsare relegatus est in exilium, apud Lugdunum Galliæ civitatem.

Quòd si omninò contra tyrannum auxilium humanum haberi non possit; recurrendum est ad Regem omnium Dominorum, qui est *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, Psal. IX. 10. ejus enim posse subest, ut cor tyranni convertat in mansuetudinem, secundùm Sententiam Salomonis: *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud*, Prov. XXI. 1.

Ipse enim Regis Assueri crudelitatem, quâ Judæis mortem parabat, in mansuetudinem vertit. Ipse qui Nabuchodonosor Regem convertit, sicque factus est divinæ potentiæ præco, *Nunc ergo*, inquit, *ego Nabuchodonosor, laudo, magnifico & glorifico Regem cœli, quia opera ejus vera, & viæ ejus Judicia, & gradientes in superbia potest humiliare*, Dan. IV. 34.

Tyrannos verò quos reputat conversione indignos, potest auferre de medio, vel ad infimum statum reducere, secundùm illud Sapientis, *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Eccli. X. 17.

Ipse enim qui videns afflictionem populi sui in Ægypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonis tyrannidem dejecit cum exercitu ejus in mare.

Ipse est qui memoratum Nabuchodonosorem priùs superbientem eis, tum non solùm de Regni solio, sed etiam de hominum consortio in similitudinem bestiæ commutavit; nec est abreviata manus ejus, ut populum à tyrannis liberare non possit: promittit enim populo suo per Isaïam requiem se daturum à labore, concussione, & servitute dura quæ ante sævierat. *Isaia* XIV. 3. & per Ezechielem dixit: *Liberabo gregem meum de ore Pastorum*, Ezech. XXXIV. ℣. 10. qui pascunt se ipsos. Sed ut hoc beneficium populus à Deo consequi mereatur, debet à peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, accipiunt principatum Imperii, dicente Domino per Oseam, *Dabo tibi Regem in furore meo*, Ozee. XIII. 11. Et in Job dicitur, quòd *Regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi*: Job. XXXIV. 30. Tollenda est ergò culpa, ut cesset tyrannorum plaga.

Sequitur tenor alterius cujusdam cedulæ.

ADvertendum est quòd in dictis Sancti Thomæ allegatis ex illa quæstione: *Utrùm licitum est obedire tyrannis.* Respondebo ad Tullium laudantem mortem Cæsaris.

Primò, non ponitur in dictis, quòd qui occidit tyrannum sine Mandato laudabatur: imò potiùs notat oppositionem in eadem quæstione, & alibi pluries: ubi determinat ex intentione, quòd non licet occidere aliquem quemcumque maleficum, propria authoritate, hoc est sine Mandato; vel publica administratione, aut inspiratione divina, quæ Mandati vicem habet. A

Item, Sanctus Thomas ibi loquitur de tyranno notorio, qui violenter invadit Dominium contra voluntatem & ordinationem Communitatis liberè volentis habere Regem unicum super se, sicut erant Romani.

Item, loquitur de illis qui interfecerunt, authoritate Senatus, in quibus residebat judiciaria Potestas, vice populi.

Item, copulativè; quoniam scilicet talis est notoriè tyrannus: & quando notorium est quòd non est recursus ad alium superiorem. Et in Propositione *Petit* tertia, omnia ista deficiunt, quia ponit quòd *Sine Mandato potest occisio fieri* &c. & addit quòd maximè hoc est, quoniam non est recursus ad Superiorem, &c. & ita requiritur verificatio primæ partis, sicut habent exempla Domini Juristæ. B

Item, nihil loquitur de notorietate quæ tamen multipliciter requiritur tàm in judicando aliquem tyrannum, quàm in judicando quòd non possit esse recursus ad alium Superiorem, qui possit aut debeat facere Judicium: & ita de multis, quæ debent esse certissima, priusquam quantumcumque sceleratus, &c.

Ampliùs, Sanctus Thomas non dicit quòd fides non sit servanda tyranno, aut quòd per insidias, in quibus est vel mendacium, vel fractio juramenti, liceat quemquam occidere: imò determinat oppositum; loquens etiam de justo bello, secunda Quæstione, ubi loquitur de insidiis.

Item, non ponit quòd propria mors tyrannorum debeat esse vilis, subita, vel improvisa, sciebat enim hoc esse contra Christianam pietatem, sicut Concilium Lugdunense fundat illam Decretalem: *Pro humani.* C

Advertendum ulteriùs, quòd omnia quæ possunt allegari ex dictis Doctorum, vel Philosophorum, vel Legum, vel exemplorum, vel in casu epikeiæ, aut in casu defensionis, licitè possunt secundùm prædicta dissolvi: intelliguntur enim omnia quæ debitæ circumstantiæ positæ sunt requisitæ ad licitam occisionem, scilicet quòd fiant quomodò licet, ubi, per quem, & quomodò: & ita de reliquis. Principalis autem circumstantia est, quòd non fiat ab illo qui caret administratione publica, præsertim invasivè: quia si defensivè tantummodò facit, non tàm dicendus est occidere, quàm se defendre; alioquin peccaret, secundùm Augustinum, & Sanctos Patres, qui privatus spontè occideret, quia sine authoritate propria hoc faceret: qualiter agere prohibet Lex divina, naturalis ex humana, tanquàm principium primum in moralibus, cujus Officium esset omnis Justitiæ & societatis humanæ funditùs subversivum. D

Sequitur dictum Sancti Thomæ in Forma.

SAnctus Thomas, in materia de obedientia quæ debetur eis qui potentiam Prælationis à Deo habent; in secundo Articulo illius materiæ, in respon-

responsione ad quintum & ultimum argumentum, dicit quòd *Tullius loquitur in Lib.* de Off. *&c In casu in quo Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & quoniam non est recursus ad Superiorem per quem Judicium de invasore possit fieri, qui enim ad deliberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.*

„ Un expositeur, nommé Pierre d'Auvergne, dit que les vertueux & bons, ne font pas seditions, pour deux raisons. Une est, car souvent advient que le bien commun est escherené, ou blessé pour telle dissention, & un bon homme aime plus le bien commun, que le sien propre. La seconde raison est : car à ce que aucun doive mouvoir sedition, il convient qu'il ait juste cause, & qu'il ait puissance : car il n'advient pas souvent que gens vertueux & tres bons, ayent grande puissance ; & pour ce ils ne font pas sedition : mais si ces choses etoient ensemble, c'est à sçavoir qu'un homme eut juste cause, & puissance de venir à son intention, & sans dommage du bien commun, il pourroit raisonnablement mouvoir sedition, & se il ne le faisoit, il pecheroit.

„ C'est ce que dit Maistre Pierre d'Auvergne. Mais sauf sa grace ; quant à present, il me semble autrement, & dis premierement, que se iceluy qui meut sedition tend à mauvaise fin, si comme au propre, ou honneur * de soy, ou d'autre, ou à vengeance, & non pas principalement au bien public, & est certain que telle sedition est tres mauvaise, & presque toutes sont-elles ; si comme il appert par les exemples mis apres en ce present Livre.

Item, „ S'il tend à bonne fin si comme à reformer la police & il n'est seur d'obtenir, & il ne doit pas mouvoir sedition ; car il met le peuple en peril d'etre plus opprimé que pardevant, & plus suppedité, & d'estre mis en plus grande servitude.

Item, „ S'il tend à bonne fin, & il est seur d'obtenir, encore fait il mal de mouvoir sedition, se certain est, ou vray, que en la sedition sera fait aucun grand mal, si comme seroit larrecin ou homicide. Or est ainsi que sedition ne peut communement estre mise en effet sans grands maux, & se peut l'en notter en l'Evangile, ou il est dit que Barrabas avoit fait homicide en une sedition : & au temps de Claudius Cæsar, trente mille Juifs furent occis en une sedition qui fut entre eux. Et à ce sont autres exemples innombrables, & toutes telles seditions sont sans autorité ordinaire, sans ordre de justice, & sans procés de droit, & ne sont commandées, ne approuvées par Loix, mais sont reprouvées & deffenduës certainement, sur peines capitalles, si comme il appert es Loix Romaines, *ad Legem Juliam, De Republica*, & en une autre reigle qui se commence, *De seditiosis*, & est selon que l'on recite des Commandemens de Pithagore, qui disoit que en toutes manieres sont à fuir & à eviter & separer, c'est à sçavoir du corps langueur, de l'ame ignorance, & de la cité sedition ; *Fugienda sunt omnibus modis, & igne & ferro abscindenda, totoque artificio separanda langor à corpore, imperitia ab anima, à civitate seditio.*

Item, „ Toute fois que la sainte Ecriture fait mention de sedition, elle est nommée comme mal, Sainct Paul la nombre entre autres tres grands maux, 3. *Ad Corinthios. Duodecimo.* Et de telle chose, dit le Prophete, que il vit en la cité iniquité & contradiction, *Vidi iniquitatem & contradictionem in civitate*, Ps. LIV. 16. Et donc nul ne doit faire ne mouvoir sedition, pour quelconque bien qui en peut ensuivre ; car selon ce que dit Sainct Paul : *La damnation de ceux est juste, qui dient : Faisons mal, afin que bien vienne.* Rom. III. 8. & ce est verité, selon Philosophie morale.

Item, „ Encore appert ce propos par autre voye : car se sedition doit estre faite, ce seroit mesmement contre les Princes qui opprime nt injustement le peuple, mais la doctrine de Saint Paul est au contraire ; car il dit que *Il n'est potestas, qui ne soit de Dieu.* Rom. XIII. 1. Et la glose des Saints Docteurs, que cette verité meme de la poste des mauvais Princes, comme fut Pilate, & comme ceux dont la divine parole allegue cette glose, & meme que leur poste est de Dieu : mais leur mauvaise volonté est & vient de l'homme, & selon ce est à entendre ce que dit Dieu par Osée le Prophete. *Regnaverunt & non ex me, Principes exercituum, & non cognovi*, Ozee VIII. 4. Et ils ont regné, & non pas de moy, c'est à dire qu'ils n'ont pas fait selon le bon plaisir de luy, ne il n'a pas connuës leurs alliures par approbation.

„ Après que Sainct Pau à dit qu'il *n'est poste*, fors que Dieu ; il dit que *qui resiste à la poste*, il *resiste à l'Ordonnance de Dieu.* Et selon la glose, c'est entendre de la poste bonne, & de la poste mal des Princes aux quels l'on doit obeïr, se ils ne commandent peché. Et donc appert que nul homme ne doit mouvoir contre eux sedition.

„ Mais pour plus declarer la matiere, je argue au contraire ; premierement, car selon Aristote en ses Ethiques, le bien commun est aussi comme une chose divine, & dont chacun doit tendre à le amender & le purger de mal, & ce peut estre par sedition contre les mauvais Princes, ou contre les mauvais conseillers d'iceux.

Item, „ Les tyrans tiennent contre nature, par force & par violence en servitude leurs subjets, qui sont naturellement francs, & dont il loist aux subjets eux delivrer & mettre hors de telle peine par force & par rebellion, car si comme dient les Droits : *Vim vi repellere licet.* Il est loist de reboutter force par force.

Item, „ Aristote dit, que les bons feroient tres justement sedition, & donc que sedition est chose qui se peut justement faire.

Je responds au premier, & dis, combien que reformer la police soit tres grand bien ; toutefois ce n'est pas à faire, fors par bon moyen, & autres manieres sont de corriger Princes, que par sedition : car selon Aristote, au vingt trois & vingt quatriéme chapitre du tiers, Toute la multitude ensemble a poste ordinaire de corriger les Princes, & quand tous ensemble ont leurs deputez à ce sont telles corrections d'une volonté, ce n'est pas sedition, & se ils ne resistent à la poste, car ils ont poste souveraine.

„ Et ainsi firent les Romains à Neron l'Empereur, & ceux de Jerusalem de la Reine Athalie, & à ce sont deux exemples deux tyrans au septieme chapitre, & apres plusieurs autres, & memément quand les oppressions & tyrannies sont tres excessives, se peut faire justement, la multitude se elle n'est bestiale & servile : si comme il fut dit au deuxieme chapitre du tiers, & par sa misere & pour son peché, elle n'est digne de pouvoir, sçavoir vouloir ce faire.

„ Au second, je responds, comme dit est, que toute la multitude peut bien rebeller à cette volonté, si elle est grevée outrageusement, & sans ses demerites : mais se elle est indigne & miserable, combien que en elle soient aucuns bons & justes ; toutefois il ne loist à nul de mouvoir sedition, ne division, car il feroit contre l'Ordonnance de Dieu :

* *Forte* deshonneur.

„ *Qui propter peccata populi regnare facit hipocritam.* „ Job. XXXIV. 30. l'Ecriture dit que il fait regner les „ mauvais pour les pechés du peuple. Et à ce que „ la Loy dit que il loist rebouter force par force, „ c'est à entendre entre ceux dont l'un n'est pas „ subjet, & l'autre Seigneur; car il ne loist pas „ au subjet contre son Seigneur, mais doit soute- „ nir en patience, & s'en passer, si comme dit le „ Sage, *Innocens pertransiit & afflictus est damno*, „ Prov. XXIII. 3. Et de ce dit Amos le Prophete: *Ideò* „ *prudens in tempore illo tacebit quia tempus malum est.* „ Amos. v. 13. Pour ce le prudent en ce temps se tai- „ ra, car le temps est mal. Et le Sage dit: *Dives injustè* „ *egit & fremet, pauper autem læsus tacebit.* Eccli. XIII. „ 14. Le riche fait injustice, & le pauvre souffre, & „ se taira.

„ Mais comme dit est, bonne Communitè n'est „ par par droit subjecte au mauvais Prince qui en „ ce fait mal. Semblablement peut estre que le Prin- „ ce est puni par sedition laquelle est male, si com- „ me dit Jule Cæsar. Et David par la sedition que „ fit Absolon son fils. Et est possible d'une chose, „ que un la fasse injustement, & que l'autre la „ souffre justement. Et aussi comme nostre Sei- „ gneur dit, *Qu'il est necessaire que esclandres vien-* „ *nent, & toutefois celui est maudit par qui esclan-* „ *dre vient.* Matth. XVIII. 7.

„ Semblablement, aucune fois de sedition „ vient grand bien & peut estre expedient. „ Car si, comme dit St. Augustin, Dieu fait venir „ le bien du mal. Et Boëtius dit que il addresse tou- „ tes choses à bien; *Ad bonum dirigens cuncta dis-* „ *ponit.* Au tiers, je dis que Aristote ne dit pas ab- „ solument que les bons font sedition, mais il dit, „ feroient, c'est à sçavoir, si c'estoit chose à faire, „ & dit après, que ils ne le font pas: & pour ce ap- „ pert que ce n'est pas bien, car autrement ils pe- „ cheroient, se ils ne le faisoient, mesmement pour „ la reformation & salvation du bien public; car si „ comme dit St. Jacques: Qui sçait bien faire, & il „ ne le fait pas; il peche. *Scienti bonum facere, &* „ *non facienti, peccatum est illi.* Jacob. IV. 17. Or appert „ donc par raison, & par Aristote, & par la sainte „ Ecriture, que sedition n'est pas loisible, & pour „ quelles causes: & apperra encore, par ce qui sera „ après, en le onzieme chapitre. Et c'est ce qui me „ semble à present, sauf meilleure opinion, & avec „ toute bonne correction.

Circa primam correctionem, notentur ista, ubi lo- quitur de interfectione tyranni.

Augustinus, primo de Civitate Dei: *His excep- tis, quos vel Lex justa, vel generaliter, vel ipse fons justitiæ Dominus specialiter occidi jubet, quisquis ho- minem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimen incurrit.*

Circa idem.

Glossa, Exodi, 11. *Cùm minister Judicis occidit eum quem Judex occidi præcepit, homicida non est: sed si id spontè faciat, homicida est, etiam si eum occidat quem scit à Judice occidi debuisse.*

Circa idem.

In Decretis. Gregorius. 23. Quæstione 6. *Prohi- betur illo Præcepto*, Non occides, *quemquam sua au- toritate, in necem alicujus armari.*

Circa idem.

Alexander de Halis, tertio Libro, in illa quæstione, *Utrùm maleficus prohibeatur occidi?* hìc dicit: *Aut male- ficus occiditur ab illo qui habet ad hoc potestatem, ut à Principe sæculari, & secundùm hoc non prohibetur oc- cisio malefici: aut interficitur ab illo qui non habet po- testatem, & secundùm hoc prohibetur occisio male- fici.*

Circa idem.

Augustinus, secundo Libro contra Manichæos. *Ille*, inquit Augustinus, *gladium accipit, qui in illa superiori ac legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sangui- nem alicujus armatur.*

Circa idem.

In Decretis. 23. quæstione octava: *Omnis præter illum, vel ejus autoritatem, qui legitima potestate utitur, qui, ut ait Apostolus, non sine causa gladium porat, cui omnis anima subdita esse debet* Ad Romanos. VIII. *Omnis inquam, qui præter ejus autoritatem gladium accepit, gla- dio peribit.*

Circa idem.

A De Halis. Tertio Libro, in quæstione; *Utrùm illi qui non habent potestatem universaliter, prohibeantur ma- leficum occidere?* In solutione secundæ rationis sic ait: *Non sequitur*, inquit, *multis de causis. Iste interficien- dus est, secundùm Legem, ergo qui interficit, facit se- cundùm Legem. Ad interficiendum secundùm Legem non sufficit reatus solùm quo dignus sit interfici. Ad inter- ficiendum verò, secundùm Legem, requiruntur plura: justa causa, justus ordo, justus animus. Justa causa, ut si reus meruerit interfici. Justus ordo, ut occidens ha- beat potestatem; & convictus sit de crimine. Augustinus.* VII. Mathæi. *Officia vindictæ possunt impleri, quomodò Judex, quomodò Lex. Justus animus, ut fiat solo amore justitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ.*

Circa idem.

Item, de Halis, in solutione tertiæ rationis ejus- dem Quæstionis, quæ priùs, sic ait, secundùm B Augustinum, secundo Libro, contra Faustum. *Ille uti- tur gladio, qui nulla superiore ac legitima potestate, vel ju- bente, vel concedente, in sanguinem alicujus arma- tur.*

Circa idem.

Sanctus Thomas. 2. 2. Quæstione 52. Articulo tertio: quærens, *Utrùm liceat personæ privatæ hominem peccatorem occidere?* determinat in responsione: *Quo ad illum pertinet occidere, cui committitur cura commu- nitatis conservandæ, sicut ad Medicum pertinet præs- cindere membrum putridum, quando scilicet ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem commu- nis boni*, ait ibidem Sanctus Thomas, *commissa est Prin- cipibus habentibus publicam authoritatem: & ideò eis so- lis licet malefactores occidere, non autem privatis per- sonis.* Hæc Sanctus Thomas, in propriis verbis. Idem, in solutione, & eodem Articulo tertiæ rationis: quoniam arguebatur, quòd *Privata persona operatur illud quod est utile bono communi; sed occisio malefa- ctorum utilis est bono communi: ergò laudabile quòd* C *privatæ personæ occidant malefactores.* Respondet Sanctus Thomas quòd *Facere aliquid ad utilitatem communem quod nulli nocet, hoc est licitum cuilibet per- sonæ privatæ: si autem sit cum nocumento alicujus, hoc non debet fieri, nisi secundùm judicium ejus ad quem pertinet existimare quid sit subtrahendum partibus, pro salute corporis.*

Circa idem.

Item, Frater Augustinus de Ancona: in Summa, quam fecit, *De potestate Ecclesiastica*, quærit, *An Papa possit dispensare quòd aliquis alium occidat, sine trans- gressione Præcepti divini?* & respondet quòd *Solùm quatuor casus excipiuntur, in quibus hoc licet: in aliis autem non licet. Primus exceptus casus, in bello justo. Secundus, in eo qui habet Officium Judicis, & publicæ po- testatis. Tertius, si ex divino Præcepto expresso. Ultimus,* D *si ex divina inspiratione interiori, ex privato consilio Dei.*

Circa idem.

Hæc eadem quæ Sanctus Thomas in sententia ponit, Petrus de Tharentezia in scripto, *Super Sen- tentias.*

Circa idem.

Saliberiensis, in suo *Policration*, Libro tertio, ca- pite decimo sexto. *Accipe*, inquit, *gladium*, *intel- ligitur qui eum propria authoritate usurpat, & non qui uten-*

utendum accipit ad non potestatem utique, quia à Deo potestatem accipit, Legibus servit, & Justitiæ & Juris famulus est: qui verò eam usurpat, & Jura deprimit, & voluntati suæ Leges submittit. In eum ergò meritò armantur qui Leges exarmat, & publicâ potestate sævit in eum qui evacuare nititur publicam manum. Et cum multa sint crima Majestatis, nullum gravius est eo quòd adversùs eum corpus justitiæ exercetur tyrannus, ergo *non modò publicum crimen, sed si fieri posset post-quam publicum est.*

Item, Salberiensis, Libro octavo, capite decimo nono, loquitur de interfectione plurium tyrannorum, circa finem, sic dicit: *Hoc cavendum esse docent historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei, aut sacramenti religione tenetur astrictus. Nam & Sedechias, ob neglectam fidei religionem, legitur captivatus: & quòd in alio Regum, unde non memini, eruti sunt oculi ejus, quia Deum, cui juratur cum ex causa justa cavetur lapso in perfidiam, non proposuit ante conspectum suum. Sed nec veneni licet ab infidelibus aliquando usurpatam, nullo unquam Jure indultam lego Sententiam: non quòd tyrannos de medio tollendos esse non credam; sed sine religionis & honestatis dispendio. Nam & David Regum quos legimus optimus, & qui, excepto sermone Uriæ Ethæi, in omnibus inculpatus incessit, licèt tyrannum gravissimum sustineret, & eum perdendi sæpe nactus fuerit occasionem; ei tamen parcere maluit, confisus de misericordia Dei, qui eum sine peccato poterat liberare. Decrevit ergo expectare patienter, ut ille visitaretur à Domino, reddita charitate, aut in prælio caderet, aut aliter, justo Dei Judicio, mereretur. Siquidem vel ex eo potest insigniri patientia ejus, quòd cùm oram clamidis præscidisset in spelunca; & alibi, de nocte, castra ingressus, custodis negligentiam increpasset, ipsum Regem coegit profiteri quòd David causam justiorem agebat. Et hic modus delendi tyrannos utilissimus & tutissimus est. Si qui premuntur, ad patrocinium clementiæ Dei humiliter confugiant; & puras manus levantes ad Dominum, devotis precibus flagellum quo affliguntur avertant: peccata etenim delinquentium, vires sunt tyrannorum. Unde Achior, dux omnium filiorum Ammon, saluberrimum dedit Olopherni consilium. Perquire, inquit, nunc Domine mi, si est aliqua iniquitas in conspectu Dei eorum, & ascendamus ad eos, quoniam tradens tradet eos Deus eorum tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ. Si autem non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere; quoniam Deus eorum defendet eos, erimusque in opprobrium universæ terræ.* Judith. v. 24. 25.

Ad idem.

In Decretis. 23. Quæstione octava: & excipitur à Libro Augustini, *De civitate Dei. Qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, perjurum, vel quemcumque criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, vel homicida judicabitur & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.*

Augustinus contra Faustum.

„ Sic & Moysem famulum Dei fidelissimum in tota domo ejus ministrum Legis sanctæ, & Mandati sancti, justi, boni, cui & Apostolus testatur. Nam ejus hæc verba sunt quæ commemoravi: Ministrum etiam Sacramentorum, non jam præstantium salutem, sed adhuc promittentium Salvatorem: quod & confirmat ipse Salvator dicens. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi, de me enim ille scripsit.* Joan. v. 46. Unde suo loco quantùm satis visum est, contra imprudentes Manichæorum calumnias disseruimus. Hunc ergo Moysem famulum Dei vivi, Dei veri, Dei summi, fabricatoris cœli & terræ, non de alieno, sed de nihilo, non premente necessitate, sed affluente bonitate, non per sui membri pœnam, sed per sui verbi potentiam; hunc inquam, Moysem, humilem in recusando tam magnum ministerium in suspiciendo, fidelem in servando, strenuum in exequendo, in regendo populo vigilantem, in corrigendo vehementem, in amando ardentem, in sustinendo patientem, qui pro eis quibus præfuit Deo se interposuit consulenti, opposuit irascenti.

„ Hunc itaque talem & tantum virum, absit à nobis, ut ex maledicto Fausti ore pensemus; sed ex ore planè veridici Dei, qui veraciter hominem quem fecerat noverat; qui quidem etiam peccata hominum, quæ ipse non facit, & in diffitentibus ut Judex agnoscit, & in confitentibus ut Pater ignoscit.

„ Ex ore omninò ejus Moysem servum ejus & amamus & admiramur, & quantùm possumus imitamur, cum simus longè illius meritis inferiores, etiam nullo Ægiptio vel occiso vel spoliato, nullo bello gesto, quorum ille aliud futuri indole defensoris, aliud imposito imperio Dei fecerit. Ut interim omittam quòd cùm percussit Ægiptium, quamquam illi Deus non præceperit; in persona tamen Prophetica ad hoc divinitùs fieri ei permissum est, ut futurum aliquod præsignaret, unde nunc non ago: sed omninò tanquam nihil significaverit facta illa discussio; consultaque illa æterna Lege, reperio non debuisse hominem ab illo qui nullam potestatem ordinatam gerebat, quamvis injuriosum & improbum occidi.

„ Verumtamen animæ virtutis capaces, ac fertiles, permittunt sæpè vitia, quibus homines ipsum judicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint Præceptis excultæ. Sicut enim & agricolæ, cùm terram viderint quamvis inutiles, tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronunciant: & ubi filicem aspexerint, licèt erudicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt; quemque montem oleastris sylvestrem aspexerint, oleis esse utilem, cultura accedente, non dubitant.

„ Sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à cive improbo injuriam perpetientem, non observato ordine potestatis, inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat: ipse denique per Angelum suum divinis Moysem vocibus evocavit in monte Sinaï, per quem liberaretur ex Ægypto populus Israël; eumque miraculo visionis in rubo flammante & non ardente, verbisque Dominicis, ad frugem obedientiæ præparavit.

„ Qui etiam Saulum Ecclesiam persequentem de cœlo vocavit, prostravit, erexit, implevit, tanquam percussit, amputavit, inseruit, fœcundavit: illa namque Pauli sævitia, cum secundùm æmulationem paternarum Traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo se facere, tanquam silvestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis indicium.

„ Hinc etiam erat illud Petri, cùm euaginato gladio, volens defendre Dominum, aurem persecutoris abscidit, quod factum satis minaciter cohibuit, dicens: Reconde gladium, qui enim gladio usus fuerit, gladio cadet. Ille autem utitur gladio, qui nulla superiore ac legitima potestate jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur.

„ Non utique jusserat Dominus ut sævirent.

„ Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ; sicut Moyses, post percussum Ægyptium, factus est Rector illius Synagogæ: uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate Justitæ regulam excessit; uterque omnio * improbitatis alienæ, sed ille fraterno, iste Dominico, licet adhuc tamen

* *Locus corruptus; fortè odio.*

„ men carnali amore peccavit. Resecandum hoc vitium, vel eradicandum.

„ Sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum. „

Hæc beatus Augustinus, Libro vigesimo secundo, capite vigesimo secundo, contra Faustum.

Sequuntur aliqua exempla ab Alexandro de Halis.

„ Utrùm hoc Præcepto, *Non occides*, prohibeatur occisio hominis malefici, quia indeterminatè dicitur: *Non occides.*

„ *Solutio.* Homo maleficus qui reus est, potest interfici, duplici ex causa, quia homo cum interficitur odio personæ, & hoc modo prohibetur cum dicitur: *Non occides*, supple *hominem.* Quod homo quia maleficus est, occiditur odio malitiæ & amore justitiæ, & tunc distinguendum est. Aut occiditur ab illo qui ad hoc habet potestatem ut à Principe sæculari, & secundum non prohibetur hîc, prohibetur enim occisio hominis inquantùm homo, & occisio malefici inordinata, & hoc est quod dicit Hieronymus, super Ezechielem. *Qui malos percutit in eo quòd mali sunt & habet causam interfectionis*, id est, potestatem ut occidat pessimos, *minister est Dei.* Hoc & Alexander de Halis, *tertia parte suæ Summæ.* 1. *quæstione*: Super dicto Præcepto, *Non occides* Art. 2.

„ An alii qui non habent potestatem, universaliter prohibeantur maleficum interficere?

„ *Solutio.* Non habens potestatem, aut interficit voluntate, aut authoritate, aut casu. Primo modo, simpliciter & indistinctè est illicitum: unde, nam sicut dicitur in Legenda beatæ Luciæ: *Omnis vita à Deo solo est, nec eam dari voluit per ministerium.*

„ Ut ergo auferre rem alterius sine ipsius authoritate & voluntate, semper est illicitum; sic & multò fortiùs occidere, quod est auferre vitam sine Dei voluntate & authoritate, cujus propriè vita est, & cujus solius est vivificare, semper erit illicitum. Unde Deuteron. XXXII. 39. *Ego occidam, & ego vivere faciam.* Ideòque quicumque non accepit potestatem, vel à divina authoritate, quæ est in Lege; vel ab ejus voluntate, scilicet, Dei intellectu, per internam inspirationem, si interficit, facit contra illud Præceptum, *Non occides.* Si autem non habens potestatem interficit, defendendo videlicet se, hoc erit dupliciter: vel omni prohibitione Ecclesiæ remota, & sola prohibitione dicti Præcepti: & tunc distinguendum; quia vel talis occisio est inevitabilis, vel evitabilis. Et si evitabilis, scilicet, quòd possit aliter evadere, sicut fugiendo, vel alio modo, homicida est talis sic interficiens, & peccat contra illud Mandatum: *Non occides.* Si verò sit inevitabilis quòd non possit evadere, nisi interficiatur, aut occidat: tunc homo ab homine licitè occidetur.

„ Quod si qui motus ira, vel libidine vindictæ, aut doloris timore, ut dicit Augustinus, in Quæstionibus super Mathæum, occidat; multùm distat utrùm ulciscendi cupiditate, vel injustè aliquid auferendi, sicut fit à latrone; vel convenienti ordine, sicut à Judice; vel evadendi, vel subveniendi necessitate.

„ Primo modo occidens homicida est. Secundo modo, non judicabitur aliquis homicida, quantùm ad culpam, quamvis judicetur, quantùm ad irregularitatem. Prohibitione verò Ecclesiæ, Nicolai videlicet Papæ, ut habet Distinct. 50. Capite: *De his Clericis quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo paganum occiderant, dicentis si posteà possint per pœnitentiam ad pristinum statum redire, aut ad altiorem ascendere: scito nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere licentiam eis quemlibet hominem quolibet modo occidendi.* Nullo casu Clericis licet occidere. Ad idem est illud Martini Papæ, eadem Dist. *Si quis viduam. Similiter si homicidii, vel facto, aut consilio, vel Præcepto, aut defensione, post Baptismum fuerit conscius, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit; dejiciatur, & in fine vitæ suæ laïcam Communionem* A *tantùm accipiat.*

„ Item ex Concilio Ilerdensi, de Clericis qui in obsidione positi sunt. *Statutum est qui Altari ministrant, & Christi corpus tradunt, ab omni humano sanguine, etiam hostili se abstineant: quòd si in hoc inciderint, purgati per Pœnitentiam, Officio, & Communioni reddantur.*

„ Si ergo materia erit pœnitentiæ, in occidendo fuit culpa, patet quòd Clericis nulla necessitate licet occidere; laïcis verò, cum prædicta conditione licet, cùm inevitabilis necessitas, & nulla libido vindictæ, sed sola intentio conservationis propriæ salutis, secundùm concessionem.

„ Si autem non habens potestatem interfecerit casu, hîc distinguitur, secundùm Decretalem, Libro quinto, titulo, *De Homicidio*, quia interficiens casu, aut dabat operam rei licitæ, vel illicitæ; si rei illicitæ, reputatur homicida, contra illum Præceptum: si verò licitæ; tunc distin-B guendum, secundùm Canonem: quia aut adhibuit diligentiam quam debuit, aut non: si sic, non reputatur homicida; si non, reputatur homicida. Unde dicit Canon. Dist. L. *Sæpe contingit dùm quis operi necessario insistens, arborem inciderit, ut aliquis subtùs ipsam veniens deprimatur: & idcircò si homicidium, negligentiâ incidentis arborem, factum est; ut homicida pœnitentiæ debet omninò submitti. Quòd si non, hæc eum Sententia non constringat.* Hoc dictus Alexander de Halis, præmissis Parte & Quæstione, Articulo decimo.

Circa Assertionem de Moyse, Glossâ Ordinaria super Exod. capite secundo.

Augustinus: *Cumque prospexisset, &c. De hoc facto Moysi satis disputavimus in illo opere quod* de vita Patriarcharum, *adversùs Faustum scripsimus: utrùm indoles in eo laudabilis fuerit quâ hoc peccatum admiserit, sicut solet uber terræ* * *ad vilia semina quædam herbarum quamvis inutilium feracitate laudari, an* C *ipsum factum justificandum sit. Quod ideò non videtur, quia nullam adhuc potestatem legitimam gerebat, nec divinitùs acceptam, nec humana societate ordinatam; & tamen sicut Stephanus ait in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos quòd per eum daret illis Deus salutem, ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitùs admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuisse.*

Secunda Assertio, quæ loquitur de Michaële, clarissimè reprobatur in cedula transmissa, nec eget alia reprobatione, quinimò ex inspiratione ejus apparet ejus falsitas & error manifestus.

Quinta Assertio quæ est de Judith, quòd non peccavit mentiendo, sufficienter reprobatur in cedula transmissa, sed & nulli dubium est nullum mendacium licitum esse.

Utrùm in bello liceat uti insidiis. Respondeo se-D cundùm Thomam: in bello justo licet uti insidiis, occultando scilicet ab eis ea per quæ volumus eos impugnare, quia propositum nostrum eis non tenemur aperire; sed non licet eos sic decipere quòd dicatur eis falsum, vel non servetur promissum.

Utrùm licitum sit bellare diebus Festivis. De hoc vide Sententiam, Libro secundo, capite duodecimo, *De feriis*, quæstione septima, *à quibus operibus.*

Ultima Assertio de juramento, de se manifestè falsa videtur & erronea.

* Locus corruptus.

Circa

Circa tertiam Assertionem de Phinées, qui interfecit Ducem Zambri.

Notetur Glossa quæ est in Glossa Josephi, quæ continetur in cedula transmissa, quam etiam Glossam ponit Magister, in Historiis suis, sive in Historia Scholastica, in Libro Minorum.

Circa idem.

Glossa de Lyra, super capite vigesimo quinto Numerorum, super illo verbo: *Et ecce unus. Iste fuit effrons & audax in peccato suo quàm alii; quia erat Princeps in Tribu Simeon*, ut habetur infra, & de illo dicunt Josephus & Ra. Sa. quòd *palam dicit Moysi coram Judice populi, quòd licitè poterat ingredi in illam mulierem, & accipere in uxorem.* A

Circa quartam Assertionem.

Gregorius in Moralibus, Libro vigesimo. *Moyses fuit Legatus Dei, fortis mediator Dei & populi amabilis, causam populi apud Deum precibus, causam Dei apud populum gladiis allegavit.*

Circa idem.

De Lyra, Exod. secundo capite: *Moyses ex divina electione, ad liberationem Hebræorum habebat authoritatem vindicandi injurias eis factas, & hoc sciebat per revelationem divinam, & hoc est quod dicitur,* Actuum. VII. 25. *Existimabat enim cognoscere fratres quòd per manum ipsius Deus daret salutem filiis Israël.* B

Circa idem.

Quidam Glossator, super Scholasticam Historiam: *Moyses cum Judex esset, non debebat expectare vindictam facere, quia evidentia patrati sceleris non eget clamore accusatoris*, ut dicitur super I. Genesis quarto. *Sanguis ejus clamat ad me de terra.*

Circa idem.

Magister, in Historia Scolastica, super Actus Apostolorum, sic dicit: *Cùm esset Moyses quadraginta Annorum, visitavit fratres suos filios Israël in terra Jessan, ubi occidit Ægiptium rixantem cum Hebræo, putans fratres intelligere, sicut ipse intelligebat in Spiritu, quòd per manum ejus Dominus Israël filios de manu Ægiptiorum esset liberaturus.*

Circa idem.

De Lyra, super Actus Apostolorum, capite septimo sic ait: *Jam enim inspiraverat Dominus Moysi quòd liberaturus erat populum per ipsum de servitute Ægipti, & sic jam erat constitutus à Deo tutor & defensor populi, propter quod non peccavit vindictam illam faciendo, & illa liberatio particularis fuit signum & figura liberationis generalis totius populi, facienda per manum Moysi.* C

Circa idem.

Augustinus, super Exod. super illo: Egressus itaque die altera, respexit duos Hebræos rixantes, *& sicut ait Stephanus in Actibus Apostolorum*, putabat intelligere fratres, quod per eum daret salutem illis: *ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitùs admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc audere potuisse.*

Circa idem.

Glossa Ordinaria, super illo Actuum septimo: *Quis te constituit Principem & Judicem super nos?* sic ait Glossa: *Ignarus Propheta quia Moyses Princeps & Judex datus est Israëli.* Item, Glossa Remigii: *Quis te constituit?* &c. *Solus Deus, quia* non est potestas, nisi à Deo. D

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Manchon, Magister in Theologia, protestatur, ut ceteri. Et quantùm ad materiam in se, dicit quòd grandis est, nec versatur tantùm circa condemnationem ipsarum Assertionum, sed in alio; quia in condemnatione ipsorum, sequitur condemnatio partis. Nam fama est quòd Magister Joannes Parvi, ipsas dixit, & si venerit condemnandus sequitur, & quæcumque * ad hæreses cum eo. Et ubi non reperietur eas dixisse, adhuc remaneret ipse Parvi diffamatus, & diceretur: Propositiones Magistri Joannis Parvi, sunt condemnandæ. Et sic si daret opinionem suam pro nunc, timeret de pœna Juris, ubi reperietur ipsum Magistrum Joannem Parvi illa non dixisse: & ideò quia tangit hominem de proquinquo, & statum hominis, vellet dare * quaternum ipsius Magistri Joannis Parvi ad longum, quem ut dicit, non vidit.

Et dicit quòd non est de præsenti magna difficultas de veritate, aut falsitate ipsarum Propositionum: & in se dicit quòd aliud est dicere asseritur aliquid dispositivè; & aliud dicere quis arguendo dicit: & ideò petit dilationem sibi dari ad pleniùs deliberandum.

Quo dicto, iterum fuit lectum Instrumentum de prædictis Assertionibus per Vicarium Inquisitoris, & ut priùs, supposuit habere quaternum dicti Magistri Joannis Parvi, ac copiam Instrumenti lecti de Assertionibus; ut eis habitis, fideliter possit deliberare.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannis de Templis, Rector almæ Matris Universitatis Parisiensis, supplicat quòd habeatur excusatus in dicendis; & dicit quòd materia jam divulgata est: & insuper dicit quòd non est magna difficultas de veritate, aut falsitate istarum Assertionum. Verum est quòd habuit cedulam ad deliberandum in ista materia, & protestatur quòd non loquitur hîc nomine Universitatis. Protestatur etiam quòd non intendit diffamare quemquam, sed obediendo Mandatis, respondet affirmativè ad cedulam sibi missam, ad honorem Fidei, & dicit, ut sibi videtur in conscientia sua, quòd istæ Propositiones sunt rationabiliter reprobatæ, secundùm quod cedula continet; & consequenter dicit quòd sunt judicialiter condemnandæ, & baptisandæ, prout in cedula continetur. Et dicit quòd modus est verus & Catholicus, & propter hoc nullus Princeps debebit perturbari, & vidit Doctorem qui loquitur de illa materia, & est ista deliberatio sua in effectu.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillielmus de Veteri villa, Magister in Theologia, Ordinis Augustinensis, regratiatur, & protestatur, ut aliàs; loquendo cum correctione Judicum, assistentiumque, modo & forma quibus Protestationes factæ sunt, protestatur ut Dominus Nannetensis: protestatur etiam quòd per ea quæ dixit non intendit facere Assertionem aliquam temerariam, & quòd cautè est procedendum.

Quo ad processum, non facit in sævitiam Cleri & læsionem populi particulariter, & apparet sibi quòd non sine consilio Dei loquebatur Heri Magister Joannes Brevis-Coxæ, quia de præsenti, si fieri posset, desistendum esset: & allegavit opinionem aliàs dictam per Magistrum Petrum de Dierrio. Et narrat qualiter hæretici non sunt expellendi de Ecclesia, quoniam non possunt discerni sine magnis periculis, & cautè, ut sciatur quid verum, & quid falsum, & est cautè procedendum in damnationem aliquarum Propositionum in forma. Et dicit quòd prima Propositio hipothetica continet multas cathegoricas: & dicit quòd forma tertiæ veritatis dicti Magistri Joannis Parvi, continet quòd licet unicuique vassallo machinanti in mortem sui Principis, occidere tyrannum. Et dicit quòd istud Præceptum *Non occides*, est intelligendum non generaliter; quantùm ad omnia viventia; sed intelligendum est in homine. Et apparet sibi quòd in sex casibus excusantur homines à Præcepto.

Primò, in bello justo.

Secundò, in casu ubi quis non dat operam rei illicitæ.

Excusantur à transgressione illi qui, Deo authore, movent justa bella.

* Locus corruptus.

* Fortè dari.

Ex-

Excusantur illi qui familiari consilio Spiritus Sancti.

Excusantur illi qui publica anthoritate.

Primò, movet Rex bellum contra tyrannum: in casu illo licitum est cuilibet vassallo occidere tyrannum.

De Jussu Dei, etiam quis non peccaret.

De familiari consilio Spiritus Sancti, dicit quòd potest inspirare causam conservationis Reipublicæ: A & isto casu licet vassallo occidere tyrannum, & allegat Vallerium, in tertio capite.

De quodam puero qui occidit tyrannum.

Item, de Catone, vidente capita interfectorum, interrogavit Magistrum suum: an liceret occidere tyrannum, qui respondit, *Abstineat qui possit.*

Et licèt non actu; tamen habitu unus quisque tenetur diligere Deum.

Sic posset prima Propositio exponi. Siclicet prima Propositio cathegorica est falsa; quia tyrannus non habet vassalum.

Et ideò, juxta illud quod petitum est, expedit visitare quaternum suum, ad securè procedendum.

Item, additur: *Quibuscumque viis, etiam per insidias & adulationes.* Non videtur quòd posset elici ex dictis Magistri Joannis Parvi, quia ipsemet allegavit Salberiensem.

Item, de Judith: non peccavit, adulando Olo- B phernì, & de Hien*, qui mentiendo non peccavit; quia non est mentitus, non peccavit. Habetur authoritas Hieronymi: utilem simulationem pro tempore esse assumendam.

De Jehu dat exemplum, & dicit quòd licet simulare, ad sui & suorum salutem: & ideò apparet sibi quòd Articulus iste non esset condemnandus, scilicet ultimus positus in cedula transmissa.

Quo ad Moysem, qui occidit Ægiptium, sine Mandato: quia Mandatum est duplex, tacitum & expressum. Si intelligitur de tacito, non quia habuit tacitum Mandatum, quia constitutus erat liberaturus populum, & dicit quòd loquitur ad colorandum dicta.

Ultra de Phinées, dicit quòd Assertio est falsa & erronea: sed Magister Joannes Parvi non fecit talem, sed sine Mandato. Et dicit quòd textus non dicit quòd habuit Mandatum, quia Deus dedit Mandatum Moysi ut occideret & suspenderet Principes C qui delinquerent.

Et Moyses mandavit Judicibus Israël ut interficerent. Et dicitur in textu, *Zelo Dei succensus.*

Et ideò, visis omnibus, & traditis heri in scriptis, non benè potest securè dare modò deliberationem suam, ut dicit: sed per modum consilii dicit quòd bonum esset supercedere de ista materia, & securus esset laborare ad correctionem Dominorum, & ideò esset supercedendum, de præsenti. Et videtur sibi expediens quòd detur carta, ut Universitas videat si sit in forma: & ideò si Articuli traditi tangunt Joannem Parvi qui decessit, si viveret audiendus esset.

Quantùm ad primam propositionem, si fuerit pullulata, & publicata: & ideò esset recurrere ad Sedem Apostolicam. Quia si inveniatur quòd non fuerit in forma prædicta, non plus spectaret ad Dominum Episcopum, quàm ad unum alium: & ideò mittendum esset ad Curiam Romanam. Et, ut alibi, D petit tempus deliberandi, & quoties vocatus fuerit comparebit.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Dierryo, Magister in Theologia, dicit hìc & deliberat, modo & forma quibus superiùs in præsenti processu deliberavit; & opinionem suam dixit, atque dedit, nihil ultra adijciendo.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus Paris, proponit quæstionem, utrùm alicui quòd malum divina Lege prohibitum, liceret alicui facere; & allegavit quòd non; posteà arguit in contrarium de Samsone & Abraham: & protestatur ut ceteri Magistri: & fecit potestationes consuetas. Et quærit primò, an omne peccatum ideò sit prohibitum.

Secundò, an omne prohibitum Lege humana & naturali, posset dispensari.

Quo ad primum, dicit quòd Augustinus dicit, quòd duplex Lex est aliquam capere pro Lege æterna, sicut fuit antequam Lex fuisset posita per Moysem. Et adhuc duplex: una quæ fuit impressa mentibus hominum; & ista est naturalis quæ fuit impressa: alia ab extra, sicut fuit illa quæ fuit data Moysi. Et dicit primò quòd omnis difformitas est peccatum mortale, & ideò peccatum, quia Lege æterna est prohibitum.

Probatur: quia omne quod agitur contra Legem divinam, peccatum est &c.

Et hoc notat Augustinus contra Faustum, & in Libro de Baptismo parvulorum, & ideò dicitur peccatum, quia Deus reprobat: nec alia de causa peccata sunt, quàm quia per Legem prohibita; hoc est quia à fonte prohibita sunt. Ita judicandum de furto, & Præcepto, *Non occides*, & aliis Præceptis.

Prima Conclusio.

Per se malum, nullâ circumstantiâ additâ, potest non esse malum.

Secunda Conclusio.

Quod prohibitum partiale, putà occidere, aliquâ circumstantiâ remotâ, vel additâ; utputa circumstantia, authoritate Legis, qui non esset minister Legis, vel authoritatem habens, & in casu quo Judex jubet, vel Deus præcipit; in isto casu non esset peccatum, imò meritorium, sicut si Abraham occidisset filium.

Tertia Conclusio.

Quod prohibitum de se est, & per se malum, Deus non potest jubere, quia est summa bonitas, & summa justitia: & ideò Deus non jubet aliquid per quod homo fieret deterior.

Inde venit ad cedulam, & allegat quòd non multitudini est credendum, sed saniori parti.

Et ideò de præsenti nesciret deliberare; nec videntur sibi de præsenti condemnandæ.

Et fortè imponuntur (ut dicit) Magistro Joanni Parvi aliqua, quæ nunquam dixit; quia mortuus est, & non potest loqui, & se refert saniori parti.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Desraël, Decretorum Doctor, habuit cedulam, & dixit se studuisse materiæ, & protestatur, ut ceteri; & dicit quòd aliqui, non ubi advertunt ad ea quæsita, quæruntur, quia solùm nolunt respondere ad quæsitum.

Secundò, de illis qui dicunt materiam proponendam & dissimulandam, & hoc esse utile; non videt etiam utilitatem;

Et dicit quòd materia est divulgata, & dicit quòd reperit multos casus in Jure, ubi licet occidere quemquam impunè: ut in capite, *Si perfodiens*, &, *De insidiatoribus publicis.* Et sunt certi casus qui sunt tenendi in terminis suis, & non extendendi: sed occidere tyrannum, non est de illis casibus, maximè quoniam intervenit juramentum, quia juramenta licita, utique sunt servanda.

Et determinavit illam quæstionem; quis magis peccat, occidere justum vel injustum?

* *Locus corruptus; fortè* Jehu.

Et Sanctus Thomas quærit. An alicui privato licet occidere aliquem? qui tenet quòd non: quia attribueret sibi potestatem non concessam. Et ideò credit quòd primus Articulus in forma qua ponitur, est falsus, & in Fide erroneus, & posset ejus assertor argui post mortem. Et licèt, de Jure antiquo, hæreticus non erat excommunicatus, hodie tamen sic. Et ideò dicit, quòd si constet de illis per testes, ut aliàs; possunt Judices facere processum, & procedere ad condemnationem ipsorum. Et stat cum cedula de reprobationibus ipsarum Assertionum, & paratus dare cedulam, quam posteà non dedit.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Austria, regratiatur, & protestatur, ut ceteri; & videtur sibi quòd Propositiones, & maximè prima, est erronea & falsa: etiam * quæratur an sint condemnandæ, videtur sibi quòd non oportet condemnare omnes Propositiones falsas; sed quærere an sint dogmatisatæ. Vocetur ille qui dixerit, & audiatur, & forsan revocabit. Si mortuus, videantur quaterni sui, & tunc, aut ibi reperietur Propositio; in forma tunc est condemnanda, quia falsa & erronea: si non sit in forma, non est condemnanda, sed illa unde illa sequitur. Et ita, videtur sibi quòd nullus potest dare consilium cathegoricum, donec videatur quaternus ipsius Magistri Joannis Parvi.

Et in illo processu cavendum est, ne fiat divisio inter nos, quia similis causa destruxit Universitatem Pragensem. Et ideò cavendum de processu quòd fiat bono modo, & ista est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Geraldi, exhibuit cedulam Magistri Ægidii de Asperomonte, quæ fuit lecta per Vicarium Inquisitoris, cujus tenor sequitur.

„ Ego Ægidius de Asperomonte, Magister in „ Theologia: A sexdecim Annis citra, condemnationi prædictarum Assertionum in hac cedula contentarum, quæ sunt septem numero adhæreo, „ & consentio; & protestor de adhærendo, quamdiù vitam duxero in humanis, condemnationi „ earum, modo & forma quibus condemnatæ sunt, „ ut supra: præsertim condemnationi primæ Propositionis, quæ Maxima, & fundamentum aliarum ponitur: addendo quòd prædicta Propositio est hæretica, falsa & erronea in Fide; provocativa iræ cœlestis, & divinæ; offensiva cunctorum mortalium, turbativaque Dominorum; inductiva seditionum, favens odio dæmonum quod „ habent contra genus humanum; destructiva omnium Politiarum, & de directo contra illud Præceptum Decalogi. *Non occides*; Et si quis eam, „ aut in forma, aut æquivalenter posuerit, aut protulerit, & eam pertinaci animo sustinuerit, hæreticus censendus est, & fautor ejus. Et ad confirmationem prædictorum, & testimonium eorum quæ scripta sunt in præsenti cedulæ parte, „ ex altera, præsenti cedulæ signum meum manuale, sigillum non habens, hîc duxi apponendum. „ Die vigesima septima Mensis Decembris. Anno „ Domini, millesimo quadringentesimo decimo „ tertio. Sic signatum, ita &c. *de Asperomonte.*

Item, *sequitur una alia cedula missa pro parte dicti Ægidii de Asperomonte, Magistri in Theologia. Anno prædicto, & die Mercurii vigesima Decembris, tradita per eum, cujus tenor sequitur in hunc modum.*

„ Reverende Pater & Domine mi singularissime, „ vosque venerande Magister, Domine mi Inquisitor. Ego Ægidius de Asperomonte, Magister „ in Theologia. A sexdecim Annis, vestra ex parte, requisitus, ad perhibendum fidele consilium in facto Fidei, super Propositionibus & Assertionibus „ in quadam cedula contentis, mihi transmissa, dico, „ protestationibus præsuppositis, & salvo melius „ dicentium consilio, & judicio, quòd prima Assertio, quæ videtur tanquam Maxima & fundamentum aliarum, videre meo, est hæretica, falsa A „ erronea in Fide, provocativa iræ cœlestis & divinæ, & videtur favere iræ & odio dæmonum „ quibus inardescunt continuè adversùs genus humanum, facientes effusionem humani sanguinis, „ appetentes dissentiones & bella inter homines; & „ etiam offensiva omnium mortalium, turbativa „ Politiarum, & destructiva Dominiorum, & directè „ contra illud Decalogi Præceptum, *Non occides*, & „ confestim taliter est candemnanda.

„ De aliis verò Assertionibus quæ inducuntur ad „ probationem dictæ Propositionis falsæ; dico „ etiam quòd sunt falsæ & condemnandæ, modo „ & forma in cedula contentis.

„ Dico ulteriùs, Reverende Pater, quòd quantùm Parisiis, vel in vestra Diocesi accidit, quòd est B „ aliquis Libellus, undecumque venit, aut à quocumque scriptus fuerit, qui communis est & publicatus, in quo sunt manifesti errores contra „ Fidem; statim vos debetis convocare Concilium „ Fidei, & errores, & Libellos illos condemnare. Ad „ hoc vos debet excitare & potissimè movere Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, quemadmodùm laudabiliter facit & fecit Dominus Cancellarius præsens; ipse enim est vassallus vester, „ & oculus vester dexter, quo ad hoc, qui debet habere aspectum, non solùm ad ea quæ in Studio dicuntur; sed etiam ad ea quæ in Sermonibus publicis, & in Propositionibus quæ fiunt coram Rege & Dominis, ad adducendum excusationes in „ peccatis: sic hujusmodi, quia continet errores „ manifestos contra Fidem, videre meo, erit condemnandus.

„ Dico ulteriùs quòd expedientissimum foret, post „ Sententiam vestram, & Domini Inquisitoris latam „ in ista Quadragesima futura, convocare, nedùm „ Concilium Provinciale; sed etiam cum hoc Provinciali de tribus Provinciis ad .... videlicet Re- C „ mensi, Senonensi, & Lugdunensi, & Rothomagensi & ferè etiam Turonensi, Bituricensi, & „ Lugdunensi; & in illo de negotiis Ecclesiæ tractare, & errores prædictos solemnissimè, & authenticè condemnare, & penitùs extirpare.

„ Hæc dico sub correctione. Sic signatum. *Æg.* „ *De Asperomonte.*

Sequitur deliberatio Magistri Nicolai Cavaiche, tradita die Lunæ, decima octava Decembris.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus Cavaiche, sacræ Theologiæ Professor, comparuit coram Dominis Officiali Parisiensi, & Vicario Inquisitoris; & eis exposuit quòd in crastina die recessurus erat de Parisiis, & quòd non poterat interesse in Concilio Fidei, ad deliberandum D maturiùs, attentâ materiâ super contentâ in cedula sibi tradita &c. supplicans sibi terminum ternum assignari, ad deliberandum maturiùs, attentâ materiâ, & attento etiam quòd in viagio suo oportebit ipsum esse per quindecim dies.

Et tunc prædicti Domini Officialis, & Vicarius Inquisitoris, responderunt quòd non erant nisi Vicarii, & super hoc oporteret loqui cum Dominis Episcopo & Inquisitore, & quòd super hoc cum eis loqueretur & se excusaret. In casu tamen quòd non reciperetur ex-

* *Fortè* etsi.

excusatio sua, dixit quòd est promptus & paratus dicere id quod pro tunc sibi apparebat in prædicta materia, prout & dixit, in modo & forma quæ sequuntur.

Primò, protestatus fuit, videlicet quòd ipse non intendebat impedire, vel retardare promulgationem alicujus veritatis Catholicæ; nec etiam impedire condemnationem alicujus Propositionis hæreticæ, vel malè sonantis in Fide; quâ protestatione supposuit, quòd illi qui tendunt, pro nunc, ad condemnationem illarum Assertionum contentarum in prædicta cedula sibi tradita, tendunt ad extirpationem vitiorum, hæresium & errorum, & etiam ad emendationem & correctionem errantium in Fide, vel in moribus.

Item, supposuit & credit, ut dicebat, prout sibi apparebat, quòd quousque sibi apparebit de contrario, quòd illi qui pro nunc petunt deliberationem, intendunt & volunt evitare magna scandala, pericula & inconvenientia multa, quæ possent oriri ex levi condemnatione, vel ex nimia præcipitatione.

Istis præsuppositis, dicit quòd apparebat sibi quòd prædictæ Assertiones & Propositiones in cedula prædicta discriptæ, pro tunc non erant sententialiter condemnandæ, nisi aliquis eas posuerit; dogmatisaverit, aut prædicaverit; vel nisi ex illis ortum fuerit scandalum publicum in Fide, vel in moribus, & si aliquis eas dogmatisaverit, asseruerit & prædicaverit; vel quòd tales Propositiones sequantur ex scriptis, vel dictis alicujus: apparebat sibi quòd tales in forma, vel in terminis in quibus forent prædictæ dogmatisatæ, assertæ, vel positæ, deberent dari omnibus Magistris in Theologia, & Doctoribus in Decretis, & Baccalaureis in eisdem scientiis, & notabilibus Clericis de Curia Parlamenti, & de aliis Curiis, & Collegiis Villæ Parisiensis: & quòd fieret una solemnis Congregatio dictorum Magistrorum & Clericorum, & quòd ibi agitaretur & discuteretur materia; & consequenter pro tunc, deberent dari solemnes Deputati de utraque Facultate Theologiæ, & Decretorum, qui convenirent cum illis qui aliàs fuerunt deputati, ut dicitur, in ista materia, qui cum magna maturitate examinarent prædictas Assertiones & Propositiones, & tandem referrent in alia Congregatione fienda prædictorum Doctorum & Magistrorum & aliorum Clericorum; & hoc, attenta arduitate & periculo & scandalo quæ possent oriri ex nimia præcipitatione, vel levi condemnatione prædictarum Assertionum & Propositionum.

Et hæc est ejus deliberatio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Ursinus Taillenande, regratiatur, & protestatur, ut ceteri; & protestatur quòd non intendit nunc loqui assertivè, sed probabiliter tantùm, & quia super* procedendi, ut dicit, videt nunc Facultatem Theologiæ nunc congregatam, & non aliter: ideò vellet quòd Facultas Theologiæ congregaretur super ista materia, ad videndum an esset de præsenti procedendum.

Quantùm ad cedulam in se, quæ concernit non solùm mortuum, imò vivum: & quantùm ad primam Propositionem, dicit quòd aliàs dixit quòd non poterat procedi in ista materia, nisi primitùs videretur Tractatus Magistri Joannis Parvi; & ideò visitavit quaternum, & apparet sibi quòd prima Propositio elicita est ex tribus Propositionibus dicti Magistri Joannis Parvi, ex tertia, secunda & septima Propositionibus; & dicit quòd non obstantibus quibuscumque confoederationibus factis de milite ad militem, si vergant in detrimentum Regis vel Reginæ, non sunt tenendæ: & dicit quòd est vera; & Propositiones Magistri Joannis Parvi dicunt quòd *Quicumque potest*, &c. Et ideò illa posita in Instrumento, non sequitur ex aliis: & ideò ad extrahendum ipsas, deberet sic dici: Quicumque vassallus Regis per insidias niteretur occupare Regnum, licitè posset occidi per quemcumque. Et ideò, quia non est certus quòd prima Propositio fuerit formata juxta modum ipsius Joannis Parvi, ideò non tenetur super ipsam deliberare.

Deinde venit ad Michaëlem, & Propositionem loquentem de Michaële, & dicit quòd ibi sunt multa implicita quæ videntur tendere ad errorem, & ibi; *expulit eum de cælo & Paradiso, vi & violentia*; & ita exponit Magister Joannes Parvi, an fecerit sine Mandato? credit, loquens quòd magis cum Mandato, quàm sine Mandato. Verumtamen non videtur sibi ex Scriptura sacra quòd auderet condemnare
A Propositionem contrariam, quòd sine authoritate fecerit.

Quantùm ad aliam partem, quæ loquitur de amore naturali & gratuito, dicit quòd per hoc obtinuit confirmationem suæ gratiæ, & posset sustineri Propositio sua, exponendo ipsam, & ita, non ita subitò esset procedendum ad condemnationem ipsarum: & non est benè dictum quòd meruit beatitudinem, per amorem naturalem; sed exponendo, modo prædicto, de amore naturali gratuito, & sic posset collocari.

Et reperit in caterno, quòd Zambri fuit idolatra & fecit alios idolatrare.

De Phinées, quòd *sine Mandato*, intelligitur particulari. Et considerat circa istam materiam, an processit Phinées ad occisionem Zambri, ex virtute Mandatorum, vel ex zelo Legis. Non primo modo,
B quia non fecit sicut mandatum erat; sed zelo Legis: quia publicè, coram populo, intravit lupanar, &c. & ipsos ambos occidit. Et ideò non esset tutum procedere ad condemnationem ipsius Propositionis, licèt esset falsa.

Quantùm ad illum de Moyse, dicit quòd in Propositione Magistri Joannis Parvi cavetur, *Sine Mandato hominis*: & notavit authoritatem Alexandri de Halis, quam in scriptis legit, quæ videtur innuere quòd Moyses peccavit; & tamen si habuisset Mandatum, non peccasset.

Quantùm ad alias, de Jehu & Judith, qui fuerunt laudati in Libro Regum, ut videtur textus innuere,
C hoc dicens: quòd *fuerunt laudati, quia mentiti fuerunt*, non esset benè tutum.

Et ita non videt quòd contineatur in Propositionibus suis quòd fuerunt laudati propter mendacium, sed quia occiderunt tales homines, & per insidias.

Quantùm ad aliam Propositionem, quæ loquitur de perjurio: *Quoniam quis jurat aliquid facere*, &c. allegat Magistrum Sententiarum, & dicit quòd si viveret dictus Parvi, esset vocandus ad audiendum: tamen quia ponitur ibidem quòd si quis juravit aliquid facere, & videt illud vergi in pejus, non tenetur observare: sicut de Herode, qui juravit &c. qui non tenebatur adimplere, vel servare juramentum.

Quantùm ad aliam Propositionem, & ultimam: an fuit ante, vel post occisus Baal, &c. Et ita dicit quòd istæ Propositiones non sunt ita manifestè erroneæ, quòd subitò procedendum sit ad ipsarum condemnationem, & ut dixit quòd Processus iste tangit unum, non est de Foro Judicium: ideò videtur sibi quòd bonum esset remittere Processum ad Curiam Romanam:
D & se refert meliori judicio. Et dicit ultra quòd adhuc modificando hujusmodi Propositiones, ut sunt; nunc tamen applicando ad factum quod credebat proponens justificantem, malè fecit, & benè justificavit, nec videt quin erraverit.

* *Fortè deest* modo.

Se-

Scedula missa per Fratrem Simonem de Coursi, fuit lecta & publicata Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die vigesima Mensis Decembris, cujus tenor sequitur, & est talis.

„ Reverende Pater & Domine Inquisitor. Quia dispono me ad recessum de Parisiis, adhæreo deliberationi datæ in scriptis Domini Abbatis Sancti Germani de Pratis, super Assertionibus heri recitatis in Concilio Fidei; nec non & Domini Cantorum * Ecclesiæ Carnotensis, quia hæc Sententia videtur satis conveniens.

„ Scriptum Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio. Feria quarta temporum ante Natale Domini, de manu mea propria, cum signeto manuali. Et hoc significet ubi erit expediens, ne subeam pœnas indictas. Sic signavit vester humilis Orator, *frater Simon de Coursi, Ordinis Minorum, ac Sacræ Theologiæ Professor.*

„ Vel, si placet, dabitis Notariis scedulam, unà cum aliis, & supposito quòd sim excusatus de comparendo, usque post Festum Circumcisionis Domini. Et fuit tradita Anno prædicto, & die vigesima Decembris, millesimo quadringentesimo decimo tertio, eisdem Anno & die.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Dacheri, Magister in Theologia, regratiatur, & Protestatur ut supra; & dicit quòd duo continentur in cedula sibi transmissa.

Primum, de veritate & falsitate dictarum Propositionum.

Secundum, de ipsarum condemnatione: & quia alibi nolunt dare suas responsiones, sciendo an ab aliquo fuerunt dictæ; ideò circa hæc dicet aliqua.

Et primò dicit quòd Magister Joannes Parvi dictas Assertiones dixerit secundùm quòd multi credunt; in quo casu stat cum Magistro Ursino in suo finali dicto, quòd omnia illa sunt falsa & erronea. Ratio est, quia sumendo Majorem & Minorem, in ordine ad conclusionem quam intendit proponens, sunt falsæ hujusmodi Assertiones.

Et dicit quòd illæ Assertiones sententialiter continentur in Propositione sua, & non solùm illæ, imò pejores, & maximè illa, quòd *Propria mors quâ tyrannus debet mori, est per insidias*, &c. Et dicit quòd tertia Propositio sua est hæretica & erronea, & an continentur in caterno, se refert inquisitioni Judicum. Sed dicit quòd dato quòd hujusmodi Propositiones non fuissent dictæ ab aliquo, cum reverentia loquentium, Magistri non honestè se excusant de dando opiniones suas super earum veritate vel falsitate, quia quoties quæritur de Fide, toties quilibet debet & tenetur respondere veritatem ad quæsita.

Dicit tertiò, quòd quia vult esse obedientiæ filius, dicit quòd prima Propositio est erronea, destructiva totius Politiæ, causativa seditionis, & eam dogmatisare est in hæresim incidere, & stat in reprobatione facta in Instrumento, scilicet, *Non occides*. Unde, ut dicit Alexander de Halis: *Ad occidendum aliquem requiruntur justa causa, justus ordo, & justus animus.*

Et adhuc sunt omnes Doctores quos vidit, puta Gregorius, Augustinus, sanctus Thomas, Salberiensis, & Nicolaus Oresme. Et sic ipsa prima Propositio est erronea & hæretica, & benè reprobata: & aliæ Assertiones etiam sunt benè reprobatæ, prout in Instrumento continetur.

Quantùm ad secundum, scilicet an sint condemnandæ, dicit primò quòd si ita sit, quòd dictus *Petit* eas dixerit, vel alius, ipsæ sunt condemnandæ. Ratio est quòd licèt sex Assertiones non sint de directo contra Præceptum Decalogi. Verumtamen adducuntur ad probationem primæ Assertionis de qua nullus debet dubitare.

Secundò, dicit quòd dato quòd idem *Petit* eas non dixerit, adhuc sunt condemnandæ.

Ratio est præcipuè, quia notorium est in ista villa, & in multis locis quòd istæ Propositiones fuerunt practicatæ, occidendo homines antequam Lex permisisset.

Secunda ratio, quia omnia mala quæ venerunt in hoc Regno, à sex annis citra, propter hujusmodi Assertiones venerunt in isto Regno, & mala fuerunt continuata, ob defectum condemnationis ipsarum.

Tertiò, quia quandiù istæ Propositiones & Assertiones stabunt in vigore, nunquam habebimus pacem in hoc Regno, imò de facili homines insurgent contra Dominos suos; imò aperietur via ad omnia facinora perpetranda, puta revelationes Confessionum, adulteria, furta & latrocinia, & sic sunt condemnandæ, & omnes, propter rationem dictam in primo dicto.

Verumtamen si ad condemnationem ipsarum procedatur, videtur quòd non solùm condemnandæ essent, videlicet prima, & illa de Judith, & alia de perjurio. Aliæ autem non, quia illa quæ tangit factum de Moyse & Phinées, posito quòd essent veræ, adhuc non haberet intentum: verumtamen si aliquis eas vellet pertinaciter sustinere, essent condemnandæ. Et dedit deliberationem suam in scriptis, in hunc modum qui sequitur.

„ Reverende Pater & Domine metuendissime, & vos Domine Inquisitor. Protestationibus in tali materia fieri consuetis præsuppositis; accedo ad respondendum ad illa quæ quæruntur in scedula mihi transmissa, & videre meo duo quæruntur.

„ Primum est, de veritate, vel falsitate Assertionum ibidem scriptarum; & etiam de earum reprobatione.

„ Secundum est, de condemnatione dictarum Assertionum, an scilicet debeant judicialiter condemnari.

„ Et quoniam Magistri nostri aliqui faciunt difficultatem in ista materia, & volunt scire antequam dent deliberationes suas, an aliquis eas protulerit; alii autem absolutè respondent ad illud quod quæritur, non curando an aliquis hujusmodi Propositiones dixit: ideò de utroque aliquid dicam, sub omnimoda tamen correctione vestra, & Dominorum meorum, & probabiliter, nihil tamen asserendo.

„ Et primò. An aliquis eas protulerit, prout dicitur fecisse Magister Joannes Parvi; dico quòd, quantùm ad hoc, primò quòd sto in finali conclusione Magistri & Domini mei specialissimi Magistri Ursini Taillenande, qui ad longum & multùm attentè vidit Propositionem dicti *Petit*, in cujus Propositione * cetera authorem dicitur posuisse illas Propositiones, quoniam *Intelligentia dictorum debet sumi ex causis dicendi.*

„ Dixit namque Magister Ursinus quòd considerando authorem dictæ Propositionis *Petit*, in Ordine ad Minorem quam sunt † in authore, & sub ordine ad conclusionem, quòd dicta Magistri Joannis *Petit*, ibidem posita, sunt falsa & erronea; & in hoc secum sto: & dico consequenter quòd dictæ Assertiones sunt erroneæ & rationabiliter reprobatæ. Sed in hoc quod ibidem non contineantur dictæ Assertiones, non sto secum, quia mihi apparuit, cum visitavi pridie illam Propositionem, quòd illæ Assertiones ibidem continebantur

* *Forte* Cautoris.

* *Forte deest* inter, & *loco* Authorem, *deberet legi* Author.

† *Forte* sumit.

bantur sententialiter, licèt non eadem forma; imò credo quòd si benè visitetur dicta Propositio, multa pejora reperientur, quàm sint illæ Propositiones & Assertiones. Unde in uno loco dicitur; *Que c'est la plus propre mort de quoy tyran doit mourir, que l'occire vilainement, par cautelles, aguettes & espiement*; quod mihi apparet valdè impium & crudele: melius namque esset quòd occideretur per Justitiam, & per illos qui haberent au- A thoritatem.

„ Utrùm autem illæ Assertiones ibidem reperiantur sententialiter; remitto ad Dominos Judices, qui benè sciunt discutere.

„ Secundò dico quòd dato quòd nunquam istas Assertiones protulerit, quòd Magistri nostri honestè, videre meo, Judicio non possunt se excusare, quin habeant respondere de veritate, vel falsitate hujusmodi Assertionum, & earum reprobatione, cum tempus sufficiens habuit quilibet ad deliberandum super hoc; cujus ratio est, quia Magistri in Theologia, & Doctores, specialiter sunt obligati, ex Officio, ad reddendum omni poscendi rationem de ea quæ in eis est Fide, prout notatur *prima Petri. cap. tertio.* Et *ad Colloss.* IV. 5. ubi inquit Paulus, *In sapientia ambulate*, & se- B quitur, *Ut sciatis quomodò oportet unicuique respondere*, scilicet de ipsa Fide; prout est materia præsens, quia tangit Præceptum Decalogi.

„ *Verum*, inquit Ambrosius, in Libro, *De Officiis*, *in causa Dei qui tacet*, *peccatum est non leve*.

„ Et ideò Pater Reverende, volens esse verus obedientiæ filius, dùm mihi loquendi adest libertas, dico quòd prima Assertio posita in cedula mihi data, est pernitiosa, erronea, totius politiæ subversiva, seditionis & rebellionis causativa, & eam sustinere, aut dogmatisare, esset hæresim sapere; & motiva mea ad hoc, sunt illa quæ continentur in reprobatione dictæ Assertionis; quæ reprobatio videtur mihi multùm rationabilis: & veraciter veritas Fidei, per quam reprobatur hæc Assertio prima, est adeò nota cuilibet habenti usum rationis, quòd nullus, etiam paganus, de ea debet dubitare, cùm sit unum de principiis Juris naturalis, & Præceptum Decalogi, quo dicitur: *Non occides*, scilicet, *propria authoritate*. C Unde Alexander de Halis in suo 3. inquit, quòd *Ad hoc quòd aliquis interficiat aliquem justè & secundùm Legem, requiritur justa causa, justus ordo, & justus animus*, prout fuit allegatum per Dominos & Magistros mox præcedentes.

„ Et Augustinus, in primo *De Civitate*, inquit, quòd *His exceptis quos justa Lex generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet alium occiderit, homicidii crimen incurrit.* Et breviter ad hoc sunt omnes Doctores quos vidi: Augustinus, Gregorius, Alexander, sanctus Thomas, Augustinus de Anchona, Richardus de Media Villa, Salberiensis, si benè capiantur dicta sua; & non minus Petrus de Tharentesia, Magister D Nicolaus Oresme, quorum dicta sufficienter allegavit Dominus Abbas sancti Dionysii. Et allegationes paratus ero dare cuilibet petenti, & sum de præsenti.

„ Aliæ autem Assertiones videntur esse rationabiliter reprobatæ, & sto in earum reprobatione.

„ Tunc venio ad secundum, scilicet, an hujusmodi Assertiones sint taliter condemnandæ. Hic respondeo primò, quòd si reperiatur quòd sententialiter eas dixerit in sua propositione, sicut credo, reperietur adhuc pejus: sed de hoc refero me ad Judices, qui * attenta arduitate materiæ, circa quam sex ultimæ Assertiones sunt introductæ ad reprobationem Præcepti Decalogi, & ad ejus calumniationem.

„ Ideò dico quòd illæ Assertiones sunt condemnandæ cum prima judicialiter, ne aliquod vestigium remaneat, per quod appareat simplicibus Præceptum illud Decalogi fore calumniandum, aut ratione cujus circa illud habeant dubitare, eo quod *Modicum fermentum massam totam corrumpit* 1. ad Corinthios v. 6. Et in hoc, pro præsenti starem.

„ Secundò, dico quòd dato quòd Magister Joannes Parvi dictas Propositiones non dixisset, quòd adhuc sunt condemnandæ: cujus dicti assigno aliquas rationes.

„ Quia evidens nobis est & notorium, quòd de facto hìc Parisiis, & alibi in Regno Franciæ, prima Assertio est practicata, quæ est in præjudicium Decalogi, & de directo contra Præceptum ipsum; & adhuc illam Assertionem quidam libenter practicarent aliqui.

„ Secundum quod ad hoc me movet, est quoniam mala quæ contigerunt in hoc præsenti Regno, à sex Annis citra & ultra, ut videtur mihi, & aliàs visum fuit, acciderunt ob crudelitatem * talium Assertionum, & suggestionem earum in auribus simplicium: imò quod plus est, credo ipsa mala usque nos continuata fuisse, ob defectum reprobationis talium Assertionum, seu potiùs errorum.

„ Tertium quod me movet est, quandiù hujusmodi Assertionibus, de quibus nunc est quæsitum, adhibebitur fides, nunquam stabit firma pax in isto Regno: imò semper erit de facili dispositio ad seditionem & rebellionem contra Superiores quoscumque, & via aperta ad quæcumque facinora perpetranda, de directo, Fidei nostræ repugnantia, & ad furta, homicidia, adulteria, & revelationem secreti Confessionum, & infinita alia.

„ Et his rationibus motus, considerando arduitatem materiæ, & prætiositatem Præcepti in calumniationem cujus ista practicata sunt, & non solùm verbo; dico quòd sunt omnes condemnandæ, ad observationem pacis, & vinculum justitiæ & veritatis....

„ Veremtamen, si mitiùs agere placet, fortè pro nunc sufficeret quòd tres de illis Propositionibus & Assertionibus condemnarentur, scilicet prima, secunda & ultima; & quòd aliæ non repugnant veritatibus quas, de necessitate salutis, oportet scire quemlibet adultum, habentem etiam optimum judicium rationis, prout faciliter declarari posset, & fuit tradita per ipsum, die Jovis, vigesima prima Mensis Decembris.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Nathiæ, regratiatur, & protestatur, ut supra alii; & dicit quòd noviter venit, & miratur de multis qui adducunt ad istam materiam Fidei exempla extranea: & dedit deliberationem suam in scriptis, quæ fuit lecta & publicata per Vicarium. Et dicit quòd illa quæ fuerant allegata de fure nocturno, & aliis homicidiis quæ isti committunt, magis se habent defensivè quàm activè; & allegavit Jus: *Vim vi repellere licet.*

„ Reverende in Christo Pater, & vos Domine Inquisitor.

„ Præsuppono primò, protestationes laudabiles aliàs per Magistros meos præcedentes factas.

„ Suppono secundò, quòd Assertiones in cedulis transmissis positæ, publicè, formaliter, vel virtualiter in ista Diocesi, ita quòd ex ipsis ortum est scandalum, ex quo Dominationes vestræ hoc asserunt.

„ Tertiò, suppono quòd mihi non est curandum cujus sint Propositiones, vel quis protulerit eas,

* *Fortè* qui *est superfluum.*

* *Fortè* credulitatem.

„ eas, an Magister Joannes Parvi, vel alius Christianus; quia videretur tendere ad acceptionem personarum, vel ad favorem vel odium, quod in materia Fidei non est licitum: propter quod Petro respondenti Salvatori: *Tu es Christus filius Dei vivi*; responsum est: *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis* &c....

„ Quartò, suppono quòd de Propositionibus malè sonantibus, prolatis sive in Scholis, sive in Sermonibus publicis, hæreticis, authoritatem determinandi *, absque hoc quòd recurratur ad Curiam Romanam; cum hîc, Deo laus, sit major copia Theologorum, & Decretorum, quàm in Curia Romana; si tamen pro majori solemnitate, & authoritate determinationis vestræ, postquàm fuerit facta, mitteretis eam ad Curiam Romanam, fortè multùm expediret, quia, ut dicitur, istæ Propositiones fuerunt publicatæ per Orbem.

„ His præmissis, recito primam Assertionem, quæ est quasi fundamentum aliarum, & suppono quòd intelligitur de occisione voluntaria, non casuali, vel necessaria: *Quilibet tyrannus debet & potest occidi laudabiliter à quocumque vassallo & subdito, quocumque modo, etiam per insidias, & adulationes, non obstante quocumque juramento, vel confœderatione facta ad ipsum, sine expectando Sententiam, vel Mandatum cujuscumque Judicis.* Dico quòd ista Assertio est hæretica, juxta reprobationes cedulæ ibi inductas; juxta etiam authoritatem beati Augustini communiter adductam, quæ allegatur in Decreto, tertia Causa, Quæstione sexta, in fine. *Qui sine aliqua publica administratione* &c. Et etiam eadem Causa, & quasi in principio Quæstionis, *Omnis qui præter illum vel authoritatem ejus qui legitima potestate utitur*, quia ut ait Apostolus. *Non sine causa gladium portat*... cui omnis anima sub dita esse debet, *ad Romanos, decimo tertio. Omnis* inquam, qui præter hujusmodi authoritatem, *gladium acceperit, gladio peribit.*

„ Alexander de Halis, respondendo ad unum argumentum ubi sic arguit: Unus omnis faciens secundùm Legem, facit contra hoc Præceptum, *Non occides.* Sed demonstrato aliquo malefico digno morte, verum est quòd iste est secundùm Legem interficiendus, & qui interficit illum facit secundùm Legem: ipse negat Hales, & causam ponit, quia ad hoc quòd quis sit interficiendus, secundùm Legem, sufficit solus reatus quo dignus sit interfici.

„ Ad hoc autem quòd aliquis interficiat, secundùm Legem, requiruntur tria: Justa causa. Justus ordo. Justus animus.

„ Justa causa, ut reus meruerit interfici, quia dicitur Exodi, vigesimo tertio, *Innocentem & justum non occides.*

„ Justus ordo, ut occidens habeat potestatem, & reus convictus sit de crimine. Et allegat Ambrosium, super illud primæ ad Corinthios, v. 6 *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Si quis potestatem non habet qui scit reum esse † abjicere vel probare non valet, inimicus est, & Judicis non est sine excusatione damnare, sicut nec Christus Judam abjecit.

„ Justus animus, ut istud fiat amore justitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ.

„ Verùm Augustinus, in Quæstionibus *super Exod.* & allegatur in Decreto: *Cum minister Judicis occidit quem Judex jussit occidi, profectò si istud spontè facit, homicida est, si illum occidit etiam quem scit à Judice debuisse occidi.*

Dico ultimo quòd Assertio ista est, vel esse potest occasio multorum homicidiorum, & maximè Principum & nobilium; quia ut dicebat pridie Nannetensis; sicut nullus & Jure & simpliciter tyrannus, quia malum se ipsum destruit, & si integrum sit, importabile fit, ut dicit, quin sic vix, vel nunquam reperitur aliquis qui sit omninò Rex, quin in aliquo tyrannisset.

Ista Assertio miserrima, quâ nitebatur tueri homicidium perpetratum in uno Domino, quem propter aliquas conditiones vocabat tyrannum, nisi & obvietur, non solùm in isto Regno, sed per totum Orbem, ista Assertio dat viam occidendi Dominos, si in aliquo tyrannisent, sicut dicit Ægidius de Roma; & dicit quòd dominantes aliquid participant de cautelis A Regiis, aliquid de versutiis tyrannorum, & tantò est melius Dominium, quantò plus accedit ad Regnum.

Dico insuper quòd hæc Assertio est inductiva ad violationem juramentorum, ad proditiones, & perjuria, & deceptiones, inobedientiam, imò rebellionem subditorum, & subversionem totius Reipublicæ.

Ex quo apparet quia necesse sit citò extirpare istam falsam doctrinam, quæ est hîc indispositiva Reipublicæ, & incitativa subditorum contra Dominos, absque hoc quòd etiam ipsa est contra Fidem, quam etiam debemus deffendere, usque ad mortem aliquis Antechristo resistet.

Dico consequenter quòd asserens Assertionem prædictam, si pertinaciter defendat, est hæreticus, & post mortem posset declarari excommunicatus, juxta Decretum 2. c. *Quæstione secunda, capite, Sanè.* & modicum ante.

B De alia Assertione, scilicet de Michaële, sto in reprobatione cedulæ mihi transmissæ. Verùm etiam cùm Lucifer fuerit superior in naturalibus evincere; si autem ex gratia, non potuit nisi tanquam instrumentum Dei.

De tertia Assertione de Phinées, cum reverentia opposium dicentium, dico quòd satis benè à posteriori sequitur ex textu, quòd habuit authoritatem occidendi ipsum zambri, ob rationie quas tangit Alexander de Halis; vel à divina voluntate quæ est in Lege: quia scilicet obedivit Superiori suo Moysi à divina voluntate, scilicet divina intelligenda per internam inspirationem: quia in textu approbatur ista occisio, quia dicitur quòd ex isto facto avertit iram Dei à filiis Israel, *& Phinees placavit* &c. & sequitur: *Et reputatum est ei ad justitiam.* Quomodò fuisset ad justitiam reputatum? Nisi habuisset authoritatem; cùm in simili, Augustinus allegatus sæpè, in Libro contra Faustum, noluerit excusare Moysem à peccato solùm C propter Hugo *, quia videbatur sibi tunc ipsum Moysem nondum accepisse authoritatem: sicut nec Petrus ad abscindendum auriculam: *Qui*, ut dicit ibidem, *post istud peccatum factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussionem Ægiptii, factus est rector omnis Synagogæ*. Si Hugo †, in isto Phinées defuisset authoritas, sicut in illis, quare non potuisset iste sicut ille? Et ideò sto in reprobatione cedulæ.

De quarta Assertione scilicet de Moyse, quamvis, ut tunc tangebatur, fuerit una opinio quòd peccavit: tamen magis sto in opinione tacta in reprobatione, quòd habuit authoritatem, sub correctione Dominorum meorum tactorum, sicut dicit textus, *Actuum septimo*, à Magistris sæpiùs allegatus: & ita sto cum reprobatione cedulæ, quòd Moyses sciebat se constitutum Principem à Deo, ad liberetionem populi Israël, & quòd sibi incumbebat vindicare injurias D eis factas; & ita ista Assertio nunquam ‡ inducitur ad confirmationem primæ Assertionis hæreticæ & erroneæ, est multùm perniciosa, sicut priùs tactum est.

De alia Assertione de Judith: Petrus de Palude dicit, sicut hîc aliàs allegatum fuit, quòd Judith in ista occisione fuit instrumentum Dei.

Secundò, communiter posset dici contra Assertionem, quòd ipsa non est mentita; sed sunt dicta sua capienda ad misticum sensum, sicut legitur de Jacob, qui dicit Isaac Patri suo quòd ipse erat Esau. Sed sanctus Thomas dicit quòd in quantum mentita est

* Locus corruptus † Locus corruptus.

* *Fortè* propter hoc † *Fortè* ergo. ‡ Hic deest aliquid.

est, non laudatur, & sic iterum contra Assertionem; sed laudatur in quantum posuit in periculo vitam suam pro populo Israël.

De Jehu verò, dicit sanctus Thomas quòd de simulatione, seu mendacio, non necesse ipsum excusare, quia malus fuit, utpote ab idolatria Jeroboam non recedens; tamen temporaliter remuneratus est à Deo, pro destructione cultus Baal, & occisione illorum idolatrarum. Et ita sto cum reprobatione, & authoritate sancti Augustini allegata.

De sexta, quòd Joab occidit Abner, ante mortem Absalon, non video ad quid deserviebat, respectu primæ Assertionis, ista Assertio; & ideò non video aliam malitiam in ipsa non * quod est contra Bibliam, quia Absalon diù post interfectionem Abner vixit, ut textus innuit.

De ultima Assertione, de juramento non faciendi aliquid, supposito quòd juramentum fuerit licitum, sicut supponit Assertio: dicere quòd licet post mihi venire contra juramentum, scilicet facere id quod non facere juraveram, videtur dare licentiam perjuriis, deceptionibus, falsis confoederationibus, & aliis malis, & ita sto cum reprobatione cedulæ, & refero me ad reprobationem factam multùm efficaciter, judicio meo, per Dominum meum Nannetensem.

Hæc sunt dicta sub correctione vestra, & aliorum Magistrorum, & Dominorum meorum.

Tradita per dictum Magistrum Joannem Mathia. Anno prædicto, & die vigesima prima Mensis Decembris. Et sic signatum est *Joannes Mathia*. Ita est.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Germanus de Rongiaco, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut alii, & se excusavit quia fuit occupatus: verumtamen aliqua scripsit; & secundùm quod sibi dicebatur, prima Assertio in terminis non continetur in caterno dicti Magistri Joannis Parvi; tamen ipsum non vidit, & se refert ad Dominos Judices, qui habebunt visitare caternos. Ignorat quis hujusmodi Assertiones posuerit, vel dogmatisaverit, & an sint veræ vel falsæ: circa hoc habet in scriptis, & dabit cedulam Notariis, infra primum diem Anni.

Sequitur tenor cedulæ dicti Magistri Germani.

Antequam procedam deinceps ad materiam, protestor primò quòd per ea quæ dicturus sum, non intendo aliquid dicere, aut asserere, quod sit Fidei Christianæ, & Catholicæ contrarium; aut quoquo modo contra bonos mores, vel quod debeat offendere pias aures.

Secundò, protestor quòd non intendo aliquid dicere circa istam materiam quod sit contra honorem, vel quod debeat cedere in detrimentum, seu vituperium cujuscumque personæ; sed dumtaxat ad materiam mihi propositam, secundùm conscientiam meam, & ad honorem Fidei Catholicæ respondere.

Venio igitur ad materiam primæ Assertionis, in qua dicitur, quo ad primam partem ipsius:

Chaçun tyran doit & peut estre loyallement & par merite occis, de quelconque son vassal & subjet.

Istud asserere est contra sacram Scripturam, in multis passibus, & contra id quod habetur Genesis. IV. 15. *Omnis qui occidet Cain septuplum punietur.* Constat autem, quòd Cain fuit homicida & malus. Igitur vassallus, seu subjectus, licitè, & meritoriè non debet, nec potest occidere suum Dominum, aut Superiorem, quamvis sit tyrannus & malus, quia non habet potestatem supra ipsum judicandi esse talem: sed in tali casu debet remittere ad Judicem, seu Superiorem, accusando eum de tali malo, aut crimine in hoc faciendo. Occidendo etiam talis vassallus peccat peccato superbiæ & præsumptionis, quia talis non debet de se tantùm præsumere, quòd debeat judicare suum Superiorem ad mortem, sed debet expectare authoritatem Judicis, seu Superioris.

Item, hoc facere, est contra illud Præceptum, *Non occides*. Exod. XX. 13. Et contra illud Deuter. V. 17. *Non occides, neque mechaberis.* Item, *Qui occiderit hominem, morte moriatur.* Levitici. XXIV. 17. Item, Qui in gladio occiderit; oportet eum gladio occidi. *Hic est patientia, & fides Sanctorum.* Apocalipsis XIII. 10.
A Item, Psalmo LVIII. 12. scriptum est; *Dominus ostendit mihi super inimicos, ne occides eos.*

Ex his clarè apparet quòd illa prima pars illius Assertionis falsa est & erronea in Fide, sicut posita est, de virtute sermonis.

Item, Bonaventura, super illo verbo, *Non occides* scilicet *propria authoritate*, loquitur in tertio Sententiarum, 37. respondendo huic rationi, Exod. XXII. 18. *Non patieris maleficos vivere*, per quod verbum videtur præcipi occisio, dicit quòd, *Inter hæc duo* Non occides, *&* non patieris maleficos vivere, *nulla est repugnantia, vel contradictio; quia in uno prohibetur homicidium innocentium & justorum; in alio præcipitur occisio malefici.* Et consequenter dicit, ad propositum, idem Doctor, quòd *In uno prohibetur homicidium, ex propria authoritate; in alio, injungitur, ex Legis authoritate.* Modo hæc duo non habent
B repugnantiam. Eandem sententiam dicit sanctus Thomas, *secunda secundæ*, q. 64. per illius quæstionis ferè omnes Articulos. Et suorum dictorum fundamentum videtur dictum esse Augustini, in primo, *De civitate Dei*, ubi sic dicit: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum interficit, velut homicida judicabitur, & tantò ampliùs, quantò sibi potestatem à Deo concessam usurpare non timuit.*

La seconde partie de cette premiere Assertion dit: *Chacun tyran* &c. *par quelconque maniere, mesmement par aguettes & par flatteries, & adulations, nonobstant quelconque jurement, ou confederation faite envers lui, sans attendre la Sentence de Juge quelconque* &c.

Istud asserere est contra Scripturam sacram. Primò contra illud quod habetur primæ Petri, secundo capitulo. I. *Deponentes* scilicet *omnem malitiam, omnem dolum & simulationes, & invidias, & omnes de-*
C *tractiones, sicut modò geniti infantes, rationabiliter, sine dolo.* Apparet clarè quòd ista authoritas Scripturæ est contra illam secundam partem illius Assertionis, in omnibus punctis suis.

Item, infra, eodem Capitulo. ℣. 13. scriptum est: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ, propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum.* Item, infra, eodem Capitulo VIII. 18. *Servi, subditi estote Dominis in omni timore, non tantùm bonis, sed etiam discolis.*

Ex istis apparet quòd vassallus, aut subditus, debet obedire suo Superiori, quamvis esset malus & discolus.

Etiam in illa secunda parte, in qua loquitur de adulatione, videtur esse contra omnes Doctores sanctos, & alios. Expressè Sanctus Thomas in secunda secundæ, ostendit adulationem esse peccatum, & frequenter mortale: & ut dicit, semper mortale,
D cùm quis adulatur alteri, ad hoc quod fraudulenter ei noceat, vel corporaliter, vel spiritualiter. Illud Sanctus Thomas deducit ibidem authoritatibus sacræ Scripturæ. Potest videri passus.

Secunda Assertio. *Michael, sans Mandement* &c. Dicitur quòd Lucifer occidit semetipsum, quoniam dixit: *Ascendam* &c. & sanctus Michael qui videbat clarè in essentia divina, Dei voluntate, expulit eum à Paradiso, tanquam executor divinæ Justitiæ, virtute commissionis, seu potestatis sibi datæ à Deo.

* *Ferè* nisi.

Sic

Sic apparet quòd illa Propositio est falsa & erronea in Fide, contra primum punctum tertiæ Assertionis, quòd *Phinées occidit Zambri*, *sine quocumque Dei*, *vel hominis Mandato*, *vel Præcepto*. Videtur etiam esse contra expressum scripturæ textum. Phinées videtur per textum, habuisse potestatem à Moyse ipsum occidendi, cùm dixerit Moyses: *Unusquisque proximos suos qui initiati sunt*, &c.

Secundò, contra secundum punctum istius Assertionis videtur esse de Lyra: videtur enim ibidem innuere quòd ipse Zambri fuerit Idolatra, & elici potest ex verbis suis ibidem contentis; cùm redargutus de suo peccato, ut dicunt expositores, & ipsemet De Lyra, contempsit suos Superiores monentes & redarguentes, & pertinaciter suum defectum & errorem prosequutus est, quod non sine errore in Fide factum esse videtur; quia publicè dicit Moysi coram Judicibus, quòd licitè poterat ingredi ad mulierem alienigenam, & eam ducere in uxorem; & ab eis recessit, publicè intrando locum in quo erat dicta mulier, pertinaciter & inverecundè: etiam hæc crudelitas * expressa erat contra Præceptum Legis, &c. Et hoc dicit Josephus, scilicet quòd *Confessus est alienigenam duxisse*, *& idola coluisse*, *& Legibus Moysi non esse obnoxium*: ut habetur in reprobatione illarum Assertionum.

Contra quartam Assertionem: *Qui Ægiptium*, &c. est contra sacram Scripturam, *Actuum septimo*, ut continentur in cedula:

Moyses habuit per divinam revelationem quòd constitutus erat tutor & defensor populi Israëlitici, *& judex*, *etiam credebat suos fratres hoc intelligere*. Et hoc expressè dicit De Lyra, in dicto loco, *Actuum septimo*: & expressiùs in Exodo, capitulo secundo, ut dicit de Lyra, quòd *Per electionem divinam constitutus erat Judex*, *atque tutor & defensor*, &c. *puniendo Ægiptium*, *non peccavit*, *quia authoritatem à Deo habuit*.

Contra primum punctum quintæ Assertionis, quòd *Judith non peccavit adulando*, &c. contra arguit sic: Omnis adulatio, de ratione sua videtur defensionem & deordinationem importare; & per consequens malum & peccatum videtur, ut apparet ex dictis priùs.

Contra secundum punctum; de mendacio, Doctores, & alii sunt ad oppositionem: nam in nullo casu licitum est mentiri, quia de omni verbo otioso oportet rationem reddere. *Matth.* XII. 36.

Contra sextam Assertionem, de Joab qui occidit Abner post mortem Absalon, historia secundi Regum, tertio capitulo, cum Glossis & Doctoribus: nam ex decimo octavo capitulo secundi Regum, ubi agitur de ipsius Absalon morte, clarè patet quòd ante ipsius mortem Joab occidit Abner.

Contra septimam Assertionem, quo ad duo sua puncta, falsa & erronea, & contra Doctores sanctos, & alios quoscumque tractantes materiam perjurii. Non enim est, aut esse potest licitum, per quemcumque modum perjurare, sed omne perjurium est peccatum, & malum in se, & secundùm se, ita quod nullo modo potest fieri licitè. Clarè deducit hoc Bonaventura, in tertio *Sententiarum*, *distinct. trigesima nona*. Ad idem est sanctus Thomas, *in secunda secundæ* & ad longum deducit. Ad idem Magister Sententiarum, in eodem loco, &c. Ad idem est Hugo de sancto Victore, Libro quarto, *Sententiarum*, capitulo undecimo. Ad idem Augustinus, Libro primo, *De Sermone Domini in monte*: & in Libro, *super Epistolas ad Galatas*, Quæstione vigesima prima.

Verùm, secundùm intentionem omnium præfatorum Doctorum, omne perjurium est simpliciter illicitum, cum dicat simul quoddam inordinatum & indebitum: dicit enim Bonaventura, in loco præallegato, quòd perjurium, est juramentum inordinatum, sive indebitum, sive verum sit quod juratur, vel falsum. Si quis enim jurat verum putans illud quod jurat cum verum ** sit quia mendaciter jurat; & si jurat falsum, sciens illud esse falsum, vel vehementer existimans, vel opinans, se perjurat; & si jurat falsum, putans esse verum falsum quod jurat, se etiam perjurat; non quòd juret mendacium etiam mendaciter; sed quia temerè jurat: non sufficienter enim apprehendit quod jurat. Nam si falsum sit quod jurat, non tamen jurat mendacium, cùm non sit cum intentione fallendi: nam quod jurat credit esse verum.

A Multa alia possent dici circa istam materiam, quæ pro nunc dimitto. Sic signatum.

Ego Germanus de Rongiaco, *Magister in Theologia*, *assero hunc caternum esse veram copiam meæ deliberationis factæ in scriptis aliàs in præsentia Concilii Fidei*, *super Articulis contentis in hoc caterno*. *In cujus rei testimonium*, *signetum meum manuale huic præsenti scripto subscripsi*.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Rodder, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd in ista materia tam alta, mallet tacere, quàm loqui, & protestatur, ut supra; & protestatur etiam quòd in ista materia non intendit loqui contra aliquem vivum & mortuum; imò sine læsione famæ alicujus: & in ista materia supponendum est quòd quilibet debet loqui, ut tenetur, secundùm conscientiam suam, B in qua quilibet debet, teneturque respondere; & protestatur quòd in ista materia non intendit loqui de Propositionibus Magistri Joannis Parvi, quia illas non vidit; sed solùm vult loqui de Propositionibus sibi missis per cedulam, in qua apparet sibi quòd nullus debet dissimulare quin loquatur, & dicat illud quod sibi videtur quòd est manifestè falsa, &c. & dabit in scriptis. Qui exhibuit deliberationem suam quæ fuit lecta per Vicarium Inquisitoris, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Protestationibus per Dominos, ac Magistros qui ante deliberaverunt præmissis, & aliis protestationibus, in alma Facultate Theologiæ fieri consuetis, C pluries per me factis præsuppositis; etiam quòd in ista materia non intendo loqui favore, vel odio cujuscumque ductus, nec in præjudicium, aut famæ læsionem cujuscumque personæ, vivæ vel defunctæ; sed duntaxat ad dandum salubre consilium & perhibendum fidele testimonium veritati in materia Fidei, per vos Reverendos Patres & Dominos Judices in hac parte, mandatus & requisitus, sub pœnis Juris, &c.

Ut paream, tanquam filius obedientiæ, Mandatis vestris, quibus, ut mihi videtur, teste conscientia, teneor obedire, delibero per modum qui sequitur.

Et primò mihi videtur quòd, attentis expositionibus & rationibus Doctorum sanctorum, & aliorum de hac materia loquentium, juxta illud quod percipere potuit exiguitas intelligentiæ meæ, & secundùm communem doctrinam, & acceptationem terminorum in Schola Theologiæ Parisiis, &c.

Assertiones in cedula per vos mihi transmissa, in D sensu quem faciunt, sunt falsæ, & sufficienter & rationabiliter reprobatæ, prout in dicta cedula continetur, conformiter ad deliberationem, & advocationem Matris meæ Universitatis, & præsertim almæ Facultatis Theologiæ Matris meæ.

Secundò, mihi videtur quòd si aliquis Assertiones hujusmodi, sicut jacent, pertinaciter assereret, aut defenderet; talis esset habendus de Fide vehementer suspectus.

* *Fortè credulitas expressè.*

** Locus corruptus.

Tertiò, mihi videtur quòd cùm ex hujusmodi Assertionibus ortum sit notoriè scandalum, prout hoc fateretur Concilium Fidei, secundùm quod in prædicta cedula expressè mandatis, prædictæ Assertiones in forma sunt rationabiliter condemnandæ: sed quantùm est de expedienti, scilicet de modo condemnationis earum, & de tempore, expedientiori consilio derelinquo.

Ista sunt, Reverendi Patres, ac Domini præstantissimi, quæ mihi pro nunc esse dicenda videntur; cum omni reverentia & honore, & sub omnimoda correctione meliùs dicentium.

Sic signatum, MATHÆUS RODDER, *Sacræ Theologiæ Professor indignus.*

Tradita die Jovis vigesima prima Decembris. Anno prædicto, per Magistrum Rodder.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Cautela, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut supra; respondet breviter ad cedulam sibi missam. Credit quòd Assertiones reprobatæ in cedula, sunt sufficienter reprobatæ, & maximè prima: & miratur quòd aliqui faciunt difficultatem ad respondendum ad primam Assertionem, quia contrarium est ita notorium, sicut aliqua res posset: ita quòd si ostenderetur alicui pagano, diceret ipsam esse erroneam, falsam, & destructivam totius Communitatis, & politiæ. Hoc valet quod tactum est de tyranno, qui non habet vassallos, quia si aliquis Princeps verteretur in tyrannidem, adhuc habet vassallos.

Quantùm ad secundum, an sint condemnandæ, dicit quòd ex quo ex eis, vel consiliis in secunda, ortum est scandalum in Diœcesi Parisiensi, sunt condemnandæ, ne deterius inde contingat, ex quo Deus misit nobis tempus liberè loquendi, & vobis judicandi, absque mora sunt condemnandæ: attentò quòd fuerunt publicè per Universitatem reprobatæ, & advocatus fuit proponens, & nunc positæ sunt sub Judicio. Et hoc est notorium: & ideò dilatio condemnationis earum esset dare simplicibus spem quòd istæ Assertiones essent veræ, ex quibus posteà infinita mala sequerentur, & in Fide & in moribus.

Dicit ulteriùs quòd retardatio condemnationis earum, visa dispositione temporum, videretur potiùs generare scandala & errores, quàm condemnatio ipsarum, & præsupponit quòd ista condemnatio non fit ad requestam alicujus partis injuriatæ; sed solùm ad honorem Fidei, ad quem omnes tenemur. Et si aliquod malum exinde sequeretur, quod Deus avertat, habebimus scutum Fidei pro nobis.

Dicit ultimò quòd in ista condemnatione istarum Assertionum codices sunt examinandi; & si Assertiones reperiantur in ipsis, ipsi codices sunt condemnandi, qui multi sunt: & miratur multùm de illis qui volunt quòd condemnatio mittatur ad Dominum nostrum Papam, cum jam sint per Universitatem reprobatæ, nec est illius opinionis. Et ista est deliberatio sua.

Dominus Elemosynarius Fistaner, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & dicit quòd dabit consilium quod sibi videbitur; & volens præsertim tendere: & est una quæstio. An Episcopus Parisiensis posset corrigere aliquam condemnationem per ipsum factam, de aliquibus Propositionibus: & dicit quòd visa contrarietate Magistrorum, Dominus Episcopus est excusatus à condemnatione istarum Propositionum seu Assertionum, & considerat multùm statum istius Regni, & quoniam aliqui loquuntur, ista condemnatio non tangit istum, nec illum: dubitat ne ex condemnatione istarum Propositionum sequerentur multa mala. Et dicit quòd condemnatio ipsarum offenderet militem multum potentem. Et dicit quòd erat in villa Januæ, quoniam * Propositio fuit facta, & fuit loquutus cum Magistro Joanne Parvi, & dixit sibi quòd mirabatur qualiter cæperat illam materiam, qui dixit quòd rogatus fuit ad scribendum, per Dominum Ducem Burgundiæ, qui juravit, ut dicitur, ipsum tueri: & dixit loquenti idem *Parvi* quòd ostenderat pluribus notabilibus, & quòd Dominus Burgundiæ sibi juraverat ipsum servare, seu deffendere, usque ad mortem, si fortè esset vocandus.

* *Fortè* quando.

A Posteà verò Magister Joannes de Monteleonis Elemosynarius Domini Ducis Burgundiæ, respondens ad ultimum dictum elemosynarii Fistarnensis, quòd Dominus Burgundiæ juraverat sustinere ipsum, usque ad mortem; etiam dixit quòd non, sed advocavit ipsum, sibi promisit ipsum custodire & defendere à violentiis, & de bonis temporalibus: sed quòd promiserit tenere aliquam Propositionem erroneam, aut malè sonantem in Fide, non, quia est, & erit bonus Catholicus, per Dei gratiam.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Henricus de Bragella, regratiatur & protestatur, ut ceteri; & dicit quòd omnibus attentis, expediens esset quòd materia videretur per Facultatem Theologiæ, & Decretorum, & quòd discuteretur materia inter eos, & haberent referre. Et dicit quòd apparet sibi quòd de præsenti esset tacendum de ista materia, quia multùm ardua. Et ista est deliberatio sua, cum protestationibus consuetis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas de Ponte, Præpositus Sancti Germani de Pratis, regratiatur & protestatur, ut ceteri, & dicit B quòd non apparet sibi assertor; & ideò in ista materia est maturè procedendum: & quòd si publicati sunt aliqui errores; hoc non est ex Propositione Magistri Joannis Parvi, sed aliundè, ex alia forsitan fabricata. Et credit quòd quoniam Instrumentum fuit advocatum, seu Propositiò facta, &c. non erat tertia pars Magistrorum Facultatis Theologiæ. Et apparet sibi quòd Domini Juristæ sunt vocandi in ista materia, ut habeant deliberare inter se, & referre. Et supplicat sicut Cantor Carnotensis, Magister Dominicus Parvi, sibi dari tempus ad studendum Doctoribus. Et dicit quòd istæ Assertiones, de præsenti, non sunt condemnandæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Blancboulli, regratiatur & protestatur, ut ceteri; & dicit quòd apparet sibi quòd est defectus in processu, quia nescit an fuerunt quaterni Magistri C Joannis Parvi, vel ne; & si, an Propositiones sint contentæ in suis quaternis. Et videtur quòd non in forma: & dicit quòd nunquam Facultas Theologiæ fuit congregata super istis Propositionibus, & ista materia; nec unquam vidit Propositionem Parvi. Et dicit quòd quaternus primò debuisset examinari & disputari, & posteà ponere materiam in deliberationem Universitatis: & ideò vult quòd dentur Deputati ad visitandum quaternum dicti Magistri Parvi, quia materia tangit Regem & Regnum, & est multùm arduum negotium. Et quia cedulæ non habent Assertorem, ideò apparet quòd materia esset mittenda ad Concilium Generale, & negotium esset honorabilius, & videt Magistros varios: ideò condemnare istas Assertiones, esset periculum. Et ideò D de præsenti, dimittatur ista materia, ex quo non sunt hujusmodi Assertiones dogmatisatæ. Et dicit quòd audivit dici quòd contra Propositionem Magistri Joannis Parvi, fuit facta una Propositio: & per notabiles Clericos etiam de Anglia, fuit facta una reprobatio & replicatio, quæ est magna, quæ est penes quemdam Clericum suum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas de Cracovia, regratiatur & protestatur, ut ceteri, & dedit deliberationem suam in scriptis, quæ fuit lecta & publicata, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Re-

„ Reverendissime in Christo Pater, placuit Paternitati vestræ, mihi humili vestro, cum aliis „ Magistris meis cedulam transmittere, in qua de „ Fide agitur: quare, præmissis protestationibus „ quibus adhæreo quòd non intendo in denigrationem famæ alicujus personæ aliquid dicere.

„ Quibus præmissis, ego devotus Paternitatis vestræ Orator, tarda confectus ætate, quasi spicas „ post terga metentium recolligens dico, prout mihi „ apparet, quòd Propsitiones in cedula contentæ, „ sunt erroneæ, infidelitatem sapientes, ac piarum „ aurium offensivæ, secundùm quod ipsas improbant „ lucenter testimonia sacræ Scripturæ, nec non Magistrorum meorum præcedentium argutæ rationes. Sed quia, metuendissime Pater, prout fama „ Magistrorum vagatur, Propositiones in cedula „ contentæ, in forma, non emanarunt, ex mente „ Magistri Joannis Parvi; si placet, mandetis ut ejus „ codices à Magistris meis visitentur, vel per maturum ipsorum consilium materia sit benè digesta, & „ ut in strepitu Judicii Sententia magis authenticè „ terminetur: vel, si differre placet, ad præsens pro „ pacis tranquillitate; quoniam bonum virtutis opus „ pax summa laborum, pax belli exacti pretium sidera pace vigent, consistit terra pace, nihil placidum „ sine pace, Deo vero *& in terra* sit *pax hominibus bonæ voluntatis*. Vel si liberet, prout viris placet „ doctissimis quòd hujus negotii gravitas ad Sedis „ Apostolicæ celsitudinem transferatur, Præsulatus „ vestri pastoralem dignitatem, cum grege vobis „ commisso, Pastor ille æternus dignetur perducere „ perpetuum ad ovile.„ *Tradita Jovis die vigesima prima Decembris, per dictum Magistrum Thomam.*

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Cholet, Carmelita, considerat duo in ista materia.

Primum est, considerat Propositiones in se, secundùm quod missæ sunt, non habendo respectum Petri, vel Joannis: & quæritur an sint falsæ, vel reprehensibiles.

Secundum est, ut habent respectum ad illum à quo processerunt; & an processerunt formaliter, ut transmissa sunt, & quia non continetur in Littera ut dentur opiniones, nisi simpliciter in forma quâ missæ sunt. Et quoniam interrogabitur alio modo, ita forsitan aliter respondebit, & protestatur, ut ceteri, sicut aliàs protestatus fuit in ista materia. Et ideò quia hujusmodi Propositiones, seu Assertiones in forma in qua sunt, malè sonant, & aliquæ sunt hæreticæ, pessimæ & etiam aliquæ contra textum Bibliæ, & ideò sunt reprobatæ per Dominum Cancellarium, & per Dominum Nannetensem; reputat ipsas falsas, maximè primam, quæ est hæretica, falsa & erronea, & contra utile bonum totius Communitatis. Aliquæ aliarum Assertionum videntur malæ, contra textum Bibliæ, & contra Glossas, ut puta de Moyse, Zambri, Phinées, & de Judith, quæ est falsa. Ultra dicit quòd non fuit laudata ex adulatione, seu mendacio, quia mentita est, sed aliâ de causâ, sicut de villico iniquitatis: non, inquit, Dominus laudavit iniquitatem, sed inquam, *Laudavit Dominus villicum iniquitatis*, Luc. XVI. 8. quia in bonum opus operatus est. Et ita deliberat absque temeraria Assertione, quòd illa & ultima malè sonant contra Fidem, & ut prædixit, se refert ad ea quæ scripta sunt per Dominum Cancellarium, & Dominum Nannetensem.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Gueris, Prior de Calvo monte, dedit suam cedulam, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Præmissis protestationibus in alma Facultate Theologiæ fieri consuetis, primò & ante omnia, quibus adhæreo, & adhærere intendo, quamdiù vixero.

Protestor secundò quòd ea quæ in sequentibus dicturus sum, dicam cum omni correctione & sine favore, & etiam odio cujuscumque personæ vivæ, sive mortuæ: sed dumtaxat in favorem Fidei Christianæ, ac etiam politiæ, seu etiam Reipublicæ, super requestis & positis in deliberationem, per Reverendum in Christo Patrem Dominum Episcopum Parisiensem, & Dominum Inquisitorem, ac etiam Concilium Fidei. Die septima Decembris. Anno A Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio.

Ego frater Joannes Gueris, sacræ Theologiæ Professor, Prior de Calvo monte, delibero in hunc modum, & dico quæ sequuntur.

Primò, quòd omnes & singulæ Assertiones in cedula per dictos Patres & Dominos mihi transmissa contentæ, falsæ sunt, & erroneæ in Fide, condemnandæ sunt: potissimè tamen, quia ex publicatione notoria primæ, secundæ & septimæ, de quibus nulli vero Catholico, & maximè scientifico viro vertitur in dubium, quin falsæ & turbativæ publicæ pacis, seu tranquillitatis; necnon inductivæ innumerabilium guerrarum, scandalorum & inconvenientium: quia nunquam * ex hujus notoria publicatione, jam de facto in hoc Regno notoriè prædicta scandala exorta sunt, & verisimiliter plura orientur in posterum, nisi celeriter provideatur. Idcircò sub pœna fautoriæ hæresis, & hæreticæ pravitatis, ac B etiam fautorii fomenti hujusmodi scandalorum & seditionis in Regno, ad earum reparationem & condemnationem, ex nunc, absque ampliori dilatione, seu dissimulatione, procedere debent & tenentur hi quibus ex officio incumbit, videlicet præfati Domini Episcopus Parisiensis, & Inquisitor, *Error* enim *qui non corrigitur & cui non resistitur*, &c. ut Gregorius in Registro fatetur, & potissimè tantus & tam scandalosus, ab his præcipuè qui possunt & tenentur, & maximè cum instat necessitas, & nihilominùs opportunitas, approbare videtur.

Dico ulteriùs, & tertiò quòd in casu quo ipsi in hujusmodi reprobatione & condemnatione tepidi forent & remissi, quod absit, ne ampliùs dicta labes hæresis, sive hæreticæ pravitatis invalescat, & hoc Regnum inficiat, in præjudicium salutis animarum, ac totius Reipublicæ, tunc confestim omni dilatione postposita, Mater mea Facultas Theologiæ, imò etiam omnis Regnicola & fidelis Christianus, arduè deberet & teneretur Dominum Archiepiscopum Senonensem † pro hujusmodi reparatione & condemnatione facienda, & sub dictis pœnis ipsum exhortando, & instanter, instantius, & instantissimè requirendo, quatenùs præfatorum Dominorum Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris defectum illicò suppleret: quòd etiamsi in hoc tepidus esset, aut remissus, tunc ad Primatem, si quem recognoscit, recurrendum esset. Si verò ipse Primas, velut prænominati, esset remissus, aut tepidus, quod Deus avertat, finaliter ad Summum Pontificem Dominum nostrum Papam, vel ad Concilium Generale, breviorem viam semper tenendo, absque dilatione aliqua, hæc causa differenda esset. Ne enim tanta rabies ampliùs sæviat, & tandem per totum Orbem insaniat, ab hujusmodi prosecutione nullatenùs est cessandum, donec prædictæ Assertiones extirpatæ fuerint penitùs de medio, & per condemnationem juridicam D eradicatæ, ne novissimus error fiat pejor priore: exemplo Arii, qui in Alexandria unica scintilla fuit; sed cum non statim oppressa fuit, totum Orbem ejus flamma depopulata est.

Dico quartò quòd omnis fidelis Catholicus, & potissimè sacræ Theologiæ Professor, cui prædicta publicatio notoria prædictarum trium Assertionum sufficienter innotuit, ad earum reparationem & condemnationem operam suam dare tenetur. Et si in hoc negotio remissus reperiatur, in favorem cujuscum-

* Fortè inquam † Nomen corruptum.

cumque personæ, sive timore pœnæ; cùm, pro nunc, in constantem virum cadere non possit, aut aliàs maleficiosus impediverit, seu dissimulaverit; cùm hujusmodi dissimulatio & impedimentum vergat in præjudicium salutis animarum, & totius Reipublicæ, ut tactum est: tunc talis censendus est suspectus de fautoria hæresis, seu hæreticæ pravitatis, & de fautoria scandalorum & seditionis: salus enim æterna præferenda est bono temporali, & bonum multorum bono unius; ut Jura canunt satis &c.

A Consequenter dico ulteriùs, & quintò, in ordine, quòd hujusmodi impedimentum, dissimulatio, & retardatio processus ante dicti, videlicet ad condemnationem prædictarum trium Assertionum, & reparationem oppositarum veritatum, est de directo fomentum innumerabilium guerrarum in hoc Regno. Nam per hoc cuilibet datur audacia mentiendi, fallendi, decipiendi, & sine alia differentia quemlibet occidendi, & finaliter quodlibet tale facinus audendi. Acceleratio autem condemnationis earumdem, per oppositum, directa via est manutentiæ bonæ pacis, ac securæ tranquillitatis in Regno: nam per hoc, hominibus malæ voluntatis, siqui tales sint, tolletur, vel ad minus refrænabitur audacia, ad guerras, occasione hujusmodi Assertionum olim inceptas, & proh dolor! diuturno tempore continuatas, iterum reincipiendas: & hoc tantùm in favorem Fidei, ne videlicet erroribus B condemnatis favere videantur.

Ex quibus sequitur sexta Propositio, quòd impossibile est in Regno haberi bona pax, nec vera ac secura tranquillitas, donec hujusmodi condemnatio per condemnationem publicam dictarum trium Assertionum, videlicet & quintæ & ultimæ, scilicet septimæ, facta fuerit.

Et respondendo ad quæsitum, quòd omnes & singulæ Assertiones, & potissimè prædictæ tres, ex quibus principaliter ortum est notoriè scandalum, erroneæ sunt in Fide & moribus, ac etiam scandalosæ: & idcirco ex nunc, ad ipsam condemnationem publicam, omnium morâ postpositâ procedendum est. Ex quo enim peccatum publicationis hujusmodi Assertionum publicum fuerit, ex hujusmodi publicatione, & exortum scandalum publicum & notorium; reparatio etiam publica fieri debet, ad minus per condemnationem, videlicet publicam. C

In quorum omnium dictorum testimonium, præsenti cedulæ manu propria scriptæ, meum proprium Signetum manuale apposui. Die decima nona dicti Mensis Decembris. Anno quo supra. *Sic signatum.* Joannes Gueris. *Tradita Veneris, vigesima secunda die Mensis Decembris.*

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Cane, tradidit deliberationem in scriptis, in hac forma.

„ Reverendissime Pater & Domine mi mutuen„ dissime, & vos Domine Inquisitor, Domine & „ Pater mi Reverende, sub correctione vestra, & pro„ testationibus in materia Fidei fieri consuetis per „ Dominos & Magistros meos præcedentes sæpè „ tactis, ad cedulam heri, scilicet vigesima hujus D „ Mensis, mihi missam, cum omni humilitate res„ pondeo.

„ Primò, dico quòd non credo quòd primam Pro„ positionem ibi contentam aliquis unquam senserit, „ dogmatisaverit, vel asseruerit: & ideò de illa, & „ de omnibus aliis in dicta cedula contentis dico sicut „ Dominus, & Magister meus, Reverendus Domi„ nus Abbas Lexoviensis, scilicet Magister Ursinus „ Taillenande. In cujus rei testimonium, præsentem „ cedulam proprio signo manuali signatam, & ipsam „ sub Sigillo meo clausi. *Sic signatum. Tradita die* „ *vigesima secunda Mensis Decembris. Anno supra* „ *dicto.*

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Mercerii, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut supra; & apparet sibi de præsenti, quòd Judicium debitè constitutum in tribus consistit.

Requiritur Judex, actor & reus. Hìc non videtur reus vocatus aliquis, & ideò debemus vocare super certo, quia qui vellet condemnare omnes Propositiones falsas, non esset condemnandi finis. Et ideò apparet sibi quòd reus est vocandus in se, vel in dictis suis: & ideò sibi videtur quòd in tanta causa, dandi essent Deputati, qui haberent visitare vitam suam. Et apparet sibi quòd tempore quo vivebat, ipsa fuissent tractanda, & fuisset zelus, & major Fidei favor; & tunc materia fuisset meliùs ventilata, & veritas scita, quia potuisset se exponere, & declarare, & ostendre intentionem suam. Et ideo Propositiones sunt generaliter positæ.

Et utinam fuisset interrogatus super prima Propositione, quia quoniam Cain interfecit fratrem suum, Dominus inhibuit videntes, ne ipsum interficerent, & hac de causa habuit salvum conductum.

Et quoniam loquitur de tyranno, an loquatur de intolerabili, vel alio.

De Michaële, quâ authoritate interfecit Luciferum.

De Phinées & aliis; utinam fuisset interrogatus de Mandato & beneplacito Dei, quia Propositio retro trahitur & Mandato comparatur.

Etiam de Judith: utrùm mentita fuit, quæ fuit mulier Sancta: non enim imponeret mendacium, nisi videret ubi de hoc. Nam Bernardus videtur dicere, quòd ipsa ex Spiritu sancto locuta est. Et de alia quæ loquitur de Absalon modicum est, & tales Propositiones modicum faciunt ad processum. Et de juramento, meliùs esset facere &c. quia etiam debuisset interrogari, quia ille non videtur degenerare qui * juramentum convertat in melius. Et ideò apparet sibi quòd ad minus scripta sua essent legenda, loco ipsius qui vocatus est ad majus Tribunal; & ideò plures termini essent dandi in ista materia, sicut in aliis causis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jordanus Morin, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut supra, & adhæret protestationibus factis. Quantùm ad cedulam præsentem; videtur quòd Propositiones illæ veniunt condemnandæ, cum modificationibus contentis. Tamen disposuit, per præsentem, aliter dicere. Apparet enim sibi quòd una deliberatio est, quòd in ista materia sistendum esset in scholis: alia est extrinseca, dando dilationes in materia.

Et dicunt primò quòd in isto processu non observatur modus consuetus Facultati Theologiæ &c.

Secundò, Propositiones illæ non sunt dogmatisatæ, & sic non veniunt condemnandæ.

Tertiò, non apparet quis eas dixerit.

Item, nulli testes adhuc producuntur, nec aliquis codex ostenditur.

Ex quo concluditur quòd iste processus nullus est.

Item, iste modus procedendi videtur turbativus pacis & seditionis, imò impeditivus pacis.

Item, in cedula dicitur quòd istæ Propositiones sunt reprobatæ: iste modus, dicunt, videtur arctare homines ad ita deliberandum, & sic iste modus non est bonus.

Item, materia tangit personas altas, & hìc videtur sistendum, vel saltem esset ad Curiam Romanam mittendum.

Item, Juristæ non sunt vocati, qui tamen deberent

† Fortè Quin. * Fortè, utrum.

rent vocari, tantum, laus Deo, non videt aliquem quin dissentiat istis Assertionibus, licèt diversimodè deberent, & ideò dicit aliqua.

Quantum ad primum, quoniam dicebatur, non observatur modus consuetus &c. est considerandum quòd circa materiam istam est duplex Forum: primum scolasticum & doctrinale; & aliud judiciale.

In primo igitur de sermone vero, & quoniam materia occurrit, dentur Magistri qui visitent materiam & discernant verum à falso.

Secundum Forum est judiciale, quod pertinet ad Prælatos; & sic respondetur quòd Propositiones de quibus sermo, non sunt de Foro primo, & ideò non oportuit tenere modum qui observatur in illo Foro, sed Dominus Prælatus tenuit bonum modum, & ordinatissimè processit. Nam primò, vocavit paucos, posteà plures, & demùm totam Facultatem; & sic quilibet debet deliberare & dicere opinionem suam, quoniam dicitur: Assertiones hujusmodi non sunt dogmatisatæ &c. & ideò aliqui cessarunt à deliberatione.

Dicit primò, quòd videat imminere periculum, & de proximo sibi licet obviare illi errori, dato quòd non fuit publicatus & dogmatisatus, & hoc debuit & debet facere.

Item, dicit quòd si illa Propositio prima non fuerit universaliter dogmatisata; tamen fuit ostensa, & dispositio est ut practicetur universaliter, & parcat sibi, si illa dicat in ista materia: quia ista materia est divulgata apud multos, & quia iste error pervenit usque ad litteratos, & in tantum pervenit, quòd multi alii errores insecuti sunt.

Nonne vidimus coram oculis nostris quòd facta fuit abandonnatio illorum de Sanguine Regis, ac omnium adhærentium: & istud fuit per falsas suggestiones & malas informationes. Et sic, licèt ista prima Assertio non fuerit posita universaliter; esset tamen reparanda, propter sequelam: & sic iste error non solùm movet ipsum, sed alii errores subjecti.

Item, cùm dicitur, posita est universaliter, & ita non est contenta in Propositione, vel non est dogmatisata; dicit quòd, hoc non obstante, tamen ex quo secutum est scandalum, ex hoc de illa Propositione aliquid dicendum est in favorem Fidei, & commodum Reipublicæ: & ideò licèt aliquid proponatur terminis non apertis; ubi tamen tangit Fidem, nihilominùs nullus debet se ad hoc excusare à deliberatione, cùm constet ortum scandalum notoriè.

Et cùm loquitur de persona, dicit quòd non est necessarium ad confundendum errorem, quòd persona quæ protulit, vel dixit aliquam Assertionem erroneam vocetur, nec in primo, nec in secundo Foro: nam in Foro judiciali primo, inquiritur de errore; consequenter, si expediat, habet quærere de errante & hæretico, & ista possunt benè separari. Multùm enim refert prosequi hæresim & hæreticum: quia hæreticus aliquando est tolerandus; hæresis verò notoria, non est; & sic apparet quia non est necesse vocare personam, ex quo constat de errore.

Et quoniam dicebatur ulteriùs quòd modus procedendi est odiosus &c. materia Fidei est causa honesta, & justa, nec est præsumendum quòd aliquis vellet odiosè procedere, consideratis pœnis, & favore quo est tractanda Fides & materia Fidei. Verum cùm materia Fidei proponitur, debet haberi respectus ad materiam quæ pæponitur. Nam si in Judice fuerit aliquis zelus fortè non ordinatus, verumtamen magis respiciendum ad materiam Fidei, quàm ad personam illam: nam homo debet veritati testimonium perhibere.

Et cùm dicebatur: deberet codex, vel caternus examinari, antequam Propositiones istæ condemnarentur: jam responsum est, & examen est facile, nam quidquid ibi continetur, vel Catholicum vel erroneum, faciliter videbitur. Nam si assumantur aliqua vera & Catholica, ad probandum aliquam falsitatem, major est injuria Fidei. Et quoniam dicebatur: iste modus est perturbativus pacis, & status hujus Regni, sicut aliqui dixerunt; quantùm

A ad hoc nescit benè quid dicere, licèt multùm cogitaverit: & heri, postquam audivit loqui Elemosynarium Domini Ducis Buigundiæ, vires resumpsit, & quantùm ad hoc non dubitat &c.

Unde etsi in Propositione sumitur aliquid erroneum, ipse est excusatus, cum sit persona laïcalis, & ideò nullo modo venit culpandus, & quòd ibi esset aliquis error, ipsum nunquam advocasset. Et credit quòd nullus ex deliberatione ista in materia Fidei debeat turbari, vel moveri; quia hoc dicere, esset maxima injuria quæ posset imponi Regi & Regno, & istud nullum debet impedire à deliberatione.

Et quoniam dicitur: causa est mittenda ad curiam Romanam, dicit quòd ex quo aliquis error

B seminatur in ista Diœcesi Parisiensi, Prælatus debet providere & procedere.

Et ante dicitur: ista cedula videtur Magistros arctare ad deliberandum in ista materia, ad dicendum veritatem. Dicit quòd si præambulum non fuisset positum, istud non fuisset magnum malum. Verumtamen dicit, quòd duplex est Judicium. Unum est primarium: aliud secundarium, & discussivum.

Quantùm ad primum, apparet quòd fuit justum, quia multi deliberaverunt, ut apparet per Instrumentum, & per deliberationem Universitatis; & quoniam dicitur, debent vocari Jurisperiti, nullus contradicit.

Et quantùm ad ulteriorem examinationem ipsarum Assertionum, non instat.

Nunc venit ad deliberationem suam circa istam materiam Fidei, quæ est pietas, & cum maxima pietate tractanda, sicut in materia Conceptionis, licèt multi dixerunt esse conceptam in peccato: verum quia pietas est in contrarium, reverà contrarium est peccatum, ideò non est condecendendum

C peccato.

Et ideò, quantùm ad primam Propositionem, licèt impropriè posita esset; tamen aliquid dicendum est circa eandem, in favorem Fidei, & quia peccatum est: & dicit quòd venit condemnanda sub illis qualificationibus contentis in cedula.

Simili modo de aliis Propositionibus, de quibus non facit magnam difficultatem, nisi in quantum adducuntur ad probationem primæ, & debemus credere quòd sacra Scriptura in se continet veritatem, & in qualibet sui parte.

Et ideò stat in illa deliberatione. Et quantùm ad expediens, an ipsæ inde condemnantur, vel aliàs, se refert Judicibus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Dulcimenillo, Magister in Theologia, protestatur & regratiatur, ut ceteri, & quantùm ad cedulam sibi missam, dicit quòd tria in ea conti-

D nentur. Unum supponitur, an sit ortum scandalum; credit quod sic. An sint in forma in propositione, vel ne; se refert Judicibus, & dicit quòd ex prolatione ipsarum ortum est scandalum magis passivum, quàm artivum. Et an sint veræ, vel falsæ, stat in deliberatione cum præcedentibus. Et an sint condemnandæ judicialiter, dicit quòd meliori modo quo possit adhibeatur remedium circa hujusmodi materiam. Unus modus est, per judicialem condemnationem: & esset opinionis quòd isti codices visitarentur; & quod si essent aliquæ Propositionis erroneæ, ostenderentur Domino Duci Bur-

Burgundiæ, & sic obviabitur inconvenientibus tactis; sic & Dominus Burgundiæ sciet bonas graes. Et hoc fiat antequam condemnentur.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas Hobe, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut supra; & dicit quòd Cedula fuit sibi noviter præsentata, & per eam injungitur sibi ut dicat opinionem.

Ulteriùs dicit quòd non potest procedere, propter brevitatem temporis, & petit dilationem, ac etiam deliberationem Magistri Jourdani Morini, & petiit Instrumentum de hoc.

A Item, sequitur Cedula Reverendi Patris Domini Abbatis de Ursicampo, cujus forma sequitur in hunc modum.

„ Super Assertionibus contentis in Cedula ex parte Reverendi in Christo Patris, ac Domini Inquisitoris; mihi, Abbati de Ursicampo, sacræ Theologiæ Professori transmissa, videtur quòd Reverendus Magistet Petrus de Dierreyo convenienter deliberavit, atque consilium salubre dederit. Et idcircò ego Abbas prædictus, pro deliberatione mea circa prædictas Assertiones, sto pro nunc, in dictis præfati Magistri, contentis in Cedula, per ipsum prædictis Reverendis Patribus tradita, suam deliberationem atque consilium continente; cum protestatione tamen de addendo & diminuendo, si necesse fuerit, tempore & loco opportunis: protestando etiam quòd protestationibus in Schola Theologiæ fieri consuetis, & aliàs per me factis adhæreo, & aliis quibuscumque dictis, aut dicendis adhærere semper intendo.

B Scriptum, vigesima secunda Decembris. Anni millesimi quadringentesimi decimi tertii. Tradita die vigesima secunda Decembris. Anno prædicto. Curiæ. Signatum. ABBAS URSICAMPI.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Pulchri nepotis, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur ut supra; & primò stat in deliberatione majoris partis dicti Concilii, scilicet quòd visitanda est Propositio Magistri Joannis Parvi, sicut plures deliberaverunt, quia hoc est requisitum, & maximè quia ab illa habuerunt orginem ea quæ hîc sunt tractata; & quia multa tangit, putà homicidia, & occisiones Principum: & ideò curiosè est examinanda.

C Secundò, dicit quòd si viveret dictus Parvi, vocandus esset ad Judicium, quia tantùm obiit piè, & benignè est tractandus. Et quantùm est de advocatione quam fecit Dominus Burgundiæ, plures audiverat eundem defectum dicentes quòd Major sua erat, Minor Domini Ducis Burgundiæ.

Tertiò, sibi videtur quòd quamvis Dominus Parisiensis non habeat authoritatem statuendi Articulum, quo ad totam Christianitatem; in tota tamen sua Diœcesi hoc potest, rationibus & motivis tactis per Magistrum Jourdanum Morini.

Dicit ulteriùs, quòd quoniam dicitur: istæ Assertiones non sunt dogmatisatæ, ideò non sunt condemnandæ. Quantùm ad hoc, stat cum eodem Magistro Jourdano, quia Propositio ipsius Magistri Joannnis Parvi dogmatisata fuit, & sic specialiter istæ Propositiones, nec est materia nimis subtilis procedendi, imò grosso modo, & se refert ad Judices, sive sint dogmatisatæ, sive non: credit tamen quòd plusquam in mille locis istæ Propositiones sunt dogmatisatæ. Et audivit à pluribus Prælatis quòd audiverunt à pluribus subditis quòd facili moverentur contra Dominos, ex quo vident quòd Parisiis hoc fuit divulgatum & publicatum.

D Dicit ultra, & credit quòd illa Cedula data in scriptis, emanavit à Propositione dicti Magistri Joannis Parvi, quia, ut dicunt Morales, magis est periculum in Republica, quàm in persona Principis. Et ideò qui diceret quòd liceret occidere tyrannum vassallo, ita dicit quòd liceret occidere tyrannum Dominum propter Rempublicam, consecutivè.

Dicit ultra quòd plures antiqui non erant ita obligati ad salvandum animam, sicut sunt Doctores nostri. Et ideò licèt Princeps possit occidere hominem, potestate sibi data; verumtamen tenetur servare animam ipsius. Et ideò dicit, cum protestationibus, addens quòd prima Propositio & consequenter aliæ, ex quo applicantur ad malefactum, sunt falsæ & erroneæ, & reprobatæ sunt & condemnandæ; & tantùm sunt periculosæ, quantùm tangunt pacem & tranquillitatem Reipublicæ. Utrùm nunc, vel aliàs; se refert Dominis Judicibus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Nogento, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra, & adhæret protestationibus aliorum. Quo ad illas Propositiones; apparet sibi quòd materia est multùm aperta, & specialiter per Magistrum Ursinum.

Quantùm ad primam Assertionem, non facit difficultatem quin ipsa sit falsa, erronea & iniqua; sed difficultas est, quia non est illa quam dixit Magister Joannes Parvi: & ideò non habet Assertorem. Non apparet sibi quòd sit condemnanda; & dicit quòd Magister Joannes Parvi loquebatur in particulari, & non universaliter: & dicit quòd non est Propositio Magistri Joannis Parvi; sed Propositio sancti Thomæ: ut puta, quam posuit in tertia veritate.

In Propositione dicti Magistri Joannis Parvi, de Michaële, dicit quòd idem Joannes Parvi explicat rationem sui dicti.

Et de alia Propositione de Phinées: loquitur opinativè. Dicit de Lyra: *Accensus zelo Dei*, & dicit quòd *motus zelo Dei, non timuit occidere unum Principem* &c. Et dicit quòd Propositio est sibi duplex.

Quantùm ad aliam de Moyse, dicit quòd ista Propositio mala est.

De alia de Absalon, est contra textum Bibliæ: & mirabatur qualiter Parvi posuit illam Propositionem, quia Joab interfecit Absalon priùs.

Et de illa de Judith, & Jehu, non facit dubium: & dicit quòd est toleranda. Et sententialiter est opinionis, attento quòd nullus eas posuit, quòd non sunt condemnandæ: & ideò dicit quòd Propositio sua est visitanda, & si sit aliquid condemnandum, condemnetur. Et apparet sibi quòd processus est odiosus in se, & periculosus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Herneus de Villanova, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut supra; & exhibuit deliberationem suam in scriptis, & fuit lecta per Vicarium Inquisitoris, in plena Sessione, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Quia per vos Reverende in Christo Pater, & Domine mi metuende, & per vos Domine Inquisitor, ego vester humilis Herneus de Villanova, fui requisitus, ut deliberationem meam in scriptis, aut verbo tenùs darem, super aliquibus Assertionibus in quadam Cedula papyrea mihi transmissa: ideò, præmissis protestationibus in talibus fieri consuetis, & priùs per Dominos & Magistros factis, dico & delibero ea quæ sequuntur.

Et quia duo quæruntur. Primum est, de veritate, aut falsitate hujusmodi Assertionum. Secundum est, an debeant nunc rationabiliter reprobari.

Idcircò primò dico quòd prima Assertio contenta in Cedula sic generaliter capta, falsa est & hæretica, juxta reprobationes tactas in Cedula.

Hoc etiam clarè patet per authoritatem beati Augustini, ad istud propositum, sæpiùs adductam, quæ

quæ habetur in primo, *De Civitate Dei*, & allegatur in Decreto, 33. *Quæstione septima*, in fine. *Qui sine publica administratione maleficum interficit*, velut homicida judicabitur.

Et adducit Alexander de Halis unam rationem circa istam materiam, quæ talis est: *Omnis vita à Deo solo est, nec eam dare voluit per ministerium alicujus creaturæ: sicut ergo auferre rem alterius, sine ipsius voluntate, & authoritate, semper est illicitum; & sic multò fortiùs occidere, quod est auferre vitam sine voluntate & authoritate ejus cujus propriè est vita, & cujus solius est vivificare, semper illicitum.* Unde Deuteronomi. XXXII. 39. *Ego occidam & ego vivere faciam*, &c.

Ideò concludit iste Doctor: *Quicumque non accipit potestatem vel à divina authoritate, quæ est in Lege; vel à divina voluntate, scilicet Dei intelligentia, per internam inspirationem, si interficit, facit contra illud Præceptum*: *Non occides.*

Item dixit hujusmodi Doctor, quòd *Ad hoc quòd aliquis interficiat maleficum, secundùm Legem, tria requiruntur, scilicet justa causa, justus ordo, & justus animus: & si aliquod istorum deficiat, interficiens maleficum, incurrit crimen homicidii.*

Dico insuper quòd hæc Assertio est, vel esse potest occasio multorum homicidiorum, & maximè Principum & Nobilium, & multorum malorum, prout benè tangitur in reprobatione Cedulæ mihi transmissæ, ad quam me refero.

De secunda Assertione, scilicet de Michaële, dico quòd falsa est & erronea.

Tum primò, quia Michaël non erat superior in naturalibus, vel potentior Lucifero. Unde Job de potestate naturali ipsius Luciferi loquens, dicit quòd *Non est potestas super terram, quæ potest ei comparari.* Job. XLI. 24. Tum secundò, quia ex amore naturali non meruit divitias spirituales, seu dona poterat capere, & potuit cum de facto Deus sibi contulit.

De tertia Assertione, scilicet de Phinées, dico quòd falsa est & erronea, & expressè contra Textum, & Glossas, sicut reprobatio benè tangit.

De quarta Assertione, scilicet de Moyse, Alexander de Halis dicit & allegat ad hoc beatum Augustinum, quòd Moyses peccavit interficiendo Ægiptium, quia nondum habebat legitimam potestatem: & sic istud nihil faceret pro assertore.

Alii Doctores dicunt quòd non peccavit, unde Petrus de Palude, dicit quòd Moyses divina electione habebat authoritatem ad liberandum Hebræos, & vindicandum injurias eis factas, & hoc sciebat per revelationem divinam, & hoc etiam apparet per allegata in cedula super hoc, ad quæ me refero.

De quinta Assertione, scilicet de Judith, sicut aliàs allegatum est, Petrus de Palude dicit quòd Judith in occisione Olophernis fuit Instrumentum Dei, & sic posset dici quòd non est mentita, sed sunt dicta sua capienda ad sensum misticum. Sed sanctus Thomas, in secunda Quæstione, dicit quòd Judith non laudatur, ex hoc quòd posuit vitam suam in periculo, pro liberatione populi Israël.

De Jehu verò, dicit quòd non est necesse ipsum excusare à peccato, vel à mendacio, quia malus fuit, ut puta ab idolatria Jeroboam non recedens: commendatur tamen, & temporaliter remuneratur à Deo, non propter simulationem, sed pro zelo quo destruxit cultum Baal.

Et ideò quoad hoc refero me ad reprobationem in cedula positam.

Sexta Assertio de Joab, est falsa & contra Textum Bibliæ, sicut sæpiùs est allegatum.

Septima Assertio est falsa & erronea, & inductiva, ut plurimùm, ad violationem pacis & concordiæ Dominorum, prout tangit in reprobatione cedulæ.

Et circa reprobationem istius Assertionis, & aliarum præcedentium, refero me ad illa quæ multùm pulchrè dixit pridiè Dominus Episcopus Nannetensis.

Et ista mihi videntur dicta circa reprobationem dictarum Assertionum, salva semper vestra, & omnium assistentium, & meliùs dicentium correctione, & determinatione.

A De secundo quæsito; scilicet an hujusmodi Assertiones debeant pro nunc reprobari & condemnari: hoc dico, supponendo quòd hujusmodi Assertiones fuerunt dictæ & publicatæ formaliter & virtualiter in ista Diœcesi, ex quibus ortum est maximum scandalum, non solùm in isto Regno, sed in tota Christianitate. Et sic dico, quòd pro hujusmodi scandalo tollendo, & ad elucidationem veritatis, & Fidei stabilitatem, debetis celeriter procedere ad condemnationem hujusmodi Assertionum, quantùm gravitas materiæ patitur.

Item, quamvis hujusmodi Assertiones non fuissent per aliquem prolatæ; nihilominùs tamen, attento scandalo ex ipsis orto, condemnari debent & possunt. Hoc fuit factum per prædecessorem vestrum. Anno nonagesimo, in quo fuerunt condemnatæ viginti sex Propositiones circa artem Magicam, quæ nunquam fuerunt prolatæ per aliquem in ista Diœcesi.

B Item, si nunc supersedeatis de istarum Propositionum reprobatione, sequentur verisimiliter majora scandala in futurum, quàm illa quæ jam secuta sunt: quæ si nunc non reprobentur, dicent assertores earum eas fore per vos reprobatas*, & taliter fortè judicabuntur in cordibus hominum, quòd nunquam poterunt evelli, &c. Et sic incidemus in Syllam cupientes vitare Caribdim.

Item, salva reverentia dicentium, non est præsumendum quòd ex istarum condemnatione, rumpatur pax & concordia jam facta inter Dominos, imò ex hoc magis firma erit & magis stabilis, quia pax temporalis sine pace spirituali, benè conservari non potest; quæ quidem pax spiritualis consistit in debita obedientia creaturæ rationalis ad Deum, per veram Spem, Fidem & Charitatem: si ergo Fides detrimentum patiatur, tunc non habebimus perfectam pacem, bonam & firmam; quia non est pax cum impiis, dicit Dominus. Isaïæ. XLVIII. 22.

C Item, credo quòd si hujusmodi Assertiones fuissent à principio condemnatæ & reprobatæ, mala infinita & scandala quæ jam, proh dolor, vidimus in isto Regno, nunquam ortum habuissent, nec secuta fuissent. Et hæc sub correctione ante dicta, sunt dicta de secundo quæsito. Sic signatum *Herneus de Villanova*, indignus Sacræ Theologiæ Professor. Ita est: & tradita Curiæ per ipsum, die vigesima secunda Decembris. Anno supra dicto.

Venerabilis & circumspectis vir, Magister Henricus Pistoris, Magister in Theologia, exhibuit deliberationem suam in scriptis, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Quia ex parte Reverendi in Christo Patris, ac Domini mei metuendissimi, Domini Episcopi Parisiensis; Venerabilis magnæque scientiæ & maturitatis viri, Domini Inquisitoris hæreticæ pravitatis, &
D Concilii Fidei solemnissimè congregati, missa est mihi quædam cedula continens Assertiones aliquas cum suis reprobationibus; & requisitus sum, sub pœnis Juris, quatenùs dem deliberationem meam, si hujusmodi Assertiones sunt erroneæ, & taliter condemnandæ judicialiter, qualiter in dicta cedula continetur. Ideò volens obedire Mandatis, tanquam filius obedientiæ, do deliberationem meam in his scriptis: præmittendo protestationes quòd non

* *Fortè* approbatas.

non intendo asserere nisi ea quæ à fideli Christiano asserenda sunt; nec intendo præjudicare cuiquam in dicendo, sed opinionem meam modicam exponere, ne videar incurrere pœnas Juris, propter inobedientiam, quod absit.

Quibus præmissis; cùm primò quæritur, utrùm dictæ Assertiones sint erroneæ.

A Respondeo quòd mihi videtur quòd sunt erroneæ: & ad sic respondendum me movent aliqua, & primò reprobationes earum quæ videntur eas de directo reprobare, & videntur mihi veræ, bonæ & Catholicæ, rectæque rationi conformes, quia sumptæ sunt tàm ex textu sacræ Scripturæ, quàm ex Glossis & dictis Sanctorum, & Doctorum, prout legi eas in locis allegatis: quæ etiam, repetitis vicibus, allegatæ sunt, & delatæ in præsenti Concilio. Et ideò superfluum esset eas nunc repetere.

Secundò, nos movet authoritas almæ Matris nostræ Universitatis, quæ dictas Propositiones advocando in congregatione solemni, solemniter advocata & celebrata in sancto Bernardo, ubi consuetum est fieri congregationes solemniores, videtur reprobasse dictas Assertiones.

B Tertiò, movent me dicta & scripta Reverendorum Dominorum meorum, qui nisi sunt requestis sibi factis satisfacere, & ad quæstiones sibi propositas in præsenti Concilio directè respondere.

Quartò, movent me, quia audivi pluribus vocibus publicè ventilari præsentem materiam, & non recolo me audivisse aliquem qui diceret istas Assertiones esse veras.

Ex quibus sequitur responsio ad secundum, videlicet quòd videtur mihi quòd dictæ Assertiones sunt condemnandæ judicialiter, eo modo quo in cedula doctrinaliter condemnantur. Patet ex dictis.

Et quia non quæritur de alio in cedula mihi transmissa; ideò sufficiant prædicta, cum correctione Reverendissimi Patris, & Domini mei Episcopi Parisiensis, ac ceterorum Dominorum meorum præsentium & futurorum.

Tradita Curiæ, vigesima secunda Decembris, Anni supra dicti, sic signatum. FRATER HENRICUS PISTORIS, *Religiosus Monasterii sancti Victoris.*

C Venerabilis & circumspectus vir, Magister Franciscus de Eccleis, Regens Bernardistarum, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut ceteri; & dicit illas Propositiones esse falsas & erroneas, & tanquam tales condemnandas judicialiter.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Castillione, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, ut ceteri. Et dicit quòd non intendit, &c. Et credit quòd nedum in Diœcesi Parisiensi, imò per totum Regnum ortum est scandalum ex istis Assertionibus, vel similibus.

Dicit ultra quòd prima & secunda de Lucifero, quarta de Moyse, altera de Judith, & ultima videntur sibi clarè erroneæ, aliæ non ita clarè, licèt illa de Joab sit contra ordinem textus: & videtur quòd reprobatio sua est consona textui & opinioni Sanctorum.

D De Phinées, credit quòd est satis benè reprobata in cedula; an sint condemnandæ judicialiter, ipse consuleret, licèt veniant de se condemnandæ in se, ac propter scandalum: tamen ne veniant majora scandala, esset opinionis quòd visitaretur quaternus ille Parvi, an istæ Propositiones sint benè elicitæ ex ipso, & non solùm illæ, imò etiam aliæ, si sint. Et dicit quòd ex quaterno illo ubique publicato ortum est scandalum: & licèt aliqui dicant quòd non apparet assertor, hoc non debet retardare quin veniant condemnandæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Bouticelli, Magister in Theologia, regratiatur & protestatur, sicut ceteri, & dicit, respondendo ad cedulam sibi missam, quòd prima Assertio est notoriè falsa, & erronea, & directè contra Præceptum, *Non occides*, nec constat quòd dicitur de sancto Thoma, in Libro Sententiarum, ubi loquitur de illo tyranno, &c.

Quantùm est de alia, de Lucifero, clarum est quòd est falsa & erronea, & est triplex mors, spiritualis, corporalis, & æterna: & dicit quòd mutatio loci ad locum, non operatur mortem.

Quantùm ad illam de Phinées, dicit quòd est contra textum Bibliæ, & est falsa.

Quantùm ad illam de Moyse; si ut privatus occiderit, non est excusatus: si verò ex inspiratione divina, ut Protector plebis, non facit ad propositum.

Quantùm ad aliam de Jehu, & de Judith, & de juramento, sunt similiter falsæ: & dicit quòd juramentum pro majori bono est dimittendum: ignorat, dicit, unde habuerunt exordium; & dicit quòd si emanarunt ex aliquo Libello, quòd similiter Libellus esset condemnandus.

Dicit ultra, quòd si etiam non contineantur in Propositione Parvi, honor Magistri Joannis Parvi esset servandus: an sint nunc condemnandæ, vel ne, se refert ad Judices.

Die vigesima octava Decembris, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio *. Die vigesima octava Septembris, deliberaverunt coram prædictis Dominis Episcopo, & Inquisitore, Domini & Magistri sequentes, modo & forma qui sequitur.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas Hobe, Magister in Theologia, loquitur, & dicit, cum omni correctione & humilitate; super cedula missa protestatur ut ceteri, & adhæret protestationibus factis per illos Magistros, & loquitur prout crediderit opportunum, & sicut aliàs petiit Instrumentum, si super dictis suis fiat Instrumentum, petit quòd sibi legatur primitùs dictum suum, ad finem ut possit corrigere, vel addere. Ita adhuc petit. Nunc venit ad cedulam, in qua sunt duæ quæstiones, ut dicit. An Assertiones sunt erroneæ, & an sint condemnandæ; & visum fuit sibi respondere ad ultimam, propter duas rationes, dicit quòd pro nunc, est supercedendum ab actu judiciali, & videtur sibi quod visis præsuppositionibus Reverendorum Patrum, quòd istas probationes pro nunc non debent Judices acceptare, nec de hoc postulat ordo Juris de præsenti, & sub forma istarum reprobationum, & facit rationem talem. Quia sicut in Rescriptis Apostolicis, in Actu judiciali reprobationes debent esse elucidatæ & claræ; ita dicit quòd ista reprobatio indiget declaratione, & sic de præsenti non esset procedendum.

Et loquitur de Jehu & Judith: reprobationes istæ non sunt adeò claræ, quòd in actu judiciali possint procedere, quia illa reprobatio est negativa, & eget majori declaratione. Et si dicatur quòd includit affirmativam, illa debuit poni in deliberatione explicitè, & ita ponens primam Assertionem, potuisset se explicare, juxta dictum sancti Thomæ loquentis de ista materia; & haberet colorem dicendi quòd illa posuit ad sensum, &c. ubi dicit: *Tunc enim qui tyrannum occidit, laudatur & præmiatur.* Et illa dictio, *tunc*, refertur ad dictum Tullii, in Libro *De Officiis*, qui reprobat Julium Cæsarem, ubi increpat eum, sed non illos qui eum occiderunt. Et ideò pro nunc reprobatio non est recipienda: & dicit quòd ista dictio, *ut*, in Concilio Generali Arimensi, ubi Ecclesia Orientalis & Occidentalis erat congregata; quia illa dictio, *ut*, non fuerat sufficienter explicata, orta fuerunt maxima scandala, tàm in Oriente, quàm in Occidente, in quo Concilio professi fuerant Fidem Catholicam, ubi dictum fuit quòd *Quicumque diceret Filium Dei creaturam esse, ut sunt ceteræ creaturæ, sit anathema.* Ubi omnes clamaverunt: Anathe-

* *Nota errorem.*

Anathema. Et post discessum Concilii dixit quòd fuit professus quòd *Non erat creatura, ut aliæ creaturæ sunt* : & exinde orta fuerunt multa scandala.

Et sic istæ reprobationes non sunt de præsenti accipiendæ absque majori explicatione: & ideò termini illi positi in prima Assertione sunt explicandi: & illi qui loquuntur quòd debet puniri post mortem, explicatione indigent, scilicet si fuerit obstinatus. Quia si modò quis est obstinatus, cras poterit non esse: & ideò licèt Magister Joannes Parvi seminaverit errores positos in cedula: tamen posteà vixit longè, & non fuit monitus; imò celebravit de post, & decessit ut Catholicus.

Et apparet sibi quòd Magister Ursinus Taillenande luculenter ostendit quòd illæ Assertiones non possunt elici ex dictis Magistri Joannis Parvi, & apud Deum posset, quia esset innocens, & tamen fortè convictus per falsos testes. Et ideò sibi apparet quòd ista reprobatio, de præsenti, non est accipienda: & si procedatur ad amplectendum istam reprobationem, videndum esset, & scrutandum, an ista reprobatio sit intolerabilis, & pacis Ecclesiæ turbativa: & ideò scrutandum esset, an directè respiciat materiam Fidei, vel indirectè applicetur ad impediendum Tractatum pacis habitæ Antissiodori.

Item, providendum est circa aliquam qualitatem, scilicet Ecclesiasticæ pacis turbativa, & providendum est ne ex celebratione hujus Concilii oriatur aliquod scandalum inter antiquos & juvenes Theologos, & inter Religiosos. Et ideò si Prædicatores loquantur de isto Concilio, quòd dandus esset eis modus, ne haberent scandalisare istud Concilium. Et recordatur quòd tempore quo Dominus Cardinalis Borrensis erat Parisiis, Dominus Cancellarius convocavit aliquos Theologos, ubi fuerunt reprobatæ tres Propositiones, quæ tamen Propositiones erant falsæ & reprobationes veræ: non recordatur tamen de ipsis, sed erant in materia Confessionis, & tamen non fuerunt pro tunc condemnatæ.

Præterea dicit quòd vidit senes & antiquos, qui dederunt consilium suum quod est sequendum, & non displiceat subsequens, si faciat comparationem: quia beatus Augustinus dat artem ad faciendum comparationem inter Abraham, & quemdam alium: & ideò sequendi sunt antiquiores, & consilium per ipsos datum. Et si multi juvenes dicerent contrarium, non esset pro nunc sequendum.

Et si dicatur, Diœcesis plena est scandalis istis; qualiter poterit tolerari? Respondet loquens, habeat Dominus Parisiensis loqui cum antiquioribus qui deliberaverunt, qui removebunt scrupulum, & si non possit sedari, negotium esset remittendum ad Sedem Apostolicam. Et si iste modus videatur prolixus, Legatus qui debet venire sit oneratus de ista materia specialiter, qui haberet onus hujus materiæ; & ideò cavendum est in ista materia de scandalo. Et videtur sibi quòd Dominus Cancellarius deberet procedere ad Licentiam, & per hos qui deliberaturi sunt, non mutabunt suam deliberationem. Et ideò ista reprobatio, de præsenti non est recipienda.

Item, videtur sibi quòd hortandi sunt illi qui fecerunt istam reprobationem, quòd habeant illud quod sanctus Gregorius dixit, cum perfecit Moralia, in fine Libri. Et stat quòd cessandum est, de præsenti, ab actu judiciali, circa Assertiones istas, & quòd standum est consilio antiquorum Patrum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Emericus de Bituria, Ordinis sancti Augustini, regratiatur & protestatur, ut ceteri; & venit ad cedulam.

Primò, an fuit vera, vel falsa: & quantùm ad hoc, se refert ad ea quæ dicit Magister Petrus de Dierrio.

Quantùm ad secundum extrinsecum; dicit quòd quamvis prima Propositio sit pejor & magis periculosa; tamen videtur sibi quòd ex ipsius condemnatione priùs possunt venire inconvenientia multa, quàm ex condemnatione aliquarum aliarum, & ex hoc populares, qui non fortè capient verba, movebuntur. Et advertendum est ne aliquid dicatur ad unam partem, quæ aliam impediat, ut dicit Augustinus.

Et facit tale dubium: utrùm in ailquo casu licitum sit interficere tyrannum, absque hoc quòd interveniat novum Mandatum hominis, vel Dei, vel miraculum: & loquitur probabiliter; tamen ad partem negativam arguit, per illud quod continetur in cedula.

Ad oppositum arguit, quia si in corpore humano esset aliquod membrum putridum, quod nullo opere Medicorum adhibitâ diligentiâ, &c. esset procedendum ad extirpationem ipsius, ne totum corpus inficeret. Sic in corpore politico, & in una Communitate, si quis esset taliter obstinatus, vel si omnes essent occisi per tyrannum, demptis duobus, videtur quòd liceret ipsis ipsum occidere.

His dictis, dicit Glossa quòd *Patri licitum occidere quemlibet adulterantem cum filia propria, adjunctis tribus*. Primò, quòd reperiat ipsum in domo generis: quòd occidat ambos: & quod ipsa sit in potestate Patris. Modo tyrannus potest incidere in istis. Ignoscitur, &c. Et sic apparet quòd hoc possit fieri sine miraculo, quia quòd viâ humanâ potest inveniri, non est recurrendum ad miraculum divinum, quia hoc esset tentare Deum, quia quod homo potest facere humano modo, non est recurrendum ad miraculum divinum.

Et si dicatur: quare Augustinus non posuit illam Propositionem, cum esset vera? Dicit quòd propter periculum; & etiam non semper est recurrendum ad scripta, ubi potest ex ratione naturali aliquid veri inveniri. Verumtamen dicit quòd ipsa non est condemnanda, & maximè si non fuerit præsentata in forma quæ ponitur: & si condemnetur, quòd fiat cum bona cautela.

Et dicit finaliter quòd temporibus stantibus, ut nunc, non esset procedendum ad ipsius condemnationem.

Venerabilis & circumspectis vir, Magister Geraldus Macheti, Magister in Theologia, regratiatur, & protestatur, ut ceteri: & dedit deliberationem suam in scriptis, quam legit ipsemet, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Reverende Pater Domine mi Inquisitor, præsuppositis protestationibus sæpiùs repetitis, quibus adhæreo, licèt non fuerimus hìc vocati ad discutiendum Propositionem Magistri Joannis Parvi, vel utrùm Assertiones per vos in cedula transmissa formaliter & sententialiter in Propositione illa contineantur; vel dumtaxat ad dandum testimonium veritati vobis illud deposcenti & requirenti, sicut ex Officio potestis, & nobis ex debito obedientiæ incumbit testimonium perhibere. Verumtamen, quia aliqui Domini mei Patres & Magistri Reverendi, materiam istius Propositionis tetigerunt, proposui, occasione datâ, respondere aliquibus rationibus, salvationibus, expositionibus & Glossis, quæ per eos datæ sunt, & expositæ: & hoc volo facere, sub omni correctione vestra, reverentia, ac honore ipsorum; magis ad elucidationem veritatis, quàm ad contradicendum, aut verbis contendendum, quos utique & revereor velut Patres, & honorare vellem sicut Dominos & Magistros meos reverendos.

Præsupposito igitur, ad elucidationem dicendorum, & materiæ declarationem, quòd extremum & summum malum pœnæ quod infigi possit homini in hac vita, est mors ipsa, vel occisio ipsius, quæ qui-

quidem cetera omnia privat, & tollit: si ergo ad condemnationem alicujus ad mortem, vel ad occisionem requiruntur testimonia vera, evidentia, & manifesta, requiruntur allegationes, rationesque claræ & lucidæ non involutæ, nec intricatæ, æquivocationes; vel amphibolia: neque enim per conjecturam, vel suspicionem quantumcumque vehementem, vel etiam probabilitatem quantumvis apparentem posset & deberet homo quispiam ad mortem condemnari: & Judex sic faciens, per conjecturas scilicet, & probabilitates & suspiciones hominem reum mortis judicans, reus esset homicidii, & reatum incurreret æternæ damnationis. Allegari possent ad hæc & Decreta Pontificum, sacri Canones, & Leges politicæ & civiles, quæ Decretistis dimitto.

Suppono secundò, quòd ad justificationem occisionis, vel mortis alicujus jam factæ vel illatæ; si justificatio illa efficax esse debeat & valida, requiruntur testimonia tam clara & evidentia, tamque lucida, & æquè manifesta, absque intricatione æquivocationis, ambiguitatis & amphiboliæ, sicut & ad condemnationem faciendam requirerentur, sive ad mortem inferendam. Apparet istud, quia justificatio occisionis, vel mortis alicujus jam factæ & illatæ, talis esse debet, tamque efficax, evidens ac manifesta ad probandum vel convincendum, taliter quòd si mors illata non esset, vel occisio non esset facta, illa justè & meritò propter testimonia quæ in justificatione asseruntur & proponuntur esset infligenda, vel facienda: alioquin justificatio nulla esset, & insufficienter, ac invalidè justificaret.

Apparet secundò istud: videmus quòd in condemnatione hæreticorum, post mortem, illa omnia & singula adhibentur quæ fierent, si ille superveniret contra quem fit processus; ad cujus condemnationem, licèt obierit, & mortuus fuerit, talia debent esse testimonia tam clara & evidentia, & allegationes ita manifestæ, non ambiguæ, non amphibolicæ, vel perplexæ, quòd si non esset mortuus, jurè & meritò deberet tanquam hæreticus condemnari.

Suppono ulterius quòd, quoniam in justificatione occisionis, vel mortis jam illatæ, adducuntur, & proponuntur pro testimoniis rationes, argumenta & allegationes; illæ rationes, vel argumentationes adductæ, vel propositæ, tenent vicem & locum testium; hoc est dicere, quòd quemadmodùm in condemnatione juridica, vel judiciali hominis ad mortem, testes producti coram Judice, palam, clarè & manifestè, non ambiguè, vel dubiè, involutè, æquivocè, vel amphebolicè deponere debent de crimine alicujus malefactoris, vel criminosi, propter quod meritò mortem ei infligendam requirunt, & proponunt: sic oportet quòd rationes & persuasiones adductæ ad justificationem mortis jam alicui illatæ, probent & adducant clarè, evidenter, & dilucidè, & manifestè, illa scilicet evidentia, summa juridica, quæ sufficere debent ad mortem inferendam.

Sic ergo apparet quòd ad hoc quòd sciatur utrùm justificatio aliqua pro morte jam alicui illata sit ritè, benè, laudabiliter & secundùm Legem facta, oportet videre an rationes, vel reprobationes, aut argumentationes pro testimoniis adductæ, sint tales, & ita evidentes & claræ, quòd sufficerent ad condemnationem vel mortem, si non esset illata, vel facta, inferendam, faciendam, & promulgandam. Necessarium est etiam quòd illæ persuasiones & rationes, seu allegationes, si debeant esse efficaces & validæ, habeant & observent illa quæ testes idonei producti ad accusationem alicujus ad mortem inferendam, facere & observare debent, & tenentur.

Videamus igitur, applicantes ad propositum, illa quæ observanda sunt à testibus idoneis, & testimoniis dandis, ad accusationem alicujus in Judicio, & consequenter ad sententiandum juxta testimonium eorum.

Primò enim: ad accusandum aliquem juridicè, non sufficit accusare per conjecturas, per probabilitates, & præsumptiones; potissimè ubi de morte tractatur, vel occisione, ad quam testimonia vera, manifesta, & evidentia requiruntur, cum de supremo hominis bono in hac vita, quod est vita hominis, agitur. Ideò talia testimonia probabilia, vel A præsumptoria, sive conjecturalia, adducta ad condemnationem alicujus, non solùm digna sunt repulsione in Judicio, verum etiam sic accusantes per conjecturas, suspiciones, præsumptiones, meritò ad pœnam talionis condemnarentur.

Sic ergo, quoniam justificatur homicidium aliquod jam perpetratum & illatum, quia de morte hominis agitur; oportet, si justificatio valida dici debeat, quòd allegationes, rationes, argumentationes, & persuasiones quæ adducuntur loco testium, claræ sint, dilucidæ & evidentes; tanquam manifestè, & evidenter arguant & convincant, sicut & testes producti loqui debent in Judicio.

Ex quibus apparet contra unum quod in isto concilio tactum est; quàm absurdum sit dicere quòd ad justificationem homicidii, quod est extremum hominis malum in hac vita, possint rationabiliter, & justè admitti, tollerari & adduci rationes & argumenB tationes tantummodò probabiles, & opinativæ, ut sic loquar; vel probabiliter hominem ad mortem condemnare, vel mortem jam illatam & homicidium aliquod perpetratum velle sic probabilibus argumentis & opinando justificare, ad quod certitudo maxima, & evidentia suprema juridica requiritur ab eo quo in Regno Franciæ nulli mors infligitur judicialiter, quantumcumque & quodcumque testes clarè, & manifestè deponant de crimine, nisi ipse criminosus condemnandus crimen illud fateatur.

Secundò, ad hoc quòd testimonium aliquorum testium deponentium in Judicio, super accusationem alicujus ad mortem sit efficax & sufficiens, validum & idoneum; non sufficit quòd ambiguè, dubiè, amphibolicè, æquivocè, perplexè & involutè loquantur in depositionibus suis, sic quòd dicta eorum & depositiones indigeant declaratione, distinctione, glossa & expositione; imò tales meritò arC guerentur & increparentur à Judice de calumnia, velut dolosi & malignantes homines sophistè loquentes, & fortassis ad pœnam talionis condemnarentur.

Consimiliter ergo, velle in justificatione alicujus homicidii jam illati, vel perpetrati arguere, loqui, probare, & persuadere ratione, persuasione, vel deductione, sive argumentatione ambigua, dubia, perplexa & involuta, per amphiboliam, vel æquivocationem distinguenda, omninò absurdum est & intolerabile tales ambiguas distinctiones, deductiones & argumentationes distinguendas recipere, vel admittere, & talia glossare, exponere, interpretari & salvare, manifestè probat quòd rationes illæ & allegationes non erant in tali negotio admittendæ, nec D recipiendæ, quando de morte hominis agitur, & potissimè quoniam ille cujus est doctrina, non est Doctor approbatus, vel Sanctus, nec ejus doctrina est in Schola recepta: & ita non videtur necessarium sua dicta glossare, vel salvare, quæ sic involuta sunt & ambigua, ut distinctione egeant, de quo & Sapiens benè nunciavit: *Qui sophisticè loquitur, odibilis Deo est.* Eccli. XXXVII. 23.

Unde advertendum est quòd aliter loquendum est in Schola Theologiæ coram viris litteratis & scientificis, aliter coram secularibus & laïcis. In Scholis etiam Theologiæ possumus multa probabiliter & scho-

scholastice, disputationis gratiâ, quæ coram illiteratis & laïcis, vel secularibus non essent dicenda, coram quibus dicendum est, non probabiliter & opinativè, sed quantùm fieri potest clarè, evidenter & manifestè; & uti nomine *probabiliter*, esset indiscretè & incongruè loqui, utpotè apud illos qui tales terminos scholasticos ignorant, qui omnia recipiunt tanquam asserta & indubia.

Unde etiam nec Magister Joannes Parvi dixit, nec unquam expressit quod probabiliter tatummodò loqueretur in justificatione illa quam posuit: sciebat A enim non esse tunc locum, ubi apud ignaros istorum terminorum non esset loquendum, sicut in scholis, opinativè vel probabiliter: sciebat enim quòd irrisus fuisset meritò, dicendo quòd homicidium de quo fiebat sermo, probabiliter & opinativè benè perpetratum fuisset; sciebat enim quoniam tunc non erat locus scholasticæ disputationis, vel approbationis, in qua non admittuntur, nec recipiuntur allegationes, seu argumentationes tantummodò probabiles, etiam apud Gentes barbaras, seu Nationes extraneas: scire debebat etiam non esse illuc afferenda dicta, seu argumenta alia, quæ indigerent expositione, aut interpretatione, vel distinctione, ubi charitas † sermonis exigitur, & certitudo suprema judicialis.

Noverunt nihilomniùs Magistri nostri Reveren- B di: vidi & ego ipse, junior inter eos, quòd dicta erronea, vel Propositiones erroneæ, & malè sonantes, probabiliter etiam & opinativè positæ in Scholis Theologicis, revocatæ sunt ab illis qui probabiliter etiam sic & opinando posuerunt.

Ceterùm, non erat opus, nec necessarium illam Propositionem glossare & exponere, quæ ut confessus est Dominus meus, ille qui salvare voluit in applicationibus suis ad factum illud quod justificare intendebat, turpiter erravit. Ad quid ergo glossabitur, vel exponetur justificatio illa quæ in applicatione sua errat, & principali suo intento? Hoc attento quòd secundùm regulam communem; *Intelligentia dictorum sumenda est & accipienda ex causis dicendi.*

Descendamus post ista generalia, ad improbationem expositionum, glossarum, vel salvationum, quæ datæ sunt in primo.

In exemplo de Michaële dicebatur quòd amor na- C turalis ibidem accipitur & identificatur cum amore gratuito. Ista responsio primò affert unum æquè dubium, vel magis quàm principale, quòd videlicet idem actus eliciatur ex amore naturali & gratuito, quæ sunt omninò diversa.

Item, ista Propositio est expressè contra textum litteræ, ubi dicitur sic: *Mais tant seulement meu d'amour naturelle*, tantummodò est accensus amore naturali. Ceterùm ‡ est autem quòd tantùm, vel tantummodò est dictio exclusiva excludens omnia, & ille qui posuit non erat tam ignarus terminorum theologicorum, quin sciret amorem naturalem esse distinctum, & differre ab amore gratuito.

Item, si ista expositio recipiatur, sequeretur quòd ista esset vera, juxta illam expositionem: homo, ex amore naturali, meretur vitam æternam, consequens est damnative * apud omnes Sanctos, etiam Theologos, & consequentia probatur, quia diceret D expositor, vel glossator quòd ex amore naturali, qui est idem cum amore gratuito, secundùm ipsum, meretur vitam æternam, & hoc est verum. Et alia multa inconvenientia possent inferri, ut videtis.

Item, expositio ista est contra intentionem illius qui exemplum posuit, quia, si dicatur quòd Michaël ex amore naturali qui est idem cum gratuito, Luciferum de Paradiso expulerit, cùm secundùm Sanctos & Theologos, charitas vel gratia sit instrumentum spirituale Spiritus sancti, quod non agit, nisi Spiritu sancto movente, dirigente & impellente, sicut nec securis, nisi mota à manu artificis; sequitur tunc quòd Michaël sentiebat interiùs Deum illud jubere, præcipere, & mandare: & ita non sine Præcepto Dei inspirantis, quemadmodùm ponit Augustinus. Primo, De civitate Dei: *Samson habuit Præceptum, Deo interiùs jubente & impellente, ut se ipsum occideret.*

Sic & secundùm eundem Augustinum, de Jepte dicere opportet, quòd filiam suam interfecerit. Et tamen in exemplo sic loquitur ille qui posuit.

„ *Le tiers exemple est de saint Michel l'Ange, qui*
„ *sans Mandement, ou Commandement quelconque de*
„ *Dieu ne d'autre, mais tant seulement meu d'amour*
„ *naturelle, occit le tyran desloyale a Dieu, Lucifer.*

Adhuc circa istud exemplum, quòd Michaël occidit Luciferum, hoc ab uno Magistrorum nostrorum Reverendorum expositum est, quòd Michaël privavit Luciferum vita aliqua, pro quanto expulit eum de Paradiso, qui quidem locus erat ipsi Lucifero pro quodam gaudio, & ita erat quædam vita ei. Hoc cum correctione videtur in duobus deficere. Primò, in hoc quòd non fecit sine Mandato divino, sicut ponit Propositio, vel Assertio, *Sans Mandement de Dieu, ne d'autre.* Non enim est difficultas nostra, utrùm Michaël expulerit Luciferum de Paradiso & privaverit eum gaudio illius: sed quæritur, utrùm Michaël fecerit istud sine Mandato Dei, vel sine authoritate: Michaël enim non habebat authoritatem super Luciferum ex naturalibus suis; quòd si authoritatem habuerit, oportet necessariò dicere quòd hæc à Deo acceperit, constitutus ab eo Princeps militiæ cœlestis.

Secundò, deficit expositio ista: quia Michaël ex amore naturali, vel ex vi naturalium suorum, non potuisset expellere Luciferum de Paradiso, vel privare eum de gaudio loci illius, quia erat longè inferior, & minus potens Lucifero, in naturalibus suis.

Proindè nihil adhuc dictum est quomodò salvari posset & exponi illa Glossa quæ ponitur in exemplo illo de Michaële, ubi dicitur: *Car Dieu lui donna des richesses de sa gloire tant comme il voulut*, idest tantùm quantùm erat capax. Ista Glossa utique indiguisset expositione, & adhuc indiget, nescio quare non glossabatur, nisi quia manifestè erronea est, ideò non est exponenda.

Circa aliam Assertionem de Phinées, dicebatur exponendo, quòd Phinées occidisse dicitur Zambri sine Mandato, hoc est sine speciali Præcepto. Istud non sufficit: primò, quia si hoc admittitur, sequitur quòd ista posset dici, quòd Præpositus Parisiensis, & alii Præpositi Provinciales, interficiunt homicidas, fures & latrones sine Mandato, quia in qualibet condemnatione hominis non accedunt ad Regem, ut habeant Mandatum speciale, de occisione hujus & illius: imò in Mandato generali committitur eis, & præcipitur condemnatio specialis cujuslibet malefactoris.

Item, saltem habemus ex illa expositione, quòd ad justam occisionem hominis Mandatum Principis, vel speciale, vel generale *, quod est contra intentionem illius qui exemplum prædictum posuit, in isto visus est, & voluit justificare homicidium illud de quo loquebatur: non enim allegat in Propositione sua quòd ille qui fecit, vel mandavit illud homicidium fieri, habuerit Mandatum generale, neque speciale à Rege, vel à Deo, quia meritò ei dictum & responsum fuisset: Doce, litteras ostende.

Item, tertiò, quia dicitur in exemplo sic: *Le second exemple est de Phinées, qui sans Mandement, ou Commandement quelconque occit* &c. in quo apparet, quòd omne Mandatum universaliter excludit

† *Fortè* Claritas ‡ *Fortè* Certum. * Hic aliquid videtur deesse.

* *Desiderari videtur,* Requiritur.

cludit & generale & speciale, aliàs non esset ad propositum suum.

Circa istud exemplum, dictum est, allegando Magistrum Nicolaum de Lyra, quòd Phinées accensus zelo Legis, & motus zelo Dei, non timuit occidere Principem unius Tribus, & ita, ut dicebatur, non videtur, quòd ex Mandato fecerit.

Videte qualis consequentia: motus est zelo Dei, & Legis Dei; ergo non habuit Præceptum Dei, vel Legislatoris. Causam illationis non video: imò benè sequitur: zelus Dei eum ad id movebat & accendebat; ergo sentiebat experientialiter, Deo interiùs præcipiente, hoc esse faciendum.

Item, dicit expressè Magister Nicolaus de Lyra, super illo vigesimo quinto capite, quòd mulieres erant edoctæ ex doctrina Balaam, quòd non permitterent se à filiis Israël cognosci, nisi si priùs comederent de idolaticis, & idola adorarent, quæ ipsæ secum portabant. Et textus sic habet: *Dixitque Moyses ad Judices Israël: Occidat unusquisque proximum suum qui initiati sunt.* Num. xxv. 5. hoc est, applicati sunt, vel adjuncti sunt *Beelphegor*, id est *cultui illius idoli*, ut ait de Lyra. Sequitur immediatè in Textu: *Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitam vidente Moyse* &c. ℣. 6.

Sic ait Magister Nicolaus de Lyra: *Hic*, inquit, *ponitur punitio prædicta transgressionis in speciali*, Ait in idem quòd *Iste fuit magis effrons & audax in peccato suo, & ita apparet quòd Phinées habebat Mandatum à Moyse, qui præceperat occidi omnes, qui initiati sunt Beelphegor, & illæ mulieres Madianitæ non permittebant se cognosci à filiis Israël, nisi adorarent Beelphegor.*

Dicebatur ulteriùs, quòd Zambri fuit idolatra: hoc manifesté convincit illum qui exemplum posuit in sua Propositione, quia volebat per exemplum illud probare quòd Phinées occidit Zambri sine Præcepto, quod apparet clarissimè falsum ex Textu, si fuerit idolatra, quia tales jusserat Moyses expressè occidi.

Dicebatur circa istud ab uno alio Domino meo, quòd ex quo præceperat Moyses, ut habetur in Textu, Principes suspendi in patibulo, tunc debuisset juxta Præceptum Moysis Zambri suspendi in patibulo. Novit Dominus meus qui hoc allegavit, quòd homines post mortem suam, utpote post decolationem capitis, sæpiùs suspenduntur in patibulo, & ita potuit fieri de Zambri, quòd post illam occisionem fuerit suspensus ad solem, sicut Moyses præceperat.

Circa aliam Assertionem de Moyse, dicebatur exponendo & salvando istud quod in exemplo Propositionis, ponitur: *Sans Mandement* &c. *occit l'Egiptien.* Videatur Textus ad longum, & experietur quòd in illo exemplo est una copulantia composita ex duabus cathegoriis. In prima parte copulantiæ ponitur, ut benè allegabat Dominus meus, & Magister noster Reverendus, quòd Moyses sine Mandato hominis occidit Ægiptium. Et in secunda parte dicitur sic: *Et pourlors iceluy Moyse n'avoit point l'authorité de Juge.* Sequitur: *laquelle authorité luy fut donnée sur le peuple d'Israel près de quarante ans apres qu'il a ce fait.* Videtis quòd in secunda parte negat eum habuisse tunc authoritatem judicialiter à Deo. Patet, quia dicit quòd habuit post quadraginta Annos postquam occidit Ægiptium, & non habuit nisi à Deo, ut notum est. Ergo sine authoritate, nec Dei, nec hominis fecit, secundùm ipsum.

Item, dicit, quòd post quadraginta Annos ab illo homicidio, accepit authoritatem Judicis: videtur esse contra Textum Scripturæ sacræ, qui allegatur in cedula, & recipitur de septimo capite Actuum Apostolorum. ℣. 25. *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Dominus per manum ipsius daret salutem.* Sequitur: ℣. 27. *Quis te constituit Principem & Judicem super nos?* Glossa: *Solus Deus.*

Item, allegabatur exponendo illam Assertionem, quòd Alexander de Halis recitat authoritatem Augustini: cum sui reverentia, truncatè recitavit, benè ponitur in fine illius authoritatis. Uterque enim, scilicet Petrus & Moyses, non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excesA sit. Ex quo videtur, quòd Augustinus non videtur sentire quòd peccaverit in facto in se, sed magis excessit in zelo quodam nimio.

Item, quando Augustinus illam quæstionem tractat, secludit Moysem, ut erat persona singularis. Et tunc dicit: *Consulta*, inquit, *illa Lege æterna, reperio non debuisse hominem ab illo qui nunquam potestatem ordinatam gerebat, quamvis injuriosum & improbum, occidi.*

Item, si peccavit Moyses, sequitur manifestè contra illum qui ponit exemplum istud in Propositione sua, qui dicit Moysem benè fecisse: & assumit istud ad justificationem homicidii quod justificare intendebat. Unde sic ait in exemplo illo, quòd Moyses ex illo facto multùm laudatus est, ut allegat ipse proponens, Actuum septimo: unde & inquit ipse, quòd tanquam minister Legis hoc fecit. Et
B hoc est contra eum: si enim erat Minister Legis, quoniam ‡ non fecit, ergo habuit tunc authoritatem istud faciendi: & dicit tamen, quòd illam authoritatem accepit post quadraginta Annos ab illo homicidio facto.

Quidquid censerit beatus Augustinus, vigesimo secundo contra Faustum, tamen non puduit eum istud corrigere, in opere suo superiori, super Exod. ubi manifestè patet, quòd illam Glossam fecit post illum Tractatum contra Faustum. Et ita standum est in dicto suo posteriori.

Fortassis enim, quoniam * scripsit contra Faustum, non memorabatur actualiter dicti illius Stephani, Actuum septimo, quod allegat in Glossa, super Exod. super illo Exodi secundo: *Cumque prospexisset huc atque illuc.* Sic ait Augustinus. *De hoc facto Moysi satis disputavimus in illo Opere, quoniam ** de vita Patriarcharum adversùs Faustum scripsimus.* Et aliquibus interpositis subdit, corrigendo illud quod contra Faustum scripserat. *Et tamen*, inquit, *sicut Stephanus ait, Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quòd per eum daret illis Deus salutem, ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitùs admoni-*
C *tus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc audere potuisse.* Hæc Augustinus.

Circa aliam Assertionem, de Joab & Abner, dicebatur quòd ex Propositione non potest ostendi quòd Joab occiderat Abner post mortem Absalon: sed benè habetur quòd in fine dierum suorum: quidquid *** finis, ut dicebatur, exponendo, potest accipi pro decem, vel duodecim Annis.

Videatur Textus Propositionis, ubi habetur sic:
„ Non obstant que Joab fut un bon Chevalier & loy-
„ al, pour le temps qu'il occit Absalon, neant-
„ moins vers la fin de ses jours, il fit deux trop
„ grandes fautes. La premiere, car il occit un tres
„ bon Chevalier apellé Abner &c.

Sic ergo apparet in textu, quòd Joab, ut ip-
D se dicit, non fecerat illos duos defectus, propter quos, ut ipse ait, in Propositione sua, David præcepit Salomoni ut faceret Justitiam de Joab: quia sicut ipse dicit, Joab, quoniam † interfecit Absalon erat bonus miles & fidelis, & non fuisset talis si interfecisset Abner, quia per occisionem ipsius Abner Salomon fecit Joab occidi, juxta Mandatum Patris sui.

Circa ultimam Assertionem, quæ loquitur de juramento: dictum Magistri Joannis Parvi distinguendo del. + melius, quia aut capitur adverbialiter, aut nomina-

‡ *Fortè* quando, *& deleatur* non * *Fortè* Quando ** *Fortè* Quando *** *Fortè* Quamquam, *aut alias* † *Fortè* Quando + *Fortè* scilicet, *vel* li.

minaliter, & potest, ut dicebatur, exponendo, recipi adverbialiter. Istud est clarè, ut videtur, contra textum Propositionis, ubi sic dicitur verbis Latinis: Quodcumque aliquis facit * quod melius, quamvis juraverit illud non facturum, non est perjurium: si enim melius esset adverbium, non diceretur primò quoniam aliquis facit quod melius est, quia locutio esset impropria & incongrua; sed deberet sic dici: Quicumque aliquid facit melius, removendo *li* quod pronomen: si etiam *li* melius, teneretur adverbialiter, in secunda parte non diceretur sic: quamvis juraverit illud quod est relativum de † *li* quod; sed debuisset sic dici: quamvis juraverit taliter non facturum, ut *li* taliter quod est adverbium, refertur ad *li* melius adverbialiter acceptum. Et ita apparet quòd expositio videtur esse contra textum.

Dicebatur ulteriùs circa istam Propositionem & Assertionem, quòd si quis juraverit quòd nunquam erit Episcopus, & efficiatur Episcopus, hoc non est perjurium, ex quo facit melius opus.

Videamus si hoc sit ad Propositum: & apparet quòd non, quia Assertio loquitur de juramento licito quod est super materiam debitam; certum est autem quòd secundùm sanctum Thomam & Doctores, juramentum illud, quo quis juravit non est illicitum. Unde dicit sanctus Thomas, secunda secundæ, Articulo septimo, in responsione ad secundum Argumentum. „ Dicendum enim quod juramentum potest vergere in deteriorem exitum dupliciter: uno „ modo, quia ab ipso principio habet pejorem exitum; vel quia secundùm se malum, sicut cum aliquis jurat se adulterium patraturum: sive quia est „ majoris boni impeditivum, puta cum quis jurat se „ non intraturum Religionem, vel quòd non fieret „ Clericus, aut quòd non accipiet Prælationem, vel „ si quid aliud est hujusmodi; tunc tale juramentum „ est illicitum à principio, quia ponit obicem Spiritui „ sancto. „ Quod & recitatur in Summa Confessorum, *Libro primo. Tit. nono. Quæstione decima tertia*: ubi & ponuntur sex modi quibus juramentum vergit in pejorem exitum; & quintus modus ponitur; cùm juramentum excludit opus de genere bonorum: ut cùm aliquis jurat quòd nunquam erit Episcopus, Monachus, vel Clericus.

Dicebatur ulteriùs, quòd in Propositione non reperitur quòd tyrannus possit occidi à vassallo, non obstantibus juramentis & confœderationibus. Legat Dominus meus in quaterno, in fine septimæ Propositionis, quæ vocatur ibidem veritas, ubi sic quæritur, „ Je fais une question, pourquoy est-ce qu'en„ plusieurs cas, on est tenu de garder foy & conve„ nance à son ennemy capital, & non pas au tyran. „ *Et respondet sic*: La cause de reponse mettent com„ munement les Docteurs, mais pour ce qu'elle „ est commune & seroit longue à raconter, je m'en „ passeray à tant. „

Videtis manifestè quòd supponit fœdus, fidem, & juramentum non esse servanda cum tyranno, licèt tamen servari debeant cum hoste capitali: videtis quòd atrocissimam & intolerabilem injuriam imponit Doctoribus, dicens quòd dant communiter solutionem & responsionem super ista quæstione, quasi faverent illi errori.

Post ista, venio ad respondendum ad secundum quæsitum, unde dico: Assertiones contentæ in cedula transmissa, sunt judicio meo, benè, justè & rationabiliter reprobatæ, & nihilominùs per reverendam vestram Paternitatem judicialiter condemnandæ, & etiam anathematisandæ; sed & habita & data à Deo, ut certum teneo, tali opportunitate, dissimulare non debetis: timeo enim ne si opportunitas ista data negligatur, præoccupatus quæratis locum & spatium ut ista fiant, & non inveniatis: idcircò dùm opportunum tempus habetis, operemini bonum istud quod tibi proderit, & Regno pacem conciliabit, solidabitque, Deo sic placato, quem in longa nimium dissimulatione ostendimus, † qui si placatus fuerit nobis, sperandum est quòd pacem terris reddet, ac mitescere faciet sæcula bellis.

Quantùm autem ad Assertionem illam quæ de Judith, & Jehu loquitur; dico quòd pro quanto favere videtur errori illorum qui dicunt aliquod mendacium esse licitum, est condemnanda: credo enim & Jehu & Judith, mentiendo peccavisse.

A Sto finaliter cum Magistris nostris, quòd videatur Propositio Magistri Joannis Parvi, & utinam fuisset ab initio, habita libertate loquendi, visitata, cum publicata fuit: & ideò quod non est factum tunc, fiat modò, cùm Judicem habemus.

Die Veneris, vigesima nona Mensis Decembris.

EOdem Anno, & die Veneris, quæ fuit vigesima nona Decembris, coram eisdem Dominis Episcopo & Inquisitore, deliberaverunt Domini & Magistri subsequentes, modo & forma qui sequitur.

Et primò. Super contentis in cedula per vos missa, Reverende Pater, & Vos Domine Inquisitor, protestationibus factis per Reverendos Magistros meos præsuppositis: Videtur primò, sub correctione vestra, quòd B Propositiones in cedula contentæ non sunt condemnandæ. Ratio est, quia non habent, nec habuerunt Assertorem, seu Assertores cum Magistro * Joannne Parvi, eas, ut constat, & communis fama jam ubique clamat, nunquam asseruerit † ex ejus dictis sequi videantur, saltem aliquæ earum: quapropter vestræ Jurisdictioni non subsunt, ut dicunt Jura, sicut audivi à fide dignis; nec Assertiones dici debeant, cum correctione semper, cùm quocumque careant assertore. Ideò irrisorium esset eas condemnare.

Item, si condemnentur, ubique dicetur quòd Propositio Magistri Joannis Parvi est ~~damnata~~ ‡ condemnanda; & cùm nunquam asseruerit, gravis injuria sibi & quasi irreparabilis: imò graviter puniri deberent, ut videtur, qui talia eidem imposuerunt quæ nunquam dixit, nec ex dictis suis sequantur.

Item, mihi videtur, quòd supposito quòd essent hæreticæ, & quòd sequerentur ex dictis Magistri Joannis Parvi, quod non credo; nihilominùs tamen C non essent condemnandæ pro nunc: patet per illud quod dicit de Lyra, super illo verbo Mathæi, decimo tertio: *Ne forte eradicetis & triticum*. Matth. XIII. 29. Et aliàs allegatum est per Reverendum Magistrum meum, & Dominum Magistrum Petrum de Dierrio. Ideò non repeto.

Quantùm ad Propositiones in se: prima falsa est, & erronea, sed illam non posuit Magister Joannes Parvi; loquitur enim de tyranno illo de quo non potest haberi recursus ad Superiorem per viam Juris, talis enim interfici potest per insidias, nonobstantibus quibuscumque confœderationibus, aut juramentis cum aliquo subdito Regis, vel servata fidelitate inferioris ad Superiorem: & hoc voluit Sanctus Thomas, sicut aliàs allegatum est per Reverendum Magistrum meum, & Dominum Magistrum Petrum de Nogento, dicit sic sanctus Thomas: „ Cùm aliàs aliquod D „ divinum ** sibi per violentiam subripit, nolenti„ bus subditis, aut etiam ad consensum coactis, & non „ est recursus ad Superiorem, per quem de tali invaso„ re possit Judicium fieri: tunc enim qui ad liberatio„ nem Patriæ talem tyrannum occidit, laudatur & „ præmium accipit. „ Ecce quòd dignus est laude & præmio, qui talem tyrannum occidit. Imò illa utilis est: ut posita est in cedula, videtur esse contra intentionem Ma-

* *Fortè* Quicumque aliquid † *Fortè* ad.

† *Fortè* offendimus * *Fortè legendum* cùm Magister Joannes. † *Videtur deesse* nec. ** *Hic aliquid deest* *** *Fortè* Dominium.

Magistri Joannis Parvi. Nunquam enim intentio fuit, quòd tyrannus Provincia, vel civitate, in domo, aut apud semetipsum esset occidendus per aliquem subditum suum: causa est hæc; quia talis multos habet Superiores per quos de ipso potest fieri Judicium, & sic illa utilis, est omninò falsa, & contra ejus intentionem.

Secunda Propositio potest habere bonum sensum, judicio meo, sicut deductum est per Dominos & Magistros, Dominum Archidiaconum, Magistrum Ursinum de Taillevande, & Magistrum Petrum de Nogento; quia licèt Michaël Præceptum hoc habuerit tacitum, de occisione Luciferi; non tamen habuit de hoc Præceptum expressum; hoc est, non habetur ex Scriptura sacra quòd de hoc habuit Mandatum, sicut habuit Abraham expressum Mandatum de immolatione filii sui. Et ita forsitan intellexit Joannes Parvi quòd Michaël non habuit expressum Mandatum quòd occideret morte perpetua Luciferum; sed amore quem habebat ad Deum, motus fuit ad occidendum eum morte perpetua. Ille tamen amor naturalis erat, quia inchoativè erat à natura; & gratuitus, quia complebatur à gratia: ferebatur enim tunc Angelus in Deum per amorem, quantùm poterat fieri, secundùm activitatem potentiæ suæ, cùm nullum haberet retardativum; & cum esset in gratiam, erat gratuitus. Occidit Luciferum ipse Angelus morte æterna, quia eum de Paradiso expulit ad pœnas infernales, in quibus perpetuò erit: & propter hoc Deus dedit sibi de divitiis spiritualibus quantùm voluit, & quantùm erat capax, secundùm merita sua; sicut solet dici de Beatis, quòd quilibet de beatitudine habebit quantùm poterit capere, secundùm merita; scilicet quæ habuit in vita.

Tertia Assertio de Phinées, quòd occidit Zambri, *Sans quelconque Mandement, ou Commandement de Dieu, ou de Moyse*: Textus videtur esse potiùs, meo judicio, quòd sine Mandato fecerit, quàm cum Mandato: nam dicit sic Textus: *Dixit Dominus ad Moysem, Phinées filius Elezari filii Aaron Sacerdotis avertit iram meam à filiis Israël, quia zelo meo commotus est contra eos.* Num. XXV. 11. Ecce quòd *zelo meo commotus est*, & eos occidit; non dicit quòd Præcepto Domini, vel Moysis.

Item, dicit de Lyra, super illo verbo, *Surrexit de medio multitudinis*, ℣. 7. *Accensus*, inquit, *zelo Dei*. Idem videtur innuere quædam postilla, super illo verbo, ℣. 6. *Et ecce unus de filiis Israël intravit*, &c. *Vocaverat Moyses*, inquit illa postilla, *duodecim Principes, ut ipsi, secundùm unam opinionem, vel secundùm aliam, authores sceleris suspenderentur eorum Consilio, & dùm erat in Consilio, intravit ad scortum, quem confodit Phinées.* Videtur dicere, judicio meo, quòd Phinées, ex amore ardenti quem ad Deum habebat, & ad Legem, intravit post eum & eos coëuntes occidit.

Quarta Assertio est: *Moyse sans Mandement quelconque occit l'Egiptien.* Magister Joannes Parvi ponit, *Sans Mandement, ou authorité d'homme quelconque, occit l'Egiptien.* Et hoc est verum, quia Deus pro tunc non erat homo, authoritate tamen Dei hoc fecit; & dicit Glossa Exod. quæ est beati Augustini, *divinitùs admonitus*.

Quinta est: *Judith ne pecha point en flattant Olophernes, ni Jehu en mentant qu'il vouloit honorer Baal.* Ista est falsa sicut ponitur; sed Magister Joannes expresè ponit, quòd Jehu insidiosè fecit occidere Sacerdotes Baal, & de hoc laudatur; & quòd Judith occidit Olophernem per insidias, & de hoc laudatur etiam: & Propositio hîc posita non est sua.

Sexta Assertio, quòd *Joab occit Abner, depuis la mort d'Absalon*. De ista nescirem quid dicere: nam Scriptura sacra posteriùs facta, aliquoties anteponit, aliquoties è contra. Non hoc ponit Magister Joannes Parvi, sed ponit quòd in fine dierum suorum fecit duas malas occisiones de Abner filio Ner, & de Amazan; & potuit esse quòd in fine dierum suorum occidit Abner priùs mortem Absalon, & postea Amazan, post scilicet Annum quinquagesimum, vel quinquagesimum quintum suæ ætatis; & sic in fine vitæ occidit Abner & Amazan.

La septiéme Assertion est: *Toutefois que aucun fait aucune chose qui est meilleure, jaçoit ce qu'il ait juré la non faire, ce n'est pas parjurement, mais est à parjurement contraire.*

A Apparet mihi quòd ista non est damnanda, sicut factum est per Magistros meos & Dominos prænominatos: patet in casu aliàs posito, quòd quis juravit quòd non Prælatus, seu Episcopus erit: imminet tamen necessitas pro bono Ecclesiæ, & totius patriæ quòd ipse sit; aliàs magna sequerentur inconvenientia in Ecclesia & tota patria, nisi esset Prælatus, seu Episcopus. In tali casu, sine perjurio potest acceptare, & debet Prælaturam; aliàs juramentum vergeret in pejorem exitum. Si quis juret quòd ducet aliquam in uxorem, hoc est licitum; posteà habeat intentionem intrandi Religionem, sine perjurio potest intrare Religionem, & dimittere rem prius juratam, alias juramentum vergeret in pejorem exitum; quod fieri non debet.

B Ista enim omni humanitate quâ possum, & omni correctione, ego Dionysius Pagani, Magister in Theologia indignus, dico super Assertione, pro aliquali responsione ad contenta in cedula per vos missa, Reverende Pater, & vos Domine Inquisitor, singulis Magistris in Theologia, tradita Curiæ & Concilio, die Veneris, vigesima nona Mensis Decembris.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus ad Boves, dedit deliberationem suam in scriptis, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Reverendi Patres. Ego frater Petrus ad Boves, sacræ Theologiæ Professor indignissimus, vidi quandam cedulam per vos missam Magistris & Baccalaureis in Theologia, continentem quasdam Assertiones: vidi & quandam aliam cedulam continentem in forma quasdam Propositiones, quas dicitur aliàs posuisse defunctus Magister Joannes Parvi.

C Quibus cedulis inspectis, & collatis ad invicem, dico, omninoda correctione, quod mihi videtur super materia earum, sub certis propositionibus.

Prima Propositio. De tertia Propositione Magistri Joannis Parvi, & de illa quæ dicitur prima Assertio, contenta in cedula missa Magistris, quantùm ad clausulam de occidendo tyrannum, multùm differunt, & longè aliter esset judicandum.

Probatur ista Propositio; quoniam in dicta tertia Propositione Magistri Joannis Parvi ponuntur tres notandæ circumstantiæ circa factum occisionis tyranni ex una parte aggravantes factum tyranni; & ex altera parte allevantes factum occidentis talem tyrannum, quæ omninò subticentur in dicta prima Assertione.

Prima circumstantia, est magnitudo potentiæ dicti tyranni, propter quam non potest de eo per Superiorem fieri Justitiæ complementum: clarum est D enim, quòd prætermittere Juris ordinem, vel processum justitiæ, in punitione malefactoris, circa quem, vel contra quem non potest Juris ordo servari, vel processus Justitiæ; longè excusabilius esset, quàm dictum ordinem prætermittere in punitione ejus qui faciliter potest per Justitiam arceri, ubi excusaret impossibilitas, quæ hîc non est.

Secunda circumstantia, est dicti tyranni perseverantia in malitia, quæ magis debet dici pertinacia & obstinatio, & ejusdem incorrigibilitas atque inemendabilitas: clarum est enim quòd aliter

ter esset agendum cum malefactore non pertinaci, sed disciplinabili, & nulla monitione emendabili; sicut aliter cum peccatore occulto, & aliter cum notorio.

Tertia circumstantia, est periculum in mora: clarum est enim quòd aliter esset judicandum de facto ubi nullum esset periculum, si non fieret vel tardiùs fieret; ubi enim majus est periculum, ibi cautiùs est agendum.

Istæ tres circumstantiæ expressè tanguntur in dicta Propositione Magistri Joannis Parvi prædicti: in ista autem prima Assertione omninò tacentur, & per quod aliud est judicium de ipsa, & aliud de ista; sicut aliud est judicium de dicto conditionato & certis circumstantiis determinato, & aliud de dicto absoluto & indeterminato.

Secunda Propositio. De quinta & sexta Propositionibus Magistri Joannis Parvi, & de ista prima Assertione, quantùm ad clausulam, de nonobstantia juramentorum & confœderationum, multùm longè differunt, & longè aliter esset judicandum; patet ista Propositio: nam in dictis Propositionibus ponuntur duæ notandæ conditiones & modificationes, quæ in dicta Assertione prima tacentur.

Prima conditio ;. si promissiones, vel confœderationes factæ, vel eas servare credant * in præjudicium Principis, sponsæ ejus, vel liberorum, aut Reipublicæ.

Secunda conditio in septima: si contingat talia fœdera credere † in præjudicium animæ, vitæ, vel honoris alterius promittentium, vel fœdus ineuntium, aut sponsæ, sive liberorum. De dictis duabus conditionibus nulla fit mentio in ista Assertione, quæ tamen multùm mutarent casum, & judicium de obligatione juramentorum: & per consequens, de ista & de illa, non est idem judicium.

Tertia Propositio. Ex dictis Propositionibus Magistri Joannis Parvi inferre istam primam Assertionem, non est bona consequentia: patet, quoniam hoc est de dicto modificato, conditionato, determinato, & circumstantionato inferre dictum simplex, absolutum & indeterminatum, ubi constat non valere.

Quarta Propositio. Illa quæ dicitur hîc prima Assertio; si non habet, vel habuit alium Assertorem quàm Magistrum Joannes Parvi, non est damnanda Assertio: patet; quia nec ipse eam posuit in forma, nec sequitur ex dictis ejus, ut apparet in pra dictis.

Quinta Propositio. Contra manifestos hæreticos, & publicos hostes Ecclesiæ esset processus dissimulandus & omittendus, ubi ex tali processu timentur Fides, & pax Ecclesiæ, & unitas fidelium, & etiam Respublica detrimentum posse pati. Hanc Propositionem in sententia eliciunt Catholici expositores, ex parabola Domini, de zizaniis & tritico, *Mathæi decimo tertio*, ubi quærentibus servis, an colligerent zizania, respondit: *Non, ne fortè colligentes zizaniam, eradicetis simul & triticum, finite utraque crescere, usque ad messem.* Ubi Alexander de Halis, in tertia parte Summæ. Quæstion. *De Præceptis*: dicit quòd zizania, sunt hæretici & hostes Ecclesiæ, quorum interfectio, seu excommunicatio intelligitur interdicta in duplici casu. Primus, cùm malitia eorum non est nota: secundus casus, cùm est manifesta, sed ∔ tamen cùm eis contingat multitudinem avelli à Fide, sicut aliquando contingit in exterminatione Principum, quos sequitur multitudo, vel magnitudinis magna pars: quod notatur, cùm dicitur: *Ne simul eradicetis triticum.* Et allegat Augustinum ibi dicentem, quòd *Multitudo non excommunicanda, nec Princeps propter hoc, cùm scilicet ex hoc acciderit detrimentum Ecclesiæ, vel Reipublicæ.* Et recitat ibi exemplum 2. *Regum* .XIX.22. Cùm Abisai vellet occidere Semei maledicentem David, dixit: *Quid mihi & vobis filii Sarviæ? Hodie efficimini mihi in sathan.* Timebat enim ne ex ejus interfectione Regnum turbaretur. Idem dicit Nicolaus de Lyra ibi, quòd si contra hæreticos procedendum *, majus periculum in Ecclesia probabiliter timetur, ut de schismate & interfectione Fidelium, permittendi, ad vitandum periculum.

Sexta Propositio. Si contingat viros illiteratos, sed semper Catholicos & filios Ecclesiæ, nec unquam suspectos de aliquo errore in Fide, adhærere dictis Magistrorum in Theologia, vel eorum dicta advocare, contra quæ dicta contingat postmodùm procedi: contra dictos advocatores processus esset omittendus,
A in prædicto casu, ubi timeretur Fides, & pax Ecclesiæ, ac bonum Reipublicæ detrimentum posse pati. Apparet: nam si contra hæreticos & assertores errorum, in casu prædicto, processus esset omittendus; multò magis contra solos advocatores.

Septima Propositio. Si contingat Magistrum in Theologia, assertorem aliquorum Doctorum ‡ decedere ab hac vita, ante inchoationem processûs contra ipsum, vel ejus dicta in processu qui post ejus mortem moveretur contra ejus dicta, & eorum advocatorem maximè Potentem, probabiliter debent timere Fides & pax Ecclesiæ, ac bonum Reipublicæ detrimentum posse pati. Ista Propositio declaratur: nam probabiliter timendum est ne talis Potens totum processum habeat suspectum, & judicet totum fieri non zelo Fidei, nec amore Justitiæ; sed livore & odio, dicens apud semetipsum: Cur non contra assertorem
B dictorum istorum motus est iste processus, dum adhuc viveret, cum scilicet posset semetipsum deffendere, & personaliter respondere, & apertè ostendere quo intellectu, qua intentione, quo sensu dicta ista asseruit, ex quibus doctrinis ea transumpserit; quid ad me de dictis ejus, illiteratis sum † advocavi ipsum credens Doctori famoso, quoniam dictis Fides adhibeatur, nisi Magistrorum & Prædicatorum sacræ Scripturæ: alioquin peribit omnis certitudo & credulitas in simplicibus, si erronea essent ea quæ ipse asseruit; non tandiù tolerassent eum amatores Justitiæ, & zelatores Fidei: quatuor, vel quinque Annis remansit superstes, & nihil est acceptatum contra eum:
C nec esset honestum allegare in hoc casu obstantiam potentiæ advocatoris; quia æquè potens est nunc, sicut tunc, & ex consequenti probabiliter timendum est ne ex ista suspectione de toto isto processu sic concepta in corde dicti advocatoris sequatur guerræ jam sopitæ ressuscitatio, turbatio Regni, pacis Ecclesiæ, tranquillitatis cordium, & immunera alia quæ cedere possent in detrimentum Fidei, & boni Reipublicæ.

Octava Propositio. Ex isto processu qui nunc agitatur, verisimiliter debent timeri Fides & pax Ecclesiæ, & unitas Fidelium, ac Reipublicæ bonum pati posse detrimentum. Probatur ista Propositio: nam iste processus non potest agitari, quin partibus aliàs divisis, & ut supponitur, remittat ∔ ad memoriam materia litis præteritæ; & ex consequenti, quin dictarum partium corda faciliter moveantur ad reaccendendum præteritæ litis scintillam; & ex consequenti, quin in dictarum partium cordibus generetur quædam pronitas ad ruptionem fœderum, violationem
D juramentorum, & irritationem pactorum pro concordia initorum; ac per hoc quin sequatur turbatio Regni, Regnicolarum impia commotio, fratrum contra fratres, filiorum contra parentes, & parentes contra filios, ut docuit experientia, tempore guerræ transactæ; ac per hoc, quin sequatur spoliatio Ecclesiarum, vastatio bonorum Ecclesiasticorum, evacuatio cultus divini, conculcatio Sacramentorum, &

* *Fortè* cedant. † *Fortè* cedere. ∔ *Fortè* si.

* *Fortè* procedendo ‡ *Fortè* dictorum † Locus corruptus. ∔ *Fortè* remittatur.

& contemptio sacrorum Rituum, quæ omnia notum est cedere in detrimentum Fidei.

Nona Propositio. Non est necesse processum hunc agitari, ut claudatur via mali, ad quæ dicitur una † ex prima Assertione. Probatur ista Propositio.

Si primò, fiat mentio de primo malo ibidem specificato, quod est transgressio illius Præcepti *Non occides*; non est demonstratum quòd occidens tyrannum, in casu Propositionum Magistri Joannis Parvi, occidat authoritate propria; quoniam potiùs authoritate Legis, saltem implicata.

Si secundò, fiat mentio de secundo malo ibi notato, quod est subversio Reipublicæ, & dominationis Principis; Propositiones Magistri Joannis Parvi sumptæ cum modificationibus suis damnatis atque damnandis prædicant* omnem subversionem, seu subversorem Reipublicæ, & invasorem Dominationis Principum.

Si tertiò, fit mentio de tertio malo ibi notato, quod est dare viam ad fraudes & violationes Fidei, & juramentorum, ad proditiones & mendacia, & deceptiones Ecclesiæ; dictæ Propositiones Magistri Joannis Parvi sumptæ, ut præfertur, non dant viam ad fraudes, sed ad prudentes cautelas, loco & tempore, & in casu necessitatis servandas, nec etiam ad violationes Fidei & juramentorum: imò detestantur proditorias conspirationes & confœderationes, & illicita juramenta, ac præjudicium Principis, uxoris, liberorum ejus, & Reipublicæ: nec etiam ad proditiones; imò prohibent cum proditoribus inire fœdus, & habere consortium; nec ad mendacia, quia non docent mentiri, sed in casu tacere veritatem; nec ad deceptiones, pari ratione.

Si quartò, fiat mentio de quarto malo ibi notato, quod est dare viam ad omnem inobedientiam subditi ad Dominum suum, & ad omnem infidelitatem, & diffidentiam unius ad alterum*, dictæ Propositiones intellectæ, ut præfertur, non dant viam inobedientiæ subditi ad Dominum suum.

Tùm primò, quia illa Propositio principalis quæ loquitur de occisione tyranni, non prætendit quòd tyrannus, in illo casu, sit occidendus per suum subditum, sicut imponitur sibi in prima Assertione; sed quòd per subditum Domini Superioris, cujus tyrannus ille invadit Dominium: & ista est iterum alia causa, quare illa prima Assertio non sequitur ex dictis Magistri Joannis Parvi.

Tum secundò, quia illa Propositio principalis, & præcedentes omnibus, detestantur inobedientiam vassalli & subditi invadentis Principatum Domini sui: nec etiam dictæ Propositiones dant viam ad omnem infidelitatem, quia multùm commendant & suadent fidelitatem vassalli & subditi ad Dominum suum. Quantùm de fidelitate & confidentia unius ad alterum non dissuadent eam in benè promissis; & ex consequenti, si non dant viam ad ista, vel ad alia, sequitur quòd nec ad æternam condemnationem, quod est ultimum malum ibi notatum in ultima Propositione.

Omnibus attentis & consideratis, processus iste inchoatus honestiùs & utiliùs omitteretur, quàm ulteriùs acquiretur: honestiùs, ad tollendam omnem suspicionem, & maximè supra notatam; utiliùs, ad vitanda mala supra notata, & immutabilia scandala quæ verisimiliter & probabiliter timeri debent inde posse oriri.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus de Porta, Magister Collegii de Navarra, regratiatur & protestatur ut ceteri, meliori modo quo potest respondet ad primum: stat enim, cùm dicit quòd † qualificationibus positis in cedula, quòd sunt benè & rationabiliter reprobatæ. Quantùm ad secundum, dicit quòd est difficultas, & proponit multas rationes tactas; & specialiter per ultimum deliberantem in scriptis, & ultimum loquentem, quòd expedientiùs est dimittere condemnationem judicialem ipsarum Assertionum. Quæ quidem difficultas tangitur ex duobus, & intendit loquens sequi dicta beati Thomæ, & de Halis, & Doctorum antiquorum: difficultas est enim, vel quia error non est clarus, vel quia ex condemnatione sequeretur scandalum.

A

Quantùm ad primum dicit, quòd ita benè reperietur in multis aliis Articulis & Præceptis.

Quantùm ad secundum, scilicet de scandalo ex condemnatione errorum, & perturbatione pacis; dicit quòd tangebantur duæ causæ, quia tanget personam advocantis quæ est potens; secunda, ex parte scandali, & perturbatione pacis & populi: & ideò in ista materia intendit clarè procedere.

Quantùm ad primum, non est apparentia quòd Dominus Burgundiæ in ista materia tangatur; imò ridiculum est hoc dicere: patet, quia præsupposito quòd ipse advocavit istam Propositionem, quia clarum est quòd ipse non advocavit omnia in ea contenta. Dat exemplum. Laïcus vadit ad Parlamentum petens hereditatem, capit Advocatum qui proponet factum suum, & allegat Leges & Jura; & si post hoc laïcus advocet ipsum, non intelligitur ipsum advocare in allegationibus, cum Jura ignoret, & ipsum non intelligitur. Et ideò dicere quòd Dominus Burgundiæ advocavit Jura & allegationes ibidem factas, est ridiculum, cum Jura ignoret. Et hoc benè expressit pridie Magister Joannes de Monteleonis, dicendo quòd advocavit Magistrum Joannem Parvi, quo ad bona servanda, & personam suam: & si dicatur excusare Dominum Burgundiæ, sed non Consilium suum; dicit quòd non vult tales excusare, si viderint istam Propositionem. Et adhuc dicit quòd vidit Propositionem Magistri Joannis Parvi: & ideò totum reducitur in ipsum, si reducatur contra ipsum.

B

Quo ad secundam difficultatem ex parte popularium, si benè intelligatur, modica est & nulla; nam Hieronymus dicit quòd sola Gallia monstris caruit: & credit quòd temporibus istis adhuc non erant aliqui errores: & est populus Parisiensis obediens, & reperietur; & de hoc est certificatus Dominus Officialis Parisiensis, ex parte aliquorum Burgensium Parisienum. Et sic apparet quòd si error est clarus, parabola de zizaniis non tangit casum præsentem: & ideò procedendum est ad inspectionem errorum, si qui sint.

C

Quantùm ad tertiam difficultatem, ubi dicitur, non est assertor aliquis &c. protestatur quòd si contingat aliquam personam non ad malum sed ad bonum, & ad exaltationem personæ: & cùm dicitur Magister Joannes Parvi istas Propositiones asseruit, dicitur etiam quòd benè decessit & catholicè: nam dicitur quòd in morte sua fecit unum quaternum, ubi erant octo folia magna, ad justificationem suæ Propositionis, nescit si sit ita, & credit oppositum, & habet unam conjecturam: nam tempore quo decessit, quidam valens Magister erat præsens, qui retulit loquenti quòd fecit unum quaternum sigillatum, pro dando Domino Burgundiæ, ubi, ut dicitur, erant aliqua revocatoria dictorum per ipsum. Alia conjectura est: nam Magister Joannes Parvi dicit cuidam præsenti in sua infirmitate: Utinam nunquam didicissem verbum in Scholis, quæ sunt verba pœnitentis: & hoc erat signum ipsum pœnitere aliqua dixisse, vel scripsisse, aut verbo proposuisse propter scandalum oriendum: & ideò pœnitebat sicut Berengarius, qui publicè erravit: & quamvis publicè pœnitentiam fecisset; tamen veniens ad mortem, posuit se in timore Dei: & si videret contrarium, non videret quòd catholicè decessisset.

D

Istis dictis, sequendo opiniones antiquorum Doctorum, venio ad Quæstionem quam fecit J. & Augustinensis heri, qui * hìc non venimus ad disputandum, imò ad salubre consilium præbendum: quam Quæ-

† *Fortè* via * *Fortè* producant † Locus corruptus.

* *Fortè* quia

quæstionem relinquit insolutam propè astantem; & ideò venio ad Quæstionem suam, quia quærebat, utrum in aliquo casu licitum sit occidere tyrannum.

Quantùm ad materiam in se, dicit Alexander de Halis, & sanctus Thomas, non licet occidere tyrannum in quocumque casu, propria authoritate, & sponte: dicit sponte, propter homicidium quod committitur coactè; & propter homicidium casuale: & dicit quòd nunquam occisio hominis est licita, sine authoritate publica. Et quoniam dicitur de peregrino, quòd Lex erat quòd nullus peregrinus ascenderet muros &c. non facit ad propositum, quia defensio licita naturalis licita est. Idem de Patre &c. Dicit quòd Lex dat sibi authoritatem: & ideò nullus debet occidere alium, sine authoritate publica licitè; nec ex probabilitate vel opinione quis debet occidi. Et antequam ulteriùs procedat, dicit quòd termini sunt intelligendi. Et capit definitionem tyranni: nam tyrannus est is qui in Republica non justè principatur, vel non Jure principari conatur. Ista definitio obscura, sicut terminus qui definitur: quoniam dicitur, non Jure principatur. Hîc notatur defectus Juris qui est duplex: vel est in titulo, vel in modo principandi. Defectus in titulo, quia non benè intravit, sed per violentiam, aut aliàs malè, & sic nullum Jus habet. Defectus in modo est, quoniam est verus Dominus & verum Jus habet, sed malè exequitur; nam sanctus Thomas quærit an debeamus obedire tyranno: dicit quòd non, quoniam ‡ habet in titulo, nisi superveniat novus consensus. Si sit defectus in secundo modo, dicit quòd subditi tenentur sibi obedire, nisi ad illicitum jubeat, aut contra Fidem.

Ex istis apparet quòd illa prima Assertio quæ ab aliquibus dicitur esse impropria, quia ibidem dicitur, quòd *Quilibet tyrannus à quolibet suo vassallo* &c. dicit quòd est propria satis, juxta secundum modum tyranni, quia dominum ‡ habet & Jus & potestatem, licèt abutatur. Sequitur error manifestus, qui sequitur implicitè ex Assertione, & in Propositione Magistri Joannis Parvi, quia facit unam Quæstionem, quare in aliquo casu licet servare Fidem capitali hosti, & non tyranno? Respondet solutio: datur proditor, ideò non insistit circa aliam solutionem.

Sequitur secundò, quòd illa Assertio Magistri Joannis Parvi, quæ ponitur in fine tertii Articuli, est perniciosa, ubi dicit: *C'est droit, raison & equité, qu'un chacun tyran soit occis* &c. Hoc est falsum; nam innuit quòd propria mors tyranni est per insidias & explorationes. Ecclesia refutaret, si esset congregata, istam infidelitatem.

Item, infert ultra: licitum est hostem publicum capitalem offendere: igitur licet tyrannum occidere, non sequitur, & cum dicitur; nulla pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.

Responsio non est similis, quia tyrannus, ratione potestatis sibi datæ, est tolerandus.

Sequitur tertiò, quòd tertia Propositio Magistri Joannis Parvi, quæ dicitur tertia veritas, non est beati Thomæ, & quoniam arguit; Tullius laudat illos qui occiderunt Julium, sanctus Thomas solvit sic: Tullius loquitur ibi quoniam * aliquis sumit sibi aliquod Dominium, nolentibus subditis, vel ad consensum coactis, & quoniam † non est recursus ad Superiorem, tunc Tullius laudat illos qui talem occidunt ad liberationem populi. Magister Joannes Parvi variat hoc & malè: nam dicit quòd quoniam ** aliquis machinatur contra mortem sui Principis &c. *Il est licite à un chacun subjet d'occire, ou faire occire tel tyran, sans Mandement, ou Commandement quelconque.* Et super hoc videatur codex suus, & patet clarè de Assertione. De Michaële deficit etiam, quia non posuit aliquod verbum notorium:

‡ *Hîc deesse videtur* defectum. ‡ *Fortè* Dominum. * *Fortè* quando † *Etiam* quando ** quando.

alioquin quilibet diceret quòd justè occideret aliquem, quia diceret: iste occisus volebat usurpare Regnum, requiritur quòd hoc sit notorium: Nam illa Assertio de Michaële expressè ponitur in suo Libello

Quantùm ad illam de juramento, dicit quòd est perniciosa & mala.

Quantùm ad Quæstionem, ad remediandum de tyranno, habente scilicet titulum, quomodò remediatur, ubi Rector aliquis convertitur in tyrannidem,
A distinguit. Vel est excessus magnus tyrannidis, vel parvus. Si parvus, tolerandus est tyrannus. Et dat exemplum de Dionysio tyranno. Nam quædam mulier sibi obvians precabatur sibi bona; qui fuit miratus, & quæsivit ab ipsa, quare sibi bona precabatur, quæ respondit, quia dubitabat habere post pejorem.

Dicit beatus Thomas: si tyrannus est intolerabilis, tunc nullo modo per personam privatam acceptandum esset ad personam suam. Et dicit ulteriùs quòd magis est utendum authoritate publica: quia vel talis Communitas quæ sic opprimitur per tyrannum istum, habet Superiorem aliquem, vel non habet. In casu primo, non debet attentare ad depositionem ipsius, sed recurrendum esset ad Superiorem. Dat exemplum de Judæis, qui habuerunt Regem Cæsarem, & populus Hæbraïcus unum Regem Archelaum, qui conversus fuit in tyrannidem, & primò fuit privatus per privationem medii Regni; & secundò per privationem totalem.

In secundo casu, ubi non habet Superiorem: in isto
B casu spectat ad Communitatem ipsum deponere; imò & interimere. Declarat de Romanis, quia Senatus Romanus deposuit quemdam Imperatorem: & de quodam alio.

Ex istis sanctus Thomas dicit, quòd positis circumstantiis Tullii, mors secuta est, in personam Julii fuit licita, per Senatus authoritatem, & in Senatu in quo residebat authoritas publica; sed non dicit planè quia Julius Cæsar fuerit justè interfectus, quia de circumstantiis non erat certificatus.

Sequitur ultra: ubi autem per istas vias non potuisset adhiberi remedium, tunc recurrendum esset ad Regem Regum. Et allegavit ibi de Nabuchodonosor, qui fuit magnus tyrannus: nam in tyranno potestas est à Deo, sed non voluntas in tyranno, quia mala est.

Dicit ultrà, quòd quasi omnes Principantes, ab origine mundi fuerunt tyranni: tamen dicit ipse, secun-
C dùm doctrinam Catholicam, est eis obediendum: quia titulum habebat hunc potest conservare per illam authoritatem: *Per me Reges regnant* Prov. VIII. 15. & tyranni regunt terreni.

Ex istis patet solutio ad Quæstionem: & ideò si aliquis dicat se habere authoritatem, oportet quòd sit luce clarior.

Ex istis venit ad Assertiones. Pro illa de Michaële est erronea: & de illa de juramento similiter. Et dicit quòd judicialiter procedendum est ad inspectionem illius codicis, & consequenter ad condemnationem Assertionum judicialiter. Et ista est opinio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jacobus de Liphodio magno, Ordinis Augustinensis, licèt infirmus, tamen cogitavit circa materiam, &
D protestatur, sicut ceteri. Dicit quòd quæruntur duo.

Primò, de erroneitate istarum Assertionum: secundò quæritur de punitione, vel condemnatione ipsarum: nam quoniam * quæritur contra aliquem, considerandum est ad intentionem proferentis. Et dicit quòd non sufficit se referre ad quaternum suum, & ideò videndi sunt quaterni sui, an istæ Propositiones contineantur ibidem; & inspiciendum esset quo animo loquitur, qua intentione: nam Augustinus dicit, quòd pœna ærii est incerta; & dicit quòd si reperiatur quòd ipse posuerit, & sint erroneæ, cum materia, puniendum est. Et narrat quali-

* *Fortè* Quando.

ter in Praga isto Anno, nam in dilationibus talibus periit Fides. Et si dicatur; hæretici nihil petunt, taceas: ha taceant, & videbo tunicam Domini mei dilaceratam, non tacebo, imò clamabo.

Quantùm ad primum, dicit quòd multùm miratur de prima Propositione quæ est falsa, seditiosa, erronea & multiplex: falsa; nam dicit, *Chacun tyran doit* &c. Nam videtur hominem obligare ad occidendum tyrannum, ergo illi qui non occiderunt tyrannos, peccaverunt, & Christus. Et dicit quòd si reperiatur in aliquo loco quòd licitum esset occidere tyrannum, hoc est intelligendum secundùm Leges ipsorum, & non secundùm Legem nostram. Nam dicere quòd homo se ipsum licitè occidat, est hæreticum, & ita prohibuit Christus: & ideò non valent consequentiæ, si licitum sit aliquando, secundùm opinionem, occidere tyrannum, quod secundùm Legem nostram: & Leges positivæ sunt, sicut Medicinæ, nam ipsas oportet variare secundùm diversitatem temporum. Nam reperitur in Scriptura quòd ex occisionibus tyrannorum pervenerunt * multa mala & infinita, & illo modo non licet occidere tyrannum.

Secundò dicit, quòd visa dispositione temporum, quòd homines prompti sunt ad rebellandum; dicit quòd dogmatisare talia, est periculosum.

Dicit ultra, quòd si licitum esset secundùm veritatem, si Propositio esset vera, adhuc non esset aperienda, nec dogmatisanda; ideò est condemnanda tanquam pernitiosa. Et si dicas quòd in aliquo casu licet occidere tyrannum, in alio non; ergo dicere in omni casu, licet occidere tyrannum, falsum est: sicut ista; in omni casu est inobediendum Superiori, est erronea & falsa, & ultra seditiosa, ut clarum est.

Et quoniam dicitur ultra; non obstante quocumque juramento, est erroneum: & dicit; ista Propositio, quòd licitum est venire contra juramentum &c. est falsa, perturbativa politiæ & destructiva, erronea & pernitiosa. Nam beatus Paulus dicit: *Non sunt facienda mala ut veniant bona.* Rom. III. 8. dicit alibi *Finis controversiæ*, Hebr. VI. 16. scilicet, ergo venire contra juramentum hoc esset pessimum: juravi tibi solvere decem, invenio pauperem, trado sibi, facio melius tradendo indigenti, quàm tibi non egenti, ergo sum absolutus à juramentis, consequens est falsum & pernitiosum, & per istum modum non erit stabilitas in mundo, nec in politia.

Et recitavit Historiam de Romanis, tempore Virgilii, & Carthaginensibus qui inter se fecerunt pacem, contra quam Carthaginenses venerant, & in tantum fuit processum, quòd fuerunt deducti ad necessitatem magnam, depressi, & miserunt Legatum ad Romanos pro pace facienda: & fuit quæsitum à Legato, per quos deos firmarent pacem suam: respondit quòd per deos suos: Vos non tenuistis deos vestros, jurabitis per deos nostros. Ha dicit Legatus, non † sumus in tantum puniti per deos nostros, propter perjurium, quòd amodò tenebimus. Et ideò se non opponere istis, est aperire viam ad omnia mala, ad fractionem Pacis.

Et narrat Historiam ab Arrio; cum debuit condemnari, fuit instructus, & habuit cedulam de tenendo illa quæ debebat credere: & cautè supposuit cedulam de Fide sua; & sic juravit, & crepuit ibidem medius, coram toto cœtu, & reperta est cedula falsa in manu sua.

Idem, de Thebe, qualiter fuerant puniti propter quod juraverant, qui ordinaverant quòd unus regnaret uno Anno, & alius per alium Annum, & in fine Anni unus noluit dimittere Regnum, sicut juraverat, ex quo multa mala provenerunt.

Et ideò dicit quòd illa Propositio de juramento, est periculosissima, seditiosissima, & totius politiæ destructiva, & ita baptisat ipsam; & requirit omnes quòd de ista Propositione fiat mentio specialis, cum sit seditiosissima & destructiva; & quòd non expectetur dilatio magna in condemnatione ipsius & aliarum; nec est curandum de assertore: nec essent omnes sic vocandi ad condemnandum aliquas Propositiones falsas, nam aliàs fuit dictum: Redit hæreticus de Francia, & nunc est in Curia. Et hoc quo ad primam Propositionem.

De alia de Michaële non instat multùm; nec etiam de aliis omnibus sequentibus. Aliæ sequuntur A ex prima: & dicit quòd in se continet errorem, aliquæ plus, aliquæ minùs. Et ista est deliberatio sua quòd reputat istas Propositiones condemnandas tanquam scandalosas, & quælibet ipsarum continet errorem in Fide.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Rolandus Barguenel, regratiatur & protestatur, ut supra. Et dicit primò, quòd Propositiones sunt falsæ, maximè prima & ultima. Dicit etiam quòd Propositiones istæ sunt collationandæ cum Propositione Magistri Joannis Parvi; & videndum si contineantur in dictis suis. Et dedit deliberationem suam in scriptis, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Præsuppositis protestationibus quas Magistri mei & Domini mei in deliberando præmiserunt, protestando etiam quòd nemini intendo inferre injuriam, B solùm dicere *, quòd videtur mihi circa proposita per vos Reverende Pater in Christo, ad observantiam Fidei & pacis.

Primò, videtur mihi, quòd si solùm esset deliberandum de illis Propositionibus, an sint veræ vel falsæ & hæreticæ, & an sint condemnandæ judicialiter, vel non; dicerem primò, quòd quædam earum sunt falsæ, judicio meo, & maximè prima & ultima, & malè sapiunt in Fide & moribus.

Secundò, dicerem quòd nihilominùs si ita nudè proponatur, nulla est necessitas condemnandi plus quàm alias Fidei contrarias, de quibus non oportet facere speciales condemnationes: sed quia cedula missa prætendit eas fuisse positas tanquam Assertiones, & adhuc materia est usque huc aperta, ut videantur positæ in medium, occasione Propositionis Magistri Joannis; ideò videtur quòd oportet C conferre istas Propositiones cum dictis suis. Et quantùm ad hoc; primò videtur mihi quòd prima Propositio cedulæ non sequitur ex Assertionibus Magistri Joannis Parvi. Patet, quia illa cum qua videtur magis convenire, est talis, prout ego vidi in uno Registro.

Primò, ipse præmittit unam veritatem quæ dicit: *Tout subjet & vassal, qui par convoitise, sortilege, barat & malengin, machine contre le salut corporel de son Roy & souverain Seigneur, pour luy tollir & soustraire sa tres noble, & tres haute Seigneurie, peche griefvement; & commet si horrible crime, comme crime de leze Majesté, & par ce est digne de double mort.* Posteà ponit unam aliam quæ talis: *Au cas dessus dit, il est licite à un chacun subjet, sans quelque Commandement, ou Mandement, selon les Loix morale, naturelle & divine, d'occire ou faire occire iceluy traistre desloyal; & non pas seulement licite, mais honnorable* D *& meritoire, mesmement quand il est de si grande puissance, que justice n'en peut estre faite bonnement par le Souverain, & il persevere en sa malice, ne se veut corriger & amander, & que peril y a en la demeure.*

Satis apparet quòd prima Propositio contenta in cedula missa, est multùm remota ab istis. Primò, quia ponitur ubi, *Son vassal*, referendo ad tyrannum dicendo sic: *Chacun tyran peut & doit estre loyaument, & par merite occis de quelconque son vassal, ou subjet.*

Aliæ non dicunt sic, sed dicunt quòd vassallus Domini supremi contra quem tyrannus machinatur &c. potest licitè interficere talem tyrannum &c.

Item,

* *Fortè* provenerunt † *Fortè* nos.

* *Fortè* dico.

Item, quia in Propositione cedulæ additur, *mesinement par aguettes, flatteries & adulations, & nonobstant quelconques juremens, ou confederations faites envers luy* &c.

Modò ista non sequitur in Propositione præfata Magistri Joannis Parvi: sed diceretur forsan quòd ista tanguntur in probationibus suis, in allegatione Salberiensis, & Bocatii. Quantùm ad hoc, dubito an sufficiat ad imponendum, sequitur, & videtur quòd non, quia allegationes non sunt Assertiones, sed quælibet inducuntur ad confirmationem propositi, quasi per locum à minori.

A Secundò, dico quòd illæ Propositiones quas ponunt illi solemnes Doctores, sunt magis dubiæ, & non essent leviter condemandæ, quia omnes antiqui, Morales maximè, damnant tyrannum & tyrannidem. Fundamentum hujus est, quia est subversor Reipublicæ: & ita videtur quòd liceat cuilibet membro insurgere contra eum, ad conservationem sui & totius.

Quantùm autem ad aliud quod de juramento tangitur; videbitur de hoc circa ultimam Propositionem: sed dicunt quidam, quòd quamvis ista Major non sit erronea, tamen erroneè est applicata &c.

Et quantùm ad hoc, fuisset vitium, sumendo sub illo supposito: quia nihil faceret contra Majorem. Sed ad hoc posset dici, quòd licèt illa prima Propositio cedulæ non sit asserta per Magistrum Joannem Parvi; tamen ipsa fuit praticata, & deducta in effectum, & inconveniens secutum est in ista Diocesi. Quare &c. B

Videtur quantùm ad hoc, quòd oporteret plùs exprimere talem praticam: si addicatur mors Aurelianensis Ducis, cujus anima sit cum Deo, hoc esset contra protestationes advocantium, & multùm tangeret Tractatum pacis; si verò hoc dicatur, quòd illa miserabili deditione, vel abandonisatione Dominorum aliàs facta, non esset ad propositum; quia sive effectus fuisset conveniens, non tamen evenisset sine Mandato quocumque &c.

Item, circa istam Propositionem videtur cautè aspiciendum, non volendo compescere subditos, vel alios, ab insurgendo contra Dominos temporales, detur Dominis licentia exercendi tyrannidem, quando via invadendi eos erit præclusa: & est benè attendendum, judicio meo, quid accidat, ut in pluribus, aut Dominos esse tyrannos, aut subditos machinari contra eos, quis * obviandum esset illi parti C quæ accidit in pluribus. Per ista autem nullo modo volo Principes Franciæ notari, qui semper fuerunt benigni & mansueti: sed considero quòd ista condemnatio promulgaretur ubique, & in Italia, & alibi. In aliquibus autem partibus Domini temporales sunt multùm proni ad tyrannidem.

Item, quia facta est mentio de dicto sancti Thomæ de Aquino, veritas est quòd in fine tertii Sententiarum, ubi inquirit, an Christiani teneantur obedire Potestatibus sæcularibus, & præcipuè tyrannis; facit argumentum ex authoritate Tullii, qui *Libro de Officiis* commendat eos qui interfecerunt Julium Cæsarem, & in solutione dicit sic: „ Tullius loquitur „ in casu illo quando aliàs Dominium sibi per violen- „ tiam subripuit, nolentibus subditis, vel etiam ad D „ consensum coactis, & quando non est recursus ad „ Superiorem, per quem Judicium de invasore possit „ fieri; tunc enim, hoc est stantibus prædictis cir- „ cumstantiis, qui ad liberationem patriæ tyrannum „ occidit, laudatur & præmium accipit.

Istud quod dicit sanctus Thomas videtur quasi communis animi conceptio, & Propositio Magistri Joannis Parvi videtur continere istas circumstantias. Quare &c.

Ex istis videtur sequi quòd istud sic modificatum, non est contra illud Præceptum, *Non occides*: sicut nec executor Sententiæ Judicis transgreditur; nam talis remotio tyranni, non esset nisi executio Sententiæ Judicis, quæ est quasi scripta in cordibus, quam non oportet promulgare, ut videtur, quia sponte cadit in mentem: & sic executor non fungitur privata authoritate, sed publica. Et est adhuc considerandum quia tyrannus non subjicit se ordinationi Legum, nec potest tractari secundùm communem cursum Legum, aliàs non diceretur propriè tyrannus; sicut non dicitur latro insidians in sylvis, esse tyrannus. Hîc de prima.

Quantùm ad secundam, de sancto Michaële, continet multas partes. Prima est, quia Michaël occidit Luciferum: & videtur quòd iste modus loquendi posset admitti, sicut dicimus, quòd executor voluntatis Judicis occidit latronem: & minus propriè dicitur quòd peccatum suum occidit eum, vel ipsemet, quia non est nisi dicere quòd peccatum suum est ratio quòd interficiatur, & illud se tenet magis à parte passiva, quàm agentis.

Ultrà, continet illa Propositio, quòd sine Mandato, seu naturali amore: & inde videtur inferri quòd propria potestate hoc fecerit: & sic non est falsum, nec sequitur quòd propria potestate, quia nullus, nec Philosophus, nec Catholicus, dubitat quin omnis potestas sit à Deo.

Ulteriùs, continet Propositio quòd datæ sunt ei divitiæ gloriæ Dei, quantùm potuit capere. Registrum quod legi habet in Propositione Magistri Joannis Parvi: *quantum voluit*; & non est idem: tamen subditur, id est tantùm quantùm erat capax: intelligendum est, judicio meo, secundùm justitiam & dispositionem recipientis: unde hoc metaphoricè distinguitur, possibile & impossibile; & uno verbo dicitur impossibile, quod non benè, vel faciliter fieri potest. Quare &c.

Quantùm ad tertiam Propositionem de Phinées & Zambri, mihi videtur quòd est res satis positiva. Et mihi est dubium utrùm Phinées fuerit de Judicibus, & habuerit Mandatum. Et ista Propositio non videtur magni ponderis, considerata in se.

Quantùm ad aliam Propositionem de Moyse qui interfecit Ægiptium, in *Exod.* illo deducto per Magistrum Joannem Parvi, habetur, prout ego vidi, quòd sine Mandato cujuscumque hominis. Et ideò Propositio quæ dicit quòd sine Mandato quocumque, non esset ad propositum.

Quantùm ad aliam Propositionem, de Judith & Jehu, videtur quòd non obstantibus juramentis, vel dissimulationibus præcedentes, * fecerunt bonum opus interficiendo Sacerdotes Baal, & Olophernem, prout Textus Bibliæ sonat: tamen si per hoc intulerit præfatus Magister Joannes Parvi, quòd liceat mentiri, aut perjurare, malè & erroneè infert: non tamen percepi quòd ita inferat. Dico ergo circa hoc quòd mentiri est per se malum; & includit in ratione sua defectum, quia vox est ordinata ad exprimendum conceptum mentis: ideò si exprimat aliud, vel contrarium, deviat à fratre † suo.

Sed circa hoc mihi incurrit dubium: quia licèt proximus finis vocis sit expressio concepta; tamen hic finis sub alio fine, ordinatur enim ad conservationem humanam, ut homines se mutuò coadjuvent ad perveniendum ad felicitatem, tàm civilem quàm divinam: & ideò licèt talis vox deviat à fine proximo; non tamen à fine remoto. Ut putà si aliquis prosequatur alium gladio evaginato, & alius fugiens, me vidente, occultet se, & prosequens à me quærat ubi sit, exprimendo conceptum mentis, per vocem impleo finem proximum, sed non remotum; imò vado contra, quia ad illam expressionem sequitur fractio conservationis civilis. Si dicatur, quòd hoc sequitur per accidens, verum est, quantùm ad causam proximam, sed non quantùm ad prosequen-

* Locus corruptus: Fortè quia.

* Fortè procedentes. † Fortè fine.

rentem, saltem non à fortuna, quia ipse prævidet verisimiliter illud sequi. Ideò ego sum aliquo modo in hoc puncto perplexus, utrum relicto fine proximo vocis possunt eam ordinare * licitè ad finem remotum & potiorem; licèt enim sit defectuositas in actu imperato, quia vox non ordinatur ad finem suum proximum; tamen non est defectibilitas propriè in actu voluntatis elicito, quæ est velle salutem hujus. Unde circa hoc videtur quòd si mendacium importet voluntatem fallendi, tunc omne mendacium est culpabile, quia defectum voluntarium: si autem sufficeret ad mendacium defectus vocis à suo fine, vel deordinatio, posset dici, prima facie, quòd non includit culpam, quia defectus ille non est propriè voluntarius: non enim volo illum decipere, sed salvare eum, & talis prolatio est medium ad hoc, cui inquam, hujusmodi accidit falsitas; possunt autem velle aliquid non volens † accidens illi. Nihil tamen intendo asserere circa hoc.

Quantùm ad ultimam de juramentis, mihi videtur falsa, sicut jacet, & reprobanda: quia licèt, cum quis juravit aliquid facere, si occurrat melius incompossibile, teneatur ad illud, tamen faciendo, non evitat perjurium, quamvis qui vellet ire ad Logicam, talis non perjurat faciendo melius, sed perjurat omittendo juratum.

Ista non communicantur in illo casu, sed talis Logica non est admittenda in moralibus: verumtamen videtur quòd si aliquis esset tyrannus, cum quo alter bonus civis fecisset pacta & foedera, nesciens eum esse talem, comperto quòd ipse esset talis, videtur quòd non esset perjurium dimittere pacta. Ratio est, quia in omnibus talibus, cùm debeant ordinari ad salutem Reipublicæ, subintelligitur conditio illius finis legaliter jurando: & ideò si præjudicet Sententia, non manet conditio sub qua implicita fiebat juramentum, & per consequens nec juramentum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Benedictus Gentiam, regratiatur & protestatur, ut ceteri, & videtur sibi quòd prima Propositio est hæretica, scandalosa, & per consequens condemnanda tanquam hæretica, quia contra illam quam habemus de Spiritu sancto, *Non occides*: & stat in reprobatione cum Domino Cancellario.

Prima historia de Saul.

Alia de David, & de poenitentia ipsius; quia consensit in morte Uriæ.

De tyranno habet Historiam quòd Fides est servanda eidem.

Illa de Michaële Propositio potest incidere in errorem Arrianorum.

De illa de Phinées; falsa est, quia habuit authoritatem, & factum erat notorium, & est scandalosa, quia praticata facto, verbo & scripto: nam fuerunt tres occisi impunè, ut dicebatur, quia erant tales: & ideò ista doctrina non est toleranda, imò est condemnanda, quia satis adest authoritas ordinaria & Papæ; quia Inquisitor authoritate Apostolica ordinatus est. Nec quæritur hîc quòd habeatis facere novum Articulum, licèt spectat declarare quid est pro Fide, & contra Fidem. Nec est dubitandum de turbatione populi, nam locutus fui cum aliquibus, qui dixerunt, quòd propter aliquam condemnationem pro Fide, non movebuntur, nec etiam aliquis Dominus debebit perturbari. Et si esset silendum, hoc esset propter authoritatem illam de tritico & zizania &c.

Et loquitur de hæreticis, & non est de hæresibus; & si dissimulatur, dubitat ne veniat super nos maledictio illa quæ venit supra unam civitatem quam nominavit. Nec est multùm insistendum de antiquioribus & junioribus: hîc omnes fuerunt moniti, ut afferrent quaternos Magistri Joannis Parvi, de sua Propositione. Etiam cum protestatione procedendum ad Excommunicationem: & est assignata dies crastina.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Ninguisanis, Magister in Theologia, mallet, dicit, in materia silere, quàm loqui: verumtamen protestatur quòd ea quæ dicet, non dicet in favorem dicti Parvi defuncti; sed probabiliter, & juxta conscientiam. Et quæruntur duo. Primò an Assertiones sint erroneæ: secundò an sint condemnandæ.

Circa primam non insistit, quia non credit ipsam fuisse positam per Magistrum Joannem Parvi: imò quoniam fuit locutus Magister Joannes Parvi de occisione tyranni, locutus fuit sub certis conditionibus.

Circa secundam, de Michaële, qui occidit Luciferum &c. Doctores supra apos * distingunt de morte æterna, primâ & secundâ.

Prima, dicitur separatio creaturæ à suo Creatore, & in isto sensu haberet locum.

Secunda, dicitur mors æterna, scilicet ultimum supplicium, & quia ibi detrusus fuit Lucifer per Michaëlem, non inconvenienter dicitur Michaëlem ipsum occidisse morte æterna. Et cùm dicitur, sine Mandato Dei, vel alterius, supponendum est quòd illa dictio sententiæ non excludit omne Mandatum, & hoc satis intelligitur per verba sequentia, ibi, *Motus amore naturali*. Et sic credit non esse erroneum dicere, quòd Michaël absque Mandato Dei speciali, videns Luciferum usurpare jura divinitatis, motus amore naturali, ipsum occidit, quia amor ille erat perfectus, & in illo accensus; illa Assertio non videtur erronea. Et si dicatur, Lucifer erat perfectior, quomodò igitur debellari † per Michaëlem? Potest dici quòd debellatus fuit per peccatum in naturalibus suis. Igitur quantùm ad illam Assertionem, sicut præsens dicit, sine Mandato, illa dictio *sine* non excludit omne Mandatum, scilicet Mandatum Legis naturalis, & sic Phinées sine Mandato speciali Dei, motus zelo Dei, occidit Zambri, & hoc etiam fecit zelo Legis.

Quo ad quartam Assertionem de Moyse, in Propositione Magistri Joannis Parvi ponitur, sine Mandato hominis, & sic non esset calumnianda.

De alia de Judith, non multùm instat, quia non credit quòd Magister Joannes Parvi eam posuit, nec potest trahi ex dictis suis.

De alia de Joab, credit quòd non contineatur in quaternis Magistri Joannis Parvi, nec potest elici ex dictis suis: ideò dicit quòd nihil aliud vult dicere circa istam.

De ultima Assertione de juramento &c. Dicit quòd si quis juret facere duo bona; unum bonum, & aliud melius; quoties secundum bonum vertitur in melius, tenetur illud sequi: & sic potest solvi ab aliquibus, qui dicebant Magistrum Joannem Parvi dixisse, fides servanda est capitali inimico, & non tyranno, quia obligatio major solvit minorem.

Quantùm ad secundum, an sint condemnandæ, dicit quòd non, pro nunc: ratio sua stat in duobus, juxta duo quæ requiruntur in fideli processu Fidei.

Primùm, veridica † inquisitio, propter honorem Fidei: nam fama communis tenuit, quòd istæ Assertiones sunt elicitæ ex dictis Magistri Joannis Parvi, & tamen non est notorium; & ideò istud primitùs esset inquirendum. Et dicit ultra, quòd quaterni, qui dicuntur de Propositione Magistri Joannis Parvi, non sufficiunt ad fundandum processum juridicum in materia Fidei: ideò oportet habere verum originale suæ Propositionis.

Item, requiritur in processu juridico, in materia Fidei, monitio contra illum qui accusatur, si sit vivens: & quia non solùm tangit Parvi, imò unum Magistrum militem; ideò videtur sibi quòd procedere ad condemnationem ipsarum, non vocatâ per-

* *Fortè* possum eam ordinare. † Locus corruptus.

* *Hic deest aliquid.* † *videtur deesse* potuit † *Fortè* juridica.

personâ quæ tangitur, videtur processus multùm periculosus: & ideò primitùs, & ante omnia, adeundus est ille Dominus, requirendus & monendus, ut si habeat aliqua tangentia materiam, quòd velit communicare, quod verisimiliter est credendum ipsum facturum: & si ipse requiretur stare Sententiæ ipsius Concilii, quòd tunc securiùs esset procedendum. Si autem requiretur, quòd mitteretur ad Curiam Romanam, tunc esset mittendus. Primùm, propter divisionem in Clero qui diversimodè censuit in ista materia; & ideò securiùs esset mittere materiam tractandam in Concilio Generali, ad evitandum divisiones & malitias hominum. Nam sicut in villa Parisiensi, quòd iste processus ex invidia inchoatus est, & ideò mittendus esset ad Concilium Generale, vel saltem pro nunc cessare à processu isto, & expectare aliud tempus magis conveniens: non solùm enim hæretici ad tempus sunt tolerandi; imò & errores, ut dicit Isidorus. Materia est alta, quanta nota est materia hæresis: & ideò supplicat ut cautè procedatur in materia. Et ista est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Graverant, Ordinis Prædicatorum, dicit quòd non fuit in illa Congregatione, ubi Instrumentum passatum, non fuit vocatus, nec Facultas fuit super hoc solemniter congregata, & ideò deliberationem suam posuit in scriptis, quam legit. Post cujus lecturam, dicit quòd in aliquo casu licitum est occidere tyrannum, ubi tyrannus, nolentibus subditis, vel invitis, attribuit sibi Dominium, & de quo non post haberi justitia, nec est recursus ad Superiorem: tunc qui occidit tyrannum ad liberationem patriæ, licitè potest occidi; & tunc si aliquis occidat tyrannum non habentem titulum invadendi suum Regem, prolem, & suam uxorem, & machinatur, licitè potest occidi, à fortiori. Ista tamen non dicit assertivè: & ideò visa Propositio Magistri Joannis Parvi illa contenta in cedula, non benè potuit explicari ad materiam.

Item, dicit quòd bonum est quòd haberetur orginale ipsius Magistri Joannis Parvi, & debent petere Judices, an si aliquis se faciat partem contra Magistrum Joannem Parvi, vel alium, ad pœnam Talionis, & requirere & qui sunt illi.

Item, videtur sibi quòd licentiarentur, antequam audirentur, ad tollendam omnem suspicionem.

Item, sequitur deliberatio dicti Magisti Joannis Graverant, Ordinis Prædicatorum, quam dedit in scriptis, in hunc modum.

Præsuppositis protestationibus fieri consuetis, conformiter ad alias per me deliberatas in aliis Fidei Conciliis; dico primò, quòd Assertiones illæ in cedula per Dominum Episcopum, & Dominum Inquisitorem mihi transmissa, contentæ in forma qua jacent, judicio meo sunt falsæ & erroneæ; & maximè prima est falsa & erronea, mali exempli, & pessimæ sequelæ: quòdque autem sequentes immediatè videntur mihi falsæ & erroneæ.

Ultima autem mihi videtur examinanda sine disputatione, non solùm an sit vera vel falsa; sed etiam si Domini Judices poterunt percipere an ex vitio scriptoris malè transumpta, vel ex malitia hominis subdolè imposita. Verùm ad ipsarum Assertionum reprobationem curam maximè apposui: quia quamvis aliquis super illis Assertionibus delatus sit; verumtamen adhuc incertum est quis ipsas Assertiones posuit; & quia plures de Magistris nostris ad ipsarum Assertionum reprobationem multùm & efficaciter laboraverunt, & quo ad mihi ipsorum labor videtur sufficere: ad aliud enim pro expediendo meo perpaucos extendi labores.

Item, dico, si reperiatur actor, vel assertor illarum Assertionum, sive dogmatisator, Judices ad quos spectat contra talem, & suas Assertiones, prout Juris est, & rationis & temporis congruitas, sive opportunitas requirit, debent efficaciter procedere.

Item, dico quòd Doctores Catholici, prout illis competit, & maximè si super hoc à Judicibus ad quos spectat fuerunt requisiti, debent & tenentur illis Judicibus, semotis quibuscumque sinistris affectionibus, dare consilium, favorem & auxilium; respectu etiam quorumcumque Dominorum temporalium, omni timore deposito; ita quòd pro veritate stare debent constantissimè: *Amicus enim fortis, amicus Plato, magis amica veritas*, & Fidei potissimè ampliùs, conformiter ad præsens deliberata. A

Miror, dixi, quomodò vir tantæ famæ, authoritatis & scientiæ, illas prænotatas Assertiones posuit: modica dico, aliqua ad memoriam reducendo, quòd non credo quòd Magister Joannes Parvi istas Assertiones in cedula per Dominum Episcopum, & Dominum Inquisitorem mihi transmissa contentas asseruit, docuit, aut dogmatisavit: & ex consequenti credo quòd Dominus Dux Burgundiæ, quem reputo, prout de quolibet alio de Dominis nostris Regalibus dicerem, verum Catholicum patriæ, & sive Domino nostro Regi fidelissimum, nunquam Magistrum Joannem Parvi, in illis Assertionibus prænotatis advocavit, seu approbavit: & si motivum petatur, dicam Dominis Judicibus, si super hoc fuerim requisitus. B

Visis igitur & consideratis Assertionibus, & earum reprobationibus, super quibus Magister Joannes Parvi delatus est; etsi prædictæ Assertiones imponantur, & ex consequenti persona Domini Ducis Burgundiæ tangitur, & per consequens, sua in persona tota Domus Franciæ, quæ est Domus Christianissima; & incertum est an prædictus Magister Joannes Parvi ipsas Assertiones dixit, dogmatisavit, sive docuit, & ex consequenti, an Dominus Burgundiæ in illis Assertionibus ipsum advocavit, sive approbavit: quæritur utrum sine ulteriori processu Domini Judices statim & indilatè contra prædictas Assertiones debeant, & teneantur proferre Sententiam. Et, salvo meliori judicio, pro nunc delibero quòd non, quia Magister Joannes Parvi super istis Assertionibus accusatur, & incertum est an dixit, persona Domini Ducis Burgundiæ tangitur, & incertum est an illum Magistrum Joannem Parvi in istis Assertionibus advocavit, seu approbavi: super incerto autem Judex non debet ferre Sententiam. Ergo &c. C

Forsan dicet aliquis, quòd non nisi contra Assertiones agere volo; non enim vellem lædere aliquam personam: stare non potest, quia sicut omnes sciunt, illæ Assertiones Magistro Joanni Parvi imponuntur. Quo ad hoc autem, de Assertionibus non est sermo, nisi de illo, imò istius cœtus unus de majoribus dixit, audientibus multis, quòd Magister Joannes Parvi pejora dixit, quàm in istis Assertionibus contineantur. Et idem. Plango, inquit, tanti Principis salutem, videlicet Domini Ducis Burgundiæ; ita quòd ex suis verbis apparebat, quòd tantus Princeps in via salutis non erat. Et ideò unus de Magistris deliberavit & benè, quòd Assertiones tangi non possunt, nisi tangatur mortuus, & nisi tangatur vivus: quare; quia ipsis imponuntur. Nam si quis sic dicet, esset similis illi qui suum percutit socium pugno, vel gladio, super oculum & alibi, dicendo socio, non deponas contra me querimoniam, quia ut te læderem mea non fuit intentio: ibi etenim læditur mortuus, ibi læditur vivus, ibi percutitur mortuus, ibi percutitur vivus. D

Item, ubi Lex, ubi Jus, ubi ratio, quòd partibus delatis non auditis, imò nunc * evocatis, Judex ferat Sententiam, est æquum & justum: non vigetur † ergo.

M Item,

* *Forsan* non † *Forsa* videtur.

Item, dato quòd Magister Joannes Parvi tales Assertiones quæ sibi imponuntur non dixit, nec dogmatisavit, nec Dominus Dux Burgundiæ in aliis Assertionibus ipsum Magistrum Joannem Parvi advocavit; & Judex ante sufficientem informationem Sententiam protulit: numquid sine causa dilatatur fama mortui, sine causa dilatatur † fama vivi? Utique. Et quis istam reparabit famam?

A Forsan aliquis dicet: & quomodò? Numquid oportet honori Fidei succurrere, & succurrendo magnum sequeretur bonum? Non dubito. Omnibus enim aliis positis, totis ex viribus & præcordiis, temporibus congruis & opportunis, ad hoc debemus semper attendere: sed avertere debemus, ne simus illi similes, de quo verè dicitur, sive fingitur, non refert quo ad hoc, qui volebat quòd capella sua alicujus Sancti Martyris dotaretur Reliquiis; & cùm apud Papam, & alios Pontifices sua frustraretur petitione; fingendo se infidelem, in quodam nemore unum Sanctum Heremitam minimè Deum negare volentem interfecit: quo facto, suâ capellâ collocatâ, dixit modò: velit nolit Papa, habeo Reliquias.

B Cùm enim finis esset bonus, non videtur; sed quoniam medium esset malum, non dubitatur; quid nobilius, quid sanctius, quid melius & ista mortalitate tractare pro Fidei justitia: sed quid tantus est honor Fidei, tanta virtus, tanta dignitas, & non requirat falsis mediis & illicitis sublevari, nec habemus a Sanctorum doctrina, ut possint committi mala & illicita, ut inde bona eveniant.

Constat autem, quòd Judex ferens Sententiam, partibus accusatis non auditis, & maximè * evocatis, & super incerto, dat operam rei illicitæ, condemnando innocentem, forsan sine causa proximum in fama lædendo: hoc non requirit Fides Sanctorum, non approbat doctrina. Modò ita est, quòd Magister Joannes Parvi delatus sit super istis Assertionibus, & sibi imponuntur, Dominus Dux Burgundiæ in hoc tangitur, & incertum est an Dominus Dux Burgundiæ advocavit, ipsis partibus non auditis, & minimè evocatis, & super incerto, sine ulteriori processu, prout Juris est & rationis: quòd Domini Judices ferant Sententiam, sic prætermisso ordine Juris, nullomodò decet, nec ullomodò congruit.

C Item, ponamus quòd Domini Judices, sine ulteriori processu, citò & indilatè ferant Sententiam; & posteà reperiatur quòd illæ Assertiones Magistri Joannis Parvi falsò imponantur; & quòd fama Domini Ducis Burgundiæ sine causa lædatur: attendite, viri doctissimi, si Domini Judices se exponerent, quantum intrarent labyrintum.

Attendite ergo quanta verecundia, quantum dedecus, quantave confusio Consiliariis & Dominis eveniret. Hoc habito, Dominus Dux Burgundiæ reclamandi de læsione famæ suæ, & de læsione totius Domûs Franciæ, sua in persona, quæ est Domus Christianissima, jus haberet. Ubi autem pax, ubi tranquillitas, ubi concordia? Tanto igitur discrimini non debent Domini Judices se exponere, nec hoc requirit Fides.

D Item, bonus Judex primò debet examinare, posteà judicare, prout materiæ arduitas, temporis congruitas, personarum authoritas videntur requirere; ne Judici dici possit illud improperium: Quare judicasti, & non examinasti?

Item, dato quòd Magister Joannes Parvi super illis Assertionibus depræhensus esset, processu vero & juridico: dato etiam quòd Dominus Dux Burgundiæ ex illis Assertionibus ipsum advocasset, de quo sibi Domini Judices essent certi: quæritur an Domini Judices statim & indilatè debent Sententiam ferre? Et videtur quòd non.

† *Loco* dilatatur, *videtur legendum* læditur. * *Forsan* minimè.

Numquid & honor Domûs Franciæ, quæ est Domus Christianissima requirit? Numquid & ordo fraternæ charitatis efflagitat, & † tantus Princeps per viros notabiles, scientificos, præsens, pervineretur * super hoc dulciter, & charitativè moneretur: Et dicet, non dubito: Quidquid est Fidei consonum volo tenere, & contra quemcumque deffendere, & habeo, & habebo pro grato & rato quidquid ad honorem Fidei feceritis, vel submitto me, de Domo Christianissima, Ecclesiæ determinationi. Et tunc in Assertionum prædictarum condemnatione si diceretur: Dominus Dux Burgundiæ, ut bonus & verus Catholicus, ut de Domo Christianissima, habet & habebit gratum & ratum quidquid ad honorem Fidei fuit ordinatum. Numquid honor tam Christianissimæ Domus servaretur, ordo Juris non prætermitteretur, non deesset fraternitatis charitas, & honor Fidei relevaretur? Nam oppositionem vides. A fortiori ergo, si non ita leviter Domini Judices ferre Sententiam in isto casu debent, nec secundùm primam viam, ut satis clarè ostendit deductio.

Item, dato quòd Dominus Dux Burgundiæ in nullo tangeretur, & Magister Joannes Parvi super Assertionibus præhabitis, processu juridico depræhenderetur, ut tactum est; quæritur an Domini Judices statim & indilatè ferre debeant Sententiam? Salvo meliori judicio videretur quòd ‡. Nunquid considerandum est cujus vitæ, cujus famæ, cujus conditionis, cujus gradus talis persona extitit, de amicis convocandis, & post mortem potissimè: & tandem Judices informare debent, an in vita retractavit, & quomodò, coram quibus, quomodò mortuus est, & si aliqui de morte sua possint facere fidem. Et tunc si retractavit, Judicibus ad quos spectat appareat: tunc quantumcumque Assertiones illæ condemnarentur ut pravæ, erroneæ, hæreticæ, & maximè si de aliqua Secta per Ecclesiam condemnata non sit, vel si aliquis nunquam de hæresi convictus fuit, ut hæreticus non damnaretur: & tunc in condemnatione Assertionum diceretur, quòd ad viam veritatis reversus est, & magis cedet Fidei ad honorem, quàm si in perfidia remansisset. Ergo si Domini Judices non habeant ita leviter, quo ad istum casum, ferre Sententiam; à fortiori nec quo ad secundum, & maximè quo ad primum, & illa quæ dicta sunt sanctissimæ Inquisitionis stilus potissimè requirit.

Attendant ergò circumspecti & doctissimi viri, si nunc, consideratis prænotatis circumstantiis, & nonnullis aliis quæ memoriæ pro nunc non videntur occurrere, diceremus quòd Domini Judices statim & indilatè in marteria tam ardua non debeant ferre Sententiam; an ad pauca aspicientes de facili enunciaremus.

Ista sunt dicta, Reverendissime Pater & Domine mi præstantissime, & Vos Domine Inquisitor, salvo semper Judicio, cum omni correctione & reverentia. *Sic signatum*: Ego Frater Joannes Graverant, in Theologia indignus Magister, ita delibero.

Tradita & lecta per ipsum, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die Sabbati, penultima Decembris.

Venerabilis & circumspectus vir, Joannes Balduini, protestatur ut ceteri, & dicit, quòd materia tangitur in tribus.

Primum, an teneantur deliberare, & deliberationem tradere, viso quòd non apparet assertor.

Secundum, an sint rationabiliter reprobatæ.

Tertium est, an posito quòd aliquæ sint erroneæ, an sit procedendum ad earum condemnationem.

Circa quæ dicet, cum protestationibus, addentibus, mutantibus, & corrigentibus.

Et quantùm ad primum: supponit tria notoria.

Pri-

† *Forsan* ut * *Forsan* præveniretur ‡ *Hic desiderari videtur* non

Primum est, quòd in Diocesi Parisiensi ortum est notoriè scandalum, tàm ex factis, quàm ex dictis: ex factis; quia multa perpetranda sunt mala: ex dictis; quia post, facta laudata sunt & justificata.

Secundò, supponitur quòd quoties oritur falsa doctrina, ad Dominum Episcopum spectat diligere* inquirere radicem hujus malæ doctrinæ; & eâ inventâ, ipsam eradicare: & hoc aliàs factum est per prædecessores Episcopos.

Tertiò, supponit quòd hoc spectat ad Doctores, post Prælatos, errores refutare & corrigere, Fidem & bonos mores deffendere & nutrire: & ex dictis sequitur, & tenetur respondere ad quæsitum in forma, & an sint reprobatæ. Primò, aperit viam ad homicidia, mendacia, perjuria.

Quantùm est de quarta, quæ loquitur de Moyse, non audet eam asserere erroneam: nam Beatus Augustinus ait quòd *Moyses peccavit occidendo illum*: de quo in Assertione, quia sine Mandato fecit. Et licèt esset constitutus tutor & deffensor populi, non tamen debuit ex levi percussione occidere Ægiptium: sicut de Petro, qui licèt habuisset authoritatem deferendi ensem, non tamen percutiendi.

Quantùm ad sextam Assertionem, non auderet ipsam reputare erroneam, quæ loquitur de Joab; quia non videt motivum, nisi ex ordine litteræ, qui ordo non facit fidem eidem: nam aliquando in Scriptura sacra reperitur quòd posteriora recitantur priùs, sicut de sorore ipsius Absalon, quæ fuit corrupta a fratre suo; & tamen priùs fuit nata quàm corrupta.

Alias verò quinque credit falsas & erroneas, & sufficienter reprobatas in cedula. An possint procedere ad condemnationem dicit; quòd sic. An expediat nunc; refert se discretioni Judicum: & dicit, bonum erat visitare Propositionem Magistri Joannis Parvi.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Broust; dicit quòd in cedula sibi missa duo supponuntur, & duo quæruntur: supponitur quòd sint aliquæ Assertiones cum suis reprobationibus, secundùm quòd ortum est scandalum.

Primum quæsitum, an sint falsæ & erroneæ & rationabiliter reprobatæ.

Secundum, an sint condemnandæ.

Antequàm procedat, protestatur ut cœteri, & protestatur quòd si tangit aliquam personam, non erit animo injuriandâ.†

Quo ad primum suppositum, dicit quòd nescit, & credit primam non esse assertam ab aliquo: causa est; quia tantus Clericus, putà Magister in Theologia non posuisset ita manifestè falsam & erroneam: & ideò ponenda esset illa: nec licet cuilibet, pro libito voluntatis suæ, elicere, vel extrahere ex dictis alicujus, & ea publicare tanquam dicta, nisi habito priùs consilio cum illis cum quibus de Jure spectat.

Quantùm ad secundum suppositum, dicit quòd sic, & activum & passivum. Activum; quia prima Propositio est publica, tanquam asserta, vel elicita ex dictis Magistri Joannis Parvi: & licèt non est hoc expressè dictum; tamen quia æqualiter ibidem ponit, tunc satis assertum est ipsam elicitam ex dictis Magistri Joannis Parvi. Scandalum passivum, quia communis fama est. Secundò, quia omnis populus credit quòd illa fuit Propositio Magistri Joannis Parvi.

Quantùm ad quæsitum, credit quòd secundùm sensum exponendo cedulam, omnes sunt falsæ, saltem in majori parte, & præcipuè prima, quæ est falsa & erronea. An sint rationabiliter reprobatæ, se refert ad ea quæ dixit Magister Jourdanus, & Magister Joannes de Dulcimenillo.

Quo ad quartam, an sint condemnandæ, videtur sibi pro nunc, quòd nulla ipsarum est condemnanda: causa est tacta per diversos Magistros suos; & videtur sib quòd videndus esset quaternus dicti Magistri Joannis Parvi, & illi jam publicati, sunt bene examinandi & comparandi ad quaternum Joannis Parvi: & si reperiatur quòd non sint conformes, & contineant aliquos errores; videtur sibi tunc, quòd procedendum esset maturè, & per magnam deliberationem & disputationem: & facta disputatione, tunc procedendum esset ad condemna-

A tionem. Si verò reperiantur conformes, essent etiam benè disputandæ: & si essent interpretandæ secundùm sensum exponentis, si viveret; & si aliqua essent ita erronea quæ non possent salvari, tunc procedendum esset ad condemnationem ipsorum. Et apparet sibi quòd aliàs deliberavit Universitas in sancto Mathurino, ubi fuerunt dati Deputati, ad visitandum Propositionem dicti Magistri Joannis Parvi.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Cholet, Ordinis Carmelitarum, habuit cedulam; & supponit ut præcedens, quòd antequam feratur Sententia contra aliquem, supra aliquo errore, debet fieri diligens requisitio, an fuit aliquis qui posuit istas Assertiones ex quibus ortum est scandalum; & si non reperiatur persona, putà qui migravit, debent fieri inquisitiones ex dictis & impositis tali personæ, per testes & alios: & habeatur ve-

B rum originale dictorum vel si non quaterni veri, & hoc debet fieri antequam procedatur ad Sententiam aliquam, & supponit quòd ista in parte, vel in toto fuerit facta per Dominos Judices & assistentes.

Supponit ulteriùs, quòd in tali materia debet excludi quicumque favor inordinatus, vel in ratione personæ, gradus, vel aliàs; quia sicut videtur & in Historia Ecclesiastica, de Frederico Barbarossa, qui expulit Alexandrum Papam, qui devenit ad Prioratum quemdam in Venetia, ubi dùm erat in mensa, visum fuit quòd cap[illegible]* in sypho se vidisse depositionem Papæ, & tunc eidem obedivit, tanquam Patri suo, quod fuit divulgatum: contra quem dictus Fredericus misit filium suum; & contra dictam Civitatem Venetiarum, ubi dictus filius fuit captus: & postulavit veniam à Patre Summo Pontifice. Quod videns Pater, exercitum decrevit, & fecit contra dictam civitatem: qui veniens, filius suus venit, & exivit sibi obviam, pugnaturus contra Pa-

C trem suum. Cui Pater dixit: credebam te pro me pugnaturum, etiam si omnes essent contra me. Cui filius respondit, recolo me habuisse Patrem Fredericum, sed nunc hæreticum. Et ideò in tali materia, ubi tangitur salus animarum, quilibet debet assurgere, etiam contra Patrem proprium, ubi agitur de Fide, & de his quæ Fidem concernunt.

Supponit ulteriùs, quòd quicumque fuit in isto Concilio, loquitur ut affectatus ad unionem Fidei: & credit quòd non est aliquis ita juvenis, quia de hoc aliàs locutum est, qui non debeat deponere secundùm sententiam sibi traditam, secundùm conscientiam suam, & ideò juventus non est reprimenda in hac materia: & ideò quicumque loquitur in ista materia, loquitur piè, & non tangens aliquid ad disruptionem pacis cujuscumque.

D Istis præsuppositis, legit deliberationem suam in scriptis, & tradidit; cujus tenor sequitur in hunc modum.

Reverendissime Pater, ac Domine mi; præsuppositis protestationibus aliàs per me in hac materia factis, honore & zelo Fidei, bona voluntate, ad continuandum quemcumque Tractatum Pacis, reverentiâ debitâ Dominis de sanguine Regali, & quibuscumque aliis personis nulli indebitè faventibus; sed Deum præ oculis, & zelum Fidei quam profitemur habendo, semper salvo meliori judicio: dico quòd istæ Assertiones, ex quacumque parte, vel

* *Forsan* diligenter † *Forsan* injuriandi.

* Locus corruptus.

vel persona veniant, quæ per modum Maximarum, seu Veritatum sitæ sunt, prout in quodam cartabello vidi, quem dicunt aliqui extractum esse de vero orginali Propositionis Magistri Joannis Parvi, sunt hæreticæ, scandalosæ, & injuriosæ plurimorum Doctorum ab Ecclesia approbatorum, nec non & piarum aurium offensivæ.

Primò, hæreticæ sunt, ut patet per illud famosum & commune dictum. *Quicumque aliud, vel aliter docet, credit, sentit & dogmatisat, quàm sancta Ecclesia Mater docet, credit, sentit & dogmatisat: maximè in his quæ salutem concernunt animarum, hæreticus censendus est*; Sed hujusmodi Assertiones hoc faciunt.

Augustinus, in Libro suo contra hæreticos, & confirmatur per Glossam. 1. cor. undecimo: ubi sic dicitur: *Hæreticus est, qui alicujus commodi temporalis, & maximè Ecclesiæ Principatus gratiâ, falsas aut novas opiniones, vel gignit, vel sequitur*. Etiam ubi modicum ante dicitur: *Hæreticum non facit falsa opinio, sed pertinax in errore deffendendo.*

Idem, aliundè. Probantur hæreticæ hujusmodi Assertiones per dictum beatum Gregorium, in Registro, ubi ait: *Hæreticus est, qui dùm aliquid malè in pectore gerit, & non exprimit, apertè dicere præsumit.*

Item, secundùm quod plures dicunt, an Magistri deposuerunt, scandalosæ sunt, quàm maximè in hoc primo, quòd aperiunt viam omni inobedientiæ, rebellioni, & seditioni, falso judicio, temerariæ Assertioni, proditioni, fraudi, calumniæ, perjurio, violationi fidei & cujuscumque promissi, & finaliter subversioni cujuscumque politiæ Ecclesiasticæ, vel laïcis; & satis per plures Dominos ac Magistros meos hoc extitit declamatum.

Item, quòd sint injuriosæ Doctoribus, apparet: & primò est contra Magistrum Alexandrum de Halis, in suo tertio, ubi de facto dicit, quòd *Nulli licet maleficum occidere, nisi illi qui publica fungitur administratione justitiæ.*

Item, sanctus Thomas hoc idem dicit, 2. 2. *Quæstione* LXIV. Et etiam per plures Magistros satis planè allegatum est.

Item, hoc dicit Magister Richardus de Media villa, & de Tarentasia, & alii.

Item, in illo passu, ubi dicit, quòd occidendus est tyrannus, etiam per insidias, videtur contradicere dictis sancti Thomæ. 2. 2. Quæstione LXIV. Articulo tertio, ubi dicit quòd *In bello justo non sunt facienda insidiæ contra inimicum*; *imò ponit casum insidiarum*; quia dicit ipse: Contingit aliquem dupliciter decipi, vel in facto, vel in dicto: in dicto, quia ei dicitur falsum: vel in facto, quia ei non tenetur promissum, & istud semper est illicitum, dùm tamen promissum sit licitum, & ad hoc allegat Ambrosium, *de Officiis*.

Secundò, contingit aliquem decipi, per hoc quòd illi occultamus consilia, & istud satis licitum, ut ubi declarat; si ergo in bello justo non sunt faciendæ insidiæ, multò minus in tali negotio de quo nunc agitur.

Item, videtur prima Assertio injuriosa Doctori quem allegat, ponens primam Assertionem pro Maxima; quia illam Propositionem sumpsit Libro tertio *Policraticon* capitulo ultimo. Sed dimisit falsa illius: ait enim Jo. in Policratico, ubi supra.

Sic ergo adulari licet quem libet occidere; sed tyrannum occidere non solùm licitum est, sed æquum & justum: certum est quòd ibi supponit Doctor, vel supponere debet debitum ordinem justitiæ debere observari. Ubi tria concurrunt, secundùm Magistrum Alexandrum de Halis, scilicet debitus ordo, justus animus & ordinaria potestas; & ubi hæc tria observantur, licet occidere tyrannum: ubi autem non concurrunt non debet fieri. Et utinam vidissent illi qui hanc primam Assertionem posuerunt Jo. in Policrat. In quibus ponit mira contra adulatores, ubi sic inquit: *Adulator omnis virtutis inimicus est.*

Secundò, quia clavum figit in oculo illius cum quo sermonem senserit. Et subdit paulò post: *Quid verò infidelius, quàm eum cui fidem habeas circumvenire verborum blanditiis* &c.

Quomodò ergo concordabit cum æquitate & justitia, qui promissam fidem non servat, sed frangit, ut dicit una Assertionum istarum: nullo modo.

Item, Augustinus super præsens LXIX. ait quòd *Adulatio nunquam licita*. Cujus ratio est, quia plus prosequitur lingua adulatoris, quàm manus persecutoris: & ideò meliùs pati pro veritate supplicium, quàm pro adulatione beneficium. Etiam Doctor ille dat facultatem, vel licentiam cuilibet privatæ personæ: ut patet, ejus scripta inspiciendo.

Item, occisio facta à privata persona, est potiùs species vindictæ, quàm debitæ justitiæ: & ad hoc facit beatus Augustinus, primo Libro, *de Civitate Dei, capite vigesimo secundo*, ubi ait: *His exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet. Quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occidit, homicidii crimine innectitur*. Et cap. ib. ejusdem Libri. *Non licet privata potestate hominem occidere, vel nocentem, cujus occidendi licentiam Lex nulla concedit: profectò etiam qui se ipsum occidit, homicida est.*

Secunda Assertio etiam sufficienter reprobata est: verumtamen, secundùm Augustinum, Moyses peccavit, quamvis in Actibus Apostolorum excusetur. Unde verba Augustini, contra Faustum, Libro vigesimo secundo, in responsione hujus dubii dicit, loquendo de Petro, & de Moyse, *Uterque* inquit, *non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit, uterque enim odio improbitatis alienæ; ille fraterno, iste Dominico, licèt adhuc tamen carnali amore peccavit.*

De Michaële & aliis, sto cum Magistris meis, qui valdè luculenter declaraverunt tales Assertiones esse erroneas, quia hoc idem dicunt Glossæ, & etiam Doctores satis approbati.

De Assertione illa, quæ dicit, quòd quamvis juravit quis aliquid facere: & videtur quòd non Doctores dicunt quòd juramentum quod transit super materiam licitam tenendum est, nisi vergat in deteriorem exitum; quod quidem contingit sex modis, pro ut heri allegatum est per quemdam Magistrum meum ex Summa Confessorum.

Item, satis temerarium est ponere illas Assertiones pro veritatibus: loquitur enim ille qui eas posuit in hac forma. *La premiere Verité. La seconde Verité.* &c. sicut nuper Legi in quodam quaterno, in quo continentur dicta Magistri Joannis Parvi, circa & Art suæ Propositionis, & ad probandum dictas suas Assertiones, quas nominat veritates, allegat exempla sacræ Scripturæ, Leges, Canones, & rationes, multaque alia, quorum longus est processus: si verò non sint de propositione sua, nunquam esse tale crimen sibi imponendum: suppono tamen, quòd ex dictis suis sequantur, sicut a principio dixi.

Item, si non aliundè debent reprobari quàm modo quo reprobantur, adhuc est unus modus reprobandi, & una occasio ponit tales Propositiones, ac si essent Propositiones & maximè veræ & approbatæ; quæ tamen Propositiones se ipsas falsificant, cùm nullum habeant fundamentum notorium, vel probatum; sed solùm suspectum & opinatum. Quapropter ea, sicut aliàs bina vice in hac materia deliberavi; ita nunc delibero, & dico quòd illæ Assertiones malæ sunt, & erroneæ, & Fidei Catholicæ ad-

adversantes, & benè & veridicè juxta Scripturam sacram, & Doctores * dicta reprobatæ sunt, & dignæ ulteriùs reprobari: & ultra, dilatio vel dissimulatio reprobationis, maxima damna & periclitationes animarum simplicium generant & generaverunt.

Ulteriùs, dico quòd securissimus modus veritatem sciendi in hac materia, est videre codicillum Magistri Joannis Parvi, cui ista imponuntur: & videatur, si ita est, vel non, quoniam non debet imponi alicui aliquid criminosum, nisi benè constet quòd in dictis suis contineatur, vel ex eis sequatur realiter.

Item, dico quòd quamvis istud nunquam fuisset prædicatum, vel dictum ab aliquo; verumtamen facta loquuntur, vel locuta sunt, quæ videmus in hoc Regno, sicut patet cuilibet volenti respicere.

Qua propter, Reverende Pater & Domine, vos debetis istas Assertiones condemnare: & hoc maximè ne quis seductus a dæmone capiat audaciam prosiliendi ad perpetrationem talium scandalorum, qualia sunt illa quæ ex fundamento & colore istarum Assertionum facta fuerunt, temporibus retroactis: etiam ne quis ingerat se ad dogmatisandum hujusmodi falsas Assertiones Fidem Catholicam sic denigrantes.

Item, dico quòd si condemnatio istarum Assertionum transeat sub ampliori dissimulatione, propter quamcumque causam, vos Reverende Pater ac Domine, nec non Mater mea Facultas Theologiæ, non modicam maculam in gloria vestra ponetis: quoniam dicitur a Regnicolis, & etiam extraneis Nationibus, quòd videtur approbare, vel consentire hujusmodi erroribus, quod absit, juxta illud commune dictum: *Qui tacet consentire videtur.*

Item, procedere ad condemnationem hujusmodi Assertionum falsarum, non est irritare aliquem, sed magis est vulnus infidelitatis sanare, quia nihil deterius; & indè quilibet Deo regratiari tenetur: hoc etiam est populares & simplices ædificare, & in viam salutis & pacis dirigere, & etiam honorem regalis Domûs Franciæ relevare, & quasi dudùm denigratam famam ejus ad primum pulchritudinis nitorem reducere. Hoc etiam est lucernam Fidei etsi non totaliter extinctam; tamen aliquando † absconsam, super candelabrum Ecclesiæ statuere, ut qui Ecclesiam fideliter ingredi volunt..... veritatis paleam nequeant intueri. Quapropter mihi videtur, salvo semper meliori judicio, quòd Assertiones illæ falsæ sunt & erroneæ, & tanquam tales reputandæ & condemnandæ.

Item, ulteriùs, dissimulare reprobationem, vel condemnationem, est lupum in Aula nutrire, ignem in stupa fovere, & serpentem in sinu abscondere.

Ista sunt quæ sentio pro nunc dicenda, salvo semper meliori judicio, suppositâ semper correctione vestrâ, Reverendissime Pater ac Domine. *Sic signatum.* FRATER GUILLELMUS CHOLET. *Regens in Collegio Carmelitarum Parisiensium, in Facultate Theologiæ.*

Tradita, & lecta per ipsum die Sabathi, penultima Decembris. Anno millesimo quadringentesimo decimò tertio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Squinelli, Ordinis Carmelitarum, dedit deliberationem suam in scriptis, quam ipsemet legit, audientibus prænominatis, & pluribus aliis: tenor deliberationis sequitur, sub his verbis.

Suppositis protestationibus, & salvo semper meliori judicio, cum honore & reverentia; teneo quòd Assertiones in scriptis traditæ, in sensu in quo sunt, & in sensu quem faciunt, sunt falsæ, erroneæ in Fide Catholicâ, piarum aurium offensivæ, contra bonos mores, & penè ad omne malum inductivæ, & contra sententiam Scripturæ sacræ suo modo, & doctrinam Sanctorum, & Doctorum approbatorum istas materias tactantium, & per consequens damnandæ: earum verò reprobationes sunt veræ, Catholicæ, & consonæ sacræ Scripturæ, & doctrinæ Sanctorum, & per consequens approbandæ.

Unde contra præmissam Assertionem est Sanctus Thomas. 2. 2. *Quæstione decima. Articulo secundo*: tenens quòd *Solis Principibus & Judicibus pertinet occidere malefactorem, sicut soli chirurgo pertinet abscindere membrum putridum corporis.* &c.

A

Hoc idem Alexander de Halis, in 3. Quæstione tertia, allegans expressè Augustinum, primo, *De civitate Dei*, ad propositum; & Canonem 23. Quæstione octaua: & dans exemplum, quòd Deus permittit, imò vult quoslibet malos Principes Dominari, propter punitionem populi; sicut de Sennacherib & Nabuchodonosor, x. *Regum*, *ultimo.* Et de Anthiocho...... *Machabæorum.*

Prima scilicet & secunda Assertio, quia Michaël erat Deo gratus, & tunc peccasset, si Dei authoritatem contempsisset.

Item, dicere quòd solo amore naturali meruit gloriam, est incidere in errorem hæreticorum dicentium quòd *Ex solis naturalibus quilibet potest mereri vitam æternam.* Et contra dictum Joan. xv. 1. *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus, *Dei gratiâ sum id quod sum.* 1. Cor. xv. 16.

B

Sicut Doctores sancti dicunt de aliis occisoribus, non dubitavi quin peccaverint, secundùm dictos Doctores, & expressè Augustinus contra Faustum, dat exemplum de Petro & Moyse dicens: *Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussionem Ægiptii, factus est Rector Sinagogæ: uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessit, uterque odio improbitatis alienæ: sed ille fraterno, iste Dominico, licèt adhuc amore naturali peccavit.*

Ex quo patet, quòd licèt non peccaverint in facto, quia a Deo autorisati peccaverunt; tamen in modo.

De aliis omnes Doctores clamant, quòd omne mendacium est peccatum, licèt aliter & aliter, sicut deducunt Doctores prædicti, & Augustinus in Libro, *Contra mendacium.* Philosophus, x. *Ethicorum* dicit quòd *Mendacium est per se peccatum parvum, & fugiendum, cum sit malum ex genere, & quantò plus deviat à veritate, tanto pernitiosius* &c. Et si opus est, latiùs poteram deduci: & inde est, quòd maximè duæ primæ Assertiones, & duæ ultimæ sunt præcipuè damnandæ, cum earum sequelis.

C

Sic signatum. Humilis orator vester, FRATER GUILLELMUS SQUINELLI, *Carmelita. Tradita per ipsum, die Sabathi, penultima Decembris. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio.*

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jacobus Joyanne, dedit deliberationem suam in scriptis, cum protestationibus, addendo, diminuendo: quæ fuit lecta per Vicarium Inquisitoris, cujus tenor sequitur in hunc modum.

D

Supra cedula ex parte vestra, Reverende in Christo Pater, ac etiam Reverende Domine mi Domine Inquisitor, missa mihi, Vestris obediendo Mandatis, respondeo cum correctione quæ sequitur: præsuppositis tamen protestationibus aliàs quam pluries per me factis, ac per Magistros & Dominos meos hîc sæpiùs repetitis.

Ad primum igitur quæsitum: an scilicet Propositiones illæ sequentes in cedula falsæ sunt, & erroneæ; respondeo cum correctione, quòd in sensu quem primò prætendunt earum verba, secundùm proprietatem Logicæ, eo modo quo in hujusmodi cedula inscribuntur, mihi videntur falsæ & etiam erroneæ:

* *Forsan* Doctorum † *Forsan* aliquomodo.

roneæ: sed non credo Magistrum Joannem Parvi sensus illos unquam intendisse, præcipuè quo ad illas, quarum veritates non immediatè dependent ex variis passibus historiarum Bibliæ.

Quantùm verò ad secundum quæsitum; utrùm hujusmodi Propositiones sint condemnandæ: sub correctione dico, quòd mihi non videntur pro nunc condemnandæ. Et hoc propter aliquas rationes, jamque per nonnullos Magistros & Dominos meos tactas, & videre meo, cum reverentia tamen Magistrorum, ac Dominorum meorum, nondùm plenè solutas.

Primò, quoniam ex earum condemnatione videtur mihi verisimiliter posse sequi impedimentum multò majoris boni, pacis sed* inter Dominos initiatæ, quàm sit bonum quod obtinetur ex earum condemnatione.

Secundò, quòd non est dubium quòd ex earum condemnatione, fama communis vulgarium tenet, & reputat Propositionem Magistri Joannis Parvi esse damnatam: & ita sibi, & eam approbanti maxima fieret injuria, cùm illas Propositiones, saltem pro majori parte, nunquam formaliter, imò nec virtualiter dixit.

Tertiò, quia condemnare Propositiones sic, sine assertore, esset inducere consuetudinem infinitos conficiendi & multiplicandi Articulos, quod multum est cavendum, cum pluritas jam actu confecta, quamplurimis etiam scientificis videatur onerosa.

Quartò, quia non mihi clarum, an vestræ subsit Jurisdictioni, posse condemnare Propositionem, quæ nullum habuit assertorem.

Quintò, quoniam etiam dato quòd earum præfatus Magister aliquas etiam formaliter asseruit; mihi tamen honestius & decentius videtur eas exponere ad bonum intellectum quem potuit habere, quòd stando in vi ac proprietate sermonis, eas condemnare post ejus mortem, ex odio, vel vindicta nobis imputetur, cùm post hujusmodi suam Propositionem supervixit, patet quòd mansit, neque tamen super illis coram suo Judice fuit evocatus: & quia jamque multùm solemniter per quamplures Magistros nostros, ac Dominos meos declaratum est, quæ sunt Propositiones illæ contentæ in cedula, quas ipse præfatus Magister Joannes Parvi nunquam asseruit: dati etiam fuerunt sensus veri, in quibusdam aliis Propositiones cedulæ intelligere potuit.

Ideò causâ brevitatis, & de repetendis Propositionibus ab eo non assertis, & de dandis veris sensibus aliis, pro nunc supersedeo, & ad ipsorum depositiones, quo ad hoc, me refero.

Et ista sunt, Reverende in Christo Pater, & vos mi Domine Inquisitor, quæ ego Jacobus Joyanne, Magister in Theologia, quanquàm tamen indignus sentio, circa cedulam ex parte vestra mihi transmissam.

Tradita die Sabbathi, penultima Decembris. Anni. 1413.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Michaëlis, Ordinis Prædicatorum, recepit cedulam sibi missam; & licèt scripserit, dicit tamen, quòd Propositiones in se, quantùm potuit videre ex Textu sacræ Scripturæ, videntur scilicet falsæ, secundùm plùs & minus, & præsupponit protestationem; & dicit quòd adducere rationes non videtur necesse, & sufficit pro rationibus dictum sancti Thomæ, an sint condemnandæ, & sufficienter reprobatæ.

Stat cum reprobationibus, & si reperiatur assertor, sive in scripto, sive in verbo, sumendus esset, ut haberet revocare: & consideranda esset qualitas personæ asserentis, cum qua esset ordine judiciario procedendum, de quo se refert ad discretionem Judicum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Verseilles, recepit cedulam, & intendit sequi Magistros suos in deliberatione sua; & protestatur sicut Dominus Nannetensis protestatus est, quòd non intendit tangere famam alicujus viventis: & ideò supplicat ne quis existimet quòd aliqua dicet propter beneficia recepta à Domino Duce Aurelianensi; nam antequam cognovisset ipsum Dominum Ducem, informatus fuit.

Dicit de falsitatibus & erroribus hujusmodi Propositionis. Ideò quia aliàs locutus fuit in quibusdam Sermonibus, oportuit eum fugere. Et apparet sibi, quòd nulli sustinent illas Propositiones tanquam veras in Fide.

Verumtamen aliqui eas exponunt. Alii sunt qui judicant eas hæreticas; sed non continentur, ut dicunt, in Propositione Magistri Joannis Parvi.

A Alii ipsas clarè condemnant, & ideò dicit quòd à magnis temporibus non fuit ita necessaria Confessio Fidei sicut nunc: & si fiat discursus de his quæ acta sunt à tribus Annis, non reperietur aliquando Sacramentum quia fuit violatum, & cultus Dei multùm diminutus, ut putà circa Sacramentum Baptismi, circa Sacramentum Matrimonii, quia oportuit uxores jurare non favere maritis, circa Sacramentum Confessionis, & contra Præceptum *Diliges proximum* &c. quamplura alia.

Ista omnia orta fuerunt à perversa doctrina & non immeritò dictum est: ortum est notorium scandalum; & ita populus credit, quòd quis benè facit occidendo vicinum suum, si credat eum proditorem, & multa alia mala.

Et quoniam dicitur: istæ Propositiones non fuerunt assertæ, & sic aliqui pertransierunt; nam hoc
B non sufficit, si unus Curatus veniret ad eos asserentes populum suum tenere aliquam falsam doctrinam, vos tenemini eos informare: aliqui verò parabant istas Propositiones, & ipsas aleviare à nequitia ipsarum volunt, quos nolo insequi propter favorem Fidei, quòd ipsum inclinat ad hoc, quia homo debet laborare ad detegendum aliquam Propositionem, vel falsitatem alicujus Propositionis, & non vult silere, & ideò venit ad principale quod stat in tribus.

Primò, in tyranno, qui dicitur posse licitè occidi, & allegavit sanctum Thomam; satis heri fuit
C responsum per Magistrum de Navarra.

Et quando aliqui dicunt, de tacita autoritate licèt occidere aliquem: circa istam tacitam autoritatem dicit, quòd quoniam datur alicui autoritas regendi populum tacitè, intelligitur data autoritas occidendi aliquem.

Et si dicat quòd quis amore rationis naturalis occidat alium: dicunt quòd hoc fit tacita autoritate: hoc dicere, esset dicere nullum securè vivere; & est multùm pernitiosum. Et applicat hoc ad Michaëlem, qui, ut dicunt, amore naturali occidit Luciferum. Et sic dat intelligi quòd secundùm conscientiam aliquis & in conscientia jacet authoritas occidendi aliquem, quòd est pernitiosissimum hoc dicere: & quoniam dicitur ulteriùs, circa perjurium; dicunt quòd quando aliquis facit melius, non incurrit perjurium; sanctus Thomas dicit, quòd perjurium fit tribus modis.

Quando aliquis jurat facere aliquid & non facit, modo hoc non potest fieri, scilicet promittere
D alicui & jurare, ut ipsum decipiat, hoc non licet, imò hoc dicere est hæresis.

Aliquando committitur perjurium, non propter defectum veritatis, sed justitiæ; sicut quando aliquis jurat non intrare Religionem, quod est indifferens; & licèt non intendat: & dicit quòd si quis juravit non verberare hominem; si verberat, incurrit perjurium; & si non verberet, incurrit etiam perjurium, & hoc est pessimum: & ideò dicit, quòd ista Propositio, prout jacet, est falsa.

Et

* *Forsan* scilicet.

Et ad propositum, quando ille, ut privata persona jurat, tyranno pactum debet servare: & tunc venit ad deliberationem suam.

Et supplicat, quòd visitentur Propositiones Magistri Joannis Parvi: & credit quòd prima Propositio fuit extracta à sua. Dicit primò quòd Assertio est hæretica, quia repugnat huic Præcepto, *Non occides*. Et ideò hæretica. Dicit etiam quòd repugnat huic Præcepto, *Non assumes nomen Dei in vanum*: & sic erronea. Est etiam contra Præceptum de dilectione proximi. Et etiam Propositio Magistri Joannis Parvi, quando dixit quòd. *Est propria mors* &c.

Et ideò fuit facta Decretalis, *Pro humani*, & sic est hæretica.

Prima Propositio etiam est hæretica, quia admittit omnia vitia.

De aliis Propositionibus contentis in cedula: videtis, dicit, ad quem finem adducuntur. Et primò de Michaële: quando unus voluit exponere de amore naturali & gratuito, non est recipiendus; quia si ita Pelagius se exposuisset, non fuissent tot hæreses condemnatæ, sicut fuerunt: & ideò deliberat quòd istæ Propositiones sunt condemnandæ & extirpandæ, nec est expectandus assertor: & quandoque hæretici sunt tolerandi, sed hæresis nunquam est toleranda, quia sicut homines tenentur curare ad extinctionem ignis in civitate, ita quilibet Christianus & fidelis, ad extirpationem hæresis recurrere. Et recitat historiam tripartitam quæ narrat de quadam hæresi quæ fuit condemnata: & scripsit Imperator Clericis ut destitissent, qui tamen noluerunt. Et ideò celeriter esset procedendum, cum maxima diligentia, ad extirpationem istarum Assertionum. Et dicit quòd audivit quòd sunt aliqui qui deffendunt istas Assertiones.

Item, Anno Domini millesimo, quadringentesimo decimo tertio, die Mercurii, quæ fuit tertia Januarii, deliberaverunt Domini & Magistri, modo & formâ subsequenti, coram præfatis Dominis. Et primò.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Erardus Emengart, Doctor in Theologia, dedit deliberationem in scriptis, quæ fuit lecta & publicata per Dominum Vicarium Domini Inquisitoris, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Reverende in Christo Pater, ac Domine mi metuendissime, hujus Christianissimæ civitatis Antistes & Pontifex. Et vos Reverende Magister, Domine Inquisitor hæreticæ pravitatis, vestris paratus obedire Mandatis, tanquam verus filius obedientiæ, dando salubre consilium in materia Fidei, secundùm, & juxta modulum scientiæ meæ, super aliquibus Propositionibus mihi per vos transmissis in quadam cedula papyrea; & præmissis protestationibus factis per Reverendos Patres & Dominos meos, qui ante me elegantissimè deliberaverunt, & aliàs in scolâ Theologiæ pluries per me repetitis, quibus adhæreo, & adhærere intendo, quandiù vitam duxero in humanis; dico, nihil temerariè asserendo, ad istas Propositiones mihi transmissas.

Ad primam, quæ est ista.

„ Chacun tyran peut, & doit estre loyalement
„ & par merite occis de quelconque son vassal ou
„ subjet, par quelconque maniere, mesmement par
„ aguettes & par flatteries, ou adulations, nonobstant
„ quelconque jurement ou confederation faite envers
„ lui, sans attendre la Sentence, ou Jugement de Juge
„ quelconque.

Dico quòd ista Propositio falsa est & erronea in Fide, in forma in qua ponitur, sed quis * nullus etiam Propositionem asseruit, quem nominare audiverim; nec eam posuit Magister Joannes Parvi, cujus anima requiescat in pace; sed posuit istam Propositionem, quòd,

„ Ubi esset unus tyrannus, qui per cupiditatem &
„ sortilegia, & similia, machinaretur in salutem cor-
„ poralem sui Regis, vel Domini supremi, ut sibi
„ subripiat Dominium suum: præcipuè quando ta-
„ lis tyrannus tantæ potestatis est quòd de eo, viâ
„ Juris, non potest haberi Justitia, licitum est cui-
„ libet subdito talem tyrannum interficere.

Et de tali tyranno videatur Sanctus Thomas. *Dist. ultima, primæ quæstionis*, quâ quærit *Utrum subditi tenantur obedire suis Superioribus, etiam tyrannis*: In

A responsione ad ultimum Articulum; quo articulo *Nullus tenetur ei obedire, quem licet, imò laudabiliter potest interficere.*

Sed Tullius in Libro, *de Officiis*, laudat eos qui Julium Cæsarem interfecerunt, quamvis amicum & familiarem, qui quasi tyrannus Jura imperii usurpaverat. Igitur nullus talibus debet obedire.

Ad cujus argumenti solutionem Beatus Thomas, in eadem quæstione, sic respondet in propria forma, dicens quòd „ Tullius loquitur in casu illo, quan-
„ do aliquis Dominium sibi per violentiam subripit,
„ nolentibus subditis, vel etiam ad consensum co-
„ actis, & quando non est recursus ad Superiorem,
„ per quem Judicium de tali invasore possit fieri:
„ tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum
„ occidit, laudatur & præmium accipit.

B De tali tyranno videtur loqui Magister Joannes Parvi, in octo veritatibus quas ponit per modum conclusionum, in decimo Articulo, pro fundatione suæ approbationis, ut apparet dicta sua volenti inspicere, & non universaliter de omni tyranno, sicut ponit prima Assertio mihi transmissa, in qua dicto mortuo, scilicet Magistro Joanni Parvi, qui nunquam eam posuit, fit injuria maxima; cùm sibi imponatur quòd illam dixerit, quæ hæretica & erronea est: quam tamen, ut prædixi, nunquam dixit, nec asseruit; sed illam quam videtur ponere Sanctus Thomas, ubi allegatus. Et isto modo, loqui de interfectione talis tyranni, non est, ut videtur, ad subversionem Reipublicæ, nec dat viam perjuriis, imò totum contrarium, quia istud tollit omnem viam machinandi contra Regem & Superiorem Dominum suum: si enim licitum est interficere talem

C tyrannum, quis erit ille qui ausus erit machinari contra Dominum suum?

Item, in dicta Propositione prima, hoc quod assertor illius dixerit, scilicet quòd *Licitum est talem tyrannum interficere, seu occidere per adulationes & insidias*, in tota Propositione Magistri Joannis Parvi non reperietur quòd asseruerit quòd licitum sit ipsum interficere per adulationes: ipse benè allegat Salberiensis *, & ipsum recipit, pro quanto facit ad Propositionem suam. Salberiensis benè dicit, ut allegat eum in Propositione suæ tertiæ veritatis, quòd licitum est talem tyrannum occidere & adulari; sed dictus Magister non tantùm ponit, nec tenetur sustinere totum hoc quod aliàs dixit, & ex ista radice, quòd licitum est interficere talem tyrannum, de quo priùs ponit dictus Magister Joannes ultimam Assertionem mihi transmissam, de minori bono, com-

D parato ad majus bonum; quia ubi minus bonum vergit in deteriorem partem, dimittere minus bonum, pro majori bono, non est perjurium, sed perjurio contrarium. Verbi gratiâ: Ego feci confœderationes cum tyranno tali de quo supra; iste tyrannus veniet ad subripiendum Dominium Regis, vel supremi Domini sui, cujus sum vassallus: in casu isto teneor servare confœderationes & juramenta facta tali tyranno? Patet quòd non, quia vel feci tales confœderationes quocumque casu contingentes, vel sub conditione tacita, vel expressa: si feci tales confœderationes & juramenta, quocumque casu contingente, tale juramentum est incautum; quia ubi non est Judicium, quod Judicium est comes jura-

* *Forsan* quòd.

* *Forsan* Salberiensem.

juramenti, & per consequens, non est obligatorium quod ibi non fit Judicium, nec usus rectæ rationis, sed quod sit juramentum initiatum. Patet; quia sic considerans obligatur Regi & Dominis suis & sibimet. Igitur confœderatio non potest fieri, quocumque casu contingente, quando sic incauta, & per consequens, non obligatoria. Ergo confœderatio non potest fieri, nisi servata fidelitate ad suum Superiorem, vel ad Superiores suos, vel ad se ipsum: & ideò, ut videtur, talis tyrannus non servat fidelitatem, confœderationes, & juramenta nulla sunt, nec perjurium, sed perjurio contrarium.

Et secundùm istum sensum debet capi illa ultima Assertio, ut videtur; & de hoc pono casum istum: videlicet; feci confœderationes cum tali tyranno, quocumque casu contingente, sibi jurando quòd nunquam faciam sibi malum: accidet quòd volet me interficere, nec est remedium per fugam, nec alio modo, quando * me interficiat, nisi interficiam ipsum: in tali casu, debeo ergo servare confœderationes & juramenta? Dico quòd non, quia juramentum fuit incautum, nec obligatorium. Et à fortiori, respectu Regis, non debeo ipsum servare, qui est persona publica, & in quo tanquam in capite residet totum bonum Reipublicæ, quia bonum commune præferendum bono privato.

Ex isto satis apparet quòd sit dandum † ad illud quod aliqui possent dicere, quòd non licet alicui personæ privatæ aliquem interficere: apparet quòd imò, in aliquibus casibus. Nam in casu in quo non possem evadere per fugam, vel alio modo, nisi interficerem ipsum, vel nisi interficeret me, licitè possem eum interficere, quamvis sim persona privata, quia vim vi repellere licet, secundùm Leges: & à fortiori, in tali casu licitum est Regi, vel subditis talem invasorem interficere.

Quantùm ad secundam Propositionem quòd *Michaël interfecit Luciferum.* De isto Magister Joannes Parvi agit in principio sui tertii Articuli, & ibi exponit se dicens, & sunt verba formalia Propositionis suæ. *Ainsi*, idem, sic, vel ad istum intellectum; *car le dit Lucifer, & tous les Anges de son costè furent chassez hors de Paradis par force, & trebuchez en Enfer.* Et quòd istud sit interficere Luciferum, & alios sibi adhærentes; patet per secundam probationem factam contra dictam Assertionem, in qua dicitur: *Que Dieu l'occit par la mort, de peine perdurable.* Igitur pœna perpetua, infernalis vocatur mors, & per consequens, pellere hominem ad talem locum tormentorum, est ipsum interficere.

Quo ad illud quod dicitur, quòd *Motus amore naturali, sine aliquo Mandato, Michaël occidit Luciferum.* Sine Assertione temeraria, dico quòd istud haberet apparentiam, sicut factum ipsius Phinées, quia, ut dixerunt multi Magistri nostri reverendi, qui ante me elegantissimè deliberaverunt, non apparet ex textu Annorum viginti quinque, quòd Phinées occidit Zambri ex Mandato aliquo, sed magis ex amore Legis, & ex amore ad suum Superiorem, & gratuito simul, potuit sine Mandato Luciferum interficere, ad sensum priùs dictum de modo...... Idem amor potest esse naturalis & gratuitus, ut dictus Magister Joannes Parvi videtur tangere in tertio exemplo posito ante quartam veritatem immediatè. Et est sciendùm quòd secundùm Dominum de Bonaventura, in materia, de Ordine Angelorum: ordo est à natura inchoativè, & à gratia completivè. Angeli non ferebantur in Deum per amorem, secundùm ultimum potentiæ, cum talis amor esset etiam gratuitus, merebantur illum amorem, quantùm potuerunt mereri. Et sic Michaël accepit per talem amorem divitias, quantas potuit recipere, qui non potuit suscipere, de communi lege, nisi secundùm merita. Modò sic D. D. * de malis Angelis, quòd casus eorum sint eis mors; ita debet dici de bonis, quòd operatio bona eorum, fuit eis visa & confirmatio eorum in bonum.

Item, dicunt aliqui quòd quilibet Beatus habebit tantùm de beatitudine, quantùm poterit capere; & erit cujuslibet veri tota capacitas repleta, ut nihil sit vacuitatis in aliquo Beato. Et secundùm hoc A ponuntur beatitudines diversarum rationum: & ex istis, sine temeraria Assertione, sequitur Assertionem secundam esse probabilem & non condemnandam tanquam in Fide erroneam.

Quantùm ad tertiam Assertionem, quâ dicitur quod *Phinées occidit Zambri, sine quocumque Mandato.* In ista Assertione, seu Propositione, sum cum Magistris & Dominis meis, quòd non potest benè haberi ex Textu, quòd hoc fecerit ex Mandato, sed magis motus zelo Dei, vel accensus; ut ponit Textus de Lyra, in expositione illius capituli, de secunda parte illius Propositionis, *Et Zambri ne fut point idolatre.* Per expressùm, in tertio exemplo secundi Articuli, opinionem ponit Magister Joannes Parvi, in Propositione quam fecit in duobus locis clarè, ut apparet intuenti suam Proprositionem, scilicet quòd Zambri fuit idolatra.

B Quantùm ad quartam Assertionem, quâ dicitur quòd *Moyses sine Mandato interfecit Ægiptium.* Istam Propositionem non posuit Magister Joannes Parvi, ut apparet volenti dicta sua respicere in ex. 3. tertiæ veritatis, in qua per expressum dicit quòd *Moyses sine Mandato hominis quocumque, interfecit Ægiptium.* Et hoc est verum, quia quando interfecit Ægiptium, Deus nondùm erat homo, à quo tamen habuit authoritatem, secundùm Glossam, super decimo verbò Exod. VI. *Cumque prospexisset huc atque illuc* &c.

Quantùm ad quintam Propositionem, quâ dicitur quòd *Judith non peccavit, adulando Olophernem,* & *Jehu mentiendo.* Illam Propositionem non posuit Magister Joannes Parvi, ut clarè apparet in septima veritate sua, in qua expressè dicit quòd licitum est interficere tyrannum; de quo sequitur, *Par aguettes, cautelles & epiemens, & si est licite de taire & dissimuler sa volontè*: & ibi nihil dixit de adula- C tione & mendacio.

Quo ad sextam Propositionem, quâ dicitur quòd *Joab interfecerit Abner, post mortem Absalon.* Dico quòd ista Propositio non evidenter habetur ex dictis Magistri Joannis Parvi, ut apparet in secundo exemplo tertii Articuli suæ majoris Propositionis, in quo loquitur de Absalon: ubi dicit per expressùm, ista verba formalia, respondendo objectioni quam fecit contra se, de hoc quòd Rex David imposuit filio suo Salomoni quòd post mortem ejus faceret justitiam de Joab: *Et le fit mourir. Le dit Maistre Jean repond que ce ne fut pas pour la mort d'Absalon, car nonobstant qu'il fut bon Chevalier & loyal, pour le temps qu'il occit le dit Absalon; neantmoins vers la fin de ses jours, il fit deux trop grandes fautes. La premiere fut qu'il occit un Chevalier appellé Abner;* D *l'autre fut qu'il occit un autre Chevalier appellé Amazan.* &c. Aliqui notant dictum Magistrum Joannem Parvi in verbis istis: *Neantmoins vers la fin de ses jours, il fit deux trop grandes fautes. La premiere fut qu'il occit un Chevalier nommé Abner; l'autre fut qu'il occit un autre Chevalier appellé Amazan.* Sic dico quòd in Propositione sua non habetur per expressùm.

Ulteriùs dico quòd ex dictis ejus non potest clarè concludi, quòd Joab interfecit Abner, post mortem Absalon, ut jam tetigi: quia non est clarum in qua ætate interfecerit Abner, & etiam Amazan.

Ex

* Fortè quin † Fortè quid sit dicendum.

* Forsan B.

Ex istis benè ad invicem combinatis, salvâ reverentiâ meliùs dicentium, non apparet mihi, in bona conscientia, secluso favore vel odio cujuscumque personæ manente super integritate Fidei, quod Propositiones mihi transmissæ non sunt condemnandæ pro nunc, propter aliquas causas.

Prima est, quia ut dicunt Jurisperiti, Propositiones Articulum Fidei tangentes, per nullum assertas, noster Episcopus condemnare potest, deprecato Summo Pontifice, cui hoc solùm de Jure, & ex Officio incumbit.

Alia causa: quia si istæ Propositiones pro nunc condemnentur, quamvis à pluribus videantur erroneæ & falsæ; à pluribus discretis viris ad pacem Regis & Regni affectatissimis, videretur hoc magis vergi in detrimentum pacis Dominorum, Regis, & Regni, quàm ad bonæ tranquillitatis & unionis conservationem & confirmationem: quam tamen tranquillitatem & pacem nos omnes, Deo duce, appetimus, & toto corde affectamus.

Alia causa: quia antequam Propositiones mihi transmissæ debitè valeant condemnari: primò, & principaliter, diligentissimè Propositio Magistri Joannes Parvi debet examinari, non solùm per Theologos, verum etiam per Doctores Decretorum, & Jurisperitos; quia materia nunc currens, non solùm est Theologica, sed etiam Juridica. Quare istæ Assertiones quæ debentur fundari, ut asserunt aliqui, in Propositione Magistri Joannis Parvi, Jurisperitis & Decretorum Doctoribus transmittant, & supplico quòd ita fiat.

Supplico ulteriùs quòd zelo charitatis quilibet in se ipso diligenter advertat, ne Fides in aliquo lædatur, aut proximus noster quicumque, & maximè bonæ memoriæ Magister Joannes Parvi, cujus anima requiescat in pace, qui fuit frater noster in Christo: ne contra nos, vel aliquem nostrum possit dicere verba Psalmi, in forma quæ sequitur: *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & dolosi super me apertum est: locuti sunt adversùm me linguâ dolosâ, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.* Ps. CVIII.

Ista, Reverendissime in Christo Pater & Domine metuendissime, & vos Reverende Magister noster, Domine Inquisitor hæreticæ pravitatis, sunt pauca & modica quæ juxta Propositiones mihi transmissas, cum omni correctione, & sine Assertione temeraria, salvo Fidei honore, pro nunc mihi incurrunt dicenda, paratus reparare, si quæ reparanda sunt, ad monitionem cujuscumque me super hoc charitativè monentis.

*Tradita & lecta, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die Mercurii tertia *. Sic signatum.* ERARDUS EMENGART, *sacræ Theologiæ Professor, licèt indignus* &c.

Dominus Cancellarius exhibuit deliberationem venerabilis & circumspecti viri, Magistri Jacobi Pathomin, Magistri in Theologia, & Decretorum Doctoris, quæ fuit lecta & publicata per Vicarium Inquisitoris, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Mihi autem inter alios, salvo meliori Judicio, videtur, quòd asserere quemlibet tyrannum debere, & posse occidi licitè & meritoriè, à quocumque suo vassallo, vel subdito, modo quolibet, etiam per insidias & adulationes, non obstante quocumque juramento, aut confœderatione, & absque expectatione Sententiæ, vel Mandati Judicis; est errare in moribus, & in Lege divina, & canonica, in quolibet Articulo dictæ Assertionis; cum illa clausula ultima, absque expectatione Sententiæ, vel Mandati Judicis: tamen quia multi dicuntur tyranni, qui tales non sunt; nam vitium dicitur aliquando virtus, ut putà in subjecta materia.

* Desiderari videtur *Januarii.*

Rex est nomen virtutis, seu virtuosi, & tyrannus nomen vitii seu vitiosi: quot autem Regis nomen habuerunt, & Regia potestate usi sunt, qui tamen in rei veritate tyranni erant, sacræ & profanæ Historiæ manifestant.

Sacerdos nomen est virtuosi, quia dicitur sacra dans; & tamen constat multos Sacerdotum nomen & officium habuisse, qui in rei veritate sacrilegi erant, quibus dictis * nihilominùs, cujus actio, A instructio nostra, honorem impendendum esse palam monstravit, cùm leprosis mundatis per eum ait: *Ite ostendite vos Sacerdotibus.* Luc. XVII. 14. Quos tamen Sacerdotes, secundùm Doctores & Canones, sciebat esse sacrilegos.

Hinc Petrus, in Canonica sua: *Obedite Dominis vestris, etiam dyscolis. Regi* &c. 1. Pet. II. 18. Ista discolitas de qua loquitur Apostolus, eadem potest esse in tyrannide: non quòd in actu tyrannisandi sit sibi obediendum, sed in licitis & honestis; & per consequens, non est occidendus, quàm realiter in multis suis actibus sit tyrannus.

Ad hoc servit ista famosa historia sancti Mauricii, sociorumque ejus, cum multis aliis similibus, qui parati fuerunt obedire Imperatori, quanquam tyranno in iis quæ tyrannidem non incidebant; & tamen sibi recusaverunt in actu tyrannidis suæ, putà in persecutione Christianorum. Tamen quia aliqui sunt realiter tyranni, sed occulti, sicque de tyrannide convinci non possent, & de talibus occultis B solus Deus debet judicare; Jura sunt ad hæc quamplura, & divina & canonica: non quoto ut ‡ præsens; tùm quia si tyrannus sit notorius, tamen de notorietate priùs judicialiter discutiendum est, quòd † Sententia aliqua super hoc feratur; eo quòd multa dicuntur notoria, quæ minimè notoria sunt.

Si in hoc casu notorietatis tyranni Sententia non est perferenda, absque discutione judiciaria, ubi minus est periculum? Multò minùs est occisio tyranni absque discutione judiciaria facienda, ubi majus periculum committitur, cùm ibi cautiùs sit agendum.

Jura sunt ad hoc communia, tùm ex parte modi faciendi vulgarium N. proverbium, quòd *Modus est pulcherrima virtus.* Hic dicitur: *Omnibus adde modum*, & modo agendi, dicendi, vel faciendi nitetur.

Ex quo sequitur quòd licèt de genere, actus esset bonus; tamen modus faciendi ipsum vitiat, nisi C fuerit conveniens & congruus. Multò magis ubi actus, de genere, est vitiosus, sicut est homicidium; nisi justificetur per processum ordinarium; sicut constat quòd insidiæ & adulationes sunt modi incongrui agendi, seu loquendi, & disconvenientes: quare &c. tùm ex parte subditorum & vassallorum; quia tenentur Superioribus obedire, in rebus licitis; & etiam in dubiis. Nunc autem sic est, quòd dicta Assertio generatim loquitur: quare ita intellecta, errorem habet.

Tradita & lecta, pro parte dicti Domini Jacobi, Magistri in Theologia, & Decretorum Doctoris. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio. Die Mercurii, tertia Januarii.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Do-D minicus Chaillon, Licentiatus in Theologia, regratiatur & protestatur ut ceteri; & dicit quòd post dicta, modicum sciret dicere, & apparet sibi quòd Assertiones contentæ in cedula falsæ sunt & dissonæ, potissimè prima & ultima, & ista de mendacio.

Item, videtur sibi, quòd sunt per Doctores reprobatæ & damnatæ, nec appatet sibi quòd aliquis Theologus de hoc debeat dubitare: verumtamen duo sunt dubia, seu duæ difficultates.

Prima, quia dubium est, an contineantur in Propositione Magistri Joannis Parvi.

N Secun-

* *Fortè* Christus ‡ *Forsan* ad † *Fortè* quàm.

Secunda difficultas est, ne perturbetur pax, & ideò codices ipsius Magistri Joannis Parvi utique sunt visitandi.

Quoad secundum, videtur pro honore pocessus inchoati, & ut sit securius, & teneat pacem, & ut omnis suspicio cesset, tenendus esset modus tactus per Magistrum Joannem de Dulcimenillo, videlicet quòd de istis erroribus advisandus esset Dominus Dux Burgundiæ, & requirendus ejus assensus, & nulli dubium quin libentissimè hoc faciet, qui quidem assensus esset utilis & conservativus pacis inchoatæ: & ita videtur sibi, cum protestationibus consuetis in tali materia.

A

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Tranchenant, habuit cedulam, & regratiatur, & protestatur ut ceteri; & apparet sibi quòd cedula præsupponit scandalum ortum ex hoc. Ideò videtur sibi quòd Domini Judices sunt super hoc informati; & per hoc solvitur argumentum illorum qui dixerunt Propositiones non habuisse assertorem. Et hoc præsupposito, quæritur an sint rationabiliter reprobatæ; & sic condemnandæ: dicit tamen primò, quòd si istæ Propositiones sint benè vel malè extractæ, nescit; quia non vidit Librum Magistri Joannis Parvi: & videtur sibi quòd hujusmodi Assertiones sunt falsæ & erroneæ, & stat cum rationibus in cedula positis.

Quantùm ad tertiam Assertionem, dicit quòd si assertor solùm dixisset, *motus amore simplici*, non addendo *naturali*, glossa quam alii faciunt, habuisset locum. Et ideò apparet sibi quòd ipsa Assertio est erronea: quia nullus amore naturali solùm meretur divitias spirituales: & sic videtur erronea.

B

Quantùm ad aliam, de Phinées: videtur ire contra textum *Num. Vigesimo quinto capite*, & Mandatum datum ministris Legis.

Quantùm ad aliam de Judith, & Jehu: videtur sibi ut jacet, erronea; quia videtur continere quòd mentiendo quis meretur.

Quantùm ad aliam de Abner &c. Non videtur sibi magna cura de ista, quia ex inadvertentia, ut credit, posita fuit.

Quantùm ad ultimam, de perjurio: dicit quòd non videtur falsa & erronea, & est opinionis cum aliis Magistris quòd visitentur quaterni.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jacobus Magni, Licentiatus in Theologia, regratiatur, & protestatur ut ceteri; & asserit materiam magnam & arduam: sed confidit quòd Sancti per Fidem possidebunt Regna. Et ideò protestatur sicut ceteri, quibus adhæret: protestatur insuper quòd nihil amore vel favore dicet, nec in præjudicium pacis.

C

His dictis, venit ad declarationem eorum quæ * Et prima facie, sufficeret sibi de reprobationibus factis in cedula: verumtamen aliqua dicet.

Et primò, faciet quatuor dubia. Demum veniet ad cedulam.

Primum dubium.

An liceat nunc præsentem materiam tractare.

Circa quod dicit quòd à Magistris temporalibus ista materia pertractari debuit, propter quatuor rationes fundatas in pace, quia omnia quæ sunt ad securitatem pacis ita sunt facienda.

D

Prima Assertio aperit viam falsificandi juramenta: nam Aristoteles dicit quòd *Rex de facili incidit in tyrannidem*. Et ideo ista materia nunc est tractanda: nam Martellus, Rex Franciæ, videns Sectam Machoerti † incipere, non pepercit pro pace Regni, ad Sectam extirpandam.

Secunda ratio est, de timore; nam per timorem ista materia est tractanda: nam visa sunt pericula quæ passi fuimus, temporibus retroactis, videlicet quo ista materia tacita fuit: & ideò nunc materia est tractanda, quia errores relinquere, malum est.

Tertia ratio, in amore. Aliquis potest dicere, quòd ex ratione alicujus Ducis materia ista tractaretur: sed vult probare quòd ex amore tractatur. Nam ille Dux debet amare vitam suam: & ex istis Assertionibus aperitur via ad occisionem Principum, qui, ut prædictum est, de facili aliquando vertuntur in tyrannidem. Et recitat historiam Ambrosii, qui vocavit Theodosium ad Fidem, quo veniente, Ambrosius posuit pedem super collum suum dicendo. *Calcabis leonem & draconem.*

Qarta ratio, de honore. Aliqui dicunt quòd hîc tangitur honor aliquorum, & ideò prætermittenda esset materia: dicit quòd propter honorem pertractanda est materia.

Primò, propter honorem Dei & Fidei, & etiam propter honorem Regis; quia Rex Christianissimus est: & idem de honore Principum, & habitantium & Regnicolarum tangitur. Nunquid honor Universitatis maximus est? nam si dicetur quòd Universitas istam materiam incœpit, & dimisit, & ideò nunc est tractanda.

Secundum dubium.

An debeat tractari ista materia.

Dicit quòd sic, quia ista materia dicitur hîc esse dogmatisata; & fama est quòd iste Libellus est multùm multiplicatus. Ubi ergo tractanda est materia, nisi ubi publicata fuit? Quis non potest de ista materia, sicut hîc & aliàs visum est, quòd Universitas Parisiensis fecit revocare Joannem Papam vigesimum secundum.

Tertium dubium.

An necesse sit quòd aliquis faciet se partem, vel quòd sciatur quis sit assertor.

Respondet quòd nullum istorum est necesse; quia si appareret Liber aliquis sine Magistro, repertus in vico, continens errores, damnatus esset.

Quartum dubium.

Utrùm istæ Assertiones colligantur ex Libro dicti Magistri Joannis Parvi.

Et apparet sibi quòd sic; etiam directissimè extrahuntur ex dictis suis: & dicit Librum vidisse, in quo erant centum vigenti quatuor Propositiones extractæ ex illo Libro, & de hoc non facit dubium.

Quantùm ad primam Assertionem, dicit quòd ipsa est falsa & erronea. Patet per Augustinum, Libro. De civitate *Qui sine publica administratione tyrannum occiderit, velut homicida tenebitur.* Et est periculosa: nam aperit viam homicidii, & occidendi Principes, & scandalosa, clarum; estque subversiva justitiæ, quia aperit viam quòd quilibet sit Judex. Et si dicatur quòd licet tyrannum occidere: ita dicetur quòd licet hæreticum occidere, quia hæreticus pejor quàm tyrannus: & idem de omnibus. Et si dicatur: tyrannus lædit Rempublicam. Certè ita hæreticus tangit salutem animarum: & est subversiva totius Communitatis, propter perjurium; nam perjurus tanquam homicida reputatur. Et hoc est in præjudicium securitatis & fidelitatis: & juramentum, est maximum vinculum inter nobiles.

Et quando aliquis asseruit quòd beatus Thomas videtur ponere in Secunda Secundæ quòd *Si quis violenter aggrediatur aliquod Dominium, vel usurpet, nolentibus subditis, vel ad consensum coactis, ubi non est recursus ad Superiorem, qui talem occidit, laudatur.* Sed tamen per hoc non dicit quòd talis esset laudandus; & ideò mens beati Thomæ fuit, quòd talis non debet laudari: sed dicit, laudatur,

* Hic aliquid deesse videtur. † Forsan Machometi.

-tur, & præmium accipit: & non dixit, debet laudari.

Quantùm ad Tullium, legit quòd erat inimicus Julii Cæsaris.

De Salberiensi: dicit quòd non dixit quòd liceret, atque permissum fuisset aliquem occidere.

Quantùm ad illam de Michaële: dicit quòd ipsa est expressè & clarissimè contra Fidem, & continet errorem; erroneum est enim dicere aliquam creaturam aliam damnare, vel salvare. Modò clarum est quòd Michaëlem occidere Luciferum, est ipsum damnare, qui actus damnationis stat in solo Deo, & spectat ad Deum: & ideo dixit: *Imperet tibi Dominus*.

Quantùm ad illam de Phinées: dicitur quòd habuit Præceptum, vel hoc fecit, ut filius Sacerdotis; & si fuit autorisatus, non ad Propositionem.

Quantùm ad illam de Joab: dicit quòd historia illa non est ad intentionem, nec est ad propositum Magistri Joannis Parvi.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Florè, Licentiatus in Theologia, venit ad fundamentum hujus processus, qui procedit, ut asserit, autoritate Regis, qui offert dare brachium seculare, si sit opus; & ideò Littera Regia emanavit ex consilio Spiritus sancti: & dicit quòd multi errores seminantur, & seminati fuerunt in isto Regno, & aliquis fecit quæstionem in Universitate de habendo proponente. Et ideò requirit Judices, ut requiratur brachium, seu auxilium brachii secularis: & recitavit aliquos errores in scriptis; posteà protestatus est ut ceteri.

Quantùm ad primam Propositionem: videtur sibi sufficienter reprobata, & dedit in scriptis deliberationem suam, & eam legit in hunc modum.

Dico primò, quòd prima Propositio, si generaliter accepta, benè videtur reprobata; non enim licitum est cuilibet quemlibet tyrannum occidere: quia habens Dominium, potest esse tyrannus, exercendo multa per abusum potestatis; & talem non licet interficere, quoniam Prælatio, sive Dominium, secundùm suam formam, semper est à Deo: & ideò debitum obedientiæ causat; & ideò talibus Dominis, quamvis indignis, obedire tenentur subditi.

Hæc sanctus Thomas, in scripto. *Dist. Quadragesima quarta*. Et currit autoritas Petri. *Servi subditi estote* &c 1. Pet. II. 18.

Unum concedo, quòd in casu quo aliquis Dominium per violentiam subripiet, nolentibus subditis, vel etiam ad assensum coactis; & quando non est recursus ad Superiorem, per quem Judicium de tali invasore possit fieri; tunc enim qui illum tyrannum ad deliberationem Patriæ occidit, laudatur. Dico quod in isto casu, Lex dat autoritatem; & si non divina, tamen civilis, quæ etiam dat autoritatem interficiendi furem nocturnum, eo quòd non potest discerni, utrùm causa furandi, vel occidendi venerit; quæ etiam dat autoritatem interficiendi invasorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ubi non restat locus privatæ personæ.

Dico igitur, quòd erroneum est in Fide & moribus, asserere quòd licet alicui alium occidere qualemcumque, sive maleficum, sive alium, authoritate propria. Sicut enim auferre rem alterius, sine ipsius autoritate, & voluntate, cujus propriè est vita, & cujus solius est vivificare, semper est illicitum. Quicumque ergo non accipit potestatem; vel à divina autoritate, quæ est in Lege; vel ab ejus, scilicet Dei, voluntate intellecta per internam inspirationem, si interficit, facit contra illud Præceptum *Non occides*. Benè non sequitur, multis de causis, iste interficiendus est, secundum Legem. Glossa: *Qui interficit, facit secundùm Legem. Ad interficiendum autem secundùm Legem, sufficit solus reatus, quo quis dignus sit interfici. Ad faciendum autem secundùm Legem, requiruntur plura, justa causa, justus ordo, justus animus. Justa causa; ut reus meruerit interfici: justus ordo; ut occidens habeat potestatem, & alius convictus sit de crimine, Judicis enim non est, sine accusatione damnare: justus animus; ut illud fiat solùm amore justitiæ, non libidine vindictæ, & appetitu pœnæ.*

A Ex his satis patet, quòd prima Propositio sic posita, est verè & doctrinaliter reprobata; & etiam secunda, de Michaële; & tertia, de Phinées; & alia, de Moyse: omnes nempè habuerunt authoritatem à divina voluntate, saltem per internam inspirationem. Et dicerem quòd contrarium dicere, est blasphemia, & injuria, contra ipsos qui fuerunt famuli diaboli.

Quantùm de Judith & Jehu: licèt in eis laudetur affectus; non tamen potest laudari mendacium; quia omne mendacium est peccatum, saltem veniale: dicere autem quòd licitum sit peccare venialiter, error videtur.

De ultima: constat quòd illa Assertio est contra ordinem Historiæ; & ideò in proferente, si fuerit Doctor, potest argui negligentiâ magnâ, videnti Textum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Domestici, pro responsione ad cedulam sibi missam, intendit loqui de loco ab authoritate, & sequi Dominos & Magistros suos: & dicit quòd primò videnda Propositio Magistri Joannis Parvi, & habeatur originale si possit, quia multi dicunt quòd sic, & multi quòd non: si reperiatur quòd sic, mittendum erit ad Dominum Ducem Burgundiæ, qui ut verus Catholicus, reprobabit & faciet reprobare; & si non sequuntur ex dictis Magistri Joannis Parvi; dicit quòd si condemnentur, debet poni illa clausula, quòd non continentur in Propositione Magistri Joannis Parvi: sed quia malè sonant, essent condemnandæ; & ideò monendus esset Dominus Dux Burgundiæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Parvi, Licentiatus, dicit quòd cedula continet, *An liceat occidere tyrannum, propria authoritate*. Et stat circa illud verbum, *propria autoritate*. Et allegavit Platonem, in Thimæo, & vocatur iste Liber, *De justitia naturali*. Et dicit quòd occidere C aliquem, propria authoritate, est contra justitiam naturalem & theologicam. In justitia nempe naturali requiritur unum, scilicet regula, & regulatum: hoc est manifestum in Regno animæ; quia non est aliquid faciendum secundùm vim concupiscibilem & irascibilem, imò oportet quòd regantur secundùm rationem. Nam omnes morales sunt concordes, quòd nihil est faciendum in Regno animæ, propria authoritate, nisi quod ratio suprema dictavit, quæ est Rex in Regno animæ: & sic ista Assertio offendit omne Jus naturale & morale. Benè dicit Aristoteles, *quinto Ethicorum*, quòd *Propter Legem opus est Sententia Judicis*; quia Judex est ratio incorporata, nec habet Patrem & Matrem; & ideò propter istud medium, Aristoteles voluit quòd D essent Judices ordinati aliquid medium esse propter bonum ordinis. Modò omnis ordo incipit ab unitate; & ita, nisi esset unum caput, esset unum chaos: & allegavit ordinem & contexturam rerum, quòd unum tendit ad aliud. Et ideò propter ista tam non licet aliqua, propria authoritate facere. Et ideò dicit, quòd prima Assertio est falsa, erronea & hæretica, & subversiva totius ornatus mundi, quem Deus disposuit; & ideò perversa. Nam, *Justè persequeris quod persequeris*. Nam Philosophus dicit quòd *bonis mediis, boni acquirunt fines suos*.

Et quando quæritur si expedit eas condemnare: ver-

verbum *expedit*, comprehendit unum totum integrale, scilicet utrùm pertineat ad Pontificem: dicit quòd sic, quia Ezechiel loquens Pontificibus dixit *Filii hominum posuerunt te* &c.

Cùm asserit quia non sunt assertores; respondet: *Si non credatis mihi, saltem operibus credatis*; quia *facta magis famata, quàm verba*, & allegavit Catonem, *Cùm animadverterem* &c.

Quibus auxiliis veritatis & Fidei, ac bonorum ac proborum, quomodò per diligentem inquisitionem quam faciunt Judices†: & dicit quòd ex quo nunc est opportunitas, non esset expectandum, ex quo Deus dedit tempus faciendi.

+ errores damnantur. et-

Et protestatur sicut ceteri, non tangendo personam singularem, sed solùm vitia.

De codicibus Magistri Joannes Parvi; quia aliqui dicunt quòd Assertiones illæ non eliciuntur ex ipsis; dicit quòd actus morales habent virtutem à fine: nam allegans verum, sub falsa imagine, est cautus hæreticus.

Et ideò sibi videtur, quòd prima Assertio est falsa & hæretica, & totius ordinis subversiva; & nunc condemnanda.

De aliis, de Michaële, & de Phinées; dicit quòd si non habuerunt Mandatum, peccaverunt. Et illa de mendacio, est pernitiosissima: nam Mandatum fuit punitum. De Anania, & sua uxore, quia mentiti, ceciderunt mortui, quia mentiti sunt de venditione agri, beato Petro Apostolo.

Et dicit itaque, quòd prima Assertio, & aliæ, in quantum favent sibi, sunt hæreticæ, & condemnandæ judicialiter: & ista est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Monteleonis, dicit, quod fuit multùm occupatus, & ideò modicum intendit dicere ultra ea quæ dicta sunt; & protestatur, sicut ceteri: & in particulari protestatur quòd non intendit aliquid dicere, nisi cum reverentia & correctione Dominorum Doctorum, nec contra aliquam personam: & credit, quòd omnes procedunt secundùm conscientiam eorum, & pro bono Fidei; & supplicat quòd hoc existiment de ipso; nec habeant illi respectum quòd sit servitor Domini Ducis Burgundiæ. Et ideò vult sequi majorem partem hujus sacri Collegii. Et veniendo ad factum, quia opinio plurium sibi videtur imitanda, dicit quòd videtur sibi quòd Propositiones non sunt condemnandæ, nec est justum, nec congruuum, modo quo positæ sunt; nec in isto præsenti tempore, eas condemnare.

Et monetur * primò, quia prætermittuntur modi requisiti ad condemnationem aliquarum Assertionum, primo modo præsentandi istas Propositiones; modus notorietatis materiæ, & etiam temporis opportunitas: prætermittitur, inquit, ‡ materiæ notorietatis: nam ad hoc quòd aliqua materia sic tractetur, debet esse clara & non ambigua: & constat quòd plures in hoc Concilio dixerunt, quòd non sunt Propositiones Magistri Joannis Parvi. Alii dicunt, quòd non habent assertorem: & ideò adhuc deberet constare illis qui deliberaverunt quòd essent, vel sequerentur ex Propositione Magistri Joannis Parvi.

Sed quia non vidit ad longum Propositionem suam, nesciret dicere, an sequantur ex Propositione sua; sed vidit extractum.

Et circa primam Propositionem, omittuntur multæ circumstantiæ, quæ reddunt illum tyrannum hostem publicum: nam dicit quòd licet occidere tyrannum taliter circumstantiatum, & qui est hostis publicus.

Item, non ponitur quòd tyrannus potest occidi à quolibet suo vassallo: & ideò habet unam considerationem quam aliqui tetigerunt, quòd occasione hujusmodi Propositionis multa scandala orta fuerunt: nam multa mala perpetrata sunt per illos qui non tenebant illam, & per illos qui eam sustinebant.

Et dicit quòd licèt quòd nunquam facta fuisset Propositio Magistri Joannis Parvi, fuissent multa mala secuta; & sic non potest dici quòd hoc provenerit occasione dictæ Propositionis: & ideò illa non sufficiunt ad condemnationem hujusmodi Propositionis.

A Item, omittitur modus proponendi, qui non est aptus, quia quæcumque proponuntur Propositiones aliquæ condemnandæ, debent præsentari clarè in Concilio: & videtur sibi, cum correctione omni, quòd hîc proceditur sophisticè, nec proponitur totus syllogimus; statim quis perciperet falsitatem considerationis: sed hîc, ut videtur, servatur una cautela, & ex hoc aliqui possent arguere Concilium: nam proposita est illa Major, nec est finis; nam si totus syllogismus fuisset propositus, tamen aliter deliberaret.

Et credit quòd Dominus Cancellarius habuit justum propositum, eò quòd non intendebat ulteriùs procedere: sed quia multi dicunt quòd hoc habito, procedatur ad Minorem, & inferre considerationem, ex quibus multa mala possunt evenire. Nam aliqui quorum honor tangitur in ista materia, nunquam habuerunt opportunitatem loquendi, & servandi honorem suum; putà Dominus Burgundiæ, B qui tangitur in ista materia, qui non habet nunc opportunitatem & libertatem in ista materia loquendi: non quod velit dicere quòd fuit compulsus de ista materia. Et ideò apparet sibi quòd multipliciter in hoc tangitur Dominus Burgundiæ, qui non vocatur; & sic possent sequi guerræ & divisiones in Regno isto: ex hoc potest dici quòd adversarii sui prosecuti sunt istam materiam.

Item, poterit dici quòd illi qui deliberaverunt in ista materia erant servitores Dominorum de alia parte, & si calumniatur processus, & ex condemnatione ipsarum sequentur magnæ divisiones inter Nationes, civitates & villas: & ex istis concludit quòd non est tutum, imò periculosum istas Propositiones nunc condemnare.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas Avis, Carmelita, recepit, dicit, cedulam; C regratiatur & protestatur sicut ceteri, & apparet sibi quòd duo essent prætermittenda.

Primum quòd dicta Magistri Joannis Parvi examinarentur diligenter, & tunc clarè videretur an hujusmodi Assertiones sequerentur ex dictis suis, directè & indirectè.

Secundum est, quòd adeundus esset Dominus Burgundiæ, qui Catholicus, ut sperat; & hoc faceret multùm ad stabilitatem hujus sacri Concilii, & hoc multùm operaretur ad præsens Concilium & ipsum solidaret & illucidaret.

Quo ad primam, secundam & ultimam Assertiones, dicit quòd istæ tres sunt falsæ & hæreticæ, & subversivæ Juris & Principatus; & ultima est destructiva totius Communitatis.

Quantùm ad alias; si autoritate privata hoc fecerunt, peccaverunt graviter; si autoritate, vel revelatione divina, non peccaverunt: & ideò ipsas D dimittit deliberationi Dominorum Judicum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Montenoeson, Ordinis Cluniacensis, dicit quòd duo quæruntur. Primùm, utrùm Assertiones sint falsæ & erroneæ & benè reprobatæ: secundum, an sit condemnandæ. Præmittit protestationem consuetam; & dicit quòd prima Assertio sibi videtur erronea & falsa: & dedit deliberationem in scriptis, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Re-

† Hic aliquid desideratur. * Forsan movetur. ‡ Forsan desiderantur modus.

Reverende in Christo Pater & Domine mi metuendissime, vosque Domine Inquisitor.

Ego recepi quamdam cedulam per vos mihi transmissam, in qua continebantur aliquæ Assertiones, cum reprobationibus earumdem, super quibus quæritis meam deliberationem. Dico ego, protestando quòd omnia quæ dicturus sum in hac materia, intendo dicere cum omni reverentia & correctione Magistrorum meorum, & sine præjudicio (A) melioris judicii. Et primò dico quòd prima Assertio in cedula contenta, est, ut jacet, pernitiosa, erronea & causativa scandali: & dogmatisare eam cum pertinacia, est sapere hæresim, sicut dogmatisare quod adulterium esset bonum committere & licitum, & modestia * me, ad hoc, primò sunt illa quæ ponuntur in prædicta cedula.

Secundò, quia Aristoteles *in politicis*, distinguit triplex genus politiæ, scilicet Monarchia, Aristocratia & Olicratia: & inter ista genera dicit quòd Monarchia est regimen supremum & optimum, eo quòd omnia quæ sunt hujus generis, habent reduci ad unum, quod est metrum & mensura omnium. Et juxta hoc Plutarchus Philosophus dicit, in *De remediis iræ*, quòd Princeps Procuratoribus & Dispensatoribus multa committit; de maximis autem, principalibus & arduis, curam & autoritatem reservat sibi; & consequenter dicit quòd adhoc quòd ali- (B) quis judicetur, non debet judicari per iram, si redargutus, causâ scilicet incognitâ, puniatur.

Item, ad hoc monent † dicta Sanctorum Doctorum, quemadmodùm Augustinus, secundo Libro, *Contra March.* In secundo Libro, *Contra Faustum*, & in Libro, *Publ.* ut per Magistros fuit multipliciter allegatum.

Item, Ambrosius, super primam ad Corinth. 2. dicit quòd Judith non est ex occisione damnata, sicut nec Christus Judam abjecit. Et pro isto est Alexander, tertia parte, multis locis, quòd ad hoc quòd aliquis possit occidere justè alium, requiritur justus ordo, & occidens habeat potestatem, & convictum sit crimen.

Item, Sanctus Thomas, Secunda Secundæ, quæstione.... Articulo 6. dicit. *Cum ejusdem actus sit Legem interpretari & Legem condere, sicut Lex tradi non potest, nisi publica authoritate fulcita; ita etiam injustum est, si quis aliquem compellat ferre Judicium, quod publica autoritate non fertur.* Et post dicit quòd (C) *Injustum est quòd aliquis judicetur ab eo qui publicam autoritatem non habet.*

Idem etiam dicit in eodem Libro. Quæstione sexagesima quarta: ponit differentiam inter judicium quod fit de bestia & homine. Et dicit quòd quia homo naturaliter non est distinctus ab hominibus justis, ideò indiget publico Judicio, ut scilicet discernatur an sit occidendus, propter salutem communem. Et in eadem Quæstione. Articulo secundo, dicit quòd facere aliquid ad utilitatem communem, quod nulli nocet, hoc est licitum cuilibet privatæ personæ: si sit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri, nisi secundùm Judicium ejus ad quem pertinet æstimare quid sit subtrahendum partibus, pro salute totius. Et quia nullum Doctorem reperio dogmatisantem istam Assertionem; sed potiùs contrarium, & quòd ipsa sit causativa scan- (D) dali, ut satis à Magistris nostris multùm benè deductum est, apparet in judicio meo modico, quòd condemnanda, nec potestis Domini Judices differre: quia, ut dicit Ambrosius, Libro, *de Off. in causa Fidei.* Ubi communionis ‡ periculum est, etiam dissimulare est peccatum non leve. Et in eodem Libro, dicit contra dictam Assertionem, quòd vir Christianus justus & sapiens, quærere sibi vitam alienam non debet.

Quantùm est de aliis Assertionibus; ego sto cum reprobationibus earumdem.

Quantùm ad aliam quæ loquitur de mendacio; dicit Sanctus Thomas, Secunda Secundæ, quæstione nona, Articulo tertio, quòd *quia mendacium est malum ex genere, ideò non potest licitè fieri.* Et in solutione septimæ rationis ejusdem Articuli, dicit quòd non licitum mendacium dicere, ad hoc quòd aliquis alium à quocumque periculo liberet.

Sic signatum: JOANNES DE MONTENOESON.

Tradita & lecta die Jovis quarta Januarii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, per dictum Dominum Magistrum Joannem de Montenoeson.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Fradeti, Ordinis Cluniacensis, regratiatur, & protestatur ut ceteri, & dicit quòd nihil intendit dicere in favorem vel odium personæ, sed propter zelum Fidei; qui legit deliberationem suam, cujus tenor sequitur in hunc modum.

Reverende in Christo Pater, & Domine mi; ad cedulam per eandem Paternitatem vestram mihi missam, in qua continentur aliquæ Assertiones cum suis reprobationibus; cum omni humilitate & obedientia debita, & sub correctione vestra & Reverendorum Magistrorum ad quos spectat &c. & etiam cum protestationibus debitis, dico aliqua.

Primò, ad primam Assertionem in qua ponitur. *Que un chacun tyran doit & peut estre loyalement & par merite occis de quelconque son vassal ou subjet, & par quelque maniere, mesmement par agnettes, par flatteries, ou par adulations, non obstant quelconque jurement ou confœderation faite envers luy, sans attendre la Sentence ou Mandement de Juge quelconque.*

Dico primò ad istam Assertionem, quòd capiendo ipsam ita generaliter, & utendo hoc nomine *tyran* sine alia modificatione; quòd ipsa Assertio est falsa, periculosa, seditiosa, contra Scripturam sacram, contra doctrinam Sanctorum, & contra illud Præceptum divinum, *Non occides*, Glossa: *propria authoritate*, & per consequens erronea, & malè sonans in Fide. Ubi advertendum est quòd Augustinus, *primo, De civitate Dei. Capite vigesimo secundo*: solùm ponit duos casus in quibus licet hominem interficere, in his verbis. „ Quasdam verò exceptiones divina facit autoritas, ut liceat hominem occidere, scilicet his exceptis, quos Deus occidi jubet, sive data Lege, sive ad personam pro tempore expressa jussione; non autem ipse occidit qui ministerium debet jubenti: & ideò nequaquam contra hoc Præceptum fecerunt, qui Deo autore bella gesserunt: aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus Leges, hoc est, justissimæ rationis imperio sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine; verùm etiam laudandus est nomine pietatis, quòd voluit filium suum nequaquam sceleratè, sed obedienter occidere &c. „ Ut sequitur in eodem capite, usque ad finem capituli.

Dico secundo ad tertiam particulam Assertionis, in qua dicitur, *Et par quelconque maniere*, quòd hic est contra Scripturam sacram, *Deuter. decimo sexto.* ubi dicitur: *Quod justum est justè exequeris*: & ideò quamvis licitum esset interficere tyrannum, vel quemquam alium, observari deberet processus juridicus &c.

Dico tertiò, ad tertiam particulam, in qua dicitur: *mesmement par agnettes.* Hujus Assertionis contrarium tenet sanctus Thomas, in Secunda Secundæ, Quæstione quadragesima: ubi dicit quòd. *In bello etiam licito, non est utendum insidiis*: ad istum sensum, quòd nullo modo debet dici falsum, vel non observari promissum contra hostes, in bello, etiam licito; imò contra unum, etiam semper illicitum:

* Locus corruptus. † Fortè movent. ‡ Fortè Communitatis

sunt enim Jura bellorum, & fœdera, etiam inter ipsos hostes servanda, ut Ambrosius dicit, in Libro *de Off.* & probatur ratione sic: quia insidiæ & fraudes videntur fidelitati opponi, sicut & mendacium. Sed quia ad omnes debemus Fidem servare, nulli homini est mentiendum: profert Augustinus, in Libro, *Contra mendacium.* cum igitur Fides hostibus servanda sit, ut Augustinus dicit ad Bonifacium, sequitur quòd insidiis nullo modo est utendum, & etiam contra hostes.

A Dico quartò, ad aliam particulam Assertionis, in qua dicitur, *non obstant quelconque jurement*; hoc est contra Scripturam sacram, *Exod.* 1. *capite.* De obstetricibus quæ mentitæ sunt Pharaoni dicentes: *Non sunt Hebrææ sicut Ægiptiæ mulieres* &c. Et sequitur in Textu: *Benè ergo fecit Deus* &c. Super quo verbo dicit Gregorius: *Summoperè cavendum est mendacium, quamvis sit culpæ levioris, si quisquam mentiatur præstando beneficium; sed quia scriptum est* Os quod mentitur, occidit animam Sap.1.11. *Et*, Perdes eos qui loquuntur mendacium. Ps.v.7. *Hoc quolibet profecti* * *refugiunt, ut nec vita cujuslibet per eorum falsitatem defendatur, ne noceant suæ, dum prodesse nituntur carni alienæ.* Et paulò post sequitur. *Multæ enim obstetricum falsa* † *conantur asserere, hoc genus mendacii non esse peccatum, quia ædificavit eis Dominus domos: in qua compensatione magis noscitur* B *quid mendacii culpa mereatur: nam benignitas earum merces quæ potuit in æterna vita retribui pro culpa mendacii, ad terrenam compensationem deputata est in vita sua quam tueri mendacio noluerunt qui fecerunt bona* ‡ *præcipient*, & *ulteriùs quòd expectarent mercedis præmium non haberet*, hæc Gregorius.

Ex quibus verbis satis concluditur quòd prædictæ obstetrices mentiendo Pharaoni peccaverunt; & tamen hoc fecerunt ad conservandum vitam puerorum Hebræorum & populi fidelis à Deo electi, de quorum semine Christus erat descensurus, & in hoc fuit conservatio, non solùm unius Regionis, vel Regni; imò totius Christianitatis. Ergo à fortiori, ad interfectionem unius tyranni, qui solùm tyrannisaret in uno Regno, nullo modo licitum est uti mendaciis, & falsis juramentis.

Item, posset argui de Eleazaro qui non solùm admittere illicita noluit, verum etiam licita noluit admittere; sub fictione tamen, & hoc ad salvandum C propriam vitam, vt habetur, *secundo Machabæorum. Septimo capite.*

Dico ulteriùs ad aliam particulam Assertionis in qua dicitur: *Sans attendre Sentence ou Mandement de Juge quelconque*, hoc est falsum, & contra Augustinum. Libro, *de civitate Dei*, dicentem, quòd *Qui sine aliqua publica administratione maleficum interfecerit, velut homicida judicabitur, & tantò ampliùs, quantò sibi potestatem à Deo non sibi concessam usurpare non timuit.*

Secundò hoc est contra id quod dicitur mulieri depræhensæ in adulterio. Joan. octavo. *Mulier ubi sunt qui te accusabant, nemo te condemnavit?* Quæ dixit, *nemo Domine: nec ego te condemnabo* &c. Et tamen secundùm Legem ipsa debebat lapidari.

Adhuc ultra Legem requiritur Sententia. Et ad istud propositum dicit Augustinus, super Joannem: D *Nunquam Lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso priùs, & agnoverit quid faciat, quia diceret quòd non.* Et probatur ratione, sic: homo tyrannus, vel etiam quicumque alius transgressor Legis, non est naturaliter distinctus ab hominibus innocentibus & justis: & ideò indiget publico Judicio ad discernendum an sit occidendus propter salutem communem, vel non &c.

Ex quibus omnibus satis patet quòd illa prima Assertio, sicut jacet, est falsa, seditiosa, contra Scripturam sacram, contra doctrinam Sanctorum, & tanquam erronea condemnanda. Sed quia aliæ Assertiones quæ erant inductæ ad probationem hujus primæ Assertionis sunt multùm solemniter reprobatæ: ideo aliàs probationes non adduco, pro præsenti.

Sic signatum. G. Fradeti, *Prior de Villa Dei, Licentiatus in Theologia, quamvis indignus.*

Tradita die Jovis, quarta Januarii. Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Philibertus de Anneio, Ordinis Cluniacensis, dicit primam Assertionem esse falsam & erroneam; & regratiatur & protestatur, ut ceteri, & dicit quòd est sufficienter reprobata. Verùm etiam quia reprobatio benè vniversaliter loquitur, quòd autoritate propria quis non esset occidendus, quia Rex faciendo Justitiam, non propria autoritate facit, sed autoritate publica.

Illa de Michaële, videtur in fine favere errori Pelagii, & quando aliqui nituntur colorare amore gratuito, quia expressè dicit *solo amore*: & ideò de se est falsa & hæretica.

Quantùm ad illam de Phinées: dicit quòd non legitur quòd hoc fecerit ex Mandato, sicut filius Regis non habet aliquam potestatem in Regno, nisi sibi committatur; & dicitur quòd reputatum sibi fuit ad justitiam. Et loquitur sine temeraria Assertione; & videtur sic quòd habuit aliquod Mandatum: & ideò videtur quòd ille Zambri non fuit solùm occisus propter idolatriam; sed qui apublicè intravit quod muliere. *

De alia de Moyse: Alexander de Halis videtur ipsum excusare quòd non peccavit: & loquenti videtur quòd peccavit; quia propter injuriam non est procedendum ad occidendum aliquem.

De alia de Judith: aliqui dicunt quòd non peccavit; tamen magis tenet quòd peccavit.

Quantùm ad ultimam Assertionem: dicit quòd ipsa est falsa simpliciter: & licèt aliquando fiat contra juramentum, & excusetur propter conditiones subintellectas.

Quantùm ad aliud: an sint condemnandæ, credit quòd si habuerint assertotem, veniunt condemnandæ: sed quia non apparet; ideò non sunt condemnandæ secundùm quod multi dicunt: sed considerat quòd nisi condemnentur, erit magnum inconveniens, propter Concilium Fidei solemniter congregatum: ex alio, quia fama est quòd sunt extractæ ex Propositione Magistri Joannis Parvi: & si non contineantur, ipsas condemnare etiam erit inconveniens.

Et an sint benè extractæ, vel non, Doctores sunt varii: & ideò ista diversitas magis povenit ex Assertionibus, quàm aliàs: & ideò deliberationes istæ cum quaterno mittebantur ad Curiam Romanam totum sigillatum, quia credit quòd nos non sumus sufficientes Judices. Et ista est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Macheti, aliàs de Conlenessiis, regratiatur & protestatur ut ceteri, & dicit: Multi dicunt quòd non sunt Assertiones illæ contentæ in quaternis Magistri Joannis Parvi; ideò dicunt quòd non sunt condemnandæ: ex adverso, alii dicunt oppositum. Ipse tamen dicit quòd ex quo aliquæ Propositiones continent errorem, licèt non appareat assertor, sunt condemnandæ. Domini tamen Juristæ convocandi sunt in ista materia; nam multi alii errores fuerunt condemnati: & dicit quòd non credit quòd Magister Joannes Parvi dixisset quòd à quolibet tyrannus esset occidendus, sine autoritate; nam ista consequentia non est bona: tyrannus occidendus est; Glossa, *à quolibet.*

Quan-

* *Forte* quilibet perfecti † Locus corruptus ‡ Locus corruptus.

* *Forte* ad mulierem.

Quantùm ad aliam, de mendacio: non credit quòd Magister Joannis Parvi voluerit dicere quòd occidere tyrannum liceret, si juramentum fuerit in contrarium: & ideò stat cum reprobationibus, quantùm ad primam maximè. Sed quia non constat quòd Magister Jonnes Parvi eas posuerit, non sunt condemnandæ: & ideò visitandi sunt quaterni sui, & verba non sunt extendenda, imò piè interpretanda; & ideò eligendi essent viri scientifici qui materiam haberent discutere & visitare. Et ista est deliberatio sua.

Eodem Anno, die quinta Mensis Januarii, coram prædictis Dominis, Episcopo & Inquisitore hæreticæ pravitatis, deliberaverunt alii Domini & Magistri, qui restabant deliberaturi, modo & forma qua sequuntur.

Et primò.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Matiscone, Legum Doctor, dimissis excusationibus quas haberet, de non deliberando pro nunc, putà quia simplex Legista, debilis insufficientiâ, labilis memoriâ, Burgundus Natione, Aureliani studens, ab initio: ac præmissis protestationibus sæpiùs factis, quòd sine injuria cujuscumque, sed solùm ad veritatem Fidei & bonum conscientiæ, intendit dicere quæ dicturus est; deliberat in hunc modum, & capit tria puncta in cedula sibi missa nimis alta, videlicet

An liceat occidere, propria autoritate.

An per fraudes & adulationes.

Et an liceat recedere à juramento, propter melius.

Quantùm ad primum, an liceat &c. Recipit unam Legem: Licet Patrem adulterum depræhensum cum filia, & etiam adulterum cum uxore occidere marito, uxorem depræhensam cum vili persona. Hoc dicunt, inquit, Leges, non jubent, imò permittunt, idest occidentem non puniunt. Non quòd sit gratum Legi; sed Leges ipsos non puniunt. Et ad declarationem hujus, dicit ultra quòd quæque Lex resistit actui hominis, quia prohibet actum fieri secundùm quod in criminibus prohibet: & in alienationibus quas prohibet, ut in alienatione rei dotalis, & similibus. Et aliquando Lex assistit actui, ut quia vult, & factum approbat; sicut in collationibus Beneficiorum, Dignitatum, & similium, quæque Lex non resistit, nec assistit, sed sic dimittit: velut Lex est; alteri stipulari nemo potest, Lex est, non quòd Lex resistit, sed quia non assistit juxta Legem, *Non dubium* C. *de Lege*.

Nunc ad propositum: Lex fornicari permittit, nunquam * per hoc Lex assistit, absit; Lex non permittit perjurium: utrùm dicatur Lex assistere, absit.

Et sic etiam, quamvis Lex dicat: licet occidere adulterum, non est dicendum Lex assistit; absit: & sic infert quòd non propriè diceretur Lex *occidere*; quoniam non occidit: sicut Lex permittit vinum effundere, sed non laudat effundentem.

Et sic in proposito: Lex non laudat occidentem; & tamen permittit occidere, & si dicat aliquis: imò, actui malo Lex assistit, ut in usuris non permittantur, & licèt prohibeatur scripto promissas usuras exigere. Glossa. *Lex assistit actui malo. Donatio facta meretrici valet.* Glos. *Lex assistit*, non sequitur, Lex non reperit. Gloss. *aperit.*

Dicit ut ceteri, quòd Lex *non assistit*; sed permittit, nec approbat, nec reprobat. Et quoniam dicitur: *Optimo Jure debentur*; hoc est secundùm finem politicum, non tendendo ad finem divinum. Et sic exponitur *debentur*, id est optimo jure reprobantur. Sunt enim multæ Leges, quæ non habent locum per Legem divinam, nec Leges obstant contra veritatem Fidei.

* *Fortè* non quòd.

Et si dicatur: licet Judici occidere maleficum, & meretur; licet militi occidere inimicum, & potest mereri; licet defendenti occidere invasorem, licet, non meretur. Glossa. *Licitum est occidere*; Quòd liceat Judici occidere fatetur, & quòd ista fiunt per Legem humanam, quæ non videntur dissonare à Lege divina.

Circa quod dicit, quòd sicut in corpore humano licet scindere membrum putridum, læsivum totius corporis, & non est remedium aliàs; sic

A Communitati, vel illi qui vicem ejus gerit, licet occidere maleficum. *Sicut* Gloss. *non licet vicino membrum vicini abscindere, sine ejus voluntate: sic non liceret cuiquam membrum Communitatis abscindere, seu occidere, sine ipsius communitatis mandato, vel illius qui ejus vices gerit, modò quilibet est membrum.* Et dicit Sanctus Thomas in materia de Justitia. „ Et „ si dicatur ille qui vicem ejus gerit, remissus est, „ recurratur ad illam Communitatem: & si Com„ munitas non possit intendere; recurratur ad il„ los qui sunt indoneiores in Communitate: & si „ dicatur periculum est in recurrendo; „ dicit quòd periculum majus est in sic interficiendo. Dicit ulteriùs quòd si quis inscidat membrum proximi, sine mandato, est contra jus naturale.

Et pro hoc addjicit unam rationem naturalem

B quam aliqui faciunt: quia quod nostrum, sine facto nostro à nobis tolli non potest. Sic Glos. *Membrum putridum vicini, sine ejus voluntate non abscindatur.*

Ad aliquod argumentum de defendente, respondetur quòd defensor intendit bonum sui, & non malum alterius. Et ideò, si contingat occisio, non est in culpa, aliam * enim occisionem non vult, & sic per consequens, non occidit. Et ita ista est impropria locutio: licet defendentem occidere, imò invadens veriùs, si occidit.

Ad argumentum de inimico, quem miles pugnans in occidendo meretur; respondet: Aut inimicus invadit, & sic occiditur deffendendo, & sic idem quod dictum est. Aut invaditur, & tunc, vel ipsum aggreditur miles, ad hoc quòd subjiciatur, vel fugiat, vel non rebellet, quæ omnia bona sunt: si

C resistat & rebellet & occiditur, adhuc occiditur deffendendo. Benè dicit quòd directè non licet tendere ad occidendum inimicum: dicunt nempe Theologi, de justo bello, quòd justè bellantes non debent inferre damna de directo „ Si, *Glossa*, miles „ pugnans contra inimicum, potest aliàs propter † „ mortem consequi finem intentum, putà captio„ nem, & etiam non est occidendus ab eo inimicus: „ imò, si eum interficiat, peccat mortaliter, vel „ venialiter, quia occisio non prodest Reipublicæ. „ Et si dicatur: Lex Principis, vel Communitatis est quòd occidatur, & non solùm permittit quòd occidat, imò præcipit eum occidi: respondet quòd „ debet intelligi, occidatur; si per subjectionem, „ vel aliàs Reipublicæ non sufficienter satisfaciat; „ quia si nullo casu interficeretur, non proficeret „ ad Communitatem, & tunc peccaret qui etiam

D „ interficeret: & sic si potest provideri Communi„ tati sufficienter si ‡ morte, hoc sufficit, nec erit „ mors inferenda. „ Et si dicatur, malefactor potest occidi, *dicit ut supra.*

Quòd si aliàs potest Communitati provideri, præter mortem, occisio non debet fieri; quia occisio non prodest Communitati, cum aliàs possit provideri, & aliàs malè mors sequeretur; quod probat sic: Lex civilis, quæ est in ratione Legis naturalis, dicit quòd in bonis condemnati executio debet fieri cum minori damno, vt potest, ipsius condemnati. Et ideo executio primò incipit in mobilibus, antequam in immobilibus. *Si* Glossa *satisfieri potest Reipublicæ sine morte, certè mors malè inferretur.*

* *Fortè* aliàs. † *Fortè* præter. ‡ *Fortè* sine.

Et

Et quoniam argumentum de morte Julii Cæsaris, quam Tullius laudat, loquens respondet quòd non est multùm insistendum ad laudes Philosophorum antiquorum, imò dicit quòd modò non sunt attendendæ talibus materiis: & recitat historiam de Socrate, scilicet illius qui erat dispositus ad lubricitatem, cujus discipuli, &c. Et etiam Guillelmus Parisiensis dicit; quòd virtutes morales quæ acquiruntur ex frequentatione actuum, non perfectè acquiruntur; A quamvis benè virtutes infusæ: & sic benè potuit esse quòd fuit quædam scintillula virtutis, putà fortissimæ, in isto qui occidit Julium; tamen non fuit perfectè virtuosus: & sic exemplum de Julio non militat, nec illud exemplum Tullii debet trahi ad consequentiam. Et ita diceret de multis exemplis in Veteri Testamento, quæ non debent applicari ad Legem Evangelicam, quæ est perfecta. Lex autem antiqua non est totaliter perfecta, ut tractat sanctus Thomas, in materia de Lege. Et sic non debemus imitari, vel accipere aliquas Leges imperfectas, nisi in quantum consonant Legi Evangelii: & sic patet quòd non licet occidere, nisi Communitati, vel illi qui vicem ejus gerit: & etiam Communitati non licet, si aliàs potest satisfieri sine morte. Et sic patet quòd illa prima Assertio cedulæ B est erronea, sive sit ex dictis Magistri Joannis Parvi, sive alterius.

Quantùm ad secundum punctum: an per mendacia & fraudes; dicit quòd sanctus Thomas, ut apparet sibi, *Secunda Secundæ*, ponit quòd mendacium non benè potest fieri. Et in materia de prudentia sic: sicut ex falsis benè sequitur verum; ita etiam ex aliquibus agibilibus illicitis benè elicitur, & fit finaliter unum licitum.

Ad aliud punctum, de juramento, videtur sibi quòd ista Assertio sit periculosa, in quantum dat occasionem perjuriis. Sed de se, benè intelligendo, sibi videtur recta: nam, ut videtur sibi, dicunt Doctores quòd juramentum non debet esse detrimentum boni, nec impedimentum majoris boni. Jurare non loqui vicino meo, tali die, an sit licitum; dicit quòd non, si vertatur in præjudicium, seu detrimentum animæ ejus, si secum non loquar. Ita in meliori bono, dat exemplum de Patre esurienti, & illustri, egentibus ┼, cui debet dare panem? Dicit quòd Patri, quia secluso juramento peccaret, & C sic juramentum obligaret ad peccare*, & sic juramentum non debet esse impedimentum melioris boni. Dicit tamen loquens quòd indiget limitatione, quia licèt juramentum non sit obligatorium, verumtamen Lex vult quòd juramentum observetur, & obligat jurantem ad non recedendum à juramento, propter bonum Communitatis, & Reipublicæ, ne de facili simplices moverentur ad recedendum à juramento. Et sic patet responsio ad primum punctum cedulæ: an scilicet conclusiones sint erroneæ.

Quantùm ad secundum punctum cedulæ; an sint condemnandæ. Arguebat hîc Elemosynarius Domini Ducis Burgundiæ, dicendo quòd hîc fit unus syllogismus sophisticus, quia una pars proponitur primò, posteà alia; & sic devenerunt ad conclusionem, quam non intendebat in principio; & D sic homines decipiuntur, quia si totus syllogismus propositus esset, non ita dicit deliberans quòd optimè dicit: quòd si syllogismus sit ad decidendum, malè fit, saltem in agibilibus; tamen ipse recipit syllogismum alio modo fieri quàm manu ducit: sic posito quòd aliquis sit novus in Logica, si proponatur sibi syllogismus quem non intelligeret, & primò proponitur sibi Major, post Minor, & post Consequens, & sic patet post aliam, & benè, ut meliùs intelligat. Sic in proposito, quia si totus syllogismus fuisset propositus totus; putà si dictum fuisset quòd istæ Propositiones fuissent elicitæ ex dictis Magistri Joannis Parvi, quis intellexisset & cepisset? Certè nullus, magni ponderis fuisset cuilibet, & sic opportuisset totam materiam præ pondere dimittere. Hoc dicit quia credit hoc factum esse bona fide, & credit quòd solùm quæritur de Majore, & non de aliis, & si fieret ad finem decipiendi, malè fieret, quod non credit. Et quoniam dicitur: tangit Magistrum Joannem Parvi, & Dominum Ducem Burgundiæ, dicendum est quòd etiam tangitur hîc honor Fidei: provideatur ergo honori Fidei, & quòd nullus lædatur. Et in rei veritate, non videt, dicit, aliquam læsionem alicujus, vel diffamationem ex consilio; tamen in errore, populi videt læsionem. *Provideatur*, Glossa, *futuris periculis & animabus nostris*. Et quoniam dicitur: *Ubi est accusator nullus est testis*; dicit, vidit aliquando scriptum quòd *fama habetur loco accusatoris*. Et dicit Lex quòd *ubi de Fide bona agitur, de apicibus Juris non est disputandum; de qua enim bona Fide ageretur*, inquit, *nisi de Fide Catholica ageretur*. Et Guillelmus Parisiensis ait, ut dicit, quòd *In Foro conscientiæ idem est accusans, accusator & testis*. Ita est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Flore, Licentiatus, quo ad modum procedendi, dicit quòd, cum Dei consilio concordando in illo in quo major pars concordat, ideò omnis, nullo contradicente, quòd visitentur quaterni Magistri Joannis Parvi per probos & solemnes viros, quod discretioni Dominorum Judicum relinquit, qui diligentissimè videant omnia ibi contenta, & fideliter referant Concilio: & supposito quòd ibi reperiantur errores, quòd debeatis omninò desistere à persecutione & extirpatione eorum, nunquam dicerem: quia curandum vobis esset ne incitaretis pœnas contentas in nouvella Constitutione: *Multorum querela*. Debetis etiam procedere, sed quomodò? Certè servato ordine Curiæ sanctæ Inquisitionis? Qualis autem sit ordo dicam. Oportet primò quòd præscindatis præeminentissimum Ducem Burgundiæ à facto Magistri Joannis Parvi, propter causas allegatas, quod difficilè mihi, & multis videtur. Constat; quia à principio vestri processus, fuit intentionis vestræ & omnium, non agere contra qualemcumque personam, sed præcipuè contra errores in se. Et tamen per ventilationem & apertionem hujusmodi processus, devenimus ad visitationem quaternorum Magistri Joannis Parvi: & si ibi reperiantur errores, ad eorum condemnationem procedendum est, qualiter Glos.

Præscindemus factum tanti Principis, qui, ut fama refert, advocavit Magistrum Joannem Parvi, tanquam instrumentum suum & Advocatum. Dico pro modulo meo modico, medium pacis & concordiæ volendo, quanquam mihi, ut dixi, difficile videatur, in quantùm tangit Magistrum Joannem Parvi, quòd supposito quòd quaterni contineant errores, quod citandus est, & evocandus ad Curiam vestram, vel in se, vel in suo interpretatur; videt quòd debetis vocare hæredes & detentores bonorum Magistri Joannis Parvi: & nihilominùs tàm ipsos, quàm omnes alios ipsum defendere & accusare volentes; & ipsis comparentibus dare audientiam, ut Juris est: & si non possint eum tunc excusare; antequam procedatis ad Sententiam, debent iterùm prædicti citari per Edicta publica, scilicet per tres dies Dominicales, Clero & populo ad audiendum dicta congregato; ut veniant, si sua putaverint interesse: ita quòd de prædicta citatione & evocatione solemni habeatis publicum Instrumentum, vel publica Instrumenta.

Nunc de Domino Duce Burgundiæ, sicut aliqui Domini valdè solemniter, & resolutè dixe-

┼ Locus corruptus. • Fortè peccatum.

dixerunt: Esto quòd in istis quaternis reperiatur error, ipse habendus est, & reputandus sine culpa; quia illa materia non est formaliter & expressè de Articulis quos quis credere explicitè tenetur, quia laïcus est: quia, ut dicit Alexander de Halis: ille qui dicit falsum de ignorantia de Articulis, aut contra Articulos quos non tenetur scire explicitè; si contra illos quos non tenetur scire, non peccat tunc. Facio Argumentum. Istos Articulos nobis traditos Dominus Burgundiæ non tenetur scire explicitè, Glos. ipsos opinando non peccat, & per consequens, ipsum in casu illo infamare de hæresi, vel suspectio- A ne, est incurrere pœnas in novella Constitutione, *Multorum querela*, contentas, & poterit prosequi jus suum contra Episcopum & Inquisitorem; & ista est major difficultas. Nonne poterit dicere, Doctissimi viri, quòd istæ conclusiones emanaverunt à Magistris & litteratis viris; & nobis scribere: Si in dictis illis error, per vos deceptus sum; vobis qui habetis clavem scientiæ & autoritatem Doctoratus, minimè credendum erat, cùm per vos Principes terreni debeant illuminari, consiliari, & edoceri in his quæ Fidei sunt & morum, quæ Fides erat ultrà, cùm unus unum doceat, alius oppositionem affirmet, discutiatis † approbo, & non solùm approbo, quin imò inquirere volo: & sicut Ecclesia cre- B dit credo, & credere intendo; & quando, & ubi, & determinatio Ecclesiæ intervenerit circa ista, vel alia, faciam in omnibus in meo Dominio observari inviolabiliter: nec sum de numero, nec esse volo zizaniorum; imò de purissimo tritico Jesu Christi, utpotè de Aula, Genere, Prosapia Christianissimorum Regum Franciæ.

Dico igitur, conclusione; si pendente visitatione quaternorum Magistri Joannis Parvi, ista cum tanto Principe charitate tractarentur, vel per litteras, vel per amicum idoneum; indubiè credo quòd ipse mittet vobis quaternum originalem: per hoc servabitur charitas fraterna, maturitas processus, tolletur omnis suspitio sinistra, confirmabitur & consolidabitur pax, Fides exaltabitur, errores destruentur, & tandem concludetur Christianissimi Regis nostri, & altissimi, atque prudentissimi ejus Consilii Mandatum, atque desiderium, & quod nos proficere valeamus, adjuvante illo qui est Fidei no- C stræ actor & consummator Jesus Christus. Amen.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Richardi, Ordinis Cluniacensis, regratiatur & protestatur ut ceteri, & venit ad cedulam quæ continet tria. Duo extrinseca, & unum intrinsecum. Primum extrinsecum: an ortum sit scandalum ex istis Assertionibus; hoc est sibi ignotum, sed hæc cedula præsupponit etiam quòd sint dogmatisatæ & dictæ.

Supponit tertiò quòd Domini Judices sint sufficienter informati ubi sunt dogmatisatæ, est eidem ignotum, & ideò videtur sibi quòd informationes debuissent esse factæ per nos * suspectos, & quòd tales sunt quaterni qui dicuntur Magistri Joannis Parvi: quæ omnia debuissent esse lecta, secundùm quod Littera Regia jubet: & si sic, credit quòd Magistri non fuissent sic discordes.

Venit ad primam, nihil asserendo, sed recitando D opinionem Doctorum, & dicit quòd licèt prima sit falsa & erronea, cum hoc stat quòd licet tyrannum occidere; maximè quando non est recursus ad Superiorem de tali invasore. Nam dicit Sanctus Thomas: *Quando non est recursus ad Superiorem, & quando quis usurpat, vel vult usurpare Dominium alterius, qui ipsum occidit, laudatur, & præmium accipit.*

Et loquitur de illo qui violenter subripit Dominium, & non est recursus ad Superiorem; nam tyrannus est, qui violenta dominatione populum præmit: nam Princeps amandus & diligendus est; tyrannus plerumque interficiendus. Et habet in scriptis verba Joannis in *Policraticon*. Et non vidit quid sit corpus Reipublicæ, nisi illud quod tenet Rempublicam in debito ordine, secundùm Leges: & sic ille qui talem tyrannum occideret, haberet autoritatem à Legibus; nam sicut in entibus est ordo, sic in corpore humano & in Republica.

Quantùm ad modum procedendi, ibi est major difficultas, omnibus consideratis: quia si essent taliter læsivæ Fidei nostræ, videt plures antiquos, qui non permitterent, qui condemnarentur: & quia sibi non videntur tales; ideò proponit quòd propter inconvenientia & guerras non esset procedendum ad condemnationem ipsarum. Et ideò videtur sibi quòd si materia fuisset dilata usque ad aliud tempus, & quòd ista notificarentur Domino Duci Burgundiæ. Et dedit deliberationem suam in scriptis, in forma quæ sequitur.

Reverende Pater & Domine, & vos Domine Inquisitor quo ad inth.[ta] cedulæ missæ, dico, præmissis protestationibus in talibus fieri consuetis, quæ etiam præmissæ fuerunt pluries per Dominos & Magistros, quibus adhærere intendo, quandiù vixero in humanis.

Dico ergo quòd licèt prima Assertio sit falsa & hæretica', ut in cedula continetur: cum hoc stat, secundùm opinionem Doctorum, tyrannum interimere, & hoc maximè quando non est recursus ad Superiorem per quem de ipso Judicium possit fieri.

Prima pars patet in reprobatione istius Assertionis. Secunda probatur: nihil tamen asserendo, sed opiniones probabiles Doctorum solùm recitando.

Et primò adduco rationem sancti Thomæ, in secundo Libro in scripto, *Distinctione vigesima*, quam nullus solvit, licèt multi crediderunt solvere, & etiam penitùs evacuare. Dicit enim in solutione illius quintæ rationis, quòd *Tullius loquitur in casu quo quis Dominium per violentiam subripit, nolentibus subditis, & etiam ad consentiendum coactis, & quandò non est recursus ad Superiorem, per quem de ipso judicium possit fieri. Tunc*, inquit, *qui ad deliberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.* Et concordat hoc cum secunda distinctione, in corpore ejusdem conclusionis, ubi dicit, quòd, *Quis potest habere dupliciter Dominium, sive Prælationem: aut propter defectum personæ, quia indignus: aut propter defectum in modo acquirendi, quia per violentiam.* &c.

Ex primo non impeditur; quia Prælatio, sive Dominium, à Deo est: sed secundus modus per violentiam, impedit Dominium, quia subribit, & non efficitur verè Dominus: & talis propriè tyrannus est, & de tali intelligit Sanctus Thomas: *Qui talem interimit, præmium accipit, & laudatur.*

Item, ad idem Joan. Polu. 1. *Libro. Capite secundo* & *tertio*; postquam posuit: *Qui tyrannus est, qui violentia, dominatione populum premit: sicut qui Legibus regit, Princeps est*: & nulla alia in Theologia sunt, necnon differentiam inter tyrannum & Principem subdit: *Princeps amandus, venerandus est: & tollendus tyrannus, pravitatis imago, plerumque occidendus.*

Item, in fine tertii subdit causam interfectionis, sic dicens: *Qui à Deo potestatem accipit, Legibus servit, & justitiæ & Juris famulus est: qui verò eam usurpat, Jura premit & voluntati suæ Leges submittit. In eum ergo armantur qui Leges exarmat, & publica potestas sævit in eum qui evacuare nititur publicam manum.* Et paucis interpositis, in fine capituli, concludit: *Et quisquis eum non prosequitur; & se ipsum, & totius Reipublicæ mundanæ corpus derelinquit.*

Ex quo videtur sequi, nihil asserendo, vel præmittendo, quòd ubi non esset recursus ad Superiorem,

† Locus corruptus * *Forsan* non.

rem, aut ubi non potest fieri justitia de tali tyranno, quòd autoritatem habet à corpore totius Reipublicæ; quod quidem corpus possent esse Leges quibus regitur & gubernatur ipsa Respublica: tenetur etiam in debita harmonia & ordine, & in tali ordine præservatur per Leges, benè easdem ordinando & applicando; & qui taliter ordinat, lædit Rempublicam, & extra ordinem suum & harmoniam ponit debitam: & ideò, qui talem interimit, autoritatem habet à tali corpore, &c. Hæc non dico asserendo, nec sunt verba Doctoris.

Item, Tullius, in Libro *de Officiis* 3. Capite primo. *Nulla est nobis societas cum tyrannis, sed potiùs summa dissentio, neque enim contra naturam est spoliare eum si possis; quem autem honestum necare: atque hoc genus pestiferum, atque impium ex hominum communitate existimandum* * *est*. Et idem, in eodem tertio Libro. *Quod potest majus esse scelus, quàm non modò hominem, etiam familiarem hominem occidere*. Et ad propositum: *non igitur obstringit se scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis familiarem*: hæc sunt verba Tullii, &c. & sic patet illa secunda pars, non tamen dico, nisi recitativè, nihil asserendo.

Item, quo ad secundam Assertionem, & usque ad septimam inclusivè, reporto me ad textum Bibliæ, sicut apparet precisè in textu; & maximè de Judith opinantur Doctores: & satis fuit dictum per Reverendos Patres Dominos nostros, quibus me refero, & maximè ad ea quæ dixit Magister noster Petrus de Nogento.

Item, quo ad secundum, quod est intrinsecum cedulæ, scilicet de modo procedendi; dico quòd considerandum est, an sint in detrimentum Fidei nostræ, & an ejus diminutionem tantam quo non possit retardari usque ad tempus; & si sit, quod non mihi videtur, sub judicio meliori & saniori: & sic non credo aliquem Magistrorum meorum quin indilatè usque ad mortem vellet procedere. Si autem possit ad tempus retardari, quod mihi conveniens videtur; tamen proponit observationem Reipublicæ, & totius Regni in se; tum etiam propter majorem fœderationem, ad solidationem Pacis inter Dominos: tum tertiò, ne nos, & nostra ponamus in periculo, & ubi non constat de merito.

Et ideò sum opinionis, ut præsens materia retardetur, & in tempore intermedio visitentur quaterni, sive quaternus Magistri Joannis Parvi. *Sic signatum*. PETRUS RICHARDI, *Prior Villarum Monasterii. Tradita & lecta quinta Januarii*.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Montreillet, Procurator Nationis Picardiæ, ad Concilium accessit, cum una cedula quam legit Magister Simon de Moncheux, de qua fuit petita copia per Dominos Præsidentes: ac præsentibus prænominatis, cum maxima multitudine Magistrorum, quam copiam dictus Procurator promisit dare, sed non dedit.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Andræas Bernardi, tanquam filius obedientiæ, decrevit parere Mandatis, & protestatur sicut fecerunt ceteri, quibus adhæret & adhærebit.

Supponit primò, quòd in antiquis consistit sapientia & prudentia, & sic bonum consilium.

Secundò, supponit quòd non est licitum transgredi terminos antiquorum.

Tertio, supponit quòd non est licitum meriti † propriæ prudentiæ.

His præsuppositis, considerat illos, qui deliberaverunt.

Primò, putà Magistrum Dominum Parvi; Dominum Elemosynarium, Ministrum Sancti Mathurini; Dominum Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, qui Cancellarius asseruit quòd non solùm à pauco tempore; imò à longo, istam materiam perscrutatus est. Considerat alios Magistros qui postmodùm deliberaverunt, qui varii fuerunt: ideò deliberare pertimescit, & memoria debet esse, quòd Articulus de Spiritu sancto, non determinabatur, deliberatione subita: imò materia fuit longo tempore tractata. Et supplicat, ut non ita citò procedatur in materia ista: & ideò pauca dicet. Et videtur sibi quòd prima Assertio est dissona Fidei, & illæ Propositiones de Judith, & de juramento, videntur benè reprobatæ: & dicit quòd numquam debet violari juramentum.

* *Forsan* exterminandum † *Fortè* inniti.

INQUISITIO
Per testes, de DOCTRINA
JOANNIS PARVI.

ANno Domini 1413. Diè decima nona Mensis Decembris; fuerunt per venerabilem & circumspectum virum, Dominum Officialem Parisiensem, nobis Nicolao de Villa nova, Magistro in Artibus, & Licentiato in Decretis, altero Promotorum, & examinatorum testium Curiæ Parisiensis; & Daniele Moche Presbytero, publico Apostolica & Imperiali autoritatibus Notario, & Curiæ sanctæ Inquisitionis Scriba, secum assistentibus, examinati testes subsequentes, ad informandum Dominos & Magistros in Concilio Fidei pluries evocatos, quòd quidam quaternus, in dicto Concilio exhibitus, continens Propositionem defuncti Magistri Joannis Parvi, ut dicebatur, cum quo omnes alii quaterni in eodem Concilio exhibiti collationati fuerunt, fuit scriptus in camera dicti Magistri Joannis Parvi, & alibi, in Collegio Thesaurariorum Rothomagensium, Parisiis, ipso sciente, vidente & audiente, prout in depositionibus dictorum testium scriptorum pleniùs continetur; quorum depositiones sequuntur, modo & forma sequentibus. xiv. Dec. 1413

Discretus vir, Magister Laurentius Ouyn, Magister in Artibus, actu Regens Parisiis, in prædictâ Facultate, commorans in Claustro Brunelli, ad intersignum cuniculorum: oriundus verò de Diœcesi Rothomagensi, ætatis viginti quinque Annorum, vel circiter; ut dicit, testis juratus & examinatus; Anno & die prædictis. Nobis Notariis & Commissariis infra scriptis præsentibus, & virtute dicti sui juramenti præstiti; requisitus quid ipse sciat de, & super Propositione dicti defuncti Magistri Joannis Parvi, dùm vivebat, Doctoris in Theologia, coram Rege & Dominis de suo sanguine per ipsum Parvi olim facta & publicata. Dicit & deponit per suum juramentum, quòd post lapsum certi temporis, post hujusmodi publicationem prædictæ Propositionis, nescit assertiùs qui loquitur, per quantum temporius spatium, post hujusmodi publicationem, ipse loquens, cum Magistro Richardo Dari, nunc Magistro in Artibus, Regente ex tunc Scolarum, & pluribus aliis, benè numero duodecim regulariter, tàm Magistris, quàm scolaribus, in domo, seu Collegio Thesaurariorum Rothomagensium Parisiis, ubi dictus defunctus Magister, Joannes Parvi tunc moram agebat, videlicet sæpissimè, in camera dicti Magistri Joannis, & aliquoties in Scolis dicti Collegii, ad scribendum Propositionem per dictum defunctum factam, & posteà publicatam coram dicto nostro Rege, & aliis de suo sanguine, pro tempore existentibus, & ipsam Propositionem, pro posse suo, melioribus modo & forma quibus potuit, & magis veraciter quàm potuit scripsit,

unà cum præfnominatis; secundùm quod Magister Joannes Janis, aliàs de Dodevilla, pro nunc Magister, vel Licentiatus in Artibus, & Clericus, commorans tunc cum dicto defuncto, eis hujusmodi Propositionem pronunciabat, ac secundùm orginale ejusdem, ut tenet, & credit firmiter testis loquens. Adjiciens, qui loquitur, quòd ad hujusmodi pronunciationem & scripturam, dictus defunctus, pro aliqua parte temporis, erat præsens, videns & audiens, & sciens hujusmodi scripturam & pronunciationem. Subjungens, qui loquitur, super hoc interrogatus, quòd dum hujusmodi Propositionem, testis loquens, & alii, ut præfertur, scriberent, saltem cùm fuerunt in certo puncto Minoris illius Propositionis, dictus defunctus Magister Joannes Parvi, audiens certa verba in dicto passu Minoris posita, subridendo dixit loquenti, & aliis, in verbis Gallicis talia & consimilia: *Ad boves* y a mis ce mot*; declarando per tunc verbum: sed de verbo illo ad præsens non recordatur qui loquitur; quod tenet & credit firmiter in sua conscientia quòd omnia & singula contenta in dicta Propositione per dictum defunctum, ut dicitur, publicata fuerunt benè, & fideliter pronunciata per dictum pronunciatorem, & scripta per ipsum testem & alios scribentes, exceptâ certâ clausulâ positâ in prædicta Propositione, videlicet de scitu & scientia Dominorum qui debebant, ut dicebatur, scire certa crimina in dicta Propositione declarata, quorum Dominorum nomina fuerunt, ut audivit dici, qui loquitur, à quaterno dictæ Propositionis amota.

Interrogatus, quis scripsit Propositionem per eum coram nobis exhibitam; dicit, quòd fuit Magister Richardus Dari.

Interrogatus, quo devenit Propositio per eum scripta, & ubi est: dicit quòd eam tradidit cuidam Domino Joanni Fermare, consanguineo suo, commorante, ad præsens, in prædicto Claustro Brunelli, in societate dicti loquentis. Quam Propositionem de post recuperavit; sed eam de post, unà cum aliis suis litteris & scripturis quas miserat ad partes suas, Pater suus, præ timore Anglorum, de Grasseto in Caleto portavit, apud villam Rothomagensem, quam citiùs quàm poterit recuperabit, & promisit restituere prædictis Dominis, Parisiensi & Inquisitori.

Dicit tamen quòd quidam Brito, nominatus Magister Oliverius de la Hache, qui tunc morabatur in Collegio de Sorbona, etiam scripsit dictam Propositionem, in camera dicti defuncti Joannis Parvi: nec aliud scit.

Discretus vir, Magister Richardus Dari Clericus, Magister in Artibus, Ebroicensis Diœcesis, commorans Parisiis, in vico Sorbonæ, in domo ficus, ætatis viginti quinque Annorum, vel circiter, ut dicit, testis juratus, & examinatus per nos Commissarios ante dictos, Anno & die quibus supra; & super facto quaternorum defuncti Magistri Joannis Parvi, requisitus & interrogatus, dicit & deponit per suum juramentum, quòd verum est quòd pauco tempore post Propositionem factam & publicatam per defunctum Magistrum Joannem Parvi, aliàs assertivè de tempore deponere nesciret, testis loquens, & quàmplures alii scolares, numero ad minus sex: scripsit in uno quaterno papyreo dictam Propositionem, in Collegio Thesaurariorum, sibi & dictis aliis scolaribus pronunciante, & proferente quodam Magistro Joanne Joannis*, pro tunc servitore, & Clerico spirituali dicti defuncti, qui eis pronunciabat: & aliquoties dictus Magister Joannes Parvi veniebat ad cameram ubi scribebant dicti scolares, & ibi audiebat dictum pronunciatorem hujusmodi pronunciationem, & eandem pronunciationem ratam & gratam habebat, ut prima facie apparebat; & dicebat prædictus pronunciator quòd illa Propositio quam sic pronunciabat, erat Propositio dicti sui Magistri.

Et loquens, & alii qui eam sic scribebant, existimabant & credebant eam esse veram, & originalem Propositionem dicti defuncti Magistri Joannis Parvi; aliàs eam non scripsissent. Adjiciens quòd eam scripsit veriùs quàm potuit, secundùm pronunciationem dicti pronunciantis, pro Magistro Guillelmo Oeuvriæ, de Collegio Lexoviensi. Et hodie per nos sibi exhibito dicto quaterno, & per eum viso, de folio ad folium; dicit quòd est quaternus verus quem scripsit propria sua manu pro dicto Oeuvriæ, & quòd omnia & singula contenta in ipso, pronunciavit præfatus Magister Joannes Joannis, Clericus dicti defuncti Magistri Joannis Parvi, in præsentia ipsius loquentis, & aliorum scribentium, numero prædicto.

Interrogatus, si ipse sciat aliquem, vel aliquos qui deberent habere, vel habeant aliquos quaternos de dicta Propositione: dicit quòd non.

Item, interrogatus si ipse sciverit, quòd aliquis transtulerit illam Propositionem de Gallico in Latinum: dicit quòd non, nec aliud scit.

Eisdem Anno & die, nos Nicolaus de Villa nova Promotor & Commissarius, & Daniel Moche, Notarius & Scriba ante dicti, atque Commissarii in hac parte, de jussu & Præcepto Reverendi in Christo Patris, & Domini Gerardi, miseratione divina Episcopi Parisiensis, & Domini Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, autoritate Apostolica deputati, accessimus ad hospitium venerabilis & circumspecti viri, Magistri Henrici de Joisiaco, & etiam Fratris Reverendi in Christo Patris, & Domini Episcopi Tornacensis, & Advocati in Parlamento Regio Parisiensi, situm in vico *de la Calandre*, Parisiis, prope Palatium regale: & eundem Magistrum Henricum personaliter apprehensum requisivimus, quatenùs si ipse habeat, vel sciebat aliquem habere copiam dictæ originalis Propositionis ipsius, nobis, ex parte Dominorum Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris hæreticæ pravitatis, traderet, seu ipsis eisdem Dominis Episcopo & Inquisitori transmitteret. Qui quidem Magister Henricus nos gratiosè recepit, & post plura verba super hujusmodi materia inter ipsum & nos habita, nobis respondit quòd dictam Propositionem orginalem non habebat, nec erat in possessione sua; sed benè habebat aliquas Assertiones, seu Propositiones extractas, ut dicebatur, ex dicta Propositione originali dicti defuncti Magistri Joannis Parvi, quas promisit tradere, seu mittere citiùs quàm commodè poterit prædictis Dominis Episcopo & Inquisitori, sub sigillo suo interclusas.

Item, cùm nos loqueremur cum ipso Magistro Henrico, de nepote Domini Cancellarii Domini Ducis Burgundiæ, videlicet de Domino Archidiacono de Belna, cùmque eramus onerati de loquendo de, & super hujusmodi materia, & simili requisitione, qui dicebatur habere dictam Propositionem: idem Magister Henricus nobis respondit, quòd ipse onerabat se de loquendo super hoc cum dicto Domino Archidiacono citiùs quàm commodè posset, & faciat se fortem, quòd si idem Dominus Archidiaconus aliquid haberet de hujusmodi Propositione, quòd secum mitteret dictis Dominis Episcopo, & Inquisitori. Et sic hactenùs responsionibus dicti Magistri Henrici; & quòd etiam eundem Archidiaconum non potuimus reperire, ab inde recessimus.

Et item, postmodùm subsequenter, eisdem Anno & die, accessimus ad hospitium Magistri Dominici Parvi, Canonici Parisiensis, quem personaliter repe-

* Locus corruptus. † *Supra scribitur* Janis.

reperimus, & eum requisivimus modo & forma supra dictis: qui nobis respondit quòd quidam sibi in secreto & de nocte apportavit Propositionem originalem, ut dicebat, dicti defuncti Magistri Joannis Parvi, quam pro majori parte legit & vidit; sed in crastino, antequam ipse dictam Propositionem perlegisset & vidisset & intellexisset, ille qui illam Propositionem sic sibi apportavit, eam venit quæsitum, & secum eam apportavit: dicit tamen quòd ipse perscrutabitur, & loquetur cum illo, de hujusmodi secreto, ad finem quòd det sibi licentiam ipsos nominandi & revelandi, secreto hujusmodi non obstante; prout hoc posteà, ut dicitur, vivo vocis articulo retulit idem Magister Dominicus Domino Officiali Parisiensi, in geola carcerum Curiæ Parisiensis existenti, non tamen in nostri præsentia.

Et ego Guillelmus le Mieu, Clericus Tracorensis Diœcesis, Magister in Artibus, & Bacchalaureus in Decretis, publicus Apostolica & Imperiali autoritatibus Notarius, & Curiæ Episcopalis Parisiensis Scriba; quia dùm præsens processus, continens in se octo vigenti † & novemdecim folia, per prænominatos Judices, & coram eis fieret & ageret in *, unà cum Notario publico subscripto excepto in examinatione dictorum testium, præsens & personaliter interfui, eaque sic fieri vidi & audivi. Idcircò huic præsenti processui signum meum solitum, unà cum signeto dicti Notarii publici subscripsi & apposui, hìc me manu propria subscribens, requisitus & rogatus, in testimonium veritatis præmissorum.

Et ego Daniel Moche, Præsbyter Leonensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali autoritate Notarius, & Curiæ Parisiensis juratus, Notariusque atque Scriba Curiæ sanctæ Inquisitionis, & prædicti Domini Inquisitoris; quia dùm præsens processus, continens, ut præmittitur, in se octoginta & novemdecim folia, per prænominatos Judices, & coram eis fieret, unà cum Notario publico supra scripto, præsens interfui in omnibus, & per omnia, eaque sic fieri vidi & audivi. Idcircò signum meum solitum huic præsenti processui, alienis manibus raptim, & repertivè scripto, me aliis legitimè occupato negotiis, unà cum signo & subscriptione prædicti Notarii, hìc me subscribens, requisitus & rogatus apposui.

Sequitur tenor Conclusionis tunc habitæ.

ANno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die quinta Mensis Januarii, Dominus Officialis Parisiensis palàm, & pleno Concilio, ex parte Dominorum Episcopi, & Inquisitoris, petivit: An essent adhuc aliqui, seu aliquis, qui ulteriùs vellent, seu vellet deliberare in ipso Concilio, super Assertionem in cedula aliàs illis qui jam deliberaverant in Concilio, ex parte Dominorum Judicum ibidem præsentium & astantium transmissa, & alia quæ posita erant in deliberatione in Concilio, & exposita per dictos Judices: qui Dominus Officialis consequenter, nemine dicente se velle deliberare, imò pluribus de Concilio asserentibus quòd non restabant aliqui deliberaturi, de his quos consuetum erat in talibus deliberare: de Mandato dictorum Dominorum Judicum ibi tunc, ut præmittitur, præsentium & assistentium, dixit coram omnibus in Concilio existentibus quæ sequuntur.

Videlicet quòd quoniam ipsi Domini Judices firmiter credebant omnes Professores & Licentiatos sacræ Theologiæ, pro tunc Parisiis existentes, & audiverant multos solemnes Jurisperitos super præmissis Assertionibus, in dicto Concilio deliberare & jam deliberasse; non erat intentionis eorumdem Dominorum Judicum ampliùs sedere in ista materia, in Sessione publica, in præfato Concilio, ut, & quemadmodùm intersesserant in camera Episcopali Parisiensi, ubi pro tunc erant, donec & quousque ipsi Domini Judices, per ipsum Concilium, aut deputandos ab eodem Concilio, vel aliàs consulti, vel advisati essent qualiter, seu per quem modum, & ad quæ haberent ulteriùs procedere super A ipsis quæ aliàs ipsi Domini Judices posuerant in deliberatione, & exposuerant in dicto Concilio.

Dixit tamen ipse Dominus Officialis, quòd non intendebant præfacti Domini Judices quin audirent alibi, aliàsve, illos qui super præmissis deliberare vellent, ac se offerrent deliberaturos, si propriè non deliberassent; imò libenter ipsos audirent, non præcludentes Dominis & Magistris qui jam deliberaverant in præfato Concilio, viam addendi, diminuendi, mutandi, corrigendi, & declarandi dicta, seu deliberata per ipsos in præfato Concilio: adjiciens præfatus Dominus Officialis quòd ex deliberationibus Magistrorum & Dominorum qui deliberaverant, seu dederant deliberationes suas in prædicto Concilio, verbo tenùs, in scriptis, vel aliàs, saltem ex deliberationibus multò majoris partis ipsorum Magistrorum & Dominorum, dicti Domini B Judices tunc ibidem præsentes, ut præmittitur, & præsidentes, concludebant, prout & concluserunt, quòd Assertiones inscriptæ in cedulis ipsis Magistris & Dominis aliàs, pro parte dictorum Dominorum Judicum transmissis, & super quibus erat in Concilio deliberatum, erant benè qualificatæ, & rationabiliter reprobatæ, prout, & quemadmodùm in cedulis ipsis qualificabantur, seu modificabantur, & reprobabantur; & qui, ut dicebat præfatus Dominus Officialis Parisiensis, pervenerat ad notitiam dictorum Dominorum Judicum ibidem personis constitutorum, nonnullos tàm dicto Concilio, quàm alibi publicè, & aliàs dixisse & asseruisse prædictas Assertiones positas in deliberatione in dicto Concilio, non esse, aut fuisse benè extractas, vel elicitas ex Propositione Magistri Joannis Parvi, nec contentas in ea. Asseruisse insuper per eas Assertiones non fore condemnandas, nisi per priùs inspecto & C diligenter inquisito, si eædem Assertiones essent, aut continerentur in dicta Prositione Magistri Joannis Parvi: ipsi Domini Judices maturè, & ex deliberatione Concilii sacræ Fidei, volentes procedere super præmissis, exhibebant tunc, prout & exhibuerunt in prædicto Concilio plures quaternos, seu sexternos, continentes, ut dicebatur, præfatam Propositionem Magistri Joannis Parvi, ipsos quaternos committentes dispositioni & ordinationi Concilii, seu omnes illos in Concilio ibi tunc præsentes inquirendo, sub pœnis Juris, quòd tunc deliberarent quod agendum ulteriùs esset, super præmissis, & qualiter procedendum: & utrùm expediebat dare certos Deputatos ab ipso Concilio, qui advisarent modum procedendi ulteriùs, si ulteriùs foret procedendum; necnon collationarent ipsos quaternos inter se ad invicem, ipsosque visitarent D & indagarent, si in eis continentur prædictæ Assertiones, vel aliqui alii errores, seu in Fide Catholica malè sonantia, & quæcumque piarum aurium offensiva. Qui quidem Deputati haberent certis diebus & horis per dictos Dominos Judices eis assignandis, in camera Officialatus Parisiensis, vel alibi, in loco congruo comparere; præmissa, & alia circa ea contingentia facturi: & post consequenter, communiterque facerent dicto Concilio referre, loco & tempore opportunis.

Et tunc dictus Dominus Officialis nominavit aliquos deputandos per Concilium, si placeret, videlicet, Magi-

† *Forte* Octoginta. * *Forte* ageretur.

Magiſtrum Joannem Brevis coxæ.
Magiſtrum Petrum de Dierreyo.
Magiſtrum Urſinum Taillenande.
Magiſtrum Joannem Dacheri.
Magiſtrum Jourdanum Morini.
Magiſtrum Mathæum Rocder.
Magiſtrum Petrum de Nogento.
Magiſtrum Joannem de Dulcimenillo.
Magiſtrum Guillielmum Pulchrinepotis:
vel Magiſtrum Joannem Mathiæ, ſi non ſit Pariſiis.
Magiſtrum Joannem Biouſt.
Magiſtrum Radulphum de Porta.
Magiſtrum Regentem Prædicatorum.
De Rupella, Priorem Bernardiſtarum.
Magiſtrum Regentem Carmelitarum.
Magiſtrum Benedictum Gentiam.
Magiſtrum Giraldum Macheti.

Dixit etiam conſequenter prædictus Dominus Officialis, quòd ſi videretur expeditus * Concilio, intentioni prædictorum Dominorum Judicum erat mittere aliquem ſolemnem virum versùs, ſeu penès Dominum Ducem Burgundiæ, qui haberet expoſitionem ipſi Domino Duci Burgundiæ proceſſum B & ordinationem Concilii, ne malè contractaretur de ipſis, nec de illis de Concilio, & ad obſtruendum ora ſiniſtrè loquentium de Dominis Judicibus, & de illis de Concilio.

Quibus ſic factis, dictis & narratis per dictum Dominum Officialem, ac monitis per ipſos Dominos Judices, ſub pœnis Juris, omnibus & ſingulis illis de Concilio, ibidem tunc exiſtentibus, in eorum conſcientiis, & præſtare conſilium ſuper præmiſſis, ad honorem ſanctæ Fidei Catholicæ; cœperunt tunc Magiſtri & Domini de Concilio ibidem præſentes, deliberare modo, & forma, & ordine ſequenti.

Et primò, venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Dominicus Parvi, deliberavit in hunc modum; & dixit quòd apparet ſibi quòd antequam iſta auditio ſeu Seſſio facta fuiſſet, hoc quod modo quæritur fuiſſet faciendum, & parcant ſibi Judices.

Et ſecundò, habendus erat modus ſcolaſticus.

His habitis, fuiſſet viſum, an fuiſſent condemnandæ, vel abſolvendæ. Verumtamen ex quo non ita fuit factum, apparet ſibi quòd erit bonum quod fiet.

Quantùm eſt de alio quod petitur, de mittendo ad Dominum Burgundiæ; videtur ſibi caritativum & honeſtum, & Judicium exoneratívum.

Miniſter ſancti Mathurini dicit quòd Propoſitio Magiſtri Joannis Parvi erat viſitanda benè & diligenter, & ſtat cum Magiſtro Dominico Parvi.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Urſinus Taillenande, ad idem; & eſſent Articuli legendi in Concilio.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes Dacheri, ad idem.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes Michaëlis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad idem; & apparet ſibi optimum, ad obſtruendum ora malè dicentium.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes Mathiæ, ad idem; & dicit quòd hoc eſt expediens.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Thomas Hobe, cum pluribus aliis, in magno numero.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Jourdanus Morini, eſt opinionis quòd Dominus Dux Aquitaniæ eſt adeundus, & informandus; quia ab aliquibus dicitur eſſe ſiniſtrè informatus: & ſimiliter alii Domini, ex parte Concilii.

* *Fortè expediens.*

Venerabilis & circumſpectus vir, Miniſter Sancti . . . . . . dicit quòd ſolùm ſufficit quòd Dominus Epiſcopus, & Inquiſitor ſolùm adirent.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Dominicus Parvi, de præſenti non eſt iſtius opinionis.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Urſinus Taillenande, ſtat cum Magiſtro Jourdano.

A Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes Macheti, ad idem.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Mathæus Rocder, eſt ad idem.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Dominicus Præpoſitus ſancti Germani, ad idem: dicit tamen quòd nimis publicare non eſt bonum.

Quamplures alii relinquunt hoc diſcretioni Judicum.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes de Dulcimenillo, dicit quòd Dominus Aquitaniæ eſt informandus ad partem, & poſteà in publico.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Gerardus Macheti, ad idem.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Benedictus Gentiam, eſt ad idem.

Venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Joannes de Caſtellione, ad idem.

Quibuſdam factis & dictis, dicti Domini Judices concluſerunt ex deliberationibus præmiſſorum Dominorum, & Magiſtrorum prænominatorum, per dictum Dominum Officialem, nominatos pro Deputatis, eſſe à Concilio deputatos, quibus Deputatis, ſub pœnis Juris, injunxerunt ipſi Domini Judices comparere in camera Officialatûs Pariſienſis, die Lunæ, ad videndum & deliberandum quid eſſet ulteriùs agendum.

His tamen, ut præmittitur, dictis & factis, venerabilis & circumſpectus vir, Magiſter Dominicus Parvi, legit deliberationem ſuam in ſcriptis; & dicit quòd prima Propoſitio in forma in qua eſt, eſt falſa & hæretica; & in ſenſu in quo eſt, non expedit facere magnam qualificationem, quia periculum eſſet, quia malè intelligentes poſſent dicere: Talis Propoſitio quam poſuit talis & talis, &c. quia non poſſet removeri à cordibus hominum. Et cùm C dicitur; non dixit autoritate propriâ; videtur contrarium, quia allegavit Jura, & voluit ſolùm excludere ſpiritualia Mandata, nec fuit intentionis ejus excludere omnem autoritatem. Et ſunt multi caſus quòd aliqua homicidia fiant, non tamen autoritate propria: & ſufficit dicere in qualificatione; error diſtinguit multiplicitatem obſtinationis quam ponit Nicolaus Oreſme.

Et cùm dicitur ibidem, *Et les autres qui enſuivent*, non credit quòd noluit dicere in qualibet ſequela; & ideò non ſtat omninò in reprobatione.

Quantùm ad aliam de ſancto Michaële, &c. in extracto ſuo continetur, *Sine Mandato Dei*; credit quòd non voluit excludere omnia Mandata, ſeu omnem autoritatem. Et cum dicitur, *ex amore naturali ſolùm*; hoc eſt malè dictum, propter verbum *ſolùm*: & quòd *ex hoc meruit illa bona*; non credit: & ſtat cum reprobatione in cedula, & non credit etiam quòd propter hoc habuit tanta bona, & meD liùs dixiſſet idem quam voluit.

De alia, de Phinées, non vidit in codice quòd Zambri fuit idolatria, nec ex hoc fuit occiſus, ſed quia publicè intraverat cum muliere prohibita; nec negat ipſum eſſe idolatram, nec ſtat cum gloſſa Joſephi.

De alia, de Moyſe, vidit in originali, *Sans Mandement d'homme*, & ita tendit deductio ſua.

Quantùm ad aliam de Judith, & Jehu, ſe refert ad ea quæ dixit Dominus Elemoſynarius Regis.

Quantùm ad aliam de Joab, hoc est contra ordinem textûs: & credit quòd qui dixisset Magistro Joanni Parvi, statim recessisset ab illo.

Quantùm ad aliam de mendacio, seu perjurio; etiam non indigebat illa Propositione, quæ adducitur ad probationem quintæ veritatis, cui magis assentit, quàm suæ reprobationi, cui non assentit: sed volenti occidere aliquem, non est licitum fabricare juramenta, vel considerationes*

* *Forsan* confœderationes.

ACTIO QUARTA.

A die 8 *Jan. ad* 7. *Febr.*

1414. ANNO DOMINI millesimo quadringentesimo decimo tertio†. Die Lunæ, post Festum Epiphaniæ ejusdem, quæ fuit octava Mensis Januarii, coram venerabili & discreto viro, Domino Officiali Parisiensi, congregatis venerabilibus & discretis viris, Dominis, & Magistris

Ursino de Taillenande.
Jourdano Morini.
Joanne de Dulcimenillo.
Radulpho de Porta.
Joanne Mathiæ.
Mathæo Rocder.
Joanne Brout.
Francisco, Regente Bernardistarum.
Guillielmo Cholet, Regente Carmelitarum.
Joanne Dacheri.
Benedicto Gentiam.
Joanne Michaëlis, Regente Prædicatorum,
Et Gerardo Macheti,

aliàs, per Reverendum Patrem, Dominum Gerardum, miseratione divina, Episcopum Parisiensem; & Magistrum Joannem Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professorem, Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, in hac parte, ex deliberatione Concilii Fidei solemniter deputatis; videlicet quoad visitandum certos quaternos, in quibus dicitur contineri Propositio defuncti Magistri Joannis Parvi, & eos examinandum: & an ex illa Propositione possint elici, seu contineantur errores, & Assertiones, tàm in Instrumento Universitatis lecto, & publicato in Concilio Fidei, quàm in Instrumento ultimo, de extractione ipsius, & nonnullarum aliarum Assertionum, ex eadem Propositione, lecto in eodem Concilio, in cedulis missis Dominis & Magistris Doctoribus in Theologia, & alii* latiùs declaratis.

Et insuper ad sciendum an in illis quaternis, seu Propositione dicti Parvi contineantur aliqui alii errores, ultra in dictis Instrumentis declarati & contenti; & ulteriùs ad visitandum, & diligenter collationandum dictos quaternos ad invicem, cum quaterno tradito Curiæ, pro parte Domini Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis: ipsi Domini & Magistri Deputati, in primis, & ante omnia eis dictis & expositis per dictum Dominum Officialem Parisiensem, verbis sequentibus.

„ Vos estis deputati & vocati ex parte Domini „ Parisiensis, & Inquisitoris, & Concilii Fidei, ad „ visitandum exemplaria Propositionis Magistri „ Joannis Parvi, & ad faciendum collationem de „ dictis quaternis, ad Assertiones contentas in „ cedulis vobis aliàs demissis, & ad sciendum si „ illic contineantur aliqui alii errores: & ad vi„ dendum aliqua alia quæ ministrabuntur, facientia „ ad materiam eorum quæ tractantur in hoc sacro „ Concilio; & ad dandum consequenter salubre con„ silium super Assertionibus exhibitis Concilio Fi„ dei; super quibus Magistri nostri fuerunt auditi„.

† *Forsan* quarto. * *Forsan* alibi.

Habitâ primitùs inter ipsos Magistros Deputatos collatione de persona mittenda ad Dominum Burgundiæ; deputaverunt & elegerunt venerabilem virum, & religiosum, Fratrem Petrum Flore, Licentiatum in Theologia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad eundem Dominum Ducem Burgundiæ, cum quadam instructione ibi lecta, & per eosdem Dominos Deputatos correcta, & in bona forma posita, cujus tenor inferiùs est insertus.

A Quibus sic factis; prædictus Dominus Officialis, tunc ibidem tradidit undecim Magistris, undecim quaternos aliàs in Concilio exhibitos: videlicet unum Ursino; unum Regenti Bernardistarum; unum Jourdano; unum Benedicto Gentiam; unum Matthæo Rocderi; unum Joanni Dacheri; unum Guillelmo Choleti; unum Joanni de Dulcimenillo; unum Joanni Michaëlis; unum Gerardo Macheti, per eosdem Magistros deputatos visitandos & examinandos; ad fines supra dictos; eisdem Dominis Deputatis assignando diem Veneris inde sequentem, ad comparendum coram Dominis Parisiensibus, & Inquisitore, & conferendum de & super vos: visis interim & examinatis de contentis in dictis quaternis.

Acta in camera dicti Domini Officialis, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die octava Mensis Januarii.

B *Tenor verò Instructionis traditæ dicto Fratri Petro Floure, mittendo dicto Domino Burgundiæ, sequitur in hæc verba.*

Sequuntur ea quæ committenda sunt Nuncio, vel Legato mittendo ad Dominum Ducem Burgundiæ.

PRimò, facta humili, debita, & consueta recommendatione illorum à quibus mittitur, dicat causam, occasionem & radicem incœptionis Concilii Fidei quod de præsenti Parisiis celebratur; quòd hæc sunt & fuerunt errores & scandala Fidem & mores concernentia, quæ, ut à plurimis asseruntur, in Diœcesi Parisiensi, & alibi, in diversis par-C tibus hujus Regni noviter orta sunt, seminata & publicata, tàm facto, quàm verbo.

Secundò, explicet bonam, sinceram, & sanctam affectionem Dominorum Judicum, & singulorum qui in prædicto Concilio deliberaverunt, quàm dulciter, quàm benignè, pacificè & quietè auditi sunt, sine murmure, sine clamoribus, aut quibuscumque aliis inconvenientibus.

Tertiò, quòd pro bono pacis, unionis, & concordiæ, ex deliberatione totius Concilii, nullo contradicente, prædicti Judices dederunt solemnes Deputatos, & in magno numero, pro visitatione, & examinatione, & ampliori discussione singulorum quæ in dicto Concilio tacta sunt: & ejectis erroribus, si qui reperiantur, honor Fidei, famaque singulorum, quantùm erit possibile, illæsi remaneant, & intacti.

Quartò, quòd principalis, imò sola intentio prædictorum Judicum, & singulorum deliberantium, est, & fuit, tendere ad honorem Fidei, ad bonam D pacem, & tranquillitatem Regis, Regni, & singulorum Dominorum, sine distinctione, aut affectione quacumque. Quapropter, ex parte prædictorum Judicum, & assistentium, supplicetur humiliter, quatenùs illorum dictis fidem adhibere nolit, qui ipsum de congruo aut informassent, aut in futurum informare vellent: quia ipsi Judices, quantùm in ipsis erit, ad Fidei exaltationem, & erroris reprobationem; ad honorem Domini nostri Regis, sui ipsius, & aliorum omnium Catholicorum,

rum, auxiliante Domino, cujus res agitur, taliter in prædicto Concilio procedant, quòd nullus, cujuscumque status, aut conditionis existat, poterit, aut debebit malè contentari.

1414. XII. Januarii. Anno Domini, millesimo, quadringentesimo decimo tertio. † Die Veneris, post Festum Epiphaniæ, quæ fuit duodecima Mensis Januarii, coram venerabili & discreto viro, Domino Officiali Parisiensi, Congregatis Dominis & Magistris Deputatis per Dominos Parisiensem, & Inquisitorem, ex deliberatione Concilii Fidei, in camera Officialatûs Parisiensis, videlicet

Ursino de Taillenande.
Jourdano Morini.
Joanne Dacheri.
Joanne Mathiæ.
Petro de Nogento.
Francisco, Regente Bernardistarum.
Joanne de Dulcimenillo.
Gerardo Macheti.
Benedicto Gentiam.
Joanne Brout.
Radulpho de Porta.
Guillielmo Cholet,
Et Joanne Michaëlis,

fuit ante generaliter materia hujusmodi aperta. Et quoniam ipsi Domini Deputati non erant satis benè advisati ad conferendum, & referendum, &c. Ipse Dominus Officialis Parisiensis assignavit eis diem Lunæ proximam, de mane, ad conferendum, ut priùs, &c.

Datum & actum in prædicta camera. Anno & die quibus supra.

1414. XV. Januarii. Adveniente dicta die Lunæ, quæ fuit quindecima Mensis Januarii, quià nulli Doctorum * Dominorum Deputatorum comparuerunt; fuit ordinatum per Dominos Parisiensem & Inquisitorem, ut ipsi per cedulas evocarentur, & requirerentur, juxta formam cedularum, ad comparendum coram eis, die Veneris, nona decima dicti Mensis Januarii, & ad faciendum contenta in dictis cedulis.

Tenor verò cedularum eisdem missarum sequitur, & est talis.

Magister Reverende, compareatis ex parte Domini Episcopi Parisiensis, & Fratris Joannis Poleti, Inquisitoris, die Veneris proxima, in dicta dicti Domini camera Parisiensis Episcopi, unà cum aliis Dominis, & Magistris unà vobiscum deputatis ex deliberatione Concilii Fidei; ad conferendum, & advisandum de, & super quampluribus quaternis, seu codicibus, Propositionem defuncti Magistri Joannis Parvi, ut dicitur, continentibus; seu saltem effectualiter & substantialiter extractis de eadem: nec non ad faciendum collationem de dictis quaternis, ad certas Assertiones in cedulis vobis aliàs missis contentas; & ulteriùs nobis præbituruš salubre consilium, si in dictis quaternis contineantur aliqui alii errores malè sonantes in Fide, & super aliis dicta die per nos vobis explicandis & declarandis.

XIX. Januarii. Adveniente autem dicta die Veneris, decima nona Januarii, comparentibus coram Dominis Parisiensi Episcopo, & Inquisitore, in camera Episcopali dicti Domini Episcopi, Dominis & Magistris

Joanne Courtecuisse.
Joanne de Dulcimenillo.
Petro de Dierreyo.
Ursino Taillenande.
Martino Rocder.
Jourdano Morini.
Radulpho de Porta.
Petro de Nogento.
Joanne Brout.
Francisco, Regente Bernardistarum.
Benedicto Gentiam.
Guillielmo Pulchrinepotis.
Joanne Dacheri.
Guillielmo Cholet, Regente Carmelitarum.
Joanne Michaëlis, Regente Prædicatorum,
Et Gerardo Macheti, Deputatis in hac parte, per dictos Dominos Judices: deliberaverunt subsequenter Domini & Magistri sequentes, & primò.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Dulcimenillo, deliberavit in scriptis, in hunc modum.

Præsuppositis protestationibus in materia Fidei fieri consuetis, quibus adhæreo, & adhærere intendo, quandiù vixero in humanis; pro responsione ad ea, super quibus Magistri nostri plures, & ego cum eis, ex deliberatione Concilii Fidei deputati fuimus per Reverendum Patrem, & Dominum Episcopum Parisiensem, & Dominum Inquisitorem.

Ad primum punctum, quod est de collatione quaternorum, in quibus, ut dicitur, continetur Propositio Magistri Joannis Parvi, cujus anima requiescat in pace; Dico quòd licèt credam in eis non magnam esse differentiam, saltem quæ variet, vel immutet principale propositum: nihilominùs expedit quòd inter se collationentur, & ad longum videantur, ad tollendum omnem suspicionem, & obviandum illis quæ possent incongruum objici, si hoc non fieret.

Quantùm autem ad secundum punctum, quod est videre an Propositiones septem in cedula contentæ, super qua examinati fuerunt Domini Magistri, & Baccalaurei, in prædicto Concilio Fidei, in dictis quaternis contineantur; vel elici possint ex eis:

Dico primò, quòd prima Propositio prædictæ cedulæ, quæ principalis est in dictis quaternis, formaliter, modo & ordine quo posita est, componi, vel confici * ex dictis ibidem contentis formaliter.

Dico secundò, quòd ipsa virtualiter & sufficienter elici potest ex prædictis quaternis, & contentis in eisdem, cum intentione proponentis: quæ intentio elici potest, & debet ex conclusione quam in dicta sua Propositione intendebat concludere, instituere & inferre. Istud deduci potest, discurrendo per singulas partes prædictæ primæ Propositionis cedulæ præfatæ: quæ Propositio talis est in forma.

Chacun Tyran doit & peut estre loyalement, & par merite occis de quelconque son vassal ob subjet, & par quelconque maniere, mesmement par aguettes, flatteries, & adulations; nonobstant quelconque jurement, ou confœderation faite envers luy, sans attendre la Sentence, ou Mandement de Juge quelconque.

Quantùm ad primam partem prædictæ Propositionis, videlicet quòd quilibet tyrannus licitè possit & debeat meritoriè & laudabiliter interfici à quolibet subjecto suo, aut vassallo, declarari posset ex multis quæ in dicta Propositione Magistri Joannis Parvi continentur, cum ejus intentione, &c.

Primum est, quòd ponitur in forma in dicta Propositione, & in fine tertii exempli tertii Articuli.

C'est droit, raison & equité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguettes & épiemens, & est la plus propre mort de quoy tyrans desloyaux doivent mourir.

Et in fine probationis septimæ veritatis, seu Propositionis principalis quarti Articuli, conformiter loquendo, sic dicitur in forma.

C'est

† *Forsan* quarto. * *Forsan* dictorum.

* *Forsan desideratur* potest.

C'est la plus propre mort, de quoy tyrans doivent mourir, que de les occire vilainement, par bonnes cautelles, aguettes, ou espiemens.

Secundum dictum quod Aristoteli à dicto proponente imponitur, in dictis locis Libri sui *Politicorum*, & ponitur dictum istud in deductione tertiæ Propositionis principalis prædicti quarti Articuli, *Cuilibet subditorum licitum est occidere tyrannum impunè, & non solùm licitum, imò laudabile.* C'est-à-dire, *qu'il est licite à un chacun des subjets d'occire le tyran, & n'est pas seulement licite, mais honnorable & digne de loüanges.*

Tertium dictum, est autoritas Salberiensis, ut sibi a dicto proponente imponitur, *tertio Libro Policraticon. Capitulo decimo quinto.* Quæ autoritas allegatur in loco præallegato, scilicet in deductione prædictæ tertiæ Propositionis principalis quarti Articuli. *Eidem*, scilicet tyranno, *licet adulari, quem licet occidere*, c'est-à-dire en François: *puis qu'il est licite d'occire le tyran, il est licite de le blandir par paroles & par signes.*

Quartum dictum, est autoritas Bocacii, ut præfatus proponens allegat, loco immediatè dicto in Propositione, scilicet tertiæ Propositionis principalis quarti Articuli prædictæ Propositionis principalis, in Libro, *De casibus virorum illustrium. Libro secundo. Capite quinto*, contra superbos tyrannos, ubi de talibus loquens præfatus Bocacius sic inquit:

Le diray-je Roy, l'honnoreray-je comme Prince, luy garderay-je la foy comme à Seigneur : nenny. Il est ennemy de la chose publique; contre cestuy puis faire conjuration, prendre armes, mettre espiemens, employer forces, c'est fait de courageux, car à Dieu n'est presque plus agreable sacrifice, que le sang du tyran.

Idem ponitur, & in sententia, & in forma, & ab eodem Bocacio, repetendo; à dicto proponente allegatur in probatione septimæ Propositionis principalis quarti Articuli ante dicti.

Quintum dictum, est diffinitio tyranni data, a Gregorio, videlicet, *Tyrannus est propriè qui in Republica non justè principatur, aut principari conatur.*

Hanc diffinitionem proponit præfatus proponens, vel allegat in probatione primæ Veritatis, seu Propositionis principalis quarti Articuli prædictæ suæ Propositionis, in qua probatione ex diff. propriis conditionibus tyranni, in genere, nititur intentum suum in prædicta prima Propositione quarti Articuli probare, de tyranno particulari, modò per eum ibidem circumstantionato. Et notandum quoad hoc quòd dictus Gregorius, in præfata tyranni descriptione non ponit in forma, secunda parte, licèt fortassis ex dictis ejusdem sequentibus aliqualiter possit elici.

Quintum dictum, est dicti proponentis, quod ponitur in præfato loco, scilicet in deductione tertiæ Propositionis principalis quarti Articuli prædictæ suæ Propositionis totalis, ubi pro responsione ad dicta & allegationes Legum Civilium, sic dicit in forma dictus proponens.

Je dis pour repondre à toutes ces Loix ensemble, qu'il n'est Loy tant generalle, ny reigle tant soit commune, que en un cas special il ait exception aucune.

Et sequitur immediatè.

Je dis outre, que le cas d'occire un tyran est excepté par special, quand il est tyran, en telle maniere comme dessus est dit. In prima sua Propositione, seu Veritate quarti Articuli, &c.

Ecce ergo ex dictis illis, qualiter patere potest ex intentione, & modo loquendi dicti proponentis, formâ & sententiâ prædictorum, quod nedùm licitum est, imò meritorium, & laudabile cuilibet subditorum & vassallorum, occidere tyrannum istum vel illum, sic, vel sic specificatum, aut circumstantionatum; sed generaliter de quolibet tyranno hoc verum est: aliter enim, aut probationes suæ nullæ essent, aut peterent principium, ut patet consideranti. In omni enim materia, probationes notiores & graviores esse debent, quo nequam * probant vel interunt. Hoc etiam patere potest aliundè, videlicet ex radice, & principio, in quibus omnes rationes quas dictus proponens allegat, de tyranno suo specificato & particulato, in præfato quarto Articulo fundantur. Omnes enim ut consiliariis fundantur in hoc, quòd quilibet subditorum tenetur, A seu obligatur, ex divina Lege, naturali, & civili, Regem suum & Principem, pro quanto est persona publica, & caput Communitatis, cujus est pars, vindicare ab omnibus injuriis sibi factis, quando sibi constat. Notum autem est quòd non est obligatio cujuslibet hujusmodi subditorum ad Communitatem in se, cujus est pars, quàm ad Principem; imò major, ut videtur: quia, ut tactum est, obligatio prædicta, quæ est ad Principem, est attendere pro quanto Princeps consideratur non ut persona privata, sed publica, & caput Communitatis.

Ergo rationes omnes quæ arguunt de tyranno machinante contra Principem suum, &c. Modo quo dicitur in prima Propositione præfati quarti Articuli, quòd licitè potest & debet meritoriè occidi à quolibet subditorum; æqualiter, imò à fortiori B arguerent de tyranno Principe, malè tractante, & destruente Communitatem in se; quòd scilicet quilibet talis à quolibet subditorum suorum, pro tuitione & defensione Reipublicæ, debet & potest meritoriè interfici. Et ita patet prima particula illius primæ Propositionis cedulæ ante dictæ, quòd scilicet quilibet tyrannus debet & potest meritoriè & laudabiliter interfici, per insidias & adulationes. Satis patet ex prædictis, & primo dicto probationis prædictæ primæ particulæ, tertio & quarto.

In primo enim dicto illorum trium, expressè ponitur quòd *Quilibet tyrannus occidi potest & debet, par aguettes & espiemens.*

In secundo, quòd *per blanditias*, quod idem est quod adulationes; blandiri enim, ut dicit Catholicon, idem est quod adulari: & idem tangitur in tertio.

Et hìc advertendum quòd hoc cautelosè factum C est, quòd scilicet hìc una conditio, & alia alibi distinctè ponentur; quia si omnes simul positæ fuissent à singulis, statim percipi potuissent,

Advertendum secundò, quòd expressè ex Propositionibus octo principalibus, quas præfatus proponens posuit in præfato quarto Articulo suæ principalis Propositionis in se consideratis, seclusis probationibus; non sequitur, nec inferri potest Conclusio illa quam intendit in dicta sua Propositione cum suis circumstantiis instituere, ut patet consideranti: benè tamen ex illis, si veræ essent, cum suis probationibus & Articulis præcedentibus, junctis cum Minore, sequeretur hujusmodi Conclusio; ita quòd nedùm Propositiones illas octo per se sumptas, seclusis deductionibus, posuit pro Majore; sed similiter cum illis & tribus Articulis præcedentibus: & hoc expressè videtur tangere in distinctione Articulorum prædictorum quatuor, cùm di- D cit; *Et pource que je pense à declarer ces trois choses*, de quibus facit tres Articulos, *avec aucunes verités qui me seront une Majeure; & apres la ditte Majeure, je joindray une Mineure, pour parfaire la justification de mon dict Seigneur de Bourgongne. Et je pense à faire deux partis principaux en ce present propos. La premiere partie sera de ma ditte Majeure; & la seconde, de ma ditte Mineure.* Et sequitur clarissimè ad propositum.

La premiere partie contiendra quatre Articles, dont le

* Locus corruptus.

le premier Article declarera la premiere chose: le second la seconde: le tiers la tierce: & au quart Article je pense anne&ler aucunes verités, pour mieux fonder la justification de mon dit Seigneur de Bourgongne.

Et in fine quarti Articuli dicit expressè: & sic patet tota Major: & ut enim communis fama clamat, inter Dominum Burgundiæ, & defunctum Ducem Aurelianensem, ante mortem ejus, factæ fuerant & pluries renovatæ, signo & facto, confœderationes & juramenta, & cetera hujusmodi: quibus non obstantibus, prædictus proponens nisus est instituere interfectionem prædicti defuncti Ducis Aurelianensis, meritoriè & laudabiliter fuisse perpetratam à dicto Duce Burgundiæ & suis. Et ita, qui prædictam Propositionem audierunt, & postmodùm conceperunt & intellexerunt: refert enim in talibus loqui ad populum, & in scolis coram doctis & litteratis; quamquam enim ad probationem alicujus conclusionis assumitur, sive pro mediis conclusionis, sive probationis, per modum Assertionis à simplicibus & popularibus accipitur.

Et ex hoc patet responsio ad id quod ab aliquibus hîc dicitur, ut quòd probationes, vel allegationes prædictæ non debent sumi, saltem secundùm intentionem proponentis, in sua generalitate; sed solùm pro quanto faciebant ad probationem particulariorum contrar.* Ad quas probandas immediatè adducebantur.

Patet satis ex prædictis quòd hoc dicere est petere principium; quia probationes, ut dictum est, alicujus Propositionis, debent esse notiores & communiores hujusmodi Propositione: aliter, vel nihil probarent, vel peteretur principium.

Patet secundò, quòd nedùm haberi debet respectus & consideratio hujusmodi considerationum, seu allegationum, ad considerationes & conditiones quas immediatè deducunt & inferunt; sed etiam & principaliter ad conclusionem totalem & principalem propter quam & ipsæ Propositiones quas immediatè probant, vel inferunt ex intentione proponentis, adducuntur; præcipuè in casu illo quo cautelosè, sicut in proposito factum est, ut tactum est modò, allegantur & proponuntur. Et sic patet secunda particula dictæ primæ Assertionis præfatæ cedulæ; quòd scilicet, *Quilibet tyrannus, à quolibet subdito suo, vel vassallo, meritoriè & laudabiliter interfici potest, per insidias & adulationes.*

Quo ad tertiam partem, videlicet quòd hoc modo quolibet possit fieri meritoriè, & laudabiliter, hoc est quòd nullum modum hoc faciendi præfatus proponens reputasset illicitum; potest facere ex casu illo quem nititur cum suis circumstantiis justificare: quia extrinsecùs videtur ita. Quòd si aliàs esset casus excipiendus & illicitus, maximè foret hujusmodi casus ex quo subitò, improvisè ex parte dicti interfecti, cum prædictis circumstantiis perpetratus est.

Hoc etiam videtur tangere prædictus proponens, in secunda Propositione quarti Articuli, ubi crimen & peccatum tyranni adeò, dicit, esset horribile & detestabile atque damnabile, quòd non posset nimis, vel ad condignum puniri, ex hoc quòd nullum sit genus mortis & modus aliquis punitionis, quibus tyrannus non possit & debeat justè, meritoriè, & laudabiliter interfici.

Tertia particula prædictæ primæ Propositionis præfatæ cedulæ, de juramentis & confœderationibus, patere potest ex prædictis. Potest etiam declarari aliundè, videlicet ex probatione quintæ Propositionis quarti Articuli prædictæ Propositionis totalis. Ut enim patet consideranti, prædictus proponens, loco illo, nititur deducere ex intentione quòd, confœderationes, pacta, & juramenta non debent teneri erga tyrannum illum, de quo ibidem loquitur, scilicet qui machinatur contra salutem Regis sui, &c. quoniam in illo casu vergerent in detrimentum Reipublicæ &c. Quod eodem modo, imò à fortiori, ut dictum est, dici potest de Juramentis factis tyranno principanti, malè Communitatem regenti & destruenti.

Si prædictæ rationes valeant, ultima particula prædictæ primæ Propositionis præfatæ cedulæ, scilicet, *Sans Mandement, ou Commandement quelconque*, patet satis ex tertia Propositione principali A præfati quarti Articuli, & deductione ejusdem, ubi expressè ponitur; & in Propositione tertia; & in solutione ejusdem dubii; & tribus exemplis sacræ Scripturæ ibidem adductis, quòd quilibet subditorum, sine Mandato quocumque, autorisatur à Lege divina, naturali, morali & civili, adhoc ut impunè, laudabiliter & meritoriè interficiat tyrannum; imò ad hoc obligatur, & plus Superior & potentior, quàm inferior & impotentior. Et sic patet primum dictum principale, videlicet quòd prædicta prima Propositio præfatæ cedulæ virtualiter & sufficienter continetur, & elici potest, & concludi ex dictis in quaternis Propositionis Magistri Joannis Parvi, cum intentione ejusdem, &c.

Dico secundò, quòd secunda Assertio prædictæ cedulæ, de Michaële, ponitur in forma in primo exemplo tertii Articuli, & in tertio exemplo probationis, B seu deductionis tertiæ veritatis, seu Propositionis quarti Articuli prædictæ Propositionis totalis.

Tertia autem Assertio, de Phinées, quo ad primam partem, ibidem ponitur in forma, in secundo exemplo deductionis prædictæ tertiæ Veritatis quarti Articuli: sed oppositum secundæ partis expressè ponitur in tertio exemplo secundi Articuli dictæ Propositionis totalis. Excusari tamen potest qui prædictam cedulam posuit, quantùm ad hoc, per vitium scriptoris, & in correctionem quaterni, in quo prædictam elicuit, vel sumpsit Assertionem.

Quarta Assertio, de Moyse, ponitur sufficienter in quarto Articulo prædictæ Propositionis totalis, in deductione tertiæ Veritatis ejusdem quarti Articuli, in exemplo primo, in quo in forma dicitur: *Moyse, sans Mandement, ou autorité d'homme, occit l'Egiptien qui tyrannisoit les fils d'Israel: & pour lors le dit Moyse n'avoit point l'autorité de Juge, la quelle* C *luy fut donnée sur le peuple d'Israel près de quarante ans après qu'il a fait ce faict.*

Quinta Assertio, de Judith & Jehu, saltem de Judith, non habetur expressè in dicta Propositione Magistri Joannis Parvi: quia tamen historiæ ibidem allegantur, in quibus & Jehu mentitus est, & Judith Olophernem adulata est; ex quibus, ut prædictum, prædictus proponens cum aliis, pro Majore & declaratione ejusdem, nititur conclusionem suam principalem cum suis circumstantiis deducere; audientes, vel etiam videntes prædictam Propositionem, sic hujusmodi autoritates potuerunt recipere, ad removendum errorem in prædictis: videtur quòd prædicta Assertio quinta, in forma in qua posita est, & ad finem in cedula prædicta, expressè sic poni potuit.

Sexta Assertio, de Joab & Abner, licèt non ponatur D in forma in prædicta Propositione; sufficienter tamen, & satis clarè elici potest ex primo Articulo tertii Articuli dictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi; ubi post recitationem interfectionis Absalonis ab ipso Joab, & replicata quæ fit contra eum, de hoc quòd David præcepit in loco* mortis Salomoni filio suo, quòd faceret justitiam de ipso Joab; proponens ad hoc respondendo dicit: *Ce ne fut pas pour ce cas*, propter scilicet interfectionem Ab-

* Forsan contrariorum.

* Forsan lecto.

Absalonis, quòd David præcepit Salomoni quòd justitiam faceret de Joab: sed propter casum quem statim exprimit dicens: *Car non obstant que Joab fut un bon Chevalier, pour le temps qu'il occit le dit Absalon: neantmoins le dit Joab, vers la fin de ses jours, fit deux grandes fautes. La premiere, car il occit un tres-bon Chevalier appellé Abner: la seconde, car il occit un tres bon Chevalier appellé Amasan, par tres-grande trahison.*

Ecce ex his satis videtur patere quòd intentio proponentis erat dicere quòd Joab interfecit priùs Absalon, quàm Abner.

Septima, & ultima Assertio prædictæ cedulæ in forma, ponitur in probatione quintæ Veritatis, seu Propositionis quarti Articuli prædictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi; & est Major tertiæ rationis deductionis, seu probationis illius quintæ Veritatis, seu Propositionis.

Quantùm ad tertium, super quo dati sunt Deputati prædicti, videlicet ad videndum an in dicta Propositione Magistri Joannis Parvi aliqui alii errores, à prædictis, contineantur, &c. triplex, quantùm ad hoc, posset esse modus procedendi.

Unus autem esset considerandus * prædictam Propositionem totalem in se, hoc est secundùm principia ejus, & conclusionem principalem, & applicationem hujusmodi principiorum ad conclusionem illam.

Secundus modus, esset extrahere & considerare dicta formalia in se particularia, Propositiones vel clausulas in dicta Propositione contentas, hinc & inde positas, malè sonantes, & dubias in Fide & moribus, & declarare quales sint, & quomodò qualificandæ.

Tertius modus, esset extrahere à dicta Propositione, nedùm dictas Propositiones, vel clausulas in eadem contentas formaliter, malè sonantes, vel dubias in Fide & moribus: sed etiam cum hoc illas quæ ibidem virtualiter continentur in uno loco, vel pluribus. Primo modo procedendo, dixeram quòd conclusio principalis prædictæ Propositionis totalis, quam proponens cum suis circumstantiis instituere nisus est, mala est, & reprobanda; principia ex quibus deducuntur pejora; applicatio verò principiorum ad conclusionem, pessima.

Primum istorum satis patet cuilibet prædictam conclusionem intuenti, quæ est hæc in forma.

„ Monseigneur de Bourgongne ne doit de rien „ estre blâmé, ne repris du cas advenu en la personne du crimineux Duc d'Orleans, & que le „ Roy nostre Sire tant seulement ne doit pas estre „ content; mais doit avoir le faict agreable, & „ l'autoriser, entant que mestier seroit; & avec ce „ le doit guerdonner & remunerer en trois choses: en amour, honneur & richesses, en exemple des remunerations qui furent faites à Monseigneur Sainct Michel Archange, & au vaillant „ homme Phinées, des quelles remunerations a esté „ faite mention en la probation de la tierce verité „ de nostre dite Majeure, & l'entens ainsi en mon „ gros & rude entendement. „ Dicit proponens: „ Que le Roy nostre Sire le doit plus aimer que paravant, sa loyauté faire prescher par tout le Royaume, & dehors le Royaume, publier par Lettres, par maniere d'Epistre, ou autrement. „

Ecce conclusionem illam in forma quæ nota est esse falsa, & reprobanda omnibus qui prædictum casum cum suis circumstantiis præcognoverunt: nec vidi aliquem, à tempore inceptionis Concilii, cujuscumque esset opinionis, qui eam sustinere vellet, vel diceret esse veram & Catholicam.

Secundum autem, quo ad hoc, videlicet quòd principia ex quibus illa ergo illata est, & sunt pejora, patet intuenti prædictam Propositionem; quoniam cujuslibet politiæ sunt destructiva; destinctionum atque divisionum causativa; juramentorum, atque confœderationum penitùs anullativa. Principia enim illa sunt: Lex naturalis, moralis, civilis & divina, autorisat quemlibet subditorum, imò & obligat, & plùs majorem quàm minorem ad epikeizandum, interpretandum, judicandum, determinandum qualiter & quomodò intelligi debeant, & exequi; quis debeat tyrannus reputari, judicari, & declarari quòd quilibet talis, à quolibet subditorum, absque Mandato quocumque superiori, modo quolibet, & debet & potest meritoriè & laudabiliter interfici, quòd circa talem non sunt servanda juramenta, pacta & confœderationes, & cetera hujusmodi.

Quantùm autem ista sint reprobanda, quàm nociva, detestanda, & periculosa, quilibet sanæ mentis potest judicare.

Tertium autem, quantùm ad hoc, scilicet quòd applicatio prædictorum principiorum cum deductionibus suis ad prædictam conclusionem sit pessima; patet, ut priùs * prædictam Propositionem consideranti, & diligenter intuenti: quia hujusmodi principia falsa, multa & erronea includunt in se, & deductionibus suis multa falsè Doctoribus, tam Theologicis quàm aliis imponunt, ut patet in deductione tertiæ propositionis quarti Articuli prædictæ Propositionis totalis. Et ad ea coloranda applicantur, vel ponuntur in numero duodecim rationes, in honorem duodecim Apostolorum, ut dicit proponens: multa enim vera & Catholica includunt prædicta principia, quæ adducuntur ad probandum, & inferendum conclusionem falsam & reprobandam, ut dictum est, per Magistros & Doctores in Theologia, qui, ut dicebat in principio prædictæ Propositionis suæ, maximè debent ipsi, & tales, esse professores veritatis.

Quantum autem malum sit, & reprobandum à Doctore Theologo, & professore veritatis, ad justificationem conclusionis falsæ & reprobandæ, adducere dicta Scripturæ sacræ & Doctorum, modo prædictorum, quilibet potest judicare. Et hoc de isto modo procedendi, quantùm ad illud tertium principale.

Quantùm ad secundum modum procedendi, qui est, vel esse potest, quantùm ad hoc extrahere dicta formalia, Propositiones & clausulas contentas in dicta Propositione malè sonantes, & dubias in Fide & moribus; plures tales, judicio meo, possent extrahi & deberent.

Primò quidem extrahendæ essent tres Propositiones particulares in cedula ante dicta contentæ in forma.

Prima, est de Phinées, qui *Sans Mandement ou Commandement quelconque, occit le Duc Zambri.* Ista ponitur in forma in secundo exemplo probationis tertiæ Propositionis quarti Articuli prædictæ Propositionis totalis; & in tertio exemplo secundi Articuli ejusdem Propositionis.

Secunda Propositio, est de Michaële Archangelo, quæ ponitur in forma satis in tertio exemplo deductionis tertiæ Propositionis prædicti quarti Articuli; videlicet, *Saint Michel l'Archange, sans Mandement quelconque, ne de Dieu, ne d'autres; mais tant seulement meu d'amour naturelle, occit Lucifer de mort perdurable, & pour ce il a des richesses spirituelles, autant comme il en peut recevoir.* Hæc etiam pro majori parte ponuntur in primo exemplo tertii Articuli prædictæ Propositionis totalis.

Tertia Propositio, est quam proponens imponit Magistro Sententiarum, ultima distinctione tertii, & ponitur in forma in Majori tertiæ probationis quin-

* considerare.

* *Fortè* patet.

quintæ Veritatis quarti Articuli prædictæ Propositionis principalis. *Quicumque aliquid facit quod est melius; quamvis juraverit aliud non esse facturum, non est perjurium, sed perjurio congruum.**

Præter has tres Propositiones, quantùm ad hoc, extrahendæ sunt & considerandæ quæ sequuntur. Prima clausula esset de modo pugnandi Michaëlis &c. ut in aliquo Michaëlis cum Lucifero, in quo multa ficta & adjuncta asseruntur, quæ à nullo Doctore dicta sunt, vel scripta, aut approbata. Modus iste ponitur in primo exemplo tertii Articuli Propositionis principalis.

Alia clausula: *Joab occit Absalon, le fils du Roy David, contre le Commandement du Pere, & n'obeit pas au Commandement, pource qu'il estoit au prejudice dudit Roy trop grandement, & en fut tres grandement loüé de Dieu & de tout le peuple.* Hæc clausula ponitur in secundo exemplo tertii Articuli prædictæ Propositionis.

Alia clausula quæ ponitur in fine tertii exempli tertii Articuli prædictæ Propositionis: *C'est droit, raison & equité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguettes & espiemens, & est la propre mort de quoy doivent tyrans desloyaux mourir.*

Et conformiter ad hoc dicitur in probatione septimæ Veritatis, vel Propositionis præfati quarti Articuli: *C'est la plus propre mort de quoy tyrans doivent mourir, que les occire vilainement, par bonnes cautelles & espiemens.*

Alia cedula quæ ponitur in secunda Propositione, seu Veritate prædicti quarti Articuli, *Ou cas de la premiere Verité dudit quart Article, tout subjet commet si horrible* † *qu'on ne le pourroit trop punir.*

Alia clausula, est tertia Veritas, seu Propositio prædicti Articuli in forma, videlicet: *Au cas dessus dit en la premiere Verité*, ejusdem scilicet quarti Articuli, *il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement, ou Commandement, selon les Loix, morale, naturelle & divine, d'occire, ou faire occire iceluy mauvais, traistre, desloyal & tyran; & non pas tant seulement licite, mais honnorable & meritoire, mesmement quand il est de si grande puissance, que justice n'en peut bonnement estre faite par le Souverain.*

Aliæ clausulæ multæ sunt consequenter positæ in deductione prædictæ tertiæ Propositionis quarti Articuli.

Una, est applicatio duodecim rationum, ad probandam prædictam conclusionem.

Tertia, in honorem duodecim Apostolorum.

Alia, est quòd imponit tertiam conclusionem prædictam sancto Thomæ, in distinctione ultima secundi.

Alia, est dictum, quando Propositiones imponit Salberiensi, *secundo Libro policraticon. Capite decimo quinto*, ei scilicet tyranno licet adulari, quem licet occidere.

Alia, est quòd hanc conclusionem dicit proponens, esse de intentione Alexandri de Halis, Richardi de Media-villa, & Ascens. *In Summa.*

Alia clausula: *Les Ducs sont obligés à vanger leur Roy, de toutes injures qui luy seroient faites, où machinées à faire, où au moins d'en faire leur pouvoir, & d'exposer à ce toute leur puissance, toute fois qu'il viendra à leur connoissance.* Et idem in sententia ponitur in diversis locis aliis ejusdem Propositionis totalis.

Alia, est dictum quod imponit Aristoteli, in suis politicis, in diversis locis. *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum impunè; & non solùm licitum, imò laudabile.*

Alia, est dictum quod imponitur Bocacio, in Libro, *De casibus virorum Illustrium. Libro secundo, Capite quinto*, ubi loquendo contra superbos tyrannos, de quolibet sic inquit: *Le diray-je Roy; l'honnoreray-je comme Prince; luy garderay-je la foy comme à Seigneur; nenny, il est ennemy de la chose publique: contre cestuy je puis faire conjuration, prendre armes, mettre espiemens, employer force, c'est fait de courageux.* Causam subdit immediatè: *Car à Dieu n'est presque plus agreable sacrifice, que le sang du tyran.*

Illud etiam quasi in forma ponitur in probatione septimæ Veritatis, seu Propositionis ejusdem quarti Articuli.

Alia clausula, est continens tres istas consequentias: *Deserteurs de Chevalerie chacun peut occire licitement.* A *Il est licite à un chacun d'occire, ou faire occire le tiran qui machine; & tous larrons gardeurs de bois, ou de chemins. Il est licite à un chacun, d'occire un larron, s'il le trouve en sa maison, de nuit.* Glos. Multò magis: *Il est licite selon les Loix civiles, à un chacun d'occire, ou faire occire le tyran qui machine de nuit & jour en la mort de son Roy & souverain Seigneur.*

Alia clausula: est distinctio quam proponens facit, de homicidio, secundùm Theologos & Decretistas.

Alia clausula, *Le cas d'occire un tyran*, excipitur à prohibitione Legum, & *par special quand il est traistre & tyran, en telle maniere de tyrannie, comme dessus dit est*, scilicet in prima Propositione quarti Articuli prædicti.

B Alia clausula: *Je appercevray qu'un tyran de grande puissance & subtilité* &c.

Notetur totum usque ad clausulam sequentem scilicet: *Dit Monsieur saint Paul*, Littera occidit, charitas autem ædificat, *c'est a dire, que toujours tenir le sens literral en la sainte Ecriture, est occire son ame.*

Alia clausula, *les Loix naturelle, morale & divine ne donnent autorité de ce faire*, hoc de occidendo tyrannum impunè.

Aliæ sunt clausulæ de Moyse, Phinées & Michaële. Et breviter tota ista tertia Propositio cum suis annexis, prædicto modo procedendo, extrahenda esset & consideranda.

Aliæ duæ clausulæ sunt quarta & quinta Veritates, cum suis deductionibus, in forma prædicti quarti Articuli.

C Alia clausula quæ ponitur in probatione sextæ Veritatis, seu Propositionis quarti Articuli prædicti: *In omnibus promissionibus humanis intelligitur, si fidem mihi servaverit; juxta illud:*

Fragenti fidem, fides fragatur eidem.

Alia clausula, est sexta & septima Veritates, seu Propositiones in formâ, cum tota sua deductione & conclusione, quæ fit in fine deductionis septimæ Veritatis & Propositionis. *Pourquoy est ce qu'on est tenu en plusieurs cas de garder foy à son ennemy capital, & non pas au tyran: les causes de la reponse mettent*, dicit proponens, *les Docteurs communement: mais pour ce qu'elle est commune, & qu'elle seroit trop longue à raconter, je m'en passeray à tant.*

Alia clausula, est conclusio principalis totius Propositionis quæ superiùs recitata est in forma.

D Quantùm ad tertium modum procedendi superiùs tractatum, extrahendo scilicet, nedùm dictas conclusiones, vel clausulas in dicta Propositione totali contentas formaliter, sed etiam virtualiter &c. Cum prædictis Propositionibus, vel clausulis, addendæ essent notandæ quæ sequuntur.

Una, est Propositio prima cedulæ supra, cum aliis ibidem contentis, quæ non sunt formaliter in prædicta Propositione principali contenta.

Alia clausula, seu Propositio, est: *Dux Burgundiæ duodecim obligationibus obligatur vindicare Regem de Domino Aurelianensi, modo quo eum interfecit, vel interfici fecit, vindicare, inquam, sine Mandato quocumque superveniente, sed sola autoritate Legis divinæ, naturalis & civilis ipsum ad hoc obligante.*

* *Forsan* contrarium † Forsan desideratur crimen.

Hæc Propositio principaliter ponitur in principio
prædictæ Propositionis quarti Articuli prædicti.
Alia clausula, seu Propositio: *Ad prædictum fa-*
ctum instituendum, prædicandum & publicandum, Do-
ctores Theologi quia veritatis professores, maximè obli-
gantur: & si inde contingeret eos mori, veri Martyres
reputarentur & deberent reputari. Hoc in sententia
ponitur, vel colligi potest ex pluribus prædictis, cir-
ca principium prædictæ Propositionis quarti Arti-
culi: *Dæmon non implet desiderium invocantium eum,*
nisi sibi faciant, vel exhibeant, videlicet honorem
Deo debitum, homagium, seu pactum, & alicujus rei A
donationem. Quod insuper experientiâ effectuum
superstitiosorum in personam Domini Regis, clarè
probatur in talibus fuisse idolatriam, & Fidem per-
versam. Quis autem trium modorum prædictorum
utilior sit & convenientior? Dicendum quòd ille
utilior & expedientior, qui propinquior est fini in-
tento principali in prædicto Concilio Fidei: ille vi-
delicet quo melius & efficacius providebitur contra
errores seminatos & publicatos, ut à pluribus asse-
ritur, tàm facto quàm verbo, nedùm in Diœcesi
Parisiensi, sed alibi in diversis locis hujus Regni:
ad quem modum reperiendum, & executioni dedu-
cendum, magna & discreta requiritur deliberatio, at-
tendo ad errores prædictos, qui & quales sint, un-
de verisimiliter sumpserunt originem, quales habu-
erunt defensores, quomodò avelli possint à cordi- B
bus hominum quibus radicati & infixi, qualiter
opposita doctrina publicabitur: quòd insuper hæc
omnia fiant cum honore Fidei, conformiter ad
Tractatum pacis, salvando, quantùm erit possibile,
honorem & famam singulorum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus
de Dyerreio, deliberavit verbo tenùs; & dixit ad
idem cum Magistro Joanne de Dulcimenillo, adden-
do aliqua quæ habet in cedula; quam cedulam pro-
misit, si opus esset, tradere Curiæ, quam post-
modùm non tradidit, sed stabat in effectu cum di-
cto de Dulcimenillo: & hæc dixit, præsupposi-
tis protestationibus in materia Fidei fieri consuetis.

Quibus sic dictis, assignata est dies crastina ad
ulteriùs deliberandum, & deliberabunt alii Domini
& Magistri per ordinem.

Adveniente dicta die crastina, Sabathi, vige- C
xx. Jan. sima Mensis Januarii, in Festo beatorum Fabiani,
& Sebastiani, congregati fuerunt coram Reverendo
in Christo Patre, & Domino Episcopo Parisiensi, &
Domino Inquisitore, in camera Episcopali Parisien-
si, Magistri & Domini deputati videlicet Magistri

Joannes Dacheri,
Joannes Mathiæ,
Mathæus Roder,
Franciscus, Regens Bernardistarum.
Radulphus de Porta.
Gerardus Macheti.
Petrus de Nogento
Joannes Brout
Guillelmus Cholet, Regens Carmelitarum
Et Joannes Michaëlis, Regens Prædicatorum,

ad deliberandum super his, super quibus sunt depu-
tati, quorum infra scripti deliberaverunt, hodie vi-
delicet. Primò.

Venerabilis & circumspcriptus* vir, Magister D
Franciscus, Regens Bernardistarum, dedit delibe-
rationem suam in scriptis, modo & forma sequentibus.

Primum punctum primæ Assertionis, videlicet,
Que chacun tyran doit & peut estre occis, continetur
expressè in fine tertii Articuli Propositionis insertæ
in quaterno per Dominum Officialem mihi tradito,
ubi sic habetur: *C'est droit, raison, & equité, que*
tout tyran soit occis vilainement, par aguettes, & es-
piemens, & est la propre mort de quoy doivent mourir
tyrans desloyaux. Et in sexta probatione tertiæ con-
clusionis quarti Articuli ubi, sic habetur: *Le diraye-je*
Roy, le nommeray-je Prince, luy garderay-je la foy
comme à Seigneur: nenny, il est ennemy de la chose
publique, contre cestuy puis faire conjuration, prendre
armes, mettre espies, employer forces, c'est fait de
courageux, c'est tres sainte chose, & du tout necessai-
re: car à Dieu n'est plus agreable sacrifice, que le sang
du tyran.

Tertiò, & finaliter potest elici dictum punctum
ex illo quod habetur in fine nonæ Probationis ter-
tiæ conclusionis quarti Articuli, ubi sic habetur: *Je*
dois deffendre mon Roy, & occire le tyran: en quoy
faisant, jaçoit que je fasse contre le sens litoral des Loix,
je ne fais pas contre la fin pourquoy elles furent ordon-
nées, c'est à sçavoir à celle fin de garder l'honneur du
Roy, le bien de sa personne & de la chose publique.

Secundum punctum dictæ primæ Assertionis, vi-
delicet, *Que chaque tyran peut estre occis loüablement*
& par merite, expressè continetur in quarta proba-
tione tertiæ Veritatis quarti Articuli dictæ Proposi-
tionis, ubi sic habetur: *Cuilibet subjectorum licitum est,*
imò & *laudabile. Et* exponit sic. *C'est a dire, qu'il*
est licite à un chacun des subjets, d'occire le tyran, &
n'est pas seulement licite; mais est chose honnorable &
digne de loüange. Continetur etiam in septima Ve-
ritate quarti Articuli dictæ Propositionis, ubi sic ha-
betur: *Il est licite à un chacun subjet, honnorable*
B *& meritoire, occire, où faire occire le dessus nommé ty-*
ran. Continetur etiam sententialiter in sexta pro-
batione tertiæ conclusionis quarti Articuli, ubi sic
habetur, sicut jam allegatum. *A Dieu n'est de plus*
agreable sacrifice, que le sang du tyran.

Tertium punctum dictæ primæ Assertionis, vide-
licet, *Que chacun tyran peut estre occis de quelconque*
son vassal, ou subjet: Continetur expressè in qualibet
probationum duodecim tertiæ conclusionis dicti
quarti Articuli. Pòtest etiam elici dictum punctum
ex responsione quam fecit ille qui pronunciavit di-
ctam Propositionem, etiam ad Quæstionem quam
ipsemet facit, videlicet, *Quare licitum sit cuilibet*
occidere latrones qui parant insidias per itinera & ne-
mora ad occisionem hominum. Respondet: *Pour ce*
qu'ils sont formellement ennemis de la chose publique:
& certum est quòd ita est tyrannus. Igitur &c.

C Quartum punctum, videlicet: *Par quelconque*
maniere, expressè sententialiter habetur in secunda
Veritate quarti Articuli dictæ Propositionis, ubi sic
sententialiter dicitur: *Que tout subjet & vassal, ty-*
rannisant contre son Roy, est digne de double mort, &
commet *** *si horrible qu'on ne le sçauroit trop punir.* Glosa:
Quocumque modo puniretur, citra condignum punire-
tur. Nec valet, cum reverentia, consequentia il-
lorum qui dicunt, quòd tunc vitiosè, vel culpabili-
ter: si hoc esset verum, posset puniri culpa, vel vi-
tium. Non dicunt modum, imò formaliter dicunt
modi scripti, & ordinis privationem, sicut pulchrè
deducit Dominus Bonaventura. xxv. *distinct. Secun-*
di, Quæstione secunda. Articulo primo.

Item, hæc determinatio quocumque modo deter-
minans hoc verbum *occidi*, quod significat principa-
liter occisionem, & connotat occidentem & occi-
sum, & non potest determinare occidentem, nec
D occisum: quis nimirùm asseret aliquem impossibili-
ter posse occidere tyrannum, & indebitè debere oc-
cidere, cum implicet contradictionem? Quis etiam
affirmaret indebitè occisum debere occidi, vel im-
potenter occisum posse occidi? Certè nullus. Opor-
tet *Glos.* quòd dicta determinatio determinet hoc
verbum, *occidi*, quo ad principale suum significa-
tum, scilicet occisionem, etsi crudelior modus
ejus principalis, qui est subitò & improvisè, absque
hoc quod possit conteri occidendo licitè & lauda-
biliter;

* Forsan circumspecti.

* Fortè desideratur crime, vel chose.

biliter; sicut qui fecit Propositionem, promittit se declaraturum & justificaturum in præambulo dictæ Propositionis. Igitur à fortiori, quocumque alio modo potest interfici tyrannus ex suis dictis, tertio & ultimo; certissimum est quòd nullus potest ab aliquo actu reputato ab aliquibus pessimo, justificari, nisi etiam justificetur à quibuscumque modis quibus actus fuit perpetratus &c.

Quintum punctum dictæ primæ Assertionis, est quòd tyrannus maximè potest occidi per insidias & adulationes. Quòd per insidias; satis patet per prædicta. Quòd per adulationes; expressè continetur in probatione secunda tertiæ Veritatis quarti Articuli sæpe allegati; ubi sic dicitur: *Tyranno licet adulari; quem licet occidere.* Patet etiam quòd dictum punctum clarè possit elici ex dicta Propositione: nam tyranno non est tenenda fides, ut patet per sextam probationem tertiæ conclusionis quarti Articuli jam superiùs allegatam, & per responsionem quam fecit in fine septimæ Veritatis quarti Articuli, ubi sic habetur.

Pourquoy est-ce qu'on est tenu en plusieurs cas de garder foy à son ennemy capital, & non pas au tyran? Respondet: *Les causes de la reponse mettent communement les Docteurs, & pource qu'elle est commune, & qu'elle seroit longue à raconter, je m'en passeray à tant.*

Potest etiam trahi ex quinta Veritate quinti Articuli.

Ex quibus omnibus patet quòd si quis frangat quodcumque juramentum, quantumcumque licitum & honestum, quantamcumque etiam confœderationem tyranno, non peccat; imò faciendo oppositum, puta si sibi juraverit quòd nunquam eum occideret, ipsum occidendo meretur laudari & honorari debet, ex dictis: quæ tamen fractio juramenti prædicti, est peccatum gravius quàm adulatio.

Igitur tyrannus per adulationes potest interfici, & occidi à quocumque, si vera sunt * dicta sunt.

Sextum punctum, videlicet: *Nonobstant quelconque jurement, ou conjuration faite envers luy.* Quòd contineatur in dicta Propositione, satis patet per allegata.

Septimum punctum & ultimum, videlicet: *Sans attendre la Sentence, ou Mandement de Juge quelconque*: potest elici ex dicta Propositione. Nam secundùm ipsam, *Non est tenenda fides tyranno*, & per consequens, *nec juramentum, nec quæcumque confœderatio facta ad non eum occidendum.*

Ponatur, *Glossa*, casus, quòd Sortes juraverit Platoni nunquam, propria autoritate, occidere, vel facere occidi ipsum Platonem: eveniat consequenter quòd Plato efficiatur tyrannus, usurpator injustè Reipublicæ, vel machinator, totis viribus, contra suum Regem, ut ejus Dominium possit usurpare, & constet Sorti: tunc per prædictam Propositionem Sortes non tenetur servare juramentum, nec confœderationem factam Platoni, Glos. *potest frangere.* Non autem potest frangere, nisi propria autoritate, interficiendo eum. Igitur patet dictum punctum, & per consequens totam primam Assertionem posse trahi ex præfata Propositione: potest etiam dictum ultimum extrahi ex tertia Veritate quarti Articuli.

Primum punctum secundæ Assertionis est: *Que Sainct Michel, sans Mandement ou Commandement quelconque de Dieu, ne d'autre; mais tant seulement meu d'amour naturelle, occit le dit tyran & desloyal à Dieu, Lucifer.* Et illud expressè continetur in duodecima Propositione, seu probatione tertiæ conclusionis quarti Articuli Propositionis sæpe allegatæ, ubi sic habetur: *Sainct Michel l'Archange, sans Mandement, ou Commandement de Dieu, ny d'autre; mais tant seulement meu d'amour naturelle, occit le dit tyran & desloyal à Dieu son Roy, & souverain Seigneur, pour ce que le dit Lucifer machinoit à usurper une partie de l'honneur, & Seigneurie de Dieu.*

Secundum punctum secundæ Assertionis, videlicet: *De mort perdurable*, continetur in primo exemplo tertii Articuli dictæ Propositionis, ubi sic habetur: *Sainct Michel occit iceluy Lucifer, de mort perdurable.*

A

Tertium punctum & ultimum dictæ secundæ Assertionis est: *Que pour ce il a des richesses spirituelles, autant comme il en peut recevoir.* Et istud expressè continetur in præallegata duodecima probatione tertiæ Veritatis quarti Articuli, ubi sic dicitur: *Sainct Michel en fut remuneré en richesses; car il luy donna des richesses de sa gloire, tant comme il en voulut avoir.* Et exponit, id est, *tantum quantum erat capax.* Et ex his patet quòd dicta secunda Assertio clarè potest trahi ex præfata Propositione.

Prima pars tertiæ Assertionis, videlicet quòd Phinées occidit Zambri: *Sans quelconque Mandement de Dieu, ou de Moyse*; expressè continetur in septima probatione tertiæ conclusionis quarti Articuli dictæ Propositionis, ubi sic habetur: *Phinées sans Mandement quelconque occit le Duc Zambri.*

B

Secunda & ultima pars dictæ tertiæ Assertionis, videlicet: *Et Zambri ne fut point idolatre.* Clarè deducitur ex prima parte ejus: quia si fuisset idolatra, non interfecisset eum sine quocumque Mandato. Nam ut pat. *Numer.* XXV. Moyses qui erat Princeps, & imprimìs Phinées, & omnis populi Israëlitici * quod præceperat dicens: ℣. 5. *Occidat unusquisque proximos suos qui initiati sunt Belphegor.*

Quarta Assertio est, *Moyse sans Mandement quelconque, ou autorité, occit l'Egiptien*, continetur expressè in sententia in decima probatione tertiæ conclusionis quarti Articuli pluries allegati, ubi sic dicitur: *Moyse sans Mandement, ou autorité d'homme quelconque, occit l'Egiptien qui tyrannisoit les fils d'Israël: & pour lors iceluy Moyse n'avoit point l'autorité de Juge.*

Primum punctum quintæ Assertionis, videlicet: *Judith ne pecha point en flattant Olopherne*; satis extrahi potest ex dictis in declaratione septimæ Veritatis quarti Articuli, *ex illis videtur.*

C

Item, *Judith occidit per insidias Olophernem, & de hoc laudatur.* Nam secundùm beatum Thomam, *in secunda secundæ, Quæstione quarta, Articulo tertio.* Insidiæ ordinantur ad hostes fallendos; falluntur autem hostes verbo vel facto alterius, quando eis non servatur promissum, & eis dicitur falsum: & hoc semper est illicitum. Benè Augustinus, contra mendacium; *Fides hosti servanda.* Et Ambrosius, in Libro, de Officiis: *Sunt quædam jura bellorum, & fœdera quæ etiam hostibus servanda.* Hæc Thomas †, *hoc etiam est adulatio semper*, ut deducit idem Beatus Thomas, *in secunda secundæ, Quæstione* 117. *Articulo primo.* Et talibus insidiis, & ex consequenti adulationibus, usa est Judith, ut interficeret Olophernem, ut clarè patet, *Judith.* XI. XII. & XIII. *Capitulis.* Et sic patet primum punctum.

D

Secundum & ultimum punctum præfatæ quintæ Assertionis: *Que Jehu ne pecha point, en mentant, qu'il vouloit honnorer Baal.* Et istud satis sententialiter continetur in probatione septimæ Veritatis quarti Articuli, ubi sic dicitur: 4. Reg. x. 18. *Achab coluit parùm Baal: Ego autem colam eum ampliùs.* Paululùm post: ℣. 19. *Porrò Jehu licèt insidiosè, ut disperderet cultores Baal; dixit: Sanctificate diem solemnem Baal*, &c. de hoc laudatur. Sed sive hoc demonstret: *Achab parùm coluit Baal*; si-

 ve

* Forsan desideratur quæ

* Locus corruptus. † Forte Ambrosius.

ve illud: *Ego colam eum ampliùs*; sive hanc orationem. ỳ.20. *Sanctificate diem solemnem Baal*; contra mentem loquebatur: sciebat enim ipse Jehu, quòd Achab nimis coluit Baal, quia colere Baal, imò interficere ejus cultores non volebat, etiam quòd sanctificarent diem qua destruerentur omnes cultores, & ex consequenti ejus cultus & † cultus solemnitas.

Sexta Assertio, videlicet: *Joab occit Abner, depuis la mort d'Absalon*, &c. expressè habetur in secundo exemplo tertii Articuli, ubi sic habetur: *Nonobstant que Joab fut bon Chevalier & loyal, pour le temps qu'il occit Absalon: neantmoins vers la fin de ses jours il fit deux trop grandes fautes. La premiere, car il occit un tres-bon Chevalier nommé Abner.* A

Septima Assertio, videlicet: *Toutefois que aucun fait aucune chose qui est meilleure; jaçoit ce qu'il ait juré la non faire, ce n'est mie parjurement, mais est à parjurement contraire*: Sententialiter habetur in tertia probatione quintæ Veritatis quarti Articuli, ubi sic habetur: *Quodcumque aliquis facit quod est meliùs, quamvis juraverit se illud non facturum, non est perjurium, sed perjurio contrarium.*

Et sic videtur, salvo semper meliori judicio, quòd dictæ Assertiones possint trahi ex dicta Propositione, salvis etiam protestationibus per Magistros nostros Reverendos, ac per me factis, in * Fidei, super deliberatione dictarum Assertionum, quas habeo, & habere volo in hac extractione pro repetitis. B

Sic signatum: *Ego*, FRATER FRANCISCUS DE ECCLESIIS.

Tradita per ipsum, die Sabathi, vigesima Januarii, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio. Et de modo procedendi, & aliis heri tactis per Magistrum Joannem de Dulcimenillo, stat cum ipso.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Dacheri, præsuppositis protestationibus, &c. dicit ad dubium quod potest esse. Dato quòd illæ Propositiones non sequerentur in Propositione Magistri Joannis Parvi, an sint condemnandæ: dicit quòd illæ sunt condemnandæ, etiam dato quòd non essent in prædicta Propositione, & maximè prima: quia est publicata Parisiis & alibi, facto & verbo. Facto, quia in Concilio audivit ab aliquibus dicentibus quòd poterant capere res alienas, & etiam interficere, &c. Et sic quòd istæ Propositiones sunt condemnandæ: non quia sequuntur ex illa Propositione Magistri Joannis Parvi; sed quia publicatæ facto & verbo: & etiam quia sunt contra Præceptum Decalogi, *Non occides.* C

Et sic consequenter dicit quòd si sint aliquæ Propositiones in dicta Propositione quæ denigrent dictum Præceptum, quòd sint condemnandæ.

Quantùm est ad factum principale; an scilicet illæ Assertiones de quibus sermo, contineantur in dicta Propositione Magistri Joannis Parvi; dicit quòd videtur sibi quòd omnes continentur in illa Propositione; & si non formaliter, tamen sententialiter, excepta illa de Zambri, quæ, videre suo, non continetur.

Item, ad quoddam dubium removendum, dicit quòd in fine tertii Articuli loquitur de quolibet tyranno.

Item, in correlariis suis loquitur de quolibet genere tyrannorum, in quibus declarat intentionem suam.

Item, ipse allegat definitionem tyranni quam imponit Gregorio, quamvis Gregorius non ponit, *vel principari conatur*. Et sic concludendum est quòd intelligit de quolibet tyranno in universali.

De prima Assertione: dicit quòd continetur in Propositione Magistri Joannis Parvi, sicut dixit Bernardista.

De illa de Michaële: dicit quòd continetur.

De illa de Phinées: dicit quòd non reperit illam clausulam: *Et il ne fut pas idolatre.*

Item, dicit quòd illa de Moyse expressè continetur in illa.

Assertio de Judith, sententialiter ponitur.

Item, illa de Joab ponitur.

Quantùm ad secundum punctum: an scilicet sint ibi alii errores a prædictis; dicit quòd tota Propositio Magistri Joannis Parvi videtur sibi falsa, erronea & scandalosa, habendo respectum ad finem ad quem ordinatur. Dicit ulteriùs quòd est erronea, crudelis & impia, & contra Decretalem *Pro humani*. Dicit quòd secunda clausula in definitione tyranni, &c. est injuriosa Gregorio, quia non ponit illam, scilicet, *vel principari conatur*. Et credit quòd illam clausulam posuit Magister Joannes Parvi, ad colorandum factum suum. Et hæc est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus de Porta, dicit quòd in cedula continentur tria puncta.

Primum, est de collatione quaternorum & illarum Assertionum ad invicem.

Secundum punctum: an ille quaternus sit erroneus, & contineat errores.

Tertium punctum, de condemnatione.

Quo ad primum, dicit quòd prima Assertio sparsim ponitur in dicta Propositione: & apparet sibi quòd loquitur generaliter ibi, *Chacun doit*, &c. quia dicit: *Il ny a reigle si generalle qu'il ny ait aucune exception.* Et dicit quòd infiniti errores sequerentur ex dictis suis, quòd dicta sua sunt in Gallico.

Dicit ulteriùs, quòd Gregorius non ponit definitionem tyranni, saltem non ponit illam clausulam, *vel principari conatur*: & si intelligebat *conatur*, id est, operatur per signa & facta: adhuc non contineret veritatem.

Ulteriùs, dicit quòd loquitur universaliter in Propositione sua de tyranno.

Clausula illa, *sine Mandato quocumque* continetur ibi. Patet inspicienti.

Et clausula, de adulationibus continetur. Et malè allegat Salberiensem qui non ponit pro intentione sua, sed allegat Tullium, quia Salberiensis damnat adulationem: & sic patet quòd illa clausula, de adulatione, continetur, quamvis subtiliter quæsivit subterfugere per terminos exquisitos.

Item, ponit quòd nulli tyranno est fides servanda.

Etiam illa clausula: *quocumque modo*, continetur in illa Propositione. Et sic dicit quòd prima Propositio sparsim ponitur in Propositione majori Magistri Joannis Parvi.

Item, dicit quòd secunda Assertio continetur in forma in dicta Propositione.

Illa de Moyse, continetur in illa Propositione, & etiam sequitur ex illa, & dicit quòd ista Propositio est multùm periculosa, quia dicit: *Moyse occit l'Egiptien qui tyrannisoit.* Quia Ægyptius non erat tyrannus; quia ad tyrannum semper requiritur Dominium justum, vel injustum; pugnabant enim in duello. Et sic est periculosa, quia simplices videntes istam Propositionem, si videant duos inter se pugnantes, ibunt moti quod conf. . . * ad unum, & interficient reliquum, dicendo quòd ille alter tyrannisabat. D

De illa de Jehu, dicit quòd expressè extrahitur ex illa Propositione Magistri Joannis Parvi.

Sed illa de Judith, non ita expressè continetur.

Sed illa de juramento, in forma continetur.

Etiam

† *Forsan* est. * *Fortè deest* processu.

* Locus corruptus.

Etiam ista de Abner, continetur.

Et sic apparet sibi quòd istæ Propositiones non solùm sequuntur: sed etiam continentur in dicta Propositione. Et dicit quòd aliud est errorem contineri in dictis, & aliud punctum, scilicet de modo procedendi. Stat cum Magistro Joanne de Dulcimenillo, quia conclusio est mala, & etiam præmissæ sunt pejores & applicationes illarum pessimæ.

Dicit ulteriùs quòd Sanctus Thomas non ponit quòd ille sit interficiendus qui machinatur, &c. sed qui subripit Dominium, &c. nec ponit per modum A Assertionis, sed dicit quòd si circumstantiæ quas ponit Tullius essent verificatæ, ille Julius benè fuit occisus; sed non fuerunt verificatæ.

Prima circumstantia, quòd Julius volebat habere Monarchiam.

Secunda circumstantia, quòd consensu populi & Senatorum, qui habebant autoritatem judicialem ad hoc. Et sic ut à Judice fuit occisus: tamen illæ circumstantiæ sunt falsæ.

Dicit ulteriùs quòd in ea continentur multa mala, erronea & scandalosa, & etiam alia erronea ab illis positis in cedula, ut patet inspicienti.

De modo condemnationis judicialis, se refert ad bonum consilium Dominorum Judicum, hoc addito, quòd in quantum possibile sit bono modo quòd non tangitur aliqua persona.

Quibuscumque deliberationibus sic factis, iidem B Domini Judices assignaverunt eisdem Dominis Deputatis præsentibus, & aliis absentibus evocandis, per cedulas, diem Lunæ prædictam, de mane, in eadem camera, & coram eisdem Dominis Judicibus, ad collationandum omnes quaternos apud Curiam traditos, & ad procedendum in eorum deputatione ulteriùs, ut fuit procedendum.

Anno prædicto, millesimo quadringentesimo decimo tertio, die Lunæ, vigesima secunda dicti Mensis Januarii, in Festo Beati Vincentii, coram prædicto Reverendo in Christo Patre & Domino Parisiensi Episcopo, & Domino Inquisitore, in camera Episcopali Parisiensi, de mane, comparuerunt Domini Deputati infra scripti, ad collationandum prædictos quaternos Propositionis Magistri Joannis Parvi: videlicet Magistri

Joannes Courtecuisse,
Mathæus Roderii.
Radulphus de Porta.
Joannes de Dulcimenillo.
Joannes Mathiæ.
Jourdanus Morini.
Franciscus, Regens Bernardistarum.
Gerardus Macheti.
Benedictus Gentiam.
Et Joannes Michaëlis, Regens Prædicatorum.

Qui quidem Magistri, tenentes undecim quaternos, quorum unum tenebat & inspiciebat præfatus Reverendus Pater, collationaverunt ipsi die †, de mane, usque ad tertiam Veritatem: & non patiente plus illa *, præfati Domini Judices assignaverunt eisdem Deputatis diem Martis sequentem, ad collationandum residuum illorum quaternorum Propositionis Magistri Joannis Parvi.

Adveniente verò dicta die Martis, quæ fuit vigesima tertia dicti Mensis, coram dicto Reverendo Patre & Domino Inquisitore, comparuerunt, de mane, Magistri

Joannes Courtecuisse.
Joannes Dacheri.
Joannes Brout.
Jourdanus Morini.
Franciscus, Regens Bernardistarum.
Radulphus de Porta.
Joannes de Dulcimenillo.
Joannes Mathiæ.
Benedictus Gentiam.
Joannes Michaëlis.
Guillielmus Cholet, Regens Carmelitarum.
Gerardus Macheti:

& collationaverunt dictos quaternos, de tertia Veritate, usque ad Minorem dictæ Propositionis. Et non patiente hora: pro tunc præfati Domini Judices assignaverunt eisdem Dominis Deputatis horam tertiam post prandium illius diei, ad collationandum Minorem, & conclusionem illius Propositionis.

Dictis verò die Martis, & hora tertia post prandium ejusdem, comparuerunt coram eodem Reverendo Patre, in sua Episcopali camera, Magistri,

Ursinus Taillenande.
Jourdanus Morini.
Joannes Dacheri.
Joannes Mathiæ.
Benedictus Gentiam.
Joannes de Dulcimenillo.
Radulphus de Porta.
Joannes Brout.
Guillielmus Cholet, Regens Carmelitarum.
Et Joannes Michaëlis, Regens Prædicatorum.

Et de Minore dictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi, in prædictis quaternis contentæ, usque ad finem, collationem fecerunt diligentem.

Quâ quidem collatione factâ, repererunt, ut dicebant, prædictos quaternos ad invicem concordare, nihil addito vel amoto, quod sensum mutet, aut variet intellectum. Quâ quidem collatione factâ, præfatus Reverendus Pater assignavit eisdem Deputatis diem crastinam, videlicet Mercurii, vigesimam quartam dicti Mensis, ad deliberandum ulteriùs in hujusmodi deputatione. Et attulerunt iidem Magistri, qui habebant quaternos, quilibet suum quaternum.

Adveniente dicta die Mercurii, vigesima quarta C Januarii, coram Reverendo Patre Domino Parisiensi Episcopo, & Domino Inquisitore, congregati sunt ad deliberandum Deputati ex parte Concilii Fidei, & Magistri,

Radulphus de Porta.
Jourdanus Morini, Regens Bernardistarum.
Benedictus Gentiam.
Gerardus Macheti,
Petrus de Nogento.
Joannes de Dulcimenillo.
Joannes Brout.
Joannes Michaëlis.
Mathæus Roderii.
Joannes Dacheri.
Et deliberavit primò.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jour- D danus Morini, dicit quòd fuit vocatus ad visitandum quaternos, & eos collationandum, & videndum si ibi sint aliqui errores; & de ulteriori modò procedendi. Dicit insuper quòd Magister Joannes de Dulcimenillo benè dixit, taliter quòd ultra vix posset aliquid dicere; & sic pauca dicet, quæ secundum dictamen & intentionem proponentis dicet.

Quo ad collationem, dicit, ut apparet sibi, quòd omnes illæ propositiones contentæ in illa cedulâ, non solùm inferuntur, & sequuntur ex Propositione Magistri Joannis Parvi; imò omnes, & maximè prima

† *Fortè eos.* * *Fortè hora.*

prima Propositio illius cedulæ, non sunt aliud quàm Major illius codicis in effectu. Oportet ergo quòd fiat resolutio illius Propositionis Magistri Joannis Parvi ad certum syllogismum compositum ex Majore & Minore. In resolutione syllogismus est talis: *Omnis Tyrannus meritoriè & laudabiliter occidi potest à quolibet vassallo, & maximè si sit tyrannus, illo modo speciali*, &c. Sed talis est hujusmodi. Ergo, &c. & cùm secundùm omnem rationem tyrannidis, probat ipsum fuisse tyrannum; videtur loqui universaliter de tyranno: quia intentio proponentis erat justificare illud factum cum certis circumstantiis. Et inde vocat Propositionem suam, Justificationem.

Unùm, quia factum erat reprehensibile; quia factum erat perpetratum in personam fratris Regis, & filii Regis, ratione cujus, factum aggravabatur: quia ratione illius debuisset habere aliquam præeminentiam.

Secundò, factum aggravabatur; quia erat consanguineus occidentis, modo crudele est, quem sævire in proprium sanguinem.

Tertiò, factum aggravabatur; quia sine autoritate Superioris fuit interfectus; modo capere autoritatem ex se ipso, erat reprehensibile, & damnabile; quia modo insidioso & proditorio perpetratum fuit.

Quintò, etiam reprehensibile & damnabile; quia juramenta & confœderationes præcesserant, modo omnia ista aggravant factum, secundùm quamcumque Legem, & apud quoscumque.

Ulteriùs, factum aggravabatur; ratione hujus, quod illata est mors improvisè & inopinatè, quòd reputatur maximè damnabile, quoad Christianos, quia talis mors infert mortem animæ. Verùm damnatur talis mors in Ecclesiâ, quia in Ecclesia dicitur: *A morte subitanea; Libera nos Domine*.

Etiam factum aggravatur; ratione loci ubi perpetratum fuit homicidium. Et sic ex istis reputatum factum gravabile & damnabile, & proponens videns factum, reputabatur damnabile, propter ista voluit excusare, & non solùm excusare, imò etiam contrarium horum approbare, excludendo aggravationes prædictas per falsas exquisitas Propositiones, ut scilicet quòd *Quantò quis est Regi propinquior, magis obligatur* &c.

Etiam quo ad autoritatem, videtur innuere quòd tenebatur ad hoc faciendum, sine autoritate: etiam quo ad adulationem & blanditias, & quo ad fractionem juramentorum, ex quibus factum erat aggravatum.

Videtur ipsum niti in Propositione sua, illa gravamina excludere; & sic clarè patet quòd factum malitiis involutum volebat justificare. Et dicit quòd perpetuò meruit, non solùm civiliter remunerationem, imò etiam apud Deum. Et dicit quòd proponens intendebat tres conclusiones.

Prima, quòd iste actus est meritoriè perpetratus, etiam merito vitæ æternæ.

Secunda conclusio, quòd istud prædicandum est per totum &c. & extra.

Tertia conclusio, quo ad hoc faciendum Rex est inducendus.

Quo ad primam conclusionem, dicit quòd est falsa, & erronea in Fide & moribus.

De secunda, dicit quòd est pejor, quia plura requiruntur ad hoc quòd aliqua Assertio sit publicanda, quàm asserenda, quòd publicandum debet esse clarum & lucidum.

Sed tertia est multùm retorquenda in proponentem, quòd Rex qui est caput Communitatis, inducatur ad aliquam conclusionem falsam, in præjudicium Regis & Communitatis.

Quantùm ad secundum punctum principale ad quod sunt vocati &c. insistit circa ea quæ deliberavit aliàs.

De modo procedendi se refert ad Dominos Judices.

Et fuit assignata dies crastina, videlicet dies Jovis, in Festo Sancti Pauli.

Qua quidem die adveniente, nihil fuit factum in Deputatis, propter Processiones generales Universitatis Parisiensis, factas ad Sanctam Catharinam.

Coram Reverendo Patre Domino Episcopo Parisiensi, in ejus camera, præsente Domino Officiali, & absente Domino Inquisitore, die sequenti, A vigesima sexta dicti Mensis Januarii, fuerunt congregati Domini Deputati, videlicet Magistri

Ursinus Taillenande.
Joannes Dacheri.
Joannes Mathiæ.
Joannes de Dulcimenillo.
Jourdanus Morini.
Petrus de Nogento, Regens Bernardistarum.
Gerardus Macheti.
Joannes Brout.
Joannes Michaelis, Regens Prædicatorum.
Radulphus de Porta; ad ulteriùs deliberandum. Et deliberavit primò.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Mathiæ, deliberavit in scriptis, modo & forma sequentibus.

Protestor primò, cum aliis Dominis & Magistris B meis.

Item, suppono primò, quòd cum compilatore hujus quaterni, quia absens nuncius, &c.

Secundò, quòd si vicem solius defensoris assumpsisset &c.

Tertiò, quòd vicem invasoris assumpsit; imò occisoris, civili occasione. *

Quartò, quòd crudeliter egit cum Magistro suo.

Quintò, loqui oportet minus mitè, eo quòd nedùm licentiam, sed etiam Præceptum videtur dedisse ad homicidia facienda.

Ultimò, quòd nuncius † videtur agere cum ipso, qui dicta sua reprobant, quàm qui volunt sustinere; sicut de Arianis, quo ad illationem primæ Assertionis forma ‡ bonum antecedens ex dictis illius quaterni, & inferant Assertionem nobis transmissam: & sic videtur, &c. C

Prima Veritas constituet substantiam antecedentis: *Tout subjet & vassal, qui par convoitise*, &c. *Quilibet subditus, vel vassallus, qui cupiditate, fraude, sortilegiis, & malo ingenio, machinatur in salutem corporalem sui Regis, & supremi Domini, ad finem substrahendi sibi suum nobilissimum Dominium, peccat contra læsam Majestatem in primo gradu; & per consequens, dignus duplici morte, prima & secunda, debet, & potest laudabiliter occidi à quolibet subdito, vel vassallo, per quemcumque modum, etiam per insidias & adulationes, non obstante juramento & confœderatione cum ipso facta, sine expectando Sententiam, vel Mandatum Judicis cujuscumque*. Ergo quilibet tyrannus debet & potest laudabiliter &c. Consequentia tenet; ego probo quia multiplicitas &c. Ergo consequentia bona. Antecedens probo, quia omnibus indistinctè præceptum est, *Non occides*, Glosa: *Autoritate propria*, seu spontè. Constat autem quòd non plùs uni hominum quàm alteri prohibetur, nec D plùs de minùs criminoso, quàm magis &c.

Item, quicumque malus & criminosus est aliquis; tamen quisquis ipse, est pars Reipublicæ: & ideò facit injuriam Reipublicæ quicumque ipsum occidit absque ipsius, vel ejus qui curam gerit autoritate. Et ideò ille compilator allegat unam Legem civilem, contra suam tertiam Veritatem: & est benè ad propositum; *Regis proprium est furta cohibere* &c. Nunc verò ad illationem, seu elicionem hujus

* *Fortè* occisione. † *Fortè* mitiùs. ‡ *locus corruptus*.

ante-

antecedentis ex isto quaterno & primò, de hoc quod dicit, *debet*, ad quod benè sequitur quòd potest. Istud enim patet expressè ex ultima particula tertii Articuli, ubi non solùm de tyranno sic limitato; sed etiam de omni tyranno concedit quòd debet occidi, & quantò mors est turpior, tantò est magis propria: unum dicit, *c'est droit*, *raison & equité*, &c. Et idem dicit in sententia, juxta finem quartæ Veritatis, ubi dicit sic: *Et est à noter que c'est la plus propre mort de quoy tyran doit mourir*, &c. Sequitur: *& potest laudabiliter occidi à quolibet subdito, vel vassallo.* Hoc totum patet clarè ex tertia Veritate, quâ dicitur: *Il est licite à un chacun subjet sans Mandement quelconque, ou Commandement, selon les Loix & Droits, naturel, moral & divin, d'occire, ou faire occire icelui mauvais, traistre & desloyal tyran; non pas seulement licite, mais honnorable & meritoire*, Si honorabile, ergo laudabile.

Item, quòd sit laudabile, apparet per autoritatem quam imponit Aristoteli, in Politicis: *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum impunè; & non solùm licitum, imò laudabile.* Sequitur: *per quemcumque modum*, ut ante allegatum. Modus per se positus stat pro positivo, & non pro defectu, seu peccato; etiam intelligitur prout determinat *li* occidi, ut distribuatur pro omni genere occisionis. Et hoc sequitur ex dictis suis: quia quantò genus mortis est utilius, tantò debetur magis tali tyranno, ut jam allegatum.

Item, in principio secundæ Veritatis, dicit quòd *Quicumque talis tyrannus non potest nimis puniri.* Sequitur: *etiam per insidias & adulationes.* De insidiis & adulationibus, de bonitate intellectus, satis patet ex quarta Veritate in forma, ubi dicit: *Au cas dessus dit, il est licite*, &c. Sequitur: *par aguettes, cautelles, & espiemens, & si est licite de dissimuler & taire sa volonté d'ainsy faire.* De adulationibus, magis planè patet per autoritatem quam attribuit Salberiensi. *Amico adulari non licet*, &c. Sequitur: *Non obstante quocumque juramento & confœderatione*, &c. Hæc pars clarissimè sequitur ex quinta Veritate, & ex autoritate Bocacii, qui innuit quòd non est sibi servanda fides.

Unum ipse imponit alibi Doctoribus, scilicet in fine septimæ Veritatis, quòd dicant quòd inimico capitali est servanda fides, sed non tyranno. Posteà ponitur: *sine expectando Sententiam, vel Mandatum Judicis cujuscumque.* Hæc patet ex tertia Veritate in forma: *sans Mandement quelconque, ou Commandement.*

Et ad probandum hanc partem principaliter, quasi omnes Assertiones nobis transmissas, specialiter de Michaële, de Moyse, de Phinées, & etiam Joab; quantùm ad hoc, quòd autoritate propria occiderunt, introduxit, ut patet consideranti.

Item, patet ex verbis illius tertiæ Veritatis quia autoritate Judith, tunc subditus, vel vassallus, non deberet interficere; sed ille cujus Mandato hoc fieret, cujus omnem * dicit ista tertia Veritas.

Item, ad hoc est autoritas quam imponit Aristoteli, in Politicis: *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum impunè; & non solùm*, &c.

Item, hoc dat intelligi ex responsione quam fecit Legibus quas adduxit contra se; *Qui hominem occidit, capite punitur*, &c.

Dico ulterius quòd illud quod ipse addit in tertia Veritate, poterat benè addi huic Assertioni, & multùm benè adhuc cùm aggravavisset, maximè quo ad vulgus, quia addit: *secundùm Legem naturalem, moralem & divinam.*

Secunda Assertio est hæc: *Sanctus Michaël, sine Mandato, vel Precepto quocumque Dei, vel alterius: sed solùm motus amore naturali, occidit Luciferum morte perpetuâ, & ob hoc habuit divitias spirituales tantas quantas potuit recipere.*

Ista Assertio clarè videtur elici ex ratione ultima, ad tertiam Veritatem, additâ unâ particulâ primi tertii Articuli ubi ponitur istud complexum, *morte æterna*; & tamen dicit in illa ultima ratione, quòd *Michaël, amore naturali occidit Luciferum*, quod satis innuit quòd *morte æterna*; quia alia morte non poterat mori, de Lege communi.

A Tertia Assertio erat: *Phinées occidit Zambri, sine Mandato quocunque Dei, nec Zambri fuit idolatra.* Ista Assertio reperitur satis expressè in tertio exemplo secundi Articuli extrinseca secunda particula: *Sed & Zambri non fuit idolatra*: quæ nihil malitiæ addit super primam; imò diminuit, pro eò quod, dato opposito, scilicet quòd fuit idolatra, sequitur quòd habuit Mandatum, ex textu. Etiam ex collatione quaternorum apparuit fuisse vitium scriptoris.

Quarta Assertio. *Que Moyse sans Mandement quelconque, ou autorité occit l'Egyptien*; Ista Assertio continetur satis in decima ratione ad tertiam Veritatem, quam vocat primum exemplum sacræ Scripturæ.

Quinta Assertio. *Judith ne pecha point en flattant Olopherne, ne Jehu en mentant, qu'il vouloit honorer Baal*, licèt verba ista in forma, scilicet *en flattant &*
B *mentant* non experiantur ⸸ in quaterno suo, specialiter in exemplis istis; tamen intentio satis patet cuilibet advertenti, nam totum *quicumque* est in alia veritate. Jam præmiserat modico exemplo quod ponit in fine, scilicet: *Et est licite de dissimuler & taire sa volonté d'ainsi faire.* Nisi ergo allegaret ista exempla ad probandum quod istud sit licitum, ad nihil sibi deservirent. Dissimulatio autem utriusque istorum, sicut patet intuenti textum, fuit in mentiendo; sed specialiter dissimulatio ipsius Judith, fuit in adulando ipsi Olopherni. Dissimulatio autem ipsius Jehu, fuit in mentiendo simpliciter. Et sic, quantùm ad intentionem loquentis, optimè videntur extrahi ex probatione ipsius septimæ Veritatis.

Item; quantùm ad opinionem audientium, quia per ista exempla volebat non solùm excusare; imò justificare Magistrum suum, & quemcumque facientem, sicut isti fecerant; constat autem ex textu quòd & Judith adulata fuit Olopherni, & Jehu mentita
C est Sacerdotibus Baal, & ita ista exempla, ad intentionem ad quam ea adduxit, sunt multò deteriora quàm illa Assertio, si per se, & absolutè sumeretur.

Sexta Assertio. *Joab occit Abner, depuis la mort d'Absalon.* Quia illa Assertio clarè elicitur ex responsione quam facit ad unam tacitam quæstionem, quòd Joab peccavit, occidendo Absalon: quia propter hoc David præcepit Salomoni in fine dierum suorum regnatur * pro ipso, quòd ipsum Joab faceret occidi; respondet quòd *Joab, pro tempore quo occidit Absalon, erat bonus & fidelis.* Sed iste error non est magnæ malitiæ, nisi pro quantò vellet dicere, imò dicit hoc, quòd licuit Joab occidere Absalon, nedùm autoritate propria, imò etiam contra Præceptum & Mandatum Regis: quod non credo; imò
D juxta seriem textûs, fuit verus homicida & peccavit. Verum quod in hac narratione ponit unum forte stansum † in hoc quòd Joab sine adulatione locutus est veritatem Regi, & consequenter quòd dicit Regi David, paucis interpositis; *Si tu ne viens te soyer en la porte pour les mercier à joyeuse chere, comme ils entreront dans la ville, ils feront un autre Roy, & te osteront ton Royaume.* Textus non habet hoc, & est inductivum ad rebellionem.

Ultima Assertio. *Toutefois que aucun fait aucune chose qui est meilleure, jaçoit qu'il ait juré la non faire, ce n'est mie parjurement; mais est à parjurement* con-

* Locus corruptus.

⸸ Forsan exprimantur. * Fortè regnaturo. † Locus corruptus.

contraire, videtur benè sumpta, in forma, ex ratione tertiæ quam adducit ad probandum quintam Veritatem.

Quantùm ad dicta malè sonantia illius quaterni; nescirem benè numerare: tamen in proœmio suo ponit errorem radicalem de duodecim obligationibus, in quibus ascendit usque quartam subjectorum ad Principem, quam dicit esse tantam, quòd *subjecti tales tenentur etiam facto vindicare injurias Principis, nedùm factas, sed fieri machinatas, quàm citò venit ad notitiam suam circa hoc*: quia opinio etiam est nota.

In tertio exemplo sui Articuli de Phinées, dicit quòd *Populus qui stabat ante tabernaculum flebat, eo quod malefactores erant ita potentes, ita quòd Judices non audebant facere justitiam.*

Item, quòd *Dux Zambri erat ibi cum viginti quatuor sibi alligatis, qui postquam fuerat occisus, voluerunt pugnare, in vindictam mortis ejus, & Dei gratiâ fuerunt occisi.* Non videtur verum, quia tunc solùm de eadem Tribu fuissent tot occisi, nec ista fuit causa, ut videtur dicere, sed quia initati sunt Belphegor.

De Michaële multa dicit, & videantur primò, quòd Lucifer decepit alios milites Angelos, & traxit eos ad se. Secundò, de dialogo sancti Michaëlis ad Luciferum, ubi fingit quòd *Post inchoationem peccati Luciferi, & ante consummationem, fuit monitus à Michaële desistere.* Si ergo illam deformitatem ante consummationem viderit Michaël, quare non viderunt alii inferiores qui fuerunt mali? quam si vidissent nunquam cecidissent: unde non videtur fuisse mora temporis, saltem tanta, inter inchoationem & consummationem sui peccati. De hoc videatur, quia videtur fabula.

Item, innuit quòd *Michaël suis viribus naturalibus & suorum, ejecit Luciferum cum Angelis suis, de cœlo Empireo; quia habebat majorem partem Angelorum, ad evitandum autoritatem Superioris, ut conformaret Magistrum suum sancto Michaëli.* Quoad hoc, nescio si sit minor hæresis quàm Pelagii.

De Absalon & Joab, tetigi, nisi quo ad hoc quod dixit: quòd *Amicitia durante inter Joab & Absalon, Joab occidit Absalon*, quia dicit quòd *semper ante fuerant amici*, quod falsum est; quià fuit bellum notorium contra Absalon.

De Athalia, videatur an fuerit occisa per insidias, quamvis dixerit, *insidiæ*, vel conjuratio.

Tertia Veritas est multùm periculosa & erronea, & ultra ea quæ dixi priùs; quia addit: *secundùm Legem naturalem, moralem & divinam*: quia non solùm de præsumptis tyrannis extenderetur, sed de servitoribus consentientibus, &c, & sic est subversiva totius politiæ.

Quarta Veritas est crudelissima, & instituit propinquiores Regi in lictores & vindices criminis læsæ Majestatis, non quidem per modum Judicum.

Sexta Veritas est palam inductiva ad perjuria, & fractiones juramentorum.

Septima Veritas est erronea, Reipublicæ subversiva, & lata via ad proditiones & perjuria, saltem cum probationibus. Alia etiam essent videnda.

Ista, Reverende in Christo Pater, & vos Reverende Magister & Domine, Domine Inquisitor, submitto Judiciis & correctionibus vestris.

De modo procedendi, se refert ad Dominos Judices, & alios Magistros.

Tradita die Veneris, vigesima sexta Januarii.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Vrsinus Taillenande, dicit primò, quòd libenter supersederet, quia non potest dicere de facili quòd omnibus placeret. Ad hoc allegavit Homel, &c. & dicit quòd non dubitat, propter illa quæ dixerat in Concilio, quæ tamen fuerunt relata in Curia Domini Aurelianensis: dicit quòd vocatus est super tribus, &c.

Quo ad primum, dicit quòd satis concordant illi codices.

Ad secundum, dicit quòd secunda & tertia non possunt habere veritatem, nisi cum adjectore multorum, maximè tertia, nisi intelligatur de tyranno notorio: & dicit quòd ibi debet præcedere monitio & correctio superna. Et sic videtur sibi quòd ille Dominus, cujus factum intendit Magister Joannes
A Parvi justificare, tenebatur, sub pœna peccati mortalis, monere interfectum; quia simul sæpè facere quæritabant: & sic opportet circumstantionare. Et sic: *Licitum est cuilibet vassallo, interficere illum qui notoriè machinatur in mortem Domini, ad finem illum, quo usurpet violenter & proditoriè Dominium Domini sui, ubi non est recursus ad Superiorem.* Quibus adhuc additis, non auderet asserere illam Propositionem: amotis adjectionibus, dicit quòd est erronea.

Quo ad Minorem, credit quòd crimina quæ imposuit Duci Aurelianensi erant falsa.

Ulteriùs, dicit quòd illa crimina non erant notoria. Ulteriùs, ipse erat corrigibilis, & erat præsumendum quòd erat correctus, quia à longo tempore, ut asseruit Magister Joannes Parvi, perpetraverat illa crimina: & credit quòd si fuisset notorium
B quòd ita machinatus fuisset &c. quòd non fuisset derelictus sine punitione per Superiorem. Et sic credit quòd ista Minor non est adoptata convenienter sub Majore; nec etiam observatæ sunt illæ conditiones, & sic est defectus in Propositione & in adoptatione aliquorum Articulorum & locorum.

Quo ad Assertiones in se, dicit quòd prima Propositio non potest benè elici ex illis quæ dicit Magister Joannes Parvi; & hoc, quo ad omnes suas partes: quia iste intendit de tyranno circumstantionato.

Ulteriùs dicit quòd, propriè loquendo, non debet dici quòd illæ Propositiones essent assertæ ab illo Magistro Joanne Parvi; quia videtur sibi, si quis probat aliquas conclusiones per aliquas Propositiones, arguendo quòd non debet dici quòd illas Propositiones asserat. Et si condemnentur, videtur sibi quòd non ponatur quòd sequantur ex Propositione Magistri Joannis Parvi; sed quòd condemnentur per se, & absolutè.

C Dicit ulteriùs, quòd ipse non vidit quòd poneretur in illa Propositione illud verbum, *mendacium*; loquitur tamen de adulatione, & allegat Salberiensis, ad probationem quòd *sine Mandato licitum est interficere*: & non videt quòd propriè possit ex illa Propositione trahi. Tamen dicit quòd benè probabiliter potest trahi.

De illa de Michaële, sibi videtur quòd satis continetur in illa Propositione. Et prima fronte, videtur sibi quòd illa Propositio possit satis sustineri; quia non intelligit per verbum illud: *Occidit eum morte perpetua*, nisi quòd eum expulit.

Quo ad illud quod ponit: *propria autoritate*, videtur sibi quòd ita erat dotatus Michaël in naturalibus, quòd videbat clarè quòd placebat Deo, si eum expulisset &c. dicit quòd aliquo modo potest sustineri: & si asserens viveret, posset dicere quòd benè intelligebat de peccato.

D Ultimò, dicit quòd est falsum & erroneum, nisi intelligat, de Lege ordinata.

De Phinées, dicit quòd non auderet eam condemnare; quia non apparet in textu quòd habuerit Mandatum: imò videtur innuere quòd fecerit sine Mandato expresso, licèt fortè fecerit inspiratione.

De illa de Moyse, credit quòd prima pars est vera. Illa Assertio ponit quòd longè post assumpsit autoritatem Judicis, & hoc videtur Exodi textus innuere; sed autoritas Stephani videtur innuere quòd Moyses erat inspiratus quòd habuisset autoritatem

Judicis priùs, & sic non auderet eam condemnare.

De illa de Judith, credit quòd textus dixit quòd *insidiosè fecit*; sed non ponit quod *de hoc fuit laudatus*. ꜛ

De illa de Abner & de Joab, dicit quòd Magister Joannes Parvi fuit ibidem incautè locutus; tamen textus dicit quòd *in fine vitæ suæ malè habuit se*.

De ultima Propositione, dicit quòd Magister Joannes Parvi adduxit illam Propositionem per modum probationis, & non indigebat aliquo modo illa Propositione. Et dicit quòd non potest convenienter dici, quòd homo in perjurando melius faciat, sive lege † *melius* recipiat nominaliter, sive adverbialiter.

A

Simpliciter dicit quo ad materiam, quòd Propositio Magistri Joannis Parvi multa indigesta continet, & multos errores, respiciendo ad conclusionem quam intendit; quia intendit, ut apparet ex textu Propositionis suæ, quòd licitum fuerat interficere Ducem Aurelianensem, per modum per quem interfectus est, & quòd fuerit benè interfectus: & ista ergo est falsa, erronea & condemnanda.

De modo procedendi, se refert ad Dominos Judices.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Nogento, præsuppositis protestationibus communiter fieri consuetis, dicit de Assertionibus aliàs in cedula transmissis, quòd si sint veræ, vel falsæ, satis benè discussum fuit in Concilio: & dicit quòd non videt quòd illa prima Propositio, quo ad primas suas partes, possit benè extrahi ex ista Propositione, specialiter de ista clausula *per modum omnem*, quia subjungit statim: *mesmement par aguettes & espiemens*. Unum ‡ peccatum non habet modum, saltem debitum, nec habet speciem, imò habet deformitatem, * speciem & pulchritudinem, quia logicè loquendo, habet speciem in privato quatenùs; & sic non videt propriè, quo ad illam clausulam, quòd illa Propositio cedulæ possit elici. Et dicit quòd allegabat Salberiensem, pro quanto faciebat ad propositum suum. Tamen, ut dicebant aliqui, ipse intendebat justificare mortem improvisam. Unde iste modus est pessimus pro interfecto, licèt, per Dei gratiam, formæ ipsius erant in bono statu: & sic dicit quòd si circunstantiæ suæ justificent Propositionem suam, non condemnentur condemnentur.

B

Quo ad causam de Michaële, dicit quòd satis continetur in illo codice, & de ipsa non facit neque missiam, neque receptam: & apparet sibi quòd in scolis possit probabiliter sustineri.

C

De illa de Phinées, quo ad primam, partem continetur: quo ad secundam autem, non continetur.

De illa de Moyse, dicit quòd non videt quin illa sit vera, quia nullum habuit Mandatum ad interficiendum Ægiptium, nec potest trahi ex codice.

De illa de Jehu, apparet sibi quòd non continetur in illa Propositione; & videtur sibi quòd in codice, in quantum potuit, voluit evitare adulationes, & mendacia; quia ponit: *par aguettes & espiemens*.

Verum non laudatur ipsa Judith in sacra Scriptura, quia adulata fuit; sed, laudata fuit quia interfecit Olophernem: & similiter Jehu non laudatur propter mendacia; sed laudatur de hoc quòd insidiosè interfecit eum, imò remuneratur usque ad tertiam generationem.

D

De illa de Abner, dicit quòd textus videtur innuere quòd Abner interfecit priùs Absalon. Verum, dicit quòd Abner erat bonus Miles: & per hoc videtur innuere quòd in interficiendo Absalon, ipse fuit bonus Miles. Sed ex illo non sequitur quòd ante interfecerit duos alios: & sic non videtur sibi mala.

ꜛ *Forsan* laudata. † *Forsan* largè ‡ *Forsan* Nam.
* Hic aliquid videtur desiderari.

Quo ad ultimam Propositionem, dicit quòd est in illo codice: utrum sit vera vel falsa non discutit; imò dicit quòd est discussum in Concilio: si sint aliqui errores, dicit quòd justum & rationabile est eos condemnare ..... non condemnentur.

Quo ad veritatem Assertionum; dicit quòd dato quòd essent veræ, non vellet eas asserere.

Quo ad quæstionem quâ quæritur: si in illa Propositione sint errores, se refert ad ea quæ Magistri dicent.

Assignata est dies Sabbathi sequentis.

Adveniente dictâ die Sabbathi, vigesima septima Mensis Januarii, coram Domino Parisiensi, & Domino Inquisitore, in camera Episcopali fuerunt congregati Domini Deputati, videlicet Domini & Magistri,

Joannes Courtecuisse.
Joannes Dacheri.
Joannes Mathiæ.
Joannes de Dulcimenillo.
Petrus de Nogento.
Gerardus Macheti.
Joannes Brout.
Joannes Michaëlis.
Benedictus Gentiam,

ad deliberandum &c. & deliberavit primò.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Benedictus Gentiam, dicit quòd in ista materia se habet determinare ad tria puncta tacta in cedula transmissa.

Quantùm ad primum, dicit quòd prima Propositio cedulæ, est realiter contenta, quantùm ad sensum, in Propositione Magistri Joannis Parvi, in duabus veritatibus, demptis, *par quelconque maniere, & par flatteries*, quia illud non continetur in forma. Tamen dicit quòd pejus continetur; quia capit tyrannum cum circumstantiis, quod per hoc quod dicit, *non potest nimis puniri*, potest extrahi, *per quemcumque modum*, & etiam pejus illo. De adulatione ponit autoritatem Salberiensis in Latino, & etiam in Gallico: & apparet quòd illa Propositio recollecta à Propositione Magistri Joannis Parvi, est recollecta per modum Majoris, in ordine ad conclusionem intentam. Et apparet sibi quòd est recollecta magis autoritate, quàm fieri potuit, in ordine ad proponentem, & illos quos tangere potest illa Propositio: & sic stat cum Instrumento.

Quo ad alias, de exemplis, videtur sibi quòd in quantum sunt adductæ ad colorandum unum factum damnabile & execrabile, ut videtur, secundùm suam conscientiam, quòd sunt denominando multùm malè*.

Ulteriùs, dicit quòd cùm deliberavit illam Propositionem, ut contentam in Propositione Magistri Joannis Parvi, videtur sibi pejor quàm aliàs per eum denominata.

Circa secundum punctum, dicit quòd fecit diligentem examinationem, & habuit extractum ab Instrumento, in quo extracto fecit quædam signa; & eadem in Propositione quam habuerat fecit, & reperit concordantiam: unde illæ Propositiones videntur sibi &c. ut in aliquo sexterno &c. sibi multùm malæ & erroneæ in moribus.

Unde, una Propositio potest dici moralis dupliciter. Uno modo, quia est cum Decreto divino: alio modo, quia stat in Lege morali. Et sic dupliciter etiam dici potest erronea in moribus, ubi est Decretum divinum, propositum est hæresis.

Ponit ultrà quòd aliqua sunt Fidei, licèt non sint Ar-

* *Forsan* malæ.

Articuli; sunt tamen regulativa bonæ vitæ: & contradicere istis, non est error solùm in moribus, imò etiam error in Fide.

Dicit ulteriùs quòd istud Præceptum *Non occides*, est Præceptum morale, & etiam est in eo Decretum divinum oppositum.

Dicit ergo quo ad contenta in Instrumento, quòd habent unam malam notam; quia qualiacumque sint in se, sunt ad deserviendum uni malo actui: circa quod dicit quòd quilibet Theologus tenetur detestari omnem, & asserere illud quod asserit, est A malè asserere. Unde credit quod plùs placuisset Deo & hominibus pœnitentia Ducis Aurelianensis; esto quòd fuisset talis ut sibi imponit Propositio, quàm illa effusio sanguinis. Et sic videtur sibi quod contenta in Instrumento sunt erronea in Fide & moribus. Sed quòd sunt alii errores in illa Propositione, patet: in Propositione enim ponit quòd adhibenda sit plenaria fides alicui, si dicat: iste est talis, ergo debet occidi; quod est malum.

Unum aliud malum est, quòd fervor hominis quem habet ad Regem, obligat, & debet obligare ad perpetrandum illud homicidium.

Item, allegare Leges particulares ad hoc, videtur sibi deceptorium.

Item, dicere quòd Leges sunt interpretandæ ad finem iniquum; est impium.

Item, sine quacumque notorietate, sine quacumque justificatione, iste actus est perpetratus: & B sic videtur sibi quòd ille actus est damnandus.

Item, qualificare crimina, ut ipse facit, videtur sibi seditiosum quo ad populum. Unum exemplum est de Christo, qui dicit: *Nunquam Lex vestra justificat hominem, nisi audiverit ab eo priùs & cognoverit.* Joan. VII. 51.

Item, in illa Propositione dicitur unum quod facit contra factum rectè, ubi distinguit gradus læsæ Majestatis; & dicit quòd hæresis est maximum crimen: circa quod dicit quòd de crimine hæresis quod maximum crimen, ut crimen læsæ Majestatis, non agitur, nisi convicto & vocato.

Item, Dux Burgundiæ dixit quòd diabolus sibi fecerat facere: & sic apparet quòd iste erat in statu pœnitentis. Et quòd unus Clericus veniat post, ad justificandum tale factum, videtur sibi quòd est pessimum & periculosum.

Item, dicit quòd Magister Joannes Parvi, de Dulcimenillo, sanctè & benè dixit. Et sic stat C cum ipso, & cum istis quæ priùs dixit.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Brevis-coxæ, dixit quòd intelligebat fuisse vocatos Magistros, non ad discutiendum circa veritatem &c. sed solùm ad referendum an Propositiones cedulæ contineantur in Propositione Magistri Joannis Parvi: & sic consulit quòd Magistri præsentes, seu alii extraherent Propositiones. Quibus extractis vocaretur Concilium ad videndum illas.

Quoad collationem quaternorum; dicit quòd codices sunt conformes. Et dicit quòd multa falsa & erronea continentur in illa Propositione Magistri Joannis Parvi, non benè sonantia in auribus popularium: dicit etiam quod illæ clausulæ continentur in illa Propositione. Dicit insuper unum non positum in cedulis, quod est in Propositione Magistri D Joannis Parvi, scilicet in sortilegiis, quod videtur sibi superstitiosum, & sic alia mala non contenta in cedula, continentur in illa propositione.

Ulteriùs, dicit quòd idem est, ad falsitatem unius Propositionis, reprobare unum punctum contentum in ea, sicut & reprobare vinginti quatuor; & sic quòd bonum esset restringere ad pauciorem numerum, dum condemnentur: non tamen vult dicere, si sint plures errores, quin condemnentur.

De Michaële, dicit quòd videtur sibi falsa & erronea. Similiter dicit de illa de Abner. Similiter de tertia & septima, veritates sunt falsæ; in quibus duabus fundatur tota sua Propositio. Etiam accipiendo tyrannum, modo quo ipse accipit, illa Propositio universalis & generalis est falsa.

De illa superstitione, credit quòd non habuit in effectum in Regem, & credit illud esse falsum.

Dicit finaliter quòd prima Assertio cedulæ est erronea in Fide, & contra Præceptum *Non occides*. Et secunda & tertia videntur sibi omnino falsæ.

De epikeia, dicit quòd homo privatus non habet autoritatem epikeiandi: tamen in animo suo non potest epikeiare de periculis suis.

Dicit etiam quòd prima Propositio est universalis, & illo modo est falsa, nec aliàs faceret ad propositum suum, nisi esset universalis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Roccerii, præsuppositis protestationibus quas aliàs dixit & fecit, scilicet quòd non intendit notare aliquam personam, nec aliquem Dominum.

Et sic dicit quòd istam Propositionem ad longum visitavit & revisitavit; & vidit alia puncta illius Propositionis, quæ non videbantur sibi sana. Postmodùm extraxit quasdam clausulas; & vidit, & revidit pluries, & postmodùm alias voluit combinare, ad videndum si illæ extractæ continerentur integrè in Propositionibus Parvi.

Dicit insuper quòd vidit cedulam Magistri Francisci, quam secum alia die portavit; & fecit collationem cum eadem quæ ipsemet extraxerat, & reperit quòd omnia quæ extraxerat, & quæ erant in cedula Magistri, erant conformia; & sic, ne esset prolixus, ostendendo quomodò talis Propositio in tali puncto parum continetur, posuit illa summatim in quadam cedula.

Dicit etiam quo ad collationem quaternorum, quòd sunt satis conformes isti codices, & hoc reperit pluries.

Quo ad quæsitum, utrum illæ Assertiones cedulæ aliàs transmissæ, contineantur in illo quaterno; dicit breviter quòd prima Assertio continetur &c. & hoc legit per scripta.

Dicit insuper quòd credit quòd sunt plures alii errores non contenti in cedula, contenti in Propositione Magistri Joannis Parvi: quo ad hoc, se refert ad ea quæ Magister Franciscus dixit: dicit tamen quòd in hoc quod dicit, quòd ad Theologos pertinet proponere talia crimina, in ordine ad conclusionem principaliter intentam, scilicet tendendo ad conclusionem sanguinis, quæ comprehendit unum scelus impium crudelissimè perpetratum, scilicet subitaneè, videtur sibi quòd istud est erroneum.

Item, videtur sibi quòd illa conclusio quam ipse concludit de illo facto, quòd perpetrans sit laudandus, & præconisandus per Epistolas, & remunerandus; videtur sibi quòd istud est erroneum.

Et sic breviter, considerata Propositione in se, & in omnibus suis intentis & partibus principalibus: primò, quo ad Majorem, est erronea & falsa; quo ad Minorem, est criminosa & falsa; quo ad conclusionem, est falsa. Et sic videtur sibi quòd tota Propositio in se, & in habitudine partium suarum, & in habitudine ad conclusionem intentam, est erronea in Fide & moribus, & scandalosa, & totius politiæ subversiva: & doctrina ista est maximè læsiva: & jam processum est ad multa mala. De autoritate Legis, ubi dicit, quòd *Sufficeret autoritas Legis, sine Mandato*: videtur sibi quòd istud est destructivum totius politiæ.

Quo ad extractas, habeant Magistri collationem, quæ ipsarum sit condemnanda.

Dicit insuper quòd attenta malitia materiæ, expedit procedere ad condemnationem istarum Assertionum: & de hoc se refert ad Judices.

Ad

Ad diem Lunæ, ut priùs, ad deliberandum.

Adveniente autem dicta die Lunæ, vigesima nona Mensis Januarii, coram Domino Parisiensi Episcopo, & Domino Inquisitore, in camera dicti Domini Parisiensis, congregrati fuerunt Domini Deputati, Magistri,

Joannes de Dulcimenillo.
Joannes Dacheri.
Joannes Brout, Regens Carmelitarum,
Et Regens Prædicatorum.
Et Gerardus Macheti,
ad deliberandum: & deliberavit primò.

Venerabilis & discretus vir, Magister Gerardus Macheti dedit deliberationem suam in scriptis, cujus tenor est talis.

Proponitur informa primæ Assertionis, & deducitur quòd in se, & suis partibus, in Propositione Magistri Joannis Parvi continetur.

Chacun tyran doit, & peut estre loüablement, & par quelconque son vassal, ou subjet, par merite occis, & par quelconque maniere, mement par aguettes, & par flateries, ou adulations, non obstant quelconque jurement, où confederation faite envers lui, sans attendre la Sentence de Juge quelconque, ni aucun Mandement.

Probatur primò quòd Proposito Petit, loquatur de quolibet tyranno universaliter. Primò, patet per descriptionem tyranni ab eo allegatam: *Tyrannus est qui Reipublica, non jure principatur, aut principari conatur.* Et ita, cùm loquatur sæpè generaliter, dicens *Quilibet tyrannus debet occidi*, sequitur quòd debet accipi secundùm istam descriptionem.

Item, per distinctionem quam fecit de sex gradibus læsæ Majestatis: quia de quolibet vult intentum probare, & pro eodem tyrannisare, & lædere Regiam Majestatem.

Item, per illam clausulam tertii Articuli in fine: *C'est droit, raison & equité, que chacun tyran soit occis vilainement, par aguettes & epiemens, & est la propre mort de quoy doivent mourir tyrans desloyaux.* Nec valet si dicatur quòd licèt demereatur sic mori passivè; tamen non debet sic activè perimi, quia Propositio tota tendit ad probationem hujus rei. Nam hæc clausula posita est priùs quàm contracta loqueretur de tyranno in quarto Articulo, in octo Propositioniqus quas appellat Veritates.

Item, omnes allegationes suæ & rationes, & autoritates & responsiones inductæ, circa tertiam Propositionem quam appellat Veritatem, & quæ contractæ,* loquitur de una tyrannidis specie: loquitur generaliter de quolibet tyranno, vel tyrannisante, sive contra Rempublicam, sive contra caput Reipublicæ, sicut patet inspicienti: imò loquitur ad hoc generaliùs, ut patet de Phinées & Moyse, & de nocturno fure: & sic non erant tyranni, modo suo.

Item, tyrannisans Rempublicam, pejus facit quàm machinans contra Regem, vel Principem. Ergo si secundus debet interfici, sine Judicio, secundùm eum; ita & primus, juxta consequentias quas facit de desertore militiæ &c. fure nocturno, insidiatore itinerum.

Item, quia dicit circa finem probationis tertiæ Veritatis, Articulo quarto, quòd ab ista regula *Non occides*, vel à similibus contentis in Legibus, excipitur tyrannus, & specialiter ille de quo loquitur sua tertia Propositio; ecce quòd ponit generalem & particularem exceptionem.

Item, quia illud pro se allegat ab Aristotele, dicit quòd *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum impunè, nec solùm licitum, imò etiam laudabile*, quamvis Magister N. Oresme qui benè † Aristotelem *in Politicis*, nihil tale imponit Aristoteli; imò oppositum, sicut patet in principio quinti *Politicorum.* Unde etsi Aristoteles sicut & quidam alii Philosophi, ut Tullius & P. de Alumna, hoc fortè sensissent; hoc tamen non consonat & Ecclesiasticæ, & Apostolicæ personæ, seu disciplinæ, A juxta deductionem sancti Thomæ in suo Libro, *de Regimine Principum*: & ita patet quòd sanctus Thomas non posuit tertiam Propositionem Petit, sicut alibi clarissimè deductum est.

Secundò, principaliter probatur quòd Propositio Petit loquatur de debito occidendi tyrannum, id est quòd debet occidi; & non solùm quòd hoc licitum sit, imò laudabile: primò, per clausulam allegatam in fine tertii Articuli, *C'est droit, raison & equité* &c. Ut supra.

Item, quia dicit quòd amici Regis, vel Principis, vel Reipublicæ, debent observare * omnibus modis incommodis Regis. Hoc patet in duabus clausulis extractis circa tertiam Propositionem quarti Articuli: sed occisio tyranni est modus licitus secundùm eum; igitur est debitus eis.

Item, quia sæpè dicit quòd Dominus pro quo B loquebatur, fecerat id quod fecerat, ad acquitandum se erga Regem, ut faceret debitum suum: unde & circa hoc videtur justificans, gravem invidiam, seu culpam dare, saltem indirectè aliis Dominis; imò omnibus subditis Regis, qui non interfecerunt citiùs illum Dominum, vel qui interfectionem non approbaverunt: imò Sacerdotes, interficere debuissent.

Item, quia si occidens non reputasset se obligatum interficere, ipse debuisset tenere confœderationes factas, ex quo poterant licitè conservari, sine transgressione divini Mandati: hæc ratio ad hominem, palam est convincens.

Item, Lex divina dat autoritatem cuilibet occidendi tyrannum, secundùm eum, in principali Propositione, & alibi pluries: hoc enim est principale fundamentum, licèt falsissimum & hæreticum, & occidens est minister Legis, sicut loqui- C tur de Moyse. Constat autem quòd Lex Dei dicitur Mandatum ejus; Ut ibi: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.* Matth. XIX. 17. Et ibi: *Viam Mandatorum tuorum cucurri.* Ps. CXVIII. 32. Et ibi: *Mandatum novum de vobis.* Joan. XIII. 34. &c. Et ibi: *In his duobus Mandatis, tota Lex pendet & Propheta*; Matth. XXII. 40. scilicet in dilectione Dei & proximi. Sequitur ergo quòd occisio tyranni reducitur ad hæc duo Mandata, vel alterum eorum.

Et ex isto concluditur quòd Propositio Petit sæpe implicat, nisi glossetur, dùm dicit pluries quòd *Tyrannus debet occidi, & potest, sine quocunque Mandato, vel Precepto.* Et tamen dicit etiam in contextu quòd *Lex divina, naturalis & humana, dat autoritatem*, quòd *occidens est minister Legis.* Benè, D si sic est, sequitur quòd talis occidens est etiam minister Legislatoris, & habet Mandatum ab eo, sicut monens charitativè fratrem sine novo Mandato vocaliter per hominem, habet autoritatem, & Mandatum à Lege quòd hoc faciat; & si non facit, peccat frequenter. Ita in proposito.

Item, Propositio dicit quòd *per alium potest quis mandare ut tyrannus interficiatur.* Habet ergo talis interficiens Mandatum, & ita debet exequi: sed non minùs habet ille qui mandat obligationem id agendi, quàm executor. Ergo &c. Et in hoc Propositio Petit plùs ponit, quàm Assertio prima, quia dicit quòd *per alterum* &c.

 Item,

* *Forsan* contractè, *sine commate.*

† *Desideratur aliquod verbum.* * *Fortè* obviare.

Item, in hoc quod dicit, quòd secundùm Leges divinam, naturalem & humanam; quia est implicatio, ut ostensum, nisi glossetur.

Tertiò, probatur principaliter quòd Propositio Petit contineat saltem implicitè & deductivè illam clausulam: *de chacun son vassal, ou subjet.*

Primò, quia hoc ponit expressè dictum Aristotelis ab eodem allegatum: *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum* &c. Et hîc patet quòd hæc est propria locutio.

Item, quia si tyrannus ille qui machinatur in mortem Regis, potest occidi à quocunque subdito Regis, sicut ponit ita sit * quod subditos qui sint etiam subditi Regis, quemadmodùm erat in proposito suo; sequitur clarè quòd ille tyrannus poterat occidi à suo subdito; imò debebat. A

Item, *Quilibet subditus Regis potest, nedùm per se, sed per alios facere occidi dictum tyrannum*, sicut ponit: igitur potest facere per subditos illius tyranni, nec obstat subjectio, vel fidelitas ad illum tyrannum, cùm non est ei fides servanda, ut supponit pro claro.

Item, quia ratio cui Lex divina dat autoritatem occidendi subdito vero, vel prætenso, seu existimato & reputato, sicut patet intuenti.

Quartò, probatur principaliter quòd illa clausula, *par quelconque maniere, mesmement par aguettes & espiemens* &c. continetur. Primò, quia non reputat aliquod genus mortis esse illicitum contra talem tyrannum, quia dicit quòd debet occidi viliter; *vilainement*, generaliter: & addit quòd *hæc est propria mors tyrannorum, quòd interficiantur per insidias, & ita maximè*, vel *mesmement, debent sic interfici, tanquam propria morte*, & ita ponit sufficienter quòd *par quelconque maniere de mort soudaine, ou depourveuë* contra rationem hujus Decretalis: *Pro humani.* B

Item, si quis vellet contendere quòd illa clausula: *par quelconque maniere*, debet intelligi quòd per quæcunque media debeat tyrannus interfici, etiam illicita.

Respondetur primò, quòd hoc non importat hoc nomen *maniere*, vel modus; sed, sicut dictum est, debet accipi de modo, vel genere mortis, & non de mediis omnibus.

Item, si Propositio Petit vult justificare omnia media, sicut vult, per quæ fuit occisio facta; inveniemus quòd nullum medium reputasset illicitum, sicut in Concilio allegatum est, per † adulterium potest occidi tyrannus, juxta opinionem multorum. C

Item, notetur hîc de justificantibus actionem popularem, in ultima captione Dominorum: unde nullum videtur pejus medium, quàm fictio falsarum confœderationum, & earum ruptio; cùm *finis omnis controversiæ* sit *juramentum*, secundùm Apostolum *Heb.* VI. 16.

Quintò, principaliter probatur quòd loquitur *de flateries, ou adulations.* Primò, quia sic allegat dictum Salberiensis, sumptum à Tullio: *Illi licet adulari, quem licet occidere.* Nec valet hîc, nec alibi, si dicatur quòd non asserit illa quæ allegat esse vera &c. quoniam tunc falsè & sophisticè argueret, & esset tota sua Propositio infirma & nulla: nam allegatio sumitur pro præmissa, quæ debet esse notior quàm conclusio. D

Item, Propositio ponit expressè; *Qu'il est licite adoucir les oreilles du tyran, & user de blandices* &c. Constat autem, secundùm Grammaticos & Catholicos, quòd blandiri & adulari, idem sunt, præsertim quando blanditiæ fiunt ad finem occisionis, hîc est simulatio cum intentione fallendi.

Item, Propositio intendebat justificare blanditias & adulationes multas factas &c.

* *Locus corruptus; forsan sic legendum:* sicut ponit, ita sit quoad subditos qui. † *Fortè* propter.

Sextò, probatur quòd hæc clausula: *Non obstant confederations, ou sermens quelconques* &c. illic ponatur.

Primò, quia Propositio supponit pro determinato, in quadam objectione quam fecit contra se in quarto Articulo, secundùm Doctores: *Licet hosti capitali sit aliquando servanda fides, non tamen tyranno.* Et illic loquitur indistinctè & indefinitè de tyranno, non specificando hunc, vel illum. Unde si semper esset intelligendum de tyranno accepto contractè, licèt loquitur prima Veritas sua; tunc esset semper petitio principii, nec esset aliqua probationis apparentia in entymemate, vel syllogismo.

Item, hoc probat per rationem suam & intententionem. Nam omne tale juramentum & confœderatio vergeret in deteriorem exitum, secundùm eum, in Propositione: ergo non est tenendum.

Item, quia dicit quòd *occidere tyrannum, melius est quàm tenere juramentum, vel fidem ad eum*: & ex hoc concludit in tertia ratione quintæ Veritatis quarti Articuli quòd *interficiens non facit perjurium, sed perjurio contrarium.* Quare sequitur quòd non est in aliquo tenendum juramentum cum tyranno.

Septimò, probatur quòd hæc clausula: *sans attendre la Sentence, ou Commandement de Juge quelconque.* Illic ponitur minus generaliter, & rigorosè in scedula quòd † continetur in Propositione.

Primò, sæpe sic loquitur: *Sans Commandement*, ou *Mandement quelconque* non addendo de Judice.

Item, in Propositione de Michaële, dicit quòd *Sans Mandement, où Commandement quelconque de Dieu, ne d'autre, occit*, &c. Et per hoc vult arguere quòd ita potest occidi tyrannus, sine quocumque Mandato Dei, vel alterius; sed tantummodò amore, & zelo Legislatoris: & hîc est implicatio manifesta, sicut priùs deductum est, nisi glossetur. Unde quæritur de illo amore naturali, quo solo motus fuit Michaël interficere Luciferum, & hoc licitè: si ille amor era sibi Lex naturalis, dans sufficientem autoritatem occidendi tyrannum Luciferum. Et sic, cùm illa Lex esset à Deo Legislatore, sequitur quòd habuerit autoritatem à Deo, si non sequitur quòd autoritate propria eum occidit, quod erat iniquum, imo impossibile, sine Deo approbante, & autorisante, cùm omnis potestas sit à Deo, &c. Unde si admitteretur illa expositio distorta, quòd occisio, seu mors Luciferi, fuit expulsio ejus à Paradiso; quamvis non appareat clarè ex narratione Propositionis Petit, quòd hunc sensum intelligat, imò alium; nam non loquitur in toto contextu, nisi de morte prima & secunda: nihilominùs, hoc admisso, clarum est quòd Michaël, imò tota Legio Angelorum, non habebat potestatem expellendi Luciferum à Paradiso, tanquam damnatum, & aversum à facie Dei, nisi Deus hoc consideret *: imò nisi Deus principalissimè & directissimè hoc ageret, juxta Articulum Parisiensem. Dicere quòd sit causa remotissima, sic quòd non propinquissima; error. Velle ergo excusare hanc Assertionem de Lucifero, videtur quòd sit errare, & incurrere fautoriam hæreticæ pravitatis, salvâ omnium correctione, & reverentiâ debitâ. Imò hæc Assertio imponit pejus crimen Michaëli, quàm Doctores imponant Lucifero volenti assimilari Altissimo. Dimittatur deductio, causâ brevitatis.

Item, in Assertione de Phinées sic repetita pluries, quòd *Sine Mandato quocumque, vel cujuscumque habentis autoritatem*, &c. *occidit Zambri*: & sic vult concludere de tyranno occidendo. Constat autem quòd si Phinées occidit propria autoritate, peccavit: oportebat ergo quòd zelus Legis daret autoritatem, sicut volentes hoc glossare, glossant. Sed quæritur; si aliùs

† *Forsan* quàm * *Fortè* præciperet. vel consuleret.

si alius à Phinées, de populo, poterat de tali zelo, occidere Zambri, sine peccato : & si ita poterat; cur modò non potest sic quilibet quemlibet fornicantem occidere, zelo Legis divinæ? Et ita patet quòd ita est doctrina & Assertio pessima, & totius politiæ subversiva.

Rursùs, si Zambri erat idolatra, sicut correctiores habent, licèt in exemplari exhibito Facultati Theologiæ, ad examinandum, uno loco poneretur A oppositum, hoc est magis contra Petit, quàm pro eo; quoniam textus expressè ponit fuisse Mandatum à Deo, per Moysem, *Occidat unusquisque proximum suum qui initiatus fuit Belphegor*. Num. xxv. 5. Et quantùm ad illud quod aliqui calumniantur, de glossa Josephi, qui dicit: Zambri duxisse Chorbi uxorem; quam tamen scriptum nominat scortum; hoc nihil est, quoniam diversis respectibus illa Chorbi potest appellari uxor & scortum, cum non esset Matrimonium legitimum, sed prohibitum: & ita erat scortum & uxor.

Item, in Assertione de Moyse, clarè innuitur quòd Moyses sine autoritate hominis, deinde sine autoritate judiciaria data sibi tunc à Deo, occidit Ægiptium, de quo multùm laudatur, ut dicit. Et ita patet ex hoc, & ex conclusione intentio proponentis. Deinde cùm subdit quòd in hoc fuit Minister Legis: patet implicatio, sicut jam Argumentatum est, B nisi glossetur, glossa hæretica. Et hîc quæritur; si alius Israëlita à Moyse, poterat licitè, zelo Legis, interficere Ægiptium, vel non. Si non poterat; quæritur causa, cùm Moyses non habebat plùs Mandatum Dei, vel hominis, quàm alius, ut hîc dicitur. Si quilibet poterat occidere, patet horrendus error, quòd quilibet potest quemlibet maleficientem punire, sine Mandato quocumque, sicut patet inspicienti. Et notetur quòd Ægiptius interfectus, non erat propriè tyrannus, uno modo, vel alio; nisi valdè amplè, utendo verbo isto *tyranniser*, quemadmodùm Propositio utitur in hoc loco, & sicut solet dici de injuriante: iste tyrannisat illum.

Octavò, probatur iterum in speciali quòd Propositio Petit, loquitur de insidiis, non solùm licitis, quæ conceduntur fieri in bellis licitis, dùm celatur intentio adversariis, sine mendacio: sed etiam loquitur de illicitis, quæ scilicet includunt mendacium, vel fractionem Fidei, seu juramenti; quemadmodùm exponit sanctus Thomas, *Secunda secundæ*, C ubi quærit: *An licitum sit uti insidiis.*

Primò, probatur hoc ex intentione justificationis suæ : quia constat multa mendacia & juramenta intervenisse, antequam interficeretur Dominus Aurelianensis; & cùm intendebat omnia quæ facta sunt justificare, quia dicit Dominum quem justificat, *n'avoir en rien mespris*, imò concludit præmiari, honorari & ditari, sicut Michaël & Phinées: sequitur saltem ex Articulo, per opera, quæ plùs loquuntur, quàm verba, illud quod intendimus deducere.

Item, allegat quòd Judith & Jehu per insidias fecerant occisiones, & de hoc laudantur. Constat autem quòd insidiæ Judith & Jehu, continebant adulationem & mendacium. Cùm ergo loquatur indistinctè de insidiis, & generaliter videtur quòd approbare velit adulationem & mendacium. Et si D dicatur quòd non sequitur hoc evidenter ex dictis suis, habemus saltem quòd rationabiliter fuit exclusus falsus intellectus, quem legentes Propositionem potuissent habuisse, credendo quòd totum factum Judith & Jehu, per insidias qualescumque, fuisset collaudatum. Propterea fuit laudabiliter & rationabiliter posita, & reprobata Assertio illa quæ loquitur de istis, attento sicut diximus, quòd intentio loquentis ad hoc ibat.

Advertendum est tamen, circa istam Assertionem quæ loquitur de Joab, quòd illa fuit rationabiliter posita & reprobata, propter illos qui legentes Propositionem, potuissent credere pertinaciter, tanquam uni magno Theologo; sicut etiam multi Clerici loquuntur de Magistro Joanne Petit, quòd Joab interfecit Abner post mortem Absalonis. Et hoc esset erroneum & subversivum totius historicæ narrationis. Et mirum videtur quomodò Theologus inspiciens textum, potest hoc loco facere scrupulum, & dicere quòd aliquando ea quæ facta sunt posteriùs, narrantur priùs : quoniam si hoc aliquando sic contingat; non tamen oportet in qualibet narratione historica sic dicere, & totum relinquere sub merito, tali prætextu.

Nihilominùs omittantur tales minutæ & accessoriæ difficultates, nec ad eas, velut ad festucas, ostendantur per impugnationem pravitatis hæreticæ, sed extendentes ad interiora, feramur ad id quod principaliter intenditur, hæreses scilicet extirpare, & honorem Fidei, imò & Regiæ Majestatis, quam usurpare nemo debet in occidendo propria autoritate, alterum exaltare.

Sequuntur aliquæ Conditiones.

DIco primò, quòd intentio principalis Dominorum Judicum, est extirpare hæreses de Regno isto, vel ista Diœcesi. Habito ergo isto fine, cetera omnia, secundùm intentionem istius, moderanda sunt.

Secundò, dico quòd accessorium, & quodam modo adventicium, & minus principale est ad istum finem collatio Assertionum propositarum in Concilio Fidei, & ad Propositionem Magistri Joannis Petit; neque enim fecit se aliquis partem illas Assertiones deducere, vel extrahere ex illa Propositione : diceretur quòd ex aliis informationibus trahuntur, sive in conditionibus, sive in secretis collationibus; seu quia ex principiis Magistri Joannis Petit malè intellectis à simplicibus, & adductionem suam ampliantibus, ad istas Assertiones deducitur : quoniam illa Propositio tractatur à laïcis, & in ea quotidiè student: quare errare possunt principia Magistri Joannis Petit, assumendo ad occisionem omnium quos reputant tyrannos. Et hoc videmus oculis nostris in novissima persecutione Regii sanguinis, in qua credebant meritoriè agere & laudabiliter. Vel etiam dicetur quòd trahuntur istæ Assertiones ex factis & operibus: quæ quidem facta & opera loquuntur, & errorem ingerunt sicut & verba. Nam thura incendens, & immolans idola, comedens de immolatis, etiam si nihil loquatur, argueretur de hæresi: sunt enim secundùm Doctores actus aliqui hæreticales.

Audivimus etiam in Concilio isto recitari quòd *Pro occisione tyranni, licitum esset cum uxore sua adulterari.*

Jam in valvis Ecclesiæ Parisiensis cedulæ positæ sunt, & diù steterunt, quòd omnes qui per solam suspitionem, etiam falsam, essent reputati pro parte illorum Dominorum qui persequebantur, poterant licitè interfici; & tantò magis ipsi qui reputabantur tyranni, ex quo volebant, ut æstimabat populus, coram Rege rapere & usurpare.

Vidimus quòd in occasione istorum malorum, Sacerdotes interrogati de peccatis auditis in Confessione, quasi pro tanto bono reputarent revelationem Confessionis licitam.

Habetur & penès Curiam Propositio quæ debebat fieri, &c. & sic loquitur: *En plusieurs cas, comme actions populaires qui competent à un chacun, peut & doit estre executeur, & proceder à presence, & specia-*

cialement en crime de leze Majesté, & en autre cas qui touche la chose publique.

Dico tertiò, quòd Propositio Magistri Joannis Parvi, cum suis adminiculis, fuit occasio multorum errorum, malorum, & inconvenientium; & adhuc errores multiplicabit, nisi citiùs provideatur. Ideò quàm citiùs debemus laborare, ut radicitùs extirpentur ea quæ hîc erronea notabuntur, priùs quàm altiùs & tenaciùs infigantur in cordibus hominum.

A Dico quartò, quòd reprobatio Assertionum positarum in Concilio, tollit multos errores; licèt non omnes contentos in Propositione, & ergo favere debemus Fidei & exaltationi ipsius: quæ quidem Fides exaltatur per reprobationem illam ipsarum Assertionum. Nec multùm insistendum videtur circa Assertionum collationem cum Propositione Magistri Joannis Parvi. Nulli enim dubium est quòd reprobatio illarum Assertionum favet Fidei nostræ & bonis moribus, nec occasionem dare potest errandi, aut malè agendi. Sed à multis malis retrahit, & Propositio illa dat viam multis nefandis homicidiis atque perjuriis.

Dico ulteriùs, veniendo ad principale intentum totius nostræ commissionis, quòd Propositio Magistri Joannis Parvi in se, & in sua deductione, & in suis principiis, omnibus visis & attentis quæ in tali materia videri habent & attendi, ipsa est erronea, B scandalosa, impia, bonis moribus adversa, & etiam multipliciter injuriosa.

Dico ultra, quòd Assertiones positæ in Concilio, non continent omnia quæ in Propositione Magistri Joannis Parvi veniunt reprobanda, imò alia multa sunt malè sonantia, impia & erronea.

Dico ultra, quòd Assertio prima posita in Concilio, de qua est principalis difficultas, quàm * aliæ ei subserviunt, illa inquam sufficienter trahi potest ex dictis Magistri Joannis Parvi, & ex intentione quam prætendit in scriptis suis & in se, & in ordine ad conclusionem intentam.

Priusquàm ostendam illam conclusionem; respondebo ad dictum aliquorum, quòd probationes ad conclusiones non sunt reprobandæ, nec condemnandæ. Videatur in Articulis Parisiensibus condemnatis per Facultatem Theologiæ, specialiter in Articulis Fratris Ludovici, Ordinis Fratrum Minorum, C qui quidem revocavit in præsentia Universitatis, sub Cancellario Bonifacii, ubi probationes revocantur & condemnantur. Videatur etiam revocatio de Montesono: & idem etiam reperietur in renovatione Joannis de Merituria Abbatis Riegalisimont, in suo Articulo.

Item, ad illud quod dicitur, quòd omnia posita in quatuor primis Articulis, non asserantur; patet quòd imò; quia illi Articuli quatuor ponuntur ab ipso, pro Majore suæ deductionis, vel justificationis. Major autem in omni Syllogismo probativo plùs asseritur, tanquam magis nota, quàm conclusio. Legatur textus post thema suum, & in fine quarti Articuli.

Ampliùs, est respondendum in aliquibus rationibus nuper adductis.

D Dicebatur quòd Judith occidit Olophernem subitò & improvisè. Sic Moyses Ægiptium. Sic Phinées Zambri. Dicendum quòd ista exempla non sunt ad propositum casus illius de quo loquitur Magister Joannes Parvi. Certum enim est quòd Olophernes erat hostis publicus, invadens Civitatem Jerusalem, quam & diffidaverat; ideò debuit esse super custodiam suam.

Ægiptius etiam interfectus à Moyse, invadebat filios Israël de facto, & opprimebat eos notoriè, de facto, & manifestè.

De Zambri, patet quòd ille monitus fuerat, audiens Præceptum Moysis quod contempsit, ostendens se notoriè incorrigibilem, & contemptorem divini Præcepti. Et ita patet quòd non fuerunt improvisè occisi.

Jam illa facta singularia, quæ creduntur instinctu Spiritus sancti facta fuisse, non sunt pro regula accipienda, vel extendenda.

Rursùs, cum dicebatur quòd intentio Magistri Joannis Parvi, erat justificare occisionem tyranni sui, de quo loquitur in prima Veritate.

Respondeo, quòd verum est quòd illa est intentio sua principalis & finalis; multa tamen alia adduxit ad probationem istius intenti finalis, quæ fuit etiam de intentione sua: quia in omni deductione, Major est unum principaliter intentis, licèt ordinetur finaliter in conclusione. Sed ut nunc arguebatur Major sua, secundùm eum, non solùm includit illas octo Veritates quarti Articuli, in quibus contractè seu circumstantionatè loquitur de tyranno aliquo particulari; sed etiam includit omnes illos quatuor, ubi constat eum sæpè generaliter esse locutum.

Veniamus ad ea consequenter quæ præmisimus deducenda.

Secunda Assertio de Michaële ponitur in quaterno. Verum est quòd ponitur illud de morte æterna, quia expulit de Paradiso, quam expulsionem vocat mortem æternam; quia expositio videtur distorta probatio, quia non potuit Michaël damnare Luciferum, per istam expulsionem, quia damnatio dicit quòd Deus avertat faciem suam in æternum à damnato, quod non fuit à Michaële.

Secundò, hoc non fecit sine Dei Mandato.

Tertiò, non fecit solo amore naturali motus.

Tertia de Phinées, quo ad primam partem continetur. Secunda non habetur in codicibus correctioribus; tamen in codice Facultatis Theologiæ habetur: *Non mie qu'elle fit idolatrer.*

Quarta Assertio de Moyse continetur: secludit etiam in secunda parte copulativè omnem autoritatem judiciariam, & non solùm vel Præceptum, & ita sine autoritate hoc fecit.

Item, falsum est quòd non habuit autoritatem Judicis, ut patet per illud, Actuum VII. 10. *Quis te constituit Judicem?* Glossa: *Solus Deus*, &c. Hoc Augustinus super Exod.

Quinta Assertio de Judith, & Jehu; illæ non continentur formaliter: quia Jehu mentitus est. Judith etiam mentita est Olopherni, & adulata est eum. Et ideò licèt ista expresè non allegat Magister Joannes Parvi; ne tamen crederentur omnia quæ sunt in Historia Judith esse licita, & valere ad infestationem adulationum & mendaciorum: idcircò convenienter posita est ista Assertio quinta.

Sexta Assertio de Joab, continetur in quaterno sufficienter. Septima etiam in forma continetur.

Datum die Lunæ, duodecima Mensis Februarii. Anno supra dicto. Dictusque Magister Gerardus Macheti exhibuit Librum Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis, de Propositionibus & Articulis Parisiensibus per prædecessores dicti Domini Episcopi Parisiensis condemnatis.

Item, condemnationem Propositionum Magistri Joannis de Montesono, Ordinis Fratrum Prædicatorum, die, & Anno prædictis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Brout, dicit quoad collationem quaternorum, quòd non est notabilis differentia inter ipsos: sed an illæ Propositiones continentur. Sed prima, quo ad illam partem clausulæ: *Par quelconque maniere*; non continetur, ubi * sibi videtur. Similiter nec illa, de Moyse. Nec illa, de Jehu & Judith, ut videtur sibi, non continetur, nec sententialiter, nec virtualiter. Sed utrùm in quaterno Magistri Joannis Parvi contineantur aliqui errores, dicit quòd ibi continentur

* *Forsan* quàm.

* *Forsan* ut.

nentur multa quæ non asserit, nec asserere auderet.

Dicit ulteriùs, quod dicta Magistri Joannis Parvi deberent extrahi, & mitiori modo possibili interpretari, salvo honore Fidei, & ea condemnare, si sint erronea.

De modo procedendi, se refert ad Judices.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Cholet, dicit quòd modica videtur differentia inter quaternos. De erroribus contentis ibidem, dicit quòd faciendo collationem Propositionum contentarum in Instrumento, ad Propositionem Magistri Joannis Parvi, quòd illa benè erant extracta: & etiam non solùm illa in Propositione continentur; imò multa alia quæ cum contentis in Instrumento sibi videntur erronea & scandalosa. Unde dicit quòd non oportebat quòd ipse posuisset illam clausulam, *vel non principari conatur*, &c. quia nec beatus Gregorius illam ponit, nec etiam Salberiensis.

De prima Assertione dicit: dicit illa Propositio, *quanquam non in forma ibidem non contineantur*; tamen sine dubio quo ad omnes & singulas suas partes ibidem continetur, inspecta incerte* proponentis, & inspectis illis quæ allegat & adducit ad propositum suum: & dicit quòd nesciret aliquid addere ultra hoc quod quidam Magistri sui dixerunt, & specialiter Magister Joannes de Dulcimenillo, qui benè locutus fuit, etiam Magister Franciscus, Bernardistarum.

Dicit ulteriùs quòd dato quòd illæ Propositiones non essent erroneæ; tamen si essent offensivæ piarum aurium, illæ essent condemnandæ, non ut erroneæ, sed ut offensivæ, &c. sed etiam totus Libellus, quia modus hæreticorum est miscere multa bona & vera, ad colorandum Propositiones falsas.

De illis de Jehu, Michaële & Judith, dicit quòd continentur in illa Propositione Magistri Joannis Parvi.

Dicit ulteriùs quòd Propositio ejus, inspecta mente, & inspecto fine ad quem tendit in Propositione sua, nedùm est erronea; sed etiam scandalosa, & piarum aurium offensiva, & totius politiæ subversiva, tùm Ecclesiasticæ quàm secularis. In omnibus sententialiter se refert ad Dominum Joannem de Dulcimenillo, & ad Bernardistam.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Michaëlis, Jacobita, dicit quo ad primum punctum, quòd nulla est notabilis differentia inter codices; quoniam conveniunt in sententia. Quo ad secundum punctum, an illæ Assertiones contineantur; dicit quòd non dubitat de sex ultimis quæ sunt adductæ adminiculo primæ, quoniam continentur.

De illa de Joab, illam reputat multùm scandalosam, quia dat viam contra Mandatum Regis.

Dicit quo ad primam Assertionem, quòd non est una universalis, scilicet quòd *Omnis tyrannus potest licitè occidi per quemcumque suum vassallum & subditum.* Modo ista est sustinibilis; quia si haberet tyrannus Superiorem, inferior, ex Mandato illius Superioris, licitè posset interficere tyrannum. Si tamen poneretur; *per adulationem & per insidias*, mala esset, falsa & erronea.

De Minore & Conclusione Propositionis non curat; quia aliàs remittit Regi & Principibus.

De illis de Moyse, & Michaële: dicit quòd illa fecerunt per inspirationem; & sic habuerunt Mandatum, ex zelo laudatur, &c.

De Jehu, dicitur quòd non erat excusandus.

De prima Propositione, dicit quòd potest extrahi quæ est impia, crudelis, falsa & erronea. Unde illa clausula: *sine autoritate*, trahitur ex illa de Michaële.

* *Fortè* mente.

A

B

C

D

Dicit finaliter quòd illa extracta legantur in Concilio, præsentibus omnibus: & dicit ulteriùs quòd major est falsa, & nequissima.

Assignata est dies Mercurii, ad procedendum ulteriùs in præsenti materia.

Sequuntur extracta formalia de quaternis Propositionis Magistri Joannis Parvi, per Magistros Deputatos, ad faciendum collationem de dictis quaternis, &c.

Primum Dictum.

Monseigneur de Bourgogne, en tant qu'il est subjet du Roi nostre Sire, n'est pas seulement tenu à le garder de paroles & de fait, contre ses ennemis: mais est tenu avec ce, de le vanger de ceux qui lui font injures ou les lui ont faites, ou qui les lui ont machinées, ou machinent à faire, au cas qu'il viendra à sa connoissance.

Dictum istud ponitur circa principium dictæ Propositionis, in prima pagina: & statim post, enumeratis & declaratis duodecim obligationibus quibus secundùm dicta proponentis dictus Dominus Burgundiæ obligatur Domino nostro Regi; dicitur:

Ce sont douze obligations, par les quelles il est obligé à l'aimer, servir, obeïr & porter reverence, honneur & obeïssance, & le deffendre de tous ses ennemis; & non pas seulement le deffendre, mais le vanger & prendre vengeance.

Et ad propositum hoc declarandum, in deductione tertiæ Propositionis quarti Articuli prædictæ Propositionis totalis, post allegationem Doctorum Catholicorum, & illorum confirmationem, adducit proponens illud primæ Petri, secundo Capitulo: 13. *Subjecti estote Regi quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas Dei.*

Quod dictum in Gallico sic exponit. C'est à dire, *Que la volonté de Dieu est que tous obeïssent au Roy, comme à excellent & souverain Seigneur, sur tous les autres Rois de son Royaume; & puis apres aux Ducs, comme commis & envoyés de par iceluy commis à quoy faire à la vangeance & punition des mauvais, & à la remuneration des bons, de quelle vangeance, à la vangeance des injures faites au Roy, ou machinées à faire. Dont il s'ensuit*, inquit proponens, *que les Ducs sont obligés à vanger leur Roy, de toutes injures qui luy seront faites, ou machinées à faire, ou au moins d'en faire leur pouvoir, & d'exposer à toute leur puissance, toute fois qu'il viendra à la connoissance.*

Et consequenter Proposuit præfatus proponens quartam Propositionem quam vocat Veritatem prædicti quarti Articuli dictæ Propositionis suæ totalis, in hac forma.

Il est plus honnorable que licite, & meritoire, que iceluy tyran desloyal soit occis, où fait occis par un des parens & subjets du Roy, que par un estrange qui ne seroit pas du sang Royal; & par un Duc, que par un Comte; & par un Comte, que par un Baron; & par un Baron, que par un simple Chevalier; & par un simple Chevalier, que par un simple subjet. Il le prouve, dicit proponens: *Car celuy qui est parent du Roy, est plus obligé à garder & desirer le bien du Roy, le deffendre à son pouvoir, & deffendre de toutes injures, que n'est pas un estrange; un Duc, que n'est un Comte* &c. *& fait plus à punir: & si est greigneur vilaine & diffa*-

me, s'il est negligent de ce faire. Ergo per oppositum: *s'il en fait bien son devoir, en bonne loyauté & diligence, ce luy est greigneur, honneur & merite.* Et in hoc magis relucet amor & obedientia occisoris, vel occidere præcipientis ad Principem & Dominum suum, quod magis est honorabile, si fuerit præ potentia, scilicet, Ducis vel Comitis &c. In hoc etiam relucet magis potentia Regis, quod est multùm honorabile: & quantò occisor, vel dictæ occisionis præceptor nobilior, vel potentior; tantò magis relucebit Regis potentia.

Secundum dictum.

Et pour ce que par aventure aucuns pourroient dire, que par suggestion ou introduction d'aucuns ses malveillans, le Roy eut pris en son cœur aucune deplaisance vers luy, acause du fait advenu en la personne de feu le Duc d'Orleans, darrein trespassé; le quel cas a esté fait pour le tres grand bien de la personne du Roy, & de ses enfans, & de tout son Royaume, comme il sera cy dessus montré & declaré, tant & si avant que bien devra suffire. Je prie tres humblement au Roy qu'il luy plaise oster toute deplaisance de son tres noble courage, se aucune en a conceuë alencontre de lui, & de sa personne, par l'introduction dessus ditte, ou autrement; & que le Roi lui veüille montrer douceur & benignité, & le tenir en amour comme son bon, loyal subjet, vassal, ou cousin si prochain comme il est: attendues plusieurs causes & raisons justes & raisonnables que je vous diray cy apres, pour la justification de mon dit Seigneur de Bourgongne.

Dictum istud ponitur in fine secundæ paginæ primi folii dictæ Propositionis, in quo videntur formaliter contineri ea quæ dicta sunt in Tractatu Carnotensi, ex parte dicti Ducis Burgundiæ, quibus videtur asserere se nihil mali egisse in casu prædictæ interfectionis Ducis Aurelianensis, sed justè & rationabiliter; sicut promittit proponens se declaraturum in Minore suæ Propositionis; in qua tamen sunt rationes, seu probationes tales quales.

Tertium dictum.

Respondebo quæstioni quæ, ut dicit, fieri posset ab aliquibus, quòd prædicta Propositio, seu Justificatio, ad Theologum non spectat.

Se j'estoit Theologien, il me pourroit bien appartenir, attendu une consideration que j'ay en cette matiere, que tout Docteur en Theologie est tenu de labourer à justifier & excuser son Maistre & Seigneur, luy garder & deffendre ses honneurs, & bonne renommée, en tant comme raison & verité se peuvent estendre; mémement quand son dit Seigneur est bon, loyal, & n'a rien mespris. Je prouve cette consideration estre vraye: car c'est l'office de Maistre & Docteur en Theologie, de prescher & dire verité en temps & lieu; & pour ce sont-ils appellés, Legis divinæ professores, quia inter omnes alios Doctores ipsi magis tenentur confiteri veritatem. *Et s'il advient qu'ils meurent pour dire verité, il sont vrays Martyrs.* Et sequitur: *Ce n'est donc pas merveille se en obeissant à mon dit Seigneur de Bourgongne, qui m'a nourri en l'estude, & nourrira encore, si Dieu plaist, je presteray à lui ma pauvre langue, à prononcer & dire icelle Justification: car se oncques fut lieu de prescher & dire la justice & loyauté de mon dit Seigneur de Bourgongne, il en est temps & lieu.*

Dictum istud ponitur in secundo dicta * Propositionis, parum ante suspitionem † thematis, in quo dicto Propositio hæc videtur contineri, videlicet: *Ad justificationem prædictam prædicandam, & justificandam, maximè obligantur Doctores Theologiæ, tanquam veritatis professores, & si inde contingit eos mori, veri Martyres debent reputari.*

Quartum dictum.

Je pense à faire deux parties principalles à ce present propos, dicit proponens. *La premiere partie sera de ma ditte Majeure: & la seconde, de ma ditte Mineure. La premiere partie contiendra quatre Articles.*

Dictum istud ponitur in principio tertii folii dictæ Propositionis, statim post expositionem thematis in
A Gallico. Quod quidem dictum extractum est à dicta Propositione, non quidem ut erroneum, falsum, vel dubium, aut malè sonans de se in Fide & moribus: sed ut per hoc cognoscatur quòd dicta sequentia omnia quæ posita sunt in prædictis quatuor Articulis, faciendo Minorem unam, à proponente asseruntur tanquam vera, & facto suo ac proposito deservientia.

Quintum dictum.

Je suppose pour verité, que c'est le greigneur peché qui soit, ou peut estre, que crime de Leze Majesté Royalle, & la cause si est: Car c'est la plus noble chose & la plus digne qui puisse estre, que Majesté Royalle; & selon ce que le crime est plus grand, l'injure en est greigneure &c.

B Dictum istud ponitur in principio tertii folii dictæ Propositionis.

Sextum dictum.

Le Duc Zambri estoit là, scilicet in loco ubi Phinées eum interfecit, *à tout vingt quatre mille, tous de son alliance.* Et paucis interpositis: *les quels le voudront combattre pour sa mort,* scilicet de Zambri Ducis eorum: *mais par la grace de Dieu ils furent les plus foibles, & furent tous tués & occis.*

Dictum istud ponitur in secunda pagina sexti folii dictæ Propositionis, circa medium tertii exempli secundi Articuli.

Septimum dictum.

Phinées sans Commandement de Moyse, ne d'autre, à ce ayant autorité, partit, & il s'en vint au dit logis, &
C *trouva icelui Zambri avec icelle jeune femme faisant leur delict; & d'un cautel qu'il avoit, par maniere de dague, les occit tous deux.* Et paucis interpositis: *il est,* inquit proponens, *à noter en cet exemple, que le vaillant homme Phinées étoit si espris de l'amour de Dieu, & fut si doulent, quand il vit faire telle injure à Dieu son Roy, & souverain Seigneur; qu'il ne douta point à s'exposer à la mort, & n'attendit Commandent, ne licence de Moyse, qui etoit là, ne d'autre quelconque: pour ce que les Juges ne faisoint point leur devoir, les uns par negligence, & les autres pour doute d'icelui Zambri: & est encore plus à noter grande remuneration & loüange qu'il en acquit* &c.

Dictum istud ponitur in loco immediatè allegato, in dicto præcedenti, scilicet in tertio exemplo probationis secundi Articuli dictæ Propositionis; & in secundo exemplo probationis tertiæ Propositionis
D quarti Articuli dictæ Propositionis totalis, quam proponens Veritatem appellat.

De prædicto Phinées dicitur: *Phinées sans Mandement, ou Commandement quelconque, occit le Duc Zambri: le quel Phinées ne fut pas puni; mais en fut loüé, & remuneré tres grandement; en amour, honneur & richesses. En amour; car Dieu luy montra greigneur signe que devant, d'amour. En honneur;* quia reputatum est ei ad justitiam, usque in sempiternum. *En richesses;* quia per hoc acquisivit

* [illegible] dicto. † Fortè [illegible]

vit pactum Sacerdotii sempiternum, non tantùm pro se, sed pro tota Tribu sua.

Octavum dictum.

Lucifer voulut tollir à Dieu son Creatur & son souverain Seigneur une grande partie de sa Seigneurie, & l'attribuer à soy. Et paucis interpositis. *Si tot que saint Michel apperceut cela, il s'en vint, & lui dit que c'estoit trop fait, & que jamais ne voulsist faire telle chose, & qu'il s'en deportat; & que de tant comme Dieu l'avoit fait plus bel & plus parfait que tous les autres Anges, de tant devoit-il montrer greigneur signe de reverence, subjection & obeissance à celui qui l'avoit fait, qui estoit son Createur, son Roy & souverain Seigneur. Lucifer lui dit: je n'en feray rien. Saint Michel lui dit, que lui, & les autres bons Anges ne souffriroient point faire telle injure à leur souverain Seigneur, & Createur. Griefvement bataille se meut entre les dits saint Michel & Lucifer; & une partie des Anges furent de l'accord & partie & ayde d'icelui Lucifer: & l'autre partie, & la plus grande, fut du costé d'icelui saint Michel, le quel occit icelui Lucifer de de mort perdurable: ainsi que le dit Lucifer & tous les autres de son costè furent chassez hors de Paradis, par force, & tresbucherent en enfer.*

Dictum istud ponitur in primo exemplo tertii Articuli Majoris prædictæ Propositionis: & de eisdem Michaële & Lucifero ponitur in tertio exemplo probationis tertiæ Propositionis totalis, quam proponens Veritatem appellat.

Saint Michel L'Archange, sans Mandement quelconque de Dieu, ny d'autre; mais tant seulement meu d'amour naturelle, occit le dit Lucifer tyran desloyal à Dieu son Roy, & souuerain Seigneur: pour ce que le dit Lucifer machinoit à usurper une partie de l'honneur, & Seigneurie de Dieu: & icelui saint Michel fut semblablement remuneré en trois choses dessus dittes, C'est à sçavoir honneur, amour & richesses. En amour: car Dieu l'aima plus que devant, & le confirma en son amour & en sa grace. En honneur: quia fecit eum militiæ cœlestis Principem in æternum. *En richesses: car il lui donna des richesses de sa gloire, tant comme il en voulut avoir:* Id est, tantùm quantùm erat capax illarum divitiarum.

Nonum dictum.

Joab occit le fils du Roy, contre le Commandement du Pere, & n'obeït pas au Commandement, pour ce qu'il etoit au prejudice du dit Roy trop grandement, & en fut tres grandement loüé de Dieu & de tout le peuple.

Dictum istud ponitur in secundo exemplo tertii Articuli prædictæ Propositionis, ultra medium.

Decimum dictum.

Non obstant que Joab fut bon Chevalier, & loyal, pour le temps qu'il occit Absalon: neantmoins vers la fin de ses jours il fit deux tres grandes fautes. La premiere: car il occit un tres bon Chevalier nommé Abner. La seconde: il occit un tres bon Chevalier & homme d'armes appellé Amazan, par grande trahison.

Dictum istud ponitur in loco immediatè allegato, scilicet in secundo exemplo tertii Articuli prædictæ Propositionis totalis, ultra medium.

Undecimum dictum.

Joab, postquam interfecerat Absalonem, *s'en vint au Roy David, & lui dit verité sans faillir. C'est à sçavoir: Tu haïs ceux qui t'aiment, & aimes ceux qui te haïssent: tu eusse bien voulu que nous eussions esté occis, & qu'Absalon vesquit, qui avons mis nos corps en tres grand peril de mort, à combattre contre lui, pour toy sauver; & pour ce les gens d'armes & le peuple en sont indignez contre toy. Que se tu ne viens te seoir à la porte pour les nourrir en joyeuseté, comme ils entreront en la ville, ils feront un autre Roy, & te osteront ton Royaume; & oncques si doulente journée ne t'advint, puisque tu ne sçais, ne se tu ne fais ce que je te dis.*

A Dictum istud ponitur in loco immediatè allegato, scilicet in exemplo secundo tertii Articuli prædictæ Propositionis, circa medium: & extractum est, ad videndum ad quem finem proponens hoc dicebat, & an expediat populo talia publicare, vel proponere.

Duodecimum dictum.

C'est droit, raison & equité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguettes & espiemens, & est la propre mort de quoy doivent mourir tyrans desloyaux.

Dictum istum ponitur in fine tertii Articuli, post historiam Athaliæ Reginæ, quam dicit interfectam fuisse, scilicet *par aguettes & espiemens*: quod tamen non habetur ex textu Scripturæ sacræ IV. *Regum undecimo capite*: & conformiter ad hoc dicitur in

B probatione septimæ Propositionis præfati Articuli quarti. *C'est la plus propre mort de quoy tyrans doivent mourir, que les occire vilainement, par bonnes cautelles, aguettes & espiemens.*

Decimum tertium.

Tyrannus, secundùm beatum Gregorium propriè dicitur, qui in Republica non jure principatur, aut principari conatur.

Istud dictum ponitur in probatione primæ Veritatis quarti Articuli prædictæ Propositionis.

Decimum quartum.

Jaçoit ce que au cas cy dessus, scilicet primæ Veritatis quarti Articuli prædictæ Propositionis, *tout subjet & vassal soit digne de double mort, & commet si horrible qu'on ne pourroit trop punir; toute fois est plus à*

C *punir un Chevalier, qu'un simple subjet; & en ce cas un Baron, qu'un simple Chevalier; un Comte, qu'un Baron; un Duc, qu'un Comte; le cousin du Roy, que un etrange; le frere du Roy, que le cousin; & le fils du Roy, que le frere.*

Hoc dictum in forma, est secunda Propositio dicti quarti Articuli.

Decimum quintum.

Au cas dessus dit en la premiere Verité; il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement, ou Commandement, selon les Loix moralle, naturelle & divine, d'occire ou faire occire icelui mauvais tyran, traistre & desloyal: & non pas tant seulement licite, mais honnorable & meritoire; mêmement quand il est de si grande puis-

D *sance, que justice n'en peut bonnement estre faite par le Souverain.*

Istud dictum est tertia Propositio prædicti quarti Articuli, in forma, in cujus probatione per ordinem nulla ponuntur notanda.

Decimum sextum.

Primum & sexdecimum in ordine: applicatio duodecim rationum, ad probandum hujusmodi conclusionem tertiam, in honorem duodecim Apostolorum.

Decimum septimum.

Secundum & decimum septimum in ordine: quòd proponens imponit sancto Thomæ prædictam tertiam Propositionem in forma, dicens: *La premiere*, inquit autoritate quam allegat, ad probandum dictam tertiam Propositionem, *est d'un Docteur saint qui dit ainsin, en la derraine distinction du second Livre des Sentences.*

Quando aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per qui de tali invasere Judicium fieri possit; tunc enim qui ad liberationem patriæ talem tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.

Decimum octavum.

Dictum tertium, & octavum decimum in ordine: quòd proponens imponit Salberiensi, in suo *Policraticon, Libro tertio, capite decimo*, & scilicet: *Tyranno licet adulari, quem licet occidere. C'est à dire en François*, dicit proponens: *Il nest licite à nul de flatter san ami; & est licite d'adoucir les oreilles du tyran par belles paroles: car puis qu'il est licite de occire le dit tyran, il est licite de le blandir par paroles, & par signes.*

Decimum nonum.

Quartum dictum, & nonum decimum in ordine: Richardus de Media villa, Alexander de Halis & Ostiensis *in Summa*, conclusionem prædictam tertiam ponunt in effectu.

Vicesimum.

Quintum decimum, & vicesimum in ordine: quòd à proponente imponitur Aristoteli in diversis locis Libri sui, Politicorum: *Cuilibet subjectorum licitum est occidere tyrannum impunè, & non solùm licitum, imò laudabile*, C'est à dire, dicit proponens, *Qu'il est licite à un chacun des subjets de occire le tyran: & n'est pas seulement licite, mais est honnorable & digne de loüange.*

Vicesimum primum.

Sextum dictum, & vicesimnm primum in ordine: quòd à proponente imponitur Bocatio, in *De casibus virorum Illustrium Libro, secundo capite*, ubi loquendo contra superbos tyrannos, de quolibet sic inquit: *Le diray-je Roy; l'honnoreray-je comme Prince; lui garderay-je foy comme à Seigneur. Nenny; il est ennemy de la chose publique, contre cestuy puis faire conjuration, prendre armes, mettre espies, employer forces, c'est fait de courageux, c'est tres sainte chose, & du tout necessaire: car à Dieu n'est presque plus agreable sacrifice, que le sang du tyran.* Et istud repetendo ponit quasi in forma, & de verbo ad verbum in probatione septimæ Propositionis, quam Veritatem appellat præfati quarti Articuli

Vicesimum secundum.

Septimum dictum, & vicesimum secundum in ordine: continet istas tres consequentias. *Deserteurs de Chevalerie chacun peut occire licitement.*

Il est licite à un chacun occire ou faire occire larrons, gardeurs de bois, ou de chemins.

Il est licite à un chacun, d'occire, ou faire occire un larron, s'il le trouve de nuit dans sa maison.

Ergo multò magis: *Il est licite, selon les Loix civiles, à un chacun d'occire, ou faire occire le tyran, qui machine nuit & jour en la mort de son Roy, ou souverain Seigneur.*

Vicesimum tertium.

A Octavum dictum, & visimum tertium in ordine: est distinctio quam facit de homicidio, inter Theologos & Juristas.

Vicesimum quartum.

Nonum dictum, & vicesimum quartum in ordine est: *Le cas d'occire un tyran* excipitur à prohibitione Legum civilium prohibentium hominem occidi &c. *& par special quand il est traistre, & tyran, en telle maniere de tyrannie comme dessus est dit*, scilicet in prima Veritate prædicti quarti Articuli.

Vicesimum quintum.

Decimum dictum, & vicesimum quintum in ordine: *Je appeçevray qu'un tyran de grande puissance, & subtilité, machine de toute sa puissance en la mort de* B *mon Roy, continnellement, par barat & malefice, pour lui tollir sa Seigneurie; & que mon dit Roy sera ja tant par lui indisposé en entendement & en force corporelle, qu'il ne sçait ne pourroit mettre remede, ne en faire justice. Et en outre que icelui tyran continue en sa mal naistre de jour, je regarde les Loix cy dessus alleguées, qui me deffendent port d'armes generalement, sans licence de mon dit Roy, & me deffendent autorité d'occire autruy &c. Que dois-je faire, pour garder le sens litteral de telles Loix? Doisi-je laisser le Roy en si grand peril de mort. Je reponds: Nenny, ains doibs deffendre mon dit Roy, & occire le dit tyran. En quoy faisant, jaçoit ce que je fasse contre le sens litteral des dittes Loix; je ne feray pas contre la fin pour quoy elles furent ordonnées & faictes: ains accompliray le Commandement final des dittes Loix; c'est à sçavoir l'honneur, bien & conservation du Prince: les quelles choses je garderay mieux, ainsi faisant, que de laisser vivre icelui tyran, au grand danger & peril de mon dit Roy: & pour ce je ne dois pas estre puni; mais guerdonné, car je fais action meritoire, & ne tends qu'à bonne fin, c'est à sçavoir à la fin pour quoy icelles Loix* C *furent faittes. Et pour ce dit saint Paul*: Littera occidit, charitas autem ædificat, I. Cor. VIII. I. *C'est à dire, que toujours tenir le sens litteral en la sainte Escriture, est occire son ame: mais pour le sens de la vraye charité, cest à sçavoir tendre à la fin pour quoy la Loy divine fut faitte, c'est chose que bien edifie spirituelle edification.*

Vicesimum sextum.

Et sequitur aliud dictum, quod est undecimum & vicesimum sextum in ordine: *Les Loix divine, naturelle & moralle ne donnent autorité de ce faire*: hoc est de occidendo, de quo immediatè dictum est: *en quoy faisant, je suis ministre de la ditte Loy divine.*

Vicesimum septimum.

D Duodecimum dictum, & vicesimum septimum. *Pour lors que Moyse occit l'Egyptien qui tyrannisoit les fils d'Israël, n'avoit point l'autorité de Juge, la quelle lui fut donnée sur le peuple d'Israël pres de quarante ans depuis ce fait.* Ista omnia dicta, cum aliquibus præcedentibus, scilicet de Moyse & de Phinées, continentur in deductione dictæ tertiæ Propositionis quarti Articuli; quæ omnia contenta in dicta Propositione tertia videntur esse multùm notanda.

Vi-

Vicesimum octavum dictum.

En cas d'alliance, sermens, promesses, & confederations faittes, de Chevalier à autre, en quelconque maniere que ce soit, où puisse estre; s'il advient que icelles garder où tenir, tournent au prejudice de son Prince, de ses enfans, ou de la chose publique; nul est tenu de les garder: ains les tenir & garder, en ce cas, seroit faire contre les Loix moralle, naturelle & divine.

Dictum istud est quinta Propositio in forma prædicti quarti Articuli quod hic inseritur cum prædictis, ad videndum & considerandum an ad ejus veritatem requiratur notorietas; an etiam quilibet in hoc posset esse Judex; & tertiò an det occasionem simplicibus; an aliis frangendi juramenta, pactiones & hujusmodi.

Vicesimum nonum dictum.

Quandocumque aliquis facit quod melius est, quamvis juraverit illud se non facturum; non est perjurium, sed perjurio contrarium, ut expressè ponit Magister Sententiarum, ultima Distinctione.

Dictum illud ponitur per modum Majoris in tertia probatione prædictæ quintæ Veritatis quarti Articuli ante dicti.

Tricesimum dictum.

S'il advient que les dittes alliances, de quibus in Propositione quinta quarti Articuli, *tournent au prejudice de l'un des promettans, ou confederés, de son Epouse, où de ses enfans, il n'est de rien tenu de les garder.*

Dictum istud est sexta Propositio in forma præfati quarti Articuli, quam Conclusionem proponens nititur probare ex ordine charitatis; quia quis plùs tenetur se ipsum, uxorem & liberos diligere, quàm alium.

Tricesimum primum dictum.

In omnibus humanis promissionibus intelligitur, si mihi fidem servaverit, frangenti fidem, fides fragatur eidem. Item subintelligitur, si Deo placuerit.

Tricesimum secundum.

Il est licite à un chacun subjet, honnorable & meritoire, d'occire, ou faire occire le dessus nommè tyran, scilicet in prima Veritate quarti Articuli, *& desloyal à son souverain Seigneur, par aguettes & espiemens, & si est licite de dissimuler & taire sa volonté de ainsi faire.*

Dictum istud in forma est septima Propositio prædicti Articuli.

Trigesimum tertium dictum.

Jehu laudatur de hoc quòd occidit Sacerdotes Baal. IV. Reg. X. 19. ubi dicitur: *Achab parum coluit Baal, ego autem colam ampliùs*, & paululùm est: *Porrò Jehu licèt insidiosè, ut disperderet cultores Baal, dicit: Sanctificate diem solemnem Baal. Judith occidit Olophernem per insidias & de hoc laudatur.*

Illud dictum, quo ad singulas ejus partes, ponitur in probatione prædictæ septimæ Propositionis quarti Articuli.

Tricesimum quartum dictum.

Je fais une question, dicit proponens in fine probationis prædictæ septimæ Propositionis quarti Articuli: *Pourquoi est ce qu'on est tenu en plusieurs cas de garder foy & convenance à son ennemy capital, & non pas au tyran?* Et sequitur: *Les causes de la reponse*, dicit proponens, *mettent communement les Docteurs: mais pour ce qu'elle est commune, & que ce seroit* A *chose trop longue à reciter, je m'en passeray à tant.*

Tricesimum quintum dictum.

Sicut ad divina miracula plurimùm facit Fides recta, prout sonant Evangelia; sic ad dialectica mirabilia multùm facit Fides perversa: & Ideò experientia de effectu prædictarum superstionum secuta in personam Domini Regis, probat clarè ibi fuisse idolatriam, & Fidem perversam.

Item, *Les diables ne feroient rien à la requeste d'iceux, & nigromanciens, si iceux invocateurs ne leur faisoient trois choses: c'est à scavoir exhiber honneur divin, le quel ne doit estre exhibé qu'à Dieu tant seulement: paction & convenance, par maniere d'hommage & oblation d'aucune chose: se montrer à eux fausfaire, & corrupteur de la Foy Catholique.* B

Dictum istud quo ad singulares ejus partes ponitur in deductione octavæ Propositionis præfati Articuli quarti.

Trigesimum sextum dictum.

Sunt multa injuriosè dicta & imposita, & nondùm probata Domino Aurelianensi defuncto Domino Philippo de Messieres, & pluribus aliquibus ad longum, in Minore prædictæ Propositionis.

Trigesimum septimum dictum.

Quod est conclusio in forma dictæ Propositionis totalis, quæ sequitur in forma ex prædictis, inquit proponens.

C *Appert ma ditte Majeure declarée, de laquelle jointe avec nostre ditte Mineure, il s'ensuit clairement en bonne consequence, que mon dit Seigneur de Bourgongne ne doit de rien estre blasmè, ne repris dudit cas advenu en la personne du dit crimineux Duc d'Orleans; & que le Roy nostre Sire tant seulement ne doit pas en estre content, mais doit avoir le fait agreable, & l'autoriser en tant que mestier seroit: & avec ce le doit guerdonner & remunerer en trois choses. En amour, honneur & richesses; à l'exemple des remunerations qui furent faittes à Monsieur saint Michel l'Archange, & au vaillant homme Phinées: des quelles remunerations, fut faitte mention en la Probation de la tierce Veritè de nôtre ditte Majeure, & l'entends ainsi en mon gros & rude entendement, que le Roy nostre Sire, le doit plus aimer que paravant, sa loyauté faire prescher par tout le Royaume, & hors du Royaume publier, par Lettres, par* D *maniere d'Epitres, ou autrement.*

Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio, die ultima Mensis Januarii, per Deputatos dicti Concilii fuit repertum, quòd extracta de quibus supra immediatè fit mentio, diligenti collatione de eis, ad quaternos dictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi, per eosdem Deputatos factâ, continentur in ipsis quaternis: & ita concluserunt idem Deputati, præsentibus ad hoc discretis viris, Magistro Joanne Tuderti, Licentiato in Legibus, Officiali Parisiensi: Nicolao de Villa nova, Magistro in Artibus, & Licentiato in Decretis: Alano Parcenalli, Magistro in Artibus Pictaviensis, & Leonensis Diœcesis, testibus ad hoc vocatis & rogatis.

Domini verò & Deputati prædicti, qui hodie comparuerunt, & fuerunt præsentes ad hujusmodi collationem, fuerunt

Magister Joannes Courtecuisse,
M. Petrus de Dierreio,
M. Joannes Dacheri,
M. Joannes de Dulcimenillo.
Magister Radulphus de Porta,
Magister Joannes Mathiæ, Regens Bernardistarum,
Magister Petrus de Nogento,
Magister Joannes Brout,
Magister Joannes Michaëlis,
Magister Guillelmus Cholet,
Magister Mathæus Rocderii,
Magister Jourdanus Morini,
Magister Benedictus Gentiam,
Magister Gerardus Macheti.

Dominus Pariensiensis Episcopus, Præsidens in Concilio Deputatorum, die Jovis, prima Februarii, dixit eisdem Deputatis, quòd ad hoc vocati erant, ut scilicet ex Propositionibus elicitis ex quaterno heri collationato ad codices Magistri Joannis Parvi; lectisque heri per Magistrum Joannem de Dulcimenillo, advisarent & deliberarent, si quas dictarum Propositionum expediret ponere in deliberatione in Concilio Fidei proximo, & in brevi fiendo; & ad advisandum quid expediat ponere in deliberatione, in prædicto Concilio Fidei.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Ursinus Taillenande, dicit quòd sibi videtur quòd duæ primæ Propositiones Magistri Joannis Parvi, non possunt stare in veritate, nisi cum supplemento; & si illa suppletio fiat, Minor non potest stare cum ipsis. Dicit ulteriùs, quo ad illam, quòd est de sensu litterali, in qua dicitur, quòd *Sensus litteralis occidit* &c. Dicit quòd Magister Joannes Parvi, de sensu litterali, est falsa. Dicit etiam, quantùm ad sextam Propositionem Magistri Joannis Parvi, quæ est *S'il advient que les* &c. quòd ipsam attendendo universaliter, ut in dictis codicibus ponitur, non est vera. Deliberat etiam, quo ad modum procedendi, quòd Dominus Parisiensis debet advisare singularia dicta in singulis dictis deliberationibus Deputatorum, & ex illis in quibus erit concordia, concorditer concludere: & si in aliquibus non sit plena concordia, in illis à majore parte concludere, dicit quòd Propositionis quæ incipit: *Monseigneur de Bourgongne*, partes possent habere colorem veritatis; dùm tamen qui eas posuit, malis usus est mediis: & finaliter dicit quòd, resolvendo primas Propositiones Magistri Joannis Parvi, quas vocat Veritates ad Minorem & conclusionem suas, quòd illæ non habent veritatem; imò sunt erroneæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Dacheri, dicit: Ista Propositio, *Monsieur* &c. saltem quo ad ultimam sui partem, in ordine ad finem quem intendebat, qui dictos codices compilavit, est erronea, & quòd debet poni in deliberatione in Concilio Fidei proximè fiendo.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Rocderii, dicit quòd in ista Propositione, Magister Joannes Parvi tendebat ad conclusionem malam, etiam ad vindictam justitiæ, seu æquitatis: sed ad vindictam, sive justitiam: videtur sibi tamen quòd non est ponenda in deliberatione in Concilio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Mathiæ, dicit quòd visa applicatione istius Propositionis, quæ est quasi fundamentum totius Propositionis Magistri Joannis Parvi, tendit ad vindictam, quæ est ponenda in Concilio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jourdanus Morini, dicit quòd ista Propositio debet considerari in ordine ad conclusionem ad quam intendebat Magister Joannes Parvi, cum circumstantiis ibidem positis; cum quibus additione & applicatione, dicit quòd omnia illa tendunt in errorem, & sunt erronea & detestabilia. Addit qui loquitur, quòd ista tota Propositio, & aliæ quas vocat Veritates, sunt ponendæ in deliberatione Concilii.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Dulcimenillo, stat in illis quæ Magister Jourdanus dixit; adjiciendo quòd extracta per Cancellarium dicantur in Concilio, breviori modo quo poterit, reducendo ad duas, vel tres Propositiones.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Nogento, dicit quòd totum factum Magistri Joannis Parvi stat in tertia sua Propositione, sexta & septima; & deliberat quòd illæ Propositiones ponantur in Concilio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Franciscus, Ordinis sancti Bernardi, dicit quòd debet dicta Propositio poni in deliberatione per hunc modum, sub omnibus pœnis Juris. Ego rogo vos de conclusione Magistri Joannis Parvi, an sit erronea, & etiam Propositiones præmissæ, ex quibus infertur illa: ergo sint erronea, vel non; & sibi videtur erronea, & quòd est ponenda in Concilio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Benedictus Gentiam, Ordinis sancti Benedicti, dicit quòd Propositio in se mala est, erronea, ac ponenda in deliberatione in Concilio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus de Porta, dicit quòd Propositiones sunt capiendæ illo modo quo sunt publicatæ, ex quo proponens eas non est unus, quia tunc posset eas revocare; & dicit quòd viridè procedendum est ad condemnandam illam Propositionem, cùm ex ipsa sit publicata; &, ut jacet, populares, & multi alii capiunt errores: dicit quòd tenemur ad reparationem Fidei laborare & scandalorum. Dicit insuper quòd quatuor Propositiones quas pro Veritatibus affirmat Magister Joannes Petit, scilicet tertia, septima & sexta Veritates, & Conclusio sua, ponantur in Concilio in deliberatione; quia sunt fundamenta ex quibus illa conclusio elicitur & infertur, & ad quas aliæ quasi reducantur.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Brout, dicit quòd non fuit mens Concilii quòd staretur contra Minorem & Conclusionem Propositionis Magistri Joannis Parvi; & sic dicit quòd non sunt ponendæ &c.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Cholet, dicit quòd bonum esset redigere & restringere illam Propositionem ad tria puncta; putà ad tres, vel quatuor Propositiones in brevibus: & quòd dicatur ipse Magister Joannes Petit talem Conclusionem * per tale vel tale quid medium: & est opinionis quòd ponatur ista Propositio in Concilio in deliberatione.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Michaëlis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, dicit quòd Propositiones Majoris Magistri Joannis Petit videntur sibi graves; & dicit quòd non valebant rationes de Moyse, quia Moyses & illi alii illa quæ fecerunt, fecerunt per inspirationem: sed illa Propositio tendit ad mortem inopinatam, subitaneam, quæ est pessima mors: & sic dicit quòd Propositio est damnabilis, & ponenda in Concilio: sed dimittentur Minor & Conclusio Principibus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Dierreio, stat in effectu cum Magistro Joanne Michaëlis.

Quibus sic factis & dictis, Dominus Parisiensis Episcopus mandavit & præcepit quòd legerentur Pro-

* *Videtur hic desiderari aliquod verbum.*

Propositiones quaterni heri collationati sigillatim; & quòd etiam sigillatim unâ ipsarum perlectâ, singuli Deputati deliberarent, an ipsa esset ponenda in deliberatione in Concilio, vel non; quod factum est. Nam Magister Joannes de Dulcimenillo eas sic legit; & dùm unam ipsarum perlegisset, omnes Deputati ordinatè & determinatè, unus post alium, deliberabant; quorum deliberationes sequuntur.

Omnes & singuli Deputati Concilii Fidei, unanimiter, ac una voce deliberaverunt, & concorditer, A quòd poneretur in deliberatione Concilii Fidei, in brevi congregandi, tertia Propositio, seu Veritas contenta in codicibus, qui dicuntur continere justificationem ducis Burgundiæ: quæ tertia Propositio incipit. *Il est licite*. &c.

Ad idem, & eodem modo deliberaverunt omnes & singuli dicti Deputati, de septima Propositione, seu Veritate contenta in codicibus intitulatis, *Justificatio Ducis Burgundiæ*, quòd scilicet poneretur in deliberatione in Concilio Fidei.

Consimiliter, & sine quacumque discrepantia, deliberaverunt omnes & singuli dicti Deputati de ista Propositione, seu Veritate dictæ justificationis; quòd scilicet poneretur ad deliberandnm super ea in Concilio Fidei proximè congregando.

Eodem modo deliberaverunt omnes & singuli dicti Deputati, de illa Propositione: *Car c'est droit* &c. quòd scilicet poneretur in Concilio &c. ad videndum an sit vera, vel falsa, seu erronea, & qualiter baptisanda. B

Omnes prædicti Deputati concordaverunt in hoc, quòd illa Propositio de Joab poneretur in Concilio Fidei.

Quo ad illam, quæ est de sensu litterali; Magister Petrus de Dyerreio dicit quòd ineptè locutus est Magister Joannes Parvi, & quòd est falsa & erronea in se, licèt credat quòd intelligebat de sensu grammaticali; & dicit quòd est ponenda in Concilio.

Magister Petrus de Nogento, dicit quòd apparet sibi quòd non est ponenda in Concilio; sed Magister Joannes Brout dicit quòd nescit si expediat eam ponere in Concilio.

Magister Joannes Courtecuisse, dicit quòd non ponatur in Concilio. C

Ad idem est Magister Joannes Michaëlis, Jacobita.

Omnes & singuli alii, demptis illis quatuor, una voce deliberaverunt quòd poneretur in deliberatione in Concilio, & sicut à majori parte fuit conclusum quòd poneretur in Concilio.

Omnes & singuli Deputati prædicti concorditer deliberaverunt de illa Propositione de epikeia, in quâ dicitur: *Que les Loix*, *divine*, &c. quòd erat quasi eadem cum tertia Veritate codicum dictorum: *Justificatio Ducis Burgundiæ*, & dependens ex eadem tertia & septima veritate dictorum codicum: ideò quòd ponatur in deliberatione in Concilio, juxta tertiam, &c.

De illa Propositione quæ est, quòd *Quandocumque aliquis facit quod est melius*, &c. dictum fuit quòd aliàs posita erat in Concilio; ideò non erat opus quòd iterum poneretur. D

De illis autoritatibus Aristotelis, & Bocacii &c. Placet omnibus dictis Deputatis quòd ponantur in uno brodio inter Propositiones malè sonantes, non quòd mittantur ad deliberandum super ipsis.

De illa Propositione, quòd scilicet, *In omnibus humanis promissionibus*, &c. dicunt non quòd * ponantur in Concilio.

Quantùm ad illam, scilicet, *Pourquoy est-ce que*, &c. Conclusum fuit à majori parte, & saniori Deputatorum quòd poneretur in deliberatior Concilo; & hoc in generali.

Fortè quòd non.

Statim post, Magister Joannes de Dulcimenillo, legit conclusionem principalem intentam in dictis codicibus intitulatis in fine eorum: *Justificatio Ducis Burgundiæ*. Quâ perlectâ, petivit Dominus Parisiensis omnibus & singulis Deputatis, an ipsa erat ponenda in Concilio Fidei proximè congregando.

Magister Joannes Courtecuisse, circa hoc dicit quòd præmissæ Propositiones prædictæ Magistri Joannis Parvi, sunt falsæ. Dicit ulteriùs quòd qui damnat illam conclusionem; adjicens quòd qui damnat tertiam Veritatem dictorum codicum, damnat istam conclusionem. Finaliter ad conclusionem: an scilicet expediat ponere istam concludendam in Concilio, ad deliberandum super ea, dicit quòd nesciret quid dicere.

Magister Petrus de Dyerreio, dicit quòd illa Propositio est personalis, licèt ex damnatione præmissarum illius Propositionis sequatur ejusdem conclusionis damnatio. Non auderet, ad præsens, dicere quòd poneretur: sed si poneretur, vellet quòd reperiretur aliquis modus mitigandi ipsam.

Magister Ursinus Taillenande, dicit quòd illa conclusio, ut in terminis jacet, est erronea: tamen est opinionis quòd non poneretur, pro nunc, in principio, seu exordio Concilii; licèt benè poneretur in fine Concilii, secundùm † viderentur Magistri deliberare in Concilio.

Magister Joannes Dacheri, stat cum Magistro Ursino, scilicet quòd ponatur in deliberatione in Concilio; non in principio, sed in fine.

Magister Joannes Mathiæ, dicit quòd ponatur in Concilio, mutando terminum singularem, in terminum . . . . . & communem; ita quòd loco *Ducis Burgundiæ*, ponatur, *Dominus*, vel *Dux* &c.

Magister Mathæus Rocderii, dicit quòd ista est conclusio principaliter intenta, & omnes præmissæ tenduntur ad justificationem ipsius; & dicit quòd nescit quid dicere; tamen super hoc se refert ad majorem partem.

Magister Jourdanus Morini, dicit quòd conclusio ista est nequissima, & ex consequenti tota Propositio ex qua infertur. Dicit ulteriùs, quantùm est ad mala quæ passi sumus in hoc Regno; orta fuerunt ex ista conclusione, deffendendo videlicet factum, quòd in ista conclusione exprimatur fuisse justè & benè perpetratum.

Dicit insuper quòd in capite cedulæ Magistris transmittendæ, est ista conclusio ponenda, quæ continet tres Propositiones.

Prima, quòd actus ille, de quo in ea sermo, est justè perpetratus.

Secunda, quòd Propositio illa quam appellat Justificationem Ducis Burgundiæ, est publicanda & prædicanda per Regnum & extra Regnum, quæ est pejor primâ.

Tertia contenta in ea, est quòd Rex est ad hoc inducendus, ad faciendum scilicet publicare istam conclusionem quæ est erronea: & peccat in primo gradu læzæ Majestatis, juxta modum quem ipsemet Magister Joannes Parvi ponit in duplici gradu, in Regiam Majestatem.

Magister Joannes de Dulcimenillo, dicit quòd Deputati non possunt fugere quin ipsam ponant, se conformando cum Magistro Jourdano Morini; adjiciens quòd dicatur in Concilio proximè congregando, quòd sint aliæ Propositiones erroneæ in Fide, contentæ in illa Propositione quæ nunc non ponuntur.

Item, & quòd dicatur quòd nos reperimus assertorem istarum Propositionum & conclusionis; per quod satis favetur, ad plenum, omnibus † quorundam dicentium istas non debere condemnari, quia nullus erat Assertor.

Ma-

* *Fortè deest* quod. † Locus corruptus.

Magister Joannes Mathiæ, dicit quòd stat in omnibus cum Magistro Jourdano Morini.

Magister Petrus de Nogento, stat cum Magistro Ursino Taillenande; & dicit quòd si Concilium condemnaret præmissas illas Propositiones, etiam condemnaret istam conclusionem.

Magister Franciscus, Ordinis sancti Bernardi, dicit quòd Dominus Parisiensis non potest benè procedere ad condemnationem alicujus Propositionis, seu Veritatis dictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi, nisi priùs condemnet istam conclusionem Magistri Joannis Parvi: ideò dicit quòd est ponenda in deliberatione in Concilio. Et quia isti quaterni, ut dicit, sunt publicati in isto Regno, & etiam extra Regnum; ideò stat cum Magistro Jourdano Morini: & credit quòd nullus erit in Concilio, qui non dicat istam conclusionem esse falsam & erroneam, & per consequens, præmissas hujus conclusionis.

Magister Benedictus Gentiam, Ordinis sancti Benedicti, dicit quòd circa istam materiam, à duabus partibus duas rationes videt: quia si ponatur ista conclusio in deliberatione, Dux Burgundiæ offendetur. Quibus benè pensatis, dicit quòd ponenda est in Concilio; quia melius est offendere qualemcumque personam humanam, quàm Deum. Et stat cum Magistro Jourdano, quòd scilicet in capite Libri ponatur. Dicit insuper, quòd si esset aliquis qui vellet, seu se ingereret ad eam sustinendam, quòd esset processus faciendus contra eum, tanquam contra hæreticum.

Magister Gerardus Macheti, dicit quòd magis timere Deum, quàm homines; & dicit quòd est ponenda in Concilio, ex quo est erronea, nisi aliundè sufficienter poneretur: & dicit quòd sufficienter continetur in tertia Veritate Majoris dictorum codicum Magistri Joannis Parvi: & sic ponendo illam tertiam Propositionem, videtur sibi quòd ipsa ponatur: se tamen super hoc refert majori parti.

Magister Radulphus de Porta, dicit quòd tenet istam conclusionem Propositionis Magistri Joannis Parvi hæreticam, in forma in qua ponitur in illa Propositione, ubi dicitur: *Non solùm Rex publicet istam, sed ad eam publicandum tenetur & obligatur Rex*, & quòd etiam *remunerandus est in tribus, ille qui hoc peccatum mortale perpetravit.*

Et tunc, veniendo ad quæsitum per Dominum Parisiensem: an scilicet ponenda sit in Concilio: dicit quòd nisi ponatur, adversarii, & malevoli dicent quòd ista conclusio est sustinibilis & vera. Dicent, & poterunt verisimiliter dicere: Dati sunt Deputati ad eliciendum errores, si qui fuissent in propositione Magistri Joannis Parvi, & illi Deputati extraxerunt tot quot errores, seu Propositiones malè sonantes repererunt; & tamen non extraxerunt conclusionem principalem dictæ Propositionis: & sic, dicent quòd illa Propositio habet veritatem, & quòd est sustinibilis, cùm non fuerit extracta ut aliæ. Et quia istud datum est intelligi popularibus, quòd scilicet factum fuit benè & justè perpetratum: & sic ad evitandum istud virus & venenum à cordibus popularium, & ne quis in futurum ex ista conclusione Magistri Joannis Parvi scandalisetur, sicut ex Assertionibus adductis ad probandum eam, dicit quòd est ponenda in deliberatione in Concilio Fidei proximè congregando.

Magister Joannes Brout, dicit quòd ista conclusio non est pro nunc ponenda in Concilio; quia attendenda est pax facta; nec spectat ad Theologos tractare, si iste actus fuit benè, vel malè perpetratus.

Magister Guillelmus Cholet, Regens Carmelitarum, dicit quòd hîc agitur de causa Dei principaliter, quæ est præferenda negotio particulari cujuscumque, propter metum cujuscumque: dicit quòd non permittatur quin ponatur in deliberatione in Concilio: unde in hoc quod hæc conclusio dicit, quòd *Rex habeat illum gratum qui istud factum perpetravit*, & quòd *Rex tenetur & obligatur ad ipsum sic delinquentem diligendum & remunerandum*: dicit quòd est una mala & falsa doctrina. Dicit finaliter quòd ponatur in deliberatione cum modificatione, quòd nullus quovis modo intendit procedere ad infamiam Ducis Burgundiæ: tamen dicit quòd est ponenda cum suis circumstantiis.

A

Magister Joannes Michaëlis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, dicit quòd ista conclusio Propositionis Magistri Joannis Parvi, est ponenda in deliberatione in Concilio, mutando terminos singulares illius conclusionis, in terminos communes: ut quod dicatur: Rex tenetur remunerare & diligere &c. totaliter, interficientem talem &c.

Quibus sic dictis & auditis, Dominus Parisiensis concludit, à majori parte, quòd præfata conclusio erat ponenda in deliberatione in Concilio, mutando terminos singulares ipsius, in terminos communes; & eam modificando & mitigando. Quâ conclusione sic captâ, ipse Dominus Parisiensis iterum petivit omnibus, an consentiebant in istam conclusionem; & omnes dixerunt quòd sic: & sic statim petivit quod darent Deputatos, ad eam sic mitigandam, & mutandam in terminos communes: qui Deputati immediatè unanimiter, & concorditer deputaverunt Magistrum Joannem de Dulcimenillo, & Magistrum Joannem Dacheri, & Magistrum Petrum de Nogento, si posset interesse cum aliis tribus, ad eam sic mitigandam & mutandam in modo terminorum: & fuit instans dies Sabbathi, de mane, assignata istis Deputatis, ad referendum in Deputatis qualiter ipsam conclusionem mitigaverunt & mutaverunt, in modum terminorum, seu in terminis, & omnibus Deputatis, ad videndum si benè fuerit mitigata & ordinata per dictos suos tres, vel quatuor Deputatos; & ad videndum quid & qualiter ulteriùs sit procedendum; & quomodò, in ista materia.

B

Acta fuerunt hæc, die Jovis prima Februarii, in camera Episcopali Parisiensi, in Consilio Deputatorum, præsentibus ad hoc discretis viris, & Magistris, Nicolao de Villa nova, Magistro in Artibus, & Licentiato in Decretis: Alano Parcenalli, Magistro in Artibus, Clericis Leonensis Diœcesis, testibus ad hoc vocatis & rogatis.

C

Adveniente autem dicta die Sabbathi, in Consilio Deputatorum Concilii, Fidei, dicti Deputati præsentaverunt & exhibuerunt quandam cedulam, cujus tenor inferiùs describitur, continentem quasdam Propositiones extractas, seu elicitas à Propositione Magistri Joannis Parvi, ad mitigandum, seu modificandum, & mutandum terminos singulares conclusionis dictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi, in terminos communes, seu appellativos: dictâ que cedulâ dictâ * & auditâ, Dominus Episcopus Parisiensis assignavit eisdem Deputatis diem Martis inde sequentem, ad avisandum & deliberandum, si prædicta cedula erat in bona forma, & ad ulteriùs procedendum in materia ista.

D

SCHEDULA

Confecta, juxta Deputatorum Sententiam.

Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio, die Martis post Festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis, quæ fuit sexta Mensis Februarii, coram Reverendo in Christo Patre, & Domino, Domino Episcopo Parisiensi, in sua came- VI, Febr.

camera Episcopali, fuerunt congregati Domini & Magistri Deputati infra scripti: videlicet,

Magister Joannes Courtecuisse.
M. Ursinus Taillenande.
M. Joannes Dacheri.
M. Joannes Mathiæ.
M. Jourdanus Morini.
M. Petrus de Nogento.
M. Franciscus, Regens Bernardistarum.
M. Radulphus de Porta.
M. Joannes Brout.
M. Joannes de Dulcimenillo.
M. Guillelmus Cholet, Carmelitarum Regens.
Et M. Joannes Michaëlis, Prædicatorum Regens.

Coram quibus fuit lecta cedula extracta, &c. cujus cedulæ tenor sequitur, & est talis:

Per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Episcopum Parisiensem, & Dominum Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, ex deliberatione Concilii Fidei; aliàs dati sunt Deputati sexdecim numero, super tribus Articulis.

Primus, ad collationandum inter se quaternos B quamplures Propositionis Magistri Joannis Parvi, quam ipse vocat, Justificationem Domini Ducis Burgundiæ.

Secundus, ad faciendum collationem de dictis quaternis, ad certas Assertiones in cedulis, super quibus deliberatum est in prædicto Concilio Fidei contentas.

Tertius est, an in dictis quaternis contineantur aliqui errores.

Quo ad primum. In præsentia dictorum Deputatorum facta est collatio undecim quaternorum, in quibus nulla reperta est differentia, saltem quæ sensum variet.

Quo ad secundum Articulum. Prima Assertio cedulæ: *Chacun tyran*, &c. & quarta, de Moyse; & sexta, de Joab, secundùm deliberationem multò majoris partis Deputatorum, sufficienter continentur in prædictis quaternis, inspectis & consideratis conclusione quam proponens cum suis circunstantiis C nititur justificare, & modo applicationis Majoris, ad dictam conclusionem eliciendam & justificandam.

Secunda, de Michaële; & septima, de juramento, cum prima parte tertiæ, de Phinées, secundùm opinionem omnium Deputatorum, formaliter continentur in quaternis prædictis: secunda tamen pars dictæ tertiæ Propositionis de Phinées, quòd scilicet *Zambri non fuerit idolatra*; non est reperta, nisi in codice uno aliàs Facultati Theologiæ transmisso.

Quinta, de Judith, & Jehu, ex deliberatione multò majoris partis Deputatorum, licèt in forma non contineantur in prædictis quaternis; quia tamen Jehu mentitus est, fingendo se velle adorare Baal; & Judith, Olopherni adulata est: ne singula puncta historiarum dictarum in quaternis prædictis allegatarum crederentur esse licita, & valere ad Ju- D stificationem adulationum & mendaciorum, convenienter in prædicta cedula posita est.

Quantùm vero ad tertiam, supposita descriptione tyranni quam allegat præfatus proponens à beato Gregorio, in probatione primæ Propositionis quarti Articuli prædictæ justificationis quam appellat Veritatem: videlicet *Tyrannus propriè dicitur, qui in Republica non jure principatur, aut principari conatur.* Licèt valdè multa reperiantur in prædicta justificatione huc inde dispersa, quæ prima facie non benè sonare videntur: aliqua tamen quæ principaliora videntur, & præ ceteris consideranda, ex deliberatione Deputatorum super hoc à prædictis ordinatorum extracta sunt; super quibus, secundùm eorum opinionem Concilium Fidei habet deliberare, & videre an rationabiliter reprobanda sint, atque condemnanda.

Primum dictum.

Il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement, selon les Loix, morale, naturelle & divine, d'occire, ou faire occire tous tyrans, qui par convoitise, A *barat, sortilege, ou malengin, machinent contre le salut corporel de leur Roy, & souverain Seigneur, pour luy ravir sa tres noble & tres haute Seigneurie; & non pas seulement licite, mais honnorable & meritoire; mesmement quand il est de si grande puissance, que justice n'en peut bonnement estre faite par le Souverain.*

Secundum dictum est.

Les Loix, naturelle, morale & divine, autorisent un chacun sujet d'occire, ou faire occire le dit tyran.

Tertium dictum est.

Il est licite à un chacun subjet, honnorable & meritoire, d'occire, ou faire occire le dessus nommé tyran, traistre & desloyal à son Roy & souverain Seigneur, par aguettes & espiemens, & si est licite de dissimuler, & taire sa volonté de ainsi faire.

Quartum dictum est.

C'est droit & raison & equité, que tout tyran soit occit vilainement, par aguettes & espiemens; & est la propre mort de quoi doivent mourir tyrans desloyaux, que de les occire vilainement, par bonnes cautelles, aguettes & espiemens.

Quintum dictum est.

Celui qui occit, ou fait occire le tyran dessus nommé, es manieres que dit est, ne doit de rien etre repris: & ne doit pas seulement le Roy estre content; mais doit avoir le fait agreable, & l'autoriser en tant que mestier & besoin seroit.

Sextum dictum est.

Le Roy doit guerdonner, & remunerer celui qui occit, ou faire occire le tyran dessus nommé, en la maniere que dit est, en trois choses; c'est à sçavoir en amour, honneur & richesses, à l'exemple des remunerations faites à saint Michel l'Archange, pour l'expulsion de Lucifer du Royaume de Paradis: & au noble homme Phinées, pour l'occision du Duc Zambri.

Septimum dictum est.

Le Roy doit plus aimer que paravant icelui qui occit, où fait occire le dessus nommé tyran, es manieres dessus dittes, & doit faire prescher sa foy & bonne loyauté par son Royaume, & dehors le Royaume; les faire publier par Lettres, par manieres d'Epitres, ou bien autrement.

Octavum dictum est.

Littera occidit, spiritus vivificat, 2. Cor. III. 6. *C'est à dire, que toujours tenir le sens litteral en la sainte Escriture, est occire son ame.*

Nonum dictum est.

Au cas d'alliance, promesse, où confederations faites de Chevalier à autre, en quelque maniere que ce soit, où puisse estre; s'il advient que ils tournent au prejudice de l'un des prometteurs, ou confederés, de son epouse, ou de ses enfans, il n'est de rien tenu de les garder.

Hoc probatur ex ordine charitatis, quâ quilibet plùs tenetur se ipsum diligere, uxorem & liberos, quàm alterum.

A Quâ quidem cedulâ sic lectâ & auditâ, prædicti Deputati unanimiter, & concorditer, secundùm multò majorem partem eorumdem, deliberaverunt prædictam cedulam coram eis tunc lectam, fuisse & esse in bonâ formâ extractam, ac modificatam, seu mitigatam in modo terminorum; & eis placuit & placebat quòd ipsa cedula, in forma in qua erat, legeretur & publicaretur in Concilio Fidei proximo celebrando, pro relatione ipsorum Deputatorum fienda.

Actum, die quo supra, præsentibus discretis viris, Magistris Nicolao de Villa-nova, Magistro in Artibus, & Licentiato in Decretis; Alano Percellani, Magistro in Artibus, testibus ad hoc vocatis & rogatis.

B Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, quæ fuit septima ejusdem Mensis Februarii, fuit lecta prædicta cedula Deputatorum, per venerabilem & circumspectum virum, Dominum Officialem Parisiensem in Concilio Fidei, astantibus Dominis Judicibus; ac præsentibus quamplurimis Doctoribus & Magistris in Theologia, & etiam Licentiatis, ad prædictum Concilium per dictos Dominos Judices vocatis, cum numerosâ multitudine aliorum Dominorum ibidem præsentium. Quâ quidem cedulâ, pro relatione dictorum Deputatorum, sic de verbo ad verbum per dictum Dominum Officialem perlectâ, fuit conclusum quod mitterentur cedulæ omnibus Magistris & Licentiatis in Theologia, & etiam Dominis, & aliis Magistris, secundùm quod videtur Dominis Judicibus expedire, continentes præfatam relationem dictorum Deputatorum Concilii Fidei ibidem lectam, ut Magistri possent dare maturum & salubre consilium, ad ulteriùs procedendum in materia ista, in honorem Dei, & laudem & exaltationem Fidei nostræ Catholicæ.

Sequitur tenor Cedularum missarum Magistris.

EX parte Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris hæreticæ pravitatis, Magister Reverende, mittitur vobis cedula, continens Assertiones aliquas extractas per Deputatos ad hoc ordinatos, ex deliberatione Concilii Fidei, ex quaternis pluribus Propositionis Magistri Joannis Parvi, quam ipse vocat Justificationem Domini Burgundiæ: requirentes vos, in favorem Dei, & die duodecima Mensis Februarii compareatis in camera nostra Episcopali, ad dandum nobis salutare consilium, super prædictis Assertionibus, an sint erroneæ & rationabiliter condemandæ, ut consequenter procedere valeamus sicut ordo Juris postulat.

Præsupposita descriptione tyranni quam allegat præfatus proponens, à beato Gregorio, in probatione primæ Assertionis quarti Articuli prædictæ Justificationis, quam appellat Veritatem; videlicet, *Tyrannus propriè dicitur, qui in Republica non jure principatur, aut principari conatur.*

Prima Propositio est.

Il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement, ou Commandement, selon les Loix, morale, naturelle & divine, d'occire, où faire occire tout tyran, qui par convoitise, barat, sortilege, ou malengin, machine contre le salut corporel de son Roi, & souverain Seigneur, pour lui tollir sa tres noble & tres haute Seigneurie; & non pas seulement licite, mais honnorable & meritoire, mesmement quand il est de si grande puissance, que Justice ne peut bonnement estre faite par le Souverain.

Secunda Assertio.

Les Loix, naturelle, morale & divine, autorisent un chacun d'occire, où faire occire le dit tyran.

Tertia Assertio.

Il est licite à un chacun subjet, honnorable & meritoire, d'occire, où faire occire le dessus nommé tyran, traistre & desloyal à son Roy & souverain Seigneur, par aguettes, & espiemens; & si est licite de dissimuler, & taire sa volonté de ainsi faire.

Quarta Assertio.

C'est droit, raison & equité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguettes, & espiemens, & est la propre mort de quoi doivent mourir tyrans desloyaux, que de les occire vilainement, par bonnes cautelles, aguettes, & espiemens.

Quinta Assertio.

Cil qui occit, ou fait occire le tyran dessus nommé, es manieres que dit est, ne doit de rien estre repris; & ne doit pas seulement le Roy en estre content, mais doit avoir le fait agreable, & l'autoriser en tant que mestier, ou besoin seroit.

Sexta Assertio.

Le Roy doit guerdonner & remunerer celui qui occit, en la maniere que dit est, ou fait occire le tyran dessus C *nommé, en trois choses, c'est à sçavoir en amour, honneur & richesses, à exemple des remunerations faittes à saint Michel l'Archange, pour l'expulsion de Lucifer, du Royaume de Paradis; & au noble homme Phinées, pour l'occision du Duc Zambri.*

Septima Assertio.

Le Roy doit plus aimer que paravant celui qui occit, ou fait occire le tyran dessus nommé, es manieres dessus dittes, & doit faire prescher sa foy & bonne loyauté par son Royaume, & dehors le Royaume, le faire publier par Lettres, par manire d'Epitres, ou autrement.

D *Octava Assertio.*

Littera occidit, spiritus autem vivificat. 2. Cor. III. 6. *C'est à dire que, toujours tenir le sens litteral en la sainte Escriture, est occire son ame.*

Nona Assertio.

Au cas d'alliance, serment, promesse, ou confederation faite de Chevalier à autre, en quelque maniere que ce soit, ou peut estre; s'il advient qu'il tourne au prejudice de l'un des prometteurs, ou confederés, de son

son epouse, ou de ses enfans, il n'est en rien tenu de les garder.

Hoc probatur ex ordine charitatis, quo quilibet plus tenetur se ipsum diligere, uxorem & liberos, quàm alterum.

ACTIO V.

Sequuntur nomina Magistrorum, & Licentiatorum, qui habuerunt cedulas.

ET primò, Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Episcopus Nannetensis, Licentiatus in Theologia.

Reverendus Pater, Dominus Abbas sancti Dionysii, in Francia.

Magistri in Theologia.

Magister Dominus Parvi.
Magister Joannis Brevis-coxæ.
Magister Petrus de Dierreio.
Magister Mathæus Roderii.
Magister Jourdanus Morini.
Magister Ursinus Taillenande.
Magister Joannes Mathiæ.
Magister Herneus de Villa-nova.
Magister Radulphus Paris.
Magister Henricus de Bragella.
Magister Guillelmus Squirelli.
Magister Petrus de Nogento.
Magister Abbas de Cormeriaco.
Magister Nicolaus de Duno.
Magister Gerardus Emengart.
Magister Jacobus Joanne.
Magister Joannes de Laudissono.
Magister Joannes Baldoni.
Magister Joannes Brout.
Magister Guillelmus Cholet, Carmelita.
Magister Joannes Michaëlis, Jacobita.
Magister Petrus de Versailles.
Magister Thomas de Cracovia.
Magister Rolandus Braganel.
Dominus Præpositus sancti Germani de Pratis.
Magister Jacobus de Lisodio magno, Augustinensis.
Magister Guillelmus Bovella.
Magister Emericus de Bituria.
Magister Benedictus Gentiam,
Magister Dyonisius Pagani,
Magister Gerardus Macheti.
Magister Radulphus de Porta,
Magister Guillelmus Pinguis avis
Magister Joannes Dacheri,
Prior de Calvomonte.
Magister Joannes de Dulcimenillo.
Magister Guillelmus Pulchrinepotis.
Prior Sancti Victoris.
Magister Franciscus, Bernardistarum Regens.
Magister Bertrandus Paratoris.
Magister Joannes de Vinzeriis, Cluniacensis,
Magister Thomas Hobe
Magister Petrus de Cautela.

Sequuntur nomina Licentiatorum.

Dominus Chaillon.
Magister Guillelmus Tranchemant.
Petrus Parvi.
Guillelmus Boncherii.
Andræas Bernardi.
Frater Petrus de Glenesiis, Cluniacensis.
Philibertus de Anvencio.
Joannes de Montenelon.
Petrus Richardi.
Frater Jacobus Magni, Augustinensis.

ANNO Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die Lunæ post octavam Festi Purificationis beatæ Mariæ, duodecima Februarii, coram A Reverendo Patre Domino Gerardo, Episcopo Parisiensi, absente Domino Inquisitore, qui se fecit excusari, qui infirmabatur; congregatis in Concilio Fidei Dominis & Magistris infra scriptis, fuit primò lecta per Dominum Officialem quædam Littera Regia, directa Domino Episcopo Parisiensi, continens præsentis Concilii materiam; cujus quidem Litteræ Regiæ tenor est talis.

„CHARLES, par la grace de Dieu, Roy de „France, à nostre amé & feal Conseiller, l'Evesque „de Paris, ou à ses Vicaires en spirituel, & Official. „Salut & direction.

„Comme n'aguieres nous considerans que l'abon„dance des biens & des graces que Dieu nostre Crea„teur, de sa misericorde nous a fait; & aussi les ver„tueuses & loüables . . . . . . de nos predeces„seurs Roys de France, qui, entre tous les Princes „Chrêtiens, ont toûjours été les principaux prote„cteurs, & gardiens de sainte Eglise; & les specieux B „deffenseurs, & champions de la Foy Catholique; „& desquels la principalle cure & sollicitude a esté, „d'extirper & nettoyer leur Seigneurie de toutes „heresies, erreurs, & autres choses mal sonantes „en nostre Foy: tellement qu'à l'ayde de nostre „Seigneur, & par leur sainte & bonne prevoyance, „nostre dit Royaume est demeuré jusques à ores, „sans tache, ou corruption d'heresie & d'erreur „contraire à la doctrine de nostre Mere sainte Egli„se. Pour laquelle cause nos predecesseurs Roys de „France ont esté, & sont appellés es saints Canons, „les Roys tres-Chrêtiens; nous contraignent & doi„vent raisonnablement esmouvoir à prendre les armes „& l'escu de Justice, & nous eslever en l'ayde & def„fense de la Foy Chrêtienne, pour faire damner & „convaincre toutes heresies & erreurs, & meme„ment celles qui de nostre temps seroient eslevées, „& auroient esté semées en nostre dit Royaume: „nous vous eussions rescrit & mandé par nos autres C „Lettres pattentes, que comme il fut venu à nostre „connoissance, que depuis aucun tems, plusieurs „heresies, & autres choses mal sonantes en nostre „Foy, eussent été dittes, proferées, mises en avant en „nostre Royaume, tant en nostre ville de Paris, com„me ailleurs; lesquelles eussent, & ont esté depuis pu„bliées & semées par tout nostre dit Royaume & de„hors, en plusieurs & diverses Regions, tant par „escrit, comme autrement; dont plusieurs maux & „inconveniens irreparables se eussent pu, & pourroient „ensuïr: non pas seulement en nostre dit Royaume; „mais par toute Chrêtienté, si provision ny estoit „mise, telle que appartient au cas; que appelliés avec „vous l'Inquisiteur des heresies, ou son Commis, où „Lieutenant, & aussi des plus notables Maistres de „la Faculté de Theologie, & autres Clers de nostre „fille l'Université, en tel nombre, comme il appar- D „tiendroit: vous enquissiés, ou fissiés enquerir des „dittes erreurs, & autrement procedissiez à la repa„ration, correction & amandement d'icelles: car „les dittes paroles, ou conclusions, si comme l'en „dit, estoient & sont fausses, mauvaises contre no„stre Foy, & la doctrine & vray entendement de la „sainte Escriture: & par consequent offensives de la „divine Majesté, & disposées à damnation perpe„tuelle des ames de ceux qui erroient & se hurte„roient pertinacement aux dittes heresies, où er„reurs: & si sont inductives de peché mortel, & „don-

„ donnans occasion de mal faire: & avec ce, font contre bonnes mœurs, tendans à destruction de toutes „ Seigneuries terriennes; & par consequent à la subversion de la police de toute la chose publique, & „ contre nostre Royalle Majesté, en maintes manieres: & si pourroient redonder à la tres-grande charge, deshonneur & blâme de nous, & de nostre „ Royaume, auquel elles ont esté eslevées & mises „ sur, ce par nous n'y estoit pourveu.

„ Sur la quelle chose, combien que deslors elle fut, „ & ait esté grandement ouverte & connuë, vous „ n'avez encore fait aucune execution; mais encore „ pend le dit procés par devant vous, sans sur ce avoir „ esté fait, ny donné aucune conclusion, dont nous „ avons esté & sommes moult emerveillés; & ne sçavons considerer cause pourquoy vous doyez avoir „ differé à faire le dit procés; nous qui ne pouvons, „ & devons tollerer, ny dissimuler les dittes erreurs, „ saulve nostre couronne & nostre dignité Royalle: „ mais en suivant les bonnes & saintes œuvres de nos „ dits predecesseurs, desirant souverainement, sur „ toutes les cures & sollicitudes, regardans nous & „ nostre Seigneurie, de detruire & extirper toute maniere d'heresies & erreurs, qui seroient eslevées en „ nostre dit Royaume, & de le garder & conserver „ en limite de la vray Foy Catholique, en la doctrine „ de nostre Mere sainte Eglise.

„ Et attendu aussi que nostre Cousin le Duc de „ Bourgogne & ses complices, auxquels, si comme „ on disoit, & dit que cette matiere touchoit, & „ touche, ne se montre, ne rend point humiliant, „ ne condescendant à venir à correction, & bon amandement: en ore luy & ses dits complices, „ ont fait, & font tres grifve guerre ouverte contre nous, nostre Seigneurie, & contre ceux de nostre sang & lignage, contre & pardessus nos deffenses & inhibitionis à luy si solemnellement faites.

„ Et comme il est tout notoire, & sans ce que de ce „ faire il ait aucun titre veritable, apparent & convenable: & encore dient plusieurs, que l'armée & ce „ qu'il met sus, en contempt du dit procés, de „ nostre Foy, pour iceluy discours empescher, en „ eux montrant pertinax & incorrigibles, & contre „ le bien & la verité de nostre ditte Foy, & de toutes bonnes mœurs. Nous vous prions, & admonestons derechef, & neantmoins mandons & enjoignons, sommons & requerons, sur le deub de vôstre Office, & sur les peines introduittes de Droit, „ en cas de negligence, en tel cas; & d'être tenu & „ reputé fauteur & suspect des heresies, ou erreurs: „ que appelliés avec vous, sçavoir le dit Inquisiteur „ des heresies, ou son Commis, ou Lieutenant, des „ plus notables Maistres de la Faculté de Theologie, „ ou autres sages Clercs de nostre fille l'Université de „ Paris, en tel nombre comme il appartiendra, comme dit est, vous enqueriés & vous informiés tresdiligemment des dittes erreurs & heresies, & mêmement de celles qui par nostre Procureur en Cour „ d'Eglise, ou autres, vous seront demontrées, „ specifiées, où declarées; & dont serés requis: & „ tout ce que vous en pourrés trouver, tant par écrit „ comme autrement, deüement veés, & faites voir, „ & visiter diligemment, & ce par l'inspection des „ Escritures sur ce faittes, & par temoins dignes de „ Foy, ou autrement, deüement il vous appert des „ dittes erreurs; vous procediés en la correction, „ reparation & amandement d'icelles erreurs, en & „ par toutes les voyes & manieres qui se peuvent & „ doivent faire, par raison; tellement que ce soit à la „ loüange de Dieu, à l'exaltation de nostre Foy, à „ l'honneur de nous & de nostre Royaume, & en „ ces choses, se mestier est, appelliés avec vous l'ayde „ du bras seculier, si besoin en avés, lequel vous sera baillé, toutefois que requis en sera par vous, „ aussi comme autrefois, & par nos dittes autres „ Lettres.

„ Donné a Paris le quart jour de Febvrier, l'An de „ grace, mil quatre cent & treize: & de nostre Regne „ le trente quatriéme.

Sic Signatum PAR LE ROY à la relation de son grand Conseil DE CASTEL.

A Post quam quidem lecturam, Domini & Magistri sequentes deliberaverunt super cedulas eisdem transmissas, & etiam super tota Propositione Magistri Joannis Parvi, prout per Dominum Episcopum Parisiensem hodie petitum & requisitum fuit, quòd illi qui viderunt dictam Propositionem super illam etiam deliberent. Et primò.

Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus S. Nannetensis Episcopus, dedit deliberationem suam in scriptis, quæ fuit lecta per Dominum Officialem, cujus deliberationis tenor inferiùs describitur.

Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Nannetensis Episcopus, deliberat in hunc modum.

Præsuppositis scilicet protestationibus, & submissionibus in consimili, vel potiùs eadem materia, B aliàs per me factis, quas sæpè repetitas habere volo, quotiescumque de prædicta materia sum dicturus aliquid, vel scripturus.

Præsupposita etiam descriptione tyranni, in prædicta cedula contenta, cum assertoris intentione, quæ in Minore suæ Propositionis lucidè declaratur: videtur mihi, prout aliàs visum fuit, quòd continentia principalis primæ Assertionis, de occisione tyranni, sine jussu; non minùs, imò magis est reprobanda, taliter circumstantionata quàm fuerit sine ipsis, ut patet per singulas clausulas discurrendo. Quod enim in hac Assertione ponitur, *hoc licere, secundùm Leges naturalem, moralem & divinam*; falsum videtur & erroneum, cùm nulla Lege hoc liceat, quinimò cunctis Legibus sit repugnans: & per consequens quòd ad hoc aliquem autorisat, quod est contra secundam Assertionem: cunctis enim Legibus, ad hujus Præcepti, *Non occides*, observationem omnes tenemur: & quicumque ab ejus observatione C excipiuntur, in ipsis Legibus, vel ipsarum expositionibus exprimuntur, saltem in divina & humana.

De divina namque patet per discursum Novi & Veteris Testamenti, in quibus explicitè & implicitè cuncta continentur, ad quæ Deus obligat humanam creaturam; cùm Lex divina sit signum verum revelatum creaturæ rationali, quod est signum rectæ rationis divinæ, volentis illam creaturam teneri, seu ligari ad aliquid agendum, vel pro dignificatione ejus ad vitam æternam salubriter consequendam.

Talis autem notificatio divinæ voluntatis ad hominem, taliter obligari per sacram Scripturam, facta est ut aliquis ignorantiam non prætendat.

Similiter etiam Lex naturalis, quæ humana dicitur, quia moribus constat, & habetur in prima Distinctione *Decretalium*, cuncta potenter exprimit, ad quæ obligat creaturam, aliàs esset irrationabilis & D injusta. *Est* enim *Lex*, ut ait Isidorus, in sexto Ethicorum, in Decret. quarta Distinct. *honesta, justa, possibilis, necessaria, utilis, manifesta, & ne aliqua per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi virtute conscripta.*

Ex quo apparet quòd in Lege humana, cùm sit in scriptis tradita, manifestentur omnia, quæ reddit hominem obligatum, quia est signum verum, humana traditione & autoritate immediatè constitutum, ligans ad aliquid agendum, vel non agendum, pro consecutione finis alicujus humani, subordi-

ordinatio ad finem ultimum, æternam scilicet beatitudinem consequendam. Et cùm in prædictis Legibus nulla reperiatur exceptio de tyranno, sicut de quibusdam aliis exceptis, expressè, clarè & lucidè reperietur, prout est etiam necesse, ad hoc quòd Lex sit obligatoria: sequitur quòd frivola, & perniciosa est exceptionis hujusmodi allegatio, de qua constare non potest.

Quamobrem nulla est consequentia. Fur nocturnur, insidiator itinerum, & nonnulli alii humanis Legibus licitè puniuntur, ergo similiter & tyrannus. Nam si & antecedens concederetur, ita quòd licitè tales occidi valerent à quolibet, sine jussu, hoc est propter Legis autoritatem; quæ cùm sit magis restringenda quàm amplianda, ad non expressos nullatenùs se extendit. Sed istud antecedens minùs sano innititur fundamento, cùm supponat aliquos autorisari à Lege, ad quos occidendos, sine quocumque jussu, vel Præcepto, quibus Lex nullam autoritatem habuit, saltem ipsius excusabilem apoto* olim secundùm Leges civiles, licebat cuilibet occidere deprehensum in turpi actu cum Matre, filia, sorore & uxore: sed Leges hodie correctæ sunt, neque nunc hoc per Leges permittitur; nisi Patri solùm de aliquo, si illum in tali turpi actu cum filia deprænhendat. Sed etiam hoc non juvat: nam, ut ait Nicolaus Papa: Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur Legibus: gladium non habet, nisi spiritualem, quo non occidit sed vivificat. Trigesima tertia. Quæst. secunda. Capite. *Inter hæc.* Super quo dicit glossa: *Licèt Patri detur, secundùm Leges, licentia occidendi; si tamen interficiat, non excusatur à culpa, vel à peccato, licèt à pœna civili excusetur. In criminibus enim*, dicit glossa, *dico specialem concessionem Canonis esse necessariam, quo ad culpæ immunitatem.* Unde cum dicitur, *Non occides*, nec specialiter isti excipiuntur à Canone: ergo occidentes peccant. Per quod habetur expressè quòd supra dictum est, specialem scilicet expressionem exceptionis necessariam, ut quis Legis autoritate ab homicidio excusetur: nam etiam omnes excepti non sunt excusabiles absolutè, ut patet, occidens furem nocturnum, vel latronem insidiantem, vel alium quemlibet invadentem; nisi solùm ad legitimam defensionem exactissimam diligenter observatam; ut scilicet se deffendens, nullam intentionem habeat occidendi, sed se tantummodò deffendendi. Nam ut ait Sanctus Thomas N. quæst. quadragesima quarta, in Articulo quo respondet ad quæstionem: „ Utrùm liceat alicui se ipsum deffen„dendo, alium occidere.

„Ex actu alicujus se ipsum defendentis, sicut „effectus sequi potest. Unus quidem, conservatio „propriæ vitæ; alius autem, occisio invadentis. „Actus autem ex hoc quòd intenditur conserva„tio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; „cùm hoc sit cuilibet naturale quòd se conser„vet in se, quantùm potest. Potest tamen aliquis „actus ex una intentione proveniens illicitus red„di, si non sit proportionatus fini. Et ideò, si „quis ad deffendendum vitam utatur majori violen„tia quàm oporteat, erit illicitum. Si verò mode„ratè violentiam repellat, erit licita deffensio. Nam „secundùm Jura. *Vim vi repellere licet*, cum tamen „moderamine inculpatæ tutelæ; nec est necessa„rium ad salutem, ut homo actum moderatæ tute„læ prætermittat, ad evitandum occisionem alte„rius, quia plùs tenetur homo vitæ suæ, quàm vi„tæ alienæ: sed hominem occidere non licet, nisi „publica autoritate, propter bonum commune, ut „ex supra dictis patet. Illicitum est quòd homo in„tendat occidere hominem, ut se ipsum defendat, „nisi ei qui habet publicam autoritatem: quia inten„dens occidere ad sui defensionem, refert hoc ad „publicum bonum, ut patet in milite pugnante „contra hostes, & in ministro Judicis pugnantis „contra latrones, quamvis & isti etiam peccent, si „privata libidine moveantur. „ Hæc Sanctus Thomas, ubi supra.

• Locus corruptus.

Per quod apparet manifestè quòd pro liberatione, vel salute cujuscumque alterius, non licet hominem ex intentione occidere, ad hoc * non liceat pro se ipso; & per consequens quòd nec à Lege divina, nec humana est licitum; nec etiam datur autoritas
A alicui, ad tyrannum, vel alium criminosum puniendum, sine jussu potestatem habentis. De lege verò naturali asserere hoc licere, valdè dissonum videtur: nam cùm Lex naturalis sit signum inditum cuilibet humano, † non impedito in usu debito rationis, notificationum ‡ rectæ rationis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri, seu obligari ad aliquid agendum, vel non agendum, pro consecutione sui finis naturalis, qui finis est felicitas humana, & in multis habita conversio domestica, & etiam politica, cùm homo sit naturaliter animal communicativum & civile: patet quòd nihil licet, vel autorisatur à Lege, quod non liceat, & autorisetur à Lege divina, quæ omnia principia Juris naturalis continet.

Unde, secundùm Ambrosium, *In Exameron: Voluntas Dei, Lex divina est.* Et Isidorus, in quinto
B Ethicorum: *Omnes*, inquit, *Leges aut divinæ sunt, aut humanæ. Divinæ natura, humanæ moribus constant*: ut habetur in prima Distinct. Decret. *Secundùm* enim *quòd principiorum naturalium indita est notificatio creaturæ rationali, per immediatam irradiationem divinæ Legis*, ut dicit Augustinus. Et sanctus Thomas in prima secundæ. Quæstione nonagesima prima. Articulo secundo. *Lex naturalis*, inquit, *nihil aliud est quàm impressio divini luminis in nobis, quo discernimus quid sit bonum, & malum.* Quare forsan meritò dici posset quòd illi qui in teneri ætate propriè moventur ad aliquid arduum, ad virtutem pertinens exercendum, hujusmodi principiis naturalibus illustrantur: si verò ad ardua vitia moveantur, signum est perturbationis virium naturalium, & conversationis ** ipsarum ad sævitiam & animi crudelitatem. Ad quod possent applicari exempla quæ tradit Va-
C lerius, *in tertio Libro, Cap.* 1. de Æmilio Lepido, & Catone. Inquit ad hæc: *Puer progressus in aciem, hostem interemit, civem servavit: cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata, & incincta prætexta, Senatusconsulto posita. Iniquum enim putavit eum honori nondùm tempestivum videri, qui jam virtuti fuisset maturus.* Et sequitur pro ejus laude. *Præcurrit igitur Lepidus ætatis stabilimentum fortiter faciendum celeritate, duplicemque laudem tulit è prælio, cujus eum vix spectatorem Anni patiebantur.* Æmilio namque ad pietatis officium, ad proximi scilicet, & patriæ tuitionem, seu deliberationem natura virtutem singula ritè proponit, quod Catoni ad exequendum crudelitatis officium denegavit: Quibus enim in justo prælio de hoste patriæ, ad ejus & gentis Æmiliæ perpetuam gloriam puer e-
D tiam mirabiliter triumphavit: Catoni verò natura tenelli carnificis tantæ inhumanitatis abhorrens propositum, vim negavit, ne contra ejus naturæ jura amicum eum in lecto foventem inter amplexus & levita † furtiva præsidia jugularet: quod quidem propositum licèt à nonnullis eidem adscribatur, ad laudem omnium, tamen littera monstrat, ubi dicitur quòd *Cùm salutandi gratiâ ad Syllam prætexatus venisset, & capita proscriptorum in atrium allata vidisset; atrocitate rei commotus, pedagogum * interrogavit: quapropter nemo inveniretur qui tàm crudelem*

S 3

• Locus corruptus. † *Forsan* homini. ‡ *Forsan* significativum. •• *Forsan* conversionis. † Locus corruptus. * desideratur *Sarpedonem.*

lem tyrannum occideret. Cùmque is non voluntatem hominibus, sed facultatem desse, quod salus ejus magno militum præsidio custodiretur respondisset: ut ferrum sibi daretur obsecravit, affirmando, se pro facili eum interfecturum, eo quòd in lecto illius considere soleret. Et sequitur in textu propositum Catonis. *Pedagogus propositum exhorruit, & animum agnovit, eumque posteà ad Syllam excussum adduxit. Nihil*, inquit Valerius, *hoc admirabilius. Puer in officina crudelitatis deprehensus, non extimuit victorem* &c.

Ex quo patet quòd hoc Catonis propositum tàm à pedagogo quàm à Valerio reprobatur, pro ut est etiam meritò repudiandum, tanquam impium & crudele, attenta præsertim ætatis teneritudine, ad sæva nimiùm properante, designanteque respondere sævo principio sui finis. Et si Cato in provecta ætate hoc dixisset, certè multò detestabilius dictum esset, quia crudelitates designaret & perfidiam voluntatis. Dicta etiam ejus non sunt pro Lege habenda, nec facta ejus etiam imitanda, quod ejus exitus patefecit: quia post victoriam Cæsaris, quia Pompæium concitaverat, maluit ultimo veneni haustu perire, quàm Cæsaris miserâ vitâ, bonis, patriâque potiri.

Ex præmissis igitur apparet quòd nihil secundùm Legem naturalem est licitum, quod non licet secundùm Legem divinam: quia etiam, ut habetur in principio Decreti; Jus naturale est, quod in Lege, & Evangelio continetur, quo quis jubetur alteri facere quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi non vult fieri. Unde Christus, in Evangelio: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite. Hæc est enim*, inquit, *Lex & Prophetæ.* Matth. VII. 12. Sub quo Præcepto contrarii prohibitio intelligitur, per quandam consequentiam: nam ubi unum contrariorum præcipitur, & per consequens aliud prohibetur. Lex enim naturalis non solùm explicitè, sed etiam implicitè continetur in Evangelio, ubi non solùm actus interiores reales proximo damnosi & injuriosi; sed verbales & mentales etiam prohibentur.

Patet etiam quòd nulla Lege datur, aut licet alicui ad quemcumque tyrannum taliter occidendum, quod est contra principalem partem primæ Assertionis, & contra secundam Assertionem. Nec obstant modificationes & circumstantiæ de machinatione contra salutem corporalem Regis, cupiditate, dolo, sortilegiis, vel maleficiis quibuscumque &c. Quia, ut in alio scripto meo posui, hoc excludit autoritas Augustini, de directo, quæ habetur in Decret. XXXIII. Quæstione ultima. Tertio capite. *Quicumque verò sine publica administratione furem, sortilegum, adulterum, & perjurum, vel quemcumque criminosum interfecerit, aut trucidaverit, aut membris debilitaverit; velut homicida judicabitur, & tantò acriùs quantò non sibi concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.*

Ex qua autoritate habetur expressè, quòd nullus criminosus est sine jussu publicæ authoritatis occidendus; quin imò criminosior, tantò graviùs peccat occidens, qui plurimùm Jurisdictionem impedit & perturbat: cognitio enim sortilegii, & malefactorum talium, ad Ecclesiasticum Forum spectat; & sic peccaret contra Ecclesiam, ejus Jurisdictionem impediendo. Cognitio verò machinationis contra personam Regis, ad ipsum Regem, & ad ejus Justitiam pertinet: cujus Majestatem lædere, & graviter offendere dignoscitur vassallus impediens, vel dans operam quominùs talis machinator per Regis Justitiam puniatur; peccat enim contra Regiam Majestatem, impediendo suam Justitiam, quæ ad ejus pertinet honestatem, prout expressè, de forma fidelitatis; XXII. *Quæstione ultima*, circa finem: ubi enumerando ea ad quæ vassalus tenetur Domino Feudati, quæ continentur sub his verbis: *Incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile.* Et exponendo illud vocabulum, *honestum*, dicitur: *Ne sit ei in damnum de sua justitia; vel de aliis causis quæ ad honestatem ejus pertinere videntur.*

Constat autem quòd talis occidens est in damnum Regi de sua justitia, dupliciter: ipsam sibi usurpando, scilicet; & ne per Regem fieret impediendo: & per consequens, peccat contra Regiam Majestatem.

A Præterea nulla Lege permittitur, vel licet alicui pro quacumque machinatione contra suam propriam personam; quia sola legitima deffensio privato cuilibet est permissa. Ergo à fortiori, nec propter machinationem aliquam contra Regem, cui munus † obligatur ex ordine charitatis. Nec obstat clausula finalis dictæ Assertionis, de tanta tyranni potentia, quòd per Superiorem justitia de ipso fieri nequiret: quia secundùm intentionem assertoris, cui satis congruit descriptio tyranni per ipsum allegata; pauci sunt tyranni de quibus justitia nequiret fieri.

Non jure principari, duobus modis intelligi potest. Uno modò; non justo titulo Principatum alterius usurpare; & de tali tyranno non intellexit assertor, cùm sit notorium illum quem nominat in sua Propositione, non usurpare Principatum Regis

B sui. Et si dicatur quòd etsi non effectu; tamen affectu, & quod ex solo conatu principandi dicitur quis tyrannus; ut patet ex descriptione prædicta, & quòd solus conatus reddit quem reum crimine læsæ Majestatis, per Leges Honorii, & Arcadii Imperatorum, quæ ponuntur in Decreto. Sexto. Quæstione prima. *Si quis cum militibus.* Respondetur quòd si pro conatu voluntatis efficacis debeat quis puniri pro crimine lesæ Majestatis, pro nullo tamen crimine est aliquis tali morte plectendus subitaneâ, sclicet & improvisâ à quocumque, non solùm privato, sed etiam nec à Judice, Principe, Rege, vel Imperatore.

Esto etiam quòd sit judicialiter condemnandus ad mortem; tamen propter debitam Justitiæ manifestationem, ad reprimendam superborum audaciam; tùm etiam propter periculum animarum, tàm repentè & subitaneè peremptarum, de quorum salute verisimiliter dubitatur, juxta id quod habetur in capi-

C te. *Pro humani. De homicidio.* Libro sexto. *Cum igitur illi qui sic horrenda immanitate *, detestandaque sævitiâ mortem sitiunt aliorum, ut ipsos faciant per assassinos occidi; non solùm corporum, sed mortem procurent animarum, nisi eos exuberans gratia divina prævenerit ut sint armis spiritualibus præmuniti.* Cujus Decretalis pœnam non videtur effugere, qui sub specie pietatis, ut pote salutis Regis, vel cujusvis alterius utilitatis publicæ, vel privatæ, quemcumque tyrannum, vel alium sic occideret.

Esto etiam quòd quacumque Lege liceret tyrannum talem occidi, de quo loquitur assertor: quamplurima requirerentur ad hoc quòd alicui privato hoc liceret: videlicet quòd esset notorium talem non posse comprimi per Superiorem, nec occidi per a-

D lium æque benè; vel aliàs coërceri, & quòd non posset ulteriùs tolerari, sicut interdùm expedit de multis malis tolerandis, ne deterius provenirentur; & quòd non fieret per mala media, nec mala intentione; sed solùm pro Reipublicæ utilitate, cum aliis circumstantiis requisitis ad opera virtuosa; inter quas principalior esset, quòd talis occisio cum animæ detrimento non esset. Quæ quidem circumstantia vix, vel nunquam potest observari in tali subitanea morte, seu occisione, juxta prædictum caput, *Pro humani.* Cujus edicto tamen principale dedit vitare periculum animarum: ad quod sacrorum

† *Forsan* minùs. * Inhumanitate.

rum Canonum conditores multa stabilimenta salubria condiderunt.

Et novissimè Clemens quintus, in Concilio Viennensi, abusum damnabilem, in quibusdam partibus introductum, & ultimo de proponendis suppliciis sacrum, * primæ contra statuta canonica negaretur, aboleri volens: omnibus Justiciariis & Dominis temporalibus, autoritate præfati Concilii, inhibuit, ne in eorum Dominiis talis abusus, de cetero, servaretur; locorum Ordinariis, ut ipsos super hoc per censuram Ecclesiasticam compellerent injungendo: alia A etiam circumstantia, quòd non fiat per mala media, per istas Assertiones nullatenùs observatur; nam media per quæ prætendunt dictæ Assertiones talem tyrannum occidi debere, sunt notoriè de se mala, utpotè mendacia, perjuria, fraudes, deceptiones &c.

Quia prædictus Joannes Parvi allegat sanctum Thomam & Salberiensem, & nonnulli alii secuti sunt eum, ad principalem Assertionem palliandam; restat ostendere quòd prædicti Doctores sunt magis contra ipsos, quàm pro ipsis: fundavit enim se super quandam responsionem sancti Thomæ, ad ultimam rationem quam facit super secundum Sententiarum. Quæst. *Utrum Christiani potestatibus secularibus, & præcipuè tyrannis teneantur obedire.* Arguit N. de hoc quòd *Tullius laudat eos qui Julium Cæsarem peremerunt, qui quasi tyrannus jura Imperii usurpaverat.* Et B in responsione dicit quòd *Tullius loquitur casu illo, quando aliquis Dominium per violentiam sibi subripit, nolentibus subditis, vel ad consensum coactis; & quando non est recursus ad Superiorem, per quem Judicium de invasore possit fieri: tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.*

Istam responsionem accipiunt pro fundamento Assertionis, de tyranno licitè puniendo, quod tamen est debile fundamentum: tum quia sanctus Thomas non asserit, sed recitat intentionem Tullii; non tamen approbat ejus laudem de morte Cæsaris, quam ipse sanctus Thomas sciebat Valerium reprobasse.

Unde, in C. *De Ingratitudine.* Valerius de interfectoribus ipsius Cæsaris loquens, hoc eis ad ingratitudinem reputavit, ait: *Urbis nostræ parentem Senatus in amplissimo dignitatis gradu ab eo collocatus in Curia laceravit; nec duxit nefas ei vitam adimere, qui æternum Romano Imperio spiritum ingeneraverat. Rude nimirùm illud & ferox sæculum, conditioris sui cruore fœdo maculatum, ne summa quidem posteritatis pietas dissimulare potest.* C

Esto etiam quòd uterque reprobandam mortem ipsam reprobasset, de nihilo servit ad propositum assertoris, quia mors Cæsaris non fuit perpetrata per privatum; sed potiùs per Senatum, ut ipse Valerius attestatur.

Tum etiam, quia dato quòd fuisset intentio sancti Doctoris intentionem prædicti Tullii, quam in prædicta Propositione declarat, approbare; ita scilicet quòd secundùm eum etiam esset licitum occidere talem tyrannum usurpantem, *non consentienti-* D *bus subditis, vel ad consensum coactis* &c. Talis tyrannus esset hostis publicus: de quali tyranno non intellexit, licèt ad suum propositum non serviret: eo quòd Dominus Aurelianensis non usurpaverat Dominium Regis, ut est dictum.

Adhuc tamen non sequitur quòd talis tyrannus esset à quolibet, sine autoritate, licitè puniendus; nec quòd sanctus Thomas hoc expresserit, vel intellexerit per illam solutionem.

Cum ejus verbis benè stat quòd non omni, sed illi soli liceret, ad deliberationem patriæ, etiam secundùm intentionem Tulli, tyrannum occidere, qui esset ad hoc deputatus per publicam potestatem; & talis occidens tyrannum autorisatus, & referendo occisionem ad utilitatem Reipublicæ, cum aliis circumstantiis requisitis, esset præmium accepturus: si propriâ autoritate hoc faceret, non laudaretur, nec præmium acciperet. Et talis fuit intentio sancti Thomæ, in casu quòd assertivè, & non recitativè dixerit illa verba: aliàs enim esset sibi ipsi gravis, quia in Summa dixit: *Nemini licere alium ex intentione occidere, etiam ad propriæ vitæ defensionem*, prout superiùs allegatur.

Et licèt sit valdè calumniosum & injuriosum tantæ scientiæ, & perfectionis viro, imponere quòd ex illa solutione sua habeatur explicitè, vel implicitè, privatæ personæ licere tyrannum occidere, sine autoritate publicæ potestatis, cùm hoc non exprimant, nec innuant, ut est dictum: multò tamen calumniosius & injuriosius est ipsum applicare ad probandum, vel probare conandum, quòd liceat occidere aliquem tali morte subitanea & improvisa, quod cuicumque personæ, non solùm privatæ, sed etiam publicæ, qualiscumque, & quantumque fuerit autoritatis, esse licitum asserere, & nefandum, & ipse sanctus Doctor, si viveret, hoc damnaret. Quod etiam imposuit proponens Salberiensi, fuit malè impositum, & contra ejus intentionem, & de textu truncato sumptum, ad Doctoris injuriam & offensam: nam ex dictis ipsius Salberiensis, in loco met allegato per proponentem, scilicet in tertio Libro sui *Policraticon. Capite quinto.* Licèt etiam ibi loquatur secundùm sæculares Leges, secundùm quas dicit, *Tyranno licere adulari, quem licet occidere, nec modò licitum, sed justum etiam & æquum esse*: illud exponit per verba sequentia de publica potestate. Unde statim post dicta verba subjungit: *In eo ergo meritò armantur Jura, qui Leges exarmat; & publica potestas sævit in eum, qui evacuare nititur publicam manum.*

Hoc tacuit proponens, eò quod loquitur de publica, non de privata persona, cui etiam per Leges gentilium licere tyrannum, vel alium occidere, tali modo, nullibi reperietur eumdem Salberiensem asserere, licèt diffusè tractet, & multa recitet de miseris casibus tyrannorum & mortibus: quin imò in octavo Libro, innuit expressè tyrannum non occidendum, amplificando de David, qui licèt tyrannum gravissimum sustineret, qui eum prodendi * sæpe nactus fuisset occasionem; & tamen parcere maluit, confisus Dei misericordia, qui eum sine peccato poterat liberare. Decrevit ergo expectans patienter ut ille visitaretur à Domino, reddita charitate, ut in prælio caderet, aut aliàs, justo Dei Judicio, moreretur. *Et hic modus*, inquit, *delendi tyrannum, utilissimus & tutissimus est. Si qui præmuntur, ad patrocinium clementiæ Dei humiliter confugiant* &c. prout latiùs posui in alio scripto meo.

Unde apparet evidenter quòd prædicti Salberiensis intentio non fuerit, tyrannum posse occidi licitè per privatum, præsertim modo declarato per proponentem; & secundùm etiam miserabilis casus eventum, ad cujus propositum idem Salberiensis, ac si ipsum casum futurum in spiritu prævidisset, dicit: *Hoc tamen cavendum docent historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei Religione tenetur astrictus.* Et exemplificat de Sedechia, qui quia tyranno fidem non servavit, lapsus in perfidiam captivatur, & ejus oculi eruuntur.

Patet igitur quòd dissolatione † & inconvenienter allegavit, & etiam allegant defensores sui prædicti, secundùm sanctum Thomam & Salberiensem, ad suum propositum palliandum; quod etiam de aliis Doctoribus per ipsum allegatis, si benè visitarentur, posset similiter demonstrari.

Ex

* Locus corruptus.

* *Forsan* perdendi. † *Verbum corruptum.*

Ex præmissis patet etiam absurditas tertiæ & quartæ Assertionum, in quibus dicitur quòd sit nedùm licitum, ut in tertia; sed etiam justum, rationabile & æquum, seu Jus, ratio, & æquitas, ut in quarta, quòd *Quilibet tyrannus taliter occidatur*, & quòd *tali morte propriè debet mori*, quod est falsum & erroneum, impium & crudele, & contrarium omni Legi.

Si verò accipiatur, *non jure principari*, pro nunc * A justè & debitè principari; pauci, aut nulli essent Principes non tyranni; cùm pauci, vel nulli sint, qui non devient à justo modo & debito principandi.

Et si quilibet talis Princeps tyrannus à subdito posset occidi, propter machinationem contra Regem, vel Principem suum; hoc non esset, nisi propter obligationem quam quilibet subditorum habet ad Principem suum, tanquam ad personam publicam, non privatam; & quòd est caput Communitatis, & per consequens, à simili, vel etiam à fortiori, quilibet talis Princeps tyrannus, à quolibet subditorum suorum, qui non minùs obligatur ad Communitatem, cujus est pars, quàm ad Principem; imò magis, posset meritò & laudabiliter interfici, pro defensione & tuitione Reipublicæ per ipsum malè tractatæ, & posset perimens B consimilem excusationem prætendere, de impotente justitiam consequendi; quæ esset excusatio subdola, & damnabilis in peccatis.

Patet igitur ex præmissis, quòd duæ primæ Assertiones sunt falsæ & erroneæ in Fide & moribus, pernitiosæque, & multipliciter scandalosæ.

Quintæ verò, sextæ & septimæ absurditas sæpe satis deprehenditur ex præmissis: nam ex constituto, prout ostensum est, quòd nullus tyrannus, vel alius possit licitè perimi, modis in quatuor primis asserentibus declaratis; clarum est quòd prædictæ Assertiones innuunt quòd immania & horrenda scelera sunt virtutes: quod etiam innuit satis quarta, æquè virtutum prima ‡ sceleratis hominibus, pro nefandis & horrendis flagitiis debeantur, etiam à Superiore, quæ ** Jure divino & humano tales flagitiosos & sceleratos homines gravissimis suppliciis potiùs afficere tenentur; nec non etiam & ab illo in cujus offensam & injuriam talia flagitia sunt commissa, flagitia ipsa laudari, approbari & autorisari, ipsorumque flagitiorum autores amari, & honorari & remunerari; & multò clariores, postquam ante alia scelera perpetrata, C prædictorum flagitiorum autorisationem, ad perpetratorum, vel actorum eorumdem laudem, honorem, & recommendationis sempiternæ tradendum memoriæ, scripturis, Prædicationibus; & aliàs ubi libet, divulgari: quod dogmatisare, & hominum mendacium crudelitati velle imprimere, extremæ dementiæ, cùm nullus sanæ mentis ignoraret talia, si ea fieri contingeret, omni rationi, Juri, & justitiæ repugnare, credere † que ad perpetuam ignominiam, dedecus, & opprobrium Regis, Regni & Regnicolarum, ad omnimodamque subversionem politiæ & Reipublicæ, eorumdem præsertim; cùm etiam secundùm Leges Gentilium requireretur observatio circumstantiarum supra dictarum, saltem de notorietate tyrannidis, & aliis circumstantiis supra dictis, & quòd omnes & singulæ circumstantiæ requisitæ ad actum meritorium præmiandum, etiam præmio temporalii observarentur: aliàs D ex effectu ⟊ alicujus circumstantiæ, actus ille vitiosus redderetur; & per consequens vituperandus esset, nec posset sine gravi scandalo laudari, nec approbari, nec quovis præmio præmiari: aliàs enim passim homines à quoquam occiderentur, nec Legibus, quibus benè vivitur, opus esset. Humanæ quidem Leges, quæ secundùm Isidorum, ubi supra, factæ sunt, ut earum metu humana coërceretur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia; & in illis improbis, formidato supplicio, refrenetur audacia, & nocendi facultas; caret penitùs fine suo, cùm pro scelere non formidaretur supplicium, sed præmium potiùs speraretur: unde non foret tuta innocentia, sed nocendi facultas & audacia præberentur. Leges insuper naturalis & divina, vitia prohibentes, forent inutiles & inanes, & opporteret ad humanæ fælicitatis consummationem, quam tunc dixit Sententia consummatam, quando vitia, mores sunt * concedere novas Leges virtutes prohibentes, & vitia commendantes, si, prout innuit, prædictæ Assertiones homicidia, proditiones, insidiæ, simulationes, & similia vitia non solùm licita; sed etiam meritoria, laudibus & præmiis digna forent.

Qua propter prædictæ tres Assertiones, videlicet quinta, sexta & octava, & quarta etiam, quo ad ejus initium, talia deliramenta innuentes, quæ etiam detrahunt Regiæ Majestati, tanquam pestiferæ & nefandæ in Fide & moribus, erroneæ, sunt, meo judicio, rationabiliter condemnandæ.

Octava Assertio est etiam pestifera & nefanda; cùm sit perversiva sensûs Scripturæ sacræ; ipsam Scripturam intelligit & exponit aliter quàm sensus Spiritus sancti flagitat, quod secundùm Hieronymum, & habetur in Decret. XXIV. *Quæstione tertia*: prout fuit allegatum, sapit hæreticam pravitatem. Nec excusat assertorem quod à nonnullis dicitur, ipsam talem exponere fecisse de sensu grammaticali, quia sensus grammaticalis propriè non est sensus; cùm Grammatica, de significatione dictionum, & de congruitate tantùm consideret, nec spectat ad Grammaticum cognoscere de sensu orationis qualicumque. Et dato quòd sensus grammaticalis deberet dici sensus: esset extraordinarius, & spritus ‡, & per consequens, de ipso non posset intelligi expositio prælibata. Nam cùm terminus simpliciter ponitur; de ejus sensu principali semper intelligitur: principalis autem sensus litteralis sacræ Scripturæ est sensus inspiratus. Ergo de ipso necessariò intelligenda est illa expositio, cùm non ponatur objectio designativa. Sensus autem grammaticalis, si debeat dici sensus: ergo talis dispositio est dissona & distorta.

Nona nempe Assertio est summè pestifera & scandalosa, & contra determinationem Ecclesiæ, & opinionem sanctorum Doctorum: & omnia Jura quæ dicunt, quòd etiam juramentum promissionum † vi, vel dolo præstitum, vel potiùs extortum, de re licita & honesta, quod servari potest sine alterius præjudicio, vel animæ detrimento; est obligatorium, & servandum; ut in *cap. Cum contingat. De jurejurando* &c. *Quamvis de pactis. Libro sexto.* Esto etiam quòd vergat in præjudicium promittentis, ut in cap. *Si verò. De jurejurando.* Esto etiam quòd fuerit vi extortum, nisi violentia talis fuerit, quòd metum mortis, vel cruciatum corporis contineret; ut in cap. *Cum dilectus. de his quæ vi, metusve causâ fiunt.* Et alibi multis Juribus.

Caveat enim promittens, & consideret quid promittit, prout etiam discretè considerare tenetur, quia discretio est una comitum juramenti: postquam enim promissio vallata fuerit juramento, servanda est, quia juramentum licitum semper est servandum, quomodocumque juretur. Ut XXII. *Quæstione* I. cap. *Movet te*, & notatur in capitulo. *Et si Christus. De jurejurando.* Aliàs autem juramentum esset vinculum iniquitatis, quod est confirmatio veritatis & in prædicto capitulo. *Et si Christus.*

Et Augustinus, & Gregorius, & Isidorus expressè omninò prædictæ Assertiones ⟊ ut habentur ipsorum autoritates, eisdem Causa, Quæst. 2. Cap. 2. tertio capitulo sequenti, prout fuit per me allega-

* *Forsan* non ‡ *Forsan* præmia. ** Locus corruptus. † *Forsan* cedereque ⟊ *Forsan* defectu.

* Locus corruptus. ‡ Locus corruptus. † *Forsan* promissorium. ⟊ Locus corruptus.

legatum aliàs. Sanctus Thomas etiam, secunda secundæ. q. 89. Art. 70. dicit expressè quòd *Juramentum etiam vi extortum, in foro conscientiæ est servandum; quia licèt tollatur obligatio quam habet ad illum qui vim intulit: non tamen tollitur obligatio qua quis obligatur Deo, ad tenendum quod per nomen ejus promisit; quia magis debet damnum temporale sustinere, quàm juramentum violare.* Ex quo clarè patet quòd, fortiori ratione, spontè præstitum juramentum, de re tamen licita, ut est dictum, semper est servandum, & posse tenùs semper promissum juramento firmatum est adimplendum; esto etiam quòd vergat in præjudicium promittentis. Et si Assertiones sacrorum Canonum, & Doctorum Catholicorum, & Sanctorum non præsciens * fidem defensoribus tam iniquæ & pernitiosæ Assertionis; verecundentur saltem, & veritatem agnoscant ex dictis & factis Gentilium, quibus mortem potiùs pati præeligere docuerunt, quàm fidem per Deos præstitam violarent: quorum multa mirabilia exempla ponit Valerius, in capite, *De fide publica*: sicut de Saguntinis qui ne à fide Romanorum recederent, ultrò se, & omnia sua cremaverunt. Et de Pelicianis, † qui ut fidem Romanis servarent, adeò eorum civitatem obsessam per Hannibalem defenderent, quòd omnes & singuli, utriusque sexus, supra muros fame mortui sunt reperti. Et in primo capite, *De Ultione*, ‡ exemplificat de Marco Attilio Regulo, qui insidiis Asdrubalis ‡ ad miserabilem captivi fortunam deductus, ac missus ad Senatum Legatus, ut pro eo & quod * alio quamplures Pænorum juvenes pensarentur in contrarium, & dicto Consilio quia se rediturum juraverat, ultrò propter fidei Religionem rediit, licèt se sciret in reditu infaillibiliter moriturum.

Alia quamplura exempla ponit ipse Valerius, de fide per Gentiles valdè sinceriter observata. Per quæ exempla clarissimè constare potest quòd apud eos talis Assertio fuisset tanquam summè pernitiosa & velut perfida reprobata: quantò magis a Catholicis deberet ampliùs, velut execrabilis reprobari: & quia non solùm est de se mala & pernitiosa; sed cum hoc etiam fuit deducta ad palliationem alterius pestiferæ falsitatis, possetque viam perjuriis, fraudibusque, & deceptionibus aperire: videtur mihi quòd sit velut pernitiosa & erronea in Fide & moribus meritò condemnanda.

Videtur etiam mihi quòd ex istis, & etiam ex aliis per me in primo scripto meo aliàs traditis, & per Magistros meos dictis & in scriptis traditis, non solùm prædictæ novem Assertiones, sed etiam totalis Propositio Magistri Joannis Parvi, quæ intitulata fuit, ut dicitur, *Justificatio Domini Ducis Burgundiæ, de morte Ducis Aurelianensis*, potest & debet rationabiliter condemnari, & anathematisari judicialiter, & publicè, coram omni populo, tanquam palam erronea in Fide & moribus, & multipliciter scandalosa, & adversa omni bonæ politiæ; & præsertim Regiæ Majestati.

Hæc itaque Pater, & Magister Reverende, pro mea opinione, super prædictis Assertionibus vobis trado; sub vestri tamen, & aliorum Dominorum & Magistrorum benevola correctione, cui ea submitto, ubi in eis aliquid corrigendum.

Reverendus Pater, Dominus Abbas Sancti Dionysii, dedit deliberationem suam in scriptis, quæ fuit lecta per Magistrum Alanum Percenalli, cujus tenor est talis.

Præmissis protestationibus, &c.

Dico primò, quòd iste Libellus, aut quaternus qui ascribitur Magistro Joanni Parvi, & intitulatur *Justificatio Domini Burgundiæ*, est evidenter, & clarè erroneus in Fide; quia in syllogismi deductione, in quaterno illo contenta, Major expressè & formaliter continet plures hæreses: & quanquam vagetur in incertum, & nescit quo se arrestare in illa Majore, quia quandoque dicit, tyrannum interficiendum, autoritate Legis, naturalis, moralis & divinæ; quandoque recurrit ad epikejam; quandoque ad zelum amoris, qui esse debet subditorum omnium, autoritate exclusa; quandoque ad conditionem personæ tyrannisantis, quæ est talis positione, quòd de ea non potest fieri justitia per Superiorem: nihilominùs interserit plures errores; & cum hoc, ex forma, materia & effectu deductionis contentæ in prædicto quaterno, sequuntur clarè hæreses, & dissipatio omnis æquitatis, & justitiæ hominum inter se.

Et etiam circa Propositiones mihi transmissas, dico consequenter.

Prima Propositio, seu Assertio in cedula contenta, est homicidiorum, peccatorum, & scelerum excusatoria, & justificatoria, æquitatis & justitiæ dissipativa, Fidei Christianæ repugnans, contraria & erronea, & contra textum expressum, *Non occides*, privata autoritate; & sicut erronea & hæretica * esset Assertio.

Il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement, ou Commandement, selon les Loix, naturelle, morale & divine, d'occire, ou faire occire les larrons, les idolatres, les heretiques, ou les schismatiques. Quia ista Assertio est contra textum allegatum, *Non occides.*

Ita de Assertione primæ cedulæ; quia non reperitur concessum de tyranno interficiendo per quemlibet, plus quàm de alio.

Item, Catholica veritas est, quòd sine legitima autoritate, vel jubente, vel concedente, non licet homini hominem voluntariè & spontè interficere, sive fuerit tyrannus, sive qualitercumque criminosus. Prædicta autem Assertio dicit: *Sans quelconque Mandement, ou Commandement, un chacun subjet licitement peut tuer tout tyran*, &c.

Et ita asserit tyrannum interficiendum, sine Mandato aut Præcepto Superioris, vel Legis; quia generaliter dicit: *Sans Mandement*; Et per consequens, excludit autoritatem etiam Legis: & ita expressè continetur in prædicta Majori illius quaterni, in quodam non extracto, ubi addit illam clausulam: *Sans licence.* Quæ cum sit negativa, excludit licentiam Legis; ut cum hoc, in hac prima Assertione, expressè negat Mandatum Dei, vel hominis.

Item, si quilibet habeat autoritatem legitimam interficiendi, & non ex commissione Dei, vel hominis, ut dicit prædicta Assertio, quia *Sans quelconque Mandement, ou Commandement*, sed ex Lege, naturali, morali & divina, ut videtur eadem Assertio innuere; confunditur omnis ordo justitiæ & æquitatis hominum inter se, contra Fidem & Scripturam sacram; & sequela patet: quia quilibet cujuslibet indifferenter, Lege, naturali, morali & divina, est Judex legitimus superior, an sit tyrannus, eo modo conditionatus, quo in Propositione illa continetur: imò quilibet homo, quemlibet hominem potest interficere licitè, eo non vocato, nec audito, & nullâ Sententiâ latâ, dummodò in sua conscientia teneat eum, & reputet tyrannum. Ad hunc finem tendit illa Assertio, & tota deductio Joannis Parvi.

Item, quamquam Lege, naturali, morali & divina, quilibet personâ publicâ fungeretur, publica potestate, & per respectum ad quemlibet tyrannum, haberet superioritatis & justitiariæ potestatis autoritatem: ad hoc tamen ut licitè interficeretur tyrannus, requireretur ordo divina Lege institutus, vide-

* Forsan præstent. † Forsan Petellinis. ‡ Forsan De Censoria fidelitate. ‡ Forsan Hannibalis. * Forsan quodam.

* Videtur desiderari condemnanda.

delicet quòd audiretur & condemnaretur. *Joan. septimo. Actuum*, xxv. & * asserere est erroneum & hæreticum. Et ideò illa prima Assertio cum circumstantiis, & clausulis totis Majoris ipsius Magistri Joannis Parvi, non concludit suum propositum, nisi subintelligatur una alia clausula erronea, videlicet, *Il est licite à un chacun sujet, sans ordre, de Droit humain, ou divin, tuer tout tyran.*

Item, erronea est illa Assertio, ratione illius clausulæ: *tout tyran* licitè interficiendus est à quolibet A subdito &c. quia omnia crimina inclusa in descriptione tyranni, juxta illam Assertionem, & totam Propositionem dicti Joannis Parvi, sunt latentia, occulta, incerta & inevidentia, & causæ cognitionem exigunt. Ergo quamquam quilibet esset † illorum, & personæ quæ ea commisisset; ad executionem tamen mortis in tyrannum in incerto, perplexo & dubio procedere ‡ debet: justitia & ordo justitiarius divina Lege traditus § & omninò * asserere est contra sacram Scripturam, in pluribus passibus.

Item, erroneum est in Fide, asserere, quòd quilibet sit minister & executor Legis, naturalis, moralis & divinæ; & à Legibus illis accipiat potestatem legitimam interficiendi hominem, vel faciendi hæc, vel illa; nisi circa ea habeatur de hoc Lex clara & expressa, evidens & notoria; aliàs omnia B maleficia, omnia homicidia, furta, adulteria, excusationem & autoritatem acciperent, secundùm voluntatem & beneplacitum committentium; quia sine ostensione Legis, naturalis & divinæ, sufficeret committentes, & facientes hæc, vel ista, dicere, vel publicare hoc † Asserere; quia sic egisse mihi fuit licitum, ex parte Legis, naturalis, moralis & divinæ: putà interficere idolatram, vel furem, meum juramentum non servare. Et ergo cùm Magister Joannes Parvi in sua Propositione introduxerit Legem, naturalem, moralem & divinam, facientem mentionem de interfectione tyranni, &c. debet haberi, non solùm pro habusatore, sed tanquam erroneus in Fide, viam parans ad excusationem & defensionem omnium homicidiorum & scelerum: quia ad sui erroris, facti & mortalis peccati defensionem fraudaliter, falsè & calumniosè contingit: sibi Legem, errorem; imò Legem, ubi nulla est Lex. C

Item, primæ prædictæ Assertionis clausula ista; *mesmement, quand il est de si grande puissance*, &c. non justificat illam Assertionem.

Tùm primò, quia supponit veritatem illius Assertionis citra casum qui sequitur: *quand il est de si grande puissance*, &c.

Tùm secundò, quia per negotiationem non acquiritur judiciaria potestas, sed per legitimam commissionem Dei, vel hominis. *Non est potestas nisi à Deo.* Ad Romanos, decimo tertio.

Ergo quamquam Superior non posset justitiam facere de aliquo, non quilibet ex hoc in eum * Jurisdictionis potestatem debet desuper venire, juxta illud; *Non haberes in me potestatem, nisi data tibi esset desuper*, Joan. XIX. 11.

Tùm tertiò, quia frequenter Superiores non pos- D sunt subditos punire, latrones, vel alios malefactores, ex aliqua causa occurrente: quia ergo ex hoc quilibet acquirat potestatem Jurisdictionis, vel executionis mortis in eos, est erroneum in Fide.

Tùm quartò, quia superius inter homines in potestate, est tantæ potestatis, quòd justitia non potest fieri de eo in terris, cum non habeat Superiorem. Quòd ergo quilibet licitè eum interficiat, si sit dignus morte, est erroneum in Fide & moribus: & in hoc puncto continetur tota nequitia Propositionis Petit. Quia quamquam variè & multipliciter garriendo, dicat in sua Majore, ex conditione & gravitate culpæ tyrannidis, dicit quemlibet Lege, naturali & divina, effici legitimum ministrum, & executorem mortis in tyrannum, etiam omni ordine subducto, &, ut coloratiùs loquitur, addit illam clausulam, *mesmement*, &c.

Hæc sunt clarè erronea, & totius politiæ ordinis dissolutiva.

Item, secunda Assertio principalis cedulæ est falsa & erronea in Fide, & aperit modum autorisandi omnia crimina, & de Jure naturali, quod respicit congruum & debitum ordinem hominis, ut homo est naturâ rationalis, clarum est quòd illud Jus naturale nihil continet de interfectione tyranni; imò generaliter, non loquitur de interfectione hominis. Jus autem morale dicit solùm, *Non occides.* Divinum autem Jus, ab ipso Præcepto, *Non occides*, excipit illos qui legitima potestate, & causa rationabili, ordine servato, pro boni communis observatione occidunt: sed quòd prædicta, naturalia, moralia & divina, ab illo Mandato, *Non occides*, omnes obligante, excipiant tyrannum, tanquam licitè interficiendi per quemlibet, & sine ordine servato, est voluntariè dictum falsum, contrarium, & erroneum in Fide.

Item, tertia Assertio cedulæ est erronea, pro quanto duabus præcedentibus Assertionibus jungit, quòd quilibet laudabiliter & meritoriè interficit tyrannum, *par aguettes & espiemens*: quia aliquando divina Lege judiciali prohibitum erat per industriam & insidias occidere proximum, nec excludebatur tyrannus, cum tota sua falsa, *qui par convoitise, barat*, &c.

Ergo dicere quòd tyrannus licitè interficiatur per insidias, divina, naturali & morali Lege; est asserere dictam Legem per Moysem introductam, fuisse iniquam, injustam, naturali morali & divinæ Legi repugnare, &c. quia *Exod.* XXI. 14. dicit Lex generaliter: *Si quis per industriam & per insidias occiderit proximum suum, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.*

Item, notari debet ordo litteræ divinæ Legis allegatæ in præcedenti Articulo. Nam dicit textus. ℣. 12. *Qui percussit hominem, volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manibus ejus, constituam tibi locum ubi fugere debeas.* Et tunc sequitur Lex allegata: & quamquam expressè in his Legibus fuerunt judiciales, morale tamen est, quòd percutiens hominem, cum intentione & voluntate occidendi, peccat: sed qui percutit sine insidiis, & casualiter, non peccat in casu, vel habeat * autoritatem excusantem. Et ita, in Lege illa morali, divinæ Legis Præceptum est, & semper fuit, & erit, quòd per industriam & insidias, sine autoritate, occidens proximum suum, peccat. Ideò hæreticè allegat Petit, quòd per insidias licitum interficere tyrannum, & divina Lege, quam non allegat; sed tanquam assertor novæ Legis, circa homines mortificandos, aut vivificandos.

Item, quarta Assertio est erronea in Fide; quia generaliter continet omnem tyrannum interficiendum per insidias, excludendo à tyranno mortem ordinariam malefactorum, per Judicem & Sententiam, &c.

Et in istis Propositionibus notari debet error istius Magistri Joannis Parvi; quia quamquam Magister, & authenticus institutor Legum, dicit æquitatem & justitiam esse, ut tyrannus quilibet viliter, inhonestè occidatur, sine textu, sive ratione; & derisioni omnium Nationum exponit moralia Legis Christianæ.

* *Desiderari videtur* contrarium. † *Forsan desideratur* Jũdex. ‡ *Desiderari videtur* non. § *Desiderari videtur* est observandus. * *Forsan* contrarium. † *Forsan* aut. ‡ *Forsan* confingit. * *Forsan* eam, *locus tamen est corruptus.*

* *Forsan* habet.

Item,

Item, quinta, sexta & septima Assertiones, sunt erroneæ in Fide & moribus.

Veritas hujus dicti dependet ex præcedentibus; & quòd mortalis culpa homicidii efficiatur licita, virtuosa & meritoria, & subsequenti autorisatione Principis, est erroneum: quòd etiam Princeps teneatur autorisare, & gratum habere interfectionem hominis, factam per privatam personam, sine licentia Judicis, vel Legis, & sine ordine debito, secundùm Jus divinum.

Item, octava Assertio est falsa & erronea, ad sensum ad quem applicatur in Propositione prædicta Magistri Joannis Parvi. Verum est quòd in certa Scriptura sacra, sensus grammaticalis qui prima facie terminum importat, non semper est recipiendus, ut Judic. IX. 8. *Iverunt ligna ut ungerent super se Regem; dixeruntque olivæ: Impera nobis*, &c. & alibi, in pluribus locis. Sed in prædicta Propositione, sæpe dictus Magister Joannes Parvi, fluctuans in incerto, introduxit unam magnam harengam de epikeia, & Lege charitatis; & facit fraudem, quia allegat Leges positivas prohibentes hominem ab homine interfici, sine legitima autoritate, quasi divinæ Leges hoc idem non prohibeant; cùm tamen divina, & apud omnem Gentem naturalis Lex sit, *Non occides, sine legitima autoritate*: in certis casibus sunt contrariæ bono communi, & æquitati naturali, & tunc cessat earum obligatio, & licitè possunt epikeiari per quemlibet, secundùm rationem, vel veritatem. Et ut verbis ejus gallicè utar; dicit sic.

J'appercevray un tyran de grande puissance & subtilité, continuellement machiner, de toute sa puissance, à la mort de mon Roy, par barats, malefices, & trahisons, pour luy tollir sa Seigneurie: les Loix me deffendent occire autruy, sans autorité. Quæ Leges sunt non solùm humanæ, sed etiam divinæ, ut constare debet cuilibet fideli Catholico, *Dois-je laisser mon Roy en peril de mort?* Qui præfatus Petit respondet: *Je dois deffendre mon Roy, & occire le dit tyran, & en ce faisant, jaçoit que je fasse contre le sens litteral des dittes Loix; je ne fais pas contre la fin pourquoy elles furent ordonnées.* Et ita formaliter & expressè dicit, quòd omissa Lege, ex textu Legis, de non occidendo alium, sine autoritate, quæ divina est, ut dictum est, debet sequi finis & intentio Legislatoris, cujus intentionis arbiter, Judex, & epikeies est quilibet, secundùm dicta illius Petit.

Tertiò, asserit quòd contrariè agens Mandato Legis divinæ, *Non occides*, aut saltem virtuosè, laudabiliter & meritoriè operatur, & servans Mandatum Legis, nolens occidere, quia prohibet Lex divina, peccat; & hæc omnia clarè sunt erronea.

Item, nona Assertio, juncta probatione, non videtur erronea in Fide, licèt sit nimis generaliter posita, propter illam clausulam: *En quelconque maniere.* Quia in ostensione generali fœderis, promissionis, aut pacti, subintelligitur persona promittentis excepta, & persona Principis & Communitas, & uxores & filii: nec negat ista Assertio quin ex pacto & promissione sequatur obligatio; sed ubi denegaret obligationi divinæ, quæ ex ordine charitatis est, suspenderetur obligatio introducta per juramentum, & curret alia. Ut si juravi alicui fidelitatem; & me, uxorem, aut alios offendat; deffendere me possum, uxorem ac filios. Et hæc materia tractatur, *De Jurejurando, in antiquis. Cap. Petitio nostra.* in glossa.

Et circa hanc materiam, de juramento, & confœderationibus, prænominatus Magister Joannes Parvi, asserit unum errorem ex Fide, in quodam alio passu non extracto; ubi ponit non modò recitativè; sed assertivè, quia nulla fides debet servari proditori tyranno, quamvis servanda sit in pluribus casibus fides hosti: & sui dicti rationes dicit, allegatas diffusè per Doctores, quas omittere se dicit, causâ brevitatis: & hæc Assertio est erronea & hostis Reipublicæ est, & deterior; & magis Communitati damnosa, quàm tyrannus qui Communitatem & defendit ad suam utilitatem, & ut hostis eam destruit & impugnat.

Item, prima Assertio sæpè nominatæ cedulæ mihi traditæ, repugnat Juri Civili & Canonico: nam C. *De maleficiis & Mathematicis*, in pluribus Le-
A gibus, tales Nigromantici, Sortilegi & Divinatores, & mentes hominum alienare dicuntur, & declarantur humani generis, & Reipublicæ inimici, & læsæ Majestatis crimen committere; & tamen Lege finali, prohibet Jus justum, æquum & rationabile, ne interficiantur à privata persona, dato quòd essent manifesti & notorii.

Verum Lex: „Quicumque maleficiorum labe pollutum audierit, depræhenderit, occupaverit; illicò ad „publicum protrahat, & judicium oculis communis „hostem salutis ostendat. Quòd si quisquam ex quolibet genere hominum, contra hoc interdictum venire tentaverit; aut clandestinis suppliciis, etiam manifestum reum maleficiæ artis oppresserit, ultimum „supplicium non evadet.„ Causam subdit: „Ne proprium fortassis inimicum, sub hominum vindictæ „nominis consilio atrociore confecerit.„ Et quantùm tangit crimen læsæ Majestatis in personam Re-
B gis, aut sibi convictas; Leges Civiles, & Canonicæ expressè dicunt, quòd antequam bona temporalia committentium crimen læsæ Majestatis capiantur, arrestantur, leventur, ac citò explicentur; requiritur Sententia delatoria; nec licitum cuilibet subdito suo, privata autoritate, & ante Sententiam, manum appetente * in bonis exterioribus illius qui crimen læsæ Majestatis commisit.

Ergo magis in personam nulli licet manum apponere, mortis Sententiam supra eum exequendo; nisi post declarationem Judicis legitimi, & eo mandante, aut concedente. Et omninò asserere quòd liceat cuilibet Lege, morali, naturali & divina, interficere tyrannum, juxta applicationem primæ Assertionis, est virtualiter asserere quòd Leges, naturales, morales & divinæ sunt injustæ, & æquitati Juris Civilis & Canonici contrariæ & repugnan-
C tes.

Tradita per dictum Abbatem, die duodecima Mensis Februarii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Gersono, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, stat cum Episcopo Nannetensi, & dedit deliberationem suam in scriptis, cujus forma sequitur.

Attendatur circa tertiam Propositionem quæ appellatur Veritas, & est prima Assertio circa quam modò deliberandum; quòd cùm bonum sit ex omnibus circumstantiis, opportet attendere circumstantias pro verificatione hujus necessarias Propositionis & sui correlativi: quia cùm sit universalis, ex suis singularibus judicanda est.

Prima circumstantia, quòd talis sit notoriè tyrannus, notorietate Juris, vel facti; alioquin quilibet fingere posset de quolibet quòd est tyrannus. Et notetur quid est notorium Juris; quia scilicet con-
D fitetur in Judicio, vel profertur Sententia contra eum; & quid notorium facti, quod scilicet nulla potest excusare † negari, quia semper sic evenit ex talibus argumentis. Unde non est procedendum ad certam mortem ex incertis, vel levibus conjecturis, vel suspitionibus.

Item, requiritur quòd sit notorium talem non posse comprimi per Superiorem suum, notorietate Juris, vel facti, ut priùs: alioquin quilibet posset finge-

* *Forsan* apponere. † *Forsan* excusatione.

re, ut priùs, & periret omnis politia & Dominationis autoritas, & in Regno & in civitate, & in domo, generaliter in omni societate.

Item, requiritur qnòd non sit probabile talem posse occidi per alium, æquè benè: alioquin mille deberent concurrere ad occisionem tyrannii, sine Lege & ordine; ex quo ponit Propositio, cum suis correlariis, quòd à quolibet debet occidi.

Item, requiritur quòd non sit probabile quòd expediat tolerare talem tyrannum, ne deterior exitus proveniat: alioquin periret consilium Christi, de non eradicandis zizaniis.

Item, requiritur quòd non sit probabile talem tyrannum esse leviter corrigibilem, vel quòd possit aliter comprimi cum facultate, vel facilitate majori: alioquin non daretur locus correctioni, & timori Dei.

Item, requiritur quòd ad occisionem talis tyranni non assumantur media de se mala, ut sunt fictæ confœderationes, & falsa juramenta, & mendacia: quoniam, *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*, secundùm Apostolum: *Rom.* III. 8. Et quia, *Simulata æquitas, non est æquitas; sed duplex iniquitas*: quia iniquitas est & simulatio. Pro hoc est illud: *Quod justum est, & justè exequeris.*

Item, requiritur quòd non fiat occisio insidiosè, & subitò, cum certo detrimento animæ suæ, ubi potest aliter fieri, prout requirit utilitas Reipublicæ; quoniam in hoc fundatur Decretalis, *Pro humani. De assisinis, in sexto.*

Item, requiritur, conformiter ad præcedentem circumstantiam, quòd bono animo fiat, non ex vindicta, vel rancore, vel ambitione; sed intuitu Legis divinæ & civilis, ac pro rei communis utilitate; cum omnibus aliis circumstantiis moralibus. *Quando, & ubi*, &c. Ratio est sicut ad præcedentem: non debet occidi per Sacerdotem in loco sacro. Sed quia non oppositæ sunt conditiones præmissæ ad veritates illas, imò falsitates manifestas; respondetur quòd sumptio in Minore habuisset instantias pro qualibet circumstantia requisita in morte Domini Aurelianensis, &c. Responsio: si prædictæ conditiones omnes concurrerent, quòd scilicet aliàs esset notoriè tyrannus & incorrigibilis per Superiorem, & intolerabilis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Mathiæ, stat cum præcedenti, quo ad totam Propositionem in se, & errores.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Thomas de Cracovia, dedit deliberationem suam in scriptis, cujus tenor sequitur.

Reverendissime Pater, & vos Domine Inquisitor; metuendis vestris Mandatis obtemperans, recepi cedulam errores continentem pestiferos; & ita non recusatis pro Fidei certamine grandes subire labores; juxta illud Senecæ: *Non potest athleta magnos spiritus ad certamen proferre, qui non est diu flagellatus: multùm enim adjicit sibi virtus lacessita.* Juxta illud Hieronymi, in Epistola. *Nullus athleta sine labore coronatur.* Deus enim cum omni Angelorum militia certamen vestrum spectat, & vobis pro Fide certantibus, parat æternitatis coronam, qui bonum certamen certastis, cursum consummastis, & in reliquo reposita est vobis corona justitiæ; & non solùm vobis, sed etiam viris doctissimis, qui aspectibus quaternos eis assignatos contemplantes, Propositiones erroneas extraxerunt, tanquam zizania de frumentis: quorum ego sequens vestigia, dictos errores in cedula contentos, reputo falsos, Fidei repugnantes, ac piarum aurium offensivas: sunt etenim uti sentes quæ infructuosis spinis agrum uberem suffocant. Sic campo molli arista florescenti triste malignatur lilium, nascique volenti obviat, & floribus præclusis invidet hortum, & quasi flos rosarum in diebus vernis refragat aqua natalis tumulo * successit dulcis rosa, dives amictu, dives odoratu, dulciosa comes requiescit etiam in bestio præ orando pectore mor. † aromate seltis inserta, vernantibus florem, ac pullulat in rosulam, vel olivam, donec fœlici gressu vias per sydereas gradientes, cum grege vobis commisso devenientis locos lætos vobis commisso & amæna viridariam fortunarum nostrarum, sedesque beatas in præsenti A & in futuro, per gloriam sempiternam.

Sic signatum. J. CRACOVIA, *perpetuus vestræ paternitatis mansuetudinissimæ orator.*

Tradita per ipsum, die Lunæ, vigesima secunda Februarii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Benedictus Gentiam, est opinionis quòd tota Propositio Petit in se, est condemnanda tanquam erronea, & scandalosa, & quòd errores contenti in cedula sunt condemnandi, & manifesti sunt errores, & stat in deliberatione sua aliàs.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus de Porta, prout sibi melius videtur, pro nunc, est opinionis aliorum, scilicet Domini Episcopi Nannetensis, & aliorum.

B Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Cholet, in dictis Dominorum Nannetensis & Abbatis sancti Dionysii, ac Domini Cancellarii, & protestatur de addendo, si opus fuerit.

Venerabilis & circumspectus vir, Dominus Prior Sancti Victoris, stat cum Domino Abbate sancti Dionysii, & cum Domino Cancellario, in dictis eorum.

Dominus Prior de Claromonte, stat cum Abbate sancti Dionysii.

Assignata est hora tertia post prandium, ad comparendum in dicto Concilio.

VEnerabilis & circumspectus vir, Magister de Dierreio, dicit quòd consideratis agitatis in dicto Concilio; Propositiones contentæ in cedula sunt falsæ, erroneæ & condemnandæ; sed an nunc, C non auderet hoc consulere, quia dubitat ne exitus esset deterior nunc quàm alias: & apparet sibi quòd sunt benè qualificatæ per Dominum Cancellarium: verum tamen vult audire alios, & stat cum tribus primis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Rocder, alter Deputatorum ad visitandum Propositionem Magistri Joannis Parvi, in se, dicit quòd eam visitavit; & videtur sibi quòd quatuor primæ Propositiones sunt falsæ in Fide & in moribus, & erroneæ; & similiter tres aliæ Propositiones.

Quantùm ad octavam; dicit quòd est erronea & scandalosa, & stat cum duobus primis, & etiam cum Domino Cancellario.

Quantùm ad Propositionem Petit totalem in se, dicit quòd est in se corrupta, falsa & erronea, & judicialiter condemnanda, cum protestationibus consuetis. De tempore, se refert ad discretionem Judicum & consilii ipsorum: est que assignata dies craD stina, horâ octavâ. Et post prandium, horâ tertiâ, ad audiendum deliberationes aliorum Dominorum.

Quâ die crastinâ, videlicet Martis decima tertia Februarii adveniente, deliberaverunt Magistri sequentes.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Herneus de Villanova, stat cum tribus primis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Versailliis, ad idem.

Do-

* Locus corruptus. † Locus corruptus.

Dominus Prior sancti Bernardi, ad idem.

Venerabilis & circumspectus vir, frater Jacob Magni, ad idem, cum tribus primis.

Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio, die decima quinta Mensis Februarii continuata à dicta die Martis.

Magister Dominus Parvi excusavit se, quia debet visitare Dominum Barrensem; attamen Dominus Parisiensis ipsum requisivit, sub pœnis, ut veniret post prandium, si posset, & aliis horis assignantibus *, A præsentibus Domino Episcopo Nannetensi, & Inquisitore, & Domino Officiali.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Austria, dicit quod aliàs habuit cedulam super qua deliberavit, & vidit secundam: se submittit judicio meliorum, & dicit quòd si placeret supercedere de ista materia, usque ad aliàs, esset illius opinionis: tamen dicit quòd ultima Propositio est falsa & condemnanda; etiam octava & nona, & illa quæ loquitur de Lege divina & humana, falsa est.

De prima, dicit quòd est sibi ambigua, sed est scandalosa, & non auderet dicere quòd est condemnanda. Et allegat textum: *Maleficum non patiaris vivere inter vos*, Exod. XXII. 18. &c.

Utrùm intelligatur de Judicibus, vel aliis, non studuit, quia dicit quòd est necesse omnes Propositiones falsas condemnare, nec etiam hæreticas; & de B tota Propositione, dicit quòd non esset ausus dicere quòd condemnanda, vel ne, & se refert ad illud quod Concilium ordinabit & concludet.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Gerardus Macheti, Canonicus Parisiensis, deliberavit in scriptis, modo & forma qui sequitur; & dicit quòd Propositiones sunt condemnandæ, & etiam tota Propositio in se est anathematisanda.

Ad quæsita per Reverendum Patrem Dominum Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem; primò, deliberando circa Assertiones in se consideratas, & separatas à suo toto, vel à totali Propositione à qua extrahuntur: dico primò, quòd prima Assertio falsa est in Fide & moribus, destructiva omnis Regiæ potestatis.

Secunda Assertio falsa est & erronea in Fide & moribus, scandalosa & nequissima, & contra omnem Legem, naturalem, divinam, & moralem.

Tertia Assertio est malè sonans in moribus, & im- C pietatem sonat & crudelitatem.

Quarta Assertio est erronea, impia, inhumana, & crudelis, scandalosa, piarum aurium offensiva, quæ & pœnitentiæ salutari adversatur.

Quinta Assertio est falsa & erronea in Fide, & Dominationi multipliciter injuriosa, quæ & Regem nititur ad malum inducere, & privatum autorisare homicidium.

Sexta Assertio, & similiter septima, falsæ sunt & erroneæ in Fide & moribus, piarum aurium offensivæ, & læsivæ Regiæ Majestatis.

Octava Assertio malè sonat in Fide, cùm sensus litteralis Scripturæ sacræ sit verus semper, ex quo sensu & solo tali sumi potest efficax argumentum; nec hoc intendebat Apostolus dicens quòd *Littera occidit*.

Nona Assertio sic generaliter posita, falsa est & erronea in Fide & moribus, scandalosa, & ad per- D jurium viam præbens.

Dico ultra quòd Assertiones istæ, consideratæ ut in suo toto, vel Propositione à qua extractæ sunt, sunt falsæ, plures errores continentes in Fide & moribus, scandalosæ; & longè pejores in applicatione sua, quàm sic nudæ consideratæ.

Dico ulteriùs quòd plures aliæ Assertiones continentur in illa Propositione malè sonantes, scandalosæ, impiæ, piarum aurium offensivæ, erroneæ in Fide & moribus, quarum aliquæ sufficienter reprobatæ sunt in Concilio Fidei celebrato.

Circa totam Propositionem in se, quia illam visitavi, & consideravi; delibero quòd illa doctrina est pernitiosa, falsa & erronea in Fide & moribus, scandalosa, omnis politiæ destructiva, viam præbens ad homicidium, perjuria, adulationes; offensiva Regiæ Dominationis, injuriosa multipliciter, & indigna piis auribus.

Finaliter delibero quòd Assertiones in cedula transcripta sunt condemnandæ, & tota etiam Propositio anathematisanda, ex qua, ut credo, omnia, vel plurima mala orta sunt quæ passi sumus, & timendum est ne deteriora contingant, si errores illi perdurent.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Michaëlis, stat cum deliberatione Magistri Petri de Dierreio.

Dominus Præpositus sancti Germani, stat in deliberatione Magistri Joannis de Austria; & apparet sibi quòd dictus Magister Joannes benè dixit.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Baldouini recepit cedulam continentem novem Assertiones; & protestatur sicut aliàs protestatus fuit, & interim fuit lecta Littera Regia; & dicit quòd illæ novem Assertiones sunt falsæ & erroneæ, & rationabiliter sunt condemnandæ: ad hoc ipsum movent rationes & Jura allegata per Dominum Episcopum Nannetensem, & Dominum Abbatem sancti Dionysii.

Quantùm ad qualificationes quas fecit Dominus Cancellarius, stat cum illis.

Quantùm ad Propositionem totam in se, eam visitavit; & est clarum quòd Assertiones ibidem continentur & plures aliæ, virtualiter; & sic videtur sibi in conscientia sua quòd est tota condemnanda.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Migitii, Licentiatus in Theologia, protestatur sicut ceteri protestati fuerunt.

Quo ad primam Assertionem, dicit quòd ibi non videtur sibi aliqua falsitas, secundùm videre suum.

Quo ad secundam Assertionem, dicit quòd potest deduci ad illud, *Maleficum non patiaris vivere super terram*. Exod. XXII. 18. Et adducit exemplum de membris hominis; si unum nocet alteri, aliud membrum se opponit.

Et Dominus Cancellarius notificavit sibi quòd caveret ne deliberando dicat aliquas hæreses; & protestatur quòd si sic, de faciendo * partem contra ipsum. Et recessit absque hoc quod ulteriùs deliberaret.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Dominicus Parvi, cum correctione Concilii, & cum protestatione addendi & diminuendi, secundùm quod sibi videbitur.

Primò, adhæret protestationibus aliàs factis, cum reductione ad meliorem formam obedientiæ Fidei, & cum benevola supportatione dicendorum.

Considerat finem ad quem tenditur, scilicet ad habendum salubre consilium in isto facto: & quia finis Fidei est servare Fidei integritatem & exaltationem, dicet illud quod sibi videtur, quòd est una Propositio cedulæ quam vellet segregare ab aliis, scilicet illa quæ loquitur de sensu litterali Scripturæ &c.

Dicit insuper quòd proveniendo ad finem qui tenditur ad unionem Fidei, pacis, & unionis Reipublicæ, ipse, nec alius potest Propositiones condemnare, vel condemnandas judicare, donec sciverit utrum † processerunt, & ortum habuerunt, judicio

T 3

* *Forsan* assignatis.

* *Forsan desideratur* se † *Forsan* unde.

cio suo, & donec viderit, ad longum, ad quem sensum dictæ fuerunt. Et ideò supplicat quòd sibi nunc parcatur: & dicit, ut supra, quòd absque dilatione trium, vel quatuor Mensium, non posset deliberare. Et apparet sibi quòd, pro nunc, non est procedendum ad condemnationem ipsarum.

Sed an sint falsæ, vel erroneæ; dicit quòd non est avisatus: credit tamen sensum litteralem Scripturæ sacræ esse à Spiritu Sancto revelatum, & ipsum verum esse.

Aliæ vero Propositiones, dicit, sunt visitandæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Brevis-coxæ protestatur ut priùs protestatus fuit, & dicit quòd probabiliter dicit illud quòd dicit infra, per suum juramentum; & supplicat quòd dicta sua benigniter recipiantur: quamvis non credebat nunc loqui. Quibus dictis, videtur sibi primò, quòd prima Assertio ex qua aliæ dependent, est nuda circumstantiis quæ requiruntur ad ejus veritatem. Et recitavit primam Assertionem; & dicit quòd ultima clausula potest habere duplicem sensum: præsertim quando est tantæ potentiæ. An intelligatur, quando Superior est talis *, non videtur providere sibi in quo casu non posset sustinere Propositionem. Si verò intelligatur quòd excluderet autoritatem publicam, in illo casu posset excusari. Et videtur sibi quòd illa Propositio sic generaliter posita, non potest defendi, quia generaliter loquitur, *Tout tyrā* &c. quia non dicit de tyranno occulto, vel aperto; quia occidere nunquam est licitum, nisi in casu necessitatis: ut propter præsentiam eminentis periculi. Et sic videtur quòd Propositio, quia non excludit nisi personam Principis, non est vera, nec consona Juri divino.

An condemnanda, vel ne; dicit quòd illa Propositio potest condemnari, explicando sensus erroris à quibus non potuit excusari à Fide, & de quibus non est dubium, nec in futurum poterit dubitari. Et si videntur aliàs condemnari, vel nunc, se refert &c.

Quantùm ad secundam, ad idem.

Quantùm ad tertiam, addit ultra primam, quæ loquitur de insidiis, quæ sunt fraudes & malitiæ; & videtur quòd insidiæ non tantùm sonant sicut fraudes; verumtamen eam condemnat cum aliis.

Idem de octava, & septima.

Quantùm ad illam, de sensu litterali, stat cum Magistro Dominico Parvi.

De ultima, dicit quòd est erronea & falsa, si universaliter posita fuerit.

Et ista est deliberatio sua; & potestatur de addendo & diminuendo. Et ita videtur sibi quòd tota Propositio est condemnanda, quia continet dictas Assertiones.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Ursinus Taillenande, quantùm ad primam Propositionem, considerat quòd non potest habere veritatem, vel colorem veritatis, nisi supposito quòd tyrannus de quo loquitur, sit notorius & manifestus. Et apparet sibi quòd etiam Judici non licèt procedere ad alicujus condemnationem, nisi contra convictum, vel confessionem †, propter quamcumque suspitionem: allegat autoritatem: *Nolite judicare, & non judicabimini.* Luc. VI. 37. nisi de manifestis, & notoriis: est differentia inter notorium & manifestum; quia aliquid potest mihi ‡ manifestum, & non notorium aliis. Et ideò credit quòd in prima Propositione, ad hoc quòd haberet veritatem, requireretur quòd ibi esset notorietas: & de exemplis adductis; quòd notoria essent.

Videtur sibi secundò, quòd necessarium est quòd procedat correctio fraterna, juxta illud, *Mathæi, decimo octavo capite*, antequam aliquis particularis procedat ad actum &c. in actibus publicè: & credit quòd debet fieri correctio publica.

Et quantùm ad aliam partem: ubi non potest haberi recursus ad Superiorem; quòd debet esse notorium, antequam quis posset procedere ad punitionem alicujus: & ideò dicit illam Propositionem erroneam, nisi illis additis, & additio quòd nullum aliud esset remedium providendi, & ideò dicit quòd est error in Fide, nisi sit circumstantionata.

A Omnes aliæ sequuntur ad istam.

De illa, *Littera occidit*, dicit quòd ineptè posita fuit; & dicit quòd actor intellexit de sensu grammaticali.

De illa Propositione, videtur sibi quòd intendebat dicere de obligatione cum privata persona, non habendo respectum ad obligationem primævam ad uxorem & liberos, & sic posset sustineri: sed generaliter intelligendo, esset falsissima & erronea: & dicit quòd Minor sua est impertinens, adhuc additis circumstantiis.

Quantùm ad Propositionem in se, dicit quòd continet multos errores & est erronea & ineptissima, & dicit quòd fortè expediret negotium referre Papæ.

Venerabilis & circumspectus vir: Magister de Laudissono, deliberat ad idem cum Magistro Ursino.

B Reverendus in Christo Pater, Dominus Abbas de Carmeliaco stat cum duobus præcedentibus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Gerardus Emangart, ad idem, cum Magistro Ursino Taillenande.

Anno Domini 1413. *Die Veneris,* XVI. *Mensis Februarii.*

XVI. Feb. more Gallicano. 1413. nunc 1414.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Radulphus de Paris, aliàs fecit quæstionem circa materiam istam, & reservavit unum Articulum, scilicet, an in aliquo casu licet aliquem interficere: & protestatur quòd non intendit aliquid dicere contra doctrinam sanctæ Matris Ecclesiæ, nec aliquid dicere dissonum Fidei, ut aliàs protestatus fuit: & di-

C cit quòd in illis Propositionibus sunt multi termini dubii.

Et apparet sibi quòd prima Propositio, est una Propositio hypothetica, quæ benè non potest exponi, nec eidem responderi per unam Catholicam: & ideò si constaret alicui ex evidentia facti, quòd aliquis machinaretur in mortem sui Principis, vel ad ipsius depositionem tenderet; an liceret ipsum occidere. Et ideò dicit quòd aliquando *prohibitum* habet multas circumstantias, ut puta non occidere. Et Adam cui inhibitum ne gustasset de pomo, qui, nisi fuisset inhibitum, non peccasset: & ideò propter peccatum perdidimus libertates nostras, hoc, vel aliud faciendi.

Et allegat historiam de Abraham, cui fuit præceptum ut immolaret Isaac, quia si sic fecisset, non

D peccasset, quia nutu Dei; & tamen interfecisset innocentem.

Et *prohibitum* capitur dupliciter. Uno modo naturaliter, & est prima Propositio, quòd homicidium nequiter factum, ex libidine, illud est indispensabile, nisi fieret per ministerium Legis; aliàs non potest fieri: & ideò occidere hominem, se, vel alium, est illicitum; & si quis esset minister Legis, vel constitutus, tunc liceret.

Quantùm ad secundam Assertionem, dicit quòd non autorisant, imò damnant homicidia: nam de Lege divina, quando Cain occidit fratrem suum, ipse peccavit, & dixit Deo ad puniendum homicidium: *Omnis qui invenerit me, me occidet.* Gen. VI. 14. *Nequaquam, dicit Dominus,* quòd *quicumque occideris*

* *Aliquid desideratur.* † confessum. ‡ *Videtur desiderari esse.*

rit Cain, centuplum punietur Gen. IV. 4. Et post constitutionem Legis, *Non occides*: posteà Dominus dixit: *Insontem & innocentem non occides*. Exod. XXIII. 7. Et sic Dominus videtur epikeiare Legem suam.

Et allegat Aristotelem, in Libro, *Ethicorum*, quòd *Epikeia est directiva Juris civilis*, quia Legislatores non potuerunt prævidere omnes circumstantias: & ideò propter casus particulares oportet modificare. Et ideò licèt Leges scribantur, non sunt semper tenendæ in terminis suis: & ideò nullæ tales Leges autorisant talem tyrannum.

Quantùm ad tertiam Assertionem, dicit quòd continet terminos multùm æquivocos. *Meritorium* capiendo *æternaliter*, Propositio esset falsa; si intelligatur *meritorium*, temporaliter, fortè posset esse vera; quantùm ad veterem Legem; si capitur illo modo, *Littera occidit*, id est, non aperiebat vitam æternam.

Quantùm verò ad alios sensus, putà juxta illud, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. Judæi capiebant litteraliter; & ideò littera occidit, & posset tolerari dictum, & ita intelligebat proponens.

Quantùm ad juramentum, dicit quòd qui jurat incautè, non tenetur servare juramentum, secundùm Magistrum Sententiarum: & ea quæ dixit non intendit ponere assertivè.

Et condescendit finaliter saniori & sapientiori parti hujus Concilii.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jourdanus Morini, dicit quòd apparet sibi quòd non potest dari certum Judicium de Propositionibus, nisi fiat de tota Propositione in se: & ideò loquitur de Propositione in se, & de illis Assertionibus cedulæ, ut sunt in tota.

Et ideò dicit quòd intentio proponentis est ad inferendum tres conclusiones.

Prima, est mala. Secunda, pejor. Tertia, pessima.

Prima est, quòd actus ille fuit licitus.

Secunda est, quòd hoc erat publicandum: hoc est pejus.

Tertia est, quòd Rex debebat remunerare: hoc est pessimum.

Quantùm ad primam: actus ille fuit damnabilis; quia perpetratus fuit in personam fratris Regis, & filii Regis.

Secundò, quia erat per Magnum perpetratus etiam quantùm ad modum effusionis sanguinis, ex quibus actus ille reputabatur damnabilis, & intollerabilis.

Tertiò, proponens intendit in Propositione sua removere istas occasiones repræhensibilitatis, per obligationes quas posuit in Propositione sua: & ideò incidit in errores; quia amisso modo debito, ille induxit illas obligationes, & sine ordine justitiæ: & applicare tales obligationes ad talem actum, erat impium & crudele. Et ideò prima est erronea, & condemnanda.

Quartò, dicebatur actus ille repræhensibilis; quia sine autoritate Judicis. Proponens ad hoc tollendum induxit Leges, & ea quæ allegat, & per hoc incidet in tyrannidem, & videtur tyrannisare; & ideò prima Assertio est tyrannica. Et multa alia facta adduxit, ad probandum dicta sua.

Quintò, actus dicebatur repræhensibilis; quia subito modo: hoc est inhumanum. Quia etiam condemnato ad mortem non licet ipsum occidere subitò, nisi per Justitiam, & debito modo. Consequenter erat repræhensibilis actus ex circumstantiis, propter juramentum, & confœderationes. De novo etiam, propter verba & colloquia inter se: & ideò actus ille damnabatur ex hoc, quia proditoriè &c.

Modo tota Propositio nititur salvare perjurium, & alias circumstantias; & sic apparet quòd tota illa Propositio est ad justificationem actus illius. Et sic incidit proponens in illos errores: & est ipsa injuriosa Doctoribus, & sacræ Scripturæ, quia nititur applicare Scripturam sacram, ad palliandum actum illum damnatum, & ad conclusionem nefandam.

Et sic patet quòd prima Assertio est mala: nam asserere illud quod est reputatum malum, secundùm reputationem notabilium personarum, bonum, videtur erroneum in Fide & moribus. Modo actus ille reputabatur malus: & ideò dicere ipsum esse bonum & licitum, est erroneum in moribus & Fide.

A Et sic tota ista Propositio in se intrat Forum Theologicum, per hoc quòd loquitur demeritoriè: & sic tractare illam materiam, nullo modo est derogare Foro civili.

Dicit secundò, quòd secunda conclusio erat pejor, quæ loquitur de publicatione & prædicatione: nam illud quod paratur, debet esse purum, clarum & digestum: & ideò de doctrina tàm pestifera, quòd esset prædicanda, hoc est malum.

Et tertia est pessima; quæ dicit quòd ad hoc faciendum Rex erat inducendus; quia Rex non debet aliquid facere, nisi justum: & ideò ipsum inducere ad hoc, erat nefandum. Et ideò dicebatur quòd ista materia tangit Regem, qui, ut dicitur, illam doctrinam publicavit, & mandavit publicari: & ipsum ad hoc faciendum inducere, est pessimum.

B Et sic Propositiones istæ extractæ, sunt falsæ, malæ, & erroneæ: & ideò ista Propositio est mala, impia, subversiva totius status politici, injuriosa & seditiosa: & sic videtur quòd sit Libellus diffamatorius. Etiam fuit facta in præsentia Judicis, & non fuit expectata Sententia, & fuit practicata.

Et apparet sibi quòd est igne & gladio laceranda. Igne in Foro nostro; & laceranda in Foro judiciali.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Dulcimenillo, præsuppositis protestationibus; dicit quòd cedula quarta continet duo, per modum suppositionis; & duo, per modum conclusionis.

Præsupponit quòd Propositiones sunt contentæ in Propositione Magistri Joannis Parvi, de quo non dubitat: quia ita repertum est per inspectionem.

Secundum suppositum, est de diffinitione tyranni.

C Primam partem reperit per Gregorium. Deinde venit ad conclusiones.

Prima est, an Propositiones, seu Assertiones sunt erroneæ.

Dicit quòd dupliciter sunt condemnandæ. Uno modo in se: secundò, * respectum totius, & finis aliarum Propositionum.

Dicit ultra quod illæ Assertiones, in forma in qua sunt, falsæ sunt, & erroneæ in Fide & moribus; & quòd ad hoc, se refert ad rationes allegatas per Dominos præcedentes, quo ad Propositionem quæ loquitur de propria morte &c. tyranni. Et quia videtur posita per modum principii, ad justificationem actus commissi; dicit quòd est erronea.

Idem, quantùm ad illam, *Littera occidit*, quæ vita intentione † ipsius proponentis accipienda est, in sensu proprio, ex quo posita est in scriptis, nec est exponenda.

D Quantùm ad ultimam, de confœderationibus, ut est in se, est erronea, falsa & scandalosa in Fide & moribus: & similiter aliæ.

Dicit ultra quòd hujusmodi Propositiones pejores sunt, adjunctæ cum aliis contentis in Propositione, quàm consideratæ in se: & ideò dicit quòd illæ Assertiones adjunctæ cum aliis, multò pejores sunt, quàm simpliciter.

An

* *Videtur hic desiderari* quoad † *Legendum videtur*, juxta intentionem.

An sint condemnandæ; dicit quòd sic. An seorsùm; vel in toto suo publicatæ sunt: tertiò, quia desensatæ.

Dicit etiam quòd ad condemnationem totius non solùm sunt explicandæ istæ, imò multæ aliæ contentæ in tota Propositione in se.

Dicit ulteriùs quòd ista non sufficiunt ad condemnationem, nisi aliud fiat: ratio; quia errores multi jam infixi sunt in cordibus hominum. Ideò habenda sunt remedia contraria, & principia contraria, de quibus populus debebit informari.

Et de qualificatione istarum Propositionum, stat cum præcedentibus; & eo modo quo dixit, sunt condemnandæ.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Castellione, deliberat, præsuppositis protestationibus; & dicit quòd prima est erronea in moribus, in Fide.

Et similiter secunda, est erronea in Fide & moribus.

Tertia, malè sonat, juxta Legem dicentem: *Hominem homini insidiari nefas est.*

Quantùm ad illam de insidiis, ipsa est erronea, impia & crudelis.

Quinta, sexta & septima, sunt erroneæ in Fide & moribus, Regiæ Majestati detractivæ.

Octava, malè sentit in Fide.

Nona, est erronea in Fide & moribus.

Et dicit quòd sunt rationabiliter, & juridicè condemnandæ: quando, ubi, & quomodò; se refert discretioni Dominorum Judicium. Et dedit istas responsiones in scriptis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Rollandus Barguenel, considerat multa, & indispositionem temporis; & dicit quòd non est plenè deliberatus. Et petit tempus ad visitandum istas Propositiones: sed nihilominùs; pro præsenti, deliberavit ut sequitur.

Istis omnibus consideratis, videtur mihi quòd non omnes illæ Propositiones sunt condemnandæ; quia quædam non sunt assertæ, vel non dicitur, à quo: aliquæ autem sunt dubiæ. Et ultima, de juramento, esset reparanda, modo possibili, sed non Concilio * quòd pro tunc condemnetur.

Quantùm autem ad reprobationem istarum factam per Dominum Cancellarium, modus ille fuisset indirectus, videtur, & non est talis processus inducendus, propter pericula; & maximè in tam arduis, quæ tangunt Fidem & Principes: tamen quia Dominus Cancellarius prout æstimandum est, bono zelo, & fervore Fidei processit; consulerem quòd reperiretur medium, ut ipse non haberet notam, & etiam quòd nullus Dominorum irritaretur; & maneremus in pace.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Parvi, Licentiatus in Theologia, quo ad duas primas Assertiones quòd dicitur quòd Lex naturalis autorisat occidentem talem tyrannum; ad hoc respondet, quòd Lex naturalis potest considerari in se: & videtur sibi quòd est quoddam transsumptum rationis divinæ. Et videtur sibi quòd Leges quæ sunt ad regimen totius Communitatis, emanaverunt à tota Communitate; & ideò scribuntur. Et de illo quod fit autoritate istarum Legum, nullus potest murmurare: secùs de Judicio, vel illo quod fit autoritate unius solius, vel per unum solum. Et ideò ista Lex naturalis scripta in corde istius, vel illius, aliquem non autorisat, nec dat autoritatem sic faciendi; quia alius posset murmurare. Et ideò duæ Assertiones primæ sunt inciviles, malæ, & scandalosæ, & subversivæ ordinis politici, & nunquam habent respectum ad totum. Videntur esse hæreticæ; quia Lex Dei est pura & immaculata.

* *Forsan verbum* consilio.

Aliæ tres quæ sequuntur, videntur sibi insensatæ, & sine ratione, afferentes secum perniciem primarum Assertionum. Alia quæ est de sensu litterali, si non fuisset scripta, non curaret multùm; sed quia scripta, est condemnanda cum aliis, & similiter ultima est falsa. Et sic dicit quòd omnes istæ Assertiones sunt condemnandæ & anathematisandæ, & etiam tota Propositio. Petit, in se, quia istæ Propositiones capiunt malitiam a tota, in se.

A Venerabilis & circumspectus vir, Magister Andræas Bernardi, Licentiatus in Theologia, dicit quòd isti termini, *terminus*, & *autoritas*, propriè, Dei est.

Item, *autoritas*, propriè, est totius Communitatis, quæ excusat, & dat autoritatem occidendi aliquem, nec licet aliter, autoritate propria, aliquem interficere. Et ideò apparet sibi quod ista justificatio quæ dicitur Domini Burgundiæ, continet Propositiones scandalosas & erroneas in Fide & moribus, & sapiunt hæresim.

De ipsarum condemnatione, an nunc, vel aliàs, consuleret quòd ista materia præsens tam clarè tractata, remitteretur ad Concilium Generale, vel ad Curiam Romanam: & in hoc magis onus removeretur ab hominibus, & obstruetur os iniqua loquentium.

Et ista dicit, cum protestatione addendi, & diminuendi; & tradidit in scriptis.

B Quo ad primam Assertionem, se refert ad Magistros qui primò deliberaverunt.

Sequitur ejusdem deliberatio, data in scriptis.

Excusationibus præmissis, quibus in materia tam ardua summè indigeo, adjectis protestationibus in hoc actu fieri solitis, quibus firmiter adhæreo, firmiterque adhærere intendo, quandiù vitam duxero in humanis, quas supplico habere pro repetitis.

Reverendissime mi Pater, ac Domine metuendissime, aggredior, recensurus ad formam traditæ petitionis; favore, rancore omnibus abjectis, secundùm dictamen nostræ conscientiæ ordinatæ: cum omni reverentia, & honore tantorum virorum, C videtur mihi quòd distinguendum sit de tyranno, ac etiam de autoritate propria, si aliquis, ex Præcepto occulto divino interficeret unum malefactorem, & non publicaretur illud Mandatum, nisi solùm diceretur: interficere tyrannum, autoritate propria, in Foro nostro judiciali & contentioso; non tamen in Foro conscientiæ suæ, esset autoritas sua, sed autoritas Dei.

Rursùm, si aliquis corrigeret unum incorrigibilem, qui conaretur destruere totam Rempublicam, nec haberet superiorem Judicem; velut Imperator; & esset incorrigibilis, saltem quòd certo tempore, ut puta tribus diebus, & duceret ad effectum, in prædicto tempore, destruere finaliter Rempublicam, & ulteriorem processum generationis, ut puta amputare mammillas omnibus mulieribus; videtur qui interficeret eum, non autoritate propria, sed autoritate Reipublicæ, faceret destructivè. Dico tamen D quòd si aliquis præsumeret, ex libidine avaritiæ, dominandi, vel alio quovis modo, non habendo aspectum ad Deum, vel ad Rempublicam, vel ad malum præteritum, vel futurum, talis interficiens malè faceret & peccaret: & adeò autoritas propria venenum includere videtur, & cadit sub distinctione. Insuper tyrannus habet plures species. Alius est, qui nititur dominari sine Jure. Alius, qui affligit populum injustè. Alius, est destructor finalis Reipublicæ, & talis est interficiendus à quolibet membro illius Reipublicæ. Et sic sanctus Aldatus Episcopus Clandisse-

diffestriæ adjudicavit Saxonem tyrannum, ut habetur in Cronicis Britonum: inquit enim iste Sanctus, *Etsi eum omnes liberare niterentur: Ego eum in frusta conciderem.* Insequens nempe Samuëlem Prophetam, qui cùm Regem Agap Amalach * in captivitatem tenuisset, concidit ipsum in frusta dicens: *Sicut fecisti Matres sine liberis, sic etiam faciam hodie Matrem tuam sine liberis inter mulieres*, ut habetur primo Regum. xv. cap. 33.

Item, Roberdus Vintoniensis Monachus, introxicavit †, & se ipsum & tyrannum Regem Joannem, quia non potuit aliter corrigi, nec interfici; & jam destruxerat C. & L. Ecclesias, in Regno Angliæ, faciendo unam forestam de illa quæ jam vocabatur foresta nova, sic intendens facere de omnibus Ecclesiis sui Regni; & tamen prædictus Monachus commendabilis redditur ex prædicta interfectione, ex gestis Anglorum, ut patet per Monachum Gestrensem, Libro quinto suæ Politiæ.

Præterea Judith vidua à bono Hieronymo magnis laudibus attollitur, super interfectione adulatoria Olophernis, in Prologo Libri Judith; sic inquiens: *Accipite Judith viduam castitatis exemplum, & triumphali laude, perpetuis eam præconiis declarate, hanc enim non solùm fœminis sed etiam viris imitabilem fecit, qui castitatis ejus remunerator, virtutem ei talem tribuit, ut inimicum ab omnibus hominibus vinceret, & insuperabilem superaret.* Numquid etiam à Domino benedicitur Joël inter mulieres; quæ dormiendo interfecit Sisare, ut habetur, *quinto Judicum.* Super quo verbo, glossa Magistri Nicolai de Lyra; *Non solùm rem licitam fecit Joël, sed etiam meritoriam.* Hi nempe omnes tyranni fuere.

Qua propter ex prædictis videtur quòd tyranni in suprema specie tyrannidis, à quolibet membro illius Reipublicæ perimi licitè possunt: nec tales eum interficiunt, autoritate propria; sed autoritate Reipublicæ, licèt occulta.

Et ideò, cum omnimoda reverentia tractare de tyranno, & de autoritate propria, est impertinens ad mortem Principis interfecti, cùm quilibet illorum terminorum prædictorum habeat plateas latas.

Sed quærendum esset, primò, an fuisset tyrannus, vel non, & in qua specie tyrannidis; & an talis propter talem speciem tyrannidis possit interfici ab alio, quàm à suo Judice ordinario: & tunc limpidiùs pateret veritas, & discussio redderetur securior.

His nempe attentis, de hujusmodi negotii acceleratione, teste conscientia, arbitror, usque ad tempus fore differendum, cùm hujusmodi acceleratio numerum pariat fructuum; sed potiùs efficere videatur: nec differre ad tempus, damnosum erit; quoniam nec vos, Reverendissime Pater, nec aliquis ex Concilio Fidei notam matutinam incurrere videbitur; aliundè, munimenta omnia penès vos semper paratissima remanent, quæ executioni, dùm vobis libuerit, demandare poteritis. Sed quomodò ac sanctiùs fiet, vester sedabitur animus, securè atque sanctè fiet, non hæsito, si præsentem viam tàm discretè, tàm maturè per viros rutilantes ingenio discussam, tamdiù in scola divini amoris eruditos, tàm probatos atque expertos in Fidei certamine, ad Concilium Generale in proximo celebrandum transmittere proponatis. Hoc nempe facientes, ingens onus vestris ab humeris deponetur, vester honor, totiusque Concilii illæsus conservabitur: postremò, os loquentium quod nundùm obstructum est, sed ubi sepulchrum patens, indubiè obstruetur.

Verumtamen de hujus materiæ ampliori prosecutione, me refero discretioni vestræ, Concilioque Fidei, secundùm quod postulat Juris ordo.

* *Forsan* Agag Regem Amalec † *Forsan* intoxicavit.

Et hæc sunt dicta, Reverendissime in Christo Pater, cum omnimoda correctione vestra, & aliorum Dominorum Patrum hìc existentium, cum protestatione semper, de addendo, vel diminuendo, si necesse fuerit, vel requisitus fuerim.

Anno Domini 1413. *Die* XVII. *Februarii.*

A Venerabilis & circumspectus vir, Magister de Matiscone, protestatur, ut aliàs, & visitavit cedulam; & dicit quòd prima Assertio, cum sequentibus, usque ad septimam, tangunt materiam homicidii, & de justificatione. Hoc Præceptum, *Non occides*, est Præceptum negativum, obligans semper, & pro semper: quamvis recipiat exceptionem. Et licèt tenendum esset in terminis, nec recedendum ab eo, nisi propter certas & evidentissimas causas; venit ad exceptiones: in defendendo se, non est exceptio, quia defendens non occidit, licèt sequatur occisio, quia defendendo resistit & insistit. XVII. Feb. 1414.

Item, de inimico, insistens debellationi inimici, insistit, vel ad fugam ejus, vel ad debellationem ejus, & in isto actu non est exceptio, si sequatur mors. Quærit inimicum capitalem Sortis * eum insequitur ad eum occidendum, Sortes fugit, inimicus sequitur, B Sortes incidit in vicum qui non habet exitum, inimicus stat in buto expectando socios suos: an licet Sorti evadere? Videtur quòd sic, quia ob unum finem tendit, scilicet ad fugam; videtur quòd non, quia non est faciendum malum ut bonum eveniat: quia actus iste non esset rectus; quia facit malum, ut perveniat ad bonum finem: & ideò actus ille non esset rectus, quamvis civiliter non esset puniendus.

Item, diceret in alio casu, de latrone publico, qui mercatorem ducit secum ad occidendum, & constat de hoc; an liceret ipsum occidere? Et esset actus rectus ipsummet occidere ad deliberandum alium. Credit quòd actus non esset licitus, sed insistendo ad deliberationem mercatoris, non habendo respectum ad occisionem, actus esset licitus. Et ideo Præceptum tenendum est in terminis suis. Et C ideò actus homicidii tantùm est licitus in Communitate, vel in illo qui habet regimen Communitatis; quia habet Dominium & potestatem. Sicut de illo qui habet membrum putridum, quæritur an epikeia ibi possit habere locum. Videtur quòd sic, juxta illam quæstionem, de portis civitatis non aperiendis, quæ recepit epikeiam.

Et sic, ut in hoc Præcepto, *Non occides*, cum correctione credit quòd iste casus non recipit epikeiam: quia dato quòd sic, non potest modus ille observari, qui expedit Communitati & civitati: patet, concessa facultate cuilibet judicandi; non tamen quilibet habet discretionem judicandi. Quia etiam in accusato de furto, requiritur cognitio causæ, & circumstantiæ facti, attendendo an propter necessitatem, vel aliàs? Et idem de homicidio; an per ebrietatem, vel aliàs? Et epikeia non potest habere istum modum. Et ponatur quòd concedatur epikeia, & Judex dicat: Iste occidit per epikeiam, quantùm erit Sententia periculosa, clarum est quòd D quia homines habent multas passiones, & habent odia inter se, quòd vix homo perfectus possit resistere: & sic daretur occasio periculorum.

Et ideò non obstat argumentum, de portis civitatis non aperiendis; quia non est ibi periculum epikeiæ; quia homines ibidem, & in illo casu, non habent passiones.

Ex istis patet responsio ad Assertiones contentas in cedula, quòd sunt erroneæ illæ septem Assertiones.

V Quan-

* *Hic aliquid desiderari videtur.*

Quantùm ad illam; de *Littera occidit* &c. dicit quòd sensus litteralis non occidit; sed quia est dictum commune, & allegatur contra Judæos, & ideò quia est modus communis loquendi, & potest accipi ad bonum sensum, ipsam non condemnaret.

Ultima, loquitur de juramento, & promissionibus; &c. habet contra se textum Legis. Lex dicit quòd contra omnes Dominum defendere licet; A & credit conclusionem esse malam. Et recitavit de multis contractibus, sicut de emptione & venditione, ubi intervenit juramentum. Et credit ipsam esse erroneam, & multò pejus sonat, quàm alia quæ erat in prima cedula; & est erronea sic assumpta. Et dicit ultra quòd finis non est fortè salus animarum, ut istæ Propositiones reducantur de errore ad veritatem: dicit quòd ex quo finis iste intenditur; & ideò nullatenùs trahatur ad factum particulare, quia etiam non quæritur. Et ideò non respondet.

Item, hoc spectat ad Forum judiciale humanum, & non ad spirituale. Et si dicatur: tangunt Leges humanas: benè quidem, nec iste finis tangitur ad concludendum contra personas, nec est verisimile quòd si ita fuisset ostensum Magistro Joanni Parvi, quòd fuisset pertinax. Et ideò expedit restringere inimicitias toto posse, quod non est tendere ad factum particulare, quia hoc esset retorquere in B aggravantem: & ideò tacendum est de particulari facto. Si aliquis diù steterit, non est quærendum ampliùs; quia non est periculum in Republica, & non expedit antiqua facta recitare: & ideò ut tendamus ad mediationem, quemadmodùm Dominus noster Jesus Christus fuit Mediator inter nos & Deum. Et est verisimile de reconciliatione. Nunquid igitur istæ sunt condemnandæ? Aliqui dixerunt quòd sic; aliqui quòd non.

Guillelmus Parisiensis ponit unam virtutem quæ vocatur tractabilitas, & finis non est salus animarum; & ideò si tendatur ad condemnationem, argumentaretur inimicitia: sed prædicentur erroneæ, non onerando aliquam personam, & dicendo quòd Dominus B. non erat Theologicus. Et non stetur in uno rigore, quia factum est antiquum; & ideò consuleret remittere ad Concilium Generale. Et ita sic deliberat.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus de Bivilla, Augustinensis, dicit quòd credebat materiam esse terminatam: & ideò cum correctione omnium, protestatur quòd non intendit loqui in favorem humanum; sed in honorem Dei, & Universitatis Parisiensis. C

Quantùm ad primam Propositionem; dicit quòd secluso Mandato Dei tacito & expresso, & hominis tacito & expresso, erroneum est dicere, cuiquam licere hominem occidere, Hoc est Augustini: & in Epistola quam scribit ad Rufinum. Et concludit quòd *Qui sine legitima autoritate hominem occidit, homicida est.*

Et dicere, licere alicui transgredi Præceptum, est erroneum. Et videtur quòd Propositio non sonat sensum epikeiticum, ex quo dicit, quòd est meritorium & honorabile. Certum est quòd nullum est tale, nisi à Deo acceptum: nam Phinées occidit Zambri, & non loquitur ex textu, quòd habuit Præceptum, D saltem expressum.

Idem de Moyse, qui non habuit autoritatem, nisi privatam. Et idem de Samsone, & pluribus aliis. Et ideò si ipse intelligit Propositionem, sicut est, dicit erronea.

Quantùm ad secundam; dicit quòd Leges positæ sunt ad puniendum malos, & laudandum bonos: sed dicere quòd liceret actualiter cuilibet, est erroneum. Sed hoc licet solùm Judicibus actualiter: habitudinaliter licet cuilibet, secundùm Leges. Nam Lex Naturæ est, & unum ejus principium, *Deo est obediendum.*

Ergo si mandet Sorti hominem occidere, & occidat, obedit: & si liceret Sorti, ita & uni alteri. Et ita, dicere quòd Leges morales actualiter autorisent, &c. est erroneum, sed habitudinaliter sic.

Quantùm ad tertiam *

Quo ad primam; item, dicit quòd non licet sine autoritate.

Quo ad secundam; veritas est. Quod si Judith ostendisset voluntatem suam, Olophernes non fuisset occisus; & tamen prætacuit suam voluntatem: & ideò Scriptura non negat quin licitis cautelis liceat uti.

Quo ad quartam; dicit quòd Leges dicunt quòd criminosi debent puniri: nam mors communis est, nec violenta mors est semper turpis: putà de Christo & Stephano, & aliis. Nam Leges quæ primæ Legi sunt contrariæ, non sunt Leges. Et ideò dicit quòd justum est & rationabile, quòd tyrannus turpiter occidatur.

De quinta Assertione; dicit ut de prima.

Et idem de octava Assertione; sicut præcedens qui deliberavit: nam per litteram, intelligitur Vetus Testamentum; & per spiritum, Novum Testamentum, modo certi ne malis † Antiqui Testamenti esset occidere spiritum. Et ideò non esset multùm curandum de condemnatione ipsius.

De nona Assertione, dicit quòd non vidit ipsam, & laudat præcedentem qui deliberavit. Et ideò si, salvâ conscientiâ, posset supersedi à materia, esset supersedendum. Et ideò consuleret remittere materiam ad Concilium Generale.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Jacobus de Liphodio magno, Augustinensis, protestatur sicut ceteri Magistri protestati sunt, aliàs, ut dicit, deliberavit, & stat in his quæ aliàs deliberavit. Verum, quia Propositiones istæ videntur differre ab aliis; ideò dicet aliqua, ad obediendum Mandatis Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris: nam in facto Fidei non debet esse favor aliquis.

Quantùm ad primam Assertionem; dicit ipsam multipliciter falsam. Nam dicit: *unicuique.* Igitur Sacerdotibus & aliis. Dicit ultra: *Tyrannum machinantem.* Nam differentia est & inter machinantem, & illum qui de facto operatur. Et ideò nimis largè locutus est. Et quando dicit: *meritorium, & honorabile*, &c. Nam contrarium est verum; nam meritorium & laudabile est tyrannos non occidere; nam nullum est meritorium, nisi sit rationi consonum. Modo ratio, est quædam Lex: ideò si est honorabile & meritorium; igitur à Lege divina. Et sic concludit Propositionem esse secundùm Legem divinam, quod est falsum.

Dicit ultra, quòd implicat in se contradictionem: nam non occidere alium, est consilium Christi.

Dicit ultra, quòd illa Propositio, est gestis & dictis Sanctorum contraria. Nam Ptolomæus, dum ducebatur ad supplicium, prohibuit occidere tyrannum: igitur prohibuit meritorium. Et etiam de Petro, qui dixit: Christus docuit nos non occidere, sed vivificare.

Quòd sit contraria, notum est de pluribus historiis, & repugnat doctrinæ Sanctorum: & reputat eam esse erroneam in Fide & moribus, & meritò judicialiter condemnanda.

De secunda; dicit quòd doctrina Christi est Lex divina. Modo Legi divinæ repugnat, & etiam doctrinæ Christri: nam Lex moralis est consona Legi divinæ. Et ideò, ex quo Lex divina non autorisat, nec moralis, nec naturalis: & ideò Propositio est tripliciter falsa. Nam temporibus retroactis, multi fuerunt tyranni; & tamen non legitur quod aliqui

* *Hic aliquid desideratur.* † *Locus corruptus.*

qui sancti occidissent aliquos tyrannos, quod est mirum, ex quo, ut dicit Propositio, hoc fuisset meritorium & licitum ac honorabile.

Quantùm ad tertiam; dicit idem quod de prima: nam Valerius Maximus tractat istam materiam, de senibus qui petebant venenum: non eis licebat; sed oportebat quòd peterent à Judicibus. Et ideò ipsa aperit viam ad id quod omni Lege est reprobatum.

Quantùm ad quartam; jam solum est, & eidem cum prima.

A Quantùm ad quintam; dicit quòd est falsa, & erronea in Fide & moribus, & mortifera doctrina, & damnabilis: quia culparum defensiva, juxta illud Isaiæ. v. 20. *Væ væ, qui dicunt malum bonùm, & bonum malum.*

De sexta; dicit sicut de quinta.

De septima; sicut de prima.

De octava; dicit quòd est periculosa: nam Magister Huc. de Gandavo quærit, utrùm omnis sensus litteralis Scripturæ sit verus; qui determinat quod sic: nam dicere contrarium, tunc tota Scriptura sacra esset dubia: & proponens exponit, & ideò destruit totam Scripturam sacram, & eam reddit suspectam: & quia ratione liceret epikeiare in uno casu, ita in omnibus, quod in Scriptura sacra non licet. Et dicere contrarium, esset destruere Scripturam sacram. Et ideò dicit quòd octava Propositio est falsissima, erronea in Fide & moribus, contra B Doctores sacros, doctrina pestifera, & ideò judicialiter condemnanda.

Quantùm ad nonam Assertionem; dicit quòd aliàs locutus fuit de ista: & dicit quòd est pessima Assertio, & pessimè digesta, pestifera doctrina, ad omnia perjuria viam habens, & contra omnem modum, & perturbativa totius humanitatis: & ideò concludit quòd tota Propositio Magistri Joannis Parvi est condemnanda, tamquam multipliciter scandalosa in Fide & moribus, erronea & periculosissima; ita quòd à principio Studii non fuit ita pestifera doctrina; & ex ista Propositione possent infinita mala provenire. Et recitavit de Origene: nam post ipsum reperta sunt ejus Opera; & dicit quòd Clerici devoti, & Heremitæ, & Monachi sustinebant doctrinam Origenis; Episcopi & Prælati reprobarunt aliqua dicta ipsius, & finaliter extracta fuerunt malè sonantia, & finaliter obtinuerunt Prælati & Episcopi, & reduxerunt alios ad veritatem. Et ideò dicit quòd no- C minare Autorem, vel non nominare, non est magnum periculum: nam materia satis divulgata est, & cum nimia deliberatione procedendum est in ista materia, salvâ tamen justitiâ. Et ita deliberat.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Mathæus Mercerii, protestatur ut ceteri.

Quantùm ad Assertionem; dicit quòd nesciret undequaque loqui: sed apparet sibi quòd inimici civitatis licitè expellendi sunt à singulis: & habet in scriptis, & tradidit, quam ipsemet legit.

Sequitur ejus Deliberatio.

Il est licite à un chacun &c. Inimici Patriæ & Communitatis, licitè invaduntur, occiduntur, & contra D eos bella moventur. Ergo videtur quod inimicus, aut inimici capitis, seu Principis sunt invadendi, & licitè extirpandi, qui machinantur, ut dictum est. Et hoc dixit sanctus Thomas in illa quæstione secundi Sententiarum: Utrùm Christiani potestatibus secularibus, & præcipuè tyrannis obedire teneantur.

Et cùm arguitur, de morte Julii Cæsaris, qui quasi tyrannus Jura Imperii usurpaverat, cujus mors laudatur. Et Tullius, Libro *De Officiis*, laudat eos qui eum interfecerunt. Beatus Thomas in solutione illius argumenti exponit dictum Julii, dicens, quòd intelligendum est de tyranno, *qui sibi Dominium per violentiam subripuit, nolentibus subditis, & cùm non est recursus ad Superiorem, per quem Judicium de invasore possit fieri: tunc enim qui ad liberationem patriæ talem tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* Ex quo videtur quòd cuicumque licitum est talem occidere.

Item, caput à membris singulis est protegendum & defendendum, à naturali Jure; nec per hoc præstat audaciam insurgendi contra Dominos; sed solùm contra tales usurpatores & subreptores & tyrannos, ut terreantur vitam tenere abominabilem. Etiam malefici, sortilegi non sunt permittendi vivere, secundùm sacram Scripturam.

Item, si Magister Joannes Parvi locutus fuit cum protestatione, non debet condemnari; sed illi culpandi sunt, qui tempore quo vivebat, debuerunt eum convenire, & non convenerunt; sed expectaverunt tempora tanta, in læsionem causæ, quam causam Fidei vocant: & in hoc non se monstraverunt fortes in Fide, neque magnos zelatores, prout se profitentur; quia jam veritas non potest extorqueri.

Ex quo videtur quòd conformiter ad sacram Scripturam locutus est, in detestationem & extirpationem tyrannorum, atque sortilegorum. Et sic sex Propositiones inde sequentes censentur esse veræ.

Octava Propositio, *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Hoc dicit Apostolus 2. *Ad Corinthos.* III. 6. Videtur quòd sensus artificialis, aut litteratorius, non adjuvante spiritu, occidit: quia qui aliter divinam Scripturam intelligit, quàm Spiritus Sanctus suggerat, errat. Sic 1.a ad Corinthios. Octavo. 1. *Scientia* autem *inflat*, *Charitas verò ædificat.* Quia scientia sine Charitate facit superbire, & sic littera expotulet * & sine spiritu, facit errare: & sic videtur esse vera.

Nona Assertio. *En cas d'alliance, ou confederation faites d'un Chevalier à autre, s'il tombe au prejudice de luy, de son epouse, ou de ses enfans, il n'est de rien tenu de les garder.*

Item, dicitur quòd si quis juraverit fœdera; in illo juramento tacitè intelligitur, & præsupponitur quòd hoc facit ad conservationem corporis proprii, & bonorum: & ita, si quis insurgat contra corpus, & bona, aut suorum intimorum, sicut est uxor, & liberi, qui censentur esse pars corporis; mariti, sive Patris; apparet quòd talis tenetur sibi providere resistendo: nec videtur denegare; & sic Propositio videtur habere veritatem: si Propositiones etiam sint erroneæ, & protestatus sit se corrigere; non est condemnandus.

Protestor quòd non intendo aliquid dicere ad determinandum; sed ad avisandum, cum protestatione sanioris consilii habendi, & meæ informationis ulterioris.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Henricus de Bragella, protestatur sicut ceteri; & dicit quòd libentiùs sileret, quàm loqueretur: & loquitur de prima, & de illa, *Littera occidit.*

Quantùm ad illam; apparet sibi quòd quidam Doctor dicit, *Littera occidit animam.* Id est, sensus litteralis corporalem occidit &c. Legit in scriptis quandam authoritatem ad hoc; & ideò, prima facie, Propositio vadit juxta sensum per ipsum lectum.

De ultima; videtur sibi, prima facie, quòd est ambigua; & prima facie, non videtur condemnanda: se tamen refert saniori parti.

Quantùm ad primam Propositionem; videtur quòd non posset sustineri: nam videtur quòd homo se defendendo, potest alium occidere: & sic videtur invadenti Remplublicam, de tyranno. Et allegat

* Locus corruptus.

legat Salberiensem. Et videtur sibi quòd non est ita mala, sicut aliquibus videtur: & ideò non est sufficiens ad dandum consilium. Et ideò apparet sibi quòd bonum fuisset quòd fuissent deputati Magistri, ad disputandum materiam: & fortè expediret negotium mittere ad Curiam Romanam. Et dicit quòd non auderet ipsas condemnare, & absolvere, vel ipsas judicare erroneas, vel ne, propter rationes hinc inde.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Blanchart, tradet in scriptis; ut aliàs deliberavit: & dicit primò quòd vidit in consilio Prælatorum Parisiis, quòd quamvis fuissent viri clarissimi in materia Ecclesiæ, fuerunt dati Deputati in magno numero, ad discutiendam materiam quam una pars tenebat, & alia pars oppositum. Et ideò apparet sibi quòd bonum esset dare consimiles Deputatos. Et aliàs dixit quòd materia erat mittenda ad Curiam Romanam, & adhuc dicit, ad Concilium Generale, ad evitandum mala futura, & etiam negotium esset majoris autoritatis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Squirilli, Carmelita, præsupponit illa quæ aliàs dixit.

Quantùm ad primam Assertionem; dicit quòd est erronea in Fide Catholica, in triplici Lege per ipsum allegata; & habet in scriptis, & legit.

Sequitur ejus Deliberatio.

Suppositis protestationibus debitis; dico ad Assertiones in cedula mihi transmissa, secundùm instinctum Spiritus Sancti.

Et primò, ad materiam ipsarum, & sensum in quo sunt, & quem faciunt: & demùm ad quæsitum.

Et quia prima est fundamentalis; idcircò ad ipsam principaliter dico, quòd ipsa est erronea in Fide Catholica, in triplici Lege per ipsum allegata, contra determinationem Doctorum hujusmodi materiam tractantium; & scandalosissima.

Primum patet, tàm ratione Fidei, quàm ratione ejus objecti & adhæsionis. Unde secundùm Augustinum, Sermone XXII. Fides dicitur à facto & dicto, conformiter ad divinum Præceptum. Modo ista Assertio dicit: licitum fore, absque Mandato, vel Præcepto, tyrannum occidere. Divinum præceptum dicit: *Non occides*, scilicet absque autoritate Legis, vel divinæ inspirationis: sicut de Moyse legitur, interficiente Ægiptium. Et ita, secundùm Doctores, prohibetur omnis propria autoritas occidendi hominem.

Item, Fides semper unitur veritati, non falsitati, aut dubietati. Sed ista Assertio multa inducit, vel falsa, vel saltem dubia, quæ tanquam vera & certa asserit: ut pote quòd machinatio fuit contra Regem, propter cupiditatem, & per sortilegia, vel maleficia; quæ videntur magis voluntariè & suasivè dicta, quàm verè probata. Et ita, circa hoc quæreretur qualiter ita proponens noverit, vel quia præsens fuerit; & hoc non per ipsummet, vel sibi narratum fuit; quia quæreretur per quem, seu per quos, omnes tacuit; & per consequens, magis fuerunt hæc adinventa, quàm verè probata. Declarationes Domini Cancellarii sunt approbandæ & tenendæ.

Similiter est erronea in Lege naturali, creaturæ rationali indita, quæ nihil aliud est, quàm impressio divini luminis in nobis: juxta illud Prophetæ: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, Ps. IV. 7. Quo quidem lumine, rationalis creatura habet discernere inter bonum & bonum; secundum judicium, seu dictamen practicum intellectus, seu rectæ rationis: & istud dicitur Lex rationalis in rationali creatura. Sed ista Assertio, secundùm omnes sui partes, est contra dictamen rectæ rationis, ut patet, discurrendo per ejus singula membra; Igitur est erronea in Lege naturali, cujus effectus est, conformiter operari ad Legem.

Item, Lex naturalis æqualiter obligat, cum ipsa sit indispensabilis. Si igitur ista Assertio haberet aliquid veritatis, secundùm Legem naturalem, omnes indifferenter & indispensabiliter obligaret: hoc tamen est falsum; quia sicut ad abscindendum A membrum putridum, non pertinet nisi Medico; ita ad puniendum malefactorem, non pertinet nisi Judici autorisato, secundùm sanctum Thomam, & alios Doctores hanc materiam tractantes, prout in cedula alia nuper declaravi, & quæ pro nunc supponuntur.

Item, ista Assertio est contra Præceptum Legis moralis, *Ne facias alteri, quod tibi fieri non vis*: Sed secundùm dictamen rectæ rationis, nullus debet velle sic occidi, ut notum est: ergo propositum.

Item, Lex naturalis inducit pietatem: propter quod dicit Apostolus. I. ad Thimot. IV. 8. quòd *Pietas ad omnia utilis est.* Ista autem Assertio inducit scelerum crudelitatem; quare patet clarè quòd est erronea in Lege naturæ: & propter ista, & alia quæ possent hîc adduci benè, dicit Apostolus, ad Romanos, secundo. 14. *Gentes quæ Legem non habent, naB raliter ea, quæ Legis sunt, faciunt*, ubi Glossa: *Si non habent Legem scriptam, tamen habent Legem naturalem, quia quisque intelligit & sibi conscius est quid bonum; & quid malum.*

Est insuper erronea in Lege morali: nam Lex moralis ambit omnem virtutem moralem. Hæc autem Assertio omnem talem abjicit, ut patet, discurrendo per singulas ejus virtutes morales; nam notum est quòd omnem ordinem subvertit, Jurisdictionem usurpat honestam, resecat promptitudinem omnis malitiæ, inducit viam ad omnem divisionem, seditionem, & penè ad omne malum aperit: sicut luculenter aliàs deducebat Dominus Cancellarius, cujus dicta habeo pro probationibus.

Cùm ergo Justitia sit omnis virtus, *quinto Ethicorum*: sequitur manifestè propositum: & sicut dicitur de ista virture; ita clarè dici potest de aliis.

Demùm, est erronea in Lege divina, sicut mani- C festè apparet per proprias conditiones divinæ Legis, quas notat Propheta, in Psalmo decimo actavo. 8. dicens: *Lex Domini immaculata* & nullam peccati turpitudinem permittens, *convertens animas*: quia non solùm exteriores actus dirigit; sed etiam interiores, *testimonium Domini fidele*, propter certitudinem veritatis & invariabilis rectitudinis; *sapientiam præstans parvulis*, in quantum ordinat ad supernaturalem finem & divinum.

Ista verò Assertio totum oppositum ponit in se, & in suis dependentibus, ut patet intuenti.

Item, deducit maleficium esse meritorium.

Item, sua declaratione, tertia & quarta & ultima Assertionibus, violat fidem, & approbat infidelitatem; sicut clarè in eisdem patet: vel saltem manu ducit fidelitatem, aut fidem promissam non D tenendam, in contumeliam Fidei & ejus objecti.

Ex quibus sequitur quòd abjicit spem, ut nullus in alium speret amicitiam habere, nec securè convivere, & ita ordinem charitatis; sicut patet, deducendo ordinem fructuum charitatis, quos enumerat Apostolus. 4. *ad Corinth.* XIII.

Ex quibus manifestè sequitur quòd ista Assertio, cum suis sequelis, est erronea in Lege divina.

Ex quibus sequitur quòd secunda Assertio est erronea in Fide & moribus. Patet: quia dicit quòd sic occidendo tyrannum proditoriè, ad mentem primæ Assertionis, est licitum in prædicta triplici Lege. Ex quo sequitur quòd tertia Assertio est erronea,

ronea, crudelis & impia, sicut deduxerunt Magistri nostri Reverendi, & signanter sicut deduxerat in sua Propositione Magister noster Reverendus Dacheri, cui me conformo. Et sic respondeo ad quæstionem &c. quòd istæ novem Assertiones sunt erroneæ, modis prædictis, & præsuppositis in declarationibus materiæ earum, promulgatis per Magistros nostros, ut præfertur.

Venerabililis & circumspectus vir, Magister Thomas Hobe, dicit quòd illud quod dicit, dicit in favorem Fidei; & dicit quòd favendo Fidei, non A sunt condemnandæ istæ Assertiones: & reperit quòd Stephanus, prædecessor Domini Episcopi Parisiensis, condemnavit multas Propositiones; & intravit modum præcedentem. Et habet in scriptio quosdam Articulos quos condemnavit. Et postquam vidit dicta & facta dicti Stephani, rediit ad Propositiones.

Dicit quòd non sunt absolvendæ de condemnatione. An sint condemnandæ, petit dilationem deliberandi. Videtur sibi quòd non sunt condemnandæ per Diœcesim Parisiensem, usque ad examen Apostolicum. Dicit quòd Legatus à latere debet hîc venire; & ideò mittendæ sunt Propositiones ejus examinationi.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus de Nogento, protestatur sicut ceteri, quibus adhæret, benè scit quòd Salvator multùm prohibet omnem occisionem; & ideò prohibet suo fratri. B Reperit etiam quòd Doctores sancti dicunt quòd aliqui non possunt occidi, nisi in duobus casibus.

Primò, per Judicem, & ordine judiciario servato. Alio modo, ex inspiratione. Et ultra istos, sanctus Thomas videtur ponere quòd licitum est interficere illum tyrannum. *Qui subripit Dominium, nolentibus subditis, vel ad consensum coactis.*

Et petit, si casus fuit notorius omnibus: in dicto casu haberet locum dictum beati Thomæ: & ideò si esset notum alicui, videtur quòd mereretur occidens talem tyrannum, & non fecisset distinctè, nisi fuisset dictum beati Thomæ. Et ideo non videtur sibi clarum: æstimat tamen Propositiones magis erroneas, quàm oppositum: sed non auderet dicere & jurare quòd essent contra Articulum Fidei, quàm æstimat eas hæreticas. Et ideò apparet sibi quòd sunt erroneæ, a prima, usque ad septimam, inclusivè. C

De illa, de *Littera occidit*; dicit quòd apparet sibi quòd loquebatur de sensu grammaticali, & abutitur termino, & non facit magnam vim de illa Propositione.

Quantùm ad ultimam; dicit quòd sanctus Thomas dicit quòd, *Majus vinculum non absolvit minus, ubi sunt impossibilia: sed ubi non sunt, majus non absolvit minus.* Et ideò non videtur sibi quòd sit ita mala, sicut multi dicunt.

De salubri consilio; se refert ad bonum consilium quod habebunt Judices.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus de Duno, dicit quòd modicum cogitavit; & protestatur sicut ceteri.

Quantùm ad Propositiones in se, & de prima; apparet sibi quòd sanctus Thomas videtur declinare ad istam conclusionem, quòd in casu quo de tyranno tali non posset haberi Judicium, licitè potest occidi, & ampliùs non debet dici homicidium: & facit unam quæstionem; an si aliquis rem suam non possit recuperare ab alio, ipso sciente; utrùm liceat suam subripere: & dicit, ut sibi apparet, quòd quidam dicunt quòd potest retinere rem; sed in modo recuperandi peccavit, quia non recuperavit cum debito modo, quia antiquam ipsam habere non debuit, nisi de voluntate possidentis vel autoritate Superioris. Ideò Gaufridus quidam allegat, dicit quòd non peccavit in modo recuperandi, nec in recuperando, ubi non potest fieri per Judicem; modo bono, in casu, licet singulari personæ recuperare rem suam, & hoc videtur Augustinus sensisse, ubi dicit: *Non* &c.

Et hoc potest applicari ad propositum: & ideò apparet sibi quòd non sunt modò condemnandæ: & protestatur de aliter dicendo, si aliàs eidem aliud appareat.

Quantùm ad illam; *Littera occidit*; credit quòd ipse subintellexit ad bonum sensum, & sic credit quòd non sit condemnanda.

Circa nonam; non est advisatus.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Aymericus de Bituria, Augustinensis, quantùm ad primam, & secundam, & ad totam cedulam in se, ad opinionem illius qui aliàs deliberavit, scilicet cum Magistro Joanne de Matiscone.

Quantùm ad primam; dicit quòd illa & consequenter aliæ, est falsa & erronea. Verum est, prout aliàs dixit, apparet sibi quòd materia debet tractari dulciter, absque quòd aliqui Domini tangantur, &, ut dicit, non dubitat quin Propositio in se sit falsa & erronea: sed non taliter quòd non posset esse aliquis casus ubi tyrannus non posset occidi. Non dicit quòd posset sine autoritate; & ideò in condemnatione ipsius Propositionis, esset applicandus sensus condemnationis. Et dicit quòd omnibus visis & attentis, non sunt modò condemnandæ. Et ita est deliberatio sua.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Graverant, Jacobita, Magister in Theologia, dicit quòd materia est grandis. Verumtamen dicit quo ad primam Propositionem, præmissis protestationibus, & salvo meliori judicio semper. Dicit ergo primò quòd differentia est inter Mandatum & autoritatem; quia aliquando autoritas adest, aliquando non est Mandatum.

Item, notat quòd distributio recipit determinationem, & recipit ipsam, etsi nunquam minor fuisset subsecuta: & videtur quòd sit vera, & oppositum ejus; non est licitum alicui, sine Mandato &c. ut occidat, vel faciat occidi &c. Et videtur quòd sit periculosa. Nam sequitur quòd subditus potiùs debet permittere quòd Dominus suus appellatur * a suo Domino, quàm occidat talem tyrannum, qui ipsum expelleret.

Item, sequitur quòd talis subditus licitè permitteret quòd talis Rex interficeretur a tali tyranno, vel invasore, quod est magnum inconveniens; cùm subditus teneatur suo Domino: quia quilibet invaditur in suo Principe, scilicet quilibet subditus. Sequitur etiam quòd potiùs subditus debet permittere quòd tota politia, & totum bonum regimen perdatur, quàm occidat talem tyrannum, quod est inconveniens. Sequitur etiam quòd talis subditus qui interfecit tyrannum, liberando Regem suum à morte, puniretur à Rege; quod videtur inconveniens, quòd Rex occideret illum qui ipsum liberavit à morte: & sic sequitur quòd ipsa est falsa & mala. Igitur prima vera.

D Item, in aliquo casu licitum interficere tyrannum, *Ubi tyrannus sibi subripit Dominium, per violentiam, nolentibus subditis, vel ad consensum coactis, & ubi non est recursus ad Superiorem, tunc qui talem occidit, laudatur & præmium accipit.*

Tunc capit tres tyrannos, quorum unus invadit aliquod territorium, ubi non est Dominus: capit alium tyrannum, qui invadit Regnum & Regem, cujus non est subditus: & alium, qui invadit Regnum, & est subditus.

Primus, est malus; secundus, pejor; tertius, pessimus. Primus, est malus, quia tyrannus; secundus, pejor, quia invadit Regnum & Regem; & tertius, pessimus.

* expellatur.

Igitur, si aliquo casu liceat occidere secundum tyrannum; multo magis tertium. Nec obstat Præceptum, *Non occides*, intelligitur, *sine autoritate*. Nam iste jam habet autoritatem Legis ad deffendendum Dominum suum. Nam qui non custodit Regem, filius mortis est.

Et ideò videtur sibi quòd ita citò Propositio non est condemnanda: quia aliquibus videtur vera; & ideò Domini Judices debent advertere ad hoc: nam legit quòd Dominus Stephanus annullavit quasdam condemnationes factas per suum prædecessorem, & exhibuit unam Litteram, sigillo Curiæ Parisiensis sigillatam, quam legit Dominus Officialis. Et ita, apparet sibi quòd Propositiones sunt adhuc discutiendæ, & consuleret negotium ad Curiam Romanam mittendum: & credit in conscientia quòd non posset melius fieri; & ita consuleret.

Eadem die post prandium, horâ VIa.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus Petitenote, Magister in Theologia, dedit deliberationem suam in scriptis, quæ fuit lecta per Magistrum Alanum Percevaux, Magistrum in Artibus, cujus tenor est talis.

Præsuppositis protestationibus in materia Fidei fieri consuetis, cum protestatione de addendo & diminuendo, illa quæ dicturus sum submittendo correctioni vestræ, & omnium Magistrorum, & Dominorum meorum.

Reverende in Christo Pater, & vos Domine Inquisitor.

Dico primò, quòd prima Assertio quâ dicitur: *Il est licite à un* &c. prout mihi videtur, scandalosissima est in moribus, ad insurrectionem contra Dominos suos incitativa, totius Reipublicæ & communionis ejusdem destructiva, & ad omne malum inductiva, & omnium veneno possibili contingente in politia prægnans, & circumvoluta; adeò quòd non credo purum humanum ingenium à Deo creatum, sufficienter inconvenientia verisimiliter ex ea, in Republica possibilia, explicare valere; &, per consequens, homicidiorum, peccatorum, & scelerum excusatoria & justificatoria; æquitatis & justitiæ dissipativa, & repugnans Christianæ Fidei, & erronea in Fide.

Secundò, dico illas sex Propositiones, quas ex ea sequentes reputo, etiam erroneas, & quasi consimiliter baptisandas.

Tertiò, dico quòd octava, quæ loquitur de sensu litterali Scripturæ, quòd erronea est, in forma quâ jacet.

Quartò dico quòd nona Propositio sic posita, in sua generalitate, quamvis de ea, pro præsenti, supercedere posset; tamen dico quòd in quantum applicata est ad fulciendum primam, cum aliis sequentibus, eisque fomentum præstans, quod est suspectum * in Fide, ex parte applicantis: & Reverende Pater, & Domine mi, rationes hîc ponere, quæ ad hoc me movent, esset longum enumerare: sed eas loco & tempore, dum super hoc fuero requisitus, paratus ero dare: sed pro nunc, me refero ad illa quæ super hoc dixerunt Reverendi Patres & Magistri mei, qui ante me deliberaverunt. Insuper delibero quòd de condemnatione ipsarum, putà de loco & tempore, & aliis circumstantiis, refero me ad discretionem Judicum, & eorum ordinationem.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guillelmus Franchenant, dicit quòd adhæret protestationibus in ista materia fieri solitis.

Circa primam, sic dicit: quòd illa Propositio sic posita, est erronea in Fide & moribus, & baptisanda, sicut nunc baptisata fuit per præcedentem.

Quo ad sex immediatè, sunt scandalosæ, specialiter illa quæ dicit quod *est propria mors* &c.

Quo ad illam quæ videtur loqui de commendatione talis occidentis, est erronea in Fide & moribus, & injuriosa Regiæ Majestati.

Quo ad sextam, taliter.

A De septima, dicit quòd est erronea & scandalosa, & Regiæ Majestati injuriosa.

Quo ad octavam, *Littera occidit*, sicut jacet, contradicit sensui Scripturæ, & opinibus sanctorum Doctorum, & est erronea; quamvis exponendo in sensu grammaticali, posset habere veritatem.

Et de ultima; dicit quòd est inductiva ad omnia perjuria: & ideò est erronea in Fide & moribus.

An sint nunc condemnandæ; se refert ad discretionem Dominorum Judicum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Richardi, Ordinis Cluniacensis, Licentiatus in Theologia, protestatur sicut ceteri.

Quo ad primam, usque ad penultimam exclusivam, dicit, ut videtur, quòd in illa generalitate qua sunt positæ, sunt falsæ; licèt aliàs, ex dictis sancti B Doctoris, qui dicit quòd *Qui tyrannum, nolentibus subditis, vel ad consensum coactis* &c. *occidit; laudatur, & præmium accipit.*

Verum, quia non exprimitur, non vult adhærere: & quia non reperit in sacra Sriptura quòd talis tyrannus sit occidendus, sine autoritate Judicis; & potiùs vult adhærere dictis Scripturæ sacræ, quàm imagini * suæ; aliàs, ut sic, reputat Propositiones illas falsas.

An sint erroneæ; dicit quòd non esset ausus dicere quòd essent erroneæ.

Quo ad alias ultimas; est opinionis Magistri Petri de Nogento.

Quo ad salubre consilium; se refert consilio Judicum, & discretioni ipsorum & sui consilii.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Philibertus de Antegneio, Cluniacensis, dicit quòd duo quæruntur: an sint falsæ & erroneæ; & si sic, an sint pro præsenti condemnandæ.

Quantùm ad primam & sequentes, quæ sequuntur ex ea, considerat duo.

C Primò, defininitionem tyranni: verumtamen adhæret protestationibus aliàs factis per eum; & dicit quòd tyrannus qui describitur, est pejor quàm unus alius, qui vellet dominari in aliquo loco, ubi non esset aliquis Dominus, quem, secundùm aliquos, licet occidere. Modo alius est pejor: nam qui occidit tyrannum, sine Mandato, certum est quòd peccat. Et loquens non excludebat omne Mandatum: & ideò ista materia intendit loqui quasi de inimico capitali: & dicit quòd invadentem me occidendo, ubi aliàs non possum evadere, non malè facio, ad præservandum me: quanto minùs, si ita esset, quòd iste inimicus capitalis vellet interficere Regem. Et ideò videtur sibi quòd prima Propositio benè potest sustineri, & non est condemnanda.

Quantùm ad aliam; de insidiis & cautelis, videtur scilicet quòd Augustinus allegat illud, *Josue octavo*. Ubi præcepit Dominus quod ponerentur insidiæ D civitati.

Et si prima est vera; consequenter & aliæ, in qua prima non videt aliquam falsitatem.

Quantùm ad illam, *Littera occidit*; intelligebat loquens secundùm codicem * litteræ. Sed bonus sensus litteræ est capiendus.

De ultima; videtur sibi magis difficilis: verumtamen non multùm tangit errorem; tamen videtur sibi sustinibilis, & in ea non videt falsitatem. Et dicit

* *Forsan* quòd est suspecta.

* *Forsan* imaginationi. * *Forsan* corticem.

dicit quòd dato quòd essent falsæ; verumtamen non viderentur sibi condemnandæ, pro nunc.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Ægidius Chammardi, Cluniacensis, in Theologia Licentiatus, protestatur sicut ceteri, & dicta sua submittit correctioni Dominorum, & Concilii. Et excusavit se, quia non habuit magnum tempus: & quia prima Assertio definita est per aliquos ex dictis sancti Thomæ. *Secunda secundæ. Distinctione ultima.*

A Et, cum reverentia dicentium, apparet sibi quòd nullum ibi futurum est, per appellationem primæ Assertionis: nam sanctus Thomas expressè notat notorietatem facti, ut patet ex dictis sancti Thomæ: & clarum est quòd modus ipsius sancti Thomæ notat notorietatem facti; juxta illud: *nolentibus subditis, vel ad consensum coactis.* Et ideò illi qui causant affirmativam ex dicto illo, modica applicatio est. Et ideò citiùs applicaret sanctum Thomam ad contrarium, ut in prima secundæ. LXI.ª *Quæst.*

Et ideò dicit primam Assertionem non habere fulcimentum ex parte dicti sancti Thomæ.

Secundò, dicit ipsam esse nullius valoris; quia machinatio, ex parte sui, non dicit actum exteriorem, sed interiorem solùm: & ideò dicere quòd liceret talem per quemcumque occidere, malè dictum est; quia non est judicandum de interioribus. Et ideò illa Assertio falsa est & erronea. Et ideò sanctus Thomas, B in materia de homicidio, benè tangit, an liceat occidere perturbatorem Reipublicæ: & dicit quòd licet talem occidere, non per quemlibet, sed per habentem potestatem. Et dat exemplum, de Medico, qui habet curam totius corporis, cui licet amputare membrum putridum: sic non licet alicui privatæ personæ occidere perturbatorem Reipublicæ, nisi haberet Mandatum, & curam Reipublicæ. Et ideò, dato quòd machinatio jungatur actui exteriori, adhuc, secundùm sanctum Thomam, non liceret privatæ personæ talem tyrannum occidere. Et ideò idem sanctus Thomas, qui, ubi factum est ita subitum, quòd nullam patiatur * ut ad Judicem possit haberi recursus; tunc necessitas illa secum addit dispensationem. Sed ubi non est periculum in mora, nullo modo licet privatæ personæ aliquem tyrannum occidere, nec ita interpretari Regem; quanquam benè concedit quòd quilibet tyrannus notorius, prorumpendo ad actum exteriorem, quòd puniendus est, & juxta Thomam occidendus: sed quòd C per quemlibet, non potest invenire.

Et ideò dicit quòd prima est falsa & erronea, & talis reputanda.

Quantùm ad alias quæ sequuntur ipsam; secum portant suum venenum: & consequenter dicit ad ipsas, quòd Leges non autorisant talem occidentem.

Et de quarta; dicit, ut supra, de tyranno interiori: de exteriori, dignum est quòd viliter puniatur.

De Phinées; dicit quòd non repræhenditur à sacra Scriptura: nam Augustinus dicit loquendo, quòd ubi bellum apertè geritur, an insidiosè, vel apertè procedatur, non multùm curandum est: & ideò, in forma in qua jacet, est falsa.

De quinta; dicit quòd est falsissima.

De sexta; dicit quòd est mala & pessima, & dat occasionem unicuique imponendi alteri quòd esset ty- D rannus.

De septima; dicit quòd est falsa; quia refertur ad primam fundamentalem: nam Bonaventura dicit quòd multæ sunt Propositiones veræ in altis materiis, quæ non modo sunt prædicandæ.

Quantùm ad aliam; de *Littera occidit.* Quòd altercatio fuit inter Doctores, de expositione illius. Nam Gregorius, in principio Moralium, dicit sic: *Multa misticè dicuntur, alia allegoricè, quæ humiliter sine errore dici non possunt.*

Et Magister Alexander de Halis distinguit: Nam verba dupliciter intelligenda sunt. Primò, secundùm sensum communem quem verba important in se: iste vocatur sensus glossalis.

Alio modo, qui subjacet sermoni, qui ex parte facti ad mentem proferentis verba; iste est semper verus: & credit quòd proferens intelligebat de sensu grammaticali.

De ultima; dicit quòd ut jacet non est vera; sed falsa: quanquam in multis posset habere veritatem. Sed generaliter intelligendo, dicit quòd est corrigendum.

An sint condemnandæ, dicit quòd Magister Ursinus benè locutus fuit: & stat cum eo, & cum Elemosynario nostri Regis.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Dominicus Chaillon, Licentiatus, dicit quòd sensit multos esse concordes in ista materia; & Commissarii fuerunt deputati qui extraxerunt, & viderunt materiam: ideò vellet stare in dictis ipsorum. Et stat in deliberationibus ipsorum, de quorum fiducia confidit: & stat cum majori parte ipsorum.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Nicolaus de Brayo, legens de mane in Decretis, Parisiis; dicit quòd inter tantos viros sibi tacendum esset: verumtamen favore obedientiæ, & cum omni correctione, dicit, quantùm ad primam Assertionem, ipsum facit dubium, quomodò hæretici, *in cap.* 2. *De homicidio*, & habet in scriptis.

Et dicit quòd prima Assertio portat malam Doctrinam: & ideò non est toleranda. Et allegat Concilium Viennense, quòd *Quicumque diceret usuras non esse peccatum, hæresis.* Et ideò si aliqua doctrina falsa seminata fuerit, & conta Præceptum, non auderet illam colorare, nisi quòd est erronea: & si cum pertinacia, esset hæretica. Et si quis assereret quòd liceret fornicari, peccatum est, & contra sacrum Matrimonium, ideò hæreticum, juxta C. *Ad abolendam. De hæreticis.*

Et quando dicit Assertio, quòd *machinabatur in mortem sui Principis* &c. ut supra, dicit quòd prima Assertio habet malam doctrinam, & consequenter aliæ: nam conditio aggravat peccatum; quia non licet per insidias aliquem occidere; imò gravant. Nam, ut dicit Joan M. C. *Pro humani. De homicid. in sexto.* Ubi adhuc quis diffidatus est, non licet ipsum per insidias occidere.

Quantùm ad aliam partem; quòd summè præmiandus est: nam ille qui liberavit patriam &c. præmiandus est &c.

Quantum ad aliam, *Littera occidit.* An liceat glossare Præcepta Decalogi. Et generaliter se refert ad Professores Juris divini: verumtamen intelligenda est juxta præcedentia & subsequentia, & secundùm materiam subjectam: & ideò licèt in se contineret veritatem; verumtamen posita inter alias, videtur esse falsa. Jura sunt communia.

Quantùm ad ultimam; se refert ad ea quæ dixit Dominus Joannes de Matiscone: nam fides servanda est inimico & hosti. Et ita videtur sibi quòd ex quo Dominus est Ordinarius loci, ubi est copia nobilium, & Doctorum utriusque Juris, ubi seminatur aliqua falsa doctrina, Dominus debet insurgere ad extirpationem, etiam in particulari. Et ideò benè agunt Domini Judices, de hoc quòd insurgunt ad extirpationem, [dictorum errorum & falsæ doctrinæ seminatæ, si quæ sit. Et cùm aliqui dicebant: Non sunt mala antiqua refricanda; benè dicunt, ubi essent remissa, aliàs non; & si totum esset correctum, non essent refricanda.

Quantùm ad modum agendi; se refert ad discretio-

* *Desiderari videtur* moram.

tionem Domini, & hujus sacri Concilii. Et ita est opinio sua.

Die Lunæ XIX.a *Februarii.*

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Guilmus Pinguis avis, Magister in Theologia, protestatur sicut ceteri; & dicit quòd nihil intendit asserere. A

Videtur sibi circa primam Assertionem difficultas: stat circa illud verbum: *Sans Mandement.* Et habet dubium circa mentem illius qui dicitur eas posuisse; & non credit quòd habuit intellectum excludendi Mandatum Legis, naturalis, moralis & divinæ, per ea quæ subjungit, loquendo de Legibus: & ideò solùm exclusit Mandatum Principis, sive illius qui habet administrationem Communitatis. Et in isto casu dubium est sibi, propter dictum sancti Thomæ, scilicet quando talis est tantæ potentiæ, quòd de eo non possit fieri Justitia. Nam subdit sanctus Thomas: *Qui talem tyrannum occidit, laudatur, & præmium* &c.

Alia difficultas est, propter sensum verborum: *Sans Mandement.* Nam Præceptum, & Mandatum inducunt obligationem, respectu subditi. Et ideò sibi B dubium est, si licitum est cuilibet subdito, titulo legitimæ defensionis, additis conditionibus, alium posse interficere. Non auderet determinare quin licitum esset cuilibet subdito, habenti notitiam sufficientem de machinatione in mortem sui Principis; maximè quando esset tantæ potentiæ, talem occidere: non videtur sibi erroneum; si amore justitiæ, & non invidiâ & rancore moveatur.

Hoc fulcitur ex nimia subnectione membrorum ad invicem, in corpore mistico. Quæ similitudo allegatur in pluribus passibus; & in isto casu, non credit quòd talis subditus teneretur hoc modo facere, ita quòd obligaretur: & ideò quo ad hoc, non auderet definire, aut judicare illam Assertionem esse erroneam, nec sequentia ex ista.

De tertia, quæ loquitur de cautela & insidiis, quæ aliquando sunt licitæ; & credit quòd non est erronea: aliæ sequuntur ex illa.

De quarta, in principio, ubi includeret omnem alium modum, malè dictum esset. C

Tres aliæ sequuntur ex prima.

De octava, de sensu litterali, videtur sibi quòd si capiatur pro sensu litterali, pro illo quem primitùs littera sonat, vocatur grammaticalis, haberet fortè veritatem.

De ultima Assertione, dicit quòd major obligatio solvit minorem: & ideò videtur sibi quòd non esset reprobanda.

Quantùm est de expedienti; videtur sibi quòd meliùs esset dimittere & remittere, quàm hîc sententialiter condemnare. Et si procedatur ad condemnationem, meliùs esset qualificare sensum in genere, ne in posterum posset fieri calumniatio.

Et finaliter remanet dubius super omnibus Assertionibus. Et ita est deliberatio sua.

ACTIO VI.

QUibus omnibus & singulis, sicut præmittitur, actis, dictis, factis, gestis, in præsenti nego- D
1414. XXIII. Febr. tio, & causa Fidei; prænominati Domini Judices per suas cedulas imitari * & significari fecerunt Clero Parisiensi existenti, qualiter ipsi, annuente Domino, cujus causa geritur, in aula Episcopali Parisiensi, eodem Anno, die vigesima tertia Mensis Februarii, eorum Sententiam, seu Ordinationem, in & super præmissis ferrent, & pronunciarent.

* *Forsan* intimari.

Quâ die adveniente, ac convenientibus in eadem aulâ prænominatis Dominis Judicibus, cum plurimis Dominis, Prælatis, Episcopis, Abbatibus, Dominisque & Magistris, ac Doctoribus, & Baccalaureis, in diversis scientiis, in maxima multitudine congregatis, factoque Sermone publico, & proposito verbo Dei sub his verbis: *Clama ne cesses*, &c.

SERMO PRÆVIUS SENTENTIÆ

Episcopi Parisiensis.

Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam.

JUssit hoc olim Dominus: Isaïæ Prophetæ. LVIII. I.

Jussit & in persona ejusdem Domini istud idem Ezechiel, Prælatis omnibus, atque Doctoribus, prout notatum est, satis minaciter Ezechielis, XXXIII. *.

Propterea ne à memoria caderet, frequenter hoc verbum clamoris repetit Ecclesia Mater nostra, in Epistola hodie nostræ hujus sextæ feriæ, cujus initium sic habet. *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.*

Hujus Præcepti formam expressit supremus noster Pastor, Speculator & Doctor, de quo pluries referunt Evangelistæ quòd clamabat populis. Quemadmodùm in die magno Solemnitatis Paschalis. *Qui sitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. VII. 37. Dùm & in parabolis loquens, clamabat: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Matth. XI. 15. Denique: *Cum clamore valido.* Heb. V. 7. Cum ingenti, hoc est nostræ salutis desiderio, orans & expirans, *exauditus est, pro sua reverentia.*

Jussus sum & ego ipse, quamvis abortivus, quamvis & raucus, non tàm exterioris, quàm interioris † vitio; jussus sum, inquam, per Reverendum Patrem, ac Dominum, Dominum Parisiensem, hujus sacræ Sedis Antistitem, nunc, in præsentia tàm celeberrimæ convocationis sacri Cœtus hujus, clamare, veluti in quodam præludio solemnissimi, arduissimique negotii istius quod nunc restat agendum.

Clamo igitur, quo ad possum, vice versa, clamo, & velut aron in sylvis reclamo, & remugio; ac velut inter olores, juxta buccolicum Virgilii carmen, ancer strepo; dicens cum omni humilitate ad Reverendissimum Patrem pastoralem sollicitudinem & sublimitatem vestram, Præsul dignissime.

Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Isaïæ. LVIII. I. *Super montem excelsum ascende tu qui evangelisas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelisas Jerusalem, exalta & noli timere.* Isaïæ. XL. 9.

Quòd si fortè quæsieritis, Isaïæ Prophetæ verbo: *Quid clamabo?* ℣. 6. Respondent verba nostro themati contigua: *Annuntia populo meo scelera eorum, & Domui Jacob peccata eorum* ℣. I.

Ecce populus paratus est audire. Clama igitur, non clamabis surdis, nec aspidi surdæ obturanti aures suas, ut non audiat vocem incantantis sapienter. Quid enim Cœtus iste copiosissimus aliud quærit? Quid suæ expectationis, aut suspensionis attentio postulat, nisi ut clames?

Nunquid tibi dicere videtur illud Job. XIII. 23. populus iste tuus? *Quantas habeo iniquitates & peccata? Scelera mea, atque delicta ostende mihi.*

Clama

* *Forsan* XXI. II. † *Videtur desiderari* vocis.

Clama ergo, *ne cesses*, ne formides, ne taceas, ne sileas, neque compescaris, exalta quasi tuba vocem tuam: *Quoniam ecce inimici tui, & qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium.* Ps. LXXXII. 3.

Clama, & dic populo tuo veritatem, non clam, non in abscondito, non in latibulis, non in tenebris, non in angulis, veritas non quærit angulos; non in susurratione trepida; non in blesa, vel submissa, seu tremula, aut timore depressa vocis dimidiatione; sed A plano, aperto, plenoque, ut dici solet, ore; imò & buccinali clangore.

Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Clangentibus etenim tubis, vel buccinis altè personantibus ex ore Sacerdotum, ac vociferante omni Israël, corruerunt muri Jerico; instabilis scilicet ac defectibilis, & varii omnes errores. Nam ut Jerico interpretatur Luna, quæ defectum patitur, & instabilitatem. Habetur historia, Josuë, sexto capitulo.

Grande profectò malum est credite mihi, grande nimium malum, atrox læsio, damnum incomparabile. Quid ni igitur clamandum est? Experientiæ vox habet: qui fortiter fungitur, fortiter clamat.

Clamavit olim super incredulitate Judæorum Pastor noster Jesus mansuetissimus, atque adeò clamavit, velut supra communem sensum: ut dicerent etiam noti sui, *Quoniam in furorem versus est.* Marc. III. 20. B

Coarguitur ex hoc exemplo crudelis & ficta pietas; imò dissimulatio mendax, & enervis torpentium, aut silentium ad injurias Christi, & nostræ Fidei; ad suas autem maximas contumelias insanientium: quasi vis illa clamosa, vis irascibilis, data nobis sit ad vitia, non ad virtutes; non ad reclamandum iracundiùs contra peccata.

Cæcus ille Evangelicus increpatus à turbis quæ præibant, & quæ sequebantur, ut taceret, magis ac magis clamabat: *Jesu fili David, miserere mei*, Luc. XVIII. 39.

Clamat Mater funus; imò vulnus exiguum nati sui.

Clamat mundanus damnum pecuniæ; *Defletur lachrimis amissa pecunia viris**, inquit Horacius.

Clamat carnalis, læsionem deliciarum suarum.

Quid singula dinumero?

Clamat unusquisque, quælibet anus, ut habet Proverbium, dolorem suum, & suorum corporalem. Dicam aliquid altius, aliquid urgentius.

Clamat sanguis occisi de terra, & centum millium occisorum; nempe quatuor peccata, ob sui enormitatem, clamare ad Dominum, referunt sacra Eloquia.

Clamat homicidium inhumanum. Genesis IV. 10. Dixit Dominus ad Cain fratricidam: *Vox sanguinis fratris Abel clamat ad me de terra.*

Clamat secundò, afflictio orphanorum & pupillorum. Exod. XXII. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabunt ad me, & ego exaudiam clamorem eorum.*

Clamat tertiò, fraudulenta retentio laborum. Jacobi. V. 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth intravit.*

Clamat postremò, infandum illud peccatum Sodomiticum. Genesis XXVI. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus est, descendam & videbo utrum clamorem qui venit, opere compleverint.* D

Et tu Pater optime, à clamore cessabis? videns, sciens, & sentiens calamitosissimam errorum & hæresium pestem, multiplices heu gladios; stragem nedùm factam, sed futuram, si non occursum fuerit, in animabus & in corporibus subditorum.

Clamavit ecce Rex noster Christianissimus, clangens & personans terrificâ Litterarum suarum patentum buccinâ; suadens, exhortans, & obtestans, quod adversùs pestiferam errorum in suo Regno detrahentium aciem consurgens vigilanter pollicetur. Ne timeas auxilium forte brachium suum dextrum; Rex ipse potentissimus, & quasi insignis ille equus, descriptus a beato Job: *Procul odoratur bellum.* Job. XXXIX. 29. ubi audierat vocem buccinæ tuæ: nec varios horret strepitus, juxta Maronis dictum, describentis egregium equum.

Et tu Pastor inclyte, sic admonitus, sic obtestatus, adjuratus, dissimulabis, torpebis, cessabis, adhærebit inter ista certissima damna, tot inter strages, neces, & vulnera populi tui; adhærebit, inquam, lingua faucibus tuis, aut palato tuo, tanquam cani muto, non valenti latrare; tanquam speculatori consopito, non valenti, imò deteriori culpâ, sive quod deterius est, nolenti tubæ signum dare, tuba clangere? Procul hoc a te, procul, Pastor egregie, confidimus de vobis meliora, vicinioraque saluti, tametsi ita loquimur: nam & equo voloci, ultroque currenti profuit calcar; profuit tubam, aut clangorem.*

Videmus, Reverende Pater, per industriam vestram, & paternam sollicitudinem, quemadmodùm per tres jam ferè Menses propalatæ sunt, discussæ, atque deprehensæ per sapientissimos & eruditissimos in sacris Litteris viros, copiosissimis & efficacissimis deliberationibus, cum omni libertate loquendi, deprehensæ sunt, inquam, falsitates impiæ, falsitates lethiferæ, falsitates armatæ. Qualiter armatæ? Gladiis variis verborum, scriptorum & operum; armatæ minis & terroribus, ad puniendas nedùm animas, sed corpora; ad tollendum, ac funditùs exterminandum à populo Christiano custodes optimos, sibi datos à supremo Rege nostro Christo; quæ sunt Fides, & virtutes, ac Præcepta, de dilectione Dei & proximi.

Inter quæ nimirùm Præcepta, unum est, ut de reliquis interim sileamus, humanæ societatis singulare vinculum, *Non occides.*

Aliud, est honoris, divinæ veritatis inter homines, & pro hominibus conservativum: *Non perjurabis*; Nam esse testatus est Apostolus: *Hebr.* VI. 16.
C omnis controversiæ finem, *juramentum.* Et ecce heu! consurrexerunt ex adverso, sicut inventum est, qui à sex Annis palam proponerent, qui justificarent, ut credebant, qui scriptis redigerent, stationariis publicis exponerent, quaquà versùm, longè per Orbis partes dispergerent; licere, imò debere per privatos, passim interfici licere: prætereà, nullum fidelitatis juramentum tenere, vel observari. Quid dicam ad hæc? Quid querar? Quid clamem? Hoccine sæculum! ô mores! ô tempora! ô genera sacrilega! ô cœlum, ô terra, ô maria, ô Neptuni! clamate adversùs ista.

Eia ergo, Reverende Pater, eia Domine Inquisitor generalis hæreticæ pravitatis; quid superest, nisi ut clametis? Clametis denunciationem Sententiæ judicialis, per quam, velut per gladium ancipitem confodiatis has varias doctrinas & peregrinas, quibus posset populus abduci; exterminetis vulpes demolientes vineas, nedùm Diœcesis istius, sed & aliarum, hos apros de sylva, singularem hunc ferum hæreticæ pravitatis, qui depastus est vineam vestram deturbetis, expellatis, aboleatis, damnetis, anathematisetis mucrone, vel † ultra compareant, vel invalescant.

Alioquin, formidanda nimis vobis esse deberet illa per Ezechielem Domini comminatio: Ezechiel XXXIII. 7. *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël: audiens ergo sermonem ex ore meo, annunciabis eis ex me. Si me dicente ad impium: morte morieris, non fueris*

* *Forsan veris*

* *Hic aliquid desiderari videtur.* † *Forsan ne, loco vel*

fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annunciante te ad impium, ut à viis suis convertatur: & non fuerit conversus à via sua, ipse in iniquitate suâ morietur; porrò tu animam tuam liberasti.

Et vos liberate animas vestras, ô Judices electi, ô Patres conscripti, Duces in hac parte constituti; clamate veritatem, & promittente Christo, credite; ipsa *veritas*, quæ omnia vincit, *liberabit vos.* Joan. VIII. 32. Liberabit profectò, etsi non ab incursibus obtrectationum & malignantium, aut à persecutionibus, aut tribulationibus rerum, aut corporum, quæ omnia propria sunt stipendia Christianorum, præsertim bonorum, & maximè præsidentium, quibus incumbit veritatem, cum omni constantia prædicare: nam *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* 2. Tim. III. 12. Liberabit tamen ipsa veritas à suppliciis æternis, à servitute horribili, & in libertatem perennem filiorum Dei tandem adducet, ubi cives Angelici clamare non cessant: *Soli Deo honor, virtus & gloria.* Præstet hoc nobis ipse idem qui est veritas, & benedictus in sæcula. Amen.

Venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes Tuderti, Licentiatus in Legibus, Officialis Parisiensis, in præsentia omnium ibidem existentium, vice, & nomine prænominatorum Dominorum Judicum, narravit, & recitavit totum processum superiùs agitatum; qualiter & quomodò processum fuerat, & fuit, in hujusmodi Concilio & materiâ Fidei; in quorum præsentia fuerunt lectæ supra scriptæ Litteræ Regiæ, ac Instrumentum publicum almæ Matris Universitatis Parisiensis, superiùs in principio hujus processus insertum.

Similiter fuit lecta deliberatio Dominorum Deputatorum datorum in dicto Concilio Fidei, ac Assertiones per ipsos Dominos Deputatos extractæ à quaternis prædictæ Propositionis Magistri Joannis Parvi; & postmodùm fuerunt lectæ quædam aliæ Litteræ Regiæ superiùs insertæ.

Post quarum quidem Litterarum lecturam, idem Dominus Officialis Parisiensis recitavit, qualiter & quomodò, ex relatione Dominorum & Magistrorum Deputatorum, ex parte Concilii Fidei, ad visitandum deliberationes, & opiniones Dominorum Magistrorum, Licentiatorum, & Baccalaureorum in Theologia, & aliorum Jurisperitorum, qui deliberaverunt in hujusmodi Conciliis; repertum fuerat, & erat, quòd Propositio quæ dicebatur esse Propositio Magistri Joannis Parvi, erat damnanda, unà cum Assertionibus in eadem contentis, quæ ibidem tunc lectæ fuerunt, cum earum modificationibus.

Quibus sic actis, dictis, gestis & recitatis, prænominati Domini Judices processerunt ad eorum Ordinationem, seu Sententiam, in, & super præmissis pronunciandam, & ferendam; & pronunciaverunt & tulerunt in scriptis, modo & forma quæ sequuntur.

SENTENTIA

Episcopi, & Inquisitoris Parisiensis, adversùs Librum

JOANNIS PARVI.

Nos Gerardus, miseratione divina, Episcopus Parisiensis; & Frater Joannes Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, autoritate Apostolica Deputatus, Judices competentes in hac parte.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis. Salutem in Domino, & incorruptam Fidei veritatem sincera mente tenere.

Sciens Apostolus ex testimonio Legis & Christi, quoniam. *Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Matth. IV. 4. Voluit nos panem verbi Dei, qui est panis vitæ & intellectus, sanum & incontaminatum sumere, & à pestifero cavere, doctrinisque variis & peregrinis non abduci. Nihil enim periculosius, quàm si pro pane intellectualis vitæ, sumatur toxicum, & fel aspidum hæreticalis doctrinæ.

Hæc nos consideratio permovit, ut doctrinas varias & peregrinas; imò pestiferas nostris, unde dolor, temporibus, & in his civitate & Diœcesi Parisiensi, tàm verbis, quàm scriptis, & etiam factis, populo Christiano, pro pane divini verbi ministratas, exterminare, & penitùs abjicere studeremus, ne sermo læthiferæ doctrinæ, velut cancer serperet in populis; præsertim nobis subditis: neque pro vitali pane veritatis, pànis sumeretur mortiferæ falsitatis. Accessit ad hoc opus tam religiosum, salubre & pium, Regalis devotio, ad idem movens, pariter & exhortans.

Propterea, cùm ad nostram notitiam, certissimis devenerit documentis, quòd inter ceteros errores in nostris prædictis civitate & Diœcesi seminatos, Propositio Magistri Joannis Parvi, Parisiis dogmatisata, & publicæ venditioni exposita; quæ sic incipit.

Par devers la tres-noble & tres-haute Majestè Royalle, & sic finitur. *Publier par Lettres patentes, par maniere d'Epistres, ou autrement iceluy. Dieu veüille que ainsi soit-il fait*, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Quam etiam Propositionem, ipse proponens appellat, Justificationem Domini Ducis Burgundiæ; nititur, secundum principalem intentionem proponentis justificare, & deffendere Assertiones plurimas; quæ tamen per sacrum Fidei Concilium repertæ sunt erroneæ in Fide & moribus bonis; ac multipliciter scandalosæ; in perditionemque cederent, nedùm spiritualis animarum vitæ, sed etiam & corporum, si durare diutiùs sinerentur.

Nos, evocato, vicibus repititis, Magistrorum & Licentiatorum in Theologia Parisiis existentium, & aliorum peritorum saluberrimo, sapientissimoque consilio, diù, multùmque deliberantium; Christi nomine invocato, ad ejus laudem, gloriam, & honorem ac Fidei exaltationem, decrevimus, per præsentes, quòd ante dicta Propositio Magistri Joannis Parvi in se, & suis Assertionibus principaliter intentis, & in ea contentis, ac in processu latiùs declaratis, est abolenda, atque damnanda, tanquam erronea in Fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosa; & eam sic abolemus, & damnamus, ac cremandam solemniter decernimus, cremarique præcipimus & jubemus: monentes subditos nostros, cujuscumque status, gradus, conditionis, aut præeminentiæ existant, primò, secundò, tertiò, ac una canonica monitione pro omnibus, sub pœna excommunicationis, quam in ipsos in his scriptis ferimus, nisi fecerint quod mandamus, ut ipsi, infra sex dies, post quam præsentes pervenerint ad eorum notitiam; quorum sex dierum duos pro primo; duos pro secundo; & reliquos duos pro tertio, & peremptorio termino eis assignamus; si quos habent penes se quaternos hujusmodi Propositionem in se continentes, nobis afferant; seu afferri faciant, ut de eis disponere valeamus, juxta & secundùm formam & modum nostræ condemnationis hujusmodi: inhibentes nihilominùs, &

& interdicentes omnibus & singulis supra dictis, sub eisdem poenis, ne deinceps quisquam ipsorum audeat prædictam Propositionem asserere, prædicare, publicare, deffendere, seu dogmatisare, publicè, vel occulté. Quod si quis audierit, vel sciverit aliquem in hac parte culpabilem, nobis infra octo dies, vel Cancellario Parisiensi, denuntiare teneatur.

Item, *Sequitur tenor condemnationis dictarum Assertionum, de quibus supra fit mentio, in hac verba.*

GERARDUS, miseratione divina, Parisiensis Episcopus; & Frater Joannes Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, autoritate Apostolica Deputatus; Judices competentes in hac parte. Salutem in Domino.

Notum facimus, quod die datæ præsentium, habita priùs matura deliberatione cum peritis, certas Assertiones extractas de Propositione Magistri Joannis Parvi, quam ipse Justificationem Domini Ducis Burgundiæ appellavit, cum modificationibus, & qualificationibus eis per Concilium Fidei datis condemnavimus, & reprobavimus; condemnamus atque reprobamus: quarum Assertionum, de verbo ad verbum, tenor sequitur in hunc modum.

Prima Assertio.

Il est licite à un chacun subjet, sans quelconque Mandement, ou Commandement, selon les Loix, morale, naturelle & divine, d'occire, où faire occire tout tyran, qui par convoitise, barat, sortilege, ou mal engin, machine contre le salut corporel de son Roi, & souverain Seigneur, pour lui tollir sa tres noble & tres haute Seigneurie; & non pas seulement licite, mais honnorable & meritoire, mesmement quand il est de si grande puissance, que Justice ne peut bonnement estre faite par le Souverain.

Erronea in Fide & moribus, & multipliciter scandalosa.

Secunda Assertio.

Les Loix, naturelle, morale & divine, autorisent un chacun subjet d'occire, où faire occire le dit tyran.

Erronea in Fide & moribus, ac legimus morali. *

Tertia Assertio.

Il est licite à un chacun subjet, honnorable & meritoire, d'occire, ou faire occire le dessus nommé tyran, traistre & desloyal à son Roy & souverain Seigneur, par aguettes, & espiemens, & est la propre mort de quoy doivent mourir tirans desloyaux, que les occire vilainement, par tres bonnes cautelles, & espiemens; & si est licite de dissimuler, & taire sa volontè de ainsi faire.

Est falsa, erronea, scandalosa.

Quarta Assertio.

C'est droit, raison & equité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguettes, & espiemens, & est la propre mort de quoi doivent mourir tyrans desloyaux, que de les occire vilainement, par bonnes cautelles, aguettes, & espiemens.

Erronea, crudelis & impia.

Quinta Assertio.

Cil qui occit, ou fait occire le tyran dessus nommé, es manieres que dit est, ne doit de rien estre repris; & ne doit pas seulement le Roy en estre content, mais doit avoir le fait agreable, & l'autoriser en tant que mestier, ou besoin seroit.

Erronea in Fide & moribus, & Regiæ Dominationi injuriosa.

Sexta Assertio.

A *Le Roy doit guerdonner & remunerer celui qui occit, en la maniere que dit est, ou fait occire le tyran dessus nommé, en trois choses; c'est à sçavoir en amour, honneur & richesses, à l'exemple des remunerations faites à saint Michel l'Archange, pour l'expulsion de Lucifer du Royaume de Paradis; & au noble homme Phinées, pour l'occision du Duc Zambri.*

Erronea in Fide & moribus, scandalosa, & Regiæ Majestati injuriosa.

Septima Assertio.

Le Roy doit plus aimer que paravant celui qui occit, ou fait occire le tyran dessus nommé, es manieres dessus dittes, & doit faire prescher sa foy & bonne loyauté par son Royaume, & dehors le Royaume, le faire prescher par Lettres, par manire d'Epitres, ou autrement. B

Erronea in Fide & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Octava Assertio.

Littera occidit, spiritus autem vivificat. 2. Cor. III. 6. *C'est à dire que, toujours tenir le sens litteral en la sainte Escriture, est occire son ame.*

Expositio distorta & erronea.

Nona Assertio.

Au cas d'alliance, serment, promesse, ou confederation faite de Chevalier à autre, en quelque maniere que ce soit, ou peut estre; s'il advient qu'il tourne au prejudice de l'un des prometteurs, ou confederés, de son epouse, ou de ses enfans, il n'est de rien tenu à les garder. Hoc probatur ex ordine charitatis, quo quilibet C *plus tenetur se ipsum diligere, uxorem & liberos, quam alteros.*

Falsa & erronea secundùm se, & ad perjuria viam præbens.

Inhibentes & interdicentes omnibus & singulis, cujuscumque status, gradus, ordinis, & conditionis, aut præeminentiæ fuerint, sub poena excommunicationis, quam in ipsos in his scriptis ferimus, si contrarium fecerint, ne deinceps quisquam audeat prædictas Assertiones asserere, prædicare, publicare, deffendere, seu etiam dogmatisare, publicè vel occulté. Quòd si quis audiverit, vel sciverit aliquem in hac parte culpabilem, nobis infra octo dies, vel Cancellario Parisiensi, denuntiare teneatur, sub eadem poena.

Prætereà, die Dominica sequenti, quâ cantatum fuit in sancta Dei Ecclesia: *Invocavit me.* Quæ fuit D vigesima quinta Mensis dicti Februarii, prædicta Propositio coram maxima populi multitudine, præhabito verbo Dei, in parvisio Ecclesiæ Parisiensis, fuit publicè combusta & igni tradita; præsentibus ad hæc omnia & singula Dominis Prælatis, ac Magistris & Doctoribus, & aliis, in Litteris patentibus & Instrumentis super hoc confectis, nominatis & descriptis.

Item, *Sequitur tenor quarumdam Litterarum rogatoriarum præfatorum Dominorum Judicum, in hunc modum.*

REVerendo in Christo Patri, ac Domino, Domino Meldensi Episcopo, seu vestris in spiritualibus,

* *Forsan* Legibus, morali &c.

bus, & temporalibus generalibus Vicariis, ac Officiali.

Gerardus, Dei gratiâ, Episcopus Parisiensis; & Frater Joannes Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, autoritate Apostolica Deputatus; Judices in hac parte competentes. Salutem in autore & consummatore Fidei, Domino nostro Jesu Christo.

Ad Reverendæ Paternitatis vestræ notitiam, præsentium tenore, deducimus, quòd nos, ex Officii nostri debito, ad extirpationem errorum, in civitate & Diœcesi Parisiensi seminatorum procedentes, ex deliberatione Concilii Fidei, vicibus repetitis, coram nobis congregati, nuper in aula Episcopali Parisiensi, pro Tribunali sedentibus, in præsentia nonnullorum Prælatorum, & plurium aliorum Doctorum, Magistrorum & Licentiatorum, in diversis scientiis, & aliorum virorum Ecclesiasticorum, & secularium, circa statum Fidei, & ipsius Fidei exaltationem, quandam Sententiam, seu Ordinationem nostram in scriptis protulimus, in hunc modum.

Nos Gerardus, miseratione divinâ, Episcopus Parisiensis, & Frater Joannes Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, autoritate Apostolica Deputatus, Judices competentes in hac parte.

Universis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis, Salutem in Domino, & incorruptam Fidei veritatem sincera mente tenere.

Sciens Apostolus, ex testimonio Legis, & Christi, quoniam *Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* Matth. IV. 4. Voluit nos panem verbi Dei, qui est panis vitæ & intellectus, sanum & incontaminatum sumere, & à pestifero cavere, doctrinisque variis & peregrinis non abduci: nihil enim periculosius, quàm si pro pane intellectualis vitæ, sumatur toxicum, & fel aspidum hæreticalis doctrinæ.

Hæc nos consideratio permovit, ut doctrinas varias & pestiferas nostris, unde dolor! temporibus, & in his civitate & Diœcesi Parisiensi, tàm verbis, quàm scriptis, ac etiam factis, populo Christiano, pro pane divini verbi ministratas, exterminare, & penitùs abjicere studeremus, ne sermo lethiferæ doctrinæ, velut cancer serperet in populis, præsertim nobis subditis, neque pro vitali pane veritatis panis sumeretur lethiferæ falsitatis. Accessit ad hoc opus tam religiosum, salubre & pium, Regalis devotio, ad idem movens pariter & exhortans.

Propterea, cùm ad nostram notitiam, certissimis devenerit documentis, quòd inter ceteros errores, in nostris prædictis civitate & Diœcesi seminatos, Propositio Magistri Joannis Parvi Parisiis dogmatisata, & publicæ venditioni exposita, quæ sic incipit.

Par devers la tres-noble Majesté Royalle. Et sic finitur. *Par Lettres, par maniere d'Epistres & autrement iceluy. Dieu veuille que ainsi soit-il fait,* qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Quam etiam ipse proponens appellat Justificationem Domini Ducis Burgundiæ, nititur secundùm principalem intentionem proponentis justificare, & defendere Assertiones plurimas, quæ tamen per sacrum Fidei Concilium repertæ sunt erroneæ in Fide & bonis moribus, & multipliciter scandalosæ, in perditionemque cederent, nedùm spiritualis vitæ, animarum, sed etiam & corporum, si durare diutiùs sinerentur.

Nos, evocato, vicibus repetitis, Magistrorum, & Licentiatorum in Theologia, Parisiis existentium, & aliorum peritorum, saluberrimo sapientissimoque consilio, diù multùmque deliberantium, Christi nomine invocato, ad ejus laudem, gloriam & honorem, ac Fidei exaltationem, decrevimus, ac decernimus per præsentes, quòd ante dicta Propositio Magistri Joannis Parvi, in se, & in suis Assertionibus principaliter intentis, & in ea contentis, ac in processu latiùs declaratis, est abolenda, atque damnanda, tanquam erronea in Fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosa; & eam sic abolemus, & damnamus, ac cremandam solemniter decernimus, cremarique præcipimus & jubemus: A monentes omnes subditos nostros, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ existant, primò, secundò, tertiò, ac una canonica monitione pro omnibus, sub pœna excommunicationis, quam in ipsos in his scriptis ferimus, nisi fecerint quod mandamus, ut ipsi infra sex dies, postquam præsentes pervenerint ad eorum notitiam; quorum sex dierum duos pro primo; duos pro secundo; & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino eis assignamus; si quos habent penès se quaternos, hujusmodi Propositionem in se continentes, afferant, seu afferri faciant, ut de eis disponere valeamus, juxta & secundùm formam & modum hujusmodi nostræ condemnationis: inhibentes nihilominùs, & interdicentes omnibus & singulis supra dictis, sub eisdem pœnis, ne deinceps quisque audeat prædictam Propositionem asserere, prædicare, publicare, defendere, seu dogmatisare, publicè vel B occultè. Quòd si quis audiverit, vel sciverit aliquem in hac parte culpabilem, nobis infra octo dies, vel Cancellario Parisiensi, denuntiare teneatur.

Post ejusdem Ordinationis seu Sententiæ prolationem, Dominica sequenti, quâ cantatum fuit in sancta Dei Ecclesia, *Invocavit*, quæ fuit vigesima quinta Mensis Februarii; præfatam Propositionem, coram magna populi magnitudine, præhabito verbo Dei, in parvisio Ecclesiæ Parisiensis publicè fecimus cremari.

Quapropter vos, in Juris subsidium, & favorem Fidei, & quantùm in Domino possumus, exhortamur, quatenùs ad prædictorum errorum condemnationem, & extirpationem hujusmodi, nostram Ordinationem, seu Sententiam, per vestras civitatem & Diœcesim publicari solemniter faciatis: universis & singulis subditis vestris dantes districtiùs in Mandatis, quatenùs sub pœnis Juris, omnia & singula C in prædicta Ordinatione & Sententia supra scripta contenta, efficaciter observare studeant & observent: universos & singulos, quos aliquos quaternos, prædictam Propositionem Magistri Joannis Parvi continentes, in vestra prædicta Diœcesi penès se habere agnoveritis; ad ipsos quaternos vobis, infra certum competentem terminum per vos præfigendum, tradendos, & realiter, per censuram Ecclesiasticam compellatis: & si quos contrarium facientes repereritis, ipsos pœnis canonicis taliter puniatis, quòd ipsorum pœnæ cunctis cedant transgressoribus ad terrorem: in præmissis omnibus & singulis, tàm diligenter & sollicitè vos habentes, quòd velut Fidei zelator fervidus debeatis, & in præsenti laudabiliter commendari, & in futuro feliciter præmiari.

Datum Parisiis, sub sigillis nostris, unà cum signis D manualibus Notariorum nostrorum subscriptorum. Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio, die Lunæ post *Mei oculi*, quæ fuit duodecima Mensis Februarii.

Item, *Sequitur tenor quarumdam Litterarum Regiarum, in hæc verba.*

LITTERA REGIS.

Adversùs Librum Joannis Parvi.

CAROLUS

Dei gratiâ Francorum Rex.

A

UNiversis & singulis Archiepiscopis, ceterisque Prælatis, & aliis viris Ecclesiasticis Jurisdictionem spiritualem habentibus, per totum Regnum nostrum constitutis: Salutem, & Fidem Christi sinceram, sine qua impossibile est Deo placere, dilectionem singularem.

Quoniam omnis potestas à Deo est, sceptrum Regiæ Majestatis de manu Dei suscepimus: dignum est ut in Lege ejus jugiter ambulemus, & nostrorum Progenitorum imitatione, nos Evangelicæ veritatis constituamus defensores: nam sicut nostra Regia dignitas divino Christianæ Religionis titulo gloriosiùs insignitur; sic decet nos omnia quæ promotionem, exaltationem, & honorem ejusdem Christianæ Religionis respiciunt, totâ vigilantiâ promovere: sic enim Deum speramus habere propitium, adjutorem in nostris necessitatibus, si Legis B suæ Decreta studuerimus inviolata servare, & adversùs errores de Regni nostri finibus fecerimus extirpari.

Nuper igitur, tàm ex insinuatione Christianissimæ filiæ vestræ * Universitatis Parisiensis, quàm aliundè cognovimus, quod quidam errores contrarii nostræ Fidei, bonisque moribus quamplurimùm adversantes, humanam confundentes pietatem, pacemque cujuslibet politici regiminis conturbantes, ac multipliciter scandalosi, citra paucos Annos fuerunt in hac urbe Regia, & per totum Regnum nostrum seminati; & specialiter in quadam Propositione, quam actor ejusdem, Magister Joannes Parvi nuncupatus, Justificationem Ducis Burgundiæ fecit appellari, in qua quidem Propositione dictus actor, in suis Assertionibus principaliter intentis, Legem immaculatam humanis divinitùs inspiratam cordibus, hæreticali quamplurimùm labe perfudit, pestiferam, horrendamque doctrimam in agro Dominico seminando, spiritualibusque alimentis venenum C immiscens læthiferum: unde, proh dolor! tantus error cæcis animis invaluit, ut simplex populus, gensque facile credula, à viis Domini procul abjecti, per devia, in perditionem ambulabant.

Quamobrem, dilectum & fidelem Consiliarium nostrum, Episcopum Parisiensem; ac dilectum nostrum Inquisitorem hæreticæ pravitatis, diligenter commovimus, ut tam æstuanti morbo salubriter occurrerent: qui animadvertentes hanc labem in ovili Dominico jam gravem intulisse jacturam; post diligentem, ac solemnem negotii comminationem, per egregios sacræ Theologiæ Professores, ac Licentiatos, aliosque Jurisperitos tàm numerosos, tàmque solemniter super hoc convocatos, diù multùmque deliberantes, dictam Propositionem, D tanquam erroneam in Fide & moribus, ac multipliciter scandalosam, abolendam, atque damnandam esse decreverunt, eamque per saluberrimum Fidei Concilium judicialiter condemnaverunt, cremandamque publicè, prout decet, ordinarunt, & cremari fecerunt; quemadmodùm ex inspectione Sententiæ super hoc, per dictos Episcopum, & Inquisitorem promulgatæ præmissa possunt latiùs apparere, cujus siquidem Sententiæ, seu condemnationis tenor dignoscitur esse talis.

* nostræ.

SENTENTIA,

Seu

CONDEMNATIO

Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris.

Adversùs Propositiones Joannis Parvi.

NOs Gerardus, miseratione divinâ, Episcopus Parisiensis; & Frater Joannes Poleti, Ordinis Fratrum Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, Inquisitor hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, Judices competentes in hac parte. Universis fidelibus Christi, præsentes Litteras inspecturis, Salutem in Domino, & incorruptam Fidei veritatem sincera mente tenere.

Sciens Apostolus ex testimonio Legis & Christi, quoniam *Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei*, Matth. IV. 4. Voluit nos panem verbi Dei, qui est panis vitæ & intellectus, sanum & incontaminatum sumere, & à pestifero cavere, doctrinisque variis & peregrinis non abduci: nihil enim periculosius, nihil perniciosius, quàm si pro pane intellectualis vitæ, sumatur toxicum, & fel aspidum hæreticalis doctrinæ.

Hæc nos consideratio permovit, ut doctrinas varias & peregrinas, imò pestiferas nostris, unde dolor! temporibus, & in his civitate & Diœcesi Parisiensi, tàm verbis, quàm scriptis, ac etiam factis, populo Christiano, pro pane divini verbi ministratas exterminare, & penitùs abjicere studeremus; ne sermo lethiferæ doctrinæ, velut cancer serperet in populis, præsertim nobis subditis, neque pro vitali pane veritatis, panis sumeretur mortiferæ falsitatis.

Accessit ad hoc opus tam religiosum salubre & pium Regalis Devotio, ad idem movens pariter & exhortans.

Propterea, cum ad nostram notitiam, certissimis devenerit documentis, quòd inter ceteros errores in nostris prædictis civitate & Diæcesi seminatos, Propositio Magistri Joannis Parvi Parisiis dogmatisata, & publicæ venditioni exposita, quæ sic incipit.

Par devers la tres-noble & tres-haute Majesté Royalle. Et sic finitur: *Par Lettres patentes, par maniere d'Epistres, & autrement icelny. Dieu veüille qu'ainsi soit-il fait*, Qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen.

Quam etiam Propositionem ipse proponens appellat, Justificationem Ducis Burgundiæ, nititur secundùm principalem intentionem proponentis justificare, & deffendere Assertiones plurimas; quæ tamen per sacrum Fidei Concilium repertæ sunt erroneæ in Fide & bonis moribus, & multipliciter scandalosæ; in perditionemque cederent, nedùm spiritualis vitæ animarum, sed etiam & corporum, si durare diutiùs sinerentur.

Nos, evocato, vicibus repetitis, Magistrorum, & Licentiatorum in Theologia, Parisiis existentium, ac aliorum peritorum saluberrimo, sapientissimoque consilio, diù multùmque deliberantium, & Christi nomine invocato; ad ejus laudem, gloriam & honorem, ac Fidei exaltationem, decrevimus & decernimus per præsentes, quòd ante dicta Propositio Magistri Joannis Parvi in se, & in suis Assertionibus principaliter intentis, & in ea contentis, ac in processu latiùs declaratis, est abolenda, atque damnanda, tanquam erronea in Fide & bonis mori-

moribus, ac multipliciter scandalosa; & eam sic abolemus & damnamus, ac cremandam solemniter decernimus, cremarique præcipimus & jubemus: monentes omnes subditos nostros, cujuslibet status, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ existant, primò, secundò, tertiò; ac una canonica monitione pro omnibus, sub pœna excommunicationis, quam in ipsos in his scriptis ferimus, nisi fecerint quod mandamus, ut ipsi infra sex dies, postquam præsentes pervenerint ad eorum notitiam, quorum sex dierum duos pro primo; pro secundo duos; & reliquos duos pro tertio & peremptorio termino eis assignamus: si quos habent penès se quaternos, hujusmodi Propositionem in se continentes, nobis afferant, seu afferri faciant; ut de eis disponere valeamus, juxta & secundùm formam & modum hujusmodi nostræ condemnationis. Inhibentes nihilominùs & interdicentes omnibus & singulis supra dictis, sub eisdem pœnis, ne deinceps quisquam ipsorum audeat prædictam Propositionem asserere, prædicare, publicare, deffendere, seu dogmatisare, publicè, vel occultè. Quod si quis audierit, vel sciverit aliquem in hac parte culpabilem, nobis, infra octo dies, vel Cancellario Parisiensi, denuntiare teneatur.

In cujus rei testimonium, sigilla nostra, unà cum signis manualibus nostrorum in hac parte Notariorum, his præsentibus duximus apponenda.

Datum Anno Domini 1413. die vigesima tertia Mensis Februarii. Indictione septima. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, ac Domini Joannis, divinâ providentia Papæ vicesimi tertii. Anno quarto.

Nos itaque, qui nostros subditos in sancta salutarique Religione permanere, & à Mandatis Dei non declinare votis intimioribus exoptamus, ac cultum Catholicum hoc in Regno Christianismo specialiter sitimus adaugeri; vos omnes & singulos, tanquam Christianæ Religionis zelatores, in obsequium Fidei requirimus, exhortamur, piaque obsecramus Charitate, quatenus præfatam dictæ Propositionis judicialem condemnationem & abolitionem in vestris Diœcesibus, territoriis ac Jurisdictionibus publicetis, seu faciatis diligenter & solemniter publicari. Dignum est enim, ut cùm pestis hæc ubique dilatata sit, & jam Ecclesiastica Sanctio, ubi proficiat ad medelam, ipsamque Sententiam, juxta sui formam pro ut decet insequendo, unusquisque vestrûm suos subditos admoneat, sub pœnis in eadem Sententia contentis, ut omnes & singulos quaternos, dictam Propositionem, vel ejus partem in se continentes, ubicumque reperiri poterunt vobis afferant, seu afferri faciant; ut de eis juxta, & secundùm formam dictæ condemnationis disponere valeatis, eos scilicet faciendo, coram Clero, & populo, palam & publicè cremari: inhibeatisque, & parte vestra, inhiberi faciatis, sub pœnis Juris, ne quis deinceps, cujuscumque status, præeminentiæ, aut conditionis extiterit, præfatam damnatam Propositionem, ac nefariam doctrinam in ea contentam, verbo & aliàs fovere, publicare, deffendere, sustinere, seu dogmatisare audeat, publicè, vel occultè. Quod quia si quis aliquem obstinati animi perceperit contrarium facientem, illud vobis, ac etiam Procuratori, & Advocato nostris, in vestris Curiis pro nobis existentibus, infra sex dies, sub jam prædictis pœnis revelare teneatur; quibus siquidem Procuratori & Advocato, seu Consiliario nostris, harum serie, præcipimus & mandamus, ut si quis, vel si qui suæ salutis immemores, contra prædicta, seu horum aliqua reperti fuerint attentare, seu etiam attentasse, aut aliqualiter deliquisse, seu de prædictis, aut eorum aliquibus culpabiles, vel suspecti existere, contra eos, tanquam contra tanti, tàmque enormis delicti reos, viriliter & rigidè, sine personarum acceptione procedant, procedique faciant & procurent, ad pœnas legitimas infligendas: vosque etiam contra eos, juxta facti qualitatem, per censuram Ecclesiasticam procedatis, secundùm Jura & canonicas Sanctiones.

Ceterùm, ne in tam gloriosæ, tamque justissimæ operationis materia, pallium aliquod excusationis prætendere valeatis; omnibus Justiciariis, Officiariis, ac subditis nostris, harum serie, damus in Mandatis; eisdem nihilominùs districtè præcipientes, quatenùs vestris & vestrûm cuilibet, seu Deputatis à vobis, quoad impletionem præmissorum, dent juvamen, consilium & favorem, impartiantur vires & auxilium brachii secularis, si super hoc fuerint, vestri parte, requisiti. Datum Parisiis, decima sexta die Martii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo tertio. Regni verò nostri, trigesimo quarto.

SUMMARIUM CENSURÆ

Latæ à Magistris Parisiensibus:

Necnon

SENTENTIÆ

EPISCOPI PARISIENSIS

Adversùs

PROPOSITIONES

Joannes Parvi.

UNiversis præsentes Litteras, seu præsens publicum Instrumentum, transcriptum, transsumptum, seu exemplar inspecturis. 1416. Die IV. Nov.

Curiarum Episcopalis Parisiensis: necnon Archidiaconi Parisiensis; Gullielmi Ecclesiæ Parisiensis, de Jossayo vulgariter nuncupati; & Guidonis Archidiaconorum Brie, in Ecclesia Parisiensi Officiales: Salutem in Domino, & præsentibus fidem indubiam adhibere.

Ne post Litteras obtentas, Instrumentave publica, aut alia quævis documenta, quorum interest, propter viarum pericula, & discrimina, aliosve fortuitos casus, qui provideri non valent, humano judicio contingat ipsas deperire, vel consumi, facultasque probationis favorabiliter amplianda coarctetur, aut depereat; sacrorum Jurium conditores providè statuerunt, ne ipsorum copiis, sive transumptis, vel exemplari ordinariorum Judicum, ipsorumve Delegatorum, aut Commissariorum fulcitis auctoritatibus, plena fides adhibeatur.

Exhibita siquidem coram nobis Officialibus prædictis, villæ, civitatis & Diœcesis Parisiensis, Judicibus ordinariis, in parqueto superiori domus Episcopalis Parisiensis, loco ad Jura reddenda solito, pro Tribunali sedentibus, per venerabilem, & circumspectum virum, Magistrum Joannem de Tulleriis, in Jure civili Licentiatum, Procuratorem, & procuratorio nomine Illustrissimi & Serenissimi Principis, & Domini nostri, Domini Caroli Francorum Regis, in Foro Ecclesiastico Parisiensi, petitio continebat, quòd præfatus Dominus noster Rex, tàm in sacro Generali Concilio Constantiensi, quàm alibi, coram nonnullis Judicibus, quodam rotulo, seu publico Instrumento, quatuor pecias colatas ad invicem continente, sub signis & subscriptionibus venera-

nerabilium & discretorum virorum, Magistrorum Joannis de Atrio; Joannis Cachaloe; & Joannis Maugyon, Notariorum publicorum confecto, signatoque, & subscripto, & suis signis manualibus in colaturis, & aliis partibus dicti rotuli, seu publici Instrumenti etiam signato, quem tunc in suis tenebat manibus, indigebat, & quem, ob notoria nobis, & universi Regni hujus incolis viarum pericula, absque ipsius Domini nostri Regis causæ periculo, defferre, defferrive facere non valeret, nec auderet, ut asseruit, coram nobis, & etiam affirmavit; dictorumque Notariorum super nominatorum signa, & subscriptiones, per testes Fide dignos infra scriptos, coram nobis productos, juratos & examinatos, approbavit, seu approbari fecit. A

Cujus quidem rotuli, seu publici Instrumenti tenor, de verbo ad verbum, sequitur, per hunc modum.

Et primò, incipiendo à prima parte rotuli, sequens tenor in hæc verba,

Sequuntur novem Assertiones extracta de quodam codice, quem actor intitulat, seu nominat, Justificationem Domini Ducis Burgundiæ, super interfectionem Domini Ducis Aurelianensis; & qualificata modo qui sequitur, & exposita Judicio Concilii Generalis Constantiensis.

B

Premiere Assertion.

Il est licite à un chascun subjet, sans quelconque Mandement, ou Commandement, selon les Loix, naturele, morale, & divine, de occire, ou faire occire tout tyran, qui par convoitise, barat, sortilege, ou mal engin, machine contre le salut corporel de son Roy & Souverain Seigneur, pour lui tollir sa tres-haute & noble Seigneurie; & non pas seulement licite, mais honorable & meritoire: mesmement quand il est de si grande puissance que Justice n'en peut bonnement estre faicte par le Souverain.

Erronea in Fide & bonis moribus, & multipliciter scandalosa.

Seconde Assertion.

Les Loix, naturele, morale, & divine auctorisent un chascun subjet, de occire, ou faire occire le dit tyran.

Erronea in Fide & moribus, ac Legibus, naturali & divinæ injuriosa.

Tierce Assertion.

Il est licite à un chascun subjet, honorable & meritoire, de occire, ou faire occire le dessus nommé tyran, traitre & desloyal à son Roy, & Souverain Seigneur, par aguets & espiements; & est la propre mort de quoi doivent mourir tyrans desloyaux, que de les occire vilainement, par tres-bonnes cautelles, aguets, & espiements: & est licite de dissimuler & taire sa volonté de ainsi faire.

Falsa, erronea & scandalosa.

Quatre Assertion.

C'est droict, raison & équité, que tout tyran soit occis vilainement, par aguets, & espiements; & est la propre mort de quoy mourir tyrans desloyaux doivent, que les occire vilainement, par bonnes cautelles, aguets & espiements.

Erronea, crudelis & impia.

Quinte Assertion.

Celui qui occit, ou fait occire le tyran dessus nommé ez manieres que dict est, ne doit de rien estre repris, & n'en doit pas seulement le Roi estre content; mais doit avoir le fait agreable, & le auctoriser entant que mestier ou besoing seroit.

Erronea in Fide & moribus, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Sexte Assertion.

Le Roi doit guerdonner & remunerer celui qui occit, en la maniere que dict est, ou fait occire le tyran dessus nommé, en trois choses: c'est à sçavoir, en amour, honneur & richesses, à l'exemple des remunerations faictes à sainct Michel l'Archange, pour l'expulsion de Lucifer du Royaume de Paradis, & au noble homme Phinées, pour l'occision du Duc Zuambry.

Erronea in Fide & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi iniuriosa.

Septiesme Assertion.

Le Roy doibt plus aymer que auparavant celuy qui occist, ou faict occire le tiran dessus nommé, ez manieres dessus dictes; & doit faire prescher sa foy & bonne loyaulté, par tout son Royaume, & dehors le Royaume, le faire publier par Lettres patentes, par maniere d'Espitre, ou autrement.

Erronea in Fide & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Huictiesme Assertion.

Littera occidit spiritus vivificat 2. Cor. III. 6. c'est a dire *que tousiours tenir le sens litteral en la saincte Escripture, est occire son ame.*

Expositio distorta & erronea.

Et neufieme Assertion.

En cas d'alliance, serment, promesse, ou confederation, faicte de Chevalier à autre, en quelque maniere que ce soit, ou puisse estre, s'il advient quils tournent ou prejudice de l'un des promettants, ou confederés, de son espouse, ou de ses enfants, il n'est de rien tenu à les garder. Hoc probatur ex ordine caritatis, quo quilibet plus tenetur se ipsum diligere, uxorem & liberos, quàm alterum. C

Falsa & erronea, secundùm se, & ad perjuria viam præbens.

Prima Assertio.

Licitum est unicuique subdito, absque quocumque Mandato, vel Precepto, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium, machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam & altissimam Dominationem: & nedùm licitum, sed honorabile & meritorium, maximè quando est tanta potentia, quòd Justitia non potest bono modo fieri per Supremum. D

Erronea in Fide, & moribus, ac multipliciter scandalosa.

Secunda Assertio.

Leges, naturalis, moralis & divina, auctorisant unumquemque subditum, de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

Erronea in Fide & moribus, ac Legibus, naturali, morali & divinæ injuriosa.

Tertia

Tertia Assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem & infidelem suo Regi, & supremo Domino, per dolos, vel explorationes & insidias; & est propria mors quà debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos viriliter, per optimas cautelas, vel explorationes, dolos, & insidias; & est licitum dissimulare, & silere voluntatem suam de sic faciendo.

Falsa, erronea & scandalosa.

Quarta Assertio.

Jus est, ratio & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per dolos, explorationes & insidias, & est propria mors quà debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos per bonas cautelas, vel explorationes, dolos, & insidias.

Erronea, crudelis & impia.

Quinta Assertio.

Ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra dictum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & Rex non debet solùm esse contentus; sed debet habere factum acceptabile & auctorisare, quantùm opus vel necessitas esset.

Erronea in Fide & moribus, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Sexta Assertio.

Rex debet præmiare, & remunerare illum qui occidit, modo qui dictus est, vel occidi facit tyrannum super nominatum, in tribus rebus; scilicet, amore, honoribus & divitiis; exemplo remunerationum factarum sancto Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinées, pro occisione Ducis Zambri.

Erronea in Fide & moribus, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Septima Assertio.

Rex debet plùs amare quàm priùs, illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum prænominatum, modis supra dictis, & debet facere prædicari suam fidem, & bonam fidelitatem per Regnum, & extra Regnum facere publicari per Litteras, in modum Epistolæ, & aliter.

Erronea in Fide & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Octava Assertio.

Littera occidit, spiritus autem vivificat 2. *Cor.* III. 6. Hoc est dicere *quòd semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.*

Expositio distorta & erronea.

Nona Assertio.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas observare: hoc probatur ex ordine charitatis, quo quilibet plùs tenetur seipsum diligere, uxorem, & liberos, quàm alterum.

Falsa & erronea secundum se, & ad perjuria viam præbens.

Sacri Concilii determinatione salva, omnes Magistri, Licenciati, & Baccalarii in Theologia infra scripti, in attestationem Catholicæ veritatis, deposuerunt Propositiones novem præscriptas, falsas & erroneas esse, secundùm qualificationes eisdem appositas.

In cujus rei testimonium, ipsi nomina sua, propriis manibus subscripserunt; sic signantes. J. Chachaloe. J.
A Atrio. J. Maveyon. Joannes Brivriscoxæ, Magister in Theologia, Decanus Facultatis. Joannes Dachery, Magister in Theologia, Episcopus Silvanetentia. Petrus de Dyerreyo, Magister in Theologia. Guillelmus Abbas sancti Germani de pratis, actu Regens. Radulphus Par..., Magister in Theologia. Radulphus, Monasterii beatæ Genovefæ Abbas. Joannes de Austria; Magister in Theologia, actu Regens. Philipus, Monasterii beati Dionysii Abbas. Germanus Famuli, aliàs de Rutigiaco, Magister in Theologia. Theobaldus Picardi, Ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmeli. Petrus de Cautella, Magister in Theologia, actu Regens. Thomas de Ponte, Magister in Theologia, actu Regens. Petrus Blanboully, Magister in Theologia. Frater Joannes de Trecis, Magister in Theologia. Joan-
B nes de Dulcimenillo, Magister in Theologia. Frater Joannes Generi, Magister in Theologia, actu Regens. B. de Hotot, Magister in Theologia. Herveus de Villanova, Magister in Theologia. Frater Henricus Pistoris, Magister in Theologia. Joannes de Castellione, Magister in Theologia. Frater Guillelmus Boticolli, Magister in Theologia. Benedictus Gentiani, Magister in Theologia. Gerardus Emengart, Magister in Theologia. Ego Petrus de Nogento, habeo eas suspectas de hæresi. Gerardus Macheti, Magister in Theologia. Radulphus de Porta, Magister in Theologia. Joannes Balduinii, Magister in Theologia. Guillelmus Truchevent, Magister in Theologia. Eustachius de Morsellio, Magister in Theologia, Parisinus. Martinus de Brueriis, Magister in Theologia, Parisinus. Joannes Lambert, Magister in Theologia. Joannes de Rouviroy, Magister in Theologia, Parisinus. Frater Joannes de Vernone, Magister in
C Theologia. R. Barguenel, Magister in Theologia. T. de Cracovia, Magister in Theologia. Joannes de Laudissono, Magister in Theologia. Petrus Richardi, Magister in Theologia. Martinus Talayero, habeo suspectas in Fide & moribus. Dionysius Pagani, H T.* quòd istæ Propositiones sunt scandalosæ, & præsumptuosè dictæ. T. Hoberan, præmissæ Propositiones, de interfectione Tyranni, videntur michi scandalosæ, crudeles & impiæ.

Sic signati:

J. Cachaloe. J. de Atrio. J. Maveyon. J. Cachaloe. Frater Guillelmus Seguini, Ordinis Prædicatorum, Licentiatus in Theologia. Frater Laurentius Chrispiniani, Licentiatus in Theologia, Ordinis Carmelitarum. Frater Jacobus Forestarii, Bacallarius formatus in Theologia, & præsentatus. Frater Philipus Reydor, Bacallaurius formatus & præsentatus. J. de Gondamvillani, Bacallaurius for-
D matus. Frater Joannes Pinsonis, Ordinis Præmonstratensis, Bacallaurius formatus. Frater Martinus Billorry, Ordinis Prædicatorum, Bacallaurius formatus. Petrus Guespin, Bacallaurius formatus. Guillelmus Martini, Bacallaurius formatus. Radulphus Recuchon, Bacallaurius formatus. Frater Seguinus Cognati, Ordinis Carmelitarum, Bacalaurius formatus.

Ego Michaël Brunelli Bacallaurius formatus. Jacobus de Celeriis, Bacallaurius formatus. Frater Jacobus Villeti, Ordinis Carmelitarum, Bacallaurius

* *Forsan* H

rius formatus. Frater Petrus Morelli, Bacallaurius formatus. Domnus Joannes Ruffi, Bacallaurius formatus.

Sic signati.

J. Cachaloe. J. de Atrio. J. Maveyon. Joannes de Porta, Bacallaurius formatus. Joannes Petor, Bacallaurius formatus. Domnus Joannes de Villa-nova, Bacallaurius formatus. Frater Guillelmus Nunti, Ordinis Prædicatorum, Bacallaurius formatus. Frater Joannes de Trolehan, Bacallaurius formatus. Frater Joannes de Nemore, Bacallaurius formatus. Frater Joannes de Montibus, Bacallaurius formatus. Petrus Galteri, Bacallaurius formatus. Frater Egidius de Platea, Bacallaurius formatus. Robertus Reginaldi, Bacallaurius formatus. Petrus Guillemeti, Bacallaurius formatus. Albertus Fabri, Bacallaurius formatus, de Ordine Fratrum Prædicatorum. Guichardus Bondillion, Bacallaurius formatus in Theologia.

Sic signati.

J. Cachaloe. J. de Atrio, J. Maveyon. J. Cachaloe. Frater Joannes de Hannoilles, Bacallarius Petrus Forgeti, Bacallarius. Frater Michael Viela, Bacallarius. Joannes Probi, Bacallarius. Frater Henricus Centurionis, Bacallarius. Frater H. Lupi, Bacallarius, Abbas Monasterii de Castellariis. Frater Yvo Cueni, Bacallarius. Frater Archambaudus de Firmitate, Bacallarius. Frater Guillelmus de Acheriis, Bacallarius. Egidius de Priches, Bacallarius. Joannes de Crauvach, Bacallarius. Joannes de Louda, Bacallarius. Frater Joannes David, Ordinis Carmelitarum, Bacallarius. Frater Joannes Guillemere, Bacallarius. Frater Bernardus Causacii, Bacallarius. Matheus Lormier, Bacallarius. Simon Richerii, Bacallarius. Joannes Hervei, Bacallarius. Gauffridus de Heilleis, Bacallarius. Guillelmus Guillet, Bacallarius. Michaël de Creneyo, Bacallarius. Petrus Michaëlis, Bacallarius. Hugo de Origniaco, Bacallarius. Egidius Carlerii, Bacallarius. Egidius Remondi, Bacallarius. Jacobus de Hemptines, Bacallarius. Alexander Cavelier, Bacallarius. Joannes Amici, Bacallarius. Franciscus Patrignon, Bacallarius. Joannes Benedicti, Bacallarius. Petrus Beum, Bacallarius. Joannes Ruffossà, Bacallarius. Vivanus Robolleti, Bacallarius. Robertus Fleury, Bacallarius. Guillelmus Mestronis, Bacallarius. Joannes Crassi, Bacallarius. Guillelmus Horserii, Bacallarius. Petrus de Longocampo, Bacallarius. Nicolaus de Bellismo, Bacallarius. Radulphus le Danois, Bacallarius. Joannes Fabry, Bacallarius. Guillelmus Hardy, Bacallarius. Frater Joannes Hemardi, Bacallarius. Frater Jacobus Inserii, Bacallarius. Guillelmus Garnerii, Bacallarius. Rogerus Boyum, Bacallarius. Joannes Balliguen, Bacallarius. Joannes Clerici, Bacallarius. R. de Bourceyo, Bacallarius. M. de Loch, Bacallarius. Arnoldus de Linchaut, Bacallarius. Gillebertus Mamet, Bacallarius. Guillelmus le Poigneur, Bacallarius. Alexander de Faulzyzlz, Bacallarius. Joannes Hulin, Bacallarius.

Ego Nicolaus de Bello-ramo, habeo eas suspectas de hæresi, vel errore. Ego Joannes Laurentii, Bacallarius, habeo suspectas de hæresi. Ego Guillelmus Anglici, Bacallarius, habeo suspectas de hæresi. Guillelmus de Escarvilla, Bacallarius. Robertus de Cuilla, Bacallarius.

Sic signati.

J. Cachaloe. J. de Atrio. J. Maveyon. Joannes Pigache, Bacallarius. Robertus Anelme, Bacallarius in Theologia, habet eas suspectas de hæresi. Joannes Churuel, Bacallarius in Theologia. Frater Robertus de Bellomonte, Religiosus Ordinis S. Benedicti. Guillelmus Custurarii, Bacallarius in Theologia.

Sic signati.

J. Cachaloe. J. Maveyon. J. de Atrio.

In nomine Domini. Amen. xix. Augusti. 1416.

Noverint universi præsens publicum Instrumentum inspecturi, quòd Anno ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo decimo sexto. Indictione nona: die verò decima nona Mensis Augusti; Apostolica Sede Pastore carente; in congregatione venerabilis Facultatis Theologiæ Studii Parisiensis, apud sanctum Maturinum, Parisius, eadem die, solemniter celebrata. Astantibus quamplurimis sacræ Theologiæ Doctoribus, nec non ejusdem Facultatis Licentiatis & Bacallariis, ad infra scripta specialiter vocatis; nobisque Notariis publicis, & testibus præsentibus infra scriptis.

Venerandæ circumspectionis, ac magnæ scientiæ vir, Magister Joannes Brevis-coxæ in Theologia Professor, ejusdem Facultatis Decanus, & in ipsa Congregatione Præsidens; eisdem Magistris, Licentiatis, & Bacallariis sic congregatis, seriosé exposuit, quomodò Christianissimus & Serenissimus Princeps, Carolus, Dei gratiâ Francorum Rex, nuper ad Dominum Rectorem almæ Universitatis præfatæ præsentem, Nuncios suos miserat, per quos dici & exponi fecerat, quòd in præsenti Concilio Constantiensi sunt nonnulli Magistri, Licentiati, & alii, tàm de Ordine Mendicantium, quàm alii, nitentes, nescitur quo spiritu ducti, deffendere, sub certis coloribus, novem Assertiones ex Propositione quondam Magistri Joannis Parvi veraciter extractas Parisius, per Reverendum in Christo Patrem, Dominum Episcopum Parisiensem, meritò damnatas, quas & justificare nitebantur; gloriantes in multitudine vocum & opinionum.

Eà propter, idem Dominus noster Rex, volebat, & requirebat, quòd omnes Magistri, Licentiati, & Bacallarii, venerabilem Facultatem Theologiæ prædictæ Universitatis Parisiensis repræsentantes, in fidem & testimonium prælibatæ condemnationis, approbationis, & aliorum præmissorum, nomina sua, & cognomina, in præsenti rotulo, in quo prædictæ Assertiones, in Latino & Gallico sunt scriptæ, in eademque Congregatione, coram omnibus ibidem existentibus lectæ, subscriberent & apponerent; prout secundùm Deum, eorum conscientiam, & scientiam à Deo eis ministratam, viderent faciendum.

Requirens insuper Dominus Decanus eosdem Magistros, Licentiatos & Bacallarios, ut præmissa attestarentur, & approbarent, prout, & quemadmodùm eorum professio requirit, & exigit; & conformiter ad requestam Domini nostri Regis, in signum veri testimonii, nomina & cognomina sua in præsente rotulo apponerent, & subscriberent.

Addidit autem ulteriùs venerandæ circumspectionis & magnæ scientiæ vir, Magister Radulphus Racuchon, almæ Universitatis Parisiensis Rector, ibidem præsens, quòd Dominus noster Rex protestabatur quòd non vult aliquem cogere ad se subscribendum, nec aliquem inducere ultra suam conscientiam & voluntatem, nec prece, nec pretio, nec vi, nec metu, nec timore alicujus pœnæ.

Quibus sic factis & deductis, prælibati Magistri, Licentiati, & Bacallarii, tanquam veri Fidei Catholicæ zelatores, concluserunt & decreverunt in prælibato rotulo se inscribere, ac nomina & cognomina sua apponere, ut omnibus Christi fidelibus constet & appareat prædictas novem Assertiones fuisse & esse justè, sanctè, & catholicè damnatas.

Qua conclusione recepta & habita, per priùs tamen collatione de præcedentibus Assertionibus ad origi-

originales Litteras per nos Notarios infra scriptos factâ, nec non eadem conclusione in nostris Registris redactâ; præfati Magistri, Licentiati & Bacallarii, per ordinem, nomina & cognomina sua, in præsenti rotulo scripserunt, & apposuerunt, modo & formâ quibus in dicto rotulo apparere potest.

Acta fuerunt hæc Parisius, apud sanctum Maturinum. Anno. Indictione, quibus supra: & Indictione decima. Diebus verò diversis.

Et primò, aliqui se inscripserunt die decima Mensis Augusti prænominati, præsentibus ad hæc venerabilibus & discretis viris, Magistris, Nicolao de Longolio, & Guidone de Versailles, in Artibus Magistris. Alii verò se inscripserunt, Anno. Indictione quibus supra, die verò duodecima Mensis Septembris; præsentibus prænominatis, unà cum discreto viro, Magistro Garcilio Mercatoris, in Artibus Magistro. Alii verò, die decima tertia prediti Mensis Septembris; præsentibus discretis viris, Domino Michaële Lotonii, Præsbytero; & Joanne Parnant, Clerico. Alii verò & ultimi, se inscripserunt, Anno & Indictione quibus supra; die verò vicesima secunda Mensis Octobris; præsentibus venerabilibus & discretis viris, Magistris Nicolao de Longolio; Garcillio Mercatoris, prænominatis; Petro de Assenseriis; ac Guidone de Versailles, in Artibus Magistris, Parisiensis, Tulensis, Rotomagensis, & Ligonensis Diœcesiorum, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et Ego Joannes de Atrio, Clericus Cameracensis Diœcesis, Magister in Artibus, & Bacallarius in Theologia, publicus Apostolicâ auctoritate Notarius, Signiferque, atque Scriba Curiæ conservationis Privilegiorum dictæ Universitatis; quia præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmissum est, proponerentur, protestarentur, deponerentur, scriberentur, agerentur, & fierent; unà cum testibus supra, & Notariis infra scriptis, præsens interfui; eaque sic fieri vidi, & audivi; collationemque de Assertionibus supra scriptis, cum Litteris originalibus condemnationis dictarum Assertionum, cumque Notariis subscriptis, audientibusqusque testibus ante dictis, feci diligenter: idcircò huic presenti publico Instrumento inde confecto, alia manu fidelirer scripto, signum meum solitum apposui, hîc me manu propria subscribendo, in fidem & testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus.

Rasuras hujus Litteræ, R. super verbo, *explorationis*, in dictis Assertionibus expressis, necnon hujus dictionis, *amore*, fideliter approbo.

Signati J. DE ATRIO.

Verùm quia ego Joannes Cachaloe, Magister in Artibus, & Bacallarius in Decretis, Rectorque Parrochialis Ecclesiæ sancti Martini de Gliseuria, Rothomagensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, ac almæ Universitatis Parisiensis Scriba, præmissis subscriptionibus nominum & cognominum prædictorum, collationique dictarum Assertionum superiùs scriptarum, cum originalibus Litteris condemnationis, omnibusque aliis & singulis, dùm sic, ut subscribuntur, concluderentur & fierent, unà cum Notariis & testibus præsentibus infra scriptis, præsens interfui; eaque sic fieri vidi & audivi, ac in notam recepi. Ideò exinde confecto præsenti publico Instrumento, alterius manu fideliter scripto, signum meum solitum & consuetum, hîc me propria manu subscribens apposui, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus.

Rasuras hujus litteræ R. super verbo, *explorationis*, præscripto, & super dictione, *amore*, fideliter approbans signavi. J. CACHALOE.

Et ego, Joannes Maveyon Parisiensis, publicus Apostolica & Imperiali Auctoritatibus Notarius, quia supra scriptarum Assertionum, ad Litteras originales collationi, nominumque, cognominumque per præfatos Magistros, & Bacallarios subscriptioni factis, protestationibusque supra scriptis, omnibusque aliis & singulis, dùm ut supra scribuntur, agerentur & fierent, unà cum prænominatis testibus, præsens fui; eaque sic fieri vidi & audivi: id circò præsenti Instrumento, in forma publica redacto, per alium fideliter scripto, me aliis occupato negociis, unà cum signis & subscriptionibus venerabilium & discretorum virorum, Notariorum supra scriptorum, signum meum solitum apposui, hîc me manu propria subscribendo, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus.

Rasuras super vocabulis, *explorationes*, &, *amore*, sub signo meo manuali fideliter approbans. *Sic signati* J. MAVEYON.

Quo quidem rotulo, seu publico Instrumento, coram nobis Officialibus prædictis sic exhibito & ostenso, & per nos viso, & diligenter inspecto & visitato; præfatus Magister Joannes de Tulleriis, Procurator præfatus, nomine Procuratorio quo supra, nobis supplicavit, & nos cum instantia requisivit, quatenùs, ut cùm ipse Dominus noster Rex supra scripto rotulo pergameno, seu publico Instrumento, & ejus tenore, ac contentis in eodem indigeat, nec ipsum, dùm, quotiens, & coram quibus esset necessarium exhibendi habeat facultatem, seu de ipso facere fidem, ne ipsius originale amitti contingeret in futurum, vel ejus series, propter aliquem casum fortuitum deperiret, auctorit.... moris & morum. *Interposition*.... Decretorum, dictum rotulum, seu publicum Instrumentum per Notarios publicos infra scriptos, transcribi, & in publicam formam redigi facere dignaremur & vellemus; in hiis interponendo auctoritates pariter & Decreta.

Nos itaque Officiales supra scripti, dicto rotulo, seu publico Instrumento, sic coram nobis ostenso, & contento in eodem, per nos visis, & visitatis; supplicationi ipsius Magistri Joannis de Tulleriis, Procuratoris præfati, nobis factæ, tanquam justæ & Juri consonæ, in hac parte, annuentes; subnominatos Magistros Joannem de Atrio; Joannem Cachaloe; & Joannem Maveyon Notarios prædictos, coram nobis presentes, & constitutos, diligenter examinavimus & interrogavimus: qui coram nobis confessi fuerunt, & recognoverunt, se publicos esse Notarios, signaque manualia & signeta publica in dicto rotulo facta & apposita fuisse & esse eorum vera signa & signeta, sive impressiones, tàm publica, quàm manualia, quibus utuntur, & in Officio publico uti consueverunt.

Et prætereà, per depositiones & relationes venerabilium & discretorum virorum, Magistrorum Richardi Colini, Magistri in Artibus, Senonensis; & Girardi, Clerici, Notarii publici, Cavaracensis * Diœcesiorum, pro dicto Magistro Joanne de Atrio, & Alanii Quadrigarii, in Artibus Magistri, & Henrici Baronis, Notariorum publicorum, Clericorum Bayocensis, & Leonensis Diœcesiorum, pro dicto Cachaloe; nec non & Joannis Isamberti, & Joannis Vachereti Educensis Diœcesis, pro supra nominato Maveyon, testium coram nobis productorum & juratorum, sufficienter & debitè informati, ipsos supra nominatos Magistros Joannem de Atrio; Joannem Cachaloe, & Joannem Maveyon, fuisse & esse Notarios publicos, & pro talibus reputatos palam, & notoriè; & ad quos, pro conficiendis Instrumentis habetur communis recursus, & haberi convenit.

His

* *Forsan* Cameracensis.

Hiis itaque auditis, & recepto ipsius Magistri Joannis de Tulleriis, Procuratoris Regii prædicti, Juramento solito & debito; ipsum rotulum, seu publicum Instrumentum transcribi, exemplarique & collationari per Notarios publicos, & infra scriptos fecimus, & mandavimus; ipsisque Litteris transcriptis, transsumptis, sive exemplatis, & publicatis, nostras interposuimus, & tenore præsentium, interponimus auctoritates, pariter & Decreta: volentes, & decernentes, præsentium tenore, transcripto, transsumpto, sive exemplari hujusmodi rotuli, seu publici Instrumenti, de cetero, tantam fidem adhibendam fore, & adhiberi debere, in Judicio, & extra, sicuti dicto rotulo originali, seu publico Instrumento; eamdemque vim & eumdem vigorem perpetuò habere, & habiturum, ac si in Judicio forent idem rotulus, seu publicum Instrumentum exhibiti.

In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium, præsentes Litteras, seu presens publicum Instrumentum, seu transcriptum, vel transsumptum, per Notarios publicos infra scriptos, exinde fieri, & in hanc publicam formam redigi mandavimus; sigillorumque Curiarum nostrarum fecimus appensione muniri.

Datum & actum in Perqueto superiori Episcopalis Parisiensis Curiæ. Anno Domini, millesimo quadringentisimo decimo sexto. Indictione decima, Mensis Novembris, die quarta. Sede Apostolica Pastore carente. Præsentibus venerabilibus, & discretis viris, Magistris Gerardo Macheti, sacræ Theologiæ Professore, Canonico Parisiensi. Joanne Ruffi, Clerico, in Decretis Licentiato, Advocato in Foro Ecclesiastico Parisiensi; Petro Fautrey, in utroque Jure Bacallario, altero Promotorum Curiæ Parisiensis; Joannem Pernant; Mauricio Deriam, Clericis, Trecensis Leonensis, Ligonensis, & Parisiensis Diœcesiorum oriundis, & Parisius commorantibus, testibus unà cum prænominatis testibus, pro parte prædictorum Notariorum, coram nobis productis, & per nos juratis & examinatis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. † RADULPHUS DE PORTA, *Magister in Theologia.* ° PETRUS DE CLAMENGIIS, *Bachalarius.* NICOLAUS CIRENIS, *Bachalarius.* •

Et ego Guillelmus Le Mieu, Clericus Trecorensis Diœcesis, Magister in Artibus, & Bacallarius in Decretis, publicus Apostolica & Imperali auctoritatibus Notarius, & præfati Domini Officialis Parisiensis Scriba; quia præmissis omnibus, dùm, ut supra scribuntur, per dictos Dominos Officiales, & coram eis fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus, ac Notariis publicis subscriptis, præsens & personaliter interfui, eaque sic fieri vidi & audivi; factaque diligenti collatione de præsenti transcripto, ad supra scriptum Instrumentum, seu rotulum, cum Notariis publicis subscriptis, ipsi ad invicem concordare inveni, nil addito, vel remoto quod sensum immutet, aut variet intellectum: idcircò præsens publicum Instrumentum in hanc publicam formam redactum, & per alium fideliter scriptum, me aliis occupato negociis, signo meo solito, unà cum prænominatorum Officialium signetis, & Curiarum prædictarum sigillis, præsentibus appositis, signisque & subscriptionibus dictorum Notariorum subscriptorum signavi; hìc me manu propria subscribens, requisitus & rogatus, in testimoninm veritatis præmissorum.

Constat de vocabulis interpositis ad talia signa, in fine hujus transcripti interlineis °° & de rasuris: & in vocabulis. JOANNES DAVID. HARDY, *Bacalarius*: *Doctoribus. Decima nona*: quæ vocabula, rasuram & interlineas hic fideliter approbo. G. LE MIEU *ainsi signé, avec parrasse.*

Et ego Daniël Moche, Presbyter Leonensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, & Curiæ Parisiensis Juratus, quia de supra dicto rotulo, seu Instrumento originali, ad præsens transsumptum, seu transcriptum ex eo originaliter sumptum, unà cum Notariis publicis supra & infra scriptis, collationem feci diligentem, eorumque tenores ad invicem concordare inveni, nil addito, vel remoto quod sensum mutet, aut variet intellectum; præmissisque omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, per dictos Dominos Officiales, & coram eis fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus & Notariis publicis, supra & infra scriptis, præsens & personaliter interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi: idcircò signum meum solitum huic præsenti publico Instrumento, seu transsumpto, vel transcripto, in hanc publicam formam redacto, per alium fideliter sctipto, me circa alia legitimè occupato negotia, hìc me manu propria subscribens, unà cum dictorum Dominorum Officialium signetis, ac prædictarum Curiarum sigillis hìc appositis, signisque & subscriptionibus dictorum Notariorum, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus & & rogatus, apposui.

Rasuras & interlineas in dictionibus sequentibus factas, videlicet JOANNES DAVID. HARDY, *Bacallarii. Doctoribus. Decima nona.* Et vocabula in hujusmodi Instrumenti fine, ad signa sequentia posita, post *rogatis* videlicet o- RADULPHUS DE PORTA *Magister in Theologia* † NICOLAUS SIRENIS *Bacallarius.* o-o PETRUS DE CLAMENGIIS *Bacallarius*, hìc fideliter approbantes. Ita est, MOCHE. *Ainsin signé avec parraphe.*

Et Ego Joannes Reran, Clericus Leonensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, & Curiæ Episcopalis Parisiensis Juratus, præmissis omnibus & singulis, in subscriptionibus Magistrorum Guillelmi Le Mieu, & Danielis Moche supra scriptorum consent * & declaratis, unà cum eisdem Magistris, Guillelmo, & Daniele, Notariis publicis, ac testibus supra scriptis, præsens interfui, & collationem de dicto rotulo originali, seu publico Instrumento subscripto, ad hujusmodi transsumptum, seu transcriptum, cum dictis Notariis diligenter feci, ipsosque ad invicem concordare inveni: ideò signum meum consuetum huic publico Instrumento, manu alterius scripto, hìc me propria manu subscribendo, apposui, rogatus, in testimonium veritatis præmissorum.

Rasuras & interlineas in dictionibus sequentibus factas, videlicet, JOANNES DAVID. HARDY, *Baccallarius. Doctoribus. Decima nona.* RADULPHUS DE PORTA, *Magister in Theologia.* NICOLAUS SIRENIS, *Bacallarius.* PETRUS DE CLAMENGIIS, *Bacallarius*: non vicio, sed errore factas, hìc fideliter approbantes. KERAN. *Ainsi signé, avec parraphe.*

Avec quatre sceaux pandants, chacun à une bande de parchemin, par esgalle distance. Lesquels sceaux sont doubles, les plus hauts à.... plus près du parchemin, de la grandeur dun escu blanc, estans à deux faces: & les plus bas, plus petit; en cire rouge, en une seule face, avec quatre parraphes authentiques, avec lignes & Croix entrelassées, avec les noms au bas, trois à costé & à l'opposite des attestations. Une de LE MIEU: *l'autre de* DANIEL MOCHE: *& la dernure de* KERAN. *Et la quatriesme parrasse par dessus les trois, vingt lignes & à la marge, qui est celle de* DANIEL MOCHE: *vis à vis de la quelle, & à l'autre marge, est la signature & parrasse de* G. LE MIEU.

* *Forsan* contentis.

Collationné sur l'original en parchemin, avec les sceaux en leur entier, qui est conservé dans les Archives des RR. PP. Celestins d'Avignon, par moy F. N. Bazin, Prieur des PP. Celestins d'Avignon. Le 20. May. 1684.

MANDATUM REGIS

Quòd publicetur condemnatio Propositionis Magistri Joannis Parvi,

De Justificatione Ducis Burgundiæ, supra morte Ducis Aurelianensis.

CAROLUS, *Dei gratiâ Francorum Rex.*

XVI. Mart. 1414. DIlectis & fidelibus Consiliariis, gentibus nostrum præsens Parlamentum tenentibus, & quæ futura nostra tenebunt Parisii Parlamenta; Salutem in eo per quem *Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15.

Quoniam omnis Potestas à Domino Deo est, sceptrumque Regiæ Majestatis de manu Domini suscepimus; dignum est ut in Lege jugiter ambulemus, & nostrorum primogenitorum imitatione, nos Evangelicæ Veritatis constituamus deffensores. Nam sicut nostra Regia dignitas, divino Christianæ Religionis titulo gloriosiùs insignitur; sic decet nos omnia quæ promotionem, exaltationem, & honorem ejusdem Christianæ Religionis respiciunt, totâ vigilantiâ promovere; sic enim speramus Deum habere propitium, adjutorem in nostris necessitatibus, si Legis suæ Decreta studuerimus inviolata servare, & adversos errores de Regni nostri finibus fecerimus extirpari.

Nuper igitur, tàm ex insinuatione charissimæ filiæ nostræ, Universitatis Parisiensis, quàm aliundè, cognovimus quòd quidam errores contrarii nostræ Fidei, bonisque moribus quamplurimùm adversantes, humanam confundentes pietatem, pacem cujuslibet politici regiminis conturbantes, ac multipliciter scandalosi, citra paucos Annos fuerunt in hac urbe Regia, & per totum Regnum nostrum seminati; & specialiter in quadam Propositione, quam actor ejusdem Magister Joannes Parvi nuncupatus, Justificationem Ducis Burgundiæ fecit appellari. In qua quidem Propositione dictus actor, in suis Assertionibus principaliter intentis, Legem immaculatam divinitùs inspiratam cordibus, hæreticali quamplurimùm labe perfudit; pestiferam, horridamque doctrinam in agro Dominico seminando, spiritualibusque alimentis venenum immiscens lætiferum: unde, proh dolor! tantus error cæcis animis invaluit, ut simplex populus, gensque facile credula, à viis Domini procul abjecti, per devia, in perditionem ambulabant.

Quamobrem, dilectum, ac fidelem Consiliarium nostrum, Episcopum Parisiensem; ac dilectum nostrum Inquisitorem pravitatis hæreticæ, diligenter commovimus, ut tam æstuanti morbo salubriter occurrerent: qui animadvertentes hanc labem in ovili Dominico jam gravem intulisse jacturam, post diligentem & solemnem negotii examinationem, per egregios sacræ Theologiæ Professores, ac Licentiatos, tàm numerosè, quàm solemniter super hoc convocatos, diù, multùmque deliberantes, dictam Propositionem, tanquam erroneam in Fide & bonis moribus, ac multipliciter scandalosam, abolendam, atque condemnandam esse decreverunt; & eam per celeberri * Fidei Concilium judicialiter condemnarunt, cremandamque publicè, pro ut decet, ordinaverunt; quemadmodùm, prout ex inspectione Sententiæ, seu condemnationis super hoc per dictos Episcopum & Inquisitorem promulgatæ, quam unà cum præsentibus sub contrasigillo nostro vobis mittimus alligatam, præmissa possunt latiùs apparere.

Nos itaque considerantes quòd jam dicta Propositio inventa est in suis Assertionibus, non solùm divinam & æternam, sed etiam temporalem Majestatem offendere; & ob hoc desiderantes, ut nedùm in Ecclesiasticis Curiis, sed etiam per totum Regnum nostrum, & potissimùm in nostra capitali Curia, ipsius pestiferæ Propositionis abolitio, ac condemnatio divulgetur, ejusdem, prout decet, concrematio, seu laceratio subsequatur; vobis præcipimus, ac mandamus, districtè nihilominùs injungentes, quatenùs dictam Episcopi & Inquisitoris Sententiam, judicialemque condemnationem faciatis coram vobis in nostra Curia solemniter publicari, ac in Registris, ac Libris dictæ nostræ Curiæ, ad perpetuam memoriam registrari; ipsamque damnatam Propositionem, seu ejus quaternos, aut particulas, ubicumque, & apud quemcumque reperiri poterunt, faciatis in vestro Auditorio palam & publicè, tanquam nobis injuriosam & læsivam nostræ Majestatis, & Regiæ dignatis, lacerari: inhibendo, præcipiendoque, ex parte nostra, sub pœna confiscationis corporis & bonorum, ne quis deinceps, cujuscumque status, dignitatis, præeminentiæ, aut conditionis existat, dictam Propositionem, & nefariam doctrinam in ea contentam, verbo, aut aliter fovere, publicare, deffendere, sustinere, seu dogmatisare audeat, publicè vel occultè.

Quòd si quis aliquem sciverit contrarium facientem, illud Procuratori nostro generali quàm citiùs commodè poterit, sub jam dictis pœnis denuntiare teneatur; cui siquidem Procuratori nostro damus, tenore præsentium, in Mandatis, ut contra omnes, circa præmissa, vel eorum aliqua delinquentes, viriliter & rigidè, nomine nostro, procedat, seu procedi faciat, & procuret; ad legitimas pœnas, secundùm dilecti qualitatem, infligendas: vobis etiam, ut si quem, vel aliquos reperieritis in præmissis offendere, aut nostris jussionibus*, inhibitionibus & Præceptis supra dictis, ausu temerario contraire; illum, seu illos taliter punire, corrigereque studeatis, quòd ceteris omnibus cedere valeat in exemplum, quoniam sic volumus, & ex nostra certa scientia decrevimus, & per præsentes ordinamus: Litteris subrepticiis, vel Mandatis à nobis impetratis, vel in posterum impetrandis non obstantibus quibuscumque.

Datum Parisiis, sexta decima die Martii. Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo tertio; Regni verò nostri trigesimo quarto.

Signatum PER REGEM, *in suo magno Consilio* G. MAUREGART. *Et à tergo.* Lecta, & in Parlamenti Curia publicata, die quarta Mensis Junii. Anno Domini 1416. BAYE. *Au Registre croisé. Fol.* 3.

* *Forsan* celebre.

LET-

LETTRES PATENTES DU ROY CHARLES VI.

Pour empecher les mouvemens contre la condamnation des Propositions de Jean Petit.

A tous ceux qui ces lettres verront.

1414. XIX. Nov. ANdry Marchant, Chevallier, Conseillier, Chambellan du Roy nostre Sire, Garde de la Prevosté de Paris. Salut: sçavoir faisons, que nous, l'An de grace, mil quatre cent & quatorse; le Mardy quinze jour de Janvier; visimes unes Lettres du Roy nostre dict Seigneur, scellées de son grand scel, en simple queuë, & cire jeaune, des quelles la teneur s'ensuit.

CHARLES, *par la grace de Dieu* ROY DE FRANCE.

A nos chers & bien amés, les Recteur & suppost de nostre fille l'Université de Paris, Salut & dilection.

Il est venu à nostre cognoissance, que en nostre dicte fille l'Université a plusieurs de ses suppoz & escoliers sedicieux, empescheurs & troubleurs de paix, lesquels de jour en jour s'efforcent en toutes les manieres qu'ils peuvent, de mettre de nouvelles dissentions & debats en nostre dicte fille: & pourceque à nostre pouvoir desirons, pour les inconveniens qui le temps passé en sont advenus, & pourroint encores advenir, obvier à telles divisions, & separer & mettre hors iceux sedicieux d'avec les bons & paisibles. Nous, par l'avis & deliberation de nostre Conseil, vous requerons, & neantmoins mandons, sur toute la bienveuïllance & amour que tousjours vous estes montrés avoir au bien de nous, & de nostre Royaume, & que encores sçavons certainement que vous y avés, que tous tels seditieux & troubleurs de paix que vous pourrés sçavoir en nostre dicte fille, vous, par privation, resecation, ou autrement, éloignés & mettiés hors d'icelle, en les nous denonçeant, ou à nostre Conseil, pour au surplus y pourvoir, comme il appartiendra, par raison.

Et outre, que en Processions, Predications, ne autrement, vous ne souffriés, ou laissiés aucunes nouvelletés faire, qui puissent tourner à commotion de peuple, ou sedition: & avecque ce, que au Concile General, qui briefvement, au plaisir de Dieu, se doit celebrer à Constance, vous ne envoyés en Legation, ou Ambassade, de par nostre dicte fille l'Université, aucuns Massagers, pour quelconque matiere que ce peut estre, que premierement vous ne les cognoissiés estre seurs, & bien affects au bien, honneur & proffit de nous, & de nos Royaume & Segnorie; & singulierement à la cause de la Foy, touchant la condemnation de la Proposition de feu Messire Jean Petit, laquelle nous avons prins, & prenons à soutenir, & faire deffandre comme nostre propre cause; en faisant sçavoir en plaine Université, à tous les dits suppofz & escoliers, que nostre plaisir & volonté est, que tous nos subjets, & autres quelconques estrangers, demourants en nostre dict Royaume, de quelconque estat, ou condition qu'ils soient, ainsy le fassent, si cher qu'ils desirent y paisiblement vivre & demourer, & qu'ils aiment le bien, & honneur de nous. Et aussy que lesdits Messagers & Ambassadeurs que nostre dicte fille envoyera au dict Concile, le jurent pareillement.

Et outre, que nostre entencion n'est point, ou cas que vous y envoyerés aucuns Messagers de nostre Royaume, ou d'ailleurs, suspects en cette matiere, ou qui aucunement iroient, ou s'efforceroient d'aller, ou faire le contraire de ce que dit est, que ils joüissent en aucune maniere de nostre Saufconduit, en allant, demourant au dict Concile, ne en retournant: ainsois, des-maintenant pour-lors leur denions & rompons: & est nostre entention, se ils sont nos subjects, de les punir comme rebelles & desobeïssants à leur Souverain Seigneur: & en toutes ces choses pourvées en telle maniere, que nous en doyons estre contens, & que par deffaut de bonne provision, aucun inconvenient ne s'en puisse ensuir; en faisant ces presentes lire, & publier en pleine Congregation, & Assemblée de nostre dicte fille, affin que aucun des suppoz d'icelle ne puissent du contenu en cettes nos Lettres avoir, ou pretandre aucune ignorance.

Donné à Paris le dixneufiéme jour de Novembre. l'An de grace, mil quatre cents & quatorze, & de nostre Regne le trente sixiéme. 1414. XIX. Nov.

Ainsi signées. PAR LE ROY. *à la relation du grand Conseil, tenu par Monseigneur le Duc de Berry, ouquel les Comtes d'Eu, & d'Armignac, & plusieurs Prelats, Chevaliers & autres du dit grand Conseil, estoient.* G. DE MAUREGART. *Et au dos des dites Lettres estoit escript ce qui s'ensuit.*

Presentata per Ambaxiatores Regios, inter quos erant Episcopi Meldensis, & Baxasonensis. Milites, Domini DE ULARU. DE RAMBOULETO. DE MOYACO: & quamplures notabiles, in plena Congregatione, in sancto Bernardo; & ibidem lecta, Sabbathi XXIV. Novembris. IVC XIV.

Et nous, à ce present transcript avons mis le scel de la ditte Prevosté de Paris, l'An & jour premier dessus dict.

L'extraict cy-devant est signé par GYNIER, *avec parraphe authentique, avec le sceau du Roi, pendant en une bande attachée au dit parchemin, lequel sceau est en cire verte.*

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy F. N. BAZIN, *Prieur desdits Peres Celestins d'Avignon.*

CONSIDERATIONES MAGISTRI JOHANNIS GERSON

Cod. 2537. fol. 152.

Doctoris, & Cancellarii Parisiensis

Circa negotium *Joannis Parvi*, & Cœdem Ducis Aurelianensis.

SEquitur tertia pars principalis Propositionis factæ coram Rege, Dominis & Prælatis in aula bassa sancti Pauli. Anno quadringentesimo quarto decimo. Die quarta Decembris, ex parte Universitatis Parisiensis, quæ eandem Propositionem advoavit. 1414. IV. Dec.

Postquàm secunda congratulatio Regi facta est, ob exhibitionem suæ Regalis præsentiæ gratissimam; dicendo plausibiliter: *Ecce Rex.*

Postquam insuper datum est intelligi, quemadmodùm tetras, seu quaternarius divinarum virtutum comitatur Regem qui sedet in solio Judicii, ut intuitu suo dissipet omne malum, id est bellum, divisiones,

nes & schismata: quæ virtutes, sunt misericordia & veritas, justitia & pax, per quas reconciliatus est, & cottidie reconciliatur homo Deo.

Postquàm rursùs explicatæ sunt requestæ Regis, per solemnissimos viros factæ Universitati, & fundatæ in prædictis virtutibus, misericordia & veritate, Justitia & pace; dataque est affirmativa responsio; supplicando, vice versa, quòd Universitati sua privilegia, quæ benignitas Regia contulit, ipsa per veritatem & justitiam conservaret in pace, ut experimento probaremus & exultaremus, *Ecce Rex.*

Tandem, juxta instructiones ab Universitate datas, Sermo de ipsa pace Regni nobis habendus est, res proculdubiò saluberrima, sed ardua & alta: pro cujus explicatione duodecim occurrebant considerationes aliàs missæ Domino Duci Burgundiæ. Sed abbreviato verbo reducemus ad quaternarium, conformiter ad prædictas quatuor virtutes, sororio nexo junctas.

Sit igitur, post invocationem auxilii divini, Sanctorum, Sanctarumque omnium quorum hodie celebritas agitur.

Consideratio Prima.

Pax inter Christianos solida & vera non fit, sine veritate, aut contra veritatem Fidei & morum.

Fundavit in hac consideratione alma Universitas Parisiensis Litteras universis Christi fidelibus directas, super approbatione Sententiæ latæ per Dominos Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem, de consilio Magistrorum in Theologia, & Licentiatorum, contra Propositionem defuncti Johannis Parvi, quam idem Johannes appellavit, Justificationem Ducis Burgundiæ; Justificationem videlicet, super nece vili & subita Ducis Aurelianensis, sicut de bestia, & quoniam hæc Littera satis publicè* *omittuntur.*

Pro consideratione facit illud Gregorii: *Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas deseratur.* Et illud Christi cum glossa: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium,* Matth. x. 34.

Exempla quoque Moysis & sanctorum Martyrum, zelantium pro Fide: Lex data, *Deuteron.* xiii. cum similibus multis ad hoc tendunt.

Hæc consideratio confirmatur per Leges canonicas & civiles, quæ pœnas excommunicationis & extremi supplicii promulgant contra dogmatizatores hæresum. Non autem habenda est pax cum talibus, quando vel sunt pertinaces notoriè, vel etiam de pertinacia suspecti vehementer; quousque sunt purgati, Fidem quam credere tenentur ad justitiam, ore confitendo ad salutem.

Constat præterea quòd *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Heb. xi. 6. & cum eo pacem habere; quia *quis restitit Deo,* &c. Job. ix. 4. Nec pax consequenter habebitur cum proximo, impediente superbia intellectus, quæ dicente Sapiente jurgia suscitat: nec pax habebitur cum se ipso; quoniam *Cor impii sicut mare fervens quod quiescere non potest?* Isaïæ lvii. 20. Qualis autem impietas deterior, quàm infidelitas invenitur?

Quo circà, Mater Universitas, dùm dedit in Mandatis, ut proponens loqueretur de pace, conjunxit, ut de veritate & justitia sermo similiter haberetur. Sunt enim sorores istæ connexæ, quemadmodùm & virtutes Cardinales, prout à Psalmista notatum est, dùm ait: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, Justitia & Pax osculatæ sunt.* Ps. lxxxiv. 11.

* Locus corruptus.

Hinc est quòd Cabalistæ seditiosè nolentes aliàs de pace fieri Sermonem, sub interminatione mortis prohibebant consequenter, nec de misericordia, nec de veritate, aut justitia quisque prædicans aut proponens loqueretur.

Rursùs apparet quòd si Tractatus aliqui compositi sint, aut componendi, non est permittendum quòd aliquid erroneum contra Fidem contineant, in quocunque Articulorum; alioquin Tractatus esset invalidus, & tanquam rumpendus: exempli vulne-
A ris malè sanati, in quo ferrum vel spina remansit; ut enim denuò recrudescat & adaperiatur, cum dolore grandi, necesse est; alioquin sua contagione corrumperet totum corpus.

Hoc valet ad tollendum de Tractatu Carnotensi primum Articulum, quia favet hæresibus & eas sapit, dùm asseritur quòd mors Ducis Aurelianensis facta est pro bono Regis & Regni.

Ampliùs, induci posset ad propositum, de Jona nolente jussam à Domino veritatem prædicare, qui suâ præsentiâ perturbabat obindè navem, usque ad periculum naufragii.

Item, de filiis Israël, de quibus non recessit ira Dei, quousque Achor dedisset gloriam Deo, per confessionem veritatis.

Denique patet quàm sapienter Anno præterito, Concilium Fidei Parisius, in prima Sessione habita,
B die sancti Andreæ, conclusit concorditer, expedientissimum esse & fuisse loqui de veritatibus Fidei oppositis ad errores pullulantes & dogmatizatos verbis, operibus & scriptis; dicentibus omnibus quòd hoc agere, non erat turbare pacem, sed eam quærere firmam in justitia & veritate: nec scandalum, si oriatur, datum erit, sed acceptum; & ideò contemnendum.

Consideratio Secunda.

Pax ideò non fuit hactenùs benè stabilis & fixa in Regno, post septennium; quoniam veritas Fidei, & bonorum morum per oppositos errores fuerat velut in exilium detrusa. Si enim *Pax multa diligentibus Legem* Domini, *& non est illis scandalum,* Ps. cxviii. 165. Quid per argumentum à contrario
C sensu sequatur, non est ambiguum.

Si verò quæsierit aliquis: in quo fuerit veritas læsa. Docebitur faciliter, ex aspectione Sententiæ de qua loquitur prima Consideratio. Sed impingunt alii dicentes: hæc, inquiunt, Sententia, nullos in particulari damnat errores.

Respondetur primò, quòd ultra condemnationem generalem, est alia, quæ novem Assertiones nominatim reprobat.

Respondetur insuper, juxta Prædicationem ab uno de Magistris nostris in Theologia, factam aliàs in Civitate Laudunensi; juxta Considerationem prætereà notatam à beato Bernardo, in suo *de Consideratione*; dùm de malitia Romanorum loqueretur, notans quòd uno nomine tota satis exprimitur, cùm dicitur: *Romanus est.* Dicimus similiter quòd sufficiens errorum omnium condemnatio, & explicatio continetur in hoc titulo prænominato; hæc: *Justificatio Ducis Burgundiæ*; intelligatur, *super nece Du-*
D *cis Aurelianensis,* quoad circumstantias mortis ejus. Oportuit itaque, ad justificationem hujus necis, & circumstantiarum, Propositiones in præmissis & Regulis, vel Maximis, assumere, palam erroneis in Fide & moribus, sicut etiam inductæ sunt.

Attendamus circumstantias quatuor inter ceteras.

Prima est, quòd Ludovicus Dux Aurelianensis frater unicus Regis, neque subditus Johannis Ducis Burgundiæ, neque justiciabilis erat.

Se-

Secundò, non fuit idem Dux Aurelianensis monitus, vel diffidatus à Duce Burgundiæ, super criminibus postmodùm impositis, nec à suo Judice condemnatus; imò nec aliquo monitus, nec Judex etiam, scilicet Rex, super hoc fuit requisitus, nec sunt illa crimina taliter notoria, quòd nulla potuerunt tergiversatione negari.

Tertiò, fœderationes plurimas sub terribilibus juramentis factas, & reiteratas habebant ad invicem dicti duo Domini, quòd neque sibi ipsis inferrent damna, neque inferri permitterent; sed facere volentes revelarent.

Cùm etiam per Ducem Burgundiæ pararentur insidiæ, longo tractatu temporis, per siccarios, vel assasinos pretio conductos, plurima & varia familiaritatis, & amicitiæ signa, publicè & privatim Duci Aurelianensi sæpiùs ostendebat.

Quartò, dùm Dominus Aurelianensis nihil adversi suspicans, aut sibi præcavens, regrediretur à visitatione Reginæ noviter puerperæ; juxta sanctum Paulum, ipse, subita & atrocissima morte, tanquam esset canis, viliter oppressus est, unà cum armigero suo.

Ecce quatuor circumstantias multùm contrarias prædictis quatuor virtutibus misericordiæ, veritati, justitiæ & paci: videatur applicatio. Oportuit igitur ad justificationem hujus necis, suarumque circumstantiarum, multos, sicut prædicimus, errores inducere.

Exempli gratiâ; quòd licet hominem occidere, propria auctoritate, nullo ordine judiciario conservato.

Quòd licet hominem occidere viliter, sicut bestiam.

Quòd licet hominem occidi facere per insidias, non monitum, non diffidatum, non damnatum.

Quòd licet hominem occidi facere, subitò, per assasinos pretio conductos, contra rationem Decretalis, *Pro humani*. Est autem nomen hoc, assasimus, vulgatum in Italia: quod undecunque sumptum sit, non approbatur uni genti, vel patriæ; sed tale hominum genus significat, qui pretio conducti, occidunt homines, ex improviso; & ita, quantùm in eis est damnant eos, sic enim mihi quærenti à Domino Cardinali Pisano, responsum est.

Quòd licet blandiri, vel adulari homini, qui proponitur interfici, ut non præcaveat; sed confidato. Et ad hoc inducitur exemplum Judith, & Hieu, quasi benè fecerint, mentiendo.

Quòd licet in prædictis casibus & circumstantiis, juramentum, vel confœderationes solemniter factas, & quæ absque peccato servari non possunt, infringere: unde circa hoc ponit talem Assertionem.

Quotiescunque aliquis faciat aliquam rem quæ est melior, licèt juraverit illam non facere; hoc non est perjurium, sed perjurio contrarium.

Hoc ideò ponit, ut ostendat quòd meliùs fuit Ducem Aurelianensem occidere, quàm confœderationes observare.

Quòd prædicta omnia fieri, & quodlibet eorum, non solùm licitum est, sed sæpè debitum & meritorium vitæ æternæ, & à Rege temporaliter remunerandum.

Et in casibus præmissis expressè concludit justificationem, & in hac forma judicialiter reprobatur.

Quòd ab hoc Præcepto, Non occides, *excipitur tyrannus, qui in Republica non rectè principatur, aut principari conatur.*

Sicut describitur justificans. Et hoc expressè ponit.

Quòd tyrannus hujusmodi debet occidi viliter, & per insidias, subitò & improvisè; quoniam hæc est magis propria mors quâ debet interfici. Ut expressè ponit idem justificans.

Quòd fides non est servanda hujusmodi tyranno, sicut aliis hostibus.

Petit ipse sibi ipsi diversitatis rationem; sed ad Doctores remittit quia notissima est, ut dicit.

A *Quòd quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi, à quocunque vassallo suo, vel subdito, etiam per blanditas & adulationes, & insidias, non obstante quocunque juramento, aut confœderatione factis cum eo, non expectato Mandato Judicis cujuscunque.*

Hæc Assertio inventa est sufficienter contineri in Justificatione prædicta; quòd omnes causam audientes confestim horrebant & improbabant.

Quòd omnis Lex, naturalis, divina & humana, dat auctoritatem agendi talia & taliter, ut dictum est.

Hæc expressè posita est & damnata.

Quòd in casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno Milite ad alterum, quocunque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium, B *aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut liberorum, ipse de nullo tenetur eas observare. Hoc probatur*, inquit, *ex ordine caritatis, quia quilibet tenetur plùs diligere se ipsum, uxorem & liberos, quàm alterum.*

Hæc in forma posita, est damnata; sed hæc probatio ordinem caritatis, quo plùs diligenda est Fides quàm anima; & anima, quàm corpus, evertit.

Quòd Michaël occidit Luciferum, æterna morte, sine Mandato Dei quocunque, vel alterius; & inde constitutus est Princeps militiæ cœlestis.

Similiter Phinées occidit Zambri, sine Mandato quocunque Dei, vel alterius.

Et similiter Moyses Ægyptium: & inde laudati sunt, & meritoriè egerunt.

Hæc pro argumentis inducta sunt, quæ tamen sunt erronea.

Quòd licitum est facere confœderationes, & juramento firmare, dùm faciens scit quòd non vult, aut debet eas servare, & hæc ut efficaciùs fallat.

Hoc ex ipso facto quod justificari quæritur, satis C datur intelligi.

Quòd occisio Ducis Aurelianensis, cum circumstantiis prædictis facta, fuit licita, laudabilis & meritoria; imò debita, sub pœna peccati mortalis ad Deum, & infidelitatis, seu proditionis ad Regem; & quòd omissio fuit, aut fuisset damnabilis: & quòd omnes & singuli fideles, vel amici Regis, tenentur benè contentari de prædicta occisione, nec reprehendere eam verbis, signis, aut factis: alioquin sint habendi & persequendi tanquam inimici Regis, & proditores ejus, etiam per tumultum popularem, dum habetur suspicio contra aliquos quòd tales sint.

Hæc apud benè considerantem ex ipso justificationis modo consequitur.

Quòd sumentes arma, occasione prædicta, volendo scilicet vindicare mortem illam, sunt excommunicandi virtute Bullæ Urbani quarti, & debet eis negari Confessio & sepultura.

D Denique, multa alia horrenda dogmatizata sunt, & practicata sunt, occasione ista, tanquam licita, quæ occupant adhuc animos omnium ferè popularium: & inde ad rebelliones & seditiones quasi irremediabiliter inclinantur, & erroribus pleni sunt contra Fidem & salutem; sicut in quibusdam Opusculis notatum est. Destructio quoque civitatum insignium, ut Suessionensis, per Regnum. Similiter incarceratio facta de hominibus, Ducibus, & de nobilibus, ex utroque sexu, contra Regis auctoritatem: dicentibus ipsis qui hæc imperabant fieri, quòd hæc erat actio popularis, & debita unicuique, suo

Jure. Hæc inquam supra quàm satis, esse ostendunt quæ diximus.

Ite nunc igitur, ite, & permanentibus iis erroribus contra Fidei veritatem, vos pacem ratam & stabilem expectate; attento quòd non destruuntur aut revocantur, sed deffenduntur totis conatibus, & foventur. Unde cum Rex esset nuper coram Attrebato, cum exercitu suo, Dux Burgundiæ, post omnia, per se & suos facta, usque ad illos dies, sic scribi fecit in tribus publicis Instrumentis.

Nous affermons que nous ne pensames onque de faire chose qui deut deplaire au Roy. Hoc Latinè: Affirmamus quòd nunquam cogitavimus facere quod deberet displicere Regi.

Ex hoc sequitur utique quòd nihil fecerat quod Rex deberet improbare. Nam operatio non est sine cogitatione; propterea si non cogitavit, nec fecit. Hæc autem affirmatio publica & autentica quid importet pertinaciæ in criminibus & erroribus contra Regem & Deum & universalem Ecclesiam notoriè commissis, & per Sententiam damnatam, horror est cogitare, nec ad explicandum verba quæcunque sufficiunt; indignitas nempè rei, dùm exuperat elocutionis facultatem.

Denique Judicibus Fidei, & Magistris qui dederunt consilium, ipse Dux publicam infert contumeliam, vocando eos complices; qui terminus in malum semper sonat: dicendo prætereà quòd contra rationem & Jus egerant, sicut vult ostendere, protestationem suam faciendo, quæ conditionalis est; quæ tamen non purgat, sed inquinat: nec auffert à cordibus populorum errores, sed dissimulando & captiosè loquendo, fovet, prout etiam certissima docet experientia apud multos.

Quid multa! Ipse totum Regnum, à Rege usque ad infimum fecit hæreticare, quantùm in eo fuit, tàm operibus, quàm verbis & scriptis. Mandaverat, vel petiverat nihilomnùs ipse Dux, ut Propositio Petit examinaretur diligenter.

Cur hoc facere debuerat, si nollet examinatoribus dare fidem? Absit quòd hoc, exemplo Herodis, mandaverit fieri, qui Magis dixit; *Ite & interrogate diligenter de puero*, Matth. II. 8. qui erat veritas. Hic tamen non ad adorandum, sed perdendum anhelabat.

Consideratio Tertia.

Pax in Regno propterea diù turbata fuit, quia misericordia soror pacis, vel defuit, vel in credulitatem conversa est. Omittimus interim Sermonem de misericordia, & opposita crudelitate, prout respiciunt corporalia, locuturi de spiritualibus operibus, inter quæ correctio multiplex, scilicet doctrinalis, & judicialis, & fraterna numeratur, dùm quis converti facit peccatorem ab errore viæ suæ &c. Et hoc per ministerium verbi Dei, quod dicitur, panis vitæ & intellectus, de quo potest intelligi illud vulgatum: *Pasce fame morientem, si non pavisti occidisti.*

Hæc itaque fraterna correctio fundatur in illa jussione Christi. Math. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum* &c. ac sub Præcepto cadit apud omnes, pro loco & tempore; cujus omissio, vel negligentia, licèt videatur aliquando misericordia, reverà crudelitas magis dicenda est, ut notat Augustinus, in Regula.

Porro judicialis, & juridica correctio spectat principaliter ad Sedem Apostolicam, & ad sedentem in ea Summum Pontificem: spectat etiam ad Prælatos & Inquisitores, contra quos, si desides sint, latæ sunt graves Sententiæ.

Ceterùm, correctio doctrinalis, etsi spectet ad prædictos Papam & Prælatos, ex officio, quod obligat eos esse paratos reddere rationem omni poscenti de ea quæ in ipsis est Fide & Spe; spectat nihilominùs ad Doctores & eruditos in sacris Litteris, ex talento commisso. Spectat quoque illud ad Propheticum Ezechielis dictum, de speculatore, qui debet insonare buccinâ.

Proinde similia multa tradita de Pastoribus, sunt ad utrosque communia: ad Prælatos quidem, juridicè, & doctrinaliter; sed tamen doctrinaliter ad reliquos.

A Demùm, judicialis executio & correctio, dùm pertinax incorrigibilitas reperitur in errantibus, spectat ad Reges & Principes & Judices seculares, juxta Canonicas & Civiles Sanctiones.

Hæc ideò prænotavimus, ut ex iis cognoscamus si hactenùs per septennium viguit misericordia, corrigens errantes isto quadruplici modo, fraternâ licèt, judicialiter, doctrinaliter, & capitaliter, seu corporaliter.

Itaque sicut absentia nautæ, vel negligentia, causa est naufragii navis: & stulta Medici misericordia, malè parcens ægroti doloribus, nedùm non sanat, sed plerumque mortem inducit, sua crudeli, ut ita loquamur, clementia: sic deteriori incomparabiliter, culpabiliorique pietate, imò impietate, fit dissimulatio, palpans adversùs errantes, seu favore adulatorio malè inflammante, seu timore humano malè deprimente & muto. *Error*, inquit Canon, *cui non resistitur, approbatur.* Nec B caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Consequenter, ex iis possumus agnoscere si misericordia, qualem loquimur, satis fuerit exhibita, quæ Fidei veritatem ministraret in spiritualem eleemosynam Domino Duci Burgundiæ & suis adhærentibus, super justificatione hæreticali cædis ante dictæ. Potuit excusare forsitan aliquos defectus sufficientis informationis de dicta justificatione; defectus etiam denunciatorum, seu accusatorum: quamvis, secundùm glosam gen. nn. * notatum. *Evidentia patrati facinoris clamore non indiget accusanti*; excusavit alios, & si non à toto, tamen à tanto, tempestas calamitosi, seditiosique temporis violenta, minax, improba nimis, & importuna. Dedit tandem Deus aliquando tempus aliquod, & si non usquequaque serenum, turbidum C tamen minus, quando posset esse animus in consulendo, deliberando, judicando, exequendo liberior: & ita lata est illa quam prædiximus judicialis Sententia, adversùs justificationem Ducis Burgundiæ.

Ceterùm, prævenit ad hoc opus salutare pia Christianissimi Regis exhortatio, comitata quoque est & subsecuta, quemadmodùm patentes ejus Litteræ, Mandata & dicta palam insinuant.

Benedictus Deus, qui dedit hanc voluntatem in cor Regis, quoniam dicente Salomone: *Cor Regis in manu Dei est, quocunque voluerit inclinabit illud.* Prov. XXI. 1.

Ampliùs idem Rex, exemplo prædecessorum suorum, talem habuit & habet de sacra Theologiæ Facultate, seu de Magistris in eadem Parisius existentibus reputationem, ut absque ulla dubitatione susceperit Sententiam de consilio eorum latam D manutenendam, deffendendamque, sicut causam propriam: similiter & personas suscepit protegendas, quæ in hoc opere salubri operam, vel consilium tradiderunt. Scire potuit ipse Rex, quemadmodùm narraverunt Patres nostri de Johanne XXII. qui cùm sensisset aliter, de visione beata, quàm habebat recta Fides, Rex Franciæ Philippus convocavit apud nemus Vincennarum Magistros Theologiæ Facultatis, inter quos fuerunt, *de Lira*, & *Durandus*.

Peti-

* *Locus corruptus.*

Petivit ab eis quid sentirent : & cognito per eos opinionem Domini Papæ erroneam esse , subintulit : *Et si velit*, inquit *pertinax remanere contra deliberationem vestram* , *quod nolit Deus* , *tradam ligna nemoris hujus*, *ad exterminationem ejus*, *si non in Avione* ┼ *satis erunt.* Consonum * satis illud est, de reputatione Theologiæ Facultatis , quòd non facilè erret in iis quæ sunt Fidei. Unum facit dictum nuper per Dominum Papam, Johannem XXII. sicut fideles retulerunt.

Nam cum dicerent ei quidam Mendicantes. *Ecce, Beatissime Pater*, *Parisienses erraverunt in facto reprobationis Bullæ nostræ.* *Si erraverunt* , inquit Papa subridens, *me cum talibus errare dimitte.* Notans absurditatem & improbabilitatem, ne dicamus impossibilitatem verbi Mendicantium.

A

Liceat tandem ex præmissis concludere, quòd præstans scienter impedimentum, commissivè, vel omissivè, consilio, vel auxilio, ne Dux Burgundiæ recognoscat publicè & absolutè quòd peccavit , & erravit in Fide & bonis moribus, justificando, aut justificari faciendo notoriè & scandalosè interfectionem Ludovici quondam Ducis Aurelianensis , & circunstantias necis illius omnes : talis est inimicus mortalis dicti Ducis Burgundiæ & salutis suæ, & peccat adeò graviter , quòd si in hoc sit pertinax, condemnandus est, ut fautor hæreticæ pravitatis.

B

Redditurus est insuper rationem de omnibus damnis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus inde provenientibus, vel venturis.

Recogitet idcircò quilibet, sive Prælatus, sive Doctor, aut alius , quemadmodùm dissimulaverit in hac materia, vel dissimulabit, favore, vel timore, vel negligentia, pro ut quilibet scit, aut scire debet; qualiter obligatur ad correctionem fraternam, seu doctrinalem, aut judicialem ; præcipuè Summus Pontifex, cum sacro Cardinalium Collegio, aut etiam Generali Concilio, attento, sicut dictum est, quòd *Evidentia patrati sceleris*, *clamore non indiget accusantis.*

Additum est in relatione pro correlario, quòd si Papa, quod absit, deprehenderetur notoriè favere prædictæ justificationi, aut Domini Cardinales; ita esset vehementior & appertior causa depositionis eorum, quàm fuerit in altero contendentium nunc secum de Papatu, vel suorum Anti-Cardinalium.

C

Rursùs, in hac Fidei materia tam expressa & notoria, locum habet illud Christi : *Qui non colligit mecum dispergit.* Luc. XI. 23. Et illud aliud : *Dubius in Fide infidelis est.*

Ampliùs, ex iis patet rationabilitas Edicti Regis, quo vult ut nullus mittatur ad Concilium Generale, qui sit notatus, vel suspectus favere prædictis erroribus.

Quòd si quis opposuerit, dicens : Volo ire ad Concilium : volo libertatem habere dicendi quæ sentio. Esto ; dùm talia dixerit, quæ non sunt expressè determinata per Ecclesiam esse contra Fidem & bonos mores , quemadmodùm est in præmissis, quæ sunt nedùm contra Fidem ; sed contra primas impressiones Juris naturalis , de quibus nullus capax rationis dubitare permittitur , etiam ydiota, vel paganus. Quid de homine Catholico & adulto, qui Judex super homines etiam institutus, censebimus?

D

Compescatur igitur curiositas proterva, quærere volens in scirpo nodum, & attendat illud Comici; *Quod actum est ne agas.* Alioquin magis agendum est cohertionis † facti, quàm ratiocinationibus Juris.

Hoc sciens Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Archiepiscopus Biturienfis, nuper in Concilio Prælatorum Franciæ , dùm illic præsideret, palàm asseruit : *Nos* , inquit, *de Sententia Domini Episcopi Parisiensis*, *& Inquisitoris*, *quæ condemnat Propositionem Johannis Parvi*, *sicut per Litteras eorum & Regis*, *ac Universitatis sufficienter constitit* , *non idcircò loqui dimisimus qui negligeremus*, *vel dubitaremus* : *sed quia totum quod actum est*, *justum*, *rationabilissimum & verissimum notoriè reputamus*, *& in defensione stamus & stabimus*, *ut Rex mandat*, *& Status nos obligat.* O responsionem tali viro, talique Prælatorum Concilio dignissimam! Concilium Prælatorum Franciæ.

Attendatur demum quòd in examinatione dictæ Propositionis , tanta deliberandi libertas fuit, ut dùm uni Licentiatorum in Theologia deliberanti dixisset unus , & de senioribus Magistris in eadem Facultate. *Nolite sub prætextu vestræ deliberationis hæreses asserere*, *quia pati non possem.* Judices Fidei susceperunt graviter verbum istud , adeò ut ipse Magister hoc sentiens, spontè discesserit à Concilio, nec postmodùm præsentiam suam, dùm alii deliberarent, exhibuit ; quòd etiam Licentiandis in Theologia collata est Licentia à Cancellario Parisiensi, priusquam deliberarent ; quatenùs esset eis animus in deliberando liberior.

Consideratio Quarta.

Pax stabilis , sicut exigit quòd misericordia & veritas obvient sibi invicem, modis prætactis, quia misericordia fovet veritatem ; sic oportet illud quod sequitur impleri : *Justitia & pax osculatæ sunt.* Ps. LXXXIV. 11. Itaque, *Semota justitiâ*, *quid sunt Regna*, inquit Augustinus, *nisi magna latrocinia*? Similiter sine justitia, quid est pax ? Nisi guerra, sub vitiis & erroribus involuta.

Porrò, *Simulata justitia*, *non est justitia*, *sed duplex iniquitas.* Quia *& iniquitas est & simulatio*, teste eodem Augustino.

Dicimus verò justitiam esse simulatam , quando videtur Fides confiteri sub quadam generalitate & conditionibus, quæ ipsis etiam hæreticis communis & familiaris. Re autem ipsa, Fides impugnatur per errores particulares, scandalosos & impios, nec auferri cernuntur, sed foveri.

Hoc dictum sit * ratione protestationis illius quam fecit Dominus Dux Burgundiæ in Ecclesia Cameracensi, hoc Anno, die nona Octobris, quam priùs protinùs, ut audivi factam, priusquam legissem in scriptis, exultavi vehementer. Sic veritas, sciunt & alii plures. Æstimabam enim talem esse protestationem illam, quæ sufficeret ad purgationem prædicti Ducis ; quia personam, in veritate, revereor & diligo, sed erroribus odium debetur, non pax, aut amicitia. Proindè, lecto tenore protestationis, sensi, tristis, aliter esse quàm credidi ; nec purgationem, sed sordidationem esse : juxta illud, de Apocalypsi maledictum : *Qui in sordibus est* , *sordescat adhuc.* Apoc. XXII. 11. Subit animum illud Comici. *Tu in eodem luto hæsitas.* Oportet enim quòd erroris asserti, vel advocati publicè, notoriè, absolutè, determinatè, scandalosè, injuriosè & contumeliosè, sit protestatio , vel detestatio , seu revocatio publica, notoria, absoluta, determinata, ædificatoria, reconciliativa, humilis & satisfactoria ; præsertim ubi tales sunt errores, quorum opposita veritates tenetur assertor explicita Fide , corde credere, & ore confiteri : quemadmodùm est in causa præsenti.

Acclamantes autem quosdam audire mihi videor: Quid iste loquitur pax, pax ; & ecce turbatio, non pax. Turbatur nempe concordia coram Attrebato misericorditer inita, agente hoc clementia Principis Illu-

┼ *Forsan* Avenione. * *Locus corruptus.* † *Locus corruptus. Forsan* coërtionibus.

* *Forsan* sit.

Illustris & heredis Regni, Domini Aquitaniæ: quoniam inter Articulos concordiæ illius, nulla de Fidei veritate, vel de justitiæ, qualis dicta sit, conservatione fit mentio. Objeci mihi metipsi, fateor, hunc scrupulum, adjurans si veritas Fidei, & honor Dei, & æquitas Judicii in errorum depulsione vilipenderetur, aut prorsùs emitteretur: persuadebam id mihi fieri omninò non posse, neque debuisse. Propterea dùm studiosus Articulos ipsos revolverem, oblatus est unus, quo dicitur: Honor Regis maneat illæsus. Et applaudens: satis est, inquam, honor quippe Regis diligit Judicium, & oculi ejus Fidem A respiciunt. Assumpsit sibi jam causam Fidei, Judiciumque ejus sub Edictis publicis, atque patentibus, tanquam causam suam, sicut & verè sua est.

Sit igitur in primis verbum Regis stabile in tota hac Fidei materia necesse est: alioquin nullo pacto manebit illæsus honor Regis, neque coronæ suæ, quæ corona pro gemma pretiosissima, titulum Christianissimi Regis præfert.

Denique, si non demus gloriam Deo, quam pro quadam parte sua canentes Angeli dederunt sibi nascenti; timeamus ne pax pars nostra, pax scilicet data hominibus bonæ voluntatis, auferatur à nobis. Gloria verò qualiter dabitur, si Lex ejus, quæ est B veritas, impunè passim, scandalosè conculcetur fordissimis errorum pedibus, nec sublevetur. Nuper idcircò, dùm pro spe pacis initæ peteretur dici, *Te Deum laudamus*; non insolerter respondit unus: sit ita, dummodò verum fiat quod sequitur, *Te Dominum confitemur*. Demus inprimis gloriam & honorem Majestati divinæ & Legi, agamus causam suam, & ipse non deferet nostram. Astringitur tamen hoc agere specialiori vinculo, Dux insignis, Dominus Aurelianensis modernus, si Patris sui, si suam, suæque posterioritatis civilem vitam servare vult, destruendo mortem talis infamiæ, qualis imposita, quæ non minùs odibilis habenda est ipsa morte naturæ: alioquin videat quomodò gratus erit paterno affectui, non reddendo vicem; neque crudelis sibi ipsi, negligendo famam: neque enim in Tractatu cadunt Fides & fama.

Eheu tot bella gesta vidimus! meum non est approbare illa; causa dabatur pro vindicta mortis cor- C poralis: & quid quæso fiet de morte civili, si non provisum sit, in ævum mansura; est autem promissionis iter parvum, patens, pium, sanctum, securum; acceptum Deo & hominibus, sine cæde & sanguine, justum, nec plurimo sumptu egens. Expedivisset planè citiùs hæc facta fuisse; *Sed meliùs est*, juxta quod dicitur, *tardè quàm nunquam*.

Subinde memineritis, Serenissime Rex, quemadmodùm in hoc eodem loco, dùm proponerem aliàs coram Majestate vestra; suadebam quatenùs provideret eadem Majestas de bono consilio, ne dissiparetur Regnum, aut mutaretur Dominium, quod nunquam nos videre contingat. Conati sunt aliqui tùm indignationem vestram, quæ, dicente Sapiente, *mors est*, aduersùm me suscitare: sed veritas super omnia vincens, & filia vestra Universitas mecum obstiterunt. Nihilominùs post, illa tempora quæ D contigerunt, nos mæstissimè vidimus; talia quippè fuerunt, quibus nisi Deus, & nihilominùs de sanguine vestro, aliorumque vestræ Dominationi fidelium sedulitas providissent; vix hodie una, per totum Regnum, civitas in obedientia debita perstitisset.

Postremò, ne quis ad inimicitiam, vel læsionem Domini Ducis Burgundiæ, ea quæ diximus, & quærimus*, affirmo constanter quòd idem Dominus, vel in vita hac, vel post vitam sentiet & recognoscet quàm utiliter sibi deservimus, suæque saluti & posteritati suæ, mei similes, & ego. Recognoscat utinam in vita, ad salvationem, ne post vitam sentire cogatur ad damnationem æternam: & posteritas sua ad exheredationem. Credat, quæso, credat Judicibus, & Concilio Fidei, quos nec falli posse, nec fallere velle, probabile est, in tam clara sanctaque Fidei materia.

Habeant, oro, grandius auctoritatis pondus consilia prænominatorum saluberrima, quàm adulationes, fabulationes & deceptiones hujusmodi ignorantium; quorum aliqui plus de occisione animalium vel hominum, quàm de Religione cogitant & curant. Neque enim per nos quæritur ejusdem Ducis punitio, vel infamatio aut exheredatio; quemadmodùm quilibet in Concilio Fidei deliberans protestabatur; sed procuratur ejusdem absolutio, salvatio, & reconciliatio stabilis apud Deum & homines. Quod aliter fieri non posse demonstramus, nisi concurrant quatuor virtutes; misericordia præveniens; veritas erudiens; justitia satisfaciens, & pax reconcilians: quas oculo mentali respicimus assistere comites Regi nostro, dùm devoti proclamamus & clamamus: *Ecce Rex benedictus*: ipse qui ad nos præsentialiter modò venit in nomine Domini. Et nos cum eo benedicat Rex Regum, Jesus Christus, in æternum.

LITTERÆ PATENTES REGIS,

Quibus damnatur Propositio Joannis Parvi. *Quilibet tyrannus, &c.*

Carolus, *Dei gratiâ Francorum Rex.*

Universis præsentes Litteras inspecturis. 1414. xxvii. Decemb.
Gratia vobis & pax in eo cujus oculi Fidem respiciunt, sine qua placere ei nemo potest.

Regia Majestas nostra quantis ad respectum, honorem & zelum Fidei stimulis urgeatur, paucis primùm aperiemus: de hinc rem ipsam sub compendio tradentes, finem in explicatione intentionis nostræ, & in exhortatione faciemus.

Francorum tradunt Historiæ, Annalesque prædecessorum nostrorum gesta describunt, quòd dùm inclytissimus, ac victoriosissimus Rex Clodovæus, de tenebris infidelitatis ad Christianæ Religionis admirabile lumen, Deo trahente, venisset; dùmque post Baptisma susceptum, protinùs sacro liquore, per columbæ speciem, in vasculo visibili, cœlitùs allato, Beatissimus eum Remigius consecrasset in Christum Dominum*; mox idem Præsul, Spiritu sancto plenus, prophetica voce nunciavit: beatum fore Regnum Franciæ, feliciterque duraturum, si Fides in eo Catholica persisteret; Fidem nempe justitia, Regnorum quædam vitæ comes, non deserit, quoniam *Justus ex Fide vivit*. Hebr. x. 38.

Hujus vocis ex cœlo tonantis, Clodovæus, suaque Regalis posteritas non immemor; sed eam retinens alta mente repostam, vigilantissimo hactenùs studio Fidem excoluit, protexit & erexit: debellavit ubilibet hæreses, cum suis actoribus, contrivit errores impios, quibus se nunquam sustinuit infici. Hinc est elogium: *Sola Gallia monstra non habuit*.

Porrò quid aliud est? quòd prædecessores nostri, poten-

* Hic aliquid desideratur.

* *Forsan* Domini.

potentissimus inter ceteros, Carolus Magnus, incomparabilis Rex & invictissimus Imperator, dedicaverunt celeberrimum in urbe Regia Parisiensi Studium Litterarum, velut alterum Troyæ, & Athenis Palladium; velut prætereà fontem illum non Parnassi, sed Paradisi, qui quatuor Facultatibus, quasi totidem fluviis intelligibilibus rigat universam superficiem terræ; cum irrigatione germinant & adolescunt pulcherrimæ salubrium doctrinarum plantulæ, de quarum suavissimo fructu satiatur terra.

Illic cernere est præcipuè flumen quartum Theologicæ Facultatis, cujus impetus lætificat civitatem Dei, vomens aquas sapientiæ salutariis salientis in vitam æternam, secùs quarum decursus aquarum, plantatum est lignum Fidei saluberrimæ, quæ inde gignitur, nutritur, deffenditur, roboratur.

Rectè quidem hæc facta sunt; nam cum oporteat Regem copulare sibi, Salomonis exemplo, sapientiam in sponsam, & sororem, cujus sapientiæ vox est, *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt*; Proverb. VIII. 15. Cùm rursùs, jubente Domino, Rex qui sedet in solio Judicii descriptum habere debeat Deuteronomium Legis, & à Sacerdotibus exemplar sumere, ut non surrepat vitiosa per errores depravatio, & ut in eo legens assiduè Rex sapiens sit, & veritas non * custodiat. Quid præclarius in Regno nostro, quidve divinius potuit à Christianissimis Progenitoribus nostris institui? Quid à nobis, nostrisque posteris studiosius convenit observari, quàm ut abundet idem Regnum nostrum viris, quos erudierit Dominus, & de Lege sua docuerit: qui parati sunt omni poscenti reddere rationem de ea quæ in ipsis est Fide & Spe. Ita nimirùm fit, ut & sapientia quæ desursum est, & penes nos exuberet, & Fides quæ Regna vincit, quæ justitiam operatur, quæ adipiscitur repromissiones.

Datur proinde Sacerdotibus nostris sapientia & intellectus. Ad quid ista? Sanè ut rectum & solidum ferre Judicium noscant, si quid in Fide vel ambiguum, vel devium surrexerit, vel quod sit Legis Deuteronomii corruptivum: sic enim jussit Dominus ad eos habere recursum. Sic prætereà procul exturbari potest quidquid doctrinæ salutari molitur adversum pestilens improbitas hæreticorum, vel errantium: neque enim minus est Fidem servare jam positam, quàm plantare; Fide quidem delabente, surgeret oppugnatrix ejus infidelitas, monstrum horrendum, ingens, quod Regnum subverteret à Fide derelictum.

Talem à nobis, ô salutifer Christe, pestem averte.

At verò quæsieris: Cur hæc tam alto sunt orsa principio? Planè fatebimur imprimis, jocundum nobis, nec ingratum esse, in istorum consideratione versari, quæ contulit Deus; simulque volumus ostendere quantùm sit authoritas, pondus & robur præstandum in his quæ veritatis Catholicæ declarationem & elucidationem respiciunt, quando dicatur; aliqua per tales quales prolocuti sumus de ipsius approbatione sententia *, quoniam eos in omni sanctarum Litterarum eruditione præcipuos esse constat, quos vel fallere, vel falli posse nemo facile judicaverit. Cognoverunt hoc diversæ per Orbem Nationes universales, & Regna; cognovit etiam ipsa quandoque Romana Sedes, dùm olim & nuper, si quid apud eos ambiguum in doctrina Christianæ Religionis obtigerat, certitudinem ab ipso Concilio Fidei Parisiis existente postulare nec puduit, nec piguit.

Consequenter, ut transeamus vetera, & aperiatur intentio nostra præsens, perspicuum fieri voluimus ex præmissis, quanto cum assensu omnium suscipienda sit illa judicialis Sententia, quam nuper ad exhortationem nostram, coassumpto Inquisitore pravitatis hæreticæ, & Concilio Fidei solemnissimè convocato, sæpè & multùm rem ipsam examinante, tulit dilectus & fidelis Consiliarius noster Episcopus Parisiensis, adversùs hæreses pestiferas jam jamque erumpentes, jam ipsum nostrum † ad divisionem, & ad eam quæ consequitur desolationem præparantes. Jam demùm Legis divinæ Deuteronomium, quod aspicere continua meditatione nos convenit, perniciosa mendositate violare conantes: ita prorsùs exurgere debuit ipse Pastor & Præsul, tali suffultus celeberrimo Fidei Concilio, ubi de tot Magistris in Theologia, ac Licentiatis, qui Parisiis, ut assolet, aderant, nullus omissus est, qui non quod vellet haberet fas liberè, vel dicere verbo, vel scriptis tradere.

Sic profectò, sic Præsul ipse, speculator datus & adjutus, cernere potuit quemadmodùm vineam Dominicam exterminaret aper de sylva, & singularis ferus depasceretur eam. Audiebat illud de Canticis: *Capite nobis vulpeculas parvulas, quæ demoliuntur vineas*, Cant. II. 15.

Urgebat subinde formidanda jussio multiplex & aperta Legum pœnalium, quas contra desides, ad extirpationes hæresum, hæreticorumque divina simul & humana promulgavit authoritas.

Nos propterea Sententiam ipsam jussimus sub Edicto publico per universum Regnum nostrum validam observari, & exequi, scribente ad hoc ipsum charissima filia nostra Universitate Parisiensi: quæ Setentia damnat Propositionem scandalosissimam, cui titulum actor imposuit: *Hæc est*, inquit *Justificatio Ducis Burgundiæ*. Justificatio videlicet super interfectione crudelissima unici fratris nostri, Ducis Aurelianensis, cui propitietur Deus, vocemque sanguinis ejus clamantem exaudiat.

Ecce quòd hæc Propositio suum in tituli fronte Judicium portat, suam maledictionem. *Væ*, inquit Propheta, *qui justificatis impium pro muneribus*. Isaïæ. V. 23.

Asserit illic Joannes Parvi, alligatum se tot muneribus præstitis & speratis à Domino suo, qui ei jubenti præstare linguam suam, obniti nequiverit, nolens Propositionis actor videri, sed probator.

Nullus idcircò rectè mirabitur, si præfatam Sententiam, Justificationis hujus necis & sceleris damnativam, decrevimus manutenere, deffendique facere, viis omnibus accommodis, veluti causam propriam, sicut quâ Regiæ Majestatis nostræ decus, tanquam prætereà causam Fidei; quemadmodùm sufficientissima nos informatio docuit hanc esse Fidei causam, cujus nos Fidei protectores divina dignatio posuit, & ad hoc cogunt Leges; ad hoc præclara prædecessorum exempla vehementer accendunt. Attendimus ultra, sicut Summo Pontifici, & sacro Cardinalium Collegio scripsisse jam meminimus, & sicut operum vox luctuosa propalare non desinit, quòd à reproba Propositione illa, velut ab origine venenata, latius eruperunt horribiles in Regno nostro seditiones & bella plusquam civilia, prædationes ubique & clades imminere, & plurima mortis imago. Negabatur Baptisma parvulis; Oratio viatoribus; Confessio morientibus; Eleemosyna fame pereuntibus; Sepultura etiam prophana defunctis: nulla ætas secura fuit, nullus sexus, nulla cognatio, nullus sacer locus; sed ubique heu! fera regnavit Erynnis, quasi terrificè boans.

Vos patriæ validas in viscera vertite vires.

Porrò nundùm plenè cessavit quassatio, nec procellosus armorum & tempestatum quievit æstus.

Det tandem aliquando tranquillitatis portum, qui ven-

* *Forsan* eum. * *locus corruptus.*

† *Videtur desiderari* Regnum.

ventis & mari imperat, reducat pulchram pacem, qui sororem ejus veritatem jam in lucem eduxit: & qualiter eduxit? Hoc factum est, dùm prædicta Propositio nefanda, post exactissimam * comperta est secum includere plures errores funestos explicitè contra Fidem, & moralem divinorum Præceptorum doctrinam, mentibus humanis naturaliter inscriptam. Hæc dominationem omnem temporalem, simul & spiritualem nequiter evertit; hæc vias patenter aperit seditionibus popularibus, A perjuriis, rebellionibus, odiis implacabilibus, tumultuationibus ignobilium contra nobiles; imò ordine confuso, nobilium ad invicem, similiter ignobilium. Conspicitur deformis illa Reipublicæ facies, qualem deplorabat Apostolus, schisma detestans illorum dicentium: *Ego Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.* 1. Cor. 1. 12.

Prætereà, quid quòd dicta Propositio laudat fieri neces subitas, & viles nobilium etiam personarum, per sicarios pretio conductos, quales Generalis Concilii Sanctio tantùm damnat; per excogitatas insuper insidias, nulla diffidatione prævia, per blandimenta subdola, per confœderationes juramentis terribilibus publicè firmatas; relicto tandem penitùs omni ordine judiciario, vel Superioris Edicto: & audet nihilominùs hæc execranda Propositio impudenter asserere, tale facinus immanissimum, fieri secundùm Jus omne, divinum, naturale & humanum. Audet contra sententiantes insectari, tanquam nostros & Reipublicæ capitales inimicos, adeò quidem, ut conclusivè determinet, nos oportere mæstissimam illam & atrocissimam charissimi & unici germani nostri necem, vilem & subitam, approbare; nos debere prorsùs actorem divitiis, opibus & honoribus augere familiariùs, quasi fuerit alter Michaël & Phinées: denique publicis itaque * gentium collaudatoriis illum Litteris efferre nos debere concludit; proh nephas, æquissime rerum arbiter Christe! quasi videlicet Regia nobis à te potestas desuper data sit, non in vindictam malefactorum, sed in laudem, præmium & honorem, & qualium, heu! malefactorum. Quis illa dinumeret, quis satis inculpet & damnet? Subindè, quid injustiùs justificatione criminis, & talis criminis, in quo quid laudemus quid remuneremus perpendit.

Numquid actorem laudabimus? Sed in eo defuit judicialis authoritas, & Regiam nostram spernens, invalidamque prædicans & enormiter lædens usurpavit, tot abutens beneficiis, tot necessitudinibus, quibus Majestati etiam pro ipso jactante tenetur obnoxius. Numquid ministros laudabimus? Sed eorum impietate, proditione, vecordia, crudelitate, sævitia, cupiditate nihil execrabilius, fœdius, tetrius excogitari potest. Numquid facti modum laudabimus? Sed hic per præmeditatas diù insidias, per confœderationum plurium simulationes, per blanda mille amicitiarum signa fallacia, ad subitum fraterni, Regiique sanguinis exitum, tamquam de bestia processum est: & hoc horâ tenebrarum, & in tali civitate, ubi securitas plebeis D etiam & advenis esse debuerat. Numquid operis rationem & causas laudabimus? Atqui nihil ibi probabile priùs, nihil posteriùs inductum est pro testimonio quod tali notorietate constet, qualem, secundùm Leges, divinas & civiles necesse est, ubi vilissimus etiam homo vitâ privatur. Qualis Nempe est Lex? quæ non præmonitum, non auditum, non convictum morte damnaverit, sicut à Nicodemo & Paulo notatum est? Numquid tandem facinoris hujus eventum laudabimus & remuneratione donabimus; Sed obindè florentissimum istud pridem Regnum nostrum, jam per septennium tot calamitatibus nefandis attritum est, tantum in eo sanguinis humani fusum fuit, ut æstimationem omnem effugiat. Sed ipsam forte Justificationem laudabimus? Istic autem, sicut edocti sumus, suspecta vehementer de hæresi pertinacitas, nec apparens adhuc sufficiens corrigibilitas invenitur. Quo pacto? Sic manet quippè scandalum in Fide multipliciter datum verbis, operibus & scriptis; manet inscripta tenaciter infamiæ sordidissimæ, indignissimæque nota, quæ non minus odibilis est ipsa morte; naturæ manet jactura, Reipublicæ & personis inflicta supra numerum; manet utique, nec tolli cernitur, sed favere. Quare? Quondam * illis ad quos spectat, tàm authoritativè quàm doctrinaliter tradere Legem Dei, scandala nescientem, nedùm non creditur, sed contumelia palàm irrogatur: neque Edictis suis, neque nostris obedientia præstatur; ubi tamen veritas est tam explorata dijudicataque, cui nullus capax rationis naturalis, etiam ethnicus, aut paganus obviare deberet.

Opponet aliquis, & dicet: Ecce totiens Tractatus pacis compositi sunt, indulta sunt omnia: post hæc præteritarum injuriarum meminisse, quid nisi malorum est? Responsum habeat quisquis hoc dixerit. Cessaret utinam scandalorum violenta continuatio nobis ac Reipublicæ præjudicantium, & nos ab eorum rememoratione, non inviti, cessaremus: non horrescit referens animum ‡, sed cicatrix malè B sana dum redit, in vulnus aperiatur oportet; & urget ingratitudo. Quamquam jam damnata repetere †. Quale rursùs illud est, pacem verbis; operibus bellum gerere, ac corde loqui? Operibus credere jubet Christus, mentiri quippe nesciunt, verbis autem rara fides; ideò, quia mendaces faciunt ut vera dicentibus non credatur. Et quid? ubi perjurium docetur, authorisatur, approbatur; mirabile, magis verò miserabile dictu: ita tamen est. Retorqueamus enim oculos ad prænominatam Justificationem, & quid pro veritate tradit regula videbimus. At enim sub hæc forma.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit, si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut suorum libero- C *rum, ipse de nullo tenetur eas observare: hoc probatur,* inquit, *ex ordine charitatis, quo quis plùs tenetur se ipsum diligere uxorem & liberos, quàm alterum.*

Animadvertite quantam ad perjurium fenestram aperit hæc Assertio. Ite nunc, & cum sectatoribus doctrinæ talis confœderationes ratas & stabiles expectate. Sed & probatio sua, dùm ordinem prætendit charitatis, ipsum perversiùs evertit. Nonne præstantior est anima corpore, & Fides auro. Sic Regulus sentit: sic Fabritus; sic antecessores nostri, beatus Ludovicus & Joannes, aliique sine numero, qui cum grandi & certo sui, suorumque præjudicio, juramenta servarunt. Prospiciebant clarissimi viri jusjurandum non repugnans animæ saluti, sit licèt damnosum rebus, aut corpori, sit initum cum hostibus, non esse violandum: aloquin tota radicitùs humanæ societatis civilitas periret.

Ceterùm, quo magis elucescant ea quæ diximus, utque virus læthiferum, quod sparsim injustissima hæc Justificatio, sub involucro rationum & allegationum interclusum tenet, se prodat, collectumque foris erumpat, quia latet anguis in herba: inferamus hîc Assertionem unam pro parte charissimæ filiæ nostræ Universitatis Parisiensis, nobis aliàs cum sua reprobatione per eam approbata & avoata propositam; quæ Assertio inventa est sufficienter elicita fuisse a dicta Propositione damnata, quam ‡ publica relatione solemnium Magistrorum in Theologia commissorum per Judices, & Concilium Fidei super examina-

* *Desiderari videtur* inquisitionem, † ubique.

* Quoniam. ‡ *Forsan*, nam horrescit referens animus. † *Locus corruptus.* ‡ *Locus corruptus.*

minatione ejusdem Propositionis, prout etiam ipse Dux Burgundiæ petivit fieri, facta est certa Fides.

Præsupposito igitur quid per tyrannum justificans intelligit.

Tyrannus, inquit, *ille est qui in Republica non rectè principatur, aut principari conatur.*

Audiant universi, audi cœlum, & auribus percipe terra, quid hæc Assertio monstri contineat.

Quilibet tyrannus potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum; A *etiam per insidias & blanditias, vel adulationes: non obstante quocunque juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectatâ Sententiâ, vel Mandato Judicis cujuscumque.*

Quis Assertionem, hanc ô verax Deus! non, protinùs auditam, quis non eam illicò scandalosissimam & seditiosissimam, absque ulla dubitatione dijudicet? Pronum quidem est, non insolitum subditis, notam tyrannidis Superioribus ascribere, habere eam veluti compertam atque notoriam, nec egentem testibus, aut Judice: consequens erit ergo, secundùm doctrinam hanc, imò debitum cuilibet, Jure suo, neces Superiorum vilissimas & subitas exercere. Laudabuntur insuper actores, sicut viri fortes, & amatores libertatis; ipsis quoque plausibiliter & certatim vulgus insolens & ad novitates noxias semper arrectum congratulabitur; cupidè, B miserèque serviet: quo nihil potest seditiosius & insulcius, nihil infelicius & confusibilius inveniri. Nec tamen tale fieri nedùm legimus ex historiis, sed ipsi vidimus oculis, & ingeminus. O mores! ô tempora! Siccine spernitur tua, Petre, jussio, *Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* 1. Pet. II. 18. Sed neque subditis oportuerat per spiritum erroris & doctrinæ Dæmoniorum, prænotatam profundiùs in hanc vastam insaniarum falsarum & seditionum voraginem demergere, unde vix emergant. Exposita quippè fuit venditioni pubicæ viperea doctrina hæc . . . . . quoque ad tegendum, suggendumque * tradita est.

Verum quisquis adest habens zelum Dei & proximi, qui prætereà conservationem Fidei salubriumque Præceptorum; qui salutem animarum; qui Reipublicæ tranquillitatem; qui dominationis cujuslibet spiritualis, vel temporalis à Deo constitutæ decus, C & robur exoptat; exsurgat petimus, agat viriliter; præcipuè Judex Ecclesiaticus, constans sit ad deturbandum funditùs ab omnium hominum terminis & cordibus detestandam hanc Propositionem, cum suis erroribus omne confundentibus, fasque nefasque. Quos errores esse impios, quis post admonitionem, vel negat, vel dubitat? Homo præsertim Judex constitutus, quomodò fidelis est, qualiter ostendit se paratum corrigi, quomodò vult Ecclesiam audire, quæ veritates oppositas his erroribus jubet explicata Fide teneri? *Non occides*, inquit, *Non perjurabis*, & ita de reliquis moralibus Præceptis. Sit nobis hîc cum Apostolo fas dicere. *Si quis aliud evangelisaverit, etiam Angelus de cœlo, anathema sit*, Galat. I. 9. Nam, per Dei atque hominum fidem! si *juramentum* sanctissimum, quod est *omnis controversiæ finis.* Heb. VI. 16. ac præcipuum humanæ societatis vinculum, nihili pendere licuerit, dùm cavetur aliquod sibi, vel suis præju- D dicium; si cuilibet in causa necis alterius non diffidati, non moniti, non auditi, non convicti sibi Jus dicere fas fuerit; si fictis proinde blanditiis, ac insidiis subitis cum blanditione corporis, & ut in se est, animæ, per sicarios pretio conductos, abuti concessum sit? Quid in divinis & humanis rebus tutum, quid ratione constans superesse videbimus? Quamobrem nemo non videt quàm justa certissimaque ratione prohibuerimus, sub Edictis publicis, anathematisatam hanc Propositionem ab omnibus finibus nostri Regni, eamque ab ipso terrarum Orbe quaquaversùm exturbari suademus, denuntiamus, imploramus demùm diem zelus noster accusamus*, sed *Evidentia patrati facinoris clamore non indiget accusantis.*

Eia nunc tempus faciendi, dùm sedent Judices in Judicio, dùm collectum est Generale Concilium. His tandem animadversis, & aliis quamplurimis in Fidei processu sermone latiori descriptis, compulit Regiam Majestatem nostram ratio multiplex, ultra jam apertas, hæc in communem omnium notitiam deducere recogitamus. Itaque quid egregius Rex & Propheta eregit † in morte Abner, quam subdola proditione Joab intulerat, in ultionem sanguinis fratris sui Azael, &, ut Josephus scribit, propter ambitionem, timens ne David eum militiæ Principem ordinaret. O fallacissima nimis & cæca semper ambitio! Fingebat se Joab infandum scelus hoc in obsequium David Regis, cujus amantissimus fieri volebat, perpetrasse: sed cùm audisset David sapientissimus rem gestam, ait: *Mundus ego sum, & Regnum meum apud Deum, usque in sempiternum, à sanguine Abner filii Ner; & veniat super caput Joab*, 2. Reg. III. 28. sequitur: *Retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam.* III. 39.

Tali nos obtestatione purgamus, super truculenta nece charissimi & unici germani nostri, quem pro nostro, Regnique nostri bono non puduit actorem asserere, ab ipso jussam esse, nosque eam approbare debuisse contendit: sed obnitimur, profectò obnitimur; nosque exemplo David, tam execrandi facinoris, neque conscios fuisse, neque approbatores esse firmamus.

Quia tamen apud nos misericordia superexaltat Judicium; voluit clementia nostra pluries ad reconciliationem & pacem intendere jam efficaciter, utinamque benigniter; sed plerosque abutentes clementiâ Regum scripsit Assuerus inveniri.

At verò potuerat obindè fortassis ex his confœderationis existimatio quorumdam falli, quasi nos aliquid vel in favorem criminis, vel in præjudicium, seu læsionem Catholicæ veritatis conari, vel agi cogitavimus. Quocircà proclamamus cum Apostolo, quòd nihil possumus adversùs veritatem; nec certè volumus, nec, Deo propitante, volemus, sit licèt ipse Dux Burgundiæ caro & sanguis noster, sit mille modis astrictus nobis; neque sibi tamen, neque propriis etiam liberis favere noster esset animus, ubi dispendium Fidei, vel pernities sequeretur animarum. Scimus jussisse Christum non amandos esse filios, uxorem, aut fratres, plusquam se. Hinc eum dixisse credimus: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Matth. X. 34. & *Inimici hominis domestici ejus.* ℣. 36. Proinde Moyses, omnium mansuetissimus, quanta severitate tàm operum quàm Legum divinarum usus sit zelo conservandæ Legis; ipsi denique Martyres omnes, quanta pro Fide passi sunt tormenta, satis instructi sumus. Nulla igitur ratione, nullo sanguinis, vel fœderis aspectu, pacem, erroribus impiis & scandalosis nostra possit ostendere ‡ devotio, eo quòd expedit aliquando quosdam in interitum carnis tradi, ut spiritus salvus fiat, Utque ceteris exemplum sint, & salus: quidque Jonas dixit: *Tollite me, & mittite me in mare*, Jon. I. 12. Sic actum est, & cessavit tempestas. Dedit Achor gloriam Deo, lapidibus obrutus est, & ab Israël indignatio fugit Dei. Transfossus est Absalon pendens, & Regnum Juda velut invito David, paci redditum est. Interemit Salomon, jussu Patris, præfatum Joab, qui fuderat sanguinem belli in pace, causam finalem necis hujus fuisse pacem Regni dat Salomon intelligi, dum ait: *David autem & semini ejus, &* do-

* *Locus corruptus.*

* *Locus corruptus.* † *Forsan* egerit. ‡ offendere.

domui & throno illius sit pax in æternum, 3. Reg. II. 33.

Denique, terminum facientes, in exhortatione populi postulamus à Domino, tandem erroribus occurrat; omnes in unitatem Fidei cogat, nemo sibi blandiatur de sublimi potestate; nemo de impunitate confidat, se seducens, quasi prosperum scelus, dicente Tragico, virtus habeatur.

Itaque non irridetur, qui pusillum & magnum fecit Deus; veniet hora, veniet, neque longè abest quando *Potentes potenter tormenta patientur*, Sap. VI. 7. quibus nihil profuerit, obfuerit potiùs, effugisse momentaneam punitionem, vel confusionem apud stultos in sæculo, dum detinetur justitia Dei in mendacio: quæritur autem fieri sub velo quodam vel deffensionis improbæ, vel justificationis simulatæ, quæ duplex est iniquitas. Qualis nempe justitia? Quando perseverant scandala præstita, nec aufferri, sed foveri cernuntur. Neque enim placere potest fictus Deo, qui nec offendicula sua, sicut nec Salomon, idola tollere satagit; nec damna quo ad potest restituit, nec ore Confessionem Fidei facere vult salutarem.

Væ, væ, quærentibus gloriam propriam & vanam; qualis fuit Saül post peccatum: quales illi quos arguit Christus: *Quomodò potestis credere, qui gloriam ab invicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non quæritis?* Joan. V. 44. Planè nobis ita traditum est: effrenis libido gloriæ propriæ usque ad contemptum divinæ, parturiit in Ecclesia Dei deformissimos & infaustos errorum fœtus, ab eadem Matre conceptos, quæ radix malorum est. Hoc de prioribus hæreticis per Historias; de modernis verò per experientias, in diversis Regionibus & Regnis, non sine gravi dolore, sentimus. Sed alacriter ad exterminationem portentorum hujusmodi, ne vincant, nos Progenitorum nostrorum exempla secuti; nos in Domino fisi; nos de Summi Pontificis, & omnium in commune orthodoxorum judiciis, consiliisque benè creduli, totam devotionis nostræ sedulitatem, zelum, potestatem offerimus. Faveat piis desideriorum conatibus Christus, qui pro Petro rogavit, ut non deficeret Fides sua; & nostra quæ sua est, nunquam Fides deficiat, & ex operibus se ostendat: *Quoniam hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra*, I. Joan. V. 4.

Datum in villa nostra Parisiensi, vigesima septima die Decembris. Anno Domini 1414. Regni verò nostri trigesima quinta.

Sur le reply, PER REGEM, *in suo magno Consilio*. MAUREGART. *Et est scellé de cire jaune.*

SECUNDÆ PARTIS FINIS.



JOAN-

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

OPERUM

TOMI V

PARS TERTIA.

Continens

ACTA IN CONCILIO CONSTANTIENSI,

Circa Damnationem Propositionum

JOANNIS PARVI.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI V

PARS III.

INSTRUCTIONES LEGATORUM CAROLI VI REGIS FRANCORUM,

Datæ Legatis suis,

AD

Cod. 2538. fol. 122. verso.

CONCILIUM CONSTANTIENSE:

Circa negotium novem Assertionum Joannis Parvi.



1415. XIII. Martii. UMPTUM ex Instructionibus Serenissimi Domini nostri Regis Franciæ, XIII. Martii, in civitate Constantiensi apportatis, per Magistrum Jordanum Morini, & Guillel- A mum Pulchrinepotis, præsente Domino Episcopo Carcassonensi; Magistris Guillelmo prædicto, & Petro de Versailles, se gerentibus pro Ambassiatoribus præfati Domini nostri Regis.

Et pro parte Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, Archiepiscopis Bisuntino, & Viennensi, Episcopo Attrebatensi, Vicedomino Remensi, & Elemosynario præfati Domini Ducis, se gerentibus pro Ambassiatoribus ejusdem Domini Ducis.

Item, dicti Magistri, Jordanus, & Guillielmus, dicent Ambassiatoribus prædictis, quòd Rex B ad requestam Domini Ducis Brabantiæ, & aliorum de sua comitiva, quòd Dominus Rex ordinavit, vult, & eis mandat, quòd in facto condemnationis Propositionis Magistri Joannis Parvi, non se faciant partem, nec faciant prosecutionem ex parte Regis, in petendo; proviso quòd similiter mandetur per dictum Dominum Burgundiæ suis Ambassiatoribus existentibus in dicto loco Constantiæ, & quòd faciant similiter: quamvis sit voluntas, & ordinatio Regis, quòd ipsi de- C fenderent dictam condemnationem, si materia esset mota ex alia parte, & videatur esse expediens; & similiter responsa super hoc facta poterunt communicari dicto Imperatori & alibi.

Datum Parisius, per Regem, in suo Consilio XIII. die Martis. Anni millessimi quadringentesimi quarti * decimi. Et sunt signatæ dictæ Instructiones isto modo. CHARLES. *Par le Roy, en son Conseil.* Maliere. G. Beaunieps.

Hæc clausula translata est de Gallico in Latinum, & Gallicum extractum est signatum manu propria G. Pulcrinepotis, apud Ambassiatores dicti Domini Ducis.

Sumptum ex quibusdam Litteris præfati Domini Ducis, scriptis suis Ambassiatoribus XIV. Martis. Anni prædicti. 1415. XIV. Martii.

Frater noster Dux Brabantiæ, & nostri alii Ambassiatores Parisius existentes, nobis notificaverunt quòd fuit conclusum in Consilio Domini mei Regis, quòd scribat suis Ambassiatoribus qui sunt in Constantia, quòd ipsi non faciant aliquam mentionem de materia Propositionis Magistris Joannis Parvi, nec se faciant partem; proviso quòd nec de nostra parte faciamus prosecutionem in petendo.

Et videtur dictis nostris Ambassiatoribus quòd nos debemus facere conformiter & similiter. Tenuimus super hoc nostrum Consilium, per quod conformiter conclusimus; & ideò, in casu quo vos videritis quòd dicti Ambassiatores se abstinerent à loquendo de dicta materia, similiter supersedeatis. Quæ Litteræ erant sic signatæ. BORDES.

De ista clausula habent copiam dicti Domini Episcopus Carcassonensis; Magistri G. Pulcrinepotis & P. de Versailles, sub signato manuali Magistri Petri Cauchon, quæ est translata similiter de Gallico in Latinum.

Y 2 EPIS-

* *Legendum videtur* quinti

EPISTOLA

DUCIS BURGUNDIÆ,

Patribus Concilii Constantiensis: & Acta super ea re in Concilio.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PER hoc præsens publicum Instrumentum, cunctis pateat evidenter quòd Anno à Nativitate Domini millesimo quadringintesimo quintodecimo. Indictione octava. Die verò vicesima sexta Mensis Maii. In domo Fratrum Prædicatorum Constantiensi, Provinciæ Moguntinæ, in
die xxvi. Maii. 1415. Refectorio dictæ domus. Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Joannis, divinâ providentiâ Papæ vicesimi tertii, Anno sexto &c. In congregatione Nationis Gallicanæ, circa horam octavam, post mediam noctem. Reverendus in Christo Pater, Dominus Martinus, Episcopus Atrebatensis; & venerabilis, & circumspectus vir, Magister Petrus Cauchon, Licentiatus in Decretis, Vicedominus Ecclesiæ Remensis, Ambaxiatores Illustrissimi Principis Domini Joannis Ducis Burgundiæ; quasdam Litteras clausas, ex parte dicti Domini Ducis dictæ Nationi sic congregatæ præsentarunt, quas in eadem Congregatione publicè legi petierunt: & incontinenti, in dicta Congregatione publicè lectæ fuerunt.

Quarum quidem Litterarum, Sigilli dicti Domini Ducis impressione ab extrà sigillaturum, & suo signo manuali ab intrà signatarum, ut prima facie apparebat tenor, ab extrà, videlicet in suprascriptione, talis est.

Reverendissimis in Christo Patribus, ac venerabilibus & doctissimis viris Nationis Gallicanæ, in sacro Concilio Constantiæ existentibus, amicis meis præcarissimis.

Ab intrà verò, de verbo ad verbum, tenor sequitur, & est talis.

Reverendissimi Patres in Christo, venerabiles ac doctissimi viri.

„ Per Reverendum Patrem Episcopum Sancti Poncii, & demùm per Venerabilem Patrem Abbatem Sancti Joannis Reomensis Consiliarum meum &c. Similis ferè tenor. „

„ Binas vestrarum circumspectionum Litteras nuper recepi; quæ primò, statum miserabilem Ecclesiæ sacrosanctæ, provenientem ambitione contendentium de Papatu; modos quos tenuit Dominus noster Papa modernus, quibus minimè contentamini; suum recessum à vestro sacro consortio; quibus etiam subterfugiis differt implere quod debet & promisit, pro ipsius unione sanctæ Matris Ecclesiæ, seriosiùs narrant. Et tandem, per ipsas me gratiosissimè rogatis & requiritis, quòd ipsum Dominum nostrum in meis Dominiis nullatenùs receptem vel recipiam: & si jam, temporè receptionis Litterarum foret ibi, taliter eum custodiam, quòd de ipso, pro bono Universalis Ecclesiæ possitis liberè disponere, vel quòd eum statim remittam ad Concilium Generale. Subjungentes quòd Fidem indubiam dare velim præfatis Reverendis Patribus, super michi per eos dicendis, parte vestra. „

„ Quibus lectis, & eorum auditâ credentiâ, vehementer dolui, cùm sperarem unionem optatissimam, ex oblatione sanctissima cessionis Domini nostri nuper facta, celeriter assequendam, quam proth dolor! jam cerno differri. Spem tamen concipio, si vestra sacratissima Synodus à cœptis non desistat, quæ si perseveret, pulsantibus aperiet Deus ostium misericordiæ suæ, ad solatium singulare lamentabiliter divisorum, & ne vaxillet vestra Congregatio sanctissima; A sed per veritatis nucleum, mendaciorum cortice sublata, pascatur; cui, malivolorum relatu, suggestum est, me prædictum Dominum nostrum velle recipere, fovere, & conducere, in præjudicium unionis Ecclesiæ, & contra determinationes Synodi vestræ sacratissimæ. Veritatem rei gestæ, cui sine repulsa mendacii contradicere fas non erit, præsentibus vobis expono. „

„ Post recessum Domini nostri à Constantia, ipse Dominus noster statim misit ad me solemnes Oratores suos, per quos michi mandavit omninò nescienti, quomodò, vel propter quid recesserat, quòd ad hoc Constantiam dimiserat, solùm ut præmissa compleret, in propria persona volens ire Niciam, ad renunciandum, sicut promiserat in cedula sua. Si humiliter, si reverenter ipsos debui recipere, & eis B gratè respondere, quos nuncios sciebam Papæ Patris nostri Sanctissimi, ab Ecclesia pro tali habiti, & tenti, non reprobati, non condemnati, promittentis se velle cedere, & omnia facere quæ forent ad bonum unionis Ecclesiæ, judicent vestræ Paternitates. Insanum quippe credet, ut æstimo, vestrûm quilibet, etiam prudentissimus, Papam qui ad omne bonum benè dispositus crederetur, dicere se nolle recipere, & præsertim sub spe ipsum inducendi ad quælibet meliora. Ea propter eis respondi, quòd ipsum Dominum nostrum animo libenti & jocundo reciperem, sic, ut præfertur, dispositum; & tandiù tractarem honorificè, quandiù persisteret in sua bona voluntate. Si quæ præparatoria facta fuerint, ut securiùs ad Patriam accederet, quorum rumor ad vestras circunspectiones pervenerit, referat, obsecro, ad prima responsa quæ dispositioni Fidem nullo modo possunt adoptari*. Nempe, Reverendissimi Patres, C venerabiles ac doctissimi viri, de veritate gestorum vestris Litteris, & præfatorum Reverendorum Patrum relatione, pleniùs instructus, quibus asseritis recessum præfati Domini nostri clandestinum, scandalosum esse; & si recipiatur à quoquam, per hoc præjudiciari non modicum Ecclesiasticæ unioni, quam totis viribus, & toto posse perquirere vellem: non insanè consilium mutavi, disponens nunquam contra deliberationes vestras, quibus omninò cum ceteris Principibus Catholicis adhærere conclusi, præfatum Dominum nostrum recipere vel receptare: quin imò vobiscum cum præfatis unanimiter laborare, ad extirpationem præsentis pestiferi scismatis, per omnes vias, per vestrum Cœtum sanctissimum advisandas, & concludendas. D Et si quid in contrarium per oblocutores differri contingat, curetis rejicere, precor, ut mendacia: nam nunquam mente concepi primitùs, vel posteà, quod vergere crederem in præjudicium unionis prædictæ, vel conclusionum vestrarum. „

„ Præterea, Reverendissimi Patres, & eruditissimi viri, relatu fide dignorum comperi, per nonnullos homines, paucos magni status, aliquos verò modici, ipsorum complices, & fautores Constantiæ stantes, omnes autem inimicantes michi, quantùm in eis est, honorem meum multipliciter aggravari, & præsertim in „ ma-

* Locus corruptus.

„ materia Fidei Catholicæ, occasione cujusdam „ Propositionis nuper factæ coram Domino meo „ Aquitaniæ Duce, primogenito Domini mei Re- „ gis, & multis Principibus Franciæ, omnisque „ status Regni multitudine numerosa, in qua di- „ cunt multos errores in Fide fore contentos, per „ me, ut mendaciter asserunt, cum suis erroribus „ approbatæ: quibus, precor, nullam adhibeatis cre- „ dentiam; attentis quæ prædicta sunt modis per „ eos tentis, non inverecundis tantùm, sed etiam „ rabidis, de quibus per Ambaxiatores meos vo- A „ biscum stantes potestis, si placet, pleniùs in- „ formari.

„ Considerent, rogo, circunspectiones vestræ, „ quòd licèt immeritus, de Domo gloriosissima „ Franciæ originem duxi, quæ, gratiâ Dei, mon- „ stris hæreticæ pravitatis contaminata nusquam „ fuisse legitur, Patre non solùm Catholico, ve- „ rùm ferventissimo zelatore Fidei progenitus, „ & ardentissimo prosecutore unionis Ecclesiæ fi- „ lio Regis Franciæ, non Theologus, non eru- „ ditus subtilitatibus Fidei, sed firmiter credens „ & confitens simpliciter quæ nobis per Christum, „ per Apostolos, & per sanctam Matrem Eccle- „ siam tradita sunt, utpote Christianus Princeps, „ miles & laïcus, paratus non solùm credere „ quæ sancta Mater decrevit Ecclesia; sed etiam „ tueri & deffendere, manu militari, usque ad „ effusionem proprii sanguinis, & meos subditos B „ ad ea credenda & deffendenda compellere, si „ sit opus. Videant qui sunt delatores, quid mo- „ vet eos dicere quòd approbando Propositionem „ prædictam, errores approbavi quos nunquam „ cognovi, nec scivi, vel intellexi: cum, si qui „ fuerint, meum excesserint intellectum. Si cun- „ cta pensetis, odio dicuntur & insania, non Fi- „ dei zelo; quod satis prohdolor! ostenderunt in „ Francia, dùm eorum quidam vesaniâ ducti, nisi „ sunt sub umbra veritatis Fidei dogmatizare nul- „ lam pacem mecum posse componi, ratione ap- „ probationis prædictæ.

„ Attendant ulteriùs, quæso, vestræ Reveren- „ dissimæ Paternitates, quid in Propositione præ- „ missa demeruerim, si etiam plurimos contineret „ errores, quod negant plurimi; si proferatur illa „ quæ veraciter per Magistrum Joannem Parvi pro- „ lata est; non illa quæ sub suo nomine conficta „ dicitur Parisius per emulos meos, & inimicos, C „ me non vocato, vel dicto Parvi; loco non tu- „ to, taliter qualiter condemnata: nam sola fa- „ cta quibus conclusionem volebam inferri, „ quam querelam dicto Parvi tradideram, qui „ litteratorum more, Majorem factis proposuit „ prælibatis, ex quibus Conclusionem intulit, in „ modum sillogici Argumenti. Si quid de suo, mi- „ chi non cognitum quidem, nec quilibet erudi- „ tus benè percepisset, proposuit per approbatio- „ nem generalem, quid mihi restat impingen- „ dum? quod si mihi constitisset erroneum, nun- „ quam approbassem; quin imò approbantibus qui- „ buscumque restitissem. Ergo repellantur, sup- „ posito, qui tam inverecundè & mendaciter ni- „ tuntur asserere in Fide me quidpiam deliquisse, „ & non solùm repellantur, verùm puniantur per D „ Justitiam Sanctissimi Concilii: qui, & quam- „ vis simulent se nichil directè agere velle contra „ me; hanc tamen habent damnatissimam volun- „ tatem, quia quærunt dicta Propositione dam- „ nata, guerram novam in Regno Franciæ, quod „ avertat Altissimus, perniciosissimè suscitare; „ quam timent fore sopitam. Et me vestra Syno- „ dus sacratissima Catholicum teneat, vestris dif- „ finitionibus factis, & fiendis, ceterorumque „ Sacrorum Conciliorum humiliter adhærentem, „ nec volentem quidquam sustinere quod sit erro- „ neum, vel contrarium sanæ doctrinæ, seu Fi- „ dei orthodoxæ. Et si per approbationem præ- „ missam, sic generaliter factam, veniat, vel in- „ telligatur aliquid approbatum, quod per san- „ ctam Matrem Ecclesiam decerneretur contra- „ rium veritati Fidei Catholicæ, vel sanæ; ve- „ stro Cœtui Sanctissimo notifico, me nunquam in- „ tellexisse, voluisse, vel velle talia approbare, „ & ea, supplico, pro non dictis, vel approbatis „ per vos haberi, quæ corrigenda diffinitionibus „ vestris submitto. Supplico tamen affectuosiùs, „ ut valeo, quòd si quid in hac materia per præ- „ missos, vel alios, coram vestris circunspectioni- „ bus producatur examinandum, cum expressio- „ ne nominis mei, vel dicti Magistri Joannis Par- „ vi, seu aliter quorumcumque; taliter ventile- „ tur & discutiatur, vocatis Ambaxiatoribus meis, „ quòd evidenter vobis constet de Propositioni- „ bus per dictum Parvi veraciter probatis, ita quòd „ aliæ, dictis nominibus, non damnentur per eos „ conficatæ, vel mendaciter assertæ, quibus suf- „ ficeret id habere, quod in dedecus meum re- „ dundare posset, & discordias in hoc Regno se- „ minare; considerans quòd vulgus, alta non sa- „ piens, per malos & astutos faciliter inducitur, „ maximè sub spe boni, presentim Fidei, ad cre- „ dendum quæ per hypocritas & futicios prædi- „ cantur. Quorum nonnulli de prædictis con- „ vincuntur fore similes, qui vestrum gloriosissi- „ mum Cœtum mendaciis voluerunt decipere, plu- „ ries asserentes Regnum Franciæ, perditionis ex- „ positum periculo, si Propositio præmissa non „ damnetur, cuius errores singulares lætaliter in- „ fecerunt; cùm reverà nulla de dicta Propositio- „ ne fieret in Regno vel quasi memoria, nisi præ- „ dicti, suâ malitiâ, in odium mei, & Regni subver- „ sionem, modis tyrannicis, materiam dictæ Propo- „ tionis, nomine meo, & dicti Parvi mendaci- „ ter confictæ, sicut fertur, excitassent. Amba- „ xiatores meos, & servitores vobiscum execu- „ tores & procuratores in meis & suis agendis, velitis „ habere specialiter recommissos, & mecum rescri- „ bere quæque grata. Reverendissimi Patres, ve- „ nerabiles ac doctissimi viri, Christus vos conser- „ vet in vinculo pacis, & caritatis, & taliter la- „ borare concedat, quòd pacem habeamus opta- „ tam in diebus nostris.

„ Scriptum Divioni, die decima quinta Mensis „ Maii. *Die xv. Maii.*

Tenor subscriptionis talis est. „ JOANNES, „ DUX BURGUNDIÆ, COMES FLANDRIÆ, „ ARTHESII ET BURGUNDIÆ, &c. sic si- „ gnati, *Jehan G. le Bois.*

Quibus quidem præsentatione, lectura & publicatione duarum Litterarum, ut supra describitur, factis: venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Gersonno, sacræ Theologiæ Professor, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, Ambassiator, ut dicebat, Serenissimi Christianissimique Principis, Domini Caroli, Dei gratiâ Francorum Regis, & almæ Universitatis Parisiensis, protestatus fuit, & dixit quòd nomine suo proprio, ut privata persona, per tunc, super contentis in prædictis Litteris, petebat & supplicabat fieri & habere Justitiam hujus sacri Generalis Constantiensis Concilii: cui etiam se submittebat; potestate sibi reservata, quòd habita super hac deliberatione, nomine dictorum Regis, & Universitatis, si sibi videatur, illud idem facere possit & valeat. Et incontinenti, venerabilis & Religiosus vir, Magister Petrus de Versailles, sacræ Theologiæ Professor, Ordinis Sancti Benedicti, in dicta Legatione Regia dicti Domini Cancellarii Collega;

lega; etiam nomine suo proprio, & tanquam privata persona, & simili protestatione facta, dicto Domino Cancellario se adjunxit, & dictis per eum adhæsit. Et tunc dictus Dominus Episcopus Atrebatensis, & Magister Petrus Cauchon Ambassiatores, & nomine dicti Ducis Burgundiæ, dixerunt quòd dictam submissionem admittebant, & Justitiam dicti sacri Concilii petebant, A & etiam, nomine dicti Domini sui, se submittebant determinationi prædicti sacri Concili.

De, & super quibus omnibus, & singulis supra dictis, præfati Dominus Cancellarius, & Magister P. de Versailles, & eorum quilibet, petierunt & petunt per me Notarium publicum, ibidem tunc præsentem, infra scriptum, sibi, & eorum cuilibet, fieri atque tradi publicum Instrumentum, seu publica Instrumenta, unum vel plura.

Acta fuerunt hæc, Anno. Indictione. Die. Mense, Pontificatu, & loco prædictis; præsentibus Reverendissimis in Christo Patribus ac Dominis, Dominis Jo. Patriarcha Antiocheno, prædictæ Nationis Præsidente, Reginaldo Remensi... Bisuntinensi & Jo. Viennensi Archiepiscopis, Domino Leone de Roseto, Decano Valentinensi, dictæ Nationis Promotore, cum pluribus aliis Prælatis, Doctoribus, & Magistris, ac notabilibus personis, ibidem pro Natione Gallicana congregatis: B testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Ego vero Michael Bolosonis, de Nantuaco, Lugdunensis Diœcesis, Clericus, authoritate Imperiali Notarius publicus, ac sacri Constantiensis Concilii, pro Natione Gallicana Conscriba: omnibus & singulis supra scriptis, in mei, & testium supra scriptorum, ut præmittitur, præsentia factis, dùm sic agerentur & fierent, unà cum ipsis testibus præsens interfui, eaque fieri vidi & audivi, & de ipsis notam recepi, ex qua hoc præsens publicum Instrumentum, in hanc publicam formam redactum extrahi, & scribi, alterius michi fidelis substituti manu feci, meque manu propria subscripsi, signumque meum, quo in Tabellionatus Officio uti consuevi apposui, requisitusque & rogatus tradidi, in robur & testimonium præmissorum. Bolosonis. *Ainsi signé avec paraphe authentique au costé.* C

Collationné sur l'Original en parchemin, conservé dans les Archives des RR. PP. Celestins d'Avignon, par moy A. Bazin Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.

ACTA
IN
CONCILIO CONSTANTIENSI
Circa Litteras
DUCIS BURGUNDIÆ, D
Quibus infamat
LUDOVICUM DUCEM BAVARIÆ.

In nomine Domini. Amen.

1415. IV. Junii. PER hoc præsens publicum Instrumentum, omnibus tàm præsentibus quàm futuris innotescat, quòd Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quinto decimo. Indictione octava. Die verò Martis quarta, Mensis Junii, in Refectorio Domus Fractum Prædicatorum Constantiensis, post horam octavam, ante meridiem, ubi tunc Natio Gallicana erat congregata, supervenit tunc Serenissimus Princeps & Dominus, Dominus Sigismundus, Dei gratiâ Romanorum semper Augustus, & Ungariæ Rex &c. & in ejus comitiva Illustris Princeps Dominus Ludovicus, Dux in Bavaria.

Qui quidem Dominus Sigismundus Rex in dicta Congregatione dixit, quòd Illustris Princeps Dominus Duc Burgundiæ consanguineus suus, sibi scripserat quasdam Litteras quæ tendebant ad diffamationem præfati Domini Ludovici Ducis, propter aliqua verba quæ ortum habuerant à Domino Duce Austriæ: & propterea supplicavit idem Dominus Ludovicus Dux præfato Domino Regi, quòd ad sui excusationem, præsentialiter, in dictâ Congregatione, coram Dominis Prælatis & omnibus aliis ibidem existentibus & congregatis, diceret factum rei gestæ.

Qui quidem Dominus Rex dixit, quòd nuper præfatus Dux Austriæ sibi dixerat quòd si idem Rex iret Niciam, quòd ipse debebat vel occidi in Sabaudia, vel in Burgundia; & si non posset capi, aut occidi, antequam applicuisset Niciam, quòd in Nicia debebat capi, vel occidi; idemque Rex præfatum Dominum Ducem Austriæ interrogaverat, quomodò ipse sciebat ista: qui Dux dixit Domino Regi, quòd ipse interrogaret præfatum Ducem Ludovicum qui sciebat hoc, & meliùs sibi diceret quàm ipse.

Postmodùm verò præfatus Rex interrogavit Ducem Ludovicum super præmissis: qui quidem Ludovicus Dux respondit Domino Regi, quòd nichil sciebat de præmissis, & quòd si aliquid scivisset, vel audivisset, quòd hoc incontinenti sibi notificasset; sed nunquam audiverat, neque sciverat verbum.

Et tunc idem Dominus Rex dixit sibi quòd super hoc interrogaret præfatum Ducem Austriæ, quem post modùm interrogavit. Qui Dux Austriæ dixit quòd hoc erat verum, & quòd Dominus Joannes Papa præmissa tractari fecerat cum Dominis Duce Burgundiæ, & Comite Subaudiæ, & quòd ipse Dux Austriæ debebat esse unus; & quòd in Francia ipse Papa transmiserat unam cameram Illustrissimo Principi Domino Duci Aquitaniæ, Delphino Viennensi, ut ipsum confederaret, & ab ipso posset habere adjutorium & favorem: nam ipse Dominus Dux Burgundiæ debebat ipsum Dominum Joannem, tunc Papam, ducere ad dictum Dominum Ducem Aquitaniæ, in Franciam.

Et tunc Dominus Atrebacensis Episcopus surrexit, & dixit quòd secundùm quod intellexerat, vos Serenissime Princeps, dixistis quòd præfatus Dominus Ludovicus Dux in Bavaria, dixerat vobis prædicta verba.

Et tunc Imperator dixit præfato Domino Episcopo Atrebatensi: non, imò dixi quòd fuit Austriæ: sed præfatus Dominus Ludovicus Dux dixit quòd Dux Austriæ sibi dixerat, & adhuc dixit idem Imperator quòd multi fuerint præsentes, & potissimè Domini Cardinales Ostiensis, & Cameracensis, ac Archiepiscopus Viennensis, & quòd ipsi dixerant quòd per totam Franciam idem Imperator posset ire ita securè, sicut per terram suam: nam idem Dominus Dux Aquitaniæ ipsum honorificè reciperet, tractaret, & festinaret. Etiam Dominus Ostiensis dixit quòd Domini Burgundiæ & Sabaudiæ impenderent omnem honorem & omne servitium si possibile, benè & fideliter, sicut tenentur Domino suo, & ultra, si possibile eis foret.

Et Dominus Ostiensis præfatus obtulit se remanere

nere in carceribus, in quantum concernebat Dominum Comitem Sabaudiæ, quòd nunquam cogitavit aliquid quod esset in detrimentum dicti Imperatoris, imò fuit & est semper paratus obedire sibi, & servire fideliter, ut suo supremo Domino naturali.

Dominus verò Archiepiscopus Viennensis, dixit quòd Dux Burgundiæ nunquam etiam fecerat, nec dixerat aliquid; nec ullo unquam tempore faceret, quod esset in dedecus, seu præjudicium dicti Domini Imperatoris.

Postmodùm surrexit Dominus Episcopus Dolensis, qui dixit quòd fuit præsens in verbis prolatis per dictum Dominum Ducem Ludovicum, & dixit quòd semper dixit verba narrativa Domini Ducis Austriæ.

Idem dixit Rector, & unus alius de Universitate Parisiensi.

Et tunc idem Dominus Ludovicus Dux dixit quòd malè fuerat scriptum, potissimè involvendo in istis verbis Dominum Ducem Aquitaniæ, qui erat primogenitus Regis Franciæ, eorum Domini naturalis.

Et tunc dictus Dominus Episcopus Atrebatensis, dixit quòd ipse & alii Ambaxiatores Illustris Principis Domini Ducis Burgundiæ, se referebant ad Litteras quas sibi scripserant.

De quibus omnibus idem Dominus Dux Ludovicus petiit fieri publicum, & publica Instrumenta, per me Notarium publicum infra scriptum, cum insertione Litterarum transmissarum super hoc Nationi Gallicanæ, Constantiæ, & insertione copiæ Litterarum missarum dicto Imperatori, inclusæ in præfatis Litteris Nationi Gallicanæ prædictæ, per præfatum Dominum Ducem Burgundiæ transmissis.

Quarum quidem Litterarum præfatæ Nationi Gallicanæ, per præfatum Dominum Ducem Burgundiæ transmissarum, tenor, de verbo ad verbum, tàm ab extrà, quàm intrà, sequitur, & est talis, ab extrà.

Reverendissimis in Christo Patribus, & venerabilibus ac doctissimis viris Nationis Gallicanæ, in Sacro Concilio Constantiæ existentibus, amicis meis præcarissimis.

Ab intrà.

Reverendissimi Patres in Christo, spectabiles & doctissimi viri.

„ Quia crudelem prudentes appellant, qui famam propriam negligit: quædam teterrima, „ quæ manifestè convincuntur, non solùm mendacia, sed & falsissima, quæ Ludovicus de Bavaria contra Dominum meum, & filium, Dominum Ducem Aquitaniæ, primogenitum Domini mei Regis Franciæ, fratrem meum dilectissimum, Comitem Sabaudiæ, & me, honorem ipsorum, & meum, coram Serenissimo Principe, ac Domino Domino Segismundo Dei gratiâ Romanorum & Hungariæ Rege semper Augusto, Domino & consanguineo meo præcarissimo, & vestris circunspectionibus protulit, reprimere volens, & adinventa mendaciter, ostendere quasdam Litteras scriptas dicto Serenissimo Principi Domino meo, quarum copiam dictis vestris circunspectionibus, præsentibus inclusam transmitto; vestro Cœtui sacratissimo supplicans quatenùs dicto Ludovico hosti meo capitali mendaciis assueto, qui tam inverecundè non est veritus diffamare Dominum suum & nepotem, dictum fratrem meum dilectissimum, qui nunquam sibi nocuit, & me mendaciter & falsè in præsentia tantorum, quibus de veritate relatis per eum contraria per dictos Dominum & filium & fratrem breviter poterit „ constare, fidem nullam adhibere velitis. Quinimò ipsum tanquam mendacem & detractorem repellere, ingratum que beneficiorum tot & tantorum, quæ recepit indignus à gloriosissima Domo Franciæ, in qua maculam proditionis, Dei, Ecclesiæ, Principis tanti, & totius Christianitatis, palam & publicè ponere visus est; & ipsum Serenissimum Principem inducere quòd dicto Ludovico nullo modò credat, ipsumque repellat à sua nobili comitiva, ne polluatur suis fedis moribus, quem jam mendaciter & falsè voluit decipere: pretendens illa quæ credere fas non est, & quæ tanti Principes potiùs mori, quàm cogitare, & per alios cogitata, severitate Justitiæ vindicare vellent: concludentes cuncta quæ retulit similia ferè. Solùm nempè prætendit, ut per fas & nefas, Deo, honoreque postpositis, se vindicare valeat, & ad damnabilia quæ conatur, tortis anfractibus pervenire, suo more.

„ Et vestram Congregationem Sanctissimam conservet Altissimus, & dirigat in viam pacis, cujus coadiutor existere cupio, ad gloriam singularem. Scriptum Divioni; die XXVI. Mensis Maii. XXVI. Maii.

„ Reverendissimi Patres in Christo, spectabiles ac doctissimi viri.

„ Vestris circunspectionibus supplico quantumcumque valeo, quatenùs instare velitis erga præfatum Serenissimum Principem quòd propter mendacia dicti Ludovici non obmittat sanctissimum suum propositum eundi Niciam, & transeundi per Burgundiam & Sabaudiam, in quibus reperiet fratrem meum prædictum, & me, suos servitores fidelissimos, paratos ipsum honorificè, juxta vires, recipere, & securè conducere, & securitates insuper quascunque possibiles sibi dare, quamvis supervacuæ peterentur. Nam erit inter illos qui sibi meliùs, & fideliùs servire vellent, & possent, & eum custodire, quàm faceret dictus Ludovicus, fatior zizaniæ perversissimus. JOANNES DUX BURGUNDIÆ, Comes Flandriæ, Arthesii, & Burgundiæ. *Jehan J. de Marle.*

Copiæ verò Litterarum per eundem Dominum Ducem Burgundiæ præfato Domino Imperatori missarum in eisdem Litteris Nationi Gallicanæ transmissis inclusæ, tenor, de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

„ *Serenissimo ac potentissimo Principi Domino Sigismundo, Dei gratiâ Romanorum, & Hungariæ Regi semper Augusto, Domino, & consanguineo meo præcarissimo.* Copia.

„ Serenissimè Princeps, ac potentissime Rex semper Auguste, Domine & consanguinee præcarissime.

„ Per Oratores meos Constantiæ stantes & alios quamplures, nuper accepi quòd & plurimis servitoribus meis & aliis, à multis scriptum est, Ludovicum de Bavaria palàm in præsentia vestræ Majestatis & plurimorum Magnatum sacri Concilii, non semel tantùm; sed iterata vice, sine rubore, falsè & mendaciter, sub more, dixisse me cum Domino meo, ac filio Aquitaniæ Duce, & fratre meo præcarissimo Comite Sabaudiæ, quod omnium pessimo deterius censeri debet, in necem vestram crudeliter conspirasse. O inexcogitatum genus mendacii! O servilem modum nocendi! Qui dùm, Nobilium more, sumere nequit arma, lecatorum, & susuriorum carpit mendacia.

„ Ordiamur à capite. Nepotem, & Dominum suum dum oriri nititur, suffocat * infamiam. Gloriosissimam Domum Francorum quæ filiam „ so-

* Locus corruptus.

sororem dicti Ludovici pro Matre recepit, tanta feditate maculare non veretur, à qua tot recepit beneficia non merita; sed liberalitate quæsita quædam, cetera verò scripta præter condignum novum germen innoxium nobilissimum quidam & tot salutare populis lingua mendaci crudeliter necat fratrem meum præfatum, vestræ Serenitatis fidelissimum, & prudentissimum Principem, qui nunquam sibi nocuit, tantis infamiis, sceleribus, nec non hiis tantùm, sed nunc & aliis pluribus horrendis, mendaciter terminans, * adventum vestræ Majestatis, eundo Niciam, per Burgundiam & Sabaudiam totis viribus dissuasit, subjungens quod in Burgundia ultra... teneo captivos de Constantiensi Concilio, ceteris insidiatis transeuntibus, volens per hoc rumpere dictum sacrum Concilium & unionis sacratissimæ persecutionem impedire. Si vestra prospiciat Serenitas quis talia dixit, vilescit auctoritas, cum sit inimicus; vilescit & ampliùs, si relatoris sui pensetur conditio, qui suo Domino, vestræ videlicet Majestati, fidem quantulam servat, non animo, sed armis dare compulsus est. Sed & magis convincitur vilescere, si relatorum materia pensetur. Quis enim credere posset nos tres tanta facinora conspirasse? quæ si debitè resolvant, proditionem exprimunt Dei primitùs, Ecclesiæ, vestræ Serenitatis, & totius populi Christiani. Tinniant aures, talibus referre mendaciis, horreat totus Orbis audire quid est tanti Principes tantæ proditionis machinaverint in crimen convertat quisque Catholicus justæ severitatis Judicium contra tam crudelia venientem, quæ nec credi debent, nec à quocumque bonæ fidei patienter audiri. Non est novum, Serenissime Princeps, quòd dictus Ludovicus talia seminavit qui suis astutiis Domum Franciæ gloriosissimam, à multis temporibus, quantùm in se fuit, mendaciis polluens & nefando sedans regimine, perniciosissimè divisit. Tali non præbeat, obsecro, vestra Serenitas credentiam, qui si contradictorem non inveniret, ex prædictis falsa convincitur retulisse, dictorum Domini mei, & filii, fratris que mei dilectissimi excusationem pro nunc exagerans; quamvis eorum innocentiæ testis idoneus & deffensor firmissimus, si foret opus, esse vellem, cum non dubitavi ipsos, quibus relata rescripsi, si mendaciter imposita, honorificè repressuros: sed me semper suum teneat servitorem, vassallum & consanguineum fidelissimum, nec obmittat, humiliter precor, vestra Majestas, propter eum, vel sua mendacia, transire per Burgundiam, in quâ humiliùs, fideliùs, & honorificentiùs vestram Serenitatem recipiam, quàm alibi possem; quam tamen non abnuo, & alibi, totis viribus visitare, si talis sit locus qui michi securus esse valeat, & necessitas inevitabilis non impediat occursum. Et si quæ diffidentia, quod absit, animum vestræ Majestatis surripiat, præcipiat securitates possibiles sibi dare, quas negare nefandissimum reputarem.

,, De detentis autem, testor Deum nichil me scire, cùm nec hæc vel alio modo mendaciter asseruit, vellem quomodocumque sacrum Concilium rumpere, vel impedire diù sicut aliàs scripsi, assistere volo toto posse. Ex quo tamen per Oratores meos nuper regressos, & alios vobiscum stantes, captivatorum rumor innotuit, diligentiam fieri mandavi, ut si repeeriantur aliqui, captivantibus condignè punitis relaxentur captivi, Edito publicè promulgato, ne sub pœna capitis, in meis Dominiis talia committantur, dans cunctis dicti sacri Concilii securum & salvum conductum eundo, manendo & redeundo, si talia non ferant, vel committant, seu commiserint, propter quæ quisque peritus riti judicaret ipsos non debere salvo conductu gaudere.

,, De præmissis autem, & aliis, ut pleniùs & perfectiùs vestra Serenitas informetur, propono quantò citiùs mittere meos Oratores, qui delatores convincent mentitos esse eis, super honore meo debitè respondendo, quoniam tanta crimina, tàm falsè, tàm mendaciter, in dedecus præfatorum Domini mei, & filii, fratris mei præcarissimi, ac mei relata, sine repressione possibili diutiùs tolerare non possum.

,, Vestram Serenitatem conservet Altissimus, cum prosperitate cupita, quæ me semper gratum habeat, & præcipiat quæque grata, totis viribus adimplenda.

,, Scriptum Divioni die XXVI. mensis Maii. Vestræ Majestatis humillimus & consanguineus Joannes Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Artesii & Burgundiæ. Datum & actum Constanciæ Provinciæ Maguntinæ. Anno. Indictione. Die. Mense & loco quibus supra. Apostolica Sede vacante. Presentibus Reverendis in Christo Patribus Dominis Reginaldo Archiepiscopo Remensi; Roberto Episcopo Macloviensi, & Joanne electo Silvanettensi, ac venerabilibus Prioribus Dominis, Joanne Cistercii; & Petro Sancti Maxentii Cabilonensis, & Pictaviensis Diœcesis, Monasteriorum Abbatibus, & pluribus aliis Dominis Prælatis, Magistris & Doctoribus, ac aliis notabilibus personis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.,, xxvi. Maii.

Et Ego Joannes Ginardi, Clericus Pictaviensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali authoritatibus, ac sacri Generalis Constantiensis Concilii, pro Natione Gallicana Notarius: quia præmissis omnibus & singulis, dùm, ut prefertur, in Congregatione dictæ Nationis Gallicanæ dicerentur, proponerentur, requirerentur, agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus, præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideò huic presenti publico Instrumento quod per alium, me aliis occupato, scribi fideliter feci, & in hanc publicam formam redegi, manu mea propria me subscribendo, signum meum consuetum apposui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus. *Avec sa paraphe authentique à costé.*

Extrait sur l'Original en parchemin, conservé dans les Archives des Reverends Peres Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé. A. Bazin, Prieur des Peres Celestins d'Avignon.

* locus iste est ferè per totum corruptus.

DE-

DELATIO
Novem Assertionum
JOANNIS PARVI,

Cod. 2538. Fol. 290. *Facta Concilio Constantiensi, ab Ambassiatoribus Regis Franciæ.*

Anno. XV.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

VII. Junii. 1415. TENORE præsentis publici Instrumenti, cunctis pateat evidenter & sit notum, quòd Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto. Indictione octava. Die Veneris septima Mensis Junii, post meridiem, sancta Sede Apostolica Pastore destituta. In Refectorio Fratrum Minorum Constantiæ, Moguntinæ Provinciæ; ubi, Reverendissimis, Reverendisque Patribus & Dominis, Petro, tituli sancti Grisogoni, Presbytero Cameracensi; & Francisco, tituli sanctorum Cosmæ & Damiani, Diacono Florentino, Cardinalibus vulgariter nuncupatis, præsidentibus; & aliis Nationum, ac super facto Fidei per sacrum Constantiense Concilium deputatis, unà B cum pluribus aliis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & Prælatis, nec non in Theologia, & Jure Magistris & Doctoribus, aliisque notabilibus personis, in magna multitudine, propter infra scripta, & alia negotia factum Fidei concernentia specialiter congregatis; in nostrorum Notariorùm & testium infrà scriptorum præsentia. Præfatus Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis, narravit commissionem sibi, & aliis deputatis super facto Fidei factam, & quasdam hæreses pullulasse in pluribus locis, & præsertim in Thuringia; super quibus dixit fore providendum, & subjunxit quòd Serenissimus Princeps Dominus Sigismundus, Romanorum & Hungariæ &c. Rex, zelo Orthodoxæ Fidei, aliàs & pluries institit, & sollicitavit, tàm supradictos, quam alios Do- C minos Nationum deputatos super facto Fidei, & totum Concilium, quòd ante recessum suum apud Niciam materia Fidei tractaretur, & omnes hæreses & errrores, quantùm esset possibile, extirparentur, & causæ super hoc inchoatæ terminarentur, & non cœptæ inchoarentur; aut saltem fieret diligentia possibilis, ante ejus recessum.: quoniam desiderabat esse particeps cum sacro Concilio tanti boni; & quæ indicata forent per ipsum sacrum Concilium, executioni debitæ demandari, & idcircò si essent aliqui, qui aliqua alia, materiam Fidei tangentia scirent, illa proponerent, & provideretur de opportuno remedio: protestans tamen quòd non deberent tangi, seu nominari personæ; sed materia exponeretur, secundùm facti veritatem, ad evitandum scandala, quæ propter expressionem nominum oriri possent. D

Quibus sic, vel aliàs consimiliter in effectu dictis & prolatis per dictum Dominum Cardinalem Cameracensem, venerabilis vir Magister Johannes de Gersonno, in sacra Theologia Magister, Cancellariusque Ecclesiæ Parisiensis, narravit aliàs in Natione Gallicana proposuisse, & adhuc proposuit, de, & super certis erroribus &. Assertionibus condemnatis Parisius, per Reverendum Patrem, Dominum Episcopum Parisiensem; quos errores, seu Assertiones, & eorum condemnationem contineri dixit in quodam papiri folio, seu cedula, quam legendam ibidem exhibuit, & tradidit, seque tunc submisisse, prout adhuc se submittit Judicio, & correctioni dicti sacri Concilii, cum aliis protestationibus tunc factis, & nunc repetitis, & aliàs, ut in talibus est moris. Quæ quidem Assertiones, cum condemnatione earum, in dicto folio papiri descriptæ, fuerunt ibidem, alta & intelligibili voce lectæ, per venerabilem virum Dominum Bertholdum de Wildughen, Decretorum Doctorem, ac sacri Palatii Apostolici causarum Auditorem: quarum tenor, de verbo ad verbum, sequitur & est talis. A

Prima Assertio.

Licitum unicuique subdito, absque quocunque Mandato vel Precepto, secundùm Leges naturalem, moralem & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro aufferendo sibi suam nobilissimam & altissimam Dominationem; & nedùm licitum, sed honorabile & meritorium; & maximè quando est tanta potentia, quòd justitia non potest bono modo fieri per Supremum.

„ Erronea in Fide & moribus, ac multipliciter „ scandalosa. „

Secunda Assertio.

Leges naturalis, moralis & divina, autorisant unumquemque subditum, de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

„ Erronea in Fide, & moribus; ac Legibus na- „ turali, morali & divinæ scandalosa. „

Tertia Assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem & infidelem suo Regi & supremo Domino, per dolos & insidias; & est licitum dissimulare & silere voluntatem suam de sic faciendo;

„ Falsa & erronea & scandalosa. „

Quarta Assertio.

Jus est, ratio & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per dolos & insidias, & est propria mors quà debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas, dolos & insidias,

„ Erronea, crudelis & impia. „

Quinta Assertio.

Ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & Rex non debet solùm esse contentus, sed debet habere factum acceptabile, & autorisare, quantùm opus, vel necessitas esset.

„ Erronea in Fide & moribus, scandalosa; ac „ Regiæ Dominationi injuriosa. „

Sexta Assertio.

Rex debet præmiare & remunerare illum qui occidit, modo qui dictus est, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in opibus, honoribus & divitiis; exemplo remunerationum factarum sancto Michaeli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinées, pro occisione Ducis Zambri;

„ Erronea in Fide & moribus, scandalosa; „ ac Regiæ Dominationi injuriosa. „

Septima Assertio.

Rex debet plùs amare quàm priùs, illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra

pra dictis, & debet facere prædicare suam fidem & bonam fidelitatem, per suum Regnum, & extra Regnum facere publicari, per litteras in modum Epistolæ, & aliter.

„ Erronea in Fide & moribus, scandalosa; ac „ Regiæ Dominationi injuriosa. „

Octava Assertio.

Littera occidit, spiritus autem vivificat 2. Cor. III. 6. *hoc est dicere quod semper tenere sensum litteralem* A *in sacrâ Scriptura, est occidere animam suam.*

„ Expositio indiscreta & erronea. „

Nona Assertio.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocunque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat quòd istud versatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, vel suorum liberorum; ipse de nullo tenetur eas observare: hoc probatur ex ordine caritatis, quo quilibet plùs tenetur se ipsum diligere, uxorem & liberos, quàm alterum:

„ Falsa & erronea, secundùm se, & ad perjuria viam præbens. „

Post cujus quidem cedulæ lecturam, Reverendus Pater Attrebatensis Episcopus, unus de Ambassiatoribus, ut dixit, Illustrissimi Principis Burgundiæ, tanquam Ambassiator in dicto Concilio Generali Constantiensi, & nomine dicti Domini Ducis Burgundiæ, dixit & proposuit quòd sibi, & aliis Ambassiatoribus ejusdem Domini Ducis visum est, quòd dictæ Assertiones condemnatæ, ut profertur, tangebant quandam prætensam Sententiam, per præfatum Dominum Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ latam, in præjudicium honoris, famæ & status præfati Domini Ducis: à qua tamen, pro parte dicti Domini Ducis ad sanctam Sedem Apostolicam, & Concilium Generale, in quantùm sua intererat, & quatenùs ipsum Dominum Ducem ipsa Sententia tangebat, aut tangere posset in futurum, extitit legitimè appellatum. B

Idcirco dictus Dominus Attrebatensis Episcopus, quo supra nomine, à dicto Domino Cancellario Parisiensi petiit; si ipse loqueretur & proponeret prædicta, ut Ambassiator Christianissimi Principis Domini Regis Francorum, naturalis, & Superioris Domini dicti Domini Ducis, & sui; aut si alio, & quo, seu cujus nomine loquebatur. C

Secundò, quia ipse Magister Johannes de Gersonno fecerat mentionem de quadam Sententia lata per dictum Dominum Episcopum Parisiensem; etiam interrogavit eum, si intendebat loqui de illa prætensa Sententia lata per dictos Dominum Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem, contra Propositionem Magistri quondam Johannis Parvi, semel & unica vice verbaliter propositam Parisius, de Mandato dicti Domini Ducis, quæ Sententia dicitur fuisse lata XXIII. die Mensis Februari, Anni quadringentesimi XIII.

Super quibus, etiam idem Dominus Episcopus Attrebatensis petiit interrogari ipsum Dominum Cancellarium, per dictos Dominos Præsidentes.

Cui Domino Attrebatensi dicti Præsidentes responderunt, quòd fuerat aliàs ordinatum, præsente præfato Serenissimo Principe, Domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ &c. Rege, quòd ita intendebant facere, & non aliàs, & de hoc protestati fuerunt. D

Et tunc præfatus Magister Johannes de Gersonno Cancellarius respondit, & dixit quòd ipse pro nunc, seu de præsente, loquitur & loqueretur tanquam Magister in Theologia, seu Theologiæ Professor, denunciator præfatæ Sententiæ Domini Episcopi Parisiensis, latæ tanquam Catholicæ Parisius, super novem Assertionibus erroneis in dicta cedula contentis, & in dicta Sententia damnatis, ut etiam in hoc Concilio reprobarentur.

Præfatus verò Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine quo supra, narravit qualiter à dicta Sententia fuerat appellatum ad sanctam Sedem Apostolicam, pro parte dicti Domini Ducis, quatenùs sua intererat, & causa commissa in Romana Curia Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus des Ursins, Florentino & Aquilegiensi, & citatio ad partes decreta, & inhibitio facta &c.

Verumtamen, ex ordinatione, & propter inhibitionem dudùm factam per olim Johannem Papam XXIII. Conciliumque, & Dominum Regem Romanorum prædictis Ambassiatoribus dicti Domini Ducis; & etiam propter inhibitionem etiam super hoc factam per Christianissimum Regem Francorum, prout apparere poterat ex tenore quarundam instructionum suis Ambassiatoribus transmissarum; & etiam propter quamdam ordinationem eis factam per dictum Dominum Ducem, in favorem unionis sanctæ Matris Ecclesiæ, & præsentis Concilii, noluerunt hanc materiam propalare in dicto Concilio Generali, agendo, aut appellationem prædictam activè prosequendo; ne ex ista materia scandala insurgerentur, occasiones ministrarentur, propter quæ, seu quas, prosecutio unionis Ecclesiæ sanctæ Dei turbari posset in aliquo, aut quomodolibet impediri, minimè processerunt; sed purè passivè se habuerunt in præmissis, usque ad præsens tempus, nec procedere intendunt, nisi quatenùs artati erunt procedere, neque facere aliquid contra instructiones & voluntates dictorum Dominorum Regis & Ducis: & de hoc protestatus fuit, licèt per dictum Magistrum Johannem de Gersonno plurima jam fuissent dicta, scripta & attemptata contra præmissa, prout dixit. Et ut omnibus pateret evidenter de præfatis inhibitionibus, & voluntatibus dictorum Dominorum Regis Franciæ, & Ducis Burgundiæ, ipse Dominus Episcopus Attrebatensis exhibuit quamdam papiri cedulam, quam dicit fuisse translatam de Gallico in Latinum, in earum sensibus & formis, in quibus sunt in originalibus Litteris, quam idem Dominus Episcopus publicè legit, in forma quæ sequitur.

Sumptum in Instructionibus Serenissimi Domini nostri Regis Franciæ, XXI. Maii, in civitate Constantiensi apportatis per Magistros Jordanum Morini, & Guillelmum Pulcrinepotis, præsente Domino Episcopo Carcassonensi, Magistris Guillelmo prædicto, & Petro de Versellis, se gerentibus pro Ambassiatoribus ejusdem Domini Ducis Burgundiæ; Archiepiscopis Bisuntino, & Viennensi, Episcopo Attrebatensi, vice Domino Remensi, & Elemosinario præfato Domini Ducis, se gerentibus pro Ambassiatoribus ejusdem Domini Ducis.

Item. Domini Magistri Jordanus & Guillelmus, dicent Ambassiatoribus prædictis, quòd Rex ad requestam Domini Ducis Brabantiæ, & aliorum de sua comitiva ordinavit, vult & eis mandavit, quòd in facto condemnationis Propositionis Magistri Johannis Parvi non se faciant partem, nec fa-

faciant prosecutionem ex parte Regis in petendo, proviso quòd similiter mandetur per Dictum Dominum Ducem Burgundiæ suis Ambassiatoribus existentibus in dicto loco Constantiensi, & quòd faciant similiter: quamvis sit voluntas & ordinatio Regis quòd ipsi deffenderent dictam condemnationem, si materia esset mota ex alia parte, & videretur esse expediens; & similiter responsa super A hoc facta, poterunt Communicari dicto Imperatori & alibi. Datum Parisius per Regem, in suo Consilio. XXIII. die Martii, Anni millesimi quadringentesimi quarti decimi. Et sunt signatæ dictæ instructiones, isto modo. CHARLES. *Par le Roy, en son Conseil*, Malliere, G. Beaunieps.

Hæc clausula translata est de Gallico in Latinum, & Gallicum extractum, est signatum manu propria Guillelmi Pulcrinepotis, apud Ambassiatores dicti Domini Ducis.

Sumptum ex quibusdam Litteris præfati Domini Ducis, scriptis suis Ambassiatoribus, XXIV. *Martii, Anni prædicti.*

XXIV. Mart. FRATER noster Dux Brabantiæ, & nostri alii Ambassiatores, Parisius existentes, nobis notifi- B caverunt quòd fuit conclusum in Consilio Domini mei Regis, quòd scribebat suis Ambassiatoribus qui sunt in Constantia, aut vadunt Constantiam, quòd ipsi non faciant aliquam mentionem de materia Magistri Johannis Parvi, nec de nostra; & videtur dictis nostris Ambassiatoribus quòd nos debemus facere conformiter: & similiter tenuimus super hoc nostrum Consilium, per quod conformiter conclusimus. Et ideò, in casu quo vos videritis quòd dicti Ambassiatores se abstinerent à loquendo de dicta materia, similiter supersedeatis. Quæ Litteræ erant sic signatæ. *Bordes.*

De ista cedula habent copiam dicti Dominus Episcopus Carcassonnensis, Magistri G. Pulcrinepotis, & P. de Versellis, sub signato manuali Magistri Petri Cauchon, quæ est translata similiter de Gallico & Latinum.

Post quarum quidem inhibitionis & ordinationis lecturam, dictus Dominus Episcopus Attreba- C tensis, pro dicto Domino Duce, & aliis Ambassiatoribus collegis suis, iterum protestatus est quòd per eos præsens materia fuerit tenta in suspenso, usque in præsens; nec adhuc est apperta seu inchoata: & quòd non intendunt venire contra præfatas Ordinationes, quibus humiliter obediverunt, & semper volunt obedire, ut tenentur; & si aliqua in contrarium fiant, quòd non imputetur eis, sed illa fieri procurantibus. Et tandem petiit idem Dominus Episcopus Attrebatensis Sententiam & Processum per dictum Dominum Episcopum Parisiensem factam & latam exhiberi, & copiam eorum atque dictarum Assertionum lectarum sibi dari.

De quibus omnibus & singulis præmissis, præfatæ partes, & earum quælibet, quatenùs earum quamlibet tangunt, & pro suo interesse, petierunt unum vel plura; publicum & publica, Instrumentum seu D Instrumenta, per nos Notarios infra scriptos sibi fieri atque dari.

Acta fuerunt hæc Anno, Indictione, die & loco quibus supra: præsentibus inibi Reverendissimis, Reverendisque Patribus & Dominis, Johanne Viennensi, Nicolao Gnesnensi, Bartholomæo Mediolanensi, Antonio Ragusino, Archiepiscopis: Johanne Gobenensi, Nicolao Merseburgensi, Nicolao Bathoniensi & Roberto Silviberiensi, Episcopis: & Magistris Bertholdo de Wildunghen Decretorum Doctore, Sacri Palatii causarum Apostolici Auditore, Johanne Abondi, Theodorico, de Monasterio Ursino Taillevande, Johanne Weilles, Sacræ Theologiæ Professoribus; & pluribus aliis Prælatis, Doctoribus & Magistris, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego verò, Michael Bolosonis de Nantuaco Lugdunensis Diocesis Clericus, authoritate Imperiali Notarius publicus, ac sacri Constantiensis Generalis Concilii Conscriba, omnibus & singulis supra scriptis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent, unà cum Notario publico infra scripto, ac dicti sacri Concilii etiam Conscriba, & testibus supra nominatis, præsens interfui, & de ipsis notam recepi, ex qua hoc præsens publicum Instrumentum in hanc formam publicam redactum, & alterius fidelis Substituti manu scriptum, me aliis occupato negotiis, manu mea propria, subscriptione facta, per me in talibus solita, signo meo autentico quo utor in talibus oneratus officio, signavi, requisitusque & rogatus, tradidi; in robur & testimonium præmissorum.

Et ego Giselerus de Boventen. Clericus Maguntinensis Diocesis, publicus autoritatre Apostolica & Imperiali, ac sacri Generalis Constantiensis Concilii, pro Natione Germanica Notarius, omnibus & singulis supra scriptis, dùm, ut præmittitur, agerentur, & fierent, unà cum Notario publicò dicti Sacri Concilii, pro Natione Gallicana Scriba, & testibus supra scriptis, præsens interfui; eaque sic fieri vidi & audivi, de quibus hoc præsens Instrumentum in hanc publicam formam redactum, & per alium fideliter scriptum, unà cum Notario supra scripto confeci, subscripsi, & publicavi, signoque & nomine meis solitis & consuetis consignavi, rogatus & requisitus, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

Episcopus Attrebatensis dixit verba sequentia in Sessione publica celebrata die XV. *Junii* IV. C. XV. *nomine Ambassiatorum Illustrissimi Principis Ducis Burgundiæ.*

Cod. 2537. fol. 115. verso. XV. Junii 1415.

NOs humiles Ambassiatores Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, in quadam causa per aliquos nuper introducta, si, & pro quanto, & in quantum ista causa tangeret, aut tangere posset directè, vel indirectè præfatum Dominum nostrum, stamus in Protestationibus per nos aliàs factis, quantùm ad Reverendissimum Patrem Dominum Cardinalem Cameracensem, & ab eo excipus*, quo ad causam istam, donec aliud à præfato Domino nostro habuerimus in mandatis, propter causas alias loco & tempore opportunis allegandas; de quibus præfatus Dominus Episcopus, nomine quo supra, petiit Instrumentum &c.

BRUNETI.

Jo. Guiardi habet notam Instrumenti.

Prima Cedula.

PRimò. Sententia Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris Franciæ, quæ de Jure est nulla, ut non dicatur iniqua, verbum temperando, adnulletur, & quidquid inde & ex ea secutum est, irritum & inane declaretur.

Item. Cum super principali materia nullus apparuit accusator, nec denunciator, nec insinuatio clamosa; Judices Commissarii, sive sacrum Concilium, non intendunt, sicut non debent in causa, & ulteriùs procedere; tàm veritates Parvi, quàm Assertiones per Johannem de Gersono eidem

* locus corruptus

dem Parvi falso impositas, in sua probabilitate reliquendo; silentium perpetuum imponentes supradictis Episcopo, & Johanni de Gersonno, atque Promotori, super hac causa, propter abusus per eosdem commissos in hac parte, propter supra dicta.

Item. De calumniosa denunciatione quam fingit Johannes de Gersonno fore Evangelicam, quo ad hoc satis debet sufficere quòd ad arbitrium Judicum pœnæ impositio relinquatur moderanda, prout exigentia materiæ & status requirunt tam illustris ac generosi Principis & præpotentis, cujusmodi est Princeps iniquè super his diffamatus.

Propter præmissa, non intendunt recedere à requesta aliàs per eos petita, super condemnatione illius Propositionis: *Quilibet tyrannus* &c. quæ fuit eis taliter qualiter denegata; sed volunt in primis illam de verbo ad verbum, & per Decretum explicari.

fol. 116. *Cedula tradita* XV. *Maii, per Dominum Procuratorem Cluniacensem.*

PRo parte Domini Ducis Burgundiæ proponitur, quòd malè & injustè contra rei veritatem, & contra suam bonam famam, per inimicantem eidem Domino Duci, Episcopum Parisiensem, dudùm condemnata fuit quædam Propositio facta per Magistrum Joannem Parvi, in Aula sancti Pauli Parisiensis &c. & per eundem Dominum Burgundiæ advocata; ab ejusmodi condemnatione, ad Sedem Apostolicam, vel Concilium Generale, per eundem Dominum extitit appellatum.

Pro parte verò Domini Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis, & quorumdam aliorum sibi in hac parte adhærentium, proponitur, quasdam Assertiones, novem in numero videlicet &c. à nescitur quâ personâ, aut quibus personis emanasse, & in certis codicibus scriptas & repertas esse, ut dicitur; ex quibus, judicio Domini Cancellarii, & sibi adhærentium prædictorum, scandalum & veritatis Catholicæ præjudicium sequi possent, nisi hujus sacri Concilii determinatio provideret.

Ad igitur ostentionem veritatis, prædictorumque Domini Burgundiæ, & Magistri Joannis Parvi honorem reparandum & famam, & ad serenationem animorum dictorum Domini Cancellarii, & sibi adhærentium super dicta veritatis Catholicæ materia; pariterque ad potiorem firmitatem initæ pacis Principum & Regni Francorum, adimpleantur sequentia, & per modum istum.

Primò. Ab hac sancta Synodo, aut suis; vel Sedis Apostolicæ, ad hoc specialiter deputandis, aut deputatis, Processus & Sententia dicta condemnationis factæ per dictum Dominum Episcopum Parisiensem, visitabuntur; & pro quanto defectuosi reperti fuerint, adnullabuntur, prout fuerit rationis.

Item. Octo Propositiones principales, cum suis probationibus, quas dictus Magister Joannes Parvi in dicta sua Propositione, veritates appellat, in quibus fundavit Majorem ipsius Propositionis; à quibus quidem octo veritatibus certas Propositiones quas censent erroneas, dicuntur extraxisse, & ratione quarum dictus Dominus Episcopus Parisiensis hujusmodi Propositionem dicti Magistri Joannis Parvi, tanquam errores multipliciter continentem, damnavit; per dictam Sacram Synodum, seu ejus ad hoc deputatos vel deputandos visitabuntur, prout in dicta Propositione præfati Magistri Joannis Parvi verè & formaliter continentur, an sint aliæ à prædictis Assertionibus, per dictum Dominum Episcopum damnatis, vel ex eis sequentes: & an sint veritati, aut probabilitati, aut bono intellectui, seu piæ expositioni dissonantes, vel consonantes, aut absque morum, vel Fidei præjudicio sustinibiles.

Item. Quòd prædicti Dominus Cancellarius, & sibi adhærentes, prout eis videbitur, exhibeant examini, & Judicio ejusdem sacri Synodi quascumque Assertiones & Propositiones voluerint.

Item. Et quòd dicti Dominus Cancellarius, pariter & sui adhærentes, ad reformandum & reparandum læsionem famæ & honoris quæ dictis Domino Duci Burgundiæ, & Magistro Joanni Parvi, per dictos Processus & condemnationem facta extitit, & ex dictis Processu & condemnatione contra eosdem Dominum Ducem, & Magistrum Joannem Parvi insurrexit, in quantum poterunt intendant, & possetenùs procurabunt; quodque etiam hoc mediante dictorum Domini Cancellarii, & suorum adhærentium instanter procurabitur, & certissimè obtinebitur in eo qui facit utraque unum, & est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Cedula tradita per Dominum Cardinalem Cameracensem. Eod. verso.

HÆc * autem sancta Synodus declarat quòd per præmissam condemnationem novem Propositionum, vel etiam per condemnationem nuper factam de illa Propositione: *Quilibet tyrannus* &c. Eadem sancta Synodus non intendebat; nec intendit Juri alicujus personæ, seu famæ ipsius, vel honori præjudicare, seu quomodolibet particulariter derogare; cum nullus particularis assertor seu deffensor earundem, coram dicta sancta Synodo fuerit specialiter, vel judicialiter accusatus.

* Per manum Abbatis Clarevall. in Conventu Prædicatorum, Dominica, scilicet undecima die Augusti.

Cedula Episcopi Atrebatensis.

CUm pro bono pacis pectoris & temporis reformandæ in Ecclesia Militante, hæc Sacrosancta Synodus Constantiensis, in Christi nomine, Spiritus sancti instinctu noscatur congregata, ut tandem populum Christianum redemptum Christi sanguine pretioso, ad pacem æternitatis reducat & deducat, scandala cupiens ab agro Ecclesiæ tollere, intendens summoperè præteritis finem imponendo, eorum causas radicitùs excidens, aditus futuris possibilibus præcludens, quantùm potest diffinit, decernit & declarat, quòd cùm occasione quarumdam novem Assertionum, quarum tenor sequitur & est talis &c.

Aliqua scandala in quibusdam mundi partibus, ut dicitur, fuerunt per malevolos suscitata, & verisimiliter suscitari in posterum timentur oritura & præsertim apud minus doctos: quæ tamen dictæ novem Assertiones non sunt tanquam erroneæ condemnandæ, eò quod de earum possibilitate sine evidenti contradictione Fidei Sacræ Scripturæ, & bonorum morum, sunt opiniones graves magnorum Doctorum eas asserentium probabiles, ut præfertur, testimonio Scripturarum naturalium, moralium & divinarum.

Ea propter hæc sancta Synodus erroneas in Fide & moribus fore non declarat; sed ne occasione earumdem scandala sequerentur graviora, earum probabilitati derogare non intendens, ipsarum tamen doctrinam publicam suspendit, sub pœnis &c. Verum quòd Episcopus Parisiensis, & Inquisitor in Regno Franciæ, quandam prætensam Sententiam

tiam tulerunt, quâ visi sunt eas tanquam erroneas in Fide & moribus condemnare; quod tamen tàm ex defectu judiciariæ potestatis, quàm propter prædictarum Assertionum probabilitatem, & conformitatem ad prætactas Scripturas minimè facere potuerunt. Quapropter dictam suam Sententiam adnullat, & nullam fuisse aut esse, præsentium tenore diffinit & declarat, perpetuum silentium imponendo dictis Episcopo & Inquisitori, & quibus aliis præsentibus & futuris; ne occasione dictarum Assertionum novem, aut dictæ prætensæ Sententiæ, sic adnullatæ, & pro nulla declaratæ, imponant, aut imponere audeant quomodocumque, aut qualitercumque, directè vel indirectè, per se, aut per alium, occultè aut publicè, cuicumque aut quibuscumque, personæ aut personis, vivæ aut defunctæ, vivis aut defunctis, dictas Assertiones, aut occasione ipsarum hæresim seu errorem audeant imponere in futurum, sub prædictis pœnis, & impositoribus criminum hæresis & erroris in Fide & moribus à Jure inflictis & declaratis.

Cod. 2537. fol. 117. verso.

Cedula Cisterciensis, & Clarevallensis.

AD hoc quod super processu &c. concordiæ Tractatus utilis & efficax habeatur, decerni poscitur in sanctæ Synodi sessione.

Primò, quòd Sententiæ Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris Fidei, in condemnationem Assertionum &c. latæ Parisius tali die &c. Cùm autem Juris ordine, multipliciter exorbitasse reperiantur, irritæ cum sequelis suis decernantur & omnino nullæ; Episcopo tamen ipso ab omni, si placuerit, impetione super hoc immuni semper & libero permanente.

Item. Propositio condemnata pridem: *Quilibet tyrannus* &c. modificetur per Concilium, quod non intendit quibuscunque viventibus vel mortuis per ejus condemnationem in aliquo derogare; cum hoc addendo quòd nulli fas sit Assertionem imponere vel attribuere cuiquam, extra Judicium, nisi reus in hoc inventus legitimè fuerit & convictus.

Item. Ne discordiarum renovetur immanitas; quòd nullus possit aut debeat, occasione dogmatizationis, approbationis vel defensionis, usque in præsens, harum Assertionum, de suspicione vel errore contra Catholicas veritates & sanam doctrinam, argui quomodolibet, vel notari.

Item. Quia dictarum Assertionum liberam dogmatizationem, seditionibus, homicidiis & perjuriis viam præbere dicit denuncians, & omnimodè magis earum judicialis per Concilium reprobatio, vel condemnatio, tanquam omnis excussiva timoris, tàm principantium quàm hostiliter sævientium tyrannidi, oppressioni subditorum irremediabili, totiusque Reipublicæ subversioni, faciliter occasiones & ausus aperiret effrenes: pensatis similiter Doctorum celebris famæ non paucorum sententiis, Assertiones hujusmodi probabiles, & illæsa Fide sustinibiles esse, quidam dictis, alii verò scriptis autenticis asseverantium, quòdque nec assertorem habent, neque scandalo fuerunt, nisi quantùm adversæ partis molimina suscitaret: sancta Synodus Assertiones ipsas, sine judiciali decisione, vel in alteram partem obligatoria determinatione relinquendas pro nunc esse statuat & decernat.

Item. Cùm ex præmissarum Assertionum dogmatizatione, sensus quidam extranei & scandalosi, licèt ab emulis undè supra prodeuntes, recepti fuisse dicantur, & cùm in futurum verisimiliter elici possent; sacra Synodus fidelium Christi semitas ad æternam salutem rectas facere, solidare vincula pacis, scandala tollere de Regno Dei, quod est Ecclesia, votis communibus inardescens, earum dogmatizationem, & in publicis Actibus allegationem, prædicationem, aut aliàs promulgationem, approbativè vel reprobativè sessionabiliter prohibeat & Catholicis omnibus interdicat sine præmissis & eorum quolibet, ne restaurabitur enormitas contumeliæ & inhonoranda crudelitas, tot modis & vicibus in Principem tantæ Majestatis evomita, qui debitor est ad honorem proprium, & famam suam negligere non intendit.

MEMORIALE

Continens prosecutiones Joannis Gersonii, Adversùs Assertiones Joannis Parvi.

Cod. 2538. fol. 260. verso.

MEmorialia sequentia, præter plurima alia, quæ gratiâ honestatis dimittuntur, efficaciter probant, & clarè ostendunt quòd Magister Joannes de Gersonno, qui asserit se Ambasiatorem Christianissimi Regis Franciæ, movit & promovit, prosecutusque est, activè factum condemnationis Propositionis quondam Magistri Johannis Parvi, in scandalum Illustrissimi Ducis Burgundiæ, & hoc per septem Menses & infra continuantes, ante citationem effectui demandatam Episcopi Parisiensis, & Fratris Joannis Poleti &c. qui fuerunt citati XXIV. Mensis Octobris. Anno XV. in Concilio Generali Constantiensi. 1415. XXV. Junii.

Et primò. Die Jovis, post *Quasimodo*, XI. Mensis Aprilis, in stupha magna habitationis R. P. Domini Cardinalis Cameracensis, de ipsiusque scitu & beneplacito, & in ipsius præsentia, assistentibus quamplurimis Prælatis, Episcopis & Abbatibus, Doctoribus, Licentiatis & Bachalariis, specialiter in Theologia Facultate. Post plurima verba pungitiva, legit cedulam sequentem, quam primò projecerat, per despectum, ad pedes dicti Domini Cardinalis, eo quòd non ita citò dabatur sibi tempus ad legendum, sicut affectabat inde totus furiosus videbatur. Est autem tenor cedulæ talis.

„Conformiter ad instructiones Christianissimi Re„gis Francorum, & carissimæ filiæ suæ Universitatis „Parisiensis, & ad Litteras Patentes ejusdem Re„gis, & etiam ejusdem Universitatis, proponantur „eæ Conclusiones, quas deffendere nos offerimus, si „quis apponere quicquam voluerit.

„Condemnatio Propositionis defuncti Magistri „Johannis Parvi fuit catholicè facta, tanquam de „Propositione continente errores plurimos in Fide „& bonis moribus, & multipliciter scandalosos. Pro„videndum est prædictis erroribus, ad extirpatio„nem &c. Condamnationi prædictæ repugnantes „pertinaciter &c. illi sunt fautores prædictæ pra„vitatis hæreticæ, qui Ducem &c. attendatur quòd „prædicta condemnatio facta est Parisius &c.„

Cedula prædicta cum quatuor Conclusionibus suis, & cùm attendatur &c. fuit exhibita per Procurationem Ducis Burgundiæ, die Martis XXV. Mensis Iunii, ad docendum quòd ipsi non moverunt primò, nec activè materiam condemnationis &c.

Item. Sequens Propositio fuit distributa per dictum de Gerssonno nonnullis Universitatibus & Magistris in Theologia, ac pluribus aliis Magistris fuit publicè communicata, in scandalum præfati Domini Ducis, & Magistri quondam Johannis Parvi, scilicet Constantiæ, in Concilio Generali existenitbus, die quarta Junii, Anno XV.

Sequitur casus brevis Sententiæ latæ Parisius, contra Propositionem Magistri Johannis Parvi, quæ intitulatur, Justificatio Ducis Burgundiæ.

Præsuppositis modis & circumstantiis mortis improvisæ &c. cum pluribus aliis mendosis in quadam cedula contentis per Dominos Ambassiatores & Procuratores, exhita Dominis Judicibus Fidei, ad eundem effectum, die Lunæ, secunda Septembris. Anno eodem.

Item. Die Martis, quarta Junii. Anno eodem: ad dicti Gersson instigationem; coram deputatis quatuor Nationum, fuerunt lectæ quædam Litteræ Regiæ, ut dicitur, Patentes, die data xxvii. die Decembris. Anni M.ccccxiv. In quibus Litteris continebantur dictæ novem Assertiones, quæ narrabantur fuisse extractæ à Propositione Magistri Parvi, quam appellabat Justificationem &c. Parisius condemnata. Et rogabat dictus Gersson, ex parte Regis, quòd Concilium dictam Sententiam confirmaret.

Item. Die Veneris vii. Junii ejusdem Mensis, post prandium; Dominis Cardinalibus Cameracensi & Florentino, præsentibus, & quamplurimis aliis Ambassiatoribus &c. Dixit Gersson quòd in Regno Franciæ pullularunt certi errores, inter quos tradidit novem, in quadam Sententia, quos dixit Parisius fuisse condemnatos per Episcopum Parisiensem; cujus Sententiam asserebat fuisse catholicè latam, & illam, ut talem, paratus erat sustinere, usque ad ignem: & in hac parte se faciebat denunciatorem, de quo petiit Instrumentum, & habet signatum *M. Bolosonis, & Gisceros.*

Item. Die Sabbati viii. Junii, ejusdem Mensis, horâ Vesperorum, in domo Florentini, Domino Sigismundo Rege Romanorum Serenissimo præsente, & Domino Florentino cum nonnullis aliis, fuit hæc materia per Dominum Cameracensem agitata.

Item ix. Junii, ejusdem Mensis, in magna Aula Augustinentium, tertiâ horâ post meridiem, idem de Gerssono, præsente multitudine copiosa Doctorum Theologiæ & Decretorum, proposuit ut supra die Veneris, & exhibuit unum rotulum in quo continebantur dictæ Assertiones, cum quibusdam prætensis & frivolis reprobationibus earundem, de quibus dicebat se esse denunciatorem. Et erant isti termini, *dolus*, *viliter*, in tertia & quarta Assertionibus. Et tradidit Notario publico, scilicet Magistro M. Bolosonis.

Item. Die Mercurii, xx. Junii, ejusdem Mensis, in domo Augustinensium, eadem materia fuit per eundem de Gerssono agitata, præsente Domino Rege Romanorum, dictis duobus Dominis Cardinalibus, & Dominorum Ambassiatorum, Doctorum &c. multitudine copiosa.

Item, Die Sabbati, quæ fuit xv. Junii. in Sessione fuerunt dati Commissarii in causis Fidei &c. & eadem die, horâ Vesperorum, convenientibus dictis Commissariis in magnâ stupha Augustinensium, dictus de Gerssono novem Assertiones prædictas produxit tanquam errones &c. Et ibidem dixit quòd aliàs denunciaverat, & adhuc denunciabat, secundùm tenorem cujusdam cedulæ per eum tunc exhibitæ, quæ incipit: *Coram vobis, Reverendissimi Patres & Domini præclarissimi &c.*

Item. Eadem die & hora, exhibuit aliam cedulam continentem dictas Assertiones, cum earum prætensis & frivolis reprobationibus, quod debuit notari in Processu.

Item. Die Lunæ xvii. Junii, ejusdem Mensis, requisivit Dominos Commissarios præfatos quòd secundùm formam Juris procederent celeriter ad confirmationem condemnationis earumdem. Quæ petitio debuit poni in Processu.

Joannis Gersonii Sermo, contra Assertiones Jannis Parvi, circa Præceptum, Non occides. *Tom. II* p. 11. p. 338.

Sequitur: Reprobatio novem Assertionum.

Primò, per Authoritates.
Secundò, per Rationes.
Tertiò, per Exempla.

PRIMA PARS.

Continens Authoritates jam relatas supra, in Sententia à Joanne Gersonio lata in Concilio Parisiensi. Post quas sequitur.

QUoniam desunt multis Reverendis Magistris in Theologia, qui sunt in hoc sacro Constantiensi Concilio, originales Libri Sanctorum: placeat quòd pro reprobatione primæ Assertionis, & aliorum ex ea sequentium, videant igitur originalia Sanctorum posita in Decretis 2. q. 1. per totum; ubi dicitur quòd *Nullus est condemnandus*, præsertim ad mortem, *absque judiciario ordine*: imò etiam, quòd *In notoriis, oportet quòd per Judicem notorietas declaretur*: quantò minùs hoc posset fieri per illum qui non habet publicam authoritatem? Et quòd *Idem non est accusator, testis & Judex*; videantur in spirituali * capitula ista. Primum, ex authoritate Augustini: *Nos in quemquam*. Secundum, ex authoritate Constantini: *Judex criminosum*. Alterum ex verbis Augustini. *De pœnitentia multi corriguntur*. Et capite sequenti ex eodem Augustino: *Si peccaverit*. Alterum ex authoritate Evaristi Papæ: *Deus omnipotens*.

* *fortè* speciali.

SECUNDA PARS CONSIDERATIONIS.

Per rationes.

Prima Ratio.

SUbditus & vassallus non est Judex legitimus Domini sui, ad judicandum eum personaliter, præsertim ad mortem; sed in casu primæ Assertionis oporteret oppositam dare, quæ dicit quòd licitum est unicuique &c.

Hoc autem non esset verum, nisi occisor constitutus esset undecumque Judex legitimus occisi, ita quòd ex opposito sequitur oppositum; & tali potest dici, quis te constituit Judicem super istum non subditum, non præmonitum; te, inquam, subditum ejus vel vassalum, vel servum fortè vilissimum.

Porrò, qualis Lex permittit in causa mortis alterius, quòd idem testis sit, Judex, pars, & executor? Et quòd si, juxta Legem divinam, nemo ad testimonium vnius debet mori; quantò minus ad testimonium nullius? Rursùs, si culpat Apostolus illum qui judicat alienum servum? De illo quid dicemus qui proprium judicat Dominum, etiam ad mortem turpissimam? cùm dicit Petrus: *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* 1. Pet. ii. 18. Non dicit: Interficite.

Amplius. Populares non possunt ad arbitrium punire Dominos suos, sicut est condemnatus Articulus

culus contra Wicleff: sed hæc Assertio dicit longè pejus, quia dicit quòd subditi possunt occidere, imò debent, sicut infra deducetur, qualicumque fidelitatis juramento non obstante. Et ita, juxta dictum Serenissimi Romanorum Regis, perniciosior est hæc doctrina, quàm proprius Wicleff, in hac parte, unde & in aliquo Articulo damnato ponit Wicleff, quòd Principes, vel laïci possunt Clericis delinquentibus removere bona temporalia: hîc autem dicitur quòd à Principibus tyrannisantibus removeri debet vita, authoritate privata, vel populari; posset igitur, à fortiori, similiter removeri pecunia.

Ampliùs. Sacerdos non potest prædicare, nisi autoritate publica fungatur; sicut patet ex condemnatione unius Articuli Wicleff, & Joannis Huss, & per Decretalem. Cùm autem prædicatio non sit de se illicita, quemadmodùm occisio hominis; sequitur quòd absque authoritate publica, seu jussione, non poterit tyrannus occidi: & pejor est in hoc Assertio, quàm Joannis Wicief, ut mediatè dicebatur. Similiter argueretur de Libellis famosis, quos non licet ponere contra quemcumque, propria authoritate: hoc tamen minùs est quàm occidere.

Similiter arguitur, de accusatione in Judicio: quia nisi probat accusator, punitur pœnâ talionis. Punitur ergo rationabiliùs ille qui occidit, si in probatione, quòd egit rationabiliter, defecerit. Et ita de similibus multis, quæ nedum Lege divina, sed naturali & politica prohibentur, quatenùs nemini sit fas sibi ipsi Jus didiscere, secundùm Leges. Similiter apud pueros in scolis, hæc est statuta Lex, ut nullus de altero quantumcumque lædente ipsum, vindictam accipiat; alioquin verberatur tanquam lædens authoritatem Magistralem. Imò & apud latrones, Turcas & paganos, Lex hujusmodi perseverat. Imò & apud dæmones, pro statu præsenti; juxta quod arguit Christus de sathana qui nequaquam in se ipsum divisus est. Rursùs hoc est contra hierarchicum ordinem cujuslibet naturæ, per quam, secundùm Dionysium, constitutum est à Lege divina, ut infima reducantur ad superna, per media, nemo sibi Judicis authoritatem vel honorem usurpet.

Ampliùs. Si ab hoc Præcepto venerabili, *Non occides*, excipitur tyrannus; vel hoc est propter enormitatem criminis, & hoc, non quia hæreticus est pejor; vel quia reperitur expressum in Juribus, & hoc non, imò prohibitum.

Ampliùs. Si ille qui vult occidere Regem suum, potest à quolibet interfici, aliter quàm vim vi repellendo: cùm inducere Regem ad peccatum mortale, ut est hæresis, sit pejus; poterit ergo quilibet interfici, qui machinatur Regem inducere ad hæresim vel peccatum.

Ampliùs. Si sufficit ad interfectionem dicere, quòd interfectus volebat occidere Regem, absque alio documento notorio; videmus quanta esset libertas in occidendo Dominos suos, pro arbitrio subditorum.

Ampliùs. Fiat deductio contra omnes Assertiones, simul una principali radice; quæritur itaque, si peccatum tyranni det unicuique subdito, vel vassallo authoritatem legitimam occidendi eum: aut vassallus peccat differendo; si peccat, ergo tenetur interficere eum statim dùm potest: & ita jam non est tyrannum licitum interficere, sed debitum. Si non peccat, ergo tenetur observare juramentum fidelitatis, quo tenetur Domino suo ut vassallus: & ita, si interficit, perjurus est, & peccat, & sic est ex consequenti, non meretur; cujus oppositum dicit prima Assertio, & tenetur servare juramentum fidelitatis, seu confœderationis, cujus oppositum dicit ultima Assertio, & non tenetur occidere per insidias & turpiter, contra alias Assertiones. Unde Judex ordinarius & legitimus non posset hoc licitè, quia deberet ordinem Juris observare, scilicet vocando eum, & examinando, cum ceteris circunstantiis.

Ampliùs. Resolvendo materiam ad radicem difficultatis, videbimus quòd non potest inveniri verificatio primæ Assertionis, & consequenter aliarum, nisi in casu solo, ubi vim vi oporteret pro A Rege repellere, in casu scilicet quòd Rex esset in tali periculo mortis, per unum proditorem, de quo loquitur Assertio, quòd non posset aliter evadere mortem, nisi proditor ille, vel tyrannus mox interficeretur per unum vassallum Regis qui hoc posset, & nullus, pro tunc, alius deffensor appareret; in quo casu peccaret vassallus Regis, si non deffenderet Regem à morte, etiam per occisionem proditoris, si non posset aliter fieri. Et ita veniemus ad hoc, quòd vassallus in nullo casu potest interficere prædictum proditorem, nisi in casu necessitatis, in quo peccaret omittendo: constat autem quòd prima Assertio, consequenter aliæ, generaliùs se extendunt, & ideò falsæ & malæ sunt.

Ampliùs. Subditus & vassallus, qui privata Lege B interficit proditorem illum vel tyrannum, de quo loquuntur Assertiones, non habet plùs de authoritate legitima, quàm haberet Judex ordinarius prædicti tyranni, sicut constat: sed Judex ordinarius, sicut Rex, non posset interficere talem proditorem non monitum, non citatum, non convictum. Patet igitur falsitas Assertionum.

Ampliùs, quæritur. Si subditus vel vassallus interficit tyrannum illum de quo loquuntur Assertiones: aut hoc facit propria authoritate, interficiendo eum; vel hoc solùm facit, quia interdit protegere Regem suum à morte: si primum intendit principaliter, ipse peccat, estque homicida propriè, etiam ubi aliter justè meruisset mori, secundùm Augustinum & Doctores: si secundum principaliter intendit, hoc non potest contingere, nisi in casu justæ & necessariæ deffensionis, scilicet vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & hoc est, quòd Rex suus non potest aliter evadere. Constat autem quòd Assertiones generaliùs po- C sitæ sunt.

Ampliùs. Assertiones concludunt quòd interfector, de quo fit sermo, debet laudari, & remunerari, tàm à Rege quàm à ceteris; & quòd debet factum suum laudari & publicari tanquam licitum & meritorium. Rex igitur, vel quicumque alii fideles, si reprobant illum interfectorem, & dicunt quòd malè fecit; vel si voluit eum vexare, diffamare, vel privare *, peccant gravissimè & injustè agunt: imò errant in Fide & moribus, & sunt maledicti, dicentes bonum malum & malum bonum; & si hoc pertinaciter agunt, hoc est si nolunt desistere, sunt palam hæretici. Qualia verò sint hæc & inconvenientia, cæcus est qui non videt.

Ampliùs, quæritur. Si talis proditor potest repelli ab occisione Regis, per alium, & alio modo, confœderatus poterat, & ita debebat servare ju- D ramentum fidelitatis, & confœderatum non occidere; sed dicitur secundum. Ipse igitur erat solus qui hoc modo & hoc tempore debebat Regem suum deffendere, & ita nullus alius hoc poterat vel debebat quin peccasset. Loquitur ergo minus generaliter Assertio.

Ampliùs. Arguitur in speciali contra illam Assertionem quæ ponit quòd observare semper sensum litteralem sacræ Scripturæ, est occidere animam suam: & hoc ponitur, quia dicit assertor quòd cuilibet licitum interpretari sensum Scripturæ sacræ, & divinorum Præceptorum, & uti epicheia,

* *fortè* punire.

cheia, quando casus occurrit; sicut ponitur de hoc Præcepto, *Non occides*, quòd in casu necessitatis inevitabilis, volendo deffendere civitatem unam, vel suum Regem, potest aliquis, privata authoritate, invasores occidere, sine agendo contra verum intellectum hujus Præcepti, *Non occides*.

Videamus hîc primò quòd habemus ex hac declaratione illud quod prius arguebamus, scilicet quòd in solo casu necessitatis, ubi non patet aliter salvatio sui Regis, Assertio prima haberet veritatem. Rursùs dicimus quòd in casu talis necessitatis, occisor esset innocens apud Deum, & non esset verè homicida; quia non intenderet occidere, sed Regem suum à morte imminente protegere: sicut Judex non rectè intendit interficere; sed Legibus obedire. Dicamus consequenter quòd si posset ostendere judicialiter, talem fuisse casum necessitatis inevitabilis, judicaretur absolutus, imò laudaretur. Sed si non vult, aut non potest ostendere, tunc Judex publicus debet eum sicut verum homicidam reputare, & damnare, non laudare. Constat autem quòd Assertiones loquuntur sub generalitate majori.

Ampliùs. Circa Assertionem de juramento, seu confœderatione; quæritur si transgrediens confœderationem poterat absque peccato servare illam, vel non: si primum, tunc tenebatur illam observare, & transgrediendo peccabat, quia non vergebat in detrimentum animæ. Si secundum, illud juramentum non fuerat licitum, si tale periculum animæ præjudiciabatur dùm fiebat juramentum, aut si non præjudiciabatur tale periculum animæ, sed occurrit nunc ex improviso, benè conceditur quòd peccaret observando talem confœderationem, sed hoc esse non potest, sicut argutum est priùs, nisi dicatur quòd fortior obligatio supervenit, propter casum necessitatis inevitabilis, quæ compellit occidere talem confœderatum, vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & non est alius casus in quo juramentum illud non sit observandum, stando in terminis in quibus Assertiones pejores positæ sunt.

Ampliùs. Ibidem, sub brevibus terminis. Aut Assertio hæc nova loquitur de præjudicio temporali, vel spirituali. Si primum, tunc tale præjudicium, etiam mortis corporalis, non impedit quin Fides sit servanda, ex quo non vergit in animæ detrimentum: quoniam hoc requirit ordo charitatis, quòd plus debet amari anima, quàm corpus. Si autem loquitur principaliter de præjudicio animæ; tunc Assertio vera esset: sed hoc debuisset explicari, quod nedùm non factum, sed oppositum datum est intelligi: loquitur enim Assertio de præjudicio uxoris vel liberorum. Constat autem quòd juramentum factum à marito, vel à Patre, non vergit in præjudicium uxoris, animæ, vel filiorum, licèt aliquando vergat in præjudicium temporale, sicut patet in juramentis Nobilium, qui redeunt ad suos hostes, reliquendo Patriam, uxores & liberos, & reddendo se in carceribus suorum hostium, quorum arbitrio possunt mori. Patet etiam de mercatoribus, qui pro servando fidem, perduntque suam totam substantiam.

Ampliùs. Arguitur inquisitivè, præsupposito casu Assertionum. Quæritur utrum occidens tyrannum cum quo habet confœderationes, sciat certitudinaliter & notoriè quòd ille tyrannus sic machinatur in mortem Regis &c. Aut scit hoc tantummodò probabiliter, aut per conjecturas: primum non ponitur in Assertionibus, & secundum non sufficit ad inferendum certam mortem. Præterea Assertio loquitur de machinatione per fraudem, vel sortilegia. Sed sæpiùs evenit quòd talia sciri nequeant certitudinaliter, ex notorietate, cum machinatione, de vi vocabuli, & similiter fraus nocens secretum vel celationem.

Ampliùs. Inquiritur, si tyrannus ille, seu proditor, de quo fit sermo, posset & vellet coram Judice ordinario judicari; an esset authoritate privata interficiendus per subditum, vel confœderatum, aut vassallum: & constat quòd non; quia nullus quantumcumque criminosus, vel adversarius, debet interfici, privata authoritate, si potest per publicam authoritatem fieri Justitia de eo: imò nec damnatus ad mortem, potest authoritate publica * interfici; quoniam fit homicidium verum & malum. Sic diceretur de desertore militiæ, de fure nocturno, de insidiatore in stratis publicis, imò de hostibus in bello justo; quia si possunt isti & similes subjugari, judiciario ordine, & publico, ille ordo semper est proponendus. Oportet igitur quòd interficiens tyrannum, de quo sermo, sciat certitudinaliter quòd nullo modo potest de illo tyranno Justitia fieri, neque sufficiunt conjecturæ. Sed hoc non ponit Assertio: quare &c.

Ampliùs. Confirmando præmissa, sic arguitur: Rex nullum quantumcumque criminosum potest aut debet occidere, vel occidi facere, Juris ordine prætermisso, si potest ordinariè, sine manifesto periculo Reipublicæ procedere: constat autem quòd nulla privata persona habet majorem authoritatem supra non sibi subditum, quàm Rex habeat in subditos: ergo &c.

Ampliùs. Cùm contingat ab omni Cœtu & Politia tyrannidem exerceri, sicut Papa potest esse tyrannus super Ecclesiasticos; & Abbas super Monachos & Capellanos; & maritus contra uxorem & servos; ecce quanta datur licentia, quòd quilibet possit ut tyrannus interfici, etiam per Sacerdotem & in loco sacro, & per vilissimas personas & confœderatas, & subitò sine diffidatione, per veneficia & per mendacia. &c.

Ampliùs. Licèt istæ Assertiones videantur solùm loqui de tyranno; illæ tamen extenduntur ad omnem hominem generaliter, sive virum, sive mulierem. Ratio est; quia de qualibet persona dici potest quòd machinatur in mortem sui Regis, vel naturalis Domini, per fraudes vel sortilegia, & quòd hoc facit, ut auferatur Dominatio Regalis vel naturalis à suo Rege vel Domino. Constat autem quòd ex casu Assertionis, licitum est, imò meritorium talem personam occidere, vel occidi facere, propria authoritate. Et si opponitur quòd non, quia Superior potest de tali persona sumere Judicium, hoc non valet: primò, quia quilibet poterit oppositum fingere vel asserere; ex quo non requiritur certitudo & notorietas, sicut deductum est priùs. Item. Quia Assertio prima cùm addit istud adverbium, maximè, ** præsupponit veritatem illorum quæ præmissa sunt; sed specificat casum in quo magis seu maximè illa quæ præmittuntur habent veritatem. Exemplum est in Juribus: non autem præmittitur quòd non possit aliter fieri Justitia.

Ampliùs. Epilogando sic arguitur: Præcepta moralia, præsertim generalia, quæ data sunt hominibus, tanquam prima principia regulantia vitam uniuscujuscumque habentis usum rationis, debent esse clarissima, & quæ non egeant difficili & varia interpretatione; & maximè illa quæ conservant humanam Politiam in sui firmitate & civilitate, sicut ista tria, *Non occides. Non assumes nomen Dei tui in vanum*, Exod. xx. 7. non occides per industriam & insidias.

Itaque Præceptum quodlibet præsupponit unam Assertionem, quæ non minùs tenenda, quàm Articulus Fidei, ut istud Præceptum, *Non occides*, præsup-

* *fortè meliùs* privata. ** *fortè deest* non.

supponit, quòd nullatenùs est occidendum, sic intelligendo, quemadmodùm Legislator debet intelligi; & ita de reliquis: propterea error in talibus, est error in Fide, quæ præsupponit, & substernit sibi Jus naturale. Unde licèt occidere, non sit hæresis; tamen asserere quòd liceat occidere, est hæreticare: & ita de perjurio & reliquis. Constat autem, ex determinatione Doctorum omnium, quòd Præceptum istud, *Non occides*, habet hunc intellectum planum & grossum, quòd nullus homo debet occidi ab alio spontè, vel ex intentione, si non A habeat publicam authoritatem, vel administrationem. Debet igitur teneri in suis terminis, nec est alicui fas aliter interpretari: dicitur autem spontè, vel ex intentione, propter illos qui vim vi coguntur repellere, aut qui occidunt à casu; tales intentionem occidendi non habent.

Rursùs, hoc Præceptum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*; docet quòd omne juramentum deliberatè & licitè factum, est servandum, dùm non vergit in animæ detrimentum, etiam usque ad mortem corporalem; quia plùs debet anima & ejus Fides diligi, quàm corpus. Unde si prohibetur omne mendacium, magis multò perjurium: non negatur tamen quin in omni juramento rationabilis authoritas Superioris, & Dei reverendis *, & Prælati dispensatis † intelligatur excepta. B

Rursùs, hoc Præceptum, de non occidendo, per industriam & insidias, docet quòd nullus potest parare insidias licitè proximo, tanquam media licita, per quæ moriatur ex improviso; & hoc, inter cetera, propter periculum damnationis animæ, cujus salus debet præferri saluti, nedùm corporis alicujus, sed proprii; ita quòd nullus, non præmonitus, nec diffidatus, potest voluntariè interfici, quia si sit diffidatus, jam non debet censeri mortuus subitò, cùm sibi præcavere debuerit.

Constat autem quòd novem Assertiones prænominatæ patenter evertant hæc tria Præcepta sic intellecta, & per Doctores sacros sic exposita, & quæ sunt de primis impressionibus, vel inscriptionibus naturæ, seu Juris naturalis, & quæ nemo capax rationis permittitur ignorare. C

Ampliùs. Si tyrannus contractè acceptus pro illo qui machinatur in salutem Regis sui, debet licitè interfici à quocumque subdito &c. multò magis debet interfici, aut mandari interfici tyrannus ille qui machinatur contra salutem totius Reipublicæ, quantò bonum commune melius est quàm bonum particulare; & quòd hoc licitè fiat à quolibet subdito Reipublicæ &c. Hoc autem dicere, est palam favere huic Assertioni, *Quilibet tyrannus* &c. quæ ut hæretica damnata est in hoc sacro Concilio.

Ampliùs. Deduci præmissa possunt per exempla ab historiis sacris, & aliis authenticis assumpta, ostendendo qualiter nemo, privata authoritate, occidens alterum spontè, & absque divina revelatione laudatur, sed inculpatur, conformiter ad dicta & authoritates Sanctorum. Nullus præterea frangens D juramentum, volens evitare proprium dispendium, vel suorum, laudatur; sed non insidiæ in quibus est mendacium, vel juramenti fractio, unquam laudatæ sunt.

Ex hac consideratione respondetur faciliter & veraciter ad omnes historias quæ possent induci pro præmissis Assertionibus. Unde si laudantur occisores tyrannorum, vel aliorum, hoc est quia fungebantur publica authoritate; ut quia occisi, erant hostes Reipublicæ & diffidati; aut divina revelatione quandoque fiebat hoc.

Sic patet quod dicendum est de Lameth, qui occidit Caïn, quamvis sceleratissimum, quia inde punitus est. *Gen.* IV.

De Moyse, qui occidit Ægyptium, *Exod.* II. & *Act.* VII. ubi patet quòd habuit Mandatum à Deo.

De Simeone, & Levi, qui occiderunt Sichimitas; & inde maledictionem Patris incurrerunt, *Gen.* XXXIV.

De Phinées, qui occidit Zambri. *Num.* XXV. Ubi patet quòd habuit Præceptum à Deo, & Moyse.

De armigero, qui interfecit Saül, patet quòd malè 2. *Reg.* I.

De Ajoch, qui occidit Eglom. *Judith.* III. Hoc benè, quia erat hostis publicus diffidatus.

De Jaël qui interfecit Cisaram. *Judith.* IV. Videatur de Lira, quare laudatur.

De Samuele qui occidit Aghog; patet, *Regum Decimo sexto.* Benè, quia erat hostis publicus.

De Absalon occiso per Joab 2. *Regum. Decimo tertio,* Benè; quia erat hostis publicus, & vita fuisset periculosissima.

De Abner filio Ner, quem idem Joab occidit, fundendo sanguinem belli in pace. *Secundo Regum.* In hoc pessimè, & inde occisus est per Salomonem.

De Helia, qui occidit Prophetas Baal 3. *Regum* XVIII. Benè quia habuit Præceptum Dei.

De Jehu, qui indiosè loquutus est, nec tàm de mendacio laudatur quàm de zelo. 4. *Regum.* X. Sicut & Judith non laudatur de mendacio, sed de vero.

De Olopherne occiso à Judith. *Judith.* XIII. ut supra.

De Athalia, quam occidit Joyadas 4. *Regum.* XI. Benè, quia erat hostis publicus, & Joyadas habebat authoritatem.

De Johas occiso à servis. 4. *Reg.* XII. Servi puniti sunt.

De Sennacherib occiso à filiis, 4. *Regum* XIX. Hoc justo Dei Judicio, cum peccato filiorum.

De Sedechias, qui fregerat pactum initum cum pessimo idolatra Rege Babilonis; inde tamen punitus.

De Regulo, qui rediit ad Carthaginenses sævissimos ut servaret fidem: imò tunc erat mos Romanorum, quòd si quis non observaret juramentum suum præstitum hostibus, mittebatur captivus & ligatus ad eos; sicut narrat Tullius 3. *de Officiis.*

Item, de morte Julii Cæsaris fuerunt apud Romanos sententiæ contrariæ: quidam, sicut Valerius Maximus, & sui similes, dixerunt mortem ejus fuisse injustissimam, & vocant interfectores ejus patricidas, quia non reputabant eum tyrannum: alii, sicut Tullius, dixerunt oppositum, quia reputabant Cæsarem publicum tyrannum atque notorium, & pro tali à Senatu & populo Romano habitum; & ita consequenter dicebant eum autoritate publica rarionabiliter occisum.

Sequitur schedula quædam circa declarationem falsitatis primæ Assertionis, quæ fundatur circa illa quæ habentur 2. Quæst. I.

ITaque pro declaratione primæ Assertionis, quæ sic incipit: *Licitum est unicuique subdito &c.* Placeat attendere quantum bonum: & similiter verum fuit ex omnibus circunstantiis, ut dicit Dionysius. Si deficit una circumstantia, Propositio universalis redditur falsa: requiruntur autem multæ circumstantiæ, si prædicta Propositio debet dici vera.

Prima Circumstantia.

REquiritur ad verificationem ejus quòd ille de quo loquitur, sit notoriè tyrannus talis sicut describitur; & hoc notorietate Juris, vel facti. Alioquin quilibet fingere posset de quolibet quòd est ty-

* *fortè legendum* reverentia. † *fortè* dispensatio.

tyrannus. Et notetur quòd sit notorium Juris, qui scilicet reus, confitetur in Judicio, & profertur Sententia contra eum: & quid est notorium facti, quod sileat * nulla potest excusatione negari; quia scilicet sic semper evenit in talibus argumentis. Unde non est procedendum ad certam mortem, ex incertis & levibus conjecturis, vel suspicionibus non probatis.

Item, requiritur quòd sit notorium talem, de quo loquitur, non posse comprimi per Superiorem A suum; & hoc notorietate Juris vel facti, ut priùs; alioquin quilibet fingere posset, ut priùs; & ita periret omnis Politia & dominationis autoritas, & in Regno, & in Civitate, & generaliter in omni societate.

Item, requiritur quòd non sit probabile talem de quo loquitur non posse occidi per alium æquè benè: alioquin mille & mille deberent concurrere ad occisionem unius tyranni, sine Lege & ordine; ex quo ponit Assertio cum suis corollariis quòd à quolibet debet tyrannus talis occidi.

Item, requiritur quòd non sit probabile quòd expediat tolerare talem tyrannum, ne deterior exitus proveniat: alioquin periret consilium Christi, de non eradicandis zizaniis &c.

Item, requiritur quòd non sit probabile talem tyrannum esse faciliter corrigibilem; vel quòd B possit aliter comprimi cum facilitate majori: alioquin non daretur locus correctioni & timori Domini.

Item, requiritur quòd non fiat occisio talis tyranni insidiosè & subitò, cum certo detrimento animæ suæ, ubi potest aliter fieri, prout requiritur utilitas Reipublicæ & animæ salus; quoniam in hoc fundatur Decretalis, *Pro humani. De assassinis.*

Item, requiritur quòd ad occisionem talis tyranni, non assumantur media de se mala, ut sunt fictæ confœderationes, imò execrationes, & falsa juramenta, & mendacia; quoniam non sunt facienda mala ut eveniant bona. *Rom.* III. 8. secundùm Apostolum: & quia simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia iniquitas est & simulatio pro hoc & illud: *Quod justum est, justè exequeris.*

Item, requiritur, conformiter ad præcedentem circunstantiam, quòd bono animo fiat hæc occisio, non ex vindicta, vel rancore, vel ambitione: sed intuitu Legis divinæ, & civilis, & pro rei communis utilitate, cum omnibus circumstantiis aliis C moralibus, quando & ubi oportet &c.

Ratio est sicut ad præcedentem, verùm non debet occidi per Sacerdotem in loco sacro &c.

Imò, si prædictæ conditiones omnes concurrerent, quòd scilicet aliquis esset notoriè tyrannus & incorrigibilis per Superiorem, & intolerabilis subditis.

Nihilominùs sanctus Thomas, in suo, *De Regimine Principum, ad Regem Cypri*; & Magister Nicolaus Oresme, in translatione sua, circa principium quinti Politicorum; & alii plures, dicunt & deducunt, ex intentione, quòd talis tyrannus magis est Judicio Dei reservandus, quàm per privatam autoritatem, vel seditionem occidendus. Videatur eorum rationibus.

Constat autem quòd in hac parte magis creden- D dum Catholicis Doctoribus, quàm Philosophis infidelibus, si forsitan in factis, vel in scriptis: quemadmodùm judicabant opus esse fortitudinis, semetipsum occidere: & multa alia similia, quæ Lex Christiana condemnat.

Et notetur in prima Assertione illud adverbium *maximè* quòd præsupponit veritatem illius quod præcedit, & illud est clarè falsum quod sic permittitur.

* *fortè* scilicet

COPIA INSTRUMENTI, Cod. 2537. fol.

Quomodò Facultas Decretorum Parisiensis increpat, non adhæret, imò desavoat Magistrum Johannem Gerson, tam in quadam Propositione facta coram Rege. 1415. XIX. Aug.

Tom. V. Histor. Universit. Parisiensis Pag. 236. 254.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

NOverint Universi, hoc præsens publicum 1413. Instrumentum inspecturi, quòd Anno ejusdem Domini MCCCCXIII. more Gallicano; XXX. Dec. Indictione septima, Mensis Decembris die ultima, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Johannis, divinâ providentiâ Papæ XXIII. Anno quarto, alma Matre Universitate Parisiensi convocata, & solemniter congregata apud sanctum Maturinum, post Sermonem dictæ Universitatis, super duobus Articulis, quorum primus erat ad audiendum Litteras Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ: secundus, & ultimus Articulus, erat super supplicationibus, & injuriis. Litteris verò præfati Domini Ducis Burgundiæ in dicta congregatione præsentatis, & per eandem Universitatem benigniter receptis, & in præsentia omnium Dominorum Doctorum, & Magistrorum singularum Facultatum, & Nationum ibidem congregatorum, à diversis eidem Universitati transmissis, pluribusque aliis negotiis eandem almam Matrem Universitatem tangentibus, per magnæ scientiæ virum Magistrum Joannem de Templis, ejusdem almæ Matris Universitatis Rectorem declaratis, propositis, & narratis, & per eundem in deliberationibus ante dictorum Dominorum Doctorum, & Magistrorum positis: singulæ Facultates & Nationes se traxerunt ad partem, & ad loca sua consueta, ut super iis deliberarent quid agendum esset super prædictis. Et post magnam, diuturnam, & maturam deliberationem inter venerabiles Doctores venerandæ Facultatis Decretorum habitam: in mei, Notarii publici, testiumque infra scriptorum, ad hoc vocatorum, & rogatorum præsentiâ, personaliter constitutus Venerabilis, Religiosus, & circumspectus vir, Dominus Robertus de Becco, Prior Prioratûs de Prato, Ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis Diœcesis, Decretorum Doctor, & Decanus ejusdem venerandæ Facultatis Decretorum; dixit, & declaravit quòd super Litteris præfati Domini Ducis Burgundiæ, ac aliis, in præfata Congregatione lectis, negotiisque per præfatum Dominum Rectorem narratis, & in deliberationibus Doctorum, & Magistrorum ibidem congregatorum positis; eadem veneranda Facultas Decretorum deliberavit, modo & forma sequentibus.

Primò. Super Litteris Communitatis Civitatis Remensis, & venerabilis Capiutli Ecclesiæ Remensis, Facultas vult laborare pro Domino Abbate sancti Remigii Remensis, & juvare ipsum, quantùm poterit, erga Regem, & Dominos de sanguine suo, & etiam Dominum nostrum Papam, scribendo pro ipso, & procurando quòd Rex, & Domini scribant dicto Domino nostro Papæ, & etiam Dominis de Capitulo Remensi, eos exhortan-

tantes quòd eligant præfatum Dominum Abbatem in suum Præsulem; ac aliis quibus fuerit scribendum.

Et quo ad proposita, & narrata per præfatum Dominum Rectorem de Concilio Generali, deliberavit eadem Facultas quòd, omnibus viis, & modis possibilibus, fiat dilgentia de convocatione ipsius Concilii Generalis.

Et quantùm ad rotulum, videtur eidem Facultati quod expedit ipsum differre, usque post Concilium Generale, certis de causis etiam ad hoc moventibus.

Quò verò ad Litteras Domini Ducis Burgundiæ; eadem Facultas Decretorum sibi regratiabatur, de multiplici communicatione suarum Litterarum, de bona affectione quam semper habuit, habet, & habere intendit ad bonum pacis, bonum Regis, Domini Aquitaniæ, bonæ villæ Parisiensis, & totius Regni. Vultque eidem scribere, sibi regratiando, & ipsum exhortando, ut perseveret in suo bono, & sancto proposito.

Ulteriùs deliberavit eadem Facultas quòd proponatur coram Rege, Domino Aquitaniæ, & aliis Dominis de sanguine suo, exponendo eisdem, & suo Consilio, bonam affectionem ipsius Domini Ducis, declarando omnia & singula puncta contenta in dictis Litteris suis Universitati transmissis, & etiam coram Dominis de Parlamento, si sit opus, & civibus de bona villa Parisiensi; & quòd Domini exhortentur ad tenendum cedulam Pacis per eos concordatam, & juratam, in præsentia Regis, in suis terminis; eos requirendo, & eis supplicando quòd si aliquid fuerit factum, aut attemptatum in contrarium tenoris dictæ cedulæ, quòd illud reparetur.

Insuper deliberavit eadem veneranda Facultas, ut cesset omnis occasio divisionis, & turbationis, quòd injungatur Prædicatoribus, tàm Religiosis, quàm Secularibus, ne in suis Sermonibus & Prædicationibus habeant aliqua dicere, vel prædicare, quæ scandalisare possint populum, & quæ potiùs possent esse turbativa pacis, quàm ejusdem conservativa & inductiva. Et circa hoc, deliberavit dicta Facultas, quòd sicut aliàs non habuit, ita adhuc non habet Magistrum Johannem Gersson Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis advoatum, de Propositione quam fecit Coram Rege, in Palatio, reprobando Propositionem Magistri Joannis Parvi.

Et ulteriùs, protestatione specialiter, & expresse, primitùs per eandem venerandam Facultatem factâ, quòd non intendit, nec vult aliquo modo impedire Processum Fidei; imò penitùs, sicut semper, temporibus retroactis, pro eadem certavit, adhuc temporibus præsentibus, parata est certare; prout & temporibus futuris, per Dei gratiam certabit, quotiens opus erit, dixit eadem Facultas, quòd quia modi tenti & habiti per dictum Cancellarium, in Processu noviter inchoato, coram Domino Episcopo Parisiensi, super dicta Propositione præfati Magistri, sunt generativi seditionis, divisionis, & guerræ, ac perturbationis Regni, quàm conservativi, & inductivi pacis, unionis, & concordiæ; dicta Facultas imponebat, & imponit, quantùm in ea est, eidem Cancellario, & suis adhærentibus, super hoc silentium, sub pœna privationis, ne ulteriùs de præsenti procedat in hujusmodi Processu: nec vult, seu intendit eadem Facultas dictum Cancellarium sequi in ista materia.

Insuper protestata fuit memorata Facultas, quòd non intendit advoare, nec habet advoatos illos qui sigillaverunt Litteras, nuper ex parte Universitatis prædictæ civitatibus hujus Regni transmissas; quia nunquam Facultas consentiit quòd in illa forma mitterentur. Et licèt idem Decanus tradiderit claves Facultatis, nullo modo fuit sibi factum verbum de illis Litteris sigillandis; sed duntaxat de Litteris præsentiæ: quia si dictus Decanus hoc scivisset, prout fuerat sibi prohibitum à Facultate, nunquam tradidisset ad eas sigillandas.

Quo ad supplicationes factas in dicta Congre- A gatione; Facultas easdem concessit & concedit.

De, & super quibus præmissis omnibus, & singulis, præfatus Dominus Decanus, & nonnulli alii Domini Doctores dictæ Facultatis ibidem personaliter existentes, petierunt à me Notario publico infra scripto, sibi fieri, & confici publicum Instrumentum unum, & plura.

Acta fuerunt in Capitulo Ecclesiæ sancti Maturini Parisiensis, sub Anno, Indictione, Mense, die, & Pontificatu prædictis; præsentibus Venerabilibus & Discretis Viris Magistro, oriundo Pisis, Gerardo de Hoya, Magistro in Artibus, Cameracensis Diœcesis: & Nicolao Martini Cathalanensis Diœcesis, Clericis testibus ad hoc vocatis specialiter, & rogatis.

Et ego Bartholomæus de Edgo, Belvacensis Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperiali authoritate, Curiæque Parisiensis Notarius juratus; B dùm præmissa omnia, & singula deliberata fuisse per venerandam Facultatem Decretorum dicerentur & declararentur, per dictum Dominum Decanum, unà cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque in notam recepi: ideòque hoc præsens publicum Instrumentum aliena manu scriptum, & sub eadem verborum forma triplicatum, signo meo solito signavi, hic me propria manu subscribendo, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus.

Littera deadvoationis Magistri Johannis Gersson, per Facultatem Decretorum in Universitate Parisiensi. fol. 2.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis. Decanus & Collegium Facultatis Decretorum, in 1415. alma Universitate Parisiensi. Salutem in Do- C xxi. mino. Aug.

Hodie siquidem in Congregatione nostra Generali, apud sanctum Joannem Hierosolimitanum Parisius, super duobus Articulis solemniter celebrata, quorum primus Articulus erat, ad audiendum Litteras Facultati nostræ transmissas: secundus verò, super supplicationibus & injuriis;

Venerabilis Vir Magister Johannes de Monteleonis, Magister in Artibus, & Licentiatus in Theologia, in eadem Congregatione personaliter comparens, quasdam credentiæ Litteras, ex parte Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, perlegendas præsentavit. Post quarum quidem credentiæ Litterarum lecturam, illicò, & incontinenti, præfatus Magister Johannes de Monteleonis seriatim, & compendiosè, suam explicuit credentiam, divi- D dens eandem in sex * particulas.

In prima, recitavit qualiter regratiabatur ipse Dominus Dux Burgundiæ Facultati nostræ prædictæ, in eo quod Facultas nostra semper ad bonum Regis, & Regni, & ad ea quæ ad pacem fuerunt, & erant, tetendit, & laboravit; offerens se propterea nostræ Facultati, & singulis suppositis nostris: supplicando insuper, ut nos pro ipsius pacis manutenentia, omnibus modis possibilibus, sicut hactenùs fecimus, laborare, justificationesque ipsius Domini Ducis, super juramenti pacis retardatione recipere vellemus.

In secunda, recitavit quomodò Litteræ quædam diffidentiales, quæ ab Imperatore Romanorum

* Quatuor tantummodò hîc sequuntur.

tum habuisse dicebantur, taliter qualiter extiterant adinventæ.

In tertia, enarravit præfatus de Monteleonis laudabilem excusationem dicti Domini Ducis Burgundiæ, de iis quæ eidem Domino Duci imponebantur, super quadam confœderatione quæ cum Anglicis dicebatur esse facta.

In quarta, quæ trimembris est, supplicavit ut Magistrum in Theologia, de quadam Propositione condemnata in Concilio Generali desavoare, ipsumque à sua Legatione & revocare: & nihilominùs solemnes deputatos, ad supplicandum Christianissimo Principi, Domino Duci Aquitaniæ, ut honor Regis & Regni, in condemnatione facta in Concilio Generali ante dicto, de quadam Propositione, quæ vocatur error Franciæ, reparetur, & conservetur, etiam dare & concedere vellemus.

Igitur notum facimus universis, & singulis præsentes Litteras inspecturis, quòd habita matura & diuturna inter nos, uti in arduis negotiis solitum est fieri, de, & super omnibus, & singulis præmissis deliberatione; tandem ex deliberationibus nostris, per organum venerabilis & circumspecti viri Magistri Livini Nevalinch, Decretorum Doctoris, & in ipsa Congregatione Præsidentis, conclusimus rescribere præfato Domino Duci Burgundiæ, regratiando sibi de bona & sincera affectione quam habet ad bonum Regis, & Regni, & ad pacem, & tranquillitatem ejusdem Regni: offerendo nos ad prosecutionem, & manutenentiam pacis, omnibus viis, & modis possibilibus; reputando nihilominùs dilationes per dictum Magistrum Joannem de Monteleonis allegatas, in juramento pacis non præstito, fuisse & esse sufficientes, canonicas, & rationabiles.

Secundò. Conclusimus quòd nunquam credidimus quòd dictus Dominus Dux Burgundiæ aliqua commiserit, propter quæ Dominus Imperator debeat malè contentari; nec credimus dictas Litteras diffidentiæ * construxerunt.

Tertiò. Conclusimus quòd nunquam credidimus, nec adhuc credimus aliqualem confœderationem inter Regem Angliæ & dictum Dominum Ducem Burgundiæ fuisse factam, imò totum oppositum credimus, prout etiam quicumque sanæ mentis, & verus Francigena idem in mente credere debet.

Quartò. Conclusimus quòd non reputamus defunctum Magistrum Johannem Parvi asseruisse Propositionem condemnatam in dicto Concilio; sed potiùs per illum qui adinvenit eam, ex quo nullus alius assertor apparet. Et sicuti nunquam Magistro Joanni Gersson in prosecutione prætensæ condemnationis Propositionis Magistri Joannis Parvi, factæ per Reverendum Patrem Dominum Episcopum Parisiensem adhæsimus; ita etiam nec de præsenti adhæremus. Imò ipsum Magistrum Joannem Gersson deadvoavimus, prout tenore cujusdam publici Instrumenti super hoc confecti, latiùs apparere videtur, præsertim cum nunquam in dicta condemnatione fuerimus evocati.

Quintò. Conclusimus quòd vellemus ut jam dictus Magister Joannes Gersson à sua Legatione revocatus esset.

Sextò. Revolvendo maculam quâ Regnum Franciæ notari posset, si præfatus error, sic error Franciæ vocaretur; conclusimus dare deputatos, prout dedimus, & damus, ad supplicandum præfato Domino Duci Aquitaniæ, ut ipse velit rescribere Concilio Generali, quatenùs Concilium conservet honorem Regni, super condemnatione prædicta.

Volumus insuper, & tenore præsentium Litterarum concedimus fieri & tradi prælibato Domino Duci Burgundiæ Litteras patentes, sigillo nostro sigillatas, de, & super omnibus & singulis præmissis. In quorum præmissorum testimonium sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum. Datum & actum ubi supra. Anno Domini MCCCCXV. die XXI. Mensis Augusti.

A

Sequuntur aliæ Litteræ, quomodò Natio Picardiæ in Universitate Parisiensi, desavoat Johannem Gersson. fol. 3. 1415. XIX. Aug.

UNiversis præsentes Litteras inspecturis. Procurator & Natio Picardorum in Uuniversitate Parisiensi. Salutem in eo qui est omnium vera salus.

Nuper siquidem in Congregatione nostra Generali Parisius, apud sanctum Julianum pauperem, ad audiendum aliqua proponenda ex parte Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ solemniter celebrata: Venerabilis & Discretis Vir Magister Johannes de Monteleonis, Magister, in Artibus, & Licentiatus in Theologia, in eadem Congregatione comparens: quasdam credentiæ Litteras, ex parte ejusdem Domini Ducis Burgundiæ, perlegendas præsentavit. Pòst quarum lecturam illicò dictus Magister Joannes de Monteleonis suam compendiosè, & seriatim exposuit credentiam, eandem in quatuor dividendo particulas.

B

In prima, regratiabatur nobis dictus Dominus noster Dux Burgundiæ, per organum dicti de Monteleonis, eo quòd Natio nostra semper ad bonum Regis, & Regni, & ad ea quæ ad pacem sunt tetendit, & laboravit; cum exhortatione, ut nos pro ipsius pacis manutenentia, omnibus viis possibilibus, sicut hactenùs fecimus, laborare, justificationesque ipsius Domini Ducis super juramenti pacis retardationis recipere vellemus.

In secunda, recitavit ipse exponens quomodò quædam Litteræ diffidentiales, quæ à Romanorum Imperatore ortum habuisse dicebantur, taliter qualiter extiterant adinventæ.

C

In tertia, explicuit laudabilem excusationem dicti Domini Ducis, de iis quæ eidem Domino Duci imponebantur, super quadam confœderatione quæ cum Anglicis esse facta dicebatur.

In quarta, quæ trimembris est, requisivit ipse exponens, ut Magistrum Joannem Gersson, Magistrum in Theologia, de quadam Propositione condemnata in Concilio Generali desadvoare, ipsumque à sua Legatione revocare, & nihilominùs solemnes deputatos, ad supplicandum Christianissimo Principi Domino Duci Aquitaniæ, ut honor Regis, & Regni, in condemnatione facta in Concilio Generali antedicto, de quadam Propositione quæ vocatur error Franciæ, reparetur, & conservetur, concedere vellemus.

D

Notum igitur facimus universis, & singulis præsentes Litteras inspecturis, quòd habita matura, & diuturna inter nos, sicuti in arduis negotiis solitum est fieri, de, & super omnibus, & singulis præmissis, deliberatione: tandem, ex deliberationibus nostris, conclusiones per organum Procuratoris nostri, tunc in eadem congregatione præsidentis, condidimus infra scriptas.

Primò enim conclusimus, Altissimo Domino nostro Jesu Christo, & postmodùm dicto Domino Duci Burgundiæ, gratiarum actiones multiplices referre, de bona, ac vera affectione quam hactenùs habuit, prout adhuc habere non desinit idem Dominus Dux, ad ea quæ ad pacem sunt, & ad bonum Regis & Regni: offerentes nos propter-

* Locus corruptus.

tereà, totis conatibus, ad conservationem, & manutenentiam ejusdem pacis. Quòd verò aliquandiù, ad pacis noviter reintegratæ confirmationem, & manutenentiam juramentum præstare distulerit, in hoc firmiori & permanentiori diuturnitati consuluisse credimus.

Secundò. Conclusimus quòd firmiter credimus scivisse, & perfectè scire, Regem Romanorum causam diffidentiæ, contra prædictum Dominum Ducem, nusquam habuisse justam, nec habere. Quamobrem, lætando congratulamur, de bona, & sincera tantorum Principum concordia.

Tertiò. Conclusimus quòd indubitanter credimus, prout à cunctis Christicolis credendum, nunquam in nobilem, tamque generosum, ac Christianissimum Principem, & cum Domino nostro Rege, & Domino Duce Aquitaniæ multipliciter confœderatum, incidisse quòd confœderationem, promissionem, ullamve conventionem cum Anglicis, verbo, facto, vel opere inierit præfatus Dominus Dux Burgundiæ.

Quartò. Conclusimus quòd præfatum Magistrum Johannem Gersson Legationi nostræ Matris Universitatis Parisiensis prædictæ, nec adjunximus, nec adjungi voluimus; quinimò in quantum adjunctio quo ad Legationem Universitatis per Facultates superiores, & alias Nationes concessa, nobisque, nostris deliberationibus, & conclusionibus præjudicare posset, attento quòd, respectu totius corporis, membrum ejusdem Universitatis dicimur & sumus; ipsum Magistrum Johannem Gersson penitùs, & omninò, in quantum possumus revocamus; præsertim causis, rationibus, & motivis infra scriptis.

Quorum quidem motivorum primum, in quadam cedula papyrea, aliàs coram Reverendo Patre Domino Parisiensi Episcopo, ac etiam Inquisitore hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ tunc instituto, perlectâ, ac signò manuali Notarii, & Scribæ ipsius Domini Inquisitoris signatâ continetur; cujus cedulæ papyreæ tenor, de verbo, ad verbum sequitur in hunc modum.

„ Reverende Pater, vosque Domine Inquisitor: „ quia in cedula per vos Magistris nostris in Theologia transmissa, & per Dominum Cancellarium „ nostræ Dominæ, ut advoat pluries, composita, „ continetur quòd Propositiones in eadem cedula „ infra scriptæ, sunt per Universitatem condemnatæ: ne ex ignoto procedatis, deliberavimus hujus rei veritatem vobis intimare. Veritas est, Reverende Pater, quòd postquam Dominus Cancellarius præfatus, prædictas Propositiones in sua „ Propositione in palatio facta coram Domino nostro Rege, ceterisque Dominis de sanguine Regis, fore hæreticas, & erroneas prædicavit: accessit ad Universitatem, requirens ut ipsa „ eum in his quæ proposuerat vellet habere „ advoatum.

„ Super qua Requesta, aut supplicatione, pro tunc „ deliberavimus ipsum non habere advoatum, aut „ inadvoatum, quousque pleniùs essemus informati. „ Sed postmodùm, considerato processu quem hucusque tenuit; habuimus, & adhuc de facto habemus ipsum simpliciter desavoatum, & irrecommendatum. Non enim possumus satis mirari, visâ prudentiâ ejus, quomodò tam pravæ considerationis extitit in hoc, quòd primò istas Propositiones esse hæreticas, ac etiam contra Fidem denuntiavit, & quantùm in se fuit, condemnavit; „ & postmodùm procurat, & procuravit easdem „ condemnari: ordo namque ille videtur Juri contrarius, ac etiam perversus. Quare videtur quòd „ quia hujusmodi Propositiones, quantùm in se fuit, „ publicè condemnavit; in ipsarum condemnatione, aut reprobatione, si condemnari, aut reprobari debeant, tanquam testis idoneus, aut aliquo „ modo Judex non habeat admitti, sed ab omnibus „ potiùs debet reprobari. Datum apud sanctum Julianum, Anno Domini MCCCCXIII. Die quinta „ Mensis Januarii. Tradita & lecta in Concilio Fidei, coram Domino Episcopo Parisiensi, & Domino Inquisitore, Anno CCCCXIII. Die quinta Januarii, per Procuratorem Nationis Picardiæ, nominatum Montrelait, per organum Magistri Simonis le Bocheux. sic signata. G. Massardi. „ Moche „

Secundum motivuum est, quòd ipse Magister Joannes Gersson, videns & sentiens in inchoatione Processus prædictæ condemnationis, majorem & seniorem partem omnium Theologorum deliberantium, dicentium, & asserentium materiam illam nullatenùs inculpandam fore; publicè & testatus, & potestatus est, Propositiones ante dictas personam dicti Domini Ducis Burgundiæ nullo modo inspicere, credens & cupiens, vulpinosè tamen, oculos eo clarius videntium excœcare; sicuti experientia, quæ rerum Magistra extitit, longè magis edocuit.

Nam condemnatione dictarum Propositionum per dictum Dominum Episcopum Parisiensem promulgata, illicò, & incontinenti, prælibatus Magister Joannes Gersson easdem Propositiones condemnatas, Justificationem prælibati Domini Ducis Burgundiæ nominavit, & nominari procuravit. Et mala malis accumulans, ipse, quem furor, impetus pariter, & odium excitabant, immemor protestationis per ipsum priùs factæ in quadam Congregatione generali dictæ Universitatis, apud sanctum Maturinum solemniter celebrata, quandam cedulam papyream, in dicta Congregatione perlegendam, quam sanctam, & canonicam appellabat, realiter, & de facto exhibuit, & produxit, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur in hunc modum.

„ Præstans scienter impedimentum, commissivè, „ & omissivè, consilio, & auxilio, ne Dux Burgundiæ recognoscat publicè, notoriè & scandalosè „ interfectionem Ludovici quondam Ducis Aurelianensis, & circumstantias necis illius; omnis talis „ est inimicus mortalis dicti Domini Ducis Burgundiæ, & salutis suæ, & peccat adeò graviter: & „ si in hoc sit pertinax, condemnandus est ut fautor hæreticæ pravitatis. Redditurus est insuper „ rationem de omnibus damnis, tàm spiritualibus, „ quàm temporalibus inde provenientibus, vel futuris. Recogitet idcircò quilibet, sive Doctor, „ sive Prælatus, aut alius, quemadmodùm dissimulaverit in hoc materia, vel dissimulabit, favore, „ vel timore, vel negligentia, prout quilibet scit, „ aut scire debet, qualiter obligatur ad correctionem fraternam, seu doctrinalem, aut judicialem; „ præcipuè Summus Pontifex, cum sacro Cardinalium Collegio, aut etiam Generali Concilio: attento quòd evidentia patrati sceleris clamore non „ indiget accusantis. Denique talis qualis prædictus, „ est censendus impeditor pacis, & boni tractatus in „ hac parte; quoniam circa hunc errorem versatur „ principalis ratio debati, seu belli in Regno Franciæ „

Quâ sic, ut præfertur, perlectâ papyreâ cedulâ, memoratus Johannes Gersson palàm, & manifestè dixit, & exposuit, quòd se formabat, & faciebat partem principalem in hac parte, contra dictum Dominum Ducem Burgundiæ, in prædictæ condemnationis ulteriori prosecutione. Et licèt prædictæ Propositiones nulliter sint Propositiones dicti Magistri Joannis Parvi: nihilominùs tamen præfatus Magister Johannes Gersson, eos qui condemnationem prædictæ

ctæ justificationis minimè comprobant, labe fautoriæ hæresis contra Deum, & justitiam, contaminare non veretur. In quo nec Summo Pontifici, tunc in sancta Dei Ecclesia præsidenti, nec etiam sacro Concilio, quovis modo defert ipse Magister Johannes Gerson: sed potiùs ex præmissis perniciosa, venenosa que implicatio objici potest. Nam Parisius, in Sermone publico explicuit, quòd si Angelus descenderet de cœlo, & sibi nuntiaret oppositum, & diceret, ipsum judicaret reum anathematis. Unde si Magister Johannes Gersson Propositiones per dictum Dominum Episcopum Parisiensem condemnatas, easdem, & consimiles, Propositionibus defuncti Magistri Johannis Parvi esse dicat, & ipsæ Propositiones Magistri Johannis Parvi nondum fuerint per dictum sacrum Concilium condemnatæ; sed in discussione earundem nonnulli egregii Doctores Propositiones dicti Magistri Johannis Parvi, tanquam veras & canonicas reputaverint, & æstimaverint, ipse Magister Johannes Gersson, ausu temerario, ne dùm divinæ, quinimò & angelicæ inspirationi suum sensum præferre non abhortuit. Si verò alias credat esse à Propositionibus dicti Magistri Johannis Parvi, ipse indebitè eas vocat Justificationem Domini Ducis Burgundiæ. Propter quod non solùm desavoandus, sed, suis exigentibus demeritis, venit, juxta sacrorum Canonum instituta, atrociter puniendus.

Tertium verò motivum est, quòd licèt ante, propter bonum pacis integerrimè inter Dominos Regales assequendæ, cunctis Regnicolis inhibitum extitisset, ne quis, quovis quæsito colore, prædictæ condemnationis materiam aperire præsumeret: nihilominùs tamen prædictus Magister Johannes Gersson, nescitur quo spiritu ductus, ne quicquam in prosecutione dictæ condemnationis per eum facta obtinuisse, & ita à suis stolidis cœptis cecidisse videretur; quandam Propositionem, quæ ullo nunquam tempore in Christianissimo Regno Franciæ assertorem habuit, per dictum sacrum Concilium condemnari procuravit. Cujus quidem Propositionis condemnatio, nisi de salubri remedio, per dictum sacrum Concilium, provisum extiterit, in ejusdem famosissimi Regni Franciæ cedet opprobrium, & discrimen: præsertim cùm ab exteris Nationibus, prætacta Propositio condemnata, error Franciæ nuncupetur & vocetur: quæ tamen, si non in aliis Regnis, multò minùs in Regno Franciæ habuit assertorem.

Quapropter, secundùm Juris dispositionem, sæpe dictus Magister Johannes Gersson, aut prædictæ Propositionis assertorem quærere, aut assertoris pœnam subire tenetur.

Quintò. Conclusimus quòd, præmissis attentis, quæ nulla tergiversatione celari possunt, prælibatum Magistrum Joannem Gersson in toto suo processu desavoavimus, prout tenore præsentium desavoamus.

Conclusimus insuper, prædictæ infamiæ huic Regno Franciæ, occasione prosecutionis dicti Magistri Johannes Gersson impositæ, reparationem, pro viribus, non solùm apud eundem Dominum nostrum Regem, & Dominos de Regali prosapia; sed etiam apud Papam futurum, & sacrum Concilium ante dictum prosequi & procurare. Nolumus tamen, nec intendimus per ea quæ superiùs scripta sunt, iis que per dictum sacrum Concilium conclusa, aut determinata sunt, quovis modo derogare. In quorum omnium, & singulorum Fidem, & testimonium præmissorum, sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum. Datum Parisius, in dicta nostra*Congregatione Generali solemniter congregata. Anno Domini Mccccv. die xix. Mensis Augusti.

LIBELLI DUO

Dati à JOANNE GERSONIO

Ad Accelerandum Judicium causæ

JOANNIS PARVI.

Sequitur Libellus diffamatorius datus pro parte adversa. * Die Martis xx. Augusti. iv$_c$. xv. Cod. 1537. fol. 28.

Videatur hæc exhortatio, ad remediandum in materia Fidei.

Poscitur à vobis Reverendissimis Patribus Dominis Magistris, & Doctoribus, Commissariis per hoc sacrum Generale Concilium super omnibus causis Fidei. 1415. xx. Aug.

Poscitur ratio de ea quæ in vobis est Fide, quam reddere, jubente Petro, parati semper esse debetis, nedùm uni vel alteri, sed omni.

Poscitur autem hæc ratio jam pridem, & imitantes, super certis Assertionibus damnatis, tàm doctrinaliter, quàm judicialiter in Christianissimo Regno Franciæ per diversas Provincias.

Denique poscitur hæc ratio, non per unum dumtaxat, vel alterum; neque per homines contemtibilis status, quibus tamen debitores essetis.

Poscitur per Christianissimum Regem Franciæ, sub Litteris Patentibus, sub instructionibus publicis & repetitis.

Poscitur à Charissima ejus filia Universitate Parisiensi, per nuncios ad hoc ipsum juratos & instructos.

Poscitur à Serenissimo Romanorum Rege, ex certo & fervido devotionis zelo, & intuitu præmissorum.

Petit hoc ipsum tota per Regnum Franciæ & Delphinatum Ecclesia, sciens occurrendum esse scandalis animarum & corporum, trahentibus originem ex his Assertionibus pestiferis.

Petit hoc, ex officio, Promotor hujus Concilii, speciali ad hoc per vos commissione fortiter astrictus.

Petit hoc denique vester honor, vester zelus ad Fidem, vestra ad Deum & adhoc Sacro-sanctum Concilium obligata devotio.

Has igitur postulationes audire, his petitionibus intendere, his clamoribus altis auditum præbere, quo pacto differtis? Qua ratione dissimulatis? Numquid ideò fortè quia Fidei veritas in hac re non satis explorata est? At verò per summos & celeberrimos Theologos & Doctores, diù multùmque deliberantes data est certitudo, omni exceptione major, quæ si contradicentes inveniat, eo magis operam dare vos oportuerat, liberè loquimur, ut per novam celeremque examinationem, contradictionibus hujusmodi scandalosissimis via clauderetur: quamvis qui aperto verbo directè palam obsistat, necdùm vidimus, est hìc adeò veritas perspicua: † res in tenebris agitur; timore fugaque. Numquid prætereà dilatio fit, quia vel assertor ignoratur vel minus esse potens cognoscitur? Atqui primùm testimoniis patentibus & multis refellitur, quibus derogare nedùm incivile est, sed penè impium; alterum tollit Jacobi jussio: Jac. II. I. *Nolite*,

* idest nomine Legatorum Regis Galliæ.

† Locus corruptus.

Nolite, inquit, *fratres*, *in personarum acceptione habere Fidem Domini nostri Jesus-Christi gloria.*

Si Papæ ipsi Concilium hoc non pepercit, non eum timuit; cui parcendum est? Quem timendum judicabitis? Sed lædetur honor magni Principis & seditiones orientur. Videte, quæsumus, ne contingat illud, *Qui timet pruinam: irruet super eum nix:* Job. VI. 16. illud itidem.

Decidit in sillam, cupiens vitare caribdim. Quoniam si hoc non feceritis, lædetur honor, non cujuscunque hominis, sed Dei, sed fidei, sed hujus sacri Concilii, sed vestri omnium, sed Christianissimi Regis Franciæ, & Charissimæ Filiæ suæ Parisiensis Universitatis, immò & Serenissimi Romanorum Regis, si confundatur hic ab expectione sua, & à petitione tàm verbo, quàm scripto, cui sigillum proprium est affixum.

Ceterum, si non seditionibus & bellis finem, sed fomentum & continuationem vestra hæc dissimulatio præbuerit, nutriet hæreses, & errores mortiferos. Quid dicimus, nutriet? Augebit potiùs, fortificabit, cumulabitque.

Quàm verò crudelis sit pietas impietatem nutriens & errores, ipsi videritis formidare: præterea seditiones ex veritate, & hæresum damnatione per aliquem suscitatum iri; quid aliud est quàm illum talem, vel tyrannum, vel juxta Christi verbum, canem aut porcum reputare?

Æquali * proindè erit, proh Dei atque hominum fidem; huic finis negotio, si non nuda in se veritas Fidei pulcherrima castissimaque diligitur, si non ipsa inanes hominum favores fortissima vincit. *Qui observat ventum*, inquit Sapiens *non seminat: & qui considerat nubes nunquam metet.* Eccle. XI. 4. Qui præterea Deum non invocat; illic, dicente Psalmista, trepidat timore, ubi non est timor: At Ps. XII. 5., A. è contra. *Time Deum*, consulit Augustinus, *& homines non timebis.* Quòd si quis formidolosus; abscedat, tanquam ex Lege ineptus bello: neque velit fieri Judex, nisi virtute valeat irrumpere iniquitates.

Postremò si quæritur causa priùs tali moderamine terminari, ut neminem lædat, hoc fieri non potest, credite, tanget aliquos & magnos, quidquid actum vel nonactum tandem extiterit. Tangantur verò non immeriti, sed meriti. Tangantur petimus, & lædantur ad sanationem, & salutem, in spiritu lenitatis & veritatis, non in spiritu vehementi contritionis & perditionis. Præponatur, obsecramus, amor & Lex spiritus, Legi carnis; honor perpetuus, decidenti flosculo gloriæ præsentis. Felix itaque confusio quæ supra modum immensum gloriæ pondus operatur, miserente eo qui propter nos saturatus opprobriis, Deus benedictus in sæcula; in quo benè valete, viriliter agite, fideliter atque feliciter.

Sequens Requesta fuit producta judicialiter per N. de Gonnessia; Jordanum Morini. G. Pulcrinepotis. & Jo. Baldoini. Die Martis XX. *Mensis Augusti, Anno* XV. *in loco Sessionis.*

XX. Aug. Exponitur coram vobis Reverendissimis Patribus & Dominis, & ceteris Commissariis per sacrum Concilium in causis omnibus Fidei &c. Quòd cùm meteria Fidei sit favorabilissimè tractanda, & aliter quàm materiæ profanæ, cessantibus diffugiis & dilationibus non necessariis, sine figura & strepitu Judicii. Cùm præterea possint hæreses & errores damnari, non habendo respectum ad personas, sicut novissimè visum est omnibus Nationibus, & jam practicatum est in hoc Concilio, & in aliis multis Conciliis. Cùm insuper novem Assertiones exhibitæ, & expositæ vobis Dominis Commissariis, non habeant in hoc Concilio aliquos qui se dicant ipsarum assertores, vel defensores esse vel fuisse, proprio, vel alieno nomine: nihilominùs vos Domini Commissarii, loquendo cum reverentia debita, nondùm processistis, nec proceditis ad examinationem veritatis, vel falsitatis earundem novem Assertionum, jam à novem ebdomadis & ultra vobis insinuatarum. Placeat ad exaltationem Fidei, & celerem errorum extirpationem, conformiter ad factam vobis super hoc commissionem, & ad intentionem seu petitionem Serenissimi Principis Domini Regis Romanorum, qui conclusionem super prædictis novem Assertionibus habere ferventer exoptat, & ad tollendum scandala jam exorta & verisimiliter oritura, procedere ad celerem examinationem prædictarum novem Assertionum, ut consequenter ad conclusionem debitam, hoc sacrum procedat Concilium: alioquin timendum est de offensa Dei, & læsione Christianæ Fidei, & quòd hoc sacrum Concilium principaliter congregatum, ad hæresum extirpationem, & emendationem errorum, non habeat causam legitimam vos super prædictis quomodolibet arguendi.

EPISTOLA

Anonymi,

AD AMICUM

Parisiis Anonymum.

Quia scio vos affectare agitata in sacro Concilio, & specialiter in causa D. Ducis Burgundiæ rei & defensoris legitimi, quantùm suâ interest, contra IX Assertiones exhibitas per M. Joannem de Jarson aliàs denunciatorem Evangelicum. 1415. VI. Sept.

Ex qua re noveritis quòd ipse Jarson, livore ductus invidiæ, odii & inimicitiæ; cum favore, consilio & auxilio Ludovici Ducis Bavariæ, & nonnullorum aliorum, contra & præter instructiones Regis delatas suis Ambaxiatis per M. Guillelmum Pulcrinepotis, & Jordanum Morini, super hoc specialiter ordinatos, inhibitionem continentes de persecutione, aut introductione dictæ materiæ condemnationis, illarum IX. Assertionum, suo nomine proprio, ut Doctor Theologicus & zelator Fidei, ut dicebat, introduxit dictas novem Assertiones tanquam erroneas in Fide & moribus, reprobatas Parisius, eo absque quòd dixerit eas fuisse condemnatas per Episcopum Parisiensem coram certis Commissariis & deputatis à Concilio, inter quos erant D. D. Cardinales Cameracensis, & Florentinus; & protestatus fuit à principio, quòd non intendebat alicujus nomen exprimere, nec contra honorem & famam alicujus præjudicium generare. Petitioni cujus Jarsonis intercessit D. Episcopus Atrebatensis, protestatus inter cetera quòd Ambaxiatores Regis, & D. Ducis ad invicem concordaverant, juxta suas instructiones, non intrare materiam præsentem, certis ex causis, juxta Mandatum Regis.

Ideò contra dictas instructiones & concordata non volebant venire, & protestabantur quòd non per ipsas Ambaxiatas D. Ducis primò introducebatur materia præsens, imò purè passivè & defensivè se habere protestabantur; & quòd ipse Jarson sibi benè præcaveret de faciendo contra dictas instructiones Regis, cujus Ambaxiator erat, & quòd materia erat periculosa valdè, & turbativa pacis Regni &c.

Quo

* *Fortè* Et qualis.

Quo facto, Præfatus D. Episcopus dixit D. Cameracensi Cardinali, quòd in hac materia non intendebat dictus Dux Burgundiæ ipsum habere & acceptare pro Judice, imò ipsum habebat suspectum, certis ex causis declarandis tempore & loco: & ulteriùs quòd ipse, neque dicti Commissarii, qui se gerebant pro Conjudicibus, fuerant deputati in plena Sessione publicâ, prout moris erat in aliis materiis, & verum erat. Quod videns Rex Romanorum, putans Ambaxiatores dicti D. Ducis velle fugere, statim procuravit, in crastino fieri Sessionem, priùs habitâ deliberatione inter 4. Nationes, de constituendo Judices in hac materia, & generaliter in omni materia Fidei, sub certa forma; & de qualibet Natione 4. Doctores, videlicet duos in Jure Canonico, & duos in Theologia; & cum ipsis fuerunt adjuncti 4. Cardinales, videlicet de Ursinis, Aquilegiensis, Cameracensis & Florentinus, & sic fuerunt viginti Conjudices in Summa.

Sed in plena Sessione dictus Atrebatensis protestatus est, quòd non intendebat consentire Cardinalem in Cameraco quem suspectum habebat. Et nihilominùs die Sabbati quæ, fuit 25. Junii, sedentibus pro Tribunali Judicibus præfatis, cum ipsis, dicto Cardinale de Cameraco, qui voluit desistere, præsente Rege Romonorum, ipse Jarson reproduxit dictas IX. Assertiones, ut priùs.

Et in continenti, pro parte D. Ducis dixit dictus Episcopus quòd si illæ IX. Assertiones erant illæ quæ aliàs fuerant condemnatæ Parisius per Episcopum Parisiensem; credebat interesse D. Ducis, eo quod ab illa Sententia ab eo fuerat appellatum ad Curiam Romanam, vel Sacrum Concilium, & causas dicti interesse offerebat monstrare, tempore, & loco: sed primitùs & ante omnia, recusabat pro Judice dictæ Ambassiatæ præfatum D. Cardinalem de Cameraco, certis ex causis tunc datis in scriptis.

Ex quibus dictis Cardinalis fuit conturbatus, quia fuerant lectæ publicè dictæ causæ, & erant aliquæ quæ tangebant honorem suum & famam, videlicet odium inter ipsum & defunctum M. Joannem Parvi; occasione prosecutionis unionis Ecclesiæ: & ibi tangebatur occasio propter quam aliàs fuerat privatus ab Universitate, & prosequente dicto defuncto M. Joanne Parvi.

Item, amicitia simul & familiaritas hahita cum ipso de Jarsono.

Item, specialiter quia dixit in Judicio, quòd si recusaretur in hac materia, & non esset Judex, ipse foret pars principalis in prosecutione, cum multis causis.

Et finaliter, post assignationes diversas in dicta causa, & super naturam recusationis, dixit quòd nolebat impedire causæ accelerationem, propter ipsius præsentiam, & quòd non interesset àmodo: & sic confusus abiit, in magnam displicentiam dicti Jarson & suorum sequacium.

Tandem interrogatus ipse Jarson, unde venerint illæ novem Assertiones, & qui eas reprobaverat erroneas in forma, in qua tradidit eas, &c.

Respondit quòd ad hoc dictus Ambexiator non habebat respondere, ex quo nolebat se facere partem formalem ad eas defendendum; sed in casu quo vellet eas defendere, eis responderet.

Finaliter, tædio affectus, exhibuit Sententias binas Episcopi Parisiensis, cum Litteris Regis, & Universitatis Parisiensis.

Ex quarum tenore inspecto, fuit decretum, declaratum & definitum per Judices, quòd dictus D. Dux Burgundiæ habebat interesse sufficiens in defensione Processus: & fuerunt vlteriùs admissæ Ambaxiatæ ad probandum dictum interesse, materiâ principali dictarum novem Assertionum suspensâ, usque ad tempus & horam competentia.

Puto vos satis scire, qualiter & quomodò tangitur interesse in præsenti materia: quod satis resultat ex Sententia Episcopi Parisiensi, in qua tangitur D. Dux præfatus, cum justificatione Ducis Burgundiæ &c. & quòd à dicta Sententia appellaverat, &c.

Ampliùs. Super dicto interesse prosequendo, & impediendo ne dictæ novem Assertiones condemnarentur, seu in eis quoquo modo procederetur, nisi priùs definito supra dicto interesse; fuit datus Libellus continens tria, vel quatuor puncta, videlicet quòd defunctus M. Joannes Parvi, semel & unica vice proposuit pro D. Duce Burgundiæ, tali tempore & loco, &c. Et in illa Propositione posuit octo Propositiones quas appellavit VIII. veritates, quæ sunt tales, &c.

A

Inscriptæ sunt in Libello, quæ sunt octo veritates aliæ à prætensis IX. Assertionibus exhibitis per dictum Jarson in materia, sensu, forma & verbis, sustinibilesque & opinabiles, absque Fidei Catholicæ læsione; & quòd dictas novem Assertiones nunquam proposuit dictus Parvi in sua dicta Propositione, &c.

Et consequenter petitur quòd declarentur esse aliæ ab illis IX. & sustinibiles prout sequitur.

2. Quòd Sententia Episcopi Parisiensis cassetur, & annuletur; cùm per eam condemnetur Propositio M. Joannis Parvi, tanquam continens errores plurimos, cujus contrarium verum est.

B

Item, petitur finaliter, & concluditur quòd ipse Jarson puniatur ut calumniosus, & falsus adscriptor errorum & hæresum &c.

Cui Libello recusavit & recusat respondere dictus Jarson, dicendo quòd ad hoc non tenetur, certis de causis: imò petivit non cogi, aut compelli ad respondendum, imò Judicio absolvi; cùm ipse, tanquam purus denunciator & Evangelicus, prætensas novem Assertiones exhibuerit Judicio Fidei, ut Concilium sacrosanctum ordinet & disponat, ut ei videtur bonum; nec eas defendere, seu in dicto Judicio tenetur ulteriùs procedere, sive in Processibus involvi.

Et adhuc fuit replicatum quòd imò tenebatur Libello respondere, & Judicium subire.

Et finaliter, super hac materia fuit taliter processum, quòd heri fuit dies assignata ad audiendam ordinationem Judicum; an ipse Jarson debeat dici destitisse à Processu, aut calumniaror puniri, prout petitur per ipsum D. Ducem.

C

Et sic apertè patet quòd adhuc est initium Judicii, licèt fuerint tantæ in materia, plusquam triginta dictæ: nam ter in hebdomada proceditur in causa, nisi superveniat impedimentum. Et credatis quòd adversarii crediderunt habere conclusionem & candemnationem dictarum novem Assertionum in una hebdomada, attentis favoribus quos hebebant per Regem Romanorum, qui multa protulit enormia de D. Duce, quem visus est habere pro capitali inimico, & hoc ad suggestionem dicti Ludovici de Bavaria, qui dictum Regem regebat, pro tunc, cum uxore sua, ut fertur hîc communiter. Et vix fuit aliquis in hoc Concilio qui auderet loqui de materia præsenti, pro D. Duce in bonum.

Imò videns ipse Rex quòd nòn potuit obtinere conclusionem condemnationis dictarum novem Assertionum, ut volebat, licèt solicitaverit Judices, quantùm potuit, per ejus præsentiam in Judicio, sæpissimè & per nuntios & Litteras: dixit quòd nunquam iret ad locum conventionis, videlicet Niciam, donec esset finis dicti Processus.

D

Et quod plùs est, ipse exivit civitatem Constantiæ, per 8. dies; & juravit publicè, ut dicebatur communiter, quòd non rediret, nisi priùs expedito dicto Processu. Quare oportuit, pro satisfaci-

ciendo sibi, quòd quædam alia Propositio vocata *Quilibet tyrannus*, quam Jarson priùs petivit condemnari ab Episcopo Parisiensi, quæ tamen non fuit, de qua scitis quòd condemnata fuerit ad satisfaciendum dicto Regi, qui putabat quòd dicta Propositio esset una de contentis in Propositione M. Joan. Parvi; & ita datum est sibi intelligi, & sub illo colore fuit condemnata, ipso Rege præsente, unde gavisus est, & omnes adversarii quod communiter dicebant ignorantes, quòd Propositio Parvi fuerat condemnata.

A

Longum esset verbis enarrare pœnas, injurias, & opprobria quæ passi sunt dictus Episcopus, & M. Petrus Cauchon, qui soli, ex parte D. Ducis suscipiunt & habent onus

Sed Deo laus. Post recessum dicti Regis, Ambaxiatores præfati securiores quàm antea, & liberiùs tractaverunt materiam & Processum, cum bono consilio.

Et nunc patet zelus Fidei quo processit ipse Jarson, & sui sequaces, quibus etiam displicet quòd negotium non ducitur ad eorum voluntatem, & specialiter de pace Regni & Franciæ reformata. Et sciatis quòd vellent modò negotium nunquam fuisse hîc incœptum.

B

Cardinalis de Cameraco nisus est concordare partes ad suum libitum, sed non potest sufficienter; quia voluit nuper per unam scedulam per eum confectam sedare Processum, sed non potuit, cujus copiam mitto præsentibus interclusam.

Speramus hîc omnes habere bonum exitum & honorabilem in materia, quia totum Concilium vellet Processum terminari ad bonam pacem & concordiam Ducis, & ad hoc interponunt vires aliqui Dominorum Cardinalium & Doctorum. Et si non habeatur finis per concordiam, non ita citò habebitur per Processum, quia adhuc sumus in principio, ut potestis considerare: quia restat adhuc probare intentionem circa Libellum exhibitum, & examinare dictas Propositiones hinc inde, quæ non fient ita citò, & sine magno discursu.

Episcopus Parisiensis citatus est, ad Requestam D. Ducis, in dictâ causâ appellationis, & speramus, die adveniente, causam apertiùs terminari, quæ nulla est ipso Jure.

C

Nolite recipere in displicentiam, quòd dictus Atrebatensis & ego sæpiùs vobis non scripsimus, quoniam, in veritate, non fuimus ausi etiam pro propriis negotiis alibi scribere, propter strictum modum custodiæ portarum, & aliis de causis.

Jpse namque dictus Episcopus salutat vos vicibus repetitis, & sæpissimè loquitur de vobis, recognoscendo curialitates per vos eidem exhibitas. Hæc de Processu.

Veruntamen noveritis quòd inter IX. Assertiones dictas, & illas octo veritates Parvi, est magna differentia, in sensu, materia & forma: quoniam à tertia veritate subtracta sunt verba: *Quando non vult se corrigere, nec emendare, & specialiter quando est periculum in mora* Et similiter ex aliis Propositionibus distorta aliqua verba mutantia valdè sensum dictarum veritatum.

D

Et solùm restat nobis probare quòd illæ octo veritates sunt contentæ in Libro dictæ Propositionis Parvi, juxta formam exhibitam in Judicio: quod facile probabitur; quoniam jam commisimus ad partes Divioni, pro faciendo collationem Librorum ibi reperiendorum. Scriptum Constantiæ. VI. Sept.

Tenor scedulæ Cardinalis de Cameraco.

„ HÆc S. Synodus declarat quòd per præmissam condemnationem IX. Propositionum, vel etiam per condemnationem nuper factam de illa „ Propositione: *Quicunque tyrannus.* eadem S. „ Synodus non intendebat, nec intendit Juri alicujus personæ, seu famæ ipsius, vel honori præjudicare, seu quodlibet particulariter derogare; cùm nullus particularis assertor, seu defensor earundem; coram dicta Synodo fuerit specialiter, vel judicialiter accusatus.

CONTENTIO

De dicto.

ATREBATENSIS EPISCOPI

Oratoris

DUCIS BURGUNDIÆ,

Circa Propositiones Joannis Parvi.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, quòd Anno ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo quinto decimo. Indictione octava. Die jovis duodecima Mensis Septembris. Inter sextam, & septimam horas, post meridiem. Sede Apostolica Pastore carente. In Aula Episcopali Constantiensi, Provinciæ Maguntinæ, quâ Domini Judices, & Commissarii in omnibus causis Fidei per sacrum Constantiense Generale Concilium deputati pro tribunali sedere consueverunt, & post ipsorum à dicto loco immediatum recessum, meique Notarii publici, & testium infrà scriptorum præsentia, personaliter accedens Revendus in Christo Pater & Dominus, Dominus Martinus, miseratione divina Atrebatensis Episcopus; honorabilibus viris Magistris Conrardo de Velden, & Joanni Baers, michique, Notariis in dictis causis Fidei deputatis: dixit & protulit hæc verba, vel consimilia. 1415. Die XII. Sept.

„ In effectu ego vidi quandam minutam cujusdam Instrumenti, super nonnullis verbis per me aliàs hîc in Judicio prolatis, super facto novem Assertionum aliàs judicialiter denunciatarum de quibus Monachus ille petiit Instrumentum.

„ Placet michi quòd Instrumentum illud redigatur in mundum in forma dictæ minutæ. „

Cui Domino Episcopo, ego Notarius infra scriptus, statim dixi, & protuli verba sequentia.

„ In effectu, Reverende Pater, ego etiam vidi dictam minutam, & quantùm est de me, ego non intendo signare in forma in qua est, quia desunt ibi aliqua verba prolata, & in aliis non est positus ordo prolationis verborum. Nam pridie, cùm de novem Assertionibus loqueremini, dixistis quòd dictæ novem Assertiones erant probabiles, & illa verba omittuntur in dicta minuta. „

„ Præterea, in dicta minuta cavetur quòd vos dixistis quòd dictæ novem Assertiones non spectabant ad Fidem explicitè: & tamen veritas est quòd cum de ipsis loqueremini, dixistis primò quòd dictæ novem Assertiones non pertinebant ad Fidem. Et cùm religiosus & honestus vir Magister Petrus de Versailles, Magister in Theologia, replicasset quòd imò spectab nt ad Fidem, & petiisset Instrumentum, super hoc quod dixeratis; vos statim subjunxistis quòd vos intelligabetis quòd non pertinebant ad Fidem ex-

„ plicitè, qui ordo verborum non servatur in di-
„ cta minuta.„

Quibus sic per me, ut præfertur, expositis, ipse Reverendus Pater statim subjunxit hæc verba, vel consimilia in effectu.

„ Verum est quod ego dixi, & adhuc dico, „ quòd illæ novem Assertiones non pertinebant ad „ Fidem explicitè, & quòd sunt probabiles, & „ opinabiles; & benè probabo illi Monacho quòd „ sunt probabiles, & probabilitate neutrali, citra „ tamen determinationem Ecclesiæ; & benè vo- A „ lo quòd audaciter ponatis ista in Instrumen- „ to.„

De, & super quibus præmissis omnibus & singulis, discretus vir, Magister Jacobus de Ciresio, Magister in Artibus, tunc præsens, petiit à me Notario publico infra scripto, sibi fieri & confici unum, vel plura, Instrumentum, vel Instrumenta.

Acta fuerunt hæc sub Anno, Indictione, Mense, die, hora, & loco prædictis: præsentibus supra scriptis Magistris Conrardo, & Joanne Baers, Notariis publicis; ac Joanne Verbois, Magistro in Artibus, Coloniensis Diocesis, cum pluribus aliis testibus, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Guillelmus Picardi Clericus Bituricensis Diocesis, Licentiatus in Decretis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate, ac in causis Fidei, unà cum præfatis Connotariis Notarius; dictorum verborum probationi, ceterisque præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus, præsens interfui, eaque sic dici & proferri hinc inde audivi. Idcircò huic publico Instrumento, alia manu scripto, & ex inde confecto, signum meum solitum, publicando apposui, hìc me manu propria subscribens, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus & rogatus. *Avec paraphe authentique, à costé.*

Collationné sur l'Original en parchemin, conservé dans les Archives des RR. PP. Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé N. Bazin, Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.

EPISTOLA
CAROLI VI.
In favorem Illustrissimi Domini
DUCIS BURGUNDIÆ.

Cod. 2537. fol. 6. xxxi. Data Aug. 1415. Recepta die xxii. Sept.

CArolus Dei gratia Francorum Rex.

Omnibus præsentes Litteras inspecturis. Cùm propter plures causas, & considerationes, cum multitudine armatorum transissemus ante villam Attrebatensem; & illic ex parte carissimi & dilectissimi cognati nostri Ducis Burgundiæ, in magna reverentia & humilitate, accessissent carissimi & amantissimi, cognatus, & cognata nostri, Dux Brabantiæ, & Comitissima Hanxoniæ, & nostri dilecti deputati, ex parte trium Statuum Flandriæ, habentes procuratorium, & potestatem, pro parte dicti cognati nostri Burgundiæ; qui pro ipso nostro cognato nobis exposuerunt excusationes suas, & etiam magnas & integerrimas voluntatem, & affectionem quas ad nos habet; & fecerunt nobis talem obedientiam quod nos fuimus contenti: & ab illo, tunc recepimus dictum nostrum cognatum Burgundiæ in nostro bono amore, & gratia; & cum hoc ordinavimus de pace inter omnes nostros subditos; quam pacem dictus noster cognatus Burgundiæ solemniter juravit per veram Crucem, est sancta Dei Evangelia, & de hoc tradidit suas Patentes Litteras, magno suo sigillo sigillatas.

Notum facimus quòd eundem cognatum nostrum Burgundiæ tenemus, & reputamus, ac volumus teneri, & reputari ubique, pro nostro bono consanguineo, vassallo, subdito & benevolo, non obstantibus quibuscunque nostris Litteris factis per nos publicari in contrarium, quas nolumus alicujus esse effectus, contra tenorem præsentium, neque eisdem præjudicare. Et inhebemus omnibus nostris subditis quibuscunque, præsentium tenore, sub pœna incursus nostræ indignationis, quòd occasione dictarum nostrarum Litterarum per verba, Prædicationes, neque aliter dicant, aut faciant aliquid, ad onus, infamiam, aut dedecus nostri dicti consanguinei Burgundiæ, quocunque modo sit.

Ea propter, damus in Mandatis nostris dilectis & fidelibus Consiliariis tenentibus, aut qui tenebunt nostrum Parlementum; Præposito Parisiensi; & omnibus nostris Senescallis, Baliivis, Præpositis, & aliis nostris Justiciariis, & Officiariis quibuscunque, & eorum Locotenentibus & cuilibet eorum, sicut ad ipsum pertinebit; ne faciant, aut fieri B permittant aliquid quod sit in contrarium prædictorum; puniendo quoslibet transgressores, & quemlibet eorum, tali punitione, secundùm exigentiam forefacti, quòd sit in exemplum ceteris omnibus aliis, à talibus abstinendi. Et ultra hoc, faciant præsentes publicari, ubicunque oportebit. Volentes fidem adhiberi *vidimus* istarum Litterarum, facto sub sigillo Regio, & authentico, sicut huic originali. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum fecimus præsentibus apponi. Datum Parisius, ultima die Augusti. Anno Domini M. CCCC. XV. Regni verò nostri XXXV. Sic signatum. *Per Regem, ad relationem magni Consilii tenti per Dominum Ducem Aquitaniæ.* MAUREGARD.

Recepta per nos Episcopum Attrebatensem, & Petrum Cauchon, Vicedominum Remensem, in C domo habitationis nostræ Constantiæ, per cursorem Domini Ducis, vocatum *Cuer de Roy.* Die Martis XXII. Mensis Septembris, inter decimam & undecimam horas, ante meridiem. Aperta, & visa super campos, per Dominos Decanos * & milites infra scriptos, redeuntes à Constantia, inter civitatem, & oppidum de Staim, ut retulit dictus cursor: in præsentia Magistrorum Jo. Alimaris, G. Britonis, & nonnullorum aliorum. Ea propter non fuerant contenta in dictis Litteris, aliter dictis Ambaxiatoribus recedentibus notificata.

* de Besançon. & d'Authun. Comme il est marqué au bas de la page.

D *A nos tres-chers & bien amez, Reverend Pere en Dieu L'Evesque d'Arras; Le Vidame de Reims; Les Doiens de Besançon & D'Autun, Messire Philibert de Saint Legier, Messire Gui d'Armenies Conseillers de Monseigneur, & ses Ambassadeurs a Constance, & a chacun d'eux.*

MArgueritte Duchesse de Bourgoge, Contesse de Flandre, d'Artois, & de Bourgogne. Reverends Peres en Dieu, & tres chers &, bien amez. Con. fol. 6. verso.

Veu-

Veuilliez sçavoir que on *Attermant nomme Dietrich de Rouchemonse & pere iuene, a envoié par deça ses Lettres deffiances à lencontre de Monseigneur, pour occasion de certain argent qu'il luy demande, pour l'avoir servi en armes, comme il dit. Et pour ce qu'il est à douter qu'il ne se perforce du vous faire faire, ou faire dommage, nous vous signifions ces choses tantost que les avons sceuës, afin que vous vous teniés sur votre garde. Et quant est aux autres besoignes dont nous avons à écrire au long devers vous, Gregoire partira dans trois ou quatre jours, au plus tard, qui vous portera toutes nouvelles, ensemble la provision faite sur la conduite des affaires de Mondit Seigneur à Constance. Le saint Esprit vous ait en sa sainte garde. Escrit hastivement à la † Prurcré. Ce Mardy xv. jour de Septembre.

* Locus corruptus. † Fortè aliter legendum.

Cod. 2537. fol. 7.

Copie des Lettres par Madame la Duchesse, au Parlement de France. L'An mil cccc. & xv.

1415. VII. Maii.

LA Duchesse de Bourgogne, Contesse de Flandre, d'Artois & de Bourgogne.

Tres chers & especiaux amis.

Il est venu à nostre connoissance, que pour Requestes faites par vertu de certaines Lettres qu'on dit estre données par Monseigneur le Roy, aux gens d'Eglise estans à Constance, qui se disent estre Ambassadeurs de Mon-dit Seigneur le Roy, aux gens d'Eglise étant au saint Concile, Beneficiés au Royaume & au Dalphiné ; & menaces que les dits, eux disans Ambassadeurs, ont donné aux dits gens d'Eglise, de perdre leurs Benefices qu'ils ont es dits Royaume & Dalphiné, & de encourir l'indignation de Mon dit-Seigneur le Roy, se ils ne s'adjoignent, & poursuivent la cause de l'Evesque de Paris, & de l'Inquisiteur, à lencontre de Monseigneur; les dits, eux disans Ambassadeurs, ont troublé & scandalisé le dit saint Concile, en telle manire, que le Cardinal de Venise, qui etoit l'un des Juges commis par le dit saint Concile, à connoitre de la cause d'Appel qui presentement pent entre Mon dit-Seigneur, & ses adversaires, a renvoié icelle cause, en tant que en luy en est, à la Chancellerie, & doute t'on que pareillement fassent les Cardinaux de Plaisance, & de Veronne concommis & conjuges en icelle: les quelles choses, comme chacun peut sçavoir, certainement ne procederent oncque du sceu, ne de la volonté de Mon dit-Seigneur le Roy. Car il n'est pas à presumer, que par telle maniere il voulsist Monseigneur, qui est son sang, estre tellement foulé en sa Justice, & en sa grande cause, qui redonderoit à la charge & deshonneur de luy, & de toute sa posterité, & que ceux qui telles chosez pourchassent, le procurent, au grand deshonneur de Mon dit-Seigneur le Roy, comme chacun peut voir clairement. Car ce faire est, & seroit, se pourveu n'y etoit, faire & donner grande impression au dit saint Concile, de non administrer Justice, & de contraindre les dits gens d'Eglise Beneficiés es dits Roaumes & Dalphiné ; à faire contre leurs consciences. Les quelles choses, ainsi que chacun scait, seroient publiées par toute Chrestienté, consideré qu'il y a gens de toutes les Nations d'icelle Chrestienté. Es quelles choses Mon dit-Seigneur le Roy auroit si grande charge & deshonneur, que plus ne pourroit : attendu la justice de la cause principale, & les damnables manieres dessus dites. Pour la quelle cause, Nous, qui vous scavons estre sages, prud-hommes, chargés de garder la Justice de Mon dit Seigneur le Roy & de sa Cour Souveraine, escrivons devers vous, & vous prions, tres chers & especiaux amis, tant affectueusement, & de cœur que plus pouvons, que ces choses veüilliés remontrer à Mon dit Seigneur le Roy, & autre, par tout où bon vous semblera, & procurer y estre pourveu, en faisant cesser du tout les choses dessus dites, tellement que l'honneur de Mon dit Seigneur le Roy ne soit en ce aucunemeut blessé ; & que Mon dit Seigneur puisse avoir, & obtenir sa bonne Justice au dit saint Concile, sans le troubler, & ne luy donner empêchement par telles voies damnables. Car y seroit à douter qu'il en vint plustost mal que bien.

Tres chers & especiaux amis, le saint Esprit vous ait en sa sainte garde. Escrit à Roure, le VII. jour du Mois de May.

A nos tres chers & bien amés, Reverend Pere en Dieu l'Evesque d'Arras, & le Vidame de Reims, Conseillers de Monseigneur, & ses Ambassadeurs a Constance, & a chacun d'eux.

MARGUERITTE Duchesse de Bourgogne, Contesse de Flandre, d'Artois, & de Bourgogne &c. XIII. Maii. M.CCCC XV.

Reverends Peres en Dieu, & tres chers, & bien amez.

Nous avons receu vos Lettres, faisant mention du Cardinal de Venise, qui a renvoié la cause d'Appel en la Chancellerie; & que vous avés senti que le Cardinal de Plaisance le feroit ainsi, aux quels elle etoit commisse avec le Cardinal de Veronne, du quel vous n'en attendiés pas moins, & que les adversaires de Monseigneur ont requis, par vertu de certaines Lettres impetrées au nom de Monseigneur le Roy, l'adjonction de tous ceux du Royaume & du Dalphiné en cette cause; & menaciés tous les Beneficiés de perdre leurs Benefices, s'ils ne s'adjoignent en la ditte cause, contre Mon dit Seigneur. Sur quoy vouliés sçavoir que, ainsi qu'il est contenu en vos dittes Lettres, nous écrivons de cette matiere aux gens tenans le Parlement, & par le porteur de ces . . . . . aux quatre Nations étant au dit saint Concile, & à nostre cousin le Duc Louis de Baviere, Comte Palatin du Rin, pour y tenir la main, par la maniere que vous pourrés, par la copie de nos lettres que nous leur écrivons cy-dedans encloses. Et avons envoié à Mon dit Seigneur vos dittes Lettres, en luy recrivant qu'il feroit bon qu'il en fist écrire par Mon dit Seigneur le Dalphin, Madame la Dalphine, & par beau frere de Hainaut à Mon dit Seigneur le Roy, au dit Concile, & autres qui bon luy semblera. Si vous prions, Reverends Peres en Dieu, & tres chers & bien amez, que toujours vous vouliés perseverer en votre bonne volonté, & faire la meilleure poursuite que vous pourrés, ou fait de Mon dit Seigneur, ainsi que vous voiez qu'il est besoin: & nous ferons toûjours faire diligence de vous briefvement envoier tout ce que l'on pourra, pour vos necessités, & pour conduire le fait de Mon dit Seigneur. Le saint Esprit vous ait en sa sainte garde. Escrit à Rouvre le VII. jour de May. 3. de Mars.

Scriptum Episcopi Atrebatensis, Datum. XI. Octobris. 1415.

Cod. 2537. fol. 119. SI novem Assertiones pertineant ad Fidem, secundùm intentionem Joannis Gersson; qua temeritate condemnavit eas Episcopus Parisiensis, cùm sciret aut scire deberet quòd hujusmodi materiæ Fidei declaratio & diffinitio, ac novorum Articulorum Fidei ordinatio, ad sanctam Sedem Apostolicam, aut sacrum Concilium Generale dignoscitur * & haberent dicere quid hæreticum, & quid Catholicum debeat reputari? Et in hoc usurpavit Judicium alienum, authoritatem sanctæ Sedis Apostolicæ, & sacri Concilii Generalis, periculosè, & non sine suspicione hæresis eas condemnando, 24. q. 1. *Quotiens Fidei ratio &c.* & recitatur à sancto Thoma. 2ª. 2æ. q. xi. Articulo secundo.

Quid dicetur si non reprobatur dicta Sententia iniqua Episcopi Parisiensis absolutè & simpliciter? Numquid ceteri particulares Episcopi dicent, & quilibet eorum: Ita licet michi facere novos Articulos Fidei, sicut Episcopus Parisiensis fecit. Et ita, quod unus condemnabit, alius approbabit, vel forsan ipsorum successores. Ecce incertitudinem Fidei & divisionem evidentem; aut multiplicabuntur credenda in infinitum, & sic imponetur onus grave Religioni Christianæ, quod non portaverunt Patres nostri.

Ex quibus evidenter sequuntur Fidei divisio & schismata hæreticalia. Quod Deus avertat. Absit hoc ab isto sacro Concilio Generali, ut talibus det occasionem, aut præbeat ingressum talibus &c.

Si verò non pertineant ad Fidem, sicut nec pertinent de facto, ante determinationem Ecclesiæ; quare eas condemnavit, oppositas ipsarum mandando teneri sub Fide? Numquid non hæreticum, est mandare aliquid sub Fide esse tenendum, quod non est Fides, aut quod est non Fides, neque per Ecclesiam approbatum, cùm dicat Augustinus, quòd *Evangelio non crederem, nisi ad hoc me authoritas Ecclesiæ commoneret.* Videatur igitur quod justum est; & quod æquum est judicetur.

* *Videtur deesse* pertinere.

Schedula Joannis Gersonii Circa novem Assertiones Joannis Parvi.

Quæritur utrum novem Assertiones, Fidei Judicio sint reprobandæ.

Cod. 2538. fol. 257. verso. Deliberatio Gersonii. EGo Johannes de Gerssonno Magister in Artibus, & in Theologia, Cancellarius Parisiensis, volens parere Mandatis Reverendissimorum Patrum, ac ceterorum Dominorum Commissariorum in causa Fidei; dico affirmativè quòd hæ novem Assertiones exhibitæ, sunt Judicio Fidei reprobandæ per hoc sacrum Concilium, & quòd jam nimis tardatum est; sive intelligantur quòd sint reprobandæ, id est, quòd dignæ reprobari, quod discernere maximè spectat ad Theologos; sive sic accipiatur, quòd reprobandæ, id est, quòd expedit eas reprobare, quòd spectat ad omnes qui possunt temporum atque personarum perpendere *; ita quòd dicere volo quòd has Assertiones reprobare licet, decet & expedit, imò necesse est, necessitate Præcepti divini affirmativi, sicut inferiùs docebitur.

Sto prætereà in deliberatione Reverendissimi Patris Domini Cardinalis Cameracensis publicè tradita, quòd hæc doctrina est erronea in Fide & moribus, & tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa; & ad fraudes, deceptiones, mendacia, ac proditiones & perjuria viam præbens, & quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici, & ut tales, juxta Canonicas & ligitimas Sanctiones puniendi.

* *Hic aliquid deest.*

A Deberent autem sufficere rationes & auctoritates allegatæ, cum auctoritate tanti viri, imò cum auctoritate tot sapientissimorum Doctorum & aliorum in sacris Litteris eruditissimorum, nedùm Universitatis Parisiensis, sed de aliis Universitatibus, ac Provinciis Regni Franciæ, qui doctrinam hanc pestiferam doctrinaliter reprobaverunt, & judicialiter condemnandam esse sensuerunt, quibus non minùs deferendum fuerat, quàm delatum fuit per hoc sacrum Concilium Universitatibus & Ordinariis de Anglia & de Praga, circa improbatione doctrinæ Wicleff & Huss.

Nihilominùs, pro elucidatione majori materiæ, distingo novem has Assertiones in quatuor partes, juxta diversitatem materiæ.

Reprobatur itaque quarta Assertio dicens:

B „Jus est, ratio & æquitas quòd omnis tyrannus „occidatur villanè, Gallicè, *villainement*, per explo„rationes & insidias, & est propria mors quâ de„bent mori tyranni, occidere scilicet eos per bonas „cautelas, explorationes & insidias: quoniam hæc „est universalis, nec dependet ex aliquo casu, & „debuerat proponi tanquam una Maxima, respectu „primæ Assertionis, & aliarum quinque ex ea se„quentium vel collateralium, quæ tyrannum con„trahunt ad unam speciem tyrannidis.„

Reprobatur secundò, octava Assertio, quæ sensum litteralem Scripturæ sacræ dicit aliquando falsum esse, sive mortiferum.

Item, reprobatur tertiò una Assertio, quæ nullum juramentum dicit esse tenendum, si vergat in præjudicium jurantis, vel uxoris suæ, vel libero-C rum.

Reprobatur quartò prima Assertio cum secunda, tertia, quinta, sexta & septima, quæ dependent ab invicem, propter casus connexionum; licèt quælibet addat malitiam specialem ad primam unde dependent.

Epilogans igitur, dico primò, quòd hæ Assertiones spectant ad Fidem, sicut ista: *Quilibet tyrannus*, quæ damnata est tanquam erronea in Fide & moribus, & hæretica, & per consequens spectans ad Fidem. Contrariè & oppositum dicere, reputo hæreticum.

Dico secundò, quòd errantium multitudo per depravationem affectûs, vel ignorantiam, aut aliter, non facit prædictas Assertiones probabiles; cùm *Stultorum infinitus est numerus:* Eccle. 1. 15. similiter & hæreticorum.

Dico tertiò, quòd reputantes has Assertiones probabiles, habent consequenter dicere quòd sunt temerariè assertæ in Fide & bonis moribus, pro re-D gula & Lege vivendi; & quòd ex talibus reputatis probabilibus procedere ad certam mortem, non absolvit, sed accusat homicidam.

Dico quartò, quòd eæ Assertiones non possunt verificari per fugas adversariorum, scilicet fingendo casum mortis inevitabilis, vel casum divinæ revelationis, vel voluntariè glossando, vel allegando casum aliquem singularem vivificationis aliquarum, cùm sint universaliter positæ; & ita de reliquis diffugiis.

Dico quintò, quòd non est licitum Prælatis, Doctoribus, Pœnitentiariis, Judicibus etiam secularibus, in causis civilibus, seu Consiliariis eorum, vel Confessoribus negare, vel dubitare falsitatem harum Assertionum, postquam fuerunt eis sufficienter propo-

po-

positæ, atque declaratæ. Non enim solùm hæreticus est qui asserit contra Fidem; sed qui falsas opiniones contra eam gignit, vel sequitur, secundùm diffinitionem Augustini.

Dico sextò, ad formam propositæ Quæstionis, quòd eæ Assertiones sunt Fidei Judicio reprobandæ, idest debent dignè reprobari; imò de necessitate Præcepti affirmativi debent reprobari, prout deductum est.

Prætendunt deffensores aliqui doctrinæ hæreticalis novem Assertionum, & condemnationum earum, quia directè non possunt per indirectum impedire. Turbaret, inquiunt, pacem factam, & divisiones induceret ista condemnatio. Sed respondetur in oppositum primò; quia doctrina hæc, est radix divisionum, quâ remanente non succussa, magis ac magis divisiones pullularent &c.

Sequitur Responsio ad Cedulam quæ incipit:

Prætendunt deffensores, &c. Gerson.

SEditiosi Belial filii, furiis infernalibus agitati, cùm se concernunt à suarum seditionum finibus
fol. 258. impeditos, more canum hiantes, rabie virulenta, patulis rictibus, ipsorum obices possetenùs se disponunt, & quos non valent mordaciter toxicare, latratibus rabidis aërem infectibus afficere non postponunt.

Sanè quemdam Augusti Cæsaris sub Edicto cœlestis militiæ canticum decantatum mellifluè continentem Lucæ. 11. à Christi *Pacifici testimonium*. . . . . prædicantem per indirectum publicant impeditorem damnationis erroris, eo quod inducebat * seditionem istorum nutrire schismata, ac Pacis inita fœdera violare, quod ii seditiosi refellunt doctrinam per ipsos falsò erroneam æstimatam inquientes divisionum radicem, quâ nunc succissâ intensiùs & extensiùs pallulabunt ex Litteris Regiis & Universitatis Parisiensis suum falsum propositum confirmare nitentes: quas Litteras qualiter extorserunt effectus monstrat pacis per eos crebriùs impeditæ, ad plenum, Dei gratiâ, reformatæ, ut Litteræ patulò demonstrarunt publicè, in hoc sacro Constantiensi Concilio Generali.

Delatrantes 2. doctrinam quam nequiter pestiferam nominant, de qua sermo, omnem pacis firmitudinem enervare, dum, inquiunt, homicidia insidias & perjuria fovet, sicut liquet cuilibet intuenti; sed mentita est iniquitas sibi: ipsa nempe tyrannicidia suffert, proditiones aufert in Regum diademata conspirantes, quod isti seditiosi non penitus sunt exortes † juramenta priora & fortiora judicans per carentia suis comitibus nullatenùs temeranda.

Sed tertiò, clamitare rabidè non cessant & materiam in hoc sacro Concilio non condemnandam, juxta dictum Canonis approbari. *Error cui non resistitur, approbatur:* Quod malè subsumi clarè liquet, non enim est error omne quod erroneum ab infectis per errores pestiferos judicatur, sicut nec amarum quod à palato infecto humoribus falsò judicatur amarum. Non enim ex ipsa relinquitur fore indifferenter homines occidendos, sed tyrannos & infideles proditores suorum Regum diademata usurpare conantes: nec etiam perjuria licita fore docet; sed juramenta obligatoria per inconvenientia pro debito non existere violanda.

Quartò verò, suos ulutatus obsonos taliter prosequuntur. Consueverunt, inquiunt, hæretici postquam suorum errorum venena vomuerunt, dicere: sileatur, pacis vincula non rumpantur. Et exemplificant de Dario cum fautoribus suis; sed liquet nequiter perperamque subsumi, falsò applicando proposito quod hæresis nulla macula sordidatur: sed ut ex immediatè præcedentibus est ostensum, hujusmodi seditiosi Cerbero colligati, quæ ad pacem faciunt justitiam & veritatem, & Dominorum, ac eorum Dominiorum altissimorum conservationem, hæreses satagunt nominare, ut sic seditionum proditionumque optatum sortiantur effectum, qui Jure prosequuntur judicialiter per appellationem, & juxta demerita ampliùs prosequentur ursinis unguibus Justitiæ per sacrum Concilium finaliter & A sententialiter lacerandi.

Rursùs, provocant ad ulteriùs attendendum, non posse dici majorem injuriam alicui Christiano potissimè Principi, vel Prælato Consiliario, sive Principum Confessori, quàm quòd suscitabit guerras, divisiones, si materia Fidei terminetur; quod falsè ad hypothesim applicatur. Sed ampliùs fuerunt inquientes: Illi sunt seditiosi & scandalosi qui doctrinas scandalosas & seditiosas seminant, non qui jam pestiferè seminatas & nimis proh dolor! adultas eradicare contendunt: sed ii seditionum actores, bonum semen reputant zizaniam, ita enim ipsos furiarum malitia excæcavit, ut bonum semen malum reputent: & è contra, *Væ* igitur *iis qui dicunt, malum bonum, & bonum malum.* Isaïæ. v. 20.

B Denique, malitiosè & quasi blasphemis vocibus impingunt in sacrum Concilium Generale, quærentes ubi Fidei veritas ostendetur, si in Concilio Generali subticenda censetur? Nonne Gregorius inquit, *Utiliùs scandalum nasci permittitur, quam Fidei veritas relinquatur.* Sed falluntur isti, ut sæpius præmissum est, substrahendo, cùm hæc materia non pertinere ad Judicium Fidei debeat meritò declarari.

Demùm & finaliter, quærunt malitiosè hujusmodi quæstionem.

Qualis tandem crudelior impietas, quàm errantibus in via mortis nolle petitum tramitem ostendere veritatis? Sed proculdubiò, quæstio ista fit ad procaciter subsumendum: cùm sacrum Concilium omnibus errantibus ostendere sit paratum callem sacræ Fidei veritatis.

Est autem immanissimum & Deo displicibile super cuncta, cùm malitiæ stimulis agitati, nituntur C seminare discordias inter fratres, præsertim ex quorum discordia cunctorum malorum genera sunt exorta; & plura, nisi seditiosorum istorum malitia retundatur disposita sunt oriri; quos ab iniquitatis via, ad semitam suæ gratiæ, fraternæque & pacificæ caritatis perducat Rex pacificus Jesus Christus qui est pax nostra, & Deus dilectionis & pacis, qui caritas est, regnans cum Patre & Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Scriptum Episcopi Atrebatensis,

De novem Assertionibus Joannis Parvi.

D *Attentè, si placet, motivum sequens ponderetur.*

QUæritur ab adversariis: si istæ novem Assertiones pertineant ad Fidem, cùm non fuerint alias damnatæ per Ecclesiam, nec corrumpant directè aut formaliter aliquem Articulum Fidei, nec ex eis sequatur corruptio alicujus Articuli: Cod. 2538. fol. 223.
qua temeritate condemnavit eas Episcopus Parisiensis, cùm scire teneatur quòd Fidei declaratio & novorum Articulorum ordinatio, atque Symboli explicatio ad Summum Pontificem pertineant & ad Concilium Generale; & habent dicere quid hæ-

* Locus corruptus, ferè per totum
† Alter locus etiam corruptus.

hæreticum & quid catholicum debeat reputari, prout declarat sanctus Thomas 2ª. 2æ. q. 1. Articulo ultimo: & habetur xxiv. q. *Quotiens*.

Numquid non alii Episcopi particulares similiter, & eadem auctoritate dicent, quòd licet eis similiter Propositiones hujusmodi ad Fidem trahere, & de illis novos Articulos facere; aliquas earum condemnare, condemnatione hæreticali; & contrarias approbare, approbatione catholica & fideli?

A Et sic contingeret quòd, stante varietate opinionum diversorum Doctorum, diversi Episcopi de eisdem Propositionibus diversas ferrent Sententias & omninò contrarias; quibus Sententiis præciperent & mandarent suis subditis universis, ut Fide tenerent oppositas Propositiones talium Propositionum sic per eos damnatarum.

Cùm igitur aliqui eorum tales Assertiones Fide approbarent; alii verò reprobarent: evidenter sequitur incertitudo Fidei, & impositio oneris gravioris Religionis Christianæ, quod Patres nostri non portaverunt, & divisio Catholicæ veritatis.

Si autem dicunt adversarii quòd dictæ novem Assertiones ad Fidem sic de facto non pertinent antè determinationem Ecclesiæ, sed quòd eas debet tanquam hæreticas condemnare. Qua temeritate, ante hujusmodi condemnationem Ecclesiæ eas prædicaverunt & affirmaverunt publicè hæreticas; cùm hæreticum sit aliquid Fide tenere, quod non est Fides, aut quod est non Fides. B

Nam si licuit Beato Augustino dicere quòd non crederet Evangelio, nisi ad hoc ipsum commoveret Ecclesiæ auctoritas; rationabiliter dicitur istis adversariis, quòd ante dictam determinationem nondùm factam, cùm dictas Assertiones hæreticas Fide tenuerunt & publicarunt, ac inverecundè publicant in hoc sacro Concilio Generali; Reges, Principes, & cunctos Christi fideles qui eos audierunt, fefellerunt, ut pseudo Prophetæ & deceperunt, oberrare eos facientes in invio & non in via; unde contentio, proh dolor! mortifera inter eos est effusa, quam placare celeriter dignetur ille qui est Pax nostra Jesus Christus Filius Dei benedictus.

Ad dubium quo quæritur: *Nunquid novem Assertiones* &c. *sint Fidei Judicio reprobandæ*, non transcendendo de genere in genus, si sunt veræ vel non veræ; quia vitium est, secundùm Philosophum, secundò posteriorum, ad propositum respondens, salva determinatione Ecclesiæ semper, dico quòd non, & hoc ex doctrina & fundamento sancti Doctoris Thomæ de Aquino, parte prima q. 32. Art. 4. dicentis quòd quando circa ea quæ etiam ex Scripturis sacris sequuntur, sunt opiniones diversæ Doctorum, ad illa credenda nemo obligatur, quo ad usque per Ecclesiam præcipiantur aut ordinentur credenda. C

Unde in primitiva Ecclesia multæ erant opiniones Doctorum sustentabiles, & sine Fidei præjudicio, quas hodie asserere esset hæreticum, quia oppositum per Ecclesiam exstat determinatum: ut de processione Spiritus sancti, de Baptismatis formâ, de visione animarum, de paupertate Christi, & similia. D

Ex quo fundamento sequitur quòd omnes Assertiones ex sacra Scriptura opinabiles, circa quas diversæ sunt opiniones Doctorum, sunt materiæ Fidei impertinentes, ut gratiâ exempli, de observatione Legalium *ad Galatas*. 11. de qua Hieronymus & Augustinus adversantur: uno dicente, in earum observantia Petrum peccasse, scilicet Augustino: alio verò, scilicet Hieronymo, simpliciter illud negante.

Similiter de occisione Ægiptii per Moysen *Exod*. 11. de qua Ambrosius & Augustinus opposita sentiunt. Nam unus actum commendat, ut Ambrosius, in Libro, *De Officiis*; alter vero actum culpat, ut Augustinus, in *De Quæstionibus Exodi*.

Unde & per locum à majori correptione, sequi videtur quòd cùm circa novem Assertiones præfatas diversa & opposita Doctores sentiant, nec per Ecclesiam quid sit tenendum determinatum, quòd ad materiam Fidei minimè trahi debent.

ASSERTIO PROPOSITIONUM

Col. 2537. fol. 10.

Joannis Parvi, adversùs Magistrum Joannem de Gersono.

NE contingat aliquos dubia aut falsa, pro certis & veris recipere, & ex hoc ignorare veritatem Propositionis dudùm factæ per Magistrum quondam Joannem Parvi, certis de causis, ad Requestam Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ; & publicatæ in Aula Regiæ Domus sancti Pauli Parisius, Anno Domini M. CCCCVII. die VII. Mensis Martii, vel circiter; & præsumptæ reprobationis dictæ Propositionis factæ per Magistrum Johannem de Gerson coram Rege & Dominis de genere suo, in regali palatio Parisius, Anno Domini M. CCCC. XIII. die Lunæ quarta Mensis Septembris, dicto Magistro Joanne Parvi per mortem sublato de medio, Anno CCCCXI. cedulæque traditæ per Episcopum Parisiensem aliquibus Doctoribus & Magistris in Theologia, extractæ, ut asserit, à dicta Propositione Johannis Parvi, ad habendum super iis deliberationem eorum, ad procedendum ulteriùs contra dictum Parvi, & ejus Propositionem in causa Fidei; quæ cedula fuit exhibita die VIII. Mensis Decembris, Anni prædicti, ad reddendum deliberationem eorundem XIII. sequenti. Necnon cujusdam alterius cedulæ extractæ, modo prædicto, per quosdam deputatos per dictum Episcopum, pro causa prædicta, missæ die Mercurii VII. Mensis Februarii ejusdem Anni, dictis Magistris, ad dandum deliberata per eos die Lunæ immediatè sequenti, quæ erat XII. Februarii; super quibus, reprobatione præsumpta, cedulis, & deliberatione, factus est Processus, ut dicitur, dicti Episcopi Parisiensis, fundatus & sententiatus contra dictam Propositionem Johannis Parvi, XXIII. sequenti: dignum esse videtur ut octo veritates super quibus dictus Magister Johannes Parvi Majorem dictæ suæ Propositionis fundavit, quas Magister Johannes de Gersonno de facto nisus est reprobare, ut inferiùs patebit, cum suis probationibus & reprobationibus, in eorum formis & sensibus, nihil addito aut remoto, recitentur, ut eos legentes & videntes, facta comparatione ad invicem utrumque, ac comperta veritate quæ super omnia vincit, eam honorantes judicent æquitatem.

Prima Veritas.

Quilibet subditus & vassalus, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegia, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem sui Regis & Superioris Domini, pro tollendo sibi & substrahendo ab eo suam nobilissimam & altissimam dominationem, peccat tam graviter & committit tam horribile crimen, sicut est crimen læsæ Majestatis in primo gradu; & per consequens est dignus duplici morte, scilicet primâ & secundâ: quia quilibet subjectus & vassallus sic faciens, est

est tyrannus, infidelis suo Regi & Domino superiori, peccatque mortaliter.

„ Probavit authoritate beati Gregorii dicentis:
„ *Tyrannus est propriè qui in Republica non Jure principatur, aut principari conatur.* „

Secunda Veritas.

Licèt in casu prædicto quilibet vassallus & subditus, sit dignus duplici morte, & committat tam horribile crimen, quòd non posset nimis puniri; tamen plus puniendus est unus miles, quàm unus simplex subjectus: & in isto casu unus Baro, quàm unus simplex miles; & unus Comes, quàm unus Baro; unus Dux, quàm unus Comes; cognatus Regis, quàm extraneus; frater Regis, quàm Extraneus, & filius Regis quàm frater. A

„ Probavit hanc ex majoritate obligationis naturalis, gradualis, & feodalis.

„ Item, ratione majoris scandali.

„ Et tertiò, ratione majoris periculi Regi imminentis, propter propinquitatem talis tyranni. „

Tertia Veritas.

In casu prædicto licitum est unicuique subjecto, sine quocunque Mandato, aut Præcepto, secundùm Leges moralem, naturalem, & divinam, occidere aut facere occidi illum eundem proditorem, infidelem, & tyrannum; & non solùm est licitum, sed est honorabile & meritorium; maximè quando ipse est tam grandis potestatis, quòd justitia non potest de eo fieri bono modo per Superiorem, & quando perseverat in sua malitiâ, nec se vult corrigere nec emendare, & specialiter quando est periculum in mora. B

„ Probavit hanc duodecim rationibus; quarum tres primæ erant fundatæ in authoritatibus solemnium Doctorum in Theologia, scilicet sancti Thomæ, in secundo Sententiarum, *Distinctione ultima.* Sarisberiensis, in summa sui Policratici. *Lib.* III. *cap.* XV. Alexandri de Halis: Richardi de Media villa, & Astensis, in suis Summis.

„ Tres aliæ fundabantur in tribus authoritatibus trium Philosophorum, scilicet Aristotelis, *in Politicis*, in pluribus locis. Tullii, *De Officiis:* & Bocassii. C

„ Tres aliæ rationes fundabantur super tribus authoritatibus Legum civilium.

„ Prima, est in desertoribus militiæ.

„ Secunda, in insidiatoribus viarum publicarum.

„ Et tertia, de fure nocturno.

„ Tres ultimæ fundabantur super tribus exemplis sacræ Scripturæ.

„ Primum exemplum, est de Moyse. *Exodi secundo.*

„ Exemplum secundùm, est de Phinees. *Numeri* XXV.

„ Tertium exemplum, est de Michaele Archangelo. *Apocalipsis.* XII.

Quarta Veritas.

In casu supra dicto, magis honorabile, licitum, & meritorium est quòd ille Tyrannus infidelis sit occisus, aut fiat occidi per unum de Parentibus, & subjectis dicti Regis, quàm per unum extraneum, qui non esset de Sanguine Regali; & per unum Ducem, quàm per unum Comitem; per unum Comitem, quam per unum Baronem, per unum Baronem, quam per unum simplicem militem; per unum simplicem militem, quàm per unum simplicem subjectum. D

„ Probavit hanc ratione majoris obligationis.

„ Item, quia in hoc magis relucent amor & obedientia, atque potentia Regis prædicti &c.

Quinta Veritas.

In casu alligianciarum, juramentorum, promissionum, & confederationum factarum militis ad alterum, quomodocunque sit, aut esset possit; si contingat quòd eas servare vergat in præjudicium sui Principis, ejus sponsæ, suorum liberorum, aut Republicæ, non tenetur talis miles eas servare. Imò in tali casu eas tenere & servare, esset facere contra Leges moralem, naturalem & divinam.

„ Probavit hanc rationibus & authoritatibus „ pluribus.

„ Prima, erat de dictamine bonæ æquitatis & „ rationis, etiam secundùm Legem divinam.

„ Secunda, erat de obligationibus, unâ majore, & aliâ minore, ad invicem contrariis, quarum major est tenenda.

„ Tertia, erat fundata super authoritate Magistri Sententiarum: *Distinctione ultima, tertii;* ubi tangitur materia de juramento promissorio, cujus impletio, si vergat in deteriorem exitum &c.

Sexta Veritas.

Si contingat quòd dicta alligancia vergant in præjudicium animæ, vitæ, aut alterius promittentium & confœderatorum, suæ sponsæ, aut suorum infantium, in nullo tenetur eas servare.

„ Probavit per rationes immediatè tactas in præcedenti veritate; & addidit, quia servare confœderationes, illo casu, est facere contra Legem caritatis; quia quilibet magis obligatur sibi ipsi, uxori, & filiis propriis, quàm cuicumque alteri.

„ Item, in talibus promissionibus intelligitur, si ille cui Fidem promisi, mihi Fidem servaverit, & si Deo placuerit &c.

Septima Veritas.

In casu prædicto, licitum est unicuique subjecto, honorabile & meritorium, occidere, seu occidi facere supra dictum tyrannum, proditorem, & infidelem suo Regi & superiori Domino, per astutias, cautelas, & insidias. Et est licitum dissimulare & tacere suam voluntatem sic faciendi.

„ Probavit authoritate Bocassii, *quarto Libro, De casibus virorum Illustrium* &c. *cap.* V.

„ Item, exemplo sacræ Scripturæ, de Rege Jehu. IV. *Reg.* IX. *cap.*

„ Item, de Athalia, quæ fecit interfici omne semen Regium *Eod. Libro cap.* XI.

„ Item, de Judith, quæ occidit Olofernem per insidias; & de hoc laudatur. *Judith*, quasi per totum, & specialiter XIII. *capitulo.*

Octava Veritas.

Quilibet subjectus & vassallus, qui à proposito deliberato machinatur contra salutem sui Regis, & superioris Domini, pro faciendo ipsum mori in langore; cupiditate habendi Coronam & Dominationem: facit consecrari, aut magis propriè loquendo, execrari, in nomine dæmonum, enses, dagas, pugiones, aut cultellos, virgas, aut annulos aureos facit dedicari in nomine dæmonum, per nigromanticos facientes invocationes, charactères, sortilegia, superstitiones & maleficia; & post facit imponi & figi per corpus mortui dissuspensi de patibulo, & dictos anulos facit poni in ore mortui prædicti; & facit dietim, spatio plurium dierum, cum grandi abominatione & honore, pro perficiendis dictis maleficiis: & una cum hoc, portat supra se in uno pannulo ligato & consuto, de ossi-

ossibus & pilis loci inhonesti dicti mortui dissuspensi; illi & omnes qui hoc faciunt, non solùm committunt crimen læsæ Majestatis humanæ in primo gradu, imò committunt crimen læsæ Majestatis divinæ, etiam in primo gradu, & sunt proditores & infideles Regi suo, & Deo suo Creatori, & sicut idolatræ, & corruptores falsarii Fidei Catholicæ, sunt digni duplici morte, scilicet prima & secundâ, maximè quando dicta sortilegia, superstitiones & maleficia, sortiuntur suum effectum in persona Regis, per medium credulitatis dictorum machinatorum, invocatorum, & nigromanticorum. A

„ Probavit hanc authoritate Domini Bonaventuræ, *Lib.* II. *Dist* VI. *Quæst. ultima*; dicentis: *Diabolus nunquam satisfacit voluntati talium, nisi aliqua falsitas immisceatur &c.*

„ Item, authoritate sancti Thomæ 2ª. 2ª. q. XI. *Articulo* 2°.

„ Item, Alexandri de Halis, & Ricardi de Media-villa, & Altensis, in suis Summis.

Quæritur utrùm prædictæ octo Propositiones, quas Parvi vocavit veritates, sint erroneæ in Fide & moribus. Et apparet quòd non, per præcedentia.

Nihilominùs Magister Johannes de Gersono videtur tenere opinionem contrariam, & dicit quòd sic, prout publicè asseruit, & publicavit coram Rege, die quarta Septembris, Anni CCCCXIII. supra dicti, secundùm quod apparet ex tenore cujusdam B Instrumenti super hoc confecti VI. die Mensis Septembris, per Jacobum Ysembardi, Clericum Metensem, publicum Notarium, & almæ Universitatis Parisiensis Scribam, occasione sequentis conclusionis per eum fabricatæ & extractæ, ut asserit, super, & de dictis octo veritatibus dicti Parvi, ad suæ libitum voluntatis, quam dicto Parvi de Gersono malitiosè imposuit, etiam in publicis Prædicationibus, & disputationibus, in veritatis Fidei & sacræ Scripturæ detrimentum, scandalum, & jacturam, dictique Parvi, & illius inclitissimi Principis, de cujus Mandato dictam Propositionem publicavit.

fol. 12. *Sequitur Conclusio fabricata per Magistrum Johannem de Gersono, quam ad ejus instigationem Episcopus Parisiensis misit nonnullis Doctoribus & Magistris in Theologia almæ Universitatis Parisiensis, cum suis reprobationibus. Die Veneris* VII. *Decembris. Anni* CCCCXIII. *ad reddendum deliberationem suam die Mercurii* XIII. *sequenti, in forma quæ sequitur.* C

„ EX parte Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris, & Concilii Fidei solemnissimè congregati, Magister Reverende, mittitur vobis cedula, continens Assertiones aliquas, cum suis reprobationibus. Quare requirimus vos, sub pœnis Juris, ut detis deliberationem vestram publicè in scriptis, vel verbo tenùs, si hujusmodi Assertiones ex quibus ortum est notoriè scandalum, sicut fatetur Consilium Fidei, sint erroneæ, & taliter condemnandæ, ut consequenter procedere valeamus, sicut ordo Juris postulat, & hoc infra diem Mercurii XIII. hujus Mensis Decembris. D

Quilibet tyrannus potest & debet licitè, & per meritum occidi a quocunque suo vassallo, aut subjecto, aut per quemcunque modum, maximè per insidias, & per flaterias, non obstante quocunque juramento, aut confœderatione facta apud eum, sine expectando Sententiam, & Mandatum Judicis cujuscunque.

Sequitur reprobatio hujus Conclusionis, in forma.

„ HÆc assertio sic generaliter posita, & secundùm acceptionem hujus vocabuli, *tyrannus*, est error in nostra Fide, & in doctrina bonorum morum; & est contra Præceptum Dei: *Non occides.* Glossa *propria authoritate:* & contra hoc quod dicit Dominus noster: *Omnes qui gladium acceperint,* Glossa, *propria authoritate: gladio peribunt.*

„ Item, hæc Assertio vergit in subversionem totius Reipublicæ, & uniuscujusque Regis, aut Principis.

„ Item, dat viam & licentiam ad plura alia mala, ut ad fraudes, violationes Fidei, & juramenti, & ad proditiones & mendacia ac deceptiones, & generaliter ad omnem inobedientiam subjecti ad Dominum suum, & ad omnem infidelitatem & diffidentiam unius ad alterum; & consequenter ad æternam damnationem.

„ Item, ille qui affirmat obstinatè talem errorem, & alios qui inde sequuntur, est hæreticus, & tanquam talis debet puniri, etiam post suam mortem. Notatur in Decretis. XXIII. q. V.

Omnia præmissa continentur in forma, in Instrumento supra dicto.

VIdens autem dictus Magister Johannes de Gersono quòd malè detrahebat prædictis veritatibus; sentiens quòd improbabiliter imposuerat sibi dictam Propositionem sic per eum fabricatam, ut præfertur, ob hoc, fraudem per eum commissam in falsa recitatione & truncatione dictorum Parvi esse deprehensum à præfatis Magistris respuentibus eam meritò, & tanquam adinventam, & falsè impositam dicto Parvi; impudenter suum errorem sustinere intendens, alio fretus consilio, nescitur si meliori, confixit & composuit malitiosè sequentes Propositiones; volens suadere præfato Episcopo quod justè processerat, & intendebat procedere contra dictum Magistrum Johannem Parvi, suam præfatam Propositionem hæreticare, & destruere intendens, falsò sequentes Propositiones imposuit dicto Magistro Johanni Parvi, aut dictus Episcopus, ejus suasu, quamvis aliud prætendebat dictus Episcopus, ut patebit in intitulatione cedulæ infra scriptas Propositiones continentis; non timens dictus de Gersono offendere illum qui intuetur corda filiorum hominum, cujus oculis nuda sunt omnia & aperta, & qui novit cogitationes suas in hac parte esse vanas; non advertens illud Sapientis, *Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in Consilio.* Proverb. XXVI. 26.

Quapropter mutando vocem, recedendo que à sua præfata fabricata conclusione, composuit sequentes Propositiones ex terminis dictarum octo veritatum inordinatè per eum descriptas, extractas, ut asserit, ex terminis dictarum octo veritatum, prætermittendo malitiosè sensum ipsarum, & principales circumstantias, modificationes, & differentias earundem, ut patet eas intuentibus, & ad invicem comparantibus diligenter.

Se-

Sequitur tenor cedulæ transmissæ ex parte Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris, præfatis Doctoribus & Magistris. Anno prædicto. Die Mercurii, septima Februarij.

„ MAgister Reverende, mittitur vobis cedula „ continens Assertiones aliquas extractas per „ deputatos ad hoc ordinatos per nos, ex delibe„ ratione Concilii Fidei, ex quaternis pluribus Pro„ positionis Magistri Johannis Parvi, quam ipse „ vocat Justificationem Domini Burgundiæ; re„ quirentes vos in favorem Fidei, ut die Lunæ, de „ mane, compareatis in camera nostra Episcopali, „ ad dandum nobis salubre consilium super præ„ dictis Assertionibus, an sint erroneæ & rationa„ biliter condemnandæ, ut consequenter proce„ dere valeamus, sicut ordo Juris postulat. „

* Præsupposita descriptione tyranni, quam allegat præfatus proponens à beato Gregorio, in præfatione primæ Propositionis quarti Articuli prædictæ justificationis, quam appellat veritatem, videlicet: *Tyrannus propriè dicitur, qui in Republica non Jure principatur, aut principari conatur.*

* Nota quòd tacet casum Parvi.

Prima Assertio.

fol. 13. * *Licitum unicuique subdito, absque Mandato quocunque, vel Præcepto, secundùm Leges naturalem, moralem & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & superioris Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam & altissimam Dominationem: & nedùm licitum, sed honorabile & meritorium; & maximè quando est tanta potentia, quòd justitia non potest bono modo fieri per Supremum.*

„ Condemnatur sicut erronea in Fide & mori„ bus, ac multipliciter scandalosa. „

* Videatur tertia veritas Parvi.

Secunda Assertio.

* *Leges naturalis, moralis, & divina, autorisant unumquemque de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.*

„ Condemnatur sicut erronea in Fide, & mo„ ribus; ac Legibus naturali, morali & divinæ „ injuriosa. „

* Videatur eadem tertia veritas.

Tertia Assertio.

* *Licitum est unicuique subjecto, honorabile & meritorium, occidere, aut occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem & infidelem suo Regi & superiori Domino, per explorationes & insidias. Et est licitum dissimulare, & tacere suam voluntatem de sic faciendo.*

„ Condemnatur sicut falsa & erronea & scan„ dalosa. „

* Videatur septima veritas.

Quarta Assertio.

* *Jus est, ratio & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur villanè per explorationes & insidias. Et est propria mors quâ debent mori tyranni infideles, scilicet occidendo illos villanè per bonas cautelas, explorationes & insidias,*

* Videatur eadem septima veritas.

„ Condemnatur sicut erronea, crudelis & im„ pia. „

Quinta Assertio.

* *Ille qui occidit, aut facit occidi tyrannum superiùs nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & non debet solummodò Rex esse contentus,* A *imò debet habere factum gratum & autorisare, in tantum quantùm quòd opus, & necessitas esset.*

„ Condemnatur sicut erronea in Fide & mori„ bus, ac Regis Dominationi injuriosa. „

* Trahitur ex probationibus tertiæ veritatis, & specialiter ex exemplis sacræ Scripturæ.

Sexta Assertio.

* *Rex debet præmiare & remunerare illum qui occidit, modo prædicto, aut facit occidi tyrannum superiùs nominatum, in tribus modis, scilicet in amore, honore & divitiis, ad exemplum remunerationum factarum sancto Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi de Regno Paradisi; & nobili Phinées, pro occisione Ducis Zambri;*

„ Condemnatur sicut erronea in Fide & mo- B „ ribus, scandalosa; & Regiæ Dominationi in„ juriosa. „

* Similiter sicut præcedens trahitur.

Septima Assertio.

* *Rex debet plùs diligere quàm ante, illum qui occidit, aut facit occidi tyrannum superiùs nominatum, modis supra dictis; & debet facere prædicare suam fidem, & bonam fidelitatem per suum Regnum, & extra Regnum; debetque facere publicari, per Litteras, in modum Epistolæ, aut alio modo.*

„ Condemnatur sicut erronea in Fide & mo„ ribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi inju„ riosa. „

C * Item, similiter prædictis notetur pro tribus istis Assertionibus Propositionis Parvi conclusio finalis.

Octava Assertio.

* *Littera occidit, spiritus autem vivificat* 2. Cor. III. 6. *Hoc est dictum, quòd semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura; est occidere animam suam.*

„ Condemnatur sicut expositio falsa, & er„ ronea. „

* Videatur finis probationis. Et probatio sumitur ex Legibus civilibus.

Nona Assertio.

* *In casu alligantiarum, juramenti, promissionis,* D *aut confœderationis factarum militis ad alterum, quocunque modo sit, aut esse possit; si contingat quòd illa vergant in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, suæ sponsæ, aut suorum liberorum, talis non tenetur eas servare. Hoc probatur ex ordine Caritatis, quo quilibet plùs tenetur se ipsum diligere, uxorem & liberos, quàm alterum:*

„ Condemnatur sicut falsa & erronea, secun„ dùm se, & ad perjuria viam præbens. „

* Videantur quinta & sexta veritas.

Hæc Cedula fuit instrumentata, & signata signo manuali Scribæ Officialis Parisiensis.

G. Le Mieu.

QUæritur utrùm prædictæ Propositiones, sive Assertiones sic fabricatæ, truncatæ per dictum Magistrum Johannem de Gersone, vel per Episcopum Parisiensem, sint eædem realiter, & habeant eundem sensum, aut sequantur formaliter & necessariò ex ipsis.

Videtur quòd non; quia Propositionibus veris, conformibus Legi divinæ, & bonis moribus, non possunt esse eædem, aut sequi ex ipsis formaliter, vel necessariò, aliquæ Propositiones erroneæ in Fide & moribus, cujusmodi sunt, ut dicit de Gersone, prædictæ novem Assertiones: sed prædictæ octo veritates Parvi sunt hujusmodi. Ergo &c. Major non negatur, & Minor patet ex præcedentibus probationibus earundem; & per ampliùs probabuntur, si & quando fuerit conveniens & necesse.

Oppositum tenet dictus Magister de Gersone, aut Episcopus Parisiensis, prout imposuerunt dicto Parvi, ut patet ex novem Assertionibus eorum immediatè præcedentibus, impositis dicto Magistro Parvi, quas reputant erroneas ex Fide & moribus.

Facta comparatione diligenti dictarum novem Assertionum de Gersone, ad veritates octo Parvi præcedentes, apparet manifestè dictum de Gersone falsè & diminutè dicta Parvi recitasse, & casum suæ Propositionis tacuisse, & à suis veritatibus differentias & circumstantias principales dolosè subtraxisse; specialiter, à tertia veritate subtraxit id quod sequitur, videlicet, *Quando talis tyrannus de quo loquitur Parvi, perseverat in sua malitia, nec se vult corrigere, nec emendare; & specialiter, quando est periculum in mora.*

Item, ex opposito dictarum veritatum Parvi, quod videtur asserere de Gersone, sequitur quòd aliquis viator, in casu Parvi, existens in gratia, lege stante, potest esse perplexus, imò esset de facto, in dicto casu, inter duo mala culpabilia prohibita per Præceptum: quod est erroneum in Fide & moribus.

Item, in dicto casu, stante veritate oppositi dictarum veritatum Parvi, staret aliquem licitè, & absque culpa posse consentire in mortem sui Regis & superioris Domini justi & innocentis: quod est erroneum, ut supra.

Item, dicere, in casu subiti & imminentis periculi non patientis tantam moram, ut ad Superiorem possit haberi recursus, aut aliter evitari, absque discrimine graviori, necessitatem inevitabilem ex tali periculo inductam, non habere dispensationem, aut interpretationem sibi annexam, à communi casu Legis absolventem, videtur esse erroneum, eò quod necessitas non habet Legem, nec peccat aliquis in illo quod vitari non potest.

Item, quòd in tali casu malefactores & hostes Reipublicæ occidere, aut occidi facere, non contrariatur Præcepto Decalogi quo homicidium prohibetur, prout videtur sentire beatus Augustinus, Libro primo, *De libero arbitrio.*

Item, sequitur quòd illud Præceptum, *Non occides*, debet intelligi de occisione innocentis, aut de illa quæ fit livore propriæ vindictæ, aut authoritate privata; quia, secundùm hoc, includit in se formaliter rationem injusti mali & indebiti; non autem occisio quæ fit authoritate Legum prædictarum, de qua loquitur Parvi in suis veritatibus prætactis, ut patet ex earum tenore & probationum suarum.

Item, quòd dictus tyrannus occidit suum supremum Dominum quantùm in se est, machinando proditoriè in ipsius necem, odio & cupiditate, mente & consensu, cum intentione & proposito pertinacibus suam damnatam intentionem opere complendi; est hujusmodi Præcepti, *Non occides* prævaricator & transgressor.

Item, sequitur quòd tyrannus de quo Parvi loquitur, per dicta Johannis de Gersone, conformiter loquendo ad Legem Christi, est occidendus; sic arguendo: Omnes qui gladium acceperint, propria authoritate, gladio debent perire: sed tyrannus de quo loquitur Parvi, gladium accipit, propria authoritate, contra suum Regem & superiorem Dominum, contra quem nullam potest habere authoritatem propriam: ergo gladio debet perire. Sed
A publica authoritas officiaria non potest, per casum Parvi, talem tyrannum interficere: ergo vassallus, authoritate publica commissiva, hoc est authoritate Legem &c. potest ipsum interficere laudabiliter, divinum Judicium in eum exercendo. Quod est propositum.

Ex quibus patet solutio ad objecta Magistri Johannis de Gersone, ut detur occasio cognoscendi errores temerè impositos ex Propositionibus Parvi, per Johannem de Gersone. Sequentia sub determinatione sanctæ Matris Ecclesiæ, aut sacri Concilii Generalis.

Dictæ octo veritates, super quibus fundavit Majorem suæ Propositionis Magister Johannes Parvi, quæ sunt octo veritates supra dictæ, in casu specificè per eum designato, & absque præjudicio Fidei, aut sacræ Scripturæ sustinibiles, conformes bonis moribus, observatrices divinorum Præceptorum, secundùm intellectum eorundem, conservatrices Reipublicæ in statu debito, Imperialis &
B Regalis Dominii, & omnis veri justi Principatus, fraudes præcludunt, violationes fidelitatis interimunt; proditiones, mendacia, & iniquitates damnant; obedientiam debitam quibus debetur, si ab eisdem fuerit substracta, restituunt & conservant; securitatem quoque atque confidentiam & durabilitatem in Republica multiplicant, atque fovent, membra ejusdem ad suum caput debitè ordinant, & à vita non abducunt æterna.

Item, quicunque constanter sustinet contra Episcopum Parisiensem, inimicum Capitalem Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, & Magistri Johannis Parvi, ejusdem consortem in hac parte, dictas octo veritates, non intendens placere hominibus, sed Fidei & sacræ Scripturæ Catholicæ veritati, cupiens innocentiam proborum maculatam per prætensam condemnationem prædictarum veritatum reformari & reparari, est in hoc bonus, moralis, fidelis Catholicus, benè sapiens
C in Fide & moribus, & rectè docens.

Ex quibus sequitur quòd prima conclusio, cum tribus sequentibus quæ illi innituntur, quam posuit dictus Magister Johannes de Gersone, & legit in quadam cedula, die Jovis XI. Aprilis, coram magna multitudine Doctorum in Theologia, & quam dicit se velle sustinere usque ad mortem inclusivè, quæ est hæc in forma, videlicet:

„ Condemnatio Propositionis defuncti Magistri „ Johannis Parvi, fuit catholicè facta, tanquam de „ Propositione continente errores plurimos in Fi- „ de & bonis moribus & multipliciter scandalosos.

Est temeraria; quia non includit determinationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut Concilii Generalis. Est insuper iniqua & injusta.

D Item, ex eadem radice sequitur quòd dictæ condemnationis Assertio nititur, quantùm in se est, auferre privilegium speciale sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacro Concilio Generali à Christo collatum, à sanctissimis Fide & Patribus usque in præsens approbatum.

Item, sequitur quòd à dicta Sententia iniqua & er-

erronea, si & pro quanto dictas veritates temerariè condemnavit licuit appellare, sicut de facto ab ea extitit legitimè appellatum ad sanctam Sedem Apostolicam, aut ad hoc sacrum Concilium Generale.

Item, sequitur quòd illi qui ad dictam appellationem faciendam, & ad ipsius persecutionem dederunt, aut dabunt in posterum auxilium, consilium, aut favorem, sunt quoad hoc veri Catholici, veritatis Fidei, & sacræ Scripturæ, ac bonorum morum fervidi zelatores, & fortissimi defensores.

Ex quibus omnibus sequitur quòd dictus Magister Johannes de Gersono, qui à proposito, & malitiosè, ut verisimiliter apparet ex prædictis, dictas Propositiones imposuit dicto Magistro Johanni Parvi, quas asseruit, & publicè qrædicavit ut supra, & pertinaciter asserit, ut dicitur, præter hoc quòd peccavit mortaliter, incidit in pœnas alias Juris, ipso facto, teneturque, de necessitate salutis, scandala per eum propter præmissa, notoriè ac malitiosè procurata, cum denigratione famæ prædictorum Principis & Magistri, ac multorum aliorum reparare, errores suos publicè revocando.

Finaliter attendatur, si placet, quòd dictus Episcopus Parisiensis est Judex particularis & incompetens, inimicus perniciosus præfati Illustrissimi Domini; & dictus du Gersono sibi coassistens in hac parte, fuit à magnis temporibus, & est, ut ostendit, mortalis inimicus dicti Parvi, etiam dùm vivebat, prout satis notum est apud illos qui ambos noverunt. Insuper quòd tempore quo tulerunt prædictam prætensam Sententiam, ne dicatur iniquam, dictus Episcopus, & Inquisitor, nulla erat Parisius libertas sufficiens, aut talis quòd pateret liber, aut tutus accessus ad dictum locum, seu dictos prætensos Judices, illis specialiter quos hæc materia poterat tangere & tangebat: nec fuerunt debitè evocati. Nec potuit esse apud nonnullos magnos Doctores in hac materia, animus in consulendo liber, quorum multi tenuerunt & tenent quòd modus procedendi fuit incompetens, quod patebit in Processu judicialiter, Deo duce.

Iterùm notetur præcipitatio Processus & Sententiæ prætensæ prædictorum, in tàm ardua materia, super qua meritò sancta Sedes Apostolica erat consulenda, qui fuit factus & sententiatus, aut sine deliberatione utriusque Juris peritorum, Divini & Canonici; aut fuit factus, completus & prætensè sententiatus à septima die Februarii, quâ debuerunt referre dicti Jurisperiti suas deliberationes, usque ad XXIII. ejusdem Mensis & Anni supra dicti. Si majorem lapsum temporis requirebat, judicent sapientes.

Multæ aliæ circumstantiæ dictum Processum adnullantes, ordini judiciario de præsenti relinquuntur.

Nova positio Magistri Johannis de Gersono.

Cod. 2538. fol. 197. Extat etiam in Cod. 2513. fol. 35.

VOluimus propter elucidationem veritatis, & extirpationem quarundam opinionum consurgentium in Juribus positivis non intellectis, ad puram Fidei regulam, notare tres Conclusiones quæ ab aliquibus dicuntur fuisse prædicatæ, jungendo reprobationes tàm ex practicatis in hoc sacro Concilio Constantiensi, quàm aliundè, multiplici ratione.

Prima Conclusio.

QUòd nulla Propositio philosophicalis vel moralis condemnanda est per Concilium, eò quòd in talibus non se debet occupare, cùm non sint de Fide: hæresis autem est dogma falsum Fidei orthodoxæ contrarium.

A Oppositum autem hujus Conclusionis practicatum est in multis erroribus Johannis Wicleff, & Johannis Hufs, qui moralia respiciunt, ut quòd *Fratribus non liceat mendicare*. Unde & falsum est, imò hæreticum quòd nulla moralia sint de Fide: unde ista damnata per Ecclesiam, ut hæretica, quòd *Usura non sit peccatum*, & ista, quòd *Non licet jurare*, & ita posset explicari de multis; & ista quæ novissimè damnata est ut hæretica, *Quilibet tyrannus &c.*

Unde pro regula generali; omnis Propositio contenta in sacra Scriptura spectat ad Fidem: quoniam Assertio pertinax opposita non stat cum Fide: & similiter omnis Propositio ex ipsa deducta in consequentia probabili & vera, ad eandem spectat Fidem. Et reducitur hæc regula ad illud de Symbolo Nicæno: *Secundùm Scripturas*; & ad illud, *Qui locutus est per Prophetas*; & ad illud, *Unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*, de-B ductio facilis est.

Altera Conclusio, vel pars Conclusionis.

DUm damnandi sunt errores, debent simul evocari & damnari hæresum assertores.

Oppositum practicatum est in erroribus Wicleff, qui priùs condemnati sunt judicialiter, quàm ipse Wicleff evocaretur & damnaretur, licèt sub nomine ejus damnati sint. Verùm est quòd dùm quæsita est damnari sua memoria, citatio decreta est. Similiter ista, *Quilibet tyrannus* &c. Similiter alia, de non communicando laïcis sub utraque specie &c. Et ita solitum est fieri in multis Conciliis, in quibus Apocrypha, quæ certo carent auctore, condemnantur. Verùm est tamen quòd postmodùm possunt & debent hæresum assertores, nisi desistant, condemnari.

Notetur exemplum de falso numismate inscripto nomine Regis quod damnatur, non damnato Re-C ge. Sic in proposito, potest contingere de falsa doctrina, sicut in cedula per Promotorem judicialiter exhibita latior est deductio, quæ incipit: *Asserere quòd non liceat &c.*

Facit ad hoc quinta distinctio Decreti, ubi reprobantur Opuscula ab hæreticis instituta, sub nominibus diversorum Sanctorum, ut est Evangelium sancti Thomæ, sancti Bartholomæi, sancti Andreæ, & ita de reliquis, sicut de itinerario Clementis, de vita Petri, & de transitu beatæ Virginis. Constat autem quòd nec Apostolus, nec Virgo Maria fuerunt evocati, dùm damnarentur errores isti sub eorum titulis prænotati, nec ipsis adjudicatum est aliquod interesse. Unde *, si error Græcorum, de processione Spiritus sancti, damnatus est, ipsis non vocatis, sicut dicit Dominus Bonaventura.

D Ampliùs. Sic arguitur ratione. Quandocunque duo sunt separata, quorum unum est principale, & aliud est accessorium; principale potest defendi, ut in responsione Johannis de Rocha; vel terminari, accessorio remanente non tacto, & præsertim quando terminatio non habet necessariam dependentiam. Sed interesse Fidei, circa Libellum hæreticalem, est principale, sic quòd ex errore, tanquam

Cc 2 ex

* *fortè deest* non mirandum.

ex parte rea criminis læsæ Majestatis divinæ, constituitur sufficiens Judicium apud Prælatum, officio, ut hanc partem damnet. Interesse verò personale concernens intitulationem talis Libelli, est purè accessorium & separabile. Poterit igitur primum interesse terminari, & alterum differri, vel dimitti.

Ampliùs. Evenire frequenter potest quòd Libellus hæreticalis inficiet unam Diocesim; & persona, cujus nomine Libellus intitulatur, non erit de illa Dioecesi, nec per consequens subjicietur Jurisdictioni illius Episcopi. Non oportebit igitur quòd Episcopus evocet eum, dùm damnabit illum Libellum erroneum, & suæ Dioecesi pestiferum, quia de iis quæ foris sunt nihil ad eum, & esset irrisoria citatio.

Ampliùs. In casu præcedenti contingere potest quòd persona errans sit tyrannus potens, vel hostis Reipublicæ, vel inimicus reputatus à Rege sub quo est Prælatus qui damnat hæreses; ubi si citaretur hujusmodi tyrannus vel hostis, nulla esset utilitas, sed major hostilitas in dilatione damnationis errorum penderet in subditis Prælati talis grande dispendium.

Ampliùs. Non oportet in decisione, vel determinatione doctrinali condemnativa alicujus erroris quòd evocetur errans, quamvis nominetur. Non igitur oportebit hoc in damnatione judiciaria, de necessitate divini Præcepti, cujus vinculum majus est, quàm vinculum Juris positivi.

Et si dicatur quòd in casibus prioribus potest saltem fieri citatio generalis in valvis Ecclesiarum.

Respondetur primò, quòd hæc citatio non concernit necessariò damnationem errorum ad quam obligatur Prælatus divino Præcepto, & non sic ad citandum.

Respondetur secundò, quia posset talis citatio accessoria cedere, multis casibus, in præjudicium causæ principalis, propter versutias, vel astutias Advocatorum, vel Procuratorum, conductorum prece, vel pretiò per unum potentem tyrannum, vel hostem Reipublicæ, vel seditiosum, refugientibus ex adverso defensoribus veritatis, vel causâ justi metus, vel ex pusillanimitate, aut aliàs interponerentur. Quippè statim appellationes frivolæ, imò pestiferæ ad Curiam Romanam, ubi tantus esset tractus, quantus labor, & expensæ, & quàm inutilis aliquando finis, colligitur faciliter ex iis quæ vidimus ex videmus. Et ita Pastor & Doctor, pro grandi merito, grandi damno multaretur.

Exemplum pro præmissis inducitur de Rege Franciæ, qui fecit damnari Parisius errorem, *De visione beata*, quem tenebat Johannes XXII. eodem Johanne Papa non vocato, vel audito.

Altera Conclusio.

QUòd per inferiores ad Concilium Generale, vel ad Sedem Apostolicam, non sunt errores condemnandi judicialiter, imò nec doctrinaliter, ut aliqui intellexerunt; nisi sint priùs per Ecclesiam condemnati: quoniam istæ sunt Majores causæ, quæ referendæ sunt, ut dixit, ad Apostolicam Sedem.

Oppositum pacticatum est in hoc sacro Concilio, quod approbavit condemnationes factas per Universitates & Ordinarios, in Anglia, & in Praga; quas tamen temerarias & iniquas, si verum iste diceret, debuisset reprobasse.

Unde Prælati & Doctores tenentur multa scire explicitè, quæ populus non tenetur explicitè cognoscere. Sed ubi insurgeret turbatio in populo, & error explicitus, Prælati possunt, & debent plebem ab erroribus hujusmodi revocare judicialiter, & aliàs. Verum est quòd Sententia eorum non ligat extraneos, ut est præcisè per ipsos lata, nisi pro quanto deducitur sufficienter in Scriptura sacra.

A Denique nulla est controversia, vel contradictio, etiam apud Dominos Juristas, quin in causis Fidei respiciant expressè & explicitè Articulos Fidei, & illa quæ sunt per Ecclesiam jam ut hæreses damnata; vel per Scripturam sacram, cujus authoritate nititur Ecclesia, possint & debeant ordinari, & inquisitiones cognoscere: ut si quis diceret quòd *Usura est licita*, quòd *Fornicatio non est peccatum mortale*, quòd *Quilibet tyrannus debet occidi &c.* sicut nuper damnatum est; nullus dubitat quin Episcopus, & Inquisitor habeant cognoscere.

Contra tertiam Conclusionem præmissam, notetur sequens Conclusio extracta de Tractatu composito Anno Domini M. CCCLXXXVIII. per Facultatem Theologiæ, & approbato per Universitatem Parisiensem, misso olim Domino Clementi Papæ; qui Tractatus est penès Reverendissimum Patrem Dominum Cardinalem de Chalanco.

B Secunda conclusio est in primò Articulo.

„Quòd ad Episcopos Catholicos pertinet, authoritate inferiori & subordinata, circa ea quæ sunt Fidei judicialiter diffinire.

„Probatur authoritate Pauli, *Actorum* xx. 28. ubi dicit: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* Unde patet quòd Jure divino, & authoritate Spiritus sancti, Episcopi positi sunt ad regimen Ecclesiæ Dei.

„Regimen autem importat judiciariam authoritatem. Ergo sequitur quòd ad eos pertinet authoritate judiciali inferiori & subordinata, idest, supremæ authoritati subjecta, Ecclesiam regere, & per consequens, de Fide cognoscere, & in ea diffinire.

„Unde quòd de tali regimine ad Fidem pertinente loquatur Apostolus, ex hoc patet, quia ibi hortatur ipsos adversùs hæreticorum Fidem, subvertentium nequitiam vigilare. Nam immediatè C sequitur. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, & exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, propter quod vigilate*, &c. Act. 20. 29.

„Et ideò exemplo Pauli, Summus Pontifex, & Generale Concilium, sub gravium comminatione pœnarum, ad vigilem hæreticæ pravitatis expugnationem alios hortantur Episcopos.

„Unde *Extr. de haretic.. in Cap. Excommunicamus*, in fine, sic concluditur: *Si quis enim Episcopus super expurgando de sua Diocesi haretica pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius substituatur idoneus, qui velit & possit hereticam confundere pravitatem.*

„Hoc autem non posset Episcopus, nisi haberet D in hac parte judiciariam authoritatem. Et ideò ibidem præmittitur quòd Episcopus debet hæreticos ad suam præsentiam convocare, & convocatos punire. Et in Capitulo *Ad abolendam*, eo titulo, dicitur quòd pertinet ad Episcopos per Dioceses suas hæreticos judicare, & quòd ipsi errorem suum, ad arbitrium Episcopi regionis, debent publicè abjurare; quòdque etiam illi qui fuerint à Diocesani Jurisdictione exempti, niholominùs in iis quæ sunt contra hæreticos instituta, ipsorum subeant Judicium, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apostolica Delegatis, non obstantibus libertatis Privilegiis, obsequantur.

„Ex quibus omnibus satis patet quòd tàm de Jure divino, quàm humano, ad Episcopos pertinet, & „præ-

„ pravitatem hæreticam judicare; & per consequens, „ Assertiones hæreticas condemnare judicialiter, & authoritate judiciaria veritates Catholicas diffinire.

„ Attendatur circa præmissa, quòd si nullæ causæ Fidei deciderentur per Ordinarios, & præsertim in locis in quibus sunt Studia Generalia Theologorum; sequerentur inconvenientia maxima in Fide & moribus: quoniam, ut in pluribus, Mendicantes sunt illi qui prædicant, & possent ad libitum dicere quæ vellent, absque timore reprehensionis; quoniam in Curia Romana nulli ferè sunt Theologi, nisi Mendicantes. Et sic ibidem quasi essent partes & Judices.

„ Quia rursùs apud ipsam Curiam Romanam prædictæ causæ Fidei, ut plurimum, manerent indiscussæ vel indeterminatæ, sicut experientia docuit in multis.

„ Quia denique pauci reperirentur Prælati & Doctores qui possent & vellent subire dispendia & expensas, quas in Processibus Fidei eos facere necesse esset.

„ * Debent tamen Episcopi retardari in extirpatione hæresum, sed animari, sicut patet, *Extr. de hæretic. Cap. excommunicamus.*

B „ Postremò, quidquid sit de aliis Episcopis & Universitatibus; attamen apud Episcopum & Universitatem Parisiensem istud habetur de consuetudine rationabili & approbata, ac legitimè præscripta, sicut patet de condemnatione Articulorum Parisiensium, & de juramento Bachalareorum, quod faciunt ante lecturam Sententiarum, in manibus Cancellarii Parisiensis, quòd tale est.

„ *Si audieritis aliquem dogmatizantem contra sanam doctrinam, & specialiter in favorem Articulorum Parisius damnatorum, revelabitis infra octo dies Episcopo, vel Cancellario Parisiensi, qui fuerit pro tempore vestro.*

„ Concordat pro conclusione Scriptura divina, pluribus locis, specialiter prima Petri tertio. *Parati*, inquit, *ad satisfactionem &c.* & Malachiæ II. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam* &c. Et in Epistolis Pauli ad Thimoteum, & ad Titum, & *Exod.* XVIII. Et *Deuteron.* XVII. Et si dicatur quòd Episcopi, & Inquisitores possunt errare; certè ita potest errare Papa; nihilominùs spectant ad eum causæ Fidei.

C „ Item, si Doctores possunt doctrinaliter tractare materias Fidei, quia datur eis in Licentia potestas determinandi & interpretandi Scripturam sacram; constat quòd Episcopi, ex officio, sunt Doctores, & possunt docere populum authoritativè, pœnas scilicet apponendo. Item, causæ Matrimoniales sunt de Majoribus causis, quæ nihilominùs ab Ordinario sæpè determinantur.

„ Item, omnis error damnatus est jam per Scripturam sacram explicitè, & implicitè, sicut patet, *Extr. de hæret. Cap. Damnamus.* Unde dicit Augustinus quòd si quid alibi noxium est, hîc damnatur, scilicet in Scriptura: unde damnatio, etiam per Papam, vel Concilium Generale, non est nisi quædam Juris divini declaratio, cum appositione Decreti pœnalis.

D „ Patet igitur quòd secunda conclusio præfata, de Tractatu antedicto, est sufficienter fundata in Jure divino & humano, & in consuetudine laudabili legitimè præscripta; nec propter unam glosam Magistralem in Decretalibus vel Decretis, etiamsi reperiretur ad oppositum, damnanda est, sed tenenda.

„ Et ita remanet tertia conclusio falsa per Magistrum Tholosanum, id est Johannes de Rocha, posita. Vide fol. 76.

„ Facit pro promissis, ad ostendendum de consuetudine laudabili legitimè præscripta, quòd nedùm „ in Universitate Parisiensi; sed in aliis Studiis generalibus fit protestatio communis per Theologos, dùm faciunt aliquos actus, quòd nihil dicent contra Articulos Parisius condemnatos, vel qui alibi sint rationabiliter condemnati. „

* *Hic deesse videtur* Non

A

Sequitur Objectio, & Responsio, quæ in prædicto Tractatu positæ sunt.

„ SEd contra prædicta objicitur, quia licèt ad aliquem inferiorem Papa pertineat, vel pertinere possit hæreses manifestas & explicitas judicialiter condemnare, in quo casu videntur procedere illa quæ dicta sunt in secunda & quinta conclusionibus; tamen videtur quòd nec Episcopus, nec Facultas, aut alius Papa inferior, possit condemnare judicialiter & solemniter hæreses implicitas, de quibus inter litteratos & in sacris Litteris eruditos est quæstio vel dubitatio; quales videntur Conclusiones prædictæ, vel earum aliquæ, quas Facultas Theologiæ condemnavit. Et ad hoc videtur ratio & authoritas concordare: irrationabile enim apparet quòd Episcopus Parisiensis, qui quandoque non est Theologus, nec in sacris Scripturis peritus, possit opinionem Doctorum Theologiæ sententialiter condemnare. Item, ad hoc est authoritas Innocentii Papæ, in Cap. *Quotiens* 24. q. 1. ubi ait. „ *Quotiens ratio Fidei ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, idest, ad sui nominis & honoris auctorem referri debere.* Et ibidem dicit glosa: *Aliud est quæstionem de Fide motam terminare; quod nulli, præter quam Romanæ Sedi permittitur, sicut hic dicitur. Aliud est ipsam sine diffinitione ventilare; quod Patriarchæ & Primates facere possunt;* sicut ibi continetur. Et posteà glosa objiciens ait. . . . . . *Extr. de hæret. Cap. Ad abolendam.* Nam ibi innuitur quòd illi sunt vitandi tanquam hæretici, quos ipsi Episcopi vitandos dixerunt. Vide etiam Cod. 2513. fol. 39.

„ Sed dic, quòd illud intelligendum est, quando tale quid dicunt quod certum est esse hæresim. Hîc verò cum dubium est. Cui concordat glosa, 80. *Dist. cap.* 11. super verbo, *Fide*, ubi ait: *Sed expone sic: in Fide*, id est *fideliter* ut possit agitare *causam Fidei, sed non procedere ad Sententiam.*

„ Ex quibus omnibus patet quòd nullus inferior Papa potest determinare sententialiter quæstionem motam de Fide, præcipuè quando litterati dubitant & contrariè opinantur.

„ Ad quòd concordat Innocentius tertius, *Extr. De Baptismo & ejus effectu*, ubi dicit: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim Articulos Fidei tangentes, ad Petri Sedem referendas &c.* Et ad hoc etiam facit Cap. *Fidei fundamentum. De Summa Trin. & Fide Cath.* in Clementinis.

„ Sed ad ista respondetur.

„ Et primò. Dicendum est quòd omnia ista Jura loquuntur de causis, seu Quæstionibus Fidei terminandis & diffiniendis judicialiter. Et ideò in nullo faciunt contra Facultatem Theologiæ, quin possit Quæstiones etiam apud aliquos litteratos dubias scholasticè terminare, & doctrinaliter diffinire, antequam ad Sedem Apostolicam referantur, sicut supra est ostensum in primo Articulo hujus capituli.

„ Secundò. Dicendum est, respondendo ad rationem nunc factam, quòd nec Episcopus Parisiensis, nec alius quicunque non Theologus, nec in sacris Scripturis peritus, potest, aut debet, sine Theologorum consilio, opiniones Doctorum Theologiæ in Fide dubias, & non manifestè hæreticas, sententialiter, seu judicialiter condemnare.

„ Tertiò. Dicendum est quòd, non obstantibus „ præ-

„ prædictis Juribus, Episcopus Parisiensis, vel alius, de Concilio Facultatis Theologiæ, seu Theologorum sacræ Scripturæ, potest tales opiniones, si ostendantur esse contra Fidem, sententialiter condemnare, imò, in casu, hoc potest sola Facultas Theologiæ, sicut patet ex quarta & quinta conclusionibus, & earum probationibus.

„ Quartò. Dicendum est ad omnia illa Jura, quòd intelligenda sunt de judiciaria diffinitione, vel Sententia suprema: sed per hoc non tollitur quin ali- A qui inferiores Papa possint hujusmodi quæstiones terminare, & judicialiter diffinire, diffinitione & Sententia inferiori & subordinata, sicut patet ex dictis & dicendis, & etiam ex Bulla Domini Urbani quinti, inferiùs allegata: ita quòd suprema diffinitio dicitur Sententia absolute & simpliciter; sed subordinata diffinitio Episcoporum Catholicorum inferiorum non sic universaliter obligat. Et ideò non dicitur diffinitio, vel Sententia, nisi secundùm quid.

„ Et sic diffinire, vel sententiare, vocat ibidem glosa, *ventilare*, quia non est simpliciter terminare. Cum hoc tamen stat, quòd obligat suos subditos secundùm quid, scilicet quousque per Sedem Apostolicam, vel Summum Pontificem aliter fuerit B sententiatum & diffinitum.

„ Et supposito quòd talis inferior Sententia, vel diffinitio non obligaret, in casu, ad credendum, quia staret, in casu, quòd illud sic diffinitum esset hæreticum; tamen regulariter obligat ad oppositum non dogmatizandum, vel publicè docendum in Diocesi Episcopi sic diffinientis. Et sicut deinde est de Episcopis, sic dicendum est de aliis personis, vel Collegiis, ab Potestatem, vel authoritatem habentibus, respectu suorum subditorum.,, Hæc ibi.

Ubi notandum est quòd hæc glosa potest aliter intelligi, ubi scilicet, & quando Propositio contraria Fidei, vel non generavit scandalum in una Diocesi, vel ubi potest sine periculo nesciri, seu dissimulari, vel ubi non habetur sufficiens consi- C lium Theologorum, declarando quòd explicitè repugnat Fidei, vel sacræ Scripturæ, quòd idem est: secùs judicandum est, si scandalum ortum est, si periculum est in nesciendo, si Theologorum adsit frequentia.

Placeat tandem attendere quòd in Curia Romana plerumque est minor abundantia Theologorum, quàm consuevit esse Parisius, exempli gratiâ. Et dùm inde trahitur causa Fidei per appellationem ad Curiam Romanam, solet remitti ad Universitatem Parisiensem, sicut visum est pluries, temporibus nostris.

Propterea non videtur rationabile causam Fidei per tot solemnissimè agitatam & discussam, remittere discutiendam uni, duobus, vel tribus Cardinalibus non Theologis, sicut Dominus Balthasar nuper Papa Johannes XXIII. facere conatus est, in causa condemnationis Propositionis defuncti Magistri Johannis Parvi, quæ usque modò pendet coram Domino Cardinali des Ursins, non sine gra- D vibus damnis & expensis Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris.

Rursùs ad principale sic arguitur. Constat ex decursu nascentis Ecclesiæ usque nunc, quòd Prælati qui sunt Pastores & Doctores, & alii Doctores non Prælati, consurrexerunt adversùs hæreses, primò doctrinaliter disputando, scribendo, arguendo, increpando, non remisso semper Judicio ad Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium; & nedum doctrinaliter hoc fecerunt, sed judicialiter quilibet in sua Diocesi: & certè si doctrinaliter poterant, fas similiter eis erat judicialiter hoc facere, cùm damnatio judicialis non addat ad doctrinalem, præter adjectionem pœnæ in subditos rebellantes. Sic enim dicit Apostolus, quòd *Oportet Episcopum instructum esse in doctrina sana, ut possit eos qui contradicunt, revincere.* Tit. I. 9.

Dicitur eis prætereà in persona Jeremiæ quòd constituti sunt ut evellant & destruant &c. Et hoc idem Ezechielis III. & XXXIII. sub figura speculatoris palam ostenditur.

Unde si semper oporteret causas Fidei, dùm insurgunt per Universum, remittere ad Sedem Apostolicam, ipsa Sedes non sufficeret terminare, etiamsi haberet tot Auditores causarum Fidei, quot Auditores causarum prophanarum: in quibus tamen Fidei causis non apparet quòd aliquis sit Auditor constitutus ordinarius; oportet enim tales Auditores esse Theologos eruditissimos & incorruptissimos. Et talium quanta fuerit & sit raritas in Curia Romana, nimis, proh dolor, docuit experientia! ecce enim quòd in sacrô Collegio tot Cardinalium, vix fuit & est binarius Theologorum.

Dicere igitur, sub prætextu cujusdam Decretalis Papalis, dicentis quòd majores causæ referendæ sunt ad Sedem Apostolicam, & nulli alii, per universum Orbem Pastores & Doctores debeant se de ejusdem causis intromittere, est apertissimè nedùm errare, sed delirare & insanire, & irritum facere Mandatum Dei, propter Traditiones hominum.

Concludimus ergo quòd sicut errores aliqui perniciocissimi fuerant ante celebrationem hujus sacri Constantiensis Concilii, de authoritate Papæ & suæ Curiæ introducti, per erroneum intellectum quorumdam Jurium positivorum, per adulatores, vel textuales homines: ut quòd Papa non subjiciebatur Concilio Generali; quòd non poterat committere simoniam in collatione Beneficiorum; quòd nemo poterat ei dicere, *Cur ita facis?* quòd non poterat celebrari Concilium sine eo in quocunque casu; & ita de plurimis; qui quidem errores damnati sunt per hoc sacrum Concilium verbis & factis: sic in proposito, necessariò fieri convenit de talibus erroribus qui dicti sunt; ut quòd Prælati inferiores non habeant judicare de Fide, præter quàm fortè de Articulis Fidei, quantumcunque suppetat eis copia Theologorum, quantumcunque prætereà scandalum grave suis subditis immineat; quòd insuper damnari non possunt, aut debent errores, nisi priùs, vel simul evocentur errorum assertores; & quòd aliter faciendo Sententia nulla est vel iniqua, licèt principale sit justissimum, scilicet errorum damnatio; quòd denique non sunt damnandæ Propositiones, si possunt ad aliquem sensum bonum trahi, vel pro aliquo casu dabili sophisticè glosari; & ita de reliquis: ut quòd Præcepta Decalogi non spectant ad Fidem; quòd materiæ disputabiles non spectant ad Fidem, nec sunt Judicio Fidei reprobandæ. Quæ omnia magnam afferunt perniciem in Ecclesia sancta Dei.

Occasione præmissorum, ut creditur, hæ duæ Quæstiones formantur.

Prima Quæstio.

UTrùm secundùm Jura Canonica, possit aliquis Episcopus, ex Privilegio, vel consuetudine præscripta, Propositiones apud aliquos dubias in Fide vel moribus, declarare ut erroneas in Fide & moribus, & in sua Diocesi subditos suos ad hoc tenendum cohercere, reservata determinatione Sedis Apostolicæ, vel Concilii Generalis, & hoc præsertim ubi Studia Generalia sacræ Scripturæ vigent.

Se-

Secunda Quæstio.

UTrùm secundùm Jura Canonica, Propositiones quæ de se sunt erronæ in Fide & moribus, ideò semper de Jure dicantur dubiæ, quia aliqui, etiam Theologi, se dicunt de illis dubitare.

fol. 202. *Sumptum & originale Bullæ, quæ damnat errores Wicleff, in Concilio Romano, & approbata est per Constantiense Concilium.*

JOHANNES *Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In Generali Concilio &c. Datum Romæ, apud sanctum Petrum. Quarto nonas Februari. Pontificatus nostri Anno tertio. habetur To.... Conciliorum, Pag. . . . .* 1415. . .

fol. 205. Joan. Gerson. XIII. Nov. PLaceat attendere diligenter per doctissimos & sapientes viros, qui sunt præbituri, sub jurejurando, salubre consilium, in materia Fidei, qualiter omnes rationes Episcopi Attrabatensis, & sibi adhærentium, volentium justificare novem Assertiones in examine Magistrorum nunc positas, procedunt, secundùm casum inevitabilis necessitatis.

In quo casu tamen, animus occidendi, propria auctoritate, à sanctis Doctoribus non laudatur, nec approbatur, licet secundùm Leges humanas, talis impunitus permaneat, si hoc constet legitimè, alias non.

Attendantur ergo circumstantiæ in prædictis Assertionibus omissæ & etiam expressæ. Tunc clarissimè patebit quòd prædictæ Assertiones casum inevitabilis necessitatis nedùm includunt, imò positivè & patenter excludunt.

Et primò videantur circumstantiæ ex parte illius quem licitum est taliter occidere: loquitur itaque prima Assertio de illo qui *machinatur* &c. nam machinari, importat actionem occultam & prolixam, & per consequens, non patentem ac inevitabilem: sed videamus in quid machinatur. Non dicit Assertio in mortem, sed in salutem corporalem Domini sui.

Posteà verò non dicit Assertio, *pro auferendo sibi vitam*, sed solùm, *pro auferendo Dominationem suam*.

Deinde videamus per quæ media talis machinatur. Non dicit Assertio quòd habeat ipse jam gladium extensum, ut percutiat Regem; sed dicit *per sortilegia*, quorum effectus est dubius ac incertissimus, nec propinquus.

Additur, *per fraudes, dolos, & malum ingenium*. Qui termini sunt generales, signantes actus interioris, non patentes de se, sed potiùs ignotos. Patet igitur ex parte illius qui occiditur, quòd dictæ Assertiones casum prædictum, scilicet necessitatis inevitabilis non includunt, sed excludunt.

Considerentur insuper circumstantiæ positæ ex parte modi agendi, quoniam dicitur, *per explorationes & insidias*, ut dicunt Assertiones tertia & quarta. Sed clarum est quòd explorationes & insidiæ important longam præmeditationem, & specialiter tales insidiæ quæ sunt juramento fidelitatis & socialitatis velatæ, sicut innuit nona Assertio, quæ salvare nititur ac justificare confœderationes tales quòd non sint obligatoriæ: excludunt igitur eæ circumstantiæ casum necessitatis inevitabilis.

Sed diceret adversarius quòd includitur talis casus in hoc complexo, *quando est tanta potentia, quod justitia non potest bono modo fieri per supremum.*

Respondetur primò, quòd hoc complexum non negat quin aliquo modo non possit fieri justitia de eo, sed dicit, bono modo. Et videatur si minus malum esset quòd per Supremum, non servato Juris ordine, talis interficeretur, quàm per ipsum cui non est alter subditus, ubi nulla justitiæ scintilla concurrit. Non est igitur casus necessitatis inevitabilis, ubi per suum Supremum, vel alios milites, aliis modis interfici potest talis.

A Consequenter oporteret quòd in omnibus circumstantiis quæ ponuntur, esset auctoritas Juris, aut facti. Et hæc additio circa omnes circumstantias, & earum quamlibet palam omittitur, vel ex ignorantia, vel potiùs ex astutia; quoniam in subsumendo ad has Maximas, seu regulas generales, nulla apparentia, nulla probationis fuisset efficacia.

Denique placeat attendere quòd in quarta Assertione, quæ est veluti Major ad alias sex, similiter in octava & nona, coartatio nulla fit ad casum circumstantionatum.

Propterea concludendum est certissimè quòd doctrina hæc tota perniciosissima & hæretica, consequenter ad deliberationem Reverendissimi Patris Cardinalis Cameracensis; imò ad condemnationem factam in Francia, cùm solemnitate tali, de B quali Litteræ Patentes, etiam judicialiter exhibitæ, præbent Fidem.

Advertent etiam deliberaturi, qualiter Episcopus Attrebatensis, in tota deductione sua, & in XII. dubiis motis per eum, atque divulgatis, ponit aliter casum quàm appareat ex isto textu Assertionum. Unde in quarto dubio notat quòd alia via non pateret salvandi Regem à morte; qui casus est necessitatis inevitabilis, nisi per istum, & isto modo.

Sed ita non ponunt Assertiones, sicut constat.

Præterea possunt retorqueri sua dubia contra eum, applicando ea ad quartam Assertionem, quæ loquitur generaliter de omnibus tyrannis occidendis per industriam & insidias, & vilanè, id est sine diffidatione, ut idem Episcopus exposuit.

C Concluditnr ergo quòd tales dubitationes, sicut & allegationes suæ, nihil proficiunt ad propositum: & quòd Assertiones, nedùm prima, sed omnes simul junctæ, destruunt omnem politiam & securitatem Principum, & dant viam apertissimam ad homicidia proditoria, & ad omnia perjuria, ad violationem totius sacræ Scripturæ, & specialiter Decalogi.

Non est idcircò fas alicui Catholico super iis sufficienter monito, & specialiter Theologo, vel Prælato quomodolibet dubitare, sub pœnis hæreticæ pravitatis, etiam non expectatâ alia Sedis Apostolicæ, & Concilii Generalis Sententiâ.

DE ROCHA,

D

Super Tractatu qui incipit:

Voluimus &c. Joan. Gerson.

FIdei sacræ veritas, Apostolicæ Sedis, Ecclesiæ Romanæ & Universalis authoritas, honoris proprii tuendi necessitas, me compellit, minimum Theologorum, Doctorem Tolosanum, nonnulla per me in hoc sacro Concilio prædicta defendere, atque, per consequens, ad objecta contra me, per nonnullos, in medium deducta, posse tenùs repondere, & contra responsiones factas meis ratio- Cod. 2537. fol. 76.

tionibus replicare; salvâ tamen determinatione sanctæ Sedis Romanæ, & hujus sacri Concilii Generalis, repræsentantis Ecclesiam Universalem sacrosanctam.

Sanè oblatus mihi extitit quidam codicillus, incipiens per hæc verba.

Volumus, propter elucidationem veritatis, & extirpationem quarundam opinionum consurgentium ex Juribus positivis, non intellectis, ad Fidei regulam notare tres conclusiones quæ à quibusdam dicuntur fuisse prædicatæ, jungendo reprobationem, tam practicatis in hoc sacro Concilio, quàm aliundè, multiplici ratione.

Et quia in dicto Libello proceditur mixtè; modò, arguendo contra conclusiones; post, respondendo ad meas rationes; & iterum, redeundo contra prædicata ad argumentationes: idcircò adversarios, quocunque ierint, persequendo,

Primò, respondebo ad rationes contra conclusiones,

Secundò, replicabo contra adversariorum solutionem,

Et tertiò, iterum respondebo ad eorum additas rationes.

Pro primo, imponitur mihi per adversarios prima conclusio talis.

Nulla Propositio philosophicalis, vel moralis, condemnanda est per Concilium, quod in talibus non debet se occupare; cùm non sit de Fide. Hæresis autem est dogma perversum Fidei Orthodoxæ contrarium.

Contra quam conclusionem arguunt adversarii sic dicentes.

Oppositum autem conclusionis practicatum est in multis erroribus Johannis Wiclef, & Johannis Huss, qui moralia respiciunt, ut quòd *Fratribus non liceat mendicare.* Unde & falsum est, imò hæreticum, quòd nulla moralia sunt de Fide. Unde ista damnata est per Ecclesiam ut hæretica, quòd *Usura non sit peccatum*, & illa, quòd *Non licet jurare*: & ita posset exemplificari de multis. Et ista quæ novissimè damnata est ut hæretica. *Quilibet tyrannus &c.* Unde pro regula generali, omnis Propositio contenta in sacrâ Scriptura, spectat ad Fidem, quoniam Assertio pertinax opposita non stat cum Fide: & similiter; omnis Propositio quæ potest ex ipsa deduci in consequentia probabili, & vera, ad eandem spectat Fidem. Et reducitur hæc regula ad illud. *Qui locutus est per Prophetas*, & ad illud, *Unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Deductio facilis est.

Ut autem veritas meliùs videatur, Primò, ostendam quòd hæc conclusio mihi falsè imponitur per collationem, cum alia conclusione per me posita.

Secundò, respondebo ad rationem pro quanto adduceretur contra dictum meum.

Pro primo, sciendum quòd conclusio posita per me in Sermone de Nativitate Virginis, fuit ista.

In sacro Concilio, debent tantùm, tanquam hæreses condemnari, contra determinationem Ecclesiæ, sacræ Scripturæ & Fidei veritatem errores; & eorum etiam assertores, fautores, & defensores debent tanquam hæretici condemnari.

Hæc conclusio probatur, quia secundùm Hieronymum: *Hæresis: est dogma perversum, contrarium Fidei Orthodoxæ*, quo ad primam partem.

Sed quo ad secundam, per illud vulgatum: *Non sufficienter extirpantur errores, cùm eorum perseverant & sæviunt assertores.*

Ex quo, conclusione, inferebatur correlariè quòd contra errores, in merè philosophicis sententiis, nec Fidem tangentibus, scilicet sermonciali, naturali, sive morali, sacrum Concilium non dignatur suum condemnativum Judicium explicare.

Ex quo correllario isti notantes falsè, tradunt dictam conclusionem, abstrahentes furtivè, seu aliàs malitiosè totum hoc complexum, in merè philosophicis sententiis, nec Fidem tangentibus. Modò clarum est quòd non est idem sensus, nec sunt eadem verba conclusionis per ipsos falsè extractæ, & correlarii per me prædicati, quod ipsi habent necessariè concedere: quoniam si non sunt contra A determinationem Ecclesiæ, sacram Scripturam, vel contra Fidei veritatem purè philosophici, nec Fidem contingentes errores, non sunt tanquam hæreses condemnandi. Et sic patet falsa ascriptio dictæ conclusionis mihi facta, & per ipsos conficta.

Secundò, respondetur ad objecta, cùm dicunt *de practicatis in hoc Concilio*, super erroribus Johannis Wicleff, & Johannis Huss; quòd ista practica in nullo militat contra me: quoniam clarum est quòd multi ex erroribus illis concernunt Fidem, nec sunt merè philosophici, ut quòd *Non est licitum Fratribus mendicare* &c. hoc enim tangit Christi Concilia. Et sic dicendum est de aliis Articulis, quòd non sunt merè philosophici. Et tantùm de prima conclusione.

Quantùm ad secundam conclusionem mihi impositam, quæ talis est:

B *Dùm damnandi sunt errores, debent simul evocari & damnari hæresum assertores.*

Contra quam objiciunt sic.

Oppositum practicatum est in erroribus Wicleff &c. Circa quod primò, notandum est quòd in præfato Sermone intuli: secundò correlariè, ex dicta conclusione per me prædicata, sic dicens: *Ad errores sufficienter extirpandos, si sint cogniti distinctè ipsorum assertores, sunt citandi, vocandi & corrigendi.* Ubi clarè patet quòd totum istud complexum dimittitur furtivè, vel malitiosè; *Ad sufficienter extirpandum.*

Item dimittunt hoc complexum, *si sint cogniti distinctè.* Item, mutant substantiam Propositionis, dum dicunt: *dum damnandi sunt errores, debent simul evocari & damnari hæresum assertores.*

Ad videndum autem meam Propositionem, expono istud adverbium, *sufficienter*, ut æquipolleat huic complexo, quòd ultra non est necessarium: C ut, *sufficienter comedi, pro nunc*, id est, *non est necesse me, pro nunc, ultra comedere.*

Sic ergo exponitur ista Propositio. *Ad sufficienter extirpandum errores* &c. Quia adhuc est necesse corrigere assertores, quemadmodum fuit allegatum per Magistrum Johannem de Gerssono Cancellarium nostræ Dominæ Parisiensis,* in quadam cedula quæ incipit: *Conformiter ad informationem Christianissimi Regis Franciæ &c.* Ubi in secunda Propositione sic dicit: *Providendum est prædictis erroribus, ad extirpationem errantium, quia non sufficienter extirpantur errores, dùm notoriè perseverant, & sæviunt eorum assertores.*

Ubi dicit quòd providendum est istis erroribus, ad extirpationem errorum, & emendationem errantium.

D Hujusmodi autem emendatio non fit meliùs, quàm errantes evocando, ut fecit Johannes XXII. in condemnatione Articulorum Johannis de Poliaco, ipso vocato & citato.

Item, ad propositam conclusionem facit dictum allegatum, *non sufficienter* & dixi notanter, *si sint cogniti distinctè*: quia si in uno regno curreret aliquis error, & non esset notatus in particulari assertor illius vel notificatus; error ille tunc esset condemnandus, absque hoc quòd aliquis assertor esset evocandus.

Sic ergo apparet de veritate illius Propositionis

* In domo Cardinalis Cameracensis, XI. die Aprilis 1415. præsentibus & in sacra Theologia Doctoribus, ultra vel circa numerum 70. novem.

nis, & de furtiva sublatione multorum essentialium illi. Similiter apparet malitiosa mutatio, cùm præfatam Propositionem mutaverim in temporalem, addendo hanc dictionem *simul* & *dum*, quæ non sequitur ex mea. Non enim sequitur, *ad hoc quòd sufficienter extirpentur errores* &c. *Ergo dùm damnandi sunt errores, debent simul evocari* &c. Quia staret quòd post, vel ante fuissent vel forent evocandi. Nec objectiones eorum procedunt in A quoquam.

Unde cum Articulo primo de Wicleff, qui priùs fuit condemnatus judicialiter, quàm fuerit evocatus: respondetur quòd non erat notus pro tunc esse assertor: sed benè fuisset, & frustra citatus fuisset, cum jam diù mortuus esset, tamen ejus memoria damnari debuit. Decreta fuit citatio, non contra ipsum jam mortuum, sed contra quemlibet qui vellet tueri memoriam ejus. Qui si tunc vixisset, haud dubiè citatus & evocatus fuisset; sicut & Johannes Huss hîc citatus fuisset, nisi per se comparuisset, & Hieronymus etiam fuit citatus.

Ad instantiam de illa, *Quilibet tyrannus* &c. quæ fuit condemnata absque assertore vocato, respondetur, quòd assertor non fuit notificatus sacro B Concilio, neque distinctè notus eidem. Quam non notificationem factam sacro Concilio non credo carere scrupulo: quia illi qui eam denunciaverunt credo quod fecerunt præjudicium Fidei, si noverunt illum distinctè, ipsum non revelando; attento quòd *Non sufficienter extirpantur errores* &c. ut supra.

Quod si dicatur quòd non debuit assertor notificari, tum propter timorem, tum propter diffamationem: primum non; quia, aut ille timor erat in denuntiante, & hoc non apparet, quia aliàs verbo & scripto nominaverunt illum assertorem, licèt falsè.

Dicetur quòd timebatur ne sacrum Concilium auderet procedere ex timore. Sed hoc non est dicendum, quia hoc esset in infamiam sacri Concilii, cujus majorem partem non oportet timere C assertorem.

Nec erat non notificandus assertor, propter infamiam ejus, quia per anteà verbo & scripto per denuntiantem fuit diffamatus, & falsè.

Ad aliam instantiam, de non communicando sub utraque specie laïcis, clarum est quòd sacro Concilio non fuit aliquis notificatus in particulari assertor, quòd esset communicandum sub utraque omnibus idifferenter, & non dubito, quia quando sibi erit notum & distinctè, quòd citabuntur modificati assertores.

Ad aliam, cùm dicitur quòd ita solitum est fieri in multis Conciliis, in quibus Apocrypha, quæ certo carent actore, condemnantur: patet quòd non facit contra Propositionem prædicatam meam: quia postquàm certo carent actore, non est distinctè notus assertor.

Ad aliam, de exemplo falsi numismatis inscripti nomine Regis, quod damnatur, Rege non damnato: & sic in proposito, potest contingere de falsa doctrina, sicut in cedula per Promotorem judicia- D liter exhibita latior est deductio, quæ incipit: *Asserere quod non liceat* &c. Patet responsio.

Primò, quia in isto exemplo est inepta & iners applicatio. Unde Rex non debet damnari ex inscriptione non impressa per ipsum, sed cusor falsæ monetæ. Et ita debet assertor falsæ doctrinæ: quòd patet. Aut enim falsa doctrina est damnata aliàs per Ecclesiam; vel evidenter sequens ex illa, aut non. Si primum; tunc illam doctrinam non oportet damnare, sed declarare fuisse damnatam, & vocare & corrigere assertorem. Si secundum; tunc assertor etiam est vocandus, ad videndum mentem ejusdem.

Ad aliam instantiam, quæ fit de quinta distinctione Decreti, ubi reprobantur Opuscula multa, quæ fuerunt ab hæreticis instituta, sub nominibus diversorum Sanctorum, ut Evangelium sancti Thomæ, sancti Andreæ, sancti Bartholomæi, & ita de reliquis, sicut de itinerario Clementis, de vita Petri, de transitu Beatæ Mariæ Virginis: constat autem quòd non Apostoli, nec Virgo Maria fuerant evocati, dùm damnarentur errores isti, sub titulis eorum prænotati; nec ipsis adjudicatum est aliquod interesse. Unde error Græcorum, de processione Spiritus sancti, damnatus, ipsis non vocatis, sicut dicit Bonaventura. Sed ista instantia in nullo militat contra Propositionem per me prædicatam; quia non est, nec fuit notum Ecclesiæ illa opuscula fuisse illorum quibus hæretici ascripserunt, imò notum est non fuisse. Ideò non oportuit illos citare, nec illis adjudicae aliquod interesse.

Præterea mirandum est, & satis blasphemum, cùm applicatur quòd Virgo Maria, & Apostoli debuissent citari. Quòd si benè arguatur, oportet dicere quòd Virgo gloriosa & Apostoli, fuerunt illorum assertores; quod dicere, est blasphemum. Quòd si dicatur quòd fuerant per aliquos infamati, debuissent evocari, secundùm Propositionem prædicatam: sed non sequitur quòd Ecclesiæ notum fuit hæreticos illos falsò eis attribuisse errores: quòd si non fuisset notum, si tunc vixissent, evocandi fuissent.

Ad illud de errore Græcorum, dicitur sicut dictum est de errore communicationis sub utraque specie, quia non est notificatus distinctè, vel denuntiatus in forma aliquis erroris illius assertor.

Secundò, posset dici, sine tamen præjudicio, & assertione, quòd forsan fuisset convenientiùs, ad sufficienter extirpandum errorem, imò necesse illos evocari, quia potuissent manu duci, vel saltem fienda erat diligentia de manu ducendo ipsos. Credo quòd esset benè factum, & fiendum, pro reductione Græcorum, quòd evocarentur, pro rationibus audiendis, vel ad ipsos mitterentur viri solemnes, prudentes & litterati in Juribus divinis & humanis, ad ipsos manu ducendum.

Quòd si à principio, ante condemnationem errorum, factum fuisset, æstimo quòd non pejus quàm accidit, imò meliùs contigisset: & tunc vulnus non tantùm inveteratum, citiùs medicaminis antidotum recepisset, juxta dictum Poëtæ:

Principiis obsta, serò medicina paratur.
Cùm mala per longas convaluere moras.

Et licèt Ecclesia non erraverit, in Articulum condemnando; tamen salvo meliori judicio, evocandi erant, & in non vocando forsan minùs sanè factum fuit. Nec est mirum, si in processu vel forma aliquando erretur, principali materia integra remanente. Nec est tantum inconveniens dicere sic: Quòd Ecclesia dederit occasionem Græcis discedendi à Latinis, propter statuta facta per Romanam Ecclesiam.

Tertiò, dicitur consequenter quòd non concludit contra me, quia dixi: *Ad extirpandum sufficienter.* Modo iste error non est extirpatus sufficienter, licèt Ecclesia fecerit quod in se est, quo ad materiam, quia non sufficienter extirpantur &c. Et sic patet responsio ad omnia illa quæ adducuntur de prædicatis Conciliis Generalibus.

Sed restat respondere ad rationes.

Ad primam, cum arguitur: Quandocunque duo sunt separata, quorum unum est principale, & aliud accessorium, principale potest defendi, accessorio remenante non tacto, & præsertim quando terminatio non habet dependentiam. Sed interesse

teresse Fidei, circa Libellum hæreticalem est principale; sic quòd ex errore, tanquam ex parte rea criminis læsæ Majestatis divinæ, constituitur sufficiens Judicium apud Prælatum, ex officio, ut hanc partem damnet. Interesse verò personale concernens intitulationem talis Libelli, est purè accessorium & separabile. Poterit igitur primum interesse terminari, & alterum differri, vel dimitti.

Ad istam rationem respondetur, quòd non militat; quia non nego quin negotium Fidei possit terminari, non vocato assertore. Sed dixi quòd *ad sufficienter extirpandum errores* &c. Vel dico quòd terminatio sufficiens ad extirpandum errores, sufficienter habet necessariam dependentiam ab emendatione, vel punitione assertoris, & evocatione; & quòd ista duo sint inseparabilia & necessaria ad sufficienter extirpandum errores. Et fortè magis necessarium est evocari & corrigi assertorem, cùm majus periculum sit de viva voce assertoris, quàm de mortua, quæ non plus potest inficere quàm sonet. Assertor autem potest probare & improbare, respondere, replicare & prædicare, inficere, & multiplicare, ac seminare.

Ad aliud, cùm dicitur quòd potest frequenter evenire quòd Libellus hæreticalis inficiet unam Diocesim, & persona cujus nomine intitulatur non erit de illa Dioecesi, nec per consequens subjicietur Jurisdictioni illius Episcopi; non oportebit igitur quòd Episcopus evocet eum dum damnabit illum Libellum erroneum, & suæ Dioecesi pestiferum; quia de iis quæ foris sunt nihil ad eum, & esset irrisoria citatio. Dicitur primò, quòd non militat argumentum; quia dictum est ad sufficienter extirpandum &c. Non autem sufficienter extirpantur errores, illo non citato vel non correcto vivente, & qui posset haberi, dato etiam quod damnaretur per Episcopum, & posset ille Libellus.

Secundo dicitur quòd falsum supponitur, videlicet quod Episcopus particularis possit Libellum illum, authoritate ordinaria, condemnare. Quia aut ille Libellus est damnatus, aut non: si sic, non debet damnari, nec potest per Episcopum particularem, tanquam hæreticus; licèt ubi scandalum, vel periculum timetur, posset interim prohiberi & remitti ad Apostolicam Sedem judicandus, approbandus, vel reprobandus; vel ad Concilium Generale.

Ad aliud, cùm arguitur, quia in casu præcedenti contingere potest quòd persona errans sit tyrannus potens, vel hostis Reipublicæ, vel inimicus reputatus à Rege sub quo est Prælatus qui damnat hæreses; ubi, si citaretur hujusmodi tyrannus, vel hostis, nulla esset utilitas, sed major hostilitas & in deliberationem damnationis penderet in subditis Prælati talis grande dispendium.

Dicitur primò, quòd supponitur falsum, scilicet quòd Prælatus Ecclesiasticus, sub Rege existens, possit condemnare Libellum talem, ut est dictum, sed benè alias damnandum talem declarare.

Secundò, dicitur quòd dato quòd Episcopus particularis posset, adhuc talis errans est evocandus, & sequeretur multiplex utilitas.

Primò, in causa & in processu.

Secundò, quòd Episcopus faceret quod in se est. Nec debet æstimare quòd sequeretur major hostilitas, imò quòd tepesceret, vel cessaret.

Si enim compareret, posset manu duci, vel per Regiam potentiam coherceri. Nec est timendum de majori hostilitate, ad sufficienter extirpandum errores, & præsertim ubi talis citatus, vel æstimatus errans, fuisset denuntiatus, aut aliàs diffamatus. Nec ex hoc præjudicaretur subditis, ex dilatione; quia interim possent prohiberi errores. Quin imò conferretur subditis, ex criminosi vocatione, & præjudicaretur Fidei, ex hostis ejus sævientis in eam dimissione.

Ad aliud, cùm sic arguitur: non oportet in decisione, vel determinatione doctrinali condemnativa alicujus erroris, quòd evocetur errans, quamvis nominator: * non igitur oportebit hoc in damnatione judiciaria, de necessitate divini Præcepti, cujus est vinculum majus, quàm vinculum Juris positivi.

A Dicitur primò, quòd consequentia nihil valet; quia decisio, vel determinatio doctrinalis, condemnativa alicujus erroris, distat multùm & differt à judiciali in processu, & potest fieri per quemcunque habentem authoritatem exponendi sacram Scripturam, & errores eidem oppositos doctrinaliter reprobandi; nec oportet talem habere authoritatem judiciariam citandi. Judiciaria autem damnatio pertinet ad Summum Pontificem, vel Concilium Generale, vel deputatos eorum tantùm, qui possunt evocare, & debent errantes, si sint cogniti & delati, ad sufficienter extirpandum errores.

Secundò, dicitur consequenter quòd ad sufficienter extirpandum errores illos doctrinaliter, essent evocandi assertores amicabiliter, vel aliàs astutè, si essent cogniti distinctè, propter multa, & propter ipsos per rationes convincendos. Et hoc esset conforme correctioni Evangelicæ.

B Tertiò, dico quòd est de necessitate divini Præcepti assertores per illos ad quos spectat, si possint haberi. Et ad hoc debet fieri diligentia. Et per consequens sunt evocandi quàm citiùs commodè poterit. Et hoc potest fundari in istis Præceptis de maleficis, blasphemis, & idolatris occidendis. Hoc etiam patet per quandam Conclusionem doctrinalem positam per Facultatem Theologicam Parisiensem, in qualificatione doctrinali errorum Johannis Huss, Conclusione prima, quæ talis est. *Asserentes notoriè & pertinaciter Articulos præfatos, sunt hæretici, & ut tales judicialiter condemnandi, & ne ceteros inficiant, sunt diligentissimè cum doctrinis suis scandalosissimis expurgandi.* Quòd si diligentissimè, ergo per omnem viam juridicam ipsi hæretici, vel assertores errorum, cum doctrinis suis sunt damnandi, & per consequens evocandi.

C Ampliùs, adversarii, ad eorum propositum fortiùs roborandum, contra se taliter instant. *Et si dicatur quòd in casibus prioribus potest saltim fieri citatio generalis in valvis Ecclesiarum*, & respondent sic, quòd *hæc citatio non concernit necessariò damnationem errorum ad quam obligatur Prælatus, divino Præcepto, & non sic ad citandum.*

Sed hæc responsio non satisfacit, quin ad sufficienter extirpandos errores necessariò requiratur evocatio vel citatio, sive punitio assertorum, vel emendatio; ad quorum alterum tenetur Prælatus etiam, juxta posse, de necessitate divini Præcepti.

Secundò. Dicunt ad instantiam suam quòd *Talis accessoria posset cedere in multis casibus, in præjudicium causæ principalis, propter versutias, vel astutias Advocatorum, vel Procuratorum corruptorum* D *prece; vel pretio, per unum potentem tyrannum, vel hostem Reipublicæ, vel seditiosum, refugientibus ex adverso defensoribus veritatis, vel causâ justi metus, vel ex pusillanimitate, aut aliàs. Interponerentur quippe appellationes frivolæ, imò pestiferæ ad Curiam Romanam, ubi tantus esset tractus, quantus labor & expensæ; & quàm inutilis aliquando finis, colligitur faciliter ex iis quæ vidimus & videmus: & ita Pastor & Doctor pro grandi merito, grandi damno mulctaretur.*

Sed apparet quòd hæc responsio fundatur in sup-

* Hîc deest aliquid.

supposito falso, quòd Episcopus particularis possit sic judicialiter novas opiniones, ut dictum est, tanquam hæreticas condemnare, cum dicit, de appellatione ad Curiam Romanam.

Item, ista responsio adducit unum quod videtur concludere quòd coram Episcopo particulari tales Processus non sunt fiendi; sed solùm coram Papa, vel Concilio Generali, propter majorem potentiam cohercendi tyrannos, quam non habet Episcopus particularis. Papa namque potest omnes & Principes invocare, etiam præceptivè, contra rebelles Fidei. Non sic Episcopi particulares. Nec talis citatio afferre potest præjudicium propter astutias Advocatorum, quoniam in causa Fidei, quilibet tenetur per se respondere, & non per Advocatum; quin imò prohibentur Advocati, ut patet *extr. de hæret. in Clementinis.* Nec in Curia Romana oporteret refugere veritatis defensores; cùm Promotores Fidei, pro cujus defensione nullus timere debet. Quòd si talis timor ibi caderet, potiùs argueretur & caderet coram Episcopo particulari, ubi securitas & potentia minor.

Præthereà ex ista responsione nunquam deberet fieri citatio alicujus potentis Domini in causa Fidei, vel alia, propter pericula possibilia quæ per istos sunt adducta.

Rursùs isti pro sua confirmatione adducunt exemplum de Rege Francorum, qui fecit damnari Parisius errorem, *De visione beata*, quam tenebat Johannes XXII. eodem Johanne Papa non vocato, vel audito. Istud autem exemplum non probat.

Primò. Quia ex hoc non fuit error ille sufficienter extirpatus, saltim quo ad assertorem. Et sic exemplum, in nullo militat contra meam conclusionem.

Secundò. Quia istud non fuit propriè damnatio, sed quædam declaratio scolastica & prohibitio.

Tertiò. Quia ideò non fuit Johannes Papa vocatus, quia non erat hæreticus declaratus, & sic nec declaratus inferior quolibet Catholico. Nec poterat vocari per illos qui se reputabant illo inferiores: saltim non erat declaratum quòd erant Superiores. Et sic non est ad propositum, quia vocandi sunt assertores per Superiorem notum esse Superiorem. Et tantùm de secunda conclusione notata per adversarios istos.

Consequenter notabatur tertia conclusio sub his verbis. Quòd „ per inferiores ad Concilium Generale, vel ad Sedem Apostolicam non sunt errores condemnandi judicialiter, imò nec doctrinaliter, ut aliqui intellexerunt, nisi priùs sint per Ecclesiam condemnati: quoniam istæ sunt majores causæ, quæ referendæ sunt *ut dicit* ad Apostolicam Sedem.

„ Contra istam conclusionem sic arguit primò. *Oppositum prædicatum est*, inquiunt, &c.

Supra quam conclusionem ostendetur primò, quòd falsè & nequiter est notata, seu extracta ex mea Propositione.

Secundò, quòd malè improbata, pro quanto ex illa mea intenderet improbare.

Primò, inquam, est falsè notata, quia conclusio prædicata fuit ista. „ Et si ad Papa inferiores „ pertinet in materia Fidei per Ecclesiam determinata, judicialiter aliquem hæreticum declarare, & „ declaratum condemnare, tàm in materia nondùm „ per Ecclesiam discussa & declarata, non spectat, „ neque licet alicui, nisi Papæ, vel Concilio Generali, vel eorum authoritate, aliquas opiniones tanquam hæreticas judicialiter, quamquam doctrinaliter, condemnare, vel reprobare. „ In qua conclusione sequentes Propositiones sententialiter continentur.

Prima; quòd „ ad Papa inferiores pertinet in „ materia Fidei per Ecclesiam discussa judicialiter „ diffinire, videlicet declarando Assertionem illam „ damnatam aliàs per Ecclesiam vel inferentem illam damnatam & esse hæresim, & assertorem pertinacem esse hæreticum, & illum tanquam hæreticum condemnare. „

Secunda Propositio; „ quòd in materia Fidei nondùm per Ecclesiam discussa & declarata, non „ spectat, neque licet alicui inferiori Papæ, vel Concilio Generali, vel non habenti authoritatem alterius, illorum aliquas Propositiones tanquam hæreticas judicialiter condemnare. „

Tertia Propositio; „ quòd Papa inferiores possunt „ in nondum per Ecclesiam discussis aliquas Assertiones scholasticè & doctrinaliter reprobare. „

Ex quibus manifestè apparet nequam intellectus, & perversus illorum qui notaverunt, vel illorum qui intellexerunt, *imò nec doctrinaliter*, ubi affirmativam convertunt in negativam: quia li *quamquam doctrinaliter*, affirmat; & li *imò nec doctrinaliter*, negat

Restat respondere ad objectiones illorum.

Ad primam, cum dicunt de practicatis in hoc Concilio, quòd „ approbavit condemnationes „ factas per Universitates, & Ordinarios, in Anglia, & in Praga; quas tanquam temerarias & „ iniquas, si verum iste diceret, debuisset reprobare. „

Ad quod dicitur, negando quòd oppositum prædictæ Conclusionis sit practicatum in hoc Concilio sacro.

Et cùm dicitur quòd „ *Approbavit condemnationes factas per Universitates, & Ordinarios* &c. „ Dicitur quòd approbavit factas per Universitates scholasticè & doctrinaliter; & per Ordinarios judicialiter, non autoritate ordinaria, sed Apostolica: Cùm Contuariensis sit Legatus notus, & Pragensis esset ad hoc specialis Commissarius per Sedem Apostolicam specialiter deputatus. Per hoc patet quòd nihil faciunt contra.

Ad illa quæ post deducuntur, cùm dicitur primò quòd „ Prælati & Doctores tenentur scire multa explicitè, quæ populus non tenetur explicitè cognoscere; sed ubi insurgeret turbatio in „ populo & error explicitus, Prælati possunt & debent plebem ab erroribus hujusmodi revocare „ judicialiter, & aliàs; verum est quòd Sententia „ eorum non ligat extraneos, nisi pro quando deducitur sufficienter ex Scriptura sacra. „

Ad quod dico, concedendo quòd Prælati tenentur plebem revocare judicialiter, in iis quæ sunt hæretica manifestè per Ecclesiam declarata, vel etiam doctrinaliter, ubi periculum vel scandalum appareret; seu prohibitivè: non tamen tanquam hæretica judicialiter condemnare, sed ad Papam vel Generale Concilium referre.

Ulteriùs, ad illud quod sequitur cùm dicitur, „ Denique nulla est controversia vel contradictio, „ etiam apud Dominos Juristas, quin in causis „ Fidei, quæ respiciunt expressè & explicitè Articulos Fidei, & illa quæ sunt per Ecclesiam jam „ ut hæresis damnata, vel per Scripturam sacram, „ cujus authoritate nititur Ecclesia, possint & debeant Ordinarii, & Inquisitores cognoscere „: ut si quis diceret quòd *Usura est licita.* Quòd, *fornicatio non est peccatum mortale.* Quòd, *Quilibet tyrannus* &c. Sicut nuper damnatum est, nullus dubitat quin Episcopus, & Inquisitor habeant cognoscere. Clarum est autem quòd hoc contra conclusionem non militat, imò concordat cum ea quæ fuit per me prædicata.

Sed ulteriùs contra eandem Conclusionem sic dicunt. „Notetur sequens Conclusio extracta de Tra-„ ctatu composito Anno Domini M.CCCLXXXVIII. „ per Facultatem Theologiæ, approbato per U-„ niversitatem Parisiensem, olim misso Domino „ Clementi Papæ, „ qui Tractatus est penès Reverendissimum Patrem Dominum Cardinalem de *Chalanco*. Quæ est secunda Conclusio in primò Articulo talis.

„ Ad Episcopos Catholicos pertinet authori-„ tate inferiori, & subordinata, circa ea quæ sunt „ Fidei, judicialiter diffinire.„

Sed ista Conclusio non militat contra meam A Conclusionem prædicatam. Quinimò in eodem sensu concordant. Unde in iis quæ sunt Fidei jam per Ecclesiam discussa, pertinet ad Episcopos judicialiter diffinire.

Ad authoritates adductas.

Ad primam Pauli, Actor. xx. 28. *Attendite vobis, & Universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* &c. „ Unde patet „ quòd Jure divino, & authoritate Spiritus san-„ cti, Episcopi positi sunt ad regimen Ecclesiæ „ Dei. Ad regimen autem importat, seu per-„ tinet, authoritate judiciali inferiori, & subor-„ dinata, supremæ authoritati subjecta, Eccle-„ siam regere, & per consequens de Fide cog-„ noscere, & in ea diffinire. Unde quòd de tali „ regimine ad Fidem pertinente loquatur Apo-B „ stolus, ex hoc patet; quia ibi hortatur ipsos ad-„ versùs hæreticorum Fidem subvertentium, „ nequitiam vigilare. Nam immediatè sequitur „ ỳ. 29. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem „ meam lupi rapaces in vos, & exurgent viri loquentes „ perversa, ut abducant discipulos post se: propter quod vi-„ gilate.* Et ideò, exemplo Pauli, Summus Pon-„ tifex, & Concilium Generale, sub gravium com-„ minatione pœnarum, ad vigilem hæreticæ pravi-„ tatis extirpationem alios hortantur Episcopos. „ Unde *extr. de hæret. in cap. Excommunicamus*: sic „ concluditur. *Si quis enim Episcopus, super de ex-„ purgando de sua Diœcesi hæreticæ pravitatis fermento „ negligens fuerit, vel remissus; ab episcopali officio de-„ ponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus,* C „ *qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem.* „ Hoc autem non posset Episcopus, nisi haberet in „ hac parte judiciariam authoritatem. Et ideò ibi-„ dem præmittitur quòd *Episcopus debet hæreticos ad „ suam præsentiam convocare & convocatos punire.* Et „ in VI. *ad abolendam. eod. tit.* dicitur quòd *pertinet „ ad Episcopos per Diœceses suas hæreticos inquirere, & „* quòd *ipsi errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis „ debent publicè abjurare,* quòdque *etiam illi qui fue-„ runt a Diœcesani Jurisdictione exempti, nihilominùs in „ iis quæ sunt contra hæreticos instituta, Episcoporum „ subeant Judicium, & eis, in hac parte, tanquam „ a Sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatum „ Previlegiis, obsequantur.* Ex quibus omnibus satis „ patet quòd tàm de Jure divino, quàm humano, ad „ Episcopos pertinet & pravitatem hæreticam ju-D „ dicare, & per consequens, Assertiones hæreticas „ condemnare judicialiter, & authoritate judiciaria „ veritates Catholicas deffinire.„

Ad quæ omnia patet Responsio ex jam dictis.

Ulteriùs, hortantur ipsi ad attendendum circa præmissa, quòd

„ Si nullæ causæ Fidei deciderentur per Ordi-„ narios, & præsertim in locis in quibus sunt Stu-„ dia Generalia Theologorum; sequerentur in-„ convenientia maxima in Fide & moribus: quo-„ niam, ut in pluribus, Mendicantes sunt illi qui „ prædicant, & possent ad libitum dicere quæ „ vellent, absque timore reprehensionis: quo-„ niam in Romana Curia nulli ferè sunt Theolo-„ gi, nisi Mendicantes; & sic iidem quasi essent „ partes & Judices.

„ Rursùs, apud ipsam Curiam Romanam præ-„ dictæ causæ Fidei, ut plurimum, manerent „ indiscussæ, vel indeterminatæ, sicut experien-„ tia docuit in multis.

„ Denique pauci reperirentur Prælati, & Do-„ ctores, qui possent & vellent subire dispendia & „ expensas quas in processibus Fidei reos facere „ necesse est. Debent tamen Episcopi non re-„ tardari in extirpatione hæresum, sed animari; „ sicut patet *Extr. de hæret. cap. Excommunicamus.*„

Postremò, quidquid sit de aliis Episcopis & Universitatibus; hactenùs apud Episcopum & Universitatem Parisiensem istud habetur de consuetudine rationabili & approbata, ac legitimè præscripta, sicut patet de condemnatione Articulorum Parisiensium, & de juramento Bachalaureorum, quod faciunt ante Lecturas Sententiarum, in manibus Cancellarii Parisiensis, quod tale est.

Si audieritis aliquem dogmatisantem contra sanam doctrinam, & specialiter in favorem Articulorum Parisius damnatorum; revelabitis infra octo dies Episcopo, vel Cancellario Parisiensi qui fuerit pro tempore vestro.

Concordat pro conclusione Scriptura divina in pluribus locis, specialiter I. Petri III. 15. *Parati ad satisfactionem, omni poscenti rationem reddere de ea quæ in vobis est Fide.* Et Malachiæ I. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam.* Et in Epistolis Pauli, ad Timotheum. Et ad Titum. Et Exod. XXIII. & Deuteron. XXII

Ad quæ omnia dicitur: & primò, ad primum de Mendicantibus, quòd *iidem essent partes & Judices* &c.

Idem argumentum potest fieri, quòd in Universitate non essent tales causæ judicialiter terminandæ, quia cùm Parisius sint plures Theologi Seculares, & Regulares, alii quàm Mendicantes, & quæ * prædicant & determinant, non posset ibidem discuti quæstio talis, ubi esset aliquis error assertus per alium Theologum quàm Mendicantem.

Dicitur ulteriùs, negando consequentiam primam, quòd *absque timore reprehensionis possent Mendicantes* &c. Tùm quia major rubor & majus dispendium esset eis, & magis ibi timerent quàm inter cognatos & notos.

Item, irreverenter loquuntur de paucitate Theologorum in Curia Romana, cùm sint plures, tàm adventicii quàm residentes, etiam non Mendicantes: nec propter hoc essent partes & Judices. Prædicatores enim non libenter faverent Minoribus errantibus, quin imò liberiùs persequerentur, experientia teste, nec è contra, nec Heremitæ Carmelitis, nec è contra. Nec debet æstimari in facto Fidei quòd sit favor inordinatus, nisi aliàs appareret, sicut me recolo interfuisse Vesperiis cujusdam Bernarditæ in quadam Universitate, in qua respondens ordinationem istam, & benè habuit ibidem positam revocare: *Episcopus sanctus sit impropriè.* In eadem Universitate, & aliis Vesperiis, quidam secularis istam concessit arguenti Magistro, *Deus est falsitas,* & *Deus est summa falsitas,* quam scio non fuisse revocatam ibidem.

Nec, idem Judex & pars, cùm solus reus esset pars ad Curiam evocatus, & non Magistri in Curia residentes, nisi per illos sustineretur, quod non est præsumendum.

Ad secundùm, cum dicitur quòd *ut plurimum causæ manerent indiscussæ in Curia Romana*: per hanc ra-

* *fortè* qui

rationem probaretur quòd nulla causa Fidei, aut ratio aliqua, esset in Romana Curia discutienda: quod tamen non concludit; nec experientia est testis, saltim ex defectu Romanæ Curiæ, vel Concilii ad hoc sufficientis. Nec pluralitas Theologorum confert Jurisdictionis authoritatem. Hoc argumentum etiam videtur Romanam Curiam de Fidei negligentia blasphemare.

Ad aliud de dispendiis: etiam per istam rationem probaretur, rarò aliquam Fidei quæstionem ad Sedem Apostolicam referendam, imò nullam aliam causam Rempublicam contingentem: quòd falsum est. Ipsi quoque debent æstimare quòd Magistri pro causis Fidei, cujus sunt professores, vellent subire dispendia nedùm bonorum, sed etiam personarum, sicut & isti facere se prætendunt in causa per ipsos in hoc sacro Concilio denuntiata, & ultra denuntiationem diligentissimè prosecuta, procul pulso quocunque timore mundano vel humano. Ad quem finem, hoc ipsi noverunt, & Deus.

Ad aliud, quòd non debeant Episcopi retardari, sed animari in hæresum extirpatione, patet per dicta.

Ad aliud, de consuetudine Episcopi & Universitatis Parisiensis, & de Articulis & juramentis Bachalareorum, non concludit Jurisdictionem Episcopi, vel Universitatis.

Quantùm ad condemnationem illorum quæ per Ecclesiam sunt discussa Judicia, tanquam hæresum vel errorum in Fide; licèt ubi periculum, vel scandalum verisimiliter timeretur, seu appareret, posset illa prohibere vel suspendere, donec Papa, vel Generale Concilium, an esset hæretica vel Catholica diffinisset. De Universitate Parisiensi, si quem Articulum damnaverit in præteritum, vel damnaret aliàs in futurum, hoc scholasticè & doctrinaliter facere potest. Et hoc habet de consuetudine, vel longissima præscriptione, nec aliter præscripsit.

Ad authoritates. Ad primam, cùm dicitur, *Parati omni poscenti reddere rationem*: patet quòd loquitur de ratione doctrinali, aut judiciaria, in per Ecclesiam jam discussis.

Item, ad illud Malachiæ, patet quòd doctrinaliter intelligit. Aliàs de quolibet Sacerdote quantumcunque simplici, posset argui quòd haberet hujusmodi Judicium. Vel in singulari loquitur de Summo Sacerdote, sive Summo Pontifice, in quo talis Jurisdictio custoditur.

Instant magis contra Conclusionem suam isti sic inquientes: *Si dicatur quòd Episcopi, & Inquisitores possunt errare, certè ita potest & Papa; nihilominùs spectant ad eum causæ Fidei.*

Sed contra istam responsionem. Si velit quòd in causis Fidei nondùm in se, vel virtualiter evidenter damnatis, vel declaratis, possint Episcopi, & Inquisitores cognoscere judicialiter, & diffinire Propositiones noviter esse hæreticas, sicut & Papa, propter hoc quod utrique possunt errare, non videtur verum; quia non posse errare non hujusmodi Jurismodi *Jurisdictionem sed tantummodò Potestatis plenitudo Papæ data à Christo. Nec est æquè verisimile Papam errare, sicut Episcopum particularem. Non enim dixit Christus Lucæ. XXII. 32. cuilibet Episcopo particulari, vel Inquisitori: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Dixit autem Petro. Nec ideò, ut dictum est, quòd non possit errare, attribuitur Apostolicæ Sedi.

Item, ampliùs arguunt sic adversarii. *Si Doctores possunt doctrinaliter tractare materias Fidei, quia datur eis in Licentia Potestas determinandi & interpretandi Scripturam sacram; constat quòd Episcopi, ex officio, sunt Doctores, & possunt docere populum authoritative, pœnas sibi apponendo.*

Ad quod dicitur, concedendo quòd possunt doctrinaliter populum informare, & ubi scandalum timeretur, prohibere etiam sub pœnis, ne talis doctrina dogmatizaretur, usquequò Sedes Apostolica, vel Concilium Generale plenè consuleretur, remittendo damnandam vel approbandam talem doctrinam Papæ, vel Concilio Generali.

Ad aliud, cùm arguitur quòd *Causæ Matrimoniales sunt de majoribus causis, quæ nihilominùs ab Ordinariis sæpè determinantur.*

Respondeo concedendo. Sed non propter hoc sequitur quòd causæ Fidei nondùm per Ecclesiam discussæ, debeant per Ordinarios terminari. Nec sequitur: Aliquæ majores causæ sunt per Ordinarios terminandæ; ergo causæ Fidei omnes. Nec etiam sequitur: Majores causæ. Unde *extra. de Baptismo & ejus effectu. cap. Majores*, specificatur de Articulis Fidei.

Ad aliud, cùm sic arguitur. „ Omnis error damnatus est jam per sacram Scripturam explicitè, „ vel implicitè, sicut patet, *extr. de hæret. cap.* „ *Damnamus.* Unde dicit Augustinus quòd *si quid* „ *alibi noxium est, hîc damnatur*, scilicet in Scri„ ptura sacra.

„ Unde damnatio etiam per Papam vel Con„ cilium Generale, non est quidem Juris divini „ declaratio, cùm appositione Decreti pœna„ lis. „

Respondetur quòd, errorem damnari, potest intelligi multipliciter.

Primò. Exemplariter, vel etiam regulariter, ut scilicet per aliquid, tanquam per regulam, vel exemplar.

Secundò. Scholasticè, & doctrinaliter.

Tertiò. Consultivè.

Quartò. Judicialiter.

Primò. In sacra Scriptura omnes errores contra ipsam, in ipsa, seu per ipsam damnantur, ut per regulam, exemplar, formam, sive normam; quia est regula & exemplar per quam omnia damnantur, vel sunt damnata tanquam repugnantia sibi.

Secundo modo, Facultas Theologiæ, hoc est Doctores in eadem.

Et etiam tertio modo.

Quarto modo. Sedes Apostolica, & Concilium Generale, in iis quæ aliàs non fuerunt damnata, vel inferentia aliàs damnata, ostendendo assertores, & declarando contra illa tenere, & consequenter contra illos procedendo.

Et cùm dicitur quòd „ declarando per Papam, „ non est nisi declaratio Juris divini, cum appositione Decreti pœnalis „, dicitur quòd est duplex declaratio.

Quædam in illis quæ nondùm per Ecclesiam sunt discussa formaliter, vel evidenter consecutivè, quam solus Papa facere potest, vel Concilium Generale.

Alia est declaratio illorum qui tenent contra hujusmodi declarationem primam. Et licèt pertinet ad Episcopos, & se habent hujusmodi declarationes distinctæ, quemadmodùm declaratio Majoris & Minoris in practico syllogismo: quemadmodùm Papa declarat; quicunque asserit A errat in Fide, Episcopus particularis declarat B asserentem A errare in Fide. Licèt ergo non sit Papæ condemnatio, nisi declaratio Juris divini, cùm appositione pœnarum; tamen illa condemnatio, & Episcopi declaratio, sunt distinctæ, & distincti Juris: quia Papæ est, nondùm aliàs declarati in se, vel

* Locus corruptus.

vel evidenter consecutivè; Episcopi autem est, executivam illius, vel subsumptivam, sub applicantia Juris jam declarati. Præsuppositi ergo Judicium Episcopi particulare † primam Papæ discussionem. Licèt Episcopi in nondùm per Ecclesiam discussis possint, ubi periculum timetur verisimiliter de scandalo, doctrinaliter agitare, & etiam prohibere, non tamen tanquam hæretica aliqua condemnare.

Et cùm ulteriùs dicunt; patet igitur, quia secunda Conclusio præfata de Tractatu ante dicto, est sufficienter fundata in Jure divino & humano, & in consuetudine laudabili præscripta, nec propter unam glosam magistralem in Decretalibus, vel Decretis, etiamsi reperiretur ad oppositum, damnanda est, sed tenenda: concedo ad sensum sæpius dictum, aliter non.

Undè meliùs est tenere textum, & glosam Decretalium & Decreti, ad intellectum Doctorum, quæ non contradicunt, vel contrariantur Juri divino, ut malè dixit XXXII. error missus de Scotia Parisius: Nec blasphemant sacram Scripturam, ut dicit XXXIII. Nec in sapientia quam habent mundana sunt Ægyptii juxta XXXVIII. & quæ non debet, velut palea, pro magna parte excludi ab Ecclesia, juxta XXXIX. Nec sunt sapientia Babilonica, ut hîc fuit aliàs prædicatum coram sacro Concilio Generali, etiam vocando latrunculos, tenentes Conclusiones fundatas in textu Decreti & in glosa. Meliùs, inquam, est adhærere talibus textibus & glosæ, quàm propriæ opinioni, penitùs in nullo textu sufficienter fundatæ, imò expressè repugnanti textui per omnes Doctores cum glosis ritè intellectos, & communiter.

Ulteriùs cùm dicitur, „ & sic remanet tertia „ conclusio falsa per Magistrum Tolosanum posita „ Hoc est manifestissimè falsum. Quinimò Conclusio posita contra Tholosanum, per Parisiensem, est falsa & erronea, & à pluribus hæretica reputata.

Rursùm confirmant suum Propositum sic inquientes.

„ Facit pro præmissis, ad ostendendum de consuetudine laudabili legitimè præscripta, quòd nedùm in Universitate Parisiensi, sed in aliis Studiis Generalibus fit protestatio communis per Theologos, dùm faciunt aliquos actus, quòd nihil dicent contra Articulos Parisiis damnatos, vel qui alibi rationabiliter sunt condamnati. „

Dico quòd protestatio est laudabilis, in hoc quod protestantur se nihil dicere velle in favorem Articulorum Parisius, vel alibi rationabiliter damnatorum, scilicet scholasticè, & doctrinaliter: quia quilibet debet velle nihil dicere in favorem falsitatis rationabiliter, doctrinabiliter, vel scholasticè reprobatæ. Non esset autem semper error dicere aliquid in favorem Articulorum Parisius, vel alibi damnatorum, cum damnatio fuerit aliàs revocata. Ideò oportet addere *rationabiliter*. Sed non sequitur quod possit per ipsos Episcopum & Universitatem aliquid per Ecclesiam non discussum, tanquam hæreticum judicialiter condemnari, licèt possit per Episcopum tanquam periculosum suis subditis prohiberi, & sic remitti ad Sedem Apostolicam, vel Concilium Generale tanquam hæreticum reprobandum, vel Catholicum approbandum, ut sæpiùs est expressum.

Denique isti ad suum propositum ampliùs ostendendum objiciunt contra se, per objectiones aliàs per me factas sub iis verbis.

„ Sed contra prædicta objicitur quòd licèt ad aliquem inferiorem Papâ pertineat, vel pertinere possit hæreses manifestas, & explicitas judicialiter condemnare, in quo casu videntur procedere illa quæ dicta sunt in secunda & quinta Conclusionibus; tamen videtur quòd nec Episcopus, nec Facultas, aut aliàs Papæ inferior, possit condemnare judicialiter & solemniter hæreses implicitas, de quibus inter litteratos & in sacris Litteris eruditos est quæstio, vel dubitatio; quales videntur Conclusiones prædictæ, vel etiam aliquæ quas Facultas Theologiæ condemnavit. „

„ Et ad hoc videtur ratio & auctoritas concordare. Irrationabile enim apparet quòd Episcopus Parisiensis, qui quandoque non est Theologus, nec in sacris Scripturis peritus, possit opiniones Doctorum Theologiæ sententialiter condemnare. „

„ Item, ad hoc est auctoritas Innocentii Papæ III. *in cap. Quotiens.* XXIIII. q. 1. ubi ait: *Quotiens ratio Fidei ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, ad sui nominis auctorem, debere referri.* Et ibidem dicit Glossa. *Aliud est quæstionem de Fide motam terminare, quod nulli præter quam Romanæ Sedi permittitur*, sicut hic dicitur: *aliud est ipsam sine diffinitione ventilare*; *quòd Patriarchæ & Primates facere possunt*, sicut ibi continetur. Et postea Glosa objiciens ait: *videtur contra. Extr. de Haret. Ad abolendam.* Nam ibi innuitur quòd *illi sunt vitandi tanquam haretici, quos ipsi Episcopi dixerint vitandos.* „

„ Sed dic quòd illud intelligendum, quando tale quid dicunt quod certum est esse hæresim: hîc verò cum dubium est. Cui concordat Glosa LXXX. *Dist. Cap.* 11. super primo verbo *Fide*, ubi ait: *sed expone hîc, in Fide*, idest fideliter, ut posset agitare causas Fidei, sed non procedere ad Sententiam. „

„ Ex quibus omnibus patet quòd nullus inferior Papa potest determinare sententialiter quæstionem motam de Fide, præcipuè quando litterati dubitant, & contrariè opinantur. Ad quod concordat Innocentius III. *Extr. de Baptismo, & ejus effectu*, ubi dicit: *Majores Ecclesia causas, præsertim Articulos Fidei tangentes, ad Petri Sedem referendas* &c. Ad hoc etiam facit. *Cap. Fundamentum. de sum. Trin. & Fide Cath. in Clementinis.*

Ad quas objectiones respondent multipliciter.

Et primò, sic dicunt: quòd „ omnia ista Jura loquuntur de causis, seu quæstionibus Fidei terminandis & diffiniendis judicialiter, & ideò in nullo faciunt contra Facultatem Theologiæ, quin possit quæstiones, etiam apud aliquos litteratos dubias scholasticè terminare, & doctrinaliter diffinire, antequam ad Sedem Apostolicam referantur, sicut supra est ostensum, in primo Articulo hujus capitis. Sed constat quòd ista responsio validat meam conclusionem, & invalidat illam adversariorum. „

Secundò, respondent sic: quòd „ nec Episcopus Parisiensis, nec alius quicunque non Theologus, nec in sacris Scripturis peritus, potest aut debet, sine Theologorum consilio in Fide dubias & non manifestè hæreticas quæstiones sententialiter, seu judicialiter condemnare. „ Sed ista responsio non evadit difficultatem.

Nec enim Papa, nisi miraculum concurreret, vel revelatio specialis, posset, sine consilio Theologorum, quæstiones hujusmodi terminare. Licèt ergo quòd cum consilio, sicut non loquitur, non possum sine manibus debellare Regem, ergo possum cum manibus meis. Unde ex negativa non sequitur affirmativa, non positâ circumstantiâ termi-

† Locus corruptus.

minorum; sicut non sequitur: Chimæra non potest videre sine oculo, vel lapis; ergo potest videre cum oculo.

Præterea Patriarchæ & Primates non possunt sine Theologorum consilio ventilare quæstionem. Sed cum hoc, per cap. *Quotiens est terminanda quæstio, ad Sedem Apostolicam est referenda.* Ergo à fortiori, in Episcopis. Ceterum, in discussis per Ecclesiam, Episcopi non possunt etiam aut debent judicare sine consilio Theologorum.

Item, consilium non dat Jurisdictionem, sed præsupponit.

Tertiò respondent sic: quòd, „non obstantibus prædictis Juribus, Episcopus Parisiensis, vel alius, de consilio Facultatis Theologiæ, peritorum sacræ Scripturæ, potest tales opiniones, si ostendantur esse contra Fidem, sententialiter condemnare. Imò in casu, hoc potest sola Facultas Theologiæ, sicut patet ex quarta & quinta Conclusionibus, & earum reprobationibus.„

Sed etiam ista responsio in nullo evadit Articulum, pro quanto probat quòd in iis quæ nondùm per Ecclesiam sunt discussa, Episcopus particularis non potest. Unde cum dicunt, *Non obstantibus Juribus prædictis, Episcopus potest &c. si ostendantur esse contra Fidem.* Quod verum est; si ostendantur evidenti ostensione, ita quòd inferant evidenter oppositum Fidei, potest tunc Episcopus sententialiter condemnare, id est fore condemnatum per Ecclesiam, vel tanquam hæreticum, & in Fide erroneum declarare; non autem in illis quæ sunt dubia, & in quibus graves in Theologia oppositum opinantur, nec evidenter Fidei sacræ repugnant, vel sequentibus ex eadem: nec competit Facultati Theologiæ, quæ nullam Jurisdictionem in hoc habet, sed etiam potest doctrinaliter, consultivè, & scholasticè reprobare.

Falsè ergo dicitur; si ita intelligantur quarta & quinta Conclusiones, quòd judicialiter solùm possit Facultas Theologiæ &c.

Quarto, respondent sic inquientes:

„ Dicendum est ad omnia illa Jura, quòd intelligenda sunt de Judiciaria diffinitione, & Sententia suprema; sed per hoc non tollitur quin aliqui interiores Papa possent Quæstiones hujusmodi terminare, & judicialiter diffinire, diffinitione & Sententia inferiori & subordinata, sicut patet ex dictis & dicendis; & etiam ex Bulla Domini * V. allegata: ita quòd suprema diffinitio Papæ Catholici, qui est Universalis Episcopus, omnes, & ubique obligat. Et ita hujusmodi diffinitio dicitur Sententia absolutè & simpliciter. Sed subordinata diffinitio Episcoporum Catholicorum inferiorum non sic universaliter obligat. Et ideò non dicitur diffinitio, vel Sententia, nisi secundùm quid. Et sic diffinire vel sententiare, vocat ibidem glosa *ventilare*, quia non est simpliciter terminare.

„ Cùm hoc non stat quòd obligat suos subditos, secundùm quid, scilicet quousque per Sedem Apostolicam, vel Summum Pontificem aliter fuerit sententiatum & diffinitum.

„ Et supposito quòd talis inferior Sententia, vel diffinitio non obligaret, in casu, ad credendum, quia staret in casu quòd illud sic diffinitum esset hæreticum; tamen regulariter obligat ad oppositum non dogmatizandum, vel publicè docendum, in Diocesi Episcopi sic diffinientis. Et sicut dictum est de Episcopis, sic dicendum est de Collegiis, vel aliis personis ad hoc potestatem, vel auctoritatem habentibus, ratione suorum subditorum.„

* *deest fortè* Urbani

Verum hæc responsio non potest stare cum textu, nec cum glosa, nec per se.

Primò, non cum textu, quia secundùm eum, cùm ratio Fidei ventilatur, talis ventilatio est ad Sedem Apostolicam referenda: ergo non alibi terminanda. Tenet consequentia; quia quod est alibi referendum, ibi est terminandum, & non alibi.

A Item, sequitur: Episcopi solùm possunt ventilare: ergo non terminare. Sicut sequitur: solum potest movere: ergo non quietare; quia dicitur oppositum, potest quietare. Ergo non solum potest movere.

Item, non potest stare cum glosa, quâ dicitur, quòd *Nulli præter quam Romanæ Sedi permittitur quæstionem de Fide motam terminare.* Ergo nulli Episcopo particulari permittitur.

Item, dicit glosa quòd *Primates possunt, & Patriarchæ, quæstionem sine diffinitione terminare.* Ergo omnes Episcopi possunt terminare. Tenet consequentia, per locum à majori distinctione.

Item, non potest stare cum glosa, LXXX. *Dist.* super verbo *Fide*, ubi sic: *possunt agitare causas Fidei, sed non procedere ad Sententiam*; ita quòd *li*, Sententia, stat confusè & distributivè.

B Item, non potest stare per se responsio dicta: quia si est Sententia secundùm quid, & terminatio & diffinitio, & non simpliciter talis diffinitio subordinata, sequitur quòd non sit Sententia, terminatio, vel diffinitio. Sicut sequitur: est homo, & in quid, ut homo mortuus, & non simpliciter. Ergo non est homo. Præterea dicit responsio quòd obligat suum subditum, secundùm quid, quousque per Sedem Apostolicam, vel Summum Pontificem aliter fuerit sententiatum, vel diffinitum talis Sententia subordinata.

Sed contra: quia per adversarios, Jure divino, canonico, civili & naturali, & ex statu hierarchico, Episcopi habent Jurisdictionem diffiniendi, & causas Fidei terminandi. Et perconsequens, talis authoritas non videtur præsupponere Potestatem supremam, seu ab illa dependere, sic quòd per illam posset cassari vel annullari, & quòd obliget usque ad illam, & non ultra.

C Item, contra hoc quod dicit: quòd *Talis inferior Sententia, vel diffinitio, non obligat in casu, ad credendum, quia staret in casu, quòd illud sic diffinitum esset hæreticum; tamen regulariter obligat ad oppositum non dogmatizandum, vel publicè docendum in Diocesi Episcopi sic diffinientis.* Ex primò sequitur quòd simplex nunquam, aut raro esset certus quando deberet in hoc obedire Episcopo diffinienti in non sibi evidenter repugnantibus Articulis Fidei, quia nunquam, aut raro esset certus quando diffinitum esset Catholicum vel hæreticum. Et idem sequeretur, diffiniente Papa, qui etiam potest errare, Fidem diffiniendo.

Ulteriùs, illud quod subditur apparet erroneum, & malè sonans, & Fidei præjudicans, scilicet quòd *Hujusmodi Sententia inferior, regulariter obligat ad oppositum non dogmatizandum,* quia si illud diffinitum D esset mihi evidenter hæreticum, teneor contra illud dogmatizare, non obstante Episcopi vel Papæ diffinitione; ubi autem non constaret, teneor sibi credere.

Demùm, adhuc notant isti adversarii, dicentes quòd „ Hæc glosa potest aliter intelligi, ubi scilicet, & quando Propositio contraria Fidei, vel non generavit scandalum in una Diocesi, vel ubi potest sine periculo nesciri sive dissimulari, vel ubi non habetur sufficiens consilium Theologorum determinandi quid explicitè repugnet Fidei, vel sacræ Scripturæ, quod idem est. Secùs judicandum est, si scandalum ortum „ est,

„ est, si periculum est in nesciendo, si Theologorum assit frequentia.„

Sed istud notatum non sufficienter respondet; quia nec generatio scandali, nec periculum nesciendi, nec consilium Theologorum, dat Jurisdictionem, ut clarè patet.

Ulteriùs, attendunt, & attendi rogant quòd in Curia Romana plerumque est Theologorum abundantia minor, quàm consuevit esse Parisius, exempli gratiâ; & dùm trahitur causa Fidei per appellationem ad Curiam Romanam, solet remitti ad Universitatem Parisiensem, sicut visum est pluries, A temporibus nostris. Praetereà non videtur rationabile causam Fidei per tam solemnissimos agitatam & discussam, remittere discutiendam uni, duobus, vel tribus Cardinalibus non Theologis, sicut Dominus Balthasar nuper Papa Johannes xxiii. facere conatus est, in causa condemnationis Propositionis defuncti Magistri Johannis Parvi, quae usque modò pendet coram Domino Cardinali de Ursinis, non sine gravibus damnis, & expensis Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris.

Ubi tanguntur tres rationes.

Prima videtur concludere velle quòd Parisius est magis congruum causas Fidei judicari, quàm per Sedem Apostolicam. Quod falsum est, & jam superiùs est responsum.

B Secunda ratio videtur velle idem concludere; propter remissionem causarum Parisius. Quòd si aliquando fuit factum, fuit propter consilium, non autem propter hoc habebant authoritatem judicialiter condemnandi, nisi in remissione eis committeretur.

Tertia ratio idem videtur concludere velle: sed procedit aequivocè. Concedo nempe quòd inconveniens esset consultivè, vel scholasticè, sive doctrinaliter agitatum per tot & tantos, remittere uni, vel duobus, vel tribus consultivè, ceteris paribus. Sed non est inconveniens scholasticè reprobatum, vel consultivè per centum Doctores solemnissimos, remittere tribus, duobus, vel uni ad judicialiter reprobandum, cum illi centum ad hoc nullam authoritatem haberent. Nec in hoc malè facit Dominus Balthasar, quondam Johan- C nes Didus, imò benè, in causa condemnationis, quae nulla fuit, & pro tali meritò extitit declarata per dictos Dominos Cardinales.

Item, ad principale sic arguunt. Constat ex discursu nascentis Ecclesiae usque nunc, quòd Praelati, qui sunt Pastores & Doctores, & alii Doctores non Praelati consurrexerunt adversùs haereses.

Primò, doctrinaliter disputando, scribendo, arguendo, increpando, non remisso semper Judicio ad Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium: & nedùm doctrinaliter hoc fecerunt, sed judicialiter, quilibet in sua Diocesi. Et certè si doctrinaliter poterant facere, fas similiter eis erat D judicialiter hoc facere, cum judicialis damnatio non addat ad doctrinalem, praeter adjectionem poenarum in subditos rebellantes. Sic enim dicit Apostolus, ad *Tit.* 1. 9. quòd oportet Episcopum instructum esse in doctrina sana, ut possit eos qui contradicunt doctrinae suae revincere.

Dicitur eis praetereà in persona Hieremiae quod constituti sunt ut evellant & destruant &c. Et hoc idem Ezechiel s iii. & xxxiii. sub figura speculatoris palam ostenditur. „ Unde si semper oporteret „ ret causas Fidei, dùm insurgunt per universum „ Orbem, ad Sedem Apostolicam referre, ipsa „ Sedes non sufficeret terminare, etiamsi haberet „ tot Auditores causarum Fidei, quot sunt Auditores causarum profanarum; in quibus tamen „ causis Fidei non apparet quòd aliquis Auditor „ sit constitutus ordinarius. Oportet enim tales „ Auditores esse Theologos eruditissimos, & in„ corruptissimos: & talium, quanta fuerit & sit „ raritas in Curia Romana, nimis, proh dolor! „ docuit experientia. Ecce enim quòd in sacro „ Collegio tot Cardinalium, vix fuit, & est binarius „ Theologorum.„

Ex quibus verbis trahitur argumentum primum de Pastoribus & Doctoribus qui consurrexerunt adversùs haereses doctrinaliter & judicialiter, quilibet in sua Diocesi, & licitè. Sed hoc negatur, nisi in discussis per Ecclesiam, delarando illa olim fuisse damnata, vel inferentia damnata; nec valet consequentia: si doctrinaliter poterant, quòd esset fas judicialiter, in nondum discussis per Ecclesiam.

Et cùm dicitur quòd nihil addit hujusmodi damnatio judicialis, qui nullus * est in Episcopis particularibus, respectu talium. Ad authoritatem Apostoli, quòd Episcopus debet esse instructus ad revincendum &c. conceditur, scholasticè, vel etiam prohibitivè, ubi periculum timeretur, & in discussis per Ecclesiam, aliàs judicialiter, ut est dictum.

Ad illud de Hieremia, clarè patet convinci quòd solùm loquitur de Papa in Ecclesia Militanti, qui solus est constitutus semper Gentes & Regna universa populi Christiani. Vel etiam potest intelligi de evulsione vitiorum quoad Episcopos particulares, qui essent Praelati in diversis Regnis, vel etiam de evulsione errorum discussorum & errantium.

Ad idem de speculatore, in Ezechiele.

Et cùm arguitur ultrà, quòd non sufficeret Sedes Apostolica terminare &c. si haberet tot Auditores &c. mirandum est, ubi isti reperiunt tot errores, quia modicum audiri fatigari Romanam Curiam, & Universitates quòd oporteat habere tot Auditores. In respectu namque causarum profanarum, causae Fidei sunt valdè paucae. Nam in isto Concilio, quod jam duravit per Annum cum dimidio, vel quasi, non vidi causas Fidei promoveri, nisi vel Johannis Wicleff, & Johannis Huss, vel Hieronymi, vel denuntiatas contra Christianissimum Regnum Franciae, sine assertore: sic quod à multis temporibus paucae, in respectu causarum profanarum, causae Fidei insurrexerunt. Nam pro una causa Fidei, sunt centum profanae, nec oportet constitui aliquem ordinarium Auditorem, imò nec debet, quia pro causae nobilitate & difficultate sola Sedes Apostolica est ordinaria, & esse debet.

Et cum ulteriùs dicitur quòd oportet tales Auditores esse Theologos eruditissimos; istud ego reputo falsum: oportere videtur necessitatis, quòd non possit ferri Judicium nisi per Theologos; quia Processus judiciarius fieri potest per Juristas, & debet melius quàm per Theologos.

Sed in examine Propositionum, an sint Catholicae vel haereticae, est necessarium consilium Theologorum in sacro Collegio, non tamen Auditorum incorruptissimorum. Non veritas ibi est, ut isti injuriosè imponunt; est tamen, Dei gratiâ, abundantia, ut communiter, Theologorum eruditissimorum & incorruptissimorum, tàm de Collegio, quàm de aliis in Romana Curia, ad consulendum, & doctrinaliter reprobandum.

Concluditur ergo quòd dicere super textu Decretalis dicentis, quòd *Majores causae referendae sunt ad Sedem Apostolicam, nulli alii per Universum Orbem Pastores & Doctores debent se eisdem causis intromittere:* est apertissimè nondùm errare, sed delirare,

* Locus corruptus.

re & insanire, & irritum facere Mandatum Dei, propter Traditiones hominum.

Quæ conversio, si intelligatur quòd nullo modo se debeant intromittere de causis Fidei, sive indiscussis per Ecclesiam, sive discussis, utique benè concluderent esse insanè dictum. Sed concludere quòd sit error, dicere quòd Episcopi non se possunt intromittere diffiniendo de causis dubiis Fidei per Ecclesiam non discussis, decernendo noviter Propositiones Catholicas sive hæreticas, aliàs non damnatas, malè & pessimè concludunt. Non est enim errare, sed viam sequi veritatis, nec efficitur irritum Mandatum Dei, propter Traditiones hominum. Jus enim divinum & canonicum in hoc non discrepant, sed concordant.

Sed per oppositum, isti adversarii Mandatum Dei & Ecclesiæ infringunt, ad usurpandum Jurisdictionem Sedis Apostolicæ, & sacri Concilii Generalis, & dirumpunt, quantùm in ipsis est, Privilegium Ecclesiæ Romanæ.

Ulteriùs, concludunt quòd sicut errores alii perniciosissimi fuerant ante celebrationem hujus sacri Constantiensis Concilii, de authoritate Papæ, & suæ Curiæ introducti, per erroneum intellectum quorundam Jurium positivorum, per adulatores, vel textuales homines; ut quòd Papa non subjiciebatur Concilio Generali; quòd non poterat committere simoniam in collatione Beneficiorum; quòd nemo poterat ei dicere, *Cur ita facis?* quòd non poterat celebrari Concilium sine eo, in quocunque casu, & ita de pluribus. Qui quidem errores damnati sunt per hoc sacrum Concilium, verbis & factis. Sic in proposito, necessario fieri convenit de talibus erroribus qui dicti sunt: ut quòd Prælati inferiores non habeant judicare de Fide, præter quàm fortè de Articulis Fidei, quantumcunque suppetat eis copia Theologorum, quantumcunque prætereà scandalum grave suis subditis immineat; quòd insuper damnari non possint, aut debeant errores, nisi priùs, vel simul evocentur eorum assertores; & quòd aliter faciendo Sententia nulla est, vel iniqua, licèt principale sit justissimum, scilicet eorum condemnatio; quòd denique non sint damnandæ Propositiones, si possunt ad aliquem bonum sensum trahi, vel pro aliquo sensu dabili sophisticè glo ari; & ita de reliquis: ut quòd Præcepta Decalogi non spectant ad Fidem; quòd materiæ disputabiles non spectant ad Fidem, nec sunt Fidei Judicio reprobandæ. Quæ omnia magnam afferunt perniciem in Ecclesia sancta Dei.

In qua conclusione horribiliter in argumento, per simile, claudicatur, cùm faciunt similitudinem inter illos errores, verbis & factis, per sacrum Concilium condemnatos, per eosdem recitatos, & Propositiones veras & Catholicas prædicatas & superiùs racitatas, quæ, ut ostensum est ad oculum, non sunt eædem cum illis in materia, forma, vel sensu quas adversarii recitarunt.

De aliis Propositionibus facit ibidem comparationem cum erroribus superiùs in hac conclusione recitatis, ut puta: non sunt damnandæ Propositiones ad aliquem bonum sensum trahibiles, vel pro aliquo casu dabili sophisticè glosabiles, quarum alium ab istis assertorem non novi.

Ulteriùs, cùm dicit: *Et ita de reliquis:* ut quòd Præcepta Decalogi non spectant ad Fidem. Quod utique verum est, sic accipiendo spectare ad Fidem, quòd sint merè credita, & nullatenùs scita, vel cognita in lumine naturali: & de ista, quòd materiæ disputabiles non spectant ad Fidem, nec sunt Fidei Judicio reprobandæ, cujus alium ab istis, nescio assertorem.

Sed ista per me asseritur, & fuit asserta, quòd nulla Propositio est Fidei Judicio, tanquam hæretica condemnanda, vel in Fide erronea, quæ non repugnat determinationi Ecclesiæ, Fidei veritati, vel sacræ Scripturæ, non repugnantia evidenti.

Ultimò. Adversarii, occasione prædictorum, quærunt duas tales Quæstiones.

Prima est: „ Utrùm secundùm Jura Canonica possit aliquis Episcopus, ex Privilegio, vel consuetudine præcepta, propositiones apud aliquos dubias in Fide, vel moribus, declarare ut erroneas in Fide & moribus, & in sua Diocesi subditos suos ad hoc tenendum cohercere, reservata determinatione Sedis Apostolicæ, vel Concilii Generalis, & hoc præsertim ubi Studia Generalia Scripturæ sacræ vigent.

„ Secunda. Utrùm secundùm Jura Canonica Propositiones quæ de se sunt erroneæ in Fide & moribus, ideò semper de Jure dicantur dubiæ, quia aliqui etiam Theologi se dicunt de illis dubitare. „

Ad primum dico, sine tamen præjudicio Sententiæ melioris.

Primò, quòd aliqui Episcopi, ex privilegio Papali, vel commissione eis facta per Sedem Apostolicam, possunt Propositiones apud aliquos dubias in Fide & moribus, declarare ut taliter erroneas, & in sua Diocesi subditos suos ad hoc tenendum cohercere, reservata determinatione Sedis Apostolicæ, vel Concilii Generalis, si alicui Episcopo sit commissum per Sedem Apostolicam super hoc, vel Privilegium datum. Et esset rationabiliùs fieri tales commissiones, ubi Studia generalia Scripturæ sacræ vigent, ceteris paribus cunctis, quàm Episcopis particularibus carentibus Studio generali Theologiæ.

Secundò, dico distinguendo de dubio, quemadmodùm solet distingui, quòd quædam est dubitatio Juris, & quædam Facti.

Sit ergo, quòd aliquid esse dubium in Fide & moribus dupliciter intelligi potest. Uno modo, eò quod aliqui dubitant, non tamen quòd sit in se dubium, quia jam est per Ecclesiam determinatum sive discussum; & tale quid potest Episcopus particularis, sine privilegio, aut speciali commissione Papæ, sed ex officio, declarare esse erroneum in Fide & moribus, vel hæreticum, per hoc quòd est ab Universali Ecclesia tanquam tale reprobatum. Nec oportet in hoc reservare determinationem Apostolicæ Sedi, vel Concilio Generali, cùm jam fuerit determinatum. Et potest hoc quicunque Episcopus particularis, sive habeat sub se Studium Theologiæ generale, sive non. Tamen hoc debet agere, propter varias circumstantias possibiles cum consilio Theologorum.

Aliud est dubium eo, quia non est discussum per Ecclesiam in se, vel virtualiter, vel consecutivè, nec apparet evidenter quòd repugnet sacræ Scripturæ, vel quòd inferat evidenter aliquod per Ecclesiam jam damnatum, & quia multi graves Doctores & solemnes in sacris Litteris eruditi contrariè opinantur, & habent utrique rationes apparentes. Tunc dico quòd nullus Episcopus particularis, authoritare ordinaria, potest tale dubium judicialiter terminare, videlicet Assertionem tanquam Catholicam approbare, aut tanquam hæreticam condemnare.

Hanc Sententiam probo aliquibus rationibus: quarum prima sit ista.

Si Episcopus particularis possit in nondum discussis per Ecclesiam &c. diffinire; sequitur quòd quilibet Catholicus tenetur & obligatur, de necessitate salutis, credere & tenere diffinitionem & determinationem in dubiis.

Secunda. Dictis pertinentibus ad Fidem cujuslibet Episcopi particularis, & quòd quilibet Epis-

copus talis potest ad hoc quemlibet Catholicum obligare: consequens est falsum, & contra hujusmodi asserentes, quòd Episcopus potest in nondum discussis per Ecclesiam, in Tractatu cui nunc respondetur, in quarta evasione, ad Decreta contra se deducta, ubi dicunt quòd *Sententia Papæ, est Sententia simpliciter & omnes universaliter ligans. Episcopi autem particularis, secundùm quid, & tantum ligans subditos suos.* Patet etiam falsitas, quia nullus potest aliquem non sibi subditum ad Legem aliquam obligare. Consequentia principalis probatur; quia quilibet Catholicus tenetur & obligatur credere, & tenere in dubiis pertinentibus ad Fidem, de necessitate salutis, tanquam Fidem Catholicam, omne illud quod est diffinitum esse Fides Catholica; sed per omnem illum ad quem spectat ex officio, talia & taliter diffinire. Sed ad quemlibet Episcopum particularem hoc spectat, ex officio, & ordinariè, & ex statu Hierarchico & Pastorali, fundato in Jure divino & naturali, præsupposito divino, cui nullum Jus positivum rectè intellectum contradicit. Ergo or * adversariorum, in præfato Tractatu, & in Conclusionibus prædicatis per Magistrum Johannem de Gerssono coram sacro Concilio, prima conclusione, & post repetita per Magistrum Petrum de Versailles. Sed Major probatur; quia si non teneretur quilibet Catholicus in dubiis pertinentibus ad Fidem credere omni illi ad quem ex officio spectat; per consequens illa authoritas esset frustra diffiniendi, sive determinandi, & non magis tenetur quis credere habenti talem authoritatem, quàm non habenti, quod videtur absurdum.

Præterea videretur quòd nulli habenti hanc Jurisdictionem esset credendum, quia quæstionem, cur plùs de uno quàm de alio: †

Sed ad istam rationem dicetur primò, quòd ad Episcopum particularem pertinet, ex officio, diffinire in dubiis de Fide Catholica in sua Diocesi, & pro sua, sed non in alia, nec pro alia.

Sed contra; quia non dicitur Fides Catholica solùm respectu unius Diocesis particularis, sed respectu omnium, ita quòd omnes Catholici obligantur ad illam: ergo si ex officio pertinet ad Episcopum diffinire aliquid esse Catholicam Fidem; ex officio spectat ad eum diffinire illud ad quod universaliter omnes Catholici obligantur, ut sic breviter arguatur ex diffinitione sua, hoc est Fides Catholica. Ergo ex sua diffinitione, hoc est ad quod omnes Catholici obligantur.

Secundò, dicitur, ad majorem conclusionem probativam, quòd verum est, dùm tamen rectè diffiniat, sic quòd ubi esset hæreticum diffinitum, non esset sibi credendum, ut innuebatur in quarta responsione superiùs allegata, quâ nitebatur respondere ad Decreta.

Sed contra: Quia aut in dubiis tenetur quilibet Catholicus credere illi ad quem spectat &c. quòd rectè diffiniet, aut non. Si non, ergo in dubiis non tenetur credere diffinitum, etiam neque Papæ, nisi evidenter constet ipsum rectè diffinivisse. Quod videtur absursum, quia sufficit quòd non sibi constet ipsum hæreticè diffinivisse. Si sic, ergo tenetur credere diffinitum.

Præterea in dubiis, & ubi non esset evidentia hæresis, nunquam esset aliquis certus Catholicus, quando deberet credere diffinitum; quia nunquam esset certus an rectè diffinivisset.

Ceterùm, ex hoc sequitur quòd in dubiis evidentia faceret obligationem credulitatis, & non authoritas Ecclesiæ. Et sic tantò obligaret, imò plus, in casu, non habens authoritatem, quàm habens.

* Locus corruptus, *fortè* error. † Hic aliquid deest.

Secundò, probatur consequentia eadem ex Fidei universitate. Unde Fides Catholica dicitur Catholica, quia universalis, non universalitate logica, sive prædicativâ, quòd Fides Catholica sit universalis & prædicativa de qualibet alia Fide, sed dicitur à *Catha* Græcè, quod est *universum* Latinè, quia omnes universaliter Christiani obligantur ad eam, de necessitate salutis. Unde Anastasius in Symbolo. *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat Catholicam Fidem; quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.* Et in fine. *Hæc est Fides Catholica; quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

A

Tunc ultra. Iste Episcopus particularis, demonstrato Parisiensi, potest diffinire A dubium pertinens ad Fidem, esse Fidem Catholicam. Ergo potest A diffinire ad quod omnes Catholici obligantur, ex sua diffinitione.

Secundò, principatur. Si Conclusio adversariorum sit vera, sequitur divisio in Fide Catholica, sic quòd aliquis Catholicus obligatur ad aliquam Fidem Catholicam, ad quam alius Catholicus non est obligatus. Patet consequentia: si solus Episcopus Parisiensis diffiniat A esse Catholicum, & Catholicam Fidem.

Tertiò, principatur. Ex hoc iterum sequitur divisio & contradictio, imò contrarietas in Fide

B

Catholica, contra illud Apostoli, *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma* Ephes. IV. 5. sequeretur, juxta sententiam Pauli, Christum esse divisum. Consequentia prima probatur: quia in dubiis aliter & contradictoriè, imò contrariè posset Episcopus Parisiensis diffinire Archiepiscopo Tolosano, & è contra; & cum tàm bono consilio Clericorum, tanta authoritate, & tàm rito processu, & tunc tantè teneretur credere Archiepiscopo Tholosano, sicut Episcopo Parisiensi quilibet subditus ejus.

Item, quartò. Si Sententia Episcopi ligat, ligat semper, non obstante Sententia Papæ, in Fidei diffinitione. Consequens est falsum, & contra hujusmodi assertores in quarta responsione præfata. Consequentia probatur. Quia si ligat, ipsa est Catholica, quia hæretica non ligat ad credendum per adversarios, sed Catholica semper ligat, nec per hæreticam posset cessari. Ergo dicetur quòd

C

per similem rationem probarem quòd in qualibet causa quantumcunque prophana, Sententia Episcopi, si ligat, semper ligat, non obstante Sententia Papæ; quia si ligat, ipsa est justa & non injusta, & si justa, semper ligat. Dicitur quòd non est similis ratio; quia non est verum quòd si ligat, ipsa sit justa, quia injusta ligat. Unde Sententia Judicis justa, vel injusta, tenenda est.

Secundò, non est verùm quòd si justa, semper ligat; quia interposita appellatio deobligat, nec est simile de justo & injusto, hæretico & Catholico.

Item, quintò. Quia non majus periculum est in peccatorum absolutione, quàm in Fidei diffinitione. Sed constat & absque dubio, instinctu Spiritus sancti, quòd multi sunt casus soli Papæ reservati. Ergo pari formaliter, vel à majori, debet ita esse, quòd solus Papa potest in dubiis de Fide Catholica diffinire.

D

Item, sextò, arguitur exemplo Pauli & Barnabæ. *Actor.* XV. qui licèt doctrinaliter reprobassent hæresim de Circumcisione sub dubio tunc currentem; non tamen judicialiter reprobarunt, sed ad Generale Concilium Apostolorum Hierosolimis retulerunt, & inde determinationem ad Nationes reportarunt. Reprobassent autem judicialiter, si Jurisdictionem ad hoc habuissent, propter pericu-

la

la multa. Hoc signat consilium Jetro Sacerdotis Madian datum Moysi, de Judicibus particularibus ad minus difficilia diffiniendum, & de majoribus & difficilioribus causis ad radiosum & cornutum Moysen referendis. *Exodi* XVIII.

Ad secundam Quæstionem patet per distinctionem aliam de dubio.

Unde quoddam dubium potest dici crassum, eò quia dubitans non facit quod in se est, de certitudine perquirenda.

Aliud est violentum, propter rationes apparentes, & graves contrariè opinantes.

Primum dubium non facit dubium in Jure, quamquam in Facto: secundum autem sic.

Ex prædictis apparet, an prima Conclusio posita & prædicata per Magistrum Johannem de Gersono, & Magistrum Petrum de Versailles, sit vera, & quomodo vera, quâ sic dicitur.

„ Ad Reverendos & Deo amabiles Episcopos „ spectat, ex statu Hierarchico & Pastorali, qui „ fundatus est in Jure divino & naturali, præsup-„ posito divino, cui nullum Jus positivum ritè in-„ tellectum contradicit, quòd ipsi possint in suis „ Diœcesibus nedùm doctrinaliter, sed judicialiter „ scandalosos errores in Fide & moribus damna-„ re, & hæreticare, hoc est hæreticales decer-„ nere, & anathematizare, respectu plebis suæ, „ ita tamen quòd hoc fiat authoritate subordi-„ nata ad Sedem Apostolicam, & Concilium Ge-„ nerale, & de Concilio in Theologia perito-„ rum. „

Patet etiam de secunda, quæ talis est.

„ Ad Episcopos spectat posse scandalosos erro-„ res condemnare judicialiter, etiam dùm intitu-„ lati sunt ab aliquo nomine personali, absque „ hoc quòd oporteat semper personam aliquam „ priùs, aut simul judicialiter vocare, vel dam-„ nare. „

De tertia etiam, quæ sic dicit.

„ Ad Episcopos, ex obligatione suscepti Pa-„ storalis Officii, & suæ consecrationis, dùm se „ scire profitentur utrumque Testamentum, spe-„ ctat cognoscere firmiter & explicitè quòd Præ-„ cepta Decalogi, cum eo quòd sint de Jure na-„ turali, Canonico & Civili & Morali, sunt ni-„ hilominùs de Jure Divino, & de Fide propriè „ dicta, prout in Scriptura sacra tradita sunt, „ adimplenda ex Fide, Spe & Caritate, pro con-„ secutione felicitatis æternæ. Et ita spectant ad „ Judicium Fidei, & similiter Assertiones eis op-„ positæ. „

De ista conclusione apparet qualiter Præcepta moralia Decalogi non sunt de Fide propriè dicta, sic quòd sint merè credita, & nullatenùs evidentia in lumine naturali.

His tamen* obstantibus, ad Judicium Fidei pertinent Assertiones repugnantes eisdem. Cujusmodi tamen non sunt novem Assertiones datæ examini per Judices Fidei, incipientes, *Licitum est* &c.

Patet etiam de quarta, quæ talis est.

„ Ad Episcopos spectat ex perfectione suscepti „ Pastoralis Officii, profiteri veritates Catholi-„ cas, & oppositos errores diffiteri, usque ad „ mortem, pro salute gregis: Et hoc secundùm „ præparationem animi. Spectat etiam cognos-„ cere cum Gregorio, quòd *Utilius scandalum* „ *nasci permittitur, quam veritas deseratur.* „ Quæ Conclusio vera est, sed per multos malè applicata, qui scandala procurant innumera pro sua opinione, quam credunt esse veritatem, nolentes etiam credere Deo, si oppositum revelaret.

Finaliter, ad ista adversarii quandam Bullam adducunt, ad probandum intentum suum sumptum, ut dicunt, ex originali Bulla, quæ damnat errores Wicleff in Romano Concilio reprobatos, & est approbata per Concilium Constantiense, cujus tenor talis est.

JOHANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad Perpetuam rei Memoriam.

„ IN Generali Concilio, inter omnes Aposto-„ licæ Sedis instantias, quas de regimine Chri-„ stiani populi &c. Et finitur sic. Datum Ro-„ mæ apud Sanctum Petrum, quarto nonas Fe-„ bruarii, Pontificatus nostri Anno tertio. „

Credo hanc Bullam adversarios adduxisse, propter narrativam, quâ dicitur quòd per facti evidentiam, & plures Sententias diffinitivas, tàm authoritate Apostolica, quàm nonnullorum Archiepiscoporum in suis Consiliis, & locis insignibus, dicta doctrina continet notoriè dogmata hæretica, B & errores in Fide.

Ad quod dicitur primò, quòd narrativa non fundat efficax argumentum in Jure.

Secundò, dicitur quòd illi Archiepiscopi, authoritate Apostolica, ut superiùs dictum est, Cantuariensis, tanquam Legatus natus; & Pragensis, tanquam Commissarius specialis, damnaverunt. Sed fortiùs instatur, quia dicunt quòd constat ex pluribus diffinitivis Sententiis, tàm authoritate Apostolica, quàm nonnullorum Archiepiscoporum &c. Ubi constat quòd numerant plures authoritates, Apostolicam videlicet, & Archiepiscopales.

Respondetur primò, quòd stat Episcopos diffiniisse notorietatem, quòd in dictis Opusculis continerentur errores; non tamen illos damnasse authoritate ordinaria.

Secundò, dicitur quòd declaraverunt illos errores tanquam evidenter determinationi Ecclesiæ repugnantes, authoritate ordinaria. Et hoc facere C potuerunt, ut superiùs est præmissum, ut de substantia panis, quam dicunt remanere in Sacramento Altaris, & aliis erroribus pluribus, asserentes prædictos errores. Nec oportet super hoc Reverendos & Deo amabiles Episcopos blesis adulationibus commonere, ad rescidendum Jurisdictionem, quam non negant, imò fideliter confitentur apud Sedem Apostolicam residere.

Supra dicta omnia submitto correctioni & determinationi, atque Judicio, & totali examini sacri Concilii Generalis, & Sedis Apostolicæ; supplicans humiliter & requirens instanter omnes & singulos in hoc sacro Concilio existentes, & primitùs sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales & ceteros Reverendissimos Patres, ac Doctores insignes utriusque Juris, divini videlicet & humani, D quatenùs mecum instare dignentur, ut hujus altercationis litigium Sententiâ sacri Concilii breviter terminetur, pro Fidei veritatis elucidatione, & honore, ac Jurisdictione tuendis Sedis Apostolicæ, & Sacri Concilii Generalis, ipso præstante qui est Via, Veritas, & Vita, & sponsus Ecclesiæ Sacrosanctæ, & Matris nostræ, non habentis maculam neque rugam, Jesus Christus Deus & Dominus noster, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat in sæculorum sæcula benedictus.

AMEN.

* *Videtur deesse non*

ASSERTIONES

Ex Joannis Gersonii Operibus exscriptæ,

Delatæ ad Commissarios, in materia Fidei: cum Notis.

PER EPISCOPUM ATREBATENSEM. A

Prima Assertio.

* *NOn est ferè ita modicus, si vellet exponere vitam suam, pro tollendo vitam tyranni, qui non possit invenire modum, & viam ipsum interficiendi, & ab eo liberare.*

Videtur erronea, sapere hæresim, quia est Propositio multùm propinqua, vel eadem huic Propositioni. *Quilibet tyrannus* &c. Vergit etiam in subversionem totius Reipublicæ, & uniuscujusque Regis, aut Principis. Dat viam & licentiam ad plura alia.

* In Tractatu qui incipit; *Vivat Rex.*
In tertia Veritate 2. partis ejusdem.

Sequentes continentur in Tractatu qui incipit: Venient dies cum auferetur *&c.* B

Secunda Assertio.

* *Possibile est aliquem citatum coram Judice in causa Fidei, renuere præstare juramentum, & semper remanere verum Fidelem.*

Videtur malè sapere in Fide, quia talis circa Fidem infideliter agit, dat etiam occasionem citatis in causa Fidei de non præstando juramentum.

* In 8. Consideratione Tractatus qui incipit: *Venient autem dies.*

Tertia Assertio.

* *Si timore mortis, vel alia passione, motus quis, vocaliter neget ea quæ sunt Fidei, nec possit, aut velit se sufficienter purgare, possibile est ipsum semper esse Fidelem.*

Videtur erronea, ac apostasiæ in Fide inductiva; & quia talis circa Fdem infideliter agit: dat etiam ista Assertio occasionem negantibus Fidem, ne se purgent sufficienter. C

* In eadem 8. Considerat. in Tractatu eod.

Quarta Assertio.

* *Papa notoriè hæreticus, semper manet Papa, usque ad Sententiam depositionis latam contra eum, aut nisi cesserit.*

Videtur erronea in Fide, & sapere hæresim; quoniam sequeretur quòd aliquid esset caput ministeriale Ecclesiæ, quod non esset membrum ejus, quod implicat contradictionem. Et patet consequentia, quia Papa, quandiù remanet Papa, est caput ministeriale Ecclesiæ Militantis. Et tamen omnis hæreticus notoriè, est extra Ecclesiam, D cùm sit infidelis, & ut dicit Apostolus, secundæ ad Corinthios VI. 15. *Quæ pars Fidelis cum infideli?* quod est dictum, nulla.

* In 16. Consider. Eod. Tractatu.

Quinta Assertio.

* *Nec Summus Pontifex, nec aliquis alius debet conari ut Canones positivi, vel aliæ traditiones Canonicæ, ubique per totam Ecclesiam observentur.*

* In 8. Consider. Eod. Tractatu.

Videtur falsa & erronea, & inductiva ne omnes Christiani obediant Summo Pontifici in suis Præceptis, vel cuicunque alteri.

Item, improbat conatum Summorum Pontificum & Conciliorum Generalium, conantem suas Traditiones & Statuta ab Universis Christi fidelibus observari.

Item, inducit subditos ad non obediendum suis Dominis, sive Imperatori; suis Regibus, vel aliis Principibus.

Item, inducit, seu prohibet, ne super facto Fidei, vel aliàs fiat aliquod Statutum obligans universaliter sacro sanctam Fidelium communionem.

Sexta Assertio.

* *Papa dedit occasionem Græcis, per hoc, ab Ecclesia discedendi.*

Videtur temeraria & scandalosa, & sanctæ Sedi Apostolicæ injuriosa, & Domini nostri Jesu Christi inhonorativa, apud quem non est distinctio Judæi & Græci, qui non dedit occasionem scandali quibuscunque, licèt iniqui Pharisæi ex bona doctrina sumpserint scandalum. Et sic in proposito, Papa condendo Canones, sive Regulas populum Christianum ad salutem dirigentes, non dabit occasionem Græcis discedendi à Latinis, cùm quibus debent habere Fidei unitatem. Si autem ex iis susceperint, non fuit data occasio, sed accepta.

* In 8. Consider. ejusdem Tractatus.

Septima Assertio.

* *Non est auferibilis sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia sponsa sua, & filiis ejus; sic quòd remaneat Ecclesia in sola muliere, imò nec in solis mulieribus nec in laicis solis, lege stante, non facta divinitùs nova institutione.*

Hæc Assertio videtur temeraria, & erronea, ac scandalosa Fidei pietati, quâ creditur, in sola beatissima Virgine triduo remansisse Passionis, & per consequens, Ecclesia.

* In 7. Consider. ejusdem Tractatus.

Octava Assertio.

* *Auferibilis non est ab Ecclesia Militante sponsus suus Christus homo, quin semper influat in eandem Ecclesiam sponsam suam per membra varia, gradus Hierarchicos Officiorum & administrationum ac dignitatum & statuum ab ipso constitutorum, dùm Ecclesiam primitùs ædificavit.*

Videtur erronea & corruptiva Articuli Fidei, de Dei Omnipotentia.

* In quinta Consider. ejusdem Tractatus.

Nona Assertio.

* *Ablatio unius membri ab Ecclesia, corpori ejus deformitatem, & grandem imperfectionem inducit.*

Videtur falsa & erronea & scandalosa. Nam plura membra perdit cottidiè per obstinationem multorum in culpis mortalibus, in quibus perseverant cum impœnitentia finali decedentium.

In quinta Considerat. ejusdem Tractatus.

De-

Decima Assertio.

* *Non existente Papa certo & unico, Ecclesia non gaudet suorum integritate membrorum, & præsertim membri principalis.*

Videtur temeraria, scandalosa, & injuriosa Ecclesiæ, quia tempore scismatis clarum fuit, & Fide creditum, alterum contendentium de Papatu fuisse verum Papam & unicum; quia Papatus multiplicari non potest simul & semel, quamvis non fuerit certus universis in Christum; & tamen Ecclesia mansit integra, cum sit unica, eò quod est una Fides, & unum Baptisma. A

* In 9. Considerat. conclusio illatim ejusdem Tractatus.

Undecima Assertio.

* *Non est pax habenda cum dogmatizatoribus hæresum, quandò vel sunt pertinaces notoriè, vel etiam de pertinacia suspecti vehementer, quousque purgati sint Fidem quam credere tenentur ad justitiam, ore confitendo ad salutem.*

Videtur erronea, seditionum nutritiva, & continuativa, atque Actorum in hoc sacro Concilio irritativa, præsertim loquendo de Pace civili, de qua loquuntur Propositiones. B

Probatur primò, quia in hoc sacro Concilio Generali fuerunt multa decreta & diffinita, per quæ Pax est reformata cum nonnullis notoriè schismaticis, schismate inveterato, & pro talibus declaratis in Concilio Pisano, qui tamen non sunt purgati, ut dicit Assertio, & specialiter non sunt professi Fidem dicti sacri Concilii Pisani.

Item, Apostolus semper profert pacem in suis Epistolis quibuslibet, specialiter Galatis, qui inciderant in hæresim, & errorem eorum qui observabant Legalia, & hoc antequam converterentur & se errasse confiterentur, quam inter eos servavit, & mediante pace eos correxit.

Item, Ecclesia fecit pacem cum Lombardis, antequam reciperent Fidem Catholicam. Et in memoriam ejus pacis conclusæ & determinatæ, in die Sanctorum Gervasii & Protasii, Introitus Missæ fuit institutus, *Loquetur Pacem Gentibus*, ut habetur in Rationali divinorum Officiorum. C

Item, *Cum omnibus hominibus, si possibile sit, Pacem habentes.* ad Romanos XII. 18.

* In prima Consider. Tractatus, qui incipit, *Venient autem dies.*

Duodecima Assertio.

* *Non habita pace cum Deo, nec pax consequenter habebitur cum proximo.*

Videtur erronea, scandalosa, seditiosa, & documentis sacræ Scripturæ contraria, præsertim loquendo de pace civili, de qua loquitur assertor. Patet per exempla: Primùm, de Josue, qui fecit pacem cum Gabaonitis infidelibus, *Josué* IX. Secundum exemplum, de pace inter Israël & Amorrheum, tempore Samuelis. 1. *Reg.* Tertiùm exemplum, est de pace quam Salomon habebat ex omni parte, 3. Reg. X. D

Item, contra dictum Psalmistæ dicentis in personam Christi: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Ps. CXIX. 7.

Item, contra illud: *Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem, offeres ei primùm pacem.* Deuteronomii. XX. 10.

* In dicta prima Consider. ejusdem Tractatus.

Decima tertia Assertio.

* *Asserere mortem alicujus Principis esse factam pro bono Regis & Regni, sapit hæresim.*

Videtur falsa & erronea. Est enim contingens ad utrumlibet, ex operatione hominis dependens. Ergo ad Fidem non videtur pertinere.

* In dicta prima Consider.

Decima quarta Assertio.

* *Ab hoc Præcepto*, Non occides, *non excipitur tyrannus, qui in Republica non jure principatur, aut principari conatur.*

Hæc videtur falsa, erronea, & sapere hæresim illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos pœnâ corporali, specialiter mortis, quod est expressè contra sacram Scripturam.

* Sumitur ex secunda Consider. & octava erroris includi.

Quinta decima Assertio.

* *Protestatio conditionalis in materia quæ asseritur Fidei, nondùm per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium diffinita, non purgat, sed inquinat.*

Hæc videtur erronea in Fide, & contra omnem modum Scholæ Theologiæ, quibus dicitur: *Protestor* &c. *Et si contingat* &c. *Revoco* &c.

* Sumitur ex 2. Consider. Articuli: *Ite nunc igitur.* Et in quarta eam recitat scandalosè, circa medium ejusdem Tractatus.

Sexta decima Assertio.

* *Si Papa, aut Domini Cardinales deprehenderentur notoriè favere Propositioni Magistri Joannis Parvi, nondùm damnatæ per Sedem Apostolicam, vel Concilium Generale, ista esset vehementior & apertior causa depositionis eorum, quàm fuerit in altero nunc secum contendentium de Papatu, vel suorum anti Cardinalium.*

Hæc videtur falsa & temeraria, cum materia contendentium sit notoriè per Ecclesiam condemnata, ista verò non, nec ipsius actor.

Item, nimis temerariè condemnat Judicem supremum, diciplinam Ecclesiæ subterfugiendo, propriæ Sententiæ innitens, cui omnes parere, de necessitate salutis contemnens † obedire.

* Ex tertia Considerat. ejusdem Tractatus.

Septima decima Assertio.

* *Rationabile fuit Edictum, quo edicebatur quòd nullus mitteretur ad Concilium Generale, qui esset notatus, vel suspectus favere aliquibus erroribus per aliquos æstimatis.*

Hæc videtur favere hæresibus; quia tales viderentur non solùm mittendi, sed etiam compellendi, ut veritas Fidei magis elucidaretur, & suorum errorum correctionem recipiant salutarem.

* Ex eadem.

Octava decima Assertio.

* *Probabile est Judices & Concilium Fidei Episcopi Parisiensis, nec falli posse, nec fallere velle, in materia Fidei nondùm per Ecclesiam declarata, vel determinata, cujus neutra pars nondum expressè extitit per Ecclesiam approbata, vel reprobata.*

Hæc videtur præsumptuosa, falsa & temeraria, quia

* Ex eadem, circa finem.

† Locus corruptus.

quia probabile est, imò necesse quemlibet viatorum, non confirmatum in gratia, posse falli & fallere: dicere contrarium, videtur sapere hæresim Begardorum.

Decima nona Assertio.

* *Sententia Episcopi particularis, lata in materia Fidei, prætensa per aliquos nondum per Ecclesiam explicitè declarata, est Catholica.*

A

Videtur temeraria & erronea in Fide, inductiva ac sapere hæresim; quia contradicit doctrinæ Ecclesiæ, quâ dicitur: *Omnes causæ Majores ad Sedem Apostolicam referebantur.*

Item, est subjugare omnes Fideles Sententiæ, seu Judicio unius Episcopi particularis.

Item, esset dividere Fidei unitatem.

* Posita per Gersonem in Concilio, in domo Cardinalis Cameracensis, in præsentia nonnullorum Magistrorum in Theologia.

Vicesima Assertio.

* *Omnis Propositio habens plures sensus, quorum alter est falsus, est tanquam erronea contemnanda.*

B

Videtur erronea & falsa, atque doctrinæ Evangelicæ & Apostolicæ, pro maxima parte, destructiva. Patet de his Propositionibus. *Pater Major me est.* Joan. XIV. 28.

Item, secundæ ad Corinthios quinto. 21. de Christo loquens Apostolus dicit: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* Deus. Et sic de multis aliis Propositionibus, tàm Juris divini, quàm humani.

* Per Gersonem in quodam Sermone qui incipit: *Prosperum iter* &c.

Vicesima prima Assertio.

* *Aliquæ Assertiones sunt condemnandæ tanquam erroneæ in Fide & moribus per Episcopum particularem, de quarum veritate est opinio varia inter Doctores solemnes, non vocatis ad Judicium Assertoribus earundem, specialiter ante dictarum Assertionum declarationem.*

C

Videtur temeraria, erronea & scandalosa, ac præcludere viam, ne veritas Catholica palam veniat in lucem. Patet: quia non sufficienter extirpantur errores, dum notoriè perseverant & sæviunt errorum Assertores.

Item, est inducere novitatem contra Judicia sacrorum Conciliorum, & determinationem Ecclesiæ, quæ Assertores primò cum suis Assertionibus damnare consueverant.

* Verseilles.

Vicesima secunda Assertio.

* *Si Angelus Dei descenderet de cœlo, & nuntiaret Assertori istarum Assertionum oppositum suæ opinionis, non crederetur sibi; imò, quod plus est, neque Deo.*

D

Videtur erronea, & contumeliosa, & contra Articulum Fidei, specialiter de Dei omnipotentia, veritate, infallibilitate, & impeccabilitate, qui plus potest facere, quàm intellectus humanus possit intelligere, declaratque evidenter assertorem fore pertinacem.

* Per Gersonem, in publico Sermone Parisius.

Vicesima tertia Assertio.

* *Principia Fidei versantur circa principia Legis naturalis.*

Videtur sapere hæresim, eò quod videtur ponere quòd Fides innitur rationi naturali.

* Conclusio Cardinalis Cameracensis, exhibita in quadam cedula Judicibus in causis Fidei, secunda die Septembris.

Vicesima quarta Assertio.

* *Johannes Huss, hæreticus declaratus, & condemnatus per sacrum Concilium Generale, si habuisset Advocatum, nunquam fuisset convictus.*

Hæc videtur malè sapere de authoritate, sapientia, scientia ac Justitia Concilii Generalis, & calumniativa Actorum hujus sacri Concilii Generalis, & Doctorum in utroque Jure, & quorumlibet Bachalareorum Articulorum in quavis Facultate graduatorum, & Universalis Ecclesiæ per hoc sacrum Concilium repræsentatæ.

* Verseilles 26. Septembris, coram Judicibus in causis Fidei. Anno XV.

Vigesima quinta Assertio.

* *Doctor Christianus, asserens publicè quòd mallet habere Judæos & paganos pro Judicibus in causa Fidei, quam deputatos in eadem causa per Concilium Generale, debet de hæresi esse suspectus vehementer.*

Videtur contumeliosa & injuriosa huic sacratissimo Concilio Generali, & suæ authoritatis non solum depressiva, sed etiam enervativa.

* Per Gersonem, XII. Octobris, in Natione Gallicana. Anno XV.

Reverendissimis Patribus ac excellentissimis Doctoribus Commissariis in causis Fidei, per sacrum Concilium deputatis.

QUia fama publica laborat, & de hoc est apud graves & bonas personas opinio aggravata, quod præcedentes Assertiones sunt falsæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ, prout apparet multis Doctoribus conscientiosis, litteratissimis, ac Deum timentibus, quarum aliquæ continentur in Tractatibus, quorum unus incipit: *Vivat Rex.* Aliquæ in illo qui incipit: *Venient autem dies cum auferetur* &c. Aliæ verò, in illo qui incipit: *Postquam Jocunda congratulatio* &c. Reliquæ autem in quodam Sermone qui incipit: *Prosperum iter faciat* &c. Et in quibusdam aliis publicè prolatis per aliquos in sacro Concilio Generali. Inde est quòd dicti venerabiles Doctores, intendentes hæresum extirpationem, & errorum cupientes scandala jam orta tollere, pro posse, ac sedare & repellere ex dictis Assertionibus possibiliter oritura. Vestris reverendissimis Paternitatibus, in Fidei favorem dictas Assertiones examinandas devotè repræsentant, humiliter implorantes vestrum benignum Officium, ut super eisdem inquiratis, & inquiri faciatis veritatem, inde facturi quod Juris ordo & rationis suadebit.

Johan-

Johannes Gerson, in Sermone facto die Nativitatis Beatæ Virginis, in Ecclesia Cathedrali Constantiensi, Anno XXVI. *posuit Conclusiones sequentes.*

„ JOseph fortè fuit conceptus sine peccato originali, sicut & Beata Virgo.

„ Joseph fuit Pater Christi, secundùm generationem, nisi timeret offendere pias aures. Patet, quia fuit eadem caro propter mutuum consensum; & quia Beata Virgo fuit terra Joseph, juxta illud: *Terra nostra dabit fructum suum.* Ps. LXXXIV. 13.

„ Spes est de puero pro quo oraverunt, mortuo, in voto, ut Deus ipsum Baptismo fluminis consecret, prout est Baptismo Flaminis consecratus.

„ Joseph excessit in excellentia Sanctitatis omnem creaturam post Christi animam, & Virginis gloriosæ.„

Eod. V. *Conclusiones Gersonis.*

Ad Reverendos & Deo amabiles Episcopos spectat, ex statu Hierarchico, & Pastorali, qui fundatus est in Jure divino; & in naturali, præsupposito divino, cui nullum Jus positivum ritè intellectum contradicit, quòd ipsi possint in suis Diocesibus nedùm doctrinaliter, sed judicialiter, scandalosos errores in Fide & moribus damnare & hæreticare, hoc est, hæreticales decernere & anathematizare, respectu plebis suæ: ita tamen quòd hoc fiat authoritate subordinata ad Sedem Apostolicam, & Concilium Generale, & de consilio in Theologia peritorum.

Ad Episcopos spectat posse scandalosos errores condemnare judicialiter, etiam dùm intitulati sunt sub aliquo nomine personali, absque hoc quòd oporteat semper aliquam personam priùs, aut simul judicialiter evocare, vel damnare.

Ad Episcopos, ex obligatione suscepti Pastoralis Officii, & suæ Consecrationis, dùm se scire profitentur utrumque Testamentum, spectat cognoscere firmiter & explicitè quòd Præcepta Decalogi, cum eo quòd sunt de Jure naturali canonico, civili & morali; sunt nihilominùs de Jure divino & de Fide propriè dicta, prout in Scriptura sacra tradita, sint adimplenda ex Fide, Spe & Caritate, pro consecutione felicitatis æternæ; & ita spectant ad Judicium Fidei, & similiter Assertiones eis oppositæ.

Ad Episcopos spectat, ex perfectione suscepti Pastoralis Officii profiteri veritates Catholicas, & oppositos errores diffiteri, usque ad mortem, pro salute gregis sui, & hoc secundùm præparationem animi. Spectat etiam cognoscere cum Gregorio, quòd *Melius scandalum nasci permittitur, quam veritas deseratur.*

Cod. 2537. fol. 127. *Sequitur summaria responsio ad formam & sine glosa, per singulas Propositiones malè nuntiatas,* XXI. *Octobris, in loco publicæ Sessionis.*

Prima Assertio.

NOn est ferè ita modicus, si vellet exponere vitam suam pro tollendo vitam tyranni, qui non posset invenire modum & viam ipsum interficiendi, & ab eo liberare Patriam.

Responsio.

Hæc Propositio vera est in forma, sicut & aliæ septem per Episcopum Atrebatensem malè tractæ, pro suo proposito, in quibus honorificâ contumeliâ actorem afficit, juxta verbum Hieronymi de Rufino. Unde Propositio hæc clarè loquitur de A posse facti, non Juris, sicut sanctus Thomas scribit similiter *Libro primo, de Regimine Principum Cap.* XI. qui non favet huic errori: *Quilibet tyrannus &c.*

Secunda.

Possibile est aliquem citatum coram Judice, in causâ Fidei, renuere præstare juramentum, & semper remanere verum Fidelem.

Tertia.

Si timore mortis, vel alia passione motus quis, vocaliter neget ea quæ sunt Fidei, nec possit, aut velit se B *sufficienter purgare; possibile est ipsum semper esse Fidelem.*

Responsio.

Hæ duæ Assertiones sunt verissimæ, imò necessariæ & Catholicæ, quia viator ille Fidelis est, qui habet Fidem in intellectu, licèt depravatus sit in affectu & effectu; Fides enim stare potest sine Caritate.

Quarta.

Papa notoriè hæreticus, semper manet Papa, usque ad Sententiam depositionis latam contra eum, aut nisi C *cesserit.*

Et reprobatur, quia talis non est membrum. Ergo non est caput.

Responsio.

Hæc non est Assertio in textu, cujus impugnatio cadit manifestè in errorem Wicleff & Huss, ponentium quòd nullus est Prælatus, nullus Sacerdos, nullus Dominus, dùm est in peccato mortali. Arguunt enim quòd non sunt membra Ecclesiæ, & ex consequenti nec capita, sicut hîc arguitur.

Quinta.

Nec Summus Pontifex, nec aliquis alius debet conari ut Canones positivi, vel aliæ Traditiones Canonicæ ubique per totam Ecclesiam observentur.

D *Sexta.*

Papa dedit occasionem Græcis, pro hoc, ab Ecclesiâ discedendi.

Responsio.

Hæ duæ Assertiones deficiunt in forma, & calumniosè reprobantur, sicut patet in textu, qui Catholicus & Moralis est.

Septima.

Non est auferibilis sponsus Ecclesiæ suæ Christus ab Ecclesia sponsa sua & filiis ejus, sic quod remaneat Ecclesia

clesia in sola muliere, imò nec in solis mulieribus, imò nec in laicis solis, lege stante, non facta divinitùs nova institutione.

Octava.

Auferibilis non est ab Ecclesia militante sponsus suus Christus homo, quin semper influat in eandem Ecclesiam A *sponsam suam per membra varia, gradus Hierarchicos Officiorum & Administrationum & Dignitatum & Statuum ab ipso constitutorum, dùm Ecclesiam fundavit primitùs, & ædificavit.*

Nona.

Ablatio unius membri ab Ecclesia, corpori ejus deformitatem & grandem imperfectionem inducit.

Decima.

Non existente Papa certo & unico, Ecclesia non gaudet suorum integritate membrorum, & præsertim membri principalis.

Responsio.

Hæ quatuor Assertiones veræ & Catholicæ sunt, sicut ponuntur in textu; & calumniosè falsòque reprobantur in favorem quorundam Articulorum Huss, circa finem, ubi notatur quòd Ecclesia benè regeretur sine Papa.

Undecima.

Non est pax habenda cum dogmatizantibus hæresim, quando vel sunt pertinaces notoriè, vel etiam de pertinacia suspecti vehementer, quousque purgati sunt, Fidem quam credere tenentur ad justitiam, ore confitendo ad salutem.

Duodecima.

Non habita pace cum Deo, nec pax consequenter cum proximo. C

Responsio.

Hæ duæ veræ sunt in forma textûs, quia non contrahitur ibi sermo prout impugnator imponit, ad nudam pacem civilem, qualis inter latrones, & quodammodò inter dæmones reperitur. Patet ex probationibus.

Decima tertia.

Asserere mortem alicujus Principis esse factam pro bono Regis & Regni, sapit hæresim.

Responsio.

Hæc Assertio vera est, & reprobans se monstrat ignorare quid est sapere hæresim, & facit consequentiam impossibilem, dùm ait: Hæc Propositio est contingens, ergo non sapit hæresim.

Decima quarta.

Ab hoc Præcepto, Non occides, *non excipitur tyrannus, qui in republica non Jure principatur, aut principari conatur.*

Responsio.

Hæc Assertio vera est, & opposita hæretica, damnata per hoc Concilium, *Quilibet tyrannus* &c. Et impugnans se fallit turpiter dùm arguit inde quòd tyrannus non esset occidendus, juxta illud, *Maleficos non patieris vivere.* Exod. XXII. 18. Occidendus certè est quandoque, sed publica authoritate, imò seditiosa præsumptione.

Decima quinta.

Protestatio conditionalis in materia quæ asseritur Fidei, nondum per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium diffinita, non purgat, sed inquinat.

Responsio.

Hæc Assertio non est in textu, sed alia quæ vera est, sobria & Catholica, sicut patet in hæreticorum protestatione generali, quæ non salvet eos, sed inquinat, dùm pertinaciter verbis aut factis, particularem defendunt errorem.

Decima sexta.

Si Papa, aut Domini Cardinales deprehenderentur notoriè favere Propositioni Magistri Johannis Parvi non- B *dum per Sedem Apostolicam, vel Concilium Generale damnatæ, ista esset vehementior & apertior causa depositionis eorum, quàm fuerit in altero contendentium nunc secum de Papatu, vel suorum anti-Cardinalium, & essent omnes hæretici.*

Responsio.

Hæc Assertio non est in textu, sed alia quæ vera est, & utinam non verificata, de quibusdam faventibus pestiferæ huic doctrinæ, per sacram Scripturam, & ita per Ecclesiam sufficienter, imò evidenter reprobatæ.

Decima septima.

Rationabile fuit Edictum, quo edicebatur quòd nullus mitteretur ad Concilium Generale, qui esset notatus, vel suspectus favere aliquibus erroribus per aliquos æstimatis.

Responsio.

Hæc Assertio deficit in forma, & fit verbum de mittendis per Universitatem Parisiensem, & non de quibuslibet mittendis ad Concilium, sicut patet ex litteris & juramentis valdè licitis atque Catholicis.

Decima octava.

Probabile est Judices & Concilium Fidei Episcopi Parisiensis nec falli posse, nec fallere velle in materia Fidei nondum per Ecclesiam declarata, vel determinata, cujus neutra pars nondùm expressè extitit per Ecclesiam approbata vel reprobata. D

Responsio.

Hæc Assertio videtur improbari protervè, quia non accipitur illic, nec in locutione communi posse logicale vel absolutum, sed morale: nec est verum quòd materia de qua illic fit mentio, non sit per Scripturam sacram sufficienter & expressè determinata, in quam credendo nullus errat, sicut circa decimam septimam dicebatur.

Decima nona.

Sententia Episcopi particularis lata in materia Fidei præ-

prætensa, per aliquos nondum per Ecclesiam explicitè declarata, est Catholica.

Responsio.

Hæc Assertio non habetur in forma, sed in alia quæ vera est, & ab omnibus Ordinariis, & Universitatibus generalibus defendenda: & sequitur ex approbatis in hoc sacro Generali Concilio.

Vicesima.

A

Omnis Propositio habens plures sensus, quorum alter est falsus, est tanquam erronea condemnanda.

Responsio.

Hæc Assertio non invenietur posita, sed una alia quæ vera est, & per hoc sacrum Concilium practicata.

Vicesima prima.

Aliqua Assertiones sunt condemnandæ tanquam erroneæ in Fide & moribus, per Episcopum particularem, de quarum veritate est opinio varia inter Doctores solemnes, non vocatis ad Judicium assertoribus earundem, B *specialiter ante earum Assertionum declarationem explicitam, per Ecclesiam, aut Sedem Apostolicam.*

Responsio.

Hæc Assertio non est in textu, sed una alia quæ vera est, & per hoc sacrum Generale Concilium practicata.

Vicesima secunda.

Si Angelus Dei descenderet de cœlo, & nuntiaret assertori istarum Assertionum oppositum suæ opinionis; non crederet sibi, imò quod plus est, neque Deo.

Responsio.

Hæc Assertio calumniosè ponitur, tàm in forma, quàm in impugnatione; quia textus non ponit hoc exemplum, *Oppositum opinionis*, sed loquitur de opposito firmæ Fidei Catholicæ: & sic loquendo, non incurritur Luciferiana superbia, sed humilitas Catholica. Alioquin Apostolus fuit Luciferianus *ad Galatas, secundo.* Et in reprobatione applicatur malè hæc Scriptura: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. 1. 37.

Vicesima tertia.

Principia Fidei versantur circa principia Legis naturalis.

Responsio.

Hæc Assertio fallit in forma, quamvis benè conceditur de multis Fidei principiis, sicut sunt dictamina practica correspondentia jussionibus decem Præceptorum moralium, ut est ista: Proximus non est occidendus, propria authoritate.

Vicesima quarta.

Johannes Huss, Hæreticus declaratus, & condemnatus per sacrum Concilium Generale, si habuisset Advocatum, nunquam fuisset convictus.

Responsio.

Hæc Assertio videtur imponi & reprobari protervè, quia conformis est modo loquendi communi; quemadmodùm dicitur de aliquo pigritante: Iste nunquam veniet, vel nunquam fecerit, licèt sciamus quandoque quòd veniet, vel fecerit infra horam. Item, hæc locutio erat valdè possibilis, propter casus multos, & sine culpa Concilii.

Vicesima quinta.

Posita est sub duplici forma. Una sic habet.

Ego mallem habere Judæos & paganos, pro Judicibus, in causis Fidei, quam Deputatos in eadem causa per Concilium Generale.

Altera sic.

Doctor Christianus asserens publicè quòd mallet habere Judæos, aut paganos, pro Judicibus, in causa Fidei, quàm Deputatos in eadem causa per Concilium Generale, de hæresi meritò debet esse suspectus vehementer.

Responsio.

Hæc utraque Propositio falsè ponitur, & nimis crudè generaliter, & injuriosè propter causas plurimas quæ tempore suo & loco poterunt explicari; & satis notoriæ sunt quo ad aliquos. Unde non est novum, vel hæreticum, quòd in materiis moralibus Juris naturalis quæ communes sunt apud Judæos & Saracenos. Porrò, si pars adversa repulit & repellit aliquos solemnes viros in Scriptura sacra & Juribus eruditissimos, tanquam suspectos in hac causa Fidei & morum, quorum unus fuerat etiam per hoc sacrum Concilium deputatus, solus inter Dominos Cardinales Theologos secularis; ubi sic fortè non repulisset quosdam Judæos vel Saracenos eruditos in Præceptis Legis naturalis, non est ita reprehensibile verbum aliquod tale, si de aliquibus volatiliter prolatum est, ex zelo causæ Fidei, quæ jam ferè per quinque Menses protracta, & vix nunc inchoata. C

Et attendatur quòd istæ Propositiones exhibitæ, non generaverant scandalum, & sunt veræ in propriis formis suis. Et si referantur ad intentionem ponentium & causas dicendi, sunt inde multò clariores.

Propterea, non est simile de illis novem Assertionibus, quoniam generaverunt grande scandalum, & sunt in suis propriis formis erroneæ. Et si ad intentionem & finem & causas dicendi referantur, apparebunt multò potentiùs erroneæ, quoniam positæ dicuntur ad justificationem mortis unius Principis, non diffidati, nec accusati, nec convincti apud Superiorem suum.

Et ita de reliquis circumstantiis malis quæ ex Litteris * Patentibus & authenticis dicuntur sufficienter apparere: & longè aliter quàm Episcopus Attrabatensis in suo casu posuerit. D

Ac proinde rationes suæ vel allegationes nihil ad propositum, vel falsè concluditur in plurimis.

Ceterum, parati sumus hæc omnia latiùs declarare, & ostendere certis rationibus, quòd prædicta cedula in suis reprobationibus continet hæreses manifestas, prout aliqualiter notatum est.

Compescatur hæc multiplex & hæreticalis calumnia, juxta providentiam sacri Concilii, ut calumniosi discant modestiùs se habere circa docentes, vel scribentes elucidationem veritatis. *Collatio facta.* Joan. Baers.

* Ut in pagina penultima responsionis Joa. de Rocha.

[C]od. 537. [f]ol. 129.

JOANNIS DE ROCHA

Contra Evasiones

JOHANNIS DE GERSSONO

Super suis Assertionibus erroneis.

ADversùs reponsiones dictas impugnationibus factis contra aliquas Propositiones, seu Assertiones denuntiatas vobis Reverendissimis in Christo Patribus, & Dominis Judicibus in causa Fidei deputatis, tanquam malè sonantes aliquas; alias tanquam scandalosas, & piarum aurium offensivas, & nonnullas tanquam erroneas, hæreticas, vel hæresim sapientes: & declarationes, seu potiùs obfuscationes dictarum Assertionum, & ut videtur defensiones pertinaces, instatur zelo Fidei, ut evidenter veritas elucescat, errorumque rubigo penitùs abradatur, ut & pertinacia appareat, seu falsitatis * defendentis, & Judicium Fidei adversùs tales, & eorum erroneas Assertiones assurgat. A

Et primò, contra titulum contradicentem responsionibus, & defensionibus Assertorum errorum. Dicitur namque sic in titulo. *Sequitur summaria responsio, ad formam, sine glosa, per singulas Propositiones malas nuntiatas* XX. *Octobris, in loco publicæ Sessionis.*

Titulus autem iste duo falsa continet, quorum unum videtur erroneum in materia Fidei.

Primum siquidem falsum est, cùm dicit quòd respondetur, *ad formam, & sine glosa.* Quod manifestè apparet falsum in prima Propositione quam glosat, tanquam clarè loquendo de via Facti & non Juris. Clarum est tamen quòd in textu non ponitur aliquis istorum terminorum, *Facti, vel Juris,* nec istud complexum, *via Facti, vel Juris.*

Secundò, patet idem esse falsum in secunda & & tertia Propositionibus, quas declarat de Fide in intellectu; non tamen in affectu, vel effectu: quod tamen non ponitur in textu.

Tertiò, patet in undecima, & duodecima, ubi dicit quòd non contrahitur ibi sermo ad pacem civilem nudam, qualis habetur inter latrones, & quodammodò inter dæmones reperitur. Quod non ponitur in textu.

Quartò, patet in XIV. ubi exponit quòd non excipitur tyrannus ab occisione, publica authoritate, sed seditione præsumptuosa: quòd non ponitur in textu.

Quintò, patet in XV. ubi exponit de protestatione generali hæreticorum, quæ non salvat eos, sed inquinat; dùm pertinaciter verbis aut factis particularem defendunt errorem: quæ expositio non ponitur in textu.

Sextò, patet idem in Propositione XVII. pro quâ dicit quòd sit verbum de mittendis per Universitatem Parisiensem &c. quæ non ponitur in textu.

Septimò, patet idem in Propositione XVIII. in qua dicit quòd non accipitur illic, nec in communi locutione posse logicali &c. de quo tamen nulla vox, vel littera est in textu.

Octavò, patet idem in Propositione XXII. in qua dicit quòd loquitur de opposito firmæ Fidei Catholicæ: quòd tamen non habetur in textu.

Nonò, patet idem de XXIII. quam concedit de multis Fidei principiis, sicut sunt dictamina practica &c. quæ non ponuntur in textu.

Decimò, patet idem de XXIV. quam exponit per modum loquendi cummunem, de aliquo pigritante quòd nunquam veniret &c. quod non ponitur in textu.

Secundum falsum contentum in titulo, quòd est erroneum in Fide, ut videtur, est quòd illæ Propositiones fuerunt malè nuntiatæ. Aut enim intelligit quòd sunt malè nuntiatæ, ita quòd malè factum fuit illas nuntiare; aut quia malè sunt extractæ, hoc est, falsè, de codicillis unde sunt extractæ. Secundum non, ut ostendetur per Libros ubi continentur illæ formaliter, aut ex quibus formaliter consequuntur: ergo primum.

Et tunc denuntiare aliquas Propositiones quæ aliquos scandalisant, & malè sonant apud multos & graves in Theologica Facultate, & offendunt pias aures, tanquam apparentes erroneæ in Fide, est malè nuntiare: quod videtur erroneum, & præjudicare Fidei, & Judicio ejusdem, & favere erroribus. Quotiescunque enim aliquis scandalizatur de aliqua Propositione, tanquam malè sonante apud graves, debet conari ad auferendum scandalum: quod meliùs fieri non potest, nec secretiùs, quàm per Judices Fidei. Sic autem est in Proposito.

Unde istæ Assertiones visæ & auditæ, multos graves scandalisarunt, & sic apparet quòd titulus est falsus, & videtur erroneus in facto Fidei, & hoc remitto vestris Reverendissimis Paternitatibus declarandum. B

Ut autem meliùs responsionum, seu potiùs pertinacium defensionum falsitas & pertinacia videatur, est per singulas discurrendum.

Et primò, cum dicitur ad primam, quòd est vera in forma, & quòd clarè loquitur de posse Facti, non Juris; expositio, glosa, vel responsio hæc non servat Propositionem quâ dicitur. *Non est ferè ita modicus, si vellet exponere vitam suam pro tollendo vitam tyranni, qui non posset invenire modum & viam ipsum inteficiendi, & ab eo liberare Patriam.* Sic enim loquitur clarè de via Facti, non Juris; Ita posset dici de quocunque quantuncunque justo, quòd non est ferè tam modicus, si exponere vitam &c.

Secundò, quia iste loquitur ibidem contra tyrannos, exagerando & ostendendo de posse Juridico naturali, qualiter quodlibet membrum debet conari ad expellendam tyrannidem, omnibus viis, & modis rationabilibus: nec idem excipit, nisi viam seditionis. C

Item, de Jure divino & humano apparet quòd loquatur, quia dicit quòd tyrannus est inimicus Dei & hominum, & quòd sine excusatione debet interfici, allegando illud Sapientiæ XVI. 4. *Oportebat illis quidem supervenire interitum sine excusatione exercentibus tyrannidem.*

Item, quando istud esset magis contra bonos Principes; tum quia mali magis diligunt malos quàm bonos, & minùs vellent quærere viam ad interficiendum, quàm bonos, qui sunt eis per justitiam & dissimulationem † vitæ exosi.

D Quantùm ad bonos autem, nunquam illi utuntur via facti. Ita quòd de bono quantumcunque modico, non potest intelligi Propositio.

Item, scandalosum est quòd iste loquatur in publico Sermone de posse, quod simplices intelligunt, in ore Doctorum, pro posse juridico, cum inter se post conferant dicta Prædicatorum per locum ab ore dicentium: Hoc possumus facere: ita enim dixit & prædicavit talis Prædicator.

Præterea modus loquendi vulgarium & etiam dericorum *, præsertim in materia morali; cùm loquuntur de posse facere aliquid, est de posse juridico.

Item,

* *fortè* falsitas

† *forè* dissimulitudinem * *Fortè* peritorum.

Item, laïci nesciunt distinguere inter posse viâ Facti, & viâ Juris &c.

Præterea cùm dicitur quòd scandala sunt exorta propter viam Facti, interficiendo tyrannum, nec dicit hîc assertor cur concurreret scandalum, illud non dedit intelligi, clarè distinguendo, & viam Facti reprobando. Quapropter in exponendo vel sic glosando istam Propositionem, videtur se cooperire cum cauda simiæ, sive capræ. Et ideò videtur ista Propositio, ut sonat, revocanda & condemnanda.

A Quantùm ad secundam Propositionem, & tertiam, de renuente præstare juramentum in causa Fidei, & de abnegante Fidem, timore mortis, nec se volente purgare, quòd quilibet talis est verus Fidelis, & quòd quælibet istarum est verissima, necessaria & Catholica; istud non videtur, imò videtur erronea, tum quia pariformiter dæmones essent veri Fideles, cum habeant Fidem informem. Jac. II. 19. *Dæmones credunt* &c. De qua Glosa, *ad Rom.* I. 17. super illud, *ex Fide, in Fidem.* Est Fides informis quæ est dæmonum, & nomine tenùs Christiani. Quòd autem dæmones possint dici veri Fideles videtur absurdum.

Item, si tales sunt veri Fideles, ergo & veri Christiani; quod est contra Ambrosium: quia *Qui dicit se Christianum, non faciens opera Christiani, mentitur.*

B Item, Magister Alexander de Halis, in expositione Mandati. Exod XX. 7. *Non assumes nomen Dei tui in vanum:* sic dicit. *Assumitur nomen Dei in vanum, corde, ore, opere. Corde, per infidelitatem; ore, a paganis & hæreticis. Opere, ut qui Sacramentum percipit, sed malè vivit.* Et concludit Doctor. *Tu autem fidelis anima, non assumes nomen Dei in vanum, nec Fide, nec Sacramenti perceptione.* Constat autem quòd quilibet qui est in peccato mortali, assumit nomen Dei in vanum, & per consequens, non est Fidelis Christianus & verus.

Item, sicut homo mortuus, non est verus homo; ita nec Fidelis mortuus, est verè Fidelis. Sed iste qui habet Fidem informem est Fidelis mortuus, à Fide mortua dictus. *Fides* enim *sine operibus mortua est*, secundùm Jacobum. c. XI. 20. 26. Ergo &c.

C Item, iste infideliter agit in Fidem, ergo est infidelis.

Item, iste habet necessariò in hoc casu intellectum depravatum, quia intellectus sibi dictat non esse jurandum in causa Fidei; non est enim nolitum, vel volitum, nisi præcognitum: hoc autem dictamen est erroneum. Et sic videntur illæ Propositiones falsæ, & malè sonantes, & fautrices apostasiæ, quia dicerent se in corde habere bonam Fidem, & abnegantibus Fidem.

Quæ Propositiones erant.

Possibile est aliquem citatum coram Judice, in causa Fidei, renuere præstare juramentum, & semper remanere verum Fidelem.

Alia.

Si timore mortis, vel alia passione motus quis vocaliter neget ea quæ sunt Fidei, nec possit aut velit se sufficienter purgare, possibile est istum semper esse Fidelem.

D *Papa notoriè hæreticus, semper manet Papa, usque ad Sententiam depositionis latam contra eum, aut nisi cesserit.* Dicit sic. „ Hæc non est Assertio in textu, „ cujus impugnatio tendit manifestè in errorem „ Wicleff & Huss, ponentium quòd nullus est „ Prælatus, nullus Sacerdos, nullus Dominus, „ dum est in peccato mortali: arguunt enim quòd „ non sunt membra Ecclesiæ, & ex consequenti „ nec capita, sicut hîc arguitur. „

Ad videndum autem pertinaciam ipsius & falsitatem; primò ostendendum est quòd hæc Assertio est sua, quam tenet tanquam probabilem, & firmat rationibus ex intento.

Secundò, ostendetur quòd non impugnat improbationem.

Quantum ad primum, dicit sic, in XVI. Consideratione, circa principium.

„ Sunt duæ opiniones, ut aliàs tangebatur, de „ destitutione Papæ. Una ponit quòd Papa, dum „ labitur in hæresim jam damnatam, est, eo facto, „ per Deum depositus, & perdidit, Jure divino, „ Papalem dignitatem; sive hæc hæresis sit secreta, ut ampliant aliqui; sive sit manifesta, „ ut placet aliis loqui restrictiùs.

„ Tradunt alii quòd nullus ritè in Papam electus, redditur per aliquòd crimen, eo facto, depositus, licèt benè sit deponendus, & manet „ talis ritè electus, semper Papa, usque ad Sententiam depositionis latam contra eum per Ecclesiam, vel Generale Concilium; aut nisi cesserit sponte sua, quemadmodùm in aliis Episcopalibus dignitatibus dicunt esse certum. Itaque „ resolutio finalis hujus opinionis quam nunc dicimus probabilem stat in hoc quòd, * Sicut nullus ritè efficitur Papa, lege stante, & nisi fieret nova revelatio, vel miraculosa institutio, nullus, inquam, talis ritè efficitur Papa, nisi per legitimam Electionem Dominorum Cardinalium, „ aut aliorum quibus hæc potestas collata fuerit „ per Ecclesiam, aut Generale Concilium: sic „ nullus talis ritè electus desinit esse Papa, nisi „ per legitimam destitutionem ab Ecclesia, vel „ Concilio, vel ab eis quibus voluerit conferre „ Ecclesia, sive Concilium, hujusmodi Potestatem, qualis tamen nondum collata esse reperitur.

„ Probabilitas hujus opinionis fundata est aliàs „ in alio Opusculo, & nunc breviter repetimus, dicendo aliqua.

„ Primò, quòd status Hierarchicus in Ecclesia debet esse certus & constans. Da oppositum. „ Jam Ecclesia non fuisset instituta sufficienter, „ quia subditi remanerent semper expositi discrimini peccati mortalis, in obediendo, vel non obediendo suis Superioribus, cùm non posset eis „ constare sufficienter quando Superiores perdidissent Jus in præsidendo, vel ipsum retinerent. „ Ac proinde dicimus consequenter, quòd titulus „ Ecclesiasticæ dignitatis & authoritatis, non est „ fundatus in sanctitate; quemadmodùm dixerunt hæretici, qui nominantur *Pauperes de Lugduno*, & alii similes, sicut deduxit Bonaventura, *in Distinctione* XXV. *quarti.* Alioquin nihil „ esset certum in actibus hierarchicis. Sicut *nemo scit an odio vel amore dignus sit*, Eccle. IX. I. sic „ ex eadem radice patet quòd per præscientiam, vel „ reprobationem æternam, non datur, vel auferetur præcisè titulus Ecclesiasticæ dignitatis. „ Nam Judas præscitus fuit Apostolus, & multi „ prædestinati carent dignitate.

„ Sequitur ampliùs, quòd titulus Ecclesiasticæ „ dignitatis non est fundatus in donis gratuitis latentibus in anima; quia de illis constare non „ posset subditis, nisi fortè per revelationem, & „ præsertim, si sint dona quæ statim habita, statim perdi possint. Quod dicitur propter characteres indelebiles, postquam semel habiti sunt, „ & de quibus, præsupposita Fide, potest haberi sufficiens certitudo, dum aliquis ritè suscipit „ Sacra imprimentia tales characteres.

„ Addamus rursùs, quòd sicut injustus, hoc est, „ sine caritate, & in peccato mortali, potest justè dominari temporaliter, & Rex, vel Princeps, justo titulo; sic potest esse Episcopus, vel „ Sacer-

* Nota hîc Conclusionem intentam per Jo. de Gersson.

,, Sacerdos. Et hoc sequitur ex prioribus: quia ,, imaginationes aliquorum nostri temporis in Anglia, & alibi, qui posuerunt omne Dominium, ,, & omnem Dominationem fundari in Justitia & ,, Caritate, & quòd sine ea nihil potest esse justum, neque justè fieri, neque possideri, quod ,, utique repugnat Assertionibus sacræ Scripturæ, ,, in locis plurimis, in quibus idolatræ & pessimi ,, homines & reprobi appellantur Reges, ut Saül, ,, Cyrus & Achab. Unde Christus docuit quòd ,, Pharisæis & reprobis daretur obedientia in doctrina eorum, dum ait: *super Cathedram Moysi* ,, *sederunt Scribæ & Pharisæi. Quæ dicunt facite* &c. ,, Matth. XXIII. 2.

,, Dicamus consequenter quòd dignitates Ecclesiæ ,, non fundantur in Fide interiori, neque in Spe, sicut nec in Caritate. Patet ex eisdem fundamentis.

,, Ac proindè sequitur ulteriùs quòd, deficiente Fide, in aliquo Prælato, non est consequens ,, ut mox perdiderit Pastoralem dignitatem, quia ,, nec Fides est ejus necessarium fundamentum.

,, Patet ampliùs quòd Canones sacræ Scripturæ, ac Summorum Pontificum, dicentes hæreticos esse vitandos, & ethnicos, & anathematizatos: verum dicunt, dùm constat eos tales esse, & maximè per Sententiam judiciariam, ac ,, per propriam confessionem & facti evidentiam. ,, Nihilominus quòd tales sint eo facto deponendi à dignitatibus, & quòd eas perdant, sine destitutione, non habetur ex eisdem Canonibus: ,, aut si aliqui Canones videntur hoc sonare de ,, notoriis & manifestis hæreticis, quòd sunt eo ,, facto depositi, intendi possent quòd contra tales non requiritur processus juridicus ordinarius ,, ad degradandum eos per Sententiam diffinitivam, sicut in occultis & non confessatis oporteret.

,, Dicamus ergo, concludendo probabiliter, ,, quòd sicut humana electio dat Jus & titulum ad ,, Papalem dignitatem, si homo sit capax hujusmodi electionis atque dignitatis, & si sit viator ,, baptisatus; sic per humanam destinationem perdit illam præsidentiam, & non aliter, eo invito, sive sit hæreticus, sive scismaticus.

,, Et dùm componitur quòd non potest esse ,, membrum Ecclesiæ, quantò minùs potest esse ,, caput: & multa alia in hanc sententiam. Respondetur quòd ratio vel similis, si perpendatur. ,, Unde omninò fuit illa quæ fundavit omnes errores de quibus prætactum est, quòd *Solus justus* ,, *justè dominatur*; vel *est Sacerdos*; vel *consecrat*. & ,, ita de similibus.

,, Notemus ergo, sine progressu longiori, quòd ,, multæ sunt connexiones membrorum in corpore mistico Ecclesiæ, sicut diversæ sunt in eodem ,, corpore unitates.

,, Una est unitas Caritatis, & isti soli habentes ,, Caritatem dicuntur membra vera Eccclesiæ.

,, Alii, quantumcunque Fideles, sunt verè præcisa membra...... & emortua. Imò sunt proditores Domini sui, nec familia ejus hoc modo ,, dici possunt.

,, Alia est unitas in donis naturæ, sicut omnes ,, homines connectentur in intellectu & in ratione.

,, Alia est unitas, in simili participatione Sacramentorum, & præsertim in unitate Baptismatis, in quo character imprimitur: in qua unitate connectuntur omnes qui Baptisma ritè susceperunt, & ubi Fidem actualem, vel habitualem perdidissent. Et unico videtur absolutè ,, sufficere ad hoc quòd aliquis ritè in Papam Electus maneat caput Ecclesiæ, quousque fuerit per Sententiam diffinitivam depositus.

,, Nolo tamen propterea dicere quòd semper ,, sit obediendum tali hæretico, vel non sibi resistendum, aut quòd sit appellatione Papalis dignitatis honorandus, quando in casu, sicut jam ,, tactum est, potest Papa verus manens Papa, ,, licitè etiam ligari vel incarcerari, vel in mari ,, demergi. Quantò magis posset ei obedientia, vel ,, reverentialis nominatio denegari.,,

Hoc tamen in Tractatu præfato, Consideratione præallegata.

A Quæ omnia volui hìc inserere, ut plenè videatur mens compositoris Tractatus, quæ patet primò, ex resolutione quam facit, imò Opinionis sciendæ, quam nunc dicit probabilem.

Secundò, apparet ex hoc quòd dicit quòd probabilitas hujus opinionis aliàs in alio opusculo est fundata, & quam nunc breviter repetit.

Tertiò, patet per rationes quibus nititur, quæ tamen nihil valent.

Unde prima non valet, cùm dicit quòd status Hierarchicus debet esse certus & constans. Conceditur quoad statum in se; non tamen quoad supposita, & per se. Si enim quòd iste sit Papa vel ille, esset essentiale statui Ecclesiæ, tunc status Ecclesiæ nullus esset, cum nullus Papa esset. Et sic, quòd sit certum & constans quòd ille sit Papa vel ille, non est necesse; nec sequitur quòd propter hoc Ecclesia fuerit malè instituta & insufficienter.

B Et cùm arguitur, quia subditi remanerent expositi discrimini peccati mortalis, in obediendo, vel non obediendo suis Superioribus, cùm non possit eis constare sufficienter quando Superiores perdidissent jus suum in præsidendo, vel ipsum retinerent: hìc dicitur, negando consequentiam, & dicitur quòd in obediendo, dato quòd A non sit verus Papa, B & C & D. niterentur, si ipsum credant esse verum Papam, & credant propter authoritatem eligentium illum, nec constet eis de alio legitimo obstante, ita quòd non requiritur certitudo evidentiæ, vel etiam securitatis, nisi in quantum certitudo opponitur dubitationi, quam non debent habere, nisi appareat legitima causa inducens talem dubitationem, & ei debent obedire, donec constet ipsum non esse Papam: quod est, vel per declarationem defectus electionis; vel propter hæresim, de qua constet; vel propter depositionem, ita quòd in isto argumento, cui

C innititur, multiplicantur plures errores.

Primus, quòd status Hierarchicus Ecclesiæ incertus & insecurus, si nullus sit Papa.

Secundus, quòd etiam fuit incertus, cum Johannes Maguntinus præsedit sicut Papa.

Tertius, quòd omnes de Universali Ecclesia erant expositi discrimini peccati mortalis, de obediendo vel non obediendo Superioribus, propter talem incertitudinem. Nec valet quod secundò deducit, quia licèt status dignitatis Ecclesiæ non sit fundatus in sanctitate, taliter quòd non sit Prælatus, nisi existens in gratia, ut dixerunt erronei hæretici, *Pauperes de Lugduno*, & *Wicleff*, & *Husi*, nec etiam Dominium; tamen licet non requiratur Caritas, requiritur saltem Fides informis, ut videlicet Papa saltim non sit hæreticus, vel ido-

D latra, paganus, aut de Secta Judæorum.

Nec etiam fundantur tituli præfati Ecclesiasticæ dignitatis in prædestinatione, cùm requiritur ad minùs Fides informis. Aliter, oporteret inde habere in Papam unum idolatram, seu Soldanum Babiloniæ, vel perversum ad Judaïsmum. Licèt etiam non sit fundatus in donis gratuitis gratum facientibus; tamen oportet quòd habeat pro fundamento, ad minus Fidem informem.

Conceditur etiam Episcopus, Sacerdos & Papa, contra

contra illos de Anglia Wicleff & Huss: & quòd obediendum est, Juxta Christi Præceptum, Prælatis designatis in sedentibus super Cathedram Moysi Scribis & Pharisæis. Sed negatur illud quod dicitur contrà; quòd dignitates Ecclesiasticæ non fundantur, hoc est, non requirunt Fidem interiorem, saltim informem, illæ videlicet dignitates in quibus non imprimitur character. Aliter enim, si enim * requirerentur, staret quòd scilicet totaliter desperato staret dignitas Papalis.

A Responsio etiam quam facit ad rationes, dicentes hæreticos esse vitandos, ethnicos & anathematizatos; videtur contra, cum dicit quòd verum est, dùm constat eos esse tales: ergo Papa notoriè hæreticus, vitandus est, & anathematizandus, & per consequens non potest solvere nec ligare.

Et sic amisit Jurisdictionem, & consequens, Papatum: Papatus enim nomen est Jurisdictionis. *Et maximè*, inquit, *per Sententiam judiciariam.* Ergo sine Sententia, cum li *maximè* teneatur semper comparativè, secundùm illum assertorem.

Cum autem addit nihilominùs, quòd tales sint eo facto depositi à dignitatibus, hoc non habetur ex ipsis Canonibus, sed contra expressè xxiv. q. 1. cap. *Audivimus.* dicitur de hæretico quòd *Jam nullum potest dejicere jam prostratus.* Et sequitur: *Hi qui extra Ecclesiam sunt, nec ligare possunt, nec solvere, nec reconciliando Ecclesiastica Communioni reddere: nec excommunicando ejus societate privare, quâ ipsi hæresi vel scismate polluti, sive Sententia notati penitus carere probantur.* Et sequitur: *Liquidò constat eum qui ab integritate Catholica Fidei recedit, maledicendi vel benedicendi potestatem minimè habere, Catholicum namque utpote se superiorem, maledicere non valet.* Ex quo apparet quòd ipso facto est depositus; tum quia prostratus; tum quia extra Ecclesiam; tum quia non habet potestatem; tum quia minor quolibet Catholico.

Fortè dicetur quòd intelligitur, Sententia præcedente, quòd non potest, sed ante Sententiam potest. Contra, quia Papa respondet quòd hæreticus Ravennas excommunicare non potuit, qui tamen nondum erat depositus per Sententiam.

Item, patet de glosa, ibidem de quantumcunque occulto excommunicato, *Nulla est quæcunque Sententia per eum lata.*

C Apparet ergo ulteriùs, ex responsionibus quas facit ad objecta, quòd ex intentione tenet ipsam opinionem.

Item, apparet ex hoc quod sequitur responsionem, ubi concludit ipsam, dicens: *Dicamus ergo &c.* Et ulteriùs apparet per hoc quod dicit quòd oppositum fundavit omnes errores dictos, si hæretici non sint membrum Ecclesiæ; quod non est verum: quia illi fundant se quòd quodlibet peccatum mortale privat Prælatione & Dominio; quod est hæreticum. Non autem sequitur quòd si quodlibet peccatum mortale non privat, quòd hæresis non privat.

Ex quo apparet quòd tantè æstimat suam opinionem esse veram, quantè æstimat opinionem hæreticorum esse falsam. Quæ tamen opinio hæreticorum non sequitur ex hoc quòd Papa desinit esse Papa per hæresim.

D Ultimò, apparet manifestè suum intentum, cum ampliùs concludit notando: *Notemus ergo*, inquit. Ubi ponit quòd esset verus Papa unus qui totaliter abnegasset Fidem, notoriè, & factus esset pessimus & notorius idolatra, relicta totaliter Lege Christi, & totaliter ab Ecclesia separatus.

Quòd si dicatur quòd non est totaliter separatus, quia character est unitas Ecclesiæ: ex hoc sequeretur quòd damnati, essent de Ecclesiæ unitate. Et sic staret aliquem damnatum esse Papam.

Quòd si dicatur quòd damnati non habent cum Ecclesia unitatem, cùm non sint de Ecclesia; saltim sequitur quòd mulier baptisata, & post effecta idolatra, possit esse Papa, cum habeat talem unitatem. Et sequitur quòd Johannes de Maguntia fuit Papa verus.

Quòd si dicatur ultra characterem ex * sexus virilis, non videtur; cum Papatus non est ordo, sed tantùm dicat Jurisdictionem, quæ sexui muliebri non repugnat.

Item, character non est nisi signum distinguens, & signans illum esse de unitate Fidei: quod signum tunc est falsum, ut videtur.

Ulteriùs, videtur contradicere sibi ipsi, cùm dicit: „ Nolo tamen dicere propterea quòd semper „ sit obediendum tali hæretico, vel non resistendum, aut quòd sit appellatione Papalis dignitatis honorandus; „ quia in casu, sicut jam tactum est, posset Papa verus, manens Papa, licitè etiam ligari & incarcerari, vel in mare mergi. Quantò magis posset sibi obedientia vel reverentialis nominatio denegari. Unde si verus Papa, ergo quandiù ab Ecclesia toleratur, est sibi obediendum, & quia tandiù habet Potestatem & Jurisdictionem præcipiendi, ligandi, solvendi, & B per consequens nec est sibi resistendum, quia *Qui Potestati resistit, ordinationi resistit* Rom. XIII. 2. Nec videtur quin sit appellandus Papa, cùm verè correspondet, & signum sicut signatum. Et per consequens, quis poterit eum ligare aut incarcerare, aut mergere in mari, nisi prius data Sententia, & per consequens deposito ipso primò?

Sic igitur patet qualiter ex intentione tenet istam Propositionem.

Hæc impugnatio quam facit reprobationis factæ in errorem Wicleff, contra Assertionem, continet veritatem, cùm dicit quòd reprobatio cadit manifestè in errorem Wicleff & Huss, ponentium quòd *Nullus est Prælatus, nullus est Sacerdos, nullus Dominus, dùm est in peccato mortali.* Clarum est quòd hæc consequentia est nulla, cum dicitur quòd *Nullus est Papa, dùm est hæreticus; ergo nullus est Sacerdos, vel Prælatus, vel Dominus, cum est in peccato mortali*; quia ista consequentia deficit in duobus. Arguitur enim ab inferius negativè, ad superius à duabus partibus, & à parte subjecti, quia non sequitur: *Nullus est Papa dum est hæreticus. Ergo nullus est Sacerdos, Prælatus vel Dominus, dùm est hæreticus.* Clarum est quòd ista consequentia non valet; tum quia staret quòd esset Papa & non Sacerdos: tum quia dato quòd quilibet Papa esset Sacerdos; tamen adhuc staret quòd desineret adhuc esse Papa, & tamen non desineret esse Sacerdos, quia in Sacerdotio imprimitur character, non autem in Papatu.

Secundò, non valet consequentia à parte peccati, quia non sequitur. *Destituitur ab Officio propter hæresim, ergo propter quodlibet peccatum.* Sicut non sequitur: *Nullus est in tali Officio propter hæresim; ergo nec propter aliquod peccatum.*

Quantùm ad quintam & sextam, quæ sunt.

Nec Summus Pontifex, nec aliquis alius debet conari ut Canones positivi, vel alia traditiones Canonica ubicunque per totam Ecclesiam observentur. Alia: *Papa dedit occasionem Græcis per hoc, ab Ecclesia discedendi.*

Dicit quòd hæ duæ Assertiones deficiunt in forma, & calumniosè reprobantur, sicut patet in textu, qui Catholicus & moralis est. Quòd autem istæ non deficiant in forma, patet de prima, cùm

* *fortè* Non; *locus corruptus.*

Locus corruptus; fortè exigi

cùm sic ait, octava Consideratione Tractatus incipientis: *Auferibilis.*

Dicamus, ex incidenti, contra, quòd nec Summus Pontifex, nec alius debet conari ut Canones positivi, vel aliæ traditiones humanæ observentur ubique per totam Ecclesiam, & per omnes invariabiliter Nationes.

Hæc est Propositio prima, in qua additur, solùm, *& per omnes invariabiliter Nationes.* Quod sequitur ex illo *totam Ecclesiam*, ita quod est convertibile. Non enim verior Ecclesia nunc, quàm in die Pentecostes, de quo, Actorum xi. 5. *Erant autem habitantes in Jerusalem viri religiosi, viri Judæi, ex omni Natione quæ sub cœlo est.* Sequitur ergo: *non debet conari ut observentur per totam Ecclesiam.* Ergo non debet conari quòd *observentur invariabiliter per omnes Nationes.*

Detur oppositum, quòd *Per omnes nationes.* Ergo *Per totam Ecclesiam.*

In secundo verò nihil additur, nisi fortè quòd non affert errorem in materia Fidei, si sit adverbium dubitandi, cùm *Dubius in Fide infidelis est.* extr. de reg. Juris. Si verò sit adverbium eventûs tunc & sine dubitatione, sicut sequens Propositio declarat immediatè, ubi sine *forte* dicitur.

Dat propterea cottidie materiam litium & scrupulorum gravium, dùm æquali tenore quæritur observari Lex humana, sicut canonica, vel civilis: quemadmodùm custodire divinam absque ulla variatione necesse est. Venit inde illa Christi consequentia. Matth. xv. 6. *Irritum fecistis Mandatum Dei propter Traditiones hominum.* Ubi manifestè includitur unus error, quòd Christi conquestio venit de hoc, quòd Leges positivæ mandabantur per totam Ecclesiam observari; quòd est manifestè falsum, & contra Evangelium, sed propter irrationabilitatem Legum per Pharisæos impositarum. Unde dicebat Christus: ℣. 3. *Deus dixit. Honora Patrem tuum & Matrem* &c. *Qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur. Vos autem dicitis, quicunque dixerit Patri, vel Matri, munus quodcunque est ex me cui proderit. & non honoraverit Patrem suum, & Matrem suam* &c. Ubi Glosa Ordinaria; *Impietatem sub nomine pietatis inducunt*, docet quòd . . . . *Domini, qui bonus est Pater obsequiis parentum præfatur* & pro . . . . suis. Unde Patres, ne sacrilegii crimen incurrant, Deo conse. . . . devitant & egestate conficiuntur.

Et Glosa interlinearis: *Deus dicit, imbecillitati consulens, honora Patrem* &c. *dando necessaria*, & *Qui maledixerit Patri, vel Matri, debitis obsequiis parentes indignos judicaverit, morte moriatur æterna. Vos* &c. *vestra autem Traditio contraria est, hac scilicet, ... Parentibus compellatis*, ℣. 5. *Quicunque dixerit* &c. *Patri, vel Matri: munus quodcunque est*, &c. *quod Deo oblaturus eram, in tuos consume cibos, tibique prodest*, ô Pater; **ut timeant consecrata comedère, non pro Deo, offero tibi, ipsi prodest quasi non, imò sacrilegus esses, si acciperes, quia Dominus Deo donavit, nihil tibi proderit si dies dedero.*

Ita, *Fecistis irritum Mandatum Dei*, sustentandis parentibus, *propter Traditionem vestram*, quæ vestræ servit avaritiæ. ℣. 7. *Hypocritæ benè prophetavit de vobis Isaias. Prævidit Isaias in Spiritu superbiam Judæorum, quòd in dolo repugnarent Evangelio.*

Sic igitur oportet quòd Christi conquestio provenit de hoc quia Mandata illorum contrariabantur Mandatis Dei, vel Evangelio. Non ergo ex hoc quòd conabantur rationabiles Leges per totam Ecclesiam observari. Sic ergo apparet quòd nihil mutatur in forma Propositionis quod ipsam reddet benè sonantem.

Dicit ulteriùs quod calumniosè reprobatur.

Erat autem reprobatio prima quòd *Eæ Assertiones improbabant conatum Summorum Pontificum.* Quod patet, cùm dicit quòd *Nec Papa, nec aliquis alius, debet conari.* Ergo si conetur, vel conatus est, indebitè facit, vel fecit. Idem de Conciliis Generalibus.

* Aliquid videtur deesse in isto passu.

Secunda improbatio, quòd *Inducit ad non obediendum Prælatis & Dominis:* quia si Prælatus non debet præcipere, ergo Præceptum est indebitum; & per consequens subditi non tenentur obedire.

A Tertia improbatio erat, quòd *Prohibebat ne fieret statutum aliquod Ecclesiæ super facto Fidei, vel alius, obligans universaliter Ecclesiam sanctam Dei.* Patet, cùm Traditio aliqua positiva possit fieri super facto Fidei.

Ex istis etiam sequitur quòd Græci non malè fecerunt discedendo à Latinis; & quòd discessio eorum debet Romano Pontifici imputari; & quòd Papa nihil debet præcipere, nisi sciat quòd acceptabitur per illum, aut per illos quibus præcipiet; quia daretur eis occasio discedendi. Et ideo istæ Propositiones ambæ videntur sapere hæresim manifestam retractativam ab obedientia Summi Pontificis, & etiam quorumcunque temporalium Dominorum.

Præterea non respondet ad argumenta quomodò Græci, occasione accepta, non data, discesserunt.

B Item, quomodò dicitur quòd in textu apparet sensus qui est Catholicus & moralis, & illum malè fuisse reprobatum. Et hic apparet pertinacia, viso textu.

Et nota quòd dictio negativa præcedit li *Canones positivi & aliæ Traditiones.* Et per consequens confundit confusè, & distributivè pro quibuslibet. Et per consequens, Papa non debet conari ad faciendum ubique observari Statutum, de non injiciendo manus in Clericos, violenter: Et sic de omnibus aliis Canonibus positivis.

Quantùm ad septimam, octavam, nonam, decimam, quæ sunt septima talis. *Non est auferibilis sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia sponsa sua & filiis ejus, sic quòd remaneat Ecclesia in sola muliere, imò nec in solis mulieribus, imò nec in laicis solis, lege stante, non facta divinitùs nova institutione.*

Octava talis.

C *Auferibilis non est ab Ecclesia militante sponsus suus Christus homo, quin semper influat in eandem Ecclesiam sponsam suam per membra varia gradus Hierarchicos Officiorum & administrationum & dignitatum & statuum ab ipso constitutorum, dùm Ecclesiam fundavit primitùs & ædificavit.*

Nona talis.

Ablatio unius membri ab Ecclesia, corpori ejus deformitatem, & grandem imperfectionem inducit.

Decima talis.

Non existente Papa certo & unico, Ecclesia non gaudet suorum integritate membrorum, & præsertim membri principalis.

Dicit quòd eæ quatuor Assertiones sunt veræ & Catholicæ, sicut ponuntur in textu, & calumniosè, falsèque reprobantur in favorem quorundam Articulorum Huss, circa finem, quòd Ecclesia

D benè regeretur sine Papa.

Primò, ostendetur quòd benè arguebantur Assertiones & reprobabantur.

Secundò, ostendetur quòd reprobatio non favet errori Huss.

Primò, inquam, quantùm ad primam Assertionem, quòd Ecclesia non possit esse in sola muliere, vel in solis laicis, lege stante, quin possit fieri quòd omnes Ecclesiastici, præter unam solam mulierem, Apostatarent à Fide, vel si omnes morerentur, dempta una sola muliere, pro tunc non moriente, sed supervivente, quod forsan erit in fine

fine seculi. Et nota quod *non*, præcedit *auferibilis*, & per consequens negat potentiam auferendi; nec respondetur ad rationem de Virgine.

Secunda improbatur; quia negabat Omnipotentiam Dei, quæ potest auferre sponsum à sponsa, ne influat per membra varia gradus hierarchicos Officiorum & Administrationum, Dignitatum & Statuum &c.

Istud Argumentum est contra primam, nec respondetur, sicut nec ad adducta contra primam. Prætereà necessitat divinam causalitatem ad extra: quod est error gentilium Philosophorum.

A Tertiò, improbatur illa ablatio unius membri &c. de Ecclesia, à qua auferuntur multa membra cottidie; quorum tamen ablatio non inducit deformitatem: ipsa enim tunc non esset illa sponsa Christi, non habens maculam neque rugam.

Quartò, improbatur illa, non existente Papa veridico. Ad quod insolubiliter arguebatur: quia tunc in toto tempore schismatis, Ecclesia non fuit gavisa suorum integritate membrorum, & præsertim membri principalis; & per consequens, cum ante scisma gauderet, post ablatum est istud membrum. Et sic deformitas est inducta: imò, ex hoc sequitur quòd Ecclesia non fuit integra.

Quòd autem reprobationes istæ non sint in favorem Articulorum Huss, patet. Huss enim vult ostendere quòd Papa non sit necessarius, imò superfluus & nocivus regimini Ecclesiæ: quod est hæreticum. Sed ex hoc non sequitur quin Ecclesia possit esse in sola muliere, & in solis laïcis, lege stante, & quin possit esse sine gradibus hierarchicis. Nec sequitur quòd sit deformis ex ablatione unius membri. Non enim oritur talis deformitas in corpore mystico, sicut in corpore naturali: si essent multa capita etiam subordinata, esset monstrum, non sic in corpore mystico. Etiam plures oculi quàm duo, plures manus quàm duæ, ostenderent deformitatem in corpore naturali; non sic in corpore mystico.

Dicitur etiam quòd, casu posito quòd Ecclesia remaneret in solis laïcis, vel in sola muliere non sequeretur quin Ecclesia benè regeretur. Ecclesia enim benè facit rea * in Virgine, & etiam Deus benè regeret Ecclesiam sine Papa, si vellet. Et etiam benè regitur Sede vacante nunc, per sacrum Concilium. Sed non sequitur quin æquè benè vel meliùs regatur, Papa existente, & per Papam. Nec sequitur quin Papa sit necessarius, necessitate conferente, non necessitate simpliciter, quin Ecclesia posset benè regi sine ipso. Sed nec ex hoc sequitur quòd sit superfluus vel necessarius, sicut hæreticus intendebat.

Quantùm ad undecimam & duodecimam, quæ tales sunt.

Non est pax habenda cum dogmatizatoribus hæresum, quando vel sunt pertinaces notoriè, vel etiam de pertinacia suspecti vehementer, quousque purgati sint, Fidem quam credere tenentur ad justitiam ore confitendo ad salutem.

Alia.

Non habita pace cum Deo, nec pax consequenter habebitur cum proximo.

Dicit quòd eæ duæ Assertiones sunt veræ in forma textus, quia non contrahitur ibi, ut impugnator imponit, ad nudam pacem civilem, qualis inter latrones, & quodammodò inter dæmones reperitur.

Ut autem videatur mens sua, de qua pace loquitur, videatur textus suus, qui talis est. Postquam dicit quòd *Leges canonicæ & civiles pœnas excommunicationis & extremi supplicii promulgant contra dogmatizatores hæresum*: subjungit:

Non autem est pax habenda cum talibus, quando vel sunt pertinaces notoriè, vel etiam de pertinacia suspecti vehementer, quousque purgati sunt, Fidem quam credere tenentur ad justitiam, ore confitendo ad salutem.

Constat prætereà quòd *Sine Fide impossibile est placere Deo*, Heb. XI. 6. & cum eo pacem habere, quia *quis resistit Deo & pacem habet?* Job. IX. 4. Non habita autem pace cum Deo, nec pax consequenter habetur cum proximo, impediente superbia intellectum, quæ dicente Sapiente Prov. XXVIII. 25. jurgia suscitat. Nec pax habetur cum se ipso. Quoniam *Cor impii sicut mare fervens.* Isaiæ LVII. 20. quod quiescere non potest. Qualis autem impietas deterior quàm infidelitas invenitur?

Quocircà Mater Universitas, dùm dedit in Mandatis ut proponens loqueretur de pace, conjunxit, ut de veritate & justitia ratio specialiter haberetur. Sunt enim sorores istæ connexæ, quemadmodùm etiam virtutes Cardinales, prout à Propheta notatum est, dùm ait: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi &c.* Ps. LXXXIV. 11. Hinc est quòd eribochristæ seditiosè nocentes, aliàs de pace fieri sermonem, sub interminatione mortis, prohibebatur; consequenter, ut de misericordia, nec de veritate, aut justitia, quisque Prædicans, aut Proponens loqueretur.

B Rursùs, oportet quòd si Tractatus aliqui compositi sint, aut componendi, non est permittendum quòd aliquid erroneum contra Fidem contineatur in quocunque Articulorum: alioquin Tractatus esset invalidus & tanquam repellendus; exemplò vulneris malè sanati, in quo ferrum vel spina remansit: ut enim denuò recrudescat & aperiatur, cum dolore grandi necesse est: alioquin contagione sua corrumpit totum corpus.

Hoc valet ad tollendum Tractatum Carnotensem, primum scilicet Articulum, quia favet hæresibus, & eas sapit, dùm asseritur quòd mors Ducis Aurelianensis facta est pro bono Regis & Regni, ubi manifestè apparet quòd loquitur de pace civili & ad illam contrahitur sermo, ut apparet ex modo loquendi ibidem, cùm loquitur de Tractatibus pacis factis, & fiendis, & de Tractatu Carnotensi, qui, clarum est quòd fuit Tractatus de pace civili; quem, quantùm ad primum Articulum, dicit sapere hæresim, & per consequens illam pacem infringendam; & illum Tractatum invalidum, ita quòd pacem civilem intendit impedire, & debere infringi, & bellum agi, ex eo quia non habetur pax cum Deo.

Et tunc restant argumenta de practicatis in hoc sacro Concilio cum Gregorio, & nunc existente in practica cum Petro de Luna.

Item, aut loquitur de pace pectoris, aut temporis. Non pectoris, quia quilibet, quantumcunque etiam Fidei inimicus, quamdiù est in via, est diligendus ex caritate, & pax pectoris est cum illo habenda. Ergo loquitur de pace temporis, quæ communis est bonis & malis, & quæ inter malos, etiam latrones, potest esse bona, dummodò sit ad malum, sicut inter dæmones est mala, quia ad malum. In qua pace est necessarium quòd nihil admisceatur in præjudicium Fidei, ut scilicet adhæreatur: sed non est simpliciter necessarium ad talem pacem, facere purgationem, quæ meliùs forsan posset haberi, casu, post, vel etiam sine tali dispositione, ex multis aliis certis causis: ut si esset aliquis tyrannus potentissimus hæreticus, cui tota Christianitas resistere non posset, & nisi fieret pax, totam Christianitatem exterminaret, qui tamen nunquam esset dispositus ad confessionem Fidei; imò ad impugnationem majorem: clarum est quòd pax esset fienda cum eo.

Et

* Locus corruptus: fortè, fuit recta.

Et ita fuit tempore Justini cum Theodorico hæretico Rege, per Johannem Papam & Martyrem, & Boetium, & Severinum, facientes pacem cum Theodorico hæretico Arriano, etiam reddentes Ecclesias Catholicas Arrianis. Aliàs tota illa erat in periculo gladii.

Quantùm ad decimam tertiam, quâ dicitur quòd asserere mortem alicujus Principis esse factam bono Regis & Regni, sapit hæresim, dicit sic:

A

Hæc Assertio vera est, & reprobans monstrat se ignorare quid est sapere hæresim, & facit consequentiam impossibilem, dum ait: hæc Propositio est contingens, ergo non sapit hæresim.

In hac Assertione assertor est mirabiliter benè deceptus, quia aliud est dicere mortem alicujus Principis esse factam pro bono Regis & Regni, & quòd benè fuerit facta; vel quòd bonum quod intendebatur inde evenerit.

Primo modo loquendi, hoc dependet à voluntate & corde humano, quod est inscrutabile, nec aliquis habet judicare præter Deum, & quibus revelavit, & propter illum qui fecit, & qua intentione hoc fecerit, & quid intendebat, si intendebat bonum Regis & Regni. Imò, nisi de intentione oppositum constaret, potiùs est æstimandum de bona intentione, quàm de mala; quia in dubiis semper interpretandum est ad meliorem partem; ita quòd asserere hanc mortem esse factam pro bono Regis & Regni, est cuilibet, nisi Deo & facienti, & quibus est revelatum, dubium. Et potiùs debet quilibet æstimare illam fuisse factam pro bono. Et per consequens hoc est asserere aliquod quod est dubium esse hæreticum; quod est temerarium & forsan sapiens hæresim, quod relinquo Judicio Fidei. Et ideò meritò illa fuit denuntiata, & improbatio fuit bona, nec fecit illam consequentiam: *Hæc Propositio est contingens, ergo non sapit hæresim.* Unde hæc consequentia fuit ita facta. *Est enim contingens ad utrumlibet, ergo non sapit hæresim.* Iste assertor non fuit in ista responsione deceptus per amphiboliam: ipse enim intellexit quòd ly *contingens* construeretur cum Propositione. Et non est verum. Sed mors illa fuit contingens ad utrumlibet, dependens à voluntate humana, utrùm fieret bona intentione vel mala: ergo asserere mortem &c. non sapit hæresim.

B

C

Ad quartam decimam, & quintam decimam, quibus dicebatur.

Ab hoc Præcepto Non occides, *non excipitur tyrannus qui in Republica non Jure principatur, aut principari conatur.*

Alia.

Protestatio conditionalis in materia quæ asseritur Fidei, non per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium approbata, non purgat, sed inquinat.

Respondet quòd prima Conclusio vera est, & opposita hæretica, damnata per hoc sacrum Generale Concilium in illa, *Quilibet tyrannus &c.* Et impugnans se fallit turpiter, dùm arguit inde quòd tyrannus non esset occidendus juxta illud, *Maleficos non patieris &c.* Occidendus certè est quandoque, sed publica authoritate, non seditiosa præsumptione.

D

Hæc Assertio patet quòd non est vera, quia secundùm assertorem sunt occidendi quandoque tyranni. Ergo non excipiuntur simpliciter, sed tantùm sub intellectis, scilicet *publica authoritate*; nec opposita est damnata: licet enim hæc sit damnata *Quilibet tyrannus est occidendus à quolibet subdito.* Non tamen ista.

Tyrannus est occidendus, qui potest occidi benè, & à non subdito suo.

Nec impugnans se fallit arguendo; quoniam assertor fundat se contra Assertiones quæ dicunt quòd Lege naturali, morali, & divina talis tyrannus occiditur, qualis est in casu. Ex hoc arguit quòd excipitur ab illo Præcepto *Non occides.* Ergo intelligit quòd etiam fiat publica authoritate Legum illarum, non excipitur. Quod est error & contradictio.

Ad quintam decimam, de protestatione &c. Respondet quòd ista Assertio non est in textu, sed alia quæ vera est, sobria & Catholica; sicut patet in hæreticorum protestatione Generali, quæ non salvat eos, sed inquinat, dùm pertinaciter verbis aut factis particularem defendunt errorem.

Primò, probatur quòd ista sit in textu, vel illa quæ infert istam formaliter. Dicit namque sic, in Tractatu qui incipit, *Postquam Jocunda* &c. Consideratione secunda, contra Dominum Ducem Burgundiæ. „ Denique Judicibus Fidei, & „ Magistris qui dederunt consilium, ipse Dux „ publicam infert contumeliam, vocando eos „ complices, qui terminus in malo semper sonat, „ dicendo quòd contra rationem & Jus egerunt, „ sicut verisimiliter ostendetur, protestationem „ suam faciendo, quæ conditionalis est, quæ tamen non purgat, sed inquinat, nec aufert à „ cordibus populorum errores, sed dissimulando & „ captiosè loquendo. „

Tunc arguitur.

Protestatio conditionalis in materia novem Assertionum quæ asseritur Fidei, & quæ nondùm est per Sedem Apostolicam, vel Concilium Generale discussa, non purgat, sed inquinat: ergo protestatio conditionalis quæ asseritur in materia Fidei, nondùm per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium discussa non purgat, sed inquinat. Consequentia nota, ab inferiori non distributo, sicut loquitur: Hic homo non currit: ergo homo non currit. Et sic apparet quod ipsa est in textu: vel illa quæ istam formaliter infert, nec illa quæ est in textu est sobria & Catholica, sed erronea, & nimis opprobriosa, neque infertur ex ista quam hic dicit, de protestatione hæreticorum. Dato enim quòd ista protestatio esset hæretici, quòd tamen est falsum, non sequeretur protestationes hæreticorum &c. non purgant: ergo hæc non purgat. Arguit enim à superiori ad inferius, sine distributione. Quantò minùs sequitur, cùm ista protestatio sit Catholici, & Catholica.

Quòd si velit dicere quòd ibi ly *protestatione* stat confusè & distributivè, quia indefinita in Jure &c. Clarum est quòd, cum protestatio ista sit Catholica & Catholici, quòd non concludit. Et prætereà exemplum quod hic ponit non est ad propositum. Sed enim protestatio Generalis in materia Fidei, causâ per Ecclesiam discussâ, non purget. Sed oportet descendere ad Minorem, cùm materia nondùm per Ecclesiam discussa, & opinabit usque ad discussionem. Sola submissio in isto sufficit, & purgat ab inquinamento hæreticæ pravitatis, seu potiùs præservat; sicut patet de Abbate Joachim. *extr. de sum. Trin. & Fi. Cathol. Damnamus.* Prætereà non sequitur generalis; generalis protestatio non purgat, ergo inquinat, quia pertinacia & defensio errorum, sive ipsi errores defensi, sordidant & inquinant, & non protestatio generalis, quæ de se non habet rationem maculæ sive sordis.

Ad sextam decimam, quæ talis est.

Si Papa, aut Domini Cardinales deprehenderentur notoriè favere Propositioni Magistri Johannis Parvi, nondùm per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium damnata, ista esset vehementior & apertior causa de-

depositionis eorum, quàm fuerit in altero contendentium nunc secum de Papatu; vel suorum Anticardinalium, & essent omnes haeretici.

Respondet sic quòd *Haec Assertio non est in textu, sed alia quae vera est. Et utinam non verificata de quibusdam faventibus pestiferae huic doctrinae per Scripturam sacram, & ita per Ecclesiam sufficienter, imò evidenter reprobatae.*

Ista autem responsio non satisfacit. Primò, quia vel ista Assertio est in textu, vel illa ex qua ista formaliter infertur. Ponitur enim sic in tertia Consideratione Tractatûs Praecepti, qui incipit: *Postquàm jocunda* &c.

Additum est in relatione, pro correlario, quòd *Si Papa, quod absit, deprehenderetur notoriè favere praedictae justificationi, aut Domini Cardinales, ista esset vehementior causa depositionis &c.* Sed Propositio quaedam Johannis Parvi, quae dicitur *Justificatio Ducis Burgundiae*, nondùm est per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium condemnata. Ergo si Papa, aut Domini Cardinales deprehenderentur notoriè favere Propositioni Magistri Johannis Parvi, nondùm per Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium condemnetae, ista esset vehementior &c. Ita quòd ista sequitur syllogismum expositionem * ex illa quae posita est in textu, quam dicit esse veram, & utinam non verificatam in aliquibus, sic quòd ibi dubitat illam esse verificatam, & per consequens dubitat de aliquibus Dominis Cardinalibus, aut de Papa, aut aliquo Cardinali, faventibus huic doctrinae. Quod quàm sit injuriosum Collegio sacro, videant Domini Cardinales: quam doctrinam dicit esse pestiferam, per Scripturam sacram, & ita per Ecclesiam sufficienter & evidenter condemnatam: quod utique ostendere non posset de Scriptura sacra, quae nunquam fecit processum contra dictam Propositionem; nec sententia aliqua potest inveniri in sacra Scriptura, damnans ipsam, nec aliquid quod sequatur ex sacra Scriptura, sed nec Ecclesia. Cum enim dicitur Ecclesia, sic, vel intelligitur Universalis, & constat quòd illa non condemnavit.

Quòd si dicat assertor quòd Episcopus Parisiensis hoc fecit, ergo Ecclesia; negatur consequentia, si intelligatur de Universali Ecclesia. Et praetereà Episcopus Parisius iniquè processit & nulliter, ut manifestè patet Theologis & Juristis, considerando Judicem, Concilium & processum. Et per consequens patet quòd nec Scriptura sacra, nec Ecclesia damnaverunt sufficienter & evidenter.

Ad decimam septimam, in qua dicebatur: *Rationabile fuit Edictum quod edicebatur, quòd nullus mitteretur ad Concilium Generale, qui esset notatus, vel suspectus favere aliquibus erroribus per aliquos aestimatis.*

Respondet quòd haec Assertio deficit in forma, & fit verbum de mittendis ad Concilium per Univesitatem Parisiensem, & non de quibuslibet mittendis ad Concilium, sicut patet ex Litteris, & juramentis valdè licitis atque Catholicis. Ut autem videatur forma Assertionis, narretur quòd habetur in Tractatu, *Postquàm jocunda*, ubi supra.

Ampliùs. Ex iis apparet rationabilitas Edicti Regis, quo vult ut nullus mittatur ad Concilium Generale, qui sit notatus, vel suspectus favere praedictis erroribus. Quod si quis diceret, volo ire ad Concilium, volo libertatem habere dicendi quae sentio. Esto, dùm talia dixeris quae non sunt expressè determinata per Ecclesiam esse contra Fidem & bonos mores, quemadmodùm est in praemissis. Ex qua formaliter sequitur: Cùm praedicti quos vocant errores, sint aestimati per assertorem, & complices suos; ergo rationabile fuit Edictum quo edicebatur &c. Consequentia ista est nota per syllogismum expositum.

Et cùm dicit ultra quòd sit verbum de mittendis per Universitatem; apparet primò quòd non, quia Rex edicebat, vel nolebat quòd aliquis simpliciter mitteretur, ut dicit textus.

Item, quia non est verisimile quòd Rex hoc vellet, de mittendis per Universitatem, quin etiam id vellet de mittendis per ipsum, & per alios Dominos, & per Regnum suum.

A Item, apparet manifestè ex modo loquendi assertoris; cùm ait quòd si quis opposuerit, dicens, ita hîc loquitur universaliter. Si quis, id est, si aliquis opposuerit dicens: volo ire; respondet esto, dùm talia dixeris quae non sint contra Fidem, ita quòd nullus deberet ire qui non sustineret istam Fidem. Et per consequens, si aliquis in hoc erraret, non deberet ire, cum tamen deberet compelli, ut dicebatur in reprobatione assertoris. Nec patet ex juramentis, de licitis, & Catholicis. Quae juramenta, si fuerint de sustinendo Sententiam Episcopi Parisiensis, non videntur illicita, in hac materia: imò hoc videretur favere monoplium in Judicium Fidei, cui non intendit se submittere, nisi decerneret secundùm intentionem ipsorum, ut videtur ex juramento.

Ad decimam octavam, quae talis est.

B *Possibile est Judices, & Concilium Fidei Episcopi Parisiensis nec falli posse, nec fallere velle, in materia Fidei nondùm per Ecclesiam declarata & determinata. Ejus neutra pars nondum expressè extitit per Ecclesiam approbata, seu reprobata.*

Respondet sic. *Haec Assertio videtur improbari protervè, quia non accipitur illic, nec in locutione communi, posse logicale; nec est verum quòd materia de qua illic fit mentio, non sit per sacram Scripturam sufficienter & expressè determinata, in quam credendo nullus erat, sicut circa decimam septimam dicebatur.*

Sed haec Assertio videtur sufficienter improbata; quia aut loquitur de posse logico, aut naturali, aut juridico. Non naturali, quia naturaliter pro statu naturae lapsae, possibile est quemlibet viatorem non confirmatum in gratia, posse falli & fallere velle. Ergo de Juridico. Quod dupliciter C intelligitur: ita quòd si fallerentur aut fallerent, hoc non esset Juridicum. Et hoc verum est: sed & hoc de quolibet est dicendum; imò impossibile est aliquem posse fallere, vel falli isto modo.

Alio modo, ut non possit falli, nec fallere in Jure; quod est falsum, cùm & Ecclesia saepè fallatur, ut *extr. de Sent. excommunicationis*; Et Judices saepè falluntur per testes, vel ex ignorantia Juris, vel malitia sequente, cujusmodi est in proposito. Nec est verum quòd ista materia sit sufficienter per sacram Scripturam, & expressè determinata, sicut fuit responsum in reprobando responsionem ad impugnationem decimae sextae Propositionis.

Ad decimam nonam, qua dicebatur.

D *Sententia Episcopi particularis lata in materia Fidei praetensa per aliquos nondùm per Ecclesiam explicitè declarata, est Catholica.*

Respondet adversarius quòd haec Assertio non habetur in forma illa, sed in alia quae vera est, & ab omnibus Ordinariis & Universitatibus generalibus defendenda, & sequitur ex approbatis in hoc sacro Generali Concilio. Ex quo sequitur quòd haec Assertio est vera in alia forma. Ergo haec Assertio est vera in forma, cùm alia forma sit forma. Sed ostendo quòd habeatur in forma, vel quòd haec sequitur ex illa quam dicit in forma. Dicit enim sic, in quadam cedula tradita hoc Anno, in hospitio Domini Cardinalis Camaracensis quae incipit, *Condemnatio* &c. *Condemnatio Episcopi Parisien-*

* *Hic aliquid deest; fortè* expositum.

siensis, lata contra Magistrum Johannem Parvi, est catholicè lata. Et hanc eandem asseruit in Refectorio Fratrum Minorum, coram omnibus Nationibus congregatis ibidem. Ergo Sententia, seu condemnatio Episcopi particularis, lata in materia Fidei prætensa, per aliquos nondùm per Ecclesiam explicitè declarata, est Catholica. Tenet consequentia, cùm condemnatio Episcopi Parisiensis, sit Sententia Episcopi particularis, & in materia quæ prætenditur Fidei, & illa Sententia prætenditur per assertorem Catholica, & canonicè lata, quæ nondum fuit per Ecclesiam explicitè declarata, ut ostensum est, & est notorium & manifestum, quia ad hoc laborant.

Et potest allegari contra eos illud Comici: *Quod actum est, ne agatur; unde si actum est, quomodò est agendum. Et si agendum, quomodò actum est*

Et cùm dicit quòd est ab omnibus Universitatibus generalibus defensanda, hoc videtur movere seditionem contra Ecclesiam Romanam, vel Concilium Generale, aut Ecclesiam Universalem, ut determinata per Universitates, vel potiùs per Episcopos particulares defendant tanquam Catholica. Et sic nulla causa Fidei ad Sedem Apostolicam devolvetur, vel Concilium Generale.

Nec est verum quòd sequatur ista Assertio ex approbatis in hoc Sacro Concilio Generali. Licèt enim approbaverit Sententiam Archiepiscopi Cantuariensis contra Wicleff, tanquam Legati nati Sedis Apostolicæ, & Archiepiscopi Pragensis, tanquam Commissarii Apostolicæ Sedis, & Universitatis Pragensis reprobationem Catholicam errorum Hufs: non tamen sequitur quòd Episcoporum particularium approbaverit Sententiam judicialem, tanquam Catholicam, sive universalem & universaliter obligantem. Quinimò sacrum Generale Concilium cotholicè reprobavit, & solùm potuit Catholica & Apostolica Sedes, seu Deputatus condemnare, vel Deputati per eam.

Ad vicesimam, cùm dicebatur.

Omnis Propositio habens plures sensus, quorum alter est falsus, est tanquam erronea condemnanda.

Respondet sic.

Hæc Assertio non invenitur posita, sed una alia quæ vera est, & per hoc sacrum Concilium prædicata. Hæc Assertio fuit per eum posita, ut potest probari per Instrumenta & per testes.

Ad vicesimam primam, quando dicitur quòd.

Aliquæ Assertiones sunt condemnandæ tanquam erroneæ in Fide & moribus, per Episcopum particularem, de quarum veritate est opinio varia inter Doctores solemnes, non vocatis ad Judicium assertoribus earum specialiter, ante dictarum Assertionum declarationem explicitam per Ecclesiam, aut Sedem Apostolicam.

Respondet sic.

Hæc Assertio non est in textu; sed una alia quæ vera est, & per hoc sacrum Concilium practicata.

Sed si benè conspiciatur, hæc est sua in forma; quoniam hæc Assertio in forma sequitur ex dictis assertoris; quoniam Assertiones novem impositæ Parvi, sunt condemnandæ per eum tanquam erroneæ in Fide & moribus, per Episcopum Parisiensem; de quarum veritate est opinio varia inter Doctores solemnes; nec fuerunt vocati assertores earum specialiter ante dictarum Assertionum declarationem explicitam per Ecclesiam, aut Sedem Apostolicam.

Et cùm dixit quòd est alia quæ est vera, quæ per hoc sacrum Concilium est practicata, hoc est falsum & repugnans.

Aut enim intelligit de Episcopo particulari Parisiensi, aut de Archiepiscopo Cantuariensi, aut Pragensi. Non primum, quia Generale Concilium non practicavit adhuc aliquid condemnatum per Episcopum Parisiensem quod condemnavit: nec de Archiepiscopo Cantuariensi, quia, ut dictum est, istos errores Johannis Wicleff, auctoritate Apostolica condemnavit; & etiam quia sacrum Concilium in practicando condemnationem errorum Wicleff, ipsum citavit, vel quemcunque alium volentem defendere ejus errores & memoriam.

Idem patet de Hufs, quia Hufs fuit vocatus per Concilium sacrum, & sæpiùs fuit sibi data copia respondendi, prout est manifestum. Sed dicitur quòd fuit practicatum in hoc sacro Concilio,
A quòd errores de Communione sub utraque specie fuerunt damnati, & tamen non fuerunt vocati assertores. Sed clarum est quòd talis condemnatio non est facta per aliquem Episcopum particularem.

Item, secùs est, ubi est notus assertor, & ubi non est reus nisi in generali.

Ad vicesimam secundam, quâ dicitur.

Si Angelus Dei descenderet de cœlo & nuntiaret assertori istarum Assertionum oppositum suæ opinionis, non crederet sibi, imò quod plùs est, neque Deo.

Respondet sic.

Hæc Assertio calumniosè ponitur, tàm in forma quàm in impugnatione, quia textus non ponit hoc complexum oppositum opinionis, sed loquitur de opposito firmæ Fidei Catholicæ. Et sic loquendo non incurritur Luciferiana superbia, sed humilitas Catholica: alioquin Apostolus
B *fuit Luciferianus*, ad Galatas, secundo. *Et in reprobatione applicatur malè hæc Scriptura*: non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1. 37.

Licèt hæc Assertio non ponatur in textu in forma; tamen oppositum novem Assertionum, quod dicitur firma Fides apud eum, si sibi assentiret, deberet esse conforme regulæ sacri Concilii, quod nunquam declaratur, & in cujus Judicio ipsarum Fides, vel non Fides pendet, & per consequens opinio. Sed sive dicatur oppositum opinionis, sive Fidei, sive in iis quæ respiciunt Dei actionem ad ex^a. r^a. * ...... contingentem; videtur blasphemia: imò videtur quòd tàm iste assentiat opposito novem Assertionum, quàm huic Articulo: *Resurrectio erit: vel dies Judicii.*

C Patet, quia si Deus ordinaret quòd dies Judicii nunquam erit, vel Resurrectio generalis, & revelaret isti assertori istam, *Resurrectio non erit*, tenetur sibi credere, & crederet, non dubito, & non crederet opposito novem Assertionum, hoc est fortiùs adhærere opposito Assertionum, quàm Articulo de Resurrectione, quod est absurdum, & præsertim cùm Deus posset Legem datam respicientem proximum mutare. Et dato quòd oppositum istarum Assertionum esset contra Legem istam, posset Legem illam in oppositum mutare; & sic illam revelare, & teneretur sibi quisque credere. Ideò est blasphemum.

Quapropter benè inducebatur illa Scriptura ad propositum · *non erit impossibile apud Deum omne verbum*, &c. Et sic restat Luciferiana super-
D bia &c. Talem superbiam incurrit Paulus *ad Galatas, secundo*, qui nunquam dicit quòd non crederet Deo; sed si quis aliàs, etiam si Angelus descenderet de cœlo, eis evangelisaret, anathema esset. Quod si dicatur quòd ex quo esset anathema non deberet sibi credere? Verum est, nisi constaret sibi quòd ex parte Dei evangelizaret, cui tunc credere teneretur sicut & Deo.

Ad vicesimam tertiam, quâ dicitur.

Principia Fidei versantur circa principia Legis naturalis.

Respondet quòd

Hæc Assertio fallit in forma, quamvis benè concedatur de multis principiis Fidei, sicut sunt dictamina practica-

* f. exempla regularia. . . . . .

Et icata correspondentia jussionibus decem Preceptorum moralium, ut est ista: Proximus non est occidendus, propria auctoritate.

Hæc Assertio fuit data in forma, hoc Anno, in quadam cedula, vel in inferenti istam formaliter per assertorem, & complices suos. Quæ si vera est, pagani sunt fideles, cùm habeant principia illa.

Ad vicesimam quartam; quâ dicitur quòd

Si Johannes Huss, hæreticus declaratus & condemnatus per sacrum Concilium Generale, habuisset Advocatum, nunquam fuisset convictus.

Respodet sic.

Hæc Assertio videtur imponi & reprobari protervè, quia conformis est modo loquendi communi, quemadmodùm dicitur de aliquo pigritante, iste nunquam veniet, vel nunquam fecerit, licèt sciamus quandoque quòd veniet, vel fecerit infra horam.

Item, hæc locutio erat valdè possibilis, propter casus multos & sine culpa Concilii.

Sed hæc Assertio non imponitur, nisi veridicè, contra protervos & temerarios de sacro Concilio obloquentes: nec modus loquendi de Concilio debet esse conformis materiæ loquendi contra prigritantes, præsertim in materia Fidei.

Item, facit iste respondens consequentiam falsam & impossibilem, quia non sequitur: Hæc locutio erat possibilis; ergo vera, vel Catholica. Hæc enim est possibilis: Dies Judicii non erit: & tamen ipsa est hæretica. Vel ista, Resurrectio generalis non erit. Jam consequens hujus consequentiæ est injuriosum, imò etiam falsum implicans: quia quicunque casus evenissent, positâ prudentiâ sacri Concilii, istos potuisset extinguere, vel vitare, cum ratione ex sacris Scripturis sumpta.

Ad vicesimam quintam & ultimam, quæ ponitur sub duplici forma. Prima.

Ego mallem habere Judæos & pagn s pro Judicibus, in causis Fidei, quàm deputatos in eadem per Concilium Generale.

Secunda doctrina.

Doctor Christianus asserens publicè quòd mallet habere Judæos aut pagnos pro Judicibus in causa per Concilium Generale.

Respondet.

Utraque Propositio falsè imponitur & nimis crudè & generaliter & injuriosè, propter causas plurimas, quæ tempore suo, & loco poterunt explicari, & satis notoriè sunt quoad aliquos. Unde non est novum, vel hæreticum quòd in materiis Fidei moralibus Juris naturalis, quæ Communes sunt apud Pagano & Sarracenos.

Sed hæc Assertio creditur totaliter, quemadmodùm ipsa fuit per ipsum asserentem imposita, & ex tota testium præsentium totionis * Nationis Gallicanæ decreta, & generaliter sicut fuit proposita: non tamen fuit denuntiata in injuriam assertoris, sed ad correctionem ejusdem.

Utrùm autem ipse assertor illam posuerit in injuriam magis particularem, hoc noverit iste. Scio tamen quòd ipsa Propositio Judices Fidei diffamavit, & quòd redundat in injuriam non modicam Judicium Fidei sacri Concilii Generalis deputatis per eosdem.

Quæ autem sunt illæ causæ, cur istæ Propositiones secundæ falsæ & nimis crudæ & generaliter injuriosæ, quæ tempore & loco suo poterunt explicari, & satis notoriæ sunt, deberent explicari, ut illis contra quos militant causæ istæ scirentur, & ab aliis discernerentur qui in hoc sunt communes.

Et cùm dicit ulteriùs quòd *Non est novum, vel hæreticum quòd in materiis Fidei etiam de Trinitate* &c. Licèt hoc non sit novum vel hæreticum, in certo casu, & ad certum actum; non tamen esset talis eligibilior Cardinalibus vel Prælatis, vel Doctoribus sacræ Theologiæ per sacrum Concilium deputatis, quòd in materia Fidei dicitur errare non posse. Et istud videtur hæreticum, insanum & erroneum, & injuriosum, dicere quòd sint eligibiliores Judæi, vel pagani, talibus Judicibus, & tantis, & per tantum Concilium, & ad tantum negotium deputatis. Nec valet quod dicit quòd, *Si pars adversa repulit & repellit aliquos solemnes viros in sacra Scriptura & Juribus eruditissi-*
A *mos, tanquam suspectos in causa Fidei & morum, quorum unus fuerat per hoc sacrum Concilium deputatus solus inter Dominos Cardinales Theologus secularis, ubi sic fortè non repulisset quosdam Judæos & Sarracenos* &c. Quoniam si quis fuerit repulsus per partem quam dicit assertor adversam, hoc non nisi tanquam notatus evidenter de inimicitia quam iste assertor non potest nec potuit notare in Judicibus Fidei, aut alleget inimicitias. Possunt autem manifestè ostendi inimicitiæ illius qui fuit repulsus. Et iterum in materia Fidei non mallet pars adversa habere Judæos & Sarracenos.

Et cùm dicit quòd *Non est ita reprehensibile verbum sic volatiliter prolatum.* Verba non debent, in materia Fidei, & contra Judices, imò contra Concilium sic volatiliter emitti, præsertim per sacræ Paginæ professores. Sagittæ enim tales, ut illæ quæ mittebantur volatiles contra Jovem, in sagittantes, & ipsas vo-
B latiliter emittentes, fuerunt retrocedendo reflexit. *

Et cùm dicit ulteriùs quòd *Istæ Propositiones non generaverunt scandalum, & sunt vera in propriis formis; & si referantur ad intentionem ponentium & causas dicendi, sunt inde multùm clariores,* Propterea non est similiter de illis novem Assertionibus, quoniam generaverunt grande scandalum, & sunt in suis propriis formis palam erroneæ. Et si ad intentionem, & Fidem, & causas dicendi referantur, apparebunt multò patentiùs erroneæ, quàm positæ dicantur ad justificationem mortis unius Principis non diffidati, nec accusati, nec convicti apud Superiorem suum. Et ita de reliquis circumstantiis malis quæ ex Litteris Patentibus, & authenticis, in suo casu posuerit. Ac proindè rationes suæ, vel allegationes, nihil ad propositum concludunt, vel falsè concludunt in plurimis.

Ceterum, parati sumus hæc omnia latiùs decla-
C rare, & ostendere certis rationibus, quòd prædicta in suis replicationibus continet hæreses manifestas, prout aliqualiter notatum est.

Compescatur igitur hæc multiplex & hæreticalis calumnia, juxta prudentiam sacri Concilii, ut calumniosi discant modestiùs contra docentes vel scribentes elucidationem veritatis. † Qui in hoc manifestè & planè retunditur, cùm Propositiones istæ denuntiatæ scandalum malum generaverint in multis qui Libros illos viderunt & perlegerunt, ac multos audientes dictum Assertorem aliàs verbotenùs proponentem, non sunt veræ in propriis formis; imò videntur multis insignibus Doctoribus in Theologia erroneæ, malè sonantes, quamplures & nonnullæ sapere hæresim, etiam ad intentionem dicentis, & cum pertinacia defendentis, & ex causis assignatis dicendis.

D Istæ verò novem Assertiones nunquam scandalum generaverunt, nisi in quantum iste Assertor, cum complicibus suis, ipsas interpretatus est ad malum sensum, & quæ etiam per ipsum, vel suo, complices sunt confictæ, saltim non in forma nec in æquivalenti, cum veritatibus Magistri Johannis Parvi, & illas ad malum suum sensum traxit, & quantùm potuit sic publicavit. Nec ipsæ in forma sua sunt erroneæ, nec ad intentionem dicentis, nec ex causa dicendi: citra tamen de-

* Locus corruptus. fortè totius.

* fortè reflexæ † Locus corruptus.

terminationem sacri Concilii, omnia ista dicendo, prout etiam sufficienter fuit ostensum per Dominum Episcopum Attrebatensem, per rationes vivaces, & per solutiones claras & patentes datas ad argumenta adversariorum, quæ nullius sunt declarata momenti.

Positio autem Magistri Johannis Gerson, quam fecit in loco publicæ Sessionis, ostendetur multis erroribus hæresibusque permixta, ut ostendetur locis & temporibus opportunis. A

Et quia justum est & rationabile, judicialiter quòd dictæ novem Assertiones, (quibus tamen nullus est adhuc datus assertor, Magistrorum examini exponantur: ita requiro quatenùs Assertiones denuntiatæ, & post pertinaciter defensatæ, & aliqua publicatæ hìc coram sacro Concilio Generali, de quibus sunt multi scandalisati: supplicatur vestris Reverendissimis Paternitatibus & Dominationibus metuendissimis, ac etiam requiritur primò, secundò, tertiò, ac quartò de superabundanti, pro zelo Fidei & ad vitandum scandala, ne cordibus gentium remanerent, quatenùs tùm Assertiones quàm defensiones, sive palliationes Magistrorum in sacra Pagina, & Doctorum utriusque Juris tradentur examini, declarandæ an sint veræ, vel falsæ, vel erroneæ, vel malè sonantes, aut piarum aurium offensivæ, aut ipsarum nonnullæ, ut multi & graves æstimant, hæresim sapientes, ut veritas Fidei elucescat. B

Hæc protestatio fuit facta XXIV. *die Octobris, in Ecclesia Cathedrali Constantiensi, de mane.*

Cod. 2537. fol. 120. verso.

EGo Martinus, Episcopus Attrebatensis, humilis in sacra Theologia Magister, protestor primò, quòd in hoc Actu, nec in quocumque alio per me, Dei gratiâ, imposterum fiendo, sicut nec in præcedentibus dudùm per me factis quibuscumque, nunquam intendi, nec de præsenti intendo aliquid dicere, aut asserere; immò intendo non dicere, quod sit contra determinationem sacro sanctæ Matris Ecclesiæ, sacratissimorum Conciliorum Generalium, aut hujus sacro sancti Concilii Generalis Constantiensis, seu contra veritatem Fidei Catholicæ, seu sacræ Scripturæ, aut etiam contra bonos mores: vel quovis modo possit offendere pias aures. Quòd si oppositum contingeret, quod Deus avertat, vel ex ignorantia mea, quæ magna est; vel ex alia causa quacumque, ex nunc, pro ut ex tunc, omne tale dictum, aut assertum habeo pro non dicto, aut asserto, & illud ex nunc, prout ex tunc, reveco, casso, irrito & adnullo, & offerro me humiliter promptum & paratum, ad suscipiendam emendationem, & correctionem hujus sacri Concilii Generalis, & ad revocandum omne tale dictum, cassandum, irritandum, & adnullandum, ubi, quando, & qualiter dictaret illud per me debere fieri sæpè dictum hoc sacrum Concilium Generale; cujus diffinitionibus, & Decretis jam factis, & fiendis, & etiam conclusioni, & conclusionibus per ipsum eligendæ, vel eligendis, determinandæ, vel determinandis, super novem Assertionibus, de quibus materia hìc ventilatur, adhæreo firmiter, indubiè & inconcussè, & adhærere intendo, quamdiù vitam duxero in humanis. C D

Secundò, protestor quòd in præsenti Actu non gero Ambassiatam Principis, aut alterius personæ, sive Status cujuscumque, nec intendo gerere, nisi pro quantò fuerit opus, aut necesse: sed solùm vices gero quæstionem proponentis, de Mandato Reverendissimorum Patrum, & excellentissimorum Doctorum, in causis Fidei deputatorum per hoc sacrum Concilium Generale, qui XVI. die Octobris Mensis hujus, mihi per expressum injunxerunt, ut partem negativam aperirem rationibus, & scripto tenùs, hujus quæsiti: scilicet, utrùm novem Assertiones coram ipsis, per Magistrum Johannen de Gersono Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis agitatæ, Fidei Judicio sint reprobandæ.

Et quia eorum Mandatis volo, prout teneor, pro semper obedire, idcircò tanquam organum ipsorum & bajulus, proponam quoque proponenda.

Tertiò, protestor quòd non intendo aliquid dicere, quod sit propriè in injuriam personæ cujuscumque: sed solùm intendo ad elucidationem Catholicæ veritatis, & ad declarationem iniquæ falsitatis.

Et si non haberem verba adeò reverencialia in omnibus dicendis, non credant aliqui quòd propter hoc intendam excedere à charitate & dilectione fraterna; quia debitam reverendiam & honorem cordiales volo semper habere ad omnes, maximè autem ad domesticos Fidei.

Et finaliter, quæque jam dicta, aut dicenda in præsenti Actu, dicam probabiliter, & secundùm quod dictamen rationis & conscientiæ, ac instinctus Spiritus sancti mihi ministrabit, secundùm formam juramenti per me emissi in præsentia, & de Mandato Reverendissimorum Dominorum Judicum.

ALIUD SCRIPTUM

Episcopi Attrebatensis, adversùs Cardinalem Cameracensem.

Cod. 2537. fol. 120.

Cardinalis Cameracensis XXV. Octobris.

* COnclusiones Astrologicas præposuit Theologicis: inde leviter intulit, principia Fidei versari circa principia Legis naturalis.

* Exequiæ Cardinalis Barensis.

Responsio.

Si Collegium in hoc vellet partem assumere, quia Cardinalis est, & sustinere vellet Propositionem malè sonantem, exponeret se magno periculo &c.

Item, in materia præsenti quæ tangit multos Principes, sub quorum Dominiis habent sua Beneficia, possessiones &c.

Item, si per medium Collegii, cum violentia, importunitate aut aliàs condemnarentur aliquæ Propositiones, & præsertim istæ &c.

Notetur quòd multæ sunt Universitates solemnes quæ eis non assentirent in tali condemnatione, sic esset destruere statum Cardinalium, & cujuslibet eorundem, & quòd de præsenti se redderent inhabiles ad electionem &c. Et si procederent ad talem electionem &c. forsan non reciperetur pro Summo Pontifice per eos electus, propter suspicionem de hæresi.

Item, status Cardinalatus non attenditur, quo ad approbationem, vel reprobationem aliquarum Assertionum, tanquam approbandarum Fidei Judicio; sed Episcopi, & Doctores, de Mendato sanctæ Sedis Apostolicæ, tales materias debent tractare, & super illis deliberare, & quid sit de illis de Fide tenendum declarare, Papa verò concludere habet & diffinire, &c.

Item, si singulariter aliqui Cardinales vellent se con-

constituere partem, aut Promotores, in causa Fidei; hoc non obstante, à prosecutione non est desistendum, nec subticendum est, quin veritas Catholica palam fiat: si secùs autem fieret, per tales modos & comminationes, quòd Collegium assumat sibi causam, propter honorem Collegii, quia Cardinalis est, & nihilominùs fovet Assertiones erroneas & hæreticas, esset tyrannizare in Religionem Christianam, quod nequaquam permitterent Principes Christiani. Avertant igitur Domini Cardinales, si qui sint, ne dijudicent causam eis ignotam, & de qua ad eos non spectet judicialiter cognoscere, & omni favore, odio &c. postpositis, veritate comperta, conjudicent Concilio Generali æquitatem. A

PROPOSITIO

Cod. 2537. fol. 161. *Facta in loco Sessionis, 24. & 30. diebus Octobris, Anno millesimo quadringentesimo decimo quinto.*

Episcopus Attrebatensis.

IN præsentia hujus sacratissimæ Celsitudinis, cujus gesta magnifica per Orbem Universum gloriosè prædicantur.

In assistentia suæ subtilissimæ limpitudinis, cujus circumspectione, Catholicæ Ecclesiæ status & mores virtuosè regulantur, de præsenti materia, tam dignissimæ Altitudinis, ut etiam ingenia Jerarchica eam non concipiant, nisi divinitùs luminosè doceantur, loqui pertimesco, pensata dicendorum arduitate, auditorum subtilitate, sensus & intellectus meorum exiguitate. Nec mirum, quoniam grandes materias ingenia parva non suffe-runt, sed mox in ipso suo conatu ultra vires ruunt & succumbunt. B

Fateor si quidem quòd quantumcumque quis de fonte Pegateo sit potatus; etiam si linguis hominum loquatur, aut Angelorum; si in Mercurium transformetur, aut Tullium; si dulcescat Titi livii lactea eloquentia; aut certè si Demosthenis suavitate peroret; dignè loqui nequaquam poterit de dicendis. Nihilominùs tamen ego, cujus sensus modicus, intellectus brevis, memoria labilis, sed eloquia incomposita in tantum existunt, ut non nisi æs sonans, & cimbalum tinnens à prudentibus debeam meritò judicari. C

Sed oro, ut is qui docet hominem scientiam, osque mutorum aperit, & linguas infantium facit disertas, nunc det sermonem rectum & benè sonantem in os meum, ut & intellectum meumvero Fidei lumine infundat & illustret, affectum quoque igne caritatis inflammet: sed & labiis pollutis, calculo ignito, seraphico ministerio, expurgabit, linguam refrænans temperet, & os meum adornet, præconio Catholicæ veritatis, cujus veritatis inardescentes fervore adversùs errores carnalium, atque animalium hominum, arcem turris Davidicæ, clipeis Theologicarum rationum communitæ, Spiritu sancto vos evocante, conscendistis. Vos scilicet, sacratissimi Ecclesiæ Pastores, & experitissimi Rectores, atque eruditissimi Doctores & Magistri, qui estis belli hæreticalis Duces triumphales, super cujus turres estis speculatores positi, & custodes pariter & defensores, ut per vos cunctis adversitatibus, erroribus, & hæresibus eliminatis, & destructis, Deo uno & vero, Christiana Religio, tranquilla devotione gaudens, pacifica ac secura, perhennique serviat libertate. In quo bello constituti, contra hæreticam pravitatem se extollentem adversùs Dei scientiam, & doctrinam Ecclesiæ sacro sanctæ, vos D hortatur ipsa Catholica veritas, ut veros suos pugiles, & athletas strenuos & fideles, quatenùs sitis fortes in bello & pugna cum antiquo spiritu, in principio spiritualis belli hujus.

Stantes in facie primæ aciei proponens in medio Ecclesiæ verba sancti Apostoli: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, & induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli*, ad Ephes. VI. 10.

In quibus verbis confert audaciæ stabilitatem.

DECLARATIO.

Cardinalis Cameracensis, circa Propositiones Joannis Parvi. Cod. 2537. fol. 43.

EGo Petrus Cardinalis Cameracensis, tanquam Doctor Theologus, in testimonium veritatis requisitus, dico, & per juramentum affirmo, me firmiter credere, & nullatenùs dubitare, quòd quælibet dictarum novem Assertionum catholicè condemnanda est in forma superiùs scripta.

Et nihilominùs, ex condemnatione hujus Propositionis; *Quilibet tyrannus. Potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque vassallum suum, sive subditum, etiam per insidias, & blanditias, vel adulationem, non obstante quocunque juramento, seu Confœderatione factis cum eo, non expectatâ Sententia, vel Mandato cujuscunque Judicis.* Quæ condemnatio in una * Sessione hujus sacri Concilii facta est, patet manifestè condemnatio earundem Propositionum. Nam continent doctrinam illam virtualiter, & in simili radice fundantur, & addunt circumstantias alias plurimùm aggravantes, sicut de auctorisatione cujuslibet Legis divinæ, naturalis, & humanæ, respectu talis homicidii in secunda Propositione.

Item, de turpitudine & vilitate mortis, in tertia.

Item, quòd Rex debet approbare tale homicidium in tribus sequentibus.

Item, ad confirmationem erroris, addit quòd litteralis sensus Scripturæ sacræ occidit animam.

In octava denique, quòd in nullo ligat juramentum, vel confœderatio facta inter aliquos, si vergat in præjudicium alterius jurantium, vel confœderatorum, sponsæ suæ, aut liberorum. Et ita de reliquis

Quare patet quòd doctrina hæc & similis, condemnanda est, prout & prædicta Propositio condemnata, videlicet tanquam erronea in Fide & moribus, & tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias præbens; & pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici, & ut alis, juxta canonicas Sanctiones puniendi.

In testimonium præmissorum, manu mea me subscripsi.

* Sessione XV.

ADDITIO

Cardinalis Cameracensis, pro sua opinione, die VIII. *Novembris. Anno* M. CCCCXV.

EX quo manifestè sequitur quòd asserere inter Catholicos dictas Propositiones esse probabiles, vel forsan veras; est erroneum, & sapiens hæresim: & quòd Doctor Theologus hoc publicè in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei asserens, habendus est de hæresi vehementer suspectus.

 Unde

Unde pro fundamento condemnationis hujus pestiferæ doctrinæ, licèt multa possent allegari de Jure naturali, divino, & humano; tamen specialiter contra eam pauca sufficiant quæ sequuntur.

Primò, quia hæc doctrina est contra duo Præcepta Decalogi, videlicet contra illud, *Non occides*, Exod. xx. 13. scilicet absque authoritate judiciaria; & illud, *Non perjurabis*, Levit. xix. 12. Ubi omne juramentum jubetur observari, quod non vergit in detrimentum animæ; & contra illud Exodi xxi. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum & per insidias, ab altari meo evellas illum, ut moriatur*; & contra illud, xxiii. q. v. Cap. *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, Libro *De Civitate Dei*, ubi dicitur: *Iis igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus justitia Deus, specialiter jubet occidi, quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Et xxiii. q. viii. Cap. *Quicunque*, quòd sumitur ab eodem Augustino, eodem Libro, ubi dicitur: *qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur, & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit*.

Est denique contra rationes condendi Decretalem illam, *Pro humani. De homicidio. Libro* vi. editam in Concilio Lugdunensi; ubi contra interfectores per assasinos ponitur pœna excommunicationis, depositionis à dignitate, honore, Ordine, Officio, & Beneficio, ipso facto: & quòd quicunque talis fuerit, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus est: sic quòd postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenùs alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis adversùs eum Sententia requiratur.

Item, dicta doctrina multò magis est condemnanda, quia multò pejus circumstantionata est, quàm illa damnata Propositio Johannis Wicleff, quæ ponit quòd populares possunt ad eorum arbitrium Dominos deliquentes corrigere.

Item, hujus doctrinæ condemnatio non minus fieri potest absque speciali expressione de ejus assertore, quàm illa quæ nuper in una Sessione facta est contra errorem in Bohemia, de Communicatione populi sub utraque specie &c.

* In testimonium præmissorum, manu propria me subscripsi. P. *Cardinalis Cameracensis*.

* Hoc totum sequens est de sua manu.

Cod. 2538. fol. 220. verso. Extat etiam in Codice 2513. fol. 90. verso.

RESPONSIO
EPISCOPI ATREBATENSIS,
Ad deliberationem Domini Cardinalis Cameracensis.

Cum vos, Reverendissimi in Christo Patres, & Domini Commissarii, in causis Fidei per hoc sacrum Concilium deputati, ordinaveritis quòd quilibet Doctor Theologiæ habeat vobis dare, infra certum terminum, suam intentionem, videlicet utrùm novem Assertiones, pro examine, sint Fidei Judicio reprobandæ; & liceat unicuique Doctori in Facultate prædicta, etiam super hoc publicè respondere, prout experientia comprobavit, per responsionem publicam, factam viii. die Novembris, per Reverendissimum Patrem in Christo Dominum Cardinalem Cameracensem, & vestris Paternitatibus exhibitam, & per easdem receptam.

Idcircò, Ego M. Episcopus Atrebatensis, tanquam Doctor Theologus in testimonium veritatis requisitus, salva tamen determinatione sacrosancti Concilii, & sanctæ Sedis Apostolicæ, credo & affirmò quòd nulla dictarum novem Assertionum est Fidei Judicio reprobanda, nec aliqua illarum est condemnanda, ex condemnatione illius Propositionis *Quilibet tyrannus* &c. Cùm nullo modo sequatur ex aliqua illarum novem Assertionum, sed nec ex omnibus simul, nec continent doctrinaliter illum, vel virtualiter, nec in simili radice fundantur, quod patet.

Non enim sequitur. *Licitum est unicuique subdito* &c. *occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium* &c. *Ergo quilibet tyrannus* &c. Tum quia ibi arguitur à parte in modo, ad suum totum in modo, cùm distributione.

Et clarum est consequentiam non valere, sicut nec valet. *Licitum est unicuique interficere furem nocturnum, qui venit ad occidendum. Ergo quilibet fur nocturnus potest & debet licitè interfici a quocunque.* Sicut nec sequitur: *Quemlibet hominem album video, ergo quemlibet hominem video.* Tum quia in Assertionibus fit de tyranno taliter specificato. In illa verò, *Quilibet tyrannus* &c. de tyranno universaliter capto.

Tum quia ad mentem Assertionum à parte subjecti, ly *unicuique subdito* capitur pro vassallo immediatè Regi subdito. Et in illa, *Quilibet tyrannus* &c. capitur pro quocunque, etiam subdito tyranno, sive subjecto.

Patet quòd nec sequitur ex prima, nec ex secunda, neque tertia; cùm in secunda specificetur, dicendo quòd *Leges autorisant de occidendo dictum tyrannum proditorem & infidelem suo Regi* &c. Nec sequitur ex quarta. Licèt enim dicat quòd *Omnis tyrannus infidelis, sit villanè occidendus*; non tamen dicit, *à quolibet subdito suo*. Nec sequitur ex quinta, sexta & septima. Non sequitur: *Ille qui occidit supra nominatum tyrannum, non debet de aliquo reprehendi*, ut dicit quinta, *imò debet præmiari*, ut ait sexta; *& illum debet Rex plus amare* ut canit septima, *ergo quilibet tyrannus* &c. Nec sequitur ex octava: *Littera occidit* &c. clarum est. Sed nec ex prima, *in casu socialitatis* &c. quæ est nona.

Sed quòd nec ex omnibus simul, patet, quia si ex aliquibus debeat sequi, videretur quòd ex prima & quarta. Quarta enim dicit quòd *Omnis tyrannus infidelis, est villanè occidendus*: & prima dicit quòd *Licitum est unicuique subdito* &c. Ergo videtur quòd sequatur quòd *Omnis tyrannus sit occidendus villanè, à quolibet subdito suo. Quilibet tyrannus* &c.

Sed manifestum est quòd subjectum primæ Assertionis, *Licitum est unicuique subdito*, supponit, & accepitur respectu prædicati, quod est, *Quemlibet tyrannum qui per cupiditatem* &c. Quod prædicatum est taliter qualificatum. Et in secunda capitur subjectum universaliter, sed non respectu cujuslibet subditi, ita quòd ly *à quolibet subdito*, in nullo supponit, respectu talis prædicati, *Quemlibet tyrannum* &c. nec in ambabus simul.

Unde si quia in quarta ponitur, *Omnis tyrannus* &c. Non tamen respectu talis prædicati, *à quocunque subdito*. Et in primo ponitur quòd *Licitum est unicuique subjecto* &c. non tamen respectu talis prædicati, *quemlibet tyrannum* &c. inferretur ista, *Quilibet tyrannus* &c.

Eodem modo inferam de quocunque demonstrato ut determinato, fortè inferam istam: *Hic est dia-*

diabolus, ex dictis & contententis in sacra Scriptura: unde capiam istud complexum. *Hic est*, Mathæi, XVII. & istud prædicatum, *diabolus* Mathæi, IV.

Sic igitur apparet manifestè quòd istæ novem Assertiones non continent virtualiter illam. *Quilibet tyrannus* &c. nec per consequens veniunt Fidei Judicio reprobandæ ex condemnatione illius.

Dico ulteriùs quòd ex nulla circumstantia aggravante sunt dictæ Propositiones Fidei Judicio reprobandæ. Non enim propter primam, scilicet authorisationem talis tyrannicidii: quin imò ista circumstantia est allevians in secunda Propositione, nec propter illam de villanitate &c. quâ dignus est talis tyrannus occidi, ut in tertia & quarta.

Nec propter illam quâ Rex debet approbare tale tyrannicidium, ut in sexta, quinta & septima.

Nec ex additione confirmationis erroris, ut dicit dictus Dominus Cardinalis, cùm non sit error quòd *Semper tenere sensum litteralem, occidit animam*, qui ly *sensum litteralem*, supponit ibi confusè tantùm. Et clarum est quòd semper accipere sensum litteralem quem faciunt Propositiones in sacra Scriptura, est error, imò inducit in errorem, ut ait expresse Gregorius, in Moralibus. Lib. I. cap. 3. in Prologo, ut in octava.

Hæc ex illa circumstantia, quòd *De nullo tenetur miles servare promissiones, seu confœderationes factas alteri militi, si vergant in præjudicium* &c. *in casu socialitatis* &c. cùm priùs & ampliùs teneatur ex ordine caritatis vitare suum præjudicium quàm, alterius.

Nec est verum quòd hæc doctrina & similis sit condemnanda, prout hæc prædicta Propositio. *Quilibet tyrannus* &c. est condemnata; videlicet tanquam erronea in Fide & moribus, & tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia & perjuria vias præbens.

Ex quibus omnibus infero.

Primùm, quòd hanc doctrinam asserentes opinabiliter, citra determinationem sacri Concilii Generalis, & sanctæ Sedis Apostolicæ, non sunt hæretici, & ut tales, juxta canonicas Sanctiones legitimas puniendi.

Secundò, infero quòd non sequitur manifestè, imò totum oppositum, quòd asserere inter Catholicas dictas Propositiones esse probabiles, aut forsan veras, non est erroneum, aut sapiens hæresim, nec Doctor Theologus hoc taliter publicè asserens, in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei, est habendus de hæresi vehementer suspectus.

Tertiò, infero quòd oppositum testificans, sub juramento temerè jurasse videtur. Nec contra has Assertiones fiunt, aut factæ sunt aliquæ rationes, seu deductæ in medium, quæ videantur alicujus ponderis, vel momenti.

Unde, cum dicitur primò, quòd hæc doctrina est contra duo Præcepta Decalogi, videlicet *Non occides, absque authoritate judiciali*. Et illud: *Non perjurabis*: ubi omne juramentum jubetur observari, quod non vergit in detrimentum animæ; & contra illud Exodi. XXI. *Si quis per industriam occiderit proximum suum. . . . . & per insidias, ab altari meo evelles eum ut moriatur*. Et contra illud XXIII. q. V. cap. *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, Libro *De civitate Dei*, ubi dicitur, *Iis igitur exceptis, quos Lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus justitia Deus specialiter jubet occidi; quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Et XXIII. q. VIII. cap. *Quicunque*, quod sumitur ab eodem Augustino, eodem Libro, ubi dicitur: *Qui sine aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum adulterum, perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, aut membrum debilitaverit, velut homicida judicabitur, & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam Potestatem abusivè usurpare non timuit*. Est denique contra rationes condendi Decretalem illam. *Pro*
A *humani*. Lib. VI. editam, in Concilio Lugdunensi.

Ad quæ omnia dicitur primò, quòd hæc doctrina non est contra illa duo Præcepta. Patet. Non est enim contra primum, cum dicitur, *Non occides*; quod glosatur distortè, & aliter quàm Spiritus sanctus efflagitat, cum dicit, *absque authoritate judiciaria*. Si enim ista glosa esset convertibilis cum Præcepto, tunc sequeretur quod nullus posset occidere furem nocturnum; sed nec etiam vim vi repellere liceret. Ergo occidens in multis casibus, non occidit judiciaria officiaria authoritate; tamen occidit authoritate Legis, cujus est minister, in casu, & non ex officio, ut declarat Doctor irrefragabilis Alexander de Halles, de occidente invasorem suum ad mortem: *Quem*, inquit, *occidit ut minister Legis & justitiæ, non tamen ex officio*. Et dat exemplum de laico baptisante, in casu
B necessitatis, qui baptisat, non ex officio, & licitè ut Legis minister, in casu necessitatis. Non ergo sic glosatur illud Præceptum, nec ita communiter glosatur, sed sic: *Non occides, scilicet innocentem, livore vindictæ, aut propria authoritate*.

Constat autem quòd tyrannus non est innocens, nec talis subditus eum interficit authoritate propria, sed legum; non livore vindictæ, sed amore conservationis Principis sui, & Reipublicæ; nec contra Præceptum illud, *Non perjurabis*, ubi juramentum jubetur observari quod non vergit in detrimentum animæ: quod verum est, si tamen adsint tres comites, Judicium, Justitia, & Veritas. Et etiam conditiones quæ infinitè subintelliguntur in omni juramento promissionis, quæ sunt secundum. . . . . . Lib. II. rubrica XXIV. de jurejur. §. III. *Quot sunt species*, ubi dicit sic. *In omni Juramento intelliguntur ista conditiones tacitè. Faciam hoc, si Deo placuerit. Si Papa, quia ejus authoritas videtur*
C *excepta*, XXV. q. I. §. *ultimo; versu*, ipsi namque. *Item, si res in eodem statu permanserit ut videtur. Qui gladium suum deposuit, & illum furiosè repetit, non teneor reddere, etiamsi juravi*. XXII. q. II. *Ne quis*.

Idem Raimundus, §. XVII. *In Summa*. Et Innocentius, *in glosa* super Cap. *Quemadmodùm*.

Idem. *Si mihi fidem servaveris. Non servanti enim fidem, fides non est servanda. Unde si non facis quod promisisti, non teneor*, ut *extr. de jurejur. Pervenit*. 2. & cap. *Sicut*. Idem Raimundus. Idem etiam Innocentius.

Item, *Si præcipiatur tale quid quod juratus non fuissem, Si Mandatum tale scivissem*. & *extr. de jujur. veniens*. Et cap. *quintavallis*. Et pariformiter videtur dicendum, si tale quid eveniat quòd non
D jurassem, si illius rei scivissem eventum.

Ubi apparet quòd juramenta non obligant, quæ non habent conditiones requisitas. Esto quòd possent salvari sine animæ detrimento. Unde sine animæ detrimento, si mihi fidem non servas, possum servare tibi fidem, & tamen non teneor, ut patet ex dictis.

Ad secundam.

Ad illud Exodi, XXI. *Si quis per industriam* &c. habet intelligi necessariò, livore vindictæ & authoritate

ritate propria: quia aliter occidens inimicum suum, in justo bello, per insidias, esset ab altari Dominico evellendus & moreretur. Quod falsum est, & contra illud. cap. *Dominus*, XXIII. q. II.

Ad tertiam.

Ad illud Augustini, Libro, *De civitate Dei.* Illa authoritas solvit se ipsam, & facit pro Assertionibus, quoniam Lex justa naturalis, moralis & divina talem occisionem generaliter authorisant.

Ad quartam.

Ad illud etiam Augustini, habetur necessariò intelligi, authoritate privata, aliàs non liceret furem nocturnum occidere, nec vim vi repellere; quod est falsum. Licet enim eos interficere, qui publica administratione, intelligendo per illam, authoritatem judiciariam ordinariam, ut supra.

Ad quintam.

Ad illud quod dicitur quòd est contra rationes condendi Decretalem illam &c. apparet quòd est manifeste falsum, ex textu Decretalis, quæ loquitur de illis qui ex vindicta sitiunt humanum sanguinem, immanitate horrenda, & sævitiâ detestandâ.

Ratio verò de occisione corporis & animæ, licèt currat contra illos qui sic agunt, livore vindictæ; non tamen currit in hoc casu, sicut nec in subitò perimente latronem nocturnum, vel vim vi repellente; cùm secundùm Augustinum, ille qui sic vadit ad furandum de nocte, vel invadit ad mortem, ipse sit causa mortis propriæ corporis & animæ utriusque.

Ad sextam.

Ad sextam, cùm subjungitur quòd dicta doctrina multò magis est condemnanda, qua multò pejus circumstantionata est, quàm illa damnata Propositio Johannis Wicleff; quæ ponit quòd *Populares possunt ad eorum arbitrium corrigere suos Dominos delinquentes*: negatur simpliciter, & quia aliter non probatur, nec ad Propositionem aliquam respondetur, nec etiam est ad propositum.

Item, cùm dicit quòd hujusmodi doctrinæ condemnatio non minus fieri potest absque speciali expressione de ejus assertore, quàm illa quæ nuper in una sessione facta est contra errorem in Bohemia, de Communicatione populi sub utraque specie &c. dicitur quòd non est simile, quia nullus in speciali extitit diffamatus de illa Communicatione; sed tantummodò in Generali, saltem quod constiterit sacro Concilio.

De istis autem novem Assertionibus diffamatus fuit falsò, iniquè & perperam, mortuus perlucidæ memoriæ Magister Johannes Parvi, & Illustrissimus Princeps Dominus Dux Burgundiæ, ut patet in Sententia Episcopi Parisiensis prætensa, & in Propositionibus factis coram Serenissimo Rege Francorum, per Magistrum de Gerssono, & in Tractibus suis quibusdam.

Ex quibus sequitur quòd prima Assertio, cum secunda & tertia, & similiter quarta, sunt verè absque Fidei præjudicio, aut sacræ Scripturæ sustinibiles, terrenæque Reipublicæ, & omnis justi Principatus, ac fidelitatis inter Principes & subditos conservativæ.

Patet hoc, quia sacra Scriptura omnis veritatis quam ratio colligit authoritatem continet, cùm illam aut apertè affirmat, aut nullatenùs negat, sed sacra Scriptura, ex nulla ejus parte, Assertionibus contradicit, maximè dùm Præceptum, *Non occides*, quod magis ceteris videtur eis contradicere, in nullo contradicit: ergo &c. Minor patet tàm per præcedentia, quàm per XXIV. rationes, & per authoritates Doctorum, ac allegationes sacræ Scripturæ, factas in Propositione partis negativæ quæstionis.

Sed pro verificatione quartæ Assertionis, sic arguitur: Supposito quòd explorationes & insidiæ sint à Domino præceptæ, ut patet *Numeri* XXI. 5. *Josué* XVIII. Cuilibet tyranno, secundùm rigorem justitiæ, tali tyranno hostili de quo loquitur Assertio, debetur pro pœna, non solùm occidi villanè, sive ignobiliter per bonas cautelas, explorationes, & insidias, sed etiam ipsi ex justitia debetur, juxta illud: *Misericordia enim Domini, quia non sumus consumpti.* Thren. III. 22.

Tertiò. Igitur omnis tyrannus, secundùm rigorem justitiæ, meruit graviora, quàm occidi villanè, seu ignobiliter, per bonas cautelas, explorationes & insidias. Sed dùm comparativus præsupponit positivum, consequens est omninò quòd *Omnis tyrannus meretur occidi villanè* &c. Sed quoniam jus est, ratio & æquitas, quòd unicuique reddatur & pariter debetur quòd meretur; ideò omni semoto dubio, apud quemlibet scientem Jus, est ratio & æquitas quòd omnis tyrannus occidatur villanè per explorationes & insidias. Et est propria mors.

Sequitur ulteriùs quòd quinta, sexta & septima Assertiones sunt veræ ex eadem radice quâ præcedentia.

De octava verò dicitur quòd est Catholica & vera. Probatur: quia sumo istos textus sacri Evangelii, *Mathei* XVIII. & XIX. capp. quibus dicitur: *Si oculus, manus, aut pes tui, te scandalisant, abscinde eos* &c. *sunt enim Eunuchi qui castraverunt se ipsos propter regnum cœlorum.*

Aut adversarius recipit istos textus secundùm sensum litteralem, & licet se ipsum mulitare, quod prohibetur hoc Præcepto, *Non occides*: vel redibit quòd *Licitum est in casu, occidere absque judiciaria Potestate*, quod est prima Assertio: aut transibit ad sensum spiritualem litteræ, & habebitur propositum hujus octavæ Assertionis.

De nona dicitur quòd est vera, in sensu propositio, & ad perjuria, multaque alia peccata & damna temporalia viam præcludens. Quod patet, tàm in rationibus factis in proponendo pro parte quæstionis negativæ, quàm per supra dicta.

Et confirmatur sic. Justitia enim, dùm est comes juramenti, manifestum est quòd nullum juramentum socialitatis, quocunque modo fit, obligat, nisi ad æqualitatem justitiæ. Sed æqualitate justitiæ nulli fit præjudicium, sed duntaxat inæqualitate justitiæ, ad quam nullus obligatur, nec potest obligari. Et liquet ex quaterniis * præjudicii quòd præjudicium importat inæqualitatem justitiæ. Ergo manifestum est quòd in casu socialitatis juramenti, seu promissionis &c. sicut in assertione.

Ex quibus omnibus concluditur, salva tamen determinatione hujus sacratissimi Concilii Generalis, aut sanctæ Sedis Apostolicæ, quòd pars negativæ quæstionis est tenenda, scilicet quòd ex novem Assertiones &c. non sunt Fidei Judicio reprobandæ.

Et hæc dicta sint cum omni humilitate & reverentia, & cum cauta sollicitudine inquirendi Catholicam veritatem; quâ compertâ, semper fui, sum, & ero paratus eidem indubiè & firmiter assentire.

Clau-

* Locus corruptus.

Cod. 2538. fol. 118. verso. *Clausulæ contentæ in Actis concernentibus exonerationem Domini Cardinalis Cameracensis, quantùm ad hoc quòd non voluit ulteriùs esse Judex in causa Fidei novem Assertionum.* A

DEnique Reverendus in Christo Pater Dominus Leonensis Episcopus, retulit aliis Dominis Judicibus & Commissariis, qualiter Dominus Cardinalis Cameracensis sibi dixerat quòd in hujusmodi causa ulteriùs, tanquam Judex interesse, vel se intromittere noluit.

Alia Clausula.

Henricus de Piro, Promotor, dixit quòd si, & in quantum dicti Domini Judices & Commissariii vellent quòd ipse esset Promotor in causis Fidei, petiit idem Magister Henricus quòd aperiretur, & sibi publicarentur attestationes testium receptorum, de & super prætensa recusatione dicti Domini Cardinalis Cameracensis.

Ad quod dicti Domini Commissarii respondendo dixerunt, quòd super dicta recusatione, & B aliis eam tangentibus, ampliùs instandum non erat, eo quod idem Dominus Cardinalis Cameracensis de ista causa per expressum omninò se exoneraverat, nec de eadem ulteriùs se intromittere voluit.

Cod. 2537. fol. 141. JOANNIS DE ROCHA

Advisamenta, super ulteriùs agendis.

Primò.

III. Dec. 1415. REpellendus est ab examine cedularum Reverendissimus Pater, & Dominus Cardinalis Cameracensis, & ab omni Actu judiciali, in facto Fidei, in hac causa, cùm se fecerit partem, & C ita promiserit in domo Augustinensium dicens: *Postquam non vultis me Judicem, ego ero Promotor.* Et ita etiam facto ostendit. Nec valet cùm dicit quòd liberè se absentavit ab interesse &c. non enim vult se absentare ab hac causa, cùm utraque causa importet præjudicium & interesse &c. ex falsa attributione.

Secundò.

Non solùm est à Judicio in hac causa repellendus, sed etiam à testimonio, cum testificatus fuerit, etiam medio juramento, ut dicit, ante Requestam, vel Mandatum factum sibi per Judices, & sic se ingessit, & qui se ingerit &c.

Tertiò.

Omnes qui juraverunt Sententiam Episcopi Parisiensis sustinere, sunt à testimonio repellendi, cùm sint pars manifestissima.

Quartò.

Nullo modo est negotium differendum, neque ampliùs disputandum in scriptis & verbis, cùm consenserint, post materiæ disputationem in cedulis dandis Magistris. Et si disputetur, fit injuria examini dictorum Magistrorum; tum quia nunquam isto modo erit finis, quia ipsi replicant, & alii respondebunt, & sic consequenter; tum quia Judices in causa Fidei habent judicare secundùm testimonia Magistrorum, non secundùm disputata; tum quia ex hoc sequetur briga non modica; tum quia iterum oportebit venire ad cedulas Magistrorum, & idem quod priùs.

Quintò.

Non est differendum, propter materiæ arduitatem & subtilitatem; non enim est subtile & arduum judicare utrum dictæ Assertiones sint Fidei Judicio reprobandæ. Imò est valdè, utrùm pertineant ad Fidem, vel ne, secundùm quod dicit Dominus Cameracensis, & ita tenet illa pars tota.

Sextò.

Non est differendum propter hoc, ut videatur quæ Regula dabitur universalis in facto morum, per sacrum Concilium, & in Pœnitentiaria, quia si declarentur ad Judicium Fidei non pertinere, sicut nec pertinent; nec approbabuntur, & sic non dabitur Regula moralis, nec Lex.

Septimò.

Ista practica, in condemnatione illius, *Quilibet tyrannus*, facta ad instantiam ipsorum, non fuit observata de disputatione Magistrorum. Imò multi fuerunt contempti, ut potest ostendi per Instrumenta.

Octavò.

Ista practica non fuit Parisius observata in Sententia prætensa Episcopi Parisiensis de disputatione, cùm etiam Magistri fuerint contempti nec vocati. Imò multi dixerunt quòd non erant Judicio Fidei reprobandæ &c. Alii verò quòd Sedes Apostolica erat consulenda, vel Concilium Generale.

Nonò.

Item, nonò, mirum est quòd nunc petatur dilatio, & quòd materia Fidei non expediatur, nisi simul cum interesse, cùm oppositum fuerit petitum isto Anno totiens, dicendo causam Fidei non debere impediri per causam prophanam, cùm sint causæ distinctæ; quia una causa est devoluta per appellationem, alia per solam denunciationem, & per consequens habent Judices distinctos per Potestates distinctas delegatas. Unde Papa tunc commisit factum appellationis, & sacrum Concilium causam Fidei, super denuntiatione.

Decimò.

Cum sint distinctæ, ideò dicit Dominus Cameracensis se absentasse ab una, & non ab alia. D

Item, sunt compescendi per Judices qui minantur Magistris quòd si teneant Assertiones istas non fore Judicio Fidei reprobandas, Rex Franciæ hæreticabitur per illas. Quod falsò & nequiter dictum est; quoniam esto quòd unus laïcus ad seductionem Prælati sui credat falsum; dùm tamen intendat credere quod sancta Mater Ecclesia credit fideliter, Catholicus est.

CEDULA

Exhibita Dominis Commissariis, lecta die XXII. *Decembris.*

xxii. Dec. 1415. PEtunt humiliter, & cum instantia requirunt Ambassiatores Illustrissimi Principis Ducis Burgundiæ per V. R. P. mandari opiniones & testimonia egregiorum Magistrorum, & aliorum, de quibus constat per Cedulas, juxta ordinationes vestras productas in Actis, & processu, redigi & incorporari, rejectis Cedulis illorum qui jurarunt sustinere & defendere Sententiam & Condemnationem Episcopi Parisiensis, nec non illorum qui se partem constituerunt, de quibus eisdem P. V. constat satis, & quantò citiùs fieri poterit relationem, ut inde Sententia ferri possit per sacrum Concilium, specialiter ante instans Festum Nativitatis, seclusis quibuscumque aliis disputationibus exquisitis.

REQUESTÆ

Eodem. Verso. *Factæ Dominis Judicibus in causis Fidei, per Episcopum Attrebatensem.* VIII. *die Novembris* IV^c. XV.

viii. Nov. 1415. PRimò, quoniam Fidei nostræ sacro sanctæ non est humana cognitio, quæ decipi potest, sed veritas divina in sacris Scripturis & doctrina sanctæ Matris Ecclesiæ revelata & declarata; ideò non sufficit ad condemnationem cujusvis datæ Propositionis, quòd Magistri in Theologia dicant eam esse hæreticam, si non assignaverint regulam Fidei, aut passum sacræ Scripturæ, seu doctrinæ sanæ Ecclesiæ sanctæ Dei, cui talis Propositio adversatur.

Quapropter petit, nomine æquitatis & rationis, præfatus Episcopus, qui de Mandato vestro apperuit partem negativam Quæstionis coram vobis ventilatæ, ut in deliberatione Magistrorum præfatus modus observetur.

Item, quia materia novem Assertionum pro magna earum parte, pertinet ad Doctores Juris Canonici & civilis, eò quod dicitur in aliquibus earumdem, *Licitum est* &c. *secundùm Leges naturalem, moralem & divinam*: & in ultima ipsarum agitur de juramento promissorio; petit ut dicti Doctores ad deliberationem istam admittantur, & nequaquam ab ea excludantur, quia processus Episcopi Parisiensis fuit & est vitiosus, eo quod in Concilio suo eos non vocavit, sed ipsis contemptis, fecit dictum suum processum vitiosum, ut patet de se, & patebit in processu. Et ut meliùs & clariùs materia aperiatur eisdem Doctoribus, ipsis vocatis coram vobis Dominis Judicibus, dies brevis & juridica assignetur partibus, scilicet affirmativè & negativè, ad allegandum unica vice, & sub eodem contextu, hinc & inde, prout moris est in Curia Romana, & dictis Doctoribus porrigantur Cedulæ, recepto eorum juramento.

Producta in Judicio sequens Cedula, per Magistrum Jo. de Salinis, die VIII. *Novembris* IV^c. XV.

REverendissimi Patres, quia de illis XXV. Assertionibus aliàs per me &c. & pro mihi adhærentibus evangelicè denunciatis Ecclesiæ, apparuit assertor, scilicet Magister Joannes de Gersono, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, in eo quod quasdam expositiones satis frivolas dictarum Assertionum fecit legi per quemdam suum familiarem, penultima die Octobris; propter quod peto in Fidei favorem, ut dictæ XXV. Assertiones tradantur examini Doctorum utriusque Juris, divini scilicet & humani.

CEDULA SEQUENS

Fuit exhibita per Dominum Episcopum Attrebatensem, die VIII. *Novembris.* IV^c. XV. *coram præfatis Dominis Commissariis.* fol. 122.

QUoniam quidam familiaris Magistri Joannis de Gersono, Cancellarii Parisiensis, quamdam Cedulam legendo, die penultima Octobris, in primo Articulo dixit quòd hæc Propositio: *Non est ferè ita modicus, si vellet exponere vitam suam pro tollendo vitam tyranni, qui non posset iuvenire modum & viam ipsum interficiendi, & ab eo liberare Patriam.* Est vera in forma, sicut & aliæ septem per me Episcopum Attrebatensem, malè tractæ, ut falsò asserit, ad meum propositum: respondeo sibi quòd quidquid sit de veritate, aut falsitate dictæ Propositionis, de quo non ago de præsenti, hæc est sua in forma, cum decem aliis, sicut paratus sum ostendere eidem incontinenti, nisi Opuscula sua negaverit, super quibus fundavi XII. rationes, quarum octo probant efficaciter hanc Assertionem: *Licitum est unicuique* &c. Et tres aliæ probant illam Assertionem octavam, quæ incipit: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* &c. Et si velit audire sibi non placentem veritatem.

CEDULA

Cardinalis Saluciarum. 22. *Novembris.*

DEclaramus per dictum Parisiensem Episcopum vocari debuisse heredes quondam Magistri Joannis Parvi, nec non & Dominum Burgundiæ, pro suis in causæ præsentis, si quæ habebant, interesse; qui tamen non vocati & omnino indefensi fuerunt: eosdem Parvi, & Dominum Ducem Burgundiæ pronuntiamus, in præfata Sententia Parisiensis Episcopi nullatenùs comprehensos, nec comprehendi posse, quovis modo.

Per hoc autem non intendimus Sententiæ prædictæ hìc per appellationem devolatæ, in iis quæ spectant ad veritatem Fidei derogare, quam Romano Pontifici in proximo futuro Concilio Generali remittimus terminandam.

ALIA CEDULA

Ultima Novembris, Vivariensis, & per Patriarcham Antiochenum, prima Decembris.

* PEr hanc autem nostram diffinitivam Sententiam non intendimus aliquas Propositiones Fidem tangentes approbare, vel reprobare, iis ad quos de Jure pertinet determinatio simpliciter.

* Hæc clausula supponit cassationem Sententiæ Episcopi Parisiensis.

RESPONSIO

Tertia Decembris &c. Patriarchæ prædicto. Per Episcopum Atrebatensem.

SEntentia prætensa Episcopi Parisiensis diffiniatur, & decernatur fuisse & esse nulla, & quòd novem Assertiones de quibus fit mentio in eodem Judicio Fidei non veniunt reprobandæ. De ceteris autem Propositionibus Fidem tangentibus, ordi-

ordinet sacrum Concilium, prout Spiritus sanctus illud inspirabit.

In causis Fidei.

1415. Cod. 2538. fol. 209. PRo parte Dominorum Judicum & Commissariorum in causis Fidei deputatorum, intimatur omnibus & singulis Dominis Doctoribus, & Magistris in Theologia, ac Bachalariis formatis, tàm Prælatis, quàm aliis, qui cedulas quarundam novem Assertionum ab eisdem Dominis Commissariis receperunt, & nondùm opiniones suas super eisdem tradiderunt, quatenùs in favorem Fidei per totum diem Veneris proximè instantem, hujusmodi suas opiniones tradant, prout aliàs juraverunt & etiam ordinatum extitit. Alioquin pro non datis habebuntur, nec deinceps recipientur, vel admittentur, & non dantes de perjurio meritò reprehendentur. Datum die Mercurii, undecima Mensis Novembris.

*Data per Gerssonitas: pervenit ad manus meas * tertia die Decembris.*

DEsideramus nos de Francia scire & informari à Dominis Prælatis & Doctoribus aliarum Nationum, & specialiter in quibus sunt Universitates solemnes, & Studia Theologiæ, super duobus Articulis sequentibus.

Primò. Si condemnentur unquam errores aliqui, etiam sub nomine errantium, ut Wicleff & Huss; non facto simul processu contra errantes, hoc est, non evocatis prius eis judicialiter, sive tales sunt mortui, sive vivi.

Secundò. Si super materiis quæ non concernunt immediatè & expressè, sub propria verborum forma Articulos Fidei contentos in Symbolo, vel quæ materiæ non sunt damnatæ per Ecclesiam, sub propria verborum forma, procedant unquam Ordinarii locorum, damnando scilicet errores qui sunt contra Scripturam sacram, & contra Præcepta Decalogi, & contra bonos mores, non referendo semper tales causas ad Sedem Apostolicam terminandas.

* Episcopus Atrebatensis loquitur

Ad Cedulam prædictam immediatè respondetur.

SCiant illi qui se esse de Francia dicunt, suisque desideriis Franciam adhærere falsò se jactant; sciant ipsi nunquam in Franciâ naturale lumen cognitionis taliter occubuisse, nec eos qui viri * Franci sunt, Franciamque per figmenta insaniæ, potiùs quàm ignorantiæ nullatenùs maculare nituntur, ad tantum cæcitatis affectum devenisse, quòd dubitaverint partem aliquam penitùs inauditam, super eo quòd error pro libito æstimatur, & nihilominùs falsò, atque distortè ascribitur, non posse, neque debere contra lumen totius æquitatis, etsi omne Jus positivum extinctum esset, sine partis evocatione, & cum ipsius accusatione, vel ascriptione condemnari. Nec Judex omnium Deus, Judicia sua fecit, neque ipsius primi & radicalis omnium peccatorum † vindictam Judicialem accepit, quin partem vocaret. *Adam ubi es?* Gen. III. 9.

Quantùm ad secundum Articulum, veritas suggerit, & Jura clamant, ad quem de non jam determinatis per Ecclesiam ad Fidem pertinentibus determinatio statuenda, vel etiam prætermittenda pertineat. Quòd si non soli Sedi Apostolicæ, vel Generali Concilio; tunc à diversis Sedibus Episcoporum, per sensuum diversitatem credibilia statim plurimùm augerentur, & interdùm mutuò repugnarent.

Quòd autem error contra Præcepta, & bonos mores levi Judicio, & corde affectato in dicta cedula latenter supponitur nunc provida deliberatione Magistrorum, quid aut quale sit, & an Fidei Judicio reprobari debeat, videndum esse inquiritur.

CEDULA EPISCOPI ATREBATENSIS Cod. 2538. fol. 225. verso.

VIII. Decembris. Anno XV.

Cedula quædam &c.

A DEclarentur Sententiæ Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris nullæ simpliciter, quæ tamen unà cum hoc deberent dici & decerni falsæ & iniquæ, eò quod Illustrissimo Principi Domino Duci Burgundiæ devotissimo Christiano, ac fidelissimo; & lucidæ memoriæ Magistri Johannis Parvi crimen hæresis malitiosè imposuerunt, & eos publicè & notoriè diffamaverunt de eodem, quòdque novem Assertiones in dictis Sententiis contentæ, secundùm Judicium famosissimorum Theologorum hìc & nonnullis aliis locis existentium, Judicio Fidei nequaquam sunt reprobandæ.

B Ponderentur sequentiæ, si placet, quomodò à duobus Annis citra, dictus Princeps fuit publicè diffamatus, occasione prædicta, & specialiter hìc in Concilio Generali.

Item, quòd si quæ Litteræ, aut instructiones, à Rege Franciæ emerserunt, de quibus Johannes de Gerssono & ceteri in hac materia frequentiùs loquuntur, extortæ fuerunt, & surreptitiæ impetratæ, tanta rei veritate tempore guerrarum suscitarum propter prædictam ad defensionem veritatis in præmissis.*

Item, quoad materiam prætensarum Sententiarum, Magistri Jordanus Morini, & Guillelmus Pulcrinepotis, cum quibusdam aliis, nequaquam debent audiri; tum quia non sunt ad hoc sufficienter fundati, tum quia dicunt se defensare præ-

C fatas Sententias, & de hoc emiserunt juramentum incautè & temerariè, cum sciunt, aut scire debeant dictos Episcopum, & Inquisitorem, nullam in hac parte habuisse Jurisdictionem, neque tenuisse processum juridicum: sciuntque insuper illas novem Assertiones nunquam fuisse per dictum Parvi propositas, nec in sua Propositione esse contentas, in propriis sensibus, substantia atque forma; nec ignorare debent eas ad Judicium Fidei nequaquam reprobativè pertinere.

Item, non debent movere animos quorumcunque, allegationes quarumdam Litterarum, quas prætendunt circa hanc materiam à Rege emanasse; cùm per Litteras Regis hìc publicatas cum magna maturitate Consilii dicti Regis, pro pacis confirmatione, postremò & nuperrimè datas revocatæ sint, & adnullatæ.

Item, non debet aliquem movere regressus & præsentia Serenissimi Regis Romanorum, eò quod

D timetur ne ipse debeat moveri & inclinari ad condemnationem dictarum novem Assertionum: quia si prima illarum condemnetur, quæ tamen non venit condemnanda, ut petitur, Lex Imperialis divi Henrici septimi Imperatoris, orthodoxæ recordationis, Proavi ejusdem Domini Regis†, quæ incipit. *Quoniam nuper condemnaretur eadem condemnatione quâ prima Assertio, si contingeret eam condemnari, quòd non libenter permitteret dictus Dominus Rex, prout possunt æstimare sapientes.*

* *fortè* veri. † *fortè* Parentis

* *Locus corruptus.* † *Hic aliquid deest*

Item, non valet, si dicatur quòd attendatur qualiter illa Propositio, *Quilibet tyrannus* &c. fuit condemnata, quia latissima differentia est inter ipsam, & illas novem Assertiones, quia hæc: *Quilibet tyrannus* &c. ad destructionem Principum tendit; istæ verò ad eorum conservationem. Sunt multæ aliæ differentiæ, ut patet intuentibus eas, & ad invicem comparantibus diligenter, quare non est simile.

Finaliter & conclusivè, debet sufficere ad minus quòd prædictæ prætensæ Sententiæ diffiniantur, A & determinentur nullæ, & omnia inde secuta, ut taceatur, falsæ & iniquæ: & quòd novem Assertiones de quibus fit mentio in eisdem, non sunt Fidei Judicio reprobandæ, ut taceatur quòd sunt veræ & approbandæ.

Alioquin petimus nobis fieri Judicium, & nihilominùs quòd in nullo differatur propter præmissa.

Item propria.

Dicetur Sententiam, seu Sententias Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris, ipso Jure nullam, & nullas fuisse & esse, ac pro nullis declarabuntur, & quidquid inde sit secutum, ipsasque novem Assertiones in præsenti Concilio denuntiatas in Propositione defuncti Magistri Johannis Parvi, in materia, forma & sensu nullo modo contentas esse, sive comprehensas: imò octo veritates, quarum tenor talis est &c. contentas in dicta Propositione Magistri Johannis Parvi, alias esse ab illis novem Assertionibus in sensu & in forma fore sustinibiles, ac Fidei Judicio esse reprobandas.

DCELARATIO HENRICI VII. Romanorum Imperatoris.

X. *Decembris, tradita Domino des Ursins. Anno* XV.

fol. 226.

HEnricus septimus, divina favente gratiâ, Romanorum Imperator, & semper Augustus. Ad reprimenda multorum facinora, qui ruptis totius debitæ fidelitatis habenis, adversùs Romanum Imperium in cujus tranquillitate totius Orbis regularitas requiescit, hostili animo animati, conantur, nedùm humana, verum etiam totius * Præcepta, quibus jubetur quòd omnis anima Romanorum C Principi sit subjecta, sceleratissimis factionibus, & assiduis rebellionibus demoliri: ne ex eorum absentia in detestando læsæ Majestatis crimine retardetur, & tanti sceleris nephanda temeritas remaneat impunita, hac Edictali, Deo propitio, perpetuò valitura sanciamus, ut in quocunque læsæ Majestatis crimine, & maximè ubi contra Romanorum Imperatores, vel Reges aliquid quod dictum crimen tangat asseritur commissum, possit procedi per accusationem, inquisitionem, seu denuntiationem, summariè, & de plano, sine strepitu & figura Judicii, prout illi qui Jurisdictioni præest videbitur expedire.

Ad hæc, si qua Communitas, Corpus, vel Collegium, vel alia quævis persona, cujuscunque status, dignitatis, vel conditionis existat, super dicto crimine, per Nuntium, vel Litteram, seu etiam per D Edictum publicè propositum citata, vel citatum, neglexerit in termino, personaliter, vel ligitimè comparere, contra ipsam vel ipsum, per vim, ac si præsentialiter omnibus interfuisset, ut lis foret ligitimè contestata, tàm ad receptionem testium, quàm ad Sententiam diffinitivam, & ejus executionem procedatur, Legibus, vel consuetudinibus non obstantibus quibuscunque.

Hanc autem generalem Legem extendi jubemus ad præterita, præsentia, & futura, quam ex nunc, absque alterius temporis expectatione transcursus, integrum rigorem decernimus obtinere.

Quoniam nuper ad auditum nostrum deductum est, quòd inter nonnullos fideles & subditos nostros, Lombardiæ Provinciæ, aliorumque locorum Italiæ, disceptationes & dubia sæpiùs oriuntur: an infidelis & rebellis Imperii quisquam reputari debeat, nisi priùs per nostræ Majestatis Sententiam condemnandus appareat: Nos attendentes quòd acta prava malorum, potiùs quàm verba Sententiarum, ipsos faciunt pœna condignos, & eo ipso quòd quis peccat correctionem meretur, & quantò plùs differtur punitio, tantò ampliùs culpa crescit, & gentibus in exemplum perniciosius transit: Tenore præsentium declaramus, decernimus, & pronuntiamus quòd illi omnes, & singuli sunt rebelles & infideles nostri Imperii, qui quomodocunque publicè, vel occultè, contra nostrum honorem, infidelitatis, & rebellionis opera faciunt, & in nostram, & Imperii prosperitatem aliquid machinantur, contra Nos, sive Officiales nostros, in iis quæ ad eis commissum Officium pertinent rebellando.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam declarationis & pronuntiationis infringere, vel casu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem nostram, & pœnam B mille librarum, nostræ Cameræ solvendarum se noverit incursurum. Datum Pisis. IV. non. Aprilis, Regni nostri Anno quinto, Imperii verò Anno primo.

Nota quòd Martis XVII. *Decembris, Magistri Jordanus, ac Pulchrinepotis petierunt a Dominis Commissariis sibi dari publicam audientiam, quam eisdem concesserunt prædicti Commissarii, ad diem Jovis sequentem, & eam acceptarunt, sed minimè illam compleverunt.* Cod. 2538. fol. 214.

TYPI SENTENTIÆ *nomine Concilii ferendæ.*

SAncta Synodus &c.* Visis actis & actitatis in causa IX. Assertionum denunciatarum coram Judicibus & Commissariis super causis Fidei per ipsam Synodum deputatis, & visa relatione eidem Synodo per dictos Judices & Commissarios facta: viso etiam processu facto per Dominos de Ursinis, Aquilegiensem, & Florentinum Cardinales, & volens totam hanc causam simul terminare, pronunciat, decernit & declarat Sententias latas per Episcopum Parisiensem, simul cum Inquisitore hæreticæ pravitatis, in & super dictis Assertionibus, & condemnatione Propositionis Joannis Parvi, quam appellavit Justificationem, quæ sic incipit &c. fuisse & esse nullas, & nullius roboris, vel momenti, & in quantum de facto processerunt ad illud quod tangit, vel aliquo modo tangere potest Illustrem Dominum Dominum Ducem Burgundiæ, seu ejus Statum, vel honorem: vel quatenùs eidem posset directè vel indirectè aliquod afferre præjudicium; & similiter etiam quatenùs in aliquo concernit, vel concernere potest honorem, seu memoriam quondam Magistri Joannis Parvi,* seu eidem, vel ejus honori, seu memoriæ, seu ejus heredibus & successoribus, directè, vel indirectè aliquid afferre præjudicium, illud revocat, cassat, irritat & adnullat, ac nullius roboris, vel momenti esse decernit & declarat; & hoc multis rationibus & causis, de quibus constat in dictis actis: & maximè, quia visâ

* hìc aliquid deesse videtur.

* Cardinalis Aquilegiensis, die 18. Decembris.

visâ dictâ Propositione Joannis Parvi, constitit, atque constat quod IX. Assertiones præmissæ, non fuerunt dicti Joannis Parvi, seu contentæ in dicta sua Propositione, in forma neque sensu. Et in omnibus & singulis prædictis, Dicta Synodus præfatum dominum Ducem, & dictum Joannem Parvi, & ejus memoriam, ejusque heredes & successores absolvit & liberat per præsentes, decernens & statuens quòd dictus Dominus Dux, aut quondam Joannes Parvi, seu ejus memoria, vel ejus heredes, & successores, occasione, vel causâ dictarum Sententiarum latarum per Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem prædictos, vel ab ipsis Sententiis dependentium vel connexorum, vel ad ipsas quoquomodò pertinentium, nullo unquam tempore possunt impeti, molestari vel inquietari, de Jure, vel de facto.

* Easdem autem Assertiones, visis prædictis, auditis per dictam Synodum variis opinionibus plurium Doctorum solemnium, quorum aliqui eas asserunt veras, & sustinuerunt, absque Fidei contradictione, Fideique Judicio fore non reprobandas; aliique easdem fore eodem Judicio reprobandas; dicta Synodus, justis & rationabilibus causis ad id suadentibus, differt terminare, seu approbare: sed earum determinationem, seu approbationem ad Concilium Generale futurum reservat.

* Hæc conclusio non acceptatur.

Cedula propria XIX. *Decembris tradita dicto Domino Cardinali; pro Quæstione præcedenti.*

† *Easdem autem Assertiones per Doctores in Theologia disputatas, & examinatas, deligenter, repertasque per multò majorem partem, & saniorem probabiles & sustinibiles, sine Fidei & sacræ Scripturæ corruptione, & per consequens non fore Fidei Judicio reprobandas; aliis ex Doctoribus aliter sentientibus de eisdem, suæ probabilitati relinquentes, earum ampliorem declarationem & determinationem certis de causis, reservat proximo futuro Concilio Generali.*

† C'est de la main de l'Evêque d'Arras.

Petrus Cauchon XIX. *Decembris.*

De dictis autem novem Assertionibus disputata publicè & solemniter, diebus pluribus inter Doctores Quæstione, an Judicio Fidei sint reprobandæ; examinatâque materiâ diutiùs per singulos eorum, ex ipsorum opinionibus scripto traditis, comperta est multò major & sanior tenore easdem fore probabiles, & minimè Fidei Judicio reprobari debere.

Nihilominùs tamen, certis de causis, ulteriorem determinationem circa eas differt, usque ad primum instans futurum Concilium Generale, eas sub probabilitate relinquendo, interimque, ne occasione sumpta ex ipsis, suscitentur rixæ, & jurgia inter aliquos, prohibet ne quis temerè legendo, disputando, docendo, vel prædicando, aut aliàs apertivè, sive reprobativè ejsdem utatur quoquo modo.

Antiochenus Patriarcha, XVIII. *Decembris*. CCCC. XV.

Sancta Synodus &c. Visis actis & actitatis in causa novem Assertionum denunciatarum coram Judicibus & Commissariis super causis Fidei per ipsam Synodum; & visa relatione eædem Synodo per dictos Judices & Commissarios factâ; visoque processu facto per Dominos de Ursinis, Aquilegiensem, & Folorentinum &c.

Et volens totam causam simul terminare, pronunciat, decernit & declarat Sententiam latam per Episcopum Parisiensem, simul cum Inquisitore hæreticæ pravitatis &c. super dictis Assertionibus, fuisse & esse nullam, & nullius roboris, vel momenti. Et ulteriùs eadem Sententiâ pronuntiat, decernit, & declarat eadem sancta Synodus, Illustrem Dominum Ducem Burgundiæ, & quondam Magistrum Joannem Parvi, seu ejus memoriam, eorumque heredes & successores, ab omni processu dictæ causæ, contentisque in eodem, fore absolvendos, & absolvit: decernens & statuens quòd nullo unquam tempore possit dictus Illustris Dominus Dux, vel dictus quondam Magister Jaonnes, seu ejus memoria, vel ejus heredes & successores, occasione, vel causâ Sententiæ latæ per dictos Parisiensem Episcopum, & Inquisitorem, vel ab ipsa Sententia dependentium, vel connexorum, vel ad ipsam quoquomodo pertinentium impeti, molestari, vel inquietari, de Jure, vel de facto. Inhibens ex certis causis animum suum moventibus, omnibus & singulis cujuscunque Status vel conditionis existant, etiamsi sint Prælati, vel in sacra Pagina Magistri, ne de dictis Assertionibus, aut super eisdem publicè vel occultè aliquid tractare, disponere, vel innovare præsumant legendo, scribendo, prædicando, vel aliter quomodocumque, adusque proximum futurum Concilium Generale. Adjicientque quòd si qui temerario ausu, contra prædicta, vel aliquod præmissorum venire præsumpserint, per Judices competentes, tanquam hujus sacræ Synodi contemptores pœnis Canonicis coerceantur.

EPISTOLA
CAROLI VI.
FRANCORUM REGIS.

Sequens Littera fuit primò lecta in Natione Gallicana. Die 3. Februarii. Deinde fuit exhibita aperta Dominis Judicibus Fidei, & lecta coram ipsis. Die 21. ejusdem Mensis. Anno XVI.

Dilectis & fidelibus Consiliariis nostris & Ambaxiatoribus nostris Joanni Gerson, Jordano Morini, Guillelmo Pulcrinepotis, & Petro de Versailliis sacræ Paginæ Professoribus.

Ex parte Regis

Dilecti & fideles nostri:

Cum nos in pacis auctore, nostrorum Regni & subditorum pacis habentes affectum, carissimo cognato nostro Duce Brabantiæ, Nunciisque & Oratoribus carissimæ nostræ Ducissæ Hollandiæ, necnon & Deputatis Communitatum trium Statuum Flandriæ, pro parte carissimi consanguinei nostri Ducis Burgundiæ missis ad nos, requirentibus vobis, & aliis in Sacro Constantiensi Concilio nostris nunc Ambassiatoribus mandassemus, ut à prosecutione Propositionis defuncti Magistri Johannis Parvi, dudùm per dilectum & fidelem Consiliarium nostrum Parisiensem Episcopum, & Fratrem Johannem Poleti, hæreticæ pravitatis in Regno nostro, eo tunc Inquisitorem; convocato Fidei Consilio celebriter Parisius condemnatæ, & per diversas Regni nostri civitates nostris publicatæ mandatis, tacente eodem consanguineo nostro, taceretis; nostroque nomine prosequi, partemve facere cessaretis, sperantes similiter pro dicti consanguinei nostri parte cessari, prout à prædictis, sui parte, precantibus receperamus in promissis.

Verùm, cùm nuper fide digno relatu cognoverimus, pro dicti nostri consanguinei, & suorum parte, dictas condemnationem, advocationem & pu-

pubicationem, multis mediis impugnari, contra nostræ concessionis intentum, qui eam velut Dei & propriam, manutenere, & deffendere voluimus & volumus, nec deserere valemus indefensam, saluo nostræ Regiæ Majestatis honore: Vobis propterea mandamus, quatenùs ad dictæ condemnationis defensionem, velut nostræ Regiæ Majestatis propriam, sicut erga nos fideles haberi cupitis, viis omnibus juridicis, prout vestræ viderint discretiones expedire, celeriter & diligenter intendatis, secundùm nostras Instructiones, & Litteras aliàs concessas à nobis; sic agentes in earum defensione, quòd Dei zelus, Fidei favor, nostræ A que Regiæ Majestatis honor, in vestrarum diligentiarum prudentia manifestior appareat: remque tàm arduam in Consistorium publicum, prout aliarum hæresum materias tractatas scivimus examinandam, si videritis expedire, requirendo fidem de dicendis in hac re, parte nostri, præsentium exhibitori, quem propter id destinamus ad vos, plenariam habentes. Datum Parisius ix. Januari.

CHARLES.

J. MALLIERE.

Cod. 2538. fol. 228. initio Anni 1416.

LIBELLUS SUPPLEX

Plurium

MAGISTRORUM PARISIENSIUM. B

Reverendissimo in Christo Patri, ac Domino metuendissimo, Domino Cardinali de Ursinis, supremo sanctæ Sedis Apostolicæ Pœnitentiario.

SUpplicant, petunt & requirunt, cum quanta possunt instantia & devotione, plurimi Magistrorum Parisiensium, pluresque alii diversorum Studiorum, in sacro Concilio existentium, quòd cùm ipsi priusquam advenerint ad hoc sacrum Concilium, crediderint indubitanter quòd in casu novem Assertionum denunciatarum, non esset licitum in Foro Conscientiæ sic agere, vel docere sicut prætendunt istæ Assertiones, propter Præcepta Dei ad oppositum data, de non occidendo propria authoritate; & de non prucurando*, ubi C juramentum potest servari sine peccato, & de non occidendo per insidias hominem non præmonitum, non diffidatum.

Crediderint insuper quòd Scriptura sacra verissima sit, in omni sensu suo litterali, qui est primarius, & principalis sensus suus: & credant præterea quòd hæc Assertio. *Quilibet tyrannus* &c. fuerit rationabiliter condemnata, ut erronea in Fide, & moribus, & hæretica: quæ Assertio sufficienter in hiis novem includitur.

Et cùm ad vos, Reverendissime Pater, ratione Officii vestri prædicti, & ad alios inferiores Pœnitentiarios, & similiter ad Fratres quatuor Ordinum Mendicantium, qui se de Confessionibus audiendis intromittunt, spectet cognoscere, D & certificare, quid de talibus dubiis, in Foro conscientiæ sentiendum sit, & agendum; placeat responsionem veram, certam, & celerem dare prædictis supplicantibus, super præmissis Assertionibus: quid scilicet agere & consulere debeant, in conscientia, super eisdem; quia tales casus possunt sæpè contingere, & de facto jam contigerunt: super quibus oportet præbere, & habere salubre consilium, ab illis maximè qui se de Confessionibus audiendis intromittunt, sicut a Medicis ægritudines, & remedia cognosci necesse est.

Est igitur petitio hæc in effectu; Utrùm hæ novem Assertiones sint in Foro conscientiæ, tanquam veræ & laudabiles, salubriter approbandæ, sic quòd agentes, vel docentes conformiter ad has Assertiones, sint laudandi, remunerandi & multipliciter honorandi, prout dictæ Assertiones exprimunt manifestè. Fit hæc eadem supplicatio, seu petitio, Reverendissimo Patri Domino Cardinali Ragusino, qui de Officio magnæ Pœnitentiariæ, tanquam sibi debito, nuper contendebat.

Et in casu quo non dederitis, prout tenemini, ex debito Officii, super præmissis salubre consilium & responsum, protestantur habere recursum ad Concilium Generale.

* *forte* perjurando

CONTESTATIO

LITIS

De negotio Joannis Parvi, inter Cardinalem Cameracensem & Gersonem, ex una parte: Et Johannem de Rocha, Ordinis Fratrum Minorum, ex alterâ.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter & sit manifestum, quòd Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo decimo sexto. Indictione nona. Mensis verò Januarii die quarta. Apostolica Sede Pastore carente, coram Reverendissimis in Christo Patribus, & eruditissimis viris, Dominis Commissariis, in omnibus causis Fidei per sacrosanctum Generale Constantiense Concilium deputatis, ac quamplurimis egregiis Magistris, Doctoribus, & Bachalariis Formatis in Theologia, ad Mandatum, & Requestam dictorum Dominorum Commissariorum, in Aula Episcopali Constantiensi, Provinciæ Maguntinæ solemniter congregatis; in meique Notarii publici, ac testium infra scriptorum ad hæc vocatorum specialiter & rogatorum presentia. Quia Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, P. Cardinalis Camecracensis ibidem tunc præsens, resolvendo materiam novem Assertionum aliàs coram ipsis Dominis Commissariis denunciatarum, ad terminos paucos & claros, dixerat quòd hææ novem Assertiones pertinent ad Fidem, quia ad eam sicut & ad Scripturam sacram sequuntur, vel repugnant, & reducuntur ad hunc Articulum Symboli, *Qui locutus est per Prophetas* &c. IV. Jan. 1416.

Dixerat secundò, quòd saltem spectant ad mores, & sic veniunt Judicio Fidei reprobandæ, quemadmodùm practicatum est in hoc sacro Concilio, & in multis aliis, de Propositionibus quæ minùs videbantur ad Fidem pertinere: sicut etiam invenitur in Bulla Mendicantium, de multis Articulis.

Concluserat tertiò quòd hææ Assertiones veniunt Judicio Fidei reprobandæ: imò sunt jam sufficienter reprobatæ, in condemnatione facta per Concilium, de illa Propositione: *Quilibet tyrannus* &c. quæ similis est quartæ Assertioni, junctis prima & ultima: & adduntur in aliis Assertionibus aliæ malitiæ.

Tunc Religiosus vir, Magister Joannes de Roqua, de Ordine Fratrum Minorum, surrexit & dixit ea quæ sequuntur, vel similia, in sententia, & effectu.

Ego volo loqui propter honorem Fidei, propter honorem Christianissimi Regis Francorum, propter honorem quatuor Ordinum Mendican-

cantium; & ex consequenti, propter honorem meum.

Et dico primò, quòd Fides, capiendo propriè, est de illis quæ sunt purè credibilia, juxta illud Augustini: *Quid est Fides? nisi credere quod non vides.*

Dico secundò, quòd Fides capitur magis largè, pro omnibus quæ continentur in sacra Scriptura, vel quæ sequuntur ex ea.

Dico tertiò, consequenter, respondendo ad prædicta tria puncta tacta per prædictum Dominum Cameracensem, quòd hææ novem Assertiones non sunt de Fide, nec propriè, nec largè sumpta: quia non repugnant Scripturæ sacræ, nec contentis in eadem, neque Præceptis Decalogi contrariantur in aliquo; sed conformantur eisdem.

Dico consequenter, quòd hææ novem Assertiones non sunt contra bonos mores.

Dico finaliter, quòd propter præmissas causas, non sunt Judicio Fidei reprobandæ.

Quibus auditis, venerandæ circunspectionis vir, Magister Joannes de Gersonno, Cancellarius Parisiensis, dixit in effectu, quòd expediebat ista scire, scilicet intentiones Fratrum Mendicantium, de quatuor Ordinibus, in suis deliberationibus. Unde, licèt dolendum esset, ut dicebat, quòd virus esset in vulnere, gaudendum tamen erat quòd aperiretur, & sanies efflueret: quia per hoc citiùs, & salubriùs sanaretur.

De & super quibus omnibus & singulis supra dictis, præfatus Dominus Cancellarius Parisiensis, petiit à me Notario publico, infra scripto, sibi confici, atque tradi publicum Instumentum, seu publica Instrumenta, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc, Anno. Indictione. Mense. Die, & loco prædictis: presentibus venerabilibus & circunspectis viris, Magistris Nicolao de Gonneslia, Magistro in Theologia. Joanne Campani, Licentiato in Decretis. Dominis Joanne Reginaldi, & Andræa de Curia, Presbyteris Laudunensis, Remensis, Cameracensis & Parisiensis Diocesiorum, unà cum pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Guillelmus Picardi, Clericus Biturricensis Diocesis, publicus, Apostolica, & Imperiali authoritate Notarius, præmissorum, hinc inde, verborum prolationi præsens, unà cum prænominatis testibus interfui: idcircò huic publico Instrumento, aliâ manu scripto, signum meum solitum publicando apposui, hìc me manu propria subscribens, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus & rogatus. *Avec sa parraffe anthentique a esté.*

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des R R. P P. Celestins d'Avignon, par moy ainsi signé. F. N. BAZIN *Prieur des dits Peres Celestins.*

Cod. 2538. fol. 227. IV. Jan. Anno XVI.

PROTESTATIO

Cardinalis Cameracensis

Circa schedulam concordiæ, in negotio novem Assertionum.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

NOverint universi & singuli præsens publicum Instrumentum inspecturi, quòd Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexto decimo. Indictione nona. Die Sabbati, quarta Mensis Januarii, coram Reverendissimis in Christo Patribus & Dominis Cardinalibus, & nonnullis Dominis Prælatis & Doctoribus in materiis Fidei, per sacrum Concilium Generale Constantiense deputatis Commissariis, in magna Aulâ Palatii Episcopalis Constantiensis, pro Tribunali sedentibus, & in plurium Doctorum & Bachalariorum in sacra Pagina, ibidem super materia Fidei convocatorum, nostrorumque, Notariorum infrà scriptorum præsentiâ; personaliter constitutus Reverendissimus in Christo Pater & Dominus Petrus Cardinalis Cameracensis.

Post plura inter eosdem Magistros, Doctores & Bachalarios, super quarundam novem Assertionum materia, per honorabilem virum Magistrum Johannem de Gersono, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, coram ipsis Commissariis denunciatarum altercata; petiit instanter & requisivit, quatenùs ipsius & Ambassiatorum Christianissimi Regis Francorum ibidem præsentium, pro parte, duæ Cedulæ pro modo concordiæ, in materia novem Assertionum prædicatarum, ut dicebat, aliàs compositæ & exhibitæ, quarum una, ut etiam asseruit, fuit aliàs præfatis Dominis Commissariis per ipsum Reverendissimum Patrem Dominum Cardinalem Cameracensem; & alia quasi ejusdem sententiæ vel effectus, posteà per Dominos Ambassiatores prædictos præsentata legerentur: quarumque Cedularum, una videlicet dictorum Ambassiatorum, fuit ibi lecta: quas quidem Cedulas etiam requisivit ipse Dominus Cardinalis Cameracensis examinari per Magistros & Bachalarios in sacra Pagina, ad sciendum si in ipsis Cedulis servabatur honor Fidei, & ostendendum quòd ibi non lædebatur honor Domini Ducis Burgundiæ, aut cujuslibet alterius personæ. Tenor autem Cedulæ prædictæ ibi lectæ sequitur, & est talis.

„ RECOGITANS hæc sacro Sancta Synodus „ Constantiensis, se divino munere congregatam „ esse, ad procurandum, totis conatibus, ea quæ „ pacem nedum spiritualem, sed temporalem respiciunt. Sentiens prætereà quòd in Christianissimo Franciæ Regno divisiones plurimæ subortæ erant, quæ, Domino miserente, conquiescere sperantur: unde congaudet in Domino hæc „ Sancta Synodus & gratias agens congratulatur „ actoribus & conservatoribus veræ pacis. Ipsa „ nihilominùs eadem Synodus satagens, exemplo boni Medici, tollere radicitùs occasiones „ divisionum hujusmodi; & attendens quòd, durantibus iis divisionibus, fuerunt super materiis „ quarundam Assertionum nunc per quosdam publicatarum verbo vel scripto; nunc per alios „ reprobatarum, contentiones variæ perlatæ, „ etiam ad sanctam Sedem Apostolicam; deinde ad hanc Synodum Constantiensem: super „ quibus si non apponeretur finis debitus, non „ est dubium spiritualem inde tranquillitatem ac „ temporalem posse turbari.

„ Qua in re, præhabitis deliberationibus maturis, declarat hæc sancta Synodus, decernit „ & diffinit, quòd novem Assertiones judicialiter „ Commissariis super omnibus causis Fidei, etiam „ per Promotorem Concilii absque assertore denunciatæ, non sunt dogmatizandæ, sustinendæ, vel asserendæ, & ita dogmatizationem „ ipsarum omnium & singularum, cum Propositione in qua contineri dicuntur, prohibet & „ reprobat deinceps fieri, tanquam de doctrina „ in Fide, & bonis moribus erronea, sub pœnis „ à sacris Canonibus institutis.

„ De-

„ Declarat nihil ominùs eadem Synodus, quòd „ nec ab Sententia, nec ab alia lata Parisius, vel „ alibi, quæ concernat novem has Assertiones, „ vel Propositionem eas continentem, Illustris „ Princeps Johannes & Dux Burgundiæ etiam te„ netur, vel ligatur: cùm nulla, sicut accepimus, „ lata fuerit contra personam ejusdem Ducis, ju„ dicialis Sententia, sicut nec dari debuit aut po„ tuit, ipso non vocato, vel audito „

A

Super cujus quidem cedulæ lectura, publicatione & exhibitione ibidem factis, prælibatus Dominus Cardinalis Cameracensis petiit sibi à nobis Notariis publicis infrà scriptis, fieri atque tradi publicum, seu publica Instrumentum, vel Instrumenta.

Acta sunt hæc Constantiæ, Provinciæ Maguntinæ, in Aula majori Curiæ Episcopalis Constantiensis; sub Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo decimo sexto. Indictione, die & Mense quibus supra, Apostolica Sede Pastore carente. Præsentibus ibidem venerabilibus & egregiis viris, Magistris Nicolao de Gonnessia, in sacra Pagina; Jacobo de Cyresio, & Johanne Majoris, in Artibus Magistris, Laudunensis, Trecensis & Remensis Diocesum, ac aliis in multitudine copiosa testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Cod. 2538. fol. 154. Verso.

CEDULA

Data per Magistros Jordanum Morini, G. Pulchrinepotis, Domino Cardinali de Ursinis, quinta Januarii.

Hæc Cedula fuit iterum data per Joannem Gersson, Mercurii VIII. Januarii, coram Dominis Judicibus. Anno XVI.

suprà fol. 210.

SI causa Fidei circa novem Assertiones, incipiendo ab illo quod novissimè dictum est, pro parte quatuor Ordinum Mendicantium, per organum Magistri Joannis de Rocha Cordigeri; poterit haberi celerior finis in dicta causa, sine quærendo aliud interesse personale, cùm istæ Assertiones hîc habeant assertores atque defensores, nec oportebit prætereà per diversa, vel æquivoca vagari; cùm hæc causa posita sit in patenti contradictione, scilicet ista. *Ea Assertiones sunt vera. Ea Assertiones non sunt vera.*

Restat igitur solùm videre quæ pars habebit potiores rationes. Et hoc poterunt judicare non Theologi, sicut qui sunt Theologi; imò & laïci, vigentes in judicio naturali rationis, & in experientia publicæ consuetudinis. Et si reperiatur ipsas esse fallas, consequens est, de necessitate, quòd sint errores in Fide & moribus, & Judicio Fidei reprobandæ.

Ad hoc autem exequendum clariùs, honestiùs & efficaciùs, pro relatione facienda apud Nationes per vos Dominos Commissarios, videtur quòd habenda est disputatio inter paucos, ut putà duos de una parte, & duos de alia, qui apunctaciùs elucidabunt & resolvent materiam, sine contentione, quàm fieri possit per solas Scripturas, dùm homines non se mutuò intelligunt, nec in idem conveniunt.

Placeat igitur Reverendissimis ac sapientissimis Paternitatibus vestris ordinare quòd sic fiat in prima convocatione Concilii Fidei, & in sequentibus, usque ad complementum.

CEDULA

Tradita per Magistrum Stephanum Paletz, Magistrum in Theologia, Nationis Germanicæ, die Mercurii, VIII. Januarii, Dominis Commissariis in causis Fidei.

REverendissimi Patres & Domini ceteri venerandi, sicut in proxima convocatione hîc in loco fuit humiliter supplicatum, ex parte plurium Magistrorum, ut scripta Doctorum in materia novem Assertionum vestris Dominationibus præsentata, sine nominatione personarum quæ nolunt nominari, in favorem Fidei publicentur, sic ex nunc supplicatur vestris Paternitatibus, ut petitio eorum, cùm sit justa & rationabilis, exauditionis mereatur affectum; attentò quòd in materia beneficiali, vel injuriarum, ante prolationem Sententiæ sit necessarium dicta testium publicari; quantò magis in ista materia arduissima, sic solemniter, & publicè ventilata, necessarium est

B

scripta Doctorum coram Doctoribus in isto Auditorio publicari, quæ dicta testium repræsentant, cum eadem, in favorem Fidei, & testimonium veritatis Catholicæ perhibuerunt, juramento medio requisiti: attento etiam quòd Reverendus in Christo Pater, Dominus Episcopus Attrebatensis, cum scriptura super materia illarum novem Assertionum Doctoribus per vestras Dominationes injuncta & commissa, hoc idem postulavit, asserens quòd nollet stare simplici Assertioni Doctorum, in condemnatione, vel approbatione dictarum Assertionum, nisi scriberentur motiva, & probarentur per authoritates & rationes.

C

Eadem die Mercurii, Dominus Episcopus Attrebatensis coram Dominis Judicibus exhibuit quandam Cedulam hujus tenoris.

IN vestro judiciali conspectu, Patres Reverendissimi, denuntiatas dudùm quasdam novem Assertiones tradidistis examini Doctorum sacræ Theologiæ, ac Bachalareorum formatorum, quos de diversis Regionibus convenisse in unum, ac huic sanctæ Synodo assistere reperistis. Qui vestris Mandatis obtemperantes, suas opiniones dederunt, juxta vestram ordinationem, & secundùm juramentum per eosdem in vestris manibus emissum, super quæstione Proposita, & publicè ac solemniter disputata, pro sua qualibet parte.

Nunc autem suppliciter petimus, nos Ambassiatores Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, ut vestræ Comissionis Officium ulteriùs

D

peragatur, potiorem effectum colligentes salutiferi consilii, & optimæ deliberationis Doctorum, & Bachalariorum prædictorum; & eum referentes huic sacræ Synodo, ut fiat denique sessionalis atque sententialis responsio, pro salubri informatione Conciliorum Christi Fidelium, si dictæ Assertiones Judicio Fidei veniant reprobandæ, aut ne.

Nam hoc ipsum, juxta conditionem materiæ, titulo prudenter instituto, perquiritis; nec in re tanta bubulcos, rusticos, idiotas, laïcos, & igna-

naro, sed totius Orbis litteratissimos & eruditissimos consules & peritissimos sollicitè quæsivistis, &, Dei gratiâ, hîc copiosissimè invenistis.

Eia igitur, non jam videantur in hoc sacro Concilio negligi Sacrosanctæ Fidei consules, & doctissimi Theologiæ Professores, quos jussu vestro, solertissimos & sagacissimos illius materiæ digestiones, decisionesque dictis præclaris, & sententiis solidissimis, nunc institisse, diligenter & fideliter cognoscitis laborasse, ac id quod major & & sanior pars, insuspectaque Doctorum prædi- A ctorum peritia demonstrat, ad salutiferam Judicii consmmationem celeriter deducere dignemini & velitis. Hoc enim petitur instantissimè, ne querelæ de vestri Judicii tarditate materiam habeat Illustrissimus Dux Burgundiæ ante dictus, cujus interesse adjudicastis, justitia suadente.

Hoc idem poposcit frequentiùs dudùm, harum Assertionum denunciator: & ut celeriter occurratur toti mundo, ut fingit, ab hoc pereunti exemplo, ad hoc taliter qualiter Apostolicas falsi numismatis compti Sanctis*, letiferi panis, aquæ toxicatæ sive potionis, cancri serpentis ignisque accendentis.

Poposcit idipsum frequentiùs Henricus de Piro sacræ Synodi Promotor. Poposcit insuper ille idem qui vestræ modicæ dilationi, per eum æsti- B matæ contumeliosæ detrahendo, Paganos vel Judæos in Judices Fidei peroptavit. Poposcit iterum ille & sui sequaces, ut examini citissimè eadem materia præberetur & in ea concluderetur. Et id ipsum nunc poscitur à nobis præfatis Ambassiatoribus, ut de illo peritissimo ac digestissimo examine suscepta vestræ quidem circa Assertiones prætactas formatæ Questionis sanior, major atque peritior Doctorum, ac Bachalariorum prædictorum determinatio, authoritate hujus sacræ Synodi roboretur.

Et petiit ut hæc Cedula in Actis, & actiiatis hujus processus poneretur. Et petiit Instrumentum tunc sibi fieri &c.

* Locus corruptus

Cod. 2538. fol. 228. verso.

EPISTOLA C

CAROLI VI.

Francorum Regis.

Ad Deputatos à Synodo.

Discretis viris Commissariis super materiis Fidei a Sacrosancta Generali Synodo deputatis, nostris caris vinctis.†

Scripta Parisius IX. Jan.

CAROLUS, Dei gratiâ, Francorum Rex, Discretis viris Commissariis super materiis Fidei à Sacrosancta Generali Synodo deputatis nostris caris amicis: Salutem, & hæreses extirpare. D

Vestras discretiones comprobamus, quòd missos nostros Oratores ad Universalis Ecclesiæ sanctum Concilium benignè nostris in agendis excepistis, illam præmaximè Dei, & in qua vivimus Fidei, nostramque causam Propositionis defuncti Joannis Parvi, dudùm per dilectum & fidelem Consiliarium nostrum Ge. . . . . . . Episcopum Parisiensem, & Fratrem Joannem Poleti, hæreticæ pravitatis eo tunc in Regno nostro Inquisitorem, celebri convocato Concilio, catholicè condemnatæ, quam nos, & carissima filia nostra Parisiensis Universitas advoavimus; & per nostras Regni nostri civitates, Litteris nostris pulicari mandavimus; vestras discretiones in zelum Fidei requirentes, quatenùs causam ipsam, quam velut propriam deffendere voluimus & volumus, nec deserere valemus indefensam, salvo Dei, & nostræ regiæ Majestatis honore; nostrosque Oratores & Nuncios in earum defensione, quantùm Fidei fervor in vobis est, justitiæ favoribus amplecti velitis recommissos: & in hac re nostris eisdem Oratoribus, quibus per dilectum nostrum Nuncium & Oratorem Magistrum Guillelmum Monardi, Licentiatum in Decretis, nostram significari fecimus voluntatem, auditum benignum, & fidem præstare plenariam. Et si qua velitis quæ possumus, ea nobis significare curetis completur*. Datum Parisius, nona Januarii.

* *Verbum corruptum.*

CHARLES.

Sic signatum MALLIERE.

EPISTOLA

CAROLI VI.

Regis Francorum,

Ad Procuratorem suum in Curia Romana, quâ jubet ut intermissam prosecutionem de damnatione Assertionum Joannis Parvi resumat.

Ex parte Regis.

DILECTE ET FIDELIS NOSTER.

CUm nos, in pacis auctore, nostrorum Regni, & subditorum pacis habentes affectum, carissimo consanguineo nostro Duci Brebancii, Nunciisque & Oratoribus carissimæ nostræ consanguineæ Ducissæ Hollandiæ, necnon & Deputatis Communitatum trium Statuum Flandriæ, pro parte carissimi consanguinei nostri Ducis Burgondiæ missis ad nos, requirentibus nostris in sacro Constantiensi Concilio tunc Ambaxiatoribus mandassemus, ut à prosecutione Propositionis deffuncti Magistri Joannis Parvi, dudùm per dilectum & fidelem Consiliarium nostrum Parisiensem Episcopum, & Fratrem Joannem Poleti, hæreticæ pravitatis, in Regno nostro eo tunc Inquisitorem, convocato Fidei Concilio, celebriter Parisius condemnatæ, & per diversas nostri Regni civitates nostris publicatæ Mandatis, tacente eodem nostro consanguineo taceritis; nostroque nomine prosequi, partemve facere cessaretis: sperantes similiter pro dicti consanguinei nostri parte cessari, prout à prædictis, sui parte, precantibus receperamus in promissis. Die x. Jan. 1416.

Verùm, cùm nuper fide digno relatu cognovimus, pro dicti nostri consanguinei & suorum parte, dictas condemnationem, advoationem, & publicationem multis mediis impugnari, contra nostræ concessionis intentum, qui eam velut. . . . . & propriam manutenere & deffendere voluimus & volumus, nec deserere valemus indefensam, salvo nostræ Regiæ Majestatis honore. Vobis propterea mandamus, quatenùs ad dictas condemnationis deffensionem, velut nostræ Regiæ Majestatis propriam, sicut erga nos fidelis habere cupitis, viis omnibus juridicis, prout dictorum Am-

† *forte* amicis

baxiatorum & vestri, discretiones viderint expedire, celeriter & diligenter intendatis, secundùm nostras instructiones, & Litteras aliàs concessas à nobis: sic agentes in earum dissensione, prout Dei zelus, Fidei fervor, nostræque Regiæ Majestatis honor, in vestrarum diligentiarum prudentia manifestus appareat, remque tam arduam in Consistorium publicum, prout aliarum hæresum materias tractatas scivimus examinandam, si videritis expedire: requirendo Fidem de dicendis in hac re, parte nostri, præsentium exhibitori, quem propter id destinamus illuc, plenariam habentes. Datum Parisius x. Januarii. *Signé au bas.* A CHARLES. *Avec parraphe. De l'autre costé.* MALLIERE. *Et à une bande coupée du dict parchemin au bas, ou estoit le sceau, est escrit.* Dilecto & Fideli Secretario & Procuratori nostro in Curia Romana, Magistro Joanni de Riparia.*

Collationné sur l'Original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé F.N. Bazin, Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.

* *Ce mot qui est en blanc, est effacé par de l'ancre qu'on a jetté dessus qui le couvre, & tout ce que nous en pouvons voir est un* ei *ou* Dei.

CEDULA CAROLI VI.

Cod. 2538. fol. 239. verso. xvi. Jan. 1416. Lecta III. Mensis Feb.

B

Francorum Regis.

Dilectis & fidelibus nostris, Nationem, ex parte Regis, nostram Franciæ repræsentantibus in Generali Concilio Constantiensi.

Dilecti & fideles nostri.

* GRatum Deo pariter & acceptum vos impendisse credimus obsequium, dùm in Generali Ecclesiæ Concilio, illam Dei & in qua vivimus Fidei, nostramque causam Propositionis defuncti C Johannis Parvi, dudùm per dilectum & fidelem Consiliarium nostrum Gerardum Episcopum Parisiensem, & Fratrem Johannem Poleti, hæreticæ pravitatis eo tunc in Regno nostro Inquisitorem, catholicè & solemniter condemnatæ, cujusmodi condemnationem nos, & carissima nostra filia Parisiensis Universitas, ut nostis, advocavimus, & per diversas nostri Regni civitates mandavimus publicari, sinceræ veritatis, ut autumamus, *amore, favere cepistis & tueri, & quin potiùs proponitis adhærere: Vos, per viscera sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ cunctas hæreses extirpare præcipit, hortamur; vobis nihilominùs mandantes, quatenùs vestris cæptis inhærentes, & causam ipsam, quam velut propriam deffendere voluimus, & volumus, nec deserere, salvo Dei & nostræ Re- D giæ Majestatis honore, quovis modo valemus, habeatis recommissam; nostris Oratoribus & Nunciis, in ejus deffensione, favorem, consilium & solamen præstando, & in hac re nostris eisdem Oratoribus, quibus per dilectum nostrum Nuncium & Oratorem, Magistrum Guillelmum Mommardi, Magistrum in Artibus, & Licentiatum in Decretis, nostram fecimus significari voluntatem fidem cedulam præbendo. Datum Parisius x. Januarii.

CHARLES.

Sic signatum MALLIERE.

* *Lecta fuit hæc Cedula in Natione Gallicana. Die Lunæ. Tertia Mensis Februarii Anno* XVI.

JUDICIUM

Deputatorum Concilii.

Cod. 2538. fol. 304. 1416. xv. Januarii.

Quo Sententia Episcopi Parisiensis & Inquisitoris, adversùs Librum Joannis Parvi cassatur.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PRidem Dominus Balthasar Cossa, tunc Johannes Papa XXIII. quandam Commissionis, sive supplicationis cedulam nobis Jordano, miseratione divina Episcopo Albanensi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, per certum Apostolicæ Sedis cursorem præsentari fecit, quam reverenter, ut decuit, suscepimus, hujusmodi sub tenore.

BEATISSIME PATER.

DUDUM accepta occasione super quadam asserta Propositione, per quemdam Magistrum Johannem Parvi, sacræ Theologiæ Professorem, Parisius; ut dicitur facta, qui * devotus Sanctitatis vestræ filius Johannes Dux Burgundiæ prætenditur Advocatus, Reverendus Pater Dominus Gerardus, Episcopus Parisiensis, & quidam Joannes Poleti, pretensus hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ Inquisitor, ad quorundam æmulorum prosecutionem, malitiosam dictam Propositionem, tanquam, ut asserebat, à sana doctrina Fidei Catholicæ deviantem, & Libros in quibus scripta dicebatur, comburi &c. ut dicitur, sententialiter mandaverunt. A quibus omnibus idem Dominus Dux, tanquam verus Fidei Christianæ zelator Catholicus, in quantum præmissa eum, ejusque Statum, honorem, atque Fidem concernere poterant, etiam pro suæ bonæ famæ, suique Christiani nominis conservatione, ad Sanctitatem Vestram, & sanctam Sedem Apostolicam appellavit. Dignetur igitur eadem Sanctitas causam & causas appellationis, & aplationem hujusmodi, ac etiam principalis nullitatis, iniquitatis, & injustitiæ dictæ pretensæ Sententiæ, ac etiam processum † in præmissis factorum & habitorum, unà cum dependentibus, emergentibus, & connexis, tàm conjunctim, quàm divisim alicui Prælato probo viro, in Curia Romana residenti committere audiendas, decidendas, & fine debito determinandas, cum potestate citandi Episcopum & Inquisitorem prædictos, & omnes alios qui sua interesse crediderint, in Curia Romana & extra: ac etiam eis, & aliis quibus totiens quotiens opus erit inhibendi, sub pœnis formidabilibus; non obstante quòd aliàs causa & causæ hujusmodi non sint in dicta Curia legitimè devolutæ, vel aliàs finiendæ; & cum potestate etiam, præmissa omnia & singula, per Edictum publicum, in Romana Curia & alibi, si opus fuerit, & ad aliqua loca non patuerit tutus accessus, exequendi, & ex officio procedendi &c. & cum potestate restituendi, ad prosequendam hujusmodi appellationem, cum toto suo effectu, non obstante lapsu primi fatallis ‡, infra quod propter turbationes quæ fuerunt in Regno Franciæ, & quædam alia, commodè prosequi non valuit; Juribus, stilo, Constitutionibus Apostolicis, & aliis contrariis non obstantibus quibuscunque.

In fine verò dictæ Commissionis, sive supplicationis cedulæ, scripta erant de alteriùs manu littera, Litteræ superioris litteræ ipsius cedulæ prorsùs & omninò dissimili & diversa hæc verba, videlicet.

„ De

* Locus corruptus. † *fortè* processuum.
‡ *Verbum forsan nunc inusitatum.*

„ De Mandato Domini nostri Papæ; audiant „ Reverendissimi Patres Domini Cardinales de Ursinis, Aquilegiensis, & Florentinus. Citent etiam per Edictum, inhibeant & restituant, & procedant ut petitur, & deputent Promotorem ad Causam &c. & quilibet eorum procedere valeat citra conclusionem & Sententiam diffinitivam. „

Cujus quidem Commissionis, seu supplicationis cedulæ rigore, nos Jordanus Episcopus & Cardinalis, Judex & Commissarius prædictus, de dictorum Dominorum Aquilegiensis, & Florentini A Cardinalium nostrorum Collegarum, in hac parte, Mandato expresso, & voluntate in solidum; etiam virtute Commissionis procedentes, ac citatione, inhibitione, & compulsoria per nos, ad providi & circumspecti viri, Magistri Petri Couchon, præfati Illustrissimi Principis, Domini Johannis Ducis Burgundiæ principalis, in ipsa nobis facta & præsentata Commissione, principaliter nominati, per providum virum, Magistrum Johannem de Monteleonis, ipsius Domini Ducis principalem Procuratorem constitutum substituti, Procuratoris instantiam, prout de ipsorum constitutionis & substitutionis Mandatis idem Magister Petrus Cauchon coram nobis legitimè edocuit, contra venerabilem Patrem Dominum Gerardum Episcopum Parisiensem, & Fratrem Johannem Poleti Inquisitorem, ex adverso, principales etiam in B eadem nobis facta Commissione principaliter nominatos, omnesque alios & singulos sua interesse credentes, communiter, vel divisim; etiam peremptoriè decretis, & concessione & Jurisdictione nostra legitimè perpetuata, præfatus Balthasar Cossa citatione, inhibitione & compulsoria hujusmodi, ut præfertur, Decretis nondùm executioni mandatis, fuit per sacrosanctum Generale Constantiense Concilium Universalem Ecclesiam repræsentans, omni dignitate, etiam Papali, privatus & destitutus.

Deinde verò, ad dicti Magistri Petri Procuratoris præfati Domini Ducis principalis instantiam, contra præfatos Dominos Gerardum Episcopum, & Fratrem Johannem Poleti, ex adverso, principales, & alios sua interesse credentes, alias citationem & inhibitionem de novo extra Romanam C Curiam & ad partes concessimus, & decrevimus, ac per nostras certi tenoris Litteras contra eosdem Dominum Gerardum Episcopum, & Johannem Poleti Inquisitorem prædictos, aliosque omnes & singulos sua interesse credentes, eosque citari fecimus & mandavimus, quatenùs certo peremptorio & competenti termino, in eadem secunda citatione expresso, comparerent coram nobis, vel alio forsan interim, loco nostri, surrogando Judice, & Commissario, per se, vel per Procuratores suos idoneos, ad causam & causas hujusmodi sufficienter instructos, cum omnibus Juribus & munimentis, causam & causas hujusmodi tangentibus, præfato Illustrissimo Principi Domino Johanni Duci, principali, ejusve legitimo Procuratori pro eo; de & super omnibus & singulis in ipsa Commissione contentis, de justitia responsuri; ac in causa & causis hujusmodi processum & procedi visuri, aliasque dicturi, facturi, audituri, allegaturi, & receptum quod justum foret, & ordo dictaret rationis; cum certificatione quòd, sivè in dicto citationis termino comparerent, sivè non, nos nihilominùs, vel surrogatus Judex prædictus, ad omnia & singula præmissa, & aliàs, prout Juris foret procederemus, seu procederet, dictorum citatorum absentia seu contumacia non obstante, prout in dictis nostris citatoriis & inhibitoriis sigillo nostro sigillatis, ac in forma solita & consueta expeditis pleniùs continebatur.

Quibus quidem nostris secundariis Litteris in partibus, ut moris est, etiam in personis Domini Episcopi, & Fratris Johannis Inquisitoris prædictorum, & aliàs debitè executis, & de ipsis partibus, unà cum earum executionibus reportatis, & coram nobis per providum virum, Magistrum Johannem de Montejustino, in Curia Romana, & etiam præfati Domini Ducis principalis Procuratorem, prout de suæ procurationis mandato, etiam coram nobis legitimè edoctum extitit, ac nomine procuratorio ejusdem Domini Ducis judicialiter & in scriptis reproductis.

Nos tunc, Jordanus Episcopus, & Cardinalis, ac Judex, & Commissarius prædictus, de dictorum Dominorum Aquilegiensis & Florentini Cardinalium, nostrorum Collegarum, in hac parte, Mandato expresso, & voluntate, in solidum, ac etiam virtute Commissionis inter partes prædictas ritè & legitimè ad ulteriora procedentes, ad præfati Magistri Johannis de Montejustino Procuratoris instantiam, eosdem Dominum Episcopum, & Fratrem Johannem, ex adverso, principales, omnesque alios, & singulos, sua interesse credentes, & eorum Procuratores, si qui essent in Curia Romanâ pro eisdem, ad dicendum vel opponendum quicquid verbo, vel in scriptis contra hujusmodi Commissionem, citationem & exemptiones supra dictas dicere, sive opponere volebant ad certum terminum peremptorium, per audientiam publicam Litterarum contradictarum Romanæ Curiæ, fecimus & mandavimus.

In quo quidem termino comparuit in Judicio, coram nobis, dictus Magister Johannes de Montejustino Procurator, quo supra nomine, & dictam citationem audientiæ in eadem audientia debitè executam repræsentavit facto & in scriptis, citatorumque in eadem contentorum, non comparentium contumaciam accusavit, ipsosque contumaces per nos reputari petendo.

Et tunc, discretus vir, Magister Johannes Martineti, dictorum Gerardi Episcopi, & Fratris Johannis Poleti Inquisitoris, ex adverso, principalium Procurator, ibidem præsens, quoddam Instrumentum procurationis publicum, quamvis limitatum, coram nobis produxit, ac in Jurisdictionem nostram nullatenùs, ut asseruit, consentiens: nihilominùs contra Commissionem, citationem & executionem supra dictas, verbo duntaxat, excepit; protestans excipere facto, & in scriptis suis, loco & tempore congruis: & ob hoc copiam productorum, nomine procuratorio petiit; quam eidem fieri decrevimus, atque tradi volumus per hujusmodi præsentis causæ Notarium & Scribam infra scriptum.

Subsequenter verò, comparente in Judicio coram nobis præfato Magistro Johanne de Monte justino Procuratore, & quemdam Libellum, sive summariam petitionem facto, & in scriptis producente, cujus tenor sequitur & est talis.

CORAM vobis Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, videlicet Dominis Jordano Episcopo D Albanensi, de Ursinis, Antonio Aquilegiensi, & Francisco Florentinensi, vulgariter nuncupatis, Judicibus & Commissariis à Sede Apostolica, ac partibus infra scriptis, cum potestate quòd quilibet vestrum valeat &c. specialiter deputatis, proponit in Jure Procurator, & procuratorio nomine Illustrissimi Principis Domini Johannis Ducis Burgundiæ, Comitis Flandriæ, Arthesii &c. Quòd licèt condemnatio, seu determinatio opinionum in Fide insurgentium, ad solam Sedem Apostolicam spectet; nihilominùs tamen quidam Dominus Gerardus, prætensus Episcopus Parisiensis, & Frater Johan-

Johannes Poleti, pro Inquisitore hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ tunc se gerens, falcem suam in messem alienam mittentes, ac Judicium ad eos minimè pertinens temerè usurpantes, nullisque authoritate, Jurisdictione, aut alia sufficienti potestate suffulti, non vocatis neque citatis legitimè illis quorum intererat, ac nullo processu juridico super hoc facto, nec aliquo Juris ordine observato, sed penitùs prætermisso, quasdam prætensas Sententias, in quibus præfatum Dominum Ducem nominarunt, nulliter & perperam protule- A runt, & quas Assertiones quasdam, novem numero, truncatas & confictas; & quandam Propositionem, quas falsò quondam Magistro Johanni Parvi ascripserunt, tanquam Justificationem dicti Domini Ducis per eundem, ut dicebant, propositas, velut in Fide & moribus erroneas &c. temerè & de facto damnare præsumpserunt: nec non quosdam cartabellos, quos Propositionem Magistri Johannis Parvi, pro justificatione Domini Ducis factam appellarunt, licèt falsò, igne cremandos decreverunt, cremarique jusserunt; & de facto, dictas prætensas Sententias vilissimè & ignominiosè exequendo, fecerunt publicè concremari, inhibueruntque; & alia nephanda plura attemptarunt, quæ in suis prætensis Sententiis dicuntur contineri, & quæ aliàs facti immanitas patentiùs demonstrat.

Cùm igitur præfati Domini Ducis, qui in eisdem B prætensis Sententiis & processibus per expressum nominatur, & qui ab eisdem & inde subsecutis, salva eorum nullitate, tàm pro se, quàm pro sibi adhærentibus, & aliis quorum interesse poterat, appellavit, licèt obstante hujusmodi nullitate non esset appellare necesse, valdè intersit quòd prætensæ Sententiæ, & processus hujusmodi, ac præmissa omnia & singula, & alia inde secuta nullæ, nulli, & nulla declarentur, vobisque Reverendissimis in Christo Patribus, ac Dominis Commissariis prædictis nullitas præmissorum omnium cum omnibus dependentibus, incidentibus, emergentibus, & connexis, tàm conjunctim quàm divisim, per olim Johannem Papam commissa exstiterit.

Ea propter petit dictus Procurator, nomine quo supra, per vos Reverendissimos Patres, Dominos Cardinales & Commissarios ante dictos, per vestram Sententiam & Ordinationem pronuntiari, C decerni & declarari prætensos Processus, Sententias, condemnationes, cremationes, inhibitiones & executiones prædictos & prædictas, ac omnia inde secuta, fuisse & esse nullos, nullas & nulla, invalidas & invalida, cassos, cassas & cassa, ac nullius fuisse & existere roboris, nec momenti; eosque, eas & ea subjacuisse & subjacere vitio nullitatis; & quatenùs de facto processerunt per modum nullitatis cassandos, irritandos & annullandos; cassandas, irritandas & annullandas; cassanda, irritanda & anullanda fore; & per vos cassari, irritari & annullari; ipsosque per Gerardum & Fratrem Johannem Poleti Inquisitorem prædictos, & eorum quemlibet in solidum expensis in hujusmodi causa, occasione præmissorum, pro parte dicti Domini Ducis, tàm in partibus, quàm coram vobis & alibi factis, de quibus & de faciendis in * antea so- D lemniter protestatur condemnandos fore & condemnari: & super præmissis tàm conjunctim, quàm divisim & aliàs, prout convenit atque decet, justitiam ministrari, vestrum in quibus potest & debet, benignum officium humiliter implorando.

Et protestatur dictus Procurator, quòd præmissa possit corrigere, emendare &c. & quòd per ea quæ prædixit, & in posterum quomodolibet in hujusmodi causa dicturus est, non intendit se ad onus superfluæ prolationis alligare, seu astringere, sed solùm duntaxat ad ea quæ sufficiunt, seu sufficere possunt, ad intentionem suam, præfatique Domini Ducis, & aliorum quorum interest consequendam. Et ultrà protestatur quòd per præmissa, & alia quæcunque dicta, & dicenda, nihil intendit ad intentionem adversariorum, seu alicujus eorum confiteri, sed potiùs diffiteri & negare, prout diffitetur & negat.

Nos tunc ad ipsius Magistri Johannis de Montejustino Procuratoris instantiam, dictum Magistrum Johannem Martineti Procuratorem prædictum, per certum Sedis Apostolicæ Cursorem, & nihilominùs præfatos Dominos Episcopum, & Inquisitorem, per auditientiam * Litterarum contradictarum, ad dicendum & opponendum quicquid verbo, vel in scriptis contra hujusmodi Libellum, seu petitionem summariam dicere, seu opponere volebant, ad certum terminum peremptorium & competentem, citari mandavimus atque fecimus.

Quo termino adveniente, comparuit in Judicio coram nobis, præfatus Magister Johannes de Montejustino, Procurator, & citationem auditientiæ in eadem debitè executam reproduxit, dictorumque citatorum in eadem contentorum non comparentium, ac etiam dicti Magistri Johannis Martineti ibidem præsentis, nihil contra dictum Libellum, sive petitionem summariam verbo, vel in scriptis dicentium, vel nec opponentium, contumaciam accusavit, ipsosque contumaces per nos reputari instanter postulavit.

Nos tunc Dominum Episcopum, & Inquisitorem prædictos absentes, & etiam dictum Magistrum Johannem Martineti ibidem præsentem, nihil tamen contra dictum Libellum opponentes, nec excipientes, reputavimus justitiâ exigente, contumaces.

Et nihilominùs, quia dictus Magister de Monte justino asserebat se de quibusdam Litteris, sive Instrumentis, quæ, ut dicebat, venerabilis & circumspectus vir, Magister Joannes de Gersono Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, coram Judicibus in causa Fidei, seu Assertionum prædictarum per sacrum Concilium Constantiense Deputatis judicialiter produxerat, & quæ penes Notarios in eadem causa Assertionum scribentes, vel alterum eorum esse debebant, indigere.

Nos, Jordanus Cardinalis prædictus, eosdem Notarios & quemlibet eorum, instante dicto Magistro Johanne de Monte justino, ad portandum & exhibendum coram nobis Instrumeuta, seu Litteras hujusmodi primò simpliciter, & deinde ad idem secundò, sub pœna, ad certum peremptorium & competentem terminum citari & compelli, per certum Sedis Apostolicæ Cursorem, viva voce fecimus & mandavimus.

In quo quidem & secundo termino, discretus vir, Magister Conrardus de Velden, Secretarius præfati Domini Cardinalis Florentini, alter Notariorum, in prædicta causa Assertionum, & Scribarum, ad hæc de Mandato nostro citatus, & compulsus, duas Litteras, unam sigillis Episcopi, & Inquisitoris prædictorum; & aliam sigillo Serenissimi Principis Domini Regis Francorum sigillatas; in quibus quidem Litteris quædam Sententiæ per Episcopum, & Inquisitorem, super condemnatione novem Assertionum, & Propositionis prædictarum Parisius latæ continebantur, & etiam narrabantur, exhibuit & produxit: asserens idem Magister Conrardus, illas coram dictis Dominis Judicibus in causa dictarum Assertionum deputatis per præfatum Magistrum Johannem de Gersono productas extitisse.

Post-

* ut

* *fortè* audientiam, *aut* auditionem.

Post quam quidem exhibitionem dictarum duarum Litterarum, per eumdem Magistrum Conrardum, ut præmittitur, coram nobis factam, præfatus Magister Johannes de Montejustino, ibidem præsens, dictas duas Litteras judicialiter coram nobis reproduxit, in quantum faciebant pro interesse præfati Domini Ducis consequentiam, & non aliàs, nec alio modo: petens nihilominùs idem de Montejustino sigilla, & signa in eisdem Litteris apposita, & appensa, per dictum Magistrum Johannem Martineti ex adverso, Procuratorem, & quosdam alios testes quos tunc produxit, recognosci. A

Quæ signa & sigilla tunc per eosdem Martineti & alium testem, recepto ab eis per nos primitùs juramento, quòd dicerent veritatem, recognita extiterunt.

Deinde verò, instante dicto Magistro Johanne de Montejustino, nos præfato Magistro Johanni Martineti, ex adverso, Procuratori, assignavimus; nec non eosdem Dominos Episcopum & Inquisitorem, per audientiam contradictarum, ad dicendum, opponendum & excipiendum, si, & quicquid verbo in scriptis dicere, opponere, vel excipere vellent contra dictas duas Litteras, ut profertur, exhibitas & productas, ad certum & peremptorium terminum, per audientiam contradictarum citari mandavimus & fecimus. B

Quo termino adveniente, nos, ad instantiam præfati Magistri Johannis de Montejustino, coram nobis in Judicio comparentis, & citationem proximè dictam in audientia contradictarum legitimè executam reproducentis, ac etiam Dominorum Episcopi, & Inquisitoris prædictorum, nec non dicti Magistri Johannis Martineti eorum Procuratoris prædicti non comparentium, nec quicquam verbo, vel in scriptis, contra dictas duas Litteras dicentium, opponentium, vel excipientium, contumaciam accusantis, reputavimus, prout fuerunt, contumaces.

Consequenter autem, productis pro parte dicti Domini Ducis certis aliis Instrumentis, ac etiam illis, & omnibus actis causæ meritis visis & intellectis; illisque etiam in plurium Dominorum Cardinalium, ac Prælatorum, & aliorum Jurisperitorum, nec non etiam in Rota, cum Auditoribus ejusdem diversis & iteratis consilium * per nos & nostros Collegas prædictos habitis, positis & pleniùs recensitis. C

Tandem nos Jordanus, Cardinalis de Ursinis, Judex & Commissarius, unà cum, ac de voluntate, & Mandato dictorum Dominorum Aquilegiensis, & Florentini Cardinalium, nostrorum, in hac parte, Collegarum prædictorum, ipsisque volentibus & consentientibus, ad præfati Magistri Johannis de Montejustino Procuratoris instantiam, eumdem Magistrum Iohannem Martineti ad concludendum & concludi videndum, vel dicendum causam, si quam haberet rationabilem, quare concludi non deberet, allegandum; nec non audiendum per nos & Collegas nostros prædictos ferri & in scriptis promulgari Sententiam, & ad audiendum super hoc voluntatem nostram, & Collegarum nostrorum prædictorum ad certos diem & horam inferiùs annotatos, per certum Apostolicæ Sedis Cursorem: necnon Dominos Gerardum Episcopum, & Fratrem Iohannem Poleti Inquisitorem, prædicti ipsius Magistri Johannis Martineti partes ante dictas, etiam ad ipsius Magistri Johannis de Montejustino Procuratoris instantiam, ad actus & terminos prænotatos, ad diem & horam inferiùs etiam descriptos; per audientiam publicam Litterarum contradictarum Romanæ Curiæ citari fecimus & mandavimus: quos etiam diem & horam eidem Magistro Iohanni de Montejustino Procuratori instanti & petenti, ad idem & eosdem actus statuimus & diximus præfigendum. D

* *forte* consiliis.

Quibus die & hora advenientibus, comparentibus in Judicio coram nobis Magistro Iohanne de Montejustino, ex una; & Iohanne Martineti, Procuratoribus prædictis, nominibus procuratoriis quibus supra, partibus, ex altera; idem Magister Iohannes de Montejustino Procurator, dictam citationem audientiæ contradictarum in eodem debitè executam, facto & in scriptis repræsentavit, Dominorumque Episcopi & Inquisitoris prædictorum, & aliorum citatorum in eodem contentorum non camparentium, nec aliquid rationabile allegantium præfato Magistro Ioanne Martineti ex adverso, Procuratore, semper præsente, & audiente, contumaciam accusavit, ipsosque contumaces reputari, & in eorum contumaciam, unà cum eo concludi, & pro concluso haberi per nos instanter postulavit, quantumque in eo fuit, concludit in eadem.

Nos tunc, unà cum dicto Magistro Iohanne de Montejustino Procuratore concludente, & secum concludi petente, in hac causa, præfatis Dominis Cardinalibus nostris in hac parte Collegis præsentibus, volentibus, mandantibus, & consentientibus, ut præfertur, duximus concludendum, & conclusimus, habuimusque, & haberi volumus pro concluso in eadem.

Et nihilominùs præfato Magistro & Johanne de Montejustino procuratore instante, & Sententiam ferri petente; Nos, Jordanus Cardinalis de Ursinis prædictus, unà cum præfatis Dominis Aquilegiensi, & Florentino Cardinalibus, Judicibus & Commissariis, nostrisque in hac parte Collegis, ac etiam ipsi nostri Collegæ, & eorum quilibet, unà nobiscum in domo habitationis nostræ existentes, & pro Tribunali sedentes; ac de nostri, ac etiam de dictorum Dominorum Aquilegiensi, & Florentini Cardinalium, Judicum & Commissariorum, nostrorumque, in hac parte, Collegarum voluntate & Mandato; necnon de Jurisperitorum consilio, præhabita cum eisdem, ut profertur, matura deliberatione & sufficienti, ad nostram Sententiam & Ordinationem proferandam, in hujusmodi causa duximus procedendum, & processimus; eamque per ea quæ vidimus & cognovimus, ac de præsenti cognoscimus & videmus, pro præfato Domino Duce Burgundiæ, ad instantiam & petitionem dicti Magistri Johannis de Montejustino Procuratoris, & contra Dominos Gerardum Episcopum, & Johannem Poleti Inquisitorem, prædictos, in scriptis tulimus, & per præsentes proferimus, in hunc qui sequitur modum.

DE Iurisperitorum Consilio, per hanc nostram Sententiam & Ordinationem quam ferimus in his scriptis, pronuntiamus, decernimus & declaramus prætensos Processus, Sententias, condemnationes, cremationes, inhibitiones & executiones, prædictos & prædictas, ac omnia inde secuta, fuisse & esse nullos, & nulla, invalidos, invalidas & invalida, cassos, cassas & cassa, ac nullius fuisse, nec existere roboris, nec momenti, eosque, eas & ea subjacuisse & subjacere vitio nullitatis: & quatenùs de facto processerunt, per modum nullitatis cassandos, irritandos & annullandos, cassandas, irritandas & annullandas, cassanda, irritanda & annullanda fore; cassamus, irritamus & annullamus: condemnationem expensarum in hujusmodi causa coram nobis legitimè factarum ex causa omittentes.

Lecta, lata, & in scriptis promulgata fuit hæc nostra Sententia per nos Iordanum Episcopum, necnon Dominos Aquilegiensem & Florentinum Cardinales, Judices & Commissarios prædictos, per

per organum tamen nostrum atque vocem.

Constantiæ, Provinciæ Maguntinæ, Sacro sancta Synodo Universalem Ecclesiam repræsentante, ibidem in Spiritu sancto legitimè congregata, in domo habitationis nostræ, in Vesperis, nobis inibi, unà cum præfatis Dominis Aquilegiensi, & Florentino Cardinalibus nostris Collegis ad Jura reddendum, pro Tribunali sedentibus, & prædictæ Sententiæ ibidem, suis propriis manibus & nobis unà cum eis subscribentibus.

Sub Anno à Nativitate Domini M.CCCCXVI. Indictione nona, die verò Mercurii quinta decima Mensis Januarii, Sede Apostolica Pastore carente.

In quorum omnium & singulorum Fidem, & testimonium præmissorum, præsentes Litteras, sive præsens publicum Instrumentum, hujusmodi nostram Sententiam & ordinationem in se continentes, sive continens, ex inde fieri & per Antonium Notarium publicum, nostrumque & hujusmodi causæ coram nobis Scribam infrà scriptum subscribi, & publicari mandavimus, nostrique, unà cum præfatorum Dominorum Aquilegiensis & Florentini Cardinalium, nostrorum, ut præfertur, Collegarum, sigillorum appensione, jussimus communiri; præsentibus ibidem honorabilibus & circumspectis viris, Dominis Stephano de Cechano, Priore Urbis, Salvato de Pirteto Apostolicarum, & Cyno de Lombardis de Pisis, sacræ Penitentiariæ Litterarum Scriptoribus, & Johanne Baers Notario publico, cum pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Antonius Dominici de Prato, Clericus Pystoriensis Diocesis, publicus Apostolicâ & Imperiali authoritate Notarius, ac Reverendissimorum Dominorum Cardinalium de Ursinis, Aquilegiensis, & Florentini, Judicum & Commissariorum præfatorum, & hujusmodi coram eis Scriba; quia prædictæ Sententiæ prolationi, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic, ut præmittitur, per præfatos Dominos Cardinales, Judices & Commissarios, & coram eis fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi: ideòque hoc præsens publicum Instrumentum per alium, me aliis occupato negotiis, fideliter scriptum, ex inde confeci, subscripsi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis, unà cum appensione sigillorum præfatorum Dominorum Cardinalium Judicum, & Commissariorum signavi, rogatus & requisitus, in Fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

EPISTOLA

Universitatis Parisiensis,

ad Concilium Constantiense.

De Damnatione Assertionum Joannis Parvi.

Die VI. Februarii. 1416. MAgna nos spes habebat, Patres orthodoxi, & Deo amabiles Domini, confestim errores & hæreses, eos præsertim qui notoriè scandala pepererunt, pariuntque, censurâ vestri Judicii proterendos esse: hoc enim erat præcipuum, post adapertam unionis viam, in sacro Concilio peragendum; quemadmodùm de erroribus alibi terrarum seminatis, & assertoribus eorum, ubi nulli etiam ex Principibus interpellare, sed multi resistere videbantur, laudabiliter expletum conspicimus.

Putabamus hanc erga Galliam Judiciorum vestrorum piam severitatem non defore, prout in illa condemnatione saluberrima: *Quilibet tyrannus* &c. ceptum erat. Sed væ mundo à scandalis, væ nonnullis qui materiam Fidei castissima simplicitate & integritate tractandam, ac sine figura & strepitu Judicii, prophano more, & apud priscos Patres sanctos inusitato, ipsam tractare, ne dicamus involvere, conati sunt, usque ad hanc adeò perniciem, quòd ubi succindendæ fuerant hæreses, permaneant antiquæ, & novæ deteriori germine succrescant. Loquimur de damnabili, & apud nos, optimo Jure damnata Propositione defuncti olim Joannis Parvi, cum mortiferis Assertionibus suis, quæ dùm apud Cetum vestrum celeberrimum, & sanctissimum funditùs extirpari quæsitæ sunt; inventi sunt nonnulli, præsertim de Mendicantium Ordinibus, à veritate deviantes, neque attendentes quæ recta sunt, undecumque fuerit, non benè moti, qui deliberationes suas in abscondito, & sæculo tradiderunt primò: dehinc, improbitate quorumdam, priusquam debitum subirent examen, quaqua versùm, per Christianissimum Franciæ Regnum, velut autenticæ respersæ sunt, accumulantes pejores errores prioribus. Contra quorum deliberationem scripsit Theologiæ Facultas, & nos scripta laudantes insequimur.

Qua in re, si non matura celeritate provisum extiterit, radicabitur & repullulabit in dies malum tam seditiosæ, & notorie scandalosæ, hereticalisque doctrinæ multiplicis, nedùm in grandem perditionem & contagionem animarum simul & corporum, sed in maculam culpandæ dissimulationis ineluibilem, quod avertat Deus, sacratissimi Cetus vestri; ad quem idcircò querelam hanc mœstissimam deferimus, ut tota sollicitudine & vigilantia, salubre remedium curet apponere: alioquin testes sunt super nos cœlum & terra, quòd si apud nos obviare studuerimus, consueto & legitimo more nostro, per damnationem talium infœliciter repullulantium errorum, excusati & liberati sumus ab omni nota contemptûs Judiciorum vestrorum, & eorumdem expectatione, quæ in manifestum apud nos, & forsitan exteros cederet, in Fide & moribus detrimentum. Quod Regem decebat, id peregit; cùm suprema ejusdem Regis, & sui Parlamenti Curia, & suum salubre Consilium eandem damnarint, & per Regnum decreverint prohibendam.

Nos autem inquisitione facta, per inscriptionem Theologorum, Magistrorum, Bacallariorum & Licentiatorum spontè factam, usque ad numerum centum quadraginta, & ampliùs; eam iterum damnandam comperimus: similisque insuper Canonistarum, Doctorum, Bacallariorum, & Licentiatorum facta declaratio. Unde semper in illa veritatis firmitate manebimus, à qua nemo potest fidelis resilire, si non, contemptâ conscientiâ, periculis animam temerè exposuerit. Res cognita, res digesta vobis judicanda præsentatur, quam jam Lex divina & Decalogus ipse dijudicat.

Sola restat vestræ Sacræ Congregationis prolatio.

Agite igitur, ut cum Fide Justitia; cum Pietate Veritas elucescat: nec sic impunè sacra Scriptura mundano favore polluatur, & invidiâ, odiisque terrenis lacessita succumbat.

Dignetur ergo vestræ Congregationis sanctissimæ colenda beatitudo, nos ab hac formidine, ab hoc periculo, ab hac contagiosissima labe, quæ ut cancer serpit, quantò citiùs liberare, ut veritas liberet vos: in qua benè valete, & vincite; nostris

Nostris Ambassiatoribus qui huc usque vestro sacro consorcio interfuerunt, nostroque venerabili supposito, Magistro Henrico Pistoris, Magistro in Theologia, & Priori Ecclesiæ sancti Victoris prope Parisios, viro moribus & scientia probato, portitori præsentium, semper in hac causa, cœterisque in agendis, pro parte nostra, fidem & audientiam concedentes.

Scriptum Parisius, in Congregatione nostra Generali, apud sanctum Maturinum solemniter celebrata, die sexta Mensis Februarii.

Au bas signé, en l'endroit qu'on signe les Lettres.

Vestri humiles Rector, & Universitas Studii Parisiensis.

Laquelle Lettre est pliée en trois, & l'adresse est.

Sacro sanctæ Constantiensi Synodo Generali, in Spiritu sancto legitimè congregatæ. *Avec le grand sceau sur la mesme Lettre.*

Collationné sur l'Original en papier, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy F. N. Bazin, Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.

Cod. 2538. fol. 131.

SCHEDULA SENTENTIÆ,

Producta per D. C. Cameracensem, in præsentia Dominorum Judicum in causis Fidei, Die Sabbati VIII. *Februarii. Anno* XVI.

Recogitans hæc Sacrosancta Synodus Constantiensis, se divino munere congregatam esse, ad procurandum totis conatibus, ea quæ ad pacem nedùm spiritualem, sed temporalem respiciunt; quod utique fieri nequit, nisi vera Fides, quæ per dilectionem operatur, inviolata subsistat: sentiens prætereà quòd in Christianissimo Franciæ Regno divisiones plurimæ subortæ erant, quæ, Domino miserente, & ad concordiam clementissimi Regis animum, cum suis Principibus & Baronibus inclinante conquiescunt; unde congaudet in Domino hæc sancta Synodus, & gratias agens, congratulatur actoribus talis pacis, conservatoribusquè fidelibus.

Ipsa nihilominùs eadem Synodus satagens, exemplo boni Medici, tollere radicitùs occasiones divisionum hujusmodi, ne deinceps nimia facilitate repullulentur; & attendens quòd durantibus iis divisionibus, fuerunt super materiis quarumdam Assertionum nunc per quosdam publicatarum, verbo, vel scripto, nunc per alios reprobatarum, contentiones variæ perlatæ etiam ad sanctam Sedem Apostolicam; deinde ad hanc Synodum Constantiensem, super quibus, quoniam Fidei, moraliumque Præceptorum veritatem directè concernunt, si non apponeretur finis debitus, non est dubium spiritualem inde tranquillitatem, ac temporalem posse turbari.

Qua in re, præhabitis deliberationibus maturis, & recepto communi consensu partium hîc existentium, declarat hæc Sacro sancta Synodus, decernit & diffinit, propter præmissas & alias rationes, ad ea faciendum moventes, quòd IX. Assertiones judicialiter coram Commissariis super omnibus causis Fidei etiam denunciatæ, non sunt dogmatizandæ, sustinendæ, vel asserendæ; & ita dogmatizatores ipsarum omnium & singularum cum Propositione in qua contineri dicuntur, prohibet & reprobat deinceps fieri, sub pœnis à Sacris Canonibus institutis, sed sunt reprobandæ; & ita prohibet, & reprobat, tanquam falsas & scandalosas, non intendens Juri alicujus personæ, vel honori præjudicare, seu quamlibet * derogare; cùm nullus particularis assertor, seu deffensor earumdem coram hac Synodo fuerit judicialiter accusatus.

Prohibet insuper propter certas rationes, dogmatizationem deinceps fieri cujusdam Propositionis, quæ diversis & variis exemplaribus inventa est & inscripta, sub nomine defuncti Magistri Johannis Parvi: super qua Propositione illustris Princeps Jo. Dux Burgundiæ protestationes multas publicè fecit, quarum unam huc direxit per Litteras sigillo suo & signo proprio manuali roboratam, continentem inter cetæra talem verborum formam.

„ Considerent, rogo, circumspectiones vestræ, quòd licèt immeritus de Domo Franciæ originem duxi, quæ Dei gratiâ monstris hæreticæ pravitatis contaminata nusquam fuisse legitur, Patre non solùm Catholico, verùm ferventissimo zelatore Fidei progenitus, & ardentissimo prosecutore unionis Ecclesiæ, filio Regis Franciæ, non Theologus, non eruditus subtilitatibus Fidei; sed firmiter credens & confitens simpliciter quæ nobis per Christum, per Apostolos, & per sanctam Matrem Ecclesiam tradita sunt; utpotè Christianus Princeps, miles & laïcus, paratus non solùm credere quæ sancta Mater decreverit Ecclesia; sed etiam tueri & deffendere manu militari, usque ad effusionem proprii sanguinis, & meos subditos ad ea credenda & deffendenda compellere, si sit opus.„

Sequitur.

„ Me vestra Synodus sacratissima Catholicum teneat, vestris diffinitionibus factis & fiendis, ceterorumque sacrorum Conciliorum hujusmodì adhærentem, non valentem quicquam sustinere quod sit erroneum, vel contrarium sanæ doctrinæ, seu Fidei orthodoxæ: & si per approbationem præmissam sic generaliter factam, scilicet de Propositione Magistri Johannis Parvi, veniat & intelligatur aliquid approbatum, quod per sanctam Matrem Ecclesiam decerneretur contrarium veritati Fidei orthodoxæ, vel sanæ doctrinæ; vestro Cœtui sanctissimo notifico, me nunquam intellexisse, voluisse, vel velle talia approbare, & ea supplico pro non dictis vel approbatis per vos haberi, quæ corrigenda diffinitionibus vestris submitto.„

Qua protestatione, & humili submissione pensatis, decernit hæc eadem sancta Synodus, eundem Illustrem Principem Ducem Burgundiæ habendum esse in hac parte Catholicum; cùm huic diffinitioni in materia IX. Assertionum præmissarum eum sentire speramus.

Declarat insuper eadem Synodus quòd à nulla Sententia Parisius, vel alibi lata, concernente prædictam Propositionem Magistri Johannis Parvi, vult eumdem Illustrem Ducem teneri vel ligari; cùm nec aliqua, sicut fertur, lata fuerit contra personam ejusdem Ducis judicialis Sententia.

Denique commonet & hortatur hæc sacra Synodus præfatum Ducem, quatenùs ipse, sicut generosum decet & Christianum Principem, nullis pravæ suasionis stimulis moveatur, occasione præteritorum gestorum, vel dictorum in iis Fidei materiis, ad exercendum contra personam quamcunque rancoris vel odii fomitem: sed in Christi caritate, quæ *Non irritatur*, & *congaudet utilitati* †. 1. Cor. XIII. 6. sint omnia pacifica, sicut omnes ad unum pacis æternæ finem nitimur pervenire.

Se-

* Quomodolibet. † veritati.

*Sequitur quædam parva * primò tradita per Dominum Cardinalem Cameracensem Ambassiatoribus Domini Ducis Burgundiæ per † Concordia &c.*

HÆC sancta Synodus declarat, quòd per præmissam condemnationem novem Propositionum, vel etiam per condemnationem nuper factam de illa Propositione. *Quicunque tyrannus* &c. eadem Synodus non intendebat, nec intendit Juri alicujus personæ, seu famæ ipsius, vel honori præjudicare, seu quomodolibet particulariter derogare, cùm nullus particularis assertor, seu deffensor earumdem, coram dicta Synodo fuerit judicialiter accusatus.

Producta & exhibita per Dominum Cameracensem, die Sabbati VIII. *Februarii, coram Dominis Commissariis, & lecta publicè per . . . . . suum Secretarium: super qua Dominus Cameracensis petiit Instrumentum, præsentibus* &c.

† *forte deest* Cedula. * *forte* pro.

XXIX. & XXX. Cod. 2538. fol. 235. verso.

L I B E L L U S

Ex parte Ducis Burgundiæ oblatus Synodo Constantiensi.

S I V E

Requesta exhibita & lecta coram Commissariis &c. & de ea petita sunt Instrumenta, die XVIII. Februarii post prandium, in Aula Palatii. Anno XVI.

Reverendissimis Patribus, Dominis Judicibus in causis Fidei, per hoc sacrum Concilium Deputatis, pro parte Illustrissimi Principis Ducis Burgundiæ, humiliter de sequentibus supplicatur.

ET primò, cùm quædam novem Assertiones per aliquos zelum Fidei non habentes confictæ, & quondam Magistro Johanni Parvi malitiosè & falsò impositæ fuerint, in læsionem memoriæ ejusdem Magistri Johannis Parvi; ac etiam in præfati Domini Ducis scandalum & jacturam; & per quemdam Magistrum Jo. Gersson, quamvis calumniosè, denunciatæ in præsenti Concilio extiterint: petunt & instanter requirunt Ambassiatores, & Procuratores præfati Domini Ducis per V. R. P. eumdem de Gerssonno declarari & pronunciari à dicta denunciatione calumniosè destitisse, prout aliàs pluries extitit petitum per eosdem.

Secundò, cùm in causa dictarum novem prætensarum Assertionum, justè & rationabiliter decreveritis, & fueritis interlocuti, præfatum Dominum Ducem habuisse & habere interesse, ipsumque ad illud admiseritis, à quibus minimè fuit appellatum: petunt iidem Ambassiatores & Procuratores, quòd super petitis in Libello, pro parte ipsius Domini Ducis coram vobis oblato, velitis, juxta formam & conclusionem ejusdem, Justitiam ministrare.

Tertiò etiam, quia dictæ novem prætensæ Assertiones, quarum occasione præfatus Dominus Dux multipliciter sine causa in suis fama, nomine, & honore præclarissimis læsus fuit, atque tactus, post publicam & plenissimam apparitionem materiæ earum, pro & contra, de Mandato V. R. P. factam, fuerunt traditæ Magistrorum Licentiatorum & Bachalariorum in Theologia Formatorum A examini, qui medio juramento per eos in manibus vestris, seu per vos, vel Deputatorum præstito, super eisdem Assertionibus, suas opiniones etiam juxta ordinationem vestram tradiderunt.

Ea propter supplicant Ambassiatores & Procuratores prædicti, pro quantò præfatum eorum Dominum, modo prætacto tangunt, aut tangere possunt; quatenùs absque ulteriori mora, opiniones prædictas, illis tamen rejectis, quæ meritò sunt repellendæ, nec non omnia actitata in processu prætensarum IX. Assertionum hujusmodi, fideliter hujus sacri Concilii Nationibus referre, illaque in scriptis redigi, & etiam signis & subscriptionibus plurium Notariorum communiri facere dignemini; ut sic, iis mediantibus, præsens sacrum Concilium, Justitia mediante, judicet & terminet, si prædictæ Assertiones sint Judicio Fidei reprobandæ, vel ne: aut aliàs diffiniat id quod B Jus & Justitia suadebunt.

Has autem petiones & requestas pluries factas, & nunc repetitas, petunt Ambassiatores & Procuratores prædicti in Actis causæ inseri, & de iis sibi fieri publica Instrumenta, unum, vel plura, ad futuram rei memoriam.

R E Q U E S T A

Domini Symonis de Teramo Advocati &c.

Exhibita coram Dominis Commissariis in causa Fidei. die XVIII. *Mensis Februarii. Anno Domini* M. CCCC. XVI. Cod. 2538. fol. 236.

C REverendissimi in Christo Patres & Domini. Quemadmodùm vestræ Dominationes audiverunt, venerabilem & circumspectum virum, Magistrum Guillelmum Mommardi, Nuncium & Oratorem Christianissimi Principis, Domini Caroli Francorum Regis Illustrissimi, suam credentiam prudentem exposuisse.

Ego Symon de Teramo hujus causæ, pro parte promotionis ejusdem, per easdem vestras Dominationes deputatus, atque sacri Consistorii Apostolicæ Sedis Advocatus, non recedendo, sed potiùs inhærendo jam dictis & expositis per præfatum Magistrum Guillelmum; requiro, postulo, & humiliter peto, ut supra dictum Dominum Guillelmum Mommardi, Nuncium & Oratorem Regium, & alios in Romana Curia Procuratores ejusdem Domini Regis, pro interesse præfati Chri- D stianissimi Francorum Regis ante dicti admittere, eisque, & mihi Promotori causæ hujusmodi copiam processus in hujusmodi Fidei causa agitati decernere, & communicare velitis: & protestor quòd ante Decretum hujusmodi processus, ad ulteriora in ipsa causa procedere minimè debeatis.

Item, quòd præfatus Magister Guillelmus, & alii præfati Christianissimi Regis Procuratores, & Ambassiatores, & præcipuè in materia existentes, ad hujusmodi causam, & ejus prosecutionem admittantur, eo quod prædictus Dominus Francorum Rex suum singulare prætendit interesse, & sui Regni; præsertim ex hoc quòd ipsæ novem Asser-

Assertiones ex Propositione Joannis Parvi, pro justificatione prætensa nefandissimæ necis inclytæ recordationis Domini Ludovici quondam Ducis Aurelianensis, dilectissimi & unici fratris Regis Francorum ante dicti, infideliter & scandalose composita, extractæ sint.

Item, ne ipse Christianissimus Rex de errore argui possit, ex quo Assertiones illas tanquam erroneas subprimi, aboleri & cassari, & ut à Fide A & moribus devias denunciari in suo Regno jussit & fecit.

Item, ne pervertatur fidelitas in subditis Regni sui, versùs Superiores & Dominos.

Item, ne pervertatur debita politia, & civile regimen in Regno suo.

Item, ne scandala in ejusdem Regno essent, quæ ex dictis Propositionibus, seu Assertionibus, si non damnarentur, possent in ejus Regno contingere, & evenire; & ex aliis pluribus quæ in facto ex quo Jus resultat, cum expediet, deducentur.

Et protestor quòd ad actus aliquos non procedatis, in hac causa, nisi ad illos; nisi ipsis Nunciis & Procuratoribus dicti Domini Regis primitùs evocatis, & solemniter requisitis.

Item, simili modo requiro, supplico & peto, quatenùs, Reverendissimi Patres, consideretis sta- B tum, conditionem & qualitatem personarum, à quibus votum in hac causa suscipitur.

Item, quòd illis consideratis, deliberationes & opiniones Magistrorum in Theologia, & aliorum in ipsa causa Fidei vota sua deliberantium & dantium, & nomina eorumdem publicare, atque in publico legi facere velitis; ut numeri ad numerum, zeli ad zelum, ac rationum ad rationem, suppositionum ad supposita calculis præhabitis, supra dictæ necis fundamento ex qua ortæ sunt attento, possimus ad veram earumdem devenire condemnationem. Et protestor quòd aliis ordine, modo, seu forma, ad decisionem relationum, seu aliam dispositionem in hac causa faciendam minimè procedatur.

Præterea vos, Reverendissimum Patrem, & Dominum Cardinalem Cameracensem requiro, hortor, & quantùm instantiùs possum deprecor, C ut attentâ vestrâ præcellenti & glorificatâ scientiâ, efficaciter, velut unus Judicum inter ceteros non minimus, per olim Joannem Papam XXIII. & hoc sacrum Concilium Generale deputatus estis, velitis honorem & onus assumere, præfatas Assertiones, & earum errorem examinandi, unà cum præfatis Dominis meis Commissariis hîc præsentibus; illumque errorem, unà cum ante dictis referendi, & condemnandi, quatenùs Commissio vobis omnibus facta patitur, & ut tenemini veritatem Fidei summoperè defensare, quacumque excusatione semota: cum prætensæ suspitionis causæ, pro parte Ducis Burgundiæ, & suorum Procuratorum confictæ fuerunt; & sunt, salvâ confingentium reverentiâ, falsæ, insufficientes, & minus legitimæ, prout easdem intuenti patet. Vosque Reverendissimos Patres & Dominos, supra dicti Domini Cameracensis Collegæ, & Conjudices, sub Omnipotentis districto Judicio, D obtestor & requiro, ut eumdem Dominum Cardinalem Cameracensem vestrum Collegam ad audiendum, disputandum, & judicandum, ut unum ex vobis admittatis, & ex nunc admittere velitis, & quòd aliàs, ipso absente, contempto, vel irrequisito minimè procedere debeatis: protestans aliàs de contemptu ejusdem, & nullitate processûs.

De & super quibus &c. peto à vobis Notariis publicis & Tabellionibus subaltantibus personarum testimonio confici publicum Instrumentum.

SYMO DE TERAMO,

Advocatus, ut suprà.

Item, protestor quòd non procedatur cum personis suspectis. Nomina autem vestrorum Collegarum quos suspectos habeo, sunt videlicet, Dominus Cardinalis de Ursinis. Dominus Cardinalis Aquilegiensis. Dominus Abbas Clarevallis; & Magister Ursinus Taillevande.

Rejecta fuit hæc cedula præcedens, & contra eam datæ exceptiones generales, die XXI. Februarii: & posteà & in continenti, fuit porrecta quædam supplicatio tria puncta continens, quæ habetur per tria folia ante; de qua fuerunt petita Instrumenta: & nihilominùs quòd insererentur in Actis causæ, & præter Notarios Judicum, fuit petitum Instrumentum à Magistris Joanne Pilon, & Guidone, Procuratore Episcopi Bajocensis.

EPISTOLA

CAROLI VI.

Francorum Regis.

Ad Joannem de Gersono, & alios Oratores suos ad Concilium Constantiense, ut negotium Joannis Parvi urgeant.

CAROLUS, Dei gratiâ Francorum Rex.

Dilectis & fidelibus nostris, Jacobo Archiepiscopo Turonensi, Magistro Joanni de Gersono, Jordano Morini, Guillermo Pulcrinepotis, & Petro de Versailles, sacræ Theologiæ Professoribus, Ambaxiatoribus nostris, Salutem, & dilectionem, diligentiamque. De commissis nostris, dilecti & fideles, quod etsi timor Dei, Zelus * naturæ nexus clara nostri Christianissimi tituli, nostrorumque progenitorum sedula Justitiæ laus, famosissimum Libellum, hæreticalem, scandalosum, humani fœderis æmulum, Propositionem Magistri Joannis Parvi, quam in fronte *Justificationem Burgundiæ Ducis* intitulat actor ejus, dudùm per dilectum & fidelem Consiliarium nostrum Gerardum, Episcopum Parisiensem, & Magistrum Joannem Poleti, ex tunc in Regno nostro hæreticæ pravitatis Inquisitorem, nobis exortantibus, convocato Theologiæ veritatis, humanique Juris Professorum cœtu celebri catholicè condemnatam, nostram Regiam Majestatem cogerent victrici Justitiæ brachio prosequi: Regnum tamen nostrum ut intestinis à dissensionibus diù valdè concussum, pacemque pernecessariam propemodùm exulem, proprii nominis pretio redimeremus, sperantes in pacis auctore, pacis effectum; voluimus in Regno nostro pacem firmiter stabiliri, ne subditis nostris ad arma prosilientibus, sceptrum nobilissimum Regni nostri fluere, collabi, ruere, donec ad extremas miserias non cessaret. Et ab inde carissimo consanguineo nostro Duce Brebancii, carissimæque consanguineæ nostræ Comitissæ Hollandiæ Nunciis, Oratoribus etiam tripartiti Status, patriæ nostræ Flamigorum supplicibus victi precibus, pro parte consanguinei nostri Ducis Burgundiæ missis ad nos: vobis ac aliis nostris tunc Ambaxiatori- bus

Die II. Martii 1415.

* Locus corruptus.

bus ad Universalis Ecclesiæ sanctæ Synodi Conventum præsentibus, per Regia nostra scripta mandassemus; ut a prosecutione sceleratissimi illius Libelli, viperatæque fecis ejusdem, tacente eodem consanguineo nostro supersederetis; sperantes, ipsius pro parte, sic agi, ut à prædictis, suo nomine, precantibus, receperamus in promissis. Sed nobis obedienter nimiùm tacentibus; contra nostræ concessionis intentum, condemnationes, advocationes, publicationes, & causam ipsam impugnari cùm audivissemus, dilectum Magistrum nostrum Guillermum Monardi, cum nostris Regiis A instructionibus & Mandatis ad vos, ut causam, & rem ipsam Dei, Fidei, nostramque propriam, loquentes cum fiducia verbum ejus, nomine nostro deffenderetis, transmisimus. Verum & quod nuperrimè audivimus, fide digno relatu, tres Cardinales, sub obreptitiæ Commissionis expiratæ pretextu, prætermisso quidem, ne dixerimus vel omisso, sed everso Juris ordine, Consiliarii nostri, & Inquisitoris Procuratorum, in causam quam palam nimiùm gravaverant à suo relaxati Judicio, spreta Justitia, quo spiritu ducti non videmus, processum quem tanti rigoris examen coaservatus tantorum Theologiæ, Juriumque peritorum numerus, longâ temporis morâ visitavit, unico verbo damnaverunt; & nedùm damnare contenti, vicio subjacere nullitatis sæpe dictum processum decreverunt.

Hanc igitur inauditam gloriosi nostri nominis ignominiam, si molestè, si egrè ferimus, si denique vehementer offendimur in ea qua verbis Justitiæ nostra damnatur inaudita sed repulsa Justitia. Quis nisi morbo rationis eger ignoret, cujus sana existimatio est hæc; ut unde Jura nascuntur, inde talis injuriæ procedat occasio Christi † laterales Legis Decalogum, sic potente expugnarent.

Vestris igitur discretionibus, sub fide qua nostræ Regiæ Majestati confidentiùs ab experto scimus exercitas * districtiùs injungimus, & vestrum cuilibet, præhabita matura magni Consilii nostri deliberatione, præcipiendo mandamus, ut pro domo Dei vos murum opponentes, vice nostra, sicut Fidei zelus, nostri Regni decor, in votis vestris est, seduliùs solito, ceteris abjectis, causam hanc Dei & nostram, quam cùm ipsius adjutorio relevare intendimus, sincerissimè deffendere, prosequi & agere, juridicis quibuscumque viis, non cessetis: nonobstante quòd aliàs, ut dictum est, à nobis habuissetis in Mandatis, ut, ipso cognato nostro desistente, supersederetis; universis Regni nostri subditis, atque nostris præcipientes, parte nostra, ut in hiis auxilium, consilium vobis præbeant & juvamen, ceteros exortando, ut vobis ad id opem præstent efficacem: sciturí quòd neglectum quem feceritis in hiis, vos & ipsi, infidelitatis vicio comparabimus, & vobis adversantes Deo & nostræ Majestati reputabimus adversari.

Datum Parisius, secunda die Mensis Martii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto; & Regni nostri trigesimo sexto.

A costé, un peu bas du present extraict est signé: PER REGEM *avec un petite paraphe. Et plus bas, sur le milieu, signé* MALLIERE *avec paraphe, scellé du grand sceau du Roy, en cire jaune, a deux faces, attaché au mesme parchemin.*

Collationné sur l'Original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé. F. N. BAZIN, *Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.*

† Locus corruptus. * Locus corruptus.

EPISTOLA
CAROLI VI.
Francorum Regis.

Qua Procuratores instituit, qui negotium Joannis in Concilio Constantiensi prosequantur.

CAROLUS, Dei gratiâ Francorum Rex.

UNiversis Christi fidelibus salutem, & præsentibus indubiam dare fidem. II. Martii

Cœlestis nostris Christianissimis progenitoribus 1415. facta repromissio, nullis fore temporibus gloriosi sui sceptri ruituram coronam, si in suorum Regnorum Dominiis recta Fides nesciret occasum, nostram coëgit Majestatem, ut Libellum famiosissimum, scandalosum, Propositionem Magistri Joannis Parvi, quam *Justificationem Ducis Burgundiæ*, sui in Libelli fronte descripsit, jam tunc in hac nostra Parisiensi civitate venenosè serpentem, per dilectum & fidelem Consiliarium nostrum Gerar- B dum, Parisiensem Episcopum, & Magistrum Joannem Poleti, hereticæ pravitatis in Regno nostro tunc Inquisitorem, examinari requireremus; quam exinde, convocato Theologicæ veritatis, & utriusque Juris Concilio celebri, condemnatam advocavimus, & per diversas nostri Regni civitates mandavimus ad Dei laudem publicari: quæ omnia nuper audivimus contra Juris ordinem cassata, vicioque nullitatis in gloriosi nostri nominis ignominiam subjacere declarata fuisse, è quibus scandalosis innumeris damnis semita lata per nimiùm aperitur.

Nos igitur, sperantes in eo per quem prospera cuncta succedunt, fidelis initii fœlicem exitum de dilectorum nobis in Christo fidelium Reginaldi Remensis, Jacobi Turonensis Archiepiscoporum, Magistrorum Joannis de Gersonno, Jordani Morini, Guillermi Pulcrinepotis, & Petri de Ver- C sailles, sacræ Theologiæ Professorum, Guillermi Monnardi Licentiati in Legibus, Joannis Campani Licentiati in Decretis, & Simonis de Grandis Procuratoris in Curia Romana, & eorum cujuslibet circumspectâ prudentiâ, solertique diligentiâ, certam gerentes ab expertis artibus fiduciam quoque, per eos gestâ, nostro nomine, ratificando, ipsorum & eorum quemlibet in solidum facimus, nominamus, constituimus, & creamus nostros veros, certos & indubitatos Nuncios, Oratores, Procuratores, negotiorum gestores, ad prosequendum nomine nostro, & pro nobis, condemnationem dictæ damnatæ Propositionis, sive Libelli, Assertionumque ejusdem, per modum & formam simplicis querelæ, adhæsionis appellationis; aut aliam D quamcumque, impugnationemque quorumcumque processuum adversùm nos, honorem, aut famam nostris, & Regni nostri, aut dictos nostros Consiliarium & Inquisitorem, & eorum quemlibet, occasione damnatæ Propositionis ante dictæ, vel Assertionum in eadem contentarum, deppendentiarum, incidentiorum emergentium, quovis modo factorum, aut fiendorum, per quoscumque Judices, Auditores, Commissarios, Cardinales, aut alios, authoritate sacrosanctæ Generalis Constantiensis Synodi, aut alia quavis constitutos, deputatos, aut datos, aut constituendos, sive dandos, aut deputandos, quomodolibet in futurum,

turum, ipsos Judices, & eorum quemlibet suspectos recusandum, dicendum & arguendum; aliosque sibi, nomine nostro, dari requirendum, causamque totam ac materiam dictæ Propositionis, & quascumque ejus sequelas, deppendentias, emergentia, & connexa, coram sacrosancta Synodo, & in plena Sessione, sive coram Fidei Commissariis, deputatis, aut deputandis, evocari petendum, & requirendum, coram eadem sancta Synodo, aut deputatis, aut deputandis ab eadem, ac aliàs, ubi, & quandocumque pro nobis, & nomine nostro comparendum, petendum & requirendum, famæ, honoris, & Regii nostri nominis, adversùs quoscumque, cujuscumque dignitatis, gradûs, authoritatis & præeminenciæ, etiamsi Cardinalatûs, aut Episcopalis existant reintegrationem, restitutionem, & prosecutionem: & generaliter ad comparendum coram quibuscumque Judicibus ordinariis, sive delegatis, & coram eisdem, & eorum singulis agendum, prosequendum, & deffendendum quascunque causas Fidei criminales, Ecclesiasticas, civiles; injuriarum, verbalium, & realium nos, & Regnum nostrum modo quovis tangentes, contra quascumque personas: dantes & concedentes dictis Procuratoribus nostris, & eorum cuilibet, in solidum, plenam & liberam potestatem, ac Mandatum speciale, præmissa omnia, & singula faciendi, necnon dicendi, petendi, exercendi, & Judicio standi, & comparendi. Libellum, & Libellos, & quascumque petitiones & requisitiones summarias, & alias dandi, & offerendi, ac recipiendi, eisque respondendi, & responderi postulandi, excipiendi, replicandi, duplicandi, triplicandi & quadruplicandi: litem, seu lites contestandi; contestatas lites prosequendi, de calumnia vitanda & de veritate dicenda. In animam nostram jurandi, & subeundi cujuslibet alterius generis licitum juramentum quod postulat ordo Juris. Ponendi, proponendi, & Articulandi; additiones & declarationes dandi, responsionibus & Articulis respondendi, & suis respondere faciendi & petendi, ac, si necesse fuerit, probandi. Litteras remissorias, ad partes, nobis fieri, & decerni petendi, & obtinendi. De loco & Judicibus conveniendi, & concordandi: Judices & Notarios eligendi. Articulos, exceptiones & alia pro parte nostra data, & danda admitti. Petendi testes. Instrumenta, Litteras, Jura; & quæcumque alia probationum genera producendi, & productis ex adverso objiciendi. Et de productis omnibus, actitatis, & attestationibus copiam nobis decerni petendi: testes jurare videndi, & in eos, & eorum dicta dicendi. Crimina & deffectus opponendi. Beneficium absolutionis, & restitutionis in integrum, & ad cautelam, semel, & pluries, quandocumque opus fuerit implorandi, petendi, & obtinendi. Quascumque Litteras & Rescripta impetrandi; protestandi: exceptiones cujuscumque generis dandi, interrogatoria faciendi, Judicis Officium implorandi, in causa & causis concludendi, renunciandi, renunciarique & concludi petendi: Sententiam & Sententias tàm interlocutorias quàm diffinitivas ferri petendi, & audiendi, & ab ea, seu eis, & quolibet alio gravamine nobis illato, seu inferendo, semel, & pluries provocandi, & appellandi; appellationemque & provocationem hujusmodi ac nullitatum causas prosequendi, & finiendi, ac finiri faciendi, & petendi Apostolicas instanter, & instantissimè, petendi & recipiendi Litteras, & quascumque Commissiones. Justitiam, vel gratiam in se continentes impetrandi, & obtinendi, & impetratis ex adverso opponendi, contradicendi, & excipiendi, paciscendi, concordandi, & transigendi. Unum, vel plures Procuratorem, seu Procuratores loco sui, & cujuslibet ipsorum, cum simili potestate substituendi; & eum, vel eos, quando majori parti ipsorum placuerit, & videbitur faciendum, revocandi, & onus procurationis hujusmodi in se reassumendi, & iterum, totiens quotiens substituendi; præsenti procuratorio nihilominùs semper in suo robore duraturo. Et generaliter, omnia alia, & singula faciendi, dicendi, procurandi, & exercendi in præmissis, & quolibet eorum quæ nos facere, dicere, & exercere possemus, si præsentes & personaliter interessemus, & quæ causarum & negotiorum merita desiderant, & requirunt: etiam si talia sint quæ Mandatum exigant magis speciale. Promittentes in verbo Regio, & bona fide, nos gratum, ratum, firmum & stabile habituros quidquid per dictos nostros Procuratores, & eorum quemlibet actum, gestum, dictum fuerit, vel procuratum in præmissis, & ea tangentibus, connexis, emergentibus, deppendentiis & sequelis &c. Dicti nostri Procuratores totiens quotiens, pro dictarum nostrarum causarum, & negotiorum utilitate, & tuitione, de subditis nostris, & Regni nostri, tot tantas & tales personas, de quibus eis & eorum cuilibet visum fuerit accommodum congregent, convocent, & convocari faciant; qui dictis agendis assistant, cum eisdem auxilium consiliumque præbeant, & juvamen, & ea faciant quæ sibi duxerint injungenda. Quibus mandamus, ut in præmissis, & quolibet præmissorum pareant, tanquam nobis. Dictos nostros procuratores, & eorum quemlibet, ab omni satisdationis onere, & quibuscumque dandis cautionibus relevantes, per expressum, & hiis præsentibus, ubique terrarum relevatos esse volentes.

In quorum omnium robur, & testimonium præmissorum, præsentes Litteras nostrum procuratorium continentes, Regii nostri sigilli fecimus appensione muniri. Datum Parisiis, secunda die Mensis Martii, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, & Regni nostri XXXVI. PER REGEM. *Au bas du parchemin, & a gauche, & un demy poulse au dessous, & tant ce peu advancé sur le milieu.* MALLIERE *avec paraffe.* Et au milieu une bande de parchemin pendant, au bout de la quelle est le sceau du Roy en cire Jeaune.

Collationné sur l'Original conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy F. N. Bazin, Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.

INSTRUCTIONES QUÆDAM

Cod. 2558. fol. 344. 1416.

Pro Archiepiscopo Colocensi.

Memoria Reverendissimo in Christo Patri, Domino Archiepiscopo Colocensi, super referendis sacræ Imperiali Majestati, super factis Illustrissimi Domini Ducis Burgundiæ.

Deliberata in sancto Stephano, ubi fuit Dominus Augustinus. XIV. Martis, horâ quâ dabantur Apostoli &c. refutatorii Gerssonitis. Anno 1416.

PRimò. Quòd ab adventu Nuntiorum dicti Domini Ducis ad hoc Concilium, per sacram Imperialem Majestatem, & Johannem tunc Papam, fuit eis injunctum, quòd in causa Assertionum &c. supersederetur, ne perturbaretur processus unio-nis

nis Ecclesiæ. Cui jussioni humiliter paruerunt.

Item. Quòd adversariis importunè instantibus, oportuit eosdem Nuncios defensivè, licèt invitos, venire ad causam, in qua processus completus & publicatus est, per quem clarè liquet quòd de octuaginta quatuor vocibus Magistrorum, Licentiatorum & Bachalariorum formatorum in sacra Pagina, plusquam sexaginta clarè deposuerint pro parte dicti Domini Ducis Burgundiæ; paucissimis remanentibus clarè in opinione contraria, exceptis iis qui sunt pars formata, numero decem, vel circa.

Et propterea pars dicti Domini Ducis summè cuperet hanc causam, mediante Justitia, terminari.

Si tamen sacræ Imperiali Majestati videtur supersedendum in causa, ex causis animum suæ Majestatis moventibus; non usque ad Ecclesiam * Summi futuri Pontificis; sed usque ad proximum futurum Concilium supersedendum foret: præsertim quia Summus Pontifex, in primordiis suæ assumptionis, pro universalis status Ecclesiæ reparatione erit multifariàm occupatus; nec Concilium, post assumptionem Summi Pontificis, posset usque ad finem præsentis causæ, qui verisimiliter prolixus erit, commodè continuari; nec ex natura sui, hæc causa Fidei debet per Papam, sine Concilio, rationabiliter terminari, præsertim cùm per Concilium fuerit inchoata, practicata, & quasi conclusa.

Ceterùm, dignentur vestræ Reverendissimæ Paternitates attendere, ut sacra Imperialis Majestas, postpositis quibuscumque malivolorum susurris, ad honorem & commodum sacri Romani Imperii, & suæ Majestatis se convertere, attenta antiqua & sincera affectione ipsius Domini Ducis circa suam Majestatem, quam in partibus Hungariæ & Turchiæ potenter, & magnificè demonstravit: attento insuper magnifico desiderio memorandæ vindictæ, ad quam totis cordis visceribus anhelat idem Dominus Dux, pro execranda strage & effusione Christiani sanguinis, eodem Domino Duce præsente, & captivato, dudum per Turchos execrabiliter perpetrata. Attentis insuper variis, & prænotabilibus obsequiis, in quibus idem Dominus Dux, tàm in Franciæ, quàm in Italiæ partibus poterit, prout & debet, quia vassallus Imperii, & summè cupit fideliter obedire.

Et pro iis omnibus, Reverendus Pater Dominus Episcopus Attrebatensis, & Dominus Vicedominus Remensis, Ambassitores dicti Domini Ducis, per suas Litteras, ad prædicta omnia, omni suo ingenio inducent, & exhortabuntur dictum Dominum Ducem: qui indubiè sperant quòd vestræ Reverendissimæ Paternitates eundem Dominum reperient votivè inclinatum, & promptum ad omnia Mandata sacræ Imperialis Majestatis.

* *forte* Electionem

AUGUSTINUS.

Cod. 1538. fol. 288 verso.

APPELLATIO GERSSONITARUM

à Commissariis in causis Fidei.

XIX. Martii 1416.

ANno M. IIIJ. XVI. Indictione nona. Sede Apostolica vacante Pastore. Die Jovis XIX. Mensis Martii: inter quintam & sextam horas, post meridiem. In Palatio Episcopali Constantiensi, coram Dominis Judicibus in causis Fidei deputatis; illis tunc in loco eorum solito pro Tribunali sedentibus: fuit judicialiter interposita præsens appellatio per Symonem de Theramo, tanquam Advocatum Ambassiatorum Regis Christianissimi Franciæ, videlicet Johannis de Gerssonno, Jordani Morini, G. Pulcrinepotis, & Fratris Petri de Verseilles, ibidem præsentium; & manualiter per dictum Symonem judicialiter dictis Commissariis tradita, dicentem, protestantem, & appellantem, prout in cedula continetur, petens Instrumentum &c. Præsentibus Andrea Bernardi. Pe. Salomonis, sacræ paginæ Professoribus; & nobis Conrardo de Velden, G. Picardi, & Jo. Baers, Notariis & Scribis in causis Fidei, ac pluribus aliis testibus &c.

Licèt vos Reverendissimi Patres, & Domini, Domini Judices, & Commissarii, ad extirpandum hæreses, & errores quoscumque Fidei contrarios, ac sacro sanctæ Generali Constantiensi Synodo specialiter deputati, certas Requestas, tàm pro parte Christianissimi, ac Illustrissimi Domini Caroli Francorum Regis, per suos Oratores, Ambassiatores & Nuncios, quàm pro parte Magistrorum Symonis de Theramo, Henrici de Piro, hujus causæ pro parte promotionis, atque sacri Consistorii Apostolicæ Sedis Advocati, ac Promotoris, à sacro Concilio prædicto deputatis factas, recipere & admittere debuissetis. Ex quibus quidem Requestis, & aliis in Judicio, coram Dominationibus vestris productis, & exhibitis; constitit & constat, præfatum Christianissimum Francorum Regem, in causa hujusmodi suum singulare prætendere interesse; certis de causis & Requestis eisdem, per Dominum Symonem Advocatum prædictum factis, contentis coram Vestris Dominationibus productis, & exhibitis; & aliis loco & tempore, si opus fuerit latiùs declarandis: de quo solemniter protestati fuerunt Oratores, Ambassiatores, & Nuncii, atque Advocatus, & Promotor ante dicti, & adhuc protestantur. Nihilominùs Requestas ipsas per eosdem Dominos suprà scriptos factas, & Ambassiatores ejusdem Domini Regis ad causam ipsam admittere & recipere non curastis; quin imò id saltem tacitè recusastis, ad alias deliberationes, & Tractatus in hac causa per vos habitos, & actus alios deveniendo, sivè deveniri decernendo, in ipsius Christianissimi Francorum Regis, Regnique sui, & Regnicolarum, totiusque Christianæ Religionis, Ambassiatorumque, Oratorum, & Nunciorum, Advocatique, & Promotoris prædictorum præjudicium non modicum, & gravamen. Eapropter Ambassiatores, & Oratores, & Nuncii, Advocatus, & Promotor prædicti, sentientes se, & dictum Christianissimum Francorum Regem ex præmissis gravatos & oppressos, fortiùsque in posterum gravari, & opprimi dubitantes; à vobis omnibus & singulis, vestraque audientia totali, ac non admissione præfati Christianissimi Francorum Regis, pro suo interesse, & supplicationibus hujusmodi, & justitiæ recusatione, & aliis gravaminibus ex actis causæ hujusmodi colligibilibus, ad sacro sanctum Generale Concilium Constantiense, à quo vos estis Deputati, & sanctam Sedem Apostolicam, in his scriptis provocant & appellant: ac Apostolos primò, secundò, tertiò, instanter, instantiùs, & instantissimè, per vos sibi dari petunt. Et protestantur quòd præmissa possint corrigere: quodque ad aliquos actus non procedatis, hujusmodi appellatione pendente, nisi ipso Christianissimo Francorum Rege, aut ejus legitimo Procuratore, sive Ambessiatoribus, Oratoribus, & Nunciis prædictis a. . . . Protestantur etiam quòd, hujusmodi appellatione pendente, nihil innovetur. De, & super quibus omnibus & singulis, prædicti Am-

a Nota quòd hic deficit unum verbum; & ita in originali.

Ambassiatores, Oratores & Nuncii, Advocatus, & Promotor prædicti petunt sibi fieri & confici Publicum, seu publica Instrumenta, unum, vel plura.

CEDULA

EPISCOPI ATTREBATENSIS,

Cod. 2538. fol. 234.

Ne Christianissimi Regis nomine, negotium Joannis Parvi prosequantur.

XXIII. Mensis Martii, habita in Natione Gallicana. Anno XVI.

Cedula Attrebatensis in Natione Gallicana. XXIII. *Mensis Martii, nominibus quibus supra, per Magistrum Jo. lecta Notariis ejusdem Nationis, præsente dicto Givardi, Magistro Symone, & supra qua petiit sibi fieri Instrumentum à Notariis; specialiter à Magistro Jo. Givardi prædicto, & Jo. Baers.*

CUM Magister Symon de Teramo, nescio quo ductus spiritu, intendat gloriam singularem Christianissimi Regis Francorum maculare, eo quòd nititur, ut ex ejus verbis apparet, eumdem Dominum Regem trahere in causam Fidei, secundùm communem modum loquendi quorumdam; & in qua, ut dicitur, tractatur materia hæresis: vel sub suæ Majestatis colore, quærit processum Fidei impedire; quæ quantùm sunt scandalosa & vituperabilia Christianissimæ Domui Franciæ clarè vident eidem benè & fideliter servientes, & eam sinceriter diligentes.

Quapropter nos Ambassiatores Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, suæ sincerissimæ fidelitati quam habet ad præfatum Christianissimum Regem Dominum nostrum Superiorem inhærentes, & ego in speciali, M. Episcopus Attrebatensis, fidelis & juratus Consiliarius ejusdem Domini Regis; requirimus, quatenùs dictus Magister Symon sufficiens ad hoc Mandatum exhibere compellatur, aut manifestè dicat qui sunt illi qui posuerunt hæc verba in ore suo, cùm non vellet confictor eorumdem reputari: & consequenter requirimus, & requiro, nominibus quibus supra, omnes Regnicolas dicti Regni Franciæ, ut defensioni honoris præfati Domini nostri Regis viriliter assurgentes, nobiscum assistant ad prosecutionem validam faciendam super reparatione honoris dicti Domini Regis, jam læsi per dictum de Teramo. Contra quem protestamur quòd nisi aliud Mandatum ostenderit, & adinventor prædictorum, non immeritò debebit reputari. Singulariter verò Procuratorem ejusdem Domini nostri Regis requirimus, & requiro de præmissis.

Notarii sunt, Jo. Givardi, & Baers, ad faciendum Instrumentum specialiter, cum omnibus aliis ibidem præsentibus & requisitis.

INSTUMENTUM

Oppositionis,

Contra Symonem de Teramo. Anno XVI.

Cod. 2538. fol. 244. verso. XXIV. Martii 1416.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PEr hoc publicum Instrumentum cunctis notum sit & pateat evidenter, quòd Anno à Nativitate Domini, M. CCCC. XVI. Indictione nona; & die Martis XXIV. Mensis Martii, horâ septimâ post mediam noctem, Apostolica Sede vacante; & Sacro sancto Generali Concilio Ecclesiam Universalem repræsentante, in civitate Constantiensi, Provinciæ Moguntinæ, residente: convocata præclara & insigni natione Gallicana, de Mandato Reverendi in Christo Patris & Domini, Domini Johannis, miseratione divina, Episcopi Gebennensis, tunc ejusdem Gallicanæ Nationis Præsidentis; & in magno Refectorio Domûs Fratrum Prædicatorum Constantiæ, ut est moris, solemniter congregata, pro nonnullis punctis, & Articulis sacrum Concilium, & ipsam Nationem concernentibus deliberandis, pertractandis, & concludendis, & posteà per ipsum Concilium expediendis. In qua quidem Congregatione interfuerunt Reverendi in Christo Patres, Domini Domini Johannes Patriarcha Constantinopolitanus, Aniciensis, Tholonensis Episcopi, & alii Episcopi, Abbates, ac egregii & famosi Domini, & Magistri sacræ Theologiæ Professores, utriusque Juris, & in altero ipsorum Jurium Doctores, & Licentiati, in Artibus & Medecina Magistri, Bachallarii, & alii notabiles viri circumspecti, in grandi numero. Post aliqua proposita & deliberata in eadem Natione, præfatus Reverendus Pater Dominus Præsidens posuit in deliberatione ejusdem Nationis, quòd Domini Reverendissimi Judices & Commissarii, in omnibus causis Fidei per hoc Sacrum Concilium deputati, petierant, & requisiverant, in favorem Fidei, ut meliùs, ac magis maturè, & deliberatè procedere valerent in dictis causis Fidei, quòd dicta inclyta Natio Gallicana, quæ viris litteratis & scientificis clarere dignoscitur, eligeret, daret & deputaret decem Notabiles viros, Magistros, & Doctores, tàm Prælatos, quàm alios, pro assistendo, & consulendo, ac audiendo, & videndo cum ipsis Dominis Judicibus processus & causas materiam Fidei concernentes.

Quo quidem Articulo sic in deliberatione Nationis posito; & egregio Legum Doctore, Domino Symone de Teramo, Advocato Consistoriali Curiæ Romanæ, ipsam Nationem intrante, & coram dicto Domino Præsidente dictæ Nationis, ac nostrûm Notariorum infra scriptorum præsentia, personaliter constituto, Venerabiles & circumspecti viri, Magistri Johannes de Gersonno, Jordanus Morini; Guillelmus Pulcrinepotis; & Frater Petrus de Versailles, Christianissimi Principis Domini nostri Regis Francorum Nuncii; & Ambassiatores ibidem tunc præsentes: per organum tamen dicti Magistri Guillelmi Pulcrinepotis, sacræ Paginæ Professoris, nomine Ambassiatorio dicti Domini Regis, petierunt & requisiverunt, quatenùs dictus Dominus Symon de Teramo audiretur super certis per eum proponendis, antequam super hujusmodi Articulo, de dictis decem personis eligendis procederetur, vel deliberaretur.

Et tunc Reverendus in Chisto Pater & Dominus, Dominus M. Attrebatensis Episcopus, Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ Ambassiator, huic petitioni factæ, & audientiæ se op-

ponendo dixit, quòd casu quo dictus Dominus Symon Advocatus vellet aliquid, nomine dicti Christianissimi Regis Francorum proponere, & loqui de quodam processu pendente coram dictis Dominis Commissariis, tàm super nullitate Sententiæ Episcopi Parisiensis, quàm etiam super novem Assertionibus hujusmodi, niteretur & vellet periculosè involvere, prout aliàs, nomine dicti Domini Regis, in ipsius, suique honoris, nominis gloriosi, & Regni Christianissimi grave scandalum, periculum, & jacturam, tàm coram dictis Dominis Judicibus, quàm in hac Natione insigni proposuerat, & involvere nisus fuerat, sine Mandato, vel advoatione quibuscunque; ipse Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine Ambassiatorio prædicto, & tanquam dicti Domini nostri Regis Consiliarius juratus, se omninò opposuit quòd dictus Dominus Symon non audiretur, nisi priùs doceret de Mandato super hoc à dicto Domino Rege sibi facto, vel alia advoatione sufficienti, de quibus nondum docuerat; licèt pro parte dicti Domini Ducis super hoc fuisset requisitus.

Quâ oppositione dicti Episcopi Attrebatensis non obstante, dictus Dominus Symon Advocatus, instanter, & iteratò, requirentibus dicti Domini nostri Regis Ambassiatoribus, concessâ sibi per dictum Dominum Præsidentem, de consensu majoris partis Nationis, audientiâ, & facto silentio in eadem Natione: quamplura, & diversa, super materia dictarum novem Assertionum, & nullitatis Sententiæ dicti Domini Episcopi, ibidem vocatus, & requisitus per Ambassiatores Regis, tanquam Advocatus, pro defensione hujusmodi causæ, per Dominos Judices, & Commissarios causarum Fidei specialiter deputatus, eleganter proposuit; narrando, inter alia, qualiter dicti Domini Ambassiatores Christianissimi Regis Francorum, se coram dictis Dominis Commissariis causarum Fidei petierunt admitti, ad defensionem causæ dictarum novem Assertionum, pro intresse dicti Domini Regis; & alias Requestas fecerunt, quas iidem Domini Judices, & Commissarii minimè admittere curaverunt, imò denegaverunt, saltem tacitè.

Quapropter ipsi Domini Ambassiatores ab ipsis Dominis Judicibus appellaverunt: propter quam quidem appellationem dicebat nihil fore innovandum, cùm eorum Jurisdictio, & Judicium esset suspensum; nec ad electionem decem personarum prædictarum, ad petitionem dictorum Dominorum Judicum, minimè fore procedendum.

Verumtamen dixit, in casu quo ipsa venerabilis Natio ad electionem dictarum personarum procedere vellet, supplicavit quatenùs eligerent personas tales quæ partibus non suspectæ essent, quæ potestatem haberent corrigendi minùs benè gesta per dictos Dominos Commissarios in causis Fidei, & etiam cognoscendi de causa suspicionis contra nonnullos ex dictis Dominis Judicibus, quos ibidem dixit se non velle nominare: & plura alia dixit & proposuit; ac etiam duas parvas papyri cedulas legi fecit, quas penès Notarios Nationis dimittere noluit, licèt ad hoc, ut copia de eisdem haberetur, per dictum Dominum Attrebatensem super hoc fuisset instanter requisitus.

Ad quæ quidem proposita, tàm dictus Dominus Attrebatensis Episcopus, quàm etiam Dominus Arduicinus de Novaria, Advocatus, pro parte dicti Domini Ducis, multùm notabiliter, & eleganter responderunt. Et inter alia, dictus Dominus Episcopus Attrebatensis ostendit quamplura pericula, & inconvenientia quæ sequi possent, si dictus Dominus noster Rex Christianissimus involveretur in materia & processibus Fidei, maximè ad sustinendum unam partem, vel alteram, in materia Fidei dubia: quia, cùm litium eventus dubii sint, & dictus Dominus noster Rex cadere & deficere posset de consequendo intentum, & partem suam obtinendo, quod esset in maximum scandalum dicti Domini Regis, & Regni Francorum, ac totius Domûs Regiæ, suique nominis gloriosi, & Christianissimi: quodque ob minorem* Petrus de Luna, & sui complices, aliàs nisi sunt imponere maculam in Regno & Domo Franciæ; & nomen illud gloriosum delere; & sic nimirùm, si hoc in præsenti Concilio, ubi quamplures variæ Nationes existunt, & aliquæ non multùm benivolæ ad ipsum Regem & Regnum, formaliter in casum & eventum prædictos, ita facere conarentur. Quapropter instanter requisivit dictum Dominum Præsidentem, ut ad electionem dictarum decem personarum procederet; & quatenùs compelleret dictum Dominum Symonem, ad dicendum de sufficienti Mandato; vel quòd faceret se super eum ibidem propositum advoari. Et super hoc exhibuit quandam papyri cedulam tenoris subsequentis.

Cùm Magister Symon de Teramo, nescio quo ductus spiritu, intendat gloriam singularem Christianissimi Regis Francorum maculare; eò quod nititur, ut ex ejus verbis apparet, eundem Dominum Regem trahere in causam Fidei, secundùm communem modum loquendi, & in qua, ut dicitur, tractatur materia hæresis: vel, sub suæ Majestatis colore, quærit processum Fidei impedire: quæ quantùm sunt scandalosa, & vituperabilia Christianissimæ Domui Franciæ, clarè vident eidem benè & fideliter servientes, & illam sincerè diligentes.

Quapropter nos Ambassiatores Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, suæ sincerissimæ fidelitati, quam habet ad præfatum Christianissimum Regem Dominum nostrum Superiorem inhærentes; & ego, in speciali, M. Episcopus Attrebatensis, fidelis & juratus Consiliarius ejusdem Domini Regis, requirimus, quatenùs prædictus Magister Symon sufficiens ad hoc Mandatum exhibere compellatur; aut manifestè dicat, qui sunt illi qui posuerunt hæc verba in ore suo, cùm non vellet eorundem autor reputari: & consequenter requirimus, & requiro, nominibus quibus supra, omnes Regnicolas dicti Regni Franciæ, ut defensioni honoris præfati nostri Regis viriliter assurgentes, nobiscum assistant ad prosecutionem validam faciendam super reparatione honoris dicti Domini Regis jam læsi: & nisi aliud Mandatum ostenderit, confictor & adinventor prædictorum non immeritò debebit reputari. Singulariter verò Procuratorem ejusdem Domini nostri Regis requirimus, & requiro de præmissis.

Quâ quidem cedulâ sic exhibitâ, & in dicta Natione per me Johannem Guiardi, ipsius Nationis Notarium publicè & altâ voce lectâ, etiam audiente dicto Magistro Symone de Teramo, ac copiâ ejusdem, per dicti Domini nostri Regis Ambassiatores petitâ, & per Dominum Præsidentem concessâ & decretâ; prælibatus Dominus Attrebatensis Episcopus, & honorabilis vir, Dominus Petrus Cauchon, Vicedominus Remensis, nomine Ambassiatorio dicti Domini Ducis Burgundiæ, petierunt sibi, ad omnem futurum eventum, tàm super exhibitione, & lectura cedulæ hujusmodi, quàm super omnibus aliis, & singulis præmissis; tàm per nos Notarios publicos infra scriptos, quàm per quoscunque alios Notarios in eadem Natione tunc præsentes, fieri sibi & tradi publicum Instrumentum, & publica Instrmenta, unum,

* Locus corruptus.

unum, vel plura; totam ipsam Nationem in testimonium præmissorum omnium, & singulorum, invocando.

Acta fuerunt hæc, sub Anno, Indictione, Mense, die, hora, & loco prædictis: præsentibus Reverendis in Christo Patribus, Dominis Johanne, Patriarcha Constantinopolitano. Ogerio Episcopo Augustensi. Jo. Abbate Cisterciensi. Magistris Jo. Ademare. Nicolao de Gonnessia. Et Fratre Johanne de Rocha, Ordinis Fratrum Minorum, sacræ Theologiæ Professoribus, & nonnullis aliis Dominis Episcopis, Abbatibus, Magistris, & Doctoribus, ac aliis notabilibus personnis diversorum statuum, graduum & Ordinum, in magno, & grandi numero, & multitudine copiosa, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et quia ego Johannes Baers, Clericus Morinensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali authoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, & subscripta sunt, agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus supra, & Notariis publicis, infra scriptis, præsens interfui, eaque sic vidi fieri & audivi, ac in notam recepi. Idcircò huic publico præsenti Instrumento, manu aliena fideliter scripto, propria manu me subscripsi, & signum meum publicum hîc apposui consuetum, rogatus, & requisitus, in testimonium veritatis omnium præmissorum.

Et ego Johannes Riviani, Canonicus Antisiodorensis, publicus Apostolica authoritate Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur, dicerentur, & fierent, unà cum prænominatis Dominis, testibus ac Notariis publicis, supra & infra scriptis, præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi, ac in Notam recepi. Ideò hoc præsens publicum Instrumentum manu aliena fideliter scriptum, propria manu subscripsi, & signo meo publico consueto signavi, in fidem & testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus.

Et me Pasquerio de Vallibus, Clericus Ambianis oriundo, publico Apostolica & Imperiali Authoritatibus Notario, qui præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, unà cum testibus prænominatis, & Notariis supra scriptis præsens interfui, eaque omnia & singula sic fieri vidi & audivi. Ideò huic præsenti publico Instrumento manu aliena fideliter scripo, signum meum, me hîc propria manu subscribendo, apposui consuetum, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum; requisitus.

Cod. 2538. fo. 294. xxiv. Martii 1416.

INSTRUMENTUM

De verbis Magistri Jordani Morini prolatis in Natione Gallicana, XXIV. Martii, in contumeliam Judicum in causis Fidei &c. Anno XVI.

In nomine Domine. Amen.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum, cunctis pateat evidenter, quòd Anno à Nativitate Domini millessimo quadringentesimo sexto decimo. Indictione nona. Apostolica sede Pastore carente. Die verò XXIV. mensis Martii, in civitate Constantiensi, Provinciæ Maguntinæ, in qua sacrum Generale Concilium celebratur, & residet, in præsenti; Reverendus in Christo Pater, & Dominus Johannes, Dei gratiâ Episcopus Gebennensis, inclytæ & famosæ Nationis Gallicanæ in dicto Concilio existentis Præsidens: dictam Nationem, ut est fieri consuetum convocavit, & congregavit, dicta die Martis, horâ septimâ post mediam noctem, pro nonnullis in dicta Natione, & per ipsam Nationem deliberandis, sacrum Concilium concernentibus, & post eorum deliberationem expediendis. Quâ quidem Natione, die & hora prædictis, in Refectorio magno Domûs Fratrum Prædicatorum, ubi dicta Natio congregari consuevit, solemniter congregatâ. In qua Congregatione interfuerunt Domini Patriarcha Constantinopolitanus, nonnullique Episcopi, & Abbates, Magistri in Theologia, Doctores utriusque Juris, seu in altero ipsorum Jurium Licentiati, in Artibus & Medicina Magistri, Bachallarii; & alii notabiles & famosi viri, in grandi numero; ipsisque sedentibus & audientibus, dictus Dominus Præsidens proposuit multa in dicta Natione, & per ipsam Nationem deliberanda.

Inter quæ proposuit, quòd Domini Judices per sacrum Concilium dati, ordinati & deputati, ad cognoscendum de causis materiam Fidei tangentibus & concernentibus, petierunt & requisierunt propter favorem Fidei, ut meliùs, ac magis maturè & deliberatè procedere valerent in dictis causis Fidei, quòd dicta inclyta Natio Gallicana, quæ viris litteratis & scientificis abundare dignoscitur, eligeret, atque daret decem notabiles viros, Magistros & Doctores, ipsosque deputaret, & ordinaret, ad assistendum & consulendum eis, ac examinandum, & videndum cum ipsis processus & causas materiam Fidei concernentes.

Qua Propositione facta; statim, & antequam ad alia procederetur, Domini venerabiles & famosi Magistri, Johannes de Gersono, Jordanus Morini, Guillelmus Pulcrinepotis, & Dominus Petrus de Versailles, Prior Prioratus de Calvomonte, Parisiensis Diocesis, Serenissimi Christianissimique Principis Domini Francorum Regis Ambassiatores, petierunt & requisierunt audiri Magistrum Symonem de de Teramo, utriusque Juris Doctorem, Advocatum Consistorialem.

Et in continenti Reverendus in Christo Pater, Dominus M. Episcopus Attrebatensis, dixit quòd in quantum Dominus Advocatus proponere vellet aliquid, pro parte Domini nostri Regis, quod tangeret materiam quarundam novem Assertionum materiam Fidei, ut à nonnullis asseritur, continentium, quod cederet in impedimentum Justitiæ, & ipsum Dominum nostrum Regem in processu dictarum novem Assertionum periculosè involveret, prout aliàs coram dictis Dominis Judicibus nisus fuerit, quòd non audiretur, nisi priùs doceret de Mandato & potestate sua.

Et posteà Magister Jordanus Morini, & alii Domini Ambassiatores præfati Domini nostri Regis, requisiverunt quòd audiretur, propter favorem Fidei, & præfati Domini nostri.

Et tandem præfatus Dominus Præsidens, imposuit omnibus silentium: & de consensu omnium dictæ Nationis ibidem existentium, nullo tunc aliter contradicente, fuit ordinatum quòd dictus Magister Symon Advocatus audiretur: & fuit multùm & spatiosè auditus; & multùm eleganter proposuit de pluribus & diversis, inter quæ materiam dictarum novem Assertionum coram dictis Judicibus in materia Fidei deputatis denunciatarum, seriosè deduxit & proposuit.

Post cujus Propositionem, præfatus Dominus Episcopus Attrebatensis, & egregius Doctor Dominus

minus Arduicinus de Novaria, Consistorialis, ac Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ Advocatus, pro parte ipsius Domini Ducis, in continenti multùm eleganter, contra proposita per dictum Magistrum Symonem Advocatum seriosè replicarunt.

Tandem verò venerandæ circumspectionis & scientiæ vir, Magister Jordanus Morini, sacræ Theologiæ Professor, petitâ etiam per eum à dicto Domino Præsidente, & obtentâ audientiâ, ad dicendum & proponendum in hujusmodi materia quæ dicere & proponere vellet: dixit inter A cetera publicè, quòd multùm mirabatur de modo tento per dictos Dominos Judices in materia Fidei deputatos, & quòd modus per ipsos tentus in causis Fidei est malus, perniciosus, injuriosus, periculosus & scandalosus Fidei; & hoc est paratus, atque vult palam & publicè coram omnibus sustinere.

Posteà, cum licentia dicti Domini Præsidentis, Magister Ursinus Taillevande, & etiam Dominus Abbas Clarevallensis, Cisterciensis Ordinis, qui sunt de Conjudicibus in dicta materia Fidei, per sacrum Concilium deputatis & ordinatis, dixerunt quòd hoc quod dixerat idem Magister Jordanus, tangebat eos, & quòd hoc erat malè dictum. Et iterum Magister Jordanus eadem verba replicavit; dicens ulteriùs quòd erat magis periculosus & scandalosus quàm ipsa materia Assertio- B num in se, & magis indigens reformatione.

Et in continenti, ex permissione dicti Domini Præsidentis, venerandæ circumspectionis & scientiæ vir, Dominus Johannes de Gersonno, sacræ Theologiæ Professor; locutus fuit & pauca dixit: sed dixit quòd Magister Jordanus Morini prædictus benè dixerat, & quæ dixerat erant vera, & stabat cum eo in præmissis.

Quibus per Reverendum Patrem Dominum Episcopum Attrebatensem, & venerabilem, & circumspectum virum Magistrum Petrum Cauchon auditis & intellectis; ipsi, & tanquam Ambassiatores præfati Domini Ducis Burgundiæ, & tanquam membrum hujus sacri Concilii; & etiam dicti Domini, Abbas Clarevallensis, & Ursinus Taillevande, pro se & aliis Conjudicibus, & Collegis C suis, in causis Fidei deputatis, & in quantum verba prædicta per dictum Magistrum Jordanum publicè dicta veniunt in contumeliam dicti sacri Concilii & suam, revocarent. Et de præmissis petierunt, & requisierunt plura, publicum & publica, Instrumentum & Instrumenta, per nos Notarios publicos infra scriptos, & quemlibet nostrum, ibidem tunc præsentes: præsentibus Reverendis in Christo Patribus, Dominis Johanne, Patriarcha Constantinopolitano; Ogerio Episcopo Augustensi; Johanne Abbate Cisterciensi; Magistris Johanne Ademare, Nicolao de Gonessia, & Fratre Johanne de Rocha, Ordinis Fratrum Minorum, sacræ Theologiæ Professoribus, & nonulliis aliis Dominis, Episcopis, Abbatibus, D Magistris, & Doctoribus, ac aliis notabilibus personis diversorum Statuum, Graduum & Ordinum, in magno & grandi numero, ac multitudine copiosa, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et quia ego Johannes Baers, Clericus Morinensis Diocesis, publicus Apostolicâ & Imperiali auctoritatibus Notarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, & subscripta sunt dicerentur, proponerentur, replicarentur, agerentur & fierent; unà cum Dominis testibus supra, ac Notariis publicis infra scriptis, præsens interfui, eaque dici, peti, proponi, replicari, fieri, vidi & audivi, ac in notam recepi. Idcircò huic præsenti publico Instrumento super indè confecto, aliena manu fideliter scripto, propria manu, unà cum Notariis publicis infra scriptis me subscripsi, & signum meum publicum hîc apposui solitum, rogatus & requisitus, in testimonium veritatis & singulorum præmissorum.

Et quia ego Iohannes Viviani, Canonicus Antisiodorensis, publicus Apostolica authoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic, ut præmittitur, dicerentur, proponerentur, replicarentur, agerentur & fierent, unà cum Dominis testibus supra, ac Notariis etiam supra & infra scriptis, præsens interfui, eaque sic dici, peti, proponi, replicari & fieri vidi & audivi, ac in notam recepi. Ideò huic præsenti publico Instrumento inde confecto, aliena manu fideliter scripto, manu propria, unà cum Notariis publicis supra & infra scriptis, me subscripsi, & signum meum publicum apposui solitum, in fidem & testimonium præmissorum, requisitus & rogatus.

Verum quia ego Guido Syolle de Nanto, Bisuntinensis Diocesis Clericus, in Artibus Magister, publicus authoritate Apostolica Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut superiùs scripta sunt, agerentur, dicerentur & fierent, unà cum testibus & Notariis præscriptis & nominatis, præsens & personaliter interfui; eaque sic fieri vidi & audivi. Ideò hîc me manu propria subscribens præsens publicum Instrumentum aliena manu fideliter scriptum, signo meo solito signavi, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

Et me Pasquerio de Vallibus, Clerico de Ambianis oriundo, publico Apostolica & Imperiali authoritatibus Notarius, qui præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, fierent, & in dicta Natione Gallicana, unà cum prænominatis testibus & Notariis præsens interfui, eaque sic fieri vidi & audivi. Ideò huic Instrumento aliena manu fideliter scripto, me propria manu subscripsi, & signum meum, quo in talibus utor, apposui consuetum, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus.

CONCLUSIONES

Nationis Gallicanæ.

Circa petitiones Joannis Gersonis, & Episcopi Attrebatensis.

Cod. 2538. fol. 241. verso.

In nomine Domini. Amen.

PEr hoc publicum Instrumentum cunctis notum sit, & pateat evidenter, quòd Anno à Nativitate Domini M. CCCC XVI. Indictione nona. Die verò Jovis, vicesima sexta Martii, ante meridiem: XXVI. Martii 1416. Apostolica Sede vacante, & sacro sancto Generali Concilio, Ecclesiam Universalem repræsentante, in Civitate Constantiensi, Provinciæ Moguntinæ residente: convocata præclara & insigni Natione Gallicana, de Mandato Reverendi in Christo Patris, & Domini Domini Johannis, miseratione divina Episcopi Gebennensis, tunc ejusdem Gallicanæ Nationis Præsidentis, & in magno Refectorio Domûs Fratrum Prædicatorum Constantiensium, ut est moris, solemniter congregata, pro nonnullis punctis, & Articulis illa die deliberandis, & concludendis, & expediendis: in qua quidem Congregatione interfuerunt Reverendi in Christo Patres, & Domini, Domini Iohannes Patriarcha Constantinopolitanus; Aniciensis, Tholonensis Episcopi, & alii Episcopi, Ab-

Abbates, ac egregi & famosi Domini Magistri, sacræ Theologiæ Professores, utriusque Juris, seu in altero ipsorum Jurium Doctores, & Licentiati, in Artibus & Medecina Magistri, Bachallarii, & alii notabiles & viri circumspecti, in grandi numero. Petitâque deliberatione suppositorum ejusdem Nationis, super Articulo, die Martis ultimò præterita eidem Nationi proposito: An scilicet, Dominis Judicibus, & Commissariis in causis Fidei deputatis petentibus & requirentibus in favorem Fidei, hæc Natio insignis, quæ viris litteratis abundare & clarere dignoscitur, dare debeat decem notabiles Doctores, Magistros, tàm Prælatos, & quos, qui eisdem assistere & consulere habeant, super certis dubiis in processu Fidei occurrentibus.

Venerabiles & circumspecti viri, Magistri Johannes de Gersonno, Jordanus Morini, G. Pulcrinepotis, & Frater Petrus de Versailles, ibidem pro, & nomme Ambassiatorum Christianissimi Regis nostri Francorum, per organum tamen Domini Magistri Guillelmi Pulcrinepotis, sacræ Theologiæ Professoris, instanter requisiverunt dictum Dominum Præsidentem, quatenùs antequam ulteriùs ad deliberandum super hujusmodi Articulo instanter * legeretur quædam parva papyri cedula: quod sibi concessum extitit: & lecta fuit publicè, alta voce, in eadem Natione, sub forma quæ sequitur.

ISTA cum omni instantia petunt, & requirunt Ambassiatores Christianissimi Regis Franciæ, inclytæ Nationi Gallicanæ.

Primò. Quòd Natio det Deputatos qui nobis assistant in prosecutione causæ Fidei, sicut Rex in suis Litteris requirit, cùm pars adversa nullos Deputatos voluerit recipere, pro tractanda concordia, juxta deliberationem Nationis, quando Litteræ Regiæ fuerunt præsentatæ ipsi Nationi.

Item. Cùm appellaverimus ab istis Judicibus Fidei, nec eos reputemus Judices nostros, requirimus quòd si dantur Deputati, quòd non dentur ad conferendum cum eis in materia nostra; sed dentur ad examinandas Requestas nostras sæpè factas in Judicio Fidei, an sint justæ, vel non: & etiam ad videndum causas nostræ appellationis à præfatis Judicibus, & recusationis quorumdam.

Item. Cùm ista materia sit grandis & ardua, tangens honorem Fidei, Regis, & Regni sui, convocentur specialiter Prælati hujus Nationis, & maximè Regni Franciæ, tàm Episcopi, quàm Cardinales.

Item. Quòd si deputentur aliqui in prædicta materia; cùm multi sint nobis suspecti in ista Natione, quòd priùs dentur nobis nomina, antequam procedatur ad aliquem actum in ista materia, ut ipsos possimus repellere, si causam habeamus suspicionis.

Istas Requestas, Domine Præsidens, prædictæ Nationis Gallicanæ, nomine Ambassiatorum requirimus instanter adimpleri, tanquam justas & rationabiles. Et in casu quòd aliter feceritis, protestamur de appellando &c.

Post cujus quidem cedulæ lecturam, Reverendus in Christo, Dominus Attrebatensis Episcopus, pro, & nomine Ambassiatorum Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, petitâ per eum copiâ dictæ cedulæ, & sibi concesso, prò quanto tangere, vel concernere posset dictum Dominum suum Ducem, ad ipsam cedulam respondendo: dixit, quòd quia primus Articulus supradictæ cedulæ, loquitur de parte adversa, sine expressione alicujus personæ, petiit quatenùs dictus Magister Guillelmus Pulcrinepotis, & alii sui Ambassiatores prædicti, hujusmodi partem adversam quam prætendunt in dicta cedula, exprimerent, & per expressum nominarent & declararent; cùm Ambassiatores ipsius Domini Ducis non habeant aliquam causam controversiæ, aut litis, contra quoscumque Ambassiatores; & præsertim contra Ambassiatores Christianissimi Regis nostri Francorum, sive sint veri Ambassiatores, sive prætensi, prout asseruit dictus Dominus Attrebatensis Episcopus; subjungendo quòd prout sibi videbatur, A quòd Dominis Judicibus in causis Fidei postulantibus, & requirentibus consilium, nullo modo sine periculo suspicionis sinistræ posset denegari, & quòd circa hoc ipsa Natio insignis diligenter & attentè habebat advertere & attendere.

Et tunc præfatus Magister Johannes de Gersonno, incipiendo loqui, dixit se velle exprimere causam, quare ipse, & sui in hac parte adhærentes, erant malè contenti de prædictis Dominis Judicibus in causis Fidei & processu eorum: ex eo videlicet quòd novem Assertiones de quibus coram ipsis contenditur, jam, à decem Mensibus elapsis, denuntiatæ fuerunt coram ipsis, simpliciter, & nudè; nondùm tamen potuerant obtinere quòd Magistri & Bachallari in Theologia, haberent disputationem & collationem mutuas inter B se super eisdem Assertionibus, ut se invicem intelligere valerent: sed nonnulli Magistrorum, in uno angulo; & alii, in alio angulo, super hujusmodi materia scripserunt, quod dixit omninò fore absurdum.

Ad quæ & alia, per dictum Magistrum Johannem de Gersonno proposita respondendo, dixit venerabilis & circumspectus vir, Magister Petrus Cauchon, Ambassiator dicti Domini Ducis Burgundiæ, quòd propterea nihil deberet latere ipsam Nationem, & hoc sacrum Concilium, imò totum deberet fieri manifestum, & omnibus publicari: quia cum hic * processus & materia Fidei, & sic ab omnibus approbari, vel reprobari debet: quare petiit quòd processus Dominorum Judicum prædictorum, actaque, actitata, & gesta per eos, circa hujusmodi materiam Assertionum, singulis Nationibus, & toti Concilio referrentur & publi- C carentur, ut si qui defectus reperti fuerint, corrigi valeant, & deinde Justitia fieri, & ministrari per hoc sacrum Concilium.

Et quia etiam in eodem Articulo primò fiebat mentio quòd deputati fuissent nonnulli per ipsam Nationem, quos, ut asseritur à nonnullis, Ambassiatores dicti Domini Ducis recusaverant recipere; iidem Domini Ducis Ambassiatores ad hoc respondendo dixerunt, quòd nunquam ipsa Natio super hoc aliquos deputaverat; nec ipsi etiam unquam pacem veram, vel tractatores ejusdem recusaverant, nec subterfugere voluerunt: imò, antequam materia hujusmodi Assertionum inchoaretur, sæpiùs institerunt quòd de eadem taceretur & supersederetur, propter scandalum quod inde evenire dubitabant, prout evenit.

Et tunc præfatus Magister Jordanus Morini, D asserendo quòd habebat instruere ipsam Nationem de veritate; dixit quòd quando Litteræ per Dominum nostrum Regem ultimatè ipsi Nationi scriptæ, super eo quod ipsa Natio se adjungeret huic processui, præsentatæ eidem Nationi fuerunt, & per omnes tunc in eadem Natione congregatos clamatum fuisset quòd erat laborandum pro pace; Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Turonensis Archiepiscopus, tunc ejusdem Nationis Præsidens, plures tradidit Deputatos, quos ipsi Domini nostri Regis Ambassiatores acceptarunt; licèt ipsius Domini Ducis Ambassiatores, ut dixit, ipsos totaliter recusaverant, dicentes quòd solùm erant tres in Natione hujusmodi, quos ipsi vellent acceptare.

* fortè insisterent, * fortè sit

Ad quod respondendo, dixit præfatus Magister Petrus Cauchon, hoc omninò carere veritate: & ut ipsi Nationi de contrario constaret, dixit quòd ipse, nomine Ambassiatorio Domini sui Ducis, ad finem petitum per Dominos Judices & Commissarios causarum Fidei, erat paratus nominare, & tradere triginta sex personas, de notabilioribus ejusdem Nationis, qui numerus longè distat à tribus, ex quibus ipsa Natio decem personas quas vellet consequenter eligere posset, ad sui beneplacitum. A

Quibus & aliis diversis hinc inde altercatis, prælibatus Dominus Præsidens ambas partes requisivit, quatenùs Nationem exirent; ut ipsa Natio, in eorum absentia, quietiùs valeret super hinc inde dictis, & propositis deliberare. Cui quidem Requestæ partes prædictæ tandem obtemperaverunt, & ipsam Nationem exiverunt.

Post quarum egressum, præfatus Dominus Præsidens vota singulorum in eadem Natione existentium requisivit, & scrutatus est: an scilicet decem personæ notabiles, & quæ, essent deputandæ, ad assistendum & consulendum dictis Dominis Judicibus in causis Fidei. Et tandem, singulis votis exquisitis, & in scriptis redactis, ipsoque Domino Præsidente laborante ad eliciendum conclusionem ex eisdem votis, intraverunt eandem Nationem.

Primò. Honorabilis vir, Magister Johannes de Montejustino, Procurator dicti Ducis, & consequenter prælibati Domini, Attrebatensis Episcopus, & Magister Petrus Cauchon, asserentes ad eorum notitiam devenisse quòd ipse Dominus Præsidens aliàs, & aliter concludere voluit, quàm petitio, seu quæstio in deliberatione ejusdem Nationis posita habuit, & continebat, & ex eadem concludi posset, aut deberet: unde in hac parte reputabant se gravatos. Quapropter, nomine dicti Domini Ducis Burgundiæ, in quantùm hujusmodi conclusio ipsum tangere posset, conclusioni hujusmodi se opposuerunt, protestantes de gravamine, & de recurrendo ad remedia Juris. B

Et tunc præfatus Dominus Præsidens dixit, quòd non intendebat aliàs, nec aliter concludere, quàm esset positum in deliberatione: &, ut pleniùs super conclusione hujusmodi deliberare valeret, ipsam conclusionem distulit facere usque ad diem crastinum.

Super quibus omnibus, & singulis, prælibati Domini Ducis Ambassiatores petierunt sibi, ad omnem futurum eventum, & finem debitum, à nobis Notariis infra scriptis confici, atque tradi publicum Instrumentum, & publica Instrumenta, unum, vel plura. C

Acta fuerunt hæc sub Anno, Indictione, Mense, die & loco prædictis: præsidentibus ibidem præfatis Reverendis in Christo Patribus, Dominis Johanne Patriarcha Constantinopolitano; Aniciensi & Tholonensi Episcopis; Johanne Abbate Cisterciensi; Johanne Ademare; Nicolao de Honnissia *, & Fratre Johanne de Rocha, Ordinis Fratrum Minorum, in sacra Pagina Magistris; ac alia multitudine Dominorum Prælatorum, Doctorum, Magistrorum, Licentiatorum, Bachallariorum, & aliarum personarum, diversorum statuum, graduum & Ordinum, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. D

Deindè verò, die Veneris sequenti, videlicet. XXVII. prædicti Mensis Martii, ante meridiem, convocata prædicta insigni Natione Gallicana, & solemniter congregata, modo & loco supradictis; postquam præfatus Dominus Præsidens quamplures Articulos tunc expediendos, in deliberatione ejusdem Nationis posuisset, & expediri fecisset: tandem legi fecit publicè quamdam papyri cedulam, conclusionem super hesterna deliberatione continentem, sub forma quæ sequitur.

Quia † Judices dicti generaliter in materiis Fidei deputati per Concilium, petierunt sibi dari per Nationem Gallicanam decem deputatos, super certis dictas materias Fidei tangentibus, eisdem explicandis; fuit die XXVI. Martii per Præsidentem Nationis prædictæ positum in deliberatione, an deberent prædicti deputari, & eis dari, & qui. Unde super primo, videlicet, an deberent deputari; fuerunt audita vota singulorum, ut moris est. Ex quibus votis, seu majori parte ipsorum concluditur ut sequitur.

Primò. Quòd dentur Deputati, qui in materiis, de quibus videtur esse contentio, coram prædictis Judicibus, inter Ambassiatores Illustrissimi Principis Ducis Burgundiæ, habeant pro parte tractare pacem, & concordiam; cum potestate, casu quo pacem & concordiam facere non possent, requirendi prædictos Judices & Nationes alias, quòd prædictæ materiæ suspendantur usque ad electionem futuri Summi Pontificis, saltem usque ad Concilium unitum cum Obedientia dudùm Domini Petri de Luna.

In aliis autem materiis Fidei, concluditur quòd dentur Deputati, ut petitur. Fuit etiam visum quamplurimis quòd super hoc esset per Nationem scribendum prædicto Christianissimo Regi, & Illustrissimo Principi Duci Burgundiæ.

Qua quidem conclusione sic lecta, prælibati Domini, Domini Ducis Burgundiæ Ambassiatores, per organum tamen dicti Magistri Petri Cauchon, Vicedomini Remensis, proponendo dixerunt, quòd pro quanto dicta deliberatio faciebat ad bonum pacis, benè placebat eisdem: sed in quantum erat dilativa, & impeditiva Justitiæ dicto Domino Duci ministrandæ, stando semper in protestationibus, die hesterna, per eosdem Ambassiatores factis, se opponebant, & protestabantur adhuc de habendo recursum ad remedia Juris.

Consequenter, præfatus Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine etiam Ambassiatorio dicti Domini Ducis, multùm eleganter, & prolixè in effectu sequentia *, quæ in quadam cedula super hoc per eum confecta, & nobis Notariis infra scriptis posteà tradita effectualiter continebantur, & continentur: videlicet quòd hujusmodi deliberatio, seu conclusio, erat peregrina, & omninò aliena à dicta petitione, quæ per dictum Dominum Præsidentem, in deliberatione Nationis fuerit posita, & pro qua solùm ipse, & alii sui Ambassiatores, ad rogatum ipsius Domini Presidentis, die hesterna, exierant de Natione una, cum illis qui se dicunt Ambassiatores dicti Domini nostri Regis Francorum, ut liberiùs Natio deliberaret, prout deliberavit; & sic, per consequens, dicta Natio deliberaverat super alia materia, quàm super illa quæ posita in deliberatione, in ipsorum Ambassiatorum præsentia, ipsis Domini Ducis Ambassiatoribus non vocatis, nec auditis; imò spretis, in præjudicium grande ipsius Domini Ducis, & Justitiæ suæ, pro quanto causa novem Assertionum dictum Dominum Ducem concernit.

Quare dictus Dominus Præsidens, concludendo pro cedula ibidem lecta, ¶ superiùs scripta continetur, dictum Dominum suum Ducem gravabat. Et ideò, non recedendo etiam à protestationibus heri per eum, & nunc per dictum Magistrum Petrum Cauchon, nomine Ambassiatorio factis, dictæ deliberationi & conclusioni se, eodem nomine, opponebat, cum protestationibus præ-

* *fortè* Gonnessia

† *fortè* Quia Domini Judices, & Commissarii in materiis Fidei deputati.

* *fortè deest* protulit *aut* dixit. ¶ *fortè deest* prout.

prædictis de recurrendo ad remedia Juris.

Præterea, quia in deliberatione prædicta dicitur, *Inter partes*, petiit ut idem Dominus Præsidens vellet exponere hujusmodi verba; cùm contra quosque Ambassiatores quorumlibet Principum non reputabant se habere partem, nec ipsos esse partes contra eos in quacunque causa, præsertim illos qui dicunt se esse Ambassiatores Christianissimi Francorum Regis, quòdque talis modus concludendi, & loquendi, erat magis discordiæ nutritivus, quàm pacis.

Item, dixit quòd videtur multùm mirabile, quòd cùm dictæ novem Assertiones per eum qui eas denuntiavit, tàm in Regno Franciæ, quàm in Concilio, dicantur esse erroneæ in Fide, & bonis moribus, ut asseruit pluries, & adhuc asserit dictus denunciator; & quòd in Regno Franciæ, occasione istarum hæresum, quæ in dicto Regno ortum habuerunt, plures hæreses, & errores subortæ sunt & creverunt; & cùm Christianissimus Dominus noster Francorum Rex velit omnes hæreses à Regno suo exterminari: quomodò aliquis, præsertim de dicto Regno, præsumere, dicere, vel concludere præsumat, quòd earundem Assertionum Judicium, & determinatio, ad futurum Summum Pontificem reservetur? Tùm primò, quia nescitur quando erit Summus Pontifex: & dùm erit, etiam plura agere habebit; & circa multa alia grandia ipsum versari oportebit. Tùm etiam, si Concilium Generale, ubi est, & dicitur esse fons & origo Justitiæ, æquitatis, & scientiæ, timeat super iis diffinire; quomodò Summus Pontifex non timebit? Tùm etiam, si modò non diffiniat Concilium Generale; nunquid dicetur, aut dici poterit, quòd ignorantia, aut timor servilis potestatis mundanæ, aut aliquis alius respectus inordinatus, quibus humanum judicium perverti consuevit, apud dictum Concilium liberavit?* quòd pro nephas est dicere, aut cogitare. Tùm insuper, quia isto tempore medio, populi remanebunt in errore, tàm Ecclesiastici, quàm Reges, & Principes, eo quòd istæ Assertiones fuerunt in Regno Franciæ prædicatæ & declaratæ, & in præsenti Concilio publicatæ & denuntiatæ tanquam erroneæ in Fide, & moribus: unde mota & proposita est, in præsenti Concilio, & solemniter disputata quæstio hæc: utrùm hæ novem Assertiones Judicio Fidei sint reprobandæ?

Cum igitur, teste Beato Augustino, tàm hæreticum sit aliquid Fide † quod non est Fides, aut quod est non credere; quàm hæreticum est negare, vel abstrahere à Fide quod Fide credendum est: & ergo quia hæ novem Assertiones, si sint veræ aut probabiles, & oppositum earum teneatur pro Fide; ecce errorem manifestum in populo Dei.

Si verò sint reprobandæ, tanquam erroneæ, & teneantur tanquam veræ, aut probabiles; ecce errorem ex alia parte. Et sic est inducere errorem, quocunque dato, & per Concilium Generale, in Religione Christiana, per suspensionem supra dictam.

Item dixit: Considerandum quam maximè, & advertendum, quod scandalum ex hoc insurgit dicto Regno Franciæ Christianissimo, & huic præclarissimæ Nationi; quia ille qui denuntiavit, est de Regno Franciæ, & de Natione ista; & petiit pluries, unà cum complicibus suis, dictas novem Assertiones confestim condemnari, tàm per dictos Dominos Commissarios, quàm per hoc sacrum Concilium, ad honorem, & exaltationem Fidei, ut dicebat, & morum, Regis & Regni prædictorum, & ante examen earumdem Assertionum. Nunc autem, examine facto, & datis deliberationibus Dominis Commissariis prædictis, venerabilium Doctorum, Magistrorum & Bachallariorum in sacra Pagina, qui nollent aliud loqui quàm quod veritas sacræ Scripturæ suaderet, & qui nollent se damnare pro quocunque vivente; modò ipse idem denuntiator, & sui complices, instant pro deliberatione prædicta, & ipsam requirunt; quibus hæc insignis Natio minus debitè assentire videtur. Ex quo apparet evidenter quòd hæc Natio quæ totis viribus debet laborare ut Regni nostri infamia tolleretur; nititur, & laborat ut in sordibus remanens, gloria ipsius hæresibus maculetur; ad quæ Natio hæc venerabilis, multùm debet attendere, & etiam ad Regnum Bohemiæ, & ad alia circa hæc attendenda.

Item dicit, quòd in hoc ista Natio faciat injuriam dictis Dominis Doctoribus, Magistris, & Bachallariis, quod * est inquirere & declarare doctrinaliter Catholicam veritatem, quos consuluit semper sancta Romana Ecclesia, in quæstionibus de Fide motis declarandis.

Item dixit, quòd major nota scandali gravioris infertur huic præclaræ Nationi ex dicta deliberatione & conclusione; quia inde sic denegare Judicibus in causis Fidei consilium, à peritis in Jure divino pariter & humano quærentibus, non caret omnimodè scrupulo fautorio hæreticæ pravitatis; sed per dictas conclusionem & deliberationem denegatur, cùm non respondeatur ad petitum eorundem. Igitur &c. Et sic scandalum quod ex publicatione dictarum Assertionum ortum est, & per totum Orbem divulgatum, non tollitur, sed nutritur, & augetur per prædicta.

Item. Ad hoc quod dicitur in hujusmodi conclusione, quòd deputandi habebant tractare de pace; dixit quòd mirabile videtur; cùm tractare inter aliquos, sit secundùm veram æstimationem de aliquo dubio inter † judicare, & unusquisque benè judicet de iis quæ novit, & horum bonus Judex sit. Necesse est autem, ad hujusmodi Tractatum pacis, quòd tractatores plenam habeant notitiam de materia discordiæ inter partes.

Si igitur aliqui Ambassiatores, aut alii, dicunt se esse partes in hujusmodi causa Fidei, necesse est quòd hujusmodi tractatores plenam habeant notitiam de processu & deliberationibus Doctorum, Magistrorum, & Bachallariorum prædictorum, factis in dicta causa, ut, comperta veritate, meliùs judicent secundùm æquitatem. Et cum tale Judicium debeat per hoc sacrum Concilium approbari, quæ approbatio non debet fieri de ignoto, aut ignorato; necesse est, ad dictum Tractatum, quòd dictus processus, & dictæ deliberationes Doctorum, Magistrorum, & Bachallariorum prædictorum palam fiant, & publicentur omnibus Nationibus hujus sacri Concilii. Et insuper, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, & nihil sit quod plùs omnes tangit, quàm ipsa Fides Catholica, & hic dicitur esse processus Fidei; sequitur quod ut approbetur de dicto processu illud est Fide approbandum, dictus processus debet fieri omnibus manifestus, quia nunquam incognita sacrum Concilium approbaret.

Ex quibus omnibus, dictus Dominus Attrebatensis Episcopus inferendo conclusit, quòd relatio est facienda palam & publicè de dicto processu & deliberationibus Doctorum Magistrorum, & Bachallariorum prædictorum, in hoc sacro Concilio, & in Sessione publica, vel quatuor Nationibus, cum Collegio Dominorum Cardinalium simul congregatis: quod fieri petiit & requisivit dictus Domi-nus

* *Illud verbum videtur corruptum.* † *videtur desiderari* credere.

* *forte* quorum. † *Desideri videtur* plurimos.

nus Attrebatensis Episcopus, pro, & nomine Ambassiatorum dicti Domini Ducis Burgundiæ, propter reverentiam Dei, exaltationem Fidei, honorem hujus sacri Concilii, & propter conservationem illibatam præeminentiæ & titulorum singularium Christianissimæ Domûs, religiosissimæ Ecclesiæ, & Regni devotissimi Franciæ; & ut discordiæ per nonnullos in dicto Regno suscitatæ, sub colore dictarum novem Assertionum per eos malitiosè confictarum, & innocentibus scienter impositarum, breviùs & clariùs terminentur & finiantur.

His dictis & propositis, præfatus Dominus Præsidens, nulla data super præmissis responsione, & ceteri alii in dicto loco congregati, à dicto loco recesserunt. Et tunc præfatus Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine quo supra, ad omnem futurum eventum, petiit sibi super præmissis omnibus & singulis, à nobis Notariis infra scriptis, & singulis aliis Notariis & Tabellionibus, pro tunc ibidem præsentibus, sibi fieri, atque tradi publicum Instrumentum, seu publica Instrumenta, unum, vel plura, & tot quot sibi fuerint necessaria; omnes & singulos in eadem Natione tunc existentes, in testimonium præmissorum omnium, & singulorum invocando.

Acta fuerunt hæc sub Anno, Indictione, Mense, diebus, & horis prædictis: præsentibus ibidem Reverendis in Christo Patribus, ac Dominis Tholonensi, & Augustensi Episcopis; Johanne Abbate Cisterciensi; nec non venerabilibus & circumspectis viris Magistris Johanne Balduini in sacra Pagina; Johanne Rippart in Decretis Magistris, almæ Universitatis Parisiensis Ambassiatoribus. Johanne Ademare. Nicolao de Gonessia, & Fratre Johanne de Rocha, Ordinis Fratrum Minorum, sacræ Theologiæ Professoribus, ac alia multitudine Dominorum Prælatorum, Doctorum, Magistrorum, Bachallariorum, & aliarum personarum, diversorum statuum, graduum & Ordinum, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Et quia ego Johannes Baers, Clericus Diœcesis Morinensis, publicus Apostolica & Imperiali authoritate Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut præmittitur, proponerentur, allegarentur, narrarentur, replicarentur, agerentur, dicerentur & fierent, unà cum Dominis, & testibus supra, & Notariis publicis infra scriptis præsens fui; eaque, prout scripta sunt, sic vidi, & audivi proponi, allegari, narrari, dici, replicari, ac fieri, ac in notam recepi. Idcircò huic præsenti publico Instrumento super inde confecto, aliena manu fideliter scripto, me aliis negotiis legitimè præpedito, propria manu, unà cum Notariis publicis infra scriptis me subscripsi, & signum meum publicum hîc apposui solitum, rogatus & requisitus, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

Et ego Jo. Riviani, Canonicus Antisiodorensis, publicus Apostolica authoritate Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut præmittitur, proponerentur, narrarentur, allegarentur, replicarentur, agerentur, dicerentur, & fierent, unà cum Dominis testibus, ac Notariis publicis, supra, & infra scriptis, præsens fui; eaque sicut supra sunt scripta, sic vidi, & audivi proponi, allegari, narrari, dici, replicari, & fieri, ac in notam recepi. Ideò huic præsenti publico Instrumento manu aliena fideliter scripto, manu propria, unà cum aliis Notariis publicis, supra, & infra scriptis, me subscripsi, signumque meum publicum consuetum hîc apposui, in veritatis testimonium præmissorum, requisitus & rogatus.

Et me Pasquerio de Vallibus, Clerico de Ambianis oriundo, Bachallario in Decretis publico; Apostolica & Imperiali authoritate Notarius, qui præmissis omnibus & singulis, dùm sicut supra scribuntur, fierent, dicerentur, & agerentur; unà cum testibus, & Notariis publicis supra scriptis, præsens interfui; eaque omnia, & singula sic fieri vidi, & audivi, ac in notam sumpsi. Ideò huic publico Instrumento exindè confecto, manu aliena fideliter scripto, signum meum, me hîc propria manu subscribendo, apposui consuetum, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus.

ALLEGATIONES

Cod. 2538. fol. 339.

In causa novem Assertionum,

Quòd Rex Franciæ non debet admitti.

ARDICHINUS de Novaria, Advocatus.

IN causa novem Assertionum &c. dicitur Serenissimum Principem Dominum Regem Francorum non fuisse, nec esse admittendum, ratione causæ, & ejus status, ratione deficientis interesse, & ratione deficientis voluntatis ipsius Domini Regis. Anno XVI.

Ratione enim causæ Rex admitti non debet, nisi ad audiendum, ut ex inde instruatur quid tenere habeat, & ut decisa per Synodum exequatur; non autem ad sustinendum in Synodo aliquam partem, quia causæ Fidei non Regali Sanctione, sed Synodali Judicio terminandæ sunt. LXXXXVI. *dist. Nisi nos*, cum cap. & nota in cap. fin. *De iis quæ fiunt à Prælatis*. Per hoc enim quòd aliquam partem sumit deffendendam, se Judicem in causa constituere videtur, prout etiam satis improvidè in quibusdam Litteris, appellat processum suum, condemnationem Episcopi Parisiensis &c.

A Jure autem prohibitum est Dominis temporalibus judicare, vel cognoscere de causis Fidei; aut earum processum quomodolibet impedire; sub pœna excommunicationis, quam contra facientes incidunt, ipso facto. Et si eam per Annum sustinuerint; ut hæretici sunt condemnandi. in cap. *Ut inquisitionis: de hæretic. Libro sexto.*

Attendant ergo qui Dominum Regem in tanto periculo ponere quærunt, quid agunt, cùm per admissionem Regis non est dubium processum hujusmodi causæ impediri, ut experientia docet.

Ratione status causæ &c. non est admittendus.

Primò, quia per viam denunciationis fuit causa primò inchoata. Deinde denunciatore desistente, fuit processum per inquisitionem, ex officio: quod etiam fieri non debuisset; quia non debuit de una via ad aliam transiri, ut notant Doctores. in cap. *Licet*. Tit. *de Simonia*. Quantò ergo minùs ad tertiam viam, & ad novum Judicium est transeundum. Vult enim causam instruere ex iis quæ facti sunt; ut patet ex appellatione: cùm tamen hæc sit causa Juris. Ut etiam novos Judices, recusat antiquos. Et breviter non video quo Jure sit cum eo procedendum.

Item, præsupposito quòd ad hanc causam omnes admittendi essent, quia popularis; certè præventioni locus esset, & ille qui præoccupavit in cau-

sa, debet litem prosequi: alii autem possunt assistere, si velint, ne colludatur; non autem facere causam propriam. *Not. in rubrica. ff. de popu. Act.* l. *eum qui.* §. *in popul.* ff. *de jurejur.*

Secundò, dicitur quòd non est admittendus, ratione deficientis interesse. Hi etiam quorum non interest non sunt audiendi. l. *non solem.* ff. *de appell. rejicien. cap. cum inter. rubr. de Electione.* Sed Domini Regis non interest specialiter, plus quàm alterius.

A Primò, quia hæc causa Juris est, non habita ratione ad aliquod factum.

Secundò, quia displicentiam necis, de qua pars adversa loquitur, diù remisit. Et sic actio fuit extincta, quæ resuscitari non potest. l. *Qui res.* §. *Aream de soln.* Quòd autem Dominus Rex remiserat displicentiam, constat per confessionem adversariorum, & per Litteras Regis apud Acta productas.

Tertiò, dicitur quòd non est admittendus, quia non vult. Dicitur enim in Littera Mandati, quoniam remisit omnem displicentiam &c. & quòd non intendit materiam movere, nisi pro parte Domini Ducis moveatur: & ita mandavit Nunciis suis. Nunc autem relatum est ei quòd materia mota sit pro parte Domini Ducis. Quare &c. Sed hoc notoriè falsum est quòd pro parte Domini Ducis fuerit primò mota, ut constat ex Actis, & toti Concilio. Ergo &c.

B Secundò, in ista Littera mandat fieri prosecutionem condemnationis Propositionis Magistri Johannis Parvi. Hîc autem non agitur de illa, sed de novem Assertionibus, quæ nullo modo continentur in ea. Et hoc petitum fuit in principio per Dominum Ducem pronuntiari, scilicet has novem Assertiones non esse contentas in Propositione Magistri Johannis Parvi. Ergo non est audiendus, nisi hoc modo primò expedito.

Cod. 2528. fol. 340.

ANNO XVI. XI. * Aprilis

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum cunctis notum sit, & pateat evidenter, quòd Anno à Nativitate Domini M. CCCC XVI. Indictione nona, Apostolica Sede vacante, & sacro sancto Generali Concilio Ecclesiam Universalem repræsentante. Die verò Sabbati, undecima Mensis Aprilis. Horâ Vesperorum, vel quasi, ejusdem diei: congregatis in numero sufficienti, juxta tenorem Commissionis ab ipso sacro Concilio super hoc factæ Reverendissimis, Reverendisque in Christo Patribus & Dominis de Ursinis, Aquilegiensi, & Florentino, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus; Laudensi & Leonensi Episcopis, & Jacobo electo Pennensi; nec non viris egregis, & circumspectis Magistris, Ursino Taillevande; Theodorico de Monasterio; & Nicolao Dynkespuel, sacræ Paginæ, & Hugone Holbach, utriusque Juris Professoribus, Judicibus & Commissariis in causis Fidei, unà cum nonnullis aliis suis in hac parte Collegis: & cum clausula, quòd si non omnes interesse voluerint, aut poterunt, quòd tamen decem ex ipsis procedere valeant &c. per sacrum Concilium in Sessione publica solemniter deputatis, in Aula magna Domus Episcopalis Constantiensis, & loco eorum solito, pro Tribunali sedentibus, ad Jura reddendum, audiendumque, & expediendum causas eisdem Dominis Judicibus & Commissariis, per honorabilem virum Magistrum Johannem de Gersonno, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, tanquam, ut prætendebat, erronearum in Fide & mo-D ribus denuntiatarum, & postmodum examini Magistrorum, Licentiatorum, Bachallarium in Theologia, sub titulo hujus Quæstionis.

An hujusmodi novem Assertiones sint Fidei Judicio reprobandæ, per dictos Dominos Judices & Commissarios: audientibus, scientibus & non appellantibus dicto Magistro Johanne de Gersonno, & aliis qui pro parte Officii, quàm parte Illustrissimi Principis Domini Johannis Ducis Burgundiæ, Comitis Flandriæ, Arthasii, & Burgundiæ, in dicta causa novem Assertionum intervenerunt, & comparuerunt, traditarum & positarum. Quarum quidem Assertionum tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis: *Licitum est unicuique subdito &c.* & ponuntur omnes Assertiones cum titulo Quæstionis. *

Comparuerunt judicialiter coram eisdem, Reverendus in Christo Pater, Dominus Martinus, Attrebatensis Episcopus, nec non venerabiles viri, & circumspecti Magistri, Petrus Cauchon, Vicedominus Remensis, Licentiatus; Frater Petrus Salomonis, sacræ Theologiæ professor, Ambassiatores & Nuncii; nec non Johannes de Montejustino, Archidiaconus de Lincyo, in Ecclesia Tullensi, Procurator dicti Domini Johannis Ducis Burgundiæ, prout de ejusdem procurationis Mandato, apud Acta causæ hujusmodi novem Assertionum ligitimè constat: exponentes per organum egregii utriusque Juris Doctoris, Domini Ardichini de Novaria, eorum in hac parte Advocati: & proponentes in effectu quòd licèt per magnum temporis spatium, hujusmodi causa novem Assertionum, & earum materia coram eisdem Dominis Judicibus, & Commissariis ventilata solemniter, & tractata, ac per Magistros, Licentiatos & Bachallarios formatos in Theologia, in præsenti Concilio tunc in copiosa multitudine residentes, examinata & discussa fuisset, ex Ordinatione Dominorum Judicum & Commissariorum prædictorum, ac de consensu illorum qui se tunc partes in hujusmodi causa constituerunt: dictique Magistri Licentiati & Bachallarii formati, medio eorum juramento super hoc, in ipsorum Dominorum Judicum, seu Commissariorum manibus præstito, vota, seu opiniones, in scriptis, judicialiter eisdem Dominis Judicibus & Commissariis, realiter tradidissent, jam pluribus Mensibus elapsis: & licèt etiam tàm pro parte dicti Domini Ducis Burgundiæ, qui in hujusmodi causa admissus extitit, pro suo interesse, prout in Actis ejusdem est deductum, & declaratum; quàm etiam pro parte præfati Magistri Johannis de Gersonno, ac nonnullorum sibi adhærentium; & sub nomine & titulo Christianissimi Domini Regis Francorum, in hujusmodi causa se ingerentium, & ibidem comparentium, sæpiùs petitum & supplicatum judicialiter fuisset, & esset; hujusmodi vota & opiniones publicari, & copiam ipsis tradi & decerni: nihilominùs tamen petitiones hujusmodi nondùm per eosdem Dominos exauditæ, nec suum sortitæ fuerint effectum. Ea propter præfati Domini Ambassiatores, & Procuratores Domini Ducis Burgundiæ ante dicti, ut finis huic materiæ, & disceptationi celeriùs imponatur; & veritas in lucem pateat, & declaretur hujusmodi vota & opiniones Magistrorum, Licentiatorum, & Bachaliariorum formatorum in Theologia prædictorum, super hujusmodi novem Assertionibus judicialiter exhibita, & exhibitas publicari, & aperiri; ac sibi, & parti suæ, aliis que petentibus, & habere volentibus copiam decerni, tradi & concedi, per Dominos Judices & Commissarios prælibatos, debitâ cum

Ll 3

* In serie hujus voluminis, apponitur XXI.

* Ponuntur Assertiones de verbo ad verbum, cum titulo Quæstionis, prout erant in Instrumento.

cum instantia postularunt; attento præsertim quòd dictus Magister Johannes de Gerssonno, ac alii sibi in hac parte adhærentes, &, ut præfertur, in hujusmodi causa intervenientes, & simili modo sæpiùs judicialiter petierunt; allegantes ad hoc quòd Fides in sacco recludi non debebat, & plura alia quæ in Actis causæ hujusmodi leguntur & continentur.

A His itaque modo præmisso petitis, & aliis diversis super hujusmodi materia, inter dicti Domini Ducis Burgundiæ Ambassiatores, & Johannem de Gersonno, & alios prædictos sibi, ut præfertur, in hæc parte adhærentes, hinc inde altercatis & disputatis; præfati Domini Judices & Commissarii, ad Jura reddendum adhuc, prout & supra, pro Tribunali sedentes, post longam & maturam deliberationem præhabitam, & unanimiter conclusam, omnia & singula vota, dicta, seu opiniones Magistrorum, Licentiatorum & Bachallariorum formatorum in Theologia prædictorum, hactenùs ipsis Dominis Judicibus, & Commissariis, super hujusmodi novem Assertionibus, per dictum Magistrum Johannem de Gerssonno, ut præfertur, denuntiatis, data & exhibita, seu datas & exhibitas simpliciter publicarunt; ac Domini Ducis Burgundiæ Ambassiatoribus, & Procuratoribus prædictis, & aliis quibusvis petentibus & habere volentibus copiam eorundem votorum & dictorum, seu opinionum prædictarum, fieri, tradi & expediri decreverunt, per nos Notarios & Scribas causæ hujusmodi infra scriptos, sine tamen expressione propriorum nominum & qualitatum personarum quæ ipsas opiniones, seu ipsa dicta & vota scripserant & judicialiter tradiderant. B

Quæ quidem propria nomina, & qualitates personarum prædictarum, pro tunc, subticeri & minimè tradi, vel declarari in eisdem copiis tradendis voluerunt, certis ex causis ipsos Dominos Judices & Commissarios ad hoc moventibus.

Quam quidem copiam, ex vero originali registro fideliter extractam, & debitè collationatam, trecentum & octoginta folia, comprehensa in viginti tribus codicibus papyreis sequentibus continentem, manibus propris nostrorum Conrardi de Valden, & Johannis Baers, Notariorum & Scribarum causæ hujusmodi per Dominos Judices, & Commissarios prælibatos ad hoc deputatos, C in quolibet dictorum trecentorum & octoginta foliorum, manibus alienis, nobis Notariis & Scribis prædictis aliis negotiis præpeditis, scriptorum, signatam & subscriptam, Ambassiatoribus, & Procuratoribus præfati Domini Ducis Burgundiæ ante dictis, hoc petentibus, & requirentibus; nos Notarii & Scribæ præfati infra scripti, juxta & secundùm hujusmodi Decretum & Ordinationem Dominorum Judicum, & Commissariorum prædictorum, postmodùm dedimus, tradidimus, deliberavimus & consignavimus, prout in sequentibus vigenti tribus codicibus dicta trecentum & octoginta folia tàm scripta, quàm non scripta continentibus pleniùs continetur.

De quibus omnibus & singulis sæpè dicti Domini Ducis Burgundiæ Ambassiatores & Procura- D tores petierunt sibi fieri & tradi Publicum Instrumentum, & publica Instrumenta, unum vel plura, ad omnem debitum*, & ad perpetuam rei memoriam.

Acta fuerunt hæc, quantùm ad publicationem, & Decretum prædictum, per præfatos Dominos Judices, seu Commissarios, ut præmittitur. Factum sub Anno, Indictione, Mense, die, hora & loco quibus supra: præsentibus ibidem venerabilibus & circumspectis viris Magistris Henrico Thibout, Magistro in Medicina; Fratre Natali Lalani, Ordinis Prædicatorum; Johanne de Plebe, Presbytero dicti Domini Cardinalis Florentini Carerario *; Jacobo de Esculo, Litterarum Apostolicarum Scriptore; & Petro Bruneti Presbytero, cum pluribus aliis testibus ibidem astantibus, ad præmissa vocatis & rogatis.

* *forte* eventum

Quò verò ad traditionem & expeditionem copiæ prælibatæ, per nos Notarios & Scribas præfatos, juxta Decretum dictorum Dominorum Judicum & Commissariorum, prælibatis Dominis Ambassiatoribus, & Procuratoribus dicti Domini Ducis Burgundiæ, ut præfertur, factam in dicta civitate Constantiensi, & domo habitationis dicti Domini Attrebatensis Episcopi, sub Anno & Indictione prædictis, die verò Lunæ xx. Mensis Maii, præsentibus ibidem Religiosis viris Magistris Johanne de Vincellis; Johanne Marscalli, in Theologia; Guillielmo Britonis, in Decretis Licentiatis; Johanne Cavelle, in Artibus Magistro, cum pluribus aliis testibus ad hoc vocatis & rogatis. [*Hic aliquid deesse videtur.*]

* *fortè* Camerario

Hæc Appellatio fuit interposita xv. Mensis Aprilis, per Dominum Symonum de Theramo; pro Gerssonno &c. Cod. 2538. fol. 328.

Anno xvi.

Quoniam à vobis Reverendissimis Patribus, & Dominis, Dominis Judicibus & Commissariis in causis Fidei, & errorum in Fide & moribus, à sacro sancta Generali Constantiensi Synodo specialiter deputatis nuper, videlicet die Sabbati undecima præsentis Mensis Aprilis, hora Completorii, vel quasi, ejusdem diei, in loco solito congregatis, in causa coram vobis, super quadam Propositione quondam Magistri Johannis Parvi, seu novem Assertionum ex indè extractarum, virtute & authoritare dictæ deputationis, ut dicitur, introducta; Oratores, & Ambassiatores Christianissimi Principis Domini Regis Francorum, videlicet Magistri Johannes de Gerssono Cancellarius Parisiensis, Jordanus Morini, Guillelmus Pulcrineporis, & Petrus de Versailles Magistri in Theologia, ac Symon de Theramo dicti Domini Regis Advocatus, & per vos Dominos Commissarios pro hujusmodi causæ prosecutione Advocatus specialiter deputatus, cum omni instantia petierunt præfatum Christianissimum, & Illustrissimum Principem Dominum Carolum Francorum Regem, seu se ipsos Oratores, ipsius Procuratores, ad hæc sufficienti potestate ibidem edocta & exhibita fulcitos, ejus nomine, pro suo interesse legitimè, ad causam ipsam, in statu & terminis quibus erat admitti, & ipsum Dominum Regem, seu Oratores, & Procuratores admissos audiri, tàm in facto, quàm in Jure: licèt etiam ipsi petierint, & diligenter institerint, & fuerint protestati, quòd antequam admitterentur, & postquam admissi essent, audirentur plenè, & debitè, tàm in Jure, quàm in facto; antequam ad actum aliquem in causa ipsa procederetis, prout de Jure non debebatis: licèt etiam usque nunc pro parte ipsius Domini Regis, vel alicujus alterius se in causa ipsa partem constituentis, causa ipsa instructa non fuerit, nec defensa: licèt etiam, pro parte præfati Christianissimi Regis oblatum & protestatum fuerit, quòd post ejus admissionem, causam instruere, de-

xv. Aprilis 1416.

defendere, & talia media deducere obtulerint, per quæ de justitia & veritate causæ, & deductorum in eadem, clarè poteratis, & possetis instrui, & informari: & licèt specialiter & expressè, pro parte dicti Christianissimi Regis, fuerit protestatum, quòd ad publicationem votorum & consiliorum redditorum per nonnullos qui dicuntur in sacra Pagina Magistri, in causa ista, pro votis, & consiliis, ad decisionem requisiti, non deveniretur, & eadem vota, seu consilia non publicarentur, * causis & rationibus infra scriptis.

Primò. Quia ex hoc præjudicium non modicum præfato Domino Regi ad causam venienti, circa A ipsius causæ prosecutionem gerebatur.

Secundò. Quia consilia ex quibus Sententiæ ferendæ, aut decisiones causarum ferendæ veniunt, publicanda ad partis instantiam non sunt; sed illud fieri est à Jure, optima ratione, inhibitum.

Tertiò. Quia talia in facto proponi, ipsius Domini Regis nomine, poterant, & offerebantur: quibus visis, & attentis, Magistri qui consilium dederant, iterùm consulendi fuerant, & consulti consilia reformassent; quod nunc, post publicationem votorum, non sine suspicione repeti poterit, & præcipuè cùm eis facultas patuit cum partibus colloquendi.

Quartò. Quia scandala ex illa publicatione multa & plurima sequi poterant.

Quintò. Quia illorum publicatio, est comminatio qualis sit futura Sententia ferenda.

Sextò. Quia saltem fieri non debuit modo & forma quibus facta fuit: debuit enim ipsa non partibus, sed peritis in Jure divino, & humano fieri, ad effectum conferendi, & examinandi rationes, & causas; consulendi zelum, gradum & autoritatem consultorum, sicut est moris & Juris, prout fuerat, & tunc fuit à vestris Reverendissimis Paternitatibus instanter petitum.

Septimò. Quia per ipsam publicationem patet ipsam admissionem præfati Domini Regis captiosam fuisse. Quid est enim aliquem ad causam admittere, & admissum, antequam ad ulteriora procedatur, non audire? Nam nedùm ipse Christianissimus Rex; sed quælibet vilis persona, nedùm in causa Fidei, quia nulla major; sed in qualibet alia etiam materia, post aliquem ad causam admissum, antequam ad ulteriora procedatur, illi termini, & dilationes legitimè dantur, infra quos &c. quas admissus possit, & debeat, si qua proponere, vel producere, vel allegare intendat, & velit: & licèt pro parte dicti Domini Regis oblatum fuerit prædicta & alia, quæ ad ostendendum dictam publicationem, fieri non debere, & alia ad justificationem præsentis appellationis facientia, velle coram vobis, quatenùs expediret, ostendere vel docere: nihilominùs vos Reverendissimi Patres, prædictis omnibus & singulis minimè attentis, neque consideratis; die & hora, ibidem, in hujusmodi causa tum ardua, & gravi, nimis præcipitanter, & ferventer, ad ulteriora, ex arrupto, procedentes, prætensa vota, atque consilia in scriptis redacta, certorum Doctorum, sive Magistrorum ad hoc, ut dicitur, requisitorum in dicta causa, occasione dictarum Propositionis & Assertionum habita; & forsan super falso casu citra veritatem in esse posito scrutata, ad importunam quorumdam assertorum Domini Ducis Burgundiæ Oratorum, & Procuratorum instantiam, ut dicitur, publicastis, & publicari fecistis, & mandastis; & eorum copiam eisdem Oratoribus, & Procuratoribus dicti Ducis decrevistis; licèt de facto contra omnem æquitatem, & Juris rationem, præmissa, & singula, pro parte præfati Illustrissimi Principis, Domini Regis proposita, & oblata, saltem tacitè repellendo; Juri, æquitati, & honori præfati Christianissimi Regis minimè deferendo, Oratoribusque, seu Procuratoribus prædictis causam, & occasionem subornationis, aut aliàs malignandi.

* forte deest ex

Idcircò Conrardus Ludeking, Procurator; & procuratorio nomine præfati Illustrissimi Domini Regis, ad hoc per præfatos ipsius Procuratores substitutus, sentiens ipsum Dominum Regem, & se, nomine procuratorio ejusdem, per dictam prætensam publicationem, ex qua quamplurima scandala verisimiliter possent exoriri, & alia contra Juris & rationis debitum, & in præjudicium dicti Illustrissimi Regis resultant, multipliciter gravatos, & dubitans de gravaminibus subsecuturis; à dicta prætensa publicatione, ac aliis gravaminibus ex præmissis, & actis præsentis causæ, coram vobis habitis quomodolibet colligibus, in iis scriptis; ad sanctam Sedem Apostolicam, & dictum Concilium Generale provocat & appellat, & Apostolos petit, primò, secundò, & tertiò; ac instanter, instantiùs, & instantissimè sibi dari & concedi. Anno. xvi. die IX Martii

INSTRUMENTUM APPELLATIONIS

Procuratoris Ducis Burgundiæ, à Judicibus &c. in Causis Fidei.

B

Eò quòd Regem Francorum admiserunt ad Causam novem Assertionum &c. de qua appellatione fuit usus idem Procurator, certis de causis, ex deliberatione Consilii ejusdem Domini super hoc præhabita. Cod. 2538. fol. 325. Anno 1416. XXI. Aprilis.

In nomine Domini. Amen.

Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, quòd Anno à Nativitate Domini M. CCCCXVI. Indictione nona. Die verò Martis vicesima prima Mensis Aprilis, videlicet C ante tertiæ, & post secundæ horæ ejusdem diei post meridiem pulsationem, Apostolica Sede Pastore carente, in nostrûm Notariorum publicorum, & testium infra scriptorum, ad hæc specialiter vocatorum præsentia; personaliter constitutus venerabilis & circumspectus vir, Magister Johannes de Montejustino, in Curia Romanâ, & ut asseruit, Illustrissimi Principis Domini Joannis Ducis Burgundiæ Procurator; ac ejus procuratorio nomine, & ad opus omnium illorum quorum interest, seu interesse poterit, quomodolibet in futurum, videlicet in stupha magna domus Episcopalis Constantiensis, in qua Reverendissimi Reverendique, ac venerabiles & circumspecti Patres, Domini Judices in causis Fidei per sacrum Generale Constantiense Concilium deputati, soliti sunt suam Audientiam in D dictis causis tenere; & præsertim in causa novem Assertionum, in eodem Concilio, per Venerabilem virum Magistrum Jo. de Gerssonno, ut idem Procurator asserebat, denuntiatarum, tenere & dare consueverunt.

Qui quidem Magister Johannes de Montejustino, Procurator, nominibus, & ad opus quibus supra, ad fines effectus, ut dicebat, meliores & utiliores quibus poterat, petiit à discreto viro Clemente Grossi, dictæ Sedis Apostolicæ cursore, ibidem existente; ipsumque interrogavit, si sciebat ubi erant dicti Domini Judices & Deputati: & si debe-

bebant, vel crederet quòd deberent hodie suam tenere in dicta causa novem Assertionum, vel aliàs in causis Fidei Audientiam.

Qui quidem Clemens cursor eidem Procuratori respondendo dixit, quòd præfati Domini Judices illuc non erant, & quòd suam Audientiam in causis prædictis, ut firmiter credebat, dicta die non tenerent.

Et tunc dictus Magister Johannes, Procuratorio nomine & ad opus quo supra, dixit & exposuit quòd si iidem Domini Judices, & Deputati essent ibidem præsentes, ab eis, à nonnullis gravaminibus præfato Domino Duci ac sibi, nomine quo supra per eosdem Dominos Judices, ut asseruit, in causa dictarum novem Assertionum factis & illatis, libentiùs provocaret & appellaret: & cùm eorum præsentiam pro tunc non haberet; nec commodè habere posset; idcircò idem Magister Johannes de Montejustino, nomine, & ad opus quibus supra, coram nobis Notariis infra scriptis, tanquam coram autenticis & publicis personis, ac in testium infra scriptorum præsentia, à præfatis Dominis Judicibus, & à gravaminibus, in quadam papyri cedula, quam tunc tenebat, expressatis, declaratis, & specificatis, ad præfatum sacrum Generale Concilium Constantiense, & Sanctam Sedem Apostolicam, in scriptis provocavit & appellavit: ac Apostolos semel, secundò & tertiò, sæpè, sæpiùs, & instanter, saltem testimoniales, à nobis Notariis publicis sibi dari petiit, & etiam requisivit; protestans de dicta appellatione sua eisdem Dominis Judicibus, & aliis quibus opus esset intimanda, & ea loco & tempore debitis prosequenda &c. prout & quemadmodùm in eadem appellationis cedula nobis Notariis infra scriptis exhibita & tradita, ac in nostris manibus reposita latiùs continetur.

Cujus cedulæ tenor sequitur in hæc verba.

Proponit appellando Procurator, & nomine procuratorio Illustrissimi Principis Domini Johannis Ducis Burgundiæ.

Comme au cayer cy joint.

EPISTOLA

Universitatis Parisiensis AD Concilium Constantiense

De negotio Joannis Parvi.

Die XXVIII Aprilis. Anno 1416.

Egregiis, Reverendissimis, atque inclytis Patribus in omni gente delectis, in sacro Constantiensi concilio Universalem Ecclesiam repræsentantibus, humiles, devoti, & vobis obsequiosi.

Rector & Universitas Studii Parisiensis, pacem dare multam diligentibus Legem Dei, ut non sit eis scandalum, atque objectis erroribus, multitudini credentium sit cor unum & anima una.

Quoniam

Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

Nascentem pacem, plantulamque tenellam, lenibus fovere necesse est, & mutuâ in alterutrum benivolentiâ dulci & placido in labore gratam expectare quietem. Quamquàm enim, ut apud Aristotelem est, plusquàm dimidium totius sit principium, non illic quies, sed plusquàm totum est ipsa felicior operis consummatio, ibique residere virtutis est, si jam serenitatis aliquid, aut decoris in Ecclesia quæsitum, non id quia habetur aspernandum.

Nam certè,

Non minor est virtus quàm quærere parta tueri.

Nocte & die vigiliæ, curæ, & sollicitudines in pretio sunt opus facientibus, somnus subsequens suavior, ipsaque blanda futura quies tolerabilem facit esse laborem. Res digna est, cùm animos occupemus, fructus subsequens mentes advocat, ac si inexpletum hoc transeat, id præcipuum omittimus, quo nobis animarum salus undequaque petita potiùs præparanda consilii* satis est auxilii copia omnia suppetunt si cuncta ligantem, ne dispergantur, teneamus unitatem, ex quo de Ecclesiæ familia sumus, omnia pro ipsa familiariter ferenda sunt.

Nos autem absentes omnia adire pericula, dum prodessemus, atque dura pati mente firmavimus. Neque si inimici inveniendi sint omnes homines; non illa deserenda Ecclesia, quam Christus Jesus prosequebatur ad mortem. Legitimus Ecclesiæ filius qui obstentatam tantam pacis occasionem brevem, tam optatam, & olim insperatam amitteret, quoniam.

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum.

Aut enim illa viros demoniali malitia superaret, aut bestiis subesset insensatus.

Cùm autem in vobis concordiam tenueritis, eandem parabitis populis, qui ad vos ora expectantia vertunt gratius aliquid auditura. Non ea loqui iniquæ linguæ est, non pacem Dei quæ exsuperat omnem sensum suadere, contumeliosum. Neque hæc quæ loquimur ex animo fiduciâ distituto procedunt. Spectata est vestra constantia, probata desideria; sed fortasse cùm succedunt prospera, cùm pacis patefactus adventus in parvis, si mixtio voluntatum discrepantium supervenerit, erit ad majora transitus, & accessoria divisio unanimitati principali noceret.

Hæc eo ipso in medium veniunt, quia fama refert aliquibus in Nationibus suscitari dissidia, ut de Præsidentis honore sit in Nationibus diversitas, atque hic Joannistarum Præses, ille Gregoristarum se appellet, mosque in Concilii sumptus exordio sit abjectus, qui pro tranquillitate tenenda tradebatur.

Quamquàm verò hæc Nationibus illis intranea sint, &, ut credimus cedenda † faciliter extranea ferre possunt incommoda, & in vocibus hominum niaculam in Ecclesia, Clerique turpitudinem macularent ¶, ut qui omnia, præteritumque schisma propter Christum, cœlicamque pacem contempsisse feruntur; jam mundanæ præeminentiæ, jam inanis gloriæ dilectione nimia, ac odii præteriti recordatione mordeantur, & zelum Christi terrenus amor supervacuus impediat.

Tollite, tollite tantum pacis offendiculum, nam pacem invenire laboriosum; jurgia litesque novare facile est; & quod cum gravitate paratur, lenia rejiciunt, cùm semel excrevit jurgii materia, non in promptu mitescere, & ad iracundiam citiùs, quàm ad mansuetudinem commotus animus impellitur. Non his primis pro cathedris decertare convenit, qui una pro sede pacificè statuenda, suos intellectus captivantes in caritate quæ *non æmulatur, non quærit quæ sua sunt*; sed *omnia sustinet* I. Cor. XIII. 14. vocati sunt. Nec tale improperium admittendum est, ut & simplices nostrorum operum accusatores habeamus, qui nostros motus, turbidamque, & in quærendis honoribus contrariam irrideant voluntatem; & potiùs nostra in his, quàm in bonis sequantur exempla, cùm semper ad malum prona sit nostra semifracta fragilitas.

Si

* Locus corruptus. † Locus corruptus. ¶ *fortè* cumularent.

Si in Potentatibus, si inter Primates, qui forma facti gregis, sit non æquanimis colluctatio; in minoribus quid nisi furor & inordinatus strepitus audietur?

Novistis ipsi, cùm primum Statutum in Præsidentiis, & pacifica consuetudo maneret, egregiè venêre singula sine discrepantia, & acta omnia processêre feliciter.

Si igitur illa auferatur, concordia auferetur, & fortasse spes auferetur, quam jucundis animis advenientem suscepimus.

A Redeat, quæsumus, in priscam consuetudinem, in probatum usum Præsidentiæ conditio, illeque Sedem sortiatur, cui talis Statuti coordinatione debebitur, & qui unicæ * Christi sponsæ quærimus unitatem, unum simus, quoniam ipsa pax divisa nusquàm habitat, & in pace factus est locus Domini.

Si otium refugitis, si ut non desides pigritent animi, & ne cùm non habent ubi se exerceant, surgant in alterutrum; materiam rerum majorum expectativam vultis, ad errores extirpandos currite. Adest doctrina pestilens, de occisione sine authoritate, per mendacia & perjuria Parisius damnata, Magistri Parvi Propositio, per quam & Gallia lacerata atque excruciata est: eam si non tollitis, gladio fortasse Gallorum Regia Majestas abolere cogetur.

Instat quominùs congreditur viros, & bella miscet horrisona, ut non sit domus, non etiam pauperis tugurium, quod non contumeliis plenum sit, neque unquam tam iniquè de illa dicemus, quin dicta iniquitas exsuperet. Non pudet vos, B & pios animos dictum hoc offendit, & demùm eorum vos miseret, si qui sint qui eam, non dicimus deffensare, sed etiam excusare conentur, ut ob humanam amicitiam, Fidem sibi faciant inimicam, & Lex Dei mansueta, atque ejus misericordiæ multæ, qui non vult mortem peccatoris, jam in sensum reprobum, atque in humanis odiis, fraudibus, & morte inopina justificandis ostentat. †

Proh Dei, atque hominum fidem! Non satis erat uno errore per eam vilescere, si non octo pariter jungerentur. O quàm faciliter uno ex vitio in multa viri demerguntur!

Verùm, non errores absconditi, nec è Theologiæ penetralibus, & arcanis extracti versutiâ, sed primas veritates evertunt, ipsumque diripiunt Decalogum, ut etiam Tabulæ Moysi, hanc propter peccati vitulinam adorationem, iterum confringantur; *Non occides: Non perjurabis.* Nonne C Mandata digito Dei scripta sunt, & hæc brachium malignantis delebit? Quid manifestius? Quid lucidius? Non parabolâ hac tecta sunt, non sensus latentes involuti, idque solum hac in prohibitione cavetur, ne quis sua authoritate homicidium perpetret, perjuriumve committat.

Attendite quid Exod. xxi. 14. scriptum sit: *Si quis*, ait Scriptura, *per industriam occiderit proximum suum, aut per insidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et Gen. ix. 6. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Etiam in Psalmo satis dolos, perjurium, & propria authoritate sanguinem effusum abhorrere judicatur Dominus, cùm ait David, Ps. v. 7. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Et nos contrà hæc divina edicta humanâ corruptione veniemus, & Orbem miscebimus discordiis, quem per hæc Præcepta D Dominus in pace constituit.

O nimiam in malignitatibus apertam confidentiam, etiam in malefactis Scripturâ colorandis gloriabitur vir, quem malefactorum non pigebit, induratus! Heu quantum scelus, ut quis offendisse non credatur, iterùm graviùs offendere, & culpam protegere culpâ, cùm ait Augustinus, quòd *Peccare malum est, perseverare pessimum, nolle pœnitere mortale.* Sed qui magis increpandi, aut audentes incipere, aut fovere malitiam? Videatis: utinam cunctis ut inobis cernere datum esset *, quid flagitii scriptum illud sordidum paraverit; nostra non per tempora reparandum. Tempus fuit, nosque ruinæ tantæ disturbiis agitati ac de furore labiis condolentes, ut si homines omnes † sua simul consilia congessissent, nihil tulissent auxilii, cùm furor sæviens rapidis curreret impetibus, omniaque obvia sterneret, ac ipse timor justus in animos constantissimorum cadebat, & mortem raptim, effugientibus multis.

Pedibus timor addidit alas.

Et qui vidit testimonium perhibet, ut vos credatis. Vidimus, ut quodcunque ‡ feritas odium armasset, aut excitasset invidiam, sequens vindicta Justitia dicebatur, ac unusquisque alterius in necem tantùm potestatis habebat, quantùm inimicitiæ conceperat.

Quid pacta infecta narrare jam opus est? Quid strages innumeras eloqui? Aures hominum rumor implevit, & cùm vobis hæc ipsa referimus, non per nova, aut inaudita vagamur: sed quoniam dolor, & rei tam miserandæ recordatio mentes implebat, talia in scripta prorumpimus: idque scribendi contulit materiam, quòd ex Dominis Cardinalibus tres adversantium forsan, aut involutis decepti sermonibus, aut importunitate coacti, seu temporum inducti, sperata qualitate, adversùm processum hîc, & nostro subsequuto consensu, per Reverendum Parisiensem Episcopum, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis factum nuper attemptasse feruntur, ut in hoc fortasse non satis divinus timor abundaverit.

Credimus, finisque docebit, Parisiensem Episcopum plus parti providisse, majusque fecisse, quàm ipsa sibi, dùm cum Fidei semper integritate, partis etiam immeritam servabat honestatem.

Scitote, Patres, quòd illius processus in serie & servabatur gravitas, & Judicii debita etiam aderat authoritas. Potest enim & Jure, & consuetudine Parisiensis Episcopus, à suorum subditorum cordibus errores abjicere, quoniam scriptum est: Pet. v. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, pabulo scilicet salutaris doctrinæ, ut ne quid mortiferum, se immisceat, quin protinùs excutiatur: idque de more habemus, ut Articulos Parisius damnatos etiam non fovere juremus. Et ad hoc idem ex nostris pars, Sacra Theologorum Facultas, ad Clementem VII. quam pridem misit Epistolam, per quam talem Articulorum damnationem rationabilem atque juridicam asserebat.

Videant universi, quis erit eventus, si solum Generale Concilium, solive Summi Pontifices hanc sibi potestatem accipiant; cùm tarda sint Generalia Concilia; cùm non semper apud Papam major sit copia Clericorum. Extendent errores, in tempus, radices, ut posteriùs eradicari non valeant, & inulta Fidei sincera maneat integritas.

Verùm Juris inopes, ad injuriarum opem; & Justitiâ destituti, ad talia subterfugia se convertunt: ideò venienti tutius occurrere morbo. Ac ipse Christus Discipulis, cujus sequaces sunt Episcopi, præcepit dicens; *Ite, docete omnes gentes.* Math. xxviii. 19. Habetis vobiscum qui talis erroris seminaria, tantamque pestem diffundunt, atque se objiciunt deffensores, qui fortasse ut sibi gratiam concilient humanam, aspernantur divinam.

Sed videant quid agant, ut non aliis prodesse putantes, se ipsos perdant. O scelera! O Inaudita

* *forsan* unitæ † *forsan* assistat

* *forsan* est † *forsan legendum* ut si homines singuli ‡ *forsan* quandoque

dita maleficia, & blasphemiarum genera sacrilega! Tantumne Fides patitur detrimentum, ut etiam impunè talia fautores inveniant! Quamvis enim suis verbis rem obscuram faciunt, eam qui noverit, facilem reputabit.

Res pervia est, collucent ficta undequaque mendacia, si prudenter inspecta sint. Sed vos non imprudentes, neque adeò incogitati, ut verbis faleratis, aut rebus dissono sermone ducamini: quod A enim * misericorditer, aut demùm illiberaliter actum est, verba dulcia, aut familiaria colloquia non admittit.

Verumtamen antiquum manet ingenium, & toties exercitæ artes, atque ad unam injuriam justificandam fraudes adinventæ non cessant. Sed contra insistere in Fidei robore necesse est, totasque apponere vires, ut non sic mortem inopinam, & inimicitiam, perjuria, fraudesque subeamus.

Quis Principum adeò securus est, ut universorum in conspectu placuerit? Non ipse Christus hoc invenit, sed mortem falso crimine, perjurisque testibus coloratam ferebat: quamquàm tamen de populi subversione, scandalosisque maleficiis Judæi eundem falsè culparent; non tamen propria autoritate damnarunt; & qui Judex erat universæ carnis, ex se non voluit ultionem; sed à Patre æterno, B cujus ipse unigenitus, Judicium expectavit. Neque ipse Cain nequissimus datus est in manus hominis, ut alteri eumdem occidere sua sponte liceret. Nos autem Legi subjecti, adeò videbimur contumaces, ut nobis ipsis nullo titulo tribuamus vindictam, quam ipse Dominus sibi reservavit; aut iis, quibus potestas à Domino Deo est, specialiter instituit.

Audite, audite, Patres, & illius deformis voluminis, quòd de Libro vitæ hominum, sicut & de Libro vitæ cœlestis deleatur venenum attendite. Satis erat homicidium docuisse, si non & homicidii modum, horridamque formam docuisset; pro maximo enim peccato mortem infligi magnum est. Hæc tamen adulterina doctrina subitam & horribilem homicidii formam edocuit, ut cum corpore periclitetur & anima, si non pietas divina indulgeat, qui corpus † occidunt, animam dijudicare non possunt, quæ soli divinæ Justitiæ submissa est.

Ergò quo pacto quis subita, & ignominiosa morte C proximum justificatus damnabit? Nemo hæc intelligit, ipsique, quorum nutu res agitur, strictum in hac re ratiocinium non intrabunt: sed circa volant. Si rerum patent in superficie, multùm eis est; dum rerum evidentiam aperiendam moventur ‡, nec illis mentiri verecundum, qui mendaciis miscenda perjuria prædicant, testimoniique divini venerantur fracturam: *Sepulchrum* enim *patens guttur eorum, & linguis suis dolosè agebant.* Ps. XIII. 3. O quantum ex spirituali damno, talis erroris fautores, temporalia disposuêre pericula? Nemo adeò securus, ut alteri fidem habeat; imò sibi ipsi credere non licitum, cùm sibi ipsi contradicere jam licebit.

Consurgant Principes, & adversùs errorem hunc cuncti conveniant, aut regia linquant insignia. Ubi Fides? Ubi fœdera tantos firmata per Annos. D Sic impunè frangentur? Si sic civilia linqui pacta licet, omnes in eremo solitariam vitam ducant, cessetque inter homines Principatus; quoniam qui justè subesset, cæteros injustè subjiceret, quantùmque quis sanguinem sitiens ferocitate superaret, tantum sævire posset in ceteros, cùm nemo sine crimine vivit. Et *si dixeremus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* 1. Joan. 1. 8. O perditissima morum introductio! O regiis apicibus adversantissimum documentum! *Tollite*, ait Augustinus, *tollite Justitiam, & quid sunt Regna, nisi magna latrocinia?*

Nunc videamus, quibus viis violentiùs enervatur Justitia, quàm ut quibuslibet inimicari, etiam inimicitias exequi, Justitiæ titulo concessum sit. Sic Respublica in partes manibus rapidis lacerabitur, & nullo rerum habenas moderante, suis concurrent impetibus, atque Astrea terras cæde madentes relinquet, quòd eventurum in futuris, ex præteritis judicamus.

O dogma pestiferum, & mortis hostium * patefactum satis, & plusquam satis. Præceps, & ignobile vulgus, semper majoribus invidet, ut non jam furor ipsis in plebanis acuatur; & seditionum, turbulentæque stragis donetur occasio.

Longè à doctrina hac Petrus animos avocabat, cùm ait: *Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* 1. Pet. II. 18. Et alibi: *Deum timete, Regem honorificate.* ℣. 17. Post Deum enim, Scriptura Principantum prohibet injuriam, cùm ait: *Diis non detrahes. Et Principi populi tui non maledices.* Exod. XXII. 28.

Diem vidimus, ut victis Legibus, & in fugam versâ Justitiâ, hujus contactu doctrinæ, alias in partes diffluerent, quæ posteriùs industriâ, & mulcendi suavitate reconvenerunt.

Sed quis insidias collaudatas, quis probatas fraudes, & explorandi magnificatam hac in Propositione fallaciam non agnoscat; quam tamen Leges, & Canonica Sanctio, Theologiæque veritates exhorrent. Ipseque David in exemplo est, qui insidiarum scelus, & mortem imprævisam inimici Saülis perversi, caputque ejus adversantis apprehensione vilem abnuit.

Atque ipse Joab à Salomone, Præcepto Patris morte didicit, quid mors insidiis perpetrata deposcat. De Rege ipso Achab durum Judicium & pœnæ crudeles exhaustæ sunt, quoniam in Naboth justificanda morte, cujus vineam concupierat, perjuria, mendaciaque inhonesta commisit.

Scitote, Patres, quoniam omnia plena insidiis, & ubique timor, si non Secta hæc, interitum docens, intereat.

Unum autem in ipsa satis admirari non sufficimus, quòd etiam vitiis meritum, & inhonestis actibus rependit honorem; neque sufficit violenta cecidisse manu, si non & qui cecidit nomine decidat; atque etiam occisor, qui cum cadente mortuo in reatus mortem decidit, ad gloriam, & laudem assurgat impœnitens.

Longè hæc à Scripturarum serie, neque tale quicquam etiam de justissimè judicantibus legitur allegatum; quoniam, ut apud Aristotelem est, *Præmium virtutis honor.*

Nos igitur qui iidem nunc sumus atque olim, ex omnibus Facultatibus congregati, scelus hoc abhorrentes, cujus qualitatem argumentis, experientiâque cognovimus, vobis tanquàm Gallicæ prosperitatis causam commendamus. Propter hoc in præsenti nostra Congregatione nunc specialiter evocati, & id una voce clamantes, assistentibus nobis in sua Facultate ferè quadraginta sacræ Theologiæ Magistris, multisque sacri Canonis Doctoribus amplissimè congregatis, quos iidem ardor & rei, & Fidei zelus exagitat, pluribusque ex aliis Facultatibus viris studiosissimis & præclaris, quorum tota cohors iis rebus aspirat, qui aut hoc damnandum semen, aut viros, animasque perdendas, & Regna evertenda, una & eadem voce elocuti sunt, seque iis in sententiis morituros, aut caput periculis objecturos asserunt, omnia propter Christum captivantes, ut in Fidei integritate, sine qua impossibile placere Deo, atque in pace Patriam constituant. Ro-

* *forsan deest* duriter, † *forsan deest* judicio.
‡ *Locus corruptus.*

* *forsan* ostium.

Rogamus igitur, & pro Fide preces interponimus, ut rei tantæ non desit auxilium: nam si vobiscum non invenimus, ubi quæreremus? Si à vobis in iis Gallia deseratur afflicta; quem posteriùs adjutorem, nisi Regem, aut sæcularem potestatem invenietis.

Vos in Spiritu sancto vocati, per eum igitur, cujus oculi Fidem aspiciunt, obtestamur, periculis occurrite, nam velut cancer hæc doctrina serpit in populos, & jam Regna inficit extra. Si tamen aliquid terrenæ potestatis A absterreat, vincat amor Fidei, & qui pro extirpandis erroribus vocati estis, *Videte*: juxtà illud 2. Joan. 8. *ne perdatis quod operati estis; sed mercedem plenam recipiatis;* benè incœpta enim laudamus, cùm illud venenosum dogma; *Quilibet Tyrannus &c.* de medio sustulistis.

Omni ergò fideli ex corde doctrina hæc procul absit, & si hanc terra aliqua suscipiat, illa infidelis sit inhabitata, ut morte in alterutrum per eam commissa, aut fessi persecutionibus suam duritiam ad Fidem concernant; aut sic per eam, ut apta est, minuantur, * quòd eorum incredulitatem faciliùs confundamus.

Si autem, seu temporum malitiâ, seu facili quorumdam voluntate, aliquid in contrarium processus facti Parisiis actum sit, ad statum priorem reducatur, & *Facite*, ut ait Jeremias. XXII. 3. *Judicium & Justitiam, alioquin deserta erit domus hæc.* Et B vos animos constituetis in pace; Reges gentium dommabuntur eorum, ipsaque Justitia malis frenum reponet. Sic benedicet Dominus terram suam, quæ dabit fructum suum, quo per viam ad Patriam transeamus.

Ut autem æmulorum Fidei subterfugiis, atque vaniloquiis sit ad plenum satisfactum, labiaque claudantur iniqua, plusquàm satis maledictis insolentia, insolitum peregimus, quòd præsentem Epistolam Facultatum, & Nationum sigillis ex proposito muniremus, ut major animorum pateret conventio, ipsaque petita nostra unanimitas roboraret, ne scripta nostra tam impudenter lacesserent, cùm ubi mentes consensus alligat, quam animo libenti seminarent, verbo discordiam prædicant; quod enim Regis ex scriptis non verentur obloqui, contra nostra confidenter audebunt; sed ipsa Fidei veritas, atque hæc eadem nostræ conformitatis approbatio, falsitatem convincent. C

Scriptum Parisiis sub nostro communi sigillo, cum adjunctione prædictorum, in nostra Generali Congregatione, solemniter apud sanctum Maturinum celebrata, die vigesima octava Mensis Aprilis. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto.

J. Cachaloe. *avec paraphe.*

Sigillum Nationis Normaniæ.	deest	Sigillum Facultatis Medecinæ.
Sigillum Facultatis Theologiæ.		Sigillum commune Universitatis.
Sigillum Facultatis Doctorum.		Sigillum Nationis Gallicanæ.
Sigillum Nationis Anglicanæ.		

Extrait sur l'original en parchemin, tous les sceaux pendans, tiré de nostre depost, ou archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy F. N. Bazin *Prieur des dits Peres Celestins, ce quinziéme Avril* 1684. *en foy de quoy, je me suis signé. Ainsi signé. F. N.* Bazin. *Prieur des Celestins.*

* *fortè* muniantur

PROTESTATIONES

Symonis de Theramo,

Advocati Regis Franciæ: & Episcopi Attrebatensis, ex parte Ducis Burgundiæ. Cod. 2538. fol. 285. verso.

In nomine Domini. Amen.

Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis notum sit, & pateat evidenter, quòd Anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo sexto decimo. Indictione nona. Die verò Jovis ultimâ Mensis Aprilis, antè meridiem. Apostolica Sede vacante, & Sacro sancto Generali Concilio, Universalem Ecclesiam repræsentante, in civitate Constantiensi, Provinciæ Maguntinæ, residente: coram sacro Cardinalium Collegio, ac Prælatis, Doctoribus, Magistris, Ambassiatoribus, Procuratoribus, & aliis quàmpluribus notabilibus personis quatuor Nationum, totum ipsum sacrum Concilium constituentibus, & repræsentantibus, in Ecclesia majori, & loco publicæ Sessionis, more solito congregatis, & generalem Congregationem pro certis tunc expediendis celebrantibus; nostrorumque Notariorum, & testium infra scriptorum præsentia, propter hoc personaliter constitutus egregius Legum Doctor, Dominus Symon de Theramo, Serenissimi & Christianissimi Regis Francorum assertus Advocatus, nomine ipsius Domini Regis, petiit à dicto Concilio sibi audientiam concedi in materia Fidei. Quâ quidem audientiâ sibi favorabiliter concessâ, & facto ibidem silentio; idem Dominus Symon, primò quasdam Litteras Patentes per dictum Dominum Regem ipsi sacro Concilio, super materia quarumdam novem Assertionum, coram Dominis Judicibus Fidei denunciatarum directas, publicè legi fecit. ult. Aprilis 1416.

Quibus perlectis, idem Dominus Symon quamplurima, & diversa, super eadem materia novem Assertionum, multùm prolixè, & extensè, publicè proposuit; & inter alia narravit qualiter dicti Domini Regis Ambassiatores, & Procuratores, à dictis Dominis Judicibus causarum Fidei, propter certam publicationem votorum, & opinionum Magistrorum, & Bacchalariorum in Theologia, super dictis novem Assertionibus datarum, & alia gravamina, ut dicebat, appellaverant; prout in quadam appellationis cedula, quam etiam ibidem publicè legi fecit, pleniùs contineri dicebat.

Post cujus quidem appellationis cedulæ lecturam, Reverendus in Christo Pater, Dominus Attrebatensis Episcopus, & ceteri alii Illustrissimi Principis, Domini Joannis Ducis Burgundiæ Ambassiatores, Advocati, & Procuratores, & nomine dicti Domini Ducis Burgundiæ, copiam dictarum Litterarum, nec non audientiam publicam à dicto sacro Concilio, ad respondendum aliquibus dictis, & propositis per dictum Dominum Symonem, ipsum Dominum Ducem Burgundiæ quamplurimùm, ut dicebant, concernentibus, & tangentibus, sibi dari, & concedi, cum instantia debita postularunt. D

Et tum Ambassiatoribus dicti Domini Ducis Burgundiæ, pro parte ipsius sacri Concilii, ut præfertur, congregati, extitit responsum, per organum

nun Reverendissimi in Christo Patris, & Domini Domini Cardinalis Florentini, quòd propter horam tardam, & propinquam prandio, pro tunc audientiam habere non valebant; sed quòd die Sabbati proximò instanti, secunda videlicet Mensis Maii, qua die, etiam more solito, Congregatio Generalis fieri deberet, audientiam publicam haberent: & illam diem pro audientia publica, dictum sacrum Concilium, per organum dicti Domini Cardinalis, eisdem Dominis Ambassiatoribus concessit, & assignavit.

Qua quidem die Sabbati adveniente, & dicto sacro Concilio in loco prædicto, &c, ut præfertur, antè meridiem ipsius diei congregato, præfatus Reverendus Pater Dominus Attrebatensis Episcopus, associatus nonnullis aliis ipsius Domini Ducis Burgundiæ Ambassiatoribus, & Procuratoribus; in dicto loco, coram dicto sacro Concilio personaliter constitutus; assumpto theumate: *Sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit* 1. Pet: 11. 21. 22. multùm prolixè, & diffusè quamplura proposuit; inter cetera narrando, & explicando, primò, tàm processum, & modum procedendi Parisius, per Reverendum in Christo Patrem, Dominum Parisiensem Episcopum, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, super condemnatione prætensa prædictarum novem Assertionum; quàm etiam in præsenti Concilio, ad prosecutionem & instigationem Magistri Johannis de Gerssonno, Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis, coram Dominis Judicibus, & Commissariis prædictis, in causis Fidei deputatis, & Nationibus ejusdem sacri Concilii tentum & habitum.

Quo quidem narrato processu, præfatus Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine Ambassiatorio quo supra, petiit instanter, & requisivit egregium utriusque Juris Doctorem, Dominum Ardicinum de Novaria, ipsius Domini Ducis in hac parte Advocatum, & Consiliarium, super responsione danda aliquibus, ut dicebat, frivolè, in notam dicti Domini Ducis, per dictum Dominum Symonem de Theramo ultimatè dictis, & propositis: nec non ad concludendum in hac parte, pro, & nomine dicti Domini Ducis & nonnullas requestas faciemus.*

Cui quidem Domino Episcopo Attrebatensi iteratò responsum extitit, per organum dicti Reverendissimi Patris, Domini Cardinalis Florentini; quòd hora erat tarda nimis, & quòd die Martis sequenti, etiam in plena, & publica Congregatione tunc † concedens Domino tum celebranda dicere, proponere, & concludere compleret quidquid vellet.

Dicta verò die Martis, quinta scilicet Mensis Maii, antè meridiem, congregato dicto sacro Concilio, more solito, & Congregationem Generalem celebrante, in loco publicæ Sessionis prædicto, personaliter constituto dicto Reverendo Patre, Domino Attrebatense Episcopo, & petente præfatum Dominum Ardicinum Advocatum audiri, pro parte dicti Domini Ducis, super conclusione, & responsione danda, & facienda, aliàs, ut fertur, dictis & propositis per dictum Dominum Symonem de Theramo: Venerabilis, & circumspectus vir, Magister Iohannes de Gerssonno Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, & nonnulli alii, sibi instanter petierunt, pro parte Serenissimi, & Christianissimi Regis Francorum, super materia hujusmodi Assertionum, & super aliis, ipsius Domini Regis pro parte dicendis, audiri à dicto sacro Concilio; dicto Domino Attrebatensi dicente, quòd priùs finire, & concludere debebant pro parte præfati Domini Ducis.

Nihilominùs concessa extitit, per præsens, ipsi Magistro Johanni, favore dicti Domini Regis audientia: & tunc idem Magister Johannes de Gerssonno etiam multùm prolixè, super materia hujusmodi novem Assertionum proposuit, & quamplures Litteras, & certas * legi publicè fecit: & tandem Propositionem, ut asserebat, publicè idem Dominus Cancellarius, aliàs Parisius, per quondam Magistrum Johannem Parvi, de hujusmodi novem Assertionibus factam, & per dictum Dominum Episcopum Parisiensem damnatam, in quodam Libello descriptam, eidem sacro Concilio exhibuit, & in manibus Reverendorum Patrum, Dominorum Prothonotariorum sanctæ Sedis Apostolicæ posuit: & hiis peractis, ac dicto Domino Attrebatensi Episcopo, iterato nomine quo supra, audientiam sibi dari petente; præfatus Dominus Cardinalis Florentinus eidem Domino Attrebatensi respondit, quòd die Sabbati proximè instanti, audientiam publicam haberet.

Qua die Sabbati, nona scilicet dicti Mensis Maii adveniente, & dicto sacro Concilio in loco publicæ Sessionis prætacto, ut prefertur, congregato; præfatus Reverendus in Christo Pater, Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine quo supra, post quarundam Litterarum, pro parte Universitatis Parisiensis, eidem sacro Concilio, super materia harum Assertionum directarum lecturam; & ibidem, ad instantiam dicti Magistri Johannis de Gerssonno, & Symonis de Theramo, ac nonnullorum aliorum factam, & post nonnulla hujusmodi materiam concernentia, ibidem per eos dicta, & proposita, assumendo sibi Theuma. *Rogamus vos Fratres, per adventum Domini nostri, & nostræ Congregationis in ipsum; ut non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam, tanquam instet dies Domini.* 2. Thess. 11. 1. 2.

Quibus verbis per eum hìc prolatis, ac quibusdam Litteris patentibus, continentibus, ut dicebat, in effectu, quòd inclyta Facultas Decretorum, & Natio Picardiæ, in Universitate Parisiensi prædicta, nunquam consenserant hiis quæ in Litteris ibidem, pro parte dictæ Universitatis Parisiensis exhibitis, & perlectis, scribebantur; & continentur; petens ut Litteræ Facultatis Decretorum, & Nationis Picardiæ prædictis ibidem super hoc publicè legerentur, & ut ipse, ac dictus Dominus Ardicinus, pro, & nomine dicti Domini Ducis, pro adimplendo & concludendo super per eum alias, videlicet die Sabbati, tertiâ hujus Mensis Maii, in hujusmodi materia propositis & inchoatis pacificè audirentur, & brevis audientia sibi, nomine dicti Domini Ducis, concederetur.

Et hiis verbis per dictum Dominum Episcopum Attrebatensem prolatis; illicò factus fuit in dicta Congregatione tantus tumultus, strepitus, & clamor per nonnullos; tàm ab infra, quàm ab extra locum dictæ Sessionis, & circumquaque eundem, quòd nec ostiarii, nec quivis alii pacificare, & silentium ibidem procurare potuerunt: propter quem quidem tumultum, & clamorem, in auribus audientium satis scandalosum, omnes & singuli, tàm Prælati, quàm alii sacrum Concilium ibidem repræsentantes, à dicto loco recesserunt, dicto Domino Attrebatensi minimè audito; neque aliquo termino, vel die, pro audientia habenda, per ipsum Sacrum Concilium sibi præfixo, vel assignato; ipso Domino Attrebatensi tunc de tumultuosa impressione, & injuria, ac denegatione audientiæ hujusmodi protestante, & Instrumentum petente.

Demùm, adveniente die Lunæ proximò sequente,

* Locus corruptus. † *forsan meliùs* concedente Domino, tum celebranda,

* *fortè* cartas.

te, undecima ejusdem Mensis Maii, & dicto sacro Concilio antè meridiem ejusdem diei iteratò, in dicto loco Sessionis publicæ, more solito & prædicto, solemniter congregato, & Congregationem Generalem celebrante: post plurima proposita, & allegata coram dicto sacro Concilio, in quadam causa Reverendi Patris Domini Electi Argentinensis; & hujusmodi causâ, per dictum sacrum Concilium, pro illa die, expeditâ: præfatus Dominus Attrebatensis Episcopus, per organum dicti Domini Ardicini, præfati Domini A Ducis Burgundiæ in hac parte Consiliarii & Advocati; nomine ipsius Domini incœpit loqui & continuare sermonem super per eum in hujusmodi materia novem Assertionum aliàs propositis & inchoatis: & ipso Domino Ardicino verbum assumente, in continenti dictus Dominus Symon de Theramo, assertus Advocatus dicti Domini Christianissimi Regis Francorum, interrumpendo verba dicti Domini Ardicini; dixit publicè, & voce elevata, quòd dictus Dominus Ardicinus volebat loqui de materia prædictarum novem Assertionum, & quòd dictus Dominus Attrebatensis satis super hoc fuerat auditus; & quòd nulla audientia parti dicti Domini Ducis, in hujusmodi materia erat per dictum sacrum Concilium concedenda, neque pars ipsius Domini Ducis ulteriùs audiri debebat.

Quibus quidem verbis, seu aliis in effectu si- B milibus, per dictum Dominum Symonem ibidem prolatis; in continenti factus fuit strepitus, clamor, & tumultus, prioribus, ut præfertur, aliàs factis graviores, & scandalosiores. Et quamvis dictus Dominus Attrebatensis Episcopus vocem axaltando, audientiam instanter, pro dicto Domino Duce postularet; dicendo quòd satis erat mirandum, quòd attento quòd cuicumque minimæ personæ, in Concilio Generali audientia dari consuevit, & debet; & præsertim attento quòd quamplura gravia & enormia dictum Dominum Ducem, ejusque famam, & honorem tangentia, & concernentia, coram dicto sacro Concilio, per præfatum Magistrum Johannem de Gerssonno, & dictum Dominum Symonem ad C longum, & plenariè, patienter per ipsum sacrum Concilium audita fuerant; quòd præfatus Dominus Dux in suis justificationibus, & excusationibus ad plenum etiam non audiebatur: petendo iterùm & iterùm, nomine dicti Ducis brevissimè audiri. Nihilominùs tamen tumultus, strepitus, & clamor hujusmodi plùs continuabantur & invaluerunt; & taliter, quòd nullus silentium imponere, vel procurare valuit, & quòd dicta Generalis Congregatio propter hujusmodi tumultum scandalosum, parte dicti Domini Ducis inaudita, omninò dissolvebatur, nullo termino eidem parti dicti Domini Ducis Burgundiæ, pro audientia per eam præpetita præfixo, concesso, vel assignato: Et tunc præfatus Dominus Attrebatensis Episcopus, nomine Ambassiatorio quo suprà, protestando de hujusmodi tumultuosis impressionibus, & D aliis præmissis omnibus, & singulis, prout suprà scribuntur; & sic, ut præfertur, diversis diebus, & horis dictis, factis, & gestis; petiit sibi, tàm per Patres Reverendos, Dominos sanctæ Sedis Apostolicæ Prothonotarios, quàm per Notarios infra scriptos, & alios quoscumque Notarios, & Tabelliones publicos, ibidem præsentes, confici, atque tradi, ad omnem finem debitum, & necessarium, ac futurum eventum, publicum Instrumentum, & publica Instrumenta, unum, vel plura, ac tot, quot sibi fuerint necessaria.

Acta fuerunt hæc, sub Anno, Indictione, Mensibus, diebus, horis & loco prædictis: præsentibus Reverendissimis, Reverendisque in Christo Patribus, Dominis, miseratione divina, de Ursinis; de Columpna; de Chalanco; Placentino; & Fusci, sacro-Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus: Constantinopolitano, & Antiocheno Patriarchis; Vathoniensi; Sarisberiensi; Tridentino; Concordiensi: Præsidente Nationis Italicæ, sancti Florii; Præsidente Nationis Gallicanæ, & Tholonensi Episcopis: Præposito Quinque-Ecclesiensi; Præsidente Nationis Germanicæ; Præsidente Nationis Anglicanæ; Cisterciensi; Clarevallensi; Belliloci; de Cormeriaco; de Ursicampo Monasteriorum Abbatibus; nec non Magistris Johanne Almaris; Fratre Iohanne Vinzellis, sacræ Theologiæ Professoribus; Hermano de Verch, sanctæ Sedis Apostolicæ Prothonotario; cum pluribus aliis Dominis, Prælatis, Doctoribus & Magistris diversorum statuum, dignitatum, graduum, & ordinum, & alia multitudine populi numerosa, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.

Et quià ego Ioannes Baers Clericus Diœcesis Morinensis, publicus, Apostolicâ, & Imperiali authoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, & supra scripta sunt agerentur, proponerentur & fierent, unà cum Notariis infra scriptis, & testibus supra nominatis, præsens interfui, eaque sic fieri & proponi vidi, & audivi, ac in notam recepi. Ideircò huic publico Instrumento super indè confecto, aliena manu, me aliis negotiis legitimè præpedito, fideliter scripto, propria manu me subscripsi, & signum meum publicum, unà cum signis & subscriptionibus publicis Notariorum publicorum infra scriptorum apposui solitum, rogatus & requisitus, in testimonium veritatis omnium, & singulorum præmissorum.

Et me Pasquerio de Vallibus, Clerico de Ambianis oriundo, Bacallarius in Decretis, publico Apostolica & Imperiali authoritatibus Notario, qui præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut præmittitur, proponerentur, allegarentur, dicerentur, agerentur, & fierent, unà cum Notariis supra, & infra scriptis, ac testibus supra nominatis, præsens interfui; ea que omnia, & singula, sic fieri vidi, & audivi. Ideò publico Instrumento manu aliena fideliter ex inde confecto, me hîc propria manu subscribendo, signum meum, quo in talibus utor, apposui consuetum, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus.

Et ego Iohannes Viviani Canonicus Antissiodorensis, publicus Apostolica authoritate Notarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut suprà scribitur, proponerentur, allegarentur, agerentur, dicerentur, & fierent; unà cum Notariis præscriptis, & testibus ante nominatis præsens fui, ea que sic fieri vidi, & audivi. Ideò hoc præsens publicum Instrumentum, manu aliena fideliter scriptum, inde confectum, me manu propria subscribendo, signo meo consueto signavi; in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum, requisitus, & rogatus.

Cod. 1538. fol. 330. verso.

LIBELLUS FAMOSUS

Gerssonnitarum

Publicatus 3ª. die Maii. 1416.

REx Francorum conqueritur
Qòd inter Regni lilia
Spinarum radix nascitur,
Errorum ferens folia
Cui Chaym obsequitur
Approbans homicidia.

Heu Chaym generatio
Odibilis & perversa
Sub hypocrisis pallio
Fidei præfert adversa
Constantiæ Concilio
Per dogmata diversa.

Abel proles conculcatur
Dum opprimitur veritas
Dum sic Fides impugnatur
Et Judicii æquitas
Et dùm nimis exaltatur
Adulatrix mendicitas.

O Ecclesiæ Pastores
Huic pesti resistite,
Et vos Fidei Doctores
Veritati succurrite
Adversùs hos seductores
Viriliter concurrite.

RESPONSIO

Facta die tertia Maii. Anno eodem.

EX titulo Christianissimus
Rex Francorum plangit flebiliter
Quòd Scharioth nidus nequissimus
Liliorum sanguinem turpiter
Sic diffamet, ut impiissimis
Hæresibus sordescat viliter.

Hic Herodes glorians pellibus
Et advena meritò dicitur
Verbum verax cum hoc sequentibus
Pauperibus nequam prosequitur
Cui brachium atque complicibus
Regis dextram minans turbabitur.

O proditrix rabies lurida
Quæ sic Regnum invadis liberum
Malitia plurium rabida
Imitaris tartari Cerberum
Cum doctrina tua perturbida
Concilium perturbas prosperum.

A *Regnum totum das in ridiculum*
Lætitiam ingerens hostibus
Orbi toti profers spectaculum
Tuis falsis positionibus
Fidem, Regnum dans in periculum
Procuratis per te scismatibus.

Succurrat nunc Ecclesia
Christianissimo Regi
Regno ferat auxilia
Totique fideli gregi
Jam Antichristi prælia
B *Parantur divinæ Legi*

Sancti Patres animadvertite.
Doctoresque sacri Concilii
Diffamatis plenè succurrite
Juxta libram veri judicii;
Ut Constanter agentes, debitè
Reportetis coronam bravii.

Hìc debet referri Propositio facta coram Concilio Generali Constantiensi, die 5. Maii, Anno 1416. quæ extat supra. Tom. 2. Operum Gersonii. P. II. p. C 319. v. Maii 1416.

EPISTOLA

Cod. 1538 fol. 332

Universitatis Parisiensis

AD CONCILIUM

Fuit lecta in Congregatione Generali, IX. die Maii, in loco Sessionis. Anno Domini millessimo quadringentesimo, sextodecimo. xxi. Martii 1415. lecta ix. Maii

EGregiis, Reverendissimis, atque inclytis Patribus ex omni dilectis, in sacro Concilio Constantiensi D Universalem Ecclesiam repræsentantibus, humiles, devoti, & vobis obsequiosi, Rector & Universitas Studii Parisiensis, pacem dare multam diligentibus Legem Dei, ut non sit eis scandalum atque abjectis erroribus, multitudini credentium sit cor unum & anima una.

Quoniam *Concordiâ parva res crescunt, discordiâ maxima dilabuntur.*

Nascentem pacem, plantulamque tenellam levi-

vibus fovere necesse est, & mutua in alterutrum benevolentia dulci, & placido in labore gratam expectare quietem: quamquam enim, ut apud Aristotelem est, plusquam dimidium totius sit principium, non illic quies, sed plusquàm totum est ipsa fælicior operis consummatio, ibique residere virtutis est, si jam serenitatis aliquid, & decoris in Ecclesia quæsitum, non id quia habetur aspernandum.

Nam certè,

Non minor est virtus quàm quærere parta tueri.

Nocte & die vigiliæ, curæ, & solicitudines in pretio sunt opus facientibus, somnus subsequens suavior, ipsaque blanda futura quies tolerabilem facit esse laborem. Res digna est, cùm animos occupemus, fructus subsequens mentes advocat; ac si inexpletum hoc transeat, id præcipuum obmittimus, quo nobis animarum salus undiquaque petita, potiùs præparanda consilii satis est * auxilii copia: omnia suppetunt, si cuncta ligantem, ne dispergantur teneamus unitatem. Ex quo de Ecclesiæ familia sumus; omnia pro ipsa familiariter ferenda sunt.

Nos absentes, omnia adire pericula, dùm prodessemus, atque dura pati mente firmavimus. Neque si inimici inveniendi sint omnes homines, non illa deserenda est Ecclesia, quam Christus Jesus prosequebatur ad mortem: non legitimus Ecclesiæ filius, qui ostentatam tantam pacis occasionem brevem tam optatam, & olim insperatam amitteret, quoniam.

Pax plenum virtutis opus pax summa laborum.

Aut enim ille viros dæmoniali malitia superaret, aut bestiis subesset, insensatus.

Cùm autem in vobis concordiam tenueritis, eandem parabitis populis, qui ad vos ora expectantia vertunt, gratius aliquid auditura. Non ea loqui iniquæ linguæ est, non pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum suadere contumeliosum: neque hæc quæ loquimur ex animo fiducia destituto procedunt. Spectata est vestra constantia, probata desideria: sed fortassè cùm succedunt prospera, cùm pacis patefactus adventus in parvis, si mixtio voluntatum discrepantium supervenerit, erit ad majora transitus, & accessoria divisio unanimitati principali noceret.

Hæc, eo ipso, in medium veniunt, quia fama refert aliquibus in Nationibus suscitata discidia, ut de Præsidentis honore sit in Nationibus diversitas, atque hic Johannitarum Præses, ille Gregoristarum se appellat, mosque in Concilii sumptus exordio sit abjectus, qui pro tranquillitate tenenda tradebatur.

Quanquam verò hæc Nationibus intranea sint, &, ut credimus, sedanda faciliter, extranea ferre possunt incommoda, & in vocibus hominum maculam, in Ecclesiæ, Clerique turpitudinem cumularent; ut qui omnia, præteritumque scisma propter Christum, cœlicamque pacem contempsisse feruntur, jam mundanæ præeminentiæ, jam inani gloriæ dilectione nimia, ac odii præteriti recordatione mordeantur, & zelum Christi, terrenus amor supervacuus impediat.

Tollite, tollite tantum pacis offendiculum; nam pacem invenire laboriosum; jurgia, litesque novare facile est; & quod cum gravitate paratur, lenia rejiciunt: cùm semel excrevit jurgii materia, non in promptu mitescere, & ad iracundiam citiùs quàm ad mansuetudinem commotus animus impellitur: non iis primis pro cathedris decertare convenit, qui una pro sede pacificè statuenda, suos intellectus captivantes, in Caritate, quæ *Non æmulatur, non quærit quæ sua sunt*, 1. Cor. XIII. 14. sed *omnia sustinet*, vocati sunt: nec tale improperium admittendum est, ut simplices nostrorum accusatores operum habeamus, qui motus nostros, turbidamque & in quærendis honoribus contrariam irrideant voluntatem; & potiùs nostra in his, quàm in bonis exempla sequantur, cùm semper ad malum prona sit nostra semi fracta fragilitas.

Si in Potentatibus, si inter Primates qui forma facti gregis, sit non æquanimis colluctatio; in minoribus quid nisi furor & inordinatus strepitus audientur? Novistis ipsi, cum primum Statutum in Præsidentiis & pacifica consuetudo maneret, egregiè venêre singula sine discrepantia, & acta omnia processêre feliciter.

Si igitur illa auferatur, pax auferetur, concordia auferetur, & fortassè spes auferetur, quam jocundis animis advenientem suscepimus.

Redeat quæsumus in pristinam consuetudinem, in probatum usum Præsidentiæ conditio, illeque Sedem sortiatur, cui talis Statuti coordinatione debebitur; & qui unitæ Christi sponsæ quærimus unitatem, unum simus; quoniam ipsa pax divisa nusquam inhabitat, & in pace factus est locus Domini.

Si otium refugitis, si ut non desides pigritent animi, & nè cùm non habent ubi se exerceant, surgant in alterutrum; materiam rerum majorum expectativam vultis, ad errores extirpandos currite.

Adest doctrina pestilens, de occisione sine autoritate, per mendacia & perjuria, Parisius damnata, Magistri Joannis Parvi Propositio, per quam & Gallia lacerata atque excruciata est: eam si non tollitis, gladio fortassè Regia Gallorum Majestas abolere cogetur.

Instat quominùs congreditur viros, & bella miscer horrisona, ut non sit domus, non etiam pauperis tugurium, quod non contumeliis plenum sit: neque unquam tàm iniquè de illa dicemus, quin dicta iniquitas exsuperet. Non pudet vos, & pios animos dictum hoc offendit, & demum vos eorum miseret, si qui sint qui eam, non dicimus defensare, sed etiam excusare conentur, ut ob humanam amicitiam fidem sibi faciant inimicam; & Lex Dei mansueta, atque ejus misericordiæ multæ qui non vult mortem peccatoris, jam in sensum reprobum, atque in humanis odiis fraudibus, & morte inopinata justificandis assistat.

Proh Dei atque hominum fidem! Quàm faciliter uno ex vitio in multa viri demerguntur, non satis erat uno errore per eam vilescere si non octo pariter jungerentnr.

Verùm, non errores absconditi, non ex Theologiæ penetralibus, & archanis extracti versuciâ, sed primas veritates evertunt, ipsumque dirripiunt Decalogum, ut etiam Tabulæ Moysi, hanc propter peccati vitulinam adorationem, iterum confringantur. *Non occides. Non perjurabis.* Nonne Mandata digito Dei scripta sunt, & hæc brachium malignantis delebit? Quid manifestius? Quid lucidius? Non parabolâ hæc tecta sunt, non sensus latentes involuti, idque solum hac in prohibitione cavetur, ut ne quis sua autoritate homicidium perpetret, perjuriumve committat.

Attendite quid Exod. XXI. 14. scriptum sit. *Si quis*, ait Scriptura, *per industriam occiderit proximum suum, aut per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et iterum: *Qui percusserit hominem, volens occidere*, propria suple authoritate, *morte moriatur*, Et Genes. IX. 6. *Qicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Etiam in Psalmo satis dolos, perjurium, & propria authoritate sanguinem effusum abhorrere judicatur Dominus, cùm ait David; *Virum sanguinum & dolosum abhominatur Dominus.* Ps. V. 7. Et nos contra hæc divi-

* *forsan* &

vina edicta humana corruptione veniemus, & Orbem miscebimus discordiis, quem per hæc Præcepta Dominus in pace constituit.

O nimiam in malignitatibus confidentiam apertam, etiam in malefactis Scripturâ colorandis gloriabitur vir, quem malefactorum non pigebit induratus! Heu quantum scelus, ut quis offendisse non credatur, iterum gravius offendere, & culpam protegere culpâ; cum ait Augustinus, quòd *Peccare malum, perseverare pessimum, nolle pœnitere mortale.* Sed qui magis increpandi, aut audentes incipere, aut fovere malitiam! Videatis, utinam, cunctis uti nobis cernere datum esset * quid flagitii scriptum illud sordidum paraverit, nostra non per tempora reparandum. Tempus fuit, nosque ruinæ tantæ disturbiis agitati, ac de furore labiis condolentes, ut si homines singuli sua simul consilia conjecissent, nihil tulissent auxilii; cùm furor sæviens rapidis curreret impetibus, omniaque obvia sterneret, ipseque timor justus in animos constantissimorum cadebat, & raptim mortem, effugientibus multis

Pedibus timor addidit alas.

Et qui vidit testimonium perhibet, ut vos credatis. Vidimus, ut quandoque feritas odium armasset, aut excitasset invidiam, sequens vindicta justitia dicebatur, ac unusquisque alterius in necem tantùm potestatis habebat, quantùm inimicitiæ conceperat.

Quid pacta infecta narrare jam opus est? Quid strages innumeras eloqui? Aures hominum rumor implevit, & cum vobis hæc ipsa referimus, non per nova, aut per inaudita vagamur; sed quoniam dolor, & rei tam miserandæ recordatio mentes implebat, talia in scripta prorumpimus, idque scribendi contulit materiam, quod ex Dominis Cardinalibus tres adversantium forsan, aut involutis decepti sermonibus, aut importunitate coacti, seu temporum inducti, sperata qualitate, adversùm processum hîc, & nostro subsecuto consensu, per Reverendum Parisiensem Episcopum, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis factum nuper attemptasse feruntur, ut in hoc fortassè non satis divinus timor abundaverit.

Credimus, finisque docebit Parisiensem Episcopum plus parti providisse, majusque fecisse, quàm ipsa sibi, dùm cum Fidei semper integritate partis etiam immeritam servabat honestatem.

Scitote Patres, quòd illius processus in serie, & servabatur gravitas & Judicii debita etiam aderat autoritas. Potest enim & Jure, & consuetudine, Parisiensis Episcopus à suorum subditorum cordibus errores abjicere; quoniam scriptum est. I. Pet. V. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, pabulo scilicet salutaris doctrinæ, ut ne quid mortiferum se immisceat, quin protinùs excutiatur: idque de more habemus, ut Articulos Parisius damnatos, etiam non fovere juremus. Et ad hoc idem ex nostris pars sacra Theologorum Facultas ad Clementem septimum, suam pridem misit Epistolam, per quam talem Articulorum condemnationem rationabilem, atque juridicam asserebat.

Videant universi quis erit eventus, si solum Generale Concilium, solive summi Pontifices, hanc sibi Potestatem accipiant, cùm tarda sint Concilia Generalia, cùm non semper apud Papam Major sit copia Clericorum. Extendent errores, in tempus radices, ut posteriùs eradicari non valeant, & nulla Fidei sincera maneat integritas. Verum Juris inopes, ad injuriarum opem; & Justitiâ destituti, ad talia subterfugia se convertunt: ideò venienti tutiùs occurrere morbo. Ac ipse Christus Discipulis, cujus sequaces sunt Episcopi, præcepit dicens: *Ite docete omnes gentes.* Matth. XXVIII. 19. Habetis vobiscum qui talis erroris seminaria, tantamque pestem diffundunt, atque se objiciunt deffensores, qui fortassè ut sibi gratiam humanam concilient, aspernantur divinam.

Sed videant quid agant, ut non aliis prodesse putantes, se ipsos perdant. O scelera! O inaudita maleficia, & blasphemiarum genera sacrilega! Tantumne Fides patitur detrimentum, ut etiam impunè talia fautores inveniant! Quamvis enim suis verbis rem obscuram faciant, eam qui noverit facilem reputabit.

Res pervia est, collucent ficta undiquaque mendacia, si prudenter inspecta sint. Sed vos non imprudentes, neque adeò incogitati, ut verbis faleratis, aut rebus dissono sermone ducamini: quod enim duriter, misericorditer, aut demum illibatum * actum est, verba dulcia, aut familiaria colloquia non admittit.

Veruntamen antiquum manet ingenium, & totiens exercitæ artes, atque ad unam injuriam justificandam fraudes adinventæ non cessant. Sed contra insistere in Fidei robore necesse est, totasque opponere vires, ut non sic mortem inopinam, & inimicitiam, perjuria fraudesque subeamus.

Quis Principum adeò securus est, ut universorum in conspectu placuerit? Non ipse Christus hoc invenit, sed mortem falso crimine, perjurisque testibus coloratam ferebat: quamquam tamen de populi subversione, scandalosisque maleficiis Judæi eumdem falsè culparent, non tamen propria authoritate damnarunt; & qui Judex erat universæ carnis, ex se non voluit ultionem, sed a Patre æterno, cujus ipse unigenitus, Judicium expectavit.

Neque ipse Caym nequissimus datus est in manus hominis, ut alteri eundem occidere sua sponte liceret. Nos autem Legi subjecti, adeò videbimur contumaces, ut nobis ipsis nullo titulo tribuamus vindictam, quam ipse Dominus sibi reservavit, aut iis quibus potestas à Domino Deo est specialiter instituit.

Audite, audite Patres, & illius difformis voluminis, quod de Libro vitæ hominum, sicut & de Libro vitæ cœlestis deleatur, venenum attendite. Satis erat homicidium docuisse, si non & homicidii modum, horridamque formam docuisset: pro maximo enim peccato mortem infligi magnum est. Hæc tamen adulterina doctrina subitam & horribilem homicidii formam edocuit, ut cum corpore periclitetur & anima, si non divina pietas indulgeat, qui corpus Judicio occidunt, animam dijudicare non possunt, quæ soli divinæ Justitiæ submissa est.

Ergo quo pacto quis subita & ignominiosa morte proximum justificatus damnabit? Nemo hæc intelligit, ipsique, quorum nutu res agitur, strictum in hac re ratiocinium non intrabunt; sed circa volant. Si rerum natent in superficie, multùm eis est; dùm rerum evidentiam aperiendam morentur †, nec illis mentiri verecundum, qui mendaciis miscenda perjuria prædicant, testimoniique divini venerantur fracturam. *Sepulchrum patens guttur eorum, & linguis suis dolose agebant.* Ps. XIII. 3. O quantum ex spirituali damno talis erroris fautores, temporalia disposuere pericula? Nemo adeò securus, ut alteri fidem habeat: imò sibi ipsi credere non licitùm, cùm sibi ipsi contradicere jam licebit. Consurgant Principes, & adversùs errorem hunc cuncti conveniant, aut regia linquant insignia. Ubi fides? ubi fœdera tantos firmata per Annos. Sic impunè frangentur? Si sic civilia linqui pacta licet, omnes in heremo solitariam vitam ducant,

* *forsan* est

* *forsan* illiberaliter   † Locus corruptus.

cant, cessetque inter homines Principatus; quoniam qui justè subesset, ceteros injustè subjiceret, quantumque quis sanguinem sitiens ferocitate superaret, tantùm sævire posset in ceteros, cùm nemo sine crimine vivit, & *si dicamus, peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus*. 1. Joan. I. 8. O perditissima morum introductio! O regiis apicibus adversantissimum documentum! *Tollite*, ait Augustinus, *tollite justitiam, & quid sunt Regna, nisi magna latrocinia?* nunc videamus quibus viis A violentiùs enervatur justitia, quàm ut quibuslibet inimicari, etiam inimicitias exsequi, justitiæ titulo, concessum sit. Sic Respublica in partes manibus rapidis lacerabitur, & nullo rerum habenas moderante, suis concurrent impetibus, atque Astrea terras cæde madentes relinquet, quod eventurum in futuris ex præteritis judicamus.

O Dogma pestiferum! & mortis hostium * patefactum satis; & plusquam satis præceps, & ignobile vulgus, semper majoribus invidet, ut non jam furor ipsis in plebanis accuatur, & seditionum turbulentæque stragis donetur occasio.

Longè à doctrina hac Petrus animos advocabat, cùm ait, *Servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis; sed etiam dyscolis*. I. Pet. II. 18. Et alibi, *Deum timete, Regem honorificate*. ℣. 17. Post Deum enim Scriptura B Principantûm prohibet injuriam, cum ait: *Diis non detrahes*. Et *Principi populi tui non maledices*. Exod. XXII. 28.

Diem vidimus, ut victis Legibus, & in fugam versa justitia, hujus contactu doctrinæ, politiæ partes diffluerent, quæ posteriùs industriâ, & mulcendi suavitate reconvenerunt.

Sed quis insidias collaudatas, quis probatas fraudes, & explorandi magnificatam hac in Propositione fallaciam non agnoscat? Quam tamen Leges & Canonica Sanctio, Theologiæque veritates exhorrent. Ipseque David in exemplo est, qui insidiarum zelus † est mortem improvisam inimici Saulis perversi, caputque ejus adversantis apprehensione vilem abnuit.

Atque ipse Joab a Salomone Præcepto Patris, morte didicit, quid mors insidiis perpetrata deposcat. De Rege ipso Achab durum Judicium, & pœ- C næ crudeles exhaustæ sunt, quoniam in Naboth justificanda morte, cujus vineam concupierat, perjuria, mendaciaque inhonesta commisit.

Scitote Patres, quoniam omnia plena insidiis, & ubique timor, si non Secta hæc interitum docens intereat.

Unum autem in ipsa satis admirari non sufficimus, quòd etiam vitiis meritum, & inhonestis actibus rependit honorem, neque sufficit violenta cecidisse manu, si non & qui cecidit nomine decidat, atque esse occisor, qui cum cadente mortuo, in reatus mortem decidit, ad meritum & laudem assurgat impœnitens.

Longè hæc a Scripturarum serie: neque tale quicquam etiam de justissimè judicantibus legitur allegatum, ut apud Aristotelem est, *Premium virtutis honor*. D

Nos igitur qui idem nunc sumus atque olim, ex omnibus Facultatibus congregati, scelus hoc abhorrentes, cujus qualitatem argumentis, experientiâque cognovimus, vobis tanquam Gallicæ prosperitatis causam commendamus. Propter hoc in præsenti nostra Congregatione nunc specialiter evocati, & id una voce clamantes, assistentibus nobis in sua Facultate ferè quadraginta sacræ Theologiæ Magistris, multisque sacri Canonis Doctoribus amplissimè congregatis, quos idem ardor & Fidei zelus exagitat; pluribusque ex aliis Facultatibus viris studiosissimis & præclaris, quorum tota cohors iis rebus aspirat; qui aut hoc damnandum semen, aut viros, animasque perdendas, & Regna evertenda, una & eadem voce elocuti sunt, seque iis in sententiis morituros, aut caput periculis objecturos asserunt, omnia propter Christum captivantes, ut in Fidei integritate, sine qua impossibile est placere Deo, atque in pace patriam constituant.

Rogamus igitur, & divina pro Fide preces interponimus, ut rei tantæ non desit auxilium: nam si vobiscum non invenimus, ubi quæramus? Si a vobis in iis Gallia deseratur afflicta; quem posteriùs adjutorem, nisi Regem, aut secularem potestatem invenietis, vos in Spiritu sancto vocati?

Per eum igitur, cujus oculi Fidem aspiciunt, obtestamur, periculis Orbis occurrite: nam velut cancer hæc doctrina serpit in populos, & jam Regna inficit extera: si tamen aliquid terrenæ potestatis absterreat, vincat amor Fidei; & qui pro extirpandis erroribus vocati estis, *Videte* juxta illud Johannis in Canonica, *ne perdatis quod operati estis, sed mercedem plenam recipiatis*. 2. Joan. 8. Benè incœpta enim laudamus, cùm illud venenosum dogma, *Quilibet tyrannus* &c. de medio sustulistis.

Omni ergo fideli ex corde doctrina hæc procul absit, & si hanc terra aliqua suscipiat, illa infidelibus sit inhabitata, ut morte in alterutrum per eam commissa, aut fessi persecutionibus, suam duritiem ad Fidem convertant; aut sic per eam ut apta est, muniantur; quòd eorumdem incredulitatem facilius confundamus.

Si autem seu temporum malitiâ, seu facili quorumdam voluntate, aliquid in contrarium processûs facti Parisius actum sit, ad statum priorem reducatur; & *Facite*, ait Jeremias, *facite justitiam, alioquin deserta erit domus hæc*. Et vos animos constituetis in pace, Regesque Gentium dominabuntur earum, ipsaque justitia malis frenum reponet. Sic benedicet Dominus terram suam quæ dabit fructum, quo per viam ad patriam transeamus.

Datum Parisius, in Congregatione &c. XXI. Martii 1415.

J. CACHALOE

Collatio facta cum originali, per me Joannem Guiardi, Sacri Concilii Constantiensis, pro Natione Gallicana, & ejusdem Nationis Notarium: quod quidem originale fuit præsentatum & lectum in Congregatione Generali sacri Concilii Constantiensis prædicti, in Ecclesia Constantiensi congregata, die Sabbati nona Mensis Maii. Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo XVI. hora octava post mediam noctem: & concordat. Ita est. J. GUIARDI.

CEDULA

Cod. 2537. fol. 54. verso

Producta Coram Commissariis in causa Fidei.

Per P. de Versailles. Die Martis, XVII. Septembtis. CCCCXV.

Protestatione priùs factâ, de nolendo procedere, vel respondere super materiis Fidei cum strepitu & figura Judicii, per Procuratores, & Advocatos, cùm *Servum Dei* non oporteat *litigare*, secundùm Apostolum 2. Tim. II. 24. Sed in propria persona, sammariè, & de plano, palam & publicè, sicut observatum est in causa Johannis Huss, & XVII. Sept. 1415.

Tom. V. Pars III. Nn

* *forsan* ostium. † Locus corruptus.

& Magistri Hieronymi; & ita Jura volunt sic fieri in materia Fidei.

Protestatione insuper facta, de nolendo tendere ad injuriam, vel infamationem cujuscumque; sed ad extirpationem & emendationem errantium, & ad exonerationem propriæ conscientiæ.

Ego Frater Petrus de Versailles, Parisiensis Diœcesis, de nobili genere procreatus, Religiosus Sancti Dionisii in Francia, Ordinis Sancti Benedicti; Sacræ Theologiæ Professor immeritus, Prior Prioratus Sancti Petri de Calvomonte, & Ambassiator Christianissimi Regis Franciæ; considerans quòd inter maxima Fidei, ac Religionis Christianæ; imò totius Reipublicæ pericula, & scandala, quibus obviandum est summoperè per quemlibet, juxta vocationem suam, debet illud censeri perniciosissimum, quòd inter Prælatos, & Pastores gregis Dominici, ac Doctores nostræ Legis, inveniatur contentio, seu contradictio notoria, de, & super iis quæ pertinent ad principia Legis tàm divinæ, quàm naturalis, sicut sunt Præcepta Decalogi. *Non occides. Non perjurabis.* & similia: neque enim possunt talia, cum suis dependentiis manifestis sine periculo Fidei, nesciri, qualia quilibet Catholicus, habens usum rationis, scire, vel credere tenetur, secundùm sensum & intelligentiam planam Doctorum.

Nunc autem experimur controversiam talem qualis dicta est, notoriè altercari circa principia nostræ Legis, cum suis sequelis manifestis, ubi non est relinquendus locus opinioni; cùm scire oporteat in Republica, maximè per Prælatos, Doctores, & Judices, qualiter possint, aut non possint homicidia, perjuria, insidiæ mortiferæ, & subitæ perpetrari, attento quòd, ex opinabilibus, ad certam mortem procedere nemo debet.

Ecce enim ex una parte quòd Reverendus in Christo Pater, Dominus Episcopus Parisiensis, & Inquisitor hæreticæ pravitatis per totum Regnum Franciæ, cum Concilio Fidei celeberrimo Parisius existente, dixerunt, & docuerunt judicialiter, & publicè, quòd novem Assertiones denuntiatæ coram Reverendissimis Patribus &c. Commissariis, in omnibus causis Fidei, per hoc sacrosanctum Generale Constantiense Concilium, & quæ de directo respiciunt prædicta Præcepta, de non occidendo, de non perjurando &c. sunt erroneæ in Fide, & moribus, & multipliciter scandalosæ.

Ceterùm, ex alia parte Dominus Martinus Episcopus Attrebatensis dixit pluries palam, & publicè, etiam coram præfatis Dominis Commissariis, quòd eæ Assertiones novem sunt opinabiles & probabiles, & quod multùm mirandum est, nonnulli de sua fatua opinione volunt facere Fidem. Iterùmque aliàs eadem verba coram Notariis in prædictis causis Fidei deputatis, repetens, dixit, easdem esse probabiles, probabilitate neutrali. De iis quidem verbis Instrumenta publica fidem præbent.

Posuit insuper in quadam cedula tradita per manum ejus prædictis Dominis Commissariis, & lecta per Magistrum Pe. Salomonis, Cordigerum, v. die Mensis Septembris; respondendo cuidam cedulæ, & concedendo quòd materia Fidei non erat de lana caprina.

Sequitur in forma. „ Sed isti, ut præmissum „ est, de opinione faciunt Fidem ad libitum, vel „ è contrà, quam dicunt versari, Fidem videlicet „ per eos æstimatam, circa principia Fidei: quòd „ verum non est; imò etiam nec circa conclusiones ex eis deductas, vel etiam deducendas Assertiones versari circa Fidei Articulos, qui prima „ principia ejusdem Fidei dignoscuntur. Præterea quomodò etiam potest stare, eadem versari „ circa prima principia Fidei, & prima principia Legis naturæ; cùm hæc inevidentiam, illa „ verò evidentiam manifestè includant? „

Constat autem quòd ista & similia verba sonant firmissimam adhæsionem, ne dicamus pertinaciam; in qua adhæsione multos habet sequaces, sicut dicit. Similiter præfati Parisiensis Episcopus, & Inquisitor, habent plurimos faventes suis sententiis, sicut sunt Christianissimus Rex Francorum, & carissima ejus filia, Parisiensis Universitas, cum aliis pluribus, tàm Prælatis, quàm Doctoribus.

Quocircà, nullus rectè mirabitur, præmissis attentis, si plurimi scandalisentur, turbentur, docti & indocti. Ego inter ceteros minimus, qui occasione præmissorum motus, videns & dolens tantis patere discriminibus, nedùm Christianissimum Franciæ Regnum, sed universum populum Christianum, circa ea quæ sunt Legis, & Fidei, nisi per hoc sacrosanctum Constantiense Concilium fuerit, matura celeritate, de remedio salubriter ordinatum, procedendo constanter, & intrepidè, summariè, & de plano, sicut obligatur & potens est, ad declarationem veritatis in præmissis.

Denique suppliciter, & instanter, ego præfatus Frater Petrus, cum mihi adhærentibus in hac parte, peto, requiro, & obtestor ab hoc sacro Generali Concilio, quòd hæc declaratio veritatis non tardetur, vel negetur, quæ etiam ad requestam unius simplicis vetulæ negari non deberet.

Porrò, ne, quod absit, veritas nostræ Fidei, vel personarum, favoribus, vel importunis clamoribus, aut aliundè supprimatur, celetur, conculcetur; neque impudens errantium temeritas fortior quàm constantia Catholicorum appareat: ego prænominatus Frater Petrus permotus zelo Fidei, sicut mihi conscius sum, dico, propono, & indico quòd verba dicti Attrebatensis Episcopi, quæ dicta sunt, & simila, sunt de hæretica pravitate, vel ejus fautoria, nedùm leviter, sed vehementer suspecta: addens, zelo quo priùs, quòd si ea deffendere & sustinere voluerit, facio me partem denunciantem; imò, &, si opus est, accusantem, cum mihi adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte: prædictis tamen protestationibus observatis. In cujus rei testimonium huic præsenti cedulæ manu propria me subscripsi.

P. DE VERSAILLES.

Producta coram Commissariis in causa Fidei, per præfatum P. de Versailles. Die Martis XVII. Septembris. CCCCXV.

La response de l'Evesque d'Arras est fol. 57. verso.

RES.

Cod. 2537. fol. 57. verso.

RESPONSIO
Episcopi Attrebatensis,
Cedulæ
PETRI DE VERSAILLES.

CEdulæ traditæ & productæ coram vobis Dominis Commissariis in causa Fidei, per Fratrem Petrum de Versailles. Die Martis XVIII. Mensis Septembris, Anno Domini M. CCCCXV. taliter, sub protestationibus consuetis, præsertim & potissimè, de semper stare volendo determinationi præsentis sacri Constantiensis Concilii Generalis; & sub compendio respondetur, etiam protestando quòd illæ quæ in hac cedula conscribuntur, non dicuntur in injuriam alicujus, vel infamiam; sed ad veritatem prorsùs elucidandam, & ad calumniantium falsitatem, & malitiam refellendam.

Dictus namque Frater Petrus, suâ duplici protestatione præmissâ, qui se asserit de nobili genere procreatum, Ordinis sancti Benedicti Religiosum. Primum, non ostenditur in moribus; cùm tamen, secundùm Tullium: *Vera illa nobilitas est, quæ in moribus comprobatur ornata*: sed etiam secundum minùs apparet in lingua. *Qui enim*, secundùm Apostolum Jacobum I. 26. *se dicit religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio*. Sed ulteriùs, se asserit sacræ Paginæ immeritum Professorem, Priorem Sancti Petri de Calvomonte, & Ambassiatorem Christianissimi Regis Francorum. Tandem, in sententia, in præfata cedula proposuit syllogismum, cujus Major incipit ibi: *Inter maxima Fidei, & Religionis &c.* Minor autem ibi: *nunc autem experimur &c.* Majorem probat ibi, cùm dicit: *neque enim possunt talia cum suis dependentiis &c.* Minorem verò ibi: *Ecce enim ex una parte.* Et durat usque ibi: *Quocircà nullus rectè* &c. ubi refert suam Conclusionem; cui consequenter adjungit suam requestam & attestationem, suum dictum, judicationem, & propositionem, denuntiationem, & si opus sit, accusationem.

De protestatione sua duplici transferendo: cùm universis plenè possit innotescere, dictum Fratrem Petrum, esse, & fuisse hostem publicum Illustrissimi Principis, & Domini mei, Domini Ducis Burgundiæ, & notorium inimicum, & omnium fidelium servitorum ejusdem; & per consequens mei, qui sum Episcopus Attrebatensis, fidelis servitor, & Ambassiator ejusdem, in præsenti sacro Concilio Generali: &, per consequens, potest concludi à quo fonte hujusmodi cedula derivetur, an à zelo Fidei, odii, vel rancoris, & an in injuriam, seu infamiam alicujus.

Ad præfatum autem syllogismum propositum accedendo, primitùs proposuit in Majori, quòd *Inter maxima Fidei, ac Religionis Christianæ, imò totiùs Reipublicæ pericula & scandala, quibus obviandum est summoperè per quemlibet, juxta vocationem suam, debet illud censeri perniciosissimum, quòd inter Prælatos, & Pastores gregis Dominici, ac Doctores nostræ Legis, inveniatur contentio, seu contradictio notoria, de, & super iis quæ pertinent ad principia Legis, tam divinæ, quàm naturalis, sicut sunt Præcepta Decalogi talia.* Non occides. Non perjurabis *& similia.*

Quæ quidem Propositio per me ad bonum sensum interpretata, utique vera censetur, licèt in sensu quem facit, prima fronte posset videri falsa, si *li* perniciosissimum, exponatur negativè, vel etiam affirmativè, sicut terminus superlativus communiter solet exponi, videlicet affirmativè, sic, quòd est perniciosius quocunque alio pernicioso; vel negativè, quòd nihil est perniciosius isto. Quod tamen an sit verum, judicet quisque doctus, præsertim cùm supposito quòd Prælati invicem consentirent in eis quæ sunt opposita principiis prælibatis, quòd de pluribus potest esse, perniciosius foret quàm si alter tantùm sentiret; alter verò contenderet contra ipsum, & notoriè dissentiret. Ipsa verò Major ad bonum sensum per me interpretata, videlicet quòd est valdè perniciosum, si veritas jam agnita, vel agnosci debita, per malitiam impugnetur. Secùs autem, si ad majorem elucidationem disputativè contendant, seu etiam notoriè contradicant; cùm etiam sibi ipsis Doctores Catholici, in suis quæstionibus, etiam de Fidei Articulis, & aliis evidentibus, opponendo, pro falsitate, & veritate, & respondendo contra falsitatem, pro veritate, sibimet contradicere videntur. Dicitur etiam quòd licèt nulli liceat sentire contradictoriè principiis Legis divinæ, seu naturalis: tamen erga circumstantias licet contradictoria opinari. Undè licèt non sit contradictoriè opinandum huic: *Deus est trinus, & unus*: tamen circà constitutiones personarum licet contradictoriè opinari: ut patet ex doctrinis Sancti Thomæ, Bonaventuræ, Scoti, qui in Distinctione XXVI. primi sui, dicit quòd *Temerarium esset assertivè tenere quæ via istarum est vera; an constituantur per absoluta, vel per relationes, usque ad determinationem Ecclesiæ.* Et ita tenent Doctores, de opinione Gilberti Porretani, de relationibus assistentibus, vel insidentibus in divinis, quæ ante determinationem Ecclesiæ non fuit hæretica; secùs, si post tenuisset. Et Bonaventura, in principio, Distinctione XXVI. *In annexis dubiis quæ nec sequuntur, nec repugnant, licet dubium opinari.* Cùm hoc sit rationis conferentis non asserere, cùm sit rationis contra Deum superbientis: ideò avertant * qui condemnant Propositiones dubias & opinabiles ante determinationem Ecclesiæ, & asserunt opposita. Probatio etiam vera est, quæ ait: *Neque enim possunt talia, cum suis dependentiis manifestis, sine periculo Fidei nesciri, qualia quilibet Catholicus habens usum rationis scire, vel credere tenetur; secundùm sensum & intelligentiam planam Doctorum.* Ideò ipsam relinquo intactam.

Ad Minorem autem, per quam dicit: *se experiri controversiam talem apartissimam, qualis dicta est, circa principia nostræ Legis, cum suis sequelis manifestis, ubi non est relinquendus locus opinioni, cùm scire oporteat in Republica maximè per Prælatos, Doctores, & Judices, qualiter possint, aut non possint homicidia, perjuria, insidia mortifera, & subita perpetrari, attento quòd ex opinabilibus, ad certam mortem procedere nemo debet.*

Utrùm iste præfatus experiatur se fore contra aliquem in hujusmodi tali controversia qualis dicta est, apertissima, ipse viderit: vel utrùm in aliquo alio, præter me, hujusmodi controversiam expertus fuerit: tamen, quantùm est in me, nullatenùs involutus sum in tali controversia, sed neque vellem involvi. Licèt etiam circa certas Assertiones opinabiles, de morte alicujus, certis circumstantiis convollatas, & convallata controversia, & contradictio notoria sit exorta: & etiam juramentum, sub certis circumstantiis designatis observandis, vel non observandis; non tamen propter hoc controversia hujusmodi, circa principia Legis nostræ, cum suis sequelis, ubi non est relinquendus locus opinioni, versatur, sive consistit.

Quis enim litteratus fidelis, aut etiam infidelis, dice-

* *forsan* advertant

diceret sanæ mentis, quòd quæcumque mors, certis circumstantiis debitis sigillata, sit contra illud Præceptum *Non occides*? Tunc enim Judex in condemnando ad mortem, & carnifex exequendo, zelo justitiæ, & ex officio, illud transgrederetur Præceptum, & esset prævaricator Legis in adimplendo Legem: ex hoc Deus etiam præcipiens in Lege maledicos morte plecti, lapidibus obrui, & cremari, contra Præceptum contradictoriè præcepisset. Et sic ad impossibile Judices, & Justitiæ Commissarios obligasset, quod est erroneum & insanum. Dicere autem Assertiones tales, de tali morte, & taliter circumstantionata esse probabiles, sicut sunt, ut ostendetur multiplici ratione, in nullo militat contra principia Legis dicta.

Quis etiam Doctor Theologus, aut Jurista, aut quisvis alius naturali præditus ratione, asseret juramentum, aut confœderationes facta, vergentia in deteriorem exitum, fore observanda, vel adimplenda? cùm sacræ Theologiæ Doctores, & etiam Decretorum, oppositum affirmant; ut Augustinus. Ambrosius. Isidorus. Beda. Alexander de Halles. Sanctus Thomas. Benaventura. Hostensis. Gratianus. XXII. q. quarta. Concilium Toletanum. Ilerdense. Eliberitanum. Actio quarta septimæ Synodi. Soteris Papæ Decretum; & alii Doctores quamplures. Quis non perpendat, istum manifestum calumniatorem versipelliter imponentem mihi quòd altercatus sum, quòd homicidium simpliciter sit licitum, sine modificatione quacunque, & quòd sit licitum cuilibet interficere quemcunque, quòd etiam pejerare sit licitum simpliciter? Cùm evidentissimè innotescat in novem Assertionibus prælibatis, nihil istorum impositorum virtualiter, vel formaliter contineri: sed quòd interfectio alicujus, in casu, est licita, certis circumstantiis adaptata: & juramentum non esse servandum, vergens in præjudicium jurantis, sponsæ, au liberorum ejusdem.

Dicitur ulteriùs, conformiter ad præmissa, quòd hîc non opinatur contra principia Legis, licèt circa aliquas circumstantias. Numquid illicitè Augustinus in Libro, *de Sermone Domini, in monte*, opinatus est, vel dubitavit, de uxore cujusdam damnati ad mortem, nisi solveret certum pondus auri, quod non poterat? quòd autem divite volente solvere illud, si mulier ejus libidini consentiret; & ipsa, dicente marito, & ab ea licentiata, diviti illi carnaliter copulata, utrùm fuerit adultera? cùm vir habeat potestatem corporis uxoris, in quo casu vir usus est corpore uxoris.

Circa Præceptum etiam, *Non occides*. Primo de Civitate. c. XX. Sic ait: *Ubi etiam dictum est, Non occides: ubi intelligendum est, ne vel ipsius adipiscendæ immortalitatis, vel ullius carendi, cavendique mali causa, nobis ipsis mortem inferamus*. Et c. XXI. *Quasdam verò exceptiones ipsa divina fecit authoritas, ut liceat hominem occidi, sive lege data, sive ad personam pro tempore expressa jussione*. An non liceat dubitare, utrùm Cæsariis uxores * fecerint contra Præceptum, *Non occides*; ubi tot Philosophi & notabiles dubitarunt? An etiam Senatores, Domitianum interficientes, contrà illud Præceptum egerint. Numquid etiam de Caio Caligula, postquam omnes exules jussit occidi, ipse à suis protectoribus occisus est, ut narrat Orosius. Et beatus Hieronymus dicit quòd, *Bonis nocet, qui malis parcit*, conformiter est in casu isto. Ideò credo quòd ignorantia inter Legem, & Judicium, fecit istos ita præcipites in sententia ista.

Item, circa Præceptum de non perjurando, non licet opinari; sed ergà circumstantias. Unde *Qui juramentum ex justa causa deserit, non dejerat*. Ext. *De jurejurando. Pervenit.*

* *hic aliquid desideratur, forsan* interfectores.

Item, semper intellgitur Jus, & authoritas Superiorum exceptum. *Ext. ibid. Veniens.*

Item, juramenti conditiones honestæ semper sunt intelligendæ.

Ex iis videtur quòd interficiens tyrannum, in hoc casu non dejerat, cùm pro justa causa ipsum occidat. Nec asseritur in prædictis Assertionibus ex opinabilibus ad certam necem debere procedi. Ex quibus patet quòd Minor; quantùm me tangit, in nullo continet veritatem, sed falsitatis errorem.

Verùm ad probationem ejus asseruit quòd *Reverendus in Christo Pater, Dominus Parisiensis Antistes, & Inquisitor per totum Regnum Franciæ hæreticæ pravitatis, cum Concilio Fidei celeberrimo Parisius existente, dixerunt & docuerunt judicialiter, & publicè, quòd novem Assertiones* &c. *& quæ de directo respiciunt prædicta Præcepta, de non occidendo, & non perjurando* &c. *sunt erroneæ in Fide, & moribus multipliciter scandalosæ.*

Ad quod dicitur quòd scitur equidem dictum Dominum Parisiensem Præsulem, illas novem Assertiones, de quibus hîc pendet lis, indebitè condemnasse, loquendo citra injuriam cujuscunque: quià nec ipse, pro tunc, Judex competens fuit; tum ex odio quod, pro tunc, habuit, & habet notoriè contra dictum Illustrissimum Principem Dominum meum Ducem Burgundiæ; tùm quia nec ad ipsum spectat, sine speciali Mandato sanctæ Sedis Apostolicæ, ac sacri Concilii Generalis, aliquas Assertiones judicialiter condemnare tanquàm erroneas in Fide, & moribus, seu judicialiter declarare. XXIV. q. *prima. Quotiens.* nisi evidenter, absque aliqua tergiversatione, illas constaret cuilibet in sacra Pagina docto esse contra sacram Scripturam, vel Ecclesiæ determinationem, vel Fidem Orthodoxam, quod in proposito non est verum. Et sic dictus Dominus Episcopus posuit falcem suam in messem alienam. A quo etiam extitit per dictum Dominum Burgundiæ appellatum, & appellatio fuit legitimè intimata, & in Romana Curia introducta, tanquam à Sententia iniquè lata, non servato debito ordine Juris. Et super hoc fuerunt certi Domini Cardinales dati in Commissariis per Apostolicam Sedem.

Prædictam insuper damnationem prætensam asserit fuisse factam, *Cum Concilio Fidei celeberrimo Parisius existente*, quasi illo nullum aliud celebrius, vel æque celebre possit esse; quod videtur impingere, & blasphemare, saltem prima fronte, in sacrum Concilium Generale. Quod & asseruit dictus Frater Petrus verbaliter Parisius, in præsentia nonnullorum, dicens quòd in mundo celebrius Concilium esse non posset. Quod quidem Concilium quale fuerit, norunt illi qui hoc viderunt facie oculata, homines conscientiosos, medios, & neutrales, inaffectatos non vocando, aut paucis exceptis; sed solùm partiales & affectatos, & cum illis suorum consiliorum mysteria pertractando. Quas novem Assertiones dicunt respicere de directo Præcepta: *Non occides. Non perjurabis.* Quod ostensum est manifestè falsum, vel saltim non apparet evidenter.

Subsumit ulteriùs versipellis calumniator, citra injuriam tamen loquendo, quòd *Ego pluries & publicè dixi, coram præfatis Dominis Commissariis, quòd hæ novem Assertiones sunt opinabiles, & probabiles, &, quod mirandum*, quòd *nonnulli de sua fatua opinione volunt facere Fidem*, & quòd *dictæ Assertiones sunt probabiles, probabilitate neutrali*. Quod & concedo, in forma qua dixi; sic quòd nullus citra determinationem sacri Concilii, vel Sedis Apostolicæ, obligatur, sub pæna erroris in Fide, ad aliquam partium contradictionis signatam. Quinimò probabiles sunt, rationibus fortibus, & multis, As-

Assertiones præfatæ, & multi graves in scientia opinantur de illis; nec est eis prohibitum, nec esse debet vel potest, citra determinationem sanctæ Sedis Apostolicæ, vel sacri Concilii Generalis, vel prohibitionem eorum. Ergo fatua est opinio, seu veriùs indiscreta Fides illorum, nec sale discretionis condita, credere homines obligare, & obligari ad credendum illa quæ ipsi credunt, nondùm per Ecclesiam præcepta, vel prohibita, sub poena hæresis, vel erroris in Fide: quinimò temeraria, præsumptuosa, & Sedi Apostolicæ, & A sacro Concilio injuriosa, nec sapientiæ condimento salita; maximè cùm opinale, vel opinatum submittitur Ecclesiæ Judicio Sacrosanctæ.

Quòd etiam subsumitur, me dixisse, postquam concesseram, *Fidem non esse de lana caprina*: quòd *Isti de opinione faciunt Fidem ab libitum, vel è contrà quam dicunt versari Fidem, videlicet per eos æstimatam, circa principia Fidei; quod verum non est: imò etiam nec circa conclusiones ex eis deductas, vel etiam deducendas.* Et licèt pellis caprina in sacra Scriptura significet, vel possit significare virtutem Fidei; unde & Tabernaculum Testimonii fuit tectum caprinis pellibus rubricatis, quod figuravit Ecclesiam Fide tectam, nec non & Sancti, qui *Per Fidem vicerunt Regna*, ut ait Apostolus, ad Hæbreos. XI. 33. *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis* &c. *quibus dignus non erat mundus.* In quo capite Apostolus ponit laudes Fidei, & subjectorum suo- B rum: concessi tamen quòd *non est de lana caprina*, videlicet de inutile re. Dixi non esse verum, Fidem æstimatam per eos in hac materia, versari circa principia Fidei evidenter, sicut manifestè probavi: nec video circa quem Articulum Fidei versantur, per omnes Articulos discurrendo, quatenùs ipsi posuerunt in alio Libello, licèt nunc in cedula noviter tradita, se corrigere videntur, dimittendo *principia Fidei.* Contra quos argui insolubiliter, ut videtur mihi, quòd aliquid asserant esse Fidei, & quod asserant versari circa principia Legis naturæ, quibus & Pagani, & Judæi assentiunt naturaliter. Non autem sic in Articulis Fidei merè creditis per purè Catholicos Christianos. Et illa sunt evidentia; alia verò inevidentia. Nec hìc aliquatenùs est respon- C sum, sed per substractionem de li *principia Fidei*, correctum & diminitum. Sed itur per verba calumniosa petentia principium, & se involventia hinc & inde. Non est ergo verum id quod dicunt usquequaque, & est verum quod dixi, *eos videlicet facere de opinione sua Fidem.* Hoc est, quòd illud quod est opinabile volunt obligare ad Fidem, citra determinationem sacri Concilii Generalis.

Consequenter sujungit, quòd *Constat ista & similia verba sua sonare firmissimam adhæsionem, ne dicamus pertinaciam. In qua adhæsione multos habet sequaces*, ut dicit.

Et hìc luce clariùs patet versipellitas & calumnia cedulantis, cùm illi quod dico opinabile, dicit me adhærere, ex verbis meis, firmissima adhæsione. Quod non diceret, si novisset, vel attendisset ad opinionis rationem formalem, quæ per ad- D hæsionem cum formidine diffinitur.

Item, quando * est firma adhæsio, ex verbis meis? cùm per illam semper sum protestatus de stando Judicio Sacri Concilii Generalis; & in casu quo sacrum Concilium oppositum definierit, de nullatenùs adhærendo? Istâ scientiâ carent, & ratione, had dubiùm malitia excæcante. Falsè ergo & nequiter dixit, hæc verba mea pertinaciam importare.

Ulterius, cùm dixit quòd in hoc multos habeo sequaces: & hoc verum est, paratos omni poscenti reddere rationem. Et ita obtuli, & ita offero, de præsenti, isti qui se dicit Religiosum tot prærogativis insignitum, & titulatum, nomine eorumdem, causâ collationis, & veritatis clariùs elucidandæ, & salvâ semper in omnibus determinatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & sacri Concilii Generalis. Quod & iste, cum suis adhærentibus, verbo, & scripto obtulerant se facturos; sed, ut videtur, refugiunt à promisso.

Cùm verò ultimò subdit quòd, *Præfati Parisiensis Episcopus, & Inquisitor, plurimos habent faventes suis sententiis, sicut sunt Christianissimus Rex Francorum, & Universitas Parisiensis, carissima filia sua, cum aliis pluribus, tam Prælatis, quàm Doctoribus*: quod de hoc in rei veritate constat, non est sub silentio dimittendum.

Nempe Serenissimus, & Christianissimus Rex Francorum, Dominus meus, Superior, & naturalis, in profunditatibus Theologicis, vel etiam Philosophicis inexpertus, per istos, sicut eis placuit, extitit informatus: qui æstimans hos procedere bono zelo, & secundùm scientiam; si adhæsit, hoc est citra determinationem Ecclesiæ sanctæ Dei, cùm sit Christianissimus, nequaquam degener à Fide Christianorum Regum suorum Progenitorum, à quibus ipse noscitur horum imitator naturæ, & gratiæ processisse.

De Universitate verò Parisiensi, carissima filia Christianissimi dicti Regis, palàm est, & manifestum, totam Facultatem Decretorum totaliter dissensisse; totam etiam Picardiæ venerabilem Nationem. De Theologicis etiam, multi in hujusmodi, aut non fuerunt vocati, aut nullatenùs consenserunt: ut Decanus Theologicæ Facultatis, Cantor Carnotensis, Confessori Regis Marchon, Elemosynarius ejusdem Brevifcoxa, Minister Maturinorum, Petrus de Nongento, & alii quamplures, pro majori parte, vel saniori. Undè, licèt plures Magistri in principio fuissent vocati, quorum major pars, vel sanior consulebant quòd causa ista remitteretur sanctæ Sedi Apostolicæ; ipse tamen Episcopus, ex multitudine elegit parvum numerum Magistrorum, quos Officialis suus publicè nominavit: & quia inclinabantur ad diffamationem quondam Magistri Johannis Parvi, ideò fuit eis causa commissa. Quare videtur hujusmodi condemnationem esse valdè suspectam, ut poterit manifestè ostendi.

De reliquis verò, tàm Doctoribus, quàm Prælatis, faventibus Episcopo, & Inquisitori, notum est multos ex eis conjurasse de tenendo & sustinendo Sententiam prætensam prælibatam; & tam firmiter, ne dicamus pertinaciter, quòd unus ex eis asserit in suis scriptis, quòd *Etsi Papa, cum Collegio sacro oppositum determinaret, non crederet; imò ista esset potior causa depositionis ipsorum, quam fuerit collusio contendentium de Papatu; quin imò etsi Concilium Generale determinaret oppositum, nullatenùs assentiret, nec crederet.* Quod sonat, vel sonare videtur in blasphemiam Dei, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sedis Apostolicæ, & Sacri Concilii Generalis, in re præsertim per Ecclesiam Catholicam non discussa.

Numquid sic loquens, plùs volens sapere quàm oportet, & non ad sobrietatem, gloriam propriam quærens, inaniter se extollit adversùs Ecclesiam sanctam Dei, quam hoc sacrum Generale Concilium repræsentat, Judicio cujus Summi Pontifices, ceterique Prælati, Imperatores, Reges, & Principes sæculares, causas suas ejus ordinationi, absque quacumque conditione, sed simpliciter & absolutè, submittant? Iste verò conditionaliter, si determinent sicut ipse vult, alius * non, visus adversari doctrinæ Christi dicentis. Luc. x. 16. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Etsi de Scribis & Pharisæis, super cathedram

 Moysi

* forsan quomodò

* forsan aliàs

Moysi sedentibus dixit Christus. Matth. XXIII. 3. *Quæcunque dixerint vobis servate & facite.* Quid sentiendum est de Papa, & Concilio Generali? Quid aliud facit iste, sic loquens, nisi contra doctrinam Christi impingens, quam non libenter se prætendit ignorare? Quod si faceret, audiendus non foret; cùm peritum, imò nullum, Juris sciri debiti ignorantia excuset. Verba ergo præfata aliud non prætendunt, nisi quòd Judicio Concilii non assentiret, nec nisi ad volitum obediret: undè in mentibus plurium contra Generale Concilium rebellio potest gigni.

A Quid Balthasar, Johannes quondam, & alii, scientes istum sic dicentem impunè quòd nollet Generalis Concilii Judicio assentire, si determinet propter suæ libitum voluntatis, putamus dicturos? videant sapientes. Sed quod perniciosius est, errorem errori accumulans, sic adjecit: *Etiam si Deus oppositum diceret, non crederem ei.* O phrenetica dementia, & plus quàm blasphemans in Summum Pontificem, Collegium sacrum, & sanctam Synodum Generalem, ipsos hæreticando, si oppositum suæ determinationi sentirent, vel judicarent? Cui hæc blasphemia non suffecit, nisi contumeliam inferret, & per horrendam, nimiamque blasphemiam Creatori, ac piissimo Redemptori, qui est prima veritas, & objectum nostræ Fidei Orthodoxæ.

O verbum totius infidelitatis veneno respersum! Quis te docuit talia verba proferre? Non utique Mater tua sapientissima Universitas Parisiensis alma; sed vel propria temeritas, aut amor pro- B priæ excellentiæ, si quam habes, seu desiderium laudis humanæ, livorque malitiæ, & superbiæ fastus. O Archiluciferina superbia, verbis istis te videns divinæ scientiæ superponere, vel æquare! quod est phantasticum, imò dementissimum cogitare. Super altitudinem nubium ascendisti, velut Lucifer ille, cupiens Altissimo similari. Tu verò Dei, si oppositum diceret Superioris Judicium refutares. Cùm illo ergo in infernum detraheris, & usque in profundissimum laci; nisi Fidei justitiâ, corda purificantis, velut ignis calculo, per Angelum Seraphicum de Altari delato, cui non crederes, si tuæ dissentiret opinioni fueris purgatus & emendatus, hujus sacratissimi Concilii disciplina, & cauterio concurrente: ne sicut draco ruffus, secum trahens tertiam partem stellarum, te multos contingat tecum trahere in errorem, qui conatus es Regna concutere, terramque turbare; qui posuisti Orbem pro magna & nobiliori C parte desertum, & urbes ejus causaliter destruxisti. Quod ex ore tuo convincitur, dum pluries, & palam te jactasti quòd galea non fuisset posita in capite, nisi fuisses seminans, proh dolor! discordias inter fratres & consanguineos tot, tales, & tantos, & talem, & tantum; undè *effusa est contentio super Principes*; & quantùm est in te, fecisti ut errarent *in invio, & non in via.* Ps. CVI. 40. Sed eos lux divinæ gratiæ, quæ in illo nobilissimo sanguine liliato radiavit, radiat, & radiabit, eos à tuis seditiosis erroribus præservavit, & præservabit, *qui gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* Ps. LI. 3. Undè vide quid dixeris, sed & quid feceris. Utinam saperes & intelligeres, ac novissima provideres! Quid verba prædicta aliud sonant, nisi Deum, si D diceret contra tuum creditum, esse mendacem, & per consequens, Deum non esse Deum? Quod & insipiens dixit in corde suo, scilicet: *Non est Deus.* Ps. XIII. 1.

Sed dicit quòd quia Deum hoc dicere est impossibile, &c. ex impossibili sequitur quòd si Deus hoc diceret, non esset Deus. O cæca dementia! An ignoras omnem hæreticum Deum ad iracundiam provocantem, suas hæreses dialecticè possetenùs colorare? Incidisti

In Scyllam, cupiens vitare Charybdim,

divinæ Omnipotentiæ detrahendo; ignorans, ut videtur, vel negans Deum esse Deum, vitæ, & mortis, & earum clavem habere. Attende quis & quid præcepit Abrahæ, dicens: Gen. XXII. 2. *Tolle filium tuum* &c. Quod si dixisset Abraham Angelo apparenti: etsi Deus præciperet mihi mortem innocentis quòd justè fieret, non concederem: non fuisset sibi, sicut fuit, ad justitiam reputatum. Quid si aliquis prædixisset antè Præceptum illud mortem innocentis tanquàm justam præcipiendam? Iste loquens taliter respondisset quòd Deo, etiam si hanc asseruisset, mors innocentis est tanquàm justa præcipienda, nullus credidisset: fuisset namque infidelitas ista.

Sed ulteriùs, dicens, ut supra, quòd quia *non est Deum possibile hoc dicere quod est contra determinationem tuam*, apparet quòd majus dixerit: undè videlicet mors justi & innocentis debuit sequi, nisi Deus aliter ordinasset. Ex Præcepto enim Dei; *Tolle*: sequebatur veritas istius; *justus & innocens est interficiendus.* Sed & ulteriùs, nunquam Apostolus quemquam Angelum, si aliud diceret quàm ipse evangelisaverat, anathematisaret. Non tamen in re tam certa, sicut est Evangelium, blasphemiam hujusmodi fuit ausus nominare, dicens Deo non esse credendum. Quid ergò facis in re non Evangelica, nec per Ecclesiam adhuc decreta? Sed nunquid etiam cedulans, tu legisti juramenta promissoria, in deteriorem exitum vergentia, non servanda carentia comitibus suis? Revolve in animo tuo juramentum Herodis, & comperies quòd in malis promissis Fides est rescindenda, non solùm à principio, sed etiam ab eventu; sicut de hæretico, cui etiam datur salvus conductus, ob cujus pertinaciam mutandum est Decretum: Impia est enim promissio, quæ scelere adimpletur. Et quæ major pertinaciâ? Et propter hujus* fecerunt edici quatenùs nullus veniret ad hoc sacrum Concilium Generale, nisi vellet ipsorum propositum sustinere, sive in Ambassiata Christianissimi Regis, vel Universitatis præfatæ. Et sic apparet qualiter Minor sua plures noscitur continere falsitates, errores, calumnias & insanias falsas.

Porrò, tertiò principaliter concludit suum intentum sub tali forma verborum. *Quocircà nullus rectè mirabitur, præmissis attentis, si scandalisentur & turbentur docti & indocti.* Rectè benè mirandum est, præmissis inspectis, indoctos non capientes sensum Doctorum. Sed potiùs est mirandum & stupendum, doctos scandalisari in istis, de quibus iste multos asserit scandalisatos, sumentes ut Pharisæi, scandalum nullatenùs eis datum, activum per alios, sed tantùm purè passivum per se acceptum, offensi per pedem suum intellectualem, liberè in petram scandali impingentes, in sui perniciem & ruinam; de quibus Christus Discipulis suis eidem inquientibus. *Nescis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalisati sunt?* ait: *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum*, Matth. XV. 12. 14. Quinimò cum iis quos ducunt pertinaciter adhærentes, in foveam sunt casuri. *Excæcavit enim eos malitia ipsorum.*

Et subinfert calumniator præfatus: *Ego videns & dolens tantis patere discriminibus, nedùm Christianissimum Franciæ Regnum, sed Universum populum Christianum, circa ea quæ sunt Legis & Fidei* &c. Iste Regnum Christianissimum Franciæ, & universum populum Christianum sine causa diffamare videtur, quod, Dei gratiâ, labe nulla, in his quæ sunt Fidei, vel Legis, noscitur esse respersum.

* *forsan* hujusmodi

Sed

Sed absit etiam quòd universus populus Christianus, per illa verba quæ dicta sunt per me, discrimen patiatur circa ea quæ sunt Fidei atque Legis, ut superiùs est præmissum. Et per consequens, per illa quæ per me sunt posita, non patet discrimini Christianissimum Francorum Regnum, & universus populus Christianus.

A Denique calumnitor præfatus, cum sibi adhærentibus, & adhæsuris in hac parte, *Petit, requirit & obtestatur ab hoc sacro Concilio Generali, suppliciter & instanter, quòd hac declaratio non tardetur.* Et hoc utique petit, ad infamiam & calumniam nonnullorum, quos aliàs cum suis complicibus nequiter diffamavit; & falsò cupiens impedire, ne ad veritatem & justitiam calumniantium in præfata Episcopi Sententia veniatur.

Demùm & ultimò, talia verba scripsit. *Porrò, ne, quod absit, veritas nostra Fidei, vel personarum, favoribus, vel importunis clamoribus, aut aliundè supprimatur, celetur, conculcetur, neque impudens errantium temeritas fortior quàm constantia Catholicorum appareat: Ego prænominatus Frater Petrus, permotus zelo Fidei, sicut mihi conscius sum, dico, propono, & judico* quòd verba prædicti Attrebatensis Episcopi, quæ dicta sunt, & similia, sunt de hæretica pravitate, vel ejus fautoria, nedùm leviter, sed vehementer* B *suspecta: addens, zelo quo priùs, quòd si ea defendere & sustinere voluerit, facio me partem denuntiantem; imò &, si opus est, accusantem, cum mihi adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte: prædictis tamen protestationibus observatis, & non aliter* &c.

Zelo ergò Fidei dicit motus, conscius ipse sibi, dicit, proponit &c. de quibus, ante omnia, peto mihi fieri Justitiæ complementum; & ipsum, antè omnia, declarari calumniatorem & calumniosè mihi imposuisse quòd *ego altercor notoriè circa prima principia Legis, cum suis sequelis* &c. quod requiro per ipsum probari.

Secundò, *Quòd Assertiones Parisius condamnata pratensæ, per Episcopum, & Inquisitorem, cum Concilio* &c. *directè respiciant Præcepta de non occidendo, & non perjurando.*

Tertiò, *Quòd versentur circà prima principia Fidei.*

Quartò, *Quòd verba per me dicta sibi opposita, sonant firmissimam adhæsionem, seu pertinaciam.*

Quintò, *Quòd Parisiensis Antistes, & Inquisitor hæreticæ pravitatis habeant sibi faventes Christianissimum Regem Francorum, & Universitatem Parisiensem, in hujusmodi prætensa Sententia:* non expectata determinatione Sanctæ Sedis Apostolicæ, aut sacri Concili Generalis. Et etiam qui sunt Prælati & Doctores illi plures eis faventes, & quid, & qualiter.

Sextò, *Quibus discriminibus, & per quem, patet Regnum Franciæ Christianissimum, & Universus populus Christianus, circà ea quæ sunt Legis & Fidei, nisi per hoc sacrosanctum Constantiense Concilium fuerit salubriter ordinatum.*

Septimo, Quòd verba per me dicta: primò quòd *Ista novem Assertiones sunt probabiles, probabilitate neutrali*, quæ recitatur in illo cap. *Ceterum in alia parte Dominus M. &c.* usque ad illud. *Constat autem quòd ista & similia sunt de hæretica pravitate suspecta, nedùm leviter, sed vehementer.* Quæ sustinere intendo, in forma in qua illa dixi; citra tamen determinationem Apostolicæ Sedis, & sacri Concilii Generalis, cujus determinationi dicta mea, scripta mea, & me ipsum totaliter submitto, penitùs, & omninò. Addens quòd ipse denuntiator, & in hoc casu, si sit opus, accusans, cum adhærentibus sibi, cùm dicit, proponit, & indicat in hujusmodi proposito, dicto, sive etiam indicato, denuntiatione, & si sit opus, accusatione, accusat verba mea de hæretica pravitate suspecta, & de fautoria hæresis; dicit verba calumniosa, diffamatoria in facto Fidei, & injuriosa.

Petens instanter & requirens præmissa omnia & singula, primitùs & ante omnia peto probari ut suprà, & consequenter declarari, & ministrari de tali calumniatore, per sacrum Generale Concilium, Justitiæ complementum. In cujus rei testimonium.

* forsan indico

ALIA CEDULA

Cod. 1537. fol. 64. verso.

Episcopi Attrebatensis

Adversùs Cedulam Petri de Versailles.

Procurator Cluniacensis.

Cùm materia novem Assertionum quemdam habeat respectum, vel habitudinem, ad olim motam, & Dei gratiâ, nunc sopitam periculosam controversiam quorumdam Principum & Dominorum, cujus dissensionis renovanda suscitatio, & non Fidei exaltatio, per Fratrum Petrum de Versailles Monachum, eò plùs intenditur, quò forsitan credit concitator* guerram sub earum tumultu, quàm sub pace dilectissima Dominorum se posse in Regno securiùs remanere. In eà verò quam in vestro judiciali conspectu vidistis hactenùs istius Fratris Petri objurgatione & latratu ambitioso frequenter, & stomachato, ut vix loqui posset, claré perpendat judicialis discretio vestra, quòd non aliud quærit, nisi per Judicium dictæ dissensionis, Principum concitationem refricare, & materiam ingredi, nitens rumpere Judicii ordinem, quem hucusque sagacissimè tenuistis. His igitur attentis; Ego M. Episcopus Attrebatensis, Consiliarius Christianissimi Regis Francorum, Domini mei, Superioris naturalis, ad hoc sacrum Concilium veniens, de ipsius Mandato, Ambassiator Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ, Comitis C Flandiæ, Arthesii & Burgundiæ &c. Qui nec famæ propriæ honorem defendendum negligo, nec tamen cujusvis materiæ declarationem sic fieri prætendo, ut inter potentes Catholicos dissidia aut removeat, aut ampliùs firmet, & exitum habeat in deteriùs: præsertim cùm Rex noster Francorum Christianissimus, Dominus meus Superior naturalis, ut prætertur, in hoc silentium consultissimè suis Ambassiatoribus imposuerit. Et cùm meritum materiæ novem Assertionum prædictarum, meamque circa eas intentionem, & humilem Ecclesiasticæ determinationi subjectonem, satis palpaveritis, & cognoveritis, propositumque dicti Fratris Petri concitatoris, sitientis indirectè vetus scandalum adversùs Principes, & Dominos recensere: ea propter, hujus concitatoris Fratris Petri, veluti ardentiori præsumptione, deferentis D clavam quorumdam cauteriorum in seditione, ipsius quidem invectione, & mea responsione, seu repetitione simul conlitigando materiam hanc, majores viros, ut præmittitur, certis habitudinibus, concitantem, non aliàs intrare velle quàm vestra judicialis discretio suaderet. Verùm quòd quia petitio, seu libellus dicti Fratris Petri, in pluribus sui partibus vagus, obscurus, dubius, incertus, & minus sufficienter declaratus apparet, præsertim in illa parte in qua dicit quòd contrà me partem denuntiantem, imò &, si opus sit accusantem se facit, in qua parte sub conditione, seu disjunctio-

* hìc aliquid desideratur

ctione dubia & vaga, dicit se velle contra me Judicium experiri, videlicet per viam denuntiationis, &, si opus sit, per viam accusationis; & tali petitioni, seu libello conditionato, vago, dubio, & obscuro non teneatur quis respondere, eò quòd fines & modi procedendi, juxta alteram illarum viarum, sunt varii & diversi: secundùm Canonicas Sanctiones, peto & requiro, primitùs, & ante omnia, dictam ejus petitionem, seu libellum; & quam viam vult tenere, per ipsum, quo ad hoc, pleniùs declarari.

INSTITUTIO PROCURATORUM

Universitatis Parisiensis

In negotio Joannis Parvi, ad Concilium Constantiense.

Die x. Maii 1416. UNiversis Christi fidelibus. Rector & Universitas Studii Parisiensis. Salutem in eo qui in hoc natus est, ut testimonium perhiberet veritati. Quoniam in hiis quæ Fidei sunt fidelium multitudo fortiùs astringitur, ut contra errantes certamen constantissimè suscipiant; nobis verò à Domino Fidei defendendæ specialiùs labores incumbunt, qui hanc sequuti professionem, de terrenis educti, studia colimus litterarum. Hinc est quòd cùm damnata pridem Magistri Johannis Parvi Propositio, atque moribus injuriam ferens, & in populis scandalum perniciosum, per Reverendum Patrem Parisiensem Episcopum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis, advocatis ad hæc quamplurimis sacræ Theologiæ Professoribus, Licentiatis, Bachalariis, aliisque Jurisperitis, in multitudine copiosa, fuerit justissimè condamnata. Audivimus tamen aliquos minùs prudenter & contrà Juris formam atque regulam veritatis, eandem damnationem etiam annulasse, ex quibus scandalum rerumque nociva novitas sumere poterit ad deterius exordium.

Nos autem horum omnium emendationem, & Fidei integritatem sperantes, per eum qui custodiet veritatem in seculum, facitque Judicium injuriam patientibus, ad prædictorum reformationem, Fideique robur, & firmitatem, animos assumimus, & nos hujus rei partem constituimus.

Confidentes igitur ad plenum de dilectorum nostrorum suppositorum, & in Christo fidelium Patrum & Magistrorum, Reginaldi Remensis; Jacobi Turonensis Archiepiscoporum; Joannis Silvanetensis Episcopi; Joannis de Jarsonno; Joannis Morini; Guillermi Pulcrinepotis; Benedicti Genciani, sacræ Theologiæ Professorum; Joannis Vipart, Decretorum Doctoris; Jacobi Despars; Henrici Thibout, in Medicina Mgistrorum; Joannis de Templis; Simonis Pinardi; Guillermi Lochem, Magistrorum in Artibus, & Bachalariorum in Theologia; Joannis Campani, Magistri in Artibus, & in Jure Canonico Licenciati; necnon Simonis de Grandis, & Henrici de Piro, Juris Canonici Licentiatorum, & Procuratorum in Romana Curia; & eorum cujuslibet circumspectâ prudentiâ atque diligentiâ grandi; ipsos, & eorum quemlibet nominamus, facimus, constituimus, & creamus nostros veros, certos, & indubitatos Nuncios, Oratores, Procuratores, & negotiorum gestores, ad prosequendum, nomine nostro, & pro nobis, condemnationem dictæ damnatæ Propositionis, sive libelli, Assertionumque ejusdem, per modum & formam simplicis querelæ, adhæsionis, appellationis, aut aliam quamcumque, impugnationemque quorumque processuum, adversùm honorem aut famam Regni Franciæ, aut dictos Parisiensem Episcopum, & Inquisitorem, & eorum quemlibet; occasione dictæ damnatæ Propositionis, vel Assertionum in eadem contentarum, deppendentiarum, incidentiorum emergentium, quovis modo factorum, aut fiendorum per quoscumque Judices, Auditores, Commissarios, Cardinales, aut alios sacrosanctæ Generalis Constantiensis Synodi authoritate, aut alia quavis constitutos, deputatos, aut datos, aut constituendos, sive dandos, aut de- A putandos quomodolibet in futurum ipsos Judices, & eorum quemlibet suspectos recusandum, dicendum, & arguendum, aliosque sibi nomine nostro dari requirendum, causamque totam, ac materiam dictæ Propositionis, & quascumque ejusdem sequelas, dependentias emergentibus, & connexis, coram sacrosancta Synodo, & in plena Sessione, sive coram Fidei Commissariis deputatis, aut deputandis evocari petendum, & requirendum, coram eadem sancta Synodo, aut deputatis vel deputandis, ac aliàs ubi, & quandocumque nobis, & nomine nostro comparendum, petendum & requirendum, famæ & honoris Regii, & nostri, pro quanto tangitur, adversùs quoscumque cujuscumque dignitatis, gradus, authoritatis, & præeminentiæ, etiam si Cardinalatûs, aut Episcopatûs existant reintegrationem, restitutionem, & prosecutionem: & generaliter ad comparendum coram B quibuscumque Judicibus, ordinariis, sive delegatis, & coram eisdem, & eorum singulis agendum, prosequendum, ac deffendendum quascumque causas Fidei Ecclesiasticas, civiles, injuriarum verbalium, & realium, Regem Francorum, aut nos hac occasione, modo quovis tangentes, contra quascumque personas: dantes, & concedentes dictis Procuratoribus nostris, & eorum cuilibet in solidum, plenam, & liberam potestatem, ac Mandatum speciale præmissa omnia & singula faciendi, necnon dicendi, petendi, exercendi, & Judicio standi, & comparendi; libellum & libellos, & quascumque petitiones, & requisitiones summarias, & alias dandi, & offerendi, ac recipiendi, & respondendi postulandi, excipiendi, replicandi, triplicandi, & quadruplicandi; litem, & lites contestandi, contestationem litis prosequendi de calumnia vitanda; in animam nostram jurandi, & subeundi cujusli- C bet alterius generis licitum juramentum, quod postulat ordo Juris; ponendi, proponendi, & articulandi additiones, & declarationes dandi; positionibus, & articulis respondendi, & suis responderi faciendi, & petendi; ac si necesse fuerit, probandi; Litteras remissorias ad partes nobis fieri, & decerni petendi, & obtinendi; de loco & Judicibus conveniendi, & concordandi; Judices & Notarios eligendi; articulos, exceptiones, & alia pro parte nostra data, & danda admitti, petendi testes, Instrumenta, Litteras, Jura, & quæcumque alia probationum genera producendi, & productis ex adverso objiciendi, & de productis omnibus, actitatis, & attestationibus copiam nobis decerni petendi, testes jurare videndi, & in eos, & eorum dicta dicendi; contumacias & deffectus opponendi, beneficium absolutionis, & restitutionis in integrum, & ad cautelam semel, & pluries, quandocumque opus fuerit, implorandi, petendi; & obtinendi quascumque Litteras, & rescrip- D ta impetrandi, protestandi, exceptiones cujuscumque generis dandi, interrogatoria faciendi, judicandi officium implorandi, in causa & causis renunciandi, & concludendi, renunciarique & concludi petendi, Sententiam & Sententias, tàm interlocutorias quàm diffinitivas ferri petendi, & audiendi; & ab ea, seu eis, & quolibet alio gravamine nobis vel inferendo, semel, & pluries provocan-

vocandi, & appellandi; appellationum & provocationum hujusmodi, & nullitatum causas prosequendi, ac finiendi, ac finiri faciendi; & petendi Apostolicos instanter, & instantissimè; petendi, & recipiendi Litteras, & quascumque commissiones Justitiam, vel gratiam in se continentes impetrandi, & obtinendi, & impetratis ex adverso opponendi, contradicendi, & excipiendi; paciscendi, concordandi, & transigendi; unum, vel plures Procuratorem, seu Procuratores, loco sui, & cujuslibet ipsorum cum simili potestate substituendi, & eum, vel eos, quando majori parti ipsorum placuerit, & videbitur, faciendi, revocandi, & onus procurationis hujusmodi in se reassumendi, & iterùm totiens quotiens substituendi; presenti procuratorio nihilominùs semper in suo robore duraturo: & generaliter omnia alia, & singula faciendi, dicendi, procurandi, & exercendi in præmissis, & quolibet præmissorum, quæ nos facere, dicere, & exercere possemus, si præsentes, & personaliter interessemus, & quæ causarum, & negotiorum merita desiderant, & requirunt; etiam si talia sunt, quæ mandatum exigant magis speciale: promittentes bona fide, nos ratum, gratum, firmum, & stabile habiturum* quidquid per dictos nostros Procuratores & eorum quemlibet actum, dictum, gestum fuerit, & procuratum in præmissis & ea tangentibus connexis, emergentibus, dependentiis & sequelis; quòdque dicti nostri Procuratores totiens quotiens pro dictarum nostrarum utilitate & tuitione de suppositis nostris tot tantas, & quales personas, de quibus eis, & eorum cuilibet visum fuerit accommodum congregent, convocent, & convocari faciant, qui dictis agendis assistant, cum eisdem auxilium, consiliumque præbeant & juvamen, & ea faciant, quæ sibi duxerint injungenda; quibus mandamus, ut in præmissis, & quolibet præmissorum pareant, tanquàm nobis; dictos nostros Procuratores, & eorum quemlibet ab omni satisdationis onere, & quibuscumque dandis cautionibus relevantes per expressum, & hiis præsentibus, ubicumque terrarum relevatos esse volentes. In quorum omnium robur, & testimonium, præsentes Litteras nostrum procuratorium in se continentes, per Notarium infra scriptum subscribi, & publicari mandavimus, nostrique magni sigilli jussimus appensione muniri.

Datum & actum Parisius, in nostra Congregatione Generali, apud Sanctum Mathurinum solemniter celebrata, Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, die decima Mensis Maii.

Verum quia ego Joannes Cachaloe Magister in Artibus & Bachallarius in Decretis, Rectorque Ecclesiæ Parrochialis Sancti Martini de Glisturia, Rothomagensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali, ac almæ Universitatis Parisiensis authoritatibus Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dum sic, ut supra scribuntur, per dictam almam Universitatem fierent, & agerentur, præsens interfui, eaque sic fieri, vidi, & audivi, ac in notam recepi; ideò exindè confectis præsentibus Litteris, seu publico Instrumento alteriùs manu fideliter scripto præmissa publicando signum meum solitum, & consuetum hîc me propria manu subscribens, de Mandato prælibatæ Universitatis, unà cum appensione sui sigilli apposui, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum, requisitus, & rogatus.

CACHALOE. *Ainsi signé, avec sa paraphe ordinaire à costé de son attestation, avec le grand sceau de la dite Université, en cire rouge, de la largeur de la palme de la main marqué à deux revers.*

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon par moy. Ainsi signé. F. N. BAZIN Prieur des Peres Celestins d'Avignon.

INSTRUMENTUM *Nationis Picardiæ*, Quo se Concilii Generalis Judicio statum iri decernit.

Cod. 2537. fol. 8.

IN NOMINE DOMINI, Amen.

Noverint universi, & singuli præsens publicum Instrumentum inspecturi, quòd Anno ejusdem Domini M. CCCCXVI. Indictione nona. Die verò sexta Mensis Maii, sancta Sede Apostolica vacante, in Congregatione generali venerabilis Nationis Picardiæ, in alma Matre Universitate Parisiensi, apud sanctum Julianum Parisius, ipsa die, horâ quasi decima ante meridiem, solemniter celebrata; nobisque Notariis publicis, & testibus infra scriptis præsentibus. Venerabilis, & discretus vir, Hugo Mainpin, Magister in Artibus, Procurator ejusdem Nationis, & in ipsa Congregatione tunc Præsidens, seriatim exposuit, & retulit, quòd nuper venerandæ circumspectionis, & magnæ scientiæ vir, Magister Guillelmus de Valle, Rector ejusdem Matris Universitatis, per organum Venerabilis, & Discreti viri, Magistri Roberti de Bressy, & nonnullorum aliorum Magistrorum, eundem Procuratorem Nationis Picardiæ, pro, & nomine ejusdem Nationis requisierat, quatenùs ipse Procurator, seu ipsa Natio sigillare, seu sigillari facere, & procurare vellet, sigillo Nationis prædictæ, quasdam Litteras sacro-sanctæ Synodo Generali Constantiensi, ex parte ejusdem Matris Universitatis, ad requestam, & exhortationem Serenissimi Principis Domini nostri Francorum Regis, ut dicitur, mittendas, & dirigendas, super materia revocationis cujusdam Sententiæ per eandem sacro-sanctam Synodum, seu Dominos Commissarios ejusdem, nuper latæ, contra processum dudùm factum Parisius, & deductum per Reverendum in Christo Patrem, & Dominum, Dominum Parisiensem Episcopum, in condemnatione nonnullarum Assertionum, contentarum, seu comprehensarum, ut dicebatur, in quadam Propositione olim per defunctum Magistrum Joannem Parvi facta: & se aliis Nationibus, & Facultatibus ejusdem Universitatis, & intentioni earum in hac parte consentiendo, expeditioni, sigillationi, & missioni hujusmodi Litterarum conformare. Ea propter dictam Nationem Picardiæ, ad consulendum super iis, convocari fecerat, & ea sibi exposuerat.

Quæ quidem Natio solemniter, ut præfertur, congregata, post maturam & diuturnam, de, & super præmissis factam per eam, & habitam deliberationem, per organum ejusdem Domini Procuratoris, concluserat, & concludebat, ac pro concluso haberi volebat, & vult, illa quæ sequuntur.

Videlicet quòd quemadmodùm ipsa Natio Picardiæ, in materia prædicta, seu de ipsa materia tractanda, decidenda, & diffinienda, & tàm quoad processum prædictum, per eundem Dominum Episcopum Parisiensem factum, quàm quoad Assertiones prædictas, dictæ sacro-sanctæ Synodo,

* habituros.

do, ad quam pertinet ultimatè sententialiter diffinire, in iis quæ Fidem Catholicam concernunt, se retulerat: ita omninò se referebat, & refert, supplicans humiliter eadem Natio omnibus Christi fidelibus, tàm in sacro Concilio, quàm alibi existentibus, quatenùs ipsi in materia prætacta, & ceteris Fidem hujusmodi tangentibus, Deum solum præ oculis habendo, favore quocumque particulari, vel illicito sublato, sinceritatem Fidei orthodoxæ servando, consulere dignentur.

Item, & quòd dicta Natio Litteras hujusmodi prædictæ sacro sanctæ Synodo mittendas, ut præmittitur, exhortantes eandem Synodum, ut dicitur, de revocando hujusmodi Sententiam, contra dictum processum latum, non vult, nec intendit, sui sigilli appensione, seu appositione munire, seu muniri facere, nec eas approbare. Imò; si aliquid in contrarium post diem hodiernum contigerit fieri, vel attemptari, videlicet sigillum dictæ Nationis ab arca communi, in qua concludi & reponi solitum est, vi, metu, violentia, vel aliàs extrahendo, aut clavigeros ad dictam arcam aperiendam, seu clavem ejusdem arcæ tradendam compellendo; illud ex nunc, in quantum potest, & debet, decernit irritum, & inane, ac de mente sua non exiltere, nec extitisse: reputans ex nunc, pro illa vice, dicta Natio, prout reputat, dictum suum sigillum nullum fore, vel esse, in casu prædicto, ac nullâ efficaciâ, vel momento subsistere, & nullam fidem sibi adhiberi debere. Ipsum ex nunc, pro illa vice, revocat, cassat, & adnullat: volens supra dicta Natio, prout vult, ut dicebat, prædicta puncta, sic per eam conclusa, firmiter, irrevocabiliter, & inviolabiliter tenere in perpetuum, & observare, & in eodem proposito, ac voluntate, quoad hoc, permanere.

De, & super quibus præmissis omnibus, & singulis, præfatus Dominus Procurator supra dictæ Nationis, pro, & nomine ipsius, petiit, & requisivit à nobis Notariis publicis subscriptis, sibi fieri, atque tradi publicum Instrumentum, seu publica Instrumenta, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc ubi suprà, sub Anno. Indictione. Mense. Die, & hora prædictis: præsentibus ad hæc Venerabilibus & Discretis viris, Magistris Joanne Yonis, Licentiato in Theologia. Ingerranno la Sentre. Nicolao Midy. Joanne de Novavilla. Symone Bante, in Theologia etiam Bachallariis. Rogerio Bette. Nicolao Amici. Joanne Cantoris. Balduino Andreæ. Joanne Goye, in Artibus Magistris: & Domino Joanne Amantis, Presbytero, prælibatæ Nationis Picardiæ Bedello, cum pluribus testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et ego Jocabus Mareti Clericus Lingonensis Diœcesis, Magister in Artibus, publicus Apostolicâ & Imperiali authoritate Notarius; quia præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut suprà, scriberentur, agerentur, & dicerentur, & fierent; unà cum Notario sub, & testibus supra scriptis, præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audivi. Idcircò huic præsenti publico Instrumento inde confecto, manu aliena fideliter scripto, me aliis negotiis legitimè præpedito, signum meum publicum & consuetum, requisitus, hìc me subscribendo apposui, in testimonium veritatis omnium & singulorum.

Et ego Ægidius Massardi, Attrebatensis Diœcesis, Bacallarius in Jure Canonico, publicus, Apostolica & Imperiali authoritate, ac Curiæ conservationis Privilegiorum Venerabilis Universitatis Studii Parisiensis Notarius juratus; quia præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur, dicerentur, & fierent, unà cum Notario, & testibus supra scriptis, præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi. Idcircò huic præsenti publico Instrumento, manu aliena fideliter scripto, me aliis negotiis legitimè præpedito, signum meum hìc, me propria manu subscribendo, solitum, unà cum signo, & subscriptione dicti Notarii publici, requisitus apposui, in testimonium præmissorum.

SCEDULA

Exhibita in Concilio, Cod. 2538. fol. 259. v.

à Deputatis Universitatis Parisiensis.

ANno à Nativitate Domini, millesimo XIII. secundùm computationem Ecclesiæ Gallicanæ. Die Jovis prima Mensis Februarii. Parisius, in camera Episcopi Parisiensis, in Concilio XII. Deputatorum super materia Fidei, dictus Parisiensis Episcopus, cum dictis duodecim Deputatis, Magistrum Jordanum Morini, Joannem Dulcimenillo, & Magistrum Joannem Dacheri & Magistrum Petrum de Nogento, si posset interesse cum aliis tribus, deputaverunt ad quæstionem Magistri Johannes Parvi principaliter intentam mitigandam & mutandam, in * modo terminorum singularium, in terminos communes & appellativos; & fuit instans Sabbati, de manè, assignata istis tribus Deputatis, ad referendum XXII.† Deputatis prædictis, qualiter ipsam conclusionem mitigaverunt in modum terminorum, seu in terminis, ut supra, ad videndum si benè fuerunt mitigati & ordinati per dictos tres, vel quatuor Deputatos; & ad videndum quid, & qualiter, & quomodò sit procedendum ulteriùs in ista materia.

Adveniente autem dicta die Sabbati; in Concilio duodecim Deputatorum in materia Fidei, dicti tres Deputati præsentaverunt & exhibuerunt quamdam cedulam continentem novem Assertiones &c. extractas, seu illatas, ut dicebant, à Propositione Magistri Johannis Parvi, ac mitigationem & modificationem terminorum singularium quæstionis dictæ Propositionis Johannis Parvi in terminos communes, seu appellativos. Dictâque cedulâ lectâ, & auditâ, dictus Episcopus assignavit eisdem Deputatis diem Martis indè sequentis, ad advisandum & deliberandum si prædicta cedula erat in bona forma, & ad ulteriùs procedendum in materia ista &c. Et distributis cedulis pluribus Magistris & Bachalariis in Theologia, nonnullis aliis famosioribus contemptis, spretaqua Facultate Decretorum, & contradicente Natione Picardiæ, receptis cedulis cum deliberatione prædictorum, quibus missæ fuerant XIX. ejusdem Mensis Februarii: XXIII. sequenti Episcopus & Inquisitor prædicti, dictas novem Assertiones condemnarunt, duas Sententias eadem die ferendo, quas sustinere jurarunt & defensare illi Theologi, qui, ut dicunt, pro parte Regis & Universitatis venerunt ad Concilium Generale; aliàs non venissent ad stipendia decimæ impositæ &c.

Eadem die Episcopus Silvanectensis, & Magister Joannes de Templis dixerunt, quòd Universitas Parisiensis tangebatur: idcircò Episcopus Attrebatensis dixit verba sequentia.

Expositio ultimæ Clausulæ. fol. 260.

QUòd ultima verba cedulæ exhibitæ non intelligebantur de veris Ambassiatoribus, sive Nuncius

* *forsan* de † *forsan* XII.

ciis almæ, & præclarissimæ Universitatis Parisiensis, qui gratiosè se habuerunt, & leboraverunt circà pacem, & qui venerunt ad proprios sumptus quidem; sed intelligebantur de Magistris Johanne de Gerssonno, Jordano Morini, & Petro de Versailles, qui coram Commissariis in causis Fidei deputatis, & etiam in causa appellationis à prætensa Sententia Episcopi Parisiensis allegaverunt se esse Nuncios & Ambassiatores dictæ almæ Universitatis, nullo contradicente & sub ejus membra multa petierunt in præjudicium deffensionis, appella- A tionis supra dictæ.

EPISTOLA

Sigismundi, Regis Romanorum. ad Concilium Constantiense.

Cod. 2538. fol. 336. verso. Anno. XVI.

Sacro Reverendissimorum in Christo Patrum, Dominorum Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium*, amicis nostris præcarissimis.

Lecta in Collegio Cardinalium, XI. *die Maii.*

REverendissimi in Christo Patres, amici nostri præcarissimi. B

Considerata præsentis temporis qualitate, imò veriùs malignitate, ad evitanda scandala sacro-sanctæ Synodi Constantiensis, non modicum expedire prospicimus, quòd in iis quæ agenda sunt pro eorum statu pacifico & prospero conservando, divisione rejectâ, unanimi voto procedatur, præsertim cùm ad reformandum statum honestatis vitæ, & conversationis, tàm in capitibus, quàm in membris, Cleri & populi, nec non ad extirpanda vitia, & eligendam justitiam, studia concorditer dirigantur, & opera; ut par sit æquitas & voluntas, nec minor benignitas quàm potestas.

Profectò inter cetera, quæ cordi nostro insident, non minorem sibi locum vendicat, & optamus ex intimis cordis nostri affectibus, quòd super posi- C tione erronea quondam Magistri Joannis Parvi, qui lupum rapacem sub ovina pelle tegebat, & irritationem processuum venerabilis Episcopi Parisiensis, in eadem materia ritè, ut asseritur, fulminatorum maturè provideatur, & hujus rei gratiâ prædictæ sacro Synodo dirigimus scripta nostra.

Et quia pronunciatio per nonnullos Commissarios Constantiæ, contra processus dicti Parisiensis Episcopi in materia hujusmodi facta & lata, plurimos, & præcipuè simplices, & incautos scandalisat, & in damnum multorum videtur redundare; vos quidem, Patres Reverendissimi, altæ considerationis & circumspectionis eximiæ operosâ diligentiâ & promptitudine accurata in materia hujusmodi, quæsumus, salubriter velitis providere, operari, & prosequi, ut res ipsa reducatur in pri- D stinum statum, in quo fuerat antè tempus pronunciationis prælibatæ, ut opera sacri Concilii, suis lucidis fructibus coram Deo & hominibus habeantur accepta; gratam in eo, Patres Reverendissimi, nobis complacentiam reverà ostensuri.

Datum Parisius, IV. die Aprilis Regnorum nostrorum, &c. Anno Hungariæ XXIX. Romanorum verò XI.

SIGISMUNDUS. *Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex.*

Ad Mandatum Domini Regis.

PRÆPOSITUS DE STRIGONIT. *Vice-Cancellarius.*

* *forsan deest* Collegio

EPISTOLÆ

Cod. 2538. fol. 337.

Universitatis Parisiensis ad Concilium.

Lecta in Collegio Cardinalium, XI. die Maii. Anno XXI.

Reverendissimis Patribus, & Eximiis Sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus.

REverendissimi Patres, sacrumque insigne Collegium.

Si Ecclesiæ robur in suis columnis meritò reluceat, si Majores salutaria præbere tenentur exempla, ad vos specialiter confugiendum est, ubi Fidei, ubi justitiæ, vitæ, atque doctrinæ veritates aguntur, ut & *suscipiant montes pacem, & colles justitiam.* Ps. LXXI. 3.

Propterea in re Fidei, in Regnorum stabilienda quiete, & ad malorum audaciam refrænandam scribimus sacro-sanctæ Synodo in modum sequentem.

Egregiis &c.

Rogamus igitur, & cum cordis humilitate deprecamur, ut Fides adjutores inveniat, Christus in vineam Domini Sabaoth cultores immittat, ut non sint qui plantulas eradicent, ut eam non laceret aper de sylva, venenum neque seminetur mortiferum, quod bellorum rabiem, homicidiorumque inaudita genera suscitavit. Nos autem qui Fidem, quantùm dedit intelligentiæ Dominus, devotâ mente coluimus, hujus Propositionis jacturam cognoscimus, & tenebrosum noctis, atque cæcitatis horrorem: propterea confidenter scribimus. Nam ait Dominus, Luc: IX. 26. *Qui me erubuerit & sermones meos, Filius hominis erubescet eum cum Angelis Dei.*

Nos verò conturbavit quorundam ex vestris Fratribus Dominis Cardinalibus intempestiva, insolens, & ab extrinseco violentata fortassè Sententia, per quam processum Domini Parisiensis Episcopi nisi sunt annulare, quod nos non indeffensè permittemus; nam res hæc nostra Jura, primitivas que consuetudines impugnaret, nosque tantam Episcopi novimus, & dudùm approbavimus potestatem, ut Doctoribus, quorum Dei gratiâ hîc multitudo est, evocatis, errores liceat abjicere, si sua in Diœcesi cum scandalo pullularint.

Rei igitur finem petimus, Fides ipsa petit, Regna poscunt, & nos iterùm misericorditer imploramus, ut non deficiat Fides Christi, nec corda Gentium error injuriosus atque perniciosus inficiat; sed confiteantur universi ore Legem Dei, ad salutem, quam credunt ad justitiam. Confiteantur insuper Domino omnia opera sua, & specialiter Sancti & dilecti benedicant ei, & ipse extendet manum suam, & salvos nos faciet, talenta multiplicata retribuet. *Scriptum, ut supra.*

Reverendissimarum vestrarum humiles & obsequiosi, Rector & Universitas Studii Parisiensis.

Similis fuit præsentata Nationi Gallicanæ, IX. *Maii, sed non lecta. Sed die duodecima sequenti horâ octavâ de mane fuit lecta, & ad hoc artè venerunt Cardinales Cameracensis, & Sancti Marci, qui non sunt consueti venire ad Nationem* &c.

Cod. 2538. fol. 337. verso.

Eruditissimis, Reverendissimisque Patribus, Dominis Commissariis Sacro-sanctæ & Universalis Constantiensis Synodi, in materia Fidei deputatis.

Lecta XII. die Maii, in Aula Episcopali Constantiensi.

PAtres probatissimi, viri singulares & venerabiles Domini. Licet Justitia simul omnis virtus est; tamen Fidei justitia magis probanda, per quam & ipse Abraham probatus, ut scribitur: *Credidit Abraham Domino, & reputatum est ad justitiam.* A Gen. xv. 6. Cum igitur Fidei materia, Regnorum fortuna, morum tranquillitas, Magistri Joannis Parvi Propositionem exponunt damnabilem; nosque in contrarium quædam agi percepimus, per quæ & antiqua foveri, & nova suscitari scandala poterunt, & vos determinanda in hac re mundi Judices, & causam Regum, atque Regnorum nunc agitis, ad vos confugimus nostras mentes aperientes. Scribimus igitur sacro sanctæ Synodo in formam sequentem. Egregiis &c.

Cum igitur rei hujus vos evocet decisio, Christo favorem, Fidei dilectionem, zelique fervorem petimus, ut aut hæc doctrina definiatur, aut Gallia perpetuò funestum deflebit homicidium B malignantissimè perpetratum; vos autem Deo fideliter obsequentes, nostram in hac damnatione potestis properare salutem. Dirigat Deus vestra Judicia, ad Fidei perpetuam integritatem.

Scriptum, ut supra.

Littera Universitatis Parisiensis, de data XXVIII. Mensis Aprilis. 1416. sigillata XII. sigillis, in caudis duplicibus, scilicet Nationum Gallicanæ, Normaniæ, & Anglicanæ, Facultatum Theologiæ, Decretorum & Medicinæ, cum sigillo communi dictæ Universitatis, incipientis.

Egregiis &c. *Prout de verbo ad verbum supra, folio 332. continetur, & in fine dictarum Litterarum inserebatur clausula sequens.*

UT autem æmulorum Fidei subterfugiis atque vaniloquiis sit ad plenum satisfactum, labiaque claudantur iniqua, plusquàm satis maledictis in- C solentia insolitum peregimus, præsentem Facultatum & Nationum sigillis ex proposito muniremus, ut major animorum pateret conventio, ipsaque petita nostra unanimitas roboraret, & ne scripta nostra impudenter lacessant calumniis, cùm ubi mentes consensus unius alligat, quam animo libenti seminarent, verbo discordiam prædicant: quod enim Regis ex scriptis non verentur obloqui, contra nostra confidenter audebunt. Sed ipsa Fidei veritas, atque hæc eadem nostræ conformitatis approbatio falsitatem convincent. Scriptum Parisius, sub nostro communi sigillo, cum adjunctione prædictorum, in nostra Generali Congregatione solemniter apud Sanctum Maturinum celebrata; die XXVIII. Mensis Aprilis. Anno Domini millesimo quadringentesimo deximo sexto.

J. CHACHALOE.

Sequuntur Litteræ missæ per Imperatorem Dominis Cardinalibus, scriptæ Parisius, die VI. Aprilis Anno XVI. Cod. 2538. fol. 331.

Die 13. Maii, registrata per Dominum C. Vivariensem.

REverendissimis in Christo Patribus, Dominis sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ Collegio Cardinalium, amicis nostris carissimis. Sigismundus, Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Salutem, & in unionis gremio pacis educare serenam.

Reverendissimi Patres, amici charissimi. Alti consilii plenitudo, tanta filios hominum sagacitate dotavit, tanta primogenitoris liberos fælicitate beavit, tantaque nos arbitrii libertate decoravit, ut eò sincerius mereri videamur, quantò hujusmodi in nos diffusi arbitrii integritas opera in nobis suscitat fructuosa, quantòque iis quæ veneni pocula gestant scorpionis tactu clandestinè pungunt, & viperinis arcubus * gregem inficiunt, fallâque doctrinâ populum magis quem interimunt ense constantiùs resistitur, † & eorumdem erroribus, & superstitiosis opinionibus protinùs ne invalescant, obviari videtur. Quamvis enim per Orbem diffusa flagitia, totius mundi fines corrosa jacula docuêre, tamen scrupuli argumenta Catholicorum Fides sufferre negavit: ut enim hujus tempestatis quadriga mole agitata laboris, tandem ad salutis ‡ exennia vehi videatur, necessarium fore arbitramur, ut ipsa paribus bobus, unanimi voto, incommutabili proposito, & sincera animadversione dirigatur.

Novimus, cernimus pro pacis reformatione expedire, falsas quondam Joannis Parvi & Assertiones superstitiosas, quibus nedùm scandalorum alimenta nutriuntur, proditiones proprii sanguinis jam illuxerunt, insidiarum probra fluunt, & inauditi gemitus lacrimæ statuerunt, verum quidem & filios parricidas effici animare videntur. O detestandi dogmatizantis autoritas! Scripturæ sacræ prævaricator! O turpis stili Commentator, qui veritatis textum glosâ putridâ sigillogizasti! O infelix Orator, qui terreni favoris intuitu, linguâ linitâ tàm execranda vitia consuluisti, tàm detestanda scelera ore polluto divulgasti, tamque lividæ cicatricis vulnera renovasti, tantamque inhumanitatis epydimiam pro maleficii justificatione toti mundo ferè nunciasti!

Exurgat fidelis Sion, excitentur justitiæ cardines, aut civitatis sanctæ custodes protinùs accelerent, & pro tantæ fucosæ suasionis, tantæque hæreticæ pravitatis arcubus reprimendis meritò accurrat plebs Christi fidelis: deleatur hujus memoria de codice viventium, ipsiusque opinionis, ut erroneæ & detestandæ, stragem populi exposcentes, effusionem cruoris sitientes, machinationes in D proximos erudientes, proprii sanguinis interitum deterrimè amplectantes, &, quod deterius est, ea, quæ toti mundo sacrilega innotuisse videntur, sa ¶ parvi hominis unius commentisatione palliare molientes, in profundum abyssi demergantur; Licèt itaque Altissimi Regis Judicium lento quidem passu procedit ad iram; ex tarditate tamen ultionis, delicti exuberante sarcina, gravius ad mulctam provocatur ira vindicantis.

Quam-

* forte acubus
† Locus corruptus
‡ forte æternæ
¶ verbum hoc videtur corruptum

Quamobrem non ab-re veræ Fidei zelatorem, non justitiæ directorem, non pacis autorem fore dijudicaremus, qui præfatis enormibus, erroneis, & anxiosis doctrinis se conscium, defensorem, fautorem publicè, vel occultè redderet, & amicum; cùm illius scelerosi criminis morsus condemnatione reali sanatus, & ejusdem doctrinâ rabidâ novissimè laniata fuisse videntur.

Ne igitur, Patres Reverendissimi, præmissorum occasione, nedùm inter Patrem & filium; verùm quidem inter Regna & Principes deteriora scandala oriantur, rogamus attentè, vosque in illo hortamur, cujus causa hic gitur, quatenùs concordi voto, & coæquato tramite, in hac execranda detestatione taliter concurrere velitis, præmissa radicitùs extirpanda*, ut nullus reclamationis latibulum apud quempiam, præfatis contagiosis abusionibus, & ipsarum hospitibus, reservari videatur; prout & etiam pro præmissis Serenissimum Principem, Carolum Francorum Regem, Fratrem nostrum charissimum, nuper Paternitatibus vestris scripsisse intelleximus seriosè. Tenemus enim-verò indubiè, quòd per hoc tanti uberioris meriti † doneria, quantò præmissa fidelibus celsiùs opportuna præveniri ¶ conspiciuntur, ab eo recipietis, qui vestrum sanctum Collegium dirigere potest per tempora feliciora.

Datum Parisius VI[a]. die Mensis Aprilis, Regnorum nostrorum Anno Hongariæ &c. XXIX°. Romanorum verò VI°.

Ad Mandatum Domini Regis.
JOANNES GERSSE.

* *fortè* extirpando, ut nullius † *fortè* donaria
¶ Locus corruptus.

COPIA

Cod. 2538. fol. 345. *Litteræ scriptæ per Dominos tres Cardinales, in causa Appellationis &c. ad Regem Romanorum.* XV. *Maii. Anno* XVI.

XV. Maii. 1416. SErenissime Princeps & Domine, ac gloriosissime Domine noster.

Humili recommendatione præmissâ. Licèt veritas, ut scriptum est, disrumpi non possit; quandoque tamen per minùs plenas, aut non veras informationes ad tempus in abscondito est, ex quo evenit, ut quandoque iis, quibus propter honestos labores digna præmia debentur, & meritò laudes, non solùm iis careant, sed eorum gesta in sinistram partem per sinistras informationes retrahantur.

Ob hoc, cum sincera fide decrevimus informare Serenitatem vestram de pura veritate, & quæ manifestè ostendi potest per Acta publica in authenticis munimentis redacta, & gesta, super causa cujusdam Sententiæ latæ per Dominum Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, super certis Assertionibus, quæ dicuntur fuisse quondam Magistri Joannis Parvi; in qua siquidem tamen fuerunt à Sede Apostolica delegati, super nullitate & Appellatione ab eadem Sententia ad ipsam Apostolicam Sedem interposita: & ex eo moti sumus ad scribendum, quòd per Litteras Serenitatis vestræ, directas Collegio Dominorum Cardinalium, comprehendimus rem omninò aliter fuisse enarratam Serenitati vestræ, quàm hìc gestum sit.

Noverit igitur Serenitas vestra, quòd ad decernendam eamdem Sententiam nullam, processimus de consilio multorum peritiorum in utroque Jure, etiam in Sacra Pagina; licèt illa causa plùs pertineat ad Jus regularis processus, quàm ad Sacram Paginam; & quamvis in Sententia non sint positæ causæ motivæ ad sic pronunciandum, quia non est de more causarum: tamen aliquæ sunt valdè manifestæ; præcipuè quia causæ Fidei per antiqua Concilia plurima fuerunt Sedi Apostolicæ reservatæ. Tamen ipsa natura causæ hoc dictat, quia si possent singuli Episcopi ipsas determinare, facilè posset contingere, quòd unus Episcopus, vel Archiepiscopus uno modo pronunciaret de aliquibus Articulis ad Fidem pertinentibus, & alter alio modo, & sic magna esset difformitas, & contrarietas in Fide, quæ inter omnes Christianos una est. Ideò meritò talium causarum determinatio ad Sedem Apostolicam pertinet, quæ habet super omnes Catholicos authoritatem, & modo simili traditam potestatem.

Et quamvis dicatur, quòd Episcopus Parisiensis hoc potest ex vi consuetudinis: quid quid sit de validitate hujus consuetudinis; tamen de ipsa hìc coram nobis nihil fuit dictum, vel allegatum.

Item, non reperitur in Actis per dictum Dominum Episcopum, vel Inquisitorem, quòd fuerint citati quorum intererat; cùm tamen citatio non possit auferri parti, ne tollantur sibi defensiones, quæ cùm sint de Jure naturali, etiam per Principem tolli non possunt.

Item, coram nobis nemo comparuit legitimè ad deffendendum, cùm tamen Episcopus fuerit monitus, si volebat defendere processum suum. Sunt & alia motiva, quæ hìc non inserimus, ut non simus onerosi Serenitati vestræ de nimia longitudine.

Præterea, etiam si Sententia esset injusta, vel nulla; tamen illi qui conqueruntur debuissent expectare finale Judicium, cùm appellaverint à Sententia; & debent credere, quòd si habebunt jus, tot sunt, per Dei gratiam, in hoc sacro Concilio, quòd eis non negabitur justitia.

Nos autem sentientes de istis querimoniis, obtulimus Coucilio plenè congregato, quòd si reperiebatur Sententia lata per preces, vel alium modum inhonestum, subjiciebamus nos correctioni Concilii, sine ulla misericordia: si verò per ignorantiam errassemus, adhuc subjiciebamus nos ipsi Concilio; sperantes tamen hoc ultimo casu, de misericordia ipsius Concilii.

Hæc duximus scribenda Serenitati vestræ, propter causas prædictas, supplicantes ut Serenitas vestra velit sinistrè informantibus hanc veritatem non tacere, quam offerimus nos paratos ostendere per publica documenta Serenitati vestræ, cùm aderit opportunitas, & coram sacro Concilio, & coram toto mundo.

Non omittimus, quòd etiam speciali gratia obligamur Serenitati vestræ, quæ in scribendo Collegio nostro nomina non expressit, quod certi sumus Serenitatem eamdem fecisse ad conservandum, quantùm fieri poterat, nostram honestatem.

Serenitatis vestræ devoti Oratores.

Jordanus de Ursinis. A. Aquilegiensis F. Florentinus	Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales.

Cod. 2538. fol. 350. verso.

EPISTOLA

Ducis Burgundiæ

Ad Cardinales.

xxv. Maii. Anno. xvi. *Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Cardinalibus in sacro Universali Concilio Constantiensi existentibus.*

REverendissimi Patres, & Domini prædilectissimi.

Sicut veterum salubris me docuit disciplina, nihil adeò gloriosè splendet in Judicibus quàm veritatem colere, & Justitiam exhibere, absque omni personarum acceptione. Siquidem & ipsa æquitas, cui Judices obsequuntur, sinistram odii, aut amoris dexteram nescit; quoniam tales debent esse Juris ministri, ut in eorum manibus cujusvis personæ authoritate libra Justitiæ non titubet, aut vacillet, quæ propterea vestris Reverendissimis Paternitatibus præmittenda decrevi: quoniam licèt, Reverendissimi in Christo, & Domini, Domini Cardinales de Ursinis, Aquilegiensis, & Florentinus, Commissarii deputati per olim Johannem Papam XXIII. in causa appellationis per me interjectæ &c. diligenti scrutamine certos processus factos per Episcopum Parisiensem, & quondam olim Inquisitorem Franciæ, meum honorem & famam multipliciter accusantes, invalidos esse declaraverint, prætensamque Sententiam ex ipsis processibus latam, tanquam vitio nullitatis subjectam annullaverint, cassaverint, & irritaverint, prout ex ipsius Sententia Aresto & tenore mihi sub sigillis memoratorum Commissariorum innotuit evidenter.

Nihilominùs prædicti Episcopus & Inquisitor, suorum Procuratorum organo, Sententiæ ante dictæ per viam appellationis se opposuerunt, & quod mirabilius extat relatu, prætextu certi Mandati Domini nostri Regis, per meos adversarios subreptitiè impetrati processum Judicium * Fidei impedire satagentes, ipsum Dominum meum Regem personaliter eisdem adjungi, & ad eorum processum admitti procurarunt, causam ipsam, jamque longo temporis lapsu, etiam usque ad diffimationem inclusivè, eorum privato nomine, ventilatam & discussam, in personam dicti Domini mei Regis transferre volentes, prout clariùs apparet earum tenore Litterarum.

Super quo, ut fertur, Judices in causa Fidei audientiam prædictis meis adversariis commendantes, Dominum meum Regem ad causam ipsam, quantùm de Jure potuerunt, admiserunt, & acceptaverunt; de quo non sufficiunt prudentiores admirari: præsertim cùm talis adjunctio, seu admissio magis injustitiæ eorum quàm justitiæ attestetur, utpotè qui propriis viribus deficientes, & ab inceptis turpiùs decidentes, auxilium præpotentis brachii Christianissimi Domini mei Regis assumere non verentur.

Sed ad quid, Reverendissimi Domini mei? Nisi ut longiori processu eorum injusta querela proteletur; & veritas ipsa, quæ eisdem adversatur, diutiùs sub modio occultetur, atque meum, imò veriùs, Fidei negotium in hac parte obumbretur. Sed & numquid, quæso, Dominus meus Rex in ipso processu quandoque suas vices interposuit, & se eidem immiscuit, aut ipsam processus materiam, conclusionem & Articulos inde extractos per litteratos & probatos viros discussit, & discuti in sui præsentia mandavit? Referant veridici quid sentiunt.

Ceterùm, Reverendissimi Domini & Patres, si paulisper attendatur, quorum consilio & suasu, Rex ipse Christianissimus Dominus meus, partem se constituat in hac causa; quæ insuper necessitas, quæve utilitas inde ei accrescere potest. Heu quàm parùm ponderant Christianissimi Domini mei Regis nomen, famam, decus, & honorem, qui tam gravi oneri ejus humeros supponunt, quod sufferre vix sufficit Orbis totus!

A O utinàm maturiori & salubriori fultus fuisset consilio, non eorum qui in hac parte suæ præpotentis magnificentiæ titulum præcipitant in abyssum! O utinam isti sui suasores saperent & intelligerent, graviùs quoque librarent, quæ pericula, quæ incommoda, quæve scandala Christianissimo Sanguini liliorum provenire ex iis potuerunt * reparari, nisi desuper Deus manum porrexerit adjutricem!

Postremò, Reverendissimi Patres, animadvertere placeat, articulatimque intueri seriem ipsarum, quas impetrarunt Litterarum; quæ in eis continentur præceptiones, & prohibitiones; quo Juris colore roborentur; quorum assistentia digeruntur, & in quorum præsentia conferantur: nunquid earum tenor, minæ terrorum incussio, pænarum gravitas, & ferè singula quæ justum solent auferre Judicium comprehendunt? Solo B Secretario cum unico teste, Consiliario, milite, utique Jure laïco, præsentibus; ipso Domino meo, jurè tunc temporis legitimè impedito, & ad ea quæ agebantur forsan minimè intendente.

Quis sanè judicans non videt, Dominum meum Regem in hac parte fraudulenter seductum?

Quis insuper non percipit, quàm calumniosè, quàm injuriosè ipsi Reverendissimi Patres Commissarii prænominati, in suis nominibus & fama læsi existant, imò veriùs universaliter ipsum sacrosanctum Generale Concilium, vestrum sacrum Collegium non modicam videntur ex iis importare calumniam & jacturam?

Si autem res ipsa, quod àbsit, Deo propitiùs juxta meum desiderium revocante, taliter deinceps agitaretur, quòd oporteret defensorem me constituere in materia Fidei, contra Dominum meum Regem, ad mei Christianissimi nominis tutelam.

C Indulgeant qui audient affligito † & parcant, ad quorum notitiam devenerit, mihi ad injuriam nequaquàm opponentes, quod cum animi dolore assumere conor, et si qui justo libramine ponderare voluerint consanguineitatem & affinitatem, quam ab initio cum ipso Domino meo Rege naturali progenie contraxi; dominationem præpotentem, quam ab ejus clementi bonitate suscepi; fidelia servitia, & grata obsequia, quæ sibi incessanter exhibui; qualiter, & quantùm pro suo tuendo Dominio, me, meos, & mea assiduè exposui, magisque exponere volui, si sibi, & mihi, malignantium non obtitisset fraudulenta malitia, atque pernities; qua ex re subsecuta fuit Sanguinis liliati præclarissimi, Procerum, & Nobilium D Regni totius, ac universalis Reipublicæ subversio; utique clarè agnoscent, opus non fuisse memoratæ litis prætensam contestationem sub nomine Domini mei Regis, subreptitiè adversùm me suscitasse.

Super quibus, Reverendissimi Domini, & Patres prædilectissimi, iis quibus valeo vestrum interpellor rogaminibus patriocinium; in Fidei actore,

* *forsan* Judicum

* Locus corruptus

† *fortè* afflicto

ctore, cujus vices geritis in terris, vos requirens, ut causæ ipsius celerem expeditionem promovere & procurare dignemini; ipsos Judices & singulos, quorum interest, exhortando, & inducendo, ne timore, terrore, aut quovis alio prætenso colore ipse processus valeat aliquatenùs impediri. Veritatis etenim defensores debent esse qui rectè sentiunt, loqui non metuunt. Quòd si veritatis A ipsius proditores convincuntur esse, qui pro veritate mendacium loquuntur; non minoris culpæ arguuntur, qui non liberè veritatem pronunciant, & defendunt, quàm pronunciare & deffendere jubentur; alioquin Lex ipsa, æquitas & justitia *, si non forent qui veritatem tuerentur. De qua etsi interdùm scandalum sumitur, *Utilius* tamen *nasci scandalum permittitur, quam veritas relinquatur.*

Reverendissimi Patres & Domini, si quæ de Reverendissimis Paternitatibus beneplacita occurrerint mihi possibilia, paratum me jugiter animo reperietis, Altissimo teste, qui in ævum vestras Reverendissimas Paternitates conservet, & dirigat in agendis. Scriptum in villa nostra de Gandavo. Die xxv. Mensis Maii.

Dux Burgundiæ B

Comes Flandriæ, Athesii, & Burgundiæ Palatinus &c. Jean.

Sigunt.

* *deest aliquod verbum.*

Cod. 1538. fol. 338.

SCEDULA

Exhibita XXVI. *Maii per unum Theutonicum locatum* &c.

xxvi. Maii. 1416. Ne vos Reverendissimi Patres, ac ceteri Domini Commissarii in causis Fidei per hoc Sacrum Concilium deputati, ignorantiam de clarissimo interesse Regis Franciæ Christianissimi, in materia novem Assertionum valeatis prætendere, sub pallio, vel colore, quia purè & nudè, absque C cujuscunque nominis expressione, judicialiter vobis denunciatæ fuerunt; placeat attendere, quæ sequuntur.

Primò & principaliter, quomodò Propositio Magistri Johannis Parvi, justificativa mortis nefandissimæ, in personam bonæ memoriæ, Domi Ludovici, Ducis quondam Aurelianensis, Fratris unici Regis prædicti perpetratæ, ad Mandatum Domini Burgundiæ, sicut clarè & notoriè probabitur, fuit producta per Dominos Ambassiatores ipsius Domini Regis, coram toto Concilio Generali plenissimè congregato, & in plurium vestrum præsentiis, à quo, prout scitis & præfertur, commissi, deputatique estis; & etiam nonnulla alia producta D fuerunt, quæ ad præmissa ostendenda plurimùm conferre videntur.

Item, qualiter pluries & coram vobis pro tribunali sedentibus, per Dominum Simonem de Teramo ipsius Domini Regis, ac etiam officii promotionis in causis Fidei per vestras Reverendas Paternitates deputatum, advocatum, & nonnullos alios dictum, propositum & judicialiter allegatum fuit prædictas novem Assertiones fuisse verissimè extractas de prædicta Propositione Parvi, sicut etiam per Instrumentum autenticum vobis à longo tempore citra per Dominum Cancellarium Parisiensem in Judicio porrectum, potuit apparere.

Quòd si dicatur de ipso Instrumento vos non curasse, cùm producens illud partem se in hac materia minimè facere fuerit solemniter protestatus; attendatur super quo alio potuit fundari interesse Domini Burgundiæ, nisi super Sententia Domini Episcopi Parisiensis, quia scilicet in eadem ipse Dominus Burgundiæ nominabatur, & ad veritatem solùm recitativè; quæ Sententia per eundem Dominum Cancellarium tunc, protestationibus præmissis, producta est.

Item, ad clariùs ostendendum interesse dicti Domini Regis, constat, prout facilè probare, ex quadruplici radice.

Primò, quia dictus Dominus Aurelianensis erat Frater suus, qui, per quos, & quomodò fuit interfectus non latere debet unum ex vobis, quia genere propinquus alicujus interficientium.

Secundò, quia Dominus Rex pro tunc & anteà fuerit in possessione pacifica & libera Regni Franciæ, prout adhuc est de præsenti, in cujus Regni sui notabiliori & præeminentiori civitate perpetratum fuit dictum facinus, & postmodùm publicata ipsa sceleratissima Propositio Parvi, super dicti criminis justificatione, ipso Domino Rege in sua eadem civitate Parisiensi existente; spreta, ut videtur, & usurpata sua Regali authoritate, sicut ex hujusmodi novem Assertionum, & certiùs ex totius Propositionis easdem continentis inspectione potest faciliter deduci: quia dicitur expressè: *Absque quocunque Mandato vel Precepto, per insidias, adulationes, cautelas & explorationes, non obstante quocunque juramento* &c.

Tertiò, quia dictus Dominus Rex Sententias condemnationis dictæ Propositionis Parvi, & novem Assertionum in eadem contentarum approbavit; & per suas patentes Litteras, quorum similes sunt penès vos, publicari fecit & mandavit per totum Regnum suum, fecitque causam istam condemnationis, causam suam propriam, tanquàm justam & Catholicam.

Quartò, quia ipse tanquàm bonus Catholicus & Christianus, & præsertim in materia extirpationis errorum in Regno suo publicatorum & dogmatizatorum; imò etiam quælibet infirma persona potest intervenire & prætendere interesse in materia Fidei & errorum, in ipsius Fidei favorem, antè Sententiam ferendam in eadem: & inter ceteros mundi terrenos Principes, idem Rex non sine causa Christianissimus appellatur.

Item, satis constare potuit per instructiones Magistrorum Jordani Morini, & G. Pulcrinepotis &c.

Item, per Litteras clausas Regis Franciæ prædicti vobis transmissas &c.

Item, per Litteras clausas ejusdem Regis Ambassiatoribus missas, quæ sunt penès vos.

Item, per Procuratorium suum Regium.

Item, per Litteras Universitatis Parisiensis super hac materia novissimè vobis præsentatas.

Item, per Litteras repetitis vicibus directas Concilio Generali, & singulis Nationibus, à dicto Domino Rege & aliis.

Item, per libellum pro parte Domini Burgundiæ productum coram vobis, ex quo, si benè perpendatur, elici facile est, dictam materiam, seu causam, tangere ipsum Dominum Regem. Et ne ad absolutionem alicujus procedatur, videretur quòd Magistri essent consulendi super octo prætensis veritatibus in eodem libello contentis, cùm super earum dogmatizatione plurimi Litterati teneant scandalum in Fide nostra exoriri non modicum.

Et quia per dictum libellum satis constat, Magistrum Johannem Parvi fecisse Parisius in publico, unam Propositionem, quòd ex officio possetis, imò forsan deberetis compellere, & interrogare il-

illos qui eundem libellum produxerunt, super qua materia, & ad quam conclusionem dicta Propositio facta fuit.

Quarè placeat vestris Reverendissimis Paternitatibus deligenter advertere, an propter præmissa omnia & multa alia, quæ ex parte Regis coram Concilio hoc sacro-sancto proposita fuerunt, & coram vobis potuissent proponi; si post ipsius Domini Regis admissionem, antequam processissetis ad aliquem actum, prout fieri debuerat de Jure, ipse Dominus Rex fuisset auditus, sicut petitum fuerat, dictus Dominus Rex habeat clarius interesse quàm Dominus Burgundiæ, qui * creditur, sub prætextu dumtaxat quarumdam Litterarum, in quibus ipsius nominis recitatio solùm fit; cui tamen per Sententiam vestram adjudicatum est, habere interesse in hac causa. Et, amore veritatis & justitiæ, & ad scandalum permaximum in extirpatione errorum evitandum attendatur, ne ultrà modum in hoc sacro Generali Concilio, quod omnium Christi fidelium directio benè vivendi, & regula debet esse, vilipendatur dignitas & authoritas dicti Domini Regis, & Regni; ac etiam Cleri Franciæ, & præsertim Universitatis Parisiensis, & laudabilis consuetudo legitimè præscripta quoad Ordinarios, & maximè ubi Studia generalia Theologiæ Facultatis vigent, in damnandis erroribus à tam longævis temporibus, tàm in Conciliis Generalibus, quàm in Curia Romana, & alibi per totam Christianitatem, super extirpatione errorum ineffabiliter & rationabiliter commendatæ †.

* forsan & † forsan commendata

Cod. 2538. fol. 342. verso.

Copie des Lettres envoyées aux Nations, de par Madame de Bourgogne. 28. May L'an M. CCCC. *&* XVI.

Die XXVIII. Maii. 1416.

Reverendissimi Patres in Christo, Venerabiles, ac Doctissimi viri.

Cunctis Christicolis à justorum consilio, vestra videlicet Congregatione sanctissima, magna nuper claruerunt opera Domini, quibus palàm cognoscere datum est, detersa rubigine damnandæ Sententiæ, Principem Christianissimum, ac Illustrissimum Dominum, per æmulos ipsius, & veritatis Catholicæ, tanquàm ethnicum, quamvis veriùs velut hæreticum, falsissimè diffamatum, Christianissimum fore, Catholicum, & orthodoxæ Fidei zelatorem. Tanta luce, fateor, orta est lætitia rectis corde, ceteris autem scandalum; qui quantò se conspiciunt à suis nephandissimis machinationibus graviùs corruisse; tantò conantur enixiùs resumere, quod tàm damnabiliter inceperunt. Nihil quippe se profecisse credit sator zizaniæ, qui tot, & tantis temporibus delusit eos, & inimicos pacis, ac veritatis constituit, nisi pertinaces ipsos ad meritas finaliter possit perducere pœnas.

Quapropter, eo fit motore, quòd Sententiam vestram sanctissimam non solùm respuunt, verum etiam diffamant, scribentes absentibus ipsam à lumine deviare veritatis, & quod gravius. . . . . . minis nituntur, & terroribus eam revocare, & suam damnabilissimam prætensam Sententiam in læsionem Fidei Catholicæ relevare, falsò prætendentes, Dominum meum, Dominum Regem Francorum Christianissimum, & orthodoxæ Fidei defensorem, suis erroribus assentire: quid dico? Imò, ut asserunt præsidere & authoritatem præstare: cogentes, quantùm in eis est, nescio quibus Litteris falsis, seu falsè, vel subreptitiè sub nomine dicti Domini mei Regis impetratis per eos, vel per suos complices damnabiliter fabricatis, Regnicolas in vestro sanctissimo degentes Concilio, suis erroribus assentire: per quæ conantur vel ipsos secum trahere, vel infirmiores cohibere, ne veritatem publicè audeant profiteri. Et nec solùm minores suis rabidis minis terrere nisi sunt: quinimò fertur, permaximos viros, per eorum insolentias, & terrores, elucidationem veritatis omninò cessisse.

Eia, Reverendissimi in Christo, Venerabiles, ac Doctissimi viri; quo dolore quisque justus percelli debeat, cùm noverit tantam Synodum, tantorum Patrum Concilium, talibus suffodi vulpeculis, quæ latratu modico, ... veritatis possunt celeriter deturbari?

Non sic, quæso, non sic valeant impii; sed tanquàm pulvis quem projicit ventus à facie terræ, repellantur, & rejiciantur peccatores à facie Dei, & à præsentia vestri sanctissimi Concilii. Impleant vestræ prudentiæ facies eorum ignominiâ, ut quærant nomen Domini, & veritati subdantur, cognoscentes eorum *, & discordiæ se præstare Doctores.

Non attendant humiliter † vestræ circumspectiones venerandæ, Litteras præmissas, sicut præmittitur impetratas, scientes dictum Dominum meum Regem, Fidei, vel veritati præjudiciabiles nunquàm dedisse.

Cognoscite, quæso, & per scientes discite qui potuerunt eas fabricare, more quo reguntur nunc, proh dolor, negotia! Quo tempore potuerunt obtineri, quibusve fautoribus. Concludetis indubiè dictum Dominum meum Regem nil injustum velle: eis autem utentes, scietis omninò ipsas perperam, ad subversionem Justitiæ, damnabiliter procurasse.

Et si, quod absit, de mente cujuscumque Principis prodierint; quid ‡ minas & terrores invalidos pavescere debent, contra justitiam, qui pro ipsa, & præsertim Fide sustinenda mori non recusarent?

Ergo Reverendissimi Patres in Christo Venerabiles, ac Doctissimi viri, cunctà rejicite quæ justitiam protelare, vel impedire valerent. Hanc quærit dictus Dominus meus: hanc totis viribus expecto, suo nomine, qui nunc in sua degit Patria Flandriæ; quam semper petiit, petit, & requirit; non minis & terroribus, ut ejus ¶ amicti, qui per hoc solùm manifestè convincuntur injustitiam petere, quam per violentiam quærunt, quæ Justitiæ noscitur adversari.

Prodeat in publicum gubernatrix omnium Justitia, quæ per vos, præ cunctis mortalibus, tutanda est. Confirmentur infirmiores quique per vos: quia quamquàm nebulosum tempus ad modicum valeat; veritatis lumine, errorum tenebræ celeriùs cedent, ipso faciente qui via & veritas est, qui Congregationem vestram sanctissimam conservare dignetur, ad unionem & profectum Ecclesiæ suæ sanctæ. Scriptum die septima Mensis Maii. *Signatum manu Dominæ.*

Rouvre.

* *fortè* errorum
† *fortè deest* precor
‡ *forsan deest* per
¶ *forsan deest* nomine

EPIS-

Cod. 2538. fol. 346.

EPISTOLA

Sigismundi Imperatoris,

Ad Synodum.

Lecta in Sessione 3. Mensis Junii. Anno XVI.

SAcro sanctæ Synodo Generali Constantiensi in Spiritu sancto congregatæ, Universalem Ecclesiam ræpræsentanti; ejusdem Ecclesiæ filius devotus, & Advocatus, Sygismundus, Dei gratiâ Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex: reverentiam filialem, spiritumque consilii in eo qui omnem edocet veritatem, & pacem quæ exsuperat omnem sensum.

Sacro-sancta Synodus.

SUmmus equidem Orbis opifex, fabricator cœlorum, & universæ Conditor creaturæ, qui sapientiâ fundavit terram, & formavit cœlos prudentiâ, omnia solus ordinans, cœlestia & terrestria ineffabili providentia moderatur; dùm universitatis pulchritudinem perficiens & decorans cuncta in trescalati * partitus est Ordine † ac certis & impermixtis limitibus stabilivit, ut singula quæque locum teneant, sortita decenter.

Ad instar namque superiorum Ordinum, inferiorem in Ecclesia militanti disposuit Ierarchiam, distinguens varietate mirabili, & congrua ¶ universa; discretis inter cetera describens gradibus Dominationes, Principatus, & Potestates, ad regimen universi: appendit quidem tribus digitis molem terræ, cuncta disponens in numero, pondere, & mensura, & conservans in omnibus speciem, ordinem, atque modum. Librat etiam in pondere montes Deus, erigit humiles in sublimi vertice dignitatum, & colles in statera culminis inferioris appendit, ut ponat in pondere Judicium, & Justitiam in mensura, & ut Superiorum Præcepta, prohibitiones, atque consilia inferioribus annuant, & nubes rore congregatæ subjectos complicent & fæcundent imbre gratiæ, & humore pluviæ salutatis: & quia membra Chisti decenti ordine in corpore mystico sunt distincta, filii obedientiæ Patribus obsequuntur, ut & Patres sedula custodia invigilent pro subjectis; sicque vicaria sibi ope subserviant, suscepti ministerii officium salubriter adimplendo. Sicut enim organici corporis compositio mirabilis & decora, operante sapientia Plasmatoris, ex diversa, & congrua partium & membrorum conjunctione, consurgit singulis eorumdem propriis officiis deputatis, ut pacis unaquæque locum teneat, sortita decenter.

Sic, eodem opifice disponente Militantis Ecclesiæ sua fabrica velut unum corpus ex multiplici fidelium collectione, quasi partium aggregatione perficitur & solidè stabilitur, diversis diversorum ministeriorum officiis congruè assignatis, ut ex multiplici solicitudine obsequentium, hæc structura concorditer fulciatur, nec dissolvatur compago, sed salubriùs in se unita virtus gubernetur.

Summoperè igitur occurrendum est, ut non crescant jurgia, sed juxtâ Magistram bonorum omnium caritatem, quæ nihil sapit extraneum, nihil asperum, nil confusum; imò propria virtute nutrit concordiam, dissociata conjungit, inter domesticos Fidei, quos non oportet litigare, pax & unanimitas conservetur. Æquum quippe est, ut qui spiritu Dei aguntur, nulla sectione mentium, nulla voluntate contraria dividantur, ne indè discordia sumat initium, undè pacis fœdera debent continua suscipere incrementa.

Quæsumus igitur ut cessent inter vos simultates contentiosæ; imò etiam in negotiis Mendicantium supersedere libeat, ne divisaque * unitas, & illibata concordia salva reformatione conservetur: quoniam minima in talibus neglecta principia, periculosè crescere, & in grandia solent ampliari pericula.

Ille nempe mille modorum nocendi artifex, qui à principio in veritate non stetit, hujus unitatis celeberrimæ structuram mirabilem non sustinens patienter, ventum misit, ut communiter asseritur, à regione deserti, machinans evertere unitatis fundamentum; sed speramus quòd domus unitatis supra firmam petram mirabiliter constituta, pati non potest omninò ruinam, sed crescit in templum sanctum in Domino.

Ceterùm licèt sera videri potest, sed non improbanda discretio in quocumque negotio, rerum experientiâ saniùs suadente consilium imitari, & post causæ jacturam, ad suavitatis converti remedia, quæ priùs fuerant eligenda: circunspectio siquidem conditionis humanæ, cum in iis etiam quæ in prospectu concutientis obetudinis raro vitare possit errorem, faciliter à vero, dùm deviat in longam procedens aciem, incerta æstimat de futuris: ideòque cùm quis in id quod utiliter declinasset, opinione fallente, deducitur, pœniteret eum ad id quod damnosè postposuerat, quantumlibet non redire: ordinata siquidem rectè principia, sub timore Dei, & vehiculo directæ Justitiæ, solent prosperis clarere successibus, & exitus sortiri fœlices. Aditus quidem aperitur ad gratiam, cùm à via rectitudinis non erratur; & qui firmamento virtutis innititur, procedit utiliter, regnatque securus.

Hoc profectò Principibus Ecclesiasticis & Sæcularibus, & Præsidentibus potissimè convenit, ut sensus ab intimis ad gerenda negotia præbeant, conjecturent ex minimis quod fieri deceat in arduitate majorum; sicque suorum processuum maturis respectibus initia muniat, quòd reddatur illorum prosecutio laudabilis ad futura.

Sanè, audito quòd processus & Sententiæ per venerabilem Episcopum Parisiensem, associato sibi & assumpto Inquisitore hæreticæ pravitatis, ad quos ordinariâ & attributâ divisim authoritatibus spectat extirpare errores & vitia, & in agro Domini sibi commisso plantare virtutes; contra quandam positionem erroneam, imò & damnatam, quàm quondam Magister Joannes Parvi impudenter asserere & sustinere præsumpsit, formati & latæ; quos & quas præclarissima Universitas Studii Parisiensis, quæ non consuevit errores dogmatisare, per suas Litteras approbavit, per nonnullos in Constantia Commissarios, & Judices in hac parte se prætendentes, & non attendentes, quòd hoc solum plectendo, vel ignoscendo, benè agitur, & vita hominis corrigatur, irritati & irritatæ fuere.

Nonne plurimi, & maximè simplices & incauti ex hoc scandalisati, ad sua desideria festinantes, & acervantes sibi Magistros auribus prurientes, à veritate deviant, & maximè in Regno Francorum tantò liberiùs debacchantur, quantò sibi licitè permissum in Dominos animadvertere non formidant. Et sicut ille quondam Joannes Huss,

* Locus corruptus † *fortè* Ordines
¶ *fortè* congruè

* Locus corruptus.

Articulos damnatos contra Ecclesiasticos & spirituales viros dogmatisando, ut aures sæcularium mulceret, etiam sæculares ipsos consequenter, & latenter pestiferè includebat: sic & iste quondam Joannes Parvi contra sæculares potestates arguens, Ecclesiasticos simul contagiosè & damnabiliter involvebat, qui habentes caudas quasi vulpeculæ colligatas, ille alibi, & iste messes in Regno Francorum comburere incœperunt; quasdam seditiones, damna, dispendia, & mala non facilè numeranda, quæ exindè in Francia subsecuta fuisse oculata fide conspeximus, limpidè & luculenter manifestant & amarè deplangunt.

Quis ergo fidelis ab auditu tantæ perfidiæ non horrescat? Quis tot abominationes abominari non valebit? Quis malitiam compescere poterit, quin A armetur interior in Superiorem?

Nonne Scriptura à Potestatibus sæcularibus, Regibus utpote & Principibus, & non à quibusvis inferioribus materialem gladium, ad malefactorum vindictam, & laudem bonorum bajurali testatur.

O curas hominum! O quantum est in rebus inane! O inanis gloriâ! O terreni honoris inexplebilis fames! O ambitio cæca! O humanorum cordium, animarum subversio! Complacentia humana, ut divina offendatur Majestas!

Undè putatis obrepsit hæc pestis; undè invaluit hæc execranda præsumptio? Dùm exindè crimina remanent incorrecta, delinquentium ausus excrescit, peccandi consuetudo quasi pro Lege B tenetur; dùm talis error contagiosus & periculosus Principibus, maximè præfato carissimo Fratri nostro Carolo Regi Francorum, & ejus Regno perniciosus, ut liquet ex fremitu Nationum; & rerum Magistra experientia docet, temerè deffenditur.

Nonne verbum Juris est, quia *Error cui non resistitur, approbatur*, & veritas cùm minimè deffensatur, opprimitur: negligere quippè, cùm possis perturbare perversos; nihil aliud est quàm fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Quid verò putatis in iis agi? Quid per talia machinamenta quæri? Ad quid per tales insidias anhelari, nisi ut deterior cujuslibet Regis & Principis in hac parte censeatur conditio, & status vitæ, & in esse conservatio insecurior, & minùs C tuta reddatur, quàm cujuspiam rustici, vel villani.

Attendant universi, si perspicaciter advertant, quàm periculosè per exemplares alveos, etiam ad Regiones alias error iste derivetur, nisi occurratur in tempore, vicinis instat incendium, igne proximos parietes consumente. O quàm cauta, quàm consulta vis est, in aliena potiùs domo vires reprimere exardescentis incendii, quàm extinguendum illud in propria expectare.

Attendant itaque cuncti, attendant, & intenta discussione revolvant, quomodò erroribus vires ex more diuturnitate sumentibus, serò medecinæ remedia præparantur. Quomodò jam professionis Christianæ Catholici Principes, qui prælucent nitore sidereo in orthodoxæ Fidei firmamento, D suntque nihilominùs in fulcimentum ipsius, velut columnarum stabilium fortitudo in virtute Dei.

Igitur ad decorem Fidei, institutæ censentur à Domino personæ potentiâ præditæ, ab Illustri prosapia, præpollentes in Regnis, seu locis suæ ditionis, vel vice etiam modico tuti erunt, cùm ponitur in eorum gloria macula, & eadem Fides. . . . patitur; dùm infidelium, maximè subditorum ausus ad nocendum aperitur.

Nonne fidelis antiquitas, velut præeminentibus titulis ex eo specialiter intitulat, quòd Principes ipsi, & Reges Catholici, Ecclesias & personas Ecclesiasticas, bona, & libertates earum, suæ clypeo potentiæ protexerunt, & immensitatem solam in suis munificentiis ergà illas pro mensura ponentes, multis eas libertatibus & liberalitatibus dotavêre & ampliarunt.

Quocirca sacram vestram consecrationem obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, quatenùs pro tollendis scandalo & periculis quæ imminent pronunciationem contra prædictum Episcopum Parisiensem, & ejus Sententias & processus, ut præfertur, factam cassare, & adnullare, remque hujusmodi, proindè ac si dicta pronunciatio in contrarium facta non fuisset, in integrum restaurando, reponere dignemini.

Novit enim vestra Sanctitas perspicatiùs, quòd inscrutabilis superni consilii magnitudo, cujus nemo Consiliarius extitit, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, ad sponsæ suæ, Universalis Ecclesiæ munimentum utriusque gladii potestatem, Pontificalem & Regiam instituit dignitatem; volens ut ipsorum officiosa diversitas nulla sibi adversitate dissentiat; sed alterius adjuta suffragiis, & utriusque mutuis fota favoribus, in deffensione justitiæ, debita executione ipsius concordi voto concordantes, opus justitiæ operentur, fructumque producant pacem mundo pariendo, fovendo concordiam, & unitatem nutriendo, unam potestatem, scilicet quæ foveret filios; aliam, quæ adversarios expugnaret: unam, quæ subditorum vitam verbo instrueret, & exemplo; aliam, quæ impiorum maxillas in freno cohiberet, & chamo, ne pacem Ecclesiæ, & Christianitatis perturbarent: unam, quæ inimicos diligeret, & pro persecutoribus etiam exoraret; aliam, quæ ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum materialem gladium exerceret, & armis quietem Ecclesiasticam tueretur.

Expedit igitur, ut spiritualis autoritas, & sæcularis potestas suæ causam institutionis attendentes, concurrant ad Ecclesiæ, & Fidei defensionem in unum, & utraque alteri suffragetur; ut quos à malo Ecclesiastica censura, vel disciplina non revocat; brachium seculare compescat: & eos qui de feritate propria confidentes, gladium materialem non timent, spiritualis ultio subsequatur.

Datum Parisius, xx. die Martii, Regnorum nostrorum Hungariæ &c. Anno vicesimo nono, Romanorum electionis sexto, Coronationis verò secundo.

Ad Mandatum Domini Regis.

JOANNES. *Præpositus de Strigonio. Vice-Cancellarius.*

PRæsentata & lecta in congregatione generali sacri Generalis Concilii Constantiensis, in Ecclesia majori Constantiensi, die Mercurii, tertia Mensis Junii, hora octava post mediam noctem. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto.

Originalis Littera, de qua præsens copia fuit extracta, & collatione facta cum dicto originali, dictam præsentem copiam manu mea propria signavi. Ego J. GUIARDI, *Sacri Constantiensis Concilii prædicti pro Natione Gallicana Notarius.*

Sequun-

Cod. 1538. fol. 341. verso.

Sequuntur quædam Requestæ factæ & exhibitæ Duci Bavariæ, Comiti Palatino, & Consiliariis Regis Romanorum, in domo habitationis Comitis ante dicti, die x. *Mensis Junii. Anno* XVI.

A

PRimò, ne fiat ulterior turbatio in hoc sacro Concilio, occasione novem Assertionum, fiat relatio processus: quâ factâ, fiat justitia. Nam ex denegata audientia dictis Ambassiatoribus, & ex impetratione Litterarum comminatoriarum, ac ex retardatione facta plùs debito super expeditione causæ earundem novem Assertionum, leviter possent Acta hujus sacri Concilii sinistrè interpretari.

Item, placeat Illustrissimo Domino Comiti Palatino &c. ac Consiliariis Serenissimi Regis Romanorum, Hungariæ, Dalmatiæ &c. scribere efficaciter, ut ipse Dominus Rex non recipiat sinistras informationes sic & taliter quòd inde justitia per suas Litteras super talibus informationibus possit quoquomodò impediri.

Item, quòd cùm dicti Domini Dux, Comes Palatinus, & Consiliarii sciant verè quòd Litteræ sub nomine dicti Serenissimi Imperatoris lectæ, B tàm in sacro Concilio Dominorum Cardinalium, quàm in Sessione Generali quatuor Nationum, nunquàm à sua vera intentione processerunt; velint de hoc Nationes & Judices in causis Fidei informare, saltem eisdem taliter persuadere, quòd non omittatur propter * quin fiat petentibus justitiæ complementum; & quòd finis breviter huic causæ imponatur, vel saltem apud Præsidentes Nationum, ut istam causam faciant celeriter expediri, ad scandala possibilia evitanda; ex quibus ea quæ restant agenda in dicto sacro Concilio possent verisimiliter perturbari.

Item, ut præmissa debitè fiant; cùm Judices non audeant ulteriùs procedere in causa principali, nec aliqui sunt ausi assumere Judicium in illa: & quòd audientia est dictis Ambassiatoribus simpliciter denegata, provideatur, prout Juris ordo postulat & rationis.

* *forsan deest* hoc

Cod. 1538. fol. 353. verso.

SCEDULÆ CONCORDIÆ

In causis appellationis ab Episcopo Parisiensi & novem Assertionum.

De Anno XVI. XII. Jun.

PRo concordia videtur agendum cum tribus Dominis qui tulerunt Sententiam, quòd dent patentes Litteras, prout in Litteris quas scripserunt Regi.

Item, super novem Propositionibus; quia dictarum Propositionum impugnatio, assertio, seu deffensio videntur generare multa scandala, & in D sacro Concilio & alibi præstare impedimenta ipsi sacro Concilio, circa unionem & reformationem Ecclesiæ universalis: ex præmissis & aliis causis hoc sacrum Concilium moventibus, dictarum Propositionum impugnationem, assertionem, seu deffensionem, nec non declarationem, seu Judicium ipsarum, cum appellationibus interjectis à tribus Judicibus, tàm in causa Sententiæ Episcopi Parisiensis, quàm à generalibus Judicibus in causis Fidei à sacro Concilio deputatis, ipsum sacrum Concilium suspendit, & prorogat, usque ad creationem Summi futuri Pontificis, vel Generale Concilium post istud immediatè celebrandum.

Item provideant Judices Fidei, ut honestè poterunt, super publicatione opinionum per eos facta, ne præjudicium fiat veritati, seu falsitati dictarum Propositionum, ex dicta publicatione.

ALIA CEDULA

Pro pacificanda causa Assertionum &c. videtur breviter sic agendum.

Parisius. Placentinus Cardinalis. XII. Junii. Anno XVI.

PRimò, quòd Domini Cardinales per Litteras authenticas suis sigillis pendentibus munitas declararent se adnullasse Sententiam Episcopi Parisiensis; non habendo respectum aliquem ad veritatem, seu falsitatem Assertionum illarum, sed tantùm ex defectu Jurisdictionis, & ordinis non servati in processu ejusdem Episcopi.

Quo facto, per Concilium suspendatur tàm causa appellationis à dicta Sententia Cardinalium, quàm causa Assertionum agitata coram Judicibus Fidei, cum omnibus dependentibus & connexis, usque ad creationem Summi Pontificis, declarando, quòd ex consiliis redditis per Magistros in Theologia, tanquàm Consiliarios dictorum Judicum, & publicationem ipsorum, nullum jus acquiritur partibus, nec aliquod fiat præjudicium veritati, seu partibus.

Et cùm nec Judices obligentur sequi consilia ipsa, cùm fuerint merè voluntaria, & non ex authoritate; & nihilominùs inhibendo parti, vel partibus, & omnibus fidelibus, ne dictas Assertiones, seu Propositiones in prædicationibus, vel in scolis, vel aliter quomodolibet dogmatisent, seu asserant, nec pro, nec contra, donec causa fuerit terminata plenariè, sub pœna excommunicationis, vel alia, aut sine pœna, ut meliùs videbitur.

C

In causis appellationis ab Episcopo Parisiensi, & novem Assertionum. fol. 354.

Cardinalis S. Marci. XII. Junii. Anno XVI.

PRo concordia videtur quòd tres Domini Cardinales, qui tulerunt Sententiam nullitatis, dent patentes suas Litteras, continentes causas suæ Sententiæ, & quòd illius suæ Sententiæ effectus suspensus est per appellationem pendentem adhuc, in qua causa partes possunt uti suis deffensionibus &c. prout in Litteris, quas præfati tres Cardinales scripserunt Regi Franciæ.

Item, super novem Assertionibus, attentis discordiis quæ ex illis jam oriuntur, & oriri possunt in isto Concilio & alibi, ambæ causæ appellationum, tàm à tribus Dominis Cardinalibus, quàm à generalibus Judicibus in causis Fidei, contineantur in statu, usque ad futurum Summum Pontificem.

Et quia dictarum novem Propositionum assertio, dogmatisatio, prædicatio & publicatio, possent multa scandala & pericula generare, sacrum Concilium decernat, & declaret dictas Propositiones, & earum assertionem, & dogmatisationem fuisse

fuisse & esse scandalosas, periculosas, & seditiosas; ipsarumque novem Propositionum assertionem, dogmatisationem, prædicationem, & publicationem reprobet, & sub pœnis prohibeat.

In reliquis autem, quantùm ad Fidem & mores pertinet, dictarum novem Propositionum Judicium, Summo Pontifici, vel Generali Concilio, post Summi Pontificis assumptionem reservetur.

Item, decernatur & declaretur, quòd Sententia Episcopi Parisiensis, & Inquisitioris hæreticæ A pravitatis, lata super illis novem Propositionibus, attento quòd lata fuit, Illustri Principe Domino Johanne Duce Burgundiæ absente, & non vocato, eundem Illustrem Principem nullatenùs comprehendit; aut afficit, quin imò perindè habendus est, & habendum decernat, ac si dicta Sententia minimè lata fuisset.

Item, declaret & decernat Concilium, vel Judices, quòd quædam opiniones aliquorum Magistrorum, & aliorum, super dictis novem Propositionibus scriptæ, & de facto publicatæ, & earum publicatio nullius sunt auctoritatis, neque fidem faciunt, nec etiam authoritate Dominorum Judicum fuerunt sic publicatæ, neque in vim illarum opinionum est quicquam de illarum Propositionum veritate, vel falsitate, aut aliis earum qualitatibus credendum, tenendum, dogmatisandum, vel aliàs affirmandum.

Item, quòd partibus, in prosequendo & finiendo B causas appellationum prædicatarum, nulla usque ac xl. Annos currat præscriptio.

In Causis Appellationis ab Episcopo Parisiensi, & novem Assertionum.

Cedula propria, in Junio, XII. die, vel circa. Anno XVI. non concordata. *C'est de l'Evesque d'Arras.*

PRo concordia videtur attendendum cum tribus Dominis Cardinalibus, qui tulerunt Sententiam, quòd dent patentes Litteras prout in Litteris clausis, quas scripserunt Regi Romanorum.

Item, ex certis causis hoc sacrum Concilium moventibus, dictarum novem Propositionum impugnationem, assertionem, seu deffensionem, necnon declarationem, seu Judicium ipsarum, cum appellationibus interjectis tàm à tribus Dominis Judicibus in causa Sententiæ Episcopi Parisiensis, C quàm à generalibus Judicibus in causis Fidei à sacro Concilio deputatis, ipsum sacrum Concilium suspendit, & prorogat usque ad creationem futuri Summi Pontificis, vel Generale Concilium post illud immediatè celebrandum.

Item, declaret quòd per publicationem votorum Magistrorum super eisdem Propositionibus datorum, non intelligantur dictæ novem Propositiones diffinitivæ per hoc Sacrum Concilium approbatæ, vel reprobatæ.

Item, ordinet quòd processi habiti & facti, tàm super eisdem novem Propositionibus, quàm etiam per Dominos Cardinales Deputatos, super Sententia D Domini Episcopi Parisiensis auctenticentur & deponantur in loco, vel locis tutis nulli partium suspectis; ita quòd tempore resumptionis causæ, reperiatur in eisdem statu & forma, quibus est de præsenti, propter mutationem Curiæ Notariorum, absentationem, & varia pericula, quæ possent emergere.

C E D U L A
Episcopi Attrebatensis,
XIV. Maii, vel circa. Anno XVI.

SAcrosancta Synodus attendens quòd principaliter & antè omnia, ad perficiendum unionem Sanctæ Matris Ecclesiæ; cum omni cura & diligentia vacari debet, & omnes quæstiones quæ præsens Concilium quomodolibet scandalisare possint, differendæ sunt: & considerans quòd quæstiones, quæ de præsenti vigent, super novem Assertionibus, per Magistrum Johannem de Gersonno denunciatis, & super Sententia Episcopi Parisiensis super ipsis lata, possunt & jam cœperunt multas divisiones & scandala in ipso sacro Concilio generare.

Ideò statuit & decrevit, ut quæstiones ipsæ, & omnes aliæ, quæ circà dictam materiam moveri possent, cum omnibus dependentibus & connexis, usque ad immediatè sequens Concilium Generale, ut ubi fuit inchoata, ibi terminetur, suspendantur in eodem statu in quo sunt, easque suspendit, ac imponit partibus hinc indè silentium super ipsis, usque ad tempus illud.

Insuper quascunque alias causam & causas, per quas dissensiones, seu scandala in hoc Sacro Concilio generari, vel oriri possent, etiam suspendit, & partibus quibuscumque cujuscunque status, ordinis, vel conditionis existant, silentium imponit usque ad creationem futuri Summi Pontificis.

Per has autem suspensionem & silentii impositionem, non intendit dicta sacra Synodus Juri cujuscumque in aliquo derogare.

C E D U L A

Advisata & conclusa in Concilio Domini Ducis, die Sabbati XIII. *Mensis Junii. Anno M.* CCCC. XVI. *ubi fuerunt præsentes Reverendus Pater Dominus Episcopus Attrebatensis; Magistri Petrus Cauchon Ambassiatores; Ardicinus de Novaria; & Augustinus de Pisis, Advocati & Consiliarii; Johannes de Roca; Johannes Almaris; Johannes de Saltnis & Guillelmus Britonis, Consiliarii* &c. Cod. 2338. fol. 355.

IN causis appellationis ab Episcopo Parisiensi, & novem Assertionum.

Pro concordia videtur agendum cum tribus Dominis Cardinalibus, qui tulerunt Sententiam, quòd dent patentes Litteras, prout in Litteris clausis; quas scripserunt Regi Romanorum.

Item, ex certis causis hoc sacrum Concilium moventibus, causam & causas dictarum novem Propositionum, declarationem, seu Judicium ipsarum, cum appellationibus interjectis, tam à tribus Dominis Cardinalibus, in causa prætensæ Sententiæ Domini Episcopi Parisiensis, quàm à generalibus Judicibus in causis Fidei, à sacro Concilio Deputatis, ipsum sacrum Concilium suspendit & prorogat,

gat, usque ad creationem futuri Summi Pontificis, vel Generale Concilium post istud immediatè celebrandum, in statu in quo nunc pendent.

Item, ordinat, quòd vota Magistrorum, & processus habiti & facti tàm super eisdem novem Propositionibus, quàm etiam per Dominos Cardinales Deputatos, su per dicta prætensa Sententia Episcopi Parisiensis auctenticentur, & deponantur in loco, vel locis tutis, nulli rationabiliter suspectis; ita quòd tempore resumptionis causæ fidem facere valeant, & causæ resumi in eisdem statu & forma, A quibus sunt de præsenti.

CEDULA

Episcopi Attrebatensis

XXVII. Junii. Anno. XVI.

Advisata die Sabbati XXVII. Mensis Junii Anno ut supra.

EX certis causis hoc sacrum Concilium moventibus, causam & causas novem Assertionum &c. Declarationem, seu Judicium ipsarum, cum appellationibus interjectis tàm à tribus Dominis Cardinalibus, in causa prætensæ Sententiæ Episcopi Parisiensis, quàm à generalibus Judicibus in causis Fidei, à sacro Concilio deputatis, impugnationemque, seu contradictionem, dogmatisationem, aut prædicationem earumdem, ipsum B sacrum Concilium suspendit & prorogat, usque ad creationem futuri Summi Pontificis, vel Generale Concilium post istud immediatè celebrandum, in statu in quo nunc pendent.

SENTENTIA

In Synodo Constantiensi lata.

SANCTA CONSTANTIENSIS SYNODUS.

Ad futuram rei memoriam.

XII Junii 1416.

AD pacem Universalis Ecclesiæ, submovendaque scismata, hæc sancta Generalis Synodus congregata, eadem in singulis Ecclesiæ*, præsertim insignibus, operari desiderat, ne partium C diffidia, totius mystici corporis Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem, cùm ex partibus universum conficitur impediant, aut perturbent.

Cùm itaque in eadem sancta Synodo, & coram certis generalibus Judicibus in causis Fidei, ab eadem Synodo deputatis, super novem Propositionibus, quæ dicuntur in Regno Franciæ publicè assertæ & publicatæ, & quarum tenor inferiùs est insertus; ac super illarum veritate, vel falsitate, & aliis qualitatibus, tàm in modum appellationis, quàm aliàs, orta sit materia quæstionis, ex qua scandala, discordiæ, & inimicitiæ, pericula, & turbationes possent, & jam propè videntur oriri: eadem sancta Synodus, præmissis cupiens obviare, omnes & singulas, tàm principalem, quàm appellationem, tàm à Reverendo D Patre Jordano Episcopo Albanensi, ac dilectissimis Ecclesiæ filiis Anthonio, tituli sanctæ Susannæ Presbytero; & Francisco, Sanctorum Cosmæ, & Damiani Diacono, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, olim à Sede Apostolica, in materia hujusmodi, & illius occasione, Judicibus deputatis; quàm etiam à prædictis Judicibus in causis & negotiis Fidei ab eadem sanctas Synodo generaliter deputatis, omnemque processum & Judicium pendentem, & pendens super præmissis, & illorum occasione, apud eamdem sanctam Synodum, vel quoscumque Judices ab ea deputatos; nec non processus & Sententias diffinitivas, & interlocutorias, ac omnem illorum, & illarum effectum, ex certis & justis causis, usque ad electionem Summi Pontificis, & illius inthronisationem differt, & suspendit; atque ad Summi Pontificis Judicium, & determinationem, in Generali Concilio, vel extrà, remittit: decernens, ac statuens, quòd super dictarum appellationum prosecutione, & finitione, usque ad quadraginta Annos tempus fatale, neque ulla currat præscriptio: & ne ex illarum novem Propositionum assertione, dogmatisatione, prædicatione, vel publicatione, scandala, pericula, seu discordiæ oriantur, eadem sancta Synodus omnem assertionem, dogmatisationem, & publicationem illarum, donec super illas per Summum Pontificem fuerit judicatum, aut aliàs ordinatum, reprobat, & prohibet.

Verùm quia per dictos generales Judices in causis & negotiis Fidei, per eamdem Synodum generaliter deputatos, super dictis novem Propositionibus, & earum veritate, vel falsitate, ac aliis qualitatibus, nonnullorum Doctorum & Magistrorum opiniones variæ sunt habitæ, & in scriptis redactæ, atque partibus negotium hujusmodi prosequentibus publicatæ; ne illarum opinionum occasione errores in mentibus hominum imprimantur; & ne indè oriantur scandala, & discordiæ suscitentur; eadem sancta Synodus decernit, & declarat dictas opiniones, & earum publicationem, nullius authoritatis, aut fidei existere, quantùm ad veritatem, vel falsitatem, aut alias qualitates dictarum Propositionum; neque dictarum opinionum, seu illarum publicationis vigore, vel autoritate, quid à quoquam, super illarum Propositionum veritate, vel falsitate, aut aliis qualitatibus, esse credendum, tenendum, dogmatisandum, vel aliàs publicandum.

Verùm quia in processu Parisiensis Episcopi, atque Inquisitoris hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, à quorum Sententia ad Sedem Apostolicam extitit appellatum, de Illustri Principe Johanne Duce Burgundiæ aliqua mentio habita est; eadem sancta Synodus declarat, & decernit, quòd præfatorum Episcopi, & Inquisitoris Sententia, ex illo processu, & super dictis novem Propositionibus lata, dictum Illustrem Principem, qui ad causam & processum hujusmodi vocatus non existit, minimè comprehendit, aut afficit; sed quantùm ad eundem Ducem attinet, proindè habeatur ac si lecta non fuisset. Tenor verò dictarum Assertionum talis est &c.

CEDULA CONCORDIÆ

In causa IX. Assertionum. fol. 357.

Per Patriarcham Antiochenum recepta, XIII. Mensis Julii.

QUia visis propositis, petitis, responsis, productis, & aliis coram Judicibus à nobis deputatis in causa Fidei novem Assertionum infra scriptarum, tàm ex officio Inquisitionis, denunciante dilecto præfatæ Ecclesiæ filio Johanne de Gersonno sacræ Theologiæ Professore, Ecclesiæ Parisiensis Cancellario; quàm ad instantiam Christianissimi Ecclesiæ filii, Caroli Regis Francorum, seu Ambassiatorum & Procuratorum suorum, ejus nomine, & Mandato, officium dictæ Inquisitionis in favorem Fidei promoventium, ex una: ac dilecti

* forsan Ecclesiis.

lecti Ecclesiæ filii Johannis Ducis Burgundiæ Illustris, seu Ambassiatorum & Procuratorum suorum, ejus nomine, ac Mandato, partibus, ex altera: habitaque plena, & matura deliberatione, super eisdem, cum Doctoribus, & Magistris utriusque Juris, divini & humani, in multitudine copiosa. Non constat nobis præfatum Johannem Ducem Burgundiæ dictarum Assertionum fuisse, nec esse assertorem; factorem, nec aliter defensorem; constatque nobis, Fide dignorum testimonio, ipsum sub fide & obedientia Ecclesiæ Sacro-sanctæ vixisse, & vivere velle, sicut bonus* & Illustres sui Progenitores, in omnibus quæ ad salutem animarum pertinent, vivere consueverunt.

Ea propter, per hanc nostram Sententiam diffinitivam, quam ferimus in hiis scriptis, pronunciamus, decernimus, & declaramus præfatum Johannem Ducem Burgundiæ Illustrem, ab omni impetitione denunciatoris præfati, & cujuscumque Promotoris causarum Fidei, & aliarum partium prædictarum, quoad causam dictarum Assertionum, absolvendum fore, & absolvimus; perpetuumque silentium dictis denunciatori, & Promotori, & per illorum ministerium, quibuscumque Inquisitoribus, seu Judicibus Fidei imponendum fore, & imponimus; tenorem dictarum Assertionum præsentibus, sub forma quæ sequitur inserendo, & inserantur.

Composita fuit hæc Cedula sequens, die XXII. Mensis Julii, in horto exteriori domus nostræ &c.

C'est de L'Evesque d'Arras.

fol. 357. Sancta Synodus &c. cùm super novem Assertionibus per Judices in causis Fidei ab eadem sancta Synodo deputatos habita fuerit matura deliberatio cum Doctoribus & Magistris utriusque Juris, divini & humani, in multitudine copiosa, veritatemque earum diù examinari mandaverit, & tamdem, eisdem discussis, plenè & diligenter, compertum est dictas Assertiones non esse hæreticas. Verum quia ex ipsarum reprobatione, aut approbatione, contradictione, seu dogmatisatione, impugnatione, vel defensione, possent occasionaliter scandala contingere in futurum. Eadem sancta Synodus quibuslibet scandalis viam præcludere satagens, & intendens, dictarum Assertionum approbationem, seu reprobationem, contradictionem, aut dogmatisationem, impugnationem, aut defensionem districtiùs inhibet & defendit. Eos autem qui secùs fecerint animadversione canonica decernit puniendos.

* fortè deest Catholicus,

Cod. 2538. fol. 349. verso.

EPISTOLA

Ducis Burgundiæ,

Ad Deputatos Concilii Constantiensis; circà negotium Joannis Parvi.

Anno XVI. recepta. XIV. Junii.

Reverendissimi Patres & amici præcarissimi.

IN conspectu Judicii, dudùm per modum denunciationis introducta est materia quarumdam Propositionum, quas quidem Magister Johannes Gerson Assertionis vocabulo nuncupat, earumdemque editor & suscitator, simulque prædictæ denuntiationis calumniosus auctor fuit.

Notum est, & qui vos attentè perpenditis * quòd ad præmissam denunciationem eundem movebat non quidem amor Evangelii, neque scrupulus pii animi; sed penè frenetica objurgatio cujusdam insaniæ, quæ sic in affectum cordis transierat, ut prædicationem in seditionem sacrilegam commutans, nedùm nos in fama & honore nostris, sed Domum Franciæ, quæ nos genuit, totiusque Regni pacem furibundus ille turbaverit; finxit scandala, ut scandala nova crearet: dilecto quondam, atque fideli Consiliario nostro, Magistro Johanni Parvi, inexcogitatum scelus ascripsit, & conscius falsitatis abscriptionis suæ, nuper in Concilio sacro, tacito homine †, ficti inventique erroris condemnationem procuravit, ut nostri famam, dictique nostri Consiliarii memoriam perfidiùs atque liberiùs laceretur minimè processus nequam ‡, cujus aditum in odium & dedecus nostri, & contemptum ipsius justitiæ, & Apostolicæ Sedis: dictus Gersson præcipitanter induxit coram tunc plùs hoste, quàm Judice; imò veriùs non Judice, Parisiensi Episcopo, & Inquisitore hunc processum, legitima & prorsùs insuspecta judicatio dictæ Sedis Apostolicæ in instantia primaria sententialiter concassavit iste Gersson & subsequaces aliqui, veriùs loquendo dux, qui Cardinalis Cameracensis nedum ergo ** nos, quin imò adversùs illustres, bonæque memoriæ Genitorum nostrum rancorem propterea conceperit, quoniam extirpandum scisma Ecclesiæ, per viam cessionis inter ceteros mundi Principes cum Domino nostro Rege, contra renitentiam fautoriamque dictorum Cardinalis & Gerssonis idem Genitor noster, vita comite, effectualiter commendavit, & suo posse quæsivit. Qua in re dictus quondam Magister Johannes Parvi processit honorificè, non tamen multùm placidè Cardinali prædicto, quod multi sciunt. Hujus radicis antiqua æmulatio, perversa nunc sub umbra Fidei deffendendæ, per inveteratam cordis inimicitiam excogitatur.

Et cogitare poteritis, carissimi Judices, viros istos sic contra decus, famamque nostram, & prædicti Parvi memoriam præ cunctis viventium studiosiùs, diligentiùsque debacchari, non ex grandiori veritatis agnitione, vel amore, nec ex potiori eorum conscientiæ, vel caritatis amplitudine, quâ fortè plus ceteris polleant, quàm probata, litteratissimaque studiositas plurium virorum olim Parisius, & nuncmet Constantiæ, sicut in nostra simplici illiteratura credimus & audivimus referri ambitioni sensuum dictorum Cameracensis, & Gersson, forsitan præponderant existimabitur ¶.

Quantùm verò de scrupulo atque distinctu conscientæ suæ, Sententiæ enim ab olim eorum angustia tanta, quàm ad fautoriam nedùm illius, qui adversùs unionem Ecclesiæ hactenùs in pertinacia mansit, ac particulares factas discordias per malignitatem se extenderunt, ut experientia notoriè gerit, sed jam minima illa malignatio crevit, nostrique famam ita pertingit, ut loqui prædicta nos urgeat, deprecantes quatenùs juxtà peritissimam, solidamque Doctorum deliberationem, quam ità prudenter atque solemniter in Judicio vestro per cartulas, sive cedulas cognovistis, judicialem relationem vestram, ac justitiæ & æquitatis complementum expeditiùs faciatis, nec hujus ministerii justitiæ gloriam sancta Synodus ulteriùs differat, vel alteriùs Judicio in futurum reservet; sed juxta perquisitam deliberationem Docto-

* Locus corruptus † *fortè* nomine
‡ Locus corruptus ** *fortè* erga ¶ Locus corruptus

ctorum eandem gloriam suscipiat ministerii justitiæ, ad Dei honorem, Fidei laudem, Regni pacem, vestri commendationem, nostrique famam, qui nonnisi veritatis orthodoxæ dilucidationem quærere & venerari satagimus, cui semper, ac vestris, & Synodi sanctæ determinationi fideliter submitti & adhærere, more Domûs insignis Francorum, æternaliter proponimus. Dictum verò Cardinalem Cameracensem, propter prædicta nobis suspectissimum, in vestro judiciali consortio nequam admittatur*, nos & nostra vestris beneplacitis & voluntatibus offerentes, Altissimus conservare dignetur R. P. V. omni incremento honoris & gratiæ. Scriptum in villa nostra Brugis, die XXVIII. Mensis Aprilis.

JEHAN.

Subscriptio.

DUX BURGUNDIÆ.

Comes Flandriæ, Arthesii, & Burgundiæ Palatinus &c.

Superscriptio.

Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Jordano de Ursinis, Anthonio Aquilegiensi, & Francisco Florentino, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ceterisque Dominis Prælatis, & Doctoribus in materia Fidei, per Sacro-sanctam Constantiensem Synodum Commissariis, atque Judicibus deputatis, amicis nostris præcarissimis.

* *forsan* nequaquam admittatis

Item. *Eisdem Dominis Judicibus, die prædicta XIV. Junii, recepta Anno XVI.*

Reverendissimi Patres & amici præcarissimi.

AD aures & audientiam nostram pervenit, quòd Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis, sua spontanea, & adinventa meditatione proferre non abhorruit, ac de die in diem explicare non veretur in nostrum Judicem obtinere voluisse, asserens super hoc à nobis Litteras recommendatorias recepisse, subjungens suo more consueto, quòd nulliter in causis, quæ in Romana Curia ventilantur, ipsum reputavimus, nec reputamus, ut asserit suspectum.

Quocircà, Reverendissimi Patres & amici præcarissimi, ne veritas occultetur, agnoscunt sæpe tactæ Paternitates vestræ Reverendissimæ, quòd summoperè desideraremus & vellemus, ut Altissimo Creatori nostro, ipsique Domino Cardinali Cameracensi placeret, quòd nullatenùs de negotiis nostris se intromittet, interdi. . . .* sibi nihilominus præsentium ferre † Litterarum omnimodam potestatem quam à nobis in hac parte sibi vendicare præsumpsit. Reverendissimi Patres, & amici præcarissimi &c.

* *forsan* interdicentes † *forsan* ferie

DECLARATIO

Cod. 2538. fol. 355. verso.

Trium Cardinalium Judicum, super Sententia ab ipsis lata.

Tradita per Dominum Cardinalem de Chalanco, circà horam Vesperorum. 26. Junii.

UNiversis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis.

Jordanus Episcopus Albanensis; Anthonius tituli sanctæ Susannæ Præsbyteri; Franciscus sanctorum Cosmæ & Damiani Diaconus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; dudùm autoritate Apostolica Judices deputati in quibusdam appellationum causis, pro parte Illustris Principis Domini Joannis Ducis Burgundiæ interjectis, à quadam Sententia, per Reverendum in Christo Patrem, Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, super novem Assertionibus & quadam Propositione, quas publicè asseruisse & proposuisse dicebatur quidam Magister Joannes Parvi; quarum Assertionum tenor inferiùs est insertus, per dictorum Episcopi & Inquisitoris præfatam Sententiam reprobat...* Salutem in Domino.

Intelleximus à nonnullis, quòd cùm nos in causis appellationum hujusmodi procedentes, pronunciaverimus Episcopi Parisiensis & Inquisitoris prædictorum processus & Sententiam nullos ac nullam fuisse; nonnulli nostram Sententiam prædictam non rectè intelligentes, existimant, asserunt & publicant, nos dictas novem Assertiones, & Propositionem approbasse, atque veras esse judicasse; propter quod in nonnullis partibus scandala atque pericula dicuntur posse oriri.

Nos igitur, ad omnium conscientias servandas, obviandumque scandalis hujusmodi, omnibus attestamur, & volumus esse notum, nos de veritate, vel falsitate, approbatione, vel reprobatione Assertionum & Propositionis hujusmodi nihil omninò judicasse; nihilque de veritate, vel falsitate, approbatione, vel reprobatione illarum ad nostram prædictam Sententiam pertinere: quinimò super veritate, vel falsitate, approbatione, vel reprobatione illarum, integrum & illæsum manere judicium pendens adhuc in sacro Concilio Constantiensi, vel coram Judicibus super hoc deputatis ab illo.

Sed ex eo prædictos processus, & Sententiam Episcopi & Inquisitoris præfatorum nullos, ac nullam fuisse pronunciavimus, quòd nobis visum fuit ad Episcopum Parisiensem non pertinere, de Fidei quæstionibus judicare, nec illas determinare, sed illarum Judicium & determinationem soli Sedi Apostolicæ, vel Generali Concilio pertinere: & etiam quatenùs præfatum Illustrem Principem Ducem Burgundiæ tangere poterat ad causam, & Sententiam hujusmodi Episcopi & Inquisitoris, quia dictus Princeps non fuerat evocatus.

Quod autem dicitur à quibusdam, ad Episcopum Parisiensem, de quæstionibus hujusmodi judicare, vel determinare, de privilegio, vel consuetudine pertinere, non fuit propositum; nec ullus pro dictis Episcopo & Inquisitore ad defensionem causæ comparuit coram nobis. Verùm, à præfata nostra Sententia, pro parte Episcopi, & In-

* Locus corruptus

Inquisitoris prædictorum, extitit appellatum: cujus appellationis causa pendet, in qua partes poterunt uti defensionibus, & Juribus suis, dictæque nostræ Sententiæ effectus fuit & est per præfatam appellationem suspensus.

Hæc autem, ad manifestandam rerum gestarum in præmissis per nos veritatem, omnibus volumus esse nota, & per has nostras Litteras fideliter attestamur; quas per nostrum infra scriptum * in publicam formam redegi mandavimus, & sigillorum A nostrorum fecimus appensione. †

Datum & actum Constantiæ.

* *fortè deest* Notarium. † *fortè deest* muniri.

CONCLUSIONES

Joannis Gersonii.

De Jure Episcoporum, in definiendis quæstionibus Fidei.

Notentur hæ Propositiones, seu Conclusiones.

PRæcepta Decalogi, prout tradita sunt à Deo B revelante per Moysem, & per Christum, & per alios Sanctos viros supernaturaliter * cognitionem; prout etiam debent impleri ex charitate, quam Deus solus supernaturaliter infindit; prout denique ducunt ad vitam æternam, quæ sola Fide credita est, spectant ad vitam; capiendo etiam strictè Fidem pro puro credibili: & hoc ex ista triplici radice, tanquàm ex triplici causa patet, scilicet efficiente, quoad primum; formali, quoad secundum; finali, quoad tertium: & oppositum asserere est palam hæreticum.

Sunt igitur Assertiones divinis Præceptis repugnantes Judicio Fidei reprobandæ, sicut & practicatum est in hoc Sacro Concilio, de pluribus Articulis Wicleff & Hus, & de ista specialiter; *Quilibet tyrannus* &c. quæ velut hæretica damnata est.

Asserere quòd nullis Prælatis liceat Propositio- C nes aliquibus in Fide dubias hæreticare, hoc est, hæreticas declarare; derogat Episcopali authoritati, quæ in divino Jure fundata est, & in laubabili consuetudine legitimè præscripta, quo ad multos, præsertim apud quos sunt generalia Studia Theologiæ, ac etiam repugnat practicatis, & approbatis in hoc sacro Concilio.

* Locus corruptus

Responsio ad objecta sumpta ex quibusdam Legibus, & Glosis, quæ videntur Assertioni primæ favere, ut dicit adversa pars.

LEges civiles debent regulari, glosari, & intelligi conformiter ad Legem divinam, & non è contrà; quoniam permittunt aliqua quæ Lex D divina condemnat ut crimina: sed non ideò redduntur talia justa & licita. Exemplum de usura, de meretricibus, & quibusdam aliis.

Leges allegatæ cum glosis suis, possunt reduci ad meliorem intellectum, ut justæ dicantur, quàm possit hæc Assertio; *Licitum est unicuique subdito*, &c. quæ hic quæritur impugnari: istæ enim Leges cum glosis suis, videntur loqui de homme judicialiter bannito ratione proditionis; in quo casu datur licentia subditis illius Domini qui bannivit, quòd occidant talem sic bannitum. Sed non sic est in hac Assertione; quia non ponit quòd quilibet talis machinans, & sic bannitus per Superiorem suum.

Item, quidquid sit de quibusdam Legibus & Glosis earum; constat quòd rationes non valent, quibus sic arguitur; Joannes meretur pœnam mortis, igitur quilibet potest Joannem occidere, infligendo pœnam illam.

Primò, quia quilibet peccans mortaliter, est proditor Dei & meretur mortem nedùm corporalem, sed æternam; non potest tamen quilibet peccator talis à quolibet occidi.

Secundò, quia proditor etiam adjudicatus morti per Judicem, non potest à quolibet occidi impunè; imò si quis occiderit eum, dùm ducitur ac patibulum, esset homicida.

Tertiò, quia requiritur quòd occidens proditorem sciat certissimè quòd ille est talis, cui non debet inferri certa mors ex solis conjecturis, etiam à Judice: ut 2. q. 1. 4. Requiritur quòd talis occidens habeat tales causas, de quibus possit facere certitudinem, dùm accusabitur apud Judicem suum, quòd talem proditorem interfecit; alioquin si non possit hoc probare, damnabitur ut homicida. Non omnis proditor, etiam notorius, potest à quocumque etiam subdito illius Domini, cui machinatur proditor, licitè interfici; quia non à Sacerdote, vel Monacho, & ita de similibus instantiis.

Ex prædictis, & aliis multis potest apparere, quòd condemnando hanc Assertionem; *Licitum est unicuique* &c. ut hæreticam; non propter hoc damnarentur talium Legum conditores, vel glosatores ut hæretici, vel eorum Leges ut hæreticales.

Volumus propter elucidationem veritatis, & extirpationem quorumdam errorum consurgentium ex Juribus positivis non intellectis, ad puram Fidei regulam notare tres conclusiones, quæ ab aliquibus dicuntur fuisse prædicatæ, jungendo tàm reprobationes ex practicatis in hoc sacro Concilio Constantiensi, quàm aliundè, multiplici ratione.

Primò, quòd nulla Propositio physicalis, vel moralis condemnanda est per Concilium, quod in talibus non se debet occupare, cùm non sint de Fide: hæresis autem est dogma falsum Fidei orthodoxæ contrarium.

Oppositum autem hujus conclusionis practicatum est in multis erroribus, Joannis Wicleff, & Joannis Hus, qui moralia respiciunt; ut quòd Fratribus non liceat mendicare &c. Undè & falsum est, imò hæreticum, quòd nulla moralia sint de Fide. Undè ista damnata est per Ecclesiam ut hæretica; quòd *Usura non sit peccatum*. Et ista, quòd *Non licet jurare*. Et ita posset exemplificari de multis. Et de ista quæ novissimè damnata est ut hæretica; *Quilibet tyrannus* &c. Undè pro regula generali: *Omnis Propositio contenta in Scriptura spectat ad Fidem*; quoniam Assertio pertinax opposita non stat cum Fide. Et similiter: *Omnis Propositio quæ potest ex ipsa deduci in consequentia probabili & vera, ad eandem spectat Fidem*. Et reducitur hæc regula ad illud de Symbolo Nicæno: *Secundum Scripturas*: & ad illud: *Qui loquutus est per Prophetas*. Et ad illud, *Unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Deductio facilis est.

Altera conclusio, vel pars conclusionis; quòd, dùm damnandi sunt errores, debent simul evocari & damnari hæresum assertores.

Oppositum practicatum est in erroribus Wicleff, qui priùs condemnati sunt judicialiter, quàm ipse Wicleff evocaretur, vel damnaretur, licèt sub nomine ejus damnati sint.

Verum est quòd, dùm quæsitum est damnari sua memoria, citatio decreta est. Similiter ista: *Quilibet tyrannus* &c. Similiter alia: de non communi-

municando laïco * specie &c. Et ita solitum est fieri in multis Conciliis, in quibus apocripha, quæ certa carent actione † condemnantur. Verum est tamen, quòd postmodùm possunt, aut debent hæresum assertores nisi desistant, condemnari. Notetur exemplum de falso numismate inscripto nomine Regis, quod damnatur, non damnato Rege. Sic in proposito potest contingere de falsa doctrina, sicut de cedula per Promotorem judicialiter exhibita. Latior est deductio quæ incipit: *Asserere quòd non liceat* &c.

Facit ad hoc duodecima Distinctio Decreti, ubi A reprobantur Opuscula multa, quæ fuerunt ab hæreticis intitulata sub nominibus diuersorum Sanctorum, ut est Evangelium sancti Thomæ, sancti Bartholomæi, sancti Andreæ, & ita de reliquis, sicut de itinerario Clementis, de vita Petri, & de transitu Beatæ Virginis. Constat autem quòd nec Apostoli, nec Virgo Maria fuerunt evocati, dùm damnarentur errores isti sub eorum titulis prænotati, nec ipsis adjudicatum est aliquod interesse: undè & error Græcorum de processione Spiritus sancti damnatus, ipsis non vocatis, sicut dicit Dominus Bonaventura.

Ampliùs, sic arguitur ratione. Quæcumque duo sunt separata, quorum unum est principale, & aliud accessorium; principale potest discindi vel terminari, accessorio remanente non tacto: & præsertim quando terminatio non habet necessariam dependentiam. Sed interesse Fidei circa Li- B bellum hæreticalem est principale; sic quòd ex errore, tanquàm ex parte rea criminis læsæ Majestatis divinæ, constituitur sufficiens Judicium apud Prælatum ex officio, ut hanc partem damnet: interesse verò personale circa intitulationem talis Libelli est purè accessorium, & separabile; poterit enim primum interesse terminari, & alterum differri, vel dimitti.

Ampliùs, evenire frequenter potest, quòd Libellus hæreticalis inficiet unam Diœcesim; & persona, cujus nomine intitulatur, non erit de illa Diœcesi, neque, per consequens, subjicitur Jurisdictioni illius Episcopi: non oportebit igitur quòd Episcopus evocet illum, dum damnabit eum Libellum erroneum, & suæ Diœcesi pestiferum; quia de illis quæ foris sunt nihil ad eum, & esset irrisoria citatio. C

Ampliùs, in casu præcedenti contingere potest, quòd persona errans sit tyrannus potens, vel hostis Reipublicæ, vel inimicus reputatus à Rege sub quo est Prælatus qui damnat hæreses; ubi si citaretur hujusmodi tyrannus vel hostis, nulla est utilitas, sed major hostilitas: in dilatione verò damnationis grande dispendium.

Ampliùs, non oporteret in decisione, vel determinatione doctrinali condemnativa alicujus erroris, quòd evocetur errans, quamvis nominetur: non igitur oportebit hoc in damnatione judiciaria, de necessitate divini Præcepti, cujus vinculum majus est, quàm vinculum Juris positivi.

Et si dicatur, quòd in casibus prioribus potest saltem fieri citatio generalis in valvis Ecclesiarum.

Respondetur primò, quòd hæc citatio non D concernit necessariò damnationem errorum, ad quam obligatur Prælatus divino Præcepto, & non sic ad citandum.

Rursùs secundò, quia posset talis citatio accessoria cedere, multis casibus, in præjudicium causæ principalis, propter versutias, vel astutias Advocatorum, & Procuratorum conductorum prece & pretio per unum potentem tyrannum, vel hostem Reipublicæ, vel seditiosum, refugientibus ex adverso deffensoribus veritatis, vel causâ justi metus, vel ex pusillanimitate, aut aliàs: interponerentur quippè statim appellationes frivolæ, imò pestiferæ ad Curiam Romanam, ubi quantus esset tractus, quantus labor, & expensæ, & quàm inutilis aliquando finis, colligitur faciliter ex his quæ vidimus, & videmus: & ita Pastor & Doctor, pro grandi merito, grandi damno mulctaretur.

Exemplum pro præmissis inducitur de Rege Franciæ, qui fecit damnari Parisiis, *De visione beata*, quam tenebat Joannes XII. * ipso eodem Papa non evocato, vel audito.

Altera conclusio, quòd per inferiores ad Concilium Generale, vel ad Sedem Apostolicam, non sunt errores condemnandi judicialiter, imò nec doctrinaliter, ut aliqui intellexerunt, nisi sint priùs per Ecclesiam condemnati; quoniam istæ sunt majores causæ, quæ referendæ sunt, ut dicit, ad Apostolicam Sedem.

Oppositum practicatum est in hoc Concilio, quod approbavit condemnationes factas per Universitates, & Ordinarios, in Anglia, & in Pragua; quas tamen ut temerarias & iniquas, si verum iste diceret, debuisset reprobasse.

Undè Prælati & Doctores tenentur multa scire explicitè, quæ populus non ita tenetur explicitè cognoscere. Sed ubi insurgeret turbatio in populo, & error explicitus, Prælati possunt & debent plebem ab erroribus ejusmodi revocare judicialiter, & aliàs.

Verum est quòd Sententia eorum † ligat extraneos, ut est præcisè per ipsos lata; nisi pro quanto deducitur sufficienter ex Scriptura sacra.

Denique nulla est controversia, vel contradictio, etiam apud Dominos Juristas, in causis Fidei quæ respiciunt expressè & explicitè Articulos Fidei, & illa quæ sunt per Ecclesiam ut hæreses damnata, vel per Scripturam sacram, cujus autoritati innititur Ecclesia ‡ possint ac debeant Ordinarij & Inquisitores cognoscere: ut si quis diceret, quòd usura est licita, quòd fornicatio non est peccatum mortale, quòd quilibet tyrannus debet occidi. &c sicut nuper damnatus est; nullus dubitat quin Episcopus, & Inquisitor habeant cognoscere.

Contra tertiam conclusionem præmissam notetur sequens conclusio extracta de Tractatu comparato Anno Domini 1388. per Facultatem Theologiæ, & approbato per Universitatem Parisiensem, misso olim Domino Clementi Papæ, qui Tractatus, est penès Reverendissimum Patrem Dominum Cardinalem de Thalonos.

Secunda conclusio est in primo Articulo, quòd ad Episcopos Catholicos pertinet, authoritate inferiori & subordinata, circa ea quæ sunt Fidei judicialiter definire. Probatur autoritate Pauli. *Act.* xx. 28. ubi dicit. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* Undè patet, quòd Jure divino, & autoritate Spiritus sancti, Episcopi sunt positi ad regimen Ecclesiæ Dei: regimen autem importat judiciariam autoritatem. Ergo sequitur quòd ad eos pertinet, autoritate judiciali, inferiori & subordinata supremæ autoritati subjecta, Ecclesiam regere; & per consequens, de Fide cognoscere, & in ea diffinire. Undè quòd de tali regimine ad Fidem pertinente loquatur Apostolus, ex hoc patet; quia ibi hortatur Episcopos adversùs hæreticorum Fidem subvertentium nequitiam vigilare: nam immediatè sequitur: ℣. 29. *Ego scio quoniam intrubant post discessionem meam lupi rapaces in vos, & exurgent viri loquentes perversa, ut adducant discipulos post se: propter quod vigilate*, &c.

Et ideo, exemplo Pauli, Summus Pontifex, & Generale Concilium, sub gravium comminatione pœnarum, ad vigilem hæreticæ pravitatis expugnationem alios hortantur Episcopos.

Qq Unum

* *forsan desideratur* sub utraque.
† *forsan* quæ certo carent autore.

* *forsan* XXII. † *forsan desideratur* non
‡ *forsan desideratur* quin

Unum exemplum. De *hereticis*: C. *Excommunicamus*. §. *volumus*. in fine, sic concluditur; *Si quis enim Episcopus super expurgando de sua Diœcesi heretica pravitatis fermento negligens fuerit, vel remissus; ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui possit, & velit hereticam confundere pravitatem.* Hoc autem non posset, nisi haberet in hac parte judiciariam autoritatem: & ideò ibidem A præmittitur, quòd Episcopus debet hæreticos ad suam præsentiam convocare, & canonicè punire. & in C. *Ad abolendam. Eodem tit.* dicit, quòd *Pertinet ad Episcopos per Diœceses suas hereticos judicare, &* quòd *ipsi errorem suum ad arbitrium Episcopi Regionis debent publicè abjurare*, quòd quià etiam illi *qui fuerint à Diœcesani Jurisdictione exempti, nihilominus in his qua sunt contra hereticos constituta, Episcoporum subeant Judicium, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apostolica Delegatis, non obstantibus libertatis sua privilegiis, obsequantur.*

Ex his satis patet, quòd tàm de Jure divino, quàm humano, ad Episcopos pertinet, & pravitatem hæreticam judicare; & per consequens, pravitates hæreticas condemnare judicialiter, & autoritate judiciaria veritates Catholicas diffinire.

Attendatur ultra præmissa quòd si nullæ causæ Fidei deciderentur per Ordinarios, & præsertim B in locis, in quibus sunt Studia generalia Theologorum, sequerentur inconvenientia maxima in Fide & moribus: quoniam, ut in pluribus, Mendicantes sunt illi qui prædicant, & possent ad libitum dicere quid vellent, absque timore repræhensionis; quoniam in Curia Romana nulli ferè sunt Theologi, nisi Mendicantes, & sic ibidem esse quàm partes & Judices.

Quia rursùs apud ipsam Curiam Romanam prædictæ causæ Fidei, utplurimùm, manerent indiscussæ, vel indeterminatæ, sicut experientia docuit in multis.

Quia denique pauci reperiuntur Prælati & Doctores qui possent, & vellent subire dispendia & expensas, quas in processibus Fidei eis facere necesse est: debent tamen Episcopi non retardari in extirpatione hæresum, sed animari, sicut patet *Extrà. De hereticis.* C. *Excommunicamus.*

Postremò, quidquid sit de aliis Episcopis, & Universitatibus: attamen apud Episcopum & Universitatem Parisiensem istud habetur de consuetudine rationabili & approbata: sicut patet de condemnatione Articulorum Parisiis; & de juramento Baccalaureorum, quod faciunt ante lecturam Sententiarum, in manu Cancellarii Parisiensis, quod tale est.

*Si diversis * aliquem dogmatisantem contra sacram doctrinam, & specialiter in favorem Articulorum Parisiis damnatorum, revelabitis infra octo dies Episcopo, vel Cancellario Parisiensi, qui fuerit pro tempore vestro.*

Concordat pro conclusione sacra Scriptura pluribus locis, specialiter 1. Pet. III. *Parati*, inquit, D *ad satisfactionem* &c. & Malach. 1. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam* &c. & in Epistolis Pauli, ad Timotheum, ad Titum, & Exod. XVIII. Deut. X.

Et si dicatur quòd Episcopi & Inquisitores possunt errare: certè potest errare Papa; nihilominùs spectant ad eum causæ Fidei.

Item, si Doctores possunt doctrinaliter tractare materias Fidei, constat quòd Episcopi, ex officio, sunt Doctores, & possunt docere populum authoritate, pœnas scilicet apponendo.

Item, causæ matrimoniales sunt de majoribus causis, quæ nihilominùs ab Ordinariis sæpè terminantur.

Item, omnis error damnatus à Deo per Scripturam sacram explicitè, vel implicitè: sicut patet, *Extra. De hereticis. Cap. Damnavimus* †. Undè dicit Augustinus quòd *Si quid alibi noxium est, hic damnatur*, scilicet in Scriptura. Unde etiam damnatio per Papam, vel Concilium Generale, non est nisi quædam Juris divini declaratio, cum appositione divini Decreti.

Patet igitur quòd secunda conclusio præfata, de Tractatu ante dicto, est sufficienter fundata in Jure divino, vel humano, & in consuetudine laudabili legitimè præscripta; nec propter unam glosam magistralem in Decretalibus, vel Decretis, etiam si reperiretur ad oppositum, damnanda est, sed tenenda: & ita remanet tertia conclusio falsa per Magistrum Tholosanum posita.

Facit pro præmissis, & ad ostendendum, de consuetudine laudabili legitimè præscripta, quòd nedùm in Universitate Parisiensi, sed in aliis Studiis generalibus fit protestatio communis per Theologos, dùm faciunt aliquos actus, quòd nihil dicerent contra Articulos Parisiis condemnatos, vel qui alibi sunt rationabiliter condemnati.

Sequuntur objectio & responsio quæ ex prædicto Tractatu positæ sunt.

„ Sed contra prædicta objicitur; quia licèt ad aliquem inferiorem Papâ pertineat, vel pertinere „ possit, hæreses manifestas & explicitas judicialiter „ condemnare: in quo casu videntur procedere illa „ quæ dicta sunt in 21. 22. quæstionibus; tamen vi„ detur quòd nec Episcopus, nec Facultas, aut alius „ Papâ inferior possit condemnare judicialiter, & so„ lemniter hæreses implicitas, de quibus inter Lit„ teratos, & in sacris Litteris eruditos est quæstio, „ vel dubitatio; quales videntur conclusiones præ„ dictæ, vel saltem earum aliquæ, quas Facultas „ Theologiæ condemnavit. Et ad hoc videtur ratio „ & authoritas concordare: irrationabile enim ap„ paret, quì Episcopus, Præsbyter, qui quandoque „ non est Theologus, nec in sacris Scripturis peri„ tus, possit opiniones Doctorum Theologorum „ sententialite condemnare.

C „ Item, ad hoc est authoritas Innocentii Papæ, in „ C. *Quoties*: 24. q. 1. ubi ait. *Quoties ratio Fidei* „ *ventilatur, arbitror omnes Fratres & Episcopos no*„ *stros nonnisi, ad Petrum, & sui nominis, & honoris* „ *authoritatem referre debere.* Et ibidem dicit glosa; „ *Aliud est de Fide quæstionem motam terminare, quod* „ *nulli præter quàm Romana Sedi permittitur, sicut hic* „ *dicitur: aliud est ipsam sine diffinitione ventilare; quod* „ *Patriarcha & Primates facere possunt, sicut ibi conti*„ *netur.* Et posteà glosa objiciens ait; *Videtur contra,* „ *extra. De hereticis* C. *Ad obolendam. Nam ibi innui*„ *tur, quòd illi sunt vitandi tanquam herentici, quos* „ *ipsi Episcopi vitandos dixerunt. Sed dic, quòd illud* „ *intelligendum est, quando tale quid dicunt, quod* „ *certum est esse heresim. Hic verò ubi dubium est.* Cui „ concordat glosa. 8. *di. cap.* 2. super verbo, *Fide*, „ ubi ait: *Sed expone hic in Fide N. fideliter; ut* „ *possit agitare causas Fidei; sed non procedere ad Sen*„ *tentiam.*

„ Ex quibus omnibus patet, quòd nullus inferior „ Papâ potest determinare sententialiter quæstio„ nem motam de Fide, præcipuè quando Litte„ rati dubitant, & contrariè opinantur. Ad quod „ concordat Innocentius tertius. Epistola: *De Bap*„ *tismo, & ejus effectu.* ubi dicit, *Majores Ecclesia cau*„ *sas, præsertim Articulos Fidei tangentes ad Petri Sedem* „ *referendas* &c.

„ Et ad hoc etiam facit Cap. m. *In Fidei funda*„ *mentum. De summa Trinit. & Fide Cath.* in ac *

„ Sed ad ista respondetur: & primò dicendum est, quòd

* *forsan* audieritis.

† *Locus corruptus.*

* *aliquid desideratur.*

„ quòd divina ista Jura loquuntur de causis, seu quæ„stionibus Fidei terminandis, & diffiniendis judi„cialiter; & ideò in nullo faciunt contra Faculta„tem Theologiæ, quin possit quæstiones etiam „apud aliquos Litteratos dubias scholasticè termi„nare, & doctrinaliter diffinire, antequàm ad Se„dem Apostolicam referantur, sicut supra osten„sum est in primo capitulo Articuli.

„Secundò, dicendum est, respondendo ad ratio„nem nunc factam, quòd nec Episcopus Parisien„sis, aut alius quicumque non Thelogus, nec sa„cris Scripturis peritus potest, aut debet sine Theo„logorum consilio opiniones Doctorum Theo„logiæ in Fide dubias, & non manifestè hære„ticas sententialiter, seu judicialiter condemnare.

„Tertiò, dicendum est, quòd, non obstantibus „prædictis Juribus, Episcopus Parisiensis, vel alius, „de consilio Facultatis Theologiæ, seu Doctorum „sacræ Scripturæ, potest tales opiniones, si osten„dantur esse contra Fidem, sententialiter condem„nare; imò in casu, hoc potest Facultas Theolo„giæ, sicut patet ex 4. 2. & tertia quæstionibus, „& earum probationibus.

„Quartò, dicendum est ad omnia illa Jura, quòd „intelligenda sunt de judiciaria diffinitione, vel su„prema Sententia: sed pro hoc non tollitur quin ali„qui inferiores Papâ possint hujusmodi quæstiones „terminare, & judicialiter diffinire, diffinitione & „Sententia inferiori & subordinata, sicut patet ex „dictis & dicendis; & etiam ex Bulla Urbani quin„ti inferiùs allegata, ita quòd diffinitio suprema „Papæ Catholici, qui est Universalis Episcopus, „omnes & ubique obligat: & ideò hujusmodi dif„finitio dicitur *Sententia* absolutè, & simpliciter. „Sed subordinata diffinitio Episcoporum Catholi„corum inferiorum, non sic universaliter obligat; „& ideò non dicitur *diffinitio*, vel *Sententia*, nisi se„cundùm quid: est hic diffinire, vel sententiare „vocat ibidem glosa ventilare; quia non est sim„pliciter terminare. Cum hoc tamen stat quòd obli„gat suos subditos secundùm quid, scilicet quo us„que per Sedem Apostolicam, vel Summum Pon„tificem aliter fuerit sententiatum & diffinitum.

„Et supposito, quòd talis inferior Sententia, vel „diffinitio non obligaret, in casu, ad credendum, „quia staret in casu, quod illud diffinitum esset hære„ticum; tamen regulariter obligat ad oppositum „non dogmatisandum, vel publicè docendum in „Diœcesi Episcopi sic diffinientis.

„Et sicut dictum est de ipsis; sic dicendum est „de aliis personis, vel Collegiis ad hoc potestatem, „vel authoritatem habentibus, respectu suorum „subditorum.„ Hæc ibi.

Ubi notandum est quòd hæc glosa potest aliter intelligi; ubi scilicet, & quando Propositio contraria vel non generavit scandalum in una Diœcesi, ubi potest sine periculo nesciri, seu dissimulari; vel ubi non habetur sufficiens consilium Theologorum pro declarando quid explicitè repugnet Fidei, vel sacræ Scripturæ, quod idem est. Secùs judicandum est, si scandalum ortum est, si periculum est in nesciendo, si Theologorum adsit frequentia.

Placet tandem attendere, quòd in Curia Romana plerumque minor est abundantia Theologorum, quàm consuevit esse Parisiis, exempli gratia: & dùm indè traheris * causa Fidei per appellationem ad Curiam Romanam, solet remitti ad Universitatem Parisiensem, sicut visum est pluries, temporibus nostris. Propterea, non videtur rationabile causam Fidei per tot solemnissimos Theologos agitatam & discussam, remittere discutiendam uni, duobus, vel tribus Cardinalibus, vel Theologis, sicut Dominus Baltazar, nuper Papa Joannes XXIII. facere conatus est, in causa condemnationis Propositionis defuncti Magistri Joannis Parvi, quæ modò usque pendet coram Domino Cardinali de Ursinis, non sine gravibus damnis & expensis Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris.

A Rursùs ad principale sic arguitur. Constat ex decursu nascentis Ecclesiæ, usque nunc, quòd Prælati, qui sunt Pastores & Doctores, & alii Doctores non Prælati, consurrexerunt adversùs hæreses primò, doctrinaliter disputando, scribendo, arguendo, increpando, non remisso semper Judicio ad Sedem Apostolicam, vel Generale Concilium: & non solùm doctrinaliter hoc fecerunt, sed judicialiter, quilibet in sua Diœcesi. Et certè si doctrinaliter poterant, fas similiter eis erat judicialiter hoc facere, cùm condemnatio judicialis non addat ad doctrinam propter * adjectionem pœnæ in subditos rebellantes; sic enim dicit Apostolus. *Episcopum instructum esse in doctrina sana, ut possit eos qui contradicunt revincere. Tit. 1. 9.*

B Dicitur eis præterea in persona Hieremiæ, quòd constituti sunt ut evellant & destruant &c. hoc idem Ezech. XXXII. XXXIII. sub figura speculatoris palàm ostenditur: undè si semper oporteret causas Fidei, dum insurgunt per universum Orbem, remittere ad Sedem Apostolicam, ipsa Sedes non sufficeret terminare; etiamsi haberet tot Auditores causarum Fidei, quot sunt Auditores causarum prophanarum: in quibus tamen Fidei causis non apparet quòd aliquis sit Auditor constitutus ordinariè; oportet enim tales Auditores esse Theologos eruditissimos & incorruptissimos, & talium, quanta fuerit, & sit raritas in Curia Romana, nimis prôh dolor! docuit experientia. Ecce enim quòd in sacro Collegio tot Cardinalium, vix fuit & est binarius Theologorum.

C Dicere igitur sub prætextu cujusdam Decretalis Papalis dicentis, quòd *Majores causâ referendæ sunt ad Sedem Apostolicam, & nulli alii per universum Orbem Pastores & Doctores debeant se de eisdem causis intromittere*, est apertissimè nedùm errare, sed delirare, & insanire, & irritum facere Mandatum Dei, propter traditiones hominum.

Concludimus ergo quòd sicut errores aliqui perniciosissimi fuerunt ante celebrationem hujus sacri Constantiensis Concilii, de authoritate Papæ, & suæ Curiæ introducti, per erroneum intellectum quorumdam Jurium positivorum, per adulatores, & textuales homines: ut quòd Papa non subjiciebatur Concilio Generali. Quòd non poterat committere simoniam, in collatione Beneficiorum. Quòd nemo poterat ei dicere, *Cur ita facis?* Quod non poterat celebrari Concilium sine eo, in quocumque casu; & ita de plurimis: qui quidem errores damnati sunt per hoc sacrum Concilium, verbis & factis.

D Sic, in proposito, necessariò fieri consuevit, de talibus erroribus, qui dicti sunt: ut quòd Prælati inferiores non habeant judicare de Fide, præter quàm fortè de Articulis Fidei, quantumcumque suppetat eis copia Theologorum; quantumcumque præterea scandalum grave suis subditis immineat. Quòd insuper damnari non possunt, aut debent errores, nisi priùs, aut simul evocentur eorum assertores: & quòd aliter faciendo Sententia nulla est, vel iniqua, licèt principale sit justissimum, scilicet errorum damnatio: quòd denique non sunt damnandæ Propositiones, si possent ad aliquem sensum bonum trahi, vel pro aliquo casu dabili sophisticè glossari; & ita de reliquis: ut, quòd Præcepta Decalogi non spectant ad Fidem,

* forsan. trahitur.

* præter

dem, nec sunt Judicio Fidei reprobandæ, quæ omnia magnam afferunt pernitiem in Ecclesia Dei.

Attendatur pro his quæ sunt in facto, quòd Dominus Episcopus Parisiensis, & Inquisitor, de communi Concilio Fidei, nullo reclamante, ubi erat Magister de Monteleonis, Eleemosynarius Domini Ducis Burgundiæ, cum pluribus aliis eidem Domino affectatissimis; miserunt Fratrem Petrum Flore, Licentiatum in Theologia, & Vicarium Inquisitoris, ad prædictum Dominum Burgundiæ, A cum certis instructionibus significantibus intentionem prædictorum Episcopi, & Inquisitoris, ac Concilii.

SUMPTUM

EX ORIGINALI BULLA

Quæ damnat errores Wiclef in Concilio Romano, & approbatum est per Constantiense Concilium.

UNde & in Sententia damnativa Joannis Huss, similis habetur modus loquendi: per quem modum loquendi apparet præmissorum veritas, scilicet quòd priùs damnari possunt errores, quàm errantes; & quòd ad Ordinarios spectat cognoscere de B Fide, & de his quæ solos mores tangunt.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam Rei memoriam, in Generali Concilio.

,, INTER omnes Apostolicæ Sedis instantias,
,, quas ad regimen Christiani populi jugiter
,, impendit, illa videntur præcipua, ut cùm ali-
,, quam doctrinam suboriri senserit, quæ oculos
,, divinæ Majestatis offendere, & grave in se pe-
,, riculum animarum continere possit; eam ne pro-
,, pagaretur ulteriùs, & per eam mentes fidelium C
,, damnabiliter capiantur, mox studeat extir-
,, pare.

,, Cùm ergo in nonnullis mundi partibus qui-
,, dam curiosi ea discere, atque non quæ animarum
,, ad salutem, & argumentum Fidei, sed ad suum
,, fastum ampliandum & Catholicæ, Fidei subver-
,, sionem, edunt quosdam Libellos, seu Volumina,
,, vel Tractatus, Opuscula, quæ dicuntur Joannis
,, Wiclef, videlicet Dialogum, Trialogum, &
,, alios plures Libros, quos præsentibus haberi
,, volumus pro expressis, nomine dicti Joannis Wi-
,, clef inscriptos, & intitulatos; non solùm in sco-
,, lis frequentare, sed etiam ad populum in Sermo-
,, nibus exponere nitantur: in quibus Libellis, Vo-
,, luminibus, seu Tractatibus, multa hæretica dog- D
,, mata, multique continentur errores, & in Fi-
,, de minùs rectè sonantes & per quos simplices,
,, & indocti à veritatis tramite deviare; experti
,, verò, atque docti nimirum scandalisari prohi-
,, bentur, * quæ ad nostram, & hujus sacri Con-
,, cilii deducta publicam notionem.

,, Nos, ut ex injuncti nobis Pastoralis officii
,, debito tenemur, volumus in his, quantùm pos-
,, sumus, occurrere periculis animarum, ne quod
,, ait Apostolus, variis & peregrinis doctrinis
,, Christi fideles in devia deducantur; quos etiam
,, summâ curâ Salvator admonuit, ut caverent à fer-
,, mento Pharisæorum. Cujus rei pernitiosissimam,
,, pestiferamque malitiam optimo fermenti mani-
,, festat exemplo. Nam veluti, *Modicum fermentum*,
,, testimonio Apostoli. 1. Cor. v. 6. *totam massam*
,, *corrumpit*: sic hæreticorum falsa doctrina om-
,, nem Catholicam eruditionem, cui admiscere-
,, tur, veluti rabidum venenum, nisi occurrere-
,, tur, inficeret: quam etiam doctrinam abomi-
,, nationem desolationis idem appellavit. Quem
,, locum Doctor sacer Hieronymus exponens, a-
,, bominationem dicit posse intelligi, *Omne dogma*
,, *perversum*.

,, Volentes autem in præmissis, licèt notoria sint,
,, maturè procedere, omneque scrupulositatis du-
,, bium amputare; certis ex venerabilibus Fratri-
,, bus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, at-
,, que nonnullis Episcopis sacræ Theologiæ, u-
,, triusque Juris Professoribus, & aliis commisi-
,, mus de præmissis inquiere, & negotium hujus-
,, modi diligenti examinatione discutere: ex quo-
,, rum processu & relatione nobis, & eidem sacro
,, Concilio constitit, atque constat, præmissa
,, tàm per facti evidentiam, quàm per plures dif-
,, finitivas Sententias, tàm autoritate Apostolica,
,, quàm nonnullorum Archi-Episcoporum in suis
,, Conciliis, & locis insignibus, & diversis, fuisse &
,, esse notoria atque vera.

,, Nos igitur eodem approbante Concilio, de-
,, claramus, & decernimus illa esse notoria, quæ
,, nulla possunt deffensione tueri; & super illis
,, fore, tanquàm super notoriis procedendum: &
,, exurgentes, in Dei virtute, contra hanc falsam,
,, perversam, pestiferamque doctrinam, eodem ap-
,, probante Concilio, dictos Libellos, Tractatus,
,, & Opuscula,

Videlicet,

,, DIalogum, Trialogum, & omnes alios hu-
,, jusmodi Libellos, & alia, quæ ejusdem Joan-
,, nis Wicleff nomine inscribuntur, & intitulan-
,, tur, cujusque Artis & Facultatis existant, at-
,, tento maximè, quòd in eis licèt aliqua vera
,, scripta sint; falsa tamen illis, veluti lepra in
,, humano corpore permixta sunt, & in eorum le-
,, ctione periculosè, tanquam inter scorpiones, &
,, colubros Christi fideles versarentur, damnamus,
,, & reprobamus, atque Salvatoris Sententiam
,, exequentes, dicentis: *Si quis in me non manserit,*
,, *mittetur foras, & sicut palma arescet, & in ignem*
,, *mittetur, & ardet*; igne jubemus publicè con-
,, cremari.

,, Ejusdem etiam autoritate Concilii, districtiùs
,, inhibemus, ne quis Christi nomine insignitus
,, audeat aliquem, vel aliquos, seu aliqua ex di-
,, ctis Libellis, Tractatibus, & Opusculis dicti Joan-
,, nis Wicleff nomine inscriptos, aut intitulatos
,, legere, exponere, vel tenere, aut illis, ac
,, nomine, aut authore illo Wicleff uti; vel il-
,, lum ut autorem, nisi fortè in illorum reproba-
,, tionem allegare publicè, vel occultè, & ut de
,, medio Ecclesiæ illa periculosa, spurcissimaque
,, doctrina eliminetur.

,, Imò, jubemus per locorum Ordinarios, Li-
,, bros, Tractatus, & Opuscula hujusmodi, etiam
,, authoritate Apostolica, per censuram Apostoli-
,, cam, si sit opus, cum adjectione, quòd contra
,, non parentes procedatur, tanquam contra fau-
,, tores hæresis, diligenter inquiri, & repertos
,, ignibus publicè concremari.

,, Si

* perhibentur.

„ Si quis autem hujusmodi Sententiæ, inhibitionis, Decreti, ac jussionis violator, aut contemptor extiterit, statuimus, eodem approbante Concilio, contra ipsum, veluti suspectum de Fide, procedi.

„ Monemus insuper, autoritate præmissa, omnes & singulos, qui voluerint tueri memoriam dicti Joannis Wicleff, ut infra novem dies proximè futuros, quos 1°. 2°. 3°. atque peremptoriis terminis assignamus, compareant apud Sedem Apostolicam, atque coram nobis, vel nostro successore canonicè intrante, vel in hoc sacro Concilio, vel alibi, ubi contigerit nos, vel successorem prædictum residere, dicturi & allegaturi, & quidquid voluerint, ne idem Joannes Wicleff, licèt ab humanis ereptus, de hæresi condemnetur.

„ Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, Decreti, damnationis, jussionis, inhibitionis, statuti, monitionis, & assignationis infringere, vel ei, ausu temerario, contraire. Si quis autem attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud sanctum Petrum. IV. Non. Febr. Pontificatus nostri, Anno tertio. „

Sequitur copia cujusdam Instrumenti, ad ostendendum quòd Universitas Pragensis, & Ordinarius Loci, se intromiserunt de Articulis Wicleff condemnandis.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

„ ANno à Nativitate ejusdem 1403. Indictione undecima, die Lunæ, vigesima octava Mensis Maii, hora dici decima septima, vel quasi Vesperorum, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Bonifacii, divinâ providentiâ Papæ nostri, Anno quarto decimo, in majori civitate Pragensi in scupa * Facultatis Collegii Barolli; in mei Notarii publicè infra scripti, testiumque præsentia inscriptorum, ad hoc specialiter vocatorum, facta plena Congregatione omnium Magistrorum Universitatis Studii Pragensis, de Mandato honorabilis viri, Walcherii Harrasser, Rectoris ejusdem Universitatis, specialiter per Hanusconem, & Nicolaum Albus, nuncios juratos Universitatis prædictæ vocatis, sub hac verborum forma.

„ Reverende Magister. Hodiè horâ septimâ decimâ, in Congregatione Universitatis, ad audiendum Propositionem & petitionem Domini Officialis, nomine Ecclesiæ Pragensis; & ad audiendum legi quosdam Articulos præsentatos per eundem ad reverendum † sibi nomine Capituli, & ad finaliter concludendum quid expediat fieri in ista materia, pro honore Universitatis, sub debito præstiti juramenti, & pœnâ non contradicenti †; quæ quidem forma verborum scripta erat in carta papyri, & per supra dictum Dominum Walterium Magistrum in Artibus, & Rectorem, omnibus Magistris Universitatis prædictæ ibidem congregatis, & præsentibus, extitit lecta publicè, & pronunciata: quâ lectâ, idem Dominus Walterius Rector, duplices Articulos separatim in privatis chartis per- gravicui * scriptos, sibi, ut dicebat, per honorabiles viros Joannem le Bel, Officialem Curiæ Archiepiscopalis Pragensis, & Venceslaum Archidiaconum Bethineum in Ecclesia Pragensi, ejusdem Ecclesiæ Pragensis Canonicos, nomine ejusdem Ecclesiæ præsentatos, per me Notarium publicum infra scriptum, de verbo ad verbum, imposito silentio, legi fecit. „

* *Vel* scopa *aut* stapha, *verbum corruptum.*

† *forsan* referendum † *forsan* contradicendi

* *forsan* pergamenis

Sequitur dictorum Articulorum de verbo ad verbum, prima pars,

Et est talis.

HÆc Wicleff in Anglia, quæ fuerunt condemnata Londiniis, Anno Domini 1380. à tredecim Episcopis, & Archiepiscopis.

Substantia materialis panis & vini, manet in Sacramento Altaris.

Post Consecrationem, accidentia non manent sine subjecto in eodem Sacramento, identitate, verè & realiter, in propria præsentia corporali.

Quòd si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptistat.

Pertinaciter asserere quòd non est fundamentum in Evangelio, quòd Christus Missam ordinavit, hæresis est.

Quòd Deus debet obedire diabolo.

Quòd si fuerit homo debitè contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

Quòd si Papa sit præscitus & malus, & per consequens, membrum, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi fortè a Cæsare.

Quòd post Urbanum sextum, non est aliquis recipiendus in Papam; sed vivendum est more Græcorum, sub Legibus propriis.

Contra Scripturam est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones temporales; & notat sacram Scripturam, dicta Angelorum & Apostolorum.

Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum esse excommunicatum à Deo: qui sic excommunicat, ex hoc fit hæreticus, & excommunicatus.

Quòd Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem & Concilium Regni. *

Quòd illi qui dimittunt prædicare, sive † verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die Judicii traditores Christi habebuntur.

Licet alicui Diacono, sive Presbytero prædicare verbum Dei, absque authoritate Sedis Apostolicæ, sive Episcopi Catholici, aut alia, de quo sufficienter constat.

Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dùm est in peccato mortali.

Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesiasticis habituatis delinquentibus.

Et quòd populares possunt, ad eorum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

Decimæ sunt puræ eleemosynæ; & Parochiani possunt propter peccata suorum Collatorum, ad libitum suum conferre.

Quòd spirituales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales orationes eidem.

Ceteris paribus, conferens Fratribus eleemosynam, est excommunicatus, & recipiens.

Eo ipso quòd aliquis ingreditur Religionem privatam quæ-

* *Hic aliquid desideratur.* † *hic aliquid desideratur.*

qualemcumque causa Possessionatorum quàm Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilor ad observantiam Mandatorum Dei.*

Sancti instituentes Religionem privatam, sic instituendo peccaverunt.

Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.

Fratres tenentur per laborem manuum vitam acquirere, non per mendicationem. Iste est Articulus damnatus ab Alexandro quarto.

* tàm

Secunda pars dictorum Articulorum separatim in illo pergameno scriptorum sequitur,

Et est talis.

PRimò, dicit.

*Omnis Symoniacos qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus **

Item, *Oratio præstiti nulli vallet.*

Item, *Omnia de necessitate eveniunt.*

Confirmatio juvenum. Clericorum Ordinatio. Locorum consecratio reservantur Papæ & Episcopis, propter cupidinem lucri temporalis & honoris.

Universitates, Studia, Collegia, Graduationes Magisterii in eisdem sunt † vana gentilitas introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut diabolus.

Item, dicit, *Excommunicationem Papæ, vel cujuscumque Prælati non esse curandam; quia est censura Antichristi.*

Item, *Peccant fundantes Claustra; & ingredientes sunt viri diaboli.*

Ditare Clerum, est contra Regulam Christi.

Silvester Papa, & Constantinus Imperator erraverunt ditando Ecclesiam.

Inducit Reges & Principes sæculares, ut bona Clericorum sibi insistent, & spoliant eos.

Item, *Omnes de Ordinibus Mendicantibus esse hæreticos, & dantes eis eleëmosynam esse excommunicatos; & quòd ingredientes Ordinem, aut aliquam Religionem, eo ipso inhabiles sunt ad servanda divina Præcepta, & per consequens, perveniendi ad Regnum cœlorum, nisi apostatarint ab eisdem.*

Et sic suadet apostasiam, & multa alia enormia inveniet in suo Dialogo, & plures alios errores in suo Trialogo, & aliis Libris suis, prout patet in Articulis damnatis repertis in Libris suis.

Item, *Papa cum omnibus Clericis suis possessiones habentibus est hæreticus, eo quòd possessiones habet, & omnes ejus consentientes, scilicet Domini sæculares, & laïci ceteri: & propter hoc Papa neminem potest judicare de hæresi, eo quòd sit hæreticus.*

Item, *Ecclesia Romana est Synagoga sathanæ, nec Papa est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum.*

Item, *Decretales, Epistolæ sunt apocrisæ, & seducunt à Fide Christi; & Clerici sunt stulti, eo quòd eas student. Imperator & Domini sæculares seducti sunt à diabolo, ut Ecclesiam Dei bonis dotarent temporalibus.*

Item, *Electio Papæ à Cardinalibus per diabolum introducta.*

Et ideò suadet à Papa & Cardinalibus recedere, & se simpliciter Deo committere.

Item, *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter Ecclesias.*

Item, *fatuum est credere Indulgentiis Papæ & Episcoporum.*

Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia civilia.

* *Hic aliqui d desideratur.* † *hic aliquid desideratur.*

Item, *Augustinus, Gregorius, Benedictus, Bernardus &c. damnati sunt, nisi pœnituerunt de hoc quòd habuerunt possessiones; & instituerunt, & intraverunt Religiones: & sic, à Papa, usque ad infimum Religiosum habentem possessionem, sunt hæretici.*

Item, dicit, *Omnes Religiones indifferenter introductas à diabolo.*

Quibus quidem Articulis, sicut præmittitur, lectis, præfatus Walterius Rector scrutatis votis, A auditisque vocibus omnium & singulorum Magistrorum dictæ Universitatis ibidem præsentium, dictamque Universitatem repræsentantium, tandem secundùm pluralitatem vocum, per dictam Universitatem fuit conclusum, quòd nullus dogmatiset, prædicet, vel asserat publicè, vel occultè Articulos suprà scriptos, dicto Domino Walterio Rectori per Dominos Joannem Officialem, & Vencesslaum Archidiaconum supra scriptos, præsentatos, ut præmittitur, sub pœna præstiti juramenti.

Super quibus omnibus & singulis, præfatus Dominus & Magister Walterius Rector, suo, & dictæ Universitatis Studii Pragensis nomine, petunt sibi per me Notarium publicum infrà scriptum, fieri & confici unum, vel plura, vel publica, Instrumentum, vel Instrumenta.

Acta sunt hæc Anno, Indictione, die, Mense, hora, Pontificatu, & loco quibus supra; B præsentibus discretis viris Gregorio, Mathiæ Lermerguit*, Nicolào de Sylema Aomnoënsis Diœcesis, Paulo Nicolai de Altamutta Luchleusensis Diœcesis, Clericis & sæcularibus Universitatis Studii Pragensis prædicti, testibus ad præmissa vocatis, & rogatis. *Sic signatum.*

Et ego Michaël, natus quondam Nicolai de Prachatuz, Pragensis Diœcesis, publicus Imperiali autoritate Notarius, prædictæ Congregationi &c.

* *Locus corruptus.*

PROLIXA EPISTOLA

Caroli VI. Francorum Regis.

Cod. 2538. fol. 358.

Exhibita in Natione Gallicana, & lecta die Jovis, nona Mensis Julii. Anno XVI.

C CArolus, Dei gratiâ, Francorum Rex.

Dilectis nostris Præsidenti, ceterisque viris eruditissimis in sacra Constantiensi Synodo Gallicanam Nationem repræsentantibus, salutem: & ad ea quæ pacis & veritatis sunt, assiduos conferre labores. Data IX. Julii.

Thesaurum pretiosissimum, speciosam margaritam in Galliis pridem thesaurisavit Altissimus, qui Fidem nostris Patribus, cordibus, devotione, brachiique potestate servandam disposuit, & nos hujus pietatis, tantæque Religionis imitatores esse docet ipsa filialis sequacitas, & beneficiorum Dei non immemor obligatio.

Cùm igitur doctrina feralis, Secta horrisona, fomesque malorum Magistri Joannis Parvi Propo- D sitio, Regni nostri tempora pacifica, atque aurea quasi sæcula in sanguinis ætatem, in belli rabiem commutavit; super ejus damnatione scribimus sacro Concilio sub hac forma.

Sacrosanctæ Constantiensi Synodo in Spiritu sancto legitimè congregatæ, Universalem Ecclesiam repræsentanti.

Carolus Dei gratiâ, Francorum Rex, pacis zelum, & in solicitudine omnium Ecclesiarum, quantùm temporalia possunt vestris spiri-

spiritualibus cooperari vigiliis. *Gratia vobis, & pax impleatur* * in cognitione Domini nostri Jesu Christi. 1. *Pet.* 1. 2. Reges Gentium & quibus potestas à Domino Deo est, populorum Principes, quantò divinæ potestatis ampliora dona participant, tantò magis se Fidei tutores, & strictis astrictos Legibus profiteri tenentur, ut qui Reges uncti sunt, in ceteros Fide & sanctitate probati colluceant. Hinc ille Judas victoriosissimus Machabæus irâ succensus per zelum, audientibus populis exclamavit: *Melius nobis mori, quam videre mala gentis nostræ & sanctorum.* 1. Mach. III. 59.

Hinc Gentilium multos legimus mortis imperterritæ tulisse pericula, ut Religionem, cultumque suum neque minui, neque contaminari passi sint; quin etiam caput objicerent: quoniam majori vinculo divinis ligantur qui servitutibus eximuntur humanis; quas enim pœnas minoribus comminantur, major † eis Dominus infligit.

In testimonium Zedechias Rex jam veniat, quia enim despexit Mandata Domini, dixit Altissimus: *Non erit ex eo qui sedeat super solium David: & cadaver ejus projicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem; Visitabo contra eum & semen ejus iniquitates suas.* Jerem. XXXVI. 30. 31. *Judicium namque durissimum in iis qui præsunt fiet: exiguo concedetur misericordia; potentes verò potenter tormenta patientur.* Sap. VI. 6. 7.

Satis itaque diversis Scripturæ passibus deductum est, spirituales Leges temporalibus auxiliis deffendendas, & totum cor hominis Principis Fidei fervore succendendum. Sed magis in iis beneficiis perurgemur, quoniam veteres nostros Progenitores & Gallica sceptra magni decoris munere regnans in altissimis adornavit, cùm arma nostræ terrenæ militiæ supremo demisit olympo, nobis in pignus armaturæ Dei per tempora reservanda, quæ non carnalis est, sed potentia Dei, ad destruendum munitiones, & omnem altitudinem se extollentem adversùs scientiam Dei. Hac in cœlica missione nihil aliud longæva vetustas nobis posteris intelligendum servavit, quàm id velle Deum, donaque ingentia designare, ut contra adversantia Fidei, vitam periculis, & propugnacula malis insurgentibus poneremus.

Hæc autem cùm in mentem veniunt, cùm tam admirabile dilectionis insignium, attestationesque secutas inclinata mente recolimus, nostrosque animos, & spes & metus excitant, ac undè bona successura speramus, maximè ex adverso ventura timemus incommoda; nos Fides, nos pietas & Jura ligant, ut quò magis tanti beneficii sumus participes, id operibus & exemplis non ingrati testemur, & eam gratiam, quam in nobis operatus est Dominus non in vacuum recipiamus, dùm vita manebit, & nostris sub Imperiis Gallicana prospera tellus, non arguemur in Fide degeneres, non à sanguine, quo ducti sumus, efficiemur alieni, erimusque memores quâ stirpe sumus creati, & Patrum decus retinebimus.

Si præterea in præsentem revocare memoriam jam convenit, quantum Gallia Fidei præstitit incrementum, quis nesciat? Quid Caroli Magni arduos ausus, & decertatas pro Fide pugnas opus est in testimonium trahere, & cœlitùs ostensa sæpè loqui prodigia? Verba factis, & tempus locutioni deessent.

Quotiens sedata scismata, conciliatam pacem, fractos rebelles, & restitutas Ecclesiæ sedes Gallicana virtute refert historica series; ipseque Leo Papa satis in exemplo est.

Non vana loquimur, non fictam orationem componimus, restant incomprehensibilia signa, idque rei fixam affert certitudinem, quòd pretiosa morte quæsita & sanguine Gallico parta Dominicæ Passionis signacula, Crucem & spineam Coronam intùs habeamus, quo nos ornatiores, tutosque magis, & ab erroris macula decet inveniri puriores.

Non hæc ad arrogantiam, non ad inanem gloriam referimus: in iis Dei laus nostrum vinculum est, & nos magis Mandatorum Dei debitores, quàm gloriosorum autores operum explicamus.

A Sed qui suis durum fortasse dat certamen, ut placidior sequatur victoria, longa pace, & justissima quiete immotos olim animos ab Annis decem suscitavit ad iras. Nam ob ambitionem, pace Regni nostri deserta, bellorumque jactis quibusdam seminariis, cùm crudelis ubique pavor, omni ex parte lacrymæ, & quaquaversùm gemitus resonarent, Legesque furori succumberent: vir unus damnati propositi qui rumpere fœdus natus, qui struere insidias, & serere mortem, & si non aliquâ nocuisset mortuus esset, germani nostri suavissimi, quo non nobis junctior alter, nec nostri Statûs amantior, & in cujus industria Regni nostri gloriam sperabamus, inopina morte, truculentaque nece superbus, nostra gaudia mutavit in luctum, atque osculo, tecta fraude, nos dulci & unica fraternitate privavit, etiam sanguine nostræ Domus, B suæque, si non eundem indignum tanta reddidisset atrocitas, lutum fœtidum † & platearum ignominiosè respersis immunditiam, non insonabat ejus in auribus: Habeto cum sanguine pacem, & per hoc habebis fructus optimos, & eris omnipotens contrà hostes tuos. Sed dùm efficeret quod cupiebat, neque quantum scelus pararet, neque quem offenderet cogitavit.

Ut autem nihil dolis intemptatum superesset, si peccasse anteà satis erat, fuit in peccato perstitisse deterius, & error in principio magnus, factus est in fine permaximus. Ille enim quem nec longa dies, nec pietas ulla mitigat, quod contra humana, divinaque commiserat, quasi Deo autotore, Fideque suadente, factum defensare studebat. O scelus, ô inauditam sceleris blasphemiam!

Clamat Fides. *Non occides: Non perjurabis.* Non sunt hæc ab hominum fidelium occulta judiciis. C Non hæc ex abditis Theologicæ doctrinæ parabolis: clara sunt, usitata sunt, principia sunt, & nos in iis hæsitabimus; ut etiam Christiana Religio manibus sanguine pollutis non interpretanda sit, & velut scopus repercussus, in omnem partem humani desiderii revolvenda.

Absit à fidelium cordibus, Legem Domini immaculatam sic ab hominum ludificari malitia; ut humanæ corruptioni, nostrisque peccatis subserviat, tantumque quisque Scripturarum possit invenire præsidium, quantum sui ipsius ad inducendà flagitia præstabit ingenium, redeatque illud Salvatoris; *Irritum fecistis Mandatum meum, propter Traditiones vestras.* Matth. XV. 6.

Sed quid plùs, ut scripta manerent, pestisque tantæ contagionis transiret in populos, codicillum damnationis, librum mortis, cartulam opprobrii, epistolam ex tenebris infernalibus, ex quibus fe- D ritatis reservat effigiem lapsam, ut creditur, per nostræ regionis mansiones scripsit in volumina, & homicidii Justificationem nuncupavit.

Videte, res ipsa quantùm nomini respondeat: quæ formaliter discrepant, quo pacto pariter uniantur. Quid est quod justitiæ capitalius adversatur, aut eam ferociùs impugnat, ipso infideli homicidio, & nos ea simul conjungemus? Hac in re nihil pallii, nemo publicatas voces, nemo certitudinem & famam poterit evadere. Ipsa Propositio Magistri Joannis Parvi, quam Justificationem Ducis Burgun-

* *multiplicetur.* † *forsan* majores.

† Locus corruptus.

gundiæ semper intitulavit, hanc mercenariis ex scriptoribus vulgus insaniens, & scandalisati insipientes pecuniis comparabant; quoniam quibus nullæ opes sunt in civitate, bonis invident, malos extollunt, odêre vetera, & nova amant: hanc turba relegens in vicinis vicissim in alterutrum commutabat, ipsaque illius temporis rumor, & solus sermo sic animos tenuit occupatos, ut bello dissueta corda murmur effrenique motus infestarent.

Hæc paci contraria nostræ, hæc nostri temporis macula; per eam mille nocendi artes, per eam nullus innocenti locus, quantaque indè scandala secuta sint, nos ipsi scimus, qui Regno per eam seditionibus exposito, atque ad mortem diviso præsidemus.

Nimiùm hæc, heu nimiùm cognita nobis: et si Regi offenso, atque neminem offendenti non creditur; quomodò etiam offensori, cui plusquàm satis indultum est, fides erit? Verba ad partem facit, garrit in aures, & more suo, scripta & dicta ferit impropria.

Sed desinat, quæsumus, maledicere, malefacta ne noscat sua, & si ea perget quæ vult dicere, forsan quæ non audiet. Nos autem eam vocatam Justificationem, aut pro re magis aptè dicamus injustitiæ reduplicationem, quam nemo plana fronte, nemò nisi dejectis oculis, & circumferentialiter vacillando defendit, impugnamus, detestamur, & propriis in damnis percipimus. Quanta, cùm in toto delebitur, succedet utilitas? Credite, & Deum testamur, quòd doctrina illius pestiferas reliquias, & nati natorum percipient, & qui nascentur ab illis: sed secundùm multitudinem afflictionum nostrarum consolationes vestræ.

Igitur quam nostris à Patribus suscepimus Fidem sequentes, & nostrorum subditorum corda placare, tantique motus parati sedare fragorem, postquàm Catilinarios compescuimus impetus, cessaratque furoris rabies proborum monitis, & Filiæ nostræ dilectissimæ Universitatis Parisiensis probatissimo consilio, discussione priùs in tempus circiter trium protractu Mensium, & ut in Fide licèt in aperto peritorum auditis judiciis eandem Propositionem, & novem pestes diabolicas in ea contentas, per dilectum Consiliarium nostrum Episcopum Parisiensem, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis damnatas, & publicè concrematas, etiam damnabiles, & à populorum mentibus resecandas putavimus: eundem Episcopum ad rei complementum, & damnationis executionem exhortantes, & quærentes offensæ publicæ pœnam notoriam respondere, quod sincerè in actum perductum est. Tantæ verò reparationis gratiâ, tempora posteriùs fortunaciora vidimus, & velut cùm seditio coorta est,

Sævitque animis ignobile vulgus:

Neptunio more procellis odiorum, motibus violentis silentium dedimus, cùm nostra authoritate eandem jussimus, adjunctis nostris Litteris publicari Sententiam, & causam hanc in Præceptis divinam, nostram autem obedientiâ defendendam, atque propriam suscepimus.

Sed iterùm revocare dolorem, infandaque rerum pericula metuere rei novitate cogimur, cùm fama refert, ex Cardinalibus sanctæ Sedis tres sinistram, proh dolor; & volatilem tulisse Sententiam, quam nos dissentionis permanentiam reputamus; & quæ zelo Fidei facta sunt, humano damnasse, non dicimus favore, sed forsan timore leviori. Novimus undè hæc venenumque fumali evaporatione se ostendit.

Proh æquissimæ Deus, quantum malorum patiens in tua Ecclesia permittis spectaculum! Terror ipse mortalis si consurgit, ad illud evangelicum convertamur; *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Joan. VIII. 32. Si nos digni essemus; si sic malè meriti, ut adversùs Regnum nostrum in causa propria velocem & intolleratam contumeliam pateremur, Fides indigna * tamen, ut in nostra injuria læderetur:

Non mundanas re tanta conciliamus amicitias, non familiaria petimus, commune & catholicum est quod quæritur; sed inter eos sunt qui conturbant & volunt convertere Evangelium Christi.

A Nec mirum, cùm in Christi duodenaria sorte, unus servus nequam in fine compertus est. Timendum ne Aman ipsius mellita atque funesta semper informatio, hîc Assuerum Regem circumvenerit fortassè posteriùs increpanda: nostra autem sceptra, nostra Regia progenies si talibus invisa sit, saltem Fidem in eorum oculis placuisse putabatur. Quia verò *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Heb. 11. 6. disposuit Dominus, ut quod ex bonitate animi procedebat, nihil ponderis, nihilque gravitatis haberet, atque injurioso Judicio Juris ordinata forma deesset.

Quid primum ex injustitiis re in tanta commissis referimus? Apud nos factus processus, spatio & digestione probatus, in sacculo ligato rejicitur. Et si fortassè manus obliviosa sacrum Evangelium in sacco miscuisset, ipsum etiam cum sacco reprobum arguissent.

B Prætereà Justitiæ directrix audientia negata est, nihilque præter improperia, & adversùs nostrum honorem probra infestissima nostri Ambassiatores retulerunt.

Affirmamus, & nobis ipsis conscii sumus, nihil adversùs Ecclesiam, aut ipsos, tale promeruisse, ut ab iis rejecti sumus, ad quæ Jura viros perditissimos, hominesque plectendos admittunt. In hoc tamen gloriamur, si gloriari oportet, quoniam Hilarium pro Fide Sedibus pulsum, & terram, quæ Domini est, exposcentem, in exemplar habemus.

Sic tu Galliæ gratissima tellus, fortunataque, si te tanti erroris plaga non tetigisset, pro Fide subjaces opprobriis, aperuisti gremium tuum, largita es operam, nec opes tuas in solitudine consumpsisti: & tu derelicta pro Fide conculcaberis, & ex Fidei damno tua comparentur incommoda, ac pro te Fides, & tu pro Fide patiaris, deque

C tuis quam fortassè per te sumpsisses, ab alienis honestiùs expectatam pro Fide non justitiam invenies.

Quid ultra? Ut nihil caliginis, aut cæcitatis esset obmissum, noctem tanti mali comitem expectarunt, solque ipse radios abstulit indignatus, & occidua in parte scelus refugiens orbem lucidum, reclinavit; ita ut in tenebris mentis & corporis processum apud nos in luce factum, erroris que confusionem annullarant errantes, dictorum Episcopi, & Inquisitoris Procuratore à sua justa repulso instantia.

Super hæc omnia, quoniam nihil pudet assueto sceleri, & crescente malitia, cresceret maleficii voluntas, citatio in causa appellationis negata est, & nostra pro parte justas preces Ambassiatores inaniter consumpserunt. Quod si Judicis æterni timor, & patientiæ salutaris dilectio; Fidei, sa-

D crique Concilii decus non plus nostros animos, quàm suos perurgerent ulcisci remediis. Utinam atque utinam, discussâ mentis nebulâ etiam ad plenum cognoscerent, quantùm hæc, non dicimus Propositio; sed bonorum propositorum infectio nostra in ditione fecerit excidium: eorum tamen innovatio sopitam seditionem, & ferè placatum murmur, aut saltem errantium in cordibus reconditum foras perniciosè deducet.

Hæccine est gratia quam pro tantis laboribus, atque

* Locus corruptus † forsan reliquisset, aut alias.

atque Romanæ Ecclesiæ semper impensis obsequiis Gallia referet? Siccine est eorum extirpandorum modus, cujus causa Concilium adunatum est, & contra primas Leges humanas, atque salutem plebis in fronte Synodi ista eveniunt?

Non hæc grata vestris in oculis, æquissimi Judices; & ad divina sincerè pertractanda vocati, Patres, attendite, quæsumus, universique ex vobis id argutè digerant, quo tempore, quibus conjecturis, fictisque ducti mendaciis, hanc præcipitavêre Sententiam. Sperabant, & id facilem stillabant in aurem viros,

Qui versare solent prædas, & vivere rapto,

rerum vestrarum videre ductores, atque apud nos ferro ingredi, qui per hunc errorem Fidem egressi sunt.

Sed non sic passus qui cuncta rectè prospicit. Verum inter ea quæ Regalis cura suadet, hoc mente in nostra maximè firmavimus, ut errorem hunc, quantùm Dominus concedet, oppugnemus tanquàm particulam ex Antichristi semine, & ad humanæ pacis dissolvenda fœdera leviaticum documentum.

Quis ex manente * tutus præsidebit in populis, si Majorum adversari vitæ liceat minoribus? Si socialia confringi juramenta? Puteum fœderis cum alienis populis Abraham ipse non fodisset. Errorem hunc quicumque admittit, dominia tollat, pulchram concordiam, & strictos inter gladios vitam ducat in jurgiis. Ejus hæc sequela est, cædes inducit, violentiam armat, acuit feritatem. Hic fructus, hæc utilitas, ut omnes in alterutrum jam consurgant.

Nunc tantum nephas deflent nostro in Regno Plebani, quoniam litibus omnia commiscuit, & prima malorum origo est. Hinc sæcula ferri jam redeunt, & turbida versat omnia in periculis inclementia, atque in dies crescens dira lues, jam vicinos populos, jam Regna inficit extera, ut paci locus non sit in terra mansurus, & sicut Christi tempore pacifica rediere sæcula; sic hujus pertinacitatis errore mores tigridis, artes Ulixeas, & sanguinis ætatem conspicimus.

Nunc homines, hac instigante doctrina, proximis infesti, Majoribus contumaces, alienæ vitæ insidiatores, atque inter Principes rara Fides, aut servatæ pridem colligantiæ fida restabit securitas; quisquis coopertas teget inimicitias, morum aderit explorator: & cùm nemini datum sit, ut apud universos complaceat; plurimis concedetur, ut odium exequentes, etiam usque ad mortem ceteris displiceant.

Laudantur autenticis in scriptis, qui mortem præposuêre perjurio: quamquam verò propriè vitæ fuerint adversati, publicæ tamen incolumitati salutaria præbuerunt exempla, famaque supervixêre manentes, ut de nostrûm, & aliorum plurimis scriptum, in beneficii tanti memoriam invenitur: atque ipse Rex Sedechias se, atque populum temerariè perdidit, qui pactum ipsum cum Nabuchodonosor irritum fecerat, cùm illi assentatores blandissimi suaderent, non esse pactum cum idolatra, & cum filiis peccati nullum etiam tenax juramentum.

Undè tam obes intelligentia? Undè tam saxea nasci potuêre præcordia, ut mortem horrendam, inauditum, atque immeritum maleficium, & iniqua blandaque fide tectam tyrannidem justificatam intelligerent? Audiatur quid de hoc Lex. *Hominem homini insidiari nephas.*

Considerandum vobis relinquimus, si pœnam suos in actores Propositio retorqueat, si per assassinos occidentes plectendi sint, multùm illos capitulum in principantium securitatem editum significat, dixitque Deus: *Si quis per industriam, aut insidias occiderit proximum suum, ab altari meo evelles eum ut moriatur.* Exod. XXI. 14. Iterùm: *Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur.* ℣. 12. Ad hæc Leges, ad hæc Canonum statuta decreta sunt, Judiciorumque vigor, & Juris publici tutela in medio constituitur, ne quis sibi sumere valeat ultionem, ita ut ne Christianus permittatur sævire in Judæos, quamquam sceleribus sint impliciti. Non sic mortis arbiter vir vassallus, aut subditus, sed iis correctionis recisa potestas. Ait enim Scriptura: *Si cœperit servus percutere pueros, & ancillas; veniet Dominus, & dividet eum, & ponet partem ejus cum infidelibus.* Luc. XII. 45.

Non quis exquirere, * ne ad hoc Scripturæ partes accommodare multiplices, Decalogus ipse sufficiat, qui si jam vertitur in dubium, de Fide actum est, & perit cum suis fidelibus Lex misericordiæ, & qui non vult mortem peccatoris, ad inconcessas strages ratificandas vocabitur. Longè Psalmista mentes humanas à doctrina hac incitabat, cùm ait: *Confitemini Domino, in Psalterio decachordo.* Ps. CXLIII. 9. per quod decem Præcepta designantur.

Cedite Reges rerum habenas, linquite suis occursuras impetibus, cùm nocendi & innocendi potestas, quæ à Domino Deo est, in universorum venit arbitrium, & qui potens est inimicari, falsumque conficere crimen, etiam pœnas infligendi sibi ipsi potestatem largiatur. Sic rerum vocabulis abutemur; ut præceps & nefaria temeritas, virtus & fortitudo vocetur. O quis eventus? Quæ affectionum in terra turbulenta conjunctio! Ubi sic rarescet fidelitas! Ubi sic perjuria crebrescunt!

Vos finem in principiis legite, & credite verbo quod nos Magistra rerum exparientia docuit operibus: scitote & res scripta firmabit, quòd illa qualiscumque trium Cardinalium indispositio, incitamenta furoris, atque scandalum nuper obstinatis in cordibus peperisset, si non Concilia obstitissent. Nam qui quod cupiunt sibi jam adimpleri promittunt, clamant Concilio autorisatas hæreses, ratificatam Propositionem, & ludibrio nostros Ambassiatores expositos, pœnas atro in carcere luere, errorque novissimus, prioribus poterit esse deterior.

Recolimus Granderium scripsisse, Aristotelem....† quòd consuetudo audiendi falsa, facit ea credere. Et in hujus erroris multiplicatione, ad hoc ventum est, simplexque & mobile vulgus ad invidiam natum, à majoribus audita sæpè fortiter imprimit: quod in Arriano errore dudùm satis explotata prisca scripta describunt: & ipsius Joannis Hus excrescens doctrina manifestat; propterea tolli necesse est, priusquàm radices magis in profundum deduxerit.

Nunc nunc quæ virtus animo est, aut quæ viris constantia videbitur, ut si deficiente Justitia suppleat feritas, & minis intonet, aut sub vellere molli lupus latitans verbis laqueos apparabit, vincat ubique Fides.

Rogamus igitur Cœtum vestrum sacerrimum, per eumque in quem vocati estis Spiritum Paraclitum obtestamur, si qua restat adhuc mortalibus intemerata Fides: si Regnorum, præsertim Catholicorum, vultis consistentiam, Sectam hanc de medio tollite, tantamque avertite pestem.

Et jam tanti mali radicem, Assertionem hanc, *Quilibet tyrannus* &c. de medio sustulistis: super quo grates persolvere dignas, tantumque munus satis laudare non sufficimus; idque semper firmari, fixumque manere petimus, quamquam partis ami-

* Locus corruptus

* Locus corruptus † *hic aliquid desideratur.*

amici magis, quàm erroris inimici, quid ad turpitudinem, Gallorumque inauditum opprobrium damnationem hanc cedere collocantur *; & Galliam monstris erroris nusquam infectam magnam asserunt hac in damnatione maculam reportare, quoniam Gallicus error vocabitur.

Sed quid sanctius, aut manentis erroris, aut damnati verba referri, ubi nullum certamen, nusquàm victoria, probaturque Fides, cùm errantium surgit iniquitas. Non Paulus reportavit opprobrium, cùm ex persecutore Pastor effectus est, A neque errore carere rectè constanterque putabitur, cui cum errore nulla dimicatio.

Novem ergo ydræ capita, quæ iterùm amputata nascuntur, celeriter rescindatis, aut populus vitam dura per disturbia ducet; quoniam hic morbus cancro similis, in membra pollitica serpit; & tardatum medicamen tardiùs languorem protelatum curabit. Regni nostri servetur honos, & infracta Consiliarii nostri Parisiensis Episcopi, tantos servata per annos, firmataque ad ea quæ Fidei sunt, cùm sapientum judicio cognoscenda maneat autoritas, cui nos semper adesse, & eundem in iis manutenere, Clericorum, qui Dei gratiâ, apud nos abundant industria ** proponimus, idque nos conturbat, quòd quis ejus omnimodam autoritatem in rebus Fidei decernendis ab eo submovendam falsè conjecturant, ut, eo pacto, in Fidei causa offendiculum interponant: quoniam verò Fides, & B Mandata Dei æterna, adeò pura, ut nihil mortalis fragilitas, nihil terrenæ concupiscentiæ, cùm tractantur, admisceant, solam hac in causa petimus planitiem, ut nihil occultum, nibil particularibus tectum colloquiis tantum processum infucat †, omnia elucescant.

Prodeant in lucem singula, ut lucis positum juxta positum clariùs agnoscatur. Satis excrevit hominum malitia, satis artis vulpinæ superest, ut ituri in vineam Domini, colonorum specie, pretio conducti, mercenarii eam dissipent, & jam verba volant, id conari malignos, ut Mendicantium quorumdam paupertatem lucro circumveniant, eosdemque ad Concilium traxêre pecuniis; quæ res minorem in actis posset afferre gravitatem, & in viris status, & gradus altiores habentibus, minor inerit credulitas.

Sed si publica erunt omnia, si coram cunctis C data sermonis, aut scripti copia, ubi mentis erit corruptio? Rubor oris notabit, & anguis in herba latens resiliet, quoniam nullum magis esse conscium peccatorum timendum, quàm precantem, alienum potest effugere Judicem, non verò se ipsum. Plana verò brevitate non aliud utilius, apertoque & universali in Judicio suspectum nihil, propterea de fautoria jam suspectos rebus non immisceri licebit.

Audivimus autem unum, quod ægerrimè ferendum est, quosdam tantum nostrum in caput conjecisse pudorem, ut hujus Propositionis damnationem menti nostræ nihil attinere locuti sunt, quod, nostræ proli, nobisque injuriosum accipimus, cùm tali nos sermone de infidelitate, & in subditos salubriter regendos negligentia jam increpant. Inter autem universa desideria, quæ dilata nos affligunt; hoc unum majori cum tristitia sustinemus, quòd rei tam facilis reparatio differatur; nec mirum si Fidei dilectionem retinemus, ⟂ nam domui D habuimus undè.

Sed qui redire nescit, cujus semel periit pudor, ab eorum linguis sublatus, nec infinita mendacia collorari sufficiunt, cùm semel lingua dolosa mentita est, cùm mendacia admittenda, & committenda prædicant: Sed *Qui dixit se nosse Deum, & Mandata ejus non custodit, mendax est.* 2. Joan. II. 4. Et *Perdet* Deus *qui loquuntur mendacium.* Ps. v. 7.

* colloquantur ** *hic aliquid desideratur.*

† *forsan* infuscat ⟂ Locus corruptus.

Si Litteras ostendunt adversarii; si nostro jussu factis statutis, aut Litterarum Mandatis se protegant, vos fallunt: nam quæcumque concessimus, jure Fidei semper salvo data sunt, & cùm Fidei subjicimur, nihil nostris in scriptis adjecimus quod Fidem velimus offensare. Solos igitur illos nostra pro parte crédite loquentes, quibus à nobis in re tanta potestas, dilectos nostros Ambassiatores, quos vestris Paternitatibus cum sua salute, salvaque quiete commendamus. Quidquid enim Regis Gallorum nomine dixerint, nostrum est, ratum habemus & acceptum, iisque amplam in iis dedimus potestatem, & vos eorum dicta fidelia reputetis, patiens præstetur audientia, benignaque susceptio: si qui autem ex Regnicolis nostris, eorum legationi, personarumve incolumitati adversati sint, competenti & nobis reservata correctione quid vota nostra velint perhibebimus; scimus enim dura pati, & audire maligna, nostros eosdem & vos iis vestrâ curâ sapienter occurretis.

Vos igitur viam mortis præcludere, & cùm hujus erroris occasione non sit finis peccatis, dictis finem facite. Nam in Mandatis Dei si non ambulaverimus, si sic homines divina irritent; super nos venient mala; multa enim promissis Abrahæ locutus est Dominus, sed semper conditionem adjecit; *Si custodierint filii tui mandata mea.* Et nos ipsi reminiscimur, quoniam propter divinæ Majestatis, Religionis, Fideique contemptum, Juda & Israël defecerunt, & id non immemores ad nostra tempora conferimus.

Ad vos igitur confugimus, vos nostri splendor sæculi, vos regula vitæ, qui dare pacem Gentibus, illuminare patriam satagitis, fessis animis succurrite: si Fidem clamantem, si exorta scandala, si Regem exorantem non audieritis, quomodò minores exaudietis? Si in populo acquisitionis, in gente sancta hæc impunè penetrent; quid simplices & illiterati cogitabunt? Excogitat justus de domo impii quomodò detrahat eum à malo, & qui proximorum mala respiciunt, & linguam in silentio præmunt, quasi conspectis vulneribus, usum medicaminis substrahunt, & ea * mortis autores fiunt, quo virus, quod curare poterant, noluerunt. Veritatem meditetur guttur vestrum, & labia vestra detestantur impium; & si genus humanum, nulli favendo tempnitis, sperate Deum memorem fandi atque nefandi: *discant que populi moniti Justitiam, & non tempnere divos*: & que † Dominus jocunditatem, & reconvalescente Fide super vos exaltationem, & nomine æterno vos hereditet Deus noster.

Scriptum Parisius. Anno Domini millesimo quadringentesimo sexto decimo; Regni verò nostri, tricesimo sexto.

* Locus corruptus. † *forsan* dabitque

Continuatio Litteræ, ad Nationem.

QUoniam verò vos ipsi scitis, & testes estis quos Gallia fovit, quanta illius doctrinæ feritate pertulimus, & quisquis Gallorum hæc ignorat, se nihil scire fateatur, atque obtusa gerit pectora, cui ex sola recordatione præteritorum, aut tremor interiora, vel exteriora lacrimæ non occupant.

Ad rem hanc manum mittite, qui Fidei vinculo, qui natalis terræ debito fortiùs manetis alligati: si quis Dei timor, aut patriæ dulcis amor superest, id pateat, vestra salus est Galliæ felicitas.

Confidimus vos huic sancto fortiùs aspirare laborari *, & Regios affectus Fidei succendere fervorem, ut si extrà sapitis, in iis quæ intrà sunt Patrum, & patriæ præstatura salutem præstantiùs vacaretis.

* *forsan* laborari

Sæpe

Sæpe & plusquàm sæpe vir animalis, terrena sapiens, qui usque ad contemptum Dei se extollit, maligna seminat; sed virilis animus, cui in corde Fides, & ante oculos Dominus, non huc & illuc faciliter impellitur.

Rogamus igitur amicitias vestras, per si quid mentibus Fides, & gratissima tellus imprimunt, vincite magnanimes, tantamque malitiam vobis apertam oppugnetis, atque aliquid addat fervoris Fidei preces regias astitisse, & in præteritis si pusillanimitas affuerit, compensate futuris.

Hanc Gallicanam, nostramque causam reputamus & pridem reputavimus, neque tam turpe Galliæ particulam monstrum hoc fecisse, quantùm in non adversum jaculari verecundum.

Caruit monstris Gallia, quæ de monstris gloriosum reportavit triumphum, & nos famam hanc sequamur † egregiamur, ut nostra in tempora deperdatur, experiemur in iis, & Galliæ videbimus amatores. Sit Dominus in medio vestri, pacem & veritatem diffundens. Datum ut supra.

Per Regem in suo magno Consilio.

GOUTTIER. *

Collatio fit cum Litteris orginalibus superiùs insertis.

† locus corruptus. * GOUFFIER

EPISTOLA
DUCIS BURGUNDIÆ.
Lecta in Concilio Constantiensi.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

1416. Die xv. Julii. PEr hoc præsens publicum Instrumentum cunctis pateat evidenter, manifestumque existat, quòd Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo sexto decimo, Indictione nona, die Mercurii quinta decima Mensis Julii, Apostolica Sede Pastore carente, horâ sextâ post mediam noctem, in magno Refectorio domûs Fratrum Prædicatorum Constantiensis, fuit de Mandato Reverendissimi in Christo Patris, & Domini, Domini Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, famosæ, inclytæque Nationis Gallicanæ Præsidentis, Natio prædicta solemniter congregata, pro nonnullis tractandis, proponendis, & peragendis negotiis sacrum Constantiæ Concilium tangentibus, & concernentibus.

Et cùm dicta Natio, unà cum dicto Domino Præsidente esset notabiliter congregata, fuissentque in eadem multa proposita & discussa. Reverendus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Martinus Episcopus Attrebatensis dixit, quòd sibi fuerat per ipsum Dominum Præsidentem, & etiam per præfatam Nationem audientia concessa, & replicare posset contra aliqua dicta, & proposita per venerabilem, & circunspectum virum, Magistrum Joannem de Gersono, sacræ Theologiæ Professorem, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis; & aliquas Litteras ex parte Illustrissimi Principis, & Domini, Domini Joannis, Ducis Burgundiæ, Comitis Flandriæ, &c. dictæ Nationi directas præsentare.

Quibus dictis, fuit sibi dictum per dictum Dominum Præsidentem, de consensu dictæ Congregationis, quòd in nomine Domini ipse diceret, & proponeret, cum modestia & mansuetudine, quidquid vellet.

Et tunc idem Dominus Attrebatensis proposuit, & posuit thema, seu assumptum; *Opus justitiæ erit pax.* Quod deduxit, ut est moris, ad exhortationem justitiæ, ut sequatur pax; & postmodùm præsentavit Litteras per præfatum Dominum Ducem Burgundiæ dictæ Gallicanæ Nationi directas, quæ alta & intelligibili voce, in Congregatione dictæ Nationis fuerunt per me Joannem Guinardi, dictæ Nationis Notarium, lectæ: quibus lectis, præfatus Magister Joannes de Gersono, nomine, & ut tanquàm Ambassiator & Procurator Serenissimi, Christianissimique Principis Domini Nostri Francorum Regis, petiit, copiam earum, sub publico documento, & in publicam formam sibi fieri per me dictum Notarium, ad futuram rei memoriam.

Tenor verò dictarum Litterarum, quæ clausæ erant, & signeto præfati Domini Burgundiæ Ducis, cum impressione armarum suarum, in parvo scuto, in cera rubea signatæ ab exrrà; & ab intrà manu propria etiam ipsius Domini Ducis signatæ, sequitur de verbo ad verbum, in hunc modum, cum omnibus signaturis earumdem ab extrà.

Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis generaliter Nationem Franciæ in sacratissimo Constantiensi Concilio repræsentantibus, amicis nostris præcarissimis.

Ab intrà.

Reverendissimi Patres, Domini & amici mei predilecti.

Sicuti ceteras inter virtutes nihil beatius, nilque perfectius gloriosiusvè quàm justitiam, & æquitatem unicuique, omni sedata collusione, omnique favore etiam inordinato, ac timore semotis, irreprehensibiliter cum faciei alacritate, lætitiaque inexhausta, & libratim tribuere, prout divina, ac canonica Jura cavere non desinunt, pariter & humana: itaque, ordine retrogrado, nihil ignominiosius, nilque discriminiosius, seu vituperiosius, quàm hujuscemodi justitiam & æquitatem sitientibus denegare.

Hinc est, Reverendissimi Patres, Domini, & amici mei carissimi, quòd nuper ad meum pervenit auditum, quòd adversarii mei in Constantia commorantes, in eorum pertinacia & continuata astucia perseverare non formidantes; qui totius universalis Ecclesiæ Judicium, & ejus auctoritatem damnabiliter usurpare moliuntur, in Dei offensam, & sacratissimi Concilii vilipendium, & contemptum, summam * non in mei, sed Fidei orthodoxæ favorem, tam canonicè, & juridicè prolatam subvertere, & prætextu quarumdam prætensarum Litterarum, ab audientia Domini mei Regis per eosdem adversarios, subreptitiè tamen, tacita veritate & expressa falsitate, obtentarum; quibus mediantibus, eundem Dominum meum Regem, licèt innocentem, michi, & Sententiæ prædictis satagunt adversari, & eandem Sententiam, ejusque effectum per minas & conjecturas damnabiles irritare.

Quo circà, Reverendissimi Patres, Domini, & amici mei carissimi, advertere degnemini, si prætensæ Litteræ, de mente, vel scientia Domini mei Regis processerint, attenta cordiali & sincera dilectione, ac perfecta fidelitate, quàm ergà ipsum Dominum meum, sine intermissione quacumque, gessi, & gero, quamque conformiter eumdem Dominum meum Regem ergà mutuò semper habuisse, & habere non dubito: rursùm à quibus, & per quos audientia, justitia, & auctoritas dicti Domini mei captivatur, sigilla regia detinentur, Ecclesia Gallicana, & totius Regni Respublica confunditur, & quasi in nichilum redigitur.

Advertant denique memorare † Paternitates vestræ Reverendissimæ, si præfati adversarii, & præsertim Magister Joannes de Gerson, cum suis complicibus, præcursores Zabuli fuerint, & sint tot homici-

* forsan Sententiam. † forsan memoratæ.

micidiorum, incendiorum, sacrilegiorum, raptuum, & naufragiorum, guerrarum, & divisionum, civitatum & villarum depopulationum, & aliorum scandalorum in Galliarum partibus currentium promotores, & quasi Regni ipsius destructores; ac quot Tractatuum pacis juratis *, & juramentorum fractores & violatores.

Quibus præmissis, prout indubiè sperandum est, maturè digestis, eisdem vestris Reverendissimis Paternitatibus supplico, quatenùs in consummationem veritatis, & justitiæ, tàm Reverendissimis Patribus Dominis in causis Fidei, quàm etiam aliis Judicibus, qui quodam metu ducti, ut asseritur, causam meam ad Cancellarium remiserunt, præcipere dignemini, Sententia, & processus hujusmodi, ad honorem Dei, & ejusdem sacratissimi Concilii, meæque partis, rejectis æmulorum fallaciis, quantotiùs debitum sortiantur effectum, prosperum, & fœlicem.

Die xv. Maii. Scriptum in villa nostra Gandensi, die quintadecima Mensis Maii.

JEHAN. JOANNES *Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Arthesii, & Burgundiæ.*

YSAMBARD.

Acta, dicta, lecta & petita fuerunt supra scripta, Anno, Indictione, Mense, die & hora atque loco quibus supra; dictis præsentibus Reverendis in Christo Patribus, Dominis Joanne Vaurensi; Ogerio Aujustensi Episcopis; Nicolao de Gonnessia, & Mathæo Roder, sacræ Theologiæ Professoribus, ceterisque Dominis Prælatis, Magistris, & Doctoribus, Licentiatis, ac multis notabilibus, & egregiis viris Congregationem dictæ Nationis facientibus, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et quia ego Joannes Guinardi Clericus Picavensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritate, ac sacri Generalis Constantiensis Concilii, pro Natione Gallicana, & ejusdem Nationis Notarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic ut superiùs describuntur dicerentur, proponerentur, agerentur, & fierent: unà cum prænominatis Dominis testibus, præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audivi: ideò huic præsenti publico Instrumento, alia manu fideliter scripto, in quo Literæ, de quibus supra fit mentio, de verbo ad verbum, ut superiùs describitur, sunt insertæ; de qua insertione, cum earum originali, fidelem collationem feci, manu mea propria me subscripsi; & signum meum consuetum apposui, in fidem & testimonium ommium, & singulorum præmissorum, requisitus & rogatus. *Avec parraphe authentique à costé.*

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des RR. PP. Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé F. N. BAZIN. *Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.*

* *forsan.* juratæ.

Cod. 2538. fol. 363. verso.

Exhibita fuit hæc Cedula coram Dominis Judicibus in causis Fidei. Die XVI. *Mensis Julii. Anno.* XVI.

A CORAM * Vobis Reverendissimis, Reverendisque & eruditissimis Patribus, Dominis Judicibus, qui fuistis & estis in causis Fidei per sacrum Constantiense Concilium, & in plena Sessione, de consensu unanimi omnium Nationum, ordinati & deputati, fuerit diutiùs causa novem Assertionum in eodem Concilio, per quendam Magistrum Johannem de Gersonno, licèt calumniosè denunciatarum agitata, & adeò deducta, quòd non restet, nisi quòd juxta formam Commissionis vobis factæ, per vos fiat huic sacro Concilio ipsius causæ relatio, ut secundùm illam Concilium ipsum, & terminet, & decidat, quoad ipsas Assertiones, super quibus Magistri, Licentiati, & Bachallarii formati in Theologia, medio juramento, suas opiniones dederunt, quid sit, vel quid non sit Fide tenendum: fueritisque etiam sæpiùs, & instantiùs, repetitis vicibus, pro parte Illustrissimi Principis Domini Ducis Burgundiæ requisiti, summati, & interpellati; ut dictam relationem faceretis; & quantùm in vobis erat, justitiam in dicta causa, & præsertim eidem Domino Duci suum interesse, ad quod justè per vos admissus extiterat, pro sequenti ministraretis: in qua relatione fienda, & justitia ministranda, ad quas, prout vestro incumbebat, & incumbit commisso officio, tenebamini, & tenemini, jam à diù, cùm debitis tamen reverentia & honore loquendo, in læsionem & jacturam Justitiæ præfati Domini Ducis supersedistis, & eas plùs debito prorogastis, quamvis de causa ipsa fueritis & sitis plenissimè informati, & instructi. 1416. XVI. Julii.

B

Idcircò, ne quidquam negligentiæ, prosecutionis interesse, & justitiæ præfati Domini Ducis, & etiam Fidei, valeat in hujusmodi causa Ambassiatoribus, & Procuratoribus ejusdem Domini Ducis imputari: supplicant vestris Reverendissimis Paternitatibus iidem Ambassiatores & Procuratores, tàm ejusdem Domini Ducis, quàm suis propriis nominibus; vosque nihilominùs iterùm & iterùm, instantiùs, & instantissimè summant, interpellant, & requirunt, quatenùs in causa prædicta, relationem ejusdem & instructionem ipsius, prout merita ejus per Acta cognovistis & cognoscitis, facere, nec non justitiam, quantùm in vobis erit, præfato Domino Duci, ac etiam Fidei, pro qua constanter constare debetis, ministrare celeriter dignemini; rescecatis, & rejectis quibuscumque timoribus, & aliis occasionibus, quas pro causis † supersedeatis in eadem causa, usque ad adventum Hispanorum, vel futurum Summum Pontificem, aut aliàs quomodolibet, quæ vanæ & ineptæ videntur, velletis assumere, sive alligare, prout de facto supersessionem ipsam aliàs, ad aliquorum, pro parte, ut dicebatis Nationum, vobis factam relationem extrajudicialiter, ‡ nisi fuistis, ordinasse, quod facere minimè potuistis, etiam si Nationes singulæ in eadem supersessione consensissent, in qua tamen non creduntur aliquæ illo modo deliberasse.

C

D

Faciant igitur vestræ Reverendissimæ Paternitates in eadem causa quod in eis est, & non formident ministrare justitiam illam poscentibus, ne de negligentia, in futurum, valeatis reprehendi, & resultanter hoc sacrum Concilium, à quoquam notari; vel causas & rationes, si quas efficaces habueritis, exprimatis, quare supersedere debeatis

* *forsan.* Cùm coram.
† hìc aliquid desideratur.
‡ Locus corruptus.

tis. Aliàs dicti Ambassiatores & Procuratores protestantur de gravamine, & appellando, & de disturbiis, & scandalis, & variis tribulationibus, quæ ex hujusmodi protestationibus verisimiliter poterunt provenire. Et ita cum omni humilitate, reverentia, & honore, pro parte dictorum Ambassiatorum & Procuratorum, tàm præfati Domini Ducis, quàm suis propriis nominibus, coram vobis comparentium, supplicatur, requiritur, & postulatur.

QUINQUE MOTIVA

Seu

RATIONES

Deputatorum Nationis Gallicanæ, factæ Judicibus in causis Fidei, &c. Anno XVI. *tempore Præsidentiæ Episcopi Vaurrensis.*

Cod. 2538. fol. 318. verso. 1416.

PRimò, quòd Natio multùm mirabatur, in qua sunt multæ notabiles personæ &c. De hoc quòd ipsi Judices decreverunt dari processum partibus, ad earum instantiam; cùm nusquàm Jure cautum reperitur, quòd attestationes, seu opiniones Doctorum deberent communicari partibus, sed solùm inter Judices & debuerunt; & inter assessores causæ publicari; & hoc Natio intendebat fuisse de intentione alterius partis petentis publicationem &c. & quòd secreta causæ non debebant communicari, nisi inter Judices & Consiliarios.

Quòd appellatum per alteram partium, à Decreto publicationis facto per Judices. &c. & communicationis processus &c. appellativa pendente, fuit communicatus processus parti &c. Cùm tamen, pendente termino Apostolorum, nihil debet innovari.

Quòd cùm Rex sit admissus ad istam causam, mirabile videtur Nationi, ipso non audito, sit processum ad dictam publicationem.

Quòd propter publicationem & communicationem processus, ipsæ partes potuerunt mittere copias ad diversas partes mundi, ex quibus diversi errores poterunt germinari.

Item, propter hoc, quia magnæ sunt partes, & benè cognoscentur illi Doctores qui suas dederunt opiniones; & etiam Doctores possent opiniones suas mutare; quod non possent, post publicationem opinionum ipsas mutare, nisi cum verecundia.

Vide Concilium Constantiense. Sess. xv. Pag. 144.

Subsequens Cedula tradita fuit per Reverendos Patres, Dominos Antiochenum Patriarcham, & Gebennensem Episcopum.

Cod. 2538. fol. 364. verso

Die XVIII. Mensis Julii, quæ erat Sabbati ante Magdalenam.

S*Acro-sancta Generalis Constantiensis Synodus in Spiritu Sancto legitimè congregata.*

Ad æternam rei memoriam.

„ CUm super infra scriptis Assertionibus, per Judices in causis Fidei à nobis deputatos, „ habita matura deliberatione cum Doctoribus & „ Magistris utriusque Juris, divini, & humani, „ in multitudine copiosa, veritatem diù examinari „ fecerimus; & tandem causâ hujusmodi plenè A „ discussâ, compertum extiterit, dictas Assertiones non tanquàm hæreticas, sed aliàs tanquàm „ scandalosas, piarumque aurium offensivas, reprobandas. Nos, cupientes pacem inter Christicolas nostris temporibus prosperari, periculisque, ac scandalis obviare, Assertiones ipsas, „ ad evitandum scandala, de cetero dogmatisari, „ prædicari, teneri, approbari districtiùs inhibentes; eos autem qui secùs egerint, animadversione Canonica decernimus puniendos: in „ nullo tamen, propter hoc, dilecto Ecclesiæ Filio „ Johanni Duci Burgundiæ Illustri volumus derogari, quoniam tam per Litteras suas, quàm „ aliàs nobis legitimè constitit, eum earumdem „ Assertionum non fuisse inventorem, assertorem, fautorem, nec aliàs deffensorem, sub „ obedientiaque & Doctrina Ecclesiæ Sacro-sanctæ, B „ in iis quæ pertinent ad salutem animarum, „ vixisse, & vivere velle, sicut sui Progenitores „ illustres, velut fideles Catholici vivere consueverunt.,

Tenor dictarum Assertionum sequitur in hunc modum.

„ *Sacro-sancta Generalis Constantiensis Synodus.* &c.

„ Ad perpetuam rei memoriam.

„ Cùm dudùm venerabilis Frater, Gerardus „ Episcopus Parisiensis, & dilectus Ecclesiæ Filius Inquisitor Fidei quandam Sententiam Assertionum infra scriptarum condemnatoriam protulerint, & deindè causâ hujusmodi ad Sedem „ Apostolicam devolutâ, Judices per olim Johannem Papam XXIII. antè ejus canonicam depositionem à Papatu, super hoc deputati, ex certis C „ causis animam eorum moventibus, dictam Sententiam pronunciaverint esse nullam, ex quo „ scandalum apud carissimum & Christianissimum Ecclesiæ Filium Carolum Regem Franciæ, & Regnicolas Regni ejusdem oriri comprobatur non modicum.

„ Nos intendentes materiam scandali, quantùm „ cum Deo possumus, sine offensa Dei, & Justitiæ auferre, præsentita intentione dictorum Judicum pronunciamus, decernimus & declaramus, ac etiam diffinimus per dictam Sententiam, super dicta nullitate, ut præmittitur, prolatam, nullum præjudicium factum esse Episcopo „ Parisiensi & Inquisitori præfatis, quominùs cognoscere possint & judicare de quibuscumque „ erroribus in Fide, & aliis in casibus, in quibus „ de Jure, vel antiqua, & approbata consuetudine „ id facere possunt; dicta Sententia, & aliis indè D „ secutis, in aliquo non obstante.

Tenor verò dictarum Assertionum sequitur in hunc modum: & ponatur; & deindè addatur tenor dictæ Sententiæ nullitatis.

fol. 365. *Die* XXVII. *fuit tradita sequens Cedula Dominis Patriarchæ Antiocheno, & Episcopo Gebennensi.*

Composita die Sabbati xxv. Mensis Julii 1416. Propria.

Sancta Synodus. &c.

„ CUm super novem Assertionibus per Judices „ in causis Fidei ab eadem sancta Synodo „ deputatos, habita matura deliberatione cum „ Doctoribus utriusque Juris, divini, & humani, „ in multitudine copiosa, veritatemque earum „ diù examinari mandavit, & eisdem discussis „ plenè & diligenter, compertum est dictas As„ sertiones non esse hæreses, seu hæreticas. Ve„ rùm quia ex ipsarum reprobatione, aut appro„ batione, contradictione, vel dogmatisatione, „ impugnatione, vel deffensione, possent occa„ sionaliter scandala contingere in futurum. Ea„ dem sancta Synodus quibuslibet scandalis viam „ præcludere satagens, & intendens, dictarum „ Assertionum reprobationem, seu approbatio„ nem, contradictionem, aut dogmatisationem, „ impugnationem & deffensionem districtiùs in„ hibet & deffendit; eos autem qui secùs fece„ rint, animadversione debita declarat punien„ dos

Pro parte Illustrissimi Domini Ducis Burgundiæ, sui Ambassiatores & Procuratores de sequentibus supplicant & requirunt huic almæ Nationi. 1416.

PRimò, quòd attentis Litteris surreptitiè à Christianissimo Rege Nostro Franciæ impetratis, & huic inclytæ Nationi nona die hujus Mensis Julii præsentatis, lectis & publicatis in eadem, nec non summationibus, intimationibus, requisitionibus, per Magistrum Johannem de Gerssonno Ecclesiæ Parisiensis Cancellarium, atque comminationibus eadem die factis in prædicta alma Natione, per eundem intimatis, post dictarum Litterarum lecturam, pro parte ejusdem Domini Regis, & Universitatis Parisiensis, ut asserebat, & sub pœnis capitalibus, utpote criminis læsæ Majestatis & infidelitatis, exilii, & exterminii; dicunt & proponunt, quòd stantibus supra dictis, non in ipsa alma Natione prædicta, præsertim quo ad nativos ejusdem Regni Franciæ, & Dominorum * dicti Domini Nostri Regis, & beneficiatos in eisdem, plena libertas ad deliberandum, & multò minùs ad judicandum in causa, seu causis, pro qua, vel pro quibus prædicta sunt impetrata, procurata, & intimata.

Quæ omnia videntur cedere in grave scandalum honoris & famæ Regiæ Majestatis, & Regni Franciæ, ac illibertatem hujus sacri Concilii, & præsertim hujus almæ Nationis. Ea propter placeat eidem inclytæ Nationi super præmissis de remediis providere opportunis.

* *forsan* Dominiorum.

Alia Cedula propria.

C'est de l'Evesque d'Arras.

EX certis causis hoc sacrum Concilium moventibus, causam & causas novem Assertionum &c. declarationem, seu Judicium ipsarum, cum appellationibus interjectis tàm à Dominis Cardinalibus in causa prætensæ Sententiæ Episcopi Parisiensis, quàm à generalibus Judicibus in causis Fidei à sacro Concilio deputatis, impugnationem, seu contradictionem, dogmatisationem, aut prædicationem earumdem ipsum sacrum Concilium suspendit, & prorogat, usque ad creationem futuri Summi Pontificis, vel Generale Concilium post istud immediatè celebrandum, in statu in quo nunc pendent.

Forma Relationis fiendæ,

Advisata per Dominos Ardicinum, & Augustinum Advocatos in hac parte. Anno XVI°. in fine Mensis Julii. Cod. 2538. fol. 372.

QUoniam cùm ratio, aut necessitas in negotiis, Reverendissimi Patres, actor, seu causarum relationem * exigit, totius processus substantiam debet relationis series comprehendere. Idcircò iu causa IX. Assertionum, nos Judices & Commissarii infra scripti, huic Sacro-sanctæ Generali Synodo ratione necessitante referimus, nihil, Deo auspice, de substantialibus omittentes, in hunc modum qui sequitur, videlicet: 1416. in fine Julii.

In XIII. hujus sanctæ Synodi Sessione, Anno Domini millesimo CCCC. XV. Die verò XV. Junii, eadem Sancta Synodus deputavit nos Judices in omnibus & singulis causis Fidei, quòd videlicet in eis juridicè procederemus, & sub hac forma, quæ sequitur.

Hæc Sancta Synodus &c.

Quâ cedulâ Commissionis certâ † &c. Et per hanc sanctam Synodum approbatâ, Reverendus in Christo Pater, Martinus Episcopus Attrebatensis, Ambassiator Illustris Principis Domini Ducis Burgundiæ &c. eadem die protestatus fuit, quòd quatenùs dicta Commissio causam dictarum novem Assertionum attingeret, seu comprehenderet præfatum Dominum Ducem, nullatenùs consentiret solùm in personam Reverendissimi Patris, Domini Cardinalis Cameracensis, quem propter causas suo loco, & tempore declarandas omninò suspectum haberet.

Die XV. Junii supra dictâ, nos Judices & Commissarii supra dicti convenimus omnes simul, præter Dominum Episcopum Gebennensem, & onus assumpsimus, & generaliter pro quarumcumque causarum coram nobis introducendarum Notariis, Magistros Conrardum de Velden, Guillelmum Piquardi, & Johannem Baers Clericos Frisingensis, Brituricensis, & Morinensis Diœcesum, ut in forma.

Eadem die XV. Junii, posteà venerabilis vir, Magister Johannes de Gerssonno, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, præmissa potestatione, quòd citra injuriam cujuscumque hoc ageret, denunciavit coram nobis novem Assertiones, sub forma quæ infra sequitur.

Dicto Reverendo Domino Episcopo Attrebatensi nullatenùs consentiente, nomine quo supra, in personam dicti Reverendissimi Patris Domini Cardinalis Cameracensis.

Tenor

* *forsan* relatio † *forsan* lecta.

Tenor verò denunciationis dicti Magistri Johannis de Gerssonno, cum suis declarationibus, sequitur, & est talis. *Coram vobis* &c.

Die verò XVII. dicti Mensis Junii, Magister Petrus Cauchon, præfati Domini Ducis Ambassiator, & Procurator, dedit facto & in scriptis exceptiones, seu causas suspicionum contra Dominum Cardinalem Cameracensem, petens eis per eundem Dominum Cardinalem responderi; quibus idem Dominus Cardinalis singulariter & singulis respondit apud acta. A

Et deindè certis aliis terminis & diebus postmodùm, declarando suam intentionem, dixit, se ex certis causis, non velle in dicta causa ulteriùs interesse: per hoc tamen non intendebat Commissioni sibi cum aliis factæ renunciare. Intereà verò dictus Magister Petrus Cauchon, de Mandato suo, pro dicto Domino suo Duce docuit, & de eo fidem fecit.

Die autem Sabbati XXII. Junii, fuit datus terminus Procuratoribus præfati Domini Ducis Burgundiæ ad docendum de interesse ipsius Domini Ducis. Quo termino adveniente, Procurator præfati Domini Ducis dedit certa interrogatoria & produxit quatuor Instrumenta: quibus visis; & visis responsionibus factis per præfatum Magistrum Johannem de Gerssonno, ad interrogatoria supra dicta; visis etiam nonnullis productis per dictum Magistrum Johannem de Gerssonno, quia præfatus Magister Johannes dixit se, super hoc interrogatus, non velle facere partem in hac causa, deputavimus ad causam agendam ex Officio, duos Advocatos, & duos Promotores, seu Instigatores Officii. Nec non etiam, visis nonnullis productis, pro parte dicti Domini Burgundiæ, declaravimus interesse præfati Domini Ducis Burgundiæ in hac causa, & suos Procuratores admisimus; & ibidem iidem Procuratores facto & in scriptis Libellum, pro interesse dicti Domini Ducis dederunt, cui petierunt per dictos Magistros Henricum de Piro, & Joannem de Gerssonno responderi, & eis ad hoc terminum assignari, cujus Libelli copiam dictus de Piro petiit, quæ sibi decreta extitit & concessa. B

Deindè die XI. Julii, quæ fuit terminus ad respondendum Libello præfati Domini Ducis assignatus, Magister Henricus de Piro, per organum Domini Symonis de Theramo Advocati sui, dixit, & exposuit, quòd non debebant hujusmodi Libello respondere, præsertim quia præfati Domini Ducis non intererat circa approbationem, vel condemnationem dictarum novem Assertionum, se impedire; quia & prout Procurator præfati Domini Ducis dixerat, quòd istæ novem Assertiones non sunt illæ, quæ per olim Magistrum Johannem Parvi, pro justificatione Domini Ducis factæ & propositæ fuerunt &c. C

Item, quia continebat actionem injuriarum, quæ non erat nobis commissa.

Deindè pluribus diebus & vicibus, Procuratores Domini Ducis petierunt dictum Magistrum Johannem de Gerssonno pronunciari calumniosè destitisse & eum tanquàm calumniosum denunciatorem puniri.

Tandem nos, volentes totaliter indagari, an dictæ novem Assertiones forent Judicio Fidei reprobandæ, vel non; ordinavimus, & accedente voluntate dicti Reverendi Patris Domini Episcopi Attrebatensis, & venerabilis viri, Magistri Johannis de Gerssonno, quòd pro utraque parte solemniter allegaretur, ut Magistri in Theologia liberiùs & meliùs consulere possent: & statuimus præfato Magistro Johanni. XVIII. diem Mensis Octobris, & XI. horam post meridiem ejusdem diei, ad dicendum & allegandum totum, & quid quid vellet; an dictæ novem Assertiones essent Judicio Fidei reprobandæ.

Et deindè, statuimus præfato Domino Episcopo Attrebatensi, quem ad hoc, ex Officio nostro deputavimus, diem XX. & horam VIII. antè meridiem ejusdem diei, ad dicendum & allegandum totum, & quidquid vellet ad hoc, ut post introductionem, & appertionem materiæ hujusmodi, hæ novem Assertiones darentur examini Dominorum Judicum, Doctorum, & Magistrorum.

Et adveniente die XVIII. dictus Magister Johannes, in loco publicæ Sessionis, in magna multitudine Magistrorum & aliorum Dominorum ibidem existentium, sermocinatus est, quantùm voluit, pro illa die: sed quia dixit materiam esse prolixam, & illam diem sibi non sufficere; statuimus sibi aliam diem, scilicet XXI. diem prædicti Mensis Octobris: quâ die dictus Magister Johannes complevit suas allegationes, per quas videbatur concludere pro parte affirmativa, videlicet, quòd dictæ novem Assertiones essent Judicio Fidei reprobandæ.

Die verò XXIV. dicti Mensis Octobris, Reverendus Pater, Dominus Episcopus Attrebatensis, protestans, quòd nullius in hoc actu gerere voluit Ambassiatam; sed quòd solùm hujusmodi actum faciebat, tanquàm ad hoc deputatus, prout fuit à nobis, aliis etiam pluribus protestationibus, de quibus in actis, respondit ad allegata per dictum Magistrum Joannem de Gerssonno.

Et tandem die XXVIII. ejusdem Mensis, complevit sermonem suum; & conclusit, dictas novem Assertiones non esse Fidei Judicio reprobandas.

Die quinta Novembris, pro parte præfati Domini Ducis, fuerunt judicialiter exhibitæ quatuor Litteræ sub forma publica: duæ videlicet, pro parte Facultatis Decretorum: & una, pro parte Nationis Picardiæ almæ Universitatis Parisiensis, per quas in effectum concludunt se nullatenùs ratificare, aut advoare condemnationem Domini Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris hæreticæ pravitatis, circa dictas novem Assertiones; nec legationem dicti Magistri Johannis de Gerssonno: imò quantùm in eis est, & tanquam membra dictæ Universitatis, eum revocant.

Quarta fuit, * Littera Christianissimi Regis Francorum, continens in effectu, quòd habet, & habere vult præfatum Dominum Ducem Burgundiæ pro fideli amico, vassallo & consobrino suo, in contrarium editis forsan non obstantibus quibuscumquè.

Die verò VIII. Mensis Novembris, fuit inter partes hinc indè concordata cedula, & titulus quæstionis resultans ex dictis novem Assertionibus in eadem cedula contentis. Et ejusdem cedulæ pluribus copiis factis, LII. tàm Magistri, quàm etiam Licentiati & Baehallarii Formati in sacra Pagina, receptâ unâ de dictis copiis pro quolibet, jurarunt in forma debita, secundùm Deum & conscientiam & scientiam sibi à Deo datas, quòd quilibet eorum scriberet in materia dictarum novem Assertionum opinionem suam purè, & simpliciter, D omnium favore, odio &c. semotis. Et in eorumlibet LII. Magistrorum præsentia, Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Cardinalis Cameracensis, fecit legi scripta sua super eadem materia novem Assertionum, pro parte affirmativa, videlicet quòd dictæ novem Assertiones sunt Judicio Fidei reprobandæ.

Et tandem usque ad XIII. diem Mensis Decembris, jurarunt simili modo, usque ad numerum LXXXVII. Graduatorum in sacra Pagina, videlicet LXXVII. Doctores, seu Magistri; & Licentiati duo;

* *hic aliquid desideratur.*

duo; & octo Bachallarii formati in sacra Pagina.

Pars verò præfati Domini Ducis sæpiùs protestata est, quòd non admitterentur vota & depositiones eorum, qui juraverunt Sententiam Episcopi Parisiensis deffensare, cùm essent meritò ad judicandum in iis suspecti.

Deindè die x. Mensis Januarii, quæ fuerat assignata Magistro Jordano Morini, & quibusvis aliis Magistris, si qui essent qui vellent allegare in publico in hac materia: idem Magister Jordanus, in præsentia nostra, & multorum Dominorum, A Doctorum, & Magistrorum, & aliàs Graduatorum in sacra Pagina, proposuit in hac materia latè, & quantùm placuit sibi, aliis omnibus silentium facientibus; & tandem videbatur concludere, has novem Assertiones esse Fidei Judicio reprobandas.

Quo sermone completo, quia nulli alii tunc comparuerunt, qui aliquid publicè vellent allegare, præfati Domini Doctores, seu Magistri, aliqualiter super eadem materia disputarunt; aliis arguentibus affirmativè, aliis negativè.

Et tandem præfatis Dominis Doctoribus, Magistris, & aliis Graduatis in scriptis reddentibus vota sua clausa, sigillata, & subscripta, exhibitisque coram nobis variis petitionibus, hinc indè, & utraque parte apud Acta & in scriptis petente publicationem votorum, & opinionum Magistrorum, & aliorum Graduatorum, licèt pars Magistri Johannis de Gersonno, & Promotoris, ab hac pe- B titione posteà recedere videretur.

Die xi. Mensis Aprilis, publicavimus dicta, seu opiniones Magistrorum, & aliorum Graduatorum præfatorum, qui scripserunt super dictis novem Assertionibus, sine tamen expressione propriorum nominum, &c.

Inter quas quidem opiniones, seu vota, pro parte affirmativa, scilicet quòd novem Assertiones sunt Judicio Fidei reprobandæ, reperiuntur scripsisse xxiii. Magistri; unus Licentiatus; & duo Bachallarii Formati in sacra Pagina: inter quos Magistros, quatuor sunt Prælati; unus scilicet Cardinalis, unus Patriarcha, unus Episcopus, & unus Abbas. Item sunt duo Priores & septim decim seculares Magistri; ac tres Religiosi, qui faciunt in universo, numerum xxvi. quorum xiii. sunt de C Universitate Studii Parisiensis.

Pro parte verò negativa, scilicet, quòd non sunt Fidei Judicio reprobandæ, reperiuntur scripsisse liv. Magistri; unus Licentiatus; & sex Bachallarii Formati in eadem sacra Pagina: inter quos etiam Magistros & Bachallarios xiii. sunt Prælati, unus scilicet Cardinalis, unus Archiepiscopus, sex Episcopi, & quinque Abbates. Item sunt etiam tres Priores.

Item, duo Generales duorum Ordinum.

Item, decem seculares Magistri, & xxiii. Fratres Religiosi; qui faciunt, in universo, numerum li. quorum decem & novem sunt de Universitate Studii Parisiensis.

Et sic pro parte affirmativa sunt xxvi. & pro parte negativa sunt li. deponentes in dicta ma- D teria, medio juramento &c.

Facta hujusmodi publicatione votorum, seu opinionum; Magister Conrardus Ludexing, Procurator substitutus Serenissimi Regis Francorum, cum aliis sibi adhærentibus &c. ab eadem publicatione appellavit.

Deindè xvi. die Mensis Aprilis, per Magistrum Johannem de Gersonno, unà cum aliis suis Ambassiatoribus, & cùm Procuratoribus dicti Serenissimi Regis Francorum, per organum Advocati eorum, scilicet Domini Simonis de Theramo, fuit petita copia à Notariis, & Scribis nostris, dictorum votorum, seu opinionum Magistrorum, & aliorum Graduatorum, ut profertur, ac hoc ut per eos qualiter & pariformiter haberetur; sicut & pro parte præfati Domini Ducis.

Die autem xiv. Maii, attentis præmissis super præfata appellatione pro petitis * Aprilis, attento quòd frivola fuerat, nos qui ad hoc in numero sufficienti eramus congregati, dedimus concorditer, nemine discrepante Apostolos refutatoris †.

Et deindè pluries convenimus, ut videremus si aliqua concordia congrua possit, de consensu partium, reperiri.

Die ii. Julii, Conrardus Ludexing, nomine Serenissimi Regis Francorum, petiit copiam totius processus per nos sibi decerni, quia dicebat se admissum ad causam, dicto nomine. Pro parte verò dicti Domini Ducis dicebatur, non debere decerni; quia dictus C. pro interesse dicti Domini Regis non simpliciter, sed conditionaliter erat admissus, scilicet si, & in quantum de Jure teneremur, & deberemus: nec est discussum, an præfati Domini Regis intersit, nec an prædictum Mandatum sufficiat; nec erat statutus aliquis terminus, ad dicendum contra prædictum prætensum Mandatum.

Ultimò, nos videntes, quòd per Officium nostrum facta erat omnimoda diligentia nobis possibilis, pro examine & disceptatione dictarum novem Assertionum; nec erat concordiæ ulla spes, nec alii Magistri supererant, qui in præfata causa vota, seu opiniones suas dederant; licèt fuerit per cedulas generaliter intimatum, si aliqui Magistri vellent suas dare opiniones, quòd eas darent:

Tandem, quia nulli alii suas opiniones dederunt, causam ipsam sic instructam, cum ea diligentia, & cura, quâ fuit nobis possibile, Deo teste, & cujus causa est, cùm secundùm tenorem Comissionis nostræ in causa, ipsam Sententiam ferre non habeamus; Sanctitatibus vestris fideliter referimus, ipsamquè V. P. remittimus, unà cum actis ipsius causæ, & toto processu nostro; ut ex indè eædem V. P. ad quas spectat causas Fidei terminare, Sententiam, per quam veritas Fidei elucescat, & partibus ministretur Justitiæ complementum, formare possitis, prout Paternitatibus vestris, spiritu inspirante, videbitur faciendum.

* *hic aliquid desideratur.* † *forsan refutatorios.*

APPELLATIO
Ducis Burgundiæ.

Cod. 2538. fol. 324. & 325. verso. Anno 1416.

PRoponit appellando Procurator, & nomine procuratorio Illustrissimi Principis, Domini Johannis, Ducis Burgundiæ, tàm ad opus ejusdem Domini Ducis, quàm & aliorum, quorum interest, intererit, aut quomodolibet interesse poterit in futurum; etiam ad conservationem honoris, & Christianissimi nominis, gloriosique tituli Domini Francorum Regis, & sui Regni: dicens, quòd licèt vos Reverendissimi, Reverendique & circumspecti Patres, in causis Fidei per sacrum præsens Constantiense Concilium Deputati, coram quibus quædam prætensæ novem Assertiones, per quemdam Johannem de Gersonno, quamvis calumniosè, non zelo utique Fidei, sed perfidiæ, & instinctu pessimo, prout cuilibet etiam idiotæ notum est, denuntiatæ fuerunt, debuissetis dictum de Gersonno, qui confusus, calumniose à dicta sua denunciatione cum rubore se retraxit; calumniatorem, & calumniosè destitisse*, ac etiam causam ipsam, quantùm ad interesse præfati Domini Ducis, ad quod ipsum in causa ipsarum Assertionum, cùm in eis nominaretur, & sub qualitatibus sibi, & quondam Magistro Johanni Parvi ascriberentur, tàm

* Locus corruptus.

tàm rationabiliter audivistis, quantùm vobis erat finire, seu finiri facere; nec non etiam debuissetis juxta, & secundùm opiniones, & dicta majoris partis Catholicorum & Fidelium, Magistrorum, Licentiatorum, & Bachalariorum formatorum in Theologia, in præsenti Concilio existentium, qui super dictis Assertionibus, si videlicet essent Fidei Judicio reprobandæ, vel non, de Mandato V. R. P. etiam ad instantiam infestam prædicti de Gerssonno, & asserti Promotoris, per vos in eadem, post desistentiam calumniosam dicti de Gerssonno, causa Deputati, sua vota, medio juramento, dederunt; causam ipsam principalem novem Assertionum, quæ per novem Menses & ultrà fuerunt coram V. R. P. agitatæ, relatione præmissa in Nationibus, de veritate eorum, quæ coram vobis in dicta causa gesta fuerant, quantùm in vobis erat expedire facere, & causam eandem facere terminari, vosque etiam ad importunam instantiam dicti Gersson, & aliorum, qui pro Ambassiatoribus, Advocatis, & Procuratoribus ejusdem Domini Regis se gerunt, vel aliàs, non debueritis præfatum Christianissimum Principem Francorum Regem, in dicta causa novem Assertionum crudè & nudè, nulla relatione habita ad personam ipsius Domini Regis, aut alterius cujuscumque personæ mortuæ, vel viventis denunciatarum, in qua, ex officio, postquam dictus Gersson calumniosè destitit, per viam inquisitionis processistis, involvere, nec permittere involvi; ac etiam eosdem prætensos Ambassiatores, Advocatos & Procuratores in eadem causa, attento ejus statu, non debueritis pro interesse per vos prætenso, de quo etiam non constat, dicti Domini Regis admittere; præsertim eo modo, quo se petierunt admitti: neque etiam causam ipsam, tàm principalem, quàm etiam dicti interesse Domini Ducis quoquo modo retardare, aut etiam ad alium modum procedendi iterùm transire: imò potiùs debuissetis honori, & nomini Regiæ Majestatis Francorum consultiùs consulendo, eosdem Ambassiatores, Advocatos & Procuratores, tanquàm Ambassiatis, Procurationibus, & Officiis sibi, ut dicebant, commissis, abutentes, ac metas suorum prætensorum Mandatorum, etiamsi non essent, prout sunt invalida, excedentes; & eundem Christianissimum Regem, honori suo non parcendo, nitentes, præter, ut firmissimè creditur, ejus, suique boni & recti Consilii scitum, & voluntatem, periculosè in facto Fidei involvere, & illaqueare, penitùs, & omninò repellere.

Et præsertim post depositionem votorum præfatorum Magistrorum, Licentiatorum, & Bachallariorum formatorum in Theologia, ex quibus luce clariùs liquet, paucissimis discrepantibus, dictas novem Assertiones nullo modo esse Fidei Judicio reprobandas, prout & notorium est admodò toti mundo *.

Nihilominùs tamen vos, Reverendissimi, Reverendique & circumspecti Patres, nuper, nondùm sunt decem dies elapsi, prætextu cujusdam procuratorii per dictum Gersson, aliosque, pro Ambassiatoribus, Advocatis & Procuratoribus ipsius Domini Regis Francorum se gerentes, ut dicitur, nomine ipsius Regis, coram vobis producti, non datâ copiâ parti dicti Domini Ducis, licet petitâ; nec dato termino ad opponendum contra ipsum Procuratorem; ad causam tamen istam, si benè videatur, minimè se extendens, & aliàs, ut satis est verisimile, ad importunam instantiam dicti Gersson & aliorum producentium, præter voluntatem & scitum ejusdem Domini Regis subrepti & obrepti, ipsum Serenissimum Dominum Regem, in personam dictorum Gersson, & aliorum quærentium Regem ipsum, & causam ipsam involvere, pro interesse prætenso ipsius Domini Regis, qui tamen nunquàm fuit in causa, nec in toto processu nominatus, ut dicitur, si & in quantum de Jure deberet admitti, admisistis; sic & aliter Regem ipsum Serenissimum in dicta causa Fidei periculosè, ad prænominatorum Gersson, & aliorum importunam instantiam involvendo, seu involvi periculosè permittendo, & causam interesse præfati Domini Ducis, & expeditionem causæ principalis dictarum novem Assertionum, earumque expeditionem, per præsens Concilium, ad vestram relationem, & aliàs fiendam retardando; ac justitiam sæpiùs & pluries, iteratis vicibus, tàm verbo, quàm scriptis, pro parte dicti Domini Ducis, & aliorum quorum interest, & interesse potest, petitam, seu repetitam; tàm tacitè, quàm expressè denegando, quæ verisimile est vergere posse in scandalum Fidei, nec non Franciæ Regni, ac etiam ludibrium hujus Sacri Concilii, & Christi fidelium, scire desiderantium quid in facto dictarum Assertionum sit Fide tenendum, & quid respondendum; quamvis indebitè & injustè, vestrûm omnium, & singulorum reverentiis & honoribus semper salvis.

Cùm igitur ex præmissis omnibus & singulis, præfatus Dominus Dux fuerit per vos nimiùm gravatus, & oppressus, fortiùsque imposterùm gravari, & opprimi dubitet: idcircò, non recedendo ab iis, quæ ad publicationem votorum dictorum Magistrorum justè & rationabiliter ordinastis; Procurator, & nomine procuratorio præfati Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, pro quanto tangitur, & ad opus & honorem ejus, quibus supra à vobis, & vestra audientia totali, dictisque permissione & admissione, involutione, retardatione, & Justitiæ denegatione prædictis, aliisque etiam gravaminibus ex Actis causæ colligibilibus, per vos, & quemlibet vestrûm, tàm conjunctim, quàm divisim factis, fiendis & inferri comminatis, ac verisimiliter inferendis; ad præfatum sacrum Constantiense Concilium, & sanctam Sedem Apostolicam, salva actorum in præmissis, & agendorum nullitate, in iis scriptis provocat, & appellat, & Apostolos petit per vos sibi dari, & concedi, semel, secundò, tertiò, sæpè, sæpiùs & instanter: de quibus per vos Notarium, & Notarios hîc præsentes, conjunctim & divisim, petit sibi dari, & fieri publicum Instrumentum, unum, & plura, si sit opus; testes advocando hîc astantes, & de ipsius intimatione & debita prosecutione fiendis infra tempus Juris, & aliàs protestando.

Post cujus quidem appellationis interpositionem, & cedulæ prædictæ appellationis traditionem, & in nostrorum Notariorum infra scriptorum manibus repositionem, idem Magister Johannes, procuratorio nomine, & ad opus, quibus supra, iterùm petiit, & instanter requisivit Apostolos per nos sibi, dùm tales quales sibi dare possemus, saltem testimoniales: quos nos, in quantum de Jure potuimus, dedimus, & concessimus testimoniales. De quibus omnibus præfatus Magister Johannes de Montejustino, nomine & ad opus quibus supra, petiit à nobis Notariis sibi dari & fieri publicum Instrumentum, & publica Instrumenta, tot & quot necessaria forent & opportuna.

Acta fuerunt hæc Constantiæ, Provinciæ Moguntinæ. Anno. Indictione. Mense. Die & hora, quibus supra. Præsentibus ad hæc venerabilibus & discretis viris, Domino Laurentio de Vallibus, Præsbytero, Canonico Laudunensi; & Johanne Reborgelli, Clerico, Notario publico; cum pluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

* Hæc non habentur in exemplari inserto in Actis diei 21. Aprilis.

Et me Milone quoque Leti, Clerico Lingonensis Diœcesis, publico, autoritatibus Apostolica & Imperiali, ac Curiæ Cameræ Apostolicæ Notario, qui præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur, dicerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus, ac Magistro Johanne Viviani, Notario subscripto, præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audivi, ac in notam cum dicto Notario sumpsi; de qua hoc præsens publicum Instrumentum, manu alienâ, * propriâ subscribendo, cum eodem Notario redegi, signoque meo præcedenti consueto, unà cum ipsius Magistri Johannis Notarii signo & subscriptione signavi, in Fidem & testimonium omnium præmissorum, requisitus & rogatus. A

Et ego Johannes Viviani, Canonicus Antisiodorensis, publicus Apostolica authoritate Notarius, præmissis & singulis, dùm sic, ut præmittitur, agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus, & Notario publico supra scripto, præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi: ideò huic præsenti publico Instrumento, aliena manu fideliter scripto, signum meum consuetum apposui, me manu propria subscribendo, in testimonium veritatis præmissorum, requisitus & rogatus.

* *forsan desideratur* fideliter scriptum.

Cod. 2538. fol. 365. verso

PRÆSENTATIO

Primæ Commissionis

Die Veneris, ultima Julii. Anno XVI.

Reverendissime Pater.

ALiàs postquàm Reverendissimi Patres Domini Venetiarum, & Placentinus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, causam appellationis *pro parte Reverendi Patris, Domini Gerardi, Episcopi Parisiensis, & Domini Joannis Poleti, olim in Regno Franciæ hæreticæ pravitatis Inquisitoris, à quibusdam gravaminibus, & prætensa Sententia per Reverendissimos Patres, Dominos Jordanum de Ursinis, Antonium Aquilegiensem, & Franciscum Florentinum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, contra præfatos Dominos, Episcopum & Inquisitorem; nec non pro Illustri Principe, Domino Joanne, Duce Burgundiæ, de & super prætensa nullitate cujusdam Sententiæ diffinitivæ, super condemnatione cujusdam Propositionis quondam Magistri Joannis Parvi, & novem Assertionum inde secutarum, ac rebus aliis in hujus causa deductis, & earum occasione, ut dicitur, latè interpositis; & nullitatis ejusdem prætensæ Sententiæ, per dictos Dominos Cardinales latæ, tunc ipsis, & Domino Veronensi, etiam dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali audiendas † & fine debito terminandos commissa ad Cancellariam quodam in eis fuit remiserat ‡, dicta Paternitas vestra, in hujusmodi causa, dicto Domino Cardinali Veronensi, in locum ipsorum Venetiarum, & Placentini Cardinalium, Reverendissimos Patres, Dominos Laudensem, & de Brancatiis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, primò adjunxit: qui, post hujusmodi adjunctionem dictam causam audire, & acceptare recusarunt. Successivè verò, ipsis hanc causam remittentibus, ipsam causam Reverendissimis Patribus, Dominis Saluciarum, & de Jolisco commisistis; & eosdem dicto Domino Veronensi adjunxistis, qui etiam hujusmodi causam audire, & acceptare recusarunt, & recusant de præsenti. C D

* *hic aliquid desideratur.* † *locus corruptus* ‡ *locus corruptus*

Ne igitur dicta causa, propter hujusmodi recusationem, & dictæ contrariæ partis importunas instantias, & favores, in expeditione impediatur, & plùs debito protrahatur, immortalisque efficiatur; dignetur dicta Paternitas vestra, in locum dictorum Venetiarum, & Placentini Cardinalium, præfato Domino Cardinali Veronensi duos alios dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales adjungere; & ipsis committere, & mandere, ut unà cum præfato Domino Cardinali Veronensi, dictam causam, in eodem statu in quo erat ante hujusmodi remissionem audiant, cognoscant, decidant, & fine debito terminent, juxta formam dictæ Commissionis; ipsisque Dominis Venetiarum, Placentino & Veronensi Cardinalibus similiter ante dictam remissionem factam, cum omnibus & singulis suis emergentibus, incidentibus, dependentibus, & connexis.

Audiat idem R. P. Dominus Cardinalis Veronensis & procedat solus cum consilio & consensu Auditorum, & duarum partium eorumdem, nisi concordant partes de Dominis Cardinalibus surrogandis *.

* quædam hîc desiderantur.

B PRÆSENTATIO

Secundæ Commissionis,

Die Mercurii, quinta Augusti. Anno XVI.

Reverendissime Pater.

DUdùm vestra Reverendissima Paternitas, ad instantiam Domini G. Episcopi Parisiensis, & Fratris Joannis Poleti, prætensi olim hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ Inquisitoris, contra Illustrissimum Principem Dominum Joannem, Ducem Burgundiæ, fuit Reverendissimo Patri Domino Cardinali Veronensi, ut dicitur, præsentata quædam prætensa Commissio, cujus tenor sequitur, in hæc verba. fol. 366. verso.

Reverendissime Pater. Aliàs postquàm Reverendissimi Patres Domini Venetiarum, &c.

Audiat idem Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis Veronensis, & procedat solus in observatione terminorum necessariorum, & in aliis, cum consilio & consensu Auditorum Palatii in Curia præsentium, vel duarum partium eorumdem habendis, conjunctim, vel divisim; nisi concordent partes de Dominis Cardinalibus surrogandis.

Verùm, Reverendissime Pater, cùm pars Domini Ducis affectet causam prædictam solidè, & consultè, etiam ad claudendum ora adversariorum, & aliorum quorumcumque faciliter obloquentium, justitiâ mediante, terminari; & proptereà videatur aliquibus securius, & præfato Domino Veronensi minùs onerosum esse, si conjunctim Auditorum Palatii, seu duarum partium eorumdem consilia & consensus expectantur; tamen tunc, quando eorum quilibet alterius rationes audiet, mutuò se meliùs intelligent, ac consultiùs, maturiùsque deliberare poterunt, quàm si divisim Commissariis consilia hujusmodi haberentur: & cùm etiam prima instantia fuerit per tres Dominos Cardinales terminata, & proptereà congruum sit quòd hujusmodi etiam secunda instantia, quæ tribus commissa extitit, quorum nescitur, qua de causa eam ad Cancellariam remiserunt, etiam per plures, quorum censebitur esse Judicium, terminetur, præfatusque Dominus

nus Cardinalis Veronensis aliquos de Dominis Auditoribus, intentione terminorum, faciliter possit secum vocare.

Ea propter, etiam attenta gravitate causæ, & personarum inter quas causa ipsa, præinserta Commissione, designata ventilatur, pro parte præfati Domini Ducis Burgundiæ, eidem vestræ Reverendissimæ Paternitati supplicatur, quatenùs præfato Domino Cardinali Veronensi committere, & mandare dignemini, ut in terminorum observatione, vocatis & assistentibus sibi uno, vel duobus de antiquioribus Auditoribus dicti Palatii, ad interlocutoriarum, & Sententiæ in principali prolationem & ordinationem, causæque prædictæ expeditionem, de consilio & consensu omnium Dominorum Auditorum Palatii, in Romana Curia præsentium, seu duarum partium eorumdem conjunctim ad hoc vocandorum, non divisim habendis, procedat, & partibus prædictis, cum consensu dictorum Dominorum Auditorum, seu duarum partium eorumdem, de quo, ad majorem firmitatem, per eorum proprias subscriptiones constet in actis, ministret justitiam expeditam, dictâ prætensâ, & quadam aliâ Commissionibus, quæ quasi similis narrationis existunt, ex adverso obtentis, & aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumquè.

Audiat idem Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & procedat, ut petitur, dicta signatione non obstante, ut clariùs, & securiùs sine querela partium procedatur.

Audiat idem Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & procedat solus, præterquàm ad admissionem Articulorum, & alicujus tertiæ personæ, ad ipsam causam, in quibus, & ad diffinitivam, & interlocutorias habentes vim diffinitivæ procedat, de consilio, & assensu majoris partis Auditorum Palatii, conjunctim super hoc habitis, dicta Commissione &c. non obstante.

Cod. 2538. fol. 331.

PROCURATORIUM

Cardinalium Cameracensis & Sancti Marci;

Sub nomine procuratorio productum, die XI. Augusti, & reproductum XII. ejusdem Mensis, sub nomine Promotorum. Anno XVI.

CAROLUS, *Dei gratiâ Francorum* Rex.

Anno XVI. UNiversis præsentes Litteras inspecturis: Salutem, & pacem in eo qui est, per quem Reges regnant, & potentes Jura decernunt.

Dum in nostræ mentis examine revolvimus multitudinem agendorum, quæ variis de causis Fidem Christi concernentibus, in Curia Romana pro Veritate, pro Fide, pro Justitia, proque Christiana Regni nostri Republica sustinenda, & protegenda hactenùs occurrerunt, pro quibus sustinendis Progenitorum nostrorum Francorum Regum dignè recolenda prioribus *, de generatione in generationem accuratissimè noscitur laborasse; quæque etiam adhuc de die in diem evenire oculata Fide prospicimus: meritò circa nostræ mentis aciem versatur intentio, ut in iis, quæ in hac sancta Synodo, cooperante Spiritu Sancto, in civitate Constantiensi legitimè congregata, tunc, in, & super futuri Summi & indubitati Pontificis electione; tùm etiam in Ecclesiæ Militantis debita reformatione, quia multum eam indigere novimus, disponentur, concludentur, & fient, ex debito A Christianæ Religionis obligamur, ut aliquos viros probitate, & scientia præditos, loco, & nomine nostri eligamus, qui sarcinam, & onus omnium, quæ nos, Regnum nostrum & ipsius Rempublicam concernunt, in se recipiant, & assumant, maximè cùm ibidem personaliter commodè non valeamus interesse, de præsenti, ut optamus.

Hinc est quòd nos de fidelitate, circumspectione, & prudentia, scitique latitudine dilectorum & fidelium alumnorum Consiliariorum, & amicorum nostrorum, Petri videlicet, Cameracensis, & Guillelmi, sancti Marci Cardinalium, plenariè confidentes, ipsos Petrum, & Guillelmum, & eorum quemlibet, in solidum, tenore præsentium elegimus, constituimus, & ordinavimus nostros generales Promotores, & nostrorum quorumcunque, B in dicta sancta Synodo, & Curia Romana negotiorum gestores, protectores, & deffensores, ac certos Nuncios speciales, ad assistendum, promovendum, insinuandum, requirendum prosequendum, deffendendum, & finaliter concludendum, acceptandum, & contradicendum, nomine nostro, nobis, omnia quæ in omnibus & singulis causis, quæstionibus, tàm spiritualibus, quàm temporalibus inceptis, & incipiendis, & debito fine in dicta sancta Synodo, & Romana Curia determinandis, ventilata fuerunt; promittentes bona fide, & in verbo Regio, nos ratum, firmum, & gratum habituros, quidquid per prædictos Cardinales simul, & eorum quemlibet, in solidum, actum, gestum, requisitum, objectum & conclusum fuerit in præmissis, & ea tangentibus, quovis modo. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus nostris duximus apponendum. Datum C Parisius, prima die Junii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, Regni verò nostri, XXXVI.

Sic signatum, PER REGEM *in suo magno Consilio*, Rege Siciliæ, vobis *, & pluribus aliis præsentibus. *signé*, GONTIER.

* *forsan* nobis

Cod. 2538. fol. 366.

SENTENTIA

Nationis Germanicæ, in causa novem Assertionum.

Recepta per familiarem Domini Patriarchæ Antiocheni, die VI. Mensis Augusti.

D DIe Mercurii, XXIX. Julii, Anno &c. Conclusum fuit in Natione Germanica, quòd materia novem Assertionum pendens coram Judicibus in causis Fidei deputatis, advocetur ab eisdem ad Concilium, sine relatione, & expedietur Concilium sine suspensione.

* hîc aliquid desideratur.

HUMBERTUS FABRI,

Notarius dictæ Nationis Germanicæ, de Mandato Nationis scripsit.

Tradita per Dominum Bathoniensem. Die XXI. Augusti.

PLacuit Nationi Germanicæ, quòd causa novem Assertionum, cum omnibus suis dependentibus, à Dominis Judicibus Fidei advocetur ad sacrum Concilium, sine ulteriori dilatione, & sine publica relatione: veruntamen pro honestate dictorum Dominorum Judicum, poterit fieri relatio privata coram Præsidentibus, & Deputatis Nationum extra locum Sessionis; sic tamen quòd illa relatio non sit scandalosa, aut præjudicialis, quasi dispositiva ad ferendam Sententiam, cùm causa nondùm sit sufficienter instructa.

HUMBERTUS FABRI,

Notarius Nationis Germanicæ prædictæ.

De Mandato Dominorum Præsidentium, & Deputatorum,

Ardicinus tradidit Domino Rigensi. XXVIII. *Augusti.*

PLacet quòd Domini Judices, &c. remittant causam ad Concilium constructum, absque relatione publica, ne in hujusmodi relatione contingat altercationes fieri: sed loco publicæ relationis, dicti Domini Judices faciant relationem coram Præsidentibus & Deputatis Nationum, & in scriptis eam tradant, ut possit deliberari quid ulterius sit fiendum. Quæ quidem relatio illam vim habeat, quam haberet relatio publicè facta.

*Fuit præscripta cedula tradita Rigensi, Bathoniensi, Sacrisberiensi, ad melius informandum suas Nationes quòd essent**, *prout patet per duas præcedentes cedulas.*

* locus corruptus.

DELIBERATIO

Cod. 2538. fol. 224.

Ambassiatoris Regis Daciæ, de Ordine Minorum

Episcopus Sleveicensis*, de Ordine Minorum.

EGo Joannes, Episcopus Sleveicensis, sacræ Theologiæ Professor, & Ambassiator Regis Daciæ, ad Generale Sacrum Concilium. Sub potestationibus in Universitate Parisiensi pluries, & in singulis Actibus meis ibidem per me factis, quas, & quamlibet earum hîc habeo pro repetitis, duabus conclusionibus positis in deliberatione novem Assertionum traditarum Doctoribus in Theologia, de Ordinibus Mendicantium, quarum prima est: *Nulla dictarum novem Assertionum debet Fidei Judicio reprobari.* Secunda conclusio: *Quamlibet illarum non fore Judicio Fidei reprobandam, debet eodem Judicio declarari.*

* *sive* Slewicensis

Adhæreo etiam per juramentum, juxta intellectus mei intelligentiam, approbo, & confirmo, & monet * me Joab, qui interfecit Absalonem volentem committere per phas, & per nephas, crimen læsæ Majestatis, in Regem suum, libidine dominandi, & patricidium in proprium Genitorem; & hoc non fecit dictus Joab, ad Mandatum dicti Regis; imò contra Mandatum: & tamen ex hoc, & per hoc, debitum fidelitatis non dimisit; imò debitum fidelitatis commisit.

Item, monet † me ad hoc illa, quam sacra Scriptura multiplici benedictione extollit, liberatrix Gentis suæ Judith, quæ multiplici simulatione interfecit Olofernem, hostem publicum, non simulatur.

Item, tertiò, Moyses, qui interfecit Ægyptium rixantem cum singula persona, & pro singulari facto, non vergentem in Reipublicæ, & boni communis exterminium: & non videtur quòd hujusmodi tres actus, sic, vel debito fidelitatis, vel zelo paternarum Legum, vel dilectione proximi facti, multùm per sacram Scripturam reprehendantur: imò potiùs commendantur, & laudantur; & eorum laudatores ex hoc nollent alicujus hæresis maculâ respergi, nec esse de hæresi suspecti.

* *forsan* movet. † *forsan* movet.

COPIA PROCURATORII

Cod. 2538. fol. 405.

Ambassiatorum Flandriæ, ad comparendum in Concilio Generali Constantiensi, &c.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

PEr hoc præsens publicum Instrumentum, cunctis tàm præsentibus, quàm futuris appareat evidenter, quòd Anno à Nativitate ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo sexto decimo. Indictione nona: Mensis verò Septembris die quinta. Sede Apostolica Pastore carente. In nostrorum Notariorum publicorum, testiumque subscriptorum ad hæc vocatorum specialiter, & rogatorum præsentia, personaliter constituti nonnulli Reverendi Patres, & Domini, Domini Prælati, & diversorum Ordinum & conditionum Nobiles, & Deputati quatuor membrorum principalium Comitatûs Flandriæ, in magno & sufficienti numero, ad infra scripta, in villa Gandensi, Tornacensis Diœcesis, tres Status ipsius Comitatus Flandriæ repræsentantes invicem congregati; habitaque inter ipsos deliberatione matura, omnes simul & conjunctim, ex certis causis ipsos, ut dixerunt, rationabiliter & debitè moventibus, omnibus melioribus Jure, via, modo, & causa, quibus potuerunt, & debuerunt; fecerunt, & constituerunt, & creaverunt suos veros, legitimos, & indubitatos Procuratores, ac nuncios speciales, venerabiles, circumspectos, ac nobiles viros Dominos, & Magistros, ac nobilem, & amandum de Brevimonte, Ecclesiæ sancti Donaciani Brugensis Decanum, in sacra Pagina Magistrum; Livinum Neveline, Decretorum Doctorem; ac Nicolaum Utenhove militem; & eorum quemlibet, in solidum, licèt absentes, tanquàm præsentes, ad comparendum, & se repræsentandum in sacro Generali Concilio Constantiensi, coram Præsidentibus in eodem Nationibus ejusdem, seu eorum Deputatis, aut deputandis, (v. Sept. 1416.)

tandis, etiam Judicibus Fidei; aut coram Summo Pontifice, vel aliis per ipsum Summum Pontificem, sive dictum Concilium deputandis, seu aliàs ubicumque, coram quocumque, & quibuscumque, ubi expediens visum fuerit, pro ipsis, & eorumdem constituentium nomine, cum Procuratoribus Domini Comitis Flandriæ, Domini eorumdem; ac etiam Procuratoribus aliarum Dominationum, & Patriarum præfati Domini, communiter, vel divisim constitutis, ad declarandum & attendendum statum & intentionem dicti eorum Domini; atque A Statum inclytæ Domus Franciæ, aliarumque Domorum Burgundiæ, Flandriæ, & Arthesii, de quibus ipse Dominus traxit originem, quæ semper Catholicæ inventæ sunt, & nunquàm vitio tali, quo adversarii eum notare videntur, fuerunt nullatenùs maculatæ: necnon ad ostendendum modos importunos, & indebitos, qui contra eundem Dominum Comitem observati sunt, & per ipsius æmulos observantur in dicto loco Constantiæ, ac in eodem Concilio, quo ipsos, & alios ejusdem Domini Comitis subditos, & benevolos non latent, ad suggestionem aliquorum adversariorum dicti Domini Comitis, qui militum * Dominum eorum Regem, attento statu in quo prô dolor! posuit eum Deus per se, aut suos, vel eorum complices, regunt, & ducunt, pro eorum affectata opinione, ac libito voluntatis; qui etiam, ut ex modis quos tenent apparet, clariùs propriæ voluntati innitentes, potiùs ex odii fomite, quàm ex caritate, aut Fidei zelo videntur procedere; & ad B supplicandum, & requirendum cum omni reverentia & humilitate, quòd in prosecutione causæ dicti eorum Domini, pro omnibus suæ causæ prosecutoribus, fautoribus, & amicis, sit illic securitas plena eundi, standi, revertendi, ac etiam libertas loquendi, eandemque causam ipsorum Domini, in præfato sacro Generali Concilio, ubi, quando, & quotiens opus eisdem erit, legitimè prosequendi; ad petendum quoque, & requirendum, nomine quo supra, in præmissis, pro sæpè dicto eorum Domino, in dicta causa, bonum & breve Justitiæ complementum; ac ad humiliter exorandum, ut præfatum eorum Comitem, tantum utique Dominum, qui tam sincerè, tamque fideliter Dominum suum, ac eorum Regem, liberos, C ac Regnum ipsius diligere dignoscitur: qui etiam semper Ecclesiæ servire desiderat, atque potest, non permittant dentibus mordacibus, ac injuriis affectatorum hominum ampliùs lacerari, diffamarique; quin potiùs, ut moris semper fuit, Conciliorum Generalium, quæ Spiritu sancto ducuntur, ad solam veritatem oculos æquitatis aperientes, & aures, ipsum, ejus causam, speratam innocentiam ejusdem, ac Justitiam habeant recommissos: & generaliter, ad omnia alia, & singula faciendum, gerendum & exercendum, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint; seu quomodolibet oportuna; & quæ veri, & legitimi Procuratores, seu Nuncii facere possunt, & debent. De, & super quibus præmissis omnibus & singulis, præfati Domini constituentis nominibus quibus supra, simul & conjunctim petierunt à nobis Notariis infra scriptis, sibi fieri, atque tradi publicum Instrumentum, D seu publica Instrumenta, unum, aut plura, sub ibidem astantium testimonio personarum.

Acta fuerunt hæc in dicta villa Gandensi. Anno. Indictione. Mense & die præscriptis. Præsentibus ibidem nobilibus ac venerabilibus, & honestis viris, Jacobo Leviesville, Guidone de Jancourt, scutiferis; Johanne de Atrio, Bellico Gandensi Magistris; Quintino Memart, & Petro Masse, Illustris Principis Domini Comitis Kadralensis Secretariis; ac Joanne le Chevalier, scutifero; pluribusque aliis in copiosa multitudine ibidem existentibus, & congregatis, testibus ad præmissa omnia & singula vocatis specialiter & rogatis.

* Locus corruptus.

Et ego Joannes de Lenden, Clericus Tornacensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali autoritatibus Notarius, præmissis omnibus, & singulis supra dictis, dum sic, ut præmittitur, per dictos Dominos constituerentur, fierent, & agerentur, unà cum Notario publico inferiùs descripto, ac testibus supra nominatis, præsens fui, atque fieri vidi & audivi, & in notam recepi, ex qua præsens publicum Instrumentum confectum, ac manu Notarii infra scripti scriptum, & extractum, unà cum subscriptione, ac signi appensione Notarii subscripti, signo meo solito signavi; hìc me subscribendo, in testimonium omnium præmissorum, rogatus, & requisitus.

Et me Arnulpho de Roest, Clerico Cameracensis Diœcesis, publico Apostolica & Imperiali autoritatibus Notario jurato, qui præmissis omnibus & singulis, dùm per præfatos Dominos constituerentur, prout supra scribuntur, fierent, & agerentur, unà cum Notario, & testibus præscriptis præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi. Idcircò hoc præsens publicum Instrumentum super hoc confectum, manu propria scriptum, signo meo solito, & consueto, unà cum signo & subscriptione Notarii præscripti, hìc me eadem * manu subscribendo signavi & roboravi, requisitus & rogatus, in testimonium veritatis, omniumque præmissorum.

* *quæ sequuntur deerant in MS.*

LIBELLUS SUPPLEX

Cod. 2538. fol. 395.

Ducis Burgundiæ, Regi Romanorum.

Serenissime Princeps, præpotentissime Rex Romanorum, Hungariæ &c. & semper Auguste.

Pro parte vestri carissimi consanguinei, fidelissimique vassalli, Illustrissimi Domini Johannis Burgundiæ, Comitis Flandriæ &c. sequentia humiliter exponuntur, pro ejusdem vestræ Serenissimæ Majestatis, super eundem consanguineum vestrum tangentibus, in hoc sacro Concilio agitatis informatione pleniori.

Primò, Mandatis Ecclesiæ obedire semper intendens, præfatus Dux, in prosecutione desideratissimæ unionis cum vestra Serenissima Majestate, vestræ devotissimæ voluntati se conformans, operam cupiens, pro viribus, dare efficacem, ad Mandatum Johannis, tunc Papæ, suos Ambassiatores ad hoc sacrum Generale Concilium destinavit; Prælatos scilicet notabiles, & Doctores, cum plena potestate tractandi, deliberandi, & concordandi, & omnia alia faciendi, quæ ad extirpationem totalem pestiferi schismatis, complementumque sacræ Unionis, Ecclesiæ reformationem, ac extirpationem errorum, per hoc sacrum Concilium, aut saniorem & meliorem partem ejusdem viderentur, & judicarentur expedientia, necessaria, aut quomodolibet opportuna.

Item, quia occasione ejusdem appellationis, per dictum Ducem, pro suo interesse, à quadam prætensa Sententia, imò veriùs nullâ, Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris Franciæ, pro tunc, ad sanctam Sedem Apostolicam, aut Concilium Generale interjectæ, verisimiliter timebantur scandala posse contingere, & impedimenta provenire, per quæ devotissima vestræ Serenissimæ Majestatis intentio, & ea pro quibus est hoc sacrum Concilium principaliter convocatum, possent turbari, retardari, aut quomodolibet impedire; fuit per eandem

eandem vestram Majestatem cum dicto Johanne, tunc Papa, & sacro Collegio ordinatum, quòd hæc materia, ex odii fomite procedens, de qua in prædicta Sententia prætensa fiebat mentio specialis, taceretur, aut suspenderetur, & à prosecutione ejusdem omninò supersederetur, saltem & quousque agenda in dicto sacro Concilio suscepissent finem intentum, & bonum complementum: cui ordinationi tunc humiliter obtemperaverunt ejus Ambassiatores supra dicti.

Item, non obstante dicta Ordinatione partibus A hinc indè intimata, Mandatoque Christianissimi Regis Faanciæ super hoc expresse suis Ambassiatoribus facto, & in suis instructionibus expressato, Magister Johannes de Gerssonno, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, quamvis Prælati, & alii præclari viri, de Ambassiata dicti Domini Regis Francorum, de dicta Ordinatione multùm essent contenti, præfatam materiam movit pluries, & publicè, nunc in Sermonibus publicis, nunc per cedulas mordaces, denigrantes famam præfati Ducis, suorum consanguineorum, Dominorum, & subditorum, nunc per sinistras & detractorias informationes, nunc per Libellos famosos, etiam in valvis majoris Ecclesiæ, sive per eum, sive per aliquos dicti Ducis malevolos affixos; etiam excellentiam vestræ Imperialis Celsitudinis tangentes, eandem falsissimè de fautoria hæreticorum denotando, ut patuit in Libello famoso, qui incipiebat: *Rex Ro-* B *manorum, &c.*

Item, ut debitè provideretur scandalis futuris, tàm ex dicta materia, quàm etiam ex aliis causis Fidem tangentibus, delatis & deferendis ad hoc sacrum Concilium, undecunque provenirent, omnisque suspicio inordinati favoris tolleretur a vestra Serenissima Majestate, tàm occasione hujus materiæ, quàm cujuscunque alterius, veræ, aut præsumptæ directè, aut indirectè ad Fidem pertinentis: procuravit eadem Serenitas vestra, instante etiam multùm importunè dicto Gerssonno, & suis, apud sacrum Concilium, quòd viros solemnes, & electos Prælatos, & Doctores eligeret ex omni Natione, & sacro Collegio Dominorum Cardinalium, quos constitueret Commissarios, & Judices in causis Fidei, cum plena potestate audiendi, decidendi, & determinandi de dictis causis C Fidei ad dictum Concilium devolutis, ut præfertur, & devolvendis, usque ad diffinitivam exclusivè: quod & factum est; & ad hoc deputatis numero viginti, consensum præbentibus dictis Ambassiatoribus, pro quando eorum Dominus posset habere in hujusmodi causis aliquod interesse, excepto duntaxat Cardinali Cameracensi inter illos nominato, in quem non consenserunt, quia formalem adversarium ipsius sui Domini rationabiliter reputarunt, prout se talem ostendit multipliciter, verbo atque facto, & dictæ materiæ inventorem, & prosecutorem principalem contra Dominum, & propter alias causas cum dictis Dominis Judicibus declaratas, & latiùs in eorum processu. Ea propter dicti Ambassiatores in plena Sessione, & posteà coram eisdem Judicibus ipsum D in Judicio recusarunt.

Item, dictis Judicibus per sacrum Concilium, ut præfertur, Deputatis, & onus dictæ Commissionis suscipientibus; die xv. Junii M. CCCCXV. simulque eadem die convenientibus, sponte juraverunt eorum quilibet & promiserunt debitè in causis ipsis procedere, omni odio, favore, & timore postpositis, secundùm formam suæ Commissionis. Quo quidem die, eisdem Judicibus pro Tribunali sedentibus, Magister Johannes de Gerssonno, nudè & crudè, absque designatione assertoris, denunciavit quasdam novem Assertiones, de quibus nunc agitur, tanquàm erroneas in Fide, & moribus, ut asserebat, neminem volens vivum, aut mortuum accusare.

Sed quia postmodùm clarè fuit ostensum coram dictis Dominis Judicibus, per exhibitionem quam fecit de prætensa Sententia Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris prædictorum, quòd intendebat dictus de Gerssonno dare pro assertoribus Magistrum Johannem Parvi, & præfatum Ducem, dictas Assertiones eisdem malitiose ascribendo, falsè & iniquè, ut clarè deducebatur per dictos Ambassiatores; & indè idem Dux fuit per dictos Judices judicialiter ad hanc causam admissus, pro suo interesse: dictus verò de Gerssonno à dicta denunciatione calumniosè postmodùm destitit, & ob hoc sæpè fuit petitum per dictos Ambassiatores à dictis Dominis Judicibus, ut ipse Gerson calumniosè destitisse decerneretur, & tanquàm calumniosus denunciator puniretur, prout fieri debere decreverunt, si ampliùs tali modo se in causa gereret: qui tamen minimè cessavit, sed magis ac magis scandala multiplicando, processit subdolè, confingendo se denunciatorem Evangelicum fore, quod longè stat à veritate, nec quoquo modo, gratiâ Dei, Evangelicos modos tenuit, prout satis evidenter & liquidè constat ex modis per eum tentis Parisius, & in loco isto. Quodque ipsas novem Assertiones dictus quondam Magister Johannes Parvi nunquam protulit pro eodem Duce, sub eisdem verbis, forma, aut sensu, prout deductum est sufficienter in processu; malitiosè tamen, in njuriam, & infamiam dicti Ducis, ipse Gerson imposuit dicto Parvi easdem, & ascripsit, post tamen ipsius obitum, per multos Annos, quem in vita non fuit ausus invadere.

Item, postquàm dictus de Gerssonno sic destitit, ut dictum, ipsi Domini Judices deputaverunt in ipsa causa certum Promotorem.

Postmodùm verò, circa principium Octobris Anni prædicti, convocatis per dictos Dominos Judices ipso de Gerssonno, & suis complicibus, ac Promotore præfato, & prædictis Ambassiatoribus Ducis, dictisque novem Assertionibus in cedulis redactis, & in propria eorum forma in qua continentur in dicta prætensa Sententia, eo quòd dictus de Gerson apposuerat eis aliquos terminos eas aggravantes, undè fuerat aliàs, etiam coram vestra Serenissima Majestate, in Augustinensibus redargutus certo die.

Cedulis igitur sic concordatis, & conscriptis per Notarios, cuilibet earum inscriptus est sequens titulus quæstionis: *Utrum ea novem Assertiones veniant Fidei Judicio reprobandæ.* Et fuit ordinatum per dictos Judices, consentientibus partibus, quòd in publico loco Sessionis, pro utraque parte quæstionis materia aperiretur, & disputaretur; ut ea sic disputatione aperta, quilibet super eisdem Assertionibus suam dicturus opinionem, securiùs eam posset dare, materia earum per talem disputationem clariùs intellectâ, ac totum Concilium pleniùs de materia informari.

Item, in duabus Congregationibus publicis, in loco Sessionis, scilicet Mense Octobris prædicti, dictus de Gerssonno aperuit pro parte affirmativa, probare intendens, & nitens, quòd ipsæ novem Assertiones sunt Fidei Judicio reprobandæ, ac condemnandæ tanquàm erroneæ. Et multùm prolixè dictis duobus diebus peroravit, quantùm valuit, & sibi placuit. Aliis autem duobus diebus, scilicet XXIV. & penultima ejusdem Mensis Octobris, de Mandato dictorum Dominorum Judicum, Episcopus Atrebatensis defendit partem negativam, eam probando veram, & ostendendo Assertiones præfatas nequaquàm ad Judicium Fidei repro-

reprobativè pertinere, multis rationibus, adducendo autoritates quamplurimas sacræ Scripturæ & Doctorum, & tandem rationibus dicti Johannis de Gerssonno respondendo.

Item, certo altero * post disputationes sic factas, Magister Jordanus Morini, alter consociorum & collegarum dicti de Gersson, petivit à dictis Judicibus iteratò, publicè audiri in eadem materia, quod ei per eosdem concessum est; & ad eandem partem ipsius de Gerssonno colorandum, publicè, in præsentia Judicum, & Doctorum auditus est, A quantùm & quandiù eidem placuit. Nec ulteriùs aliquis voluit in materia, pro tunc, aliud dicere, aut proponere, cùm tamen fuerit à præfatis Judicibus cunctis concessa audientia, nec alicui denegata. Sic igitur tam diffusè & solemniter discussa est & disputata ipsa materia, ut præfatum est, ante traditionem opinionum præfatorum Doctorum ipsis Judicibus.

Item, istis dissentationibus sic factis, dicti Domini Judices & Commissarii convocaverunt omnes Doctores, Licentiatos, & Bachallarios formatos in Theologia tunc existentes in hoc sacro Concilio, & ipsis sedentibus pro Tribunali, ab unoquoque receperunt juramentum; tàm à Cardinalibus, tàm Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, quàm ceteris quibuscunquè, in dicta Facultate Graduatis, quòd quilibet eorum, omni odio, timore, amore, aut quocunque alio inordinato respectu B exclusis, diceret quid sibi videretur fore tenendum de dictis Assertionibus, ex testimonio divinarum Scripturarum, & dictis sanctorum Doctorum, quantùm scientia, & conscientia sibi ministrarent; & votum suum sub signo, & sigillo suis, fideliter traderetur dictis Dominis Judicibus, aut per eos deputandis. Qui Judices, ut meliùs possent prædicti Magistri &c. deliberare, assignaverunt terminum duorum, aut trium Mensium: quo termino elapso, per cedulas publicas frequenter monuerunt omnes & singulos, qui infra dictum tempus suas non dederint opiniones, venirent, & eas darent modo prædicto.

Cùm igitur Domini Judices suam facere relationem taliter pulsati forent; quæsierunt habere de qualibet Natione decem Deputatos, ex notabilioribus eorum, quibus possent omnia referre, & eorum consilio, quo ad processum ulteriorem, uti. C

Quibus concessis per Nationes ipsas, & simul congregatis cum præfatis Judicibus, trina vice, & diversis diebus; Cardinalis Cameracensis, cum clamoribus & contumeliis, eos adeò perturbavit, quòd nil eorum quæ agere proponebant, adimplere voluerunt.

Item, dictis opinionibus ipsorum Doctorum per dictos Judices modo prædicto receptis, post certum temporis lapsum, scilicet circa Mensem Martii, dicti Ambassiatores Ducis Burgundiæ, humiliter & frequenter supplicando requisiverunt eosdem Dominos Judices, ut vellent procedere ad relationem publicam faciendam eorum quæ acta fuerant, prout tenebantur. Et tunc dictus Gersson & sui fautores detrahere clàm & palàm dictis Judicibus cœperunt, clamantes contra eosdem, quòd Fides per eos in sacco tenebatur, petentes vota Magistrorum publicè manifestari. D Et hoc idem verbum pluries dixit Cardinalis Cameracensis, tàm in publico sermone, quàm aliàs; addendo, quòd illi tenebant Fidem ligatam in sacco.

Præfati verò Ambassiatores, ab illo tempore, incessanter postularunt, ut & de præsenti postulant, quatenùs per dictos Dominos Judices fieret dicti processus relatio publica, aperirenturque opiniones Doctorum præfatorum, ut in re ipsa sic deducta veritas, cunctis manifestetur evidenter.

Item, tandem Judices sic à partibus requisiti, decreverunt dare copiam processus; & de facto publicaverunt in Vigilia Ramorum; scilicet XI. Aprilis, processus & opiniones Doctorum prædictorum, sine tamen propriorum nominum eorundem expressione, propter causas eos moventes; & specialiter propter timorem, & minas jam quibusdam Doctoribus incussum, & illatas per dictos Gersson & suos complices. Dictæ verò opiniones, maximè digestæ, & simul conscriptæ, faciunt magnum Librum, prout patere potest ipsum intuentibus; quibus ex ipsis opinionibus & rationibus earumdem clarè apparebit, quòd dicti Doctores profunda divinarum Scripturarum speculatione scrutantes, in lucem quamplurima circa hunc materiam dubia, & obscura elucidarunt.

Item, ex dicta opinionum publicatione evidenter apparet, quòd octoginta septem Doctores, Licentiati, & Bachallarii, tunc in Concilio existentes, super dictis Assertionibus suas opiniones scripserunt, & dederunt, modo sequenti.

Pro parte affirmativa, scilicet quòd dictæ Assertiones sunt Fidei Judicio reprobandæ, solùm scripserunt XXVI. scilicet XXIII. Magistri; unus Licentiatus, & duo Bachallarii, inter quos sunt quatuor Prælati; scilicet unus Cardinalis, unus Patriarcha, unus Episcopus, & unus Abbas. Et illorum magna pars, in suo recessu à villa Parisiensi, juraverat illam prætensam condemnationem Episcopi Parisiensis prosequi, aliàs non fuissent admissi ad veniendum ad Concilium, neque ad percipiendum aliquid de Decimis propter hæc impositis super Clero Regni Franciæ. Et quia sic juraverant, allegaverunt sæpiùs dicti Ambassiatores, excipiendo illos, non debere in testimonium recipi, propter causam istam.

Pro parte verò negativa, scilicet quòd dictæ Assertiones non veniunt Fidei Judicio reprobandæ, sunt opiniones LXI. Magistrorum, Licentiatorum, & Bachallariorum; inter quos sunt LIV. Magistri; unus Licentiatus, & sex Bachallarii, quorum XIII. sunt Prælati, scilicet unus Cardinalis, unus Archiepiscopus, unus Episcopus, & quinque Abbates, duo Generales Ordinum, duo Priores. Et etiam sunt in dicto numero LXI. XIX. de Universitate Parisiensi.

Item, videntes prædicti Gersson, & sui complices, ex iis quæ dicta sunt, quòd ratione vincere non poterant, nec suum obtinere intentum, prout nec debebant, ad sæcularem potestatem se contulerunt, & Christianissimum Regem Franciæ conati sunt involvere, & ipsum partem constituere in hac materia tam periculosa: plurimas Litteras nomine ipsius confingentes, hìc scripserunt, ad eorum voluntatem, quas miserunt Parisius, ad signandum, & sigillandum signis Secretariorum, & magno sigillo ejusdem Domini Regis Franciæ, Litteris multiplicibus subreptitiè impetratis hìc delatis, & publicè lectis, in quibus continentur minæ, terrores, & alia plurima tollentia libertatem, quæ debet esse in Concilio Generali, præsertim quoad Regnicolas Franciæ, & Beneficiatos in eodem: & specialiter audita expositione, & declaratione contentorum in dictis Litteris factis pluries & publicè, per dictum de Gerssonno, cum requisitionibus, intimationibus, & summationibus tali modo factis; quòd quicunque non starent cum ipsis in prosecutione defensionis hujus causæ, erant infideles dicto Domino Regi, & ejus proditores, eosque suos adversarios reputabat; quòdque intendebat dictus Dominus Rex ipsos prosequi igne, ferro, gladio, exterminio, & exilio.

Et jam istud executioni demandari fecerat, ut asserebat dictus Gersson, dictos notabiles Doctores designando, qui hìc fuerant, cùm hæc materia tracta-

* *forsan desideratur* die.

tractabatur, & sibi non consenserunt; hac de causa incarcerati erant Parisius: innuens per hoc, & affirmando, quòd simile fieret illis, qui suæ opinioni in hac materia non assentirent; tales minas, & alias publicè omnibus inferendo.

Quia igitur, occasione hujusmodi Litterarum, & modi procedendi, per tales comminationes & terrores, Justitia præfati Domini Ducis plus debito huc usque retardata est, in ipsius famæ, & honoris, & suorum grave dispendium, & unde nota & macula grandis huic sacro Concilio ascribi posset; supplicant, cum omni humilitate qua possunt, Serenissimæ Majestati vestræ, ejusdem Domini Ducis Ambassiatores præfati, pro gloria ejusdem sacri Concilii augmentanda, favoreque Fidei, & Justitiæ; ac fama, Fide, & honore dicti vestri consanguinei, fidelissimique vassalli conservando, quatenùs, ut veritas ipsa cunctis pateat evidenter, idemque sacrum Concilium valeat in causa ipsa debitè, quod Spiritus Sanctus ministrabit, disponere, & diffinire; dignetur eadem vestra Serenissima Majestas providere, inducereque & induci facere eosdem Dominos Judices, ut ipsi quàm citiùs ad relationem procedant faciendam publicam, juridicam, & debitam ipsius processus, prout etiam aliàs eam facere decreverant; ut sic ipsâ factâ, negotium valeat, Justitia mediante, terminari.

SENTENTIA

Universitatis Parisiensis,

Quâ petit Judicium Adversùs errores Joannis Parvi.

Cod. 2538. fol. 408. verso 1416. XIV. Sept.

SPectabiles Domini, viri præclarissimi, atque æquissimi Judices.

A justis justa maximè quærenda sunt, neque vacillat Judicium quòd à mente pura, & animo perito procedit: quoniam omnis malignandi modus, aut à corrupta voluntate, aut à tenebroso intellectu nascitur.

Præthereà, Judicem decet & probum, & rerum non ignarum semper eligere, quales vos fama loquitur, & testantur opera subsecuta.

Ad vestrum igitur Tribunal, referenda sunt, si quæ gravitate judicanda sunt, aut Judicum auctoritate fulcienda. Hinc materiam Fidei, Sententiam Justitiæ, quam adversùs errorem Johannis Parvi tulit Parisiensis Episcopus, vestris in Judiciis venire concupiscimus, ut visa magis & à majoribus veritas, fortiùs elucescat. Idque scire volumus universos, quòd huic Sententiæ operam dedimus & consensum, quam & formâ integram, & à Judice congruo, atque sufficienter intitulato profectam reputamus.

Verùm, ubi ad vestram cohortem venerabilem rei hujus discussio devenerit, quod summoperè poscimus, id unum nobis concedi postulamus, ut in Justitia & Veritate, quæ non subterfugia quærit, res hæc sedulò pertractetur, tanquàm specialissimè commendata. Ad hoc Regia laborat auctoritatas, & Fides, cui planities debetur; & nos toto corde suademus, idque vota vestra petimus inquirere, quod nos pro judicato habemus.

Circumspectationes vestras prosperè dirigat Altissimus.

Datum in nostra Congregatione Generali, apud sanctum Maturinum. XIV. Septembris.

LA SENTENCE

Du Parlement

Cod. 2538. fol. 409. & 411. verso. 1416. XIX. Sept.

LA Cour a deffendu, & deffend, de par le Roy, sur peine de corps, & de biens, & sur ce que .... un chacun se peut meffaire envers le Roy, que aucun de quelque état, & condition qu'il soit, dorenavant ne die, publie, afferme, ou enseigne en la Seigneurie du Roy, qu'il soit loisible à quelque vassal, ou sujet, ou autre, occire aucun, par aguet, blandices, ou deceptions, sans attendre Sentence, ou Commandement de Juge competant: & deffend la Cour, sur les dittes peines, que dorenavant aucun n'en ecrive, copie, exemplifie, tienne, ne fasse écrire, copier, exemplifier, ne tenir devers soy, aucunes telles écritures, cahiers, ou coppies appellées: *La Justification du Duc de Bourgogne.*

Et en outre, commande la Cour, sur les dittes peines, que quiconque aura aucun tel, ou tels cahiers, coppies, ou écritures, appellées comme dessus, qu'il les apporte par devers la Justice du Roy, incontinent, & sans delay, apres la publication de cette Ordonnance, pour envoyer devers la ditte Cour, a en faire ce qu'il appartiendra. Et encore commande au Procureur du Roy, que s'il trouve aucuns faisans le contraire, qu'il les fasse punir, ainsy qu'il appartiendra.

Et outre, ordonne que ces choses soient publiées au Chatellet de Paris, & es lieux principaux des Baillages, Senechaussées, Prevostés, & autres lieux Royaux, affin que aucun n'en puisse pretendre ignorance.

Prononcé & publié en Parlement; le XIX. jour de Septembre. l'An mil CCCC. & XVI. *Signé* BAYE.

EPISTOLA

Ejusdem Ducis Burgundiæ,

Ad Synodum Constantiensem.

Copia recepta, Anno XVI.

Cod. 2538. fol. 352. verso.

Sacro-sanctæ Synodo, in Civitate Constantiensi congregatæ, Generale Concilium legitimè facienti.

JOhannes Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Arthesii, & Burgundiæ, Salutem: nec facere aliquid, ob cujus factionem vituperemini.

Præstantissimi Domini, Reverendissimique in Christo Patres, quantò magis, sicut ceteri fideles bonæ voluntatis, conceperam lætitiam in sancta vestra Congregatione; dùm arbitrarer vos loco uberi, cum amplissima libertate & securitate collectos, ut rediret Ecclesiæ pulchra pax, & tollerentur hæreses, & errores; fieretque errantium correctio; tantò plùs mæstitia me compungit, dùm cerno rem versam.

Res quippè versa est, seu versari videtur, favore quorumdam malignorum meorum, qui viam juridicam metuentes, non errantium correctiones; sed perniciem meam odiis quærunt, & sub favore & titulo potentiæ insurrexerunt, minas maximas, & injurias Commissariis, super processu contra defunctum Magistrum Johannem Parvi Parisius agitato

tato deputatis inferendo, quo talis metus subiit, quòd ipsi Commissarii se exoneraverunt, executionem minarum ante dictarum metuentes; quis ✝ metus derivari, & transfundi in alios verisimile est, conventiculis, factionibus, conspirationibus Gerssonnitarum secessit Concilii libertas.

Qualis quæso est & illa Gerssonnitarum Theologia, & quale Sacerdotium, quibus via Juris & Justitiæ subvertuntur, facti autem assumitur, concipite. Profectò fas videbitur dicendum, tales fore agravandos * illis, qui secundùm historias veteres inveniuntur Ecclesiam Dei scidisse, & in domo Dei populum seduxisse; quique vertebantur in laqueum tortuosum, in omnibus locis ponentes scandalum: illa enim quæ oculatè circunspicitis, persensistis quo animo, præterito tempore, se rexerunt, compellimini tremendis minis prædictorum sequi vestigia, revocareque vestra solemnissima Decreta, & ut magis timeatis, pro vexillo eorum sumpserunt Litteras, quas Regias asserunt: & tamen Dominus meus Rex nunquam, de sua certa scientia, super ista materia se intromisit, qui & à primævo suæ juventutis flore, sui gratiâ, prout cunctis notuit, indissolubili dilectionis vinculo me carum habet, & habuit. sed prædictæ Litteræ non maturè, nec palam, imò in angulis & latebris, & per meos inimicos mortales in Curia Franciæ existentes, fuerunt fabricatæ, & transmissæ. Patet satis hoc per inspectionem ipsarum Litterarum, quæ in re gesta nullum præsentem nominavit, nisi unum militem merè laïcum.

Intellexi etiam quòd Universitas Parisiensis, authoritate sacratissimi Concilii vestri, miserabiliter evacuata, suas elationis & impressionis Litteras, partem dictorum Gerssonnitarum fovendo, direxit. Sed quomodò poterit suus processus laudari antè confectionem suarum Litterarum prædictarum? Quia oportebat in Congregatione Universitatis antè dictæ unanimen super iis conclusionem sumere, quæ nunquàm obtineri sperabatur, nisi quadam factione præeunte. Accidit, quòd de villa Parisiensi fuerunt ad tempus expulsi plures de notabilioribus, & eximiis ipsius Universitatis viris, sacræ Theologiæ Professoribus, in Jure Canonico Doctoribus, & aliis Facultatibus, qui cognoscebantur affectionati ad bonum rationis, & justitiæ, ad proferendum veritatem. Ex qua factione successit, quòd prava juventus, cum consilio & favore † dicta Universitas regitur suum intentum antè dictum obtinuit, nec fuit aliquis de prædictis, & multis aliis Universitatis suppositis, qui auderet suum votum manifestare; reputantur enim felices, quos aliena pericula reddunt cautos: adeò quippè illa facti via terrorem incutiit, quòd Facultas Decretorum, quæ dictum Magistrum Johannem Gersson, & suos adhærentes in processu inchoato coram Episcopo Parisiensi desadvoavit, & deacceptavit, eis silentium, quantùm in ea erat, imponendo, sub pœna privationis. Quæ etiam Facultas nolebat, nec intendebat dictum de Gerssonno sequi in hujusmodi processu, prout vobis apparuit, aut apparere poterit, si sit opus, per publica Instrumenta, non fuit ausa suo voto juridico deliberare. Verumtamen divina favente clementia, Natio Picardiæ ad illa quæ sunt Juris & Justitiæ firmum animum habens, deliberavit quòd dicta materia per vos debebat terminari, quòdque vobis scribendum erat, quòd quilibet vestrûm haberet libertatem, & securitatem dicendi suam deliberationem, secundùm quod juridicè sibi videretur expedire.

Verum est etiam, quòd dicta Conclusione per dictam Universitatem sumpta, prædicti expulsi, pro majori parte, Parisius redierunt, ibique pacificè commorantur, quod in ista materia satis notandum est.

Quid ergo de tali Universitate dicendum est? Cùm Doctorum debitum professionis officium in hoc consistat, ut doceant illa, quæ tendunt ad salutem; & ipsa, quæ pro Sacro-sanctæ Religionis Catholicæ custodia solebat continuis vigilis excubare, ne quid in eam detrimenti, aut scandali irrumperet, omni ratione propulsa, clamoribus, & minis in materia Catholica suam vocem exaltat, totum laborem Commissariorum ante dictorum tam salubrem, tamque fructiferum extinguere, & cassare moliendo.

Ad quid enim auditur, cùm partem meam quandoque foverit, deindè tergiversaverit?

Diversitas enim & variatio audiri non debent de modis & mediis, per quos meam Justitiam penès vos quæsivi. Quid attinet scribere, noti penè sunt vobis omnibus. Ea propter vestram Sacro-sanctam Synodum per Fidem integerrimam hortor, caritativèque requiro, & exoro, ut ad justificationem, quam cœpistis tenere, quæ in vestra manu sita, viriliter incedatis. Ad hoc profectò debet vos inducere zelus animarum, & tam virtuosi operis meriti apud Deum respectus: debet caritas amplissima, quâ prædìti esse debetis, postposito statu temporali, pro æterno, menti vestræ habentes Summi Pastoris scientiam, per quam astringitur pro ovibus suis suam etiam animam in casu exponere. Intendo etiam, cum adjutorio Altissimi, Jus meum prosequi, & protegere firmo pede.

INSTRUCTIONS

Pour les Ambassadeurs que Monsieur envoie à Constance.

Cod. 2538. fol. 406.

Messire Philibert de Saint Ligier; Messire Clays, Vtem Hoüe Chevalier; Messire Guy Armenier, Docteur en Loix, & en Droit Canon; Maitre Aman Donast, de Bruges, Docteur en Theologie; Maistre Leon, Doyen de Besançon; Maitre Gyeffroy de Choysi, Doyen d'Autun; Maitre Naveline, Docteur en Decret.

Lienin.

PRemierement eux assemblés à Constance, ils venront en l'Hostel, où est logié l'Evesque d'Arras, & se assembleront tous, tant ceux qui sont au dit Constance, de long-temps; comme ceux qui y sont à present, à certain jour & heure qu'ils aviseront, en l'Hostel du dit Evesque d'Arras, ou autre part, ainsy que meilleur leur semblera, & plus expedient.

Item. Ceux assemblés au dit jour tous, tant premiers comme derniers, feront serment, & jureront en la main du dit Evesque, ou d'autres, ainsy, & par la meilleure maniere que faire se pourra, les choses en suivant.

Premierement. Jureront qu'ils tenront secret entre eux, toutes les choses, & une chacune d'icelles, touchans & appartenans à leur Ambassade, sans en faire aucunement declaration à creature quelcon-

✝ *Locus corruptus.* * *forsan* aggregandos † *Locus corruptus.*

conque, autrement que par la maniere qu'il appartient, à eux donnée, ainsi qu'il est cy apres declaré, & touché.

Item, semblablement. Que ce qui appartient à Monsieur, tant au regard de son procés pendant en Cour de Rome, comme de ses autres affaires, en quelconque matiere que ce soit; ce qu'ils en sçavent, & pourront sçavoir, ils le tenront secret entre eux, comme dit est, sans en parler, ou escrire directement, ou indirectement, en quelque maniere, ne à quelconque personne vivant, sans avoir conseil, avis, & deliberation d'eux tous ensemble, à quels gens, par quelle maniere, & en quel temps il sera expedient, ou necessaire d'en parler: & de tout ce qui sera par eux deliberé, & conclud, l'execution se fera par celuy, ou par ceux qui à ce seront ordonnés, sans que les autres s'en meslent aucunement, se non en faisant, & donnant assistance; & de cecy feront serment & jureront.

Item. Juront comme dit est, que nul d'eux n'a, & n'aura aucunement accointance, amistié, alliance, & familiance particuliere avec quelconques personnes de la partie adversaire de mon dit Sieur. Et pour eschever toute note de suspition, les dits Ambassadeurs ne prenront, ne recevront dons, presens, en quelconque maniere que ce soit, ne semonce aux diners, ou soupers, ou autres heures, tant de jour, comme de nuit; ne ne parleront point à eux, senon à heure & en lieux communs, & qu'ils soient plusieurs; ne iront point de nuit de lieu en autres, pour gesir hors de leur propre domicile: & generalement ne traiteront, en quelconque maniere du monde, aucune chose, avec la ditte partie adverse, ou aucuns à icelle favorisans & adherans, senon en commun, & public, & du conseil, consentement & bon plaisir d'eux tretous, & de la plus saine partie d'iceux.

Item. Et afin que les nouveaux Ambassadeurs soient plus acertenés de ce qu'ils auront à faire, & qu'ils connoissent ce qu'ils devront connoitre, ils se enformeront, dés le commencement, des lieux, des places, des personnes; esquels, & avec lesquels ils pourront seurement aller, & parler, par les autres Ambassadeurs, qui y sont de long temps, & de ce jureront garder & entretenir entierement la forme qui leur sera balliée.

Item. Et pour plus seurement entretenir & conduire toutes les choses dessus dittes, & celles qui s'ensuivent, Monsieur veut, & ordonne, que se il est aucun, ou aucuns, qui fassent au contraire de ce que dit est, & qui s'ensuit, & mémement de toutes autres Ordonnances, qui seront mis sus entre eux, par eux mêmes, pour le bien & honneur de l'Ambassade, & de Monsieur, puisqu'il en sera adverti, & ne fera ce qu'il appartiendra à faire; que cel, ou ceux, se plusieurs sont, soient privés de l'Ambassade, & dés maintenant comme on a, dont Monsieur les prive, & revoque & adnulle toute leur puissance, & les tient & repute comme autres que loyals envers luy, & envers son honneur.

Item. Monsieur veut que toutes leurs querelles & querimoines, escandres, controverses, & autres matieres qui pourroient estre entre eux litigieuses, soient traitées, demenées, & discutées entre eux, present & presidant le dit Evesque d'Arras, lequel, pour le bon conseil & advis des autres, puisse mettre entre eux bon appointement, sur tous les debats qu'ils pourroient avoir, appellé avec un * Messire Philibert de saint Leger, Chevalier, lequel Monsieur veut estre en cette Ambassade honoré & avoir prerogative telle qu'il appartient, & ce que ils jureront tous, & promettront à garder, tout le temps qu'ils seront en la ditte Ambassade, tant pour eux, que pour leurs serviteurs, varles & familiers.

Item. Toutes choses dessus dites, faites par la maniere que dit est, ou autre, se meilleure estoit, celuy qui a la Charge, de par Monsieur, de l'Ambassade, proposera, & dira tout ce qui luy est chargié, à celle fin que on ait maniere de y proceder par le conseil de tous, ainsy que mieux apperra, tant sur la presentation des Lettres, & autres manimens que mont dit Sieur leur doit envoyer presentement, & par delà, comme autrement.

A Item. Semble expedient que le Doyen de saint Donas de Bruges, soit pourveu de faire une Collation, en la presence du saint Concile, en remontrant la cause de leur venuë superficiellement, & en termes generaux; & quant à ce soit avisé quelle heure est plus expedient; ou le premier jour de l'Audiance, qui leur sera octroyé, selon le Jugement de ceux qui sont déja par-delà.

Item. Semble bon à Monsieur, que ceux venus par-delà, devant toutes autres choses, ils doivent eux representer au Comte Palatin, luy exhiber honneur & reverence, avec les Lettres de Monsieur, en luy requerant assistance, conseil, confort, & aide; & mémement ses Lettres de seureté, pour plus seurement poursuir leurs autres faits, en faveur de droit, raison, & justice; & se besoin est, faire une Collation à ce servant, en sa presence.

Item. Monsieur veut, que le procés soit continué sans aucune interruption; & qu'on requere B le Concile de justice faire, sans aucun retardement: & ne veut la chose aucunement estre retardée sans son sçeu, & bon plaisir, & especial Mandement.

Item. Veut que les protestations qu'il a faites dernierement, soient publiées & renouvellées, sans aucunes y ajouter, ou diminuer, qui soient au contraire d'icelles: & se necessité est d'en faire des autres; il plaist bien, ainsi que la matiere, le temps, & les nouvelletés suivans le pourroient requerir, en adherant toudis aux autres.

Item. Monsieur veut que toutes choses, lesquelles seront à faire, & à proposer de par luy, & en son nom, tant en Concile General, comme au College des Cardinaux, en la presence des Juges des Nations, & de toutes autres personnes particulieres, ou Communité, les nouveaux Ambassadeurs ne soient aucunement sans ces premiers, ou aucuns d'eux.

C Item. Et quand à ce, Monsieur a envoyé VII. sexternes de quatorze feuilles, ou environ, signez d'un de ses Secretaires, écris en langage François: il a voulu faire, pour plus vrayement remontrer & plus cler, les choses qui ont esté faites, lesquelles y comprend mieux en ce langage qu'en autre; jaçoit ce que mon dit Sieur est bien d'accord que par-delà soit mis en autre langage par gens commis de par le Conseil, non suspects, & que collation en soit faite avec le dit Commis, par ses Ambassadeurs, ainsois qu'on les propose.

Item. Mon dit Sieur veut que pour autre cause il n'envoye le dit sexterne au dit saint Concile, fors que pour remontrer la verité du gouvernement de ce Royaume, à l'encontre des horribles & abominables menteries, que ses adversaires publient de jour en jour, par toute la Chrienté; lesquelles menteries se prouvent suffisamment de jour en jour, D & prouveront, se Dieu n'y pourvoit, dont est pitié pour le Royaume.

Item. Mon dit Sieur veut que tout le monde sçache, que oncque ne fit, ne n'a entention de faire chose qui soit contre l'honneur du Roy, & de son Royaume, & gardera sa loyauté, sans aucunement soy mesfaire; & de ce est prest, & a toudiz esté, de répondre devant tout homme son

Juge

* *forsan* eux

Juge competent, en toutes places, par toutes voies raisonnables, & licites, ainsy que bon Chevalier, & loyal vassal doit faire.

Item. Et quant à ce qui a esté opposé en matiere de Foy à mon dit Sieur, il s'en est toudis rapporté au Jugement de Dieu, & à l'Ordonnance & determination de sainte Eglise, & de la plus saine partie des Clercs, & des sages, cessant voye de fait, & de violence; & que chacun puisse avoir fiance liberté de dire ce que sa conscience A luy juge, selon la verité & equité, qui est la principalle cause pour laquelle de present a envoyé ses Ambassadeurs au saint Concile.

Item. Et pour toutes ces choses mener à fin desirée, & conclusion deuë, ses Ambassadeurs ont à requerir audiance seure, franche, clere, & publique, ensemble toutes autres Requestes faisant selon Droit à la besoigne: & ou cas, que Dieu ne veule, que la violence de ses ennemis seroit telle, & si grande, que on ne voudroit, ou nom de Monsieur obtemperer, & que on procederoit par menaces, craintes, peurs, & telles impressions, & oppressionis, tellement que iceux Ambassadeurs ne pourroient obtenir ce qu'ils requierent, par raison, & se verroient en peril de leurs corps, & de leurs vies; Monsieur requiert que par sauf-conduit du Comte Palatin, ou autres, aux quels il appartient, il se pourvoiroit de remede tel que Dieu, & ses B bons amis luy conseilleroient.

Item. Et quant à la matiere des sermens dessus dits, les Ambassadeurs assemblés, comme dit est, jureront & promettront, que nul d'eux n'écrira, ne mandera aucune chose à part, touchant le principal de l'Ambassade, à quelconque personne, qui ne montre premierement ses lettres aux autres; car par telles secrettes lettres & partiales, aucunefois s'ensuivent dissentions, & noises.

Item. Jureront, que nuls d'eux ne se partira du Concile, se Monsieur ne le mande expressement, & se il n'a cause certaine, qui soit jugée raisonnable par le conseil de tous les autres.

Item. Les Ambassadeurs ont à noter la maniere de parler de ceux qui ont composé l'Epistre, en nom du Roy, dernierement envoyée au saint Concile, en laquelle, par desprisement, ils injurient l'E- C lement des pays de Monsieur, lesquels neantmoins sont de present, & ont toûjours esté tant bon, & tant loyal pour le Royaume, comme il appert & que chacun sçait, & qu'on le peut declarer, quant à marchandise, quand à fait d'armes, & en toutes choses touchant bonne police, & loyauté, & mémement ont toujours montré vraye obeïssance & subjection à Sainte Eglise.

Par Monsieur Le Duc

BORDES.

CEDULA

Posita in valvis Ecclesiarum,

Cod. 2538. fol. 367. verso.

Die Nativitatis Nostræ Dominæ. Anno XVI. quæ est VIII. Mensis Septembris.

D D Ie Veneris proxima, horâ sextâ, de manè, in Ecclesia majori Constantiensi, Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Cardinalis Cameracensis, quæstionem infra scriptam, de qua sub eodem respondebit Reverendus Doctor Magister Mauricius de Praga, sacræ Theologiæ Professor; ponendo tres Conclusiones sequentes.

Quæstio.

Utrum plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ resideat in solo Romano Pontifice.

Prima Conclusio.

Plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ inseparabiliter residet in Romano Pontifice.

Secunda Conclusio.

Plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ inseparabiliter residet in Universitate Ecclesiæ Catholicæ.

Tertia Conclusio.

Plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ repræsentativè residet in Concilio Generali.

Si verò prædicta die locus occupatus esset pro alia rationabiliori causa, fiet in die proximiori sequenti, sicut significabitur per aliam Cedulam.

CEDULA

Positia in valvis.

Cod. 2538. fol. 367. verso.

Die x. Mensis Septembris. Anno. XVI.

AD exhortationem Reverendissimorum Patrum, & Dominorum suorum, Cardinalium sacri Collegii, Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis Cameracensis, disputationem quam proposuerat facere die Veneris post Nativitatem Beatæ Mariæ, distulit ad aliam diem magis opportunam, quæ tunc significabitur per Cedulam; protestans quòd sibi aut aliis sacræ Theologiæ Professoribus à nullo, nisi à Concilio Generali pro nunc, de Jure, potest exhiberi disputatio, aut scholastica determinatio, pro declaratione Catholicæ veritatis, & reprobatione errorum. Alioquin qui de facto secùs facerent, redderent se suspectos de fautoria hæreticæ pravitatis.

ASSERTIONES QUATUOR

Magistri Generalis Prædicatorum, circà spiritualis gladii Potestatem supremam.

Prima Assertio.

GLadii spiritualis suprema Potestas residet in Ecclesia Militante inseparabiliter, quo ad Jurisdictionem.

Probatur hæc Assertio quoad primam partem; quoniam Ecclesia ipsa est duratura usque ad consummationem seculi. *Mathæi* XXVIII. & non deficiet in Fide *Lucæ* XXII. Ergo Jurisdictio Potestatis ab ea non separabitur.

Quoad secundam partem, patet, quoniam executionem hujusmodi Potestatis supremæ Ecclesia non habet, nisi eâ Papa carente, aut ipso Papa illigitimato, vel deposito; sicut diffusè probavi in Sermone quem feci, Dominicâ *Invocavit*, in loco Sessionis, ad quem me remitto.

Secunda Assertio.

Gladii spiritualis suprema Potestas est in Papa separabiliter, & quoad ejusdem executionem.

Ista facilè probatur, quoniam Papa depositus, vel illegitimatus utraque caret.

Tertia Assertio.

Gladii spiritualis suprema Potestas est in Papa legitimè præsidente & residente totaliter, quoad executionem, & nullomodò in Concilio Generali.

Ista Assertio similiter probatur; quoniam Ecclesia executionem talis Potestatis non habet, nisi eâ Papa carente, vel eo illegitimato, aut deposito, ut dicit prima Assertio, & per consequens, nec Concilium Generale,

Quarta Assertio.

Gladii spiritualis suprema Potestas sic est in Papa legitimè præsidente in Ecclesia, quod approbanda in eadem solus Papa habet diffinire, & non Concilium Generale.

Ista Assertio probatur ex prima & ex tertia Assertionibus: quoniam in dicto tantùm Papa executionem habet hujusmodi Potestatis.

Cod. 2538. fol. 375. *In die Nativitatis Beatæ Virginis, in Ecclesia Constantiensi. Anno cccc. xvi. prædicavit publicè, præsentibus Dominis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis etiam & Ambassiatoribus nonnullorum Regum &c. Magister Johannes de Gerssonno in effectu, vel quasi in forma, hanc Conclusionem.*

Prædicata per Johannem Gersson.

1416. SI Christus supervixisset Beatam Virginem Matrem suam, de Jure divino & humano, Jure hereditario sedisset super Thronum David, & fuisset verus Rex Juda, tenuissetque Regnum temporale, secundùm verbum Angeli dicentis Mariæ, Luc. 1. 32. *Dabit ei Dominus* &c. Et ita debet ad litteram intelligi, & clarum est quòd non per medium Joseph, cùm non esset Pater Christi naturalis, sed per medium Beatæ Virginis ejus Matris naturalis, & veræ, quæ erat vera heres dicti Regni David, de Jure divino, &, per consequens, humano, cùm nullum Jus Juri divino contradicat, sed eidem consonat: ex quo sequitur propositum.

Et indè apparet, quòd mulier, de Jure divino, potest succedere in Regnum, seu Regale Dominium; nec Jus humanum potest oppositum statuere, quia tunc non valeret.

Et circa hanc materiam dixit gravem quæstionem fuisse motam inter Christianissima, & præclarissima Regna Franciæ & Angliæ; super qua materia scripsit multùm solemniter unus magnus Doctor Angliæ. Et asserunt plurimi quòd nominavit Almakanum, ad cujus scripta & dicta se referebat.

PROTESTATIONES

Domini Burgundiæ,

Receptæ xiii. Septembris. Anno xvi.

Cod. 2538. post folium 337. & ante folium 338.

A

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Amen.

NOverint universi præsentis scripti paginam, seu præsens publicum Instrumentum inspecturi, quòd Anno ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo decimo sexto. Indictione nona, die verò xviii. Mensis Augusti, Sede Apostolica Pastore carente, nobis Notariis publicis, & testibus præsentibus infra scriptis, personnaliter existens Serenissimus Princeps & Dominus, Dominus Johannes, Dux Burgundiæ, Comes Flandiæ, Arthesii, & Burgundiæ Palatinus, Dominus de Salinis, & de Machlinia; ex ejus certa scientia, eisque Juribus, viis, & modis melioribus quibus potuit, B protestatus fuit, & protestationes fecit, ut sequitur, & in quodam rotulo papyreo pleniùs continetur, cujus tenor talis est.

Primò, quia idem Princeps Illustrissimus aliàs protestatus, se semper velle imitari sacratissimas, & orthodoxas suorum Prædecessorum, scilicet Dominorum Regalium de sanguine liliato Christianissimo, semitas, hoc idem iteratò protestatur, & fatetur, se velle profiteri, & tenere inviolabiliter, adhærendo tanquàm verus Catholicus Sententiæ Fidei, & Ecclesiæ sacro-sanctæ, & eam vult fovere, tueri, & defendere, & in eadem permanere, & perseverare, quandiù Altissimus vitam sibi contulerit in humanis.

Item, protestatur, sicut & aliàs protestatus est, quòd in ipsa Fide Catholica, & sub ipsa vult vivere, & mori, ipsam excolere, protegere etiam omnes & singulos suos fideles, amicos, parentes, C alligatos & subditos ad hoc ipsum, totis viribus, exhortando, eosdem, ac etiam, si quando foret opportunum & necesse, quantùm in eo erit, compellendo.

Item, protestatur, sicut aliàs protestatus est, quòd de mente sua nunquàm fuit, est, aut erit, dare favorem, aut assensum quibuscumque Propositionibus, seu Assertionibus, atque Conclusionibus propositis, aut in posterum, per quemcumque, seu quoscumque proponendis, quæ venirent directè, aut indirectè, contra determinationem Fidei sacro-sanctæ, aut doctrinæ Ecclesiasticæ sanctorum Doctorum ab Ecclesia probatorum, ceterorumque catholicè docentium.

Item, protestatur sicut aliàs, quòd circa ea, quæ jam longo temporis spatio in sancto Universali Concilio Constantiensi, & Parisius practicata, D publicata, & proclamata fuerunt per Episcopum Parisiensem, & ejus Procuratores, suo nomine, & Magistrum Joannem de Gerssonno, suosque complices, contra ipsum Principem inclytissimum, idem se submisit, & semper vult submittere ordinationi, declarationi, & determinationi Sanctæ Matris Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ, offertque se, prout aliàs se obtulit, stare Juri, casu quo aliqui voluerint ipsum impetere super facto Fidei, aut sanctæ Catholicæ doctrinæ, contra ipsum proponendo aliqua, quæ ejus sinceritati, fidelitati, honori, & famæ derogare possent.

Et quia post prædictas protestationes, processus quidam fuit inter ipsum Pincipem Illustrissimum, parte una, & Episcopum Parisiensem & Inquisitorem,

torem, qui tunc erat, parte altera; occasione cujusdam prætensæ Sententiæ per ipsos Episcopum & Inquisitorem, in jacturam Fidei, & Principis præfati opprobrium latæ: qui quidem processus cum maturo & diuturno examine Doctorum plurium, Dominorumque de Rota, in præsentia Judicum Fidei terminatus sententialiter extitit contra ipsos Episcopum, & Inquisitorem, per tres Dominos Cardinales ad hoc deputatos par sacrum Concilium.

Nihilominùs prosecutores Sententiæ dicti Episcopi, tanquàm veritatis, & præfati Principis adver- A sarii, à dicta Sententia appellarunt. Post quam quidem appellationem, viâ Juris rejectâ, & neglectâ, viam facti assumentes; procuraverunt Litteras, Epistolas, & Libellos, nunc ex parte Regis Franciæ Christianissimi, nunc ex parte Regis Romanorum, nunc ex parte Universitatis Parisiensis, postulantes importunè dictam Sententiam revocari; & ex consequenti, inferentes injuriam, opprobria, & contumelias contra præfatos Dominos Cardinales Commissarios, totum ipsum Universale Concilium, & prænominatum Principem: adjicientes insuper minas, & terrores contra omnes & singulos, præcipuè de Regno Franciæ, & in eodem Beneficiatos, qui suæ insaniæ non dederunt assententiam, consilium, auxilium, & favorem, organo Magistri Joannis de Gerssonno, in hæc verba, aut similia, in sententia, die Jovis, nono Julii, apud Constantiam, in Sessione publica Nationis B Gallicanæ, prætenso Regis nomine, prorumpetes.

Quicumque sibi, & suis collegis assistentiam non darent, eo ipso pœnam criminis læsæ Majestatis incurrerent. Subjungentes præterea, quòd de mente Regis erat Sententiam præfatam Episcopi Parisiensis defendere, sustinere, & tueri velle per totum Regnum suum, & Delphinatum: pœnam ignis, ferri, gladii, exilii, & totius exterminii incurrendo omnibus & singulis in contrarium venientibus. Et consequenter dicebant super iis Litteras, ex parte Regis suo Parlamento, & per totum suum Regnum, super executione pœnarum facienda, jamque destinatas; quemadmodùm apparet per incarcerationem Magistri Nicolai Canache, Doctoris in Theologia, & Magistri Joannis de Villa-nova, Doctoris in Decretis, ob cau- C sam prædictam punitorum, quemadmodùm faciendum asserunt de ceteris iis similibus.

Præmissis itaque, necnon & veritatis aliis similibus diligenter attentis; protestatur Illustrissimus Princeps sæpè dictus, in modum qui sequitur.

Primò, quòd non intendit discedere à determinatione Sanctæ Sedis Apostolicæ, quæ in hac materia habuit consultationem, & deliberationem Doctorum Catholicorum de quatuor Nationibus sufficienter congregatorum, & Dominorum de Rota Apostolica; imò eam tenet, & approbat, tanquàm Sententiam Catholicam.

Secundò, protestatur, se velle stare Sententiæ per Dominos Cardinales Commissarios legitimè & canonicè latæ.

Item, protestatur, quòd in futurum stare vult D Juri, & Judicio Sanctæ Sedis Apostolicæ, quandiù libertas omnibus, & singulis fuerit concessa, & data dicendi & scribendi, & publicè quid quid Jus, & ratio eis suadebunt, secluso omni timore, & favore, odio, & rancore, quibus ipsa libertas, & verum Judicium impediri solent.

Item, protestatur, in casu quo via facti locum haberet, per terrores, minas, seu aliàs quovis modo; aut libertas, & justum Judicium paterentur detrimentum in loco tam solemni, taliter quòd via Juris sibi totaliter secluderetur; idem Dominus, cum remediis Juris & Justitiæ procurabit sibi, tempore & loco opportunis, justitiam ministrari, modo & forma melioribus, quibus Deus sibi contulerit.

Item, protestatur, quòd si via facti taliter suam impediret justitiam, quòd sui Ambassiatores audientiam non haberent; idem Dominus eosdem, ex nunc, pro ut ex tunc, revocat, & eorum autoritatem adnullat, requirens nihilominùs, ut de Jure est, quòd salvi & incolumes sibi remittantur.

Item, quia illi, qui de præsenti se gerunt pro Universitate Parisiensi, & ab Anno citra, se gesserunt per suas multiplices Litteras, & Epistolas; & favent, & faverunt Sententiæ Episcopi Parisiensis, tàm damnatè partem se constituendo in hac materia contra præfatum Dominum; protestatur idem Dominus se nolle per se, vel suos Ambassiatores recipere opinionem ipsorum, nec ipsam esse admittendam plus quàm illam Episcopi Parisiensis, cùm ipse cum eo, & ipse cum eis, pro parte adversa ipsius Domini debeant reputari. Et aliundè; cùm illi iidem, & in odium ipsius Domini Ducis, jamque expulerint, & expelli procuraverint ab ipsa Universitate ferè totam Nationem Picardiæ, præcipuè quo ad Magistros notabliores; arcamque ipsius Nationis frangi procuraverint, violenter sigilla sua auferendo, sicut habetur ex publico Instrumento: &, ex consequenti, de Facultate Decretorum, & ceteris Nationibus, & Facultatibus quamplures de notabilioribus Doctoribus, & Magistris expelli fecerint, eò quia in suas opiniones & Sententiam dicti Episcopi consensum non dederant, sed potiùs eas deadvoaverant; & ipsum Magistrum Joannem de Gerssono, quantùm in eis erat, suamque potestatem revocaverunt: Acta insuper illorum, Libellos, & Epistolas, nomine Universitatis composita sigillare noverint, ipsa potiùs fore discutienda per sacrum Concilium judicantes, pro ut ex pluribus publicis Instrumentis clariùs patet. Quæ omnia ostendunt præfatos, Universitatem repræsentantes, facere partem formaliter pro dicto Episcopo, contra memoratum Principem. Quare protestatur idem quod priùs.

Item, prænominati Universitatem regentes, adhærentes dicto Episcopo Parisiensi, unà cum ipso, possent forsan in posterum nonnullorum malignantium suasu, in materia hujus processus novitates varias introducere, & cautelas, per quas id, quod in lite pendet, pateretur tenebræ dispendium.

Protestatur idem Princeps, hujusmodi novitatibus, seu cautelis quibuscumque per aliquem, vel aliquos, quacumque autoritate fungentes, nolle adhærere, tanquam Juri, & rationi contrariis.

Item, protestatur, quòd si dicti Episcopus & Universitatem regentes, pars adversa ipsius Principis, in talibus novitatibus procurarent per quamcumque autoritatem, Ecclesiasticam, aut secularem opiniones aliquorum Doctorum Catholicorum infirmari, adnullari, aut repelli; seu, cùm plures essent numero, ad minorem numerum redigi, atque Congregationes quascumque, seu Conciliola particularia alibi, quàm in loco Generalis Concilii fieri; eò quia hujusmodi Congregationes, seu Conciliola vix suspicione carent: quia interdùm in talibus fiunt collusiones, impressiones, violentiæ, & cetera, quæ libertati adversantur, sicut manifestè apparet ex iis qnæ Parisius contigerunt, ut præfertur.

Si denique contingeret Libellos, Cartulas, Epistolas, aut Codicillos alicubi scribi, ad libitum ipsius partis adversæ, in præjudicium & jacturam processus juridicè inchoati; atque libertatis, quæ in materia tanta præcipuum debet locum habere. Hæc omnia, & iis similia, tanquàm rationi & Juri dissona, protestatur sæpè dictus Princeps, ex nunc, & in posterum, nolle admittere: quin imò ipsos omnes

nes talia procurantes & promoventes, eorumque complices, & eisdem faventes, tenet, & habet in Fide suspectos, & eosdem suos adversarios & capitales inimicos suspicatur, Jurisque calumniatores, & prævaricatores, quibus nulla fides adhibenda est, æstimat reputandos, & reputat æstimandos.

Item; & postremò, protestatur sæpè nominatus Illustrissimus Princeps, se velle semper stare Juri & Judicio, juxtà modum, & formam processus in facie Universalis Ecclesiæ formati, inchoati & A huc usque inluminati*, nihil volens immutari, aut innovari, quod ipsius processus formam & Decretum sacri Concilii variet, conturbet, aut aliqualiter vitiet & immutet. Rogatque & petit, omnia, & singula fieri in libertate; seclusis omnibus, ex quibus violentia, timor, metus, & terror possunt verisimiliter consurgere, & inferri cuicumque.

De quibus siquidem protestationibus per Illustrissimum Principem Dominum, Ducem Burgundiæ præfatum sic, ut præmittitur, factis, omnibusque, & singulis superiùs descriptis; ipse Dominus Dux petiit sibi fieri per nos Notarios infra scriptos, publicum Jnstrumentum, unum vel plura.

Acta fuerunt hæc in villa Jnsulensi, Tornacensis Diœcesis, præsentibus Reverendis in Christo Patribus, ac Dominis, Dominis Tornacensi, & Bethleemitano Episcopis, necnon Illustri Principe, Philippo, Comite Sancti Pauli; ac Dominis Jo- B anne de Luxemburcho. Joanne Domino de Fosseux. Rollando, de Flandria. Guillelmo, Domino de Bonnieres, & Gubernatore Attrebatensi. Carolo de Lens, & Roberto de Mailly, ipsius Domini Ducis Consiliariis, Cabellanis; & Magistris Eustacio de Astrio. Joanne de Mailly. Marco de Foras. Toussano Baujardi. Remundo de Burgundia. Joanne Guerini, & Joanne de Vellery, ejusdem Domini Ducis Consiliariis; ac Gariffudo Maupoivre, in Artibus & Medicina Magistro, testibus, cum pluribus aliis, ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Verùm, quia ego Jacobus Ysambardi, Clericus Metensis, publicus Apostolica, & Imperiali autoritatibus Notarius, in Legibus Bachallarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut supra scribuntur, per eundem Illustrissimum Principem, Dominum meum Ducem Burgundiæ fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus, ac Notariis infrà scriptis, præsens interfui: idcircò exindè confecto præsenti publico Instrumento, alterius manu fideliter scripto, præmissa publicando, signum meum, unà cum signis & subscriptionibus Notariorum infrà scriptorum, apposui consuetum, hîc me subscribens manu propria, requisitus, in testimonium præmissorum & rogatus.

Et ego, Simon Gangnardi, Presbyter Carnotensis Diœcesis; Bachallarius in Decretis, publicus Apostolica & Imperiali authoritatibus Notarius, protestationibus, ac omnibus aliis & singulis præmissis, dùm sic, ut præmittitur, per sæpè dictum Illustrissimum Dominum Principem, Ducem Burgundiæ agerentur & firent, unà cum venerabilibus Notariis, necnon testibus suprà & infrà scriptis, præsens interfui: itaque per alium fideliter scripta, etiam cum eisdem Notariis publicavi, & in hanc publicam formam redegi, signoque meo publico signavi, requisitus & rogatus, in fidem & testimonium omnium, & singulorum præmissorum.

Et quia ego Johannes de Plesseyo, Clerius Parisiensis, publicus, Apostolica & Imperiali authoritatibus, Notarius, præmissis omnibus & singulis, dùm sic, ut suprà scribuntur, per eundem Illustrissimum Principem, Dominum meum, Dominum Ducem Burgundiæ fierent & agerentur, unà cum prænominatis testibus, & Notariis præscriptis præsens interfui: ideò exindè confecto huic præsenti publico Instrumento, manu alterius fideliter scripto, præmissa publicando, signum meum, unà cum signis & subscriptionibus Notariorum prædictorum apposui consuetum, hîc me subscribens manu propria, requisitus & rogatus, in testimonium.

* *forsan* intimati

LETTRES

De Monsieur

Cod. 2538. in quaternionibus: inter fol. 337. & 338.

Apportées par Argnolet, & Salins, qui demeura malade à Strasbourg: apportées le XIII. jour de Septembre, faisant mention des Lettres, instructions, protestations & reponse aux Lettres du Roy, & autres choses plusieurs.

A Reverend Pere en Dieu, & Nos amez & feaux Conseillers, l'Evesque d'Arras, d'Artois, & Maistre Pierre Cauchon.

JEAN *Duc de Bourgogne, Comte de Flandre, d'Artois, & de Bourgogne.*

Reverend Pere en Dieu, & Vous Maistre Pierre Cauchon, nos amez & feaux Conseillers. Anno XVI. Nous avons receu les lettres, que nous avez dernierement envoyées par nostre amez & feaux Conseiller, Maistre Jean de Salins, ensemble plusieurs écritures autres, avec certaines instructions, touchant nostre procez, & nos affaires pendant au Saint Concile General; & en tant que nous avons esté, & sommes touchés en personne, & en honneur, nous & nos amis, & nostre cause juste, & raison est troublée, & empeschée par certaines Lettres, en nom de Monsieur le Roy, com- C posées par nos adversaires: & par certaines Propositions faites contre nous, & nos bons amis, par iceux nos adversaires, nous répondons par certains Articles aux choses couchées à l'encontre de nous.

Lesquelles reponses signées de nostre main, & de la main de l'un de nos Secretaires, & de nostre seel secret, vous envoions, pour estre presentées, & par nous, au Saint Concile; & d'icelles reponses le pareil vous envoions, pour voir, & visiter, & presenter où bon vous semblera.

Item. Et sur la maniere de proceder que veons mises sur pas nos dits adversaires, bien estrange, avons formés & fait certaines protestations, lesquelles voulons estre par vous, en nostre nom, publiées, en la maniere qu'il appartient.

D Item. Et quand à ce que les instructions que avés baillées au dit Maistre Jean, font mention de la diligence que avés faite en poursuivant nostre bon droit, & des écritures qui servent à ce multipliées: nous sommes, ensi que devons estre tres bien content, & appercevons bien de plus en plus la bonne amour, & grande affection qu'avés à la conservation de nostre bon droit, & justice, & honneur, dont sommes & serons perpetuellement à vous tenus, & obligés; & vous prions, que perseveramment veulliés les choses commencées entretenir, & conduire.

Item.

Item. Et quand ad ce que ès dittes instructions faites mention de nostre procés estre mis en suspens, jusques à la creation d'un nouvel Pape, & que ensi a semblé estre expedient à plusieurs, qui sur ce ont donné leurs deliberations; tout nostre Conseil de par-deçà, avec nous, sommes d'opinion que nostre procés se continue par toutes les meilleures manieres que continuer se peut, sans aucune interruption, ou dilation, & que faciés toute la plus grande & expresse diligence de poursuir à l'encontre de nos adversaires nostre bon droit, & pour certaines causes touchées en nostre Conseil, lesquelles vous pourra dire plus à plain le dit Maistre Jean qui a esté present es dittes deliberations.

Item. Et quand ad ce que écrivés; de pourvoir de nouvelles Ambassades, & de vos autres necessités: sçachiez, que c'est une chose que avons tres à cœur, & bien brief par telle maniere y pourveerons, que en serés contens. Mais pour les empeschemens qui nous sont survenus, & surviennent de jour en jour, & qui nous seront à plaisir, de Dieu à honneur; finallement ne avons peu remedier, ne pourvoir ad ce que demandés; jaçoit ce que provision y soit mise de long temps, laquelle sera bien brief expediée.

Item. Et quand ad ce qui touche les Evesques d'Amiens, & Abbé de Saint Vast d'Arras, toute la diligence que en avons peu faire, nous l'avons faite, ainsi qu'il vous apparra par relation du dit Maistre Jean.

Vray est que en tant que touche l'Abbé de St. Vast, nous avons chargé nostre amé & feal Confesseur, d'écrire à vous les causes de nonpuissance, à cause des guerres du Royaume, pour icelles remontrer, de par nous, à tres Reverend Pere en Dieu, le Cardinal des Ursins, à ce qu'il se veuille tenir, pour amour de nous, content de la somme qui est appointée. Car nous nous sommes fait fort de ce pardevers le dit Abbé, & de ce meme ecrivons en brief au dit tres Reverend Pere en Dieu, iceluy Cardinal des Ursins, en luy remerciant des peines prises pour nous, en nous recommandant à luy.

Item. Quant à ce qui touche tres Reverend Pere en Dieu, le Cardinal de Pise; semblablement luy ecrivons, en nous excusant de ignorance des choses qui ont esté faites à l'encontre de lui & de son serviteur: promettant neanmoins, que si aucun vient par devers nous, poursuivant le dommage proposé, nous en ferons la plus grande diligence que pourrons; & eussions fait pieça, si aucun eut comparu pour cette cause.

Tres chers & bien amés, quant est de notre etat & de nous autres nouvelles, pourrés sçavoir plus à plein par notre dit Conseiller Maitre Jean de Salins que renvoions par devers vous.

Notre Seigneur vous ait en sa sainte garde.

Ecrite en nostre ville de l'Isle. Le 30. jour d'Avril.

YSAMBART.

CEDULA

Cod. 1538. fol. 473. Anno 1417.

Lecta in Judicio Fidei,

XXVI. Septembris, & tradita per Dominum Cardinalem Cameracensem.

A *Omnes tres Commissarii; Cardinalis Cameracensis; Episcopus Laudensis; & Episcopus Leonensis.*

VIsis & diligenter examinatis scripturis, & allegationibus Magistrorum Nationis Germanicæ, per Commissarios à Judicibus Fidei deputatos, & diligenter per eos consideratis cedulis plurium Magistrorum Theologiæ, qui dicta scripta legerunt, & examinarunt, super Tractatu Magistri Johannis Valkemberch contra Polonos: omnes tam dicti Commissarii quàm Magistri concordant *, quòd dictus Tractatus est tanquam hæreticalis condemnandus.

B Sed tamen, ad satisfaciendum rationibus partium prædictarum, & ut Sententia Judicum fiat clarior apud omnes, Secundùm Magistros prææallegatos in dicta Sententia, quo ad duo puncta aliqua videntur supplenda.

Primò ubi dicitur: *quorum aliqua*, & principaliter conclusio dicti Tractatus. *sunt hæreticalia, & quædam hæresim sapientia*, videtur quòd hæc clausula † esset addenda, videlicet, quia dictus Tractatus, cum pluribus in eodem contentis, principaliter docet, licitum esse, imò debitum, & meritorium, homines occidere, absque expressione sufficienti divini Juris ordine, & aliis debitis circumstantiis observandis, quæ tamen intelliguntur in divino Præcepto: *Non occides.*

Item. ‡ In dicta Sententia, ubi circa finem ponitur: *& contenta in eodem* &c. Concordant omnes, quòd ponatur: & præcipuè supra dicta contenta in eodem; quia ut conclusio correspondeat

C narrationi.

Item. Concordant partes, quòd in fine dictæ Sententiæ ponatur hæc clausula: Nec intendit sancta Synodus Articulum; an & quando licitum sit, vel illicitum fideli Principi ducere infideles contra fideles, per hanc Sententiam diffinire; quem Articulum idem Frater in prædicto Tractatu contra Polonos videtur præsupponere, affirmando quòd nullatenùs liceat. §

QUia forma Sententiæ est mutata, citra deliberationem quarundam actionum, nec sunt dati Judices pro Natione Hispanica, quæ nondùm approbavit Decreta hujus sacri Concilii facta ante suam unionem; & etiam non fuit inter omnes Doctores in Theologia in eodem sacro Concilio existentes, qui potuerunt, & debuerunt vocari,

Eod. fol. 473.

D mate-

* Non omnes Theologi concordant. Imò magna pars discordat propter rationes efficaces sumptas ex divinis Scripturis, & parati sunt ostendere. Nota quòd regula Fidei non est voluntas humana &c. quare nihil ad Fidem pertinet de partibus convenientibus vel discordantibus.

† Concordant Poloni quòd demitur illa additio: *hæc clausula* &c. quia noluit se immiscere factis aliorum. Falsum est quòd hic ponitur in additione; quoniam non docet ille Tractatus, quòd absque expressione sufficienti &c. Sed docet quòd divini Juris scripti & expressi ordine non servato, licitum est. Quod est verum; & ille est intellectus spiritualis illius Præcepti: *Non occides.*

‡ Non est verum quòd concordant omnes.

§ Non est verum; quare audiantur Prutheni.

materia Propositionum &c. debitè & plenè discussa, undè multi & graves conqueruntur;

Primò, quòd aliqui fuerunt auditi ad partem, eisdem contemptis, quod fieri non debuit, & inde in scandalum grave Dominorum Judicum possent reclamare, & forsan reclamabunt.

Ea propter, videtur expediens, imò justum & rationabile, quòd dicta materia ad omnes Doctores qui voluerint super ea deliberare, vel ad Nationes remittatur, vel publicè, certa die & hora ventiletur, prout in Concilio Generali, in materia Fidei debet, & etiam fuit in Concilio præsenti A observatum.

Cod. 2538. fol. 289.

CONCLUSIONES

Cardinalis Cameracensis.

Traditæ Anno XVI.

DIcere quòd condemnare Propositionem Magistri Johannis Parvi, vel novem Propositiones, quæ dicuntur ex eadem Propositione in hoc sacro Concilio fuisse denunciatæ, sit facere novum Articulum Fidei; est falsum, erroneum, & in Fide & moribus scandalosum, & iis quæ in hoc sacro Concilio practicata sunt manifestè contrarium. B

Et ideò, in quantum in isto errore fundata esset adnullatio Sententiæ Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris. Ego ad honorem Fidei Catholicæ, hujus sacri Concilii, & Christianissimi Regis Franciæ, ac Universitatis Parisiensis, & præsertim Theologiæ Facultatis, offero me probare dictam Conclusionem, & publicè deffensare.

Addendo quòd non oportet ad errorum condemnationem errorum assertores evocare, maximè ubi agitur de reprobatione errorum notoriè scandalosorum.

Anno XVI.

CEDULA

C

Cod. 2538. fol. 374. verso.

Exhibita per Magistrum Johannem Campani, Procuratorem Regium, nomine Regis reformatorio. VI. *Octobris. Et similis in forma, per Johannem Gerson tradita fuit, in Collegio Dominorum Cardinalium,* V. *Octobris, cum novem Assertionibus, & Postillis.* Attendatur &c.

1416. VI. Octob. CUm causæ Fidei, præsertim in Concilio Generali, sint inter omnes, imò super omnes alias D causas pertractandæ summariè & de plano, sine dilatione, & sine strepitu, & figura Judicii. Cùm præterea debeat in hujusmodi causis fieri priùs inquisitio de qualitate doctrinæ, & interesse Fidei, quàm de quocunque interesse personali; sicut priùs sciendum est, an doctrina sit vera, vel falsa, quàm absolvatur dogmatisans, vel damnetur: placeat ordinare quòd iste modus deinceps teneatur etiam in materia novem Assertionum, & Propositionis à qua sunt extractæ, sicut in hoc Concilio in causis Fidei & hactenus laudabiliter observatum, quod videlicet evocatâ priùs causâ ipsâ cum omnibus dependentiis à Dominis Commissariis, quorum aliqui per suos modos procedendi prolongaverunt, & intricaverunt hanc materiam per spatium quinque Mensium, cum multis vexationibus, expensis, gravaminibus, propter quæ appellatum est ab eis.

Fiat examinatio summaria, & de plano, per Nationes, & sacrum Collegium, si talis doctrina sit vera, vel falsa; sana, vel scandalosa: alioquin scandalisabitur Concilium, quasi vel nesciat, vel non audeat, vel negligat decernere quid secundùm Fidem Christianam, ac etiam Jura Canonica, & Civilia sit tenendum, attentis præcipuè tot precibus & requestis Serenissimi Principis Regis Romanorum, & Christianissimi Regis Franciæ, ac almæ Universitatis Parisiensis, super hac re totiens & instanter factis: attento præterea quòd *Error, cui non resistitur, approbatur*; & quia dicit Jacobus, XXI. I. *Nolite in personarum acceptione habere Fidem Domini nostri Jesu Christi.* Attento rursùs, quòd multi & graves reputant hanc doctrinam longè perniciosiorem esse, & in errorum manifestationem, quàm sit in pluribus Articulis doctrinæ Huss hîc damnatæ, licèt habere videatur etiam in hoc Concilio pertinaces defensores, & ei faventes multis modis; Attenta deniquè condemnatione istius Propositionis: *Quilibet tyrannus*, &c. quæ ut hæretica condemnata est.

Quam Propositionem, secundùm Judicium plurimorum, istæ Assertiones, & maximè dicta Propositio, à qua sunt extractæ, continent; evidenter sufficiunt & in effectu.

Die Martis VI. Octobris exhibita in reformatione per Magistrum Johannem Campani, Procuratorem Regis Franciæ, & petiit prout retrò continetur, & à nobis Notariis petiit Instrumentum. Et fuit responsum per Menzeburgensem, prout Præsidentem, quòd vellent deliberare, &, quantùm in eis esset, ipsam executioni demandare. Et ut faciliùs fiat, præcepit nobis Notariis, ut singulis Nationibus detur copia, ut etiam valeant super hoc deliberare.

SUPERSCRIPTIO LITTERÆ.

A Reverends Peres en Dieu, nos tres-chers & bien aimez, l'Evesque d'Arras; Maistre Pierre Cauchon; & autres Prelats, & gens etant presentement de par nous au St. Concile, à Constances, & à chacun d'eux. Cod. 2538. fol. 375.

Jean Duc de Bourgogne, Comte de Flandre, d'Artois & de Bourgogne.

Reverends Peres en Dieu, tres chers & bien aimez.

LEs Rois des Romains, & d'Angleterre nous ont de nouvel écrit, & fait sçavoir, que le Comte d'Armignac, & ses complices, ainsi qu'ils ont entendu, s'efforcent, par voyes estraignes, & soultines, de reduire Monsieur le Roy, & tout son Royaume à l'obeissance de Pierre de la Lune, pour iceluy Pierre de la Lune restituer, & remettre en l'état de Papalice, duquel despieça, par l'ordonnance de l'Eglise Universelle, & pour juste, & raisonnable cause, a esté indigné, & comme tel despointié, & depuis, mémement par la declaration de tout le Clergé du Royaume, & de nous, qui toujours avons contendu à entretenir bonne paix, & union, tant en l'Eglise, comme au Royaume, & qui autrefois avons consenti, & accordé tout ce qui a été fait par l'ordonnance du Clergé de ce Royaume.

Nous

Nous, confiderans les grands inconveniens, & troubles, qui, à caufe de telle entreprife, pourroient advenir en Sainte Eglife, & toute la Chrétienté, ne voulons point, que en cette matiere, ou nom de nous, procedez, en quelconque maniere, fans le confent, & bon gré des Ambaffadeurs des dits Rois des Romains, & d'Angleterre, étant au faint Concile de Conftances, & * fur ce n'avez autre Mandement de nous, & dont nous appert, en induifant à ce tous autres que trouverez eftre affectez à nos faiz, & befoignes, ainfi que fçavez, & trouverez eftre à faire pour le mieux; fans aucunement y faillir. Reverends Peres en Dieu, tres chers & bien amez, le Saint Efprit vous ait en fa benoite garde. Efcrit en noftre ville de l'Ifle. Le XXVI. jour d'Aouft.

Signé SEGUINAT.

* *forfan defideratur* fi

Cod. 2538. fol. 375. verso.

SCHEDULA

Exhibita per Johannem Gerffon, in Collegio Dominorum Cardinalium. Die v. *Octobris. Anno* XVI.

v. Oct. 1416. REverendiffime Pater, Domine Cancellarie. Cùm non humiles Ambaffiatores, Chriftianiffimi Francorum Regis, & almæ Univerfitatis Parifienfis. Procurator infuper, & procuratorio nomine Reverendi Patris Domini Epifcopi Parifienfis, ac etiam Inquifitoris hæreticæ pravitatis in Regno Franciæ, dum vivebat, in Officio, inftiterimus jam per nos & alios, cum multa diligentia, per fpatium feptem Menfium & ampliùs: etiam per medium facri Collegii; quatenùs fignaretur nobis Commiffio in caufa appellationis interjectæ contra quandam prætenfam Sententiam latam per tres Reverendiffimos Patres Dominos Cardinales, de facto, non de Jure, per quam quæruntur adnullari Sententiæ latæ Parifius in caufa Fidei, & approbatæ per dictos Chriftianiffimum Regem, ac Univerfitatem Parifienfem, ligitimè, & in favorem Catholicæ veritatis. Cùm præterea nullam ufque hodie potuerimus adhuc habere Commiffionem utiliter fignatam, in manifeftum præjudicium Fidei, ac prædicatorum * Regis, Univerfitatis, Epifcopi, & Inquifitoris: proteftamur folemniter, nominibus quibus fupra, & coram iis Notariis publicis, de defectu Juftitiæ, & de profecutione Juris noftri, & manifeftatione diligentiarum noftrarum, ubi, quando, & apud quos fuerit oportunum, & ficut Jus & ratio fuadebunt.

* *forfan* prædictorum

MEMORIALE

Joannis Gerfonii,

Exhibitum in Concilio Conftantienfi, in caufa Propofitionum *Joannis Parvi*.

VOlens ipfe qui regit Ifraël, Dominus Nofter Jefus Chriftus, intendere faluti hominum, & eos velut oves, ad æterna vitæ pafcua deducere; cuidam interroganti fe adolefcenti refpondit: *Si vis ad vitam ingredi, ferva Mandata.* Matth. XIX. 17. Et cùm rursùs interrogaffet: *Quæ?* Jefus dixit: *Non homicidium facies; Non adulterabis; Non furtum facies; Non falfum teftimonium dices: Honora Patrem & Matrem; & diliges proximum tuum ficut te ipfum.* v. 18. 19. De quibus quidem Mandatis antea prædicaverat Chriftus: *Qui folverit unum de Mandatis iftis minimis, & docuerit fic homines, hic minimus*, gloffa, *nullus, vocabitur in Regno cœlorum.* Matth. ✝. 19. De quibus prætereà loquens Propheta Domino; *Omnia*, inquit, *Mandata tua veritas* Pf. CXVIII. 86. Et iterùm. *Tu mandafti Mandata tua cuftodiri nimis.* v. 4. Et Ecclefiaftes concludens ait. *Deum time & Mandata ejus obferva, hoc eft omnis homo.* Cap. XII. 13.

Obfervantur autem Mandata Dei, nedùm per voluntatem bonam in jufta operatione; fed & per intelligentiam veram in recta Fide; Fidem dixerim, quæ veritati Mandatorum credere facit, nedùm ex indicta naturali ratione, fed ex Scripturæ facræ, quæ folvi non poteft, fupernaturali, & ad fupernaturalem finem traditione; ita ut cum oppofita falfitatis Affertione non ftet Fides, neque falus. Vidit utrumque Pfalmifta, qui Mandatis Dei credidiffe, & ab eis intellexiffe fe fatetur.

Conftabat hæc falubris fententia Sacro-fanctæ Synodo Conftantiæ, dùm inter ceteras determinationes fuas, unam edidit, fub hac forma.

„ Præcipua follicitudine volens hæc Sacro-fancta Synodus, ad extirpationem errorum, & hærefum, in diverfis mundi partibus invalefcentium „ procedere, ficut tenetur, & ad hoc collecta eft: „ nuper accepit, quòd nonnullæ Affertiones erroneæ in Fide, & bonis moribus, ac multipliciter „ fcandalofæ, totiufque Reipublicæ ftatum, & ordinem fubvertere molientes, dogmatifatæ funt, „ inter quas hæc Affertio delata eft.

Quilibet tyrannus poteft, & debet licitè & meritoriè occidi, per quemcumque vaffallum fuum, vel fubditum; etiam per infidias, & blanditias, vel adulationes, non obftante quocumque juramento, feu confœderatione factis cum eo, non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujufcumque.

Adversùs hunc errorem fatagens hæc fancta Synodus infurgere, & ipfum funditùs tollere, præhabitâ deliberatione maturâ, decernit, declarat, & definit, hujufmodi doctrinam erroneam effe in Fide, & moribus, ipfamque tanquam hæreticam, fcandalofam, feditiofam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, vias dantem reprobat, & condemnat. Declarat infuper, decernit, & diffinit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciofiffimam afferentes, funt hæretici, & tanquàm tales, juxta legitimas, & Canonicas Sanctiones puniendi.

Ex qua quidem declaratione poffunt accipi falubres veritates, temporibus, maximè noftris accommodæ, pro reprimendis hæreticis, aut hæreticorum, per affectionem reprobam, fautoribus, contra divinam, & catholicam Mandatorum veritatem; & in cujuflibet Reipublicæ, nedùm temporalis, fed fpiritualis pariter turbationem fubverfuram, qualiter proh dolor! fentimus in Boëmis, & alibi, multis modis.

Prima Veritas.

Poft præfatam Sacro-fanctæ Synodi Conftantienfis determinationem, prædicta Propofitio, *Quilibet tyrannus* &c. habenda eft tanquam hærefis expreffiffimè damnata; quodque dogmatizans aliquis fcienter ipfam, judicandus eft in hærefim jam damnatam cecidiffe, & nifi paratus eft corrigi, debet ut hæreticus condemnari.

Secunda Veritas.

Post hujusmodi determinationem, quilibet Ecclesiæ Prælatus, & Doctor, à summo usque deorsùm, debet suo modo, ad exemplum sacræ Synodi, præcipua sollicitudine conari quatenùs hæc hæresis non resurgat, sed funditùs extirpetur. Ita enim dixit eadem Synodus, se voluisse, & ad hoc faciendum obligatam esse, si verbis suis pondus detur.

Tertia Veritas.

Post hujusmodi determinationem, debent ab Ecclesiæ Prælatis, & Doctoribus Assertiones quas in hac hæresi damnata, sub qualicumque forma verborum palàm fundari deprehenderint, habere pro damnatis, & protinùs abjicere, & tollere: alioquin frustraretur intentio Concilii, quæ satagebat hunc errorem funditùs tollere; ut videlicet radice succisâ, rami reprobi non subsistant: est enim de similibus idem, aut simile Judicium.

Quarta Veritas.

Post hujusmodi determinationem, quidquid antea fuerit, nulli fas est deinceps dogmatizare, scripto, vel verbo, quòd hæc doctrina, & similes, contra Dei Mandata, spectent tantùmmodò ad mores, & nullatenùs ad Fidem; nec veniant Judicio Fidei reprobandæ: alioquin fit intolerabilis injuria sacro Constantiensi Concilio, diffinienti hanc doctrinam, nedùm erroneam in Fide & moribus, sed hæreticam: nec immeritò; quoniam veritas Mandatorum Dei quamvis sit de Lege naturali, est nihilominùs, alio multiplici respectu, de Lege divina, & euangelica; quoniam in ea traditur, ad finem æternæ vitæ supernaturalem utique consequendum.

Datur etiam istud palam intelligi ex contextu Propositionis hujus, & similium, quæ loquuntur, quòd meritoriè, & secundùm Legem divinam, potest occisio fieri, qualem dicunt: & quia falsum dicunt, constat quòd Legi divinæ contradicunt. est autem hæresis dogma falsum, divinæ Legi contrarium.

Quinta Veritas.

Post hujusmodi condemnationem, & solemnem, atque publicam ipsius promulgationem, non licet, aut saltem non decet, vel expedit, rursùs doctrinam hanc pestiferam, cum suis similibus in ea manifestè fundatis, ut dubiam, deducere ad Judicium cujuscumque Generalis Concilii, vel Summi Pontificis, pro nova condemnatione; quantò minùs pro retractatione: videretur enim, vel authoritas, vel Fides, vel sanctitas dicti Generalis Concilii Constantiensis in dubium revocari, quod nefas est. Nam proindè celebris electio Summi Pontificis, & Prædecessoris expulsio, cum ceteris actis, & determinatis ibidem nimiùm vacillarent.

Sexta Veritas.

Post hujusmodi condemnationem, nedùm Summus Pontifex, & sui inferiores Prælati, & Doctores, tenentur satagere, exemplo Concili, tollere doctrinam istam nefariam, quilibet suo modo, ne malè repullulet in se, vel ramis suis, apud populos Christianos: quin etiam, ex serie condemnationis, Principes & Judices sæculares commoti sunt, quilibet suo modo, procedere ad ablationem talis doctrinæ. Neque enim fuit contenta sacro-sancta Synodus decernere, & declarare, nec non diffinire, doctrinam hujusmodi erroneam esse in Fide, & in moribus, & hæreticam: sed addidit, ipsam esse scandalosam, seditiosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, vias dantem: constat autem quòd seditiones, & proditiones, cum
A similibus, crimina sunt Judicio potestatis sæcularis extirpanda.

Occurrit proindè collaudanda devotio, & sollicitudo præcipua Christianissimi Regis Francorum, ad salutem Reipublicæ, qui in suprema Justitiæ suæ, & Parlamenti Curia tulit Legem, & Arrestum perpetuum, valdè conformiter ad condemnationem factam in sacro Constantiensi Concilio; cujus ad gloriam, & veritatis elucidationem, ac totius Reipublicæ conservationem, inseritur hîc ejus forma.

SENATUS CONSULTUM

B

Curiæ Parisiensis,

Adversùs Doctrinam & Libros

Joannis Parvi.

CAROLUS, *Dei gratiâ, Francorum Rex.*

UNiversis præsentes Litteras inspecturis: Salutem.

Cùm nuper in nostra Parlamenti Curia, carissima filia nostra, Parisiensis Universitas, palàm omnibus proposuisset, quòd Parisius, atque alibi, in pluribus Regni nostri locis, quamplurimi certos codices, & scripturas, eorumque copias; *Justificatio Ducis Burgundiæ, super morte Ducis Aurelianensis*, nuncupatas, multiplicabant, publicabant, ac venditioni publicè exponebant. In quibus codi-
C cibus & scripturis, perversas doctrinas, Assertiones, & conclusiones, materias injuriosas, & scandalosas, occasionem, viamque seditionibus, occisionibus, murtris, & perjuriis, inobedientils, fraudibus, ac deceptionibus præbentes comprehendi dicebat, in nostri, nostrorumque Regni, ac Dominii, & justè, dedecus, læsionem subjectorum, ac totius bonæ conversationis, tranquillitatis, & pacis Reipublicæ, ejusdem Regni nostri disturbium, atque impedimentum; requirens ipsos codices, & scripturas ruptum, & laceratum iri publicè; aut aliàs, super præmissis, juxta casus exigentiam, provideri.

Die XIX. Sept. 1416.

Notum facimus, quòd auditâ prædictæ filiæ nostræ, Universitatis Requestâ, ipsamque per eamdem Curiam nostram solemniter, propter hoc, congregatam; & sibi coëvocatis, & accersitis pluri-
D bus Prælatis, ac aliis, de magno nostro Consilio, in dicta nostra Curia juratis: habitâque super hiis orandi prolixâ, & maturâ discussione, ac deliberatione: visis insuper suprà dictis scripturis, atque codicibus, unà cum pluribus aliis, eidem Curiæ nostræ per ipsam Universitatem traditis.

Et consideratis considerandis, præfata Curia, ex parte nostra, inhibuit, ac inhibet omnibus, & singulis, sub pœna corporis, & bonorum, ac omnium, quæ erga nos quoquoque committere, seu forefacere potest; ne quis, cujuscumque status, aut conditionis, imposterùm dicat, publicet, asserat, seu doceat, in nostro Dominio, licere alicui vassallo, aut subjecto, seu alteri, interficere aliquem per insidias, blanditias, fraudes, seu decep-

tio-

tiones, non expectatâ Sententiâ, seu jussu Judicis competentis.

Inhibuit insuper, ac inhibet eadem nostra Curia, sub præmissis pœnis, ne deinceps aliquis transcribat, copiet, exemplificet, publicet, nec teneat; neque transcribi, copiari, exemplificari, neque teneri penès se faciat aliquis tales scripturas, codices, aut copias prout supra nuncupatas.

Præterea præcepit, ac præcipit eadem Curia nostra, sub ante dictis pœnis, ut quicumque aliquem talem codicem, seu aliquos tales codices, copias, A scripturasve prænominatas habuerit, penès nostram Justitiam Regiam eos, sive eas, illicò, & absque mora, post præsentium publicationem deferat; ut ad prædictam nostram afferantur Curiam; de ipsis, prout decebit, facturam.

Et insuper Procuratori nostro Generali præcepit, ac præcipit eadem nostra Curia, ut si aliquos in contrarium facientes reperirat, eos faciat, prout ratio postulabit, puniri.

Ulteriùsque ordinavit ipsa nostra Curia, atque ordinat, quatenùs præmissa in Castelleto nostro Parisiensi, ac in locis principalibus Bailliviarum, Senescalliarum, Præpositurarum, & aliarum Judicaturarum Regiarum nostrarum publicentur, ne cuiquam eorum prætendere liceat ignorantiam.

Quocircà Præposito nostro Parisiensi, necnon Baillivis, Senescallis, Præpositis, ac aliis Judicibus Regni, ac Dominii nostrorum, & eorum lo- B cum tenentibus, damus in Mandatis, districtiùs injungendo, & præcipiendo, quatenùs præmissa in locis insignibus suarum Judicaturarum publicari, & ab omnibus diligenter observari faciant, & intendant. Quibus ab omnibus Justiciariis, Officiariis, & subjectis nostri parere volumus, atque Jubemus.

Datum Parisius in Parlamento nostro, decima nona die Septembris. Anno Domini, millesimo, quadragesimo * decimo sexto; & Regni nostri trigesimo septimo. *Per Cameram.* BAYE.

Sunt denique superstites Litteræ patentes ad idem Concilium Constantiense, pro parte Christianissimi Regis, & carissimæ Filiæ suæ Parisiensis Universitatis distinatæ, in quibus fit insinuatio, & protestatio, quòd hujusmodi doctrinam pestilentissimam & seditiosissimam ipse Rex igne & gla- C dio persequetur.

Sunt & alia multa valdè, quæ robur adjiciunt ad confirmationem præmissarum sex Veritatum cum suis Correlariis, & sequelis. Sed hæc interim sufficiant, ad excusationem aliquorum zelantium Fidem & mores, nominatim in hac materia, si comparere fortassis ad futurum Concilium ipsis non fuerit oportunum.

Veritates sex præmissas generales oportuit dicere, sed alias totidem particulariores fortassis non omittere, quoniam in moralibus particularia magna monent, & erudiunt.

Prima Veritas.

Condemnatio doctrinæ hujus, *Quilibet tyrannus*, D &c. facta per sacrosanctam Synodum Constantiensem dat intelligi, quòd aliqua doctrina pestifera damnari potest, nullo assertore condemnato, vel vacato; quamvis nonnulli etiam Potentes, se scandalizari conquerantur. Propterea cessat calumnia causarum, ex ista duplici radice, condemnationem Episcopi Parisiensis, & aliorum, non esse justè latam.

Apparet denique justam fuisse Polonorum querimoniam, quòd super deliberationem Nationum, doctrina adversùs eos indispensabiliter per quemcumque, sine alio Judicio perimendos, non damnabatur, etiam assertore suo fratre Joanne Woalbadberch non apprehenso, vel damnato.

Secunda Veritas.

Condemnatio hæc manifestat, quòd aliqua doctrina potest, & debet, ut hæretica judicialiter, & doctrinaliter reprobari; quæ tamen non est in terminis expressis contra Articulos in Symbolo Fidei traditos: oportet tamen ut sit ad minùs contra illud verbum Christi manens in æternum: Joan. x. 35. *Non potest solvi Scriptura*, quam *Pater sanctificavit & misit in mundum.* Oportet itaque hæresim esse contra Scripturam sacram, qualis in Symbolo Athanasii, Fides Catholica nominatur, non pro habitu Fidei, sed objecto.

Undè consequenter appertissimè constat, quàm insciæ sint, imò & impiæ deliberationes eorum omnium, qui non audentes tam impudenter errare, ut dicerent, novem Assertiones huic doctrinæ similes, si non & deteriores, veras esse; putaverunt, per indirectum, sufficienter impugnare, si dicerent Assertiones hujusmodi non esse de Fide, & quòd per Generale Concilium decerni debebat, eas non esse Judicio Fidei condemnandas.

Pauciores aliqui dixerunt, eas posse in casu damnabili veritatem habere, vel distingui: sed duplex hæc calumnia, per condemnationem hujus, *Quilibet tyrannus* &c. elidi conspicitur ab oculo non turbato.

Tertia Veritas.

Condemnatio hæc apprehendit non solùm Propositionem istam; *Quilibet tyrannus* &c. in terminis suis; sed etiam quamlibet aliam in ipsa fundatam, & radicatam, quæ scilicet sequitur ex ipsa, in consequentia certa, & clara, qualiscumque fuerit forma verborum: alioquin oporteret semper esse totidem condemnationes errorum, quos varietates inveniuntur terminorum, eadem prorsùs exeunte Sententia, quod dyscolum est sentire.

Quarta Veritas.

Condemnatio hæc apprehendit tàm doctrinam generalem, ex qua fuit elicita Propositio ista, *Quilibet tyrannus* &c. quàm Assertiones sibi penitùs in Sententia similes, aut deteriores; quales sunt novem Assertiones inferiùs annotatæ, & ad præfatum Concilium deductæ, priusquàm dicta condemnatio esset lata: alioquin sufficisset ex, tunc absque processibus aliis, condemnatio istius dictæ; *Quilibet tyrannus* &c. sicut & modò sufficere debet apud omnes.

Quinta Veritas.

Condemnatio hæc dat sufficientem potestatem, vel potiùs datam esse manifestat cuilibet Prælato judicialiter; & Doctori doctrinaliter istam doctrinam cum Assertionibus præfatis, & similibus palam indè sequentibus reprobandi; non expectato alio Summi Pontificis, aut sacri Concilii Decreto, vel Mandato. Dedit postremò finem quibuslibet processibus, super veritate, vel falsitate similium Assertionum hactenùs agitatis.

Sexta Veritas.

Condemnatio hæc roborat inexpugnabiliter Sententias, tam Judiciales per Prælatos, & Inquisitores,

* quadringentesimo

res, quàm per Universitates, & Doctores doctrinaliter in diversis locis factas, adversùs totam hanc doctrinam pestiferam, &, ut sancta Synodus decreverat, erroneam in Fide & moribus, & hereticam.

Saltem hoc habetur, quòd deinceps tales hujusmodi Sententiæ ferri possunt per Ordinarios, & Doctores. Quoniam etsi causæ Fidei majores sint ad Sedem Apostolicam referendæ; hoc intelligitur de dubiis, etsi debeant omnes fideles astringere; non autem de manifestis & damnatis, nec de illis, quæ ad unam aliquam Diocesim promulgantur, ut ligent, vel instruant. Ita enim, Symbolum Fidei generale Papa cum Ecclesia solus facit.

Denique si, quod avertat Deus, impulerit fortasse inconsulta quorumdam temeritas, rursùs ad deffensionem doctrinæ hujusmodi perniciosissimæ, sub pretextu quorumdam processuum, aut deliberationum, taliter qualiter extortarum; superest, aut inchoationem assumere à sæpè dicta condemnatione tam solemnis Propositionis hujus, *Quilibet tyrannus* &c. aut vi armatâ retundere hæreticalem audaciam, aut orationibus intendere; aut si tantùm invaluerit nequitia, quòd neque rationi, neque dictæ condemnationi locus sit, neque reprimens inveniatur; erit proculdubiò, erit pro deffensione Catholicæ veritatis, tota libertate, absque alia disceptatione caput offerendum.

Subsequitur tenor novem Assertionum, de quibus supra.

B

Prima Assertio.

Licitum est unicuique subdito, absque quocumque Mandato, vel Præcepto, secundùm Leges, naturalem, moralem & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contrà salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro auferendo suam nobilissimam, & altissimam dominationem: & nedùm licitum, sed honorabile, & meritorium; maximè quando est tantæ potentiæ, quòd Justitia non potest bono modo fieri per Supremum.

Erronea in Fide & moribus, ac multipliciter scandalosa.

C

Secunda Assertio.

Leges, naturalis, moralis, & divina, authorizant unumquemque subditum, de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

Erronea in Fide, & moribus, ac Legibus, naturali, morali, & divina injuriosa.

Tertia Assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile, & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem, & infidelem suo Regi, & supremo Domino, per explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos vilanè, Gallicè, *vilainement*, per optimas cautelas, explorationes, & insidias; & est licitum dissimulare, & silere voluntatem suam de sic faciendo.

D

Falsa, erronea, & scandalosa.

Quarta Assertio.

Jus, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur vilanè, Gallicè, *vilainement*, per explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos vilanè, Gallicè *vilainement*, per bonas cautelas, explorationes, & insidias.

Erronea, crudelis, & impia.

Quinta Assertio.

Ille, qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi; & Rex non debet solùm esse contentus, sed debet habere factum acceptabile, & authorisare, quantùm opus, vel necessitas esset.

A

Erronea in Fide, & moribus, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Sexta Assertio.

Rex debet pecuniare, & remunerare illum, qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in opibus, honoribus, & divitiis, exemplo remunerationum factarum S. Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinées, pro occisione Ducis Zambri.

Erronea in Fide, & moribus, scandalosa, ac Regiæ dominationi injuriosa.

Septima Assertio.

Rex debet plùs amare quàm priùs illum, qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra dictis; & debet facere prædicari suam fidem, & bonam fidelitatem per Regnum suum, & exta Regnum facere publicari per Litteras in modum Epistolæ, vel aliter.

Erronea in Fide, & moribus, scandalosa, ac Regiæ Dominationi injuriosa.

Octava Assertio.

Littera occidit, spiritus autem vivificat 2. Cor. III. 6. Hoc est dicere, quòd semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.

Expositio distorta & erronea.

Nona Assertio.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno Milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas observare: hoc probatur ex ordine charitatis, quo quilibet plùs tenetur seipsum diligere, uxorem, & liberos, quàm alterum.

Falsa, & erronea secundùm se, & ad perjuria viam prabens.

Clamat in Canticis Ecclesia, *Capite nobis vulpeculas parvulas, quæ demoliunt vineas.* Cap. II. 15. Quid hæ vulpeculæ? si non hæretici, qui caudas quidem habent colligatas, sub uno erroris vinculo, ad succisionem vineæ Dominicæ, facies verò variæ sunt, propter diversas & adversas quarumdam calumniarum astutias.

Evenit hoc circa nonnullos conspirantes in latibulis, velato nomine, contra condemnationem catholicam novem Assertionum judicialiter in sacro

sacro Constantiensi Concilio nuntiatarum; quam nuntiationem facere compulit tàm zelus Fidei, quàm Decretum citationis priùs contra personam Reverendi Patris, Domini Parisiensis Episcopi latum.

Colligantur itaque in uno hoc erroris funiculo deliberationes talium; quòd prædictæ Assertiones non sunt Judicio Fidei reprobandæ; imò, quòd Concilium debet eas decernere non esse Judicio Fidei reprobandas. Habent autem facies varias, errores A erroribus cumulando; quarum, ad præsens, duodecim detegere, & in lucem prodere sufficeerit.

Prima facies; quòd istæ sunt probabiles ad utrumlibet, & habent deliberationes ad utramque partem: Judicium verò Fidei debet esse super certis.

Secunda; quia sunt veræ, etiamsi videantur scandalosæ: quoniam sunt exposibiles ad verum sensum.

Tertia; quia non sunt propriæ de terminis Fidei, sed debent ad causam sanguinis trahi, sicut homicidium.

Quarta; quia spectant ad principia moralia, quæ sunt evidentia in lumine naturali: Fides autem est de non evidentibus.

Quinta; quia sicut est in eis sensus falsus; sic est aliquis verus: ideò non sunt damnandæ, ne veritas condemnetur.

Sexta; quia non sunt contra Scripturam sacram: quoniam ponitur in eis, quòd secundum Legem divinam id meritoriè fit, quod asserunt.

Septima; quia non habent assertorem, nisi quòd falsò, & perperàm videntur imponi Joanni Parvi: ideò venit priùs judicialiter absolvendus, vel damnandus.

Octava; quia etsi haberent assertorem; ille tamen non est judicialiter evocatus: quod tamen fieri priùs oporteret, quàm hæ damnarentur.

Nona; quia Concilium Constantiense debile est: proptereà non expedit quòd istas damnet, etiam si essent hæreticæ, sed dissimulet.

Decima; quia fit prosecutio rancore, & odio, non veritatis zelo: proptereà tali accusationi nullatenùs est attendendum per Concilium, ne particulares fovere rancores videatur.

Undecima; quoniam ex damnationis prosecutione suscitantur scandala, lites, & jurgia in Constantiensi Concilio, in detrimentum prosecutionis Ecclesiasticæ unitatis.

Duodecima; quia casus extremæ necessitatis in septem primis includitur, aut ad zelum bonum Legis, ac divinæ revelationis; & quoniam ad octavam, sensus generalis est sensus Litteralis sacræ Scripturæ, est ideò sæpè falsus. Quoad nonam verò, non hoc præjudicium dicitur analogicè ad præjudicium animæ, quod est principale, & ad præjudicium temporale corporis minùs principaliter; analogum verò per se positum stat pro suo principali significatu.

Concluderetur ex hiis duodecim faciebus, si recipiendæ, non despiciendæ, & irridendæ essent: quamplurimæ sunt hæreses Judicio Fidei condemnatæ, tàm in sacro Constantiensi Concilio, quàm in præcedentibus, valdè irrationabiliter, & injustè, nominatim de ipsa. *Quilibet tyrannus* &c.

Sumere potest exemplum solers Lector: habuit enim primò deliberantes pro utraque parte, quòd non erat Judicio Fidei reprobanda: habuit quòd erat exposibilis ad verum sensum: habuit quòd non erat de terminis Fidei, sed de causa sanguinis: habuit quòd versabatur circa prima principia, quæ sunt evidentia: habuit quòd sicut erat sensus aliquis in ea falsus; sic aliquis verus.

Item, non plùs ponitur in eadem quòd sit contra Scripturam sacram, quàm in Assertionibus: quia dicit, quòd hoc debet fieri; quod non diceret, si esset divina Lege prohibitum.

Rursùs, allegatum fuit, quòd non habebat assertorem: & si sic, debebat priùs evocari, damnandus, aut absolvendus. Porrò Concilium tunc quàm nunc apparebat debilius. Rancor similiter allegata, & turbatio Concili, imò & totius Franciæ Regni, & impedimentum unionis.

Tandem convertebatur hæc Assertio ad casum necessitatis extremæ, vel zelum Legis, aut divinæ revelationis, propter deffensionem sui Regis, aut publicæ utilitatis; quibus non obstantibus, processit Concilium ad damnationem ejus. Sic in proposito restat faciendum.

Attendat vestra resolutio super intellectu hujus Præcepti: *Non occides*. Oportet ad intelligentiam hujus Præcepti: *Non occides*, cognoscere, quæ, & qualis sit ratio formalis, propria, & substantialis occisionis, quæ sub hoc Præcepto prohiberur.

Fuerunt Manichæi qui dicerent, occisionem cujuslibet rei viventis hoc Præcepto prohiberi; sed Christus replicans hoc Præceptum. *Matth.* XIX. 18. palàm restrinxit ad occisionem hominis, cùm ait: B *Non homicidium facies* &c. Et aliæ sunt rationes contra hanc hæresim evidentes.

Fuerunt qui dicerent, hìc prohiberi omnem occisionem hominis injustè factam; ita ut, cùm dicitur: *Non occides*; suppleatur, *injustè*: sed hoc non sufficit ad dandum rationem propriam, & formalem homicidii, prout hîc specialiter prohibetur: quoniam si * potuisset præceptivè dici: Non comedes, non bibes, non loqueris; quia potest subintelligi, *injustè*.

Fuerunt qui dicerent idem, sub aliis verbis, ut cùm dicitur: *Non occides*, suppleatur, debito Juris ordine non servato. Sic enim diceretur: Non loquaris cum proximo, non des eleemosinam, non tangas proximum; quia potest subintelligi; Juris ordine non servato.

Fuerunt qui dicerent aliquid simile, sub aliis verbis: ut cùm dicitur: *Non occides*, suppleatur, C innocentem; aut, malo animo; aut, zelo vindictæ: sed nunc hoc sufficit, ratione priùs assignata; quia doctrina hæc generalis est in omni peccato, non propria ratio homicidii, qualis hìc dari debet.

Superest igitur, quòd ratio formalis, & propria occisionis, quæ prohibetur hoc Præcepto, sit occisio hominis, propria auctoritate facta: sicut ratio propria & formalis furti, est retentio rei alienæ, propria auctoritate, id est, invito Domino facta. Addunt aliqui, vel voluntariè; propter homicidium casuale non intentum, nec aliquo modo voluntarium.

Sed hæc ratio generalis est in omni prohibitione, & habetur pro intellecta. Dicitur; propria auctoritate, tanquam pro differentia specificativa occisionis hominis, quæ hìc prohibetur: per hæc enim dicitur, † ab omni alia occisione, sive justa, sive injusta, ut est illa, quæ fit auctoritate D Dei supremi Judicis: & hoc, vel immediatè, per revelationem specialem; vel mediatè, per Legem Evangelicam, aut Canonicam, aut Civilem, per illum qui legitima fungitur & publica auctoritate. Undè etsi Judex talis, perverso animo, aut malo fine, faciat occidi hominem, etiam contra proprium Judicium, quem Lex jubet occidi, talis utique peccat, & non minùs quàm homicida verus: attamen non judicabitur homicida, secun-

* *forsan sic* † *Locus corruptus.*

dùm propriam rationem homicidæ, vel homicidii; sed sceleratus, aut perjurus: sicut nec è contra, quantumcumque bona intentione dicat aliquis, non utens auctoritate publica, se hominem interfecisse, ab homicidio liber erit.

Patet igitur ex hac physica, & morali deductione, sine alia multiplicatione auctoritatum, quàm rectè, & rationabiliter fuerunt latæ condemnationes, tàm in Concilio Generali Constantiensi, quàm in Suprema Curia Parlamenti Parisius, nec A non alibi, multis modis, tàm judicialiter, quàm doctrinaliter, contra istam: *Quilibet tyrannus &c.* & alias similes, quæ dicunt, occisionem tyrannorum esse licitam, & meritoriam, secundùm Legem, etiam nullo Mandato Judicis expectato: palam enim loquuntur contra verum, & proprium intellectum Præcepti hujus: *Non occides.* Et ita sunt dogma falsum Scripturæ sacræ, & veritati Catholicæ contrarium.

Demùm habetur, quòd ista Propositio: *Licitum est hominem occidere;* est palàm hæreticalis, si referatur ad singularem occisionem hominis, & non intelligatur implicitè, vel explicitè quòd non fiat propria auctoritate, prout in aliquo conclusum habetur.

Collationné sur le caïer original en papier, conservé dans les Archives des R.R. P.P. Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé. F. N. BAZIN. *Prieur des dits Peres Celestins d'Avignon.*

SALVUS CONDUCTUS

Die xi. Octobris. 1416. *Datus Gersonio, nomine Regis,*

Ad Concilium Constantiense.

CAROLUS, *Dei gratiâ Francorum Rex.*

Dilectis & fidelibus, Connestabulario, Marescalis, Admirato, Viceadmirato, Senescalis, Baillivis, Præpositis, Capitaneis castrorum custodibus, Gardianis, Rectoribus bonorum, & in ignium villarum, civitatum, fortaliciorum, portuum, pontium, passagiorum, Jurisdictionum, districtuum, per aquam, & terram; ceterisque Judiciariis, Officiariis, & subditis; nec non amicis benevolis, adhærentibus, & confœderatis nostris, ad quos nostræ præsentes Litteræ pervenerint: Salutem, & dilectionem.

Volumus, mandamus, & præcipimus, districtiùs injungentes vobis Justiciariis, Officiariis, & subditis nostris; vosque amicos, adhærentes, confœderatos, & benivolos nostros attentè rogamus, quatenùs dilectum, & fidelem Consiliarum nostrum, Magistrum Joannem de Gersonno in sacra Pagina Professorem, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, quem pro pace * instar Dei Ecclesia reformanda, ac certis aliis arduis negotiis, Fidem Christi, nos, nostrum, Regniquè nostri decus; tranquilitatem, pacem, & honorem plurìmùm tangentibus, ad Generale Constantiense Concilium transmisimus; & quem posuimus specialiter, & recepimus, ponimus, & recipimus in nostra salva gardia, specialique protectione, unà cum ejus societate, usque ad numerum triginta personarum; cum equis, mulis, vecturis, armis, ceterisque adminiculis; auro, & argento, supelectilique universa, & aliis omnibus bonis suis, cujuscumque qualitatis extiterint, ire, transire, morari, stare, ac reverti, absque molestia qualibet, per vestros districtus, portus, regiones, mansiones, castra, civitates, & alia quælibet passagia liberè, & securè faciatis, & permittatis; eisdem vitæ necessaria, & alia quælibet opportuna benignè, & amicabiliter administrando, eorum moderatis expensis; ac de securo transitu, & conductu, comitiva, & aliis sibi necessariis, si per eundem fueritis requisiti, favorabiliter providendo, talem, atque adeò promptam, & voluntariam diligentiam vos Justiciari nostri, Officiarii, & subditi; & vestrûm cuilibet * in hiis adhibentes, quòd de negligentia, aut deffectu nullatenùs argui, seu reprehendi valeatis. Vosque amici, confœderati, adhærentes, & benivoli nostri, contemplatione, & amore nostris, eo modo agite, precamur; quo in tali, aut majori casu erga vos, & vestrates, nos, & Regiam nostram Celsitudinem facere velletis: usque ad regressum ipsius plenarium à præfato Generali Concilio in suo robore duraturis.

Datum Parisius, undecima die Octobris. Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo sexto, & Regni nostri trigesimo septimo.

PER REGEM *& ad relationem sui magni Consilii.*

Et par dessous PRANTRON *avec parraphe, y ayants deux sceaux, qui sont tout brisés.*

Collationné sur l'original en parchemin, conservé B *dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé. F. N.* BAZIN. *Prieur des Peres Celestins d'Avignon.*

* *aliquid desideratur.*

* quilibet

COPIA

Litterarum clausarum

REGIS FRANCIÆ, Cód. 2538. fol. 372. verso.

Quas scribit Rex Concilio Generali Constantiensi, & Nationi Franciæ.

Dilectissimi, clarissimique viri, quorum sub tutela plenè confidimus, negotia Regni nostri C Sacro-sancta in Synodo Constantiensi ventilabilia per vos benè dirigi, finemque sortiri debitum.

Scribimus eidem Sacro-sanctæ Synodo Litteras sub hac verborum forma.

Sacro-sanctæ Synodo in Spiritu sancto legitimè congregatæ, Universalem Ecclesiam repræsentanti.

CAROLUS, Dei gratiâ Francorum Rex, pacem dare concupitam, & in sollicitudine omnium Ecclesiarum; & singulariter ob sanctitudinem futuri Romani Pontificis, constanter operari.

Reverendissimi in Christo Patres, & viri inclytissimi.

Cùm ad præsens, plures Dignitates, & Prælaturæ in Regno nostro, longo sint vacantes à tempore, quod dolenter referimus; quoniam ingens D animarum in detrimentum cadit: attento, quòd gluto ille nostræ propaginis hostis lupinis hians faucibus, ovili gregis Dominici novas struit insidias.

Cùm enim pro aliquibus earumdem Dignitatum, aut Prælaturarum, jam diù, in favorem aliquorum particularium scripserimus; nihilominùs tamen nostræ intentionis non existit, quibuscumque Litteris, favoribus, aut deprecationibus aliàs per nos, super hoc, pro quibuscumque particularibus, sub quacumque verborum forma, scriptis, aut factis, impedire quin unicuique fiat justitia, & ratio, secundùm quod vestris Reverendissimis Paternitatibus

tibus videbitur rationis; & specialiter illis, quibus per electionem, aut aliàs, debitæ * Dignitates, & Prælaturæ, de quibus est contentio, debuerint spectare, aut pertinere.

Ea propter, Reverendissimi in Christo Patres, & viri inclytissimi, vos attentè requirimus, & rogamus, quatenùs in electionibus Dignitatum, vel Prælaturarum, taliter, Spiritus sancti hortamine, secundùm quod Juris ratio expostulat, faciatis, non acceptantes personas, sed merita; quòd meritò in Christo, cujus causam geritis, valeatis commendari. A

Scriptum &c.

Quocircà, rogamus vos, vestram super hoc conscientiam onerantes, quatenùs super hac nostra intentione, ad quam inducunt nos regulata ratio Juris & observantia, eamdem sacro-sanctam Synodum enixiùs informare curetis, tempore, locoque congruis; omnibus, & singulis, quibus expedierit, significantes, nostræ esse intentionis, ad Canonicas Prælaturas Electiones, quàm celeriùs, commodiùsque fieri poterit, fore confirmandas, Ecclesiis providendo Pastore de idoneo, juxta ipsius sacro-sanctæ Synodi dictamen, & ordinationem: super quibus tàm vigilanter laboretis, quòd meritò Deo & nobis sitis accepti.

Datum &c.

* dictæ

Cod. 2538. fol. 377. verso.

Exhibita Judicibus in causis Fidei, per Symonem de Theramo XVII. Octobris. Anno XVI.

Carolus, *Dei gratiâ Francorum Rex.*

Universis præsentes Litteras inspecturis: Salutem.

Notum facimus, quòd nos de fidelitate, circumspectione, & prudentia dilecti nostri, Magistri Symonis de Theramo, plurimorum Fide dignorum relatu, plenariè confidentes, eumdem Magistrum Symonem in Consiliarium & Advocatum nostrum, tenore præsentium retinuimus, fecimus, constituimus, & ordinavimus, retinemusque, facimus, constituimus, & ordinamus; ad honores, libertates, vadia, & alia emolumenta consueta; volentes ut idem Magister Symon in hac sancta Synodo * cooperante legitimè congregata, Ecclesiam Romanam repræsentante; & alibi, ubicumque opus erit; quascumque & querelas nos, & Regnum nostrum tangentes, quovis modo, tàm spirituales, quàm temporales, si quæ sunt, promovere, postulare, placitare & prosequi; coram quibuscumque Judicibus spiritualibus & temporalibus, usque ad diffinitivam valeat, atque possit.

Ea propter debitis † & fidelibus nostris, Gentibus Computorum, & Thesaurariis nostris; necnon Commissariis super facto Financiarum nostrarum, tàm ordinariarum, quàm subsidiorum ordinatis, & ordinandis, ceterisque Justiciariis, & subditis, & eorum cuilibet præcipimus, & mandamus; quatenùs eumdem Magistrum Symonem honoribus, libertatibus, vadiis, & aliis emolumentis, ad dicti Consiliarii, & Advocati nostri Officium pertinentibus, prout alios nostros Consiliarios, & Advocatos uti, & gaudere pacificè de cetero faciant, & permittant, vadiaque ordinaria ad dictum Officium pertinentia eidem, vel ejus certo Mandato persolvi faciant, modo, & terminis consuetis, quæ sit ei soluta, in solventium compotis allocari, præsentes Litteras, vel earum *vidimus*, cum sufficienti quictantia reportando; volumus & jubemus: Ordinationibus, restrictionibus, & Mandatis in contrarium factis, vel faciendis non obstantibus quibuscumque. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus Litteris duximus apponendum.

Datum Parisius, prima die Junii. Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto. Regni verò nostri, trigesimo sexto.

Per Regem, *in suo magno Consilio.*

Rege Siciliæ, vobis, & nonnullis aliis præsentibus.

Gontier.

* *videtur hîc desiderari* Deo † dilectis

Ultima sequens Commissio fuit præsentata Domino Cardinali de Verona;

Cod. 2538. fol. 376.

Die XI. Octobris Anno XVI. in causa appellationis Domini Ducis Burgundiæ.

Reverendissime Pater.

B Postquàm Reverendissima Paternitas vestra, ad instantiam Reverendi in Christo Patris, Domini Gerardi, Episcopi Parisiensis, & Domini Johannis Poleti, olim in Regno Franciæ hæreticæ pravitatis Inquisitoris, causam appellationis à quibusdam gravaminibus, & prætensâ Sententiâ, per Reverendissimos Patres, & Dominos, Jordanum de Ursinis; Anthonium, Aquilegiensem; & Franciscum, Florentinum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; contra præfatos Dominos, Episcopum & Inquisitorem; & pro Illustri Principe, Domino Johanne, Duce Burgundiæ, de, & super pretensa nullitate * ejusdem Propositionis quondam Magistri Johannis Parvi, & Assertionum indè secutarum, ut dicitur, latâ, interpositæ; Reverendissimo Patri, Domino Cardinali Veronensi, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali commisisset; & voluisset, inter cetera, quòd in observatione terminorum necessariorum solus procederet; in aliis autem, C cum consilio, & consensu duorum Auditorum Palatii, in Curia præsentium, vel duarum partium eorumdem habendis, conjunctim, vel divisim, prout in Commissione eidem Cardinali facta & præsentata latiùs continetur: pro dicta parte adversa dicitur quædam prætensa Commissio præsentata ipsi Domino Cardinali, hujusmodi sub tenore. XI. Octo. 1416.

Reverendissime Pater.

Dudùm V. R. P. ad instantiam Domini Gerardi, Episcopi Parisiensis, & Domini Johannis Poleti, prætensi olim in Regno Franciæ hæreticæ pravitatis Inquisitoris, contra Illustrissimum Principem, Dominum Johannem, Ducem Burgundiæ, fuit Reverendissimo Patri Domino Cardinali Veronensi, ut dicitur, præsentata quædam pretensa Commissio, cujus tenor sequitur in hæc verba.

Reverendissime Pater.

D Aliàs, postquam Reverendissimi Patres, Domini Venetiarum, & Placentinus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, causam appellationis Reverendi Patris Domini, Gerardi Episcopi Parisiensis, & Domini Johannis Poleti, olim in Regno Franciæ hæreticæ pravitatis Inquisitoris, à quibusdam gravaminibus, & prætensâ Sententiâ per, Reverendissimos Patres, Dominos Jordanum de Ursinis; Anthonium, Aquilegiensem; & Franciscum, Florentinum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales con-

* *Omissum fuisse videtur* cujusdam Sententiæ diffinitivæ, super condemnatione cujusdam, *loco* ejusdem

contra præfatos Dominos Episcopum, & Inquisitorem; necnon pro Illustri Principe, Domino Johanne, Duce Burgundiæ, de, & super prætensa nullitate cujusdam Sententiæ diffinitivæ, super condemnatione cujusdam Propositionis quondam Magistri Johannis Parvi, & Assertionum novem indè secutarum, ac rebus aliis in hujusmodi causa deductis, & earum occasione, ut dicitur, latæ, interpositæ, & nullitatis ejusdem prætensæ Sententiæ per dictos Dominos Cardinales latæ: tunc ipsis & Domino Veronensi, etiam dictæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali audiendi, & fine debito terminandi commissam, ad Cancellariam, quantùm in eis fuerat, remiserant: dicta P. V. in hujusmodi causa, dicto Domino Cardinali Veronensi, in loco ipsorum Venetiarum & Placentini Cardinalium, Reverendissimos Patres, Dominos Laudensem & de Branchasiis, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, primò adjunxit; qui post hujusmodi adjunctionem, dictam causam audire & acceptare recusarunt: successivè verò, ipsis hanc causam renuentibus; ispam causam Reverendissimis Patribus, Dominis Cardinalibus Salutiarum, & de Flisio commisistis, & eosdem dicto Domino Veronensi adjunxistis; qui etiam hujusmodi causam audire, & acceptare recusarunt, & recusant, de præsenti.

Ne igitur dicta causa, propter hujusmodi recusationes, & dictæ contrariæ partis importunas instantias & favores, in expeditione impediatur, & plùs debito protrahatur, immortalisve efficiatur; dignetur dicta Paternitas vestra, in locum dictorum Venetiarum, & Placentini Cardinalium, præfato Domino Cardinali Veronensi committere, ut dictam causam, in eodem statu in quo erat antè remissionem hujusmodi, audiant, cognoscant, & fine debito terminent, juxta formam dictæ Commissionis ipsis Dominis Venetiarum, Placentino, & Veronensi Cardinalibus, simul, antè dictam remissionem factæ, cum omnibus, & singulis suis emergentibus, incidentibus, dependentibus, & connexis; non obstante quadam alia Commissione per priùs, super præmissis, dicto Domino Cardinali Veronensi facta, & præsentata, & minùs sufficienter forsan signata.

Audiat idem Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis Veronensis, & procedat solus in observatione terminorum necessariorum, & in aliis, cum consilio & consensu Auditorum Palatii in Curia præsentium, vel duarum partium eorumdem, habendis conjunctim, vel divisim, nisi concordent partes de Dominis Cardinalibus surrogandis.

Verùm, Reverendissime Pater, cùm pars præfati Domini Ducis affectat causam prædictam solidè & consultè, etiam ad claudendum ora adversantium, & aliorum quorumcunque faciliter obloquentium, Justitia mediante, terminari; & proptereà videatur aliquibus securiùs, & præfato Domino Cardinali Veronensi, minùs onerosum esse, si conjunctim Auditores Palatii vel duarum partium eorundem consilia & consensus competantur. Cùm tunc, quando eorum quilibet alterius rationes audiet, mutuò se meliùs intelligent, & consultiùs, maturiùsque deliberare poterunt, quàm si divisim consensus, & consilia hujusmodi haberentur.

Et cùm etiam prima instantia fuerit per tres Dominos Cardinales terminata; & proptereà congruum est, quòd hujusmodi etiam secunda instantia, quæ tribus commissa extitit, quorum duo, nescitur quâ de causa, eam ad Cancellariam remiserunt, etiam per plures, quorum firmius censebitur esse judicium, terminetur; præfatusque Dominus Cardinalis. Veronensis aliquos de Dominis Auditoribus intentione terminorum, faciliter possit secum vocare.

Ea propter, etiam attentâ gravitate causæ, & personarum, inter quas causa ipsa in præinserta Commissione, designatarum, ventilatur; pro parte præfati Domini Ducis Burgundiæ, eidem vestræ Reverendissimæ Paternitati supplicatur, quatenùs præfato Domino Cardinali Veronensi committere & mandare dignemini, ut in terminorum observatione vocatis & assistentibus sibi uno, vel duo- A bus de antiquioribus dicti Palatii, ad interlocutionem, & Sententiæ in principali pronunciationem, & ordinationem, causæque prædictæ expeditionem, de consilio, & consensu omnium Dominorum Auditorum Palatii, in Romana Curia præsentium, seu duarum partium eorumdem: de quo ad majorem firmitatem, per eorum proprias subscriptiones constet in actis, ministret Justitiam expeditam; dictâ prætensâ, & quadam alia Commissione, quæ quasi similis tenoris existunt, ex adverso obtentis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, quæ quidem prætensa Commissio reperitur sic signata.

Audiat idem Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis, & procedat, ut petitur, dicta signatione non obstante, ut clariùs & securiùs sine querela partium procedatur.

Cùm autem, Reverendissime Pater, per ipsam B Commissionem, ad partis adversæ importunam, ut creditur, instantiam noviter concessam, non modicùm hujusmodi causæ expeditio difficilis videatur: impeditur enim Justitia, seu ipsius causæ expeditio per præscriptam prætensam Commissionem: primò propter difficilem Auditorum omnium conventum: secundò propter subscriptionem fiendam votis, prout ipsa prætensa Commissio exigit, & requirit, quod ultimum impossibile, & alias inauditum, & penitùs inconsuetum est ab Auditoribus reportari, & maximè in tali causa. Cùm etiam ista causa per unicum tantùm Cardinalem tractata, & in ea processus habitus, & solùm per tres tantùm, ad partis adversæ instantiam, taliter qualiter per primam Sententiam decisum, quod Domino Episcopo & Inquisitore instantibus obtineri non possit, quòd in ista causa, nedùm per unum C procedatur, sed nec per tres: & nedùm per tres decidatur; sed nec per consilium ferè octo, vel decem, sicut est major Auditorum pars, & illorum cum quibus idem Dominus Cardinalis fortè foret consilium habiturus, quorum numerus ad multo fortiùs majorem, decem aut duodecim ascenderet, satis sonet in absurdum.

Supplicatur, igitur pro laudabili Justitiæ fine consequendo, mandare, & committere eidem Domino Cardinali Veronensi dignemini, ut hac præscripta Commissione non obstante; quatenùs ad diffinitivam Sententiam, & interlocutionem, quæ vim diffinitivæ haberet, cum consilio, & consensu Auditorum causarum Apostolici Palatii, seu majoris partis illorum, videlicet octo, vel novem D ex illis officium Auditorum exercentium: in interlocutorio verò super admissione alicujus tertiæ personæ pro suo interesse, ad causam, & admissionem Articulorum, de consilio, & consensu trium, vel quatuor ex dictis Auditoribus: in reliquis verò solus procedat, non obstante Commissione, & signatione prædicta, & aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Audiat idem Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis, procedat solus, præterquam ad admissionem Articulorum alicujus tertiæ personæ, ad ipsam causam; in quibus, & ad diffinitivam, & interlocutorias, habentes vim diffinitivæ, procedat,

de

de consilio, & assensu majoris partis Auditorum Palatii, conjunctim super hoc habitis, dicta Commissione &c. non obstante.

Exhibita Dominis Judicibus in causis Fidei. Die XVII. *Octobris. post prandium, per Conrardum Ludeking Procuratorem Domini Regis Franciæ, dicendo ut infra.*

Cod. 2538. fol. 377. verso

PEtit Promotor & Instigator Officii, in hujusmodi causa Deputatus, nec non Procurator, & procuratorio nomine Christianissimi Francorum Regis, non recedendo ab appellationibus, nomine, & pro parte ipsius Christianissimi Regis interpositis; sed illis fortiùs insistendo, & inhærendo, de quo solemniter protestatur: quatenùs si aliqua vobis Jurisdictio in dicta causa, seu potestas post ipsas appellationes remansit, quod non creditur, stantibus appellationibus prædictis, per vos Reverendissimos Patres Judices, & Commissarios in causis Fidei, ut dicitur, Deputatos, hujusmodi causam novem Assertionum, ex Propositione quondam Magistri Johannis Parvi jam damnata extractarum, cum aliis dependentibus, & connexis, ad sacrum Generale Concilium, judicandam, examinandam, & terminandam destinare, ipsamque, prout hoc idem aliàs à vobis Reverendissimis Patribus, suis loco & tempore congruis petitum fuerat, ad Judicium, & examen ejusdem sacri Concilii remitti, sibique super hoc, per vos Reverendissimos Patres responderi. Aliàs protestantur de gravamine, & appellando.

XVII. Oct. 1406.

Additio exhibita eadem die Sabbati. XVII. Octobris.

fol. 378.

ADdendo petitioni noviter datæ, & porrectæ; Promotor & Instigator, & procuratorio nomine Christianissimi Francorum Regis, non recedendo ab appellationibus, nomine, & pro parte ipsius Christianissimi Regis interpositis: sed illis inhærendo, à quo protestatur; post dictionem, *connexis*, & ante dictionem, *ad Sacrum*, addit, & inserit istas dictiones, quæ sequuntur, videlicet, *antequam ad aliquem actum, præcipuè alicujus relationis de ipsa causa fienda.*

Item. Post dictionem, *terminandam*, & antè dictionem, *destinare*, addit & inserit istam dictionem *simpliciter, & sine alia meritorum, & processus relatione.*

Item, Post dictionem *destinare*, & ante dictionem *ipsam*, addit & inserit istas dictiones, quæ sequuntur, videlicet, *& illam simpliciter remittere, & de ipsa ante remissionem, & post ulterius non intromittere.* salvo jure iterùm addendi &c.

APPELLATIO

Interjecta per Conrardum Ludeking, Substitutum Procuratoris Domini Regis Francorum. Die Sabbati. XVII. *Octobris. Anno* XVI. *Coram Judicibus in causis Fidei &c.*

COram vobis Reverendissimis Patribus, hujusmodi causæ novem Assertionum, ut dicitur, Judicibus, & Commissariis, appellando.

Proponit Promotor, & Instigator Officii, in dicta causa Deputatus, nec non Procurator Christianissimi Francorum Regis; non tamen propter infra scripta, ac per eos, & eorum alterum facta, & facienda, appellationibus aliàs nomine Christianissimi Francorum Regis, seu aliàs in hujusmodi causa quomodolibet interpositis præjudicando, derogando, vel ab illis, quibus ipse Promotor, & Procurator adhærere intendit, aliqualiter recedendo; sed eisdem fortiùs assistendo, ac in illis, quantùm in eis est, inhærendo, de quo protestatur; & dicunt, quòd licèt à vobis Reverendissimis Patribus sæpè & sæpiùs, suis loco & tempore congruis, cum instantia debita petitum fuerit, ut hujusmodi causam simpliciter ad dictum sacrum Concilium Generale, more debito causarum Fidei, quibus Judiciorum strepitus, & cavillationes non conveniunt; & in quibus personarum interesse non debet attendi, examinandam, & terminandam remitteretis, vosque de eadem, ex multis causis, præcipuè illis in appellatione aliàs à vobis interposita contentis, quas in hac appellatione pro repetitis habere volunt, & intendunt, coram vobis allegatis, exoneraretis: licet etiam debitum, aut saltem honestum, ac consuetum, quòd Judices, maximè antequàm causarum merita rimari, & investigare incipiant, partibus, seu parte petente, causas remittant; & inhonestum, & non sine suspicione, & affectione ad causam sit, quòd Judices ipsi contra partium, seu partis voluntatem velint Judices esse: licèt etiam inclyta Natio Germaniæ, quæ est pars notabilis hujus sacri Concilii, dictam causam ad ipsum Concilium simpliciter, & sine relatione per vos facienda, ex dictis, & multis aliis rationabilibus causis per vos remittendam, aut veriùs evocandam concluserit; fueritque etiam coram vobis propositum, & allegatum, & instanter petitum, quòd prædictis, causis, & rationibus, præcipuè illis, in appellatione pro parte dicti Christianissimi Principis Domini Francorum Regis interposita, quam hîc repetit, & habere vult pro inserta, expressatis, attentis, & consideratis, ad actum aliquem, & præcipuè alicujus relationis de ipsa causa faciendæ, minimè devenire deberetis, propter scandalum quod Fidei, ac ipsius Christianissimi Francorum Regis Juri, & honori resultare posset: licèt etiam ipsa causa pro parte dicti Christianissimi Regis ad causam venientis, & per vos aliàs admissi, licèt verbaliter, & sine effectu; licèt etiam per dictas appellationes legitimè, pro parte dicti Christianissimi Regis, in causa ipsa nullam penitùs potestatem, & Jurisdictionem habeatis.

Nihilominùs, vos Reverendissimi Patres, Judices, & Commissarii prædicti, vestris Reverentiis semper salvis, in dicta causa, sicut præfertur, minimè instructa, & per vos in favorem adversariorum, cum omni quâ decet reverentia loquendo, nimis favorabiliter forma Commissionis vobis factæ, & Juris ordine postpositis, & per vos minimè observatis; imò penitùs, ut præfertur, prætermissis, appellatione pro parte Domini Christianissimi Regis indecisa pendente, ipsoque in dicta causa non audito, in Fidei Catholicæ scandalum, & in ipsius Domini Regis gravamen, & Juris sui, appellationem eam remittere ad sacrum Concilium, modo præmisso examinandam, & terminandam, expressè, aut saltem tacitè denegastis: quin imò, ut ad notitiam prædictorum Promotoris, & Procuratoris pervenit, eam non instructam, & in eadem audiendis non auditis, taliter qualiter referre, sub modis & formis inordinatè parti adversæ favorabilibus, & parti ipsius Domini Regis, & Fidei veritati detractivis, & nocivis,

civis, &c, cum debita reverentia loquendo, tacendo in eadem multa vera, & exprimendo multa non vera, ut dicitur, proposuistis, & in diem proponitis, & continuò, ut dicitur, talem prætensam relationem facere comminati estis, asseruistis, & asseritis de præsenti.

Undè dicti Promotor & Instigator, & Procurator, nominibus quibus suprà, sentiens se per præmissa multipliciter gravatum, & læsum, ac timens se inposterùm plus gravari & lædi posse; à dictis gravaminibus futuris sibi comminatis, ac omnibus, & singulis gravaminibus ex præmissis, & actis præsentis causæ, coram vobis, ut dicitur, habitis, quomodolibet colligibilibus in iis scriptis, ad sanctam Sedem Apostolicam, & sacrum Concilium Generale prædictum provocant, & appellant, & Apostolos petit primò, secundò, & tertiò, ac instanter, instantiùs & instantissimè sibi dari, & concedi, si quis sit qui eos sibi dare posset, & velit.

Et protestatur &c. de emendatione, & correctione præmissorum.

APOSTOLI

fol. 378. verso. *Super appellatione interjecta* XVII. *Octobris, dati pro responsione ad eamdem. Die* XX. *ejusdem.*

REverendissimi Domini in causis Fidei per hoc sacrum Generale Concilium Constantiense Deputati: hîc de præsenti congregatis in causis ipsis pro Tribunali sedentibus, super appellatione per te Conrardum Ludeking assertum Instigatorem, & Procuratorem Illustris Principis Domini Francorum Regis, ultimò coram ipsis interposita, in hujusmodi causa novem Assertionum &c.

Coram ipsis Dominis Judicibus indecisa pendente, juxta præsentis diei & horæ termini tibi factam assignationem: respondent quòd cùm appellationibus frivolis Jura non deferant, nec sit à Judicibus deferendum; idcircò dictæ tuæ ultimæ appellationi, tanquam manifestè frivolæ, & inani, ex frivolis, & inanibus causis interpositæ, ipsi Domini Judices hîc existentes non deferunt, prout nec de Jure deferre debent, hanc suam responsionem pro Apostolis refutatoriis super dicta tua asserta appellatione tibi dantes, & concedentes.

fol. 379. *Sequens Cedula fuit advisata, in Consilio Domini nostri Ducis Burgundiæ.*

Die XX. Octobris. Anno XV.

XX. Octob 1416. POstquàm aliquibus ex vobis, Reverendissimi Patres, non videtur expedire, propter certa per vos promissa, quòd in vestra relatione fienda de processu novem Assertionum, qualitas personarum deponentium designetur, quamvis ad hoc teneamini; saltem sequens modus teneatur, videlicet quòd verbo, scriptoque summariè fiat dicta relatio; sic videlicet, quòd pro parte affirmativa reperiuntur scripsisse XXVI. scilicet XXIII. Magistri, unus Licentiatus, & duo Bacchalarii Formati, tàm Religiosi, quàm Sæculares, inter quos sunt quatuor Prælati. Pro parte verò negativa reperiuntur scripsisse LXI. videlicet LIV. Magistri, unus Licentiatus, & sex Bachalarii Formati, similiter tam Religiosi, quàm Sæculares. Et per istud medium poterit timor mundanus cessare, cùm nullius personæ status, aut qualitas denotetur.

Si verò, ad minùs, ista non fiant, plùs volumus, quòd res in isto statu perseveret, quia aliud à præmissis, præter præmissam relationem, non acceptabimus quoquo modo, cùm, respectu debitæ Justitiæ Domino nostro per vos eidem ministrandæ, ejus Consilio pauca aut nulla prædicta videantur.

Cùm Domini Commissarii in causis Fidei, processum coram eis agitatum in causa novem Assertionum &c. intendant exhibere sacro Concilio cum quodam Summario extracto ex actis ipsius processus; videtur, quòd ipsi Commissarii materiam dicti extracti debeant verbaliter in ambone exprimere, & legi facere, ac in forma publica, sub scriptura aperta, & sigillata exhibere, numero Doctorum pro qualibet parte designato, & deponentium qualitatem, saltem in genere exprimendo.

Cùm Domini Commissarii in causis Fidei, processum coram eis agitatum in causa novem Assertionum &c. intendant exhibere sacro Concilio, cum quodam Summario extracto ex actis ipsius processus.

Videtur quòd ipsi Commissarii materiam dicti extracti debeant verbaliter in ambone exprimere, & legi facere, ac in forma publica, sub scriptura aperta, & sigillata exhibere, cum numero Doctorum deponentium pro parte qualibet quæsiti, * expressione & qualitate personarum, saltem in genere, designatione. Et si contingeret, lecturam, aut vocalem expositionem impediri, aut perturbari, quod ridiculosum videretur; saltem provisio fiat, quòd illud extractum apertè, & non clausum exhibeatur, & præsentetur, ut singulæ Nationes, & Partes valeant pleniùs informari.

* *videtur desiderari* cum

RESPONSIONES

Cardinalis Cameracensis,

Ad quædam interrogatoria sibi facta per aliquos deputatos specialiter ad hoc per Nationes, cum quibusdam aliis, datos super examinatione quarumdam protestationum per dictum Cardinalem alias factarum, & ad advisandum modos sopiendi controversias, & pericula, quæ occasione dictarum protestationum poterunt evenire. Cod. 1538. fol. 380.

Videantur protestationes in Cronica. VII. Novembris, Anni 1416.

REverendissimus in Christo Pater, Dominus Cardinalis Cameracensis, interrogatus per Dominum Patriarcham Constantinopolitanum, & egregium Doctorem Dominum Gunsalvum de sancta Maria, unum ex Ambassiatoribus Serenissimi Regis Aragonum, destinatos ad eum per Dominos Deputatos, &c. de causis & motivis cujusdam protestationis per eum factæ, & undè, vel ex quibus formabat sibi metum, de quo in dicta protestatione; & applicabat, quare potiùs causas metus ad ipsum, quàm ad aliquem alium, sive alios.

Qui

Qui dixit & respondit, narrando quoddam factum quod dicebat continere processum in materia super qua interrogabatur, incipiendo ab origine.

Primò. Quòd quemdam composuerat Tractatum: *De Potestate Ecclesiæ*, certis considerationibus, in quo inseruerat, per modum dubii super hoc respondendo, sed solùm loquendo narrativè; quòd Natio Anglicana quartam partem totius Ecclesiæ Militantis in Generali Concilio facere non deberet, causis, & rationibus expressis in Tractatu; quòdque valdè interesset Regis Franciæ Christianissimi se huic opponere &c.

Item. Quòd quia Ambassiatores Serenissimi Regis Aragonum, & venerabilis Natio Hispanica dixerunt, non debere tenere locum ultimum inter Nationes, ex quibus formant sacrum Generale Concilium; & indè deventum ad certas contradictiones inter prædictas Nationes, Hispanicam, & Anglicanam; Reverendus Pater Dominus Episcopus Sacrisberiensis, sibi consentiente Natione Anglicana, sumpta occasione, quòd ex scriptis *in dicto Tractatu, quòd dicti Ambassiatores, & Natio Hispanica moverat, cujus contrarium in Natione Gallicana expressè dixerunt se contra dictam Nationem Anglicanam multas, & quamplurimas injurias & convicia dixerat sibi, & protulerat, imponendo hæreses, errores, proditiones, & plurima scandala in loco, in quo convenire consueverunt Deputati, pluribus magnis Prælatis, & notabilibus viris præsentibus, & etiam nonnulla, & eadem Natione Anglicana verba convitiosa injuriam, & notam ejusdem Cameracensis protulerant, & dixerant in diversis locis.

Item. Quòd exindè subsecutæ sunt occultæ minæ, quæ fuerunt sibi secretè manifestatæ; sicut quòd quidam dixit: si nonnulli, de quibus expressis, fuissent præsentes, quando Dominus Sacrisberiensis loquebatur eidem, quòd fortè attentatum fuisset in ejus personam de facto.

Item. Quòd in odium, & vindictam prædictorum, Dominus Sacrisberiensis interdici, & inhiberi † eidem, quòd non celebraret Missam in die omnium Sanctorum, neque Sermonem sibi injunctum; occasione sumpta, quòd ipse vellet loqui in Sermone suo de materia prædicta, & quòd propter hoc Illustris Princeps, Dominus Dux Bavariæ, Comes Palatinus, per tres, vel quatuor dies antè Festum omnium Sanctorum, fecit congregari in loco Nationis Germanicæ, certos Dominos Cardinales, & etiam de singulis Nationibus Prælatos, ut prohiberetur à dictis actibus. Et quia non apparebat hoc, assistentibus, debere fieri, sicut nec fieri debebat; fuit missum ad eum, quòd saltem nullo modo faceret verbum de materia faciente mentionem de Natione Anglicana: ex quo videtur sibi notanda illibertas, quòd in Sermone publico, in Generali Concilio, proferendo verbum Dei, secundùm quod Deus inspiraverit ab antè, vel in actu, liberè non possit proferri.

Item. Quòd communicatione, & deliberatione habita cum Ambassiatoribus Regis Franciæ, & Procuratore suo hìc existentibus, de faciendo protestationem solemnem in Sessione publica tunc de proximo celebranda, super eo, quòd Regnum Angliæ, & submissi Regis Angliæ debeant facere Nationem, quantùm ad hoc, quòd sit quarta pars totius Christianitatis, vel ipsam repræsentare in Concilio Generali, quatenùs poterat continere interesse Regis, & Regni Franciæ; quemadmodùm in simili fecerant Ambassiatores Regis Portugaliæ, quòd Domini de Natione Germanica, & etiam

* Locus corruptus, usque ad finem paragraphi.
† desideratur aliquod verbum.

Anglicana, audientes, destinaverunt ad Collegium Dominorum Cardinalium certos Dominos, notabiles viros, ad intimandum eis, quòd si dicta protestatio fieret in dicta Sessione; quòd dictæ Nationes, neque supposita earum, per modum Nationis non essent præsentes, & quòd vellet Collegium se interponere, ut obviaretur scandalo.

Item. Dixit, & narravit, quòd intervenientibus Dominis Cardinalibus, & sacro Collegio, Ambassiatores Regis Franciæ fuerunt contenti, ne sequeretur turbatio, quòd dicta protestatio non A fieret in Sessione; sed tantùm in præsentia Dominorum Cardinalium congregatorum modo sicut fuit factum die quinta Mensis Novembris.

Item. Quòd in Sessione lectis cedulis continentibus expedienda, quòd illa vice, dùm loqueretur, sperans in Deo, Doctor egregius, unus ex Ambassiatoribus Regis Aragoniæ, fuit factus magnus strepitus in Ecclesia, & tumultuosæ percussiones contra postes, & parietes claudentes locum Sessionis per Anglicos, ne audirentur proponentes; credentes quòd esset protestatio prædicta fienda pro interesse Regis Franciæ, contra Nationem Anglicanam, sicut pro tunc percepi ab astentibus.

Item. Dixit, & narravit, quòd eadem die, post meridiem, plures Anglici, præter morem solitum, & contra prohibitiones aliàs factas, de non portando arma, publicè per villam incesserunt cum armis, videlicet ensibus, pugionibus, sive daguis; B & aliqui ex eis cum arcubus, & hastis, sive *hachete*, in manicis: quorum quàmplurimi se congregaverunt in domo Minorum, ostendendo se commotos. Qua commotione deprehendebatur, ut retulerunt qui viderunt per exteriora, quòd convenerunt contra Gallicos, & specialiter contra eumdem Dominum Cardinalem Cameracensem, & Ambassiatores Regis, & etiam alios specialiores servitores, quos habet hìc, pro ut fuit sibi, & dictis Ambassiatoribus per diversos, eodem die, intimatum, & specialiter nonnullos magnos Prælatos, fuit sibi mandatum, & dictis Ambassiatoribus, ne domos suas exirent, quia immineret eis periculum, propter quandam Congregationem quam fecerant Anglici in domo Minorum, cum armis contra eos.

Item. Dixit & narravit, quòd propter prædicta fuit sibi incussus timor; & maximè, quia Domi- C nus Dux dixerat, quòd informatus fuerat, quòd aliqui publicabant hoc provenire ex eo, quòd quidam Anglici, de manè, illo die, in Ecclesia dicebant fuisse verberati, & quòd narrabatur hoc factum fuisse per familiares ipsius Domini Cameracensis; quod tamen ipse Dominus Dux non credebat.

Item. Quòd, postmodùm fecit protestationem, eò quòd non esset facta aliqua punitio de illis, qui talia attemptaverunt, nec aliquod sufficiens remedium adhibitum; & quòd, singulis diebus, qui talia fecerant contra ipsum, & Ambassiatores Regis, similia poterant attemptare, & ad factum prosilire: ideò non reputabat se securum, nec Ambassiatores Regis, propter ista.

Item. Quòd Dominus Dux præfatus, Dominus Burgravius de Noremberch, Archiepiscopus Regensis, Episcopi Pataviensis, Verdensis, Strigoniensis, & quidam alii, propter dictam protestatio- D nem venerunt ad Dominos Cardinales collegiatim congregatos; & dixerunt, dictam protestationem esse contra bonum hujus sacri Concilii, & securitatem, honoremque Regis Romanorum Serenissimi, & dicti Comitis, Cardinalis Cameracensis, qui narravit eis omnia prædicta, & plura alia: & tandem conclusit quòd reputavit se securum, nec aliquo modo intellexerat protestationem suam con-

 tra

tra honorem Regis; & quòd sperabat, quòd ipsi suum debitum semper fecerant apud Concilium, tàm in debita libertate conservanda, in civitate, & viis publicis, eundo, & veniendo ad Concilium, quàm in aliis.

Propter quod, ex parte Dominorum Cardinalium, per vocis organum Domini Cardinalis Pisani, quòd visa declaratione dicti Domini Cardinalis Cameracensis, debebant remanere contenti: & responderunt, quòd ita faciebant, & contentabantur. Et petierunt Instrumentum de dicta responsione, & declaratione: & ita fecit idem Dominus Cardinalis Cameracensis.

Item. Quòd procurantibus quibusdam de Natione Anglicana, de proximè dictis, non obstante, iteratò voluerunt elevare materiam, & elevarunt, sub nomine Regis, & dicti Domini Ducis; sumpto colore, quòd per dictam protestationem videbatur inferendum, posse locum argui de non securitate, quod esset enervativum eorum quæ facta sunt in Concilio, & reddere suspectum quòd fieret in futurum, sicut dicebant, quamvis protestatio nullo modo respiciebat præterita, sed tantum modò futura, nec habent aliquam relationem ad Regem, nec Dominum Ducem, neque ad securitatem, vel non securitatem loci, sed tantummodò ad notandum violentiam quam attemptabant & voluerunt facere Anglici.

Item. Dixit, & narravit, quòd propterea Dominus Dux convocavit plures Prælatos, & notabiles viros de singulis Nationibus, in quorum præsentia fuit proposita materia prædicta, congravando contra eundem Dominum Cardinalem Cameracensem: propter quod fuerunt missi ad eum Domini, Episcopus Gebenensis, Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, & quidam alii, qui dixerunt sibi, quòd materia elevabatur contra eum, & videbatur posse oriri scandalum; & quòd vellet aliquid considerare quod esset placativum, & pacificativum materiæ; quibus dixit, sicut * quòd aliàs remanserant contenti, auditâ declaratione sua: tamen ad submovendum turbationem, si aliquid restaret fiendum ulteriùs, erat contentus quòd Dominus Dux, & Dominus Burgravius prædicti, ipso priùs audito, viderent, & pacificarent: qui, relatione eis facta, suspenderunt usque in crastinum, quòd nollent recipere onus, cùm ipsi essent laïci, & deliberatio talis materiæ, & conclusio spectaret ad Concilium, & elevaverunt materiam plusquàm ante.

Item. Quòd post prædicta, Ambassiatores Regis Franciæ convocaverant Regnicolas benivolos Regis, & Regni Franciæ, saltem aliquos ex eis, inter quos materia fuit recitata, & per eos fuit deliberatum, quòd per protestationem tàm primam, quàm secundam, specialiter quantùm habebat relationem ad primam, erat Jus quæsitum Regi Franciæ, & quòd de toto non deberet recedere ab illa, nec eam ponere in arbitrio alterius, sine consensu, & deliberatione Ambassiatorum, & Procuratorum dicti Regis hîc præsentium, qui tenebantur, à cetero, materiam prosequi, eò quòd in utraque honor, vel interesse Regis tangitur, diversis respectibus: & quòd dicti Ambassiatores petierant audiri, & fuerat eis concessum per Dominum Ducem, Burgravium & alios Consiliarios Regis Romanorum Serenissimi. Ideò aliam declarationem, vel interpretationem non intendebat facere, pro præsenti; quia dicti Ambassiatores Regis, in Propositione quam intendebant facere, dùm audirentur, magis ad plenum possunt instruere materiam, & intendere de damno, interesse, vel honore Regis, & quantùm concernerent eum dictæ protestationes; & quòd ex præmissis satis poterat recolligi illud propter quod ipsi fuerant ad eum † per Dominos Deputatos, præfati Domini Patriarcha, & Gondissalvus, & de causa suæ protestationis; & utrum habuit justum metum, aut non satis constare poterat ex prædictis.

Interrogatus post prædicta, quid intelligebat in penultimo Articulo, cùm dicitur, quòd præter ea quæ intrinsecùs latent, quæ satis publicè dicuntur: etiam dixit, & respondit, quòd communiter dicitur, quòd Dominus Sacrisberiensis, cum quibusdam aliis, est datus, & deputatus ad consulendum Domino A Duci in omnibus agendis, nomine Regis Romanorum, & per eum vocatur in omnibus expediendis: & etiam quòd major pars Nationis Germanicæ assistit Nationi Anglicanæ, saltem potiores Prælati, & multa alia pleniùs, si opus fuerit, declaranda.

Et finaliter referebat se ad illa, quæ per Ambassiatores Regis super præmissis essent dicenda, & declaranda in audientiâ prædicta, petens quòd ante eam non procederetur ultrà per Deputatos prædictos.

SEQUUNTUR PROTESTATIONES Cod. 2538. fol. 411.

Domini Cardinalis Cameracensis;

B Lectæ in Natione Gallicana. Die Sabbati. VII. Novembris, antè prandium. 1416.

Primò. Protestor, quòd in omnibus, & per omnia adhæreo protestationi quinta die Novembris VII. ultimò præterita, factæ coràm sacro Collegio Dominorum Cardinalium, per Dominos Ambassiatores Nov. Christianissimi Domini Francorum Regis, de qua 1416. patet per Instrumentum publicum, ad quod me refero, & quòd in præsentia hujus inclytæ Nationis legi requiro.

Item. Protestor, quòd propter tumultuosum strepitum factum die prædicta, de manè, in loco Sessionis, occasione cujusdam protestationis factæ per Dominos Nationis Hispanicæ; & quia eadem die, C post prandium, Domini Anglici, ultra morem solitum, incesserunt cum armis, etiam in Ecclesia, in qua Deputati Concilii tractabant negotia Ecclesiæ, occasione cujus, per amicos intimatum fuit Ambassiatoribus Regis, & mihi, quòd nos, & familiares nostri straremus in domibus nostris, timentes nobis periculum imminere: ideò nos protestationem præmissam, ad tuitionem Juris, & honoris Regis nostri, ac Regni Franciæ, quam die sequenti, coràm dicta Natione Gallicana, & consequenter coràm aliis intimare proposueramus, facere timuimus.

Item. Protestor, quòd prædictus tumultuosus strepitus in loco Sessionis factus, & multò magis ille armorum usus, fuit, & est multipliciter scandalosus.

Et ideò conformatus * pro ut scripsit unus magnus Dominus Prælatus, & Doctor, quòd ex isto armorum usu temerario, contemptum Dei, scandaD lum sacri Concilii, impedimentum evidens rerum in eo efficaciter gerendarum, & specialiter processus inchoati contra Petrum de Luna, alia quoque innumera pericula manifestissimè imminere video, & maximè contumeliam, & injuriam Christianissimi Regis mei, &c. & suorum hîc Magistrorum etiam periculum; attentis maximè favoribus, quos sui hostes, ex confœderatione multorum eis adhærentium, hîc habere dignoscuntur, quod etiam nefas dictu est, præter ea quæ intrinsecùs latent, quæ tamen satis publicè dicuntur.

Et

* *Locus corruptus* † *Locus corruptus* * *forsan confirmatus*

Et nihilominùs volo Deo, & Ecclesiæ suæ debitum reddere, ac Regi meo, pro ut multipliciter teneor, & specialiter propter ejus Mandatum mihi per suas patentes Litteras factum.

Item. Protestor, quod si in prosecutione prædictorum aliquo modo desisterem, hoc esset propter metum cadentem in constantem virum; propter quem habeo justam, & manifestam causam ampliùs non comparendi in Congregationibus, aut Sessionibus hujus sacri Concilii, donec, & quousque per ipsum reprimatur, & tollatur ista effræ- A nata audacia; ita quòd nobis hîc pro Rege nostro existentibus detur securitas, & plena libertas loquendi, consulendi, protestandi, & omnia alia, & singula agendi, quæ expediunt in præmissis; pro ut hujusmodi securitas & libertas omnibus debet dari: alioquin sequi poterit dissolutio Concilii, in grave discrimen Ecclesiæ, & Fidei.

fol. 411.

MOTIVA,

Propter quæ Regnicolæ Franciæ non debent adhærere protestationibus factis quinta die Novembris, Anni M. CCCCXVI. per Cardinalem Cameracensem, & per Ambassiatores Re- B *gis Franciæ, coram Dominis Cardinalibus, de manè, in Aula Episcopali Constantiensi, quas voluit dictus Cardinalis repetere eadem die publicè, in generali Sessione: sed asserit se fuisse impeditum per tumultum. Deinde, in quadam Cedula papyrea fecit protestationes, quas exhibuit, & legi fecit in Natione Gallicana, die Sabbati, XII. ejusdem Mensis, cum quodam Instrumento de prædictis.*

Et petiit adhærentiam Nationis, nomine prædicti Regis; & de his omni- C *bus petiit Instrumentum.*

PRimò. Quia sine sensu, consilio, deliberatione, aut assensu Prælatorum, & ceterorum notabilium virorum præfati Regni Franciæ, dictas protestationes fecerunt, qui supra; quos tamen debuissent, & potuissent vocasse & congregasse, postquàm æstimabant dicti protestantes, quod materia suarum protestationum tangit Regem, & Regnum prædictos; quod tamen non fecerunt, prædictos Regnicolas contemnendo. Quare &c.

Item. Quando causæ suarum dictarum protestationum nunquàm apparuerunt dictis Regnicolis, atque Nationi prædictæ; inde non possunt cognoscere, si dictos Regem & Regnum tangant, D aut si lædant honorem, pacem, & tranquillitatem eorumdem. Ea propter, cum periculum sit consentire ignoratis, videtur quòd sit periculosum, eis assentiendo.

Item. Quia dictæ protestationes materias tangunt speciales, quæ nullum habent respectum ad tria principalia puncta, propter quæ sacrum Generale Concilium dignoscitur hîc congregatum; sed tangunt difficultates novas, inauditas, & imprævisas, quæ nullam habent dependentiam, aut connexionem cum talibus prædictis principalibus punctis: videtur quòd ad hoc quòd possent valere tales protestationes, dictus Cardinalis, & prædicti deberent facere fidem de Mandato speciali, virtute cujus possunt facere, & attemptare, & tales requestas, quas visus est facere, per modum summationum.

Item. Cùm communiter quibuslibet Ambassiatoribus dentur instructiones de intentione, & voluntate suorum Dominorum, maximè circa ardua, in quibus continentur, per expressum, Articuli, quos non licèt Ambassiatoribus transgredi, aut ampliare, pro libito suæ voluntatis; dictus Cardinalis & prædicti deberent facere fidem Regnicolis, & Nationi prædictis de suis instructionibus, ad hoc quòd eis debitè adhærerent in præmissis, & ut appareret clarè, quòd talia ab intentione dicti Domini Regis processerunt.

Item. Cùm voluntas dicti Domini nostri Regis sit conformis divinæ voluntati, & instinctui Spiritus Sancti Ecclesiam hîc congregantis, & adunantis, gratiâ unionis, pacis, & quietis in Dei Sancta Ecclesia reformandæ, constat quòd voluntas ejusdem Domini nostri Regis est, quòd solùm tractent sui Ambassiatores, & Regnicolæ, in sacro præsenti Concilio, ea quæ pacis sunt & unionis Ecclesiæ. Manifestum est autem, quòd materia dictarum protestationum attulit discordias & divisiones in hoc sacro Concilio, & ex dicta adhæsione verisimiliter afferret graviores. Quare illi dissentire, est magis conforme divinæ, & regiæ voluntati, quàm assentire.

Item. Quamvis plures Christiani Principes temporales dissentiones habeant, & guerras inter se, & Dominia sua, etiam mortales; attendentes quòd unus est Deus, quem adorant; una Fides, quam tenent; unum Baptisma, quo sanctificati sunt: in unum, magna cum devotione hactenùs ad Concilia Generalia, & nunc ad præsens sacrum Concilium per suos Ambassiatores solemnes convenerunt, ad tractandum unanimiter de iis, quæ in Conciliis Generalibus sunt tractanda; quæ sunt, augmentum divini cultus, declaratio dubiorum circa Fidem; reformatio morum Christicolarum; impugnatio hæresum, & hæreticorum; ordinatio ad resistendum infidelibus; & ad disponendum de pace totius populi Christiani, primò spirituali, posteà temporali; scismata, & discordias extirpando: non videtur, quòd aliqua materia sit in hoc Concilio tractanda, per quam veteres discordiæ, etiam temporales, possunt nutriri, seu augmentari, vel aliquæ de novo suscitari. Clarum est autem, quòd per materiam dictarum protestationum & veteres discordiæ roborantur, & novæ sunt jam suscitatæ, ut patet de facto, & cuilibet intelligenti. Quare &c.

Item. Speciallùs loquendo; cùm treugæ sint initæ inter Christianissimum Regem nostrum, & Illustrissimum Regem Angliæ, sub spe pacis inter eos reformandæ, & perpetuò, Deo dante, confirmandæ; vel saltem treugarum firmandarum usque ad tempora longiora, & per depressionem honorum, & titulorum inclytæ Nationis Anglicanæ, Tractatus pacis, vel treugarum prædictarum non immeritò posset turbari; nullus fidelis Francigena debet ad præmissas protestationes sustinendas, aut fovendas, cùm sint honorum, & titulorum dictæ inclytæ Nationis Anglicanæ depressivæ, & per consequens, pacis, vel treugarum prædictarum destructivæ, dare assensum, auxilium, consilium, & favorem.

Item. Talis adhæsio, quæ petitur, cederet in grave detrimentum præclaræ Nationis Gallicanæ, & Regnicolarum prædictorum: quoniam hæc Natio habet judicare cum Ceris *, quid de dubio, seu quæ-

* Locus corruptus

quæstione tactis in dictis protestationibus, sit sententialiter, & diffinitivè tenendum, si materia judicialiter deducatur.

Constat autem quòd per hujusmodi adhæsionem manifestè constitueret se partem. Quare amitteret potestatem judiciariam super præmissis dubio & quæstione, & consequenter super dependentibus, & connexis eisdem, quod esset scandalosum non modicè dictæ præclaræ Nationi Gallicanæ, & Regnicolis sæpè dictis.

A Item. Evidenter sequitur dissipatio hujus sacri Concilii, ex dicta adhæsione, quoniam Natio Anglicana nunquam acquisceret quòd nomen suum honorabile deleretur in tam solemni Congregatione Concilii Generalis: nec creditur, quòd Domini Anglici consentirent, etiam propter instans periculum mortis, quòd Jus, & possessio quam habuerunt, & tenuerunt in aliis Conciliis Generalibus, & in isto, ab eis sic auferretur, eò quòd undè gloriam, & honorem debebunt reportare apud Deum, & homines; cùm ad propria redierint, non nisi scandalum, & jacturam suis Regno & Nationi, & sibi ignominiam, ac pericula reportarent. Manifestum est autem, quòd plus vellent eligere, rationabiliter loquendo, ad propria remeare, separando se ab hoc sacro Concilio, quàm incommoda præmissa incurrere: ad quorum discessum sequitur evidens dissipatio Concilii.

B Quare præmissas protestationes meliùs est sopire, quàm prosequi, aut eis adhærere.

Item. Aliæ Nationes leviter imponerent dictæ nostræ Nationi, & specialiter illis de Regno, quòd ad prædicta facienda movissent dictos Cardinalem, & Ambassiatores, per prædictam adhæsionem; & satis rationabiliter: quoniam etsi dictæ protestationes de se non sunt malæ, pro ut sustinerent qui eas fecerunt: tamen à specie mali non possunt excusari, nec, per consequens, dicta adhæsio quæ requiritur. Et cùm abstinendum sit non solùm à malo, sed etiam ab eo quod potest ingerere speciem mali, & oppositum faciens non ambulat secundùm caritatem: ut ergò non detur dictis Nationibus occasio scandali, & ne judicentur contentiosi adhærentes, non videtur quòd aliqui debeant eis adhærere.

C Item. Quia hæc materia est magni ponderis, & posset habere exitus difficiles, tangitque, & tangere posset, in futurum, statum prædeorum * & Principum, & aliorum, tàm motivorum Regni Franciæ, quàm beneficiatorum in eodem, aut in Dominiis ab eodem dependentibus, aut connexis, de quibus sunt pauci Prælati, ut notum est, in hoc sacro Concilio; nec præsentes habent Mandatum speciale de materia prætacta ab absentibus, quàm à beneficiatis, ut supra, etiam hìc præsentibus, quos tangit præsens negotium, qui sunt diversarum Nationum, ut notum est: indè videtur, quòd adhærentia, quæ requiritur, si fieret, esset inutilis & inanis, cùm ab illis, quos tangit, ut prætendunt protestantes, deberet approbari.

D Item. Quia guerræ inter Principes, quos directè videntur tangere dictæ protestationes, possent ex hac novitate insurgere prioribus graviores: vassalli, Principes eorundem, qui solùm ad procurandam pacem & unionem in utroque statu ad hoc sacrum Concilium suos Ambassiatores transmiserunt, nullam adhærentiam possunt securè præmissis dare, neque rationabiliter suis Dominis non priùs consultis, super materia ista in speciali: secùs verò facientes excederent terminos suorum Mandatorum, & exponerent se magnis periculis, sicut cuilibet intelligenti est manifestum.

* *Locus corruptus.*

POTESTAS ET INSTRUCTIONES

Cod. 1538. fol. 143. verso.

Ambassiatorum missorum pro Patria Arthesii &c.

In nomine Domini. Amen.

Noverint universi, præsentes scripti paginam, seu præsens publicum Instrumentum inspecturi, quòd Anno ejusdem Domini, millesimo, quadringentesimo sexto decimo. Indictione nona: die verò sexta decima Mensis Septembris. Sede Apostolica Pastore carente, in nostrûm Notariorum publicorum, & testium infra scriptorum ad hoc specialiter vocatorum, & rogatorum præsentia, propter hoc personaliter constituti nonnulli Reverendi Patres, & Domini, Domini Prælati diversorum Ordinum, & Conditionum, ac nobiles Comitatus Arthesii, in villa Insulensi. xvi. Sept. 1416.

Et insuper Anno, & Indictione quibus supra: die verò vicesima prima Mensis Septembris prædicti, Apostolica Sede vacante, in nostrûm Notariorum publicorum, & testium infra scriptorum præsentia, propter hoc personaliter etiam constituti, Deputati villarum Comitatus & Patriæ Arthesii repræsentantes invicem congregati, habitaque inter ipsos deliberatione maturâ; omnes simul & conjunctim, diebus, & locis quibus supra, ex certis causis ipsos, ut dixerunt, rationabiliter, & debitè moventibus; omnibus melioribus Jure, via, modo, & forma quibus potuerunt, & debuerunt; fecerunt, constituerunt, & creaverunt; faciuntque, constituunt, & creant, tenore præsentis publici Instrumenti, suos veros, legitimos, & indubitatos Procuratores, & Nuntios speciales, nobiles, ac etiam venerabiles, & circumspectos viros, Dominos Antonium Droconem, & David de Brimeu; de Fontainetz; de Humieres; & de Humbercourt Dominos: ac Dominum Achiam de Brimeu Milites; nec non Magistros Symonem de Boscheux, Archidiaconum Vapincensem; & Inguerrannum Deufle, Canonicum Ecclesiæ Collegiatæ sancti Audomari, de sancto Audomaro, Morinensis Diœcesis, licèt absentes tanquàm præsentes; quibus, aut tribus ex ipsis, Mandatum speciale, & generale dederunt, & concesserunt, dantque, & concedunt, tenore præsentis publici Instrumenti, specialiter, & expressè, ad comparendum, & se repræsentandum in sacro Generali Concilio Constantiensi, coram Præsidentibus in eodem, ac Nationibus ejusdem, seu eorum Deputatis, aut deputandis, etiam Judicibus Fidei; aut coram Summo Pontifice, vel aliis per ipsum Summum Pontificem, sive dictum Concilium deputandis, seu aliàs ubicunque, coram quorumcumque, & quibuscunque, ubi expediens visum fuerit, pro ipsis, & eorundem constituentium nomine, cum Procuratoribus Illustrissimi Principis, Domini Arthesii, Domini eorundem; ac etiam Procuratoribus aliarum Dominationum & Patiarum Præfati Domini communiter, vel divisim, constitutis ad declarandum, & ostendendum statum, & intentionem dicti eorum Domini, atque statum inclytæ Domus Franciæ, aliarumque Domorum Burgundiæ, Flandriæ, & Arthesii, de quibus ipse Dominus traxit originem, quæ semper

per Catholicæ inventæ sunt, & nunquam vitio tali, quo adversarii eum notare videntur, fuerunt ullatenùs maculatæ; nec non ad ostendendum modos importunos, & indebitos, qui contra eum Dominum Comitem observati sunt, & per ipsius æmulos observantur in dicto loco Constantiensi, ac in eodem Concilio, qui ipsos, & alios ejusdem Domini Comitis subditos, & benivolos non latent, ad suggestionem aliquorum adversariorum dicti Domini Comitis, qui inclytum Dominum eorum Regem, attento statu, in quo, proh dolor! posuit eum Deus, per se, aut suos, vel eorum complices regunt, & ducunt, pro eorum affectata opinione, ac libito voluntatis; qui etiam, ut ex modis quos tenent apparet clariùs, propriæ voluntati innitentes potiùs ex odii fomite; quàm ex caritate, aut Fidei zelo videntur procedere; & ad supplicandum, & requirendum cum omni reverentia, & humilitate, quòd in prosecutione causæ dicti eorum Domini, pro omnibus suæ causæ prosecutoribus, fautoribus & amicis, sit illic securitas plena eundi, standi, revertendi, ac etiam libertas loquendi, eamdemque causam ipsius Domini, in præfato sacro Generali Concilio, ubi, quando, & quotiens opus erit, legitimè prosequendi: ad petendum insuper, & requirendum, nomine quo supra, in præmissis, pro sæpè dicto eorum Domino, in dicta causa; bonum & breve justitiæ complementum; & ad humiliter exorandum, ut præfatum eorum Comitem, tanquàm utique Dominum, qui tàm sincerè, tàmque fideliter Dominum suum, eorumque Regem, liberos, ac Regnum ipsius diligere dignoscitur; qui etiam semper Ecclesiæ servire desiderat, atque potest; non permittant dentibus mordacibus, ac injuriis affectatorum hominum ampliùs lacerari, diffamarique; quin potiùs, ut moris semper fuit Conciliorum Generalium, quæ Spiritu sancto ducuntur, ad solam veritatem oculos, æquitates, & aures, ipsum, ejus causam, speratam innocentiam ejusdem habeant recommissos: & generaliter ad omnia alia, & singula faciendum, gerendum, & exercendum, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, & quæ veri, & legitimi Procuratores, seu Nuntii facere possunt, & debent.

De, & super quibus præmissis omnibus, & singulis, præfati Domini constituentes, nominibus quibus supra, simul, & conjunctim petierunt à nobis Notariis infra scriptis, fieri atque tradi publicum Instrumentum, seu publica Instrumenta, unum, aut plura.

Acta fuerunt hæc, primò, in dicta villa Insulensi, præsentibus in ipsa Reverendo in Christo Patre, ac Domino, Domino Episcopo Tornacensi, nec non venerabilibus, & circumspectis viris, Eustachio de Atrio; Marco de Foras, Archidiacono de Theracha, in Ecclesia Laudunensi; Philippo de Morvillier, ac Johanne de Monteleonis, ipsius Domini Ducis Consiliariis; & Thoma d'Orgelet, Secretario ejusdem Domini Ducis, cum multis aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Postremò verò, in dicta villa Attrebatensi acta fuerunt præmissa, prout superiùs describitur, sub Anno, Indictione, Mense, diebus, & locis supra dictis, præsentibus in eadem villa Attrebatensi, discretis viris, Magistro Johanne Lesot, Licentiato in Legibus; Johanne Prerate, Advocato in Foro sæculari; Guillelmo de Heez, Notario Apostolico; Leone de Tenquettes; Mathæo de Sancto Amando; Johanne Bellor; Johanne Quesnel; Henrico de Larsin; Johanne Canvennart aliàs Mauburni, & Johanne Rambonot, habitatoribus ejusdem loci, & villæ Attrebatensis, ac Johanne de Dienat, Clerico Attrebatensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Verùm, quia ego Jacobus Ysambardi, Clericus Metensis, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, in Legibus Bacallarius, præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut supra, & inferiùs describuntur, fierent ac agerentur, unà cum prænominatis testibus, ac Notariis infra scriptis præsens interfui, & ea sic fieri vidi, & audivi, ac in notam recepi: ideò exindè confecto præsenti publico Instrumento, manu Thomæ de Fernaches Notarii subscripti fideliter scripto, præmissa publicando, signum meum, unà cum signis & subscriptionibus Notariorum infra scriptorum apposui consuetum, hîc me subscribens manu propria, requisitus in testimonium præmissorum & rogatus.

Et quia ego Balduinus de Laustano, Clericus Attrebatensis Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, in iis, quæ in dicta villa Insulensi acta fuerunt, dum, ut supra scribuntur, fierent, & agerentur, unà cum prænominatis testibus in dicta villa Insulensi existentibus, ac Jacobo Ysambardi, Notario præfato, præsens interfui: idcircò confecto præsenti publico Instrumento, alterius manu fideliter scripto, præmissa publicando, signum meum, unà cum signo, & subscriptione dicti Notarii apposui consuetum, hîc me nihilominùs subscribens manu propria, requisitus, & rogatus, in testimonium præmissorum.

Et quia ego Thomas de Fernaches, Clericus Morinensis Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, in iis, quæ in dicta villa Attrebatensi peracta extiterant, dum ut supra scribuntur, fierent, & agerentur, unà cum prænominatis testibus in dicta villa Attrebatensi existentibus, ac Magistro Jacobo Ysambardi, Notario præfato, præsens interfui: idcircò exindè confecto præsenti publico Instrumento, manu propria scripto, præmissa publicando signum apposui consuetum, hîc me nihilominùs subscribens, in testimonium præmissorum, requisitus, & rogatus.

JOHANNES

Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Artehsii & Burgundiæ Palatinus, Dominus de Salinis, & de Machlinia.

Universis præsentes Litteras inspecturis: Salutem in Domino.

Notum facimus, quòd nos de fidelitate, peritia, diligentia ferventi, & industria Reverendi in Christo Patris, Johannis Abbatis Monasterii Beatæ Mariæ de Claromarisco, Ordinis Cisterciensis, Morinensis Diœcesis, ac Magistri Simonis Boscheux, in Jure Canonico Licentiati, & Archidiaconi Ecclesiæ Vapincensis, in Domino plenariè confidentes, ipsos, & eorum singulos, ex nostra certa scientia, fecimus, constituimus, & ordinavimus, facimusque, & ordinamus per præsentes, nostros, cum ceteris jam Deputatis, Ambassiatores, Fidei Commissarios, Procuratores, Yconomos, & Nuntios speciales, licet absentes, tanquàm præsentes; dantes, & concedentes eisdem auctoritatem, facultatem plenariam, & speciale Mandatum comparendi, standi, & interessendi pro nobis, & nostro nomine, in sacro Generali sanctæ & Universalis Ecclesiæ Concilio, apud Constantiam, & alibi, in cau-

causis, processibus, & negotiis nostris ibidem pendentibus indecisis; proponendique, & allegandi, tàm coram Dominis Præsidentibus in eodem sacro Concilio, quàm coram Dominis Commissariis, & Judicibus in causis Fidei deputatis, & deputandis, & quibusvis aliis personis; & cum omnibus Juris, & facti protestationibus * fieri requirendi, & petendi omnia illa, & singula, quæ honorem pariter, & Jus nostrum concernunt, & quæ circa Sententiam contra nostros adversarios in eodem sacro Concilio reportatam, & ejus prosecutionem, & distinctionem, seu determinationem fuerint proponenda: loca, Judices, & Notarios eligendi; suspectos recusandi; suspicionis, & recusationis causas verbo, vel in scriptis proponendi, & allegandi; provocandi, & applellandi; Apostolos petendi, & obtinendi; provocationes, & appellationes, ac merita prosequendi; Procuratores ad lites, si sit opus, constituendi, & constitutos, seu substitutos, revocandi: & in omnibus, & per omnia faciendi, gerendi, procurandi, dicendi, & exercendi in præmissis, & circa præmissa, nomine nostro, & pro nobis, quæ necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, & quæ nos faceremus, & facere possemus, si personaliter interessemus in eisdem, promittentes bona fide, & sub juramento veritatis per nos præstito, ratum, gratum, firmum & stabile, perpetuò habituros id totum, & quidquid per dictos Ambassitores Fidei Commissarios, & Procuratores nostros, & eorum quemlibet, in solidum, in præmissis, & circa præmissa actum, dictum, factum fuerit, quomodolibet, sive gestum, ac si per nos personaliter foret actum: ipsosque & eorum quemlibet relevrare ab omni mere † satisdandi, sub nostrarum rerum ypotheca, & obligatione bonorum. In cujus rei testimonium, præsentibus nostrum secretum, in absentia magni, fecimus apponi sigillum. Datum in villa nostra Sancti Audomari, die septima decima Mensis Octobris. Anno Domini, millesimo, quadringentesimo septimo decimo.

Per Dominum Ducem.

J. YSAMBART.

* *forsan desideratur* consuetis

† *forsan* onere

fol. 416. xx. Octo. 1416.

Sequuntur Instructiones dictorum Ambassiatorum Arthesii.

INstructiones pro parte Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, Serenissimo Principi Domino Regi Romanorum semper Augusto, per Ambassiatores memorati Ducis, Dominum Abbatem de Claromarisco; & Magistrum Symonem Boscheux, Archidiaconum Vapincensem, supersequentibus proponendo.

Primò. Præfatus Dominus Dux, cum omni humilitate, & decenti reverentia regratiatur Serenissimo Principi, & Domino Regi prænominato, super eo, quòd sui gratiâ, destinavit sibi solemnem, tàmque spectabilem Ambassiatam, videlicet Dominos Odobonium, in utroque Jure Doctorem; & Johannem de Vaumarcoulx Militem, ultimò, apud villam suam de Sancto Audomaro, eidem se, suisque negotiis liberaliter, viamque suam, & iter insinuans, cum designatione certorum locorum, videlicet Cutros, Luxembourch.

Item. Prælibatus Illustrissimus Dux disponebatur hilariter & jocundè, pro receptione ipsius Serenissimi Principis, & Domini Regis, casu quo placuisset suæ Serenitati transire per patriam Flandriæ, & hoc totis visceribus exoptabat, cupiens juxta sui exiguitatem Status ipsum recipere, & tractare, etsi non prout decet magnificentiam Imperialem tanti Serenissimi Principis, & Domini.

Item. Sæpè dictus Illustrissimus Dux supplicabat humillimè, & cum instantia Serenitati ipsius Principis, & Domini Regis, ut in Christi caritate, sua Serenitas suscipere dignetur negotia ipsius Illustrissimi Ducis, & eadem habeat cordialiter, ubilibet recommissa; præcipuè processum quemdam in sacro Universali Concilio, jamque diù inter ipsum Ducem & nonnullos ejus æmulos, in materia Fidei ventilatum, ut scilicet omni favore, odio, simulatione, tergiversatione, fraude, dolo, & universis cautelis præclusis, de Mandato prænominati Serenissimi Principis, & Domini Regis, processus acceleretur, & terminetur, secundùm formam Juris, & absque personarum acceptione qualicunque.

Item. Supplicat cum eadem humilitate, & cordiali instantia, prædictus Illustrissimus Dux, Serenitati ipsius Principis, & Domini Regis, quatenùs Terras, Dominia, redditus, obventiones, & singula quæque spectantia ad inclytissimam Dominam, Dominam Ducissam Austriæ, sororem ipsius Illustrissimi Ducis, consanguineamque præfati Serenissimi Principis, & Domini Regis, mandet & præcipiat expediri ad plenum, quemadmodùm promisit sibi ultimatè apud Calesium, post longum inter eos habitum colloquium.

Item. Et ante dictus Illustrissimus Dux, se, & sua totaliter, & omni hora offert, & exhibet servitio, & obsequio sæpè dicti Serenissimi Principis, & Domini Regis; præcipuè in facto Unionis Ecclesiæ: rogans humillimè suos Nuntios prænominatos: & ceteros quoscunque inposterùm sui parte se gerentes, habere liberum, & securum conductum & transitum ubicunque, & quotiens fuerit opportunum & necesse per Terras, Dominia, districtus &c. ipsius Serenissimi Principis, & Domini Regis Romanorum semper Augusti. Scriptum in Sancto Audomaro: Mensis Octobris die xx.

MENART.

CENSURA

Facultatis Decretorum,

Adversùs Propositiones

Joannis Parvi.

UNiversis præsentes Litteras seu præsens publicum Instrumentum inspecturis. Decanus, & Collegium venerabilis Facultatis Decretorum, in florenti, & fructifero Studio Parisiensi: Salutem in Domino, & integritatem Fidei agnoscere. 1416. Die xviii. Nov.

Notum facimus, quòd ad Serenissimi & Christianissimi Domini nostri Francorum Regis, super hanc nos requirentis, instantiam, ad extirpationem errorum, & bonorum morum reformationem, super infra scriptis deliberavimus, & deliberamus, modo, & forma, & quemadmodùm post finem cujuslibet Assertionis sequitur.

In quadam Cedula per nos, Notariis publicis subscriptis, collegialiter tradita, cujus tenor talis est.

„ Super novem Assertionibus, seu Propositionibus, quæ inferiùs describuntur, ex parte Serenissimi, & Christianissimi Domini nostri Francorum Regis, per Dominum Rectorem Studii prælibati, eidem Facultati Decretorum præsentatis, „ & super hoc salubre consilium, & quid Facultati in

„ in se videbatur, requirentis; attentis determinatione sacri Concilii Constantiensis, in materia concernente easdem Propositiones, seu Assertiones; „ Jurium dispositione; adhæsione generali dictæ „ Universitatis, ac Edicto super hiis in venerabili „ Curia Parlamenti prolato; & qualificationibus, „ per scientificos Dominos Theologos eisdem Assertionibus, & earum cuilibet datis: eadem Facultas, priùs per eam sæpiùs convocatis suis Licentiatis, & Bachalariis, maximè actu legentibus, quæ Facultas pro tunc in numero decem & A „ octo Doctorum constituebatur, cum prædictis Licenciatis in numero quadraginta octo; & Bachalariis, in numero quinquaginta septem, salva determinatione sanctæ Matris Ecclesiæ, & Summi „ Pontificis in attestatione veritatis, deliberamus „ in modum qui sequitur.

Et primò, ad primam.

Prima Assertio.

Licitum est unicuique subdito, absque Mandato quocumque, vel Precepto, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet Tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam, & altissimam Dominationem. Et nedùm licitum, sed honorabile, & B *meritorium, maximè quando est tanta potentia, quòd Justitia non potest bono modo fieri per Supremum.*

Sacris Canonibus, & eorum doctrinæ dissona; & adversa, scandalosa, pacisque turbativa.

Secunda Assertio.

Leges, naturales, morales, & divina auctorisant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

Sacris Canonibus, & eorum doctrinæ dissona, & adversa.

Tertia Assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile, & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum ty- C *rannum proditorem, & infidelem suo Regi, & supremo Domino, per explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori tiranni, infideles, occidere scilicet eos vilanè, Gallicè, vilainnement, per optimas cautelas, explorationes, & insidias, & est licitum dissimulare & silere voluntatem suam de sic faciendo.*

Sacris Canonibus inimica.

Quarta Assertio.

Jus est, ratio, & equitas, quòd omnis tyrannus occidatur vilanè, Gallicè, vilainement, *per explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos vilanè, Gallicè* vilainement, *per explorationes, bonas cautelas, & insidias.*

Erronea, crudelis, & impia, ac Sanctorum Patrum diffinitionibus contraria.

Quinta Assertio.

Ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & Rex non debet solùm esse contentus, sed debet habere factum acceptabile, & auctorisare, quantùm opus, vel necessitas esset.

Regiæ Majestati injuriosa, atque sani Consilii Regis, & suorum circumventiva.

Sexta Assertio.

Rex debet præmiare & remunerare illum qui occidit, modo qui dictus est, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in opibus, honoribus, & divitiis, exemplo remunerationum factarum sancto Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinées, pro occisione Ducis Zambry.

Erronea, falsa, falsèque exemplificata, & inducta.

Septima Assertio.

Rex debet plùs amare quàm priùs illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra dictis, & debet facere prædicari suam fidem, & bonam fidelitatem per Regnum suum, & extra Regnum facere publicari per Litteras, in modum Epistolæ, vel aliter.

Scandalosa; ac Regiæ Majestati injuriosa, & ejus sani Consilii circumventiva.

Octava Assertio.

2. *Cor.* III. Littera occidit, spiritus vivificat. *Hoc est dicere, quod semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.*

Expositio distorta, pro ut ad præcedentium materiam applicatur.

Nona Assertio.

In casu societatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat quòd istud vertatur in prajudicium unius compromittentium, aut confederatorum, sponsæ suæ, aut liberorum suorum, ipse de nullo tenetur eas observare. Hoc probatur ex ordine caritatis, quo quilibet plùs tenetur seipsum diligere, uxorem, & liberos, quàm alterum.

Falsa, & erronea, secundùm se, & ad perjuria viam præbens; & pactorum, ac promissionum rupturæ apertiva; fidei hominum infractiva, & policiæ humanæ non minimùm detractiva.

Quo circà, si quæ, nomine Facultatis, in contrarium prædictorum emersisse à nonnullus referantur, omnibus certificamus, hæc non de mente prædictæ Facultatis legitimè congregatæ aliquatenùs processisse.

In quorum omnium, & singulorum fidem, & testimonium, præsentes Litteras, seu præsens publicum Instrumentum per Notarios publicos subscriptos publicari, & in publicam formam redigi fecimus, magnique sigilli dictæ Facultatis appensione communiri.

Data autem, & acta fuerunt præmissa, Parisius, apud Hospitale sancti Joannis Hierosolymitani, ubi pro factis dictam nostram tangentibus Facultatem congregari consuevimus, in Congregatione nostra generali solemni, & specialiter propter hoc celebrata, Anno Domini, millesimo quadringentesimo sexto decimo. Indictione decima. Apostolica Sede vacante. Mensis Novembris die decima octava: præsentibus venerabilibus, & discretis viris, Joanne Danielis, Clerico de Rothomago, Licentiato in Legibus, & Bachalario in Decretis; Adam Caputii, Præsbytero, Bachalario in Decretis; D & Joanne Cleriti, Præsbytero Laudunensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

Et ego, Bartholomeus de Laise, Belvacensis Diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus, Curiæque Parisiensis Notarius juratus; quia de sedula supra scripta mihi, & Notario subscripto, in præsentia testium supra scriptorum, prout supra dicitur, collegialiter tradita, ad præsentes Litteras, seu publicum Instrumentum, unà cum jam dicto Notario, collationem feci fidelem, reper-

pertâ hinc indè concordiâ; ideò hiis præsentibus Litteris, seu publico Instrumento, aliena manu scriptis, seu scripto; & sub eadem verborum forma duplicatis, seu duplicato; de Præcepto Dominorum Doctorum tunc collegialiter congregatorum, signum meum, unà cum ejusdem Facultatis sigillo, ac dicti Notarii signo apposui consuetum, hæcque propria manu subscripsi, in testimonium præmissorum, requisitus.

De Laise. *Ainsi signé, avec sa parraphe authentique à côté de la dicte attestation.*

Et ego, Lucas de Alueto, Clericus Cenomanensis Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus Notarius, quia de cedula supra scripta mihi, & Notario supra scripto, in præsentia testium supra scriptorum, prout supra dicitur, collegialiter traditâ, ad præsentes Litteras, seu publicum Instrumentum, unà cum jam dicto Notario collationem feci fidelem: repertâ hinc indè concordiâ; ideò hiis præsentibus Litteris, seu publico Instrumento, alia manu scriptis, seu scripto, & sub eadem verborum forma duplicato, de Præcepto Dominorum Doctorum tunc collegialiter congregatorum, signum meum, unà cum ejusdem Facultatis sigilli appensione, & dicti Notarii signo & subscriptione, apposui consuetum, hæcque manu propria subscripsi, in testimonium præmissorum, requisitus.

De Alueto.

Ainsi signé, avec sa parraphe authentique à costé de la dicte attestation avec le grand sceau de la dicte Faculté, pandant au dict parchemin, par une bande de parchemin, lequel sceau est in cire rouge.

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy, F. N. BAZIN. Prieur des dicts Peres Celestins d'Avignon.

xvii. Janu. 1417.

JOANNIS GERSONII, *Doctoris & Cancellari Parisiensis* SERMO.

Habitus coram Concilio Constantiensi, in Dominica, quæ erat antè Festum S. Antonii: incipiens,

Nuptiæ factæ sunt &c. *vide Tom. II. p.* 349.

EJUSDEM TRACTATUS,

Quo solvit quæstiones in præcedente Sermone motas. ibid. p. 365.

EJUSDEM TRACTATUS, *cui Titulus:*

Errores circa Præceptum, *Non occides.* ibid. p. 380.

fol. 440.

CEDULA

Recepta xi. Aprilis. Anno 1417. per...

Ad finem investigandi, an Joannes Gersson materiam contentam in ea prædicaverit in forma.

xi. April. 1417. Le jour de la Nativité de Nostre Dame. L'An m.cccc. & xvi. au Concile General, Maistre Jean Gersson, en preschant de ce Theme: *Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est JESUS, qui vocatur Christus.* Matth. 2. 16. En la presence des Cardinaux, Ambassadeurs tant de France, & d'Angleterre, comme de plusieurs autres Roys, Seigneurs, & Communautés; dit que Jesus-Christ, s'il eût survécu Nostre Dame il eût de Droit tenu, & scis sur le Trône du Roy David, & succedé au Royaume d'iceluy, par le moyen de Nostre Dame sa Mere, & non pas par le moyen de Joseph; car la Vierge Marie en étoit vraye heritiere, & y eût succedé. Pourquoi il s'ensuit de Droit divin, & humain, qui ne peut A estre contraire à droit divin, que femmes peuvent succeder à Royaumes, puisque Nostre Dame eût par Droit divin succedé, comme il dit. Et de cette matiere est meüe jadis question grande entre les tres-Chrétiens Rois, & Royaumes de France, & & d'Angleterre: & de ce qui en est à tenir, il s'en raporta à un grand Docteur d'Angleterre, qui sur cette question auroit moult bien écrit.

Si soit advisé à quelles conclusions, & esclandres cette matiere peut venir: car il ne coloroit cette matiere, que pour attraire les Angloys à soy.

LITTERA

Cod. 2538. fol. 430. Data xvii. Nov. 1416. xix. Juin 1417.

Regis,

B Præsentata Auditoribus causarum Sedis Apostolicæ. xix. Junii, per Johannem Gersson; Guillielmum Pulcrinepotis; Petrum Versailles; Joannem Campani.

Carolus, *Dei gratiâ, Francorum Rex.*

Carissimis, ac prædilectis nostris, Sanctæ Sedis Apostolicæ causarum Auditoribus, amicitiam cum benevolentia singulari & justitiam, quæ unicuique quod suum est tribuit fideliter, favorabiliterque tueri.

Quoniam ea quæ Fidem concernunt, mente adeò sincera tractare convenit, ut neque personarum interveniat acceptio, aut distinctio Potestatum; gratum habuimus nostræ causæ tales Commissarios invenisse, de quorum doctissima probitate C confidimus in Domino.

Pendet autem vestri in deliberatione lis nimiùm proh dolor! protelata, cui ipse Deus & conscientia propria nos in partem formalem adducunt. Hinc exhortandas Fidelium, & Jurisperitorum mentes duximus; ut causa hæc eis in justitia, & veritate cordiali animo inhæreat, & persistat.

Rogamus igitur integritatem Justitiæ vestræ, quatenùs causa hæc Fidei, ac Consiliarii nostri Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris hæreticæ pravitatis, vestris in conspectibus, adversùs malitiam, & subterfugia prævaleat, atque nos, qui Dei jussu, & conscientiæ suasu, rei in partem venimus defensendam, vestris Judiciis cum Dei causa prosperemur.

D Agite propterea viriliter, ut prævaleat Fides, & Justitia.

Date Regi Judicium, Regis obsecrationibus celerem expeditionem, nostris Ambassiatoribus per omnia fidem exhibete. Datum Parisius, xvii, Novembris. *Sic signatum.*

Malliere.

CE-

Cod. 2538. fol. 429. verso.

CEDULA

Supplicationis

Exhibita aliquibus Judicibus Fidei, & composita die VII. Februarii. Anno XVII.

VIII. Febr. 1417. REverendissimis Patribus, Dominis Commissariis in causis Fidei, pro parte Ambassiatorum, & Procuratorum Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, &c. Supplicatur, & cum omni instantia requiritur vestris Reverendissimis Paternitatibus, prout pluries, & sæpiùs, parte ipsorum, supplicatum, & requisitum extitit, quatenùs in causa tangente novem Assertiones coram eisdem Paternitatibus vestris agitata, procedant ad relationem debitam, ex Actis processus faciendam sacro Concilio, ut ipsum Concilium conclusivè disponat de ipsis, ut Spiritus sanctus eidem ministrabit; quemadmodùm per easdem Decretum extitit fiendum die 23. Julii ultimò lapsi; videlicet cum designatione numeri, & qualitatum pro utraque parte in materia scribentium, & deponentium, & sub scripto patenti, & aperto: quæ relatio hucusque dilata est, & de die in diem prorogatur, & differtur, in magnum præjudicium, & jacturam præfati Domini, & singulorum, quos hæc materia tangit, aut tangere potest; & in scandalum grave totius Concilii, cùm, prætermissâ hac materiâ tanti ponderis, ad alias varias pertranseant, habentes eam, ut apparet, pro derelicta: quæ tamen, Commissione dicti sacri Concilii dictis Reverendissimis Paternitatibus vestris facta, & per easdem suscepta stante, non valet prætermitti, earundem Paternitatum vestrarum famâ, & honore Fidei salvis.

Cod. 2537. fol. 9.

INSTANTIÆ

Ambassiatorum Ducis Burgundiæ,

Ad relationem.

DOmini Ambassiatores Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ, tàm verbo, quàm scripto petierunt fieri relationem in causa novem Assertionum. Annis, & diebus infra scriptis.

1415. Et primò. Anno à Nativitate Domini M. CCCC. XV. die Martis, XVII. Mensis Decembris, petierunt, scripto tenùs, fieri relationem in sacro Concilio.

Item. Die Jovis, XIX. dicti Mensis Decembris, petierunt fieri relationem, repetendo cedulam dicta die Martis datam.

1416. Item. Anno M. CCCC XVI. Die Mercurii. VIII. Mensis Januari: iidem Ambassiatores petierunt fieri relationem, & super hoc exhibuerunt cedulam magnam. Ad idem petiit, illa die, Stephanus Paletz.

Item. Petierunt verbo, dicti Ambassiatores, die Sabbati, VIII. Mensis Februarii, fieri relationem.

Item. Petierunt similiter verbo, quòd fieret relatio, die Martis, XVIII. Februarii.

Item. Petierunt dicti Domini Ambassiatores, scripto tenùs, quòd fieret relatio die Veneris, XXI. datam * & fieri relationem &c.

Item. Ad idem, & eodem modo, petierunt die Lunæ, nona Mensis Martii.

Item. Scripto petierunt quòd fieret relatio die Veneris, XIII. Mensis Martii.

Item. Die Jovis, XIX. Mensis Martii, petierunt verbo, quòd fieret relatio publica &c.

Item. Die Sabbati, XXVIII. Mensis Martii, petierunt verbo, quòd fieret relatio publica.

Item. Die Sabbati, XI. Mensis Aprilis, petierunt verbo, quòd fieret relatio publica.

Item. Die Lunæ, XXV. Mensis Maii, petierunt verbo quòd fieret Judicium, & Justitia.

Item. Petierunt verbo quòd fieret relatio publica, die Sabbati, XXVII. Mensis Junii.

Item. Die Jovis, secunda Mensis Julii, petierunt verbo quòd fieret relatio publica.

Item. Die Jovis, XVI. Mensis Julii, petierunt cum cedula subscripta duobus Avocatis, quòd fieret relatio publica &c. 1416.

Item. Die Jovis, XXIII. Mensis Julii, petierunt verbo, repetendo cedulam, quod fieret relatio publica.

Item. Die Sabbati, XVII. Mensis Octobris, petierunt verbo, quòd fieret relatio publica.

Item. Illa die, qua primò Dominus Decanus Brugensis proposuit, petierunt verbo, quòd fieret relatio.

Item. Die Lunæ, XXIII. Novembris, petierunt verbo quòd fieret relatio publica.

Item. Die Sabbati, secunda Mensis Januarii, 1417. Anno M. CCCC. XVII. petierunt verbo quòd fieret relatio plenaria & publica.

Item. Eodem Anno, die quarta Mensis Januarii, petierunt verbo quòd fieret relatio publica.

Item. Die Martis IX. Martii, petierunt verbo quòd fieret relatio.

Item. Veneris, XII. Martii, petierunt scripto, per cedulam, quod fieret relatio &c. Et ista est ultima dicta. Qua die etiam petitum fuit idem per Nuntios Domini Regis Romanorum.

COMPROMISSUM

Inter Joannem de Gersono, Oratorem Regis Francorum in Concilio Constantiensi; & Conradum Velden, & Joannem Baers, Notarios Concilii in causis Fidei. XXI. Febr. Anno. 1418.

Quo Alanum Leonensem, & Jacobum de Camplo, electum Pennensem nominant Arbitros.

IN NOMINE DOMINI. Amen.

HUjus veri & publici Instrumenti serie, cunctis præsentibus & futuris pateat, & notum sit, quod cùm quæstionis materia moveri speraretur, inter venerabilem & circumspectum virum, Dominum Joannem de Gersonno, sacræ Theologiæ Professorem egregium Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, Serenissimi, Christianissimique Principis, Domini Regis Francorum, in sacro Generali Constantiensi Concilio Ambassiatorem, ex una: & providos viros, Magistros Conradum de Velden, & Joannem Baers, Notarios, & Scribas in causis Fidei, per eosdem Judices, & Commissarios earumdem causarum, auctoritate dicti sacri Concilii Constanciensis, dudùm convocatum *, ut asserebant, propter materiarum arduitatem, & diversitatem Linguarum, & scripturarum institutos, & deputatos, de, & super salario dictorum Notariorum, in quadam causa Fidei, *Novem Assertionum*, communiter nuncupata, & ipsius salarii occasione, partibus ex alia.

Hinc siquidem fuit, & est, quòd Anno à Nati-

* Locus corruptus.

* forsan convocatos.

tivitate ejusdem Domini, millesimo quadringentesimo, decimo octavo. Indictione undecima: Mensis verò Februarii, die Lunæ, vigesima prima, hora septima, de mane, vel circiter, in mei Notarii publici, testiumque infra scriptorum, ad hæc vocatorum specialiter, & rogatorum præsentia, personaliter constituti, prædicti Conradus de Velden primò; & deinde Joannes Baers secundò, videlicet horâ nona illius diei, successivè, volentes, & affectantes, ut successivè asserebant, bonum pacis, & concordiæ, quo nil in humanis præstantius, nilque jucundius invenitur, inter ipsos, & dictum Dominum Ambassiatorem stabilire; omenque litis, & quæstionis fomentum, totis suis viribus enervare; laboribus †, missis, & expensis, pro parte sua, quantùm in ipsis esset, parcere, nec non anfractus litium, quorum fines dubii sunt, evitare.

Pro bono igitur hujusmodi amplectendo, omnibus melioribus via, modo, Jure, & forma, quibus potuerunt, & debuerunt, eorumve quilibet potuit, & debuit, possuntque, & debent, aut potest, & debet: de, & super quæstione, seu lite, aut salario hujusmodi, dependentiis que, emergentibus, & connexis, datum ‡ ut suprà, pro parte ipsorum Notariorum, in quantum ipsos, & eorum quemlibet, ut præmittitur tangebat, seu tangit, successivè se submiserunt; & quantùm in eis fuit, compromiserunt, & eorum quilibet se submisit, & compromisit, in Reverendos in Christo Patres, Dominos Alanum, Dei gratiâ, Episcopum Leonensem; & Jacobum de Camplo, electum Pennensem, Officium Auditoriatus Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Regentem, tanquàm in eorum Arbitros, seu amicabiles compositores; dantes, & concedentes dicti Notarii, & eorum quilibet successivè dans, & concedens eisdem Dominis Arbitris, Arbitratoribus, seu amicabilibus Compositoribus potestatem, & auctoritatem in litibus, seu quæstionibus hujusmodi, inter ipsos Notarios, & dictum Dominum Ambassiatorem, arbitrandi, laudandi, pronunciandi, ordinandi, & concordandi, de Jure, seu de Facto, de alto in bassum, Juris ordine servato, vel non servato; diebus feriatis, vel non feriatis; partibus præsentibus, vel absentibus, aut una ipsarum præsente, & alia absente: stando, sedendo, jacendo, seu ambulando, ubicumque, & quandocumque, quomodocumque, & qualitercumque ipsis Dominis Episcopo, & Electo Arbitris, Arbitratoribus, seu amicabilibus Compositoribus, meliùs, convenientiùs, & commodiùs visum fuerit expedire, & ad omnem ipsorum Dominorum Arbitrorum, Arbitratorum, & amicabilium Compositorum voluntatem, pronunciationem, seu ordinationem.

Promiserunt iidem Notarii, & eorum quilibet successivè, in manibus mei Notarii publici infra scripti tanquàm communis, & publicæ personæ, nomine, & vice omnium, & singulorum quorum interest, vel intererit, seu interesse poterit quomodolibet in futurum, stipulantium, & recipientium, stare, parere, & obedire omnibus, & singulis arbitramentis, pronunciationibus, ordinationibus, compositionibus, & laudis, per ipsos Dominos Arbitros, Arbitratores, seu amicabiles Compositores ferendis, pronunciandis, faciendis, seu ordinandis; easque, & ea acceptare, laudare, approbare, & omologare, innuente * post ipsorum pronunciationem, laudum ordinationem, seu compositionem prædictorum eorumdem, vel saltem incontinenti postquàm eisdem Notariis, vel eorum alterius nitificata vel notificatæ fuerint; nec non eisdem pronunciationi, arbitramento, laudum ordinationi, seu compositioni in toto acquiescere: & contra, per se, vel per alium, seu alios, nullo unquàm tempore venire, neque reductionem aliquam, ad arbitrium boni viris petere, seu aliquibus exceptionibus, privilegiis, seu coloribus Juris, vel Facti, in præjudicium dicti Domini Joannis de Gerssonno, Ambassiatorum, vel cujuscumque alterius Ambassiatoris dicti Illustrissimi Christianissimique Principis, Domini Francorum Regis se juvare, deffendere, vel tueri, sub ypotheca, & obligatione omnium, & singulorum bonorum suorum, & cujuslibet ipsorum præsentium, & futurorum: renunciantes expressè omnibus, & singulis exceptionibus Juris, & Facti, Priuilegiis, Statutis, quibus se contrà partem adversam deffendere, juvare; seu contra præmissa, vel eorum aliqua venire possent, vel eorum alter posset, & specialiter Juri, dicenti generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis.

De, & super quibus omnibus, & singulis, iidem Notarii, & eorum quilibet successivè petierunt, & concesserunt sibi, & dicto Domino Joanni de Gerssonno, per me confici, atque tradi publicum, seu publica Instrumentum, seu Instrumenta, unum, vel plura.

Acta fuerunt hæc Constantiæ, Provinciæ Maguntinæ, in domo habitationis Reverendi in Christo Patris, & Domini Alani, Dei gratiâ, Episcopi Leonensis prælibati, præsentibus discretis viris, Joanne Turpelin, Canonico Leonensi; & Stephano Berne, Clerico, Baccallario in Legibus, Turonesis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis: sub Anno, Indictione, Mense, & die quibus supra. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & Domini, Domini Martini, divinâ providentiâ Papæ quinti, Anno primo.

Deindè, Anno, Indictione, & Pontificatu præmissis, ac die Sabbati, vicesima sexta dicti Mensis Februarii, in mei dicti Notarii, testiumque infra scriptorum præsentia, constitutus supra nominatus venerabilis, & circumspectus vir, Dominus Joannes de Gersono, Sacræ Theologiæ Professor, Illustrissimique & Christianissimi Principis, Domini Regis Francorum Ambassiator, volens, ut asserebat, bonum pacis, & concordiæ, ac amicitiæ, unà cum dictis Notariis, ut præmittitur, stabilire, & omen litis, & quæstionis, seu discordiæ fomentum, totis viribus enervare, litiumque missis, & expensis, quarum fines dubii sunt, pacere cupiens: pro simili igitur bono amplectendo, de, & super quæstionibus, litibus, occasione salarii hujusmodi, cum omnibus incidentibus, dependentiis, & connexis, in quantum concernebat ipsum; prout, quemadmodùm supra dicti Notarii, pro eorum parte, se submiserant, & compromiserant in supra dictos Reverendum Patrem, Dominum Alanum, Episcopum Leonensem & Dominum Jacobum, Electum Pennensem, tanquàm in Arbitros, Arbitratores, seu amicabiles Compositores submisit se, & compromisit, pro parte sua, dans, & concedens eisdem Dominis Episcopo, & Electo, Arbitris, Arbitratoribus, seu amicabilibus Compositoribus, eandem, & similem potestatem, quantam, & qualem supra dicti Notarii dederunt, & concesserunt; & promittens, pro ut, & quemadmodùm iidem Notarii, adversarii sui promiserunt: & præcipuè, non venire, per se, vel per alium, seu alios, contra præmissa omnia, & singula, cum similibus renunciationibus, & exceptionibus, quibus iidem Notarii fecerunt; renuncians in hæc expressè Juri dicenti, generalem renunciationem non valere, nisi præcesserit specialis.

De, & super quibus omnibus, & singulis, supra dictus idem Dominus Joannes de Gerssonne Cancellarius, & Ambassiator petiit, & concessit sibi, & dictis Notariis fieri, & confici publicum, seu publica Instrumentum, seu Instrumenta, unum, vel plura, per me dictum Notarium publicum infra scriptum.

Acta

† *forsan* litiumque, *loco* laboribus ‡ hic aliquid desideratur
* *forsan* in continenti.

Acta fuerunt hæc Constantiæ, in domo habitationis Reverendissimi in Christo Patris, & Domini, Domini P. Tituli sancti Crisogoni, Præsbyteri Cardinalis, Cameracensis vulgariter nuncupati: sub Anno, Indictione, Mense, Die, & Pontificatu supra dictis. Præsentibus venerabilibus, & discretis viris, Dominis Nicolao de Clamangiis, in sacra Pagina Bacallario, Cantore Ecclesiæ Bajocensis; & Andrea de Curia, Præsbyteris, Rectore Parrochialis Ecclesiæ de Conflancio, sanctæ Honorinæ, Parisiensis Diœcesis, testibus ad præmissa A vocatis specialiter, & rogatis.

Verùm ego Herveus Graffin, Clericus Leonensis Diœcesis, publicus Apostolica auctoritate Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dùm sic, ut præscribuntur, per prænominatos Notarios, & Ambassiatorem agerentur, & fierent, unà cum supra dictis testibus interfui, eaque omnia, & singula sic successivè fieri vidi, & audivi, ac in notam sumpsi, ex qua hoc publicum Instrumentum aliena manu fideliter scriptum, me aliis legitimè præpedito negotiis extrahi, & grossari feci: facta quoque diligenti collatione, hîc manu mea propria subscribens, signo meo præcedenti solito signavi, in vim, robur, fidem, & testimonium præmissorum, requisitus, & rogatus. GRASSIN.

Ainsi signé. Avec sa parraphe authentique.

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des PP. Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé. F. N. BAZIN. *Prieur des Peres Celestins d'Avignon.* B

A C T A

In ultima Sessione Concilii Constantiensis à Polonis,

Quæ spectant damnationem Libri JOANNIS FALKENBERG:

Eorumque PROVOCATIO AD FUTURUM CONCILIUM.

Edita ex MS. Cod. Brunsv. Tom. 4. Actorum Concil. Constantiensis, nuper edit. P. 1550. C

1418. XXII. April. „ DIE Veneris, XXII. Mensis Aprilis prædicti, fuit tenta Sessio, loco & hora, quibus supra, pro absolutione Prælatorum, & aliorum existentium in Concilio, & etiam absentium, qui fuerunt.

„ Pro cujus Sessionis introductione fuit cantatum „ Officium Missæ, de Spiritu sancto, per Reverendissimum in Christo Patrem & Dominum, „ Dominum Antonium, Cardinalem Aquilegensem.

„ Quo finito, Domini Prælati induerunt pluvialia. Et Papa ivit ad locum Præsidentiæ, videlicet ante Altare magnum, & legebat quandam Collationem.

„ Quâ lectâ, statim Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Reynaldus Cardinalis de Brancatiis, Diaconus, de Mandato dicti Domini nostri Papæ, ivit ad locum Protonotariorum, & stando dixit hæc verba. *In nomine Domini nostri Jesu Christi, eamus in pace.*

„ His factis, levavit se in medium venerabilis & circumspectus vir, Dominus Caspar de Perusio, Advocatus, stans juxta Ambassiatores Dominorum, Regis Poloniæ, & Ducis Witoldi, videlicet circa Dominos, Calixtum, Sancium Magistrum Milites, Petrum Bolefte, & Paulum Ladimiri, Milites. Et nomine dictorum Dominorum Ambassiatorum proposuit alta & intelligibili voce, qualiter Concilium Constantiense, inter cetera, sit & fuerit convocatum, pro hæresium extirpatione, & modò reperiretur quidam Libellus, compositus per Magistrum Johannem Falckenberch, Ordins Fratrum Prædicatorum, captum, & super hæresin delatum. Quem Libellum dixit continere multos errores in Fide, & hæreses. Etiam per ipsum Libellum & contenta, dixit famam Ladislai, Regis Poloniæ; & Ducis Witoldi, Ducis Lithuaniæ, lædi, & Ducatum Lithuaniæ, inductiva multorum scandalorum in Regno Poloniæ, & Ducatu Luthuaniæ. Et aliàs dixit & exposuit, prout in quadam petitionis papyri schedula, quam ibidem in manibus suis tenebat, dixit pleniùs contineri, cujus tenor inferiùs est insertus.

„ Petens ergo, ultra dictam petitionem in scriptis oblatam, per præsens Concilium ipsum Libellum, per Nationes & Judices deputatos in causis Fidei condemnatum, condemnari, tanquam doctrinam hæreticam, erroneam, & in Fide & moribus seditiosam, & captiosam continentem: & hoc, antequam ipsum Concilium Constantiense dissolvi contingat. Et in casu, quo non, protestatus fuit, de gravamine, & appellando. Quam appellationem ipsi Ambassiatores intenderent prosequi, coram Concilio futuro.

„ Statim surrexerunt Domini, Johannes Patriarcha Constantinopolitanus, & Johannes Patriarcha Antiochenus, de Natione Anglicana, asserentes successivè; & deinde unus Frater Ordinis Prædicatorum, de Natione, ut asseruit, Hispanica, quòd hujusmodi Libellus in eorum Nationibus per omnes non esset condemnatus tanquàm hæreticus, vel similia in effectu.

„ Contra quos erat replicatum per Dominos Simonem de Theramo, & Augustinum de Pisis, quòd non dicerent verum: nec ea, quæ dicerent ad præsens, dicerent de Mandato Nationum, sed tanquam homines privati, & nullam potestatem habentes ab eorum Natione.

„ Et sic, clamoribus & altercationibus factis hinc inde, per Ambassiatores Regis Poloniæ, & Ducis Witoldi prædictorum; statim Dominus Paulus de Ladamina, unus de dictis Ambassiatoribus, levavit se in medium, dicens aliqua omissa per Dominum Casparem eorum Avocatum, in ejus expositione, quæ vellet enarrare, petens humiliter, sibi dare audientiam, ut hujusmodi omissa & neglecta posset explicare. Et incipiens narrare factum hujus Commissionis prædictæ, eam accipiens de manibus ipsius Domini Casparis, & se paratum perlegere coram toto Concilio & prælibato Domino nostro Papa offerebat. Et deveniens ad certam lecturam, fuit sibi factum silentium, de Mandato Domini nostri Papæ. Et facto silentio, idem Dominus noster Papa, primò organo proprio, & deindè per organum venerabilis & circumspecti viri, Domini Augustini de Pisis, sacri Consistorii Advocati, dixit, quòd omnia & singula acta, facta & conclusa, seu aliàs decreta per Generale Concilium conciliariter, velit tenere & observare inviolabiliter, & non aliàs, neque aliter. D

„ Quibus verbis sic per Papam, & nomine ejus factis, dixit Dominus Paulus prædictus, suorum dictorum Ambassiatorum nominibus, volens adhuc legere Commissionem in conspectu Concilii, resumsit verba sua, & incepit legere Commissionem prælibatam. Et paucis verbis per eum lectis & dictis, præfatus Dominus Papa, per organum dicti Augustini de Pisis, Advocati Consistorii prælibati, mandavit, sub pœna excommunicationis, ne plus loquatur.

„ Paulus verò Ladamira, audiens hujusmodi Mandatum, protestatus fuit de gravamine, & appellando de hujusmodi silentio & denegatione audientiæ: asserens, per eum appellationem interponendam nomine eorum, Regis Poloniæ, & Ducis, ac Ambassiatorum collegarum suorum, prosequi velle coram futuro Concilio Generali. Petens ab omnibus Sedis Apostolicæ, & Concilii Constantiensis Notariis unum, vel plura, Instrumentum, seu Instrumenta publica.

„ Quibus sic factis, statim fuit inceptus Sermo per Generalem Ordinis Prædicatorum, olim Obedientiæ Petri de Luna, accipiens hoc Thema in ejus Sermone: *Vos nunc tristitiam habetis* Joan. XVI. 22, modo pulchro deducens & dividens Sermonem in tres partes &c.

„ Quo Sermone facto, ascendit ambonem Dominus Antonius, Cardinalis de Chalanco, qui de Mandato Domini nostri Papæ prædicti, primò absolvit Prælatos hîc existentes in Concilio, ut possent recedere & remeare ad propria. Et nihilominùs tunc statim verbo abbreviavit. Et deindè legebat quandam Bullam Indulgentiarum, concessam stantibus in Concilio, & eorum familiaribus, à pœna & à culpa, in vita semel, & in mortis articulo semel, prout in quadam Bulla, quam legebat publicè & alta voce, infra scripti tenoris, continentur.

„ Quâ lectâ, Dominus Johannes, Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis, super ejus approbatione respondit: *Placet*.

„ Postremò venerabilis & circumspectus vir, Dominus Ardecinus de Novaria, sacri Consistorii Advocatus, exposuit ibi, de Mandato Serenissimi & invictissimi Principis, Domini Sigismundi, Romanorum Regis, qualiter idem Dominus Rex, pro Unione Ecclesiæ Dei habenda laboravit, quantùm vires suæ exigebant, eundo ad Italiam, super convocatione Concilii, magnis periculis; deindè Arragoniam, super reductione Petri de Luna; & alibi, ubi videbatur expediens, pro hujusmodi Unione Ecclesiæ habenda: & operam dedit, & exhibuit sibi possibilem, excusans se, si per eum aliqua non fuerint benè facta, non culpâ sui illa commissa fore. Regratiando, nomine ipsius Regis, omnibus & singulis Dominis, qui Concilium sint dignati visitare, & in eo, bono & sincero corde laborassent: offerens eundem Dominum Regem ad eorum placita gratum, & præsertim pro conservatione Ecclesiæ Romanæ, & dicti Domini nostri Papæ, cui adhærere velit usque ad mortem.

„ Super quibus omnibus & singulis dictis, lectis, protestatis & oblatis, tàm Papæ, quàm Regum, ac omnium quorum interest, & interesse poterit; venerabilis vir, Dominus Augustinus, Advocatus prædictus, petiit fieri unum, vel plura, publicum, vel publica à Sedis Apostolicæ Notariis, ceterisque Notariis Concilii Constantiensis, Instrumentum & Instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem, ultra Dominos Cardinales, Ambassiatores, & alios descriptos; Illustribus Principibus, Ludovico Duce Bavariæ, Comite de Nellenberg, Comite de Lupfen, Comite de Friborg; Eberhardo de Camerino, Pincerna de Sydow; & aliis multis Nobilibus, Baronibus, & Comitibus, ipsi Regi adstantibus, in numero copioso, pro testibus inscriptis.

„ Tenores verò Commissionis per Ambassiatores Poloniæ & Ducis Lithuaniæ, nec non Bullæ Indulgentiarum, de quibus suprà fit mentio, sequuntur & sunt tales. *Nos humiles Oratores* &c. *Vid. infr.*

Die Veneris 22. supradicti Mensis Aprilis, Constantiæ, in Ecclesia majori, in loco solito, manè, hora septima prædicta, fuit Sacro-sanctæ ac Universalis Synodi prædictæ, sanctissimo in Christo Patre & Domino, Domino Martino, divinâ providentiâ Papa V. præsidente, more solito solenniter Sessio publica celebrata. Serenissimo Principe, Domino Sigismundo, Romanorum & Ungariæ Rege &c. signis Imperialibus induto, interessente. In MS. Lipf.

Pro cujus quidem Sessionis introductione, Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Antonius, miseratione divina, Tituli S. Susannæ S. R. E. Presbyter Cardinalis, Aquilegensis vulgariter nuncupatus, Missam de sancto Spiritu solenniter ac devotissimè celebravit.

Qua quidem Missâ finitâ, Reverendissimi, Reverendique in Christo Patres & Domini S. R. E. Cardinales, Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi & Abbates ad quos pertinuit, se cappis pluvialibus induentes, mitras capitibus suis imposuerunt.

Aliisque solemnitatibus consuetis habitis & peractis, Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Ymbaldus, miseratione divina S. Viti in Marcello S. R. E. Diaconus Cardinalis, de Mandato ipsius Domini nostri Papæ, totiusque sacri Concilii & consensu, prout asseruit, altâ & intelligibili voce pronunciavit hæc verba, videlicet: *Domini, ite in pace.* Et responsum fuit per adstantes: *Amen.*

Quo facto, Reverendus in Christo Pater, Dominus Johannes de Podiomiris, Episcopus Cathamensis, Frater Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, de Mandato ipsius Domini nostri Papæ, & consensu dicti sacri Concilii, ambonem ascendit.

LEGATORUM
Regis Poloniæ & Ducis Lituaniæ
PROPOSITIO
De Libro
JOHANNIS FALCKENBERGII,
Publicè damnando.

Antequam autem ad alia se diverteret, seu ad Actus aliquos procederet; Rev. in Christo Patres, nobiles, venerabilesque & circumspecti viri, Domini & Magistri, Nicolaus, Archi-Episcopus Gnesnensis; Jacobus, Episcopus Plocensis; Petrus Boleste, Proto-Notarius Apostolicæ Sedis, Præpositus Ecclesiæ B. Mariæ Lacatensis, Gnesnensis Diœceseos; Paulus Wladimiri, Canonicus & Custos Ecclesiæ Cracoviensis; Johannes de Tollischove, Castellanus Calisiensis, & Zavissius Niger de Sturbaso, Capitaneus Gursiensis, Milites, Oratores, & Ambassiatores Serenissimi Principis Uladislai, D. G. Poloniæ Regis; nec non Illustrissimi Principis, Domini Alexandri, aliàs Witoldi, magni Ducis Lithuaniæ, per organum venerabilis & circumspecti viri, Domini Casparis de Perusio, Advocati sacri Consistorii, eidem Domino nostro, & sacro Concilio, per modum supplicationis, & cum instantia, & reverentia, quâ decuit, exponi fecerunt, nomine Dominorum Regis & Ducis præfatorum: quatenùs Libellus cujusdam Fratris Johannis Falkenberg, notoriè crudelissimas hæreses continens, per Judices, in causa Fidei, à sacro Constantiensi Concilio deputatos, ritè, rectè, cum omnique debita solennitate, & maturitate, tanquam notoriè hæreses

reses continens, ut hæreticalis damnatus. Nec non etiam per omnes Nationes ejusdem Concilii, & sacrum Collegium Reverendissimorum Patrum, dictorum S. R. E. Cardinalium, dictum sacrum Concilium integrantes, & constituentes, conclusum & ordinatum; prout publicis, & autenticis scripturis, sive Instrumentis, per ipsum ibidem exhibitis & ostensis, liquidè apparet, quòd idem Libellus, tanquam hæreses & alia multa, & quasi infinita mala & errores continens, in Sessione publica, per sacro sanctum Concilium, cum hæresibus & erroribus in eo contentis & descriptis, publicè damnaretur, seu publicè damnatus nunciaretur.

Et propterea humiliter & devotè supplicabant Oratores, & Ambassiatores præfati, præfato Sanctissimo Domino nostro, Martino Papæ V. quatenus antè dissolutionem ejusdem Concilii, dictus Libellus, cum hæresibus & erroribus in eo contentis & scriptis, in ipsa Sessione publicatis, hæreticalis, hæresesque & errores continens, damneretur, seu damnatus nunciaretur; cùm ad exstirpandum hæreses, præfatum Concilium sacro sanctum, esset, inter cetera principaliter convocatum & congregatum. Alioquin, nomine quô supra, protestabatur de gravamine, ac de appellando ad futurum Concilium, & de prosequendo appellationem, & appellationes, interponendam & interponendas, loco, sive locis ac diebus, temporibus, & horis, de quibus ipsis Dominis, Regi, Duci, & eorum Oratoribus, & Procuratoribus, & eorum cuilibet, visum fuerit expedire. Et multa alia dixit, petiit, & protestatus fuit, prout & quemadmodùm in quadam papyri schedula, petitiones, protestationes & alia per ipsum requisita continente, quam in suis tenebat manibus, pluribus continetur.

Cujus lecturam, & publicationem ipse, nomine quo supra, obtulit facere, aut per alium fieri facere.

RESPONSIO PAPÆ MARTINI
Ad Polonorum petitum.

QUibus sic propositis, protestatis; requisitis & oblatis, præfatus Sanctissimus Dominus noster Papa, cum nonnulli alii multùm dicerent, & tumultum facerent, imposito omnibus silentio, dixit, respondendo ad prædicta; quòd omnia & singula determinata, & conclusa, & decreta in materiis Fidei per præsens sacrum Concilium Generale Constantiense conciliariter, tenere, & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contravenire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat Papa, omnia gesta in Concilio conciliariter circa materiam Fidei, & ratificat; & non aliter, nec alio modo.

Et illud idem iteratò fecit dici per organum venerabilis, & circumspecti viri, Domini Augustini de Pisis, Fiscalis, & sacri Consistorialis Advocati prædicti. Qui de hoc à Dominis Sanctæ Sedis Apostolicæ Proto-Notariis, ad conscribendum Acta Concilii ordinatis, ac deputatis, & aliis præsentibus, & eorum quolibet, petiit, nomine dicti Domini nostri Papæ, publicum, seu publica Instrumenta, per eos, & eorum quemlibet conficienda, ad futuram rei memoriam.

PAULUS WLADIMIRI
Legatus Polonus
Prosecutus petitionem Polonorum.

ET ex post, venerabilis & circumspectus vir, Dominus Paulus Voladimiri, Decretorum Doctor, unus ex Ambassiatoribus ipsorum Dominorum, Regis & Ducis, volens proponere, & adimplere, quæ per dictum Dominum Casparem de Perusio Advocatum omissa fuerunt, super Libello præfato. Ac etiam volens schedulam, de qua supra fit mentio, legere & publicare, incepit loqui & proponere.

IMPOSITUM SILENTIUM
Regio Polonorum Legato,
per PAPAM MARTINUM.

A ET cum vellet legere & publicare illam schedulam prædictam, fuit sibi per dictum Dominum Augustinum de Lance, de Pisis, Advocatum, de Mandato Domini nostri Papæ, ut idem Augustinus asseruit, ibidem coram eodem Domino nostro Papa stantem, impositum silentium, sub pœna excommunicationis.

Quô quidem silentio imposito, idem Paulus tacuit, & dictam schedulam Notariis, ad scribenda Acta ejusdem Concilii ordinatis & deputatis, tradidit, & de omnibus, & singulis petiit & instanter requisivit dictos Dominos Proto-Notarios, Notarios, atque Scribas, & eorum quemlibet, cum insertione dictæ schedulæ; sibi fieri & confici unum, vel plura; publicum, seu publica instrumenta.

Absolutum Concilium.

B QUibus quidem omnibus & singulis, ut præmittitur, sigillatim peractis, præfatus Dominus Episcopus Cathamensis fecit Collationem solennem. Et pro Themate Collationis hujusmodi sumsit hæc verba: *Vos nunc tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, Joan. XVI. 22.*

Quâ quidem factâ Collatione, Reverendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus Antonius, Tituli S. Cæciliæ S. R. E. Presbyter Cardinalis, de Chalanco vulgariter nuncupatus; de Mandato ipsius Domini nostri Papæ, ac de voluntate ipsius sacri Constantiensis Concilii generalis, ascendit ambonem supra dictum: ibique, de simili Mandato, voluntate, seu consensu, ut asseruit, quædam Decreta, absolutionem sacri Concilii, & licentiam ad propria remeandi cuilibet impertitam, ac Indulgentiam plenariam nonnullis in eisdem Decretis contentis, semel in vita, & etiam in mortis articulo C continentia, publicè, altâ, & intelligibili voce perlegit & publicavit, in hæc verba, quæ sequuntur: videlicet.

APOCHA
Electi Pennensis
Datá JOANNI GERSONO,
De sumptibus impensis in negotio novem Assertionum, JOANNIS PARVI.
Universis præsentes Litteras inspecturis.

D JAcobus de Camplo, Dei gratiâ Electus Pennensis, Officium Auditoriatus Curiæ Cameræ Apostolicæ regens: Salutem, & presentibus fidem indubiam adhibere.

NOtum facimus; quòd die datæ præsentium, coram nobis personaliter constituti honorabiles viri, Magistri Conradus de Velden, & Joannes Baers, Clerici, & Notarii publici sponté,

tè, liberè, & de cujuslibet ipsorum certa scientia, recognoverunt, & confessi fuerunt, sibi, & eorum cuilibet fuisse, & esse plenariè, & integrè satisfactum, per venerabilem virum, Magistrum Joannem de Gersonno, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, de omnibus, & singulis scripturis, registris, copiis, laboribus, sumptibus, & expensis, dictum Dominum Cancellarium, & ejus partem contingentibus, per ipsos Notarios, & eorum quemlibet hucusque factis, habitis, & sustentatis, in quadam causa intitulata, *Novem Assertionum*, pridem coram Dominis Judicibus & Commissariis per sacrum Generale Concilium Constantiense in causis Fidei deputatis ventilata; ipsumque Dominum Cancellarium, ac alios quoscumque ejus causam habentes, & imposterùm habituros; tàm de hujusmodi scripturis, registris, copiis, laboribus, sumptibus, & expensis, ipsum Dominum Cancellarium, & ejus partem, ut præfertur, contingentibus, & concernentibus, quàm etiam de quibuscumque aliis, in quibus dictus Dominus Cancellarius, suo, & Christianissimi Regis Francorum, ac etiam aliorum quorumcumque nominibus, quacumque alia ratione, sive causa tenetur, & obligatur, tenerique, & obligari potest eisdem Notariis, usque in diem datæ præsentium, quoquo modo; mediantibus, & intervenientibus certis pecuniarum summis, videlicet centum & viginti quinque florenis auri de Reno, per ipsum Dominum Cancellarium dictis Notariis, pro præmissis, traditis, & deliberatis; ac per ipsos Notarios ab eodem, ut asseruerunt, manualiter, & cum effectu habitis, & receptis, quitarunt, liberarunt, ac penitùs, & omninò absolverunt de eisdem, ipsosque Dominum Cancellarium, & ejus causam habentes, & habituros, imposterùm quitos, liberos, & absolutos pro præmissis omnibus, & singulis, adversùs ipsos Notarios, & eorum quemlibet esse voluerunt, dixerunt, & consenserunt, promiseruntque dicti Notarii, & eorum quilibet promisit, bona fide, ac sub obligatione omnium & singulorum bonorum suorum præsentium, & futurorum, ubicumque existentium, & poterunt inveniri, pro salario per eos in dicta causa huc usque deservito, & partem dicti Domini Cancellarii contingentibus, se imposterùm ab eodem Domino Cancellario, & ejus causam habentibus, & habituris nil petituros. Imò, hujusmodi quitantiam, liberationem, & absolutionem perpetuis futuris temporibus ratas, & gratas habere, & inviolabiliter tenere, & observare; nec contra eas per se, vel alium, seu alios eorum, seu alicujus, ipsorum nomine, venire, facere modo quovis, vel attentare: renunciantes in hoc facto omnibus exceptionibus doli mali, fraudis, rei sic non gestæ; aliterque fuisse scriptum, quàm dictum; exceptioni non numeratæ pecuniæ, & aliis tàm Juris, quàm facti exceptionibus, & cavillationibus quibuscumque, & specialiter Juri dicenti: Generalem renunciationem non valere.

In quorum omnium & singulorum fidem, & testimonium præmissorum, præsentes Litteras, seu præsentem quittantiam, ad petitionem, & requestam dictorum Notariorum prænominatorum, publicum infra scriptum super indè fieri, & publicari mandavimus, sigilloque dictæ Curiæ, quo utimur, jussimus, & fecimus appensione communiri.

Datum & actum Constantiæ, Provinciæ Maguntinæ, in domo habitationis nostræ, sub Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo decimo octavo. Indictione undecima: die verò quinta decima Mensis Maii. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Martini, divinâ providentiâ Papæ quinti, Anno primo. Præsentibus honorabilibus, & discretis viris, Magistris, Jacobo de Ceretanis, Litterarum Apostolicarum Scriptore; & Johanne de Nuremberga, Clerico Bambergensis Diœcesis, testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

A Et ego Johannes de Rivere. Clericus Cameracensis Diœcesis, Magister in Artibus, publicus Apostolica, & Imperiali auctoritatibus, ac Curiæ Cameræ Apostolicæ Notarius, præmissis omnibus, & singulis, dum sic, ut præmittitur, per ipsum Dominum Regentem, & coram eo agerentur, & fierent, unà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi: ideò Mandato & auctoritate ipsius Domini Regentis, huic Instrumento publico per alium, me legitimè occupato, scripto, hîc me propria manu subscripsi, & signum meum unà cum appensione sigilli dictæ Curiæ apposui consuetum, requisitus, & rogatus, in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum. *Avec sa paraphe à costé, & le grand Sceau pendant à une bande de parchemin, lequel est en cire rouge.*

Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy, F. N. Bazin. *Prieur des Peres Celestins d'Avignon.*

In nomine Domini. Amen.

B Universis & singulis præsentem paginam inspecturis pateat evidenter, quòd summa centum viginti quinque florenorum auri de Reno, posita in Littera quictantiæ, sub data Constanciæ, Provinciæ Maguntinæ, sub Anno à Nativitate Domini, millesimo quadringentesimo decimo octavo. Indictione undecima: die verò quintadecima Mensis Maii. Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Martini Papæ quinti, Anno primo: & sub autentica manu Joannis Rivere, Clerici Cameracensis Diœcesis, ac sub sigillo pendente Auditoriatus Cameræ, eximio, & venerabili sacræ Theologiæ Professori, Magistro Joanni de Gersonno, Cancellario Ecclesiæ Parisiensis, pro ipso, & aliis quibuscumque ejus causam habentibus, & imposterùm habituris, per nos Conradum de Velden, & Joannem Baers Notarios, per Judices, & Commissarios Fidei deputatos exhibita, solùm extendit C se ad summam centum & quindecim florenorum auri de Reno, nec quicquam ultra dictam summam centum & quindecim petivimus, neque petemus, de cetero, per nos, vel per alios, directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: & illam summam centum & quindecim integram recepimus, & de ea contenti sumus. In cujus testimonium, præsentem cedulam, de manu propria mei Conradi de Velden scriptam dedimus; & illud quod aliàs per errorem appositum fuit, ad centum viginti quinque nunc delibatæ, & rectè calculatæ, ad numerum centum & quindecim reduximus. Datum Constantiæ, Provinciæ Maguntinæ, de Anno, Indictione, Mense, & Pontificatu quibus suprà; die verò Lunæ, decima sexta Mensis Maii prædicti. Ita est, & approbo. Ego Joannes de Baers prædictus, in testimonium cujus, hîc me propria manu subscripsi.

D *Collationné sur l'original en parchemin, conservé dans les Archives des Peres Celestins d'Avignon, par moy. Ainsi signé.* F. N. Bazin. *Prieur des Peres Celestins d'Avignon.*

In fine debet legi:

Joannis Gersonii DIALOGUS APOLOGETICUS, cujus collocutores sunt VOLUCER & MONICUS. *Qui extat Tom. II. Part. II. P. 386.* Post. Annum. 1418. compositus.

ALLEGATIONES SEU SENTENTIÆ

Sexaginta & unius

MAGISTRORUM IN CONCILIO CONSTANTIENSI,

Circa Assertiones Joannis Parvi.

A Mense Novembri Anni 1415. *Ad Martium Anni* 1416. *Publicata undecima Aprilis.*

Articulus Primus.

QUIDAM Rex optimus & Supremus, non habens Superiorem Dominum temporalem, plures habens vassallos, inter quos habet duos, unum strenuissimum, & sibi fidelissimum, qui, exempli gratiâ, Caïus vocetur; & alium habet sibi infidelissimum, & proditorem, qui, exempli gratiâ, Titius dicatur; qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium, machinatur contra salutem corporalem sui Regis, & Superioris Domini, pro tollendo sibi suam nobilissimam, & altissimam Dominationem, de quibus apud dictum Caïum, & apud Proceres sui Regni, & alias graves personas sunt indicia evidentia, estque tantæ potentiæ, & tam grandis potestatis, quòd Justitia non potest fieri, modo bono, de ipso, per dictum Regem suum, nec per Superiorem, cùm non habeat.

Sed non obstante quòd quandoque fuerit super his monitus, ut abstineat, perseverat in sua malitia, nec vult se corrigere, aut emendare, estque periculum in mora, ne interficiat suum Regem, pro causis prædictis, & indè efficitur tyrannus, juxta authoritatem Gregorii, XII. *Moral.* XV. C. super illa verba: *Et numerus Annorum incertus est tyrannidis.* Job. XV. 20. dicentis: *Tyrannus est, qui in Republica non jure principatur, aut principari conatur.* Sed non admittitur à quibusdam hoc ultimum. Sed non intelligunt Gregorium, vel non viderunt: dicit enim sic loquens de tyranno: *Et cùm deest potestas nocendi foris, tamen apud se tyrannus* * *cum iniquitas dominatur intùs: quia etsi exteriùs non affligit proximos; intrinsecùs tamen habere appetit potestatem, ut affligat.*

Sentiens autem Caïus per certa indicia imminens periculum interfectionis sui dicti Regis per dictum Titium procurandæ, aut fiendæ; mandat ipse Caïus dictum Titium interfici. Quæritur an licitè.

Occasione cujus, quædam novem Assertiones ad Judicium Fidei sunt delatæ, propter quod quæsitum est coram Judicibus Commissariis, humiliter & devotè, pro inquirenda cum cauta sollicitudine veritate:

Utrùm novem Assertiones Judicio Fidei sint reprobandæ.

Pro parte affirmativa arguit Magister Joannes de Gersono. Sed pro parte negativa sic arguitur: *Nullæ Assertiones consonæ Legibus, naturali, morali*, &c. *Fidei Judicio sunt reprobandæ.*

Sed sic est de dictis novem, &c.

Ergo, &c.

* *Desiderari videtur* est;

Major est, nota de se, & Minor in sequentibus apparebit.

Prima Assertio.

A *Licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Precepto, secundum Leges, naturalem, moralem, & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem sui Regis, & Supremi Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam, & altissimam Dominationem; & nedùm licitum, sed etiam honorabile, & meritorium, maximè quando est tanta potentia, quòd Justitia non potest bono modo fieri per Supremum.*

Sequuntur viginti quatuor Rationes probantes prædictam primam Assertionem.

DUm enim, sicut videmus in rebus naturalibus, unum contrarium vehementiùs agit, altero superveniente; propter quod aquæ calefactæ magis congelantur, ut dicit Philosophus, secundo *Metheorum.* Proculdubiò, ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur, & in hominibus hoc ex naturali B inclinatione invenitur, ut unusquisque deprimat eum, qui contra ipsum insurgit. Sed tyrannus contra Rempublicam insurgit, dùm Regem, per quem gubernatur & conservatur, machinatur interficere: ideò secundùm Legem naturæ licitum est, quòd isti, omnibus subjectis unde Respublica integratur demonstratis, tyrannum deprimunt *, & illicò occidunt; dùm melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare; & justum est, ut mortem quam minatur accipiat, & id quod intendit incurrat; est enim bonum argumentum. Isti tyrannum occidunt; igitur quilibet eorum tyrannum occidit.

Et dùm ex licito, non sequitur quòd illicitum: sicut ex vero, nil nisi verum. Autoritate Legis, etiam naturæ, cuilibet subjecto tyrannum licet occidere.

Item sic: Quilibet subjectus pro deffensione sui, Authoritate Legis, licentiatus est tyrannum occidere. Dist. prima. *Jus naturale.* XXIII. quæst. VIII. *Si* C *nulla.* & in occisione furis nocturni. Sed qui † Rempublicam magis quilibet subjectus quàm se tenetur, authoritate Legis, deffendere, sicut videmus, quòd naturaliter magis se opponit ictui, absque deliberatione, ad conservationem totius corporis, & quòd in politicis virtutibus, cives pro totius Reipublicæ conservatione, & dispendia propriarum rerum, & personarum interdùm sustinent: & charitas, de qua scriptum, quòd *non quærit quæ sua sunt*, I. Cor. XIII. 5. communia propriis anteponit: Beatus Augustinus in Regula. Philosophus quoque, I. *Ethicorum.* Et dùm eadem Lege quilibet subjectus tenetur Rempublicam & Regem, seu quemcumque alium, per quem conservatur, deffendere: proculdubiò authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est pro deffensione Legis tyrannum occidere.

Item sic: Quoniam minus malum semper eligen- D dum est, quando mens inter minora & majora mala constringitur, ut dicit Philosophus, VI. *Ethicorum.* Et Gregorius, XXII. *Moral.* Cap. XXVI. & C. *Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum quod minus habet iniquitatis*; Sed malum majus est, in casu prædicto, occisio tyranni, quàm interitus Regis, inter quæ, ut sic, quilibet subjectus constringitur. Ergò dùm authoritate Legis cuilibet subjecto eligibile est, proculdubiò & licitum est, ut tyrannum occidat.

 Item

* Deprimant & occidant. † *Videtur delendum* qui,

Item sic: Omnem, qui venit delere Patriam, aut vastare, cuilibet subjecto licitum est occidere, etiamsi Pater fuerit, aut filius. *De ff. reli. & sumpti. Fit minimè.* XXIII. *quæst.* VIII. *Omni timore.* Sed tyrannus venit delere Patriam, & vastare, dùm venit interficere Regem, & Regnum sibi usurpare vi, quod minimè sine vastatione Patriæ, & perturbatione potest contingere: ergo autoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere.

Item sic: Quòd tyrannus civitates desolatur, & sacra depredatur, ut dicit Philosophus; *quarto*, majus Reipublicæ nocumentum est: ergò & magis licitum est, & necessarium punire, quàm quòd latro publicus itinera frequentata insidiis aggressionis obsidet. Sed latronem publicum, authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est occidere. C. *Quando licet unicuique sine Judi.* vindi. se l. I. & II. XXX. q. III. *Fortitudo.* Et c. q. V. *Cùm homo.* Et ergo ejusdem Legis authoritate cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere, secundùm hanc Maximam: *Sed id quod minùs inesse videtur, inest, & id quod magis.*

Item sic: Quilibet qui est idoneus, & ratione, & potestate. Prov. XXIV. II. dicitur imperativè; *Erue eos, qui ducuntur ad mortem,* subauditur injustè, *& qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Et Ambrosius, in primo Libro, *De Officiis,* circa medium; *Qui enim,* ait, *non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille qui facit.* Et transsumitur, XXIII. *quæst.* III. *Non in inferenda.* Sed tyrannus si non occiditur, ducit Regem injustè ad mortem: ideò indubiè, si potest, cuilibet subjecto, authoritate Legis divinæ, licitum est tyrannum occidere.

Item: Quilibet subjectus tenetur tyrannum* interfectione Regis impedire. C. *de his qui ut indig. heredita auff.* L. Ultrà, XXIII. *quæst.* V. *de forma,* & ex. de Jure C. *Ergo Episcopus.* Sed illud nulli subjecto est possibile, nisi tyrannum occidet. Et ergo, authoritate Legis, aio, non tantùm licitum; sed etiam debitum est cuilibet subjecto, tyrannum occidere, dum sine eo non potest Præceptum adimplere.

Item sic: Fidelitas enim subjecti ad Dominum; dùm in hoc consistit, quòd vitam Domini deffendat, quilibet subjectus habens opportunitatem occidere, & non occidit tyrannum, per cujus dumtaxat mortem potest Regem à morte liberare, facit contra suam fidelitatem: sed illud generaliter omnis Lex damnat naturalis, in ratione immediatè præcedente allegata divina. Cap. II. & secundùm Hieronymum, *Eccle.* V. 3. qui ibidem exponens illud: *Quodcumque voveris redde;* dicit, quòd *præcipitur Christiano, ut Fidem opere compleat, & non sit similis populo Judæorum,* qui spondentes: *omnia quæcumque Dominus præcepit, faciemus, adoraverunt idola;* Et ergo qualibet Lege datur cuilibet subjecto licentia tyrannum occidere: & peccat graviter quilibet subjectus, habens oportunitatem occidere, & non occidit tyrannum.

Item sic: Secundùm Isidorum; *De Summo bono.* Lib. III. Cap. LX. *Ipse dicitur facere qui permittit. Dùm,* inquit, *homines, Deo permittente, malum quod concupiscunt perficiunt, ipse dicitur facere qui permittit.* Indè est quòd scribitur per Prophetam: *Si erit malum quod Dominus non facit.* Et declaratur ratione dupliciter. Homo facit aliquid, vel directè, vel indirectè: directè, quando per se aliquid operatur; indirectè autem, quando non impedit operantem. Nam removens, prohibens dicitur, movens per accidens. VII. *Physicorum.* Sed nulli subjecto licitum est, autoritate Legis, Regem interficere; ideò quilibet subjectus tenetur impedire tyrannum, & non permittere quòd Regem interficiat.

Argumentum indè patet: quia ex opposito Consequentis sequitur oppositum Antecedentis; & quia cuilibet subjecto licet omne illud, sine quo non potest Præceptum complere. Et ergo dùm occisione ejus tyrannum nullus subjectus potest ab interfectione Regis impedire; proculdubiò, authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere.

A Item sic: Augustinus, super illud Psal. LXXXI. *Eripite pauperem & egenum: Hæc autem dicta sunt, ut sciretur in eo populo, in quo natus est, & occisus Christus, nec illos fuisse à tanto scelere immunes, qui cùm essent tantæ multitudinis, ut eos sicut Evangelium loquitur, timerent Judæi, & propterea in Christum manum mittere non auderent, posteà conniverunt, eumque interimi à malignis & invidis Judæorum Principibus permiserunt.*

Sed subjecti, cùm sint tantæ multitudinis, ut eos timere tyrannus, & propterea in Regem manum mittere non auderet, connivent, & Regem de manibus tyranni non liberant.

Et ergo indubiè à morte Regis non sunt immunes; & nullus eorum, qui potens est de manibus tyranni Regem eripere. Sed quoniam nullus subjectus potest de manibus tyranni, sine ejus occisione, Regem eripere: & ergo authoritate Legis, certo certius est, quòd cuilibet subdito licitum est tyrannum occidere.

B Item sic: Chrysostomus super illud Matth. IV. *Vade retrò sathanas,* Christum referens, sic ait: *Illius discamus exemplo, nostras quidem injurias, ab impiis, sive in dicto, sive in facto magnanimiter sustinere; Dei autem injurias nec usque ad auditum sufferre, quoniam in propriis injuriis esse quemlibet patientem, laudabile est: injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.*

Sed Respublica quòd sit quoddam divinum I. *Ethicorum*: & indè ejus Rex, sive Rector divinus est; & Regni illius, Deique minister. *Rom.* XIII. & *Sap.* VI. Proculdubiò omnis injuria quam tyrannus Regi irrogat, Dei injuria est, & sacrilegium, quod quidem supplicio capitis puniendum est. ff. ad L. *in pecu Sacri.* Et *de pœnis* L. a. *fra.* ff. *locus* XIV. *quæst.* IV. 55. *qui autem.* Et c. *quæst.* VIII. *quicumque.*

Et ergo, authoritate Legis divinæ, & exemplo Christi, cuilibet subjecto licitum est, imò debitum, illicò tyrannum occidere.

C Item sic: Legislator qui non potest omnes singulorum casus intueri, proponit Legem, secundùm ea quæ ut in pluribus accidunt, referens intentionem suam ad utilitatem, ad quam Lex ordinatur. Et ergo conservatio Legis secundùm verba, quæ quando in casu emergente est damnosa quominùs saluti, non est observanda, & si habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, & non est tanta mora, ut ad Superiorem recurri possit; quia necessitas, quæ non subditur Legi, dispensationem habet annexam, & ad quemlibet pertinet, ut interpretetur quid sit utile Reipublicæ, & intentioni Legislatoris, sequens verba Legis agat.

Sed in casu proposito, observatio hujus Legis, secundùm verba: *Non occides,* est damnosa saluti communi, subitumque periculum, cui oportet statim occurri, dùm tyrannus, si non occiditur, interficit Regem, & non est tanta mora ut ad Superiorem; imò non est Superior ad quem recurri possit. Et ergo in eo, autoritate Legis, subjecto cuilibet sine Superiori interpret. licitum est tyrannum occidere.

D Sententia est Doctoris sancti super n.* *dist. ultima. Quæst.* II. *Articulo secundo.* Et dicit quòd „Quando aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam „subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consen-

„sum

* *Videtur desiderari ab.*

* *Locus corruptus.*

„sum coactis, & non est recursus ad Superiorem, „per quem de tali invasore Judicium possit fieri: „tunc enim qui ad liberationem Patriæ talem tyran„num occidit, laudatur, & præmium accipit.

Sequuntur octo Rationes fundatæ in dictis & scriptis Magistri Joannis Gersonii *Cancellarii Universitatis Parisiensis.*

A

PRimò arguitur sic: Secundùm quod per documentum naturæ, omnia membra in uno vero corpore, exponunt se pro salute corporis; pariformiter debet esse in corpore mystico, verorum subditorum ad suos Dominos. Ergo quilibet verus subditus debet se exponere ad deffensionem, & salutem sui Domini, sive Regis.

Consequentia nota; quia quilibet verus subditus est membrum mysticum: Dominus verò, sive Rex, corporis caput, & consequenter membrorum.

Tenet Consequentia, ex Antecedente faciente comparationem veri corporis, ad vera membra; in corpore vero, ad corpus mysticum, quod non est monstruosum, carens capite, atque membris. Antecedens verò est prima Veritas Joannis Gersoni, quam ponit in secunda parte Tractatus sui, qui incipit: *Vivat Rex*, &c. in quo tractat de vita Politica, & Civili.

B

Et tunc ultrà arguitur sic: Quilibet subditus tenetur se exponere ad conservandum vitam & salutem sui Domini, sive Regis, quam conservare non potest, nisi interficiendo tyrannum, qui machinatur per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium contra salutem corporalem sui Regis, & Supremi Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam & altissimam Dominationem, de quo tyranno Justitia non potest bono modo fieri per Supremum: per casum ergo licitum; & per consequens Assertio prima vera.

Ulteriùs, ex dicto Antecedente sequitur ex prima parte, quòd talis interficiens talem tyrannum, autorisatur ex Lege naturali, & ex Lege politica, & morali, ex secunda parte Antecedentis; & per consequens, ex divina Lege, cùm Leges, moralis, & naturalis, nullam habeant authoritatem, nisi ex illa.

C

Secundò principaliter: error est dicere volentium, quòd nullus Dominus in aliquo tenetur, aut est obligatus subditis suis; quia est contra Jus divinum, & naturale, & æquitatem, & contra verum finem Dominii: quia sicut subditi debent fidem, subsidium, & servitia suis Dominis; ita Dominus debet fidem, protectionem, & deffensionem suis subditis: quia una bonitas aliam requirit. Ergo sicut Dominus tenetur deffendere salutem corporalem sui subditi, contra quemlibet subditum invadentem injustè; ita quilibet subditus, à fortiori, debet deffendere, & tueri salutem sui Regis, contra quemlibet in salutem sui Regis conspirantem, seu machinantem.

Consequentia nota, ex comparatione obligationis subditi ad Dominum, & contrà. Et Antecedens est in prima Veritate dicti Magistri Joannis Gersoni, & tunc intra: sed talis subditus non potest aliter tueri salutem sui Regis, quàm per interfectionem talis tyranni, in mortem sui Regis taliter machinantis: ergo licitum unicuique subdito, &c. & per consequens Assertio prima vera.

D

Tertiò sic: Sicut respectu corporis, nihil est crudelius, & horribilius, quàm videre unum corpus humanum, aut naturale, se ipsum scindere, aut demembrare, per morsuram, aut aliter; similiter, respectu spiritus, & rationis, non minor est crudelitas, imo multùm major in corpore mystico, si partes sunt divisæ, & . . . . . persequantur, sicut Domini subditos, & subditi Dominos. Ergo quilibet subditus debet compescere alium subditum, per morsuram, aut aliter caput à membris dividere machinantem.

Tenet Consequentia, ex comparatione corporis veri, ad corpus mysticum; & divisionis membrorum ad invicem, & capitis, quam vitare debent omnia membra, tanquàm quid crudelissimum, & quòd nihil crudelius in corpore vero; & non est minor, imò multùm major in corpore mystico.

Antecedens est præfati Magistri Joannis Gersoni, in secunda Veritate ejusdem partis prælibati Tractatus: & tunc ultrà; sed subditus non potest compescere talem tyrannum nisi per interfectionem; ergò licitum est unicuique subdito, quod est Assertio.

Quartò sic: Sicut venenum, aut potio toxica occidit corpus humanum; similiter tyrannus est venenum & potio toxica, & infirmitas, quæ ponit ad mortem totam vitam politicam, & Regalem, quam ministrat tyrannus, tres habens conditiones sub his versibus:

Pauca sciant, de se diffidant, sint & egeni,
Sic rege subjectos, dire tyranne, tuos.

Undè melius est esse sine Principe, quàm sub tali tyranno. Ergo quilibet subditus compescere posset talem tyrannum, tyrannidis toxicum ministrantem.

Consequentia nota: nam sicut quodlibet membrum naturale tenetur vitare toxicum sui corporis, & membrum compescere illud ministrans; ita in corpore mystico. Antecedens est Magistri Joannis Gersoni, in tertia Veritate secundæ partis prænominati Tractatus. Tunc ultrà: sed subditus non potest ex casu aliter compescere, nec potest aliter compesci talis tyrannus, quàm per interfectionem, per membrum illud fiendam, & subditum. Ergò licitum est, &c. quod est Assertio.

Quintò sic: Si caput, aut aliquod membrum in civitate, veniret ad tale inconveniens, vel vellet recipere, aut introducere venenum mortale tyrannidis; quodlibet membrum in seipso consideratum, de toto posse suo deberet obviare per bona media, & talia, quòd indè pejus non sequatur, inter quæ media, sola seditio videtur secludenda, & nulla quæ possunt adhiberi sine seditione. Ergo quilibet subditus, in se ipso consideratus, de toto posse suo debet obviare tali tyranno per bona media, & alia, quòd indè pejus non sequatur, sola seditione seclusa, & per media quæ sine seditione possunt adhiberi. Ergo per interfectionem nocturnam, & occultam, & non seditiosam talis tyranni, tyrannidem in Republica, & corpore mystico introducere machinantis. Ergo licitum est, &c.

Tunc ultra. Quilibet subditus potest interficere quemlibet tyrannum, introducere volentem venenum tyrannidis: aut intelligitur de tyranno universaliter capto, & per consequens pro illo, qui est Dominus naturalis, quòd possit interfici per quemlibet subditum suum; aut de tyranno hostili. Si primum, approbatur Propositio nuper in hoc sacro Concilio condemnata, *Quilibet tyrannus*, &c. Si secundum, sequitur Assertio: *Licitum est unicuique*, &c. Antecedens primorum, unde consequentiæ sunt deductæ, est Magistri Joannis Gersoni, in tertia Veritate secundæ partis Tractatûs prætitulati.

Sextò sic: Ad expellendam tyrannidem, oportet habere magnam prudentiam, & temperantiam; & pro tanto debent audiri, & credi sapientes Philosophi, Juristæ, Legistæ, Theologi, & homines prudentes prudentiâ naturali, & magnæ experientiæ. Ergo ubi Sapientes, Philosophi, Juristæ, Legistæ, Theologi, & homines prudentes prudentia naturali consulerent, vel approbarent fuisse, & fore licitum, per interfectionem talis tyranni, expellere tyrannidem à Republica, & corpore mystico; debet eis credi. A

Sed multi Philosophi, Sapientes, Juristæ, Legistæ, Theologi, & homines prudentes consuluerunt, & approbaverunt; consulunt, & approbant tyrannidem fore expellendam; vel fuisse per interfectionem talis tyranni: & cùm sint quamplures hujusmodi opinionis; ergo debet eis, &c. & per consequens licitum est, &c. Antecedens primarum est Magistri Joannis Gersoni, in tertia Veritate prædicta.

Septimò. Princeps meretur perdere Dominium suum, qui abutitur; quia non est modus aliàs certior, quòd unus Rex, aut Princeps se perderet in corpore, & anima, & totum suum Dominium; eò quod tyrannis, & infidelitas tanquàm innaturales, & violentæ, & contra Deum, & omnem rationem, non possunt diù perseverare; juxta illud Sap. XVI. 4. *Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem.* B

Ergo quilibet tyrannus machinans in salutem &c. meretur perdere Dominium.

Sed non potest perdere, nisi per mortem, nec per Justitiam sui Superioris, per casum; ergo per interfectionem inferioris Regis. Consequentiæ istæ sunt notæ, & Antecedens est dicti Magistri Joannis Gersoni, in tertia Veritate præfata.

Et ultrà arguitur: Princeps meretur perdere Dominium suum. Aut loquitur de Principe naturali Domino, vel Dominio abutente; aut de Principe usurpare conante Dominium quod non habet, nec sibi competit.

Si primum; videtur periculosum & seditiosum ad commovendum subditos contra Principes, & Dominos naturales, à quibus humanitùs Dominium auferri non posset, nisi per interfectionem, & conspirationem, ut esset Rex, qui non habet superiorem Dominum temporalem in terris; sicut Imperator Romanorum, & Imperator Francorum. C

Si secundum, ut dictum est; talis tyrannus non posset perdere Dominium quod habet, nisi per interfectionem, & mortem, quæ humanitùs fieri non posset per Justitiam Superioris. Relinquitur ergo, quòd per mortem illatam à suo convassallo, & subdito Regis; de Dominio enim, quod non habet, nec habere debet, intelligi antecedens præfatum non potest.

Octavò. Rarò tyrannus moritur morte naturali; ipse enim oditus est à Deo, & mundo; nec est ferè ita modicus, si vellet exponere vitam suam, pro tollendo vitam tyranni, qui non posset invenire modum, & viam ipsum interficiendi, & ab ipso liberare patriam.

Ergo licitum est unicuique subdito Regis,* vel supremi Domini, interficere talem tyrannum machinantem &c. D

Consequentia probatur: quià si quilibet quantumcumque modicus, volens exponere vitam suam, pro tollendo vitam tyranni, potest invenire modum, & viam ipsum interficiendi: aut ergo loquitur ista Propositio de posse Juridico, & licito; aut de posse Logico, ... prout opponitur impossibili. Non secundo modo; quia sic etiam potest quisque volens exponere vitam suam, invenire modum, & viam interficiendi suum Dominum justum, quantumcumque naturalem.

Ergo intelligitur primo modo.

Ergo licitum est &c.

Consequentiæ istæ patent; & Antecedens principale est Magistri Joannis Gersoni, in tertia Veritate ejusdem Tractatus allegantis Juvenalem.

Tunc ultrà: aut iste, cum Juvenali, intelligitur de tyranno universaliter dicto; & redit Propositio nuper condemnata per sacrum Concilium Generale: aut de tyranno hostili, & Dominium sibi incompetens usurpare conanti, & stat ista Assertio: *Licitum est unicuique* &c.

Sequuntur aliæ quatuor rationes, ad perficiendum numerum viginti quatuor &c.

Item. Secundùm Legem naturalem, membrum putridum totius corporis corruptivum est abscindendum, & à participatione vitæ corporis tollendum ab omni eo, qui * tot est, Si Medicus, Superior, scilicet Princeps non posset bono modò.

Sed talis tyrannus in Assertione declaratus, est membrum putridum totius corporis mystici corruptivum &c.

Major probatur: quia natura, pro salute universi exponit partes corruptioni; sicut aqua ascendit sursùm contra naturam, ut non sit vacuum in universo.

Minor patet ex sexto Politicorum. C. *Salvantur*. C. *Sunt autem*: & olim dicta ad Salvatorem, ut possibile est tyrannidis excellentem perimere, & sapientes destruere, & neque communicationes sinere. Per hoc patet quòd tyrannus Communitatis corpus mysticum destruit, quæ est Minor. Ergo. &c.

Secundò sic: Secundùm Legem naturalem, licitum est unicuique membro deffendere caput, secundùm quòd potestatem habet, servata sua salute, per destructionem nitentis caput interimere, vel notabiliter cædere.

Ergo Assertio præfata videtur vera.

Consequentia nota est, & Antecedens probatur: quia manus se opponit pro capite; & si posset caput, & se præservare à corruptione, & non sine interfectione volentis ipsum caput occidere, & per consequens manum corrumpere, secundùm naturam hoc esset.

Et meliùs probatur: quia secundùm dictamen rationis naturalis, quæ nunquàm errat, quilibet plus tenetur suam salutem tueri, quàm alterius servare: omne enim animal naturaliter tueri salutem desiderat, pernitiemque devitat, secundùm Boëtium, tertio *De consolatione*.

Confirmantur præmissa per principium Legis naturalis, quod est: Hoc facias alteri, quod tibi vis fieri. Sed quilibet si esset Princeps, & ipse nollet adhuc mori, rationabiliter vellet, imitando Legem naturæ, quòd ubi aliquis machinatur in mortem suam per fraudem, sortilegia, & hujusmodi, quòd subditus talem iniquum inimicum præveniret morte. Ergo & licitum est ei; imò quodammodò Jure tenetur hoc facere pro Domino suo.

Tertiò. Probatur quòd Assertio sit vera, secundùm Legem moralem: nam bonum commune est melius, & divinius bono particulari, ex 1. *Eth.* & adeò melius, quòd vir fortis & virtuosus tenetur se exponere, usque ad mortem inclusivè, pro salute Reipublicæ, patet ex 3. *Ethicorum*. Cùm ergò talis tyrannus, quantùm in se est, procedat contra

* Locus corruptus.

tra bonum universi. Primò contra Deum, per sortilegia, & malum ingenium, contra Regem machinando, contra salutem sui corporis, contra Communitatem, volendo injustè principari: & si ergo subditus tenetur se exponere morti, ut honorem Dei, & salutem eorum quos iste invadit tyrannicè, tueatur pro viribus: quantò magis tenetur hujusmodi tyrannum tollere de medio, se servato cum aliis, si potest.

Quartò. Probatur quod Assertio sit vera, secundùm Legem divinam: nam idolatram per maleficia fideles actualiter impugnantem, licet unicuique subdito, authoritate Legis, perimere, sine alio Mandato, quando justitia non potest bono modo fieri per Supremum, vel quando ille Supremus non vult facere Justitiam.

Sed talis est tyrannus de quo Assertio loquitur in proposito.

Ergo &c.

Major patet. Quo enim Mandato interfecit Mathathias idolis sacrificantes, etenim qui compellebat sacrificare, nisi Præcepto Legis. Scribitur enim. 1. Macch. II. 24. 25. *Accensus est furor ejus*, scilicet Mathathiæ, *secundùm Judicium Legis, & insiliens trucidavit eum super aram; sed & virum, quem miserat Rex Anthiochus, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore.*

Minor probatur: quia *Quasi peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.* 1. *Reg.* XV. 23. Et, *Avaritia est idolorum servitus*, secundùm Apostolum. *Ephes.* V. 5.

Talis autem tyrannus, sortilega, & maleficus repugnat Deo; & adeò est avarus, ut etiam in perditionem Domini sui incidat, & per sortilegia sua inclinat familiares suos ad serviendum diis alienis, id est, dæmonibus. De tali autem dicitur: Deut. XIII. 6. *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius Matris, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens; eamus, & serviamus diis alienis, quos ignoras tu, & Patres tui* &c. Sequitur: *Non acquiescas ei, neque parcat ei oculus tuus, & miseraris, & occultes eum, sed statim interficies* &c. Sed talis est tyrannus, qui per sortilegia sua suadet servire diis alienis.

Pro confirmatione præmissorum, notentur, si placet, sequentia.

Sanctus Thomas in Libro suo: *De regimine Principum.* Libro primo. Capite XI. Ubi dicit: „Fortassis autem nec fidelitati contrarium reputabitur, „secundùm opinionem multorum, si tyrannicæ „nequitiæ qualitercumque obvietur &c.

Item. Nicolaus de Lyra, super quarto capite Judicum, dicit, quòd Jahel in interfectione Sisaræ fecit rem licitam, & meritoriam &c.

Item. Salberiensis: octavo Libro sui *Policraticon*, capite XVII. Ubi dicit: „Tyrannus vocat Deum, & „provocat ad prælium Principem, & omnes, dùm „nititur populum redigere in servitutem;„ insuper „tyrannus est imago Luciferianæ pravitatis.„

Item. Idem eodem Libro. C. XX. dicit: „Finito „tempore divinæ dispensationis, licebat nece tyrannorum excutere Jugum de cervicibus inferiorum &c.„

Item. Eodem Libro. C. XX. „Per impietatem tyrannicam perdit tyrannus Jura Principatus: quia „non stat, aliquem esse tyrannum, & tenere justum „Imperium &c.

Item. Eodem libro. C. XXXIII. dicit: „Tyrannis „non modò publicum crimen est; sed si fieri posset „plus quàm publicum, omnesque persecutores admittit &c.

Item. Notetur Deut. XIII. 6. *Si frater tuus, amicus & uxor* &c. Sequitur: *Effunde sanguinem eorum* &c.

Item. De Simone, & Levi, qui interfecerunt Sichimitas &c. *Genes.* XXXIV. Videatur Dominus Nicolaus de Lyra in isto passu.

Item de Moyse, qui interfecit Ægyptium. *Exod.* II. & *Act.* VII. *Cap.*

Item. De fure nocturno ingrediente domum, nocturno tempore. *Exod.* XXII. Cap.

Item de Ayoth, qui interfecit Eglom Regem. *Judic.* III. Cap.

Item. De Samuele, qui in frustra concidit Regem Agag. 1. *Reg.* XV. *Cap.*

Item. De David, qui fecit interfici Amalechitam, cùm nondùm haberet potestatem judiciariam II. *Reg.* 1. *Cap.*

Item. Consilio Chusi deceptus Absalon, ex ordinatione Regis David &c. & finaliter fuit interfectus Absalon per Joab contra Regis David Præceptum. II. *Reg.* XVII. & XVIII. *Cap.*

Item. De Sesbinedob, qui nisus est percutere David, quem interfecit Abisai frater Joab. II. *Reg.* XXI. *Cap.*

Item. Helias duxit quadringentos Prophetas Baal, & quadringentos leucorum ad torrentem Chison, & eos interfecit. III. *Reg.* XVIII. *Cap.*

Item. Hyeu congregavit omnes Prophetas Baal insidiosè, & eos interfecit &c. cui dixit Dominus, *Quia studiosè egisti quod rectum erat in oculis meis* &c. IV. *Reg.* X. 30.

Item. De Judith, de qua dicit Beatus Hieronymus, in Prologo, quòd Pro liberatione populi sui crudeliter oppressi invictum ab hominibus vicerit, ac insuperabilem superavit. Et paulò ante ibidem. *Accipite*, inquit, *Judith viduam, castitatis exemplum, & triumphali laude perpetuis præconiis eam declarate.* Ergo interficiendo Olophernem fecit actum laudabilem, meritorium, & virtuosum.

Item. De Antiocho, quem interfecerunt Sacerdotes Naneæ in Templo. II. *Mach.* 1. *Cap.*

Item.

Non est Lex æquior ulla.
Quàm necis artificem arte perire sua. Glo. *Daniel* V. Cap. *Neque enim* &c.

Item. De Judith. III. *Qui estis Presbyteri in populo*, Glo. *Fortia docta Patrum documenta sunt filiorum.* Glo. *In simili casu licitum est* &c.

Sequuntur aliqua Correlaria ex dictis Magistri Joannis Gersoni.

Ex opposito Assertionis, *Licitum est unicuique*, sicut quidam videtur asserere * dictus opponens: sequitur, quòd aliquis viator, in casu prædicto, existens in gratia, stante Lege perplexus, imò de facto, esset in dicto casu inter duo mala culpabilia prohibita per Præceptum: quod est erroneum in Fide, & moribus.

Item. In dicto casu, stante veritate oppositi, per impossibile, staret aliquem licitè, & absque culpa posse consentire in mortem sui Regis, & superioris Domini justi, & innocentis: quod est erroneum, ut supra.

Item. Staret, aliquem licitè venire contra juramentum fidelitatis, quo astringitur superiori Domino, cui post Deum summè obligatur, magis quàm cuicumque convassallo possit obligari: quod est erroneum.

Item. In casu subiti, & imminentis periculi, non patientis moram, ut ad Superiorem possit haberi recursus, aut aliter evitari, absque discrimine graviori, necessitatem ex tali periculo inductam non habere dispensationem, aut interpretationem sibi annexam, à communi casu Legis absolventem; videtur esse erroneum: eo quòd necessitas non habet Legem, nec aliquis peccat in illo quod vitari non potest.

* *Locus corruptus.*

Item. In tali casu malefactores, & hostes Reipublicæ occidere, aut occidi facere, non contrariatur Præcepto Decalogi, quo homicidium prohibetur, pro ut videtur sentire Beatus Augustinus. Libro primo. *De libero arbitrio.*

Item. Sequitur contra illud Præceptum. *Non occides*, debet intelligi, sicut intelligitur secundùm doctrinam Sanctorum, de occisione innocentis, aut de illa, quæ fit livore propriæ vindictæ, aut authoritate privata; quia secundùm hoc, includit in se formaliter rationem injusti mali, & indebiti: non autem occisio, quæ fit authoritate Legum prædictarum, de qua loquitur Assertio, ut patet ex discursu præcedenti. A

Item. Quòd dictus tyrannus occidit suum supremum Dominum, quantùm in se est, machinando proditoriè in ipsius mortem, odio, & cupiditate, mente & consensu, cum intentione & proposito pertinacibus suam damnatam intentionem opere complendi, & transgressor*, quod approbat Magister Joannes de Gersonno, & commendat, non sine suspitione vehementi, & videtur dare licentiam vassallis interficiendi suos Dominos innocentes.

Item. Sequitur, quòd tyrannus, de quo casus loquitur, per dicta de Gersono, conformiter loquendo ad Legem Christi, est occidendus; sic arguendo: Omnes qui gladium acceperunt, Glossa: *Authoritate propria*, Gladio debent perire. B

Sed tyrannus, de quo loquitur Assertio, gladium accepit, propria authoritate, contra suum Regem, & superiorem Dominum, contra quem non potest habere authoritatem.

Ergo gladio debet perire.

Sed publica authoritas officiaria, aut alia præter istam, non potest per casum, talem tyrannum interficere.

Ergo vassallus, authoritate publica per Legem concessa, hoc est authoritate Legum, &c. potest ipsum interficere laudabiliter, divinum Judicium in eum exercendo; quod est propositum.

* *Locus corruptus.*

Secunda Assertio.

Leges, naturalis, moralis, & divina, authorisant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum. C

Probatur.

Quicumque instinctu, sive dictamine rationis naturalis & divinæ aliquid operatur, authorisatur Legibus supra dictis.

Sed quilibet subditus in casu prædicto occidendo tyrannum supra dictum, vel occidi faciendo, instinctu dictaminis rationis naturalis & divinæ operatur.

Ergo &c. Major nota, & Minor patet per rationes præcedentes.

Et confirmatur.

Quicumque zelo sanctæ affectionis pro salute Reipublicæ certat, Spiritus Sanctus illum secreta inspiratione in dictis Legibus revelata authorisat; & specialiter in casu præmisso, & ubi Judex remedium non posset adhibere; nec talis habeat occidendi intentionem, sed solùm Reipublicæ, & sui Regis innocentis liberationem. D

Sed sic est in proposito.

Ergo, &c.

Major patet ex tenore casus: quia etiam Caïus non intendit nisi Regem suum à morte iniqua eripere, & Rempublicam conservare, ad quod tenebatur, de necessitate salutis.

Tertia Assertio.

Licitum est unicuique subdito, honorabile, & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem, & infidelem suo Regi, & supremo Domino, per explorationes, & insidias, & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos villanè per optimas cautelas, explorationes, & insidias: & est licitum dissimulare, & tacere voluntatem suam de sic faciendo.

Probatur prima pars, supposita quidditate horum terminorum, *Licitum, & meritorium*: quia licitum est omne illud quod auget bonum publicum, vel privatum, per modum, per quem Deus vult tale bonum augeri; & hoc vocatur licitum positivè: & est licitum aliud; omne quòd à malo præservat actu, vel aptitudine, tacitè, vel expressè aliquod bonum publicum, vel privatum, per illum modum, per quem Deus vult tale bonum à tali modo præservari; *Laudabile verò, vel honorabile*, est omne opus virtuosum, eo quòd honor, est exhibitio reverentiæ, in testimonium virtutis, secundùm Augustinum, in Libro; *De qualitate animæ*: dicentem, quòd virtus est quædam qualitas vitæ undique consonans Deo. *Meritorium* verò, est illud quod est dispositum, ut à Deo acceptetur, sicut sunt opera virtutum, Præceptorum, & Consiliorum. Undè Eccli. xvi. 15. *Omnis misericordia faciet locum unicuique, secundùm meritum peregrinationis suæ mortis*, id est, hujus vitæ mortalis.

Tunc arguitur sic: Subditus interficiens talem tyrannum, bonum publicum & privatum præservat à malo gravissimo.

Ergo licitum est sibi. Consequentia nota, & Assumptum patet per casum, & per præcedentia.

Item. Talis interficiens conformat voluntatem suam voluntati divinæ in Scripturis sacris revelatæ, &c. Antecedens patet. Deut. xiii. *Si frater tuus, amicus & uxor, qua in sinu tuo dormit, depravare voluerit veritatem, sit manus tua super illos, & effunde sanguinem eorum.* Sic & de tyranno, &c.

Secundum probatur, quòd talis occisio est opus virtutis, factum conformiter ad voluntatem divinam. Ergo est honorabile, & meritorium. Consequentia nota, & Antecedens patet per præcedentia.

Probatur secunda pars Assertionis: Jura, sive Leges in quodam generali dicunt; malos fore puniendos, & bonos præmiandos: ut qui boni sunt benè præmiantur; qui meliores, meliùs; & qui optimi, maximè. Sic suo modo, qui mali sunt puniantur; & qui pejores, pejùs; & qui pessimi sunt, vilissimè, & acerbissimè debent puniri.

Sed talis tyrannus est pessimus.

Ergò, &c. Major: quia contra Deum, & Justitiam, & contra Dei Præcepta: *Non occides. Non concupisces rem proximi tui.* Si injustè & indebitè nititur occidere suum Regem; hereditates alienas rapere; necare parvulos & innocentes; viduas spoliare; virgines rapere; & Ecclesiæ Jura subvertere; & indifferenter Christicolas opprimere universos.

Quarta Assertio.

Jus, ratio, & æquitas est, quòd omnis tyrannus occidatur villanè, per explorationes, insidias, & est propria mors quâ debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos villanè, hoc est, rustico modo sine diffidentiis aliis & solemnitatibus.

Patet Assertio per præcedentia, excepto quòd oportet probare, quòd per explorationes, & insidias licitum sit occidi ipsum.

Pro

Pro quo notandum est, quòd explorationes, & insidiæ, sunt quidam modi conversandi cum aliis, sub velamine suæ intentionis; & iste modus habet duos principales fines: unum ad majus bonum attingendum; alterum ad majus fugiendum: & quodlibet istorum habet duos aspectus; scilicet licitum, & illicitum.

Exemplum primi. Ut si quis anhelet ad Dominium sibi debitum attingendum, per modos debitos, A licèt celet intentionem suam cum debita fictione, & silentio veritatis, vel diminutione cujusdam, & non intentione nocendi alicui, sed recuperandi rem suam, vel conservandi: tales insidiæ & explorationes sunt licitæ cuicumque. Si autem quis anhelaverit ad sibi non debitum Dominium, & immiscuerit scienter mendacia; tales insidiæ sunt illicitæ. Ex quo arguitur sic.

Insidiæ contra tyrannum, ad finem ut Respublica, & Rex innocens à servitute, & occisione injusta liberentur, sunt meritoriæ, & laudabiles. Ergo sunt licitæ.

Sic est in proposito.

Ergo, &c. Major patet ex jam dictis; & Minor patet de Ajoth, & Jasel. De Judith, & de Hieu, & Joada &c. Ultima verò pars Assertionis patet per B immediatè præcedentia.

Quinta Assertio.

Ille qui occidit, vel occidi facit supra nominatum tyrannum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi, & non debet solùm Rex contentus esse, sed debet habere factum acceptabile & authorisare, quantùm opus, vel necessitas esset.

Probatur: quia qui zelo Dei aliquid agit, & amore Reipublicæ, & conformiter divinæ voluntati, ac privato consilio Spiritus Sancti, non debet de aliquo reprehendi: sed Rex, qui est custos justi, debet contentari, & habere opus acceptabile.

Sed sic est in proposito.

Ergo, &c. Minor nota est, & Major patet per præcedentia.

Sexta Assertio.

Rex debet præmiare & remunerare illum qui occidit, modo qui dictus, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in amore, honoribus, & divitiis; exemplo remunerationum factarum sancto Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinées, pro occisione Ducis Zambri.

C

Probatur: quia quicumque laborat sincera affectione, non intendens aliud quàm salutem Regis, & Reipublicæ, justitiæ ordo requirit, ut præmietur.

Sed sic est de Caïo, in casu prædicto.

Ergo &c. Major nota: quia omnis Lex mandat beneficia debere recognosci, & compensari; juxta illud: *Laborantem agricolam*, &c. Et benè certans coronam recipit. Et benè currens in stadio bravium promeretur. Et Minor patet per præcedentia.

Septima Assertio.

D

Rex debet plùs amare quàm priùs, illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra dictis, & debet facere prædicari suam fidem, & bonam fidelitatem per Regnum suum, & extra Regnum facere publicari, per Litteras, in modum Epistolæ, vel aliter.

Probatur: Quicumque facit aliquid amore Regis sui, & Reipublicæ, conforme divinæ voluntati, debet esse gratum, & acceptum Regi, & debet facere publicari per Regnum suum, & alibi, ut virtus in suo fideli vassallo laudata crescat, & sic ceteri ad conservationem suæ fidelitatis ad suum Regem, & Rempublicam animentur, & provocentur.

Sed sic est de tali occisore, in casu prædicto.

Ergo, &c. Major est conformis sacræ Scripturæ. Nam de Osya 2. Paralip. xxvi. Et idem de David. 1. Reg. xviii.. Quòd celebre factum nomen ejus in universa terra, propter crebras victorias. De Judith, de Jahel. Similiter verò in gestis Romanorum, famantur illi qui pro Republica legitimè certaverint.

Octava Assertio.

Littera occidit, Spiritus autem vivificat. 2. Cor. iii. 6. *Hoc est dicere, quòd semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.*

Quantùm ad istam Assertionem, & ejusdem expositionem, arguitur sic: Primò. Ille Clericus malè intelligeret, & perversè textum Bibliæ, qui pro istis erroribus, quibus dicitur, quòd Dominus in nullo tenetur subditis; & quòd omnia subditorum bona sunt Principis; & quòd possunt de omnibus facere ad suam dispositionem, & voluntatem, in capiendo totum ad se hoc quod subditi habent, sine alio titulo; vellet vertere Scripturæ verba. 1. Reg. viii. 11. *Hoc erit Jus Regis, &c.* Iste sensus est litteralis hîc, & alibi: in speciali, Deut. xvii. 16. *Cùmque Rex constitutus fuerit, &c.* Totum est ad contrarium: & ita est etiam contra omne bonum judicium rationis naturalis, cui nunquàm contrariatur Jus divinum.

Ergo semper tenere sensum litteralem in Scriptura sacra, est occidere animam suam.

Probatur consequentia: quia iste est sensus litteralis: *Hoc erit Jus*, &c. Posse facere de omnibus bonis subditorum ad suam dispositionem, & voluntatem, &c. Et quòd hoc est Jus Principis.

Hoc antecedens est Magistri Joannis Gersoni, in secunda Veritate, & prima sui Tractatus, qui incipit; *Vivat Rex*, &c. In secunda parte, ubi tractat de vita civili.

Secundò sic. Ad removendum fundamentum, in quo prædictus error figitur, non sufficit ad intelligendum sacram Scripturam, quòd sciatur solummodò significatio Grammaticalis, & vulgaris verborum; imò requiritur magnum & longum studium instructionum, tàm dictæ sacræ Scripturæ, quàm aliarum sententiarum Logicæ, vel Philosophiæ, & etiam sanctorum Doctorum, qui exposuerunt sacram Scripturam per inspirationem divinam, & per comparationem unius passus ad alterum; ut exemplificatur de ista Propositione: *Puteus altus est*, Joan. iv. 11. Ubi accipit pro altitudine profunditatem: aliter enim sequeretur, quòd quilibet Grammaticus, qui intelligeret Latinum, vel qui haberet Bibliam in Gallico, statim esset bonus Theologus, quod non est verum; imò est occasio maxima labendi in hæresim: sicut Julianus Apostata, Elvidius, Jovinianus, & Turlapin fecerunt.

Ergo semper tenere sensum litteralem in Scriptura sacra, est occidere animam suam.

Probatur consequentia: quia sequi semper significationem Grammaticalem, & vulgarem verborum, est maxima & communis labendi in hæresim occasio, sicut lapsi per hoc fuerunt hæretici nominati, prout dicit Gerson.

Ergo semper sequendo sensum litteralem, &c.

Tenet consequentia, per locum à nominis interpretatione, ad interpretatum: Grammaticale enim, dicitur

citur à, *grama*, Græcè, quod est, *littera*, Latinè. Ergo Grammaticale, per interpretationem, idem est quòd litterale.

Ergo si significatio Grammaticalis solùm accepta & sequuta, occidit animam, & significatio litteralis, & per consequens, sensus litteralis. Antecedens principale est Magistri Joannis Gerson, in secunda Veritate præfata, &c.

Tertiò. Verba sacræ Scripturæ sunt sæpè æquivoca, & capiuntur aliter in uno loco, quàm in alio; vel aliter quàm in communi Grammatica; & oportet concordare unum passum per alterum, & per causam, & circumstantiam verbi: & patet per Hilarium dicentem: *Intelligentia verborum*, &c. Exemplificatur in hoc verbo, *Jus* quidem * significat tria in hoc versu contenta.

Jus aqua, Jus rectus, Jus dicitur esse potestas.

Et hoc verbum etiam, *Rex*, quandoque accipitur pro tyrannno. Osée XIII. Et Job. XXXIV. Et *benedictio*, accipitur pro maledictione. Job II. *Lex Justitiæ*, pro irregularitate Justitiæ. Sap. II. Et multa alia, &c.

Ergo semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.

Consequentia ista probatur ex dicta æquivocatione verborum in sacra Scriptura aliter accipiendorum, quàm in sensu litterali accipiantur in aliquo loco; & aliter quàm in communi Grammatica, & per consequens aliter quàm in communi sensu, & significatione litterali.

Patet etiam per exempla adducta de hoc nomine, *Jus*; & de hoc nomine, *Rex*; & de hoc verbo, *Benedic*, quod debet intelligi per *maledic*. Job II. *Ne fortè benedixerint*, id est maledixerint: qui tamen non est sensus hujus litteræ *benedixerint*. Et etiam. Job II. 9. *Benedic Deo & morere*, debet intelligi *Maledic*, qui non est intellectus Grammaticalis & litteralis hujus verbi, *Benedic*, ut clarè patet. Antecedens principale est Magistri Joannis Gerson, in secunda Veritate secundæ partis Tractatus incipientis, *Vivat Rex*, &c.

* *Forsan* quod.

Nona Assertio.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno Milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit, si contingat, quòd illud vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse in nullo tenetur eas observare.

Probatur: Nullum juramentum promissorium cadens super materiam indebitam ex se, vel eventu inculpabili sequenti, est observandum.

Sed in casu nostro, juramentum, promissio, & confœderatio, est cadens super materiam indebitam ex eventu inculpabili.

Ergo non est, &c.

Major nota: quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis. Et Minor patet: quia, prout dicit Assertio, vergit in præjudicium alterius promittentium; quod non potest esse sine culpa mortali, vel veniali, & tunc est rescindendum.

Item. Arguitur, confirmando Minorem prædictam. Nulla promissio obligat ad suam observantiam, quæ absque scelere impleri non potest.

Sed sic est in proposito.

Ergo, &c.

Major patet per illud: *In malis promissis rescinde fidem*. Et Minor est manifesta; quia præjudicium in hoc casu alicui non infertur, absque transgressione Præcepti Decalogi.

Item. Juramentum quod est contra ordinem charitatis non est servandum.

Sic autem est in proposito.

Ergo, &c.

Minor patet: quia ex ordine charitatis, quilibet * tenetur seipsum diligere, & vitare suum præjudicium, sponsæ suæ, & liberorum, quàm alterius, ceteris paribus.

Item. Nullus tenetur servare juramentum, quòd est contra Jus.

Sed in casu Assertionis, juramentum est contra A Jus.

Ergo, &c.

Patet Minor: quia præjudiciare alteri, similiter & sibi ipsi, est contra Jus, eo quòd Jus est honestè vivere, quo ad se; alterum non lædere, quo ad proximum; & unicuique Jus suum tribuere, quo ad Deum.

Patent præmissa per Beatum Augustinum, & Sanctum Thomam. 2. 2. *q*. XX. *Art*. VII. Per Dominum Durandum; per Raymundum; per Joannem Lectorem, per Bartho: in suis Summis, dicentem, quòd tali juramento deest Justitia, propter aliquid, quod de novo emergit, quod fuit inpræmeditatum, scilicet præjudicium. Exemplificavit de juramento Herodis, qui juravit puellæ saltanti, se daturum quid petivisset, &c. Hoc enim juramentum poterat esse licitum à principio, intellectâ B debitâ conditione, scilicet, si peteret quod dare deceret: undè impletio fuit illicita. Undè Ambrosius, in primo Libro, de Offic. *Est contra officium nonnunquam, promissum solvere juramentum: sicut Herodes, qui necem Joannis præstavit, ne promissum negaret juramentum.*

* *Videtur desiderari* plùs.

Articulus Secundus.

Quoniam, ut ait Philosophus, in Elen. *Qui virtutis vocabulorum sunt ignari, de facili paralogizantur*. Et Isidorus, I. *Lib*. de *Eth*. C. IV. dicit: *Nisi nomen scieris, cognitio rerum perit*. Et ideò utile distinguere quot modis *Fides* capitur. *Fides*, uno modo capitur, pro consentire, vel assensu: alio modo capitur, pro fidelitate. Utroque modo capit Augustinus in Libro, de Spiritu & littera. *Quædam*, inquit, *est fides, quam adhibemus, cùm aliquid cre-* C *dimus: & alia, quam damus, cùm aliquid pollicemur. Aliter, cùm dicitur, non mihi habuit fidem: & aliter, non mihi servavit: nam illud est, non credidit quod dixi; illud non fecit, quod dixit. Secundùm hanc Fidem, quâ credimus, fideles sumus Deo: secundùm illam verò, quâ facit quod promittit, etiam ipse Deus, fidelis est nobis: hæc enim dicit Apostolus.* I *Cor*. X. 13. Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis.

Primus modus subauditur: nam uno modo extenso, nominis omnis certitudo, quæ fit per rationem humanam, dicitur *Fides*. Isto modo dicit Boëtius, in suis Topicis, quia *Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem*. Alio modo dicitur *Fides* certitudo, ad quam homo inducitur per rationem divinam: & isto modo ad propositum, *Fides* capitur tripliciter; uno modo pro habitu Fidei, & hoc D modo diffinit Fidem Apostolus, *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Hæbr. XI. I.

Alio modo capitur Fides pro actu Fidei; & hoc modo diffiniens Fidem Augustinus super Joannem dicit: *Quid est enim Fides, nisi credere quod non vides?*

Tertiò modo capitur Fides pro objecto Fidei, vel eo quod creditur: & hoc modo Fidem demonstrando; Athanasius; *Hæc est enim Fides Catholica, quam*

quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Et ut videamus clarè quæ sunt de Fide, uno istorum modorum * tria capita: considerandum est, quòd homini Deus providit finem, qui est supra facultatem humanæ naturæ; per consequens rationem, scilicet plenam participationem suæ beatitudinis: & oportet eum qui ad finem tendit, si liberum arbitrium habeat, cognoscere finem, ex cujus consideratione dirigitur in his quæ sunt ad finem. Ideò oportuit ut homo cognitionem finis supernaturalis haberet per Fidem, quæ naturalem rationem ejus excedit: & quia ea quæ sunt ad finem, debent proportionari fini; ideò etiam ea quæ sunt ordinata ad finem illum, sunt supra facultatem humanæ naturæ & rationem; quæ † quoniam finita sunt, & non infinita, ergo non omnia quæ in divina continentur sapientia, sunt supra rationem naturalem aut excedunt, ad Fidem pertinent; sed dumtaxat cognitio finis supernaturalis, & eorum, quibus ad finem illum supernaturaliter ordinamur. Et isto modo volumus loqui de Fide in proposito, pro ut est habitus, qui est virtus Theologica, vel actus ejus, vel objectum. Et quia ex isto modo Fides ex sacris Scripturis, veteribus & novis, concepta est, ut dicit Augustinus, XIX. *Lib.* de *Civitate Dei. Cap.* XVIII. Ideò Judicium fieri ‡ est, & appellatur doctrina & Judicium Universalis Ecclesiæ, vel in quo ejus tota potestas simul virtuat ** unita Concilii Generalis secundùm quod procedit ex prima veritate Scripturis sacris manifestata.

Ex prædictis sequuntur plures Propositiones. Prima ad Fidem per se pertinet, & essentialiter.

Quod simpliciter humanum excedit intellectum, ad Deum pertinens, nobis divinitùs revelatum, patet quia Fide ejus cognitio, & non aliundè habetur.

Secunda ad Fidem per actus pertinet.

Quod intellectum excedit hujus hominis, & non hominis simpliciter; humanam enim vitam tendentem in finem beatificum, quoniam oportet regulari ex cognitione Dei, sicut ea quæ sunt ad finem ex cognitione finis, & studio scire vult, cognitio Dei habetur, multi non possunt proficere, ergo oportuit quòd cognitio Dei, quæ necessaria est ad salutem, & transcendit eorum intellectum per Fidem à principio fuerit ipsis cognita.

Non omnia lumine naturalis rationis cognoscibilia pertinent ad Fidem. Patet: quia non omnia talia ad beatitudinem nos ordinant. Confirmatur: principia enim, quorum est intellectus, dum quisque statim probat audita, ut dicit Boëtius, in Libro *De hebdomadibus*: id est, de Propositionibus per se notis, & ea, quæ demonstrativè possunt probari, non proponuntur hominibus ut credenda, nisi qui ut ad eorum demonstrationem non attingit, Fide ea teneat; evidentissimum est, quòd non omnia lumine naturalis rationis cognoscibilia pertinent ad Fidem.

Hæresis est dicere, quòd de omnibus notis lumine naturalis rationis, est Fides. Patet: quia aliquid est notum omnibus, & apparet lumine naturalis rationis; sicut patet de principiis, quæ quisque statim probat audita. Si ergo de illis est Fides, quæ omnibus sunt apparentia, Consequens est hæresis: contra illud, Hebr. XI. I. *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Ergo Propositio vera.

Hæreticum est asserere, quòd Deus non potest facere hanc Consequentiam esse bonam. Hoc illi notum est lumine naturalis rationis; igitur non cadit sub ejus Fide: hæc enim Consequentia, dùm ex institutione Dei, bona est. Hoc illi notum est lumine naturalis rationis, igitur non cadit sub ejus Fide; eo quòd opposito dato, Fides esset de apparentibus; evidentissimum, id est, quod qui hoc negat contradicit omnipotentiæ Dei, & per consequens, asserit hæreticum, quod est Propositio.

Hæresis est dicere, quòd idem, & secundùm idem, ab eodem est cognitum, lumine naturalis rationis, & Fide creditum. Patet: quia omne ab aliquo cognitum, lumine naturalis rationis, est ei apparens. Ergo si idem, & secundùm idem, ab eodem est Fide creditum; Fides est apparentium formaliter. Consequens est damnata hæresis: *Hebr.* XI. I. Igitur Propositio, &c.

Plato plura credidit discipulus in sacra Theologia, quàm jam credit, factus in ea clarissimus Magister. Patet: quia discipulus multa credidit de Deo, quorum jam habet scientiam factus Magister, & visionem: & per consequens, Fidem desiit habere: sicut multa jam in via credimus, quorum in patria habebimus scientiam, vel visionem, & nullo modo Fidem.

Ex his benè digestis sequitur, Magistrum Joannem de Gersono dixisse hæresim, simul & impossibile; diffiniendo, Fidem esse habitum verum, & certum, per auditum verbi Dei acquisitum.

Ea enim quæ Fide tenentur, dùm sunt supra, & omnem humanam excedunt rationem, & nullus actus excedit proportionem sui principii activi; impossibile est, quòd per actus rationis puræ humanæ, habitus Fidei, propriè loquendo, acquiratur. Et ergo evidentissimum est quòd habitus Fidei à solo Deo infusus est, & nullo modo acquisitus.

Item. Fides, quæ est habitus, est virtus Theologica. Sed virtutes Theologicæ à solo Deo nobis infunduntur. Et ergo Fides, propriè loquendo, nullo modo est habitus acquisitus.

Item sic. Fides est habitus per auditum verbi Dei acquisitus. Ergo Fides ex operibus est, & non purè Dei donum.

Consequens est hæresis, contra illud. Eph. II. 8. *Gratia enim estis salvati per Fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus.* Ergo & Antecedens similiter est hæreticum: quod est Propositio Joannis Gerson.

Item sic. Fides est habitus per auditum verbi Dei acquisitus. Sed pueri dùm carent usu rationis, nullum habitum mentalem per auditum verbi Dei acquirunt.

Igitur pueri, etiam baptisati, nullam habent Fidem. Et quia omnis qui sine Fide morietur, damnabitur: igitur pueri baptisati, si moriantur, omnes damnabuntur.

Consequens est hæresis, quæ destruit Fidem Ecclesiæ, de Sacramento Baptismi: igitur & Antecedens pro prima parte, quæ est Propositio Joannis Gerson.

Sed contra.

Fides ex auditu est. Rom. X. 17. Et ergo est habitus acquisitus.

Dicendum est, quòd Consequentia non valet: in Fide enim, quantùm ad propositum Argumenti, duo sunt consideranda: habitus scilicet, & determinatio habitus. Habitus à solo Deo infusus est: sed quantùm ad ejus determinationem credendorum, fit in nobis, vel per locutionem interiorem; quia Deus in nobis loquitur: vel per vocem exteriorem.

Imò, esto Fides acquiritur per scientiam Theologicam, quæ Articulos distinguit, juxta illud XIV. *De Trinitate*, hinc scientiæ tribuitur, quo Fides salu-

* *Locus corruptus* † *Locus corruptus.* ‡ *Forsan* Fidei ** *Locus corruptus.*

berrima gignitur, nutritur, roboratur, & deffenditur.

Item. Supposito cum Philosopho, quòd contrariorum eadem disciplina: dicendum est, quòd sicut Propositio affirmativa ejus * significatum est tantùm creditum, pertinet ad Fidem; sic & negativa ejus opposita: undè non magis ad Fidem pertinet, hoc est, ad Fidei notitiam, hæc Propositio: *Filius Dei redemit nos*, quàm ista: *Filius non redemit nos*.

Potest autem pertinere aliqua Propositio ad Fidem, duobus modis, scilicet implicitè, vel explicitè. Explicitè dupliciter, directè scilicet, quando ista Propositio est aliquis Articulus Fidei expressè, ut esset ista; „Jesus Christus conceptus est de Spiritu sancto.„ Vel indirectè, quando scilicet illativè Propositio illa sequitur ex aliquo hujusmodi Articulo, ut esset illa in proposito, scilicet; „Spiritus sanctus est causa „conceptionis Christi; „ qui sequitur ex hac: „Christus conceptus est de Spiritu sancto:„ Igitur Spiritus sanctus est causa Conceptionis Christi.

Implicitè vero Propositio aliqua dicitur pertinere ad Fidem, quæ nec est expressè Articulus Fidei, nec ex illo sequitur illativè; sed potest ad aliquem Articulorum reduci, velut contentum in illis, aut in uno illorum, sicut esset ista: „Sacramenta Novæ Legis „conferunt gratiam.„ Quia reduci potest ad hunc Articulum: *Passus, mortuus, & sepultus est.*

His præmissis, dico, salvâ semper determinatione Ecclesiæ, quòd neque novem Assertiones, &c. nec eorum oppositæ explicitè, vel implicitè pertinent propriè ad Fidem; nisi impertinenter, & abusivè loqui vellemus. Pro cujus intellectu noto quinque Conclusiones.

Nulla Propositio opinabilis rationabiliter dicitur ad Fidem pertinere.

Hæc Conclusio probatur: quia Fides est assensus sine formidine: nam est Fides infra scientiam & opinionem constituta, ut ait Hugo; Libro, *De Sacramentis.*

Nulla Propositio potest ad Fidem propriè pertinere, quæ sit evidens in lumine naturali.

Patet hæc Conclusio per quid nominis Fidei: quia *Fides est argumentum non apparentium*, secundùm Apostolum, ad *Hebr.* XI. I. non quolibet lumine, sed lumine naturali, ut dicit Glosa.

Omnis Propositio, quæ est aliquod principium Legis naturalis, est evidens in lumine naturali.

Patet ista Conclusio: quia quodlibet tale principium, est naturaliter judicium; sicut & tota Lex naturalis: ut pulchrè deducit Augustinus, super illo Psalmi IV. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, &c.

Præcepta Decalogi, specialiter secundæ Tabulæ, in Præcepto Legis naturalis plenariè continentur.

Patet: quia ad illa reducuntur, & ex indè moralia dicuntur, ut patet per sanctum Doctorem, secunda secundæ, in materia *De Præceptis moralibus.*

Præcepta Decalogi, non obligantur ad litteram principaliter, sed secundùm intentionem præcipientis.

Patet hæc Conclusio per Augustinum, contra Manichæos, per totum: & per Hugonem; Libro, *De Sacramentis*, & Glosas Sanctorum innumeras.

Ex quibus Conclusionibus infertur, quòd novem Assertiones, &c. non pertinent propriè ad Fidem, ut patet per primam Conclusionem: quòd neque sunt contra Præcepta Decalogi, neque contra sacram Scripturam, maximè secundùm intellectum ipsas asserentium, ut patet per quintam Conclusionem: quòd materia Fidei non versatur circa principia Legis naturalis, ut patet per secundam, tertiam, & quartam Conclusiones: quòd de necessitate salutis, non debet sancta hæc Synodus dictas Assertiones condemnare: quòd Sententia eas condemnans est invalida, & non Catholica.

* Forsan cujus.

Hæc Propositio: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, propriè, & per meritum, occidi à quocumque suo vassallo, aut subjecto, & per quemcumque modum, maximè per insidias, & per flaterias, non obstante quocumque juramento, aut confœderatione facta apud eum, sine expectando Sententiam, aut Mandatum Judicis cujuscumque*; quam dicit Adversarius, *casum brevem*, non sequitur ex aliqua Assertionum prædictarum, sed nec ex omnibus simul.

A Probatur: quià licèt quilibet tyrannus, in casu sic specificatus sit, &c. & etiam villanè; non tamen sequitur, quòd quilibet tyrannus universaliter captus sit occidendus, &c. Arguitur enim à parte in modo ad suum totum, cum distributione; & tale argumentum non valet, sicut non sequitur: Quilibet homo albus currit, ergò quilibet homo currit.

Quòd deliberatio, quæ incipit: *Ego Petrus*, &c. & finitur: *Propria manu mea scripsi*, est incompetens, & malè digesta, quæ dicit in effectu, dictas novem Assertiones esse pejores illâ; *Quilibet tyrannus*, &c.

Item. Cùm dictæ Assertiones damnatæ non reperiantur, assertor alius, præter opponentem, tenetur ipsam, de necessitate salutis, revocare.

Item. Hoc sacrum Concilium debet illum compellere: & in casu quòd renueret, debet procedeB re tanquàm contra vehementer suspectum de hæresi.

Item. Quòd multùm cavere debent Theologi, ne sic passim dicant, Propositionem pertinere ad Fidem: quia ex hoc insurgit ludibrium ridiculum, & derisio inter populares, & contra Theologos, &c. & etiam contra Fidem.

Item. Sacrum Concilium deberet ponere certam Legem, & Facultas Theologiæ, & etiam aliæ Facultates, in modo loquendi circa tales materias.

Si hæc Propositio est vera, quòd non est Propositio ita distans à Fide, in qua si ponatur hoc verbum, *licitum, vel meritorium*, quin ad Fidem pertineat: necesse est quòd aliæ Facultates perdant omnes suas Propositiones principales, & Libros, consequenter, pro majori parte, addito in eis, licito, vel illicito; meritorio, vel demeritorio, quod C est abusivum.

Sequuntur aliqua Dubia.

Primum Dubium est.

Si illius Propositionis condemnatio faveat tyrannis, tollatque securitates Principum, & pacis politicæ salutem.

Secundum Dubium.

Si ejusdem Propositionis contradictoriam tenere, sit non reprimere agentes, aut agere volentes contra ista Præcepta Decalogi: *Non occides. Non frau-* D *dem facies. Non furtum. Non concupisces uxorem proximi tui*; Si enim præfatam Propositionem, vel Assertionem condemnaret Concilium, ejus contradictorium assereret tanquàm Catholicum, & ut Fidei Articulum tenendum; per quod videatur, si derogaret Præceptis divinis, & sacræ Scripturæ.

Tertium Dubium.

An illa Propositio, quæ ponitur, ut coërceat pessimos à persecutione machinationum pessimè, & nititur tueri salutem Principis, & Reipublicæ, nec aliud intendit ex sensu primario, & principali, sit error in moribus.

Quar-

Quartum Dubium.

Numquid potiùs videtur observator illius Præcepti, *Non occides*, vassallus, qui tyrannum in Propositione expressum prævenit morte, ne suum Principem, seu Regem interficiat malignissimè, quàm ille qui permittit suum Regem & Principem interfici, cùm posset obviare per mortem tyranni talis, si alia via non pateret?

Quintum Dubium.

Quo loco sacræ Scripturæ, vel Articulorum Fidei, vel universaliter eorum quæ nobis tradita sunt ad credendum expressè, vel determinatè per Ecclesiam Catholicam, continetur contradictoria, vel contraria illius Propositionis præfatæ, quæ ita instanter petitur condemnari tanquàm erronea in Fide, & moribus?

Sextum Dubium.

An prælibata Propositio magis pertineat ad Judices in causa sanguinis, quàm ad Judices in causa Fidei deputatos.

Septimum Dubium.

An ista Propositio sit conjurationum, vel conspirationum, aut proditionum in Regum interfectiones, & Principum, tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, repressiva?

Octavum Dubium.

Utrùm ejus opposita, ex impunitate faveat machinantibus in necem cum suis Dominorum prædictorum?

Nonum Dubium.

Utrùm illa Propositio inducat, & promoveat vassallos ad fidelitatem servandam Dominis suis, pro ipsorum vita tuenda, & interfectione cavenda?

Decimum Dubium.

Utrùm ejus opposita ab hujusmodi fidelitate vassallorum, respectu Dominorum, ad eorum interfectionem, & vitam conservandam sit retractiva?

Undecimum Dubium.

Numquid illa Propositio illi regulæ est conformis; de duobus malis, majus malum est præcavendum?

Duodecimum Dubium.

Numquid ejus opposita est juramenti obligatorii, & prioris non dispensati dissolutiva?

Articulus Tertius.

Nunc restat solvere rationes partis adversæ, secundùm quod recolligi potuerunt.

Ad primam. Cùm arguebat sic: Istæ novem Assertiones pertinent ad Fidem explicitè; ergo, &c.

Negatur Antecedens, & ad probationes, quia repugnant illi Præcepto: *Non occides*, specialiter prima, & sequentes ex ea. Negatur hoc, quia ita modicùm pertinent ad finem, sicut ista: *Non occides*, *maleficum*. Undè non intelligitur istud Præceptum: *Non occides*, simpliciter; quia tunc nullo modo liceret interficere, quod manifestè est falsum, & erroneum. Sed intelligitur eo modo quo dictum est in sexto Correlario primæ Propositionum, ut patet intuenti.

Ad secundam rationem, quando arguitur de *maximè*, quod tenetur ibi comparativè, & quod præsupponit positivum, & quod sine illa circumstantia, cui additur, *maximè*, positivum non esset verum.

Pro quo notandum quòd iste terminus, *maximè*, de A vi, & proprietate vocis haberet multiplex significatum; scilicet correctivum, implicativum, & exclusivum, aut certè expletivum, & comparativum, ut sit sensus primus, *maximè*, si aliter fieri commodè non potest, id est, si illud fieri non potest, fiat istud.

Secundus sensus, *maximè*, id est, istud & illud fieri potest, sed maximè istud.

Tertius sensus est, *maximè*, id est, aliter fieri non debet, tunc æquipollet *tantùm*, ut patet. *extra, de remiss. Cap.* I. *Lib.* VI. C. *de electis*. C. *Audit*. Et per Dominum Joannem An. in Novella Epistola, *De fil. proborum*. *Ad abolendam*, cum remissionibus, & I. Tim. IV. 10, 11. *Speramus in Deum vivum*, B *qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium. Præcipe hæc, & doce.* Expletivè verò tenetur, quoniam ut I. *Reg.* XXI. 4, 5. quando Achimelech Sacerdos, &c. *Si pueri mundi sunt, maximè à mulieribus? Et respondit David Sacerdoti, & dixit ei: Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, & nudius-tertiùs, cùm egrediebamur*, &c. Item. *Osee*, XIII. 10. *Ubi est Rex tuus? Maximè nunc salvet te in omnibus urbibus tuis.* In primo enim textu, *maximè*, explet*, à quibus deberent esse mundi, quibus panem Sanctum licebat manducare; & in secundo explet salutis necessitatem: & isto modo sumitur in proposito, explet enim circumstantias, ex quibus occisio in casu posito fit licita, & meritoria.

Notandum tamen est, quòd, *maximè*, quoniam exponitur comparativè sicut dicit opponens: *Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo, & doctrina*, I. Tim. V. 17. & hoc modo non capitur in Assertione.

C Ad tertiam. Ubi arguit de Mandato; sic Assertio dicit: *Licitum est unicuique subdito sine quocumque Mandato*, &c. Ergo sine authoritate Legum, naturalis, &c. quia Lex, & maximè divina, est Mandatum. Negatur Consequentia, quia arguitur à termino stante immobiliter, ad eundem stantem mobiliter; à termino stante confusè tantùm, ad terminum stantem confusè, & distributivè: & sic non implicat contradictionem dicta Assertio, neque contradicit aliis duabus sequentibus.

Exemplum; Sortes non est in quocumque loco; Antecedens enim est verum, & Consequens falsum.

Secundò. Mirandum est quòd non advertit opponens ad hoc vulgatum in Logica, quod est, quòd signa universalia distribuantur aliquando distributione simplici, aliquando accommoda. v. g. de ista Propositione: Deus creavit omnia, quia non creaD vit seipsum. Cœlum tegit omnia; quia non tegit seipsum: quæ tamen sunt vera, distributione accommoda, sed non simplici. Similiter istæ: Omnis homo mendax. Omnes in Adam peccaverunt. Illuminans omnem venientem in hunc mundum hominem; & aliæ innumeræ, quæ reperiuntur in sacra Scriptura.

Restat ergo, quòd li *Mandato*, distribuitur distributione accommoda, sic quòd distribuit pro omni Mandato speciali, vel expresso, facto per hominem, non autem distribuit pro Mandato Legum: & isto modo Michaël, sine Mandato, expresso interfecit Luciferum.

* *Forsan* explicat.

Potest etiam dici, quòd occisio talis tyranni, licèt de illa non habuerit Caïus Mandatum expressum à Rege, tamen habuit interpretativum: quoniam si Rex scivisset machinantem tyrannum, &c. utique non solùm licentiasset illum interfici, sed etiam mandasset.

Et ad Augustinum dicentem: quòd nulli licet interficere, nisi præceptum sit sibi à Deo, vel publica functione teneatur, nec in istis omnibus interficit Judex: conceditur; & dicitur, quòd iste non interficit, nisi ut Minister Legis, & ex concessione ejusdem; non tamen ex Officio. Unde Magister Alexander de Halis, dicit in suo tertio, quòd aliquis interficit ex Justitia, & ut Minister Legis, licèt non ex Officio, ut etiam laïcus baptisat in casu necessitatis, ut Minister Legis, ex concessione, non ex Officio. Sic est in hoc casu. Quare, &c. Unde Augustinus, ad Macedonium: *Cùm homo ab homine occiditur, multùm distat, utrùm fiat nocendi cupiditate, vel injustè aliquid auferendi, aut subveniendi necessitate: & qui causa mortis fuit, potiùs est in causa, quàm ille qui occidit.* Et idem ad Publicolam: *Absit, ut ea quæ propter bonum, & licitum facimus, aut habemus, si quid ob hoc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* Idem Augustinus, *De libero arbitrio.* Lib. I. Sic inquit: *Homo enim potest aliquando occidere sine peccato, nam & miles hostem, & Judex, vel Minister ejus nocentem*, &c. Notetur etiam in *Decretis* XXIII. *q. Cùm homo ab homine occiditur.*

Ad quartam. Cùm dicitur, aut B, est Judex A, aut non; dicitur quòd non, sed est Minister Legis ad vindictam malefactorum. In isto casu nec agit ex Officio ut Judex, sed ex Legis concessione. Et ad inconvenientia quæ infert, quòd populi insurgere contra Dominum possunt: clarum est, quod ista consequentia non valet, quia non sequitur: *Licitum est unicuique subdito*, &c Ergo populi possunt corrigere Dominos suos, pro libito, &c.

Nec sequitur; quòd Sacerdos possit usurpare officium Prædicationis. Et cùm arguitur contra; quia conceditur sibi, quòd possit occidere, quod est pejus: dico, ut habetur *Secunda secundæ. quæst.* I. *Art.* II. & III. quòd nulli conceditur occidere simpliciter, & propria authoritate, sed benè talem tyrannum; & hoc non est pejus, quia non est malum, imò & laudabile. Nec sequitur, quòd Domini temporales possent aufferre bona temporalia Clericorum; quia cùm dicitur, quòd conceditur, negatur, ut priùs.

Item. Negatur, quòd mulieres possunt interficere viros suos, nisi viri essent tyranni, ut in casu; nec pueri Magistrum; nec Monachi Abbatem; nec Sacerdotes Episcopos; nec Episcopi Papam; nec rumpitur Lex, quæ servatur inter latrones & dæmones, de non occidendo.

Ad quintam, quam vocat insolubilem. Quando arguitur, quòd oportet in Assertione poni, quòd Caïus sciat, &c. Negatur sicut ad hoc, quòd ista vera sit: Judex licitè interficit latronem: non oportet quòd ponatur in Propositione hac, *livore vindictæ.* Unde ista est vera, sine illo addito in Propositione: licèt ad hoc quòd Judex licitè interficiat, quòd hoc non faciat livore vindictæ, non tamen exigitur quòd ponatur in Propositione. Unde ista est vera: maleficus est interficiendus, sine hoc, quòd addatur aliquid in Propositione.

Secundò dicitur, quòd non requiritur notorietas facti, vel Juris, in causa necessitatis; ut in invadente se ad mortem, vel suum Dominum, aut socium, vel in fure nocturno, & in multis aliis casibus: verumtamen exigitur talis notorietas in Foro judiciali. Et quando arguitur, quòd tunc quilibet posset fingere de quolibet, non valet consequentia, nisi in casu omninò simili arguatur.

Ad sextam, quam reputat insolubilem. Cùm arguit, quòd singularis, vel particularis negativa est vera & Catholica: ergo universalis sibi contradicens est falsa & hæretica. Conceditur Consequentia, sed negatur Antecedens. Et cùm probatur, quia ista singularis, demonstrato tyranno aliquo: non est licitum interficere à quolibet suo subdito, vel aliquem tyrannum non est licitum, &c. Clarum est, quòd non sumit contradictoriam particularem, vel singularem oppositam istius: *Licitum est unicuique subdito*, &c. Sed contradictoria est: hunc tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, &c. non est licitum unicuique interficere subdito, vel aliquem tyrannum, qui per cupiditatem, &c. non est licitum interficere, quod clarum est ex dictis; est hæretica, seu non Catholica. Et hoc de impugnatione primæ Veritatis.

Quantùm ad secundam Assertionem. Cùm arguitur: Leges prohibent, ne quis sit Judex, & pars in propria causa. Respondetur, quòd nec iste Judex, licèt sit Minister Legis: nec est sua propria causa, sed Reipublicæ, & sui Regis innocentis.

Ad secundam. Cùm dicitur, quòd Juris tutela est, ut nemo de altero quantumcumque scelerato capiat ultionem. Respondetur, quòd nec iste accipit ultionem, nec facit ultionem, sed ad sui Regis deffensionem, & Reipublicæ conservationem.

Ad tertiam. Cùm dicitur: Leges dicunt, audi aliam partem; clarum est quòd loquitur in Foro judiciali, & non in casu speciali necessitatis, ubi talis auditio non haberet locum, cùm non sint partes.

Ad quartam. Cùm arguitur sic: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eis illa faciatis*: Matth. VII. 12. Dico, quòd Caïus si esset talis sicut Titius, quòd Titius faceret Caïo licitè quod Caïus facit Titio, & quod Titius deberet velle, si esset virtuosus, quòd sibi fieret per Caïum, pro conservatione prædictorum.

Ad quintam. Nemo debet procedere ex incertis & minimis conjecturis ad certam mortem, &c. Conceditur: sed sic non est in proposito, quia clara est, & magna judicia* præcesserunt, & perseverant.

Ad sextam. Cùm dicitur, quòd nemo vellet à non Judice suo occidi: conceditur, regulariter loquendo; sed non sequitur quin debeat velle, in casu, ubi Judex suus non potest facere Justitiam de eo. Et per hoc patet quid dicendum sit de illis, quæ adducebantur contra secundam Assertionem.

Quantùm ad tertiam & quartam Assertiones. Cùm primò dicitur contra illas, per Decretalem *Pro humani.* de fo. in sexto: dicitur, quòd ista Decretalis expressè loquitur de illis, qui hoc faciunt ratione vindictæ, vel ex odio; ut patet, cùm dicitur ibidem sic. *Cùm ergo illi, qui sic horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia mortem sitiunt aliorum*, &c. Nec rationes quas adducit Decretalis, faciunt contra Assertiones, prima † non videt de occisione animæ: hujusmodi enim occisionis est causa ille qui Regem suum sic invadit, & in hoc suæ mortis est causa. Nec secunda ratio, de Judicibus, militat; ut patet ex dictis. Nec tertia, cùm dicit, quòd horrendum est, Christianum sic occidi: licet enim omnis mors horrenda sit de facto, tamen de Jure, mors justa non est horrenda, sed amplectenda.

Ad rationes de insidiis: quòd sunt illicitæ cum mendacio; conceditur: sed non faciunt ad propositum, non enim Assertiones loquuntur de talibus insidiis.

Ad aliam rationem, quam facit, juxta descriptionem datam de tyranno. *Tyrannus est, qui non Jure in Republica principatur, aut principari conatur.* In qua descriptione, inquit opponens, non oportebat, *aut principari conatur.* Falsum dicit, quia est

* *Forsan* indicia. † *Locus corruptus.*

est ad propositum Assertionum; & Gregorius ponit expresse, XII. *Moral. Cap.* XV. super illo verbo: *numerus Annorum*, &c. *Et cùm deest nocendi potestas foris, apud se tamen tyrannus est, cùm iniquitas dominatur intùs, quia etsi exteriùs non affligat, appetit habere potestatem.*

Cùm dicit ulteriùs, quòd Ægidius de Roma dicit, quòd est vix Politia, quin sit ibi tyrannus; & per consequens, quilibet tyrannus esset occidendus. Consequentia non valet, quia non dico, quòd quilibet tyrannus certis circumstantiis specificatus in casu nostro Decretalis.

Ad Nicolaum Oresme dicentem, quòd nullo modo licet interficere tyrannum: respondetur, quòd loquitur de Dominio naturali verso in tyrannidem; vel de tyranno hostili, si non possit occidi sine seditione, & cum pejori sequela, quemadmodùm sanctus Thomas, Libro primo, *De regimine Principum.* Cap. VII. *Quòd si omninò contra tyrannum humanum auxilium haberi non possit, recurrendum est ad Regem* &c.

Cùm autem allegat Dominos Cardinalem Cameracensem, & Cardinalem Florentinum; forsan cùm profundiùs hanc materiam fuerint speculati, aliter dicent, eos compellente veritate.

Ad Argumenta, contra quintam, sextam, & septimam Assertiones. Cùm sic dicitur, primò quòd Rex datus est ad vindictam malorum; concedo: sed ipse Caïus non est malus in hoc, sed bonus Reipublicæ.

Ad Abbatem sancti Dionysii dicentem, quòd Rex non potest remittere tale scelus, quin Caïus recognoscat reatum. Respondetur, quòd falsum supponit, quòd sit scelus; quin imò est meritum: nec oportet deducere scelera Cain, Antiochi, & Judæ, quia Sortes, scilicet Joannes de Gersono in illa incidit, qui in domo paterna Caïi eisdem indumentis induebatur, & cibis, & potibus nutriebatur; tamen ense hæreticali eum occidit, quantùm in se fuit: fratricidium damnatur committendo. Sed nec Antiochus tot templa vastavit, quot Ecclesiæ per ipsum Sortem fuerunt destructæ; & etiam templa sancti Spiritus, hoc est, homines utriusque sexus fideles &c. Sed hìc Sortes rectè judaizavit, vel Judaizat: dicit enim, se quærere emendationem errantium; sed ex se, ad destructionem tendit, oculo prætensæ Charitatis iniquitatem tegens, velut lupus ovina pelle tectus, sub signo pietatis quærit facere iniquitatem. Et sic non faciunt ad propositum; sed Sorti meritò debent applicari, & debet dicere: *Peccavi* &c.

Sed dicit opponens, quasi concludendo, quòd non debent sibi imputari scandala, nec sibi adhærentibus; sed sustinentibus istas Assertiones, & adhærentibus eis. Patet oppositum ex dictis, & per effectum. Quis unquàm suscitavit istas Assertiones, aut publicavit, nisi opponens, cum suis sequacibus, si quos habet.

Item. Cùm dicit, quòd dicire, quòd Rex debet approbare &c. est dicere, quòd Rex peccet mortaliter: patet quòd non sequitur; facit enim quod debet in advocando &c. ut superiùs visum est.

Cùm dicit ulteriùs de Joab, quòd David noluit facere vindictam, sed commisit Salomoni: dicitur primò, quòd non est ad propositum; quia in hoc casu non est culpa, sed tuitio Regis, & Reipublicæ. Secundò, quòd ideò David distulit occidere Joab, tùm propter seditionem, tùm quia non erat periculum in ipsius tolerantia, sive mora. Ad aliud de Saüle, quòd David noluit interficere eum; patet quòd non est ad propositum: non enim David erat convassallus Saül, respectu alicujus Regis temporalis; Item. David ipsum reputabat Regem, non tyrannum: apparet ex verbis suis, nam vocat eum, *Christum Domini.*

Ad illud cùm dicitur. Istæ Assertiones inducunt Regem ad peccandum, & hæreticandum: dicere enim, Sententiam super hoc latam non esse justam, est Regem hæreticare; quia mandavit Rex per brachium sæculare eam facere teneri, quòd si non justè damnatæ fuerunt, hæreticus est Rex.

Clarum est quòd istæ consequentiæ nihil valent, & puerilibus doctæ sunt nimis. Stat enim quòd aliquis laïcus Rex, sive Princeps adhæreat A Prælatis suis, & Clericis, qui debent talia scire, & præsumitur quòd sciant, & quòd illi falsè suggerent ei aliquid credendum contra Fidem, quibus licèt ipsi credant, nihilominùs intendunt credere quod sancta Mater Ecclesia credit: ideò non sunt hæretici, quia hæresis pertinaciam includit, nec eror majorum judicat Fidei minores, dùm eos rectam Fidem habere credunt, nisi eis errantibus adhærerent in spirituali, contra determinationem sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ in his quæ Fidei sunt, errare non potest, dicente Domino: Luc. XXII. 32. *Ego rogavi pro te* &c.

Rex autem Christianissimus, & Princeps Fidei Catholicæ devotissimus, de illa Domo nobilissima, & Christianissima, quam nec scintilla cujusvis erroris unquàm maculavit, semper intendit credere B quod sancta Mater Ecclesia credit, & diffinit per hoc sacrum Concilium Generale, in his, quæ Fidei sunt firmiter adhærere. Caveant igitur illi qui eisdem talia improbè suggesserunt.

Ad illud de Obam ✠, quòd periculosum est approbare aliquam falsitatem, & illam facere determinari, verum est illis qui talia faciunt motu proprio, & fecerunt.

Ad illud de Zambri. Cùm quærat, utrùm potuit interfici à quolibet alio à Phinées; dicitur quòd si licitè interficit, si pro *, quia fuit reputatum illi ad justitiam, quòd etiam à quolibet alio similiter à Deo inspirato, & habendo similem zelum, omnibus aliis similibus concurrentibus. Nec sequitur, quòd si Christianus cum Judæo haberet similem actum, quòd possit interfici à quolibet Christiano, nisi omnia essent similia.

Argumentum enim, pro simili, semper claudicat C uno pede, sicut arguens.

Ad illud de Moyse, qui interfecit Ægyptium, patet similiter: & per hoc etiam, quid sit dicendum ad omnia adducta contra illas Assertiones.

Ad Octavam Assertionem. Cùm dicitur, quòd si liceat interpretari istud Præceptum: *Non occides. Non furaberis*, & sic aliquis possit interpretari, quòd possit furtum recipere à Republica, ad studendum. Respondetur, quòd non valet Consequentia: interpretatio enim hujus Præcepti: *Non occides*, est interpretatio Legis, in casibus necessitatis, & judicialibus.

Ad illud quod adducitur contra nonam Assertionem. Cùm arguitur primò de perjurio, quòd est gravius homicidio, secundùm sanctum Thomam, & quòd est destructio omnis politicæ Communitatis; quia juramentum est omnis controversiæ finis; D non est aliquid contra Assertiones: non enim conceditur in illis, perjurium esse licitum, sed nec Mandatum †, factum deliberatè, quantumcumque vergat in præjudicium vitæ temporalis, est servandum.

Patet ex dictis, in arguendo pro ista nona Assertione. Patet etiam quòd in casu isto non potuit Caïus rationabiliter observare juramentum inter confœderatos, vergens in deterius, & in animæ detrimentum, vel præjudicium alterius promittentium; cùm sibi desit Justitia, ex eventu jam præmeditato; ut patet per casum: cùm etiam sic jurans esset priùs, & plùs Regi astrictus, fidelitatis juramento. Et sic patet, quid sit dicendum de illis quæ sunt contra novem Assertiones adducta per opponentem.

✠ *Locus corruptus.* * *Locus corruptus,* † *Locus corruptum.*

Ad argumenta, quibus probat ultimas suas Conclusiones; primò, quòd istæ Assertiones potuerunt condemnari per Episcopum particularem, quem designavit Parisiensis: patet per illud Act. xx. 28. *Attendite vobis, & universo gregi* &c. Joan. x. de Pastore conceditur, quòd debet populum pascere exemplo, & doctrina; non tamen sequitur quòd debeant, & possint novas Assertiones nondùm discussas, & diffinitas per Ecclesiam Romanam, vel Catholicam, tanquam hæreticas condemnare, nec A faccre Articulos novos Catholicos, vel hæreticos.

Ad Argumenta, de practica hujus sacri Concilii, quòd condemnavit opinionem Joannis Wicleff, & Joannis Hufs: intendo condemnationibus factis per Episcopos Cantuariensem, & Pragensem; & Universitatem Oxoniensem, & Pragensem. Respondetur, quòd si Episcopus Cantuariensis comdemnavit opiniones Wicleff; hoc fecit authoritate Apostolica, & tanquàm Legatus natus, & Archiepiscopus Pragensis, ut Commissarius Apostolicæ Sedis &c.

De Universitatibus verò; illæ quæ condemnaverunt; doctrinaliter, & scolasticè hoc fecerunt.

Ad illud quod dicitur, quòd Papa non facit nisi declarare in condemnando; hoc est tantùm attribuere Magistris in Theologia simplicibus, in condemnando Propositiones hæreticas nondùm per Ecclesiam discussas, sicut Papæ, & tantam authoritatem; quod est erroneum, & malè sapiens in Fide. B

De Episcopis verò; quòd cùm habent sanum Consilium Clericorum, & materia sit certa, non oportet tales opiniones deducere ad Sanctam Sedem Apostolicam condemnandas.

Respondetur negando: hoc enim esset aufferre privilegium Sedi Apostolicæ; quia quilibet Episcopus dicere potest. Ego habeo bonos Clericos, & bonum Consilium; & sic esset dividere unitatem Fidei, quod est hæreticum: quia quod unus Episcopus Catholicum approbaret, alter tanquàm hæreticum reprobaret.

Ad dicta circa finem; quòd de necessitate salutis hoc sacrum Concilium tenetur has novem Assertiones, ut qualificatas per Sententiam Episcopi Parisiensis reprobare; negatur. Et ad probationem adduxit Promotorem sacri Concilii. Si valet probatio, prudentum judicio reliquatur, ut videat dictus Promotor, si se partem constituit in hac materia, videat qualiter se ingessit. C

Supplicatio Catholicæ Veritatis.

SUpplicat Catholica veritas dicens, quia regula nostræ Fidei non est humana cognitio, quæ potest decipi, sed veritas divina in Scripturis sacris manifestata, & doctrina Ecclesiæ: & ideò nullius est Judicium, neque hominis singularis, neque Congregationis, nisi universalis Ecclesiæ, quod procedit ex veritate prima in sacris Scripturis manifestata: unde licèt apud certos authoritate universalis Ecclesiæ Deputatos, quæstiones fieri possunt ventilari, & ventilentur; nullus tamen, neque aliqui, citra Universalem Ecclesiam, aut, in quo tota ejus potestas virtuat * unita, Concilium Generale, vel Papa, clave non abutens, est, vel sunt Judex Fidei, vel Judices: & non sufficit ad condemnationem cujusvis dictæ Propositionis, quòd Magistri in D Theologia dicant eam hæreticam; si non assignaverint Regulam Fidei, aut passum sanæ doctrinæ, cui ipsa adversatur, quod petit ipsa Catholica Veritas, in deliberatione Magistrorum in Theologia observari.

Item. Quòd Domini Canonistæ, & Legistæ, aut Philosophi morales, ab hujusmodi deliberatione nequaquàm repellantur, qui interesse habent: eo quòd dicitur in Assertionibus: *Secundùm Leges, moralem* &c.

Item. Assignetur dies juridica ad allegandum hinc & inde alleganda, per Dominos Advocatos, in favorem Fidei Christianæ.

Dicitur &c. quòd quæstio Fidei, id est de Fide exorta, non potest per quemcumque Papâ inferiorem terminari, & oppositum asserere, est erroneum in Fide.

Sequuntur VOTA, seu OPINIONES Magistrorum, ac Baccalariorum Formatorum in Theologia; data, seu datæ, medio eorum juramento, super novem Assertionibus, in Concilio Generali Constantiensi, coram Judicibus Fidei, per Magistrum Joannem de Gersono, Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis, delatis & denunciatis, pro parte quæstionis negativa.

AD responsionem quæstionis, quæ mihi proponitur: dico primò, quòd quia, *Ignorantia est Mater errorum.* XXXVIII. Di. *Ignorantia. Et Ignorari non creditur quod est publicè propalatam.* Extra de postu. cap. I. cum Glosa I. & suis concordantiis. *Et ignorari non præsumitur in proximo, quod scitur in longinquo.* Extra. *De præsumptis.* quinto, quòd primò recurrendum sit ad originem & radicem hujus quæstionis, ut circa eam possit salubriùs determinari.

Dico igitur primò; quòd mihi constat, ex præsumptione vehementi, & veridico testimonio, hanc materiam tractari non zelo Fidei, sed livore odii, & intentione non recta: sacrum autem Concilium non debet esse odiorum minister; præsertim, ne hactenùs errores damnati inveniant novos deffensores, dicentes quòd sicut istæ Assertiones sollicitanti odio damnantur; sic & illæ Propositiones, quæ hodiè dicuntur erroneæ, & damnatæ. XXIV. *q.* 3. *sectè* * & alibi: sicque videremus monstrum monstruosius hydra, pro uno capite amputato septem producente.

Secundò. Dico consimiliter quòd hæc materia satagit maculam infamiæ, scilicet hæresis in Christianissimam Domum Franciæ, quæ à tali labe usque hodiè fuit immunis: quæcumque enim pars ex oppositis concludatur, propter ea quæ activa sunt, illa Domus tam pestilenti labe infici videtur.

Tertiò. Quòd istud sacrum Concilium principaliter est convocatum pro unienda Ecclesia, & reformatione ipsius.

Quartò. Quod verisimiliter dubitandum est, quòd hostis humani generis, & unionis inimicus, non suscitaverit hanc quæstionem, ut Concilium initum dividat, & perturbet.

Quintò. Quod si Assertiones, de quibus quæritur, essent suspectæ de hæresi; earum examinatio esset suspendenda usque ad finem Concilii: nam earum Tractatus nimiùm odiosus unionem Concilii, & unitatem quærentis impediret; ac etiam, nè fortè pacem inter Regales jam firmatam perturbet.

Sextò. Quod consideratâ illius Illustrissimæ Domus famâ, & ingenti solertia circa exaltationem & deffensionem Ecclesiæ sacro sanctæ; etiamsi ipsæ Asser-

* *Locus corruptus.*

* *Locus corruptus.*

sertiones essent hæreticæ; deberet earum examinatio fieri, ne macula huic Domui imponeretur, utendo æquitate, vel epikeïa, exemplo Constantini maximi Imperatorum, qui scedulas omnes Clericorum crimina continentes, proprio pallio collectas projecit in ignem, ut servaretur honor Ordinis Clericalis: sanè ad instar sapientum Areopagitarum, qui ne contra Jura absolverent ream, neque contra æquitatem damnarent Jure naturæ excusatam, assignaverunt ei terminum centum Annorum, ad revertendum ad eos, tunc audituram diffinitivam Sententiam. Et ista Historia facit multùm ad propositum, propter homicidium commissum contra Leges scriptas, quod excusabatur Lege naturæ.

Septimò. Quòd considerare debet circumspectè, sacrum Concilium esse aliqualiter debile, & non egere aliqua potentia impugnanti, & ideò prudenter transire sub tali forma, quòd nulla macula ingeratur tam Illustrissimæ Domui, sed deleatur omninò quæcumque usque hodiè foret exorta.

Octavò. Quod consimiliter advertere debet sacrum Concilium, quòd periculosum sit tradere postulatas opiniones in scriptis, ne fortè veniant ad aures Potentium, de quibus agitur; maximè quia Assertiones non sunt hæreticæ, nec periculosæ: & si quis velit deffendere, quòd sapiat hæresim; saltem non est talis hæresis, quæ serpat ut cancer, ut periculum sit in mora.

Nonò. Quòd reputo istas Assertiones cadere sub problemate, ita quòd quælibet pars possit deffendi, & disputatione sustineri; sed ad hæresim nequaquàm propriè posse reduci.

Decimò. Quòd prudentiùs puto fore, non disputare, nec aliquam partium deffendere authoritatibus vel rationibus, quàm velle oppositum sequi. Nam pars affirmativa potest parere scandalum, & negativa errorem; sed sicut recitat Divus Augustinus: *De civitate Dei.* Antiqui Philosophi asserebant triplex genus esse Philosophiæ, quorum duo sine periculo propalari poterant in vulgus, cùm populus simplex: verumtamen, quia circa dictas Assertiones, ex Mandato, dicere cogor id quod mihi videtur, & sentio; & audivi partem utramque disputantem, & allegatas rationes eorum & autoritates quærentis * recordabor, dimittam, & breviter ad partem negativam quæstionis, quam teneo esse veram, sive opinabilem, scilicet quòd ipsæ novem Assertiones, neque aliqua illarum, Judicio Fidei sint reprobandæ.

Prima Ratio.

Quilibet, ex Præcepto naturali pariter & divino, tenetur diligere proximum sicut se ipsum, eique facere sicut ordinatè vellet sibi fieri.

Sed quilibet ordinatè vult innocentem non occidi, sed liberari ab ipsa morte iniqua, ordine Juris servato: itaque si non potest ordo scriptus servari, fiat per naturalem, qui etiam est per privatam mortem, undè ille occidendus potest illum occidere, si non est alia via.

Igitur quilibet, maximè subditus, videtur teneri, & obligari ad occisionem illius iniqui tyranni, qui credit occidere suum nobilissimum Regem innocentem; præsupposito quòd aliter Rex à morte liberari non possit, sicut præsupponitur, & exprimitur in Assertione prima: multi enim servi attolluntur præconio, qui pro Dominis suis similia fecerunt.

* *Locus corruptus.*

Secunda Ratio.

Quilibet, sciens voluntatem Domini sui, & illam non facit, si potest, plagis vapulabit multis, & intelligo cum sacro Evangelio, de voluntate recta, si quilibet scit, quòd Princeps bonus, & justus vult occidi * proditorem sui secundùm Leges, si servari possunt, aliàs etiam villanè sine Lege.

A Igitur prima Assertio vera.

Confirmatur ratio, quia Lex secundùm voluntatem Legislatoris debet servari. *Extra. de const.* c. I. Et *De ver. signi. in his* I. c. *Vitellius.* Et si dubitatur, recurrendum est ad promulgatorem. *Extra. De consti. Cap. fi.* I. Constat autem, Principem Legislatorem, per conditam Legem ff. *ad Legem Juliam. Si quis cum militibus.* Contra etiam cogitantes deliberatè adversùs salutem suam, quòd vult tales ultimo supplicio puniri; undè indubitanter creditur Principi id placere, & quod Principi placet, Legis habet vigorem. C. *de veteri Jure.* Digna vox.

Tertia Ratio.

Videtur posse sustineri, quòd secundùm Legem naturalem & divinam quilibet possit impunè à quolibet occidi, qui alium injustè necaverit.

Igitur prima Assertio vera.

B Consequentia patet: quia sic punit ultimo supplicio justa Lex civilis propositum contra Principem, sicut actum in privatam personam. Consequentia probatur de Cain, qui una Lege motus præter naturalem dixit: *Quicumque inveniet me, occidet me.* Et cùm Dominus coërcens naturam edidit Legem dicens: *Nequaquàm ita fiet*, &c. *Gen.* IV. Similiter videtur sensisse Lamech, qui ob occisionem factam contra Legem Dei, pro sui tuitione, Legem ampliavit quo ad pœnam *Gen.* IV. Ad id post diluvium, contra homicidas edidit Legem dicens: *Quicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius, Gen.* IX. 6. Quam repetiit Verbum incarnatum dicens: *Quicumque accepit gladium, gladio peribit. Matth.* XXVI. 52. Deditque Deus quatuor executores, scilicet bestias, hominem, virum, & fratrem occisi, & in eodem cap. IX. ut intelligantur C duo extrema ad litteram. Per hominem, quælibet singularis persona. Per virum autem, Judex ordinarius. Executores primus, tertius & quartus, imposterùm non revocantur, sed confirmantur: dicitur enim de primo, in Libro Sapientiæ. Cap. V. 18. *Armabit creaturam in ultionem.* Et pro quarto concessit fratri interfecti potestatem occidendi illum occisorem, si inveniret ipsum extra unam civitatum refugii: quæ Lex adhùc servatur in multis civitatibus Christianorum, qui tamen non dicuntur hæretici. Si frater potest quod à majori potest & debet subditus fidelis.

Quarta Ratio.

Talis tyrannus, de quo loquitur Assertio prima, æqualiter potest, & debet puniri, sicut publicus inimicus; vel graviùs.

D Sed publicus hostis, pro liberanda Patria, & Principe justo, à quolibet de Patria invasa, & subdito Principi justo, potest impunè occidi, imò meritoriè.

Ergo Assertio vera. Major est nota; tùm quia æquiparatur, ut in Constit. *Quoniam nuper*: secundùm intentionem Domini Bertholdi de Saxo ferrati, ibidem, super verbo, *tenore*, quòd † tale crimen læsæ Majestatis, publicus hostis & occultus; quia Lex graviùs punit necantem occultè quàm publicè: sicut patet de propinante venenum cum morte sequuta:

* *Locus corruptus.* † *Locus corruptus.*

ta. Tùm quia jubet decapitari milites de prælio fugientes, quò suum Principem non deffendunt usque ad mortem. ff. *Ad Legem Juliam.* C. *Majestatis. Lib.* 3. Et ff. *De re militari*; *Omnes* §. *Qui in acie.* Putatur autem hostis publicus, qui publicè quærit Principem occidere, saltem publicus est apud illum subditum qui hoc novit. Tùm etiam quia sicut dicit Scriptura sacra: Eccle. x. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Et David mandavit occidi Joab; quia per insidias mandavit occidi duos innocentes, & non propter occisionem manifestam Absalonis, quamvis occiderit ipsum contra Præceptum Regium, ut habetur. 2. *Reg.* XVIII. & *Lib.* III. C. II. Minor verò habet multa exempla Scripturæ sacræ, sicut est de Ajoth, Jaël, Judith, Joab, & nunc supra, &c. Ait enim David in persona viri justi: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Ps. C. 5.

Quinta Ratio.

Licitum est cuilibet, sine Mandato, &c. uxoris suæ, interficere tyrannum, &c.

Ergo Assertio vera. Assumptum est notum; & Consequentia æquipolentia. Ex quo sequitur, quòd de virtute sermonis, Assertio est vera, etiam secundùm Æmulium, qui Logicus est. Ex quo posset inferri, quòd Judicio Fidei, tanquàm hæretica reprobari deberet illa Assertio, quæ dicit, hanc Assertionem esse hæreticam.

Sexta Ratio.

Sed id ipsum probo realiter.

Licitum est cuilibet occidere talem tyrannum, scilicet machinantem in mortem justi Principis, Mandato Superioris non expectato, præsertim in casu, quem ponit Assertio.

Igitur Assertio vera.

Consequentia nota. Patet Assumptum per multa exempla sacrarum Litterarum, quorum quædam sunt posita superiùs: & adduntur exempla de civibus Abelanis, qui occiderunt, sive amputaverunt caput Sebæ, contra Sententiam Principis, quia illum vivum petebat. 2 *Reg.* xx. Patet de Joab, qui contra Præceptum Principis occidit Absalonem; de quâ occisione non reperitur redargutus, neque punitus. Ex quibus potest inferri sine labe hæresis, quòd non solùm non est expectandum Mandatum Principis contra tales criminatos, sed nec audiendum, ne indiscreta pietas plurimos perdat.

Septima Ratio.

In sacris Litteris, ubi tractatur de licentiata morte talium tyrannorum, vel similium, non reperitur reprobatio, vel condemnatio sic occidentium, nisi in quantum occisi sunt innocentes, vel intentione non recta, sive obliqua.

Ergo Assertio non est hæretica. Patet Consequentia, quia non est contra sacras Scripturas. Idem dico de Canonibus sacris.

Pro probatione Assumpti sufficiant duo exempla, scilicet de occisione Saül, &c. ipsam jubente; & de occisoribus Isboseth, qui putabatur hostis Regis David, eo quòd esset filius Filii Saül: hos enim David jussit occidit, solùm quia occiderunt malâ intentione, scilicet ut avari, & occiderunt innocentem. Sic enim constat textus 2. *Reg.* IV. 10. 11. *Dicit David: Vivit Dominus qui eruit animam meam de omni angustia, quoniam eum qui annunciaverat mihi, & dixerat: mortuus est Saül: qui putabat se prospera nunciare, tenui, & occidi in Sicelech, cui oportebat me dare mercedem pro nuncio. Quantò magis nunc, cùm homines impii interfecerunt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra?* &c. Ergo si tollatur voluntas, ut ponit Assertio prima, tollitur & culpa; quia cessante causa, cessant effectus. *Extra. De rem*: post translationem.

Octava Ratio.

Prætereà præsuppono, quòd omnis actus indifferens, scilicet nec de genere bonorum, nec de genere malorum, ab intentione dicatur malus, vel bonus.

Sed occidere, vel non occidere, absolutè non est de genere bonorum, nec de genere malorum.

Ergo si intentio occidentis est recta & bona, occisio non est mala.

Pro* medium. Actus occisionis non est prohibitus absolutè, aliàs in illo casu occisio esset licita, quod est falsum: nam Lex vetus & civilis, malefactorum occisionem non tantùm concedunt, sed præcipiunt. Cùm igitur non inveniatur expressè in Sacris Litteris, quòd taliter non possit occidi talis tyrannus; sequitur, quòd si talis occisor habeat intentionem aliàs rectam, cùm non faciat contra Legem, non sit culpabilis; secùs si Lex prohiberet expressè: Præceptum enim istud: *Non occides*, habet exceptiones innumeras. Nam hujus Præcepti non est reus Judex, consultor, carnifex, & hujusmodi, qui occidunt latronem; neque is qui casu, & involuntariè alium necat; neque is qui vim repellendo vi, occidit se invadentem, non valentem aliàs invadere; neque is qui adulterantem repentè cum uxore reperit; vel viator occidens latronem, &c. & similibus, quia de similibus similis est ratio. *Extra. De translatione* Cap. 12. Nescio autem, quare non sic possit excusari fidelissimus servus Regis, vel subditus, si id faciat, non livore vindictæ, non avaritia ductus, cùm non possit ipsum à morte aliter liberare, sicut Assertio prima præsupponit, &c.

Nona Ratio.

Duarum Propositionum contrariarum illa est magis favorabilis Judicio Legum justarum, & Fidei, quæ plus habet Justitiæ, & magis est conformis voluntati divinæ.

Igitur Assertio prima est magis favorabilis, & tàm de Legibus justis, quàm Judicio Fidei deffendenda, quàm ejus opposita.

Jus non est dubium: & probatur Consequentia. Nam Assertio prima roborat statum naturalium Principum, & deprimit, seu reprimit tyrannorum superbiam, & injustam audaciam de se, & ejus contraria operatur contrarium.

Item. Assertio prima plùs est justis Legibus conformis, quàm opposita: nam Lex ad bonum publicum & communem utilitatem producitur 4. *Dist*: *Erit in fi.*

Item. Lex divinas res, & humanas benè disponit, & omnem iniquitatem auffert. C. *De veteri Jure enucleando.* L. prima.

Sed secundùm Assertionem primam, auffertur iniquitas tyrannica, & protegitur sancta Regia dignitas, &c. Ut patet. Insuper Assertio prima correspondet voluntati divinæ, scilicet, quòd tyrannus prosperitatem habere non debeat, & quòd debita potestas, seu dominatio justa sit, pura pariter & tuta.

Igitur, sequitur quod quæritur: habet enim Deus tyrannos odio, & statuit eos non diutiùs vivere, nisi propter peccata populi. Scribitur enim de tyranno, *Job.* XV. 20. 21. *Cunctis diebus suis impius superbit, & numerus Annorum incertus est tyrannidis ejus.*

* Forsan Probo.

ejus. Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm sit pax, ille semper insidias suspicatur. Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium. Cùm se moverit ad quærendum panem, novit quòd paratus sit in manu ejus tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut Regem, qui præparatur ad prælium. Tetendit enim adversus Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus est. Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus arvina dependet. Habitavit A *in civitatibus desolatis & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redacta. Non ditabitur, nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terram radicem suam. Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma, & auferetur spiritu oris sui. Non credet frustrà errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus sit. Antequàm dies ejus impleantur peribit: & manus ejus arescent.* Et cetera ibi.

Ideò benè perpendant Judices, quòd hæreticare Assertionem primam, est favorem, & robur præstare tyrannis; & ex consequentia, naturalibus Dominis debilitatem pariter, & timorem, quod nullo modo fieri debet: quin imò, si factum esset à quoquam, citra Sedem Apostolicam, salubriter esset revocandum, cùm talis causa sit reservata Sedi Apostolicæ. *Extra. De translatione* C. I. Cum glosa 2. Quæ sedes Apostolica sustinere non debet, ut quis sua Jura usurpet. B

Decima Ratio.

Necesse est, secundùm divinam Scripturam celeriter mori tyrannos.

Ergo status eorum Judicio Fidei est deffendendus. Consequentia videtur nota: quia Fides quæ ex sacris Litteris fundatur, sacras Litteras impugnare non debet. Sententia habetur. *Sap.* XVI. 4. Ubi dicitur: *Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum, exercentibus tyrannidem.* Si enim est zelus Justitiæ, ut interfector aliquis alterius puniatur velut injustus, agatur quòd occisus non fuerit tyrannus, & quod circumstantiæ positæ in Assertione prima, de præfato non verificentur occiso, & non procedatur perperàm, videlicet quòd Ecclesia se intromittat tamquàm de hæresi, maximè cum utilioribus occupata, & materia disputabilis satis. C

Undecima Ratio.

Quilibet subditus tenetur, ex vinculo fidelitatis & præstiti juramenti, ut communiter fit, præservare Dominum suum legitimum, & innocentem, tanquàm potest, ab iniqua morte proditoria, & villana.

Sed in casu Assertionis primæ plenè circunstantionatæ, Rex innocens & nobilissimus, aliter à subdito præservari non potest à morte, quàm per occisionem talis tyranni.

Igitur Assertio vera. Assumptum notum est, & Antecedens patet; cùm in crimine læsæ Majestatis non tantùm actus, sed voluntas puniatur: ut patet Lege canonizata V. q. c. §. *Si quis cum militibus* cum glosa, super verbo, *cogitavit.* Imò rationabiliter D dici potest, in casu præfato, quòd licet subdito occidere talem, vel occidi facere, cùm non licet occidere, vel occidi facere, si jàm ille tyrannus occidisset Regem. In primo enim casu, juxta fidelitatem promissam & debitum, Regem suum liberat à morte. In secundo vero casu, jam Rege defuncto, nil beneficii præstat. Ideò si Assertio loqueretur in casu secundo, ipsam negassem, & posset trahi ad reprobationem Judicio Fidei: & sic debent intelligi omnes authoritates Sanctorum, quæ ad oppositum posse videntur induci.

Duodecima Ratio.

Ipsa Assertio prima non est directè contra textum sacrarum Scripturarum, neque contra determinationem Ecclesiæ.

Igitur Judicio Fidei tanquàm hæretica non est reprobanda. Consequentia nota est. Non omnis hæresis sumit exordium, vel ex contradictione Decretorum in Concilio, vel ex negatione, aut falso intellectu Scripturæ sacræ, ut XXIV. *quæst.* ultima. C. ultimo. §. *Hæc sunt.* Ut enim ait Augustinus: *Non nascuntur hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè* ..... * ter quidem in eis non benè intelligitur etiam temerè, & audaciter asseritur. Probatur Assumptum: nam si ipsa Assertio est contra textum sacrarum Scripturarum, vel determinationem Ecclesiæ, maximè ut arguunt qui aliam opinionem sequuntur, esset contra Mandatum illud: *Non occides*, in Veteri Testamento: vel contra illud verbum Salvatoris in Novo: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit*, Matth. XXVI. 52. de quibus satis diffusè II. III. *quæst.* V. per totum II. *quæst.* VIII. in principio; ubi ponuntur ferè omnes authoritates Sanctorum, quas oppositum opinantes inducunt. Hoc autem est falsum: nam cùm tàm prima, quàm secunda sit Propositio universalis, qui tenerentur ad litteram, ut sonant, occiderent animam, quia non liceret in aliquo casu interimere hominem, quod sapit hæresim; cùm sit contra Vetus Testamentum, & contra Catholicas Sanctiones.

Videamus ergo, secundùm Doctores Sanctos, qui usque hodiè sunt reputati fideles Catholici, & non hæretici, quibus exceptionibus dicta Præcepta glosantur: & quia habito intellectu unius, alterius habetur notitia; volo principaliter stare in isto Præcepto: *Non occides*, dato in Veteri Testamento, & in Novo confirmato.

Primò igitur: Augustinus I. *De Civitate Dei*, sic glosare videtur, scilicet *innocentem*, ait enim XXIII. *quæst.* V. *Si non licet privatâ potestate alicui hominem occidere innocentem, ejus occidendi licentiam Lex nulla concedit*, &c. Ecce quòd non est hæreticum asserere, quòd privatâ potestate nulli licet occidere innocentem; nec est hæreticum dicere, quòd Argumentum à contrario sensu sit bonum, cùm sit potissimum in Jure, nisi oppositum inveniatur expressum, sicut probant Doctores Canonici, & præsertim Jo. An. *in Novella. Extra, de Cler.* C. *Publicato.* Sequeretur enim. Ergo licet alicui, privata potestate, aliquem hominem occidere nocentem: & hoc est verum, ut patebit. Sed de tali tyranno nullibi est expressum in Lege, quòd non possit occidi. Ergo Assertio Canonica.

Secundò. Idem Augustinus, *De Libero arbitrio*, Libro primo, exprimit tres exceptiones, & alibi duas, ut XXXIII. *quæst.* V. *Si homicidium.* Et c. *Cùm homo*: & sunt isti: „Si miles occidit hostem, si Judex, „vel minister ejus nocentem; si fortuito casu quis „alium occidit; si se deffendendo & si aliis subve„niendo: aut enim, si homicidium est hominem occi„dere; potest tamen alius alium occidere, sine pecca„to. Nam miles hostem, & Judex, vel minister ejus „nocentem; & cui fortè invito, atque improvidenti † „telum de manu fugeret: non mihi videtur peccare, „cùm hominem occidunt. Sed nec etiam homicidæ „isti appellari solent.„ Ubi Glosa: *Tres modos ponit hic; alii duo sunt, cùm facit deffendendo se; vel alii subveniendo*, ut in Cap. *Cùm homo.* Sed in casu Assertionis primæ, ille subditus dici potest minister

Bbb Regis

* *Hic aliquid desideratur.* † *aliàs, imprudenti.*

Regis sui, cujus voluntatem non ignorat, per superiùs allegata; vel saltem id facit subveniendo nobilissimo Regi suo. Igitur illa Assertio non cadit sub hæresi.

Tertiò. Excipit idem Augustinus à reatu homicidii eum, qui Legem servat, & ejus, qui Legem sequitur revelatum: ait enim, primo *De Civ. Dei.* quibusdam numeratis, qui à reatu homicidii excusantur. *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons Justitiæ Deus specialiter jubet occidi; quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Sed Lex civilis, quæ non est hæretica, talem tyrannum jubet occidi. Ergo, &c.

Quartò. Intendatur homicidium secundùm intentionem. Unde Augustinus, in quæstionibus super Matthæum: *Officia vindictæ possunt impleri bono animo, quomodò Judex, & quomodò Lex.* Sed talis subditus facit quomodò faceret Judex, & id quod mandat Lex.

Igitur Assertio non est hæretica.

Quintò. In actu homicidii attenditur finis; ut talis sit actus, qualis est finis: ait enim Augustinus, ad Maced. *Non est iniquitatis, sed potiùs humanitatis pietate devictus, qui criminis est persecutor, ut sit hominis liberator.* Et iterum: *Cùm homo ab homine occiditur, multùm distat, utrùm fiat nocendi cupiditate, vel injustè aliquid auferendi; sicut fit ab inimico; sicut à latrone, ulciscendi, vel obediendi ordine; sicut à Judice; sicut à carnifice; vel evadendi, vel subveniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite*, &c.

Sed in Assertione non ponitur, nisi finis liberandi Illustrissimum Regem. Igitur, &c.

Sextò. Homicidium excusant causa, tempus, conditio personarum, & multa similia: ait enim Joannes Chrysostomus, *super Matthæum*, Homiliâ decimâ septimâ: *Occidit Phinées hominem & reputatum est illi ad Justitiam. Abraham verò non solùm homicida, verùm etiam parricida, quod certè gravius est, effectus, Deo magis placuit. Petrus verò geminum fecit homicidium, fuit contra * spirituale quod factum est. non solùm igitur respiciamus ad opera, sed ad tempus, & ad causam, & ad voluntatem; personarum quoque differentiam, & quantacumque alia ipsis operibus acciderunt diligentissimè inquiramus; non enim possumus aliter ad veritatem pervenire.* Ubi Glosa, XXIII. *quæst. ultima. Factum notat, non Jus; talis enim non dicitur homicida.* Verùm talis subditus, de quo loquitur Assertio, non habuit alium modum liberandi innocentissimum Regem. Ergo secundùm Leges justè processit, & Assertio hæreticari non potest.

Septimò. Excusatur ab homicidio, qui non habet aliam viam liberandi innocentem, quàm per occisionem; benè Glosa prima. XXIII. *quæst.* V. *Cùm homo.* Ait, *Furem nocturnum licet occidere, sed diurnum non, nisi telo se deffendat.* Videtur, *Extra. de ho. Si perfodiens.* Si autem fur nocturnus poterit deprehendi sine læsione, tenetur ille qui eum occidit. Ut ff. *De sicariis. Furem.* Item, Latronem insidiantem in itineribus licet cuilibet occidere, ut C. *Quando licet unicuique sine*, &c. L. I. & II.

Octavò. Zelus Reipublicæ excusat à noxa homicidii: ait enim Urbanus secundus Gottisfredo Episcopo Lucanensi. XXIII. *quæst.* V. dicens. *Excommunicatorum interfectoribus, prout in ordine Romano dedicistis, secundùm intentionem modum congruæ satisfactionis injunge, non enim eos homicidas arbitramur, quos adversùs excommunicatos, zelo Catholicæ Matris Ecclesiæ ardentes aliquos eorum trudicasse contigerit.* Ecce quòd licet occidere privatis personis, quod zelus excusat: sed, ut Assertio prima declarat, subditus ad interfectionem tyranni non movetur, nisi zelo Reipublicæ. Igitur hæretica dici non potest.

Nono. Quis obligatur, etiam per mortem alterius, si aliter fieri non potest, potestate privata, alium deffensare, dicit Ambrosius, in Libro, *De Officiis. Non in ferenda, sed in depellenda injuria Lex virtutis est: qui enim non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Undè sanctus Moyses, hinc priùs orsus est tentamenta imbecillæ fortitudinis* A *repellere. Nam cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio accipientem injuriam, ita ut Ægyptium prosterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait*; Eripe cum qui ducitur ad mortem. *Prov.* XXIV. II. Hæc Ambrosius. Sed nemo dixerit hæreticum esse Ambrosium, etiamsi Augustinus sentiret oppositum. Igitur subditus potuit deffendere Regem, cui ex fidelitate tenetur, sine peccato, magis quàm Moyses, qui deffendit Hebræum. Ergo Assertio hæreticari non potest.

Decimo. Non est hæretica, neque hæreticanda Assertio quæ dicit, quòd propter castitatem, & Fidem servandam quis potest occidere. Ergo à fortiori; neque qui ob has causas, vel similes alios occidit. Consequentia patet: quia majus peccatum est seipsum occidere, quàm alium, ut XXIII. *quæst.* V. *Si non licet.* Assumptum patet; ait enim Hieronymus, super Jonam: *Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere: unde & in persecutionibus non licet in manu propria perire absque eo, ubi castitas periclitatur.* Et utrum sit verum, vel non verum, di- B mitto prudentioribus. Sed non audeo dicere Hieronymum hæreticum, vel verba sua hæreticanda. Unde etiam legimus, quadraginta viros spontè saltasse in congeriem cal. * accensæ; & septem mulieres spontè intrasse ignitam fornacem, ubi tàm illi, quàm istæ mortui sunt in momento, & ab Ecclesia venerantur ut Martyres, eo quòd zelo Fidei id fecerunt. Igitur qui zelo Fidei promissæ, seu debitæ, id facit, à peccato homicidii meritò potest excusari. Ergo Assertio non est hæreticanda.

Undecimò. Licet privatæ personæ, secundùm dicta, & intentiones Sanctorum alium occidere. Igitur illa Assertio non potest tanquàm hæretica condemnari. Consequentia patet per circumstantias additas ipsi Assertioni, quæ aliàs fortè non posset deffendi. Probo Assumptum: ait enim Hieronymus. XXIII. *quæst.* 8. sic. *Legi Siromasten Phinées, autoritatem Eliæ, & zelum Simonis Cananæi, Petri severitatem Ananiam & Zaphiram trucidantem, & Pauli* C *constantiam, qui Elymam Magum viis Domini resistentem æterna severitate † damnavit. Non est crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas. Unde etiam in Lege dicitur. Si frater tuus, & amicus tuus, & uxor, quæ in sinu tuo dormit depravare te voluerit à veritate, sit manus tua super eos, & effunde sanguinem eorum.* Ecce quod isti usi sunt privata potestate, & non damnantur; sed commendantur, quia habuerunt rectam intentionem: & de tali recta intentione intelligitur Assertio prima. Igitur idem confirmat in aliis casibus Glosa prima. XXIII. *quæst.* V. in summa dicens: *Hæc vera sunt*, scilicet, *quòd solus Judex occidere potest, nisi sint aliqui nocturni depopulatores agrorum, vel sint latrones in publicis stratis, quos quilibet potest occidere.* Ut C. *Quando liceat*, &c. ut suprà.

Duodecimo. Sacrilegi videntur posse, Lege divina, à quacumque privata persona sine peccato mactari. Igitur illa Assertio debet potiùs canonizari, quàm D hæreticari. Patet Consequentia ex circumstantiis positis in Assertione. Assumptum non ‡ est sancti Cypriani, recitantis verba Legis divinæ, *Deut.* XIII. 12. *& seqq.* ubi Dominus: *Si audieris in una urbium tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, inhabitare dicentes aliquos: Eamus, & serviamus diis alienis, quos non nosti, interficies, necabisque omnes qui sunt in civitate, in nece gladii, & incendes civitatem igni, &* erit

* *Forsan* fuit tamen opus, *loco* contra.

* *Forsan* calcis. † *Aliàs* cæcitate. ‡ *Delendum videtur* non.

erit sine habitaculo in æternum, non reædificabitur etiam nunc, ut avertatur Deus ab indignatione iræ suæ, & dabit tibi misericordiam, & observaveris Præcepta ejus. Cujus Præcepti, & vigoris memor Mathatias interfecit eum, qui ad aram sacrificaturus accesserat. Quod si ante adventum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc Præcepta servata sunt; quantò magis post adventum Christi, circa Deum colendum servata sunt, quando ille veniens non solùm verbis nos hortatus sit, sed & factis: ubi dicit glosa secunda, super verbo *necab.* tu quicumque sis; & sic quandoque ille qui non est Judex potest punire maleficos.

Decimo tertiò. Apud Augustinum: *Si Petrus præscivisset proditorem Christi, eum dentibus lacerasset; nec adhuc reperi dicentem, quòd si hoc fecisset, peccasset.* Nec videtur quare non possit dici, salva Fide, quòd ipsum zelus Charitatis à reatu homicidii excusasset, & hoc facit pro Assertione prima.

Quarto decimò. Idem Petrus in Passione Domini exemit gladium, & amputavit auriculam Malchi, quem decapitare cum ceteris maluisset, neque id fecit authoritate Superioris; nec etiam video quare non possit sustineri quòd non peccaverit; sed absurdum est audire, quòd qui id asseruerit, tanquàm hæreticus habeatur, cùm Christus non reprehenderit eum tanquàm peccatorem, nec legitur de tali actu egisse pœnitentiam, cùm tamen pro actu negationis observaverit quæcumque verus pœnitens observare tenetur.

Quinto decimò. Ipse Gratianus compilator Decreti, hanc quæstionem movit in forma. *Dominus.* XXIII. *quæst.* II. quærens. II. IV. Sed quæritur, si contingat aliquos malos puniri ab his qui non habent potestatem, an sint rei effusi sanguinis per quos hi puniuntur? Quam quæstionem aut non decidit, aut per Assertionem tenet; nam inducit Ambrosium, dicentem: *Remittuntur peccata per verbum Dei cuivis, incipiens equidem executor est, remittuntur per Officium Sacerdotis, sacrumque Ministerium; puniuntur quoque peccata per homines, sicut per Judices, qui potestate ad tempus utuntur; puniuntur quoque peccata per populos, sicut legimus, quia sæpè ab alienigenis Dei jussu excitatis, propter divinæ Majestatis offensam sublatus, est populus Judæorum.* Et infrà, ubi loquitur ipse Gratianus: *Videtur consistere ut intentio occidentis à reatu excuset, vel accuset; nam multi excusantur in Veteri Lege, quòd simile fecerunt instinctu Spiritus sancti, idem quia habuerunt intentionem piam, fidelem, & charitativam, quæ quidem intentio non potest procedere, nisi à Spiritu sancto.*

Sexto decimò. Potest maritus interficere adulteram sicut adulterantem, si actu reperiat eos commisceri, & etiam insequi fugientes, & eos occidere, ut L. Gracchus. §. *De adult.* quod L. quod ait. §. *Quod ut Lex* ff. eodem titulo, & hoc propter vehementem dolorem, Lex habet occidentem excusatum, quantò magis ubi vassallus vidit occidendum nobilissimum Regem suum.

Septimo decimò. Servus non tantùm potest, sed debet actu volentem occidere Dominum suum, nec debet, expectare quòd Dominus suus vulneretur, sicut in proposito: in L. prima. §. *si servus.* ff. *ad silemanum.* II. L. fi. c. *de his quibus do. in di.* Dicit enim Dominus Bartholus de Saxo-ferrato, exponens Constitutionem Henrici; *Ad reprimendum.* super verbo *totius*, inquiens: „Quædam est fidelitas, quæ „debetur proximo, scilicet non offendere eum, nec „ei insidiari: ut Lege in ff. *de Jure*: non autem te„netur eum deffendere, ut notatur de perjuris. Le„ge. *Culpa caret.* Alia fidelitas debetur Patri, quem „quis debet etiam deffendere verbo, quia debet „Patri indicare quæ recognoscit contra eum, ut „ff. ad L. *pom. de pa.* L. prima, *in fi.* II. L. sequenti. „Debet ei reverentiam, ut in tertio. *De obsequiis.* „Non autem imperio, quòd quis tenetur Patriam „deffendere facto, scilicet opponendo, sed vel simi„li. Tertia fidelitas major est, quâ quis tenetur „Domino suo, cui tenetur, non tantùm deffendere, „sed indicare verbo, & deffendere facto: ut v. *colla.* „*de forma fideli.* §. primo. & de no. *Fide forma.* „C. I. Ista debentur Principi, scilicet non offen„dere, & si sciverit, indicare, ut patet, quia con„scii tantùm tenentur. C. *Ad Leg. Juliam. Ma.* L. „*quisquis in forma ibi*, &c. tenetur eum deffendere, „ut ff. *de re inir.*

Decimo octavò. Vassallus tenetur deffendere feudum sui Domini, usque ad mortem inclusivè, volentis feudum occupare: quantò magis debet deffendere nobilissimum Regem, si vassallus est. Sic igitur patet, quòd subditus, sive vassallus, de quo loquitur Assertio prima, non venit in casu ibi expresso, contra illud Præceptum: *Non occides*: & hoc concluditur ex aliquibus argumentis à simili, & aliquibus à majori, & aliquando à contrario sensu, & aliquando realiter in forma.

Hæc igitur dicta sunt pro deffensione septimæ Assertionis prioris, cùm sex sint dependentes à prima. Quibus dictis pertinaciter non adhæreo, sed tanquàm probabilia dico, Judicio Ecclesiæ ea omninò submittens. Et quæ sequuntur circa octavam Assertionem, pariter puto dicendum: & multùm miror, quòd reducatur, vel proponatur reducenda ad Judicium Fidei. Nam prima pars est Apostoli in forma, 2. *Cor.* III. loquentis contra Hebræos, qui Litteram tantùm Veteris Testamenti sequebantur, spiritum non admittentes, ex quo sequebatur error contra Fidem Catholicam. Undè Hebræorum Libri exponentes Vetus Testamentum, sunt pleni fabulis, & erroribus, sicut patet intuenti expositionem Magistri Nicolai de Lyra, à principio usque ad finem Testamenti Veteris; benè etiam, *ad Romanos*, II. deducit Apostolus, quod Circumcisio servanda esset, *non littera, sed spiritu.*

Quis dubitat, quòd multæ Propositiones etiam in Novo Testamento non sint servandæ? licèt videantur imperativè, vel consultivè prolatæ, secundùm litteram, sed secundùm spiritum tantùm ut illa: *Si oculus tuus scandalisat te, erue eum, & projice abs te*, Matth. XVIII. 6. Sic de manu, sic de pede, ut concordant ferè omnes Doctores, & *Extra. De corpore vitali. Significavit.* Cum Glosa secunda. Expositio autem ipsius textus, qui habetur in dicta Assertione octava, dato quòd concederetur extorta, non video quare dicit possit hæretica, licèt non sit extorta: nam à plerisque sic exponitur, & est sensus, quòd qui sequitur simplicitatem litteralem sacræ Scripturæ, occidit animam suam. Hinc Antropomorphitæ damnati sunt ut hæretici, eo quòd simplicitate rustica, Deum habere humana membra, quæ in divinis Libris scripta sunt, arbitrantur. XXIV. *quæst.* III. *Antropomorphitæ.* Nam etsi iste textus etiam subtiliùs possit exponi, scilicet, quoniam ipsa expositio sit vera, imò apud omnes vulgares esse hæreticos, quia sic exponuntur, absit.

Ultima verò Assertio per me relinquatur, non ut hæretica, sed ut Catholica per multos textus, qui habentur, XXII. *quæst.* I. & II. per totum, & *Extra. de Jure.* In quos textus pro parte vidi allegari ab una partium, & ideò superfluum puto hîc repetendum.

Cùm vos, Reverendissimi in Christo Patres, & Domini Commissarii in causa Fidei, per hoc sacrum Concilium Deputati ordinaveritis, quòd quilibet Doctor Theologus, supposito juramento, habeat vobis dare infra certum terminum suam intentionem; utrùm videlicet novem Assertiones traditæ pro examine, sunt Judicio Fidei examinandæ, & reprobandæ,

dæ, & liceat unicuique Doctori in Facultate prædicta etiam super hoc publicè respondere, prout experientia comprobavit, per responsionem publicam factam octava die Novembris, per Reverendum in Christo Patrem, Dominum Cardinalem Cameracensem, & per exhibitam, & per easdem receptam. Idcircò, ego non tanquàm Doctor Theologus, in testimonium veritatis requisitus, salva tamen determinatione sacrosancti Concilii Generalis, & sanctæ Sedis Apostolicæ, credo, & affirmo, quòd nulla dictarum novem Assertionum est Fidei Judicio reprobanda, nec aliqua illarum est condemnanda, ex condemnatione illius Propositionis: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè*, &c. Cùm nullo modo sequatur ex aliqua illarum novem Assertionum, sed nec ex omnibus simul, nec continet doctrinaliter illam, vel virtualiter, nec in simili radice fundantur.

Consequentia patet; non enim sequitur: *Licitum est unicuique subdito, &c. occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, sortilegium*, &c. Ergo quilibet tyrannus, &c. Tùm quia ibi arguitur à parte in modo, ad totum in modo, cum distributione, & clarum est consequentiam non valere, sicut nec valet ista: Licitum est unicuique interficere furem nocturnum qui venit ad occidendum; ergo quilibet fur nocturnus potest, & debet licitè interfici à quocumque. Sicut nec sequitur: quemlibet hominem album video; ergo quemlibet hominem video. Tamen quia in Assertionibus fit mentio de tyranno sic specificato; in illa verò, *Quilibet tyrannus*, &c. de tyranno universaliter capto. Tùm quia ad mentem Assertionum à parte subjectili, *unicuique subdito*, capitur pro vassallo immediatè Regi subdito. Et in illa: *Quilibet tyrannus*, &c. capitur pro quocumque etiam subdito, tyranno, sive subjecto. Et sic patet, quòd nec sequitur ex prima, nec ex secunda, nec ex tertia; cùm in secunda specificatur dicendo, quòd *Leges authorisant de occidendo tyrannum prædictum*; & in tertia dicunt, *supra nominatum tyrannum proditorem, & infidelem suo Regi*, &c.

Nec sequitur ex quarta: licèt enim dicat, quòd *Omnis tyrannus infidelis sit villanè occidendus*, non tamen dicit, à quolibet subdito suo.

Nec sequitur ex quinta, sexta, & septima: non enim sequitur: Ille qui occidit supra nominatum tyrannum, non debet de aliquo reprehendi, ut dicit quinta; imò *debet premiari*, ut ait sexta, & *illum debet Rex plùs amare*, ut canit septima: Ergo quilibet tyrannus, &c.

Nec sequitur ex octava: *Littera occidit*, &c. Clarum est; sed nec ex illa, *in casu socialitatis*, &c. quæ est nona. Sed quòd nec ex omnibus simul, patet; quia si ex aliquibus debeant sequi, videretur, quod ex prima, & quarta. Quarta enim dicit, quòd *Omnis tyrannus infidelis, est villanè occidendus*. Et prima dicit, quòd *licitum est unicuique subdito*. Ergo videtur quòd sequatur, quòd omnis tyrannus sit occidendus villanè, à quolibet subdito suo: & sic; Quilibet tyrannus, &c.

Sed manifestum est quòd .... primæ Assertionis: *Licitum est unicuique subdito*, supponit, & accipitur respectu prædicati, quod est, *quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem*, &c. quod prædicatum est taliter qualificatum. Et in secunda capitur subjectum universaliter, sed non respectu cujuscumque subjecti; ita quòd licèt à quolibet subjecto nulla supponit, respectu talis prædicati, *quemlibet tyrannum*, &c.

Nec in ambabus simul: undè? Scilicet quia in quarta ponitur: *Omnis tyrannus*, &c. non tamen respectu talis prædicati *à quocumque subdito*, &c. Et in prima ponitur, quòd *licitum est unicuique subdito*, &c: Non tamen respectu talis prædicati: *Quemlibet tyrannum*, inferetur ista *quilibet tyrannus*, &c. eodem modo inferam de quocumque, demonstrato Sorte, inferam istam. Hic est diabolus, ex dictis & contentis in sacra Scriptura, undè capiam istum complexum, hic est: *Matth*. XVI. & illud prædicatum, *diabolus*, Matth. quarto.

Sic igitur apparet manifestè, quòd istæ novem A Assertiones non continent virtualiter illam: *Quilibet tyrannus*: nec per consequens, veniunt Fidei Judicio condemnandæ ex reprobatione illius.

Dico ulteriùs, quòd ex nulla circumstantia aggravante, sunt dictæ Propositiones Fidei Judicio condemnandæ: nec enim propter primam authorisationem talis tyrannicidii; quin imò ista circumstantia est allevians in secunda Propositione: nec propter illam de villanitate, quâ dignus est talis tyrannus occidi, ut in tertia, & quarta, &c. Nec propter illam, quâ Rex debet approbare tale tyrannicidium, ut in quinta, sexta, & septima. Nec ex additione confirmationis errorum, quòd *Semper tenere sensum litteralem occidit animam*: quia sensum litteralem supponit ibi confusè tantùm: & clarum est quòd semper accipere sensum litteralem, quomodò faciunt Propositiones, in sacra Scriptura, est error; imò in- B ducit in errorem, ut ait expressè Gregorius, *in Moralibus*, Lib. primo, Capite tertio, *in Prologo*, ut in octava.

Nec etiam ex illa circumstantia, quòd *de nullo tenetur miles servare promissionem, seu confœderationes factas alteri militi, si vergant in præjudicium*, &c. *In casu socialitatis*, &c. cùm priùs, & ampliùs teneatur, ex ordine charitatis, vitare suum præjudicium, quàm alteriùs.

Nec est idem, quòd hæc doctrina, & similis, sit condemnanda, prout habet prædicta Propositio: *Quilibet tyrannus*, &c. Est condemnanda, videlicet tanquam erronea in Fide, & moribus, & tanquàm hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, & mendacia, & perjuria vias præbens.

Ex quibus omnibus infero: primò, quòd hanc doctrinam asserentes opinabilem, citrà determinationem sacri Concilii Generalis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, non sunt hæretici, & ut tales juxta Canonicas Sanctiones legitimas puniendi.

C Secundò infero, quòd non sequitur manifestè, imò totum oppositum, quòd asserere inter Catholicos, dictas Propositiones probabiles esse, aut forsan veras, non est erroneum, aut sapiens hæresim; nec Doctor Theologus hoc taliter publicè asserens in hoc sacro Collegio * Generali, & coram Judicibus Fidei, est habendus de hæresi vehementer suspectus.

Tertiò infero, quòd oppositum testificans sub juramento, temerè jurasse videtur: nec contra has Assertiones fuerunt, vel factæ sunt aliquæ rationes, seu deductæ in modum, quæ videantur alicujus ponderis, vel momenti.

Unde cùm dicitur primò, quod hæc doctrina est contra duo Præcepta Decalogi, videlicet: *Non occides*, absque authoritate judiciaria; & illud, *Non perjurabis*, ubi omne juramentum jubetur observari quod non vergit in detrimentum animæ: & contra illud: *Si quis per industriam occiderit proximum suum,* D *& per insidias: ab altari meo evelles eum ut moriatur*; Exod. XXI. 14. Et contra illud, XXIII. *quæst*. VI. c. *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, Lib. *De Civ. Dei*, ubi dicitur: *His contra exceptis, quos Lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus Justitiæ Deus specialiter jubet occidi; quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*. Et XXIII. *quæst*. VIII. C. *Quicumque*. quod sumitur ab eodem Augustino, IV. *Lib*. ubi dicitur: *Qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacri-*

* *Forsan* Concilio.

sacrilegum, adulterum, perjurum, vel criminosum interfecerit, aut trucidaverit, aut membris debilitaverit; velut homicida judicabitur, & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.

Est denique contra rationes condendi Decretalem illam: *Pro humani.* Lib. VI. editam in sacro Concilio Lugdunensi.

Ad quæ omnia dicitur, primò, quòd hæc doctrina non est contra illa duo Præcepta. Patet: non est enim contra primum, cùm dicitur: *Non occides*, quod glossatur distortè, & aliter quàm Spiritus sanctus efflagitat, cùm dicit *absque authoritate judiciaria.* Si enim ista Glossa est convertibilis cum Præcepto; tunc sequeretur, quòd nullus posset occidere furem nocturnum; sed nec etiam vim vi repellere liceret. Ergo occidens, in multis casibus, non occidit judiciaria, officiariaque authoritate; tamen occidit authoritate Legis, cujus est minister in casu; & ex Officio, ut declarat Doctor irrefragabilis, Alexander de Halis, de occidente invasorem suum ad mortem, *quem*, inquit, *occidit ut minister Legis, & Justitiæ; non tamen ex Officio.* Et dat exemplum de laico baptisante in casu necessitatis, qui baptisat, non ex Officio, & licitè, ut Legis minister, in casu necessitatis. Non ergo sic glosatur illud Præceptum, nec ita communiter glosatur; sed sic: *Non occides*, scilicet innocentem, livore vindictæ, aut propriâ authoritate. Constat autem, quòd tyrannus non est innocens, nec talis subditus eum interfecit propria authoritate, sed Legum; non livore vindictæ, sed amore conservationis Principis sui, & livore * Reipublicæ: nec contra Præceptum illud: *Non perjurabis*, ubi juramentum juberetur observari, quod non vergit in detrimentum animæ: quod verum est, si tamen adsint tres comites, Judicium, Justitia, & Veritas: & etiam conditiones, quæ implicitè subintelliguntur in omni juramento promissorio, quæ sunt secundùm Ostiensem *Lib.* II. rcn. XXIV. de Jure Jur. §. *In quot sunt species.* ubi dicit: „ Sic in omni juramento intelliguntur istæ conditiones tacitè, *faciam hoc, si Deo placuerit, si Papa*, quia ejus authoritas videtur excepta. XXV. *q.* I. c. *ultro.* versiculi, *ipsi namque.*

Item. Si res in eodem statu permanserit, ut videlicet gladium suum deposuerit, & illum furiosè repetit, non teneor reddere, etiam si juravi. XXII. *q.* 2. *Ne quis*: Idem Raymundus C. XVII. in Summa, 2. Juno in glosa, super C. *Quemadmodum.*

Item. Si mihi fidem servaveritis: non servanti enim fidem, fides non est servanda. Undè si non facis quod promisisti, non teneor, ut *Extra. De Jure Jur. Pervenit* 2. Et C. *Sicut.* Idem Raimundus: idem etiam Juno.

Item. Si præcipiatur tale quid, quod juratus non fuissem, si Mandatum tale scivissem, ut *Extra. de Juris jur. Veniens. Et C. Quintavallis.*

Et pariformiter videtur dicendum, si tale quid inveniat. Ubi apparet, quòd juramenta non obligant, quæ non habent conditiones requisitas, esto quòd possint servari sine animæ detrimento: undè si mihi fidem non servas, possum tibi servare fidem, & tamen non teneor, ut patet ex dictis ad illud *Exod.* XXI. 14. *Si quis per industriam &c.* habet intelligi necessariò, livore vindictæ, & authoritate privata: quia aliter occidens inimicum suum in justo bello, per insidias, esset ab altari divino evellendus, ut moreretur, quod falsum est, & contra illud C. *Dominus* XXIII. *q.* 2.

Ad illud August. *Lib. de Civ. Dei*: illa authoritas solvit se ipsam, & facit pro Assertionibus, quoniam Lex justa, naturalis, moralis, & divina talem occisionem generaliter authorisant.

Ad illud etiam Augustini, habet necessariò intelligi, authoritate privata: aliàs non liceret furem nocturnum occidere, nec vim vi repellere, quod est falsum: licet enim eos interficere sine publica administratione, intelligendo per illam authoritatem humanam, Judiciariam ordinariam, ut supra.

Ad illud quod dicitur, quòd est contra rationes condendi Decretalem illam &c. Apparet quòd est manifestè falsum, ex textu Decretalis, qui dicitur de illis, qui ex vindicta sitiunt humanum sanguinem, immanitate horrenda, & sævitia detestanda.

A Ratio verò, de occisione corporis & animæ, licèt currat contra illos qui sic agunt livore vindictæ: non tamen currit in hoc casu, sicut nec in subdito perimente latronem nocturnum, vel vim vi repellente; cùm secundùm Augustinum, ille qui sic vadit ad furandum de nocte, vel invadit ad mortem, ipse sit causa mortis propriæ, corporis & animæ utriusque.

Ad illud quod subjungitur, quòd dicta doctrina multò magis est * quia multò pejus circumstantionata est quàm illa damnata Propositio Joannis Wicleff, quæ ponit, quod populares possunt, ad eorum arbitrium, corrigere suos Dominos delinquentes: negatur simpliciter; & quia aliter non probatur, nec ad probationem aliquam respondetur, nec etiam est ad propositum.

Item. Cùm dicit, quòd hujusmodi doctrinæ condemnatio, non minùs fieri potest, absque speciali expressione de ejus Assertore, quàm illa, quæ nuper B in Sessione facta est, contra errorem in Bohemia, de Communicatione populi sub utraque specie, &c. Dicitur quòd non est simile; quia nullus in speciali extitit diffamatus de illa Communicatione; sed tantummodò in generali saltem constiterit sacro Concilio.

De istis autem novem Assertionibus diffamatus fuit falso, iniquè, & perperàm, mortuus perlucidæ memoriæ Magister Joannes Parvi, & illustrissimus Princeps Dux Burgundiæ, ut patet in Sententia Episcopi Parisiensis perversa, & in Propositionibus factis coram Serenissimo Rege Francorum, per Magistrum Joannem de Gersono; & in Tractatibus suis quibusdam.

PRIMA DELIBERATIO.

Ex quibus sequitur quòd prima Assertio cum secunda, & tertia, & similiter quarta, sunt veræ, & C absque Fidei præjudicio, aut sacræ Scripturæ, sustinibiles, terrenæque Reipublicæ, & omnis justi Principatus, ac fidelitatis inter Principes, & subditos conservativæ.

Patet hoc: quia Scriptura sacra omnis veritatis, quam ratio colligit, autoritatem continet, cùm illam aut apertè affirmat, aut nullatenùs negat: sed sacra Scriptura ex nulla ejus parte Assertionibus contradicit, maximè cùm Præceptum: *Non occides*, quod magis ceteris videtur eis contradicere, in nullo contradicit. Ergo &c. Consequentia patet, tam per præcedentia, quàm per viginti quatuor rationes, & per autoritates Doctorum, ac allegationes sacræ Scripturæ factas in Propositione partis negativæ.

Sed pro verificatione quartæ Assertionis, præter prædicta sic arguitur: Supposito quòd explorationes & insidiæ sint à Domino præceptæ, ut paD tet *Num.* XXI. & *Jos.* VIII. cuilibet tyranno, secundùm rigorem Justitiæ, debetur pro pœna, non solùm occidi villanè, sive innobiliter per bonas cautelas, explorationes, & insidias; sed etiam ipsius naturæ annichilatio: juxtà illud: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*, Thren. III. 22. Igitur omnis tyrannus, secundùm rigorem Justitiæ, meruit graviora quàm occidi villanè, aut innobiliter,

* *Hic aliquid desideratur: forsan* terrenæ, *loco* livore

* *Hic aliquid desideratur.*

ter per bonas cautelas, explorationes, & insidias: sed dum comparativus præsupponit positivum, consequens est, omninòque omnis tyrannus meretur occidi villanè, &c.

Sed quoniam Jus est, ratio, & æquitas quòd unicuique reddatur, & pariter debetur quod meretur; imò omni semoto dubio apud quemlibet scientem Jus, est ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur villanè per explorationes, & insidias, estque propria mors. A

Sequitur ulteriùs, quòd quinta, sexta, septima Assertiones, sunt veræ ex eadem radice, quâ præcedentes.

De octava verò dicitur, quòd est Catholica, & vera. Probatur: quia sumo istos textus sacri Evangelii, *Matth.* XVIII. & XIX. Cap. quibus dicitur. *Si oculus, manus, aut pes tui, te scandalisant, abscinde eos*, &c. *Sunt enim eunuchi, qui castraverunt seipsos propter Regnum cælorum*, &c. Aut adversarius recipit istos textus secundùm sensum litteralem, & sic licet seipsum mutilare, quod prohibetur hoc Præcepto: *Non occides*: vel redibit quòd licitum est, in casu, occidere absque judiciaria potestate, quod est prima Assertio: aut transibit ad sensum spiritualem litteræ; & habebitur propositum hujus B octavæ Assertionis.

De nona autem dicitur, quòd est vera in sensu proposito, & ad perjuria, multaque alia peccata, & damna temporalia viam præcludens.

Item. Patet ex rationibus factis, in proponendo pro parte quæstionis negativæ, quam per supra dicta, & confirmatur sic. Justitia enim, dum est comes juramenti, manifestum est quòd nullum juramentum socialitatis, quocumque modo sit, obligat, nisi ad æqualitatem Justitiæ. Sed æqualitate Justitiæ nulli fit præjudicium, sed inæqualite, dumtaxat Justitiæ, ad quam nullus obligatur, nec potest obligari, ut patet ex conditione præjudicii: quod præjudicium importat inæqualitatem Justitiæ. Ergo manifestum est, quòd in casu socialitatis juramenti, seu promissionis, &c. Sicut in Assertionibus.

Secunda Deliberatio.

Ex quibus omnibus concluditur, salvâ tamen C semper determinatione hujus sacrosancti Concilii Generalis, aut sanctæ Sedis Apostolicæ, quòd pars quæstionis negativa est tenenda, scilicet, quòd hæ novem Assertiones, &c. Judicio Fidei non sunt reprobandæ.

Et hæc dicta sint cum omni humilitate, & reverentia, & cum tanta sollicitudine inquirendi Catholicam veritatem: quâ comparatâ, semper fui, sum, & ero paratus eidem indubiè, & firmiter assentire. In testimonium præmissorum, me manu mea subscripsi.

Tertia Deliberatio.

Salvo semper meliori Judicio, dico, secundùm quod mihi apparet, quòd prædictæ novem Assertiones sunt disputabiles, & opinabiles, & deffensibiles, non interveniente in oppositum Ecclesiæ D Præcepto, aut prohibitione: sunt tamen propter ignaros, & non benè capientes, aliqualiter periculosæ, cùm nescientium sit conditio, etiam in malis, velle se Scripturis, & veritate velare. Undè sunt potiùs prohibendæ, non propter se, sed propter minùs benè intelligentes; sicut & dura cibaria licèt sanissima, infantibus prohibentur. Sic etiam istæ Assertiones, licèt non hæreticæ; tamen quia brigosæ, possunt à dogmatisatione prohiberi, non autem Fidei Judicio reprobari. Rationes quæ me movent, non adduco, pro præsenti, ad evitandum prolixitatem.

Quarta Deliberatio.

Protestationibus præmissis per me sæpiùs in alma Universitate mea, in pluribus actibus publicè repetitis, quibus adhæreo, & adhærere intendo, quamdiù vitam duxero in humanis, videlicet, quòd non intendo verbo, vel scripto aliquid dicere, vel scribere dissonum sacræ Scripturæ, Fidei, & veritati, determinationi Ecclesiæ sacro sanctæ, cui semper volo stare, eidem subesse, cui meipsum, & omnia dicta, vel scripta mea, præsentium tenore, submitto: protestando insuper, quòd non intendo hìc aliquid dicere, vel scribere in præjudicium, vel infamiam alicujus; maximè cùm non dicantur in cedula aliquem habere Assertorem, vel etiam in oppositum habere aliquam partem, vel saltem non mihi constat: sed intendo cum Fidei veritate liberare Regnum Franciæ, cujus sum indigena, quantùm mihi possibile est, ab infamia falsò, ut audivi, imposita per nonnullos, quòd in eodem Regno seminati sint, & pullulant errores in Fide, prætextu istarum novem Assertionum, quæ sunt; *Licitum est*, &c.

Quibus protestationibus præmissis ad quæstionem, quâ quærebatur; utrùm hæ novem Assertiones sunt Fidei Judicio reprobandæ. Respondeo sub duplici conclusione: quamquàm etiam pro parte mea respondi in cedula generali quatuor Ordinum Mendicantium digesta maturè, & cum multa deliberatione, & discussione confecta; videlicet prima, quòd nulla illarum novem Assertionum Judicio Fidei reprobanda est, eodem Judicio declarandum: ad quarum reprobationem me remitto ibidem: nisi quòd addo, ad reprobationem primæ Conclusionis talem rationem. Si enim hujusmodi Assertiones essent Fidei Judicio reprobandæ, ex hoc quod viderentur repugnare sacræ Scripturæ, vel contentis in ea; sequitur quòd opinio Hieronymi, de observatione Legalium, & reprehensione Cephæ, esset Judicio Fidei reprobanda: & etiam opinio de Conceptu Virginis gloriosæ, quod est reprehendere Ecclesiam, super opinabilitate de conservatione Legalium, & de Conceptionis festivatione. Si enim prima Assertio, cum aliis suis sequelis, de occisione tyranni, esset condemnanda Fidei Judicio, vel reprobanda, ex hoc, quòd asserit occisionem ipsius extra Judicium fore licitam; sequeretur quòd opinio Doctorum tenentium, Moysem licitè Ægyptium occidisse, esset Fidei Judicio reprobanda.

Item sequeretur quod opinio Tullii, de morte Julii Cæsaris, ad Fidei Judicium pertineret. Sequeretur etiam, quòd duobus Regibus invicem bellantibus, & eorum quolibet asserente, licitè in bello interfecisse; alter eorum necessariò erraret in Fide, & ad Judicium Fidei pertineret: quod videtur absurdum, nec per Principes sustinendum tanquàm eis præjudiciale, & injuriosum.

Pro secunda Conclusione adduco quamdam rationem fundatam super restitutione famæ læsæ fienda, de necessitate salutis, per illos qui possunt restituere, vel facere restitui, juridicè interpellati: & sic formetur ratio. Quandocumque aliqua persona, vel Communitas est falsè diffamata, præsertim de crimine hæresis, quod est pessimæ notæ, debet per Judicem interpellatum contra illam infamiam provideri, & fieri restitutio spoliato. Sed Regnum Franciæ est de erroribus in Fide, prætextu harum Assertionum falsè, & perperàm diffamatum, cùm non pertineat ad Fidem, ut ostensum est in prima Conclusione: ergo Judices debent in causa Fidei hujusmodi

modi infamiam providere, & Regno spoliato restituere famam suam: non potest autem meliùs restitui, quàm Propositiones non pertinentes ad Fidem, declarare per Judices Fidei non fore tanquàm in Fide erroneas reprobandas.

Major, & Minor sunt notæ. Post quarum Conclusionum probationem addo tertiam Conclusionem, quæ talis est.

Quælibet dictarum Assertionum est opiniabilis, & sustinibilis tanquàm vera, nec sunt propositæ aliquæ rationes . . . . . . sint solubiles, & faciliter dissolvendæ.

Ista Conclusio duas habet partes; quarum prima sic probatur. Et primò, de prima Assertione: quia licitum est Lege naturali, cuilibet membro succurrere saluti corporis sui, & vitæ, etiam per interemptionem cujuslibet membri alteriùs in vitam capitis machinantis. Lege etiam morali tenetur vassallus, ut ait Ostiensii, *in Summa*, tit. *de fidelitate vassallorum, & forma juramenti*. §. x. *Quid sit fidelitas*. Et concordat Raymundus, Lib. II. *De raptoribus*. §. XVI. de quibusdam, in fine, cum Glosa. Et Veritas, *Lib.* I. *Tractatu primo*. C. XI. Tenetur, inquam, vassallus, ex juramento, ad incolumitatem servandam sui Domini. Concordat Joannes, *in Summa Confessorum*, dicens, quòd vassallus debet habere semper in memoria quæ in istis versibus continentur:

Incolume, facile, tutum quoque possis honestum
Utile consilium fidus dabit, auxiliumque.

Hoc etiam divina Lege est exemplatum in Moyse Ægyptium perimente, injuriantem Hebræum. Quantò magis si egisset in salutem Domini naturalis. Quod exemplum habetur *Exod.* II. Fuit etiam exemplatum in Joab, Absalon occidente, non ex Præcepto Regis. 2. *Reg.* XVIII. Ex quo patet prima, secunda, & tertia Assertiones, non solùm de licito, & authorisatione, sed de laudabili, & meritorio.

Interroget se unusquisque, si laudaret, & præmiaret, ad posse, liberantem ipsum de nece injusta. Neque insidiæ maleficiant hujusmodi occisionem: Hieu enim laudatus est à Deo de studiosa, & insidiosa Sacerdotum Baal occisione. 4. *Reg.* x. Per Josue etiam insidiæ fuerunt, de Mandato Domini, exemplatæ, *Jos.* VIII.

Nec modus mortis, quòd dicitur debere occidi, villanè, Gallicè, *vilainement*, tales tyrannos infideles, nocet Assertioni; cùm crimen etiam sit villanum, hoc est, ignobile. Undè secundùm Tullium: *Vera illa nobilitas est, quæ moribus comprobatur ornata.* Et per consequens, est rusticitas, quæ moribus sordidatur.

Quarta etiam Assertio ex prædictis apparet vera; & præsertim si capiatur ejus sensus litteralis, qui, ut allegatur contra octavam Assertionem, per eandem impugnantiam debet attendi, & cognoscitur per circumstantias litteræ præcedentis, & sequentis; & qui etiam dicitur ad sensum, in quo loquens intelligit. Cujus sententiæ est Doctor subtilis, in quarto: prout etiam extitit allegatum in cedula communi, volens probare, quòd hæc Propositio non est figurativa: *Hoc est, Corpus meum*, & probat per hoc quod sequitur: *Quod pro vobis tradetur*, 1. Cor. XI. 24. Et quòd ista sit figurativa: *Petra erat Christus*, 1. Cor. X. 4. Probat per hoc quod præcedit: *Bibebant de spiritali*, &c. Constat autem, quòd tres Assertiones præcedentes, & tres sequentes loquuntur de tyranno specificato, & hostili, & non . . . Ergo secundùm sensum suum litteralem, qui capiendus est, ut dictum est, ex præcedenti, & sequenti, & ab intentione loquentis, hæc Assertio quarta non loquitur universaliter de tyranno: & sic patent primæ septem Assertiones.

Pro octava verò notandum, quòd proponens aliqua in sacra Scriptura, præsertim parabolica, & figurativa, duplicem habent sensum. Unum, quem faciunt, qui dicitur exterior, & superficialis, quem gignunt, prima fronte, in animo audientis, nec latens mysterium capientis talium* in quo fiunt, & dicitur exterior, & medullarum; sicut patet exemplo de nuce, quæ alium colorem ingerit sensui visûs in cor-
A tice, & in testa, & alium in medulla: alium etiam saporem sensui gustûs cortex ingerit, & alium nucleus latens. Sic ergo Propositiones in sacra Scriptura, in sensu quem verba faciunt, prima fronte, nonnullæ nondùm capientibus sensum quem flagitat Spiritus sanctus, & non intelligendo in sensu Spiritus sancti, in errorem inducunt. Hujus sententiæ est expressè Gregorius, *in Prologo Moralium* Cap. III. Et super Ezechielem, ut in communi cedula ponebatur: hujus sententiæ est Dominus Bonaventura expressè, in *Lib.* III. Sententiarum.

Concordant etiam in virtute impugnatores istius Assertionis octavæ dicentis, quòd Spiritus sanctus loquitur in sacrâ Scripturâ, non utendo terminis principaliter aliquando, & quòd non intendit quòd quiescatur in illis: qui tamen termini sunt facientes sensum suum terminalem, & litteralem; sic enim littera occidit, & esset error. Non ergo standum est in sensu terminorum, quibus non principaliter utitur
B Spiritus sanctus; sed sensu rerum, quibus utitur ad significandum alias res.

Est ergo verum, quòd Lex Vetus & Nova, semper habent aliquem sensum litteralem verum, ex quo fit efficax Argumentum, secundùm Augustinum. Cumque hoc tamen stat, quòd semper tenere sensum litteralem verum, quem faciunt termini, & littera, inducunt in errorem, in sensu terminorum quiescendo.

Nec ex hoc confunditur sacra Scriptura; nec sensus litteralis, quem intendit Spiritus sanctus, est falsus: & patet etiam, quòd sensus Grammaticalis est litteralis.

Et licèt dicatur, quòd sacra Scriptura habeat Logicam pro se, & Grammaticam, hoc est, quòd non subjicitur eis, cùm sit Domina, & ipsæ ancillæ: nihilominùs tamen ipsa utitur communiter illarum servitio: alioquin non oporteret ad intelligendum sacram Scripturam addiscere alias artes. Et sic
C patet octava.

Nona verò probatur: quoniam juramentum non est servandum, cui deficiunt comites juramenti, Justitia, Judicium, & Veritas, vel aliquis illorum. Nunc autem juramentum, quod vergit in præjudidium, & contra Jus sponsæ, aut liberorum, quibus sponsus, & Pater ampliùs obligatur, caret Justitia, & Judicio, quia contra Jus, & per consequens, indiscretè. Hujus Sententiæ est Canon. XXII. *q.* V. per totum. Idem Alexander de Halis; Sanctus Thomas; Bonaventura; Joannes, in Summa Confessorum, *Lib.* I. *tit.* IV. Et sic patet prima Propositio.

Secunda pars probatur per responsionem ad Argumenta in oppositum facta, & præsertim ad illa, quæ fundabantur super Præcepto: *Non occides*.

Clarum est quòd istud Præceptum non loquitur prohibendo omnem occisionem; sed innocentis,
D propria authoritata, & livore vindictæ: & sic currunt omnes authoritates.

Similiter respondetur ad Argumenta fundata super illud Præceptum: *Non perjurabis*, contra nonam, quòd juramentum benè circumstantionatum, ac debitis comitibus convallatum, est servandum; aliàs non.

Ad Argumentum ergo arguunt, quòd nullus debet occidi, nisi pro crimine notorio, notorietate Juris, & facti. Dicitur, quòd hoc verum est, in Foro ju-

* *Locus corruptus.*

judiciali: in casu tamen multiplici non est verum, & de fure nocturno, de quo præsumitur quòd veniat ad occidendum. Idem, de invadente ad mortem, & de prædone viarum, & universaliter in casu necessitatis, ubi Judicium haberi non possit.

Et cùm replicatur, quòd sic de quolibet fingi posset; pariformiter arguam in casibus dictis, & conceditur; dùm tamen eadem Judicia procedant, & idem casus necessitatis. Ad aliud.

Quod etiam Achilles cùm arguunt, quod contradictoria istius: *Licitum est unicuique*, &c. est Catholica *, & per consequens hæretica: negatur Antecedens. Et cùm probatur, quia contradictoria illius est: *Non est licitum unicuique subdito interficere hunc tyrannum*, demonstrato aliquo singulari, pro quo verificatur, & hæc est vera: conceditur. Sed hæc non est contradictoria Assertionis; sed hæc: *Non est licitum unicuique subdito interficere hunc tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem*, &c. cum aliis circumstantiis qualificabilibus positis in Assertione, quæ falsa, & per consequens Assertio vera.

Ad illud de inevitabilitate, cùm dicit; quòd non est casus inevitabilis necessitatis, qui præsupponit, vel præsupponebatur ad colorandum Assertionem. Respondet, quòd imò, est casus inevitabilis necessitatis: cautus enim timeri debet, & forsan plùs actus homicidii, & ictus Domini † exercitus & continuatus, præsertim per sortilegos peritissimos, & maleficos, ac signanter ubi jam aliqui effectus salutem Regis abstulisse notoriè famâ publicâ vulgarentur, licèt occultissimi, quantùm possent, exercerentur, quàm gladius extentus, cui Rex posset obviare, deffendendo seipsum; non autem artibus ipsis occultis, & qui citò ad optatum effectum, nisi celeriter succurreretur, haberet devenire, ex dispositionibus prævijs introducentibus mortem, & ex cupiditate tyranni, quæ pro quolibet momento mortis circulum & periculum comminatur.

* *Locus corruptus.* † *Locus corruptus.*

Deliberatio Quinta,

Conclusionis partis negativæ.

IN primis, & antè omnia protestor, quòd in materia hujusmodi novem Assertionum, aut alia quacumque, non intendo, nec volo quidquam pertinaciter asserere, aut dicere, aut scribere, nisi quod asserendum, dicendum, aut scribendum; sed omnia per me dicenda submitto correctioni, atque determinationi sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, sacri Generalis Concilii, & Reverendissimorum Patrum, & Dominorum Judicum prædictorum, quorum determinationi semper adhærere intendo, & cum Dei auxilio semper adhærebo.

Protestor ulteriùs, quòd non intendo dicere, vel asserere aliquem esse, vel fuisse talem tyrannum, de quo loquuntur Assertiones prædictæ; cùm ab illius existentia, vel non existentia, non dependeat veritas, falsitas, vel probabilitas dictarum Assertionum, & potissimùm primæ.

Secundò patet, quòd si nullus esset Rex, vel Dominus, si nullus subditus, nullus insuper talis tyrannus, nihilominùs essent veræ, ac non condemnandæ. Tyrannus est licitè capitaliter puniendus. Subditus vassallus debet suo Regi, & Domino fidelitatem, & eum à morte liberare, atque præservare, quemadmodùm veritates harum Propositionum: Homo est animal. Homo est risibilis. Animal est substantia non dependens ab existentia extremorum: nam sit homo vel non sit; nihilominùs dictæ Propositiones veræ sunt, & ut tales ab antiquis Doctoribus, & famosis conceduntur.

Ex quo sequitur, quòd veritati, vel falsitati dictarum Assertionum impertinens est existentia extremorum, seu rerum per eadem extrema designatarum: non enim videtur ad propositum, pro earum verificatione, aut falsificatione, assumere singulares, aut determinatas existentias rerum per hujusmodi extrema designatas, cùm impertinens & extrinseca esse videatur: hoc enim non est verificabiliter inquirere per essentialia, ac priora, nec per substantialia posteriora; sed promere extrinseca, & extranea, quæ nihil conferunt ad cognoscendum verum esse A rei, seu verum quod quid est ipsius; ut deducit Aristoteles, Procemio *De anima*, & sui expositores famosi & solemnes Doctores: sed ad veritatem potiùs impediunt. Nam & homines intellectum habentes, & affectus conversos ad actus particulares, & determinatos, seu ad rerum designatarum existentias singulares, atque determinatas, minùs videntur dispositi ad sufficienter judicandum de hujusmodi Assertionum qualitate, veritate, seu falsitate, aut earum etiam probabilitate.

De istarum enim Propositionum: Homo est animal. Homo est risibilis, & similium qualitate, diversimodè nonnulli Doctores conceperunt. Obstante enim hujusmodi existentia rerum per eandem existentiam designatarum præconcepta, tanquàm necessaria causa hujusmodi suæ qualitatis, seu veritatis, nulli dixerunt, præfatas Propositiones esse falsas, nullo B homine in rerum natura existente: cujus oppositum tenuerunt omnes antiqui Philosophi, omnes Doctores Catholici, de hujusmodi Propositionibus, quæ per se sunt, loquentes.

Quod noviter dicitur, quia hoc quod hîc dicitur universaliter veritatem suscipere non potest; quia quædam sunt Propositiones, quarum alterum extremorum denotat existentiam in effectu, aut illam præsupponit: & ita non extrinseca, & impertinens esse videtur hujusmodi existentia qualitati, seu veritati hujusmodi Propositionum; sed potiùs esse videtur, quemadmodùm est de istis Propositionibus. Homo est. Homo existit. Homo erit. Homo loquitur: in his Propositionibus alterum extremorum, vel est existentia, vel existentia in effectu, & in rerum natura, & non tantùm in ratione, vel in intellectu præsupposita; cursus enim, vel locutio præsupponit alicujus existentiam, non in ratione tantùm, sed in effectu, & in rerum natura, ut manifestum est, prout scilicet C alteri intelliguntur inesse; seu ad aliud non sui generis intelliguntur referri, scilicet ad genus substantiæ, vel ipsam substantiam.

Ex quo sequitur, quòd rationes ad hanc materiam adductæ, vel etiam adducentes, sumptæ ex actibus particularibus; ut puta in hac, & istius occasione activè, vel etiam passivè designatæ, impertinentes sunt, nec ad propositum esse videntur, minimè viam dantes attingendi, vel potiùs præcludendi & illam impediendi.

Sic igitur intellectus cupiens veram qualitatem hujus materiæ videre, se ipsum, quantùm possibile est, abstrahat ab omni quod in facto est: nam ea quæ sunt in facto concernentia hanc materiam propriè & directè, & secundùm quod hujusmodi potiùs justificant, vel bonificant; injustificant, vel maleficant, quàm verificent, vel falsificent: posset enim contingere, D quòd Sortes, de crimine capitali convictus, & dignus morte, punitione, atque damnatione indebitè & iniquè per suum Judicem puniretur, & damnaretur: quia ex odio, vel rancore, vel alia indebita affectione, & non ex amore Veritatis, vel Justitiæ: ex quo tamen debet in suis actibus judicialibus procedere.

Non minùs tamen hæc est vera: Hîc homo, Sorte demonstrato, de crimine capitali convictus, est licitè puniendus: vel hæc: Licitum est hominem, vel

vel hunc hominem, Sorte demonstrato, de crimine capitali convictum, capitaliter punire; ut est manifestum: ex hoc enim quòd, in facto, ex parte punientis, vel occidentis, vel occidi jubentis argui, vel inferri non potest falsitas hujusmodi Propositionum.

Undè etsi Judex ex levibus conjecturis procederet ad punitionem capitalem Sortis capitaliter criminosi, ignoti tamen, & non notorii notorietate Juris, vel facti, non minùs vera esset hæc Propositio: Licitum est capitaliter criminosum capitaliter punire, seu sibi mortem inferre. Potest tamen hujusmodi judicialis reprobari, atque damnari.

His præmissis, sub protestationibus, & correctione ante dictis, hanc unicam pono Conclusionem ad quæstionem responsalem, videlicet, quòd hæ novem Assertiones non sunt Fidei Judicio reprobandæ. Quæ sic deducitur: & primò quoad primam Assertionem: deindè quoad alias, secundùm ordinem.

Deducitur igitur sic hæc Conclusio, quoad hujusmodi primam Assertionem etiam secundùm se consideratam; & secundùm intellectum quem facere potest, & facit per se, & ex terminis suis: nam si in dicta prima Assertione sit aliquis error in Fide, aut aliquis esse videatur, propter quem veniat Fidei Judicio reprobanda; ille designatur per hos terminos, seu clausulam: *Sine quocumque Mandato, aut Præcepto*, prout ad longum aliàs deducit Reverendus Pater, Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis. Sed constare videtur, quòd per hos terminos, seu præfatam clausulam designari non potest.

Primò, propter determinationem immediatè subsequentem; hanc scilicet, *secundùm Legem naturalem, moralem, & divinam*: per quam clarè innui videtur, & innuitur, hujusmodi licitatem per *licitum* denotatam, ortum habere ex conformitate actus, sive occisionis, communiter per li *occidere* denotata, ad Leges prædictas: quam quidem conformitatem notoriè designant ex sua impositione li *secundùm*. Per eamdem insuper determinationem, negatio inclusa in hac dictione, *sine*, & universalitas designata in hoc signo universali *quocumque*, restringi videntur, & restringuntur, ac restringi intelliguntur ad naturam, seu modum ejusdem determinationis immediatè subsequentis, ut non quodcumque Mandatum, sive Præceptum excludatur, sed tantùm superveniens, & novum. Non autem excluderetur, nec posset excludi Mandatum antiquum, seu Præceptum Legum consequens Leges ipsas, & earum promulgationem, sicut passio suum consequitur subjectum, prout etiam, per expressum, innuere visus est Pater Reverendus, Dominus Cancellarius: nam ut ait, & benè, *Lex Mandatum est*.

Sic igitur, ex propriis suis terminis, videtur dicta Assertio excludere errorem illum, quem præfatus Dominus Cancellarius dicit in dicta Assertione inclusum esse; nec, ut videtur, ex aliis terminis, vel clausulis dictæ Assertionis potest aliquis alius error corrigi: nam si ex aliquibus, maximè esset ex his duabus clausulis: *Licet unicuique subdito*, & *quemlibet tyrannum*, prout prætendit Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus, Dominus Cardinalis Cameracensis, in sua publicatione publicè lecta, & visus est prætendere dictus Dominus Cancellarius, in sua publica Audientia, publicè asserentes, hanc Assertionem: *Quilibet tyrannus*, &c. esse, & fuisse rationabiliter condemnatam, tanquàm in Fide, & moribus erroneam; quia virtualiter, & in dictis novem Assertionibus contenta, & maximè in dicta prima Assertione; quæ, etsi rationabilis sit dicta Assertio, *Quilibet tyrannus*, &c. condemnata, ut asserunt, est benè.

Non tamen ex ipsius condemnatione inferri, aut rationabiliter concludi potest istarum novem Assertionum condemnatio, cùm istarum novem Assertionum doctrina, doctrinam illius, *Quilibet tyrannus* &c. non videatur continere, prout ad longum deductum videtur inferiùs, in quadam cedula responsiva ad ea quæ tacta sunt, & aperta publicè per præfatum Reverendum Patrem Dominum, Dominum Cardinalem Cameracensem, quæ sic incipit: *Qui Reverendus in Christo Pater.*

A Forsan color est, & apparentia major esse potest, quòd ex his duabus clausulis: *Licitum est unicuique subdito, quemlibet tyrannum occidere*; cùm dicta Propositio, vel Assertio, has duas clausulas tantùm apprehendit, aliis rejectis, quæ aliquid veritatis, falsitatis, aut probabilitatis asserere possent.

Sed manifestum est, quòd ex his duabus clausulis, ut sunt dictæ primæ Assertionis partes, & clausulæ, inferri non potest hujusmodi Propositio, sive Assertio; cùm in dicta prima Assertione nomen tyranni, seu li *tyrannum*, licèt etiam sit verbaliter distributum, per signum universale limitatur ad standum, seu supponendum tantùm pro omni illo qui tyrannus est, & Dominum Superiorem, sive Supremum habet, sit ille tyrannus Dominus, vel non Dominus: quæ limitatio ad sic standum, vel supponendum, ortum habet ex immediata determinatione B subsequente, hac scilicet: *Qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & Supremi Domini*: & notorium est, & manifestum.

In hac autem Propositione: *Licitum est unicuique subdito quemlibet tyrannum occidere*, manifestum est, & notorium, li *tyrannum* universaliter, & sine limitatione distributum, pro omni tyranno stare, atque supponere, sit Dominus, vel non Dominus; sit Supremus, vel inferior, & subditus.

Et quia manifestè constat Consequentiam non valere, arguendo à minùs communiter tento, ad majus communiter tentum distributum, sequitur manifestè ex his duabus Propositionibus, ut clausulæ sunt, & partes hujusmodi primæ Assertionis, hujusmodi Propositionem, seu Assertionem: *Licitum est unicuique subdito quemlibet tyrannum occidere*, inferri, aut concludi non posse; cùm non sequitur: omnis homo albus currit; ergo omnis homo currit. Quæ C etsi non sequatur, ut apparet, forsan tamen non tam probabilis, sed & quamplurimis vera esse videtur. Hæc enim vera esse videtur, singulis singula reddendo: *Quemlibet unicuique subdito occidere licitum est tyrannum*; quam suscipiunt pro eadem, singulis singula reddendo, pro hac scilicet: *Licitum est unicuique subdito quemlibet tyrannum occidere.*

Et quia, secundùm doctrinam Aristotelis, & aliorum Philosophorum, ceterorumque Catholicorum, cum quibus concordat Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, tyrannorum duplex est modus. Est enim, sive esse potest aliquis tyrannus, qui verum titulum habet principandi, aut in Monarchia dominandi; tyrannicè tamen principatur, non ad commune, sed ad privatum conferens bonum. Alius ta- D men est, qui verum titulum non habet, sed illo carens actualiter, & cum effectu principatur, atque dominatur, ad proprium suum conferens, non ad id quod est subditorum. Ideò primò deducitur dicta Propositio, quoad secundum modum, sive speciem tyrannorum: deindè quoad primum modum, sive speciem.

Quoad secundùm ergo modum, deducitur dicta Propositio; primò, per sanctum Thomam, II. *Sentent. Distinct. ulti.* sic dicentem: *Quando aliquis*, inquit, *aliquod Dominium sibi per violentiam surripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali*

invaſore Judicium poſſit fieri; *tunc enim qui ad liberationem Patriæ talem tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.* Sed in caſu aliquo, tali tyranno principante, ad Superiorem recurſus haberi non poteſt, per quem Judicium de tali invaſore fieri poſſit: tamen quia hujuſmodi Monarchia, cui actu principatur, non Jure, ſed injuria, ſuprema eſt, non habens Superiorem ſuo Monarchiatui: inſuper, quia ordinariam Juſtitiam Monarcha impedit, detinet, & occupat, vim inferens, & potentior exiſtens, ut dicit Ariſtoteles. Et de hujuſmodi tyrannis, idem ſanctus Thomas, in Libro, *De regimine Principum,* A *ad Regem Cypri*, ſic dicit: *Fortaſſis autem*, inquit, *nec fidelitati contrarium reputabitur, ſecundùm opinionem multorum, ſi tyrannicæ nequitiæ qualitercumque obvietur.*

Ex quibus verbis clarè elicitur, quòd apud multos antiquos Doctores, hujus ſancti Doctoris prædeceſſores, ſit probabile reputatum, & probabiliter tentum, & exiſtimatum, licere quemlibet tyrannum unicuique ſuo ſubdito occidere, quod * ſi qualitercumque modum, ſive qualitatem denotet, & notoriè ex ſua impoſitione illius modi, vel qualitatis univerſalitatem diſtributam.

Cùm igitur talem tyrannum præveniri per quemlibet ſuum prætenſum ſubditum, ſit aliquis modus obviandi hujuſmodi tyrannicæ nequitiæ, & tyranno, ut notorium eſt, & manifeſtum: ſequitur propoſitum.

Ex quibus inſuper verbis elicitur, quòd præfatus B ſanctus Doctor horum doctrinam, vel ſuorum prædeceſſorum ſententiam non damnavit, nec eam pro damnata reputavit; ſed dubius circa eam manſit: quod elicitur ex hoc verbo, *Fortaſſis*, quod dubietatem notoriè deſignare videtur, & deſignat: quam quidem ſententiam ſi nam † cautus Doctor damnavit, nec quamplures ſui prædeceſſores, ut aſſerit; ſed dubii circa eam extiterunt. Quid opus eſt nunc eam damnare, vel approbare? Si etiam ex ipſius damnatione nullius ſequeretur nota, vel offenſa, nullum indè expectaretur periculum.

De ſimilibus tyrannis loquens Magiſter Nicolaus de Lyra, *Judic.* IV. eandem dicit ſententiam. Loquens enim de interfectione Siſaræ dicit, quòd Jahel fecit rem licitam, & meritoriam; & quòd poteſtatem, & titulum occidendi habuerit; &, ut aſſerit ille Doctor, manifeſtum relinquitur quòd non C tantùm habuit hanc poteſtatem, vel titulum; ſed & quodlibet aliud membrum dicti populi, vel Communitatis, & unicuique de dicto populo liceret hujuſmodi tyrannum licitè interficere, & non tantùm illum licitè interficere, ſed quemlibet talem ſic illum populum opprimentem.

Similem ſententiam, per expreſſum, tenere videtur Henricus Bohic, ſolemnis Doctor Canonum, Libro ſui operis, ſuper Capitulo interfecti ſententialiter; & in effectu dicit, quòd quis pro ſeipſo, aut etiam proximo ſalvando, ubi aliter ſalvari non poteſt, licitè poteſt alterum, ſe, vel proximum injuſtè invadentem, occidere: quod multis rationibus ſumptis ex Jure Canonico, & civili, ac inſuper Jure divino nititur deducere, & deducit; quas hîc recitare omitto, causâ brevitatis.

Quo ergo ad hanc ſpeciem tyrannorum videtur deducta ſufficienter dicta Propoſitio, ſcilicet hæc: D *Quemlibet tyrannum unicuique ſubdito licitum eſt occidere.* Vel hæc: *Licitum eſt unicuique quemlibet tyrannum occidere*, ut tactum eſt.

Quo autem ad primam ſpeciem; deducitur ſic: Saliſberienſis Doctor famoſus, & ſolemnis, tertio Libro ſui Politici ſic dicit; *Cùm*, inquit, *multa ſunt crimina* ‡ *Majeſtatis, nullùm gravius tyrannidis crimine, quod adverſùs ipſum corpus Juſtitiæ exercetur.* Si igitur adversùs corpus Juſtitiæ exerceretur hoc tyrannidis crimen, ut ait iſte Doctor, hujuſmodi corpori licitum eſt tali tyrannidi defenſivè obviare: ſed impoſſibile eſt corpus ſine membris in tyrannidem ſibi obviando moveri. Ergò licitum eſt cuilibet membro dicti corporis hujuſmodi tyrannidi obviare, & ſuam vim, pro ut ſibi, & præfato corpori neceſſarium eſt, expediens, & utile, repellere.

* *Locus corruptus.* † *Forſan* non. ‡ *Forſan legendum* leſæ Majeſtatis.

Hanc eandem ſententiam, & intentionem ſuam per ampliùs declarando, in eodem tertio Libro, loquens univerſaliter de tyranno, dicit ſic: *Et quiſquis eum non perſequitur; in ſe ipſum, & in totum Reipublicæ mundanæ corpus delinquit.* Ex quibus verbis clarè elicitur, quòd non tantùm licitum, ſed & debitum eſt unicuique ſubdito proſequi talem tyrannum.

Et quia conſtat dictum Doctorem univerſaliter loqui de tyrannidis crimine; poſſunt hæc, & alia ſimilia ſua verba rationabiliter intelligi de quocumque tali crimine criminoſo. Sic Dominus lapſus in tyrannidem, non Dominus, ſed tantùm hoſtis, & Reipublicæ inimicus *,

Inſuper VIII. Libro ejuſdem Policratici, de hujuſmodi tyrannidis crimine loquens, dicit ſic: *Origo tyranni iniquitas eſt, & de radice toxicata, mala, & peſtifera germinat, & pullulat arbor ſecuri qualibet ſcindenda.* Ex quibus verbis clarè elicitur, licitum eſſe unicuique ſubdito, ſuum talem Dominum occidere: cùm notorium eſt, & manifeſtum, per hanc ſuam clauſulam *ſecuri qualibet ſcindenda*, nòn aliud poſſe intelligi, quàm ſubditum quemlibet: cùm inſuper manifeſtum eſt per hanc ſuam clauſulam, *& de radice toxicata, mala, & peſtifera germinat, & pullulat arbor*, non aliud poſſe intelligi, quàm ipſum criminoſum tyrannum.

Eandem ſequendo ſententiam, eodem *Libro* VIII. C. 25. ejuſdem Policratici, dicit ſic: *Tyrannus provocat Deum ad prælium, Principem, & omnes, dum nititur populum in ſervitutem redigere.* Et ſubjungit in eodem Capitulo: *Per impietatem tyrannicam perdit tyrannus Jura Principatus.* Ex qua ultima ſententia, vel clauſula clarè apparet, quòd loquens de tyranno, loquitur de Domino lapſo in tyrannidem.

Quæ ſententia non tantùm apud hunc venerabilem, & famoſum Doctorem probabilis eſſe videtur; ſed apud quamplures alios famoſos Doctores, qui hac ratione moventur: Regalis Principatus, cui tyrannis per ſe opponitur, eſt omnis finis, & ornatus Legis, & ordinis diſtributio; Rex enim diſtribuit omni officio, dignitati, & negotio finem proprium, ad quem tendit Lex, quâ reguletur in actibus, quibus ad finem præfatum pervenitur, & ordinem, quoad Reipublicæ conſervationem, ordinetur, prout pulchrè deducit Beatus Dionyſius, in Libro, *De divinis nominibus* C. XII. ſic Regnum definiens: *Regnum, eſt omnis finis, & ordinis diſtributio*: *ſed ſublatio, confuſio.* Quod luce clariùs poteſt apparere ex proprietatibus, & conditionibus iniquitatis tyrannicæ, oppoſitis per ſe proprietatibus, & conditionibus Regalis dignitatis.

Cùm igitur Regalis hujuſmodi Principatus, ex hominum conſenſu, & aſſenſu, & ad fines prædictos mediatè vel immediatè illi inhæreat cui inhæret, & cui Princeps eſt, nuncupatur; ſequitur, quòd per hujuſmodi conſenſus & aſſenſus ſublationem juſtam, & rationabilem ſupra dictam, ex actibus notoriis, & manifeſtis, in oppreſſione totius Reipublicæ relatis, talis tyrannus Jura ſibi priùs quæſita perdit Principatus: ait enim Philoſophus, III. *Politicæ*, quòd tyrannicus Principatus incorrigibilis eſt, & involuntarius, ad proprium ſuum conferens, non ad id quod eſt ſubditorum, ut dictum eſt: nullus enim voluntarius liberorum ſuſtinet talem Principatum, ut ait Ariſtoteles. Ex

* *Videtur addendum* eſt.

Ex quibus verbis elicitur, sublatus illius populi consensus*, insuper necesse est omnes actiones injustas esse. Ait enim Philosophus: *Actiones*, inquit, *quascumque tyrannus egit*, *necessarium est omnes esse injustas*. Quas etiam necessarium est omnes esse notorias, & manifestas, ex deducendis inferiùs.

Non tamen hac ratione præfati Doctores sic moti, aiunt, Principem Principatum amittere, ex ejus lapsu in aliud quodcumque crimen, vel peccatum.

Simili ratione moti quamplurimi solemnes & famosi Doctores Theologi, aiunt: nostrum supremum Principem Ecclesiasticum, Summum scilicet Principem & Pontificem, ex ejus lapsu in tyrannidem spiritualem directè oppositam suæ Regali spirituali Dignitati, quæ ad finem spiritualis ædificationis est à Christo spiritualiter ordinata, Jura Principatus præfati sibi priùs quæsita amittere, sine puri hominis vel Judicio, vel Sententia, nisi forsan amissionis declarativa: cùm, ut aiunt, hic Regalis spiritualis Principatus à Christo immediatè sit suæ sponsæ, scilicet Ecclesiæ communicatus in certa persona, scilicet persona Petri; non tantùm etiam pro se, sed & pro suis successoribus legitimis, usque in consummationem sæculi futuris, ad finem dumtaxat prædictum; finem, in quantum † distributionis omnis finis & ornanatus spiritualis Legis, & ordinis in toto mystico Ecclesiæ: quem quidem finem, sive distributionem evidenter auffert hic Regalis Principatus Ecclesiasticus, in hujusmodi tyrannidem spiritualem prolapsus.

Nec tamen aiunt hi Doctores, sic loquentes; hunc Principem, ex quibuscumque suis actibus vitiosis Jura Principatus amittere, & in tyrannidem lapsum esse: sed vel ex actibus directè, & per se Fidei Catholicæ oppositis, & occultis; si pertinax, & irrevocabilis adsit adhæsio; vel ex actibus notoriis, & manifestis relatis, in oppressionem, detrimentum, & læsionem Fidei, sanæ doctrinæ, & morum totius Reipublicæ, cui spiritualiter præsidet.

His igitur rationibus; aliis quibuscumque omissis, quæ sumi possent ex comparatione veri, & naturalis corporis, & suorum membrorum ad corpus mysticum politiæ, & ipsius membra, quæ magnam faciunt, & causant probabilitatis præfatæ Conclusionis apparentiam, hujus scilicet: *Quemlibet tyrannum unicuique suo subdito licitum est occidere*; apparet ejusdem Conclusionis probabilis apparentia, quam non infirmare videtur illud quod scribitur; Heb. XIII. 17. *Obedite Principibus vestris, etiam dyscolis* Obedite, inquam, in his quæ sunt distributionis omnis finis, & ornatus Legis, & ordinis: finis, inquam, & ornatus politici, & civilis Legis, similiter & ordinis: quæ quidem distributio, etsi in Principe infideli, dyscolo, & à Fide devio possit contingere: in Principe tamen lapso in tyrannidem stare non potest, cùm ex prioribus, tyrannicus Principatus sit omnis finis, & ornatus Legis & ordinis corruptio, confusio, atque turbatio.

Et si præfata Conclusio, Propositio, vel Assertio, non obstante hujusmodi probabilitatis apparentia, certitudinaliter falsa nosceretur; non tamen, ut videtur, expediret ipsam condemnare, vel etiam reprobare: ipsius namque damnatio videtur clarissimè favorem asserere ‡ pessimo crimini tyrannidis; nec occasione hujus probabilitatis, vel apparentiæ, expediret illam quovis modo approbare: ipsius namque approbatio habenas videtur laxare fragilitati nostræ naturæ, quæ ab adolescentia prona est ad malum, & passionibus ex ipsius corruptione in ea subortis, cum præventione rationis, locum dare.

Et si periculosus est error Fidei in his quæ intellectum purè speculativum concernunt; quemadmodùm est error oppositus Catholicis veritatibus in Symbolis per expressum contentis: sic & periculosus est, imò periculosissimus, & omnis politiæ, seu finis politici, Legis, & ordinis turbativus, atque corruptivus Fidei, in his quæ intellectum purè practicum concernere possunt. Quemadmodùm est error oppositus Catholicis veritatibus correspondentibus Præceptis Decalogi secundùm sensum & intellectum sanctorum Doctorum; & A ad finem, ad quem à Deo specialiter nobis data sunt & revelata. Tales enim veritates sunt determinatæ atque diffinitæ: Fidei nostræ Catholicæ veritates, inviolabiliter, & indubiè à quocumque Catholico tenendæ; & oppositæ falsitates damnatæ, & à quolibet Catholico, ut tales respuendæ; nec credendum est, aliquem Doctorem Catholicum oppositum concepisse, scripsisse, & dixisse.

Quis forsitan dicere posset, aut potuit, & non immeritò, quòd materia hujusmodi Præceptorum, circa quam versantur; hoc est, ipsa moralia, quæ in se, & secundùm se considerata in lumine naturalis rationis, & ex eodem deducuntur, & ad finem referuntur, ad quem intellectus cum effectu, ex eodem lumine dumtaxat, potest inferri; non sunt Fidei, nec de Fide? Quod evidentissimum esse videtur: quia hujusmodi materia, id est, ipsa moralia, B hoc modo referri non possunt in finem, qui Deus est, nisi secundùm quod ex ipsis creaturis concipitur.

Sed constat, quòd talis ipsius Dei conceptus fidelis, & Catholicus, seu * non Fidei conceptus, cùm similem possint habere conceptum ipsi Pagani, & similem habeant, ut supponitur, & est manifestum. Data enim sunt nobis, & à Deo proposita hujusmodi Præcepta, seu moralia, ad finem Charitatis, qui Deus est; qui finis Charitatis, Fidem Fidei præsupponit, ex quodam essentiali ordine Charitatis ad Fidem: hic autem finis Fidei, prima veritas est, in se capta, non per relationem ad ipsas creaturas; quia conceptus ex his tantùm ortum habens, potiùs est naturalis conceptus, quàm Fidei, ut dictum est. Qua propter hujusmodi moralia, seu Decalogi Præcepta, ut à Deo nobis data sunt, & proposita, & ut sic ad Fidem pertinent, aliam sui C præsupponunt cognitionem, quàm sit cognitio, quæ in virtute luminis naturalis rationis, ex ipsis tanquam ex per se objectis potest haberi: & si hæc non valeat illatio; moralia, circa quæ versantur Decalogi Præcepta, sunt principia naturalis rationis, vel eorum notoriæ sequelæ. Ergo veritates morales, secundùm sensum motum, & intentionem Fidei, & Charitatis, seu sanctorum, & fidelium Doctorum, Præceptis Decalogi correspondentes, non sunt Fidei, vel de Fide bona: tamen est hæc illatio non sapiens hæresim: Hujusmodi † naturalis in lumine rationis sunt moralia comprehensa: ergò hujusmodi moralia secundùm sensum motum, & intentionem luminis rationis naturalis, non sunt Fidei, vel de Fide.

Sic igitur, ad propositum redeundo, patet ex præ-D dictis probabilis apparentia hujus Conclusionis: *Quemlibet tyrannum*, *cuicumque suo subdito licitum est occidere*, ut li *tyrannum* distributivè sumitur, & propriè pro quolibet tyranno actualiter, & cum effectu principante; sive hujusmodi Principatum per usurpationem, vel aliàs, priùs legitimè obobtinuerit.

Sed quia Beatus Gregorius, XII. *Moralium*, aliter, & non conformiter, salvâ suæ Sanctitatis reverentia, ad communem intellectum Doctorum, Philosophorum scilicet, & aliorum Catholicorum, loquens de tyranno dicit; Quòd *Cùm deest potestas nocendi foris*, *apud se tyrannus est*, *cui iniquitas dominatur*: *quia si exteriùs non affligit proximos*; *tamen*

* *Forsan legendum* sublato &c. consensu. † *Forsan* inquam. ‡ *Forsan* afferre.

* *Forsan* sit. † *Locus corruptus*.

men ut affligat, appetit habere potestatem.

Videatur si liceat quemlibet tyrannum occidere, & dicatur, quòd vel appetitus potestatis, vel conatus tantùm consistit in homine, per ardentissimum desiderium dominandi, sive principandi in ipso subortorum per ambitionis spiritum: aut prætensus est, & diffusus extra hominem ipsum, per operas efficaces ordinatas ad hujusmodi finem dominationis peroptatum, præfati sui desiderii evidenter & manifestè declarativas. Si hujusmodi appetitus, vel conatus tantùm intra hominem est, & non forsan procedens ad opus aliquod, ex apprehensione impossibilitatis attingentiæ desiderati finis; sine dubio etsi dignus sit morte, secundùm omnem Legis dispositionem, & ut ab unoquoque quem appetit opprimere, & affligere, puniatur: nullus tamen ad actum occisionis ipsius potest licitè procedere; cùm hoc crimen tyrannidis, quod infra * ipsum existit, soli Deó notum sit: sed si ex hujusmodi conatu, vel potestatis appetitu, ad operas efficaces processerit, de quibus similiter, ut priùs, dicendum videtur.

Redeundo igitur ad primum & principale propositum, scilicet ad ostendendum primam Assertionem non esse Fidei Judicio reprobandam; ulteriùs arguitur sic: Licitum est unicuique depopulatorem agrorum, quemlibet furem nocturnum, quemlibet insidiatorem viarum, quemlibet desertorem militiæ †, reddendo singula singulis. Ergo licitum est unicuique quemlibet tyrannum occidere. Consequentia arguitur ex hoc, quòd tyrannidis crimen ex prioribus pejus est quolibet prædictorum, & refertur in læsionem, seu oppressionem totius Reipublicæ.

Legislatores moti sunt, ut Leges super his conderent, & per earum legitimam executionem in in illis providerent; manifestum videtur, & manifestè deducitur, quòd ex intriseco respectu tyrannidis, ad læsionem, & nocumentum Reipublicæ, Legislatores debuerunt super hoc providere, & super dicti criminis punitione Legem condere; aliàs enim diminuti fuissent in suis determinationibus, debitum statum, & totius Reipublicæ conservationem concernentibus; nec Reipublicæ sufficienter providissent, cùm hoc crimen pestiferum, ex prædictis, totius politiæ sit corruptivum, atque ut potio toxica infectivum, omnia in se comprehendens mala, quæ in Rempublicam referri possunt, & referentur: quod evidenter ostenditur ex prædictis, & ex septemdecim conditionibus tyranni, quas enumerat Philosophus, *quinto Politicæ.*

Luce enim clarius est, tyrannum non tantùm agrorum esse depopulatorem, sed domorum, Ecclesiarum, & castrorum destructorem: non tantùm furem nocturnum & latronem; sed ipsum esse publicum & notorium raptorem: non tantùm desertorem militiæ; sed ipsius dissipatorem, atque destructorem: divites enim, & nobiles, seu potentes nititur impugnare, & in exilium relegat, & eos nonnunquàm interfici præcipit, & mandat: populares autem separatim per domos manere jubet, & earum munitiones auffert, prout *quinto Politicæ*, deducit Aristoteles.

Et si Legislatores per suas Leges non determinaverant, modo prædicto, occisionem tyranni, sub vocabulo & ratione tyranni; eam tamen determinasse videntur, determinando occisionem prædictorum.

Prætereà ex datis & concessis, & aliàs per Reverendum Patrem dictum Dominum Cancellarium deductis, prima Assertio potest esse vera, certis circumstantiis observatis; & septem in numero, secundùm eum: quæ omnes, aut earum principales, per terminos dictæ Assertionis importantur.

Prima enim & principalis, & principaliter inserta, quæ est notorietatis circumstantia, nomine tyranni in dicta Assertione expressato, denotatur, non tantùm facti notorietas, sed & Juris: Juris siquidem; quia quamplurimas ejus actiones, notoriè iniquas, & injustas, in facie, seu Judicio totius Reipublicæ, fateretur esse suas, per earum executiones publicas, &
A notorias, suo jussu, & nomine. Facti autem notorietas dicto nomine exprimitur, atque denotatur: quia ut Philosophus ait, quamplurimæ ejus actiones notoriè injustæ sunt, & iniquæ; imò & omnes, ut in Rempublicam sunt relatæ, aut per eumdem referuntur, necesse est notoriè esse injustas & iniquas, sic quòd nulla tergiversatione celari possunt, vel occultari. Nam & omnis tyrannus notoriè est tyrannus; non enim nascitur tyrannidis crimen, seu tyrannia, ex solo actu interiori, nec ex omnibus extrinsecis; sed ex illis dumtaxat, quæ ab ipso tyrannno in plebis oppressionem referuntur, & ab ipsa, tanquàm à persona superioris eminentiæ procedunt, & ad officium gubernationis politicæ pertinent.

Hi autem actus cogniti sunt & notorii, & horum frequentiâ, populum angariando, quis denominatur tyrannus, & eisdem ejusdem habetur notoria †. Nam hi actus fieri non possunt, sine publica hominum
B notitia, ut est notorium: propter quod & nomen tyranni impositum est ex publicis & patentibus actibus; ac hujusmodi tyrannica dominatio originem trahit ex publica & frequenti contingentia actuum exteriorum, & notoriorum in plebis oppressionem relatorum. Quemadmodum enim ille notorius faber est, cui palàm & publicè frequenter contingunt actus fabriles: sic & ille notorius tyrannus est, cui palàm & publicè frequenter contingunt actus tyrannici ipsius plebis oppressivi: propter quod dicebat Joannes Salisberiensis, Libro tertio, *sui Policratici*, „ Tyrannis, inquit, non modò publicum crimen est, sed si fieri posset, plusquàm publicum est. „ Et Libro septimo: „ In „ omni gente, & populo manifesta est nequitia tyrannorum. „
C Est igitur tyrannus notoriè talis, seu tyrannus *, est insuper, ut videtur, notorium hujusmodi tyrannum non posse per Superiorem comprimi, cùm Monarchiam ipsam teneat, & occupet; & cùm, ut supponitur, ex proprio quid nominis tyranni, à Philosophis, & sanctis Doctoribus receptis, publicam ipsius Manarchiæ Justitiam in suis teneat manibus; & eam, ut vult, ducat: nam, ut ait Philosophus, vim infert, potentior existens, nullo potest Superioris Judicio castigari.

Notorium est igitur, tyrannum non posse comprimi per aliquem Superiorem suum. Ulteriùs, ex prioribus, nota est ipsius tyranni perseverantia, quæ prioris est sequela; ex prioribus enim deductum est, tyrannum in oppositionibus ‡ hostilibus perseverare fixum, atque radicatum esse. Non enim quis ex unico actu hanc dominationem assequitur, vel assequi potest; sed ex actuum frequentia, ex qua generatur habitus ex doctrina Aristotelis. 2. *Ethicorum*, dicentis: „ Ex actibus frequentatis generatur habi-
D „ tus; ex virtuosis virtuosus; ex vitiosis vitiosus. „

Ex quo, cum prioribus sequitur, non tantùm probabile esse, talem tyrannum incorrigibilem esse, & manifestum, cùm ex prioribus habituatus sit perseverans, ac Superiore castigante carens. Et quia hujusmodi hostiles plebis oppressiones notoriè, & manifestè à proposito, & ex habitu radicato perseverent, & sufficienti repressore careant; necesse est concludere, omnem talem intolerabilem esse,

nec

* Forsan intra. † Forsan desideratur occidere.

† Forsan notorietas. * Locus corruptus. ‡ forsan oppressionibus.

nec tantùm probabile esse, quòd talem tyrannum non expedit tolerare, nec hujusmodi suas hostiles oppressiones; sed necesse est, evidens esse, quòd ipsum, & suas præfatas hostiles oppressiones, seu invasiones non expedit tolerare.

Nec ex prædictis probabile est, ipsum de facili corrigibilem esse, & aliter comprimi posse, cum majori facilitate; spes enim meritò concipi non potest de talis tyranni reductione, & de suæ salutis, & animæ provisione.

A Communis sententia Doctorum est, Philosophorum, & aliorum Catholicorum Doctorum, quòd tyrannicus Principatus adeò malus est, quòd sine corruptione naturæ suæ, non potest à prava ipsius dispositione, ad bonum permutari: potest enim faciliter corrumpi, non autem castigari, vel corrigi. Undè nec in aliqua legitur historia, quòd aliquis tyrannus animum suum à sua via revocaverit; sed de quàmplurimis legitur, quòd in tyrannide perseverantes, diem suum clauserint extremum.

Quapropter utilitas Reipublicæ, seu publica Justitia non exigit, ut expectetur hujus tyranni reductio, seu salutis animæ suæ provisio; cùm talis provisionis spes meritò concipi non possit de prædictis. Quis enim sani judicii, existimaret expediens, tolerare Regem extraneum potentissimum, cum grandi exercitu bellum injustè moventem contra aliquam gentem, populum; patriam illam, vel gentem hostiliter invadentem, & illam devastantem? Nullus: quinimò, quilibet sui compos judicaret quemlibet illius patriæ incolam, potissimùm militiæ astrictum, licitè posse, nullo etiam novo superveniente Principis gentis illius, vel patriæ Mandato, vel Præcepto, illum cum suo exercitu invadere, & ipsum morti tradere: nec tantùm hoc licere judicaret; sed meritorium, & laudabile opus esse apud Deum, & homines, si intuitu libertatis, & liberationis patriæ, & defensionis ejusdem hoc opus assumeret.

Cùm autem tyrannus actualiter tyrannicè principans, Rem ipsam publicam, seu ipsam Monarchiam, cui per usurpationem, vel aliàs indebitè præest, hostiliter invadat, & penitùs eam devastet, & destruat; palàm esse videtur, quòd licitum est unicuique, quemlibet talem occidere: tyranni enim est, ex prioribus, Rempublicam opprimere, Reges veros, & Monarchas in suis Dominiis perturbare, conari eos spoliatos exhereditare, & eorum mortem quærere: unus enim est hostis humani generis jam judicatus, ut dicit Joannes Salisburiensis, *Lib.* VIII. *sui Policratici*, hoc modo tyrannum diffiniens: propter quod ibidem concludens dicit; „ Sicut, in„ quit, damnatum hostem licet occidere, sic ty„ rannum.

Cujus quidem hostilibus actibus, seu operibus, etsi probabile est, quodlibet membrum Monarchiæ, seu corporis politici, inquantùm talis corporis membrum, ab hujusmodi actibus perseverare*; uni tamen prædictorum membrorum corporis, ex situ quem tenet in corpore, & ordine quem habet ad caput, plùs competere videtur, & competit, quàm alteri: propter quod, non tantùm probabile, sed evidens est, alterum membrorum plùs posse resistere, & ab hostilibus actibus tyranni ipsum corpus politiæ præservare, quàm aliud; ac insuper talem tyrannum non æquè benè, sed meliùs occidi posse per unum, quàm per aliud.

Ex quo patet, in casu certo & determinato, non esse probabile, talem tyrannum posse occidi per alium, æquè benè: quæ quidem tyranni occisio, etsi benè & rationabiliter fieri possit; non tamen coassumptis mediis de se malis. Potest enim rationabiliter, & justè talis tyranni occisio fieri, nullis coassumptis mediis de se illicitis, scilicet mendaciis, & falsis juramentis.

* *Forsan* præservare.

Et quia præfata Assertio prima non dicit, actum occisionis tyranni fieri per hujusmodi media de se illicita; sed potiùs, ex ejus tenore, talia penitùs excludit media: sequitur manifestè, quòd ex nullius hominis mendacio, perjurio, vel ejus vitio falsitatem potest suscipere; sed omnis talis actus particularis hominis, hujusmodi Propositioni est impertinens, nullatenùs ad ejus veritatem, vel falsitatem necessarius, aut requisitus.

Et si hæc prima Assertio, certis astantibus circumstantiis, his de quibus priùs, prout dicit Reverendus Pater, Dominus Cancellarius Parisiensis præfatus, vel aliis, vera esse possit; non sine magno periculo potuit damnari, aut judicialiter reprobari, salvâ reverentiâ damnantium: non enim potuit rationabiliter, & sine periculo sic condemnari; si condemnantibus, seu eam tanquàm Fidei repugnantem reprobantibus, notorium non fuerit, notorietate Juris, vel facti, hujusmodi circumstantiis, de quibus priùs, & de quibus loquitur præfatus Dominus Cancellarius, abesse, vel absuisse; aliàs enim ex incertis ad certum processissent, ut puta ad certam Propositionis, vel Assertionis determinatæ condemnationem.

B Sed ex prædictis est deductum circumstantiis, de quibus loquitur, & est loquutus præfatus Dominus Cancellarius, non abfuisse, nec abesse; sed potiùs omnes, & singulas, aut earum principales inclusas esse ex propriis terminis dictæ Conclusionis, vel Assertionis. Ergo, ex datis, non venit præfata Assertio Fidei Judicio reprobanda; sed potiùs, ex eisdem datis, videretur approbanda. Sic igitur patet Conclusio quoad primam Assertionem.

Sed deducitur dicta Conclusio quoad secundam, quæ ponit, quòd Leges naturales, morales, &c. Videtur enim hæc secunda Assertio veritatem continere, ex deductis priùs circa primam Assertionem: non enim dubium est, nec esse debet, quin Lex divina omne peccatum damnet, & reprobet; determinet & diffiniat, ac mandet puniendum, juxtà illud *Exod.* XXII. 18. *Non patieris maleficos vivere.* C Hac enim Lege, omne peccatum, secundùm se, damnatum est, & reprobatum, ac secundùm eandem, punitione dignum.

Cùm igitur tyrannidis crimen, inter cetera crimina, seu mala, quæ in Rempublicam referri possunt, pessimum sit, & obtineat principatum; manifestum est ipsum, secundùm se, esse malum, damnatum, & reprobatum, ac punitione dignum; ac secundùm præfatæ Legis dispositionem, authoritatem puniendi dictum crimen, hominibus esse concessam.

Nec de naturali Lege dubium est, aut esse debet: quin etiam omnem defectum culpabilem, qui infra se esset, & quem ex suo lumine concipere potest, damnet similiter, & reprobet; ac diffiniat, determinet, atque mandet puniendum: etsi, in particulari, non omnem defectum damnet, vel reprobet; D quia non omnem defectum culpabilem, ex suo lumine, potest, aut potuit cognoscere, nec, ex consequenti, illum damnare, vel reprobare: in generali tamen quodam, omnem defectum culpabilem damnat, ac reprobat; determinat & diffinit, ac mandat puniendum.

Cùm igitur tyrannidis crimen defectus sit culpabilis, quem naturalis ratio, ex suo lumine, potest cognoscere; sequitur manifestè, naturalem rationem hujusmodi defectum damnare, atque reprobare; determinare, ac diffinire, ac mandare puniendum. Simili modo de civili Lege, vel morali, censendum esse videtur: nec in dubium revocandum, quin hunc defectum, & omnem alium in noeu-

nocumentum Reipublicæ relatum damnet, & reprobet; ac mandet puniendum.

Et quia forsan quis diceret, quòd etsi hujusmodi Leges hujus criminis detestandi punitionem determinent, atque mandent puniendum; modum tamen executionis in particulari non determinant: hunc autem discretioni, seu providentiæ Præsidentium relinquentes, huic rationi in prioribus satis responsum esse videtur. Nam etsi non sub nomine, A forma, & ratione tyranni; sub nomine tamen, & forma, ac ratione hostis, inimici capitalis, & notorii, & manifesti ipsius Reipublicæ, ipsam Rempublicam hostiliter invadentis, devastantis atque dissipantis determinant: quarum determinatio non tantùm Judicibus ordinariis, atque Præsidentibus, ut videtur, concedit facultatem; sed omnibus, & singulis oppressis, & hostiliter invasis liberam videtur concedere, & concedit facultatem; et si à præfatis Legibus, Judicibus ordinariis, vel Præsidentibus concessa sit authoritas, & judiciaria, sive ordinaria potestas puniendi crimina in hujusmodi Rempublicam relata; non tamen videretur hujusmodi authoritatem, seu juridicam, vel judiciariam potestatem ab ipsa Monarchia, seu corpore mystico politiæ excludere, sed potiùs includere.

Nam si, secundùm doctrinam Apostoli, *Ad Romanos* XIII. 1. *Omnis potestas à Domino Deo est.* Hoc tamen modo, & non aliter, de communi Lege, & cursu, inter homines introducta fuit juridica potestas, B seu judiciaria authoritas politica, & temporalis: quia, secundùm rectam rationem à Deo omnibus hominibus impressam, & inditam, debitum est, & expediens, * inter homines hujusmodi juridicam potestatem, & quod ipsi super hoc inter se conveniant. Nam etsi homo, à primævo, à Deo habuerit potestatem, ut præesset piscibus maris, & volatilibus cœli, & terræ bestiis, ut deducit Scriptura, *Gen.* I. *cap.* non tamen ut aliis hominibus præesset, & eorum regimen haberet, aliquod dedit Præceptum, aut specialem ordinationem fecit, per expressum. Notanter dicitur, *de communi cursu*; quia Deus specialiter aliquos ordinavit, & mandavit, ut aliis præessent, ut certum est.

Et si, Deo volente, ex mutuis consensu, & assensu multitudinis politicæ, hujusmodi juridica potestas ortum habeat ex præfatis Judicibus ordinariis, vel præsentibus † inhæreat, & concessa sit, ut ex prædictis clarissimè videtur appare- C re. Palàm est, hujusmodi judiciariam potestatem, seu juridicam authoritatem in corpore mystico politiæ, tanquàm in suo fonte, & principio residere, ad quodlibet hujusmodi authoritatem modo quodam participare, & ipsius usum pro loco, & tempore posse licitè exercere. Quod sentire, per expressum, visus est Magister Nicolaus de Lyra, prout superiùs est allegatum.

Hanc etiam eamdem sententiam Seneca visus est tenere, qui loquens de tyranno dicit: „ Non est „ sacrificium Deo ita placens, sicut mors tyranni: „ nam, ut ait, tyranni sunt expositi omnibus illis, „ qui de ipsis volunt patriam liberare. Expressè per hoc innuens, quòd in quolibet membro corporis mystici politiæ, est hæc judiciaria potestas, modo D prædicto: nec immeritò; quia hujusmodi crimen, ut sæpiùs dictum est, quemlibet tangit de politia; est enim in totum corpus politia, & in quodlibet ejus membrum. Quapropter & quodlibet dictorum membrorum in hoc tangi videtur, & interesse habere ut sibi provideat, & præfatæ iniquitati tyrannicæ pro posse repugnet, & obviet.

Et hoc considerans Juvenalis, loquens de tyranno, dicebat sic: „ Tyrannus raro moritur morte „ naturali; ipse enim oditus est à Deo, & mundo: „ nec est ferè ita modicus, si velit exponere vitam „ suam, pro tollendo vitam tyranni, qui non possit „ invenire modum, & viam ipsum interficiendi, „ & ab ipso liberare patriam.

Quibus diligenter attentis non immeritò videtur dicta Assertio veritatem continere, quam non diminuit, sed auget determinatio immediatè subsequens li *tyrannum*; hæc scilicet: *Qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro aufferendo* &c. Hæc autem ultima prædicta, nomine tyranni denotata, adducunt circumstantias nòn alleviantes, sed quamplurimùm aggravantes, ut notatum est.

Postremò ex datis, concessis & apertis per Reverendum Patrem Dominum Cancellarium præfatum, prima Assertio potest in certo casu esse vera: certis enim circumstantiis occurrentibus, semper in numero per eumdem enumeratis potest esse vera. Igitur & hæc secunda Assertio. Consequentia arguitur: quia hæc secunda expressa est in dicta prima Assertione contenta, & ex ea immediatè illata. Et quia de prioribus deductum est, has septem circumstantias dictæ primæ Assertionis non abesse; sed omnes, & singulas, aut saltem earum principales notoriè adesse: sequitur hanc secundam Assertionem non tantùm esse probabilem; sed & veram, cùm ex falso verum, & ex verò non nisi verum.

Sic igitur ex istis patet eadem Conclusio, quoad secundam Assertionem. Quo autem ad tertiam: *Licitum est unicuique* &c. eadem Conclusio deducitur. Et quia ex prioribus satis deductum esse videtur, quòd *Licitum est unicuique subdito* &c. deducatur, quòd honorabile sit, & meritorium. Nam honorabile & meritorium est, quod actus alicujus virtutis est, aut esse potest honorabilis: omnis est enim actus virtutis * meritorius; si non æterni præmii, quia infernus † non gratia formatus, tamen temporalis. Sed talis tyranni occisio potest esse, non tantùm unius virtutis actus, sed & plurium: fieri enim potest ex honesto, aut posset ex puro amore Principis, & Reipublicæ quem quilibet subditus, secundùm omnem Juris dispositionem tenetur habere: ex amore insuper publicæ Justitiæ, & veræ obedientiæ, ac fidelitatis ad Principem: demùm, ex odio iniquitatis, & malitiæ, & amore obviandi hujusmodi injustitiæ, & iniquitati tyrannicæ.

Sed quòd per explorationes, & insidias; videtur esse sufficienter in prioribus deductum: deductum enim est, quemlibet tyrannum notoriè hostile bellum gerere contra ipsam Rempublicam. Sed notorium est, ex communi determinatione Doctorum, licitum esse in bellis justis uti explorationibus, & insidiis. Igitur propositum. Et si hoc bellum ex parte tyranni iniquum est, & injustum; ex parte tamen Monarchiæ sic hostiliter invasæ, justum est, & rationabile.

Sed quòd occidere tyrannum villanè, per optimas cautelas, & explorationes, sit propria mors tyranni, patet: nam ex prioribus, secundùm omnem Legis dispositionem, tyrannus venit puniendus, & per omnem Legem mandatum est ut puniatur, seu mandata est ejus punitio.

Et cùm ex prioribus clarè deductum est, hoc Legum Mandatum exequi non posse per ordinarium Judicem; tùm quia Superiore castigatore caret, seu reprehensore; tùm secundò, quia Monarchiam in suis manibus tenet, & eam ut vult ducit: manifestè relinquitur, quòd modus punitionis, seu executionis præfati Mandati in Assertione denotatus, est proprius ipsius punitionis modus; sed quòd omni & soli tyranno propriè dicto, de quo sermo, convenit, non alteri: qui enim subsunt

* *Forsan desideratur* esse. † *Forsan* Præsidentibus.

* *Forsan sic legendum*: omnis etenim actus virtutis est meritorius; † *Locus corruptus*.

sunt potestati, cum Justitia reprimendi, non propriè, vel abusivè sunt tyranni. Propter quod dicit Joannes Salisburiensis, loquens propriè de tyranno, quòd „ Licuit tyrannum decipere, id est, eidem insidiari, „ & honestum fuit occidere. „ Et subdit ad Propositum : „ Non enim, inquit, de privatis agitur „ tyrannis, sed de his, qui totam Rempublicam „ premunt, cum suis hostilibus actibus universis. Nam, A „ inquit, privati Legibus publicis, quemadmodùm „ sunt fures, latrones, & raptores, ac mali subde- „ legati Judices, qui propriè tyranni non sunt, sed „ dici debent, facilè coërcentur : „ Sed quòd licitum sit tacere, dissimulare, & suam voluntatem non declarare, sed occultare, prædictis attentis, est manifestum. Sic igitur ex istis patet eadem Conclusio, quoad tertiam Assertionem.

Quoad quartam Assertionem : videtur quòd ex suis terminis non tantùm sit probabilis, sed forsan vera, prout superiùs est deductum : nam secundùm omnem Juris dispositionem, quilibet tyrannus est punitione dignus, atque venit etiam criminaliter puniendus. Jus igitur est, ratio, & æquitas, quòd hanc punitionem etiam criminaliter, quâ dignus est, secundùm omnem Justitiam, rationem, & æquitatem, suscipiat. Jus est, ratio, & æquitas, ut quis B sibi hanc punitionem infligi decernat, infligat, eam infligi mandet, vel præcipiat. Igitur Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus tam activè, quàm passivè occidatur : sed quòd villanè, per explorationes, & quòd hic modus sit proprius modus punitionis tyrannorum ; videtur superiùs evidenter esse deductum. Sic ergo ex his patet Conclusio, quoad quartam Assertionem.

Quoad quintam Assertionem : quia prima, & secunda Assertiones, ex deductis priùs circa eas, non videntur Fidei Judicio reprobandæ, & hæc quinta Assertio est notoria ; ex earum sequela sequitur, quòd nec Judicio Fidei est hæc quinta reprobanda : quod enim licitum est, honorabile, & meritorium, non est aliqua reprehensione dignum, sed apud quemlibet acceptum, & gratum esse debet, & Principis authoritate fulciri : nam quod Legum authoritate fulcitum est, non est immeritò Principis authoritate fulciendum. Sed talis punitio tyranni est hujusmodi, cùm actus occisionis talis esse possit, non u- C nius virtutis tantùm, sed plurium. Quapropter patet Conclusio principalis, quoad hanc quintam Assertionem.

Quoad sextam Assertionem : quia etiam prioris est sequela, apparet quòd non Judicio Fidei est reprobanda.

De amore : Conclusio, vel Assertio est manifesta, primæ Assertionis veritate præsuppositâ, & à nonnullis præsupponitur, prout superiùs deductum esse videtur : nulli enim dubium esse debet, quin omnis virtus, & omnis ejus actus, secundùm se, & propter se, à quolibet diligibilis sit, ex communi sententia, & determinatione Doctorum.

Cùm igitur talis occisio, aut voluntas ejus qui occisionem jubet, esse possit multiplicis virtutis actus, ut putà Justitiæ, Obedientiæ, & Amoris, sive charitatis ad proximum suum, & Dominum, & totam Rempublicam, ut priùs ostensum est ; sequitur quòd D pro debitâ remuneratione tenetur sic agentem diligere, & amare.

De honore, videtur manifestum : nam honor, est, secundùm Doctores, præmium, & debitum virtutis ipsius, omnisque actus virtuosi, & honorabilis; cùm honor sit exhibitio reverentiæ, in testimonium virtutis.

De divitiis : sequitur ex duobus prædictis. Nam si amor amicitiæ, seu benevolentiæ, debitus sit tali actui virtutis ; sequitur quòd & honor debitus est ; sequitur quòd & divitiæ temporales debitæ sunt : nam si quod majus est debeatur, & quod minus est debebitur. Constat autem quòd amor amicitiæ major est quàm honor, major quàm divitiæ exteriores, & mundanæ ; Ergo, &c. Sic igitur patet principalis Conclusio, quoad hanc sextam Assertionem.

Quoad septimam : quia sequitur ex prioribus, deductum esse videtur satis, quòd nec ipsa est Judicio Fidei reprobanda. Præsuppositis enim prioribus, manifestum est quòd plùs tenetur illum, &c. diligere post, quàm ante : talem enim post actum, id est, talis tyranni occisionem, crescit, & plurificatur diligibilitatis ratio. Nam si Rex priùs diligebat, ex aliqua una certa ratione ; tunc meritò diligere debet ex duabus : & si ex pluribus, ut puta duabus ; tunc post actum hujusmodi, ex tribus videtur talis esse diligendus.

Sed quòd fidelitas talis subditi, sic talem tyrannum occidentis, ubique publicanda sit, & prædicanda, sequitur ex prædictis, cùm ejus actus sit laudabilis, & studiosus, cùm sibi honor & amor debeantur.

Hæc autem omnia talis vassallus assequi potest per ipsius famæ, & suæ fidei, seu bonæ fidelitatis publicationem. Igitur Rex hoc facere tenetur, & debet : insuper, quia per talem publicationem possent animi multorum tyrannorum, vel ad tyrannidem dispositorum comprimi, & tyrannidi locum dare ; quod non modicum videtur Reipublicæ expedire, & veris Monarchis favorem, atque securitatem afferre. Ex his igitur patet Conclusio principalis, quoad septimam Assertionem.

Quoad octavam Assertionem : similiter non videtur Judicio Fidei reprobanda, cùm secundùm Doctores, multipliciter dicitur sensus litteralis Scripturæ ; quorum alter à Doctoribus famosis falsus esse asseritur, ut est qui prima facie sumitur, & occurrit ex primaria Grammaticali significatione terminorum : & hic non est sensus Scripturæ à Spiritu sancto principaliter intentus, quem semper necesse sit esse verum, sed quem frequenter contingit esse falsum ; ut expresse dicit Bonaventura. III. *Sent. Dist. ult.* Et Gregorius, in Moralibus. *Lib.* I. *Cap.* III. *in Prologo.* ut inferiùs latiùs est deductum.

Alius verò est sensus litteralis Scripturæ, à Spiritu sancto principaliter intentus semper, quem necesse est esse verum, & impossibile est esse falsum ; qui non sumitur, nec semper occurrit ex primaria Grammaticali significatione terminorum, sed etiam ex sensu, serie, & ordine prioris litteræ, & subsequentis.

Et quia in dicta Assertione sensus litteralis confusè designatur per li. *Sensus litteralis*, & Doctores famosi talem recipiunt locutionem ; sequi videtur quòd rationabiliter talis locutio potest tolerari, nec venit Judicio Fidei reprobanda. Sic ergo patet Conclusio principaliter intenta, quoad hanc octavam Assertionem.

Quoad nonam & ultimam Assertionem : ex suis terminis videtur non Fidei Judicio reprobanda, prout inferiùs latiùs est deductum. Nam etsi omne perjurium simpliciter, & secundùm se, malum sit, & illicitum ; nec quoquomodò liceat peccare : non tamen omne quod juratur debet adimpleri. Si enim quis juraret infrà tres dies fornicari ; certum est ad hoc ipsum non teneri, & non adimplendo, non incurrit perjurium ; sed jurando perjurat, propter defectum justæ & rationabilis causæ.

Si quis insuper juraret non intrare Religionem, & non dare eleemosynam, vel nulli malum pœnæ inferre, vel aliquod aliud tale, ad quod faciendum, in certo casu, teneri posset ; certum est, quòd in tali casu non tenetur facere quod juravit, nec perjurium incurrit, in hoc quòd non facit quod sic indiscretè juravit : sed jurando defecit, & perjurium, ut dicunt Doctores, incurrit, quia Dominum invocavit

vit in testem alicujus, ad quod confirmandum non erat invocandus, sed potiùs ad oppositum. Unde talia sub juramento cadere non possunt, cùm sint obliqua, aut ad obliquitatem disponentia: propter quod dicunt Doctores, quòd tres sunt comites juramenti; Judicium, Justitia, & Veritas.

Sunt insuper, ut dicunt Doctores, in omni juramento plures subintellectæ conditiones: ut; Faciam hoc, si Deo, supple, placuerit: si Propositio, si res in eodem statu permanserit: si Fidem mihi servaveris. Latiùs exprimitur per Doctores Juris Canonici. Generaliter tamen verum mihi videtur quòd ubi quod juramentum † est, non est malum, sed potiùs bonum, & sine Dei offensa fieri potest, nec ad propositum * illius per Legem aliquam ligatur, debet adimpleri, etsi non, per impletionem, majus bonum indè venire possit; nec juratus, sua propria authoritate, potest illud omittere: per dispensationem sui Superioris, secùs est, &c. Sic responsio ad Conclusionem.

Et quia Reverendus in Christo Pater, Dominus Cardinalis Cameracensis, asserit & affirmat per suum juramentum, se credere, & nullatenùs dubitare, quòd quælibet dictarum novem Assertionum catholicè damnanda est, in forma eis subscripta. Respondetur ad rationes hujusmodi credulitatem in ipso causantes, ut videatur quid veritatis, aut probabilitatis dicta sua credulitas habeat.

Unde ad primam: cùm arguit dictarum Assertionum condemnationem, ex condemnatione illius: *Quilibet tyrannus*, &c. quia virtualiter continent doctrinam illam, & in simile radice fundantur, & addunt circumstantias alias plurimùm aggravantes: respondetur, negando quòd dictæ Assertiones contineant hujusmodi doctrinam.

Primò. Nam ex terminis earumdem sumitur, & sumi videtur nomen tyranni pro subdito, & vassallo, proditore, & suo naturali & Supremo Domino infideli. Ex terminis autem dictæ Propositionis condemnatæ sumi tantùm videtur dictum nomen tyranni, pro Domino naturali lapso in tyrannidem; cùm in dicta Propositione dicatur: *Quilibet*, &c. *per quemcumque vassallum suum, vel subditum*, &c. Et ita in dictis duabus Propositionibus, seu Assertionibus, notoriè capitur nomen tyranni æquivocè, quoad supposita per dictum nomen designata, non forsan quoad rationem nominis, à qua est dictum nomen impositum: cùm una, secundùm rationem esse, dicatur in omnibus tyrannis, sint Domini, aut subditi, & vassalli. Et ita dicta Propositio condemnata, in hac prima Assertione contineri non videtur.

Secundò. Dicta Propositio damnata, ex suis formalibus terminis in ea expressis, includit negationem omnis Præcepti, seu Mandati. Prima autem Assertio ex suis per se, & formalibus terminis includere videtur, & includit positionem & habitum, non unius Præcepti, seu Mandati, sed plurium, quia naturalis rationis, moralis, & divinæ, &c.

Tertiò. Dicta Propositio condemnata, ex suis terminis, &c. includit negationem judiciariæ potestatis, seu authoritatis. Hæc autem prima Assertio, ex suis terminis includit positionem, & habitum judiciariæ potestatis, sive authoritatis humanæ, scilicet, & divinæ. Cùm autem negatio sit privatio secundùm se, & habitum sibi oppositum non contineat; sed potiùs includat: sequitur manifestè, quòd dicta Propositio condemnata, non continetur, in virtute, in dicta prima Assertione; sed potiùs in oppositum.

Quartò. Ex nullo termino contento in aliqua dictarum Assertionum, concludi, aut inferri potest; imò nec intelligi aliqua adulatio, flateria, aut blanditia. Ex terminis autem formalibus dictæ Propositionis condemnatæ, clarè, imò clarissimè, & evidenter concludi, & inferri potest, ac intelligi blanditia, seu adulatio aliqua, cùm, per expressum, ponantur in ea. Igitur termini, qui de se, id est, de sua ratione, à qua sunt, malitiam, & defectum aliquem denotare videntur, & denotant, qui sufficerent ad condemnationem Evangelii Joannis, si dicto Evangelio adderentur, per modum quo adduntur, scilicet determinando veritates in dicto Evangelio contentas, ut notorium est & manifestum.

A Quare evidenter concluditur, quòd dictæ Assertiones non continent doctrinam dictæ Propositionis condemnatæ, in actu, aut virtute; & aliquæ dictarum Assertionum ex aliquo termino, vel aliquibus terminis, vel clausulis dictæ Propositionis condemnatæ, in actu, aut virtute: & si aliquæ dictarum novem Assertionum ex aliquo termino, vel aliquibus terminis, vel clausulis dictæ Propositionis condemnatæ intelligi, aut concipi, & inferri possent, bona, evidenti, & necessaria sequela, seu illatione.

Non tamen ex hac sequitur, nec in bona & necessaria consequentia inferri potest, quòd dictæ Assertiones, aut aliquæ earum, falsæ sint, aut veniant condemnandæ, ut manifestum est: quia scit, & scire potest dictus Reverendissimus Pater, & Dominus Cardinalis, quòd alicujus Propositionis copulativæ falsæ, & erroneæ partes aliquæ sunt, & esse possunt veræ, & Catholicæ, ex quibus inferri, & intelligi possunt vera, & Catholica. B

Imò verissimè dici potest, quòd si omnes Assertiones, aut earum aliquæ à dicta nota Propositione condemnata intelligi, concipi, & inferri possent, bona, evidenti, & necessaria illatione: non sequitur, nec in bona, & necessaria consequentia inferri potest, quòd dictæ Assertiones, aut earum aliquæ sint falsæ, & veniant condemnandæ; cùm etiam sciat, & scire possit, quòd ex falsò verum, & ex vero non nisi verum.

Ex quibus patet, quòd ex condemnatione dictæ Propositionis: *Quilibet tyrannus*, &c. inferre non potest præfatus Reverendissimus Pater, & Dominus, falsitatem, aut condemnationem dictarum novem Assertionum, qualemcumque similitudinem habeat in terminis cum dicta Propositione condemnata, ut est C notorium, & manifestum: nec in simili radice fundantur dictæ novem Assertiones; licèt forsan fundari videantur, propter similitudinem terminorum. Et si in simili fundarentur, non tamen similiter: quia dictæ novem Assertiones fundari videntur in ordinato, & discreto amore fidelitatis, & obedientiæ ad suum Regem, & Principem, & ipsam Rempublicam.

Hæc autem Propositio condemnata, etsi in tali amore fundari posset, & ex eo ortum habere; non tamen similiter: quia inordinatè, fatuè, & indiscretè, existimando adulationes ad actum illum, de quo Propositio loquitur, esse assumendas, etiam omni judiciaria authoritate exclusa.

Nec addunt alias circumstantias plurimùm, &c. sicut de authorisatione, &c. respectu talis homicidia: quia dictæ Assertiones, & potissimè illa secunda, de qua loquitur, non addit illam circumstantiam, D de authorisatione, &c. respectu homicidii de quo loquitur Propositio condemnata. Nam tale sit * circumstantionatum ex terminis dictæ Propositionis circumstantiâ adulationis & privationis judiciariæ potestatis, seu authorisationis, propter quam simpliciter redditur indebitum malum, & perversum.

Sed illa secunda Assertio illam circumstantiam, de authorisatione, addit, respectu mortis, occisionis, seu homicidii, de quo loquitur prima Assertio, quod non est circumstantionatum adulationis, & privationis

† *Forsan* juratum. * *Forsan* oppositum. * *Forsan* fit.

nis judiciariæ potestatis, seu authoritatis; sed opposita, ut patet ex terminis dictæ Assertionis, unà cum aliis plurimis circumstantiis, ut quòd talis occisus, &c. subitus, & vassallus, proditor, & infidelis, &c.

Et placeat attendere quòd, licèt ex dictis novem Assertionibus, aut ex earum aliqua, ut puta ex prima, inferri possit, & clarè, & in evidenti, & necessariâ consequentiâ inferatur, quòd liceat subdito, vassallo, seu subdito occidere suum Principem, & Dominum naturalem, qui tyrannus est, de quo loquitur prima Assertio, scilicet, *qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium*, &c. prout in dicta Assertione continetur: non tamen inferri potest ex hoc rationabilis condemnatio hujus primæ Assertionis: *Licitum est unicuique subdito*, &c.

Quòd autem inferatur ex hac prima Assertione, quòd licet unicuique subdito occidere suum Principem, & Dominum naturalem, qui per cupiditatem, fraudem, &c. patet: quia ex casu posito in hac materia, tyrannus ille, de quo loquitur Assertio hæc prima, Princeps est, & Dominus, habens subditos & vassallos, subditos etiam & vassallos illius in quem machinatur; & ex eadem Assertione, Licitum est unicuique subdito Regis illius, in quem machinatur, &c. dictus tyrannus, ipsum occidere: igitur licitum est subditis & vassallis hujus Principis & Domini, tyranni sic machinantis, &c. ipsum occidere, quod est propositum, & consequens illatum. Sed quòd ex hoc rationabiliter inferri non potest, aut possit, aut debeat condemnatio hujus Propositionis, *Quilibet tyrannus*, &c. patet ex rationibus adductis ad dictam Assertionem primam, etiam ex alio: nam ex singulari aut particulari, non sequitur universale universaliter sumptum.

Constat autem, quòd licèt nomen tyranni, in prima Assertione communiter & universaliter capiatur; tamen per comparationem ipsius ad seipsum positum in Propositione hac, *Quilibet tyrannus*, &c. communiter in eadem sumptum & universaliter; rationem singularis & particularis habere videtur: hujusmodi tamen comparatione fundata in suppositis hujus nominis, tyranni, rationem, & formam veri Principatus, & Dominii participantibus. Nam sic, comparando nomen tyranni, licèt communiter significet tàm Dominos, quàm non Dominos, aut pro eis supponere possit; non tamen hìc nisi pro Dominis, & Principibus tyrannis supponit, & non pro omnibus, & singulis Principibus & Dominis, sed pro talibus Dominum, & Superiorem habentibus; quod clarè elicitur ex terminis dictæ Assertionis.

In hac autem Propositione, *Quilibet tyrannus*, &c. licèt nomen tyranni communiter significet tàm Dominos quàm non Dominos, & pro eis posset supponere; non tamen pro eis supponit, seu accipitur: sed tantùm pro Dominis communiter, seu etiam universaliter, & pro eis distribuitur sine limitatione, aut restrictione ad aliquem modum Dominii, vel Principatus; ut quòd Superiorem aliquem habeant, vel non, & ita videtur, communiùs accipi in dictâ Propositione, *Quilibet tyrannus*, &c. quàm in ista, *Licitum est unicuique*, &c. cujus communitatis occasione, falsitatem potest suscipere condemnatio, non autem hæc prima Assertio, *Licitum est*, &c. ut manifestum est intuenti; seu benè consideranti.

Item. Cùm addit dictus Dominus Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis, quòd dictæ Assertiones addunt circumstantias, &c. sicut de turpitudine & vilitate mortis, in tertia Assertione; respondetur quòd ex terminis dictæ tertiæ Assertionis non concluditur, aut concludi potest aliqua moralis turpitudo, aut vilitas actus alicujus activè, aut passivè designati, quia turpitudini, in Gallico, correspondet, *laid*; vilitati autem, in Gallico, correspondet *, constat quòd nullum istorum verborum, in Gallico, ponitur in dicta tertia Assertione, sed hoc verbum, *vilainement*, quod non denotat de se aliquam moralem turpitudinem, aut vilitatem, sed quemlibet modum se habendi quorumdam hominum ad homines, ad oppositum modum se habendi aliquorum aliorum hominum, ut puta Nobilium ad alios Nobiles.

A Et si dictum nomen non expresè talem modum designaret, per additiones tamen subsequentes, & rem dicti nominis determinantes, illum modum designare videretur, & designaret. Determinatur autem res dicti nominis per explorationes & insidias, & alia omnia quæ subsequuntur in dicta tertia Assertione, quæ expresè, & formaliter videntur diffidentias unius ad alterum excludere, quarum exclusio, respectu talis tyranni, tanquàm efficax & proprium medium liberandi Rempublicam videtur quibusdam assumenda.

Item. Cùm arguit ulteriùs: Quoad confirmationem erroris, addunt quòd litteralis sensus Scripturæ occidit animam; in octava Assertione sufficienter per Reverendissimum Patrem, & Dominum, Dominum Episcopum Attrebatensem responsum est. Stat responsio in distinctione litteralis sensus, qui communiter à Doctoribus recipitur, cùm loquantur

B de qualitate sensus Scripturæ sacræ.

Unde ad quæstionem, quâ quæritur: Utrùm Scriptura sacra in omni suo sensu vera sit: respondentes distinguunt de duplici sensu litterali Scripturæ sacræ. Primus est, qui prima facie elicitur ex primaria significatione grammaticali terminorum illius litteræ, vel Scripturæ, non principaliter à Spiritu sancto intentus. Alius est sensus litteralis à Spiritu sancto principaliter intentus, qui non tantùm sumitur ex terminorum primaria significatione grammaticali, sed ex littera priori ejus sensu, serie, atque ordine, & hic sensus semper verus est, & necesse est esse verum. Primus autem non semper verus est, nec ipsum necesse est esse verum, sed frequenter falsus est, ut est manifestum: & ita solemnes Doctores, & famosi distinguunt, per expressum concedentes, quòd sensus litteræ, seu litteralis falsus est. Sic dicit Alexander de Halis, & Dominus Bonaventura, & alii plures.

C Cùm igitur hujusmodi locutio à tantis Doctoribus recipitur, atque permittitur; non videtur Fidei Judicio reprobanda, sed potiùs cum præfatis Doctoribus toleranda, licèt sensus litteralis principaliter dicatur ille qui ultimò dictus est, non qui primò.

Item. Cùm arguit denique, quòd addunt dictæ Assertiones, quòd in nullo ligat juramentum, vel confœderatio facta inter aliquos &c. si vergat in præjudicium &c. Respondetur, quòd verum est, & conforme sanctis Doctoribus, & eorum doctrinæ, si hujusmodi præjudicium sit ipsius animæ jurantis præjudicium. De hoc præjudicio intellexit Magister Joannes Parvi, loquens in hac materia, sicut patet ex deductione, seu probabilitate sua, quæ sumitur ex ordine charitatis &c.

Quòd autem hæc Assertio, ex propriis terminis ejus hoc præjudicium includat & denotet, ostenditur: nam & famosa regula, & approbata à Phi-

D losophis, & Doctoribus sanctis † Angelorum per se positum stat pro suo significato famosiori.

Cùm autem multa sint & diversa præjudiciabilia, seu præjudicia ad invicem ordinem habentia, prioris, & posterioris, ut notorium est, & manifestum: nam est animæ præjudicium, quod primum est in ordine, & maximum; est vitæ corporalis, seu humanæ vitæ præjudicium; honoris, famæ, ac ceterorum

* Videtur desiderari *vil.* † *Locus corruptus.*

rorum bonorum exteriorum, etiam naturalium, & artificialium præjudicium; manifestè sequitur quòd hoc nomen, præjudicium, in dicta Assertione positum, illimitatè, non restrictè stat in eodem, pro primo, & principali, seu maximo præjudicio, quod est animæ præjudicium: & ita videtur dicta Propositio, sive Assertio, ut jacet, ex suis terminis veritatem continere; & in se, & ex suis terminis ordinem debitum charitatis continere, & ad hoc animæ præjudicium primum, & principale, seu maximum est referendum, quidquid est in hac materia.

Nam indubiè tenendum est, quòd pro conservatione, retentione, defensione, seu tuitione suæ rei temporalis, sponsæ suæ, aut liberorum, non est frangendum juramentum, nisi hæc omnia prædicta, pro tunc, caderent in Præcepto: tunc enim non teneretur servare juramentum, seu promissum; aliter autem, servare tenetur, & non contravenire, sua propria authoritate: quod notanter dico propter certos casus.

In casu autem currente, seu præsenti, conservatio Regis, suæ sponsæ & liberorum, ac totius Reipublicæ deffensio, & tuitio, cadere visa sunt, & videntur sub Præcepto, quod casus positio declaravit, & clarè patet memoranti. Quare patet, quòd doctrina hæc, & similis condemnanda non est, prout prædicta Propositio condemnata: *Quilibet tyrannus*, &c. nec pertinaciter hanc doctrinam asserentes sunt hæretici, nec ut tales puniendi.

Ex quo manifestè sequitur, quòd asserere, inter Catholicos dictas Assertiones esse probabiles, vel forsan veras, non est erroneum, nec sapiens hæresim, nec Doctor Theologus hoc publicè in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei asserens, habendus est de hæresi vehementer suspectus, &c.

Et quia præfatus Reverendissimus Pater, & Dominus, ultra prædicta, pro fundamento condemnationis doctrinæ hujusmodi Assertionum aliqua adduxit, & allegavit pro ampliori discussione, & appertione materiæ; & ut videatur quid veritatis, aut probabilitatis habeant hujusmodi adducta, seu allegata.

Respondetur, per modum qui sequitur. Et ad primum, cùm dicit, quòd hæc doctrina est contra duo Præcepta Decalogi, scilicet: *Non occides*, scilicet, absque authoritate judiciaria; & illud: *Non perjurabis*.

Respondetur, quòd doctrina conformis esse videtur dictis duobus Præceptis: nam prima Assertio, cum secunda dicit, quòd tyrannus de quo loquitur, venit occidendus authoritate Legum, scilicet civilis, seu moralis, naturalis, & divinæ. Sed quòd hæc authoritas judiciaria sit ostenditur: nam Legis divinæ authoritas, est Dei Judicis supremi authoritas. Igitur Judiciaria est. Similiter Legis naturalis authoritas, Dei Judicis est authoritas, & judiciaria esse videtur: de civili autem & morali est manifestum; nam Legis authoritas, est Legislatoris authoritas Judicis, & sic judiciaria est hujusmodi Legis authoritas; Lex enim posita à Legislatore primo non revocata, non immutata, aut quoad effectum suspensa, sed potiùs approbata per Legislatoris successores, Judicis authoritatem continet; & sic judiciariam videtur continere authoritatem. Qui ergo ejus authoritate aliquem occidit, authoritate judiciaria illum occidere videtur.

Nec hæc glosa, scilicet: *Absque authoritate judiciaria*, est glosa communis Doctorum hujus Præcepti, *Non occides*: sed hæc; *propria scilicet authoritate*: *Non occides*, scilicet propria authoritate. Hanc glosam, non illam, scilicet, *authoritate judiciaria*, ponit expressè Magister Nicolaus de Lyra, super illo verbo: *Qui gladium accipit, gladio peribit*. Matth. XXVII. 52. *Qui gladium accipit*, propria scilicet authoritate, *gladio peribit*: non dicit, absque judiciaria authoritate.

Hanc glosam insequitur per expressum Dominus Bonaventura, III. *Sentent. Distinct.* XXXVII. Et sanctus Thomas, secunda secundæ. *quæst.* LXIV. Et Albertus Magnus, III. *Sentent. Distinct.* XXXVII. Nec Augustinus hanc glosam insequitur, super illo verbo: *Qui accipit gladium*, in secundo Libro contra
A Manichæum, dicit enim, sic: *Qui accipit gladium*, &c. id est, *qui nulla superiori ac legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in alterius sanguinem armatur, gladio peribit*. Non enim dicit, absque judiciaria authoritate, id est, absque jubente Judice immediatè, secundùm intellectum præfati Reverendissimi Patris, & Domini: imò ex tenore præfatæ authoritatis Augustini, non videtur necessaria legitimæ potestatis jussio, sed ejusdem sufficit concessio.

Quoad illud: *Non perjurabis*, &c. Huic Præcepto non contrariatur Assertio de juramento, sed est concordia, stando in terminis prioribus juramenti. Dicit idem Reverendus Pater, & Dominus Cardinalis quod in prioribus dictum est; est enim omne juramentum observandum, quod non vergit in detrimentum animæ.

Nec facit ad propositum quod allegat ille Reverendissimus Pater scriptum, Exod. XXI. *Si quis per*
B *industriam*, &c. hoc enim intelligitur, si fecerit privata authoritate: hoc autem in hac materia non dicitur, sed oppositum.

Et contra se facit, & pro præsenti materia quod allegat. XXIII. *quæst.* VI. C. *Non occides*, sumptum ab Augustino, ubi dicitur: *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus Justitia Deus specialiter jubet occidi*: quia Assertiones prædictæ, & potissimè prima, & secunda præsupponunt tyrannum, de quo sermo, non tantùm Lege una, sed pluribus, morali, seu civili, naturali, & divina fore occidendum, & generaliter jussum esse per dictas Leges quòd occidatur.

Doceat igitur dictus Reverendissimus Pater, quòd nulla istarum Legum generaliter jubeat talem tyrannum occidi. Constat divinam Legem, & etiam naturalem dictare seu determinatè diffinire, ejusmodi tyrannum omni pœna possibili dignum, non tan-
C tùm temporali morte, sed æterna; cùm nulli sit dubium, aut esse debeat, quin talis tyrannus mortaliter peccet. Aut igitur Legislator hanc sententiam, & dictamen considerans, & imitans, parte una; parte autem ex altera Rempublicam, & ejus bonum, quod respicit hujusmodi tyrannidis crimen, sed oppositum ipsius boni publici, qualitatem scilicet, in ipsius læsionem, & detrimentum Legem aliquam edidit, per quam non tantùm singulis subditis, & vassallis ipsius Legislatoris permittitur ut ab eis hujusmodi tyrannus occidatur; sed & potestas conceditur, aut ex contentis per expressum in corpore Juris civilis, hoc idem, & in bona, & necessaria consequentia infertur, aut nullatenùs ex Lege aliqua super hac materia edita, aut nullis ex contentis in dicto corpore Juris civilis; nullis etiam coassumptis veris hæc potestas conceditur, concluditur, aut infertur.

D Si primum; clarè habetur intentum. Secundum non videtur; quia hoc est crimen maximè detestandum Reipublicæ, & ejus bono inimicum, & maximè puniendum. Igitur per Legislatorem est super hoc, & circa provisum, ad salutem Reipublicæ, & ejus bonum. Si enim circa minora mala, & inconvenientia contingentia Rempublicam per Leges justas providerit; multò magis circa hoc detestabile, & maximum crimen, per Legem aut Leges providit: providit enim circa depopulationem agrorum, desertionem militiæ, furtum nocturnum

num, insidiationem viarum; per suas Leges dans, & concedens potestatem puniendi hujusmodi crimina multò minora, ac ea committentes, etiam per mortem, illis illam infligendo: etsi ex nullo, aut nullis contentis in dicto corpore Juris Civilis, quibuscumque etiam veris coassumptis, possit hujusmodi potestatis concessio clarè, verè, & expressè * ex his tamen, quæ in bona & necessaria consequentia inferuntur, ex illis forsan inferri potest interpetativè, & implicitè, quibusdam aliis veris coassumptis. Non enim præsumendum quin si Legislator, Imperator scilicet, vel alius supremus Dominus, in Regno suo, vel Dominio similem casum prævidisset, aut prævideret, super hoc providisset, aut provideret, Legem statuendo, ut quilibet valens & volens liberare Rempublicam ab hujusmodi tyranno, eam liberaret, etiam per mortem, sibi illam inferendo.

Similiter contra se facit, & pro præsenti materia quod allegat, XXIII. *q.* VIII. c. *Quicumque*: quod sumitur ab Augustino, ubi dicitur: *Qui sine publica* &c. Quia in casu, B occidens A, non sine publica administratione interfecit, cùm ex duabus primis Assertionibus clarè supponitur, quòd authoritate Legum hujusmodi tyrannum interfecerit; & ita non sine administratione aliqua, cùm Legislator, & ejus Judiciaria authoritas, seu administratio, in Lege sua, tanquàm in suo effectu resideat, atque reluceat, ut est manifestum. Nec opus est, quòd B, sic A interficiens, aliquam administrationem, seu Juridicam potestatem habeat in ea ex aliquo Officio suo, vel gradu hierarchico temporali, seu temporalis politiæ sibi specialiter concesso; sed sufficit quòd hanc habeat ex commissione Legislatoris, seu Legis: sicut manifestè potest declarari in politia Ecclesiastica. Et ita non videtur usurpare, nec usurpat potestatem à Deo sibi non concessam.

Nec denique est hæc doctrina contra illam Decretalem, aut ejus rationem, *Pro humanis*: prout sufficienter deductum esse videtur per Reverendum Patrem, Dominum Episcopum Attrebatensem. Loquitur enim Decretalis illa, ut dicunt Domini Juristæ, de illis qui ad talem actum procedunt ex vindicta, & odio, qui horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia mortem sitiunt aliorum; secus in proposito esse videtur.

Item. Postmodùm, cùm arguit præfatus Reverendissimus Pater, quòd hæc doctrina multò magis est condemnanda, quàm illa Propositio, quæ ponit, quòd populares possint ad eorum libitum, id est, arbitrium, Dominos delinquentes corrigere. Hoc negatur: quia istius Propositionis damnatæ nulla veritatis est apparentia, nec boni circumstantia; cùm in solis popularibus non resideat Communitatis authoritas, ut notum est, nec in eis sensus, nec intellectûs vigor, quo sufficienter videre possint quid agendum, aut corrigendum in Principe suo.

In præsenti autem casu, aliæ sunt circumstantiæ, tàm ex parte B, quàm ipsius A. Ex parte B, ex casus positione, sunt circumstantiæ veri amoris ad Principem, & Rempublicam, & debitæ obedientiæ: ex parte autem A, sunt circumstantiæ inimicitiæ hostilis contra Principem suum, & Dominum Supremum, & infidelitatis, & inobedientiæ multipliciter indebitarum.

Ad ultimam ejusdem Reverendissimi Patris rationem; cùm arguit hujus doctrinæ condemnationem &c.

Respondetur; hoc sibi negando quod assumit ratio, propter interesse illius cui hæc doctrina ab aliquibus publicè denunciata, etiam judicialiter tanquàm hæretica, & † à nonnullis asseritur, est falsò ascripta, seu imposita; nec * talis innocens ab hoc crimine læsus maneat in fama, & honore, ad hoc, de necessitate salutis, obligatio esse videtur. Postremò, non tantùm in hujusmodi Propositionis condemnatione exprimitur unus specialis assertor; sed quàm plurimi: imò exprimi videtur tota Bohemia, in qua erat usus ille publicus, & notorius receptus & approbatus. Sic ex his patet. &c.

A Placeat attendere diligenter: per doctissimos & sapientes viros, qui sunt, præstatur sub jurejurando salubre consilium in materia Fidei, qualiter omnes rationes Cancellarii Parisiensis, & sibi adhærentium; seu adhærere volentium, novem Assertiones in examine Magistrorum nunc positas hæreticare non procedunt, nec veritatem casus expressi in dictis Assertionibus comprehendunt, per quem animus occidendi, propria authoritate, non laudatur, nec approbatur, sed potiùs reprobatur: cùm in prima Assertione dicatur animus occidendi tyrannum, de quo loquitur, esse conformis Legibus, naturali, morali, & divinæ; quod etiam expressiùs dicit secunda Assertio, ut notum est ex terminis.

Attendantur ergò circumstantiæ in prædictis Assertionibus missæ, & etiam expressæ; tunc clarissimè patebit, quòd dictæ Assertiones non tantùm sunt probabiles, aut sine præjudicio Fidei & contradictione sustinibiles; sed apud nonnullos forsan B patenter & manifestè veræ.

Et primò. Videantur circumstantiæ ex parte illius quem licitum est taliter occidere. Loquitur itaque prima Assertio de illo qui machinatur &c. Machinari enim, licèt rationem occultam & proximam de se importaret, & ex consequenti non patentem, ut innuere videtur Dominus Cancellarius, non tamen importaret actionem inevitabilem, sed potiùs ex hoc inevitabilem; est enim difficilius obviare, & indè periculum evitare tali malitiæ conceptæ, quæ cum tractu temporis, & occultè deducitur ad effectum, quàm si hoc celeriùs, atque potentiùs fieret, ut videtur.

Nec verum est, quòd de se tantùm dicat actionem immanentem, sed extra transeuntem per effectum, qui quantò secretior est & ignotior, tantò magis rationem machinationis participare videtur; & participat: ignotior, inquam, quoad finem in-C tentum per machinantem. Nec actum machinationis, quoad ejus substantiam necesse est esse occultum; sed quoad hoc interdùm est manifestus: sed quoad ejus finem, mali intentum necesse est esse occultum; qui quidem finis quantò difficiliùs concipi potest, tantò magis machinatio est, & dici potest.

Nec immeritò machinationis actus est prolixus; quia difficile est, & longa indiget cogitatione, seu etiam meditatione, media invenire ad finem mali præconcepti, qui maximam videtur de se habere distantiam ad hujusmodi finem: quæ tamen, secundùm rem, juncta sunt fini hujusmodi, & propinquant: qui finis, si interdùm ex uno actu concipi non possit, nec esse notorius; ex pluribus tamen ejusdem machinationis actibus, & eorum plurimis circumstantiis publicis & notoriis, potest esse machinatio, seu omnis actio publica, & notoria, ut notorium est & manifestum.

D Sic igitur non est necesse, actionem machinationis semper esse occultam, etiam quoad ejus finem; sed esse potest patens & manifesta, sicut est in proposito, ex circumstantiis designatis per hæc verba; *per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium*, determinantibus actum designatum per verbum *machinatur*, positum in prima Assertione. Hæc autem omnia non videntur dicere actionem occultam; sed eorum aliqua notoria & manifesta, non tan-

* *Videtur desiderari* demonstrari: † *Forsan* et.

* *Forsan legendum* ne.

tantùm quoad substantiam, sed etiam quoad finem, ut notorium est & manifestum; ad minus, est manifestum quòd complexum ex dictis terminis; sed potiùs patentem & manifestam, cùm sortilegium non tantùm in actu interiori consistat, sed in exteriori, sensibili, & de se manifesto, licet etiam ejus effectus dubius esset & incertus, nec fini malo ipsius machinantis propinquus: nam manifestum est quòd, hoc non obstante, fortilegium, A non tantùm secundùm ejus substantiam, sed secundùm suam rationem absolutam ac etiam relatam, seu comparatam ad Regem, tanquam medium, seu principium finis mali in Rege ipso præconcepti, & per machinantem intenti, potest esse notorium, & manifestum.

Sed videamus in quid machinatur. Non dicit Assertio, *in mortem*; sed *in salutem corporalem*, id est, contra salutem &c. Oculis apertis verissimè videtur, quòd Assertio dicit, *in mortem*, id est, contra corporalem vitam sui Domini, morti naturali oppositam. Quid enim aliud est salus, secundùm intellectum communem Sanctorum, & Doctorum Theologorum, quàm vita? Estne salus æterna vita? Nulli dubium quòd sic: salus ergo corporalis theologicè, & inter Theologos, vita est corporalis: B secùs forsan est medicè, & inter Medicos: sic forsan salus, sanitas diceretur.

Hanc æquivocationem non recipit hæc materia moralis & theologica; sed penitùs est abjicienda: nec machinatio in hanc salutem dumtaxat, id est, sanitatem corporalem Regis &c. machinantem relevaret quin, secundùm omnem Legem, divinam, naturalem, civilem, moralem, & canonicam dignus sit morte naturali, & veniat per exterminationem puniendus: quin insuper, secundùm præfatas Leges, sit capitalis & formalis inimicus & hostis Regiæ Majestatis, & Reipublicæ, committens crimen læsæ Majestatis humanæ, in primo gradu.

Posteà verò, ut dicit dictus Cancellarius, non dicit Assertio, *pro aufferendo sibi vitam*, sed solùm, *pro aufferendo suam Dominationem*; Verum quòd hæc clausula non ponitur, *pro aufferendo sibi vitam*; sed hæc, *pro aufferendo suam Dominationem*. Sed ex hoc inferri non potest, quin ille de quo loquitur Assertio, vitam sibi aufferre intendat, & sibi, quantùm in se est, aufferat, C quod expressè denotatur per hanc clausulam expressam: *machinatur contra salutem corporalem Regis sui*, ut ex præcedentibus deductum est. Undè per hanc clausulam: *pro aufferendo Dominationem suam*, denotatur finis mali per machinantem intentus principaliter, seu ipsius machinationis, per cupiditatem, fraudem, &c. attemptatæ in Regem, per expressum denotatæ per hanc clausulam: *Qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini*, quam immediatè subsequitur, & determinat dicta clausula dictum finem denotans, scilicet *pro aufferendo suam Dominationem*, ut notorium est, & manifestum intuenti ordinem terminorum Assertionis prædictæ.

Deinde videamus per quæ media talis machinatur, prout dicit ipse Cancellarius. Assertio non dicit, quòd habeat gladium extensum ut Regem percutiat, D hoc verum est; sed dicit; per sortilegia, quorum etsi effectus aliquis interdùm dubius sit, & incertus, nec forsan fini mortis intentæ propinquus; non tamen necesse est omnem eorum effectum dubium esse & incertum; nec ipsi fini non propinquum.

Et si verum esset quod dicit dictus Cancellarius, & quòd omnis eorum effectus dubius esset & incertus nec fini mortis intentæ propinquus; hoc tamen non relevat machinantem, quin, ut tactum est, committat crimen læsæ Majestatis, & dignus sit morte æterna, & temporali, & quin per hujusmodi effectum dicti sui Regis mortem intendat, & quantùm in se est, sibi vitam aufferat.

Et minùs mala est, & perversa, seu injusta & indebita talis intentio mortis suo Regi inferendæ per hujusmodi causam & effectum, quàm sit intentio per gladium extentum, ut manifestum est; sed multò pejor, cùm multò plures circumstantias malas hujusmodi intentio comites habeat, ut facilius est videre: libentiùs enim gladium extenderet, ut citiùs finem peroptatum Dominationis attingeret, si sui & Statûs securitatem & impunitatem potiùs conciperet. Ex enim sui inordinato amore, & Dominationis concupitæ, ac terrore periculi; omissis mediis hujusmodi fini proximis, & immediatis, notoriis, & publicis; media distantia per hoc secreta, & occulta, vel secretiora, & occultiora assumit, ut sunt ea, de quibus loquitur Assertio.

Non minùs ex hac proditor, & capitalis inimicus, ac hostis Regis, & Reipublicæ, cujus quidem perversa intentio, seu conditio, etsi occultior sit, & minùs patens, ex finis intenti parte, quàm sit conditio gladium extendentis; aliqui † tamen, & pluribus noscibilis est, & fieri potest patens & manifesta, ut patet ex prædictis: in quo casu talis cui patens est, & manifesta hujusmodi intentio, si Reipublicæ speciali voto sit astrictus, & Principis, & Communitatis authoritate fulcitus, ut tanquàm minister, actus publicæ Justitiæ exerceat in hostes, & inimicos Reipublicæ, quemadmodùm est militiæ astrictus Dux, scilicet, Comes, Baro, aut etiam Miles; rationabiliter, ut videtur, potest in talem sic machinantem insurgere, & in gladium extendentem, ut Regem percutiat, vel occidat.

Constat autem, quòd non tantùm Miles, sed quilibet subditus & vassallus, & forsan Ecclesiasticus licitè, & rationabiliter, & etiam meritoriè posset talem sic gladium extendentem occidere. Ergò & in casu Assertionis.

Additur, ut dicit dictus Cancellarius, *per fraudes, dolos, & malum ingenium*, qui termini, ut dicit dictus Cancellarius, generales sunt, significantes actus interiores non patentes de se, sed potiùs ignotos.

Salvâ reverentiâ ipsius Cancellarii, in dicta Assertione non ponitur, *dolos*, sed alii duo ponuntur termini, scilicet *fraudes & malum ingenium*. Constat autem quòd nomen, *fraudes*, non est impositum actui mentis, secundùm quod immanens est; sed secundùm quod transit ad extra per effectum, ut videtur manifestum.

Etsi nomen, *ingenii*, mentem ipsam, aut ipsius aliquam potentiam menti inhærentem, & immanentem, secundùm quid significet, & eidem sit impositum: ex additione tamen ejusdem, cum nomine, *mali*, non intùs manet, sed transit ad extrà. Nam ex doctrina Philosophi allegata aliàs per Dominum Cancellarium, verum & falsum sunt in mente; bonum autem & malum sunt in rebus, & per consequens extra mentem, sicque magis nota, seu agnoscibilia. Quapropter concluditur ex parte illius qui occiditur, quòd dictæ Assertiones casum prædictum, scilicet necessitatis inevitabilis verè includunt, nec excludunt.

Considerentur insuper circumstantiæ positæ ex parte modi agendi; quoniam dicitur, *per explorationes & insidias*, tertiâ & quartâ, quæ, ut dicit dictus Cancellarius, longam præmeditationem importtant; & specialiter, tales insidiæ, quæ sunt juramento fidelitatis, & socialitatis velatæ, sicut innuit

nona

† *Forsan alioqui.*

nona Assertio, quæ salvare nititur ac justificare confœderationes tales, quòd non sunt obligatoriæ. Benè verum est, quòd tales insidiæ & explorationes, morosam, seu longam important præmeditationem: sed ex hoc non infertur, nec inferri potest, quòd tales explorationes, & insidiæ non sunt media licita, congrua, & honesta, ad finem, seu actum de quo loquitur Assertio. In bellis enim licitis, licitum est uti insidiis: in præsenti autem casu, si non sit bellum publicum, & notorium apud singulos, Juris, aut facti notorietate; aut quia machinans in Regem, seu Regem invadens non fatetur, nec confessus est; aut quia super hoc decretum Judicis non opponitur, nec oppositum est; aut quia factum non est omnibus subditis, & specialiter voto fidelitatis astrictis Regi evidenter notum; est tamen bellum latens & occultum, familiare & domesticum, quod, ex hoc, gravius, & detestabilius est.

Quòd si non modis prædictis notum, atque notorium, sic quòd eis nulla tergiversatione celari posset; sic supponitur ipsi B fuisse notum atque notorium, scilicet quo ad actum, seu factum ipsius machinantis, seu Regem invadentis, quod est factum, vel actus bellum gerentis occultum; nec ex velatione juramenti fidelitatis, seu socialitatis videntur malitiam contrahere, ut videtur innuere dictus Cancellarius: quia si post confœderationes contractas, alteri confœderatorum innotuerit, vel innotesceret hostilis inimicitia concepta contra Regem, seu initum bellum occultum, familiare & domesticum; nullum tali hostili inimico promissum, hujusmodi hostilitati conferens, & accommodum servare tenebatur, & teneretur; cùm ex divina Lege, & ipsius Charitatis ordine, ad oppositum tenebatur, & teneretur.

Et si hanc hostilitatem prævidisset, ut per verba præfati Cancellarii innui videtur, & contrahendo defecisset; non minùs tamen vera est Assertio illa nona, &, in casu, multipliciter excusandus veniret. Si enim A, apud B hujusmodi confœderationes per se, aut alterum procurasset, tunc potuit B meritò concipere, quòd ad suam perversam intentionem & hostilem amicitiam jam diù conceptam faciliùs & securiùs exequendam has procurabat: ac insuper meritò concipere potuit B, quòd si denegaret, per expressum, secum contrahere confœderationes, quòd indignationem contra se concipere posset, & quòd inde secretiùs, & occultiùs malitiam jam diù, & præmeditatè conceptam exequi posset; & demùm ab ipso B, & singulis suis adhærentibus caveret, & cautior, & attentior in executione dictæ malitiæ, per hanc denegationem, reddi posset: in hoc enim casu, & his occurrentibus circumstantiis, multipliciter veniret excusandus, ut est notorium & manifestum.

Sed nec tantùm in hoc complexo: *Quando est tanta potentia, quòd Justitia non potest bono modo fieri per Supremum*; includitur casus inevitabilis necessitatis, quod videtur imponere dictus Cancellarius, illud impugnando, seu reprobando: sed etiam consistit in malitia, & hostili inimicitia, jam diù & præmeditatè concepta, atque cogitata, quod denotatur per verbum, *machinatur*, ut dicit dictus Cancellairus per hæc verba, *explorationes & insidias*, quæ, ut fatetur, ipse Cancellarius, longam important præmeditationem; quæ si non expressè & formaliter ponantur in prima Assertione, ut determinantes actum tyranni machinantis; implicitè tamen, & virtualiter, sicut pars est in suo toto, in machinatione denotata per *machinatur*, contineri videntur & continentur veraciter: qui enim in alterum machinatur, ipsum explorat, & insidias sibi præparat, ut est manifestum, quæ, ex relatione ad finem de se malum & damnatum, malæ sunt & damnatæ in tali machinante.

Ex parte igitur hujusmodi machinationis, & hostilitatis in tempus continuatæ, per prædicta, & ex hoc firmatæ & radicatæ in ipso tyranno machinante, & ipsum tyrannum irrevocabiliter & immobiliter, & fixè in hujusmodi maleficio ad mortem

A Principis ordinato determinantis & finientis, irrevocabilis est salus Principis, nec valet mors ipsius finaliter, parte ista. Sic igitur ex parte ista pendet inevitabilis necessitas; pendere etiam potest, parte ex altera, Justitiæ scilicet, ipsum reprimentis, seu Judicis castigantis, non valentis eum reprimere, seu castigare; qui effectus contingere potest in Judice, seu Principe, ratione indispositionis per effectus hostilis machinationis conceptæ, in eo subsecutæ, quâ obstante, hujusmodi machinationem non concipit, nec ejus effectum, qualiter super hoc providendum, & remediandum non videt, neque considerat, nec defectus insuper repressionis, & debitæ castigationis talis &c.

Solùm patet ex parte Principis sic indispositi contingere; sed etiam ex parte machinantis potest contingere & contingit: quia in casu, magnæ est potentiæ in subditis, & vassallis, & sanguine Regi conjunctis, ex hoc magna * apud eum, & ejus Consilium, ac plurimos Officiales publicos actus Justitiæ exercentes vocem, & authoritatem habens, ac multiplices favores, & hujus defectus, hæc & alia plura casum præsentem continentes occasione juncti †, tamen cum primo defectu contingentes ex indispositione Principis, sic ut præmittitur, contingente in ipso Principe, nedùm est difficile, sed primùm impossibile aliquem esse, aut reperire, qui talem machinantem auderet de tanto crimine accusare, aut se partem formalem contra eum constituere, etiam si dicta essent pluribus evidenter nota.

Et quòd super hoc laborarent vox communis & publica fama, & si quis esset qui talem animum assumeret, prædictis stantibus, non videretur illum, secundùm discretionem, spiritum assumere. Nam aut esset de inferioribus & mediocribus, aut superioribus, & majoribus. Si de primis, aut secundis, non est præsumendum quòd talis posset super hoc audiri, & effectum Justitiæ attingere, & se, misericordiæ gratiâ, mortis periculo exponere. Si autem de Superioribus, aut majoribus esset; aut viam Juris

C assumeret, aut facti: non est præsumendum, obstantibus prædictis defectibus fundatis in maximis favoribus, quòd cum Juris ordine finem Justitiæ, & effectum posset attingere.

Et est clarissimè præsumendum, quòd indè magna scandala, divisiones, turbationes, & odia possent, contingere, ad viam facti publicam, contra hujusmodi tyrannum movendo guerram. Multò plura mala scandalosa &c. possent in Republica contingere sine insuper licentia ‡, & contra Principis sui voluntatem bellum movere non posset.

Non est præsumendum quòd hanc licentiam posset attingere, sed potiùs oppositum, & si pro majori parte Consilii Regi assistentis posset; non tamen sine partialitate & discordia, obstantibus prædictis favoribus. Sola ergo videtur via facti occulta & secreta: quare &c. non contingere ‡ casus inevitabilis necessitatis tantùm ex parte ipsius Justitiæ, seu Judicis castigantis; sed etiam ex parte

D operis machinantis, ad quod, prædictis circumstantiis astantibus, indefectibiliter sequitur Principis destructio, & non modica Reipublicæ, certo modo existente Principe, detrimentum & læsio.

Non valet dicti Cancellarii illatio, salvâ sui reverentiâ: Justitia non potest bono modò fieri per supremum: ergò aliquo debito, & convenienti mo-

 do

* *Locus corruptus.* † *Locus corruptus.* ‡ *Locus corruptus.* ‡ *Hic aliquid desideratur.*

do fieri potest; quam tamen videtur innuere. Nam si non bono modo fieri potest; licitè, & benè fieri non potest: nam in agibilibus quod fit, & non bono modo, non benè fit; & quod fit, & non benè fit, malè fit. Nam bonum & malum immediatè sunt contraria. Et ita ex propriis terminis dicti complexi inferri non potest, quòd licitè fieri posset publica Justitia, Juris ordine servato, ut intendit dictus Cancellarius, attentis & astantibus præfatis circumstantiis omnibus, quæ verissimè astare, & circumstare possunt casum tyranni principantis &c.

Nec minus malum videtur, quòd Supremus talis interfectus fuisset, Juris ordine non servato: quia malum non est, nec fuisset, si talem, prætermisso Juris ordine, occidisset, nota sibi machinatione, aut quòd ipsum occidi mandasset: erat enim suus supremus Judex, qui Juribus conditis super Juris ordine servando non subjicitur, ut notum est & manifestum; & ita sine illo ipsum occidere licitè poterat per se, vel alium de ejus Mandato; aut etiam sine ejus expresso, & vocali Mandato, modo quo supra: ex hoc non magis, vel majus malum est, talem interfici per istum, cui non est subjectus ipse interfectus, ordine Juris prætermisso, quàm per suum Supremum, cui subjicitur: quia, ex prioribus, non est malum per suum Principem interfici, ordine Juris omisso, in casu &c. & sic non majus, vel minus.

Secundò. Quia ipsum sic per istum cui non subjicitur tanquàm Judici, interfici, non est secundùm se, & extrinsecè malum, sed potest, & potuit benè fieri, ac etiam malè: benè siquidem; si motus fuerit amore Reipublicæ, & veræ obedientiæ Legislatoris, & suarum Legum hanc hostilitatem damnantium, & potestatem concedentium, ut supponitur: malè si quidem; si motus fuerit odio, vel amore propriæ vindictæ, vel aliàs &c.

Nec insuper valet dicti Cencellarii illatio: Per suum Supremum, vel alios milites, & modis aliis interfici potuit: ergo non est casus inevitabilis. Necessitas sumitur per comparationem ad Regem, & ejus dispositionem, & machinationis effectum, cum aliis circumstantiis, de quibus priùs; quia continuata, & non præventa per ipsius machinantis præventionem, hujusmodi machinatio, effectum finalem, scilicet Regis mortem indefectibiliter assecuta fuisset.

Non autem sumitur, nec sumi debet, ut sumit dictus Cancellarius, per comparationem ad machinantem ejus interitum, & ea quæ hæc concernere possunt, sicut sunt modi interitus, aut interemptores; quia non est ad propositum, ut videtur: sic enim interfici potuit per alium, & aliàs, & alio modo, ut notum est; & est dicta illatio ad hominem, & non ad rem. Nec consequenter oportet ad verificandum dictam primam Assertionem, quòd in omnibus circumstantiis concernentibus machinantem, sit notorietas Juris, aut facti. Juris per confessionem ipsius, vel Judicis Decretum. Facti, quia nulla tergiversatione &c. ad verificandum Propositionem aliquam exigitur & sufficit unio eorum quæ per se insunt ipsis extremis. Hoc est manifestum, tàm in Propositionibus per se, quàm per actus.

Ad verificandum hanc: Homo est animal: vel, Homo est risibilis, sufficit, & exigitur unio extremi ad alterum possibilis, secundùm dictorum extremorum naturam, & ejus capacibilitatem. Ad verificandum autem hanc, quæ non est per se, sed per accidens: Homo est albus: sufficit quòd exigitur unio extremorum, secundùm eorum naturam, & possibilitatem, quæ consistit in unione, vel identitate, secundùm esse. Sic in Proposito. Non autem exigitur, nec sufficit unio; non per se, sed forinsecùs, & penitùs extrinsecè dictis extremis conveniunt aut convenire possunt, ut ad verificandum hanc: Homo currit: non exigitur, nec sufficit quòd homo sit in domo, & quòd cursus ibidem fiat, ut notum est: hoc autem quod est, esse in domo, penitùs extrinsecum est homini, & cursui extremis.

A Ad propositum applicando: indubiè dicendum esse videtur, quòd ad verificandum dictam primam Assertionem, non exigitur, nec forsan sufficit notorietas Juris, aut facti actûs alicujus singularis, & determinati, singulariter & determinatè designati; cùm hujusmodi notorietas, modo superiùs tacto, ad intentionem dicti Cancellarii videatur esse forinseca, & penitùs extranea extremis, & eis quæ per se ipsis conveniunt.

Nulli dubium esse potest, quin hæc vera sit, & Catholica: Licet homini hominem occidere: & potissimè ista: Licet homini hominem malefactorem, furem, latronem, vel homicidam occidere. Non tamen ad eam verificandum exigitur notorietas illa, de qua sermo, alicujus actus, vel facti particularis; sed penitùs est hujusmodi veritati, seu verificationi extrinseca.

B Sic in propositis: cùm prædictæ Assertiones, & potissimè prima formata sit ex terminis communibus communiter sumptis, nullum factum, vel actum particularem, aut suppositum particularis designantibus, forsan ad eam verificandum, ut ejus veritas formam praxis debitè recipiat, & ad opus extrà, seu ad actum occisionis denotatæ per li *occidere*, *vel occidi facere*, rationi applicetur, tanquàm principium in illud dirigens, hujusmodi notorietas exigitur: cùm ipsa veritas sic relata ad opus determinatum, & singulare, exigat subjectum, sive suppositum, tàm ex parte agentis, quàm patientis: nam actiones sunt suppositorum, & circa singularia, seu supposita, ex doctrina Aristotelis. 1. *Metaphysicæ*. In actibus enim physicis, agens exigit subjectum in quod agat, non absens, sed præsens; non separatum, sed conjunctum, & propinquum; non improportionatum suæ virtuti, sed proportionatum. Sic in actionibus moralibus, seu liberis, agens subjectum in quod agat; non absens, sed præsens; non separatum, sed suo fini, & rectæ intentioni conjunctum, & propinquum; non improportionatum

C suæ virtuti activæ, sed proportionatum; & tali, & tàm convenienti qualificatione qualificatum, & rectitudine, seu rectitudinis impressione, dictæ scilicet virtutis activæ valeat, & possit recipere. Hæc autem, ut videtur, esse non possunt sine hujusmodi notorietate Juris, aut facti. Ergo &c.

Nam talis subjecti, seu passi conjunctio, & propinquitas, ac etiam præsentia, secundùm notitiam capiuntur, ac etiam intelliguntur capi, in præsenti materia morali: cujus quidem notorietatis, seu notitiæ absentia ab agente, rei tamen veritate ex parte passi, seu subjecti, subserviente, defectuosam redderet agentis ipsius actionem; non autem erroneam in Fide, & hæreticam: non enim posset actionem proportionatam dispositioni, seu qualitati passi in passum influere, propter ipsius passi, & suæ qualitatis, & dispositionis absentiam, seu distantiam, quam

D tollere non potest, & ejus oppositum afferre; levis* autem, fantastica, vel probabilis apprehensio passi, & suæ qualitatis: & in hoc casu posset hujusmodi agens redargui, sicut meritò redarguendus esset, sed non de Fide, & ut homicida puniendus veniret, non constito de ipsius passi qualitate: quæ si postmodùm Judici nota fieret, non de actu, secundùm se, redarguendus esset, cùm hujusmodi passum, ex sua qualitate, dignum sit morte, & occisione, & illi proportionatum: sed

* *Locus corruptus.*

sed de modo: quia ex incerto sibi, ad certum processit; ac se, suumque Statum magno exposuit periculo: nec hujusmodi notorietatis additio circa hujusmodi circumstantias omnes, & quaslibet earum omissa est ex ignorantia, vel potiùs ex astutia, ut dictus Cancellarius dicit: sed ex altera istarum, vel ex utraque, hujusmodi additio poscitur; quia, ut ex prioribus deductum est, notorietas est, & esse debet circa actum determinatum, & singularem, & singularis personæ extrinseca, & impertinens communibus, seu confusis, aut communiter & confusè designatum.

Nec ea omissione minor fuit virtus, vel apparentia, in subsumendo ad has Maximas, seu Regulas generales, ex quibus solùm non sumitur probatio Conclusionis principaliter intentæ, quæ de actu singulari est, & singularis personæ; imò nec ipsius illatio: sed ex his Regulis, & Maximis, & etiam ex Minore subsumpta sub eis Regulis, hujusmodi illatio, quæ clara est & evidens, quæ probativa est, & esse potest, si Antecedens, pro qualibet sui parte, notius sit consequente, constat Majores, seu has Regulas, hoc est, Majorem deductionis Parvi esse notiorem Conclusione principaliter intenta, si Minor deductionis ejusdem Magistri Joannis Parvi facti evidentiam contineat, & præfatam notorietatem, notior est præfata Conclusione: si autem facti evidentiam non contineat, subserviente etiam ipsius Minoris veritate, forsan illatio non est probativa, sed non minùs est illativa. Si autem Majores hæ, & Regulæ veritatem contineant cum Minore, non Conclusione, notoriè per facti evidentiam, illatio vera est, non bona; non tamen pravitate hæreticâ mala. Si autem Majores hæ, seu regulæ cum Minore falsæ sint, illatio non minùs vera est, sed non moraliter bona, sed mala.

Denique placeat attendere, quòd licèt in quarta Assertione, ac etiam in septima, & nona, nulla fiat ex earum terminis coarctatio ad casum circumstantionatum; coarctatio tamen clara est ad intellectum illius, cujus, ut dicitur, sunt hujusmodi Assertiones, qui clarè elicitur ex contentis in Propositione, vel Tractatu, ex qua dicit dictus Cancellarius, hujusmodi Assertiones legitimè esse extractas.

Coarctatio insuper fit, comparatione habita ad præcedentia, & consequentia in codice, ex quo dictus Cancellarius dicit esse extractas, ut manifestum est intuenti.

Insuper coarctatio clara est, per comparationem, seu relationem dictæ quartæ Assertionis, ac primæ, & aliarum sex &c. ad quid nominis *tyranni*, per expressè positum in præfato codice, in scedulis missis Doctoribus, & Magistris, per Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem; per quod clarè patet, quòd etsi dictum nomen significet ex sua impositione, & ratione, quoscumque Rempublicam opprimentes, Jure, aut injuriâ Principantes, ac etiam non actu principantes, sed actu dominari cupientes, cùm dictum nomen in tota Propositione Parvi positum, & in omnibus suis Assertionibus sic capitur, & coarctatur per ea quæ dictum nomen circumstant, & determinant, quod supponit tantùm, & capitur pro non tantùm Domino, sed etiam subdito, non actu principante, sed dominari cupiente.

Unde est manifestum, quòd per relationem ad hujusmodi quid nominis, capi debent verba dicti Parvi in omnibus Assertionibus suis; nam in materia tanquàm principium est præsupponendum, & præsuppositum est, & fuit à dicto Parvi, per cujus respectum, & in ordine ad quod dicit, & intellexit quæcumque dicta, & asserta per dictum Parvi de ipso tyranno: nec rationabiliter intelligi possunt, aut debent aliter dicta sua, licèt in aliquibus locis dictæ suæ Propositionis loqueretur sine determinatione limitante suam generalitatem ad subditum, & vassallum proditorem, & infidelem, per operas efficaces machinantem actualiter in mortem sui supremi Domini.

Nec insuper propter defectum hujusmodi coarctationis expressatæ in dicta Assertione, & illimitationem nominis tyranni dictæ Assertionis, damnatio potest rationabiliter inferri, secundùm intentio-
A nem Cancellarii, damnatam Assertionem sæpiùs in hoc Concilio, & alibi explicantis, quâ intendit ut nomen tyranni tantùm dicat, & denotet, non Jure actu principantem; hoc est, qui sine titulo, & per violentiam, non ad commune, sed ad proprium conferens principatur: hoc enim modo actu principans, & verum titulum habens, non ad commune, sed ad proprium respiciens, & non intendens bonum, non est tyrannus.

Nec ex condemnatione hujus Propositionis: Licet suum Principem, verum titulum principandi habentem, in tyrannidem lapsum, hoc est, ad proprium & privatum, non commune bonum principantem, occidere; inferri potest rationabiliter con-
B demnatio hujus Assertionis, vel Propositionis: Licet tyrannum per violentiam, & non Jure principantem occidere. Quia, si prima, secundùm aliquos, falsa esset, & rationabiliter condemnari posset; secundùm verò alios, non modicum probabilis appareat, nec veniat condemnanda ex prædictis; hæc tamen secunda apud Doctores tàm Theologos, quàm alios, fuit, & est multùm probabilis; & nedùm probabilis, sed simpliciter asserta vera: quia talis sic principans verus hostis est, notorius per facti evidentiam, quod nulla tergiversatione celari potest.

Nec ex condemnatione hujus Assertionis: *Quilibet tyrannus* &c. potest rationabiliter inferri, aut concludi dictæ condemnatio Assertionis; istius scilicet: Licet unicuique subdito occidere tyrannum per violentiam, & non Jure principantem: secundùm intentionem præfati Cancellarii condemnantis hanc quartam Assertionem: quia secundùm deducta
C priùs, condemnatio hujus: *Quilibet tyrannus* &c. rationabiliter ex aliis multis fieri potuit, quàm ex parte tyranni, ad actum occisionis dumtaxat, per suum violentum subditum, aut vassallum comparari, ut notorium est ex terminis pluribus dictæ Assertionis: *Quilibet tyrannus* &c. & ut priùs deductum est.

Et si in dicta Assertione nulla fiat coarctatio ad casum aliquem, & ejus circumstantias; istud contingit, quia dictam Assertionem, & alias singulas sic formans eas ab omni sensu, & intellectu aliis ab illo quem ex se faciunt, denudavit, & penitùs spoliavit; tantùm eis adjiciens intellectum quem ex suis terminis facere possunt, & faciunt: & si advertant V. R. P. deliberationem Reverendissimi Patris, Domini Cardinalis Cameracensis, & eam benè considerent, eos non multùm movebit; cùm
D certissimum sit, atque clarissimum, omni benè suam præfatam deliberationem ponderanti, atque consideranti, quòd in materia, ex notoriè falso procedit principio, salvâ suæ Reverendissimæ Paternitatis reverentiâ: procedit enim ad istarum novem Assertionum condemnationem, ex condemnatione hujus Propositionis: *Quilibet tyrannus* &c. ut manifestum est suam dictam deliberationem respicienti.

Sed haec clariùs constat ex deductis priùs, quòd ex condemnatione dictæ Propositionis: *Quilibet tyrannus* &c. rationabiliter inferri non potest, nec concludi istarum novem Assertionum condemnatio, etiamsi

etiamsi essent condemnandæ; non ergo in falsitate dictæ Propositionis, *Quilibet tyrannus*, &c. tanquàm in principio, quærenda est istarum novem Assertionum condemnatio: ex falso ergo procedit principio, salvâ semper suæ Reverendissimæ Paternitatis reverentiâ.

Denique advertant R. P. V. quatenùs Episcopus Attrebatensis, in tota sua deductione, & in duodecim dubiis per eum motis, atque divulgatis, non ponit aliter casum, quàm in materia debeat apparere. Si aliter appareat ex textu dictarum novem Assertionum, hanc alteritatem fecit, eas sic separatim formans ex aliis, ex quarum tenore, non obstante hujusmodi formatione, satis apparet inevitabilis necessitatis casus, modò priùs resoluto, hujusmodi necessitatem resolvendo.

Nec possunt debita dubia per præfatum Reverendissimum Patrem retorqueri contra eum, ut dicit Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, eam applicando ad quartam Assertionem, quæ generaliter loquitur, ut dicit Dominus Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis, de omnibus tyrannis occidendis per industriam, & insidias, & villanè, id est, sine diffidatione, ut exponit idem Episcopus: quia, ut priùs tactum est, & deductum, nomen tyranni, in dicta Assertione capi non debet generaliter, sed restrictè, licèt determinatione subsequente ponatur; quia ad intellectum illius primæ Assertionis capi debet: cujus intellectus apparet non generalis, sed restrictus; nec ad intellectum præfati Domini Cancellarii, quem habet de tyranno, quem sæpiùs declaravit, retorqueri possunt contra præfatum Reverendum Patrem, & Dominum, nec dicta quarta Assertio impugnari, sed potiùs fundari & colorari. Si enim proprius, formalis, & adæquatus conceptus tyranni sit hic actualiter; non Jure principans, ad privatum, & non commune bonum, prout innuit prædictus Dominus Cancellarius; clarior est hujus quartæ Assertionis, imò primæ, & aliarum singularum, in quibus nomen tyranni ponitur, probatio, seu deductio. Nam constat, talem non esse Dominum, sed verum hostem, & inimicum Reipublicæ notorium, & manifestum, actualiter usurpantem quæ sua non sunt, & actus hostilitatis publicæ, & notoriæ exercentem in totum corpus Reipublicæ, & singula ejus membra: nam & pro talis tyranni invasione, & Reipublicæ expeditione seu liberatione, ab ipso videtur esse omnis ratio.

Nec dicta Assertio, vel alia quæcumque, in qua ponitur nomen tyranni prædictum, contra se pati videtur rationis apparentiam, nisi pro quanto concipitur, vel ab hominibus capitur, intellectum hujus clausulæ, *aut principari conatur*, continere: qui quidem intellectus non faciliter apparet notorietatem hostilitatis, & inimicitiæ contra Regem, & Rempublicam conceptæ continere, quemadmodùm facilè est hujusmodi notorietatem concipere hujus orationis, *Qui in Republica non Jure principatur*, intellecto conceptu, qui proprius est intellectus tyranni, qui clarè & notoriè dictam notorietatem continet.

Propterea concludendum est certissimè, quòd hæc tota doctrina non est tàm periculosa, tàmque pernitiosa, quàm à quibusdam concipitur, dicitur, & asseritur: sed ipsa benè concepta, & resoluta, ad intellectum Doctorum, qui de hac materia loquuntur, relata, capax non est, nec erit denominationum sibi attributarum. Nam nec prima, nec omnes simul junctæ destruunt omnem politiam, aut Principum securitatem; sed oppositum, secundùm intellectum præfati Domini Cancellarii: cùm tyrannus, secundùm ejus intellectum, non sit verus Princeps, vel Dominus, sed usurpans Dominium; nec viam dans apertissimam ad homicidia proditoria, & ad omnia perjuria, modo prædicto conceptæ, intellectæ, & resolutæ, seu relatæ; nec ad violationem totius sacræ Scripturæ, & specialiter Decalogi. Non est idcircò fas alicui Catholico, & specialiter Theologo, vel Prælato, hujusmodi Assertiones pertinaciter asserere esse hæreticas, & Fidei Judicio condemnandas, nec se velle ad Judicium suorum Superiorum referre, sanctæ scilicet Sedis Apostolicæ, A vel Generalis Concilii.

Sexta Deliberatio.

Reverendissimi Patres, & Domini Judices in causa Fidei. Ad testimonium dandum super his novem Assertionibus non auderem accedere, nisi coactus per vos, quos firmiter esse meos Dominos, & habere potestatem exigendi credo, ut juridicè requisitus essem. Sed antequàm dicam opinionem meam, protestor in scriptis, quòd in istis novem Assertionibus, sicut nec ubi alibi, non intendo dicere, scribere, asserere, vel negare quidquam, quod quovis modo esset, vel esse posset dissonum sacræ Scripturæ, Articulis Fidei, dictis sanctorum Doctorum, vel aliorum ab Ecclesia approbatorum repugnans, vel aliquo modo contrarians, vel determinationi istius sacri Concilii Constantiensis. Quòd B si aliquid hujusmodi dicerem, & lapsu linguæ, vel ignorantiæ scriberem, ex inadvertentia, ex nunc, pro tunc, & ex tunc, pro nunc revoco, annullo, & volo haberi pro non dicto, submittens me correctioni omnium, ad quos pertinet, & maximè istius sacri Supremi Concilii, & vestræ, ô Domini Judices, &c.

Qua protestatione facta: dico primò, quòd aliquid pertinere ad Judicium Fidei, ideò est, quia ipsum credere, vel ejus oppositum, necessarium sit fidelibus ad salutem expressè, vel saltem impressè, vel sequentia formaliter ex illis, formaliter ipsis repugnantia: & sic solùm illa pertinent ad Judicium Fidei, quæ credere necessarium est fidelibus explicitè, & implicitè, ad consequendum salutem æternam, modo dicto: & sic sacra Scriptura; Articuli C Fidei; determinata per Ecclesiam sanctorum Doctorum dicta, &c. pertinent ad Judicium Fidei.

Ex his infero, quòd aliquæ Propositiones probabiles, quæ tantam probabilitatem habent ex se, quantam earum opposita, non sunt ad Fidei Judicium pertinentes: & sic dico, juxta meam intelligentiam, has novem Assertiones esse novem Propositiones probabiles; non quòd earum opposita sint hæretica, vel impossibilia, sed benè falsa, non sunt Fidei Judicio reprobandæ, sed relaxandæ in suis probabilitatibus in sua pace, & non sunt ad Judicium Fidei sic trahendæ.

Et si dicatur: scandalisant aures suas benè *, quòd benè possunt aures ignorantium Leges, & dicta Philosophorum, & Authorum, vel etiam scandalisant aures passionatorum, se involventium in odio, & in pessima voluntate, sicut ista verba Christi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis*, scandalisaverunt Judæos, Pharisæos invidos, &c. sed non Discipulos Jesu Christi, D scribitur *Joan.* VI. 54. Et ista etiam: *Aufferetur à vobis Regnum Dei*, &c. Matth. XXI. 43. Sed istud scandalum non fuit datum à Christo, sed fuit acceptum scandalosè sic ab illis, &c. Ideò qui sic ex istis novem Assertionibus scandalisantur, videant de fure nocturno, de desertore militæ, de expoliatoribus viarum. Legant opera Moysi, *Exod.* II. quando interfecit Ægyptium. Jahel. *Jud.* IV. quando interfecit Sisaram. Eliæ. III. *Reg.* XVIII. quando interfecit Pro-

* *Locus corruptus.*

Prophetas Baal, &c. & multa alia. Judith, quando interfecit Holophernem. *Judith*, per totum, Sacerdotum Naneæ, quando interfecerunt Antiochum. II. *Mach.* I. C. •

Si dicatur, Præceptum Legis est: *Non occides.* Respondetur, videatur glosa: *Non propria authoritate, non livore invidiæ*, &c. Sed interfector, vel procurans occisionem talis tyranni, de quo loquitur prima Assertio, hoc facit authoritate Legum, moralis, & naturalis.

Si verò dicatur, quòd non authoritate Legis divinalis. Respondetur quòd sic, quia omnis conformitas & authoritas Legum, naturalis, & moralis, est à Lege divinali. Hæc est opinio Augustini, *Epist.* II. *Ad Macedonium*, circa medium; & *Ad Publicolam*, circa finem; & *De libero arbitrio. Lib.* I. ubi dicit: *Homicidium est, hominem occidere. Potest aliquando quis occidere sine peccato: nam & miles hostem; & Judex, vel minister ejus nocentem, & cui fortè invito atque imprudenti telum manu refugit, non mihi videntur peccare, cùm hominem occidunt.*

Constat autem, quòd occisor talis tyranni, de quo Assertio loquitur, non libenter occidit, sed hoc facit propter fidelitatem quam habet ad Regem, & propter juramentum, ut ipsum Regem servet à morte.

Præterea. Quilibet talis tyrannus, de quo loquuntur Assertiones, committit crimen lesæ Majestatis: ideò justè interficiendus est viliter, nec, per casum, potest interfici ab aliquo Superiore, nec à pari: ergo interficiendus est ab inferiori, & non magis ab uno, quàm ab alio; ergo à quolibet.

Præterea. Quilibet inferior Rege, est membrum Reipublicæ, cujus caput est; qui quidem, sicut tenentur omnia membra naturalia corporis naturalis pro salute capitis; tantùm & taliter tenentur pro salute Regis omnes sui vassalli.

Præterea. Plus nocet Reipublicæ mors Regis sic procurata, ut dicunt Assertiones, quàm mors cujusquam vassalli: sed quilibet potest licitè interficere volentem ipsum interficere. Ergo, &c.

Pro octava Assertione loquitur B. Gregorius, *in Prologo Moralium*, Cap. III. dicens sic: *Verba sacræ Scripturæ aliquando intelligi nequeunt juxta sensum litteralem, quia aliquando superficie tenùs accepta, nequaquam instructionem legentibus, sed errorem gignunt.* Nec est dubitandum, aliquando verba sacræ Scripturæ, in sensu quem faciunt, esse minùs congrua; quæ tamen in sensu in quo sunt, veritate plena sunt; ut ista: *Cæci vident, surdi audiunt.* Matth. XI. 5.

Præterea. Hæresis est mors typica animæ: omnis autem qui aliter intelligit sacram Scripturam, quàm Spiritus sanctus efflagitat, hæreticus est. XXIV. *q.* 3. *Hæresis Græcè.* Constat autem, quòd Spiritus sanctus à littera* aliquando vult intelligi, quàm ad sensum litteralem.

Pro nona Assertione dicitur, quòd juramentum non obligat, ubi desunt Justitia, & Judicium, comites ejus: sed in casu Assertionis nonæ, desunt Justitia & Judicium, quia vergit in deteriorem exitum; & sic non est obligatorium: non enim est justum id quod indiscretè juratur. Hoc patet in Isidorum, & habetur in Canone XII. 44. *In malis promissis Fidem rescinde. In turpi voto muta decretum.* In Regulis Juris, in VI. *In malis promissis fides non est servanda.*

Præterea. Juramentum quod vergit in præjudicium alicujus, vergit in deteriorem exitum, & sic vergit contra Jus. Illud est præjudicium, quod contra Jus est nocumentum illatum: quòd autem juramentum quod vergit in præjudicium sui, sponsæ suæ, liberorum suorum, non sit obligatorium, videtur esse de mente Magistri Sententiarum, in Libro tertio, *Distinctione ultima.* Magistri Alexandri de Halis, in suo Libro tertio, &c. Idem dicit Ambrosius, Libro primo, *De Officiis*, ubi sic: *Esse contra officium, nonnunquàm promissum solvere juramentum: sic patuit in juramento Herodis, qui necem Joannis præstitit, ne promissum negaret.*

Præterea. Ut puto, libenter Doctores scirent nomen assertoris, & compositorum harum novem A Assertionum, qui non creduntur alia de causa fecisse, nisi ad confusionem octo veritatum Magistri Joannis Parvi; & ad confusionem, & ultimam destructionem Ducis Burgundiæ; & per consequens, ad divisionem & confusionem totius Regni Franciæ: cùm non procurabat damnationem illarum octo veritatum Parvi, absque compositione harum novem Assertionum; hoc solùm arbitrandum est esse factum, quia non videbantur ita de facili condemnandæ, propter modificationem illarum, illæ octo Veritates Magistri Joannis Parvi.

Undè notandum est, quòd aliquæ Propositiones aliter sunt concedendæ, vel negandæ, sub una modificatione; & aliter sub alia modificatione: & ideò quia in tertia Veritate Magistri Joannis Parvi ponuntur istæ modificationes; scilicet, quòd tyrannus B talis sit pertinax, & velit persistere in sua malitia, nec vult se corrigere, & nec potest per Superiorem aliquo modo corrigi, & quòd periculum est in mora.

Assertor autem modò ponit unam modificationem, dimittendo reliquam; aliquando ponit reliquam, & dimittendo aliam, & sic variat propter inducere alios minùs avisatos in displicentiam illarum novem Assertionum, & ad damnationem earumdem; & nititur ducere eas ad Judicium Fidei, quod nequaquam est faciendum, si fideliter procedatur.

Si autem dicatur, quòd ejus veritas qualiscumque, qualitercumque sit, à Spiritu sancto est, quod videtur velle Gregorius, *in Moralibus*, ubi dicit: *Omnem veritatem conceptam in quacumque scientia, in sacra Scriptura eminentiùs contineri.*

Respondetur, quòd non sequitur: Omnis veritas est à Spiritu sancto; ergo veritas omnis est ad Ju- C dicium Fidei sic trahenda. Sic esset ad Judicium Fidei trahenda hæc veritas: *Adjectivum debet in tribus actantibus cum suo substantivo concordare.* Et sic: *Omnis Syllogismus debet constare ex tribus terminis, & duabus Propositionibus.* Certè ridiculum est talia affirmare, scilicet, quòd tales Propositiones sint Fidei Judicio condemnandæ, vel etiam approbandæ; sunt namque Propositiones topicæ ad utramque partem disputabiles.

Sic igitur dico, quòd, meo judicio, istæ novem Assertiones sunt probabiles, & sunt veræ: ita tamen, quòd earum opposita non sunt condemnanda Judicio Fidei, quovis modo, salvo tamen judicio meliori, seu saniori. Longiùs scriberem; sed nolo tædiare vos Dominos Judices, nec alios auditores, nec ipsæ novem Assertiones sunt Judicio Fi- D dei condemnandæ, nec reprobandæ.

Septima Deliberatio.

Dei nomine invocato.

Ut ad dubium quod mihi propositum est, & ad quod obligatus sub juramento, secundùm rectam conscientiam, respondere, præmitto dictum B. Augustini, in quadam Epistola effectualiter sic dicentis: quòd quædam leguntur in Ecclesia, quibus adhibenda est fides, arbitrio voluntatis; ac sunt quædam legenda, & quædam, quæ authoritate, vel firmitate

* *Forsan legendum* Scriptura sacra aliter.

mitate rationis, in neutram partem firmantur: quædam verò sunt, quibus fidem quidem adhibeo, authoritate dicentium, & ea teneo; paratus tamen credere oppositum, si ab Ecclesia, authoritate Summi Pontificis aliter declaretur: quædam verò ita firmiter credenda sunt & tenenda ab omnibus, quòd si oppositum ab aliquo teneretur, aut dubitaretur propositum, dubitans esset reprehendendus; & contumaciter tenens, esset tanquàm hæreticus condemnandus, ut sunt dicta sacræ Scripturæ, & ea, quæ ab Ecclesia statuuntur. Et de his habetur, *prima distinctione*, in multis locis.

Modò ad propositum dico, quòd Assertiones, quæ superiùs hic conscriptæ sunt, habent rationes ad utramque partem, & ideò topicæ, seu neutrales appellandæ sunt; quoniam sunt in primo genere eorum Librorum qui in Ecclesia leguntur, seu permittuntur legi. Et ego ex hoc, protestatione supra dicta, dico, judico, & assero, supra dictas novem Assertiones non esse Fidei Judicio reprobandas. In cujus rei testimonium, me subscripsi, manu propria, &c.

Deliberatio Octava.

Ego per Reverendissimos in Christo Patres, & Dominos, Dominos Cardinales, ceterosque Dominos Judices in causis Fidei, per sacrum Generale Constantiense Concilium Deputatos adjuratos, seclusis favoribus, & inordinatis affectionibus quibuscumque; dicam, vel in scriptis tradam, super Assertionibus novem supra scriptis, opinionem meam, videlicet, utrum Judicio Fidei sint reprobandæ.

Protestor in primis, & ante omnia, quòd in earumdem Assertionibus, vel alia quacumque materia, non intendo, nec volo quidquam pertinaciter asserere; sed omnia per me dicenda submitto correctioni sacro sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sacri Generalis Concilii, & Reverendorum Patrum, Dominorum Judicum prædictorum, quorum determinationi semper adhærere propono, & per Dei gratiam, adhærebo.

Protestor ulteriùs, quòd non intendo asserere, aliquem esse, vel fuisse talem tyrannum, qualis in prima Assertione supponitur, cùm ab existentia, vel non existentia talis tyranni non dependeat veritas, aut falsitas Assertionis, ut notum est. Constat enim, quòd etiamsi nullus esset maleficus; nihilominùs esset ista Propositio vera. Maleficus est licitè puniendus: juxta illud, Exod. XXII. 18. *Maleficos non patieris vivere.*

His præmissis, aliqua suppono, quibus addam probabiliter unicam Conclusionem, ex qua patebit quid sentiam de prædictis Assertionibus.

Primò suppono, quòd licèt imponens falsò qualecumque crimen alteri sit culpabilis, non tamen propter hoc videtur hæreticandus. Prima pars patet: quia sic imponens puniendus est, & non nisi propter culpam. Secunda patet etiam: quia si oppositum illius secundæ partis esset verum; sequeretur, quòd quilibet imponens innocenti furtum, homicidium, vel aliquod simile, esset hæreticus, quod est absurdum, nec in authentica Scriptura memini me legisse.

Secundò suppono, quòd Assertiones prædictæ solùm debent intelligi de tyranno hostili, & usurpatore; non autem de Rege, vel naturali Domino, licèt in tyrannidem, vel tyrannum converso. Patet intuenti terminos primæ Assertionis, à qua dependent aliæ plures; ibi enim qualificatur expresse tyrannus, *per cupiditatem, fraudem, sortilegium, &c. machinans contra salutem Regis sui, & Supremi Domini, ut auferat ei sui nobilissimam, & altissimam Dominationem.*

Ex ista suppositione sequitur evidenter, quòd Assertiones favent Principibus, & Dominis naturalibus; & solùm contrariantur hostilibus tyrannis injustè nitentibus usurpare aliena Dominia.

Tertiò suppono, quòd Assertiones loquuntur, ut intelligendæ sunt, de subdito Regis contra quem fit machinatio.

A Sub prætactis protestationibus & correctionibus, fit ista Conclusio.

Prædictæ novem Assertiones sunt absque Fidei discrimine probabiliter sustinibiles. Patet de prima, quæ quasi ceteras includit, & sic probatur: Omnis actus in se non habens rationem indebiti, cuicumque licitus est, etiam subdito; sed occisio tyranni hostilis, de quo sermo, non expectato qualicumque Mandato, in casu Assertionis prædictæ, per quam intenditur conservatio salutis, & vitæ Regis, ac Reipublicæ, non videtur habere rationem indebiti: ergo talis occisio cuilibet subdito Regis, vel Domini, contra quem machinatur ipse tyrannus, est licita. Major est nota, quia nec est illicitum, nisi ratione indebiti. Minor patet, quia justè, per consequens, & debitè potest talis tyrannus occidi, præsertim intentione prætacta. Ubi autem per casum Assertionis, non B potest per Superiorem, & minùs per inferiores Judices haberi remedium; frustra, imò fortè culpabiliter videretur expectare Mandatum.

Quòd autem laudabilis & meritoria sit occisio talis tyranni, sequitur ex prædictis, *laudari*, quia bonum opus meretur, & plurimum, pluresque leguntur in sacra Scriptura laudabiliter, & meritoriè sic occisi; sicut, sine quocumque expresso Mandato occisus est Holorphernes per sanctam Judith: propter quod, adorantes Deum universi Israëlitæ, dixerunt ad eam: *Benedixit te Dominus Deus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros*, Judith. XIII. 22. Sic etiam interfecit Jahel Sisaram, *Jud.* IV. de quo multipliciter laudatur infra VI. Unde dicit expresse Magister Nicolaus de Lyra, quòd *ipsa Jahel fecit rem licitam & meritoriam.*

Sanctus quoque Moyses, nondùm constitutus populi Judex, Ægyptium percussisse legitur, & interfecisse, sine Mandato expresso; *Exod.* II. nec tamen indè culpatur.

C Si dicatur, quòd inspiratione divina factum est: similiter dici potest, quòd ubi, juxta casum Assertionis, non posset Justitiam Superior providere, subditus inspiraretur, ut divinæ voluntatis executor, cautelis convenientibus, talem tyrannum occideret, occidive faceret, ut ab ejus nequitia præservaretur Respublica, Rex innocens, & Dei populus.

Ex præmissis apparet, quòd talis occisio non est contra Legis Præceptum, *Non occides*, per quod solùm prohibetur innocentis occisio, quæ debitè fieri non potest: non enim videtur illud Dei Præceptum prohibere occisionem malefactorum, quos jubet vivere non permitti, & de quibus in Psalmo dicit Propheta: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*, &c. Ps. c. 8. Unde, cùm juxta Salisberiensem, *Lib.* III. *sui Policratici*, inter omnia crimina nullum sit gravius tyrannide, propterea, ejusdem *Policratici* VIII. quasi Conclusione sic dicit: „Ori-
D „go tyranni iniquitas, & de radice toxicata, & pestifera germinat, & pullulat arbor securi qualibet „scindenda.„ Et rursus in tertio Libro, sic ait: „Si enim crimen Majestatis omnes persecutores admittit, quantò magis illud quod Leges premit; „ scilicet tyrannidem. Sequitur ibidem: „Quisquis „hostem publicum, hoc est, tyrannum, non persequitur, in seipsum, & in totum corpus Reipublicæ mundanæ delinquit.„ Non ergo prohibere videtur occisionem talis tyranni Præceptum *Non occides.*

Nec

Nec valet, si dicatur, quòd similiter dici posset de aliis Præceptis: *Non Mœchaberis*; *Non furtum facies*, & similibus; quia tales actus continent in se rationem indebiti: propter quod non possunt ullo casu debitè fieri.

Quantùm ad secundam Assertionem: Ex quo talis tyranni occisio licitè fieri potest, in casu, per subditum, non videtur Legibus obviare; imò potiùs per eas approbari, cùm per eas actus laudabiles approbentur, & authorisentur.

A Tertia Assertio sequitur ex prima: quia omne licitum opus, laudabile & meritorium est, saltem præmii temporalis. Unde laudantur per Tullium occisores Julii, quia præter Jus Imperiale usurpabat. Et quòd insidiis, explorationibus, & honestis cautelis uti liceat; patet de Judith, quæ multa simulando, sicut habetur in textu præallegato, laudabiliter interfecit Holophernem, ut dictum est, non intendens ejus mortem, sed liberationem populi fidelis. Patet hoc idem de Jehu, qui insidiosè finxit se velle adorare Idolum Baal, ut cultores ejus disperderet, & restitueret, augmentaretque Dei cultum: propter quod fuit à Deo remuneratus, ut habetur IV. Reg. X.

Probabilitas quartæ Assertionis ex eo patet; quia Jus est quòd mali puniantur; qui pejores pejus, & qui pessimi sunt, ut tyranni, sicut patet ex prædictis, B vilissimè, & acerbissimè. Et ideò non reprobat, sed magis approbare videtur Doctor sanctus, in secundo Sententiarum, *Distinctione ultima*, Tullium laudantem occisores Julii Cæsaris, & quemlibet occisorem tyranni, in casu præmisso, videlicet quando non est recursus ad Superiorem, ut ponit Assertio prima: *Tunc enim*, ut ait ipse Doctor, *qui talem tyrannum occidit, laudem meretur, & præmium.*

Quantùm ad quintam Assertionem: Constat quòd de bono opere non debet quis reprehendi; imò debet opus tale nedùm approbari; sed etiam per Regem, si fit opus, approbari.

Quantùm ad sextam Assertionem: Justum videtur, & rationabile, quòd qui Regem, & populum à tyranni versutia liberat, in casu prætacto, videlicet ubi per ipsum Regem remedium haberi non potest, honorificè præmietur: undè benè certans coronam accipit, ut bravium benè currens.

C Quantùm ad septimam Assertionem. Quicumque facit opus licitum amore Regis, & Reipublicæ, videtur approbandus, & magis post opus, quàm antè diligendus à Rege. Sic facit tyrannum, de quo sermo est in casu primæ Assertionis, occidens, ut patet ex prædictis. Ergo quòd divulganda sit per Regem laus, & fama talis occisoris, patet per priùs allegata de Judith, de Jahel. In gestis etiam Antiquorum, famantur qui pro Republica legitimè certaverunt. Apostolorum quoque nomina propter eorum opera laudabilia, per Orbem universum divulgata ferunt; juxta illud Psalmistæ; *In omnem terram exivit sonus eorum* &c. Ps. XVIII. 5.

Prima pars octavæ Assertionis est Apostoli; ergò vera. Quantùm ad secundam, videtur quòd error in Fide non sit ibi declarandus, ubi non est authoritate Romanæ, vel Universalis Ecclesiæ, sacræ Scripturæ, seu Doctorum approbatorum de- D claratus. Et quantùm est de materia, super isto passu, dicit Magister Nicolaus de Lyra, quòd per *litteram* intelligitur Vetus Testamentum, & per *spiritum* Novum. Qui ergo nunc reciperet litteram, hoc est, Legalia, quæ post promulgationem Evangelii mortifera sunt, occideret animam suam.

Item. Quòd secundùm Beatum Augustinum, Libro *De utilitate credendi*, quatuor sunt sensus exponendi sacram Scripturam, videlicet Historicus, Ethimologicus, Allegoricus, & Anagogicus. Constat quòd si quis accipieret historiam, quæ videtur esse istud quod littera narrat, non innitendo sensibus congruis & debitis; utique malè intelligeret Scripturam, & interficeret animam suam: apparet ex multis in utroque Testamento contentis; ut est illud Judic. IX. 8. *Iverunt ligna sylvarum, ut ungerent sibi Regem* &c. Manifestum est, quòd qui acciperet sensum quem littera offert, erraret. Similiter & de illis Christi parabolis, *Tu autem cùm facis eleemosynam, nesciat sinistra tua* &c. Matth. V. 2. 3. Et *Sint lumbi vestri præcincti* &c. Luc. XII. 35. Et de multis aliis possent exempla dari. Undè Venerabilis Hugo de Sancto Victore, Libro IX. *de Discalitio*, sic inquit; *Oportet tractare sacram Scripturam, ut nec ubique historiam, nec ubique allegoriam, nec ubique quæramus tropologiam; sæpè tamen in eadem littera omnia simul reperiri possunt.* Et super Ezechielem, Beatus Gregorius; *Ecce* inquit, *cùm sacram Scripturam legimus, si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus.* Ex quibus apparet vero Theologo, quòd per expositionem datam verbis Apostoli, in Assertione octava, sequi non videtur aliquis error in Fide, & moribus, nec per consequens, distorta debet, aut erronea judicari.

Quantùm ad nonam & ultimam Assertionem: potest sic argui: Nulla promissio ligat, vel ligat ad suam observantiam, quæ sine peccato non potest impleri. Sed dato quòd contra Regem, juxta casum primæ Assertionis, fiat machinatio, & non possit remedium per Superiorem apponi; subditus illius Regis potest obviare: non potest ergò, non occidendo tyrannum, fidelitatis juramentum servare, quin peccet in suum Regem, cui per priùs Jure naturali vinculo fidelitatis, astringitur. Ergo non tenetur ipsi tyranno fidelitatem servare; imò si teneretur ad observantiam promissorii tyranno præstiti, sequeretur quòd posset esse inter duo mortalia peccata perplexus, quod est erroneum. Et patet Consequentia: quia cùm quilibet subditus, naturali Jure, sub pœna peccati, sit obligatus ad fidelitatem suo Regi servandam, cùm non possit, dato casu præmisso, servare fidelitatem tyranno, quin non servando, Regi peccet, sequitur intentum.

Patet igitur, ex præmissis, probabilitas Conclusionis, videlicet quòd prædictæ novem Assertiones absque Fidei præjudicio sint probabiliter sustinibiles. Ex qua Conclusione sequitur evidenter, quòd non sint Fidei Judicio reprobandæ, cùm nihil absolutè debeat in Fide condemnari, cui possit, & valeat sensus fidelis & debitus applicari.

Prætactis igitur, & multis aliis multiplicibus Doctorum solemnium rationibus attentis, & hinc indè ponderatis, mihi videtur, sub correctione præsupposita, quòd Assertiones prædictæ non sunt Fidei Judicio reprobandæ: & hoc, sub debito juramenti, & secundum judicium conscientiæ meæ teneo, seclusis affectionibus inordinatis cujuscumque. In cujus rei testimonium &c.

Ego ante omnia rogo Deum, ut reducat ad statum veritatis illos qui scienter veritatem impugnant, veritates & Assertiones hìc superiùs descriptas, ac per hoc fraternam charitatem perturbant. Unde ut circa ipsas Assertiones, juxta juramentum à me emissum, pateat mea intentio, & quid de ipsis sentio; aliqua hìc breviter notavi, tàm pro intentione Assertionum, quàm pro responsione Argumentorum ad oppositum factorum.

Nota igitur primò, quòd ab initio mundi hucusque, est inauditum, quòd cujuscumque homicidii excusatio, deffensio, aut justificatio fuerint ad Judicium Fidei deductæ, seu de hæresi notatæ.

Secundò, quòd Deus, qui dixit: *Non occides*; alibi expressiùs dixit: *Innocentem & justum non interficies*, Exod. XXIII. 7. & Dan. XIII. 53. Undè in pluribus locis Scripturæ præcipitur multorum occisio.

Tertiò. Nullus Doctorum loquentium de hac materia, etiam extremè, quorum aliqui ponunt, quòd non licet etiam pro propria vita tuenda alium occidere, & * satis durè ponit, dum tractatur de illo, qui Principem populi, ac bonum patriæ invadit, interficere, ita quòd, in casu, etiam filius Patrem proprium interficere ita posset impunè.

Item. Deffensio mortis Principis fidelissimi, seu justificatio opposito modo esset condemnanda, quàm tyranni.

Circa primam Assertionem, & aliquas sequentes notetur, quòd in ipsa continetur notorietas, & promulgatio, quia *Quilibet tyrannus*, infidelitas & proditio quam machinatur contra Regem suum; cupiditas & ambitio ad tollendam suam Dominationem; enormitas & execratio, quia per sortilegia; incorrigibilitas & obstinatio, ac per hoc inevitabilitas, aut aliter, tanti sceleris obviatio, quia non potest bono modo fieri per Superiorem Justitia, seu correctio: undè omnes Leges, quas dictus tyrannus nititur destruere, mandant, & concedunt, quòd cuilibet licita est talis occisio; & debet esse talis magna commendatio, & remuneratio, ut potè qui præservat & Principem, & populum à destructione. Et hæc positio est favorabilis & conservativa verorum Dominorum, & Dominiorum; & oppositum tenentes & sustinentes sunt manifestè proditores talium. B

Item. Notetur, quòd nunquàm fuit de intentione Magistri Joannis Parvi loqui de tyranno, nisi de infideli descripto, ut patet tàm per præcedentia, quàm sequentia Assertionem, quæ ponit, quòd talis tyrannus villanè debet occidi, quia nimis villanè machinatur.

Ad illam, de sensu litterali: patet per Beatum Paulum, Hieronymum, & Gregorium, qui expressè notant, quòd sensus litteralis si semper accipiatur, discretionem perdit, & in errorem inducit: undè Hieronymus, super Matthæum, dicit: *Dimissa littera occidente*. Et Gregorius, super Ezechiëlem dicit: *Ecce Scripturam Sacram legimus, si omnia ad litteram sentiamus, discretionem amittimus*. Quia etiam frustra ponerentur alii sensus intelligendi Sacram Scripturam, cùm tamen Paulus faciat mentionem de Allegoria.

Quantùm ad ultimam: ipsa est Catholica, C Canonica, & verissima, & oppposita hæretica; quia ex ea sequitur, quòd promissio facta homini, solveret promissionem factam Deo, & minor promissio majorem, & sequens præcedentem. Patet; quia dilectio, & custodia uxoris & liberorum, sunt secundùm Legem divinam, quæ præcepit, quòd *viri* diligant *uxores, sicut Christus Ecclesiam*. Ephes. V. 25. Imò debent relinqui Pater, & Mater, & esset manifestè perjurus & proditor, qui uxorem & liberos † confœderati præjudicium generaret.

Protestationibus debitis præmissis, videlicet de submittendo omnia dicta, & scripta determinationi sanctæ Matris Ecclesiæ, & hujus sacri Concilii Generalis, ac Romanæ Ecclesiæ sacrosanctæ, & quòd nihil intendimus dicere, vel asserere in præjudicium prædictorum, quod sit contra Fidem Orthodoxam, D contra sacram Scripturam, contra bonos mores, ut sit piarum aurium quomodolibet offensivum. Protestando insuper, quòd respondemus tantùm ad quæstionem positam de istis novem Assertionibus in universali, sicut sonant, non habentes respectum ad infamiam alicujus in particulari, vel generali qualitercumque; sed zelo Fidei, & juramento astricti, ad quitandum conscientias nostras, ‡ nostros Fratres &c. quatuor Ordinum Mendicantium, viginti septem Minorum, quorum tres Bacchalarii, ceteri verò Magistri, qui in hanc cedulam convenimus, & manibus propriis nostris nos subscripsimus, ad pleniùs deliberandum, & certiùs respondendum. Convocatis per quemlibet nostrûm, per se, omnibus & singulis Magistris prædictorum Ordinum, eisdem præcipimus per obedientiam sanctam, & in virtute Spiritus sancti, ac Fidei professionum zelo, & sacræ Paginæ, ac Religionum suarum, quatenùs quilibet ipsorum in hac materia studeret, A videret, ac plenè deliberaret, ad perhibendum * testimonium veritati certo termino temporis responsum: qui, tempore lapso, per nos iterùm convocati: primò de quolibet Ordine, per se; & post de omnibus simul, habitâ inter se & nos diligenti collatione, ac matura deliberatione, omnes unanimiter concluserunt, & conclusimus, fore respondendum per modum inferiùs describendum; & ad majus robur dictæ Conclusionis atque Responsionis, quilibet manu propria se subscripsit, zelo Fidei, in testimonium veritatis; ponendo juxta duo Præcepta Decalogi in quibus universa Lex pendet, & juxta dualitatem naturarum in Christo, divinæ scilicet, & humanæ, quæ tanquàm objecta Fides nostra concernit, & tota professio sacræ Paginæ, & theologicæ veritatis, duas breves Conclusiones, quarum prima est ista.

Prima Conclusio.

Nulla dictarum novem Assertionum debet Judicio Fidei reprobari.

Secunda Conclusio.

Quamlibet illarum non fore Judicio Fidei reprobandam, debet eorum Judicio declarari.

Probatio primæ Conclusionis.

Prima Conclusio sic probatur: quia si Judicio Fidei foret aliqua reprobanda, hoc esset, quia repugnaret vel Fidei Articulis, vel contentis in sacra Scriptura, vel determinationi Ecclesiæ universalis sacrosanctæ, aut Generalis Concilii repræsentantis eamdem: sed nulla istarum repugnat Articulis Fidei, vel contentis in sacra Scriptura, aut determinationi Ecclesiæ, aut Concili Generalis: ergo nulla illarum est Fidei Judicio reprobanda. Major est manifesta: quia omne Judicio Fidei reprobandum, aliquâ illarum rationum est taliter reprobandum. Sed Minor patet: primò de Articulis, inducendo per omnes, & singulos, & per Assertiones singulas discurrendo.

Secunda patet pars: videlicet, quòd nulla istarum novem Assertionum repugnet alicui contento in sacra Scriptura. Si illarum Assertionum aliqua repugnaret; hoc videretur specialiter de quatuor primis, quòd repugnarent illi Præcepto: *Non occides*, Exod. XX, contento: & sic consequenter de tribus aliis, quinta, sexta, & septima: aut etiam videretur de octava, quòd repugnaret sacræ Scripturæ in hoc, quòd tenere sensum litteralem sacræ Scripturæ, dicit aliquando animam occidere: aut de nona, quæ videtur repugnare illi Præcepto; *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Exod. XX. 7. Sed nulla illarum septem, quæ loquuntur de occisione talis tyranni, repugnat illi Præcepto, *Non occidas*. Illud enim Præceptum, ad intentionem præcipientis, obligat ad non interficiendum innocentem, propria authoritate, aut livore vindictæ: sed nulla istarum asserit, quòd innocens debet interfici; sed talis tyrannus, & taliter qualificatus, criminosus crimine læsæ Majestatis divinæ, & humanæ, in primo

* *Locus corruptus.* † *Locus corruptus.* ‡ *Locus corruptus.*

* *Forsan legendum*, in testimonium veritatis.

primo gradu; nec propria authoritate; ſed authoritate Legum, divinæ, moralis, & naturalis: nec livore vindictæ; ſed pro ſalute, & vita ſui ſupremi Domini conſervanda. Ergo &c.

De octava etiam patet: quia ſemper tenere ſenſum grammaticalem, & ſuperficialem, quem faciunt Propoſitiones multæ in ſacra Scriptura contentæ, inducit in errorem, ut expreſsè dicit Beatus Gregorius, in primo Libro Moralium, Cap. v. Prologi, ubi ſic ait, de verbis ſacræ Scripturæ: *Aliquando intelligi juxta litteram nequeunt, quia ſuperficie tenùs accepta, nequaquàm inſtructionem legentibus, ſed errorem gignunt.* Ut exemplificat ibidem in multis: & ſequitur; *Sed nimirùm verba litteræ dum collata ſibi nequeunt convenire, aliud in ſe quod quæratur oſtendunt.* Ac ſi quibuſdam vocibus dicatur: dùm noſtra vos ſuperficie conſpicitis deſtrui, hoc in nobis quærite, quod ordinatum ſibi congruens apud nos valeat intùs inveniri. Ejuſdem ſententiæ eſt idem Gregorius, ſuper Ezechielem, dicens: *Si omnia ad litteram ſentiamus, virtutem diſcretionis amittimus.*

Item. Hæc octava Aſſertio conformis eſt dictis dictorum plurium Theologorum. Unde Dominus Bonaventura, Libro tertio Sententiarum, *diſtinct. ultima*, dicit quòd *Lex vetus eſt occidens, ſumpta ſecundùm ſenſum litteralem: ſed non ſecundùm ſenſum ſpiritualem.* Et probatur: nunc enim tenere ſublatum * ſecundùm ſenſum litteralem, ut in Lege veteri, ſimiliter Circumciſionem, & hujuſmodi, eſſet occidere animam.

Nec valet ſi dicatur, quòd ſenſus litteralis ſemper eſt verus; quod verum eſt, ſecundùm intentionem loquentis Dei, ſed in aliquibus, ſecundùm formam verborum, & ſenſum quem prima facie generant in eo qui capit ad litteram, non ſemper eſt verus, ut: *Ego ſum vitis.* Joan. xv, 1. Et: *Cœlum mihi ſedes eſt, terra ſcabellum pedum meorum.* Actu. vii, 49. Undè Doctores Theologi dicunt, tales locutiones ſolùm ſpiritualiter eſſe intelligendas.

Item. Videatur ſuper hoc Auguſtinus, *De utilitate credendi*; cum tribus regulis quas trahit Dominus Bonaventura ex Libris Auguſtini, præſertim, *De doctrina Chriſtiana*: quarum tertia eſt: *Quando aliqua ſcriptura habet aliquem intellectum litteralem, & ſpiritualem, debet diſcutere expoſitor, utrum illa attributio conveniat hiſtorico, vel ſpirituali ſignificato, ſi fortè non poteſt utrique convènire; & ſi utrique competit, tunc litteraliter, & ſpiritualiter debet intelligi, ſicut*: Sabbathum Legis eſſe perpetuum. Sacerdotium æternum. Poſſeſſio terræ æterna, & pactum Circumciſionis eſſe æternum, *quæ omnia ad ſpiritualem ſenſum referenda ſunt.*

Item. Fruſtra poneretur diſtinctio illa vulgata, quam ponit Oram † in ſuis Suppoſitionibus: quòd Propoſitiones Doctorum & Philoſophorum, ac in hac ſacra Scriptura contentæ, aliquæ habent duplicem ſenſum litteralem, unum quem faciunt, alium in quo fiunt, neceſſariò enim verba litteræ generant aliquem ſenſum ſuperficialem alium ab illo quem loquens intendit.

De nona etiam patet, quòd non repugnat iſti Præcepto: *Non perjurabis.* Nullus enim tenetur ad juramentum, carens comitibus quos ſecum debet habere, ſcilicet Juſtitia, Judicio, & Veritate. Conſtat autem quòd juramentum quod eſt in præjudicium ſui, vel alterius, eſt contra Juſtitiam; &, per conſequens, non habet Juſtitiam pro comite; nec, per conſequens, Judicium, quod eſt alius comes; quia ſic fit temerariè, & indiſcretè: ergo ita quòd ſi tale juramentum non ſervetur, non eſt perjurium. Hujus ſententiæ eſt Canon Decreti, in quampluribus locis, xxii. q. iv. *In malis promiſſis* &c. & ſunt verba Iſidori, *in Synonymis.* Et *Extra. de Reju. in ſexto.* Et Cauſa præfata. C. *Si aliquis.* Et C. *Eſt etiam contra officium.* Et *Quod David.* Et *Juravit David.* Et *Non ſolùm.* Et *Unuſquiſque.* Et *Diffinitio.* Et *Actione quarta.* Et *Si quis.* Et *Si ad peccatum.* Et *Mulier.* Et *Inter cetera.* Et *Innocens.* Hujus ſententiæ ſunt Alexander de Halis; Sanctus Thomas; Bonaventura; Joannes, in Summa Confeſſorum. Quòd autem non repugnent determinationi Eccleſiæ, patet, quia adhuc pendet cauſa.

Sed forſan diceretur, quòd imò, quia quarta iſtarum videtur eſſe eadem cum illa: *Quilibet tyrannus* &c. Sed manifeſtè patet falſum: quia illa, *Quilibet tyrannus* &c. dicit à quo quilibet tyrannus ſit interficiendus, quia à quolibet ſubdito ſuo. Illa autem, *Jus eſt* &c. hoc non dicit; ſed dicitur, quòd *juncta cum prima.* Sed per iſtum modum, ex verbis ſacræ Scripturæ oſtenderem de quolibet hanc Propoſitionem: *Hic eſt Deus*: *Hic eſt diabolus*: ſumam enim hoc complexum; *Hic eſt*, de multis locis ſacræ Scripturæ, & hoc incomplexum, *Deus*, de aliis; vel hoc, *diabolus*, de aliis multis.

Item, hæc Propoſitio: *Jus eſt* &c. loquens de tyranno, eſt intelligenda de tyranno infideli, ut expreſsè loquitur quarta. Capienda eſt etiam de tyranno hoſtili, ut in præcedentibus Aſſertionibus & ſequentibus eſt acceptus. Aſſertor enim harum Propoſitionum uniformiter loquebatur, & de illo erat ad propoſitum ſuum: ſecundùm enim Auguſtinum *Lib.* xxxiii. *Lu.* lxix. *Solet circumſtantia Scripturarum illuminare ſubſtantiam.*

Item, ſecundùm Hilarium 4. de Trinitate: *Intelligentia dictorum, ex cauſis eſt aſſumenda, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.*

Item. Hic Analogicè loquitur de tyranno hoſtili, & Domino naturali in tyrannidem verſo, & debet capi pro ſingulari ſignificato, niſi aliter exprimatur: principale autem ſignificatum, eſt hoſtilis, & præſertim ubi uniformiter loquitur de tyranno in præcedentibus, & ſequentibus, eodem contextu: ſecundùm enim hunc modum exponuntur dicta ſacræ Scripturæ, & Doctorum.

Undè Doctor ſubtilis, in quarto ſuo, ad oſtendendum quòd Chriſtus non intellexit Corpus ſuum tantùm eſſe figurativè in Sacramento Altaris, cùm dicit, 1 *Cor.* xi, 24. *Hoc eſt corpus meum*, probat per verba ſequentia, cùm ait: *quod pro vobis tradetur*: ſicut etiam exemplificat per oppoſitum, quando intelligit de figurativis locutionibus, ut ibi: *Joan.* xv, 5. *Ego ſum vitis vera*, ſequitur: *Vos palmites*; ubi clarè patet, quòd quia Apoſtoli non erant *palmites*, niſi figurativè, nec Chriſtus *vitis*; ſimiliter 1. *Cor.* x, 4. *Petra erat Chriſtus*, apparet ex præcedentibus myſtica locutio, ex hoc quod præceſſit immediatè: *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra.*

Nec eſt Jus, cùm dicitur quòd talis tyrannus villanè, Gallicè *vilainement*, eſt occidendus: concordat enim dicto Saliſberienſis in ſuo *Policratico*, & plurium aliorum Doctorum, & modo loquendi Gallicano: cùm enim quis, ſuis exigentibus demeritis, interficitur, dicitur vulgariter, quòd occiditur villanè, Gallicè *vilainement.*

Tres enim ſequentes Aſſertiones pertinent ad juſtificandam remunerativam temporaliter: ideò non ſunt Fidei Judicio reprobandæ. Et ſic apparet, quòd nulla illarum novem, ut patet in diverſis partibus Orbis, nedùm temporibus noſtris, ſed etiam in Chronicis, & in ſacra Scriptura, ut de Sennacherib Rege Aſſyriorum à ſuis filiis interfecto. Ergo ſi etiam fuiſſent hujuſmodi Aſſertiones ab antiquis temporibus publicatæ, Ptolomæus filius Abobi, non ita audacter attemptaſſet interficere Simonem Machabæum, & filios ejus ſicut fecit, ut dominaretur Regioni: ut habetur in fine *primi Machabæo-*

* *Locus corruptus.* † *Forſan* Ockam.

baeorum. Similiter nec Decius ita audacter interfecisset Philippum Imperatorem, qui dedit thesauros Ecclesiæ; ut habetur in Gestis Imperatorum Romanorum. Nec Athalia, filios Regis Ochosiæ, qui debebant regnare, quos interfecit libidine dominandi.

Secundò probatur, quòd non sit expediens: Quia illud non est expediens, per quod disponuntur scandala infinita: sed propter hujusmodi reprobationem disponitur ad guerram, unde sequentur destructiones Regnorum, Principatuum, & Ducatuum multorum. Ergo Major patet. Minor est manifesta satis.

Sed diceret adversarius, secundùm Gregorium, quòd *Utiliùs scandalum nasci permittitur, quam Fidei veritas deseratur.* Dicitur hoc dupliciter. Primò, quod est verum de Fide, nota quòd est manifesta Fides: non autem de illo, de quo est dubium, an pertineat ad Fidem.

Item. Quòd verum est quòd numquam deseratur, scilicet, quòd ejus oppositæ Fidei adhæreatur: stat tamen quòd relinquatur damnatio ejus propter scandala. Undè versus:

Est verum, vitæ, doctrinæ, justitiæque
Præmia semper habe, duo propter scandala linquè.

Tertiò. Principaliter probatur Conclusio: quia si istæ Assertiones, saltem prima, septima & nona essent reprobandæ; hoc esset, quia contrariantur illis Præceptis: *Non occides*: *Non perjurabis*, & asseruntur contra Præcepta illa, scilicet.

Si ex hoc, Fidei Judicio sint reprobandæ, sequitur quòd omne quod est contra Præceptum divinum, ad Judicium Fidei pertinet reprobandum & condemnandum: & tunc ad Judicium Fidei pertineret omne crimen condemnare, & per consequens, latrones suspendere, mechos, adulteros, & homicidas punire; cùm tamen expresse dicatur *Extra. De hære. in* VI. C. *Contumacia.* ff. *Sane.* Cùm negotium Fidei, quod summè privilegiatum existit, per occupationes alias non debeat impediri; Inquisitores hæreticæ pestis à Sede Apostolica deputati, de divinationibus & sortilegiis, nisi hæresim saperent, manifestè se intromittere non debent, nec punire talia exercentes, sed eos suis Judicibus relinquere puniendos. Sic ergò relinquitur consequens esse falsum.

Sed consequentia probatur: quia omne crimen est contra aliquod de decem Præceptis, & per omne tale affirmatur, & asseritur facto, quod plus est, cæteris paribus, quàm verbo oppositum Præcepti. Secundùm enim Ambrosium, non solùm mendacium est in verbis, sed in factis. Undè glosa ordinaria, super illud ad Tit. I. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*, sic ait: „ Si negatio non tantùm linguâ fit, sed etiam factis; certè multos invenimus „ Antichristos, qui ore confitentur Christum, & „ moribus dissentiunt ab eo. Quisquis factis negat „ Christum, Antichristus est. Tales sunt omnes „ mali Catholici, qui non verbis, sed factis negant.

Apparet ergò quod si ex hoc, quòd contrarientur prædictæ Assertiones dictis Præceptis, essent Fidei Judicio reprobandæ; omnia facientia contra Præcepta facto, vel verbo, ad Judicium Fidei pertinerent. Et ergo quicumque interfecisset Regem suum, vel Principem, & suum Dominium usurpasset, & omnes sibi faventes verbo, vel facto, & obedientes, ad Fidei Judicium pertinerent, & plus facto quàm verbo faventes essent potiùs quàm verbaliter asserentes, Judicio Fidei puniendi.

Probatio secundæ Conclusionis.

Secunda Conclusio patet: tùm propter honorem Fidei, ut videatur, de cetero, quæ Propositiones pertinent ad Judicium Fidei, & ad quos spectat hujusmodi Judicium terminare, & sic compescatur temeritas nonnullorum, qui exponunt Judicium Fidei ludibrio & derisioni in aliis Facultatibus peritorum, & sæcularium parvipensioni omnium dicentium; quòd nunquam aliquis audebit loqui, cùm de qualibet Propositione prolata eis odiosa, dicantur per aliquos, quòd est hæresis, in Fidei ridiculum & contemptum.

Item. Ut scandala multa evitentur, quæ, nisi declarentur hujusmodi Assertiones non pertinere ad Fidem, temporibus futuris disposita sunt oriri; & præsertim de conspirationibus in suos Dominos vassallorum, pro tollendo eorum Dominationes altissimas, & Coronas.

His visis, & aliis quampluribus, quæ dimittuntur, gratiâ brevitatis, videtur omnibus nobis, quòd nulla dictarum novem Assertionum prædictarum est Fidei Judicio reprobanda.

IX. DELIBERATIO.

Iste nihil ultra Cedulam præcedentem.

Reverendissimi Patres &c. Ego Frater &c. inter sacræ Theologiæ Professores minimus &c. Non recedendo à responsione, cum ceteris Magistris Reverendissimis &c. dico ad quæstionem, quâ quæritur: Utrum supra scriptæ novem Assertiones Judicio Fidei sint reprobandæ.

Respondeo negativè, sub tali Conclusione. Nulla prædictarum novem Assertionum est Fidei Judicio reprobanda. Patet sic hæc Conclusio: quia si sic, hoc esset quia repugnans Articulis Fidei, vel consequentibus ex eisdem: & hoc non est, ut patet, per singulas discurrendo: aut quia repugnans contentis in sacra Scriptura, ut quibusdam videtur de primis quatuor Assertionibus, quòd repugnent illi Præcepto: *Non occides*; & per consequens, non approbationi, non advocationi, non remunerationi, non majori dilectioni, ut de tribus sequentibus videretur, sive de aliter exponendo sacram Scripturam, ut apparet in nona.

Sed primæ quatuor non opponuntur, vel repugnant huic Præcepto: *Non occides.* Non enim repugnant, *Non occides*, scilicet *propria authoritate*; & *innocentem*; ac *livore vindictæ*, quæ est intentio præcipientis; &, *Licitum est unicuique subdito*, &c. Tùm quia illud non fit propria authoritate, sed Legum, divinæ, naturalis, & moralis, ut in prima, secunda, & quarta Assertionibus continetur: nec est innocentis occisio, sed tyranni talis, ut in Assertionibus est qualificatus: nec fit livore vindictæ; sed pro liberatione Regis innocentis à morte. Et per consequens, nec quinta, sexta, septima, approbant factum remuneratum, vel laudatum, seu advocatum contra Præceptum.

Nec octava repugnat determinationi Ecclesiæ; quin imò consonat: quia ideò quòd aliqui hæretici secuti sunt sensum litteralem, quem faciebant Propositiones in sacra Scriptura contentæ, & superficialem, non sequendo sensum litteralem quem Spiritus Sanctus efflagitat, & in quo fiebant, erraverunt, & suas animas spiritualiter occiderunt: ut de ista: *Non est Deo cura de bobus*; I Cor. IX, 9. nonnulli hæretici senserunt, & intellexerunt, quòd Deus non regit omnes species universi, quod est hæresis.

Sed

Sed quòd nona non repugnat illi Præcepto, *Non perjurabis*, apparet. Non enim tenetur quis servare juramentum contra ordinem charitatis, secundùm multos, quò ampliùs tenetur vitare præjudicium sui, & cujuslibet personæ ampliùs sibi conjunctæ. Plures rationes adduci possunt, sed his contentor, ad præsens, studens brevitati: & ita videtur mihi fieri, &c. qui propria manu, &c. sub determinatione, &c.

Iste nihil addit ultra Cedulam præcedentem.

EGo Frater, &c. Respondeo cum omni reverentia, & dico, quòd si prima Assertio sic intelligatur, prout Assertio ejusdem, judicio meo, videtur velle quòd licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto actualiter à temporali Legislatore sibi publicè & expressè concessis, occidere, &c. Sic videtur mihi, quòd prædicta Assertio non est Judicio Fidei reprobanda, nec etiam aliæ tres continuè sequentes, ex eo, quia talis tyrannus, ut in illis Assertionibus est qualificatus, occidendus est authoritate Legum, divinæ, naturalis, & moralis, & per consequens, non propria authoritate, nec livore vindictæ: & sic nulla istarum Assertionum quatuor militat contra illud Præceptum, *Non occides*, scilicet, propria authoritate, vel livore vindictæ. Constat verò quòd talis tyrannus taliter qualificatus, non est innocens, sed Reipublicæ hostis publicus, & manifestus, ac meritò occidendus.

Ex quibus sequitur, quòd quinta, sexta, & septima Assertiones, quæ approbant factum, sunt veræ, & nullo modo Fidei Judicio reprobandæ.

Quantùm ad octavam Assertionem, ubi dicitur, quòd *Littera occidit*, &c. si intelligatur, quòd semper tenere secundùm sensum litteralem in Scriptura sacra, referendo sensum litteralem ad litteram, de de qua scribit Apostolus, quod puto Assertorem velle, sic teneo Conclusionem cum ipso, nec reputo ipsam, in illo sensu, fore Fidei Judicio reprobandam.

Quantùm ad nonam Assertionem, dico, quòd nullus tenetur scienter jurare, vel juramentum observare, quod sit contra debitum ordinem charitatis, secundùm illud: *In malis promissis*, &c. maximè, si tale juramentum in sui, suorumque enorme præjudicium, & gravamen vergat: & sic illa Assertio non præjudicat, nec contradicit illi Præcepto, *Non perjurabis*, &c.

Sub præfatis igitur modificationibus intelligendo has novem Assertiones, secundùm quod puto Assertores eas velle intelligere, pono pro mea ex illis ratione unam Conclusionem brevem, quæ in Cedula, pro responsione, & nomine quatuor Ordinum Mendicantium sic in sacro Concilio existentium vestris P. D. est præsentata, quæ Conclusio est hæc in forma.

Nulla prædictarum novem Assertionum est Judicio Fidei reprobanda: cujus utique Conclusionis probationem ad præsens omitto, eo quòd ibidem, ut mihi videtur, ista sufficienter declaratur. Et per hæc pauca, & exiliter dicta, patet quid sentio, secundùm Deum, & meam conscientiam, de novem Assertionibus ante dictis.

XIII.* Deliberatio.

ANtequàm respondeam ad propositam quæstionem; protestor primò, &c. Respondendo ergo, pono aliquas Conclusiones, quarum prima in ordine talis est: Tyrannus qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, pro auferendo suam altissimam & nobilissimam Dominationem, per Scripturam sacram censetur primò monitus, secundò diffidatus, tertiò judicatus.

Probatur primò, quòd sit monitus ne tyranniset: patet per illud quod habetur, Marc. x. 19. *Ne fraudem feceris.* Et Exod. xx. Ubi prohibetur concupiscentia rerum proximi. Secundò monetur ne sit sortilegus. Exod. xx. 3. *Non habebitis Deos alienos.*

A Tertiò, ne machinetur contra salutem corporalem sui Regis. Tob. iv. 16. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne aliquando alteri tu facias.* Et sic patet, quòd monitus est.

Secundò, probatur quòd sit diffidatus, eo quòd per sortilegium machinatur in malum; nam legitur, Levit. xx. 6. *Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei.* In cujus dicitur signum, 1. Paralip. x. 13. *Mortuus est Saül propter iniquitatem suam, eo quòd prævaricatus sit Mandatum Domini quod præceperat, & non custodierit illud: sed insuper & pythonissam consuluerit, nec speravit in Domino, propter quod interfecit eum.*

Si quis dicat, quòd Saül fuit interfectus in prælio, & non per insidias. Respondeo, quòd ex Præcepto Dei fuerit unctus in Regem, undè vocabatur *Christus Domini.* Ideò advertatur diligenter, quòd David præcisè allegavit causam, ne clàm interficeretur, quia erat Christus Domini; cessante autem causa, cessat effectus: ideò si non fuisset Christus Domini, non prohibuisset ipsum clàm interfici; etiam adhuc illo tempore non consuluerat Pythonissam, ideò nondùm erat magus, aut sortilegus, quando David prohibuit ut * occultè interficeretur.

B

De sortilegis secundò patet, quod sequuntur Deos alienos, id est, dæmonia: nam sors, à qua sortilegus dicitur, est ars divinandi, secundùm Raymundum, *in Summa sua, parte prima.* Omnis autem divinatio utitur, ad cognitionem futuri eventus, aliquo dæmonum consilio, & auxilio.

Sed quod dicit Joannes, *in Summa Confessorum. Libro primo*; undè Augustinus, in Libro, *De decem chordis. Dicitur tibi, unus est Deus tuus, unum cole Deum, tu vis, demisso uno Deo tanquam legitimo viro anima, fornicari per multa dæmonia.* Sermo divinus tales diffidat, dicens, Deut. xiii. 6. *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius Matris tuæ, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clàm dicens, eamus, & serviamus Diis alienis*, &c. Sequitur paulò post: *Non acquiescas ei, nec auscultes eum, sed statim interficies.* Patet ergo, quòd talis per Scripturam est diffidatus.

C

Tertiò, probatur quòd sit judicatus: quia scribitur, Joan. iii. 18. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Talis autem sortilegus non solùm non credit, imò discredit, diligendo magis tenebras, dæmonium, quàm lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. i. 9.

D Ex his patet, quòd septem primæ Assertiones non Judicio Fidei sunt reprobandæ: quarta enim, licèt sit magis generalis, tamen loquitur de tyrannis infidelibus occidendis, sed non dicit per quos debeant occidi: ex nullo enim auditu verbi Dei sequitur has esse erroneas: *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, Rom. x. 17.

Octava Assertio est vera, secundùm Dominum Bonaventuram, *Sentent.* iii. *Lex Vetus, secundùm sensum litteralem, est occidens.* Patet secundò quòd illa Assertio est intelligenda de sensu litterali, quem littera secundùm sensum Grammaticalem, superficie-tenùs facit.

Nona

* *Error est in MS. circa Deliberationum numerum.*

* *Forsan* ne.

Nona etiam Assertio est vera: quia non est tenendum juramentum quod vertitur in præjudicium jurantis, aut confœderatorum, aut sponsæ, aut liberorum; quia, secundùm ordinem charitatis, proximiores videntur excepti esse. Et hoc potest confirmari per illud quod habetur, *Extra. De Jurejur. Cap. Petitio* &c. Ergo.

XIV. Deliberatio.

Ego Frater &c. Sacræ Theologiæ Professor, assero supra scriptas Propositiones esse probabiles, nec secundùm Catholicam Fidem damnandæ, salvo judicio meliùs me in hac materia sentientium. Et quoniam allegationes, & authoritates has Propositiones persuadentes, coram Reverendissimis Dominis Judicibus, & coram multis sacræ Paginæ Magistris meis dignissimis, cum protestationibus consuetis & debitis, quibus adhæreo, firmiter in publico sunt productæ: ideò profundiùs materiam perscrutari omitto; etiam quia propter nimium festinum recessum, tempus ad hoc non habui; etiam quia potiùs est materia Juristarum, quàm de directo & propriè Theologorum &c.

XV. Deliberatio

Reverendissimi Patres &c. Pro illucidatione materiæ, inquit quidam Doctor, in Summa sua, super XXIV. *q.* IV. quòd tribus modis fit homicidium, scilicet, cùm inspiratur à Deo ut aliquem occidat, sicut Abraham filium suum, & Samson seipsum: alio modo, cùm Judex habens potestatem gladii, aliquem interficit judicando: tertio modo, cùm Præcepto Principis, miles interficit hostem; cujus notabilis prima pars facit ad propositum, in casu, idcircò ponuntur hæ rationes, in robur prædictarum Assertionum.

Prima ratio. Quòd à Lege divina derivantur & regulantur aliæ Leges, tàm naturalis, quàm moralis; statutum est quòd excessui, qui est secundùm numerum malorum operum, correspondeat excessus plagarum punitivarum: juxtà illud Deut. XXV. 2. *Pro mensura peccati erit plagarum modus.* Et Isa. XXVII. 8. inquit Dominus: *In mensura pœna contra mensuram, & juxta mensuram culpæ, cùm abjecta fuerit, judicabo eam.* Sed excessus malorum operum talis tyranni, de quo, in casu, est tam enormis, & pestiferus, quòd est corruptivus Reipublicæ, videlicet utendo mala arte, machinando in suum supremum Dominum, conservatorem talis Reipublicæ: ergo à fideli vassallo illius Domini, inspirato à Deo, licitè debet & potest, non derogando Legibus, divinæ, morali, & naturali, per insidias, & alios modos necessarios, per incisionem, tanquàm membrum corruptum, à corpore Reipublicæ removeri; maximè, quando est tantæ potentiæ, quòd Justitia non potest bono modo de eo haberi, ut dicit prima Assertio.

Secunda ratio. Bonum commune & melius, & divinius est, quàm bonum particulare impeditivum concordiæ societatis humanæ, quæ est bonum commune, ut clarè patet de se: ergo à fideli quocumque participante illud bonum commune, licitè debet, & potest per mortem ab hominum societate subtrahi, ut bonum commune conservetur; maximè, quando per alium modum non potest bono modo Justitia fieri.

Tertia ratio. De *Petro*, Joan. XVIII, dicitur, quòd abscidit auriculam illius Malchi, quem ex sua principali intentione intendebat occidere; sed ictus quem dirigebat ad caput, relapsus est ad aurem, ut dicit Sanctus Thomas. Ubi ait Chrysostomus, quòd Petrus hoc fecit zelo Domini sui, & non per se, & paravit se ad ulciscendum, ubi putabat prævalere iniquitatem. Ergo licitè, exemplo illius, quilibet subditus & vassallus Domino suo, sicut Petrus fuit, debet, & potest iniquitatem, quæ est in Dominum suum Superiorem, quem putat prævalere, per mortem illius qui infert illam, ulcisci, & vindicare.

A Quarta ratio. Sicut eidem Petro non fuit improperata mors voluntaria intentata, ad homicidium, aut transgressionem alicujus Præcepti implicitè, vel explicitè; sed fuit ei dictum: Joan. XVIII. 2. *Mitte gladium tuum, in vaginam* servandum: Ita à simili, fideli Domino suo vassallo per mortem ulciscenti iniquitatem mortalem, quæ est in Dominum suum supremum, quam tenet prævalere, non licebit improperari ad homicidium, aut transgressionem alicujus Præcepti; imò debet laudari, præconizari fidelis, pariter & præmiari, sicut Petrus, qui fuit caput Discipulorum Magistri sui, & caput Ecclesiæ electus. Ideò talis non debet repelli à consortio sui Domini, cui fuit fidelis, in utroque homine; sicut nec Petrus fuit repulsus, propter homicidium quod voluit adimplere, per appositionem manus ad opus, à consortio Christi, & suorum: & hæc ratio facit mihi fidem.

B Quinta ratio. In Legibus, divina, morali, & naturali, solùm prohibetur occisio hominis injusta; & illa etiam quæ procedit ex ira; & non illa quæ procedit ex zelo Justitiæ, & conservatione Reipublicæ: sed mors talis tyranni, in casu, est mero zelo Justitiæ, & conservationis boni Reipublicæ. Ergo licitè talis potest occidi à fideli vassallo Domini conservantis bonum Reipublicæ, & hoc, zelo Reipublicæ, quæ aliter de eo haberi non potest, bono modo, sine majori periculo Reipublicæ, ut ponit casus.

Sexta ratio. Occisio alicujus mali, in Præcepto *Non occides*, non interdicitur fieri à quocumque fideli vassallo Domino suo gubernatori & conservatori Reipublicæ, ubi hoc fit per inspirationem divinam à Domino factam, ut bonum commune conservetur, & gubernator & conservator ejusdem: & ubi etiam, quando talis malus non discernitur à bonis, per omnia peccata manifesta: & timetur quòd C multos bonos post se trahat. Ergo talis malus potest &c.

Septima ratio. Periculum quod de ejus vita imminet, majus est & certius, quàm bonum quod de ejus emendatione expectatur. Ratio est: licèt habeat facultatem arbitrii, ut convertatur, adeò est obstinatus, quòd ejus cor à malitia non recedit; & sic probabiliter æstimari potest quòd nunquàm à malitia resipiscat. Ergo talis tyrannus à quocumque fideli vassallo suo Domino, à quo posset, & deberet occidi, & non fit, licitè potest occidi, ut majus & certius bonum quod est de ejus morte habeatur. Et sic septem primæ Assertiones non videntur esse erroneæ, seu hæreticæ, nec etiam contra illud Præceptum, *Non occides*, & per consequens, nec Judicio Fidei reprobandæ.

D Octava Assertio, quæ Apostoli non indigeret probatione, verumtamen sic potest roborari. Littera videtur mihi occidere, accepta in suo sensu litterali, quæ asserit, aliquam rem turpem Deum præcepisse, & cui obedire esset peccare: sed sic est de Littera, vel sensu litterali, in aliquo loco Scripturæ sacræ. Igitur prædicta Assertio octava non est erronea, aut hæretica. Major est vera. Minor patet per illud Ozeæ I. ubi habetur, quòd verbum Domini loquutum est ad Ozée Prophetam dicens: *Vade, & sume tibi uxorem fornicariam, & fac ex ea filios fornicationum*: ubi videtur, Deum rem turpem præcepisse, & Prophetam Ozée obedivisse, * peccasse Ubi Hieronymus, dans sensum spiritualem vificantem dicit;

* *Videtur legendum* nec peccasse.

dicit; *Nec Deus rem turpem præcepit; nec Propheta obediendo peccavit: sed potiùs fornicariam ad pudicitiam revocavit, & permanens in sua bonitate, de mala bonam fecit.* Ex his videtur, sensum litteralem occidere, & spiritualem vivificare.

Alia ratio, *Littera occidit.* Ubi minister Novi Testamenti non constituitur: sed per sensum litteralem quis non constituitur minister Novi Testamenti: igitur Assertio vera, in sensu quem facit. Major nota. Minor probatur in glosa illius passus, ubi Assertio. *Idoneos fecit nos Deus ministros Novi Testamenti per spiritum, non per litteram, quia littera*, sine spiritu, *occidit*, dum facit scienter peccare, & addit prævaricationem, & magis incitat ad malum, præsertim post adventum Christi, ubi fuit adimpletio Legis, dicit: *spiritus vivificat.* 2 Cor. III. 6. Quia sicut * intelligere spiritualiter, & implere quod littera præcipit. Et sic videtur Assertio stare in veritate, nec Judicio Fidei reprobanda, casu posito in esse.

Ad nonam Assertionem videtur probabiliter adduci quod sequitur, videlicet, quòd juramentum non debet teneri inter juritores, ubi res non manet in eodem statu; ut patet de illo qui sanus gladium deposuit apud aliquem, & illum furiosus repetere vult: in quo casu qui recepit, reddere non tenetur, etiamsi juravit. Ut patet, XXII. *q.* 12. cap. *Ne quis.* Idem Raymundus. §. XVIII. *in Summa.* Et de Juno. in glosa, super C. *Quemadmodum.* Sed sic est, & de illis, de quibus in Assertione. Igitur Assertio non est reprobanda.

Secunda ratio. Juramentum promissorium, quod potest vergi in deteriorem exitum, quia posset esse impeditivum boni Reipublicæ, non est servandum, ut dicit sanctus Thomas. 2. 2. *q.* LXXXVI. Art. VII. Sed juramentum inter tales, de quibus Assertio, pro aliqua parte ipsorum potuit vergi in deteriorem exitum, per suppositum Assertionis. Ergo non debuit teneri ab illo, in quem videbatur vergi deterior exitus.

Alia ratio confirmatoria immediatæ rationis. Juramentum non tenet, nec obligat aliquem jurantem, ubi cadere potest casus inopinatus, de quo si jurans cogitasset & advertisset, nullomodò jurasset Sic est, in casu, ut dicit fundamentum Assertionis. Igitur &c. Major est nota. Minor est manifestissima, in casu confirmante prædictas Assertiones.

Quibus omnibus consideratis, sine læsione conscientiæ, mihi videntur novem Assertiones propositæ nullo Judicio, Fidei potissimè, reprobandæ, præsertim, licèt rationes hîc adductæ pro parte negativa, videlicet, quòd non sunt Fidei Judicio reprobandæ, meo modulo, videantur hoc asserere. Verumtamen refero me ad dicta sancti Doctoris. In cujus rei testimonium &c.

* *Forsan legendum* facit.

XVI. Deliberatio.

Pro responsione ad quæstionem per Reverendissimos Patres, Dominos Judices, in causa Fidei superiùs propositam, cùm correctione præfatorum Dominorum Judicum, ac etiam protestatione nihil asserendi, nisi quod asserendum est: dicendum videtur, quòd visis & auditis rationibus, & motivis, ad colorationem utriusque partis, in publico propositis: viso etiam quòd non constat, nec adhuc in medium positum est, quòd aliquis prædictas Assertiones dixerit, seu dici fecerit, aut eas deffenderit, seu deffendere velit, & per consequens, non constat quòd ex ipsis sic nudè, absque assertore & deffensore consideratis, sequatur aliquod scandalum in Fide, vel moribus, plusquàm ex aliis Propositionibus oppositis & contradicentibus veritatibus Fidei & Scripturæ sacræ, quæ nunquàm formatæ fuerunt, nec fortè formabuntur in æternum, licèt de facto per hæreticos & malos homines formari, seu proferri possent: quas tamen, donec ab aliquo fuerint dogmatisatæ, vel assertæ condemnare non oportet: aliàs enim Sedes Apostolica, & etiam Concilia Generalia, quæ raro, vel fortè nunquàm aliquas Propositiones condemnasse *, quæ priùs assertorem non habuissent; defecissent hactenùs, & ad huc quotidiè deficerent, A omittendo, vel dissimulando talium propositionum à nemine assertarum condemnationem, etiam in propria forma, & non solùm per approbationem Propositionum eis oppositarum, seu per approbationem generalem omnium quæ Fidei sunt, & quæ in Scriptura sacra continentur.

Viso rursùs quòd ex omissione condemnationis prædictarum Assertionum, saltem ad tempus, nullum sequitur scandalum in Fide & moribus, maximè cùm non sit qui dictas Assertiones asseruit, aut eas deffendat, seu deffendere velit: in hoc enim casu Doctores, & alii Fidei Judices possunt sinere zizaniam hæreticorum cum tritico fidelium crescere ad messem usque; & maximè si timeatur, quòd colligendo zizaniam, eradicetur simul & triticum.

Visis præterea scandalis & dissentionibus, quæ inter multos & magnos homines utriusque status, ex dictarum Assertionum judiciaria condemnatione verisimile est debere exoriri, præsertim per eos qui proni sunt, aut essent ad tyrannisandum, & alios B qualitercumque, prætextu justi & liciti, cedendum, vel manifestandum; quæ scandala ab omnibus, & maximè Judicibus in causa Fidei debent semper, quantùm fieri potest, evitari; præsertim quando, sicut hîc, servata triplici veritate, scilicet vitæ, justitiæ, & doctrinæ, ipsa scandala vitari possunt.

Viso postremò fructuoso Tractatu pacis & concordiæ, qui inter partes, super prædictis Assertionibus pro nunc contendentes, poterit reperiri, si adhuc earum condemnatio differatur.

Visa denique declaratione, & elucidatione veritatis, seu falsitatis prædictarum Assertionum, quæ evidentiùs quàm nunc poterit apparere, si dictæ Assertiones per disputationes, & collocutiones Doctorum in Theologia, & aliis scientiis, adhuc per aliqua tempora examinentur: prædictis, inquam, visis omnibus, & consideratis, non videtur quòd prædictæ novem Assertiones Fidei Judicio sint pro nunc C reprobandæ

* *Desideratur* reperiuntur.

XVII. Deliberatio

Ad quæstionem quâ quærebatur, utrùm prædictæ Assertiones Fidei Judicio sint reprobandæ, videtur mihi Jo. &c. quòd non: sicut aliàs in quadam cedula, de communi consensu omnium Doctorum in Theologia Facultate confecta scripsi, & notavi: & nunc iterùm dico, quòd videtur, quòd prædictæ novem Assertiones Fidei Judicio non sunt reprobandæ. Ratio est: quia nullæ Propositiones veræ, cujuscumque scientiæ, vel Facultatis existant, sunt Fidei Judicio reprobandæ; sed prædictæ novem Assertiones sunt hujusmodi. Ergo &c. Major & Consequentia patent, per illam famosam Philosophi regulam; *Omne verum omni vero consonat.* Sed probatur D Minor quoad sensum principalis actoris, qui videtur esse & fuisse quod hostilem tyrannum licitum est occidere.

Probatur primò Lege divina: quia quilibet tenetur proximum suum diligere sicut se ipsum, *Deut.* VI. 5. *Luc.* X. 27. *Matth.* XI. & XXII. 39. *Rom.* XIII. 9. Et XXIII. *q.* IV. C. *penul.* De Pœ. *distinct.* II. C. *Charitas.* circà medium. Item in Psalmo: LXXXI. 4. *Eripite inopem, & egenum de manu peccatoris liberate*, Prov. XXIV. 2. *Erue eos qui ducuntur ad mor-*

mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Et sic, quod Dominus imperat licitum est fieri, & nisi fiat, pœnam habet: XXIV. *q.* I. Quod præcipitur ergo si fiat, legitimè fit, nec pœnam meretur, sed gloriam: quia, teste Seneca: *Nulla melior victima, magisque opima potest jam mactari, quàm Rex iniquus.*

Probatur Lege morali. Undè in quarto Libro, *Policratici*, C. I. dicitur, quòd non est peccatum occidere, sed æquum est, & justum; prout ait ibidem, Lib. III. subdens rationem: *Qui à Deo accepit potestatem, Legibus servit, & Justitiæ, & Juris famulus.* Ad idem Tullius, Libro tertio, *De Officiis*, C. VII. „Nulla est nobis societas cum tyrannis, sed „potiùs summa distractio; neque enim contra na„turam est spoliare eum, si possis, quem etiam ho„nestum est necare; atque hoc omne genus pesti„ferum, atque impium, ex hominum communita„te exterminandum est. Etenim ut membra quædam „amputantur, si & ipsa sanguine & spiritu carere „cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis; „sic & ista in figura hominis feritas, & immanitas bel„luæ à communi tanquàm humanitate corporis se„greganda est.

Ampliùs, aut prædictæ Assertiones sunt veræ, vel falsæ: non falsæ, ut probatum est; ergo veræ, per sufficientem divisionem. Et dato quòd essent falsæ, vel erroneæ, adhuc non essent Judicio Fidei reprobandæ, pro eo videlicet, quia non adversantur Theologiæ.

Pro cujus evidentia pleniori notandum est, quòd Vo. Olram ait, in suo Dialogo, ubi Assertionem Catholicam diffiniens, sic ait: „Illa sola Assertio est Ca„tholica reputanda, quæ est consona Theologiæ: „illa verò quæ noscitur adversari Theologiæ, hæ„retica. Et si aliqua Assertio quibuscumque Decretis „Summorum Pontificum, vel etiam Generalium „Conciliorum, ac etiam Legibus Imperatorum in„veniretur adversari, Theologiæ nullatenùs obvia„ret, quamvis pro falsa, vel erronea, seu iniqua pos„set haberi: non tamen inter hæreses debet com„putari.„

Ex quibus manifestè sequitur, quòd prædictæ novem Assertiones non adversantur Fidei Catholicæ, & per consequens, non sunt Fidei Judicio reprobandæ. Et hæc sunt dicta cum honore.

XVIII. Deliberatio.

Ad quæstionem, quâ quæritur, utrùm novem supra nominatæ Assertiones sunt Judicio Fidei reprobandæ: dicitur quòd non, conformiter ad cedulam per Universitatem quatuor Ordinum Mendicantium vestris R. D. præsentatam. Et probatur primò, de illis quæ loquuntur de occisione tyranni in Assertionibus tribus primis qualificati: quia si essent Judicio Fidei condemnandæ; hoc esset quia sunt Assertiones contra Præceptum Decalogi *Non occides*; vel ita videretur. Sed hoc non, quia Præceptum de non occidendo, non prohibet malefici occisionem Rempublicam invadentis, de quo haberi Justitia, bono modo, non potest. Ergo qui occidit talem tyrannum, non facit contra Præceptum illud, quod debet intelligi, si authoritate propria, & non innocentem, nec livore vindictæ, cujusmodi non est in Assertionibus dictis. Ergo &c. Et per consequens, sequitur quòd quarta Assertio intellecta de tyranno, ut præcedentes loquuntur, & aliæ sequentes, non est Fidei Judicio condemnanda; & idem dicendum est de aliis.

Secundò, probatur de octava, quia nulla glosa quæ exponit textum aliquem sacræ Scripturæ veraciter est Judicio Fidei condemnanda: sed sic est de ista octava. Undè ista glosatur: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Glosa: *Semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, occidit animam.* Quod est verum de sensu litteræ superficiali, ut expressè ait Gregorius super Job, *in Prologo. Tertio* C. & declarat per multa exempla; & etiam ponit, *super. Ezech.*

Tertiò, probatur de nona, quia nullus tenetur servare juramentnm quod vergit in præjudicium suæ sponsæ, aut liberorum, cùm sit eis ampliùs astrictus, naturali & gratuito dilectionis vinculo. Et sic patet quòd istæ novem Assertiones Judicio Fidei non veniunt reprobandæ.

A

XIX. Deliberatio.

Prima Assertio quæ ducitur in dubium; videlicet, quòd *Unicuique subdito, sine quocunque Mandato, vel Præcepto* &c. à qua prima Assertione omnes aliæ Assertiones ferè dependent, probabiliter sustineri potest pro utraque parte, secundùm Doctorum ab Ecclesia approbatorum sententiam. In his enim quæ non sunt directè, & explicitè contra Articulos Fidei, non condamnantur illi qui abundant in proprio sensu. Et licèt sensus istius primæ Assertionis spiritualibus, & religiosis hominibus satis inhonestus appareat; tamen attendendo * ad sententiam Tullii, in Libro, *De Officiis*, dicentis ad materiam prætactam; „Sæpè enim fit tempore, id est „necessitate, ut quod turpe plerumque haberi so„let, inveniatur non esse turpe. Exempli causâ, „ponatur aliquid quod pateat latiùs. Quod potest esse „majus scelus quàm non modò hominem, sed e„tiam familiarem ocidere? Num igitur se astrinxit „scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis fami„liarem? Populo quidem Romano non videtur sce„lus, qui ex omnibus præclaris factis, illud pulcher„rimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem; „imoverò utilitatem honestas secuta est.„ Hæc Tullius. Et quia ipse Tullius allegat populum Romanum hujusmodi opinioni faventem; ideò Valerius Maximus ad propositam introducit rationem exemplum de Scipione Nasica. *Lib.* III. *Cap.* 2. Qui Scipio seditionem fecit, & commovit Senatores ad trucidandum Tiberium, & Gracchum, volentes tyrannicè usurpare Dominium Reipublicæ, & Romanam libertatem deprimere: & Mutio Scevola tunc Consule prohibente, & dicente, se velle juridicè & non vi armorum procedere contra Gracchos prædictos; inquit Scipio: Dùm Consul Juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus Legibus Romanum Imperium corruat. Atque exclamavit: Qui Rempublicam salvam esse voluerit, me sequatur. Et sic contra voluntatem Consulis præsidentis, Gracchos crudelissimè trucidavit.

B

C

Item. Ex sacra Scriptura, ad idem, trahitur exemplum, Libro secundo Regum: quando Joab occidit Absalonem contra Mandatum Regis usurpantem Regale Dominium; & tamen Rex non reprehendit ipsum, nec vindicavit dictum homicidium; cùm tamen alia plura homicidia vindicaverit, etiam in ipsum Joab, quem, in morte, mandavit occidi, eò quòd occiderat Abner virum nobilem, & meliorem se.

D

Secundò dico: quia dictæ Assertiones probabiles sunt pro utraque parte, & Doctores Theologi de hoc pro utraque parte scripserunt: ideò istæ Assertiones non existentes explicitè contra Fidem, nec sunt ad materiam Fidei Catholicæ reducendæ, nec ad examen Generalis Concilii deducendæ, cùm ipsarum affirmatio, vel negatio, non sit in conscientiæ detrimentum.

* *Locus corruptus.*

XX. De-

XX. DELIBERATIO.

Ad quæstionem per Reverendissimos Patres Dominos Judices in causa Fidei propositam, videtur mihi dicendum, quòd visis & auditis motivis, & rationibus utriusque partis, de veritate, aut falsitate, illarum novem Assertionum nulla mentione facta, A cùm principaliter minimè quærat, & videtur titulus Quæstionis, prædictæ novem Assertiones non pro nunc sunt Fidei Judicio reprobandæ. Tùm primò; quia nullus est convictus assertor, qui eas dixerit, aut dici fecerit, vel vocatus, vel monitus fuerit, ut intentionem & sensum quem habuerit declararet, ex quibus intelligentia dictorum, juxta doctrinam Hilarii, sumenda est. Tùm secundò; quia ex earum præsenti condemnatione majora fortassis scandala inter simplices oriri possunt, cùm magnos, & in sacris Litteris doctos, & ad unam partium magis forsan quàm deceret affectatos, ex quo frequenter deperit judicium rationis, videant diversa, imò contraria sentire, & palàm coram omnibus asserere; ex quibus vilipensio, & Fidei nostræ conculcatio sequi possent: propter quæ Salvator noster ipsam veritatem etiam interdùm prohibet prædicari.

Prætereà, esto quòd essent falsæ, & scandalosæ; adhuc tamen differri potest earum condemnatio, ut falsitatis causæ, aut etiam veritatis magis appareant, & per homines indifferentes & justè affectatos sollicitiùs dijudicentur. Deus enim licèt sit summè bonus & potens, permittit tamen aliqua mala fieri, B quæ prohibere posset, ne ipsis sublatis, majora bona tollantur, vel etiam pejora mala sequantur, ut dicit sanctus Thomas. *Qu.* x. *art.* xi.

XXI. DELIBERATIO.

Ad hanc quæstionem. Ego Frater &c. salva semper determinatione præsentis sacri Constantiensis Concilii, Ecclesiam Universalem repræsentantis, cui, in omnibus quæ ad Fidem pertinent volo, & debeo esse subjectus, ex injuncto Mandato P. * R. Dominos Judices in causa Fidei, conscientiæ, veritatique adhærendo; respondeo negativè, conclusionem sequentem ponendo. Prædictæ novem Assertiones non sunt Fidei Judicio reprobandæ. Convincitur, seu C convinci potest contrariari, seu contradicere manifestè, & evidenter Fidei Catholicæ: aut convincitur, seu convinci potest inferre, aut inferre posse, consequentiâ formali, necessariâ, & evidenti contrarium, seu contradictorum manifestè, & evidenter Fidei Catholicæ: sed nulla novem Assertionum prædictarum convincitur, aut convinci potest contrariari, seu contradicere manifestè & evidenter Fidei Catholicæ: aut convincitur, seu convinci potest inferre, aut inferre posse, consequentiâ formali, necessariâ, & evidenti contrarium, seu contradictorium manifestè, & evidenter Fidei Catholicæ. Igitur nulla prædictarum novem Assertionum est Judicio Fidei reprobanda.

Consequentia patet, & Major, ex hoc: quoniam Judicium Fidei, hæresis, seu hæresum reprobatarum, debet ferri per Judicem, seu Judices, ad quem, vel quos, ex Officio, pertinet hæresim, seu hæreses condemnare, & reprobare, contra Propositionem, D seu Propositiones, seu Assertiones, sapientem, seu sapientes manifestè, seu evidenter hæresim, seu hæreses: aliàs non esset certum Judicium, certitudine sufficienti, efficaci, seu convenienti: quæ certitudo requiritur ad solidandum, firmandum, & stabiliendum irrepræhensibiliter, & irrevocabiliter Judicium Fidei, hæresis, seu hæresum reprobatarum.

* *Forsan* per *loco* P.

Minor verò probatur, & convincitur esse vera: quia omnia Argumenta in contrarium facta, & facienda, sunt solubilia, salvâ Fide Catholicâ. Nam aut peccant, seu peccabunt in materia, * aut in utroque. Et confirmatur hæc Minor: quia omnis Propositio Fidei Judicio reprobanda, repugnat, seu contrariatur manifestè, & evidenter Articulo, seu Articulis Fidei Catholicæ, sacræ Scripturæ, aut determinatis per Ecclesiam Catholicam, aut sequenti, seu sequentibus, inferendo, seu inferendis, consequentiâ formali, necessariâ, & evidenti, repugnans, seu contrarium manifestè & evidenter Articulo, seu Articulis Fidei Catholicæ, aut sacræ Scripturæ, aut determinatis per Ecclesiam, aut duobus ex istis, seu omnibus simul. Sed nulla prædictarum novem Assertionum repugnat, seu contrariatur manifestè & evidenter Articulo, seu Articulis Fidei, aut sacræ Scripturæ, aut determinatis per Ecclesiam Catholicam, aut sequenti, seu sequentibus, inferendo, seu inferendis, consequentiâ formali, necessariâ, aut evidenti, repugnans, seu contrarium manifestè, & evidenter Articulo, seu Articulis Fidei, aut sacræ Scripturæ, aut determinatis per Ecclesiam Catholicam. Igitur nulla dictarum novem Assertionum est Judicio Fidei reprobanda.

* *Videtur addendum*, aut in forma.

XXII. DELIBERATIO.

Ego Frater &c. Propositæ quæstioni, quâ quæritur, utrum prædictæ novem Assertiones &c. respondeo cum protestatione, quòd non intendo dicere, vel asserere, quòd sit contra Fidem, nec contra determinationem Ecclesiæ, ponendo istam Conclusionem, quod istæ novem Assertiones non sunt Judicio Fidei reprobandæ.

Patet ista Conclusio: quia nulla Propositio opinabilis, & probabilis, est Judicio Fidei reprobanda. Sed quælibet novem Assertionum præscriptarum est hujusmodi. Ergo &c.

Minor patet: quia rationes utriusque partis sunt solubiles, & fuerunt solutæ satis sufficienter per contendentes in loco Sessionis.

Item. Prima Asserio, & aliquæ sequentes, prætendere videntur casum inevitabilis necessitatis, ex quo talis est tantæ potentiæ, quòd Justitia non potest, bono modo, fieri per Supremum.

Item. Aliæ Propositiones sunt opinabiles inter Doctores sacræ Theologiæ. Et de ista materia, & de rationibus contentis in quadam Cedula per R. M. quatuor Ordinum confecta, cum magna deliberatione præhabita, & disputatione continuata, refero me prædictæ Cedulæ: & in testimonium præmissorum, ego Frater præscriptus, ita manu propria conscripsi, & hanc Cedulam sigillo &c.

XXIII. DELIBERATIO.

Ad istud dubium; quando quæritur, utrùm prædictæ novem Assertiones &c. Sine præjudicio dicam quod sentio, & sub habita protestatione: licèt enim materia primæ Assertionis, & aliarum sex ab illa dependentium, ad Leges Civiles magis directè, quàm ad Theologiam pertinere noscatur: quia tamen Scriptura sacra, & scientia theologica omnes alias scientias in se continet evidenter; ideò septem primas Assertiones prædictas ad sacram Theologiam reducendo; dico, quòd earum nulla est Judicio Fidei reprobanda; etiam dato, quòd omnes illæ, aut forsan aliqua illarum falsa sit. Nam sicut non omnia vera, sic quoque non omnia falsa, sunt ad materiam Fidei reducenda.

Ratio verò, & motivum, quare non sunt Fidei Judicio condemnandæ, hæc est: quia videlicet nulla dictarum septem Assertionum repugnat alicui Articulo Fidei Orthodoxæ, nec alicui veritati, quæ ex Fidei Articulis formaliter sequitur, prout cuilibet Theologo satis patere potest; nec etiam repugnat illarum aliqua determinationi sanctæ Matris Ecclesiæ. Nam Ecclesia permittit minus malum fieri, ut majus malum evitetur. Sed multò minus malum est, quòd unus Princeps à subdito occidatur, sine Mandato expresso, ab aliquo Superiore, & quòd ex hoc totus populus sit in pace, quàm quòd per talem Principem vivum tota Respublica dissipetur. Quare &c.

A

Nec insuper repugnat aliqua dictarum septem Assertionum alicui veritati in sacra Scriptura contentæ; quin potiùs, & in ipsa Scriptura continetur.

Hoc in mundi primordio contigit, quòd scilicet Archangelus Michaël nullum habens Mandatum extrinsecum, sed solùm ductus per gratiam, & ejus voluntatem rectè regulatam, contrariantem per omnia voluntati distortæ, & erroneæ illius quondam serenissimi Principis Luciferi, de supremo Ordine Seraphim; qui machinabatur aufferre à suo Rege, videlicet Deo, suam nobilissimam, & altissimam Dominationem; bellum spirituale cum illo Lucifero commisit, & idem Michaël victoriam obtinuit, ac dictus Lucifer ibidem æterna morte succubuit, ut patet in Apocalypsi: ac ratione dicti actus, fuit ipse Michaël à suo Rege præmiatus, quoniam continuò, cum omnibus Angelis eidem adhærentibus, fuit in gratia confirmatus.

B

Item, secundò. Considero in mundi medio, aut post, quòd quærentibus Apostolis ab eorum Rege Christo, in Cœna, quis ipsum esset traditurus; noluit Christus publicè traditorem manifestare: quoniam, ut tradunt Doctores aliqui authentici, si cognovisset Petrus quia † fuisset traditor sui Regis, continuò sine aliquo Mandato sui Superioris, in illum traditorem totis viribus irruisset, cum manibus, dentibus, & unguibus, aut aliis modis decerpendo: & tamen, ut piè creditur, non ex hoc peccasset Petrus; sicut in hoc peccasse creditur, qui pro deffensione sui Regis & Domini gladium exemit, & cujusdam assistentis Christi captoribus abscidit auriculam: & non falsi simile videtur, quod nullus * secundum, aut forsan tertium, idem Petrus dicto servienti fortiùs inflixisset, si non à suo Domino prohibitus fuisset, dicente: *Mitte gladium tuum in vaginam* &c. Matt. XXVI, 52. Non tamen hoc dixit ei Christus, tanquam ipsum de culpa, vel peccato, seu de malefacto redarguutus: quin potiùs, per hoc denotavit, quòd Ecclesiæ Prælatis, Ecclesiasticisque personis, quorum gessit Petrus typum, voluit Christus gladii materialis usum, quo ad executionem Justitiæ, aut vindictæ, esse deinceps interdictum. Nam nec Juris pœnam ex hoc Petrus incurrebat; nec inhabilis reddebatur ad divina: quoniam post actum illum, Christus eum instituit Ecclesiæ suæ Summum Sacerdotem.

C

Item tertiò. Considero de mundi fine; quomodò scilicet illum tyrannum venturum, videlicet Antichristum, qui cervicem eriget contra Christum, pro aufferendo eidem suam nobilissimam Dominationem, quoniam in Templo Dei sedebit, ostendens, *quasi ipse sit Deus*, ut dicit Scriptura; occident eum Enoch & Helias, secundùm communem Assertionem omnium Theologorum; & hoc, sine aliquo exteriori expresso Mandato ab aliquo Superiore eis dato. Nec tamen erit ejus tyrannidis probata notorietas, nisi forsan inter paucissimas personas graves, & electas: quoniam, testante Scriptura, tot & tanti in illum credent, tanquàm foret ipse Messias in Lege promissus, quòd, si possibile esset, perverterentur per eum etiam electi, & *nisi abbreviati essent dies illi, non esset salva omnis caro*, ut ibidem subsequitur, *Matt.* XXIV, 22.

D

Ex quo sequitur, quòd apud paucos erit ejus perversitas notoria, per viam Juris. His tamen non obstantibus, non solùm erunt à culpa dicti Enoch & Helias excusati propter dicti tyranni necem; verumetiam, propter ejus occisionem, meritum, & præmium eisdem accresceret gloriosum.

Sic ergo patet ex Scriptura, quomodò pro honore Regis sui, ac pro deffensione sui Regalis Status nobilissimi, licitum est subditis, absque sui Regis expresso Mandato, ejus resistere proditoribus, ac eosdem, in casu, interficere; etiam si factum apud vulgus non sit notorium, nec manifestum cuncto populo.

Sed utrùm in casu isto, de quo quæritur in præsenti etiam Concilio, licitum erat agere, aut non; nihil meâ interest: quoniam dubium præsens non petit, utrùm Assertiones prædictæ veræ sint, an falsæ: sed sufficere debet me ex Scripturis ostendisse, quòd Assertiones prædictæ non sunt erroneæ in Fide, & per consequens, nec Fidei Judicio sunt reprobandæ.

Sed si quis adversarius objiciat, quòd dictæ septem Assertiones repugnant Mandato Decalogi, ubi dicitur: *Non occides*: quod etiam à Christo in Evangelio confirmatur, & per consequens, ejus contrarium ex intentione asserere, est errare in Fide, & ita dicta Assertio videtur esse erronea.

Ad istud dicitur, quòd hoc Mandatum tàm generaliter latum requirit necessariò quamdam limitationem, & glosam declarativam: alioquin enim non liceret prædones, raptores, & alios malefactores quovis modo morti tradere; & ita fuisset ipse Deus sibi ipsi in jubendo contrarius: quoniam in alio loco mandavit enormes maleficos omninò morti tradi, dicens: *Maleficos non patieris vivere.* Exod. XXII, 18.

Item. Si dictum Mandatum exceptionem non haberet, sequeretur formaliter, quòd non liceret hominibus bestiam, aut avem, vermem, muscam, aut pulicem interficere: quoniam, ut pueris constat, sequitur formaliter: *Non occides*, Ergo nihil occides.

Illud ergo Mandatum cùm dicitur: *Non occides*, ita glosari debet: Non occides quemquam injustè. Ex quo dicitur, quòd dictum Mandatum aliter glosari debet, & exponi, quàm sensus grammaticalis ad litteram docet. Ex quo sequitur correlariè quòd tenere semper sensum litteralem in Scriptura sacra, talem videlicet sensum, qualem ipsa Scriptura, juxta constructionem grammaticalem, repræsentat intellectui, est spiritualiter occidere animam propriam, pro ut sonat octava Assertio. Et ita sequitur quòd illa expositio verbi Apostolici, quæ ibi ponitur, non debet censeri à Fide devia, vel erronea. Quare &c.

Postremo. Nona Assertio, meo videre, non est vera, ita universaliter sumpta, prout colligi potest *Jos.* IX. de juramento Principum filiorum Israël facto Gabaonitis: & ex dictis Beati Augustini, *Primo de Civitate Dei. cap.* XV. de Marco Regulo Romano, in tantùm quòd *fides etiam hosti est servanda.* XXIII. *q.* 1. *Noli.* Et iterùm; juramentum, ubi * aut metu extortum, nihilominùs ligat, ut volunt Jura. Sed ex his non sequitur, quòd Assertio illa sit in Fide erronea: & ratio est; quia dicta Assertio potest in casu verificari, in casu videlicet, quòd tale juramentum, de sui natura, foret inhonestum & illicitum.

Item. Etiam dato quòd esset licitum quando emittitur, & posteà propter aliquem casum fortuitum emergentem redditur illicitum; sicut satis benè contingere posset: tunc certè ex tunc, in ante, ad observantiam juramenti jurans non tenetur. Nam iste est unus modus, quo quis deobligatur à juramento, & etiam

† *Forsan*, quis. * *Locus corruptus.*

* vi.

etiam à voto, ut notant Doctores, super tertio Sententiarum. Et ita sequitur quòd Assertio prædicta non debet Judicio Fidei reprobari. Et hoc cum reverentia, & sub correctione.

XXIV. Deliberatio.

Reverendi Patres & Domini Judices, licèt sapientes discordant, non de facili veritas inveniatur, & cùm super Assertionibus novem prædictis, viri doctissimi, & illuminatissimi diversa, & contraria sentiant, vellem potiùs audire, quàm dicere: obediendo tamen impositioni mihi per vestras Reverentias factæ; dico breviter ad quæstionem quâ quæritur: *Utrum prædicta*, &c. Quòd novem Assertiones prædictæ non veniunt Fidei Judicio reprobandæ, vel condemnandæ, & hoc secundùm intellectum & intentionem ipsas proponentis, & sustinentis, videlicet Domini Episcopi, &c.

Patet dupliciter.

Primò. Quia prima, de qua magis aliqui dubitant, sustineri potest, sub isto intellectu:

Licitum cuilibet subdito, sine quocumque Mandato, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam, sub intentione debiti finis, occidere, vel occidi facere tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & Supremi Domini, pro sibi auferendo suam nobilissimam & altissimam Dominationem: & nedùm licitum, & honorabile & meritorium; maximè quando periculum est in mora, & ille tyrannus est tantæ potentiæ, quòd Justitia, bono modo, non potest fieri per Supremum.

Ista Propositio, sub tali forma, potest probabiliter sustineri, & valet prima Assertio, licèt in eadem prima non ponantur expresè omnes modificationes, quæ in illa quam dedi. Nec oportet ad verificationem Assertionis, tales modificationes in ea expresè poni, cùm in pluribus Assertionibus quas Catholici concedunt, hujusmodi modificationes non exprimantur, ut patet in istis. Licitum est, & meritorium est, indigenti dare eleëmosynam. Ad cujus veritatem requiritur, quod eleëmosyna detur cum recta intentione debiti finis, licèt hoc non ponatur expresè in præmissa Propositione. Similiter: Licitum est & meritorium, maleficos interfici: Licitum est, furem suspendi, &c. & sic de multis aliis, simili modo quo possunt sex Assertiones immediatè primam sequentes sustineri, cum similibus modificationibus, quæ si exprimantur, aut non, non minùs poterunt sustineri.

Octava vero Assertio ad intentionem proponentis est sustinenda: quia ipse intelligit per sensum litteralem, sensum quem verba sacræ Scripturæ faciunt, secundùm primariam ipsorum significationem, aut impositionem: & sic Assertio poterit sustineri, cùm, ut sic, non repugnet Fidei explicitè, aut implicitè; licèt à Theologis sensus litteralis sacræ Scripturæ frequentiùs capiatur pro sensu quem Author sacræ Scripturæ intendit, qui semper verus est. Unde apparet mihi, quòd proponens & opponens, solùm verbaliter pugnant circa veritatem, aut falsitatem hujus octavæ Assertionis.

Sed diceres: Si octava Assertio in uno sensu est erronea & falsa, ipsa venit reprobanda. Respondetur, quòd non; quia aliàs, ista: Deus est ternus, & unus; esset Fidei Judicio reprobanda; cùm potest habere duos sensus: unum capiendo li *Deus*, pro essentia divina, & sic est Catholica: alium, capiendo eumdem terminum pro persona divina; & sic est erronea, cùm nulla persona sit terna, & una.

Nona Assertio potest sustineri, ratione hujus veritatis, quòd juramentum quod in principio est licitum, si post, propter casum noviter emergentem, vergat in deteriorem exitum, non est obligatorium: sed venire contra tale juramentum, non est perjurare; patet, videlicet de juramento heredum: ex quibus patet quòd tales Assertiones non veniunt Fidei Judicio reprobandæ, cùm secundùm earum intellectum & sensum ad quos fiunt, sint probabiles.

A Aliter suaderi potest Propositio ista; videlicet, quòd hujusmodi Assertiones novem, quia ipsæ non sapiunt hæresim manifestè, cùm sint neutræ, & opinabiles, nec Ecclesia adhuc determinavit circa eas, an sint hæreticæ, erroneæ, aut Catholicæ, & veræ: igitur deducendum verum. Ego Frater, &c.

XXV. Deliberatio.

Ego Frater, &c. Requisitus, &c. & juramento astrictus, ut de novem Assertionibus in præsenti cedula contentis, secundùm meam conscientiam responderem, an videlicet essent Fidei Judicio reprobandæ: Dico, quòd in prima Assertione ponitur, quòd *Licitum est*, &c. *sine quocumque Mandato*, &c. Si illa clausula sic intelligatur, & restringatur, quòd sine quocumque actuali Præcepto, vel Mandato temporalis Legislatoris, *licitum est*, &c. prout assertor Conclusionis creditur velle; sic prima Assertio non est Fidei Judicio reprobanda. B

In octava Assertione, de illo textu Apostoli, *Littera occidit*, &c. ubi assertor ponit, quòd *Semper sequi litteralem sensum, est occidere animam.* Si li *sensus litteralis* referatur ad litteram, de qua scribit Apostolus, tunc sensus assertoris est verus, & cum eo concordo. Et sic, sub præfatis modificationibus intelligendo primam & octavam, quantùm ego sentio, non est aliqua novem Assertionum meritò Fidei Catholicæ Judicio reprobanda.

XXVI. Deliberatio.

C Ultra contenta in Cedula porrecta V. R. P. & Dominationibus, pro, & nomine omnium Mendicantium, in Facultate Theologica Doctorum hoc in sacro Concilio Constantiensi existentium, pro deliberatione super novem Assertionibus, quarum prima incipit: *Licitum est*, &c. stando & adhærendo dictæ deliberationi: ampliùs, mihi Fratri, &c. apparet dicendum, nullo modo dictas novem Assertiones Fidei Judicio esse reprobandas: quia omne quod Fidei Judicio est reprobandum, repugnat Articulis Fidei, vel sequentibus eisdem, & hoc non, ut patet, per singulos discurrendo: aut quia repugnat contentis in sacra Scriptura, ut videtur aliquibus, de quatuor primis Assertionibus; sed nulla prædictarum sacræ Scripturæ repugnat. Ergo, &c.

Major non est dubia. Minor declaratur: quia si repugnat sacræ Scripturæ, hoc maximè videtur illi Præcepto, etiam per adversarium: *Non occides*, quod non facit, sicut declaro per quinque Propositiones. D

Propositio Prima.

Nihil prohibetur quocumque Præcepto Decalogi, nec ei repugnat, nisi secundùm quod habet rationem indebiti: secundùm enim hoc, dicuntur indispensabilia; quia continent ipsam conservationem boni communis, vel ordinem Justitiæ, & virtutis: & hæc est quidem intentio Dei, optimi Legislatoris; secundùm quam rationem & intentionem sunt in-

intelligenda hujusmodi Præcepta Decalogi, ut dicit sanctus Thomas, & Alexander de Halis, & Dominus Bonaventura, in suo II.

Propositio Secunda.

Illo Præcepto, *Non occides*, non absolutè, & simpliciter prohibetur interfectio hominis, & secundùm quod hujusmodi occisio habet rationem indebiti; alioquin non diceret Scriptura: *Maleficos non patieris vivere*, Exod. XXVII. 18.

Propositio Tertia.

Nulla hominis occisio, secundùm quod sic facta, habens probabiliter rationem indebiti, dicto Præcepto contrariatur.

Propositio Quarta.

Currente necessitate inevitabili, quâ alicujus mors injustè infligitur per alium, nisi illum occidat; plùs tenetur vitæ suæ, quàm alterius providere, habet enim hoc rationem indebiti: & ad hoc sunt Doctores, maximè Alexander de Halis, in suo secundo, ad longum tractans istam materiam. Dominus Bonaventura. Joannes Lector, in *Summa Confessorum*.

Propositio Quinta.

Occurrente necessitate consimili, quia Regi suo mors injustè per alium infligenda paratur, nisi fidelis vassallus ejus invasioni occurrat; plùs tenetur vitæ Principis, quàm vitæ invasoris providere: habet enim hoc rationem debiti; cùm bonum publicum, privato; & vita Principis innocentis, vitæ præsidi* invasoris debeat anteponi; undè dicit Scriptura: *Erue eum, qui ducitur ad mortem.* Prov. XXIV. 11.

Ex quibus intentum: quòd scilicet principalis, & prima novem Assertionum, imò & tres sequentes non contrariantur dicto Præcepto, *Non occides*, nec sibi repugnant: claudunt enim in se prædictam necessitatem, & sic habent rationem debiti. Ergo propositum. Et sic videtur, quòd illæ novem Assertiones nullo Decreto sanctæ Sedis Apostolicæ, vel authoritate Generalis Concilii sessionaliter debent reprobari. Et attendatur, si placeat, quòd inevitabilior est casus, per fraudem, sortilegia, & malum ingenium, quàm per gladium evaginatum; quoniam non possunt evitari sortilegia per fugam, nec per oppositionem ferri, vel baculi, aut alicujus quod posset excipere ictum gladii.

Item. Bocatius, in Libro, *de Casu Illustrium Virorum*, narrat de quodam, qui per malum ingenium reddebat se invisibilem, & interfecit plures Potentes; nec præcavebatur, quia non videbatur. Et sic apparet quòd fraus, sortilegia, & malum ingenium, includunt casum inevitalilis necessitatis periculosiorem, quàm sit ictus gladiatoris. Ideò est eis licentiùs occurrendum, præve- D niendo utentes talibus, morte, ubi non potest Supremus, bono modo, facere Justitiam.

Item. Notetur secundùm Hugutium, & Summam Britonis, & Catholicon: *Machinari, dicitur à machina, quæ est omnis artificiosa operatio; unde & sagitta dicitur.* Et sequitur ibidem: *Machinari, est machinans facere, construere, vel cogitare malum, vel astutè insidiari.* Ideò machinatio est valdè cavenda, quia occulta: & licèt fuerit diù præcogitata; tamen celeriter operatur.

Item. Notetur, quòd contraria agunt contra se, à tota specie, secundùm Philosophum. Cùm ergo, secundùm Doctores prææallegatos, salus corporalis fit, quia condiuntur omnia membra, vel servantur; sic illud, quod est contra salutem totalem, est quo corrumpuntur omnia membra, & destruuntur, per locum à contrariis.

Notetur insuper, quòd si per Supremum non possit, bono modo, fieri Justitia de tali, sequitur quòd simpliciter non potest fieri per eum, de illo. Tùm quia Maxima est apud Doctorem subtilem, quòd in cujus potestate est agere, vel non agere, A in cujus* potestate est modus agendi, in talibus quæ cadunt sub libero arbitrio. Tùm quia Justitia est virtus, præsupponens integritatem circumstantiarum: secundùm Philosophum, *in Ethicis*

* *Forsan* prædicti.

* *Forsan* hujus.

XXVII. Deliberatio.

Ego, &c. Super facto Fidei requisitus, ut perhibeam testimonium veritati, super quæstione supra scripta novem Assertiones præcedentes tangente: protestor primò, quòd in dicendis, nollem in aliquo derogare alicui juramento per me Parisiis, vel B alibi licitè præstito; sed manere in eodem, secundùm verba, modum, & intentionem juramenti; quantùm, secundùm Deum, & rationem possibile esset, & cum omni submissione ad determinationem Ecclesiæ, seu Generalis Concilii in juramento expressa, vel intellecta. Ubi autem illicitè & minùs cautè aliquid jurassem, vellem cum omni mentis humilitate pœnitere, & confiteri.

Protestor insuper, quòd in dicendis per me, super facto prædictarum novem Assertionum, nihil intendo pertinaciter asserere: sed quidquid dixero, submitto me omnimodæ emendationi, & determinationi Ecclesiæ, seu sacrosanctæ Constantiensis, vel alterius Generalis Concilii. His habitis protestationibus, dico, sine assertione temeraria, quæ sequuntur.

Prima Assertio favere videtur communi Reipublicæ bono, & viam claudere tyrannidi: quare favorabiliter, & in meliorem sensum interpretanda C videtur. Sex aliæ dependent ex ipsa. Octava verò videtur intelligenda per sensum litteralem, sensum* illum qui ex prima, & propria verborum significatione, & non . . . . . accipitur: falsa tamen esset, loquendo de sensu litterali metaphysico; vel illo quem Spiritus sanctus, qui Auctor est Scripturæ, intellexit. Nona inniti videtur huic Maximæ, quòd juramentum illicitè præstitum, & in præjudicium sui, vel proximi, non est tenendum: debet tamen qui sic juravit, seu promisit, de juramento sic incautè, vel illicitè, pœnitere, & confiteri.

Omnibus hinc inde consideratis & inspectis, cum submissione & correctione prædictis, sic delibero, quòd præfatæ novem Assertiones, pro nunc, mihi videntur potiùs subticendæ, quàm Fidei Judicio reprobandæ.

* *Locus corruptus.*

XXVIII. Deliberatio.

Ad supra scriptum dubium, quo quæritur: Num supra dictæ novem Assertiones Fidei Judicio sunt reprobandæ: non variando à responsione cum ceteris Magistris Ordinum generaliter facta, neque transcendendo de genere in genus, si sunt veræ, aut non veræ; sive etiam falsæ, quod vicinum est, secundùm Philosophum. II. *Posteriorum*: ad propositum respondens.

Ego Frater, &c. Sacræ Theologiæ Professor; prævia semper determinatione Ecclesiæ: dico quòd non;

non: & hoc ex fundamento, & doctrina sancti Doctoris, Thomæ de Aquino, *Parte prima, quæst.* XXXII. *Art.* IV. dicendo, quòd quando circa illa quæ etiam ex Scripturis sacris sequuntur sunt opiniones diversæ Doctorum; ad ea credenda nemo obligatur, quoad usque per Ecclesiam præcipiantur, aut ordinentur credenda. Undè in primitiva Ecclesia multæ erant opiniones Doctorum sustentabiles, & sine præjudicio Fidei, quas hodiè hæreticum esset opinabiles, aut veras asserere, cùm oppositum existat per Ecclesiam diffinitum: quemadmodùm apparet; de processione Spiritus sancti, de Baptismatis forma, de visione animarum separatarum, de paupertate Christi, & similium.

Ex quo fundamento sequitur, quòd omnes Assertiones ex Scriptura sacra opinabiles, de quibus sunt diversæ Doctorum opiniones, sunt materiæ Fidei impertinentes: ut gratiâ exempli; de obversatione Legalium, *Ad Galat.* II. De qua Hieronymus, & Augustinus contraria scribunt: uno opinante, in talium observatione Petrum peccasse, scilicet Augustino: alio verò, scilicet Hieronymo, Petrum non peccasse. Similiter de occisione facta Ægyptii per Moysem. *Exod.* II. Ambrosius, & Augustinus opposita sentiunt. Nam unus actum commendat, ut Ambrosius, in Libro, *De Officiis*; alter verò actum culpat, ut Augustinus, in *De Quæstionibus Exod.*

Ex his, per locum à majori, correlariè sequi videtur, quòd cùm circa novem Assertiones præfatas diversa Doctores & opposita sentiant, nec per Ecclesiam, aut sacrum Concilium* sit tenendum, sit adhuc determinatum, quòd ipsæ Assertiones prædictæ ad materiam Fidei minimè trahi debent; ac per hoc Domini Judices deputati in causa Fidei per sacrum Constantiense Concilium, illas Assertiones reprobare eorum Judicio, aut approbare nullatenùs habent; propter hoc enim Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, &, pari ratione Judicibus quibuscumque in causa Fidei deputatis etiam † ponitur, ut de illis tantummodò quæ hæresim saperent manifestè se intromittere debeant, ut §. *sanè.* C. *Cum contumacia. de hæres. Lib.* VI. Hæc ex vi juramenti, quæ sentio, propria manu scripsi.

* *Forsan est legendum* quid sit tenendum. † *Legendum forsan* deputatis imponitur.

XXIX. Deliberatio.

Ad quæstionem quâ quæritur: Utrum novem Assertiones supra nominatæ, sint Judicio Fidei reprobandæ; dicitur quòd non, conformiter ad cedulam per Universitatem quatuor Ordinum Mendicantium V. R. D. præsentatam. Et quia sum Capellanus Serenissimi, &c. cum protestatione, ut præfata cedula Ordinum Mendicantium, &c. addo infra scripta.

Dominus Bartoldus de Saxo ferrato, in Extravaganti Domini Imperatoris Henrici VII. proavi dicti Serenissimi Domini mei Regis Sigismundi, quæ incipit; *Quoniam nuper*, super verbo, *tenore*, de rebellibus Imperatorum, & Regum, tàm publicis, quàm occultis, inquit, „De pœna horum rebellium dicendum est, quòd quædam infliguntur ipso Jure, „quia perdunt omnia quæ Juris civilis sunt, ut in „dicta L. *admissione de Cap. divi.* Alia pœna potest infligi à quolibet homine; nam potest impunè occidi: ut ff. *ad L. Cornel. de sicariis*, in §. *de* „*fi. de re mili. L. Proditores.* Possunt etiam captivi „detineri ut servi, ut ff. *de acqui. re. do. L. transfugam.* Et infra, super eodem verbo, dicit circa secundum §. *de pœna*, quæ potest infligi à quolibet homine. Quæritur an cùm quis est rebellis „occultè, liceat occidere: dic quod sic. Nam ipso „facto ipsam pœnam incurrit, in quo proceditur de „homicidio, liquidabitur hoc, an fuerit rebellis. ff. „*de oppe. non mincia.* ff. L. *de pupillo.* §. *Si quis ri-* „*vos* versi totiens. „ †

Item. Dominus Ramicus De Fortuno, *Juris civilis Monarchia*, in repetitione Legis: *Omnes populi*, sic dicit: „Deindè quæro, an valeat Statutum, quòd „bannitus possit occidi impunè. Et dic quòd sic: „quia non statuit contrarium Jure divino, ut dixi „per dictam L. *primam*, & II. *Quando liceat vim*, &c. „& L. III. §. c. *ad L. Cornel. de sicariis.* Et dicunt „quidam, quòd est casus duarum Legum simul conjunctarum. Nam iste bannitus videtur rebellis, & „transfuga suæ civitatis, ut L. *Amissione.* §. I. *de* „*capi. di.* Sed talis potest impunè occidi authoritate Legis communis, ut dicta L. in §. *de sicariis.* Ergo & iste bannitus authoritate Statuti, ex „prædictis. Ergo videtur quòd ipsa prima Assertio, cum sex aliis quasi ex ipsa sequentibus sit vera, vel saltem quòd non sit Judicio Fidei reprobanda.

Item. Theologicè idem deducitur, videlicet quòd non sint ipsæ Assertiones Judicio Fidei reprobandæ, &c. ex opinionibus aliquibus sanctorum Doctorum. Nam satis rationibus id deductum est in cedula, ut supra, ad quam me refero. Nam pariter sentiunt Augustinus, Hieronymus de Petro, circa Legalium observationem, de qua à Paulo fuit repræhensus, ut habetur ad *thr.* * II. C. Super quo verbo Magister adducit, pro una parte, Augustinum dicentem: Petrum servasse illa Legalia verè, & sic reprehensio vera, & non dispensatoria: sed pro alia parte adducit Hieronymum dicentem, Petrum non ideò servasse illa Legalia quòd ea vellet post Christum servare; sed invitum fecisse, & dispensatoriè simulasse, ne Judæos amitteret, nec in hoc peccabat, nec fuit reprehensio vera, quia in eo nihil reprehensibile erat.

Idem Beatus Ambrosius rectè ad propositum, in Libro, *De Officiis*, inquit: *Non in inferenda, sed in depellenda injuria Lex virtutis est: qui enim non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille qui facit; undè sanctus Moyses hinc priùs orsus est tentamenta imbecillis fortitudinis repellere: nam cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio accipientem injuriam, deffendit, ita ut Ægytium prosterneret atque in arena absconderet.*

In contrarium est Beatus Augustinus, ad Publicolam: *Non mihi enim placet consilium, nisi fortè sit miles; aut publica functione, & non pro se hoc faciat, sed pro aliis, accepta legitima potestate.* Et contra Faustum, reprobat actum Moysi, de interfectione Ægyptiaci.

Ex præfatis igitur opinionibus sanctorum Doctorum, Petrus fuit reprehensibilis, & non reprehensibilis; & homicidium licitum, & non licitum: & nunc, secundùm quosdam, ipsæ novem Assertiones sunt reprobandæ Judicio Fidei: secundùm verò cedulam quatuor Ordinum Mendicantium, in qua me propria manu subscripsi, dicitur quòd non. Et ita dico, in præsenti, nisi sanctorum Doctorum dicta reprobentur. Et hæc sunt quæ sentio, juxta judicium meæ conscientiæ. Ego Frater, &c. de prædictis novem Assertionibus, in quorum, &c.

† *Locus corruptus.* * *Forsan* ad Galat.

XXX. Deliberatio.

Ego N. &c. Sub humili submissione, & benigna correctione Apostolicæ Sedis, & sacri Constantiensis Concilii, & Reverendissimorum Patrum, & Dominorum in causa Fidei Judicum, & Commissariorum, in testimonium veritatis requisitus dico, &, per juramentum, quod mihi videtur affirmo, quòd nulla novem Assertionum, sive Propositionum

in

in quadam cedula, per præfatos R. P. & D. mihi tradita, est Fidei Judicio reprobanda, seu condemnanda.

Pro cujus declaratione est advertendum, quòd, prout trahitur ex dictis Articulis, in Lib. *Ethicorum*, & *Politicorum*; propriè tyrannus est quicumque Reipublicæ oppressor, & potentatu Regali, seu monarchico despoticè abutitur, ac in Regno, seu Monarchia vim infert, potentior existens; sive habeat, vel usurpet titulum, seu denominationem monarchici Principatus, sive non. Et tyrannis, est propriè Monarchiæ despotica Regnique trangressio, & Principatus incorrigibilis, propter bonum principantis, non propter bonum subditorum.

Et prout distinguit ipsemet Aristoteles, VIII. *Ethicorum*, & V. *Politicæ*. Tyrannorum propriè dictorum, alius est Dominus naturalis, ex Rege in tyrannum conversus, de quo nulla novem Assertionum loquitur. Alius verò est hostis tyrannus, de quo in proposito: cui ex ratione ipsius, actuumque, & effectuum tyrannicorum oppressivorum populi, convenit, & in eo quòd tyrannus, notorietas tyrannidis, ac excluso recursu ad Superiorem vim infert, potentior existens. Tali enim tyranno convenit tyranno * extremi periculi aufferendi vitam & Dominium à naturali Principe, in cujus Monarchia hostis ille invasor tyrannisat.

Hanc distinctionem de hoste tyranno, & naturali Domino habemus in sacra Scriptura. Dicit enim sanctus Thomas, in Libro suo, *De Regimine Principum*. Quòd Ajoth qui interfecit Eglon, magis judicandus est hostem interemisse, quàm populi Rectorem, licet tyrannum: unde refert inter hostem, tyrannum; & Dominum naturalem in tyrannidem conversum. Sanctus Thomas enim, in Libro suo, *De Regimine Principum*, licèt videatur dissuadere interfectionem tyranni, qui est Monarcha & Dominus naturalis: tùm quia si insurgentes non queant prævalere, ille plùs provocatus magis deseviet: tùm quia dissidiæ, divisionesque in populo majores indè proveniunt: tùm quia Monarchiam pejorem, ac in tyrannidem cautiorem contingit interdùm institui; ut de quodam Dionysio pessimo narrat idem sanctus Thomas. Verumtamen secùs dicendum esse innuit de hoste tyranno, & non Principe naturali: clandestinam enim interfectionem Eglon Regis Moab sic salvare nititur: & de Domino naturali, inquit: *Non est facile ut Principes, scilicet Monarchæ, & Domini naturales perturbent Dominium, quod tanto consensu populus amat.*

Ista distinctione posita; probatur quòd nulla novem dictarum Assertionum, vel Propositionum, sit Fidei Judicio reprobanda, ut dantur in cedula, quia quælibet istarum Propositionum datur inde simpliciter, & sine aliqua relatione, vel respectu ad aliquem assertorem, vel dogmatisantem, aut ad aliquod scandalum ex his ortum. Ergo non videntur Fidei Judicio reprobandæ, supposito adhuc quòd sint falsæ, seu erroneæ, cujus oppositum credo esse verum. Antecedens patet intuenti cedulam. Consequentia patet; quia Judicium Fidei, reprobando aliquas Propositiones, fit ad certos fines; & specialiter ad Fidei conservationem, ad errorum extirpationem, ad errantium correctionem, & ad removendum scandalum: modò si Fides non impugnetur per aliquem, si nullus erraverit circa tales Propositiones, nec eas asseruerit, aut etiam dogmatisaverit, aut de iis sit ortum scandalum; non videtur ad quid Fidei Judicio deberent reprobari, seu condemnari: supposito adhuc, quòd essent falsæ, aut erroneæ. Undè si aliquis ex malitia sua, vel phantasia, fabricaret centum Propositiones contrarias veritatibus Catholicis contentis in sacra Scriptura, vel eas

* *Locus corruptus.*

daret Judicibus Fidei, undè simpliciter, & sine quocumque relatore aut respectu &c. Non propter hoc solum videntur Judicio Fidei reprobandæ.

Secunda scilicet prædictarum novem Assertionum, secundùm verum ejus intellectum, & totalem significationem, non adversatur, nec objicitur alicui veritati Catholicæ, aut contrariatur divino Præcepto, nec continet aliquod dogma falsum Fidei Orthodoxæ contrarium: ergo nulla ipsarum videtur Fidei Judicio reprobanda, & non aliæ. Antecedens patet, discurrendo per singula genera veritatum Catholicarum, quæ ponit Olram *, in suo Dialogo, & quæ ponunt alii solemnes Doctores.

A

Nec aliqua earum contrariatur alicui divino Præcepto. Patet primò. Nam prima Propositio: *Licitum est* &c. non contrariatur isti Præcepto, *Non occides*, quod intelligitur, secundùm Doctores, *livore vindictæ*, & *propria authoritate*. Et videtur, quòd in casu prædictæ Propositionis, qui talem tyrannum occidit, non occidit propria authoritate: omnis enim Lex quæ aliquod bonum præcipit; eadem ratione & authoritate, prohibet malum sibi oppositum. Lex autem naturalis, Lex icvilis, Lex divina præcipiunt bonum commune servari, & Regem coli, in quantum bonum commune in ipso salvatur. Igitur tollere manifestè turbantem pacem Reipublicæ, vel in ipsum bonum publicum, vel in Principem insurgentem, est licitum cuilibet.

B

Item. Si aliquis subditus Regis, vel aliqua Communitas videret inimicum Regni, manu invasiva intrare Regnum, sibi liceret, etiam inconsulto Rege, vel nullo alio Præcepto expectato, dejicere hostem Regis. Et quantò magis tyrannum tam execrabilem sicut in casu Propositionis datur? Et isto modo interficere inimicum, aut tyrannum, non est interficere propria authoritate; sed magis authoritate per Leges, naturalem, civilem & divinam concessa.

Item. Occisio hominis, non est contra illud Præceptum, *Non occides* &c. quando fit privato consilio, & occulta inspiratione Spiritus sancti. Sic excusatur Samson, qui se ipsum cum hostibus occidit. Sic etiam aliquibus excusatur Jephte, qui revertens de victoria, filiam occurrentem occidit. Undè qui zelo sanctæ affectionis pro salute Reipublicæ certant, illos Spiritus sanctus secreta inspiratione authorisat: & specialiter in casu prædictæ Propositionis, videlicet ubi Justitia remedium adhibere non potest.

C

Et quòd talis non habeat intentionem occidendi, sed intendat Reipublicæ liberationem, sic faciendo, nedùm meretur; imò magnificandus, & laudandus est; non in eo quòd tyrannum occidit, sed ex eo, quòd sancta affectione motus, Rempublicam liberavit. Exemplum de Judith & de multis aliis.

Per ista possumus videre quomodò Spiritus sanctus se familiariter jungit bonæ dispositioni Reipublicæ, & quomodò illos specialiter authorisat, qui sincera affectione ipsam nituntur conservare. Unde in tanta Principis & populi necessitate, sicut continet hæc Assertio, vel Propositio: *Licitum* &c. Deus aliquando monet interiùs, & docet, quòd aliquis de populo conterat tyranni hostilem violentiam, instrumentum divinæ ultionis se gerat, & tyrannum illum, quem non potest Justitia publica reprimere, hic executor divinæ voluntatis, cautelis convenientibus, de medio tollat: ut de Eglon, Sisara, Holoferne, & aliis pluribus factum fuisse in sacris, & aliis Litteris reperitur. Ergo quaodocumque contigerit tyrannum hujusmodi, cautelis similibus occubuisse, temerarium esse videtur, à tali actu divinam dispensationem leviter excludendo, ad inobedientiam Mandatorum, vel sinistram, actum illum referre.

D

* *Forsan* Ockam.

Item.

Item. Occisio hominis, ut dicit sanctus Thomas, non prohibetur in Decalogo, nisi quia habet rationem indebiti: sic enim Præceptum continet rationem. Ergo non contrariatur Præcepto, si quis se ipsum, vel Principem suum innocentem, in mortis similis periculo, alioque inevitabili constitutum ita deffendat, seu deffendi faciat ab invadente tyranno, ut vitam propriam, vel sui Principis, aut Reipublicæ salutem, vitæ illius hostis anteponat.

A Consequentia probatur, quia sic facere non videtur habere rationem illiciti. Tùm primò, quia consonat instinctui naturæ Jure sibi indito, intento ad sui conservationem. Tùm secundò, quia videtur consonare Legibus, & ordini charitatis, quo vita temporalis propria alienæ temporali vitæ dilectione, & conservatione præferenda est, salvo tamen semper debito moderamine inculpatæ tutelæ; ne ex improportione talis actus deffensivi ad finem conservationis intenti, actus ipse reddatur illicitus. Tertiò, quia id ipsum videtur consonare Scripturæ sacræ, ac dictis authoritatibus solemnium Doctorum utriusque Juris, divini, & humani, determinantium hujusmodi difficultatem prædicti casus necessariæ deffensionis suimet, vel alterius.

Item. Constat quòd publicis Potestatibus malorum punitio pertinet. Sed dùm ipsa Potestas publica & juridica, per hostis violentiam quasi suffocata tenetur, ad naturalis Principis interitum, & Reipublicæ desolationem; tunc malitia talis tyranni per fideles subditos videtur eo ipso perimenda, ut Princeps, Respublica, ac ipse Dei populus non pereant. Idcircò Nicolaus de Lyra, *De interfectione Sisaræ*, sic dicit: „Dicendum, quòd Jahel in hoc rem licitam „& meritoriam fecit; sciebat enim, quòd ipse Si„sara erat maximè oppressor fidelis populi: & ideò „sicut membrum illius Communitatis, quæsivit titu„lum interficiendi eum.„ Et Salisberiensis *Policratici Lib.* VIII. Unius hostis humani generis indicatus est*, inquit, hæc destructio tyranni hostilis, scilicet quia explicatur res quæ latet sub nomine, ideò concludit: sicut damnatum hostem licet occidere; sic tyrannum.

Et patet, quòd non oportet tyrannum aliter convinci; caret enim in eo, quòd tyrannus convincente impedita Justitia †, & potentior existens, expressa insuper notorietas satis convincit.

Ulteriùs apparet, quòd evidens & notoria est diversitas & discrepantia. Primò & ex intentione contrarietas illius Propositionis condemnatæ: *Quilibet tyrannus*, &c. & ab ipsa Assertione: *Licitum*, &c. Et ab aliis sequentibus. Prima namque, expresso respectu & relatione tyranni ad suum vassallum, vel subditum, non nisi de naturali Monarcha, vel Principe ex Rege in tyrannum converso intelligi potest: ista verò *Licitum*, &c. & aliæ illi innitentes, de solo hoste tyranno loquuntur, & superiùs visa est diversitas istorum tyrannorum. Prima scilicet.

Insuper illa: *Quilibet tyrannus*, &c. nullam necessitatem includit. Ista: *Licitum*, &c. nec ex aliqua aliarum, nec ex omnibus, ut clarè patet intelligenti.

Videtur insuper, quòd omnis tyrannus propriè dictus, sit notoriè talis: consurgit enim denominatio tyrannica à frequentatis & perseveratis actibus. Quia ex indebita exactione semel facta, non sortitur quis denominationem tyrannicam; sed ex frequentata oppressione subditorum procedente à tyranno, persona non incognita, sed superioris status, & eminentiæ. Et sic patet notorietas tyrannidis, quæ prætereà notoria est in hoc, quod incorrigibilitatem compræhendit: incorrigibilitas verò monitiones sapientum, & querelas subditorum præsupponit, quantùm divulgatio perversos actus tyrannidis judicat. Et ergo palam est tyrannum, in eo quod tyrannus est, notorium esse. Ideò Sarisberiensis, in tertio Libro, *sui Policratici*, in fine. „Tyrannis, „inquit, non modo publicum crimen est, sed si „fieri potest, plusquàm publicum esset.„ Et idem *Lib.* VI. „In omni gente & populo, dicit, mani„festa est nequitia tyrannorum, & istam nequitiam „satis manifestat multiplicitas effectuum tyrannico„rum.„

Ex quibus sequitur, quòd tyrannus propriè dictus, est notoriè incorrigibilis. Sequitur etiam quòd notorium est, conquerentem de tyranno, non posse habere recursum ad Superiorem: est enim ut Monarcha, Superiore carens qui illum valeat castigare, vim quippè infert potentior existens. Sequitur etiam, quòd perseverantia tyrannidem notoriè concomitatur: quia, ut dictum est, non solus actus, sed pluralitas & frequentia actuum, ac incorrigibilitas, tyrannum demoninant.

Ex quibus omnibus infertur, quòd hæc Assertio: *Licitum est*, &c. non est Fidei Judicio reprobanda, seu condemnanda. Similibus rationibus patet quòd aliæ ex ista sequentes, & facientes mentionem de tyranno, in simili casu, non sunt Judicio Fidei reprobandæ, seu condemnandæ.

B Penultima Assertio: *Littera occidit*, &c. intelligitur de sensu litterali, quem littera primò facit ex grammaticali vocum significatione; & non est sensus quem Auctor litteræ primò intendit. Et hanc distinctionem de sensu litterali recipiunt, & illâ utuntur Doctores, & Sancti. Unde Gregorius, super Ezechielem, dicit: *Si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus*. Et sic capit ibi sensum litteralem, quem scilicet littera de se grammaticaliter exprimit.

Ultima Assertio, seu Propositio, non dissuadet observantiam juramenti, vel confœderationis, aut alligantiæ; nisi quantùm ad ea, in quibus divina Lex & Charitatis ordo per se obligat, scilicet quantùm ad ea, ad quorum observationem, ex divino Præcepto, & naturali Lege, & ordine Charitatis, priusquàm juramentum fieret, vel confœderatio, sibi & suis tenebatur; & est vita propria, uxoris, & liberorum conservatio, vel educatio: quæ cùm C cadant sub Præcepto, illud Dei Præceptum juramentum non dissolvit, vel confœderatio, quæ etiam, dùm sic, attenditur, ut constat, ad bonum proprium, non ad nocumentum ordinari.

Item. Sibi, vel alteri præjudicare, videtur habere rationem illiciti; nec potest fieri præjudicium, ut videtur, sine culpa mortali, aut veniali: juramentum autem non est vinculum iniquitatis. Ergo, &c.

Item. Promissio non est servanda, quæ absque scelere adimpleri non potest: cujusmodi est, rumpere Charitatis ordinem ad se, uxorem, liberos, & proximum, eisdem præjudicium inferendo, ut continet Assertio. Unde videtur, quòd tales confœderationes, de quibus loquitur hæc ultima Assertio, non obligant, in præjudicium divini Præcepti, & debiti ordinis Charitatis. Nullus enim sanæ mentis diceret, quòd confœderatio cum tyranno hoste habita, retraheret à deffensione proprii Principis, & Domini naturalis.

D Item. Raymundus, *in Summa sua*, in C. *De perjurio*, dicit: „Quòd non intelligitur perjurare, „qui ex licita causa deserit juramentum. Verbi gra„tiâ: Promisimus & firmavimus nobis invicem pa„cem; & fidem fregisti mihi: non teneor posteà „servare tibi. Si dicatur: hosti etiam servanda est „fides promissa, intelligitur, cùm ipse servat Fi„dem.

* *Locus corruptus.* † *Locus corruptus.*

Item. „Si jurans, vel recipiens juramentum, dolum adhibet; semper debet referri juramentum ad „intentionem illius qui non adhibet dolum, vel artem.„ Hæc Raymundus.

Propter ista, & propter multas rationes tactas per Reverendum Patrem, Dominum Episcopum Attrebatensem, aliàs in loco Sessionis: propter etiam multas authoritates sacræ Scripturæ, Philosophorum, & Doctorum utriusque Juris, tàm divini, quàm humani; videtur mihi, quòd nulla prædictarum novem Assertionum est Fidei Judicio reprobanda.

Ista dico, nihil temerariè asserendo; sed me humiliter submittendo correctioni, atque determinationi sanctæ Sedis Apostolicæ, & sacri Constantiensis Concilii, ac etiam Reverendissimorum Patrum, & Dominorum, in causa Fidei Judicum & Commissariorum: in cujus rei testimonium, huic præsenti cedulæ nomen meum, propria manu, subscripsi. Anno Domini 1415. secunda die Decembris.

XXXI. Deliberatio.

In Nomine Domini. Amen.

Ego, &c. Magister in Theologia indignus, circa dictas novem Assertiones mihi traditas per Dominos Judices, submittens dicenda inferiùs determinationi sanctæ Sedis Apostolicæ, sacri Constantiensis Concilii Generalis, nec non Dominorum Judicum per sacrum dictum Concilium ordinatorum in Fidei materia, ad quorum testimonium & Judicium, ex injuncto spectat Officio, præsentem materiam authoritate diffinire.

Præmitto unam suppositionem, quòd propter inferiùs dicenda, non dico, nec dicere intendo, quòd in quocumque Regno sit, vel fuerit talis tyrannus, qualis in Assertionibus describitur: quo non obstante; videndum est tamen, an dictæ Assertiones sic circumstantionatæ, sint Fidei Judicio reprobandæ, vel non. Quia non obstantibus quòd nullus sit latro; omnis tamen latro est suspendendus, omnis bonus præmiandus, omnis laborans in vinea remunerandus, & sic de similibus. Quâ præmissâ, sit ista prima Propositio, quòd nulla dictarum Assertionum est Judicio Fidei reprobanda, seu condemnanda.

Pro cujus declaratione est advertendum, quòd, secundùm quosdam, nulla est Propositio ita distans à Fide, si in ea ponantur isti termini: *licitum*, *meritorium*, quin eo facto veniat ad Fidei Judicium, vel ad Fidem perveniat: sed patet, hoc esse falsum, clarè. Nam licitum est mihi fricare barbam, levare festucam; vel etiam meritorium mihi hunc laborem pro alio sustinere, ut laborando in vineis, & sic de innumeris aliis. Quis tamen ausus esset dicere, dictas Propositiones ad Fidei Judicium pertinere, nisi penitùs Fidei nostræ ignarus?

Ideò sicut in multa differentia reperiuntur actus indifferentes; ita multipliciter dicitur meritum, seu etiam licitum. Nam meritum dicitur illud omne quod est dispositivum, ut pro illo detur aliquod præmium. Et hoc dupliciter: vel præmium temporaliter, vel æternum. Præmium, puta temporale, non spectat ad Fidei Judicium tanquàm approbandum, vel reprobandum; sed potiùs ad Legem moralem, politicam, & civilem: & clarum est, quòd dictæ Assertiones de isto merito & præmio loquuntur, ut patet in sexta Assertione, ubi habetur, quòd *Rex debet præmiare illum qui dictum tyrannum interficit, in tribus, scilicet in amore, honore, & divitiis.* Quare ex illo capite minimè concluditur, dictas Assertiones ad Fidei Judicium pertinere.

De quodam * notantum est, quòd tyrannorum, quidam est tyrannus hostis; & alius est tyrannus, qui est Monarcha, vel Dominus naturalis. Hæc divisio est Aristotelis, VIII. *Ethicorum*, dicentis: *Transgreditur*, inquit, *Rex ex Regno in tyrannidem: malus autem Rex tyrannus fit.* Et V. Politicæ: *Si per fraudem principatur aliquis, vel per violentiam, hic videtur tyrannus esse.*

Hanc distinctionem recipit veritas, & usus communis; quam etiam expressè ponit sanctus Thomas, Libro primo suo, *De Regimine Principum.* Et mul-
A tùm refert inter hostem tyrannum, & Dominum naturalem in tyrannidem conversum; quod prolixè deducit Doctor sanctus, in discursu Libri sui, *De Regimine Principum.*

Et inde multiplex potest elici differentia inter Propositionem nuper damnatam per hoc sacrum Concilium: *Quilibet tyrannus*, &c. *potest & debet licitè*, &c. & Assertiones denunciatas: *Licitum est*, &c. cum aliis dependentibus. Prima ab istis ita differt. Primò. Sicut tyrannus hostilis usurpator Reipublicæ, est tyrannus, cui inest titulus Domini; inter quos tyrannos Gregorius, Thomas, Sarisberiensis, & omnis sapiens, qui de tyrannis loquutus est, prudenter distinguit. Prima, de naturali Principe loquitur: Assertiones verò habent de hoste tyranno. Prima, applausu seditioso convenit ut quivis subditus Dominum suum interimat: Assertiones verò vi-
B tam Principis naturalis conservant. Et plures aliæ possent assignari: sed istæ sufficiant.

Ex istis patet, quòd Assertiones denunciatæ, universalem illam non includunt, nec ex ipsis ipsa sequitur.

Sanctus Thomas, in decursu Libri sui, *De Regimine Principum*, dissuadet interfectionem illius qui Monarcha est, seu Dominus naturalis; & hoc est pro universali damnata Propositione. Idem tamen, in prædicto Libro, de tyrannis hostibus sic concludit: *Fortassis autem*, inquit, *nec fidelitati contrarium reputabitur, secundùm multorum opinionem, si tyrannicæ nequitiæ qualitercumque obvietur.* Et rursùm II. *Sentent. Distinct. ult.* quòd Thomas dicit sic: *Quando*, inquit, *aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali invasore Judicium fieri potest; tunc enim qui ad liberationem Patriæ talem tyrannum occi-
C dit, laudatur, & præmium accipit.*

Item. Arguitur sic: Frequenter notorium est, unum Regem, cum sua adhærentia, aliud Dominium multis, & variis oppressionibus, ut puta per bonorum temporalium deprædationes, domorum combustiones, hominum occisiones*: hoc enim approbat, & dicit sibi licere; & dicit, hoc meritoriè facere, pro sui Dominii acquisitione. Alter verò Dominus cum sua adhærentia, sibi resistentibus, similia facit: quis tamen auderet dicere, alterum istorum esse damnandum tanquàm hæreticum? Super hoc advertant Domini Judices.

Item. Ille qui pridiè Sacerdotem quemdam in hac civitate interfecit, quantumcumque, causas frivolas confingendo, factum illud approbaret; nihilominùs etsi esset criminis reus, non tamen est reus hæresis. Unde si interrogetur, cur occidisti illum? Et ipse respondeat, quòd licèt sibi impunè hominem interficere: tunc quidem est reus hæresis, additâ
D pertinaciâ. Sed si diceret. Istum interfeci, quia justam causam, vel occasionem habui, quam non dicam vobis: Vel dicat: Justè ipsum interfeci, quia me primùm occidere voluit; quia, Deo Jubente, per revelationem hoc feci. Vel quia justus Judex eram, & quia ille ordinariè condemnatus fuit: siquidem ista dicat, & per omnia expressè mentiatur; licèt peccata, & dolos multiplicet, talia fingendo: ipse tamen nullatenùs in Fide errat. Et sic patet ex-

* *Forsan* Ad quod.

* *Hic desideratur aliquod verbum.*

expressius defectus notorius aliquorum; quibus si crederetur, oporteret Judicia criminalia & civilia cessare, & omnia ad Fidem resolvi.

Item. Arguitur sic: si dictæ Assertiones essent Fidei Judicio reprobandæ; hoc esset, quia sunt contra Articulos Fidei, vel aliquem illorum, vel Scripturam sacram, vel contenta in ea, vel contra determinationem Concilii Generalis: hæc videtur sufficiens divisio. Sed nullum istorum post dici: Ergo &c. Minor probatur: quia si detur aliquod illorum, maximè dabitur secundum, quia sunt contra illud Præceptum, *Non occidas*. Sed probo quòd non; quia vel illud Præceptum intelligitur universaliter negativè simpliciter; vel cum glosis, & Doctorum exceptionibus. Non primum: notum est; quia licet occidere hominem judicialiter.

Quis etiam dicere auderet, quòd non licet vim vi repellere, etiam per hominis occisionem, dum aliàs non apparet probabilis evasio? habendo tamen dumtaxat aspectum ad deffensionem vitæ propriæ, quam non potest tueri, nisi alium occidendo: etiam de fure nocturno, etiam secundùm Doctores. Ergo Præceptum illud intelligitur cum certis glosis, & exceptionibus datis à Doctoribus. Glosæ verò Doctorum sunt: *Non occides*, supple, *innocentem*, vel *propria authoritate*, vel *livore vindicta*. Vel pro omni glosa sufficeret: *Non occides*, supple *injustè*. Sed constat quòd dictæ Assertiones non loquuntur de occisione innocentis, non quòd occcisio illa fuit propria voluntate, vel livore vindictæ: quare non sunt contra dictum Præceptum.

Item. Actus occisionis, quo intenditur conservatio vitæ propriæ, non habet rationem illiciti, ut dicit Thomas, secunda II. q. 62. cùm hoc sit cuilibet naturale quòd se conservet in esse, quantùm potest. Nam, secundùm Jura, vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec est necessarium ad salutem. Et subdit Thomas quòd actus moderatæ tutelæ prætermittatur, ad evitandum occisionem alterius; quia plùs tenetur homo vitæ suæ providere, quàm vitæ alienæ. Hoc ergo dici, & similiter applicari poterit ad vitæ conservationem, proprii Patris, & filii, vel Matris; aut etiam Domini, vel Principis naturalis: ut sic, subdito licet repellere insurgentem vim tyrannicam hostis notorii, opprimentis Rempublicam, ac nitentis gladio, aut veneno Monarcham interficere.

Confirmatur sic ratio: prout enim dicit sanctus Thomas, prima II. Præcepta Decalogi continent Legislatoris intentionem: Præcepta namque primæ Tabulæ, quæ ordinant ad Deum, continent ipsum ordinem ad bonum commune, & finale, quod est Deus. Præcepta autem secundæ Tabulæ, continent ipsum ordinem Justitiæ inter homines observandæ, ut scilicet nulli fiat indebitum: secundùm enim hanc rationem intelligenda sunt Præcepta Decalogi, quæ sunt omninò indispensabilia.

Tunc argitur sic: *Occisio hominis*, inquit Thomas ibidem, *non prohibetur in Decalogo, nisi secundùm quod habet rationem indebiti: sic enim Præceptum continet ipsam rationem justitiæ. Lex autem humana non potest hoc concedere, quòd licitè homo indebitè occidatur. Sed malefactores occidi, vel hostes Reipublicæ, hoc non est indebitum: unde non contrariatur Præcepto Decalogi.* Hæc Thomas, in hac forma.

Ergo similiter non contrariatur Præcepto, si quis seipsum, vel innocentem Principem suum, in mortis periculo aliàs inevitabili constitutum, ita deffendat, seu deffendi faciat ab invadente tyranno; ut vitam propriam, vel sui Principis, Reique publicæ salutem, vitæ illius hostis anteponat.

Probatur consequentia: quia hoc videtur habere rationem liciti. Tùm quia primò consonat instinctui naturæ suæ sibi indito, intento ad sui conservationem. Tùm secundò, quia videtur etiam consonare Legibus, & ordini charitatis: quo ordine, vita temporalis, alienæ temporali vitæ, dilectione & conservatione præferenda est, salvo tamen semper debito moderamine inculpatæ tutelæ: ne ex improportione talis actus deffensivi, ad finem intentum conservationis actus ipse reddatur illicitus, ut dicit Thomas. Tùm tertiò, idipsum consonare videtur dictis & authoritatibus solemnium Doctorum utriusque Juris, divini, & humani, intrantium hujusmodi difficultatem prædicti casus deffensionis, vel sui Principis; inter quos unum solum Theologum reperi perplexum in hac materia: An liceat, vel non liceat, per ipsius invadentis interfectionem, vitam propriam conservare, quòd neutram opinionem alteri prætulerit, scilicet Dominum Petrum de Tharentasia &c. Ceteri omnes sentiunt, & determinant, quòd in casu illo, plùs tenetur homo vitæ suæ providere, quàm alienæ: ut sanctus Thomas; Joannes Lector, Auctor Summæ Confessorum; Bartholomæus de Pisis, & ceteri Theologi, qui tales materias aperiendo tractaverunt. Et similiter Canonistæ, qui sunt Theologiæ participes, scilicet Dominus Bertglezator; Guillelmus Henricus Hoie, & ceteri, moventes eamdem difficultatem. Nullus tamen istorum Doctorum ab hac loquendi sobrietate discessit; quin & casum supponit necessitatis, & dixerit intendendum magis ad vitæ propriæ deffensionem, quàm occisionem invadentis.

Joannes Lector, in Summa sua, satis prolixè explanat, & commodè distinguendo, hanc materiam determinat, & in fine, unam fortem rationem solvit. Dicta sua non recito, quia scientibus Legem hæc præsententur.

Nunc restat solvere unam rationem, quæ multos movet: quæ tamen non est adversariorum; sed est sancti Thomæ 2. 2. q. VIII. *Homicidium, dicunt isti, est gravius peccatum, quàm simplex fornicatio: sed nulli licet committere simplicem fornicationem, vel dicere, quòd hoc sibi licet, vel quodcumque aliud peccatum, pro conservatione vitæ propriæ; quia vita spiritualis præferenda est corporali. Ergo nulli licet, deffendendo se ipsum, vel suum Principem, alium occidere, ut propriam vitam conservet.* Thomas sic solvit: *Dicendo*, inquit, *quòd actus fornicationis, vel adulterii non ordinatur ad conservationem vitæ propriæ, ex necessitate, sicut actus ex quo sequitur quandoque hominis occisio.*

Item. Prima 2. q. C. *Præcepta Decalogi*, inquit, *quantùm ad rationem Justitiæ quam continent, inevitabilia sunt: sed quantùm ad aliquam determinationem, per applicationem ad singulares actus, ut scilicet hoc vel illud sit homicidium, vel adulterium, aut non; hoc quidem est inevitabile, quandoque sola authoritate divina, in his quæ à solo Deo instituta sunt: sicut in Matrimonio, & aliis ejusmodi. Quandoque etiam, authoritate humana: sicut in his quæ commissa sunt hominum Judicio, & Juridictioni.* Hæc ille. Et sic etiam in casu inevitabili Principis, vel suæ propriæ deffensionis, occisio hominis non esset homicidium; imò nec mortale peccatum.

Et per hoc patet responsio rationis eorum quæ distinguit: quòd sic contingeret, pro libito, interpretari *Non mœchaberis*; *Non furtum facies*. Excusare, pro libito, Herodem de crimine, propter cujus impugnationem Joannes Baptista Martyr fuit: & quod licet furari, pro Ecclesiis conservandis: & plures habere uxores, pro Patria, vel civitate populanda, & hujusmodi: à solo enim Deo institutum est Matrimonium, penès

penes quod nulla authoritate humana, potest fieri mutatio. Hoc etiam includit rationem formalem indebiti, vel nullius necessitatis, ordinem contingit talia habere, ad conservationem vitæ propriæ, Principis, vel Reipublicæ, prout Thomas tangit. Ex quo patet clarè solutio illius rationis: *Non occides*. Hæreticum est enim dicere, quòd generaliter prohibeatur hominis occisio: sed, ut dicit Thomas: *Secundùm quod habet rationem indebiti, & illiciti: quod tunc non est, si talis occisio ordinetur ex necessitate, ad conservationem vitæ Principis, vel propriæ, ut præmissum est.*

Ex hæc sufficiant circa septem primas Assertiones, quia dependentes sunt sequentes ex prima.

Quantùm ad octavam Assertionem: non facio magnam difficultatem, cùm ipsa rotundè videtur textum Apostoli exponere. Vera ergo est de litterali sensu, quem sensum littera prima facit, & non quem auctor litteræ primitùs intendit, undè Gregorius, super Ezechielem: *Ecce*, inquit, *sacram Scripturam legimus, si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus: si omnia ad spiritualem allegoriam dicimus, similiter * indiscretionis ligamur.*

Item. Gregorius, *Libro primo Moralium. Cap.* 3. expressè sic dicit: *Aliquando verò exponere verba aperta historiæ negligimus, ne tardiùs ad obscuriora veniamus. Aliquando intelligi juxta litteram nequeunt, quia superficiè tenus accepta, nequam † instructionem legentibus, sed errorem gignunt.*

Idem. In principio quarti Libri: *Qui textum considerat, & sensum sacræ locutionis ignorat, non tàm de eruditione instruit, quàm ambiguitate confundit: quia nonnunquam sibi litteræ verba contradicunt; seddùm à semetipsis per contrarietatem dissidunt, ad intelligentiam veritatis, tunc* &c. hoc est, *Littera occidit*, ad sensum ponentis hanc Assertionem. Quod patet clarè. Quòd hunc sensum habuerit, patet clarè per exemplum quod posuit, de peregrinis ascendentibus muros civitatis, qui contra sensum litteræ fecerunt, non tamen contra intentionem Legislatoris.

Quantùm ad nonam Assertionem, scilicet in casu fœderis: notandum est quòd fœdus, est spontanea unio animorum, ad aliquid peragendum, ad finem ut unus alteri subveniat, versa vice. Dico, *spontanea*, ad denotandum quòd fœdus non debet fieri in præjudicium naturæ, cujus actus sunt necessarii, & præsupponuntur actibus fœderum; nec fieri etiam in præjudicium Legis & Fidei, cujus actus sunt imperati, de necessitate salutis. Quilibet enim tenetur Legem servare, secundùm Fidei intentionem, & credere credenda de necessitate salutis: & ideò tales actus præsupponuntur actibus fœderis. Dico etiam, *ad finem, ut unus fœderatorum alteri subveniat*; ad denotandum quòd non debet fieri ad finem ut unus fœderatorum decipiatur. *Isaiæ* LIV, vs. 10. *Misericordia mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non delebitur.*

Et idem est indim ‡ suo malo de Sacramento & promissione. Sequitur primò, quòd licet fœderari tyranno. Patet: quia à tyranno potest quis juvamen recipere; & versa vice, tyrannus ab alio. Secundò sequitur quòd nullus debet fœdus contrahere cùm tyranno, sub ratione actus tyrannici, vel ut ejus tyrannia continuetur. Patet: quia sunt actus tyranni contra Leges.

Ex his patet veritas dictæ Assertionis: quòd si fœdus, juramentum, vel promissio vergit in præjudicium Legis, naturalis, vel divinæ, vel ordinis Charitatis; non tenetur illud observare: quia major obligatio, & prior solvit minorem, & posteriorem.

* *Forsan addendum*, vitio. † *Forsan* nequaquàm.
‡ *Locus corruptus, forsan* judicium.

Item. Arguitur sic: Præjudicium, seu alteri præjudicare, includit formaliter rationem illiciti. Juramentum verò esse non potest vinculum iniquitatis. Ergo &c.

Item. Nulla promissio obligat ad suam observantiam, quæ absque scelere adimpleri non potest. Sic autem est Propositio; quia præjudicium non A infertur alteri, vel sibi, sine transgressione Legis, ut videtur: quia non loquitur de præjudicio unius oboli, vel denarii.

Ex istis patet, quòd nulla dictarum Assertionum venit Fidei Judicio reprobanda. Secunda Propositio, quòd sacrum Concilium, vel Domini Judices debent hoc declarare, non prout li *debent*, importat obligationem de necessitate salutis, ut quidam ponunt; sed prout importat congruentiam, decentiam & honestatem, & prout eis videbitur expedire. Hæc sunt dicta, sub correctione priùs posita.

XXXII. Deliberatio.

Quia secundùm sententiam Sapientis, *Prov.* XXII. 1. *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Alioque loco, *Eccli.* XLIV, 15. *Curam habe de bono* B *nomine.* Hinc est, quòd volens Sapientis parere Mandatis, quibusdam nomen meum denigrare satagentibus, detrahentes licèt, falso titulo, & dicentes, propter Prædicationem per me factam coram Concilio, decima septima die Novembris, in qua Prædicatione consului à quibusdam litigiis desisti, quæ litigia ponuntur per præfatos pertinere ad causam Fidei; quod utrum ita sit, vel non, relinquo discretioni Judicum, & determinationi eorumdem. Et quando dicunt, licèt minùs verè, me in Sermone prædicto prætendere deffendere doctrinam hæreticalem novem Assertionum, & velle, per indirectum, earum damnationem impedire; quia dixi, quòd turbaret pacem factam, & divisiones induceret talis altercatio, ad quorum * detrahentium errorem insuadendum & declarandum.

Et ego Frater, &c. Ordinis sancti Augustini, pro formando conscientiam meam, ad positas novem Assertationes respondeo: me communicare in tali materia cùm nonnullis Reverendis Docto- C ribus sacræ Theologiæ, & concurro cum eorum opinionibus; & in testimonium quòd ita teneo, novem Assertionibus, quarum prima est, quòd *Licet unicuique subdito, in casu necessitatis inevitabilis, occidere tyrannum machinantem, & volentem occidere Regem suum*, & hoc intelligendo, quando nullus melior modus potest reperiri: in testimonium cujus, & robur veritatis, me propria manu subscripsi, unà cum prædictis Doctoribus: & fateor me sentire, prout præfatæ novem Assertiones catholicè possunt sustineri.

Ad particulares autem opponentes contra prædicata per me, dico ego &c. quòd verum est quòd perturbaret pacem, non solùm dicam unius Regni, vel Dominii, sed plurium Regnorum & Dominiorum Christianitatis; in quibus Regnis & Dominiis perpetrata sunt homicidia, & occisiones, D seu tyrannicidia, non fuerunt, nec sunt Fidei Judicio condemnata; quæ omnia patent, considerando tàm Testamentum Vetus, quàm Novum. Sed quoniam multa talia perpetrata sunt diebus nostris, vel parentum nostrorum, relatione digna: hinc est, quòd ea quæ nunc menti occurrunt, duxi huic cedulæ inserenda.

Et primò. Incipio à Regno Apuliæ, in quo occisus fuit, & proditione, Rex Andræas de Ungaria, per Ducem Duratii, & Reginam Joannam, quæ, ut refertur, fecit eum suspendi: & nihilominùs, non

* *Forsan* quorumdam.

non fuerunt Judicio Fidei condemnati; sed Judicio Legis Civilis, per Ludovicum Regem Ungariæ sententiati. Idem patuit de Regina Joanna, strangulata & captivata à Carolo de Pace, qui propter talem occisionem, non fuit Fidei Judicio condemnatus.

Simile contigit in Ungaria, de Rege Carolo, proditoriè in mensa interempto per magnum Comitem, & Reginam Ungariæ, qui nec etiam fuerunt Fidei Judicio condemnati.

Descendo ad Regnum Hispaniæ, ubi Henricus bastardus proditoriè interfecit Regem Petrum legitimum, & se coronari fecit in Regem; & tàm ipse, quàm successores ab ipso progeniti, nec fuit, nec sunt hodierna die Judicio Fidei condemnati.

Ad idem, in Regno Portugalliæ, Rex modernus, bastardus & Religiosus, occidit, & exulavit legitimos Fratres suos, & regnat ut Catholicus, nec Judicio Fidei condemnatus.

Idem contigit in Regno Cypri, de Jahetto Rege, interfecto à germano.

Idem contigit in Imperio Constantinopolitano.

Descendam insuper ad Regnum Angliæ, in quo fuerunt dissentiones & occisiones innumeræ factæ, ut patuit in Richardo Rege, interficiente Avunculum suum Ducem Glocestriæ, quem strangulari fecit. Quid Henricus Rex fecit, omnibus est notorium, nec fuerunt isti Judicio Fidei condemnati.

Ad idem confert, de Duce Mediolanensi, proditoriè captivante Avunculum suum, Dominum Barnobonem, & ipsum interficiente. Simile occurrit de Domino Anthonio de Scala, proditoriè occidente Dominum Bartholomæum fratrem suum. Quid dicam de Domino Racunate? Quid de Domino Malateste magno, & de Domino Radulpho antiquo, occidentibus avunculos, videlicet magnum Montagnam de Vericulo, & Dominum Radulphum antiquum?

Quid noviter & recentiùs, de Domino Astor Vice-Comite Fraventiæ, & quibusdam, qui occiderunt proditoriè, & in capella, cùm Missa celebraretur, Dominum Joannem Mariæ Ducem Mediolanensem: nec sunt Judicio Fidei condemnati. Hoc ideò est, quia Fides, seu Judicium Fidei non vult apponere falcem in messem alienam. Ista, & similia pertinent ad Judicium Juris Civilis, & non ad Judicium Fidei: & ergo Fides relinquit illa Juri Civili condemnanda.

Sed dicerent, oppositum tenentes, quòd adducere inconveniens, non est solvere. Huic ergo respondeo, quòd sicut non ideò fienda sunt mala, ut inde bona sequantur; sic etiam, in proposito, quandoque contingit bonum intermitti, ne maxima mala sequantur, & scandala oriantur: de duobus enim malis, malum majus est fugiendum; sic de duobus bonis, majus bonum est amplectendum. Et quoniam si omnia supra dicta, fuissent, & essent Judicio Fidei condemnanda; verisimiliter præsumeretur, quòd tales ponentes* interfectores, & Regnorum invasores, tantùm Ecclesiam perturbarent, quòd vix aliqua persona Ecclesiastica suum possit tenere solus†.

Reddite ergo quæ Cæsaris sunt Cæsari, Matt. XXII. vs. 21. videlicet Judicium temporale: & tales præfata homicidia, & occisiones perpetrantes, in Foro conscientiæ relinquantur, nec ad Fidei causam pertrahantur. Nam etsi Fides esset Judex omnium possibilium trahi ad Articulos Fidei; tunc Judicium Civile esset superfluum: quia omne peccatum mortale, veniale, actuale, esset Judicio Fidei condemnandum: imò quod ridiculum est, expuere in Ecclesia, esset judicandum Judicio Fidei, quòd posset dici quòd talis expuens, hoc fecit in contemptum Dei.

Quiescant igitur vergiorum ‡, & discordiarum inventores, nec de se præsumant plùs sapere ceteris, sapiant ad sobrietatem; imaginentur, & credant eorum Prædecessores tàm Universitatis Parisiensis, quàm aliarum Universitatum doctissimos, & peritissimos in sacra Pagina: Quòd si talia Regicidia, Principicidia, & tyrannicidia ad Judicium Fidei pertinuissent & pertinerent; à longo tempore, in ista causa determinassent; nec permisissent mundum tamdiù errare: sed quoniam hæc civilia, & moralia; hinc A est, quod Judicio Juris Civilis discutienda relinquant.

His igitur persuasionibus præhabitis, descendo ad decisionem, & declarationem primæ Assertionis: ubi includitur, quòd unicuique subdito licet interficere machinantem contra verum Regem & Principem, in casu inevitabili.

Et hoc primò probatur ex Lege naturali. Nam cuilibet est naturaliter innatum, ex vero dictamine: *Quod non vis tibi fieri, alteri non feceris*; nec è converso. Et cùm nullus vellet interfici à tyranno; quia de natura entis est appetere, se permanere: hinc est, quòd quilibet ad se permanendum, vellet cujuscumque suffragio juvari. Igitur quilibet tenetur alteri facere quod sibi vellet fieri.

Secundò. Subditi, sunt ordinati ad Principem, sicut membra ad caput: & naturaliter, quodlibet membrum, in casu necessitatis inevitabilis, succurrit B capiti, prout naturaliter patet, & experimentaliter videtur de brachio, & manu, se exponente gladio, pro salute capitis. Sic quilibet subditus, pro servando Rege, debet se exponere morti: & quoniam sibi ipsi debet plùs facere vitam, quàm tyranno; igitur unicuique licet, secundùm Legem Naturæ, tyrannum occidere, teste Ambrosio, & dicente: *Peccat qui propterea agit*; hoc est intelligendum, quòd peccaret præponens vitam tyranni, vitæ Regis, & suæ propriæ saluti: talis enim tyrannum occidens, ex dictamine Juris naturalis, non est Judicio Fidei condemnandus, sed potiùs remunerandus.

Patet hoc etiam ex dictamine naturalis electionis. Nam quilibet bonum commune & proprium magis debet eligere, quàm bonum particularis personæ, juxta illud: *Semper tibi proximus esto*. Et alibi: *Ordinavit in me charitatem*; Cant. II, 4. Super quo verbo dicit Ambrosius: *Quia omnibus subvenire, & consulere non possumus, his potissimùm subveniendum est, & consu-* C *lendum est, qui pro personarum, & locorum quadam nobis vicinitate junguntur*. Et primò Patri, & Matri; secundò Principibus & Prælatis; tertiò proximis & cognatis &c. Nam *Patri nascimur & Patriæ*, teste Seneca. Pugnare ergò licet pro Patria, & Patre. *Usque ad mortem*, si opus fuerit, *certare pro Justitia*. Eccli. IV, 33.

Secundò. Hoc patet ex Jure morali. Nam Lex moralis & civilis præcipit maleficum, & tyrannum occidi: juxta illud Exod. XXII, 18. *Maleficos non patieris vivere* super terram. Et *Deut*. XIV. scribitur; quòd si aliquis Propheta, mirabilia etiam faciens, populum avertere vellet à cultu Religionis Dei, deberet interfici, ut malum aufferretur de medio populi. Nam primum malum est mors unius malefici & tyranni, & maximum malum mors unius Principis, ac Regis supremi: juxta illud, 2. Reg. XVIII, 3. *Tu unus,* D *pro decem millibus computaris*. Et 2. Reg. XVII, 3. *Tu unum hominem quæris, & omnis populus erit in pace*.

Nec obstat illud Præceptum: *Non occides*. Nam per illud Præceptum non animalium, nec hominum iniquorum, sed innocentium prohibetur occisio: juxta illud; *Innocentem & justum non interficies*. Iniqui enim vel occidunt, vel committunt mortifera; & ideò digni sunt morte, & tales occiduntur non ex arbitrio, sed Legis authoritate, quæ hoc præcipit, Exod. XXII, 18. *Maleficos* &c. Quapropter in causa sanguinis, non peccat accusator, testis, Judex, & minister quilibet * interest: quin potiùs, si id zelo Justi-

* *Locus corruptus*. † *Forsan* solum. ‡ *Forsan* jurgiorum.

* *Forsan addendum* cujus.

Justitiæ fiat, meritorium est, juxtà illud Psalmi cv, 3. *Beati qui custodiunt Justitiam, & faciunt Judicium omni tempore.* Item. Laudati sunt Levitæ, qui idolatras occiderunt, *Exod.* xxxii. Laudatus est & Phinées, qui fornicarios confodit gladio, *Num.* ii. &c. Item. David moriens, ultima Præcepta dedit Salomoni, de occidendo Joab proditorem, & Semei maledicum, 3. *Reg.* ii. Econtrà verò Saül privatus est Regno, quia non occidit Amalechitas, i. *Reg.* xxv. Et Regi Israëlis, qui hominem dignum morte demiserat, dictum fuit: *Tua erit anima pro anima ejus.* 3. Reg. xx, 39. 42. A

Sed nec etiam peccat contra illud Præceptum: *Non occides*, nec irritum facit, qui occidit in privata persona. Item. Qui cùm possit, non deffendit occidendum, juxta illud Ambrosii: *Pasce fame.* Item. Iracundus, invidens, & odiens: quia *qui odit fratrem suum, homicida est*; i. Joan. iii, 15. Item. Qui non remittit in se peccanti, si pœniteat. Item. Qui non subvenit indigenti. Item. Nota super illo verbo præcedenti, quòd occidit iracundum invidens, &c. quòd secundùm Gregorium: *Alia est ira, quam impatientia: alia, quam zelus format. Illa ex vitio; hæc ex virtute generatur: ira perjurium* oculum mentis excæcat, ira per zelum format. Si nobis & proximis delinquentibus irascamur; non peccavimus.* Hæc Gregorius. Et in Psalmo cxviii, 113. *Iniquos odio habui.* Et de vera innocentia ait Augustinus: *Sic diligendi sunt homines, ut eorum errores non diligantur: quia aliud est amare quod facti sunt; & aliud odisse quod faciunt.* B Et in Homilia: *Homo quando te persequitur, noli attendere illam figuram quam fecit Deus*, &c. *odienda igitur est in malo homine culpa, non natura.*

Præterea, unicuique licet pugnare pro Patria, teste Catone: *Pugna pro Patria.* Imò non solùm licet, sed de Jure naturali, quilibet obligatur deffendere Patriam, & Rempublicam, teste Seneca, *Patri enim nascimur, & Patriæ.* Et Reipublicæ inimicum licet expugnare, non solùm fugando, capiendo, vel repellendo; sed etiam occidendo, in casu inevitabilis necessitatis. Inevitabilem necessitatem capio, quando non potest bono modo capi, detineri, vel judicari, sine notabili scandalo, & magna sanguinis effusione; & verisimiliter formidatur de Reipublicæ destructione, ac pacis Regis & Regni perturbatione; *Frustrà*, inquit Philosophus, *fit per plura, quod potest fieri per pauciora.* Tumultus enim populi in talibus præcavendus est; juxta illud, Matth. xxvi, 5. *Non in die Festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Licèt etiam, secundùm divinam scientiam, peccarent Judæi permaximè mortem Christi quærendo; secundùm tamen humanam scientiam politicam, consultè agebant, tumultus præcavendo. Sic in proposito, Princeps & subditus, aut potestas civitatis, cùm videt tyrannos tales insurgere, debet talia præcavere, ne videlicet tumultus insurgat; & ipsos potest licitè occidere, Juris ordine non servato communi: nec refert utrùm talis, non dicam in casu posito occisionis, sed Judicii, legatur Sententia antè, vel post. C

Hunc modum sæpius vidi servari in civitatibus Italiæ, per peritissimos Judices & Potestates. Nam teste Seneca, *Nulla melior victima, nec † pinguis opima potest offerri Jovi, quàm Rex iniquus.* Et maximè quando talis tyrannus non occiditur livore vindictæ, sed zelo Justitiæ, & Reipublicæ. D

Et quoniam diceret tenens contrarium: Quis scit utrùm subditus & miles hoc fecit zelo, vel odio; cùm cor hominis sit inscrutabile? Huic quæstioni respondeo: quòd quantùm ad occisionem factam, cùm sit quid civile, debet remitti ad Judicium temporale & civile: quia Fides non habet de talibus se intromittere. Quantùm verò ad discutionem intentionis, debet remitti ad Forum conscientiæ, & Confessorum arbitrio relinqui: nec talis, dicens se benè fecisse, & licitè occidisse tyrannum, debet Judicio Fidei condemnari. Hæc patent ex præcedentibus & sequentibus. Hæc omnia patent & ex Summis Doctorum, sancti Thomæ, Petri de Tharentasia, & aliorum sententiis.

Sed ulteriùs quæri potest. Etsi licet, in casu inevitabili tyrannum, vel latronem insignem occidere, zelo Justitiæ & Reipublicæ, quando non potest bono modo; non tamen licet insidiosè, fraudulenter, & in dolo. Respondeo quòd hoc liceat. Probatur exemplo, ratione & authoritate. Ratione probatur, & suadetur sic: & primò, ex diffinitione Justitiæ, quæ, sic diffinitur; Justitia est virtus unicuique Jus quod suum est tribuens.

Ista retributio debet considerari, vel circa bonos, quoad gloriam; vel circa malos, quoad pœnam. Sed sicut est ordinatio bonorum, in retributionem: sic debet esse deordinatio malorum, in punitionem, ut *Quantùm delectant se in deliciis, tantum date eis tormentum, & luctum.* Apoc. xviii, 7. Et quando talis tyrannus, in casu proposito in prima Assertione, delectatus est in fraude, dolo, & insidiis; justum est ut fraude, dolo, & insidiis occidatur; juxta illud Sapientis: *In insidiis suis capientur iniqui.* Prov. xi, 6. *Per quæ peccavit homo per hæc & torquetur*, Sap. xi, 17.

Præterea, quilibet obligatur servare illud ad quod ordinatur: sed quilibet miles ordinatur ad deffensionem Reipublicæ, & pupillorum, & viduarum, & Ecclesiarum, ut patet in eorum juramentis. Igitur quilibet miles, ut possit servare ad quod obligatur, potest pro deffensione Reipublicæ pugnare usque ad occisionem. Nam sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum sunt: sic oculi militis, & feudalis subditi, ad custodiam & deffensionem sui Superioris debent erigi: & juxta illud, primo Regum, **Fugiebat somnus ab oculis meis*: & maximè in considerando, quòd semper subditus habet justum prælium contra tyrannum. Nec refert utrùm occidat eum ante, vel retrò; à tergo, vel ex adverso; punctim vel cæsim; per se, vel per alium; de nocte, vel die; in Festo, vel in feria; dormientem, vel vigilantem.

Hæc omnia patent fuisse facta, & laudabiliter in sacra Scriptura, sicut patuit in Abner qui occidit Ajahel fratrem Joab, aversâ hasta. De David, qui abscidit caput Goliæ. De Gedeon, qui de nocte fugavit exercitum Madian, & de Iheu. Item. De Judith, quæ occidit Holophernem, & dormientem, in dolo, fraude, & insidiis: & hi, & sibi similes, maximè in Ecclesia commendantur. Talis enim subditus, & miles occidens tyrannum, ex zelo Justitiæ, & Reipublicæ, ut dicit prima Assertio, non occidit authoritate propria, sed Dei, & Legis, ac Principis; si non verbo prolatâ, tamen scriptâ: & si non ex ore Principis explicita; tamen implicita; *Acceptus est enim Regi*, inquit Scriptura, Prov. xiv, 35. *minister intelligens.* Necessitas non habet Legem; sapiens enim adaptat se tempori.

Si reprehensione esset dignus miles, & subditus, cui esset data custodia Castri, & videret, ac sciret inimicos velle aufferre Castrum; si recederet, & iret ad petendum licentiam à Rege, de occisione hostium, & sic Castrum deperderetur: sic reprehendendus esset subditus, ad quem de Jure naturæ, civili, & divino pertinet deffendere Dominum, & Patriam, si dimitteret ipsum occidi: periculum esset in mora.

Tolle moras, ait Versificator, *sæpe nocuit differre paratis.*

Hoc patuit in Absalon, qui procrastinans consilium Achitophel, mala morte interiit.

Quis, nisi insanæ mentis, cogitare potest quin si Rex, & Princeps se scirent occidi, mandarent se deffendi, & tyrannum invadentem occidi? Licet ergo subdito talem tyrannum occidere, quocumque modo, & tempore, & genere mortis; si non potest bono modo, hoc est, sine scandalo, tumultu, & magna strage, & offensione Justitiæ. Nec obstat, utrùm insi-

* *Legendum* per vitium. † *Legendum* nec magis opima.

* *Non reperitur ibi, sed* Gen. xxxi, 40.

insidiis, fraude, vel dolo: imò subditus prædicta faciens, cum conditionibus prædictis, est dignus laude: imò puto, talem sic inspiratum, offerre acceptabile Sacrificium Deo, & opus meritorium, ac virtutis operari.

Hæc patent ex prædictis dictis, & exemplis sacræ Scripturæ quæ Judith sanctam appellat, & benedictam, & laudibus excellentissimis attollit dicens: *Benedicta filia tu à Domino; tu enim gloria* A *Jerusalem, tu lætitia Israël, tu magnificentia populi.* Judith. xv. 10. Et nihilominùs hæc omnia genera laudis illi tribuit Ecclesia, ex eo quòd Holophernem occidere cogitavit, & non dixit Judicibus, & Principibus, sed soli Deo cognitum fecit, & occidit eum sine Mandato Principis, insidiosè, fraudulenter, & in dolo: nec credendum est, quòd Ecclesia ipsam in tantùm extolleret, nisi opus maximè virtuosum, & meritorium peregisset: ex eo quòd juxta Sententiam Boëtii, *Honor debetur homini, in testimonium virtutis: virtus enim laudata crescit.*

Nec dicendum est, quòd talis occidens peccat; sed meretur: sicut Levitæ, occidendo fratres suos idolatras, non peccaverunt, consecraverunt manus suas in sanguine fratrum; quia hæc non fecerunt livore, vel odio, sed zelo Dei, & amore Justitiæ; B *Optimum genus merendi, est in hac re esse crudelem,* ait Hieronymus.

Quòd autem talis subditus non peccet; patet ex diffinitione peccati, quod sic diffinitur: *Peccatum, est quidquid factum, dictum, vel concupitum contra Legem divinam.* Sed occidere zelo Justitiæ, amore Dei, & Reipublicæ, est Legi obedire, quæ hoc præcipit. Et piè credendum est, quòd in casu posito, talis subditus se morti exponens, & occidens, faciat * sancti Spiritus inductione, & inspiratione, quàm aliqua sinistrâ causâ: *Spiritus enim ubi vult spirat,* Joan. III. 8. Non enim est abbreviata manus Domini, ut non possit ita salvare, & inspirare modò Principes, & subditos Christianos, sicut tunc inspiravit, & salvavit Judæos, ut patet de Samson, Helia, &c.

Sed quòd hoc fiat zelo Dei, cui, Deo teste, *coadjutores sumus,* 1. Cor. III. 9. patet per illud, quod scribitur Rom. XIII. 1, 2. *Qui potestati,* & Principi *resistit* rebellando, invadendo, & mortem Principis attemptando, *Deo resistit, non est enim potestas nisi à* C *Deo.* Igitur qui tyranno resistit, debellando, occidendo, &c. Deo assistit, & Reipublicæ. Talis ergo non est Judicio Fidei condemnandus.

Hæc sint semper dicta cum correctione Dominorum Judicum, ad quos, & per quos materia pertinet, & debet determinari: protestans quòd per superiùs scripta non intendo aliquid determinare, ac pertinaciter tenere, quod possit quovis modo esse contra determinationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. In cujus rei testimonium. Ego, &c. mea propria manu subscripsi. Anno Domini 1415. die septima Decembris.

* *Forsan legendum* faciat magis.

Alia Ratio.

Præterea; de quo licet gaudere, charitate manente, non est Judicio Fidei condemnandum: sed de morte tyranni licet gaudere, manente charitate. Igitur, &c. Major est nota: sed Minor probatur, per D Beatum Gregorium, XXII. *Moralium,* sic inquientem: *Plerumque evenit, ut, non amissa charitate, inimici nos ruina lætificet, & sine invidiæ culpa, ejus nos gloria contristet, cùm & eo ruente bonos erigi credimus; & eo proficiente, plerosque injustè opprimi formidamus.* Congaudeant igitur, & non detrahant occisioni tyrannorum, exemplo filiorum Israël lætantium, & dicentium: *Cantemus Domino, gloriosè,* &c. Exod. XV. 5. Et cantabant: *Saül percussit mille, & David decem millia,* 1. Reg. XVIII. 7. Goliam, qui computabatur pro decem millibus.

Alia Ratio.

Ulteriùs, nulla mors est aptior & convenientior tyranni morte repentina, & improvisa, quam suo Regi, ut præfertur in prima Assertione, procurat. Patet in Aman procuranti crucem Mardochæo, in qua fuit ipsemet suspensus, & hoc justo Judicio Dei, sic Scriptura testante in pluribus locis: *Per quæ enim peccaverit homo,* ait Scriptura, *per hæc & torquetur.* Sap. XI. 17. Et: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur & vobis.* Matth. VII. 2. Et alibi: *Laqueum paraverunt pedibus meis,* Ps. LVI. 7. ipsi autem ceciderunt in illum. *Incidit in foveam quam fecit,* Ps. VII. 16. Et iterum: *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?* Matth. VII. 16. *Secundùm qualitatem delicti, erit & plagarum modus,* Deut. XXV. 2. Fallere fallentem nulla Lege vetatur, quia, ut ait Cato: *Tu quoque fac simile.* Nec obstat, quòd possit objici: *Nulli malum pro malo reddentes,* Rom. XII. 17. Et, *Qui te percusserit,* &c. Matth. V. 39. Et alibi: *Neque vosmetipsos deffendentes charissimi,* Rom. XII. 19. Omnes tales authoritates habent locum in causa propria, & in casu vitabili; non autem in causa publica, & inevitabilis necessitatis. Et hæc sufficiant pro præsenti.

XXXIII. Deliberatio.

Ego, &c. Sacræ Theologiæ Professor, licèt immeritus, in testimonium veritatis, & per juramentum requisitus per Reverendissimos Patres, & Dominos meos metuendissimos Acquilegiensem, de Ursinis, atque Florentinum, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; nec non per alios Reverendissimos Patres, per hoc sacrum Concilium Constantiense, in materia Fidei Deputatos; quatenùs super novem Assertionibus mihi in quadam cedula per eosdem exhibita, opinionem meam scripto, aut verbo dicerem: Utrùm videlicet essent Judicio Fidei reprobandæ.

Protestationibus præmissis, quibuscumque suppositionibus pro dubii declaratione adjectis, Deum solum habens præ oculis, amore, favore, odio, & rancore penitùs rejectis, aliquibus rationibus, sacræque Scripturæ exemplis, ac aliquorum Doctorum authoritatibus ad hoc me moventibus, sub unica Conclusione, quæ sentio dicere decrevi.

Protestor igitur imprimis, quòd in his quæ in hac materia dicturus sum, dicere intendo circa * determinationem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, hujusque sacri Concilii Generalis Constantiensis, nec non sub præfatorum Dominorum meorum benigna, humili, correctioneque commoda, quibus † verus obedientiæ filius in hac materia, aliisque Fidei materiam concernentibus me ad præsens submitto, ac semper me submittere intendo.

Istis præmissis, præsuppono, quòd ea quæ dicturus sum in materia præsenti, dumtaxat probabiliter dicere intendo, non asserendo aliqua, nisi quæ asserenda sunt.

Secundò. Suppono cum sacræ Theologiæ Doctoribus, quòd omnis Propositio, quæ probabiliter sustineri potest, stans cum Fidei veritate, cui potest dari verus sensus, & Catholicus, nullatenùs est censenda erronea, neque hæretica; & per consequens, nullo modo Fidei Judicio reprobanda.

Tertiò. Suppono, ex dictis Aurelii Augustini, *Lib.* V. *De Civitate Dei, Cap.* XIV. quòd pro tuitione Reipublicæ, ejus conservatione, atque augmentatione, quilibet fidelis agonisare, atque decertare debet, Juribusque naturali, morali, & divino ad illam observandam, atque tuendam regatur †; hancque destruere, annullare, diminuere molientibus, omni

* *Forsan* citra. † *Legendum videtur* quibus tanquam.
† *Forsan legendum* tenetur.

omni via possibili obviandum decrevit Juris totius æquitas; taliaque machinantes penitùs exterminare necesse est: hosque talibus viriliter obviantibus non solùm ingentibus præmiis remunerandos fore; quin imò magis præconiis, atque laudibus attollendos.

Licitum est, prout, ex sacræ Scripturæ decursu, pluribus in locis clarè ostenditur, nempe propter conservationem pacis publicæ, & societatis humanæ, justum videtur, ut perturbarores pacis humanæ de societate humana excludantur: quoniam turpe est membrum suò toti minimè conveniens, & per consequens, rescindendum.

Quartò. Suppono quòd ex ordine charitatis, quilibet tenetur diligere proximum suum sicut se ipsum, & per consequens, omnibus saluti, & vitæ proximi derogare volentibus obviare: & ampliùs ille, qui non solùm charitatis ordine, sed fidelitatis juramento suo naturali Domino astringitur; cùm reciprocè se habeat subditus ad Dominum suum, quem Dominus suus ut se ipsum, de omnibus nocivis vitam & salutem impedientibus, curâ pervigili præservare tenetur, & debet.

Nempè si oppositum verum foret; staret aliquem licitè & absque culpa posse consentire in mortem sui Regis, & superioris Domini justi, & innocentis; quod non est dicendum.

Item. Licitum esset alicui venire contra juramentum, quo astringitur quis suo superiori Domino, & Reipublicæ cui præsidet: dicere enim, quòd in casu subiti & imminentis periculi, non patientis tantam moram, ut Superior remediare habeat, aut aliter evitari, absque discrimine graviori, necessitatem inevitabilem ex tali periculo inductam non habere dispensationem, aut impetrationem sibi annexam à communi casu absolventem, eo quod necessitas non habet Legem, cùm quis minimè peccare dicatur in his quæ vitare non potest; videretur injustum, & rationi penitùs dissonum. In tali enim casu malefactores, hostesque Reipublicæ occidere, aut occidi facere, Decalogi Præcepto, quo homicidium prohibitur, minimè contrariatur, prout sentit Augustinus, Libro primo, *De libro arbitrio*.

Illud nempè Præceptum, secundùm mentem sanctorum Doctorum, non excipere videtur tyrannum; cùm solùm intelligatur de occisione innocentis, seu justi; aut de illa quæ fit livore propriæ vindictæ; aut authoritate privata: quia, secundùm hoc, includit in se formaliter rationem injusti, mali, & indebiti: non autem occisio quæ fit authoritate Legum prædictarum. Si enim Reipublicæ destructor, atque subversor, authoritate judiciaria exterminari non possit; quilibet potest, authoritate publica commissâ; hoc est, authoritate Legum prædictarum, ipsum interficere laudabiliter, divinum Judicium in eum exercendo. Deus enim aliquoties interiùs monet, ut aliquis de populo contra Reipublicæ, & bonæ politiæ violatores &c. propriosque Dominos interimere machinantes, instrumentum divinæ ultionis se gerat, & illos quos non potest publica Justitia reprimere, hic executor divinæ voluntatis cautelis convenientibus, de medio tollat, prout sacra Scriptura clariùs luce de multis exemplificat: ut puta de Ajoth interficiente Eglon. Jahel Sisaram. Moyse Ægyptium, non constituto Judice Israël. Fure nocturno domum effodiente. Judith Holophernem, quæ interficiendo Holophernem fecit actum laudabilem, & meritorium, & virtuosum, prout allegat Beatus Hieronymus, in Prologo; inquiens, quòd *Pro liberatione populi sui crudeliter oppressi, invictum ab omnibus hominibus vicit, & insuperabilem superavit.* Et paulò antè ibidem; *Accipite*, inquit, *Judith castitatis viduam, & triumphali laude perpetuis eam præconis declarate.*

Item. De Samuële, qui in frusta concidit Regem Agag. De Absalon, qui Justo Dei Judicio, secundùm Dominum Nicolaum de Lyra, interfecit Ammon fratrem suum, filium Regis David. Item. Hieu, qui congregavit omnes Prophetas Baal, & eos insidiosè occidit. *Studiosè egesti quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* 4. Reg. x. 30. Hæc enim omnia, & multa alia, ex decursu Scripturæ apparent manifesta cuilibet sacras Litteras speculari volenti.

Ex prædictis exemplis, & aliis innumeris appa-
A ret, quòd quando contingit hujusmodi Politiæ, Reipublicæ, suique veri, & Supremi Domini esse tales destructores, aut destruere conantes, quantùm in eis est, machinando proditoriè in ipsius necem, odio, mente, consensu, cum intentione, & proposito pertinacibus suam damnatam intentionem opere complendi, hujusmodi cautelis occubuisse; temerarium esse videtur, à tali actu divinam dispensationem excludendo, ad inobedientiam Mandatorum Dei, vel sinistram intentionem actum illum referre: cùm tales censeantur hujusmodi Præcepti, *Non occides*, potiùs transgressores, & prævaricatores, quàm observatores, atque deffensores.

Quintò. Suppono, quòd publicis Potestatibus malorum punitio pertinet, dum ipsa Potestas publica, & juridica, per hostis violentiam quasi suffocata tenetur, ad naturalis Principis interitum, & Rei-
B publicæ desolationem: tunc malita talis destructoris fidelibus subditis videtur eò ipso punienda committi: quatenùs Princeps, Respublica, ac ipse Dei populus non peccat. Quamobrem Dominus Nicolaus de Lyra, de interfectione Sisaræ: *Judicum quarto*. Sic dicere videtur: „ Jaël interficiens Sisaram, non solùm fecit rem licitam; sed meritoriam: „ sciebat enim, quòd ipse Sisara erat oppressor maximus fidelis populi, cujus Fidei ipsa erat *, ea „ propter, sicut membrum illius Communitatis, habuit justum titulum, absque aliquo Mandato interficiendi eum. „

Sextò. Suppono, ex tertio *Politic.* & octavo *Ethicorum*, quòd Monarchiarum alia optima scilicet Regnum. Alia pessima, & Regno contraria scilicet tyrannis. Tyrannidum verò, ea propriè & maximè videtur tyrannis, quæ existens distorta, est incor-
C rigibilis Principatus Monarchicus, ad bonum proprium, & non Reipublicæ conferens. Regnum verò propriè, ut ponit ibidem Aristoteles, est Monarchia cui principatur quis liberè, secundùm Dominationem universalem, sine ulla ipsius arctatione, ad bonum Reipublicæ conferens. Tyrannorum verò alius est hostis, alius est Dominus naturalis conversus in tyrannum, ut patet octavo *Ethicorum*: & VI. *Politicæ*.

Has nempè distinctiones sacra Scriptura, sanctique Doctores admittunt, & approbant. Distinctionem verò de hoste tyranno, & naturali Domino in tyrannum converso frequenter habemus ex Scriptura sacra: ut patet, *Ezechiel*. XVIII. 33. & 38. Et dicit sanctus Thomas, in Libro suo, *De Regimine Principum*, quòd Ajoth, qui interfecit Eglon, *magis*, inquit, *judi-
D candus hostem interemisse, quàm populi Rectorem.* Tyranni igitur hostes, & usurpatores, nedùm Rempublicam opprimunt; sed ipsius Reges & Monarchas in suis Dominiis turbant, spoliare, & exheredare conantur, interficere cupiunt: imò & quidquid noxæ, aut inquietationis, seu periculi civilis, & moralis veris Regibus, & Monarchis adveniat, paulatim, vel semper, ut plurimum, non ex aliis quàm suprà dictis tyrannis hostibus provenire: quorum si non esset iniquitas, ut dicit Augustinus, sub veris Regibus & naturalibus Dominis ita Regna quieta essent, & amica pace gaudentia, sicut in composita civitate diversæ familiæ; aut in eadem familia diversæ personæ.

Quo circà, sanctus Thomas, Libro prædicto *De Re-*

* *Hic aliquid deest.*

Regimine Principum, de tyrannis hostibus sic concludit. *Fortassis autem*, inquit, *nec fidelitati contrarium reputabitur, secundùm opinionem multorum, si tyrannicæ nequitiæ qualitercumque obvietur*: Et rursùm, super secundo Sententiarum, idem dicit: *Quando aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali invasore Judicium possit fieri: tunc enim qui ad liberationem Patriæ talem tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* Sanctus enim Thomas, licèt in decursu sui Libri, *De Regimine Principum*, videatur dissuadere interfectionem tyranni qui Monarcha est, & Dominus naturalis: verùmtamen dicendum esse secùs innuit ibidem, de hoste tyranno, & non Principe naturali: clandestinam enim interfectionem Eglon Regis Moab sic salvare nititur, eodem Libro C. VII. *Quia*, inquit, *Ajoth magis judicandus est hostem interemisse, quàm populi Rectorem, licèt tyrannum, ut dictum est supra.*

Et infra, eodem Libro, sic dicit: *Non est facile*, inquit, *ut Principis, scilicet Monarchæ, & Domini naturalis perturbetur Dominium, quod tanto consensu populus amat; quapropter, de Monarcha, per tituli veritatem, non per usurpationem, dicit Rex Salomon*, Prov. XXIX. 14. *quòd* thronus in æternum firmabitur. *Hostium verò usurpantium Monarchias, Dominium cùm sit multùm odiosum*, inquit Thomas, *non potest diù conservari; eo quòd votis multorum repugnat: occasio enim deesse non potest insurgendi contra talem tyrannum; & ubi adsit occasio, non deerit ex multis unus qui occasione utatur, nec, de facili, carebit effectu, quod cum favore multitudinis attemptatur.*

Hæc & alia similia dicit Thomas, de hoste tyranno Rempublicam & titulum Monarchiæ Regalis nitentis usurpare, de quo prima Assertio, & aliæ sibi innitentes proloquuntur; quæ casum necessitatis inevitabilis, ut vitæ Principis subditus succurrat, compræhendit; nec aliud quærit, nisi conservationem verorum Monarcharum Principum, non autem interitum.

Septimò. Suppono, quòd omnis tyrannus propriè dictus, est notoriè incorrigibilis: & constat ex ipsius diffinitione, quæ talis est, *Tyrannis enim*, descripta ut supra patuit, *est incorrigibilis Principatus.* Perseverantia nempè concomitat tyrannidem notoriè, nec potest habere, conquerens de tali tyranno notoriè, recursum ad Superiorem: est nempè ut Monarcha Superiore * qui illum valeat castigare; vim quippè infert, ut potentior existens. Propterea Joannes Sarisbiriensis, in suo *Policratico* L. III. „Tyrannis, inquit, non modò publicum crimen est; „sed si fieri posset, plusquàm publicum esset.„ Et idem, *Libro* VII. „In omni gente, & populo, in„quit, manifesta est nequitia tyrannorum.„ Idcircò primam Assertionem continere in se inevitabilem necessitatem succurrendi Monarchæ in tali periculo mortis, ac suæ exheredationis constituto; patet ex his quæ nunc dicta sunt, & quæ, ut dictum est, solo hostilis tyranni nomine importantur: quibus insuper subjungitur in dicta Assertione *fraudem*, vel *sortilegium*, non allevians, sed aggravans machinatio.

Ex prædictis manifestum est quid sit tyrannus, & quid sit incorrigibilitatis perseverantia, carentia castigantis; notoriumque periculum intentus † Principis naturalis; & translationis, vel usurpationis tituli Monarchiæ, simul cum notorietate expressa ipsius tyrannidis, & omnium prædictorum tyrannidem hostium propriè dictam manifestè concomitantur: quare refert multùm inter hostem, tyrannum, & Dominum naturalem ex Rege in tyrannum conversum. His autem omnibus suppositis, venio ad determinationem dubii propositi.

Pro cujus deffensione pono hanc conclusionem: Hæ novem Assertiones contentæ in hac cedula mihi per præfatos Dominos tradita, Fidei Judicio non sunt reprobandæ. Probatur: & primò de prima, quæ dicit; *Licitum est unicuique* &c. Quia cùm tyrannus, de quo loquitur Assertio, sit tyrannus hostis; tyrannus notoriè incorrigibilis; notoriè superioris Judicis potentiam violenter, atque Justitiam, vi sua impediens; ejusque fraudibus, cupiditatibus, sortilegiis, atque malis cautelis procurans interitum; A propter quæ dicta Assertio continet in se casum necessitatis inevitabilis, ad succurrendum vitæ & Dominio Principis naturalis; vitam ipsius, & Dominium deffendendo, & vitæ invadentis hostis præferendo: sic autem approbare deffensionem usque ad interitum invasoris, est nullatenùs Fidei Judicio reprobandum, quin imò potiùs approbandum. Ergo propositum.

Item. Si veniret Judicio Fidei reprobanda, hoc maximè esset, quia obviare videretur huic Decalogi Præcepto: *Non occides.* Sed hoc non; quia secundùm quod dicit sanctus Thomas; *Occisio hominis non prohibetur in Decalogo, nisi secundùm quod habet rationem indebiti, & illiciti: sic enim Præceptum continet ipsam rationem Justitiæ.* Ergo non contrariatur Præcepto, si quis seipsum, vel innocentem Principem suum, in mortis, simul ac exheredationis periculo, aliàs inevitabili B constitutum, ita deffendat, seu deffendi faciat ab invadente tyranno; & vitam propriam, sui Principis, Reipublicæque salutem, vitæ illius hostis anteponat.

Probatur Consequentia: quia sic facere, non videtur habere rationem illiciti. Tùm primò, quia consonat instinctui, naturæ Jure sibi indito, innitentis ad sui conservationem. Tùm secundò, quia videtur etiam consonare Legibus, & ordini charitatis, quo vita temporalis propria, alienæ temporali vitæ, dilectione & conservatione præferenda est, salvo semper tamen debito moderamine inculpatæ tutelæ: ne ex impositione talis actus deffensivi ad finem conservationis intentum, actus ipse reddatur illicitus, ut dicit sanctus Thomas. Tùm tertiò, quia id ipsum consonare videtur Scripturæ sacræ, dictis, & authoritati solemnium Doctorum, prout patuit in suppositionibus: Doctores namque utriusque Juris, determinantes difficultatem casus prædicti, necessariæ deffensioni suimet, vel alterius, omnes concordare videntur. Igitur Conclusio vera.

C Istis ergo rationibus, & aliis quæ possunt fieri, patet quòd non convenit hanc Assertionem Judicio Fidei reprobari: quod si fieret; angustaretur, imò ferè prorsùs clauderetur via angustissima abjiciendi tyrannides, & aperiretur porta magna, & spatiosa hostibus, & perversis viris, & frequentatio aggrediendi tyrannias. Et sic patet totius Conclusionis sententia; & nedùm quantùm ad alias correlariè ex illa sequentes de tyranno, dictis eisdem rationibus, & probabilitate consimili, nullatenùs esse Fidei Judicio reprobandas.

Penultima verò: *Littera occidit* &c. planè intelligitur de eo sensu litterali quem recipiunt, & utuntur Doctores, & Sancti. Unde Gregorius, *super Ezechielem*, dicit: *Si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus.* Et sic, capit ibidem sensum litteralem, quem scilicet littera de se grammaticaliter exprimit. Et similem dicit Hugo, in suo *De Didascalico*. Nicolaus de Lyra; aliique quamplurimi. D

Postrema verò Assertio non dissuadet observationem juramenti, vel confœderationis, aut alligantiæ; nisi quantùm in eis, in quibus divina Lex & charitatis ordo per se obligat: non enim intendit Assertio, quòd propter bonum minimum sibi, vel uxori deffendendum, quis juramentum, vel alligantiam frangat; sed quantùm ad ea, ad quorum conserva-

* *Addendum* carens. † *Locus corruptus.*

tionem, ex divino præcepto & Lege naturali, & ordine charitatis, priusquàm juramentum fieret, vel confœderatio sibi, & suis tenebatur, ut est vitæ propriæ, uxoris, & liberorum conservatio, vel educatio, cùm cadant sub Præcepto; illud Dei Præceptum, juramentum non dissolvit, vel confœderatio; quæ etiam dum sic, intenditur, ut constat, ad bonum proprium, non ad nocumentum ordinare.

Item. Sibi, vel alteri præjudicare, habet in se rationem illliciti, nec fieri potest præjudicium sine culpa mortali, vel veniali: juramentum autem non est vinculum iniquitatis. Ergo &c.

Item. Promissio non est servanda, quæ absque scelere impleri non potest; cujusmodi est, rumpere charitatis ordinem, ad se, uxorem, & liberos, & proximum; eisdem præjudicium inferendo, ut Assertio continet.

Ex omnibus dictis patet, quòd nulla dictarum novem Assertionum venit Judicio Fidei reprobanda, cùm quælibet, ut visum, possit rationibus probabiliter sustineri.

Et hæc sint dicta sub omnimoda correctione sanctæ Sedis Apostolicæ, hujus Generalis Concilii Constantiensis, præfatorum Dominorum, salvo semper jure corrigendi, diminuendi, atque addendi in prædictis. In testimonium omnium prædictorum hîc meum manuale signum apposui. Die vigesima septima Novembris. Anno Domini 1415.

XXXIV. Deliberatio

Reverendissimi Patres, & Præstantissimi Domini. Ad quæstionem propositam, cum omnimoda humilitate submittendo omnia, & singula dicenda determinationi sacri Concili Generalis, dico pro Conclusione responsali, quòd dictæ novem Assertiones Fidei Judicio non sint reprobandæ. Ad quod dicendum sum motus, & moveor, propter tria principaliter.

Primò enim ad hoc me movet ratio sæpè facta, cui non intellexi fuisse satisfactum. Est enim ista ratio, quòd nulla Assertio videtur Judicio Fidei reprobanda, nisi sit qui eam asserat vel asseruerit: quia sic quilibet posset quotidie fingere multas Propositiones in Fide erroneas, & in ipsis totum sacrum Concilium occupare, nedùm sine fructu, sed cum magno damno; cùm per hoc retardaretur à prosecutione unionis, & reformationis Ecclesiæ, necnon extirpatione, & eradicatione hæresium, quæ eradicatio præsupponit radicationem in subjecto.

Sed dicit unus, quòd sic factum est de illo errore; de Communicatione Sanguinis popularibus & laïcis, quia nullus accusatus est specialis assertor. Dicitur, quòd non est simile: quia de hoc notorium erat scandalum in certis partibus, pluresque asserebant, nedùm licitum, imò debitum sic facere, vel fieri; sicque praticabatur continuè, ut hîc asserebatur. De dictis autem novem Assertionibus, defuncto taliter qualiter impositis, nullum est ortum scandalum, nisi per denunciatorem, & suos fautores. Antequàm enim istam materiam denunciaret, nullum oriebatur scandalum de illa, ut probaretur, si opus esset. Ergo propter solam phantasiam denunciatæ, etiam si falsæ essent, non essent Fidei Judicio reprobandæ: quia sic quotidiè quilibet posset vestris Paternitatibus mille Propositiones offerre erroneas, sine fructu, & cum damno, ut dictum est.

Secundum motivum est: quia dictæ Assertiones non repugnant alicui in sacra Scriptura contento, nec favent aliquibus per Ecclesiam damnatis, neque etiam scandalosæ sunt; aut Regiæ Dominationi injuriosæ; sicut quidam temerariè qualificaverunt. Non igitur videntur Fidei Judicio reprobandæ.

Declaratur Antecedens. Et primò; quòd non repugnat alicui in sacra Littera contento: quia si sic, hoc præcipuè videretur illi quod dicitur Exod. xx. *Non occides. Non perjurabis*. Vel illi: Exod. xxi. 14. *Si quisquis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab Altari meo evelles eum, ut moriatur*. Nulli autem istorum dictæ Assertiones repugnant. Primò namque, non repugnant illi Præcepto, *Non occides*: quoniam in hoc Præcepto non interdicitur omnis occisio, sicut quidam malè intellexerunt, etiam de plantis, & animalibus: imò nec interdicitur hominis occisio universaliter, sic quòd in nullo casu sit licitum occidere hominem: quia etiam oppositum sentientes, hominis occisionem, quæ fit authoritate juridica, & solam illam excipiunt: sed istud nullo modo sufficit; alioquin non licet furem nocturnum occidere, neque etiam vim vi repellere; in quibus casibus, sicut & in ceteris multis qui possent dari, licèt homo non occidat hominem, authoritate judiciaria; occidit tamen authoritate Legis, cujus minister est, in casu, non ex officio, sicut laïcus interdùm, baptisando. Non ergo sufficit sic glosare Præceptum illud; sed sic, ut videtur; *Non occides* innocentem, scilicet livore vindictæ, & propria authoritate.

Quantùm autem noceant tyranni, de quibus Assertiones loquuntur, non est occultum, sed manifestum: quia contra Deum occupant, aut occupare nituntur injustè, & indebitè hereditates alienas, necant parvulos, innocentes occidunt, spoliant viduas, virgines rapiunt, & Ecclesiæ & totius Reipublicæ Jura subvertunt, & indifferenter Catholicos opprimunt, Dominumque naturalem in sua Dominatione perturbant. Si igitur Scriptura dicat: Exod. xxii. 18. *Maleficos non patieris vivere*, & non sit magis maleficus quàm tyrannus, ut ex dictis patet & ex sequentibus patere potest ampliùs, sequitur quòd tyrannus occidendus est.

Dicetur forsan, quòd utique occidendus est; sed authoritate judiciaria, & ordine judiciario. Item. Quòd requiritur quòd sit notorium eum esse talem.

Pro solutione advertendum est quòd, secundùm Aristotelem. *Octavo Ethicorum*, & *Quinto Politicæ*, Tyrannorum alius est hostis: alius est Dominus naturalis.

Item. Quod secundùm Aristotelem, *in Politicis*: Tyrannis propriè, est Monarchia despotica, Regnique transgressio, & Principatus incorrigibilis, propter bonum principantis, non propter bonum subditorum.

Item notandum, quòd propriè tyrannus quicumque, est Reipublicæ oppressor potentatu Regali; & Monarchica potentia abutitur: absque Superiori repressore; sive habeat, vel usurpet titulum, seu Dominationem Monarchici Principatus, sive non. Dictæ autem Assertiones, de quibus quæritur, intelliguntur de hoste tyranno; cùm dicitur: *Licitum est occidere tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem* &c. *machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro auferendo sibi suam Dominationem* &c. Aliæ autem omnes resumunt expressè supra nominatum tyrannnum; nisi quis velit objicere, de quo? tamen hoc omninò non tacet, cùm expressè dicat, *tyranni infidelis*, in quo notatur infidelitas, non quoad Fidem Catholicam, sed quoad fidelitatem promissam, & servandam Domino naturali, quam quia non servant hujusmodi tyranni, dicuntur infideles.

Item. Ex ordine, & situ quem habet, potest sufficienter intelligi quòd loquitur de tyranno hostili sicut aliæ: est enim media inter septem, quarum tres præcedentes, & tres sequentes, de tyranno hostili expressam faciunt mentionem. Credendum est ergo etiam ex ejus situ, quòd loquitur de tyranno hostili: si enim loquitur de scolaribus ejus ci-

civitatis, & inter multa verba dicat, omnes ſcolares &c. diebus vadunt ultra Rhenum: illa diſtributio non intelligitur de ſcolaribus Pariſienſibus, vel Pragenſibus, ſed de illis hujus civitatis.

Si quis tamen intelligat generaliter de tyranno, quamvis rationabiliter hoc non poſſit fieri, ut dictum eſt; dici poſſet, quòd adhuc Aſſertio non dicit, quòd cuilibet liceat occidere tyrannum; ſed imperſonaliter loquitur, dicendo: *Jus eſt, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur villanè.* Et ita videtur eſſe de dictamine cujuſlibet Legis, in quodam generali tenore, ut mali puniantur; boni verò præmientur: ut qui boni ſunt, benè; qui meliores, meliùs; & qui maximè, maximè: ſic ſuo modo, qui mali ſunt, malè; qui pejores, pejùs; & qui peſſimi, viliſſimè & acerbiſſimè: tyranni autem peſſimi ſunt. Ideò &c.

Quod autem dicit Aſſertio, quòd debent mori villanè, exponitur in eadem Aſſertione conſequenter: quia dicit quòd *per cautelas, explorationes, & inſidias*, non illicitas tamen, aut aliquo modo reprehenſibiles, ſed bonas, ut ibidem, & optimas, ut dicitur in tertia, ita quod li *occidatur*, vult dicere, ſecundùm expoſitionem quam ſecum portat, quòd in occiſione hujuſmodi tyranni non oportet ſervare ſolemnitates, quæ ſervari ſolent in morte aliorum hominum, ſcilicet quòd fiat proceſſus ordinarius, aut diffidatio ſpecialis, & ſic de aliis: ſed licet uti cautelis, explorationibus, & inſidiis, bonis tamen, & optimis, ut clarè exprimitur; quia ſervando ſolemnitates in ceteris conſuetas, & ipſe tyrannus evaderet, & magis opprimeret Rempublicam poſt, quàm antè; cùm enim ſit incorrigibilis, ut dictum eſt, & Superiore carens, qui poſſit eum corrigere, notorium eſt conquerentem non poſſe habere recurſum ad Superiorem, eſt enim ut Monarcha Superiore carens, qui illum valeat caſtigare; *vim quippe infert, ut potentior exiſtens*, ſecundùm Ariſtotelem, *in Politicis.*

Ad propoſitum igitur redeundo, intelliguntur dictæ Aſſertiones de tyranno hoſtili, cùm dicitur objiciendo, quòd occidendus eſt; ſed authoritate judiciaria, & ordine judiciario. Patet ex dictis quòd hoc fieri non poteſt, quia incorrigibilis eſt, Superiore carens, qui poſſit illum caſtigare, cùm vim inferat toti Reipublicæ, potentior exiſtens: & ideò licet unicuique membro Reipublicæ pro deffenſione capitis, &, ex conſequenti, ſui ipſius, contra hujuſmodi tyranum per ſe, vel per alios uti cautelis &c. ut dictum eſt: & iſta vocatur *villana mors*, ratione prædicta; quia ſcilicet non ſervantur ſolemnitates in aliis conſuetæ.

Quòd autem dicebatur, quòd requiritur, quòd hoc ſit notorium, dicitur quòd omnis tyrannus propriè dictus, eſt notorius, quòd denominatio tyrannica conſurgit ex frequentatis, & perſeveratis actibus deſpotici Principatus, populum opprimentis: non enim ex indebita actione ſemel facta, ſortitur quis denominationem tyrannicam; ſed ex frequentibus angariatione, & oppreſſione ſubjectorum procedentibus à tyranno, perſonâ incognitâ quidem, ſed ſuperioris ſtatus & eminentiæ.

Item. Incorrigibilitas ejus monitiones ſapientum, & querelas ſubditorum præſupponit, quarum divulgatio actus tyrannidis perverſos judicat *: propter quòd dicit Joannes Sariſberienſis, III. Policratici, *Tyrannis*, inquit, *non modò publicum crimen, ſed ſi fieri poſſet, pluſquàm publicum eſſet.* Idem in VII. *In omni gente & populo*, inquit, *manifeſta eſt nequitia tyrannorum.* Manifeſtum eſt ergo tyrannum talem notorium eſſe.

Non eſt ergo contra Præceptum, *Non occides*, occidere tyrannum, & præſertim hoſtilem, etiam ſine Præcepto, & per bonas cautelas, explorationes, & inſidias; etiam ſecundùm Legem divinam, de qua minùs videretur: quia Ajoth, de interfectione Regis Eglon; & Judith, de occiſione Holofernis; ac etiam Jahel, de morte Siſaræ laudantur, & commendantur in ſacra Scripturâ, quamvis non legantur deſuper habuiſſe Præceptum. Et ita videtur, quòd ſic interficere hujuſmodi tyrannum, ſit nedùm licitum, ſed honorabile, & meritorium, ſaltem præmii temporalis, de quo etiam ipſæ Aſſertiones loquuntur.

Quia ſexta dicit, quòd *Rex debet eum remunerare, in amore, honoribus, & divitiis; ad modum* &c. Non quòd Rex debet ei dare æternam gloriam quam non habet: ſed ſicut Deus magis amavit Michaëlem & Phinées, & honoravit, & ditavit pluſquàm ante; ſic Rex debet illum qui occidit hujuſmodi tyrannum, modis ſuprà dictis, plùs amare quàm antè, eumque plùs amare, *publicando famam ſuam*, ut dicit ſeptima: nec debet inde reprehendi; imò Rex debet habere factum acceptabile, & authoriſare; non tamen ſine ordine, & menſura, *ſed quantùm opus & neceſſitas eſſet*, ut dicit quinta. Joab enim nedùm ſine Mandato, ſed contra expreſſam prohibitionem Regis David, de interfectione Abſalonis non reprehenditur; imò excuſari videtur: quia cùm de morte ipſius Joab David mandaret Salomoni; ne fortè crederetur quod propter mortem Abſalonis fieret; hoc expreſſit, quòd propter occiſionem Abner, & Amaſæ quos occidit, de Abſalonis morte non faciens mentionem, ut patet III. *Reg.* II. Et ſic videtur, quòd hujuſmodi Aſſertiones non repugnant illi Præcepto Scripturæ: *Non occides.*

Nec etiam illi, *Non perjurabis*, repugnant. Patet: quia ultima Aſſertio, quæ facit mentionem de juramento, non dicit perjurium eſſe licitum; imò quodcumque mendacium: cùm enim fuerint hujuſmodi juramenta, & promiſſa confœderationis militis ad militem ſuum, ad iſtum finem, ut ſe mutuò conſervent, confœderatores, uxores, & liberos, etiam contra nocere volentes ſe mutuò adjuvent: quantò magis ut non noceant ſibi invicem confœderantibus, uxoribus, & liberis? Si ergo alter iſtorum militum, confidens in vinculo mutui juramenti promiſſorii præſtiti veniat, & invadat, volens interficere alterius uxorem, aut liberos, dicens; Pater non infert mihi malum, ligatus eſt enim vinculo juramenti per confœderationem: numquid iſte Pater, cujus filius occiditur, vel invaditur, tenetur confœderationem, etiam juramento vallatam ſervare? Credo quòd non, quia vergit in præjudicium, & oppoſitum finem illius ad quod juramentum fiebat: ſic enim proditores, & infideles quærerent facere confœderationes cum inimicis, ut ſemel habito vinculo juramenti, non curantes * conſcientia propria, & confidentia, non obſervantia promiſſis ſervandæ per alios de cetero, ſine reſiſtentia nocerent quantùm vellent. Sic enim illi de exercitu Antiochi Regis, ſcientes probitatem Judæorum, quòd Sabbata, ſecundùm Dei Præceptum, ſecundùm quod promiſerant, vellent obſervare; venerunt ad expugnandum eos die Sabbathi, & interfecerunt mille animas, quia Judæi non reſiſtebant, timentes tranſgreſſionem: ſed dixerunt omnes: *In ſimplicitate noſtra moriamur.* Quod videntes ceteri Judæi dixerunt: *Si omnes ſic fecerimus, citiùs diſperdemur à terra; & cogitaverunt in die illa dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello in die Sabbathorum, pugnemus adversùs eum, & non moriemur omnes, ſicut mortui ſunt fratres noſtri.* I. Machabæorum. II. 40. 41. Nullus autem diceret, in hoc ipſos eſſe tranſgreſſores Præcepti, de obſervaeione Sabathi; vel promiſſi, quo promiſerant quæcumque Dominus præciperet obſervare: quia hujuſmodi obſervatio vertebatur in præjudicium vitæ, & in oppoſitum intentionis præcipientis, & promittentis.

* Forſan indicat.

* Forſan addendum eſt de.

Item. In generali concessione non veniunt quae quis verisimiliter esset negaturus, ut dicit Regula Juris: nullus autem concederet, quòd ex confoederatione fieret sibi praejudicium, uxori, aut liberis, ut notum est.

Item. Sibi, vel alii praejudicare, habet in se rationem illiciti, nec fieri potest praejudicium sine culpa mortali, vel veniali: juramentum autem non est vinculum iniquitatis.

Item. Rumperetur ordo charitatis, quo quis potiùs obligatur sibi, uxori, & liberis, quàm alteri militi, si ex juramento praejudicium inferretur.

Item. In Matrimonio, vir dat uxori potestatem corporis sui, promittendo reddere debitum petenti, similiter & uxor viro; & tamen si uxor alteri commisceatur, vir ampliùs ad hujusmodi promissa non tenetur: & ita non videtur ista Assertio nona repugnare illi Praecepto: *Non perjurabis.*

De illo dicto: *Si quis per industriam occiderit*, &c. Exod. XXI. 14. Patet ex superiùs dictis. Quòd autem non faveant damnatis per Ecclesiam, probatur: quia si sic, hoc praecipuè videretur illi nuper damnatae Propositioni: *Quilibet tyrannus*, &c. Sed hoc non, quia istae Assertiones loquuntur de tyranno hostili, ut dictum est non favent damnatis per Ecclesiam; illa autem de tyranno generaliter, sed naturali Domino in tyrannidem converso: patet; quia dicit: *per quemcumque subditum suum, vel vassallum.* Quae tyranno hostili non conveniunt, ut notum est.

Item. Illa Propositio dicit, quòd per insidias in generali, non contrahendo ad bonas, & optimas, sicut faciunt istae Assertiones, ut patet in tertia, & quarta.

Item. Illa Propositio dicit, quòd *per blanditias, vel adulationes*, quae de se malè sonant, nec forsan benè fieri possunt. Haec autem in nulla Assertionum reperiuntur.

Item. Illa dicit: *Non obstante quocumque juramento, seu confoederatione factis cum eo, qui est naturalis Dominus*, ut dictum est. Istae autem Assertiones dicunt non sic generaliter, sed in casu speciali specificando, & expresse conditionando; sic scilicet, si contingat quòd istud juramentum non cum Domino naturali, sicut illa Propositio dicit, sed factum ab uno milite ad alterum, vertatur in praejudicium unius promittentium, aut confoederatorum, sponsae, aut liberorum.

Item. Nullam necessitatem includit: istae autem casum inevitabilis necessitatis; ut vitae Principis subditus succurrat, expresse comprehendunt.

Item. Videtur approbare periculosos interitus Dominorum: istae autem non quaerunt nisi conservationem eorum, ut quilibet clarè videre potest.

Ex quibus etiam patet, quòd non favent illi de Wicleff, quòd populares possunt Dominos ad libitum corrigere, quia illa loquitur de naturali Domino. Et sic patet quòd non favent damnatis per Ecclesiam.

Quòd autem non sint scandalosae, aut Regiae Dominationi injuriosae; patet: quia provident remedium conveniens, imò necessarium, ut dictum est, contra illos, per quos omnia scandala, vel saltem maxima pars accidit, quòd in Republica, ut per hostiles tyrannos, qui nedùm Rempublicam opprimunt, sed ipsius Reges, & naturales Dominos in suis Dominiis turbant, spoliare, & exheredare conantur, interficere cupiunt; & quidquid noxae, seu inquietudinis, seu periculi civilis, & moralis veris Regibus & Monarchis adveniat, palàm est, ut plurimùm, vel semper, non ex aliis, quàm ex praedictis tyrannis hostibus provenire, *Quorum si non esset iniquitas*, ut dicit Augustinus, *sub veris Regibus, & naturalibus Dominis ita Regna quieta essent, & amica pace gaudentia, sicut in composita civitate diversae familiae, & in eadem familia diversae personae.*

Et ideò dicit Beatus Thomas, de tyranno hoste: *Fortassis nec fidelitati contrarium reputabitur, secundùm opinionem multorum, si tyrannicae nequitiae qualitercumque obvietur.* Et idem, II. *Sentent. Distinct. ult.* *Quando*, inquit, *aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali invasore Judicium possit, bono modo, fie-*
A *ri: tunc enim quid ad liberationem Patriae talem tyrannum occidit, laudatur, & praemium accipit.*

Cùm ergo praedictae Assertiones contineant quomodò hujusmodi scandalosis perturbationibus Reipublicae obviandum sit; & vitae, & securitati verorum Dominorum providere videantur; non Fidei Judicio debent reprobari ut scandalosae, ac Regiae Dominationi injuriosae.

Quantùm autem ad octavam Assertionem, quae dicit: *Littera occidit*, &c. ista videtur consonare dicto Beati Gregorii, super Ezechiele, dicentis: *Si omnia ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus.* Quid enim refert, dicere: *Omnia ad litteram sentire*, sicut dicit Gregorius, & *sensum litteralem semper tenere*? sicut dicit Assertio. Quid insuper dicere refert? *Perdere virtutem*, &, *perdere animam suam.* Ita quòd videtur, quòd Assertio*,
B sicut & Gregorius ibidem sensum litteralem dicit, quem scilicet littera de se grammaticaliter exprimit, & non est dubium quòd qui hunc sensum semper teneret in sacra Scriptura, incideret in multos errores, & consequenter in haereses, & sic occideret animam suam.

Ex quibus omnibus sequitur, quòd dictae novem Assertiones Fidei Judicio non sunt reprobandae.

Tertium motivum est, quia cùm alias ista materia in publico sit aperta, & declarata multùm solemniter, tàm pro parte affirmativa, quàm pro negativa, fueritque plenariè satisfactum ad rationes, authoritates, & exempla pro parte affirmativa, scilicet, quòd hujusmodi Assertiones sunt Fidei Judicio reprobandae; adductae rationes, & authoritates quàmplurimae, nec non difficiles quaestiones motae, quas solvere nullomodò scirem, nec intellexi quòd per
C aliquem eis fuerit satisfactum: ideò videtur mihi, quòd dictae Assertiones nullomodò sint Fidei Judicio reprobandae. Et haec dicta sint cum omni humilitate, submittendo omnia, & singula determinationi vestrarum Paternitatum, & sacri Concilii Generalis.

* *Locus corruptus.*

XXXV. Deliberatio.

SUb correctione, & determinatione sacrosanctae Romanae, & Universalis Ecclesiae, ac hujus sanctae Constantiensis Synodi ipsam Universalem Ecclesiam repraesentantis; cui, & suae determinationi, ut fidelis Catholicus, ac eidem semper obediens, & adhaerens, ac devotus, per protestationem solemnem, omnia sequentia submitto; quae à tenuitate ingenii
D mei, quamquàm de corde puro & simplici, ac Fide non ficta, & cum recta intentione, ut veritas videatur, procedant, licèt à Sicilia, pauleam post deliberationem, sine Librorum copia, legendi vel studendi opportunitate ea quae in sui dulcedine ministrare dignatus sit pauperi, quae quandoque audivisse me recolo, vel legisse.

Dicam de dubio, quo quaeritur: Utrum novem Assertiones praescriptae, in titulo cedulae huic annexae, Fidei Judicio sint reprobandae: & pro levi expeditione me* animadverto, quòd si titulus iste recipiatur generaliter pro omnibus illis Judiciis quae subsunt Fidei Christianae, in approbando, vel reprobando, praemiando, vel puniendo, aut aliter; nedùm

* *Forsan* mea.

istas

istas Assertiones, sed omnia, quæ Doctores tàm Theologi, quàm Juris Canonici dubia posuerunt, & in quibus dubiis, vel eorum ratione, pluribus in locis sunt diversi, imò contrarii, approbare, vel reprobare, Fidei Judicio sic generaliter sumpto, nihil dubium est pertinet, & incumbit: quia sic generaliter omnia resolvuntur, & reducuntur ad fundamenta Fidei Christianæ, & titulum illum, litteris aureis conscriptum, & B. Valeriano per Angelum ostensum, quod est, *Unus Deus. Una Fides, & unum Baptisma.*

Propter hoc quæro quæstionem quærere: An istæ novem Assertiones, de quibus agitur, sint de numero illarum, quas Romani Pontifices, approbantibus Conciliis, ut hæreticas & insanas damnaverunt, atque falsas, prout in Cap. *Damnamus. De Summa Trinitate, & Fide Catholica.* Et *in Cle. Nostrum. De hæreticis*, & aliis pluribus Canonibus, & Ecclesiæ sanctæ determinationibus. Et tunc dico, quòd cùm Ecclesia Catholica per Canonicas Sanctiones diversis in temporibus, & Conciliis ordinatas, distinxerit, disponendo diversorum criminum Judicia, crimina hæreticæ pravitatis commisit Inquisitoribus ejusdem, & Dominis, & Episcopis, in suis Diœcesibus, ad quos pertinet, Juri communi, contingente casu quo sustineatur & dogmatizetur aliquid ab aliquo pertinaciter quod est directè contrarium Articulis Fidei, vel dependentibus ex eisdem, aut determinationi Ecclesiæ sacrosanctæ. Et tunc in isto intelligendo dubio.

Dico pro Conclusione, quòd nulla dictarum novem Assertionum debet Fidei Judicio reprobari. Ad cujus Conclusionis evidentiam recipio, seu noto sextam & septimam Assertiones, quæ incipiunt: *Rex.* Et quia in neutra illarum aliquid ponitur, seu asseritur, quod sit nedùm de Articulis Fidei, imò de tota Scriptura sacra, nisi de præmiatione Archangeli Michaëlis, & Phinées; & illa sunt diversa, secundùm quòd actus fuerunt diversi: nam pugna Michaëlis fuit per bonam voluntatem, contra malam voluntatem Luciferi. Pugna verò Phinées, per actum exteriorem corporalem, &c. Nec ista multùm faciunt ad materiam.

Octava verò Assertio, quæ incipit: *Littera*, &c. sensu in quo sit non est contra Articulos Fidei, vel Scripturam sanctam, cùm in Scriptura sancta sint multa quæ aliter intelligi & servari non possunt: ut illud: *Cujus caro præputii circumcisa non fuerit*, &c. Gen. XVII. 14. Gregorius XVII. Et Rima, in IV. Quia licèt Circumcisio fuerit Sacramentum in Veteri Lege, vices ejus supplet Baptismus magis generaliter, & efficaciter. Ita est de omnibus ceremoniis Legalibus, quæ nunc per gratiam Dei sunt evacuatæ ad litteram, & in meliùs commutatæ: ideò textus, qui de prædictis leguntur, per allegoriam, tropologiam, vel analogiam exponuntur, prout de hoc sunt textus Beati Gregorii, *Primo Moralium, Cap.* III. & super Ezechiëlem, est *Homilia* I. *Si omnia*, inquit, *ad litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus.*

De ultima enim, quæ incipit: *In casu socialitatis*, &c. & tangit de observatione jusjurandi; textus sunt clari, in quibus est observandum, vel dicendum jusjurandum; & in quibus non: nam cùm non est vallatum, seu fulcitum suis debitis comitibus, *Justitia*, scilicet, *Judicio*, & *Veritate*; non debet dici juramentum, sed temeraria Assertio, ad quam observandam nemo tenetur, quamvis teneatur ad pœnitendum de ea, prout sunt textus, & dicta Doctorum de jurejurando, in *Cap. Si Christus.* XX. *quæst.* IV. *In malis promissis*, cum aliis Concor. Juris Canonici, & Theologiæ. Et sic illa Assertio, cùm magis cadat sub discutione, quàm sub approbatione, vel reprobatione, non est simpliciter reprobanda.

Quantùm ad primam Assertionem, quæ incipit: *Licitum est*: & secundam, quæ incipit *Leges*: & tertiam, quæ incipit etiam *Licitum*; videntur habere istæ tres suum fundamentum, quòd tyrannus, quem Aristoteles, *in suis Politicis*, & multi alii Catholici Doctores, ut sanctus Thomas de Aquino, Ægi. de Ro. Guill. Pari. Heustatius; propriè vocavit, seu vocaverunt tyrannum, qui sic sibi prodest, ut omnibus aliis noceat, & Dominium quod à solo Deo datur, auferat injustè, dominanti. Hic tyrannus qualificatus cupiditate; propter quam lapidatus Core. Fraude; propter quam occisus est Rex Moabitarum ab Ajoth, sortilegio, quod est peccare in Deum, & in proximum, & tendere arcum, quem nullus, etiam summè prudens, prævidere potest, quia satagit † in occultis, & in genere machinarum: sortilegium, potiones, & habentes fictiones, & alias negromanticas & diabolicas artes, secundùm Beatum Augustinum, pari passu ambulant. Et ideò tyrannus sic qualificatus si dicatur; cùm sit inter omnes homines malos pessimus, non permittitur vivere à Lege, quia scriptum: *Maleficos non patieris vivere*, Exod. XXII. 18. Et tales impunè, sicut suffodientes, & stratarum publicarum invasores occiduntur; non tamen sine Mandato simpliciter, & interpretativè dato: nam Lex naturalis, qua mors naturaliter refugitur, dictat occidere debere, quo ad occidendum se præparavit per insidias; & vim vi repellere cum moderamine, &c. Et Lex moralis, quæ à naturali dependet, licèt hoc præcipiat, excusat tamen sic occidentem. Lex verò divina, quæ alias Leges duas dirigit in finem debitum, in multis locis ponit sanctos viros, propter zelum bonum, ut Moyses in Ægyptios, & Israëlitas idolatras; Helias in falsos Prophetas, & in aliis multis, qui diversos peccatores, maleficos, & tyrannos occiderunt, non zelo vindictæ, nec authoritate propria, vel innocentes: tales enim à Lege divina prohibiti sunt occidi. Et sic in istis circumstantiis intelligunt sancti Mandatum Dei quo cavetur ne occides; quia certum est quod à ministris Legum moralis, & divinæ, de die in diem, multi occiduntur; sicque ex præmissis qualificationibus illius pessimi tyranni, reducuntur mihi istæ tres primæ non Judicio Fidei reprobandæ. Quarta verò, & quinta, quæ quasi dependent ex præmissis, simili modo dico eas non continere hæreticam pravitatem.

Et cùm in dubiis sit præsumendum id quod melius est, ita ut *non res sermoni, sed sermo rei sit subjectus*; ut dicit Beatus Hilarius, & recitat Magister: in primo, præsumendum est asserentem Assertiones istas, in odium peccatorum tyranniæ, avaritiæ, fraudis, & proditionis, ac sortilegii, & aliarum diabolicarum artium, & machinationum, offendentium, & offendere dispositarum divinam Majestatem in cœlis, & Regias debitas & honestas Majestates in terris, & non aperiendum viam maleficiis, imò ad claudendum, præmissa asseruisse: licèt fortè in asserendo non ædificaverunt, imò offenderunt pias aures, propter verba, *licitum, meritorium*; & alia similia in Assertionibus posita: tamen, ut prædictum est, ex dictis non creditur incurrisse hæreticam pravitatem: non est concedendum quòd omnia illa, quæ sut contra Præcepta Decalogi, ut sunt furta, rapinæ, adulteria, homicidia, & hujusmodi, subsint Judicio Fidei; nisi eo modo, quo priùs tactum est: non autem isto modo quo hîc quærit quæstio, vel ipsam quærere præsuppono. Quia tunc in Dei Ecclesia nullos alios oporteret habere Judices, nisi Inquisitores hæreticæ pravitatis. Et hæc pauca cum correctione, & determinatione, quibus supra fuit per me, subscriptis *, in præsenti materia, sine magno studio sunt deliberata, & tenuè advisata.

† *Forsan* sagittat. * *Locus corruptus.*

Videtur tamen simplicitati & imperitiæ meæ, quòd attentâ materiâ, quæ ventilatur; quæ est, ut præmittitur, piarum aurium offensiva, pacis, & boni communis æmula; & in multis casibus posset fieri, & esse scandalosa, quòd per hoc sacrum Concilium contendentibus oportunè & importunè de ea, esset perpetuum silentium imponendum; & universale Judicium hujusmodi causæ Romano Pontifici futuro, quem Deus Ecclesiæ suæ sanctæ dabit, utinam profuturum! remittendum, &c.

XXXVI. Deliberatio.

Ego &c. de Monte Carmeli, respondeo quæstioni propositæ, cùm quæritur, utrùm novem Assertiones superiùs scriptæ, sint Judicio Fidei reprobandæ. Protestationibus consuetis præmissis; non intendo aliquid dicere quod sit contra Fidem, nec contra Ecclesiæ determinationem.

Pro responsione, pono istam Conclusionem probabiliter, quòd istæ novem Assertiones non sunt Fidei Judicio reprobandæ. Probo sic: Nullæ Propositiones opinabiles habent se sicut problema neutrum; sed prædictæ novem Assertiones sunt hujusmodi. Ergo Conclusio vera. Minorem probo: quia primam Conclusionem tenet Alexander de Halis, in III. Et sanctus Thomas, in secunda secundæ. Et patet per sacram Scripturam, in multis exemplis; sicut de Moyse, qui occidit Ægyptium; & Judith, Holophernem: idemque de multis aliis legitur; & in talibus interfectionibus non reprobantur, imò commendantur. Ergo, secundùm diversos casus, sunt opiniabiles prædictæ Assertiones, quia rationes utriusque partis sunt solubiles, sicut audivi per contendentes in loco Sessionis; ita quòd, judicio suo, secundùm diversitatem casuum, & sensuum sacræ Scripturæ, sunt sustinibiles.

Item. Ex alio: quia prima Assertio, & aliquæ sequentes ex illa, judicio meo, prætendunt casum inevitabilis necessitatis, ex quo talis tyrannus tantæ potentiæ est, quòd Justitia non potest, bono modo, fieri per Supremum: nec, malo modo, potest fieri; quia omnis malus modus interficiendi est illicitus. Et sic in casu prædicto, videtur quòd interfectio Regis, vel Domini naturalis, commodè non potest vitari, nisi interfectione tyranni.

De juramento, attenta confœderatione; & de sensu litterali sacræ Scripturæ; & de multis aliis rationibus insertis in quadam cedula per Reverendos Magistros quatuor Ordinum Mendicantium confecta, cum magna maturitate, & diuturna deliberatione præhabita, materiam disputando: in quolibet enim statu specialiter, & posteà generaliter insimul congregati conclusimus sicut ibidem continetur, & illi cedulæ ex toto Jure * refero, & sigillum Officii est impressum: & protestor, quòd ista superiùs dicta, non dico ad injuriam, vel infamiam cujuscumque personæ, sed in favorem Fidei, astrictus juramento. Hæc manu propria scripsi.

* *Forsan* me, *loco* Jure.

XXXVII. Deliberatio.

Reverendissimi Patres, & Domini, ut ego &c. inutilis minister &c. sacræ Theologiæ humilis Professor, vestris obedientiam * Paternitatibus &c. Ad quæstionem, quâ quæritur, utrùm supra scriptæ novem Assertiones sunt Fidei Judicio reprobandæ. Respondeo per tres breves Propositiones, quarum prima est.

* *Forsan* obediam.

Propositio Prima.

A Licèt septem primæ Assertionum istarum non sint publicè dogmatisandæ; visis tamen, & benè attentis authoritatibus, rationibus, & persuasionibus hinc indè pro utraque parte adductis, vel adducendis, & solutionibus earumdem, quæ datæ sunt, vel etiam dari possunt; non sunt Judicio Fidei, tanquam in Fide erroneæ, reprobandæ.

Ratio primæ partis est: quia dogmatisatio illarum, esset in subversionem Reipublicæ, & laxarent hominibus ad mala paratis frena ad mala multa.

Ratio secundæ partis: quia in nullo sacri Canonis Libro, vel aliquo alio Jus Fidei tantummodò continente, prohibetur alicui subdito Regis, quin pro salute corporali ipsius Regis, & Reipublicæ, sit sibi licitum, & meritorium, sine quocumque Mandato ab homine expresso, occidere tyrannum taliter ut Assertiones istæ dicunt, in omnibus * qualificatur. Patet discurrendo per omnes Libros Bibliæ, aut per ea quæ tradita sunt nobis ad credendum, ut declarat cedula communis, per Superiores Mendicantium vestris Reverentiis exhibita.

* *Locus corruptus.*

Propositio Secunda.

B Octava Assertio, quæ dicit: *Littera occidit* &c. non est simpliciter, & absolutè, prout jacet in terminis, Judicio Fidei reprobanda.

Ratio. Quia licèt sensus litteralis in sacra Scriptura, quem intendit Author principalis, scilicet Deus; vel etiam Author secundarius, scilicet Propheta, Evangelista, vel alius Author, sit semper verus; non tamen omnis litteralis in sacra Scriptura, quem termini prima facie generant in eo qui capitur ad litteram, est semper verus: qui tamen etiam datur sensus litteralis, secundùm quod Doctores dant distinctionem de sensu litterali quem facit, & in quo fit: ut etiam dici poterit ex Gregorio, *in Moralibus*; & super *Ezechielem*; & ex Hieronymo, super *Matthæum*; & Bonaventura, *tertio Sententiarum. Distinctione ultima.*

Propositio Tertia.

C Ultima Assertio, quæ dicit, quòd *in casu socialitatis*, &c. non est consimiliter Judicio Fidei reprobanda: quoniam juramentum præjudiciale ipsi juranti, seu promittenti, vel suis, non est tenendum in tali casu, cùm sit contra ordinem charitatis. Quare &c.

Hæc sunt dicta, salvâ semper determinatione sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, atque sacri Concilii Generalis eam repræsentantis, & reverentiâ cujusque alterius aliter sentientis.

XXXVIII. Deliberatio.

Ego &c. de Monte Carmeli, cum protestationibus consuetis, quòd non intendo aliquid asserere quod sit contra determinationem sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ; ad quæstionem quâ quæritur: D Utrum novem Assertiones supra nominatæ, sint Judicio Fidei reprobandæ: pono responsalem conclusionem, quòd non.

Ad Conclusionem probandam moveor duplici motivo. Primò. Conformando me ad cedulam per Universitatem quatuor Ordinum Mendicantium vestris Reverendissimis Paternitatibus præsentatam.

Secundò. Quia materia novem Asserrionum est opinabilis, & inter Doctores sacræ Theologiæ multipli-

pliciter probabilis: & sic non sunt Fidei Judicio reprobandæ.

Item. Quia non sunt Assertiones contra Præceptum Decalogi, *Non occides*; sicut potest probari per varias rationes, quæ sub variis casibus possunt adduci, & quas probabiliter adducunt sanctus Thomas, & Alexander de Halis, & multi alii tangentes materiam dictarum Assertionum: & sic Judicio Fidei non sunt reprobandæ.

In cujus rei testimonium, præsentem cedulam scripsi manu propria, & sigillo quo utor sigillavi. Die decima tertia Decembris.

XXXIX. Deliberatio.

Ego &c. indignus Professor: fateor has novem Assertiones, de quibus quæritur, in Judicio esse valdè probabiliter condigestas; visis, & maturè discussis rationibus factis ad utramque partem contradictionis istarum novem Assertionum, quælibet illarum sit satis solubilis: nihilominùs tamen rationes probantes quòd istæ novem Assertiones non veniunt Fidei Judicio condemnandæ, sunt fortiores, apparentiores, & magis coloratæ, judicio mei ex illis intellectûs: & ideò istius Conclusionis teneo partem negativam, teste Deo, & mea conscientia. Scriptum manu propria.

XL. Deliberatio.

Ego &c. Magister in Theologia; circa dictam quæstionem ita delibero; atque meæ deliberationis causas, & rationes, pro ut sequitur, humiliter assigno, in materia præmissa, & difficili, & periculosa, propter quorumdam Dominorum relationes personales, veritatem sinceram, pro modulo, absque ulla partialitate sequendo, ac ipsius veritatis, simulque eorumdem Dominorum ex eadem domo genitorum honorem humiliter amplectendo; sub correctione Ecclesiæ, & omnium Magistrorum, & Doctorum, ita dico. Et quia circa hanc materiam duplex est difficultas in genere. Prima quidem, an expediat fieri, aut prætermitti. Secunda, quid veritatis, periculi, aut falsitatis habeat: utrumque verò examini Doctorum subjacet. Ideò circa primam difficultatem præmittuntur aliquæ suppositiones.

Prima Suppositio.

Sicut *piarum mentium est, apud se, devoto scrupulo, culpam credere, ubi culpa non est*, inquit Gregorius: sic perversarum mentium est, & gravissima proximo infertur injuria; propter favorem, vel odium; errorem, vel hæresim in altero confingere, ubi non est.

Secunda Suppositio

Cautè videtur esse ponderanda, si adducta Propositio ad Judicium Fidei, falsa ascriptione, honorem alicujus Principis, aut simultatis querelam illius cum alio Principe indirectè tangat.

Probatur. Nam in tali materia habente respectum, vel habitudinem ad Principes, vel Potentes viros, plerumque favor, vel odium sic immiscetur, quasi mutua querela, vel causa ipsorum de inter eos civili bello ad Scolecomasticum bellum transierit; & inde ipsæ vires, & potentiæ ingeniorum concupiscibilis, scilicet amore unius partis compulsa; & irascibilis, ardua quædam, & rigorosa adversus partem exosam aggrediens, & quasi strenuos actus, virtuosa fortitudine, amplecti æstimans. Hæ quidem vires in uno homine ad alterum, quasi prælientur mutuò, vice Dominorum suorum, in hujusmodi materia Principum subacta, controversiæ suæ ita feruntur sine freno, quòd includitur * penitùs cujuslibet piæ interpretationis clementia, juxta vulgare proverbium:

Non est clementia bello.

Et indè contingit quandoque, quòd intellectus qui in statu hujus viæ numquam est in pleno lumine cognoscendi, adeò rudescat; vel etiam, manente intelligentia, tanto impellatur affectionis præcipitio, ut deficiat in discernendo, vel fingat, & id quod est falsum nonnumquàm quasi verum evidens proponat.

Indè est etiam, quòd famuli illiterati, & mangones, in tali materia, cujus profundum speculabilem penitùs ignorant; solo tamen intuitu Dominorum acriter compugnant, & de his sæpè apud nos videtur experientia. Et ergo si in materiis speculabilibus, nec usquequaque habentibus relationem ad laudis, seu vituperii operationes humanas, debet caveri ne amor solus vincendi, prævalendi, vel apparendi decipiat: multò plùs in tali Principum favorosa, vel odiosa materia, diligentissimè cavendum est, ne utrinque affectio ita seducat, vel rigor odii sic impellat, quòd vel lædat finem læsam † esse livore perverso confringat: &, per consequens, adhibita convenienti cautela, ponderari debet ex quo fonte, quo zelo, & quibus modis, mediisve talem materiam contigerit, vel contingat suscitari; & quid inde damni vel commodi, pacis, vel rancoris, talis materia afferat.

Præterea, si malum est alicujus personæ minoris status, pessimum & periculosum valdè esse videtur alicujus communis, & potentis viri, exercentis publicum Principatum, famam in re tanta falsò lædere, sicut est Fides Catholica. Undè consequens est ut etiam lædatur honor, & sinistrè fama tangatur, nedùm suæ sobolis, quin imò totius sanguinis, & Domus unde originem duxit; ac infertur gravis injuria ipsi populo cui principatur.

Et ergo attentiùs multo, & graviùs circumspiciendum est de tali homine potenti, & publico, & criminoso, quàm de minori persona: tyrannis enim pauca, sive Regna etiam Christianorum ‡ aliqui interdùm regales sui criminaliter contenderunt, usque etiam quandoque ad sui principalis Monarchæ interfectionem, ac Principatus usurpationem. Non tamen reperitur, quòd Clerici fuerunt ita subtiles, quòd super illis quasi notoriè malis, crimen infidelitatis, ceteris incomparabile, Principes hæreticando fabricarent: considerabant enim illud quod infra dicetur in prima Conclusione; & quanti est periculi unâ, ut præmittitur, personâ tactâ, totius inde domus, undè est; ac etiam Dominii, cui præest, honorem, & famam ad Fidei Judicium præcipitanter trahere.

Item. Si fuerit simultas, aut querela unius Principis ad alterum in causa civili, vel aliqua alia, citra Fidem: tamen si domo, & sanguine fuerint consobrini; tanta est causa Fidei, & alias omnes singulariter excedens, quòd si in causa ista alteri partium quis quomodolibet injuriam faciat, eodem contextu alterius partis simul honorem labefaciat.

Et præterea, si in exordio, vel exitu mutuæ querelæ talium Dominorum, turpe, aut enorme quicquam uterque in alterum habuerit; tunc prudentiùs esse videtur, sagaciter subticendo, totum extinguere, quàm ululatu quorumdam affectionato, verenda hujusmodi, & utrorumque Principum, publico ventilabro, in conspectu totius mundi recensere, & Domum Regalem, veluti in theatro publico, voce furiosa diffamare. Et inde est, quòd multùm laudari debet, & approbari prudentissima humilitas illorum, qui propter hujusmodi causas, quæ vertuntur inter Prin-

* *Forsan* excluditur. † *Locus corruptus.* ‡ *Locus corruptus.*

Principes suos, plerumque ignotis vulgò earumdem causarum principiis, non præsumunt furiosa mente, vel conturbato spiritu hunc, vel alterum quomodolibet diffamare; sed potiùs lugendo, plangendo, & orando pro eorumdem Dominorum, in Jesu Christo, & in eadem Christiana domo perfecto amore, & humili obsequio pariter amplectuntur, ac utriusque pacem, & honorem nituntur conservare.

Decipiuntur autem illi, & partem utramque decipiunt, qui præcializando optimos credunt, in prædicto casu, parti favores impendere: damnosa quippe res est, Domum Regalem in Sectas & partialitates veluti convulsos, & convibilinos, schismate pestifero tunicari*, atque dividi; & interpositis Prædicationibus, Propositionibus, vel Sententiis virgiosis, nunc honorificæ censuræ de neganda sepultura ad istam partem suspectæ incredulitatis, de Fide læsa ad aliam partem schisma: siquidem inter Principes ampliùs firmatum est, & pejùs invaluit. Sic igitur præcavendum est, quòd nulla Sententia, vel Decreto, pro ut de æquissimo Judicio Universalis Ecclesiæ sentitur, schisma prædictum ulteriùs accrescat.

* *Multa hic corrupta esse videntur.*

Tertia Suppositio.

Et si Propositionis sensus, quem facit, à Fidei Judice principaliter discernitur; simul tamen conspici debet præsumpti assertoris persona; & scandalum, vel periculum, quod inde sequi proponitur: ad habendum enim illius personæ sensum, vel suæ intentionis veram interpretationem, constat plurimùm vitæ suæ, & conditionis consideratio; utpotè si famam bonam habeat; quòd vivendo, vel moriendo nullam alicujus pertinaciam habuerit; si in Studio solemni, erroribus quoque nunc, & olim purgatissimo, usque ad Theologiæ gradum, vel Magisterium per dies duos processit; si per sapientes quando monitus fuerit, confestim inobediens exstiterit; si protestatione illius, aliorumque laudabilium Theologiæ Studiorum, singulis Actibus notabilibus, sub humili jugo Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ sanctæ, atque Theologicæ Facultatis promiserit; si veros dictorum suorum expositores, atque pios, & non livorosos interpretes, humili corde habere quæsiverit; si Actus solemnes, & fructuosos olim egerit, ad opus unionis Ecclesiæ sanctæ; si denique per plures Annos, postquàm dicta sua prodidit, interveniente Universalis Ecclesiæ, ut puta Pisano, & Romano Concilio, apud suos delatores, usque post obitum suum in montibus, & irrepræhensus conversatus est. Hæc & similia, circa personam de erroris Assertione præsumptam, conspicienda & conferenda sunt.

Scandala verò etiam prospiciantur, si fuerint aliqua: & si sic; advertatur benè si in alteram, quàm hujus Assertionis causam meritò debeant resolvi. Unde si dicas, quòd incommoda, vel dispendia guerrarum egeant * Assertiones prædictæ; dicet alius, quin imò, fecerunt illam † fractiones neglectarum Legum, & Tractatuum Regiorum.

Inter istos itaque turbines videtur quòd incassùm nititur quis talia præliorum scandala in istarum Assertionum origines resolvere; & nunc de bellis civilibus, & contentionibus Principum theologizare: cùm durante guerra, ita fuerunt ignotæ prælibatæ Assertiones penès omne genus hominum, vel circa earum formam, à curiosis & affectuosis in materia, hinc indè turbando, nunc istæ, nunc aliæ in terminis, & substantia vicissim ac mutabiliter proponantur. Non enim idem est, tyrannum à suo subdito indifferenter mactari; & hostilem tyrannum, læsa Majestate, Regis sanguine sitientem, à fideli Regis vassallo per interfectionem clandestinè prohiberi: alterum autem pro altero, prout fertur, manifestissimè confictum & acceptum est.

* *Forsan* egerint. † *Forsan* illas.

Cavendum est igitur summoperè, ne, ad ulteriorem Principum divisionem, non causa scandali causa fugatur*; ne quos mutuum ferrum nondùm invicem convicit, Principes ejusdem Domus, & Sanguinis benignissimos, in desiderata pace confovendos, verbum mordax, vel abusio Scripturarum, instigante affectu deordinato, nitatur in bello confovere, & Regnum dissolvi: quod Deus avertat.

A

Istis suppositis, ponitur ista Conclusio: Possibile est Principem publicè approbare aliqua bella, cædes, insidias, aut civium afflictiones pœnales, per eumdem in alterius Principis, vel inferioris hominis bona, seu personam illatas; quæ tamen notoriè sunt injustæ: & quòd, licèt teneatur apud conscientiam pœnitere, non tamen trahendus esse videbitur idcircò ad Judicium Fidei, tanquam de Fide suspectus, etiamsi non velit reatum hujusmodi, quamvis notorium, publicè confiteri.

Prima pars declaratur sic: quia etsi approbare sententiam oppositam Fidei, moribus, Scripturæ sanctæ, aut determinationi Ecclesiæ, sit per se malum, ac Judicio Fidei condemnandum: actus tamen particulares, ut illius, vel istius cædis, belli, vel insidiarum, secundùm se, & ex sua specie, non habent quòd sint boni, vel mali, sicut homo, ex sua specie, non est albus, vel niger, sed per aliquod aliud. Et ergo nunquam, aut vix possunt tales actus, per quamcumque circumstantiarum malitiam, cum colore, vel apparentia excusationis cujuslibet simpliciter †.

B

Exindè poterit igitur actuum illorum approbatio, ad causas, seu colores præstitutos, quamvis falsè interdùm, ac insufficienter resolvi; & ita siquidem, fingendo, aut ignorando peccat sic approbatis ‡, & tenetur pœnitere. Sed quia nec actus, secundùm se, est moraliter bonus, vel malus, nec, per consequens illius approbatio, ut nudè & simpliciter cadens super actum illum, est bona, vel mala.

Fingere autem, ubi non est sufficientia coloris, vel actuum causæ prædictorum, etsi peccatum sit, & de tali dolo pœnitendum; non est tamen aliquod dogma perversum, vel errorem aliquem in Fide, aut moribus astruere; &, per consequens, approbare actus illos Litteris, verbis, aut Mandatis patentibus, quamvis malum, de quo pœnitendum, non tamen tanquam suspectum, videtur ad Fidei Judicium pertinere. Verbi gratiâ, in civilibus, Reges, aut Principes, interdùm sub colore ficto, exactiones plebi faciunt notoriè indebitas, quas unà cum suis causis, & coloribus confictis facto, verbo, litterisque patentibus commendant; neque tamen idcircò suspecti sunt de erroris, aut infidelitatis crimine.

C

In criminalibus itaque, unus Princeps, alterius quem dolosè interfecit, si Regnum usurpet, & idipsum publicè videatur commendare; iste si quidem non de errore, aut Fide Catholica, sed de tyrannide, aut malitia perversa pœnitenda, criminandus censetur.

Prudenter igitur cavendum est, ne causæ actuum prædictorum, ut belli, cædis, insidiarum, &c. ad Fidei Judicium, & examen, cui sola perversi dogmatis, vel erroris cognitio pertinet, sub involucro confusionis absurdæ reducantur: hoc esset ipsius Fidei privilegio derogare, alias causas suis æquiparando, Fidemque ipsam, & singulare Judicium ejus, unà cum suis Professoribus vilipendio, & ludibriis etiam popularibus exponere: esset insuper generare scandalum periculi; nèdùm levi Tractatu gesta hominum, & præsertim Principum laïcorum ad Forum erroris, & Judicium Fidei pro libito ducun-

D

* *Locus corruptus.* † *Hic aliquid desideratur.* ‡ *Locus corruptus.*

ducuntur; indè Fides contemnatur, quod absit, vel irruatur adversùs suos professores, tanquam de causis civilibus, & aliis, vice causarum Fidei, colludentes.

Sunt enim plures vi, dolo, aut tyrannicè multorum Dominia notoriè usurpantes, quòd publicè quasi virtutes, beneficia commendant. Sunt qui bella gesserunt notoriè injusta, & similiter approbant. Sunt qui in cædes hominum clandestinè, vel aliàs, cum injustitia manifesta surrexerunt; quasi tamen strenuos actus talia commendantes: non autem isti, vel illi, quasi de hæresi suspecti, vel errore damnabuntur, propter rationem superiùs resolutam. Sic enim Fidei Judicium statim ad singula maleficia traheretur, quod esset pericula subire, & scandala sequi.

Ex quo sequitur, quòd ille qui pridiè unum hominem interfecit, quantumcumque per modum qui sequitur, causas frivolè confingendo, illud factum approbaret: quippe nihilominùs maneret reus criminis, sed non reus hæresis. Undè si interrogetur; cur occidisti? & ipse respondeat, quòd licet impunè hominem interfici; tunc quidem reus est hæresis. Sed si ita respondeat: Istum hominem interfeci, quia justam causam, vel occasionem habui quam non dicam vobis. Vel: Ipsum justè interfeci, quia me primùm occidere voluit; vel quia, Deo jubente, per revelationem hoc feci; vel quia justus Judex eram, & ille ordinariè condemnatus fuit. Si quidem ita dicat, & per omnia expresè, & notoriè mentiatur; licèt peccata, & dolos multiplicet talia fingendo: ipse tamen nullatenùs in Fide errat. Et sic patet expressus, & notorius defectus considerationis aliquorum, quibus si crederetur, oporteret Judicia criminalia, & civilia cessare, & omnia ad Fidem resolvi.

Secunda pars Conclusionis probatur: scilicet, quòd non est necesse talis offensæ publicè pœnitere. Si enim talis exigeretur ipsius pœnitentiæ publicatio, qualis fuit culpæ; tunc apostatæ, vel histriones, ac hujusmodi peccatores publici mundum propagantes, non nisi ubi gesserunt scandala, & non in Claustri secreta deploratione debitè possent pœnitentiam agere, & indulgentiam promereri. Item ea facilitate Principes & Prælati in plebis contemptum plerumque redderentur; quia de publicè interdùm commissis, ut ira, vel avaritia, publicæ punitiones eisdem infligerentur. Notorii demùm singuli peccatores, non nisi publicè culpam suam detestando, veniam consequi possent: quæ omnia & sunt valdè rigorosa, & obsunt divinæ pietati, quæ pronior est ad miserandum, quàm ad puniendum. Pastor etiam Evangelicus lapsam ovem vexisse legitur, non abjecisse, ut Ambrosius dicit. Et Salomon: *Noli*, inquit, *esse nimis justus*, Eccle. VII. 17. Et iterum: *Scriptum est: Misericordiam volo, & non Sacrificium.* Matth. IX. 13. Et Chrysostomus: *Lavant lachrymæ delictum quod pudor est confiteri.* Et Paulus ad Hebræos. Non dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios accuses, sed obedire volo Prophetæ dicenti: *Revela Domino viam tuam*, Ps. XXXVI. 5. Publica tamen expiatio delicti notorii interdùm valdè commendatur: præsertim si delictum nulla possit tergiversatione ad bonam intentionem referri, & si proximi læsio nequeat æquè, vel commodiùs reparari, etsi hoc conveniat statui pœnitentis. Undè quamvis in eodem genere peccati Clericus plùs peccet, quàm laïcus; dicunt tamen Doctores, pœnitentiam solemnem Clerico non debere injungi, ne Ordo veniat in contemptum.

Præterea, Dominus Albertus Magnus, super IV. *Sentent. Distinct.* XXVII. *huic quæstioni: An pro quolibet manifesto peccato, teneatur homo manifestam pœnitentiam agere*, sic respondet; „Dicendum, inquit, quòd non oportet quemlibet scandalisantem pœnitentiam aliis propalare, quàm Sacerdoti. Si quis fecit scandalum in communi, tenetur ad ostensionem boni exempli in communi: quia per hoc ipsum quòd vident bonum exemplum, cùm de quolibet sit præsumendum bonum, debent præsumere de præteritis pœnitentiam & remissionem. Nam sicut malum exemplum fuit illi occasio ruinæ; ita bonum exemplum debet esse eis occasio boni.„ Hæc Albertus Magnus, cujus dictis, & Sententiæ præmissæ adhærent isti Doctores, videlicet Joannes Lector, *in Summa sua Con-* A *fessorum*, *Lib.* III. Et Bartholomeus de Pisis, *in Summa, De casibus conscientiæ.*

Ex istis ergo patet Conclusio declarata, quæ multùm confert ad illa quæ circa proposita videnda erant, de expedienti: circa quod rursùm ponitur, & adjungitur, per modum advisamenti, hæc ultima Conclusio.

Ultima Conclusio.

Aliquæ sunt Propositiones, Fidei & moribus, quamquàm de longè, pertinentes, quas nec omninò asserere simpliciter, vel negare convenit; nec tamen expedit Judicio Fidei declarare: non enim ulla Propositionis condemnatio, vel approbatio, nisi relativè, & ad proponentis temeritatem, vel imminentem præcavendi periculi subsecutionem, vel ad ipsius ædificandi Corporis Ecclesiæ statim meliorem *.

B Contingere autem potest, ut in rebus videmus, Ecclesiam sanctam & piam, quædam culpabilia cautiùs dissimulando permittere, & pejoris scandali casum prævidere, ac utiliùs præcavere, quàm si gladio suæ potestatis talia mala sententialiter comprimere, vel obtundere niteretur: ut sunt lupanaria civitatum, prostibula suburbiorum, & similia. Sic etiam determinatio, vel condemnatio Propositionis, ex cujus judiciali declaratione plùs mali subsequi potest, de suscitatione periculi, quàm de fructu, aut ædificatione, videretur potiùs subticenda, quàm facienda; ut in parte sequenti, circa materiam principalem poterit declarari: & sicut ista non videretur condemnanda, si quis eam deffendendam esse proponeret, scilicet quòd non peccant Christiani Judices, districta Lege civili mortem infringentes † corporalem latronibus pro sola ablatione humanæ vitæ, C cùm Scriptura sacra contrarium, & ratio per se habeat. Tutius namque est quòd Ecclesia in istis, & similibus, dissimulando se gerat, quàm expresè Fidei Judicio talia interdicat, ne per accidens Reipublicæ scandala, aut incommoda indè majora proveniant.

Aliqua sunt etiam Fidei pertinentia, de longinquo, problematicè opinabilia, prout est: Non potuisse mundum ab æterno à Deo dependere. Et sicut est: Virginem gloriosam in peccato originali non fuisse conceptam: quorum determinatio ad alteram partem, per Judicium Fidei, plùs videretur curiosa, quàm opportuna. Et sic finis, quantùm ad ea quæ videnda erant circa primam difficultatem; quid scilicet expediat de proposita dictarum Assertionum materia fieri, aut prætermitti: quod quidem per sequentia clariùs, & diffusiùs poterit apparere, & de hoc & aliis videri Conclusio.

Circa difficultatem, quid veritatis, aut falsitatis, D probabilitatis, aut periculi habeat materia novem Assertionum, aut Propositionum, quarum prima incipit, *Licitum*, &c. aperitur sequens determinatio, sub humili submissione & benigna correctione Apostolicæ Sedis, & hujus Constantiensis Concilii Generalis.

Necesse est, ante omnia, scire quid nominis terminorum, eosque propriè accipere, & illis in præsenti materia non abuti; *Nisi enim nomen scieris*, inquit Isidorus, *cognitio rerum perit.* Et Philosophus,

* *Hic aliquid desideratur.* † *Forsan* impingentes.

primo Elenchorum: *Qui virtutis nominis sunt ignari, de facili paralogisantur.*

Prima Distinctio Aristotelis. III. Politicæ.

Quòd „Politia, vel Polucuma, idem est quod dominans civitatem. Illud autem Dominium, sive illa Politia, in qua unus principatur, vocatur Monarchia. „Ubi autem pauci, dicitur Aristocratia. Sed ubi ipsa „popularis multitudo gerit Dominium, communi „vocabulo, dicitur Politia.„

Secunda Distinctio Aristotelis. Ibidem:

„Politiarum, quædam sunt rectè conferentes ad bonum commune, ut illæ, quæ dictæ sunt. Aliæ verò „sunt transgressiones earum; ut Oligarchia, Aristocratiæ Politiæ. Tyrannis verò, Regalis Monarchiæ.„

Tertia Distinctio Aristotelis. Ibidem.

„Licet multipliciter Regnum accipiatur: propriè „tamen est Monarchia, cui principatur quis liberè, secundùm Dominationem universalem, sine ulla illius „arctatione ad bonum Reipublicæ conferens.„

Quarta Distinctio Aristotelis. Ibidem, & VIII. *Ethicorum*:

„Monarchiarum, alia optima, scilicet Regnum. „Alia pessima, & Regno contraria, scilicet tyrannis.„

Quinta Distinctio Aristotelis. Ibidem. III. *Politiæ*:

„Tyrannidum, ea propriè, & maximè videtur „esse tyrannis, quæ existens Monarchia despotica, est incorrigibilis Principatus Monarchicus, „ab bonum proprium, & non Reipublicæ conferens.„

Sexta Distinctio Aristotelis. VIII. Ethicorum. Et V. Politiæ:

„Tyrannorum alius est hostis. Alius verò Dominus naturalis, juxta prædictas distinctiones.„

Scriptura sacra, sanctique Doctores, & ipse communis usus Catholicorum, dictam propriam, & veram acceptionem Regni, & tyrannidis recipit, & approbat. In Ezechiele. Cap. XXXVII. 24. *Servus meus David super omnes erit.* Et ibidem. C. pro magno numine Deus promittit, quòd ponet populo suo caput unum, & Princeps unus erit in medio eorum. De tyrannide autem dicit Rex Salomon: *Regnantibus impiis, ruina hominum*, Prov. XXVIII. 12.

Distinctionem verò ultimam, de hoste tyranno, & naturali Domino in tyrannum converso, frequenter habemus ex Scriptura sacra. Et dicit sanctus Thomas de Aquino, Libro, *De Regimine Principum*, quòd Ajoth, qui interfecit Eglon, *magis*, inquit, *judicandus est hostem interemisse, quàm populi Rectorem, licèt tyrannum.* Hæc ille.

Correlarium Primum.

Propriè tyrannus est, quicumque Reipublicæ oppressor, Potentatu Regali, & Monarchica Potentia despoticè abutitur, absque Superiori repressore; sive talis habeat, vel usurpet titulum, seu dominationem Monarchici Principatus, sive non.

Correlarium Secundum.

Abutuntur omnes terminis, extendentes Monarchiam Regalem, vel tyrannicam, ad Rectores Scolarum, Abbates Monachorum, maritos mulierum, ut isti, vel illi Reges, vel tyranni nominentur.

Correlarium Tertium.

Tyrannus propriè definitur, secundùm Philosophum, quòd „est Monarchia despotica, Regnique „transgressio, & Principatus incorrigibilis propter „bonum principantis, non propter bonum subditorum.„ Incorrigibilis quidem: tùm quia caret Superiori castigante: tùm quia pessima transgressio interiùs pervertens, optimæ Regali Politiæ contraria: tùm quia si inter tot clamores, & querelas oppressorum emendaretur, jam tyrannus non esset; & sic est incorrigibilis, corruptibilis tamen facilè: quia, ut dicit Philosophus: *Furtivè viventes, facilè contemptui fiunt, & multas importunitates dant insurgentibus.*

Correlarium Quartum.

A Omnis Tyrannus propriè dictus, est de facto notoriè talis: consurgit enim denominatio tyrannica, à frequentatis & perseveratis actibus Monarchici despotici Principatus; & communiter, accidente transgressione Monarchiæ Regalis, populum opprimente. Non enim ex indebita exactione semel facta, fortitur quis denominationem tyrannicam, & ex frequentata angariatione, & oppressione subjectorum, procedente à tyranno, personâ quidem non parvulâ*, vel incognitâ, & superioris status, & eminentiæ. Et sic patet notorietas tyrannidis; quæ præterea in hoc apparet, quòd incorrigibilitatem, ut dictum est, compræhendit. Incorrigibilitas verò monitiones sapientum, & querelas subditorum præsupponit, quarum divulgatio, actus tyrannidis perversos inducit.

Et ergo palam est, tyrannum, in eo quòd tyrannus, notorium esse. Ideò Joannes Sarisberiensis, B III. *Policratici*: *Tyrannus*, inquit, *non modò publicum crimen, sed si fieri posset plusquàm publicum esset.* Et idem, *Lib.* VII. *In omni gente, & populo*, inquit, *manifestè est nequitia tyrannorum.* Ad hoc est etiam numerata, V. *Politica*, per Aristotelem: *Multiplicitas effectuum tyrannorum, pro magna sui parte jugiter consequentium tyrannidem, ut in voluntariis principari*, &c.

Correlarium Quintum.

Omnis tyrannus propriè dictus, est notoriè incorrigibilis. Ipsa namque descriptio, vel diffinitio est, quæ rem ipsam, vel sui simplicis nominis significationem indicat, vel explicat, &, ut sic dicam, notorisat. Tyrannis autem descripta est, quòd est incorrigibilis Principatus. Igitur propositum.

Correlarium Sextum.

C Notorium est, de tyranno conquerentem non posse habere recursum ad Superiorem: est enim ut Monarcha, Superiore carens, qui illum valeat castigare, vim quippè infert, ut potentior existens. Igitur propositum.

Correlarium Septimum.

Monarchâ verò, & naturali Principe per absentiam, vel aliàs impeditis; si quis inferior in illam Monarchiam despoticè gubernando notoriè assurgat, & tyrannus æstimatur; quamvis verbo nundùm sibimet titulum Monarchicum expresè ascribat: periculosum est tamen notoriè non impediti naturalis Monarchæ † vitam titulum Dominii tollat. Patet satis de se: dùm enim tyrannum movet cupido, D ut fractis Legibus, Rempublicam desiderio proprietatis absorbeat; nulli dubium, periculum esse, ne amore proprio ductus, Monarcham verum, etiam interimendo, prorsùs excludat. Non enim placet sibi futurum habere repressorem. Hæc omni homini plusquàm proverso ‡ notoria sunt.

* *Forsan* non privatâ. † *Forsan legendum* ne vitam, & titulum. ‡ *Locus corruptus.*

Corre-

Correlarium Octavum.

Perseverantia tyrannidem notoriè concomitatur. Patet ex dictis: non enim solus actus unus; sed pluralitas, & frequentia actuum perversorum, despoticè monarchisando, tyrannum denominant.

Correlarium Nonum.

Prima Assertio, *Licitum est*, &c. continet in se necessitatem inevitabilem succurrendi Monarchæ, in tali periculo mortis, ac suæ exheredationis constituto. Patet ex his quæ nunc dicta sunt; & quæ, ut dictum est, solo hostilis tyranni nomine importantur: quibus insuper subjungitur in Assertione, fraudis, vel sortilegii non allevians, sed aggravans machinatio.

Correlarium Decimum.

Epilogat manifestum esse quid sit tyrannus, & quòd incorrigibilitas, perseverantia, carentia castistigantis, notoriumque periculum interitus Principis naturalis, & translationis, vel usurpationis tituli Monarchiæ, simul cum notorietate expressa ipsius tyrannidis, & omnium prædictorum; tyrannidem hostium propriè dictam manifestè concomitatur.

Correlarium Undecimum.

Multùm refert inter hostem tyrannum, & Dominum naturalem ex Regno in tyrannidem conversum. Thomas enim, in decursu sui Libri, *De Regimine Principum*, licèt videatur dissuadere interfectionem tyranni, qui Monarcha est, ut Dominus naturalis; tùm quia si insurgentes nequeant prævalere, ille plùs indè provocatus, magis desæviet; tùm quia dissidia, diversionesque in populo majores indè proveniunt; tùm quia Monarcham pejorem, ac in tyrannide cautiorem cintingit interdùm posteà institui; ut de quodam Dionysio, & successore pessimo narrat idem Thomas, & Valerius Maximus, *Lib.* I. Verumtamen, dicendum secùs esse, innuit Thomas, ibidem, de hoste tyranno, & non Principe naturali: clandestinam enim interfectionem Eglon Regis Moab sic salvare nititur. *Eod. Libro. Cap.* VII. *Quia*, inquit, *Ajoth magis judicandus est hostem interemisse, quam populi Rectorem, licèt tyrannum*, Judic. III. & & infra, eodem Libro, *De Regimine Principum*, sic dicit: *Non est facilè*, inquit, *ut Principis, scilicet Monarchæ, & Domini naturalis perturbetur Dominium, quod toto consensu populus amat. Et quia amanti nihil difficile*, inquit Sapiens.

Indè est quòd si interveniat despoticum regimen; nihilominùs amor naturalis ad Dominum naturalem, cogit subditos omnia humiliter sufferre, & prout de quodam Regno Barbarorum, III. *Politiæ*, loquitur Aristoteles: *Dilectio naturalis in Principem, in tantum facit à tyrannica recedere, ut ipsum Principem naturalem, quamvis Rectorem despoticum, diligant ac custodiant.* Et ideò de Monarcha, per tituli veritatem, non per usurpationem, dicit Rex Salomon, quòd *Thronus ejus in æternum firmabitur*, Prov. XXIX. 14. D *Hostium verò usurpantium Monarchias, Dominium cùm sit multimodùm odiosum*, inquit Thomas, *non potest diù conservari, eo quòd votis multorum repugnat: occasio enim deesse non potest contra talem tyrannum insurgendi; & ubi adsit occasio, non deerit ex multis unus qui occasione non utatur, nec de facili carebit effectu, quod cum favore multitudinis attemptatur.* Hæc, & multa similia dicit Thomas, de tyranno hoste Rempublicam & titulum Monarchiæ Regalis nitentis usurpare, &c.

Correlarium Duodecimum.

Infertur quantùm periculi, malitiæ, & scandali superaddet hostium tyrannis, vi sua usurpantium, vel usurpare nitentium Monarchias naturalium Dominorum; ultra malitiam despotici Regis, & Principum naturalium, ex Regno in tyrannidem conversorum. A Istos namque subditorum, ut præmittitur, naturalis dilectio supportat, & vice reciproca, plerumque Principis benevolentiam causat: tyranni verò hostes & usurpatores, nedùm Rempublicam opprimunt; sed ipsos Reges, & Monarchas in suis Dominiis turturbant, spoliare, & exheredare conantur; interficere cupiunt: imò, & quidquid noxæ, aut inquietationis, seu periculi civilis & moralis veris Regibus & Monarchis adveniat palàm est, ut plurimum, vel semper, non ex aliis, quàm supra dictis tyrannis hostibus provenire, *Quorum si non esset iniquitas*, ut dicit Augustinus, *sub veris Regibus, & naturalibus Dominis vita Regna quieta essent, & amica pace gaudentia, sicut in composita civitate diversæ familiæ, aut in eadem familia diversæ personæ.* Et ideò sanctus Thomas, Libro prædicto, *De Regimine Principum*, de B tyrannis hostibus sic concludit: *Fortasse autem*, inquit, *nec fidelitati contrarium reputabitur, secundùm opinionem multorum, si tyrannicæ nequitiæ qualitercumque obvietur.* Et rursùs, super II. *Sententiarum*, idem Thomas, dicit sic: *Quando aliquis*, inquit, *aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali invasore Judicium possit fieri: tunc qui ad liberationem Patriæ talem tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* Hæc ille.

Correlarium Decimum tertium.

Infertur, quòd evidens, & notoria est diversitas, vel discrepantia; imò & ex intentione, contrarietas illius Propositionis condemnatæ, *Quilibet tyrannus*, &c. ab his Assertionibus: *Licitum est*, &c. Prima namque expressio, respectu & relatione tyranni ad suum vassallum, vel subditum, non nisi de na- C turali Monarcha, vel Principe ex Regno in tyrannidem converso intelligi potest: ista verò Assertio, &c. & aliæ illi innitentes, de solo hoste tyranno loquitur; & superiùs visa est diversitas istorum tyrannorum. *Sexta Distinctione*: & XI. & XII. *Correlariis.*

Prima insuper necessitatem includit. Ista verò, *Licitum est*, &c. casum inevitabilis necessitatis, ut vitæ Principis subditus succurrat, expressè comprehendit, ut in nono Correlario dictum fuit: & sic illa, *Quilibet*, &c. videtur approbare periculosos interitus Dominorum. Ista verò, *Licitum est*, &c. non quærit nisi conservationem ipsorum: & hoc unus parvulus judicaret, ne illa prima debebat confici, vel proponi in conspectu quorumdam Principum, prout fertur de materia tyrannidis, existens sub involucro symboli, vel similitudinis terminorum, tanquàm instrumentum forsitan execrabilis tutelæ Principis, ipsos ad discordiæ perseverantiam provocaret; undè tot strages & excidia poterant provenire. Dimissa igitur illa damnata Propositione, *Quilibet tyrannus*, tanquàm impertinente; nunc circa tyrannidem hostium, ad sensum, & intentum illius Propositionis, vel Assertionis: *Licitum est*, &c. formatur sequens Conclusio.

Prima Conclusio principalis.

Hæc Propositio, *Licitum est*, &c. quæ sub Assertionis vocabulo formatur, videtur tyrannidi hostium expressè contrariari, & Dominis & Principibus favere; non

non videtur tanquàm Fidei præjudicans, debere sententialiter à sacro Concilio condemnari.

Probatur prima pars. Est enim tyrannus, de quo loquitur Assertio, notoriè tyrannus, notoriè incorrigibilis, notoriè superioris Judicis potentiam violenter, atque Justitiam vi sua impediens, simulque imminet extremum periculum interfectionis Monarchæ, & translationis Dominii, prout III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. & X *Correlariis* deductum est, ex ipsa propria, & vera ratione tyrannidis hostium. Ergo, prout etiam infert Correlarium nonum, hæc Assertio, *Licitum est*, &c. continet in se casum necessitatis inevitabilis, ad succurrendum vitæ, & Dominio Principis naturalis; vitam ipsius, & Dominium deffendendo, ac vitæ invadentis hostis præferendo, ad sensum Assertionis. Sic autem Principis approbare deffensionem, usque ad interitum invasoris, est nullatenùs Fidei Judicio reprobandum. Igitur propositum.

Item. *Occisio hominis*, inquit sanctus Thomas, *non prohibetur in Decalogo, nisi secundùm quòd habet rationem indebiti: sic enim Præceptum continet ipsam rationem Justitiæ.* Ergo non contrariatur Præcepto, si quis seipsum, vel Principem innocentem suum, in mortis simul & exheredationis periculo aliàs inevitabili constitutum ita deffendat, seu deffendi faciat ab invadente tyranno, ut vitam propriam, vel sui Principis, vel Reipublicæ salutem vitæ illius hostis anteponat.

Probatur Consequentia. Quia sic facere, non videtur habere rationem illiciti. Tùm primò, quia consonat instinctui naturæ, Jure sibi indito, nitentis ad sui conservationem. Tùm secundò, quia videtur etiam consonare Legibus, & ordini Charitatis, quia vita temporalis, vitæ dilectione & conservatione *, præferenda est, salvo tamen semper debito moderamine inculpatæ tutelæ: ne ex improportione talis actus defectivi ad finem conservationis intentum, actus ipse reddatur illicitus, ut dicit Thomas. Tùm tertiò, quia idipsum consonare videtur Scripturæ sacræ, ac dictis, & authoritati solemnium Doctorum utriusque Juris, divini, & humani, intrantium, atque determinantium hujusmodi difficultatem prædicti casus necessariæ deffensionis suimet, vel alterius: inter quos reperiuntur isti Theologi materiam determinantes.

Thomas de Aquino.
Petrus de Tarentasia.
Joannes Lector.
Bartholomæus de Pisis.
Et Doctores, simul sacræ Theologiæ participes, videlicet,
Dominus Raymundus.
Bernardus, Glosator, de monte Lauduno.
Henricus Hoye.

Et ceteri Theologi plures, & Canonistæ, & Christiani Legistæ, quorum Operum, vel Librorum copia in hac civitate præsenti non habetur; inter quos nullus ab hac loquendi sobrietate discessit; quin & casum supposuerit necessitatis inevitabilis, & dixerit, plùs esse intendendum vitæ in periculo constitutæ deffensionem, quàm occisionem invadentis. Undè & Henricus Hoye, ampliùs deffendens & extendens materiam, *Libro* V. Operis sui, super C. *Interfecisti*, sic ait:

„Ego verò Henricus, credo, salvo judicio melio-„ri, quòd aliquis sine peccato mutilare, vel oc-„cidere potest invadentem alium injustè, & occi-„dere volentem, in casu, ubi vitam ipsius invasi ali-„ter salvare non potest: dummodò ad salvationem „invasi principaliter, & non ad mortem invaden-„tis intendat.„ Et ibidem: „Si aliquis vult me „interficere, possum eum prævenire, nec teneor „expectare quòd me primò percutiat; Scriptura „enim dicit: *Eripe eum, qui ducitur ad mortem*, „scilicet injustè.„ *Prov.* XXIV. 11.

* *Forsan* dilectioni & conservationi *est legendum.*

Hæc alibi deducuntur pleniùs: quæ quidem hìc recitavi, non quòd, per modum determinationis, simpliciter approbarem quid Henricus, per modum suæ credulitatis, & opinionis, posuerat: sed quatenùs A ex prædictorum consideratione, palàm videatur, non esse sententialiter reprobandum, quasi Fidei præjudicet, si quis dicat: Licitum esse Principis vitam per invadentis tyranni interfectionem conservare, prout continet Conclusio.

Item. In tanta Principis & populi necessitate, sicut continet Assertio *Licitum est* &c. Deus aliquoties monet interiùs, & docet quòd aliquis de populo, contra tyranni hostis violentiam instrumentum divinæ ultionis se gerat, & tyrannum illum, quem non potest publica Justitia reprimere, hic executor divinæ voluntatis, cautelis convenientibus de medio tollat, prout de Eglon & Sisara, Holoferne, & aliis pluribus factum esse in sacris Litteris, & aliis pluribus reperitur. Ergo quandocumque contingit tyrannum hujusmodi, cautelis similibus, occubuisse, temerarium esse videtur, à tali actu divinam dis-B pensationem leviter excludendo, vel ad inobedientiam Mandatorum Dei, vel sinistram intentionem actum illum referre.

Item. Constat quòd publicis Potestatibus malorum punitio pertinet: sed dùm publica Potestas, propria & juridica, per hostis violentiam, quasi suffocata tenetur, ad naturalis Principis interitum, & Reipublicæ desolationem; tunc malitia talis tyranni subditis fidelibus videretur eo ipso punienda committi, ut Princeps, Respublica, ac ipse Dei populus non pereat. Idcircò Dominus Nicolaus de Lyra. *De interfectione Sisaræ, Judic.* C. IV. sic dicit, quòd „Jahel in hoc fecit rem licitam & meri-„toriam: sciebat enim quòd iste Sisara erat maxi-„mus oppressor fidelis populi, cujus Fidei ipsa erat „&c. & ideò sicut membrum illius communiter ha-„bet titulum interficiendi eum.„ Et Sarisberiensi *Policratici, Libro* VIII. „Unus hostis humani generis „judicatus est,„ inquit.

C Hæc distinctio tyranni, hostilis scilicet, quâ explicatur res quæ latet in nomine; ideò concludit: sicut damnatum hostem licet occidere, sic tyrannum. In hac etiam resolutione præsentis rationis fundari viderentur dicta sancti Thomæ, in duodecimo correlario recitata: & sic patet notorius deffectus eorum, qui dicunt, quod tyrannnum convinci oportet: caret enim in eo, quòd tyrannus, convincente Justitia, & potentior existens, expressa insuper notorietas, satis convincit.

Sed contra Conclusionem, & aliquas suas probationes arguitur sic, ratione sancti Thomæ, secunda secundæ. Quæst. LXV. Art. VII. *Homicidium*, inquit, *est gravius peccatum quàm simplex fornicatio, vel adulterium: sed nulli licet committere simplicem fornicationem, vel adulterium, vel quodcumque aliud pec-D catum mortale, pro conservatione vitæ; quia vita spiritualis præferenda est vitæ temporali, & corporali. Ergo nulli licet, deffendendo se ipsum, alium occidere, ut propriam vitam conservet.* Thomas sic solvit: *Dicendum, quòd actus fornicationis, vel adulterii non ordinatur ad conservationem propriæ vitæ, ex necessitate, sicut actus ex quo quandoque sequitur homicidium.*

Item. Primâ secundæ Q. C. sic ait: *Præcepta Decalogi quantùm ad rationem Justitiæ quam continent, immutabilia sunt; sed quantùm ad aliquam determinationem, per applicationem ad singulares actus; ut scilicet hoc vel illud sit homocidium, furtum, vel adulterium, aut non; hoc quidem est mu-*

ta-

tabile: quandoque sola authoritate divina, in his quæ à solo Deo sunt instituta, sicut in Matrimonio, & in aliis hujusmodi; quandoque etiam authoritate humana, sicut in his quæ sunt commissa hominum Jurisdictioni. Hæc ille. Et sicut etiam in casu inevitabili Principis, vel suæ propriæ deffensionis, modo superiùs resoluto.

Et per hoc patet clara resolutio rationis eorum, qui dicunt, quòd sic contingeret, pro libito, interpretari Præcepta, *Non Mœchaberis, Non furtum facies*, &c. pro libito, excusare Herodem de crimine, propter cujus impugnationem Joannes Baptista Martyr fuit; & quòd licet furari pro Ecclesiis conservandis; & plures habere uxores, pro patria, vel civitate populanda; & hujusmodi: à solo enim Deo institutum est Matrimonium, penes quod, nulla authoritate humana, fieri potest mutatio. Hæc etiam includunt formalem rationem illiciti, nulloque necessitatis respectu contingit ordinari talia ad Principis, vel propriæ vitæ conservationem, prout Thomas tetigit, ut supra resolutum est.

Istis rationibus ergo patet, quòd non convenit hanc Assertionem, *Licitum est* &c. Fidei Judicio reprobari: quòd si fieret, angustaretur, imò ferè prorsùs clauderetur via angustissima abjiciendi tyrannides; & aperiretur porta magna, & spatiosa hostibus, perversis viris, licenter, & frequenter aggrediendi tyrannias: in quarum favorem, ab sit ab hac Synodo, quòd quidquam in futurum calumniabile declaret, aut determinet. Et sic patet totius Conclusionis sententia, nedùm quantùm ad alias de tyranno, dictis eisdem rationibus, & probabilitate consimili, nullatenùs esse Fide Judicio reprobandas.

Octava verò: *Littera occidit* &c. planè intelligitur de eo sensu litterali, quem littera primò facit, non quem Author litteræ primitùs intendit: & hanc distinctionem, de sensu litterali, recipiunt, & illâ utuntur Doctores sancti. Undè Gregorius, *super Ezechiel*, dicit: *Si omnia ad Litteram sentiamus, virtutem discretionis amittimus.* Et sic capit ibidem sensum litteralem, quem scilicet littera, de se, grammaticaliter exprimit, Et similiter dicit Hugo, in *Didascalicon*, & alii plures.

Postrema Assertio non dissuadet observantiam juramenti, vel confœderationis, aut alligantiæ; nisi quantùm ad ea, in quibus divina Lex, & Charitatis ordo per se obligat: non enim intendit Assertio, quòd propter unum denarium sibi, vel uxori deffendendum, quis juramentum, vel alligantiam frangat; seu quantùm ad ea, ad quorum conservationem, ex divino Præcepto & Lege naturali, & ordine Charitatis, priusquàm juramentum fieret, vel confœderatio, sibi, & suis tenebatur: ut est vita propria, uxoris, aut liberorum conservatio, vel educatio; quæ cùm cadant sub Præcepto, illud Dei Præceptum, juramentum non dissolvit, vel confœderatio; vel etiam, dum fit, intenditur, & constat ad bonum proprium, non ad nocumentum, ordinari.

Item. Sibi, vel alteri præjudicare, habet in se rationem illiciti; nec fieri potest præjudicium sine culpa mortali, vel veniali: juramentum autem non est vinculum iniquitatis.

Est ergo Conclusio ista: quòd nulla dictarum novem Assertionum venit Judicio Fidei reprobanda.

Et hæc dicta sunt, cum correctione Apostolicæ Sedis, & Concilii Generalis.

Pro resolutione quorumdam objectorum contra prædicta contentorum in cedula, incipiente: *Placeat attendere* &c. advertendum est primò, quòd conformiter ad quædam dicta superiùs, quòd, secundùm Philosophos, *in Ethicis*, & *Politicis*, cui non discordat verus, & communis modus Scripturæ, & sanctorum Patrum accipiendi tyrannidem; *Propriè tyrannus est, quicumque Reipublicæ oppressor, Potentatu Regali, seu Monarchico despoticè abutitur, ac in Regno, seu Monarchia vim infert, potentior existens, sive habeat, vel usurpet titulum, seu denominationem Monarchici Principatus, sive non.*

Et sic, prout distingunt Philosophi, VIII. *Ethicorum*. Et V. *Politiæ*. Et Gregorius in Moralibus. Et sanctus Thomas, in Libro, *De Regimine Principum*. Et Sarisberiensis. Et alii plures. „Tyrannorum propriè
A „ dictorum, alius est Dominus naturalis, ex Regno in „ tyrannidem conversus, de quo nulla novem Assertionum loquitur. Alius verò est hostis tyrannus, de „ quo in proposito, cui quidem ex ratione attemptatæ „ transgressionis eminentis Monarchiæ, effectuumque „ tyrannicorum oppressivorum populi, convenit in eo „ quòd Tyrannus notorietatis tyrannidis, ac exclusio „ recursùs ad Superiorem, vim infert, potentior existens. Tali etiam tyranno convenit notorietas extremi periculi, aufferendi vitam, & Dominium à „ naturali Principe, in cujus Monarchia hostis ille „ invasor tyrannisat, & nullus est ita cæcus, quin videat in quo vitæ suæ, & Dominationis periculo „ sit constitutus Rex, seu Monarcha, in cujus territorio qui supra assurgit, & vim infert, potentior existens, ac nititur principari; & hoc ipsum, „ tyrannis, ad hostes contracta, sufficienter in sua ratione comprænhendit." Et nihilominùs Assertio, vel
B Propositio ad idem satis explicat, & cùm hoc, tyrannidem hostilem, respectiva limitatio illius hostis ad Regem, & Dominum suum, pejori circumstantia aggravat: habet enim textus: *contra salutem corporalem sui Regis, & supremi Domini, pro aufferendo* &c. Pejor est autem, & multò periculosior tyrannia subditi, & hostis intestini, quàm extrinsecùs invadentis, ut cuilibet notum est: extremitas itaque periculi exigit omninò necessitatem succurrendi.

Et quia dictum est; tyrannica hujusmodi ratio, & ipsamet Assertio explicitè Superioris planè recursum excludit; ideò non restat, nisi vel quòd Princeps pereat, vel quòd fidelis subditus, ad sensum Assertionis, illum deffendat. Patet ergò quòd Assertio ipsa, ex sua declaratione, ac tyrannidis hostium, præsertim intrinsecorum, propria ratione, necessitatem inevitabilem sufficienter comprænhendit.
C
Cùm ergò dicitur in prædicta cedula, quòd animus occidendi, propria authoritate, à Sanctis non approbatur: dico, quòd nec animus propriam, vel sui Principis vitam, & Dominium conservandi, ac præferendi vitæ hostium tyrannorum, per Sanctos, Doctores reprobatur. Et evidens est quòd Assertio tyranni interfectionem non intendit; nisi pro quantò, ex necessitate, ordinatur ad Principis, & Reipublicæ conservationem, quod divina & humana Lege non interdicitur; & secundùm Doctores peritissimos, nullam videtur habere rationem illiciti; & sic, non præsumptuosè, vel authoritate propria, sicut aliàs deducitur; interdùm enim quis interficit aliquem ex Justitia, ut Minster Legis, quamvis non ex Officio; prout distinguit Alexander de Ha-
D lis. Et sic in proposito; cùm dicitur in eadem cedula, quod machinari, importat actionem occultam, & prolixam, &, per consequens, non inevitabilem.

Antecedens est falsum, & Consequentia non valet: machinatur enim quis nedùm occultè, & prolixè; sed exteriori interdùm, & subito. Undè *Catholicon*, machinari enim, est astutè insidiari. Præterea, quantò machinatio est occultior, & diutiùs protracta; tantò utique est periculosior, & inevitabilior existit, &, per consequens, magis subitum, ac celeriùs remedium exigit.

Cùm ultra dicitur: quòd non habet Assertio, quòd machinatur in mortem; sed *in salutem corporalem Domini sui*; nec Assertio dicit: pro auffe-

rendo vitam, sed *pro aufferendo Dominationem*. Pensetur hîc, in quali vitæ periculo Rex ille, seu Monarcha constituitur, cujus salutem corporis, & dominationem, tyrannica hostis violentia nititur aufferre. Istud solum quod Assertio continet cedula narrat, necessariissimum festinæ provisionis succursum clamat.

Prætereà, oportet quòd illa corporis salutis læsio sit valdè enormis, & morti propinqua: imò sit efficaciter, seu æquivalenter mortis inclusiva; A unde Monarcha sic invalidatur, quòd sibi Dominatio sua possit tolli. Cùm ultrà dicitur in cedula, quòd non continet Assertio, quòd hic machinetur, quasi jam habeat gladium extensum ut percutiat Regem. Verum est; sed, ut præmittitur, satis dicit, unde extremum periculum imminet, ne cum gladiis mille, palàm, vel occultè, cum telo unico, vel veneno id in quod machinatur expleat, vi, aut industria, captato tempore per hujusmodi tyrannum, quo tunc succurrendi facultas non habebitur, quæ vel nullo Jure permittitur; vel decet occurri, in tempore opportuno: ne differatur claudi stabulum, usque post amissionem jumentorum.

Et circa hoc, attendatur attentio Theologorum, & Juristarum; quomodò scilicet circa moderantiam inculpatæ tutelæ suimet, vel alterius, licitum est B servare debitam proportionem actus deffensivi, ad finem intentum conservationis.

Attentâ igitur supra dictâ violentiâ, qualitate, & conditione hostium tyrannorum. Attento discrimine quod non priuato viro, sed Principi publico, & per hoc Reipublicæ imminet. Attentis his quæ dicta sunt, & cogitari possunt; pensetur, si erat debita proportio actus deffensivi, quòd expectetur quòd Rex supra cervicem gladium habeat extensum, priusquam deffendatur.

Cùm in eadem cedula dicitur ulteriùs, quòd effectus sortilegii est incertus, dubius, & non propinquus; dicitur quòd nihilominùs hostilis tyrannus, ultra propriam tyrannidis rationem, perversior & periculosior efficitur, si in Fidei opprobrium sortilegiis misceatur.

Prætereà, Assertio, ex tyrannidis hostium propria ratione, & aliis supra dictis, satis abundat, undè videtur imminentia periculi, & necessitas occurrendi. C Nec vocabulo, cupiditatis, fraudis, & mali ingenii sic importatur actus interior; quin simul effectus exterior, ab interiori procedens, expresso machinandi opere designetur: suppositio etiam quòd hæc singula tyrannus interiùs gerat; non tamen minùs improbè, & periculosè Principi excidium parat.

Item. Qualiacumque sint media: sicut tamen actus exterior ex objecto, sic actus moralis interior, ex fine intento speciem habet, rationemque accipit bonitatis, vel malitiæ. Intenditur autem, ut dicit Assertio, exheredatio Principis, & ablatio salutis corporalis: & quantum vitæ periculum ista comportent, dictum est.

Cùm dicitur, quòd explorationes, & insidiæ important longam præmeditationem; exit licita, & conveniens proportio actus deffensivi, ad finem intentum conservationis Principis à tyranno hoste * tyrannica fortitudine sua Principis deffensionem præveniat. Idcircò in Scriptura sacra, & alibi, circa interitus tyrannorum frequentiùs intervenisse leguntur D cautelæ, vel insidiæ; quæ tamen malè possent fieri. Sed hæc Assertio non importat: & ideò dicit Sarisberiensis, quòd tyranno licet adulari, id est, insidiari, & fingere.

Cùm dicitur ultra, quòd fuerunt insidiæ juramento fidelitatis vallatæ, prout innuit nona Assertio, nitens salvare, quòd tales confœderationes non obligant. Dicendum quòd non obligant, in præjudicium divini Præcepti, & debiti ordinis Charitatis, ad intentum illius Assertionis, sicut alibi resolutum est: & ille sensu & intelligentia orbatus esset, qui diceret, quòd confœderatio cum tyranno hoste debita, à proprii Principis deffensione retraheretur.

Cùm dicitur, quòd non negat Assertio quin Justitia possit haberi, aliquo modo, per Supremum: dicit benè, *bono modo*. Dicendum, quòd Assertio posuit, quòd nullus modus conveniens possit exequi per Superiorem; cui potiùs talis executio facti, vel Judicii utique conveniret, nisi Assertio Principis potentiam, & idoneitatem excluderet, utpote si puer, vel infans existit.

Cùm ultrà dicit cedula, quòd per alios milites fieri poterat. Dicendum quod etsi pluribus Principem tueri liceat; non minùs ei licet qui primus fidelior, atque oculatior in tali necessitate accurreret: nec necessitas inevitabilis, de qua loquuntur Doctores & Canonistæ, & Legistæ, ad hunc, vel illum deffensionis authorem intelligitur referri. Quia si quis nitatur me interficere, nulla necessitate compellor, quin liberè valeam non reniti, si volo. Intelligitur ergo necessitas conditionata ex parte determinati effectus conservationis, in ordine ad deffensionem in communi: ita scilicet, quòd necessariò mihi per aliquem deffensorem succurrendum est; alioquin non possum à læthaliter * liberari, & mortem vitare.

Cùm ultra subditur de quarta Assertione, quòd non coarctatur ad casum circumstantionatum. Dicitur breviter, quòd ex ordine in quo habetur Assertio ista, inter cæteras; & ex hoc, quòd posteriores casus continentes, ad tyrannum, ut prænominatum, expressè referuntur: quia etiam in hujusmodi quarta Assertione ponitur vocabulum *infidelitatis*, quod est relativum vassalli ad Principem. Indè est, quòd contra Assertionis intentionem ad non hostes tyrannos sinistrè extenditur. Et istud clarè patet inspicienti Assertiones ipsas, ad modum scribendi, vel loquendi peritorum; qui si primitùs loquutionem suam ad aliquid speciale, & secundùm quid contraxerint; & interponi contingat distributionem vocabuli, rei de qua præcipuè habetur locutio; tunc debet intelligi distributio, *à commodo*, ut dicunt Logici: vel distributio ad præjacentem materiam contracta. Ut si Constantiæ, loquar de civibus; & interponam, quòd omnis homo vadit ad pratum: non indè sequitur quòd Basileenses vadant ad pratum. Et sic patet, quòd rationes illius cedulæ non militant; cujus actor cum illis quos insequitur, ad veritatis Scripturæ, debitique ponderis rationum intelligentiam, quàm ad commiserationem de hæresi deinceps intendat.

Advertendum est tamen, circa prædictam propriæ †, vel sui Principis necessitatem deffendendi inevitabilem; quòd qualitercumque intervenerit: nihilominùs timendum est, in Pœnitentiæ Foro; ne forsitan fuerit improportio actus deffensivi, & intentionis deffendentis, ad finem intentum conservationis. Propterea dicit glosa, & narrat Joannes Lector, *in Summa*, quòd *debet timere deffendens, ne in aliquo excesserit; vel ex indignatione, vel iracundia, seu libidine vindictæ motus, & non ex sola deffendendi necessitate hoc fecerit.* Et subdit iste Doctor: *Interiorem ergo pœnitentiam*, inquit, *debere habere, & quasi suis peccatis ascribere, quòd in tantam potuit venire necessitatem, se videlicet, seu Principem, per alterius interitum, ab interitu conservandi*, ut suprà resolutum est. Sed &c.

Ex istis omnibus, in mea deliberatione concludo, ut præmittitur, quòd decernendum est, nullam prædictarum novem Assertionum debere Judicio Fidei reprobari. Et hæc, & omnia superiora, dico humi-

* *Locus corruptus.*

* *Forsan* aliter. † *Forsan legendum* propriæ vitæ.

humiliter, sub determinatione, & benigna correctione Apostolicæ Sedis, & sacri hujus Concilii Generalis. In cujus rei testimonium, Conclusionem istam manu propria scripsi, & proprium nomen subdidi. Anno Domini, millesimo quadringentesimo decimo quinto. Vigesima sexta Mensis Novembris. Apud Constantiam, Provinciæ Moguntinensis, in Concilio Generali ibidem celebrato.

XLI. Deliberatio.

Ad Quæstionem, quâ quærebatur: Utrùm novem Assertiones, vel Propositiones jam diù propositæ, in Judicio Fidei sunt condemnandæ. Respondeo sub hac forma: quòd quia dictæ Propositiones in certis casibus debitè circumstantionatis, possunt habere aliquem sensum verum & Catholicum; ideò mihi sic videtur, quòd licèt ipsæ sic nudæ, & sine aliquo adjumento proponantur, ut jam fuerunt propositæ: nihilominùs tamen, ut puto, non veniunt in Judicio Fidei simpliciter condemnandæ; non plùs fortè quàm istæ: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei.* Joan. III, 5. Et alibi dicit Christus: *Vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Joan. XIV, ℣. 28. Et cum pluribus aliis consimilibus in sacro Canone contentis.

Nec expedit, ut puto, rebus stantibus ut nunc, tales condemnationes, aut reprobationes facere. Quid enim profuit Sententia lata Parisiis? Videmus clarè ad oculum, quòd occasione hujusmodi Sententiæ, cum sequelis ejusdem, mala plurima, & penè innumerabilia, & irreparabilia evenerunt in Regno, in maximum detrimentum, scandalum, & opprobrium dicti Regni. Videmus etiam in hac civitate Constantiensi, quomodò divisiones, discordiæ, lites, & odia quotidiè, & communiter insurgunt inter plures, qui ad hoc sacrum Generale Concilium pariter convenerunt ad bonum pacis, amoris, concordiæ finaliter obtinendum.

Item. Interdùm contingit, quòd vitare volens unum errorem, incidit in errorem contrarium. Videamus ergo, ne dùm nimis reprimimus tyrannorum adversarios; securiorem & magis tutam se videat damnandæ tyrannidis sævitia, simul & improbitas. Et sunt hæc breviter dicta, salvò semper in omnibus meliori, & saniori judicio; & specialiter, sub omnimoda correctione & emendatione Reverendissimorum Patrum Dominorum Judicum.

Humilis Abbas, &c.

XLII. Deliberatio.

Super materia novem Assertionum, examini Doctorum sacræ Theologiæ in hoc Generali Concilio Constantiensi, per ejusdem in causis Fidei Judices commissarum; suppositis protestationibus submittendi modicum *, ad quod sequitur, dictorum Judicum, & Generalis Concilii, & aliorum quorumlibet saniori Sententiæ; nihilque asserendi temerè, non cupiendi quemquam offendere, non personas accipere, non ultra jussum præsumere; sed tantummodò satagendi conscientiæ testimonium, ad interrogata sobriè, justè, & piè reddere.

Prima dictarum Assertionum, cui sex ordine sequentes innituntur, duplici sensu considero posse capi. Uno modo, ad sensum & intentionem Magistri Joannis Parvi, cum modificationibus, scilicet, conditionibus, & restrictionibus, quibus in Tractatulo suo Parisiis aliàs proposito vallata, & qualificata est; cujus Tractatuli copia formaliter, & incorruptè præsentata fuit Judicibus, de ejusque veritate sufficientibus testimoniis facta Fides: in quo sensu mihi apparet esse recipienda, de perfidissimo hostili tyranno, nobilissimum & optimum Principem, ejusque subditos, & Principatum, politica tranquillitate florentes, implacabili crudelitate; nec solito, vel communi Juris ordine remediabili; modis insuper absonis in Fide; & sortilegiis, & aliis

A superstitionibus, maleficiis &c. ad mortem proximè instantem, & mox imminens persequente, & exitialiter opprimente: quo in casu unicuique subditorum hujusmodi licitum, imò debitum esse, communi doctrina conceditur, vitam propriam, vitam multitudinis, vitamque Principis, moderato fortitudinis actu, usque ad tyranni talis interemptionem; per se tamen non intentam, celeriter, & bonis, in tam urgenti periculo, cautelis liberare, deffendere, & salvare. An autem dictus Magister benè subsumpserit, vel subsumptam Minorem satis probaverit; ignoro penitùs: & hoc impertinens est ad Fidem.

Alio modo sumi potest hæc Assertio; ut exuta, vel absoluta à conditionum, & restrictionum parte illa, quæ nondùm exprimitur, in ea denunciatarum. In quo sensu varii variè sentiunt de ipsa. Mihi autem pro modico sapere videtur, quòd nec ipsa, nec aliæ sex ab ea dependentes, sint in hoc sensu, Judicio Fidei condemnandæ.

B Movent me primò Doctorum solemnium & Catholicorum sententiæ, sive scripta, tot sæculis, usque nunc in Fide non suspecta, quorum alii tradunt, hostilem hujusmodi tyrannidem omnes habere persecutores. De quo Sarisberiensis, & alii multi; præsertim ubi judiciaria Principis executio tanti sceleris cladibus oppressa tenetur. Alii verò, quòd unusquisque, etiam privata persona, proximum debet multò magis Principem suum, non expectatis specialibus Principantium Mandatis, ab injusta, & subita morte liberare, cùm potest. *Erue*, inquit Scriptura, *eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Proverb. XXIV. Ad hoc Auctor *Summæ Confessorum*, declinat, *Libro* II. *tit.* I. *qu.* XXX. Augustinum, Ambrosium, aliosque plures allegans.

Item. Istarum Assertionum condemnatio quæ petitur, perplexas in simili materia difficultates plurimis sacræ Scripturæ passibus subingerent *, quorum expositores luculentos tractatores, vigore talis C condemnationis, vel negare, vel suspectos habere oporteret.

Item. Rationes omnes in publicam hujus Concilii Audientiam adductæ contra has Assertiones, ad probandum, eas, & earum aliquas Præceptis Decalogi repugnare; mihi, & omnibus quos super hoc audivi scientificis, & ad neutram partem inordinatè affectis, visæ sunt efficaciter, & faciliter cum Fidei sinceritate fore solubiles. Imò pars earum apparentior, & difficilior, responsionibus publicis, & solemnibus, in dicto Concilio satis est ostensa non concludere.

Item. Quo pacto, vel qua necessitate non duxerim, qua levitate extinguerentur, & sepelirentur condemnatione tali divinæ miserationis auxilia, ne D cuiquam ultra publicare, vel manifestare liceret, quòd secreto, familiarivè Spiritus Sancti consilio, non accepta ab homine officiaria potestate, persecutorem Legis, & populi Dei interficeret, sicut de Moyse, Phinées, Helia, ceterisque in Veteri Testamento plerumque factum esse conceditur; & crebriùs in præsentis gratiæ statu contingere posse, negari non debet.

Item. Condemnatio, sævissimis hujusmodi tyrannis hostilibus, impunitatis, & incompensibilitatis securitatem præstaret; undè passim laxarentur iniqui-tatis

* Locus corruptus.

* Forsan subingerit.

tatis habenæ, quod contra subditos etiam esset occasio potentissima non sperandi remedium in oppressionibus amarissimis: quod quia non minùs arbitror evitandum hac condemnatione Propositionum, quæ in sensu, & forma quibus denunciatæ sunt, nec assertorem habuerunt, nec ullibi scandalo fuerunt; nisi quantùm impugnatores earum suscitaverunt. Hac, inquam, earum condemnatione, patefieret, & quasi authorisaretur modus obscurandi faciliter famam bonam celebrium personarum, Congregationum, Principum, & Regionum, quorum dogmata, seu dicta verum sensum habentia, vel probabilia, sub aliarum Assertionum, in parte, non in toto similium, denunciatione, & condemnatione, vocibus æmulorum, vel odio certantium disseminarentur esse formaliter condemnata. Sic heu? Propositio illa: *Quilibet tyrannus*, &c. longè latèque per Orbem, error Franciæ nominatur; cùm tamen in Francia non dubium inaudita sit, & incognita: quamquàm de re quam significat, repressionem scilicet tyrannorum, præservationem Principum, & liberationem populi, tractatum sit Parisiis aliquando: quemadmodùm in omni scientia, diversæ Propositiones affirmativæ, negativæ, impertinentes, vel oppositæ versari noscuntur, & fieri circa idem.

Item. Solemnes Theologiæ sacræ Doctores, ultra quàm octoginta numero, diversorum Statuum, & Regionum, mediis astricti juramentis, in hoc Concilio, quartâ, vel scilicet, eorum parte excepta, constanter deliberaverunt: nullam dictarum novem Assertionum esse Judicio Fidei condemnandam. Quæ tot taliumque virorum deliberatio præfulta rationum mediis, numero, sensuumque pondere commendabilibus, prout eorum quisque in suo abundat, argumentum loci, ab authoritate præcelebri constituere censebitur, & fundare.

Item. Ex hac condemnatione, verisimiliter orietur insedabile divisionis, & contradictionis incentivum inter Doctores Ecclesiæ Sæculares, Regulares, Mendicantes, non Mendicantes; Doctorum etiam plurium Regionum, & Patriarum contra Doctores aliarum, inter quos haberet dicta condemnatio plurimos & sufficientissimos aliter sentientes; indeque forsitan pullularent crimina denigrandi Concilium, turbandi communem Ecclesiæ pacem, schismata confovendi, Reges & Principes ab amicitia dividendi, & alia pericula multa valdè.

Item. Quis ad plenum enarraret? Quis satis horreret, ac defleret dicta concertamina, strages hominum, urbium excidia, populamina plebæorum, intestinas super numerum discordias, odia numquàm moritura, ceterasque vastitatum calamitates, quæ, condemnationis hujus occasione, quantùm ex præteritis futurorum præsagiuntur eventus, per universum Christianissimi Regis Franciæ Monarchatum, & undique circùm circa desolabiliter & indelebiliter grassarentur. Erit ne igitur arbor bona fructus tales faciens?

Item. Non modicam perturbationis efficaciam attulisse censebitur illa vox, Spiritus sancti Oraculum, piè credita, quam venerandissima Natio Gallicana, præsidente Domino Episcopo Turonensi, die tertia Februarii: item, vigesima sexta die Martii, præsidente Domino Gebennensi, celeberrima numerositate adunita, conclamavit, & invicem utraque vice personuit, dicens: „Fiat in hac re pax, concordiæ detur opera, differatur, protendatur in alterum tempus, aufferatur, extinguatur ista turbatio, quæ dissecat unitatem nostræ charitatis, Ecclesiæ salubritatem eliminat, intendit odiorum fuliginem, & in omnium fidelium statu tranquillitatem pacis, & amicitiæ, si dimittitur, dissipabit.„

Modicum id de prima Assertione, cujus expeditio sex alias in ea fundatas satis patenter resolvit.

In octava Assertione, sententialiter petitur hæc damnari: *Qui semper tenet in sacra Scriptura sensum litteralem, occidit animam suam.* Cujus contradictoriam expressè probat Augustinus, quarto, *De Spiritu, & littera*, falsam esse; eamque sequitur sanctus Thomas, & allegat in *prima secundæ, quæst.* x. *Artic.* II. *in responsione*: *Littera*, inquit, *Evangelii occideret, nisi esset interiùs gratia Fidei, sanans ipsam authoritatem. Non est in omnibus sic sanans, & vivificans; cùm aliud sit hunc sensum litteralem tenere, & aliud Spiritu vivificante, vel Fide formata tenere.* Et, per consequens, Assertio vera esse videtur, & nullatenùs reprobanda.

Item. De litterali sensu communis terminorum impositionis non ambigitur veritatem habere. In quo sensu recipi videtur in prædicto Tractatulo Magistri Joannis Parvi.

Item. Ubi hæc Assertio habet *semper*, Tractatulus ille habet *solùm*, vel *tantùm*, si proprietas attenditur Gallici sui; quæ signorum diversitas, diversitatem sensuum generat evidentem.

Nona Assertio fundari videtur in hoc, quòd juramentum esse non debet vinculum iniquitatis, nec in exitum peccati vergere.

Item. Quòd omninò præjudicare, vel præjudicium alteri facere ex proprio quid nominis tradito per Grammaticos, Papiam, Hugocionem, Catholicon, & etiam satis usitato, importat rationem injusti, vel mali culpabilis, contra Præceptum, scilicet Legis naturæ, pariter, & divinæ; quo dicitur: *Quòd tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* De quo, *Tob.* IV. *Matth.* VII. *Luc.* VI. Et sicut non quælibet mali pœnæ inflictio est injusta; sic nec talis quælibet est præjudicium ei cui infligitur: justè enim puniuntur à Judice delinquentes, & adjiciuntur animadversioni pœnarum, quæ non sunt eis præjudicium, sed reformatio, & liberatio à reatu. Hoc modo, juramenti impletio in alterius præjudicium, vergit in exitum peccati, ad quod teneri nemo potest. Undè præfati Magistri Joannis Tractatulus, in sexta Veritatum suarum, ex qua hæc Assertio sumpta est, hoc nomen *præjudicium*, & qualiter hoc vult uti, ut palàm explicat, & interpretatur dicens: *Militum alligantiæ vergentes in præjudicium*; mox addit: *Animæ, aut vitæ promittentium*, &c. *servandæ non sunt*, quam expressionis declarationem non habet hæc Assertio. Quare antè omissa fuerit, non dijudico.

Ex præmissis, ad quæsitum respondeo negativè, quòd nulla dictarum novem Assertionum mihi videtur Fidei Judicio condemnanda, semper suppositis protestationibus, & submissionibus ante dictis. Humilis, &c. sacræ Theologiæ Professor.

XLIII. Deliberatio.

Videtur mihi quòd ista materia sit differenda, & suspendenda usque ad creationem Summi Pontificis jam futuri, Deo duce, indubitanti: quemadmodùm Christus interrogatus, an liceret *censum dare Cæsari, an non*; non dedit publicè responsionem uni parti, nec alteri, &c.

XLIV. Deliberatio.

Videtur mihi, &c. quòd Judicium istarum novem Assertionum sit differendum, & suspendendum usque ad institutionem Summi Pontificis futuri. Sic enim Salvator interrogatus, an liceret *censum dare Cæsari, an non*; non publicè determinavit se ad unam partem, nec aliam. Sed aliàs in Evangelio, cùm

cùm de eradicandis zizaniis interrogaretur, tale dedit Præceptum : *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Matth. XIII. 30.

XLV. DELIBERATIO.

QUæritur: Utrum prædictæ novem Assertiones Fidei Judicio sunt reprobandæ.

Pro intellectu primæ Assertionis ponuntur Conclusiones.

LIcèt tyrannus talis possit, mereatur, & debeat occidi; hoc tamen fieri non debet, nec licet ali- A cui, sine authoritate Superioris.

Prima pars Conclusionis patet, *Exod.* XXII. 18. ubi dicit Lex: *Maleficos non patieris vivere.* Et hujus ratio est : nam pejor est malus homo, quàm bestia; & plùs nocet, ut dicit Philosophus, I. *Politicorum*, & VII. *Ethicorum*; & Beatus Thomas, *Secunda Secundæ. quæst.* LII. *art.* II. hoc probat dicens: *Qualibet persona singularis comparatur ad totam Communitatem, sicut pars ad totum: & ideò si aliquis homo sit periculosus toti Communitati, & corruptivus ipsius, propter aliquod peccatum, salubriter, & laudabiliter occiditur, ut bonum commune conservetur; sicut membrum putridum abscinditur à corpore sano, ne totum inficiatur, quia, ut dicit Apostolus.* Modicum fermen- B tum totam massam corrumpit. I. *Cor.* V. 6.

Secunda patet, per Beatum Augustinum, in primo Libro, *De Civitate Dei*, ubi dicit, quòd *Qui sine aliqua publica administratione maleficum interficit, velut homicida judicabitur; & tantò ampliùs, quantò à Deo potestatem sibi non concessam usurpare non timuit.* Unde Apostolus, ad Rom. XIII. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas nisi à Deo: qui ergo potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

Hanc etiam partem probat Beatus Thomas, ubi suprà, *Articulo tertio*; ubi ostendit, quòd occidere malefactorem licitum est, in quantùm ordinatur ad salutem totius Communitatis, ut etiam supra patuit. Et ideò ad illum solum pertinet, cui committitur cura Communitatis, sicut ad Medicum pertinet abscissio membri putridi de corpore sano.

Quicumque occidit aliquem hominem, etiam sola inspiratione divina, * licèt non facit sine authoritate Superioris. Prima pars patet, *Matth.* XX. 15. ubi C parabolicè de Deo dicitur : *An non licet mihi quod volo facere?* Quasi diceret: utique. Undè quidam distingunt tres modos quibus licitè fit homicidium. scilicet divina inspiratione; judiciaria potestate; vel Principis Mandato: undè hoc tamen intelligendum est de eo, qui meruit occidi.

Secunda pars patet : quia Deus est ipsa summa potestas, à quo omnis potestas habetur. *Romanorum, decimo tertio.* Possibile est aliquem, imò quemlibet à Deo inspirari, ut etiam per cautelas, explorationes, insidias, & dissimulationes, etiam silendo suam voluntatem, tyrannum, sive maleficum occidat. Patet hæc Conclusio de Moyse, qui occidit Ægyptium. *Exod.* II. Item de Ajoth, qui afferens Eglon Regi Moab munera, interfecit. *Judic.* IV. Item, de Judith, quæ insidiosè, cautelosè, simulatoriè, ac deceptoriè occidit Olophernem. *Jud.* X, XI, XII. & D XIII. Et patet de multis aliis, qui in sacra Scriptura leguntur his mediis hostes Dei, & suos occidisse: & tamen ex hoc commendantur.

Ex his apparet satis quid sentiendum sit de aliis sex immediatè sequentibus, quæ quodammodò correlatoriè sequuntur ex prima Assertione.

Pro octava Assertione, ponitur talis Conclusio.

QUamquàm sensui litterali numquàm possit subesse falsum; sensus tamen litteralis, qui aliquando fuit, non est semper tenendus. Prima pars hujus Conclusionis est Beati Thomæ, in *prima parte Summæ, Quæst.* I. *Artic.* X. in responsione *ad* III. articulum; in forma. Et probatur sic. *Cujus auctor est Spiritus sanctus, illi non potest subesse falsum; sed Spiritus sanctus est author sacræ Scripturæ.* Ergo patet Major: quia ipse est *Spiritus veritatis*, Joan. XV. & XVI. & *in eo tenebræ* falsitatis, *non sunt ullæ*, I. Joan. I. Minor nota, II. *Pet.* I. ubi dicitur quòd *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Litteralis sensus, est quem Author ipsius Scripturæ intendit, ut dicit sanctus Doctor, ubi proximè supra, *in prima quæst.* Ergo nullo modo sensui litterali potest subesse falsum; nec ut sic, *littera*, id est, litteralis sensus *occidit*; imò vivificat: quia *Lignum vitæ est his qui apprehenderunt eum*, ut habetur, &c. Et sensus litteralis tàm est verus, & efficax, quòd solùm ex eo potest fieri Argumentum, ut dicit Beatus Augustinus, *in Epistola*, contra Vincentium Donatistam.

Secunda pars probatur. Nullum rationabiliter & justè prohibitum, est tenendum: sed sensus litteralis, qui aliquando fuit tenendus, est modò prohibitus. Ergo, &c. pro . . . . quòd in sacra Scriptura consideratur duplex sensus: litteralis unus proprius; alius figurativus. Nam, ut dicit sanctus Doctor, ubi proximè supra, *in responsione ad tertium articulum.* Per voces, seu verba sacræ Scripturæ significatur aliquid figurativè. Undè in Scriptura, de Immolatione Pascali, & Circumcisione, & similibus, Spiritus sanctus intendebat hoc in Veteri Lege realiter, & secundùm propriam significationem fieri debere. In Nova autem Lege, Christo adveniente, intendebat hoc alio perfectiori modo debere fieri. Uterque fuit sensus litteralis. Unus autem, scilicet proprius, secundùm propriam significationem verborum, nunc cessavit; ita quòd qui nunc hoc sic fieri debere intelligunt, à Fide dæviant, & seipsos occidunt. Contra hos loquitur Beatus Apostolus, cùm dicit: *Littera occidit*: quia adveniente figurato, cessare debet, & cessat figura.

Pro nona Assertione, ponitur talis Conclusio.

QUæcumque promissio licita, aut confœderatio, sive juramentum, quæ, vel quod non vergit in præjudicium animæ alicujus viventis hominis, semper observanda, seu observandum. Patet: nam potiùs debet homo omnem substantiam amittere, imò mortem subire, quàm contra hujusmodi confœderationem, ac juramentum venire, seu facere; quia peccaret mortaliter. Si autem aliqua promissio, confœderatio, aut aliquod juramentum vergit in præjudicium, seu damnum animæ alicujus; tunc debet in aliud bonum commutari.

Ex his omnibus elicitur Conclusio correlaria, talis videlicet.

Sicut hæ Assertiones novem non sunt aliquo modo approbandæ; ita non sunt Judicio Fidei reprobandæ simpliciter. Patet ex præmissis. Concluditur ergo, juxta meam modicam scientiam, atque conscientiam, quòd expediens est, & utile, de ipsorum determinatione pro nunc supersedere, & aliis necessariis intendere.

XLVI. DELIBERATIO.

REverendissimi Patres, & Domini in Christo. Consideratis variis oppositionibus aliquorum Doctorum, variisque casibus contingentibus circa materiam novem Assertionum; summoperè animadvertendum est, quòd in hujusmodi materia, in duplici differentia Propositiones possunt formari. Vel sunt com-

* *Locus corruptus: forsan legendum,* licitè facit, non sine;

communes universales, & minùs sufficienter restrictæ, & resolutæ, & tales sunt reprobandæ, ut patet de jam condemnata in præsenti Concilio: *Quilibet tyrannus*, &c. & quarta Assertio videtur ei similis, &c. Vel hujusmodi Propositiones sunt, aut formandæ sunt singulares, & singula*, nec resolutæ, & restrictæ ad casum inevitabilis necessitatis; sic quòd effectus, seu eventus rei tyranni sic notoriè, & pertinaciter machinantis, non valet præveniri, aut impediri, nisi per mortem, & interfectionem ipsius. Hujusmodi Propositiones in dicta materia, in dicto casu, non videntur Judicio Fidei reprobandæ: verumtamen excusabilibus, & protestationibus Catholicis, &c.

Reverendissimi in Christo Patres, & Domini. Ego, &c. Propter quòd in hac modica & inutili deliberatione, non intendo licentiam, licitatem, authoritatem, seu authorisationem Legis divinæ; de qua quidem, cum omni modestia & humilitate loqui decet. Et hæc humiliter submitto omnimodis correctioni, examinationi & determinationi vestris, Reverendissimi in Christo Patres, & Domini.

* *Forsan* singulæ.

XLVII. Deliberatio.

Reverendissimis Patribus, Dominis Deputatis, ex parte sacri Concilii Constantiensis, in causis Fidei.

Pro responsione fienda ad quæstionem propositam aliàs de novem Assertionibus, per cedulas, Magistris & Doctoribus, communicatis; an videlicet dictæ novem Assertiones sint Judicio Fidei reprobandæ: dico, cum omni correctione, aliqua & pauca quæ sequuntur, sine pertinaci Assertione; sed prout de præsenti mihi occurrit, paratus semper in omnibus sequi, & determinationem sacri Concilii tenere.

Primò. Nona Propositio mihi videtur falsa, & erronea, in sua generalitate; & sic, undè* considerata prout proponitur: eo quòd bonum fidelitatis Fidei promissæ, vel juramenti, seu confœderationis, est majus bonum quàm sit modicum lucrum temporale; pro quo tamen acquirendo, aut ejus opposito evitando, per illam Propositionem conceditur alicui licere istud bonum fidelitatis postponere, aut frangere, contra communem regulam: *De duobus bonis, melius est præferendum.*

Similiter dico de octava Assertione, quòd ipsa mihi videtur falsa, & erronea: quoniam ex illa Propositione sequitur totam Scripturam sacram esse suspectam; eo quòd omnis illius sensus sacræ Scripturæ fundatur in sensu litterali.

Dico tertiò, quoad quartam Propositionem: quia loquitur generaliter de tyranno, sine aliqua specificatione; ipsa per se absolutè sic considerata, videtur mihi falsa, & erronea, conformiter ad illam in illo sacro Concilio condemnatam, quæ incipit: *Quilibet tyrannus*, &c. Videtur enim, quòd istæ duæ Propositiones mutuò se includunt, & ideò idem judicium de ipsis.

Sed si consideretur dicta quarta Propositio, in habitudine ad tres præcedentes, & tres sequentes, sicut, videre meo, debet considerari: tunc idem videtur mihi judicium in approbando, vel reprobando eam, sicut illas; & quo ad hoc sit † considerata, nec ipsa, nec illæ aliæ, scilicet tres præcedentes, & tres sequentes, videtur mihi includere illam aliàs hîc in Concilio condemnatam, *Quilibet tyrannus*, &c. nec contra: quia dicta condemnata, loquitur generaliter de tyranno. Istæ autem Propositiones specificant, & loquuntur de tyranno, qui *Per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem sui Regis, & Supremi Domini, pro aufferendo sibi suam nobilissimam Dominationem; & quando est talis potentiæ, quòd de eo non potest, bono modo, fieri Justitia per Supremum.* Per quod apparet claram esse distantiam inter istas, & illam aliàs condemnatam.

* *Forsan* nudè. † *Forsan* sic.

Dico ultrà, quòd materia earum pertinet ad Fidem, quemadmodùm & materia prædictæ aliàs condemnatæ, *Quilibet tyrannus*, &c. Et ridiculosum videtur mihi dictum dicentium, tales Assertiones morales, seu de moralibus, non pertinere ad Fidem; periculosum, atque scandalosum.

A Dico ultrà, quod non videtur mihi, de præsenti, expediens eas condemnare, vel approbare, ne approbando eas, via, licentia, & audacia detur simplicibus, & malè intelligentibus, faciendi contra Mandatum Dei, *Non occides. Non perjurabis.*

Similiter periculum est in condemnando eas, ne per hoc Jus faveatur volentibus tyrannisare in præjudicium Reipublicæ, quibus, videre meo, in casu potest obviari, etiam per aliud, quàm per Judicem ordinarium, videlicet. . . . . extraordinario modo. Propositiones verò quæ sunt de licentia, vel de Præcepto affirmativo, licentiam, vel obligationem faciunt; non pro semper, & omni loco; sed pro tempore, & loco, debitis circumstantiis concurrentibus, quarum aliqua diffinitivè non ligat Præceptum: nec tamen, propter hoc, Assertio quæ dicit, tale quid licere, vel cadere sub Præcepto, est falsa; quia, de se, talia affirmativa intelligenda sunt pro tempore, & loco, quibus circumstantiæ ad talem actum requisitæ concurrunt. B

Periculum enim videtur mihi posse sequi in Galliis, ex condemnatione dictarum Propositionum; & rebellio etiam contra authoritatem, & facta hujus Concilii sacri: undè magis inconveniens sequeretur, quàm esset bonum proveniens ex dicta condemnatione.

Nec est multùm necessarium Concilium occupari circa condemnationes falsarum Assertionum, quæ per respectum, & relationem ad assertores; vel in particulari, respectu alicujus pertinaciter & periculosè talia asserentis; aut in communi, ex eo, quia periculosum esset, ne in una Patria, Natione, & Provincia pullularent hæreses, &c. In quo casu, ad hoc cautè agendum est, & taliter, quòd indè major fructus sequatur, quàm possit esse scandalum C quod verisimiliter dubitatur indè sequi. Et posset sic fieri, judicio meo, quòd dictæ Assertiones prohiberentur dogmatisari, propter periculum incidendi in errorem, ex simplicitate, vel malo intellectu audientium, &c.

Nec tamen fieret absoluta earum reprobatio, vel condemnatio, propter periculum fautoriæ tyrannidis; quòdque remitteretur ista materia ad unum aliud futurum Concilium, ubi non erunt tot agenda, sicut pro præsenti sunt in præsenti Concilio. Propter quod meliùs tunc poterunt istæ materiæ digeri, & examinari, quàm possint de præsenti; & sic earum veritas vel falsitas ampliùs declarari, quam huc usque factum fuerit: & ita, credebam, antè traditionem responsionum debet fieri: quod si factum fuisset, forsan specialiùs descenderem ad D declarationem veritatis, vel falsitatis dictarum Propositionum, seu Assertionum. Et hæc sunt cum omni reverentia & obedientia, quæ mihi, &c. occurrerunt dicenda.

XLVIII. Deliberatio.

Scribendo tantummodò ad quæsitum, præsuppono quatuor.

Primò. Quòd Fides est sine hæsitatione, sicque super certo se tenet: aliter enim non est Fides, sed opinio.

Secundò. Præsuppono, quòd Præcepta negativa non obligant pro semper, sicut Præcepta affirmativa. Patet: quia in casu licet furtum committere, &c.

Ter-

Tertiò. Præsuppono quòd in casu possibili licet hominem interficere, & non agere contra Præceptum Legis, *Non occides*, etiam sine quocumque Mandato.

Quartò. Opinor quòd prima Assertio, in casu possibili, potest verificari, &, in casu possibili, potest falsificari; & sic relinquitur Assertio illa prima opinabilis: & sic consequenter correlariè sequitur ista Conclusio; quòd Assertio illa prima non est Judicio Fidei approbanda, nec reprobanda. Idem potest argui de aliis Assertionibus usque ad septimam inclusivè.

Octavam verò pono esse veram.

De ultima nihil scribo.

XLIX. Deliberatio.

Ego, &c. Sic opinor, salvo semper meliori judicio, & determinatione Concilii, cui semper starem.

Præsens huic operi sit gratia Pneumatis almi,
Qui cælorum continet & orbes, & abyssos
Intuetur.

Qui semper verax existens, verum diligit; ab impiis & iniquis segregans justos, Lege Justitiæ sancta, Pater immensus, Natusque & Spiritus almus; hi tres, Deus unus, in me diffundat lucem suæ Sapientiæ magnæ; ut valeam nebulas & nodos dissolvere duros litis infra scriptæ, & quæstionis ambiguæ.

Aggressurus igitur, Deo favente, arduam materiam infra scriptæ, &c. & difficultatem manifestandæ veritatis; non amore, odio, timore, vel sensu corruptus, nec speciali ad Sortem, vel Platonem inclinatus; quia, teste Aristotele: *Amicus Plato, sed magis amica veritas.* Dicam, atque in scriptis reducam quid, secundùm conscientiam, & exiguum meæ intelligentiæ lumen, sentiam de qualibet mihi præsentata, & proposita Assertione infra scripta, & in folio applicata fuit, & annotata, juxta ordinem inferiùs positum. Primò. Notificando, & describendo quosdam terminos in Assertionibus. Secundò. Declarabo qualiter istud Præceptum, *Non occides*, sit intelligendum, secundùm Legislatoris intentionem, & sanctorum Doctorum interpretationem. Tertiò. Distinguam, & aperiam materiam Assertionum, & causæ circumstantiam. Quartò. Respondebo affirmativè, vel negativè, vel dubiè, an Assertiones mihi propositæ, & præsentatæ, sint, secundùm Fidem Catholicam Christi, condemnandæ, aut approbandæ; vel indifferenter veniant aliquo modo tolerandæ, tanquàm multiplices & ambiguæ.

Quantùm ad primam spectat: declarandi sunt isti termini, *tyrannus*, *subditus*, *Lex naturalis*, *moralis*, & *Lex divina*; & quid sit *Justitia*, & *Jus*; & hoc brevissimè.

Sciendum est ergo, quòd hoc nomen, *tyrannus*, in duplici capitur significatione, juxta usum Authorum, & sacræ Scripturæ acceptionem. Nam uno modo, *tyrannus*, idem est quòd Rex fortis, & Dominus potens: & in hac significatione derivatur & descendit ab isto nomine *tyro*. Nam *tyro*, idem est, quòd fortis: unde hactenùs Reges fortes, tyranni nominantur; de quibus Sapientia loquitur, dicens, *Sapientiæ*, capite sexto: *Per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terram.* Et isto modo, veteres nullam inter Reges, & tyrannos faciebant differentiam; nisi in quodam signo exterioris conversationis, & domesticæ familiaritatis, quod erat tangere manum tyranni. Unde Virgilius:

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Et secundùm istum modum, potest sic describi *tyrannus*: Tyrannus, est Dominus fortis, & potens, regens sibi subditos Lege, & Justitia, & publica authoritate.

A Alio modo sumitur *tyrannus*, pro pessimo, & improbo Rege, & Principe, sive Domino: & tunc dicitur *tyrannus*, à *tyro*, quod est angustia: quia angustat, & vexat minores, & subditos, sine causa & ratione, ut fuit Pharao, Nabuchodonosor, & Herodes, de quibus in sacra Scriptura legitur. In authoritatibus verò & Chronicis Paganorum; ut Catilina, Nero, Theodoricus, & alii plures: & secundùm istum modum, sic potest describi tyrannus.

Tyrannus, est Rex impius, & immitis, seu improbus, & pessimus Dominus, sine Lege vivens, sine voto Senatus, & multitudinis consensu, Dominorum sibi usurpans Dominium. Vel si est electus, luxuriosæ Dominationis cupiditatem, & crudelem Dominationem in populo exercens: qualis fuit Decius, Dionysius, Trajanus, Dacianus, & multi alii, & etiam supra dicti.

Videndum est modò de Lege triplici, scilicet naturali, morali, & divina, de qua in Assertionibus fit expressa mentio: undè in generali sic describitur.

B Lex, est quædam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam Communitatis habet, vel in persona Communitatis promulgata.

Lex Naturalis.

„Est quædam ratio naturaliter homini indita, in appetendis, & agendis directiva, per quam judicare potest bonum eligendum, & malum fugiendum.„

Et quia non est injustè agendum, & debitum unicuique non est subtrahendum, & de hoc loquebatur Propheta, dicens in Psalmo IV. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo*: hoc tamen lumen est naturalis ratio, & Lex naturalis à natura homini indita.

Sequitur de Lege Morali.

C „Lex moralis, est naturalis inclinatio, & ordinata consuetudo, regulans actus appetitivæ virtutis ad finem bonum, & removens à malo.„

Nam mos, significat quemdam motum, & naturalem inclinationem, seu bonam consuetudinem: undè etiam dicitur virtus moralis, qualis est Justitia, Temperantia, Fortitudo, & Prudentia, quæ habent regulare actus appetitivæ virtutis hominis: & sub ista continetur Lex Civilis, sive Imperialis, & describitur sic.

„Lex Civilis, est quædam rationis institutio, sive ordinatio scripta ab bonum commune, ab eo qui curam Communitatis habet, sive in ipsius persona promulgata.„ Et hanc ponit, *prima secundæ*, sanctus Thomas. *Quæst.* LXXXXI.

Lex Divina Scripta.

D „Est quædam justa, sancta, & bona ordinatio rationis divinæ, hominum cordibus indita, in Præceptis Decalogi expressa; & à Deo per Angelos, & Prophetas promulgata, ad hominis justificationem, & receptionem vitæ æternæ, per Fidem, & meritum Jesu Christi.„

Et hæc descriptio colligitur ex *prima secundæ* sancti Thomæ. *Quæst.* LXXXX. & contis* per totum.

* Locus corruptus: forsan contextis.

Diffinitio Justitiæ

„Justitia, est constans, & perpetua voluntas, Jus „suum unicuique tribuens.„ Vel sic secundùm sanctum Thomam. 2. 2. *q.* LVI. „Justitia, est habitus, „secundùm quem aliquis constans in perpetua vo„luntate, Jus suum unicuique tribuit.„ Vel sic, secundùm Philosophum: in V. *Ethicorum.*„ Justitia, „est habitus, secundùm quem aliquis dicitur opera„tivus, secundùm electionem justi.„

Et nota hîc quid sit Jus, vel justum. „Jus, vel „justum, est quod respondet secundùm qualitatem „operis; puta recompensatio mercedis debitæ, pro „servitio impenso; & pœna pro delicto.„

Item. Sciendum quòd duplex est Justitia, ut in sexto *Ethicorum* ponitur. Una commutativa: altera, distributiva. Commutativa, est secundùm quam una persona reddit æqualitatem quantitatis alteri, in datis & acceptis: ut pecuniam, pro re empta; & ista recipit ordinem partis apertæ * multitudinis, &, unius hominis ad alterum hominem. Distributiva verò, est habitus, secundùm quem redditur unicuique æqualitas suæ mercedis, vel pœnæ; quamvis sit inæqualis ex parte recipientis: quia unusquisque recipit secundùm suam conditionem, prout unus meretur magis, vel minùs; ut fur, & fornicator: majorem enim pœnam meretur fur, quàm simplex fornicator. Et hæc de primo principali.

Secundò. Principaliter declarandum est, qualiter istud Præceptum, *Non occides*, sit intelligendum, secundùm Legislatoris intentionem, & sanctorum Doctorum interpretationem. Undè materia istius Præcepti, non continet inseparabiliter rationem indebiti; imò clarum est, quòd si sumatur generaliter, secundùm rationem nominis, non est illicitum occidere: quin imò, in multis casibus, licitum est, secundùm Legem Divinam, quæ dicit, Exod. XXII. 18. *Maleficos non patieris vivere super terram.* Et secundùm Leges humanas, quæ idem dicunt in pluribus casibus: & ideò non pertinet ad Præceptum Decalogi, non occidere, secundùm rationem generalis nominis. Restat ergo, quòd illud Præceptum, *Non occides*, ut pertinet ad Decalogum, ut † intelligatur de occisione innocentis, ut Lex videtur exponere, dùm excipit maleficos. Et sic, istud Præceptum, quantùm ad occisionem innocentis, non posset capere dispensationem hominis; sed tantùm dispensationem Dei: qui cùm sit Dominus vitæ & mortis, ejus authoritate licitè posset occidi innocens, & nocens.

Vel intelligitur de occisione, quæ fit de authoritate privata, quod etiam videtur haberi ex Lege; quia Lex excipit tantùm occisionem, quæ fit authoritate publica, ab isto Præcepto, *Non occides*, & non alias occisiones. Cùm dicit: *Maleficos non patieres vivere.* Exod. XXII. 18. ibi; in illo loquitur de judiciariis, quorum executio pertinet ad personas utentes authoritate publica; & sic, non est dispensabile, quoad authoritatem privatam: quia nunquàm licet, authoritate privata, aliquem interficere. Et si de Mandato Dei aliquis alium occidit, non dispensatur in Præcepto: quia non occidit authoritate privata, quòd occidere prohibetur, per illud Præceptum, *Non occides*; sed occidit authoritate publica Dei, qui est universalis Judex, & Dominus. Et sic Deus potest præcipere, quòd mala pœnæ ‡, non manente conditione culpæ: quia mala & illicita uno tempore; alio tempore, ex Præcepto Divino, fiunt bona, & licita. Ut patet, *Exod.* XXXI. ubi legitur, quòd Deus mandavit, quòd unusquisque occideret proximum suum, & fratrem suum, & amicum, pro vituli conflatilis peccato. Et sic patet ex dictis, qualiter intelligitur istud Præceptum: *Non occides.*

* *Forsan* à parte. † *Forsan delendum* ut. ‡ *Locus corruptus.*

Sed ulteriùs sciendum est, quòd authoritas publica dupliciter potest sumi. Uno modo, pro potestate data, & executione mandata, immediata per Dominum ordinarium: quemadmodùm miles potestatis datâ sententiâ, ex Mandato Judicis suspendere facit hominem furem. Alio modo, authoritas publica sumitur non ita expressa, & propriè, sed interpretativè, & Lege ipsa concedente: ut quemadmodùm homo, pro deffensione vitæ suæ, in casu necessitatis inevitabilis, interficit inimicum, vel hostem A suum ipsum invadentem: & in isto casu talis videtur interpretativè, & impropriè publica authoritate uti, ipsa Lege rationis, & divina permittente: quia iste, in tali casu, minister est divinæ Justitiæ; & ideò licentiatur, quemadmodùm persona privata, à Jure divino naturali, & Lege Imperiali, quòd hominem possit interficere sine peccato, & non contra Præceptum divinum, in casibus infra scriptis.

Videlicet

Primò. Quandoque fur, de nocte, deprædari, & rapere molitur bona proximi, & hic se deffendit, bona sua ne amittat, & fur faciat ei violentiam, & insultando ei, de morte minando, & ipsum invadendo armis, & insultibus: tunc licet vim vi repellendo, B & cum moderamine inculpatæ tutelæ, illum interficere, quia ex Lege naturæ, & Scripturis debet, & tenetur homo vitam suam præponere morti latronis, & conservare se, propter ejus occisionem.

Secundus casus est. Cùm infidelis cultum divinum & Templum suum exterminare, delere, & ignominiosè confundere conatur, & suos fideles mactare, & captivare actualiter studet: tunc, authoritate Legis divinæ, etiam naturæ, & Legis scriptæ tenetur, & potest homo, hunc & talem interficere. De hoc habetur exemplum, de Phinées, & Mathatia, de quo loquitur 1. *Mach.* & N. quòd videns Judæum volentem facere sacrificium super aram, & idolis sacrificare, in confusionem Dei, irruit in eum, & interfecit ipsum, & illum quem Antiochus Rex miserat ad compellendos Judæos ad immolandum Idolis. Etiam de Moyse le- C gitur, *Exod.* II. quòd interfecit Ægyptium infidelem, facientem injuriam Hebræo proximo suo. Similiter Judith, interfecit Holofernem, volentem Dei Legem destruere, & populum ejus, ut patet in Libro Judith.

Tertius casus est. Cùm ex inadvertentia, & præter intentionem, aliquis, à casu, interfecit hominem, diligentiâ debita, & bonâ curâ apposita, & non neglectâ. Et ideò Lamech non fuit à culpa alienus, quia interfecit Cain, non apppositâ & curâ, & diligentiâ, ut patet, *Geneseos* IV.

Quartus casus est. Cùm quis vidit hostem manu armata invadentem Dominum suum Regem, vel Imperatorem, neque potest per alium modum ipsum liberare, nisi per mortem illius: tunc, ex ipso Jure divino, & humano, non tamen ex malo odio, sed Justitiæ zelo, licet sibi ipsum interficere, isto modo, præservando caput multitudinis à morte. Propter hoc David, ut legitur in Libro secundo Regum, in- D terfecit illum nuntium qui se jactabat interfecisse Saülem in monte Gelboë, qui ausus fuit mitere manum in Christum Domini.

Quintus casus est. In perpessione, & extrema necessitate. Cùm quis in mari; vel in aliquo periculoso casu remedium sibi procuravit vitæ, non valens aliud facere, cum periculo alterius, intendens principaliter suam liberationem, non damnamnum alicujus. Vel quando est in naufragio, capiendo unam tabulam, & subtrahendo eam alteri. Vel quando est in

in necessitate ultima cibi; & non potest vivere, nisi habeat panem, quem socius vellet habere: tunc in tali casu, debet sibi potiùs homo subvenire, quàm proximo; datò quòd exindè moriatur ille, propter hujus rei substractionem.

Sextus casus permittitur ab humano Jure, non tamen est sine peccato. Ut cùm quis invenit adulterum cum uxore actualiter jacentem: tunc, in tali casu adulterii, Lex humana permittit, ut eum possit occidere: sed non sine peccato mortali, nec est secundùm Legem Divinam.

Pro omnibus istis supra dictis, notandum est, secundùm Doctores, quòd se ipsum conservare in vita, in casu necessitatis, propter alterius occisionem, potest quadruplici intentione fieri.

Primo. Ex instinctu naturæ: quia quælibet res naturaliter nititur ad sui conservationem. Et sic, licitum est; quòd omne quod est de Jure naturali, licitum est.

Ex instinctu naturæ informatæ per gratiam, scilicet quando aliquis dolens occidit adversarium, devitans hoc quantùm potest: sed tamen potiùs vult, compulsus per ejus instantiam, eum occidere, quàm vitam suam perdere. Et in tali casu necessitatis, occisio talis non imputatur sibi in peccatum.

Vel potest tertiò, talis conservatio vitæ venire ex superfluo amore hujus vitæ, quo se magis fruitur, quàm utitur: & ideò inconsideratè non attendit, an sic se deffendere sit licitum, vel illicitum, non curans quomodocumque de offensa. Et sic non est licitum, imò est peccatum.

Vel potest esse ex odio quod concipitur contra ipsum qui se invadit; per quod ita concitatur, quòd etiam si possit eum evadere * sine ejus occisione, potiùs vellet se sic de eo vindicare, quàm ipsum invadere. Et sic, non est licitum, & est contra Jus divinum.

Vel etiam, si spontè, ex causa illicita, aliquis ponit se in tali necessitate inevitabili; sicut faciunt latrones, & adulteri. Et tales non sunt excusabiles à culpa: quia dederunt operam rei illicitæ; nec tantùm publica authoritate expressa, vel interpretativa dicta tales latrones & adulteri possunt homicidia committere, sine culpa, & reatu homicidii. Et hoc sufficit de secundo principali.

Tertiò. Principaliter, istis præmissis, procedo ad declarandum materiam Assertionum, & earum circumstantiam, per distinctionem. Et primò. Insistam contra primam, ex qua omnes aliæ habent sequelam, & dependentiam, exceptis duabus ultimis, quæ videntur tangere materiam specialem, & distinctam à materia aliarum Assertionum, quamvis possint reduci ad intellectum & sensum earum.

Pono ego † primam Assertionem hîc in forma, quæ talis est.

Licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro auferendo sibi suam nobilissimam, & altissimam Dominationem; & nedùm licitum, sed honorabile, & meritorium, maximè quando est tantæ potentiæ quòd Justitia non potest, bono modo, fieri per supremum.

Hæc est prima Assertio.

Ad istam Assertionem dico, distinguendo hoc nomen *subditus*. Quia, uno modo, subditus, idem est quod minor, sub Dominio & potestate alicujus Regis, vel Domini positus, qui habet regimen civitatis, vel Regni. Et isto modo, unus Clericus, vel etiam Presbyter, dici potest subditus unius Domini temporalis, quia est sub cura Regni, & Dominii. Et isto modo capiendo subditum, dico quòd non licet unicuique subdito, sine quocumque Mandato; imò, etiam cum Mandato, adhuc non est licitum interficere talem tyrannum, eò quòd non licet Clerico, vel Sacerdoti commoranti, & stanti sub Dominio alicujus Principis, vel Regis: imò & est sibi prohibitum, & est contra Legem Canonicam, & Divinam. Patet hoc per sanctum Thomam, 2. 2. *q.* LXIII. Et per Jura Canonica, & Positiva. Imò nunquàm licet sibi, nisi in casu inevitabilis necessitatis, pro deffensione propriæ Patriæ, & non rerum.

Alio modo capitur *subditus*, pro inferiori supposito alicui Domino, vel Regi, secundùm potestatem, & status conditionem, & ordinem. Et istò modo, unus Clericus non est subditus uni Regi, vel Domino; datò quòd sit sub cura Domini sui; eo quòd ipse est alterius status, & ordinis; sed solùm laïcus, est Regi & Domino subditus: quia secundùm potestatem, & status conditionem temporalem, & sæcularem sibi subjicitur. Et si secundùm hunc modum intelligitur: tunc dico, quòd in aliquo casu potest esse sibi licitum, & in aliquo modo sibi licere. Nam si tyrannus capitur primo modo, ut dictum est, pro potenti Domino, & fideli Christiano à gratia Regis non excluso, in crimine supra dicto nondùm manifestè convicto & depræhenso; nec Regi, & Domino superiori patefacto; datò quòd habeatur vehemens suspicio per multa signa, & judicia verisimilia, & etiam testimonia hominum fide digna: nullo modo alicui subdito sæculari talem licet interficere Dominum potentem, non facta accusatione, & relatione Regi, & non habita licentia, & authoritate.

Et hoc probatur triplici ratione. Primò. Quia non servatur debita forma Judicii: nam reus debet condemnari per allegata, & probata, per testes fide dignos, secundùm Legem Veterem, & Novam, quia *In ore duorum, vel trium testium, stat omne verbum.* 2. Cor. XIII. 1.

Secundò. Subditus, non est persona communis, sed privata, non utens authoritate publica, secundùm quam, ut superiùs dictum est, debent puniri malefici, & condemnari.

Tertiò. Hoc est de directo contra Legem naturæ, morum, & scriptam. Nam omnis Lex intendit bonum, & prohibet malum. Sed si esset licitum propriâ authoritate interficere reum; tunc dabitur causa & materia, ut unusquisque alium interficiat, & quilibet subditus interficere Dominum suum valeat.

Probatur. Quia si redargueretur, dicere posset: Ego interfici, cùm machinabatur maleficium, mortem, & exterminium Domini, nulla super hoc visa ratione. Ideò Deus in Lege Veteri noluit * ut rei, vel malefici, per testes, & publicam authoritatem condemnarentur, & punirentur, ut veritas mali elucesceret. Et similiter Christus, dedit formam corrigendi delinquentem, dicens, *Quòd si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Matth. XVIII. 15. Et posteà assume testes: & si se non correxerit, debet dicere Ecclesiæ. Et sic apparet, quòd, in tali casu, non licet alicui subdito aliquem interficere, privata authoritate.

Alio modo potest capi *tyrannus*, ut dictum est priùs, pro Rege iniquo, & pessimo Domino, sine Lege, & Justitia vivente, ut ponit in forma, secunda tyranni descriptio. Et tunc dico, quòd si talis tyrannus est publicus hostis Regis, & exclusus à sua gratia, & de suo Regno, & Dominio pulsus, & in similibus delictis compræhensus, ut dicit Assertio; constat manifestè, quòd talis venit ab unoquoque subdito capiendus, & occidendus, secundùm Regis intentionem, & propter tales circumstantias; nisi Rex, vel Dominus inhiberet, quòd non occideretur, † vel Dominii, civitatis, & mul-

* Forsan invadere. † Forsan ergo.

* Forsan voluit. † Hic aliquid videtur fuisse omissum in MS.

multitudinis, sicut exemplum habemus de Absalon filio David, ut scribitur in 2. Libro Regum. Iste Absalon fuit publicus hostis Patris sui, & voluit sibi Regnum usurpare, congregando exercitum magnum contra ipsum; &, de Jure, merebatur capi, & interfici. Tamen quia prohibuit ne occideretur; ideò Joab Capitaneus David peccavit, interficiendo ipsum contra voluntatem Regis: propter quod reliquit David Salomon filio suo, quòd non fineret eum A post mortem suam ampliùs vivere, & faceret eum mori; sicut & fecit: quia dato quòd sit homo reus, & pessimus; & mereatur, secundùm Legem, mori, & interfici; tamen non licet contra publicam authoritatem Domini, aut Communitatis ipsum interficere, privata authoritate.

Undè videmus, quòd Deus non vult mortem peccatoris; & tamen ipse meretur mortem: ideò non licet ire contra voluntatem Domini habentis Legis autoritatem.

Si autem talis tyrannus est, & paganus, & publicus hostis Regis, & Christiani populi, & emolitur perdere Regem, & populum Dei: tunc certum est, quòd licet cuilibet subdito talem occidere, & mactare, omni via, & modo quo fieri potest: quia talis est filius mortis; & est membrum corru- B ptivum totius humani corporis, & generis. Et isto modo, Judith interfecit Holofernem.

Si autem talis tyrannus, non est publicus, & manifestus hostis Regis, nec publicè est exclusus à gratia Regis; nec est convictus, & manifestè deprehensus in crimine læsæ Majestatis, & vivit ut ceteri infra corpus multitudinis, & Curiæ Regis; tamen habetur suspectus, etiam per certa signa: non licet alicui ipsum occidere, privata authoritate; & tantò plus, quantò occisor suspectus habetur de odio, & inimicitia particulari. In hoc enim contradicunt sibi omnes Leges, tàm divinæ, quàm humanæ: quia ex odio, & livore procedit, & non aliundè; ut clarè patet per ante dicta.

Et ideò concludo, & venio ad quartum, & ultimum principale; respondendo secundùm conscientiam, & Judicium animæ, & lumine rationis mihi naturaliter, & gratiâ Dei à Deo indita; quòd omnes tales Assertiones, quia sunt multiplices, & possunt trahi ad diversos sensus, sunt dubiæ, & indifferentes, quoad Judicium Fidei: quia secundùm C omnem sensum sint meritò Fidei Judicio reprobandæ, & condemnandæ. Secundùm verò alium intellectum, sunt tolerandæ, secundùm Legem & Christi Fidem, & Leges naturæ, moralem, & divinam: ut patet per præmissa omni intelligenti.

Ad alias duas ultimas, dico respondendo, quòd penultima, quæ dicit quòd litteralis sensus occidit, semper litteraliter intellectus, vera est, & patet manifestè: quia aliàs sequerentur multi errores, nisi dicta sacræ Scripturæ intelligerentur in sensu mystico & spirituali. Patet: quia Christus dicit in Evangelio: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. x. 34. Item. *Deus noster ignis consumens est.* Hæbr. xii. 29. Et sic de multis aliis, nisi intelligantur spiritualiter, falsæ sunt, & occidunt animam; cùm dictum Apostoli, quod est, *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* 2. Cor. iii. 6. potest & aliter intelligi, ut exponunt Docto- D res.

Ad ultimam, dico quòd licèt in malis promissis liceat rescindere fidem: tamen postquàm fides data est, & conventio facta; ne homo appareat proditor, & mendax, & falsus, debet per aliquod signum, aut protestationem prædicere se non velle servare.

Et hæc sunt quæ sentio de istis Assertionibus. Alia plùs non dico, nisi quòd sunt scandalosæ, & generant odia, & malas voluntates, debent tolli & removeri, & abscondi, ne sint causæ majoris mali.

Ego &c. Supra dicta omnia determinavi, & in scriptis redegi. Si igitur in aliquo aliquid benè dixi; Approba Christe benedicte, Tu, & Tui. Si autem malè, corrige Tu, & Tui. Et sic subjicio me correctioni Eccclesiæ. *Sit Nomen Domini benedictum.* Amen.

Reverendissimi Patres, & Domini metuendissimi, placeat attendere, zelo Justitiæ & veritatis, ad contenta in dicto Codicillo, in quo ostendit quidam Doctor Theologus, quòd manent illa duodecim inconvenientia, per medium quæstionum inducta, si condemnentur istæ novem Assertiones. Ponitur etiam opinio Henrici Boye, quæ notatur Libro quinto, *De homicidio.*

Videatur hæc Cedula, quæ facit ad apertionem materiæ.

NIsus est adversarius respondere ad duodecim quæstiones.

Ad primam, quâ quærebatur, si illius Propositionis condemnatio: *Licitum est unicuique* &c. favet tyrannis, tollatque securitatem Principum, & pacis politicæ salutem. Respondet negativè; imò prorsùs oppositum. Pro quo dat exemplum, quare minùs proh dolor! practicatum est nostris temporibus, ne quid* consurrexerunt enim nonnulli volentes destruere omnes ferè Dominos de sanguine Regali; imposuerunt eis, quòd volebant deponere Regem suum: & ita, juxta primam hanc Assertionem, suscitaverunt talem guerram adversùs eos, quòd omnes, à majori usque ad minimum, etiam vassalli sui, compellebantur prosequi eos, usque ad indignissimam mortem, sine Lege, & ordine: & in hoc arbitrabantur se obsequium præstare Deo: ita quòd nihil facilius, nisi dicere de quocumque Principe, vel Domino: Tu machinaris contra salutem Regis tui: tunc laudabiliter, & meritoriè potest, etiam per insidias, & sine diffidatione, & per quemcumque subditum Regis, etiamsi si sit vassallus, tunc viliter interfici.

Sufficat insuper dicere: Tu talis es, hoc est notorium: nulla denique probatio fit.

Prætereà, de quocumque subdito Regis fingi poterit: imò & de non subdito. Quinetiam poterit ad ipsum Regem deduci calumnia, dicendo de Rege: Hic certè tyrannus est, multis modis; tùm quia non Jure principatur erga subditos suos, sed tyrannisat eos tributis indebitis; tùm quia vult principaliter sibi subditorum Dominationem, & Jura eis sua subripere, ac proindè conatur non Jure principari: est idcircò tyrannus judicandus, &, per consequens, interficiendus, juxta quartam Assertionem.

Ex quibus patet, quàm durissimus † est malus hujusmodi Assertionis adversùs communem Dominationem, & regularem Politiam; & præsertim adversùs illum Dominum, pro cujus favore positam fuisse declaratum est, sed omittitur declaratio.

In qua quidem responsione, primò nititur Assertionem impugnare per quemdam casum præjudiciabilem quibuslibet subditis, & vassallis alicujus Regis; imò etiam non vassallis. Secundò. Retorquet Assertionem in periculum etiam Regum, & quorumlibet Principum, & Dominorum: & præsertim illius, in cujus favorem dicuntur Assertiones præfatæ: sed ostenditur ista nullius existere firmitatis.

Primus siquidem non ponitur quemadmodùm extitit practicatus, casus siquidem talis fuit, & taliter proh dolor! practicatus. Nempè in Regno quo-

* Locus corruptus. † Locus corruptus.

quodam facta colligatio, certorumque Principum, & aliorum etiam, qui congregatis maximis exercitibus, contra inhibitiones Regias gravissimas, coràm civitate, in modum obsidionis se posuerunt, in qua Majestas Regia consistebat, & erat solita residere, prohibentes victualia asportari ad sustentationem Regis, & Principum existentium cum eo, & totius populi illius populosissimæ civitatis. Insuper villas, & castra Regis capiebant, etiam violenter illa rapientes: nec eis sufficiebat; sed gentes eorum concurrebant usque ad portas, & mœnia Regiæ civitatis, ibidem capientes gentes Regias, vulnerantes & interficientes, & aliquando acclamantes verba blasphemiæ in Regiam Majestatem sonantia; & depositionem illius, intronisationem alicujus alterius Principis de colligatione præfata. Quæ colligationes, & exercitûs congregationes, contra Regias inhibitiones gravissimas, & exercituum coràm civitate Regia, & vultu Regis, castratomentoria, obsidiones, victualium substractiones, gentium à civitate, hostili more, captiones, vulnerationes, & trucidationes quid designant? Quilibet meritò Regis fidelis subditus trepidabat; quin imò & Rex ipse: nempè obedientiâ Regi sublatâ, saltem objectam apparentiam, & hostiles incursus, & verba, præsumptionem inducebant non levem. Undè non sine magna causa dictum extitit, quòd periculum erat de Regis depositione: ad quam etiam, fama publica percurrente, per sortilegium, & malum ingenium fuerat per quemdam processum, cupiditate subripiendi coronam, tui, & isti fuerant alligati.

Et propter, non immeritò contra ipsos Regis potentia, fidelibus subditis suis, armata fuit, ad Regi succurrendum in tantis periculis constituto, & in hoc *Arbitrabantur obsequium præstare Deo.* Joan. XVI. 2.

Itaque nihil facilius, nihil utilius est, quàm dicere de quocumque Principe, ubi talia judicia patent: Tu machinaris in salutem Regis tui; tu laudabiliter, & meritoriè potes, etiam per insidias, interfici, & sine diffidatione, cùm Justitia non possit haberi per Supremum: & si diffidaretur, pejor seditio sequeretur; nec propter Regis periculum vitaretur, etiamsi sit vassallus tuus, cùm plùs teneatur superiori Domino, quàm immediato; nec contra Dominum superiorem tenet factum aliquod juramentum tali tyranno, & insuper viliter, ex parte tui, est interficiendus, & eo facto quò talis.

Nec in hoc casu est notorietas requirenda, sicut nec in multis aliis, sed nec probatio; posito quòd sit talis, ut supponitur in casu, & alicui innotescat, qui potest in hoc cautè remediare: quærere enim notorietatem, & probationem; esset quærere mortem Regis, vel saltem non remediare ad posse. Nec sic poterit fingi de quocumque subdito Regis, vel non subdito; nisi similia judicia fictionem tolerantia, vulgatâ famâ publicâ, antecedant, quæ communiter veritate non carent.

Tamen dicit etiam, quòd hujusmodi calumnia poterit in Reges & Principes retorqueri, dicendo: Tyrannus est &c. Sed propriè vehementer admiror, undè istam calumniam infert. Non utique ex prima, secunda, & tertia Assertionibus, quæ loquuntur de tyranno hostili, Regem & Rempublicam invadente: Rex autem non invadet se ipsum.

Ex quarta, dicit: sed etiam nec infertur: quia cùm hoc nomen, *tyrannus*, sit nomen analogum, significans principaliter tyrannum hostilem, prout scilicet ipsum diffinit Gregorius, *in Moralibus. Qui in Republica non Jure principatur*: licèt injustè exigit; ex secundario significato, Dominum naturalem. Debet ergo accipi in ista Assertione, pro tyranno hostili: præsertim etiam attendendo ad præcedentes Assertiones, quæ de tali loquuntur; & etiam ad sequentes, ex quibus non infertur: ita quòd omnis tyrannus &c. etsi sit occidendus, vel à Deo, vel à quocumque ejus ministro; non dicit tamen à quo.

Falsum est ergò quòd sit durissimus hic malleus Assertionis istius adversùs omnem Dominationem & politiam Regalem, & præsertim adversùs illum, in cujus favorem dicitur posita, & asserta fuisse. Stat etiam dubium insolutum: & patet manifestè
A quòd si Assertio ista damnetur; tyranni concupiscentis altissimas Dominationes suorum Dominorum potentissimi, confidentes de potentia sua, & astutia, non verebuntur; sed nec aliquis, sub periculo Fidei, audebit talem tyrannum invadere. Hujusmodi autem concupiscentia, & sublatio Dominationis altissimæ, ex tali confidentia, in Christianitate non est diù quòd est attemptata, & deducta in praxim, undè maxima scandala sunt secuta & quamplurima.

Ad secundum dubium, quo quærebatur; Si ejusmodi Propositionis contradictoriam tenere, sit non reprimere agentes, vel agere volentes contra ipsa Præcepta Decalogi, *Non occides. Non furtum facies. Non concupisces rem, uxorem* &c. *proximi tui.* Si enim præfatam Propositionem, vel Assertionem condemnaret Concilium, ejus contradictoriam assereret tanquàm Catholicam, & ut Fidei Articulum tenendum; per quod videatur si derogaret Præceptis divinis, & sacræ Scripturæ. Sic respondet, sicut
B ad præcedentes; addito quòd approbando contradictoriam hujus Assertionis primæ, sacrum Concilium non faciet novum Articulum, sed declarabit, quòd & Assertioni repugnat, *Non occides*, scilicet propria authoritate. *Non fraudem facies*, occidendo per insidias proximum tuum, non diffidatum, non monitum, & tibi confœderatum. Sed quia respondet sicut ad primam: ideò modo simili replicatur.

Sed contra additum, cùm dicit, quòd approbando contradictoriam, non faciet novum Articulum, quia non approbabit. Itaque negativa illa est vera, quia subjectum pro malo supponit.

Sed ulteriùs mirandum videtur de contradictione. Isti petunt condemnari istam Assertionem per Sacrum Concilium Generale tanquàm hæreticam, &, per consequens, omnes Fideles certari * ad illam credendam; & aliam totaliter, sub pœna hæresis, repu-
C diandam, & per consequens, petunt Articulum novum.

Item. In hac responsione sibimet contradicunt, in suo modo loquendi; cùm dicunt, quòd sacrum Concilium declarabit hanc Assertionem repugnare isti Præcepto, *Non occides. Non fraudem facies* &c. Mirum tamen est, quomodò quod est, secundùm eos, luce clarius, potest ampliùs declarari.

Prætereà, ista Assertio in nullo repugnat illi Præcepto, *Non occides*, propria authoritate: quia non dicit Assertio, propria authoritate, sed authoritate Legis divinæ, moralis, & naturalis, ut clarè deducunt Assertiones, prima, & secunda.

Ulteriùs, si Assertio opposita, tanquàm Catholica approbaretur; quomodò reprimentur volentes agere contra illa Præcepta: *Non occides. Non concupisces. Non fraudem facies*, præsertim tyranni, al-
D tissima Dominia concupiscentes & in suos Dominos machinantes, & conspirantes? Aut enim illa contradictoria opposita reprimet; aut si non, ergo malè approbatur: si sic; non videtur, cùm tales tyrannos ponat in spe impunitatis totalis in via.

Ad tertium dubium, quo quærebatur: An illa Propositio, quæ ponitur ut coerceat plurimos pessimos à prosecutione machinationis pessimæ, & nititur tueri salutem Principis, & Reipublicæ, nec aliud

* *Forsan* coarctari.

aliud intendit, ex sensu primario, sic* error in omnibus moribus: respondetque, hæc Assertio lædit gravissimè & manifestissimè Regis Majestatem, & dat audaciam pessimis proditoribus, & homicidis prosequentes † quoscumque subditos Regis crudelissimè, fingendo, & faciendo de non causa causam, ut interfici, vel occidi faciat per homicidas conductos prece, vel pretio, proditoriè, & subitò. Et ita practicatum est; ut dicebatur in prima: Et quia illa Responsio fundatur super practica dicta in responsione ad primum dubium, quæ quidem practica stabat in casu malè posito: ideò fundamentum instabile esse censendum est; nec est verum quia hæc Assertio lædat gravissimè Regiam Majestatem: imò ipsam à mortis periculo inevitabili occulto tuetur, & deffendit; nec dat audaciam quoscumque subditos Regis crudelissimè persequendi, nec interficiendi, aut faciendi de non causa causam. Non enim fungitur ⟊, nisi ex Judiciis manifestis, & publica fama vulgariter proclamata.

Ad quartum. Cùm quærebatur: Numquid potiùs videtur observator illius Præcepti, *Non occides*, vassallus qui tyrannum Assertione prædicta expressum prævenit morte, ne suum Principem, & Regem interficiat malignissimè, quàm ille qui permittit suum Principem, & Regem interfici, cùm posset obviare per mortem tyranni talis, si alia via non pateret. Respondet Adversarius, quòd hìc est radix totius deffensionis malitiosæ hujus hæreticæ pravitatis, dùm reducitur casus ad inevitabilem necessitatem mortis Regis, nisi provideatur taliter. Undè constat, quòd Assertio non coarctatur ad talem casum, sicut nec fuit talis, in veritate: & pro hoc videatur cedula, quæ incipit: *Placeat attendere*, quæ ex omnibus concludit perspicuè, quòd inevitabilitas mortis Regis hìc nedùm non includitur, sed patenter excluditur per hæc verba: *machinari*, *fraus*, *dolus*, *sortilegium*, *malum ingenium*, in intentionem ‡.

Sed hæc Responsio nulla est; cùm excludit inevitabilem necessitatem, in hoc casu, qui non est minùs periculosus; imò plusquàm invasio Regis cum gladio evaginato, & extenso. Tùm quia Rex seipsum posset deffendere ab invadente: hic autem non potest, propter occultationem effectuum & actuum, seu actuum machinationis, qui quantò occultiores, tantò sunt periculosiores: & pro quolibet momento periculum; imò & articulum mortis inevitabiliter, nisi succurratur, ex tyranni continua machinatione semper intentioni cupiditate, & efficaciori actuumtitate* operantur, & nisi, ut dictum est, succurratur.

Falsè etiam dicit, & temerariè hìc respondet; dum ait, quòd hìc est radix malitiosæ deffensionis hujus hæreticæ pravitatis: imò est radix hujus probabilis veritatis; nec cedula incipiens, *Placeat attendere*, ad oppositum aliqualiter ostendit, per illa verba, *machinari* &c. Pro quo videatur responsio ad cedulam responsivam, quæ incipit: *Ad contenta.*

Ad quintum, quo quærebatur: In quo loco Scripturæ sacræ, vel Articulorum Fidei, vel universaliter eorum quæ tradita sunt nobis ad credendum expressè, vel determinatè per Ecclesiam Catholicam, continetur contradictoria illius Propositionis præfatæ, quæ ita instanter petitur condemnati tanquam erronica in Fide: non fuit adhuc allegatum. Respondet per illa quæ ministrata sunt in apertione materiæ, prima vice, quæ incipit: *Æstimo me*, &c. & clarissimum est, quòd concernit Præcepta Decalogi, quæ Scriptura sacra, &, per consequens, Fides Catholica tradit, & asserit, & ponit Assertor, dicens quòd est conformis Legi divinæ.

Sed hæc responsio etiam nulla est. Non enim monstratum fuit in aliquo, in illa apertione materiæ facta primò, *Æstimo me titulari.* Nec potuit ostendi, nec potest, nec poterit ita modicum, sicut de ista: *Licitum est unicuique occidere furem nocturnum, de quo præsumitur, quòd non solùm vadit ad furandum; sed etiam ad occidendum.* Nec Assertio hoc ponit, quòd contrarietur Præcepto, in hoc A quod dicit: *Licitum esse*, *conformiter Legi divinæ*, sed magis oppositum. Ut ex terminis patet.

Ad sextum. Cùm quæritur: An prælibata Propositio magis pertineat ad Judices in causa sanguinis, quàm ad Judices in causa Fidei Deputatos. Respondit, quòd hæc Assertio patenter involvit deffensores, vel assertores, tanquam reos in causa sanguinis, & homicidii, nèdùm unius, sed multorum, saltem ex consilio, deffensione, vel assensu repugnantis scrutantis immunes. Nihilominùs dicitur, quòd hæc Assertio spectat ad Judices Fidei, propter illos terminos, *licitum*, *laudabile*, & *meritorium*: & maximè, quia se fundare nititur Jure divino, ubi tamen apertè est contra ipsum Jus. Sic denique quæsitum fuisset de ista: *Quilibet tyrannus* &c. quæ Judicio Fidei damnata est ut hæretica, &c.

Fatendum est tamen, quòd alia ratione spectat ad Judicium sanguinis, sicut ad crimen læsæ Majestatis B Regalis. Responsio autem hæc implicat multa falsa. Primùm, quòd quæstio involvat deffensores, & assertores in causa sanguinis, & hominis, nedùm unius, sed multorum ex consilio, deffensione, & assensu. Esto enim, quòd Judices in causa sanguinis, habeant videre in occisione furis nocturni, de quo præsumebatur quòd veniret ad occidendum: non sequitur quòd deffensores illius occisionis, ut licitæ, in causa sanguinis tanquàm rei involuti debeant dici in consilio, deffensione, vel assensu. Sic nec in proposito.

Et cùm dicitur: Non repugnantes huic Assertioni, ab hujusmodi sunt immunes. Loquitur iste respondens, sicut aliàs est locutus, jactando se, quasi glorians in malitia sua, quòd in Francia non fuisset pro hujusmodi causa levatus ensis, etiam vel accinctus, nisi ipse fuisset. Videantur exhortationes ad bellum factæ in Propositionibus suis, & Prædicationibus suis, & dicta sua, & impedientia pa- C cem, & hæreticantia Tractatus pacis initæ aliàs mundo: ex quibus quanta strages hominum sit secuta, quanta & Ecclesiarum incendia, quot quantæque destructiones, & earum sacrilegia, raptus Virginum, & Sanctimonialium, venditiones puerorum, & puellarum, quod est in illo Regno libertimo aliàs inauditum; quot civitatum deprædationes, & alia mala innumerabilia, & immensurabilia, non sufficerent lingua, & calamus explicare; sed nec in cor hominis ascendere potest, præ multitudine scelerum, & magnitudine ab indè perpetratorum. Undè Regnum Franciæ, proh dolor! ad exterminium est deductum, in quibus de præsenti consistit.

Ulteriùs. Falsum dicit, cùm ait, quòd hæc Assertio spectat ad Judices Fidei, propter illos terminos, *licitum*, *laudabile*, & *meritorium*. Nam tunc D illæ pertinerent ad causam Fidei: Licitum est mihi bibere vinum vernacium, de manè. Laudabile est, mechanicos surgere tempestivè. Meritorium est fodere in vinea fortis, & sic de aliis.

Nec quia se fundare nititur in Jure divino, pertinet ad Fidei causam: non enim omnia quæ fundantur in illo, pertinent ad causam Fidei. Omnia enim quæ benè fiunt, fundantur in illo; & quæ malè, repugnant. Et sic omnia crimina ad causam Fidei, vel ad ejus pertinent Judicium; quod est falsum.

* *Forsan legendum* sit. † prosequendi. ⟊ *Forsan* fingit, nisi ex indiciis. ‡ *Forsan* internetionem. * *Locus corruptus.*

Nec est verum quod dicit, quòd istæ Assertiones sunt manifestè contra Jus divinum: imò conformes sunt Juri divino.

Et cùm dicitur, quòd pariformiter posset quæri de ista; conceditur: *Quilibet tyrannus* &c. Verum est, quòd pariformiter poterat quæri; sed aliter, & aliter est respondendum ad illam, & ad istam, propter varietatem terminorum, & circumstantiarum: nec & ipsa spectat ad causam Fidei taliter, quòd sit Fidei Judicio reprobanda: nec ad causam sanguinis, tanquam eidem conformiter agens sit Judicio sanguinis condemnandus: licèt nolim reprobare; quoniam postquam Judicibus Fidei est denunciata, & cum tantis Requestis, quin benè fiet, si declaretur an pertineat ad causam Fidei, & tanquam pertinens reprobanda.

Ad septimum; quo quærebatur: An ista Propositio sit conjurationum, vel conspirationum, aut proditionum in Regum interfectiones, & Principum, tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, maximè quarta Assertio, quæ est velut maxima, repressiva. Respondet negativè, quòd viam aperit, & aperuit ad omnes conjurationes, proditiones, Regum interfectiones, & Principum, tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium, maximè quarta Assertio, quæ est velut maxima, si major ad hanc Assertionem, & alias indè sequentes; dum ait generaliter, quòd *Quilibet tyrannus debet occidi*, &c. Unde de quocumque Rege, & non solùm de Principe inferiori, poterit fingi quòd machinatur in mortem Papæ, vel Imperatoris, pro tollendo Dominationem eorum, quatenùs alii subrogentur.

Et notatur etiam prima Responsio; & qualiter extendi potest ad Dominum qualemcumque; imò ad servos vilissimos, quæ responsio nulla est: non enim aperit viam, sed claudit tyrannis machinantibus in suos Reges, & concupiscentibus eorum altissimas Dominationes: ut clarè patet de prima, secunda & tertia Assertionibus; quibus adductio quartæ non dat clavem aperiendi januam ad conspirationes, comparata ad præcedentes & sequentes, & causas dicendi, ex quibus, secundùm Hilarium, intelligentia dictorum est assumenda, quæ est solùm ad responsionem tyranni hostilis, & specialiter qualificati in prima, secunda, & tertia Assertionibus: quæ ulteriùs quarta Assertio si coarctetur, quemadmodùm ex vi analogica debet coarctari, non concludit universaliter de quolibet tyranno, accipiendo tyrannum pro Domino naturali tyrannicè exigenti: & sic illatio quam facit de Papa, Imperatore &c. nihil valet.

Ad octavum quæsitum quod fuit: Utrum ejus oppositum, &c. faveat machinantibus in mortem cujusvis Dominorum. Respondet negativè: cujus ratio patet ex præcedentibus; & quia aliter non dicit, aliter non replico, nisi ut supra.

Ad nonum quæsitum, quo quærebatur: Utrùm illa Propositio inducat, & promoveat vassallos ad fidelitatem servandam Dominis suis, pro eorum vita tuenda, & interfectione cavenda. Respondet negativè: cujus ratio patet ex præcedentibus, & ex illis quæ vidimus. Sic enim dicere poterit quicumque vassallus Domino suo, tàm Ecclesiastico, quàm sæculari. Tu planè tyrannus es, tu machinatus es contra salutem Regis tui, vel Domini supremi; tu non Jure Principari conaris in hoc, aut in illo Principatu. Ex præcedentibus autem per Adversarium dictis, non patet hujusmodi responsio; nec ex illis quæ videmus, certè bonos oculos habentes. Quis autem nequam oculi scandalisantis, & consequenter erudiendi* videtur, vel delusi, velut se putaverunt, nescio, nec quicumque vassallus poterit dicere Domino suo, nisi ex evidentibus indiciis, & publica fama vulgata illud apparet: in quo casu, si aliter Justitia non potest haberi; *Licitum est* &c.

Ad decimum quæsitum, quo quærebatur: Utrum ejus opposita ab hujusmodi fidelitate vassallorum, & Dominorum, ad eorum interfectionem vitandam, & vitam conservandam sit retractiva. Respondet uti ad præcedentes: & quia aliter non dicit, aliter non replico.

Ad undecimum, quo quærebatur: Numquid Propositio illi regulæ est conformis? „ De duobus malis, majus malum est præcavendum? „ Respondet, quòd de duobus malis, nunquàm alterum est eligendum, propriè loquendo: quia si eligendum, jam non est malum. Nihilominùs, magis ad intentionem respondendo, dicitur quòd regula numquam habet locum, ubi potest evitari majus & minùs malum, sicut est in proposito, nescio, * ubi Rex habere salutem suam potest, sine alia nece; sicut fugiendo, vel se recludendo, vel adversarium incarcerando; vel aliter, mille modis, per se, vel suos.

Sed hæc responsio modicum habet. Primò mirandum est, quare adducit illam regulam de electione mali, cùm numquam fuerit posita, sed in majori vitando. Secundò. Sed forsan vult imponere falsè, ut consuevit. Item. Cùm dicit, quòd malum non est eligendum, hoc falsum, nisi addatur culpæ: quia malum pœnæ est eligendum, pro satisfactione principali. Cùm autem dicit, quòd regula de majori malo nunquam habet verum, ubi potest vitari majus & minus malum: Sicut, inquit, est in proposito, sic esse †, unde nulla fuga Regis, neque reclusio sufficiunt servari vitam Regis; cùm fiat hoc per operationes occultas: nec incarceratur, quia incarceratio illa oporteret quòd fieret per Supremum, qui ad hoc dispositus non erat, ex indispositione per tyrannum, & per ejus sortilegia procurata, nec alii modi erant.

Ad duodecimum, quo quærebatur: Numquid ejus opposita est juramenti obligatoria, & prioris non dispensati dissolutiva? Respondet negativè: cujus ratio manifestissima est per præcedentia; quia potest utrumque juramentum servari. Primum, de debito fidelitatis erga Regem; & alterum, de fidelitate conservanda, sicut promissa est cum altero milite, & proximo. Nam si *fides hosti servanda est*, secundùm Augustinum, & Doctores omnes, & sicut Gentium Lex omnis tradit, Judæorum, Paganorum, Tartarorum, & omnium quantumcumque Barbarorum; multò magis juramentum proximo fiduciam habenti cum altero servandum est; neque sub fictione tyrannidis, vel proditoris non notoriè, nec probatè violandum. Sed hæc responsio non est manifesta, &, per consequens, nec manifestissima, ex prædictis.

Non potest utrumque Juramentum servari. Primò videlicet, fidelitatis ad Regem, si ipsum possum tueri à morte injusta, & tot ‡ tueor juxta posse meum; juramentum socialitatis cum altero milite potest in hoc casu licitè servari, cùm majus, & priùs obligatus alteri: licèt enim fides servanda sit hosti; hoc verum est, dum & ipse fidem servat, quæ tamen infringitur in hoc casu, cùm mors intemptatur in caput illius, cui socialitas est jurata, scilicet in Regem. Nec juramentum illud servandum est, sed cognita tyrannide, licet cum ‡ notoria, dum tamen constet, & pro evidentia indiciorum per famam publicam divulgata. Exclamemus ergo cum Jerobabel fortitudinem veritatis, quæ super omnia vincit; & seditiosos ab ipsorum seditionibus clamans indubitanter compescet: tamen in eorum falsitatibus, & malitiis corruerunt, ab ipsa veritate prostrati, Justitiâ, Prudentiâ, & Sapientiâ sacri Concilii,

* Locus corruptus.

* Locus corruptus. † Locus corruptus. ‡ Hic aliquid desideratur. ‡ Forsan non.

cilii, ac ad se caritate libera, lumine, & regula concausante.

His adversarius non contentus, aliam Cedulam tradidit, sic dicendo: „ Pro elucidatione Assertionis notandum est, quòd sensus litteralis cujuscumque locutionis, est ille sensus, quem principaliter deducere intendit ipse loquens. Undè idem est dicere: Non est sensus tenendus; & dicere: Non est capienda intentio loquentis: cùm igitur Spiritus sit ille, qui in sacra Scriptura loquitur, qui A est sanctus; erroneum est dicere, quòd sensus litteralis non sit verus, aliquando, & non semper tenendus. Propter quod dicit Augustinus: quòd semper est verus, sic quòd non est efficax Argumentum, nisi in sensu litterali fundatum.

Sed pro responsione est illud Apostoli: *Littera occidit*, &c. Notandum quòd in sacra Scriptura Spiritus sanctus, tripliciter loquitur. Uno modo, utendo terminis impositis, & assumendo terminos ultimatè, & principaliter, pro expressione conceptuum, sive locutionum in nobis; & isto modo loquitur in materiis contentis in sacra Scriptura, & in historiis aliquibus.

Alio modo, loquitur Spiritus sanctus in sacra Scriptura, non utendo terminis principaliter, sed assumendo res significatas per terminos, ad significandum res illas, modo sicut in formis symbolicis; B dicit Dionysius, *C.* I. *Cœlestis Hierarchiæ.* Similiter in rebus figuratis, & parabolis Evangelii, ut, ait Dionysius, isti termini bos, leo, in quibusdam locis sacræ Scripturæ ponuntur sub intentione, ut quiescant in eorum significatione; quia tunc esset error: sed res significata per ipsos, propter aliquam ipsius proprietatem, Deum, vel aliquam spiritualem substantiam respicientem significat: unde locutio, *Mons Sion elevabitur super omnes colles*, Isaïæ XI, 2: non fuit in intentione Spiritus sancti loquentis, quòd res illa significata per hoc complexum, *Mons* &c. hoc est intentio, quod illa res repræsentata significat, & contra aliam rem spiritualem, scilicet Ecclesiam, quæ in spiritualitate elevabitur super colles.

Item. Dicendum est de parabolis: sic enim pietas divina nostrum intellectum erudit, & per res sensibiles ad cognitionem spiritualium trahit, ut in isto modo, *Littera occidit*; nec est idem, ut clarè C videtur: Littera est sensus litteralis; quia aliud significatur per terminos litteræ, aliud per res significatas. Cùm igitur Spiritus sanctus in talibus locutionibus loquatur per res significatas, & non per terminos, fallax ergo est hoc Argumentum: Iste est sensus grammaticalis, sensus litteræ; ergo sensus litteralis: quia illa littera exprimit intentionem loquentis, non per terminos, sed per res significatas.

Tertiò modo, loquitur Spiritus sanctus utroque modo, scilicet per terminos, & hujusmodi locutiones, illæ quæ non solùm erudiunt intellectum ad aliquod spirituale, sed etiam excitativè, & exercitativè, sunt effectus; ut circa Sacramenta in Veteri & Nova Lege; & circa Sacramenta in Veteri. Similiter sunt plures historiæ David, ceterorumque Regum, quibus non solùm significatur Christus, sed eorum gesta, mores sunt extra*.

Nunc ad dubium quorumdam Magistrorum quærentium, quis est litteralis sensus istius: *Puer cujus caro præputii non abscidıtur, peribit de populo meo.* D Genes. XVII, 14. Respondetur, quòd ipsa locutio considerata sub Antiqua Lege, habet duplicem sensum litteralem; unum videlicet ad erudiendum intellectum, in quantum præceptiva. Nunc verò ipsa considerata sub Nova Lege, non habet nisi unum sensum litteralem, videlicet, in quantum figurativa; quia per ipsam plùs intendit Spiritus sanctus exercere affectum humanum, eo quòd per Baptisma perfectiùs multò exercitatur, & gratiam suscipit. Undè adveniente quod perfectum est, evacuatur quod imperfectum est: pro inconvenienti, quòd aliqua Propositio olim habebat duplicem sensum litteralem: nunc verò, scilicet pro tempore Gratiæ, habebat unicum, quoniam dicitur ad Hebræos I, I. *Multifariam, multisque modis olim loquens Deus per Prophetas, novissimè locutus est nobis in Filio*, videlicet perfectiùs, & familiariùs.

Et sic patet, quomodò erroneum est dicere, quòd sensus litteralis non est semper tenendus, & maximè in primo modo, sub quo est hoc Præceptum, *Non occides*; sub cujus opposito fundatur dicta Assertio, pro cujus Adversariorum dictorum elucidatione ponitur distinctio talis vulgata apud Theologos, Doctores, & Philosophos naturales, morales, & sermoniales; videlicet, quòd sensus alicujus Propositionis litteralis, dupliciter potest capi. Unus dicitur sensus, in quo fit Propositio alicujus, quem ipsum facit, & ingerit sensibus prima fronte. Unus vocatur sensus interior; alius exterior: unus superficialis; alius medullarum. Exempla multa sunt in sacra Scriptura: ut Judic. IX. 8. *Ierunt ligna*, &c. Alius: Propositio dicta, & in alio sensu facta de Propositionibus Philosophicis, posset exemplificari; sed dimittetur causâ brevitatis.

O quàm* in suppositionibus suis ponit expressè istam distinctionem, & exemplificat de ista, *Homo est dignissima creaturarum. Rosa est pulcherrima flos florum.* In sensu enim quem facit illa: *Homo est dignissima creatura*, falsa est: quia ratio est nobilior substantiis separatis; sed est dignissima super omnes creaturas corporales, separatis Seraphicis, Cherubicis, & sic de aliis: & vocatur sensus litteralis primus sensus quem littera de se facit, & offert; & ista est grammaticalis, &, per consequens, litteralis, per locum à nominis interpretatione ad interpretatum: gramma enim est littera; &, per consequens, grammaticale dicitur litterale, per locum à conjugatis.

Qua distinctione posita, ponitur quoddam notabile tale primum.

Non est idem dicere; Non debet teneri sensus litteralis; &, Sensus litteralis aliquando non debet teneri. Probatur: quia in prima, li *sensus litteralis* stat confusè, & distributivè, tàm pro sensu exteriori, quàm interiori, & sic est falsa; quia semper necessariò est tenendus sensus litteralis ille, in quo fit Propositio contenta in sacra Scriptura. Alia verò est vera, quia li *sensus litteralis* supponit ibi determinatè, hoc scilicet sensu demonstrato, quem scilicet Propositio facit: aliquando verò non tenendus est, & hoc est verum in multis. Ex quo sequitur, quòd semper tenere sensum litteralem non est necessarium, imò aliquando inducit in errorem.

Secundò. Notandum, quòd idem non est dicere: Sensus litteralis cujuscumque locutionis, est ille sensus, quem loquens de directo, & principaliter intendit. Et: Omnis sensus litteralis cujuscumque locutionis, est ille, quem loquens principaliter & de directo intendit: prima enim est vera; secunda falsa.

Tertiò. Nota, quòd utraque istarum Propositionum est falsa: Non est sensus tenendus litteralis. Et: Non est capienda intentio loquentis: sed hoc stat, quòd sensus litteralis aliquando inducit in errorem; cùm si sensus tenetur ibi determinatè, & verificatur pro una singulari, scilicet pro sensu quem Propositio facit.

Et etiam totum hoc declarat adversarius pro nobis in tota illa distinctione, quam facit de locutione Spiritus sancti. Unde dicit, quòd sacra Scriptu-ra

* *Hic aliquid desideratur.*

* *Forsan* Ockam.

ra aliquando loquitur, non utendo terminis principaliter; sed assumit res significatas per terminos, ad significandum res alias tantummodo: & exemplum, secundùm Dionysium assumit: *bos*, *leo*, in quibusdam locis Scripturæ ponuntur, non sub intentione ut quiescant in eorum significatione, quia tunc esset error. Et exemplificatur iterùm de ista; *Mons Sion elevabitur super omnes colles.* Isaiæ. II. 2. Undè non est intentio Spiritus sancti, quòd res illa significata per hoc complexum *Mons* &c. rectè * sensus quem facit, in ista materia, inquit, *Littera occidit*, quod est dicere, quòd sensus quem facit littera superficialis, & secundùm usum terminorum, communiter occidit: non est idem dicere, *Littera occidit*, inquit, & *sensus litteralis*: quia aliud significatur per terminos litteræ, & aliud per res significatas, quod est verum. Unde per terminos significatur sensus quem littera facit; & per res, sensus in quo sit, nec propter hoc est fallax, imò est verax, & necessarium Argumentum: Est sensus grammaticalis; ergo litteralis, à nominis interpretatione ad interpretatum: imò etiam patet ex terminis adversarii. Unde Spiritus sanctus, inquit, loquitur per res, & non terminos: ergo stando in terminis ex scriptis litteralibus, esset error: hujus sententiæ: Gregorius, *in Moralibus*, *Libro primo*, *in Prologo*, *capite tertio*, prout latiùs posui, & ad longum in Tractatu, qui incipit: *Provenit*. Et Gregorius, *super Ezechielem*.

Cesset ergo gerrola †, & seditiosa loquacitas, & calumniosa totius Regni Franciæ diffamatrix; semen diffamationis falsæ, & nequissimæ jactum per omnes, proh dolor! mundi partes, in sacro Concilio Generali, & Regis sanguinis Christianissimi illiciti, quod nunquàm tali labe respersum noscitur, sed nec erit in futurum, divina conservante gratia respergendum; sed nec ipsum Regnum fidelissimum: nisi forsan isti diffamatores, & Regni, in hoc, proditores perversi jaciant suum semen: quod nec ibi semen, cum siconibus comburatur, unquàm, divino præstante præsidio, poterit pullulare: quod concedit sator Christus seminis verbi Dei, & veritatis, *qui exiit* primo manè *seminare semen suum*; Matt. XIII. 3. Cum Patre & Spiritu sancto vivens & regnans, per infinita sæcula. Amen.

* *Forsan legendum* rectus fit. † *Forsan* garrula.

Quod sequitur excerptum est ex Libris Henrici Boic.

HEnricus Boic, Libro quinto, *De homicidio* C. *Interfecisti* §. *Si autem.*

„Si quæritur: Utrum, & quando licet alicui, secundùm Legem, alium impunè occidere, vel etiam mutilare. Distingue. Aut quæris de occidente, vel mutilante, necessitate inevitabili, tali scilicet, quòd quia mortem injustè sibi inferendam aliter vitare non valet: sive occidit, vel mutilat invasorem; & & quia sic arciatus * erat quòd fugere non poterat; vel per clamorem, vel aliàs, se juvare: & tali licet, etiam Clerico, impunè, & sine peccato aliquo occidere, vel etiam mutilare, tàm Lege divina, quàm humana: quod probatur sic: Quilibet magis tenetur ad id quod ordo charitatis magis exigit, & requirit; sed ordo charitatis exigit, & requirit quòd magis debeam diligere meam vitam temporalem, quàm alterius, secundùm Sanctos, & Philosophos, dicentes, quòd *Diligibilia ad alterum, mensurantur ex diligibilibus ad se.*

„Item. Unusquisque magis tenetur sibi ipsi quàm proximo, supposito ordine rationis: sed deffendens se contra injustè invadentem, etiam si occidat, dùm principaliter tamen occisionem ejus non intendat, sed suam salvationem propriam, & cum debito moderamine, esto quòd sequatur mors invasoris; nihil facit contra rectum ordinem rationis, nec contra Justitiam, nec contra Charitatem proximi; cùm, secundùm ordinem Charitatis, plùs tenetur diligere seipsum: quare &c. quàm naturali; quàm civili. *Ar.* ff. *de Just. & Jure.* L. *ut vim.* Et est expressum. L. ff. *Aquili* L. *Scientiam.*

A „Quarto, quinto. *Qui cùm aliter.* Undè, de Jure naturali, est justa deffensio sui ipsius; & ex parte naturæ inferioris hominis, in qua convenit cum brutis: nam & omnia animalia hæc faciunt. ff. *Si quadrupes fe. di. lev.* §. *marietes.* Et ex parte naturæ superioris, quæ est ratio, ut dictum est etiam, quàm Canonica, ut hic. Et C. *Significasti.* Et etiam sine pœna irregularitatis. L. *di. Quia te.* Et est casus. Extra. eodem. *Si furiosus. in Clementiis.* Et ita intelligitur istud C. III. §. *Sot. Qui Presbyter.* Et licet Bernardus, in glosa finali, credat quòd Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus, faciens id de quo loquitur sic fit irregularis: tamen intelligit, quod in nullo imputatur ei, ex quo aliud facere non potuit: ut patet infra, eodem, *Significati* II. f. *Finali.* nam tale homicidium simile est casuali, quod non impedit etiam promo-

B vendum. Infra, eodem. *Lator.* Et hoc tenebat Dominus Clemens Papa quartus.

„Secundùm hoc, nec obstat prima; eodem, *Suscepimus*, qui hîc deffendebat, præsertim & res, ibi tantùm res: quod patet; quia hic dicit, te tuaque, non enim dicit, te, vel tua, secundùm Hosti: ibi. Idem, Guillelmus de Monte Lauduno, in dicto C. *glosa prima. Extra.* eodem in C. *Le.* & *Jo.* XXIII. 4. 3. in Summa, super verbo *Fugiens.* Et Archidiaconus ibi: & intelligitur quòd in tali necessitate, licet alicui sic interficere; in tantùm quòd si aliquis me vult interficere, si possum eum prævenire, nec teneor expectare quòd me primò percutiat. Ar. C. ad. Le. Cor. *de Sicariis.* L. II. ubi dicitur, quòd *Deffensor propriæ salutis*, *in nullo peccat.* Et L. III. *di.* dicitur, quòd *Qui aggressorem*, *vel quemcumque alium*, *in dubio vitæ discrimine positus*, *occiderit*, *nullam*, *ob id factum*, *calumniam incurrere debet.* Et L. *q.* ubi dicitur;

C „*Quòd si latrocinantem peremisti*, *dubium non est cum* * *qui inferendæ cædis voluntatem præcesserit*, *me* † *casum videri.* Ut notant Lauter, Tanphi. Ber. Juno, hoc est Jo. *An infra.* C. *Proximo.* Et Archi. L. *di. de his. Glosa fi.* Ubi etiam dicit, quòd *sufficit terror armorum.* ff. *de vi.* Et *vi ar.* L. I. C. §. *Idem labor.* Et L. in §. *Qui armati.* Idem, Guillelmus de Monte Lauduno. Et Gentis. in dicto C. *Furiosus.* Glosa finali: de quo dicam infra, eodem, *Significasti.* II. *di.* II. Et idem: Si invasùs posset fugere, si in fugiendo posset verisimiliter sibi mortis periculum imminere, secundùm Gent. ibi. Et ita intellige quod dicitur de latrone insidiante itineribus, quem licet cuilibet occidere, authoritate propria. C. *Quando licet unicuique sine Judice se vindicare.* L. I. & II. XXIV. *q.* 4. *Fortitudo.* Et C. *fe. q.* V. *Cùm homo.* XVII. *q.* 4. Sicut Bernard. Hoc nota Glo. Et in his satis concordant Raymundus, *in Summa*, ceteri §. *in....* li-

D cèt Hugo, *di.* C. *Si autem*, notaverit, quòd mortaliter peccat tàm Clericus, quàm Laïcus, qui ob deffensionem sui, vel rerum suarum, alium, propria authoritate, interfecit; cum potiùs deberet mortem incurrere, quàm inferre homicidium. Art. XXXII. *q.* V. Ita Veterius; Opinio est nimis dura, secundùm glo. Sic per Ray. in §. V. †

„Dicunt quidam, quòd non possunt aliquem occidere, vel mutilare, etiam pro personis aliorum, vel pro rebus suis temporalibus salvandis, per ea „quæ

* *Forsan* arctatus.

* *Forsan* eum. † *Locus corruptus.* ‡ *multa videntur depravata ubique in istis citationibus in* MS.

„ quæ notat Juno, in dicto C. *Si verò*, in glosa: „ *Quod si non ob sui*. C. *Quod si pro rebus*. 2. Sed pro „ personis aliorum, etiam extraneorum, tuendis: quia, „ etiam socii injuria propalanda est. XXIII. *q*. 3. *Fortitudo*. Et C. *Non in inferenda*. Ubi de hoc per se, in „ glo. 1. Et per Archi. Et per ea quæ Le. & „ nota 1. de feu. ex quanto. Et eodem titulo, *dilecto* „ livi.* Et quæ notat Juno in dicta glo. in principio.

„ Alii econtra, scilicet quòd aliis pro extraneis tuendis non possunt, prout recitat Juno, in dicta glosa, in A „ fine: ubi alii dicunt, quòd benè pro rebus propriis; per ea quæ notat Ber. infrà, eodem *Suscepimus*, glosa prima: ubi laïcus vera &c.

„ Ego verò Henricus, credo, salvo judicio meliori, quòd aliquis potest, sine peccato, mutilare, vel „ occidere invadentem alium injustè, & occidere „ volentem, in casu, ubi ipsius vitam invasi aliter „ salvare non potest: dummodò ad salvationem in„ vasi principaliter, & non ad mortem invadentis intendat. Patet per præmissa.

„ Item. Potest hoc sic confirmari. Primò, Lege „ divina: quia quis tenetur proximum suum diligere „ sicut se ipsum, Lev. XIX. 18. *Luc*. X. 27. *Matth*. XIX. „ 19. & XXII. 37. *Rom*. XIII. 9. XIV. *Q*. 4. C. *penult*. „ *De pœ. Di*. 2. Et *Charitas*. 2. circà medium. Sed pro „ se ipso salvando, ubi aliàs mortem evitare non „ potest; vel mutilare, vel occidere potest suum B „ invasorem, ut dictum est in principio: ergo & „ pro proximo salvando. Item in Psalmo LXXXI. „ 4. *Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris* „ *liberate*. Et Eccli. IV. 9. *Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi*. Et Prov. XXIV. 11. *Erue eos* „ *qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum* „ *liberare non cesses*. Et sic quod Dominus imperat „ necesse est fieri; & nisi fiat, pœnam habet. XXIX. „ *q*. 1. Quod præcipitur ergo si fiat, legitimè fit, „ nec pœnam meretur. C. *Ad L. Jul. De adul. Le.* „ *Gratus*: maximè cum aliquo † Præcepto vel concesso; omnia sine quibus. *Prima de Re. Juris. Cùm quid.* „ Lib. VI. Et quæ verisimiliter possunt sequi ad „ illud: prima de hujusmodi. *Is qui mandat*. Libro. VI.

„ Item. Remoto amore proximi, removetur amor „ Dei. 1. Joan. IV. 20. *Si quis dixerit, quia diligo* „ *Deum, & fratrem suum odit, mendax est*. Et sic C „ inimicum Dei, & hominis, ut salvet amicum Dei „ & hominis, occidere potest.

„ Item. Eccli. IV. 34. dicitur: *Usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Pro invasis est Justitia: Ergo &c.

„ Item. *Exod*. II. *Cap*. Cùm dicitur, quòd sanctus „ Moyses, etiam antequàm constitutus esset Judex super populum, Ægyptium injuriantem, & silentem, „ & eum percutientem injustè, percussit, ponens eum „ sub sabulo.

„ Item. *Exod*. XXII. 1. proximo, in principio dicitur: Quòd si fur nocturnus perfodiens inventus fuerit, occidi potest. Et est ratio, dicit „ Hosti: infra eodem, proximo; quia præsumi potest quòd ad occidendum venerit. Et sic intelligam generaliter, quòd nedùm per illum, cujus do- D „ mum perfodit, sed per quemlibet etiam alium „ occidi potest, ex quo Lex non distinguit. ff. *De* „ *publicis*. L. *de pretio*. p. *De privileg. Quia circa*.

„ Item. Lege Civili & Canonica, dicente, quòd is „ qui cum telo ambulavit, necandi hominis causâ; „ sicut is qui hominem occidit, pœnâ homicidii tenetur. ff. *Ad Le. De sicariis*. L. *divus*. C. *Ad Le.* „ *Cor. De sicariis. Is qui cum telo*.

„ Modo Jura dicunt, quòd ubi non potest quis „ copiam habere Judicis, regulariter potest facere „ ea quæ faceret, vel deberet facere Judex. ff. *De* „ *his quæ in fraud. credi*. l. ait prætor. §. *Si debitorem*. *Ad Le. Juli. De adul*. 1. *Cap*. V. Et potest auctoritate propria se vindicare. C. *Quando licet unicuique sine Judice se vindicare*. L. 1. XVII. *q*. IV.

„ Item. Qui potest occidere per se, potest per „ alium occidere: ut in dicto C. L. *Gratus*, infra, *De* „ *Re. Juris. Potest quis. Lib*. VI. Sed invasus potest licitè suum mutilare, vel occidere invasorem. „ Ut supra, in primo membro. Ergo & per alium, „ de Mandato, vel ipsius nomine posteà ratum „ habentis.

„ Item. Talis, si occidit talem invasorem Clericum, non est excommunicatus; imò meretur, per „ Capitulum allegatum: *Fortitudo. Non in inferenda.* „ ut notat Juno. *Prima de sen. Ex. Si verò*, in glosa, *Quòd si non ob sui*. Et Jo. An. post eum. Si ergo meretur, in hoc non peccat, sed licitum est „ quod facit. XXIII. *quæst*. IV. *Qui peccat*. L. *de adul.* „ *Gratus*.

„ Item. Iste qui stat pro tali invaso, stat pro justo „ bello. C. *Ad Legem Juliam. de vi. pre*. L. *Quoniam multa facinora per hoc*. Nota Joann. Ra. *in dicto*. §. *Si debitorem*, dicens &c.

„ Secundùm istam rationem ultimam, videtur „ quòd si invasus nollet se deffendere, ut Martyr „ forte mori †, quòd posset alius mutilare, vel occidere invasorem. Sed contrarium verius videtur per „ præmissa; & quia interest hominis, hominem beneficio affici. ff. *de for*. ex C. *Quamvis ea Lege*: „ *in fi*. Et quia in facto, seu causa sanguinis, alter alterum, etiam invitum, deffendere potest. ff. *De app.* „ L. *Non tantum*.

„ Et hoc satis patet in Passione Domini Jesu Christi, cujus omnis actio, nostra est instructio. II. „ *quæst*. I. *Deus Omnipotens*: quem volentem mori pro nobis, Petrus deffendebat cum armis, Malchum servum Principis Sacerdotum mutilando, „ amputando sibi *auriculam ejus dexteram*, Joan. „ XVIII. 10. *Matth*. XXVI. 51. *Marc*. XIV. 47. *Luc*. XXII. „ 50. XXXIV. *quæst*. I. *Si Petrus*. XXIII. *quæst*. III. *Pro* „ *membris*: in quo non reperio quòd peccaverit, cùm „ hoc fecerit quasi ad nutum Domini prædicantis. „ Luc. XXII. 36. *Sed nunc qui habet sacculum, tollat,* „ *similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*. Et ibi, quando Discipuli „ interrogaverunt eum: *Domine, si percutimus in gladio? & ipse tacuit*. Per quod videtur tacitè consentire: infra *De Re. Juris. Qui tacet*. Lib. VI. Pro „ quo facit quod notat Specu. Ti. *De Legato*. §. *Juxta Propositiones*, in secunda columna; rursùs, *Numquid ergo Beatus Paulus*? Et licet Dominus, in „ Ministro Ecclesiæ, præceperit sibi quòd de cetero gladium materialem converteret in vaginam, & „ spirituali tantùm gladio uteretur. XXIII. *quæst*. VIII. „ in Summa. Quæ ratio, unà cum præmissis, fortiter „ cogit ad dicendum, idem esse, hoc casu, in Clericis „ non benefitiatis, quod in laïcis &c.

„ Nec obest, si dicas: Magis teneor, de debito „ Charitatis, diligere vitam gratiæ in proximo, quam „ vitam temporalem in me, secundùm Sanctos: Libro, „ *De gradu Charitatis*. Et plùs teneor evitare damnationem perpetuam animæ ipsius, quàm mortem „ corporalem meam, secundùm eos. Sed verisimiliter debeo credere, quòd si interficio invasorem „ injustè, quod damnabitur perpetuò, cùm moriatur in actu peccati &c. Ergo quia concedo Majorem. Ad Minorem dico, quòd non sum certus „ quòd ipse damnabitur; cùm alterationes præcedentes mortem, & exitum animæ à corpore, necessariò fiant in tempore, in quo tempore, quantumcumque brevi, potest pœnitere; & per consequens, „ salvari; nec essem certus, quòd si interficeret me, „ ego essem salvatus; possum enim habere alia peccata, & nihilominùs ea nesciam. In Psal. XVIII. 13. „ De-

* *Locus corruptus*. † *Legendum videtur* aliquo prohibito, vel concesso; omne id prohibetur, vel conceditur, per quod pervenitur ad illud.

† *Locus corruptus*.

„ *Delicta quis intelligit*? Et 1. Cor. IV. 4. *Nihil mi-* „ *bi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Et „ Eccli. IX. 1. *Nemo scit utrum amore, vel odio dignus sit.* „ Et eadem objectio & solutio potest fieri, ad mem- „ brum illud, ad deffensionem alterius injustè invasi.

„ Item. Credo, quòd pro rebus propriis salvan- „ dis, quas aliter salvare non potest, potest quis mu- „ tilare, vel occidere invasorem, cum tali modifica- „ tione quam ponit Frater Joannes, *in Summa*; sci- „ licet cùm ex talium ablatione, quis poneretur in „ extrema necessitate: quia qui alimenta tollit neces- „ saria, vitam simul aufferre videtur.

„ Pro rebus proximi salvandis, non credo lice- „ re interficere: aliàs, quod * in præmissis casibus, ho- „ minem interficere non licet, authoritate Legis. „

Post, habetur de fure nocturno, quem, secundùm Legem Moysi, licet interficere &c. Responsivè &c. ad novem dubia, per Concilium Generale Constantiense dissolvenda sibi proposita.

* *Forsan* quàm.

LI. DELIBERATIO.

QUoniam in agibilibus humanis, propter mutabilitatem, Propositiones frequenter, & regulæ patiuntur instantiam: ideò, ne verbosis relinquatur occasio infructuosa relatrandi, differendæ veritatis materiam, sub certo casu limitatam, volo explicare.

Et pono, quòd Titius, & Petrus sint ambo vassalli Regis Pauli; & quòd Titius, apposito deliberato, per dolum, fraudem, & sortilegia, invocationes dæmonum, & pacta ex reverentia cum eis inita, malumque ingenium, & maleficia, quæ pudor est dicere, machinatur occidere Paulum Regem suum, cupiditate habendi ejus Coronam, & Dominationem; quòdque tantæ est potentiæ, quòd de eo non potest, bono modo, fieri justitia per Superiorem; & ne Paulum Regem suum occidat, à nemine potest impediri; nisi occultè, per bonas cautelas occidatur; quòdque Petrus, cognito quòd periculum est in mora, ex fidelitate quam debet Paulo suo Regi, Titium occidat.

Et rem quamlibet dùm adjuvari magis, quàm evanescere oportet. C. *De rei uxoriæ actione*, in Principes *. Et *Nisi nomen quis scierit, cognitio rerum perit*, ut dicit Isidorus, *primo libro Ethimo.* C. IV. Suppono cum Gregorio, XII. *Libro Moralium*, & glosa: Job. XV. 20. *Numerus Annorum incertus est tyrannidis ejus.* Quia *propriè tyrannus dicitur, qui in communi Republica non Jure principatur.* Et illo itaque, & isto supposito, casu scilicet posito, & nomine exposito, sequuntur Propositiones ad ordinem doctrinæ, sicut subjecta patitur materia, redactæ.

Propositio Prima.

Licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto, secundùm Leges, Naturalem, Moralem, & Divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium, machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & supremi Domini, pro aufferendo sibi suam nobilissimam & altissimam Dominationem: & nedùm licitum, sed honorabile, & meritorium, maximè quando est tanta potentia, quòd Justitia non potest, bono modo, fieri per Supremum.

Propositio Secunda.

Leges, Naturalis, Moralis, & Divina, authorisant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum.

Propositio Tertia.

Ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi: & Rex non debet solùm esse contentus; sed debet habere factum acceptabile, & authorisare, quantùm opus, vel necessitas est, vel esset.

Et ne quis ex solis vocibus inordinatè prolatis incurrat nedùm errorem, sed hæresim; prima * ejus intellectu plenè expresso, & qualibet ejus distributione ad suum relata, distributivæ sunt: quòd unicuique subdito, secundùm Leges, Naturalem, Moralem, & Divinam, sine Mandato alio, vel Præcepto quocumque dato, licitum est occidere: etiam Catholicæ, terrenæque Reipublicæ & fidelitatis inter Principes, & subditos conservativæ.

Dùm enim, sicut videmus in rebus naturalibus, unum contrarium vehementiùs agit, altero contrario superveniente, propterea aquæ calefactæ magis congelantur, ut dicitur, *secundo Metheorum*; proculdubiò, ex rebus naturalibus ad res humanas derivantur, & in hominibus hoc, ex naturali inclinatione, invenitur, ut unusquisque deprimat eum qui contra eum insurgit. Sed tyrannus contra Rempublicam insurgit, dùm Regem, qui velut Episcopus, est *Ecclesia*, VII. *Quæst.* I. *Scire.* Et anima, *homo.* I. *Corinth.* XV. 45. est Respublica, IX. *Ethicorum*, machinatur interficere. Ideò, secundùm Legem naturæ, licitum est, quòd isti, omnibus subjectis undè Respublica integratur demonstratis, tyrannum deprimant, & illicò occidant; dùm meliùs est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare, & justum est ut mortem quam minatur accipiat, & id quod intendit incurrat. C. *Quando licet unicuique sine Judice vindicare se.* L. I. XVII. *q.* IV. Sed quoniam ex Logica, & *Ar.* XXIII. *quæst.* VIII. *Si quatuor.* Et *Extra. De ho. Cap. significasti*, II. ‡ est bonum Argumentum: Isti tyrannum occidunt; igitur quilibet eorum tyrannum occidit. Et ergo dùm explicitè non sequitur quid illicitum, sicut ex vero nil nisi verum, authoritate etiam Legis naturæ, cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere.

Item sic: Quilibet subjectus pro deffensione sui, authoritate Legis, licentiatus est tyrannum occidere. *Di.* I. *Jus naturale.* XXIII. *quæst.* VIII. *Si nulla.* Et *Extra. de ho.* LX. C. II. §. *Ad L. Cor. De sicariis.* L. II. III. & IV. Et in occasione furis nocturni. *Exod.* XX. Sed quoniam Rempublicam magis quilibet subjectus, quàm se, tenetur, authoritate Legis deffendere, sicut videmus quòd naturaliter manus se opponit ictui, absque deliberatione, ad conservationem totius corporis; & quòd in politicis virtutibus, cives, pro totius Reipublicæ conservatione, & dispendio propriarum rerum, & personarum interdùm sustinent; & Charitas, de qua scriptum est, quòd *Non quærit quæ sua sunt.* I. Cor. XIII. 5. Communia propriis anteponit, in regula. Philosophus quoque, I. *Ethicorum.* Et Legisperitus. ff. *Pro socio.* L. *Actione.* §. *Labeo* †. C. *De caducis collon* †. L. *una.* §. *pe.* VII. *quæst.* I. *Sciat frater.* Et Extra. *De postula.* C. III. Et ergo, dùm eadem Lege quilibet tenetur Rempublicam & Regem, seu quemcumque alium, per quem conservatur, deffendere: proculdubiò, authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est, pro deffensione Regis sui, quemlibet tyrannum occidere.

Item sic: Quoniam minus malum semper eligendum est, quando mens inter minora & majora mala constringitur: & dicit Philosophus, VI. *Ethicorum*: & Gregorius, XXII. *Lib. Moralium.* C. XXXVI. Et Lex, *Quotiens*, ait, *sine captione nihil investigari potest, eligendum est quod minimum habet iniquitatis.* ff. *De Re. Juris. Quoties.* Sed minus malum est, minùs quòd habet iniquitatis, occisio tyranni, quàm interitus Regis; subditus constringitur quilibet. Et ergo dùm authoritate Legis, cuilibet subjecto eligibile est;

* *Forsan* in principio.

* *Forsan legendum* primo. ‡ *Forsan legendum* non est bonum. †† *Loci corrupti.*

le est; procul dubio etiam licitum est, quòd tyrannum occidat.

Item sic: Omnem, qui venit delere Patriam, aut vastare, cuilibet subjecto licitum est occidere, etiamsi Pater fuerit, aut filius. ff. *de Religiosis*. Et sumptibus fit minimè *. XXIII. *quæst.* VIII. *Omni timore*. Sed tyrannus venit delere Patriam, & vastare, dùm venit interficere Regem, & Regnum sibi usurpare, quod minimè sine vastatione Patriæ, & perturbatione potest contingere: & ergo, authoritate Legis, cuilibet subdito licitum est tyrannum occidere.

A Item sic: Quòd Tyrannus civitates desolatur, & sacra deprædatur; ut dicit Philosophus, IV. *Ethicorum*, majus Reipublicæ nocumentum est: & ergo magis licitum est, & necessarium punire, quàm quòd latro publicus, itinera frequentata insidiis aggressionis obsidet. Sed latronem publicum, authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est occidere. C. *Quando licet unicuique, sine Judice vindicare se*. L. II. Et XXIII. *quæst.* III. *Fortitudo*. Et eod. C. *quæst.* V. *Cùm homo*. Et ergo, ejusdem Legis authoritate, cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere, secundùm Maximam: *Si id quod minùs inesse videtur inest, & id quod magis.*

Item sic: Cuilibet, qui est idoneus, & ratione, & potestate. *Prov.* XXIV. II. dicitur imperativè: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*, subauditur injustè, *& qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses*. Et Ambrosius, in illo Libro, *De Officiis*, circa medium: *Qui enim*, ait, *non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit*. Et transumitur, XXIII. *quæst.* III. *Non in inferenda*. Sed tyrannus, si non occiditur, ducit Regem injustè ad mortem. Ideò indubiè, si potest, cuilibet subdito, authoritate Legis Divinæ, licitum est tyrannum occidere.

Item sic: Quilibet subjectus tenetur tyrannum ab interfectione Regis impedire. C. *De his, quibus ut indignis hæreditates aufferantur*. L. *ultima*. XXII. *quæst.* V. *de forma*. Et *Extra. De Re. Juris. Ego Episcopus*. Sed istud nulli subjecto est possibile, nisi tyrannum occidat. Et ergo, authoritate Legis, aio, non tantùm licitum, sed etiam debitum est cuilibet subjecto tyrannum occidere, dùm sine eo non potest Præceptum adimplere.

Item sic: Fidelitas subjecti ad Dominum in hoc consistit, quòd vitam Domini deffendat. Quilibet subjectus, habens opportunitatem occidere, & non occidit tyrannum, per cujus dumtaxat mortem potest Regem à morte liberare, facit contra suam fidelitatem: sed illud generaliter omnis Lex damnat. Naturalis, dùm fidelitas naturaliter obligat: Moralis, in ratione præcedente immediatè allegata: Divina, *Ti.* II. Et secundùm Hieronymum, *Eccle.* VI. Qui ibidem exponens illud: *Quodcumque voveris redde*, dicit quòd *præcipitur Christiano, ut Fidem opere compleat, & non sit similis populo Judæorum, qui spondentes*: Omnia quæcumque Dominus præcepit, faciemus, *adoraverunt idola*. Et ergo qualibet Lege datur cuilibet subjecto licentia tyrannum occidere; & peccat graviter quilibet subjectus, habens opportunitatem occidere, & non occidit, &c.

Item sic: Secundùm Isidorum, *De Summo bono*. Libro tertio. C. LX. *Ipse dicitur facere, qui permittit. Dùm*, inquit, *homines*, de permittente, *malum quod concupiscunt, perficiunt; ipse dicitur facere, qui permittit*. Inde est, quòd scriptum est per Prophetam. Si erit malum quod Dominus non facit. Et declaratur ratione. Dupliciter enim homo facit aliquid; vel directè, vel indirectè: directè quidem, quando per se aliquid operatur: indirectè autem, quando non impedit operantem: nam removens, prohibens dicitur, movens per actus. VII. *Physicorum*. Sed

* *Locus corruptus.*

nulli subjecto licitum est, authoritate Legis, interficere Regem. Ideò quilibet subjectus tenetur impedire tyrannum, & non permittere quòd Regem interficiat.

Argumentum inde patet, quòd ex opposito Consequentis, sequitur oppositum Antecedentis: & quia cuilibet licet illud, sine quo non potest Præceptum complere. Et ergo dùm sine occisione ejus, tyrannum nullus subjectus potest ab interfectione Regis impedire, proculdubiò, authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere.

Item sic: Augustinus, super illud Psal. LXXXI. 4. *Eripe pauperem & egenum. Hæc*, ait, *dicta sunt, ut sciretur, in eo populo, in quo natus, & occisus est Christus, nec illos fuisse à tanto scelere immunes, qui cùm essent tanta multitudinis, ut eos, sicut Evangelium loquitur, timerent Judæi, & propterea in Christum manum mittere non auderent; postea convicerunt, eumque interimi à malignis & invidis Judæorum Principibus permiserunt*. Sed subjecti, cùm sint tantæ multitudinis, ut eos timeret tyrannus, & propterea in Regem mittere manum non auderet, convincunt, & Regem de manibus tyranni non liberant. Ergo indubiè à morte Regis non sunt immunes, & nullus eorum qui potens est de manibus tyranni Regem eripere. Sed quoniam nullus subjectus potest de manibus tyranni, sine ejus occisione, eripere Regem: & ergo, authoritate Legis, certò certiùs est, quòd cuilibet subjecto licitum est tyrannum occidere. B

Item sic: Chrysostomus, super illud Matth. IV. *Vade retrò Sathanas*, Christum referens sic ait: *Illius discamus exemplo nostras quidem injurias ab impiis, sive in dicto, sive in facto magnanimiter sustinere; Dei autem injurias, nec usque ad auditum sufferre: quoniam in propriis injuriis esse quemlibet patientem laudabile est; injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium*. Sed Respublica, cùm sit divinum quoddam I. *Ethicorum*, & indè ejus Rex, seu Rector divus, & Dei, illiusque Regni Minister, *Romanorum tertio*, & *Sapientiæ sexto*; proculdubiò omnis injuria quam tyrannus Regi irrogat, Dei injuria est, & sacrilegium, quod quoniam suppletio capitis, puniendus. ff. ad L. *Jul. Peculatus, sacrilegis, & de pœnis*. L. *Amfacta*. §. *Qui autem*. & C. *quæst.* VIII. *Quicumque*. Et ergo, authoritate Legis divinæ, & exemplo Christi, cuilibet subjecto licitum est, imò debitum, illicò tyrannum occidere. C

Item sic: Legislator, quoniam non potest omnes singulares casus intueri, proponit Legem, secundùm ea quæ in pluribus accidunt, referens intentionem suam ad communem utilitatem, ad quam Lex ordinatur: & ergo observatio Legis, secundùm verba, quando in casu emergente & * damnosa communi saluti †, observanda: & si habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, & non est tanta mora, ut ad Superiorem recurri possit, ipsa necessitas, quæ non subditur Legi, dispensationem habet annexam; & ad quemlibet pertinet, ut interpretetur quid sit utile Reipublicæ, & intentionem Legislatoris sequens, præter verba Legis agat. Sed in casu proposito, observatio Legis hujus, secundùm verba: *Non occides*, est damnosa communi saluti subditorum, quæ habet periculum, cui oportet statim occurri, dùm tyrannus, si non occiditur, interficit Regem, & non est tanta mora, quòd ad Superiorem, imò nec est Superior, ad quem recurri possit. Et ergo, in ea authoritate Legis, cuilibet subdito sine Superiore interprete licitum est tyrannum occidere. Sententia est Doctoris sancti, super *di.* II. *ultima quæst. Art.* II. Et dicit: *Quando aliquis aliquod Dominium sibi per violentiam subripit, nolentibus subditis, vel etiam ad consensum coactis, & non est recursus ad Superiorem, per quem de tali invasore Judicium possit fieri*: D

* *Forsan* est. † *Forsan addendum* non est, *& delendum comma*.

fieri: tunc enim qui ad liberationem Patriæ talem tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.

Item sic: Ambrosius, in Libro, *De gratia, & libero arbitrio.* C. VIII. de latitudine sacræ differens Scripturæ, dicit: *Siquidem nihil utiliter ad salutem spiritualem prædicamus, quod sacro Spiritus sancti miraculo fœcundata non protulerit, aut intrà se non contineat: nam si quid ratione dicimus aliquando, quod in dictis ejus apertè monstrare, aut ea ipsis probare nequimus; hoc modo per illum cognoscimus, utrum sit acceptandum, an respuendum. Si enim apertè, rectè colligitur, & illa ex nulla parte contradicit: quoniam ipsa sicut nulli adversatur veritati; ita nulli favet falsitati, hoc ipso, quia non negat, quod rectè dicitur, ejus authoritate suscipitur, ac si ipsa nostro sensu indubitanter repugnat, quamvis nobis ratio nostra videatur inexpugnabilis; nulla tamen veritate fulciri credenda est. Sic itaque sacra Scriptura omnis veritatis, quam ratio colligit, authoritatem continet, cùm illam aut affirmat apertè, aut nullatenùs negat.* Sed sacra Scriptura, ex nulla ejus parte, Assertioni nostræ contradicit; maximè dum Præceptum *Non occides*, quod magis videtur ceteris contradicere, in nullo contradicit, sed consonat, & cognitum est, ut Digesta probant: & ergo authoritate sacræ Scripturæ suscipitur: & ergo apud fidelem certo certius, quòd cuilibet subjecto licet, sine alio Præcepto quocumque dato, secundùm Leges, divinam, naturalem, & moralem, tyrannum in casu expresso occidere.

Item sic: Et ponitur cum casu, quòd tyrannus ex utraque Parente fuit Frater Regis, & arguitur sic: Ex Scriptura, siquidem ex casu posito, manifestum est, quòd spe adipiscendi Regnum, Absalon machinatus est in suum Patrem, &, ut tyrannus, ejus fratrem occidit: & in hoc, licèt peccatum Absalon majus erat, & tyranni minus in Deum, nisi crimine sacrilegii, non quidem gravioris, sed quasi minimi, in quantum illud quod ad irreverentiam pertinet Principis, secundùm quamdam similitudinem, sacrilegium dicitur. XVII. *quæst.* IV. §. *Sicut.* Si autem tyrannus, superstitione quam adhibuit pro Rege suo occidendo, & fratre, immediatè peccavit in Deum, & contra primum Præceptum primæ Tabulæ, quod gravissimum est. Et ergo indubiè tyrannus plus peccavit quàm Absalon, quolibet eorum machinante Regem suum occidere. Sed quoniam sacra Scriptura dùm non redarguit, approbat quòd Joab contra Præceptum Regis, occidit Absalon, pro eo, quòd Regem suum, spe adipiscendi Regni, machinabatur occidere: & ergo, authoritate sacræ Scripturæ, lucè clariùs approbatur, liciteque potest fieri, & justè facta est occisio tyranni, juxta casus suppositi tenorem.

Item sic: Sicut enim in peccatis, quæ contra Deum committuntur, gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantùm est in se, facit alium Deum in mundo, minuens Principatum divinum: ita & in terrena Republica, gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem Regium alteri impendat, quàm vero Regi; quia quantùm in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem. Sed dùm, sicut probatum est, ipse videtur facere, qui non impedit operantem: & tyrannus non potest, nisi interficiatur, honore Regni, Regiove impediri; evidentissimum est, quòd subjectus, quocumque dato, qui tyrannum potest interficere, & non interficit, honorem Regium ad alium defert, seu alteri impendit. Sed illud dùm, ex declaratis in Majori, ex Lege divina, naturali, & morali, est gravissimum in terrena Republica; evidentissimum est, quòd authoritate Legis, cuilibet subjecto licitum est talem tyrannum occidere; & fortitudo, dùm præbet firmitatem animi contra pericula mortis, non solùm quæ imminent in bello communi; sed etiam quæ imminent in particulari impugnatione, quæ communi nomine bellum appellatur, indubiè appellatione fortitudinis continetur, quòd subditus unus, qui pro deffensione Regis sui, & Reipublicæ, subeat pericula mortis, ad occidendum tyrannum prænominatum; sicut & de senibus legitur scriptum, quòd *Fortes facti in bello.* Hebr. 11, 24. qui tamen numquam in communi bello decertaverunt: Sed

A fortes, maximè homines honorant, ut dicit Philosophus, in *Libro Ethicorum.* Idcircò absque omni hæsitationis vertigine, honorabile est, quòd unusquisque subditus tyrannum occidat prænominatum.

Item sic. Eadem enim virtus, dùm inclinat ad ea quæ sibi conveniunt, & remittitur eis quæ contra illam sunt; sicut fides inclinata * ad credenda, & refutat non credenda; & per pietatem, sanguine junctis, Patrique benevolis, officium, & diligens tribuitur cultus, ut dicit Tullius, in sua *Rethorica:* indubiè omnis qui machinatur perturbare Patriam, & delere ei benevolos, authoritate pietatis, à quolibet subdito licitè occidendus est. Sed tyrannus prænominatus machinatur perturbare Patriam, & delere Regem, & benevolum: & ergo proculdubiò, authoritate pietatis, à quolibet subdito licitè occidendus est.

Sed rogo, quis tam absurdè sentiat, honorabile non esse quod authoritate pietatis agitur? Dùm pietas appellatione virtutis continetur, & omnis virtus

B est honestum, ut dicit Philosophus, in *Lib. Rethoricorum. Omne quoque honestum est honorabile.* Et ergo proculdubiò honorabile, quòd tyrannus prænominatus, à quocumque subdito occidatur, & felicitas, dùm est præmium virtutis. I. *Ethicorum,* & honor, IV. *Ethic.* Præmium quoque dicitur, quod pro merito redditur; indubiè omnes actus virtutis sunt meritorii: sed per Digesta; quòd tyrannus prænominatus à quocumque subdito occidatur, est actus virtutis, scilicet pietatis, & etiam fortitudinis: & ergo indubiè meritorium quòd tyrannus prænominatus à quocumque subdito occidatur.

Et quia per meritum homo facit aliquid sibi debitum, quod est ei per Justitiam reddendum; & Justitia reddit unicuique quod ei debetur, & in bonis, & in malis: ideò secundùm Theologos, meritum dicitur propriè, respectu bonorum, & malorum: sed necessariò bonum est, vel malum, quòd tyrannus prænominatus à quocumque subdito occi-

C datur.

Et ex his, dùm est manifestum, quòd secundùm Leges, divinam, naturalem, & moralem, sine alio Mandato, vel Præcepto quocumque dato, licitum est, honorabile, & meritorium, quòd tyrannus prænominatus à quocumque subdito occidatur: & abundè notorium, quòd omne licitum honorabile; & meritorium, secundùm se, est acceptabile, authorisabile quoque, & nullus pro eo debet reprehendi, sed potius quilibet debet esse contentus: evidentissimum est, sine alia probatione, quòd *Leges, naturalis, moralis, & divina, authorisant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo. dictum tyrannum;* quæ in forma dicitur Propositio secunda; quòdque *ille qui occidit, vel occidi facit tyrannum su-*

D *pra nominatum, modis prædictis, non debet de aliquo reprehendi; & quòd Rex non debet solum esse contentus, sed debet habere factum acceptabile, & authorisare quantùm opus, vel necessitas esset:* quæ est, in forma, Propositio tertia.

* *Forsan* inclinat.

Propositio Quarta.

Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur villanè, Gallicè vilainement, *per explorationes,*

nes, & insidias: & est propria mors, quâ debent mori tyranni, & infideles; occidere scilicet eos villanè, Gallicè vilainement, *per bonas cautelas, explorationes, & insidias.*

Propositio Quinta.

Licitum est unicuique subdito, honorabile, & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem, & infidelem suo Regi, & supremo Domino, per explorationes, & insidias: & est propria mors, qua debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos villanè, Gallicè vilainement, *per optimas cautelas, explorationes & insidias; & est licitum dissimulare, & silere suam voluntatem de sic faciendo.*

Veræ, & Catholicæ, misericordiæ, & pietatis persuasivæ.

Jus est, ratio, & æquitas, quòd militum quicumque itinera frequentantia, insidiis aggressionis obsederit, viliter, & etiam illicò occidatur. C. *Quando licet unicuique sine Judice se vindicare, Lib.* I. XVII. *q.* 4. Sed tyrannus quicumque, dùm totum Reipublicæ perturbat ordinem, nocivior est dicto milite, & major est Reipublicæ depopulator. Et ergo Jus est, non, inquam, minus, vel æquale, sed majus; ratio, & æquitas de omni tyranno, quòd viliter occidatur, quàm de milite prænominato, & ad cautelam, dùm pertinet: & sic accipiantur bona, quòd vitentur mala. Exploratio quoque licita est, *Numeri* XXI. & insidiæ, at non sunt præcepta, *Jos.* VIII. apud fidelem quemlibet, Jus, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per cautelas, explorationes & insidias; & occidi viliter, dùm quædam mors, & non mechanicè, proculdubiò mors est, & propriè, & propria; & hoc unicuique debetur, quod ipsum secundùm Jus, rationem, & æquitatem ordinatum est; indubiè, occidi viliter, est propria mors quâ debent mori tyranni infideles. Et ergo nulla obstante tergiversatione, singulis probatis, omnia simul concludendo; *Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per explorationes, & insidias: & est propria mors, qua debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas, explorationes, & insidias.*

Item. Divina Sapientia de interemptione Ægyptiorum differens, *Sapient.* XVI. 4. ait: *Oportebat enim illis quidem sine excusatione supervenire interitum, exercentibus tyrannidem.* Et ergo, secundùm divinam Sapientiam, interitus ordinatus est ad puniendum tyrannos, aut tyrannidem: & quia dicitur esse suum alicujus, quod ad ipsum ordinatur, & unicuique debetur illud quod suum est; ideò tyrannum quemlibet referendo, interitus est sua mors quâ debent mori; & proprium, dum per suum exponitur, Joan. I. II. *In propria venit*; id est sua, indubiè interitus est propria mors quâ debent mori tyranni infideles. Sed quoniam Jus est, ratio, & æquitas, quod unicuique tribuatur quòd ei debetur; & mors quæ tyrannis debetur, dum non est pretiosa in conspectu Dei, profectò vilis est, & fortè vilissima: & ergò indubiè Jus est, ratio, & æquitas, quod unicuique tribuatur, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere eos scilicet viliter. Et sicut digestum est; bonitatem actus non minuit, quòd secundùm Justitiam occidendus, occidatur per cautelas, explorationes, & insidias. Et ergo sine contradictione apud quemlibet intelligentem, etiam, quid nominis, *Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas, explorationes, & insidias.*

Item. XXIV. *q.* III. *Resecanda*, sub authoritate dicitur Hieronymi, *Resecanda enim sunt putrida carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arrius in Alexandria una scintilla fuit; sed quoniam non statim oppressus est, per totum Orbem flamma ejus depopulata est.* Et ergo, secundùm eum, occidi, est propria mors, quâ debet mori omnis qui corruptor est, perturbatorvè Communitatis: & bonitatem actus dùm cautelæ, explorationes, & insidiæ non minuunt, sed benè augent; A indubiè occidi per cautelas, explorationes, & insidias, est propria mors quâ debet mori corruptor omnis, perturbatorvè Communitatis. Et quia oppositum pretioso est vile, & oppositum est in adjecto*, quòd mors debita corruptori, perturbatorivè Communitatis sit pretiosa; ideò non tantùm Jus est, sed per omnia ratio, & æquitas, quòd omnis corruptor, perturbatorvè Communitatis occidatur viliter, & propria mors, quâ debent mori corruptores, perturbatoresve Communitatis, scilicet eos viliter per bonas cautelas, explorationes, & insidias. Sed sicut in multis passibus deducitur III. *Politicorum*: Omnis tyrannus gravissimè totum Reipublicæ corrumpit, perturbatque ordinem, & penitùs pervertit; & ergo manifestum: & ergo *Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per explorationes, & insidias: & est propria* B *mors, quâ debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos viliter per bonas cautelas, explorationes, & insidias.*

Item sic. Quòd omnis tyrannus malè perdatur, pœna quædam est, aut foret, non quidem minor, sed fortè major, quàm quòd occidatur viliter per cautelas, explorationes, & insidias. Sed Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus malè perdatur, dùm quilibet eorum est malus, & si non pessimus: & secundùm rectam responsionem Judæorum, justum est quòd mali malè perdantur. *Malos*, inquiunt, *malè perdet.* Matth. XXI, 41. Et ergo indubiè Jus est, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur, viliter per cautelas, explorationes & insidias: & occidi viliter, dùm sic digestum est, multipliciter dicitur, est propria mors, & unicuique debetur, quod ad ipsum, secundùm Justitiam, ordinatur, evidentissimum est, Jus, ratio, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per C explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos viliter per bonas cautelas.

Item sic. Quoniam cuilibet tyranno, dùm secundùm rigorem Justitiæ debetur pro pœna, non solùm occidi viliter per cautelas, explorationes, & insidias; sed etiam ipsius naturæ adnihilatio: *Misericordiæ enim Domini, quia non sumus consumpti*, dicitur *Threnor.* III. 22. Ideò indubiè omnis tyrannus, secundùm rigorem Justitiæ, meruit graviora, quàm occidi viliter per cautelas, explorationes, & insidias: & comparativus, dùm præsupponit suum positivum, consequens est omninò, quòd omnis tyrannus meruit occidi viliter, per cautelas, explorationes, & insidias. Sed quoniam Jus, ratio, & æquitas, quod unicuique reddatur, & pariter debetur, quod meretur: ideò omni semoto dubio, D apud quemlibet, etiam sciolum, *Jus est, & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per explorationes, & insidias: & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas, explorationes, & insidias.*

Item sic. Jus est, ratio, & æquitas, quòd quilibet dignus, illicò supplicio subjugetur, ac mortem quam minabatur accipiat; & quod intendebat incurrat: melius est enim occurrere in tempore, quàm

* *Forsan* abjecto.

quàm post exitum vindicare. C. *Quando licet unicuique sine Judice vindicare se.* L. I. XVII. q. 4. Sed omnis tyrannus, de quo fit mentio in casu, satagit occidere Regem suum viliter, imò vilissimè; & generaliter omnis tyrannus minatur, intenditque excellentes viros occidere, &, capta oportunitate, occidit. *Tertio Politicorum*; & hoc quod dum facit crudeliter, consequens est omninò, quòd facit viliter: & ergo sine omni relatione * calumnia, *Jus est, ratio & æquitas, quòd omnis tyrannus occidatur viliter, per explorationes, & insidias; & est propria mors, quâ debent mori* A *tyranni infideles, occidere scilicet eos viliter, per bonas cautelas, explorationes, & insidias*, etiam illicò, antequàm damnum faciant; dùm secundùm Legem, *Melius est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare.* Et in doctrina sacra, dùm multa sunt occultanda hostibus Fidei, ne irrideant, secundùm illud Matth. VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus*: non absolutè licitum est, sed & tamen occultare hostibus, quæ, ad impugnandum eos, cogitamus. Et ergo assumptis, quæ pro prima Propositione, & ipsa digesta sunt, evidentissimum est, sine alia probatione, quòd *Licet unicuique subdito, & est honorable, & meritorium, occidere, vel occidi facere supra nominatum tyrannum, proditorem, & infidelem suo Regi, & supremo Domino, per explorationes, & insidias, & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos viliter, Gallicè* vilainement, *per optimas cautelas, explorationes, & insidias; & est licitum dissimulare, & silere suam voluntatem de sic faciendo.*

* *Locus corruptus.*

Propositio Sexta.

*Rex debet præmium *, & remunerare illum, qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in amore, honoribus, & divitiis, exemplo remunerationum factarum sancto Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinées, pro occisione Ducis Zambri.*

* *Forsan* præmiare.

Propositio Septima.

Rex debet plùs amare quàm priùs, illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, modis supra dictis; & debet facere prædicare suam fidem, & bonam fidelitatem per Regnum suum, & extra Regnum facere publicari per Litteras, in modum Epistolæ, vel aliter, catholicæ, virtutisque Regi debitæ expressivæ, & vassallorum ad deffensionem Regis, & Regni provocativæ.

Benefactores enim dùm magis amant benefactos, quàm è converso beneficiati amant benefactores, ut dicit Philosophus, IX. *Ethicorum*, indubiè beneficiati debent suos benefactores amare, & remunerare: nimis enim durus est animus, qui dilectionem, etsi non vult impendere, nolit rependere. Sed qui occidit, vel occidere facit tyrannum prænominatum, est magnus benefactor Regis, & magnum præstitit beneficium; imò tantum bonum, quantum malum fuisset mors ejus, ut probat Regula, *Rectus, est Judex sui obliqui.* I. De Anima. Et ergo indubiè Rex debet illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum amare, præmiare, & remunerare: omnesque dùm honorantur, justè quidem, & maximè qui beneficia præstiterunt non solùm; sed honoratur etiam qui potest beneficiare, & dare beneficia, quæ sunt ad salutem, ut dicit Philosophus, *Primo Libro Ethicorum.* Et qui occidi facit tyrannum prænominatum, ex digestis, præstat, vel præstitit beneficia Regi, quæ ad ejus salutem pertinent; indubiè Rex debet eumdem præmiare honoribus, & divitiis remunerare. Et naturali ratione, dùm inditum est, & testatur Lex divina, quòd qui ad salutem alterius militat, ab eo stipendium accipiat: *Quis*, ait, *militat suis stipendiis unquam?* I. Corinth. IX. 7. Et qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum, ad salutem Regis militat, proculdubiò Rex debet eum stipendiis, & divitiis præmiare, & remunerare.

Et probat ratio moralis. Nam honor, dùm est præmium virtutis IV. *Ethicorum.* Et *Partes honoris, sunt alimenta publica, & dono pretiosa*, ut dicit Philosophus, *Primo Rethoricorum.* Et juxta digesta, occidere, vel occidi facere tyrannum, est opus virtutis: proculdubiò qui occidit, vel occidi facit tyrannum prænominatum, pro conservatione Regni, & Regis, dignificat se ad habendum aliquid bonum de bonis communibus. Sed *Rex, secundùm justitiam distributivam, tantò magis de bonis communibus debet unicuique dare, quantò in Communitate majorem habet dignitatem*, ut dicit Philosophus, *Sexto Ethicorum.* Et ergo certo certiùs est, quòd *eum qui occidit, vel occidi facit tyrannum prænominatum, Rex debet divitiis magnis præmiare, & remunerare*: & ita dùm manifestum est, quòd *Rex debet præmiare, & remunerare illum qui occidit*, modo qui dictus est, *vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus,* B *scilicet in amore, honore, & divitiis*: quæ est sexta Propositio: manifestum etiam est quòd *Rex debet plùs amare, quàm priùs, illum qui occidit, vel occidi facit tyrannum supra nominatum*, modis supra dictis, ut ait prima pars, in forma, septimæ Propositionis.

Et quia bono & pulchro debitum est ut manifestetur, secundùm illud Matth. V. 15. *Non accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Et occidere, vel occidi facere tyrannum prænominatum, dum, ex digestis, est opus virtutis: bonum est & pulchrum incorrigibile, seu spirituale, pulchrum quoque servare fidem, pro eo quòd fides, de Jure naturali, obligat; & quando promittitur, *etiam hosti servanda est*, ut dicit Augustinus, *in Epistola ad Bonifacium.* Et ergo indubiè debitum est ut C manifestetur quòd Petrus occidit, vel occidi fecit tyrannum prænominatum, & fidem suo Regi servavit; & quia pro eo Rex debet, ex digestis, honorare, dùm nihil aliud est, quàm testificari de excellentia alicujus; indubiè Rex dictam excellentiam Petri debet testificari, *& facere prædicari suam fidem, & bonam fidelitatem per Regnum suum, & extra Regnum facere publicari, per Litteras, in modum Epistolæ, vel aliter*, sicut dicit, in forma, secunda pars septimæ Propositionis.

Et quia, ex illis, manifestum est quòd *Rex debet præmiare, & remunerare illum qui occidit*, modo qui dictus est, *vel occidi facit tyrannum supra nominatum, in tribus rebus, scilicet in amore, honoribus, & divitiis*, priùs, & magis inclinatione virtutis, quàm *exemplo remunerationum factarum Divo Michaëli Archangelo, pro expulsione Luciferi à Regno Paradisi; & nobili homini Phinés, pro occisione Ducis Zambri*: ideò de remunerationibus illi & istis factis, ampliùs differe in proposito omitto, D & alterius negotii est.

Propositio. Octava

Littera occidit, spiritus autem vivificat, 2. Cor. III. 6. *Hoc est dicere, quòd semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.* Expositio propria, & cathecorica, & ut hoc omnibus fiat manifestum; referendum quid Augustinus, in Libro, De

De spiritu & littera, quem expositionis gratiâ hujus textus 2. Corinth. III. 6. *Littera occidit*; *Spiritus autem vivificat*, compilandum suscepit, asserit.

„Doctrina, *ait*, quippè illa quâ Mandatum accipimus „continenter, rectèque vivendi, littera est occidens; ni„si adsit vivificans spiritus. Neque enim solo illo mo„do intelligendum est quod legimus: *Littera occidit*; „*Spiritus autem vivificat*; ut aliquid figuratè scriptum, „cujus est absurda proprietas, non accipiamus sicut „littera sonat; sed aliud quod significat intuentes, inte„riorem hominem spirituali intelligentia nutriamus: quoniam *Sapere secundùm carnem, mors est*; *sapere autem secundùm spiritum, vita, & pax*. Rom. VIII. 6. „Velut si quisquam multa quæ scripta sunt in Canti„co Canticorum carnaliter accipiat, non ad luminosæ „Charitatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis af„fectum.

„Non ergo isto solo modo intelligendum est quod „Apostolus ait, 2. Cor. III. 6. *Littera occidit*; *Spiri„tus autem vivificat*; sed etiam illo, eoque vel maximè, „quo apertissimè alio loco dicit: *Concupiscentiam nes„ciebam, nisi Lex diceret*: *Non concupisces*. Rom. VII. „7. Et paulo post ait; ℣. 11. *Occasione accepta, peccatum „per Mandatum fefellit me, & per illud occidit*; Ecce „quid est, *Littera occidit*. Et utique non figuratè ali„quid dicitur, quod accipiendum non sit secundùm „litteræ sonum, cùm dicitur, *Non concupisces*; sed „apertissimum, & saluberrimum Præceptum est; „quod si quis impleverit, nullum habebit omninò pec„catum. Nam hoc ideò elegit Apostolus, generale „quiddam, quo cuncta complexus est, tanquàm hæc „esset vox Legis ab omni peccato prohibentis, quod „ait; *Non concupisces*. Neque enim ullum peccatum, „nisi concupiscendo committitur: proinde quæ hoc „præcipit, bona, & laudabilis Lex est. Sed ubi san„ctus non adjuvat Spiritus, inspirans pro concupiscen„tia mala, concupiscentiam bonam, hoc est, Charita„tem diffundens in cordibus nostris; profectò illa „Lex, quamvis bona, auget prohibendo desiderium „malum; sicut aquæ impetus, si in eam partem non „cesset influere, vehementior fit, obice opposito; cu„jus molem cùm evicerit, majore cumulo præci„pitatus violentiùs, per prona provolvitur. Nescio quo „enim modo, hoc ipsum quod concupiscitur, fit ju„cundius dum vetatur. Et hoc est quod fallit pecca„tum per Mandatum, & per illud occidit, cùm accedit „etiam prævaricatio, quæ nulla est, ubi Lex non est.

„Sed totum ipsum Apostolicæ Epistolæ lo„cum, si placet, consideremus, &, sicut Dominus „adjuverit, petractemus: volo enim, si potuero, „demonstrare illud quod ait Apostolus 2. Cor. III. „6. *Littera occidit*, *Spiritus autem vivificat*, non de „figuratis locutionibus dictum, quamvis & illinc con„gruenter accipiatur; sed potiùs de Lege aper„tè quod malum est prohibente.„

Undè dùm manifestum est, quod uterque illorum sensuum est litteralis, qui scilicet proprius est in figurata locutione, & quem Auctor Scripturæ intendit: & ex allegatis, primus, per se loquendo, occidit; & secundùs per actus, si desit vivificans Spiritus, luce clariùs eminet quòd *Semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura*, *est occidere animam suam*, & † vera, propriaque expositio ejus quod ait Apostolus, *Littera occidit*; non tantùm secundùm mentem Augustini, sed etiam aliam, in Libro, *De expositionibus vocabulorum Theologorum*. „Littera, *ait*, propriè „carta est, vel Epistola. Unde legitur, quod veri„tas ‡ tulit secum litteras mortis suæ. *Littera*, historia „est, secundùm quod soliti sumus dicere: *Istud exponi„tur ad litteram*, id est historicè. *Littera*, litteralis intel„ligentia est: unde *Littera occidit*, *Spiritus autem vi„vificat*.„ Et quia idem est, litteralis intelligentia, & litteralis sensus: ideò quando hoc quod legimus, *Littera occidit*, exponitur per hanc Propositionem: *Semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura*, *est occidere animam suam*; est vera, propriaque expositio.

Et hoc quidem expressiùs declarant verba Augustini, tertio Libro *De Doctrina Christiana*, circà principium: *In principio* inquit, *cavendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias*. *Ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus*, Littera occidit, spiritus autem vivificat. *Cum enim figuratè dictum, sic ac-* A *cipitur, tanquàm propriè dictum sit, carnaliter accipitur, & sapitur. Neque ulla mors animæ congruentiùs appellatur, quàm cùm id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est intelligentia, carni subjicitur, sequendo litteram*. Quoniam tamen in Lege Novi Testamenti legitur, quòd est spiritus vitæ, & liberat à Lege mortis, quod jam digestis apparet adversari; ideò ostendendum est quòd non erunt contraria duo ista, neque inter se pugnabunt, & cum ostendere * profectò manifestior apparebit ista expositio, unde dùm res clara est, & doctrina Philosophi, *nono Ethicorum*; quòd *una quaque res illud videtur esse, quod est in ea potissimum*: sicut mens rationabilis, quod est potissimum quod est in homine appellatum homo interior. 2. Corinth. IV. 16. *Licet*, inquit Scriptura, *is qui foris est noster* B *homo corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem*. Sed quod in Novi Lege Testamenti est potissimum, & in quo tota ejus virtus consistit, est gratia Spiritus sancti; & ipsa gratia, *Lex Fidei*, Ad Romanos tertio capite, 27. appellatur; *Ubi*, inquit Scriptura, *est gloriatio? Exclusa est. Per quam Legem? Factorum? Non: sed per Legem Fidei*. Et expressiùs, ad Romanos VIII. 2. *Lex enim*, ait, *spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me à Lege peccati, & mortis*. Et Augustinus in Libro, *De spiritu & anima*, dicit: *Quid ergo Leges Dei, ab ipso Deo scriptæ in cordibus? nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei; quo præsente, diffunditur Charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo Legis est*. Et supra in eodem; *Lex ergo*, ait, *Dei est Charitas*. Et infra dicit: *Hæc est Lex Fidei, Charitas ejus, conscripta in cordibus*. Et quantùm ad hoc Apostolus dicit *spiritus autem vivificat*, & Lex nova est spiritus vivificans.

Sed quoniam ad hanc gratiam spiritus Sancti, Lex nova quædam habet sicut dispositiva, & quædam usum ejus ordinantia, de quibus oportuit instrui fideles Christi, & verbis & scriptis tàm scripta † agen- C da: ideò necessariò ad novam Legem pertineret, & in ea quasi secundaria sunt documenta Fidei, & Præcepta ordinantia affectum humanum, humanosque actus, & Lex nova, est occidens littera, & Apostolus dicit: *Littera occidit*, etiam quantùm ad Præcepta Decalogi, qualia continentur in Evangelio; unde & littera Evangelii occideret, nisi esset interiùs gratiæ Fidei sonans, sicut deducit latè Augustinus, in Libro *De Spiritu & anima* & glo. 2. Corinth. III. *Littera occidit*. Doctor quoque sanctus, prima secundæ *q*. C. Art. II. Et quia Præcepta Decalogi, dùm sunt data ad rectè operandum, non quidem figuratè, sed secundùm sensum litteralem; ideò indubiè *Semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura*, *est occidere animam suam*.

Item sic; Nonne Præcepta ceremonialia veteris Legis præter sensum quem habent figuralem, etiam habuerunt sensum litteralem; imò & habuerunt, dum potest ┼ causas figurales habebant etiam D causas litterales. Sed observare Præcepta ceremonialia ad sensum litteralem dùm est peccare mortaliter; utique est occidere animam. Ergo sciolo, maximè in sacra Scriptura, manifestum est quòd *Semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura*, *est occidere animam*; & vera, propriaque ejus expositio, quod ait Apostolus, *Littera occidit*.

Item sic: Littera enim sacræ Scripturæ dùm non

† *Forsan* est. ‡ *legendum* Urias.

* *Locus corruptus*. † *Locus corruptus*. ┼ *Forsan* post.

non magis quàm lapis occideret animam, si non esset apta sibi sensum generare; necessarium est & evidens quòd littera sacræ Scripturæ occidit animam sensu litterali, vel spirituali. Si primum; habetur intentum, quòd sensus litteralis in Scriptura sacra occidat animam. Si secundùm; ad hominem arguitur sic: Littera sacræ Scripturæ occidit animam, sensu spirituali; sed nihil sub sensu spirituali continetur Fidei, & saluti necessarium, quod Scriptura per sensum litteralem alicubi manifestè non tradit: & ergo necessariò, & inevitabiliter littera sacræ Scripturæ si occidit animam sensu spirituali, occidit & sensu litterali. Unde manifestum est, quòd *Semper tenere sensum litteralem in sacra Scriptura, est occidere animam suam.* Et authoritate infra, constat quòd est vera, propriaque expositio ejus quod ait Apostolus: *Littera occidit.* Evidentissimè Parisiensis, & coram Episcopis damnantibus Propositionem clausulam expositio distorta*, & erronea convincuntur errare, & ne errores eorum contagio plurimos perdant, super intelligentia ejus quod ait Apostolus, *Littera occidit*, diligenter sunt examinandi.

* *Locus corruptus.*

Propositio Nona.

In casu socialitatis, juramenti, promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocumque modo istud fiat, aut fieri possit; si contingat, quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas observare. Vera & Catholica, ad propositum exposita; & ad perjuria, multaque alia peccata & damna temporalia viam præcludens.

Manifestum siquidem est ex Logica, quod hæc conjunctio *Si*, uno modo siquidem importat ordinem consequentiæ: & hoc modo Propositio dum includit consequentiam, quæ non valet pro eo, quod illa *si* compatiuntur, jurans tenetur juramentum observare; & contingens est, quòd istud vertatur in ejus præjudicium. Et ergo hoc modo Propositio falsa est, sed minimè ad propositum. Alio modo, hæc conjunctio *Si*, importat ordinem causæ sive principii, & hoc modo, dùm significat quòd juramentum observandum est, cùm est quod pejorem vergit in exitum, potiùs est mutandum, quàm adimplendum. Et manifestè probatur authoritate Isidori, in II. Libro Synonim. *In malis*, ait, *promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti ne facias, impia est promissio, quæ scelere adimpletur.* Et Ambros. in Libro primo *De Officiis*, dicit, quòd *Est contra officium nonnunquàm promissum solvere sacramentum, ut Herodes, qui juravit quod quodcumque petitura esset daret filiæ Herodiadis, necem Joannis præstavit in promissum, negaret*.* Et ergo hoc modo positio vera est & Catholica.

Item Sic. Theologo namque constat, quod nomen præjudicii quandoque rectitudinem includit Justitiæ: & hoc modo capitur, 1. Tim. v. 21. *Sine præjudicio* nihil facias à Justitia, id est, *sine præexaminatione nihil facias à Justitia declinando, ait glosa.* Alio modo non * præjudicii rectitudinem Justitiæ excludit, sive privat; & sic præjudicium est actus injustitiæ, vel judicium carens rectitudine justitiæ: & sic sumuntur in proposito, & apud Causidicos, qui se mutuò latrantes, sæpè protestantur de eorum

A præjudicio. Sed facere contra rectitudinem, dùm ex genere suo est peccatum mortale; evidentissimum est, quòd juramentum, quocumqne datum sit modo, si contingat quòd vertatur in præjudicium unius promittentium, neque obligat, nec ipse tenetur id observare.

Item sic. Augustinus, in Libro, *De natura boni*, dicit: quòd *Hæc tria, modus, species, & ordo, tanquàm generalia bona sunt in rebus creatis.* Et subjungit, quòd *Hæc tria, ubi magna sunt, magna bona sunt; ubi parva, parva bona sunt; ubi nulla, nullum bonum est.* Et ergo secundùm eum, omne juramentum quocumque fit modo, benè fit & rectè: sed dum constat, quòd nullum juramentum quod benè fit, & rectè, obligat ad aliquid extra intentionem jurantium; evidentissimum est, quòd juramentum, quocumque etiam datum sit modo, ad nihil extra intentionem jurantium obligat. Et quia nullum præjudicium quod continget ex dato juramento, est de intentione jurantium, eo quòd

B opposito dato, juramentum, ipso facto, esset illicitum; & in actibus humanis idem esset per se, & contingens, sive per accidens, quod implicat. Et ergo certò certius est, quòd in casu juramenti, quocumque modo istud fiat; si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium, ipse de nullo tenetur illud observare.

Item sic. Justitia enim dum est comes juramenti; manifestum est quòd nullum juramentum, quocumque fit modo, obligat, nisi ad æqualitatem duntaxat injustitiæ: ad quam dùm nullus obligatur, neque potest obligari; & liquet ex quid nominis, quòd præjudicium importat inæqualitatem injustitiæ: manifestum est, quòd in casu juramenti, quocumque modo istud fiat, si contingat quòd istud

C vertatur in ejus præjudicium, nullus tenetur observare.

Item. *Quòd pro Charitate institutum est, contra Charitatem non militat*, ut dicit Bernardus, in Libro, *De Præcept. & dispensatione.* Sed juramentum, quocumque modo istud fiat, pro Charitate institutum est, & præjudicium contra Charitatem militat, dùm ipsa alterius bonum & suum diligit, & istud alterius bonum sibi vindicat. Et ergo omni semoto dubio, in casu juramenti facti ab uno milite ad alterum, quocumque modo istud faciat; si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentis, ipse de nullo tenetur id observare.

Expliciunt Deliberationes pro parte negativa, quæ sunt quinquaginta una.

* *Forsan legendum* nomen.

* *Locus corruptus.*

SEQUUNTUR
ALLEGATIONES,
SEU
OPINIONES
Magistrorum, & Baccalareorum Formatorum in Theologia,

Pro parte Affirmativa Quæstionis datæ, & exhibitæ, super novem Assertionibus, in Concilio Generali, coram Judicibus Fidei,

Per MAGISTRUM

JOANNEM GERSON.

DELIBERATIO
Reverendissimi

P. D. P. DE ALLIACO

Cardinalis Cameracensis.

PRIMA CEDULA
seu OPINIO

Pro parte Affirmativa Quæstionis.

EGo, &c. In testimonium requisitus, dico, & per juramentum affirmo, me firmiter credere, & nullatenùs dubitare, quòd quælibet dictarum novem Assertionum catholicè condemnanda est, in forma eis subscripta.

Et nihilominùs ex condemnatione hujus Propositionis:

Quilibet tyrannus, &c. *potest & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per insidias, & blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque juramento, vel confœderatione factis cum eo, non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujuscumque.*

quæ condemnatio in una Sessione hujus sacri Concilii facta est; patet manifestè condemnatio earumdem Propositionum: nam continent doctrinam illam virtualiter; & in simili radice fundantur, & addunt circumstantias alias plurimùm aggravantes, de authorisatione Legis, divinæ, naturalis, & humanæ, respectu talis homicidii, in secunda Propositione.

Item. De turpitudine, & vilitate mortis, in tertia.

Item. Quòd Rex debet approbare tale homicidium in tribus, videlicet, amore, honore, & divitiis.

Item. Ad confirmationem erroris addit, quòd litteralis sensus Scripturæ sacræ occidit animam, in octavâ.

Denique, quòd in nullo ligat juramentum, vel confœderatio facta inter aliquos, si vergat in præjudicium alterius jurantium, vel confœderatorum, sponsæ suæ, aut liberorum; & ita de reliquis. Quare patet, quòd tota doctrina hæc & similis, condemnanda est, prout prædicta damnata Propositio, videlicet tanquàm erronea in Fide & moribus, & tanquàm hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones & perjuria viam præbens; & quòd pertinaciter doctrinam hanc asserentes perniciosissimam, sunt hæretici, & ut tales, juxtà Canonicas, & legitimas Sanctiones, puniendi.

Ex quo manifestè sequitur quòd asserere, inter Catholicos dictas Propositiones esse probabiles, vel A veras, est hæreticum, & sapiens hæresim; & quòd Doctor Theologus hòc publicè in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei asserens, habendus est de hæresi vehementer suspectus.

Undè pro fundamento condemnationis hujus pestiferæ doctrinæ, licèt multa possent allegari de Jure, naturali, divino, & humano; tamen specialiter, & contra eam sufficiunt pauca quæ sequuntur.

Primò.

Quia hæc doctrina est contra duo Præcepta Decalogi, videlicet contra illud: *Non occides*, scilicet absque authoritate judiciaria: & illud; *Non perjurabis*, ubi omne juramentum videtur observari, quod non vergit in detrimentum animæ: & contra illud, Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*: & contra illud, XXIII. *quæst.* V. Cap.* *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, Libro, *De Civitate Dei*, ubi dicitur: *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus Justitiæ Deus, specialiter jubet occidi: quisquis hominem, vel seipsum,* B *vel quemlibet occiderit, homicidii crimen incurrit.* Et XXIII. *quæst.* VIII. C. *Quicumque*, quod sumitur ab eodem Augustino, Libro, ubi dicitur: *Qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur; & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.*

Est denique contra rationes credendi Decretalem illam, *Pro humanis. De homicidio, Libro sexto*, editam in Concilio Lugdunensi, ubi contra interfectores & siccarios ponitur pœna execrationis †, & depositionis à dignitate, honore, Officio, & Beneficio, ipso facto; & quòd quicumque talis fuerit, à toto populo Christiano diffidatus est. Sic, postquàm pro- C babilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenùs alia execrationis, vel depositionis, seu diffidationis adversùs eum Sententia requiratur.

Item. Dicta doctrina multò magis est condemnanda, quia multò pejus circumstantionata est, quàm illa damnata Propositio Joannis Wicleff, quæ ponit, quòd populares possunt, ad eorum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere.

Item. Hujus doctrinæ condemnatio non minùs fieri potest, absque speciali expressione de ejus assertore, quàm illa quæ nuper in una Sessione facta D est, contra errorem in Boëmia, de Communicatione populi sub utraque specie. In testimonium præmissorum manu propria me subscripsi.

* *Legendum* Si non licet. † *Forsan* Excommunicationis.

SECUNDA OPINIO

Pro parte Quæstionis Affirmativa.

EGo, &c. Dico quòd hæ novem Assertiones exhibitæ, sunt Judicio Fidei reprobandæ per hoc sacrum Concilium: etiam nimis tardatum est; sive intelligatur quòd sunt reprobandæ, id est, reprobari dignæ, quod discernere, maximè spectat ad Theologos: sive sic accipiatur, quòd expedit eas reprobare, quod spectat ad omnes qui possunt circumstantias

tias temporis, atque personarum perpendere: ita quòd dicere volo, quòd has Assertiones reprobare licet, decet, & expedit; imò necesse est, necessitate Præcepti divini affirmativi, sicut inferiùs docebitur.

Sto præterea in deliberatione Reverendissimi Patris, Domini Cardinalis Cameracensis publicè tradita, quòd hæc doctrina est erronea in Fide & moribus; & tanquàm hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, ac proditiones, & perjuria viam præbens; & quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, & ut tales, juxta Canonicas Sanctiones, & legitimas puniendi.

Deberent autem sufficere rationes, & authoritates allegatæ, authoritate tanti viri; imò cum authoritate tot sapientissimorum Doctorum, & aliorum in sacris Litteris eruditissimorum, nedùm de Universitate Parisiensi, sed de aliis Universitatibus, & Provinciis Regni Franciæ, qui doctrinam hanc pestiferam doctrinaliter reprobaverunt, & judicialiter condemnandam esse consuluerunt, quibus non minùs deferendum fuerat, quàm delatum fuit per hoc sacrum Concilium Universitatibus, & Ordinariis de Anglia, & de Praga, circa reprobationem doctrinæ Wicleff, & Huss. Nihilominùs, pro elucidatione majori materiæ, distinguo novem has Assertiones in quatuor partes, juxta diversitatem materiæ.

Reprobabitur itaque primò, quarta Assertio dicens: *Jus, ratio, & æquitas est, quòd omnis tyrannus occidatur villanè, Gallicè*, vilainement, *per explorationes, & insidias: & est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles; occidere scilicet eos per bonas cautelas, explorationes & insidias.* Quoniam hæc est universalis, nec dependet ex aliquo casu; & debuerat præponi tanquàm una Maxima, respectu primæ Assertionis, & aliarum quinque ex ea sequentium, vel collateralium, quæ tyrannum contrahunt ad unam speciem tyrannidis.

Reprobabitur secundò, octava Assertio, quæ sensum litteralem Scripturæ dicit aliquando falsum esse, seu mortiferum.

Reprobabitur tertiò, nona Assertio, quæ nullum juramentum dicit esse tenendum, si vergat in præjudicium jurantis, vel uxoris suæ, vel, &c.

Reprobabitur quartò, prima Assertio, cum secunda, tertia, quinta, sexta, & septima, quæ dependent ab invicem, propter casus connexionem, licèt quælibet addat malitiam specialem ad primam, undè dependent.

Quarta igitur Assertio, reprobata est sufficienter per hoc sacrum Concilium, in reprobatione, & reprobandi ratione hujus hæresis: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per insidias, & blanditias, vel adulationes; non obstante quocumque juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujuscumque.* Constat enim, quòd hæc Assertio quarta loquitur de occisione tyranni, absque authoritate publica, vel ordine judiciario; & absque diffidatione pœnæ; dùm dicit, quòd debet occidi omnis tyrannus per insidias, & explorationes villanè, Gallicè, *vilainement.* Sic autem non habent procedere Judices ordinarii, nec illi qui diffidentias faciunt.

Undè, pro intellectu terminorum hujus Assertionis, attendatur, sicut positum est in quadam Cedula, quòd hoc complexum: *occidere* villanè, *vilainement*, importat non solùm occisionem hominis, vel homicidium; sed ultra, hæc cognata, quòd illa occisio, vel homicidium fiat sine diffidatione, & improvisè: & exprimitur per unum vocabulum in Gallico, scilicet *meurtrir*: unde dicuntur *meurtriers*, sive meurtrarii, qui taliter occidunt homines in nemoribus, & alibi.

Præterea, vocatur, alio modo, tale homicidium, specialiter in Picardia, *Vilain fait*; & reputatur tam horrendum, & tam detestabile, quòd non recipit remissionem apud eos à Superiore, vel à parte, ex quo factum est sine diffidatione; & vocatur propriè *proditio*, vel *proditoria mors*: & istud, idem significat apud Italicos, sicut dicitur sub nomine Assasinorum, qui occidunt homines ex improviso, & prece, vel pretio; sicut patet satis ex illa Decretali. *Pro humanis.*

A Denique modus iste mortis explicatur eleganter in sacra Scriptura. Exod. XXI. 14. ubi sic dicitur; *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Hoc est, quòd non debet gaudere Ecclesiastica immunitate: & hìc exprimitur propriè significatio aliorum duorum vocabulorum, scilicet *espiemens*, & *aguettes*, quia secundum significatur per hoc nomen *insidias*; alterum, per hoc nomen *industriam*, & hoc meliùs, quàm per hæc nomina *astutiam*, *dolum*, vel *explorationes*.

Ex quo igitur habet authoritatem ex Scriptura sacra talis translatio, hæc in proposito teneatur. Ceterùm, non ponatur in loco illius complexi, *occire villainement*, *occidere villanè*, quia *villanè*, nullius est idiomatis; sed ponatur *occidere sine diffidatione*, vel *occidere proditoriè*, vel *occidere per as-*
B *sasinos*, vel hoc uno verbo, cujus Gallicum magis est in usum, quàm Latinum *murtrisare*, Gallicè *meurtrir*: sic enim dici debet, nedùm propter præmissas causas, sed etiam ex causis dicendi, sicut constat, & ita publicè exposuit Episcopus Attrebatensis: *villanè*, inquit, *id est, sine diffidatione.* Undè & hoc nomen *insidias*, sic accipitur in authoritate prædicta.

Rursùs, pro reprobatione hujus Assertionis quartæ, est expressa determinatio sancti Thomæ, ubi ex intentione reprobat aliquos, qui videbantur consentire, quòd poterat aliquando tyrannus occidi privata authoritate; & dicit, quòd hoc Apostolicæ regulæ non congruit. Patet Libro primo, *De Regimine Principum, ad Regem Cypri. Cap.* VII. sub hac verborum forma.

„Quia igitur unius regimen præeligendum est, „quòd est optimum; & contingit ipsum in tyran-„nidem converti, quod est pessimum, ut ex dictis
C „patet; diligenti studio laborandum est, ut sic mul-„titudini provideatur de Rege, & non incidat in „tyrannum. Primùm autem necessarium, ut talis „conditionis homo, ab illis ad quos hoc officium, „promoveatur in Regem, quòd non sit probabile „in tyrannidem declinare. Undè Samuel, Dei „providentiâ, institutionem Regis commendans „ait; I. Reg. XIII. 14. *Quæsivit ergo Dominus vi-„rum secundùm cor suum, & præcepit ei Dominus, ut „esset Dux super populum suum.*

„Deindè sic disponenda est Regis gubernatio, ut „Rege jam instituto, tyrannidis subtrahatur occasio: „simul etiam sic temperetur ejus potestas, ut in tyran-„nidem, de facili, declinare non potest: quæ quidem „quomodò fiant, in sequentibus considerandum erit.

„Deindè verò curandum est, si Rex in tyranni-„dem diverteretur, qualiter posset occurri: & qui-„dem, si non fuerit excessùs tyrannidis, utilius est
D „remissam tyrannidem tolerare, ad tempus, quàm „contra tyrannum agendo, multis se implicare pe-„riculis, quæ sunt graviora ipsa tyrannide. Potest „enim contingere, ut qui contra tyrannum agunt, „prævalere non possint, & sic provocatus tyrannus „magis deseviat. * Quod si quis prævalere posset „adversùs tyrannum, & ex hoc proveniunt multo-„ties gravissimæ dissentiones in populo: sive dùm „in tyrannum insurgitur, sive post dejectionem ty-„ran-

* *Delendum videtur punctum, & legendum* quàm *cum præcedenti commate.*

„ranni; dùm erga ordinationem Regis multitudo separatur in partes.

„Contingit etiam interdùm, ut dùm alicujus auxilio, multitudo expellit tyrannum; ille potestate accepta, tyrannidem arripit, & timens pati ab alio quod ipse in alium fecit, graviori potestate subditos opprimit. Sic enim in tyrannide solet contingere, ut posterior gravior fiat quàm praecedens, dum praecedentia gravamina non desinet, & etiam ipse, ex sui cordis malitia, nova excogitat. Undè Syracusanis quondam Dionysii mortem omnibus considerantibus; *anus quaedam, ut incolumis, & superstes esset continuè orabat: quod ut tyrannus cognovit, cui hoc fatetur † interrogavit. Illa puella existens, inquit, cùm gravem tyrannum haberemus, mortem ejus cupiebamus: quo interfecto, aliquantulùm durior successit, ejus quoque futuram Dominationem existimabam magnam: tertium, te importuniorem habere caepimus Rectorem. Itaque si tu fueris assumptus, deterior in locum tuum succedet.

„Et si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis. Cujus rei exemplum etiam in Veteri Testamento habetur: nam Ajoth quidam, Eglon Regem Moab, qui gravi servitute populum Dei premebat, siccâ fixâ in ejus corpore interemit, & factus est populi Judex.

„Sed hoc Apostolicae doctrinae non congruit. docet enim nos Petrus, 1. Pet. II. 18. 19. *Non tantùm bonis & modestis, verùm etiam dyscolis* Dominis reverentes subditos esse. *Haec est gratia, si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias, patiens injustè.* Unde cùm multi Romanorum Imperatores Fidem Christi persequerentur tyrannicè, magnaque multitudo tàm Nobilium, quàm populi, esset ad Fidem Christi conversa; non resistendo, sed mortem patiendo toleraverunt tyrannum, & matyrium sustinentes pro Christo laudantur, ut in sacra Thebaeorum Legione manifestè apparet: magisque Ajoth judicandus est hostem interemisse, quàm populi Rectorem: licèt tyranni, in Veteri Testamento, leguntur occisi fuisse, ut si qui occiderunt Joab Regem Juda, quamvis à cultu Dei recedentem, filiis reservatis, secundùm Legis Praeceptum. Esset autem hoc multitudini periculosum, & ejus Rectoribus; si privata praesumptione, aliqui attemptarent Praesidentium mortem, etiam tyrannorum: plerumque hujusmodi enim periculis magis exponunt se mali, quàm boni; malis enim solet esse grave Dominium, non minùs Regum, quàm tyrannorum: quia secundùm sententias Salomonis: *Dissipat impios Rex sapiens*, Prov. XX. 26. Magis ergo ex hujusmodi praesumptione imminet periculum multitudini, de amissione boni Regis, quàm remedium, de subtractione tyranni.

„Videtur autem contra tyrannorum saevitiam, non privata praesumptione aliquorum, sed authoritate publica Praesidentium, primò quidem, si ad Jus alicujus multitudinis pertinet sibi providere de Rege, non injustè ab eadem Rex institutus potest destitui, vel refrenari ejus potestas, si potestate Regia tyrannicè abutatur: nec putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiam si ei se in perpetuum vitae subjecerit: quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, ut exigit Regis officium, quòd ei pactum est, † à subditis non servetur: sicut Romani Tarquinium superbum, quem in Regem susceperant, propter ejus, & filiorum ‡ Regno ejecerunt, minori, scilicet Consulari instituta potestate. Sic & Domitianus, qui modestissimus, Imperatoribus Vespasiano Patri, & Tito fratri ejus successerat, dùm tyrannidem exercebat, à Senatu Romano interemptus est, omnibus quae rectè, aut perversè fecerat, per Senatus-Consultum justè, & salubriter in unum revocatis: quo factum est, ut Beatus Joannes Baptista * dilectus Dei Discipulus, qui per ipsum Domitianum in Pathmos insulam fuerat exilio relegatus, ad Ephesum per Senatus-Consultum remitteretur.

„Si verò ad Jus alicujus Superioris pertineat Multitudini de Rege providere; expectandum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam. Sic Archelao, qui in Judaea pro Herode fratre suo regnare jam caeperat, paternam malitiam jam imitante, & Judaeis contra eum querimoniam ad Caesarem Augustum deferentibus; primò quidem potestas sibi diminuta est, ablato sibi Regio nomine, & medietate Regni sui inter duos fratres ejus divisa: deindè cùm nec sic à tyrannide compesceretur, à Tiberio Caesare relegatus est in exilium, apud Lugdunum, Galliae civitatem.

„Quòd si omninò contra tyrannum auxilium humanum haberi non possit, recurrendum est ad Regem omnium Deum, qui est adjutor in tribulationibus, in opportunitatibus: ejus enim potentiae subest, ut cor tyranni convertat in mansuetudinem, secundùm sententiam Salomonis. Prov. XXI. 1. *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud*: Ipse Regis Assueri crudelitatem, quâ Judaeis mortem parabat, in mansuetudinem vertit. Ipse est, qui Nabuchodonosor Regem crudelem convertit, sic quod factus est divinae potentiae praedicator; *Nunc ergo*, inquit, *ego Nabuchodonosor, laudo & magnifico Regem coeli, & terrae, quia opera ejus vera, & via ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Dan. IV. 34. Tyrannos verò, quos reputat conversione indignos, potest aufferre de medio, vel ad infimum statum reducere, secundùm illud Sapientis; *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Eccli. X. 17. Ipse est enim, qui videns afflictionem populi sui in Aegypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonis tyrannidem dejecit, cum exercitu ejus, in mare. Ipse est, qui memoratum Nabuchodonosor, prius superbientem, ejectum non solùm de Regio solio, sed etiam de hominum consortio, citò in similitudinem bestiae commutavit. Nec est abbreviata manus ejus, ut populum suum à tyrannis liberare non possit: promittit enim populo suo per Isaiam, requiem se daturum à labore, & concussione, & servitute dura, quâ ante saevierat. Et per Ezechielem dixit: *Liberabo gregem meum de ore eorum Pastorum, qui pascunt seipsos.* Ezech. XXXIV. 10. Sed ut hoc beneficium populus à Deo consequi mereatur, debet à peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt Principatum, dicente Domino per Ozée; *Dabo tibi Regem in furore meo.* Ozée. XIII. 2. Et hoc dicitur, quòd *Regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Job. XXXIV. 30. Tollenda est ergo culpa ut cesset tyrannorum plaga.„

Haec sanctus Thomas: & nota de David, qui non occidit Saül tyrannum; nec Judaei occiderunt Christum, propria authoritate, licèt eis tyrannus contra Caesarem videretur.

Allegare igitur sanctum Thomam in hoc Libro, *Cap.* XI. vel secundo *Sententiarum. Distinctione ultima*, vel alibi † probatione hujus quartae Assertionis; est imponere tanto Doctori quòd contradicat sibi ipsi.

Hanc

* *Forsan legendum*, coucupientibus. † *Forsan legendum.* cur hoc faceret. ⸸ *Locus corruptus.* ‡ *Videtur addendum* tyrannidem.

* *Videtur delendum* Baptista † *Videtur legendum* vel alibi pro

Hanc eamdem sententiam cum sancto Thoma, & quasi similibus mediis, ponit Oresme, super quintum Politicorum, tractans illud Aristotelis; *Boni non faciunt seditionem.* Sed quoniam verba sunt in Gallico, hîc omittimus ponere; cujus tamen authoritas magna est in hac parte, quia, ut benè intellexit Aristotelem, & eximius Theologus fuit.

Rursùs, pro reprobatione ejusdem quartæ Assertionis, facit descriptio tyranni, quæ ponitur ab illo qui dicitur assertor hujusmodi novem Assertionum: *Tyrannus est*, inquit, *qui in Republica non Jure principatur, aut principari conatur.* Constat autem, quòd si quilibet talis tyrannus deberet occidi, sicut ponit hæc Assertio quarta, nullus esset Imperator, Rex, Princeps, & Dominus temporalis, vel spiritualis multùm securus; quia pauci sunt, qui non verè, vel reputativè abutantur Principatu suo, vel conatu principandi non Jure.

Rursùs, ad idem est Sarisbiriensis, quidque ‡ alii trahere velint ad suum propositum de verbis suis: ipse enim sic dicit, Libro octavo, *Capite* XIX. in quo loquitur de interfectione plurium tyrannorum, circà finem.

„Hoc cavendum docent historiæ, ne quis illius „moliatur interitum, cui fidei, aut sacramenti re„ligione tenetur astrictus. Nam & Sedechias ob „neglectam fidei religionem legitur captivatus. Et „quòd in alio Regum Judæ, non memini, eruti „sunt oculi ejus, quia Deum, cui juratur, cùm „ex justa causa juratur, etiam tyranno, lapsus in „perfidiam, non proposuit antè conspectum suum: „sed nec veneni * licèt videam ab infidelibus aliquan„do usurpatam, nullo unquàm Jure indultam lego „Sententiam: non quòd tyrannos de medio tollen„dos esse non credam; sed hoc sine religionis & „honestatis dispendio. Nam & David, Regum quos „legimus optimus, & qui, excepto sermone Uriæ „Hethei, in omnibus inculpatus processit; licèt ty„rannum gravissimum sustineret, & eum perdendi „sæpè nactus fuerit occasionem, ei tamen parce„re maluit, confisus de misericordia Dei, qui eum „sine peccato poterat liberare. Decrevit ergo pa„tienter expectare ut ille visitaretur à Domino, „reddita charitate; aut in prælio caderet, aut aliàs, „justo Dei Judicio, moreretur. Siquidem vel ex eo „potest insigniri patientia ejus; quòd cùm oram „chlamidis ejus præcidisset in speluncam; & alibi „de nocte ingressus, custodis negligentiam increpas„set, ipsum Regem coëgit profiteri, quòd David „causam agebat justiorem. Et hic quidem modus „delendi tyrannos utilissimus, & tutissimus est. Si „qui præmiantur † ad patrocinium clementiæ Dei „humilitate confugiant, & puras manus levantes ad „Dominum, devotis precibus flagellum quo affli„guntur avertant: peccata etenim delinquentium „vires sunt tyrannorum. Unde Achior Dux om„nium filiorum Ammon, saluberrimum hoc dedit „Holoferni consilium: *Perquire nunc*, inquit *Do„mine mi, si est aliqua iniquitas eorum, & ascenda„mus ad eos, quoniam tradens tradet eos Deus eorum „tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ: si au„tem non est offensio populi hujus coram Deo suo, non „poterimus resistere illis; quoniam Deus eorum de„fendet eos: erimusque in opprobrium universæ terræ.* „Judith. v. 24. 25. Hæc ille.

Ipse idem, *Libro tertio, capite decimo sexto*, patenter dicit, quòd *Ille est tyrannus pessimus, qui Legibus abutitur.* Nullus autem magis abutitur, vel extorquet eas, quàm occidens, vel occidi faciens homines propria authoritate, per insidias, & sine diffidatione.

‡ *Forsan legendum* quidquid. * *Locus corruptus.* † *Forsan* premantur,

Rursùs hanc Assertionem quartam reprobat Decretum factum in Concilio Lugdunensi, quod incipit *Pro humani. De homicidio. Libro sexto*, cum rationibus quidem condendi Decretalem, quæ sic habet in forma.

„Cùm igitur illi, qui sic horrenda inhumanitate, „detestandaque sævitia mortem sitiunt aliorum, ut „ipsos faciant per assassinos occidi; non solùm cor„porum, sed mortem procurant animarum, nisi eos „exuberans gratia divina prævenerit, ut sint armis „spiritualibus præmuniti, & omnis potestas tribua„tur à Domino, ad Justitiam, rectum que Judicium „exercendum. Nos tanto periculo volentes oc„currere animarum, & tam nefarios præsumptores „Ecclesiasticæ animadversionis mucrone ferire, ut „metus pœnæ, hujusmodi præsumptionis meta exi„stat, præsertim cum nonnulli Magnates taliter „puniri * formidantes, coacti fuerint securitatem ab „eorumdem assassinorum Domino impetrare, sic„que ab eo, non absque Christianæ dignitatis op„probrio, redimere quodammodò vitam suam. Sacri „approbatione Concilii Statuimus, ut quicumque „Princeps, Prælatus, vel quævis alia Ecclesiasti„ca, sæcularisve persona, quempiam Christianorum „per prædictos assassinos interfici fecerit, vel e„tiam mandaverit; quamquàm mors ex hoc forsi„tan non sequatur; aut eos receptaverit, vel deffen„derit, seu occultaverit; excommunicationis, & depo„sitionis à Dignitate, Ordine, Honore, Officio, & „Beneficio incurrat Sententias, ipso facto: & illa li„berè aliis, per illos ad quos illorum Collatio per„tinet, conferatur: sit etiam cum suis bonis mun„danis omnibus, tanquàm Christianæ Religionis æ„mulus, à toto Christiano populo perpetuò diffida„tus. Et postquàm probabilibus extiterit, & con„stiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabi„le commisisse, nullatenùs alia excommunicationis, „vel depositionis, seu diffidationis, adversùs eum „Sententia requiratur.„

Denique videamus rationem damnationis istius: *Quilibet tyrannus* &c. quæ nedùm erronea in Fide & moribus, sed hæretica & seditiosa judicata est, sicut præmittitur; & inveniemus quòd ex triplici radice damnata est: quia scilicet laudabat mortem factam privata authoritate: secundò, quòd per insidias: tertiò, quòd à subditis & confœderatis. Hæc autem Assertio quarta, malitias, seu deformitates has includit, maximè prout applicatur ad alias deducendas, seu probandas.

Veniamus ad reprobationem octavæ Assertionis, contra quam sufficit tenor duarum Cedularum, qui sic habet.

Pro elucidatione condemnationis octavæ Assertionis notandum est, quòd sensus litteralis cujuscumque locutionis, est ille sensus quem principaliter, & de directo intendit ipse loquens. Undè idem est dicere: Non est tenendus sensus litteralis; & dicere: Non est capienda intentio loquentis. Cùm igitur Spiritus sanctus sit ille qui in sacra Scriptura loquitur; erroneum est dicere, quòd sensus litteralis non sit verus aliquando, & non semper tenendus. Propter hoc dicit Augustinus, quòd *Semper est verus, sic quòd non est efficax argumentum, nisi in sensu litterali fundatum.*

Sed pro responsione ad illud Apostoli, *Littera occidit*: notandum quòd in sacra Scriptura, Spiritus sanctus tripliciter loquitur. Uno modo, loquendo terminis impositis, & assumendo terminos ultimatè, & principaliter pro expressione conceptuum suæ locutionis in nobis: & isto modo loquitur in moralibùs contentis in sacra Scriptura, & in historiis aliquibus.

Secundo modo loquitur Spiritus sanctus in sacra Scriptura, utendò terminis principaliter; sed assumendo

* *Legendum* perimi.

do res significatas per terminos, ad significandum res alias tantummodò, sicut in formis symbolicis, dicit Dionysius, primo capitulo *Cœlestis Hierarchiæ*. Similiter in rebus figurativis, & parabolis Evangelii. Nam, ut dicit Dionysius, isti termini, *bos*, *leo*, in quibusdam locis sacræ Scripturæ ponuntur sub intentione, non ut quiescatur in eorum significatione, quia tunc esset error; sed ut res significata per ipsos, propter aliquam ipsius proprietatem, Deum, vel aliquam spiritualem substantiam respicientem, significet. Unde ista locutio: *Mons Sion elevabitur super omnes colles*, Isaiæ. II. 2. non fuit in intentione Spiritus sancti loquentis, quòd res illa significata per hoc complexum *Mons Sion elevabitur super omnes colles*‡; sed est intentio, quòd illa res significata repræsentat, & significat aliam rem spiritualem, scilicet Ecclesiam, quòd in spiritualitate, *elevabitur super omnes colles* &c. Idem dicendum est de parabolis: sic enim divina pietas nostrum intellectum erudit, & per res sensibiles, ad cognitionem spiritualem trahit; & in isto modo, *Littera occidit*. Nec est idem, ut videtur clarè, littera, & sensus litteralis; quia aliud significatur per terminos litteræ, & aliud per res significatas. Cùm igitur Spiritus sanctus, in talibus locutionibus, loquatur per res significatas, & non per terminos; fallax ergo est hoc Argumentum: Iste est sensus grammaticalis litteræ; igitur sensus litteralis: quia littera illa sacra reprimit intentionem loquentis, non per terminos, sed per res significatas.

Tertio modo: loquitur Spiritus utroque modo, scilicet per terminos; & hujusmodi locutiones duplicem habent sensum litteralem: & sunt locutiones illæ, quæ non solùm erudiunt intellectum ad aliquod spirituale; sed etiam excitativè, vel exercitativè sunt effectus, ut circà ceremonialia in Veteri Testamento. Similiter sunt plùs historiæ David, ceterorumque Regum, quibus non solùm figuratur Christus; sed eorum gesta, morum sunt exempla.

Nunc, ad dubium quorumdam Magistrorum, quærentium, quis est sensus litteralis istius: *Puer, cujus caro præputii non abscinditur, peribit de populo meo*. Gen. XVII. 14. Respondetur, quòd ipsa locutio, considerata de Antiqua Lege, habet duplicem sensum; litteralem videlicet unum, ad erudiendum intellectum, in quantum erat figurativa; alium, ad excitandum affectum in quantum præceptiva. Nunc verò ipsa considerata sub Nova Lege, non habet nisi unum sensum litteralem, videlicet in quantum figurativa; quia per ipsam plùs non intendit Spiritus sanctus extricare* effectum humanum; eo quòd, per Baptisma, multò perfectiùs extricatur †, & gratiam suscipit. Undè adveniente quod perfectum est, evacuatur quod imperfectum est. Nec habeatur pro inconvenienti, quòd aliqua Propositio olim habebat duplicem sensum litteralem; nunc verò, tempore gratiæ, unicum: quoniam dicitur, ad Hæbreos, primo capite. I. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè verò locutus est nobis in Filio*, videlicet perfectiùs, & familiariùs. Et sic patet; quomodò erroneum est dicere, quòd sensus litteralis non est semper tenendus, & maximè in primo modo, sub quo est hoc Præceptum: *Non occides*: super cujus opposito fundatur dicta Assertio.

‡ *Locus corruptus*. * Excitare affectum. † *Forsan* excitatur.

TENOR
ALTERIUS CEDULÆ.

Sensus litteralis sacræ sacripturæ, est sensus qui concluditur, ex circumstantia litteræ, esse primarius, & principalis intellectus ejus, ex quo solo potest trahi efficax Argumentum, secundùm authoritatem.

Et recitat diffusè Magister Nicolaus de Lyra, in primo Prologo *suæ Postillæ, super Bibliam*. Videatur illic.

Hanc materiam, de sensu litterali sacræ Scripturæ, declaravit pulchrè Magister H. de Henca, in suo Prologo, *super Sententias*. Videatur illic, si habeatur. Ponit enim tria, ad cognoscendum sensum litteralem. Unum; est circumstantia litteræ præcedentis, & sequentis. Alium; consideratio modorum loquendi, per figuras, & tropos, & colores Rethoricos. Tertium, est usus loquendi sanctorum Doctorum, & Expositorum sacræ Scripturæ, sicut docet Augustinus, *De Doctrina Christiana*, per totum: ubi ponit, inter cetera, septem regulas Ciconii, quasi totidem claves, ad intelligendum sacram Scripturam. Undè patet, quòd pernitiosissimum dicere, sensum litteralem sacræ Scripturæ quoquo modum* esse: quia est infirmare totam sacram Scripturam, & invalidam reddere ad aliquid concludendum, & irrisioni audientium exponere.

Apparet præterea, quòd Vetus Lex est vera, ad sensum litteralem, sicut expressè tradit Christus, Matth. v. 18. ubi dicit, quòd *Unum jota, & unus apex non transibit de Lege* &c. Verum est quòd Judæi dæviant à sensu litterali quem Christus docuit esse verum litteralem: propterea reprehendit eos Apostolus, dicens, quòd *Littera occidit*, illa scilicet quam Judæi reputabant esse litteram, seu sensum litteralem. Undè verum est, ad litteram, quod *Anima, cujus præputii caro* &c. Gen. XVII. 14. Sed oportet distinguere tempora, & concordabuntur Scripturæ. Exemplum de diversis ætatibus in eodem homine.

Apparet denique, quòd sacra Scriptura non est exponenda secundùm vim Logicæ, seu Dialecticæ, quæ deservit scientiis speculativis, sic facientes Sophistæ, se turpiter decipiunt: sed habet Scriptura sacra suam propriam Logicam, & Grammaticam; quemadmodùm scientiæ morales habent pro Logica Rethoricam.

Ex quibus apparet rationabilitas octavæ Assertionis: quoniam sensus litteralis sacræ Scripturæ dicitur anthonomasticè, & propriè, sensus ejus. Et sic, idem est dicere, sacram Scripturam, sicut sensum litteralem esse falsum in aliquo. Primum autem blasphemum & hæreticum, atque sacrilegum: igitur & alterum.

Denique, sic arguitur, unica ratione, quæ omni consideranti facere fidem debet, arguendo similiter ad Augustinum, contra Hieronymum, *Si*, inquit, *ad Scripturam sacram admissa fuerint vel officiosa mendacia; tota ipsius sacræ Scripturæ vacillabit authoritas*. Ita similiter, si ad sensum litteralem sacræ Scripturæ admissa fuerit falsitas aliqua; tota ipsius sensus litteralis vacillabit authoritas, nec ex eo sumi poterit efficax Argumentum; quia falsum nihil probat, ne illud quod est licitum dicere, de falsitate sit suspectum.

Et si forsan inveniatur quòd per Ecclesiam, vel Prælatos, vel Doctores aliquos, reprobati sint quidam hæretici dicentes, quòd Scriptura sacra semper est vera ad litteram, vel sensum grammaticalem, vel ad litteram, secundùm intellectum Judæorum; hæc utique reprobatio stare potest cum reprobatione, seu reprobationis modo hujus octavæ Assertionis, juxta diversas acceptationes terminorum, & varias dicendi causas: sicut istæ duæ vocaliter contradictoriæ, damnatæ sunt ab Ecclesia, *Deus creat malum. Deus non creat malum*. XXIV. Q. *ultima*.

Descendamus tertiò, ad reprobationem nonæ Assertionis; contra quam sic arguitur: Opposita contradictoria est vera, & Catholica; Igitur ista est falsa & hæretica, per Legem contradictoriam. Assumptum patet de ista particulari: Aliquis homo, ut Martinus, tenetur, in aliquo casu confœderationis, vel

* *Locus corruptus*.

vel juramenti, factæ, vel facti cum altero milite, observare juramentum, quamvis sit in præjudicium suum, & uxoris, & liberorum. Patet: dùm ille juravit redire ad carceres, si esset elargitus sub fide sua, & quòd daret omnia jocalia uxoris suæ, & mediam partem totius hereditatis suæ, cui filii debent succedere: constat quòd ipse tenetur redire ad carcerem, ubi fortè celeriter morietur, propter duritiem carceris. Tenetur prætereà tradere jocalia uxoris suæ, & mediam hereditatis portionem. Nullus autem dubitat, quin ista sint multùm damnosa, & præjudicialia prædicto Martino, & uxori suæ, & liberis. Ratio autem, quare tenetur observare juramentum, est utilitas Reipublicæ, & humanæ socialitatis: quia si cuilibet liceret frangere juramentum, dùm est in damnum proprium; periret omnis fides, seu confidentia unius hominis ad alterum: rumperetùr insuper vinculum unicum societatis humanæ conservativum, scilicet juramentum, quod est *Omnis controversiæ finis*, apud homines, secundùm Apostolum, *ad Hebr.* VI. 16.

Non est igitur pernitiosior doctrina contra Rempublicam, quàm hujus novæ Assertionis, quæ nedùm falsa est, sed hæretica, blasphema, sortilega, & pernitiosissima, & contra secundum Præceptum primæ Tabulæ. Undè mendacium nullo modo possit esse licitum, & asserens pertinaciter oppositum, esset hæreticus; provenit ex ratione tacta: quia admisso uno mendacio, quòd est licitum, pro quocumque bono fieret: tunc, prout arguit Augustinus, contra Hieronymum; *Tota Scripturæ sacræ vacillaret authoritas.* Similiter & apud homines, universa fidelitas. Undè si mendacium aliquod, etiam officiosum, esset licitum, sicut arguit Augustinus; dicerent quippè hæretici, quòd Christus promisit vitam æternam bonis, & malis ignem æternum, per mendacium officiosum, ut attraheret ad virtutem, & à vitiis retraheret, ex quo, per adversationem, mendacium aliquod pro magno bono factum, est licitum; quando procedit efficaciùs hæc ratio, quòd pro nullo bono temporali acquirendo, vel damno, seu præjudicio vitando, juramentum non est transgrediendum. Secùs est, ubi juramentum verteret in præjudicium salutis æternæ: quia secundùm ordininem Charitatis, plùs est anima, quàm corpus, vel aliud bonum temporale.

Non negamus prætereà, quin authoritate Superioris, cadere possit dispensatio in aliquibus juramentis, pensata commodorum, vel incommodorum qualitate, ubi est evidens utilitas, vel urget necessitas non præjudicans Reipublicæ; alioquin non esset dispensatio, sed, ut loquitur Bernardus, *crudelis dissipatio.*

Est igitur sensus litteralis, & planus hujus Præcepti, *Non perjurabis*; quòd omne juramentum deliberatè & licitè factum, tenendum est; nisi postmodùm vergat in detrimentum salutis æternæ, si observaretur. Et dùm additur ab aliquibus hæc exceptio; nisi superveniat fortius vinculum obligans, ipsa † salutis, includitur in prima exceptione: quia jam vergeret in salutis detrimentum.

Procedamus tandem quartò, ad reprobationem primæ Assertionis, cum aliis quinque sibi collateralibus.

Et quoniam tanguntur in his Assertionibus aliqua, quæ factum respiciunt; & cùm ex facto Jus oriatur, secundùm Dominos Juristas; oportet necessariò accipere verum casum facti, ne per vaccationem * fiat processus in æquivoco, & in deliberando ea quæ Juris sunt, interveniat pernitiosa, seu fallax variatio.

Casus igitur, vel factum, potest hìc tripliciter accipi. Uno modo, prout fuit in re ipsa, scilicet in morte, & in circumstantiis mortis; pro quibus justificandis, positæ dicuntur fuisse tales Assertiones, tanquam Maximæ, & quæ debent universaliter accipi, juxtà traditionem Dominorum Juristarum, & Philosophorum Moralium, apud quos indefinita æquivalet universali, quando datur ut regula, quam * ex forma verborum, hæc Assertio prima resolvi possit in duas universales, scilicet in istam: *Quilibet tyrannus licitè interfici potest à subdito* &c. Et in hanc A alteram: *Quilibet subditus licitè interficit quemlibet tyrannum talem* &c.

Potest alio modo casus, vel factum considerari, secundùm terminos hujusmodi Assertionum, non extendendo eos, nec coarctando aliter quàm sonant, de vi suæ significationis.

Potest tertio modo casus accipi fictitiè, vel imaginariè, prout unicuique placuit, extendendo, vel restringendo: & hoc utique rejici debet, nec acceptari in inquisitione veritatis; attento, quòd ponens istas Assertiones, non est glosandus, sed accipienda sunt dicta sua ex verbis suis, & intentione dicendi; prout in quadam Cedula, maximè in tertio puncto continetur, quæ sic habet.

„ Reverende Magister; visitavi duos Codices missos, de materia novem Assertionum, quorum contenta priùs vel legeram, vel audieram: & in resolutione materiæ confugit adversa pars, primò ad inspirationem Spiritus sancti, secretam scilicet, in pri- B mo codice: sed istud quantùm sit fictitium apparet statim, etiam cuilibet idiotæ. Oportet prætereà docere de tali inspiratione, circa quemlibet subditum qui occidit, vel occidere facit, sine Mandato Judicis habentis publicam authoritatem. Est autem istud medium † fictitium, sed blasphemum, & divinæ revelationis irrisorium. Applicetur hìc argumentum de Prædicante, dicente, se missum à Deo; cui non creditur, nisi probet per miracula, vel Scripturam.

Deindè secundò, in altero Codice, confugit altera pars ad casum inevitabilis mortis Regis, nisi per talem, & tali modo succurratur, ubi scilicet subitum est periculum, cui statim opportet occurri. Constat autem, sicut infra docebitur, quòd nulla Assertionum loquitur, vel intelligi potest de tali periculo; sicut patet ex verbis litteræ, & ex causis dicendi, seu justificandi mortem, propter quam positæ dicuntur.

C Alio modo quærunt evasionem aliqui dicentes; quòd istæ Assertiones possunt exponi rationabiliter, addendo glosas aliquas, sicut exponuntur Propositiones morales de sacra Scriptura, ut istæ: *Maleficos non patieris vivere*, Exod. XXII. 18. quæ generaliter intellecta, esset falsa. Addunt pro regula, quòd nulla Propositio condemnanda est, quæ potest trahi ad bonum sensum. Sed ista responsio, cum sua additione, pernitiosissima est, & contra omnem ǂ Ecclesiasticum: quia sic se fundabant Hæretici, prout vidimus in Wiclef, & Huss, qui dùm urgebantur, confugiebant ad glosas. Undè Propositiones universales de sacra Scriptura, possunt, & debent aliter exponi, quàm Propositiones assertorum hujusmodi Assertionum. Primò, quia Scriptura sacra exponit suam regulam per semetipsam, secundùm diversos passus Scripturæ, & juxta sacros Do- D ctores: non sic autem invenit ‡, quòd assertor hujusmodi se exposuerit; imò potiùs oppositum, considerando causas dicendi. Secundò, quia sacræ Scripturæ debetur talis reverentia, quòd non licet eam credere esse falsam in aliquo sensu litterali. Non sic est de Propositione prædicti assertoris, vel alterius Doctoris. Ideò &c.

Restat igitur recipere casum primum, vel secundum. Sed pro primo casu, nihil, ad præsens, in scrip-

† *Forsan* putà. * *Forsan* variationem.

* *Forsan* quòd. † *Addendum* non solùm. ǂ *Forsan legendum* omne Jus Ecclesiasticum. ‡ *Forsan* invenitur.

scriptis dare propono; volens consequenter, prout incœpi, in terminis meæ determinationis persistere, nisi fortè coëgerit pars adversa, ut Fidei periculum, aut Reipublicæ dispendium immineat.

Porrò, si casus accipiatur secundo modo; notetur hæc Cedula, quæ sic habet.

SEQVITVR TENOR ALTERIUS CEDULÆ.

Placeat attendere diligenter per doctissimos & sapientes viros, qui sunt Presbyteri, sub jurejurando, salubre consilium, in materia Fidei; qualiter omnes rationes Episcopi Attrebatensis, & sibi adhærentium, volentium justificare novem Assertiones in examine Magistrorum nunc positas, procedunt, secundùm casum inevitabilis necessitatis; in quo casu tamen, animus occidendi, propria authoritate, â sanctis Doctoribus non laudatur, nec approbatur, licèt, secundùm Leges humanas, talis impunitus permaneat, si hoc constet legitimè, aliter non. Utrùm autem constet, vel non constet, in nulla illarum fit mentio.

Attendantur ergo circumstantiæ in prædictis Assertionibus omissæ, & etiam expressæ; tunc clarissimè patebit, quòd dictæ Assertiones casum inevitabilis necessitatis nedùm non includunt; imò positivè, & potenter excludunt.

Et primò, videantur circumstantiæ ex parte illius quem licitum est taliter occidere. Loquitur itaque prima Assertio de illo qui machinatur &c. Nam machinari, importat actionem occultam, & prolixam, & per consequens, non patentem, & inevitabilem.

Sed videamus in quid machinatur. Non dicit Assertio, in mortem; sed *in salutem corporalem Domini sui*. Posteà non dicit Assertio, pro aufferendo sibi vitam; sed solùm dicit, *pro aufferendo Dominationem suam*.

Deindè videamus per quæ media talis machinatur. Non dicit Assertio, quòd habeat ipse jam extensum gladium, ut percutiat Regem: sed dicit, quòd *per sortilegia*, quorum effectus est dubius, ac incertissimus, nec propinquus. Additur, *per fraudes, dolos, & malum ingenium*: qui termini sunt generales, significantes actus interiores non patentes de se, sed potiùs ignotos.

Patet igitur, ex parte illius qui occiditur, quòd prædictæ Assertiones casum prædictum, scilicet necessitatis inevitabilis, non includunt, sed excludunt.

Considerentur insuper circumstantiæ positæ ex parte modi agendi; quoniam dicitur, *explorationes & insidias*, ut dicunt Assertiones tertia, & quarta. Sed clarum est, quòd explorationes, & insidiæ important longam præmeditationem; & specialiter tales insidiæ, quæ sunt juramento fidelitatis, & socialitatis velatæ, sicut innuit nona Assertio, quæ salvare nititur, ac justificare confœderationes tales, quòd non sunt obligatoriæ. Excludunt igitur hæ circumstantiæ casum inevitabilis necessitatis.

Sed diceret adversarius, quòd includitur talis casus in hoc complexo, *Quando est tantæ potentiæ, quòd Justitia non potest, bono modo, fieri per Supremum.*

Respondetur primò, quòd hoc complexum non negat quin aliquo modo possit fieri Justitia de eo: sed dicit, *bono modo*. Et videatur si minus malum esset, quòd per Supremum, non servato Juris ordine, talis interficeretur, quàm per istum, cui non est alter subditus, & ubi nulla Justitiæ scintilla concurrit. Non est igitur casus necessitatis, ubi per suum Supremum, vel alios multos, aliis modis, interfici potest talis. Consequenter oporteret, quòd in omnibus circumstantiis quæ ponuntur, esset Juris notorietas, vel facti. Et hæc additio, *circa omnes circumstantias, & earum quamlibet*, palam omittitur, vel ex ignorantia, vel potiùs ex astutia; quoniam in subsumendo ad has Maximas, seu Regulas generales, nulla apparentia, nulla probationis fuisset efficacia.

Placeat denique attendere, quòd in quarta Assertione, quæ est veluti Major ad alias sex, similiter in octava, & nona, coarctatio nulla fit ad casum circumstantionatum: propterea concludendum est certissimè, quòd doctrina hæc tota perniciosissima est, & hæretica, consequenter ad deliberationem Reverendissimi Cardinalis Cameracensis: imò ad condemnationem factam in Francia, cum solemnitate tali, de quali Litteræ Patentes, etiam judicialiter exhibitæ, præbent fidem. Hæc ibi.

Ampliùs verò, priusquàm veniamus ad argumentationes pro nobis, respondeamus ad dubia quædam adversariorum.

Primum Dubium est tale.

Si illius Propositionis condemnatio faveat tyrannis, tollatque securitatem Principum, & pacis Politicæ salutem.

Secundum Dubium.

Si evidentem Propositionis contradictoriam tenere, sic non est reprimere agentes, aut agere volentes contra ista Præcepta Decalogi: *Non occides. Non fraudem facies; nec furtum. Non concupisces rem proximi tui.* Exod. xx. Si enim præfatam Propositionem, vel Assertionem condemnaret Concilium, ejus contradictoriam assereret tanquàm Catholicam, & ut Fidei Articulum tenendum: per quod videatur, si derogaret Præceptis divinis, & Sacræ Scripturæ.

Tertium Dubium.

An illa Propositio, quæ ponitur ut coërceat pessimos à persecutione machinationis pessimæ, & nititur tueri salutem Principis, & Reipublicæ; nec aliud intendit ex sensu primario & principali, sit error in moribus? Nunquid potiùs videtur observator illius Præcepti, *Non occides*, vassallus, qui tyrannum Propositione prædicta expressum prævenit morte, ne suum Principem, seu Regem interficiat malignissimè? quàm ille qui perimi permittit suum Principem, & Regem interimi, cùm posset obviare per mortem tyranni talis, si alia via non pateret.

*

Quintum Dubium.

In quo loco sacræ Scripturæ, vel Articulorum Fidei, vel universaliter eorum quæ nobis tradita sunt ad credendum, expressè, vel determinatè, per Ecclesiam Catholicam, continetur ex* contradictoria, vel contraria illius Propositionis præfatæ, quæ ita instanter petitur condemnari, tanquàm erronea in Fide & moribus; non fuit adhuc allegatum.

* *Videtur delendum ex.*

Sextum Dubium.

An prælibata Propositio magis pertinet ad Judices in causa sanguinis, quàm ad Judices in causa Fidei Deputatos?

Septi-

* *Hic omissum videtur ex* MS. Quartum Dubium, *nisi resumatur ex 3. Dubio præcedenti l. 5. ad* Nunquid.

Septimum Dubium.

An ista Propositio sit conjurationum, vel conspirationum, aut proditionum, & Regum interfectionum & Principum, tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium repressiva.

Octavum Dubium.

Utrùm ejus opposita, ex impunitate, faveat machinantibus in necem cujusvis Dominorum prædictorum.

Nonum Dubium.

Utrùm illa Propositio inducat, & promoveat vassallos ad fidelitatem servandam Dominis suis, pro ipsorum vita tuendo, & interfectione cavenda.

Decimum Dubium.

Utrùm ejus opposita ab hujusmodi fidelitate vassallorum, respectu Dominorum, ad eorum interfectionem vitandam, & vitam conservandam, sit retractiva.

Undecimum Dubium.

Nunquid illa Propositio illi Regulæ est conformis? *De duobus malis, minus malum est præcavendum.*

Duodecimum Dubium.

Nunquid ejus opposita est juramenti obligationis, & promissionis non dispensati dissolutiva?

RESPONSIO
ad prædicta Dubia.

Animadvertant deliberaturi, qualiter Attrebatensis Episcopus, in tota deliberatione sua, & in duodecim dubiis motis per eum, atque divulgatis, ponit aliter casum, quàm sit in veritate, & quàm appareat ex ipso textu Assertionum: undè in quarto dubio, notat expressè, quòd alia via non pateret salvandi Regem à morte, nisi quòd vassallus Regis interficeret alium volentem occidere Regem, qui casus est necessitatis inevitabilis, nisi per istum, & isto modo. Sed ita non ponunt Assertiones, ut constat.

Præterea, possunt retorqueri sua dubia contra eum, applicando ea ad quartam Assertionem, quæ loquitur generaliter de omnibus tyrannis occidendis per industriam, & insidias, & *vilainement*, id est, sine diffidatione, sicut idem Episcopus exposuit. Concluditur ergo, quòd tales dubitationes, sicut & allegationes suæ, non proficiunt ad propositum; & quòd Assertiones, nedùm prima, sed omnes simul D conjunctæ, destruunt politiam, & securitatem Principum; & dant viam apertissimam ad homicidia proditoria, ad omnia perjuria, & ad violationem totius Scripturæ sacræ, & specialiter Decalogi. Non est idcircò fas alicui Catholico, super hoc sufficienter monito, & specialiter Theologo, vel Prælato, quomodolibet dubitare, sub pœnis hæreticæ pravitatis; etiam non expectata Sedis Apostolicæ, vel Concilii Generalis Sententia.

Respondeamus, discurrendo per singulas Dubitationes superiùs propositas.

Respondetur ad primam negativè: quòd condemnatio hujus Assertionis primæ, non favet tyrannis, nec tollit securitatem Principum, nec pacis politicæ salutem: imò prorsùs oppositum; pro quo A datur exemplum, quale nimis proh dolor! practicatum est nostris temporibus. Consurrexerunt enim nonnulli volentes destruere omnes ferè Dominos de sanguine Regali; & imposuerunt eis, quòd volebant deponere Regem suum: & ita, juxta primam hanc Assertionem, suscitaverunt talem guerram adversùs eos, quòd omnes, à majori usque ad minimum, etiam vassalli sui, compellebantur prosequi eos, usque ad indignissimam mortem, sine Lege, & ordine; & in hoc, *Arbitrabantur se obsequium præstare Deo*, Joan. XVI. 2.

Itaque, nihil facilius est, quàm dicere de quocumque Principe, vel Domino: Tu machinaris contra salutem Regis tui. Tu laudabiliter, & meritoriè, etiam per insidias, potes, sine diffidatione, & per quemcumque subditum Regis, etiam si sit vassallus tuus, viliter interfici. Sufficiet B insuper dicere: Tu talis es, hoc est notorium. Nulla denique requiritur alia probatio. Sic prætereà, de quocumque subdito Regis fingi poterit: imò & de non subdito; quando etiam poterit ad ipsum Regem deduci calumnia, dicendo de Rege: Hic certè tyrannus, multis modis, tùm quia non Jure principatur erga subditos suos, sed tyrannisat eos tributis indebitis: tùm quia vult Principum sibi subditorum Dominationes, eis, & sua Jura subripere; & proindè conatur non Jure principari: est idcircò tyrannus judicandus, & per consequens, interficiendus, juxta quartam Assertionem.

Ex quibus patet, quòd durissimus est malleus hujus Assertionis adversùs illum Dominum, pro cujus favore positam fuisse vulgatum est. Sed omittatur declaratio.

C Respondetur ad secundam, sicut ad præcedentem; addito quòd approbando contradictoriam hujus Assertionis primæ, sacrum Concilium non faciet novum Articulum; sed declarabit quòd hæc Assertio repugnet istis Præceptis Decalogi: *Non occides*, scilicet propria authoritate. *Non fraudem facies*, occidendo per insidias proximum tuum non diffidatum, non monitum, & tibi confœderatum.

Respondetur ad tertiam; quòd hæc Assertio lædit gravissimè, ac manifestissimè Regiam Majestatem; & dat audaciam pessimis proditoribus, & homicidis, persequendi quoscumque subditos Regis; crudelissimè fingendo, & faciendo de non causa causam, ut licenter interficiat per homicidas conductos prece, vel pretio, proditoriè & subitò: & ita practicatum, ut in prima dicebatur.

Respondetur ad quartam; quod hîc est radix totius malitiosæ deffensionis hujus hæreticæ pravitatis, dùm reducitur casus ad inevitabilem necessitatem mortis Regis, nisi provideatur tali via. Constat autem, quòd Assertio non coarctatur ad talem casum, sicut nec fuit talis, in veritate: & per hoc, videatur supra scripta Cedula quæ incipit, *Placeat attendere* &c. quæ, ex verbis Assertionis, concludit perspicuè, quòd inevitabilitas mortis hîc nedùm non includitur, sed patenter excluditur per hæc verba: *machinari*, *fraus*, *dolus*, *sortilegium*, *malum ingenium*, *intentio dominandi*, quæ est actus intrinsecus.

Respondetur ad quintam; quòd illa quæ publicè monstrata sunt in apertione materiæ, prima vice, Propositionis quæ incipit, *Æstimo me beatum* &c. & clarissimum est, quòd concernit Præcepta Decalogi, quæ Scriptura sacra, & per consequens Catholica, tradit, & asserit: imò & hoc ponit Assertio; dicens, quòd est conformis Legi divinæ.

Respondetur ad sextam; quòd hæc quæstio patenter involvit deffensores suos, vel assertores, tanquàm reos in causa sanguinis, & homicidii, nedùm unius, sed multorum; saltem ex consilio, deffensione, & assensu: repugnantes autem sunt immunes. Nihil omninò dicitur, quòd hæc Assertio spectat ad Judices Fidei, propter istos terminos, *Licitum*, *laudabile*, & *meritorium*: & maximè quia se fundare nititur non Jure divino, ubi causa aperta est contra ipsum Jus. Sic denique quæsitum fuisset de ista: *Quilibet tyrannus* &c. quæ, Judicio Fidei, damnata est ut hæretica. Fatendum est tamen, quòd alia ratione, spectat ad Judicium sanguinis, sicut ad crimen læsæ Majestatis Regalis.

Respondetur ad septimam negativè: quoniam viam aperit, & aperuit ad omnes conjurationes, & conspirationes, proditiones, Regum interfectiones, & Principum, tàm Ecclesiasticorum, quàm sæcularium; juncta maximè quarta Assertione, quæ est velut Maxima, seu Major ad hanc Assertionem, & ad alias indè sequentes; dum ait generaliter, quòd *Quilibet tyrannus debet occidi* &c. Undè, de quocumque Rege, quòd machinatur in mortem Papæ, vel Imperatoris, pro tollendo Dominationem eorum, quatenùs alii subrogentur. Et notetur etiam prima responsio, & qualiter extendi potest ad Dominum qualemcumque; imò ad servos vilissimos.

Respondetur ad octavam negativè: cujus ratio patet ex præcedentibus.

Respondetur an nonam negativè: cujus ratio patet ex præcedentibus, & ex illis quæ vidimus. Sic enim dicere poterit quicumque vassallus Domino suo, tàm Ecclesiastico, quàm sæculari. Tu planè tyrannus es; tu machinatus es contra salutem Regis tui, vel Domini supremi; tu non Jure principari conaris in hoc, aut illo Principatu.

Respondetur ad decimam, sicut ad præcedentem.

Respondetur ad undecimam; quòd de duobus malis, nunquam alterum est eligendum, propriè loquendo; quia si eligendum, jam non esset malum. Nihilominùs, magis ad intentionem respondendo, dicitur, quòd hæc regula nunquàm habet locum, ubi potest evitari majus, & minus, sicut est in proposito nostro, ubi Rex habere salutem suam potest, sine aliena nece; sicut fugiendo, vel se recludendo, vel adversarium incarcerando, vel aliter, mille modis, per se, vel per suos.

Respondetur ad duodecimam, negativè: cujus ratio manifestissima est per præcedendia; quia potest utrumque juramentum servari. Primum, de debito fidelitatis erga Regem: & alterum, de fidelitate conservanda, sicut promissa est cum altero milite, vel proximo. Nam si *Fides hosti servanda est*, secundùm Augustinum, & Doctores omnes, & sicut Gentium Lex omnis tradit, Judæorum, Saracenorum, Paganorum, Tartarorum, & omnium quantumlibet Barbarorum? Multò magis juramentum proximo fiduciam habenti cum altero, servandum est; neque sub fictione tyrannidis, vel proditionis, non notoriè, nec probatè, violandum.

Exclamemus igitur illud Zorobabel, *Esdræ*. IV. 41. Quoniam *Magna est veritas, & prævalet*; quæ tantò fulgentiùs emicat, & emergit, quantò ceteris errorum tenebris obscurari quæritur, & demergi.

Prætendunt aliqui deffensores doctrinæ hæreticalis novem Assertionum; condemnationem earum, quia directè non possunt, per indirectum impedire: turbaret, inquiunt, pacem factam, & divisiones induceret ista damnatio.

Sed respondetur ad propositum, contrarium.

Primò. Quia doctrina hæc radix est divisionum; quâ remanente non succisa, magis, ac magis divisiones pullulabunt.

A Secundò. Quia doctrina hæc pestifera tollit, & enervat omnem pacis stabilitatem; dùm homicidia, insidias, & perjuria fovet, sicut patet intuenti; præsertim in nona, ubi dicitur, quòd nullus jurans tenetur servare juramentum, si sit in suum præjudicium, uxoris, & liberorum.

Tertiò. Quia materiam hanc sic jam non * contradictione positam, solemniter in hoc sacro Concilio non damnare, est & eam patenter approbare, juxta illud Canonis: *Error, cui non resistitur, approbatur*. Attento, quòd hæc materia moralis sub probabilitate relinqui non potest: quia sub probabilitate non sunt homines occidendi, neque insidiandum est, neque perjurandum.

Quartò. Quia sic consueverunt hæretici, postquàm effuderunt venenum errorum suorum, dicere: Ecce sileamus, non turbemus pacem, sicut patuit B in Arrio, & fautoribus ejus. Sic in proposito; quia deffensores aliqui doctrinæ hujus mortiferæ, persequuntur verbis, & factis assiduè impugnatores ejus; tàm judicialiter, in facto perversæ appellationis, quàm persequenter coram Domino Cardinali de Ursinio, quàm extrajudicialiter, miris in modis.

Et attendatur, quòd non potest dici injuria major uni Christiano, præsertim Prælato, vel Principi, vel Confessori, vel Consiliario Principum, quàm quòd suscitabit divisiones, & guerras, si Fidei materia discutiatur, atque terminetur.

Illi porrò dicendi sunt seditiosi, vel scandalosi, qui doctrinas scandalosas, & seditiones seminant; non qui jam pestiferè seminatas, & nimis, proh dolor! adultas eradicare contendunt; scientes, quòd à speculatore silente pereuntium sanguis exquiritur. Denique Fidei veritas ubi dicetur, si in Generali C Concilio subticenda censetur? Nonne Gregorius ait: *Utilius nasci scandalum permittitur, quàm veritas deseratur*.

Qualis tandem crudelior impietas, quàm errantibus in via morum, nolle petitum tramitem ostendere veritatis?

Tandem pro rationibus, & allegationibus, notetur codex continens allegationes, rationes, & exempla, juxta casum verum, vel primo modo, vel secundo modo sumptum; quæ omnia si non sufficiant, poterunt adhiberi duæ Propositiones factæ in publico, ad elucidationem hujus materiæ: quarum una incipit: *Æstimo me bonum*. Et altera: *Oportet hæreses esse*, 1. Cor. XI. 19. Sed quoniam tædiosa fortassis, & dispendiosa responderetur hæc deliberatio, si jungerentur hæc omnia cum eaD dem deliberatione; judicavi seorsùm ponere, & judicialiter tradere, si opus est, ut in Actis registrentur.

Epilogans igitur dico primò. Quòd hæ Assertiones spectant ad Fidem; sicut ista, *Quilibet tyrannus* &c. quæ damnata est tanquàm erronea in Fide & moribus, & hæretica, & per consequens, spectans ad Fidem: contrariè, & oppositum dicere, reputo hæreticum.

Dico secundò. Quòd errantium multitudo, per depravationem affectus, vel ignorantiam, aut aliter, non facit prædictas Assertiones probabiles; cùm

Stul-

* *Forsan legendum* cum contradictione, *vel* non contradictoriè.

Stultorum infinitus sit numerus, Eccle. 1. 15. & similiter hæreticorum.

Dico tertiò. Quòd reputantes has Assertiones probabiles, habent consequenter dicere, quòd temerariè sunt assertæ in Fide, & bonis moribus, pro regula, & Lege vivendi: & quòd ex talibus reputatis probabilibus, procedere ad certam mortem, non absolvit, sed accusat homicidium.

Dico quartò. Quòd hæ Assertiones non possunt verificari per fugas adversariorum, scilicet fingendo casum mortis inevitabilis, vel casum divinæ revelationis, vel voluntariè glosando, vel allegando casum aliquem singularem verificationum aliquarum, cùm sint universaliter positæ; & ita de reliquis diffugiis.

Dico quintò. Quòd non est licitum Prælatis, Doctoribus, primariis Judicibus, etiam sæcularibus, in causis Civilibus, seu Consiliariis eorum, vel Confessoribus, negare, vel etiam dubitare falsitatem harum Assertionum, postquàm fuerint eis sufficienter propositæ, atque declaratæ: non enim solùm hæreticus est qui asserit contra Fidem; sed qui etiam falsas opiniones contra eam gignit, vel sequitur, secundùm diffinitionem Augustini.

Dico sextò. Ad formam propositæ quæstionis, quòd hæ Assertiones sunt Judicio Fidei reprobandæ, id est dignæ reprobari: imò & de necessitate Præcepti affirmativi, debent reprobari, prout deductum est.

Jo. &c. propria manu me subscripsi. Die quarta Mensis Decembris. Anno Domini 1415. in testimonium veritatis, quantùm impleam Officium meum, tanquàm Ambassiator Christianissimi Regis Francorum, ac Universitatis Parisiensis, & Ecclesiæ Gallicanæ, pro Provincia Senonensi, ad hoc sacrum Concilium Constantiense, & ne de infidelitate, inobedientia, & perjurio fortè sim notandus, cum protestatione quòd impleantur Requestæ nuper, tertia prædicti Mensis Decembris, factæ, per organum Reverendi Magistri G. Pulchrinepotis, pro interesse Fidei, & honore prædictorum Regis, Universitatis, & Ecclesiæ Gallicanæ.

Tertia Deliberatio

Partis Affirmativæ.

SI Frater meus germanus, esset talis interfector, eum in hoc non dispensarem; quia hoc esset contra Fidem, & veritatem. Idcircò dico, quòd quæstio, pro parte affirmativa, est vera, scilicet, quòd Fidei Judicio sunt reprobandæ tanquàm hæreticæ: quod probatur sic: Omnis hæresis Judicio Fidei est reprobanda; sed novem supra dictæ Assertiones sunt hæresis; ergo sunt Fidei Judicio reprobandæ: quod est probandum. Major nota est per omnes Theologos, & Canonistas. Forma est bona, & Minor patet clarissimè, cùm est prima Assertio contra primum Articulum Fidei. Nam primus Articulus Fidei est: Credere in Deum. Sed secundùm Doctores sacros, ut habetur in compendio Theologicæ veritatis; Credere in Deum, est ipsum credere esse; & credendo, ipsum amare; & ipsum amando, in ipsum ire; & eundo in ipsum, in membrum ejus incorporari. Sed talis interfector, in prima Assertione prædicta non credit, non amat, non vadit, non incorporatur in Deum: ergo de directo, est contra primum Articulum Fidei: & hic ipse, & omnes istam Assertionem hæreticam tenentes, sustinentes, & deffendentes, sunt Judicio Fidei reprobandi, & condemnandi tanquàm hæretici, cum prima Assertione, & aliis novem sequentibus, quæ tanquàm correlaria cadunt ab ipsa prima.

Dico ad secundam Assertionem, quòd falsa est, & hæretica; quia tales Leges puniunt tales homicidas, & non punirent sine culpa: ergo non permittunt.

Tertia Assertio est directè contra Fidem: ergo hæresis. Consequentia bona est. Antecedens probatur: quia Fides tenet quòd omne malum est demeritorium: sed homicidium est &c.

A Quarta Assertio est contra divinum Præceptum: ergo contra Deum. Item contra Deum, immò contra Fidem; quia *Fides, est credere quod non vides.* Aug.

Quinta Assertio est contra sacram Scripturam, dicentem, quòd nullum malum impunitum: ergo homicidium debet puniri.

Sexta Assertio est contra Canones, ubi sic habetur: *Non est licitum, propter deffensionem rerum, aliquem occidere.* In C. *Accipimus. De homicidio fact. Capitulum secundum, eodem titulo.* Ergo talis interfector illicitus, non est remunerandus; imò puniendus.

Septima Assertio est contra Canones: ergo contra Ecclesiam sanctam: ergo est hæresis, XXIII. *quæst.* V. *in Summa*: quod sic habetur. Non licet alium interficere, nisi habeat potestatem ab alio, & quòd zelo justitiæ faciat; & quòd interficiendus, sit incorrigibilis: sed talis interfector non potestatem B habet &c. Ergo non est diligendus.

Octava Assertio est contra Mandata Decalogi, quæ sunt intelligenda sicut jacent; & contra Articulos Fidei, qui sicut stant, sunt intelligendi. Ergo in eis littera non occidit; quia sic Deus in suis Præceptis deciperet nos, quod est hæreticum dicere, quòd Deus sit deceptor alicujus, quia solus Deus in quem peccatum non cadit.

Nona Assertio est contra sacros Doctores, super illo Præcepto: *Non occides*, ubi omnis occisio injusta, quæ fit tripliciter, prohibetur. Videte in compendio Theologiæ veritatis. Sed ista interfectio supra dicta, est injusta, & prohibita: ergo est hæretica, & reprobanda. Major est nota, & Catholica, quia dicta approbata per Ecclesiam, sunt sacrorum Doctorum. Minor etiam est vera, & Catholica, ut habetur ibidem, in glosa; ubi dicitur sic: quòd nullus alium debet interficere, nisi sit minister C Legis, & habeat authoritatem; etiam quòd faciat zelo Justitiæ, & non amore vindictæ; estque istud approbatum per Ecclesiam. Ergo talis interfector facit contra Articulum Fidei, sic dicentem: *Credo in unam sanctam Catholicam Ecclesiam.*

Item videtur mihi, quòd omnes supra dictæ Assertiones sunt contra Fidem. Probatur sic: Proprium objectum ipsius Fidei, est ipse Deus. Sed talis interfector directè facit contra Deum: ergo contra Fidem. Et præsupposito, quòd talis sit fidelis contra Fidem. Ergo sunt condemnandæ, & etiam cum protestationibus per me aliàs, in Tholosana alma Universitate præmissis, affirmatis, & negatis, quibus adhæreo.

Quarta Deliberatio

Pro parte Affirmativa.

D ET Ego &c. Licentiatus in Theologia, ista collegi ex sacra Scriptura, & non intendo aliquid dicere contra Deum, nec contra proximum, aut determinationem sanctæ Matris Ecclesiæ. Dico tamen veritatem, pro Fide sustinenda: & qui tenet istas Assertiones, non benè tenet, ut mihi apparet, & manu mea propria subscripsi; & meum nomen, & cognomen appono, cum sigillo: manu propria scriptum.

Sub protestatione solita, & de qua in C. *Damnavimus*, *in* * *Summa Trinitate & Fide Catholica*, atque quòd nihil temerè dicere volo; sed me in dicendis, submitto Judicio Sedis Apostolicæ, atque sacri Concilii, sub juramento per me pridem facto. Apparet &c. sacræ Theologiæ, atque Decretorum minimo Professori, ex multis motivis ad præsens pertranseundis, & ex causis, quòd ex accipiendo sensum litteralem, pro eo quem Spiritus sanctus intendebat &c. supra scriptas novem Assertiones Judicio Fidei fore reprobandas. In cujus testimonium propria manu mea hìc me subscripsi, & signeto meo signavi.

* *de*

Quinta Deliberatio

Affirmativa.

Ego &c. Bacchalarius formatus in Theologia, in Universitate præclara Studii Parisiensis, ejusdemque Universitatis ad hoc præsens Generale Concilium Constantiense Legatus, per juramentum meum, & testimonium veritatis, requisitus à vobis Reverendissimis Patribus, Dominis Judicibus in causis Fidei per hoc Concilium sacrum Deputatis, dare fideliter, & catholicè deliberationem meam, super novem Assertionibus exhibitis: Testor Deum, & Sanctos ejus, quòd obediendo Mandatis vestris, dicam inferiùs, seclusis omni favore inordinato, & odio, ea quæ super dictis Assertionibus, pro Fidei integritate servanda, secundùm Deum, mihi videntur esse dicenda, & secundùm bonam conscientiam.

Et primò. Suppono tria. Primò quidem suppono condemnationem istius Assertionis: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, & subditum; etiam per insidias, & blanditias & adulationes, nonobstante quocumque juramento, vel confœderatione factis cum eo, non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujuscumque.* Quæ Propositio, sive Assertio, damnata est per sacrum Generale Concilium, tanquàm erronea in Fide, & moribus, ac multipliciter scandalosa.

Quod idcircò præmittere volui, ut confœderata* damnatione prædicta, & attenta conformitate doctrinæ istius Assertionis jam damnatæ, ad doctrinam istarum Assertionum; ac etiam identitate materiæ ipsarum, & illius; clariùs, & evidentiùs, ex jam determinatis, convinci possit, qualis, & quàm pestifera sit harum Assertionum doctrina † ipsarum illam virtualiter, & in eadem radice fundantur: propter quod singulariter advertendum, quòd si per causam inevitabilis necessitatis, vel notorietatis, aut allegatis publicè rationibus salvari possent, aut probabiles reddi, vel excusari Assertiones istæ; profectò salvari posset, & glosari talis Assertio jam damnata tanquàm intolerabilis, & damnata doctrina.

Secundò. Suppono, quòd novem Assertiones prædictæ judicialiter exhibitæ, non includunt, sed excludunt potiùs casum inevitabilis necessitatis, & notorietatis; in quo tamen casu animus, propria authoritate, aut voluntate, à sanctis Doctoribus non laudatur, nec approbatur; licet secundùm Leges humanas, talis impunitus permanet, si hoc legitimè constet; aliter non.

Probatur ista suppositio ex circumstantiis in ipsis Assertionibus expressis. Et primò. Si attendantur circumstantiæ ex parte illius: *Licitum est taliter occidere.* Loquitur enim prima Assertio de illo qui machinatur: sed manifestum est, quòd machinatio importat actionem occultam, & prolixam; & per consequens, non patentem, nec inevitabilem.

Præterea videatur in quid machinatur. Non enim dicit Assertio: quòd *in mortem*, sed *in salutem corporalem Domini sui.* Consequenter verò non dicit, *pro auferendo sibi vitam*: sed solùm dicit, *pro auferendo sibi Dominationem suam.*

A Ceterùm quoad media per quæ machinatur, non dicit, quòd ipse jam habeat gladium extentum, ut percutiat Regem; sed dicit: *Per sortilegia*, quorum effectus est dubius, ac incertissimus, nec propinquus; quibus, vel per detectionem machinationis, vel resistentiam ad præventionem, vel aliàs, multis modis potest obviari, quàm per talem repentinam, & à non Judice, interfectionem: supposito etiam quòd per viam Justitiæ communis, & ordinatæ, talis puniri non posset.

Postremò additur, *per fraudes, dolos, & malum ingenium*, qui termini sunt generales, significantes actus interiores non patentes de se, sed potiùs ignotos.

B Patet Conclusio, quòd ex parte illius qui occiditur, Assertiones istæ casum necessitatis inevitabilis, aut etiam notorietatis non includunt, sed potiùs excludunt; nec fingi potest, sicut novis adinventionibus quidam fingere moliti sunt, quòd tyrannus, de ratione nominis, importat notorietatem criminis, & omnem malitiam.

Primò. Quia per eos qui dicuntur esse Authores hujus doctrinæ, & consequenter, per fautores, diffinitur tyrannus, quod *Tyrannus est, qui in Republica non Jure principatur, aut principari conatur.* Modo talis, ut notum est, potest esse non notorius; sicut in Job dicit Scriptura: quòd *Deus regnare facit hypocritam, propter peccata populi*, Job. XXXIV. 30. Et de tali sæpiùs occultum est, vel saltem non est evidens, aut notorium, quòd non rectè principetur &c.

Item. Prædictæ Assertiones describunt certum modum tyranni, seu etiam tyrannidis, qui, sicut supra probatum est, non notorius.

C Item. Si tyrannus, de sua ratione, importat omnem malitiam, & notorietatem; videant qui talia dicunt, quomodò stabit condemnatio dictæ Assertionis: *Quilibet tyrannus* &c. jam ritè, & solemnissimè facta.

Item. Tyrannus, in sacra Scriptura, sicut in Daniele, & alibi, pluries capitur prout est nomen fortitudinis, & potentiæ, sive cujusdam Dominationis, aut Principatus: & * quantùm ad hoc, non adinveniatur nova significatio termini, nec de quid nominis, cùm de re constet, fiat disceptatio; sed stetur communi usui Sanctorum, & Doctorum.

Quòd si forsan diceretur, quòd intelligendæ sunt dictæ Assertiones ad mentem loquentis, & glosandæ, in casu notorietatis, vel inevitabilis necessitatis &c. Contra: quia vel loquimur de istis Propositionibus, sine relatione ad assertorem, & intentionem ejus; sicut etiam sunt judicialiter exhibi-

D tæ, & examini Magistrorum expositæ: & si sic, non habet hìc locum talis expositio, quia de illis, secundùm quod sunt, reddendum est Judicium.

Item. Si recipienda esset talis glosa, vel expositio, quam tamen, ex suis propriis terminis, prædictæ Assertiones excludunt, ut supra deduxi, cùm proximè jam damnata, non ità glosari potuisset.

Item. Si dicant Adversarii, nullum esse, vel fuisse talis doctrinæ assertorem, saltem pro sua parte, cui ad intentionem assertoris remittit, petunt istarum sensum: si verò fiat relatio ad assertorem, tunc intelligendæ sunt Propositiones istæ Majoris, secundùm habitudinem ad Minorem, & Conclusionem

* *Forsan consideratâ.* † *Locus corruptus.*

* *Forsan ut.*

quam

quam intendit justificare. Non autem posuit aliquid, nec intelligere potuit de notorietate, vel inevitabili necessitate: quia tunc nulla fuisset sua subsumptio, nec probationis efficacia; sicut patet in decursu Minoris, & Conclusione quæ justificari quærebatur. Et si referantur in habitudine ad talem Conclusionem justificandam, longè pejores essent, & minùs tolerabiles, quia * in se indè † & simpliciter. Quare &c.

Tertiò. Supposito quòd multæ Assertiones, seu Propositiones morales, agibilia humana continentes, pertinent ad Fidem; ita quòd sunt de veritate Fidei, & earum oppositæ sunt hæreticæ, & præsertim doctrina Præceptorum Decalogi moralium, in sacra Scriptura contentorum, immediatè pertinent ad Fidei veritatem.

Primum patet, de Propositionibus moralibus absque numero, ut de istis: Fornicari, est peccatum. Simonia, est peccatum. Usura, est peccatum. Et sic de multis aliis, quarum oppositæ sunt per Ecclesiam tanquàm hæreticæ condemnatæ. Similiter de ista: *Quilibet tyrannus* &c. ac etiam de multis Assertionibus Joannis Wicleff, Joannis Huss, per hoc sacrum Concilium condemnatis.

Secundum patet. Quia licèt talia Præcepta sint de Lege naturæ; tamen aliundè doctrina illorum, ex authoritate sacræ Scripturæ divinitùs inspiratæ, nobis firmiter credenda proponuntur ‡; sicut etiam de Lege naturæ non est, credere, vel adorare plures Deos. Et tamen Articulus iste in sacra Scriptura credendus, atque tenendus præcipitur, & ita de similibus: & hoc esse rationabile, & necessarium, tam propter depravationem affectuum, quàm fallibilitatem, & ignorantiam hominum, ostendit ad longum sanctus Thomas, *in primo Libro Summæ, contra Gentiles.*

Item. Præcepta Decalogi, secundùm quod traduntur in sacra Scriptura, ordinant hominem ad finem supernaturalem, & æternum, qui non nisi ex Fide potest cognosci; juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata.* Matth. xix. 17. Et iterum: *Hoc fac, & vives.* Luc. x. 28. Et ideò doctrina talium pertinet ad Fidem, sicut etiam universa in sacro Canone Bibliæ contenta: & omne dogma illis adversum, non solùm est falsum, sed damnabile, & hæreticum.

Quibus præsuppositis, subjungo Conclusionem, cui fideliter & firmiter adhereo, quæ talis est: Doctrina prædictarum Assertionum falsa est, & erronea in Fide, & moribus.

Probatur ista Conclusio, tùm ex condemnatione illius Propositionis: *Quilibet tyrannus* &c. quæ continetur in istis Assertionibus virtualiter; & plures addunt sex circumstantias aggravantes, sicut ampliùs declaratur in Cedula Reverendissimi Patris, Cardinalis Cameracensis, & meis suppositionibus: tùm quia doctrina hæc est contra duo Præcepta Decalogi.

* *Forsan* quàm. † *Forsan* nudè. ‡ *Forsan* proponitur.

Videlicet.

Contra illud: *Non occides.* Et illud: *Non perjurabis*: ubi omne juramentum jubetur observari, quod non vergit in detrimentum animæ. Et contra illud: Exod. xxi. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Et contra illud: xxiii. *quæst.* v. Cap. *Non occides*, quod sumitur ab Augustino, Libro, *De Civitate*, ubi dicitur: *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel Spiritus sanctus, Justitia Deus, specialiter jubet occidi: quisquis hominem, vel seipsum, aut quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.* Et xxiii. *quæst.* ix. C. *Quicumque*: quod sumitur ab eodem Augustino, eodem Libro, ubi dicitur: *Quisquis sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemcumque criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit; velut homicida judicabitur, & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.* Et ad hoc est sanctus Thomas. *Secunda Secundæ, quæst.* lxiv. *Artic.* iii. ubi quærens: *Utrùm liceat personæ privatæ hominem peccatorem occidere?* Determinat expressè, quòd *Ad illum solùm pertinet occidere, cui committitur cura Communitatis servandæ, scilicet Principi, sive Judici, sicut ad Medicum pertinet membrum putridum abscindere, quando ei commissa sit cura salutis totius corporis.* Et allegat Augustinum, ubi supra. Videatur ibi, & eodem Articulo, in solutione tertiæ Veritatis.

Item. Idem Doctor sanctus Thomas, in suo *De Regimine Principum, ad Regem Cypri.* Ubi post multa ait: *Videtur enim contra tyrannorum sævitiam, non privata præsumptione aliquorum, sed authoritate publica procedendum.* Quod declarat ad longum ibidem. *Quibusdam*, inquit, *visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere.* Ut declarat per exemplum; *Sed hoc*, inquit, *regulæ Apostolicæ non congruit.* Et ad idem est Dominus Alexander de Halis, *tertio Libro*, quæst. illa: *Utrùm qui non habet potestatem, universaliter prohibeatur maleficum occidere*: in solutione secundæ rationis. Et Petrus de Tarentasia, *in scripto super Sententias.* Frater Augustinus de Ancona, *in Summa*, quam fecit *De Potestate Ecclesiastica.* Et Sarisberiensis, in suo *Policraticon, Lib.* viii. *Cap.* x. *Quantùm ad tyrannum, cum quo factum est fidelitatis juramentum*, Ubi loquitur de interfectione plurium tyrannorum; & circa finem dicit: *Hoc cavendum docent Historiæ, ne quis illius moliatur interitum, cui fidei, aut sacramenti religione tenetur astrictus.* Declarat hæc de Sedechia, qui fuit punitus graviter à Domino, quia non servavit fidem Nabuchodonosor, qui tamen erat tyrannus pessimus, usurpans Dominium super populum Dei, gravissimèque affligens ipsum, quorum recitare * dicta, & rationes condendi Decretalem illam. *Pro humani. De homicidio: Libro sexto*, edictam in Generali Concilio Lugdunensi.

Ex quibus omnibus infero Conclusionem responsalem ad quæsitum, in forma, videlicet: *Istæ novem Assertiones prædictæ, Judicio Fidei sunt reprobandæ, & damnandæ.* Patet ex dictis: quia sunt erroneæ in Fide & moribus; ex quo sequitur consequenter, quòd benè sunt qualificatæ, in forma in qua sunt judicialiter exhibitæ. Probato namque quòd sunt erroneæ in Fide & moribus, attenta materia de qua sunt; sequitur quòd etiam sunt multipliciter scandalosæ, ac Regiæ Majestati, ac Legibus divinæ, naturali, & humanæ injuriosæ. Quapropter concludendum est certissimè, quòd hæc doctrina pestifera, & hæretica, est conformiter ad deliberationem præfati Domini Cardinalis Cameracensis, & quælibet dictarum Assertionum, catholicè condemnanda, in forma eis subscripta, vobis Reverendissimis Patribus judicialiter exhibita: & necessitatem condemnationis ipsarum probat materia, de qua sunt, scilicet de agibilibus humanis, quæ quotidiè in usum veniunt, & Præceptis moralibus Decalogi.

Item. Patens earum deffensio, ex qua in animis generata est de earum veritate, vel probabilitate credulitas, vel opinio.

Item. Scandala generata ex eis, &, si non occursum fuerit, generanda; & quia sunt Judicio Fidei exposita, si non damnarentur, approbare viderentur;

* *Hic aliquid desideratur.*

tur; juxta illud: *Error, cui non resistitur, approbatur.* Quod potissimè verum est de Judicibus, & ceteris, ad quos spectat judicialis erroris reprobatio. Et attendatur dictum Gregorii, dicentis: *Quòd si de veritate scandalum nascitur, utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas doctrinæ relinquatur.*

Vobis ergo Reverendissimis Patribus, cum correctione, Fidem meam, & credulitatem firmam, super exhibitis novem Assertionibus, pueriliter, sed fideliter aperio: quam tamen Fidem meam in hoc, & in ceteris, determinationi sanctæ Matris Ecclesiæ, & hujus sacri Concilii Generalis reverenter, & obedienter submitto. Cedulam hanc meam deliberationis meæ, aliena manu scriptam, meâ, pro testimonio, signavi. Die Jovis, Mensis Decembris. Anno Domini 1415.

SEXTA DELIBERATIO, SEU CEDULA *Partis Negativæ*.*

EGo &c. & sacræ Theologiæ Professor minimus; ad quæstionem, quâ quæritur: Utrùm novem Assertiones Judicio Fidei sint reprobandæ: secundùm conscientiam meam, respondeo breviter per tres Conclusiones, quas pia mihi, in parte hac, ut spero, dictat conscientia; quas etiam à nullo alio unquam Magistrorum audivi, aut vidi: sicque easdem, absque sinistræ suspicionis scrupulo, pono, salvo semper judicio saniori, & omni pertinacia seclusa.

* *Legendum* Affirmativæ.

CONCLUSIO PRIMA, *Quòd istæ Assertiones respiciunt Fidem Catholicam.*

HÆ novem Assertiones, de quibus est quæstio, directè respiciunt Fidem Catholicam, & Scripturam sacram. Patet Conclusio: quia illæ Assertiones, & præsertim prima, & septima, videntur saltare uno pede, & fundantur in opposito Præceptorum Decalogi: *Non occides*, quod secundùm sanctos, & Doctores intelligitur, *absque authoritate judiciaria* &c. & Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam* &c. quæ duo Præcepta prædicta intelligenda sunt ad intentionem principalis Legislatoris Spiritus sancti, & sanctorum Doctorum, in quibus, & per quos idem justissimus Legislator locutus est. Et quia, secundùm Philosophos, & Theologos, oppositorum eadem est disciplina: ideò, sicut illa Propositio, *Illicitum, seu non licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Precepto, occidere quemcumque tyrannum* &c. pertinet ad Fidem Catholicam, & Scripturam sacram, scilicet ad illud Dominicum Præceptum, Exod. XX. *Non occides*: ita ejus contradictoria, scilicet prima Assertio, quæ aliis sequentibus venenum porrigit, scilicet illa, *Licitum est unicuique subdito* &c. respicit Fidem Catholicam, & Scripturam sacram, *Exod.* XX. 13. & *Matth.* V. 21. positam, scilicet, *Non occides.* Et sicut dictum est de prima Assertione; ita dici potest de sex sequentibus: quoniam, ut dictum est, uno fundantur pede, scilicet, in opposito Præcepti Decalogi. Alias probationes claras, & evidentes omitto, pro præsenti, causâ brevitatis.

De octava autem Assertione, notum est quòd pertineat ad Scripturam sacram; quia ad textum Apostoli, dicentis: *Littera occidit.*

De nona verò Assertione; iterùm satis evidens est, quia pertinet ad illud Domini Præceptum: *Non perjurabis*: quo Præcepto, omnia juramenta licita, non vergentia in detrimentum animarum, præcipiuntur observari; cujus oppositum dicit Assertio nona.

A

CORRELARIUM: *Quòd non sint opinabiles, seu probabiles.*

EX quibus sequitur, quòd prædictæ novem Assertiones non sunt probabiles, aut opinabiles: quia ex quo directè pertinent ad Fidem Catholicam, & Scripturam sacram; & sunt opposita Præceptorum Decalogi, quæ mores, & vitam cujuslibet hominis usum rationis habentis regulare debent; sequitur quòd non cadant sub opinione. Nam quanta est distantia inter Fidem, & opinionem, nemo sapiens Theologus ignorat. Et dato quòd essent opinabiles: nihilominùs ipsæ meritò essent repudiandæ tanquàm scandalosæ; quia ministrant occasionem ad nefanda homicidia, ad fraudes, ad mendacia, ad perjuria, ad seditiones. Igitur sunt scandalosæ; ut patet ex diffinitione scandali.

B

Scandalum enim; est *Dictum, vel factum minùs rectum, præbens occasionem ruinæ, seu delinquendi.* Et ideò nullo modo sunt ad praxim ponendæ: quia ex solis opinabilibus, incertisque, formidinem de opposito continentibus, nemo debet procedere ad certam hominis mortem, ad perjuria, mendacia, ad seditiones, & insidias, & ad alia perhorrenda scandala.

CONCLUSIO SECUNDA.

POno, sub protestatione communi in Actibus Scolasticis, & Theologicis fieri consueta: Hæ novem Assertiones, de quibus est quæstio, quantùm ad sensum principalem, & usitatum, quem verba faciunt, sunt falsæ, & erroneæ: & pertinaciter defensatæ, sunt hæreticæ.

C

Secunda pars hujus Conclusionis nota citò, ex diffinitione hæresis, vel hæretici, dummodò prima pars ejusdem Conclusionis, probabitur † ergo Conclusio ista, quoad primam partem. Probatur ista Conclusio, authoritate hujus sacri Concilii Constantiensis; quod si non formaliter, & in propria forma; tamen virtualiter, & in effectu, primas septem Assertiones in Sessione publica, sexta die Julii facta, solemniter condemnavit. Cui condemnationi Ecclesiasticæ, & determinationi pertinaciter contradicere, quid aliud esset, quàm hæresis? Affirmata Assertio namque tunc damnata, has septem Assertiones includens virtualiter, est hæc: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè*, per quemcumque vassallum suum, vel subditum, etiam per insidias, blanditias, vel adulationes; non obstante quocumque juramenta, seu confœderatione factis cum eo; non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujuscumque* &c.

D

Rogo, ponderentur singula verba hujus condemnatæ Assertionis, & evidenter apparebit veritas hujus secundæ Conclusionis, quoad primas septem Assertiones, si verba harum novem Assertionum cum verbis prædictæ condemnatæ Assertionis comparentur, & sigillatim, ut prædixi, æquali lance trutinentur. Et quod plus est; supra malitias in ipsa condem-

† *Hic aliquid desideratur.* * *Videtur addendum* occidi.

demnata Assertione insertas; istæ novem novas quasdam malitias superaddunt.

Secunda namque Assertio superaddit iniquitatem super iniquitatem, quòd istæ tres Leges, videlicet naturalis, moralis, & divina, authorisent tam detestabile homicidium.

Tertia, & quarta Assertiones, supra dolorem vulnerum priorum, addunt improvidam, & rusticalem interficiendi turpitudinem; dùm dicunt, quòd *talis* A *sit mors propria tyrannorum, scilicet, occidi villanè*; Hoc ergo ego intell. *, id est, sine diffidatione improvidè, & insidiosè.

Quinta, sexta, & septima Assertiones, prioribus plagis livorem virulentum adjiciunt, maximam videlicet injuriam Regiæ Majestati; quinta enim asserit, quòd Rex *tale homicidium debeat acceptare, & authorisare*.

Sexta adjungit, quòd Rex debeat hujusmodi homicidium remunerare, *amore, honore & divitiis*.

Septima execrabilis, annectit quòd *Rex talem homicidam debeat plùs amare, quàm priùs; & debet facere publicari, & prædicari tale homicidium tamquàm fidele, seu fidelitatem, in Regno suo, & extra Regnum*. Et sic hæ tres Assertiones, quinta, sexta, & septima, suadent Regiæ Majestati, ut laudet peccatorem in desideriis animæ suæ, & iniquum benedicat. Quanta autem hæc sit injuria Regiæ Majestati, quilibet utens ratione perpendere potest. B

Octava autem Assertio superaddit venenum aspidum insanabile, videlicet quòd *Sensus litteralis sacræ Scripturæ occidit animam*. Cùm utique, secundùm Augustinum, in sensu litterali sacræ Scripturæ fundentur omnes Argumentationes in Theologia; & si in unico passu Scriptura sacra haberet sensum litteralem falsum, & occidentem animam ipsam, utique tota redderetur suspecta meritò. Undè ampliùs non dicit; sensus litteralis *occidit*; sed notanter dicit: *Littera occidit*. Littera, id est sensus grammaticalis quem termini in textu positi videntur importare, sæpiùs est falsa, seu falsus, & occidit animam: sicut ibi; *Nemo mittens manum ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est Regno cœlorum*: Luc. IX. 62. Si enim littera, id est sensus grammaticalis, quem hæc verba, prima fronte, videntur sonare, verificaretur; tunc pauperes rustici arantes essent in periculo maximo animarum: sensus enim litteralis sacræ Scripturæ, quem Author C Spiritus sanctus principaliter intendit, nunquàm est falsus, nec alicubi patitur calumniam. Qui ergò errare vult, in sacra Scriptura ponere debet differentiam inter litteram, & sensum litteralem, ut jam dictum est.

Nona verò Assertio, hanc superaddit malitiam, quòd *Nullus jurans, teneatur servare juramentum, si sit in suum prejudicium, vel uxoris suæ, vel suorum liberorum*. Propter hoc namque quod Rex Sedechias non servavit pactum initum, & juramento firmatum cum Rege Babylonis tyranno impiissimo, captivatus est crudeliter, & lumine oculorum privatus; quia Deum, cui juratur, præ oculis non habuit, ut dicunt expositiones, *Quarto Regum, ultimo*. D

Ex illa igitur Ecclesiastica condemnatione facta per hanc Synodum sanctam Constantiensem, patet veritas hujus Conclusionis; quâ scilicet sacra Synodus istam pestiferam doctrinam decrevit, & diffinivit esse erroneam in Fide, & moribus: &, ut patet ex Decreto tunc in prædicta Sessione pronunciato, eamdem doctrinam, *tanquam hæreticam, scandalosam, seditiosam, & ad fraudes, seditiones, mendacia, deceptiones & perjuria vias dantem*, reprobavit, & condemnavit. Et si nulla alia esset authoritas evidens, & notoria, sufficeret, ad Conclusionis hujus veritatem, authoritas hujus sacri Concilii.

Pro veritate etiam hujus Conclusionis multùm facit, quòd Salvator noster tàm sollicitè, tàmque seriosè prohibet homicidium, Matth. v. 22. Nam si *Irascens fratri suo, reus erit Judicio; & qui dixerit fratri, racha, reus erit Consilio; & qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Quid de illo erit, qui nedùm *irascitur*, aut *racha*, aut *fatue* dixerit; sed insidiosè, dolosè, & nequissimè occiderit fratrem suum authoritate privata?

Idem, secundùm Alexandrum de Halis, in Summa sua, Libro tertio, circa materiam Decalogi. „Ad interficiendum, secundùm Legem, tria requiruntur, scilicet justa causa, justus ordo, & justus „animus. Primò inquam, requiritur justa causa; „ut si reus meruerit occidi. Secundò, requiritur justus ordo; scilicet, ut occidens habeat potestatem, & reus convictus sit de crimine. Tertiò, requiritur justus animus; scilicet ut fiat solo amore justitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ.„ Constat autem, quòd non quilibet habet potestatem judiciariam super quemcumque tyrannum. Igitur Assertiones falsæ, & temerariæ.

Et iterùm: quia ex primo *Physicorum*. Tunc unumquemque scire arbitrantur *, cùm causas ejus cognoscimus.

Sunt autem quatuor causæ cujuslibet effectus legitimè producti: ideò causa efficiens homicidii, scilicet homo legitimè occidens, vel legitimè occidere faciens, secundùm Apostolum, *ad Romanos* XIII. debet habere causam formalem; id est, debet esse Judex, vel Prælatus, & sic Minister Dei.

Secundò. Debet habere causam materialem; & hoc in persona, de qua fit vindicta, scilicet peccatum, seu culpam.

Tertiò. Debet ibi esse finis debitus; quia talis vindicta, seu punitio, debet fieri amore Justitiæ, & conservationis Reipublicæ, & absque odio, & appetitu propriæ vindictæ: & hoc tangit Apostolus, ubi supra: *Non sine causa gladium portat*. Rom. XIII. 4. Ecce finis. *Dei enim Minister est*: Ecce ordinata potestas, quæ est causa formalis. *Vindex in iram, ei qui malè facit*: Ecce demeritum, seu culpa, quæ supplet vicem causæ materialis.

Nec valent cavillationes, quæ fortè fieri possent per adversarios, de casu inevitabilis necessitatis; quia casum talem prædictæ novem Assertiones non includunt: sed si singula verba Assertionum, & præsertim primæ pensentur, evidenter excludunt; quia in prima Assertione ponitur verbum hoc: *machinatur*, quod dicit morosam, & non subitam, occultam, & non manifestam actionem; per quam, videlicet prolixam, & occultam actionem, excluditur manifestè casus inevitabilis necessitatis. Ponderentur nihilominùs cetera verba primæ Assertionis, & ceterarum; & invenietur casus inevitabilis necessitatis taliter exclusus. Non enim dicitur in prima Assertione, quòd *talis tyrannus machinatur in mortem*; sed *in salutem corporalem Domini sui*. Et non dicit, *pro auferendo sibi Dominationem suam*: sed dicit: *pro auferendo sibi vitam*. Ergo pensentur verba omnium Assertionum.

* *Forsan* arbitramur.

CONCLUSIO TERTIA.

Hæ novem Assertiones, de quibus quæritur, Judicio Fidei sunt condemnandæ.

Ista Conclusio sequitur directè ex præmissis duabus præcedentibus; quia hæ novem Assertiones pertinent ad Fidem Catholicam, & Scripturam sacram, ut dicit Conclusio prima: & ipsæ sunt erroneæ, & hæreti-

* *Locus corruptus; forsan* intelligo.

ticæ, ut dicit Conclusio prima: & ipsæ sunt erroneæ, & hæreticæ, ut dicit Conclusio secunda. Et quia omnes hæreses sunt Judicio Fidei reprobandæ; sequitur, quòd hæc Conclusio sit vera.

Et iterùm: quia hæc sacra Synodus Constantiensis damnavit hanc pestiferam doctrinam, seu Conclusionem: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque* &c. Igitur, à fortiori, hoc sacrum Concilium debet has novem Assertiones, quæ non pauciores, imò plures, & majores continent errores, judicialiter condemnare: quòd si non fecerit, quod absit, à multis pateretur calumniam, quia *Error, cui non resistitur, approbatur.* Expositione enim quadam facta in loco Sessionis, multi simplices horribiliter sunt scandalisati, dicentes, quòd in Generali Concilio Constantiensi determinatum sit, per quemdam Episcopum, quòd licebat cuilibet homini, etiam Sacerdoti, & Religioso, quemcumque tyrannum interficere: multi tamen ex eisdem simplicibus, dixerunt se, per nullum modum posse credere dictis ejusdem Episcopi, & in hoc etiam parati essent mori.

Hæc ergo * audivi, securus hîc scripsi.

Ne igitur scintilla in magnam flammam, & voraginem; & parvus rivulus in flumen crescat magnum, obviandum est Assertionibus prædictis per hoc sacrum Concilium Generale, pro toto posse.

Et ne quis autumet, hunc esse Libellum famosum; ecce contestor Deum verum, justum Christum, & hunc Crucifixum, corda scrutantem, & renes; quia non livore rancoris, aut invidiæ, hæc scripserim, alicui parti applaudens; sed meram Dei veritatem zelans: & ne Cedula vadat in codicem, cartula quoque brevis in volumen abeat; ecce brevitatis amica compendiositatis † calamum prolixiùsve affectantem coget conquiescere.

Scripta per me &c. manu propria, sub correctione judicii melioris.

* *Videtur addendum* quæ. † *Forsan legendum* compendiositas calamum prolixiùs ire.

SEPTIMA DELIBERATIO,

SEU

CEDULA

pro parte Negativa. *

EGo &c. Theologiæ Professor, respondeo per infra scriptas Conclusiones.

Primò, præmitto illam suppositionem, quòd error in Fide, est error qui fit contra Fidem; quæ Fides in sacra Scriptura vel expressè ponitur, vel ex ea sequitur.

Conclusio Prima.

Quamvis Lex divina modificativè impunè licentiat hominem interfici; tamen passim, & indifferenter hominem interficiens † obnoxium esse criminis cùm decrevit.

Prima pars primò patet in generali, per illud Exod. XXII. 18. *Maleficos non patieris vivere.*

Secundò. Patet in speciali: aut quia Mandatum habet à Deo immediatè; ut Moyses, qui interfecit Ægyptium. *Exod.* II. & *Act.* VII. Et Phinées interfecit Zimbri. *Numeri.* XXV. qui habuit Præceptum à Deo, & à Moyse mediatè. Aut quia habet authoritatem interficiendi; ut Joyadas, qui interfecit Athaliam. *Quarto Regum.* XI. Aut quia est hostis publicus, & diffidatus; ut Ajoth, qui occidit Eglon. *Judicum.* III. Et Joab Absalon. 2. *Regum.* C. XIII. Et Samuel Agag. I. *Reg.* XV. Aut quia fit occulta Dei inspiratione: & sic Samson excusatur, secundùm Augustinum, qui se interfecit cum hostibus. Et, secundùm Hieronymum, Jephte revertens de victoria, propriam filiam occurrentem occidit. *Judicum.* XI.

Secunda pars principalis Conclusionis probatur A tripliciter.

Primò. Per authoritates Bibliæ.

Secundò. Per sanctos Doctores.

Tertio. Per exempla.

Nam *Geneseos* IX. 6. Dicitur, *Quicumque fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.* Item. *Genes.* IV. 10. dicit Dominus ad Cain occidentem Abel: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Et sequitur, XIV. 15. *Ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra, omnis qui inveniet me, occidet me.* Deus dixit ei: *Nequaquàm ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain, punietur septuplum.*

Item. Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam* &c. Matth. XXVI. 52. *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt;* Igitur &c. Patet item per glosam, Exod. XI. *Cùm minister Judicis occidit eum, quem Judex occidi præcepit, homicida non est: sed si id spontè faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem* B *sciat à Judice occidi debuisse.* Et habetur in *Canone* XXIII. *q.* V. *Cùm minister.*

Per exempla patet. Primò de Lamech, qui occidit Cain, etiam malum; tamen inde punitus est. *Genes.* IV. 24. 25. Ubi dicitur: *Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum; quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum, septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech verò septuagies septies.*

Item. Patet de Simone, & Levi, qui occiderunt Sichimitas, & inde maledictionem Patris incurrerunt. *Genes.* XXXIV.

C *Conclusio Secunda.*

Error est in Fide, & moribus, & multipliciter erronea, & scandalum est, asserere quòd licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato &c. *ut dicit prima Assertio.*

Illa Conclusio habet tres partes. Pro prima parte patet: quia est contra Scripturam sacram; puta contra illam *Exod.* XX. *Non occides*: & hoc loquendo de occisione hominis insontis, & quæ fit authoritate privata, & voluntariè. Igitur &c. Consequentiam tenet per suppositionem. Si autem quis diceret, quòd sub tali Præcepto, *Non occides*, non includatur tyrannus: contra. Aut hoc esset propter scelerum gravitatem; aut quia licentiatur à Jure. Non primum; quia idolatria est pejor aliis, & idolatra peccat directè contra melius bonum, quia D contra Deum. Igitur &c. Consequentiam tenet, IX. *Ethicorum*, ubi dicitur: *Qui fingit se amicum, est pejor quàm qui facit falsam monetam.* Ubi Expositores eliciunt, quòd de quanta malitia est circa melius, de tanto est pejor.

Nota secundum; quia nullibi Jus licentiat eum, imò prohibet; eo quòd Lex prohibet omne malum, & præcipit omne bonum V. *Ethicorum.* Sed taliter occidere, est malum: quia contra Præceptum Dei, scilicet: *Non occides* &c.

Item. Ad idem arguitur: Saül fuit magnus tyrannus, & tamen David sanctus noluit eum interficere; sed hodie est licitum. Consequentia tenet, eo quòd

* *Legendum* Affirmativa. † *Forsan legendum* tamen... interficientem... decrevit, *delendo* cùm.

quòd *Meliores semper oportet nos imitari*. ix. Ethicorum. Et *Omnia quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Rom. xv. 4. Major patet: *primo Regum*. Minor, 1. *Reg*. xxvi. 23. Ubi dicitur in persona David; *Tradidit enim Dominus te hodiè in manum meam, sed non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est*. Et xxiv. 11.

Item. Ibidem dicitur: xxvi. 8. *Dixit Abisai ad David; Conclusit Deus hodiè inimicum tuum in manus tuas, nunc ergo perfodiam eum lanceâ in terra semel, & secundò opus non erit. Et dixit David ad Abisai. Non interficies eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?*

Item. Primo Regum. xxiv. 5. 6. 7. *Surrexit David, & præscidit oram chlamidis Saül silenter. Post hoc percussit cor suum David, eo quòd abscidisset oram chlamidis Saül. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Dominus est*. 1. Reg. xxvi. 10. 11. *Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi Dominus, ut non mittam manum meam in Christum Domini*. 1. Reg. xxiv. 8. *Et confregit David viros suos sermonibus istis, & non permisit eis, ut consurgerent in Saül.*

Item. *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. ut dicit Eustachius, super primo *Ethicorum*. Sed occidere hominem, est de se malum, in casu præsenti. Igitur non debet fieri ad tuendam salutem corporalem Regis sui, ad conservandam Rempublicam.

Pro secunda parte, probatur Conclusio. Contra bonos mores est, cum illo incipere bellum, cum quo quis semper familiariter vixerit, & familiaritatem exercuerit. Sed multi tyranni cum certis subditis Dominorum superiorum familiariter vixerunt, & vivunt, & hoc in licitis, & honestis: sed per interfectionem eorumdem tyrannorum maximum bellum committitur, & despectus. Igitur, ad minus, talibus subditis Regis non est licitum tales tyrannos occidere.

Pro prima parte Major patet, per Tullium, in Libro, *de Amicitia*, dicentem: *Nihil est turpius, quàm cum illo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris*. Sed pro secunda parte probatur per Philosophum. iv. *Ethicorum*, dicentem; *Servile est, familiarem despicere*. Sed quis posset esse major despectus, quàm non curare de salute corporali alicujus? eo quòd *injuria est species vilipensionis*. ii. Ethicorum. Sed Minor patet ad sensum.

Item. Contra bonos mores est, non velle bonum benefactori suo, gratiâ ipsius. Sed multi tyranni sunt benefactores ceterorum subditorum suorum Dominorum. Igitur illis non est licitum talem tyrannum benefacientem eis occidere. Major patet: eo quòd *Secundùm bonos mores, re familiari*, ei oportet qui benè fecit*. v. Ethicorum. *Justum est ei gratiam facere*. Primo Rethoricorum. Et *Quilibet passus beneficium, tenetur diligere suum benefactorem*. ix. Ethicorum. Sed *diligere*. *est velle alicui bonum, gratiâ ipsius*. ii. Rethoricorum. Sed *Non est bonum alicui velle, sibi mortem properando, quæ est omnium terribilissimum*. iii. Ethicorum. In tantum, quod *Omne animal salutem tueri laborat; & mortem, & pernitiem prorsùs evitat*. In *de Consolatione Philosophiæ*, agitur.

Pro tertia parte probatur. Quia per hoc daretur facilis occasio vassallis & subditis, ad invadendum Dominos eorum, & ad machinandum in eorum salutem corporalem, & ad rebellandum eisdem. Patet: eo quòd *Sensus, & cogitatio humani cordis, prona sunt in malum ab adolescentia sua*. Gen. viii. 21. Et, secundùm Philosophum, secundo Topicorum. *Homines, ut in pluribus, sunt mali; & in paucioribus, boni*. Et hinc est quod dicitur, ii. *Rethoricorum*, quod *Plura eorum, quæ fiunt, sunt mala, quia multa veniunt in deterius*. Sed hæc sunt multa mala, quia contra ordinationem Dei, eo quòd *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit*. Ad Rom. xiii. 2, quæ tamen *ordinatio Dei, semper est bona*, ut ait Boëtius, *in Libro, De hebdomadibus*, in hæc verba; *Deus bonus est, omnia quæ egrediuntur ab eo sunt bona*. Et est contra Philosophum. ii. Rethoricorum. *Non enim nocet peccatum Medici, sicut non obedire Principi.*

* *Locus corruptus, forsan* refamulari.

Conclusio Tertia.

Erroneum est dicere, & contra Fidem, quòd sensus litteralis non sit verus aliquando, & non semper tenendus.

Pro probatione præsoppono, secundùm Doctores communiter loquentes de sensu litterali, quòd *Sensus litteralis uniuscujuscumque locutionis, est ille sensus quem principaliter, & de directo ipse loquens intendit*. Undè Lyra, in primo Prologo *suæ Postillæ, super Bibliam*, dicit quòd *Sensus litteralis sacræ Scripturæ; est sensus, qui concluditur ex circumstantia litteræ esse primarius, & principalis intellectus ejus.*

Tunc probatur sic Conclusio: Sensus litteralis uniuscujuscumque locutionis, est ille sensus, quem principaliter, & de directo ipse loquens intendit; sed dicere, quòd non sensus litteralis est verus, & tenendus; est idem, quòd dicere, quòd non semper est capienda intentio loquentis. Sed cùm Spiritus sanctus est ille, qui in sacra Scriptura loquitur, juxta illud, 2. Petri 1. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei omnes, aut homines*. Et per consequens, est idem dicere, quòd non semper est capienda intentio Spiritus sancti, cùm ipse sit *via, & veritas*, Joan. xiv. 6. Et ob hoc dicit Scriptura: *Non contradicas verbo veritatis ullo modo*. Eccli. iv. 30.

Confirmatur Conclusio per Beatum Augustinum, dicentem: quod *Sensus litteralis semper est verus; sic quòd non est efficax argumentum, nisi in sensu litterali fundatum.*

Correlariè sequitur, quòd octava Assertio est Judicio Fidei reprobanda; quia error in Fide, ut dicit Conclusio. Igitur consequentia tenet de se. Patet: etiam ex quid nominis præsupponitur, & non probatur in omni scientia, ut dicit Philosophus. *primo Posteriorum.*

Conclusio Quarta.

Quodlibet juramentum, promissum, pactum honestum, vel honesta, sponte emissum, vel factum, seu emissa, est servandum, seu servanda. Patet multipliciter.

Primò per illud Exod. xx. 7. *Non assumes Nomen Dei tui in vanum*, Item. per illud Matthæi, v. 33. *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua*; Item. Per illud Psalmi, lxxxviii. 35. *Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.*

Secundò. Hoc fundet Lex naturalis illa, de qua loquitur Matth. vii. 12. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Sed quilibet compos rationis existens, vellet sibi promissa servari, Igitur &c.

Ter-

Tertiò. Ad hoc movere debent exempla, tàm virorum Sanctorum fidelium, quàm aliorum.

Primò. Illud, 1. *Reg.* XXX. De David, qui juravit puero Ægyptio servo Amalechitæ, quòd non occideret eum, nec traderet eum in manus Domini sui, si ostenderet ei adversarios; & id adimplevit.

Item. Illud, *Judic.* I. 23, 24, 25. De domo Joseph dicitur, quòd *Cùm obsiderent urbem, quæ prius vocabatur Luza, viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum misericordiam. Qui cùm ostendisset, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, & omnem cognationem ejus dimiserunt.* A

Item. Illud, *Josue* II. De Raab meretrice, cui exploratores missi à Josue juraverunt per Dominum Deum, sibi facere misericordiam, & domui Patris sui; quod & impletum fuit.

Quartò. Ad hoc incitare debent pœnæ violatoribus talium inflictæ, & infligendæ.

Patet primò de Joab, qui occisus fuit per Salomonem, eo quòd occidit Abner filium Ner, tempore pacis. 2. *Reg.* III.

Item. Patet de Sedechia, qui fregit pactum factum cum Rege Babylonis, quamvis perversissimo; tamen indè punitus est.

Item. Ut refert Tullius, in Libro, *De Officiis*, quòd consuetudo Romanorum fuit, quòd si quis non servasset juramentum suum præstitum hostibus, quòd mittebatur ligatus, & captivus ad eos. B

Quintò. Ad hoc provocare debent violatores prædictorum, qui, ut in pluribus, perversissimi fuerunt. Patet hoc, 1. *Macch.* VI. De Rege Antiocho, qui juravit existentibus in * Bithinia: *Et juravit illis Rex, & Principes ejus.* Et ibidem sequitur: *Et exierunt de munitione. Et intravit montem Sion, & vidit munitionem loci: & rupit citiùs juramentum, quod juravit,* 1. Macch. VI. 61, 62.

Item. Patet: 1. *Macch.* De Alcimo Sacerdote, ubi dicitur sic: *Et convenerunt ad Alcimum, & Bacchidem congregatio Scribarum, requirere quæ justa sunt* &c. *Et locutus est Alcimus Sacerdos cum eis verba pacifica, & juravit illis dicens: Non inferemus vobis malum, neque amicis vestris. Et crediderunt ei.* Et sequitur ibidem: *Et comprehendit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in una die.* 1. Macch. VII. 12, 15, 16. C

* *Legendum* in Jerusalem.

Objectio.

Et si diceretur: Juramentum quod vergit in deteriorem exitum, hoc non est obligatorium, sed servandum: sed sic est in casu nonæ Assertionis.

Responsio.

Respondeo: Negando, sicut verba sonant; & simpliciter intelligendo, sine restrictione: quia *Omne juramentum honestum* &c. ut supra: *si potest teneri, sine interitu salutis æternæ, est servandum,* ut tota in C. *Si vero,* II. *De jurejur.*

Ulteriùs est notandum, secundùm Raymundum, *in Summa sua.* Tit. *De jure, & pro* .... quòd *Juramentum vergit in deteriorem exitum, sex modis.* D

„Primò. Cùm juratur aliquid, quod est mortale in se.

„Secundò. Cùm juratur aliquid, quod est veniale in se.

„Tertiò. Cùm juratur indifferens aliquid, quod „est ex circumstantia, & efficitur veniale, vel mortale.

„Quartò. Cùm juramentum excludit opus pietatis ex charitate faciendi: quando jurat aliquis, „quòd nihil dabit isti ex charitate: vel quod non „colet Deum.

„Quintò. Cùm juramentum excludit opus de genere bonorum; & cùm quis jurat, quòd nunquàm erit Episcopus, Monachus, vel Canonicus; „vel quòd non jejunabit pro Deo; vel pro peccatis suis, in pane, & aqua, ut præcipitur ei; vel „quòd non dicet Psalterium, vel septem Psalmos; „vel quòd non juvabit istum in licitis, & honestis, „usque ad certum tempus.

„Sextò. Cùm juramentum excludit opus indifferens, pia intentione, pro Deo, aut proximo „faciendum: ut si quis juret, quòd non loquatur „Martino; vel non intrabit domum ejus; vel quòd „non coquet ad furnum ejus; vel quòd non molet ad molendinum; vel quòd talia non faciet ei; „vel quòd non vendet rem pro minori pretio, quàm „tali.„

Nunc dicit Raymundus ibidem: „In tribus primis modis credo, quòd possit quilibet hîc jurans, „authoritate propria, venire contra: sed imponenda „est ei pœnitentia, pro temerario juramento.

„In reliquis tribus, quamvis hujusmodi juramenta non sint obligatoria, nec imponenda sit pœnitentia, pro transgressione eorum, tanquàm pro mortalibus: non expedit tamen, authoritate propria, „contravenire; nisi * propter ingentem necessitatem „sacramenti, quàm propter scandalum simplicium, „qui reputant sic incurri perjurium; & ideò incurrunt „in facilitatem labendi in perjurium, & detractionem: undè petenda est absolutio à Superiori, qui „hujusmodi juramentum debet facilè relaxare, vel „potiùs ostendere sic jurantes non fuisse obligatos; & imponere pœnitentiam de temerario juramento.„ Ex illis iterum patet quid sit dicendum ad instantiam, seu potiùs, ad excusationem in peccatis.

Correlariè sequitur primò, quòd nona Assertio est Judicio Fidei reprobanda. Patet: quia est contra Scripturam sacram, ut patet ex probationibus Conclusionis.

Correlariè sequitur secundò, ex tota positione, quòd prædictæ novem Assertiones sunt Judicio Fidei reprobandæ.

Hæc sint dicta, salva semper aliorum supportatione, & directione, & correctione.

* *Forsan legendum* tàm.

Octava Deliberatio, seu Cedula Partis *Affirmativæ.*

Protestationibus duabus præmissis, &c. quarum prima est ista: Quòd ea quæ sequuntur, non intendo ponere, dicere, vel asserere in præjudicium honoris, aut famæ cujuscumque personæ mortuæ, sive viventis.

Secunda: Quòd ea quæ sequuntur submitto determinationi Universalis Ecclesiæ; seu Concilii Generalis.

His præmissis, dico quòd secundùm Deum, & conscientiam, mihi videtur quòd prædictæ novem Assertiones, in sensu quem faciunt, & quo fiunt, sunt Judicio Fidei reprobandæ, & dignæ Judicio Fidei reprobari, & condemnari tanquàm falsæ, & erroneæ in Fide, & moribus; ac multipliciter scandalosæ.

Item,

Item. Conclusionem probant rationes, & authoritates Sanctorum, & aliorum Doctorum per Ecclesiam approbatorum; quarum plurimas allegavit Reverendissimus Pater, & Doctor, Cardinalis Cameracensis, in sua Deliberatione, & consiliis, quæ mihi faciunt fidem in hac parte.

Deindè arguitur sic: Quoniam Assertiones sunt expressè contra duo Præcepta Decalogi: *Non occides.* Et, *Non perjurabis.* ut notum est. Sed Præcepta Decalogi immediatè pertinent ad Fidem; quod sic probatur: quòd illa pertinent ad Fidem, quæ sunt à Deo tradita, tanquàm regularia, & ordinativa rationalis creaturæ humanæ, in suum finem ultimum supernaturalem purè creditum, & non cognoscibilem in lumine naturali. Patet hoc cuilibet Theologo, ex principiis Fidei. Sed Præcepta Decalogi, ad intentionem præcipientis, in Veteri, & Novo Testamento tradita sunt hujusmodi, testimonio Salvatoris: *Si vis ad vitam ingredi*, scilicet æternam, *serva Mandata*, Matth. XIX. 17.

Secundò. Arguitur: quia quodlibet Præceptum Decalogi habet unam Propositionem sibi correspondentem, ad Fidem pertinentem: ut quòd non est occidendum, vel furandum; & ita de aliis: ergo data sunt, & revelata, non solùm ad operandum; sed etiam ad credendum, tanquàm *Judicia Domini vera, justificata in semetipsa*, Ps. XVIII. 10.

Item. Illa Propositio: *Quilibet tyrannus* &c. potest & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum &c. fuit per hoc sacrum Concilium Judicio Fidei, tanquàm erronea in Fide, & moribus, & ut hæretica condemnata. Sed illa virtualiter, & in effectu continet Assertiones prædictas, quæ tangunt Fidem, sicut illa, cùm sint de eadem materia, & circa eadem Præcepta, ut notum est: & aliàs non fuisset tanquàm hæretica condemnanda. Ergo doctrina dictarum Assertionum est falsa, pernitiosa, & erronea in Fide, & moribus, ac multipliciter scandalosa.

Et hæc sunt quæ mihi videntur dici, sub protestationibus antè dictis.

Verumtamen, adhuc contra primam Assertionem, in qua dicitur: *Licitum est unicuique subdito* &c. ex qua dependent aliæ, arguitur sic: Quoniam sit Gayus talis tyrannus, sicut ponitur in Assertione, quem tamen Gayum, Titius subditus credit bonum virum, non habens certitudinem de contrario; tunc arguitur sic: *Licitum est cuilibet subdito quemlibet tyrannum, qui* &c. Sed Titius est subditus, & Gayus est tyrannus, de quo sermo, per casum. Ergo illo casu stante, licitum est Titio occidere Gayum; imò laudabile, & meritorium: quod est manifestè falsum; & tamen Consequentia est evidens, & necessaria de se. Consequens enim est manifestè contra omnem Legem, & præsertim subitò occidere hominem non præmonitum, non denunciatum, nec requisitum, præjudicatum, per dolos, insidias, extra casum inevitabilis necessitatis, & absque divina revelatione, & sine publica administratione; sed sola spontanea, & propria authoritate, absque Mandato quocumque: quæ omnia inconvenientia ex dictis Assertionibus expressè deducuntur. Quare mihi videtur ut prius.

NONA DELIBERATIO, SEU CEDULA *Partis Affirmativæ.*

EGo &c. Sacræ Theologiæ Professor &c. Habito respectu solùm ad Assertiones absolutè, ut denunciatæ sunt, sine respectu ad aliquem particularem casum alium quàm ex terminis Assertionum habeatur: & habito respectu ad universam causam Assertionum, quæ est non solùm intentio excusationis cujuslibet voluntarii homicidii talis tyranni, etiam subitò, insidiosè, & sine ordine Juris facti; sed etiam est recommendatio hujusmodi homicidii; ita ut talis occisio laudabilis dici debeat, & præmio digna; & considerato, quòd ex causa jam dicta, istæ
A Assertiones sunt positæ tanquàm Maximæ quædam, & quasi Leges, & Regulæ directivæ actuum humanorum: & ideò, licèt directivæ aliquæ earum, secundùm aliquid, sint indefinitè positæ; tamen ex prædictis causis, sunt censendæ universalibus æquivalere. Et ita, quamvis plures Propositiones Begardorum, *In Clementina. Ad nostrum.* An ipsius Wicleff, & Huss, fuerint indefinitè positæ & potuerint, secundùm rigorem, licitè, in aliquo sensu verificari; sunt tamen damnatæ, tanquàm in ista materia æquivalentes universalibus, & propter intellectum malum quem communiter causant in animis audientium.

Considerato insuper, quòd in prima Assertione hoc complexum *absque omni dubio*, debet haberi pro uno signo plenè distributivo, secundùm vulgarem locutionem, & quemcumque modum loquen-
B di; dicam primò de qualitate Assertionum, & consequenter ad quæstionem principalem, scilicet; An novem Assertiones præscriptæ, sint Judicio Fidei reprobandæ.

Contra primam Assertionem.

Quantùm ad primam Assertionem: de qualitate ipsius; dico primò, quòd est falsa; quia ex ea sequitur, quòd tali tyranno sit licitum seipsum occidere. Patet: subsumendo primò, sub li *subdito.* Talis enim tyrannus est subditus Regis. Igitur licitum est sibi quemlibet tyrannum hujusmodi occidere, aut occidi facere, & ipsemet est talis tyrannus. Igitur licitum erit sibi seipsum occidere, aut occidi facere.

Item. Sequitur ex ea, quòd in casu, quòd licitum sit Sorti occidere hominem, de quo nihil mali
C scit, aut suspicatur, ut pono, quòd Palatinus Rheni sit notoriè tyrannus in suo Dominio, & quòd occultè machinatur in mortem Regis Romanorum: tunc subsumendo primò, sub li *subdito*, & posteà sub li *tyrannum*; sequitur quòd cuilibet Ungaro licitum sit occidere Palatinum Rheni. Consequens falsum, cùm nihil sciat mali de eo, nec eum noscat.

Item. Ponamus, quòd Rex posset per alium modum præservari à periculo, sicut modi multi cogitari possunt, sine interfectione talis tyranni: tunc ex Assertione adhuc sequitur, quòd licitum est unicuique subdito talem tyrannum occidere.

Secundò. Dico, quòd est erronea in Fide, & moribus; quia repugnat sacræ Scripturæ, & Præceptis Divinis moralibus. Quod probatur: Deus præcipit, non occidere hominem voluntariè, sine Mandato Dei, aut hominis habentis authoritatem legi-
D timæ potestatis. Igitur non est licitum sic occidere hominem; quia non est licitum agere contra Dei Præceptum: & ex consequenti igitur non est licitum occidere talem tyrannum, à superiori negato ad inferius: Igitur de primo, ad ultimum Deus præcipit &c. Igitur non est licitum sic occidere talem tyrannum &c. Tunc sic Consequentia est bona: Igitur quisquis repugnat Antecedenti.

Sed prima Assertio repugnat Consequenti; quia ei contradicit. Igitur etiam repugnat Antecedenti, &

& Antecedens est sacra Scriptura: Igitur Assertio prima repugnat sacræ Scripturæ.

Quòd autem Antecedens sit sacra Scriptura; patet, *Exod.* xx. *Deuter.* v. *Matth.* v. & xix. Et patet ex dictis Beati Augustini, in Libro, *De Civitate Dei*, quæ ponuntur. xxiv. *quæst.* v. & xxiv. *quæst* viii.

Dicet aliquis: Quòd Assertio non excludit omne A Mandatum; sed solùm Mandatum explicitum, de occidendo eum: quo stat veritas primæ Assertionis, scilicet, quòd sic occidere sit licitum, de Mandato Dei implicito, & de familiari Spiritus sancti consilio, per quod Samson licitum fuit se, & alios occidere; quia latenter jussit hoc Deus, qui per ipsum miraculum faciebat, ut ait Augustinus. I. Lib. *De Civitate Dei*.

Sed illa solutio videtur quædam fuga, & fictio. Ex quo enim li *Mandato* in Assertione ponitur, sine addito restringente: quare non distribuitur pro omni suo supposito?

Item. Si secundùm istam fictionem, li *Mandato*, distribuetur solùm pro Mandato explicito: tunc sicut Assertio dicit, licitum esset unicuique subdito, in toto Regno, sic occidere tyrannum: oporteret, quòd Spiritus sanctus unicuique subdito, de toto Regno, dedisset de hoc speciale occultum Mandatum, & familiare consilium; quod est frivolum dicere, & B est revelationes divinas derisui exponere, & privilegia paucorum, in quamcumque Legem trahere, & unusquisque homicida, pro sui excusatione, fingeret Præceptum implicitum.

Item. Non est licitum privatæ personæ velle occidere hominem, seu intendere occisionem hominis, propter deffendere se, & suam propriam vitam. Igitur nec propter deffendere alium, aut alterius cujuscumque vitam. Consequentia nota, ex majori obligatione hominis ad se. Patet per Magistrum, in tertio, ubi dicit, quòd per hoc Mandatum: *Non occides*, secundùm spiritum, prohibetur voluntas occidendi. Et patet per Augustinum, in primo, *De libero arbitrio*; dicentem, quòd *Apud divinam providentiam à peccato liberi non sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cede polluti sunt.* Et secundùm sanctum Thomam; *eas reddit contemnendas, quas inviti amittere possint, quarum una est vita temporalis.* Et in Epistola, *ad Publicolam*, dicit: *De occidendis hominibus, ne quisquam ab ipsis occidatur, non mihi placet consilium, nisi fortè publica functione teneatur.* Et secundùm sanctum Thomam. *Secunda Secundæ, quæst.* LXVIII. intelligitur *In eo casu, quo quis intendit occidere hominem, ut seipsum à morte liberet.* Benè determinat sanctus Thomas, ubi supra, quòd licitum est homini deffendere, sed non est ei licitum velle occidere adversarium. Nam si privata persona, deffendendo se, cum moderamine inculpatæ tutelæ, occidat eum, sola intentione deffensionis; non est reus homicidii: sed si privata persona, deffendendo se, aut alium, intenderet occidere, esset reus homicidii.

Ex quo patet iterùm, quòd Assertio prima est erronea, eo quòd innuit, quòd licitum sit subdito intendere mortem talis tyranni: quia dicit, *occidere, vel occidi facere.* Non potest autem quis occidi facere alium, nisi ejus mortem intendat. Etiam patet hoc ex tertia Assertione, ubi dicitur, quòd licitum est silere voluntatem suam de sic faciendo.

Item. Si contendas quòd sit utique dandus casus, in quo privatæ personæ licitum esset velle occidere alium; iste tamen esset solùm patentis, & inevitabilis necessitatis: ut cùm quis esset patenter in tali periculo mortis, per aliquem invasorem aut proditorem, quòd non posset aliter evadere mortem, nisi ipse, vel alius interficeret istum invasorem, aut proditorem.

Sed illa Assertio prima, & aliæ, quæ ex ea dependent, non loquuntur de illo casu patentis necessitatis, & inevitabilis: quia prima loquitur de isto, qui machinatur contra salutem Regis corporalem. Machinatio autem, dicit longam actionem, & occultam; & machinatur *per sortilegia*, quorum effectus est incertissimus; & machinatur *per fraudem*, & *malum ingenium*, quæ signant quædam occulta, & non de se nota. Etiam subditus posset, per alium modum, præservare Regem; ut Regi manifestando, aut Principalibus Regni, aut populo malam tyranni intentionem.

Item. Secundùm Augustinum: ad intelligendum difficiles passus Scripturæ, *Expedit inspicere facta Sanctorum*: & dat unum exemplum, de Præceptis patientiæ positis *Matth.* vi.

Ita in proposito, ad certitudinaliter intelligendum illud Præceptum, *Non occides*, & similia; inspicienda sunt exempla Sanctorum, & potissimè Sancti Sanctorum, qui Petrum, propria authoritate, percutientem, cùm Ministri Judæorum venerunt ad captivandum Christum Summum Regem ad mortem; ipse Dominus prohibuit, dicens: *Mitte gladium tuum in vaginam, quia omnis, qui acceperit gladium*, Joan. XVIII. 11. id est, secundùm Augustinum, *secundo Libro*, contra Manichæos: *Qui nulla superiori, aut legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sanguinem alterius armatur; gladio peribit*; intellige in anima, per peccatum quod in hoc committit.

Item. Saül tyrannus fuit, & machinabatur in mortem David; & tamen subditi eum non occiderunt: imò nec David eum tangere voluit, sed & alios ab ejus morte prohibuit, ut I. *Regum.* XXVI. Cùm Abisai eum dormientem perfodere vellet; David prohibuit dicens: *Ne interficias eum.* Et ibidem XXIV. quòd David in spelunca, *confregit viros suos sermonibus*, & non permisit eis ut consurgerent in Saül; & insuper eum, qui sibi nunciavit, quomodò Saül occidit, morte punivit.

Item. Filius Saül post mortem Patris usurpavit Regnum Israël sibi tyrannicè: & tamen cùm duo viri, propria authoritate, ipsum occidissent, & caput C ejus ad David detulissent, morte eos punivit.

Contra secundam Assertionem.

De secunda Assertione: dico quòd est erronea in Fide & moribus; & Legibus, naturali, morali, & divinæ injuriosa. Patet ex dictis: cùm sic occidere, & occidi facere, inquam, plurium fit* malum, & contrarium Scripturæ sacræ, & contra Præcepta Dei moralia; &, per consequens, nulla justa Lex universaliter quemlibet de isto authorisat, & approbat, & ex quo patet, quomodò Assertio injuriatur dictis Legibus, cum dicit, eas authoritate mala, & iniqua.

Item. Lex divina talem occisionem, & occidendi voluntatem, ut patuit, reprobat, ut plurimùm, & prohibet. Igitur non authorisat; nec Leges, D naturalis, & moralis: quia omne verum omni vero consonat; quod non esset, si una Legum justarum unum authorisaret, & alia reprobaret.

* *Locus corruptus: forsan legendum*, ut plurimùm, fit malum.

Contra

Contra tertiam, & quartam Assertiones.

De tertia & quarta: dico quòd quælibet earum est erronea, crudelis, & scandalosa. Patet ex dictis, supra primam quam addunt de malo, cùm dicunt, quòd *est propria mors, quâ debent mori tyranni infideles, scilicet occidere eos sine diffidatione, per explorationes & insidias.* In quibus quidem insidiis, ut plurimùm, concurrunt deceptiones, & mendacia. Propter quod dicitur, Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam & insidias occiderit proximum suum, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Etiam loquuntur generaliter de omni infideli tyranno: quare dant in tali genere, quòd omnes tyranni quoquomodo fideles, sunt occidendi; imò dicunt occidi subitò, insidiosè, & sine ordine Juris: quod, extra casum necessitatis, est apertè erroneum, & contra fraternam charitatem, cùm talis improvisa mors sit cum maximo animæ periculo.

Contra quintam, sextam, & septimam Assertiones.

De quinta, sexta, & septima: dico, quòd quælibet earum est erronea in Fide, & moribus, scandalosa, & dominativæ potestati injuriosa. Patet: quia sic, occidere, aut occidi facere, authoritate privata, & extra casum extremæ necessitatis, ad quem non restringunt se Assertiones, ut patuit, est semper contra Præcepta divina, & grave peccatum, & habetur ex dictis: & tale approbare, acceptare, & remunerare, esset ei consentire, &, per consequens, mortale peccatum, secundùm Apostolum, *Ad Romanos, primo*: ubi inter multa alia peccata, enumerat etiam homicidium, & addit; *Qui talia agunt, dignissimi sunt morte: non solùm facientes; sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Item. Talem occisionem laudare, approbare, aut præmiare, est contra Præceptum de fraterna correctione, quo quilibet tenetur proximum delinquentem corrigere, & à peccato * posse revocare.

Item. Est directè contra Præceptum de fraterna charitate, quâ tenemur non solùm bona velle, & facere proximis; sed etiam tenemur ab eis mala pro posse removere: sed per talem laudationem, approbationem, & præmiationem, peccator firmatur in peccato suo, & præstatur sibi, & aliis audacia ad pejora.

Item. Sunt contra Apostolum, *Ad Romanos.* XIII. 4. De Principe, dicentem: *Non sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* Et ita ad officium Principis pertinet malos punire, & non præmiare.

Item. Patet exemplis. Undè David non laudavit, nec præmiavit; sed occisorem Saül inimici sui punivit, qui eum diù ad mortem prosecutus fuit. II. *Regum.* I. Similiter duos viros, qui filium Saül propria authoritate occiderunt, non remuneravit; sed morte punivit.

* *Legendum* pro posse.

Contra octavam Assertionem.

De Octava Assertione: dico, quòd secunda ejus pars est distorta quidem, quia est contra, vel præter intentionem Apostoli, glosæ Augustini, & aliorum Expositorum, & etiam contra Magistrum, in fine tertii Sententiarum. Sed per spiritum vivificantem, intelligitur Spiritus sanctus, menti significativæ illapsus, & domum ejus principalem, sed charitate infusa. Et ideò, sicut alibi dicit Apostolus: I. Cor. VIII. I. *Scientia*, supple, sine Charitate, *inflat; Charitas autem ædificat.* Ita in Proposito: *littera*, sine Spiritu sancto inhabitante, & gratia adjuvante, actionaliter *occidit*: quia facit scienter peccare, & addit privationem, & non auffert peccatum. Sed *Spiritus sanctus* inhabitans, & *gratia* coadjuvans, *vivificat*, & tollit peccatum; & illud
A quod littera docet facit implere, ad intentionem mandantis. Et ideò glosa super Apostolum: *Sicut scientia cum Charitate bona est, sine ea occidit; sic Lex sine gratia occidit, quia virtus peccati Lex.* I. Cor. XV. 56.

Item. Quòd sit erronea patet: quia innuit aliquem sensum litteralem sacræ Scripturæ esse falsum, & non tenendum: quare, enim, aut aliàs tenens sensum litteralem occidit animam, ut Assertio dicit, & hoc est erroneum; quia licèt inveniatur aliqua Scriptura, quæ secundùm sensum quem habet ex grammaticali significatione terminorum sit falsa; iste tamen sensus non est dicendus sensus litteralis istius Scripturæ sacræ: quia ille est sensus solus litteralis alicujus locutionis, quem loquens principaliter, & directè intendit. Cùm igitur Spiritus sanctus loquatur in sacra Scriptura; dicere sensum
B litteralem sacræ Scripturæ falsum esse, est dicere, Spiritum sanctum intendere, & asserere falsum.

Item. Hieronymus dicit: *Quicumque aliter Scripturam sacram intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licèt ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* Sed attribuere ei sensum falsum, aut non tenendum, est eam intelligere aliter, quàm sensus principalis Spiritus sancti flagitat &c.

Item. Dicere, quòd aliquis sensus litteræ sacræ sit falsus; est infirmare authoritatem sacræ Scripturæ, & totam suspectam reddere de falsitate, ut in simili arguit Augustinus, *in Epistola ad Hieronymum.* Et sanctus Thomas, *Secunda secundæ*, q. c. Artic. XI. dicit: *Non est fas epistolari, in aliqua Scriptura Canonica aliquid asseri falsum, quia aliàs periret certitudo Fidei, quæ authoritate sacræ Scripturæ in-*
C *nititur.*

Item. Specialiter dicere; sensum litteralem sacræ Scripturæ esse falsum, esset eam invalidam reddere ad aliquid probandum; solus enim sensus litteralis est fundamentum aliorum, & ex ipso solo, & non ex his quæ secundùm allegoriam dicuntur, potest sumi Argumentum. Et dicit Augustinus, in Epistola, *Contra Vincentium*, Donatistis: *Si ergo litteralis Scripturæ sensus esset in aliquo falsus, nullum Argumentum in ea esset solidum & efficax.* Hoc idem ex intentione determinat sanctus Thomas, *in prima parte Summæ. Q. prima. Argumento ultimo*, ubi dicit: *Quia sensus litteralis est, quem author Scripturæ intendit: author autem sacræ Sripturæ est Deus.* Et concludit D. *Ex hoc patet, quòd sensui litterali sacræ Scripturæ non potest subesse falsum.*

D

Contra Assertionem nonam.

De Nona dico, quòd est falsa, & erronea: quia si liceret frangere juramentum, ad cavendum quodcumque damnum jurati, aut uxoris, liberorum &c. pari ratione, imò fortiori, liceret ex simili causa mentiri: quod est erroneum.

Item. Prædicta Assertio, vel est quædam Maxima, & quasi Lex, & Regula directiva hominum, circa confœderationes, & juramenta; & tunc licèt sic indefinitè prolata, ut à principio præmissi, æqui-

quivalet universali, & tali: *Nulla socialitas, jura-*
mentum, promissio, aut confœderatio unius militis ad
alium, quocumque modo fiat, & fieri possit, vergens in
præjudicium unius confœderatorum, sponsæ suæ, aut li-
berorum, obligat ipsum ad observandum eas. Vel est
talis conditionalis illativa, aut conventiva, saltem
si socialitas, juramentum, promissio, seu confœ-
deratio unius militis ad alterum, quocumque modo
fiat, aut fieri possit, vergat in præjudicium unius
confœderati. &c. ipse non tenetur eas observa-
re.

Constat autem quòd utroque modo est erronea, A
de omni cônfœderatione licitè jurata, possibili ob-
servari, & quæ non vergit in detrimentum animæ;
omnis enim talis servanda est, etiamsi vergeret in de-
trimentum temporalium: nam tanta debetur reve-
rentia Deo, cujus nomen juratur, & qui in testi-
monium inducitur, quòd etiam juramenta coacta
obligant hominem ad implendum licita, quæ per
nomen Dei promisit, & quòd magis debet homo
temporale damnum sustinere, quàm juramentum
solvere, ut determinat sanctus Thomas, *Secunda se-*
cunda. q. LXXXIX. Ad hoc videtur facere exemplum
Scripturæ positum *Josuë* IX. ubi dicitur, quòd Ga-
baonitæ venientes callidè ad Israël, & Principes non
putantes eos morari in terra Promissionis, jurave- B
runt quòd eos non contingerent, Et cùm popu-
lus cognovit deceptionem, murmuravit contra Prin-
cipes; qui responderunt illis in nomine Domini Dei
Israël: & idcircò non possumus eos contingere,
ne ira Domini super nos incitetur, si perjuraverimus.
Et tamen juramentum fuit in præjudicium popu-
li Israël, cui terra Promissionis data fuit à Domi-
no.

Ultimò dico, quòd istæ Assertiones sic genera-
ter positæ, sunt multipliciter scandalosæ: quia sunt
dicta non recta, nata præbere multiplicem occasio-
nem deliquendi: præbent enim viam ad homicidia,
ad proditiones, ad perjuria, ad destructionem Po-
litiarum, ad violationem Præceptorum Dei &c.

Hæc de qualificatione Assertionum.

Quantùm ad secundum, quod est de principali
quæsito; an Assertiones præscriptæ sint Judicio Fi-
dei reprobandæ? Dico primò, quòd sic: quia re- & C
pugnant sacræ Scripturæ, & bonis moribus; &
authoritati sacræ Scripturæ, ut patuit supe-
riùs.

Secundò dico, quòd sacrum Concilium Constan-
tiense tenetur eas condemnare. Patet per illud A-
postoli: Rom. X. 10. *Corde creditur ad justitiam,*
ore autem confessio fit ad salutem. Ipsa enim confes-
sio Fidei, est pro loco, & tempore, de necessitate sa-
lutis; potissimè quando per omissionem talis confes-
sionis, subtrahetur honor debitus Deo, aut utilitas
proximi impedienda, quod fieret in Propositione,
propter pericula animarum, & scandala quæ ex
dictis Assertionibus in certis terris orta dicuntur, &
oriri timentur, quibus per Concilium obviari opor-
tet, per confessionem Fidei suæ, circa dictas Assertio-
nes.

Item. Prima Petri, III. 15. *Parati semper ad satisfa-*
ctionem omni petenti vos rationem de ea, quæ in vobis est D
Fide & *Spe*. Cùm ergo huic Concilio denunciatæ
sint dictæ Assertiones, Apostolico illo Præcepto
tenetur Concilium respondere de Fide, quam ha-
bet de ipsis, ne videatur veritatem doctrinæ, imò
Fidei derelinquere, aut etiam opprimere, juxtà il-
lud, LXXXIII. Distict. *Veritas cùm minimè deffen-*
ditur, opprimitur. Imò ne sua taciturnitate videa-
tur dictis erroribus consentire, aut eos approbare,
juxta illud, ubi supra; *Error, cui non resistitur,*
approbatur. Et iterùm: *Non caret scrupulo societa-*
tis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare; con-
sentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi
debent, non occurrit.

Item. Prælati tenentur intendere doctrinæ sub-
ditorum, & extirpationi errorum. Igitur à multo
fortiori, Concilium Generale. Antecedens patet, per
illud Ezechiel, XXXIII. 7. *Fili hominis, specula-*
torem dedi te domui Israël. Si me dicente ad impium:
impie, morte morieris, non fueris locutus, ut se cu-
stodiat impius à via sua; ipse impius in iniquitate sua
morietur, sanguinem ejus de manu tua requiram. Et
Matth. VII. 15. *Attendite à falsis Prophetis.* Et
A Actuum, XX. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in*
quo vos Spiritus sanctus ponit Episcopos, regere Eccle-
siam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Patet ergo, quòd Assertiones dictæ, sunt repro-
bandæ Judicio Fidei, & quòd sacrum Concilium
tenetur eas reprobare. Utrùm expediat eas expli-
citè reprobari per Concilium, sub modificationibus,
& qualificationibus supra dictis; vel an propter
speciales causas, & propter aliquem particularem
casum sufficiat eas reprobare, sub aliquo modo mi-
tiori, & generaliori, dimitto prudentiæ aliorum,
qui magis sunt informati de circumstantiis fa-
cti.

In quorum testimonium &c. me propria manu
B subscripsi.

DECIMA DELIBERATIO, SIVE CEDULA *Partis Affirmativæ.*

UTrùm prædictæ novem Assertiones sunt Judi-
cio Fidei condemnandæ.

Supponitur primò quid nominis.
Judicium Fidei, est Judicium, quo aliqua veritas
ut Catholica credenda, vel ut ritus Religionis Christia-
na approbatur, vel ut error in Fide, aut obvians bo-
nis moribus reprobatur. Patet suppositio: quia se-
cundùm Philosophum, *Contrariorum eadem est dis-*
C *ciplina.* Igitur sicut veritas Catholica credenda, &
ritus Religionis Christianæ, cadit sub Judicio Fidei;
sic error oppositus veritati Catholicæ credendæ,
& ritui Religionis Christianæ, cadit sub Judicio Fi-
dei; & per consequens, suppositio vera.

PRIMA CONCLUSIO.

Catholicè credendum est, quòd sine casu inevi-
tabilis necessitatis nulli homini licet alterum oc-
cidere, vel occidi facere, propria authoritate.

Secunda suppositio: quòd potest esse homo, pro-
pria voluntate, author mortis, sed non vitæ. Pa-
tet suppositio, quod potest homo alterum, seu seip-
sum mortificare, propria voluntate: sed eadem vo-
luntate vivificare non potest; quia omnis vita à so-
D lo Deo est, juxtà illud Deuteronomii, XXXII. 39.
Ego occidam, & ego vivere faciam. Igitur supposi-
tio vera.

Probatur. Catholicè credendum est, quòd sine
casu extremæ necessitatis, non licet alicui homini
rem alterius, sine ipsius voluntate, & authoritate
aufferre, ex Præceptis duobus Domini Dei, scili-
licet: *Non furtum facies*; &: *Non concupis-*
ces rem proximi tui. Igitur, multò à fortiori, catho-
licè credendum, quòd sine casu inevitabilis necessi-
tatis, non licet alicui alterum occidi facere, propria
authoritate, seu voluntate, quod est vitam aufferre
alterius, sine Dei voluntate, & authoritate, cujus
pro-

propriè vita est, & cujus solius proprium est vivificare, ex secunda suppositione. Igitur Conclusio vera.

Item. Confirmatur Conclusio. Non licet alicui prædicare verbum Dei, sine Prælati, Superioris, vel Dei expressa voluntate, seu authoritate. Igitur, à fortiori, non licet interficere aliquem, sine Prælati, Superioris, vel Dei expressa authoritate. Consequentia tenet, per locum à majori, quia actus Prædicationis est de se licitus; actus autem homicidii de se illicitus, nisi circumstantionetur. Igitur si actum licitum, de se, non licet facere, absque authoritate Superioris expressa: ergo nec actum de se illicitum. Et Antecedens patet per illud, Ad Rom. x. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Oppositum etiam Antecedentis est in hoc sacro Concilio condemnatum; quia determinationi Ecclesiæ contrarium, ut habetur *Extrav. De hæresi. Lib.* VI. *Cum ex injuncto.* Igitur.

A

Et sicut in officio Prædicationis, non sufficit internam missionem allegare, quæ tamen longè nobilior est exteriori missione, sicut divina missio humanâ missione, ad hoc quòd alicui liceat actum Prædicationis exercere, nisi internam ipsam missionem probet, & ostendat; aut apertis miraculis, ut Moyses; vel per Scripturam Sacram, ad hoc sibi singulariter testimonium reddendum, qualiter fecit Joannes Baptista; cùm aliàs quilibet hæreticus à Prædicatione prohibitus per suum Superiorem, diceret, se non debere obedire, propter internam missionem; sic certè in licentia actus homicidii, non sufficit secretam inspirationem Spiritus Sancti illum actum authorisantem allegare, cùm hoc sit dubium, & à fideli dubitandum, nisi per revelationem, aut apertum miraculum, vel Sacram Scripturam constaret Spiritum Sanctum ad illum actum concurrere: aliàs, sub illa dubitatione, daretur licentia ad innumera homicidia committenda.

B

Igitur ex secreta inspiratione Spiritus sancti, si allegatur; non concluditur veritas illarum Assertionum, nisi illa inspiratio probaretur.

Ex quibus primò infertur, quòd non sequitur: Privata persona, zelo sanctæ affectionis pro salute Reipublicæ occidit, vel occidi facit hominem tyrannum: Igitur Spiritus Sanctus illum actum homicidii secreta inspiratione authorisat. Patet: quia non loquitur *: Ille laïcus, vel Sacerdos, à Prædicatione prohibitus, zelo sanctæ affectionis, pro salute populi, prædicat verbum Dei: ergo Spiritus Sanctus, occulta inspiratione, actum illum Prædicationis authorisat. Igitur, à fortiori, non sequitur: Privata persona, zelo sanctæ affectionis, pro salute Reipublicæ, occidit, vel occidi facit tyrannum: igitur Spiritus sanctus illum actum homicidii, secreta inspiratione, authorisat. Antecedens in casu conceditur, & consequens non: quia ad minus est dubium, & à quolibet fideli non habente revelationem dubitandum.

C

Secundò. Sequitur, quòd quicumque non accipit potestatem, vel à divina authoritate, quæ est in Lege; vel ab ejus voluntate intellellecta per internam inspirationem; & interficit aliquem, vel interficere facit, præter casum inevitabilis necessitatis; illud Præceptum secundæ Tabulæ transgreditur: *Non occides.* Patet ex conclusione directè, & ejus probatione. Nam qui propria temeritate sibi usurpat gladium, Jura deprimit, & voluntati suæ Leges submittit: qui verò à Domino accipit potestatem, Legibus servit, & Justitiæ, & Juris famulus est. Propter quod dicit Beatus Augustinus, *Libro secundo, Contra Manichæos:* Et similiter, *Libro secundo*, Contra Faustum: *Gladium accipit, qui nulla superiori, ac legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur.* Et ad idem, dicit idem Augustinus, Primo, De Civitate Dei: *His exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus, specialiter occidi jubet: quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occidit, homicidii crimine innectitur.* Et habetur, XXIII. q. v.

D

Tertiò. Sequitur, quòd Judex, vel Minister Judicis occidendo, vel occidi faciendo hominem maleficum, non est homicida reputandus. Patet: quia propria voluntate hoc non facit, nec intendit occidere, sed Legibus obedire, propter hoc quod dicit Hieronymus, *Super Ezechielem.* LIII. *Qui malos percutit, in eo quòd mali sunt, & habet causam interfectionis*, id est, *potestatem ut occidat pessimos, Minister Dei est.* Ad idem glosa, Exod. XI. *Cùm Minister Judicis occidit eum quem Judex occidi præcepit, homicida non est: sed si id spontè faciat, homicida est; etiam si eum occidat, quem scit à Judice occidi debuisse.* Et habetur, XXIV. q. v.

Quartò. Sequitur, quòd non infertur: Iste est interficiendus secundùm Legem; ergo quicumque interficit eum, facit secundùm Legem. Patet: quia ad interficiendum secundùm Legem, * sufficit solus reatus: sed ad interficiendum secundùm Legem, ultra justam causam, id est, reatum, requiritur justus ordo, & justus animus. Justus ordo, ut occidens habeat potestatem, & reus sit convictus de crimine: justus animus, ut fiat solo amore justitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ. Pro primo scribitur, Joan. VII. 51. *Nunquid Lex nostra judicat hominem, nisi ex seipso prius audierit, & cognoverit quid faciat?* Pro secundo habetur: *Justè quod justum est exequeris.*

Quintò. Infertur; non sequitur: Privata persona, occidendo maleficum, vel tyrannum, operatur illud quod est utile bono communi: ergo licitum est unicuique personæ talem occidere. Patet: quia Antecedens est verum, & congruum: quia nihil est licitum, vel licitè faciendum, quod virgit in detrimentum propriæ salutis, propter bonum utile Communitatis: juxta illud Salvatoris, Math. XVI. 26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Sed constat quòd talis homicidii crimen incurreret; ut patet ex præcedentibus.

Sextò. Sequitur, quòd non est bonum, honorabile, aut meritorium cuicumque privatæ personæ, præter casum inevitabilis necessitatis, occidere, vel facere occidi tyrannum, qui machinatur contra salutem Regis sui corporalem. Patet: quia non est licitum, ex immediatè præcedentibus. Conclusio: ergo non est honorabile, & meritorium. Unde, quamvis immineat periculum Communitati, de amissione boni Regis, quàm remedium de substratione tyranni; tamen contra tyrannorum sævitiam, non privata præsumptione, sed authoritate publica procedendum.

* *Forsan legendum* non sufficit

SECUNDA CONCLUSIO.

Conclusio quæ sequitur secunda ex præmissis, evidenter, est ista. Quòd prima Assertio cum aliis sex sequentibus, sunt erroneæ in Fide, & moribus, multipliciter scandalosæ, & seditiosæ. Patet: cùm illæ Assertiones expressè repugnant Conclusioni supra scriptæ catholicè credendæ, cum suis Correlariis fundatis in Sacra Scriptura, & dictis sanctorum Doctorum. Igitur Conclusio vera.

Sed pro majori evidentia, Conclusio probatur, pro omnibus partibus. Et primò, quoad primam partem, arguitur sic: Quia illæ Assertiones nedùm

* *Legendum videtur* sequitur

licentiant; sed per viam honoris & meriti, ad homicidia incitant, propria voluntate, perpetranda; propter casum inevitabilis necessitatis. Nam prima Assertio dicit: *Licitum esse, honorabile, & meritorium unicuique, sine quocumque Mandato, & sic, propria voluntate, occidere, vel occidi facere quemcumque tyrannum, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, & Domini naturalis, pro aufferendo sibi nobilissimam suam Dominationem.*

Item. Secunda authorisat hujusmodi homicidium, per Legem naturalem, humanam, & divinam.

Item. Consequenter tertia, & quarta, per modum liciti, honesti & meritorii, exhortantur, & provocant ad homicidia proditoria facienda; quia per dolos, fraudes, insidias, & explorationes.

Item. Aliæ sequentes tres, per modum honesti apud vulgus reputati, concitant ad hujusmodi homicidia, tanquàm benè & meritoriè fienda: quia asserunt, quòd *Talis homicida non debet in aliquo reprehendi; sed factum illius Rex debet, acceptando, authorisare & remunerare; & remunerando, ipsum suis Epistolis, per totum Regnum suum de hujusmodi facto commandare.* Quæ omnia, & singula, Scripturæ Sacræ, & dictis Sanctorum Doctorum obviant; super quibus prima Conclusio, cum suis Correlariis est fundata. Ergo prima pars est vera.

Sed secunda pars Conclusionis patet: quia quilibet illorum Articulorum est scandalosus; imò scandalum in se patet, quia quilibet illorum Articulorum septem in se, *est dictum minus rectum, præbens occasionem delinquendi.* Igitur per diffinitionem scandali, quilibet eorum est scandalum in se; quia in se sic prolatus & affirmatus, præbet occasionem ipsis simplicibus credendi erroneé, quòd *licitum sit, honorabile, & meritorium cuilibet subdito, occidere, seu occidi facere quemlibet tyrannum, qui quocumque modo machinatur in mortem Regis*: & sic extra inspirationem secretam Spiritus sancti, extra casum inevitabilis necessitatis, qui casus possent allegari. Igitur illi Articuli sunt scandalosi, & continent scandalum in se.

Sed tertia pars Conclusionis patet: quia dogmatisatio illarum Assertionum vergit manifestè in destructionem omnis Politiæ spiritualis, & sæcularis, cùm dat licentiam, & audaciam pessimis proditoribus, & homicidis, quemlibet tyrannum occidere, vel occidi facere proditoriè, & subitò, per homicidas conductos prece, & pretio, sine quocumque Mandato Superioris; & sic, privata Lege, non monitum, non citatum, diffidatum, non convictum: sed cùm constet, quòd in qualibet Politia contingat tyrannidem exerceri, nedùm per Supremos, sed medios, & infimos illius Politiæ; igitur juxta quartam Assertionem, Jure, ratione, & æquitate dictantibus, quilibet talis esset occidendus, per explorationes, & insidias, quæ est propria mors tyrannorum, Sed hoc asserere est nimis scandalosum, & seditiosum, contra omnem ordinem Juris militaris, & dispositionem; cùm quilibet talis homicida, qui privata Lege interficeret tyrannum, non haberet plùs de authoritate legitima, quàm haberet Judex ordinarius illius tyranni: sed Judici ordinario non liceret interficere talem tyrannum, Juris ordine non servato; igitur non licet, non habenti Jurisdictionem super tyrannum.

Et maximè præter casum inevitabilis necessitatis; quem casum illæ Assertiones nullatenùs includunt: imò potiùs, ex circumstantiis oppositis, patenter excludunt. Non enim prima Assertione dicitur: Quando est tyrannus tantæ potentiæ, quòd aliter non potest fieri de eo Justitia per Supremum. Sed dicitur: *Maximè, quando est tanta potentia, quòd Justitia non potest, bono modo, fieri per Supremum.* Ille autem bonus modus requirit examen, & probationem diligentem, si aliter possit fieri Justitia de illo tyranno, vel saltem si interfectio Regis possit impediri. Sed notum est, quòd in casu primæ Assertionis, aliter possit fieri Justitia de illo tyranno, vel homicidium Regis aliter impediri: nam homicidæ illius tyranni vel interficere licet illum tyrannum, præsente Rege, manus cum armis in Regem extendentem, & volentem jam effectualiter occidere Regem: vel, in absentia Regis, longè distantem à Rege.

Si primum: tenetur subditus Regis, ipsius interfectionem impedire, si potest, per alium modum, quàm per interfectionem tyranni; & si non patet alia via salvandi Regem à morte, nisi quòd subditus interficeret illum tyrannum volentem occidere Regem, casus est inevitabilis necessitatis. Sed hoc non ponit Assertio; sed loquitur de illo, qui machinatur in mortem Regis: machinari autem, importat studium, & laborem occultum, & prolixum, non patentem, nec inevitabilem. Non enim dicit Assertio, quòd ille tyrannus jam habeat gladium extensum evaginatum, volens percutere Regem: sed dicit; *qui machinatur per sortilegia, fraudes, dolos, & malum ingenium.* Quæ omnia, & singula, significant actus interiores non patentes de se, quorum effectus, de se, est dubius, & incertissimus, nec propinquus, & sic non inevitabilis; nec talis casus ex circumstantiis aliarum Assertionum colligi potest, eo quòd tertia, & secunda, loquuntur. *Licitum, honorabile, & meritorium fore, talem tyrannum occidere, vel occidi facere per insidias, & explorationes.*

Sed notum est, quòd illi actus, in se, includunt longam præmeditationem: in aliis autem Assertionibus fit relatio implicitè ad casum primæ Assertionis; in secunda, quinta, sexta, & septima explicitè; & octava, & nona implicitè. Igitur nullatenùs in illis Assertionibus includitur casus inevitabilis necessitatis; sed potiùs excluditur, ut est declaratum.

Si secundum diceretur, scilicet quòd liceret subdito Regis interficere tyrannum, de quo loquitur prima Assertio, Regé non præsente, & à Rege longè distantem; tunc talis tyrannus, Rege de hoc avisato, successu temporis, poterat per Regem comprimi, vel per insidias multipliciter captivari; vel ille tyrannus, ante completionem homicidii Regis poterat infirmari, vel mori; vel de illa machinatione sanus, vel infirmus pœnitere, & à suo proposito malo resilire; & innumeri modi poterant currere, quòd illa interfectio Regis machinata potuit impediri. Igitur illa interfectio tyranni, in tali casu incertitudinis, propter vitam Regis conservandam, non fuit perpetranda.

Item. Primus Articulus, supra quem alii sex immediatè sequentes fundantur, circa materiam Catholicam doctrinalem, & regulativam, habet principalem usitatis significationem, & sententiam erroneam. Igitur ille Articulus est erroneus. Antecedens est principalis, & usitatus sensus illius Articuli; quòd licitum sit, honorabile, & meritorium, indifferenter, non plùs in uno casu, quàm in alio, unicuique subdito indifferenter, sine quocumque Mandato, secundùm Leges, moralem, naturalem, & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum indifferenter, *Qui per cupiditatem, fraudem sortilegium, vel malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui, maximè quando tyrannus est tanta potentia, quòd Justitia de eo non potest, bono modo, fieri per Supremum.* Secundùm Regulam Juris, ex communi usu, nedùm per Theo-

Theologos, & Fideles; sed etiam apud Philosophos, & Gentiles, circa materiam doctrinalem & regulativam, verba affirmativa indefinitè pro singularibus, vel individuis rebus prolata, sunt accipienda non plùs pro uno, quàm pro alio, sed etiam pro omnibus singularibus. Et in hoc sensu principali, & usitato, etiam simplices, illum Articulum in tali sensu acceperunt *, ubi eis pro dogmate scriberetur, aut prædicaretur; & ille sensus est omninò erroneus, imò hæreticus, contra Præceptum illud, *Non occides.* Absit enim, quòd Sacerdos, subditus Regis, vel alius quicumque, sine omni Præcepto, occideret, vel occidi faceret quemlibet tyrannum indifferenter, qui *per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium machinatur contra salutem corporalem Regis sui*, sicut suprà est deductum.

Nihilominùs, illa Assertio prima potest habere sensum secundarium, vel sophisticum: ut, positò casu quòd si aliquis Rex bonus, & Reipublicæ perutilis, in cujus mortem machinatur unus tyrannus, &, pro nunc, non sunt plures machinantes in mortem Regis, nisi ille; & Deus inspiraret, occulta inspiratione consulendo, vel permittendo, non præcipiendo, cuilibet subditorum illius Regis, ad occidendum, vel occidi faciendum illum tyrannum. Talis sensus est possibilis, non repugnans alicui veritati Catholicæ, in quo casu illa Assertio esset verificabilis. Verumtamen sicut ille casus, vel alius, non ostendit veritatem illius Assertionis, & cum quo ad illum sensum secundarium, & sophisticum, si non tollit †, quando ille Articulus sit erroneus, imò hæreticus, in sensu suo principali, & sic ex omni usu condemnandus: sic & ille Articulus Wicleff verbo est condemnandus, *Licet alicui Diacono, vel Presbytero, prædicare verbum Dei, absque authoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici*; quia non est dubium, quin ille Articulus in aliquo casu sophistico, & possibili, possit sustineri: sed tamen ille Articulus, ex usu communi acceptus, secundùm sensum principalem & Catholicum, est condemnatus ut erroneus, & sic, secundùm quem sensum prætendit, quòd *Licet cuicumque Diacono, vel Sacerdoti, prædicare indifferenter, absque omni casu, non habita authoritate Sedis Apostolicæ, vel Episcopi Catholici*: quod est error.

Ex quibus sequitur, quòd illæ novem Assertiones sunt Judicio Fidei condemnandæ, cùm sint erroneæ, scandalosæ & seditiosæ; ut patet ex præcedentibus. Igitur Correlarium verum. Consequentia tenet, ex prima suppositione.

Secundò. Sequitur, quòd nulla Lex divina, quoad privatam personam, authorisat talem tyrannum, de quo loquitur prima Assertio, occidere, vel occidi facere: & cùm talis doctrina est expresse contra illud Præceptum, *Non occides*, ut patet ex prioribus. Igitur &c.

Tertio. Sequitur, quòd nulla Lex naturalis, vel humana, talem doctrinam primæ Assertionis authorisat, Patet: quia contra Legem Dei nulla Lex contraria, si Lex meretur dici, vel potiùs traditio humana, est ab aliquo in authoritatem acceptanda; sed veriùs tanquàm Lex iniqua repellenda. Igitur &c.

* acciperent. † *Locus corruptus.*

CONCLUSIO TERTIA.

Tertia Conclusio, quoad octavam Assertionem, specialiter descendendo, est ista; quòd ipsa octava Assertio est erronea in Fide, totam Scripturam Sacram invalidans, & infirmans, & quòd probandum supponitur commune dictum Doctorum, quòd *Sola Scriptura Biblia vocatur anthonomasticè, Sacra Scriptura.*

Ex qua suppositione arguitur sic. Nulla Sacra Scriptura occidit animam: quilibet sensus litteralis Sacræ Scripturæ occidit animam. Consequens est in *Coelarent*, & Antecedens est Catholicè credendum tanquàm Fides. Igitur Consequens, & per consequens, oppositum Consequentis, quòd est Assertio, est error in Fide.

Major probatur. Sacra Scriptura, & quælibet ejus Fides, explicitè, & implicitè tenenda; cùm Sacra Scriptura, & singulæ Assertivæ, sunt veritates Catholicæ, ad regulandum populum Domini in Fide, & moribus: quædam per Moysem, in Antiqua Lege; & aliæ per Dominum Nostrum Jesum Christum, in Nova Lege promulgata, dicente Apostolo, Ad Romanos, xv. 4. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam, &c.* Igitur Major Conclusionis est vera, sed Minor probatur. Constat quòd vox, nec attramentum, non est Sacra Scriptura, nisi in respectu ad sensum litteralem, cùm, secundùm Beatum Augustinum, *Non est efficax Argumentum in Theologia, nisi sit super sensum litteralem fundatum.* Etiam quia vox citò transit, & scriptura comburitur; & Sacra Scriptura, quoad suas veritates, semper manet: juxta illud Salvatoris, Lucæ, xxi. 33. *Cœlum & terra transibunt*, &c. Igitur si sensus litteralis, qui est sensus principalis, & primarius Propositionis Sacræ Scripturæ est verus, & Catholicus; Propositio vocalis, vel scriptura, in Sacra Scriptura est vera, & Catholica; & per consequens, sensus litteralis Sacræ Scripturæ est principaliter Sacra Scriptura. Quod fuit probandum. Igitur Conclusio vera.

Confirmatur illa Conclusio. Nam si sensus litteralis juxta illam Assertionem non esset tenendus; sequeretur, quòd illa pars assertiva Sacræ Scripturæ, quoad illum sensum, esset falsa: & sic, Argumentum ab authoritate, quod est in Theologia facillimum, & validissimum, non valet. Patet: quia posita veritate illius Assertionis; non sequeretur, Hæc Propositio assertivè continetur in Sacra Scriptura; igitur ipsa est vera, & Catholica: cùm secundùm Beatum Augustinum *Non est Argumentum efficax in Theologia, nisi super sensum litteralem sit fundatum.*

Juxta Assertionem, aliquando sensus litteralis Sacræ Scripturæ est falsus. Patet propositum: ex quo ulteriùs sequeretur, quòd tota Scriptura Sacra esset suspecta; sicut arguit Beatus Augustinus, in una Epistola, ad Hieronymum: *Si*, inquit, *Sacra Scriptura*, intelligendo de Scriptura Bibliæ, *in una sui parte esset falsa, ipsa tota esset suspecta.* Totum * est enim, cùm non possit doceri, sine speciali revelatione, quòd istam, vel istam partem, & non aliam, Spiritus Sanctus authorisaret: sed hoc esset totam Scripturam Sacram invalidam reddere, & infirmare. Igitur Conclusio vera.

Et non solùm illa Assertio octava, sic in sua generalitate posita, est erronea in Fide; sed etiam ut est condependens à præcedentibus, relata ad intentionem Asserentis; cùm per illam Assertionem voluit Assertiones septem supradictas confirmare; sic quòd prædictæ Assertiones huic Mandato Decalogi, *Non occides*, sed ad sensum ipsius asserentis non repugnarent: quamvis, ad sensum litteralem illius Præcepti, secundùm communem expositionem Doctorum, repugnarent.

Sed dicit illa Assertio, quòd idem sensus litteralis ibidem non est tenendus; quia *occidit animam.* Hoc est error: cùm tunc illud Præceptum obligans ad semper, & pro semper, ad sensum litteralem; ad eundem sensum aliquando non obligaret; & sic non

* *forsan* Notum.

non ad semper, & pro semper; quod est contradictio.

Ex quo sequitur, quòd illa expositio est distorta: *Littera occidit*, id est, sensus litteralis occidit. Patet: quia authoritas Apostoli est vera, & expositio est erronea, ut patet ex præcedentibus. Igitur &c. Unde quod * secundum quod sensum quem prætendunt verba Scripturæ, ex constructione, & A significatione nuda grammaticali, Apostolus vocat *litteram*, qui aliquando, ut in ceremonialibus, & in judicialibus occidit, qui jam transierit, quem Judæi in talibus ceremonialibus & judicialibus adhuc prætendunt esse sensum litteralem, quos Apostolus reprehendens dicit. *Littera occidit*. 2. Cor: III. 6.

Secundò. Sequitur quòd supposita veritate Sacræ Scripturæ, in singulis suis partibus assertivis; sensus litteralis non est semper ille sensus, qui ex constitutione grammaticali, & nuda terminorum significatione resultat, cùm tunc multæ Propositiones assertivæ, & ceremonialia, & judicialia exprimentes locutiones figurativè, & parabolicè, essent falsæ: quod non est dicendum, propter authoritatem sanctæ Scripturæ. Ideò per sensum litteralem, regulariter, & universaliter intelligendus est ille sensus, qui concluditur esse primarius, B & principalis intellectus ejus, ad intentionem loquentis, scilicet Spiritus Sancti, qui in Sacra Scriptura loquitur multis modis; & ille semper est verus.

Tertiò. Sequitur: quamvis quælibet pars Sacræ Scripturæ assertiva est vera, & Catholica; non tamen omnis Propositio recitativè contenta in ipsa, est vera, & Catholica.

Prima pars patet ex Conclusione. Secunda pars, de illa *Dæmonium habes*. Joannes VIII. 48. Et iterùm de illa, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*. Joan. XVIII. 30. Et iterùm, de illa; *Ecce homo vorax & potator vini*. Mathæi. XI. 18. Et sic de aliis multis. Igitur &c.

* *Locus corruptus.*

CONCLUSIO QUARTA.

QUarta Conclusio quoad nonam Assertionem, est hæc Catholica. *Credendum est, quòd omne juramentum deliberatè, & licitè factum, non vergens in* C *detrimentum animæ, extra casum fortioris obligationis, est observandum. Catholicè credendum est, quòd omne perjurium, vel fidefragium, extra casum supra scriptum, est cavendum; cùm quodlibet tale est mortale peccatum.* Igitur, per locum ab oppositis, Conclusio est vera. Et notanter additur in Conclusione, *extra casum fortioris obligationis*: ubi enim fortior superveniret obligatio, in casu socialitatis, vel confœderationis, juramento, vel promisso vallatæ, propter casum inevitabilis necessitatis, quæ compelleret occidere; vel, occidi facere aliquem confœderatum, vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutelæ; ubi, & non in alio casu, juramentum illud, vel promissum non esset servandum.

Confirmatur Conclusio. Propter infirmitatem humanam, securitatem, & fidelitatem habendam inter homines, ut mutuò sibi credant, juramento, D vel promisso se licitè stringere consueverunt; ne voluntatem, verbum, & dictum suum, in Contractibus, commerciis, & confœderationibus mutarent, in fraudem & injuriam, & in partis nocumentum. Sed si juramentum, vel promissum, sicut in Conclusione est circumstantionatum, non esset tenendum; omnis periret fidelitas, & securitas in Contractibus, commerciis, & confœderationibus humanis; quod esset totam politiam mundanam perturbare, cùm *Omnis controversiæ finis, ad confirmationem, est juramentum*, ut dicit Apostolus, *ad Hebræos*. VI. 16. Igitur Conclusio vera. Undè etiam Salvator, ad confirmandum Contractus, conventia divina, & confœderationes divinas cum hominibus, dignatus est per semetipsum jurare & promissa facere; qui tamen nullo modo potest immutare, & non tenere voluntatem, verbum, vel dictum suum, circa Contractum, conventum, vel per confœderationem, *ut per duas res immobiles, quibus impossibile est Deum mentiri*. ℣. 18. Aut fiendo perjurus, aut fiendo fidefragus, *fortissimum solatium habeamus*, ut scribitur *ad Hebræos*, ubi supra.

Quomodò homini ergo non erit iniquissimum, juramentum, vel promissum, ut in Conclusione circumstantionatum, non tenere, extra casum fortioris obligationis; cùm, in tali casu, sine dubio, ille perjurium, & notam infamiæ incurreret; quod homines plùs habent, & debent, quàm omne humanum incommodum, & damnum, ab una parte, declinare, ut omne commodum, & lucrum humanum, ab illa parte, adipiscatur. Igitur &c.

Ex quo sequitur, quòd catholicè credendum est, quòd omnis socialitas, vel confœderatio, promissione, vel juramento vallata, deliberatè & licitè facta, non vergens in periculum animæ, extra casum fortioris obligationis, est observanda; etiam si ipsum juramentum, vel promissum vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut liberorum. Patet ex Conclusione, & probatione; cùm plùs debet diligi anima, quàm corpus; sponsa, aut liberi, quàm etiam commodum & damnum temporale qualecumque proprium, vel sponsæ suæ, aut liberorum; dicente Salvatore, Matth. X. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem; filium, aut filiam, plusquàm me, non est me dignus*. Et ℣. 39. *Qui invenit animam*, id est, vitam animalem, subaudi, *perdet eam. Et qui perdiderit animam suam, propter me, eam inveniet*. Igitur Correlarium &c.

Secundò. Sequitur, quòd illa nona Assertio est erronea; ad perjuria, fraudes, & injurias viam præbens. Patet: quia juxta illam Assertionem, quilibet contra alterum volens malignari, & fidem non tenere, sive per juramentum, promissum, aut salvum conductum vallatum frangeret; aut fingere posset quòd talis promissio, juramentum, aut salvus conductus, esset in suum præjudicium, vel uxoris suæ, aut liberorum; & invalidaretur fides inter homines in tantum, & infirmaretur, quòd vix uni alteri credere posset, quacumque facta vallatione; & incurrerent infinitæ fraudes, & injuriæ, perjuria, & homicidia. Igitur &c.

Tertiò. Sequitur, quòd prædictæ novem Assertiones sunt necessariò per hoc sacrum Concilium Judicio Fidei condemnandæ. Patet: quia omnes, & singulæ sunt erroneæ, & scandalosæ; & septem primæ, ultra hoc, seditiosæ. Igitur Correlarium verum. Consequentia tenet ex suppositione prima; tunc etiam ideò, quia in Judicio hujus sacri Concilii ventilatæ habentes deffensores, & in audientia publica solemniter in contradictione positæ, ne ipsas hoc sacrum Concilium videatur approbare, juxta illud; *Error cui non resistitur, approbatur*. Tùm etiam ideò, ut pars Catholica ab erronea discernatur, propter scandalum simplicium plurimorum, qui ipsas Assertiones reputant veras, & Catholicas, propter Scripturas in oppositam partem in Auditorio adductas, & rationes coloratas. Tum etiam propter prolixitatem multorum sapientum, qui propter imitationem casus, per oppositam partem factam, quam pauci conceperunt, in perplexitate fluctuant, quam partem amplecti debeant ignorantes. Igitur &c. In quo etiam, attenta Articuli illius

illius condemnatione; *Quilibet tyrannus* &c. in quo Articulo omnes illæ Assertiones virtualiter continentur, circumstantias plures aggravantes in se continentes.

Ego &c. Theologiæ Professor &c. Ista scripta offero in favorem Fidei, sub correctione hujus sacri Concilii, profitens per juramentum præstitum, illas novem Assertiones Judicio Fidei reprobandas, ipsas Assertiones in se sicut stant, non habito alio respectu, considerando, & omninò ipsas ad casum nefandi homicidii referendo, Judicio Fidei condemnandas, quòd homicidium illæ Assertiones nituntur excusare.

Undecima Deliberatio, seu Cedula Partis Affirmativæ.

Reverendissimis Patribus, & Dominis meis metuendis, sacræ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus; nec non Episcopis, Magistris, & Doctoribus aliis per sacram Constantiensem Synodum in causa Fidei Judicibus Deputatis.

Ego &c. Magister in Theologia, per meæ professionis fidem, & juramentum præstitum requisitus, quatenùs humanis amore, odio, favore, & quâvis alia indebita affectione semotis, de novem Assertionibus mihi in scriptis exhibitis, ac in inserta ipsis quæstione, ea quæ, recta Fide, sentio, in scriptis fideliter exhiberem; sicut pura Fide teneo ex Scripturis, quæ novi fideliter, & sincerè.

Primò. Quòd illarum novem Assertionum primæ septem, in sensibus quos habent, secundùm significationem suorum terminorum merè grammaticalem, & regulas communis Logicæ, sint verificabiles in certis casibus fortè tamen nunquàm, toto sæculi ævo, evenientibus. Patet: nam possibile est quòd Princeps, propter detestationem tyrannidis, fortè pro tempore nimis invalescentis, statuat Legem non præcipentem, sed solùm permittentem, & consulentem cuilibet subdito Domini &c. juxta primam Assertionem, saltem notoriè talem; & quòd sit solùm unus tyrannus talis, de quo sit notorium cuilibet, quòd sit talis, & tunc ipsa est vera, saltem ut li subdito debet distribui destributione accommoda pro aliis à se; quia non liceret cuiquam occidere se ipsum. Et pari formiter verificarentur sequentes sex.

Item. Patet: in casu inevitabilis necessitatis, quo videlicet non pateret subditis alia via salvandi vitam corporalem sui Regis &c. ut deduxit Reverendus Pater Dominus Episcopus Attrebatensis.

Item. Absolutè, possibile est, quòd Deus, *apud quem non est impossibile omne verbum*. Luc. 1. 37. ita disponat, quòd sit solùm unicus Rex, & unicus tyrannus, machinans, *per cupiditatem* &c. juxta primam Assertionem; & cuilibet subdito inspiret, non quidem mandando, sed solùm permittendo, aut consulendo, quatenùs talem tyrannum occidat, vel occidi faciat, etiam se ipsum: & tunc verificaretur prima illarum Assertionum, & in tali sensu, & proportionabiliter sex sequentes, in sensibus similibus.

Secundo. Dico, quòd eædem Assertiones septem, stantibus etiam prædictis, aut similibus casibus, non sunt veræ in sensibus suis, quos faciunt communiter, tàm apud cujusvis Juris peritos, & doctos, quàm apud indoctos, ex conditione materiæ circa quam sunt assertæ, & occasione, & forma asserendi. Patet: nam in materia morali, præsertim Legum, Mandatorum, & Constitutionum, tàm divinarum, quàm naturalium, & humanarum, indefinita, communiter apud omnes, tàm doctos, quàm indoctos, solet capi universaliter tanquàm Lex, & regula actionum humanarum directiva: unde talis indefinita, sicut, & sua universalis non reputatur vera propter certum casum particularem, in quo tamen verificaretur, secundùm verificationem suorum terminorum merè gammaticalem, & regulas communis Logicæ; nisi ad talem casum referatur.

Sed si regulariter sic sit, in casibus communiter emergentibus, licet raro stet oppositum, in casu certo, quo epikeja à tali regulari Lege exciperet, ut illa indefinita: *Irascenti proximo suo, licitum est occidere ipsum*: nequaquàm reputaretur vera, etiam stante casu, quo solus Judex irasceretur malefactori jam justè ad mortem sententiato, nisi fortè ad talem casum quomodolibet referretur; imò ejus opposita, scilicet, *Irascenti proximo suo, non est licitum occidere ipsum*, reputaretur vera, & in casu prædicto, si non ad ipsum casum referretur. Sed aliquæ dictarum Assertionum sunt positæ indefinitè, imò aliquæ universaliter, in materia moralis Legis, & divinæ, quia tunc Præceptum *Non occides*. Igitur ex communi usu, tàm Doctorum, quàm indoctorum, capiuntur universaliter, nec verificantur propter certos casus raro emergentes; sed oportet regulariter sic esse, qualiter tamen non est.

Item. Quando in materia morali assumitur indefinita, tanquàm Major Syllogismi, ad subsumendum sub ea Minorem, & inferendum Conclusionem; tunc indefinita communiter accipitur universaliter, aliter enim non valet subsumptio. Ideò etiam in materia morali syllogizando, satis indistinctè solet assumi universaliter, vel indefinitè.

Sed dictæ Assertiones dicuntur à quodam assumptæ, tanquàm Majores ad subsumendum, & concludendum, pro excusatione, & justificatione Ducis Burgundiæ, à nece Ducis Aurelianensis. Quòd si sic: ex occasione, & forma asserendi ipsarum, patet quòd capiendæ sunt universaliter, aliter enim fuissent proposito asserentis impertinentes; nec ad idem propositum suffecisset verificabilitas earum, in certo sensu inevitabilis necessitatis, aut divinæ inspirationis; nisi ostenderit casum hujusmodi etiam tunc stetisse. Quia tamen illud est facti, non curo an verum sit, vel non; sed specialiter de prima arguo sic.

Pono, quòd A, & B, sint subditi certi Domini, in cujus mortem B machinatur, juxta illam Assertionem; sed hoc lateat A; imò credat quòd B sit vir bonus, & Regi suo fidelissimus, & directissimus, & non ferens ejus prosperitatem, malâ invidiâ A occidit B, nulla fungens authoritate publica. Tunc sic, *licitum est unicuique subdito* &c. ut dicit prima Assertio. Sed A est subditus, & B tyrannus; igitur licitum est ipsi A, occidere B. Minor patet ex casu. Igitur si prima Assertio est vera, licebit alicui occidere proximum, ex sola malitia invidiæ, quod est impiissimum.

Tertiò. Dico, quòd de qualitate dictarum Assertionum, sic absolutè propositarum, non est judicandum Judicio Fidei, secundùm eorum sensus primos, quos videlicet habent, secundùm materiam significationis grammaticalis suorum terminorum, & regulas communis Logicæ; sed secundùm sensus suos secundos, quos habent in communi usu om-

omnium tam Jurisperitorum, & Doctorum, ex conditione materiæ, & occasionis, ac forma eas asserendi.

Patet: quià tales secundi sensus earum sunt principaliores; cùm principalior sit communitas omnium in secundis sensibus communium eis utentium, quàm solorum Grammaticorum, & Logicorum: etiam sermones accipiendi sunt secundùm subjectam materiam, & sermo intentioni deserviat, non intentio sermoni: & sic principaliores sunt sensus earum quos communiter faciunt apud omnes; præsertim cùm ad primos suos sensus non sunt limitatæ, nec ad certos casus relatæ.

Item. Judicio Fidei judicandum est de Propositionibus, secundùm illos sensus, quibus Fideles communiùs utuntur, & eis a Fidei rectitudine abducentur †, vel in ipsa salubriter diriguntur: sed hoc in secundis sensibus illarum septem Assertionum, non in primis. Igitur &c.

Descendendo ad illas Assertiones in specie; dico quartò, quòd licèt prima ipsarum, in sensu suo primo, videlicet quem habet, ratione materiæ significationis grammaticalis suorum terminorum, secundùm regulas communis Logicæ, sit in certis casibus verificabilis; ipsa tamen, in secundo suo sensu, & principali, quem videlicet habet in communi usu omnium communiter & sic, simpliciter est falsa, erronea in Fide, & moribus, scandalosa, & blasphema in Deum, & ejus Legem.

Prima pars nota est ex primo dicto præmisso, secundùm *, secunda verò scilicet quòd sit falsa &c.

Patet ex secundò: sed quòd sit erronea in Fide. Probatur. Nam sicut Fidelis, de necessitate salutis, habet credere Articulos Fidei, innitendo primæ veritati divinæ, seu authoritati Dei revelantis: sic habet, de necessitate salutis, credere, quòd omnia, quæ Deus jubet fieri per sua Præcepta affirmativa, sint licita, imò debita fieri; per sua Præcepta negativa, sint illicita, & debita non fieri, innitendo summæ Dei bonitati, quæ rectissima est regula actionum inobliquabilis. Et sic, asserere, quòd licitum sit aliquid, quod Lege divina est vetitum, est error in Fide; & quòd licitum sit fornicari, vel usuras accipere.

Sed prima Assertio, in principali suo sensu est hujusmodi; cùm dicat, quòd *licitum sit occidere hominem*, non exprimendo casum, vel circumstantias debitas observari: & sic intelligitur universaliter, stantibus circumstantiis quas exprimit: & sic contrariatur Præcepto divino: *Non occides*, secundùm expositionem Doctorum ab Ecclesia approbatorum, quam ex aliis Scripturæ passibus, non ex corde proprio posuerunt. Igitur est erronea in Fide &c.

Item. Beatus Augustinus, *primo de Civitate Dei*, & allegatur in Decretis, XXIII. q. V. *Si non licet.*

Item: *Non occides*; dicit, quòd *Ab hoc Præcepto quasdam exceptiones facit divina authoritas*; & enumeratis aliquibus casibus, in quibus licitum occidere hominem, circumstantias tamen illius primæ Assertionis nullatenùs continentes subdit: *His igitur exceptis* &c. *quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimen incurrit.* Et sic, secundùm sententiam Beati Augustini, occidens, secundùm circumstantias primæ Assertionis; nisi aliæ exceptæ à Præcepto contrariant, peccat contra illud Præceptum, *Non occides*: Et sic occidere, dicit esse licitum. Igitur talis est error in Fide.

Ex eodem patet, quòd etiam est erronea in moribus. Non obstat quòd ipsa, secundùm ejus sensum primum, est in certis casibus verificabilis.

Quis enim audebit dicere, illam: *Cuilibet viro licitum est carnaliter commisceri cuilibet mulieri*, non esse erroneam in Fide, & moribus; & congruam Præcepto, *Non mœchaberis*; sed probabilem & Catholicam? Eò quòd est verificabilis in sensu suo, quem habet, secundùm materiam significationis grammaticalem suorum terminorum, in certo casu, quo videlicet solùm esset unicus vir, & unica mulier legitimi conjuges, sicut fuit ante conceptionem Cain primi filii Adam. Aut quis non dicat illam, *Licitum est cuilibet irascenti proximo suo, occidere ipsum*, non esse erroneam in Fide & moribus, atque contrariam Præcepto, *Non occides*; sed probabilem, aut Catholicam? quia verificabilis est, secundùm ejus sensum merè grammaticalem &c. in certo casu, quo scilicet solus Judex justè irasceretur proximo suo malefactori, jam justè sententiato ad mortem, & nulli alteri, qui casus verisimiliter frequentiùs contingit, quàm aliquis casuum verificantium primam Assertionem.

Sic etiam plures Arculi Wicleff, & aliorum, tàm in præsenti Concilio damnati, sunt verificabiles, in certis casibus, raro, aut nunquàm contingentibus; quod tamen non obstat ipsorum rationabili condemnationi. Igitur nec in proposito hoc obstabit.

Ex eodem patet, quòd sit scandalosa: quia dat assentienti occasionem ruinæ in homicidium. Patet etiam quòd est blasphema in Deum, & Legem; quia ipsis imponit incedens * videlicet quòd secundùm Legem Dei, liceat committere homicidium.

Similiter secunda Assertio est blasphema in Deum & Leges, quibus imponit quòd authorisent illicita.

Tertia Assertio addit ultra primam, crudelitatem necis, villanè, tam execrandam, per explorationes, & insidias.

Quarta, est injuriosa rationi, & æquitati, quibus imponit tam execrandam crudelitatem.

Quinta, est erronea in Fide & moribus: quia nefandum transgressorem Legis divinæ dicit non debere in aliquo reprehendi, quoad primam partem: sed secunda ejus pars, unà cum sexta, & septima Assertionibus, sunt injuriosæ † dignitati, quam asserunt debere acceptare, & authorisare factum contrarium Legi divinæ, scilicet nefandum homicidium, & debere præmiare, & remunerare bonis maximis, & plùs amare quàm priùs agentem nequiter contra Legem Dei. Licèt enim Rex licitè fortassis posset acceptare, & præmiare zelum talis occisoris, quem fortè, occidendo taliter, ostentaret se habère pro salute Regis: non tamen licitè acceptaret, vel authorisaret homicidium indè procedens; nec ipsum propter illud præmiaret, aut remuneraret honoribus, divitiis & amore; nec propter hoc, licitè ipsum amaret plùsquàm priùs, imò propter hoc nullatenùs est amandus; sed odiendus ut iniquus. Quemadmodùm Deus obstetricibus Ægyptii, approbavit, & remuneravit timorem, ex quo conservabant pueros Hebræorum; sed non mendacium, quo se excusabant erga Pharaonem; ut manifestè innuit Scriptura, dicens: *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos*, Exod. I. 21.

De octava Assertione, dico quintò, quòd sensus litteralis dici potest uno modo, impropriè, secundùm nominis derivationem; scilicet ille quem habuit Scriptura, secundùm significationem merè grammaticalem litteræ; ut sensus litteralis ipsius: *Iniverunt ligna consilium*, Judic. IX. 8. esset de

† *hic aliquid desideratur*
* *Locus corruptus.*

* *forsan legendum* innuens.
† *Videtur addendum* Regiæ.

de lignis materialibus. Et sic verum est, quòd *Semper tenere sensum litteralem in Sacra Sriptura, est occidere animam suam.* Sed nullus Doctorum, quos vidi, ita exponit illud Apostoli. *Littera occidit*, 2. Corinth. III. Ideò illa expositio meritò dicitur extorta; quia absque authoritate approbati Doctoris, de corde proprio sic exponentis, quasi violenter excogitata, ad colorandum falsitatem primarum A septem Assertionum, ac si non contrarientur Præcepto divino, *Non occides*; nisi secundùm ejus sensum litteralem falsum; cùm tamen Præcepta Decalogi moralia, principaliter in sensu litterali, ex intentione Dei data sint, nec talis propriè dicendus est sensus litteralis.

Alio modo dicitur sensus litteralis, propriè; scilicet ille, quem Author Sacræ Scripturæ principalis, videlicet Spiritus sanctus: aut secundarius, videlicet homo eam scribens; videlicet Moyses, Isaïas, Matthæus, Lucas, aut alius, principaliter per eam asserere intendebat; & ille propriè, & usitatè dicitur sensus litteralis Sacræ Scripturæ. Quis enim diceret, quòd sensus litteralis parabolæ seminantis, esset de semine materiali, & non potiùs de semine verbi Dei, de quo Christus ostendit se principaliter asseruisse? Et dicere, quòd talis sensus litteralis Sacræ Scripturæ, ita propriè dictus, sit falsus, etiam in minimo; vel quòd semper ipsum tenens occidat animam; est derogare infaillibili veritati Sacræ Scripturæ, & irrefraga- B bili authoritati Spiritus sancti. * *Dei homines.* 2. Pet. I. 21. Unde, intelligendo Assertionem, de tali sensu litterali propriè dicto, ipsa esset blasphema in Deum; quia sibi imponeret falsitatem.

Sextò. Dico de Assertione ultima, quòd ipsa est erronea in Fide & moribus, & scandalosa. Patet ex similibus motivis, sicut de prima, referendo eam ad Præceptum divinum: *Non perjurabis*; sicut prima referebatur ad Præceptum: *Non occides.* Nam secundùm Ambrosium, *De Officiis*, & Augustinum, ad Bonifacium, *Fides, & fœdera hosti servanda sunt.* Et jurans solvere usuras, tenetur eas solvere, ut satisfaciat juramento; licèt talis solutio frequenter vergat in præjudicium sponsæ, aut liberorum solventis, qui exindè depauperantur.

Nec potest hæc Assertio intelligi de præjudicio, vel detrimento animæ sponsæ, vel liberorum ipsius promittentis, vel jurantis; cùm observatio C Fidei, promissionis, aut juramenti unius hominis, nunquàm vergat in detrimentum animæ alteriùs hominis; nisi fortè esset promissio, vel juramentum irrationabile: ut si quis promitteret, vel juraret, non baptisare, vel baptisari permittere infantem suum; & servando promissionem, sineret ipsum mori sine Baptismo. Sed Assertio prima non solùm loquitur de tali irrationabili promissione, vel juramento; sed etiam de rationabili: cùm dicat generaliter, & indistinctè, *quocumque modo istud fiat, aut fieri possit.*

Postremò. De quæstione annexa, videlicet: *An prædictæ novem Assertiones sint Fidei Judicio reprobandæ*; dicò quòd si *reprobandæ*, vel dicit, *dignæ reprobari*, ut sit sensus: *An ipsæ sint dignæ reprobari*, vel *ut reprobentur Judicio Fidei*, ut patet ex præmissis, quòd sint reprobandæ; quia erroneæ in Fide, & moribus &c. juxta qualificationes ipsis superiùs appositas.

Vel si *reprobandæ* notat expedientiam, ut sit sen- D sus: *An expediat eas Fidei Judicio reprobari.* Sic, dico quòd consideranda est dispositio hominum, apud quos illæ Assertiones sunt disseminatæ. Nam si ex earum particulari condemnatione facta per Episcopum loci, aut aliorum doctrina sequenti, omne germen errorum à cordibus eorum jam esset evulsum; cautiùs credo sic eas præterire silentio, partibusque circa eas dissidentibus totale silentium imponere, ne sine fructu, ad conservationem simplicium, ipsis denuò deductis, nova scandala incitantibus fortè alacriùs partium deffensoribus, vel aliàs, quomodolibet suscitentur.

Si verò in eorumdem hominum cordibus aliquod erroris germen, ratione disseminationis Assertionum hujusmodi remansisset; credo, quòd non solùm expediens; imò necessarium sit easdem Assertiones Judicio Fidei, authoritate præsentis Concilii, reprobare: etiam si partes huc usque de ipsarum reprobatione dissentientes componerentur amicabiliter; cùm in hoc non ipsarum partium concordia, vel discordia; sed animarum periculum, & Fidei, ac salutis animarum profectus, à Fidei Judicibus sint attendenda.

Item. Expediens, & necessarium credo; etiam si ob id oriri scandala maxima timerentur: quia *Utiliùs scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur*: præsertim quia tunc, ratione illarum Assertionum, error animarum saluti contrarius prævaleret: in quo casu scandala, quantumlibet grandia sint, censenda scandala Pharisæorum accepta, non data, Christi Judicio condemnanda. *Matth.* & *Marci.* XV. & X. Etiam, secundùm charitatis ordinem, animæ salus, etiam proprii, prænonenda. Super qua dispositione hominum, & ceteris circumstantiis ad hujusmodi reprobationis expedientiam, vel nocumentum facientibus, requirendam puto mollitam Nationem Gallicanam, vel saltem ejus membra notabilia, ad neutram partem affecta, vel magis indifferentia, & per eorum juramenta, sicut requisiti sunt Theologi; cùm ceteræ Nationes de his solùm noverint ex auditis. Hæc manu mea propria scripsi.

Duodecima Deliberatio,

sive

Cedula

Partis Affirmativæ.

Reverendissimorum Patrum, & Dominorum Judicum arbitrio, pro benè, committo præsentem cedulam, ut universaliter legatur in publico, nomine etiam meo expresso: quia, ex meæ professionis debito, censeo me obligari, ut quæ de Fide Catholica corde teneo, requisitus, intrepidè ore confitear ad salutem; vel ut legatur solùm inter eos occultè, vel quòd omninò non legatur, prout judicaverint ad præsentem Tractatum Fidei expedire: quia non credo, quòd ultra Magistrorum meorum dicta, aliquid publicatione dignum scripserim in eadem.

Novem Assertiones mihi præsentatæ fuerunt in quadam Cedula papyrea, cum subscriptione Notarii, & tituli quæstionis. *Utrùm prædictæ novem Assertiones Fidei Judicio sint reprobandæ.*

Requisitus pro parte Fidei, in testimonium veritatis, ideò respondendo, per conscientiam meam, affirmo me credere, & nullatenùs dubitare, quin quælibet dictarum novem Assertionum falsa sit, & catholicè reprobanda, ut periculosa, & erronea, scandalosa, & perniciosa, in materia Fidei suspecta: & utinàm non esset aliqua earum hæresi propinqua, si non hæretica; licèt quibusdam glosis ine-

* Videtur fuisse omissum ex M.S. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti*

ineptis, & Scripturis authenticis, non conformibus apud nonnullos, nedùm aliquarum earum, sed & plures, colorari possint; à quibus si affectio inordinata tolleretur, & Judicio rectæ Fidei, & Orthodoxæ subessent; non æstimo, nec opinor, quòd dictas Assertiones assererent, aut modo aliquo approbarent.

Et in confirmationem dicti hujus, est Propositio quædam condemnata in quadam Sessione hujus sacri Concilii, quæ incipit: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè* &c. in qua etsi non omnes Assertiones præfatæ formaliter continentur; tamen plures earum virtualiter, seu sententialiter, & simili radice, satis clarè fundantur.

Decima Tertia Deliberatio, seu Cedula Partis Affirmativæ.

Ego &c. Sacræ Theologiæ Professor; protestatione præmissa, quòd in omnibus hîc infra scribendis per me, submitto me determinationi Ecclesiæ, & præsentis Generalis Constantiensis Concilii. Virtutis ergò mihi præstiti, ac per me exhibiti juramenti; Reverendissimis in Christo Patribus, & Dominis, Dominis Judicibus in causis Fidei, per dictum Generale Concilium Deputatis, ad novem Assertiones, *An* videlicet *sint Fidei Judicio reprobandæ*; in scriptis respondeo semper: Primæ Assertiones videntur esse contra Sacram Scripturam, quâ Exod. xx. dicitur: *Non occides*, quæ, ut ex eadem Scriptura patet, & per longum processum declarat Augustinus, *Duodecimo, De Civitate Dei*. Et communiter omnes alii ipsius Scripturæ Expositores. Intelligitur tamen de homine dictum, tam passivè, quàm activè.

Cùm ergo dictæ septem primæ Assertiones asserant, & supponant, quòd *Licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum* &c. ut in forma ponit prima Assertio: videntur dictæ Sacræ Scripturæ repugnare; & per consequens, sunt Judicio Fidei reprobandæ. Et hoc est, quod de dictis novem Assertionibus sentio. In cujus testimonium, hæc propria manu scripsi, ac à tergo, mei proprii sigilli impressione munivi. Anno Domini, 1415. Die septima Mensis Septembris, Constantiæ. Instante ibidem celebratione Concilii Generalis.

Decima Quarta Deliberatio, seu Cedula Partis Affirmativæ.

Ego &c. Sacræ Theologiæ Professor, licèt indignus; ad exhibendum opinionem meam, secundùm conscientiam, super novem Assertionibus, per juramentum astrictus per Reverendissimos Patres Dominos Judices, & Commissarios in causa Fidei, per Sacro-sanctum Generale Concilium Deputatos: dico tres Propositiones, in testimonium veritatis.

Primò. *Omnia Præcepta Decalogi sunt de Fide.*

Pro cujus probatione supponitur, quòd omnes veritates assertæ in Canone Bibliæ; sunt de Fide.

A Probatur: quia si non; ergò cùm opposita Assertione pertinaci stat Fides: ergo staret aliquem esse Fidelem. Et tamen asserere pertinaciter aliquid, cujus oppositum explicitè asseritur in Sacra Scriptura, est erroneum. Licèt enim staret, quòd quis erraret circa ea quæ continentur expressè in Sacra Scriptura, ad quæ explicitè credenda non tenetur, & tamen Fidem non amitteret; dummodò non cognoscit hoc esse contra veritatem Scripturæ; credit etiam sicut asserit doctrina. Tamen si discrederet pertinaciter alicui quod Scriptura Sacra asserit explicitè, Fidem amitteret; quia esset hæreticus: quia id est * ibi hæresis complementum, scilicet pertinacia contra Sacram Scripturam. Et ita suppositio deducitur faciliter ex B dictis Petri de Tarentesia, & Thomæ, in IV. arguendo ex dictis ejusdem Thomæ, à contrario sensu. Ista patent satis in Bartholina, *Hæreticus*. I. *Paragrapho.*

Secundò. Item cuilibet veritas talis potest † etiam principium, in discursu Theologico, quo Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignit, nutritur, & roboratur. Igitur &c. Ex quo patet veritas Propositionis, hoc adjuncto, quòd omnia Præcepta Decalogi, sunt veritates assertæ in Canone Bibliæ.

Sequitur primò; quòd non solùm Articuli credibilium speculati, sunt de Fide; sed etiam veritates regulativæ actuum humanorum practicè. Patet ex Propositione.

Item. Aliundè: cùm Fides respiciat credibilia, in quantum necessaria sunt ad vitam æternam: omne ‡ ergo non respiciet principia actuum humanorum regulativa, quæ non minùs sunt necessaria ad vitam æternam consequendam, cùm actus exC indè sequentes, tanquàm ex regulis, sint ad id necessarii. Non enim sufficit credere, sine operari. Fidem namque sine operibus mortuam esse, quis ignorat? teste Jacobo, *In Canonica*. II. 17.

Item. Cùm circa principia talia practica non minùs periculosè sæpiùs contingit errare, quàm circa hujusmodi purè speculativa credibilia, ut patet intuenti, in multis erroribus damnatis, tanquàm contra Fidem. Quare ergo non respiciet illa sicut ista? Fortè dicetur, quòd ideò, quia hujusmodi principia practica sunt evidentia in lumine naturali: *Deus est*, quia demonstrabilis, secundùm Thomam, & Scotum, & Doctores communiter.

Iterùm ista fuit evidens: *Christus passus est*, illis qui videbant eum præsentialiter pati. Et tamen est Articulus.

Item. *Christus natus est ex Maria Virgine*; quæ fuit evidens ipsi Virgini Mariæ. Et tamen est Articulus.

D Item. Principia regularia actuum humanorum, ut sunt, verbi gratiâ, Præcepta Decalogi moralia, licèt sint nota in lumine naturali benè dispositis; non tamen causati. Nec ista interseruntur Sacræ Scripturæ, prout valent tantùm ad civilitatem politicam hominum: sed prout ordinant hominem ad vitam æternam meritoriè consequendam; quòd nequaquàm patet ex lumine naturali. Et proindè talia principia meritò dicenda sunt de Fide.

Istud

* *Forsan*, inest.

† *Hic aliquid desideratur*

‡ *Locus corruptus.*

Istud satis patet per Symbolum Athanasii. *Ad cujus adventum, omnes homines resurgere habent, cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum*; Et sequitur: *Hæc est enim Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Sequitur secundò, quòd hæresis, nedùm versatur circa purè credibilia; sed etiam circa actus humanos, & operabilia.

Patet supponendo, secundùm Hieronymum, quòd *Hæresis est dogma falsum, Fidei Orthodoxæ contrarium*; quod nedùm reperitur circa purè credibilia, sed etiam circa actus humanos, & operabilia: nam Ecclesia non solùm damnat errores, qui contrariantur Articulis speculativis nostræ Fidei, ut istis; *Deus est trinus, & unus*; verum etiam illos, qui contrariantur principiis, & dictaminibus practicis, ut istis; *Deus est diligendus super omnia, & proximus sicut nos*; in quibus *duobus tota Lex pendet, & Prophetæ*. Matth. XXII. 40. Quales errores nonnulli reperiunt, ut hæreses damnati, ut quòd *Sine ratgia divina, possumus implere divina Mandata*: contra Pelagium, in VI. *C.* Carthaginensis Concilii.

Item. Quòd actus carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, non sit peccatum mortale; contra Begardos, in Concilio Viennensi: *in Cle. C. Ad nostrum*: Similiter, quòd *Tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, vel subditum* &c. nuper per hoc sacrum Concilium Constantiense &c.

Ex istis sequitur tertiò, quòd istæ: *Non occides; Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, & aliæ similes, sunt de Fide, secundùm intellectum, quem auctor earum, Spiritus Sanctus, per eas voluit explicare. Patet; quia non sunt de Fide, nisi pro quanto sunt per Sacram Scripturam assertæ; nisi secundùm intellectum quem auctor ejus, qui est Spiritus Sanctus, *inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, teste Petro, *in Canonica secunda*. I. 21.

CONCLUSIO.

HÆ novem Assertiones præsentatæ, sunt contra Fidem, eas intelligendo secundùm intellectum quem faciunt communiter.

Probatur: quia sunt contra Scripturam Sacram, secundùm illum intellectum, quem auctor ejus, qui est Spiritus Sanctus, per eam habere voluit. Igitur &c.

Pro probatione Antecedentis, supponitur primò, quòd non est licitum Sacram Scripturam, ad placitum cujuslibet, interpretari, exponere, vel intelligere: quia hoc caderet in ridiculum Scripturæ, potiùs quàm in laudem; essetque velut regula plumbea, quæ non sufficeret tortuosa dirigere. Propter quod Hieronymus ait, in Epistolis, & allegatur, XXIV. q. III. *Hæresis*: *Quicumque aliter Scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus Sancti flagitat, quo scripta est, licèt ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.*

Ex quo sequitur, quòd hoc Præceptum, *Non occides*, sicut & alia, debet exponi, interpretari, & intelligi ad intentionem Spiritus Sancti; quæ intentio nobis per Scripturam, & per Sanctos, & Doctores authenticos panditur, & manifestatur.

Ex quo sequitur ulteriùs, quòd hoc Præceptum, *Non occides*, debet sic intelligi; *Non occides* hominem, scilicet te, vel alium spontè, & ex intentione, si non habeas publicam authoritatem, vel administrationem; aut etiam specialem à Deo, super hoc, revelationem. Patet: quia iste intellectus innotescit nobis ex Scripturis Sacris, & Sanctorum, & Doctorum approbatorum dictis.

Probatur prima pars per Beatum Augustinum; primo *de Civitate Dei*, Et habetur. XXIII. q. V. *Ca: Si non licet. In Sanctis Canonicisque Libris.*

Secunda pars probatur per glosam, Exodi XI. *Cùm minister Judicis occidit eum quem Judex occidi præcepit, homicida non est: sed si id sponte faciat, homicida est; etiam si eum occidat, quem scit à Judice occidi debuisse.*

A Tertia pars probatur: nam non habens publicam authoritatem, vel administrationem, qui gladium accipit, & sic *gladio peribit*. Matth. XXVI. 52. Undè Augustinus, secundo Libro contra Manichæos: *Ille*, inquit, *gladium accipit, qui nulla superiori, & legitima potestate, vel jubente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur.*

Iterùm, hæc tertia, & sequens nihil * probantur per Augustinum: primo, *de Civitate Dei*, ubi postquàm fecit mentionem de Samsone, & aliquibus virginibus, quæ, tempore persecutionis, se interemerunt, ex jussione, & familiari consilio Spiritus Sancti, sic infert concludendo; *His ergo exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus, specialiter, occidi jubet: quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii* B *crimen incurrit*. Et habetur, XXIII. q. V. c. *Si non licet.*

Et idem Augustinus, eodem Libro, sic dicit: *Qui sine publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, aut membris debilitaverit; velut homicida judicabitur, & tantò acrius, quantò non sibi à Deo concessam potestatem abusivè usurpare non timuit.* Concordat Thomas. *Secunda secundæ*. q. LXIV. Et similiter, Alexander de Halis, *Secunda parte sua Summæ. Quæstione prima*: super dicto Præcepto: *Non occides*. Aristoteles 2. 4. 5. & 6.

Dicitur autem, *Non occides hominem*: scilicet *te, vel alium*; propter interfectionem animalium, quæ licitè fieri potest propter hominem, propter quem ordinata sunt, ut determinat Thomas, ubi supra. Dicitur autem *spontè*; propter illos qui vim vi coguntur repellere, & cum moderamine tutelæ inculpatæ; aut qui occidunt à casu, non dantes operam rei illicitæ: tales namque intentionem occidendi non habent, ut patet per Thomam, & Ale- C xandrum; ubi supra.

Ex quo sequitur tertiò, quòd prima illarum Assertionum, secundùm sensum qui communiter, de veritate sermonis, intelligitur, est contra Fidem. Patet: quia est contra Sacram Scripturam debitè intellectam; ut patet ex præcedenti, & probatur aliundè. Quia si *Licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto, secundùm Leges, naturalem, moralem & divinam, occidere, vel occidi facere quemlibet tyrannum, qui per cupiditatem* &c. Igitur licitum est huic subdito occidere, vel occidi facere &c. Licitum est isti: & sic de aliis. Igitur licitum est isti, scilicet, talimet tyranno occidere, vel occidi facere talem tyrannum: & sic de singulis. Tenet consequentia prima, per descensum sub termino stante confusè, & distributivè, à parte subjecti; sicut à simili sequitur: Omnis homo est omnis homo: Igitur iste homo est D omnis homo. Et sic de singulis.

Consequentia secunda tenet, à tota copulativa ad alteram ejus partem. Sed ultimum consequens est erroneum. Igitur illud ex quo sequitur; quod est Assertio.

Quòd consequens sit erroneum, probatur: quia nisi sic; sequeretur, quòd licitum esset eidem interficere seipsum; posito quòd ipsemet sit talis tyrannus, qui machinatur &c. Patet enim; descendendo sub termino stante à parte prædicati confusè,

* *forsan* mihi

fusè, & distributivè. Sed hoc est contra Beatum Augustinum, ubi suprà, dicentem. *Insanctis, Canonicisque quæ Libris, nobis nusquam divinitùs præceptum, promissumve reperiri potest, ut vel ipsius demum adipiscendæ immortalitatis, vel ullius curandi, cavendique mali causâ, nobismet ipsis necem inferamus. Nam & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi Lex ait;* Non occides. Concordat Hieronymus, in una, XXIII. q. v. A *Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere.*

Consimiliter argueretur, quòd licitum esset subdito interficere tyrannum talem, quòd esset naturalis Dominus ejus; quod est contra doctrinam Beati Petri Apostoli, docentis nos: *Non tantùm bonis, & modestis, verùm etiam & dyscolis.* I. Pet. II. 18. Dominis reverenter subditos esse.

Ex quo sequitur consequenter, quòd aliæ Assertiones, usque ad octavam, sunt erroneæ; quia omnes innituntur primæ: & specialiter, est contra eos illud Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, aut per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Decretalis. *Pro humani. De homicidio.* Libro VI.

Ulteriùs supponitur, quòd sensus litteralis est ille, ex quo solo sumitur argumentum efficax apud omnes. Patet, secundùm Augustinum: ex quo sequitur, B quòd sensus litteralis Sacræ Scripturæ semper est verus. Propter quod dicitur, *Scriptura veritatis.* Undè Augustinus, *de uno Baptismo. Dist.* IX. VIII. *Quis nesciat, Sacram Scripturam Canonicam, tam Veteris, quàm Novi Testamenti, certis terminis contineri suis; eamque posterioribus omnibus Episcoporum Litteris ità præponi, ut de illa omninò dubitari, & disceptari non possit, utrùm verum, vel utrùm rectum sit, quidquid in ea scriptum sit, vel constiterit esse.* Et in Epistola prima, ad Hieronymum; ibid. VI. *Si ad Scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? Quæ tandem de Scripturis illis sententia proferetur?* Ex quo sequitur, quòd octava Assertio, quoad expositionem illam, est erronea; si intelligatur, quòd sensus litteralis Scripturæ Sacræ aliquoties sit falsus.

Supponitur ulteriùs, quòd per istud Præceptum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum;* inhibetur, quòd omne juramentum deliberatè, & licitè factum sit servandum &c. usque ad mortem corporalem, C dùm non vergit in animæ detrimentum; & non intervenit rationabilis authoritas, ut Dei revelantis, vel Prælati dispensantis: quia plùs debet animæ ejus Fides diligi, quàm corpus, ex ordine Charitatis.

Item. Quia omne juramentum est *omnis controversiæ finis*, secundùm Apostolum. *Heb.* VI. 16.

Item. Quia omne mendacium est prohibitum: igitur multò magis omne perjurium.

Ex quo sequitur, quòd ultima Assertio est erronea. Patet ex suppositione.

Ex omnibus istis sequitur, quòd istæ novem Assertiones sunt Judicio Fidei reprobandæ, prout li *reprobandæ*, dicat, vel tantùm valeat, sicut *digna reprobari*, vel *reprobatione.* Patet ex dictis. Ego &c. Manu propria &c.

DECIMA QUINTA DELIBERATIO, SEU CEDULA *Partis Affirmativæ.*

EGo, Sacræ Theologiæ immeritus Professor; habens præ oculis Deum; & nedùm juramentum quod feci Bononiæ, ferè sunt sexdecim Anni, in Licentia mea: sed quod nuper feci coram Reverendissimis Patribus, & Dominis Cardinalibus, & Judicibus in materia Fidei, cum nonnullis Prælatis, & Doctoribus aliis eis conjunctis, ad dicendum juxtà conscientiam meam, quid sentiam de novem Assertionibus Magistri Joannis Parvi, diù Parisiis damnatis.

Volens ergo conscientiam, quantùm possum, illæsam, & integram servare; dico, quòd ille novem Assertiones falsæ sunt, & erroneæ, & contra Scripturam Sacram; &, per consequens, Judicio Fidei, & per Judices Fidei, citiùs quo commodè fieri potest, damnandæ: & non minus justè, quàm condemnata est in decima-tertia Sessione hujus sacri Concilii, quasi fundamentum illarum novem Assertionum: illa scilicet Propositio; *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè & meritoriè occidi* &c. Undè contra primas septem, sicut & contra earum minùs amplam universalitatem, arguitur breviter, & compendiosè sic, primò.

Episcopum, vel virum Religiosum, ad perfectionem Evangelicam obligatum, occidere tyrannum, aut quemcumque hominem; nisi fortè in casum deffensionis propriæ vitæ, non est honestum: ergo nec licitum unicuique &c.

Consequentia patet: & Antecedens probatur. Occisio talis esset contra Evangelium, & prohibitionem Christi, & Apostoli. Ergo &c.

Antecedens patet, *Mat.* VI. 39. ubi ad virum Evangelicum, & personas dicit Christus: *Ego autem dico vobis: Non resistere malo; sed si quis te percusserit ad unam maxillam* &c. Præterea Apostolus dicit, quòd *Oportet Episcopum esse irreprehensibilem.* I. Tim. III. 2. 3. Et sequuntur: *Non iracundum, non percussorem.* &c. Et *ad Titum* I. Et puto, quòd hujusmodi occisoribus ad litteram Dominus dicat. *Ne offeratis ultra Sacrificium:* & sequitur causa. *Quia manus vestræ plenæ sanguine sunt.* Isai. I. 13.

Confirmatur. Nam glosa quædam notabilis, super illo Matth. XXVI. 52. *Converte gladium tuum* &c. *Non licet*, inquit glosa illa, *Apostolis, seu viris Apostolicis, gladio materiali uti.*

Secundò arguitur. Prima Assertio claudit, seu includit contradictionem. Ergo &c. Et Antecedens probatur sic: Nam Sortem occidere Platonem tyrannum, sine quocumque Mandato, & ex obligatione Legis, naturalis, moralis, & divinæ; & Sortem occidere sine Mandato, quod implicat. Nec valet dicere, quòd li *Mandato* stet determinatè, ut sit sensus: *sine Mandato illo*: nullum enim potest Mandatum demonstrari, saltem justum, quod D non sub aliquo istarum Legum trium implicitè, vel explicitè contineatur.

Tertiò. Occidere tyrannum, sine quocumque Mandato; est contra Legem divinam. Ergo &c. Assumptum satis probavit Reverendissimus Pater, Dominus Petrus Cardinalis Cameracensis, in sua Responsione, ad quam me refero. Undè super illo, Exod. XX. *Non occides*, dicit Magister, in Scolastica historia: *Judex inquam, non occidit, sed Lex.* Nulla autem Lex præcipit talem tyrannum, de quo loque-

loquebatur Joannes Parvi, occidere, vel occidi facere: imò prohibet potiùs, & potissimè ab uno quoque subdito. Igitur &c. Idem Magister, in eadem historia, super illo Matth. xxvi. 25. *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit*: ita dicit. *Non accipit gladium, cui datur à Deo, vel à Lege, vel à Judice*. Et præsertim in prima Assertionum; quin imò potiùs prohibitio. Ergo &c.

Quartò. Potest argui de Amalechita, qui magnum illum tyrannum Saül, etiam ipso regnante, occidit, & punitus est à David. 2. *Regum* I. tanquàm injustus occisor. Ergo &c.

Præterea quintò. Potest argui, exemplo illius pii, & justi Hebræi, qui Absalonem tyrannum, volentem proprium Patrem molestare in salute corporali, & coronam Regiam aufferre, noluit occidere. Undè, 2. *Regum*, legitur, xv. 14. quòd David dixit: *Surgite, fugiamus Absalonem* &c. Et cap. xviii. 10. habetur; quòd cùm dixisset ille pius Hebræus: *Vidi Absalon pendere in quercu. Joab ait: Si vidisti: quare non confodisti eum in terram, & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & unum baltheum. Et dicit ad Joab. Si appenderes in manibus meis mille argenteos; nequaquam mitterem manum meam in filium Regis.* A simili, ut * debuit, occisor, vocans fratrem Regis tyrannum, per se, vel per alium, manum mittere, modo quo dicit Assertio prima.

Conformem quasi, & multùm similem historiam refert Tullius, 3. *De Officiis*, benè post medium; ubi narrat, quòd Fabritius Consul, noluit Pyrrhum Regem, qui Romanis conflictum dederat, veneno necare, licèt id potuisset; & à Senatu Romano, propter hoc † fuit condemnatus: & subdit Tullius; *Magnum*, inquit, *dedecus fuisset, & flagitium, si scelere superasset, quem virtute superare non poterat: visumque fuit Fabritio cum Aristide Atheniensi, qui nunquàm utilitatem à dignitate, id est, honestate, sanxerit, armis cum hoste pugnare, non veneno*, Hæc Tullius.

Et si dicatur, quòd Tullius, ante verba jam allegata, dicit, quòd *Contra naturam non est, spoliare tyrannum, cùm possis, quem est honestum necare; atque hoc omne genus pestiferum, atque in ‡ ipsum ex hominum communitate exterminandum est.* Hîc dico, quòd verus tyrannus, quem constat esse tyrannum, exterminandus est isto modo, & Judicio, & non *villanè*, rusticè; quia nihil rusticum agendum est, ut dicit Tullius, ubi supra; nec insidiosè, & malitiosè. Undè idem Tullius, ubi supra, *Nemo*, inquit, *qui fortitudinis gloriam consecutus est, insidiis, & malitiâ laudem est adeptus.*

Ex quibus verbis etiam patet, quòd occisor ille, de quo ad litteram loquuntur illæ Assertiones novem, propter illud homicidium non debet famari, neque laudari, cùm id ordinaverit malitiosè.

Præterea sextò sequitur, quòd in casu, tyrannus non jussus à Deo, posset seipsum licitè occidere. Consequens falsum; & patet consequentia, in casu quo nullo modo vellet, teste conscientia sua, à tyrannide desistere: tunc, ex quo est subditus Regis, juxta primam Assertionem, licitè seipsum posset occidere, sicut seipsum turpiter occidit tyrannus Zambri, 3. *Regum* xvi. 18. Sequitur quòd Adramelech, & Sarasar, filii Sennacherib non peccassent, occidendo Patrem. Consequens falsum est, & contra illud: *Honora patrem* &c. *Exod.* xx. Et patet consequentia: quia ille fuit maximus tyrannus, ut patet, 4. *Regum.* xix. *Secundo Paralipomenon.* xxii. *Topicorum primo. Isaïæ.* xxvii.

Item. Octavò sequitur, quòd nec Judæi peccassent, occidendo Christum. Consequens falsum; & patet consequentia: quia crediderunt Christum maximum tyrannum, falsè, & insidiosè quærentem æqualitatem Dei. Undè arbitrabantur *obsequium præstare Deo*. Joan. xvi. 2.

Nonò. Sequitur, quòd quilibet Christianus subditus Deo, posset licitè quemlibet Judæum occidere. Consequens, contra illud Psal. lviii. *Ne occidas eos*, scilicet Judæos. Patet consequentia: quia ipsi sunt maximi tyranni: saltem habitualiter; & conati sunt, atque conantur Regi nostro Christo, imò cuilibet Regi Christiano, aufferre nobilissimam Dominationem &c.

Decimò. Arguitur sic: Nihil authorisant Leges, naturalis, moralis, & divina, nisi justum, & rectum. Sed occidere *villanè*, & viliter, propria temeritate *, à quolibet subdito, & præcipuè à suo cognato, & propinquo, cum quo parem ante fecerat socialem confœderationem, nec est justum, nec rectum &c. Major patet ex dictis Philosophi, *Sexto Ethicorum*: ubi vult quòd *Lex præcipit omne bonum, & prohibet omne malum.* Minor verò patet ex hiis quæ dicta sunt, & ex hoc, quòd *Nihil est turpius, quàm cum eo bellum gerere, cum quo quis familiariter vixerit*: ut dicit Tullius, *Libro, De Amicitia.* Et iv. *Ethicorum*, dicit Philosophus, quòd *Servile est, despicere familiarem.*

Confirmantur omnia prædicta. *Nullus debet occidi, nisi Judicio Legis: quia non Judex, sed Lex occidit*; ut dicit Magister, ubi supra. *Judicium* autem *accusatione, & deffensione constat*: ut dicit Tullius, ii. *De Officiis*, propè medium Libri. Ergo &c.

Præterea, undecimò arguitur, & præsertim contra quintam, sextam, & septimam Assertiones. Rex non tenetur, nec debet remunerare actum illicitum, qui fit contra suam voluntatem, de quo summè dolet: sed sic est in casu Assertionum, quòd actus ille fuit illicitus, & contra beneplacitum Regis, ut patet ex dictis, & in Litteris Regiæ Majestatis. Ergo &c.

Item. Duodecimò; contra octavam Assertionem: præsupposito quòd, propriè loquendo, *Sensus litteralis Sacræ Scripturæ, est ille, quem loquens, id est, Spiritus Sanctus principaliter intendit.*

Arguitur sic: In nullo passu Sacræ Scripturæ intendit loqui falsum: ergo sensus litteralis semper est verus. Patet consequentia: quia aliter vellet mentiri, ex eo quòd *Intentio fallendi, cum falsa significatione verborum, est mentiri*; ut habetur, iii. *Sententiarum.* xxxviii. *Distinct.* Et sic patet Assumptum; quia ipse est *Spiritus veritatis*, Joan. xvi. 13. *effugientis fictum.* Sapientiæ. i. 5.

Ultimò. Contra nonam Assertionem est Scriptura Sacra, in multis locis. Levit. xix. 12. *Non perjurabis in nomine meo.* Allegatur, *Matth.* v. Et secundùm Jura: ac etiam Tullium, in De Officiis: *Fides hosti servanda.*

Confirmantur omnia prædicta. Illæ novem Assertiones condemnatæ sunt Parisiis, per Dominum Episcopum Parisiensem, per Dominum Cancellarium, & omnes Doctores. Ergo non est verisimile, quòd sint veræ; sed potiùs Scripturæ Sacræ contrariæ: & per consequens, Judicio Fidei condemnandæ. Refero ergo me ad condemnationem prædictam, & ad futuram, in hoc vero Sacro Concilio faciendam per Judices Deputatos; & ad qualificationem ipsarum.

Scripta sunt prædicta omnia per me, manu propria, Constantiæ, tempore Concilii Generalis. 1415. Vigesima sexta die Novembris. Cum correctione Reverendissimorum Patrum Judicum, in materia Fidei Deputatorum. Et refero me in prædictis, præcipuè ad casum, in quo confectæ sunt illæ novem Assertiones præfatæ.

* *forsan* non
† *forsan addendum* non
‡ *forsan* idipsum
* *forsan legendum* authoritate.

DECIMA SEXTA DELIBERATIO,

SEU

CEDULA

Partis Affirmativæ.

REverendissimi, Venerabilesque Patres, Judices in causis Fidei, per Sacrum hoc Generale Concilium Deputati. De novem Assertionibus nuper per Reverendissimas Paternitates, atque per Sacræ Theologiæ Magistros præsentatis, inter quos ego minimus, & indignus; conscientiæ meæ, prout non solùm ex professione mea, sed etiam juramento coram vobis corporaliter præstito, efficaciter obligor, satisfacere cupiens, pauca, quia intelligentibus loquor, præsentibus inserere volui, per modum inferiùs annotatum.

Et quia, respondendo ad istas Assertiones, respicere non habemus ad factum aliquod particulare; sed solùm ad ipsas Assertiones in se nudè, & absolutè consideratas, secundùm modificationes, & qualificationes tyranni in ipsis inclusas: ideò, pro responsione ad illam materiam, pono illam Conclusionem.

Assertio prima, in ordine illarum novem Assertionum, nedùm simpliciter est falsa; sed etiam in nostra Fide Catholica, erronea omnimodè, & refutanda. Et quia fortè aliquibus non sufficit dicere quòd ita sit, nisi hoc etiam rationibus, & authoritatibus ostendatur: declaro primam partem illius Conclusionis *, attentis terminis dictæ Assertionis; & generali, ac universali modo loquendi; quia dicitur: *Licitum est unicuique subdito quemlibet tyrannum* &c. Ex quorum primo sequitur, quòd quilibet subditus talis Regis, hujusmodi tyrannum interficere licitè possit. Ergo &c. Episcopi, aliique Clerici in Sacris Ordinibus constituti; item, & simpliciter ignorantes tales, aut talem esse tyrannum.

Item sequitur, quòd in tali casu filius, Patrem; Monachus, Abbatem; & servus, Dominum; imò & quis, seipsum licitè interficere possit; cùm quilibet illorum possit esse talis tyrannus: similiter & quis, scire potest seipsum talem esse. Sed istis quid absurdius; quid denique seditiosius, infelicius, & confusibilius poterit inveniri?

Item. Sequitur, quòd cuilibet personæ privatæ, tali Regi subditæ, nulla publica authoritate fungenti, liceat talem tyrannum occidere: quod est contra omnem rationem: etiam cùm hujusmodi potestas coactiva non conveniat licitè, nisi publica potestate fungenti. Undè Beatus Augustinus, in primo, *De Civitate*, & ponitur in XXIII. q. VIII. *Quicumque percutit*. Dicit: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemcumque criminosum interfecerit, aut trucidaverit, aut membris debilitaverit; velut homicida judicabitur.* Et ibidem, q. V. c. *Si non licet*. Dicit idem Augustinus, quòd *Ab hoc Præcepto*, Non occides, *quasdam exceptiones divina facit authoritas.* Et prima; *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter, jubet occidi: quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur*, Et modicum ante ait; *Nec Samson aliter excusatur, quòd seipsum cum hostibus ruinâ domûs oppressit; nisi quia Spiritus Sanctus latenter hoc jusserat, qui per ipsum miracula faciebat.* Idem Bernardus, in Libro, *De Præcepto & Dispensatione*.

* *Videtur addendum* esse falsam,

Ex secunda; videlicet, quòd liceat interficer quemlibet tyrannum &c. Sequitur, quòd quilibet talis tyrannus, quantumcumque occultus, licitè à talibus occidatur.

Item. Qualitercumque talis, per cupiditatem, fraudem &c. tyrannisat: quæ manifestè falsa sunt, & patent consequentiæ; cùm illæ modificationes, A per *cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium*, non dicant manifestum processum ad actum exteriorem; sed magis quid de se occultum, vel actum interiorem, non tamen præcisè, vel solummodò actum invadentis, ut patet faciliter ex terminis. Ista idcircò Assertio non limitatur ad tyrannum actu Regem invadentem; vel ad causam inevitabilis necessitatis, ut dicunt adversarii; sicut clarè patet ex dictis; & illud valdè advertendum est in ista materia. Cùm ergo, secundùm Ambrosium, super Epistolam primam, *Ad Corinth.* Et ponitur. XXIII. q. IV. *Si quis potestatem. Judicis non est, sine accusatore damnare*: quia *ipse quædam justitia animata, quæ non est ad se, sed ad alium.* VI. Ethicorum, Ideò non potest esse Judex, accusator, & testis. A fortiori igitur, talis subditus non potest esse Judex, & testis, & actor, & executor; cùm non sit majoris authoritatis, quàm Judex ordinarius, B præsertim in casu Assertionis.

Item, secundùm Thomam. Secunda secundæ. q. LXIII. Art. IV. *Occidere malefactorem est licitum, in quantum ordinatur ad salutem totius Communitatis. Ideò ad illum solùm pertinet, cui committitur cura Communitatis conservandæ, ut sunt Principes publicam authoritatem habentes.* Ex quo infertur Argumento septimo, quòd illicitum est, quòd homo intendat occidere hominem, ut seipsum deffendat; nisi qui habet publicam authoritatem &c. Pro quo clarè facit Augustinus, *Ad Publicolam*: & ponitur XXIII. quæst. V. *De occidendis*. Sicut ergo membrum putridum abscindendum committitur Medico totius corporis curam gerenti; & sicut virtus corporis humani regitiva, exponit partem, pro salute totius; sic in proposito. Idcircò &c. non ad quemlibet pertinet bonum commune procurare, cum jactura alterius: quia, ut dicit Sanctus Thomas, ibidem, Argumento III. *Facere aliquid, ad utilitatem communem, quod nulli nocet, hoc licitum est cuilibet personæ; sed si sit cum nocumento alterius, non licet; nisi secundùm judicium* C *ejus, ad quem pertinet existimare quod sit subtrahendum partibus, pro salute sui corporis*, Concordat Petrus de Coringis, in III. Ex qua radice multæ rationes adversariorum clarè solvi possunt.

Ex illis igitur patet, quòd prima pars Assertionis est falsa; quia minus generalis est, extendens se ad omnem hujusmodi tyrannum, sive sit notoriè talis, sive non; cùm tamen, secundùm sanctum Thomam, in suo, *De Regimine Principum, ad Regem Cypri*, & quàmplures alios; *Notoriè tyrannus, & incorrigibilis, per Superiorem; & intolerabilis subditis, magis est Judicio Dei reservandus, quàm per privatam authoritatem, vel seditionem occidendus.* Et secundùm Alexandrum de Halis, in parte. *Ad interficiendum, secundùm Legem, requiruntur tria. Primum est: justa causa; ut si meruerit reus interfici. Secundum: justus ordo; ut occidens habeat potestatem, & convictus sit reus de crimine. Tertium: justus ani-* D *mus; ut scilicet fiat solo amore justitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ.*

Malè ergò dicitur, quòd hoc licitum sit, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam.

Nec relevat illud, per quod adversarii dictam partem asserentem colorare nituntur, dicentes: *Eos, qui zelo sanctæ affectionis, pro salute Reipublicæ certant, Spiritus Sanctus, secreta inspiratione authorisat.* Quia si hoc universaliter intelligunt; non est verum: aliàs, Sanctorum Martyrum occisores, arbitrantes se in hoc

hoc *obsequium præstare Deo*, eodem modo possent excusari. Si autem hoc intelligunt specialiter, in casu nostro; hoc tenentur ostendere, & probare: sicut illi, qui dicunt, se à Deo missos ad prædicandum, quibus non creditur, nisi per miracula, vel per Scripturam Sacram hoc probent, ut patet in Capitulo, *Cùm ex injuncto. De hæreticis.*

Sit Propositio. Ex illis patet consequenter, quòd secunda pars illius Assertionis, etiam manifestè est falsa, quæ dicit, quòd *Nedùm hoc est licitum, sed etiam honorabile, & meritorium*: & cùm nullum opus illicitum, & iniquum sit tale; sed magis reprehensibile, & demeritorium.

Nec obstat quod aliqui objiciunt, de obstetricibus. *Exod.* I. Quia remuneratæ non fuerunt propter mendacium; sed pro timore Dei, & benevolentia, ex quibus processit mendacium, ut dicit Sanctus Thomas. 2ª. 2æ. *quæst.* 110. Hæc autem Assertio dicit manifestè, quòd talis occisio justa & meritoria sit & laudabilis: nec salvat eam, quod adjicitur, *maximè quando est talis potentiæ* &c. Quia illa Assertio propter hoc adverbium, secundùm ejus communem acceptionem, præsupponere videtur veritatem præmissorum, specificando casum, in quo maximè præmissa habent veritatem. Si tamen aliter caperetur, non relevaret; quia non præmittitur, quòd non possit aliter Justitia fieri, per Supremum: sed, *bono modo*, &c.

Item. Non obstante potentia talis tyranni, Rex potest eum ad Judicium evocare; & exigente sua contumacia, secundùm Juris ordinem, contra eum procedere: & tandem, si malitia ejus est notoria, vel sufficienter probata, subditos ad occidendum eum authorisare.

Cùm igitur Judex, seu Rex talis, teneatur Juris ordinem, in quantum potest, servare; quia non potest talem non monitum, non citatum, non convictum, & subitò interficere: ergo nec talis subditus, majorem utique non habens authoritatem. Non ergo licet cuilibet sic occidere, sine quocumque Mandato, ut dicit Assertio.

Secunda pars Conclusionis positæ, videlicet quòd ista Assertio in nostra Fide manifestè sit erronea, probatur: quia manifestè est contra Sacram Scripturam, in multis locis; specialiter contra Præcepta Decalogi, *Non occides*: secundùm intellectum ejus debitum à Spiritu Sancto traditum; videlicet: *Non occides*, supple, voluntariè, & sine legitima authoritate.

Per primum, excluditur occisio casualis, & quando vis vi repellitur, cum moderamine &c. quia tales intentionem, & voluntatem occidendi non habent.

Per hoc ergo Præceptum, omnis injusta hominis interfectio prohibetur. Sed talis est ista: ut patet ex dictis. Igitur est contra Fidem, dicere talem esse licitam. Istam Consequentiam satis latè, &, judicio meo, benè deduxit, Dominus Cancellarius: ideò ad illam me remitto.

Non dico, quòd hominem interficere, sit contra Fidem: sed dicere, quòd licitum sit hominem taliter interficere, est in Fide nostra erroneum: hoc si quidem Præceptum, ad intentionem Legislatoris, non minùs tenendum est, quàm Articulus Fidei.

Ad idem facit sanctus Thomas, 2ª. 2ᵉ. *Quæstione prima. Argumento primo*; ubi quærit: *Utrùm objectum Fidei sit veritas prima.* Et arguitur, quòd *non, quia tunc idem est Fides, & fidelitas, cùm sint opposita. Sed circa omnia quæ sunt in Scriptura Sacra, potest esse infidelitas; quia quidquid horum homo negaverit, infidelis reputatur.* Et respondendo ad hoc, concedit, quòd *Omnia in Scriptura Sacra contenta pertinent ad Fidem; in quantum per talia ordinantur ad eum, & eis assentimus, propter divinam veritatem.* Ecce propositum hoc idem expressiùs tangit ibidem. *Argumento* VI. ubi objicit, quòd *Credibilia non sunt per Articulos deducenda; quia omnium quæ sunt in Sacra Scriptura, est Fides. Sed illa non possunt reduci ad certum numerum, propter multitudinem.* Respondet, quòd *Aliqua sunt credibilia, de quibus est Fides, secundùm se: de aliquibus verò, solùm in ordine ad alia; sicut in aliis scientiis quædam proponuntur, ut per se intenta; & quædam ad manifestationem aliorum. Quia verò Fides principaliter est de his, quæ videnda speramus in patria, juxta illud Apostoli, Ad Hebræos.* XI, I. Fides est substantia &c. *Ideò per se ad Fidem pertinent illa, quæ directè ordinant ad vitam æternam; sicut, sunt tres Personæ; Omnipotentia Dei; Incarnatio Christi; & hujusmodi: & secundùm illa distinguntur Articuli. Quædam verò proponuntur in Scriptura, ut credenda, non quasi principaliter intenta; sed ad prædictorum manifestationem, divinæ Majestatis, vel Incarnationis Christi: & secundùm talia non oportet Articulos distingui.* Ecce quomodò expressè Sanctus Thomas dicit, quòd omnia in Sacra Scriptura habita, nobis proponuntur credenda; &, per consequens, aliquo modo pertinent ad Fidem.

Item. Illa Assertio non minùs est contra Fidem, quàm illa nuper condemnata in hoc Sacro Concilio: *Quilibet tyrannus potest, & debet* &c.

Ex illis sequitur, quod omnes Assertiones posteriores, illam primam supponentes, vel ex ea dependentes, falsæ sunt, & erroneæ; licèt aliquæ ex eis videantur minùs universales, & generales.

Patet hoc; attento quòd hujusmodi Propositiones, in materia morali, per modum Regularum, & Maximarum, humanorum actuum directivarum, & regulativarum ponuntur, & sunt accipiendæ, ut dicunt etiam Juristæ: *Propositio indefinita, per modum Constitutionis, vel Juris posita, universaliter est intelligenda.*

Sequitur secundò, quòd secunda Assertio falsa est, & erronea, patet ex prima, personæ asserentis primæ dependet*, & ad ipsam sequitur, eamque supposito †. Est denique dictis Legibus valdè injuriosa, cùm utique nulla Lex justa illicitum authorisat.

Tertiò. Quòd tertia Assertio etiam falsa est, & erronea, patet ex prima specialiter; insuper continet malitiam, in eo quòd dicit: *Per explorationes & insidias*, & quòd, *hæc est propria mors talium* &c. quia est contra illud, Exod. XXI, 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab Altari meo evelles eum ut moriatur.*

Ex quo patet, quòd nullus per insidias, & subitò debet interficere proximum suum, quantumcumque etiam perfceleratum; nisi in casu specialis revelationis divinæ, & necessitatis inevitabilis. Et addunt aliqui casum diffidationis: quia debuit sibi præcavere. Ratio hujus est: propter periculum damnationis animæ. Sic enim interficiens, quantùm in eo est, mortem procurat animæ proximi sui, nisi exuberanti gratia præveniatur: ut dicitur in Decretali. *Pro humani. De homicidio.* Lib. VI.

Sequitur quartò. Quòd quarta Assertio similiter est falsa, & erronea, imò est plusquàm prima, pro quantò generaliùs, & universaliùs loquitur, quàm prima: quia dicit de omni tyranno, in communitate.

Sequitur quintò. Quòd quinta Assertio falsa est, & erronea: insuper tali Regi injuriosa, in eo quòd di-

* *Forsan legendum* Patet ex prima; quia ex persona asserente primam dependet;

† *Forsan* supponit

dicit: ipsum, tale factum nefarium authorisare debere, & acceptare.

Sequitur sextò. Quòd sexta Assertio falsa est, & erronea faciliter ‡ ex prima, & ejus deductione; cùm secundùm omnem Legem, Rex positus sit in vindictam malefactorum & non in remunerationem.

Ex quo sequitur septimò. Quòd Assertio septima similiter falsa est, & erronea, Regique multùm injuriosa. Non enim ex maleficio debet Rex aliquem plus amare; nec ejus peccatum pro fidelitate habere, & reputare. Neque etiam est simile de Michaële, & Phinées, quos sexta Assertio adducit: quia isti, sic faciendo, non peccaverunt, sicut ille interfector.

Sequitur octavò. Quòd Assertio octava etiam falsa est; impertinentem, & extortam expositionem dicti Apostoli continens. Patet: quia nec Doctores Sancti, nec Glosa Ordinaria, nec aliquis Postillatorum, quos pro nunc videre potui, istam litteram Apostoli sic exponunt; sed longè aliter. Nam Glosa Ordinaria, per litteram illam intelligit Vetus Testamentum, quod quidem occidit, supple *sine spiritu*; non quidem directè, sed occasionaliter: & ibi declarat. Non tamen propter hoc est malum; sicut *Scientia*, sine Charitate: *inflat*. 1. Cor. VIII. 1. Non tamen propter hoc, scientia sine Charitate, est mala. Aliter exponit: intelligendo per litteram, Legem; & per scripturam & spiritum, gratiam. Vel secundùm quemdam Postillatorem, Apostolus hîc ponit differentiam sui, ad Ministros Veteris Testamenti, quia illi sunt Ministri litteræ, docentis tantùm: non autem Spiritûs vivificantis; quia in eorum Sacramentis non conferebatur gratia: Ministri autem Novi Testamenti, litteræ docentis, & Spiritus vivificantis sunt Ministri, quia in eorum Sacramentis Novæ Legis, conferuntur dona Spiritus &c.

Vel si exponitur Apostolus, ut exponit ipsum Magister Nicolaus de Lyra, quem adversarii adducunt; intelligendo per litteram, Vetus Testamentum, specialiter quoad cæremonialia; & per spiritum, Novum Testamentum: non tamen propter hoc non † habent intentum. Quia licèt talis littera modò occideret observantem cæremonialia; non tamen ejus sensus litteralis occideret quemque: quia non est idem littera, & sensus litteralis Sacræ Scripturæ. Nam littera est sensus grammaticalis litteræ; sensus autem litteralis, est sensus quem author Scripturæ, qui Deus est, intendit: ut dicit sanctus Thomas, *in prima q.* 1. *Argumento* x, ex quo solo, secundùm Augustinum, in Epistola *ad Vincentium*, potest trahi Argumentum. Quomodò ergo talis aliquando est falsus?

Hoc idem dicunt aliqui, velle Nicolaum de Lyra, primo Prologo super Biblia; quem tamen, de præsenti, videre non potui. Undè sanctus Thomas, ubi supra, in fine, infert, quòd sensui litterali Scripturæ Sacræ non potest subesse falsum; nisi diceretur sensus litteralis, qui habetur ex significatione grammaticali terminorum, sicut videntur capere aliqui adversarii. Sed certè hoc non videtur benè dictum: quia, ut dicit sanctus Thomas, ubi supra, sensus litteralis Scripturæ significativè non potest propria figura *, sed figuratum; sicut ibidem declarat, per exemplum.

Ex illis igitur patet, quòd satis extorta est expositio illius Assertionis; præsertim applicando illam ad propositum, sicut Assertor ejus videtur intendisse, quòd videlicet hoc Præceptum, *Non occides*; sensu litterali aliquando occiderit animam. Nam licet Beatus Augustinus, in *De Baptismo parvulorum*, per litteram intelligebat Decalogum: nequaquàm tamen vult, quòd ille, in sensu litterali, aliquando occidat directè; licèt benè occidat indirectè, & occasionaliter, ut tangit glosa: quia *Virtus peccati Lex*, ut alibi dicit Apostolus, 1. *Cor*. XV. 56.

Sequitur nonò. Quòd Assertio nona, & ultima falsa est, & erronea. Patet: quia manifestè viam aperit ad perjuria, asserens indistinctè, promissiones, & juramenta, qualitercumque fieri possunt, non obligare, si contingat ea vergere in præjudicium unius confœderatorum, & uxoris suæ, aut liberorum. Hoc enim manifestè videtur esse contra illud Præceptum Decalogi: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*; ubi, secundùm Doctores, præcipitur omne juramentum deliberatè, & licitè factum, esse servandum, dùm non vergit in animæ detrimentum; etiam usque ad mortem temporalem: quia plùs debet diligi anima, quàm corpus; & Fides, rebus temporalibus quibuscumque. Secundùm Jura vulgaria, juramentum servandum est, quod non vergit in salutis æternæ dispendium, licèt damnosum sit rebus, & corpori; sit initum etiam cum hostibus: quia secundùm Augustinum, *Ad Bonifacium. Fides hosti servanda est.* Alioquin tota societatis civilitas radicitùs evulsa periret, cùm secuudùm Apostolum, *Juramentum omnis controversiæ sit finis.* Heb. VI. 16. præcipuumque humanæ societatis vinculum.

Item. Hæc Assertio, aut loquitur de præjudicio solùm spirituali: tunc si posset intelligi, vera esset. Sed tamen quia hoc non explicatur, nimis generaliter, & indistinctè loquitur: vel de præjudicio temporali, hæc Assertio intelligi debet; quia loquitur de præjudicio uxoris, & filiorum. Constat autem, nullum juramentum mariti, aut Patris vergere in præjudicium animæ uxoris, aut filiorum. Ex illo clarè patet, probationem adversarii nequaquàm procedere: quia loquitur de præjudicio spirituali solùm &c.

Ex illis infero ultimò, responsionem affirmativam, ad quæstionem quâ quæritur: *Utrùm illæ novem Assertiones Fidei Judicio sint reprobandæ*; capiendo participium *reprobanda*, pro *digna reprobatione*. Nam omnes illæ Assertiones, in quantùm occasionem injustam & iniquam, dicunt justam & licitam; seu insidias illicitas authorisant; vel juramenta & promissa asserunt non obligare, si quocumque modo præjudicant confœderatis; vel Scripturam Sacram affirmant, in sensu Authoris principalis aliquando non esse veram, vel occidere directè; sunt in Fide, & bonis moribus erroneæ, & multipliciter scandalosæ, ut satis deductum; & probatum est, * impreto.

Si autem li *reprobanda*, in titulo quæstionis, dicit expedientiam reprobationis per hoc sacrum Concilium faciendæ; tunc dubium est mihi, & fortè in tali sensu Theologis non est proposita. Tamen, sine præjudicio melioris sententiæ, dico, quòd si ex condemnatione illarum Assertionum innumera, multaque mala, ac scandala sequerentur, si pro nunc condemnarentur, ut multi dicunt; & modicus, aut nullus fructus: crederem illam condemnationem, pro nunc, esse omittendam. Si autem ex suspensione, vel omissione talis condemnationis Fides periclitaretur, plurimaque mala, & inconvenientia sequerentur, ut alii constanter affirmant; & de facto exorta in cordibus hominum radicarentur, credentium hujusmodi Assertiones sic solemniter, in Judicium sacri Generalis Concilii, quod supremus, & convenientissimus Judex est in materia Fidei, hîc in terris, deductas, tacitè approbari: vel aliquam probabilitatem habere; jux-

‡ *Forsan legendum* similiter † *forsan delendum* non
* *Hic aliquid desideratur*

† *Verbum corruptum*

juxta illud: *Error cui non resistitur, approbatur* &c. judicarem omnino*, non obstantibus scandalis quocumque: quia, ut dicit Gregorius, Regula Juris III. *Utilius scandalum nasci permittitur, quam ut veritas relinquatur.*

Ista, quæ supra scripta sunt, hæc sunt quæ ego &c. Sacræ Theologiæ Professor indignus, de ista materia, secundum Deum, & conscientiam meam, fideliter, & indubitanter sentio. In cujus testimonium hic manu propria mea subscripsi.

* *Addendum videtur*, condemnationem illarum non esse omittendam, *vel aliquid simile, omissum ex MS.*

DECIMA SEPTIMA DELIBERATIO,

Partis Affirmativæ.

Sub correctione hujus sacri Concilii Constantiensis, Reverendissimorum Dominorum in materia Fidei Judicio.

Ego &c. Sacræ Theologiæ Professor minimus, sentio de novem Assertionibus mihi oblatis, sic ut sequitur.

Primò. Videtur mihi quòd dictæ Assertiones, acceptæ in generalitate, & extensione quam habent ex forma sua, non sint veræ; sed quælibet earum falsa. Et ad hoc dicendum, movent me non dùm authoritates, & rationes per alios contra dictas Assertiones deductæ; sed etiam aliæ quædam rationes inferiùs annotatæ.

Ex quo infero, quòd quælibet earum est erronea: quia si falsa, tunc erronea. Nam secundùm Augustinum, super Psalmum: *Error, est falsi pro vero approbatio.*

Secundò. Videtur mihi, quòd quælibet harum Assertionum, accepta ut supra, est periculosa, & occasionem ruinæ præbens; maximè simplicibus, & imperitis: quoniam quælibet earum est injuriosa, aut divinæ Legi, aut Regali Majestati; aut est ad mala licentiam ac viam præbens; quamvis una magis, & alia minùs. Et ad hoc dicendum movent me authoritates, & rationes per alios adductæ, ad quas me refero. Et dico, quòd cujuslibet harum Assertionum dogmatisatio, est per hoc Sacrum Concilium prohibenda: quoniam ad hoc Sacrum Concilium pertinet purgare Ecclesiæ aream de doctrinis periculosis sibi denunciatis, sicut laudabiliter fecit in reprobatione Articulorum Wicleff, & Huss, &c.

DECIMA OCTAVA DELIBERATIO,

SEU

CEDULA

Partis Affirmativæ.

Reverendissimi in Christo Patres, & Domini præstantissimi; cum omni reverentia, & honore, ac determinatione Sacro-sancti hujus Constantiensis Generalis Concilii, & singulariter nostrûm omnium Dominorum, Judicum in facto Fidei commissorum; ad quæstionem propositam respondet C. Magister in Theologia, in modum qui sequitur: dicens, quòd doctrina in his novem Assertionibus contenta, est erronea, in Fide, & moribus, ac multipliciter scandalosa.

Probatur. Quia est contra ista duo Præcepta Decalogi: *Non occides*: &, *Non assumes nomen Dei tui in vanum* Exod. xx. & hoc secundùm intellectum Sanctorum Doctorum. Dicit enim Beatus Augustinus sic, exponens illud Præceptum, *Non occides*, in primo Libro, *De Civitate Dei*, cap. xxi. *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel ipse fons Justitiæ Deus, specialiter, occidi jubet: quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.*

Item. Hæc doctrina continet virtualiter errorem nuper in hoc Concilio Generali Constantiensi condemnatum; videlicet: *Quilibet tyrannus potest, & debet* &c. & in eadem radice fundatur. Addit insuper circumstantias plurimùm aggravantes, sicut de authorisatione Legis divinæ, naturalis, & humanæ, respectu talis homicidii, in secunda Assertione.

Item. De appretiatione occisionis, seu mortis per explorationes, & insidias, villanè, seu turpiter, quod idem est, in tertia & quarta Assertionibus. Per quod videtur approbare mortem subitam, & improvisam, quâ non solùm corpus, sed etiam anima, nisi gratia Dei præveniat, perimitur: sicut fiebat per assassinos, contra quos, & eorum Dominos, facta fuit Decretalis, in Concilio Lugdunensi. *Pro humani*, *De homicidio.* Libro VI.

Item. Quòd *Rex debet habere tale homicidium acceptum, & remunerare occisorem; & ampliùs quam ante diligere, ac suam bonam fidelitatem facere prædicari* &c. in quinta, sexta, & septima Assertionibus.

Item. Ad confirmationem errorum addit, quòd *Semper tenere sensum litteralem in Sacra Scriptura, est occidere animam*, in octava Assertione. Quasi velit dicere, quòd in aliquibus locis Sacra Scriptura sit falsa, & erronea, secundùm sensum litteralem: quod si concedatur, peribit tota Scripturæ authoritas; cùm nullum sit efficax argumentum, nisi fuerit in sensu litterali fundatum.

Item. Addit, quòd *In nullo ligat juramentum, vel confœderatio facta inter aliquos, si vergat in præjudicium alterius jurantium* &c. ut in nona Assertione. Nec distinguit, de præjudicio in bonis animæ, corporis, aut fortunæ; sed generaliter loquitur de præjudicio quantumcumque magno, vel modico. Et ita docet magis eligendum fore fidem, promissionem, & juramentum frangere, quàm denarium habentem, vel obolum perdere. Hæc autem omnia erronea sunt, & ad finem pessimum tendentia; quia ad justificationem horrendi, & detestandi homicidii.

Ex quibus infertur responsio affirmativa ad quæstionem propositam, scilicet quòd hæ novem Assertiones supra scriptæ, meritò sunt Fidei Judicio reprobandæ; & hoc confirmiter ad deliberationem Reverendissimi in Christo Patris, Domini Cardinalis Cameracensis. Patet ex dictis. Et hæc sint dicta, sub correctione benigna.

Decima Quarta Deliberatio, SEU CEDULA.

Partis Affirmativæ.

Et sunt duo Doctores in Theologia, infra scripti in eadem Cedula.

Reverendissimi Patres, & Domini. Cùm in Cedula per vestras Reverendissimas Paternitates & Dominationes, super novem Assertionibus &c. mihi data, quæratur: An sint Fidei Judicio reprobandæ. Cum benigna correctione, & determinatione Sacri Concilii, & vestrarum Paternitatum Reverendissimarum, præsupponendo protestationes in simili actu solitas, & debitas, divido prædictam quæstionem in duo membra, seu in duos sensus quæstionis.

Primus est: An prædictæ Assertiones sint erroneæ, hæreticæ, & scandalosæ &c. Aut quales, & qualiter condemnandæ, vel qualificandæ.

Secundus quæstionis sensus est: An eas expediat Judicio Fidei condemnari.

Pro responsione ad primum membrum, in quo consistit difficultas principalis, in quantum concernit dicta quæstio Jurisdictionem Fidei, & factum, seu deliberationem Theologorum: præmitto, secundùm doctrinam Philosophi, *in primo Rethoricorum*, quòd Leges, Constitutiones, Judicia meliùs fuerint, suntque minùs suspectæ, & suspecta, ante eventum casuum particularium per eas judicandorum, propter inordinatos favores, vel odia, & alias passiones, quæ plurimùm pervertunt judicium. Ex quo sequitur, quòd si Assertiones abstraherentur ab omni casu particulari de ipsis, ut sunt quædam Leges, vel Regulæ agendorum: certiùs, & sinceriùs judicaretur. Sed hæc abstractio, ut credo, in paucis habebit locum, saltem non in omnibus.

Secundò. Præmitto, quòd dictæ Assertiones, quæ, ut tactum est, tanquàm Leges, vel Regulæ humanorum actuum ponuntur; positæ sunt, non solùm, ut tales, & abstractæ ab omni casu particulari, sed ut justificationes, seu justificativæ alicujus actus mali, & reprobandi: & ex hoc aliqualiter, imò multùm redduntur magis suspectæ, magisque condemnabiles, & reprobandæ Judicio Fidei: adeò quòd si de se essent veræ; ex tali tamen abusiva explicatione, ad actum nefandum, & iniquum aliqualiter inferrentur, & specialem reprobationem, tanquam adulterinæ, & specialiter applicatæ mererentur.

Consimiliter, dato quòd Caïus, ad quem applicarentur, esset solùm de malitia suspectus, & non claré, vel notoriè malus: ex hoc tamen suspectæ, & reprobandæ specialiter redderentur.

Istis præmissis. Dico primò, quòd illæ Assertiones novem, sunt tanquàm præsumptuosissimæ, & suspectæ erroris, Judicio Fidei reprobandæ, & condemnandæ. Hoc est clarum. Tùm quia cùm sint solùm probabiles, secundùm adversarios; sunt tamen assertæ, seu tanquàm Assertiones positæ. Quia ergo clarissimè tangunt Fidem, & credenda in Præceptis, ad quæ, vel quorum observantiam omnes obligantur, & illorum credendorum credulitatem habere, etiam quantumcumque sint simplices, post discretionem adeptam; saltem non potest negari quin ad eorum credulitatem obligarentur omnes Theologi: sequitur clarissimè, quod sunt tanquàm præsumptuosæ Judicio Fidei reprobandæ, & condemnandæ. Tùm quia illæ Assertiones tanquàm Leges, vel Regulæ humanorum actuum sunt positæ, & assertæ ante eorum omnem authorisationem; imò textualiter, & mul-
A tùm apparenter contra Præcepta Decalogi, scilicet illa: *Non occides*: &., *Non perjurabis*. Ergo saltem sunt temerariæ, præsumptuosè assertæ, & tanquàm tales Judicio Fidei condemnandæ.

Unde talis & tanta reverentia haberi debet ad divina Præcepta, & ad credenda eis correspondentia, quòd quidquid eis contrarium apparenter, vel probabiliter asseritur, tanquàm temerarium, & præsumptuosum damnari debet, & reprobari. Tùm quia illa doctrina est suspecta apud bonos, & graves; seu gravis authoritatis in sacra doctrina, & ejus expositione, ac elucidatione: puta apud Theologos Parisienses, & innumeros alios Doctores. Ergo ut priùs, illæ Assertiones tanquàm præsumptuosæ, & temerariæ assertæ, sunt Judicio Fidei condemnandæ, tanquàm vehe-
B menter suspectæ &c.

Secundò dico, quòd nihilominùs prædictæ Assertiones novem sunt Judicio Fidei reprobandæ, & condemnandæ; eo modo, quo per deliberationem Parisiis factam condemnatæ fuerunt: quæ condemnatio, seu earum qualificatio, data est per Reverendissimum in Christo Patrem, Dominum Cardinalem Cameracensem: ad cujus declarationem credo sufficere rationes, & motiva adductas, & adducta per ipsum Reverendissimum Patrem. Condemnatio enim facta in hoc sacro Generali Concilio hujus Propositionis: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè, & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum; etiam per insidias, vel blanditias, & adulationes, non obstante quocumque juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cu-
C juscumque*, insertas esse* condemnandas.

Hæc enim Propositio per Generale Concilium condemnata, includitur sententialiter, & clarè virtualiter in illa doctrina novem Assertionum prædictarum: & super addunt illæ Assertiones multas circumstantias reddentes eas magis condemnabiles, secundùm quod ad longum satis declaravit idem Pater, in sua deliberatione.

Item. Si illa Propositio tangat Fidem, si pro †, quia, ut declaratum est per idem Concilium; à fortiori, istæ novem, cùm asserant, *Licitum esse, laudabile, & meritorium, remunerandum, & publicandum, seu prædicandum; & in nullo reprehendendum*, aliquod, imò aliqua, quæ sunt nedùm contra sanam doctrinam, & contra dictorum Præceptorum approbatas expositiones, & dicta Sanctorum, circa ea, si in ‡ de quacumque Propositione practica ita asseretur, ipsa intraret forum Fidei, etiam de levando festucam.

Item. Illa Propositio multo minùs fuit sine as-
D sertore condemnata, quàm condemnarentur istæ: quia satis, & nimis pro assertore, vel actore, aut publicatore reputari debet publicatio facta in hoc Sacro Concilio; imò defensio: & rationes factæ per Episcopum Attrebatensem, quoad hoc, plus faciunt, quàm earum publicatio, vel Assertio in uno Actu Scolastico, aut in Prædicatione. Et ideò ob carentiam assertoris non debet deesse earum condemnatio.

Item.

* *Locus corruptus: forsan legendum*, inserta, esset condemnanda.
† *Locus corruptus.*
‡ *Locus corruptus.*

Item. Casus inevitabilis, quo non possunt salvari prædictæ novem Assertiones, cùm in eis non exprimatur, imò potiùs oppositum denotetur: similiter esse meritum, & aliæ circumstantiæ depravantes, superadditæ illis novem Propositionibus, ultrà malitiam prædictæ condemnatæ Propositionis, multò amplius eam excusarent, & veram, aut probabilem redderent, quàm possint illas novem Propositiones, vel probabiles, aut veras reddere; quoniam major, & inevitabilior necessitas, & magis authorisatio per Leges, naturalem, moralem, A & divinam occurreret in occisione tyranni Rempublicam invadentis, & destruentis, ut liberetur ipsa Respublica, & salvetur, quàm pro salute corporali Regis hoc faciendo; cùm de tyranno supremo Rempublicam invadente minùs fieri possit Justitia, bono modo, quàm de quocumque tyranno inferiore ad Regem, ut clarè, & manifestè declarari potest. Ergo istæ novem Assertiones multò magis Judicio Fidei condemnandæ, quàm illa, ut profertur, per sacrum Concilium condemnata.

Item. Multùm notari debent illæ horribiles circumstantiæ, omnes ferè malum, nedùm inter Christianos, sed etiam inter Infideles inducentes, & apud omnem Sectam damnabiles, & proditoriæ, scilicet *per insidias*, *blanditias* &c. Et potissimè, quia perpetrantur, & inducere solent mortem subitam, & improvisam, quam intendere, à quocumque, maximè Chistiano, est inexcusabile, B & clarè contra charitatem fraternam; nec potest hoc, scilicet mortem improvisam, & subitam, ac damnationem animæ, quam vocat Auctor, *mortem secundam*, Judex licitè intendere; cùm sit notoriè contra illud Præceptum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Matth. XXII. 39. hoc est, ad vitam æternam. Imò vilissimus tortor tenetur, si possit, animam condemnati salvare. Etiam videtur illa Propositio sapere errorem de obstinatione viatorum, quamdiù sunt in via.

Item. In illis novem Assertionibus non exprimitur quòd sit notoriè tyrannus, neque tanquam talis judicatus, vel declaratus; nec ponitur, quòd habita authoritas sit interficiendi &c. per revelationem Dei: quæ tamen videntur circumstantiæ excusabiles, si sint possibiles apponi.

Item. Multùm cavendum est Judicibus Fidei, & specialiter sacro Generali Concilio, ne videatur favere interfectionibus, vel homicidiis, quæ C sunt de maximis peccatis. Et considerandum est attentè, quòd inferiores, & laïci sunt multùm & nimis inclinati ad imponendum vitia, potissimè tyrannidis, Superioribus suis; & libenter caperent occasionem, sub isto conficto colore, invadendi, & occidendi suos Superiores, eis imponendo tyrannidem. Nihil enim facilius est, quàm de quocumque Principe dicere: Tu machinaris contra salutem tui Principis. Tu laudabiliter & meritoriè potes, & debes occidi per insidias &c. si pro omni probatione sufficit dicere, hoc notorium esse, absque declaratione, vel condemnatione. Nec condemnare prædictas Assertiones, est facere novum Articulum, sed est declarare ipsas esse contra Articulos Fidei, quos * facere potest Episcopus, vel Archi-Episcopus alius à Papa.

Patet ergo responsio ad primum membrum; scilicet quòd illæ Propositiones, seu Assertiones sunt D Judicio Fidei reprobandæ, & condemnandæ, de eo modo quo Parisiis sunt condemnatæ, & non graviùs.

Ad secundum membrum quæstionis, quod est de expedienti: credo, quòd expediret eas condemnare, etiam in hoc sacro Concilio; tùm quia fuerunt deffensatæ publicè; tùm propter scandala, quæ aliàs contingere possent, si Generale Concilium propter timorem, vel aliam passionem non audeat, aut velit Propositiones condemnabiles condemnare. Quia tamen circà hoc deliberare non est proprium Theologorum; quantùm ad hoc, me refero ad determinationem, & deliberationem sacri Concilii.

VIGESIMA DELIBERATIO, SEU CEDULA *Partis Affirmativæ.*

REverendissimi Patres, ad Cedulam mihi traditam per Reverendissimas Paternitates vestras, in qua quæritur: Utrum novem Assertiones infra scriptæ sunt Judicio Fidei reprobandæ?

Ego Frater &c. Professor immeritus in sacra Theologia; facta diligenti investigatione veritatis supra dicta quæstione, per præstitum à me juramentum, & sub obligationibus cæteris, quibus ad bonum Fidei teneor: Respondeo ad præfatam quæstionem affirmativè, quòd videlicet sunt Judicio Fidei condemnandæ; cum illis qualificationibus dudùm ab Episcopo Parisiensi factis, vel amplioribus.

Dico insuper, totam hanc doctrinam pestiferam extirpandam esse, prout jam sacrum Concilium videtur incœpisse in condemnatione istius Propositionis, *Quilibet tyrannus* &c. quæ includitur in istis, prout Reverendissimus Pater, Dominus Cardinalis Cameracensis, in sua Deliberatione, clarissimè, & succinctè deduxit; cujus Sententiæ, licèt penitùs inhæreatur, tamen, in obsequium Fidei, rationes aliquas, & paucas, pro elucidatione meæ Deliberationis, in his scriptis deduco, referens me ad allegata per Dominum Cancellarium Parisiensem, suis in Audientiis publicis, quibus adhæreo, & adhærere intendo.

Supponitur primò, quòd hoc Præceptum: *Non occides*, sit de Lege divina, & pertinens ad Fidem; quod negari non potest, nisi Scripturæ sacræ textus in multis locis negetur. Indè est, quòd omnes errores, qui circà hoc Præceptum pullularunt, errores in Fide dicti sunt, ut patet in errore Manichæorum, *De non occidendis animalibus*; & similiter in istis erroribus, *De occidendis tyrannis* &c. *Quilibet tyrannus* &c. quæ Assertio hæretica, fuit nuper condemnata per hoc sacrum Concilium.

Secundùm: suppono, cum Sanctis Doctoribus, quòd ratio hujus Præcepti est ista: quia solus Deus est auctor vitæ hominis; ideò nullus debet eam auferre, nisi sit Dei Minister. Quam rationem hujus Præcepti malè considerantes Manichæi, dixerunt, ipsa animalia ab homine etiam non esse occidenda, cùm vitæ eorum Deus sit auctor, & non homo; non animadvertentes, quòd animalia cætera ad usum hominum ordinata sunt; ideò erraverunt: homo verò ad ipsum Deum dumtaxat ordinatus est; & ideò solùm ab ipso Deo, vel ejus Ministris occidendus est. Quamobrem, homini fuit datum univrsale negativum Præceptum, videlicet. *Non occides.*

Sed quia Deus quosdam homines constituit in terris suos Ministros, quibus ad reprehensionem malorum dedit authoritatem occidendi; igitur sic intelligitur hoc Præceptum, videlicet *Non occides*, *propria authoritate.* Deinde quia isti Ministri Dei sunt homines, & per consequens fallibiles, & passibiles;

* *Forsan legendum*, quod

sibiles; potestas eorum modificata est per alias duas circumstantias, scilicet, *innocentem*, vel, *non convictum*; & per istam, *non livore vindictæ*. Et sic patet, quoad hoc, quòd ut homo licitè ab altero interficiatur, necesse est ut omnes istæ circumstantiæ simul concurrant. Quod notatur in dicto Apostoli, ad Romanos, XIII. 4. *Non sine causa gladium portat, Dei enim Minister est*: ecce primam. A *Vindex in iram, ei qui malum operatur*: ecce alias duas.

Prima verò est principalis: quia aliæ duæ sunt solùm modificativæ ipsius. Ad hoc autem, ut talis actus occidendi sit licitus & meritorius, requiruntur conjunctim hæ tres circumstantiæ.

Itaque erroneum est dicere, quòd sit licitum interficere hominem, posita prima circumstantia, & non positis duabus aliis; ut quòd interficiens sit Dei Minister; & interficiat non convictum, vel livore vindictæ.

Similiter erroneum est, è converso, dicere, quòd positis duabus secundis, sit licitum, non posita prima, quæ est principalis, quòd interfectus sit convictus de crimine; & quòd non livore vindictæ interficiatur, & tamen interficiens non erit in hoc Dei Minister.

A fortiori, magis est erroneum dicere, quòd licitum sit occidere hominem, nedùm non positâ primâ circumstantiâ; sed ipsâ positivè exclusâ, & aliis duabus iterùm non positis; quod quidem dicunt prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, & septima Assertiones in vestra Cedula scriptæ: addendo ulteriùs circumstantias actum deformantes: ut utilitatem mortis per insidias, & debitum approbationis talis actus deformis à Rege Dei Ministro &c. ut ex tertia ipsarum clarissimè probatur. Ponit enim prima, quòd *Licitum est unicuique subdito, sine quocumque Mandato, vel Præcepto, secundùm Leges, divinam, naturalem, & moralem, occidere* &c.

Satis patet quòd excluditur authoritas Magistri, & Ministri Dei, cùm dicitur: *Sine quocumque Mandato, vel Præcepto*, secundùm Leges supra dictas: & quod pejus & contumeliosius est, imponitur Legibus, divinæ, naturali, ac morali, quòd hoc dicunt esse licitum, quod tamen expressissimè prohibetur.

Sed quòd aliæ duæ circumstantiæ non ponantur; videlicet, quòd interficiendus sit convictus; & quòd interficiens, non livore vindictæ agat; luce clariùs patet intuenti textum. Insuper, licèt casus necessitatis actum talem licitum, aut meritorium non faciat; tamen clarissimum est, videre, quòd per circumstantias textus non includitur in dictis Assertionibus, sed positivè excluditur.

Item. Arguitur sic syllogisticè. Et primò, ponitur, quòd Pe. subditus, occiderit Jo. qui erat talis, sicut Assertiones dicunt: tunc assumitur ista Major: *Licitum est unicuique subdito occidere, vel occidi facere* &c. & subsumitur ista Minor: Pe. occidit Jo. talem. &c.

Ex quibus infertur hæc Conclusio: Ergo Pe. laudabiliter & meritoriè occidit Jo. Consequentia bona est; quia in tertio modo primæ figuræ. Sed consequens est falsum in omnibus casibus, præter quàm in duobus, scilicet in casibus extremæ necessitatis, & divinæ inspirationis. Et adhuc, in casu extremæ necessitatis, sancti Doctores reputant falsum, quoad animum occidendi. Consequens igitur est falsum in omnibus casibus, qui communiter accidunt; quoniam raro contingunt actus extremæ necessitatis, & divinæ inspirationis. Ergo & Antecedens, & non pro Minore, quia posita est per casum. Ergo pro Majore, quæ est dicta Assertio.

Neque illa Assertio arctatur ad illos duos casus; imò non includit eos, sed excludit, ut clarum est intuenti ejus textum. Ergo est falsa, & erronea. Nam omnis Propositio universalis, sive indefinita, in moralibus, tanquàm pro regula humanorum actuum posita, quæ habet, vel potest habere multò plures, & sæpiùs contingentes casus falsitatis, quàm veritatis, erronea est, & intolerabilis: quin imò, unus solus casus falsitatis sufficit ad falsificandum totam Propositionem universalem.

Nec valeat suorum fautorum fuga, dicentium, quòd similiter in sacra Scriptura sunt Propositiones morales multæ, quibus si non supplerentur, aut adderentur circumstantiæ, essent falsæ. Respondetur, quòd totius Scripturæ sacræ compago ita sibi cohæret, quòd una Propositio sacræ Scripturæ per aliam exponitur; & per unum Scripturæ passum declaratur intentio Spiritus Sancti loquentis in alio passu. Indè est, quòd hanc reverentiam ad sacram Scripturam debemus habere, ut quòd ejus dicta in suo contextu recipiamus; & sic in ea nihil recipitur falsi.

Sed sic non est de Assertionibus Magistrorum, unde * & seorsum pro regula generali positis, quæ etiam aliquando, si ad intentionem referantur, forsitan pejores apparebunt. Undè hoc sacrum B Concilium condemnavit, & benè, multas Propositiones morales Joannis Wicleff, & Joannis Huss, quæ poterant habere aliquem casum veritatis, sicut ista: *Licitum est Diacono, absque licentia prædicare.* Ut: *Intrare Claustra, est damnare animam suam. Principes temporales possunt removere temporalia ab Ecclesiasticis.* Et sic de multis, aut similibus, quæ ut erroneæ sunt condemnatæ. Sic etiam Joannes Huss, dùm interrogaretur, & videret se convictum, addendo hunc terminum, *meritoriè*, nitebatur verificare, quod quidem ei modicùm profuit.

Item. Unica authoritate arguitur, per illud quod scribitur Matth. XXVI. 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Qui acceperint*, inquit glossa, *propria authoritate.* Et consideretur casus, obsecro, hujus dicti: jusserat enim Christus, ut Discipuli emerent gladios. Venerunt tyranni, injecerunt manus in Christum, ut eum interficerent: quod videns Petrus, petivit à Christo, an percuteret, & C nihil respondit Christus. Tunc Petrus, non expectato plùs responso, percussit gladio unum de illis tyrannis: quo facto, mox fuit à Christo reprehensus, & subdit Christus verbum jam dictum, videlicet. *Omnes qui gladium* &c. Atque casus in dictis Assertionibus expressus, alius est longè minor isto, & minus propinquus casui necessitatis extremæ, ut patet consideranti. Si ergo in isto casu, prædicta authoritas fuerit prolata in reprehensione Petri; multò magis allegari potest, in casu dictarum Assertionum.

Item. Si ista doctrina esset vera; sequitur quòd omnes Judæi habentes conjecturam, quòd Christus volebat usurpare Dominium Cæsaris, & se facere Regem, non peccaverunt, consentiendo activè in mortem ejus. Consequens est falsum, ut notum est. Sed consequentia probatur: quoniam dicit hæc doctrina; quòd *Jus est, & æquitas, quòd omnis tyrannus talis interficiatur per insidias; imò licitum est cuilibet subdito interficere illum, qui machina-* D *tur aufferre Dominationem sui supremi Domini.* Modò clarum est, ex textu Evangelii, quòd plurimi Judæorum hanc conjecturam & existimationem habebant de Christo; quin imò erat argumentum publicum, ad concitandum multitudinem populi. Dicebant enim omnes: *Omnis qui dicit se Regem, contradicit Cæsari.* Joan. XIX. 12. Undè si fuerunt aliqui, qui sola hac conscientia moti, consenserunt in

* *Forsan* nudè

in mortem ejus: sequitur, quòd non peccaverunt; secundùm hanc doctrinam falsam & detestabilem.

Quantùm verò ad octavam Assertionem: dico, eam benè, & debitè qualificatam, in Sententia Episcopi Parisiensis; & sub tali qualificatione à sacro hoc Concilio condemnandam. Ratio ad hoc me movens est hæc; quoniam, ut dicit Beatus Augustinus: *Sacra Scriptura sensus litteralis est semper verus, nec fit sufficiens Argumentum, nisi in sensu litterali fundatum.* Quomodò autem debet intelligi hoc verbum Apostoli: *Littera occidit*; satis declaratum est in quadam Cedula, quæ incipit: *Pro elucidatione* &c. Ubi clarissimè ostenditur, quòd non idem, *Sensus litteralis Scripturæ sacræ:* &, *Littera*, in Propositionibus symbolicis, & figurativis, & parabolicis, in quibus, secundùm Apostolum, *Littera occidit*, satis declaratum est. Et quanquàm expositio dicti textus Apostoli posita in dicta Assertione sit in se erronea, cùm, ut ponitur; cum cæteris illis Assertionibus adhuc magis est erronea, & multùm distorta. Nam, ut ibi ponitur, innuit, quòd hoc Præceptum: *Non occides*, non sit accipiendum secundùm sensum suum litteralem; sed à quolibet possit epikeiari, quod est falsum, & erroneum. Undè hæc octavá Assertio solùm posita est pro evasione rationum quæ insurgebant contra primam, & secundam Assertiones, ut patet benè consideranti eas.

Postremò. Quantùm ad nonam: dico, eam esse erroneam in Fide, pernitiosissimam, & ad perjuria viam præbentem, ac sub qualificationibus sibi traditis ab Episcopo Parisiensi, vel amplioribus, per hoc sacrum Concilium condemnandam. Ratio, quæ me movet, hæc est. Nam præjudicium animæ est solùm eventus frequens, qui tollere potest materiam juramenti præstiti. Ergo stat juramentum, & obligatio juramenti cum magno præjudicio ipsius jurantis, aut sponsæ suæ, aut liberorum. Sed dicta Assertio dicit, & asserit, quòd propter eventum præjudicii alterius jurantium, vel sponsæ suæ, aut liberorum, non tenetur juramentum servare. Ergo sequitur, quòd falsa est, & erronea, ac de directo contraria huic Præcepto: *Non perjurabis.*

Multæ aliæ rationes adduci possent, ad falsitatem, & ad condemnationem novem Assertionum: sed istis paucis nunc contentor, &c.

Dico insuper, quòd non solùm expedit dictas Assertiones condemnare; sed necessarium, propter tria enormissima scandala, quæ evidentissimè sequerentur ex ipsarum dissimulatione. Primum; est læsio Fidei. Secundum scandalum; est perditio innumerabilium animarum. Tertium; est confusio hujus sacri Concilii.

Primum patet: quia ad ipsarum dissimulationem, sequitur ipsarum confirmatio, & approbatio; juxta illud Canonis: *Error, cui non resistitur, approbatur.* Et maximè, attentis suorum fautorum deffensione, & numerositate, qui in præsentia Concilii eas publicare, & deffendere veriti * sunt; nulli dubium post discessum Concilii illud magis facient, & taciturnitatem Concilii pro approbatione allegatorum †. Ad quod scandalum & inconveniens, confestim secundum sequitur, scilicet perditio animarum. Quia populus simplex ad licentiam quamdam semper inclinatus, facillimè his Clericis adhibebit fidem, & adhærebit, ubi unius Mandati frenum dissolvere persuadebunt. Quanta animarum pericula, quæ seditiones, quæ mala ulteriùs sequerentur, facile est videre.

Postremò, hujus Concilii confusio indè clarè sequitur. Nam si post publicam, & apertam contradictionem in materia Fidei, quæ sub opinione non est relinquenda, cùm interitum corporum, & animarum immediatè respeciat; sacrum hoc Concilium, quod est suprema Regina in terris, suam determinationem deneget petentibus correctionem deviantibus in devia morum: quæ verba volabunt. Quis contemptus exurget. Quanta occasio æmulis Concilii relinquetur, cogitare abhorreo. Absit hoc, absit, quòd aliquorum hominum favor talem confusionem huic sacro Concilio inducat. Porrò, ex ipsarum condemnatione nullum scandalum sequi video; nec adhuc audivi: nisi scandalum Pharisæorum, quod sprevit Christus, & spernendum docuit, dicens: *Sinite eos, quia cæci sunt, & duces cæcorum.* Matth. xv. 14. Ista sunt, Reverendissimæ Paternitates, quæ ad Dei laudem, bonumque Fidei, ac hujus sacri Concilii honorem mihi pro nunc dicenda videntur.

VIGESIMA-PRIMA DELIBERATIO, SEU CEDULA *Partis Affirmativæ.*

EGo Jo. &c. in testimonium veritatis, requisitus à Vobis Reverendissimis Patribus, & Dominis Judicibus, Deputatis in causis Fidei per sacrum Concilium, dico, & per juramentum meum affirmo, me tanquàm verum Catholicum firmiter credere, & nullatenùs dubitare, quin quælibet novem Propositionum coram vobis exhibitarum, mihique per vos traditarum, catholicè condemnanda, & in forma subscripta, in fine hujus præsentis Cedulæ. Pro cujus tamen condemnatione amplioꝛi, dico quæ sequuntur.

Et primò; quòd salva authoritate, & correctione hujus præsentis Concilli, & Ecclesiæ Romanæ, quælibet illarum novem Assertionum concernit, & pertinet ad Judicium Fidei.

Probatur. Quoniam earum quælibet concernit aliquod Præceptorum, per quorum observationem pervenitur ad vitam, & felicitatem æternam: sicut clarè patet, *Matth.* xix. 17. 18. ubi Christus cuidam ipsum interroganti, & dicenti: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Cui respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata. Qui dixit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulterabis. Non perjurabis. Non furtum facies.* &c. Et idem habetur, *Marci decimo cap.* Constat quòd nullus ex puris naturalibus pervenire potest ad vitam æternam: cùm *Sine Fide impossibile sit placere Deo.* Heb. xi. 6.

Ergo clarè patet intuenti, quòd earum quælibet includat aliquod prædictorum Præceptorum.

Sequitur intentum; videlicet, quòd pertinent ad Judicium Fidei. Propter quod & Christus, in Nova Lege, dicta Præcepta explicare voluit, ut patet, *Matth. sexto capite*, in fine; quoniam etsi omnes ratione utentes dicta Præcepta non recipiant tanquàm principia Legis naturæ, regulantia actus humanos politicos, attento, prout in vitam æternam sunt directiva; omninò ad Fidem pertinent; cùm, eorum observatione, præsupponatur, & credatur gloria æterna possideri; sicut clarè patet ex dicto Christi allegato.

Item. Dato per adversarium; quod tamen est contra Evangelii veritatem, quòd solùm haberent Præcepta Decalogi homines regulare quoad actus humanos, & civiles; & non ducendo eos ad vitam

* *Legendum videtur*, veriti non sunt; nulli dubium quin post. † *Addendum* teneant.

tam æternum: non propter hoc negandum esset, quòd ad Judicium Fidei pertinere haberent, cùm ista Fides non habeat naturam infirmare, sed potiùs eam perficere; imò, quod plus est, ipsa Fide præsupponuntur principia in moralibus circa agibilia, veluti ipsi Fidei subservientia, sicut cuilibet intelligenti clarum.

Item tertiò. Hoc idem patet: quoniam hæc Propositio. *Quilibet tyrannus potest, & debet &c.* nuper per hoc sacrum Concilium condemnata, ad Judicium Fidei pertinet. Ergo & ipsarum novem quælibet ad Judicium Fidei pertinet. Consequentia tenet: quia dictarum Propositionum novem, quælibet ampliùs concernit agibilia humana, atque spiritualiùs quàm ipsa condemnata, veluti ad Judicium Fidei pertinens, eo quòd quælibet dictarum novem Propositionum addit ad eam plures circumstantias concernentes actuum humanorum facultatem ampliorem, quàm illa: sicut de authorisatione Legis divinæ, naturalis, & humanæ, respectu talis homicidii, in secunda Propositione. In qua Propositione, si benè perpendatur, latet maximè horribile venenum, non solùm Legem divinam absorbens, sed omnes positivas, & humanas Leges evacuans: eo quòd de quocumque actu Legem aliquam concernente, si quis contra eam egerit, licitè, conformiter ad hanc doctrinam; Lex, naturalis, divina & moralis, me authorisant de faciendo illud homicidium, vel quodcumque aliud contra dictas Leges perpetratum: quoniam hoc mihi dictat conscientia mea &c. & intuitus Fidei, & zelus cujuslibet politiæ bonæ in esse conservando.

Hoc benè consideretur & masticetur.

Ex quibus patet error aliquorum dicentium: Propositiones morales ad Fidei Judicium, & examen non pertinere. Nam, ut deductum est, ut habent aspectum ad consecutionem finis ultimi, immediatè subsunt Judicio Fidei: ut etiam præsupponuntur ab ipsa Fide, & gratia, quæ perficit naturam, veluti ipsi Fidei subservientia, & ad ejus defensionem multùm conferentia; non dubium intelligenti, quin ad Fidei Judicium, & examen pertineant.

Secundò. Ex hac deductione patet error intolerabilis, ac ipsis Prælatis, Episcopis, & Fidei Orthodoxæ multùm præjudiciabilis; quòd aliqui dicunt: non pertinere doctrinam contentam in hujusmodi Propositionibus, in suis Diœcesibus ac Jurisdictione condemnare. Patet. Nam ex quo, per adversarium, Propositiones istæ habent aspectum ad principia moralia, quæ etiam quilibet adultus, non solùm in Lege Christi, sed in quacumque Secta habet scire; sequitur clarè, quòd si in Lege Christi, quæ est perfectissima, aliqui in eorum observatione, voluntatis seu malitia, atque pertinacia exorbitent, præsertim de facto, aut aliquid in præjudicium veritatis ipsarum dogmatisent; quòd arcendi sunt per Episcopos, quibus cura suæ gregis commissa est: quoniam aliter eorum Jurisdictio nulla foret, neque eis, pro debita suorum subditorum conservatione, non solùm corporali, sed etiam spirituali Legem ponere licet, quod absurdissimum reputo.

Quantùm insuper hic error sit intolerabilis, ac ipsis Prælatis, & Fidei præjudiciabilis; hoc liquet, tam ex Jure divino, quàm Juribus positivis, quibus obligantur, ex statu suo, obviare erroribus, non solùm in Fide; sed etiam in moribus, sub pœna damnationis animarum suarum. Quod siquidem officium, si ab ipsis Episcopis removeretur, nihil aliud foret, nisi illas illaqueare, & authoritatem eis datam à Christo removere, & singulos eorum subditos ad quæcumque facinora disponere: quod non solùm Fidei Orthodoxæ, sed etiam omni Legi positivæ esset quamplurimùm præjudiciale; sicut deduceretur hoc, non solùm Jure divino; sed etiam Jure positivo.

Secundò verò, principaliter dico, quòd ex illis, quæ in præsenti Concilio publicè audivi; adversarii obviantes, & resistentes ne novem Assertiones prædictæ condemnentur, salva eorum reverentia, tanquàm ad pauca aspicientes, de facili evenit, ea quæ * ipsis, juxta eorum passiones, & affectiones videntur, non advertentes ad illud Tullii, memorabile dictum: *Non eadem videntur odientibus, & amantibus; iratis, & mansuetè se habentibus.* Ipsi namque innituntur duplici falso fundamento, prout ex deductione concepi.

Primum namque fundamentum, quo se ipsos, & alios non advertentes paralogizant, stat in hoc, quòd credunt istam valere consequentiam. Iste est interficiendus, secundùm Legem: quæ consequentia nihil omninò valet, ut clarè deduxit Dominus Alexander de Halis, in suo Libro, in quæstione illa, qua quæritur. *Utrùm illi qui non habent potestatem, universaliter prohibeantur maleficum occidere.* Et dicit ibidem, in solutione secundæ rationis, quòd *Hæc consequentia non valet, multis de causis: quia ad interficiendum, secundùm Legem, plura requiruntur, videlicet justa causa, ut si reus meruerit interfici; justus ordo, ut occidens habeat potestatem, & reus convictus sit de crimine.* Et allegat Augustinum, super sexto Matthæi, *Officia vindictæ possunt impleri; quomodò Judex, quomodò Lex.* Justus animus: *ut fiat solo amore justitiæ, non libidine vindictæ, vel appetitu pœnæ.*

Secundum verò fundamentum, quo se ipsos, & alios paralogizant, stat in hoc, quòd ipsi aliter casum ponunt, quàm sit in rei veritate, & quòd appareat ex ipso textu Propositionum mihi traditarum; & indè, apud non advertentes ad varietatem casuum, aliud, & aliud judicium apud eos de earum veritate, aut falsitate consurgit: eo quòd, sicut Hilarius inquit: *Intelligentia dictorum sumitur,* imò sumenda est, *ex causis dicendi.* Et idcircò expediret ad hoc, ut veraciter detraheretur præsens materia, quòd singuli circa eam deliberaturi considerarent in seipsis ad quid dictæ Propositiones fuerunt positæ: quia, ut clarum est, ad justificationem homicidii, viliter etiam, & enormiter perpetrati, ut patet ex intitulatione dictæ Propositionis. Non enim fuerunt positæ ad animandum homines ad virtutem, & Præcepta divina conservanda; sed potiùs ad omnem malitiam: ut clarè patet dictas Propositiones diligenter inspicienti, & consideranti; qualiter in una illarum Propositionum omittitur una circumstantia, & alia ponitur, ut ex singulis circumstantiis hinc indè positis, justificari valeret illud horribile homicidium: quamquam, ut clarum est, nihil inferant ad propositum, ut cuilibet inspicienti clarè patet.

Unde & aliqui adversariorum volentium hanc doctrinam pernitiosam deffendere, in aliquibus suis persuasionibus supponunt casum inevitabilis necessitatis, qui casus nullomodò includitur in dictis Assertionibus, si diligenter considerentur; imò patenter, & positivè ab eis dictus casus excluditur, si benè considerentur termini positi in casu mihi tradito: & specialiter ille terminus, *machinatur,* importat actionem occultam, & prolixam, &, per consequens, non patentem, nec inevitabilem. Et ita per singulos terminos fieri posset discursus: quo clarè ostenditur, quòd nullo modo hîc includitur casus inevitabilis necessitatis. Imò, si clarè perpendatur hæc doctrina, patebit quòd eam sustinentes & deffendentes, quantùm ad hoc, arguere volunt, ac si cordium secreta viderent luculenter, quod soli Deo reservatum est.

Imò,

* *Locus corruptus.*

Imò, ut deductum, omnem Legem divinam, naturalem, pariter & humanam, suo judicio, atque conscientiæ erroneæ volunt subditam fore; & per eos, ad libitum suæ voluntatis, fore epikeiandam; ut claré patet, si benè perpendatur deductio octavæ Propositionis, & etiam secundæ.

Et hæc sufficiant de secundo, causâ brevitatis; paratus, si opus fuerit, ista ampliùs deducere, propter conservationem veritatis Fidei, & ut frenum ponatur ipsam Fidem impugnare volentibus.

Tertiò. Dico, quòd prima Assertio fundamentalis totius materiæ, est erronea in Fide & moribus, ac multipliciter scandalosa; &, ex consequenti, aliæ octo sunt condemnandæ: quia in simili radice fundantur, & addunt circumstantias quamplurimùm illam aggravantes, ut cuilibet clarè patet.

Et pro fundamento condemnationis hujus pestiferæ doctrinæ, sufficiunt mihi allegationes Reverendissimi Patris, & Domini Cardinalis Cameracensis, quas, pro præsenti, quoniam publicè eas allegavit, prætermitto. Et si quis petet, quomodò debent hujusmodi Propositiones qualificari, seu baptisari: dico, quòd conformiter ad Sententiam datam per Dominum Episcopum Parisiensem, cui me, quantùm ad hoc, refero.

Et ex his infero Conclusionem responsalem ad quæsitum; videlicet, quòd illæ novem Assertiones Judicio Fidei veniunt condemnandæ, id est, sunt dignæ reprobari.

Patet: propter errores quos manifestè includunt, non solùm apud Fidei Orthodoxos: sed etiam apud quoslibet ratione utentes, nisi sint malitiâ obdurati, aut mentis cœcitate obtenebrati.

Sunt insuper condemnandæ, propter scandala exorta ratione doctrinæ contentæ in eis, & in futurum verisimile exoritura; nisi nunc condemnentur.

Undè, si nunc non condemnetur hæc doctrina, ex quo Generali Concilio est præsentata; à multis, & potissimè simplicibus judicabitur sana; & errores, & scandala ex ipsis ubique pullulari poterunt.

Vigesima-secunda Deliberatio,

seu

CEDULA

Partis Affirmativæ.

EGo &c. Sacræ Paginæ Professor Parisiensis: Dico, & per juramentum meum affirmo, secundùm quod conscientia mea sentit: & discerno, in discutionem intellectus mei, circa Quæstionem factam: An novem Assertiones in scriptis mihi traditæ per vos Reverendissimos Dominos Judices, sint Fidei Judicio reprobandæ; illa quæ sequuntur.

Pro cujus declaratione Quæstionis, prætermitto* aliquas suppositiones.

Primò ergo, suppono, secundùm processum Beati Augustini, in Libro, *De spiritu, & littera*, quòd *Litteram occidere*, nihil aliud sit, quàm Legem scriptam, quæcumque sit illa, demonstrare homini quid agere debeat, quidve evitare, & obligare ipsum ad præfata, sub certis pœnis. Et ob hoc, occasionaliter dicitur occidere; quia si non foret Lex, non est quis obligatus ad aliqua agenda, & præcavenda: & cùm id quod ipsa præcipit, non donet ipsa virtutem homini ad peragendum, ut supra tactum est, ipsa dicitur occidere. Propter quod inquit Apostolus, ad Rom. VII. 7, 8, 9, 10. *Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces. Occasione verò accepta, peccatum per Mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Et sequitur: *Ego autem vivebam sine Lege aliquando; sed cùm venisset Mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum; & inventum est mihi Mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per Mandatum seduxit me; & per id occidit me.* Et secundùm hanc sententiam alibi loquens idem Apostolus de scripta Lege. *Secunda ad Corinthios*, III. 7. dicit: *Quòd si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria; quomodò non magis ministratio spiritus erit in gloria?*

Ex quibus patet manifestè id quod intenditur; quòd quæcumque Lex scripta, intelligitur esse littera, quæ dicitur occidere, & pariformiter spiritum vivificare: vel non aliud intelligitur, quàm gratiam adjuvare hominem ad peragendum id, quod Lex justa, gratia, & littera præcipit esse faciendum, quod equidem est justum, sanctum, & rectum.

Secundò. Suppono, juxta sententiam omnium Doctorum, quòd sensus litteralis, sit sensus, quem Author scribens, principaliter, & expressè intelligit in sua locutione. Undè si aliqua sit Scriptura metaphysica; ille est sensus litteralis Authoris scribentis, & nequaquàm grammaticalis litteræ metaphysicæ, ut patet in pluribus locutionibus Scripturæ sacræ: ut est illud: *Ligna iverunt* &c. Judicum. IX. 8. Et de Christo plura prædicantur nomina, propter similitudines rerum, quæ attribuntur Christo. Quod apertè declarat Beatus Augustinus, cùm inquit: *Sic enim dicitur vitis per similitudinem, quemadmodùm ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis.* Et hoc confirmatur per illam famosam Propositionem Hilarii, in Libro suo, de Trinitate: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendorum, quia non sermoni res, sed rei sermo subjectus est.*

Tertiò. Juxta omnium Doctorum sententiam suppono, quòd omnes sensus Scripturæ sacræ, quibus Scriptura exponitur, sunt veri; quoniam si in aliqua sui parte sacra Scriptura falsa esset, tota esset suspecta, & calumniabilis, ut inquit Augustinus, in Epistola quadam, *Ad Hieronymum.*

Quartò. Suppono, quòd quilibet est transgressor Legis, qui sibi usurpat quod specialiter alteri commissum est. Patet: quia id quod uni soli datum est, aliis prohibitum est. Et insuper talis dicitur usurpare aliquid, quando id quod alteri singulariter datum est, partem propria voluntate ad se retorquet, & trahit; sic quippe dixit Christus Petro. Matth. XXVI. 52. *Omnes qui acceperint glagium, gladio peribunt.*

Quintò. Suppono, quòd cùm juramentum non sit aliud quàm invocatio divinæ Majestatis in testimonium eorum, quæ jurantur, & ad confirmationem promissionis factæ; si juramentum sit liberum, additur præfata invocatio, in testimonium eorum, quæ pacto firmantur. Patet, quòd ne fiat decisio tantæ invocationis, quòd solus ille casus excipitur solvendi juramenti, in quo divina Majestas respuit esse testis, quod fit cùm juramentum vergit in præjudicium animæ jurantis, quæ inviolabiliter Deo obligatur, ut servet Mandata sua. Quod patet sic: *In ore duorum, vel trium, stat omne verbum.* Matth. XVIII. 16. Cùm Deus sit supra omnes homines; tanta invocatio, nisi in casu prædicto, nullatenùs debet fieri. Et hoc est, quod Apostolus, ad Hebræos, VI. 16. *Homines enim*

* *Forsan* præmitto

enim per majorem sui jurant, & omnis controversiæ finis est juramentum. Et volens attollere humanam mentem ad firmam spem præcipiendo promissum à Deo * facie, *In quo volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles,* scilicet promissionem, & juramentum, *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* ℣. 17. 18. Et hoc confirmatur per illud Augustini, super Matthæum, dicens: *Quia ex hoc prohibetur juramentum sine necessitate, ne propter frequentiam jurandi, cadat homo in perjurium.*

Istis autem suppositionibus prælibatis, respondetur ad Assertiones. Et primò, ad octavam dicitur quòd est falsa, & erronea, & extorta est illa expositio. Patet hoc ex prima, secunda, & tertia suppositionibus. Nam aliud est cortex grammaticalis, & aliud est sensus litteralis. Nam si in omni locutione, loquens habet aliquem sensum, quem intendit: cùm loquens in sacra Scriptura intendit aliquem sensum determinatum; & per tertiam suppositionem omnes sensus Sacræ scripturæ sunt veri: sequitur quòd omnis sensus litteralis sacræ Scripturæ sit verus.

Ad primam autem, & secundam Assertionem dicitur, eas esse falsas, & erroneas, & contra Fidem, & bonos mores, & sacram Scripturam. Patet: nam si per quartam suppositionem, ille est transgressor Legis, qui sibi usurpat quod est alteri per se commissum; & per illud Præceptum Decalogi prohibetur occisio cuicumque, nisi sit specialiter authoritate munitus: sequitur ipsas falsas esse, & erroneas; & per consequens, contra Fidem, & Scripturam sacram, quæ prohibet occidere. Quòd autem sit contra mores vel nisi occurrat casus inevitabilis necessitatis, cùm voluntate exclusa, patet: quia illâ datâ, periret omnis politia, & Lex civilis: quoniam quicumque, sub isto colore, potest alium occidere; & in contumeliam redigetur omnis potestas ordinata, quæ à Deo accipit authoritatem, & gladium portat, ut malefactoribus pœnam eis meritam inferat, & quemlibet subditum, ne transgrediatur, timore codeceat †. Ad hoc autem est specialis determinatio Sanctæ Matris Ecclesiæ. XXIII. q. VIII. *Quicumque.* Ubi inquit sacer Textus: *Qui percutit malos in eo quod mali sunt, & habet causam, & potestatem interfectionis, Ministri Dei sunt. Qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, vel trucidaverit, vel membris debilitaverit, ut homicida judicabitur; & tantò acriùs, quantò non sibi concessam à Deo potestatem abusivè usurpare non timuit.*

Cùm ergo per Textum hunc, qui tactus est, ex verbis Augustini, in Libro *De Civitate Dei*, nullum genus peccatorum excluditur, in quem peccatorem, cujuscumque conditionis fuerit, nulli conceditur, nisi sit suprema authoritate publica munitus, pœnam interfectionis extendere. Sequitur Propositum.

Item. Ad hoc specialiter arguitur: Si illud, quod minus est, ab illo in quem peccatum cadere non potest ex statu suo, non auderet fieri, sine Præcepto sui supremi Regis, contra hostem publicum ipsius Regis sui; à multò fortiori illud, quod longè majus est prohibetur fieri ab illo, qui peccat actualiter, & decipitur in multis, sine Præcepto sui Superioris, in illum, in quem suus Superior non habet, nec tenet pro hoste suo. Sed cùm occidere sit longè plus quàm blasphemare, & illud non est ausus agere Michaël Archangelus, contra diabolum publicum Dei hostem. Ergo homini peccatori non conceditur, sine potestate sui Superioris, illum occidere, quem Superior non tenet hostem.

Consequentia patet, cum Majori: & Minor patet per illud, quod ait Judas, in sua Canonica: *Cùm Michaël Archangelus disputans cum diabolo altercaretur de Moÿsi corpore, non est ausus ei judicium inferre blasphemiæ, sed dicit: Imperet tibi Dominus.* ℣. 9.

Ex hac improbatione primæ, & secundæ Assertionum patet, tertiam, quartam, quintam, sextam, & septimam Assertiones falsas & erroneas pariformiter esse in quatuor punctis, quæ in ipsis continentur.

Primum est, quòd sit *Licitum cuicumque subdito, tyrannum interficere per explorationes, & insidias, & optimas cautelas.*

Secundum est, quòd *Quilibet talis debet interfici à quocumque subdito per assassinos,* ut dicunt tertia, & quarta Assertiones, quòd *talis debet interfici villanè, Gallicè,* vilainement.

Tertium, quòd *Rex talem interfectionem debet laudare, & commendare, & in tribus remunerare,* & præmiare, *in amore, honore, & divitiis.*

Quòd autem ista puncta contineant expressam falsitatem, & errorem horridum, probatur.

Et primò declaratur falsitas primi puncti. Nam cùm omnis actus exterior non sortiatur bonitatem, & malitiam, nisi per conformitatem ad actum interiorem bonum, vel malum; & tantò malitia pejor est, quantò sit ex magis fixa, & determinata deliberatione: quod patet; quia actus, qui fuerit * ex passionibus repentinis, & naturalibus, faciliùs veniam merentur, quoniam † qui fiunt ex præmediatata, & præcogitata malitia: ut patet in omnibus humanis actibus. Sed cùm omnis occisio voluntaria, à privata persona, simpliciter prohiberetur; à multò fortiori, si sit sociata cum determinata, & pensata deliberatione longæva, ut est *Per explorationes, & insidias, & optimas cautelas,* prohibetur à Lege divina, tanquàm erronea, & nefanda.

Quòd autem secundus punctus contineat manifestam falsitatem, & errorem, probatur. Nam cùm inter transgressiones contra Dei Legem sit latitudo difformitatis; quoniam in hoc, ad quæ exprimitur, inclinationibus naturæ inclinatur homo cùm peccat, facilior est impetratio veniæ, quàm in his, quæ homo committit ex præcogitata malitia, & perversitate voluntatis obstinatæ in peccatis quæ natura abhorret, & maximè etiam in peccatis spiritualibus, de quibus Gregorius dicit: quòd *Peccata carnalia majoris sunt infamiæ, & minoris culpæ.* Sed cùm sit majus peccatum voluntariè tendere ad occisionem hominis, quàm sit peccatum carnis, & in hoc peccato, detestabile habetur ab omnibus officium lenonis, & per ministerium lenonum procurare expletionem libidinis cum aliqua. Ergo magis per medium assassinorum pretio conductorum, vel modo alio, detestabilissimum est occisionem cujuspiam procurare.

Prætereà, quantò damnum proximo infligitur, in majorem sui jacturam, & majus periculum; tantò graviùs censetur peccatum esse. Sed cùm nulli viatori potest major jactura infligi, quàm tollere sibi inopinatè spatium recurrendi ad Deum per actus Contritionis, & Confessionis, in egressu suo ab hac luce; sequitur, quòd procuratio mortis alicujus, per assassinos, cùm illa, ut plurimùm, inferatur repentinè, sit summè detestabilis, & horrenda.

Ad hoc autem est specialis determinatio Sanctæ

* *Locus corruptus.* † *Forsan* coërceat

* *Forsan* fiunt
† *Forsan* quàm

tæ Matris Ecclesiæ, contra illos, qui tam nefario modo machinantur, & procurant mortem proximi sui. vi. *Decretalium. Pro humani* cap. *De homicidio*, quæ acta fuit per Innocentem quartum, in Concilio Lugdunensi, qui sic in forma ait. *Cum ergo illi, qui sic horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia mortem sitiunt aliorum, ut ipsos faciant per assassinos occidi, non solum corporum, sed etiam mortem procurant animarum, (nisi eos exuberans gratia divina prævenerit, ut sint armis spiritualibus præmuniti; ac omnis potestas tribuatur à Domino ad justitiam, rectumque Judicium exercendum. Nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam nefarias præsumptiones Ecclesiasticæ animadversionis mucrone ferire, ut metus pœnæ meta hujus præsumptionis existat: præsertim cùm nonnulli Magnates perimi formidantes, coacti sunt securitatem ab eorumdem assassinorum Domino impetrare, sicque ab eo, absque Christianæ dignitatis opprobrio, redimere quodam modo vitam suam.*

A

Sacri approbatione Concilii statuimus, ut quicumque Princeps, Prælatus, seu Ecclesiastica, sæcularisve persona quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquàm mors forsitan non sequatur, aut eos receptaverit, vel deffenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à Dignitate, Honore, Ordine, Officio, & Beneficio incurrat Sententias, ipso facto; & illa liberè aliis per illos, ad quos collatio pertinet, conferantur: sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus, tanquàm Christianæ Religionis æmulus à toto Christiano populo perpetuò diffidatus: & postquàm probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenùs alia excommunicationis, aut depositionis, seu diffidationis, adversùs eum Sententia requiratur.

B

Cum igitur Sancta Mater Ecclesia modum istum procurandæ humanæ occisionis tam detestabilem, horrendumque damnaverit: patet manifesta falsitas hujus secundi puncti, & ex hac deductione patet falsitas tertii, & quarti puncti. Nam cùm Principes à Deo constituti sunt, *Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, ut ait Apostolorum Princeps, in sua Canonica propria †. 1. *Pet.* II. 14. & ad exequenda divina Mandata, ac Sanctorum Patrum instituta, sint supra cæteros inferos singularissimè obligati, juxta illud Gregorii: *Tantò ergo etiam humilior, quantumcumque ad deserviendum Deo promptior quisque debet esse ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit ex reddenda ratione.* Cùm talis occisio voluntaria, ex usurpata potestate, & per tàm nefandum modum assassinorum, fit contra Dei Mandata, ac sacra Instituta, & Legem naturalem, ut probatum; sequitur, Principem, talem occisorem prosequi, ac justa ultione punire *; & per oppositum nec præmiare, nec honorare, nec suum factum, quod non potest dici fidelitas, sed infidelitas nequissima, & pejor infideli; cùm etiam apud infideles hoc scelus veretur commendando publicari; cùm hoc esset approbatio iniquitatis, quæ sola facit hæresim, & est in opprobrium Regiæ Celsitudinis, ut quæ maximè debet facinora exhorrere, facinora commendaret: propter quod in Isaïa contra tales reprobos dicitur: *Væ qui dicitis bonum, malum; & malum, bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Isa. v. 20.

C

Ad nonam Assertionem dicitur, ipsam esse falsam, & erroneam, & iniquam.

Probatur. Nam si ex solo casu, in quo juramentum vergat in præjudicium animæ, solvendum est juramentum, ut patet ex quinta suppositione, cùm damnum temporale alicujus promittentium, aut uxoris, aut filiorum possit stare sine præjudicio animæ: imò si servetur, stat cùm magno lucro animæ: sequitur, ipsam Assertionem falsam esse, & erroneam. Confirmatur: nam ex hoc nulla potest stabiliri firmitas alicujus promissi inter quamcumque personam, cujuscumque status fuerit; & falsa esset tam celebris commendatio Serenissimi Principis, Regis Joannis, qui ad Angliam, cum tanto dispendio, & jactura patriæ suæ, & gentis suæ reversus est, ne fidem suam frangeret. Et Sancti Regis Ludovici, qui Soldano Infideli tantas pecuniarum summas transmisit, ut Fidem præfato Infideli fidelis Christianus servaret. Ad hoc autem sunt multa & innumera exempla Christianorum, & infidelium, quot, & quanta fuerunt, ut fidem præstitam illæsam servarent: & communis conceptio Christianorum omnium, de juramento, & fide servanda. Et per hoc, ad interrogationem, factam tenetur pars affirmativa quæstionis, quòd præfatæ novem Assertiones, cùm sint falsæ, & erroneæ, & quàmplurimùm dogmatisatæ, sunt Judicio Fidei reprobandæ.

VIGESIMA-TERTIA DELIBERATIO, SEU CEDULA *Partis Affirmativæ.*

PRo responsione ad motam quæstionem. An videlicet novem Assertiones superiùs descriptæ, sint Judicio Fidei reprobandæ. Ego &c. humilis Minister, cum humili protestatione de acquiescendo opinionibus magis peritorum, & præsertim determinationi hujus sacri Concilii: dico breviter ea quæ sequuntur.

Et primò. Suppono, quasi notorium, & evidens apud intelligentes, maximè Theologorum, non sine admiratione, quòd apud tales debeat revocari in dubium, quòd videlicet Assertiones, quæ veniunt sub forma, & nomine *Licitum est*, contra Præcepta Decalogi, concernunt materiam Fidei, & fortè periculosiùs quàm Assertiones, quæ, de directo, respicerent speculabilia Fidei nostræ. Hujus suppositionis declarationi volo ampliùs immorari, *Quoniam scientibus Legem loquor.* Rom. VII. 1. Et prætereà satis probata est dicta suppositio, per condemnationem illius Propositionis: *Quilibet tyrannus* &c. quæ si concernat materiam Fidei, evidentissimè convincitur septem dictarum Assertionum materiam Fidei concernere: alioquin nec illa. Nec tamen per hoc volo dicere, de præsenti, dictas septem sequi ex illa, nec è contra: sed audeo dicere, cum protestatione præmissa, quòd si illa concernit materiam Fidei, quòd etiam aliæ.

Hac præmissa suppositione: videtur mihi, quòd hujusmodi novem Propositiones; attentis determinationibus, & apostilationibus Sanctorum Doctorum, veniunt, per expressum, contra duo Præcepta Decalogi: *Non occides*, & *Non perjurabis*, & non possunt, salva Fide, sustineri, vel deffendi.

D

Pro cujus declaratione, recipio mihi pro fundamento, quòd quantumcumque per quascumque Assertiones laxantur habenæ contra Præcepta Decalogi; hujusmodi Assertiones debent, per expressum, continere omnes, & singulas circumstantias, quibus possunt excusari, & excipi actus, & opera, quos, vel quæ concernunt dictæ As-

† *Legendum* prima * *Addendum videtur*, debere;

Assertiones: alioquin hoc esset leviter nimis dare viam transgressioni hujusmodi Mandatorum divinorum.

Constat, judicio meo, sub præmissa protestatione, quòd prædictæ Assertiones, quamvis plures exponant circumstantias; non tamen tot, & tantas, quæ debeant excipere ab observatione hujusmodi Præceptorum divinorum: *Non occides*, & *Non perjurabis*. Sed requireretur, præter dictas circumstantias, quòd tyrannus, de quo sermo, A esset notorius. Secundò, quòd videretur incorrigibilis, etiam notoriè. Et tertiò, quòd aliter non posset ab ejus mala voluntate, seu tyrannide præservari Princeps, de quo sermo, nisi per mortem dicti tyranni, ubi se concurrerent dictæ tres circumstantiæ, aut forsitan deliberaretur.

Quòd autem prima circumstantia, scilicet notorietas requiratur; ostenditur à posteriori: alioquin enim quilibet posset sibi confingere Principem suum esse tyrannum; ita licere, vel licuisse eum occidere, vel occidisse.

Quòd etiam secunda circumstantia requiratur, scilicet incorrigibilitas, patet: quoniam, ut plurimùm, potest quis per coleram, aut aliàs subitò moveri ad malevolentiam, injuriam, & mortem sui Principis, qui posteà recollectus statim pœnitebit. In quo casu non licet cuilibet eum interficere, ut prætendunt dictæ Assertiones.

Similiter tertia circumstantia videtur necessaria, videlicet quòd aliàs quàm per mortem dicti tyranni, non possit præservari dictus Princeps &c.

Quæ circumstantia, dictus Princeps, quamvis eam in suo casu non obmiserit Reverendissimus Pater Dominus Attrebatensis Episcopus, dùm partem negativam coloraret, obmissa tamen est in Propositionibus nobis datis; quæ tamen est necessaria; quoniam, secundùm doctrinam nostram Theologicam, ex ordine Charitatis priùs, & principaliter obligatur quis ipsi *, quàm cuicumque alteri, etiam suo Principi: præsertim in his, quæ concernunt conservationem vitæ suæ corporalis, & spiritualis.

Constat autem, quòd nemini licet, etiam deffendendo se, occidere alterum, si aliàs possit evadere manus alterius, & mortem suam: quinimò, secundùm Doctores, ubi non potest evadere manus alterius, occidendo alterum, habendo respectum ad occisionem, & non principaliùs ad suam liberationem, peccat mortaliter, & homicida reputabitur, si pro conservatione vitæ alterius, etiam Principis sui, alium interfecerit, si aliàs potuit præservare dictum suum Principem à manibus alterius.

Ex quibus concluditur omnibus, dictas Propositiones Judicio Fidei venire reprobandas, quarum qualificationes remitto Reverendissimis Paternitatibus, quibus me humiliter recommendo.

* *Videtur legendum* sibi ipsi

VIGESIMA-QUARTA DELIBERATIO,

SEU

C E D U L A

Partis Affirmativæ.

PRo responsione ad Cedulam traditam per Judices in causa Fidei, concernente novem Assertiones Parisiis condemnatas, pono etiam Propositionem præambulam.

Prima Propositio.

Licèt Præcepta Decalogi sint de Lege naturali; nihilominùs tamen sunt de Lege divina.

Prima pars patet: quia sunt nova *, ex dictamine purè naturali sequentia, ex secundo Proverbio: *Non facias aliis, quod tibi fieri non vis.* Ex quo statim sequuntur Præcepta secundæ Tabulæ: *Non est occidendum. Non est mœchandum*, & sic de a- B liis. Præcepta verò primæ Tabulæ ex alio fundamento nota sunt, puta, quòd non est irreverentia Deo facienda, imò summus honor, & veneratio sibi debentur: ex quo clarè sequitur illud: *Non habebis Deos alienos; nec facies sculptile* tibi ad adorandum; *Nec assumes nomen Dei tui in vanum.* Exod. xx.

Tertium autem, de sanctificatione Sabbathi, quantùm ad aliquod cæremoniale est, undè Apostolus, *Ad Romanos primo*, Philosophos idolatras reprehendit, eò quòd *Cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt; sed mutaverunt imaginem incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis: ideò traditi sunt in reprobum sensum, dicentes enim se sapientes, stulti facti sunt.* Hoc autem iis contigit, eo quòd honorem Deo debitum creaturis impendebant: hoc autem erat habere deos alienos.

C Hæc etiam prima pars communiter tenetur à Doctoribus Theologis: homines enim sola Lege naturali contenti, habent ista Præcepta pro directione sui regiminis. Ideò Gratian. 1. Distinct. dicit quòd *Jus naturale est, quod in Lege, & in Evangelio continetur.* Quod præsertim veritatem habet de hujusmodi Præceptis.

Secunda pars patet, *Exod.* xx. & *Matth.* vi. ubi Salvator exponit Decalogum.

Secunda Propositio.

Lex divina ordinat ista Præcepta ad ulteriorem finem, quàm sit ille, quem posset quis consequi in puris naturalibus stando; quia ordinat illa ad vitam æternam consequendam, juxta illud quod dicit Salvator. Matth. xix. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata. *Et ita finis, ad quem ipsa ordinat Lex naturalis, & † sub fine, ad quem ea ordinat Lex divina.*

Ex quo sequitur, quòd Propositiones dictis Præceptis repugnantes, ad Judicium Fidei spectant.

D Patet. Tùm quia repugnant Præceptis divinis, quorum quodlibet implicitè includit unum dictamen Catholicum: ut, *Non occides*, includit hoc: *Non est occidendum*, & sic de aliis. Tùm secundò; quia tales Propositiones sunt repugnantes his, quæ in Scriptura divina continentur.

Secundò. Sequitur, quòd *Aliqua Propositiones Physicales, & morales ad Judicium Fidei spectant tanquam condemnandæ.*

Pa-

* *Forsan legendum*, nota † *Forsan legendum*, est

Patet: de oppositis dictorum Præceptorum. Similiter Justitia est virtus. Similiter de ista: Deus. Non est enim opposita demonstrata ejus in scientia naturali.

Tertia Propositio.

Novem Assertiones prædictæ in Judicio exhibitæ, sunt Judicio Fidei reprobandæ, hoc est, digna reprobari.

Patet: de octo illarum; quia continentur in illa: *Quilibet tyrannus* &c. quæ condemnata est in hoc Concilio, & addunt circumstantias aggravantes, ut patet discurrendo per eas. Et hæc Propositio manifestior est, secundùm casum, qui manifestè eis innititur, quàm secundùm casum sophisticum de Gayo, & Titio, qui aliquid de veritate obmittebat, & miscebat ad falsitatem.

Patet etiam Propositio ex his, quæ allegantur in Cedula Domini Cardinalis Cameracensis.

Quarta Propositio.

Prædictæ Propositiones actu sunt condemnandæ in hoc Generali Concilio.

A Patet: propter scandalum, quod oritur ex eis, in magnam divisionem Regni Franciæ, quod verisimiliter cessaret, si per Concilium determinaretur quid circa eas est sentiendum: quæ si non determinarentur, ampliùs augebitur, & radicabitur. Ideò ad tollendum hoc malum, semel condemnandæ sunt: & præsertim quia maximè præjudiciabiles conscientiæ, & bonis moribus.

De qualificatione autem dictæ condemnationis, placeret mihi illa, quæ data est per Facultatem: si tamen in genere condemnentur, contentabor.

Reputo prædictas Assertiones errores in Fide & moribus.

Pro responsione ad motam quæstionem: An videlicet novem Assertiones superiùs descriptæ, B sint Fidei Judicio reprobandæ, & condemnandæ. Ego &c.

Cod. 1537. fol. 180.

Sequuntur Nomina Magistrorum & Bachalariorum Formatorum in Theologia, existentium in Concilio Generali Constantiensi.

DE NATIONE GALLICANA.

Cardinalis Cameracensis.
Episcopus Silvanectensis.
Joannes Gerson.
Jordanus Morini.
G. Pulcrinepotis.
Matthæus Rodel.
N. de Gonessia.
Jo. Balduvini.
Jo. de Templis, Bachalarius.
Dominus Chaylon.
N. Cavathe.
Ursinus Taillevende.
Jo. Almaris.
Poncius Simoneti.
Andrea Bernardi.
A. Burgini, Bachalarius.
B. Baptisati, Licentiatus.

De Natione Italica.

Patriarcha de Obedientia Gregorii.

De Natione Germanica.

Jo. Galancop.
Theodericus de Monasterio.
Lambertus de Ghelria.
Petrus de Pulea.
N. Dinkenspcul.
Stephanus Palis.
Petrus Suric.
Jo. Habundi.
Jo. Scetiveld, Bachalarius.

De Natione Anglicana.

Guillelmus Clinc.
Guillelmus Corff.
Richardus, Prothonotarius.
Henricus Albithon.
Jo. Fitton, Bachalarius.
Jo. Lok, Bachalarius.
Petrus Portriit, *sive* Pertriit, Bachalarius.

De Ordine Cisterciensi.

Abbas Cisterciensis.
Abbas Clarevallensis.
Abbas de Ursicampo.
Abbas de Versaillis.
Abbas Sancti Ghillesini, in Hannonia.

De Ordine Præmonstratensi.

Jo. Senachalli, *sive* Senacholli, Bachalarius Formatus.

De Ordine Prædicatorum.

Cardinalis Ruguisinus.
Archiepiscopus Ravennensis.
Archiepiscopus Mittelensis.

Episcopus Attrebatensis.
Episcopus Laudensis.
Episcopus Fulginensis.
Episcopus Guirnensis.
Magister Leonardus de Florentia, Provincialis Romanus.
Dominus de Florentia.
Ludovicus de Censina, Provincialis Lombardiæ.
Anthonius Coste, Procurator Ordinis.
Hugolinus de Camerano, Magister Palatii, in Obedientia dudùm Gregorii.
Theobaldus, Pœnitentiarius, de Saxonia.
Jo. Valkenberch, de Saxonia.
Henricus de Rimaldia.
Angelus de Camerano.
Pe. de Moravia.
Odinus de Claromonte.
Herinandus de Saxonia.
Henricus de Basilia.
Paulus, Bachalarius Sacri Palatii.

De Ordine Fratrum Minorum.

Episcopus Slevicensis.
Episcopus Tholonensis.
Episcopus Placentinus.
Episcopus Firmanus.
Anthonius de Pareto, Generalis.
Jo. de Anglia, Pœnitentiarius.
Guillelmus Bottileri, Minister Marchiæ.
Jo. de Rocha.
P. Salomonis.
Jo. Gorelli.
J. de Provincia Sancti Jacobi.
Jo. de Salinis, Minister Coloniensis.
Jo. Faurot, Pœnitentiarius.
Jacobus Textoris, Bachalarius.
Jo. de Ponte Termulo, Bachalarius.
Pe. Algorissim, Bachalarius.

De Ordine Augustinensium.

Boëtius, Procurator Ordinis.
Jo. Sacharie.
Jero. de Pistorio.
Anthonius, de Sancto Elpidio, Bachalarius.

De Ordine Carmelitarum.

Jo. Grossi, Generalis Ordinis.
Thomas Avis, Provincialis Franciæ.
N. de Spira, Provincialis Alemaniæ in Florentia.
Bertrandus Bacherii, Regens in monte Pessilano.
N. Cook.
Albertus Roberch, de Westfalia.

De Ordine Servorum.

Stephanus, Generalis Ordinis.

S. E.

SEQUUNTUR
TRES TRACTATULI

Dati Judicialiter per

MAGISTRUM JOANNEM
DE
FALKABERGHA,

(Iste erat Jacobita; ut patet in Manuali Magistri Jacobi de Christo, Notarii in causis Fidei)

Sacræ Theologiæ Professorem;

De quibus fit mentio in Processu Judiciali. Die Martis XVIII.

FUNDATIS itaque Propositionibus in petra super omnia victricis veritatis; manifestum est, quòd ipsæ Argumenta eis illisa omnia ad nullam *: & primò; Petri Cardinalis Cameracensis, qui quasi turbo impellens parietem, offendenti earum veritati obnititur; & quod ratione non prævalet probare, juramento satagit confirmare; & ait.

A *Ego Petrus Cardinalis Cameracensis, tanquam Doctor Theologus, in testimonium requisitus, dico, & per juramentum affirmo, me firmiter credere, & nullatenùs dubitare, quòd qualibet dictarum novem Assertionum catholicè condemnanda est; in forma eis subscripta.*

Res ridiculosa, & periculosa; quia illud quod per rationem, vel testimonium Legis divinæ, naturalis, & humanæ investigandum est, per juramentum nititur probare. Periculosa: quia sub juramento firmiter credit, & nullatenùs dubitat, esse hæreticum, aut erroneum, quod ex digestis multipliciter est verum, aut Catholicum.

Et ergo illis velut ab inscio ordinis doctrinæ incautè prolatis, obtentui expositis, cetera volo recitare; & sequenter solvere, quæ ex doctrina sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ non intellecta, ipsis Propositionibus objicit.

Et nihilominùs ex condemnatione hujus Propositionis: *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vassallum suum, sive subditum; etiam per insidias, & blanditias, vel adulationes, non obstante quocumque juramento, seu confœderatione factis cum eo; non expectata Sententia Judicis cujuscumque, vel Mandato*; quæ condemnatio in una hujus sacri Concilii † facta est; patet manifestè condemnatio earumdem Propositionum. Nam continent ‡, ait, doctrinam virtualiter, & in simili radice fundantur; & licèt sciolo in sacra Theologia notum est, quòd illa Propositio: *Littera occidit*; non continet doctrinam illam virtualiter, nec in simili radice fundantur, & quòd, ob hoc, præmissa narratio colore caret veritatis. Tamen ut ceteris perfectiùs hoc innotescat, scire necesse est, quòd regula Fidei, non est humana cognitio; sed veritas divina, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis sacris manifestata, ut dicit Doctor Sanctus. Et habetur in Augustino: XI. Libro, *De Civitate Dei*. Capite XVIII. *Civitas*, inquit, *Dei credit Scripturis sacris, & Veteribus & Novis, quas Canonicas appellamus, unde Fides ipsa excerpta est, ex qua virtus vivit.* Et in primo Libro, *De Doctrina Christiana*, dicit: *Titubabit autem Fides, si divinarum Scripturarum vacillat authoritas.* Et in tertio ait: *Cum ergo adhibita intentio incertum esse providerit quomodò distinguendum, aut quomodò pronunciandum est, consulat regulam Fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ authoritate percepit*, Et indè, dùm manifestum est, sicut præmittitur; quòd regula Fidei non est humana cognitio, sed veritas divina, & doctrina Ecclesiæ;

B omninò, velut à veritate devium, condemnandum est, quod in Judicio Fidei personæ deferendum est: ut ait Magister Guill. Pulchrinepotis: & minimè credendum Cardinali, quamdiù affirmat, absque probatione, quòd quælibet dictarum Propositionum condemnanda est: quòdque ex condemnatione hujus Propositionis; *Quilibet tyrannus*, &c. patet manifestè condemnatio earumdem Propositionum, & continent doctrinam illam vertualiter, & in simili radice fundantur.

Quis etenim Theologus etiam ignorat, quòd pro conservanda tota creatura, etiamsi obstenderent * universi mundi pleni creaturis, sicut iste est; nullus debet facere etiam minimum peccatum: ut

C dicit Ancelmus, primo Libro. *Cur Deus homo.* cap. XXI. & cap. XIV. Sed blanditiæ, vel adulationes; potestatem quoque non sibi à Deo concessam usurpare, & facere contra juramentum, & fidem ritè

* *Forsan*, adnullant:
† *Legendum videtur*, Concilii Sessione.
‡ *Forsan legendum*: eamdem, *aut*, illam doctrinam; & *delenda sunt commata.*

* *Verbum depravatum.*

tè præstitam, sunt peccata; & quodlibet eorum, peccatum est; simulque hæc Propositio: *Quilibet tyrannus* &c. quodlibet eorum affirmat, & dicit esse licitum: & erga ipsa statim audita se falsam probat, seu erroneam, & non indiget alia condemnatione apud intelligentem quid nominis; & quia, ad sensum manifestum est, quòd Propositiones, de quibus præsens sermo, istis carent circumstantiis; & notoriè falsum, quòd ex condemnatione hujus Propositionis, *Quilibet tyrannus*, &c. patet manifestè condemnatio earumdem Propositionum, & quòd continent doctrinam illam virtualiter, & in simili radice fundantur.

Undè, dum in casu proposito: *Quilibet subditus, authoritate Legis*, † *Sententia, vel Mandato, potest licitè tyrannum occidere*; & in Propositione; *Quilibet tyrannus* &c. dicitur, *non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujuscumque*: manifestum est, non, inquam, perfectè sententiatò, sed cæco habenti sensum disciplinæ, quòd Cardinalis errat, dogmatisans ex condemnatione hujus Propositionis; *Quilibet tyrannus* &c. easdem Propositiones fore condemnandas, quòdque continent doctrinam illam virtualiter, & in simile radice fundantur: eodemque modo respondendum est Magistris Joanni ‡ Morini, & Joanni Gerson, ejusdem erroris protessoribus.

Secundò. Cardinalis primam Propositionem, & sex alias sequentes simul impugnans, dicit quòd *addunt circumstantias plurimùm aggravantes*; sicut de authorisatione cujuslibet Legis, divinæ, naturalis, & humanæ, respectu talis homicidii, in secunda Propositione. Item. De turpitudine, & vilitate mortis, in tertia. Item. Quòd Rex debet approbare tale homicidum in tribus sequentibus.

Sed respondeo, quòd illa sine approbatione, ex propriis, assumit sibi in Propositione, juxta allegata: minimè credendum est ei, ex eo quòd per digesta, quodlibet eorum verum est, hoc licitum, vel debitum.

Tertiò. Ad idem aspirans dicit, quòd hæc doctrina est contra illud Præceptum Decalogi: *Non occides*, scilicet absque authoritate judiciaria; & contra illud: XXIII. Quæstione V. Capite, *Si non licet*. quod sumitur ab Augustino, Libro, *De Civitate Dei*: ubi dicitur: *His igitur exceptis, quos vel Lex justa generaliter, vel Spiritus Sanctus Justitiæ Deus specialiter jubet occidi: quisquis hominem, vel seipsum, vel quemcumque occiderit, homicidii crimine innectitur*. Et XXIII. Quæstione VIII. Capite, *Quicumque*; quod sumitur ab eodem Augustino, eodem Libro, ubi dicitur: *Qui sine publica aliqua administratione maleficum, furem, sacrilegum, adulterum, & perjurum, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut trucidaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur, & tantò acrius, quantò non sibi à Deo concessum potestatem abusivè usurpare non timuit*.

Et omisso, quod malè convocandum * c. XXIII. q. V. *Si non licet*; ipse dicit: *Non occides*, & textus communiter habent: *fons justitiæ*; ipse dicit: *Spiritus Sanctus justitiæ Deus*, volo, Deo propitio, ostendere, quòd propriam vocem ignorat. Lex enim, dùm in casu proposito cuilibet subdito dat authoritatem tyrannum occidere, & authoritas Legis est publica authoritas, sive ad administrationem; non tantùm sciolo, sed etiam cœco palpanti post parietem notum est, quòd hæc doctrina nullo modo adversatur; sed per omnia conformis Capitulis allegatis, doctrinæque Augustini, in primo Libro, *De Civitate Dei*; & Præcepto, quo dictum est: *Non occides*.

Nonne noscit Cardinalis, & utique noscere debuit, propter tempus, quòd dicto Præcepto occisio hominis prohibetur? non qualitercumque; sed dumtaxat secundùm quod habet rationem justitiæ, intentionem quoque Ligislatoris, & contra ipsum nihil potest licitè fieri, neque concedi: nulla enim Lex humana concedere potest quòd licitè homo indebitè occidatur; sed quòd tyrannus, in casu proposito occidatur, non est indebitum, ut digesta multipliciter, & luculenter, & sufficienter demonstrant. Et ergo quòd tyrannus, in casu proposito occidatur, in nullo contrariatur Præcepto, quod dictum est: *Non occides*.

Eadem responsio satisfacit Magistris Jordano Morini, & Joanni Gerson, Simili Argumento deceptis.

Quartò. Ad idem dicit Cardinalis; quòd hæc doctrina est contra illud Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias; ab Altari meo evelles eum, ut moriatur*. Et denique ait: Est contra rationes condendi Decretalem illam: *Pro humani. De homicidio. Libro sexto*, editam in Concilio Lugdunensi: ubi contra interfectores per Assassinos ponitur *pœna excommunicationis, depositionis à Dignitate, Honore, Officio, & Beneficio, ipso facto*, & quòd *quicumque talis fuit, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus est: sic quod postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem scelus tam execrabile commisisse; nullatenus alia excommunicationis, seu depositionis adversùs eum Sententia requiratur*. Sed non intelligit, neque * loquitur, neque de quibus affirmat. Occidere enim per industriam, dùm est occidere ex electione, seu ex certa malitia: & qui, in casu proposito, subditus occidit tyrannum, quamvis occidit quidem eligens; non tamen ex electione; pro eo quòd electio non est in eo primum occisionis principium, sed inducitur ex necessitate ad eligendum occisionem, quam, extra necessitatem existens, non eligeret.

Ergo hæc doctrina non est contra illud Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam* &c. dato quòd illud observaretur hodiè & obligaret.

Sed quoniam hoc Præceptum: *Si quis per industriam* &c. est Præceptum judiciale Veteris Legis: *Hæc*, inquit Dominus, *sunt Judicia, quæ proposui eis*: &, paucis interpositis, sequitur: *Si quis per industriam* &c. & Cardinalis, sicut patet ex ejus Propositione, credit, quòd illud Præceptum damnat hanc doctrinam: ideò evidentissimum est, quòd, secundùm eum, Præceptum judiciale Veteris Legis, ex ejus institutione, habet vim obligandi. Sed illud præjudicat Fidei veritati, dùm per hoc habetur quòd ritus, cultusve prioris populi adhuc duraret; & quòd Christus nondùm venisset.

Et ergo, utrùm habendus est proinde de hæresi vehementer suspectus, judicet Ecclesia.

Et ego ad hominem sic arguo: *Si quis per industriam occiderit suum proximum, & per insidias; ab Altari meo evelles eum, ut moriatur*, ait Cardinalis. Sed pono, quòd homo liber per industriam occidit proximum suum, & per insidias, & fugit in Ecclesiam, & apprehendit cornu Altaris, sicut de Joab legitur, III. Regum. C. II. Et ergo, secundùm Cardinalem, talis homo liber ab Ecclesia, ejusque Altari evellendus est, ut moriatur. Consequens annullat Immunitatem Ecclesiasticam. *Extra. De Immunitate Ecclesiarum*, inter alia. Et ergo Cardinalis multipliciter, & periculosè errat; dùm *in credendis*, secundùm Augustinum, in Libro, *Contra fundamentum Manichæorum*, Capite IV. Non minor est authoritas Ecclesiæ, quàm Evangelii; *Ego*, inquit, *non crederem Evangelio, nisi Catholica Ecclesia me commoveret authoritas*. Et XXV. q. I. *Violatores* dicuntur, quòd *in Spiritum Sanctum blasphemant, qui Sacros Canones violant*.

Et ex, illis dùm manifestum est quòd Præceptum judiciale Veteris Legis, secundùm sensum litteralem mortuum est, & mortiferum, illis qui ex institu-

† *Videtur omissum*, non expectata

‡ *Legendum*, Jordano

* *Locus corruptus*.

* *Forsan legendum*, de quo

stitutione Legis illud observant, & credunt habere vim obligandi; manifestum est, quòd sensus litteralis in sacra Scriptura occidit animam; & quòd Cardinalis, dùm de hac doctrina differens dicit, quod ad confirmationem erroris addit, quòd litteralis sensus Scripturæ sacræ Occidit animam, à veritate graviter aberrat; & requiro Ecclesiam, quòd Cardinalem, quatenùs hoc quod ait Apostolus: *Littera occidit*, exponere cogat, ut fortè quod Deus ei singulariter revelavit, promulgatum veniat, ad utilitatem Ecclesiæ; vel quod inimicus A homo, in præjudicium Fidei sibi persuasit, procul fiat à finibus Ecclesiæ condemnatum; & ne Cardinalis virtutis vocabuli ignarus, ampliùs paralogizetur, & post sodales suos evagetur longiùs.

Assassini fuerunt, & fortè adhuc sunt quidam infideles, qui ex quibusdam falsis opinionibus, quibus fuerunt nutriti, de facili ad occidendum mittebantur quemcumque Christianorum; non curantes, si ob hoc occidendi essent ipsi: & per illos dùm quidam ex electione, seu ex certa malitia, plures occiderunt, vel occidi facerent *, quosdam quidem in corpore, quosdam verò in corpore & anima. Et nonnulli Magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerunt securitates ab eorum assassinorum Domino impetrare; sicque ab eo, non absque dignitatis opprobrio, quodam modo vitam suam redimere. Concilium Generale tanto volens periculo occurrere animarum, & necessitati, salutique subvenire hominum, prædictam condidit Decretalem. B

Sed, in casu proposito, subditus occidit tyrannum, non quidem ex electione, seu ex certa malitia; sed præter intentionem principalem, ex necessitate debiti impulsus: & sic quasi per accidens; dùm mallet, si fieri posset, eum non occidere, & principaliter ad quos † obligatur, intendit Regem, & Rempublicam in salute & dignitate, absque opprobrio deffendere. Et hæc doctrina non est contra rationes condendi dictam Decretalem: sed rectè intelligenti, magis ab ea persuadetur.

Responsio elidit Argumentum Magistri Joannis Gerson, qui ex eodem Jure malè, & non intelecto, consimiliter huic doctrinæ contradicit.

Quintò. Ad idem dicit Cardinalis, quòd dicta doctrina multò magis est condemnanda: quia multò pejus circumstantionata est, quàm illa Propositio condemnata Joannis Wicleff; quæ point, quòd *Populares possunt, ad eorum arbitrium, Dominos* C *delinquentes punire, & corrigere.*

Sed respondeo, quòd arbitrium popularium, dùm non est eis Lex justitiæ, neque dat potestatem licitè quid facere: sed Lex, divina, naturalis, & humana; & per digesta, in casu proposito, quilibet subditus, authoritate Legis, divinæ, naturalis, & humanæ, potest tyrannum occidere; contra rationem: imò stultum est dicere, quòd dicta doctrina multò magis est condemnanda, & pejus circumstantionata, quàm illa Propositio Joannis Wicleff, quæ point, quòd *Populares possunt, ad eorum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere.*

Sextò. Quantùm ad ultimam Propositionem: dicit Cardinalis, quòd hæc doctrina est contra Præceptum illud Decalogi: *Non perjurabis*, ubi omne juramentum videtur debere observari, quod non vergit in detrimentum animæ; & permittit quòd, secundùm eamdem doctrinam, in nullo D ligat juramentum, vel confœderatio facta inter aliquos, si vergit in præjudicium alterius jurantium, vel confœderatorum, sponsæ suæ, aut liberorum.

Sed respondeo, quòd ritè jurans, dùm ex juramento non obligatur ad alia quàm ad quæ ex intentione se obligat; manifestum est, ad sensum, quòd nullus ritè jurans obligatur, ex juramento, ad aliquod extra ejus intentionem jurantis, * est omne præjudicium quod ejus continget juramento; eo quod, opposito dato, ipsum contineretur infra limites juramenti, & ei nullo modo contingeret,

Et ergo certo certiùs est, quòd nullus ritè jurans tenetur observare juramentum, si contingat quòd vertatur in ejus præjudicium. Et hoc quidem non adversatur, sed per omnia conforme est illi Præcepto: *Non perjurabis*; quo observari dumtaxat jubetur quod infra limites liciti continetur juramenti. Et sæpè contingit, quòd juramentum quod vergit in ejus damnum temporale potest homo, absque detrimento suæ animæ, observare, & suo † digesta minimè tenetur observare; luce clarius est, quòd Cardinalis errat, asserens quòd illo Præcepto: *Non perjurabis*, omne juramentum debet observari, quod non vergit in detrimentum animæ.

Ad aliud verò quod præmittit: Respondeo, quòd non sequitur; sed ejus oppositum stat cum Propositione: sicut posito quòd Sortes inter duo mala constrictus, juravit, ne occideretur, quòd de suis bonis Platonem sineret liberè mille aufferre florenos: in quo quidem casu manifestum est, quòd juramentum Sortis simul eum obligat, & vergit in ejus præjudicium. Sed hoc non repugnat Propositioni, dùm hìc præjudicium est præmeditatum, & de jurantis intentione; & in casu Propositionis est extra intentionem jurantis, & impræmeditatum. Et quia illa Cardinalis, absque probatione, ex propris loquitur: ideò juxta allegata, sibi non creditur, & Propositionem minimè infirmat.

Eadem responsio danda est Magistro Jordano Morini, & Joanni Gersono: qui ex ejusdem Præcepti ignorantia, Propositioni non intellectæ obnituntur:

Septimò. Quantùm ad omnes Propositiones; dicit Cardinalis, quòd „ Hujus doctrinæ condem„ natio non minùs fieri potest absque speciali ex„ pressione de ejus Assertore, quàm illa, quæ „ nuper in una Sessione facta est contra errorem „ in Bohemia, *De Communicatione populi sub utraque* „ *specie.* „

Sed ego respondeo, quòd minimè, quantùm ad primum, sibi credendum est; dùm id sine probatione, ex propriis asserit; & de scruo ‡, utrùm Assertor hujus doctrinæ exprimatur; vel delirat, dùm proposito negotio in nullo præjudicet, aliquid asserere superfluum puto pariter & omitto & ex his tàm clarè expositis, dùm est manifestum, & ex digestis in primo Tractatu, quòd hæc doctrina non est morbida, neque mortifera; & hæreticum nihil constituit nisi pertinacia in morbida doctrina, ut dicit Augustinus in XVIII. Libro. *De Civitate Dei.* Capite LI. manifesta est temeritas Cardinalis, quâ dicit, quòd hæc doctrina condemnanda est, prout & prædicta Propositio: *Quilibet tyrannus*, condemnata est; videlicet tanquàm erronea in Fide, & moribus, & tanquam hæretica, scandalosa, seditiosa, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, & perjuria viam præbens; & pertinaciter doctrinam hanc pernitiosissimam asserentes sunt hæretici, & ut tales, juxta Canonicas & legitimas Sanctiones, puniendi. Et quia sæpè Argumentum est bonum, & consequens falsum, vel impossibile; ideò admisso quòd ex illis, quæ Cardinalis sic temerè asserit, manifestè sequatur quòd asserere inter Catholicos dictas Propositiones esse probabiles, vel forsàn veras; est erroneum, vel sapiens hæ-

* *Forsan legendum*, fecerunt † *Forsan* ad quod

* *Locus corruptus: forsan legendum*; in omne præjudicium quod ex ejus

† *Locus corruptus: forsan legendum*; & sicut per

‡ *Locus corruptus: forsan legendum*; & de secundo

hæresim; & quòd Doctor Theologus hoc publicè in sacro Concilio, & coràm Judicibus Fidei asserens, habendus est de hæresi vehementer suspectus. Consequens tamen falsum est, & negandum. Dictæ enim Propositiones dùm suadentur, apparenter * testimonio Legis, divinæ, naturalis, & humanæ; & illis non credere absurdum est, pariter & periculosum; indubiè Doctor Theologus ex Præcepto Ecclesiæ referens suam opinionem, veritatis inquirendæ gratiâ, potest † esse A
eas probabiles, vel forsan veras, publicè in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei, absque periculo hæresis, & hoc quòd habendus est de hæresi vehementer suspectus.

Item sic. Regula enim Fidei dùm non est humana cognitio, sed doctrina Ecclesiæ in Scripturis sacris manifestata; stultum est dicere, quòd habendus est de hæresi vehementer suspectus, qui non asserit aliquid eorum, quæ Ecclesia hæretica reputat. Sed nullus Doctor Theologus in eo, quòd asserit dictas Propositiones, aliquid asserit quod Ecclesia hæreticum reputat, dùm ab ea adhuc non est determinatum quòd ex illis sequitur aliquid contrarium Fidei. Et ergo omnibus nota est stultitia quòd Doctor Theologus dictas Propositiones esse probabiles, & forsan veras publicè in B
hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei asserens, habendus est de hæresi vehementer suspectus.

Item. Si quis etenim sciolus in Doctrina sacra dicit, quòd habendus est de hæresi vehementer suspectus, qui paratus est in omnibus sequi Doctrinam Ecclesiæ, & quoties emergit necessitas explicitè cognoscendi, vel per doctrinam contrariam, quæ imminet; vel propter dubium, quod insurgit, differt ab assensu, quousque plenius ab Ecclesia instruatur. Sed Doctor Theologus publicè in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei dictas Propositiones asserens esse probabiles, vel forsan veras, paratus est sequi Ecclesiam in omnibus, quæ docet, & rationes quas habet suæ opinionis, & producit in lucem, ex Præcepto Ecclesiæ refert, ad eas dissolvendas, vel approbandas. C
Et ergo ignorantis est rudimenta Fidei, dicere, quòd Doctor Theologus publicè in hoc sacro Concilio, & coram Judicibus Fidei asserens dictas Propositiones esse probabiles, vel forsan veras, habendus est de hæresi vehementer suspectus.

Et ad hominem devium arguo sic. Oppositum cum sit peccatum, neque ex motivo proprio, neque ex Præcepto Ecclesiæ, Doctor Theologus debet facere se de hæresi vehementer suspectum. Et ergo, secundùm Cardinalem, nullus Doctor Theologus, cujus opinio est, quòd dictæ Propositiones sunt probabiles, vel forsan veræ, Ecclesiæ dicere ‡ suam quam de his habet opinionem. Consequens adnullat Doctrinam sacram, quæ præcepit nos de Fide decertare, Ecclesiæ quoque obedire. Et sequitur ex dictis: Cardinalis juramento affirmat se firmiter credere & nullatenùs dubitare: ideò judicet Ecclesia, utrùm habendus est de hæresi vehementer suspectus, vel hæreticus dicendus; &, ut cautiùs discat loqui, ne ex solis vocibus inordinatè prolatis hæresim incurrat, ad scolas mittendus.
D
Demùm dicit Cardinalis, quòd pro fundamento condemnationis hujus pestiferæ doctrinæ, licèt multa possent allegari de Jure naturali, divino & humano; tamen specialiter pauca contra eam sufficiant, quæ sequuntur.

Sed respondeo, quòd ex propriis loquitur, dùm dicit, quòd hæc doctrina est pestifera, & ob hoc, ut docent digesta in proposito, minimè sibi credendum est: & de Jure naturali, divino, & humano si multa per eum possint allegari, bonum est sibi, & proindè necesse: nec pauca, nec omnia, quæ allegavit pro fundamento condemnationis hujus doctrinæ sufficiunt.

RESPONSIO

Ad ea quæ

MAGISTER JOAN. GERSON

novem Propositionibus ignoranter objicit:

Exhibita per certum Doctorem in Theologia,

Scilicet

MAGISTRUM JOANNEM

DE FALKABERGHA,

Jacobitam.

QUONIAM enim, ex testimonio Scripturæ divinæ: *Secundùm ligna sylvæ, sic ignis exardescit.* Eccli. XXVIII. 12. Et per Philosophum: *Augmentum in infinitum est, quousque fuerit combustibile.* Ideò ne ignis erroris Magistri Joannis Gerson per Ecclesiam discurrens, singula ejus speciosa incipiat vorare; & ut in cordibus eorum, quos jam vorat extinctus penitùs deficiat; ligna quibus nutritur volo dispersa amovere, & primum robur majus; de cujus firmitate confidens, quòd hujus edacis ignis, non quidem illuminantis, sed dumtaxat fumigantis, in æternum conservativa * est, intrepidus ait.

Propositio prima in ultima ejus circumstantia dicit: *Maximè quando est tanta potentia, quòd justitia non potest, bono modo, fieri per Supremum.* Et ergo, deposita illa circumstantia, licitum adhuc est unicuique subdito, in casu proposito, tyrannum occidere. Argumentum indè claret, quod superlativum præsupponit suum positivum; & consequens pro eo erroneum est, quòd istâ circumstantiâ depositâ, tyrannus potest comprimi, & ab occisione Regis prohiberi, servato Juris ordine communis.

Sed respondeo, quòd se ipsum paralogizat, & Argumentum negandum est. Et ad probationem dico, quòd li *maximè*, duobus ‡ capitur. Comparativè: prima Tim. V. 17. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, inque doctrina.* Alio modo capitur expletivè: I. *Regum* XXI. 4. Ubi Abimelech David petenti panes, respondit: *Non habeo panes laïcos ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus,* manducent. In proposito autem, *maximè* capitur, non quidem comparativè, sed expletivè: explet enim, & exprimit circumstantiam, sine qua fortè Propositio non veniret approbanda.

Item sic: Propositio dicit, quòd *Secundùm Legem,*

* *Legendum videtur,* dùm fundantur apparenter
† *Forsan legendum,* potest asserere eas esse probabiles,
‡ *Forsan addendum,* debet

* *Locus corruptus.*
‡ *Omissum est,* modis

ges, naturalem, moralem & divinam, licitum est unicuique subdito, in casu proposito, *tyrannum occidere*: sed constat, quòd tales Leges sunt plenæ Mandatis. Et ergo non est licitum unicuique subdito, in casu proposito, tyrannum occidere. Et ex altera parte dicit, quòd *sine quacumque Mandato, licitum est unicuique tyrannum occidere.*

Sed illæ contradicunt. Ideò manifestum est, A quòd Propositio implicat contradictionem, & minimè est sustinenda. Sed respondeo, quòd referenda sunt singula singulis, & Propositio sic formanda est: *Unicuique subdito, cujus personæ hôc congruit, licitum est, secundùm Leges, naturalem, divinam & moralem, sine Mandato aliequocumque dato, in casu proposito, tyrannum occidere.*

Et illa dùm non implicat contradictionem, manifestum est, quòd Joannes Gerson Propositionem nondùm intelligit.

Item sic. LXXX. ait, Magistri in Theologia expertissimi, Parisiis, per duodecim septimanas diligenter has novem examinatas concorditer condemnaverunt. Et ergo ipsæ minimè sunt sustinendæ.

Sed respondeo, quòd Magistri Parisienses, dùm sunt omnes errabundi, & loquaces, opprobrii squalore, error eorum coram tota sordescit Ecclesia. B Argumentum non valet, & etiam Assumptum: proindè est mihi dubium, quòd Joannes de Dulcimenillo, Facultatis Theologicæ Subdecanus, Parisiis, per me, ex certa scientia, requisitus, de numero Magistrorum in sacra Theologia ibidem residentium, respondit in Sorbona, quòd ipsi fortè vix numerum constituerent sexagenarium; præter hoc, quòd non omnes in condemnatione dictarum novem Assertionum consenserant.

Item sic. Secundùm Magistros Parisienses, ut ait quidam Magister Navarræ, hoc Præceptum, *Non occides*, sic intelligitur: Non est licitum alicui hominem occidere, propria voluntate. Sed secundùm Gerson, in casu proposito, subditus occidit tyrannum, propria voluntate; dùm volens eum occidit, vel vult occidere. Et ergo nulli subdito, in casu proposito, licitum est tyrannum occidere.

Sed dicendum est, quòd quando dicitur aliquid esse, & fieri voluntariè, potest intelligi duobus C modis.

Uno enim modo; ut ablativus designet concomitantiam tantùm: sicut possum dicere, quòd ego sum homo, mea voluntate; quia scilicet volo me esse hominem. Et Pater, in divinis, generat Filium, voluntate; quia vult se generare Filium. Et hoc modo Princeps licitè occidit hominem, quem licitè occidit, volens occidit, vel vult occidere.

Alio modo; ablativum importat habitudinem Principis; sicut dicitur: Artifex operatur voluntate; quia voluntas est ei principium operationis; & quia Principi cuilibet principium occidendi hominem debet esse voluntas, non quidem qualiscumque, sed regulata ratione.

Et ergo hoc modo adhuc potest concedi, quòd Princeps licitè occidit, vel potest occidere hominem, propria voluntate. Undè licèt ad hoc, quòd Legis vigorem habeat voluntas Principis; D oportet, quòd sit aliqua ratione regulata: alioquin enim magis esset iniquitas, quàm Lex. Absolutè tamen conceditur; *Quod Principi placuit, Legis habet vigorem*. Institu. De Jure naturali. §. *Sed & quod Principi*. Sed licitum est, quòd aliquis occidat hominem, authoritate Legis. Et ergo indubiè licitum est, quòd Princeps occidat, propria voluntate.

Et quis ergo fatuus dicit, quòd Deus, qui est Dominus vitæ & mortis, non potest hominem occidere, propria voluntate?

Et ergo pro utroque modo dicto loquendi errat Gerson, Magisterque Navarræ, & Magistri Parisienses, asserentes, quòd non est licitum alicui hominem occidere, propria voluntate; & Præceptum, quo dictum est: *Non occides*, penitùs ignorant, quod cùm Præceptis Decalogi annumeratur, quæ secundùm Gerson, sunt de Jure naturali; & ita clara, quòd necesse est omnes ea scire, sine excusatione; & turpe est ignorare quod omnibus convenit scire: ipse suam, Magistrique Navarræ, & Magistrorum Parisiensium allegat turpitudinem.

Item sic. Nullus potest occidere hominem, nisi habeat Præceptum à Deo, vel publicam authoritatem: alioquin esset Superior, & non subditus; dùm qui publica potestate funguntur Superiores reputantur, respectu eorum, in quos sicut in subditos, potestatem accipiunt; sive habeant ordinariè, sive per commissionem. Et casus etiam non ponit, quòd subditus habet Præceptum hominem occidendi à Deo. Et ergo nulli subdito, in casu proposito, licet tyrannum occidere.

Sed quoniam sufficienter ostensum est in duodecima ratione primæ Propositionis, & responsione ad tertium Argumentum Cardinalis, quòd subditus, in casu proposito, occidens tyrannum, publica administratione fungitur, & potestate. Et ergo Minor neganda est, & juxta allegata in eadem ratione concedendum est, quòd subditus, in casu proposito, efficitur legitimus Judex tyranni, & Superior; & Leges justæ, dùm habent vim obligandi à Lege æterna, à qua derivantur, secundùm illud Proverb. VIII, 15. *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Et Lex æterna in solo Deo est, & Deus indubiè, in casu proposito, potest dici, quòd à Deo habet potestatem occidere hominem.

Item sic. In casu proposito occidens tyrrannum, de perjurio non excusatur; sed perjurare est illicitum. Et ergo, in casu proposito, nulli subdito est licitum tyrannum occidere.

Sed de illa materia Fidei disserui in rationibus nonæ Propositionis, & responsione ad sextum Argumentum Cardinalis: ideò illa pro responsione hujus Argumenti sufficiunt.

Item sic. Ista damnata est in hoc sacro Concilio: *Populares possunt, ad suum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere*, Et Propositio proposita pejus est circumstantionata, quàm illa damnata. Et ergo ipsa damnanda est; & nulli subdito, in casu proposito, licet tyrannum occidere.

Et licèt responsio ad quintum Argumentum Cardinalis illud Argumentum etiam evacuat; tamen ad medullam veritatis inquiramus.

Pro parte damnatæ Propositionis sic arguitur: Omnipotentiæ enim Dei dùm repugnat, quòd Deus non potest dare popularibus potestatem, quòd possint, ad suum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere; & * Omnipotentiam Dei negare, nefandissima hæresis est: fidelis compellitur dicere, Deum posse dare popularibus, quòd possint, ad suum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere. Sed quæ per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus. IV. *Ethicorum*. Et Ambrosius dicit in casu: *Diaboli*, c. XII. quòd *multa dicuntur posse, non sua, sed aliena potestate*: sicut Liber potest scribi à me, dùm Liber nihil potest, sed ego possum scribere Librum. Et Apostolus, non sua, sed aliena potestate omnia potuit, *Omnia*, inquit, *possum, in eo qui me confortat*. Philipp. IV. 13.

Et ergo absolutè, & catholicè concedendum vide-

* *Forsan legendum*, est, *& post* negare, *addendum*, &

videtur, quòd populares possunt, ad arbitrium suum, Dominos delinquentes corrigere.

Item sic. Illud dicitur posse facere, quod justè facere possumus; ut colligitur ex verbis Augustini, in Libro, *De Mandatis*, & transsumitur, XXII. q. 2. *Faciat homo.* Sed Deus potest ordinare, imò Imperator, per Constitutionem, quòd, in certo casu, populares possunt, ad suum arbitrum, Dominos delinquentes justè corrigere. Et ergo *Dùm possibile positum in esse, nullum sequitur impossibile*, Primo priorum. Videtur concedendum quòd populares possunt, ad suum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere.

Item sic. *Populus* enim dùm *est cœtus multitudinis, Juris consensu, & utilitatis communione sociatus*; ut dicit Augustinus: XI. Libro, *De Civitate Dei*. Cap. XXI. Indubiè, ex consensu popularium, utilitatis gratiâ, potest statui, quòd ipsi possunt, ad suum arbitrium Lege regulatum, Dominos delinquentes corrigere. Sed regula Regis non minuit arbitrium, sed perficit; dùm liberius est in justo, qui regulatur Lege, quàm in ejus transgressore: & Sacerdotes opus faciant Jerarchicum, ad suum arbitrium, & nunquàm, nisi quando est divino instinctu regulatum, ut dicit Dionysius, *Ultimo capite, Eccles. Jerarchia.* Angeli quoque beati. Nunc ad istud: ad suum arbitrium, divina Lege regulatum, occidunt malefactorem. Et ergo certo videtur certiùs, quòd populares possint, ad suum arbitrium, Dominos delinquentes corrigere.

Conclusio in præsenti Concilio practicata est: dùm omnes illud repræsentantes, imò de Universali Ecclesia, juxta populi diffinitionem, & illud, prima Petri, II. 9. *Gens sancta, populus acquisitionis*, sunt populares: & Dominum suum, quem Papam appellarunt, delinquentem, ad suum arbitrium, correxerunt.

Item sic. Damnatum est in hoc sacro Concilio, quòd Domini temporales possunt, ad suum arbitrium, auferre bona temporalia Clericis habitualiter delinquentibus. Et ergo magis damnandum videtur, quòd licitum est subdito, in casu proposito, tyranno vitam aufferre. Et licèt ex responsione ad quintum Argumentum Cardinalis, sufficienter ostensum est, quòd Argumentum est negandum: tamen in favorem Propositionis damnatæ, sic arguitur.

Duo Clerici habitualiter peccantes, possunt consentire, jubere, & rogare, quòd evidentis utilitatis gratiâ, eorum bona temporalia, putà pecora, duo Domini temporales ad suum arbitrium, aufferant. Et ergo illi Domini temporales possunt, ad suum arbitrium, aufferre bona temporalia Clericis habitualiter delinquentibus. Potest catholicè substineri: stultum enim est dicere, quòd authoritate Dei, vel Ecclesiæ, Domini temporales non possunt, ad suum arbitrium, bona temporalia Clericis habitualiter delinquentibus aufferre. Sed quoniam populares, & Domini temporales ab eorum arbitrio non habent potestatem; neque illi, delinquentes Dominos corrigere; neque isti bona temporalia à Clericis habitualiter delinquentibus aufferre: ideò puto, quòd hæ damnandæ sunt per Concilium Generale, & jam damnatæ per Legem rationis, justitiæ, & Scripturæ. *Populares, ab eorum arbitrio, habent potestatem Dominos delinquentes corrigere. Domini temporales, ab eorum arbitrio, habent potestatem bona temporalia Clericis habitualiter delinquentibus aufferre.*

Et ergo, dùm plures in novissimis diebus, & in hoc sacro Concilio, magis placitis, quàm veram doctrinam nituntur coaptare; & qui doctrinæ studium non impediunt, quorum numerus infinitus est, de his quæ somniarunt de facili enunciant: Concilium Generale, ne destruat, ubi debet ædificare, videat quæ doctrina sanior est.

Item sic. Actum Prædicationis, qui ex genere est bonus, sine licentia usurpare, peccatum est, & illicitum. Rom. X. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Et *Extra. de hæret. Cum ex injuncto*, dicitur, quòd non debet quisquam sibi indifferenter Prædicationis officium usurpare. Et ergo multò magis usurpare potestatem occidendi hominem, sine licentia, peccatum est, & illicitum.

Sed, in casu proposito, subditus, sine licentia usurpat potestatem occidendi tyrannum, cùm hæc à nullo Superiore sibi conferatur. Et ergo nulli subdito, in casu proposito, licet tyrannum occidere. Sed sæpè dictum est, quòd Lex cujus authoritas est major, superior, & publica, dat subdito potestatem, in casu proposito, tyrannum occidere. Et ergo plana est responsio, quòd Minor est neganda.

Item sic. Sequitur, ait, quòd mulieres possint occidere, pro libito, viros suos, & eis imponere quòd essent tyranni; & pueri Magistrum; & Monachi Abbatem.

Sed respondeo, quòd occidere hominem nemini licet, nisi authoritate Dei, vel publicæ potestatis; & istarum nulla semper dat, & passim potestatem tyrannum occidere. Minimè sequitur, quòd mulieres possint occidere, pro libito, viros suos, & eis imponere quòd sint tyranni. Eodem modo dicendum est de pueris, respectu illorum Magistrorum; & de Monachis, respectu istorum Abbatum.

Item sic: Hierarchicus ordo est, & requirit, quòd inferiora reducantur ad suprema, per media: sed, in casu proposito, ille ordo pervertitur, dùm subditus, propria authoritate, tyrannum occidit. Et ergo nullo modo, in casu proposito, licet subdito tyrannum occidere.

Sed respondeo, quòd propriæ ignorantiæ factus est professor: nam certum est, quòd sæpè, præter ordinem inferioris causæ, & mediæ aliquid fit, & ordinatur in causam superiorem: sicut in rebus humanis, prætermittitur Mandatum Præsidis, ut obediatur Imperatori: & Deus, præter ordinem naturæ corporalis, aliquid miraculosè operatur, ad ordinandum hominem in ejus cognitionem. Ita & in casu proposito, subditus à superiori causa, scilicet Lege, vel ejus latore capit, & habet potestatem occidere tyrannum, medio causæ prætermisso.

Sed quoniam prætermissio ordinis hierarchici, qui debetur substantiis spiritualibus, in nullo pertinet ad ordinationem hominum in Deum, cujus operationes earum * non sunt manifestæ, sicut operationes sensibilium corporum: ideò ordo hierarchicus, qui illis competit, nunquam à Deo prætermittitur. Lex enim quidem hæc est divinalis, in illis sacratissima, pro prima ad se reducere, & perficere secunda; ut dicit Dionysius, *Lib. Ecclesiastica Hierarchia; & Cœlest.* c. XIII. Et appellatione proprii; dum aliquandò continetur quod omni accidit, & non soli: aliquandò quoque quod contra figuratum distinguitur; & authoritas, in casu proposito, tyrannum ad litteram occidendi, omni subdito accidit, & non solùm quia etiam Regi accidit. Minor, pro secunda parte, pro utraque acceptione proprii concedenda est, & neganda; si proprium dicitur, quod soli, & omni, & semper accidit: qualitercumque tamen variatur responsio ad Minorem; Argumentum est negandum.

Item sic. In casu non ponitur, quòd subditus sciat,

* *Forsan* coram

sciat tyrannum esse hujusmodi, ut describitur; sed sine scientia ipsius non potest eum, in casu proposito, occidere. Et ergo non licet subdito, in casu proposito, tyrannum occidere.

Sed respondeo, quòd Gerson fallitur, & miserrimè: Civitas enim Dei, dùm credit sensibus, in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur; quomodò miserabilius fallitur, qui nunquàm putat esse eis modò credendum? Ait Augustinus; XIX. Libro, *De Civitate Dei.* c. XVIII. Sed sensibiliter, ex casu, subditus scit, & cognoscit verè, quòd tyrannus est hujusmodi, ut describitur; dùm pro eo quòd hujusmodi est, ipsum occidit. Et ergo dùm in hoc Gerson non credit, miserrimè fallitur.

Item sic. Contradictoria illius. *Licitum est unicuique subdito* &c. est particularis negativa, vera, & Catholica in Fide. Et ergo ipsa est falsa, & erronea in Fide. Assumptum, ait, patet de subdito, qui in casu proposito, tyrannum occidit, livore invidiæ.

Sed respondeo, quòd ignarus Logicæ, pro ejus regulis addiscendis, meritò ad scolas mittendus est; & Universitati Parisiensi non quidem gloria, sed ignorantiæ infamia, quòd ejus Cancellarius ignorat, quòd Argumentum ab inferiori ad superius, negatione proposita negandum est. Et ergo dùm ignorantia Logicæ causa est materiæ erroris, &, ex ejus professione, Gerson rudimenta convincitur ignorare: non est mirum, sed quasi effectus causæ naturalis, quòd eo cancellante, Magistri Parisienses & Episcopus dictas Propositiones condemnantes erraverunt.

Contra secundam verò sic arguit. Generali Lege decernitur, quòd nemo in sua causa potest esse Judex; vel Jus sibi dicere. Cap. *Ne quis in sua causa* L. una.

Sed in casu subdito *, subditus occidens tyrannum, in sua causa Judex est, & Jus sibi dicit, non expectata Sententia Judicis alterius cujuscumque. Et ergo non est licitum tyrannum occidere.

Sed respondeo, quòd dùm esse suum alicujus dicitur, ad ipsum ordinatur; & totum factum, seu judicium subditi occidentis, in casu proposito, tyrannum, directè ordinatur, non quidem ad bonum ipsius subditi, sed Regis, & Reipublicæ: optimè sequitur quòd directè in causa Regis, & Reipublicæ, subditus Judex est, & in sua minimè. Ratio autem, in casu proposito: Lex subditum constituit Judicem tyranni sufficienter, ut sæpè est expositum. Ideò non est necesse repetere.

Item sic. Viris tutela posita est, ut nemo de altero, quantumcumque scelerato, capiat ultionem. Et ergo, in casu proposito, subditus injustè ultus est tyrannum, & occidit.

Sed respondeo, sicut latiùs disserui, in undecima ratione primæ Propositionis, quòd Præcepta patientiæ, dum sunt intelligenda secundùm præparationem animi; laudabile est, quòd homo proprias injurias, & quæ ad ejus personam pertinent, patienter sustineat, absque ultione, si expediat: sed Dei injurias dùm nullus, usque ad auditum, debet sufferre; & omnis injuria quam tyrannus Regi irrogat, Dei injuria est, quæ morte punienda est; indubiè subditus debuit eam illicò ulcisci, & tyrannum occidere. Et patet quid est dicendum ad Argumentum.

Item sic. Leges dicunt. *Audi aliam partem:* In Clem. *De Sentent. & re jud.* C. *Pastoralis.* Et Act. XXV. 16. dicitur, quòd *Non est Romanis consuetudo judicare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque deffendendi accipiat, ad abluenda crimina.*

Sed, in casu proposito, subditus tyrannum occidit, prisquàm fuit auditus, accusatoresque præsentes habuit, & locum deffendendi accipit, *ad abluenda crimina.* Et ergo injustè eum occidit.

Sed respondeo, quòd in his, quæ sunt notoria, dùm non requitur ordo judicialis, secundùm illud, I. Tim. v. 24. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt præcedentia ad Judicium.* Et in casu proposito, ex ipsa evidentia facti subdito innotuit quòd fuit tyrannus hujusmodi, ut describitur; ejus auditio non fuit expectanda, sed quantò citiùs negligenda.

Et ad Scripturam respondeo, quòd seipsam exponit, & intelligitur quando duo, accusatores, & reus, sub uno Judice de illi ut Judici * occulta simul litigant.

Item sic. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & hoc facite illis.* Mathæi, VII. 12. Sed, in casu proposito, subditus vult quòd tyrannus eum non occidat. Et ergo nec ipse debet tyrannum occidere.

Sed respondeo, quòd Argumentum neque valet, neque quod valet evidentiæ habet colorem: maximè dùm cœco etiam palpanti post parietem manifestum est, quòd justus Judex vult occidere malefactorem, & nunquam ab eo occidi. Nec Scriptura dicit: Quæcumque vultis, ut non faciant vobis homines, & vos non facite illis; id est, *bona quæ vultis accipere ab aliis, eadem facite illis*, secundùm glossam. Et, ut Gerson proprio gladio interimatur, ex eadem Scriptura, sic arguitur: *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*: sed subditus vult desiderativè, quòd tyrannus, qui eum machinatur occidere, Rex occidat: & ergo debet, debuitque Regi simile facere, in casu proposito, tyrannum occidere.

Item. Contra tertiam & quartam Propositiones: ignarus virtutis vocabuli, assassinorum, simul arguens dicit, quòd non possunt satis damnari; per C. *Pro humani. de homi. Libro.* VI. Et ergo ipsæ sunt sustinendæ. Sed quoniam de hoc sufficienter disserui in responsione ad quartum Argumentum Cardinalis; ideò me piget reiterationis.

Item sic. Vix est aliqua Politia, quin in ea aliqua tyrannis invenitur, & exercetur, ut ait, secundùm eum, Ægidius, de Ordine Heremitarum, in Libello, *De Regimine Principum.* Et ergo, juxta Propositiones, quilibet Dominus à quolibet subdito venit interficiendus.

Sed respondeo, quòd occidere hominem dùm nemini licet, nisi authoritate Dei, vel publicæ potestatis; & istarum nulla semper dat, & passim potestatem tyrannum occidere; sicut supra, in responsione ad octavum Argumentum ipsius, latiùs disserui: minimè sequitur, etiam dato Antecedente, quòd quilibet Dominus à quolibet subdito interficiendus est.

Item sic. Cardinalis Cameracensis, & Florentinus dicunt, illas Propositiones esse erroneas: ideò constanter ait Assertio, *& nullatenùs dubito, quin & quòd sunt erroneæ.* Sed quoniam Augustinus, in Epistola, *ad Hieronymum*: Solis Scripturarum Libris, qui Canonici appellantur, hunc honorem didicit defferre, ut nullum Authorem earum, scribendo, aliquid errasse firmissimè credat; & alios jam legit, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putet, quia ipsi ita scripsere. Et ergo in ejus professione manifestum errorem Gerson asserit, & à Fidei fundamento se divertit. Sed contra, *In ore duorum, vel trium stat omne verbum.* Matth. XVIII. Et Deuter. XIX.

* *Forsan legendum:* proposito.

* *Locus corruptus, forsan legendum*, de illis quæ sunt Judici occulta

Sed duo Cardinales asserunt Propositiones esse erroneas: & ergo pro erroneis habendæ sunt; & Gerson rectè opinatur, quòd quoniam Fides tunc non assentit alicui, nisi quia est à Deo revelatum; certissimum est, simulque evidentissimum, quòd innititur dictis, non quidem quasi ab homine, sed à Deo, qui mentiri non potest. Et ergo Argumentum non valet, & Gerson periculose deceptus est. A

Et ad Scripturam respondeo, quòd in Foro Contentioso habet virtutem veritatis, in actibusque humanis, & in his, quæ de factis contingentibus referuntur.

Item sic. Propositiones illæ rationabiliter sunt condemnandæ, quemadmodùm in hoc sacro Concilio ista est condemnata, *Quilibet Tyrannus* &c. Ergo minimè sunt sustinendæ. Sed quoniam ista ex propriis, sine probatione assumit; ideo, sicut disserui in responsione ad primum Argumentum Cardinalis, minimè sibi credendum est.

Item. Contra quintam, sextam, & septimam, arguens asserit, quòd dicere, Sententiam condemnationis dictarum Propositionum non esse justam, B & Catholicam; est dicere, Regem Francorum hæreticum, pro eo, quòd ipse Rex mandavit per brachium sæculare eas teneri sic condemnatas, quòd non sint justè condemnatæ, † hæreticus est Rex.

Sed durum contra suum Regem facit Argumentum. Nam sequitur: Si Propositiones istæ non sunt justè condemnatæ, hæreticus est: sed Propositiones istæ non sunt justè condemnatæ, sicut inventum est per Commissarios iu causis Fidei, & convincitur ex doctrina sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ: Et ergo hæreticus est Rex.

Sed consequens, ut de cæteris taceam, infert, quòd Rex Francorum non est dignus, ut quondam meruit appellari Christianissimus.

Et ergo ne errore Gerson decepti, ad aures aliorum hoc deferant: pro honoris deffensione Regis Francorum, respondeo, quòd Assumptum negandum est, & Gerson totus cœcus, apertis oculis nihil videt, asserens, quòd dicere, dictam Sententiam non esse justam, & Catholicam, est dicere Regem Francorum hæreticum, pro eo, quòd Rex mandavit per brachium sæculare Propositiones illas sic teneri condemnatas. Rex enim, C dùm nunquàm ex propria scientia, seu motu, neque animo pertinaci mandavit per brachium sæculare Propositiones illas sic teneri comdemnatas; sed deceptus, nesciens quid faceret; & nihil constituit hæreticum formaliter, nisi pertinacia propria in morbida doctrina, puero * manifestum est, quòd dicere, dictam Sententiam non esse justam, & Catholicam, non est dicere, Regem Francorum hæreticum. Et licèt Gerson quandoque visum est, quòd hoc Argumento alios territos ad consensum sui erroris posset inducere: videre tamen debet multùm prudenter, quòd eo non terreatur criminis læsæ Majestatis arguendus.

Item sic. Dicere, quòd Rex debet approbare hujusmodi homicidium, est dicere, quòd Rex debet peccare mortaliter. Sed hoc dicere est hæreticum. D Et ergo omnes tres Propositiones sapiunt hæresim, & minimè sunt sustinendæ. Assumptum probat facto David, qui noluit, neque Saül, neque Joab occidere. Sed quoniam de primo testimonium proferentibus digestis, & de secundo Scriptura, IV. I. *Regum*, XXI, & XXVI. uterque eorum laudabiliter agit; subditus, in casu proposito, & David; ille tyrannum occidens, qui volebat Regem occidere; & iste alios, qui volebant Regem interficere prohibens: ideò historiæ de subdito, in casu Proposito, & de David, se compatiuntur, & minimè sibi adversantur.

Nec sequitur: David noluit, neque debuit Saül interficere; subditus enim dùm, in actu proposito, debuit Regem in vita conservare, & non potuit, sine occisione tyranni, certo certius est, quòd coactus erat tyrannum occidere. Sed David potuit semper manus Saül illæsus evadere, & numquàm fuit constrictus, in casu inevitabilis necessitatis, eum interficere. Et ergo subditus potuit tyrannum licitè occidere; & David Saül minimè. Et confirmatur: nam sicut à posteriori, colligitur ex figurato illo, scilicet: *Ne occidas eos*, Psal. LVIII. David novit, quòd ad Dei dispositionem, aliter quàm per eum Saül esset interficiendus, & dispositioni agnitæ semper obtemperandum est. Et ergo David non debuit Saül interficere. Sed in casu proposito, subditus, secundùm Legem, potuit tyrannum licitè occidere. Et ergo in Argumento nulla est evidentia. David non debuit Saül interficere; sed, in casu proposito, subditus, secundùm Legem, potuit tyrannum licitè occidere. Et ergo in Argumento nulla est evidentia: David non debuit Saül interficere, ergo subditus non potuit, in casu, proposito tyrannum occidere.

Ad aliud verò de Joab, facilis est responsio; & dicendum, quòd David potuit Joab licitè occidere, & sanguinem ulcisci innocentem, quem effudit. Sed quoniam opportunitas non concessit ut eum occideret; ideò ultionem Filio suo Salomoni commisit. III. *Reg.* II. Et in his, dùm est manifestum, quòd Scriptura introducta Propositionibus non est dissona, sed consona; manifestum etiam est, quòd formaliter respondendo ad Argumentum, Assumptum est negandum.

Item. Ex testimonio Abbatis Sancti Dionysii dicit: quòd Rex non potest advoare factum talis homicidii, quin subditus suus recognoscat reatum. Et verbum ipsius Abbatis non est regula imitanda veritatis. Et ergo eadem facilitate quâ allegatur, refellendum est: & è regione, concedendum, quòd in casu proposito, Rex debet advoare factum subditi, eo nullum recognoscente reatum.

Item sic. Zambri potuit interfici ab alio, quàm Phinées: igitur quilibet alius alium similem actum facientem potest interficere. Et sic; si Christianus haberet talem actum cum Judæo, cuilibet liceret ipsum interficere. Et licèt Argumentum non militet contra Propositiones: respondeo tamen, quòd non valet, pro eo, quòd non quilibet, ex inspiratione divina, zelorum Dei fervore commotus, accepit potestatem hoc faciendi, sicut Phinées, testimonio Scripturæ. *Numer.* XXV. habuit potestatem Zambri occidendi.

Item. Narrans, quòd, in casu proposito, tyrannus opposuit subdito Præceptum: *Non occides*, & subditus interpretans respondit, quòd tyrannus excipitur; contra octavam sic arguit. Si licet interpretari Præceptum illud; *Non occides*: licet interpretari & istud; *Non furtum facies*, & recipere de thesauro alieno pro studente, qui Reipublicæ, tempore futuro, potest proficere. Et similiter illud, pro aliqua utilitate: *Non adulterabis*. Sed quoniam, ut ait Dionysius 4. c. de li. no. *Bonum ex una, & tota causa est, & malum ex multis & particularibus defectibus*. Et in furto, tanquàm in adulterio, essentialiter est defectus objecti convenientis, quod est malum ex genere. Et ergo nullum istorum potest ita vestiri circumstantiis, quid quid licitè quandoque fiat, & benè, cujusvis etiam utilitatis gratiâ, ut declarat Augustinus, in Euth. * c. VI. *Nec ideò*, ait, *nullum mendacium*

† *Videtur addendum* ergo   * *Locus corruptus.*

* *Forsan* Enchir.

cium putandum esse non esse peccatum; quia possumus aliquandò prodesse mentiendo: possumus autem & furando, si pauper, cui palam datur, sentit commodum; & dives, cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideò tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. Possumus & adulterando, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura; & si vixerit, pœnitendo purganda: nec ideò peccatum negabitur tale adulterium.

Sed occidere hominem, potest malè fieri, & benè: malè quidem fit, quandò habet rationem indebiti: & tunc dictum est: Non occides, Exod. xx. *Benè verò fit, quandò habet rationem debiti, aut justi: & tunc dictum est*: Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. *Numer.* xxv. Et ergo Præceptum illud, *Non occides*, recipit interpretationem: & istud, *Non furtum facies*, minimè; neque illud, *Non adulterabis*. Et gloria hæc est omnibus Parisiensibus, quòd eorum Cancellarius Præcepta ista ignorat, quæ tali populo proponuntur observanda.

Demùm nonam Propositionem impugnando, dicit, quòd juramentum deliberatè factum, nullo modo frangendum est, quantumcumque vergat in præjudicium vitæ temporalis. Sed quoniam nullus ritè jurans, obligatur ex juramento ad aliquid extra Jus, & intentionem jurandi; & sæpè contingit, aut est possibile, quòd juramentum deliberatè factum, extra intentionem jurantis, vergit in præjudicium vitæ temporalis. Et ergo non est inconveniens, quòd juramentum deliberatè factum quandoque frangitur, quandò vergit in præjudicium vitæ temporalis. De illo tamen, quoniam superiùs in responsione ad sextum Articulum, seu Argumentum Cardinalis sufficienter disserui, & plura, quæ Gerson Propositionibus * opposuit non respecto: ideò jam dicta, ad satisfaciendum omnibus objectibus, sufficiunt.

* *Forsan legendum*: opposui, non repeto:

RESPONSIO

Ad certas

PROPOSITIONES

publicè propositas.

CONsiderans dissidium, quod Universali possit Ecclesiæ supervenire, occasione hujus pestiferæ doctrinæ: *Ordinariis licet Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare.* & ejus subversione: ne ut cancer serpat, & plures pro ea gerant bella; judicavi utile ostendere, & zelo Fidei inardescens, breviter ostendi, quàm sit perniciosa, ratione, quod & authoritate. Et primò Cyrilli, Episcopi Alexandrini, qui *De potestate Papæ à Christo tradita*, Lib. II. *Thesaurorum*, differens, ad propositum loquitur familiariter: *Ut membra*, inquit, *maneamus, in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontifice, à quo nostrum est quærere, quid tenere, & quid credere debeamus, ipsum reverentes, ipsum rogantes, præ omnibus; quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, & disponere, solvere, & ligare, loco illius, qui ipsum ædificavit; & nulli alii, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit; cui omnes Jure divino caput inclinant, & Primates mundi tanquàm ipsi Domino Jesu Christo obediunt.*

Sed manifestum est, quòd Cyrillus, dùm erat Episcopus, loquebatur in persona non tantùm simplicium, sed etiam Episcoporum.

Et ergo ad Romanum Pontificem pertinet, & nullo modo Ordinariis licet Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare.

Item. Hieronymus, in expositione Fidei Catholicæ: *Hæc est Fides*, inquit, *Papa Beatissime,*
A *quam in Ecclesia Catholica didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus: in qua si minùs peritè, aut parùm cautè aliquid fortassis positum est; emendari cupimus à te, qui Petri & Fidem, & Sedem tenes. Sin autem hæc nostra Confessio Apostolatus tui Judicio comprobatur; quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Et transsumitur. xxiv. q. I. *Hæc est.* Sed dempta Scriptura, facto Ecclesiæ cognitum est, quòd nequaquàm imperitum, vel malevolum, neque etiam non Catholicum se indè quis comprobat, quòd maculatum affirmat aliquem doctrinâ, quæ Judicio Ordinarii comprobatur. Nefandum quoque est dicere de Hieronymo, quòd in Confessione Fidei Catholicæ Papæ tantum attribuit, quod omnibus Episcopis, ex Jure divino, est commune.

Et ergo certius est, quòd nullo modo Ordi-
B narii habent potestatem Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare.

Item. xxiv. q. I. *Quoties.* Innocentius Papa: *Quoties ratio Fidei ventilatur, arbitror omnes Fratres, & Coëpiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris authorem referre debere.* Sed constat, quòd authoritas nominis Petri, & honoris, apud nullum Episcopum residet, nisi Romanum. Et ergo Ordinarii, licèt possint quæstiones Fidei agitare, vel ventilare. LXXX. di. c. 2. nullo modo tamen possunt sententialiter terminare, vel Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare.

Sed quoniam ex illis authoritatibus non scitur, nisi quia est; & *Magis est scire propter quid.* Primo Metaphisicæ. Ideò, ut sciatur radix hujus veritatis, & undè originaliter dependet; ratione inquirendum est, & testimonium proferente Scriptura, quòd sit manifestum; quòd Universalis Ecclesia in hoc à Domino privilegiata est,
C quòd Judicium † est in his, quæ ad Fidem pertinent erroneum esse non potest, *Cùm venerit*, inquit, *Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, scilicet saluti necessariam *Jo.* XVI. 13. & *Lucæ*, XXII. 32. ait Petro: *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua;* Quam dùm, ut facto cognitum est, Petrus posteà negavit, in loco ubi periclitabatur, & ejus Confessio requirebatur; certum est quòd Christus pro Universali Ecclesia efficaciter, & non Petro rogavit, quòd numquam à Fide deficeret. Sed à Fide quilibet Ordinarius, & de quo minùs videtur, Papa, potest deficere, vel aberrare, & fieri hæreticus. XIX. di. *Anastasius.* Et XL. *Si Papa.* Et ergo Theologo manifestum est, non quidem præclarissimo, sed quasi cœco, quòd Quæstiones Fidei absque errore sententialiter terminare, aut Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare, est privilegium à Christo
D Universali Ecclesiæ reservatum; & quòd nullo modo Ordinariis licet; imò nec Papæ, nisi quatenùs adhæret Judicio Universalis Ecclesiæ.

Et hoc modo Papa, quandò consideratur quoniam à Spiritu Sancto dirigitur, quemadmodùm Ecclesia, ne in his erret, quæ ad Fidem pertinent; ideò benè concedo, & rectè concedendum est, quòd ab eo hoc modo se habet * ita, vel considerato, nostrorum est quærere, quid credere, & quid tenere debeamus, ut dicit prima authoritas: & emendari debet, si quid minùs peritè, aut parùm

† *Forsan legendum*: Judicium ejus in

* *Forsan*, habente

parum cautè, in doctrina Hieronymi, aut alterius Sancti fortè propositum est, ut dicit secunda; & ad eum omnis Quæstio Fidei debet referri, sententialiter terminanda, ut dicit tertia.

Et contra; cùm nullus Orthodoxorum suam deffendit, & antè omnes, nec ego meam deffendo sententiam: & ita, cùm ex doctrina sana manifestum est, quòd Quæstiones Fidei sententialiter terminare, ad solam pertinet Universalem Ecclesiam, vel ad Papam, in quantum ejus adhæret Judicio, vel eam consulit; manifestum est Theologo, quòd non caret fermento hæreticæ pravitatis, dicere, quòd Ordinariis licet Quæstiones Fidei sententialiter terminare, aut Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare. A

Quis enim rudis Jurista ignorat, quòd qui Romanæ Ecclesiæ Privilegium, ab ipso Summo omnium Ecclesiarum Capite traditum, aufferre conatur, proculdubiò in hæresim labitur, & est dicendus hæreticus. XXII. *di. Omnes*. Sed Assertor hujus Propositionis: *Ordinariis licet*. &c. Privilegium ratione Ecclesiæ ab ipso Summo Ecclesiarum Capite traditum conatur aufferre; dùm quod inter omnes Episcopos tantùm Romano à Christo concessum est, scilicet quòd Quæstiones Fidei potest sententialiter terminare; aut Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare, dicit singulis Ordinariis licere. Et ergo utrumque evidenter sequitur: quòd in hæresim lapsus est; & hæreticus dicendus est. B

Item sic. In Ecclesia Universali sunt paucissimi Ordinarii, qui noscunt Propositiones in Fide dubias, hæreticas declarare; & *Nullus potest benè judicare, nisi ea quæ noscit*, ut dicit Philosophus, *primo Ethicorum*. Indubiè, si Ordinariis liceret Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare; plures eorum malè de dubiis in Fide judicarent, & Christianitas in plures scinderetur hæreses, quàm, persecutione fervente, scissa extitit, quando non dabatur facultas Christianis liberè congregari. Periret quoque unitas Fidei, & haberemus tot Fidei dogmata, quot Ordinarii, qui veritati, vel non intellectæ, vel offendenti resisterent. Sed illud fovere verbo, vel facto, dùm sapit hæresim: ergo indubiè dicere, quòd *Ordinariis licet Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare*, non caret nota hæreticæ pravitatis.

Item sic. Quilibet Ordinarius potest Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare. C Sed quilibet Ordinarius; dùm potest à Fide aberrare; potest Propositionem in Fide dubiam, Catholicam, vel hæreticam judicialiter declarare: & illo posito in esse, & concesso, sicut est concedendum, quòd inconcussa Fide refutandum est, quod Fidei Judicio est condemnatum: consequens est, quòd Catholicum, velut hæreticum, inconcussa Fide est refutandum. Quo nulla hæresis est absurdior; indubiè dicere, quòd *Ordinariis licet Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare*, hæreticam sapit pravitatem.

Item sic. *Ordinariis licet Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare.* Sed eodem Judicio simul una contradictoriarum declararetur hæretica; & altera rectam Fidem continere. Imò dùm *Rectus, est judex sui obliqui*. 1. De Anima. Priùs una contradictoriarum declaratur rectam Fidem conti- D nere, quàm altera hæretica. Et ergo quilibet Ordinarius potest, de novo, aliquem fidelem † conscribere, vel componere. Sed hoc prohibet, sub anathemate, prima Synodus Ephesina; in cujus Gestis dicitur, quòd *Prolecto * Symbolo Nicenæ Synodi, decrevit Sancta Synodus aliam Fidem nulli licere proferre, vel conscribere, vel componere, præter diffinitam à Sanctis Patribus, qui in Nicæna congregati sunt Spiritu sancto.* Et subditur anathematis pœna.

Et nullo modo ergo licet dicere, quòd *Licet Ordinariis, Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare*, est contra Concilium Generale, & sequenter manifesta hæresis.

Item sic. In Ecclesia enim Universali dùm est, & debet esse una Fides, secundùm illud, 1. Corinthiorum. 1. 10. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Ad illius authoritatem pertinet Quæstiones Fidei sententialiter terminare, vel Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter condemnare, ad cujus authoritatem pertinet determinare ea quæ sunt Fidei, ut ab omnibus inconcussa Fide teneantur vel refutentur. Sed hoc non pertinet nisi ad authoritatem Universalis Ecclesiæ, vel Summi Pontificis, pro eo quòd nullius, nisi alterius istorum, vel amborum simul, totam obstringit Ecclesiam.

Et ergo Ordinariis nullo modo licet Propositiones in Fide dubias, hæreticas judicialiter declarare. Sed vel Universali Ecclesiæ, vel Summo Pontifici, hoc ordinante Jesu Christo, qui est in sæcula benedictus. Amen.

ET quia Ego Joannes Baers, Clericus Diœcesis Morinensis, Bacchalaureus in Decretis, publicus Apostolica, & Imperiali authoritate Notarius, ac causarum Fidei, & causæ hujusmodi, coram dictis Dominis Judicibus, & Commissariis Officialis, & Scriba, præsentem copiam, facta de eadem collatione ad originale Registrum in hujusmodi causa factum, & habitum cum ipso originali Registro, in omnibus, & per omnia concordare inveni, nil addito, vel remoto, quod sensum immutet, vel variet intellectum; idcircò huic copiæ, in singulis suis foliis, seu carthis, per me signatæ, hîc me unà cum Magistro Conrardo de Velden Connotario, & Conscriba, in hac parte, subscripsi, signum meum solitum etiam apponendo, in testimonium veritatis, requisitus.

Et Ego, Conrardus, quondam Ortolini de Valden Clericus, Phrisigensis Diœcesis, publicus Apostolica, & Imperiali authoritatibus Notarius, ad causæ hujusmodi, coram dictis Dominis Judicibus, & Commissariis Officialis, & Scriba; quia præsentem copiam juvi collationare cum originali Registro, & corrigi per Magistrum Joannem Baers, Connotarium proximè supra scriptum, vidi, & in omnibus, & per omnia reperi concordare; nil addito, vel remoto, quod possit immutare substantiam facti. Idcircò huic copiæ, in singulis foliis, nomen meum apposui, & hîc in fine signum, & nomen solitum similiter apponendo, requisitus, & rogatus per virum Eximium Dominum Joannem de Gersono, Cancellarium Nostræ Dominæ Parisiensis, ac Christianissimi Francorum Regis Ambassiatorem, in fidem, robur, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum.

† *Legendum videtur:* aliquam Fidem

* *Forsan legendum:* Prælecto.

SUPPL

SUPPLICATIO

Cod. 3538. fol. 430. Verso.

Exhibita

IMPERATORI.



XPONITUR Sereniſſimæ Majeſtati Veſtræ, pro parte Ambaſſiatorum Illuſtriſſimi Principis Ducis Burgundiæ &c. Conſanguinei Veſtri fideliſſimique Vaſſalli; quòd cùm per Magiſtrum Johannem de Gerſſonno Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis, & aliquos ei adhærentes, in hoc Sacro Concilio jam dudùm * certa materia reſpectum habens ad eundem Dominum Ducem, & ob hoc, ac propter qualcunque cauſas Fidem tangentes, fuerunt per ipſum ſacrum Concilium certi Commiſſarii, & Judices deputati, cum Poteſtate procedendi in cauſis eiſdem, uſque ad Sententiam diffinitivam excluſivè. Coram quibus Commiſſariis per eundem Gerſſon fuerunt denunciatæ certæ novem Aſſertiones, & totaliter circa eas proceſſum, ex ordinatione dictorum Judicum, & conſenſu partium, quòd materia ipſarum novem Aſſertionum diù diſputata in eodem Concilio extitit publicè, in loco Seſſionis pro qualibet parte; an ipſæ Aſſertiones ſint Judicio Fidei reprobandæ, vel ne.

Quibus diſputationibus ſic factis per quatuor dies, audientiâ per ipſos Judices omnibus volentibus conceſſâ, & nulli denegatâ, ſic quòd nullus audiri quærebat, præter Magiſtrum Jordanum Morini dicti Gerſſoni collegam, qui fuit ab eis auditus, quantùm voluit: Judices ipſi cuilibet Doctorum Cedulam, ipſas novem Aſſertiones continentem tradiderunt, tempus longum aſſignantes; & juramento ab unoquoque recepto, infrà quod tempus ſuam in ſcriptis darent opinionem, ſub ſigno, & ſigillo. . . . .

Et tandem compertum eſt, poſt ipſarum opinionum, & proceſſus publicationem, octoginta ſeptem Doctores, Licentiatos, & Bacallarios in Theologia ſcripſiſſe in materia, & dediſſe ſuas opiniones, per hunc modum: videlicet quòd pro illa, quòd ſunt reprobandæ ipſæ Aſſertiones, prout ipſe Gerſſon aſſerit, ſolùm reperti ſunt XXVI. quorum multi ſunt ex illis, qui juraverunt in receſſu à Pariſius ſecum hanc proſequi materiam; & indè ſuſpecti habendi ſunt.

Pro altera verò parte, quòd non ſunt Fidei Judicio reprobandæ, opiniones datæ ſunt, ſcripto LXI. inter quos ſunt tredicem Prælati, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Abbates; & de Univerſitate Pariſienſi, XIX. Sic igitur, cùm Judices juxta commiſſionem eis factam, pro informatione ſacri Concilii, & ut reddatur unicuique Judicium & juſtitia, pro debito; de prædictis, & toto proceſſu, habent ipſi ſacro Concilio facere relationem debitam ex ipſis Actis; ſupplicant, humilitate quà poſſunt, eidem Sereniſſimæ Majeſtati Veſtræ præfati Ambaſſiatores, pro fama, Fide, & honore ejuſdem Veſtri Conſanguinei, & Vaſſalli conſervandis; quatenùs dignetur eoſdem Judices inducere ad ipſam relationem publicè, & celeriter faciendam, ut

* *Videtur omiſſum fuiſſe*, propoſita, *vel* agitata fuerit

ut veritas cunctis pateat evidenter, & materia ipsa; quæ tanto tempore multa ipsi Sacro Concilio attulit impedimenta, justitia mediante, ad ipsius Sacri Concilii gloriam, fine debito terminetur.

Traditæ fuerunt originales Cedulæ per Serenissimum Principem Dominum Regem Romanorum, die Dominica, XXVIII. Mensis Martii, in Domo Augustinensium, Constantiæ, post Consecrationem Episcopi Mothensis, in Sacristia; quarum copiæ collationatæ sequuntur. Et fuerunt eidem restitutæ eadem die, in Domo Minorum, per me Episcopum Attrebatensem, in loco Nationis Hispanicæ. H. de Capella.

Finis Tomi Quinti.



ERRATA ET EMENDATA
IN TOMO QUINTO,

Multa depravata, sive in MSS Codicibus, sive in Apographo, jam emendata sunt ad marginem: ea tantùm observabimus, quæ vel non aptè emendata sunt, vel sine emendatione relicta.

Pag. 66. l. 49. fient *lege* facient
p. 72. l. 45. *in hiatu supple* privatos
p. 77. l. 34. proponeretur *lege* proponentis
p. 82. l. 57. insolertiarum *lege* insolens est enim
p. 84. *nihil est depravatum.*
p. 86. l. 4. alios suos *lege* aliàs suo
Ibid, l. 45. deservient *lege* deservientia
p. 90. l. 8. *& sequentibus, sic emenda*: juxta quod *Deut.* xix. 15. *Actuum* xxv. 1. *ad Corinth.* v. cum glossis &c.
p. 95. l. ult. Evangelisto *lege* Magistro
p. 120. l. 4. uber terræ an vilia *lege* uber terra ob vilia
p. 121. l. ult. quamcumque hæreses, *lege* quoscumque adhærentes
p. 123. l. 28. Hien *lege* Jacob
p. 130. l. 58. quam sunt *lege* in quantum sunt
p. 131. l. 63. nunquam *lege* inquantum
p. 138. l. 5. cum verum sit *lege* verum non sit
p. 142. l. 22. nunquam *lege* jam
Ibid. l. 46. Saxonensem *lege* Senonensem
p. 152. l. 25. *nihil erratum.*
p. 160. l. 37. allegat *lege* allegatur
Ibid. l. 40. quoniam *lege* quem
Ibid. l. 52. quidquid *lege* qui quidem
Ibid. l. *ult.* del. *lege* declaratur
p. 162. l. 39. donec condemnanda *lege* non est condemnata
p. 165. l. 26. eas servare credant *lege* si serventur cedant
p. 166. l. 18. *hunc locum sic restitue*: quid ad me, dicet aliquis, de illiteratis sum, in quo peccavi credens Doctori famoso, quorum enim dictis fides habeatur? nisi &c.
p. 167. *quinque lineis ante finem, locum sic restitue*: dicit quod stat cum qualificationibus positis &c.
p. 169. l. 38. Divinum *lege* Dominium
p. 175. l. 4. *nihil immutandum, vel legendum* possint
Ibid. l. 18. volent *lege* volens
p. 176. l. 15. supra Apos *lege* Angelos
p. 182. l. 36. quod cap.no *lege* cuidam Capitaneo
p. 193. l. 58. quæ * *adde* proposita sunt
p. 199. l. 11. *post* Judices *adde* errores damnantur
p. 201. l. 15. modestia mea *lege* moventia me
p. 207. *nihil omissum aut corruptum nisi* peccaret *pro* peccatum
p. 209. *Nihil corruptum in primo loco annotato.*
p. 219. l. 14. Rectè habetur in textu, *tertio*, sic enim tum numerabatur annus quartus usque ad mensem Martium: *& ita in reliquis.*
p. 224. l. 4. quo nequam *lege* quam id quod
p. 234. l. 35. *post* Israëlitici *dele* quod *& omnia concinnunt.* l. 60. *nihil immutandum.*
p. 235. l. 7. *nihil immutandum.*
p. 236. *sex ante finem lineis* ibunt moti quod conf. *lacunam ita supple* quod conferant opem
p. 240. l. 41. Assertionis forma *adde* in
p. 241. l. 59. omnem *lege* contrarium
p. 242. l. 67. stansum *lege* falsum
p. 245. l. 12. * lege *pro li. Ibid.* recipiat *lege* accipietur
Ibid *in textu nil immutandum.* lin. 35. *hiatum sic imple*, si autem non ita: & p. 46. l. 5. si è contra
p. 250. l. 3. qui bene *adde* expoluit
Ibid. l. 22. incommodis *lege* in commodis *aliunde nihil hic deest*, *vel pro* observare *lege* obviare
p. 251. l. 14. sit *lege* fit

p. 268. l. 58. *post hoc verbum* conclusionem *adde* probasse
p. 270. l. 32. *in hiatu pone* generalem
Ibid. *lin. antepenult.* quod satis . favetur *lege* satisfacitur *& post* ad plenum omnibus *adde* objectionibus
p. 278. l. 23. louables *adde* inclinations
p. 281. l. 20. *lege* quibus Lex nullam excusationem tribuit, saltem excusabilem ab homicidio
p. 282. l. 8. ad hoc *lege* cum hoc
Ibid. l. 16. humano *lege* homini
l. 18. notificationum *lege* notificativum
l. 45. conversationis *lege* conversionis
Ibid. *sex lineis ante finem* Levita *lege* oscula
p. 285. l. 5. & ultimo de proponendis suppliciis *lege* ut ultimo deputandis supplicio Sacramentum Pœnitentiæ contra statuta &c. *Clement.* l. 5. Tit. ix.
p. 286. *sexta linea ante finem* dissolatione *lege* sine ratione
p. 287. l. 8. nunc *lege* non
Ibid. 38. prima *lege* præmia
Ibid. 40. quæ *lege* qui
Ibid. 55. credereque *lege* cedereque
Ibid. 66. effectu *lege* defectu
p. 288. l. 11. *nihil mutandum.*
Ibid. l. 35. spiritus *lege* & non inspiratus
Ibid. l. 48. promissionum *lege* promissorium
Ibid. *lin antepenult.* prædictæ Assertiones *lege* prædictas Assertiones
p. 289. l. 15. præsciens *lege* præstent
Ibid. l. 23. Pelicianis *lege* Petellinis
Ibid. l. 31. quod alio *lege* quodam alio *cætera sibi constant.*
p. 290. l. 24. *addendum* condemnanda
p. 291. l. 2. & asserre *lege* & contrarium asserere
Ibid. l. 16. *& seq. sic lege* Ergo quanquam quilibet esset Judex illorum, & personæ quæ ea commisisset, ad executionem tamen mortis in Tyrannum, in incerto, perplexo & dubio procedere non debet. Justitia & ordo judiciarius divina Lege traditus, est omnino servandus; & contrarium asserere &c.
Ibid. l. 34. *nihil addendum.*
Ibid. l. 59. *lege* non quilibet ex hoc Jurisdictionis potestatem habet; sed debet desuper venire
p. 292. l. 55. vel habeat *lege* vel si habeat
p. 294. l. 34. appetente *lege* apponere
Ibid. l. 5. *ante finem* excusare *lege* excusatione
p. 295. l. 4. *ante finem* arista *lege* aristæ
Ibid. & 296. *initio totum hunc locum sic restitue*, sic campo molli aristæ florescenti triste malignatur lolium, nascique volenti obviat, & floribus præclusis invidet ortum. Sed quasi flos rosarum in diebus vernis refragat, talis nobis successit dulcis rosa, dives amictu, dives odoratu, dulcis comes, quæ requiescit in vestro præoptando pectore; morum aromate sertis inserta vernantibus florent, ac pullulat in rosulam vel olviam, donec felici gressu vias per sidereas gradientes, cum grege vobis commisso devenietis locos lætos & amœna viridaria.
p. 302. l. 53. respectum *lege* per respectum
l. 63. vita intentione *lege* juxta intentionem
p. 303. l. 43. Concilio *lege* consulo
p. 305. l. 5. Agap Amalach *lege* Agag Regem Amalec

Ibid. l. 11. introxicavit *lege* intoxicavit
p. 308. l. 26. modo certi ne malis *lege* vulgò dicitur Legis antiqui Testamenti esse
p. 310. l. 36. expotulet *lege* exponatur
p. 315. & 316. *sequere emendationes marginis.*
p. 321. l, 23. *post* tubam aut clangorem *adde* ciere
Ibid. l. 6. *ante finem* vel *lege* ne
p. 323. *secunda Assertione.* legimus *lege* Legibus Divinæ & Naturali injuriosa.
p. 334. l. 35. publicè *adde* habetur
p. 337. l. *penult.* coertionis *lege* coercitionibus
p. 339. l. 28. non *lege* cum
p. 340. l. 26. non horrescit referens animum *lege* non horrescit referens animus
Ibid. l. 29. jam damnata repetere *adde* supervacaneum
Ibid. *lin.* 69. elicta *lege* proscripta fuisse cum
p. 341. l. 40. & 41. *sic lege* doctrina omnibus quoque ad legendum sugendumque tradita est
p. 341. col. 2. l. 4. Demum diem zelus noster accusamus *lege* Demum omnium zelum excitamus & erroris accusamus
In reliquis sequere emendationes marginis.
p. 344. l. 44. Fidem *lege* Fidei
l. 45. adoptari *lege* adaptari
p. 350. *lin. penult.* * infamiam *lege* per infamiam
p. 358. l. 44. excipus *lege* excipimus
p. 368. l. 11. publica *lege* privata
p. 369. l. 27. *post* dispensantis *adde* autoritas
p. 375. l. 40. credimus dictas litteras &c. *lege* credimus iis qui dictas litteras
p. 391. l. 7. *ante finem* perpendere * *adde*, circumstantias
p. 406. l. 56. si *lege* sic
p. 420. l. 6. nominator *lege* nominetur
p. 432. l. 18. quia nullus *lege* nullum Jus
p. 435. l. 21. ergo or * *lege* ex quo patet error
Ibid. l. 34. quia *lege* quoad
p. 457. l. 9. enim *lege* non
p. 458. l. 10. ex *. *lege* exigi quod sit
p. 461. l. 46. facit rea *lege* fuit recta
p. 468. l. 41. ex* 1*.... *lege* ad extra libera
p. 469. l. 71. totionis *lege* totius
p. 470. l. 71. Qui *lege* Quæ
p. 480. l. 62. quaterniis * præjudicii *lege* quaterniis haberi vocem præjudicii
p. 486. l. 29. tanta rei veritate *lege* contra rei veritatem
p. 487. l. 36. totius * *adde* Evangelii
p. 497. l. 22. compti Sanctis *lege* confecit
p. 498. *octo lineis ante finem hiatum ita imple* nostram
p. 500. l. 11. devotus *lege* devoti
Ibid. l. 12. Joannes Dux *lege* Joannis Ducis
p. 514. l. 25. zelus *. *adde* veritatis
p. 515. l. 36. Christi laterales *lege* Et Vicarii Christi
Ibid. l. 37. potente *lege* potenter *nihil pretereà corruptum.*
p. 524. l. 9. minorem *adde* culpam
p. 533. l. 50. *post hanc vocem* Fide *adde* asserere
p. 544. l. 10. præparanda consilii *. *lege* præparanda. Consilii *& nihil deest.*
Ibid. l. 46. *ita hunc locum lege*, & ut credimus non ferenda (nam faciliter extranea fieri possunt incommoda) & in vocibus hominum maculam in Ecclesia Clerique turpitudinem cumularent.
p. 545. l. 15. *nihil mutandum.*
p. 546 & 547. *nihil mutandum nisi* p. 547. l. 10. misericorditer *lege* immisericorditer *&* l. 50. moventur *lege* metuunt . . . . .
p. 561. l. 40. zelus est *lege* scelus &
p. 566. l. 40. avertant *lege* advertant
p. 560. l. 60. uxores *lege* interfectores
p. 570. l. 4. *ante finem* alius *lege* aliàs
p. 572. l. 41. hujus *lege* hujusmodi juramentum
p. 573. l. 24. judico *ita lege*: *nihil immutandum.*
p. 574. l. 18. concitator *lege* concitando
p. 584. l. 16. arcubus *fortè* acubus, *in sequentibus nihil omissum.*
Ibid. l. 25. exennia *forte* Encænia
Ibid. *paulo ante finem* sa *lege* falsa
p. 585. l. 23 *& sequentibus, sic lege* Tenemus enimverò indubiè quod per hoc tantò uberioris meriti donaria, quantò præmissa fidelibus citiùs & opportunè præveniri conspicientur, ab eo recipietis
p. 587. l. 32. Judicium *lege* Judicum
p. 588. l. 20. reparari *lege* quæ reparari non poterunt
Ibid. l. 51. affligito *lege* afflicto
p. 589. l. 13. *supple verbum* pessundaretur
p. 592. l. 27. eorum *lege* vesaniam
p. 593. l. 16. intercalari *lege* ineffabili
p. 594. nedivisaque *lege* indivisaque
p. 601. l. 28. in singulis Ecclesiæ *adde* partibus
p. 604. l. 4. & qui vos *dele* qui
Ibid. l. 20. laceretur minimè *lege* laceraret per
p. 605. l. 11. nequam *lege* ne
Ibid. l. 4. *ante finem* interdic. *lege* interdicente
Ibid. l. *antepenult.* ferre *lege* serie
p. 606. l. 17. reprobat *lege* reprobatus
p. 609. 610. 611. *sequere emendationes marginis.*
p. 612. *Nihil vitiatum.*
Ibid. *lin. penult. dele* in ac
p. 613. l. 7. *ante finem* traheris *lege* trahitur, *in reliquis sequere emendationes marginis.*
p. 624. l. 15. *nihil vitiatum*, *nec pag.* 625.
p. 626. l. 16. ne *lege* nec
p. 627. collocantur *lege* colloquantur *cætera rectè constant*, *nisi quòd* infuscat *positum pro* inficiat
p. 628. l. 46. ea *adde* ratione
Ibid. l. 52. eque. *lege* detque
p. 630 & 631. *Sequere emendationes marginis.*
p. 632. l. 1. *Rectè emendatum*: *in aliis nihil erroris.*
p. 635 & 636. *Legendum ut in margine.*
p. 640. l. 5. petitis *adde* litteris. l. 8. *lege* refutatorias *ut in margine.*
p. 643. l. 10. manu aliena' *adde* scriptum
Ibid. 44. terminandos *lege* terminandas
l. 45. *lege* ad Concilium quod commissum eis fuerat remiserunt
p. 645. *lin. antepenult* prioribus *adde* sæculis
p. 647. quod essent *adde* minus instructæ
p. 657. l. 3. quis *lege* queis
Ibid. l. 12. aggraviandos *lege* aggregandos
l. 49. favere *adde* quibus
Sequentia rectè emendata in margine.
p. 693. l. 43. inhiberi *adde* fecit
p. 695. *nil vitiatum.*
p. 696. *Sequere emendationem marginis.*
p. 698. l. *ult.* ceris *lege* cœteris
p. 699. l. 49. prædeorum *lege* Prelatorum
p. 721. *Nihil desideratur.*
p. 722 723. *Benè emendatum in margine.*
p. 724. l. 4. *ante finem* n * *lege* Mag. idest Magistrum
p. 728. l. 17. tot * est *lege* totius pars est
p. 730. *Nihil vitiatum.*
p. 731. l. 20. *dele hæc verba* Et transgressor
p. 735 & 736. *Bene emendatum in margine.*
p. 737. l. 4. tria capita *adde* quoad. *Ibid.* l. 16. *dele* quoniam. *Ibid.* l. 27. fieri *lege* Fidei. *ibid.* l. 29. *nihil emendandum.*
p. 744. prima non videt *lege* non prima videlicet
p. 746. l. 30. de obam *lege* Okam l. 36. si pro *adde* zelo. ibid. l. 61. mandatum *lege* mendacium
p. 747. *Nihil corruptum.*
p. 748. l. 29. secte *lege* sect. 3.
p. 754. l. 13. ter quidem in eis *lege* &' quod in eis
p. 755 & 756. *Sequere emendationes positas in margine.*
p. 761. *Nihil emendandum.*
p. 762. l. 19. magis est *adde* hæretica
p. 765. l. 11. *Lacunam ita supple* quæ non sint
p. 766. talium *lege* alium
p. 767. l. 10. *Lacunam ita supple* quod etiam eorum dicitur.

dicitur. *ibid.* l. 12. & per consequens *lege* & hæc per consequens
p. 771. *Nihil vitiatum in primo capite: alia emenda ut in margine observatum.*
p. 773. *lege* sublato consensu. *In cæteris nil necesse est emendatione.*
p. 774. l. 30. seu non *lege* non sit. l. 54. hujusmodi naturalis *lege* hujusmodi ordinis naturalis
p. 775. *Sequere emendationem marginis.*
p. 776. l. 27. notoria *lege* notorietas l. 45. *adde* publicus l. 59. oppositionibus *lege* oppressionibus
p. 786. l. 3. *adde* vel *Linea* 65. Angelorum *lege* argumentum
p. 794. l. 25. magne *lege* magnum *ibid.* l 56. licentia *adde* Principis
p. 796. l. 65. levis autem *adde* esse posset
p. 800. l. 52. bene *lege* dico
p. 801. *Bene emendatum in margine.*
p. 817. l. 15. *ante finem* confœderati *lege* in confœderati
p. 819. l. 28. sublatum *lege* Sabbatum *ibid.* l. 35. Oram *lege* Okam
p. 823. l. 43. sicut peccasse *lege* sicut nec peccasse
Ibid. l. 46. nullus *lege* ictus
p. 831. l. 24. Tyranno *lege* Tyrannis
p. 833. l. 38. *lege* unus hostis humani generis judicatus est inquit. Hæc distinctio Tyranni &c.
Ibid. l. 45. conveniente *lege* convinci non potest
p. 839 & 840 *Sequere emendationes marginis.*
p. 841. l. 59. ponentes *lege* potentes *ibid.* l. 62. solus *lege* solum. *lin. ult.* vergiorum *lege* jurgiorum
p. 842. *linea ult. adde* cujus
p. 846. *Sequere notas marginis.*
p. 848. *Nihil deest: sed legendum* ea propter
p. 856. l. 27 *dele* quod *& adde* sit intelligenda
p. 858. l. 16. satagit *lege* sagittat l. *penult.* subscriptis *lege* subscriptum
p. 859. jure *rectè positum* obediam *pone pro* obedientiam
p. 860. l. 17. *dele* in omnibus qualificatur
p. 862. l. 3. includitur *lege* excluditur. *ibid.* l. 24. *&* 25. *ita restitue* quod vel lædat Fidem, vel læsam esse livore perverso confingat *ibid.* l. 43. Tyrannis cum pauca *lege* Tyranni enim non pauca
p. 864. l. 6. fugatur *lege* fingatur l. 33. *adde* non simpliciter ad Judicium Fidei trahi
p. 866. l. 26. statim *lege* statum
p. 868. l. 17. *Retine* parvula *& in sequenti linea pro* Et *lege* Sed *ibid.* 9. *lin. ante finem* non *lege* ne non *& sequenti linea lege* vitam & titulum *ibid. l. ult.* proverso *lege* perverso *vel* pro vero
p. 875. l. 13. *ante finem lege* ut à Tyranno hoste utente Tyrannica
p. 876. l. 27. lætaliter *lege* à leto aliter *Aliam lectionem marginis sequere.*
p. 877. l. 14. *ante finem* modicum *lege* meum judicium
p. 881. *Sequere emendationem marginis.*
p. 882. l. 24. prob.... *lege* probatur
p. 887. l. 9. *ante finem dele* quod
p. 894. l. 53. noluit *lege* voluit. *lin. ult.* vel Dominii *lege* vel Princeps Dominii
p. 892. l. 25. *dele* ne quid. *ibid.* l. 53. durissimus *adde* sensus
p. 895. l. 1. sic *lege* sit. l. 4. prosequentes *lege* prosequendi. l. 19. fingitur *lege* fingit. l. 38. intentionem *lege* internecionem l. 51. actuumitate *lege* activitate
p. 898. l. 17. *pro* nescio *lege* scilicet l. 31. esse *adde* negatur cum l. 57. tot *lege* non
p. 899. l. 11. *ante finem* mores sunt extra *lege* mores & cœtera.
p. 908. *Sequere emendationes marginis.*
p. 912. *Nihil immuta.*
p. 913. l. 9. calumnia *lege* calumniæ
p. 916. l. 18. profecto *lege* potero l. 46. *dele hac verba* tam scripta agenda. l. 64. dum potest *lege* dum præter
p. 917. l. 18. *Locum hunc ita restitue*, evidentissimè Parisienses coram Episcopis damnantes Propositionis clausulam ut expositionem distortam & erroneam, convincuntur errare &c.
Ibid. l. *antepenult. dele* negaret
p. 918. l. 5. non *lege* nomen
p. p. 923, 924, 925, 926. *Sequere emendationes in margine observatas.*
p. 928. l. 17. quoquomodum *lege* quoquomodò falsum esse
p. p. 929 & 930. *Sequere emendationem marginis.*
p. 939. l. 39. confœderata *lege* considerata
l. 45. illam virtualiter *adde* continentium, & quæ in eadem radice &c.
p. 9[illegible]. *Rectè emendatum in margine.*
p. 942. l. 44. quorum *lege* possum
p. 956. l. 13. *ante finem* plurium sit malum *lege* pessimum sit malum
p. 965. l. 31. si non tollit *lege* sic non tollit
p. 967. l. 5 *& sequentibus lege* Unde non eum sensum quem prætendunt verba Scripturæ &c. sed qui aliquando
p. 971. l. 30. secundum *lege* ad secundum
p. 972. *Rectè emendatum in margine*
p. 976. l. 20. idem *lege* est. l. 27. potest *adde* esse l. 40. omne ergo *lege* cur ergo
p. 981. l. 25. ut *lege* non *linea* 34. condemnatus *lege* comemndatus l. 44. in ipsum *lege* idipsum
p. 986. l. 43. ex prima, personæ asserentis primæ dependet, & ad ipsam sequitur eamque supposito *sic restitue* qui ex Propositione Assertionis primæ dependet, & ad ipsam sequitur eamque supponit
p. 987. l. 4. faciliter *lege* sequitur. l. 44. non habent *dele* non *ibid.* 8. *lin. ante finem* significatus non potest propriam figuram *lege* significare non potest propriam figuram
p. 988. l. 54. *dele vocem* impreto *vel lege* in præcedentibus
p. 992. l. 43. insertas esse condemnandas *lege* probat Assertiones prædictas esse condemnandas. l. 51. si pro *lege* sic probatur. l. 59. si in. *lege* si id
pp. 993, 996, 997, 1001, 1003, 1004. *Sequere emendationes marginis*
p. 1003. l. 4. facie *lege* facit.
p. 1014. l. 6. *ante finem* obstenderent *lege* ostenderentur
p. 1015. l. 15. Legis *adde* non expectata. *Ibid.* 25. Joanni *lege* Jordano. *Ibid.* 56. convocandum *lege* citatum
p. 1016, 1017 & 1018. *Sequere emendationes marginis.*
1018. l. 12. *sic lege* non potest homo absque detrimento observare, & tunc ob dicta. *ibid.* l. 47. servo *lege* suo.
p. 1019. *Emenda ut in margine.*
p. 1021. l. 19. conservativa *lege* conservativum l. 34. *adde* modus
p. 1022, 1024, 1026. *Rectè emendatum in margine.*
p. 1027. l. 27. quod non sint *lege* quod si non sint l. 53. *nihil addendum.*
p. 1028. Eutich. *lege* Ethic.
p. 1030, 1031, 1032. *Sequere emendationes marginis.*

F I N I S.

CONCLUSIO OPERIS.

Congessimus huc usque & emendavimus, non sine multo labore, Monumenta omnia ad Causam Joannis Parvi pertinentia; variasque retulimus de ejus Assertionibus Theologorum sententias & judicia. Circa quæ hoc potissimùm observandum; in totâ illa controversia, id inter omnes constitisse, nemini licêre quidquam adversùs Principem legitimum & supremum, etiamsi Potestate sua abuteretur, attentare. Ut enim videre est in statu quæstionis, & in sententiis eorum qui Assertiones Joannis Parvi acerrimè tuebantur: tantùm abest ut quidquam in legitimos Principes moliri licere contenderent; ut è contra, eo potissimùm argumento, opinionem suam defendere conarentur, quòd per eam saluti, atque incolumitati Regum consulebatur. Nulla quippe quæstio erat de Regibus. *Sed de subdito, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, aut alia ratione, machinaretur aliquid contra salutem corporalem sui Regis & Superioris Domini, & cujus conatus alia ratione, quàm per violentam ejus interfectionem reprimi non posset.* Ita illi & Joannis Parvi mentem & suam exponunt: manetque apud omnes firmum ac stabile, nullo in casu licere cuiquam adversùs Reges aliquid moliri. Quod quidem hîc in fine observandum esse duximus, ne quis hæc aliter perperam accipiat; aut inde Editori invidiam conflare conetur.

